
ACCADEMIA DI MEDICINA
TORINO

BIBLIOTHECA
MEDICO-PRACTICA
SIVE
RERUM MEDICARUM
THESAURUS
CUMULATISSIMUS

JO. JAC. MANGET · M. D.

BIBLIOTHECA MEDICO-PRACTICA

SIVE

RERUM MEDICARUM THESAURUS CUMULATISSIMUS

QUO

OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS MORBOSÆ AFFECTIONES

Tum ARTEM MEDICAM in Genere, Tum CHIRURGICAM in Specie, spectantes

ORDINE ALPHABETICO EXPLICANTUR.

ET

PER CURATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, ac CADAVERUM ANATOMICAS INSPECTIONES, tam hinc inde proprias, quàm à variis, iisque præstantissimis Authoribus, Veteribus & Recentioribus petitas, abundè imò & curiosè tractantur.


TOMUS PRIMUS.



GENEVÆ,

Sumptibus JOANNIS ANTHONII CHOUET.

M. DC. XCV.



GENEROSISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

HEROI, D. D.

ALEXANDRO A DHONA

S. R. I. COMITI AC BURGGRAVIO;

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

ELECTORI BRANDEBURGICO

A Sanctioribus Consiliis

Necnon

EJUSDEM MILITIARUM

PRÆFECTO GENERALI STRENUISSIMO &c.



ON diu mihi cunctandum fuit, ILLUSTRISSIME COMES, *cui demum quicquid meæ est opellæ in hâc concinnandâ atq; adornandâ* Bibliothecâ Medico-Practicâ *consecrarem: Siquidem in* Te *præter Virtutum ac Generis verè Heroici splendorem, Patronum habui non unô beneficiorum & benevolentiæ nomine venerandum. Munus reverà levidense, & tanto Viro minùs dignum, si ex propriis æstimetur vigiliis, Tibi offero: At illud si licet maximè ex Præstantissimorum Virorum curis æstmare; quicquid* Ars Asclepiadæa *nobilius habet, coëgit; quicquid felicior* Praxis *Mystas suos edocuit, revelat; quicquid*

terrâ marique datum, aut etiam variô artificiô, multiplicique Chymiſtarum *induſtriâ, tum ad ſanitatem tutandam, tum ad eam cadivam reſtaurandam, ac reſtituendam, paratum, exhibet; quicquid denique ſolertior ac ſagacior valuit* Anatomia *in ægritudinum & focis & cauſis retegendis, abundè complectitur, & ſinû ſuô reconditum gerit.*

At enim de opere ipsô quorſum multis apud Judicem proloquar, qui Philoſophica ἀκρίβεια *non minùs quàm Politicâ pollet, quique de librô non ex inſcriptione, ſed ex ejus diligenti evolutione ſententiam ferre conſuevit; imò qui Litteris omnibus Humanioribus, non tantùm leviter imbutus, ut ſolent plerique alii Magnates, ſed in iis verè Doctus dici poteſt? Namq; & à tenerioribus annis, cum ſtudiorum Tuorum cura mihi, non ſine maximo honore, mandata eſſet, illis & gnaviter, & feliciſſimè incumbentem non ſemel miratus, ſummo cum gaudio jam tum vidi Te illa Virtutis foventem ſeminia, quæ Martialibus ſpiritibus hæreditario jure in* Te *corrivatis, & ſedulò innutritis, maritata, in amplam illam maturuere ſegetem, quâ Bello Domique clarus alter* ab utroque Cæſar *meritò audire poſſes.*

Hic vaſtus ſe orationi meæ aperiret campus, ſi de Magnanimorum Avorum *Tuorum gloria, ab ipſa* Domûs *non minùs antiquæ quàm illuſtris origine, aliquid dicere animus eſſet. Ut enim taceam qui ex* Ea *priùs in Occitania inclaruere, primum producerem ALOYSIUM illum de URPACH, qui* Carolo Magno *grandi ſuô meritô verè carus, & è terra patria in Germaniam adductus, ad fluvium Albim ſedem fixit, ubi ex Imperatoris donô non tantùm urbem* Dhona *poſſeſſit, quæ Genti nomen dedit, quæque adhucdum cum caſtri ſui ruderibus ſuperſtes videtur; ſed etiam* COMITIS *ac* BVRGGRAVII

titulo,

titulô, quem fortitudine heroica verè meruerat, condecoratus est. Hic Imperii fines contra Wandalorum *&* Suecorum; *barbarorum quidem, sed bellicosissimorum populorum, incursiones gnaviter tuitus est: Unde Caroli Magni successor* Ludovicus Pius, *donum ei concessum, Ejusdem hæredi CONRADO I. meritò confirmavit. Hic est ille Conradus qui insignis operis* pontem Dresdensem, *utramque civitatem conjungentem, extruxit, Familiæque vectigal ejus, vel saltem partem, acquisivit, quod demum ære* Augustus Elector Saxoniæ *redemit; unde etiam ad nostrumusque sæculum eô ipsô in ponte, opere antiquô,* Dhonanæ Gentis *insignia bicornia insculpta permanserunt. Tertius ab Aloysio mihi celebrandus veniret HINCO ille, qui annô Christi XXIIII. CIↃ. cùm Imperatoris* Ottonis *Vicarius esset,* Boleslaum *Bohemiæ Ducem cepit. Haberem & VVIGBERTOS, VVILHELMOS, FRIDERICOS, HENRICOS, VVOLFGANGOS, COLBATIOS, ERNESTOS, IONAS, VVERNEROS, CHRISTOPHOROS, STANISLAOS, ABRAHAMOS, CAROLOS HANNIBALES, OTTONES, IARISLAOS, NICOLAOS, ACHATIOS, FABIANOS & CHRISTIANOS, omnes rebus gestis verè claros, ac Christiano orbi caros, per quos* COMITVM & BVRGGRAVIORVM *dignitas, quæ in aliis innumeris S. R. I. Familiis expiravit, masculâ virtute, ac pari gloria longè propagata est. Verùm si è tot Virorum illustrioribus facinoribus tantillum quidem delibare intenderem, grandia complerem volumina. Quod de unô* Fabianô, *ut & de* Christophorô *ejusdem ex Fratre Nepote fecerunt Celeberrimi juxta & Nobilissimi scriptores* Wossius *&* Spanhemius; *ambo istô etiam nomine, de Perillustri Domô bene meriti, at manifestè in eo lapsi quòd* BVRGGRAVII

titulum latinè per Vicecomitem *reddiderint; nonnullorum hâc ratione errori ansam præbentes. Nam præterquàm quòd neminem latere potest quanti sit* Burggraviorum *titulus, qui noverit illum apud Serenissimos Principes*, Brandeburgicum *ac* Saxonicum *titulis etiam aliquot Ducum præponi; liceat hic, ne fucus publico ulteriùs fiat, vel unam laudare* Bullam Auream *ab Augustissimo Imperatore* Ferdinando III. *annô MDCXLVIII.* Dhonanæ Familiæ *super hôc negotiô concessam, quâ constat* Amplissimam Dhonanam Gentem COMITUM *ac* BURGGRAVIORUM *titulum ab ipsô* Aloisiô *semper obtinuisse, tantumque abesse ut posterior,* Burggraviorum *nempe, titulus priori vel minimùm derogaverit; quin Familiam Illustrissimam ante plura sæcula ex* Comitum *dignitate ad* Burggraviorum *gradum evectam ac promotam esse expressis declaratur verbis, atque adeò Comites & Burggravii à Dhona, S. R. I.* verè Comites *ac* Burggravii *omnibus agnoscendi, hâc ipsâ aureâ Bullâ proponuntur & renunciantur.*

At DHONANÆ FAMILIÆ, *per matrimonia etiam* Regibus, *S. R. I.* Electoribus *&* Principibus, *toties, & vel novissimè sanguine junctæ, gloriam quid ulterius rudiori oratione elevatum eo? Quidque tot Nomina ac ejusdem Gentis Decora, jam ab aliis celebrata, æternùmque celebranda, hic cumulare tento? Dum in Tè* COMES ILLUSTRISSIME, *quicquid grande à tota illa Magnanima Gente actum est, compendiô quasi comprehensum demiror, ac collucere video. In Te, inquam, qui Virtutis Avitæ vestigia firmô premens talô, jam à puerilibus annis, ingentes versans animos, bello, quod contra* Suecos, *lacessitus intentarat Augustissimus Heros* Fridericus VVilhelmus Elector Brandeburgicus *verè Magnus, primùm interfuisti, ibique Tuis gnaviter gestis per omnes militiæ gradus ad* Colonelli *dignitatem ante decimum & septimum ætatis annum ascendere meruisti. Qui inde contra Turcas cum copiis Brandeburgicis in Hungariam profectus, in obsidione*

urbis

urbis Granæ *aliisque in periculis, non parum inclaruisti: Qui ex Hungariâ redux, aliò lauros rursus collecturus properans, in oppugnatione generali urbis* Bonnæ, *locum muris proximiorem, telisque hostilibus undique patentem totam noctem, duobus etiam sclopeti ictibus, at sine ulla noxa petitus, (quæ fuit Divina erga carum adeò pectus clementia) intrepidus obtinuisti. Nimius forem, si fortia alia facinora recenserem, quibus eò pervenisti, ut ab* Augustissimô Electore *Militiarum* Generalem Præfecturam *promeritus fueris, dignusque habitus sis qui Arci* Pilau, *totius Borussiæ clavi, præponereris.*

Ut in Bellicis Rebus *fortitudinem, ita in aliis maximis negotiis* Generositati Tuæ *commissis, industriam ac solertiam summam exhibuisti. Quis enim non stupebit Te adhucdum juvenem, non tantùm* Serenissimo Electori *à* Sanctioribus Consiliis, *sed etiam ab eòdem in Poloniam* Legatum *dictum; solertia in rebus promptè conficiendis Viros grandævos, ac multiplicis experientiæ, longè superantem? Quapropter post aliquot annos, Serenissimi Friderici Wilelmi* Augustissimus Filius *Electoratû potitus, Te continuò eòdem, fœderum renovandorum causâ, remisit; Ibi Poloniæ* Regi *acceptissimus, brevì peregisti quæ aliàs Viros etiam consummatissimos, propter gravissimas lites subinde inter utramque Coronam enascentes, diu detinuerant; Indeque reportâsti luculentissima sagacitatis ac scientiæ politicæ, aliarumque virtutum heroicarum, ab ipsò Sapientissimò & Fortissimò Rege testimonia, in aliâ ad eundem Legatione, eaque tertia, amplissimè confirmata, & cumulata. Nec sola* Polonia *Te in magnis agentem Ministeriis mirata est, sed etiam* Suecia: *In eam quippe aulam delegatus, quid in rebus intricatissimis ac difficillimis prudentiâ & solertiâ tuâ valeres abundè ostentâsti, & ab Augustissimo* Rege, *apud quem in magnô sanè nomine fuisti, profectus, ac per* Daniam *iter faciens,* Monarchæ *isti non minùs quàm aliis commendatissimum Te præbuisti.*

Verùm,

Verùm, quid iniquiore stylo tanti Viri laudes detero, Virtutumque, quas tota Germania ac ipsa Regna adjacentia demirantur & suspiciunt, aliquid hic propalare adnitor? Imò, quid vim facio modestiæ singulari, quâ meritissima etiam encomia aversaris ac rejicis? Sisto itaque gradum, COMES GENEROSISSIME, *ne dum partem eorum quæ surdissima etiam Posteritas debitis prædicationibus in Cælum delatura, ac immortalitate donatura est, rudiori penicillo adumbrare satago, minùs gratus accedam; Deumque T. O. M. humillimè & totô pectore precor, ut* TE, *Illustrissimamque* CONIUGEM, *ac Generosissimam* PROLEM, *Nestoreos sospitet in annos; ad* Aulæ Brandeburgicæ, *imò totius* Germaniæ *longum decus, & ut Virtutibus* Christianis, Civilibus *ac* Heroicis *diu omnibus præfulgeatis. Sic ex animo vovebat.*

ILLUSTRISSIME COMES.

EXCELLENTIÆ TUÆ

Dabam Genevæ die Januarii 28. Anni 1695.

Addictissimus & obsequentissimus

J. J. MANGET.

BIBLIOTHECÆ
MEDICO-PRACTICÆ
LIBER PRIMUS
De Affectibus à Litera A incipientibus.

ABORTUS.



QUIDAM confundunt *abortum* & *aborsum*, alii verò in eo differre volunt, quòd hic, fætus corruptelam primis mensibus inductam significet, ille verò, exclusionem fætus ad legitimi partus terminum propiùs accedentis, denotet. Græci habent ἐκπολὴν & ἐκτρῶμα; ἐκπολὴ propriè est rejectio fætus sub forma ovi, ἐκτρῶμα verò est ejectio fætus jam formati.

Abortus autem est fætus imperfecti exclusio præmatura causarum internarum, vel externarum vi excitata.

Causa abortus *proxima* est, vel uteri coarctatio, unde fætum crescentem continere minùs capax est; vel præternaturalis relaxatio, quâ fibræ emollitæ conceptui arctiùs complectendo impares evadunt, ipsumque ante tempus per facilè explicabiles vias dimittunt; vel ejusdem uteri motus convulsivi & contractivi, à plethora fermentescente, spirituum nimio influxu, aliisque irritamentis procreati.

Causa abortus *remota* est, vel commotio animi, vel nimius motus, saltus, sternutatio, tussis, vomitus, immodicus alvi fluxus, vociferatio, ponderis gravioris sublatio, brachiorum fortis extensio, hæmorrhagiæ, terror subitaneus, atque, quamvis rariùs, insufficiens nutrimentum fætui à matre suggestum, ut etiam gestationis tempore frequentiùs adhibita & assumta medicamenta, præcipuè opiata.

Signa abortus imminentis sunt, tum jam memoratæ causæ graviores prægressæ, tum corporis rigor & horror subitaneus subsequente leviculo calore; item nausea, inappetentia, sitis major, dolor lateris, lumborum, atque totius corporis lassitudo, animi deliquium, cordis palpitatio, halitus fætidus, aliaque minùs univoca: Tum præcipuè lumborum & coxarum gravitas insolita, atque ponderis vulvam prementis importuna sensatio longè ante tempus partui legitimo vicinum, dolores vagi in imo ventre crebriùs recurrentes & ad pudoris usque sinum deorsum se extendentes, eum involuntario conatu ex utero egerendi, eruptio sanguinis aquosi, aut aquarum in membranis fætum obvolventibus contentarum, situs denique uteri quasi mutatus, ita ut qui priùs supra regionem pubis eminebat, deorsum jam inclinet: adde ex Hippocrate, mulieri in utero gerenti si mammæ subitò extenuentur abortit.

Quandoquidem autem non parùm interest nosse an fætus sit mortuus, an vivus; (ne mortuum excernendum retineamus) mortui fætus signa hæc habeto ex Hyppocrate, sc. jubere oportet mulierem, ut modò quidem dextrum in latus, modò etiam in sinistrum convertatur; dilabitur enim fætus in utero quocumque se vertat mulier velut saxum, aut aliud quidpiam, si mortuus fuerit, & pectinem frigidum mulier habet. Item si cùm jam movetur fætus corrumpatur & suffocetur, venter imus intumescit, & ad contactum velut ex ulcere dolet, febris & dentium fremitus eam prehendit, dolorque gravis & vehemens, ipsa pudenda, imum ventrem coxendices, laterum inanitates & lumbos detinet; *At hæc non sunt perpetua* addimus præterea si observarit fæmina se leviter aliquando ex repentina causa, terrore & simili inhorruisse talem horrorem morituri, seu morientis fætus signum esse, præcipuè ubi brevi sequitur genitalium gravamen.

In omni abortu magis periclitantur fæminæ, quàm in partu naturali, ac præcipuè quo grandior fuerit fætus; sed in majori versantur periculo teneræ admodùm constitutionis mulieres, quàm obesæ, Abortum graviorem aliquando sequitur inflammatio, ulcus, hæmorrhagia copiosior, indeque enata syncope, imò deliria & convulsiones, hisce autem prehensas, nullas se vidisse servatas asserit Aretæus: Imprimis periculosum est si prima conceptio per abortum rejiciatur, sic enim sterilitas aliquando inducitur, aut eadem mulier alii fætui ad suum terminum gerendo inepta sæpissimè evadit.

Ubi abortus fit, cura nulla tentanda nisi ea quæ exclusionem faciliorem minoribusque symptomatis stipatam faciat, periculum enim foret, ne si fætui mortuo, aut jam in egressu morituro, per astringentia à Medico adhibita via præcluderetur, in utero restitaret cadaverosa, atque inflammatoria materia, millium symptomatum parens funesta.

Ad præservationem autem *in genere*, commendatur primariò verbena intùs & extùs adhibenda, ex eaque paratum extractum, aqua, & essentia, sequuntur grana Kermes sed sincera, & quantùm fieri potest recentia, indeque paratus pulvis, atque tinctura; Ebur & omnia ex ebore, ejusque præcipuè gelatina in potu dissoluta, cancri fluviatiles, quacunque demum ratione adhibiti, at in specie eorum exsiccatorum pulvis quem specifici antiabortivi honore dignabatur Poterius. Corallia ex iisque extracta tinctura per spiritum cordis cervi; Germina seu potiùs Chalazæ ovorum gallinaceorum recentium tria numero cum foliolo uno auri in jusculi carnium cochlearibus aliquot soluta, atque non una tantum vice sed per dies duodecim matutinis horis longè ante pastum exhibita.

In specie Ubi à plethora nimia, vel cachochymia periculum est abortus, utilis erit venæ sectio, purgationesque mitiores cautè administratæ. Ubi à terrore, faciet pulvis Marchionis, item specificum cephalicum ex dente hippopotami, castor. &c. tinctura coralliorum & similia. Si à frigore externo conveniet internè, aqua vitæ mulierum, balsamus Embryonum, aliaque spirituosa, externè inunctiones, ex oleo mastichino, addito oleo macis vel garyophyllorum aromaticorum atque cinnam. stillatit. imò balsamo Peruviano. Si ab ira conducet ex ebore parata gelatina ipsaque eboris substantia per aquarum vaporem eo modo soluta quo C. C. philosophicè præparatur, hisce permisceri debent acida, quo commodiùs bilis commotæ, nervosumque genus in spasmos deducere paratæ, acrimonia temperetur, remediique pori per fermentationem ab acidis inductam laxiores evadant, & absorbendis atque quasi in carcerandis particulis efferatis magis idonei. Si ex torminibus, doloribusque cholicis, internè proficuus erit pulvis Zedoariæ, per se, vel ex crusta panis butyro illita assumtus, externè verò piperatus melle illitus, & caryophyllis aromaticis sinapizatus regioni umbilicali admotus. Si ex relaxatione, laudatur unguentum comitissæ, item bdellium & mastiches aceto dissoluta, & instar emplastri regioni hypogastricæ applicata. Quæ autem vi adstrictiva validiore sunt prædita, qualia sunt balnea aluminosa, non ita tutò in præservationem adhibentur, quia vaginam angustiorem, partumque difficiliorem & laboriosiorem faciunt.

Abortu facto mulier extensis atque cruciatis cruribus immota in lecto maneat, extremaque sub stragulis ita contineat, ut omne frigus vel leviusculum ab illis arceat, si verò non sic satis reprimatur hæmorrhagia nimia, ad remedia, ubi de lochiis nimiis, explicanda, confugiendum.

Curationes, Consilia, Observationes & Anatomicæ Inspectiones è variis Autoribus.

Curationes.

Nihil melius scio quam in victu non errare, ne vitiosi humores in corpore colligantur, deinde ut vitet affectuum immoderationem, iram, curas, vehementes corporis motus, & quidquid sanguinem potest commovere. Ad sanguinem sistendum si fortè fluat, & sanguinis boni adsit copia, suaderem & ego, ut cæteri medici, venæ sectionem, nec moveret me Hippocratis authoritas, qui venæ sectioni in gravidis tantoperè adversatur, cùm nostro tempore diæta alia sit, quàm olim fuerit, & experientia testetur, sæpe multos gravidarum morbos venæ sectionem postulare & ferri ab iis sine incommodo, aliqui ad sanguinem sistendum prædicant pulverem ranæ ustæ in olla recenti in sacculo de collo appensum, experiri licet; Contra abortum utilis est hic pulvis manè sumptus in ovo sorbili. ℞. rad. bistort. ℈ j. granor. Kermes, sem. plantag. portulac. ana ʒß. coriandr. præp. ℈ij. sacchar. ad pondus omnium, fiat pulvis *Joann. Crato. Consil. 32. lib. 4.*

Quando menses tempore convenienti non fluunt, suspicio est mulierem concepisse, nihil tamen adhuc agendum, donec altero mense, quoque menses non rediisse certum sit: tunc incipiat illis quæ conceptum retinent, & uterum firmant, uti; primùm ceratum sequens lumborum regioni noctu cubitum itura applicet, illudque totâ nocte retineat, idque saltem ab initio tribus noctibus semel, & post mensem quartum, alternis noctibus, & quò magis uterus crescit, eò frequentiùs mutando aliquoties locum, ita ut quando quater in lumbis gestavit, postea in ventre sub umbilico totidem noctes ferat. ℞. Rad. bistort. sem. coriandri ana ʒ ij. nuc. cupressi, santal. rubr. hypocist. ana ʒ j. ladan. mastich. ana ℥ß. thur. bdell. ana ʒ ij. corall. succin. ana ʒ j. pulverisanda, pulverisentur, & excipiantur oleo mastichino, addendo ceræ, & terebinth. q. s. f. cerata quadrata duo vel tria ad usum. Interea utatur tabulis, quæ mirè ad abortum præcavendum sunt utiles, capiendo unam alternis vel ternis diebus manè. ℞. sem. coriandr. præp. ʒ ij. radic. bistort. ras. ebor. corall. rubr. ana ʒ j. succin. crystall. ana ℈ j. cocc. infect. ℈ß. sacchar. dissolut. in aq. rosar. ℥ iv. f. tabulæ ponderis ʒ j. lapides ætites, lazuli, jaspis, brachiis alligati proprietate juvare creduntur, caveat cum uterum gestat à nimio motu, tussi, sternutatione, ab aromatibus nimiis, & vino generoso. *Fælix Platerus Observat. lib. 3. pag. 744.*

Inter intrinseca pulvis hic noster si frequenter ex vino propinetur magnoperè profuturum non dubito. ℞. Spec. diamargarit. utriusque ℥ß. pulv. cancr. fluviatil. ʒ ij. coagul. lepor. pulv. ʒ j. corall. rubr. ℈ ij. m. f. pulvis cujus ʒ j. ex vini alb. ℥ iij. vel ex aq. plantag. horis 4. ante cibum, bis, terve in hebdomada exhibeatur. Inter extrinseca, quæ lumbis, spinâ dorsi liberâ relictâ, & locis apponuntur, est imprimis unguentum celebratissimum Comitissæ appellatum, probatissimum est subscriptum ceratum, quod sæpiùs feliciter usurpatur. ℞. Thuris, mastich. ladan. ana ℥ß. lapid. hæmat. bol. armen. coagul. Leporis, ras. ebor. ana ʒ j. resin. pin. q. s. f. ceratum s. a. quod applicatum lumbis non immutetur, nisi decem dierum spatio adhæserit detineatur tribus à conceptu mensibus, deinde auferatur, detur quandoque pulv. corall. rubr. ad ʒ j. in ovo sorbili, quod remedium licet vulgare sit, ad hoc tamen officium efficacissimum est. *Joann. Zecchius Consil. 94. & 86.*

Admoveantur regioni uteri ceratum infrà scriptum mihi pluries expertum & ad octavum usque mensem gestetur. ℞. Mastich. ℥ j. ladan. ʒ vj. rad. bistor. ʒ v. nuc. cupressi, hypocist. sang. dracon. rosar. rubr. santal. rubr. menth. sicc. coriandr. præp. gall. moschat. terr. sigill. ana ʒ ij. ol. olivarum, ceræ citrin. terebinth. claræ, picis ana q. s. m. f. cer,

f. ceratum. Sed. & quæ à proprietate abortum prohibent non sunt negligenda; quare intus pulv. cancr. fluviatil. coagul. leporinum, lapis aquilinus pulveratus & ex vino nigro austero datus non improbatur. *Julius Cæsar Claudinus Consult.* 34.

℞. Granor. Kermes ℈ j. santal. rubr. ʒß. caryophill. nuc. mosch. ana ℈ j. rad. tormentill. ʒß. margarit. corall. rubr. præp. ana ℈ j. fol. aur. num. iij. manus ch. perlat. ʒ iij. f. pulvis sumat ad ʒ j. cum pauco vino rubro. *Rodericus à Fonseca Consult. Tom.* 2. *Consult.* 71.

Occultam proprietatem habere corium equi marini pro retinendo fætu in utero certus sum, ex quo si fiat zona, & toto gestationis tempore juxta carnem cinguli modo feratur, abortus non continget, quod auxilium pluribus incassum tentatis præstantissimum semper inveni. Si haberi nequit utere zonâ ex lupino corio parata quam huic usui esse mirabilem fidelissimo experimento adinveni. *Zacutus Lusitanus Praxeos Medic. Admirand. lib.* 2. *Observ.* 150.

Ubi metus est abortus propter concussionem vel casum ventris inferioris, gravidam dispone in lectum, ut quiescat, & singulis diebus manè exhibe cum ovo recenti cocto gallaturas numero 7. vel 8. cum serico Kermisino ad ℈ j. inciso minutissimè, vel tantundem granorum Chermes; ventri autem pro confortando fætu impone sacculum è foliis cupressi, majoran. & rosmarin. in vino & aqua coctis. Sic conservabitur fætus ad justum pariendi tempus, ex obstetrice gallicâ. *Wolfgangus Hœferus, Hercul. Med. lib.* 7. *cap.* 3.

Abortum impediunt magisterium corallorum & perlarum, si sæpiùs cum aqua vitæ mulierum, vel aqua lilior. convall. detur, tinctura corallor. ritè rectèque parata abortum prohibet, si gestationis tempore prægnantes ejus accipiant gutt. iij. vel iv. singulis mensibus bis; à proprietate succus Astaci unius contusi, & expressi in vino bono datus singulis mensibus semel vel bis, fætum nunquam abortivum nasci sinit, nisi externâ vi impellatur. Sic sal Astacorum fluviatilium dextrè paratus, & singulis septimanis cum amygdalarum dulcium decocto in vino malvatico maceratus mirabiliter fætum conservat dos. gr. iij. (vinum ne bibant, pellit nimirùm fætum.) *Joann. Hartmann. in Praxi Medica.*

Valdè efficax est sequens opiata ℞. Conserv. rof. ℥ ij. cortic. citr. condit. ʒ vj. pulp. dactyl. myrobal. condit. ana ʒß. corall. præp. margarit. præp. & ras. ebor. ana ʒ j. cum syrup. cydonior f. opiata, de qua capiat frequenter magnitudinem castaneæ, quamprimùm dolores & tormina apparuerint in ventris fundo, versus pubem, in lumbis & osse sacro eorum sedationi incumbendum est, tam sumptis quam admotis, pro varietate causarum adhibitis, si ob cruditates & flatus excitentur (quod frequentissimum est) exhibendus erit pulvis ex aromatico rosato & sem. coriandr. compositus, imò aqua imperialis exhiberi poterit, si major sit pituitæ & flatuum congeries; eodem tempore applicentur abdomini carminantia, ut sacculi ex sem. anis. fænicul. fænugræc. florib. chamæmel. sambuc. anthos & stæcados compositi, vel placenta rosacea frixa in sartagine cum vino generoso & pulv. nuc. moschat. & coriandr. conspersa, si hisce dolores non cesserint, injiciatur clyster ex vino & oleo confectus in quo philonii rom. ʒ ij. dissolvi poterunt; aut etiam narcotica per os, in minima dosi exhiberi; ad frænandum flatuum & humorum impetum. Sequentia duo remedia pro secreto habentur, & fætum certò retinere creduntur, si antequàm fætus à cotyledonibus divulsus fuerit, usurpentur ℞. fol. auri numero xii. spodii ʒ j. germina trium ovorum non subventaneorum m. f. probè, postea dissolvantur in dimidio cyatho vini albi, & detur manè per triduum. Eodem tempore sequens cataplasma admoveatur. ℞. Thur. masculi pulv. ℥ ij. album. ovorum num. v. agitentur simul super prunas semper movendo ne concrescant, addendo terebinthinam, postea stupis excipiantur, & quantùm ferre poterit, calidissima umbilico applicentur, bis in die, manè & serò per triduum prædictum. *Lazarus Riverius.*

Ante partum abortus præcaveri debet V. S. Si mulier sit plethorica; purgatione, si cacochymia adsit; matricis frigiditas, lubricitas & humiditas est corrigenda, si ea in causa fuerit, & quidem thermis, sudoribus, aliisque. Affectus uteri, si qui adfuerint, removendi. *Graviditatis* verò *tempore* ea omnia fugienda, quæ vincula fætus vel laxant, vel rumpunt, vel uterum debilitant, vel expultricem ad expellendum irritant, vel fætui alimoniam subtrahunt, vel vitiosè alunt, vel prorsùs enecant, vel aliâ quacunque ratione matrem, vel fætum offendunt. *Bona* è contra conveniensque *Diæta* præscribenda matri, eique foris ac intùs medicamenta appropriata ordinanda V. G. ℞. pulv. contra abort. August. ʒ ij. magist. corall. cum succo citri. ebor. Sine △ parati, granor. mastich. ana ℈ ij. m. f. pulvis. dosis ℈ß. ad ℈ j. cum vino rubro aut ovo sorbili. ℞. Mag. corall. cum succo citri, ebor. sine △ præparati gran. mastich. ana ʒ j. pellic. ventr. gallin. ℈ iv. m. f. pulvis sumat manè scilicet in jusculo carnis, horâ 3. vel 4. & ante somnum. ℞. Aq. verben. plantag. ana ℥ j. syr. corall. ℥ iß. tinctur. corall. ℈ ij. misce. ℞. Tinctur. corall. ʒ iij. Dos. 20. vel 30. gutt. ℞. Balsam. embryon. ℥ iij. Dos. ʒß. ad ℥ j. Potest etiam hic balsamus embryonum seu puerorum optimè applicari cum vino malvatico ex pane tosto: item pulv. nuc. moschat. mac. & caryophyll. crustæ panis aquâ appropriata quâdam madefactæ, aspergitur, prodest etiam pulvis perlarum & corall. sæpiùs cum aq. lilior. alb. vel vitæ mulierum sumptus. Externè ℞. unguent. Comitiss. ʒ iß. olei mastich. cydon. ana ʒ iß. misce fiat litus. ℞. unguent. Comitiss. ℥ j. olei Omphacin. ʒ iij. misce fiat litus, potest etiam emplastrum contra herniam regioni Lumborum & hypogastrio imponi. Si à nimio frigore, internè prodest aq. vitæ mul. & balsamus embryon. externè verò potest fieri inunctio. ℞. olei mast. ℥ß. dest. nuc. mosch. gr. iij. macis gr. iv. caryophyll. gr. iij. cum ol. nuc. mosch. express. f. linimentum. Si à terrore ℞. aq. cerasor. nigror. flor. tiliæ, epilept. Lang. ana ℥ j. syr. corall. pæon. ana ʒ vj. tinctur. corall. ʒ j. misce. ℞. aq. borrag. buglos. Balsam. embryon. ana ℥ j. corall. rubr. præp. margarit. præp. ana ℈ß. misce; vel ℞. aq. epilept. Langii ʒ iß. Cerasor. nigr. flor. tiliæ ana ℥ ij. pulv. March. ʒ iß. Smaragd. præp. ess. de C. C. gran. xii. syr. corall. pæon. ana ʒ iij. misce. Aiunt pelliculas ex ventriculis gallinarum extractas pulveratas, & diebus aliquot manè aurei pondere cum vino jejuno stomacho assumptas certò abortum præcavere. Idem facere perhibent radices eryngii veri emplastri modo hypogastrio impositæ. *Cum rudimenta futuri abortus apparent*, per aliquot guttulas

ſanguinis ab utero ſtillantes, mulier deglutiat cor pulli ex vivo extractum & adhuc palpitans. Ætites de collo ſuſpenſa geſtetur, magnes umbilico admoveatur & applicetur, tanacetum manu calefactum tenendo. Cœterùm *gravidæ abortum paſſæ* per omnia ut puerperæ tractandæ, viresque illarum convenienti victus ratione corroborandæ. Sæpe enim magis debilitantur abortientes, quàm tempeſtivè parientes & gravioribus affliguntur ſymptomatibus. *Joann. Michael.*

CONSILIA.

Pro abortu præcavendo contineat ceratum dorſo appoſitum. Secundo obducantur duo cauteria, nuperrimè coxis inuſta, utpote quæ moleſtiam atque dolores, ut ex relatis habemus continuos inferant, & abortum faciliùs conciliare poſſunt: per os verò aſſumat quotidie, matutino tempore, quinque aut ſex guttulas tinct. corall. quandoque etiam ſemidragmam margarit. præp. nonnunquàm & ℈ j. pulv. maſtich. & granor. tinctor. omnia diſſoluta in aqua aut jure plantag. aut in aqua foliorum quercûs: aliquod quoque à proprietate juvans in uſum revocandum, tum internum, tum externum. Internum quidem, pulvis ex matrice leporis paratus, ſive internæ membranæ ventriculorum gallinarum. Externum lapis aquilinus brachio alligatus, ſicut & lapis magnes umbilico appoſitus.

Cauta autem admodum atque accurata eſſe debet victus ratio, & potiſſimum in cibi & potus quantitate & qualitate, quantitas enim parca nimis mihi videtur, cùm gracilis valdè ſit matrona illuſtriſſima, & præterea in præſens, & mater & fœtus nutriendi ſint, quamvis ciborum qualitate illi ſuppleri poſſit, ut nempè ſint facilis coctionis, facilis diſtributionis, & optimi nutrimenti, & ut quidem nutriant, ac non gravent. Sic prima menſa hauriat cochlear inſtaurantis in jure, tum in prandio, tum in cœna: & quoniam nox hoc tempore longior eſt, manè diluculo, cum jam dictis pulveribus, vel ſine iiſdem, idem inſtaurans erit repetendum. Ova autem recentia, ſorbilia, duplici nomine aptiſſima fuerint. Sed præterea non minor eſſe debet motus cura, cavendo Rhedam, & domi hærendo. A viro ſuo ſejuncta dormiat, nec unquam ipſum admittat, atque domeſticis omnes occaſiones præcavendæ, quæ ejuſdem animum turbare aut commovere poſſint, quæ pauca pro ſtatu præſenti, ſatis. *Raymund. Joann. Fortis Conſultation.*

Nobiliſſima & formoſa fœmina, calidioris, & humidi temperamenti ſexto menſe gravida, non ita pridem, circa horam octavam matutinam, die XXII. Novembris (febribus malignis petechialibus graſſantibus,) ætatis anno XXXII. ſibi Climacterico, nulla cæteroquin præviâ cauſâ externâ, dolores crebros circa ventrem & lumbos, verſus pubem & os ſacrum deſinentes, magnumque ex utero egerendi conatum ſentiens, cum copioſæ aquæ & ſanguinis ex utero fluxu, fœtum benè formatum, ſed mortuum, totoque corporis habitu luteum & ictericum, enormique molâ ſtipatum, cum ſecundina livida planè, inter animi deliquia minimè ſimulata, excluſit. Cùm verò prædicta matrona jam binâ vice peperiſſet filios, intra decennium à partu ictero extinctos; fœtus hic mortuus, adſtantium juſſu à me diſſectus, monſtravit non tantùm ventriculum cum inteſtinis bile refertum, ſed & ipſum hepar aridum, ſplenem ſcirrhoſum, pulmones corruptos, & cor flaccidum; cauſas interitûs ſat evidentes.

Quomodo autem ejuſmodi abortus præcaveri poſſit? operæ pretium eſt inquiratur. Suaderem ego Gravidæ, ut medio geſtationis tempore viis primis evacuandis lene purgans ſumeret ex mann. ℥ ij. & poſtea ſanguinem mitteret non ex venis crurum, ſed ex mediana vena dextri brachii, hiſque præmiſſis & ſervatâ bonâ diætâ, omnes res ſex naturales complectente, alterantia, bilem edulcarantia, ab ictero præſervantia atque roborantia v. g. ſyrup. corall. agreſtæ, acetoſ. citri, rubi idæi, ceraſor. condit. *Pulveres* margarit. corall. & lapides pretioſ. C. C. alcis, eboris &c. *de quibus* paulò poſt, uſurparet.

Quoad Diætam, talis gravida fugiat *aërem* caliditate aut frigiditate nimiâ excedentem, putridum, fœtentem, herbas fortiter olentes, fumum ſulphuris, caſtorei, lucernarum extinctarum. Cibi ſint boni ſucci & facilis coctionis, abſtineat amaris, ſalſis, piperatis, & crudis cibis, atque omnibus aliis rebus bilem augentibus. *Potus ſit*, ſi cereviſiæ adſueta fuerit, cereviſia tenuis defæcata, infuſione radicum caryophyllatæ, & corticibus citri condita: ſin vino, bibat album tenue, acidulis ubi haberi poſſunt permixtum, quarum loco interdum aliquot guttas cliſſi poſſet inſtillare.

Ex pharmacia, præter ſupra enumerata, geſtationis tempore ſæpe ſumat dragmam unam ſequentis electuarii, & quandoque aquæ deſcriptæ ℥ j. proderit etiam uſus rotularum inferiùs deſcriptarum, ſi unam alteramque per vices aſſumpſerit. Singula enim hæcce medicamenta bilem alterant, ejus fervorem mitigant, vires quoque tum matris, tum embryonis roborant, ipſumque abortum præcavent.

♃. Conſerv. roſar. ℥ j. borrag. bugloſſ. papav. errat. ana ℥ ß. cortic. citr. condit. ʒ j ß. extract. lign. aloës ℈ ß. ſpec. diamargar. frig. ℈ j. ſyrup. corall. q. ſ.

♃. Spec. diamarg. frig. ʒ ij. ſacchar. aq. borrag. ſolut. ℥ i j ß. miſce f. rotulæ.

♃. Balſam. Embryon. ℥ ij. aq. borrag. bugloſſ. ana ℥ i ß. tinct. corall. cum ſp. panis parat. ℥ ß. ſyrup. corall. ʒ iij. miſce.

Si *ſitis nimia urgeat*, oris amaritudo moleſtiam pariat, & vomitus accidant, frequenter ſumat ſyrupum de Agreſta, ſyrupum corallorum ſuccum citri, in cibo frequenter uſurpet mala citria, ſuccum granatorum, rubi idæi, & poſt cibum ſuccum cydoniorum. Pro ipſo *fœtu* roborando externè abdomini ſæpiùs lin eamine exceptus applicetur Balſamus embryonum, panis item mellitus aut ſaccharatus vino Hiſpano irroratus, dorſum inungatur unguento Comitiſſæ compoſito v. g. ♃. unguent. Comitiſſæ ℥ j. olei nuciſt. expreſſ. ℈ j. maſtich. elect. ℈ ij. miſce lento igne adde ol. ovorum q. ſ. pro linimento. *Joann. Michael.*

OBSERVATIONES.

Fæmina quædam primaria Lipſiæ aliquoties periclitata de abortu, ſub medium geſtationis tempus

pus utebatur vino malvatico, cum panis frustulo eodem imbuto, manè jejuno ventriculo. Ita insigniter roborato fætu fæliciter enitebatur; vinum malvaticum cum amygdalis celebratur ad idem apud Sennertum. *Hier. Reusnerus.*

Mulier quædam 13. Hebdomade impraegnationis cervisiæ coctura adsistens, situlamque pleniorem imprudentiùs tollens, abortum ferè rejecit, ruptis membranis & exitum embryone moliente, fortè empyricus præsens ad omnia audax, huic incommodo succurrere satagens, suasit sine mora, & situ prægnantis, & manus dexteritate, reponendum fætum. Capite igitur gravidæ declivi, elatisque cruribus, obstetrix subtili manuum operâ embryonem proditurum intrusit; statimque peractâ operatione in lecto composuit matrem, ut fœtus repositus solitum locum repeteret, fluxere tamen lochia ad tertium diem, ad membranæ ruptæ regenerationem suasit idem congressum cum marito; hinc retentus fœtus justo tempore, deinde fuit exclusus, adhuc superstes. *Thomas Bartholinus.*

Mulier quædam *Monspeliensis* tres abortus consequenter passa erat variis gestationis temporibus, jam verò à duobus mensibus gravida patiebatur dolores circa umbilicum & lumbos, qui abortum minabantur, alter medicus duo emplastra præscripserat lumbis, & umbilico admovenda, ex mass. emplast. pro fractur. unde meliùs habuit ad aliquot dies, postea verò iidem dolores reversi. Vocatus ego advertens mulierem juvenem & sanguineam, venam secari jubeo, unde intra paucas horas à doloribus, & metu abortus omninò liberata est. Sanguis erat valdè serosus, tandem ad præcautionem præscribo rhab. pulv. ℨ j. cum jusculo iterandam semel in septimana per mensem, unguentum adstringens lumbis, & ventri admovendum pridie purgationis, & opiatam astringentem, postridie rhab. quibus tamen non usa est, symptomata illa accesserant eo prorsùs tempore, quo menstruas purgationes pati consueverat extra graviditatem, tertio deinde mense eadem symptomata redierunt & venæ sectione statim liberata est, quarto itidem, quinto, sexto, septimo & octavo, iisdem symptomatibus periodicè recurrentibus, iterata est venæ sectio, & statim liberabatur; ultima venæ sectio celebrata fuit octo diebus ante principium noni mensis, cum eodem fructu, & in fine noni mensis peperit filium bene habitum & vitalem, sed pallidiusculum. *Lazarus Riverius.*

Aliquando vidi juvenculam quarto mense gravidam quæ per scalas deciderat in cellam & exinde insigniter terrefacta, ita ut ferè per dimidiam noctem non sentiret motum fœtûs aliàs alacris, præscripsi sequentem *misturam*; ℞. aquæ flor. lil. convall. cerasor. nigror. epilept. langii ana ℥ j. eboris sine igne par. ℨß. specific. cephalic. ℈ j. pulver. Marchionis ℈ß. Thur. Mastich. ana gr. v. syrup. corall. Quercetan. ℨ vj. de qua mistura non ingrata capiat subinde benè agitatâ, aliquot cochlearia: unde factum est, ut benè postmodùm cessaret alteratio à pavore inducta, & fœtus inde roboratus denuò se alacriter moveret: *applicatâ.* Simul *externè* abdomini *crustâ panis cum vino malvatico. Michael Etthmüllerus.*

Anatomicæ Inspectiones.

Nobilis Matrona multis annis gravissimis Renum doloribus sinistro præsertim in latere ab initio divexabatur, & quatuordecies uterum gestans, toties octavo vel nono semper mense abortivit, &c. Eam mortuam cùm secarem, renem sinistrum penitus consumptum deprehendi. Dextrum verò tumidum in immensum excrevisse, in quo per medium dissecto calculus justæ magnitudinis excreverat, &c. *Platerus Observ. lib. 2. pag. 467. praxeos lib. 2. cap. 12.*

Anno 1605. matrona cacochymica circa quintum mensem impraegnationis parturientium doloribus correpta, post maximos ac diuturnos conatus gemellos cum multa aqua enixa est, fœmellam scilicet ac masculum. In hoc dissecando sequentia annotavi, 1. abdomen non secùs ac hydropicorum, aqua plenum erat: 2. Testes extra abdomen non propendebant, sed in ventris capacitate residebant, & quidem eo loci in quo vasa spermatica ad scrotum descendunt: vasa spermatica tam brevia erant, ut extra ventrem propendere non potuerint. 3. Hepar suprà modum magnum, inflatum & aliquo modo lividum. 4. mesenterium & renes inflammata. 5. Urachus sine cavitate ulla, neque stylo reperiri potuit! imò nec ipsa vesica apparebat inflata. 6. Vesica rugosa plane & vacua, præter quàm quòd humor viscidus ei ad latera, non secùs ac in intestinis videre licet, adhærebat. 7. Cutis undiquaque maculis, ut in febribus pestilentialibus conspersa. *Fabricius Hildanus Cent. 2. Historia 59.*

Mulierem satis laudatæ sanitatis quinto mense abortientem vidi: cùmque fœtus ferè nullam in morte mutationem persensisset, ipsum secui, desiderio impulsus an aliqua necis causa in tam robusto fœtu innotesceret; cùm ipsius mater valida hujusmodi abortus nullam afferret causam.

Secto corpore, in cavitate thoracis sub jugulo dextro lucidam vesicam, aqua plenam, arteriæ asperæ adhærentem inveni, quæ copiosa, humoris inundatione, quam recipiebat à capite, in puero valdè humido, eventilationem cordis prohibuerat ipsum suffocando *Dom. Panarollus pentec. 1. Observ. 5.*

Anno 1644. Nob. matrona quinto mense gravida, post fluxum triduanum uteri cruentum, abortum patitur atque fætum rejicit masculum, quoad omnes partes perfectum quidem, quantitate tamen deplumatum turdum vix æquantem, exsuccumque & aridum. Vasa umbilicalia erant instar filorum communium usualium, collo circumvoluta & quasi alligata non tamen brevia, uti duplici exemplo exponit *Hildanus:* nec disrupta, uti aliàs *Bauhinus* notavit. In dissectione notabantur partes singulæ discretæ, hepar albicans & exsuccum, cor pallidum, vasa umbilicalia sicca; sub noctem secundina prodit putrida & fætida. *J. Dan. Horstius. Observ. Anat. 5.*

Torentina Mayer, æstatis tempore anno 1605. ad quinti mensis finem ferè signis omnibus fœtûs vivi apparentibus, gravida fuit: circa finem verò quinti mensis fœtus primò imbecilliter movebatur, ita ut vix persentiri potuerit: deinde paulatim & intra paucas dies omninò cessabat moveri, mammæ quoque, quæ ante lacte turgebant, tunc subsidebant, flaccescebant & exsiccabantur, alia-

que signa aderant ex quibus fœtum in utero mortuum esse facillimè conjicere licuit: Tandem circa finem octavi mensis, parturientium doloribus correpta, enixa est masculum, quem per tres menses ferè mortuum gestaverat. Longitudinem spithamæ cum dimidia non excedebat, oculi ex suis orbitis seu capsulis propendebant: os item apertum, caput nigrum, & flaccidum erat, interim tamen fœtor nullus aderat: hepar uterinum integrum, sed flaccidum pallidumque conspiciebatur. Chorda, ut vocant, umbilicalis, quæ communiter & in omnibus ulnarum aliquot longitudine esse solet, vix *spithamæ* erat longitudinis.

Hujus abortus causam nullam aliam invenire potuimus quam malam ac ineptam conformationem vasorum umbilicalium: hinc perspicuum fit crescentem fœtum in utero materno paulatim placentam ab acetabulis sive cotyledonibus abstraxisse, & separasse: abstracto autem hepate uterino necessariò moritur fœtus. *Fabr. Hildan. Cent.* 2. *Obs.* 50. *&* 51.

Domina Illustris per multos annos affectibus spasmodicis obnoxia, potissimùm verò quoties utero conceperat pathematis convulsivis, quasi hystericis supra modum tentari solebat; sub finem tertii mensis *gravidæ*, quo tempore constanter *abortire* solebat, menstrua eruperunt, quibus per duos aut tres dies unà cum membranarum laceratarum frustulis descendentibus *abortum* expectabat. Tandem uteri sarcinam deposuit, & demùm apoplectica interiit.

Quoniam uteri principaliter affecti suspicio ferebatur, quantum hoc viscus meruerat proximè inquirebam: quod in debito situ, & quoad omnia sartum & tectum reperi. Circa uterum aut appendicem ejus, nihil extabat, cui tanquam causæ morbificæ imputari potuerit: At verò præcipuam & originalem morbi causam in capite quæsivimus, haud frustra: nam omnes cerebri cavitates & anfractus aqua implens, ejusque totam compagem quasi inundans cernebatur; Juxta nervorum splanchnicorum origines aqua se plurimùm insinuans piam matrem a medullæ oblongatæ caudice, per duos digitos latos separaverat, proculdubio horum nervorum ductu materies morbifica à capite in mesenterii plexus descendens, & dolorum & spasmorum, *& hos consequuti abortus*, causa extiterat. *Thom. Willis Patholog. cerebri cap.* 10.

Cum in oppido Reinheimb, Phil. Rheimichii uxor, concivis conjugem ultimo mense gravidam, non tantùm jurgiis prosequeretur, sed & dextræ parti capitis, ipso tum ardente syrio impingeret, editus paulò post infans, in ea ipsa, qua mater concussa fuerat parte, continui solutionem passus: Re ad me delata, misertus pauperculæ ocyus illuc concessi, atque deprehendi continui solutionem ad ipsum cerebrum penetrare, portionemque ipsius cranii fractam jam putredinem concepisse. Licet autem externa & interna roborantia fuerint exhibita, putrida etiam portio cranii execta, multaque fœtida purulenta materia exstracta, brevi tamen infans demortuus, sequentia notanda dedit: Venulæ fuerunt turgidæ, ventriculi cerebri aqua repleti, cerebri substantia flaccida. Inter cerebrum & meninges aderat collectio materiæ purulentæ & fœtidæ.

Quæsitum an verberans fuerit causa hujus mali? Respondi quod sic, cùm etiam à minis partium conformatio vitiari possit in fœtu: sic narrat *Gemma Cosmocr.* lib. 1. c. 6. infanti eadem calvariæ parte, cui in matre acies minitabatur, magnum continuitatis divortium apparuisse: facilè enim imaginationi formationem mutare, etiam in ultimis gestationis mensibus, teste *Sennerto lib.* 4. *p.* 2. *Sect.* 4. *cap.* 7. quomodo verò hoc fiat; id citato loco ostendit parensque noster de causis similitud. & dissimil. in fœtu, &c. *Joh. Dan. Horstius Observ. Medic.* 2.

ABSCESSUS.

Græcis dicitur, ἀπόστημα denotatque tumorem præter naturam cujus materia vel indurescit ac Schirrum facit, vel in pus, aut saniem abit. Hæc rursus est vel cum, vel sine folliculo. Folliculo contenta materia, vel pultis speciem refert, unde *atheroma*, vel mellis, unde *meliceris*, vel sevi, unde *stheatoma.* De hisce omnibus legantur quæ suo loco.

Hic tantùm curationes aliquot generales cum observationibus abscessus particulares spectantibus, anatomicisque cadaverum ipsis denatorum inspectionibus adjungemus.

Curationes generales.

Quando pus conficitur mirè commendatur oleum chamomillæ & oleum lumbricorum. Conveniunt anodyna, ut & oleum hyoscyami parcè aliis admixtum, quod multum quoque facit. Item cataplasma ex lumbricis; non solùm enim dolorem lenit, sed etiam abscessum rumpit. Sic etiam prosunt folia hyoscyami parcè adhibita & aliis admixta. Inter maturantia convenit unguentum maturativum Felicis Wurzii, ol. chamomillæ, & liliorum alb. Cum pus fieri incipit, acumini abscessus illinatur pinguedo leporis: Deinde imponitur emplastrum diachylon sive cataplasma ex mucilaginibus, additis rad. althææ flor. malvæ &c. Ad mundificationem prosunt præcipuè medicamenta ex nicotiana v. g. oleum ejus succus, & unguentum, quæ etiam simul consolidant, Item apium. Ubi verò opus est efficaciori, prodest unguentum diapompholygos. *Inter sarcotica & epulotica* mirè prodest nitrum & medicamenta ex eo parata. Item emplastrum sticticum Crollii vel Paracelsi, emplastr. diapalma cum oleo nicotianæ malaxatum. *Joann. Michael.*

Cura abscessuum est eadem quæ ulcerum: propinando internè potiones vulnerarias, in specie salia volatilia, quibus massa sanguinea purificetur, & fermentum stomachale in naturali vigore conservetur, & acidi proventus prohibeatur. Externè probè mundificando abscessum, vel communi digestivo vel balsamo sulphuris, vel balsamo peruviano cum ol. nicotianæ aut simili. Quod si malignitas venerea subest præter interna, mundificantibus semper de mercurio aut dulci aut præcipitato parum addendum erit. *Caries* occulta inquirenda, & ut alio loco dicetur curanda. *Michael Etthmüllerus.*

Pro abscessuum apertione, & consolidatione præstat balsamus sulphuris cum oleo papav. *Joann. Hartmann.*

De Abscessuum apertione.

Humores hîc & illîc congesti, sæpissimè tumorem efficiunt, qui non semper à natura dissipatur, nisi ars idoneis medicamentis ei auxilium præbeat, quibus si non obediat, eam ad suppurationem impelles, & exspectabis donec spontaneam apertionem faciat, nisi necessitate coactus fueris eam maturiùs instituere, & perfectam suppurationem non spectare. Hoc plerumque contingit, cùm materia valdè acris & maligna vicinas partes corrodat, & os, & tendines & nervos corruptioni obnoxios reddat. 2. cùm nobiliorem partem possit lædere. 3. cùm in articulis sita sit. 4. cùm crisi ejiciatur. Antequam te ad apertionem accingas, distinguendum est an materia propria tunica, sive folliculo sit contenta, an verò sine folliculo. Si sine folliculo sit, nunquam transversè, sed per longitudinem semper & rectitudinem sub cute jacentium musculorum incides: exempli gratiâ in capite secundùm capillorum ductum per longitudinem: in palpebris transversè: in temporibus, in naso, in cervice, in pectore, in dorso, in brachiis, in pedibus & articulis per longitudinem: in lateribus ventris parùm obliquè, in medio per longitudinem: in inguinibus parùm transversè, sed non admodùm profundè, ob vasa spermatica ibi subjecta. In genere cave tibi, ne venam magnam, arteriam, sive nervum attingas, licet fibras transversè secares, alias enim ex minori majus malum produceres. Locus apertionis commodissimus est pars abscessus eminentior & mollior quæ tamen magis ad inferiora quàm ad superiora vergere debet ut tantò aptiùs à pure exonerari possit: porrò hunc in finem vulnus inflictum turunda apertum conservabis, usque dum pars illa ab humoribus præternaturalibus prorsùs sit purgata, & pristinam operationem exercere queat. In ipsa apertione cave, ne lanceolam nimis profundè, neque ulteriùs quàm ad pus usque infigas: quamprimùm hoc animadverteris, eam paululùm retrò trahito, & cuspidem sursùm vertito, & porrò apertionem tam magnam efficito per cutim, quàm materia inclusa desiderare videatur. Si abscessus in propria jaceat tunica semel tantùm, si parvus sit, per longitudinem incidito: si magnus bis, hoc est, in modum crucis. Præ cæteris tibi cave, ne folliculum lædas, alias ulcus fœdum & fermè insanabile sequetur. Hoc benè peracto, folliculum, qui raró aut nunquam cuti affixus est, & libenter sequitur, digitis eximito: arteriam quâ alimentum acceperat, transversè abscindito: & rursùm tibi cave, ne frustulum folliculi ei adhæreat; si jam supra dicta incommoda evitare velis. Quia autem plerumque in abscessuum apertione comperio, hunc Chirurgum *Lanceolam*, alterum cauterium potentiale eligere, & longè præ alio extollere, rem paucis declarabo.

Cauterium potentiale hoc habet commodi, quod ægros pusillanimos nullo pavore percutiat, & quod dolorem timentibus non admodum sit dolorosum, præsertim si hodie decantata remedia adhibeas: nam calx viva Hollandico Sapone commixta profundè satis carnem corrodit attamen multò leniùs quam Ambrosii Paræi corrosivum holosericum. Verùm hoc habet incommodi: 1. Quod, prout cutis & corpora infirmiora vel firmiora sint, etiam multò profundiùs corrodat, quàm sit necesse: in altero enim cutim & musculos, ad ventris cavitatem usque perrosisse, & in altero processum peritonæi, & vasa seminalia in eo situ insanabili modo læsisse, experientia comperi. 2. Corrosivum illud se etiam ulterius ad longitudinem & latitudinem extendit, quàm quidem desideras, præsertim si sub axillis, in inguinibus, vel articulis collocari debeat: nam quamprimùm incaluerit, profluere incipit, imò emplastrum defensivum parùm cavebit. 3. Necessariò aliquot horarum spatio indiget antequam operationem suam perfectè absolvere queat; sed plus temporis in hoc, quàm in isto corpore desiderabitur, verùm hoc tibi humor non semper permittet, præsertim si sit malignus. 4. Crusta quam induxeris, non statim decidit: & humoribus si è vestigio exitum præbere studeas, lanceolâ tum est utendum. Quàm prudenter circumspexeris, incommoda hæc non evitabis. Contra verò lanceola hoc habet incommodi, quod plurimi ægrorum eam reformident, quasi dolorem moveret. Sed timor silentio est anticipandus, & dolor sanè non est magni momenti. Interim à lanceola hæc exspectabis commoda. 1. Lanceolâ apertionem tam longam & profundam efficere potes, quam morbus & tua curiositas requirat. 2. Statim habes materiam, & patiens relevatur. 3. Materia reliqua & nondùm concocta maturiùs ad concoctionem movebitur, naturâ idoneis medicamentis, tam externis quàm internis opem ferente. 4. Atque ita fiet, ut stillationem diuturnam non habeas: nam stillatio si nascatur, certus sis, culpam hujus rei penes te esse sitam. Rationem si desideres, hanc accipe, omnes fermè tumores qui se post aures, in cervice, sub alis & inguinibus produnt, ex induratis glandulis & ab humoribus præternaturalibus valdè penetratis originem trahunt omnes hæ glandulæ propriâ circumvestiuntur tunicâ, quæ si à lanceola sive medicamentis cathæreticis lædatur, necessariò stillatio sequitur; nulla enim glandula se ipsam, aut suos humores tunica aperta conservat: & hæc stillatio tamdiu durat, usque dum tunicæ foramen curatum, vel tota glandula in auras dissipata sit. *Paul. Barbette in Praxi Chirurg.*

OBSERVATIONES

Abscessus frontis ex contusione.

Non ita diu est, quòd cum Chirurgo quodam trium aut quatuor circiter annorum infanti mederer, qui è cubili adversâ in saxeum pavimentum fronte ceciderat, ita ut maxima in fronte mediâ appareret contusio, cui commodis remediis non ita poterat resisti, quin tandem in abscessum degeneraret. Quare necessum fuit, ut aperiretur, verùm lapsu temporis observatum omne pus per factam aperturam non posse educi. Nec tamen placuit, alterâ incisione, (erat enim puellula) frontem deformare: quare parumper expectavimus, & pus pulvillis ad dictam aperturam propellere adnisi sumus, quod tamen neutiquam successit. Tum mihi in mentem venit de osse frontis infantum ad septimum plerumque, octavumve annum suturâ in duas diviso partes, per quam suturam dura mater etiam transmissa pericranio adhæret, atque ibi interstitium quoddam efficit, quod ipsum nos adegit, ut & aliam frontis partem incisione aperiremus, quâ puella, brevi tempore sanata est. *Corn. Stalpart. Vander. Wiel.*

Cerebri Abſceſſus.

J. V. B. Ultra 60. annos natus, corpulentuſque jam aliquandiu pulvere ſternutatorio uſus fuerat, undè paulatim veluti quoddam pondus in anteriori capitis parte animadverterat, quod tandem abſceſſus in cerebro ſequebatur; quandoquidem ille quodam tempore copiam benè magnam tam viridis, quàm flavæ, ſed putentis puris dextrâ exonerabat aure: quod ipſum illi initio quoddam levamen afferre viſum; ita ut liberatum ſeſe à diuturnâ illa cerebri obſtructione (ita enim vocitabat) jam ſibi firmiter perſuaderet: Verùm paulò poſt mentis uſus deficere, nervique contrahi cœpere ita ut ipſe intra biduum ferè poſt ruptum abſceſſum moreretur. *Idem*

Abſceſſus in ventriculis cerebri.

Cum fabri cujuſdam ferrarii famulus, cui nomen *Martino*, equo caudam amputaſſet, jamque ut reliquam partem ignito ferro ureret, intentus eſſet, equus ſepto clauſus, calce ſupra trabem, quam tranſverſam vocant, elevatâ, frontem paulò ſuprà ſupercilium percuſſit ita, ut ibidem cranii fractura reperiretur, ſalvâ tamen ſecundâ tabulâ quoniam cranium eo loco inſigni concavitate præditum eſt. Continuò illi ſyncope ſupervenit, multumque ſanguinis naribus emiſit, & quoniam abundabat, hujus illi non parùm adimi juſſi, poſtea valdè ſomniculoſus, parumque mentis compos evaſit, quandoque etiam ligamina, & faſcias diſſolvebat, ac ſurgebat è lecto, ſeque veſtiebat. Quarto tandem die febri ſuperveniente, ipſo quinto obiit. Aperto capite, repertus in cerebri ventriculis Abſceſſus. *Idem*

Faucium Abſceſſus.

Gubernatrix Noſocomii *Scheveringani* corpore tenuis admodum, at ſanguine abundans, violentâ vexabatur febri, non ſine magna gulæ inflammatione, ac tumore, quem *Synanchen* dicunt. Quamvis ipſi vena ſciſſa, aliaque remedia, uti decebat, admota eſſent, muſculi tamen œſophagi ita ipſi obſidebantur ut per 9. dies nec cibum, nec potum intromittere poſſet, nihil etiam liquoris (ita ipſa retulit) per fauces deſcenderet, at omnia in os immiſſa per naſum emitterentur; ita ut vita ejus periclitaretur, accedente etiam vocis defectu; verùm nono die liberata fuit, ruptuſque unâ faucium parte fuit abſceſſus, dieque ſequenti pariter alterâ parte: ita ut temporis tractu ad priorem redierit valetudinem. *Idem.*

Abſceſſus poſt aurem ſiniſtram tardius apertus lethalis.

Quadragenariam & innuptam puellam Coloniæ Agryppinæ, abſceſſu poſt aurem ſiniſtram laborantem vidi: nulla ad fuit in principio febris, neque lecto decumbebat, imò domeſtica adminiſtrabat; demum circa decimum quartum morbi diem, cùm abſceſſus ad pugni magnitudinem excreviſſet, & materia planè eſſet præparata, ſed propter duritiem cutis diutiùs retenta, viam deorſum ſibi petebat. Tum advocatus, inveni abſceſſum ex ſemetipſo ante aliquot horas ruptum: puellam verò febre, lipothymiâ, nauſeâ & cibi faſtidio, vigiliis, item dolore dorſi, & renum, laborantem: nihil tamen aut pàrùm ex abſceſſu effluebat, neque pus ſurſum revocari potuit. Itaque paucos poſt dies è vita deceſſit: ex quibus perſpicuum eſt, in hujuſmodi abſceſſibus, ſive ſint in emunctoriis, ſive in vicinia non eſſe expectandum, donec ſpontè erumpant. *Guilielm. Fabricius Hildanus.*

Abſceſſus Muſculorum Abdominis.

Honeſta quædam matrona, cùm de maximo ac pungitivo ventriculi dolore conquereretur, & me advocandum curaſſet, duritiem è regione ventriculi, ad latus lineæ albæ, hepar verſus, inter muſculos abdominis deprehendi, quæ tamen nonniſi palpatione manûs perſentiebatur, nec quicquam exteriùs apparebat, febris quoque continua, dolor ingens, pungens & pulſatorius aderat, ex quibus (licet in cute nulla appareret intemperies) mihi facilè colligere licuit, abſceſſum inter peritonæum & abdominis muſculos ſubeſſe: cùm verò morbum periculo non vacare, & immaturam (niſi muſculis abdominis inciſis) mortem expectandam eſſe, probè cognoviſſem, author fui, ut clariſſimum virum, Dn. Doctorem Jacobum Aubertum accerſerent, ac ſuo quoque uterentur conſilio. Quo accerſito, mecum planè ſenſit, nimirùm phlegmonem ſubeſſe, qui niſi maturè incideretur, aut de vita actum eſſe, aut ægram ipſam morbum inde diuturnum ac curatu difficilem contracturam. verùm cum adſtantibus hæc ſignificaremus, attoniti erant: quia enim in cute nulla nec intemperies, nec tumor appareret, ac de interno abſceſſu ipſis perſuaderi non poſſet, conſilium noſtrum de apertione & inciſione muſculorum omnes planè reſpuerunt, nihilominùs tamen petierunt, ut ſi qua ratione anodynis exteriùs adhibitis, dolor leniri, & internis ſumptis medicamentis, febris, nauſea, & eructationes, aliquo modo mitigari poſſent, tentaremus. Nos (de præſenti tamen periculo factâ prius prognoſticatione) omnia quæ neceſſitas requirebat, & eâ quidem, quâ fieri potuit diligentia, adminiſtravimus. Poſt dies aliquot, cum circa mediam noctem dolor protinùs remiſiſſet, liberatam prorſus ſe eſſe, ægra ſibi perſuadebat. Mox ſeptimâ hora matutina vix domum ingreſſi, ecce præ gaudio maritus nobis occurrit, ſignificans, uxorem ſuam dolore penitùs liberatam. Id quod & reipſa verum eſſe, illicò comperimus. Dolor enim ferè nullus aderat, tenſio quoque, eructationes & nauſea ceſſaverunt. Duritiem manu abdomen contrectando, nullam ferè perſentire potuimus, febris quoque aliquo modo imminuta, & pulſus laudabilior erat. Ex quibus abſceſſum parte interna ruptum materiamque in vacuum ventris delapſam eſſe facilè nobis colligere licuit, quò etiam maritum de eventu morbi certiorem faceremus. Paucos poſt dies, denuò in infimo ventre dolore exorto, febris ardens ſimul & continua ſupervenit. Tandem lypothymia, quin etiam ſudore frigido correpta ægra, naturæ ſatisfaciendo, planè, pieque ex hac vita deceſſit. *Idem.*

Abſceſſus Abdominis è regione hepatis.

Sabaudus quidam quadragenarius & robuſtus, cùm dolore maximo dextri lateris ad finem coſtarum notharum laboraret, Lauſannam venit, meque

que unà cum Dn. Alberto Roscio, apud Lausannenses Doctore Medico in consilium advocavit. Invisentes eum, nullum neque tumorem, neque intemperiem, verùm duritiem inter musculos in profundo, nobis observare licuit. Quare dolor propter compressionem & extensionem peritonæi erat ingens, cum febricula adjuncta. Corpore leniter purgato, fomentationes, cataplasmata, inunctiones, discutientia, resolventia & anodyna per dies aliquot applicuimus sed absque fructu, hinc spem aliquam concepimus, materiam in habitum resolvi posse, quemadmodum mihi ipsi olim acciderat. A Dn. itaque Roscio decoctum ligni guajaci, & sarsæparillæ, additis herbis hepar respicientibus præscriptum, & per dies aliquot exhibitum fuit. Verùm tantùm abfuit, ut materia dissipata fuerit, quin potiùs intra paucos dies circa regionem hepatis inter musculos abdominis & peritonæum defluxerit, atque collecta sit, ut ratione doloris punctorii & pulsatorii, locus, in quo incisio facienda, nobis satis innotuerit; quamobrem etsi extrinsecùs in cute nihil appareret, ne tamen materia peritonæum penetraret, atq; in vacuum ventris defflueret communi consensu deliberavimus, musculos maturè incidendos esse. Id quod etiam præsente prædicto Dn. Roscio, Claudio Marione aliisque, feliciter à me factum fuit. Quo facto, pus copiosè effluxit, neque diu post, febris, dolor, lypothymia paulatim cessarunt. Ulcus propter puris copiam, quæ effluebat, per menses aliquot apertum retinere coacti fuimus. Interim optimâ victus ratione observata & corpore per intervalla probè expurgato, decoctis item sudoriferis, additis iis, quæ hepar respiciunt, partesque nobiles roborant usus, tandem singulari Dei beneficio optimè convaluit. *Idem.*

Abscessus alius abdominis è regione hepatis.

Quadragenarius quidam in monte Coronato, pago propè Hildenam per annos aliquot obstructione viscerum, & cachexia laborans, tandem dolore diuturno ac magno, è regione hepatis correptus fuit. Ego tandem ad ægrum accersitus, in dextro hypochondrio abscessum immensæ magnitudinis deprehendi: Cutis enim totius ferè lateris ab ilii osse ad costas veras, lineamque albam, & spinam dorsi, puris plena, elevata & extensa erat. Dolor continuus & magnus lipothymiæ item, nausea, appetitus, viriumque prostratio aderant.

Quapropter etsi æger & astantes amici ut abscessum aperirem efflagitarent, propter maximum tamen ac instans mortis periculum, neve nomen imperiti chirurgi, mihi adhuc juveni comparare viderer, manum adhibere recusavi, & sequenti die domum reversus fui. Post mei abitum, cum Barbitonsor in consilium adhibitus, vomicam aperuisset, maxima puris copia impetuosè effluxit. Inde etsi dolor aliquo modo imminutus esset, intra biduum tamen æger animam Deo reddidit.

Ad matronam Bernensem decrepitam vocatus fui: laborabat & illa ingenti tumore è regione hepatis, cum maximo dolore totius ventris & virium prostratione. Tumorem huncce cùm propter imminens periculum aperire recusarem & anodyna & corroborantia nonnulla interna & externa præscripsissem, triduo post per se ruptus fuit abscessus, ex quo maxima puris copia effluxit. Et ægra intra paucos dies ex hac luce subtracta fuit.

Caveant itaque juniores Chirurgi, ne in magnis abscessibus materiam è vestigio, & derepentè, sed sensim & per vices evacuent: etsi enim apertio magnorum abscessuum circa partes nobiles imprimis sit periculosa, videmus tamen, inquit Galenus, & in aliis partibus, quando aliquis magnus tumor suppuratur, periculosam esse universam evacuationem, cùm è vestigio deficiat anima, & vires debilitentur, & postea debilitas ista remedium non habeat. Videntur enim in his propter magnam distentionem partis & puris acritudinem ora quorumdam vasorum arteriosorum esse adaperta, quæ priùs veluti quoddam operculum pus continebat: quo universim evacuato, multi spiritus unà cum eo exeunt, atque excernuntur: unde periclitantur ægri. *Idem.*

Abscessus abdominis hydropem mentiens.

Puer quidam tumore ventris laborans, hydropicus censebatur & cùm umbilicus valdè promineret, apertio tandem facta est, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxere, sicque omninò æger curatus est.

Advertant tyrones in pueris frequenter tales abdominis abscessus generari, qui hydropem mentiuntur, & si maturè à perito artifice aperiantur, ægros à certo interitu plerumque liberari. *Petrus Estanove.*

Puella quædam ventris tumorem patiebatur octo mensium spatio, cum doloribus assiduis, quibus ad extremam maciem perducta fuerat: hydropica ab omnibus censebatur. Ego verò ad eam vocatus & ventrem diligenter explorans, abscessum latentem invenio intra musculos hypogastrii, eumque caustico potentiali aperio, unde 15. aut 20. libræ puris laudabilis effluxere intra plures dies, sicque ægra perfectè curata est. *Idem.*

Abscessus Abdominis.

Scriba quidam cum ruri haud procul *Antverpia* esset, dexteri lateris, cum febri, dolore correptus, sed juxta & paulò intra nothas costas: Medicum accersivit, qui venæ sectione imperatâ eclegmata, linimentaque præscripsit, qualia pleuriticis adhiberi solent (pleuriticum enim morbum esse existimabat) ab his verò cùm malè æger haberet, febrisque intenderetur, domum vehi postulavit. Ad quem deinde vocatus hominem offendi febricitantem quidem, sed debilem & viribus parùm valentem, dextrum hypochondrium nonnihil dolentem, ventre verò vehementer distento, ac veluti hydropici alicujus tumente, exhibui mox purgans medicamentum, sed in exigua quantitate, quod cum feliciter cessisset, postridie idem, sed in majore quantitate propinavi, quo expurgatis multis vitiosis humoribus, sinistra ventris pars tota subsedit: dextræ verò tumor permansit & cùm non modò tumida hæc pars relicta esset, sed & durior, ac digitis renitens, cataplasma admovi: quo tumore intra paucos dies emollito nusquam verò apparente loco, per quem pus erupturum sperari poterat. Sectionem adhibuimus, diligenter caventes ne peritonæi membrana vulneraretur: quâ circa inferiorem ventris partem factâ mox copiosum effluxit pus; quo deinde expurgato, vulnereque solidato, æger sanitati restitutus est; adhibitâ interim

rim bonâ victûs ratione, & paucis remediis. *Rembertus Dodonæus.*

Abscessus ipsius hepatis qui curabiles.

Tumores aliquando in jecore suboriuntur, in quibus alii sunt crudi, & nunquam suppurant, alii verò ad suppurationem veniunt, & quia jecur pauci est sensus, nervulis quippe gibba tantùm sui parte donatum, non ita facilè propterea, nisi progressu temporis horum differentia dignoscitur: tunc enim qui suppurant, gibba potissimùm ipsius parte in acumen prominent, & sectionem indicant, nullo vitæ discrimine; prout ego in multis sum expertus, sectis licet integumentis communibus, musculis, & peritonæo; quod si in cava delituerit, per urinam expurgandus, ut observavi in Vestali virgine Divæ Annæ, ex Buzzacarinorum familia, quæ cum maximam copiam puris minxisset, à tumore liberata est, dolore licet jecoris quandoque molesto, cum febre. A quibus tamen sola evacuatione sanguinis ex vena jecorina dextri cubiti, convaluit. Hoc non contingit tumori partis gibbæ jecoris, cui secto imponenda est turunda, imbuta ovi albumine; tum digerentibus utendum, prout in vulnere illius partis; postmodùm sarcoticis; tandem epuloticis cicatrix inducenda, evacuata priùs tamen tota materia purulenta, turundarum ope, nec non cannulis plumbeis, quibus utpote citiùs, & commodiùs expurgatur, qua ratione multos sanavi, quorum aliqui adhuc num incolumes degunt. *Dn. de Marchettis.*

Abscessus ingens inter peritonæum & musculos exterius ruptus, post ulcus renis.

Nobilis & singulari virtute prædita matrona, Domina Magdalena Biss quæ jam quadragesimum aut circiter, agit annum, anno 1617. circa finem Januarii, de dolore quodam gravativo lateris dextri conquæri cæpit. Circa costas autem mendosas, & versus altiorem partem hepatis primò exortus est, deinde paulatim versùs regionem renis dextri descendit. Nullam tamen hujus doloris causam externam dare potest. Urina, uti Dn. D. Scharandæus diligenter observavit, statum facta est turbulenta, & non diu post purulenta. Supervenit quoque febris & nausea: præcipuè autem carnem aversabatur, A D. D. Scharandæo adhibitis quibusdam, acidulas Griesbachenses solodurum asportandas curavit: quas cum ipso mense Januario & Februario bibisset, appetitum recuperavit: maximam quoque copiam excrementitiorum cum urina excrevit. Interim tamen dolor ex toto non cessavit, sequenti mense Augusto cùm thermas Piperinas in Rhætia inviseret, dolores adeò adaucti fuerunt, ut ab eo tempore nunquam ab ipsis immunis fuerit. Anno 1618. mense Februario, prædictus dolor, mirum in modum auctus fuit. Præter D. D. Scharandæum itaque Dominum Doctorem Martinum Chmieletium, Basileensem medicum clarissimum, in consilium adhibuerunt. Corpus iterùm ex arte expurgatum; venæ brachii ter, pedis verò semel sectæ fuerunt, per intervalla quoque aquam acidam Griesbachensem bibit, nec sine fructu. Interim purulentam materiam per urinas continuò, per intervalla quoque arenulas excrevit. Sæpissimè quoque filamenta semidigitum longa in lotio conspecta fuere. Auctis doloribus è regione renis, & ego quoque vocatus fui, anno 1618. 23. Junii, ut quid facto opus sit, cum Dn. Doctore Scharandæo deliberarem. Iterum expurgato corpore, inunctionibus, & similibus tentavimus, an dolores sedari; & materia contenta in halitum resolvi posset, sed frustrà quapropter ad suppurantia pervenimus, sed & nec eis materiam ad suppurationem attrahere potuimus: quapropter sexta Julii, paulò ante prandium, etsi in cute indicium nullum abscessûs appareret, caustico tamen meo, escharam, sine dolore, è regione renis, aut paulò magis versus umbilicum, induximus: sub vesperam, ad carnem ferè vivam usque, escharam scalpellis ad id aptis excidi: quæ quia nondum satis profunda, nonnihil de eodem caustico ad fundum incisionis imposui. Sequenti die cùm per reliquam eschram ad materiam purulentam usque, incisionem prosequutus fuissem, pus album & benè coctum copiosè effluere cæpit. Prima tamen vice, ne vires prosternerentur, ultra uncias quatuor non evacuavimus. Circa vesperam iterùm multùm effluxit, uti quoque sequenti die: tum trutinatâ materiâ, repertum fuit, spatio viginti quatuor horarum, ad uncias tredecim effluxisse. Exinde symptomata omnia, quæ gravissima, veluti febris, nausea, lypothymiæ, vigiliæ, & hujusmodi, paulatim imminuebantur, imprimis dolor tum lateris dextri tum etiam è regione ventriculi, qui ægram ab initio morbi adeò exercuerat, ut sæpissimè culcitram vix sufferre posset, remisit. Dolor insuper totius cruris dextri, qui ante incisionem abscessus vehementissimus fuerat, nullisque remediis sedari potuerat, sequenti nocte imminutus est, & intra paucos dies evanuit, nullis adhibitis remediis: pus tamen per mensem integrum, & diutiùs copiosè emanavit. Ubi notandum, ante incisionem abscessus, sæpissimè in urina grumos sanguinis magnitudinem lentis vix excedentes, conspectos fuisse, qui post apertionem apostematis non ampliùs per urinas, sed cum ipso pure per ulcus excernebantur. Materia quoque purulenta minùs copiosa in urina reperta fuit. Unde facilè collegimus, abscessum esse inter musculos & peritonæum, communionemque cum rene habere: quod postea manifestiùs apparuit, cùm materia serosa puri permixta per ulcus efflueret; per quas autem vias id factum fuerit, non facile est scire. Casum escharæ sequenti unguento anodyno & digestivo, ut vocant promovimus: ♃. Ceræ novæ ℥ j. colophoniæ, & gumm. elemi. ana ℥ ß. croci ℈ i ß. cum oleo rosaceo, & amygd. dulc. q. s. fiat unguentum, addendo vitellum ovi. Sic satis digesto ulcere, pulvere præcipitato & rectificato, nec non butyro recenti mixto, ulcus mundificavimus. Tandem balsamo Tolutano turundis imposito, circa finem mensis Augusti, consolidatum ulcus & cicatrice obductum fuit. In applicatione autem pulveris prædicti, quod notandum est, inflammatio aliqua gingivarum, & salivatio, non minùs ac si hydrargyro inuncta fuisset, sequuta est, tam est delicatula & tenuis texturæ

Porrò dum circa Topica occupati fuimus, in reliquis nihil prætermissum quoque fuit: victus rationem optimam observabat: frequenter trochiscos Gordonii, ad drachmam unam cum lacte caprino, nonnunquam quoque nonnihil terebinthinæ, & trochiscorum alkekengi jejuno ventriculo, post cœnam verò serum lactis cum saccharo rosato exhibuimus, cum autem medicamenta in forma potio-

potionis, nonnisi cum difficultate sumeret, frequenter exhibuimus sequentes pilulas, pondere duorum scrupulorum, & paulò post jusculum carnis, sine pane superbibendum dedimus, quò medicamentum eò meliùs in ventriculo dissolvi, & ad locum affectum pervenire posset. ♃. Terebinthinæ præparatæ cum decocto agrimoniæ, veronicæ, alchymillæ, saniculæ, pyrolæ, liquiritiæ ℥ vj. pulver. liquirit. ℥ ij. spiritus terebinthinæ rectificat. ℈ ij ß. misceantur: & fiat massa. Interim dum his utebatur remediis, symptomata, uti dixi, remiserunt: vires quin etiam paulatim recuperavit, pus tamen quotidie cum urina excrevit. Quapropter consuluimus, ut usum trochiscorum Gordonii, & præscriptarum pilularum, nequaquam intermitteret. Ad tempus quidem paruit: tandem verò, cùm ab usu medicamentorum nauseabunda facta fuisset, eorum usum intermisit: satis tamen feliciter & commodè vitam traduxit, usque ad mensem Junium, anni 1619. tum iterum de dolore lateris malè affecti conqueri cœpit, ita quidem, ut secunda Julii iterum coacti fuerimus applicare causticum, & eodem modo, quo & antea, omnes musculosasque partes ad peritonæum perforare, non tamen in eodem loco, sed nonnihil altiùs, & magis versus musculum rectum abdominis; pus iterùm, quemadmodum & antea, copiosè effluxit. Cicatrix quoq; præcedentis ulceris post menses aliquot rupta fuit. Tum funem sericeum per utrumque ulcus traduximus, in eum finem, ut forsan hoc modo materia liberiùs effluere, & affectus in rene tandem sanari posset. In eundem quoque finem decoctum Traumaticum ad tempus exhibitum, & ulceribus syphone injectum fuit: sed frustrà laboravimus. Paulatim enim materia deorsum versùs coxam delapsa est. Quapropter cum multa variaque medicamenta, tam interna quàm externa, etiam sudorifera sine fructu sumpsisset; Tandemque Thermas Badenses Helveticas inviseret, iterùm collecta fuit materia, ideoque versus musculi latissimi medium, & ferè eo in loco, ubi Vesalius ipsum tabulâ decimâ X. notavit. Badenæ, præsente, Dn. Doctore Scharandæo aperta fuit vomica; ex qua rursùm pus copiosè effluxit. Mansit aliquandiu in thermis, deinde domum rediit, ubi nunc utcunque commodè vivit: ulcera tamen etiamnum aperta sunt, ex quibus quotidiè pus exstillat, non tamen usque adeò copiosè, urinas quoque adhuc purulentas quotidie reddit. *Guilielm. Fabricius Hildanus.*

Abscessus gravissimus ani ex inepta venæ-sectione.

Amicus quidam meus 50. circiter annorum ætatis Reverendus Dn. Nicolaus Hentzius in Bernensi schola linguæ Græcæ Professor, quendam ex primariis Barbitonsoribus nostris, venæ secandæ causâ accersiri jubet. Is ut nostrorum hominum mos est atque consuetudo, præclarum facinus se facturum putans, si larga fieret sanguinis extractio duas eadem hora (qui modus secandi venas nostris usitatus est) aut potius eodem momento venas incidit, primam videlicet in brachio dextro, alteram in manu sinistra. Quid fit? vix tribus à venæ sectione horis elapsis maxima sanguinis & humorum sequuta agitatione, versùs podicem delapsus est humor peccans, ita ut sibi videretur sanguinem omnem per secessum evacuatum iri, & veluti cum impetu effluxurum. Agitatus enim sanguis in vena cava, imò & in ipso hepate & vena portæ: commotus item humor melancholicus facilè ad podicem decubuit facilè, inquam, id fieri potuit, cùm corpus pravis humoribus & præcipuè atrabilario (qui propter sui gravitatem, mediantibus venis hæmorrhoidalibus, haud difficulter ad podicem descendebat) refertum, nec ante venæ sectionem purgatum esset. Tribus itaque horis ut dixi, à venæ sectione, exorto dolore & inflammatione, subsequens nox gravis ipsi fuit altera die, cum deambulatione tempus fallere vellet, adauctus est affectus, & in abscessum durum, renitentem, ac dolorosum degeneravit, febris quoque supervenit, vigiliæ item & inquietudines adauctæ fuere: sicque in sextum diem doloribus acerbissimis, cum alvi constipatione divexatus fuit. Barbitonsor interim universalia negligit, & nihil præter emplastrum suum incognitum, ut vocant, applicat. Ego quinta maii, vespera accersitus fui, hominemque in maximis angustiis inveni. Statim suppositoriis alvum subduxi. Debebat id clystere fieri, verùm illud, etiam docti ferè omnes, non minùs ac plebei homines, veluti crudele & immane remedium non tantùm respuunt, verùm etiam si penes ipsos esset, libenter ad inferos detruderent. Circa nonam noctis potiunculam anodynam & cordialem ex confectione alkermes, extracto anodyno, aqua cinnamomi & borraginis conflatam propinavi, & cataplasma anodynum simul & supparans applicui. Utcumque quievit hac nocte, altera die cataplasma iterùm bis applicuimus, & post cænam præscriptam potiunculam exhibuimus. Septima die maturatus à cataplasmate abscessus, circa exortum solis ruptus est, ex quo serosa, fæculenta & livida materia effluxit, quæ adeò erat fœtida, ut conclave totum putrilaginoso & verè cadaveroso odore, & fœtore adimpleret, ita ut non solùm fascias & indusia, sed & linteamina & culcitras mutare, aëremque suffumigiis tota die corrigere necesse fuerit.

Abscessus autem qui in nate sinistra in ipsis clunibus propè podicem erat, duobus in locis ruptus est: immisso in utrumque ulcus stylo exploratorio, compertum est, horum alterum, quod superius, sinu quinque transversorum digitorum longo profunditate ad latus vergere: utrumque imprimis profundius illud ferè absque sensu doloris stylum tam profundè admittebat, tam magna & ingens fuerat putredo. Ab initio digestivo & cataplasmate prædicto per dies aliquot, deinde mundificativis & potione traumaticâ usi fuimus. Convaluit tandem & hucusque quàm optimè se habet. *Idem.*

Abscessus in sinistro hypochondrio cum intestini erosione.

Nicod. Estopey, paganus de Trey, quinquagenarius & homo robustissimus, acutissimo dolore colico, maximè sub costis mendosis lateris sinistri, & ventris constipatione correptus est; cum autem nulla adhibuisset idonea remedia, & excrementa supra modum indurata per angustiam (quam Casparus Bauhinus Anatomicus & Botanicus insignis, in colo intestino primus observavit) permeare non

possent intestinum verò in ea parte excrementorum & flatuum copia turgeret exacerbatus est dolor & cruciatus. Inde febris vehemens & continua, item vomitus, syncopæ frequentes, deliria, aliaque graviora symptomata sequuta sunt, ita ut præsens vitæ periculum immineret: accensa in colo inflammatio degeneravit in abscessum, unde simul & excrementa, & lumbrici aliquot manarunt. Ego advocatus ægrum in extremis invenio langoribus. Nam præter symptomata superiora, ipsa quoque excrementa toto bimestri per ulcus emanarant. Remediis tamen tum interiùs, tum exteriùs adhibitis, dolor, febris, aliaque symptomata sensim remiserunt: ita ut trimestri spatio, Deo gratia, pristinæ sanitati, nulla relicta fistulâ, restitutus fuerit. *Idem.*

Abscessus sub musculo psoa.

Chirurgus quidam ad honestam matronam accersitus, eam invenit decumbentem cum acutissimis doloribus circa lumbos, febre, lypothymia, & urinæ difficultate. Is cùm ex doloris specie, aliisque indiciis cognovisset, apostema esse internum (exteriùs enim nihil apparebat nec tactu quicquam apprehendi poterat) nimirùm sub psoa musculo, qui Vesalio femur moventium sextus, & septima musculorum tabula t. octava verò θ notatus est, vitæ periculum prædixit: nisi forte aperto latere illo, contentus humor efflueret, annuentibus amicis, ipse ad spinæ dorsi latus, cutim & musculos exteriores ad psoam usque incidit novacula. Effluxit copiosus humor purulentus & fœtidus. Ab eo tempore mitigata sunt symptomata omnia & ipsa brevi restituta, vixit & valuit multos annos.

Ulcus ad menses aliquot turundis, cùm ex radicibus gentianæ, tum ex spongiis præparatis factis, & medicamentis mundificantibus & abstergentibus illinitis, apertum retinuit. Postea sarcoticis carne implevit. Ab injectionibus tamen, quæ syphone fiunt, planè abstinuit. Quod etiam in omnibus aliis vulneribus & ulceribus, sive ea in pectore, sive in inferiore ventre fuerint, observandum: faci limè enim pars aliqua injectionis in vacuum pectoris aut ventris delaberetur, ibique non leviora symptomata, magno cum periculo ægrotantis, excitari possent. *Idem.*

Apud eundem alia legitur historia similis operationis in eodem casu peractæ à peritissimo D. Griffonio, Chirurgo Genevensi celeberrimo, Autoris Præceptore.

Abscessus in spina dorsi.

Cuidam apostema ingens in spina dorsi obortum Barbitonsor scalpello id aperuit suprà affectam partem, quæ nisi compressa nihil liquoris emittebat; hinc stagnans materia ossa corrodendo fistulam excitavit: Doctor *Fossius* cauterium potentiale affecto loco imponi jubet, apparuerunt post escharam ossa nigra, quibus abrasis, & nitori restitutis, vulnus curabatur sarcoticis & emplasticis: residuum adhuc erat punctulum, aciculæ caput vix superans, ex quo sanguis liberaliùs fluxit, nec ante sextum diem sisti potuit, tumque inductâ cute convaluit æger. *Bartholinus.*

Quinque abscessus mihi videre contigit dorsum occupantes juxta ejus spinam, qui ex materia frigida sensim collecta geniti fuerant, sine dolore aut inflammatione, & partis colore nullo modo mutato: molles erant tumores, œdematis similes, pugni magnitudinem ferè adæquantes, ex iis tamen apertis pus laudabile effluebat. Tres priores lethales fuere, intra trium aut quatuor mensium decursum, cum ulcus ex abscessu aperto relictum sinuosum admodùm evaserit, ex eoque continuo magna puris copia effluxerit, unde corpus universum exhaustum, & in atrophiam conversum est, licet multis remediis ulcerum curatio fuerit tentata. Quartus curatus fuit incisionibus magnis in dorso factis, quibus sinus omnes detecti sunt, mox fotibus ex aqua catapultarum, aliisque topicis, ulcera sanata sunt. Interim tamen causæ antecedenti providebatur, frequenti evacuatione, & usu decocti sudoriferi. Quintus denique curatus est sine incisione, sed magnâ apertione factâ per cauterium potentiale, mox detersione ulceris per injectiones ex decocto catapultarum, & fotu ex eodem, ac denique valida compressione partis cum fasciis & spleniis, & valdè adstringentium emplastrorum continuâ admotione in ambitu ulceris. Interim verò causæ antecedenti providebatur remediis prædictis. *Riverius.*

Ingens femoris abscessus in Virgine è quo tererupit menstruus fluxus.

Nobilissima Virgo annos circiter 19. nata, suppressò menstruo fluxu per aliquot menses, febre lenta laboravit, cui successit tumor erysipelatodes circa genu, qui remediis ordinariis quadantenus cedere visus in abscessum postea totum prope femur occupans degeneravit. Abscessus ille contumax admodum ad suppurationem ægrè deductus, prominentiam tandem in parte femoris domestica ostendens, apertionem indicavit; quæ ope lapidis caustici & scalpelli peracta est. Evacuata hac ratione puris ingenti copia, medicamenta detergentia, vulneraria & balsamica, quæque suo tempore adhibita fuerunt; cujusmodi sunt decocta herbarum traumaticarum, radic. aristolochiæ, gentianæ &c. tincturæ ex myrrha, aloë & cæteris id genus, ut & ex balsamo Peruviano, nec non Judaico cum spiritu vini extractæ, balsama sulphuris variæ compositionis, fixa & volatilia. Vulnus interea apertum est inductis turundis ex linamento, item ex radice gentianæ, atque spongia præparata, injectiones perpetuò celebratæ ex tincturis & decoctis mox memoratis; revocata & in usum per intervalla aqua phagedænica, fasciationibus aptis interim non neglectis, quibus pus ad abscessus orificium promoveretur sicque exitui parabilius foret. Non omittebantur præterea interna remedia, purgantia nempe, vulneraria, decocta ex radice chinæ, juscula viperina &c. Quindecim circiter post diebus novus tumor in poplitis medio apparuit, qui & apertus communicationem cum superioris vulneris osculo habere visus est; quæ tamen interrupta fuit, tum propter materiæ viscidìtatem, tum propter partium tendinosarum dilatationem majorem non ferentium sensum exquisitissimum. Cæterum cùm evacuari, aut omnino detergi per longum tempus non posset ulcus, quin novæ subinde pelliculæ concretionesque membranaceæ adnascerentur, novusque materiæ purulentæ salsæ & viscidissimæ proventus in dies accederet, imò sanguinis impetus tempore fluxus menstrui illuc tanta vi ageret,

ut

ut ter inde periodicè effluxerit in larga quantitate, medicamenta etiam maximè appropriata frustra propemodum adhiberi videbantur. Consultatione tum instituta existimatum, ulcus hoc cachoëthes curationem vix admissurum nisi ferro & igne id obtineri posset. Et primò quidem cùm ageretur de ulcere cavernoso cujus cavitas novem aut decem pollices, secundùm femoris longitudinem extendebatur, incisio videbatur per se indicari, verùm vasorum majorum propinquitas non parum obstabat, & à tam longa incisione per interjectas crassiores carnes non immeritò abhorrebat Nobilissima Virgo. Itaque tutius videbatur ulcus in ipso fundo per pluries admotos lapides causticos resecare, ut ope communicationis illius faciliùs detergi posset, & ignis pro partis corroboratione sobriè admoveri. Ulcus poplitis quod attinebat censebatur illud, curato prædicto, sponte consolidatum iri. At verò sine ferro aut igne cura, Deo benedicente, peracta fuit, injecto scilicet sæpius balsamo sulphuris essentiali & volatili, curioso artificio à me parato, spirituique vini maritato, unde quicquid callosum in ulcere fuit resolvebatur, concretionesque membranaceæ, profundius innatæ atterebantur & separabantur, ita ut beneficio largiorum injectionum vulnerariarum sensim educerentur, novusque proventus inhiberetur, tum per memorata remedia, tum etiam per turundas è linteis emplastro maximè detergente & vulnerario imbutis, confectas, in ulceris profundum cum unguento appropriato liquidiori & excalfacto, immissas.

Abscessus miræ structuræ.

Anna Gerhardi, ancilla hilaris animo, agilis corpore,, ex consilio Amplissimi *Dn. Consulis Nicol. Tulpii* ædes nostras accedit; humero sinistro inhærebat abscessus insignis, rotundus, quem steatoma vocaverunt alii. Ad ejus ablationem admissi, primò omnium *Cauterium potentiale* ex calce viva cum smegmate paratum elatiori ejus parti (à ferro enim abhorrebat) applicuimus, die sequenti loco cauterisato *sectionem* levem instituimus, primò rectam, hinc transversam, & occurrit nobis corpus aliquod candidum, hoc dissecto simile aliud se obtulit, quod, æquè, ac alia, dissecare necessarium duximus, & sic totum abscessum auferendum esse constitit, quod etiam brevi, vasis sanguineis laceratis, peractum, ad hæmorrhagiam, lintea combusta, *Bovist*, similiaque applicabamus. Abscessus exstirpatus, tabulæ impositus, curiosam nobis, aliisque miram exhibuit structuram; ex viginti enim & pluribus, albicantibus corpusculis rotundis, sibi invicem impositis, compositum eum invenimus, quævis harum lamellarum materiam continebat albam, glutinosam. Sanguinis fluxu sedato, ad mali omnimodam eradicationem *mercurium præcipitatum rubrum* applicuimus, hinc mundificantia usurpare necessarium, consolidantia denique & cicatrisantia. *Job. à Meekren.*

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Abscessus intestinorum.

Inter affectus intestinorum est phlegmone seu inflammatio eamque excipiens abscessus, ejus exempla si morbo denatorum cadavera sæpius aperire liceret, non ita forsan rara forent. Quid nobis in duobus ejusmodi casibus videre contigerit hic referre non gravabimur, idque ea potissimùm ratione quod hæc non ita frequenter apud Practicos occurrant. Lectissimus Adolescens quidam annos præter propter 22. natus, diarrhæa febri continuæ junctâ, per integrum mensem vexatus fuerat. Usu tamen medicamentorum methodicè exhibitorum meliùs habere cæpit; usque adeò, ut recuperatis maxima ex parte viribus, & appetitu, rus, commutandi aëris casâ, petierit, ibique per quatuor aut quinque septimanas satis, ut videbatur, sanus, manserit. At in urbem postmodùm rediens de stomachi dolore, & respirandi difficultate queritur. Faciei color herbaceus erat. Dolor & tensio hypochondrii dextri, usque ad cartilaginem xiphoidem urgebat. Tussis sicca & sonora. Febris à tertia die intensissima, pulsus parvus, sed creberrimus nausea, sitis; Decubitus in latus dextrum perpetuus. Mox dolor ad latus sinistrum vergit, & ad claviculam usque ascendit. Desidendi cupido frequens, biliosa sed pauca dejectio. Assumpta interdum vomit. Urinæ sat multæ, rubræ & crassæ. Circa septimam respirandi difficultas aucta, nulla ampliùs tamen tussis. Frigus extremorum, sudor putidus, pulsus formicans, extra lectum pedes habet pendulos. Nonâ pulsus perquàm exiguus, imò syncope ingruit, mortem præ foribus jurares. Decimâ pulsus ferè nullus, crura & femora tument, per intervalla vomiturit, subinde cibum petit, avidèque jusculum bibit. Oris fœtor deprehenditur. Undecimâ primùm delirat. Admodum irrequietus est, nec in lecto ullatenùs contineri potest. Duodecimâ delirium intenditur. Cibum & potum omninò respuit: frigus extremorum maximum, per totam noctem pileum detrahit, & abjicit, mirumque in modum contorquetur & jactatur. Decimâ tertiâ pulsus, ut videtur, nullus: Alvus biliosis & purulentis copiosè solvitur, lecto reponitur. Decimâ quartâ, oculi extra orbitam eminentes opaci & splendore vitali destituti apparent, facies Hyppocratica, spiritum laboriosè ducit, sudorem croceum sudat. Tandemque longiorem cum fato luctam sustinere impar cedere cogitur. Die 20. Julii 1683. cadaver aperimus. Maxima puris copia in ima abdominis cavitate collecta reperitur. Totus penè intestinorum, tum tenuium tum crassorum, tractus inflammationis notas habebat: Sed colon potissimùm lividum & nigrum erat; dumque in eo locum abscessûs quærimus, pars hepati seu ventriculo substrata, chartæ madidæ instar, laceratur, & inde multum pus, fæcibus commixtum erumpit omnia alia viscera curiosè lustrare, præ summo fœtore, non potuimus. Ea tamen & potissimùm hepar, quod nobis phlegmonem pati primis morbi diebus visum erat, non ita malè se habere obiter notavimus.

Historiam priori affinem nobis suppeditavit Juvenis quidam annos 32. natus. Is à pluribus annis colicum dolorem subinde patiebatur. A quatuor verò ante obitum mensibus, tormina & cruciatus in dies augebantur: alvus adstricta, ut plurimum, erat: quod si interdum solveretur, liquida tantùm eaque pauca excernebat. Quatuor autem ante supremum, diebus, venter multùm intumescebat excrementa alvi ne validissimi cly-

steres educebant. Supprimebatur & urina. Assumptos cibos statim vomebat, ipsasque demùm alvi fæces, anxietas erat summa, extrema frigebant. Pulsus ut in ægro priori formicans, imò nullus. Cadavere die 15. Septembris anni 1683. aperto, peritonæi facies interna nigra admodum pluribus in locis apparebat. Omnia intestina subrubra, livida, nigra; sed colon inprimis affectum videbatur, ex eo enim lacerato, foramine pugnum facilè admittente, pus copiosum in infima abdominis parte, pelvim vocant, eruperat. Sed, quod notatu dignissimum, ejusdem intestini portionem, duabus præter propter à Recto Spithamis distantem, octo uncias longam, nigerrimam, ponderosam, intestini portionem proximam, non quidem superiorem, sed inferiorem, quatuor digitos subeuntem reperimus. Dissecti intestini paries pollicem crassitie æquabat, & materia nescio qua subalbida, inter glandularem & adiposam ambigente, qualis ferè est steatomatum, infarciebatur, adeò ut, quæ digiti minimi apici admittendo sufficeret, cavitas vix superesset. Hinc sanè symptomatum omnium quæ miserum malè habuerant rationem facili negotio reddidimus; simul & inversionis intestini, præ pondere, in proximam cavitatem descendentis, rarum exemplum, & à nullo forsitan è Practicis qui hactenùs scripserunt observatum, notavimus. Nec nobis temperare potuimus, quin Medicorum sortem (qui affectus quosdam quorum causæ ita occultæ sunt, ut eas ne suspicari quidem possint, curare posse, & debere vulgò creduntur) doleremus. *Autores Bibliotheca Anatomica.*

Abscessus in inguine ex ictu sclopeti unde pus per urinam globulique plures plumbei minores sunt ejecti.

Juvenis quidam viginti circiter annos natus, dum in venatione versaretur, proprium sclopetum imprudens in se ipsum explodebat, unde pluribus globulis plumbeis minoribus pars femoris inguini immediatè subjecta duriùs impetebatur. Cura Chirurgo quamvis perito commissa, non ita absolvebatur, quin præter globulos memoratos in profundo ulcere, eoque fistuloso, relicto, restitaret turoarum frequentium fomes; subinde enim tumor ingens in tota superiore femoris parte, regioneque ossis innominati cum febri intensa exoriebatur, qui, nunc hic, nunc illic abscedens, miserum crudeliter vexabat; non ita facilè erat pro palliando morbo cannulam in abscessus fundum immittere, ut pus inde quasi continuò transudans moram non traheret tot tragædiis suscitandis aptam, illud enim in ossis ischii intimiore concavitate cum grandi carie positum erat, quò non ita tutum, imò impossibile per inferiora pervenire; interim pro morbi necessitate sumto consilio, cannulam plures pollices longam per superiora intrusimus, ut sic materiæ ostio quocumque demum aperto servato, illa quadantenus evacuaretur, injectionesque ex vulnerariis, admisto balsamo sulphuris sæpius repeterentur, & ulcus mundum quantum possibile foret servaretur; sic per quinque circiter annos à doloribus prope immunis vivebat, donec tot cautionum pertæsus, seu potius se omnino restitutum credens, omnia abjiceret. Non longe autem pœnam peccati tulit, nam aggesta sanies non tantùm cuniculos per totam femoris longitudinem egit, sed etiam in clunes usque promota, horrendum tumorem efformavit cum febre intensiori. Dum hisce oppugnandis gnaviter incumberemus, purique contento exitum ex parte pararemus, vidimus cum stupore post aliquot dies illius plures libras per vias urinarias emanantes, imò globulos plumbeos per easdem rejectos; non dimittebat interim febris ut nec alia symptomata quibus tandem oppressus vir pius vitam cum morte commutavit, cadaverisque usuram nobis dedit. Reserato itaque Abdomine, & explicata tota parte ulcerata, conspeximus cariem non modo ab ossis ischii marginibus ad intimiores coxendicis concavitates serpsisse, indeque prædicti ossis substantiam ad caput ossis femoris penetrans, in illius itidem mediam descendisse partem. Observavimus præterea saccum pus in inguine complectentem in plures cellulas distinctum membranaceum & fistulosum quid de se produxisse, quod in ipsum vesicæ cavum abiret, illucque non tantum saniem prius à nobis in urinis visam, sed etiam globulos plumbeos cum eadem rejectos, deponeret, sic itaque mirari desiimus quibus demum viis provida natura materias circuitibus aliis peragendis tam inhabiles exoneraffet. Pars eorundem globulorum ossis coxendicis cavo vel impacta vel proximior, nobis cum puris viscidissimi reliquiis etiam occurrebat. Alia quod attinet imi ventris viscera intacta vidimus.

Abscessus in Inguine cum erosione intestini, purisque ac excrementorum fœtidissimorum rejectione.

Mulier quinquagenariâ major, variis doloribus diu vexata, ac præcipuè rheumatismo, seu arthritide quadam vaga, à sero acri omnes corporis partes nerveas & tendineas, perluente, orta, in intestinorum tandem affectum vehementiorem incidit, protuberarunt scilicet illa in inguine ad ovi columbini magnitudinem sub herniæ incompletæ forma cum tanto cruciatu, vomituque tam horrendo, ut de ea cùm brevi actum iri arbitrarer, ipsam aliquo modo prognostico suo relinquerem, verùm post dies aliquot revocatus, reperio pulsum formicantem vomitusque perpetuos, cum tanto interaneorum ardore, ut se damnatorum pœnis affligi misera delirans crederet, ac præ siti inextinguibili aquam sibi continuò ingurgitari inter ipsos vomitus expeteret, sed quod maximè ad rem nostram facit, vidi herniam prius à me adnotatam in abscessum degenerasse, ex eoque aperto saniem cum excrementis alvinis fœtidissimis effluere. In casu prorsus desperato quædam revera tentata sunt, ut affinibus satisfieret, dolorque aliquatenus leniretur, at omnia in cassum adhibita, siquidem postquam per viginti quatuor horas duro agone conflictata fuisset è vivis excessit. Aperto abdomine vidimus intestinum ileum in sui propè medio perforatum, saburram intestinalem magna vi per foramen in abscessu enatum eructasse, magnaque sui parte gangræna affectum. Cætera curiosius lustrare prohibuit fœtor omni alio major.

Abscessus Mesenterii Hydropem Ascitem mentiens.

Nobilis mulier 20. circiter annos nata languore totiusque corporis ingravescentia per aliquot menses fatigata, remedia varia adhibuit aperientia & corroborantia, chalybeata sc. purgantibus levioribus admista, tartari præparationes, salia volatilia &c. quibus cùm non ex voto profligaretur morbus, se restituendam commisit empirico ignaro, à quo cùm pilulas accepisset è ricini indici desiccato fructu paratas, aliaque id genus, satis quidem pro tempore hilaris & sana videbatur, dum interim sensim accresceret tumor in ipsius imo ventre, qui remediis cedere nescius, post annum præterquam quòd ingens visus est, dolores etiam atroces cum febre acuta &c. peperit; quibus symptomatibus eliminandis plura consumsimus, nec sine omni fructu; nam sic abiit febris, & dolor cum abdominis tensione inflammatoria, relicto solo tumore magno, sed indolente; cui rursus dissolvendo atque discutiendo præsidia apta apposuimus, aquas scilicet minerales, præparationesque artificiales tam vegetabilium quàm mineralium &c. sed in cassum prope omnia nam augebatur continuò tumor, venterque totus in grandiorem elevabatur molem, donec post novem circiter menses à mox memorato insultu febrili, recruduerit hoc symptoma cum doloribus, ægramque lecto præ debilitate affixerit: tum brevi tumor ex abdomine in femora & tibias provectus est, variasque excoriationes in partibus affectis peperit. Sollicitante ægra, quæ præ pondere corpus amplius movere non quibat, & lacerationem in imi ventris visceribus persentiebat, acum tubulatam in ipsius cavitatem immisimus, sicque puris fœtidissimi per decem dies continuos libras circiter 30. eduximus, magno ægræ nostræ solatio, quæ placidè tandem & piè decima tertia post perforationem die obiit. Tum aperto abdomine, effluxerunt quadraginta ad minimum puris putidissimi & viscidi libræ, cui innatantia intestina gangrænosum quid in sui exteriore membrana redolebant: testiculus dexter seu ovarium dextrum per compressionem tumoris mox describendi, ita flaccidum factum erat, ut curioso examine ad eum inveniendum opus fuerit. At, quod notatu dignissimum, tumorem monstrosum advertimus in mesocolo à latere illius intestini coli partis qua in rectum abit, enatum, ejus basis diametrum habebat trium circiter pollicum, seque sub intestinis extendebat ad latus dextrum, ubi caput efformabat diametrum habens pedis integri longitudinem æquantem, illinc ad superiora reflexus peritonæo adhærebat, adhæsionemque eandem ad latus usque sinistrum quò usque pergebat, originem suam quasi repetiturus, servans, super intestina crassa recumbebat, eaque sic absolutè propè circumcingebat, dum interim tenuia cum ventriculo sursum adacta liberiora erant. Tumor hic glandulosus erat, membranaceus, & per totam sui longitudinem in cellulas variæ magnitudinis & figuræ excavatus, quarum cellularum plures inter se invicem communicabant, complectebanturque variæ indolis materias, aquosas sc. mucilaginosas, pultaceas, & propè sebaceas, omnes in genere fœtoris acutissimi. Ponderis erat tumor hic cum materiis contentis triginta quinque circiter librarum. Cætera sana reperta sunt.

ACHORES SAHAFATI.
Vide
CRUSTA LACTEA.

ACROCHORDON.

Est verruca subcutanea durior & asperior, callosa, atque plerumque teres, cuti concolor, in basi tenuis, summitatis verò latioris, fabæ magnitudinem raró excedens, juniores maximè infestans. Sic dicta, quòd in imo adeò angusta sit, ut pendere videatur. Super hoc vid. VERRUCA.

ADIAPNEUSTIA
idem quod
PERSPIRATIO IMPEDITA.

ÆGILOPS, ANCHILOPS, ET Fistula Lachrymalis.

Hi omnes affectus in eadem sunt positi parte, scilicet inter nares & majorem oculi canthum seu angulum; in eo autem differunt quod *Anchilops* sit abscessus ocularis seu tumor in parte memorata positus, humore viscido, qualis in steatomate, atheromate, aut meliceride, videtur, plenus, cysti aliquando conclusus, incrementa sensim & sine dolore ut plurimum sumens, donec ad suppurationem perveniat, quo tempore *Ægilops* dicitur; qui rursus si abeat in ulcus callosum parvum & profundum, super glandula lachrymali positum, cum, vel sine ejusdem absumtione, ut & cum, vel sine partis ossis nasi proximiori carie, *Fistula Lachrymalis* vocatur. Inter se verò rursus differunt fistulæ lachrymales ut & ulcera ægilopem conficientia, quòd aliæ extra oculum, & in spatio inter angulum ipsius majorem & nasum posito, aliæ verò intra ipsum angulum aperiantur, & rursus, quòd aliæ saniem serosam subflavam, aliæ albidam & viscidam, continuò, vel per intervalla tantùm eructent, aliæ præterea oculum in atrophiam deducant, aliæ minimè, aliæ os nasi tanta afficiant carie ut ad narium interiora perforatum halitus fœtorem pariat, aliæ illud intactum relinquant aut superficialiter tantùm corrodant, aliæ sint mites & curabiles, aliæ cancrosæ quas noli tangere.

Causa in genere est circulatio humorum læsa, seu eorundem à vicinis glandulis eruptio; unde stagnando visciditatem acquirunt, cystimque brevi sibi efformant, donec acrimonia, per salium contentorum exaltationem, contracta, carcerem suum abrumpant, & sæpe, præterquam quòd integumenta sua perforant, subjectam glandulam absumant, ipsumque os corrumpant. Hisce sæpe occasionem præbebit, vel ictus, vel faciei erysipelas, vel variolæ &c.

Signa ut & *pars affecta* ex suprà dictis satis patent, *Prognosin* verò quod attinet non dubium est quin curatu difficiles sint hi morbi, ac præcipuè lachrymalis fistula, propter oculi partis nobilissimæ viciniam, illudque eò magis si intra ipsum oculi angulum aperiatur, maximè verò si glandula lachrymalis absumta sit, aut os nasi carie

perforatum. Si autem ulcus fuerit cancrosum nulla cura tentanda est.

Cura Anchilopis generalibus præmissis, per adstringentia, desiccantia primò tentari debet, aquam v. g. regin. Hungar. fumum succini &c. unguentum ex myrrha, aloë, croco cum melle, spir. florum sambuci, essentiam gummi carannæ &c. Quòd si tumor minimè discutiatur & ad suppurationem tendat, utere emplastro de ammoniaco, item cataplasmate ex mica panis, lacte & croco, aliisque id genus; promota maturatione, unguentum basilicum impone, posteaque vel cauterio potentiali præmisso, vel sine eo, scalpello tumorem aperi, ne sc. pus, mora diuturniori, vel intra ipsum oculi angulum viam sibi faciat, vel os nasi, aut glandulam lachrymalem afficiat, tumore aperto pro mundificatione immittendum præcipitatum album probe lotum, vel per se, vel in satis larga dosi unguento nicotianæ admistum, superimposito emplastro ex diachylo cum gummi & Stictico Crollii. Tandemque solo emplastro stictico pauco balsamo judaico, aut etiam peruviano imbuto, quibus scil. cicatricis præcavetur difformitas, ut & ipso præcipitato albo bene loto ad ultimam usque cicatrisationem admoto.

Si in fistulam lachrymalem abierit ulcus, cura perficietur vel medicamentis tantùm, vel etiam ferro & igne. Primam curationem quod spectat, expurgato corpore, sanguineque ex brachio misso, imò si necessarium videatur admotis cucurbitulis, & vesicatoriis, atque etiam setaceo; aut fonticulo in cervice, vel inter duas homoplatas inusto, dilatabitur orificium fistulæ ad fundum usque adhibita spongia præparata, aut radice gentianæ, si verò intra oculi angulum aperiatur fistula, tum necessarium erit inter oculi angulum majorem & nasum, vel inferiùs sc. in parte decliviori ubi materia protuberabit cauterio potentiali melioris notæ, & cautè admoto ne sc. eschara in angulum usque serpat, ipsiusque ligamentum erodat, ipsam rursus aperire, scalpello præterea per escharam in fistulæ cavum immisso pro maturanda cura, postea unguento apostolorum ad mundificationem adhibito, ossi carioso vel euphorbium pulveratum inspergetur, vel butyri antimonii particula ex specillo admovebitur addito desupra pro implendo foramine, bombace. Curato osse in cæteris agendum ut supra in ægilope. Secundam curationem quod attinet præmissis universalibus &c. dilatato ulcere ad os usque, vel itidem si foramen extus non videatur, eo ut dictum cauterio potentiali, vel quod multo satiùs est ferro confecto, atque ad os usque spongia &c. dilatato, cannula ad formam infundibuli constructa in ejus fundum immittetur, specillumque per eam adigetur, ut constet an ne pars ossis denudata sic attingatur, tum linamentis per eandem cannulam pro partis desiccatione inductis, cauterium aptum excalfiat donec bene ignitum fuerit, quo tempore extracto linamento cannulam ad sui usque extremitatem opplente, cauterium intrusum parti ossis superiori quantum fieri poterit applicabitur, ut sic cavitas quædam angustior ibi locata & humiditatem multam hisce in casibus sufficiens, attingatur. Osse sic cauterisato pulveribus aptis ejus exfoliatio promovebitur, quo peracto ulcus ut prius dictum curabitur. In ipsa operatione videndum ut oculus muniatur defensivo è linteo duplicato aquis refrigerantibus imbuto, parato. Quidam totam operationem igne perficiunt eo sc. & aperiunt, & dilatant, & ossis vitium corrigunt, sed malè, quandoquidem in carnibus sic excitatur magna eschara, unde majoris oculi canthi ligamentum exscindi potest, & difformitas excitatur.

Curationes & Observationes variorum Autorum.

Curationes.

In Ægilope: adhibe inprimis generalia, venæ-sectionem, purgationem, cucurbitulas, & alias revulsiones, tum repellentia applica, deinde digerentia; quod si inflammatio ad suppurationem tendat, ea juvari debet cataplasmate, ex farina tritici, lacte, ovi vitello & modico croco. Non est autem exspectandum, donec disruptio per se fiat: sed ante completam maturationem scalpello vel cauterio aperiendus locus est, ne ex longa mora internæ hæ partes teneræ corrumpantur, quapropter ratione loci latum quoque foramen fieri debet, ut exitus puri detur, aperto tuberculo, imponatur peniculus melle rosaceo imbutus, vel ægyptiaco unguento, si sordet ulcus. Est herba quædam veteribus dicta Ægylops, estque eadem atque avena; hujus farina cum plantag. aut parietariâ, aut portulaca in modum cataplasmatis apposita, est specificum ad ægilopem. Chalmeton insignis Chirurgus hoc velut præstantissimum commendat. ♃. aq. vitæ vel vini opt. mell. rosat. colat. an. ℥j. myrrhæ ʒ ij. m. f. linimentum, quo manè & vesperi locus liniatur *Vopiscus Fortunatus Plempius. Ophthalmogr. lib. 5. cap. 17.*

Ante omnia instituenda est optima victûs ratio. Secundò purgandum est corpus secundùm humoris prædominantis naturam. Tertiò, caput corroborandum, idq; medicamentis tam per os sumptis, quàm exteriùs admotis. Convenit decoctum ligni guajaci, sassaphras, radicum chinæ, & sarsæparillæ, additâ betonicâ, salviâ, Rosmarin; majorana & primula veris. Conveniunt quoq; conserva betonicæ, rosmarini, salviæ, majoranæ primulæ veris, pæoniæ, confectio alkermes, cortices citri, species Dianthos, Aromatici rosati, & hujusmodi; capiti inspergatur pulvis benzoini, styracis calamitæ, mastiches, olibani, succini albi, granorum Kermes, rad. irid. florentinæ, flor. betonicæ, rosmarini, majoranæ, & rosarum rubearum, ex quibus pileolus sive cucupha parari quoque poterit. Quartò materia, quæ ad oculum fluit, ad alia loca trahenda est: in hunc finem cucurbitulæ, scapulis frequenter appositæ, conveniunt, uti quoque vesicatoria post aures: omnium verò præstantissimum est setaceum, materiam enim ad oculos fluentem, potenter ad se trahit & evacuat, caput ab omnibus excrementitiis humoribus expurgat, & egregiè corroborat. Quid plura tanti est momenti, ut inveteratam fistulam lachrymalem, sine hoc præsidio vix curari posse, in aliquibus observaverim: amovet etiam causam antecedentem mali. Exemplum singulare habes in cent. 4. observationum mearum observ. 19. exempl. 2 Quapropter ut curatio feliciter succedere possit, admonendi sunt parentes, ne præstantissimum ac longè securissimum hocce præsidium respuant. Prius itaque purgato corpore, applicandum est setaceum, nec quicquam circa fistulam tentandum, nisi setaceum priùs ad tempus aliquod fluxerit, materiamque ad fistulam decumbentem ad se traxerit. De hac methodo procedendi in gravissimis

&

& inveteratis affectibus capitis, dummodò periculum non fuerit in mora, vide cent. 3. observ. 1.

Postea dilatanda est fistula, id si turundis ex radicibus gentianæ spongiis præparatis fieri potest, bene est, sin minus, nonnihil de caustico meo applicare soleo: sed vide ne in quantitate pecces. Quantitas autem grani milii solis sufficiet. Diligenter quoque claudendus est oculus, ne forsan causticum liquefactum in oculum fluat. Sunt qui guttula una aut altera aquæ fortis, vel olei vitrioli, fistulam aperiunt, callumque & carnem superfluam erodunt, sed perperam, propter insignem enim vim penetrandi, os, quod forsan adhuc sanum atque integrum fuit, corrumpunt: quod de caustico nostro minimè timendum est, cùm sit materia crassa & terrestris, quæ vicinas partes incontaminatas relinquit: oleum verò vitrioli, & aqua fortis longè lateque se extendit. Aperta fistula, pulvis præcipitatus, quam diligentissimè præparatus, inspergendus, aut filamentis imponendus est ulceri, quod emplastro ex solo gummi elemi, in alutam aut telam extenso, obtegendum. Ego fortiori pulvere isto non utor, ne os si forsan adhuc sanum fuerit, à suo periostio detegatur. Sæpissime enim fistulas lachrymales, etiam inveteratas, sanavi, in quibus caries in osse reperta non fuit. Quapropter festinandum non est, sed sensim procedendum, insperso pulvere prædicto bis, vel semel in die, prout ulcus fuerit humidum: ut plurimùm tamen dum pulvere isto utor, semel tantùm in die ulcus deligare soleo. Stylo ab initio cariem ossis curiosè perquirere non est necesse: si enim os cariosum fuerit, pulvis iste carnem, quia mollis & flaccida est, facilè absumet; sin sanum fuerit os, sanum illud relinquet pulvis, & ulcus non solùm mundificabit, sed & ad cicatricem perducet. Habet enim diversas hasce facultates pulvis iste, uti ego primò in ægris excellentissimi Medico Chirurgi Dom. Cosmæ Slotani. p. m. præceptoris mei fidelissimi, & ab eo tempore in praxi mea observavi.

Si os cariosum inveneris, quantùm fieri potest, detergendum est, postea euphorbium in subtilissimum pulverem redactum copiosè insperge: nihil enim præstantius esse euphorbio, in ossibus cariosis, imò & in fistula lachrymali, sæpissimè ex me intellexisti, habes quoque exemplum in quinta centuria observat. 22. Nec te deterreat ipsius acrimonia; euphorbium enim nostrum adjacentem carnem non adurere, ut volunt plurimi, observavi, de quibus vide centuriam 2. observ. 62. centur. 5. observ. 22. Admonendus autem est pharmacopæus, ne pulverando euphorbium, pistillum ut moris est oleo inungat: oleum enim vim euphorbii infringit, & ossibus adversissimum est. Ne autem acrimoniâ sua nares feriat, guttula una aut altera spiritus vini affundenda est. Sunt qui cariem ossis oleo vitrioli, sulphuris, aut aquâ forti corrigere tentant, sed malè: ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulteriùs corrumpunt: quapropter vide, atque etiam vide, mi Dom. Schobingere, ne hujusmodi medicamentis utaris, imò ne quidem in ossibus duris & solidis, uti sunt tibiarum, multò minùs narium. Alii cariem ossis fistulæ lachrymalis cauterio actuali corrigunt, quod non improbo, mihi tamen, laus sit Deo, præcedens methodus cum euphorbio, semper tam faciliter successit, ut cauterio actuali nunquam usus fuerim: Interim tamen illud, ut dixi, non rejicio: quæ enim ferrum non sanat, insanabilia esse, Hippocrates pronuntiavit.

Satis mundificato ulcere, & prædicto pulvere præcipitato ferè carne repleto; balsamum Tolutanum filamentis applicare poteris: Cicatricem enim planam & pulchram facit. Per totum autem tempus curationis, sequens collyrium oculo bis aut ter in die instillandum, & linteum reduplicatum, & colliyrio madefactum, applicare convenit, sintque omnia fascia diligenter ligata, ut oculi motus, quoad fieri potest, impediatur. Motus enim humores attrahit, & consolidationem impedit, collyrium tale est ℞. aq. rosar. plantag. ana ℥ i ß. aq. euphrasiæ & valerian. ana ℥ j. sem. cydoniorum contus. ℈ j. misceantur maneantque in infusione horas sex, vel octo; colaturæ adde tuthiæ præparatæ, plumbi squammosi diligenter præparati. Cornu cervi usti, & præparati ana ℨ j. caphuræ ℈ j. misceantur omnia diligenter in mortario, fiatque collyrium, quod tepidè applicetur. Hæc si diligenter administrata fuerint, spem habeo, Deum opt. max. omnibus abundè benedicturum, id ut faciat, ex corde opto. *Guilielm. Fabr. Hildan.*

Graviter errant qui existimant perforationem hoc commodum præstare ut materia per os effluat, licet hujus ope os perforatum citiùs abscedat: observandum tamen, non esse perforandum os nisi præsente maximâ ipsius corruptione, quæ perveniat usque ad cavitatem internam ipsius nasi: sola siquidem ipsius superficie corrupta, aut alterata, sat fuerit partem læsam scalpro abrasorio abradere, dum pars cutis coalescat ossi, quod tamen fieri non potest nisi sanum fuerit. Ejus autem corrupti & scalpro excisi hoc vobis fuerit indicium, cùm spatio x. aut ad summum xii. horarum caro illi accreverit, quod nonnisi facta abrasione contingit, coalescente fistula. Quòd si post abrasionem nulla caro succreverit, os corruptum adhuc subesse pronunciandum, quod proinde denuò abradendum, quousque hæc signa omninò non appareant. Qua ratione feliciter, semper, & tutò sanavi fistulas lachrymales, non solùm puerorum sed & adultorum. *Petrus de Marchettis obs. 22.*

Observationes.

Superiori mense Julio, Solodurum unà cum doctissimo viro Dom. Ludovico Scharandæo, ejus Reipubl. Doct. Medico celeberrimo, ad puerum tredecim circiter annorum ætatis, & ex nobili familia natum, *Hans Jacob Von Veuis* nomine, vocatus fui: Is ab annis quatuor fistulâ lachrymali ex sinistra parte, quæ pro deplorata habebatur, laboravit; non enim os solummodò cariosum, verùm etiam glandula ita erosa erat, ut quotiescunque puer ploraret, lachrymæ per ipsam fistulam copiosè exstillarent. Est præterea puer adeò morosus & impatiens, ut cauterium actuale, quod summum optimumque censetur esse remedium fistularum lachrymalium, nunquam ipsi applicare potuissemus; quapropter de aliis remediis nobis cogitandum fuit. Itaque institutâ optimâ victûs ratione, corpus secundùm humoris prædominantis naturam & ægri tolerantiam expurgavimus, deinde setaceum nuchæ applicuimus: post dies aliquot optimè fluente setaceo, manum fistulæ adhibuimus hoc modo. Primò, quia angustissima, nonnihil de caustico meo, quod absque dolore, uti tu ipsemet vidisti, erodit applicuimus.

Post casum escharæ, fistulam unguento escharotico, & spongiis præparatis, usque ad ipsum os, dilatavimus. Tandem Euphorbium per se fistulæ inspersimus, & quidem in copia: deinde emplastrum ex solo gummi elemi applicuimus. His eâ quâ fieri potuit diligentia, per septimanas aliquot adhibitis remediis, squamula ossis sese obtulit, quam Dn. Scharandæus me absente, ipsemet extraxit, & postquam per paucos dies semiguttulam balsami Tolutani, semel in die cum filamentis imposuissemus, brevi plenissimè consolidata fuit fistula, quæ hucusque clausa est, oculo & visu planè illæsis. Setaceum quoque, non diu post consolidatam fistulam, cicatrice obduximus.

Aliud exemplum non vulgare, de præstantia euphorbii in osse corrupto, prædictus Dn. Scharandæus mihi communicavit, quod non ita pridem in fratre suo observavit: Illi enim cùm post ruptum abscessum circa dentium ocularium radicem dextræ maxillæ, relictum fuisset ulcus cum carie maxillæ, p st m duriusculam ex puro euphorbio & melle rosaceo confecit Dn. Scharandæus, ipsamque ulceri imposuit, & laminâ cereâ, ne excideret, cooperuit. Huic viro, qui juvenis est, & optimo corporis habitu præditus, intra paucos dies excidisse squ mam cariosam, & protinùs cicatrice obductum fuisse ulcus, testatur Dn. D. Scharandæus. *Idem.*

Ex defluxione capitis ad canthum oculi sinistri tumor enatus juvenculæ, quo presso serum ex oculis fluxit; postea perforato, ut videbatur, ad nares usque osse, purulenta per nares materia fluxit: caput cephalicis pilulis priùs expurgavimus; mox ad humiditatis depluentis exsiccationem collyrium inunximus, omnia sine ferro priùs experturi, ne facies deformaretur: demum cauterium potentiale illi nasi parti applicuimus, ubi nullum à musculo oculi orbiculari periculum: post escharæ casum caro in fundo adeò luxuriavit, ut præcipitato aliquoties inhibere fuerimus coacti, sæpiùsque ea carne crescente, causticis repetitis curatio fuit retardata: tandem exsiccantibus in auxilium advocatis, osque mundantibus, sed sine ferro aut igne, ab Æginetâ præscriptis, cùm per nares nihil puris vel seri prodiret, carne sana oppletum fuisse ossis cariosi foramen animadvertimus, fistulamque obturatam, unde vulnus consolidatum, cicatrice subtili inducta. *Thomas Bartholinus centur. 5. histor. 85.*

Chirurgus suo tempore insignis Domicellam quandam religiosam ex ægylope fistulâ lachrymali laborantem, hoc modo sanavit, optimâ victûs ratione præscripta, & pharmacis universalibus adhibitis, tum etiam venæ sectione præmissâ brachii & pedis, orificium ulceris tentâ aperuit ex gentianæ radice confectâ, & orificio successivè satis aperto, pro ulceris mundificatione sequens medicamentum præscripsit. ℞. mell. communis ℥ ij. virid. æris ʒ ß. aq. rutæ ℥ iv. æs viride pulverisetur, & cum aliis lento igne decoquatur, ad tertiæ partis consumptionem. Colatura tepidè & suaviter per syringam imponebatur: si acrius videbatur, aq. rutæ ulcus abluebat omni die, & post lotionem exiguum unguenti apostolor. admovebat, hoc modo tribus continuis septimanis procedebat, superponendo etiam emplastrum conveniens, & oculum rosac. aquâ defendebat. Postea pro tertia intentione perficienda, nempè incarnandi atque cicatrizandi, ulcere jam satis repurgato, illud collyrium præscripr. ℞. Thuris, sarcocoll. aloës, sang. dracon. balaust. antim. alumin. ana ℈ j. virid. æris gr. v. subtiliter pulverisentur, & cum aq. rutæ fiat collyrium satis liquidum. Imponebatur leviter cum rutæ stipite, deinde exsiccabat, continuabat ter in die, tribus septimanis; postea bis in die minorando tentam, deinde tantùm lavabat, diapalma super imposito, & panno lineo raro loco compressionis, atque hoc modo feliciter absolvebat curationem. *Jacobus de Carpo* Chirurgus suo tempore expertissimus, ad fistulam lachrymalem sequenti collyrio utebatur. ℞. aloës; myrrh. croci ana part. æquales infundantur in aq. vitæ quinquies, sexiesve distillatæ q. s. per noctem, & diem, deinde coletur, & colaturæ adde theriac. opt. & camphor. q. s. fiat collyrium. *Petrus Forestus observ. 15. lib. 11. de morbis ocul.*

Curavi quendam Canonicum Polonum, laborantem Meliceride, magnitudinis jujubæ, quæ à caruncula anguli majoris oculi ad totam pupillam porrigebatur. A multis tentata curatio, medicamentis, decoctis scilicet, collyriis, & aliis hujusmodi; omnia tamen octo mensium spatio in cassum adhibita: cùm verò me consuluisset, ipsum tumorem evellendum censui, quod cùm reformidaret, spe tamen salutis operationem admisit; quam statim molitus sum corpore priùs expurgato accuratissimè ab aliis medicis. Paravi itaque hamulum, quo ipsam melicеridem perforavi, & manu apprehendi, altera verò forcipe eandem cum folliculo sectione separavi, tum à caruncula, tum à tunica adnata, & ipsa pupilla, atque ita totum tumorem eduxi, sine ulla offensa ipsius oculi; à quibus, statim applicui gossipium imbutum aquâ rosacea, cum ovi albumine agitata, & portiuncula croci, patiente tres dies hoc modo fascia vincto; adhibito postmodùm collyrio ex aq. rosarum & pulvere tuthiæ præparatæ; quibus spatio octo dierum omninò convaluit æger; increpante licet meam præceptore meo ab Aquapendente audaciam, cùm tamen brevi spatio temporis id præstiterim, quod alii medici non potuerunt perficere, idque præsentibus, præclarissimo Joanne Dominico Sala, cum multis studiosis. *Petrus De Marchettis observ. XXI.*

Lectissima Virgo annos 21. nata post varios catharros tandem in oculi sinistri canthi majoris affectionem incidebat, plura adhibita sunt, tum pro seri acrimonia temperanda, tum pro eodem sero redundante vacuando, tum pro corroborando oculo ejusque glandulis; interim non cessavit morbus, imò non tantum corruptionem aliquam in glandula lachrymali induxit, & ligamentum anguli oculi relaxavit, sed etiam cutem duplici in loco inter oculum & nasum perforavit. De igne admovendo cogitabant Chirurgi advocati; cùm ego solo præcipitato albo diaphoretico minerali cum pauco opio misto, atque tum suprà glandulam lachrymalem ipsam, tum in foramina insufflato, aliis etiam minoris momenti adjunctis, ægram summo agnatorum applausu integrè restituerim.

Nobilissima Matrona annos circiter septuaginta nata tumorem erysipelatosum totam faciei partem dextram occupantem passa, præ humorum acrimonia, ad canthum oculi majorem præcipuè decumbentium, subitò in fistulam lachrymalem incidit. Advocatus reperio, ulcus callosum inter oculi dextri canthum & nasum situm, callumque

ad os usque pervenire adverto, os ipsum præterea cariem contraxisse observo; tum cùm nihil proficeret præcipitatum mercurii, ut nec aquæ vitriolo veneris impregnatæ, ferrumque & ignem omnino reformidaret ægra, ad butyrum antimonii me converti, cujus particulam cùm ossi carioso admovissem, totumque callum eodem sobriè attigissem, excidit callus sub forma intestinuli, osque corruptum exfoliatum est, unde brevi adhibito mercurii præcipitato, unguento Nicotianæ & emplastris, de quibus jamjam in curatione, integrè restituta est. Interim nec venæ sectionem celebrare, nec purgans medicamentum, aut alia præsidia generalia adhibere fuit possibile, siquidem omnia respuebat nobilis ægra, eorum usus in longa affectione hypochondriaca, seu potius scorbutica prorsus pertæsa.

Illustrissima quædam annos 40. nata post catharrum faciei partem dextram occupantem, oculum dextrum præcipuè affectum vidit, tumor enim ingens eum totum cingebat, palpebrasque necessariò occludebat; discussa tumoris parte per remedia à mulierculis exhibita, remansit anchilops, qui citò in ægilopem abivit, advocatus tumorem aperio, in quo fungosum quid ad os usq; nasi pergens reperio. Tum nullo alio medicamento adhibito quam mercurio præcipitato albo, aut puro, aut unguento nicotianæ admisto, fungum enatum absumsi, ulcus mundificavi, & carnes cum cicatrice laudabili induxi. De emplastris & balsamis, de quibus jamjam in curatione, nihil addo.

Puella Nobilis anno ætatis quinto variolis affligebatur, quæ post sui discessum, satis, ut videbatur, prosperum, oculum dextrum reliquêre lachrymantem; elapsis duobus mensibus exasperatum est malum, & a majore oculi cantho copiosam humiditatem excidere observatum est, quæ humiditas continuò in pus abiit. Applicationes, tum aquarum, tum pulverum detergentium primò, postea verò adstringentium morbo statim opponebantur, adjunctis universalibus, purgationibus sc. per intervalla repetitis, cauteriis, emplastris cephalicis, decocto radicis chinæ &c. non sic tamen minus, quamvis lentiori passu, saccum sibi excavavit humor compressione se per ipsum oculi canthum exonerans, ex consilio Clarissimi cujusdam Medici deligatione compressiva utebamur, ut sc. evacuato per oculi canthum pure, nova ejus aggestio impediretur, verùm in cassum omnia, siquidem post aliquam intermissionem, & mali quasi occultationem, semper de novo caput exerebat, donec quinto à suo principio anno, tumor multò quàm prius grandior apparuit, qui ad suppurationem deductus scalpello apertus est, tum cùm os carie immune advertissemus, abscessui per præcipitatum album, & balsamum sulphuris terebinthinatum facilè medebamur, additis injectionibus è collyriis aptis, at difficilius erat debilitati partis prospicere ac præcipuè glandulæ lachrymalis aliquantulum erosæ & corruptæ, hoc tamen ultimum tandem obtinuimus beneficio olei myrrhæ per deliquium, & axungiæ viperinæ.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

Affectio Hypochondriaca Galeno à flatuum exuperantia Passio flatulenta dicta, ab Arabibus quibus Mirach Abdomen est Mirachialis appellata, à Chimicis hypochondriorum tartarus, Hippocrati, ut credunt, sub morbi exiccatorii, morbi ructuosi, & morbi nigri, nominibus cognita, nostra ætate gravis & frequens admodum reperitur propter causas mox enarrandas. Definitur vulgò æstus & obstructio lienis aliorumve viscerum in prima corporis regione locatorum, ab humore atrabilario atque tosto, nullam habens febrem asseclam. Recentioribus verò quibusdam est morbus à sanguinis succorumque corporis acrimoniâ varia acidâ sc. austerâ, lixiviali, atque etiam muriaticâ, unde depravatur totius nutritio, doloresque aliquando & lancinationes, aut inquietudines vel in ipsis visceribus, vel in artubus sine febri enascuntur. Quæ tamen definitio in morbo complicatissimo non ita est adæquata, quin accuratior experi rursus possit.

Partem primariò affectam Diocles Carystius Antigoni Regis Asiæ Medicus Hippocrati fermè coætaneus ventriculum esse voluit, quòd eum in hac passione crudeliter semper affectum animadverteret. Quam sententiam nostris temporibus suo firmavit calculo Highmorus, cujus super hac re hæc sunt propria verba. Dum in ventriculo affectionis hypochondriacæ sedem ponimus, volumus in eo fibrarum nimiam relaxationem & debilitatem præcipuè peccare, unde ingesti cibi nec debito calore foveri, comminui, & in intestina propelli possunt, sed partes tenuiores & spirituosæ, à debili fibrarum compressione in intestina protrusæ, à visceribus avidissimè per vasa rapiuntur lactea, neglectis, aut saltem non separatis crassis, mitioribus & fibrosis particulis, nondum à ventriculo concoctis & dissolutis. Atque inde sanguis tenuior, flatulentus, ac nimium spirituosus, fermentationi perpetuæ obnoxius, ob fibrarum partiumque mitium inopiam, assimilationi ineptus generatur. Sic etiam Ettmullerus. Qui aliquando hypochondriacum, vel incipientem, vel confirmatum examinavit, ejusque symptomata consideravit, aut qui unquam curationi hypochondriaci præfuit, is tantùm non manu palpare potest, radicem morbi veram & unicam hærere semper in stomacho, & quidem in vitio succi ejusdem fermentativi, non ritè scilicet digerentis alimenta; unde & chylus, & massa sanguinea, & lympha reliquique actuantes corporis machinam humores vitiantur & depravantur. Verùm respondent alii, ventriculum secundariò duntaxat, atque sympathicè torqueri, ita ut verum atque præcipuum hypochondriacæ passionis diversorium existimari non debeat. Quæ ulterius explicaturus Willisius. Licet, inquit, ventriculum in hoc affectu sæpe graviter laborare concedam, cujus siquidem tonus si laxus, & robur præfractum, propter alimenti indigestionem, pituitæ viscosæ saburra, usque in sinu ejus progignitur, cui ob particulas salinas diutina mora in fluorem evectas sæpe acor insignis, aut austeritas accedunt. Dein quia vitium in prima coctione, haud emendatur in secunda ἀμπλίαν istam sanguinis discrasiæ & inordinationes excipiunt. Verumtamen in illam opinionem haud adducar ventriculum semper esse primum in culpa, aut cætera morbi hypochondriaci symptomata, tantùm à vitiosa illius constitutione pendere: Novi enim plures ægritudine ista immaniter afflictos, qui stomacho satis valebant; etenim de pulsatione in sinistro hypochondrio, de pectoris angustia, & dolore vago in eo excitato, nec non de cordis tremore & ex-

pressione, cum mente continuo & imaginatione perturbata, plurimum questi sunt, interim cibos copiosè appetere, ac ingesta quævis sine ventriculi molestia aut gravamine, etiam absque sputatione, aut ructu acido, digerere solebant. Quinimo observavi alios bibaces, & mala victus ratione utentes, stomachi flacciditatem cum dyspepsia, & crebra vomitione contraxisse, qui circa præcordia & facultates animales satis sani, pro hypochondriacis haud omnino habebantur. Præterea in hoc affectu ventriculus sæpe potius aliarum partium, aut sanguinis vitio, quàm propria culpa laborat; quippe usitatum est ejusmodi ægrotos, quandiu in lecto compositi multùm perspirant, circa stomachum rectè habere, cùm verò excitantur, poris occlusis, & massæ sanguineæ fæculentia intus restagnante, statim cardialgia, flatuum aggestione, & crebro vomendi nixu affici &c. Alii quorum meminit Galenus huncce morbum in pyloro inflammato collocant, unde alimenti ad intestina statuto tempore delapsus intercipitur. Alii in jecore præcalido stabulantes apud se humores exurente, cibosque ante absolutam chylosim & rapiente & præassante (quæ opinio omnino jam futilis est, in hodierna sc. anatomica luce) Alii in liene genuino, ut credunt, fæculenti humoris domicilio, è quo etiam Willisius vitium sanguini communicari asserit, quod in cerebrum, per circulationem elatum, nerviique exceptum vellicationes & spasmos pariat. Alii in mesenterio, pancreate, arteriis mesentericis & cæliacis, illisque præcipuè quæ per omentum sparguntur, mali mineram ponunt. Sed enim quid opus est tam anxiè morbi hujusce sedem radicalem primariumque & genuinum focum in parte aliqua exquirere, siquidem sæpissimè plurium functiones perturbantur, non à labe altius ipsis impressa, sed ab acriore sanguine & succis ipsas perluentibus. Sic Glissonius, Borrichius, Highmorus, sectos hypochondriacos, omni lienis vitio carere observarunt, qui in omento, ventriculo, mesenterio, pancreate &c. læsi deprehendebantur; Nos verò quosdam omnis prorsùs in visceribus labis immunes hisce in passionibus adnotavimus. Interim tamen si parti cuipiam primariò accensenda veniat culpa, ventriculum cum Diocle, Highmoro atque Ettmullero incusabimus, nec contra id satis faciunt rationes à Willisio allatæ, quandoquidem etiamsi præ fermenti stomachalis aciditate intensiori, quibusdam hypochondriacis familiari, alimenta copiosa ingesta subito satis alterantur, irritationeque per salium spicula in fibras ventriculi inducta, foras continuò amandentur, non sic tamen ventriculi fibræ minus laxæ, aut alimentum per earum spasmos potiùs quàm naturalem contractionem, quasi elisum, minùs indigestum credendum, sanguinique iis qualitatibus pravis insinuandis, de quibus Highmorus, minùs aptum. Tandem verò posteaquam choream in hoc affectu duxit stomachus, in eo confirmatur à sanguine & succis vitiatis, sicque pro morbo & continuando & augendo sibi invicem suppetias veniunt ventriculus & varii succi.

Causa ex mente Veterum est bilis atra, & ut, inquit, Menjotius quasi cinefacta, promiscua tamen omnigenorum humorum farragine; à quo heterogeneorum, ut addit, ac sibi controversorum humorum confusione atque anarchia, tumultus atque strepitus moventur intra præcordia, ac symptomata à se ipsis dissidentia sobolescunt; sicut per sævissimas æstatis torridæ tempestates, turbulentus fit nigrantium nimborum, coruscantium fulgetrorum, & crepitantium grandinum, simul cum furentibus ventis concursus. Verùm non satis est humorem atrabilarium pro causa morbi flatulenti adduxisse, concursumque varium ipsum in tumultus agentem magnificè descripsisse, videndum quale sit illius humoris genium, & quomodo cum aliis succis heterogeneis tam facile effervescat atque effervescendo, symptomata mali hypochondriaci tam varia quasi alter Protheus tam facilè induat, Quod Veteres bilem atram vocitabant in liene aggestam, recentioribus est succus acidus & austerus in toto sanguine, imo & lympha, atque ipso nervorum humore aggestus; non mirum itaque si succus ille non tantum varios dolores & lancinationes per spicula sua faciat, verùm etiam succis aliis lixivialem acrimoniam contractis occurrens, vel viscera & partes musculosas quibus illi suam vim impressere, perluens, in effervescentias cieatur, quæ pro varia partium & viscerum ubi peraguntur indole, variisque sic perturbatis functionibus, symptomata innumera producere aptæ sunt. Effervescentiæ autem illæ non dispari oriuntur ratione à concursibus memoratis, quàm videmus spiritum terebinthinæ, oleo vitrioli, aut spiritum vini rectificatissimum, spiritui nitri admistum subitò & ad minimum calorem cum tumultu fermentescere, imò explosionem quasi facere; non itaque opus est de retorrida materia, aut calida viscerum, ac præcipuè jecoris intemperie, pro ventris calore, hypochondriorum æstu, imò & plantarum pedum atque volarum manuum ardore explicando, multis hac affectione laborantibus, satis familiaribus, verba facere; natales enim suos jam explicatis effervescentiis debent. Non opus est præterea in alvo eorundem adstricta, calorem excrementa retinentem & assantem incusare, cùm illud potiùs referendum veniat stipticitati succorum per canalem pancreaticum, variaque glandularum intestinalium orificia eructatorum, & insuper penetranti eorundem vi qua excrementi salino terrestriores etiam partes fundunt, secumque & per lacteas, & per alia à quibus imbibuntur vasa, in sanguinem, & liquorem nerveum acrimoniam ipsorum sic aucturi deducunt. Verùm quid ulteriùs hisce immoramur, quæ ex signis morbi diagnosticis mox afferendis, satis patescent; superest tantum dicamus illud omne demum mali hypochondriaci causam fore quod ventriculum certa quadam ratione debilitet, variamque succorum acrimoniam inducat; quod præterquàm quòd ab alimentis inflantibus atque limosam gravitatem inferentibus, aut acida qualitate præcordiis infestis, perfici potest, non immeritò etiam tribuitur, spirituum, succos edulcorantium, ventriculumque animantium, depauperationi, à meditationibus protractis, pernoctationibus assiduis, inediis ac jejuniis, laboribus vehementioribus, effusis libidinibus, venere nimia, hæmorrhagiis abundantioribus, morbisque chronicis, summo cum ægrotantium tædio, prægressis. Adde corporum ad huncce morbum dispositorum habitudinem, juxta Hippocratis verba ex editione Charteriana; sanguineum & aliquatenus biliosum acidos ructus excitat. Fortassis autem ad

atræ-

atræ bilis orbum hisce desinet. Quæ Menjotius sic reddit; Sanguinei & aliquantulum biliosi, acidis ructibus conflictantur; atque adeò verendum ne in morbum nigrum desinant.

Quidam affectionem hypochondriacam dirimunt, in *hepaticam*, *splenicam*, & *mesentericam*, quibus alii addunt, *stomachicam*, *pancreaticam*, *hystericam*, *hæmorrhoidalem*, & *phantasticam*, verùm sine necessitate, quandoquidem hisce unus & idem affectus, in hac vel illa parte vim suam magis, aut minùs exerens, denotatur, nec primarius ipsius nidus radicalisque origo explicatur. Differt à Melancholia Hypochondriaca quòd hæc metum & tristitiam perpetuos habeat comites, rationemque pessundet, cùm contrà morbus hypochondriacus loca quæ sapere homini ministrant nullatenus attingat, dum propriis sc. continetur terminis. Itaque hic per transennam cum aliis advertimus, Dioclem malè à Galeno carpi, quòd symptomata istius ægritudinis enarrans de metu ac tristitia siluerit, quandoquidem cùm hæc adsunt phænomena, morbus non jam passionis hypochondriacæ, sed melancholiæ hypochondriacæ nomine indigitari debet. Differt præterea à Scorbuto tanquam minus à majori. Affectio enim Hypochondriaca est quasi scorbuti mater, seu potius scorbutus adhucdum in cunis degens; aucta sc. acrimonia, & debilitatibus affectionem hypochondriacam parientibus scorbutus enascitur legitimus.

Passio Hypochondriaca multifariis nobilitatur symptomatis, unde signa ipsius diagnostica in immensum propè succrescunt, non enim unus tantùm venter ab ea afficitur, sed per illos omnes præter quàm vagatur, in habitum etiam corporis vim suam exerit. Hæc breviter quantùm fieri poterit, perlustremus, postquàm admonuerimus ea omnia non in eodem individuo, sed in pluribus tantùm sparsa reperiri.

Hypochondrii sinistri minus sæpe dextri, quandoque præcordiorum in genere æstus affligit, qui se magis exserit calidioribus ingestis, aut cùm corporis exercitio agitantur humores; tum etiam tota facies rubore suffunditur. Arteria cæliaca, ipsaque aorta dorsum perrepens vehementiùs pulsant, quod Medico contrectanti facilè fit obvium. Flatulentus tumor totum abdomen cum dolore, præcipuè post cœnam distendit. Flatus hi præterquàm quòd diaphragma ad suffocationem propè interdum comprimunt, magno cum impetu, & miro quodam boatu etiam eructantur, idque cum levamine. Ventriculus omnium maximè vexatur, cibos ingestos malè coquit, & in materiam aqueam, acidam, ponticam, austeram, aliásque acrem, atque etiam viscidam immutat, unde vellicationes variæ atque cruciatus, præcipuè in ejusdem ore toto nervis consito, ut & flatus, qui, vel inter visceris membranas conclusi, eas quasi dilacerant; vel intra ejusdem sinum exspirantes, exitum non adinveniunt, arctato sc. duplici ventriculi orificio ab immoderata ipsius dilatatione, quomodo videmus urinæ copiam vesicam magnopere distendentem constricto ejus collo ischuriam parere; inde dolor ad dorsum usque porrigitur, imò ad lumbos aliquando descendit nephritidem mentiturus. Sitis quandoque ægrotantes excruciat, vel etiam prorsus abest ob seri aquosi spuitionem confertam fauciumque inde factam eluitionem; quidam meribibuli, alii hydropotæ sunt. Quibusdam ab acido exaltato voracitas provocatur canina, aliis exuperantibus viscidítatibus appetentia ista disjicitur, ut eos omnium alimentorum tædeat. Vomitus est nunc inanis, nunc verò aqueus, pituitosus, fellosus, ferruginosus & niger, atque interdum ita acidus ut ex eo dentes stupescant; quæ aciditas in saliva etiam quandoque tam intensa est ut eundem stuporem pariat, imò quandoque eadem saliva acrimonia prorsus diversa peccans saporem piperis, aut aromatum acriorum in totum os effundit. Cibos si non corruptos, saltem inconcoctos ægri sæpius vomitu remetiuntur, ac regustant, in ruminantium animalium censum propterea quasi accensendi. Alvus adstricta est & pigra, non quod per ptyalismum & incendium viscerum excrementi absorbeatur humor, sed propter rationes suprà allatas; fæces plerumque nigræ, terrestres, limosæ, & quasi argillosæ, pituita tenaci & viscosa permistæ. Urina nunc aquea & tenuis est, instantis paroxysmi signum, nunc turbida, crassa, rubra, acris, & fœtida, cum arenulis rubris matulæ parietibus adhærescentibus. Ad venerem sunt proni, à sale enim ut plurimùm sunt salaces, seu à pruriente sero genituræ immisto partes genitales non parum excitantur. Novi tamen quosdam in quibus terrestrius quid penis spongiosis corporibus, ut & testiculorum vasis impactum non tantum inertiam & flacciditatem, impedito spirituum & sanguinis appulsu, sed etiam urinam difficilem per compressionem inde in radice urethram faceret. Pulsus nunc durus, nunc concitatus, nunc tardus & frequenter intermittens. Cor subinde palpitans & quasi tremebundus, unde crebræ animi defectiones, viriumque dejectiones præcipuè ubi de objecto vel minimùm insolito agitur. Ægri de œsophagi angustia, & asperæ arteriæ arctatione suffocante conqueruntur, propter vapores austeros à ventriculo elevatos, lymphamque & succum nerveum stiptica acrimonia peccantes, atque nervos & musculos laryngis & pharyngis ita angustantes ut laqueo constricti videantur, quod in suffocatione hypochondriaca, falsò hysterica nominata, præcipuè solet contingere. Adest caligo oculorum, puros non admittentium soles, aurium tinnitus, vertigo, quandoque dolor capitis immanis, aut gravitas, pervigilium, aut somnus ab insomniis terrore plenis perturbatus, præsertim post mediam noctem. Memoria in quibusdam aboletur, in aliis loquela deficit, aut impeditur, imò motus tum animalis tum naturalis torpidiùs atque difficiliùs peragitur; unde lassitudines spontaneæ. Dolores in extremis digitis, ac formicationis sensus & stupor excitantur, cutisque integra prurigine & punctionis sensu, quem quandoque subsequuntur maculæ, fatigatur. Corpus universum, sed præsertim facies fugaci rubore suffunditur, cujus materia in sudores putentes citò resolvitur, à quibus molesta interdum procreatur pediculorum turba. Sed quod in hujusce affectionis signis præcipuè advertendum venit, est varietas pathematum, unde alii certa victus ratione gaudent, quæ aliis omnino nocet, alii ab eodem medicamento levantur, quod aliis est perniciosum, imò aliquando eidem individuo uno tempore non leviter obest, quod alio non parum contulit.

Difficilis est admodum curatio mali hypochondriaci, idque eò magis, quò magis invetera-

tum

tum fuerit, & si exacta non observetur diæta. Præterea ejus medela nullatenus fida est, nã ut ingeniosissime Menjotius, superstite vel minimo fermento morbus post aliquot menses παλιγγενεσίαν, ac ipse sibi quasi superflorescit, extinctaque parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt: idcirco hic, aut nunquam alias, Medicis prudentibus opus est, expugnato longa quasi obsidione hypochondriaco morbo, cautum Ulissem imitari qui post eversam Trojam Astyanactem Hectoris filiolum è turri in præceps dedit, ne eo duce bellum in posterum instauraretur. Itaque non immerito Tachenius in suo de morborum principe libello. Hoc autem productum (sc. hyppochondriacum) medicinis purgantibus non auscultare, multoque minus producti fabrum sive fermentum, quilibet medicinæ ingenuus practicus mecum sine dubio fatebitur, hinc natum tritum illud inter medicos; ab hypochondriacis non solventibus libera nos Domine. Quotiescunque enim, etiam dato quòd productum æruginosum excrementum, evacuatione foras pellatur, illico novum, fabro sc. relicto regenerante, succenturiatur.

Morbi hujus paroxysmus qui per se ingruit, deterior existit, quam qui forinsecùs ab ira, clamore, motu, aut ingestis concietur; item cujus finis integer non est.

Urinæ aquosæ, crassior præfertur; imo ut alvi laxitas moderata, vomitus cum εὐφορία, narium hæmorrhagia, hæmorrhoidum apertio, varices, mensium profluvium, ita etiam urinæ nigræ sæpe morbum solvunt. Splenicis præterea, ex Hippocrate, dysenteria superveniens, bono est; *at ipsa diutius perseverante*, hydrops aut lienteria supervenit, atque ægri, *exhaustis viribus* intereunt.

In splenicis propter malitiosam humoris indolem suspecti sunt quilibet decubitus, inde enim maniæ, epilepsiæ, convulsiones, & ipsa quandoque apoplexia excitantur.

Persæpe remediorum priùs administratorum absoluta cessatio, hypochondriaco morbo afflictis fuit salutaris, natura enim, ut habet Menjotius, sic præsidiorum tædio liberata, fractas afflictasque vires refovet, quibus morbum curatione anteacta jam tentatum profligat; neglecti enim morbi, ut habet Aëtius, sæpe fiunt leviores, mirumque ad aliquid conferre negligentiam.

Hippocrati, morbus siccatorius, qui proculdubio hypochondriacus, affectus diuturnus existit, & senescentes, si ita visum est, deserit; sin minus cum ægro commoritur. Quam eandem habet de morbo ructuoso prognosin.

Indicationes præcipuæ stomachum respiciunt, qui sc. evacuandus & ejus fermentativus liquor temperandus atque volatilisandus, & digestio naturalis quantùm fieri potest restituenda. Adnitendum præterea vitiosos humores & acrimonia qualicunque, sed præsertim acida peccantes, sive in visceribus hærentes, sive cum sanguine commistos, sensim corrigere & blandè educere.

Curationis basis est secundum plures Practicos in vomitu, quò ventriculus ab onere suo commode levatur, & à cruditatibus acidis & nidorosis liberatur; purgantia verò validiora non ita bene cedunt, quin potius nocent, per invecta tormina aliaque symptomata; interim alvus servetur libera remediis usualibus atque lenioribus, pilulis v.g. tartareis Bontii, de ammoniaco Quercetani, Elixyribus purgantibus ac præcipue volatilibus, quæ non uno nomine arrident, quandoque clysteriis quorum materiam non opus est hic addamus, & aliis id genus, mutatis sæpius auxiliis, ne eorum uni nimium assuescat natura. Hisce purgantibus lenioribus adhibendis alterantia etiam possunt adjungi, eumque in finem, tum vina, tum syrupi, tum marmeladæ, tum confectiones, tum infusiones, variæ compositionis parari.

Chalybs præterea maximè commendatur tanquam deobstructivum efficax, cujusque vis in acido infringendo valde est probata; interim tamen quandoquidem varia est morbo hypochondriaco laborantium constitutio, & temperies, advertendum cum Willisio, si eorum sanguis crassus sit, particulisque terrestrioribus, fixis, & sub frigidis prægnans, cum viscerum inde enata obstructione, medicamenta è chalybe parata exquiri. At si sanguis sit fervidus, seu per salium variorum ad fusionis statum devectorum conflictum, perpetuò quasi fermentescens, atque præcordia & inflans, & vellicationibus dolorificis affligens, remedia indicari fervorem sedantia, fugienda verò quæ chalybem admistum habent, ne sic ulteriùs commoveatur quod sedandum potius est. Advertendum etiam cum Tachenio circa chalybem quod nisi excrementa ab illo tingantur, temerè non sit exibendus, quia tum non reperit idoneum humorem qui illum solvat.

Lac atque lacticinia omnia, non parum prosunt, dummodo iis ferendis sit æger, corpusque ritè priùs præparatum, nam præterquam quòd acredinem humorum, temperant, corpus exquisitè enutriunt, imò corrigendis, seu temperandis antiscorbutiis acrioribus, in morbo hypochondriaco necessario quandoque exhibendis, mirè inserviunt.

Diuretica & sudorifica in subjectis etiam propensis, cautè administrentur, ne sic scilic. sanguinis tonus per fusionem jam inchoatam ex parte depravatus, ulteriùs collabatur; fibræque aliàs attritæ enutriendi corporis officium oblitæ, unà cum sero eliminentur. Sed quam maximè à mercurialibus abstinendum, ne inde orta salivatio periculosissima inferat symptomata, quod non semel vidimus, nec mirum erit iis qui salium morbo hypochondriaco familiarium spicula norunt, quàmque facilè terrestriore, imò ponderosiores eorum particulæ, mercurii vi in corrosivum quid & perniciosissimum sublimentur. Qua de re vide in sequentibus observationem notatu dignissimam.

Aquarum mineralium melioris notæ, & præcipuè earum quæ marte & lixivialibus impraegnantur, aut etiam bituminosum quid & balsamicum nitro admistum redolent, usus proculdubio erit proficuus, sic enim non tantùm sanguis, lympha &c. exagitantur variaque fermenta ipsis admista excutiuntur, sed etiam viscera quasi everruntur, acorque ipsis innidulans è latebris suis magna vi educitur, atque salia in succis restitantia, novis turbis per sui exaltationem excitandis parata, innocuam induere coguntur naturam. Revera tamen, sicut vasa quæ aceto continendo fuere adhibita, etiamsi summa diligentia lota, fermentum quàm obstinatè conservant, liquoribus immissis propria qualitate imbuendis, idoneum; sic & de visceribus, semel humore hypochondriaco

driaco imbutis meritò dici debet, *quo semel est imbuta recens servabit odorem, testa diu.* Nec ita fidendum sopitæ acrimoniæ quin continuò ipsi invigilandum sit; (ut suprà jam adnuimus) & quod maximè advertendum, cùm quibusdam aquis, aciditatem sanguinis extinguere annitimur, sæpe vitando scyllam in carybdim cadimus, sc. exsuscitata acrimonia lixiviosa; (ut aliquando mihi videre contigit) non enim acidum ita omnium morborum parens dici meretur, quin sæpissimè, lixiviosum ipsi prædominetur, à quorum varia combinatione, variisque exaltationum gradibus, salsedines innascuntur non unius sortis, sed pluribus symptomatis in hanc aut illam partem inducendis habiles.

Venæ sectiones præter illas quæ per sanguisugas mariscis affixas perficiuntur, aut ad præparandum corpus aliis remediis sobriè præmittuntur, multùm sanè non arrident; causæ enim per eas non occurritur, imò salium motus, sic facilior, variis concursibus indeque enascendis effervescentiis, ansam præbet.

Remediis majoris momenti jam lustratis superest ut de alterantibus quibusdam, imò specificis, uno verbo agamus. Inter alterantia reperire est varias radices, armorac. aron's, filicis, helenii &c. Herbas absinthii, chamædryos, chamæpith. cichorii, agrimon. fumar. centaur. min. aliaque amara, unde extracta, & essentiæ confici, imò salia erui commodissimè possunt. Tanquam diureticum insigne facit sal restitans in destillatione sal. ammoniaci cum sale tartari, item varia è tartaro parata, tum fixa, tum volatilia, tartarus vitriolatus, ut & solubilis, atque chalybeatus, terra foliata tartari, arcanum duplicatum Mynsict. tinctura tartari antimoniata, tartarique spiritus ac præcipuè sal volatile, volatiliaque alia omnia quibus hocce in morbo oppugnando vis inest quasi specifica, atque ea propter variis, tum purgantibus, tum alterantibus amaris in elixyria, aliaque id genus utiliter commiscenda, imò quandoque, sic exigente morbo, in tertium quid per sui cum acidis aptis unionem, commutanda, quale quid productum est mistura simplex cum volatilibus generosioribus, spiritu nitri &c. parata, cujus efficaciam non satis laudare possumus.

De variis martis præparationibus, ut & de spiritibus è cochlearia, mentha, aliisque eliciendis; de terra martis præparata aliisque pluribus, imò de diaphoreticis ex antimonio & marte, atque jovialibus, &c. non est quòd pluribus hic agamus, ut nec de emplastris stomacho atque lieni applicandis &c. Sic enim in immensum excresceret hoc caput, atque etiam plura circa hæc videri poterunt in consultationibus & observationibus mox afferendis.

Curationes, Consultationes, Observationes, & Cadaverum Anatomicæ Inspectiones è variis Auctoribus.

Curationes.

Affectionem hypochondriacam incipientem, vel simplicem, plerumque curat vomitus; nominatim ex aqua benedicta Rulandi procuratus, hac nimirum ratione saburra ex ventriculo & vicinioribus partibus eliminata faciliorem reddi curam, quæ tota insumenda est in obstructionibus, si hæ viguerint, demoliendis.

Aperientia itaque cremor tartari, tartarus vitriolatus, vinum Mart. pulvis cachecticus, vel præmittenda sunt vomitionibus instituendis, vel iisdem postponenda. Utrobique prudentia Medici hìc desideratur, à qua cùm pendeant omnium curationum momenta, sæpè perit omnis felicitas, nisi illa cautè & religiosè, & cordatè subsit.

Purgantia in hoc primo casu præter vomitoria sunt cholagoga & melanagoga, pulvis sennæ laxativus, extractum rhabarbari, mechoacannæ, panchymagogon Crollii, extractum ellebori nigri, item mercurius dulcis, hic multùm prosunt, à quibus evacuationes sæpiùs si opus est institutæ laudabiliter proficiunt. Sic extractum pilularum de ammoniaco hic quoque unicè præstat.

Ad mitiganda symptomata, quæ plerumque fiunt à flatibus distendentibus præcordia, & in cerebro spiritus animales lancinantibus, faciunt corroborantia nobiles illas partes, si diutiùs, quam par est & ipsæ obstructiones durant, suntque magisterium & sal corallorum & perlarum, lapis bezoar, tinctura corallorum, elixyr proprietatis, item oleum croci. Hæc nimirum singula cor & cerebrum roborant: cerebro inprimis tinctura lunæ in hoc casu utilissima est.

In confirmata affectione hypochondriaca, si leviora ista minùs locum habere possunt, præmittenda tamen sunt, nec vomitus formidandus.

Experientia deprehensum est aperientia ista quandoque profuisse, & acerbum malum sustulisse: Recidivam tamen per intervalla redeuntem & graviter affligentem, radicem ex toto non averruncant.

Eadem ratio est in acidularum usu quotannis instituendo aliqualem viscerum apertionem causantium, sed morbum ipsum non penitùs tollentium. Operæ pretium itaque est, ut in subsidium affectionis hypochondriacæ confirmatæ curandæ talia accersantur remedia, quæ funditùs radicem morbi evellant: sic ℞. aquam philosophicam, seu sp. vini tartarisatum in convenienti liquore à minima dosi ad maximam usque (à gutt. 1. 2. 3. 4. justa dosi, ad 8. & 12. ascendendo, quotidie gutt. 1. interdum pro ratione circumstantiarum in eadem dosi persistendum) quotidiè exhibitus, præmissis tamen illis lenioribus & parùm proficientibus, funditùs curat. Idem præstat extractum pilularum Ammoniacar. de quo suprà; cujus si detur quotidie ℈ j. vel etiam (interdum per dies gr. j. augeri potest ad ʒ j.) si opus est, per dies 12. vel 14. 2. horis ante cœnam, sumpto post horam jusculo, operatio admodùm fœlix subsequitur.

Nobis sæpe usu venire solet, ut ab exhibitione horum præsertim solutis obstructionibus internis viscerum alvus ita proritetur, ut quasi dysenteria subsequi videatur. Tunc providendum erit corroborantibus istis suprà enumeratis; præsertim tincturâ corallorum & elyxire proprietatis. Interim respiciendum quoque fuerit in hoc casu ad legitimè directam diætam, sine qua nulla penè potest esse felix curatio.

Venæ sectiones in morbi statu præsertim salvatellæ magnum adjumentum præstant. *Joann. Hartmann. Practic. chymiatr.*

Si

Si in ullo loco vel affectu variant symptomata, certè variant in malo hypochondriaco. Dicitur quoque *Tartar. Hypochondriorum*.

Si diutiùs durat, degenerat in Scorbutum, *novi experimentum* quòd humor ab hypochondriacis, per vomitum rejectus in pelvi in vitriolum concreverit, imò lintea corroserit. Clysmata ad alvum adstrictam hîc commendantur, hæc enim inprimis debet esse aperta. Vomitoria conveniunt non adeò fortia. Prosunt rad. filicis, polypodii, flores borragin. buglossæ genistæ, succus pomorum borstorffianorum. In hisce possunt infundi purgantia. Conveniunt hic quoque tinctur. tartar. antimoniat. essentia fumariæ aperitiva, tinctur. vitrioli martis Zvvelf. Acidulæ quò plus de marte participant, eò sunt præstantiores. De usu verò acidularum *vide Sebysium*. Si adsit ulcus in liene vel omento, vel ventriculus sit admodum debilis, tunc acidularum usus non convenit, nisi ventriculum roborantia simul adhibeantur. Cassia non prodest, quia flatulenta, neque myrobalani, quia post se adstrictionem relinquunt. Optimè in hoc affectu usurpantur extracta catholic., Andernaci, Crollii. Præprimis autem hîc valent medicamenta martialia. Multi Medico-Chymici clarissimi utuntur hic feliciter terrâ quæ reperitur circa mineram martis, cùm participet de marte & multa præstet in obstructionibus mensium. Potest in marmore lævigari cum aquis appropriatis. Apprimè quoque hîc convenit elyxir proprietatis. Item medicamenta ex tartaro. *Si hæc affectio sit per consensum à ventriculo*, prosunt pilul. hieræ cum agarico. Item pulvis stomachicus Quercet. sal absynth. chrystallinum, sal stomachale Mynsichti. Diaspoliticon Galeni verò in malo hypochondriaco & melancholiâ hypochondriacâ cum cruditate ventriculi singulare arcanum est, quò plurimi hypochondriaci ad extremam maciem redacti faciliter curati sunt, teste *Fabro* & *Bartholeto*. Præcipuas autem vires hic pulvis obtinet ab ingrediente sale, quod in flatibus & ructibus sistendis singulare est remedium. *Si oriatur ab hepate* per consensum, serum lactis porrigi potest cum spiritu vitrioli martis spiritu tartar. vitriolat, vel clysso vel succis herbarum specificis. *Si ab utero* oriatur præparantibus medicamentis addatur fæcula ari, vel bryoniæ. Purgantibus verò radix bryoniæ & aristolochiæ. Item fiant noduli ex herb. melissæ, matricariæ, pulegii, mercurialis. *Si oritur ab obstructionibus hæmorrhoidalis fluxûs* alias consueti, conveniunt pilulæ aloëticæ. Item frictio cum fol. ficûs.

Digestiva ergo & purgantia dirigenda sunt ad partem mittentem, sive ad hepar, sive lienem, sive uterum. Vel possunt præscribi medicamenta, quæ simul aperientia sunt & purgantia; vel manè purgantia & vesperi aperientia prosunt. Quod si enim digestiva nulla adhibeantur, creatur dolor colicus ob materiæ pertinacitatem. *Si malum est contumax*, interdum per tres vel quatuor dies præmittantur digestiva, & prosunt hoc loco martialia, ut crocus martis aperitivus cum sale. Salia enim laxant & valdè penetrant. Digestiva ℞. *tartar. chalyb.* ʒiij. *facul. aronis* ʒ j. *div. in* 3. *part. æquales.* ℞. *croci mart. aperitiv. cum salibus* ʒ vj. *pulv. cach. Quercet.* ʒ ij. *D. in octuplo.* ℞. *sal. hypochondr. gr.* x. *D. in quadruplo*: præparatur hoc sal hypochondriacum ex sale armoniac. & sale tartar. ℞. *claret. chalyb.* ℥ viij. *syr. de* 5. *rad. aper.* ʒ ij. ℞. *aq. filicis, cuscutæ, cichor. agrimon. ana* ℥ ij. *syr. de* 5. *rad. aper.* ℥ ij. *essent. mart. liquid.* ʒ iij *tinctur. tart.* ʒ ij. *misce.* Sumitur duabus horis ante cibum. ℞. *aq. aperit. usit.* ʒ vj. *syr. de* 5. *rad. aper.* ℥ ij. *sp. aperit. Pen.* ʒ ij. *misce.* Purgantia ℞. *Rad. gram. filicis, asparagi ana* ℥ß. *herb. cuscut. eupator. fumar. agrimon. ana m.* j. *flor. cichor. bellid. genist. ana p.* iij. *Rhab. monach.* ℥ i ß. *rad. polypod. helleb. nigr. ana* ℥ j. *esul. præp. Jalapp. ana* ℥ß. *zedoar. Galang. Cort. aurant. ana* ʒ ij. *vel* ʒ iij. *sem. anis.* ʒ i ß. *crem. tartar.* ʒ iij. m. f. nodulus. ℞. *Rad.* 5. *aper.* ʒ iij. *flor. cichor. genist. bellid. ana p.* iij. *limatur. martis* ʒ iv. *passul. min.* ℥ ij. *cinam. elect.* ʒ iij. *caryophyll. macis, ana* ʒ j. *fol. S. S. S.* ℥ j. *rad. helleb. nigr. præp. polypod. gialapp. esul. præp. ana* ℥ß. f. nodulus. ℞ *M. pilul. tartarear. Quercet.* ℈ i ß. *de ammoniac. ejusd.* ℈ j. *extract. helleb. nigr.* ℈ß. *scamm. sulphurat. gr.* viij. *cum tinctur. tartari f. l. a. pilulæ instar pisorum minorum.* ℞. *M. pilul. tartarear. Quercet.* ℈ j. *extract. helleb. nigr. gr.* vj. *resin. jalapp. gr.* v. *cum essent. fum.* fiant pilulæ pro j. dosi. ℞. *M. pilul. de fumaria* ℈ j. *extract. helleb. nigr. gr.* vj. *scamm. rosat. & sulphurat. ana gr.* vj. m. f. pilul. pro dosi. ℞. *m. pilul. tart. Quercet. & de ammoniac. ejusdem ana* ʒ j. *aloës rosac. multipl. infus. extract. martis ana* ℈ ij. f. l. a. pilulæ cum essent. aperit. instar pisorum minorum ℞. *pulv. cathol. purg.* ʒ j. *croc. mart. aperit. cum salibus* ʒ iij. Dos. à ℈ j. ad ℈ ij. ℞. *syr. laxat. fumar. compos. ana* ℥ ij. *extract. helleb. nigr.* ʒ ij. *in aq. cinnam. vel borrag. dissolut. scamm. rosat.* ℈ j. *essent. mart. liquid.* ʒ ij. *tinctur. tartar.* ʒ i ß. *aq. aper. usit.* ℥ j. misce. Dosis 1. vel 2. cochlearia duabus horis ante cœnam vel prandium. ℞. *fol. senn. S. S.* ʒ iij. *rad. helleb. nigr.* ʒ j. *flor. cichor. genist. borrag. bugloss. ana p.* j. *rad. gramin. filicis, ana* ʒ iij. *crem. tart. albissimi* ʒ j. *infund. in s. q. aq. fumar. & cuscut. per noctem, manè ebulliant ad dissolutionem tartar. colat. adde syr. de pom. laxat.* ʒ vj. misce pro j. dosi. ℞. *extract. helleb. nigr. scamm. rosat. ana gr.* viij. *syr. de pom. laxat.* ʒ j. *aq. cinnam. borrag. ana* ʒ ij. *essent. mart. liq.* ʒ j. *tinctur. tartar.* ℈ j. misce. Clysmata inhibent vaporum adscensum ad cor & caput, unde palpitationes cordis proveniunt. ℞. *herb. fumar. cuscut. epithymi, flor. cent. minor. ana m.* j. *chamomill. Rom. p.* iij. *cord. ana p.* j. *rad. filicis, rhab. monach. ana* ʒ j. *polypod.* ʒ vj. *helleb. nigr.* ℥ ß. *sem. carui, cumin. ana* ʒ i ß. *coq. in s. q. seri lactis, col.* ℞. ℔ j. *in qua dissolve elect. cathol.* ℥ i ß. *de baccis lauri* ℥ ß. *sal. nitri cum antimon. fixat.* ℈ ij. *vitell. ovor. n.* j. f. l. a. enema. ℞. *Decoct. emoll. carminant. ana* ℔ ß. *in quibus dissolve elect. diacath.* ℥ i ß. *hier. picr.* ℥ ß. *extract. helleb. nigr.* ℈ j. *vitell. ovor. n.* j. m f. enema pro duabus dosibus. ℞. *Decoct. flor. & fruct. aperit. ana* ℔ i ß. *in quibus dissolve confect. hamech.* ℥ j. *sal. nitri cum antimon. fixati* ʒ j. *ol. still. lauri gutt.* IV. f. enema pro 2. dosibus Confortantia & aperientia: ℞. *Elyx. propriet. Sennerti cum succo hed.* ʒ vj. *sp. aperit. Penoti* ʒ ij. m. dos. gutt. 30.

℞. *Essent. fumar. cum mart. liquid. ana* ℥ ß. *m. dos.* 30. 40. *vel* 50. *gutt.* ℞. *tinct. mart. Zvvelferi de fum. comp. ana* ʒ iij. *m.*

℞. *tinctur. tart. mart.* ʒ vj. *dos. gutt.* 20. ℞. *tinct. tart. antimoniat.* ℥ ß. *dos.* 20. *gutt.* ℞. *essent. carminat. aperit. ana* ʒ iij. dos. gutt. 30. ad 50.

℞. *eboris sine igne par.* ʒ ij. *facul. aron.* ʒ j. *pulv*

cachet. Q. ℥iij. *dos.* ʒß. ad ʒj. ♃. *Conserv. fumar. flor. cichor. meliss. ana* ℥j. *eboris sine igne* ʒiß. *spec. diarrhod. diatrion. santal. ana* ʒj. *croc. mart. aperit.* ʒiij. *confect. alkerm.* ʒj. *syr. meliss. q. s. c. s. q.* Sacchar. *in aq. agrimon. solut. f.* rotulæ confortantes ventriculum & aper. hepar. dos. 6. vel 9. In malo hypochondriaco stomachico.

♃. *Pulv. stomach. Quercet.* ʒiij. *sal. stom. Myns.* ʒj. m. ♃. *eboris sine igne* ʒij. *fæcul. aron.* ʒiß. *epat. rubr.* ʒj. misce dos. ʒß. vel ℈ij. ♃. *eboris sine igne* ʒij. *fæcul. aron.* ʒj. *sal. absynth. chrystall.* ℈ij. m. ♃. *sp. mastiches* ʒiij. *aperit.* ʒij. m. dos. ℈j. ad ʒß. ♃. *essent. menth.* ʒiij. *sp. mastich.* ʒiß. *sal. mart.* ℈j. m.

Externè convenit emplastrum stomachicum Cratonis, quod, si ructus adsint, misceri potest cum tertia parte empl. de bacc. lauri & malaxari oleo chamomillæ, zedoariæ, oleo stillatitio rutæ, cham. absynth. aneth. Potest etiam ex his aut aliis primùm fieri inunctio & deinde applicari empl. Item possunt fieri sacculi ex discutientibus, si adsint ructus & exhiberi. In malo hypocondriaco hepatico. ♃. *conserv. flor. cichor.* ℥iß. *rad. cichor.* ʒj. *eboris sine igne* ʒij. *spec. diatrion. santal* ʒiß. *croc. mart. aperit.* ʒiij. *pulv. cachect. Quercet.* ʒj. *cum s. q. syr. de cichor.* f. l. a. electuarium. ♃. *eboris sine igne* ʒij. *spec. diatrion. santalon.* ʒiß. *sal. epat. Myns.* ℈ij. m. dos. a. ℈j. ad ʒß. ♃. *eboris sine igne, spec. diarrhod. abbat. diatrion. santal. ana* ʒj. *pulv. cachect.* Q. ℈j. *c. s. q. sacchar. in aq. agrimon. soluti.* f. rotulæ. ♃. *tinctur. flor. bell.* ℥ß. *spir. vitr. mart.* ʒij. *M. Dos.* 30. ad 40. *gutt.* ♃. *tinctur. flor. bellid.* ℥ß. *sp. pro arid. artif. ana* ʒß. m. dos. 50. gutt. in sero lactis vel cerevisia. Succus pomorum borstoffianorum cum sero lactis misceri potest & exhiberi. Serum enim lactis laxat & abstergit. *Si de vitriol. mart. aliquid injiciatur in acidulas* naturales majorem efficaciam acquirunt & in minori dosi possunt exhiberi; idem præstat clyssus, de quo *vid. Schroderus. Si ab utero*, hysterica prosunt; Item crocus martis aper. Zvv. qui potest misceri cum fæcula bryoniæ *Joann. Michaël. lib. 4. cap. 32. praxeos. Clyn Gener.*

Consultationes.

Temperamenti cholerici Juvenis annorum 21. dolores circa orificium ventriculi non adeò graves, per intervalla sentiebat: neglectis autem consiliis ac medicamentis inordinataque victûs ratione adhibitâ, tandem ita malum proserpere ac incrementa sumere passus est, ut ad extrema ferè deductus fuerit. Antea enim uti leves, ita jam insignes circa præcordia dolores, totum pectus tensione gravissimâ ad dorsum usque penetrantes, quotidie & maximè assumto cibo, non per horam 1. sed per 3. aut 4. durantes persentiebat, ita ut ferè exanimatus aliquando præ dolore jaceret. Caput doloribus non minùs punctoriis divexabatur gravissimis: Appetitus, nausea, & frequens sputatio atque evomitio materiæ pituitosæ valdè eum molestabant: symptomatibus aliquo modo remittentibus, totius corporis lassitudo aderat. Tristitia præterea, metus, atque falsa imaginatio eum miserè excruciabant. Ideò consilium atque auxilium exposcens, ad medicinam, tanquam anchoram sacram confugit æger.

Quæstio jam inter arti medicæ addictos, satis ardua agitabatur de morbi essentia, parteque imprimis affecta & causis. Multi hujus erant sententiæ, ac si ab humore melancholico ortum traherent hæc mala. Alii accusabant hepar nimis calidum quod sanguini effervescentiam conciliare, à quo, ut & à vicina bile nocivos fumos elevari, atque ad varias partes transmitti asserebant. Plurimi totam culpam in lienem conferebant & hunc sexcentarum ærumnarum authorem esse statuebant. Quibusdam mesenterium variis humorum generibus refertum malè audiebat, scaturiginem & fontem omnium morborum & nutriculam medicorum illud pronunciantes. Nonnulli ventriculum imbecillitate suâ, sive nativa, sive ascititia malè coquentem, maximè in noxa esse sibi firmiter persuadebant. Habitui ac dispositioni naturali ac vitio hæreditario, non parùm adscribendum esse, quædam pars judicabat. Alii cavitatem inter ventriculum & septum transversum, quam Hollerius foveam stomachi nominat, inculpabant. *Omnes tamen in eo conveniebant* & unanimiter conspirabant, propter varia symptomata esse melancholiam hypochondriacam, à medicinæ proceribus ita denominatam.

De parte affecta atque *causis*, ut ex prædictis satis luculenter elucescit, dissentiunt authores, ita ut si unquam, certè hic cum veritate dicendum sit, quot capita, tot sensus, ac eas bono consilio extricandas (uti Lindenius loqui amat) parlamenti ceu concilii principum ac procuratorum populi medici convocatione opus sit. Unde inter tot dissentientium authorum opiniones, *quid statuendum*, arduum revera est & difficile. De Clarissimor. enim atque experientissimorum virorum in medium allatis opinionibus judicium ferre, illasque vel approbare, vel rejicere mei nec hîc est instituti, nec mearum virium, aliis, quibus magis exquisitum est Judicium, ea relinquens; hoc saltem ad meam explicandam mentem addo, facili negotio dirimi posse controversiam, si inter causam generalem & specialem: ac inter proximam & remotam constituatur discrimen: & ita ii, qui affirmant lienem, hepar & mesenterium maxima ex parte laborare adstruunt, non adeò distare, cùm utrique habeant, quod rationi & experientiæ consentaneum videtur. Qui in hipochondriis partes, quales, sunt hepar & lien, ut & vasa harum partium, necnon præterea ventriculum & mesenterium pro subjecto colluviei hypochondr. agnoscunt, non reprehendo. Ventriculum tamen debilem relaxatum & malè coquentem præcipuè peccare, malique causam proximam constituere existimo: à ventriculo enim vomitiones, nausea, fluctus & murmura ortum petunt, & ita verè ventriculum læsum ostendunt. Ad stabiliendam meam sententiam Dioclem audiamus; sic autem ille referente Galeno l. 3. de loc. aff. c. 7. *oritur*, inquit, *alius à ventriculo morbus*, *qui ab aliis flatuosus nominatur, quem sumto cibo*, *maximè coctu difficili*, *sputum multum comitatur, item ructus acidissimi*, *flatus*, *æstus in hydochondriis*, *fluctuatio*, *non illicò, sed cum retinuerint*: *Interdum quoque ventriculi vehementes dolores, qui nonnulliis ad dorsum usque procedunt, concoctis inde cibis quiescunt, mox aliis cibis ingestis eadem revertuntur accidentia; quæ interdum à Cœna molestant atque evomunt crudos cibos & phlegmata subamara*, *calida & acida, adeò ut dentes nonnunquam torpedine afficiantur*, hactenus ille.

Temperamenta autem *cholerica*, ex quorum numero ægrotus noster, habitus quoque corporis tenuior, furori hujus mali magis subjiciuntur, quia à caloris augmento dissipantur magis spiritus & fibræ laxiores & magis flaccidæ redduntur; adeo ut assumti cibi in ventriculo ritè constringi, & dissoluti, feliciter expelli nequeant; sed in acidam, viscosam & acerbam degenerent materiam. Hanc ipsam, calor viscerum, hepatis scilicet ac lienis, magis quàm par erat, exagitans in flatus abundè resolvit, hinc malo huic obnoxii inveniuntur cholerici, ut potè qui visceribus calidioribus gaudent: viri etiam & ætas media ob calorem abundantiorem hoc magis infestantur malo, quàm fœminæ, & in prima ætate constituti. Hinc quoque fit, ut habitus etiam corporis extenuetur semper, neque pinguescant, qui malo laborant hypochondriaco.

Causæ remotiores sunt, quæcunque fibras ventriculi flaccidas & debiles reddere solent: eæque ab erroribus in diæta petuntur maximè, cibi flatulenti ventriculi tunicas ultra naturalem extensionem distendentes, ut se rursus debito modo contrahere nequeant. Naturalis etiam fibrarum laxitas & debilitas jure hæreditario à parentibus in liberos translata, & quam maximè quoque vita sedentaria ad hunc affectum generandum & accelerandum aptissima est. Plura adhuc recensenda essent, sed promissæ brevitatis memores hic sistimus gradum, atque ad curam nos accingimus: si quis autem est affectus, qui & medico & ægro negotium facessit, est certè hic præsens, ut jure opprobrium & crucem medicorum quis eum appellare posset: tentanda tamen res nobis erit, dextram salutiferam ægro porrigentes, & quibus remediis in genere iisque lectioribus curatio aggredienda sit, brevissimis indicantes: præstat enim, in eo magis laboremus, ut fideliter curemus, quàm ut subtiliter disseramus. Quia autem, ut in omnibus corporis affectibus nunquam in remediis naturalibus subsistendum, sed semper summi JEHOVÆ auxilium implorandum; ita & imprimis etiam hoc in affectu id observandum & summè necessarium est. Potentiam enim affectus Protheo mutabilioris non nescimus, nec hoc, quanta quanta etiam scientia sit nostra atque ars, Divinæ subjacere majestati, absque cujus benignitate, ne in minimis quidem agere non posse, ignoramus; etenim

Ni Deus adfuerit viresque infuderit herbis
Quid rogo, dictamnus? quid Panacæa juvant?

Sed ad curationem ipsam, in qua eò respiciendum, ut primæ viæ evacuentur, humores peccantes, præmissis præmittendis exterminentur, viscera, imprimis ventriculus, roborentur, atque urgentiora symptomata corrigantur, non neglectis viribus quarum conservationi opera detur: materiam suggerunt usitati illi fontes. *Chirurgicus*, *Pharmaceuticus*, & *Diæteticus*.

Ex Chirurgico fonte, nisi plethora adsit, aut nimius calor urgeat, venæ sectio locum vix habebit. Conveniens autem erit cucurbitularum usus, nec non hæmorrhoidum fluxus, si is, vel spontè fiat vel arte, in assueto concitetur ille: Ita nec fonticuli nec frictionum usus foret frustraneus. *Pharmaceuticus* evacuantia primò loco offert, eaque per alvum, leniora, ut sunt, ex simplic. fol. senn. epithym. polypod. Rhab. Ex compositis syrup. rof. violar. solutiv. fumar. compos. de pom. de Epithym. pilul. de ammoniaco, tartareæ, de aloë rosat. Extract. panchym. & id genus plura, inprimis autem extract. pilul. de ammoniac. ut pote in quo nonnulli omnem sanitatis spem ponunt. Pertinent huc & vomitoria initio adhibenda, modò ventriculus non sit justo debilior, & æger huic evacuationi assuetus; ex quorum numero sunt aq. bened. Ruland. sal vitriol. electuar. Diasar. Fernel. &c. Nec negligenda diuretica, qualia sunt ex tartaro parata medicamenta imprimis tinctura tartari, utpote quo unico remedio, præmissis tamen lenioribus hoc malum sæpiùs funditùs curasse gloriatur Bossertus. Habent quoque locum suum diaphoretica, antimon. nimirùm diaphoret. simpl. & martiatum. Evacuantibus præmittenda, aut cum iis jungenda sunt aperientia quorum seges passim occurrit. Primum tamen locum sibi vendicant tartarea & martialia medicamenta. Confortandis visceribus, ventriculo, præprimis, congruunt præ aliis omnia amara quæ huic amica habentur; Tonum enim ejusdem vel conservant vel restituunt, sale, quo plurimo abundant, putredini resistunt, acidos p. n. in ventriculo humores figunt, Limosos & viscosos viscerum & mesenterii vasa obstruentes humores abstergunt, & qui relaxabant fibras succos absumunt. Quo nomine quam maximè celebrantur absynthii, centaurii min. juniper. salia. Quæ cordi nec non cerebro confortando conveniunt, passim illa apud practicos occurrunt, quorsùm benevolum lectorem, brevitatis causâ, remittimus. Symptomata ventriculum infestantia mitigantur præter modò dict. confortantia etiam pulveribus pepticis moderatè calidis, inter quos hîc præ aliis excellit. ℞ *conserv. sem. anis. fœnicul. ana* ℥ *ij. cort. citr. condit.* ℥ *j. margar. corall. rubr. præp. ana* ʒß. *cinamom. acerrim.* ℈ *ij. sacchar. rof. tabul.* ℥ *iv. m. f. l. a.* pulvis. sumatur parvi cochlear. mensura à quovis pastu. Extra confortabitur idem oleo stomach. Craton. nucistæ, nardino, de absynth. Item emplastr. de ladan. Tacamahac. sacculo parato ex absynth. meliss. menth. caryophill. mac. bacc. juniper. flor. rosar. &c. Oppressiones pectoris, communissimum hypochondriacorum malum, cùm à vaporibus vel flatibus crassis, diaphragma ejusque membranam impetentibus oriantur, corrigantur Carminativis. Hinc injiciatur clyster. ex flatus discutientibus: applicentur sacculi ex flor. chamomill. melilot. sambuc. summit. aneth. & aliis; aut etiam sacculus ex avena in sartagine frixa, quàm calidissimè. Si non cedat, sitque dolor ingens, suadent nonnulli cochleare vini sublimati; aut essent. anis. aut aq. cinamom. cum jusculo sat calente, aut exhibendum Theriac. aut mithridatii momentum. Plerisque si non omnibus scopis satisfaciunt acidulæ, nec non aquæ thermales: in harum tamen usu majore opus est circumspectione. *Diæteticus* tandem *Fons*, victûs rationem observandam monstrat, quæ adeò necessaria est, ut (teste Galeno) frustrà iis præscribantur remedia, qui rectam victûs rationem servare non norunt. Est diæta reverâ ille philosophorum lapis, omnibus recommendanda, nulli metuenda sexui, quovis tempore tractanda, & cunctis morbis sine ullo subsequuturi mali metu congrua, cùm illorum non paucos ipsa sola curet.

Teste

Teste Galen. Quò sequentibus etiam schola Salernitana respicit vesiculis:

Esuriant, sitiant, qui rheumata curant.
Abstine & efficies quod medicina nequit.

Quin & sine clavo & remis navigat, qui nullâ victus ratione observatâ medicinam facere conatur. Triplex autem à modernis statuitur diæta. Naturalis, vitalis & animalis. *Naturalis diæta*, ea quæ assumuntur temperat. In assumendis ergo cibis & quantitas & qualitas accuratè observetur. Quoad quantitatem illud Hippocratis monitum, quod in 6 epid. com. 4. text. 22 jubet Galenus, studium nimirùm sanitatis esse non satiari cibis, & quod habet Avicenn. 3. num. Doctr. 2. c. 7. cum reliquiis famis surgendum esse à mensa, & hîc locum habet. Quoad qualitatem cibus omni acrimonia, salsedine atque nimia aciditate careat, concoctionis non sit difficilis, non vaporosus, nec flatulentus, aut excrementitio scatens succo. Potus sit quantitate moderatus ad frigiditatem aliquantulùm inclinet, sit defecatus, veronica, absyntho, scolopendrio, agrimonia, aliisve aperientibus medicamentis alteratus. *Vitalis* aërem purum & serenum præcipit. Animi pathemata, ut iram, tristitiam, timorem, metum cane pejus & angue, fugere jubet, ne spiritus perturbentur; potiùs ita dirigantur, quo vigori eorundem addant incrementum, quapropter tranquillitati animi studeat atque lætitiam sectetur. *Animalis* somni rationem habet & vigiliarum, motûs & quietis, excretorum & retentorum. Somno æger non indulgeat nimio, neque nimiis vigiliis, neque etiam statim post adsumtum cibum, ante duas tresve horas cubitum eat. In exercitiis corporis pariter modus servetur: Alvus quotidie muneri respondeat, si verò aliquando contingat, ut solitæ evacuationes atque excrementa justo detineantur diutiùs, medicamentis levioribus natura ad expulsionem erit provitanda. Uno verbo omnia quantùm possibile, temperentur, deturque opera, ut nullus committatur excessus. *Joan. Michael.*

Vir florentis ætatis, duris, salsis, acidisq; cibis diu assuetus, otiosus vivens, à longo tempore, modò planè inappetens nauseâ quorumcunq; alimentorum detentus, modò nimis appetens fuit, sed ingesta alimenta cum rugitu, tensione, ac dolore ventriculi ægrè tulit & digessit: per intestina quoque totumque ventrem inferiorem, plerumque tormina cum magno murmure percepit. Hæc tamen mala flatuum copiosissimorum sursùm deorsumque eruptione pro tempore multùm imminuta sunt. Subinde liquor quidam subsalsus spontè cum summa nausea vel levissimo vomitu, ab ore effluere solet, præcipuè matutino tempore, quamvis etiam aliis diei temporibus illud non raro contigerit; hoc evacuato nonnihil meliùs se habet. Nunc tandem ante mensem hæc omnia in pejus verti cœperunt, quippe vomitus frequens accessit, quo omnia assumpta magno cum impetu ejicit, quæ licet non diu assumpta fuerint, tamen valdè acida evomuntur: & quod mirandum, interdum paulò post assumptum prandium evomit duas tresve uncias solius liquoris cujusdam pellucidi, nonnihil (ut dicit) subsalsi subacidive vel austeri, omnesque assumptos cibos & potus in ventriculo retinet, quos, isto liquore evacuato, benè fert & digerit. Cùm non vomit, tunc multò molestiores sunt ventris tensiones & rugitus. Æger non febricitat, sed cogitabundus ac subtristis est, eique scorbuticæ maculæ hîc illic in cute subinde apparent, totumque corpus paulatim emaciatur.

Variæ partes in hoc ægro malè afficiuntur, præcipuè autem ventriculus, intestina, & pancreas: de ventriculo res nota est ex nausea & vomitu, ut & ex appetentia ciborum modò nimis aucta, modò nimis imminuta. Intestinorum affectio ex rugitibus, flatibus & torminibus innotescit. Affectionem pancreatis effecta docent. Appellatur hîc morbus affectio hypochondriaca, *quæ est intemperies acida pancreatis, ventriculi, intestinorum partiumque vicinarum.* Causa primaria symptomatum in historia enarratorum procedit ab acida ac subsalsa quadam intemperie pancreatis ex inordinato victu inprimis contractâ, cujus ergo succus pancreaticus in hoc ægro nimis acer & salsus subacidusve gignitur, idque uno tempore magis quàm alio, prout scilicet per hæc illáve assumpta alimenta isti malo major, minorve fomes adjicitur. Hic succus ex pancreate in intestinum duodenum defluens, & aliqua sui parte versùs ventriculum ascendens, paulatim fermentum ventriculi corrumpit, sicque vitiosæ coctionis causa fit. Quippe si prava fœdave qualitate præditus (in animalium vivorum sectionibus maximè fœdum saporem nonnunquam habere compertum est) in ventriculum irrepat, tunc inappetentiam ac nauseam, & interdum vomitum inducit: si verò nimis acidus influat, tunc nimiam famem, malam coctionem, & nonnunquam ob acidam vellicationem ventriculi, etiam vomitum suscitat, idque magis aut minùs, prout excedens qualitas major minorve fuerit, & ipse succus majore vel minore quantitate ventriculum ingreditur. Ex illa vitiosa coctione ac fermentatione oriuntur tensiones, dolores, & rugitus, plurimique flatus suscitantur, qui nonnunquam sursùm per ructus erumpendo, tensiones nonnihil imminuere, sicque levamen aliquod pro isto tempore inducere solent. Si verò vitiosus ille succus ad ventriculum non ascendat, sed totus in intestina defluat, tunc coctio ventriculi in ægro nostro melior, & nausea minor, sed vitiosa effervescentia in intestinis excitatur, cùm in coctis alimentis è ventriculo elabentibus, tum in pituitosis ac mucosis succis in intestinis contentis; atque hinc in intestinis flatus, rugitus, dolores, ac tensiones cum anxietate suscitati, iique sæpe alvi dejectione flatuumque plurimorum excretione multùm imminuti sunt. Liquor ab ore subinde cum nausea effluens, est succus pancreaticus sursùm ad ventriculum delatus, & per nauseam unà cum ei in ventriculo admisto salivali liquore, per os erumpens. Tandem succo pancreatico temporis progressu peiore, ac simul acriore evadente, & ventriculum magis, quàm antea, vellicante, accessit frequens vomitus violentus, quando scilicet in ventriculum ascendit: & si hoc contingat paulò post assumpta alimenta, isque affatim per illa alimenta sursùm cum impetu ad superiorem ventriculi partem prorumpat, magnam ibi nauseam faciens, sæpe levi cum vomitu (quia alimentis nondum est admistus) solus evomitur, alimentis intùs subsistentibus, quæ tunc, vitioso illo succo fermentaceo evacuato, bene digeruntur. Non febricitat æger, quia nulla putredinosa effervescentia in corde excitatur. Cogitabundus ac sub-

tristis est, quia propter acidos humores sanguini admistos spiritus animales minùs tenues seu subtiles, sed paulò fixiores in cerebro generantur, qui minùs alacriter & inordinatè per pororum cerebri angustias transeuntes, ægrum cogitabundum ac subtristem, & rebus suis minus intentum faciunt. Corpus emaciatur, propterea quòd alimentorum prima coctio non benè peragatur, atque hinc sanguis paucus & parùm laudabilis, sed scorbutica qualitate infectus, sicque ad partium nutritionem minùs aptus, generetur. Ex modò dictis, quid de prognosi statuendum sit, facilè judicari potest, scilicet quod hic affectus periculo non careat, & metuenda sit maxima corporis atrophia, cum summa virium prostratione paulatim ægrum dejectura.

In Curatione primùm æger purgandus, cum infus. fol. senn. agaric. &c. addendo aliquantùm elect. hier. picræ, aut diapruni, aut cum pilulis cochiis, extracto catholico, pulvere diaturbith, aliisque similibus, eaque purgatio postea singulis octo vel decem diebus reiteranda. Venæ-sectio hîc parùm ad rem factura videtur, si tamen febris aliave aliqua magna excandescentia accesserit, pro ratione necessitatis institui poterit. Si vomituriendi conatus permanserit, non inutiliter tale vomitorium dabitur. ♃. fol. asar. recent. ʒ iij ß. aq. raphan. ℥ ij. fiat s. a. expressio succi, adde vini antimoniat. ʒ iij. oxymelit. scyllitici ℥ ß. misce fiat haustus. Postea conveniens apozema præscribendum, ejusque ter de die haustus exhibendus. ♃. rad. tamarisc. capparum, polypod. querc. helenii ana ʒ vj. herb. chamædryos m. j. ß. meliss. betonic. borragin. cuscut. ana m. j. fol. lauri, trifol. palustr. ana m. ß. cort. aurantior. ʒ vj. sem. anis. fœnicul. ana ʒ ij. passular. mundat. ℥ ij. aq. q. s. fiat s. a. apozema ad ℔ j. ß. loco apozematis vel intermediis horis subinde dari poterit particula hujus conditi. ♃. Rad. helenii, cort. aurantior. condit. conserv. borragin. meliss. flor. salv. ana ℥ ß. olei anis. gutt. xii. syr. helenii q. s. misce, fiat conditum. In magna ventriculi aut intestinorum tensione cum anxietate & dolore, conveniet exhibere talem bolum ♃. Theriac. ʒ j. ocul. cancr. præp. ℈ j. olei anis. gutt. v. misce, f. bolus. Interdum manè jejuno stomacho, loco apozematis, exhibenda dosis hujus pulveris, cum pauxillo cerevisiæ aut jusculi. ♃. ocul. cancr. præp. ʒ ij. corall. rubr. præp. ʒ ß. succin. præp. ʒ ß. f. pulvis, dividendus in quatuor doses.

In victu sit aër mediocriter calidus. Cibi sint facilis digestionis & boni nutrimenti, & abstineat æger ab omnibus cibis salsis, acidis, acribus, fumo siccatis, antiquis, rancidis, aliisque difficilis coctionis aut pravi nutrimenti. Potus sit cerevisia communis benè defæcata, nonnihil subamara, minimè acida: item vinum tenue minimè acidum. Somnus & exercitia corporis sint mediocria: fugiantur otium & nimia quies. Excreta naturalia benè procedant, si non spontè, saltem arte. Fugienda quælibet tristia animi pathemata: lætitiæ & hilaritati, quantum fieri potest, indulgendum. *Isbrand. de Diemerbroëck. de morbis infimi ventris Medicat. 3.*

Reverendissimus Abbas, annum agens quinquagesimum, temperamenti totius, & potissimùm jecoris calidi & sicci, ex parentibus hypochondriacis natus, & ipse multis ab hinc annis eadem affectione hypochondriacâ molestatus, & quandoque moderata sanguinis per hæmorrhoidas evacuatione cum sui levamine tentatus, quinque jam mensibus elapsis, post graves atque molestissimas animi perturbationes, fluxu sanguinis ex hæmorrhoidibus abundantissimo atque superfluo correptus fuit, quo in animi deliquia incidebat, eoque suppresso, statim supervenit intensissimus lævæ partis thoracis dolor, difficilem reddens anhelitum ipsum, cum ejusdem pectoris fervore maximo; quo tempore urinam copiosam, crudam & aquosam mingebat, & sedato dolore, febricula levis insurgebat, quæ primo aut altero die solvebatur. Hæc autem omnia symptomata & affectiones ter hucusque repetierunt, semper præcedente aliqua molesta animi motione, & præterea quodam pondere in podice ad perinæum quoque sese extendente, non sine aliquo dorsi dolore & ventriculi imbecillitate. Modò quamvis ad finem mensis Junii jam pervenerimus, Patavium tamen se contulit, ut à gravissimis jam dictis symptomatibus ope medica præservari possit.

Abbatem Reverendissimum multis ab hinc annis hypochondriacum fuisse & esse ex relatione tum à viro excellentissimo in scriptis adducta, tum ab eodem Reverendissimo oretenùs exposita necessariò deduci potest, præsertim addita totius & jecoris calidæ intemperiei, ætatis, & naturalis ac hæreditariæ dispositionis consideratione; quin imò cætera graviora symptomata de quibus nonnullis abhinc mensibus conqueri cœpit, non aliundè quàm ab hypochondriaca affectione, ortum duxisse decerno, & præsertim superabundantem sanguinis per venas sedales effusionem, necnon dolores in læva pectoris parte cum ardore & pectoris oppressione, præcedentibus rugitibus abdominis, non sine aliquo dolorifico sensu ad dorsum quoque perveniente, iisdem tamen etiam circa thoracis dolorem frequenter repetentibus; cùm enim jecoris fervor naturalis à clausuris etiam & impedita ventilatione adauctus, propter mesenterii obstructiones, à quibus flatuosa orta fuit affectio, & inde dolor ad dorsum usque pertingit, ubi scilicet ejusdem mesenterii duplicatura alligatur; cùm inquam, jecoris fervor sanguinem fervidum necessariò producat, nec ipse à corde calidiori existente corrigi possit, in vasis ita justo calidior & acrior congestus, utpote ad carnium generationem & totius nutritionem ineptus, dum circulando ad mesentericas arterias pervenit, naturæ molestus, ab eadem irritata per eadem vasa, indeque per hæmorrhoidalia ad sedem detruditur, quibus vasis repletis sequitur pondus, quod perinæo quoque communicatur; imo quandoque monet Gal. quod lumborum & stomachi dolores antecedere solent, sicque hæmorrhoidalis sequitur ipsius sanguinis per sedem excretio, quæ tunc toto genere præter naturam non est, quotiescunque tempestivè fiat: tempestivè autem fit, quando id quod contristat excernitur. Cum autem in casu nostro probus quoque sanguis copiosus post improbi evacuationem excernatur, t. g. p. n. evadit hujusmodi evacuatio eoque magis, cùm niger non appareat, tunc enim melancholicis magnopere prodesse solet, dum natura atrum humorem sanguini permistum

mistum ad vasa sedis excernit, ut ad crura varices, at sanguis profluens talis non est, & copia peccat, robur idcirco viscerum naturalium totiusque vires prosternit. Quoniam verò ab eodem jecoris & hypochondriorum fervore ventriculi quoque concoctio labefactatur, dum fermentatio ciborum, quæ est via & præparatio ad chylificationem absolvendam, à nimio illo calore probè perfici nequit, hinc fit ut frequenter cruditates sobolescant; quæ antiquis & exiccatis obstructionibus in mesenterio existentibus superadditæ atque commistæ, eo loci stagnantes plures molestos & perniciosos effectus pariunt: primò namque ab eodem calore in habitus crassos & exhalationes magna ex parte conversæ, sinistri lateris cruciosos pariunt dolores; dum verò aut per porositates, aut per vasa ad musculorum intercostalium interstitia sese insinuant, distensione, ac morsu illarum partium continuum solvunt, & dolores excitant, quo eodem tempore & febriculæ, & crudæ urinæ copiosæ excretiones observantur, dum earundem cru litatum portio relicta, partim in eodem ignobili loco fermentatur atque putrescit, & febriculas accendit, partim à fervore liquatur atque funditur, & per copiosas urinas ejicitur, quæ omnia tunc exacerbari videntur, quando animi passiones motusque vehementes præcesserint, cùm perpetuò verum sit quod non solùm corporis, sed multò magis animi motus sit causa caloris, ut propterea mirum non sit quòd molestiarum tempore circa præcordia de æstu & insigni fervore conqueratur Reverendiss. Abbas.

Cui ut opem medicam feramus, vitium sanguinis potissimùm deinde & vasorum sedalium est corrigendum; jecoris & hypochondriorum calida intemperies est emendanda; antiquæ, terreæ & melancholicæ obstructiones sunt alterandæ & imminuendæ, & ante jam dicta omnia, ventriculus & primæ viæ à recentioribus cruditatibus sunt vindicandæ, adeò ut quod primum fuit in intentione, postremum evadat in executione.

Et quamvis fons malorum, nempè hypochondriaca affectio antiqua & confirmata sit, salus tamen desperanda non est, cùm hucusque nonnisi ad primos gradus melancholiæ pervenerit, & ideò nonnisi perexiguam melancholici sanguinis portionem circa viscera naturalia stagnantem supponamus; præterquam quòd superabundans sanguinis evacuatio, si non ex toto supprimenda, saltem magna ex parte cohibenda est, alioquin calore nativo progressu temporis valdè imminuto, cachexia succedere posset: hanc enim per hæmorrhoidas evacuationem tantoperè formidavit ipse Gal. ut nulli ex consuetudine convenire existimaverit, ac propterea dixerit non esse assuefaciendum hominem evacuationi per hæmorrhoidas, quoniam uterque excessus periculosus evadit, sive sanguinis nimiùm effluat, sive nihil.

Quamprimùm igitur Reverendiss. succurrendum; nec obstat anni tempus calidum si quidem post prima administrata remedia, sic tempore nondum fervido existente, reliqua, utpote alterantia & refrigerantia, fervidissimo quoque exequi poterunt. Expientur itaque primæ viæ potione ex manna clarificata. Quinque deinde sequentibus diebus cruditates in iisdem viis commorantes præparandæ erunt Julapio acet. ad ℥ iij. corticibus citri alterato, addita uncia aq. flor. citri, ut dilutior, & suavior evadat. Mox repetatur potio ex mann. clarif. ad ℥ vj. cui duabus aut tribus transactis horis, superbibat seri capræ depurat. ℔ j. & duobus horis ab assumto sero prandeat. Inde ad antiquas obstructiones imminuendas, deveniendum, quæ quoniam iam exiccatæ sunt ideò humectantibus & moderatis incidentibus egent; in hunc igitur finem succi depur. aptissimi erunt, ut ♃. succi depur. & per aren. trajecti, cichor. borragin. endiv. ana ℥ ij. sal. tart. fixi gr. x. decoct. in jure paratæ folior. malv. violar. sonch. ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis. Et si fortasse decoctio à ventriculo non toleretur, cum aliquam concoctionem, & consequenter moram requirat, succi jam dicti diluantur, cyatho aq. stillat. borrag. & malvar. citiùs enim è ventriculo ad mesaraicas pervenient. Sequenti verò die præbeantur summo manè fl. cass. ℥ iij. additis gr. x. sal. tart. & post horam superbibat cyathum seri capr. aut asin. depur. tribus verò horis ab assumpto sero prandeat. Tertiò verò die rursùs succos depur. assumat, ut suprà, & ita perseveret alternatim, succos & cassiam assumendo, ad 20. vel 25. dies. Rhabarb. autem usum omitto, tum propter hypochondriorum fervorem, tum verò maximè propter sanguinis fluorem, quod alioquin cassiæ commistum ad obstructiones reserandas aptissimum foret. Interim secunda succorum die jecoraria dextra erit aperienda, & sanguis moderatè, prout excellentissimo Assistenti visum fuerit, erit educendus, & quotidie toto purgationis tempore ung. ros. mes. totum abdomen illinendum. Terminato succorum & cassiæ usu, serum capr. aut asin. depur. ad ℔ iv. vel v. ter saltem tertio quoque die erit propinandum, præmisso vehiculo syr. rosat. solutivi: idque eo fine, ut hypochondriorum partes humectentur, viæque laxentur, & apertæ reddantur ad aq. Nocer. transitum expediendum, siquidem calorem, & inde siccitatem primarum viarum interceptionis aquæ thermalis aliàs tentatæ, causam fuisse censeo. Nocerianas autem dixi propinandas esse, quoniam cùm minerales non sint, nec adeò exiccantes, faciliùs permeare & pervadere poterunt; & si earum aliqua portio fortè detineretur, nocere non posset, ut nocent thermales quæ nunquam teste Hippocrate à natura nostra actuantur & superantur. Ut autem facilior eisdem reddatur transitus, tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio sunt exhibendæ; reliquis verò diebus cum vehiculo diuretico, quale tum is esse poterit spiritus tart. ter rectif. ad semidrachmam inprimis tribus cyathis, cui addatur quoque syr. de succo limonum, ut potus quoque suavior evadat. Tandem lactis asin. xx. diebus, totidemque capr. usus de more manè assumendi opportunissimus erit; quo tempore pro balneo aquæ dulcis, aut insessione administranda opportuno existente, convenire poterit; sin minùs, in annum venturum, dum reliqua quoque omnia repetenda erunt, differri poterit, ut ex toto obstructiones extirpentur, jecoris fervida intemperies emendetur, & sanguinis vitium omninò corrigatur, sicque à natura toleretur, imò in vasis ad usum detineatur. Sed quoniam vasorum quoque sedalium vitium, sive laxitatem nonnihil concurrere dixi, ideò opportunè aliqua iisdem roboratio est afferenda, spongiola aqua rosacea cum albumine ovi madefacta, qua pulvis astringens

tangatur, & post fœcum depositionem atque consuetam abstersionem podici iterùm atque iterùm apponatur, ut pulvis ipse adhæreat, & iteratis vicibus vasa ipsa roborentur; pulvis autem erit constrictivus magistralis consuetus, eidem gypsi vulgaris portione additâ.

Jam dictis verò omnibus congruam victûs rationem addere debet, & calidiora alimenta præsertim evitare, prout salita omnia, condimenta aromatum, allii, cæparum, usum aceti & vina generosa, memor quod suimetipsius status insigni humectatione & moderata refrigeratione indiget; & ideò familiaris sit & quotidianus usus juris tenuis herba aliqua refrigerante alterati, in prima mensa hauriendi; herba autem poterit esse æstivo tempore oxalis, acetosa vulgò dicta, cæteris verò temporibus, intybus, endivia vocata. Somnus diuturnior semper conveniet. Exercitium verò moderatum esse debet, & nonnisi jejuno ventriculo. Consueta alvi evacuatio, nisi sufficiens fuerit adjuvanda, prima mensa assumendo flor. cass. ℥ ij. aut iij. quam disponere quoque poterit jus prima mensa, ut supra, quotidie sumptum. Tandem animi motus vehementes, qualescunque sunt avertendi, sed præsertim molestæ perturbationes; quæ si casu occurrant, non sunt fovendæ, sed fortiori animo repellendæ. Quæ omnia Reverendissimo Abbati à Deo Opt. Max. salutaria precor. *Raymund. Fortis. Consultat.*

Observationes.

Sentiebat nobilis quidam Burgundus, à longo tempore, tensionem in sinistro hypochondrio, cum rugitu & murmure, & quia corpus nonnihil macrum fiebat, faciesque decolor, graviora metuens, cùm post remedia multa, quibus jam usus fuerat, non remitteret malum, meum expetivit consilium: huc veniens, judicavi causam in venis meseraicis, lienem copiosè ambientibus potiùs, quàm ipso liene contineri, esseque illic illuviem, unde terri vapores & flatus gignantur cum obstructione horum ductuum, quibus emendandis hisce fuit usus. Syrupum sequentem præscripsi. ♃. Rad. cichor. fœnicul. apii veri, iridis, ana ℥ j. enul. ℥ vj. asar. ʒ ij. rad. liquirit. ℥ i ß. cort. tamarisc. rad. capp rum, sambuc. ebuli, ana ℥ j. herbarum endiviæ, chamæpit. chamædr. eupator. veronic. capill. veneris, ceterach. buglossi. utriusque, fumariæ, summit. lupul. asparag. ana m. j. flor. bugloss. utriusque, genist. tamarisc. ana p. j. sem. anis. fœnicul. ana ʒ ij. carui, petrosel. ana ʒ j. cicer. rubr. p. j. passul. enucleat. ℥ i ß. prunorum paria v. f. decoctio in aq. & tertia parte vini & in colat. ℔ viij. infunde fol. senn. mundat. ℥ iij. rad. polypod. ℥ ij. turpeth. ℥ ß. sem. cartham. conquass. ℥ i ß. myrobalanor. citrin. & chebul. ana ʒ iij. f. iterùm decoctio addendo rhab. in panno ligat. ℥ ß. spic. schœnanth. ana ʒ j. cinamom. ʒ ij. post levem ebullitionem colentur, adde succi pomor. odor. ℥ iv. sacchar. q. s. decoquantur ad syrupi consistentiam: capiat ℥ i ß. pro vice per se, vel cum jusculo cicerum rubrorum, & rad. petrosel. si non operatur sufficienter, dissolve in uno haustu, diagrydii rectè præp. gr. iij. continuet illius usum aliquot dies, postea hebdomadatim dein menstruatim.

Pilulis sequentibus utatur interdum loco syrupi. ♃. aloës ʒ ij. rhab. agaric. ana ʒ i ß. extract. absynth. ℈ j. gumm. ammoniac. dissolut. in oxymel. squill. ʒ ß. mastich. ℈ j. rad. gentian. summit. centaur. min. ana ℈ j. rad. asari ʒ ß. spic. ℈ ß. limatur. chalyb. præp. ʒ i ß. diagrid. ʒ j. cum resina laricea f. massa pilul. capiat ℈ ij. vel ʒ j. pro vice. Emplastrum hoc sinistro hypochondrio applicet. ♃. emplast. de baccis lauri, de melilot. ana part. æqual. malaxentur oleo de cappar. extend. supra corium, subducatur syndone rubra ne nimiùm adhæreat. Hac ratione se integrè fuisse sanatum per alios, quos ad me consilii causa ablegavit, mihi significavit. *Fœlix Platerus observ. lib. 2. pag. 469.*

Vir quidam illustris, temperamenti melancholici & semper pro lienoso habitus, de dolore & inflatione hypochondrii sinistri, crebro rugitu, ructu acido, necnon tremore cordis, assidua vertigine, nimiis vigiliis, & phantasia perturbata plurimùm conquestus erat: circa trigesimum quintum ætatis suæ annum, morbo ingravescente; somnium ægrè, ac rarò admodùm capessere noctu, & interdiu cogitationum æstu, & fluctuatione molestari, res omnes ac personas suspectas habere, & objecta quævis valdè pertimescere cœpit; præcordia plurimùm constringi, & coarctari, atque in imum subsidere videbantur, quasi cor ipsum usque in ventrem deprimeretur, quo symptomate urgente, valdè mœstus, & animo dejectus evasit; postea tamen, remittentibus istis animi affectibus, unà cor paululùm elevari, simulque præcordia relaxari, & dilatari persentiebat: porrò dolores, & contractiones circa viscerum ac membrorum musculos variè excitatos, & huc illuc discurrentes creberrimè sustinebat.

Quoad morbi naturam, facilè constat, affectionem hanc ejusmodi esse, quæ vulgò *hypochondriaca* appellatur; quod verò spectat ad symptomatum admirandorum causas, supponere licet, sanguinis massam degenerem, & fæculentiis atrabilariis refertam recrementa sua adusta capiti continuò suggerere; unde liquor cerebrum, & nervos irrigans, acris, & spiritibus improportionatus factus, corpora continentia in corrugationes dolorificas, & contracturas irritabat: porrò cùm à capite, in nervos *paris vagi & intercostalis* hæc labes præcipuè derivatur, cerebrum & præcordia noxam inde suscitatam quam maximè luunt. Quod autem sanguis eo ritu depravatur, lienis vitio imputandum videtur, in quantum hoc viscus perperam habens, fœculentias atrabilarias à sanguine non rectè secernit, quinimò & recrementa quæcumque ab illo suscipit, ampliùs pervertit, eademque in fermentu noxium exaltata cruori remandat, proindeque massam ejus plurimùm inquinat, & discrasiâ acetosâ & planè vitriolicâ imbuit. Obvium est intelligere, symptomata isthæc, *caput molestantia*, scilicet *vigilias nimias, vertiginem, phantasiam perturbatam*, cum multis aliis, a particulis heterogeneis, *è sanguine in cerebrum* suffusis procedere: Quoad istam pectoris *angustiam & cordis subsidentiam*, cum insigni metu & tristitia, opinari licet fibras nerveas *cordi*, ac inprimis *pericardio* insertas, in spasmos & corrugationes actas, partes istas constringere, & deorsum convellere: quapropter in toto pectore velut constrictio, quædam sentitur, & cor ipsum deprimi videtur: porrò in quantum præcordiis ita constrictis & depressis, sanguis intra cordis

sinus

sinus sistitur, ac velut stagnare cogitur, *anima* tum *vitalis* tum *sensitiva* à solita expansione, & irradiatione plurimùm inhibetur, proindeque à *systasi* ejus diminuta, & decurtata, immanes isti *metus* & tristitiæ affectus oriuntur: cùm verò, spasmis remittentibus, ista cordis & appendicis ejus constrictio relaxatur, etiam anima, velut flamma ampliùs expansa, passionum istarum eatenùs paululum excutere nititur. Pro curatione istius affectionis cùm plurima remedia & administrationes medicas à longo tempore usurparat, sine magno tamen fructu, demum aquarum acidularum usu aliquantulum sublevatus, & exinde sensim meliùs habens à gravioribus istis symptomatis immunis evasit, usque tamen *affectui hypochondriaco obnoxius degit. Thom. Willisius, de morbis convulsivis.*

Illustrissima atque excellentissima quædam, temperamenti sanguinei & biliosi, habitudinis corporis magnorum laborum & defatigationum, ut videbatur, non satis patientis, varias tamen longasque peregrinationes & tentare & perficere ausa, & in rebus non naturalibus pluribus modis peccans, in varia tandem affectionis hypochondriacæ symptomata incurrit, quæ in dies numero & gradu cum augerentur, Illustrissima ad eorum quasi cumulum devenit, per abundantissimas sanguinis effusiones, in curatione aneurismatis, quod Chirurgi arteriam in brachio dextro pro vena secantis, imprudentia ipsi fecerat; uter in duobus abortibus, enatas.

Post hæc itaque omnia jam enarrandis affligitur symptomatis; intensam patitur sitim & præcipuè post pastum, si in illo utatur cibis solidis; sitis autem non tam sedatur assumto potu etiam largo, quam suffocatio inducitur per totius abdominis distentiones; fallere propterea eam debet, tum per mala aurea Lusitanica dicta, tum aliis mediis.

Ciborum appetentia satis bene se habet per intervalla, aliàs magis aut minùs deficit, idque verna potissimum tempestate.

Ventriculus tam malè officio fungitur, ut etiam si appetens Illustrissima comedat, cibusque ingestus statim vi quadam, distentiones importunas pariente, penetretur, perfectè tamen nullatenus excoquatur, & totus prope in stomacho, etiam post duodecim horas subsistat: Unde si quinque aut sex à pastu horis cubitum eat, omnia ad fauces & os ipsius rejiciuntur, ea propter cogitur semel tantùm de die cibum sumere, nec licet pluribus horis illi tenuius jusculum præmittere. Revera si alio non utatur cibo, quam jusculis, bis de die assumere potest, sicque minus sitit, sed hæc diæta langorem universalem procreat. Ab omnibus prope cibis assumptis malè habet, sed præcipuè à gravioribus, flatuosis, viscosioribus, frigidioribus & crudioribus. Lac, pro tempore, unicum fuit, quod aut solum, aut aliis admistum, non multum molestiæ peperit, præterquàm quòd in alvi perpetua stipticitate aliquid movebat, dum tamen illius cremor seorsim assumtus foret intolerabilis, sed jam ipsum amplius ferre nequit. Non tantùm ventriculus ingesta vix & imperfectè excoquit, sed ea quomodocunque excocta, in intestina minimè deturbare valet, nisi medicamentorum vi ad id quasi cogatur, ea propter in duram devenit necessitatem purgantibus medicamentis quotidie utendi, imò crescente in dies malo, alvique difficultate, plura jam unica die adhibendi cathartica, etiam validiora; sin minus vomitus patitur horrendos; ut semel post quam dies septem ab illis, abstinuisset, ut & rursus postquam dies tantum tres ab iis caruisset, maximo suo malo experta est. Nonque tantùm singulis diebus catarticis utitur, iisque repetitis, sed quandoquidem sic etiam humores aggeruntur viscidissimi, cum ponderis totum abdomen gravantis sensatione, anhelatione, ructibus nidorosis, & materiæ acrioris ad os regestione, aliisque pluribus incommodis, semel prope singulis mensibus ad validissima, additis etiam antimonialibus deveniendum. Post pastum pulsationes adsunt arteriarum per totum corpus distributarum, cum doloribus regionem lumbarem occupantibus, totumque abdomen cingentibus: atque tanta gravatur corpus ad motum inertia, ut ne quidem tribus aut quatuor à pastu horis illud humilius inclinare valeat.

Tumebant perpetuò tibiæ, totumque abdomen, sed illæ jam prorsus detumuere, hoc per intervalla inflatur.

Menstruæ purgationes per aliquot annos satis fuere inordinatæ, sub autumnalis enim tempestatis finem supprimebantur ad aliquot menses, cum ventris, tibiarum, totiusque ferè intumescentia, vigente interim appetentia, vultuque parum, aut nihil morbosi indicante. Cassavere verò omnino à tribus annis quadragesimo sexto scilicet ætatis.

Urina quæ in parcissima evacuabatur quantitate, paulò copiosior jam egeritur, etiamsi potulenti multò minùs ingeratur. Pluries istius excrementi examine instituto, repertum est, primò odoris & saporis propè expers, etiam ad plures dies asservatum, coloris ex pallido subflavi, consistentiæ tenuioris, sine ullo sedimento, aut confusione. Secundò, ab affusione liquorum aut materiarum præcipitantium, nihil aut parum separatum, quantumvis hoc peractum fuerit, tum in urina recenti, tum in ea quæ jam per moram computrescere debuisset. Tertiò, Distillatione ejusdem lotii peracta, spirituum, atque salis volatilis acerrimi parum admodum elevabatur, restitante interim in vasis fundo materiâ desiccatâ, salina sulphureâ, & dum dissolveretur viscidissimâ; quæ octavam totius urinæ ponderis partem facile implebat.

De morbi descripti nomine non est quòd ambigamus, per symptomata enim satis superque constat, passionem hic adesse hypochondriacam inveteratam, in qua multiplex acrimonia, cum totali ventriculi debilitate, viscidioris materiæ proventu spirituumq; universali depauperatione, peccat. Inducta autem fuit à variis peregrinationibus, mœstitiis, hæmorrhagiis &c. quæ Illustrissimam afflixire.

Ad symptomata jam ut deveniamus. Sitis omnium consensu à faucium desiccatione & vellicatione oritur, quid itaque mirum, si ubi serum adest multo imbutum sale, viscositasque admista, per obstructos canales salivales illud tantùm quod salino suo spiculo penetrantius est descendat pauco copulatum viscido, quo mediante partes quas eluere, & humectare deberet, potius irritat & per adhærentiam suam continuò vellicat. Potulenta autem non ita facilè huic medentur incommodo, quandoquidem inter transeundem parte tantùm salium prædictorum faucibus per viscosam copulam

agglutinatorum, impraegnantur, partemque propterea non satis liberant, quod multo meliùs obtinetur à succo malorum aureorum lusitanicorum dictorum, qui sensim exsuctus, praeterquam quòd temperat salium acrimoniam, orificia vasorum salivalium muco obstruente liberat, sicque efficit ut lympha per os fluere parata, viam nacta apertam, levatisque impedimentis, cumulatius in os deveniat, ipsumque sic pleniùs irriget.

Appetentia ut plurimùm viget; quia etiamsi copiosum phlegma in ventriculo reperiatur, obtundendis salibus, quos in ipsius cavitatem, tum propriae tunicae glandulae eructarunt, tum alimenti priùs assumti ponderosiores particulae jam exaltatae suffecerunt, ipsis tamen satis superest virium pro vellicando ventriculi superiori orificio. Revera per totam hyemem cumulatis humoribus transpiratione tum impedita, atque etiam corporis exercitatione omissa, dum subsequentes primi vernae tempestatis tepores eos in motus cient, à diluvio inde enato malè habet stomachus, sic enim necessariò dilutò atque quasi extinctò fermento, summa oritur inappetentia.

Ventriculum quod attinet; siquidem viscosa saburra semper infarctus est, in eumque appellunt plura salia, in se invicem hostiliter primò concursu agentia, quid mirum si viscositas à particulis fermentescentibus penetrata in flatus abeat qui postquam visceris fibras, per distensiones vehementiores & continuatas debilitarunt, arctae alimenti ingesti complexioni non parum officiunt, eademque ratione digestioni incommodant. Hae distentiones post pastum maximè vexant, eò quòd, fermentum stomachale è salibus efferis, geniumque aquarum stygiarum redolentibus, constitutum, praecipitanter nimis cibum deglutitum adoritur, illiusque partes vehementiùs à se invicem divellit. Nec interim legitima perficitur coctio quae aliam prorsus & magis amicam fermenti atque stomachi actionem expetit. Quid itaque mirari subest, si alimentum quamvis per crassiores sui partes solutum, non eò fluiditatis deveniat, ut languidè comprimentibus fibris per importunam distensionem, si non laceris, saltem quàm debilibus, obediat, ni purgantium quotidie exhibitorum spicula ipsas in motus validiores cieant, quodque maximè viscosum in ventriculo est, non tantùm glutinis instar partes alimentitias ipsi quasi connectens, sed etiam pylorum aliquatenus occludens, emungant. Huic beneficio conferendo non satisfaciunt clysteria, quorum ἐνέργεια, vix suprà intestina crassiora ascendit, quaeque nihil eliciunt è ventriculo, quem aliàs per flatuum subtus contentorum repulsionem opprimunt. Ex hisce satis constat quid causae fuerit cur purgantium abstinentia vomitus non semel moverit, per inductam tandem ab alimenti morâ putrescentis, pondere, irritationem, unde demum quâ data porta sibi onerosa regerebat, imò semel in spasmos actus, non ita facilè sopiebatur, quin symptoma ad septimanas & menses extenderetur. Adhibita purgantia quotidiana non prorsus impediunt quin subinde cumulentur in toto varii humores, siquidem cùm primae coctionis vitia in subsequentibus facilè non corrigantur, chylusque iners, & impuri lentoris quem ventriculus & intestina vi remediorum coacti in lacteas & sanguinem emisere, in visceribus languentibus non ita alteratur & defaecatur quin per sui tenaciores partes undique impactus, evacuari amet per generosiora exhibita purgantia.

Anhelatio diaphragmatis compressioni à ventriculo & intestinis distentis factae, ut & viscido pulmonum substantiam & respiratoria vasa occupanti, accepta referri debet.

Arteriarum vehementior post pastum pulsatio, soboles est fermentationis in ventriculo magna vi peractae, calor enim atque inde oriundi motus sanguini cujus viae non ita sunt liberae & explicatae communicati, agitationis intensioris, fibrarumque vasorum ipsum circumvehentium verberationis durioris, sunt materia.

Dolores in lumbis, partim à distento ventriculo, & intestinis lumbis ut centro suo affixis, partim à flatibus inibi enatis atque conclusis proveniunt. Dolores praeterea abdomen circumcingentes debentur illi intestini colis parti quae infra ventriculum posita est, fraeno sc. ipsum contrahente & corrugante seu potius sinuante, à flatibus contentis dolorificam vim patiente.

Totius corporis langor atque gravitas procedit, tum à spirituum depauperatione, tum ab humorum gravantium copia.

Urinarum examen ulteriori inservit eorum quae jam fuere explicata, demonstrationi, nam si urinarum status sanguinis, aut saltem seri proprii sanguinis vehiculi statui respondeat, quis non videt primò, illas inodoras, insipidas, atque tenues seri inconcocti, salibus fixioribus atque quasi infasciatis praegnantis, & sulphuri propè emortuo, parcè copulati, testes esse. Secundò, impossibilis plurium urinas constituentium partium segregatio, etiam per adhibita praecipitantia exquisita, indicium est confusionis, seu potius glutinis varias materias in sero ita implicantis, ut spirituum actio languida, non satis habeat virtutis, pro iis motu vario, & unicuique proprio, agendis. Varias hasce materias in urinis adesse patet tertiò, ex distillatione qua quod calor, & spiritus innati, praecipitantibus etiam adjuti non potuere, commodè satis separatur, spiritus enim sic elicitur, minus potens, sed sal illum subsequitur acerrimus &c. de quibus vide quod suprà.

Illustrissima aegra non uno remedio tot mala oppugnare per plures annos tentavit, circa quae in genere adnotabo primò, quòd aquae tantùm quaedam minerales ipsi fuere proficuae, inter eas innumeras quas ex ipsis fontibus ebibit. Aquenses in Sabaudia quamvis calore actuali nobiles, facultate tamen minerali sulphurea & nitrosa tam parcè imbutae ut propè vacuae dici mereantur, morbo ineunte assumtae summo fuere nocumento, ut & aliae etiam martis minera foetae aut vitriolicae, solae, verò Swalbacenses, sale armoniacali tenui, paucoque marte praegnantes, & Wallenses in Gallia sale lixiviali de nitri fixi natura divites, non parum attulere auxilii. Secundò, plures ac diversae chalybis praeparationes, ut & salia penetrantiora è mineralibus & plantis arte chymica extracta, semper excitarunt dolores haemorrhoidales atroces, quandoque fluentes, quandoque non, minimo interim percepto alias levamine. Tertiò, opii atque opiatorum medicamentorum usus in doloribus & vigiliis ventriculum debilem semper gravavit, vomitus fecit, nec unquam somnum, sed potius stuporem cum vertigine conciliavit. Quartò Mercurialia omnia cujuscunque praeparationis, & quomodocunque assumta, atque

quæ vel in parcissima dosi purgantibus admista, salivationis periculum minabantur. Quintò, volatilia varia per aliquot annos assumta, atque præcipuè singulis diebus, sal quoddam volatile stomachale & amarum, ut & interdum sal volatile viperarum, maximo fuere emolumento, donec natura ejusdem remedii generis diutius continuati pertæsa, aliud à nobis exegerit, sc. tertium quid inter acida & alcalia volatilia, misturam nempè bezoarticam, è spiritu nitri, sale volatili viperarum, C. C. & succini, cum spir. vini theriacali camphorato paratam, cui subinde intercalatur usus elixyris cujusdam purgantis verè volatilis; ab hisce non tantùm stomachus paulò meliùs habet, purgantiaque minùs debilitant, sed etiam sitis minuitur, distensiones abdominis, dolores in lumbis &c. multò minus affligunt. Sextò, è purgantium sylva quam in proprium usum collegit, fuere tum pilulæ variæ, aut mitiores, aut validiores, tum elixyria, tum vina medicata, tum pulveres, tum electuaria, quorum vim singulis annis, & propè mensibus augere cogitur, crescente in dies alvi difficultate, illiusque arte evacuandæ necessitate. Hisceque omnibus vitam protrahit minùs miseram &c.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Hypochondriaci mors ab inunctione mercuriali.

Illustrissimus quidam in Bohemia, temperamenti calidi & humidi cum prædominio bilis, vitæ cœlibis, à multis annis, variis concurrentibus causis, de obstructionibus hypochondriorum conquerebatur, pro iisque tollendis varias adhibuit curas, inter quas erat etiam ante aliquot annos retritus usus thermarum Carolinarum, quas profuisse eidem Illustrissimo in confesso fuit. Quia autem videntur errores in sex rebus non naturalibus interea successisse, non attenta corporis debita expurgatione, factum est, ut in corpore colligerentur humores crassi, & viscidi, qui cum alimento translati ad juncturas artuum, denegato corpori omni exercitio, ibidem loci degentes, effecerunt artus ita debiles, ut Illustrissimus ille inhabilis foret ad deambulandum, & se de loco in locum movendum. Multa in hanc rem, ut intellexi, adhibita fuerunt, quibus tamen non causa sed effectus curabatur, ut fuerunt balnea, confortandorum nervorum causa è rebus calidissimis confecta, quæ materiam in juncturis hærentem magis incrassarunt & exsiccarunt, inunctiones, frictiones, & nescio quæ alia cum nullo denique Illustrissimi patientis levamine. Tandem hac hyeme præsent. ann. 1670. nescio quis curam proposuit, inungendi artus cum unguento mercuriali, cui se mense Februario commisit; itaque ab homine rudi, uno verbo carnifice inunctiones factæ sunt, non quater tantùm, sed spatio trium septimanarum, non observata regula ulla, aërem vitandi, nec ullatenus purgato corpore. Unguenti hæc fuit compositio. ♃. farin. de bacc. lauri & olei de baccis lauri ana ℥ j. ceruss. ℥ iß. mastiches ℥ j. alum. usti ℥ i ß. oliban. ℥ j. mercur. crudi ℥ ß. axungiæ veteris ℥ iij. camphor. ʒ j. mota loco est materia crassa & viscida quæ longa annorum serie in artubus delituerat, & more consueto, spatio trium septimanarum exoneravit se pars illius per fauces cum periculo excidentiæ dentium, pars autem ejusdem occupavit cor, pulmones, imò ventriculum, hepar, lienem, & renes, unde spirandi difficultas, puncturæ cordis, dolor lienis, urina pauca & accensa colorem sanguineum referens. Ptyalismo procedente, Medicum qui errores tam antiquos, quàm noviter factos corrigeret, advocare fuit provisum, itaque ego die 13. Martii accersitus varia per plures dies adhibita sunt remedia, sibi invicem succedentibus interim variis symptomatis lethalibus, difficili sc. urina, aut suppressa, respiratione impedita, anxietate, tumore pedum ædematoso, abdominis postea tensione; (*quæ fusè apud auctorem suum describuntur*) Donec septimo Aprilis duplex animi deliquium passus aliquot post horas animam Deo efflavit.

Octavo Aprilis Cadaver Illustriss. Domini apertum est, sicque in stomacho duo ulcera reperta fuere, præterea totum quod ingestum fuerat alium colorem referebat. Hepar magnum, durum, & quasi coctum, in duabus partibus syderatum. Splen totus putridus. Renes utrique duri, & materia crassâ, viscidaque referti. Membrum virile cum testiculis totum quantum necrosi infectum, eodem modo orificium Vesicæ compertum. Omentum circa vesicam, inferius dirruptum & nigrum. Cor magnum sed flaccidum. Pulmones thoracis utriusque lateri accreti, ab inflammatione nigri, & integra sui parte materia purulenta undique referti. Femora cum Tibiis, hydropicorum instar, aqua tumida. Cauterium abdomini priùs applicitum, nec dum pinguedinem, quâ Illustriss. ad quatuor digitorum crassitiem pollebat pertransiverat. *Jac. Joh. Wencesl. Dobrzensky de Nigroponte Miscell. Curios. A. 1. Observ. 80.*

Secuit Cl. Sylvius cadaver Mulieris prægnantis nomine Catharinæ Caspareidis quæ post varia affectionis Hypochondriacæ symptomata tandem per sanguinis vomitum extincta fuerat. Rugæ se offerebant in infima ventris superficie, externa, signa partuum antegressorum. In abdomine secto copiosa & laudabilis pinguedo: Intestina pleraque flatibus distenta. Illorum substantia tenuis & elegans, imprimis quo in loco distendebantur, Præ aliis tamen omnibus in immensum distendebatur intestinum tenue, ante sui inflexionem sinistrorsum versus: Intestina hinc inde colore fellis infecta: folliculus fellis prægrandis erat & pallidus. Lien quoque solito multo pallidior. Plures in intestinis erant lumbrici. In ventriculi aperti parte inferiore nihil cruenti, sed materia viscidissima spadicei coloris ferè: Totus ventriculus valdè rugosus & densus: ex parte superiore, extra, insignis copia concreti sanguinis cum fluidiore, simul saporis austeri: Orificium inferius, sive pylorus, valdè constrictus: Rugæ ventriculi tortuosæ & propè pylorum ferè circulares. Intestini verò rectæ secundum fistulæ intestinalis ductum. In intestinis nihil rubicundi aut obscuri: Hepar variis in locis per fibrillas diaphragmati annexum. Pulmo dexter pleuræ firmiter connexus, mollis, boni coloris, sed flatu distentus, thoracem totum opplens, sectus apertusque liquorem limpidum, salsum, subacidumque fundens Sinister lividior distentus, passim connexus pleuræ, gelatinoso & viscido humore obductus,

firmus nigricansque, interiùs etiam sanguinis instar coagulati. Pancreatis substantia elegans, à liquore per syringam immisso parùm tingebatur. In latere complures glandulæ planè non tinctæ: Ductus pancreaticus insignis: lien pallidior multo, in quo initia apostematis. Hepar benè habebat: bilis copiosa, pallida & tenuis. Humor in pericardi osubsalsus & subacidus: cor benè constitutum: In dissecti cordis ventriculo dextro parùm sanguinis, in sinistro ne gutta quidem. Extrema in parte tubarum, variæ vesiculæ aquâ repletæ, hydatides dictæ. Rami illi, qui ex iliacis ad uterum tendunt hic ferè æquales illis qui ad crura. Quarto mense gravida judicata. Tota substantia uteri spongiosa & cavernosa multis magnis foraminibus, sive potiùs canalibus pervia, in locis quibusdam stylum crassum admittentia: in horum unum immissus sinistram versùs, tubuli ope flatus, per uteri substantiam & venam spermaticam in venam renalem & cavam transiit, magisque tumens universus observatus uterus, quasi etiam in ipsius cavitatem flatus penetrassent. Inflata arteria spermatica ad ipsos usque testes mota & tumefacta placenta uteri cum secundina, sive membrana chorio, mirabili textura è tenuissimis fibrillis conjuncta. Funiculus umbilicalis in latere sinistro placentæ insertus. Fœtuscaput in fundo uteri: hic unus & masculus lateri sinistro incumbens: extremitates manuum pedumque ut & narium albicantes: Umbilicus parte ventris magis inferiore quàm in adultis. In totius corpusculi superficie venarum ramificationes elegantissimæ conspicuæ: facies ruditer efformata. In arteria aspera sanguis coagulatus, in œsophago non. *Matthias Paisenius in Miscell. cur. ann. 4. & 5. Observat. 96.*

Patritius quidam intemperantissimus in affectionem hypochondriacæ non dissimilem admodum sua forma incidit: aderat & nausea continua, creber vomitus, & cogitationes melancholicæ: symptomata levibus purgationibus & tempestiva sanguinis missione aliquanto remissiora sunt reddita, at nunquam malum fuit extirpatum: aliquot diebus post sensit horrorem, & supervenit tumor & dolor in sinistro genu: itidem circa pubem tumor prognatus, qui vesicæ orificium ita compressit ut difficulter urinam reddiderit: hic tumor interdum augebatur, interdum minuebatur, unde causa flatibus adscripta est: quotidiano tamen incremento ita auctus est ut sese ad umbilicum & latus sinistrum extenderit & respirandi difficultatem excitarit: fuit redditus cacochymicus & cachecticus, & postquam cruciatibus morboque totus contabuerat, septimo à morbi principio mense obiit diem. Apertum fuit corpus, & in eo inventa collectio materiæ purulentæ ac fœtidæ, nimirùm inter duas mesenterii tunicas: collectio hæc occuparat majorem inferioris ventris partem & hepar sua putredine infecerat.

Hinc non mirum si facta malâ sanguificatione tumoribus inflammationibusque crura infestata (ut hydropicis contingit) fuerint: opinandum sanè est multos similem materiam, tanquam gravissimorum morborum fomitem in hoc mesenterio coacervare, à qua si non per vomitum vel per alvum liberentur, in tædiosos, longos, atque gravissimos morbos incidunt, & ultimo miseriis consumpti occumbunt. *Coiter. libello observat. anat. & chirurg.*

Honesta Virgo annos præter propter quinquaginta nata, plures annos variis cruciatibus, indeque enata affectione hypochondriaca, seu flatulenta vexata, vitamque languidam agens, die 14. Octobris Anno 1682. à sacra concione fortè redux, in totalem pulsus suppressionem per viginti quatuor ferè horas durantem incidit, tandemque inter loquendum, atque etiam comedendum vitam cum morte commutavit. Die subsequenti aperto cadavere, reperiebamus ventriculi situm prorsus inversum, ita ut pars illius amplior quæ in statu naturali, humiliori posita loco fundum ejusdem constituit, supremo hic locaretur situ: Pars verò paulò contractior, quæ in statu naturali sensim magis arctata in pylorum abit in superioribus à dextris positum, ima hic occuparet, fundique ventriculi officio fungeretur. Pylorum præterea vidimus, glutine ita obsessum, & per fibras suas ita contractum ut stylum majorem non facilè admitteret. Duodeni portionem immediatè è pyloro emanantem & ad superiora tendentem, in sui principio ita dilatatam ut secundarius quasi ventriculus videretur, observavimus. In thorace reserato advertimus cor stupendæ magnitudinis cujus cavitates adimplebant polypi grandiores, quorum alterum auriculam dextram lato & crasso pediculo opplens, contractior sensim factus, cavitatis parti cuspidi proximiori affigebatur, indeque rursus in amplum elevabatur corpus, quod posteaquam ventriculi totam longitudinem decurrisset, per varias arteriæ pulmonariæ, veteribus venæ arteriosæ dictæ, divaricationes aliquantulum divagabatur. Alter polypus, è pluribus radicibus in cavitate cordis sinistra, ejusdemque & fundo & lateribus implantatis, ortus, illa sui parte quæ cavitatem prædictam occupabat, pollicem integrum latus, dimidiumque crassus, circa ventriculi exitum multum contrahebatur, & in aortam ascendebat. Prioris substantia firmior, glandulosum quid, fibris variis, quasi nerveis, intertextum exhibebat; in cujus medio per totam longitudinem sanguineum vas decurrens videbatur. Posterioris verò substantia, è fibris sanguineis glutine albo infarctis, compaginata erat. Non mirum itaque si facta sit ἀσφυξία memorata post longas pulsus debilitates, à polypis descriptis, eò usque tandem auctis ut sanguinis motum absolutè propè impedirent. Cruditatum autem, indeque enatæ affectionis hypochondriacæ, rationem commodiùs & meliùs assignare non potuimus, quàm descriptæ ventriculi dispositioni; in qua sc. quod fundi vices sustinebat, non ejus erat capacitatis, nec ita sub pyloro propendebat, ut ponderosior chyli pars, præ exclusionis difficultate, ibidem eas traheret moras, quæ sui in fermentum exaltationi necessariæ forent, unde minùs bene dissolutæ alimenti assumpti particulæ crudiorem succum sanguini sufficiebant, qui in variis visceribus, atque carnibus inter circulandum detentus, langoris, & cachexiæ; quique in corde coagulatus polyporum materiam dabat, præterea crassior quædam ejusdem portio ad intestina, tum è ventriculo, tum per varia excernicula, pancreas sc. glandulas intestinales &c. demandata, pituitam ibidem aggerebat veram flatuum causam materialem; nam dum à salibus crassioribus in sui centro nidulantibus agitatur, bullas efformat non absimiles illis quas sapo aqua dilutus, & stipulæ immersæ extremitati adhærens, aëre

immisso

immisso dilatatus, efficit. Sic autem non tantùm molesta distensione gravantur intestina, sed eorumdem fibræ per vim sibi factam convelluntur, unde in varios hæc viscera, omnesque etiam abdominis, seu partium in eo contentarum membranæ, cientur spasmos. Ventriculi descripti vide figuram in nostra *Bibliotheca Anatomica Tom.* 1. *pag.* 76.

AFFECTIO HYSTERICA.

Eadem est ac Affectio Hypochondriaca, & quoad sua signa præcipua, & quoad causas, & quoad curam, itaque illam explicare supersedebimus, suo tantùm loco suffocationem Hystericam tradere contenti, hicque de Affectione in genere aliquot.

Curationes, Consultationes, & Cadaverum Inspectiones è variis Auctoribus.

Curationes.

In Affectionis Hystericæ Paroxysmo. ℞. Spir. sal. armoniac. aromat. ʒß. C. cervi, tartari, tinctur. castor. ana ℈ j. aq. menth. fœnicul. matricar. ana ℥ j. misce. Dosis cochlear. j. ℞. Spir, sal. armoniac. succinat. tartar. ana ʒß. lavendul. ʒ ij. essent. calam. aromat. zedoar. ana ℈ j. solut. galban. gutt. xv. aq. Rorismarin. menth. ana ℥ ij. cinnam. ℥ j. misce. ℞. Spir. C. C. tartar. ana ʒß. tinctur. castor. succin. ana ℈ j. solut. asæ fœtid. gutt. xii. aq. naphæ ℥ ij. carminat. ℥ j. misce. ℞. Spir. epilept. ex ungula Alces ʒ j. ligni ebeni ʒß. solut. asæ fœtid. gutt. xii. Ment. cinnam. gutt. x. rorismarin. ʒ j. aq. calaminth. ℥ iiij. misce. In nares infundi possunt Sp. C. C. tartari, sal. armoniac. aromaticus. Externè inungi ol. C. C. ol. C. Rhinocerotis, tartar. fuliginis, cinnam. rutæ, castorei, &c. Duplici autem operabitur commodo, qui in instrumento Glauberiano spongiam mistura ex spir. C. C. sal. armoniac. aromatico & aq. menthæ composi â, turgentem applicabit. Paroxysmis convictis, ægros apposito purgo cathartico. ℞. Gumm. galban. ℈ j. resin. jalapp. scammon. ana gr. v. mag. succin. gr. iv. ol. menth. gutt. ij. misce f. pilul. n. v. vel ℞. gumm. sagapen. ℈ i. resin. scammon. gr. vj. extract. Agarici gr. viii. castorei gr. vi. ol. still. myrrhæ gutt. ij. menth. gutt. j. m. f. pilul. n. vii. Ad aperiendas obstructiones, & serosos, acres, flatuososque humores ejiciendos est sequens sudoriferum. ℞. Spir. tartar. sassafrati, C. cervi ana ʒß. carminativ. ʒj. antim. diaphoretic. ℈ j. ocul. cancr. gr. xv. Rob. sambuci ʒ ij. aq. artemisiæ ℥ ij. m. f. sudoriferum. *Hermann. Nic. Grimm. Compend. Medico-Chymici pap.* 294 *&c.*

Indicationibus Affectionis Hystericæ satisfacturus, paucula hæc & vulgaria præscribere soleo; quæ licet nihil magnifici præ se ferant, ut plurimum tamen id præstant quod volo.

Mittatur sanguis ad uncias octo è brachio dextro. Post ℞. Galban. in tinctura castorei soluti & colat. ʒ iij. tacamahac. ʒ ij. f. emplastrum umbilico admovendum. Sequenti mane aggrediatur usum sequentium pilularum. ℞. Pilular. cochiar. ℈ ij. Castor. pulver. gr. ij. balsam. peruvian. gutt. iv. capiat hora quinta matutina superdormiendo. Repetantur per duas vel tres alias vices, idque singulis vel alternis auroris pro ratione virium, aut operationis. ℞. aq. cerasor. nigr. rutæ, & bryoniæ compos. ana ℥ iij. castor. in nodulo ligat. & in vitro suspens. ʒ ß. sacchari crystallini q. s. f. julapium, de quo capiat cochlearia iv. vel v. in omni langore; instillando primæ dosi, modo paroxysmus urgeat, spir. C. C. gutt. xx.

Post pilulas purgantes modo suprà descripto sumptas, utatur & sequentibus. ℞. limatur. chalyb. gr. viii. cum s. q. extracti absynth. f. pilulæ n. ij. sumat summo mane repetanturque horâ quintâ pomeridianâ, per dies xxx. superbibendo haustum vini absinthitis, vel pro usu quotidiano, ℞. limatur. chalyb. & extract. absinth. ana ℥ iiij. m. asservetur pro usu. Capiat iisdem temporibus gr. xvi. vel ℈ j. in pilulas tres redact. vel si forma boli magis arrideat ℞. conserv. absinth. roman. & conserv. flaved. aurantiorum ana ℥ j. angelic. condit. nucis moschat. condit. & theriac. andromach. ana ℥ß. zinzib. condit. ʒ ij. cum s. q. syr. aurantiorum f. electuarium. ℞. electuarii præscript. ʒ i ß. limatur. chalybis probè tritæ gr. viii. cum s. q. syr. aurantiorum f. bolus sumendus manè, & horâ quintâ pomeridianâ, superbibendo haustum vini absinthiis. ℞. myrrh. elect. & galban. ana ʒ i ß. castor. gr. xv. cum s. q. Balsami peruvian. f. pilul. è singulis drachmis xii. sumat. iij. singulis noctibus, superbibendo aq. bryon. compos. cochlear. iij. vel iv. per totum decursum hujus processus. Sin autem pilulæ ultimò præscriptæ ventrem moverint, quod in corporibus quæ facillimè purgantur, præ gummi quæ insunt, quandoque fit, tum sequentes substituantur. ℞. Castor. ʒ j. sal. succini volatilis ʒß. cum s. q. extract. rutæ f. pilulæ exiguæ numero xxiv. capiat iij. singulis noctibus. Hîc autem observandum quòd *chalybeata* in quacunque forma aut dosi exhibeantur; fœminis quandoque magnas tum animi tum corporis perturbationes inducant, idque non solùm primis diebus (quod ferè omnibus solenne est) sed etiam per totum tempus quo illis utuntur; in hoc casu non statim chalybis usus dictis temporibus interrumpendus, sed quò meliùs eundem ferre possint, *laudanum* aquâ aliquâ hystericâ mistum singulis noctibus ad tempus aliquod propinandum. At ubi symptomata mitiora sunt, ut res sine ferro intro sumpto transigi posse videatur, (in minore scilicet morbo) satis habeo sanguinem mittere atque alvum solvere ad dies tres quatuorve, ut suprà diximus: Dein pilulas hystericas alterantes præmemoratas *manè & serò per x. dies* capiendas imperare. Quæ quidem methodus in affectu leviore raro à scopo aberrat. Imò pilulæ istæ solæ, vel omissis phlebotomiâ & catharsi, sæpè magnos effectus edunt. Seriò interim animadvertendum est, nonnullas fœminas idiosyncrasiâ quadam ab hystericis illis medicamentis (quæ plerisque hujus morbi symptomatis levamen afferunt & solatium) ita penitùs abhorrere, ut non solùm non juventur, sed etiam insigniter ab eorum usu lædantur: in his itaque omninò sunt omittenda ista: φύσιος γὰρ ἀντιπρηττούσης ut divinus Senex, κενεὰ πάντα. Invitâ minervâ nihil quicquam moliendum. Quæ quidem Idiosyncrasia adeò insignis ac frequens est, quod respectu ad eam non habito ægræ in discrimen vitæ conjici possint.

possint; idque non solùm quoad hysterica, sed quoad multa remedia alia: cujus impræsentiarum instantiam unicam adferam. Fœminæ nonnullæ *variolis* laborantes *syrupi è meconio* usum ferre non possunt, utpote à quo vertigines, vomiturítiones, & id genus symptomata ad affectus hystericos pertinentia accersantur, quibus tamen *laudanum liquidum* apprimè convenit.

Atque ita hysterici affectus quoad plurimùm sanantur, ut & pleræque *mulierum* quas appellant, obstructiones, at præ cæteris chlorosis, seu pallidi virginum colores, uti etiam mensium suppressiones qualescunque. Attamen si sanguis usque adeò effœtus fuerit, tantaque proinde spirituum ἀταξία, ut chalybs præscripta methodo usurpatus malo vincendo par non sit, adeundæ *aquæ minerales* aliquæ ferri minerâ saturæ, quales sunt nostræ *Tunbrigienses*, aut aliæ nuper repertæ. Harum enim virtus chalybeata, tum ob insignem quantitatem quâ hauriuntur, tum etiam ob earundem cum natura convenientiam intimiùs sanguini permiscetur, & potentiùs morbos expugnat quàm ferrum quocunque demum artificio nobilitatum, ut volunt ciniflones imprudentiores. Hoc autem præ cæteris inter bibendum observandum; si ægritudo quævis ad symptomata affectionis hystericæ referenda accidat, hoc in casu per diem unum alterumve æger aquis absistat donec symptoma illud transitum Aquarum aliàs impediturum, penitùs abeat. Etenim tametsi hæ aquæ humoribus agitandis ac proinde spiritibus confusioni inducendæ minùs aptæ natæ sint, quàm cathartica vel lenissima ex officinis deprompta, aliquantulùm tamen idem præstant, quatenùs scil. diureticæ sunt; ut taceam quod sæpe etiam ventrem movent. Quod si ipsæ aquæ humores ac spiritus exagitando turbandoque aditum sibimetipsis præcludant, quo minùs facilè transeant, videant illi quàm importunè agunt qui medicamenta *purgativa* per harum usum imperant, semel aut bis in septimana assumenda, vel, quod adhuc ineptius, ipsis aquis immiscenda præcipiunt; unde fit tam in his quàm in aliis aquis mineralibus ut non solùm non promptiùs sed & planè tardiùs ac difficiliùs eædem operentur. Hîc mihi non reticendum, quòd tametsi his aquis ferrum inesse in principiis solutis nonnullis videatur (quod idem planè est ac si *ferrum liquidum* supponimus.) nullus tamen dubito, quin eædem nonnisi simplices aquę extant virtute mineræ per quam transeunt imprægnatæ ac infectæ. Quod cuipiam liquidò constabit, si aquę communis congiis aliquot satis magnam vim clavorum veterum ex calceis equinis extractorum infuderit. Sentiet scilicet aquam hanc cui pulvis gallarum, fol. Thea, vel similia fuerint immista, eodem planè colore infici, ac si aqua esset fontis mineralis. Neque sanè diversos effectus hæ aquæ sive artificiales sive inartificiales (utrum enim mavult quis appellet) epotæ edent, modò tempore æstivo atque aëre salubri assumantur. Sed utut hoc sit, si ob contumaciam ejus hic affectus ferreis aquis minùs cedat, adeundæ sunt *aquæ calidæ sulphureæ* quales sunt nostræ *Bathonienses*; atque æger, postquàm tribus auroris continuis eas intùs assumpserit, sequenti die *Balneum* ingrediatur, & postero die iterùm eas bibat; idem faciendo alternatim per duos menses integros. Etenim tam in his quàm aliis, cujuscunque demum generis sint, hoc sedulo notandum, quòd in earum usu eousque ægro persistendum donec non tantùm levamen aliquale sentiat, sed, quo minùs symptomata omnia brevi postliminiò revertant, donec omninò convalescat. *Theriaca Andromachi*, vel sola, si crebrò diuque usurpetur, magnum est in hoc morbo remedium. Neque verò in hoc solo, sed in aliis quamplurimis a caloris & coctionis sive digestionis defectu ortis, omnium fortè potentissimum, quæ hactenùs nobis innotuere, utut à plerisque fastidiatur, quòd & pervulgata sit, & a tot jam sæculis cognita. *Vinu Hispanica Gentianâ, Angelica, Absynthio, centaurio corticum Aurantiorum flavedine*, aliisque corroborantibus infusis medicata, si ad aliquot cochlearia ter in die potentur, admodùm conferunt, modò ægra tenui non fuerit bilioso que corporis habitu. Profectò vel *vini Hispanici simplicis* liberalior haustus, horâ somni aliquot noctibus, meo suasu propinatus Hystericis nonnullis per quàm salutaris fuit, cùm ex eo robustior universi corporis habitus redderetur, ipsæque adeò fœminæ è cachecticis vividæ simul ac vegetæ fierent. Ad hæc *Peruvianus Cortex* eximias mirandasque vires in sanguine & spiritibus confortandis invigorandisque habere nonnunquam deprehenditur, cujus *scrupulum unum manè & serò* ad septimanas aliquot deglutitum, sanam firmamque corporis crasin (tam viris *hypochondriacis*, quàm *hystericis* fœminis diu multumque ægrotantibus, dejectaque jam quasi corporis œconomia) restituisse, ipse observavi. In nullo autem Hystericorum affectuum genere feliciùs succedit quàm in illo quo *spasmis* afficiuntur fœminæ, nixus edentes fortissimos & plusquàm muliebres, pectora simul ferientes. Interim tamen confitendum est, quòd hoc medicamentum non ita certò crebroque huic malo succurrat ac *febribus intermittentibus*. Quamvis verò (ut id obiter dicam) in harum curatione egregia præstet, ne dicam miracula, dictus cortex, atque eodem tum ipsi nos libenter utamur, tum uxoribus liberisque usurpandum imperemus quoties res postulet; sunt tamen quibus haud minùs jam displicet, quod tam certò subitoque morbos expugnet, quam olim displicebat, quod nonnisi nuper his terrarum oris innotuerat. Quo quidem fato tum optimi quique viri, tum etiam præstantissima quæque ac δραστικώτατα remedia semper ferè urgentur. Verùm tamen ad hanc notam, seu lydium lapidem, indolem nostram licet adductam experiri atque exinde dignoscere, hominesque boni simus, an verò probrosi; pro gradu scilicet quo vel exultamus, vel dolemus, vel ringimur; quoties publica res hominum communi aliquo beneficio, ac Nummis favore augetur.

Si quæ verò ex remediis suprà recensitis minùs conveniant, quod temperamento bilioso ac tenui præditis sæpe accidit, tunc *Diæta lactea* possit usurpari. Etenim mulieres aliquot (quod primâ statim fronte mirabitur quis) cum affectibus hystericis diu conflictatæ, etiam iis qui omnes medicorum conatus spreverant eluserantque tandem lacte solo aliquandiu vescentes convaluere. Atque illæ quidem maximè quæ ea specie laborabant quam ego colicam hystericam appello, quæ nonnisi à narcoticis potuit deliniri; quibus itaque per intervalla repetendis multùm assueverant hæ fœminæ, dolore recrudescente ut primùm emarcuerit Anodyni virtus. Id verò in hac curandi methodo præcipuè mirandum, quòd cùm lac frigidum tantùm crudum-

dumque alimentum præbeat, spiritus nihilominus ejus usu corroborentur invigorenturque. Nec tamen hoc à ratione abhorrere illis videbitur, qui secum reputaverint, lac, cùm simplex omninò nutrimentum suppeditet, naturæ minus in coquendo negotium facessere, secùs ac solent cibi ac liquores magis compositi; quodque perfectissimam illam concoctionem æqualis sanguinis spirituumque crasis necessariò sequatur. Illud etiam est animadvertendum, quod non nuda spirituum debilitas per se considerata; sed eorundem debilitas ad sanguinis statum comparatorum ἀταξίας, quam patiuntur, causa sit. Fieri enim potest, ut infanti spiritus satis firmi robustique sint pro sanguinis ratione, qui tamen debitam ad sanguinem adulti hominis proportionem non teneant. Jam verò cum ex jugi lactis usu & diæta quantumvis illa sit cruda atque invalida, sanguis mollior & tenerior evadat, si spiritus ab eo nati sanguini pares tantùm sint, satis benè se res habet. Non omnibus tamen contingit, quantumlibet à lacte aliàs juvari potuerint, ea incommoda superare posse, quæ primis ferè diebus apportat, quòd nempè tum in ventriculo coaguletur, tum etiam viribus corporis in statu conservandis sustentandisque minùs sufficiat, at verò nihil ex omnibus quæ mihi hactenus innotuere, adeò impensè sanguinem, spiritusque fovet, firmatque, ac diu multumque singulis ferè diebus *equo vehi*. Cum verò in hac Gymnasticæ specie impetus fermè omnis in ventrem inferiorem fiat, in quo vasa excretoria (quotquot fæculentiis, in sanguinis massa stabulantibus, educendis à natura instituuntur) sita sint; quæ tanta functionum perversio, aliave organorum naturalis impotentia vel fingi potest, cui tot succussationum millia eodem die ingeminata idque sub dio, opem non attulerint? cujus calidum innatum usque adeò deferbuerit ut hoc motu non excitetur, & denuò effervescat? quæ verò sive præternaturalis substantia, sive succus depravatus in aliquo harum partium sinu recondi potest, qui non hoc corporis exercitio, vel in statum naturæ consentaneum perducatur, vel quaquaversùm dissipetur eliminetur ue? Quid quòd sanguis perpetuò hoc motu indesinenter exagitatus ac permistus quasi renovatur ac vigescit. Quæ quidem methodus licet fœminis vitæ desidi atque imbelli assuetis, minùs accommoda sit, utpote quæ à motu, maximè in principio, possint lædi, viris tamen est aptissima, & sanitatem præ cæteris conciliat. Quoties paroxysmus invaluerit si tale aut tantùm sit malu n ut inducias ferre nolit, donec sanguine & spiritibus corroboratis, quasi per ambages sanari possit, confest m ad remedia *hysterica* ista confugiendum est quæ odore viroso ac gravi spiritus, ut dixi, exorbitantes ac desertores, in proprias stationes remandant, sive intra corpus sumantur, sive naribus admoveantur odoranda, sive exteriùs applicentur; cujusmodi sunt *Asa fœtida*, *Galbanum*, *Castoreum*, spiritus salis armoniaci, & quicquid est denique quod odorem tetrum admodum ingratumque spirat. Hîc enim quod res est dicam. Quæcunque fœtent, ea omnia intentioni huic apprimè inserviunt, sive natura, sive etiam ars ea putido odore donavit. Atque ni fallor, spiritus C. C. sanguinis humani, urinæ, ossium ac similium, inde præcipuas suas vires acquirunt, quòd, dum vi ignis præparentur, empyreuma contrahant tetrum, ac malè olens, quasi essentiæ eorum intimiùs annexum. Quod pariter cernitur in fumis à Corio, pennis, & id genus animalium partibus, cùm exurantur, exhalantibus. Etenim id habent commune singulæ animalium substantiæ, ut inter exurendum fumum emittant olidum & olfactui ingratum; qui si importuno igne affatim eliciatur, ac organis excipiatur, condensatus is in liquores istos abit ac convertitur, qui spirituum volatilium nomine insigniuntur, quique facultates eas facilè reportant quæ subjectis suis haud primitùs inerant; utpote qui *ignis* solummodò *creaturæ* existunt, & singuli eorum eandem planè virtutem cum cæteris nanciscuntur, ex quacunque demum substantiâ (modò animalis ea sit) procudantur extrahantur ve. Proximo loco animadvertendum est quòd si paroxysmum comitetur *dolor* aliquis intolerabilis in quacunque demum parte, aut *vomitio* enormior, aut etiam *diarrhœa*, tunc præter hysterica jam laudata, *laudanum* in usum revocari debet quod solùm vires habet his symptomatis cohibendis prorsùs pares. At verò in iis doloribus sedandis, qui vomitiones excitant, cavendum est sedulò, ne illi sive laudano, sive alio Paregorico mitigentur, non præmissis debitis evacuationibus, nisi patientiam ferè humanam omnem vicerint. Primùm, quia tanta nonnunquam sanguinis & humorum copia est aggesta (maximè in fœminis sanguineo, & masculis propriore habitu præditis) quanta narcotici vel efficacissimi, ejusque sæpiùs repetiti, operationem valeat sufflaminare. Unde in talibus sanguis è brachii venis necessariò est extrahendus, & catharticum eis est propinandum, antequam ad laudani usum accedamus; his enim ritè peractis, quod priùs, vel in maxima dosi exhibitum nihil proficiebat, jam in dosi mediocri scopum attinget. Deinde quia multiplici experientiâ edocti sumus, quod quoties ægra paulatim laudano assueverit, non præmissâ evacuatione debitâ, necesse habuit, ob dolorem mox ab evanescente remedii virtute denuò revertentem, Paregoricum rursùs ingerere, idque quotidie ad annos aliquot continuos, dosi subinde per gradus auctâ: ita ut nullo modo jam à laudano abstinere queat, licet omnes ab illo digestiones vitientur & functiones naturales debilitentur. Quamvis non sentiam laudani usum sive cerebro, sive nervis, sive facultatibus animalibus immediatè nocere. Judico itaque ego, quod expertus loquor, evacuantia anodynis debere præmitti: v. g. viraginibus & fœminis in quibus sanguis prædominatur, vena secanda est, & alvus subducenda, præsertim si non jam à longo tempore paroxysmo fuerint correptæ. Si verò fœminæ debiliores, & quæ temperamenti à prioribus illis planè diversi sunt, hujuscemodi paroxysmo & dolore affligantur atque eodem subinde haud ita pridem laboraverint, sufficiet eorum ventriculos congio uno, plus minùs, lactis cerevisiati hausto, & mox per vomitum rejecto detergere; dein largam dosin imperare sive *theriacæ Andromachi*, sive *electuarii Orvietani*, & cochlearia aliquot liquoris alicujus spirituosi & gustui non ingrati cum paucis laudani guttulis superbibenda. Quod si ægra jampridem vomuerit, antequam accerseretur Medicus, & metus sit ne emeticis ulteriùs sollicitetur, in furorem agantur spiritus, & ægræ vires nimiùm dejiciantur, hoc in casu *laudanum* sine mora propinari debet, eo dosis modo numeroque quæ symp-

tomatis magnitudinem ac durationem non tantùm exæquare possit, sed & vincere. Duo autem hîc præ cæteris diligenter sunt notanda. Primò, quòd cùm semel post evacuationes justas & necessarias, laudano uti cœperimus, ea dosi, atque illâ toties repetitâ sumendum est istud pharmacum, donec symptoma omninò fuerit debellatum, interjecto tantùm spatiolo inter singulas doses, ut quid prior præstiterit ante noscamus, quàm alteram repetamus. Sed de hoc fusiùs alibi egimus. Deinceps dum laudano morbum aggredimur, nihil prorsùs movendum est, nihil evacuandum, cùm vel mitissimum illud enema è lacte saccharato possit destruere quicquid reparaverat Paregoricum, & tam dolorem quàm vomitionem postliminiò revocare.

Ut ut verò dolores, quod jam innuimus, suprà memorati importuni sint in anodyno efflagitando, tamen vomitiones enormes & dosin ejusdem longè maximam & sæpissimè repetitam indicant, cùm ab inverso motu ventriculi peristaltico (quo in eo contenta versus inferiora erant protrudenda) remedium Paregoricum priùs eliminetur per œsophagum, quàm opis aliquid afferre queat, nisi post singulas vomitiones Narcoticum de novo toties quoties iteretur, idque in forma potissimùm solidâ; aut si in liquida detur, vehiculum ita parcum esse debet, ut ventriculum imbuat tantùm, & præ materiæ inopia ab illo sursum evehi nequeat. v.g. *Guttæ aliquot in cochleari uno aq. cinamom. fortioris*, aut similis. Monenda interim est ægra ut statim ab assumto laudano conquiescat, ac caput præsertim quantùm fieri potest immotum teneat; quando vel levissimus capitis motus præ cæteris omnibus vomitionem provocet, unde medicamenti modò deglutiti jactura fit. Quinimò etiam cessante & quasi perdomitâ vomituritione, expedit anodyno ad paucullos dies manè & serò exhibito, seu injecto fræno, recidivam præcavere. Quod itidem post dolorem hystericum narcotico sedatum, aut diarrhœam, omninò observari debet.

Atque ita demum methodo jam tradita & *dolori & vomitioni* symptomaticis mederi in promptu est; à quibus cùm aliorum persæpe morborum speciem præ se ferant, Medicis faciliùs imponitur, quàm ab aliis quibuslibet symptomatis, quotquot manum medicam deposcunt, de quo pauca subjungam v. g. in ista hystericæ affectionis specie quæ Paroxysmum Nephriticum imitatur, quis non videt quanta sit paritas morbi utriusque & similitudo, tum quod pars eadem utrobique doleat, tum quod in utroque affectu vomituriant ægræ, cùm tamen à causis ita ab invicem variantibus pendeant, & tam impari methodo debeant sanari, ut quod in hoc lædat, in illo juvet, & è contrà? si enim sive *calculus*, sive *arenulæ* Renum substantiam atterentes dolorem inferant, atque ex partium consensu vomitionem, nihil æquè conducet ac prælarga & frequens causæ antecedentis, per phlebotomiam revulsio, tum ut dilatentur laxenturque meatus, per quos calculus excludendus est, enematis emollientibus sæpenumerò repetitis, aliisque ejus generis remediis internis: Quibus medicamenta Diuretica, & lithontriptica addenda sunt. Jam si dicta sympromata à calculo nullatenùs oriantur, sed à spiritibus animalibus nimiâ copiâ Renes impetentibus (quo in casu Paregorica tantùm indicantur, nec vel enema è mitioribus, post primas evacuationes, sine periculo injicitur) in quanto vitæ discrimine vertetur infelix ista de cujus jam corio luditur, non opus est dicere. Idem potest affirmari de affectu illo hysterico qui *colicam biliosam*, vel *iliacam passionem* simulat. Hîc ubi pro concesso habeatur affectum istum (licet indolis omninò sit diversæ, imò contrariæ) colicam biliosam esse, & ab humore acri in viscera per arteriarum mesentericarum oscula excreto nasci (in quem errorem dolor intolerabilis, & viridis color qui in materia cernitur tam per os quàm per sedem expulsâ Medicum incautiorem & cogitationibus minùs assuetum haud ægrè perducant,) quæ methodus tam commoda, quàm ut in contemperanda, remediorum refrigerantium atque incrassantium ope, humorum acrimonia operam locemus? atque, quò humores è visceribus exterminentur, præter enemata quotidiana, ut cathartica frequenter propinemus; inter cætera verò etiam mercurium dulcem diagrydiatis permixtum ad pleniorem materiæ morbificæ eradicationem? Quam malè autem cum ægris agatur, quantumque eis periculum immineat, dum huic methodo insistamus, si affectus qui colica biliosa censetur, re ipsâ hystericus tantùm fuerit, aut hypochondriacus, nemini non liquet: cùm clamet experientia, quòd post primas evacuationes universales (quæ humorum putrescentium, quos peperit ἀταξία jam sæpè dicta, quique anodynis obstaculo esse possint, saburræ amoliendæ dicantur,) nihil jam restat nisi ut tumultuantes spiritus consopiamus, donec tandem symptomata evanuerint, at iis cessantibus opportunè chalybeata impertimus, vel si quod aliud est remedium quod sanguinem accendendo atque invigorando morbum radicitùs extirpet. Meum non est plurimas atque ingentes illas calamitates enumerare, quas fœminis contigisse ipse novi, ubi colica hæc hysterica à bile ortum ducere existimaretur. Verum tamen affirmo evacuationes sæpe repetitas, quæ quidem in colica biliosa omninò indicantur, dolorem vomitumque non solùm non compescere, sed irritare magis, spirituum scil. perturbationem, quæ vera horum symptomatum causa est, promovendo. Tandemque malum ad menses aliquot prolongatum, methatesi derepentè in cerebrum factâ, desinit in *spasmos*, à quibus ægra brevi è medio tollitur; idque vel maximè post alias evacuationes diutiùs repetitas, suadente colore viridi eorum quæ per os è ventriculo excernuntur, emeticum fuerit propinatum verbo dicam: si quid ego observando didici, imprimis cavendum est ne symptomata fœminis hystericis familiaria ab aliis quos sæpè æmulantur morbis, diagnosi errante putentur oriri.

Hic non est reticendum, quòd præter errores jam recensitos, à quibus fœminæ affectibus hystericis obnoxiæ de vita periclitantur, permultæ insuper errore non minùs funesto dictis affectibus mulctantur ea tempestate, quâ hic morbus, licet suâ naturâ non sit lethalis, tamen vi malorum ἐπιγινομένων ac subsequentium non paucos è medio tollat. Exempli gratiâ: fœmina teneriori atque infirmo corporis habitu infantem parit, cui omnia fœliciter & secundùm naturam cedunt: Obstetrix sive rudis & imperita, sive sit jactabunda, & quam præclarè suo illa munere functa sit palam ostentans, suadet ut puerpera paucis à partu diebus

is surgat, & se à lecto aliquandiu abstineat; hæc morem gerens, statim à primo corporis motu *affectione hystericâ* corripitur, & pro ratione qua morbus inaugescit, *lochia* primùm imminuuntur; deinde sistuntur penitùs; quorum suppressionem præmaturam longa symptomatum series excipit: quæ, nisi permagna tam diligentia, quàm in medendo peritia intercedat, ægram brevi perimunt, nonnunquam enim *phrenisi* laborant ex hac occasione, quæ in dies efferatior reddita *spasmos* primùm, dein mortem affert: si verò mortem evadant, mitiùs aliquantulùm insaniunt, quandoque ad ultimum vitæ terminum, nonnunquam post lochiorum suppressionem in *febrem* incidunt, quæ vel in earum quæ tum grassantur, epidemicarum castra transit, vel ab ea sola pendet origine. Adde quòd iidem affectus hysterici, quibus lochiorum suppressio inprimis debetur, jam magis sæviunt, tanquàm ex se denuò nati. Diu est à quo mihi subiit in mentem, quòd ex eis quæ moriuntur puerperis vix decima quæque, ut modestè computemus, vel ex eo perit quòd vires partui necessariæ eam defecerint, vel ex doloribus partum laboriosiorem comitantibus; at eo maximè nomine, quòd debito citiùs exurgat, excitatis à motu illo paroxysmis hystericis, à quibus cùm sistantur lochia, mox ingens ineluctabilium symptomatum turba ingruit. Quamobrem istis quæ me audiunt ubique author sum, ut ad *diem* saltem *decimum* usque in lecto se contineant, si modò naturâ paulò debiliores sint præcipuè si *vaporibus*, qui vulgò dicuntur, jampridem fuerint tentatæ. Præterquam enim quòd ista, quâ in lecto fruuntur, quies à malis jam toties commemoratis eas immunes præstet, non interruptus lecti calor spiritus pariter reficit tum à pariendi doloribus, tum ab evacuationibus in hoc casu solennibus exhaustos fractosque; quinimò & naturæ suppetias fert, atque omnes, quas gestationis tempore mulier congesserat, cruditates digerit & amolitur. Verùm si ab admisso hoc errore quodvis è dictis symptomatis supervenerit, indicationes curativæ eò dirigendæ sunt, ut spiritus ab hoc motu jam irrequieti redditi sedentur, & ut *lochia* rursùs fluant quandoquidem eorumdem suppressio horum symptomatum causa sit proxima atque immediata. Neque tamen huic methodo pertinaciùs insistendum, sed exhibitis aliquandiu remediis quæ in hoc casu cum successu usurpari solent; si votis ea non respondeant, ab iis temperandum est; cùm neque fortiora hîc locum habeant, neque in mitiorum usu perseverare debeamus, propter attritas & ferè prostratas puerperarum ita affectatum vires. Exempli gratia, ubi primùm lochia jam supprimi constat, è re fuerit fœminam è vestigio lecto addicere, mox *emplastrum hystericum* umbilico admovere, atque quamprimùm *electuarium* sequens propinandum imperare. Ut ℞. conserv. absynth. roman. & rutæ ana ℥j. trochisc. è myrrha ʒij. castor. croci angl. sal. volatil. salis armoniac. & asæ fœtidæ ana ℈ß. cum s. q. syr. de 5. radicibus fiat electuarium cap. ad magnitudinem nucis moschatæ majoris: tertiâ quâque horâ superbibendo seq. julapii cochl. iv. vel v. ℞. aq. rutæ, bryon. compos. ana ℥iij. sacchar. candi q. s. m. f. julapium. Atque hæc, si statim à primo suppressionis indicio exhibeantur, hoc malum plerumque devincent. Sin autem dictis remediis eousque continuatis donec tota quantitas assumpta fuerit, lochia adhuc supprimantur, hoc in casu *laudanum*, unâ saltem vice, tentandum. Hîc laudanum, quantumlibet suaptè indole astringat, cùm tamen spirituum perturbationem, à qua solennis lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compescat, quandoque plurimùm juvare, &, *emmenagogis* nihil proficientibus, lochiorum fluxum postliminiò revocare possit. Commodissimè verò narcotica unà cum *hystericis* & *emmenagogis* propinantur; v. g. *laudani liquidi gutt. xiv. in aqua bryoniæ compositâ; vel laudani in forma solida granum unum semis cum scrupulo dimidio asæ fœtidæ in pilulas duas redactum.* Sedulò interim animadvertendum est, quod si telo hoc semel misso scopum non attingamus, nec sequantur lochia, *Opium* nullo modo est repetendum, ut in aliis casibus fieri solet ac debet: etenim si reiteretur hîc Paregoricum, lochia ita potenter sistet, ut ea nullâ deinceps arte provocari queant. Verùm enim verò si & hoc minùs succedat (interjecto aliquo temporis spatio, quo certiores simus quid istud præstiterit) ad medicamenta iterùm ἐμμηναγωγὰ hystericis permixta redeundum est & dein ad *enematis ex lacte saccharato* injectionem. Verùm quod de opio suprà, hîc de *enematis* dicendum est; nisi enim primò injectum lochia educat: nihil prorsùs à pluribus est sperandum: cum unum humores leniter sollicitando, ut fluant lochia efficere possit, plura verò eadem aliò divertant. His itaque peractis, (quæ tamen leviter tangenda sunt) tutissimum est, & prudentis medici officium, temporis συμμαχίαν præstolari; cum singulo quoque die curationis negotium magis magisque extra aleam ponatur, & si ægra *vicesimam diem* superaverit, jam ferè in vado est. Etenim cùm à morbo, quisquis is fuerit, jam diuturniori fœmina aliquantisper respiraverit, viresque quadantenùs receperit, eam methodum valebit ferre quæ aptissima videbitur isto malo averruncando, quod à lochiorum suppressione accreverat: quando remedia obstinatiùs ingesta, primis ne hilum promoventibus, tum ipsum morbum, tum etiam spirituum perturbationem, à qua morbus oritur, augere possint, quod sedulo advertendum velim.

Si fas mihi sit liberè quæ sentio effari; jamdiu in ea hæresi fui ut arbitrarer me, non tantùm in dictis puerperarum morbis, sed etiam in acutis omnibus, ubi curationem ab hâc illave, quâ uti placet, methodo certò insecuturam polliceri nequeam, & viri & Medici boni probique pulchrè defungi munere, quoties nihil omninò tento, modò ægrum invisens, illum non se pejus habere hoc die quàm heri habuit comperiam, nec cras habiturum quàm hodiè conjecturâ assequi possum. Cùm si in ægro curando ea methodo incedam, de cujus efficacia nondum mihi certò constet, tam ab experimento quod ex eo capturus sum, quàm ab ipso morbo is periclitabitur: Neque ita facilè geminum discrimen effugiet, ac simplex erat evaturus. Quamvis enim impræsentiarum nullum vel incipientis convalescentiæ signum manifestum se prodat, certissimus tamen sum morbi acuti cujuslibet naturam non ferre ut quis eo semper laboret: ac proinde dies quilibet res ægri magis magisque in tuto collocat, vel saltem modico ansam præbet, ex qua opportuniùs ac certiùs morbum feriat confodiatque, quàm in præcedentibus liceret. Quod quidem uti de acutorum

plerisque verè affirmatur, ita præcipuè de puerperarum morbis; quibus error vel leviusculus fatalis esse possit; & in quibus ita parùm valeamus naturalem illam evacuationem regere, à cujus suppressione mala de quibus diximus proveniunt. Cùm verò *affectus hysterici* non semper primariæ causæ, spirituum nempè debilitati nativæ, sed adventitiæ aliquando originem suam debeant, hujusmodi itaque causam antequam finiam, hîc recensere libet, quæ frequentissimè *vaporum*, quos appellant, pataria existit. Atque ea est *fluxus mensium immodicus*, sive in *puerperio*, sive extra idem invadat. Quoad primam speciem, ea primis diebus post partum laboriosiorem maximè infestat, & longa symptomatum hystericorum catervâ stipatur. Et sicuti in primis hisce diebus solùm ingruit ac urget, ita etiam brevi se proripere solet. Etenim si victus paulò incrassans instituatur, facilè abigitur; cui & sequens potus addi poterit. Assumatur aq. plantag. & vini rubri ana ℔ j. coque simul ad tertias, & deinde edulcoretur S. q. sacchar. albissimi cujus, cùm frigescat, capiat ℔ ß. bis vel ter in die. Interim julapium aliquod hystericum, at satis mite, subinde propinetur, & nodulus seq. naribus admoveatur. ℞. Galbani & asæ fœtidæ ana ʒ ij. castor. ʒ i ß. sal. succin. volatil. ʒ ß. m. f. nodulus vel ℞. spir. salis armoniac. ʒ ij, quem sæpiùs olfaciat.

Quod verò ad hujusmodi *extra puerperium fluxum* attinet, licet idem omni tempore fœminis accidere solet, eas tamen paulò ante tempus illud quo sponte suâ omninò menses cessaturi, sæpissimè invadit; circa ætatis scilicet annum 45. si modo temporiùs fluere inceperant, circa autem 50. si seriùs in vita priùs prorumpebant. His uti dictum, paulò ante totalem eorundem discessum (instar candelæ jam ferè absumptæ deflagrantæque, quæ subitò flammam edit insigniorem mox penitùs disparaturam) cum magno impetu affatim excidunt, & ob copiam sanguinis ingentem qui continuò excernitur, in paroxysmos hystericos ferè continuos miseras dejiciunt. Hîc licet *hysterica* tam interna quàm externa obiter usurpanda (fortiora devitando ne fluxum ulteriùs provocent,) omnis tamen curationis cardo in menstruis cohibendis vertitur, quæ in hunc modum quàm primùm sistenda. Mittatur sanguis è brachio ad ℥ VIII. seq. manè exhibeatur potio purgativa communis; quæ repetenda est tertiâ quâque die per duas alias vices; & singulis noctibus per totum morbi decursum sumat *Paregoricum ex syr. de meconio* ℥ j.

℞. Conserv. rosar. siccar. ℥ ij. trochisc. de terra lemn. ʒ j ß. cort. granator. & corall. rubr. præp. ana ℈ ij. lapid. hæmatit. sang. dracon. & bol. armen. ana ℈ j. cum S. q. syr. è corall. simpl. f. electuar. de quo sumat ad magnitud. nuc. moschat. maj. manè & quintâ pomeridianâ superbibendo seq. julapii cochl. vi. ℞. Aq. germin. quercus & plantag. ana ℥ iij. aq. cinamom. hord. & syr. de rosis siccis ana ℥ j. sp. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem. ℞. fol. plantag. & urticæ ana q. s. contundantur simul mortario marmoreo, & succus exprimatur, qui postea clarificetur. Cap. cochl. vj. frigidè ter vel quater in die. Post primam purgationem applicetur emplastr. seq. regioni lumborum. ℞. Emplastr. diapalm. & ad herniam ana part. æquales m. extendatur super alutam, & f. emplastr.

Diæta refrigerans incrassansque imperanda, nisi quòd è re erit semel vel bis in die vini clareti haustulum Ægræ indulgere, quod etsi minùs conveniat in quantum ebullitionem ciere aptum natum sit, ad vires tamen refocillandas concedi possit. Atque hæc quidem methodus ut fœminis hoc modo affectis apprimè proficua sit, ita eadem iis, quibus abortûs periculum imminet, non minùs confert, atqui cathartica & succi hîc omittantur.

Est & alia minùs frequens, affectuum hystericorum causa, nempè post partum laboriosiorem *uteri procidentia*, magnam hujusmodi malorum iliada secum trahens, quæ tamen citò ac facilè hoc modo sanatur. ℞. cort. quercûs ℥ ij. coq. in aq. font. ℔ iv. ad ℔ ij. sub finem addendo cort. granator. contus. ℥ j. rosarum rubr. flor. granator. ana m. ij. deinde adde vin. rubri ℔ ß. colatura sit pro fotu, qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur manè horis duabus antequàm è lecto assurgat, & nocte post decubitum donec symptomata penitùs evanuerint. *Thomas Sydenham Dissertat. Epistol. ad Gulielmum Cole.*

Consultationes.

Nobilis Vestalis, annorum viginti trium, habitus mediocriter carnosi, hepatis calidiusculi, nigri capillitii, otio indulgens, in pravam victûs rationem persæpe incumbens, instantibus mensibus diminutè tamen ac inordinatè fluentibus, quinque abhinc annis incidit in quosdam motus totius corporis depravatos qui interjecta quiete alternatim cessabant ac redibant, solaque saphænæ phlebotomia prorsùs remittebant. Dum hac corporis concussione vexabatur, nedum principum cerebri facultatum actiones, verùm etiam tam internorum quàm externorum sensuum omninò cessabant operationes. Dicti morbosi insultus periodi ferè quolibet mense recurrebant; nunc verò breviori tempore exacerbantur, & quandoque, cessante partium irregulari motu, dolorem costalem, vel colicam passionem mentiuntur. In paroxysmo ligaturas, frictiones, cucurbitulas, suffitus, deludit, sola saphænæ sectione mitescens contumax affectio. Ad horas quinque sæpe extenditur paroxysmus, modò in ventriculi angores, inanesque vomendi cupiditates terminatur; modò loquaci paraphrenitide, modò placido somno finitur. Transacto paroxysmo, benè appetit, licet in prava edulia propensior Patientis appetitus; & ideò mirum non est, si obstructiones in jecore manifestæ, non adeò verò in liene, ipso tactu percipiantur. Vires ex violento partium motu resolutæ, facilè reparantur; alvus modicè laxatur; ad consueta redit munia; placidus ac naturalis somnus irrepit. Pro debellanda igitur adeò rebelli affectione, multoties tentata curatio; verùm recurrentibus dictis morbosis affectionibus, nec non viribus Ægrotantis collapsis, tum ob largam sanguinis evacuationem in paroxysmis institutam, tum ob incongruam victûs rationem, nunquam perfici potuit. Proximis tamen duobus annis elapsis, ineunte vere, corporis universalis expiatio instituta fuit lenientibus, præparantibus, alterantibus ac purgantibus medicamentis. Post quæ, per

per aliquot dies, syrupum Fernelianum; deinde succos cichorii: ac borrag. depuratos; ac denique Chalybem potabilem Bononiæ paratum Medici præscripserunt. Multoties missus sanguis à pede, & bis in anno à brachio, adhibitæ cucurbitulæ, frictiones, lotiones pedum ex arte præscriptæ. Interim specifica remedia in usum revocata, ut aq. destill. pœon. rutæ capr. &c. Cordiales Saxoniæ cum oleo succini, aquæ antiepilepticæ ac theriacales, &c. vina medicata, specificis parata, sales cranii humani, &c. & hæc & similia adhibita, tum in accessione, tum extra accessionem, &c. Præcepta diætetica Patiens, genio indulgens, omninò sprevit; quamobrem per annum vini abstinentiam, usum lactis, aliquod Magistrale decoctum, vel aliud generosum remedium Medici præscribere minimè ausi sunt.

Hystericam esse affectionem, quæ quinque abhinc annis, ferè singulo mense, instantibus menstruis, valdè imminutè prodeuntibus, Nob. Vestalem infestat, non est quod dubitemus: potiùs suspicandum venit de altero affectu in capite, ab utero & hypochondriis causam agnoscente, nimirùm de epileptico insultu, non solùm quia principes omnes operationes aboleantur, verùm quoniam motus irregulares totius corporis & convulsivos contingere, in relatione audio; & suspicionem auget capitis temperamentum calidum & humidum cum nigro capillitio; præterea prava & libera vivendi ratio forsan magis in potu; atque tandem accessionum solutio, cum ventriculi angore, ad vomitum propensione, loquaci Paraphrenitide, hypochondriorum & capitis læsionem nobis significant. Et quamvis circa os spuma non observetur, hæc tamen epilepsiæ perpetua comes non est, nec necessariò supervenit, ut considerant Medicinæ Principes: sed superveniens, affectus ideam confirmat. Diuturnitas quoque hujus contumacis affectus suspicionem addit, quæ in uterinis tantùm, non adeò facilè perseverare solet. Certissimum autem est potissimam causam affectus utriusque in Utero reperiri & ab Utero pendere, dum anno suæ ætatis decimo septimo menstrua imminui cœperunt, & eodem tempore invadere cœpit affectio: cujus imminutionis, & ferè suppressionis causa non in vasorum angustiam quia in teneriori ætate copiosa & statis temporibus erumpebant Menstrua, sed in vitium sanguinis à prava vivendi ratione contractum est referenda: namque justo crassior à calore, & viscidior à cruditatibus redditus est, qui uteri vasa pervadere nequiens, & in iisdem stagnans, obstruendo, reliquo sanguini impuro transitum impedivit: & progressu corruptus (forsan non sine aliqua utilis excrementi corruptione) uterum inquinavit, à quo venenati vapores, viscera omnia & cerebri ventriculos inficientes, eosque ad quassationem & contrectationem cogentes, sicque spiritibus animalibus motum regularem impedientes, & expultricem facultatem irritantes, una cum principum operationum abolitione convulsivos quoque motus in accessionibus excitare valent; sicut sanguis in vasis retentus, præ multitudine resiliens in cor & septum, ut dicebat Hippocrat. aphonias, fatuitates atque deliria movet. Quæ symptomata omnia non parùm fovere possunt obstructiones in visceribus existentes: sicuti mineram in utero adaugere otiosa & libera vivendi ratio cacochymiam in massa sanguinea conservans.

Modò si cura mali tanti momenti & confirmati aggredienda est, non solùm, ut monebat. Hippocrat. à Diis exordiendum, verùm & à Nobil. Vestali Pat. petendum, vis sana fieri? & annuenti præcipiendum, ut servet mandata medica, sine quibus nihil cætera profuerint: Etenim *non salvo te sine te*, dicebat ipse Christus; ridiculum enim est, docebat Taranta, cum Medicinis incipere operari, non præmissa & supposita congrua vivendi ratione. Et quamvis incurabiles non sint affectus isti, licet confirmati, non tamen adeò facilè, nec brevi superari poterunt: ut ideò constans perseverantia in medicamentis necessaria futura sit. Primò enim pro purgatione præservativa, primæ viæ erunt à cruditatibus expediendæ. Secundò obstructiones viscerum reserandæ. Tertiò tota massa sanguinea ab impuritatibus vindicanda. Quartò uteri obstructiones aperiendæ. Quintò intemperies corrigendæ; atque tandem appropriatis alexipharmacis Antihystericis & Antiepilepticis utendum. Pars verò curativa locum habebit in accessione ipsa, Antihysterica per os præbendo: naribus fœtida, & utero odorata apponendo: Omnia revulsionum genera, & sopitam facultatem excitantia administrando. Sed post accessionem, statim ad ordinem præservativum exequendum revertendum erit: eòque tutiùs cum in relatione habeatur, quod absoluta & transacta accessione, Nobiliss. Virgo integris viribus ad consueta munia obeunda redeat. Primæ igitur intentioni satisfacere poterit Leniens, ita parandum. ♃. pot. ex manna clarificata, cum cremore tartari & infusione senæ parata ℥ vj. aq. flor. citri, aut totius citri parùm. misce pro potu. Præparans deinde sequentibus quinque diebus sit ♃. Julap. acet. ℥ ij. aq. cinam. ℥ j. m. pro una vice & sic pro aliis. Deinde repetatur suprascriptum leniens, aut ex lenitivo, cassia & tartaro paratum. Pro secunda intentione explenda rhabarb. usus efficacissimus erit, non tamen in infusione, sed in forma solida, ad proximiores obstructiones reserandas, ut ♃. rhabarb. maturi ʒ ß. floris cassiæ ʒ ij. m. f. boli, quibus post horam superbibat jus cichorio & lupulis alteratum. Sequenti verò die præscribatur præparans ex succis, ita ♃. succi depurat. & per arenam trajecti, cichor. borrag. agrimon. ana ℥ j. decoct. in jure pulli paratæ, endiviæ, malvæ, lupulorum, melissæ ℥ iv. pro una dosi & sic pro aliis; Ita alternatim perseverando in usu rhabarb. & succorum ad decimum quintum usque diem: in quorum intermedio & fine, præbeatur minorativum hujusmodi ♃. flor. cassiæ rec. extract. ʒ vj. pilul. de tribus cum rhabarbaro ʒ j. misce f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. aut asin. depur. libram, & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Interim captanda occasio aperiendi jecorariam dexteram, diebus intermediis & æquè distantibus à tempore utriusque menstruæ purgationis. Inde ad tertiam indicationem exequendam deveniendum erit, cui facilè satisfacere poterit syr. Ferneliani usus ita præscripti, ♃. Radic. cichor. petroselini, capparum, polypod. querc. ana ℥ j. semin. carthami ℥ . fol. hyssopi, prassii albi, origan. agrimon. ceterach. cuscutæ, adianti ana manip. ß. sem. anis. fœnicul. endiv. melon. ana ʒ ij. aq. agrimon. ℔ iij. m. bull. ad consumpt.

tertiæ, colaturæ postea infunde per horas XII. fol. sen. æ mund. ℥ iv. agarici albi ℥ ij. rad. helleb. nigr. ʒ iij. epithymi ʒ ß. gingiberis ʒ ij. cinam. integri ʒ ß. Postea bull. parum & expressioni adde sacchar. alb. ℔ j. vel quantum satis. bull. ad syrup. consistentiam, deinde adde rhabarb. in petia alligati ℥ ß. & servetur ad usum: cujus dosis erit ad ℥ i. cum totidem unciis vini albi tenuis, non dulcis. Sequenti verò die præbeantur succi jam præscripti in decoctione, ut supra, addendo salis tart. fixi gr. XII. & ita alternatim perseverandum est in usu syrupi Ferneliani & succorum usque ad vigesimum quartum diem, quorum usum claudat medicamentum hujusmodi ℞. elect. lenit. ʒ v. diaphœnic. ʒ ij. de succo rosarum ʒ j. pilul. de hiera cum agar. ʒ ß. misc. reform. boli, quibus post horam superbibat seri capr. aut asin. deput. sive aq. nocerianæ ℔ ij. & tribus horis à potione prandeat. Quartam intentionem explebunt aperientia hysterica ita paranda ℞. Decoct. in jure tenui pulli junioris paratæ, cichor. borag. dictamn. cret. artemisiæ, pulegii, calamenthi ℥ vj. ol. tabin. gutt. v. spirit. tart. alchaliz. gutt. x. m. pro syrupo & sic pro aliis. Repetatur deinde tertia die decoctio, ita alternatim perseverando ad decimum quintum usque diem, in quorum intermedio & fine præbeatur hiera picra ita paranda. ℞. hier. picr. Galeni ʒ j. floris cass. recent. extract. ʒ vj. m. f. boli, quibus superbibat aq. capill. ven. & pœon. ℔ j. tribus verò horis ab epota aqua prandeat. Interim superveniente accessione, aperiatur saphæna, & sanguis satis parcè educatur. Toto verò hoc tempore hystericorum Aperientium extrinsecùs regioni uteri magna spongia, decoctione hujusmodi madefacta & mox expressa, fomenta exerceantur ℞. fol. pulegii, calamenthi montan. dict. m. cret. sabinæ flor. Keiri ana m. j. rad. lil. alb. ℥ ij. rad. altheæ, lauri ana ℥ j. aq. commun. ℔ x. misc. bull. ad consumpt. quartæ partis, & f. colatur. in qua dissolve trochisc. de gallia mosch. ʒ ß. & servetur pro fomento: quo amoto, illiniantur partes illæ uterinæ oleo lil. alb. & Keirino, mistis.

Pro quinta intentione, quoniam aquis Porretanis nec per os minusque per insessiones cum tubulo uti licet, idcirco aquæ Nocerianæ substitui poterunt, primis diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis verò cum diuretico, quod erit spiritus tart. ter rectificat. Insessiones fieri quoque poterunt in aqua dulci, foliis malvarum, violarum & cheirinis, atque liliorum floribus alterata, eodem tempore circa vesperas, dum aqua epota integrè educta fuerit, sin minùs, differendæ insessiones usque ad absolutum Nocerianæ usum. Postremæ intentioni satisfaciendum erit usu alicujus antihysterici & antiepileptici medicamenti, tum interni, tum externi, & inter interna extra accessionem præscribenda, sit spiritus vitrioli, cum rad. pœon. & visco quercino extractus, in aqua pœoniæ, ad gutt. v. frequenter exhibendus. Frequenter etiam in usum ducatur commendabilis aqua stillat. ex hirundinibus nuper natis ad ℥ ij. nonnunquam etiam theriaca, aliquando cochlear. aquæ theriacalis. Conserva pœoniæ, vel lil. convall. sub ingressum lecti. At si conjici ac præcognosci possit ventura accessio, duos vel tres ante dies, efficacissimum observavi præservativum esse validum purgans, ut propterea rerùm atque iterùm à Medicinæ principibus commendetur hiera diacolocynth. & helleboratum à Cellio, quod sic parari possit ℞. pilul. fœtid. de hiera cum agarico ana ʒ ß. extract. hellebor. nigr. ℈ j. m. & præbeatur circa noctis [illegible], cui superdormiat, & [illegible] mane superbibat aquæ nocerianæ libras. Extrinsecùs naribus fœtida, & odorata utero, de more admoveantur. Ungula alcis in annulo gestanda. Radix pœoniæ nigræ incli[illegible] collo appendenda. Collum viperæ [illegible] collo appensum a præfocatione uterina præservare docuit Galenus.

Sed omnium maximè ab utroque insultu præservare valebit congrua vivendi ratio; & præcertim a vino abstinentia saltem per annum, utrique affectui quam maximè conferre poterit. Abstineat præterea à quibusdam eduliis a proprietate nocentibus, ut a carne hœdina, a coturnicibus, a perdicibus, atque aliis, ab allio, cæpis, apio, fœniculo, fungis & terræ tuberibus; insuper à carne suilla; ab usu casei; a frequentibus eduliis ex pasta paratis & à nimio aromatum usu. Pro potu verò paretur vinum ex cerasis nigris, aquæ nocerianæ immiscendum; & pro toto anno aqua stillat. ex iisdem cerasis in vasis vitreis asservanda. Paratur etiam vinum ex pomis dulcibus, toto anno in vasis vitreis, collo oblongo fabrefactis superimposito oleo adservandum, cujus portio aquæ nocerianæ immiscetur pro potu suavi. Huc pertinet quoque exercitium quantum fieri potest, etiam laboriosum, evitando etiam intensas applicationes atque meditationes. Et hæc extra accessionem.

In actuali verò accessione, meliusque in instante, Antihysterica & antiepilitica sunt per os præbenda; inter quæ selectiora & à me experta, sunt aqua antihysterica Quercetani cum aliquot guttulis Opiatæ Angeli Salæ, quæ ritè & fideliter parata reperitur venetiis ad signum Sanctæ Margaritæ. Egregium quoque & præsentaneum remedium, est tinctura granorum sambuci ad semicochl. in aq. matricar. Eodem tempore sternutamenta excitare valdè prodest. Naribus quoque fœtida admovere simili suffumigio ℞. Castorii, asæ fœtidæ ana ℈ j. picis ʒ ß. succin. ℈ ß. terebinth. q. s. m. f. pastilli pro suffumigio. Utero verò odorata apponantur; & pasta servetur pro sinapismis, cum æquali portione caricarum & sinapis parata: Spatio namque unius horæ cutem rubificat; apponatur autem cruribus utrinque aut coxis imò si prævideri possit invasio, hoc solo remedio duabus horis ante accessionem administrato, vidi ego non semel accessiones ipsas retrocessisse. Quibus omnibus non sufficientibus, vena, ut antea, erit aperienda: sed ab accessione die sequenti, causæ erit incumbendum, & ad curam præservativam revertendum, congrua in cæteris omnibus addita vivendi ratione, a viro Doctissimo Adstanti præscribenda, cui cœtera quoque omnia ritè & rectè administranda committo. *Raymund. Joan. Fortis Consultationum Tom. 2. centuria quarta.*

Nobilissima Germana Juvenis annum agens vigesimum sextum, temperamenti totius calidi & humidi, jecoris fervidioris & humidioris, atque excrementosi capitis; duobus abhinc annis, dum filium propriis mammis nutriret, corripi cœpit affectu quodam in facie, qui Rosa, sive Rosalia appellari solet: facies enim hinc inde cum rubore intumescebat; cui tumores per hebdomadam,

d.m, & ultra permanebant, & frequenter ab una ad aliam partem transitum faciebant. Ablactato filio, remisit affectus: sed concepit, & post paucos dies abortivit, qua occasione tanta sanguinis copia ab utero effusa fuit, ut de vita ob virium defectum dubitatum fuerit. Refectis autem viribus, rediit quidem affectus in facie, at non adeò evidens & molestus, ut antea, excrementorum tamen semper fuit caput, dum per nares copia pituitosæ & saniosæ materiæ expurgabatur & modò expurgatur. Interim acidulas Egrenses per os assum, sit, & Badenses pro stillicidio & lotionibus; quibus tamen parùm proficientibus, affectus idem perseveravit continuò usque ad undecim menses, quamvis multò quàm antea remissior. Dum autem rursùs concepit, mense Martio proximè præterito abortivit, & tanta sanguinis copia ab utero prodiit, ut multo tempore exanguis & viribus destituta fuerit; Puerperii autem occasione ob visitationes, moschi, ambræ, & alios suaves odores evitare non potuit, a quibus tantoperè læsa fuit, ut postmodùm in hunc usque diem hystericis affectionibus frequentissimis, præsertim alicujus suavis odoris occasione, correpta fuerit, si non usque ad animi deliquium, saltem usque ad exolutionem, nimirum sine principum animalium operationum abolitione. Varias huc usque subivit purgationes, sanguinis missiones, qui serosus valdè fuit observatus, Cauterio brachio inusto, præterea aquis refrigerantibus, nempè stillat. cichorii; usu rhabarbari; vino medicato purgante; aqua chinensi, atque externis pulveribus & aquis, forsan repellentibus & exiccantibus, à quibus cùm exiguum, aut nullum levamen reportaverit, quinimmò caput adeò sibi debilitatum asserat Nobiliss. patiens, ut in præsens quidquam legere, minusque scribere valeat, ideo etiam hoc anni tempore hyemali incongruo de agendis pro salute eximios viros Patavinos consulit.

Duplici affectu divexari mulierem Nobiliss. ex relatione adducta liquidò constat rosa nimirùm, sive gutta rosacea, duobus ab hinc annis faciem invadente, & hysterica passione, in abortivo puerperio à suavioribus odoribus excitata, mox etiam extra puerperii tempus Nobiliss. mulierem divexante & usque ad animi exolutionem ducente. Prioris affectus causa reponenda videtur in sanguinis vitio & in capitis imbecillitate, cùm à natura fervidius jecur & calidam atque humidam capitis intemperiem sortita fuerit; quamobrem sanguis, præsertim accedente ætatis vigore, calidior fuerit genitus, biliosior atque tenuior, qui circulando per venam cavam ad cor, & inde per arterias carotidas ad caput, portionem deteriorem, utpote naturæ magis molestam, per ramulos potiùs externos, quam internos, faciem nutrientes, affatim & copiosiùs deposuerit, sicque faciem totam, quandoque tantùm ejusdem partem rubram reddiderit, non sine extuberatione, cùm solum erysipelas legitimum, utpote à bile tenui & excrementitia genitum superficiem tantùm afficiat, sicut non exquisitum quodammodo cutem in tumorem elevet, citò evanescentem; non autem semper adeò citò in gutta nostra rosacea, quoniam tenuiori sanguini à toto transmisso pituitosum copulatur excrementum, à præhumido capite genitum, adeò ut affectus ipse à jecore calidiori originem ducat: permanentiam autem & diuturnitatem ab ipso capite essentialiter affecto acquirat. Neque probare opus est sanguinis acrem atque tenuem qualitatem, ob fervidioris jecoris intemperiem: sicuti nec ejusdem crassiorem consistentiam, ob capitis intemperiem humidam, cum priorem conditionem satis superque nobis significaverit larga & exuberans per uterum sanguinis effusio abortuum occasione, quam & autopsia extracti sanguinis confirmavit, sicut posteriorem ostendit quotidiana per nares excrementorum evacuatio. Quare conclusum restat, quod vitium sanguinis ob jecoris calidiorem intemperiem, & imbecillitas capitis ob calidam & humidam, sint causæ potissimæ rosaceæ affectionis.

Hystericos verò affectus quoniam non ante puerperia passa fuit Nobiliss. Juvenis, ideò existimo uterum ipsum non solùm propter secutos abortus, sed multò magis propter copiosam sanguinis effusionem, labem, sive imbecillitatem contraxisse, non sine aliqua intemperie, & non sine aliqua suspicione, quod portio crassior sanguinis affatim & confertim ad uterum irruentis, in aliquo ejusdem tenuiori vase hæserit, quæ corrupta imbecillitatem foveat, & uterum ex qualibet levi externa causa movente infestare non desinat, ita ut essentialiter afficiatur.

Hæc autem mala sicut tolli posse non est dubitandum, ita repetitas curationes congruis temporibus expostulare censendum: namque primis viis expeditis, secundò tota massa sanguinea à serositatibus erit depuranda. Tertiò eædem à capite revellendæ ac divertendæ. Quartò caput purgandum. Quintò Jecoris calida intemperies corrigenda. Sextò caput quoquo pacto firmandum; atque tandem uterus roborandus. Quibus intentionibus vere venturo erit satisfaciendum repetita sanguinis missione, primò ex superioribus, mox ex inferioribus venis, necnon frequentibus pedum lotionibus. Præterea succis depur. cichor. endiv. sonchi, acetosæ in decoct. cichorac. addita semper hepatica; & per intervalla medicamentis serositates electivè educentibus. Pilulis capitalibus deinde ter repetitis caput purgandum. Inde acidularum aquarum usus repetendus: & postea capiti stillicidium refrigerans & exiccans, ut esset ex aquis nostris Lastrensibus administrandum; & pro utero roborando insessiones eum tubulo in aquis sulphureis exercendæ. Duo alia remedia mihi in animo sunt, in præsens tamen in dubium revocata, alterum utramque partem principaliter affectam respiciens, Decoctum scil. sudoriferum, refrigerans tamen, sed valdè exiccans, pro corrigenda capitis valde humida intemperie, & pro evacuandis à toto, & divertendis à capite serosis humiditatibus: Alterum pro remittendo jecoris fervore, & pro sanguine edulcorando; quæ commodè præstare posset lactis caprini usus, capite tamen priùs magnâ ex parte exiccato; de quibus tunc in arena consilium capiendum. Interim hoc quoque hyemali tempore aliqua agenda in subsidium Nobiliss. Patientis, quæ paucis, sapientibus viris proponam. Et primò, præmisso aliquo leniente, & quinque aut sex diebus exhibito præparante sive diluto, leniens adhuc repetendo, inde cauterium coxæ inurendum, necessarium existimo: sicut singula hebdomada Magisterium mechoacann. ad gr. xv. aut xx. electuar. lenit. ad ℥ß. immistum, summoperè commendo. Et pro demulcenda sanguinis acrimonia usum

lactis arte facti ad quadraginta aut quinquaginta dies propono, quod ita paretur.

℞. Sem. melon. mundat. sem. anguriæ, & cucurbit. mundat. ana ℥ß. aquæ stillat. de succo cichor. aut endiviæ ℥ vii. contund. semina. & cum præscripta aqua extrahatur emulsio, cui addatur syrup. de pomis ℥ j. & misc. pro quotidiano potu matutino. Interea toto hoc tempore frequentes pedum lotiones aqua calente ante cibum erunt exercendæ, quæ utrique affectioni prodesse poterunt. Et quamvis de parte affecta, nimirùm de facie parùm solicitus sim, attamen sicut præsente affectu nullum medicamentum admovendum esse puto, ita absente, præservativum aliquod utile fore credo, quod esse poterit oleum saturni, & melius, balsamum, quod ex eodem oleo saturni & myrtino simul mistis parabitur, quo facies noctu saltem, illiniri poterit. Utero quoque prospiciendum censeo, sed potiùs topicis admotis, quàm per os assumptis, ne magis jecori noceamus, quam utero proficiamus. Et ideò per exiguum siphonem clyster frequenter injici poterit, ex decoctione pulegii, matricar. origani, calamenthi, satureiæ, lauri, additis granis aut moschi, aut trochiscorum de gallia moschata, quæ decoctio etiam parari poterit vino albo generoso, vel addatur ejusdem vini portio jam decoctioni paratæ. Verum tamen est quod in actuali hysterica passione & animi exolutione porrigi poterit aliquod cochlear aquæ antihystericæ Quercetani, quæ adhuc validior evadet, si guttulæ opiatæ Angeli Salæ additæ fuerint, & hæc si præsto non sint, præbeatur aliquod cochlear aquæ totius citri, aut cinam. additis guttulis olei succini; & eodem tempore pessi, seu pessaria introduci poterunt, eadem decoctione imbuta. Quod si contumax, vel frequens fuerit hysterica accessio, licebit quoque saphænam aperire, sed parcè nimirùm ratione revulsionis sanguinem mittere.

Quibus congrua vivendi ratio erit addenda; præsertim caput ab aëris inclementiis, tum calidis, tum frigidis custodiendo; suaves odores evitando; & per integrum annum à potu vini abstinendo, cui substituatur cerevisia tenuis, non generosa, hordeo paranda, addito quoque globulo santalorum alborum. A vaporosis pariter, tum calidis tum frigidis cavendo; & in reliquis omnibus excellentiss. Medicis assistentibus prorsùs obtemperando, quorum prudentissimo judicio etiam præscriptorum omnium rectum usum libenter committo. *Idem.*

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Puella quædam ante plures annos corrupta à venereis usu fortè diu abstinuerat: varia affectionis hystericæ symptomata sensim successerunt. Tandem immanes in hypogastrio dolores, tumores duri vagi, nuces referentes, imprimis dextrorsùm, nullis pacandi medelis pullularunt: Die 3. Octobris accersitus, inveni decumbentem, tabidam tumidum ostendebat crus dextrum, vestigia comprimentis digiti circa malleolum retinens, sinistro quod priùs intumuerat, extremè emaciato: inflatum etiam erat abdomen, obliteratis prioribus extuberantiis, sceleton dixisses: die 7. Octobris anno 1660. circa horam 4. matutinam, annos 49. nata obiit.

Aperto cadavere, hepatis convexum, intestina crassa, livida & gangrænosa apparuerunt, indurato stercore plena: vasa spermatica præparantia semine albugineo, viscido, sub cœruleo plena erant: Testes, uteri tubæ, vasa deferentia, vesicæ seminales, omnes inquam illæ partes semine inflatæ mirum in modum turgebant, itaut in quibusdam incoctum, in aliis omninò excoctum, crassum, album & naturale, in aliis ita induratum esset ut steatoma referret: plus sanè semilibra binis chirurgis & mihi apparuit, pravi nullius odoris: Uterus parvus erat admodùm, compactus, pyri instar supernè & infernè complanati, cujus orificium corruptelâ lividum erat, fortè ob intestinorum inferiorum viciniam gangræna labefactorum: pulmo, sinister imprimis, etiam vitiatus costis adhærebat,

Catharina soror, honesta virgo, fortè quadragenaria, ab anno 1660. floribus albis laborans, magno cum hypogastrii & lumborum cruciatu, tandem exulcerato utero, & suppressi seminis virulentiâ, biennio post quasi tabida exspiravit: Inde facilè conjecturis assequi licuit, plurimas mulieres, maximè corruptas, & viduas juniores, veneris usu interdictas, à cumulato, vel peculiariter infesto semine languere, tandem interire: Nec enim in illis nonnisi coacervari & labefactari potest, infinitorum malorum prava & venenosa qualitate contracta author, nisi excernatur, hinc illæ querelæ. *Joann. Nic. Binningerus observ. 90. centur. 2.*

Vir Illustris, in vicinia degens, uxorem ex illustri familia ortam ducit, formosam, pudicam, proceram, ingenio & corpore præstantem; hujus fastidium obrepit, ac pedissequæ ignobilis, pumilæ, deformis, suspectæ castitatis amoribus irretitur: injuriam mœsta & tacita uxor concoquit, omni officiorum & cultûs genere conjugis benevolentiam revocare annititur: Interea à non exculto naturæ fundo crebris affectibus hystericis, ac multiplicibus vexatur, quibus melancholicum succedit delirium, erroris mariti ream se professa, innocens; ab eo criminis veniam deprecatur, domesticos promiscuè quosvis admissarios sustinuisse falsò enuntians: hinc diutino mœrore confecta & inedia, à longo decubitu, interveniente morte mentis errore & corporis langore exsolvitur.

Aperto cadavere, sola generationis organa in vitio deprehensa sunt, nam testes, vasaque omnia tum præparantia, tum asservantia, tum deferentia, semine turgere sunt deprehensa, sed indurato ac in gypseam duritiem concreto. *Joan. Riolanus Anthrogr. lib. 5. cap. 1.*

Cùm fœminæ illustris paulò ante obitum affectibus (quos dicunt) hystericis gravissimè laborantis cadaver aperirem, uterum quidem prorsùs insontem reperi, verùm juxta mesenterii plexus nerveos, (uti videbatur) in molem attolli & elevari solitos, visceris istius membranas ab invicem divulsas & solutas, ut circumquaque tumidæ & laxæ, quasi in bullulas sive vesiculas inflatæ apparerent. *Willis Patholog. Cerebr. cap. 6.*

Domina per illustris, forma elegantissima, optimaque animi & morum indole prædita, nuper in hac vicinia degebat, quæ permultos annos affectibus spasmodicis obnoxia, siquidem valetudinariam hanc diathesim originaliter, sive hæreditario

tario contraxerat, atque hos morbidi seminis fructus, ferè quovis ætatis suæ lustro experta fuit. Potissimùm verò quoties utero conceperat, (crebros enim conceptus & abortus passa) pathematis convulsivis, quasi hystericis, supra modum tentari solebat: quippe statim à mensibus cohibitis, particulæ heterogeneæ ad cerebrum & nervosum genus translatæ atrocissimi affectûs paroxysmos intulere.

Postquàm novissimè conceperat, primis mensibus, juxta pristinum morem, affectibus convulsivis subinde molestabatur, circa nonam gravidationis hebdomadam, à frigore suscepto, in febrem periculosam incidit, in qua dolores valdè acuti, per plures dies in lumbis, & juxta hypogastrium gravissimè urgentes abortum minari videbantur: attamen dolores isti, prout ab eventu constitit, potiùs colici censendi, ab humore acri per nervorum ductus à cerebro in istas partes decumbente procedebant; nam circa febris declinationem, materia istac alibi translata, diarrhœa, pedum dolores, dispositio velut ulcerosa successerunt. Quamprimùm hæc Domina à febre & doloribus convaluit, affectus convulsivi redibant, nam quolibet manè è somno evigilans, circa oris & faciei partes, necnon in brachiis & cruribus spasmos & contracturas immanes pati solebat; quæ symptomata proculdubio à serosa colluvie, in capite circa nervorum origines aggesta, ab iisque una cum succo irriguo, in somnis altiùs imbibita oriebantur; & cùm postea eadem materies nervorum interiorum ductu, iterùm in mesenterii plexus, ac lumbos ferebatur, istarum partium dolores atrocissimi, ac insuper paroxysmi quasi hysterici eam graviter infestabant. Enimverò isti faciei & membrorum motus convulsivi brevi tempore cessabant: usque tamen imbecilla, ac enervis, cum vultu pallido, gressu infirmo ac tremulo, atque alimenti tantùm incongrui, & liquorum calidiorum appetens, perstabat; sub finem tertii mensis quo tempore constanter abortire solebat, menstrua eruperunt, quibus per duos aut tres dies, una cum membranarum laceratarum frustulis descendentibus, abortum expectabat: attamen fluxu isto cessante, dolores, velut parturientis, in abdomine & lumbis, uti priùs exorti sunt, eamque hebdomadæ spatio die & nocte miserrimè torquebant: tandem balneo herbarum emollientium usa, & exinde lecto ad sudandum commissa, uteri sarcinam deposuit: conceptus ita cum ingenti cruciatu decedens, galli indici ovum & magnitudine & figurâ æquabat; hujus tunica exterior fuit lacera & disrupta, interior integra manens, aquæ limpidæ circiter ℔ ß. & nihil præterea continebat; nulla quidem fœtûs aut formati, aut uspiam futuri rudimenta apparebant: postea per quatuor aut quinque dies lochia cum aliquibus membranarum frustis effluebant; interim dolores cum solita atrocia urgebant; cumque elapso hebdomadæ spatio, haud spontè desierint, demùm iis sedandis remedia expetebantur. Propter hunc finem, imprimis linimenta, fotus, balnea, & clysteres crebrò adhibentur; etiam medicamina uteri sordes expurgantia, in quas totius mali causa rejicitur, intùs sumuntur: priorum usum torminum breves intermissiones sequutæ sunt; subinde verò affectus cum insigni molestia redibat; quinimò intra tres hebdomadas, morbus plurimùm ingravescens, multa alia horrenda symptomata ascivit: nam præter dolores in abdomine & lumbis, qui in dies atrociores fiebant, insuper in dorso, cervice, scapulis, necnon in brachiis & cruribus magno cruciatu mox afficiebatur, idque acerbiùs quoties lecto incalescebat: cæterùm crebra vertigine, vomitu & nausea, atque sæpiùs in die paroxysmis convulsivis gravissimis affligebatur; scilicet primò moles in hypogastrio ascendere visa, illicò totum ventrem cum impetu attollebat, mox respiratione cohibita ἀναισθησία cum vultu cadaveroso successit: postquàm ita velut demortua, per tria aut quatuor horæ minuta jacuerat, subitò exilire solebat, ut ab astantibus vix comprimi, aut contineri posset; dein contractiones immanes & distorsiones in cunctis oris & faciei partibus, necnon in omnibus corporis membris sequutæ sunt symptomata hæc reverà hysterica judicabantur, quoniam Domina illustris ita nuper abortierat. Attamen hæc singula perpendens, in ea demum sententia fui, utriusque paroxysmi, scilicet tum ἀλγηματώδης, tum σπασμώδους causam omninò à mala cerebri & nervosi generis affectione, etiam absque uteri culpa pendere; nempè quod humor acris intra ἐγκέφαλον congestus, exinde per nervorum ductus in partes longè dissitas descenderet; qui membranis & fibris insidens, cumque humore à massa sanguinea influo fermentescens, eas plurimùm irritaret; adeoque dolores atroces cieret: postea dein cum particulæ heterogeneæ & explosivæ cum humore isto intra ἐγκέφαλον admistæ atque ductus nerveos subeuntes, spiritibus accrescerent, propterea diathesis spasmodica subinde in graves paroxysmos erumpens inducebatur, prout mox fusiùs patebit.

Juxta hujusmodi Ætiologiam intentiones curativas instituens, Dominæ ægrotanti, quo tempore gravissimè laborabat, sanguinem è vena saphæna misi, intra biduum lene catharticum exhiberi, idque semel, aut bis in hebdomada iterandum præcepi: insuper aliis diebus, vesperi & manè sp. C. cervi, aliisque horis bis aut ter in die pulver. è margaritis & oculis cancrorum cum dosi sequentis julapii propinabam. ℞. aq. limacum. lumbricor. magistralis ana ℥ iij. saxifragiæ cerasor. nigror. ana ℥ iv. hystericæ ℥ ij. syr. è corallis ℥ i ß. misce: Balneo herbarum dulcium frequenter usa fuit cùm necessitas urgeret, opiata semper bono successu assumpsit; vesicatoria internæ parti utriusque femoris, etiam cruri applicabantur; porrò fotus, linimenta, clysteres, cucurbitæ, sternutatoria, cum multis aliis administrationum modis, juxta symptomatum exigentias præscribebantur. Ab hac medendi methodo per 14. circiter dies adhibita, Domina illustrissima plurimùm alleviata, paroxysmis convulsivis omninò caruit. Quinimò viscerum & membrorum tormina, aliaque symptomata valdè mitigata, citæ convalescentiæ spem opimam fovebant: Posthæc verò partim ob malam victûs rationem, cui ægrotans vel paululùm refecta semper indulsit, præcipuè tamen, propter subitam terroris vel tristitiæ passionem, quam funestum accidens, intra proprias ædes contingens, excitarat, recidivam passa, mox morbus in multò deteriorem statum evectus; nam & spasmi & dolores atrociùs infestabant; quin & ventriculus vomitu ferè continuo lacessitus, nec alimenta, nec medicamina admittebat. Lac asininum per aliquot dies cùm fructu quodam

sum

fumebat; quod tamen siquidem in ventriculo bilescens, ei molestiam pareret, brevi omittebatur: tandem invitis omnibus remediis, juxta plurium medicorum consilia diligentissimè præscriptis, nobilissima patiens magis in dies, magisque elanguescebat, atque sensim morti appropinquabat: biduo ante obitum, ventris & lumborum tormina plurimùm remittebant, ipsaque solitò alacrior facta, convalescentiæ spem quandam concepit: interea tamen conquesta erat, de capitis dolore & gravitate insigni; cùmque circa initium noctis altè dormiret, expergefacta in paroxysmum convulsivum valdè horrendum incidit, qui statim in apoplexiam citò lethalem transiit; namque insensilis & ἄφωνος facta; intra 12. horas hac vita emigravit.

Cùm circa ægritudinis, ex qua Illustrissima Domina obierat, causam, varia indicia ferebantur, plerisque nimirùm mala omnia in affectiones uterinas, aliis in abscessum aut apostema, quod alicubi circa abdominis viscera latitans suspicati sunt, referentibus; placuit amicis ut cadaver, ob funus diu prolatum, aperiendum, sedulò inspiceretur; adeoque genuinæ morbi & mortis causæ investigarentur, quod pensum curæ meæ delegatum, summâ quâ poteram diligentiâ executus sum.

Itaque primò circa habitum corporis observatu dignum erat, quod membra, & partes inferiores, juxta ac ultra dolorum sedes consitæ, plurimùm contabuerant, ut crura prorsùs emaciata, instar sceleti apparuerint: Interim facies, cervix, & brachia satis plena & torosa manebant, unde constat liquorem nervosum operi nutritio non minùs quàm facultatum animalium exercitio conferre: quare cum liquor iste, in lumbis & abdomine à transitu multùm impeditus, & spasmis continuis absumptus, haud debito influxu ad partes inferiores descenderet, iste propterea statim tum enerves, tum emarcidæ evaserunt. Hujusmodi atrophia in hoc differt, ab altera hectica quæ sanguinis vitio contingit, quoniam in hac facies Hippocratica præcipuum morbi signum est, in illa vultus aspectusque parùm aut nihil mali produnt.

Dominæ Illustrissimæ cadaver, ut valdè emaciatum, & viscera omnia inanita fuerint, tamen illud citissimè computruerat, nam intra 40. horas, cutis per totum discolor, in hac parte livida, in ista viridis, inque alia subnigra apparebat; & corpus tam subitò putrescens odorem summè tetrum expirabat: cujus ratio proculdubio erat, quod propter musculos spasmis perpetuis exercitos, mixtionis principia in tantùm laxarentur, ut illa in dissolutionem prompta, post obitum mox ab invicem decederant, pari certè ritu uti observamus de carne ferarum, quæ aut cursu diuturno fatigatæ, aut fustibus contusæ occiduntur, hæc enim multò citiùs putrescit, quam illarum, quæ statu tranquillo & sedato mactantur.

Abdomine aperto, Intestina & ventriculus, satis sana scilicet integra enim & benè colorata apparebant, erant tamen inanita, & quasi inflata, utpote quæ in perpetuas ferè evacuationes, scil. suprà, aut infrà habitas, sollicitata fuerint: in tota hac cavitate nulla abscessûs aut apostematis vestigia cernebantur. Dum morbi causam perquirentes, viscera huc illuc devolvimus, in *mesenterio* aliquid notatu dignum occurrebat; nempè circa medium ejus ubi dorso affigitur, atque majores nervorum plexus continet substantia laxior & pluribus quasi vesiculis inflata manus latitudinem exæquans videbatur, eo scilicet ritu, ac quando in armo vitulino interstitia musculorum à laniis insufflantur, ut pars ea plenior & velut pinguior facta extumescat: Hoc *mesenterii* loco, quia tumidior & tactu mollior fuit, humorem aliquem doloris causam hospitari putaveram; aperiens verò deprehendi tantùm membranas fuisse ab invicem solutas, & interstitiis suis nihil præter flatum inclusisse: qualis membranarum separatio, & ab invicem divulsio, proculdubio inducta fuerat à crebris spasmis, sive spirituum explosionibus, quæ intra plexus, & fibras nerveas illic densissimè consitas ferè continuò ciebantur; atque spasmi isti, ob particulas heterogeneas & explosivas illuc nervorum ductu à capite derivatas contingebant. Enimverò quod spectat ad ista ventris tormina, & in affectibus convulsivis velut molis ascensum & abdominis inflationem, non dubitandum est quin causæ morbificæ sedes in mesenterii parte delituerit: attamen quoniam uteri principaliter affecti tanta suspicio ferebatur, quantum hoc viscus meruerat, proximè inquirebam: itaque pelvim intra ossa pubis consitam diligenter scrutatus, uterum in debito situ & quoad omnia sanum, & sartum tectum reperi: corpus ejus ad justam molem, licet 5. tantùm septimanæ post abortum præterierant, contrahebatur, scil. gyrum minus & magnitudine & figura referebat; glandulæ ex utroque fundi latere, quæ testes dicuntur perexiguæ & flaccidæ, sine quovis humore superfluo, aut virulento, in iis contento, apparebant: uteri corpus ubilibet dissectum, crassitudine supra pollicem latum æquabat; ejusque interior cavitas haud major fuerat quàm ut fabam contineret: intra hunc specum, sicuti in aliorùm viscerum cavernis assolet, mucosum quiddam in perexigua quantitate includebatur; reverâ circa uterum, aut appendicem ejus nihil extabat, cui tanquàm causæ morbificæ symptomata modò descripta imputari poterant: quapropter hinc quod priùs opinatus sum, ἀποδεικτικῶς concludere liceat passiones dictas uterinas sæpissimè ab alia causa quàm uteri vitio excitari. Intestinis amoris etiam renes satis sanos reperiimus; alter tamen eorum insuetæ erat figuræ, scil. in plures lobos instar reni, vitulini findebatur. Lien, pancreas, & omentum sine culpa: ventriculus valdè inflatus erat, ejusque tunica interior, absque plicis aut rugis planè erat, quod certè acciderat, propter crebros vomitus viscere hoc spasmis ferè continuis affecto: porrò ob hanc rationem, scilicet stomachi tono præfracto, alimenta nec benè appetere, nec concoquere solebat. Hepar à sana constitutione plurimùm desciverat, fuit namque tumidum & subdurum, pallidi coloris, atque instar ligni putridi, exangue prorsùs & exiccum, hoc proculdubio effecerat liquorum cardiacorum & impensè calidorum crebrior usus. Pulmones erant lividi coloris, & per totum obstructi, utpote ichore spumoso, & fœtido infarcti: certè hoc viscus & hepar à longo tempore vitiata extiterant, propterea ut sanguis diutiùs à recta crasi degeneret valdè depravatus, ægritudinis prima semina, ejusque deinceps fomitem constantem suggesserit.

At verò præcipuam, & quasi originalem morbi

bi causam in capite, idque non frustrà quæsivimus: Itaque calvaria exempta, vasa meningas & cerebrum perreptantia sanguine plena & distenta apparebant, cum in reliquo corpore inter dissecandum vix quidquam sanguinis effluxerat: meninge crassiore amota, per alteram tenuem, & pellucidam, aqua limpida cerebri plicas & anfractus implens, ejusque totam compagem quasi inundans, cernebatur; reverà omnes cerebri cavitates & recessus colluvies serosa impleverat: *plexus choroides* aqua diu immersus, & velut elixus, discolor & semi corruptus evaserat: Juxta nervorum splanchnicorum origines, aqua se plurimùm insinuans, piam matrem, à medullæ oblongatæ caudice, per duos digitos latos separaverat, proculdubio horum nervorum ductu, materies morbifica à capite in mesenterii plexus descendens, & dolorum & spasmorum causa extiterat: porro eadem materies etiam aliorum nervorum capita afficiens, eorumque ductus pervadens, postea in aliis partibus, scilicet quibusvis ferè totius corporis, atrocissimas hasce affectiones produxit. *Thom. Willisius de morbis convulsivis cap.* 10.

Virgo annos nata 22. in otio magis quàm laboribus educata, Ducis Albani Tyrannidem præveniens in voluntarium exilium mense Aprili 1567. à patria excesserat: Interea ex calamitate patriæ ægritudinem animo concepit, quamobrem per æstatem non ita commodè degebat, quin cruditatibus ventriculi & viscerum obstructionibus subinde laboraret; menses inordinatè fluebant, ex utero aliquoties suffocabatur: sub finem tamen æstatis, correcta uteri expurgatione meliusculè habebat: paulò post sororium 22. Septembris ex Buduritia Lemgovium comitabatur; profectionis molestias utcunque ferebat, præterquam quod aberrans in itinere serotino, præ metu tenebrarum, animo deficeret; ultimo ejusdem mensis evacuatio menstrua fiebat, sed modica, inde corporis lassitudo, dolor, & gravitas capitis, hypochondriorum inflatio detinebat: Dejecto appetitu, cibo parcissimo, eoque minimi alimenti, in prandio tantùm, à cœna abstinens, utebatur: circa 12. Octobris febris quotidie intermittens sub vesperam invadebat, qua durante, singulis noctibus animi deliquium, uterinæ suffocationi simile patiebatur, in quo extrema refrigescere, respiratio crebescere, prorsùs concidere, nonnunquàm ad tempus etiam planè intermittere, sine ullo spiritu, voce, motu, sensu, moribundæ instar: Interea pulsus celer, creber, inordinatus, inæqualis & minor quidem solito, nunquàm tamen deficiens, multò minùs ἀσφυγμὸς: durabat paroxysmus iste alias dimidiam, alias integram, alias sesquihoram; quo finito semper ad mentem redibat: Passa fuerat hæc deliquia ter quaterque antequam febris nasceretur: Queri solebat id mali à frigore quodam, ex interiore abdominis parte surgente, inde thoracem & cor feriente exoriri, videri enim cor congelascere: Increbescebat post dies paucos hæc leypothimia, ut nonnunquam mane, etiam postquam surrexerat, ferè tamen vesperi, vel ante, vel post febrilem accessionem, etiam ex levissima defatigatione obreperet: Animadverti tamen affectum hunc non solùm ex lassitudine, verùm etiam ex vehementioribus animi perturbationibus, tristitia, excandescentia, attentioribus cogitationibus, &c. recruduisse. Ternos plerumque insultus syncope ista ad tempus aliquod observabat, manè videlicet ex cubili descendendo, crepusculo vespertino, & circa noctem mediam: Afficiebatur interim albo fluore, servato tamen utcunque menstrui ordine & tempore, præterquam quod deterius fuerit, colore & quantitate mutata. Urina tenuis, vix spicea, sedimento ferè destituta: febri adhibita sunt, quæ cum moderato calore & partium tenuitate tergent, aperiunt & robur conferunt, ex quorum usu mitior reddebatur: circa calendas Decem. evolutaria periodo menstrua, frequentioribus jam factis lipopsichiis, ut intra 24. horas etiam quinto repeterent, quum jam non aliunde quàm ex utero illas renasci judicarem, tardiorem solito matricis excretionem in neomeniis provocandam duxi, sperans inde commodi aliquid accessurum: Displicebat ad hanc rem etiam in malleolis venæ sectio, propter hybernum tempus, exiguas & profundas venas, sanguinem paucum, crudum, corpus sobrium, noctes insomnes ex cœnæ abstinentia, quam febris vespertina & ἀνορεξία impediebat: Purgatam quoque ante & subinde, sed clementiùs: Exibui itaque Dauci pollinem ex aqua artemisiæ: fastidienti obtuli ex asa fœtida, dauco & castoreo pingui æqualiter mistis ℈j. pilulæ forma: Cùm autem nondum obediret uterus, offerebam adventante vespere rursus ex iisdem catapotiis duplum; Quibus devoratis in somnolentiam novam incidit, in quam cùm se vergere præsentiret; Quid nunc tandem fiet? aiebat, & paulò post soporatæ instar jacebat: quo sopore discusso, obrepebat cum frigore consueta & vespertina oscitatio, assilientis febris prænuntia. Totum diem foco inhærebat, carens vaporario, & frigus premebat, ea itaque nocte cum febre delirabat: durabat autem delirium istud biduum ferè continuum, & jam finito febrili paroxysmo, nam interdiu nunquàm febricitabat calore notabili: At cum catapotiorum subsidio uterus responderet, postridie theriaces opt. ʒß. cum cinnam. ana ex aq. artemisiæ & saccharo propinabam, quâ potiuncula eadem die menses comparebant ferruginei, crassi, putridi & copiosiores solito per totum ferè quatriduum fluebant: Nihil tamen profuit ista excretio, imò symptoma acerbius & frequentius videbatur: Quod enim ultra quinos ad summum impetus uno die ex more non faciebat, jam deinceps nulla nec temporis nec consuetudinis ratione habitâ creberrimè redibat, ut nonnunquam quater duarum horarum spatio repeteret, imò unicus paroxysmus septenas horas & quandoque denas expleret, neque is ejusdem formæ cum præteritis, sed respiratio strangulationi simillima fiebat, una cum sonitu & stridore magno, convulsioneque artuum tam violenta, ut præ concussione fulcrum cum toto cubili tremerent & crepitarent, cum colli capitisque inordinato motu, imò extensione velut tetano universi corporis, voce inarticulata, coactâ, stridula, abrupta, displosa, clamosa, stentorea, ut præ violentia paroxysmi simul plerumque toto corpore sudaret: Finitis uterinis hisce etiam exacerbationibus, ferè desipiebat, absurda loquebatur, caput huc illuc assiduè agitans, & cantillanti voce idem perpetuo occinens, neque ab hoc coccysmo desistebat nisi ad mentem rediisset, neque id nisi probè & præter solitum obdormiisset: Dum deliraret, imminentem symptomatis

insultum

insultum annuntiabat his formulis, scamnum hoc aufer, nimia hic est angustia, trabs nimis imminet, ego aduror; delinquente animo, est mihi volandum paulisper, & simul cum hac voce, plerumque impetu quodam, corpus erigere, tanquam jam volatura conabatur, verùm in mediis conatibus ægra deficiens menti eripitur: Durabat hæc amentia tres quatuorve dies continuos sine ulla restitutione mentis: Dum delirabat omnium, etiam minutissimorum quæ multò ante acta essent recordabatur, sed quæ mutilatis verbis & obscuris efferebat: Tantæ rerum difficultati cum quid opponerem anxius delibero (neque enim ex frictionibus, ligaturis, fomentis, vacuationibus, odoratis & fœtidis usque deque admotis &c. utilitas ulla accedebat) ad catapotia illa non purgantia revertor, additoque mithridatio tali proportioni miscui, ut ad castorei pinguis simplum, asæ & dauci singulorum sexcuplum, mithridatii duplum accederet: hujus medicamenti quotidie ʒ j. in pilulas formatam exhibebam, cui cumini cochlear parvum ex cerevisia saccharata sorbere jubebatur: Deprehendi antidotum expectationi utcunque prosperum, quare & instante vespera offerre audebam: cujus usus Dei beneficio, ita nobis succedebat, ut affectus, cujus frequentissimi uno die insultus, iidemque pertinaces esse solebant, vix tandem bis, idque multò mitiùs infestarent, imò ita quotidie decrescerent ut infrà nonum diem prorsùs extinguerentur: Totum itaque biduum & mente & corpore valebat, victâ febri jugulatoque hysterico malo, cibos appetere cœpit &c. Die Decembris 21. falsò suspicata est hominem in hypocausto adesse, cujus vocem audisse imaginabatur: hinc furtim, vacillanti gradu sponte in subucula è lecto per gradus 8. in atrium usque descendebat, etiam progressura ulteriùs nisi à sorore ad eam redeunte deprehensa fuisset; quam adventantem sentiens, magna cum celeritate scalam ascendens rursùs se in lectulum proripiebat: subitum hoc illius robur satis mirari nequeo, quæ vel pridiè de grabatulo vix ulnis exportari se inoffensè sustinuisset: Ex hoc descensu fatigato corpore, variaque imaginatione animo turbato, illicò in pristinum affectum prolabitur, per biduum delirans, 23. die iterùm ad se redit: Interea 26. Decembris menses refluebant, qui ut commodiùs manarent, pharmaco promovimus, nihilo tamen sublevarunt symptoma: Alternis diebus ferè mentis compos fiebat, idque interdiu tantùm usque ad vesperam: Per hos dies deficientibus catapotiis, pulvisculum ex una zz. duabus dauci partibus edulcata cerevisiæ inspersum exhibebam, à quo mitiùs solito habebat per 4. dies continuos, licet semper vespertina accessione desiperet. Tertia Januarii 1568. ob ægritudinem animi ex fratris discessu, adeò rursùm morbus sæviebat; ut intra bidui spatium plus minus 32. paroxysmos prioribus ferociores pateretur: reversi verò fratris præsentia malum denuò cicurabatur; quod postridie, ex ejusdem discessu iterùm ferocire cœpit; Ante quatriduum aliquando manè talis illam paroxysmus invadebat qualem ante Calendas Dec. habere solebat, cum densissima respiratione & spiritûs interceptione, suffocationis specie: 7. Januarii dolor quidam punctorius utrinque ab osse sterno, inter geminas mamillas, affligebat, neque tussiendo, neque respirando invalescens, imò sine tussicula, hærens nihilominùs loco, ad singula ferè momenta sponte sua ita pungebat ut subinde vocem attollere cogeretur, sed sequenti nocte mitigatus & ferè sublatus: 8. Recrudescebat cruciatus ille & vehementer lancinabat, fomentorum usum non admittebat, quod illorum pondus pectori molestum esset; potus & cibus omnis oleosum quid sapere ægræ videbatur: Purgabam eo die catapotiis, mediocris excretio sequebatur, nihil tamen remittebat dolor. 9. Cataplasma pectori nihil conducebat, imò profundiùs inde dolebat: paroxysmi uno die interdum plus minus 16. 20. utebatur tragemate ex diatrium piper. & castor. ana ʒ ß. sacchar. duplo; venæ-sectio, cucurbitularum usus perparum conferebant: 15. suspiriis increbrescentibus, extorta vix tandem causa, amorem erga Juvenem, invita admodùm fatebatur: Ex hoc animi affectu appetentiam cibi, somnos, sanasque cogitationes laberactatas: hinc illi 21. Decembr. ex.u ili descendendi impetum, suspicione de delicto illo provenisse; Ex eo tempore eaque causa morbus illi cum exacerbationibus magis sævire visus, cumque delirio majori & diuturniori quàm antea: 18. mihi & uxori suspiriorum causas pervicaciùs sciscitantibus, etiam alios profitebatur, adeoque se amatoriis imaginationibus ab eo ipso momento assiduè perturbatam fuisse: 20. Hieram cum agarico mellitam hausit & commodè purgabatur: eodem die menses apparebant nigricantes, putidi, qui postridie medicamento promoti laudabiliter fluxerunt. 2. Paroxysmi uterini à purgatione & rarescebant & mitigabantur, Edulia adhuc oleosum sapiebant, sed vespertino insultu rursùs de mente excidebat: 23. A prandio oscitabat sæpiùs, frigebat cruribus & lumbis: novæ febris quotidianæ annotatio, priore jam diutiùs mense, discussa: 25. A meridie ad mentem revertebatur: 27. Post meridiem oborta vertigine querebatur, & se & omnia circumrotari; excipiebat hanc statim quiddam convulsioni simile, oculorum depravatus motus apertis palpebris, & derepente brachiorum manuum crurumque denæ aut duodenæ violentæ extensiones, distinctæ inter se mora perquàm exigua, occupata mente & sensibus, capite immoto: His finitis illicò solitus paroxysmus, strangulationi similis, cum tremula totius corporis concussione, subsequebatur: A prandio, levissimo vomitorio exhibito multam viscidamque pituitam rejiciebat; 5. Februar. inter multos paroxysmos unus quinque horas continuabat, à quo desipiebat usque adeò ut me quidem ne dignosceret, in quo tamen nunquam erraral: 8. vesperi unicus paroxysmus octo horas implebat; Ante biduum de dolore sub nothis costis supra lienem, idque ab anteriore parte in dorsum usque, querebatur, sed rariùs, exasperari tamen motu thoracis vehementiori: Dolor pectoris punctorius prorsùs evanuerat, qui per quatuor septimanas duraverat; dolebat & circa dextram umbilici partem profundè, 10. unus paroxymus res stupenda, per 12. horarum ferè spatium totum perseverabat: 17. Ceratum impositum parotidi, quæ in glandulis colli, sub aure dextra, strumæ non absimilis, ante quinque hebdomadas enasci cœperat, jam ad tactum dolebat. 23. toto die optime valuit, mentis compos sine ullo paroxysmo: 27. jam in sextum diem sine paroxysmo ullo persistebat mentis compos usque in meridiem hujus diei, quo tempore in reparatum lectulum

lectulum deportata, ex levissima hac defatigatione in paroxysmum veterem recidebat, ex paroxysmo verò, in dementiam, sensit autem ante mediam noctem paroxysmos tres: Notandum quod præ metu sævissimi illius paroxysmi plerumque vix ante quartum aut quintum diem lecto dimoveretur: A calendis Martii totos dies 17. continuos animo & intellectu pollebat, repetentibus tamen interim aliquando primis illis deliquiis levioribus, nisi quod bis, dum lectus reficiebatur, ex transportatione defatigata, ratione excideret. 13. menstruum, quod redire debuerat, intermisit: 31. Tantæ vehementiæ paroxysmus novus erat, caputque de latere in latus sæpissimè agitabat, ut sanguinem ori exprimeret, qui ex capite manasse videbatur: Ad 20. diem Aprilis usque eadem morbi conditio: Maii 4. paroxysmus cum jactatione capitis totiusque corporis, comitante stridore vocis acutissimo inexpectatus adveniebat: 5. sanguinem ex basilica ad ℥ iij. detraxi: 16. venam malleoli secui, fluxit sanguis modicè, fortè ad ℥ iij. 25. sumpta cathol. ℥ j. dejecit sexies: Junio mense graviora illa symptomata mitescere, adeoque minui cœperunt: Tandem sub finem mensis hujus nulli redierunt paroxysmi, ne tunc quidem cùm lecto moveretur. Sed toto hoc mense catharrus ad os fluens (quo jam à Januario fatigabatur) infestabat magis ut quod afflueret cava manu abjiciendum excipere cogeretur: Julii 14. febri rursùs intermittente quotidie repetente, & quidem duplici, affligi cœpit; hac febri plurimùm emaciata imò exhausta est: Augusti 5. catharrus desinere cœpit; febris intermittens in continuam conversa vires prorsùs labefactat: Post idus tenesmus ad frequentissimas sedes, sed irritas, cum summo dolore sollicitabat: A calendis hujus mensis, ferè non potuit, præ nimia macie consumpto corpusculo, in clunes ampliùs surrigi ut alvum aut vesicam exoneraret: hoc mense tumores illi duri & scirrhosi per se diminui cœperunt, ut mortuæ ferè prorsus evanuisse viderentur. 18. paulò post tertiam matutinam sana mente, constanti fide in J. C. ex hujus vitæ miseriis emigrabat anno 1568. Corporis habitus, & quidem sub-pinguis, quo naturæ beneficio prædita erat, usque ad solstitium hybernum satis sibi constabat quamvis semel tantùm quotidiè cibaretur: imò ab eo tempore incrementum, adipemque contraxit majorem multò quàm dum inculpatæ valetudinis esset: Nam à 21. Decembris meliori appetentia quàm ante præstabat, pluresque quàm cùm sana esset, cibos sumebat, durabat id per menses ferè duos: Ab Idibus Februar. laudabilis illa corporis constitutio flaccescere cœpit, fastidio nempè ciborum oborto, & febre quotidiana altera, quæ priori tamen mitior esset, per ingluviem suscitata: Interim nec ab hectica febri symptomatica immunis fuit, quæ per menses plus minùs sex ante obitum apparere cœperat, etiam ut ab aliis febribus putridis liberata esset. 4. Calendas Januarii ad multas hebdomadas, sæpissimè unico die, tres, & quidem specie diversissimas inter se syncopas patiebatur: nam non rarò & illa tum leipothymia recurrebat, quæ ante calendas Decem. singulis noctibus etiam dormientem opprimere solebat, idque potissimùm quoties ad mentem reditura esset.

Dissecto corpusculo, pulmonis lobos, undique thoracis membranæ firmiter annexos ut sine labore aut dilaceratione divelli nequirent, eosque duris quibusdam tuberculis scirrhosis omni ex parte refertos deprehendi: Tenuia intestina rubicunda, velut erysipelate quodam affecta: Bilis folliculum felle quodam virescenti tumidum: Omentum ferè corruptum & consumptum; Cœtera viscera bellè habebant: Jecur colore substantiaque bona, communem tamen humani hepatis magnitudinem excedebat: Uterus quoque, intestinum rectum, aut lien nihil præ se vitii ferebant.

Nulli alteri corporis parti, præterquam utero attribui debere immanissimos hos (quibus pia & pudicissima virgo tanto tempore excruciata fuit) paroxysmos apud medicos in confesso est: *Galenus* certè atque *Aëtius* præter sensus, vocis, motus, & spiritus interceptiones, etiam hystericis artuum contractionem aliquando accidere testantur, quod quo facilius credam facit ipsa ægræ adstipulatio, quæ de frigiditate ex imo ventre surgente, & cor ipsum quodammodo congelante, accessionis initio queri solebat: sed quid in causa sit, fortassis controversia non omninò caret: statuitur autem ex probatissimorum veterum sententia causa duplex, videlicet vel menstrui vel seminis corrupti culpa; semini major vis tribuitur quàm menstruo, ut toti corpori noxa afferatur. At si seminis corruptelæ tanta symptomatum diritas adscribatur, unde tanta ejus copia ut sedecim, ne dicam viginti paroxysmos intra 24. horas suscitet: præsertim cum id ipsum etiam sanis exiguum existat, neque tam sæpe ut cætera excrementa expelli postulet, præcipuè in virgine nunquam concubitum experta: adde quod tam longo morbo afflictæ in sextum usque mensem, priusquàm hystericæ exacerbationes finem facerent, tam sobriæ, ut unico pastu, eoque valdè modico, ad menses aliquot, etiam ante decubitum acquiesceret, utpote tota præcedente morbum æstate in Clivia, propter exilium, patriæ calamitatem, parentum pericula mœrenti & valetudinariæ semen abundare nequiverit: De seminis acrimonia nulla est suspicio ob habitum corporis pinguiusculum, qualis illi à natura fuit, adeoque in otio molliter educatæ moribus, modestæ & pacificæ: At *Galenus* minimam corrupti spermatis particulam tantorum affectuum causam esse posse, a phalangii & scorpionis ictu rabidive canis saliva asserit. Quod si ita habet, unde tam crebra totiesque renata hujus genitalis succi putredo? unde tam assidua ejusdem expulsio, quæ per sex menses, vix triduum sine ternis quaternisque insultibus ægram nunquam destituit? sanè tanta est febrilis paroxysmi æqualitas quanta putrefacti humoris uniformitas, quo discusso etiam accessio dissolvitur: similem hysterici paroxysmi rationem esse statuamus, ut donec humor venenatus subsistat, tamdiu affectus quoque sæviat: sed si cum singulis insultibus finientibus ipsorum etiam materia absumatur aut ejiciatur, unde tam subitò nova colligetur? Quandiu phalangii, aut scorpionis & canis rabidi virus in corpore hæret atque agit, tamdiu quoque affectus ejusdem sine ulla intermissione perdurat continuò, neque novos facit paroxysmos; In febri quia concoctio & nutritio corporis assiduò recrementa quædam seponit, fit ut pro partis morbosæ qualitate, ejusdem nutrimentum atque excre-

mentum vitietur; vitiatumque præ imbecillitate neque concoqui rectè, neque expelli commodè queat, sed inhærens putrescat & pro putredinis suæ natura hæc aut illa symptomata producat. At in seminis consideratione, tametsi testes ex continuo seminis accessu, pro suo modo sese alant, non tamen quicquid post sui alimoniam superfluum est id statim omne à se propellunt, sed tanquam in meliorem usum utile excrementum propriis conceptaculis reponunt & conservant, dum vel copia molestum turgeat, vel procreandæ speciei necessitas, ut illud excutiatur sollicitet. Quamobrem, qua ratione horum frequentissimorum symptomatum causas in corrupti seminis venenosam substantiam rejicere debeam, assequi non commodè possum: nisi lentam quandam & continuam tanti temporis gonorrhœam factam esse imaginemur, neque enim alibi quam extra vasa semen putrescere verisimile est; vasis autem excidere posse, nisi cavitate matricis excipiatur statim, anatomici veteres negant: At si ita frequenter vel minima particula seminis in uterum illabatur, illapsa putrescat, sanè putrefactum tandem necessariò semel Utero excuti debere verisimile quoque est, ut rem non tantùm utero sed & toti corpori adeò infestam & venenatam; si excussa fuerit, alienam sanè qualitatem facilè sensibus prodet, neque enim calore ut in febre dissipari posset: neque uterus tantùm venenum perpetuò fovere valet: sed in hac ægra nulla vel paucissima humiditas, nec illa quidem ingrata qualitate prædita genitalibus (post finitos paroxysmos) emanasse animadverti potuit, teste sorore assiduò assidente. *Henr. Smetius Miscellan. lib. 4. epistola 7.*

Mulier quædam hystericis passionibus obnoxia, tandem moritur. Mesenterium plurimis glandulis scirrhosis, durissimis, & variæ magnitudinis & figuræ obsessum; vix ob duritiem discindi poterant. Uterus & Ovaria, cum Tubis, recenti quasi coagulato lacte turgebant.

Ex obstructis mesenterii glandulis sæpe convulsio orta, præsertim quando cibo, vel potu corpus repleatur, tunc enim magis istæ glandulæ distenduntur, unde membranarum ruptura, distensio, & dolor. Porrò convulsiones istæ in Abdomine, ob communionem cum aliis visceribus, idque mediantibus nervis paris vagi & intercostalis, hystericam (ut dicitur, quamvis uterus sit inculpatus) passionem intulerunt.

Ægra hæc istas in mesenterio obstructiones nunquam passa fuisset si acidis & viscidis humoribus se non divitem fecisset. Atque hoc acidum abundare testantur succi in Ovariis, Tubisque Fallopianis, ac uteri cavitate coagulati. *Steph. Blancardus Anatom. Pract. Observ. 55.*

AGRYPNIA.

Vid.

PERVIGILIUM.

AGRYPNOCOMA

idem quod

COMA VIGIL.

ALBOTIS.

idem quod

TERMINTHUS.

ALBUGO seu LEUCOMA

Vid.

OCULI VITIA.

ALCOLA

Est nomen morbi apud Avicennam, idem significans quod *Aphtha.*

ALGEMA, ALGOS.

idem quod

DOLOR.

ALOPECIA

Capillorum est defluvium; sic dicta quod vulpibus frequenter accidat. Vid. Pilorum defluvium.

ALPHUS

idem quod

VITILIGO.

ALVI FLUXUS

Vid.

DIARRHÆA.

ALVUS SUPPRESSA, DURA & Pigra.

Expulsio in intestinis, aut imminuitur, aut ad tempus omnino nulla est, unde enascitur alvus dura, vel alvus suppressa.

Causa est vel in ipsis intestinis, vel in ipsis contentis expellendis. In ipsis intestinis, si vel inflammata fuerint & tumefacta; vel post dysenteriam ita coaluerint, & eorum parietes agglutinati invicem sint, ut nulla supersit via materiis excernendis; vel etiam, si insensilia, paralysique tacta, unde aut spicula excrementi non percipiant, aut illi egerendo motum aptum, sc. compressivum, non habeant; De aliis quæ Ileum faciunt; motumque intestinorum peristalticum invertunt, hic non est quod agamus, suo siquidem reservantur loco. In ipsis contentis expellendis erit causa alvi pigræ aut suppressæ si, vel indurata nimis fuerint, vel viscosiora, atque alterutra hac de causa, ad motum inepta. Indurantur fæces, vel quòd ingesta jam fuerint dura; vel ex succorum salinorum intestinorum cavo per varios tubulos suffectorum actione penetrantiori, unde ab eo quocunque demum quod fluxilitatem aliquam ipsis faceret spoliatæ, excrementi tantùm quasi caput mortuum prædictorum salium terrestreitate sua vim eludens, relinquitur. Præterea ea est quandoque salium in intestina invectorum natura coagulatoria quæ excrementi portionem in lapideum quid pervertere valeat; unde vidimus aliquando gypseam materiam intestini recti cavum ita opplentem, ut omnis contentorum exitus fuerit impossibilis priusquàm inferciens hæc materia per remedia, imò manualem operationem emota fuisset. Viscosiora redduntur excernenda, vel itidem per copiosa alimen-

alimenta viscida usurpata; vel propter bilem parciùs admistam; (cujus beneficio diluuntur excrementa, atque ea propter clysteris naturalis nomine venit) vel propter succum pancreaticum austeriorem fluxilioribus excrementi particulis in pituitosum quid, intestinorum parietibus quàm facilè adhærens coagulare aptum; vel propter potum parcè nimis haustum, &c.

Curationem quod attinet, illa minimè tentanda venit si intestina post dysenteriam coaluerint; si verò inflammata, aut paralytica, illis medendum, quæ ubi de inflammatione & paralysi, dicentur. Si alvus supprimatur aut pigrescat ex alimento duriori, aut viscosiori ingesto, necessario cum molliori, & minùs tenaci, atque potus parcior cum largiori est commutandus, reliquum quod spectat, iis quæ emolliunt, ut & quæ stimulant res perficienda: atque si durius quid ano vicinum reperiatur exitum ita obstruens & obturans, ut contentorum nihil prorsus pervadere queat, illud quacunque demum arte emovendum.

Inter interna alvum emollientia & lubricantia apprimè facit oleum amygdalarum dulcium, &, ut quidam volunt, ova sorbilia, atque potus copiosus, vel simplex & ordinarius, vel passulatus, passulæ enim vel per se, vel pauco arcano duplicato Mynsichti permistæ hypochondriacis pertinaci alvi difficultate laborantibus, in potu exhibitæ, maximè conferunt. Conducit item serum lactis, succo pancreatico præprimis nimis austero, temperando atque corrigendo maximè idoneum, præbet enim salsum quid & nitrosum volatile non parvæ efficaciæ; & ulterius præterea emollit si tamarindi ipsi incoquuntur. De decocto senn. tartarisato, electuariis purgantibus, passulis laxativis variæ compositionis, quia unicuique eorum usus satis est notus, hic nihil addimus, ut nec de decocto ficuum longo nimiùm usu, ex observatione Henrici ab Heers, pediculos ingenerante. In alvi obstructione remediis communibus non ita facilè obediente quidam tanquam infallibile medicamentum commendant aurum fulminans à gr. vj. ad x. cum extracto hellebori nigri in pilulas compactum, interim tamen nec spei, nec votis respondit effectus in quibusdam ægris, sc. parum movit; revera, si salium, & dissolventium & præcipitantium tota propè materia in illo fuisset relicta, per eorum aculeos, magis expurgasset, sed tum vi corrodente atque venenosa egisset, quâ ipsum iteratis lotionibus spoliare omnino consultum est. Alii pro secreto habent vinum in quo per mensem mercurius vivus fuerit infusus, illudque ad cochleare unum vel duo exhibent. Non ingratum est medicamentum tinctura tartari antimoniata parcè aromatisata, in vino, vel etiam jusculo ad gutt. xx. propinata per dies aliquot, ut nec tinctura antimonii post ejusdem in oleo nitri per deliquium, digestionem spiritu vini extracta, atque etiam liquor terræ foliatæ tartari, aliaque id genus de quibus consuli possunt scriptores Chimici.

Inter externa sunt primò Clysteres è variis herbis, aut aquæ, aut jusculo carnium, & omasorum, aut lacti incoctis, sed præcipuè ex oleis parati, sic enim pituita etiam viscidissima parietibus intestinorum adhærens ut ab iis aliis mediis divelli nesciat, commodè extrahitur, eadem ratione qua ipsorum beneficio materias emplasticas glutinosissimas à manibus facilè separamus, ea propter in doloribus colicis à pituita vitrea non tantum intestinis agglutinata, sed eorum etiam tunicas per salia corrosiva immista, lacerante, generosæ sunt efficaciæ. Si verò induratæ prorsus fæces solvens validius exquirant, incoquatur pulpa colocynthidis, imò immisceatur sal gemmæ ipsumque vinum stybiatum; interim tamen per blandiora sæpius repetita negotium hoc venit tentandum, priusquam ad vehementiora procedatur, quæ ut optimè observat Ballonius præmaturè injecta volvulos quandoque intulerunt. Secundò suppositoria è variis petita materiis, & præcipuè ex alumine vel in longum scisso, oleisque illito, vel etiam pulverato atque cum mucilagine gummi tragacanthi aqua liliorum alborum extracta, in massam compacto; alii loco suppositorii quam maximè laudant intrusionem digiti oleo semin. napi, vel lini intincti. Tertiò sunt topica imo ventri, vel ipsi tantùm umbilico illita, inter quæ sunt unguentum de anthanita aliaque officinalia, at pro specifico habetur Zibethum, (quod etiam in colica umbilico inunctum secretum est) valet item cataplasma è felle tauri & colocynthide, admisto si lubet aloë, imò esula & sale gemmæ cum farinis. Quidam præterea topica sua plantis pedum admovent, quale est quod commendatur ex oleo populeonis cum hiera picra confectum. De exemplis rarioribus quale Principis illius apud Meibomium qui alvum deponere non potuit nisi priùs à servo flagellatus; item de tussi & sternutatione quandoque pro excrementorum ejectione necessaria, in eumque finem à Platero imperata, nihil hic addimus; subjungimus tantùm, quod si à tumefactis atque dolentibus hæmorrhoidibus fæcum præpediatur exclusio, fotu lactis cui chamomilla, verbascum, hyosciamus &c. fuerint incocta aliisque anodynis esse agendum. Sequuntur jam

Curationes, Consultationes, Observationes & Cadaverum Anatomicæ Inspectiones è variis Auctoribus.

Curationes.

In tardissima alvi dejectione à quacunque causa procedente mirabilis est effectûs essentia salis tart. cum sp. vini extracta & ad consistentiam redacta, cujus gutt. ij. usque ad vi. vel viii. tandem singulis diebus vesperi horis 2. à cœna in haustulo vini vel alio liquore exhibeantur, donec spontè subsequatur lubricitas alvi. Hoc felicissimè usus sum in melancholia hypochondriaca. *Joann. Hartmann. practic. chymiatric. pag.* 47.

Arcanum ex alumine in hoc casu in forma suppositorii exhibet Angelus Sala in fine operum. Valet etiam clysma ex croco metallorum & ol. olivarum. Item sp. vini cui per mensem mercurius est infusus etiam valet. Prius, quod notandum, croci metallorum decoctum debet filtrari, aliàs nocet. ♃. ol. lini, raparum ana ℥ iv. diacoloc. Q. ʒ vj. vel ℥ j. f. l. a. clysma. ♃. pulp. passular. ℥ iij. pulv. rad. jalapp. ʒ ß. scamm. rosat. ℈ ij.

crystall. tart. alb. ℥ iij. cum s. q syr. ros. f. electuarium. Rob. passular um optimè prodest in si. cioribus, præsertim ubi hepar est nimis calidum. In alvi obstructionibus præprimis à siccitate, minimè conveniunt aloëtica, neque rhabarb. myrobalani &c. quia nimis exiccant, & post se adstrictionem relinquunt. Optimè verò eo in casu conveniunt potus largiores, ut & passulæ laxativæ ℥ ß. ad ℥ j. elect. de tamarindis cum fol. senæ ab ℥ ß. ad ʒ vj. vel ℥ j. pruna item laxativa. N. iv. vel vi. *Joan. Michaël prax. clinic. general. libr. 4. cap. 16.*

Pro alvo suppressa in Gravidis.

Alvi suppressio ac durities vel tarditas curatur cibis liquidis & humectantibus, ut jusculis purgantibus, butyro, malv. borrag. &c. alteratis. Item prima mensa sumantur pruna dulcia vel mel. rosatum ad 3. vel 4. cochl. quæ si gravida respuat clysteres humectantes & emollientes sine omnibus purgantibus in minori quantitate sine periculo injici possunt. Cave tamen ab herba mercuriali, quia menses ciet, exempl. gratiâ. ℞. Decoct. hord. & jusculi carnis, vel pulli ana q. s. flor. borag. herb. pariet. ana m. ß. colat. ℞. ℥ vj. adde mell. rosat. vel sacchari Thomæ ʒ v. vel ℥ j. vitell. ovor. n. 1. m. f. clyster. Quem Obstetrix prudenter & caute, fistula scilicet non supernè versùs uterum, sed infernè versùs os ischiaticum directâ applicare debet. Suppositoria hîc minùs tutè adhibentur. Cœterùm si calor adsit, hepar refrigerandum, clysteribus admisceri etiam potest ol. amygd. dulc. violarum, rosarum &c. oleum amygd. dulcium etiam per os commodè assumitur. *Idem. Prax. clinic. General. lib. 5. tit. 14.*

Pro Alvo suppressa in Infantibus.

Si oritur à causa frigida & sicca post purgationem humectantia prosunt. Manna, Cassia, passulæ laxativæ, poma laxativa, rob. passul. brod. prun. laxat. minimè verò prosunt validè purgantia, cum exsiccent & adstringant. Si oritur à pituita viscida, convenit Mechoacanna vel suppositoria officinalia pro infantibus. Possunt illiniri ol. diacolocynthidos, pomum Bordorffianum putridum cum pinguedine anserum intestinis illitum; Item pinguedo anserum & gallinarum cum juglande umbilico imposita; Item unguentum de Arthanita cum unguento dialthææ. ℞. Unguent. de arthanit. ʒ ij. fellis taur. inspiss. ʒ j. cum ol. diacolocynthid. f. l. a. linimentum. ℞. Decoct. emoll. ℥ vj. vel plures, unguent. clysmat. ʒ ij. vel iij. f. l. a. clysma. *Idem lib. 6. prax. clinic. general. cap. 13.*

Linimentum hoc illitum umbilico alvum movet, nec post se detrimentum relinquit. ℞. ol. amygd. dulc. rec. pingued. anser. butyr. majalis unguent. dialth. ana ℥ ij. colocynthid. gr. xvi. salis ℈ i ß. spec. hieræ simpl. ℈ j. diagryd. gr. iv. misc. pro linimento. *Reinerus Solenander. Consil. 29. Sect. 3.*

Consultationes.

Per illustris senex sexagesimum secundum annum agens, temperamenti sanguinei ab ortu modò ad melancholicum vergentis, post errores multis ab hinc annis commissos, & præcipuè in victûs ratione, cibariis nempè valdè salitis & aromatibus infarctis, à scabie sævissima tandem fuit correptus, per quinque annos ipsum excruciante, magnoque cum labore, repetitis expurgationibus cedente, à qua liberatus, pristinum statum recuperavit, à morbis immunis vivens: solummodò post sexagesimum annum torqueri cœpit alvi astrictione insolita ac pertinaci, adeò ut nonnisi medicamentis exhibitis alvus respondere valeat, & magis magisque invalescit affectus; in hoc enim cursu erysipelate spurio in facie & in capite fuit tentatus à quó medicamentorum ope liberatus fuit, & ad præservationem inustum fuit cauterium in cruris dextri parte anteriori. Quievit aliquantisper; sed hoc hyemali tempore præterito rediit erysipelas in crure & in coxa, non semel, sed bis & ter infestans, tandemque etiam in capite, sanatum propriis adhibitis medicamentis. Laborat in præsens alvi stipticitate molesta cum flatuum in ventre strepitu, adeò ut nisi utatur medicamento aliquo solutivo vix fæces excerni possint. Quare pro levamine tanti viri, hoc tempore veris purgationem instituere decrevimus, tuo tamen sapientissimo judicio proponendam.

Sicut ab atra bile in toto existente elephantiasin excitari, in parte verò particulari Cancrum, dicebat *Galenus*, ita & nos in casu Nobilissimi Viri asserere possumus, quod bilem crassam, quæ jam præteritis annis diu in toto scabiem & psoram producebat, eadem sanata, à toto ad partem, & primò ad caput, postremò ad crura natura demandaverit & deposuerit, & affectum erysipelatosum constituerit, quem licet legitimum esse potuisse propter ætatem vix credi possit, attamen bilem redundantem arguere licet tum quia jecoris temperamentum calidum & siccum ab aromatum & salitorum usu, & forsan etiam meraco potu comparatum fuit, tum quia evanescit affectus, nullo in partibus relicto tumore. Et quoniam nonnisi à jecoris fervore bilis copiam generante, erysipelas prodiisse censendum, ideò ad corporis peripheriam non ampliùs, ut superioribus annis, transmissa, sed in centro modò detenta, & jecoris & hypochondriorum fervorem necessariò adauxit, à quo & intestina ipsa quodammodo contrahi, & fæces quàm maximè exiccari fuit necesse, unde alvi stypticitas, quam facilè hypochondriacus affectus quoque aut comitatur atque comitabitur: rugitus enim & murmura in abdomine abundantia, siccæ potiùs exhalationis, quàm vaporis, sicque flatuosæ affectionis non leve jure merito præbent indicium, eoque magis, cùm ad melancholiam vergere annotetur in morbi tradita historia: cujus affectionis comes esse solet alvi stypticitas, tum ob adductam superiùs siccitatem, tum ob crassas flatuositates fœcalia excrementa suspendente; & nonnunquam à cruditatibus viscidis expultrici facultati torporem quendam inducentibus: In hujusmodi autem insigni alvi stypticitate excrementa biliosa, quæ per inferiora evacuari debuerant, ab hepate per venam cavam ad cor, indeque per carotidas externas ad caput delata, & ab arteriolis ad integumenta transfusa ad superficiem pervenien-

nientia, erysipelas per intervalla excitant. Quod cruribus quoque accidit, bile ipsa per crurales arteriæ ramos à prudenter infixo Cauterio eo revocata, copiosioris & superabundantis bilis indicium, ut quæ per Cauterium tota expurgari nequiverit.

Affectus quidem non spernendi: nam licet erysipelas ad extra pelli bonum sit, cum affectus superficialis evadat, nihilominùs quoniam partem nobilem aggredi cœpit, & quia si per internas quoque carotidas bilis serpat in caput, nec extra pellatur, affectus erit priori contrarius, malus enim non solùm, sed pessimus evadit; namque & meningum inflammationes & phrenitica deliria cum acuta febre, & tandem quoque ex eo interitus contingere solent. Sed præterea & in cruribus temporis progressu aut tumorem, aut ulcus aliquod post se relinquere posset. Fovetur autem ab alvi stypticitate, à qua & alii affectus acutiores, ut ardentes febres, derivari possunt; ut propterea non sine ratione Hippocrat. dixerit, quòd ventris torpor omnium confusio.

Ex quibus adductis non est difficile, quid factu sit opus, cuilibet Medico cognoscere. Primò namque ventriculus & intestina ab excrementis expianda. Secundò si quæ lateant in mesenterio obstructiones, humectantibus & aperientibus reserandæ. Tertiò bilis in toto redundans minoranda & expurganda. Quartò jecoris & hypochondriorum fervor contemperandus, siccitatque corrigenda; & tandem caput quoquo pacto roborandum.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, ex fonte Chirurgico non unica tantùm est depromenda sanguinis missio; bilis enim neque tenuior, sed crassior & mista, & ideò erysipelas non exquisitum sed spurium censendum, in quo & *Galen.* & reliqui quoque sanguinem mittunt; Aperiatur igitur jecoraria dextera, sed parcè mittatur, ut ejusdem eductio ab hæmorrhoidibus repetatur. Cauterium nuper inustum & apertum, custodiendum, spe concepta fore, ut præsenti cura præservativa, expurgata nimirùm bile, intemperieque calida jecoris rem ssa, non amplius irruat in crura & interim paulatim biliosa serositas minor reddita, per cauterium expurgetur.

Ex pharmacia reliqua sunt depromenda remedia: & primò leniens erit syr. rof. solut. rec. cum portione man. clarificatæ, cui superbibat aut aquam hordeaceam, aut serum. Præparans erit, à viro Excellentiss. jam propositum, julap. acet. aromatis, addito polline cremor. tart. & aq. flor. citri. Inde reperi poterit potio ex syr. rof. solut. & de polypod. sero superepoto. Mox ad ulteriora præparantia humectantia deveniendum; cujusmodi esse poterunt succi depur. & per arenam trajecti cichor. borrag. pom. dulc. ad ℥ iij. in decoct. in jure pullæ parata, malv. viol. sonchi & endiviæ. Sequenti verò die præbeatur flos cass. ad ʒ ij. vel iij. summo manè & post horam superbibat seri capr. aut asin. libram, tribus verò horis ab assumto sero prandeat. Tertia die repetat succos, & quarta florem cassiæ, sic alternatim perseveret ad vigesimum usque diem. Verùm decimo die exacto, addi poterit flori cassiæ rhab. opt. ℈ j. Transactis verò jam dictis viginti diebus, præbeatur potio ex syr. solut. mann. clarif. cum sena & tartaro, addendo infusioni jam dictæ consuetæ rhab. ʒ i ß. cui, incepta evacuatione, superbibat seri depur. ℔ ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Sequenti verò die assumat seri depur. ℔ j. summo manè: deinde sequentibus diebus, tribus saltem aut quatuor vicibus præbendum erit serum caprinum depur. ad ℔ iv. vel v. cum vehiculo dejectorio, eodem modo quo aquæ Tettucianæ exhiberi solent, idque ut hypochondria excalefacta & exiccata refrigerentur & humectentur: offeratur autem aut quotidie, aut tertio quoque die, habita virium ratione.

Tandem pro jecoris intemperie calida corrigenda, aquarum acidularum & ferrealium thermalium usus opportunus esset, quibus substitui posset Noceriana, quæ mineralis non est; cùm solam terram samiam pro fundamento habeat; quam si respuat Nob. patiens, statim deveniatur ad lactis asinini usum, ut quod jecoris & venarum calorem contemperare, & furentis bilis acrimoniam & motum compescere valeat. Et quamvis biliosis & murmurantibus hypochondriis ab Hippocr. denegari videatur, eò quod facilè corrumpatur, corruptionem tamen minimè sequuturam spero, præmissis jam propositis humectantibus & refrigerantibus medicamentis. Incipiat igitur ab ℥ v. cum semi cochleari sacchari albi, & ascendat usque ad x. cum integro cochleari: assumatur autem statim mulctum, quinque horis ante cibum, cui minimè superdormiat, & perseveret ad quadraginta vel quinquaginta dies. Nec vetare potest usum, quia, *lac dare caput dolentibus malum*, illud enim intelligitur de capitis frigidis affectionibus, cum calidis & siccis sit verum remedium. Eodem tempore Balneum aquæ dulcis non esse omittendum mihi videtur, horis vespertinis administrandum, alteratæ fol. mal. viol. nymph. sonchi, salicis, viginti saltem diebus, quo viscera omnia totumque corpus cum sanguine ad moderationem redigi poterunt. Nec interim capitis tutela omninò negligenda, sed à prandio in usum ducat conservam rosarum: sicut quoque sub ingressum lecti, cui addi posset exigua portio Diarrhod. Abbatis, aut reformari cum gutt. tinct. coral. chymicæ.

Hisce omnibus congrua addatur vivendi ratio refrigerans, humectans, & potiùs incrassans, à Peritissimo viro præscribenda, à quo reliqua quoque proposita fuere, & à me in præsens confirmata. *Raymund. Joan. Fortis consultationum centuria quarta.*

Observationes.

N. Ab Offendorph, Nobilis Germanus, militans sub Capitaneo Lex, Vir fortis & florentis ætatis, ordinariè tantâ alvi constipatione laborabat ut vix unquam absque medicamenti alicujus usu eandem dejiceret, quod malum ipsi multis annis familiare fuerat. Interea tamen non ægrotabat, sed cùm alvus jam quinque sexve diebus substitisset, tunc somnolentus & in actionibus omnibus piger fiebat. Accidit mense Augusto, cùm alvus per septem dies constipata pilulis suis ordinariis (quæ ex præscripto Medici cujusdam Germani semper secum portabat) non moveretur, ut D. Romphium, Reginæ Bohemiæ Medicum ordinarium (qui tunc temporis Principem Auriacum in castris sequebatur) adierit, qui injectis duobus clysteribus, & duabus potionibus

catharticis fortioribus exhibitis, cùm alvum emovere non potuisset, non ausus fuit ulteriùs procedere. Quapropter ipse vitæ suæ metuens, è castris Noviomagum ad me venit, ac totum negotium mihi exposuit, simul aliquod salutare auxilium exposcens. Decimus sextus jam agebatur dies quo alvus constipata erat. Ego ejusdem emotionem sequenti clystere tentare volui.

℞. Radic. bryoniæ ℥ j. herb. malv. althææ, mercurialis, absynth. centaur. minor. florum chamomill. meliloti, ana m. j. fol. senæ ℥ j ß. pomi colocynthidis ʒ j. ficuum ping. num. VII. sem. anis. ℥ ß. coquantur in aquæ communis q. s. ad ℥ x. colaturæ adde vini stibiati ℥ IV. fiat enema.

Hoc cùm per horæ quadrantem retinuisset, alvus vehementer conturbata fuit, & ultra viginti dejectiones subsecutæ sunt, cum maximo levamine. Postea diætam emollientem & laxantem præscripsi, atque sic illum tanto onere levatum, benè lætum ad castra remisi.

Inveniuntur nonnulli quibus alvus mirabiliter constipatur, eorumque varia & stupenda exempla collegit Schenckius observ. lib. 3. in talibus naturis, si cathartica exhibita nihil prosint, non semel observavi vinum stibiatum clysteribus admistum egregiam operationem addidisse, idque tutò, cùm cathartica fortiora per os exhibita, interdum prohibito transitu, facilè aliquod periculum inducere possint. Memini me aliquando rustico Bataviensi robusto & valdè constipato catharticum forte exhibuisse, à quo cum alvus planè non commoveretur, postridie injeci enema cui, præter alia, semiunciam tabaci sicci incoxeram, atque sic alvus egregiè deturbata fuit. Novi capitaneum navis bellicæ, qui mihi narravit, sibi quondam in mare alvum multis diebus constipatam fuisse (unde valdè anxius fuerat) neque à Chirurgo suo multis variisque medicamentis emoveri potuisse tandem verò cùm jam de vita desperaret, quendam ex nautis consuluisse ut aliquantum rasuræ unguis pollicis cum haustu cerevisiæ biberet, quod cùm fecisset, se maxima anxietate correptum in animi deliquium incidisse, ita ut ipsum moriturum omnes arbitrarentur, postea verò ad se rediisse, & sursùm deorsumque enormiter purgatum, atque sic ab imminentis mortis periculo liberatum fuisse. *Isbrand. De Diemerbroëck. Observation. & Curat. Medicar.* 89.

Novi illustrissimas & formosissimas Dominas, quæ cæterùm sanissimæ, & quotannis uterum gerentes, nunquam nisi vigesimo, vel seriùs, die, alvinas fæces deponerent; nec quidquam inde incommodi etiam puerperæ sentiebant.

Vixi cum Sacerdote Religioso, omnium quos novi mortalium ingeniosissimo, linguas enim Orientales, Hæbream, Syram, Arabicam, autodidactos ita calluit, ut eas publicè, in celeberrima Germaniæ Academiâ docuerit, summa cum laude. Hic nunquam nisi post 24. diem, alvi beneficium à puero sensit, sanissimus, nec ullum unquam expertus pharmacum.

Generosus quidam jam multos annos ita vixit, ut fœcum alvinarum nihilo plus per anum quàm per oculos excernat, accumbit sub meridiem mensæ opiparæ, convocatis ut plurimùm aliquot Nobilibus, comedit, bibit, nihil à quoquam accumbentium discrepans. Sub horam primam surgit à mensa, pridianum prandium revomit, retentis accuratissimè omnibus recens ingestis, postridiè illa, ut hesterna egesturus, putidissima, atque ab alio stercore non differentia, in vomitione conatus nullus, mora nulla, simul & semel magnam quantitatem exstomachat, abluto aquis odoratis ore, ad mensam redit: ventriculum interim quod illi in sequentis diei meridiem satis sit, resumere cogit, jentacula, cœnasque ignorat, solo prandio contentus, Sic jam ultra 20. annum continuat.

Sæpè mihi in mentem venit, duos illi, ut animantibus ruminantibus esse ventriculos, quorum unus altero recens impleto, vomitu se depleat. *Henricus ab Heers, observ.* 29.

Amicus quidam meus non solùm 10. 15. aut 20. dierum spatio incolumis sine fœcis dejectione servatus est, sed contigit aliquando, alvum, ita exsiccatam fuisse, ut usque ad tres menses sanus perfectè extiterit. *Dominicus Panarolus, Observ.* 1. *pentecoste* 1.

Cum viro cuidam nullis medicamentis solvi poterat alvus, & jam per dies 14. ex toto suppressa erat, ipsi statim dedi mox ante cibum ʒ j. sequentis electuarii è zizibis dicti devorandam, quo certè alvus continuo fuit emollita, mota & subducta, nec de novo alvus suppressa fuit. Electuarium è zizibis κοπραγωγὸν sic se habet. ℞. Polipod. q. recent. benè mundat. ℥ VIII. fol. orient. rad. althææ ana ℥ IV. anisi ℥ ß. fiat omnium decoctio s. a. in aq. fontan. donec veniat ad ℔ ij. plus minusve postea cola cum levi expressione. Colaturæ expressæ adde pulpæ zizib. (i. e. jujub.) lotæ cum vino albo potenti & maceratæ in dicta decoctione, postea per setaceum transmissæ, ℔ j. sacchar. albiss. ℥ IV. bulliant iterum ad cydoniati consistentiam. In defectu zizibi, ponatur uva passa detractis Arillis. Hoc electuarium communicatum est ab excellentissimo D. Doctore *Alexandro Petronio. Martinus Rulandus. curat.* 79. *cent.* 10.

Hier. Thrivarus, comm. in aphorism. 10. *sect.* 2. *Hippocr. scribit*, rusticos jamdudum nosse experientia, si nudis pedibus humi obambulent, ventrem pertinacem solvi, atque ejus rei historiam refert *Brassavolus cap.* 9. *tract. de Medic. purgant.* Dum scribit Ferrariensum Ducem Borsium in alvi duritiem incidisse, & per triduum nihil excrevisse, & consultum ea de re medicum eo tempore insignem, Michaelem Savonarolam, suasisse clysterem injici, quo nihil proficiente, jussit pavimentum, quod erat marmoreum, frigidâ aquâ copiosiore conspergi, & Ducem lecto surgere ac nudis pedibus ambulare: non 50. passus perrexerat Dux, cùm per ventrem dolorem, ac βορβορυγμὸν sentire cœpit, sedem petiit & potentissimè excrevit, quo facto jussit Savonarola, aqua in qua herbæ calidæ essent decoctæ, Ducis pedes, ac crura ablui: quod consilium, Dux centum aureis remunerari jussit.

Hoc proculdubio accidit ob pedum, quem cum partibus nervosis & membranosis, qualia etiam sunt intestina, habent consensum, & ob intestinorum refrigerationem; sicut aliàs etiam, si venter frigori exponatur, dolor colicus, & alvi excretio copiosa excitari solet.

Verùm Brassavolus hoc periculosum auxilium esse putat, & non tentandum, cùm tormina inducere possit, & Diarrhœam. Nonnullis ex solo purgantium odore, alvus laxabatur. Novi medicum, cui, si in vola manûs, pomum colocynthidis contineret, donec incalesceret, alvus laxabatur

batur. *Daniel Sennertus. cap. 4 sect. 2. lib. 3. practicæ.*

Cuidam alvi fœces duræ in podice substiterunt, nec egredi etsi vehementi conatu propellere tentaret, poterant, adeò ut podicem, cum cruciatu, nimiùm aperirent, & veluti divellerent, huic ut mederer, sternutationem movi, & cum tussire jussi priùs podice fomentato cum oleo, quibus conatibus & impetibus scibalon propulsum & ejectum est, reliquaque excrementa subsecuta sunt. In multis aliis, quibus ob duritiem excrementa ægrè per podicem feruntur, tussim imperando ea ut prodirent, quæ alio conatu exprimi non poterant, effeci. *Fœlix Platerus, observ. lib. 1. pag. 225.*

Seni cuidam qui singulis tribus septimanis, aut aliquando mense alvum semel reddebat, hoc consilium dedi ut pinguibus jusculis uteretur, in quibus & malva incocta esset. Romana quædam mulier urticâ tenellâ ex oleo & sale comestâ alvum sibi reddebat. *Petrus Forestus, observ. 24. lib. 21. de mesenterii & intestin. affectibus.*

Vidi duos qui nullo antimonio, aut alio eccprotico ne quidem hellebori extracto alvum laxabant cùm meo consilio propriorum unguium præsegmina & rasuram bibissent, vomitu juxta secessuque abundè se deplebant. *Henricus ab Heers, observ. 29.*

Vir quidam corpore athletico post viscerum intemperiem, & gravem morbum per 18. dies, alvum habuit suppressam, cui ter interjecti clysteres, sed in ventre restitantes, & alia medicamenta exhibita, non potuere ad obsequium sollicitare. Tandem cùm omnia videret esse conclamata, nec ullam superesse sanitatis, vitæque diuturnioris spem, amicos convocat, insciisque medicis aliquot vini rhenani cyathos ebibit, solitas delicias, ultimum ita vale illis dicturus. Dehinc tamen post vini, cujus usu assueverat, haustum siccatosque calices, murmure in ventre oborto, liberaliter soluta alvus ægerque medicis stupentibus, celeri pede ad se, & sanitatem rediit, diuque superstes inter amicos pancraticè vixit. *Thomas Bartholinus, histor. 40. cent. 5.*

Quendam contumax alvus tantùm non ad incitas redegit, nequicquam hic solutivis, sive per os, sive per anum adhibitis proficientibus: perstat obstructio per duas vel ultra septimanas pertinaciter: venter tumore intumescit duro, cum calore p. n. gravioribusque symptomatis: duro igitur nodo durum quærendum esse cuneum arbitratus, misi tartari emetici gr. vj. ex aqua pingui seu sapida assumenda, applicato simul suppositorio: hinc sequuta diu expetita alvi solutio ἄνω καὶ κάτω, debili quidem hinc existente ægro, sed paulò post integrè sano. *Ehrenfored Hagendornius Miscell. curios. anni 73. observ. 16.*

Virgo laborabat obstructionibus irresolubilibus Pharmacopæus multis tentatis, desperatus desperatæ porrigit ℥ ij ß. mercurij crudi; quo facto magno impetu copiosissima successit evacuatio, ægraque post paucos dies pristinam adepta sanitatem. *Samuel. Ledelius misc. cur. anni 1672. Observat. 225.*

Sicuti variis de causis mortales alvi profluvia inquietos reddunt; ita etiam contra ipsorum excrementorum ejectio per alvum nimis tarda eos valdè molestat. Hujus autem exemplum obvenit *Dom. Samueli Cabeliavo* Medico hîc Hagæ anno 1677. in famula, quæ morbo laborans quinque amplius hebdomadarum spatio semel tantùm alvum exoneraverat, primum scilicet quarto decimo die, ac deinde post trium hebdomadarum intervallum quamquam & quotidie sufficientem alimenti portionem sumeret, unde factum, ut ei valdè anxiæ venter multùm intumesceret, atque ipsi purgantibus opus esset; quæ licet jam ab alio Medico præscripta, injectionesque per alvum adhibitæ essent, illa tamen neutiquam per alvum quicquam excernere potuit, quare supra dictus Medicus ipsi tandem præparantem, & simul purgantem mixturam præbuit, atque hinc nonnihil singulis horis cochleatim sumere jussit, quod cum illa per duodecim quatuordecimve horas, uti debebat, fecisset, denuò ipsi alvus enemate fortiori, atque emollienti simulque purganti, at nec quicquam fuit stimulata. Quare ejus venter per viginti quatuor horas in antecessum fotus fuit sacculo emoll. ac attenuant. herbis, nec non seminibus repleto, quæ in vino albo gallico, tenuiorisque cerevisiæ simili copiâ cocta erant: postea autem purgans potus è fol. senæ, rhabarbaro, spec. diacarth. & manna constans matutino tempore ei datus est, cujus usum tempore pomeridiano durorum admodum, atque argillæ similium excrementorum secuta est, terque, quaterque emissio, ipsamque famulam non ita diu post angor, ventrisque tumor deseruit; quamquam persuaserint ei Medici, ut dictæ mixturæ usum non intermitteret; atque ita deinde ipsa convaluit. *Corn. Stalpart vanderwil Observ. 55. Centur. 1.*

Nobilis quædam Matrona annos præter propter quinquaginta jam nata, ea est ab infantia alvi stypticitate ut semel tantùm intra decem aut duodecim dies eam deponat; vivit interim hilaris, nec affectionibus hypochondriacis hactenus obnoxia, appetit & vegeta est, imò respectu ætatis jam paulò provectæ, formosa, nec aliquid unquam molestius patitur quàm quando alvus solutior fuerit, unde à medicamentis purgantibus, solaque etiam rhei tinctura in leypothymias, aliaque non minùs gravia deducitur symptomata. Cum nuper apud me conquereretur de ventriculi quodam pondere atque indigestione, ipsi exhibui elixyr volatile mihi familiare, è variis aromaticis & theriacalibus conflatum, verùm cùm sic, (ut aliquibus evenit per aromatica & volatilia assumpta) alvus aliquatenus mota fuisset, tam malè habuit, ut eo ampliùs uti noluerit.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Religiosa mulier intestinorum doloribus multis jam mensibus urgebatur & alvus nihil nisi ægrè & durum, idque decimo tantùm quoque die reddebat. Mortuæ corpore inciso, inventa sunt intestina altiore callo constricta, adeòque iter angustum relinquebatur ut dejectiones ægrè transmitti possent *Benivenius de Abditis c. 30.*

Joan. Pressius, Medicus Romanus, se in cadavere Capucini vidisse asserit Duodenum intestinum undique repletum stercore coloris atri, levi & durissimo; quod in plures partes divisum tubera ad unguem æmulabatur, sine tamen magno fœtore; quod à caliditate maxima ortum habuisse credibile est: Pater ille cùm prius juris, alterius

que rei cochlear sumeret, statim vomebat, & cum vomitu magnam pituitæ vitreæ quantitatem excernebat, absque eo quod ullus tumor, ullusque stomachi vicinarumque partium dolor adesset.

Id à quo eveniat conjecturâ assequi possumus: nam cùm pater priùs ferè quotidiè quintam roris marini essentiam sumeret, si quis diceret ex hoc ortum sumpsisse; fortè veram morbi causam indicaret: Medicamenta enim chymica sicut aliquando mirabiles producunt effectus, ita sæpè absque modo & mensura adhibita sunt tanquàm gladius in manu pueri: facilè illa quinta essentia sicut hepar excalefacere; ita qualitate ignea humidum ventriculi absumere potuit. *Dom. Panarolus pentec. 2. Obs. 29.*

Quidam 40. annorum obstructione alvi sæpe laboravit, post mortem repertus ingens abscessus circa fundum ventriculi, ex eo genere qui steatomatici dicuntur, ad magnitudinem anserini ovi, qui satis durus fuit redditus. *Ex Joach. Camerarii. Observ.*

Cuidam ante annos 30. aut 60. ita alvus pigra erat, ut non solveretur nisi clysmate aut alia arte: Hujus rei causas varias machinabantur, sed cadaveris apertio rem aliter habere demonstravit, nam intestinum jejunum ita angustum & cartilagineum est deprehensum, ut vix per illud chylus deflueret, itaque diu morabatur in eo, tum propter angustiam tum propter impeditum motum peristalticum. *Ballonius Epid. lib. 1. pag. 58.*

Nuper ex dentitione difficili convulsa fatis cessit N. filiola, aliàs ab ortûs sui vestibulo sana, præterquam quod in excernendis fœcibus, etsi liquidis, summam pateretur difficultatem, & talem quidem ut ex conatu nimio & respiratione retenta tota facies nigresceret. Exenterationi traditum corpusculum. Inventa viscera omnia sana, præter intestinum ileum, in quo tres nodi una ferè spithama inter se distincti videndi erant; in horum quolibet magna portio hujus intestini, ipsi mesenterio non adhærens, abscondita latitabat: *Ex observ. D. Matth. Franc. Hertodi Medici Moravi in miscell. curios. anni 1670.*

Septennis puella diarrhœa corripitur: à mulierculis largè cydoniatum illi exhibetur; alvus inde omninò restitit: hinc tormina, dolor ventris, mors. Aperto cadavere, cœcum intestinum adeò cydoniato obturatum deprehenditur, ut illàc nihil pertransire posset. *Fernelius Patholog. lib. 6. cap. 9.*

Cuidam gravis affectus alvum prorsùs cohibuit, qui tandem ventre suprà modum intumescente decessit è vivis, inventum est colon usque adeò pituitâ infarctum ut solidum prorsùs censeretur, nihilque omninò fœcis in alvum delabi sineret. *Fernelius Patholog. lib. 6. cap. 9.*

Mirum quod cuidam per totam penè vitam contigit; alvus nil penè reddebat nisi liquidum, aut sollicitata pharmacis: nesciebatur quo id esset referendum. Aperto cadavere, repertum est in medio unius crassi intestini annulus crassus & durus, qui mediam penè intestini partem occupabat: sic crassiora excrementa non poterant transmitti: *Ballonius Paradigm. 30.*

Uxor N. partui vicina, post comestionem fructuum horariorum & lactis, superhausto magno haustu cerevisiæ frigidæ, statim incidit in dolorem in latere sinistro sub regione Hepatis cum alvi adstrictione. Secto corpore 50. post die mortuæ inventa est in eo loco pars intestini coli putrida & denigrata. *Observat. D. D. J. Hessi.*

Alius cùm intemperantius cœnasset, incidit in dolorem ventris circa pubem acerrimum, cum sensu caloris & adstrictione alvi. Secto mortui corpore, invenimus colon circa illum locum planè putrefactum, ita ut etiam ad levem contactum planè rumperetur. *Idem ibidem.*

Fœmina, quædam uterum gerens, per omne tempus gestationis, neque minùs ultimo mense, totas dies indesinenter à summo manè in multam noctem acu nebat, perpetuò sedens, in sese quasi contracta & incurvata, prono capite, ut solent acui intentæ: hinc in ventris tantam constipationem incidit, ut totis 10. 15. 20. etiam diebus, ne semel quidem alvum dejiceret, id quod illa parvi faciens neglexit, pergens quousque poterat tum sedendo tum nendo; donec præ incredibili ventris tumore & dolore (quorum utrunque ex alvi fæcibus retentis contractum erat) sedere ulteriùs ac nere non posset: Decumbit tandem misera, tormina ventris ejusdemque tumor, indeque orta anxietas, crescunt in dies, ac in tantum augentur ut res in extremo periculo videretur esse omnibus quotquot illam adibant: Suppositoriis & clysteribus ad alvum ciendam vel dolorem leniendum ne proficiebatur quidem tantillum: Clyster enim qualiscunque vel quantuscunque injiceretur, in recto nonnihil tantùm inhærebat (ut res tandem patuit) intestino, paulo post regressus, nihil prorsùs secum educebat; Partus insuper labor, durantibus his ventris torminibus, illam occupat, accersitaque Obstetrice fœtus, etsi immaturior, vivus tamen editur sic rectè: At etiamsi fœtus egressus esset, ne tantillum quidem detumuit venter, sed idem, ne dicam major, & tumor atque renitentia & dolor permanebant, ut res aspectu etiam terribilis esset adstantibus, existimantibus fore ut jam præ nimia tensione rumperetur venter: Quid multa? diem suum ægra obit, ipsamet rogans ut sibi mortuæ aperiretur & inspiceretur venter, factum. Ibi verò colon inventum (secto peritonæo & sublato omento) primum omnium è sede sua emotum sese oculis offerebat, totum gangrænosum; color ex cæruleo rubricans, qui color etiam per abdominis musculos, & cutim, nimia extensione extenuatam quidem illam, transparebat: Ea verò intestinum illud apparebat magnitudine, distentum scilicet mero stercore, ut amplioris canthari, cui pueri etiam caput inseri posset, capacitatem referret: Reliqua verò intestina superiora omnia flatibus maximè turgebant, supra modum: hinc colon, ea parte qua in sinistro latere à rene descendit (urgentibus inde flatibus intestina elevantibus, hinc verò stercoris copia, extensione intestini secundùm crassitiem seu profunditatem, illud brevius reddente, quasique contrahente illud secundùm longitudinem) è loco suo discesserat usque ad umbilici regionem: sub eo namque intra ductum rectorum musculorum abdominis conspiciebatur, à ventriculo rectà in medio descendens: Hinc absque dubio ipsius coli inferiùs, qua parte recto intestino continuatur, contorsione facta, tota via fæcibus & flatibus exituris, clysteribus verò intraturis in universum præclusa est: Tanta verò ex perforato colo fœtidissimarum fœcum illuvies effluebat, ac si jumentum aliquod mactasses. Atque hinc manifestum est quid gravidis conferat multa

vita sedentaria neglectaque alvi dejectio, maximè verò ad ultimum usque gestationis mensem producta. *Ex observationibus Franc. Tidicæi Medici Thoruniensis Borussi.*

Nobil. N. jam in senio constitutus, alvi suppressionem incurrit, quam arcere tentarunt Medici medicamentis & clysteribus, quæ nihil per interius educebant: exhibitum quoque oleum amygd. ad ℥ vj. pondus, quod tamen nec ipsum quicquam eduxit per inferius: Ultimo loco ceream candelam, per anum indidere, cujus portio ad cubitalem longitudinem intromissa, nitida, nullisque fæcibus deturpata extracta fuit, nulla tamen nec proinde excretione sequuta: Aquæ thermales quoque ex aquario propinatæ, quæ & ipsæ ad intra corpus detentæ nihil profecerunt: Quare ab 11. decubitûs die extinctus, cùm *febris valida* & indeficiens supervenisset. Cadavere aperto, Intestinum rectum, in parte superiori, ita per digiti transversi longitudinem coaluisse ac coivisse repertum, ut vix tenuioris funiculi crassitudinem æquaret; utrinque in confinio intestini partibus in tumorem quendam velut glandulosum elevatis: ex quo factum quo minus fæces in superioribus intestinis genitæ, per consuetam, familiarem que regionem naturæ detraherentur; quinimò nec thermalis aqua coangustatam partem potuit pertransire, sed in monoculo congregata reperta.

Intestina quidem non solùm ex flatuum repletione, sed etiam ex acrium humorum, frigidæque ac vitreæ pituitæ redundantia, atque etiam ex intemperie sola dolere posse omnibus compertum est, quinimò & ulcera frequenter patiuntur, & Apostemate corripiuntur atque etiam suppurantur, ut docet *Galen.* cap. 8. lib. 7. de loc. affect. At quod aliqua in parte ita arescant ut transitus per illa intercipiatur, rarum admodum est nec antiqui scriptores, quod meminerim, docuerunt, sicuti itaque animalium intestina arte intorqueri scimus, fidibus parandis in lyræ, testudinis aliorumque instrumentorum musicorum usum, ita & aliquando ex ignea humoris alicujus caliditate ita arefieri in corpore humano intestinum contingit, ut in chordæ seu funiculi formam redigatur, ut nec spiritus quidem transitum admittat: Quod verò in corpore humores ignei generari possint & adurentes, nulla probatione indiget, qui in intestinum aliquod prolabentes istud arefacere possunt ut ex igne lora & membraneam paginam arefieri; atque ad minimum redigi conspicimus, quod in sprænarrato factum censeo, qui cùm ex ætate ad venereos congressus minùs aptus esset, frequenter ad excitandum veneris stimulum pharmacis quibusdam calidissimis utebatur: Quod verò in toto ægritudinis tractu nullus vomitus excitatus fuerit, causa fuit quod non intestina tenuia & superiora laborabant, sed duntaxat inferiora crassioraque, unde quæ per os ingerebantur, liberum è ventriculo ad intestina, ad eam usque affectam partem transitum habebant; ita ut mesaraicarum venarum medio, ad Hepar delatum alimentum corporis nutritioni distributum inservire posset: fæces verò ex valida calida intemperie multùm exsiccabantur, atque in variis intestinorum anfractibus collocabantur, in quibus non solùm per dies, sed & per mensem, nulla insigni noxa suboriente retineri posse non semel observatum est. *Marc. Donatus hist. mirab. lib.* 4. *c.* 10.

Mulier robusta, sexagenaria, nihil excrevit per alvum spatio novem dierum: Aperto cadavere, inventa pars Ilei tota inferior coaluisse, ut nihil hac via pertransire potuerit. *Bartholinus centur.* 6. *observ.* 38.

Fœmina quædam, per septem vel octo annos, vix unquam sine medicamento fæces deposuerat: vel si quando sponte sua, post ingentes conatus deponeret, *albida illa erant*: quibus verò Medicina tulerat auxilium, iisdem & coloris sui tincturam & suspicionem dabat non satis bilem a sanguine separari, augebant hanc pustulæ rubræ per totum corpus, sed maximè circa regionem Hepatis, cum insigni dolore diffusæ: Durities etiam hepatis se extrinsecùs tactui objiciebat: Tandem tabes cum febre hectica miserrimum tot miseriarum finem attulit.

Avebam ego tot morborum causam penitiùs scrutari, sed nihil impetrare, otui quàm ut obiter Hepar inspicerem, quod contenderem ibi latere totius mali originem, & latebat: Nam ipsum erat durum, & folliculum fellis exhibebat *in sese collapsum* & ferè totum consumptum: haud dubiè causam tam difficilium initio secessuum, postea ex permistione bilis cum sanguine, dolorificarum pustularum originem. Interim concludendum nobis reliquit, quandoquidem permistio humorum importuna tantùm corporibus creet incommodi, diligentem Medicis adhibendam curam, ut commoda semper fiat separatio maximè bilis cui separandæ, præter folliculum fellis, tot fabrificata est natura sagax alia instrumenta. *Theod. Kerckringius Spicil. Anat. observ.* 82.

Matrona per triennium asthmate periodico detenta per aliquod tempus nunquam nisi clysteriis aut aquis laxativis sollicitata illi alvus suum fecit officium, ad omnia autem purgantia meliùs se habuit: Illius vesica fellea magna, aperta nihil continuit bilis, sed lapidem inclusum habuit magnum, inæqualem pondere 4. drachmarum officinalium: Hinc conclusimus alvi constipationem ortam proculdubio fuisse à defectu bilis: *Carolus Raygerus in miscell. curios anni* 4. *obs* 2.

Sutoris uxori excrevit 60. ætatis anno ingens tumor inter alvum ac vulvam, sed loco penitiore quàm ut eo vel penetrarent medicamenta pus moventia, vel ferrum abscessum aperiens: unde factum ut in dies latiùs sese extendens, pervenerit tandem ad eam magnitudinem ut suppresserit ipsi juxta alvum ac vesicam: quarum partium cum non potuerit carere usu, carendum fuit vita.

Periculosa uti sunt duriora tubera, inter gulam ac asperam arteriam se insinuantia, sic neque sine evidenti discrimine est ille tumor qui hæret maribus inter vesicam & intestinum rectum; & fœminis inter easdem partes ac vulvam intermediam: præsertim si adultus nec maturescat maturè, nec effundat tempestivè pus in se contentum: intercludit quippe sua mole exitum excrementis illac erupturis, impediendo rigidè ne descendat alvus, profluat vulva, vel lotium deponat vesica, quæ impedimenta occidunt infallibiliter hominem. *Nic. Tulpius observat.* 10. *lib.* 3.

Juveni à duobus calculis in vesica deprimebatur eo usque rectum intestinum, ut coarctatum produxerit plurima membranosa filamenta, intertexentia tam arctè interiorem illius fistulam, ut nihil excretorum potuerit amplius transmittere. *Idem obs. lib.* 3. *c.* 2.

Qui-

Quidam Sutor per mensem aut ultra, fœces alvi non excreverat, multis clysteribus, ac potionibus purgantibus frustrà usurpatis, tandem interiit; aperto cadavere, omnia intestina inventa sunt fœcibus, aut alimentis, vel poculentis, omninò repleta, instar sanguiculorum (vulgò *boudins*) quod judicatum fuit a facultate intestinorum expultrice abolita provenisse. *Samuel Forminus*, *Observ.* 18.

Bajulus per quinque fermè hebdomadas fæces alvinas non deponens, quamvis catharcticis supernè & infernè præscriptis, tandem obiit. A fato sectus, intestina ei quorumvis ingestorum, farciminis ad instar repleta. Tecmarsis in Medicina multi usus. Haud semper novimus quæ intus latent. Curandi methodus fuit optima; ast si scivissent Medici intestina, aut spasmo, aut paralysi laborare, vel nihil fecissent, vel alio modo Medicinam applicassent. Ex spasmo, aut paralysi intestinorum, contenta non multùm proritantur, exinde ab ingestis repleta farcimen repræsentant. Cathartica spasmum potius augent quàm diminuunt. Hic potuisset usurpari balneum calidum, & lac cum rore marino, vel veneto sapone coctum calidè propinari. *Stephan. Blancard. Anat. pract. observ.* 30.

AMAVROSIS

Est totius lucis in Oculo impedimentum de quo vid. *Gutta Serena.*

AMENTIA.

Vid.

DELIRIVM.

ANAPHALANTHIASIS.

Est pilorum in superciliis defluvium de quo vid. *Pilorum Defluvium.*

ANAPHRODISIA

Idem quod *Impotentia Venerea.*

ANASARCA.

Vid.

HYDROPS.

ANCHILOPS

Vid.

ÆGYLOPS.

AMBVSTIO

Vid.

COMBVSTIO

ANCYLOBLEPHARON.

Est vitium oculorum, quando palpebræ, vel inter se, vel cum alba, aut nigra oculi parte concrescunt & cohærent. vid. *Oculorum vitia.*

ANEVRISMA.

Aneurisma vulgò definitur tumor præternaturalis digitis illum comprimentibus facilè cedens, illisque ablatis statim rediens cum forti pulsu.

Pars affecta sunt arteriæ ubicunque demum in corpore existant. Sic in naso post variolas aneurisma passa est Virgo, quod testantur Act. Haffniensia; in collo familiare est, ad medium propè sternum se extendens vidit Fabricius Hildanus; super meninges cerebri Henricus à Moinichen; sub sinistra homoplata Antonius Saporta; in genu, brachiis, manibus, aliisque corporis extremitatibus persæpe occurrunt; imò ipsius quoque aortæ aneurisma inter multa alia anatomica rara Romæ in Musæo Gulielmi Rivæ, cum corde cui adhærebat in certo quopiam liquore conservatum admiratus est Joach. Georg. Elsnnerus de quo in Miscell. Curios. Ann. 1670. observ. 18.

Causa ut plurimùm est *externa*, quandoque etiam *interna*; *causa externa*, est vel contusio & laceratio, vel excisio atque punctio arteriæ, vel ejusdem distentio violenta, qua variæ ipsam constituentes fibræ ita laxantur ut sanguini pulsanti cedant. *Causa interna*, vel sanguis vehementiùs saliens, parietibusque ipsum continentibus duriùs impingens quàm ferat earundem portionis cujuspiam, ubicumque demùm in corpore locatæ, tenuior a nativitate textura; vel humor acris sanguini commistus, interiores arteriæ tunicas erodens. Ut autem bene dignoscatur quid sit aneurisma, & quomodo gigni queat, notandum est arteriam illius veram sedem triplici lamellarum appositione constare, quarum prima sit reticularis, è nervulis, vasis sanguineis, membranosis expansionibus, glandulisque eorum finibus intersertis compaginata, secunda musculosa è fibris in circulum tortis atque villosis fibrulis inter se se devinctis constructa, tertia seu interior merè membranacea ex planis expansionibus conflata. Quis enim sic non videt arteria vel vulnerata, vel exesa, tunicam ipsius exteriorem utpote mollem vasisque pluribus conflatam facillimè coalescere, eademque facilitate postea extendi, dum media musculosa, interiorque membranacea, tum quia sicciores atque sanguine aliisque succis minùs irrigatæ, tum quia impetum sanguinis primæ sustinent, apertæ manent, viamque liberam sanguini pulsanti faciunt qua ad exteriorem in magnam & quandoque monstrosam molem distendendam progrediatur. Contra hanc sententiam docet Regius in sua Praxi Medica lib. 4. Medic. 11. unicæ historiæ sibi à Jacobo de Back enarratæ innixus, aneurisma effusione sanguinis extra arterias, generari, nugarique seu potius delirare omnes qui putant aneurisma fieri, à fibrarum ipsius mediæ tunicæ muscularis læsione, atque exterioris extensione. Verùm hac in parte acriter & solidè ipsi adversatur Diemerbroëckius dum sic habet Anat. lib. 6. cap. 1. Parum considerat clariss. Vir, admodum turpe, maximèque indecorum esse viro docto, sententiam suam calumniis potius, quàm rationibus defendere, ejusdemque adversarios probrosis dictis libentiùs proscindere, quàm melioribus argumentis refutare. Præterea non animadvertit, quòd sanguis in aneurismate contentus, non corrumpatur, nec unquam apostemata faciat, cùm alioqui sanguis copiosus extra vasa inter partes effusus semper corrumpatur, & inflammationes ac apostemata generet, secundùm Hippocr. Sect. 6. Aphor. 20. Item, quòd sanguis extravasatus non possit sibi membranas circumjectas generare, sed quamprimùm putrescat. Deni-

que, quod in tali humore ab extravasato sanguine producto non sentiatur pulsatio aliqua insignis (fortè ad locum læsæ arteriæ exigua aliqua percipi videbitur) qualis in aneurismate continuè procedit. Scribit quidem Regius medicat. suprà citata (hanc ex casu à Backio ipsi narrato effinxisse videtur, sicut eodem libro plerasque alias ex Horstio, Valleriola, aliisque exscripsit, easque, paucis mutatis, tanquam suas divendit, ut sententiam suam hoc quasi exemplo confirmaret: verùm si de eodem Backii ægro illud dictum velit, tunc historiam malè proponit) in isto vulnere sui ægri ad cicatricem pene deducto, circa locum affectum apparuisse tumorem valdè pulsantem, & quotidie magis magisque increscentem: sed hoc tamen de dicto Backii ægro (quem ille tanquam suum describere videtur) minimè verum est. Nam neque vulnus ante meum adventum, ad cicatricem pene deductum est, neque pulsatio in brachio ab extravasato sanguine tumido percepta fuit: quod testor oculatus testis. Nam ego ipsemet tunc temporis Roterodami subsistens, ad illum ægrum à Backio ipsi narratum primus vocatus fui, cùmque læsam arteriam profundo loco sitam esse, totumque brachium ab infuso inter musculos sanguine admodum intumescere, nec sanguinis ex arteria effluxum ullo modo sisti posse, atque hinc ægrum brevi moriturum animadverterem, nisi citò remedio occurreretur, consilium dedi de brachio ad locum vulneratum abscindendo, seu extirpando, ut tali modo læsa arteria videri, ac vel ligatura, vel cauteriis actualibus constringi, sicque æger in vita servari posset. Tunc mox secundus fuit advocatus Medicus Jacob. de Back, qui suasit antequam ad extirpationem deveniretur, priùs aliud experiri, scilicet brachium superiùs fortissimè ligare, sicque omnia vasa simul constringere, atque tum raptim discissis musculis, læsam arteriam quærere, & inventam filo cerato ligare. Mox dictum factum, nam periculum erat in mora. Incisione facta, sanguis valde copiosus inter musculos effusus, mox effluxit: sed nulla ibi pellicula sanguinem continens observata, nec de tali pellicula observanda cogitatum fuit, imò nec sanguis tanto tempore inter musculos substiterat, quò talis pellicula generari potuisset, (si modò generari aliquando queat) nam secundo die ab inflicto vulnere hæc acta sunt. Inventa & ligata læsa arteria, solutaque mox injecta superiori brachio ligatura, aliisque topicis convenientibus adhibitis, æger noster præter expectationem servatus, & brachium bene persanatum est. Interim ex ipso casu, vel cæcus videat, istam sanguinis inter musculos effusionem non fuisse aneurisma, etsi Backius hoc ita malè putaverit, & de circumjecta pellicula magnum sibi somnium finxerit. Certè miror quòd Regius tam facilè sibi aliquid persuaderi sinat in re quam ipsemet nunquam vidit, (nam hæc sua sententia satis ostendit se verum aneurisma nunquam vidisse, vel novisse) & ex eo mox novum, & tam firmum doctrinæ Medicæ fundamentum constituat, ut alios, contrariam seu aliam opinionem bono jure sustinentes, nugari, imò delirare existimet, & dicat, cùm potius delirii suspicionem ægrè effugere possint tales φίλαυτοι, qui sua tantùm inventa & excogitata tanto cum stupore admirantur, ut aliena quælibet, etsi suis multò meliora, cum vilipendio quodam despiciant, atque rejiciant, & ex aliorum falso relatu mox regulam medicam constituere, quàm verè sentientibus assentiri malint. Hæc ille. Interim tamen non solus in ea est sententia Regius, quòd scilicet sanguis ex disrupta vel incisa arteria inter musculos effusus aneurisma faciat; jam enim Antonius Saporta libro de tumoribus, inter aneurismata recenset tumorem inter musculos intercostales situm, è quo dissecto sanguis copiosus, sed olidus prosiliit, qui mora putrescens illius loci vertebram & costam ita labefactavit, ut cariosa sibi visa sit. Sic etiam Paul. Barbette in praxi medic. asserit se in aneurismate (quod ægrum occiderat) vidisse copiosum sanguinem, tam serosum quàm grumosum; tunicas arteriæ utrasque erosas, & claviculam sinistram maxima ex parte carie exesam. Imò Henricus à Moinichen de aneurismate meningum cerebri suppurato verba facit in Act. Hafn. Anno 1671. 1672. observ. 78. Verùm hoc nihil pro sententia Regii defendenda facit, nam in historiis à Saporta & Barbette allatis, quis non videt arteriæ tunicam exteriorem tantùm per plurium annorum pulsationem fuisse distentam, ut tandem abrumperetur, sanguinemque inter musculos effundi permitteret, ubi putrescens cariem ossium vicinorum continuò faceret, tunc verò aneurismatis nomine propriè & verè ampliùs non venit, sed potius abscessus ex aneurismate. In ultima verò ex Henrico à Moinichen recensita, quandoquidem Vir clariss. post mortem non vidit communicationem immediatam tumoris cum arteriis cerebri meningum, quis non facilè credat hic non fuisse aneurisma, sed potius alium quemcunq; demum tumorem meningibus cerebri insidentem per earumque pulsationes pulsantem. Simile quid mihi videre contigit ab aliquot annis in puella annos decem nata, quæ tumore à clavicula dextra ad medium prope sternum descendente, cutis colore quàm minimè interim imminuto, afflicta, me in auxilium vocavit, tumori admota sæpius manu tantam semper in eo pulsationem offendi, ut minimè dubius pronunciaverim cum alio etiam Medico Celeberrimo, illic subesse aneurisma, cui vel attingere sacrum erat, ne sic scilicet disruptio lethalis maturaretur, interim tamen post aliquot dies tumor ille pulsatorius per se apertus est, ingentemque copiam puris laudabilis effudit, juvenculaque post detersum & cicatrisatum ulcus bene convaluit, & adhucdum sana vivit; mirari meritò subiit quo demùm pacto hic tumor tam impetuosè pulsaret, sed re accuratius pensitata vidimus illum in musculis intercostalibus, & super pleura enatum, saccum grandiorem efformasse, qui ipsius cordis corpori inniteretur, ejusdem vibrationes, quasi sibi proprias nobis exhibiturus: Ea propter cor quasi in continua erat suffocatione, quod nos impeditæ ex parte circulationi per grandius illud aneurisma tribuebamus.

Signa aneurismatis *diagnostica* sunt, tumor nunc magnus, nunc exiguus, cum pulsu, colore à nativa cutis constitutione non diverso. Mollis est tumor, & digitorum impressioni sic cedens, ut si is fortè sit exiguus, penitus dispareat, sed mox sublatis digitis pari regrediatur celeritate. Quædam aneurismata, ut adnotat Vigierius, non modò cùm comprimuntur, sed etiam ex se sibilum edunt, admota prope aure, sensibilem, sed hic in majoribus aneurismatibus, seu iis qui majoribus insident arteriis non subauditur. Inveteratum

tum aneurisma minùs pulsat, minusque tactui cedit.

Ingentia in axillis, inguinibus, collo, aliisque insignioribus vasis insidentia, curationem aliam non admittunt quàm palliativam; itaque huc monendi veniant tyrones, aneurismata temerè, nisi fortè exigua, & in parte ignobili, non aperiant; imò caveant ne cum imperitis habeant illa pro abscessibus suppuratis, aperto enim tumore jugularetur æger. Lethalia in genere creduntur in iis qui à morbo gallico curari volunt.

Curatio est vel pro impediendo aneurismate post punctam arteriam; vel pro eo incipiente reprimendo; vel pro eodem jam aucto in arteriis minoribus, vel medicamentis, vel operatione, sanando. Arteriâ punctâ, statim secetur vena in latere opposito, partique affectæ apponantur medicamenta styptica, qualis est succus plantaginis sale communi impraegnatus & inspissatus, item liquor ex eo quod in sublimatione primi entis veneris ex colchotare restitat, elicitus; item aquæ stypticæ Weberi, Charaz, & l'Emery; hisce strictiùs superligata lamina plumbea, vel quod tutius est sæpe renovatis medicamentis stypticis, pressiùs interea continuo & indesinenter impositis loco affecto per quatuor aut quinque dies (imò plures, si necessum fuerit) plurium hominum, per vices hocce in negotio inservientium digitis, quibus scilicet non tantùm arteria excisa constringatur, sed etiam ita firmetur, ut præsidiorum beneficio pulsanti sanguini non cedens, per omnes suas tunicas coalescat, sicque aneurisma minimè enascatur. Advertendum autem, si deficiant homines hacce in cura adhibendi, dum eadem vi ligaturæ peragitur, illam sæpius esse immutandam, ne scilicet constrictione fortiori sine ulla prorsus intermissione continuata, gangræna oriatur. Curiosum est quod observat Horstius & ex eo Hæferus, laudanum opiatum arteriæ punctæ applicatum hæmorrhagiam momento sistere. Aliis expertum est hoc cataplasma. ℞. pulver. sumach, hypocistid. acaciæ, sangu. dracon. aloës, thuris ana ʒ j. Ex his cum album. ovi subactis fiat cataplasma, seu ceratum addita loco ceræ, emplastri contra rupturas particula, applicandum autem est statim in principio, ita ut tangat arteriam vulneratam, quæ sic consolidetur, ubi verò grumus sanguinis est collectus, immediatum remedii cum arteriæ vulnere contactum impediens, frustrà admovetur. De Galeni medicamento ex thure, aloë, pilis leporinis & albumine ovi, tanquam omnibus noto, hic nihil addimus. Lamina plumbea, vel sola applicata, vel succo plantaginis illita cum arctiori ligatura, aneurisma non tantùm ex vulnerata arteria arcet, sed etiam illi efformato palliativè quàm commodè medetur. Incipiente aneurismate illi mox enarratis medicamentis occurrendum, quibus alii addunt emplastrum è scoria ferri Montagnanæ, de quo vide in sequent. item sperniolam Crollii &c. Hartmannus tale sibi probatum habet. ℞. Ciner. ficuum ℥ß. ceræ ℥ j. terebinth. ʒ ij. M. F. emplastrum extendatur & applicetur sæpius; aliquando balsamus sulphuris adjiciendus est, nonnunquam terra vitrioli purificata addenda.

Efformato aneurismate, vel incipiente remediis descriptis non cedente, si in arteriis majoribus, collo, inguinibus &c. fuerit, non alia cura quàm palliativa, per adstringentia enarrata, & ligaturas mediocres, erit tentanda. Si verò in extremis, minoribus arteriis, locoque operationi apto sitis reperiatur, tentari poterit Hildani cura in sequentibus exhibenda; item illa quam Ettmullerus Parisiis ut ipse narrat vidit peractam in aneurismate dimidium ovum æquante. Adstantes scilicet superiorem aneurismati arteriæ partem digitis ita comprimunt, ut post aperturam infra in ipso aneurismate instituendam nihil ampliùs sanguinis effluat quàm quod ipsum continet aneurisma, quo evacuato quàm accuratissimè, foramini arteriæ globulum magnitudine pisi ex vitriolo cyprio ad albedinem calcinato bombace probè involuto adponunt, hinc inspergunt vulneri aperto pulverem ex thure & colophonia, reliquam cavitatem replent plumaceolis digestivo ordinario illitis, posteaque vulnus ligant & fasciant, quotidie removent plumaceolos superficiales, ut in tumoris labiis enatum pus evacuetur, ipsum verò globulum & immediate superinjectos plumaceolos, nequidem tangunt, sed sponte cadere sinunt. Unde fit ut solutum sensim vitriolum arteriæ apertæ labia nonnihil rodat, simulque blandè ita adstringat, ut præ ícta labia novo quasi vulnere sauciata, per proximum nutrimentum denuò conglutinentur. Si verò exciderit globulus nondum sufficienter conglutinata arteria, novum imponunt, idemque donec scopum attigerint repetunt.

Cura autem, seu operatio in aneurismate ut dictum sito, sed per medicamenta minimè sanabili, peragenda, hæc est. Incidatur cutis loco aneurismati superiori atque inferiori, arteriaque cui insidet inventa, & nudata utrobique colligetur, aneurismaque postea apertum continuò evacuetur, & vulnus modo ordinario pertrectetur. Alii arteriæ tantùm partem aneurismati superiorem colligant; aliique rursus nulla præmissa incisione acum filo cerato forti & duplicato indutam per brachii musculos è regione medii humeri profundiùs trajiciunt ut omnia vasa facilè complectantur, superimpositisque, pulvillis largioribus atque crassioribus inter fili extrema, super iis quicquid demum filum complectitur, arctè colligant; ea ratione ligatura nec æquè dolorifica est, ac si nuda adhiberetur, nec partes colligandas præcidere valet. Postea per longum aperitur tumor in cubiti flexura situs, tam pro ipso evacuando quàm pro arteria adinvenienda, quæ, circumjectâ priùs ligatura, exscinditur, superiorque in medio humero primùm instituta solvitur. Alii tandem ut Vigierius in sequentibus adnotat, aneurisma ex arteriæ laceratione efformatum filis decussatim adactis per propriam basim constringunt.

Curationes.

Curatio aneurismatis fieri solet aut medicamentis, aut manûs operâ. Medicamentis quidem adstringendi & conglutinandi facultate præditis, sanguinem in arteriam unde effluit solerter reponendo, atque dilatatæ, aut ruptæ membranæ labia utrinque admovendo, & dextrè illam fasciando & continendo.

Manualis autem operatio per quam aneurisma curatur, duplex est: una fit duarum acuum operâ, quarum altera arteriam recta in longum pungit

circa tumorem altera verò obliquè transversùm eam secat, quas in crucis formam positus, & sibi propinquas filo circumdare oportet, suturæ umbilici instar, easque firmiter vincire, & tandiu ibi detinere, donec arteria penitùs coaluerit, & consolidata fuerit. Altera autem fit quum arteriam detegendo, tùm suprà, tum infrà tumorem industriè illam à nervo & vena separamus; deinde filo subtùs transmisso, eandem tum suprà tum infrà ligamus & secamus, ut fit in varice, denique quò cætera modò curamus. Nimiâ autem sanguinis abundantiâ aneurisma fieri potest, in iis præcipuè, qui arteriæ tunicam teneram, tenuem, & dilatatu facilem habent. Cujus si in magno profundoque vase fiat, curatio difficilis est. Sin vas parvum est, quod videri tamen tangique possit, curari potest ut diximus. Ante operationem purgetur corpus cassia recens è canna extracta. Abstineat à vino, & utatur decocto hordei, lacte caprillo, vel vaccino, hordeatis cum semine papaveris albi, caseo recenti, & admoveatur aneurismati caseus etiam recens ad formam cataplasmatis, & injiciantur clysteres sæpiùs in hebdomade. *Joan. Vigerius lib.* 1. *Chirurg. cap.* 42.

Cerata plura in usum hic vocantur, sed inter cætera laudo ego illud Montagnanæ ex scoria ferri, in suo antidotario, quod ita se habet. ♃. scoriæ ferri ʒ v. mumiæ, tragacanth. gumm. arabic. ana ʒ iij. thuris, acaciæ, sandarach. ana ʒ i ß. piscium glutinis, gallarum cupressi ana ℥ j. visc. q. ℥ iij. gypsi ℥ ij. resin. ℔ i ß. f. ceratum cum succo consolid. maj. aceto & cerâ rubrâ. Emplastrum etiam ex cortice ulmi cocto sapâ excepto, & apposito, detentoque ad siccationem est miri usus; quemadmodum fotus cum spongia madefacta in aceto decoctionis scoriæ ferri. *Jul. Cæsar claudius consulti* 67.

Consultationes.

Egregius Juvenis trigesimum circiter annum agens, temperamenti secundùm totum ad calidum & siccum vergentis fervidioris jecoris & capitis humidioris, mediocris habitus, sed fusci coloris, melancholicum succum in toto abundantem significantis, jam tribus annis à quodam vapore tenui & calido se leviter lædi observavit, qui potu meraciori evanuit, sed successit cum insigni capitis calore rheumatica affectio valdè molesta, quæ per nares copiosam & quodammodo putrilaginosam materiam transmittebat; cujus portio ad claviculas quoque perveniens evidentes in iisdem dolores excitabat, sed & hæc spatio quadraginta aut quinquaginta dierum remissa est, succedente tumore suprà claviculam dextram, qui tumor cum exiguo dolore, minusque calore à peritis medicis cum folliculo fuit judicatus, & ideò & cauterium in parte opposita, & alia ob id administrata fuere Medica auxilia: quibus tamen parùm aut nihil proficientibus, tabaci fumum sibi conferre posse existimans patiens, non sine Medici assensu, tribus continuis diebus assumpsit & quidem tumor diminutus fuit, sed dolor in eadem parte successit magis, quàm antea cum evidentiori arteriæ carotidis pulsatione. Cùm verò Chirurgus quidam Aneurismatis futuri suspicionem Patienti significaverit, hoc magnoperè formidans, rigidæ vivendi rationi seipsum dedit, & nihilominùs spatio septendecim mensium semper major atque molestior increvit affectus nempè & calor & dolor supra claviculam versus maxillam, sed pulsatio violentior, quæ omnia usque ad posteriorem quoque capitis partem sese extendunt, sed calor & dolor ad brachium etiam pertingit sicut ejusdem speciei, cujus sensum eundem molestum percipit Patiens etiam in thorace, sine tamen pulsatione sensibili; & ejusdem ordinis calorem & dolorem tribus abhinc mensibus ad latus quoque infrà septum, quinimò & ad coxam communicari Patiens affirmat. Modo ad nostras manus pervenit & quidem perexiguus apparuit tumor suprà claviculam, de quo tantoperè conqueritur, licet arteriæ carotidis situm servans, cum non adeo evidenti ejusdem arteriæ pulsatione. Præterea habitum corporis consideravimus, hypocondria quoque manibus tractare duximus, nec tamen sensibiles obstructiones percepimus, nec de rugitibus aut flatuositatibus conqueritur, sed potiùs de frequentibus halitibus & vaporibus calidis ab hypochondrio dextero præsertim incipientibus, & sursum per thoracem ad caput ascendentibus, & in illa parte affecta præsertim terminatis. Cùm autem alios quamplures præclariss. viros consuluerit, Aneurisma in trunco magno arteriæ aortæ ipsum gestare, quæ ad carotidam dexteram propagatur, & in eadem manifestatur, suspicati fuere. Quare hac de re nostrum petit consilium, & de agendis quoque consulit.

Aneurisma propriè est arteriæ dilatatio cum evidenti intumescentia ejusdem atque manifesta pulsatione, quæ fieri potest dupliciter, vel à solutione continui, vel à soluta unitate, quando incisa, aut rupta arteria licet unita, & sanata cute, sanguis tamen extra vasa effusus sub cute remanet, & cutem ipsam in tumorem elevat: à solutione continui verò, quotiescunque à sanguine fervidiori spirituoso, copioso existente, arteria in aliqua corporis parte dilatatur, quod tunc faciliùs contingit, quotiescunque arteria ipsa in illa parte fuerit ab aliqua extrinseca causa & præsertim comprimente, angustior reddita: spiritus enim cum fervido sanguine in transitu impetum faciens, vas ipsum paulatim dilatat, sicque Aneurisma, sive Aneurismatis speciem excitat: Quod egregio Juveni evenisse credimus, quem, sanguinem justo calidiorem habere non est quod dubitemus, si temperamentum Jecoris & totius, habitum corporis atque prægressos potus meraciores consideremus, & circa partem affectam examinemus olim prægressam capitis destillationem non ad nares tantum, sed ad claviculas pervenientem, & molestiam inferentem, cui successerat frigidus tumor, à peritis Medicis sine pulsatione observatus, unde meliceridem esse potuisse suspicati fuere; atque tandem imminuto tumori, post assumptum tabaci fumum, arteriæ carotidis dilatatio ac evidentior pulsatio, fervidiori nempè spirituoso reddito sanguine, qui à trunco aortæ per ramum subclavium, indeque per carotidam ascendens, antequam ad bifurcatos ramos internam & externam constituentes perveniat, à catharrali materia relicta eidem arteriæ circumposita & comprimente impedito libero transitu, ac proprerea impetum faciens, pulsationem potentiorem tractuque temporis dilata-

tionem majorem necessariò induxit: ipse verò sanguis cum spiritu quodammodo retrocedens, ob occursantem difficultatem, concitatiori motu ad subclavium ramum divertit, à quo primò propagatur arteria cervicalis, unde calor & dolor in cervice, sequuntur deinde rami scapulares interni & externi, inde thoracica superior & inferior: subclavio autem continuus est ramus axillaris, à quo & rami ad cubitum propagantur, quibus omnibus partibus per ramum subclavium communicatur molestus calor, & quodammodo dolor, citra pulsationem.

Verùm quoniam tribus abhinc mensibus conqueri quoque cœpit de ejusdem tumoris calore & dolore in inferiore ventre naturali, quò non perveniunt rami subclavii cum carotidibus consentientes, sed cœliaci à trunco arteriæ magnæ descendentis emanantes, & nullam omninò cum Aneurismate communicationem habentes; & præterea in præsens pariter & de eodem calore, atque dolore querelæ incipiunt in altera quoque clavicula ideò nos noxam multò magis in sanguinis conditione consistere, quàm in carotidis dilatatione, jure merito credimus: justo namque calidior & fumosior existens, affectum localem in collo non solùm primam originem præbuit, fovet atque conservat; sed plures alias corporis partes afficit, & hujusmodi affectum majorem quàm sit, Patientis imaginationi repræsentat, cujus consideratio non parùm ad curationem conducere poterit.

Quomodo autem Aneurisma in trunco arteriæ magnæ fieri possit non videmus, sicuti nempè in magno ramo subclavio, sine insigni & evidentissima omnium enumeratarum arteriarum ab eodem subclavio emanantium pulsatione, quoniam insigne quoque esset Aneurisma in adeò magno & insigni ramo constitutum, præterquam quod circa jam dicta omnia observatione dignum nobis videtur, quod in Aneurismatis definitione, dolorem nunquam reposuerat ipse *Galenus*.

Affectum hunc, si Aneurisma vocari permittamus, mitioris tamen conditionis esse dicimus, quoniam nec modò discissa aut rupta sub cute existit ipsa arteria, neque ante hac discissa aut rupta fuit, moxque agglutinata, cum utroque modo verum atque legitimum Aneurisma produci posse asserat ipse *Galenus*; Quare sine prægressa arteriæ carotidis læsione & potiùs ex sanguine arterioso non solùm plurimo spiritu sed copioso quoque flatuoso & fuliginoso vapore referto, accedente exiguo illo tumoris externi scopulo, ortum habuisse putandum, & ideò non adeò magni faciendum, imò sperandum fore ut correcta & ad probiorem conditionem massa sanguinea redacta, affectus imminutionem potiùs, quàm augmentum sit suscepturus; sicut non adeò tutum esset affectum ipsum negligere.

Curatio igitur hoc apto & opportuno anni tempore ineunda primas vias expiando. Secundò humores in cavis viscerum deturbando. Tertiò massam sanguineam à calido & exusto humore vindicando. Quartò fervorem hypochondriorum, jecoris & venarum contemperando. Quintò evaporationes sistendo & sanguinis crassitiem ad lentorem potiùs & viscididatem convertendo: atque tandem arteriam ipsam refrigerando & exiccantibus adstringendo & roborando.

Pro quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico non unica, sed multiplex depromenda sanguinis missio, nimirùm ex utroque brachio & tandem ex pede lateris affecti, nisi aliqua adesset ad venas hæmorrhoidales propensio: tunc enim pro vena pedis, venæ hæmorrhoidales essent aperiendæ. Cauterium jam inustum custodiatur, & alterum in coxa dextera affigatur.

Ex pharmacia primas vias mundantia depromantur, syrupus rosat. solut. & manna clarif. vel electuarium lenit. & cassia: Deinde quinque diebus præparans exhibendo ex julapii acet. & aq. fol. citri ana ℥ ij. deinde repetatur leniens ex syr. rosat. & de polypodio, vel lenit. & cassia cum tartaro, quibus superbibat jus hordeo vel malvâ alteratum. Deinde ad ulteriorem præparationem deveniendo succis potiùs depuratis, quàm syrupis saccharatis; præbeantur itaque succi depur. & per arenam trajecti, cichor. boragin. malv. pom. dulc. ad ℥ iv. addito decocto malv. viol. meliss. & hepaticæ; in quorum succorum usu decem diebus perseveret, sed sexta die assumat cassiam cum pilul. de tribus, cui post horam superbibat serum ad ℔ ij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Reliquis verò quinque transactis diebus sumat medicamentum ex cassia, lenit. & elect. de succo rosarum, cui pariter superbibat serum. Repetat deinde succorum usum & sequenti die assumat floris cassiæ ℥ ij. rhab. opt. ʒ j. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. depur. libram, & tribus horis ab assumpto sero prandeat, tertia verò die repetat succos; quarta bolos, ut supra: & ita perseveret usque ad decimum quintum diem, tuncque præbeatur.

♃. Decoct. epith. mes. syr. rof. solut. ana ℥ iij. aquæ florum citri parùm, m. f. potio cui, incepta evacuatione, superbibat seri depur. ℔ ij. & duabus horis ab epoto sero prandeat. Potio hæc duabus aliis vicibus tertio aut quarto die repetatur, seri depur. dosin augendo, & intermediis diebus succos depuratos offerendo.

His peractis ut reliquis intentionibus satisfiat, ad aquas ferreas vel acidulas confugiendum, & quidem ad sistendos halitus ascendentes, imò & ad sanguinis impetum remorandum, vitriolatæ in valle solis nascentes, opportunæ essent: at si ad eas seipsum conferre noluerit Patiens, substituantur Villenses, quas tamen ab amico per aliquem fidelem custodem transmitti hic curandum, alioquin iisdem parùm fidere possumus, tuncque potiùs Noceriana, sed legitima, esset eligenda: licet enim nec ferrea, nec mineralis sit, habet tamen in fundo terram samiam refrigerandi & quandam astringendi facultatem obtinentem; præbeatur autem primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio, reliquis verò diuretico, quod apud nos esse solet aq. stillat. capill. ven. ononidis, malvæ, ad ℔ i ß. addita ʒ ß. spir. tart. ter rectif. necnon succo unius limonis primis duobus cyathis aquæ potandæ. Terminato aquarum usu, usus lactis asinini primis viginti diebus, & mox caprini aliis quadraginta nullo modo omittendus, ut quod jecoris & hypochondriorum fervorem remittere, sanguinem refrigerare, probiorem reddere, magis densare; & ejusdem impetum cohibere valeat: Balneum quoque dulcis aquæ locum habere posset, totius corporis habitum refrigerando & humectando, & humores quoque cogendo, si frigidum & herbis refrigerantibus, agglutinantibus & astringentibus alteratum fuerit. Verùm quoniam

niam extrinsecùs densando, astringendo, & calorem ad interiora pellendo, fundendi vim obtinere suspicamur, ideò Adstantis excellentiss. arbitrio usum remittimus, collum tamen omninò excludendo. Tandem aliqua topica ad usum revocare non inutile fore existimamus; paretur itaque emplastrum nocturno tempore parti affectæ linteo eodem illito, apponendum, ex albumine ovi, addito pulvere croci martis constrictivi; vel ℞. vitriol. rom. ad albed. calcin. ℥ß. aq. plantag. rosarum, portulacæ, ana ℔ ß. m. & spongiola imbuta sæpe tangatur pars affecta vel ℞. tincturæ martis ℥ß. olei saturni ʒ ij. aq. stillat. è baccis cupressi ℥ iij. m. & spongiola intincta pars affecta tangatur, vel noctu linteum madefactum apponatur.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, nec tenuis nec attenuans, sed incrassans, adeò ut edulia ex lacte & pasta parata, sint alacriter permittenda, ita fructus & olera frigida; potusque sit vinum austerum, santalo rubro medicatum: aut aqua albis santalis alterata, chinam & reliqua fundentia omittendo, sicut flatuosa omnia necnon calida & vaporosa. Quæ omnia jam dicta Excellentiss. Adstantis judicio, non solùm executioni mandanda, verùm & alteranda, & commutanda libenter committimus. *Raymund. Jo. Fortis consult. T. 2. cent. 1.*

Vir Nob. trigesimum sextum annum agens, temperamenti totius calidi & sicci, fervidioris verò cordis & hepatis, ad operationes obeundas promptissimus, libera vivendi ratione semper usus, duobus ab hinc annis consueto gracilior factus est, cùm priùs copiosi flatus in abdomine observati fuerint, cum hypochondriorum tensione & insigni arteriæ magnæ pulsatione, cum evaporatione in cor & aliqua difficili respiratione, cum alvi stypticitate & aliquo dolore in hypochondrio sinistro, ad mammam usque sese extendente. His accesserunt lassitudines ulcerosæ in partibus musculosis, ad motus impotentiam inducentes, ita ut ferè continuò decumbere cogeretur. Jam dictis omnibus addebantur vigiliæ, somni turbati, cum motibus convulsivis & totius corporis concussione, non sine timore atque mœrore. Interim dum quotidiè magis semper emaciabatur, dolor in parte pectoris sinistra augebatur, cum motu pulsativo ejusdem partis, & ideò nonnullis Medicis Phthisis imminentis, aliis, cordis palpitationis suspicionem faciebat. Tandem anno elapso, post vehementes dolores prægressos, tumor in parte pectoris sinistra apparuit, in interstitio secundæ & tertiæ costæ infra claviculam, qui paulatim excrevit, & hucusque ferè ad ovi magnitudinem observatur, cedit autem tactui, sed pulsatio vehemens, eademque cum pulsu ordinata percipitur absque ulla coloris mutatione. Varia at non adeò appropriata adhibita fuere remedia, quibus tamen hypochondriaca symptomata non parùm remissa fuere, sed tumor pulsatilis semper majus incrementum suscepit, perseverante quoque totius corporis macie. Modò à nobis consilium & auxilium petit.

Hypochondriaca affectione simulque melancholica duobus abhinc annis correptum fuisse Nob. Virum non est quod dubitemus, siquidem sola flatuum copia, non solùm naturalem regionem, verùm & spiritalem infestans, hypochondriacum affectum à Galeno flatuosum nuncupatum, constituebat, quem confirmabant reliqua symptomata, nimirùm difficilis respiratio ob compressionem septi, sicuti ob compressionem arteriæ magnæ & spirituosi sanguinis fervorem insignis percipiebatur ejusdem pulsatio. Associatam autem melancholiam designabant, primò timores & mœrores insoliti, sicuti mox lienis tensio, cordis oppressio, vigiliæ & somni turbati, cum totius corporis concussione & musculorum lassitudine ulcerosa à continuo acri vapore, & acida exhalatione proveniente, unde Hippocr. *si aliqua pars stupore elangueat, melancholicum signum esse* dicebat. Hæc autem omnia à viscerum & sanguinis effervescentia primam originem duxerunt, cùm calor usque ad trigesimum quintum annum semper auctior reddi soleat, præsertim si non cauta, sed libera addatur vivendi ratio; Ab interiori verò calore concoctiones, tum in ventriculo, tum in jecore detrimentum patiebantur, & ideò à ventriculo cruditates, indeque obstructiones oriebantur, à jecore verò sanguis impurus & justo calidior producebatur, qui à fervidiori corde non adeò depurari potuit, ut ad totius nutritionem idoneus evaserit, unde mirum non est, si macies totius subsecuta fuerit, & quod peius est, cum fervidus, acris & acidus sanguis ipse à corde per arterias delatus, una cum spiritu flatuoso in ipsas arterias impetum fecerit, & arteriam mammariam externam sinistram imbecilliorem invenerit, eandem primò intrinsecùs dilataverit, ad cujus dilatationem continui solutione secuta, dolor quoque emergebat internus, qui quotidie magis intendebatur ad majorem arteriæ dilatationem ipsamet arteria pervenerit, & tumorem apparentem excitaverit tactui cedentem, sine ulla coloris mutatione cum æquali motu atque cæterarum arteriarum eadem pulsatione, Aneurisma communiter & propriè appellatum. Ad tantam verò arteriæ dilatationem, vel ruptam esse internam ejusdem tunicam (vel cum aliis) squamulas unicæ tunicæ crassioris existentis, attenuatas discissas atque consumptas fuisse certo credendum, & tunicam ipsam ad insignem tenuitatem redactam omninò existimandum, si mammariæ arteriæ naturalis exiguitas consideretur.

Quibus ita se habentibus, non erit in arte versatus qui non videat postremum hujusmodi affectum, nimirùm Aneurisma incurabilem esse, & imminere periculum, ne arteriæ tunica sub integumentis disrumpatur, tuncque infra paucos dies Patientem interimat: ruptionis autem indicium præbebit, non solùm tumor confestim in majorem molem elatus, sed & color tumoris ex albo in rubrum atque cruentum mutatus. Non tamen est deserenda palliativa curatio, ut vitam protrahat Nob. patiens, cum nobis curatio vera atque legitima impossibilis videatur, quam aggredi non possumus, nisi vinculo ad latera tumoris arteria alligetur cum Paulo & aliis antiquioribus necnon Recentioribus multis; vel saltem alligata parte superiori juxta sanguinis circulationem postremò observatam, quam ligaturam, vel arteriæ punctionem facere impossibile est, & ideò impossibilis quoque evadit legitima curatio.

Ut igitur Nob. patienti aliquam opem feramus, viscerum obstructiones relictæ sunt humectantibus reserandæ; sanguis depurandus & demulcendus; eorumdem viscerum sanguinisque fervor contemperandus; totum renutriendum, atque tandem tumoris incrementum astringen-

tibus, refrigerantibus & exiccantibus impediendum. Pro quibus intentionibus exequendis, aliqua sunt hoc etiam incongruo anni tempore agenda, alia verò in ver venturum sunt differenda.

In præsens igitur ex fonte Chirurgico depromenda est aliqua sanguinis missio, siquidem peccat sanguis qualitate, substantia & motu, eaque saltem semel in mense ex venis sedalibus. Præterea locum habet cauterium coxæ sinistræ inustum, tum ad revulsionem, tum ad acris atque acidæ serositatis evacuationem. Proderunt præterea frequentes pedum lotiones aqua calente ante cœnam.

Topica tumori admovenda, varia & multiplicia esse poterunt sed selectiora apud nos erunt, Albumen ovi in quo dissolvatur pulvis boli armen. orient. Item aqua stillatitia ex albuminibus ovorum & succo agrestæ in qua dissolvatur pulvis aluminis crudi; vinum quoque nigrum austerum cum herbis atque radicibus vulnerariis ebullitum atque linteo appositum. Efficax erit ceratum de pelle arietina, demptis calidioribus ingredientibus. Efficacissimum autem erit oleum saturni, sive saturni balsamum, ex oleo ejusdem & myrtino paratum. Ex internis medicamentis, in usum ducat flor. cass. ad ℥ ij. sub cœna; summo manè verò bibat emulsionem ita parandam.

♃. sem. cucurb. ℥ß. amygd. dulc. num. xii. nucleorum pineorum nu. xx. m. contundantur, & postea addantur juris pullæ aut vituli ℥ viij. & f. emulsio, eidem addendo sacchar. albi cochlear; horum enim usu exiccatæ obstructiones nonnihil emolliri, jecoris & cordis fervor contemperari, & sanguis dulcior fieri poterit. Vere autem venturo (si Deus dederit) purgatio regularis erit ineunda primas vias expiando, primo flore cass. addito crem. tart. aut syr. rof. solut. mox præparando humores quinque aut sex diebus julap. acet. aut crem. tart. aqua flor. citri dissoluto; ut inde sequatur alia evacuatio syr. rof. sol. & de polypod. cui potioni superbibat Patiens, seri capr. aut asin. depur. ℔ ij. Mox ad ulteriora præparantia & deobstruentia erit deveniendum nimir. ad succ. depur. cichor. endiv. sonchi ad ℥ iij. in decoct. cichoraceorum, additis foliis malv. & viol. in quorum usu perseverandum ad quindecim dies, & prima transacta hebdomada, præbeatur cassia cum elect. de succ. rof. cui medicamento post horam superbibat seri capr. aut asin. depur. ℔ ij. tribus verò horis ab assumpto sero prandeat; quod idem medicamentum repetendum in fine jam dictæ præparationis. Interim sanguis erit emittendus ex sinistro pede ratione revulsionis, sicuti in progressu curationis erit repetenda missio ex brachio dextero diversionis gratiâ.

His peractis seri capr. usus dejectorius locum habebit ita ♃. Syr. rof. sol. ℥ v. seri capr. aut asin. depur. parum m. f. p. cui statim superbibat cyathum ejusdem seri & mox incepta evacuatione, bibat seri ejusdem ℔ iv. aut v. & duabus aut tribus horis ab assumpto sero prandeat; hoc idem repetat sex aut septem vicibus tertio quoque die; diebus verò intermediis præbeatur emulsio sem. melon. extract. cum sero destillato ad ℥ x. cui addatur sacchar. alb. cochlear, vel julap. rosat. ℥ j. Quod si fortasse Patiens potionem respuat, pro syr. rof. sol. exhibeatur flos cassiæ cum modica portione elect. de succo rosarum ante seri potionem. Aquas thermales, prætertim ut diureticas, acidulas suspectas habemus ut minerales, non solùm, quia ratione lactearum venarum Aselli & ductus thoracici Pecqueti confertim ruerent & in cor & arterias, verùm etiam quia spiritus sulphureos aquæ in seipsis continent, qui in sanguinem impetum facientes Aneurismati valde obesse possent. Quare satius erit jam dictis aquis usum lactis caprini substituere, & in ejus usu quinquaginta aut sexaginta diebus perseverare, ut hepatis & cordis fervor contemperetur, sanguis demulceatur & crassior reddatur, atque tandem ut totum corpus renutriatur; sed interim capra hordeo herbisque refrigerantibus nutrienda erit. eodem tempore conferre poterit, balneum aquæ dulcis foliis viol. lact. nenuph. & sal. alteratæ, in quo sedeat usque ad septum: tumor enim laxantibus opus non habet, sed refrigerantibus & adstringentibus à nobis suprà propositis; quæ semper actu frigida apponi debent, imò æstivo tempore nive quoque refrigerata.

Quibus jam dictis omnibus congrua erit addenda vivendi ratio ab Excellentiss. viro Adstanti præscribenda: refrigerans enim & substantificè humectans, atque sanguinem potiùs incrassans esse debebit, alterando vinum pro mensa santalo rubro, sicut jura carnium pro ferculis santalo albo; Quies est imperanda, & animi motus atque perturbationes arcendæ. *Raymund. Joan. Fortis consultationum T. 1. centur. 1.*

Observationes.

Anno 1606. Bernæ peregrinum quendam in xenodochio invisi. Is aneurismate quod totam sinistram partem pectoris ad sternum & collum usque occupabat, afficiebatur. Pulsatio istius tumoris adeò erat magna ac vehemens, ut etiam vestimenta elevaret, & exteriùs bellè conspici posset. Dolor nullus, maxima tamen respirandi difficultas aderat, mansit ibi aliquandiu, nonnulla quinetiam remedia tam interna, quàm externa ipsi à D. Lentulo Reipubl. Medico ordinario præscripta fuere, frustrà tamen. Tandem domum reversus est, & qualis nam fuerit exitus, ignoramus. *Guilielmus Fabricius Hildan. Centur. 3. observ. 43.*

Quidam Nicolaus Gessei nomine Ludimagister in Veullerans sub præfectura Morgiacensi ad lacum Lemannum, cum anno 1604. propter scabiem ex humore melancholico ortam, sibi venam basilicam dextram à Barbitonsore incidi curasset, arteria quoque simul compuncta fuerat. Unde paulatim aneurisma exortum est, cui cùm spatio mensis & ultrà, medicamenta multa, (frustra tamen) adhibita fuissent, Genevæ Medicos & Chirurgos nonnullos in consilium adhibere coactus est. Hi cùm rem in difficili esse, ac vix brachium servari posse ipsi significassent, ad me Paterniacum venit mense Maio. Tum eo loci ubi antea venæ-sectio facta fuerat, deprehendi tumorem magnitudine ovum anserinum adæquantem, pallidum & utcunque durum, in quo pulsatio non tantum digito persentiebatur, verùm etiam oculis conspiciebatur. Brachium quoque extendi non poterat. Dolor tamen non erat adeò ingens, nisi cùm brachium extendere vellet. Ego, cùm curatu

ratu difficillimum hunc affectum animadverterem, manum quidem admovere recusavi, precibus tamen ipsius commotus curationem sic aggressus fui. Instituta primò optima victus ratione, applicatoque tumori emplastro nostro de cicuta, enema infudi, julapia pro digestione humoris melancholici exhibui, & tandem corpus à pravis humoribus exoneravi per purgans medicamentum bis intra quatuor dierum spatium propinatum, primam dosim ingrediebatur diaturbith, alteram confectio hamech, cum extracto corticis esulæ. Ultimum medicamentum cùm violentia quadam humores, tam supernè, quàm infernè eduxisset, spiritum & sanguinem in aneurismate contentum ad interiora adeò revocavit, ut altera die nulla nobis nec appareret, nec sentiretur pulsatio, tumor quoque multùm imminutus conspiciebatur; unde tum sequens emplastrum applicui.

℞. Emplastr. diacalcit. ℥ ij. pulver. mastich. rosar. rubr. myrtill. radic. symph. maj. ana ʒ j. Cum s. q. olei rosac. formetur emplastrum. Postea pulvillum, aut potiùs nodulum ex linteo multoties reduplicato formavi, & tumori imposui, fasciaque firmiter ligavi, idque in eum finem ut tumor reprimeretur, & sanguinis vitalis ex ipsa arteria in externam membranam dilatatam influxus impediretur, atque his remediis brachium Dei beneficio brevi in integrum restitutum fuit. *Idem Centur. eadem Observ.* 44.

Fœmina filium septennem baculo ad sinistram capitis partem, quæ carotidum transitus est graviter percutit, unde tumor pulsatilis, avellanæ nucis instar, primò nigricans, digitis cedens, statim oboritur; & octidui spatio in tantùm augetur, ut dimidiam capitis partem, à sutura sagittali per tempora & frontem ad oculos usque occuparet. Consulti Medici, anceps remedium certissimo vitæ discrimini præferendum censentes, scalpello tumorem aperiunt, sanguinisque confertim profluentis parte quadam dempta, quadam verò arcta ligatura & stringentibus cohibita, dum crebrò id agunt, insequentibus diebus sanum puerum reddidere brevi: vel quòd in tenellis omnia tenera sint & coalitu facilia, vel quòd arteria læsa os subjectum habuerit, ut arctissimè potuerit comprimi ad consolidationem. *Ioan. Michaël Fehr.*

Sponsus uxorem ducturus pupugit acutissima cultri acie arteriam manus sinistræ, inter pollicem ac indicem; cujus sanguine sublultim prosiliente, per adstringens emplastrum, in tempore, inhibito, coaluit statim magis externa, quàm interna arteriæ tunica, quæ mansit hians, ac à se invicem sejugata: elevata propterea à vitali sanguine usque eò externa ipsius membrana, ut degeneraril in verum aneurisma, cum pulsu perenni, ac dolore in vicinis nervis insidente. Pulsatilem hunc tumorem vix digito depresseras, quin sanguis protinus regurgitaret ad venas, & aneurisma videretur ex toto sublatum; quod tamen actutum sub adspectum iterum venit, ubi vel minimùm removerentur digiti. Non deerant Chirurgi qui arteriam hanc sectam transversim, satagebant ferro ignito adurere, ne sanguis plus æquo efflueret: sed crudelior fuisset Medicina quam morbi natura requireret; ac proinde periculum potius factum, per adstringens emplastrum, à plumbi lamina, arctioreque vinculo ita depressum, ut expulso ex tumore sanguine, & constricto convenienter vulneris hiatu, faciliùs coïret, agglutinareturque, interior laceræ arteriæ tunica. Cujus coalitus etiam sequutus fuit ante mensem quintum; relicto duntaxat prope cicatricem exiguo nodulo, qui tamen tandem etiam evanuit, antequam ex toto desineret aneurisma. *Nicol. Tulpius Obs. Medic. lib. 4. cap.* 17.

Chirurgus sanguinem missurus cuidam febre continua laboranti, non venam, sed arteriam aperuit: adstans insignis *Garcias à Lopes* Medicus Hebræus, Burdegalæ permisit sanguinem ad libras duas, & ampliùs effluere, imò ad syncopen usque supervenientem, eo consilio, ut exhaustis ex parte vasis, minor esset arteriæ pulsatio, quæ consolidationi impedimento fuisset: hinc apposito cum splenio nummo argenteo, additaque arcta ligatura, post octiduum soluta, æger aneurismatis periculo evasit; à febre post tam profusam sanguinis evacuationem liber superstite tamen diuturna virium debilitate.

Anno 1655. Tonsor fœminæ sexagenariæ arteriam pro vena hepatica secat; sanguis cum impetu fluit floridus, brachiumque intumescit cum quadam renitentia. Empiricus hic sanguinis copia sat larga pro more emissa, quasi re bene gesta vulnusculum deligat; interea tumor ob sanguinis per arteriæ ostiolum in musculorum spatia effusi copiam, in dies attollitur, nec ullis fomentis discuti potest: Ipso tandem medicastro ex desperatione fugiente, Menstruo post spatio alius adsciscitur Chirurgus cum Medico, qui periculi magnitudinem attendentes, statim adstringentibus & arcta ligatura tanto malo obviam decenter eunt, sed post festum, & casso eventu: vesiculæ enim plures & tubercula, quasi aneurismata, circa medianam & cephalicam hinc inde oriuntur, quæ tractu temporis sponte rupta tantam sanguinis copiam effundunt, ut selectissimis remediis sisti non posset fluxus iste per quatuor septimanas, eò quòd ob ingentem tumorem arteriæ orificium, etiam sagacissimis oculis, non pateret, donec in putredinem gangrænosam abeunte toto brachio, sanguis grumosus, ovorum gallinarum magnitudine, frustillatim ac insigni cum fœtore exiret, ac omnis caro musculosa, quæ interim omnimode computruerat (præter tendines, nervos arteriasque, ossa ac periostia) difflueret ad humerum usque: Tum demùm in conspectum veniens arteriæ osculum convenienter obturatum, & caro ablata, sarcoticis, probaque diæta spatio bimestri integrè restituta fuit ad miraculum usque. *Horstius* ejusmodi errorem fœliciter correxit laudano opiato, superimposito emplastro stictico Crollii.

Pauperem quendam per laminam plumbeam, aneurismati supra genu dextro efformato, ovi gallinacei magnitudinem æquanti, superligatam, palliative ita curavi, ut decimo quinto post anno mihi sanus fuerit loquutus. *Paul. Barbette prax. Medic. lib.* 2. *cap.* 3.

Illustrissima quædam ex arteria in flexura brachii loco venæ puncta, aneurisma passa est, sensim ad ovi gallinacei minoris magnitudinem cum magna pulsatione excrescens, quod cum adhibitis remediis non auscultaret, Geneva Lugdunum transiens, se chirurgi curæ committit, pollicentis per aquam stypticam miræ efficaciæ excisum aneurisma, nulla alia adhibita operatione,

perfectè in Illustrissima curaturum. At eventus promissis non respondit, siquidem ab imposito styptico, arctaque ligatura, non potuit arceri hæmorrhagia, ad plures dies cum Illustriss. absoluto vitæ discrimine perdurans, donec ad operationem, in denudatione arteriæ, ejusque colligatione positam, deventum est. Retractum interim mansit brachium per aliquot septimanas quibus demùm elapsis beneficio sevi cervini aliorumque facile extendebatur at debiliter attollebatur, imò alio brachio multo minus, & atrophia tactum per plures annos manebat, jam verò recuperavit naturalem magnitudinem, viresque propè integras.

Vir quidam Honestus in vicinia, cùm supra caput pondus ingens magna vi elevaret, cervicemque ab onere imposito ad posteriora immoderatiùs flexisset, non parum extendebantur in colli anterioribus arteriæ carotides, quarum sinistra, vel quod debilior esset, vel quod præcipuam vim passa fuisset, de se continuò promebat aneurisma sensim ad pugni magnitudinem excrescens, plura tentata fuere ab imperitis, qui tumoris naturam non agnoscentes, ipsius apertionem omnibus suis emollientibus maturare conabantur, alia verò in mali palliativam curam à peritioribus quibusdam seriùs advenientibus, adhibita sunt: nam emollitio præmissa auctionem multùm facilitaverat, unde colligationibus aptis diu impediri non potuit quin grande aneurisma dispnæam primò, posteaque mortalem suffocationem faceret.

Sacrifico cuidam, Magistro Joh. Mailleto, cùm ad humeri dearticulationem aneurisma subesset nucis juglandis magnitudine, edixi ne id sibi aperiri curaret, aliàs vitam in manifesto futuram discrimine: tutiùs ipsi futurum, si conduplicatis linteis in solani & aizoi succo maceratis, caseo recenti & seroso admisto. Si unguento de bolo, emplastro contra rupturam, aliisque refrigerantibus & adstringentibus mali impetum retunderet; si laminam plumbeam imponeret, caligisque uteretur brevioribus, ut ad eas continendas esset illi thorax ex quo caligas subnectebat, fasciæ loco: interim vitaret omnia quæ sanguinem attenuant & incendunt; præsertim verò à vocis omni contentione sibi temperaret. Hac diæta etsi per annum esset usus, efficere tamen nequivit quin tumor cresceret: Quo animadverso tonsorem adiit, qui ratus tumorem illum esse ex genere vulgarium apostematum, pyroticum escharoticum, quo apertionem moliretur, sub vesperam apposuit. Exacta nocte sub auroram tanta sanguinis, rupto tumore, prorumpebat copia, ut attonitus omnium opem imploraret, atque me vocari juberet, qui ipsi hæmorrhagiam tantam sisterem, pœnitere quod monitis minùs obsequens fuisset. Vocor igitur, sed cùm vix dum ædium limina attigissem, jam animam cum sanguine reddiderat. *Joh. Udalr. Rumlerus observ.* 81.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Ante annos plus minus 40. habui cum Collegis in cura quendam Patritium, Nob. L. Welserum; is ex saltu & concussione equi ferocientis incidit in vehementissimum dolorem dorsi, qui nulla erat medicabilis arte, plurimis & diversis cujusque generis tentatis; tandem ex Belgio huc vocatus Vesalius, cui in Anatomicis administrationibus suo tempore par non erat, ne dum superior. Is ut deprehendit tumorem aliquem non ita magnum in dorso circa vertebras, aut spinam pulsantem, statim dicebat esse ἀνεύρισμα ex dilatatione aortæ arteriæ. Nam ut in varicibus videmus contineri sanguinem in media vena, ita in hoc affectu in media aorta arteria, idque ex saltu, seu concussione equi contigisse, & incurabilem fore. Idem asserebat se ejusmodi affectus vidisse in gutture, in pectore, in poplite, in brachiis, & semper inferre extremos dolores & tandem syderationem; nec curari nisi abscissâ parte affecta. In ejusmodi aneurismate se quandoque reperisse humorem concretum instar glaciei, aut humoris crystallini; interdum veluti sanguinem concretum, aut molam, in vivis corporibus verum sanguinem deprehendisse, in defunctis nigrum & sideratum, & cum gravissimis doloribus ægros mori, sponte interdum fieri ejusmodi vasorum dilatationem, interdum ex causa antecedente, qualis fuit in hoc nostro ægro; qui supra biennium hoc gravissimo morbo conflictatus, omnique auxilio Medico destitutus, tandem in manus Empirici incidit, qui salutem pollicitus exhibuit catapotia, nescio qualia, ex quibus in sanguinis sputum incidit, & miser ille in sinu conjugis tandem extinctus 25. Junii 1557.

Dissecto corpore reperimus id quod Vesalius prædixerat, in ipsa arteriæ aortæ cavitate, tumorem prægrandem, durum, carnosum, ex sanguine arteriali concretum, qui foràs etiam protuberans, in dorso dolorem & pulsationes inferebat, ejusmodi nimirum qualis in arteriarum pulsu deprehendi solent.

Hæc ex *Adolpho Occone. Achilles* verò *Gasserus* ad Vesaliū post cadaveris sectionē sequentia trāsmisit.

Secto ventre apparuere membra naturalia satis bene constituta, in ventriculo & intestinis nullum erat vitium, hepar integrum, & valde magnum, vena cava item maxima, quanta fortè nunquam visa; ea rupta erat, qua parte aneurisma ipsam attigit; lien admodum brevis & ex parte exteriùs subalbidus, ac quasi semiputridus; cor magnum sano simile & plurimo sanguine abundans; in ipsa aorta dilatatio non modica ad palmæ magnitudinem, quæ costis, & dorsi vertebris ita erat adnata ut integra separari nequiverit; ea igitur divulsa emanavit sanguis tenuis, ruber, & qualis esse solet arteriosus, qui contentus fuit concreto quodam cruore, seu carniformi materia fibris destituta, quam rursus circumdedit subalbida & dura quædam substantia transversi digiti spissitudine, colore & specie lardo suillo elixato non absimilis. Tota autem aneurismatis compages cum suis contentis pugnum, non parvi hominis, sed ovi struthiocameli magnitudinem, ferè æquabat; costæ circa locum aneurismatis medium erant quasi cariosæ, una prorsus (ex fortissimis proculdubio impressionibus) rupta & fracta, similiter & dorsi spondyli eo loco, quo supra diaphragma aneurismati connexi erant, spongiosi & ita arrosi, ut uni atque alteri, suprema minimi digiti superficies inseri potuerit, citra tamen insignem fœtorem; pulmonum nulla læsio, licèt æger copiosum sanguinem ante obitum ipsum exspuerit, adeò ut ex eo sputo suffocatus adstantibus videretur; extima cutis, ubi in dorso tumor & pulsatio in vivente notari poterat, à morte

morte livida & sanguine suffusa ad instar flagellatorum. Hæc recenset *Joann. Udalr. Rumlerus Observ.* 81.

In Collegio Rhemensi cuidam Sacerdoti aneurisma erat in cruribus. Aperto cadavere reperta est magna dilatatio arteriæ, & sanguis in ea arteria concreverat, induruerat que. Indurationis causa tribuebatur immoderato rerum refrigerantium usui *Jacob. Thevart. in Ballon. consil. lib.* 1. *cons.* 107.

Dom. Pelet Civis Monspeliensis quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus, cùm gravissimis curis esset afflictus, post multa symptomata melancholiam hypochondriacam attestantia, passus est tumorem sub clavicula dextra eminentem, & ovi dimidii magnitudinem æquantem, mollem & reliquæ cuti concolorem, in quo pulsatio insignis apparebat. Judicatum fuit esse aneurisma insanabile. Eo defuncto, inventa est arteria magna ascendens à corde ad claviculam ita dilatata, ut brachii fere magnitudinem æquaret, & ovum gallinaceum in suam cavitatem facilè admittere potuisset. Præterea tunica illius admodum densa & cartilaginea evaserat; quod admirabilem naturæ providentiam notat, quæ tunicæ maximè dilatatæ ruptionem vitare contendens, eam densiorem ac duriorem effecerat. *Lazar. River. centur.* 4. *observ.* 34.

Lethale aneurisma vidimus in Juvene ex læso femore, nec mirabamur, quia arteriam magnam cruralem ruptam in apertione vidimus; unde in tantum tumorem femur excreverat, quasi prorsus schirrhosum, ut non tantùm ea copia sanguinis ex aperto post mortem femore effunderetur, qui tres mensuras nostras impleret, sed ex sinibus inter musculos vastos efformatis, sanguinem grumosum forma & magnitudine parenchyma hepatis maximi, referentem extraheremus. In isto vivo, nec sectio tuta erat & possibilis, propter magnæ arteriæ, & intrà musculos delitescentis ingentem rupturam, nec ligatura sufficiens. *Thom. Barthol. centur.* 3. *epist.* 54.

Admodum reverendus Pater Franciscus Bettotus, Metaphysices in Gymnasio Patavino publicus Professor, ætate quinquaginta sex annorum, decem, aut duodecim annos pulsationem præternaturalem in sinistra thoracis parte, ubi cordis præcipuè pulsus micat, passus est; quæ ab anatomes ignaris cordis palpitatio censebatur. Ego verò accitus, conjeci ipsum laborare aneurismate, ex quo postmodum, multis in cassum tentatis remediis, noctu suffocatus obiit. Dissecto cadavere, cavitatem thoracis dexteram sanguine refertam observavi, cui copia seri superfusa erat, pulmonis dextri substantia consumpta, & sola ejusdem superstite membrana, instar sacculi, quâ dissecta, patuit membrana interna arteriæ magnæ, priùs quidem laxata, postmodum verò, cùm dilatationi nullus esset locus, disrupta. Aneurisma itaque fuit in arteria magna extra cor duos solummodo digitos transversos; quò locô sanguis à sinistro ventriculo efluxus, valido impulsu, priùs internam disrupit membranam, externa dilatata, qui, cùm nullum aliud pateret spatium, intra pulmonem dextrum sibi viam fecerat, ubi calore, motu, & compressione, substantiam ejusdem consumpserat. *Petrus de Marchett. Observ.* 48.

ANGINA.

ANgina nihil aliud est quam periculosissima illa musculorum faucibus ac gutturi servientium inflammatio, sic ab *ango* dicta quod idem est ac fauces adstringo, Græcis dicitur κυνάγχη item λυκάγχη, quòd canes & lupos frequenter afficiat; imò συνάγχη ab ἀγχόνη laqueus, quòd non secus ac laqueus præfocans enecet, vel à συνέχειν, quòd respirationem inhibeat spiritum continendo.

Causa est eadem quæ omnibus aliis inflammationibus familiaris, scilicet sanguinis exagitatio nimia, per quam serum salibus fixioribus particulisque viscidioribus, circulationi minùs accommodis prægnans, abundantius in partes corporis omnes delatum, hic aut illic, atque præcipue in faucibus per aërem frigidiusculum inspiratum, spissessit, obstructionemque facit quæ sanguini ulterius promoto obicem ponens, ejusdem in viciniam effusioni non tantùm occasionem præbet, sed etiam per propria spicula, loca quibus impactum est & irritat & corrodit. Unde satis patet causam hujusce morbi antecedentem accenseri debere particulis crassioribus, salibusque acrioribus & ad fermentandum promptis (nisi circuitus suos in vasis, carnibus & visceribus facilè peragant) in sanguine aggestis; atque ea propter non mirum si hyberno tempore accumulatis ejuscemodi materiis, illo postea tempore quo facillimè exagitantur, scil. ipso vere, juvenes præ cæteris & temperamento sanguineo præditos, imò rufos familiarius aggrediatur. Causa verò occasionalis erit illud omne quòd sanguinem sic dispositum exagitat, seroque abundantius ad fauces promoto, per refrigerium inductum impingendo facit.

Anginam præterea producunt res variæ faucibus inhærentes, sic à spina piscis faucibus infixa earundem periculosam inflammationem adnotavit, Schenckius; & nos aliquando ab acicula, aliquando ab officulo pulli gallinacei, in easdem partes profundius adacto, aliquando à nucleo cerasi in tonsillæ cavum inducto, anginas enatas vidimus. Item res aliæ quæ guttur exasperare & tumefacere valent, quales sunt fungi, ac præprimis qui orbicularis dicitur, lepus marinus, ac planta illa è solani genere quæ vulgò Italis Belladonna vocatur, &c.

Angina vulgò distinguitur ratione scil. musculorum affectorum, tum pharyngis, tum laryngis, eorumdemque, tum internorum, tum externorum, in συνάγχην & παρασυνάγχην, κυνάγχην & παρακυνάγχην, quarum ex illis prima musculorum gulæ internorum, altera verò externorum inflammationem denotat; ex his autem prior internorum laryngis musculorum, posterior externorum affectionem designat: At missis hisce levioris momenti & ad praxim medicam minùs facientibus, ad alias procedamus differentias; quarum prima erit inter Anginas veras, musculos prædictos, tum aliquos, tum omnes affligentes; & Anginas spurias, seu nothas, tum tonsillas, tum partes glandulosas, ad radicem linguæ & in extremo palato, atque imis faucibus sitas, tum ipsam Uvulam, tumefacientes. Item alias in quibus tumor sive intus, sive extus, sive utrobique apparet; alias verò in quibus nullus tumor sensibilis adest, propte-

reaque Aretæo latentes non ineptè dicuntur; ejusce sortis anginam vidit Riolanus à Thymo tumente, gangrænosumque quid redolente; atque etiam expertus est Clar. Lucas Tozzi in juvene ex gallica lue in maximam spirandi & deglutiendi difficultatem subitò sine tumore sensibili incidente. Aliæ præterea Anginæ quamvis per se periculosæ, non sunt tamen malignæ, aliæ verò malignitatem summam, arsenicalemque, ac pestilentem virulentiam, adjunctam habent, hinc fauces non tantùm crustosæ redduntur, sed etiam tumor, ad instar carbunculi atrocioris, partes quibus insidet longè latèque exurit; unde probabile cum Athanasio Kirchero credit Christian. Langius talem putredinem animatam esse, venenatissimisque vermiculis abunde scatere, quorum erosionibus malum facilè serpat. Anginæ etiam aliæ sunt ab inflammatione, tumefactione &c. de quibus suprà; aliæ à vertebris cervicis ad anteriora, ut quidam credunt, luxatis, tum per vim externam, ictum, casum &c. tum internam scil. humorum confluxum, quale quod Hippocrates describit *Epid.* 2. *sect.* 2. cùm tamen credat Etthmullerus impossibilem esse hanc vertebrarum ad anteriora, luxationem, Hippocratisque locum potius explicet de convulsione emprostotono simili.

Incipit hic morbus cum rigore & horrore, eos sequitur febris, illaque sæpe acutissima, sed etiam paulò post dolor atque faucium inflammatio, & tumefactio, quibus tanquam concomitans necessarium continuò adjungitur deglutitionis, & respirationis ea difficultas quæ cum sensu strangulationis ad præfocationem citò deducit, ni morbo maturè occurratur.

Non immerito itaque morbus hic inter periculosissimos accensetur, cùm sæpissime suos ægros ante quartum diem aut paulò post suffocatione perimat; præcipue verò si malignitas adfuerit, cum enim vitalibus locis sit proximè vicina, quidni illa promptè pervadat, sicque vitam extinguat. Gravior est cùm difficilem anhelitum adfert, tumore in faucibus apparente, eo autem in collo, vel pectore erumpente salutare, nisi inflammatio intrò recurrat, aut cum partibus exterioribus interiores simul occupet. Si vero malum è faucibus in pulmonem repat, aut intra septimum interficit, aut ultra hanc diem in empyema commutabitur. Cæterùm si cum spirandi difficultate conjungatur oris fœtor, vel circa guttur & fauces livor, aut albor appareat, sphacelum arguit, & gangrænam, quam partium extimarum refrigeratio, pulsus languor, & sensuum hebetudo, ac sopor consequetur; ut fertur accidisse post annum 1618. per totam ferè Italiam: quod adnotat Clar. Lucas Tozzi. Cavendum autem, ut addit idem Celeberr. Autor, ne humor ex Angina suppurata in tracheam & pulmonem delabatur: is namque suffocationem afferre posset, vel saltem empyema, & phthysim. Interdum per modum criseos terminatur; sic refert Forestus de Cynanche veraquæ quarto die per fluxum mensium criticum fuit curata. Angina quæ subitò & facilè evanescit, (cùm eam ad interiora recurrere probabile sit) periculum suffocationis, vel alium gravem morbum, minatur. Si anginosis, sicut strangulatis spuma circa os appareat vix ad vitam redeunt.

Curatio debet esse prompta, si enim in ullo alio morbo, in hoc certe qui fauces veluti resti constringendo citissimè strangulat, occasio celeriter & opportunè arrepta, fœliciter medendi anima dici meretur. Ipso itaque statim morbi initio vena secanda, & sanguis satis larga manu educendus, idque non una tantùm vice, sed pluribus, tum scil. è brachio, tum è jugularibus, tum è raninis venis &c. Post venæ-sectionem largiorem celebratam commodè medicamentum purgans, illudque validius, admisto etiam pauco emetico, non semel pro occasione data propinabitur, non omissis interea salibus volatilibus, mistura simplici, spiritu nitri dulci, dente apri; diaphoretico, & bezoartico minerali, stercoribusque omnibus animalium quæ nitro turgent, quale est caninum, album græcum dictum. Valet præterea cinis cancrorum ustorum & hirundinum, imò & noctuæ, pariterque succus nasturtii, atque mel purum, ulularia, cervicaria, prunella, consolida, item fungus sambuceus elixus, decoctum radicis althææ, caricarum & zinziberis cum quadrante vini in quo agaricum fuerit maceratum; rob nucum juglandium, atque extractum & sal hyperici & papaveris rhæados cum diaphoretico minerali, ter aut quater exhibitum. Ea autem omnia, vel sub forma Eclegmatum, vel alia, prout videbitur, commodiori methodo usurpari debent: imò ex his gargarismata confici poterunt quæ leviter adstringant, & discutiant; vel etiam sub finem & in casu necessitatis tumorem emolliant, atque ad suppurationem deducant, species aptas in sero lactis, vel ipso lacte recenti incoquendo.

Applicationes interim extus fiant ex unguentis, emplastris, cataplasmatibus, atque etiam in rebelliori morbo ex oleis stillatitiis. Inter unguenta usurpatur unguentum dialthææ, & martiatum cum oleo chamomillæ & amygdalarum dulcium. Inter emplastra, emplastrum de meliloto, & ceratum de spermate ceti. Inter cataplasmata è caricis oleo chamæmelino incoctis, item ex pane triticeo cum radice althææ in lacte cum pauco croco usurpatis. Appropriata magis creduntur quæ ex nidis hirundinum, stercoribus animalium & præcipuè albo græco, stercore ovillo, caprino &c. cæpis sub cineribus coctis, nasturtio aquatico & similibus parantur. Inter olea stillatitia maximè prædicatur oleum succini, item oleum è gummi caranna, quæ potenter & validissimè resolvunt ac discutiunt. Pro amuleto commendatur filum, sericeum purpureum quo vipera fuerit strangulata collo circumductum; item bufo, seu rubeta cocta.

Victus fiat ex jusculis hordeaceis, & avenaceis, aliisque id genus. Potus verò, tum decocto hordei solo, tum ex eodem cui nitrum depuratum sit immistum, tum etiam tinctura papaveris rhæad. additis flor. nymph. & verbasci in parca quantitate & adjuncto nitro cum pauco, si ita placet, saccharo, vel melle depurato.

Enemata injiciantur illis omnibus diebus quibus per intus assumtum medicamentum non expurgatur corpus, sintque emollientia & refrigerantia, tum etiam incoctis purgantibus, electuariisque admistis, paulò validius ad excrementorum expulsionem intestina sollicitantia, quorum formulas non opus est hic adjiciamus.

Hisce omnibus non satis proficientibus, si æger evidens atque præsens suffocationis periculum incurrat, viresque & morbus ipse ferant, ad Laryngo

ryngo tomiam, remedium alias satis tutum, est deveniendum; quæ inutilis tamen foret si inflammatio, & tumor, in eoque materia contenta totam tracheæ longitudinem occuparet, ipsosque pulmones. Debet autem sic perfici. Chirurgus ægrum suum collocabit in sedili ad posteriora super pectus ministri in id adhibiti reclinato, ut sic caput suffulciatur; tum mentum quantum fieri poterit relevabitur, adnotatoque incisionis loco, transversum scil. pollicem infra ipsum laryngem, inter tertium ac quartum tracheæ annulum, minister faucium cutem utraque apprehendet manu, eamque per transversum replicabit, illicque Chirurgus incisionem faciet transversum pollicem longam, per quam adactis digitis, dilatato vulnere, emotisque musculis bronchicis & sternohyoideis, ipsa trachea, satis denudabitur, ut inter tertium & quartum ejusdem annulum stylus in id affabrè confectus ad ipsius usque cavum immitti possit, cum ea solertia quæ vasa, musculos, aut membranam tracheæ oppositam minimè lædat, respirationemque liberè educat; tum introducta cannula argentea paululum incurvata, & brevi, figuræ, in extremitate quæ est inducenda, depressæ, alia verò extremitate alatæ, & duplici annulo armatæ, quibus per ligamina inducta circum collum sic alligari possit, ut immota perstet. Cannula hæc in trachææ cavum penetrabit quidem, ut jam innuimus, sed brevior erit, quàm ut possit ejusdem parietem oppositum attingere, sic enim tussim intolerabilem provocaret. Operatione peracta, inducta cannula perstabit in inflicto vulnere donec remiserint, aut evanuerint symptomata, quo demum tempore ad se invicem readductis annulis trachææ cartilagineis, consuetur probè cutis vulnus nec aliquid amplius agendum restabit, nisi ut anodynis dolor ex sutura ortus leniatur, cicatrixque promptè inducatur.

Angina maligna cum de pestilentium morborum sit genere remedia adhibenda, tum ex ipsa pestis cura, tum etiam ex parte è suprà dictis petantur.

Angina notha, aliàs alba, partim memoratis medicamentis, atque venæ-sectione, partim etiam aliis curabitur. In specie ubi lentor viscidus linguam obsidet proderit faucium abstersio ex linteo, aceto, succo agrestæ, nasturtii aquatici, aut acetosellæ imbuto, postea gargarisma è floribus ligustri in aqua cum pauco aceto, aut nitro, incoctis; addita etiam salis armoniaci, vel si aphthæ simul adsint, aluminis particula. Succus prætetea sempervivi majoris, cum sale armoniaco non parvæ erit efficaciæ, ut & alia plura. Sub finem pro firmandis oris & faucium membranis, contra humorum affluxum inungetur rob nucum vel diamorum cum pauco melle rosato, &c.

Curationes.

Opem laturus, sanguinem cum primis è brachio copiosè detraho, mox ex ranula utraque; dein ut partes inflammatæ *melle rosaceo spiritu sulphuris* ad summum acorem permixto, tangantur author sum: mox *Gargarisma* sequens præscribo, non vulgari modò usurpandum sed ita ut in ore sine ulla agitatione contineatur, donec incalescat, dein expuatur, & repetatur subinde. ℞. Aq. plantag. rosar. rubr. & Sperm. Ranar. ana ℥ iv. album. ovorum in aquam agitando redact. n. iij. sacch. cand. alb. ℥ iij. f. gargarisma: jubeo etiam ut de emulsione in cura *morbi lateris* præscriptâ vel simili, indies sumat.

Sequenti manè, nisi febris & dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulùm remiserint, venam in brachio rursùs ferio, Catharsi in diem posterum rejectâ. At si utraque hæc minuantur, *Catharticum* lenitivum statim exhibeo; quod quidem post sanguinis missionem præ omnibus aliis perutile ac apprimè necessarium esse multiplici experientiâ, comperii, si fortean, quod quidem oppidò rarum est, febris, aliaque symptomata, etiam post catharsin, bellum minentur, iteratâ ut prius venæ-sectione perdomanda sunt, ut & *Epispatico* amplo ac forti, posteriori cervici applicando. Per integrum hujusce morbi decursum, enema refrigerans emolliensque omni manè, dempto illo quo catharsi vacat, injiciendum, atque ægrum hoc pacto reficiendum quotidie præcipio. Carnes, cujuscunque demum generis, ut & juscula ex iis parata, sacra sunto; jusculis verò hordeaceis avenaceis, pomis coctis ac id genus aliis vescitor; ptisanâ ex hordeo, vel cerevisiâ tenuissimâ utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie abstistat; cùm hujus tepor cùm febri, tum reliquis symptomatis, quæ hâc methodo expugnare satago, vires addat. Animadvertendum est autem, quod istiusmodi *Angina*, quæ febris, mihi *stationaria* dicta symptoma tantùm est illâ ipsâ methodo curari amat, quam febris sibi vendicat, ac proinde vel per διαφόρησιν & cutis spiracula exterminanda est, vel per aliam qualemcunque medendi methodum quæ febri primariæ cui inhæret debetur; quod sedulâ observatione dignum. *Th. Sydenham. de morb. acut.*

Anginam vel incipientem vel etiam confirmatam, præsertim si febris urgeat, subitò vomitoria, in primis aqua benedicta tollunt. Sic nimirùm inflammatio cedit, & ulcera vel apostemata rumpuntur. In omnibus verò hisce respiciendum ad naturam patientis & virium robur.

Quod si ergo vomitoria locum habere nequeunt, recurrendum statim est ad specifica, quæ nihilo seriùs etiam post vomitoria locum habere possunt, talia sunt.

1. Quod est apud Paracelsum in tractatu de pestilentia ad Sterzingenses, quod ℞. vj. vel viij. cancros vivos (cancri insigniter refrigerant) sedi majoris m. iv. quæ invicem contusa in mortario, & postmodum expressa succum reddunt, quô lingua & fauces sunt fovendæ, vel ipsa lingua radenda, imò ejus (sed parùm valdè: gut. videlicet aliquot) in liquore convenienti aliquid intrò concedendum.

2. Est experimentum *Anton. Ausmans* civis Augustani, quod ℞. sedi majoris ℔ j. contunde in mortario, & exprimatur succus. Hujus ℞. ℔ j. adde ℥ ß. salis armoniaci, relinque in loco humido usque solvatur sal, postea destilla per alembicum. Hâc aquâ sæpiùs ablue linguam calidè & tepidè. Est probatissimum. Vide Conradinum de lue venerea.

3. Gargarismus ille de quo suprà de Gustu abolito & depravato.

In hoc casu aliquid addendum est ad plantas illius de sedo majori.

Quod si gargarisare nequeat, siphunculis injiciendus est Gargarismus, post singulas gargarisationes ℞. corium de lardo duos digitos latum & assulatim incide, ex ea parte, qua adhuc lardum est, & ponè ad linguam, ut aliquandiu detineatur: Sic nigerrima cuticula linguæ resolvitur, & tandem discedit & curatio sequitur celerior.

Externè ad collum ipsum applicetur emplastrum ex nidis hirundinum (integris & albo græco ana) cum aqua ferrariorum coctum, calidè.

Pro potu dissolve vitriol. vel sal. prunell. (vinum non detur) ℥ j. in aq. fontanæ mens. j.

Anginæ conferunt ea in quibus sal nitrosum Ammoniacum delitescit, ut stercus canis albi ossa rodentis, in aqua probè coctum & cum melle exhibitum.

Rasuræ dentis apri ʒ j. cum oleo amygdalarum dulcium & saccharo.

Cinis cancrorum ustorum.

Cinis hirundinum.

Consolida media, prunella, Vulvaria, cervicaria, mentha crispa, rubus idæus.

Angina notha puerorum curatur emplastro modò dicto.

Caput viperæ exsiccatum & collo appensum commendatur pro amuleto.

℞. Noctuam unam, cum pennis combure & f. pulvis cujus postea modicum in guttur immittatur; aperit & rumpit apostema mirabiliter.

Spiritus salis nitri tum in extinctione inflammationum; tum in resolutione Apostematis plurimùm valet.

Exhibentur ejusdem in haustu aquæ fontanæ calido ʒ ij ß. aquam misce cum spiritu vini & sp. salis ana ʒß. vide Crollium.

℞. Aq. sempervivi, prunell. ana ℔ j. sal. armoniac. ʒ j. m. f. Gargarisma.

Crystallum vel anodynum minerale, ut vocant, seu lapis prunellæ (quod linguæ inflammationi, item faucium vicinarumque partium asperitati unicè medeatur) insignis virtutis est; ʒß. vel ʒ j. in aqua aliqua appropriata resolutus & gargarisatus mirè confert post etiam parum hujus misturæ cum saccharo junctæ deglutito, vel, si mavis, sali prunellæ vulgari modo præparato quantum placet adde sacchari candi ana vel etiam plus, utrumq; pulverisatum coque cum aquæ rosarum quantitate sufficiente, donec gutta lamellæ stanneæ superfusa consistentiam habeat effunde in concham & repone relinquendo, donec instar lapidis induruerit, tandem exime & in particulas diffringe, vel etiam in pulverem redige, utere hoc sæpius. *Joann. Hartmann. Prax. Chimiatr.*

Angina quædam est *maligna* s. epidemica, quæ bezoarticis refrigerantibus curatur. Huic malignæ non convenit V. S. si una die duraverit. *Angina verò non maligna* prodest V. S. non tamen admodum larga & quidem in brachio. *Si verò oritur ab obstructione mensium*, in talo & quidem saphena medenda.

Purgatio adhibeatur in principio & sit vehementissima. *vide Zacut. Lusitan. in Histor. & Barthol. de angina puerorum.*

Repellentia cautè adhibeantur, lapis prunellæ mira præstat in omnibus inflammationibus cum aq. sempervivi.

In omnibus faucium morbis optimum est rob seu extract. cort. nucum, resistit enim venenis. It. aq. cort. nucum cum sale armoniaco, vel succus cancrorum & sempervivi cum sale ammoniaco mixta. Cinis hirundinum internè adhibitus ad ʒß. pro certo habetur remedio. Aq. hirund. fung. sambuc. De filo purpureo, quò serpens est strangulatus *vid. Barthol. Pulverinus & alii.*

Anginæ ab inflammatione medetur aq. cordial. Saxoniæ, Medic. ex sale, imprimis sale cum antimonio fixato, aq. acetosæ &c. spiritus salis in omnibus inflammationibus mira facit. *Joan. Michaël.*

A provisione habitâ totius corporis seca venas sub lingua, & si non juvat, jugulares in collo externas, & gulæ insuffletur pulvis hirundinum, & foris admove emplastrum ex nido hirund. cum aceto. Si ad pus abeat.

℞. Myrrhæ ʒ ij. sinapi ʒ j. morsus diabol. scabios. ana m. j. coq. ex aq. ad ℔ j. colat. adde mellis optimi, & dianuc. ana ℥ ij. f. Gargarisma.

Ad ruptionem etiam facit hoc emplastrum.

℞. Farin. tritic. hord. sem. fœnugræc. ana ℥ ij. rad. lil. alb. ℥ iij. ficuum numero vi. Levistic. chamæmel. melilot. malv. ana m ß. fermenti acris ʒ ij. decoctis ut decet ex aqua f. cataplasma dolorem sedans & quod sequitur.

℞. Medullæ pomorum sub prunis coctorum ℥ viij. butyri rec. ℥ ij. pingued. gallin. ℥ j ß. lactis muliebris ℥ iij. farinæ hord. ℥ j. bulliant ad spissitudinem, in fine adde vitell. ovorum num. ij. & parum croci f. cataplasma anodynum. *Joan. Heurnius ad Hippocr. Aphor. 43. Sect. 2.*

Ex Hippocratis consilio omnia admovebimus ut foràs prodeat in collum materia: tale est emplastrum quod coquitur ex nido hirund. ex decocto malvarum, meliloti, ficuum, fl. sambuci, additur theriaca & crocus. Ita litus ex adipibus, & oleo amygdalino, cum croco. *Idem ad Hippoc. Aphor. 37. sect. 6.*

Consultationes.

Vir triginta annorum carnosus, robustus, plethoricus, cùm à gravi labore admodùm incaluisset, plurimumque sitiret, cerevisiam tenuem, è frigida cella depromptam, avidissimè magno haustu bibit, ita ut frigiditatem potûs in faucibus ferre nequiens, poculum ab ore deponere cogeretur. Paulò post angustiam quandam cum ardore in faucibus, & hinc respirandi ac deglutiendi molestiam percepit, quæ continuè magis magisque adaucta est. Post septem aut octo horas febris valida accessit, cum pulsu magno, crebro & inæquali, tantùmque adaucta est respirandi deglutiendique difficultas, ut vix stans aut erectus sedens respirare posset, & assumptus potus illicò per nares resiliret. Os siccum est, cum magna siti, quæ ob deglutiendi, impedimentum, nullo potu leniri potest. Lingua obscurioris coloris evasit, eâque oris speculo depressâ, posteriùs in faucibus maximè intensa rubedo seu fuscus color apparet; tumor tamen insignior, quia humiliore loco consistit, conspici nequit. Venæ raninæ sub lingua crassæ ac tumidæ sunt. Loquela etiam adeò impedita evasit, ut vox ægrè audiatur. Æger maximè anxius se quaquaversùm summa cum inquietudine movet, & frigidum patulumque aërem continuò captat. Foris nullus tumor sed insuper aliqua rubedo circa faucium regionem apparet.

Gravissimus affectus, qui ægrum nostrum exagitat, vulgò ab angendo *Angina* appellatur; *Estque respirandi, & deglutiendi difficultas, ab inflammatione & angustia partium summarum gulæ, laryngis, fauciumque procedens, ac brevi febrem continuam sibi comitem assumens.*

Non est autem notha angina à tonsillarum ex catarrho tumore cum rubore conjuncto, sed est vera angina, ex mera inflammatione genita. Cui cum pro varia intensionis magnitudine à Neotericis quatuor gradus constituantur, hæc ad gradum tertium referenda videtur, quem παρασυνάγχην appellant, quippe in nostro ægro inflammatio versùs superiores faucium partes se extendit, & depressa lingua quodammodo conspici potest, quæ alioquin in duobus prioribus gradibus κυνάγχη & συνάγχη tota occulta latet.

Sanguinis redundantia hujus mali antecedens fuit causa; hic autem sanguis à causis procatarcticis agitatus, ac in faucibus & laryngis musculis majore copia conservatus, ibidemque putrescens, causa continens evasit. Procatarcticæ verò illum partim moventes, partim circa dictas partes detinentes, duæ fuerunt, nempè gravis labor magnum calorem excitans, & nimis frigida potio, subitam refrigerationem inducens.

A gravi quippe labore excalefacto toto corpore, nec minùs corde, sanguis per validas crebrasque cordis pulsationes rapidè fuit agitatus, ac celeriter per vasa transiit, idque sine ullo incommodo, quousque in viis nullum dabatur impedimentum. Verùm cùm ab actuali frigiditate assumpti nimis frigidi potus, qui in minimis venis, circa fauces & laryngem hærebat sanguis nonnihil incrassaretur, ipsæque venularum radices & orificia constringerentur, ac cor excalefactum tamen non desineret per crebros magnosque pulsus æquè multùm sanguinis, atque anteà, eò per arterias propellere, non potuit tanta quantitas à venulis per frigus incrassatumque sanguinem angustatis, tam citò recipi & transmitti, sicque circulari, ac proinde cum singulis pulsibus aliquid transiret, aliquid etiam dictis locis detineretur, hinc per plurimos pulsus multum sanguinis in dictarum partium substantia detentum ac collectum fuit, unde tumor calidus respirandi deglutiendique vias angustans, paulatim magis magisque adauctus est; ipseque detentus ibi sanguis, cùm à corde non ampliùs regeretur nec moveretur aut elaboraretur, paulatim majorem inflammationem & putredinem concepit, cujus pars, cordi per venas communicata febrem continuam accendit, non quidem primâ horâ, sed inter septimam & octavam: in ipso enim exordio copia sanguinis paulatim collecta, ejusque nimius calor continuè adauctus fuit, sed putredo cum magna inflammatione post aliquot horas primò invasit, scilicet cum tanta esset copia, quæ naturæ gravis foret, etiam effervescere inciperet: à qua effervescentia pulsus major & crebrior, quam antea, evasit ac simul etiam inæqualis, à putrescentibus particulis, reliquo sanguini inæqualiter permistis, in cor illabentibus.

A febris invasione multò difficilior fuit respiratio, tum, quia effervescens sanguis majorem locum requirebat, atque hinc tumorem & viarum angustiam plurimùm augebat; tum, quia ratione majoris caloris febrilis, majore opus fuit respiratione; cùm per angustas vias procedere vix posset, difficilior evasit, & defectus quoque necessarii refrigerii maximam anxietatem & inquietudinem induxit; atque hinc est quòd æger frigidum patulumque aërem captet.

Os siccum & sitis maxima est, à calidis vaporibus, partim ex inflammato loco, ori proximo, partim per febrem, ex corde & inferiore corpore sursùm in os exhalantibus, idque exsiccantibus. Potus tamen deglutiri nequit, sed in os resilit, quia ab inflammatorio tumore superior œsophagi pars tantoperè comprimitur & angustatur, ut nihil ampliùs transmitti possit, hincque potus deglutitionis impetu versùs œsophagum impulsus, cùm non possit per eum transire, per superiora palati mox resilit in nares.

Intensa rubedo seu fuscus color, qui in faucibus depressâ linguâ conspicitur, fit a copia sanguinis ea in parte, ob ante dictas causas coacervata, qui color se inde aliquo modo versùs linguam extendit: & propter denegatum liberum sanguinis per venas transitum, venæ raninæ sub lingua admodùm tument.

Loquela impeditur, ut æger vix audiri possit, propter respirationis difficultatem & musculorum laryngis inflammationem.

Foris nullus conspicuus est tumor, quia inflammatio tota intùs circa laryngem, œsophagum & fauces latet: rubedo tamen aliqua, propter viciniam, se versùs exteriora protendit.

Acutus sanè ac periculosissimus est hic morbus, à quo æger aut citò liberari, aut citò mori debebit, quia si pauxillum adhuc increscat inflammatio & augeatur tumor, respirandi via omninò præcludetur, & æger suffocabitur. Periculum auget febris magnitudo, & quod æger nihil omninò deglutire, sicque ardor internus nullo potu leniri, nec vires ullo alimento corroborari possint. Aliquam tamen sanationis spem facere videtur, quòd inflammatio non omninò in interioribus laryngis musculis abscondita delitescat, sed aliquo modo versùs fauces extendatur, ita ut topica ad partem affectam paulò meliùs accedere queant. Adde, quod aliqualis rubedo, foris apparens, videatur etiam promittere aliquam proruptionem inflammationis versùs exteriora, quod cum salute ægri fieret.

In curatione 1. Affluentis sanguinis impetus ad partes affectas est impediendus. 2. Qui jam influxit & ibidem collectus est sanguis, quantùm fieri potest discutiendus est. 3. Si ad maturationem tendat, ea quàm citissimè promovenda est. 4. Si dum hæc tentantur, ægri suffocatio interea metuatur, illa per Chirurgiam præveniendą erit.

In hoc magno igitur morbo statim à generoso remedio auspicanda erit curatio, & venæ-sectio in brachio instituenda, ac sanguis liberaliter detrahendus. Si prima vice non imminuatur affectus, haud diu pòst eadem venæ-sectio in eodem vel altero brachio erit reïteranda; atque illud ipsum etiam tertia vice, si necesse videatur, sine scrupulo tentandum; quoniam ab hoc imprimis remedio salus expectanda. Etiam è venis raninis, sanguis bona quantitate per phlebotomiam erit extrahendus.

Interea clysteribus ordinariis alvus interdum subducenda.

Utatur æger sæpiùs hoc gargarismate discutiente

& emolliente.

℞. Glycyrrhizæ rasæ ℥ iij. rapas duas mediocris magnitudinis herbar. scabiosæ violariæ, malvæ, mercurialis, betæ, ana m. j. flor. chamomillæ, rosarum pallid. ana m. ß. corticum citri ℥ ß. aquæ q. s. coq. s. art. ad ℔ i ß. adde colaturæ, syrupi dianuci ℥ ij. diamori ℥ j. mellis rosacei ℥ ß. misce f. gargarisma.

Huic, si tumor ad suppurationem tendere videatur, hordei mundati ℥ i ß. fol. althææ m j ß. ficus novem.

Extrinsecùs imponatur hoc cataplasma.

℞. Rad. liliorum albor. ℥ i ß. fol. betæ, malvæ, mercurialis, althææ flor. chamomill. ana m. j. rosarum pallidarum m. ß. farinæ fœnugr. ℥ i ß. unius nidi hirundinis interiorem partem pulverisatam, aquæ q. s. coquantur s. art. ad pulticulæ formam, cui adde olei chamæmelini ℥ ij. misce f. cataplasma.

Huic si maturatio expectanda videatur, addi poterunt,

Ficus pingues septem aut octo, farinæ rad. althææ, sem. lini, pulp. cassiæ, olei liliorum, ana ℥ j.

Quamprimùm æger aliquid deglutire poterit, detur clemens purgans ex infuso rhabarbari, pulpa cassiæ, syrupo rosato solutivo, aut de cichoreo cum rheo, &c.

Tunc etiam pro potu præscribatur julepus.

℞. Decoct. hordei ℔ i ß. syrup. diamori, dianuci, violac. ana ℥ j. olei sulphuris pauxillum ad levem acorem, misce, fiat julebus.

Si abscessus rumpatur, æger prono capite purulentam materiam expuat, & ulcus abstergat gargarismo, ex decocto hordei cum saccharo, melle, aut syrupo de prassio vel hyssopo dulcorato: ex quibus syrupis etiam linctus confici potest. Postea utatur gargarismate ex sanicula, plantagine, agrimonia, nucibus cypressi, rosis rubris, &c. cum syrupo de rosis siccis & granatorum dulcorato.

Si interea dum hæc adhibentur, magis increscat respirandi difficultas, suffocationis periculum jamjam imminuere videatur, antequam materia vel discuti, vel ad maturitatem deduci possit, viribus nondum planè collapsis, ad extremum concurrendum est remedium, scilicet *laringotomiam*; de qua consulendi sunt Julius Casserius *in historia anatomica vocis*. Aquapendens titulo *de perforatione asperæ arteriæ*; Sennertus *institutionum lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 7.* aliique Chirurgiæ scriptores.

Vivat æger in aëre frigidiusculo. Cùm deglutire poterit, concedatur victus tenuis, ex cremore hordei, amygdalatis, jusculis pullorum vel carnis vervecinæ, decoctis cum lactuca, endivia portulaca, acetosa, prunis Damascenis, &c. Potus sit cerevisia tenuis, julebus refrigerans, prisana. Alvus laxa servetur per clysteres, aut concessa deglutitione per assumpta corporis animique sit quies. *Isbrand. D. Diemerbroëck.*

Morbus quo Illustrissima Patiens affligitur, evidens adeo est, ut cum vel ipsis oculis pateat, Medicis conjecturis, quantum ad ejus ideam, opus non sit, dequo præterea tum aptè disseruit, & quod magis est, tam opportunis remediis succurrit Excellentiss. Vir, ut nihil penè mihi restet addendum, sed omnia breviter confirmanda quæ summo judicio proposita fuere. Angina itaque premitur Nob. mulier, cujus essentia ex Gal. in impedita deglutitione & respiratione consistit non verò, ut plerique asserunt, in inflammatione, quæ in hujusmodi malo, causæ potiùs, quam essentiæ rationem habet. Symptoma igitur erit in actione animali læsa, eaque nunc imminuta; sed interdum abolita. Hanc autem & nos legitimam censemus, non solùm ratione partis affectæ cùm inflammatio occuper fauces, sed etiam ratione causæ, cum ab inflammatione dependeat.

Fauces itaque sunt partes affectæ, quod conjicitur ex eo, quod deglutitio magis, quam respiratio impedita sit, quæ cum læsæ magis sint secundum internam, quam secundùm externam partem, Angina hæc in specie cum Gal. Cynanche erit appellanda.

Symptoma hoc, ut dictum est, ab inflammatione dependet, quam nimii sanguinis in illam partem influxus induxit, non sinceri tamen, aut biliosi, sed pituitosi, quod ideò asserimus, quia deglutitio magis, quàm respiratio læsa est, quia frequentissima sunt sputa pituitosæ materiæ & tandem quia videmus linguam continuò pituitâ irrigari. Pituitosus verò iste sanguis in partes illas influxit, non per modum attractionis, sed per modum transmissionis, cùm Patiens diu caput ante soli exposuerit, cujus calore materia ista liquefacta, præceps contigit in fauces destillatio, à qua postea inflammatio, illarum partium angustia, & difficultas non deglutitionis solùm, sed etiam respirationis.

Ut curetur hoc malum, variæ esse debent medicæ indicationes prout diversa sunt tempora ejusdem morbi: In principio enim revellendum, repellendum, & partes illæ extrinsecùs relaxandæ, In augmento revellendum, & digerendum. In statu validioribus digerentibus utendum, dummodo tamen inflammatio ad resolutionem vergat, ut sperare licet. In declinatione tandem unica intentio est ipsa resolutio. Et quamvis morbus acutissimus sit, & per consequens periculi plenus, præsertim cum legitimus sit & in interiori parte, nihilominùs propositis intentionibus satisfieri sperandum, cùm collum extrinsecùs etiam intumescere incipiat: namque ex *Hippocr. c. Ab Angina habito*, si tumor fiat in collo, bonum, foras enim morbus deducitur.

Quoad Chirurgiam, jubet Galenus statim sanguinem ex Cephalica affectæ partis educi, ne æger suffocetur; quare opportunè soluta fuit brachii vena, & non semel, sed per partitas vices, docente Avicenna unicâ vice sanguinem copiosè emittendum non esse, ne attenuatis & liquatis humoribus, fluxio augeatur, & Angina in peripneumoniam transeat. Cucurbitulæ, frictiones, lotiones, si opportuno tempore administrentur, omnia conveniunt. At cum morbus jam sit propè statum, determinandum superest quid in præsens agendum sit, cùm jam sufficientes universales evacuationes præcesserint. Et mihi quidem particularis evacuatio sectis venis sub lingua valdè cum Galeno placeret, nam hoc modo non exigua portio jam fluxæ materiæ derivaretur.

Quoad Pharmaciam, opportunissimum fuit medicamentum exhibitum, syrupis tamen præferrem emulsionem seminum melonum aquâ acetosæ extractam, addito modico julap. viol. tam manè, quam vesperi in rigore accessionis; die verò ore detineat, modò julapium viol. modò conservam violarum. Gargarismus quoque parari poterit non ex rosis, myrto, balaust. cum aq. rof. & plan-

plantaginis; talis enim cùm maximè repellens sit, potiùs in principio convenit; sed ex decoct. rosarum, liquiritiæ, passular. caricarum in aqua communi, addito etiam diamorone: vel paretur gargarismus ex aqua plantaginis, acetosæ & diamorone, addendo parùm oxymel. simplicis.

Interim si perseveraret dolor, vel desæviret magis, admoveri posset extrinsecùs emplastrum ex flore cassiæ, pulv. nidi hirundinis, oleo amygdalarum dulc. & sapa; vel ex farina hordei, fabarum, nidi hirundinis, oleo amygd. oleo ros. compl. & sapa. Tandem pro omnimoda illius materiæ discussione, uti poterit Patiens Illustriss. Gargarismo ex decoct. pulegii, calamenthi, origani, thymi, addito diamorone, myrrha, & parùm spicæ.

Quod si inflammatio ad suppurationem vergeret, lac tepidum conveniet, prout decoct. caricarum pinguium, rad. malv. & similium.

Victus sit exquisitè tenuis & sufficiat sola ptisana hordeacea, aut panatella in aqua cum lacte seminum melonum, Quæ summæ viri Sapientissimi prudentiæ satis. *Raymund. Joan. Fortis. Consult. Tom. 2. Cent. 1.*

Observationes.

Civis quidam anno 1615. Giessæ primò de faucium dolore, mox difficili respiratione, deglutitioneque conqueritur ita ut cibum nullo modo, potumque vix admittere posset. Exteriùs tumor ferè nullus, interiùs verò partes circa linguæ radicem intumescentes atque inflammatæ conspiciebantur; pulsus aderat frequens, & calor febrilis per intervalla totum corpus maximeque faciem invadens.

Gravis est illa species *anginæ*, cùm gutturis interni musculi sic inflammantur, ut neque in faucibus, neque in cervice quidpiam appareat, unde *Celso* meritò pestiferum, acutumque morbi genus, *Galeno* morbus extremè peracutus, *Hippocr.* verò lethalis dicitur. At major est spes in illa, quæ fit inflammatis internis faucium musculis, ubi tumor atque rubor in faucibus oculis subjiciuntur. Talis etiam erat hîc morbus, qui incipiebat *cum dolore faucium*, ibidem per congestionem & affluxum collectâ materiâ sanguinis pituitosi quo musculis faucium repletis *inflammatio & tumor* subsequebatur, unde mox *difficilis respiratio* reddebatur, occlusis scilicet quodammodo viis spiritalibus, ipsaque *deglutitio deficiebat*, propter gulæ difficilem dilatationem sine qua cibus potusve transire nequit. Hinc *cibus nullo modo* propter soliditatem comprimentem, quam partes inflammatæ ferre nesciunt, *potusque vix* admittebatur, qui scilicet liquidâ suâ substantiâ quadantenùs guttatim descendere poterat. *Exterius tumor nullus* apparebat, quatenùs inflammatio musculos internos faucium apprehendebat quod *interius rubor atque tumor circa linguæ radicem* innuebant, in quo aliàs hæc species a priori, quæ proprios laringis musculos afficit, distinguitur. *Pulsus frequens erat*; incalescente corde propter impeditam respirationem, convenienti eventilatione denegatâ, quam ob causam *calor præter naturam* per intervalla totum corpus, spiritibus effervescentibus unà cum sanguine arteriali hinc & inde concitatis, *inprimisque faciem* invadebat, quæ aliàs in hoc ægro propter jecoris caliditatem fervidas exhalationes promptè recipiebat, *maximè hoc tempore*, dum in vicinia humor phlegmonodes generaretur, *Hîc primo totum corpus sanguine abundans evacuandum. 2. affluxus ad fauces repellendus & avertendus 3. materia phlegmones circa fauces collecta vel ad resolutionem, vel ad suppurationem ducenda, 4. necnon pars affecta roboranda veniebat.*

Pro primo suasimus pro lenitione clysterem, cùm venter etiam inflatus videretur, qui.

♃. Rad. Altheæ ℥ j. herb. violar. mercurialis, parietariæ ana m i ß. flor. violar. rosat. ana m j. fol. senæ ℥ j. sem. lin. fœnugr. ana ʒ ij. fœnicul. ʒ ij ß. F. decoct. in aq. ad tertias, coletur. ℔ j. adde mass. pil. Aggregat. ʒ j. ol. chamæmelini ℥ iij. salis parùm, fiat enema.

Hoc modo ventre laxato venæ-sectionem suasimus in brachio, quò non tantùm sanguis copiâ abundans minueretur, sed totum incalescens alteraretur. *Quoad affluxum* repellendum & avertendum ab empiricis primò vocatis gargarismi præscribebantur, non quidem ex hac indicatione sed potiùs juxta consuetudinem, qui solis adstringentibus decoctis faucium affectibus succurrere conantur, quorum usum eò direximus, ut primò lenis fieret adstrictio per aq. prunel. plantag. cum Diamoro & Rob nuc. permist s, dein etiam subsequentem collutionem concessimus, quæ ♃. Rad. Bistortæ ʒ iij. cupul. gland. ʒ j. Herb. prunell. flor. rosat. rub. ana m ß. f. decoct. in s. q. aq. ad tertias, coletur. adde aluminis ℈ ß. Diamoron. ℥ j. misce. Porrò majoris aversionis ergo venas sub lingua quoque incidimus & ventosas sine scarificatione scapulis & brachiis apposuimus. *Hoc modo sufficienter* affluxu correcto, materia circa fauces copiosè collecta, quæ resolutionem non admittebat, suppuranda veniebat qua de causa mox emplastrum, quod patruus noster p. m. Jacobus Horstius olim commendabat, apposuimus exteriùs, quod ♃. Rad. altheæ ℥ ß. caricar. ping. num. VIII. myrrh. ʒ ij. croci ʒ ß. Farin. sem. lini, fœnugr. ana ℥ ß. mellis q. s. F. emplastrum. Interiùs adstringentes gargarismos mutavimus, & cum discutientibus emollientia & maturantia præscripsimus remedia, nimirùm collutionem ejusmodi, quæ ♃. Rad. glycyrrhizæ ℥ ß. herb. malv. melilot. ana m ß. fl. chamæm. p. ij. Passular. minor. ℥ ß. caricar. ping. num. iij. f. decoct. in s. q. aq. ad 3. coletur, & adde mellis rosat. ℥ i ß. misce.

His continuatis, apostema faucium maturabatur, & sponte ruptum, pus copiosum per os emittebat, pro cujus mundificatione consequenter gargarismi fiebant ex aq. prunell. cum melle rosato permista similibusque, quibus non tantùm ulcus eluebatur sed etiam pars affecta vicissim ob modicam adstrictionem roborabatur; ut perfectè restitutus æger, in hanc usque horam bellè vivat qui aliàs extremam suffocationem tunc temporis sibi instare putabat. *Gregorius Horstius.*

Angina per resolutionem materiæ soluta.

Puella 18. annorum, fluxionibus capitis & obstructionibus mensium obnoxia, superiori anno 1609. incidit in difficilem respirationem, ita ut nonnisi rectâ cervice spirare possit: tumor cum dolore circa collum apparet, transglutiendi ma-

xima difficultas subsequatur.

Aderat hîc anginæ species, quæ παρασυνάγχη recentiorib. nominatur, *ubi exteriores faucium musculi inflammantur*, quod in hoc casu factum fuerat ob sanguinis pituitosi copiam ad superiora regurgitãtem, adjuvantibus defluxionibus capitis. *Difficilis fit respiratio*, tum propter asperæ arteriæ compressionem, tum etiam propter superfluitates per consensum in pectore collectas: *rectâ tantùm cervice spirat*, ubi minùs aspera arteria comprimitur: *tumor apparet*, ob materiam parti affectæ jam impactam: *cum dolore*, propter inflammationem: tandem *transglutiendi difficultas maxima* subsequitur, propter gulæ extensionem, quæ dilatata à cibo solidiore partem inflammatam comprimit. *Quoad curationem in principio hujus affectus venæ-sectio revellendi causa convenit*: verùm cùm in præsenti casu, Medico vocato materia non ampliùs in fluxu esset, statim eò allaborandum esse duximus, ut interius gargarismo repellente & discutiente faucibus prospiceremus, & exterius tumorem emolliremus ac resolveremus: illud perfecimus ejusmodi gargarismo.

℞. Rad. Bistortæ ℥ß. Herb. prunell. cum fl. plantag. ana m i ß. salv. agrimon. ana m j. aluminis ℈ j. F. decoct. ad ʒ. colentur ℥ix. & adde mell. rosat. ℥j. Diamor. ʒß. misce f. gargarismus. At hoc partim inunctione ol. chamæmelini, partim cataplasmate ex ficubus, Rad. altheæ ana ℥j. myrrhæ ʒ ij. croc. ʒß. mell. q. s. peractum fuit, quibus ægra restituebatur, cùm non admodum copiosa esset materia. *Idem.*

Varia sunt anginæ genera, sed nullum perniciosius illo; quod produxit, vel vertebra introrsùm luxata; vel inflammatio musculorum interioris laryngis. Quorum profundus tumor, siquidem coarctet angustum, asperæ arteriæ, caput; & ligulam illi insculptam (quæ sunt proxima vocis instrumenta) supprimitur non tantùm vox: sed præcluditur quoque via spiritui; vel potiùs ipsi vitæ. Quæ sine spiritu nulli diu, durabilis. Ac proinde non inconsideratè, Hippocrates lib. 3. prog. latens angina, vel primo, vel secundo die, lethalis.

Nauta pleni habitus, correptus intempestâ nocte, ab urgente faucium angustiâ, traxit illicò spiritum adeò difficulter: ut excitatâ febre, & accenso gutture, inciderit protinùs in grave suspirium spiritum turbidum, imò ipsam mortem. Cujus periculo, quò subtraheretur, nihil non molitum: sed urgentior fuit necessitas; & vehementior, ab incluso spiritu, strangulatus: quam ut juverint ipsum, vel sanguis maturè ex utroque brachio detractus: vel incisa ranula: vel cucurbitulæ, gargarisationes, clysteres, cataplasmata aliaque satis celeriter adhibita Nicol. Tulpius.

Plurimis remediis nihil proficientibus in Viro Excellentiss. anginâ laborante monito empirico edoctus, ut lanam ovillam, nigram verò, in oleo chamomillæ frixam, duplicatis involutam linteis, desuperque emplastrum de meliloto parti affectæ applicarent jussi; quo applicato intra pauculas horas talis subsequebatur effectus, ut omnes adstantes summoperè admiraremur, ægerque se parùm sublevari, nonnihilque auxilii persentire voce languidâ effabatur: Cùmque singulo quovis die ternis vicibus hoc reiteraretur topicum, præter omnium nostrûm spem & opinionem intra paucos dies æger convaluit, & hodiè sanissimus suo perstrenuè fungitur munere & officio. *Joan. Georgius Sartorius.*

Benivenius cuidam angina latente strangulante affecto, etiam conclamato, incidit locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, & etiam supra collum; unde sanie multâ prorumpente, illum à morte ad vitam revocavit.

Pro angina in viro quodam ex sanguinis repletione.

Sanguine extracto, & clystere injecto, hoc gargarisma præscripsi.

℞. Fol. plantag. m j. fl. rof. rubr. p. j. gallam omphacitidem (i. viridem) crasso modo contusam, sem. cydon. ʒ j. bulliant in ℔ j. aq. plantag. addendo aq. solani, equiseti, ana ℥ ij. colaturæ immisce diamor. dianuc. ana ℥ i ß. f. gargarisma, quo cum gargarisasset, loqui potuit, quod antea minimè poterat, deinde hoc sequenti usus est.

℞. Fol. plantag. bellid. min. ana m. j. fl. rof. rubr. p. j. balaust. ʒ j. hord. communis, p. j. coq. in ℔ ij. aquæ communis ad ℔ j. cui adde ℔ ß. aq. plantag. & aq. scabiof. ℥ iij, sem. lini fœnugræc. malv. (cùm jam in augmento essemus) ana ʒ j. gallam unam crasso modo contusam, nidum hirundinis cum plumis incisum (ad resolutionem aliqualem) ebulliant hæc simul, fiat levis colatura, addendo diamori, dianuc. ana ℥ i ß. mell. rosat. colat. ℥ß. m. eo plurimùm delectabatur, cùm se levamen inde sentire fateretur.

Secundo die manè glande alvo exoneratâ, venas sub lingua incidere jubeo crassissimo sanguine ac nigerrimo effluente, & meliùs habere cœpit, & spiritum liberiùs ducebat: eodem tamen die, guttur inunximus linimento sequenti, simul etiam cataplasmate imposito.

℞. Ol. amygd. d. ℥ j. pingued. gallin. butyr. rec. in aq. viol. & camom. loti ana unc. ß. mucilag. sem. lini, fœnugræc. malv. alth. extract. cum aq. chamæm. ana ʒ ij. ceræ citrinæ modicum, f. linimentum, lanâ succidâ superpositâ.

℞. Rad. althææ unc. i ß. fol. malv. viol. ana m. j. fl. chamæmel. melilot. ana p. j. coq. in aq. ad mollitudinem, pistentur, adde farinæ sem. fœnugr. lini, hordei ana p. j. nidum hirundinis in pulverem redactum, ol. amygd. d. viol. butyr. rec. ana unc. ij. ol. chamæmel. unc. j. f. cataplasma, & amotâ lanâ, calidè apponatur.

Istis præsidiis cum paucis aliis, morti additus, luci fuit restitutus. *Petrus Forestus observ. 16. lib. 15. de faucium, gutturis, gulæ & asperæ arteriæ affectibus.*

In Angina periculosa festinandum est; veteres eodem die, & sanguinem mittebant, & medicamenta exhibebant. Ego sanè (inquit *Trallianus, lib. 4. cap. 1.*) novi me, cùm usus valdè urgeret, venam manè aperuisse: diluculo linguæ subjectas secuisse; & vesperi ex cremore ptisanæ lachrymam scammon. exhibuisse: atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potui dissolvere. Et alium quendam novi me, postquam duorum brachiorum in cubito venas secuissem, repurgasse, sequenti die non expectato. *Petrus Forestus, Observ. 13. lib. 5.*

Pro Angina cum tumore in faucibus.

Vocatus ad quendam, cui gutturis regio adeò intu-

intumuerat, ut ne verbum proloqui posset, & ferè suffocaretur, tumore in faucibus manifestè apparente, cum adhærente tenacissima pituita & lentore. Statim cucurbitulas cum scarificatione scapulis adhibui gargarismum sequentem suasi.

♃. Aq. solan. plantag. ana ℥ iv. syr. viol. mell. viol. ana ℥ ß. diamori ℥ j. acet. flor. papav. rhæad. ʒ ij. f. gargarismus.

Applicuit collo sequens cataplasma in illius ambitu sub mento.

♃. Farin. hord. fabarum ana ℥ iv. nid. hirund. ℥ ij. stercor. canis sicc. ℥ i ß. mell. unc. ij. ol. rosac. q. s. fiat cataplasma. Hisce vix dum per diem usurpatis, meliùs habere cœpit, & è summo periculo evasit. *Fœlix Platerus, observ. lib. 2. pag. 412.*

Protinùs alvi excrementis per acrem injectum clysterem depositis, cephalicam dextri brachii venam incidere jussi; hoc etiam gargarisma præscripsi.

♃. Syr. de ribeo, rob mororum ana unc. j. aq. plant. stipit. rosar. ana unc. viii. m. f. gargarism. quo sæpè utatur.

Foris etiam ubi tumor in collo apparebat, locus oleo chamæmel. superadditâ succidâ lanâ, fotus fuit. Vesperi verò ex sinistra saphæna sanguinis unc. vj. fuerunt extractæ: sequenti verò die cucurbitulæ ad primam vertebram & scapulas sunt applicitæ; tum olei vice, quod foris admovebatur, emplastrum hoc apponi jussimus.

♃. Rad. alth. fol. malv. ana m. j. rad. lil. alb. num. ij. ficuum ping. num. x. f. decoctio in aq. donec mollescant, dein in mortario optimè pistentur, & per setaceum transmittantur, quibus postea adde farin. hord. lini fœnugræc. ana p j. cineris hirund. unc. ij. stercor. canin. arid. & alb. unc. ij. farin. chamæmel. p. i ß. decocto prædicto omnia excipiantur & f. emplastrum cui adde ol. chamæmel. rosac. ana unc. i ß. m. & ad ignem parùm tractetur, & collo affecto applicetur. Porrò hujus emplastri vice stercus caninum aridum pistum & melle exceptum & dolenti parti admotum præstantissimum est remedium. Item cinis hirund. cremat. efficax quoque remedium est, si modo cum melle admoveatur. Emplastrum etiam ex nido hirund. magnam in hoc casu habet prærogativam. Nec sunt audiendi qui ex nido hirund. tanquam ex terra frigida, emplastrum fieri formidant; cum reverâ terra nidi hirundinis cum paleis, & cæteris in eo contentis, discutiendi vires habeat. Quanquam prisci Græci nunquam quod legerim, nido isto in hoc affectu usi fuerint, sed potiùs cinere hirundinum. *Amatus Lusitanus, cent. 3. curat. 28.*

Pro Angina gravi in viro quodam.

Clysterem primùm paulò acriorem in hunc modum præscribo, quòd adstrictâ alvo esset.

♃. Herb. 4. emoll. fol. caul. rubr. hyssop. cent. min. ana m. j. polipod. q. unc. j. sem. cartham. contus. ʒ x. agaric. in petia ligar. ʒ iij. sem. melon. cum cort. contus. unc. j. sem. anisi & anethi ana ʒ iij. flo. chamæm. & melil. furfur. macr. ana p. j. f. omnium decoctio in colaturæ ℔ j. dissolve catholic. unc. j. hier. Galen. ʒ v. ol. viol. & liliorum ana unc. iij. mell. rosat. colat. unc. ij. f. clyster.

Ingentem excrementorum copiam dejecit æger, à qua alleviationem sensit, ejecto clystere sanguinem eodem die bis è cubito detraho ad unc. xx. quod & æger valentissimis viribus esset, & morbus quoque magnus. Interea gargarismate astringente, & repellente, uti ægrum jubeo.

Sequenti die è venis sub lingua sanguinem detraho, & Cucurbitulas cum scarificatu, sub vesperam admoveri scapulis jubeo, à quibus mirificè se levatum sensit, & paulò tum faciliùs respirare cœpit. Interim in omnimoda abstinentia ægrum contineo; nec per primos tres dies, quicquam aliud præter aquam mulsam sumere jussi, neque etiam solidiora alimenta sumere potuit, ut qui etiam mulsam ore sumptam per nares rejiceret, quod anginosis frequens esse solet. Infernas partes vinculis deligo, collo & cervici hæc impono.

♃. Ol. chamæm. viol. liliorum & cheirini, ana ℥ ij. ol. amygd. d. rec. ℥ iij. axung. Gallin. rec. ℥ j. butyr. rec. sine sale ℥ j. croci ʒ j. f. linimentum, quod calidum collo & cervici, mollibus lanis pinguibus intectum admoveri jubebam. Ubi verò ad tertium diem ventum est, mox propiare medicamentum solvens satago, sed frustra id tentatum est: quare dabam alternis diebus clysterem suprascriptum, à quo alleviari se plurimùm æger sentiebat.

Cum autem ad quartum diem rubor aliquis cum dolore ac tensione foràs ad maxillam dextram se proderet, bonum id esse sum, ex Hippocr. & Galeni sententiâ arbitratus, itaque naturæ motum secutus, foràs humorem evacuare studii, in hunc modum.

♃. Fol. plantag. hysop. caul. rubr. ana m ß. caric. ping. num. xii. uvarum pass. exacin. num. xx. liquirit. rasæ ℥ j. ros. rubr. p. j. hord. cum cortice p ß. f. omnium decoctio in aq. hord. in colat ℔ i ß. adde diamori & dianuc. ana ℥ i ß. oxymel. simpl. syr. viol. ana ℥ ij. mell. ros. ʒ j. m. f. gargarism. quo sæpè utatur.

Foris verò ad tumorem prominentem evocandum, & suppurandum tali sum usus cataplasmate.

♃. Fol. malv. alth. cum rad. ana m. ij. fol. caul. rubr. viol. hyssop. ana m. j. caricar. ping. num. xxx. fl. chamæm. & melil. ana p. j. sem. lini & fœnugræc. ana ℥ j. capitum liliorum alborum ℥ ij. furfuris p. j. f. omnium decoctio in aqua, pistentur & cribrentur. Cribraturæ adde nidi hirund. in ol. lilior. præbulliti, & cum toto probè in mortario macerati & postea cribrati ℥ iij. farin. sem. lini & fœnugræc. farin. frumenti ana ℥ j. coquantur farinæ cum oxymel. ad convenientem glutinositatem. Postea adde axungiæ gallinæ rec. butyr. rec. sine sale ana ℥ j. croci ʒ j. ol. lil. ℥ iij. m. f. cataplasma, mirificè profectò humorem foràs evacuat atque ad suppurationem deduxit: intra biduum namque suppuratus ferè, qui foràs subsederat tumor, fuit; cui tamen tertio post die canini stercoris sicci ʒ iij. adjunxi, quod si quid aliud, vel Pauli vel Avicennæ testimonio, huic affectui maximè prodest, occultâ quadam vi & proprietate. Suppurato tumore ad 7. diem candenti ferro aperiri jussit, quod id ulceribus & abscessibus plurimùm conferat, exsiccando, & virus malum ignis potentia corrigendo. Pus fœtidissimum, virulentum & copiosum prodiit, ulcus mundificari curavimus, unguento ex melle rosato, succo apii & absynth. farin. hord. myrrha & aristoloch. postea probè deterso ulcere, quod intra 20. diem contigit ad sarcotica & cavum ulcus implentia nos contulimus unguento ex thuris polline, myrrha, iride, aloëque confecto, addito chalciteos emplastro, sicque Dei nutu integrè curatus fuit, magnâ omnium admiratione.

Interim dum hæc facio, reliquorum præsidio-

rum, quæ juvare posse sum arbitratus, minimè obliviscor; nam cum devorare potuit æger, purgans medicamentum, & cataporia dedi, ad deducendum humorem, quæ quidem fœliciter operabantur. Exhibui etiam rasur. dentis apri. ʒj. ex ol. amygd. d. & sacchаro candido, quæ in hoc affectu prout & in pleuritide, præsentaneum est remedium atque arcanum. *Franciscus Valeriola Observ.* 10. *lib.* 2.

Anginam magnam & periculosam non omissis, quæ ex universalium genere conveniebant, hoc gargarismo percuravi.

℞. Semperviv. m ß. fl. prunell. p. iij. sal. armoniac. ℈ ij. decoq. in aq. ℔ iv. ad casum unius, & utere pro gargarismo.

Vidi cuidam anginâ deploratâ laboranti, aquam è stercore vaccino destillatam, exhibitam ita profuisse, ut mox convaluerit. *Hieron. Reusnerus obs.* 91.

℞. Fl. chamæmel. m. iij. aceti & olei ana part. æqu. decoq. pro cataplasmate quo calidè applicato extrinsecùs ad locum affectum, intra horæ spatium apostema disruptum est, ac per os saniosa & cruenta multa rejecit, & mox convaluit. *Martinus Rulandus cur.* 56. *cent.* 4.

Mulier quædam superstitiosè butyrum mense Maio asservabat, & colligebat tribus diebus rogationum, viris è lacte vaccæ quæ marem peperisset. mulieribus, quæ fœminam; urgente malo inungebat, collo, cervici, & partibus vicinis, carpo, plurimùm fricando atque hac ratione non paucos sanitati restituit. *Jac. Hollerius, cap.* 23. *lib.* 1. *de morbis internis.*

Sartor quidam anginâ laborabat, quâ deglutitio impediebatur, ei secta fuerat vena, clysteres injecti, & admotum vesicatorium.

His non proficientibus, me vocant advertens eum vix tantillùm jusculi cochleari magno conatu deglutire, ac per consequens medicamentum purgans haurire non posse, præscribo aqu. benedict. ℥ ij. quibus purgatus est pluries per vomitum & secessum, eodemque die ab angina liberatus. *Lazarus Riverius observ.* 24. *cent.* 2.

Juvenis quidam fossor anginâ laborabat ita vehementi, ut nec loqui, nec deglutire posset, respiratio tamen integra manebat, cùm ad eum vocatus sum injectus fuerat clyster, statim verò sanguinem mitti jubeo ad ℥x. postea admovetur vesicatorium posteriori cervici, cucurbitulæ scapulis admoventur cum scarificatione, & 4. horis à venæ-sectione exhibentur aq. bened. ℥ ij. quibus purgatus est per vomitum & per alvum; & inde loqui ac deglutire cœpit, ac paulò post integrè curatus. *Lazarus Riverius, obs.* 10. *cent.* 2. *vide ejusdem obs.* 60. *cent.* 4.

Illustris mulier Gabriela Gousier Domina à Saultono: cum angina autumnali omnium periculosissima detineretur, venit in mentem me legisse apud Ætium lib. 15. cap. 6. agaricum occultos abscessus absorbere, vel foràs materiam evocare; statim agaricum in taleolas concisum in decocto rad. althææ, ficuum cum momento zinziber. & quartâ parte vini albi maceravi, addidi syrupum de althæa, & potionem ægrotæ dedi monuique ne illam deglutiret sed aliquod tempus in imis faucibus contineret, si hac potione vitam sibi redimere vellet, obsequitur ægrota, interim dum cum illa sermonem confero, ecce magna puris albi copia, tam putridi & graveolentis ore rejicitur, ut filia quæ ad matrem cum pelvi adstabat, excipiendi puris ergo, prægravi eius fœtore, conciderit animo, ad ægrotam postea rediens, eam & vocis vitio & respiratione difficili, & gravi deglutitione, & febre levatam reperi & ab omni vitæ periculo tutam, quâ nunc fruitur incolumis, *Jac. Dovynetus, apolog. lib.* 3. *c.* 1.

Hispanus quidam cum acutissima angina in horas strangulari videretur, & omnia universalia & localia per venam sectam, scarificatas in collo cucurbitulas, acres clysteres, essent celebrata auxilia. & ipse nigricante facie velut emortuus jaceret: peritissimi Medici jugulares secandas imperarunt, adfuit Chirurgus secandi arte dexterrimus; illas sanguine ad caput ruente, vaporeque multo impletas turgentes & conspicuas resecuit, irreparabili sanguinis fluxu sequuto, ægroque lapso in omnimodam virium jacturam, spes salutis abest, quum de eo ob violentum sanguinis fluxum, jam desperarent omnes vocatus accurro, emplastrum Galenicum ex aloë, thure, pilis leporis exactissimè trituratis & mixtis cum candido ovi, superimpono, quo ipse ad arteriarum & jugularium hæmorrhagias fœliciter utitur; sicque collo commodè ligato, ægrum jamjam exhaustum refocillo, qui post horas aliquot, respirare & loqui cœpit, & à morbo immunis revixit. Nec mireris ad tam periculosum remedium nos confugisse, quando enim salutis unica est via, hæc, licet cum periculo tentanda; cùm satiùs sit ægrum periclitari quàm spe ademptâ certò perire, ut monet Magister nam malo nodo malus cuneus quærendus est, raròque crudele malum nisi crudeli depelli potest auxilio. *Zac. Lusitanus obs.* 95. *lib.* 1. *prax. admir.*

Anginâ caninâ cùm fœmina quædam nullo apparente tumore graviter corriperetur, magna cum violentia respirans, ita ut in horas strangulari videretur, & neque cephalicæ, aut venarum sub lingua sectio, in occipite scarificatæ cucurbitæ, acria clysteria illi opem ferre possent, tandem eodem die quo omnia ob procrastinationis periculum acta sunt, sub mento scarificata cucurbita summo fuit auxilio, assumptis deinde syrupis excretaque per sputum pituitâ crassâ & multâ altero die melius habuit *Zac. Lusitanus obs.* 94. *lib.* 1. *prax. admirand.*

Juvenis quidam 20. annos natus, pituitosus, post celeriorem deambulationem, avidè hausit cerevisiam frigidam, unde intra horam deglutitio admodùm difficilis, fauciumque dolor & tumor apparuere, vocatus venæ-sectionem levem institui jussi, sequentique gargarismate curatus est.

℞. Aq. fl. sambuc. ℥ iv. myrrh. pulv. ʒß. sp. vin. rectificat. ʒ iij. sp. salis armoniaci ℈ j. succ. tarax. express. ʒ ij. m. pro gargarism. Puella 20. circiter annorum, subitò in maximam respirandi difficultatem incidit, cum faucium tumore & dolore, ut ne guttulam quidem liquoris deglutire potuerit; vocatus statim venæ-sectio celebrata fuit ad ℥vj. moxque sequens apozema pro gargarismate præscripsi, unde levamen quoddam observavit.

℞. Fl. ros. rubr. ℥j. baccar. lauri excort. sem. levistic. ana ʒiß. coq. in aq. communis ℔j. vase optimè clauso; in colat. dissolve mell. rosf. ℥j. aq. theriac. simpl. ʒv. sp. salis armoniac. ℈j. m. pro gargarism. Sequenti die clysterem purgantem injici curavi, unde optimè dejecit, eodemque die collo sequens cataplasma bis de die renovandum applicari jussi.

℞. Nid. hirund. num. 1. fl. sambuc. p. iij. cœparum sub cineribus coctarum num. ij. coq. ex cerevisia tenui. Contusis adde albi Græci ʒiij. ol. olivar.

q. s. m. f. cataplasma, quo quarto die abscessus fuit ruptus, ulteriusque usa fuit solummodo melle rosac. pro linctu. *Fredericus Deekers obs. ad cap.* 1. *lib.* 2. *praxeos Barbetianæ.*

Anginâ laborabat Nicolaus Rota, nullus tamen rubor aut tumor, vel intùs in gula, vel extra videbatur; & ipse nihilominùs vix spiritum trahens, quicquid præterea edendum sumeret, per os statim & nares rejiciebat: quare cum arescente corpore, pallente jam facie, ac vertentibus oculis, spes omnis sublata esset, & Medici, quibus cura demandata fuerat, ægrum ampliùs non audirent; me licet juniorem convocant, ægrum ostendunt, & quæcunque acta fuerant exponunt; ac ego cum & ægrum ipsum ad mortem tendere, & medicos quæcunque opportuna fuerant præsidia adhibuisse intelligerem, cœpi ipse mecum cogitare, satiùs ne esset, ægrum ipsum Deo & Naturæ, ut cæteri Medici, incuratum dimittere, an aliquod licet insolitum, utile tamen auxilium experiri: verùm adhortantibus his qui ægro assistebant, consilium capio, & locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, ac etiam supra collum incido, ex quo cum sanies multa prorumperet adeò morbus levatus est, ut faucibus ipsis spiritum simul & cibum capientibus, facilis dein ad bonam valetudinem ægro daretur regressio. *Antonius Benivenius cap.* 38. *lib. de abditis morborum & sanationum causis.*

Dn. Joan. Merula Pastor noster fidelissimus Dysenteriâ per menses duos gravissimè laboravit. Ex qua cùm ferè curatus esset, interim dum ego Viviacum ad ægrum profectus fui novo & gravissimo morbo corripitur. Pustulæ enim quæ in fine morbi in labiis erumpere solent, in ipso natura propter virium imbecillitatem, (quæ cum ratione morbi, tùm etiam ætatis, sexagesimum enim sextum annum prætergressus est, aderat) tam procul expellere non poterat. Circumcirca uvulam ipsamque radicem linguæ erupetunt, idque non sine dolore & inflammatione; Barbitonsorem atque ineptissimum hominem in consilium adhibuit; is quotidie ter aut quater pulverem piperis & croci gulæ faucibusque inspersit ac sufflavit. Dolor mox auctus est, aucta & est inflammatio & febris, per intervalla quoque lipothymiæ supervenerunt. Tum ut optimum istum virum à morbo penitùs liberaret, & ad patres ablegaret, medicamentum, quod simul per superiora & inferiora operabatur (Antimonium fuisse arbitror) exhibuit. Ego advocatus, cum celeriter ad ipsum ivissem, in mortis ferè agone eum reperi. Vix enim spirare potuit; inquietudines aderant maximæ, lingua quin etiam faucesque adeò intumefactæ erant, ut vix spiritum ducere, aut jusculum aliquod nonnisi summo cum dolore, & agitationibus involuntariis & convulsivis totius corporis, deglutire posset.

Curationem porrò quod attinet, illam sic institui. Os faucesque continuò ut lacte recens emulcto ablueret, jussi, per intervalla quoque decocto hordei, rosarum, scabiosæ, melle rosato mixto, os colluebat: singulis quinetiam horis parùm olei amygdalarum dulcium ex cochleari assumebat. Ter item quaterve interdiu, ac totidem noctu, collum, pectus, cervicem oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium, inunximus, & lanam succidam calidè applicuimus. Enematibus item materiam, quæ propter doloris vehementiam affluebat, deorsùm revocavimus. Cùm ita per horas circiter triginta processissem, vomica in faucibus rupta est, ita ut materiam purulentam per os exspueret.

Hinc imminuto mox dolore, faciliùs spirare & juscula sorbere cœpit. Tum continuò superiori decocto hordei os abluens & nonnunquam aliquid mellis rosacei ex cochleari lambendo assumens, nec non optimâ victûs ratione & medicamentis vires refocillans, paulatim singulari Dei beneficio, pristinæ sanitati præter spem atque exspectationem omnium miraculosè restitutus fuerit; ita ut in præsens etiam septuagesimum annum ætatis intraverit, nihilominùs tamen rectissimè valeat, & officio suo cum laude & hujus Ecclesiæ emolumento fungatur *Guilielm. Fabric. Hildan.*

Vir quidam apud nostros mercaturam exercens annos præter propter 40. natus, & crassiori collo præditus, subitò in anginam talem incidebat qua musculi omnes & laryngis & pharyngis, iique tum externi, tum interni, ita tumebant, ut non tantùm respiratio atque deglutitio difficillimæ fierent, potusque ipse per nares inter bibendum regereretur, sed etiam totum collum extus prætumidum atque prædurum videretur. Plurima in ipso morbi initio celebrata sunt remedia; venæsectiones scil. tum in brachiis, tum in pede, tum in jugularibus. Purgantia atque emetica medicamenta exhibita, eclegmata, gargarismata, aliaque appropriata, clysteriis singulis diebus injectis adjuncta fuere. Extus item applicata cataplasmata è nido hyrundinum, nasturtio aquatico, oleo chamomillæ, meliloto &c. ceratum è spermate ceti, inunctiones variæ è balsamis tum naturalibus, tum artificialibus, ipsoque etiam oleo succini; quæ omnia ad tempus aliquod satis proficua visa sunt, nam & febris imminuta est, & ipsa die morbi quinta facilior deglutitio atque respiratio, interim tamen in nocte ejusdem diei subitò suffocatus obiit, unde satis apparet non multum fidendum induciis quas morbus tam atrox remediis quasi coactus concedere videtur. In aliis tamen non ita infausta fuit cura eadem methodo instituta.

ANGLICUS SUDOR

Vid.

SUDOR ANGLICUS.

Item *Febris Maligna.*

ANGOR.

Est potius symptoma morbi alicujus, quàm morbus ipse, & consistit in quadam quasi cordis constrictione, quæ sanè pessimum est signum si in principio febrium acutarum advenerit.

ANHELOSI.

Sunt Asthmatici de quibus vid. *Asthma* aliæque respirationis læsæ species.

ANI ULCUS.

Vid.

ULCUS ANI.

ANI FISTULA.

Vid.

FISTULA ANI.

ANI CONDILOMATA.

Vid.

CONDILOMATA ANI.

ANI INTERTRIGO.

Vid.

INTERTRIGO ANI.

ANI PROCIDENTIA.

Vid.

PROCIDENTIA ANI.

ANOREXIA.

ANorexia seu Inappetentia, cùm sit una è famis læsæ speciebus pro ejus natura meliùs intelligenda, quid sit fames priùs explicare non inutile fuerit.

Fames autem nihil aliud est quam cibi absentis appetitus, ut eo scilicet reparentur damna sanguini, & partibus solidis illata, ob eorum particulas, tum sensibiliter receptas, tum insensibiliter per cæca cutis spiracula in circumfusum aërem difflatas.

Circa illius causas & irritamenta, cùm varient opiniones præcipuas recensere non pigebit. Galenus eumque sequuti multi causam famis unicè constituerunt in quadam suctus sensatione ventriculo inanito familiari, quam sententiam illustratus Anton. Menjotius sic scribit. Partium omnium, primùmque externarum, quippe quæ ob aëris viciniam interioribus priùs inanescant, inconspicua vacuatio appetitum naturalem provocat, qui inclinatio quædam, ac ὁρμὴ φυσικὴ insita propensio, potiùs quàm peculiaris ac distincta potentia: Solicitato appetitu naturali fit attractio succi alibilis è minimis finitimisque venulis, quæ à majusculis venis vicinis & continuis aliud nutrimentum rapiunt, hæcque rursus ex aliis majoribus & sibi propinquis, donec per successionem quandam velut in choro translatione festinanter facta, tractionis impetus perducatur ad mesaraicas venas. Hæ in intestinis totæ desinunt ac obliterantur, nec proinde à ventriculo, ut communiter fertur, quasi radices stirpium è terra, sed ex intestinis pabulum, hirundinum more, quæritant; moxque intestina medio pyloro tanquam ore ventriculum lactant atque fellant. Verùm ut nervosè admodum adnotat Glissonius arteriæ hunc suctum non perpetrabunt, quandoquidem earum munus est tantùm sanguinem ad partes affundere, quæ actio repugnat suctui. Non venæ, quarum officium est excipere & reducere sanguinem ab arteriis effusum, non ventriculum sugere. Insuper neque nervis hic suctus convenit: Hi enim motum ventriculo, sensumque quo suctum, si fortè adesset, percipiat, impertiuntur; at suctum ipsum moliri nequeunt. Restant ergo tantùm lacteæ, quæ huic muneri prætendant, sed hæ rataæ admodum, (*aut potius nulla*) in ventriculo reperiuntur. Quibus addimus quod etiamsi hæ in ventriculi fundum, implantarentur, non tamen propterea sugerent, sed tantum exciperent illud quod ventriculi actio satis attenuasset elaborasset, ut per crustam ipsius villosam, aliaque secernicula ad ostia vasorum lacteorum posita transmitti posset. Neoterici plures spiritibus acidis superius ventriculi orificium vellicantibus, hoc munus demandantes, eos in liene exquirunt, indeque per vas breve, sive sub forma vaporis, ut placet Helmontio, sive sub forma liquoris, quod pluribus magis arridet, in ventriculum deducunt. Verùm etiamsi humorem acidum è sanguinis miscella in liene non tantùm separari, sed etiam exaltari, concedamus, non tamen propterea concludendum credimus succum illum, in ventriculum quomodocunque per vas breve deduci posse; nam & ligaturæ, & valvularum situs, jamque constans apud omnes sanguinis circuitus opinio, satis superque evincunt nihil sanguinis aut succi acidi per vas memoratum è liene in ventriculum, sed potiùs è ventriculi parietibus in venam splenicam, quò per partem ad hepar devehatur, procedere. Nobilissimus Des Cartes, ejusque autoritati assurgentes quidam viri Docti, acido famis causam cum prioribus quidem tribuunt, sed illi in stomachum devehendo arteriæ cæliacæ ramos nuncupant; quod ulteriùs explicat Ludovicus de la Forge dum addit, non quidem omnes sanguinis particulas per has arterias appellentes, isti officio destinari, sed quasdam tantùm maximè fermentaceas quæ à poris aptis exceptæ in visceris cavum intromittantur. Verùm quandoquidem gratis hæc omnia à Viris Clarissimis afferuntur, illis aut studiosiùs expendendis, aut diligentiùs impugnandis non immoramur. Alii tandem quibus calculum nostrum facile adjicimus volunt chyli sedimentum seu portionem ponderosiorem atque crassioribus particulis salinis prægnantem in fundi ventriculi rugis profundioribus restitare, ibique salivæ indesinenter deglutitæ & succo per vasa excretoria minima, è glandulis itidem ventriculi minoribus producta, advecto, intimè misceri. Addunt præterea particulas hasce varias invicem mistas proprio ventriculi calore, alioque à partibus adjacentibus mutuato, ita exagitari, ut earum portio aquea exhalet, sulphurea volatilisetur, atque salina, quæ abundantior, exaltetur, sicque spiculis suis sulphure volatilisato temperatis, tunicæ ventriculi nerveæ vellicationem specificam inferat, quæ cerebro communicata ex legibus unionis animæ cum corpore famis sensum excitet.

His ita positis quis non videt famem aboleri sensim debere & propterea Anorexiam induci, si; vel à vita, nimis otiosa vel alimentum per multum tempus ingestum sit nimis aqueum, imò si sit nimis crassum & terrestre, quorum illud diluendis salibus in ventriculum allatis, hic verò iisdem obtundendis & stupefaciendis, potiùs quam exaltandis aptum est; vel si saliva iners atque viscidior è faucium & palati glandulis ad inferiora continuò depluens lentore suo fermenti vires quasi pessundet; vel si orificia vasorum è glandulis tunicæ ventriculi productorum muco obstruantur, sicque humori illac in cavum visceris derivando obicem ponant; Vel si laxiores eædem glandulæ, laxiorque aut aquosior ipsa sanguinis miscella serum copiosius sufficiat; Vel si rugæ ven-

ventriculi ita obliterentur ut particulis salinis ponderosioribus descriptis ad tempus sui exaltationi necessarium continendis non sufficiant, easq; priùs quàm par est elabi sinant; Vel si calor partis viscerumque adjacentium, (cui non parum intervit fibrarum ventriculi vigor, quô circum alimentum validius coarctatus, illud proximiùs complectitur) aut languescat, in gradu qui veræ digestioni aptus est non reperiatur aliisque rationibus, nihil aut parum deperdatur succorum in corpore circulantiũ, Vel ventriculus stupore aut narcosi afficiatur, propterea q; vellicationes minùs percipiat; Vel tumor aliquis aut aliud corpus extraneũ aut fœdus humor ab ulcere tum in ipsa parte, tum in vicinis constituto, exudans, aut vapor ab iisdem corruptis continuò exhalans viscus in munere suo perficiendo interturbat. Sic ab orificio ventriculi aut alia ejusdem substantiæ parte ulcerata; à compresso per magnum & ponderosum hepar stomacho; à copiosa adipe, aut potius sebo circa fundum integræ superficiei ventriculi adnato; à corruptione, imò tandem syderatione, tum ventriculi fundi, tum ipsius pylori; à lapillis pluribus in ventriculi fundo pronatis; ab admodum dilatato ventriculo, fibrisque ejusdem prorsus relaxatis; ab induratis iisdem fibris motibusque ad cibi exceptionem, compressionem, & exclusionem necessariis prorsus ineptis, à vomica, aut tumoribus cavæ hepatis parti connatis; à pancreate magno & scirrhoso; à putrefacto omento; à dextro rene consumpto & sinistro pure infecto; ab utero corrupto, & quasi gangræna affecto; à pyloro indurato, aliisque similibus causis anorexias factas probavit cadaverum anatomica inspectio.

Quandoquidem quod plantæ in sui vegetationem & conservationem per radices exugunt, animalia per comestionem faciunt; satis apparet famis absentiam magno fore detrimento, præcipuè si illi omnis propè vorandi impotentia adjuncta sit, sic enim corpus necessariò non tantùm marcescit, sed etiam sanguis fit evanidus & instar vappæ, languent omnes succi, & ipsa viscera, sicque anorexia & cachexias, & icteri & hydropes, aliorumque multorum morborum, est parata. Itaque inappetentia immoderato appetitu deterior censeri debet, quia ab hoc non tot damna enascuntur faciliusque etiam est naturam incitatam inhibere, quàm detrectantem incitare. Interim tamen cibi fastidium simplex atque ἀπύρετον passio est plerumque chronica, nec absolutè formidanda. Imò nec in principio, augmento, & vigore morbi acuti terrifica est anorexia, quòd eo tempore opus sit tenuiore victu, ac extincta febre symptoma dispareat. At ruente morbo censetur magis infausta, ut habet Menjotius, & ut causa, & ut signum; Ut causa quòd obsit refectioni ac recreationi membrorum defectorum: Ut signum quòd recidivam interminetur propter reliquias morbosi apparatus. Secus dejecta sub finem morborum appetentia, ob facultates corporis laceras, attritas iisque muniis segniter fungentes, ægritudinis recursum per se non præsagit, nec ut sic affecto succurras continuò ad purgationem deveniendum, quin potius in corroborantium usu expectandum donec vires ventriculo æque ac aliis partibus reddantur. Hisce omnibus addamus ex Hippocrate. In morbo diuturno cibi fastidium & sinceræ dejectiones malum. Aphor. 6. sect. 7. In longis intestinorum difficultatibus, cibi fastidium malum, & cum febre peius Aphor. 3. sect. 6. Ut plurimum omnes malè habentes, circa initia quidem cibum bene sumentes, neque quicquam proficientes, tandem cibum rursus avertantur: qui verò circa initia cibum vehementer fastidiunt, postea autem bene appetunt, ii meliùs evadunt. Aph. 32. sect. 2. De prognosi ejus anorexiæ quæ ab aliqua è causis, quæ in variis cadaverum resectionibus allatis, apparuere, nihil adjicimus quia Lector satis superque videt quid de illis judicare debeat.

Curatio varianda est pro ratione causarum quæ anorexiam faciunt; in genere tamen probantur vomitoria blandiora ex antimonio infuso parata, item purgantia mitiora & præprimis aloëtica indeque parata varia elixyria, (tum acidi, tum volatilia) ut & pilulæ. Conducunt etiam plantæ amaræ & aromata è quibus decocta, tincturæ, essentiæ, & vina medicata, confici possunt. Quidam maximè commendant spiritum veneris, omnesque etiam acidos spiritus, qui revera non tantum pituitæ ventriculi parietibus agglutinatæ, incidendæ valent, sed etiam fermento suscitando, ventriculoque excitando; illi tamen omnes commodiùs & tutiùs adhibebuntur si priùs edulcorati fuerint.

Ex tartaro etiam plura conveniunt, maximè verò tum tinctura, tum liquor è terra ejusdem foliata paratus. Inter fructus non immeritò laudantur cydonia, quorum etiam succus amaris admistus, magnæ est efficaciæ. De applicationibus externis, emplastris scil. variis, balsamis, licibus, foribus, hic verba non facimus, illa enim omnia satis cuique sunt nota, aut ex iis quæ mox afferenda è variis autoribus restant, innotescent.

Curationes.

In fastidio & inappetentia valet spiritus vitrioli philosophicus, cujus affectus satis laudari nequeunt. Exhibendus is est in vehiculis convenientibus (in aqua menthæ acetosæ in vino, brodlo) Fastidium id fit ex succo vitriolato vitiato in ventriculi fundo, & consopito, qui iterùm excitatur acidis. Elixir vitrioli Mynsichti, si morbus ex defectu fermenti, insigne est stomachicum.

Externè cibi fastidium aufert Epithema ex vino malvatico & aceto ana, cum crusta panis pulvere caryophyllorum (si imbecillitas ventriculi quoque accesserit) aspersa & aliquoties calidè suprà ventriculum posita. Idem efficit unguentum ex butyro capræ & oleo caryophyllorum stillatitio mistum inungendo ventriculum (præsertim in chronicis.) *Joann. Hartmann. Prax. chimiatric.*

In Anorexia *à debilitate caloris* non datur melius remedium, quàm ambra in substantia, vel saccharo mixta, ut & pulvis analepticus Minderi. ℞. Pulv. stomach. ʒij. pulv. epatrubr. ʒj. misce. Dos. 2. cuspid. cultr. ℞. Essent. menth. ʒij. sp. vitriol. rectif. ʒj. misce. ℞. Elix. stomach. ʒß. ℞. Spec. ad morsul. imper. ℥j. pulv. stomach. Q. ʒiij. cum s. q. sacchar. in aq. menthæ solut. F. morsuli. ℞. Sp. mastich. ʒij. sp. vitriol. philosophici ʒj. misce.

Myva cydoniorum ad abjectam appetentiam mirabilis est, teste *Zacuto l. 2. histor. 66.*

Aqua cinnamomi cydoniata in frigidis stomachi affectibus valet. Optimè myva cydoniorum

poteſt cum hâc vel aq. menthæ miſceri eſſent. menth, ſal peregrinant. Ambra datur à gr. 4. ad ʒ. cum ſaccharo, vel quod melius cum fæcula aronis. Ex pulv. analeptico Myndereri, fæcula aronis & ebor. ſine igne poſſunt fieri rotulæ, *Joann. Michaelis in Praxi clinica generali.*

Cum materia catarrhi in ventriculum delabitur, ſæpè inappetentiam, Nauſeam & Vomitum conciliat; contra hæc mala ita agendum.

♃. Aloës lotæ & ſucco roſar. aliquoties imbutæ, ʒ j. rhei elect. cum aq. cinnamom. aſperſi ℈ iv. extract. rhab. ℈ß. agar. trochiſc. ℈ ij. pulv. maſtich. ℈ß. diſſolvatur agaricus oxymelite, & omnia cum ſyr. conſervationis zinziber. miſc. ac fiat maſſa pilul. aloëm in exigua quantitate ſumpſi, quod hæmorrhoides fluerent. cœterùm ℈ iv. alvum quater placidiſſimè ſubduxerunt. Ventriculum de quo querebatur, tali unguento inunxi, & ſubitò meliùs habuit.

♃. Ol. noſtr. ſtomach. ℥ j. nuc. moſch. ʒ j. maſtich. pulv. ℈ j. miſce deſcriptio olei noſtri ſtomachalis hæc eſt.

♃. Ol. abſynth. ℔ß. ſummit. abſynth. m. j. caryoph. ſantal. citrin. ana ʒ ij. roſ. rubr. ʒj. macis ʒß. maſtich. ʒ ijß. vini odorat. ℔ß. coq. ad vini conſumptionem, & æſtatis tempore collocetur in ſole, hyeme in loco calido. Cum vomitiones moleſtæ eſſent, ordinavi ſequens ſcutum ſtomachale.

♃. Ladani puri ʒ iij. maſtich. ʒ ij. lign. aloës ſantal. citrin. galang. caryophyll. nuc. moſchat. ana gr. vij. ol. ſtomach. & ceræ q. ſ. aſpergatur ſpeciebus arom. roſat. & obducatur ſyndone. *Jo. Crato conſil. 13. lib. 5.*

Curatio hujus affectûs, ſi ab aliarum partium vitio dependeat, ab earum curatione deſumenda eſt. Si verò ex proprio ventriculi vitio contingat, ad calidam vel frigidam illius intemperiem cum materia conjunctam reducenda eſt.

Calida intemperies curandi eſt primùm humoris bilioſi expurgatione blandè & frequenter repetitâ eaque componi poterit ex rhab. myrobal. tamarind. ſyr. roſac. vel de cichor. compoſ. cum rheo: aut ſi æger ſit ad vomitum proclivis, blandis vomitoriis provocandus erit. Idem humor alterabitur julepis aut juſculis refrigerantibus, in quibus non omittendus eſt ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris, quandoquidem acida omnia, præterquam quod bilem valdè contemperant, appetitum etiam maximè excitare valent. Unde fit ut acetaria æſtatis tempore ad excitandum appetentiam frequenter uſurpentur, vel ſimul & ſemel humor ille bilioſus alterari & expurgari poterit apozemate convenienti, cui ratione ventriculi addi poterunt abſynth. pont. m ß. myrobal. citrin. ℥ß. poſt purgationem ad ventriculum roborandum convenient myva cydoneorum aut cydoniatum ipſum vel ſyr. cydon. cum ſyrup. de abſynth. mixtus, tabellæ diamargar. frigid. vel triaſantal. vel etiam diarrhod. abbat. ſi obſtructionis ſuſpicio fuerit, vel opiata ſequens.

♃. Conditur. lactuc. & cucurbit. ana ℥j. conſerv. acetoſ. roſ. fl. cichor. & buglóſſ. ana ℥ß. ſantal. rubr. corall. præp. margar. præp. ana ʒß. trochiſc. de ſpodio & ſem. acetoſ. ana ℈ j. cum ſyr. de limonib. f. opiata, cujus capiat ad magnitudinem caſtaneæ manè & ſerò, ſuperbibendo parum vini dilutiſſimi.

Exteriùs verò ſequenti unguento regio ventriculi inungatur.

♃. Ol. roſar. myrtini, & cydonior. aceto roſac. lotor. ana ℥ ij. ſantal. omnium, corall. rubr. coriandr. præp. roſ. rubr. ana ʒj. gran. Kermes & ſpodii ana ʒß. ceræ alb. q. ſ. F. linimentum, quo ſubtepido inungatur dicta regio bis aut ter in die, addendo acet. roſac. parum unctionis tempore, vel eidem parti admoveatur placenta roſac. aceto irrorata, aut in eodem parum macerata, quæ removenda erit priuſquam incaleſcat. Denique in perſeverante affectu plurimùm proderit balneum, vel ſemicupium refrigerans & humectans bis aut ter repetitum.

Si à frigida intemperie producatur inappetentia, Curatio inſtituenda eſt per evacuationem humoris morbifici, & ventriculi corroborationem. Vacuatio poteſt fieri per vomitum, ſi æger ſit nauſeabundus, & facilè vomat, aliàs per ſeceſſum, idque pilulis præcipuè, quæ hîc magis conveniunt, quia diutiùs in ventriculo morantur, ut docet *Galenus lib. 4. de ſanitate tuenda cap. 7.* qui etiam valdè commendat pilulas de hiera, quæ exhiberi poſſunt ad ℈ ij. vel ʒ j. manè duabus horis ante paſtum; vel in hunc modum componi poſſunt.

♃. Aloës elect. ſucco abſynth. diligenter nutritæ ℥ j. agaric. troch. ʒ ij. rhei pulv. & vino albo irrorati ʒ j. nuc. moſch. ſpic. nard. ana ʒß. ſal. tartar. maſtich. & cinnam. ana ℈ j. cum ſyrup. de abſynth. F. maſſa pilul. ex cujus ʒj. formentur pilulæ vj. deauratæ: capiat ſummo manè, ſi velis integrè purgare: vel ſumat ʒß. horis duabus ante prandium, bis aut ter in ſeptimana. Poſſunt acui diagrydio ſi validiùs purgare volumus. Validiores pilulæ non conveniunt, quia humores ab aliis partibus ad ventriculum alliciunt.

Si pilulæ devorari non poſſunt, fiat infuſio fol. ſenæ, myrobal. rhei & agar. in vino abſynthite vel decocto ſtomachico.

Terebinthinæ uſus opportuniſſimus eſt, quia viſcera omnia commodè repurgat, maximè ſi ex ea & rhab. pilulas confecerit.

Poſt purgationem ſufficientem, ad roborantia veniendum eſt, tam interna quàm externa, quæ in ſequentem modum præſcribi poterunt.

♃. Syr. de abſynth. ℥ j. capiat manè jejuno ſtomacho per plures dies, vel illius loco vinum abſynthites ſubſtitui poterit.

♃. Conſerv. anthos, menth, cort. citr. condit. nuc. moſch. condit. ana ℥ß. myrobal. condit. numero j. confect. alkerm. ʒ iij. tunicar. interior. ventric. gallinæ præp. ʒ ij. pulv. aromat. roſat. & cinnam. ana ʒj. cum ſyrup. de mentha F. opiata; vel cum ſaccharo roſac. F. conditum. Utatur manè, ſuperbibendo parùm vini generoſi. Dictis remediis utiliter additur ſal abſynth. vel oleum menthæ arte chymicâ extractum: vel ſal abſynth. & cortic. arantior. vel alterutrum ad ʒß. in vino vel juſculo diſſolutum exhibeatur. Sequens etiam ſyrupus efficaciſſimus eſt.

♃. Syrup. cydonior. & condit. cort. citri ana ℥ ij. aq. cinnam. ℥ j. ol. ſulphur. gutt. xii. M. capiat cochl. j. per intervalla. Aqua clareta frequentiſſimo in uſu apud multos habetur, cujus compoſitio talis eſt.

♃. Cinnam. craſſiuſculè triti ℥ j. maceretur in ℔ j. aquæ vitæ per ſe in vaſe vitreo: in alio vaſe vitreo per ſe & ſeorſim macerentur ſacchar. albiſſ. ℥ vi. aq. roſ. ℔ ß. ſtent hæc omnia ſeorſim

in

in infusione per duos aut tres dies, agitando quolibet die pluries hæc duo vasa: tandem simul misceantur materiæ in ipsis contentæ & per manicam transmittantur, colatura servetur in vase vitreo benè obturato: sumat cochl. 1. aut 2. jejuno stomacho.

Apud *Parisienses* maximo in pretio habetur syr. de absynthio Penæ, in maxima frigiditate ventriculi aq. cinnamom. sola præstantissima est. Non minoris efficaciæ est syr. cinnamom. cum aq. vitæ confectus prout describitur à *Quercetano* in Pharmacopœa.

Ad idem præstat spiritus mastiches, ita compositus.

♃. Mastich. ℥iij. galang. ℥j. spirit. vini ℔ ß. digerantur ac destillentur.

Utile est etiam elixyr proprietatis à *Crollio* descriptum, cujus gutt. XII. aut XV. cum vino exhibitæ mirè stomachum roborant.

In affectu inveterato plurimùm conducit decoctum ligni guajaci aut sassafras, in plures dies sumptum, cum levi sudore, aut sine eo in debilioribus. Aquæ etiam thermales sulphureæ & nitrosæ, quales nostræ Bellilucanæ, magnâ copiâ per plures dies sumptæ, crassos & mucilaginosos humores, omnemque ventriculi & intestinorum illuviem potenter abstergunt & evacuant.

Balsamum *Peruvianum* ad roborandum ventriculum præstans & efficax est remedium, si ejus guttæ aliquot cum vino Hippocratico, vel alio horâ una ante cibum exhibeantur.

Exteriùs verò admoveantur fomenta, linimenta, & emplastra in sequentem modum.

♃. Rad. cyper. galang. ireos, flor. cort. citri sicc. ana ℥ij. fol. menth. hyssop. salv. rorismar. & majoran. ana m. j. sem. anis. bacc. lauri, nuc. mosch. caryophyll. cinnam. ana ʒiij. fl. sthœcad. schænanth. rosmar. ana p. j. incidenda incidantur, & contundenda contundantur, ut artis est, includantur duobus sacculis interpunctis, qui macerentur in vino generoso, & applicentur regioni stomachi calidè vicissim.

♃. Ol. absynth. menth. nardini, ana ℥ß. ol. nuc. mosch. ʒ ij. lign. aloës, macis, cinnam. ana ℈ j. ceræ parum F. linimentum: quod præstantius evadet, si addideris olei caryophyll. gut. vj. mosc. & ambr. griseæ an. gr. VII.

Fiat etiam linimentum ex ol. nuc. mosc. & balsamo *Peruviano*; vel ex oleo absynth. mastic. & balsamo *Peruviano*.

♃. Mass. emplast. de mastic. aromat. rosat. an. ʒj. ol. nuc. mosch. q. s. F. empl. scutiforme, applicandum regioni stomachi.

Crato sequens emplastr. miris laudibus effert.

♃. Ladani ℥ij. ceræ ℥ IV. ol. nuc. mosch. ʒ iij. F. emplastri massa ad usum.

Admonet *Galenus* hujusmodi emplastra diutiùs non esse in parte detinenda, quia tandem calorem dissolvunt. *Lazarus Riverius lib. 9. prax. Med. cap. 1.*

Consultationes.

Affectus, de quibus potissimùm conqueritur Per illustris Matrona, annor. 52. sunt insignis inappetentia, difficilisque liquidorum deglutitio; quibus accedunt rugitus, ructus, tensiones hypochondrii dextri, non sine aliquo dolore, vomitusque copiosissimæ pituitæ acidæ, cùm sponte, tum arte excitatus; de quibus querelæ primò fuerunt autumno præterito, licet antehac 20. & pluribus ab hinc annis conquesta fuerit de continua inappetentia, oris amaritudine, tarda coctione, diarrhœa, jecoris obstructione, & magna flatuum copia.

Ex quibus unicuique compertissimum fit, ventriculum esse partem essentialiter, & graviter affectam, atque affectionem ipsius esse intemperiem frigidam & humidam, eamque non immaterialem, sed junctam cum magno pituitæ acidæ, crassæ & viscidæ proventu, cùm in ventriculo genitæ propter intemperiem prædictam, & errores præteritos in assumptorum qualitate, tum & aliundè susceptæ per consensum cum aliis partibus malè affectis materias vitiosas ad ipsum transmittentibus. Partes autem mandantes sunt duæ potissimùm, caput nempè humidius, & fortè æquo calidius, & jecur præcalidum cùm à naturæ primordiis, tum à prohibita ventilatione caloris ipsius, ob graves & obvias ipsius obstructiones, unde fons omnium malorum. Inappetentiæ verò causa est prohibita corrugatio oris ventriculi, quod fit à pituita cùm à capite jugiter delabente, tum in ipso genita; quam ob causam neque sitit, & liquida deglutire non potest, ob flatuum copiam; à quibus fit etiam rugitus, & ructus ferè continui: sicuti ipsius pituitæ vomitus, & obstructiones ortum debent, ad tactum dolorificæ in hypochondrio dextro.

Est utique præsens affectus curatu difficilis ob morbi durationem, magnitudinem, & complicatos contrarios affectus præter naturam; cùm præsertim in hac ætate declivi tantùm non langueat calidum innatum in ventriculo, fonte & origine ferè omnium malorum. Non propterea de salute Nobilis Matronæ deponenda spes: quinimò alacriter congruis præsidiis tentanda erit.

Quare præmissâ primarum viarum expurgatione, detergenda, & evacuanda est materia in ventriculo contenta, discutiendi flatus, obstructiones attenuantibus, incidentibus, detergentibus, & evacuantibus sunt reserandæ, atque contemperandæ sunt intemperies viscerum malè affectorum; ventriculi quidem calefacientibus & exsiccantibus, jecoris, refrigerantibus, & capitis, exsiccantibus; virium interim ratione habita congrua victûs ratione. Quæ præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Sanguis propterea educendus venit ex salvatella, ac deinde ex venis sedalibus, ad divertendam fluxionem, & jecoris fervorem contemperandum. Fonticulus sinistro brachio inurendus, pro derivatione materiæ à capite ad ventriculum fluentis.

Inter Pharmaceutica, præscribatur lenientis loco *hierapicra* Gal. *cum elect. lenitivo.* Præparentur humores syr. sine diluto putà *oxymel. simplici melle ros. simpl. syr. de betonic. & de corticibus citri, cum emuls. sem. citri*; quo tempore vomitus à cibo ciendus. A quibus exhibeatur triduum aqua Tettutiana, ad ℔. tres, cum quatuor unciis mell. ros. sol. in primo cyatho. Deinde præscribantur syr. aperientes. In quam rem usui erunt *oxymel compositum syr. de cichor. cum rhab. & byzantinus cum aceto*, addita decoct. *agrimoniæ, ceterach. centaur. beton. scordii, & cichorii*, alternisque diebus exhibeantur unc. iij. decoct. epithymi

Mes

Mes. Loco prædicti decocti, atque repetitâ corporis purgatione cum infusione *agarici*, *& rhabar.* in decoct. *myrobalanorum chebulorum*, *& emblicorum*, addito *syr. rof. sol. & de polypod. composito*. A quorum usu assumat singulis matutinis horis *drach. j. rhab.* in tenues taleolas incisi, cum *passulis*, 15. dies, circiter. Hujus enim ope roborabitur ventriculus, flatus discutientur, obstructiones aperientur, additis externis inunctionibus ventriculo, pulveribus exsiccantibus capiti, & epithematibus *ex succo cichorii*, *& agrimonia* jecori; superinducto cerato oxycroceo.

Sic enim prædictis affectibus prospectum ibimus, rectâ victûs ratione institutâ, & alvo lubrica servata *pil. de tribus cum rhab. ad drach. j.* tertio quoque die sub vesperam hora ante cœnam assumptis, non neglecto modico corporis exercitio. *Benedict. Silvatic. consil. & respons. Medic. centur. 3.*

Illustriss. quadragenarius, temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, mediocris habitûs exercitiis & venationibus antehac assuetus, modo tamen multis abhinc mensibus, ob crus ex casu affectum, domi continuò morari coactus, cibisque & potibus immoderatè indulgens, tribus ab hinc mensibus de inappetentia conqueri cœpit, quæ adeò tandem invaluit, ut cibos non solùm aversetur, sed omninò ab iis abstinere cogatur. Sitis tamen illum maximè infestat, cum oris amaritudine, licet sputa, imò & vomitus etiam quandoque viscida materiæ & amaræ observentur, quamobrem infelix Pat. de agendis ad appetentiam recuperandam nos consulit.

Quoniam itaque ad vitam continuâ instauratione indigemus prout continuò resolvimur, & hæc forsan à nobis neglecta fuisset, nisi aliquod ad illam irritamentum natura molita esset, ideò nobis appetentiam indidit, primò naturalem, ultimò animalem, quæ quoniam in ventriculo magis viget, quàm in aliis partibus, ideò propriam esse ventriculi actionem, & potissimùm ejus orificii statuimus, prout in fundo ejusdem concoctio perficitur, unde jure Gal. ventriculum *ciborum divinum promptuarium* appellabat. Quare si appetentia propria est ventriculi actio, inappetentia ejusdem actio imminutè læsa omninò censenda, quam Anorexiam Gal. nominavit. Hoc autem affectu detentum esse Nob. hunc virum manifestum est, adeo hucusque adaucto, ut inappetentia ad ciborum abstinentiam devenerit, & Anorexia ad Apositiam transitum fecerit.

Affectûs autem hujus immediata causa est defectus suctionis in ore ventriculi, quæ casu nostro non solùm deficit, quia non fiat, sed quia etiam, si aliquando fit, non percipitur. Primò autem non fieri credendum, quoniam suctionem præcedere debet venarum exinanitarum naturalis appetentia, atque hanc totius exinanitio, quàm non adeò facilè fieri posse in Nob. Pat. ob intermissa exercitia arbitramur, à quibus caloris ope toto corpore rarefacto, non solùm per diaphoresim universalem, excrementorum, verùm & proborum succorum copia resolvebatur, quod hæc quiete & otio fieri minimè potest. Sed præterea suctio hæc licet aliquando fiat rarò tamen aut nunquam percipitur, quoniam suctionem sequitur illius sensus, atque hunc appetitus animalis, ex Arist. enim appetitus procreatur ex fuga vacui, quod sequitur inedia, dum venæ majores à proximis non solùm, verùm & à distentioribus, in subsidium cordis sanguinem attrahunt, unde & ventriculus ipse exinanitur sicque excitatur suctio, quæ à facultate Animali influente persentitur, à qua offertur primo sensario inde Phantasiæ, ut tandem ab intellectu Agente illustrata, à Passibili intelligatur, & facultatibus ministris imperetur, ut indigentiæ prospiciatur. Cùm verò os ventriculi cruditatibus, ex libera vivendi ratione congestio, infarctum fuerit, suctio non percipitur, quia adstrictio & corrugatio perfici nequit, præterquam quod mucositatibus, biliosi quoque humores adjunguntur, quæ utpote calidi corrugationem eandem prohibent, quæ vel à frigido succo fit, vel à frigiditate non sine ope inanitionis inductæ. Hinc Cleonactides febricitans, quia non abhorruit à cibo, biliosum succum & calidum non habuisse in ventriculo creditum fuit, à quo fastidiosi, id est, appetitu carentes fiunt. Quamobrem in casu nostro deficit appetitus, tum quia non præcedit totius exinanitio, quæ omnium prima ad appetitum excitandum concurrere debet, unde suctio fieri non potest, tum quia, si interdum fit, ejus abest sensus in ore ventriculi, adeò ut ob primam causam naturalis appetitus orietur, ob secundam Animalis, qui propriè fames dicitur.

Affectus equidem semper magni faciendus, intensa enim vel resoluta ciborum appetentia futuram prænuntiat ægritudinem adeò ut sani à cibo diu abstinentes in convulsiones incurrant. Apositia quippe invadens hominem tandem interficit, cujus vita sine cibo in septimum diem protrahi posse credidit Hipp. dum dixit, quod, *vita hominis septem dierum est* & usque ad undecimam Plinius. Quæ tamen utraque assertio perpetuæ veritatis non est, sed variat pro varietate ætatis & temperamenti, siquidem, *qui crescunt plurimùm habent calidi innati*, *& ideò plurimo indigent alimento : senes verò facillimè jejunium ferunt* ex Hipp. Ita humidum temperamentum diutiùs famem tolerat, ut videre est in Animalibus degentibus in latebris, siccum verò inediam diu non fert, ut in picrocholis quotidiè experientia demonstrat.

Quamprimùm itaque Patienti Nob. appetentia restituenda antequam vires deficiant, ac proinde diffisilior reddatur curatio. Quod præstabitur congestos humores, tum in venis, tum in spatiis evacuando, ut non solùm totius exinanitio, indeque sectio obtineatur, verùm etiam sectionis sensus. Secundò ventriculum roborando. Et tandem aliqua à proprietate juvantia in usum ducendo.

Atque à fonte Chirurgico repetita depromenda sanguinis missio, licet Avic. moneat, quod nauseantem phlebotomare non oporteat, etenim sectio venæ, nostro casu, inappetentiæ causam auferre potest, unde est concedenda, licet parca. Conveniunt etiam totius corporis frictiones. Balneum quoque Aquæ calidæ cutem rarefacere, humores insensibiliter resolvere & discutere, ac exinanitionem adjuvare poterit. Et licet Hipp. cibos fastidientes non esse lavandos pronuntiaverit, intelligendus tamen de iis, in quibus adest succorum defectus, ob metum syncopes.

A Pharmaceutico fonte primò evacuantia desumenda & vomitoria, ex Hipp. dicente, quod *si quis febrem non habens abstineat à cibo, & cordis morsum, & vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit purgatione indigere per superiora significat.*

Quod

Quod aliàs repetit dicens. *Si sine febre os amarum, & cibum aversatur, pharmacum dandum : hæc enim à bile patitur.* Cui subscripsit quoque Paulus. Præscribatur itaque vomitorium, sed blandum, ne nova attrahatur à jecore materia ad ventriculum ipsum.

℞. Juris carnium rad. raph. alterati ℥x. julap. acet. ℥ iij. m. pro vomitorio. Inde clyster. quoque infundatur, qui possit tum evacuare, tum à ventriculo revellere. ℞. Decoct. mal. viol. mercur. hord. ℔ j. syr. rof. solut. ol. amyg. ana ℥iij. salis parùm, vitellum ovi. m. pro clyst. Tertio loco præbeatur leniens, ita parandum. ℞. Elect. lenit. flor. cass. ana ʒ iij. crem. tart. ʒ iij. m. f. b. Sequentibus verò quinque diebus præparans hujusmodi. ℞. Julap. acet. ℥ iij. Pollin. crem. tart. ʒ iij. m. pro syr. & sic pro aliis. Postmodùm evacuans hoc pacto ℞. Elect. lenit. ʒvj. cremor. tart. ʒß. spec. hieræ simpl. ʒß. m. f. b. à quibus hora post ebibat aquæ hordeaceæ libram. At quoniam, licet biliosus humor adsit, ob viscidi tamen, pituitosi & crudi per mistionem in ipso ventriculo hæreat, ideò ad perfectam ejusdem detersionem & ventriculi ablutionem, aqua tettutiana cum vehiculo mellis, & syr. rof. sol. opportunissima fuerit, semel exhibita, quinimo etiam repetita, si viscidæ atque tenaces observatæ fuerint excretiones. Inde repetantur præparantia, serum nempè capr. depur. ad ℔ j. vel aqua hordei, præmissis ℥ iij. julap. acet. Septem autem exactis diebus ita purgentur humores. ℞. Elect. lenit. ʒvj. crem. tart. ʒ ij. Pil. de tribus ʒ j. m. f. b. quibus hora transacta superbibat seri depur. aut aq. hordeac. ℔ß. & tribus post horis prandeat.

His peractis ventriculus quodammodo roborandus hac ratione ℞. Conserv. rof. ℥vj. spec. Diarrhod. Abb. ʒ j. tinct. corall. chymicæ gut. x. m. reform. elect. roborat quoque conserv. cydon. tinctur. rof. cum sp. vitriol. extracta. Sicut extrinsecùs emplastrum de crusta panis Montaguanæ vel de pulpa cydon. sub cineribus coctorum additis pulveribus rof. sumach. & masticheş, cum aceto reform.

A proprietate juvant acida omnia, unde multi in hanc opinionem devenerunt, quod inappetentia fiat ex succo vitriolato vitiato in ventriculi fundo, & veluti sopito, qui iterùm acidis suscitetur, ideò spiritus vitrioli Philosop. nunquàm satis laudari potest, in exigua aq. menthæ, quant. vel vino exhibitus. Extrinsecùs verò mirabilis habetur inunctio ex butyro capræ, cum aliquot guttulis olei Caryophyllorum reformata.

His accedat congrua victûs ratio, circa quam observandum, quod sicut, *somnus stabilis, rectorum dormitatio.* Unde Gal. ait quod *quos volumus profundè dormire, tantis pervigilare faciamus.* Ita casu nostro, quem volumus esurire non oportet adeò ad cibum capiendum solicitare. Secundò notandum quod cibus, licet parùm deterior, suavior est concedendus, quæ enim oblectant, addit Gal. avidiùs expetuntur. Tertiò consuetudinem, tempus & ordinem observare oportet. Vitentur autem pinguia, oleosa, cerebrum, medulla Animalium, nauseabundi & ingrati odores, ventriculus namque gratis & bonis odoribus gaudet, & ut ait Avic. *Amat aromatizationem.* Acida & acerba appetentiam excitant. Sapa ventrem firmat & appetentiam irritat, sic olivæ muria & aceto conditæ. Aqua quandoque potûs loco præferenda, *Edax* ab Hipp. dicta, unde Piscatores & nautæ avidè cibum appetunt. Miva cydoniorum amissam appetentiam restituit, ut notat Gal. corpus exerceatur. Vigiliæ potiùs quàm somno indulgendum, alacriter vivendum. *Raymund. Jo. Fortis consult. Tom. 1. Cent. 2.*

Pergratæ mihi fuerunt litteræ tuæ humanissimæ, dextro mihi *Mercurio* traditæ, hoc ipso gratiores, quod de nato Tibi ex conjuge tua lectissima, propitia *Junone Lucinia*, filiolo, læta mihi annunciarunt evangelia. Eum Tibi cum conjuge lectissima salvum & perpetuum esse velit Deus opt. max. qui Te utrisque benignè beavit. Malè saltem me habet conjugis tuæ, meliori fortuna dignæ, Asitia & omnimodum ciborum fastidium, quo non tantùm toto imprægnationis tempore, sed & nunc, dum nutricis munere fungitur, imo pectore ingemiscit, accedentibus insuper hystericis symptomatibus admodum molestis. Non Te latet, antequam Virum experta esset, & post contractum quoque matrimonium, quam mira & absurda malacia, à pravis & certo modo corruptis humoribus, in ventriculo ob læsam ejus concoctionem collectis, orta, miserè fuerit emacerata. Recruduit illa, dum utero gerebat, nec dum evicta, cujus genuina quædam soboles est inappetentia. Ordinarium est hoc malum, virginibus chlorosi laborantibus, & gravidis quoque ob menstruorum suppressionem, quæ in corpore moram trahentia vitiosam induunt qualitatem, & ad partes superiores regurgitantia non tantùm ventriculum & ejus maximè orificium superius, appetentiæ sedem, pravo succo inficiunt, à quo actiones ejus depravantur & appetitus inprimis à naturali statu dejicitur; sed & vaporibus, ab eadem minera exhalantibus, hypochondria distendunt, caput gravant, atque mammillas de quo conqueritur, acrimoniâ sua vellicant. Hinc certè omnes lacrymæ ac totius fundi calamitas. Inveterato huic malo & quasi in habitum degenerato, bonis avibus eradicando *Æsculapio*, aut potentiore aliquo numine opus erit, maximè cum in mulierum morbis curandis Medicos divino inprimis auxilio indigere, magnus ille & æternum venerandus è Coo senex prudenter affirmet, quod non facilè quivis mulierum morbus superetur, præsertim vetustus. Quia tamen naturæ potentia ac virtute atque temperamenti bonitate incurabiles propè morbi interdum vincuntur, velim, ut conjux tua dictum factum non minùs de bonæ famæ, quàm boni corporis habitus Nutrice, cui filiolum lactandum elocet, diligenter circumspiciat. Durus hic quidem sermo, sed sanum consilium. Metuendum enim ne mater cum prole dulcissima, cibo debito destituti fame pereant. Sine cibo vita diu prorogari nequit. Siquidem, ut ellychnium lampadis olei fomento conservatur; Sic genuinus humani corporis calor, humiditas & vires, quæ continua & occulta corporis exhalatione fatiscunt, salubri & debito cibi & potûs pabulo conservantur, quo nec assumpto, nec apposito, neque infanti lactando sataget conjux, neque proprias vires reparare & custodire poterit, quibus consumptis ipsum extingui necesse est. Magna fateor, sunt incommoda, quæ ab infantum elocatione nutricum incuria sæpè sæpius contingunt, quæ adeo nota sunt, ut veteribus proverbii occasionem præbuerint apud *Aristophanem*, quemadmodum nutrices pascis malè. Sed è duobus malis minus eligendum, & præstat

stat filioli elocationem periclitari, quam matrem cum filio perdere. Tu hæc serio tecum ruminabis, & quod maximè consultum videbitur facies. Laborat præterea conjux tua pertinacissimis viscerum naturalium, Lienis præsertim obstructionibus, ad quas reserandas antequam accingamur, ventriculus probè erit ab omni humorum, in eo latitantium, saburra everrendus, ne si malè sit huic coquo, totum amplius trahatur in malignitatis consortium. Hinc mari assimilatur, quasi mala toti corpori communicet, ab eodemque recipiat. Id leni emetico, addo etiam vitriolato, omnium optimè feceris. Quid si hujus remedii vim experiaris si ægram dicto audientem habuerim, velim ut vitrioli albi, ex artis lege probè depurati semidrachmam, cum extracto Glycyrrhizæ, vel centaurii minoris in binas pilulas efformatam, jejuno ventriculo devoraret, superhausto modico seri lactis, cerevisia, more *Anglicano*, segregati, observato debito regimine. Medicamentum hoc tutum est & quod ventriculum non transcendit, cui quoque roborando non parùm est accommodatum, antimoniali longè præferendum; Hæc enim non sine magna humorum perturbatione operationem suam perficiunt. Id tanti mecum est momenti, ut repetendum suaserim, si votis, quod spero, responderit, & ægra cum εὐφορίᾳ sustinuerit. Omne hujusmodi ventriculi everriculum excipiat alvinæ sentinæ deturbatio, ut istud Augiæ stabulum exactè, si fieri possit, expurgetur, habito effœtarum virium respectu, de quarum custodia maximè solliciti esse debemus, quum prima indicationum omnium ea sit, quæ de viribus sumitur. In eam rem amara præcipuè, quæ simul abstergendi virtute pollent, usui erunt, atque hinc aloë ventriculo grata & amica dicitur. Præparentur humores oxymelitis unciis duabus, syrupi de mentha & absynthio uncia cum dimidia, invicem miscendis & decocto hyssopi diluendis, bina dosi propinandis & postea purgetur sequentibus pilulis, recipiendo pilularum de Hiera cum agarico, mastichinarum, ana ʒ ij. aggregativarum ʒ j. alephanginarum, ʒ i ß. & cum balsamo Peruviano fiant pilulæ num. 30. quarum capiat quinque pro dosi. Interim corroboretur ventriculus speciebus aromatici rosati saccharo permistis & cum pane albo tosto, vino canarino vel malvatico inebriato, hora una ante singulos pastus devorandis. Extra verò foveatur ventriculus decocto menthæ absinth. rosarum rubrarum & florum camomillæ, nuce moschata, caryophillis & similibus in vino facto, & imponatur emplastrum sive scutum stomachale ex caranna & tacamahaca in aqua cinnamomi solutis, adjectis speciebus aromatici rosati, cum balsamo Peruviano in emplastri formam redigendis. His adjungenda proba victûs ratio quâ neglectâ oleum & operam ludet ægra. In ea vitentur omnia, quæ ventriculi orificium laxare apta nata sunt, qualia sunt pinguia quæque. Fugienda quoque ingrata & nauseabunda. Usurpentur, quæ vim habent sensum appetitûs stimulandi, in quorum censu sunt salsa & acria, modestè assumpta, & in prima potissimùm mensa. Cibus ita præparetur, ne multa masticatione opus habeat, alioquin si diu in ore versandus sit ingratus evadet & appetitum pervertit. Vinum ventriculo confert mediocre, modicè austerum, gustui gratum, non verò generosum, quo vires debiles fieri & ratio & experientia docet. Prodest absynthites. In genere, potus & cibus, modestè calefaciendi, siccandi, attrahendi vim habeat, calorque sopitus excitandus exercitio & laboribus, ante pastum ineundis, cùm distributionem ciborum promovendo appetitum egregiè excitent, quod in laboribus deditis manifestum est. Singulas diætæ minutias recensere nimis longum foret. Hoc saltem notandum ex *Hippocratis* oraculo, quod qui cibos deterioris notæ appetunt, cibos verò boni succi pertinaciter aversantur iis cibum parùm deteriorem permittendum esse. Sed hæc sufficiant. Nec refert quam multa; sed quam apposita & efficacia præscribantur. Ventriculo quodammodo restituto, de viscerum infarctu reserando cogitandum, stadium chalybeatum percurrendo, in quo totius curationis cardo versatur. De quo inposterum. Tu his fruere in conjugis lectissimæ compendium uberrimum, Vale. *Frideric. Lossii consil.* 12.

Observationes.

De Anorexia mirabili.

Honesti & spectabilis, dum viveret, viri *Gerhardi Roggen*, relicta vidua, præclaris tam animi quàm corporis dotibus pollens, sensim sine prægressa aliqua causa externa cibum minùs appetere incipiebat, de nullo præterea conquerens fastidio, de nullo tædio, nisi quod nil comedere, nihil quoque bibere posset. Temperamento autem cùm calido esset & humido, aqualiculum habebat satis capacem & genas ut venusta erat, rubentes. Rogarunt sæpiùs cognati, ut opem quæreret medicam. Ipsa verò cùm remedia fastidiret, semper contradixit, cùm satis commodè haberet, nec ullum sentiret malum: cur ergo, inquit, Medicinam adhiberem? sana sum, & satis obesa: nonne quilibet me rideret? sufficit exigente necessitate medicamentorum capistro collum subdere. Continuabat interim, imò in dies augebatur ἀνορεξία, ut aliquam virium jacturam sentire inciperet. Varia interim præparabantur fercula, cum condimentis variis, pisces, carnes, aves, fructus horæi omnis generis, & alia apponebantur, quibus sana sæpiùs delectabatur, frustrà omnia: & quod mirum erat, non fastidiebat cibum vel potum, imò videre eum poterat, & ejus odore non offendebatur sed comedere penitùs non poterat, quod nullum sentiret appetitum. Cùm persuaderetur, ut juscula saltem, quò corpus sustentaret, ebiberet, impossibile sibi hoc esse, & peius sese sine dubio habituram, imò rejecturam se ingestum omne regerebat. Durabat affectus per 17. septimanas, in quibus perparùm, imò penè nihil biberat, multo minùs autem imò vix polonicum grossum valens comederat. Vocor tandem, num ad aliqua possit persuaderi remedia. Cùm defectum fermenti causam affectûs hujus cognoscerem, illi appropriatis mox succurrere medicinis tentavi. Verùm uti à cibo, sic à medicamentis longè major erat aversio. Nil sibi hæc profutura perpetuò dicebat, cum sana esset. Tandem præter spem vehementissimam narium patiebatur hæmorrhagiam, quam cognati nullis artibus sedare poterant. Advocor, venam ad revulsionem faciendam incidi curo, anacollema fronti applicatur, linteum in acetum rosarum calefactum immersum hepatis regioni adhibetur, lapis hæma

hæmatites in substantia & tinctura propinatur, nares fungo (povis dicto) obturantur, sicque sedatâ hæmorrhagiâ exanimis penè ad sese rediit, & ad jusculi usum per vim persuasa est. Recrudescebat autem ad levem motum malum, ut rubentes initio genæ & labia pallescere statim inciperent; quem pallorem ad ultimum vitæ halitum etiam servabant. Redire quidem aliquatenùs videbatur appetitus, ita ut juscula, & ovum sorbile bibere inciperet; relinquebat autem hæmorrhagia hæc tam gravis cachexiam, hanc excipiebat anasarca, quæ liberaliùs licet, frustrà tamen adhibitis remediis ob exhaustum cum spiritibus calorem, tandem in beatam desinebat ἀνάλυσιν. *Joann. Schmidii.*

Miles quidam chronicâ febre malè mulctatus, incipiens jam aliquantisper respirare ab accessionibus, supplex à me petiit, ut appetentiam in se planè dejectam revocarem, alioqui intra quadriduum indubiè periturum, ego præscripsi potionem ex ℥ß. diaphœnic. cum absynth. vulgaris & agrimon. decocto. Postea sequentibus veluti cote, appetentiam acui.

♃. Fol. agrimon. absynth. vulg. cent. min. ana m. ß. F. omnium decoctio: de colat. capiat ℔ ß. cum pauco saccharo, jussi ut novem dies huic decocto indulgeret. Sed post dies quinque rediit ad me, enixè rogans ut caninam appetentiam usu medicamenti nostri excitatam obtunderem, quod præstitimus abstinendo à potione nostra amara, illique consulendo ut butyro & vino generoso uteretur. Plures eodem remedio in talem affectum incidisse testis sum. *Petrus Pachequus.*

Vir quidam Consularis apud *Delphenses*, cùm inappetentiâ laboraret, ad incitandum appetitum; unà cum *Vergetio* Medico *Haghano* sequentia præscripsimus.

♃. Syr. de limonib. de acetos. citri ℥ij. syrup. acetos. simpl. syr. ros. ex multis infus. sacchar. rosac. ana ℥j. syrup. menth. ℥i ß. m. capiebat omni manè duo cochlearia, pauco vino rhenensi addito, egregiè profuit. Verum post discessum alterius Medici, cùm medicamenta abhorreret, macerabam per noctem absynth. Romani comam, & dentis leonis radicem unam atque alteram, paululùm contusam, in vino rhenensi; manè vinum expressum propinabam, & dictu mirum vir Septuagenarius vermem mortuum postea & vivum dejecit, & appetitus miraculi instar, rediit. *Petrus Forestus observat. 8. lib. 18. de stomachi affectibus.*

Juvenis quidam macilentus ob biliosos humores cibum aversabatur; cum hoc modo curavimus. Cùm mordaces humores biliosi ventriculum lancinarent, & hic nauseabundus & in vomitum satis proclivis esset, statim jejuno ventriculo emeticum blandum exhibui. Deinde pro levi purgatione propinavi syr. ros. pallid. ℥ij. cum ℥ iij. seri lactis; qua potione brevi benè excrevit biliosa. Bilioso humore evacuato, & intemperie ventriculi calidâ syr. acetos. citri & granator. acidor. alterata, imperavi deinde ut persicam in principio pastus assumeret; hæc enim maximè appetentiam incitat, si à causa calida prostrata sit. Syrupus de persicis hunc in modum fit, quo uti possumus in tali casu.

♃. Succi persicor. nondum plenam maturitatem assecutorum ℔ iv. decoq. ad dimidii consumptionem: permittantur fæces subsidere: Deinde adjiciantur succi malorum punicorum ℥ vj. sacchar. q. s. simul perfectè coquantur, depurentur, adjectaque santali citrini q. s. suaviore odore reddantur: dantur ex hoc syrup. ℥ ij. manè & vesperi duabus horis ante pastum. Si persica desint, pro illis substitui potest succus pomorum acidorum redolentium. Exteriùs fotus & unguenta adhibui deinde apposui ceratum santalinum, victu quoque refrigerante utens, & moderato somno, rectè deinde valuit. *Petrus Forestus observ. 7. lib. 18.*

Abstinentia insolita.

Quædam Maria Tailer, nata in Provincia Derbiensi, ab ictu sibi in dorsum à molendario inflicto, lecto diu affixa est, unde parùm convaluit; sed post paucos dies iterùm recidivam passa, sentit in gula deglutiendi difficultatem, & unà prostratum appetitum, adeò ut à festis Natalitiis mensis Decembris Anno 1667. abstinere desierit ab omni cibo solido, uti & pedetentim ab omnibus liquidis, nisi quod rarissimè paucæ guttæ juris prunorum coctorum, vel aquæ saccharatæ, vel succus unius uvæ passæ instillentur, cum pluma in os. Tredecim menses elapsi sunt ab omnimoda hac abstinentia inchoata. Nihil evacuat per urinam, alvum, vel os: labra sicca cum plumâ prædicta madefiunt. Volæ manûs sæpè madidæ reperiuntur, vultus satis floridus, vox sonora. Abdomen ad ipsam spinam concidit, quæ manu palpatur, non obstantibus musculis & intestinis, jam aridis, mediantibus. Cavitas est insignis à cartilagine ensiformi ad umbilicum. Pars trunci superior valdè emaciatur, sed inferior longè magis: cutis pruriginosa fœditate exasperatur, quare aliquando lacte abluitur. Raro dormit; sorores aiunt, illam quinque septimanas egisse insomnes. Curiosi multi undique confluunt ad illam visendam Medici, Chirurgi, aliique, qui integras noctes, per vices huic negotio invigilarunt, ut, si forsan fraus aliqua ab ipsa vel amicis facta fuerit, detegeretur: nullus hic est religionis prætextus, nullus Enthusiasmus. Mense Februario præterlapso, hanc mirabilis hujus historiæ rationem accepi, de cujus veritate nullus dubito; utrum virgo adhuc supersit nescio, nihil adhuc de morte ejus auditum. *Henrici Sampsonii.*

Noribergæ virgo quædam, statura corporis gracilis attamen ossium compage robusta temperamenti calidi, sicci, ad iracundiam facilis, à juventute assueta ob conceptum odium ac dissidium sæpissimè aliquot dies inpransa, & sine omni potu, citra virium lapsum permanere. Imò quodam tempore, & in ætate nubili, ob ejusmodi causam, inediam atque sitim per dies quindecim sub ædium supremo tecto, loco squalido & tenebricoso latitans, cunctorumque consortium ac alloquium fugiens, tam pertinaciter sustinuerat, absque omni degustatione cujuslibet cibi, & aquæ alteriusve liquoris, ut familiares illam morbos sibi gravissimos ascituram metuerent. Sed illa sextâ decimâ sub nocte, cùm cæteri dormiebant, prodiens incepit panis buccellam aquâ fontanâ imbutam tantùm lambere,

moxque rursùs in latebras suas recessit; die decimâ septimâ iterùm noctu buccellam panis aquâ impraegnatam modò rodebat; decimâ octavâ jusculum tenue tepidum cum pauxillo pane intrito sorbebat, demumque subsequenti tempore alios cibos quoque in minima portione sumebat, zythumque delibabat, usque ad mentis ordinariis in dies stomachus probè assuefieret; nec unquam inde sanitatis noxam sentit, ac de more hoc ætatis annum quinquagesimum octavum attigit. *Helvuigii.*

Christianus ab Ummersom, vini mercator, anno 1636. mense Martio valdè nauseabundus erat, & appetitum dejectum jam multis diebus habuerat, ita ut vix quicquam comedens totus debilis evaderet. Quia autem pestis tunc temporis crudeliter grassabatur, ipse se pestilenti labe infectum esse putabat. Verùm non pestis, sed ordinarium suum præservativum, quô contra pestem quotidie ante meridiem nimiâ copiâ utebatur, mali causa erat, nempè vinum absinthites. Quapropter hujus vini usum planè prohibui, & diætâ convenienteprascriptâ, corpus leviter expurgavi, ac deindesequens conditum præscripsi.

℞. Rad. calam. aromat. nucis moschatæ, maceris, florum sulphuris, ana ℈ i ß. cremor. tart. ʒ j. cinnamom. elect. ℈ j. gariophyllorum ℈ ß. pulverisentur subtilissimè, deinde addantur rad. helenii condit. ʒ vj. conserv. anthos ℥ ß. zinzib. condit. ʒ vj. olei vitrioli gut. xv. syrupi de limonib. q. s. f. conditum.

Hujus conditi manè & vesperi interdum etiam meridie particulam edebat, & vini absinthitæ usum intermittebat. Hinc brevi, cessante nauseâ, rediit appetitus. Ex illo tempore conditum hoc tanti fecit, ut illud postea per aliquot annos multoties à Pharmacopæo confici curaret, ad appetitum & sanitatem (ut aiebat) conservandam. *Isbrand. D. Diemerbroëck. observ. & curat. Medic.*

Dominus Heer, Nobilis Anglus circiter 30. annorum cùm per aliquot dies, præter consuetudinem, crapulæ nimis deditus fuisset, atque hinc ventriculi functiones interturbasset, multasque cruditates in eo collegisset, adeò inappetens evasit, ut spatio duarum septimanarum vix quicquam comedere potuerit; Tandem meo consilio hoc vomitorium assumpsit.

℞. Folior. asar. recent. ʒiij. contundantur & exprimatur succus cum decocti raphani ℥ ii ß. adde expressioni, oxymelitis cum agarico, ℥ j. misce, f. haustus.

Hinc enormiter evomuit. Postea radicum helenii conditarum tria quatuorve frusta bis terve de die assumere, diætam calefacientem instituere, à crapulis abstinere, vina generosa quidem sed pauciore quantitate bibere & statim post prandium vel cœnam (quia ventriculus illi admodum humidus erat) frustulum unum aut alterum halecis salitæ crudæ comedere jussi. Atque hoc modo appetitus illi paucis diebus optimè restitutus fuit. *Idem observ. & curat. Medic.*

Vir inter nostros Primarius sexagenario major, apud me conquestus est de tanta inappetentia quæ per duos annos ultimò elapsos omnem prorsus carnium aut jusculorum ex iis paratorum assumptionem arcuisset. Consului masticationem rhei, & usum elixyris cujusdam volatilis amari. Post aliquot septimanas mihi obvius, dixit, se ex usu præscripto meliùs quidem habere, sed quandoquidem non præsto essent qui quotidie admonerent de assumendis; remediorum adhibendorum ut plurimùm oblivisci. Cujus oblivionis pœnas non diu postea luit, siquidem debilitato ventriculo, illiusque vitio crudis multis aggestis, in hydropem ascitem tenuin incidit, quô, post aliquot menses, miserè enectus est.

Vir quidam spectabilis circiter septuagenarius, à pluribus annis summo ciborum fastidio cùm laboraret, vitam vino generosiori sustentabat, atque ea propter quandoque Baccho paulò liberaliùs litabat: langor tamen totius in dies augebatur, & tandem in Arquatum nigrum incidebat, quô brevi extinctus est.

Mulier quædam quinquagenaria vino nimium dedita, in eam anorexiam incidebat quæ per annos propè duos ne quidem carnis unciam, aut jusculorum guttam ipsam haurire sineret; vino itaque unice vivebat, in quo quandoque panis frustulum intingebat. In ea diæta, per annum integrum munia vitæ ordinaria sustinere valuit, & per urbem, quamvis languida, ambulare. Altero verò anno lecto affixa, ultimum diem expectavit, illumque nullis remediis prorogare valuit, quandoquidem ad ea omnia ita nauseabat ut illorum particulam assumere ipsi prorsus impossibile fuerit.

Ex his & innumeris similibus quas afferre possem historiis, abundè patet anorexiæ pertinacioris prognosim semper infaustam esse, nec ab ea aliud sperandum quàm lethalia symptomata, morbosque ut plurimùm insanabiles.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Juvenis robustus cùm lauto convivio interfuisset, eadem nocte *dolore stomachi* correptus fuit, qui ab initio mitis, sed post auctus & vagus factus est: nunc de dolore acutissimo capitis, mox, & in ipso momento, de maximo cruciatu ventriculi, ventris & artuum conquerebatur, cum vomitu omnium ingestorum: quandoque febris adfuit continua, *anorexia*: vigilia à prædictis doloribus vagis ejulare cogentibus: multa à *D. Roscio* frustrà præscripta, nam post tormenta 18. mensium, tandem anno 1599. obiit.

Inspecto cerebro, in ejus ventriculis ad duas libras aqua limpida inventa; arteriæ item & venæ membranarum cerebri *sanguine crasso & fœculento turgebant*: In ventriculi orificio superiori, parte anteriore, ubi ramus sextæ conjugationis inseritur, *ulcus erat magnum* ac fœtidum, in vacuum ventriculi usque penetrans: cætera in ventre inferiore rectè se habebant: ventriculus præterea humoribus corruptis, fœtidis & atrabilariis refertus erat; *Fabr. Hild. cent. 31. obs. 20.*

Mulier Romana 35. anno per plures annos inappetentiam passa, cum tussi sicca & spirandi difficultate, cùm frustrà variorum Medicorum auxilia tentasset, moritur; Dissectoque ejus cadavere, ventriculi omnes fibræ nigræ duræque repertæ sunt: Tres verò pulmonum lobi adeò indurati, ut potiùs tophos lapideos quam carnem omnibus videntibus ementirentur: Lien ovi gal-

gallinacei magnitudinem non excedebat. *Ex. P. Sphereri observationibus.*

Filia sexennis post lentam tabem, doloribus hypochondriorum & Inappetentiâ, seu prostrato ciborum desiderio, viribus fracta expiravit, In dissectæ cadavere Hepar universum ferè occupabat abdomen, ventriculumque adeò ad inferiora depresserat, ut quasi ab œsophago videretur separatus; Pulmo sinister consumptus Tabi dederat occasionem, Pondere igitur Hepatis increscentis propter impeditam circulationem depressus ventriculus cibos vitæ necessarios respuit. *Thom. Bartholinus cent.* 4. *observ.* 71.

Cur nonnulli pauxillam quantitatem cibi assumere possint causam videre visus sum in vigili arcis Dessaviensis: Hic quidem munus suum obibat sed aliquot annos conquestus erat de cibi fastidio & vomitu, ut ferè solo potu se sustentare cogeretur, moriebatur tandem:

Aperto cadavere abdomen humore aquoso repletum reperiebamus: Deinde omentum putridum, ut ad tactum statim divelleretur: Præterea fellis vesiculam secundùm quendam ramum ruptam: Quin & corrugatio aderat, seu concrescentia quasi membranarum scirrhodes: foramen quoque ventriculi vetus, quemadmodum ex lateribus nigris, crustosis & inveteratis patebat, conspiciebatur; cui & ulcus fistulosum jungebatur: tandem etiam ventriculi capacitas admodùm exigua, & vix cum nucis juglandis magnitudine conferenda, occurrebat, quibus sanè factum fuit ut nihil ferè comederit; omnesque cibos ingestos statim rejecerit: quemadmodum saniei ratione ex ulcere, omentum & vesicula fellis computuerunt; & ob foramen portio potûs ad abdomen delata fuit: Miror verò, cùm foramen vetus appareret, cur non major aquæ copia ibi reperta fuerit? forsan *venæ ventriculi avidæ*, cùm parùm aliàs alimenti assumerent, avidè potum statim suxerant & ad mesaraicas detulerant. *Philip. Salmuth. cent.* 1. *observat.* 43.

Ulcere ventriculi visus fuit quidam cerevisiæ coctor laborare, & quidem interioris partis: huic non modò ventriculus malè affectus erat, sed omnia viscera inferiora corrupta ac fœtidissima: Multo tempore hic pallidus admodùm fuerat, & mali in facie coloris: circa digitorum articulos tumores habebat; delectabatur cerevisiâ forti & medicatâ: Contigit huic ut ventriculo pure ac crudis humoribus repleto; *cibum potumque non solùm aversaretur*, sed conatus ne transmittere quidem potuerit: Profuit serapium acetosum, cujus uno aut altero cochleari sumpto, mox pituitam crudam, copioso pure permixtam vomuit: quod cum aliquoties deinde fecerct, & vomitus tandem non ampliùs succederet, ad sanitatem se rediisse sibi persuadens, alia remedia admittere recusavit: Supervenit paulò post digiti unius sinistri pedis sphacelus; qui cum arte Chirurgi constitisset, mox dextrum pedem gangræna occupavit, & velociter progrediens, brevi supra talos pervenit: Hoc tempore cùm de vitæ periculo admoneretur, respondit se nullâ corporis parte dolere, neque unquam antea doluisse: Ita absque dolore, paucissimis post diebus, sub initium Julii, è vita migravit, tertio videlicet mense ex quo pus vomuisset.

Hujus omnia viscera, quæ aperto corpore in conspectum venere, corruptissima fuere, multo pone consistente pure, quorum tantus fœtor, adeoque gravis ac molestus, ut diutiùs hærere non fuerit possibile: multo minus singulas partes lustrare: Et tam fœtidum corpus necesse fuerit mox sepulturæ committere: videtur hîc *interna viscera sensu destituta habuisse* contrà planè quam nonnulli alii, quibus sensu prædita sunt. *Dodonæus observ.* 27.

Viduus quidam literatus, quadragenario major, melancholicæ, & dum viveret, valetudinariæ constitutionis, m. Februario anni 1670. solito plus conquestus est de Ructibus austeris, Inappetentia & dolore ventriculi, necnon renum & dorsi: Subsequutæ dehinc sunt *obstructiones alvi*, noctes inquietæ & sæpè insomnes, doloresque obscuri, gravativi circa Ilia, iique in sinistro latere suprà ventriculum quasi ascendentes: febris apparuit nulla, major tamen nonnunquam sub vesperam quam interdiu, lumborum dorsique incalescentia: urinæ pallidiores plerumque & crassiores deprehensæ, cum sedimento copioso, nonnunquam Tartaro rubeo, sæpiùs albo, mucoso: Pulsus in dies debilior, ab initio tardior, versùs interitum celerior; supervenit his omnibus vomitus sanguinis nigricantis, in grumos majores tenacissimos maximam partem concreti, qui cùm intra triduum copiosior aliquoties rediisset, ægro, exhausto virium thesauro, leipothymias frequentiores, ipsam denique mortem accersivit.

In aperto corporis mortui abdomine atque thorace, sequentia, ad partem affectam, causasque morbi & mortis imprimis facientia, occurrerunt notatu digna 1. Pinguedo quidem sat multa sub cute per totum corpus diffusa. 2. Musculi verò abdominis & thoracis excarnes 3. Cor nihilominùs obesum satis, duriusculum, compactum, benè constitutum sanguine vacuum. 4. Pulmones, quoad colorem quidem à naturali statu parùm differentes, flaccidi tamen & exangues, horumque lobus dexter inferior versùs dorsum thoraci annexus. 5. In ventriculo nullus sanguis, tunicæ benè constitutæ. 6. Lien justæ figuræ, magnitudinis & coloris. 7. Mesenterium non glandulosum, sed unà cum pancreate naturaliter constitutum. 8. Hepar admodùm magnum, totum obvolvens ventriculum, admodùm pallidum, totum licet sanguine vacuum, ponderans tamen libras med. iij. & unc. viij. 9. vena porta versùs Hepar sanguine exhausta. 10. Intestina in sinistro latere fuere benè constituta; quæ verò in dextro, livida, nigricantia, sphacelata vasaque mesaraica in intestina desinentia sanguine nigricante turgida. 11. Intestini coli pars superior in sinistro latere suprà ventriculum inflata, quà verò deorsùm vergit, incisum, sanguine concreto, fœculento, nigerrimo, instar picis, quale vomitu rejecerat æger, admodùm repletum. 12. Renes pallidi & flaccidi, inque dextro horum materia multa Tartarea, & circa infundibulum calculus instar fabæ majoris. 13. In sinistro verò major & albicans calculus, pondere scrupulorum v. figura & magnitudine cordis avium oblongiore tornata, multæ materiæ sero-lacteæ, quæ una cum plurimis particulis

artareis, instar calcis, per totam renis substantiam dispersa erat, quasi innatans. *Ex observationibus Dom. Friderici Orthlobii, Medici Uratislaviensis.*

Vir quadragenarius post longam Anorexiam in Hydropem Ascitem inciderat, quô, nihil proficientibus remediis selectissimis, 28. Junii anno 1682. enectus est. Aperto cadavere sequentia adnotavimus. Omentum prorsus retractum, seque ad umbilicum usque non extendens, illudque ut & imi ventris viscera omnia in aquis contentis ita macerata, ut extus subalbida apparerent, hocque magis aut minus pro varia eorum ipsorum natura, coloreque naturaliter magis aut minus saturato. Hepar inter alia prorsus album, membrana crassa, scirrhosa, variisque protuberantiis onusta, vestitum. Vesicula fellis albida, bilem interea complectebatur coloris ad naturalem aliquomodo accedentis. Secundò quod præcipuum fuit, quodque hic ad rem maximè facit ventriculi flatibus turgentis rugositates omnes erant prorsus obliteratæ, ejusque corpus, seu potius cavitas, multò ultra naturalem statum distendebatur, eò quòd fibræ sensim non tantum laxatæ, sed etiam quasi laceræ visceris capacitatem intra proprios terminos non continuissent, sed illud quotidie magis ac magis dilatari sivissent. Unde nihil mirum si fermentum appetentiæ naturali excitandæ aptum, in eo non fuerit elaboratum proptereaque & anorexia, & à cruditatibus per partis debilitatem aggestis, hydrops tandem lethalis enati sint. De aliis in eo ipso subjecto repertis nihil addo.

APHTHAE.

APhthæ sunt ulcuscula ut plurimum albicantia, subinde flavescentia & quandoque nigricantia per palatum, gingivas, linguæ latera & radicem, serpentia, quæ Latinis Lactucimen, Arabibus Alcola nominantur. Hæ autem tenellos præcipuè vexare solent, sed adultos etiam interdum, nempe mulieres mensium suppressionem patientes, imò gravidas, scorbuticos item, ac eos qui febribus malignis laborant.

Causa in infantibus petitur à lactis vitio & corruptis in ventriculo cibis, unde acor sanguinem & lympham inficiens deducitur, halitusque etiam acres in œsophagum & os ipsum elevantur, de quibus sic habet Sylvius de le Boë. Aphtharum causam veram non dubito asseverare humores halitusve acres, & quidem acidos, nunc quidem vomitu, aut exhalatione sursum ab intestino tenui ac ventriculo deductos, nunc una cum saliva in os delatos. In adultis verò, & iis præcipuè qui febribus malignis laborant, accusabimus cum Christiano Langio impuritates causticas & acres retentas, imò sanguinem salsa, ac vehementi putrilagine inquinatum; unde humor salivalis ab eo, in toto ore, faucibus, & œsophagi atque tracheæ tractu secretus veneni erodentis instar, eas quas alluit partes miserè corrumpit. Tumque non mirum si ventriculus ipse, thymus, pulmones, aliæque adjacentes partes, affecti visi sint in cadaveribus iis priùs denatis. Istius proculdubio fuit sortis morbus in Neapolitanam Gentem anno 1618. ingressus, quem antecessit boüm annua lues; quique à Marco Aurelio Severino παιδαγχονης λοιμωδης nomine, seu pestilentis ac præfocantis pueros abscessus, in suo de recondita Abscessuum natura, verè aureo libro; abundè descriptus & explicatus, reperitur.

Aphtharum color candidus nihil funesti præsagit, malè verò audit flavescens, & pessimè nigricans, præcipuè si febri copulentur hæc ulcuscula. Rursus si crusta tegantur tenui, à partibus affectis facilè separabili, imò in plures particulas discrepta; aut paucas tantùm oris partes attingant, non ita mali sunt ominis; contra verò si crusta vestiantur crassa, subjectis partibus quam maximè agglutinata, compacta & æquali, imò sicca & arida, idque eò magis quò diutius durat; aut ulcuscula in totum palatum, linguam, fauces imò œsophagum &c. serpant, illaque depascantur. Longum morbum significant aphthæ quæ intra triduum veniunt & abeunt, has enim aliæ continuò subsequuntur, idque eò magis, ut habet Ettmullerus, quò frequentiùs purgaveris. Quæ post singultum invadunt deteriores sunt, præcipuè in febribus, sic enim ventriculus primò affectus, denotatur, & probabile est morbum ab inferioribus œsophagi partibus ad superiores ascendendo, totum hujus tractum occupasse.

Aphtharum Infantilium curatio tota in eo est, ut humorum acidorum aliàsque acrium vis retundatur, copia evacuetur, noviique proventus impediatur, item ut partes affectæ ab iis liberentur, mundentur, ac consolidentur. Quibus intentionibus ut satisfiat non necessarium est plura adhibere remedia, sufficiet enim 1o. Lac nutricis, si per se peccet, corrigere, imò si malum prorsus sit, commutare, illudque per intervalla parcè exhibere, quò meliùs & commodiùs digeri queat. Secundò corpus infantis blandè expurgare cum syrupo rosar. solut. vel è floribus persicorum de cichorio cum rheo, vel pauca manna in lacte soluta. Tertiò os colluere ex decocto hordei, vel satureiæ, veronicæ, nucum cupressi, gallarum immaturarum, radic. buglossi recentis; aquis rosar. & plantaginis, admisto etiam pauco amylo; succis telephii seu sedi majoris, malorum punicorum &c. addito syrupo myrthino, rosarum rubrarum, vel pauco diamoro, simplici lacte chalybeato, adjecto etiam si placet rosarum rubrarum pulvere. Imò nihil vetat misturas has guttatim haurire, nec aliter etiam infantium os collui valet. Præcipuè commendatur in hunc ultimum usum syrupus è succo raparum sub prunis assarum, quò temperatur & alteratur humor peccans, parsque affecta mundatur & consolidatur; ut & etiam syrupus ex aqua rosarum, albumine ovi & saccharo, simul commistis, probèque agitatis &c.

In Adultiorum Aphthis præterquam quòd diætam imperamus convenientem, acrimoniæ scilicet sanguinis retundendæ aptam; sanguinem si necessarium videatur, mittimus, corpus sobriè expurgamus; & præterea utimur gelatinis ex C. C. & ebore; mucilaginibus ex seminibus cydoniorum &c. aqua plantaginis & menthæ extractis; emulsionibus ex pistachiis, addito syr. jujubino; suffumigationibus ex herbis traumaticis, floreque hyperici vino incoctis & per tubum aptum

tum in os admissis; aliisque mox in aphthis puerorum allatis.

Si verò Aphthæ febres consectentur malignas, ab harum curatione illatum amotio pendet, interim tamen non abs re fuerit eas remediis descriptis subinde demulcere, ne scilicet partes quibus insident crudeliùs depascantur, atque corrumpant.

Curationes.

In Aphthis primò est decoctum satureiæ in vino, quo colluatur os sæpiùs,

Decoctum veronicæ præstans, præsertim si adjiciatur aliquid mellis rosati.

Aphthæ infantibus maximè familiares sunt, quibus fortiora & acria medicamenta non satis aptè adhiberi queunt, ideoque nullum jucundius medicamentum & felicius, quàm succum carotæ luteæ expressum & ad syrupi consistentiam inspissatum quo aphthæ sæpiùs illiniantur, propriâ experientiâ commendare possum.

In Aphthis contumacibus hisce decoctis adde aliquid sp. vitriol. & non resistent. (Item aqua in qua alumen dissolutum.)

In Aphthis ex lue venerea omnem absolvunt nodum aquæ virides, in primis si loco aquæ simplicis assumatur aqua persicariæ, vel si in secunda aqua foliis reliquis addantur folia persicariæ. *Joan. Hartmann. Pract. Chymiatric.*

Ad Aphthas magis convenit decoctum ficuum, quàm passulatum, tinct. bellidis, rosarum vel martis vitriolati, aqua viridis Hartmanni, tinctura laccæ, rob diamoron, aqua cort. nucum.

Ad puerorum Aphthas optimum est remedium syrupus fumariæ, purificat enim sanguinem.

℞. Syrup. de fumar. compos. ℥ i ß. syr. pomor. laxat. ℥ß. essent. fumar. ʒ i ß. misce. *Joann. Michaelis Prax. clinic. general.*

Quibus ægris lingua ac os intus tenaci & viscidâ crustâ, ab illitu vitiatæ salivæ orta, obducta sunt, iisdem antequam ullum cibum, potum vel medicamentum sumant primò spathula, vel cochleari eandem defricent, simulque *salvia* folio viridi *fontanæ* innatante lingua è sordibus curatiùs detergeatur, deinde os atque fauces *aqua* limpida, in cujus sextario *nitri* purissimi, aut *sulphure* aut *sale ammoniaco* præparati, vel, quod adhuc efficacius, nitri vitriolati ʒ ij. solutæ sint, diligenter gargarizent atque eluant.

Hoc in casu antequam inflammatio harum partium mortem alicui minetur, *venas* sub lingua, *raninas* vulgò appellatas, absque ulla mora *tundere* proficuum erit; sed maximè cavendum, ne à Chirurgo fortiter ac profundè scalpello feriantur; alias sanguis tantâ quantitate profluere posset, ut ipsius animæ cum sanguine expuitio metuenda foret; cui maturè sistendo nihil aliud, quàm *candentis ferri* attactus, frustrà aliis ischamis priùs applicatis, necessarius est.

Si v. post hæc omnia ritè applicata nihilominùs *lingua*, *oris ac faucium inflammatio* nimis ingravesceret, eaque in *oris siccitate*, *lingua arida fissa ac nigra* aut *squalida* cinerea crusta obducta, inque *faucium ac gulæ exulceratione*, *fissuris ac ardore* furorem suum ostenderet, *ab acribus, acidis salsisque*, ac omnibus quæ *spiculis pungentibus* horrent (qualia sunt *nitrum*, *chalcanthum ac ejus spiritus*, *spiritus sulphuris*, *alumen*, *acetum*, *diamoron*, *syrupi acidi*) planè abstinendum esse, ipsa hujus affectûs necessitas exigit; è contraria autem parte os *lacte tepido*, aut ejusdem *sero*, aut *hordei cremore*, *vel succo è gammaris fluviatilibus*, *aut succo raparum* sæpissimè detergi ac elui debet.

Sequens etiam *gargarismus*, seu potiùs *apozema*, de quo interdum calidè haustulum capiat æger, quam maximè conducit.

℞. Hordei mundati manipulum, cornu cervi rasi ℥ ij. herb. solidaginis mediæ, florum malvæ arboresc. singul. manipulum medium, fol. sedi major. recent. manipulum, gammarorum fluv. contusf. nu. XII. sem. cydonior. plantag. sing. ʒ ij. Incisa & contusa cum aqu. font. ℔ iij. vel sextariis duobus ad tertiæ partis exhalationem coquantur; dein jure hoc colato os sæpiùs eluatur, ac subinde sorbillando unc. j. vel unc. ij. æger lentè deglutiat.

Post singulam *gargarisationem* de sequenti *mixtura* medium vel integrum cochlear sensim frequenter delingat, cujus descriptio sic se habet:

℞. Lentoris sem. cydon. aq. rosar. facti, mellis rosacei, vel syrup. de siliquis singul. ℥ ij. succi sempervivi recent. cochlearia IV. Misceantur probè ad fictile.

Vel de hac butyri compositione interdum frustillum fabæ majoris quantitate capiat.

℞. Butyri rec. probè loti unc. ij. diacod. Mont. unc. j. pulv. diatraganth. frig. unc. sem. bol. armen. præp. ʒ ij. misceantur diligenter ad ollam.

Nonnunquam in *jusculo* calido *pulveris è creta compositi* mynsichti, aut diatragacanth. frig. ʒß. singulis sex horis hauriat: quæ egregiè *ardori faucium, gulæ ac ventriculi* medentur.

Sic quoque prosunt *radix althææ sacchara condita*, *succus raparum cum pauxillo sacchari ad spissitudinem decoctus*, ac cochleatim haustus; oleum seminis raparum cum saccharo cando linctum; item *oleum amygdalar. dulcium cum syrupo sempervivi mixtum*, sæpiusque deglutitum injurias faucium læsarum abigere solet. *Secreta de Febre Castrensf. malign. Sect. 3. cap. 2.*

Lingua infantium & oris partes, quæ pustulis sunt conspersæ, eluantur & confricentur bis terve post suctionem lacte bubulino, vel caprino, in quo auriculæ judæ vel fungi sambucini sunt incocti; cum ipsis itaque fungis & lacte, aut foliis salviæ virentibus in eodem lacte madefactis pustulæ confricentur & abstergantur: quibus abstersis partes oris pustulosæ inungantur, aut melle rosaceo, aut diamoro, aut rob ribium, omnium autem certissimum & præstantissimum remedium ad Aphthas, cujuscumque coloris, tam in infantibus, quam adultis est, eas priùs diligenter ablutas & abstersas oblinire sequenti modo.

℞. Mellis rosac. unc. sem. ol. vitriol. ʒ j. m. f. linimentum. *Franciscus Joel Sect. 7. lib. 2. Practica.*

Consultationes.

Infantes duorum mensium, cùm matri lac defi-

ceret, nutrici commissus fuit, temperamento bilioso præditæ, sed alioqui benè valenti multoque sanguine & lacte abundanti. Huic cùm per octiduum adfuisset, cœpit lac coagulatum cum pituitosis & biliosis humoribus mixtum sæpiùs evomere, inquietiùs dormire, biliosa flava ac viridia multa per alvum dejicere. Tandem etiam os interius aphthis albicantibus undique obsitum est, ita ut jam propter dolorem hinc procedentem vix ampliùs sugere possit, licet mammam cum desiderio appetat & ore amplectatur. Interea tamen nulla manifesta febris accedit, nec pulsus quicquam immutatus est.

Causa harum aphtharum est lac nutricis serosius, calidius & acrius, quod in debili ventriculo infantis non satis benè concoquitur, sed multa bilis inde generatur, è qua acres halitus sursum ad os ascendentes, tenellas totius oris interioris pelliculas exulcerant.

Bilem copiosam inde generari liquet ex bile flava & viridi, quæ copiosa per inferiora dejicitur.

Lac autem in ventriculo coagulatur ob acrimoniam bilis & cruditatum ibi genitarum. Coagulatum verò evomitur, quia natura illo, aliisque crudis humoribus gravata, & acrimonia irritata, molestiam illam per vomitum, quantùm potest, deponere nititur.

Febris non adest, quia bilis illa putredinem nondum concepit, neque etiam ad venam cavam delata est, sed hactenùs sursùm deorsùmque satis copiosa excernitur.

Infans vix ampliùs sugere potest, quia dolor, quem ex aphthis habet, sugendo exasperatur. Mammam tamen appetit, quia majorem oris calorem humiditate lactis lenire & extinguere desiderat.

Hæ aphthæ quia recentes & sine febre sunt, neque malignam causam habent, facilè sanabuntur; si remedia tempestivè adhibeantur. Alioqui si differatur curatio, metuendum est, ab aucta, & tandem putrescente bile, non tantùm aphtharum profundiorem & periculosam exulcerationem, verùm etiam alvi fluxum cum torminibus & febri graviore secuturum.

In curatione ante omnia ratio habenda est nutricis, utpote quæ ob temperamentum biliosum lac acrius generat, quàm infantis ventriculus benè ferre aut digerere potest. Deinde ratio habenda est ipsius infantis.

Nutrix igitur semel atque iterùm benè purganda est medicamento cholagogo. Deinde vena secanda; & apozema aliquod refrigerans, ex cichoreo, endivia, lactuca, borragine, acetosa, tamarindis, seminibus frig. maj. aliisque similibus, per aliquot dies exhibendum. Etiam puppa ex rhabarbari ℥ iij. in pinta cerevisiæ tenuis suspendenda, de qua bis terve in septimana haustum bibere, hinc non tantùm ipsa, sed etiam infans biliosa dejiciet.

Curandum ut cibis utatur boni succi, conditis cum hordeo mundato, endivia, lactuca, asparagis, pomis citriis, cerasis, fructu ribes. &c. Abstineat ab alliis, cepis, raphano, sinapi, aromatibus, omnibusque multùm calefacientibus; etiam à melle & sacchato copioso, aliisque quæ facilè bilescunt. Potus sit cerevisia tenuis, aut mediocris notæ: evitet vinum, spiritum vini, melicratum, omnesque potus fumosos & calidos, necnon iram, aliasque animi emotiones.

Infanti autem (cui vix quicquam exhiberi potest) sæpè in os ingeratur syrupus de moris & cydoniorum, vel de rosis siccis & granatorum acidorum, aliusve similis, quo totum os interius oblinendum est. Etiam cum cochleare subinde exhibenda pulticula liquida ac tenuis, ex decoctione passularum corinthiacarum ad rupturam coctarum, cum pauxillo sacchari & micæ panis albi parata.

Si his remediis adhibitis tamen perdurent, aut in peius vergant aphthæ, quamprimùm mutanda est nutrix, & alia quærenda quæ naturæ infantis convenientior sit. *Isbrand. De Diemerbroëck de morbis capitis, thoracis &c.*

Mulier triginta annorum continuâ febre correpta est, cum magna anxietate, sine vehementi calore, sine magna siti, quâ intra biduum vires admodum prostratæ sunt. Pulsus est parvus & inæqualis: urina instar urinæ hominis sani. De nullius partis excellenti dolore, sed de maxima totius corporis conqueritur debilitate, quæ tanta est ut in lecto erecta sedere nequeat. Quarta die in deglutiendo sentiit aliquam difficultatem, ita ut potus non sine dolorosa molestia & impedimento per gulam & œsophagum descenderet. Eo tempore palatum, gingivæ, lingua, & fauces innumeris exiguis pustulis albicantibus obsideri comperta sunt. Gustus etiam adeò læsus est, ut assumptorum verum saporem vix percipiat.

Laborat hæc ægra febri maligna, ad quam accedunt *aphthæ, quæ sunt exulcerationes quædam in summa oris superficie, cum caliditate conjunctæ.*

Causa antecedens sunt humores putridi, acres, maligni, in corpore contenti, qui à calore febrili attenuati, per arterias & occultos meatus ad os delati, in eoque exulcerationem hanc facientes, causam proximam constituerunt.

Has aphthas à maligno quodam putrido humore excitari, liquet ex febre putrida præcedente vel adjuncta; cujus malignitas satis innotescit ex maxima anxietate & virium ægræ prostratione, cùm tamen febris nullas manifestas tantæ debilitatis causas exhibere videatur. Humorem autem illum magna ex parte pituitosum esse, patet ex minori febris calore, & pustularum seu ulcusculorum albedine.

Hic humor à calore febrili attenuatus & acer ad os deveniens, ejus interiora (palatum, linguam, gingivas, fauces &c.) magis quàm alias partes per quas transiit, exulceravit, quia tenui & molli tantùm pellicula investiuntur, quæ à rebus acribus, imprimis putridis, eò devenientibus & diutiùs ibi remanentibus facillimè exulcerari potest, cùm aliæ partes firmiores hujusmodi corruptioni meliùs resistant.

Quia verò illa pellicula oris interiora investiens se per fauces & totum œsophagum extendit usque ad ventriculum hinc etiam cum faucibus œsophagus similibus aphthis interius obsidetur, ut ex eo liquet, quia deglutitionis adest difficultas, & potus non sine dolore & impedimento ad ventriculum descendit.

Gustus oblæsus est, quia pellicula oris interior, cui nervi gustatorii inseruntur, & qua mediante gustus fit, ab illis ulcusculis adeò obsidetur, ut objecta gustabilia ad eam integra pervenire, & ab ea percipi vix possint. Adde quod lingua ab ulcusculis dolens, etiam pravis humoribus,

ribus infecta de saporibus assumptorum benè judicare nequeat.

Hæ aphthæ sunt magis signum, quàm causa periculi, indicant enim febrem malignam & valdè periculosam, à cujus curatione earum curatio maxima ex parte dependeat.

Corpore igitur expurgato, vena-secta, aliisque febri convenientibus remediis adhibitis, os sæpè colluat & gargariset ægra hac decoctione.

♃. Hordei mundati, radic. bistortæ, tormentillæ, ana ℥ ß. glicyrrhiz. rasæ ʒ iij. herb. plantaginis, portulacæ, polygoni, foliorum querci, ana m. j. flor. malvæ arborescentis, rosar. rub. balaustiorum, ana m. ß. aquæ q. s. f. decoctio ad ℔. j. adde syrup. diamori, dianuc. ana ℥ i ß. misceantur pro collutione.

Post collutionem lambat ægra, totumque os interius oblinat hoc syrupo. ♃. Syrup. cydonior. granator. acidor. de rosis siccis, ana ℥ j. misceantur.

Si dolor acrior evadat, ægra in ore detineat lac dulce, vel potiùs serum lactis, idque sæpiùs mutet. Deinde solum syrupum cydoniorum vel de rosis siccis lambendo assumat, imprimis cùm aphthæ jam separantur.

Victus sit refrigerans & malignæ putredini resistens. Cibi sint euchymi, eupepti & liquidi. Potus sit cerevisia tenuis aut ptisana. Alvus benè respondeat, & absint animi emotiones. *Idem de morbis capitis & thoracis &c.*

Si totum perlustraveris mundum V. N. & omnia, quæ in sinu ejus reposita sunt vel superficiei adhærent; sedulo contemplaveris, omnia miraculorum plena invenies. Inter miraculorum verò iliada nullum homine admirabilius & quod raritate & præstantia sua animum magis suspensum & attonitum reddat. In ejus sanè mirabili & non imitando opificio ineffabilis Dei, conditoris opt. max. providentia, sapientia atque immensa bonitas summoperè elucescit. Hinc non illepidè *Mercurius Trismegistus*, & divinioris illud sapientiæ lumen *Plato*, *Aristotelis* quondam Præceptor, Microcosmum, idest, hominem, augustum Dei Templum & simulachrum nominarunt. Nam sicut in Numismate *Cæsaris* charagma; ita in homine conspicitur Dei sculptura, quem non abs re miraculorum maximum statuerunt olim celeberrimi Philosophi. Quid obsecro infantis in utero materno plasmate, nutritione, stato tempore enixu, quid inquàm mirabilius, dici vel excogitari possit? Certè nihil. His mihi septem orbis miracula jure videntur cedere, ut meritò quis cum *Martiali* de infantis plasmate & enixu dicere queat.

Barbara Pyramidum sileant miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor;

Nec triviæ Templo molles laudentur honores,
Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Aëre nec vacuo pendentia Mausolæa,
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Cuncta puerperio cedant miracula mundi,
Infans quo reserat claustra pudica Matris.

Lugendum saltem, quod tantum tanti Conditoris opificium, tam affabrè constructum & miro artificio fabricatum, adeò labefactatum peccato ab ipso statim ortu, ut mille morborum phalangibus undique obvallatum ocyus corrueret, nisi Deus illud præpotenti manu sustentaret. Nempè ut fragilis aliqua cymbula, agitata procellis & tempestatibus plurimam admittit rimosa undique paludem; ita & tenella infantulorum ergastula, laborioso per angusta uteri latibula transitu, dolorifica venæ umbilicalis abscissione; aëris amico calore blandientis cum inclementi permutatione; victus quoque à naturali & consueto omnimodâ diversitate, necnon è molli loco in duram, asperam, spinis sentisque consitam, coloniam transmigratione, attrita languent, & variorum morborum carnificina marcescunt, & sæpè sæpiùs quam vix hauserunt, vitalem auram immaturè effundunt, ut non immeritò dubitet quis, meliorne iis sit mater, an tristior noverca Natura. Mirari sanè subit *Platonem*, omnis augustioris sapientiæ Magistrum, qui omnes morbos ab animo ortus sui primordia derivare affirmat, cùm tamen infantes, antequam ipsis à Deo animo uti datum est, morbis sæpè affligantur. Hinc *Græci* olim & *Romani*, de vita & valetudine eorum dubii, nonnisi effluxo longiore temporis spatio nomina iis imponere solebant. Nulla sanè ætas ab ullo morbo libera & immunis, sed omnes cujuscunque ætatis mortales omnium tyrannidi æquè subjecti sunt; quod non tantùm *Hippocratis*, summi in Medicina Dictatoris, oraculo sancitum est, sed & quotidiana experientia, fida rerum magistra, abundè docet & ratio ipsa evincit. Sunt tamen aliqui infantulis proprii, quos longâ serie venerandus noster è Coo Senex in Aphorismis suis enumerat, in quorum censu oris quoque tubercula seu pustulæ, *Græcis* ἄφθαι dictæ recensentur, lactis vitiosi vel saltem in ventriculo infantis corrupti, genuina soboles. Familiarissimus est infantulis affectus hic, ita ut è centum vix unus reperiatur, qui non pustulis istiusmodi molestetur. Et promptè quidem hoc malo afficiantur ob corporis mollitiem & teneritudinem, victûs inassuetudinem; & copiosiorem lactis suctionem, unde lac in ventriculo corruptum huic malo generando satis esse potest. Tubercula hæc seu pustulæ si in ulcera degenerent, plurimùm negotii facessunt, & suctionem impediunt, quandoque etiam lethum accelerant, maximè si nigro colore erumpant, aliàs in mollioribus infantium corporibus modestè adstringentibus facilè curantur. Magna est horum tuberculorum differentia, de qua nihil invenio in litteris tuis, ita ut difficile sit rectum Tibi consilium suppeditare. Varianda enim cura pro diverso Aphtharum colore; siquidem alia requirunt remedia quæ albæ sunt, alia quæ rubræ & igneæ, alia quæ lividæ, & sic de aliis. Ne tamen deesse Tibi videar, velim ut sæpiùs in die laves ulcuscula hujusmodi aqua vel, quod præstat, decocto hederæ terrestris addito melle rosarum vel hujus loco decocto veronicæ; quæ duo remedia in hoc affectu efficacia non semel sum expertus: quod si malum non cesserit his, poteris iis adjicere lapidem prunellæ, imò & spiritum vitrioli in contumacioribus Aphthis admiscere. Hæc tuta sunt, & si fortè aliquid eorum ab infantulo deglutiatur, minimè nocitura. Cavendum tamen ne infans mox ab eorum usu lactetur, præsertim si spiritum vitrioli adjeceris, ne lac in ventriculo coaguletur. Prodest etiam singulis diebus ter quaterve confricare Aphthas foliis viridibus salviæ summis seu in cacumine natis, in aqua priùs ablutis ac deinde

vino rubro imbutis. Non incommodè etiam mentham cum mastiche ventriculo filiolæ tuæ imposueris, ne lac in eo corrumpatur: in quem finem etiam parcè lactandam suaserim donec ventriculus fuerit emendatus & probè concoquat. Hæc sedulò adhibenda à conjuge tua, & monenda, cùm ipsa filiolam nutrire & lactare decreverit, ut in victu diligenter abstineat ab omnibus, quæ massam sanguineam serosis, fervidis & acribus humoribus inquinare apta nata sunt. Nec ullo modo omittat pulverem ante biduum transmissum pulti permiscendum, qui peculiari vi caput roborandi & à convulsivis insultibus tuendi præditus est. Et hoc eo serio magis animo urgeo, quod filiola tua dulcissima in ipso plenilunio nata sit, *Mercurio* Lunam minimè intuente: unde Astrologiæ periti paroxysmos epilepticos præsagiunt & observarunt, infantes in novilunio aut plenilunio in hanc lucem editos, rarò durabiles esse aut firmâ valetudine uti. Hi quidem propter nimiam humiditatem, illi verò propter nimiam siccitatem languere solent. Id quod à me quoque in non paucis annotatum. Sed hæc in Dei voluntate posita, qui numeravit omnes dies nostros. Faxit ipse, ut filiola tua fausta Lucina nata, sit Tibi perpetua, quæ tibi olim seni, ut Ciconiæ eorum parentibus senio enervatis, sustentaculum præbeat & consolationi sit, atque ἀντιπελαργοῦσα, gratam beneficiorum remunerationem referat. Et hæc Tibi, quem ob absentiam meam coram alloqui non potui, per literas significare volui. Vale & nobilissimum Domin. parentem, conjugem, sorores meo nomine, quam potes, officiosè saluta. *Frideric. Lossii consil.* 51.

Observationes.

Nos linctu utimur ex diamoro, succo granat. & melle, hoc etiam addam quod à Pharmacopæo accepimus. Multi infantes cùm *Antverpiæ* ex aphthis morerentur, ex vetulæ consilio, ranulam vivam ori puerorum admovebant, suctione malignitatem attrahentem, eâque defossâ & mortuâ alteram ori imponebant: deinde rursùs aliam, si opus esset; quo præsidio, & pueri, & infantes evadebant. Idem in pueris suis, tum aliis expertum narrabat. *Petrus Forestus observ.* 21. *lib.* 14. *de affectibus labiorum, gingiv. dentium, oris & linguæ.*

Juvenis biliosus cùm in aphthas incideret, valdè ignitas & flavas, postquàm ex infus. rhab. purgatus esset, collutionem præscripsi, quæ refrigeraret, & fervorem restingueret in hunc modum.

♃. Fol. plantag. bellid. min. portul. semperviv. solan. ana m. j. fl. rof. rubr. p. j. sem. cydon. ℥ i ß. F. decoctio in aqua. in colat. ℔ j. dissolve diamori ℥ ij. succ. mali punici acid. ℥ ß. m. f. collutio. Postea adjeci ad majorem refrigerationem, succum solani, & aceri modicum: Deinde ut magis abstergeret, in decocto adjeci hordeum integrum, etiam mellis rosati nonnihil, ut citra mordacitatem magis discuteret. *Petrus Forestus observ.* 22. *lib.* 14.

Hic syrupus mirum in modum prodest. ♃. fol. viol. fragrar. semperviv. bellid. min. plantag. portulac. ana m. j. sem. cydon. ℥ j. coq. in aq. communi, colat. fortiter expressæ adde sacchar, q. s. & coq. ad consistentiam syrupi, S. A. ut meliùs abstergat, loco sacchari mel addi potest. *Petrus Forestus. Schol. observ.* 25. *lib.* 7. *De febrium symptom.*

Filius meus quatuor annos natus, passus est fluxionem acerrimam in linguam & fauces, ut infinitis ulceribus scaterent, iisque albicantibus, & admodùm dolorificis, cum magna inflammatione, non poterat cibum, aut jusculum capere, nec lac sugere; diebus ac noctibus ejulabat insomnis, macilentus, ac ferè consumptus. Ex remediis non profuit mel rosaceum cum sp. vitrioli; quod aliàs mirificè conduxerat; aderat alvi fluxus copiosus, quo bilem porraceam ejiciebat, vesicatorium valdè profuit; sed dolores & clamores perseverabant, & continuò æger per os humorem serosum & acrem emittebat dolore & inflammatione magis ac magis attrahente, tandem exhibui laudan. gr. j. cum jusculo, eoque dolor sopitus est, somnus levissimus conciliatus, qui postmodùm perseveravit moderatus & suis horis adveniens. Hinc cœpit convalescere, & fluxio illa humoris per os emanantis omninò cohibita est: sequenti tamen die purgans medicamentum exhibitum est, quod multùm etiam profuit. *Lazarus Riverius observ.* 43. *cent.* 2.

Quædam mulier laborabat Aphthis contumacissimis, quæ neque venæ-sectionibus, neque purgationibus multis, neque julepis refrigerantibus, neque illitu ex spiritu sulphuris curari potuerant; noctes insomnes traducebat, & vix cibum devorare poterat, quia omnes oris partes hujusmodi ulcusculis scatebant: sumpsit noctu laudani gr. iij. idque remedium continuavit per triduum, & sic fluxio acris in oris partes defluens cohibita est, ac consequenter oris ulcera paucis diebus percurata sunt. *Lazarus Riverius, observ.* 35. *cent.* 3.

Aphthæ Ferinæ purgatione levi & alterantibus curatæ.

Excitatissimus annorum quatuor puer, *Aphthis*, seu *oris ulcusculis* diu noctuque ita lancinatus, ut nec potum, nec jusculum sumere, multò minùs ob oris excoriationem ubera sugere valeret, febriculâ lentâ, vigiliis, doloribus non tantùm ad extremam maciem, verùm convulsionibus supervenientibus, vix non ad funera redactus, mulierculatum pseudo-medentium nullis proficientibus oris superni ac interni collutionibus, vocatus causam materialem syrupo mannato iteratis vicibus evacuare; Efficientem verò, tanquam primorum humorum fontem, alterantibus contemperare conatus, quo facto gratiosulus magno parentum cum solatio ex orci faucibus ereptus. *Nicol. Gulielm. Beckers.*

Aphthæ ferinæ, morbillorum comites, neglectæ mandibulis corruptionem inducentes.

Quam novercali odio anni 1659. tempore fervido, atque inter igneas illas Planetarum oppositiones, morbilli apud nos in Norvuegia in adultos sævierint, ac infantes, pauperiores maximè, libitinæ docebunt rationes: Omnes sanè ad unum qui hydromelite morbillorum tentarunt expulsionem, nullo ad malignitatem habito respectu, con-

convulsionibus aut diarrhœa miserando perierunt modo; Nonnullis ex neglectis Aphthis tanta accrevit oris putredo, ut ante instans mortis punctum mandibulæ sponte exciderint; aliis à Chirurgis caro circa illas gangrænâ infecta ut mihi retulerunt, omninò resecta fuerit. *Joann. Frideric. Treubler.*

Aphtharum infantilium remedium.

In puerulis Aphthis laborantibus nihil est quod tam præsentaneam afferat operam quàm *oleum raparum*, si in eo tantùm dissolvatur sacchari quantum potest, illudque ori illitum lambant; quod in meo filiolo Petro Joanne, vix octo dies nato expertus, cui Aphthis laboranti dedi oleum hoc raparum saccharatum, & paucorum dierum spatio curatus est.

Rustici infans cùm non posset sugere, itidem Aphthis obsesso palato, morbo jam per decem dies vigente, eodem modo à dicto medicamento sensit levamen præsentaneum. *Joann. Ludovic. Hannemannus.*

Aphtharum remedium euporiston.

Aphthæ illæ flammantis oris pustulæ, infantibus frequentes sunt, adultos rarissimè corripiunt, & nunquam sine periculo ferè. Anno 1669. cum praxin Medicam Fridrichstadii exercerem, hoc genere morbi tres puerperæ exstinctæ sunt. Hocque malum æquè ac morbilli & variolæ homines semel invadit. Tres mei filii & his pustulis laborarunt, duo recens statim isto malo correpti sunt, natu verò maximus, qui nunc quatuor annorum & dimidii est, nunc paucis ante diebus iis quàm vehementissimè laboravit, & coronidem imposuerunt variolis, quæ & hic grassantes ipsum lecto affixerant. *Francisc. Joel* hic recommendat.

℞. Mellis rosat. ℥ß. olei vitriol. ʒj. m. f. linimentum. *Timæus à Guddenclee* laudat florem lactis caprilli cum tantillo nitri purissimi l. 5. cas. 9. *Wolf. Hoefferus* in Medicat. familiaribus p. 359. præscribit.

℞. Syrup. è ros. sicc. mellis rosat. simplic. ana ʒ ij ß. mastich. elect. pulv. ʒß. spir. vitriol. gutt. iij. m. inungè sæpiùs. Verùm uti simplicitas amatur, sic quoque simplex euporiston hìc recommendabo, quo usus sum in meis tribus dilectissimis admirando cum successu, quo & præstantius & certius non datur.

℞. Olei rapar. q. v. tantumque adde sacchari quantum recipere potest, de eo sæpiùs dato lingendum infantibus & infallibiliter curantur. Infantibus medicamentum tutum, certum & jucundum est, & blandè in iis alvum solvit hoc oleum, & isto euporisto meus filius natu maximus nunc quoque (Dei gratiâ) restitutus est. Batavæ fœminæ & obstetrices ruberam filo alligatam ori infantum his pustulis correpto imponunt, extractam in frigidam aquam injiciunt, ut vires recolligat, tum iterùm imponunt sed contingit sæpiùs imbibito isto veneno flammante rubeta rumpatur, istâque rubetæ novæ impositione sæpiùs reiteratâ infantes curantur, & istæ flammantes pustulæ evanescunt. Causam hujus curæ per rubetam ego in duo rejicio 1. in modicam refrigerationem, quam affert Rubeta ori hisce ulcusculis flammanti. 2. in attractionem malignitatis pustularum, quam si attraxerint rubetæ, ut plurimùm statim rumpuntur & extinguntur. Malignitatem enim contagiosam possident istæ pustulæ. Nuper mei affinis, Senatoris Fridrichstadiensis filiola his pustulis laborans per Rubetarum insertionem curata est. Sed quod notatu dignum, prior Rubeta extracta statim etiam in aqua frigida exspiravit, & altera etiam difficillimè in frigida lympa servata fuit. Tantam malignitatem habuerunt istæ pustulæ. Addo de meo filio natu maximo, hic gravissimè variolis decumbens, floccos colligebat, lodicem complicabat, quod & cæteroquin infaustum censetur signum, utplurimùm mortem præsagire dicitur; sed & hic ut & sæpiùs fefellit. Ego hic recordor quod scribit *Wolf. Hoeferus* in Hercule medico p. 346. & 348. Et quod non semper infaustum signum præbeant, plures probant observationes. Malo ergo hìc *Cardano* credere quàm *Galeno*. Tum demum enim infaustum signum est, si simul facies Hippocratica adsit. *Buxtehudæ* quædam fœmina laborabat febri malignâ, floccos colligens, lodices explicans & complicans, sese meæ curæ commisit, & Dei gratiâ restituta est. *Joan. Ludovic. Hannemann.*

Matrona quædam inter nostras primaria annos 38. nata, sub initium octavi graviditatis mensis, degens; apud me conquerebatur de Aphthis feris quæ à quinque mensibus ipsam durius vexabant, nec per venæ sectiones, ut & purgationes repetitas, imò adhibita varia topica, ullatenus remiserant at potius à gargarismis quantumvis pauco acido imprægnatis exacerbabantur. Vidi nobilis mulieris linguam laceram & quasi fimbriatam, profundis ulcusculis crusta crassa ex parte vestitis desuper non parum absumtam, palatum præterea & gingivas, atque fauces ipsas eodem morbo deturpatas, imò non immeritò arbitratus sum ipsum ad orificium usque ventriculi superius descendere, siquidem à faucibus ad scrobiculum usque cordis intus ardorem persentiebat ægra non parum molestum. Sic autem affecta non tantùm solidi prorsus nihil masticare, & per os volutare valebat, sed etiam omnia alia alimenta nauseabat; febri lenta consumebatur, & noctes insomnes cum tussi continua, ab aliquot mensibus transigebat. Non difficile fuit judicare alia omnia symptomata nobilem matronam molestantia, ab Aphthis ipsis non bene hactenus curatis originem suam ducere; itaque illuc vim omnem remediorum dirigere consultum habui, & propterea gelatinas tum ex volatilibus variis, tum ex C. C. & ebore præscripsi; emulsiones è pistachiis sensim hauriendas præbui; syrupum raparum, ut & ex albumine ovorum, aqua rosacea & saccharo in usum adhibui; suffumigationes ex decocto calido herbarum traumaticarum, folior. prunellæ, florum hyperici, rosar. rubr. balaustior. &c. in vino rubro parato, bis de die ex tubulo apto in os admittendas curavi; Imò sub finem aliquid tincturæ gummi laccæ decocto foliorum prunellæ & hederæ terrestris cum syrupo althææ, quò os subinde collueret admiscui; quibus juscula plantis aptis alterata, diætamque aptam, adjunxi.

Ita hæc, Deo sic benedicente, fuere proficua, ut intra duas septimanas fuerit sanata Nobilis Mulier Marito suo meritò charissima, & inde ad partus usque terminum sine ulla febri, aut alio molesto symptomate devenerit, sicque novissimè quæ in gra-

gravidicate tam molesta supremam diem necessariò obituram credebant, puellam enixa fuerit formosam, nec aliis afflicta sit symptomatis, (imò mitioribus) quàm quæ ipsi in aliis pluribus partubus familiaria fuerant.

Puella nobilis septem annos nata, cùm variis oris morbis primò ægrotasset, tandem in aphthas incidit, easque tam truces & malignas ut per aliquot dies neglectæ, absolutam propè partium in ore contentarum corruptionem fecerint, itaur, (tum nihil proficientibus remediis) non tantùm, quod adnotavit Severinus in Aphthis pestilentialibus Neapolitanis, uvulam ad palati os usque, & tonsillas ad epiglottidis basim exederint; sed etiam in sinistram faciei partem serpentes, maxillæ superioris, carniumque adhærentium portionem, ante obitum brevi accedentem, separarint, quam super pulvinari reperiebamus, dum ægræ caput aliquot ante fatale momentum horis, elevaremus.

APNOEA.

Vid.

RESPIRATIO ABLATA.

APOPLEXIA.

Apoplexia est subita sensuum omnium, tam internorum, quàm externorum, pariterque motus omnis, & functionum animalium, (præter respirationem) privatio, cum universi corporis resolutione & consternatione. Homo etenim hoc morbo oppressus non aliter quàm victima ad aram prostrata, uno quasi ictu percussus concidere solet.

Varia sortita est nomina, nam syderatus, & attonitus morbus, Hippocrati ἀφωνία, aliis etiam gutta dicta est. Syderatus autem & Attonitus morbus primò vocatur quia eò affecti æquè subito corruunt ac si fulmine forent tacti, aut vehementi ictu ab invisibili manu desuper inflicto, quasi exanimes prosternerentur. Αφωνία secundò appellatur ab Hippocrate, vel quia ea affectis vox præcipuè deficit, vel quia sub vocis privatione cæteras operationes animales læsas intelligit. Gutta tertiò ab iis nuncupata est qui in hac ridicula fuere opinione in utroque temporum latere sanguinis guttam dependere, quæ si fortè in alterutro decidat hemiplegiam faciat, si verò in utroque, apoplexiam gignat. Ab hac denominatione suam petit signaturam pro lilio convallium Crollius, illud enim pro specifico habet in hoc morbo, quòd scilicet ipsius flos quasi gutta inclinetur ac pendeat. Apoplexia tandem dicitur à verbo ἀποπλήττειν quod frequentativum est verbi πλήττω ferio, & propterea significat vehementer ferire, quò affectus horrenda gravitas designatur.

Partem affectam cerebri ventriculos & quartum præcipuè dixere quidam, quæ opinio in hodierna anatomica luce stare minimè valet; cùm enim jam non ambigatur cerebri ventriculos cloacas esse exonerandis substantiæ cerebri, glandularumque in toto plexu choroide intertextarum sordibus destinatas, quis non videt ut bene adnotat Christianus Langius, eandem esse non posse spirituum & excrementi officinam, eandem culinæ & cloacæ dignitatem, idem regis & vilissimi servi conclave. Nam ut subjungit ille quantulumcunque tandem sit quod illac excernitur, certum est, quòd etiam parum cœni immundi multum lympidi collutulet inficiatque. Semel verò positò ventriculos cerebri spirituum emporia & promoscundos nullatenus esse, necessariò sequitur morbi in eorumdem affectione propriè positi, sedem in hisce cavitatibus non esse exquirendam, sed potius in ipsa cerebri substantia cineritia seu glandulosa spirituum animalium officina genuina, nervisque inde dependentibus, ut ex sequentibus satis patebit.

A respiratione magis vel minùs læsa quatuor facit Galenus Apoplexiæ *differentias*; Si enim omnino deficiat, nec pectus a suis musculis ullatenus attollatur apoplexiam exinde denominat acutissimam; si verò respiratio adsit sed cum vehementia quadam & stertore fortem vocat; si respiratio sit tantùm inæqualis & interrupta minùs vehemens apoplexia, atque si ordinem aliquem servet, debilis ipsi dicitur. Ex hisce omnibus varii tantum morbi attoniti gradus designantur unde prognosis in sequentibus explicanda deducitur. Distinguitur rursus Apoplexia in idiopathicam & sympaticam, quarum illa proprio cerebri vitio fit, illic scilicet aggestis & fabrefactis quæ spiritus subito prosternant & stupefaciant; hæc verò ab affecto imo ventre indeque elevatis exhalationibus tetris spiritibus peculiariter infensis, enascitur; Imo ab iis omnibus quæ tum ab extra, tum ab ipsis corporis succis corruptis, aut infectis visceribus, spiritus pro apoplexia producenda afficere valent, peti possent differentiæ plures si conducibile & consentaneum foret illas multiplicare.

Ut Apoplexiæ *causas* eruamus necessarium erit ut priùs aliquid de spirituum animalium in ea affectorum genesi, ac distributionibus, instrumentisque istis muniis destinatis aliquid præmittamus. Spirituum materia in sanguine est & in capitis interiora vehitur per arterias cephalicas, vertebrales scilicet & carotidas quæ in productiones innumeras diremptæ in corpore cerebri cineritio præcipuè obliterantur. Jam verò corpus illud cineritium à colore dictum, nemo hodie ex demonstratione Malpighii nescit esse magnam glandulam de genere conglomeratarum, in cujus glandulis ea ipsa methodo quâ in aliis corporis partibus variæ secretiones ministerio glandularum perficiuntur, purior atque volatilior sanguinis pars salino sulphurea in spiritum animalem ejusdemque vehiculum exaltata & elaborata, ulterius secernitur, atque ab innumeris tubulis corpus cerebri callosum medullamque oblongatam atque spinalem constituentibus, & à glandulis memoratis quasi totidem vasa excretoria dependentibus, per sibi continuatos in totum corpus nervos abundè derivatur. Corpus autem hoc cineritium seu corticale veram esse spirituum conficiendorum officinam ex eo patet quòd vasa sanguinea eorumdem materiam deportantia in ipso omnia propè absumantur, nec alii cuipiam propterea parti cerebri aliud sufficiant, quàm quod aut ipsi enutriendæ, aut illi in functionibus suis adjuvandæ, necessarium fuerit, sic multum sanguinis in piam & duram præcipuè matrem distribuitur, quò scilicet corpus prædictum proximiùs complectentes, illud blande foveant suoque calore actuent. Hisce sic positis facilè

facilè concludemus apoplexiam orituram, si vel spirituum efformatio per affectum corpus cineritium subitò impediatur, vel eorumdem distributio per suos canales intercipiatur, vel confusio in eos inducatur. Efformatio impeditur; tum si ipse sanguis multa serositate prægnans in cerebrum irrumpat ipsiusque substantiam corticalem non tam alluat quàm quasi submergat, glandulasque ipsam constituentes ad absolutam turgescentiam adimpleat, imò muco facilè in viscere frigidiuculo congelabili inferciat; Tum si ipsæ glandulæ à pondere incumbente compressæ, aut à sanguine extravasato & in grumos coacto circa ipsas stagnante ita molestentur ut proprii munii obliviscantur; Tum si aura aliqua afflentur maligna spirituumque generationi atque motibus tota natura infensa, qualis è venenis quibusdam, cryptisque subterraneis exspirare potest. Distributio intercipietur, si canales, vel à glutinosa sanguinis putrilagine aliisque obstruantur, vel à comprimente & circumcingente corpore arctentur, & constringantur vel in sui continuitate solutionem patiantur, imò ita contorqueantur à vi aliqua sibi facta ut ipsorum cavitatis continuatio non parum alteretur. Hæc omnia facient, tum proprium sanguinis vitium mox memoratum; tum plenitudo vasorum nimia per suppressas evacuationes solitas; tum cohibitus ejusdem refluxus per impeditas jugulares venas, vel à grumo sanguinis, vel à polyposo aliquo corpore in ipsis enato, vel à tumore aut laqueo constringente &c. sic enim sanguis in cerebro aggeritur, vasaque sua tenella ad disruptionem usque distendit; tum concussio, delapsus ex sublimi, ictus, vulnusque cerebri profundum; tum abscessus, aliusque tumor in cerebro enatus, atque ad certum augmentum deductus, itaque locatus ut præcipuas glandulas, indeque productos nerveos canaliculos comprimat, sicque totam visceris œconomiam interturbet; tum spirituum animalium refluxus subitus ad propriam originem, à timore vel alia aliqua causa occasionali inductus, qui confusionem & consternationem inibi pariat &c. Quæritur hic quomodo cessante per morbum, rationesque illius jam allatas, motu omni voluntario, perstet tamen motus naturalis? Cui quæstioni facile est Willisio respondere, cùm enim aliam spirituum motibus spontaneis, aliam eorum qui motibus naturalibus dicantur, originem faciat, illam affici posse hac intacta affirmare potest. Verùm quandoquidem de hisce omnibus a Viro Clarissimo asseitis non ita constat apud egregios Anatomicos, satius est dicere primò in confusione & conturbatione spirituum à morbo attonito, aut potius ejusdem causis facta, illos animæ imperio ita subtrahi ut mandata sibi commissa nec exequi valeant, nec aliquid pro unione inter duas hominem constituentes partes continuanda, facere. Secundò & præcipuè, facillimum esse spiritibus eas subingredi vias quæ ab ipsis fœtus rudimentis jam tritæ, animali auræ pro puncto saliente movendo, devehendæ assueverunt, sicque spiritibus quantumvis depauperatis & conturbatis patulæ redditæ sunt. Quod idem dici nequit de aliis nervis motus scilicet spontanei instrumentis, quandoquidem illi nequaquam continuato indesinenter spirituum influxu fuere actuati, sed tantùm per intervalla, unde viæ per eos non ita sunt apertæ & liberæ, quin vi aliqua ab anima, ex ejus cum corpore unione impressa, opus sit pro spiritibus in eosdem inducendis.

Signa Apoplexiæ *diagnostica* ex suprà dictis abundè satis patent: Si quis enim subitò corruat motu, sensu, ac voce destitutus, sola respiratione eaque difficili & stertorosa, imò quandoque nulla permanente, si membra laxa suo pondere concidant, non minùs quàm mortuorum, pulsu interim in principio satis forti & pleno, aliquando etiam debilissimo, perstante, apoplexiam adesse non erit dubium. Distinguitur autem à Syncope quòd hanc sensus non destituat, pulsus tamen absolutè deficiat. Ab epilepsia in qua membra non flaccida sed variis motibus & agitationibus convulsa videntur. A Lethargo in quo & febricitat æger, & oculos subinde excitatus aperit, atque ad interrogata delirans respondet. A Caro in quo respiratio non est difficilis, ita ut eo affecti tranquillo & quieto somno dormire omnino videantur; imò in quo omnis prorsus sensus non intercipitur. A suffocatione uterina, in qua patiens subinde conqueritur, atque interrupta suspiria ducit &c. Signa Apoplexiam præcedentia pro varietate causarum etiam variant; si enim à sero cerebrum opplente oriatur, præcessit sopor, hebetudo atque ad actiones animales quædam imbecillitas, memoriæ imminutæ atque gravitati capitis & totius corporis adjuncta; Si ab extravasato sanguine, ni illud à vulnere contingat, prægressa fuit ut plurimum dura cephalalgia; Si ex abscessu, febris, lethargus, imò prhenitis prævere; Si à tumore alio, stupiditas, tenebricosa atque vertiginosa affectio, imò gravans capitis dolor, ejus fuere præcursores. Apoplexia à vulnere continuitatem cerebri solvente, ab ictu aut casu partem tum commovente, tum canaliculos nerveos contorquente, à laqueo vasa sanguinem è cerebro referentia constringente, à timore grandi spiritus ut dictum est conturbante, venenis & exhalationibus venenatis aliisque causis externis enata non habet signa sui præcedanea.

Prognosim quod attinet, vix alia quàm funesta potest denunciari, cùm Apoplexia sit morbus acutissimus & periculosissimus, dicatque Hippocrates experientia fretus fortem apoplexiam impossibile esse solvere, debilem verò non adeò facile. Quid verò affectum hunc validissimum à debili per varios suos gradus distinguat, ex superioribus innotescit. Asserit præterea Hippocrates eos ad vitam non redire quibus spuma circa os apparet, quamvis Galenus nonnullos in vitam reductos, referat quibus spuma circa os apparuerit. Sed attendendum ad naturam spumæ credit Ettmullerus, alia enim vera est quæ ex imo pectore sensim scatet, & sursum fertur sensim sensimque augmentata; alia illegitima, (qualis est epilepticorum) ex membranis pituitariis, vel potius glandulis iis insertis atque subjectis, abundè stillans: illa ominosum quid omnino exhibet, hæc verò non item. Non dubitamus à variis respirationis læsæ gradibus, indeque denominata apoplexia, debili, valida, ad validissima, prognosim cum Hippocrate deducere, validissimamque apoplexiam in qua respiratio prorsus deficit, deploratam pronunciare, interim cum Willisio credimus sideratos qui mox pulsu & respiratione privantur, & paulò postea infrigidati, animam exhalasse videntur, non statim lecto esse eximendos aut administrationibus Medicis destituendos. Imò quamvis vitæ spes nulla

nulla affulserit, nonnisi post tres aut quatuor dies sepulturæ esse mandandos; quippe tales aut sponte, aut remediorum usu quandoque reviviscunt. Nam etiamsi pulmones à pectore alternatim per musculos suos elevato & compresso sensibiliter non moveantur, interim tamen a propriis suis fibris tacitè agitantur succosque in suis vasis contentos aliquatenus promovent & pellunt, unde etiamsi pulsus non appareat, circulatio tamen quædam intestina permanet. Sic Hirundines, si Autoribus pluribus fides habenda, in fundum maris Baltici se dejicientes, illicque per totum hyemem inhabitantes, nulla sensibili fruuntur respiratione per totum suæ submersionis tempus, interim succos conservant in venis suis circulationibus quam maximè aptos, siquidem adventante æstate, à solis radiis vires mutuantur satis integras ut ex imo maris volatu suo non tantùm auras petere, sed etiam ad remotas regiones transmigrare queant. Eadem est ratio submersorum de quibus in Ephemeridibus Germanicis fit mentio. Sic & nos aliquando in aquis suffocatos, caloreque, motu, sensu, respiratione & pulsu prorsus destitutos, vidimus ad vitam reductos, tum per inversionem corporis, inductumque calorem, tum præcipuè per insufflatum in tracheam per tubulos aërem, qua ultima methodo canes strangulatos & per horas jam resolutos, non semel excitavimus, facta scil. in iis laryngotomia, atque per intrusum in tracheam tubulum, insufflato sobriè aëre, quo machina pneumatica vi strangulationis sopita rursus actuaretur, succique omnes animalis per ipsam transvecti.

Si evacuationes tum per venæ-sectiones, tum per vomitoria & purgantia validiora peractas, imò si adhibita alia remedia excitatoria levamen aliquod sequatur, spes salutis affulget; sin verò affectus vi omni remediorum major supra nyctemeri spatium sine remissione persistit, aut in deterius vergit, de ægrotante conclamatum est. Si in difficillima respiratione sudor supervenit lethalis est, oppressionem enim integram, non verò naturalem aliquam atque profuturam secretionem denotat. Si Apoplexia juvenem mediæque ætatis virum temperamenti sanguinei, adoritur, non æquè funesta erit ac si senem, debilem, aut emaciatum aggreditur. Si post primum morbi attoniti insultum bene finitum, ægrotans tamen torpidus magis fiat, imò crebra vertigine afficiatur, signum est recidivam in procinctu esse; si verò cerebro bene liberato hemiplegia aut paraplegia fiat, vix recurret apoplexiæ paroxysmus. De prognosi apoplexiarum omnium à causis occasionalibus mox memoratis prognatarum facilè est pronunciare; de ea tantùm quæ ex ebrietate fit adducemus ex Hippocr. Aphor. 5. sect. 5. Si ebrius quispiam derepente obmutescat, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, quâ crapulæ solvuntur vocem recuperet. Notandum autem hic per obmutescentiam sive ἀφωνίαν Hippocr. apoplexiam designare, quod suprà jam vidimus.

Curatio vel est pro paroxysmo præsente tollendo, vel pro eodem imminente præcavendo. In præsenti paroxysmo, quandoquidem vix satis percipi potest, an à causa invincibili, abscessu scil. suppurato, vel tumore in cerebro enato &c. originem trahat, festinanter adnitendum ut cerebrum liberetur, spirituumque vigori suo restitutorum viæ expediantur, Itaque primò ut sanguinis in cerebrum impetus ex situ ægri aliquatenus cohibeatur, hic, si satis robustus fuerit, commodè extra lectum in cathedra tenuiter vestitus locabitur; si verò imbecillis lecto imponetur sed capite erecto ac ad latus modò unum, modò alterum inclinato. Hisce enemateque acriori injecto, quandoquidem sanguis nimis turgens causam morbificam aut inferre, aut augere valet, de ipso sedando primo cogitandum, eumque in finem in quibusvis ferè apoplecticis necessaria est venæ-sectio; quamvis enim de ea Cornelius Celsus pronunciet lib. 3. Cap. ultimo apoplecticum vel occidere vel liberare, sæpe tantum mortem differre, vitam interim infestare, non minùs eam, etiam larga manu, celebrabimus. Postea vesicatorium amplum cervici atque cruribus, cataplasmata attrahentia plantis pedum applicabimus, tempora & nares imò palatum oleis succini, aut castorei sale volatili oleoso nostræ præparationis, item balsamis rutæ, atque apoplecticis variis sed sine moscho ac ambra confectis perungemus; atque in vehementiori malo sal volatile viperarum, aut sanguinis humani, probe pulveratum per nares in os ipsum parcè insufflabimus. Vomitorium interim parabimus, illudque in minima dosi, quò scilicet faciliùs hauriatur; huic intentioni adhibebimus vel extractum Glauberi emeticum ad ℈ j. aut ℈ ij. vel solutionem tartari emetici adjecta, dosi extracti panchymagogi in spiritu vini soluta, & pauco sale volatili viperarum. Vel si largiorem haustum ebibere æger valeat, decoctionem purgantem validam conficiemus illique cum speciebus benedictæ laxativæ, syrupoque rhamni cathartici &c. adjungemus vel vinum stibiatum vel oxysacchar. Salæ &c. Si ab ejusmodi remedio nec evomat, nec alvum dejiciat æger, clysterem acriorem iterabimus, atque si opus fuerit suppositorium etiam in anum intrudemus, quo scilicet intestinum crassum alias sopitum, excitemus, seque citiùs exoneret faciamus. Frictiones totius corporis & præcipuè ejus extremitatum dolorificas, cum succussionibus etiam moderatis interponemus, salia volatilia naribus continuo admovebimus, eaque frequenter in spiritu cerasorum nigrorum, lilior. convallium, aquis apoplecticis & epilepticis compositis soluta, haurienda exhibebimus. Si verò malum non minus interim perseveret jugulares venas aperiemus, toti capiti raso vesicatorium imponemus, sternutatoria valida ex florib. lilior. convall. ciclamine, asaro, elleboro albo, imò ipso etiam euphorbio parata in nares insufflabimus, cauterium actuale nuchæ inuremus, cucurbitulas scarificatas scapulis, continuòque etiam femoribus & tibiis, applicabimus, aliaque etiam suprà memorata repetemus. Hirudines temporibus, vel pone aures, vel in ipso naso, admovebimus, nec præsidia priùs intermittemus, quàm à paroxysmo liberatio, aut ab eodem mors advenerit.

Curam prophylacticam quod spectat, ea respicit tum eos qui insultibus apoplecticis fuere tentati; tum eos qui in hos proclives videntur, qui scilicet à parentibus apoplecticis sunt procreati aut vertigini, incubo ac lypothimiæ frequenti obnoxii vivunt, quorumque caput amplum sustinetur à collo toroso &c. Hæc autem cura remedia nec ita valida, nec tam multa expetit, sufficiat igitur vere & autumno catharsim atque phleboto-

miam

miam, imò quandoque vomitionem semel instituere, decoctaque subinde, pulveres, electuaria, atque aquas stillatitias ex antiapoplecticis parata, assumere, adjecto salium volatilium usu frequenti tanquam antapoplecticorum omnium veræ basis. Fontanellæ, si corpus sero multo turgeat, vel inter homoplatas, vel in brachio atque crure, cruciatim excaventur, non neglectis interim, variis anni temporibus, pilulis usualibus, tum ex massa de succino Cratonis adjecto oleo succini, ejusque sale volatili verè urinoso, tum ex aliis id genus, noctu hora somni, sub ipsum lecti ingressum vorandis. Imprimis verò exquisita victus ratio instituatur, erroresque omnes in rebus non naturalibus vitentur. Remediorum antiapoplecticorum tam simplicium quàm compositorum, è quorum sylva seligi potest quô parentur variæ formæ medicamenta, catalogus potest videri, tum in Schroëderi Pharmacopæa illustrata & aucta, seu potius indice morborum atque remediorum ipsi adjecto, tum alibi passim; quapropter non est quod de iis hic ulterius agamus.

Curationes.

In Apoplexia qualicunque insignis est: 1. Spiritus cerebri humani, 2. Sanguinis arteriosi humani spiritus, cujus vires insigniter commendat D. Graseccius Argentinensis in libro suo de vita humana nuper edito Spiræ in quarto 1615. Germ. utriusque operationis & vires vide ibid. in aliquot observationibus ab ipso habitis. Spiritum sanguinis arteriosi vocat *Aq. Benedictam:* spir. cerebri humani vocat *aq. auream.* (Quod si sanguis desit humanus, qui ex brutis, cervis potissimùm & damis extrahitur eodem successu substitui potest, phlegma per alembicum, spiritus & oleum per retortam, extillat, quæ separanda, ut autem sanguis conservari possit, affundatur spiritus vini, quo, si recens destillandus, non opus est.)

Apoplecticos excitant 1. Mercurius vitæ justâ dosi exhibitus: à crebris enim vomitionibus in robustioribus prima regione ventris expurgata, paulo post ad sese redeunt, præsertim si epithema fiat in suturam coronalem ex succino pulverisato, & in sacculum oblongiorem interpassatum conformato, prætereaque in aqua vitæ vel spiritu vini cum pipere longo essensificato, & cum ol. succin. gut. aliquot adsperso, decenti ligatura suturæ coronali imposito multùm prodest, si (in debilioribus scil. præsertim ubi Mercurius vitæ non est exhibitus, enemata primò leviora, postmodùm & acriora injecta fuerint. 2. Excitant sternutationes præsertim ex semine nigellæ & seniore nigra, hoc est helleboro nigro Paracelsi (ex moscho & ambra) it. sem. lolii, tutius & melius, exempli gratia.

♃. Fol. majoran. ʒ ij. sem. nigell. ʒ j. rad. ellebor. nigr. ℈ ij. mosch. opt. ℈ß. ambr. gr. vj. m. f. pulvis dosis magnitudine pisi, insufflatur in narem utramque calamo fortiter. 3. Fumus pennarum perdicum. It. fumus succini, vel etiam ol. succini intra nares sæpissimè cum penna perdicis sumptum.

N. B. in Apoplexia mirabilis est ille balsamus vitæ ex nobilissimis illis balsamis, Orientali nempè & Turcico, itemque oleis aromatum diligenter confectus à nobili Chymico *Joan. Eichtenacker*, dosis à gr. ij. ad iij. in mistura simplici cum aq. appropriata, de quo in notis ad Crollium.

(Spiritu salis armoniaci naribus admoto excitatos fuisse apoplecticos testatur illustris Boyle, ejusque optimum & facillimum destillandi modum describit. Aquam cucurbitæ infundit unà cum sale armoniaco, tum calcis vivæ pulverem adjicit, statimque adaptato capitello excipulum accuratè connectit, lenique balnei calore destillat spiritum, quem semel aut iterùm rectificat, quo vix ullus elicietur spiritus præstantior & fœtidior, præter alios usus & hystericis mulieribus apprimè conducibilis.) In præservatione maximè conducit Balsamus Apoplecticus Crollii. It. aq. vitæ applectica ejusdem.

Ad præservationem autem & curationem unicè prodest aqua antapoplectica meæ compositionis; quæ sic est.

♃. Flor. lilii convallium mense Maio cum exortu solis collectos (maturos & adhuc roridos statim in vitrum ingere sine lotione ulla) eosque recentes sine apiculis, saltem protuberantes flores abscerptos in vino generoso, malvatico vel alio dulci digere ad solem, in vitro optimè clauso, relinque tamdiu, donec etiam lavendula floreat, cujus flores cæruleos sine calicibus & apiculis diligenter separatos æquali pondere, conjunge cum floribus lilii convallium in idem vitrum, quod firmiter clausum relinque usque ad mensem Septembrem. Tandem per alembicum ex B. destilletur, & quæ primo loco egreditur aqua spirituosa diligenter reservetur. Est nimirùm pretiosa & tam præservando quàm curando Apoplecticis prodest (reliqua etiam usui esse potest, sed tam virtuosa non est, facit in primis ad frictiones membrorum) ex capite mortuo elici potest sal. Hæc aqua diu durat & fragrantissima est, dos. cochl. ß. vel j. per se etiam i ß. vel ij. pro ægri & morbi natura cum gut. una atque altera olei succini jejuno stomacho.

Aqua apoplectica alia.

♃. Flor. primul. veris ℔ j. lavendulæ, stœcados arabicæ ana ℥ j. tiliæ, bugloss. ana ℥ i ß. anthos, nymphææ ana ℥ ß. Rad. pœon. caryophyllatæ ana ʒ x. zedoariæ, macis, spicæ Indicæ ana ʒ iv. Iridis Florentinæ, visci quercini ana ℥ j. galangæ, caryophyllor. ana ʒ vj. pomor. citreorum recent. num. ij. rasur. lign. sassafras ʒ i ß. fol. majoran. artemis. ana m i ß. rorismar. m. j. sem. fœnicul. sileris montani, pœoniæ, basiliconis ana ʒ iij. confractis & contusis crasso, modo affunde in matracio capaci aquæ rosarum ℔ j. vini generosi, ℔ ij. simul per 3 dies vase benè clauso digerantur, hinc adde recenter expressi succi ex foliis salviæ ℥ vj. betonic. melissæ, spiritus vini ℔ iv. Denuò per 3 dies digeratur & destilletur in M. B. per alembicum ad siccitatem. Fiat semel cohobium. Hinc per se in cineribus vel B. aqua illa rectificatur, destillando 3. partes, quarta relicta, & inferendo rostro alembici, moschi, ambræ ana gr. vj. bombace involuta, tandem omnia in vitro benè clauso serventur. His omnibus potest annumerari diaphoreticum in peracutis, præsertim, si cum ejusmodi aquis appropriatis apoplecticis mixtum exhibeatur, & sudor provocetur. *Joan. Hartmann. Practic. Chymiatric.*

Curatio apoplexiæ certa, tuta, & jucunda in sublatione causarum materialium ipsius apoplexiæ consistit: cùm enim apoplexia dependeat à sum-

ma venarum & arteriarum partiumque omnium, quæ commercio spirituum vitalium atque animalium inserviunt, obstructione; quumque ea in veneno quodam glaciali ac summe frigido partes illas valdoperè constringente & quasi glaciante consistit, adeò ut spiritus vitales atque animales liberum patentemque aditum ad partes omnes, quas alioquin suis vitalibus radiis illuminare ac collustrare debebant non habeant, ideoque si quis citò tutòque ac jucundè apoplexiam curare cupiat, has causas omnes tollat necessum est.

Non possunt autem hæ causæ omnes citiùs, tutiùs, jucundiùsque eliminari; quàm remediis sequentibus. In primis ergo nativus calor, qui glaciali illo veneno ferme extinguitur, essentiâ rorismarini & spiritu vini alcholisatô insimul in quantitate æquali mixtis, & ad ℥j. ana propinatis, refocillandus est, ut, si fieri potest, excitetur febris.

Deinde elapsâ horâ post propinatam istam essentiam, vomitus *datâ* sal. vitriol. ℨj. & in aq. salv. aut alterius alicujus vomitivæ ℨj. dissolutâ provocandus est: Secretum namque curandæ apoplexiæ in vomitu consistit, quoniam per motum illum, quô ventriculus pectusque sursum atque deorsum commoventur, summa illa obstructio tollitur; unde vinum emeticum, ut & flores antimonii aut pulv. emeticus, atque omnia ea in apoplexia summoperè tunc prosunt, quòd vomitum excitando omnia illa viscosa & glutinosa venenoque glaciali infecta protrudant, idque citò, tutò, ac jucundè.

Cætera autem quæ communiter præscripta videntur, teste experientiâ, inutilia, ut frictiones & sanguinis missio, reperiuntur, nisi corpus apoplecticum sit valdè plethoricum aut sanguine turgeat in quo casu sanguinem mittere licet ad quantitatem satis maximam, alioquin tunc missio sanguinis mortem potiùs accelerat, cùm corpus sic magis refrigeretur & venenum illud glaciale, quo corpus conglaciatur, potiùs augmentetur, aut saltem diminuto hinc calore nativo proprietas hujus veneni propagetur.

Purgato corpore postmodùm ad sudorifica maxima deveniendum est: Illa enim radicitùs ea omnia tollunt, quæ in apoplexia relinquuntur, quæ paralysin facere solent. Si igitur corpora apoplecticorum ritè purgentur, & post purgationem terque quaterque iteratam sudorifera adhibeantur, ita ut sudor copiosus provocetur, tunc in Paralysin non incidunt atque sic ab apoplexia omninò ex voto sublevantur.

Sudoriferum igitur illud, quô maximè sublevantur apoplectici, est stannum sudorificum quod sequenti paratur modo.

℞. Stann. Anglic. ℔j. liquetur in tigillo, & postquàm fusum est, auferatur ab igne, & adjicitur ipsi Mercurii crudi optimi pariter ℔j. ut fiat amalgama: Amalgamati huic trito add. Mercurii sublimati itidem, ℔j. & permisceantur insimul ac probè contundantur in mortario marmoreo; postmodùm retortæ forti hic perindatur, & lenissimo cinerum igne destilletur, quo ipso aqua perclara destillabit in vas recipiens, cui tamen in antecessum etiam aqua communis stillat. ℔j. infusa esse debet. Postquàm ergo omnis liquor stillaverit, & retorta refrixerit, tunc retortæ illi, si adhuc sit integra omnis illa aqua recipientis cum liquore stillat., uncta infundenda est & super cineres calidos ponenda; ut materia, quæ remansit in retorta cum hac aqua liquescat, tum temporis amalgama mercurii & stann. separatur à capite mortuo, quod cùm salis stanni sapiat naturam, sic resolvitur cum hoc recipientis liquore. Hæc ipsa autem cùm sit turbida, ideò filtranda est, ut solutio illa salis stanni clarescat, filtrum verò chartaceum infundibulo aliquo vitreo est stabiliendum, ne a pondere ipsius aquæ rumpatur. Postquàm sic clarificatus est liquor, destillandus est igne cinerum in retorta vitrea nitida ac nova & stillatus hinc liquor magmati infundo retortæ superstiti denuò est reddendus, ut dissolvat illud; quæ solutio posteà iterùm filtranda est ac destillanda, atque hic labor quater aut quinquies repetendus, donec sal in fundo retortæ superstes sit albissimum, tunc enim denuò solvendum est, ac dissolutum filtratumque retortæ vitreæ quam maximæ imponendum, cui sal. nitri opt. & purificatissimi unc. vj. sint injectæ, retortæ autem maximum recipiens jungendum est; hæc etenim materia valdoperè ebullit, ac materia elevatur, & foras exit cum vento & impetu maximo: Nisi itaque recipiens sit magnum & retorta maxima, materia illa perdetur. Ebullitione igitur super cineres tepidos transacta ex retorta stillandus est liquor ad siccitatem usque materiæ, quæ in fundo retortæ, albissima remanet: Et hæc sine ulla alia præparatione & lotione sudorifera est. De eo gran. x. accipienda sunt: Permisceri autem id remedii debet cum essent. salv. ℨj. & tantundem spiritus optimè rectificati; quæ simul mixta ægroto sunt propinanda, deinde statim cooperiendus quàm maximè est æger, tegulis & aliis vasis aquâ bulliente plenis, adeoque omni arte sudor est provocandus, quòd profectò eo æger dein in tuto existat: Neque calidarum essentiarum exhibitio timenda est, quùm valdoperè hæc omnia apoplexiæ curandæ prosint, utpote quæ febrem pariter atque sudorem excitare possunt. *Joann. Petr. Faber.*

Animadversio Langii in eundem.

Tutior certiorque curandi ratio vix excogitari potest causarum materialium & morbo occasionem præbentium remotione, qua præstita morbus evanescit utique. Et hoc ipsum de apoplexia nobis etiam existimamus dictum, cui id insuper notandum adjungimus, quòd cùm fortissimæ apoplexiæ contumacissima etiam ac vehementissima existat causa, generosa etiam & valdè magna, præsertim scilicet damnatam illam materiæ pertinaciam expugnandi facultatem habentia, tunc adhibenda esse, velut hoc quoque ex remediis ab authore laudatis jam luculentum evadet.

Sed sciscitabitur hîc protinùs quispiam, cur Author, qui tantoperè antea causarum remotionem citò moliendam commendavit, à confortantibus & generosè calefacientibus remediis curæ auspicium nunc faciat: Ratio nempè in proclivi est: cùm enim apoplectico stupore tacti sensu motuque propemodùm existant destituti, ac proinde consopiæ in illis sint omnes facultates & actiones, adeoque insimul etiam medicamenta deglutiendi potestate pariter tum careant, incassum sanè porrigentur pharmaca, licet præsentissimâ virtute celeberrima, deglutire atque in ventriculum devenire, adeoque in actum

dedu-

deduci ista queant: Ideoque prudenti consilio hujusmodi spirituosa ardentia & penetrantissima medicamina tunc priùs exhibere jubet, ut calor nativus ad incitas redactus, atque in proximo extinctionis gradu constitutus hoc modo nonnihil refocilletur, atque sic deglutiendi facultas quodammodo saltem irritetur, quo vomitivum, in quo reverâ curandæ apoplexiæ arcanum consistit, ut mox id demonstrabitur, in ventriculum demitti possit. Neque dubitamus etiam hâc ratione spiritum seu calorem nostrum, nisi penitùs jam extinctus sit, fervorem quendam (Autor febrem vocitat) concipere, atque sic officii sui de novo quasi memorem fieri posse, præsertim si cautela illa juxtà advertatur, quam subsequenti paragrapho adjicere constituimus. Præ reliquis autem spiritibus & aquis antiapoplecticis seu specificis essent. rorismar. dubiô sine cum spiritu rectificatissimô parata (magis tamen pretiosa & adpropriata evadet hæc essentia, si propriô suô spiritu, qui scilicet elicitur ex succo rorismar. fermentatô, & suo etiam sale fixo imprægnatur, conficiatur,) hîc commendatur, quòd magnæ virtutis sit rorismarinus, & ob effectum probatissimum herbæ salutaris adpellationem à latinis hinc acceperit: Pollet namque excalefaciendi, attenuandi, resolvendi, & obstructiones reserandi virtute non tantùm egregiè, verùm ad rigidos etiam & stupidos resolutosque capitis morbos (id est soporosos capitis affectus) cum applausu Practicorum masculè præstat. Deinde huic essentiæ spir. vini alchoholisatum, id est per frequentes cohobationes seu destillationes ad summè volatilem subtilitatem perductum, & in virtute sua mirè exaltatum associat Autor, quod inestabilem vim penetrandi & naturam tunc consopitam ardoris sui stimulo irritandi excitandique possideat. Verùm quid nobis hîc potiùs agendum esse videatur, & quomodo unâ fideliâ duo parietes sint dealbandi, hoc est uno medicamento scopi principales expleri possint, jamjam monebimus.

Quòd secretum & singulare quasi mysterium scilicet curandæ apoplexiæ in vomitu consistere affirmet Autor, nos omnibus modis approbamus, & partim hoc thema jamdudùm in Miscellaneis nostris curiosis per partes suas diduximus, partim etiam in præsenti verbis tamen ad compendium coadditis adhuc nunc arbitrari non pigebit: Nempè viscidissimum & quasi glaciale, adeoque contumacissimum hoc excrementum nonnisi vehementissimâ commotione resolvi & protrudi poterit, id quod nullâ meliùs ratione quàm generoso remedio vomitum ocyssimè provocando impetrabitur: Per hunc enim vehementissimæ commotionis impetum seditio quædam ac veluti tumultus in toto corpore & omnibus ejusdem partibus effectissimè concitatur, natura alto & funesto quasi sopore sepulta suscitatur, eaque ad arma sic cogitur, & hostile hoc excrementum valdè commotis concussisque partibus visceribusque pariter commovetur, atque ex voto tandem exturbatur, ut sic natura ab infestissima & glaciali *hâc* humorum viscisditate hactenùs gravissimè oppressa unâ cum viscerum meatibus pertinaciter obstructis rursùm sui juris fieri queat. Quod verò vehementer commoto ventriculo confestim quoque in consensum trahatur & consimili vehementia vellicetur aut concutiatur cerebrum, non tantùm ex communitate nervorum recurrentium, qui à cerebro oriundi orificio ventriculi implantantur, Anatomicis tam famigerata, verùm etiam ex interiore ventriculi tunicâ faucibus quoque communi, & à cerebri seu meningibus producta satis conspicuum esse potest. Dum enim per impetuosam hanc ex vomitu commotionem nervi recurrentes quoque & interior ventriculi tunica fortiter convelluntur, necessariò quoque tota cerebri & ejus membranarum nervorumque inibi exorientium œconomia contremiscit quasi & lancinatur, adeoque factâ hac irritatione, vel si sic loqui liceat, partium trepidatione, spiritus ad redintegrationem motûs & actionis suæ exstimulantur. Clariorem uberioremque hujus negotii qui expostulat expositionem, haud gravatim Curiosorum nostrorum circiter adeat primordium. Deinde vomitorium excellentissimam præstantiam in cura apoplexiæ dicteria Helmontii adscriptu dignissima pulchrè etiam confirmant, quæ adponere non displicet: Ens apoplecticum, inquit ille, in stomacho præsens animam quatit. Item apoplexiæ scena circa stomachum seu orificium ventriculi præcedit atque peragitur: certum etenim est, susceptum in stomacho excrementitiæ mucilaginis vitium ac rudimentum latè & ad remota in corpore nostro potenter dispergi, unde remediis quoque stomachicis in tempore oblatis beneficium restitutionis in hoc casu, utpote in quo mali origo & nidus utplurimùm residet in ventriculo infirmo aut cruditatibus præpedito, facilè præstari potest, imò nobiliora stomachica cerebro semper sunt accepta, ex adverso cephalica specifica ventriculum præstantissimè etiam solari solent, atque id quidem sub fide rationis & testimoniô experientiæ indubitatissimæ. In hoc ipso igitur cum Autore consentimus, quod medendi jam dictam rationem aut arcanum attinet, sed in eo stare ab ipsius parte non possumus, dum observatâ unius horæ pausâ post adhibitam rorismar. essentiam demum ad emetica accedendum esse statuit: Anima namque curandi dicitur sine cunctatione arrepta occasio, & tempori ritè observato magnum est ponendum pretium. Pindarus εὐκαιρότηνον laudibus multis extollit Medicum, qui tempestivè omnes commoditatis articulos in curatione amplectitur: Proinde etiam occasionem medendi Hippocrates momentosam vocat ac præcipitem: Hæc enim elapsa inevitabilis ad ferale exitium approperat non tam inclinatio quàm præcipitium. Ideoque monemus ne citò auxiliari in apoplexia quis differat, quia irreparabilis est hoc in casu opportunitatis jactura. Atque propterea asserimus seriò, ut vel statim post propinatum spirituosum medicamen omnis moveatur lapis quò emeticum apoplectico pariter sine mora insinuari queat, vel quod consultiùs unâ cùm ess. rorismar. tanquam vehiculo porrigantur, aliquot Mercurii vitæ philosophicè præparati (nempè v. vi. vel vii.) grana, vel tale infusum, dum videlicet ut artis est, spiritus vini rectificatissimus seu aqua aliqua antiapoplectica pretiosa croco metallorum vel laudato vitæ Mercurio (qui sanè sic nominari meretur, quod vitam jam abeuntem potissimè valeat revocare,) vel floribus antimonii affunditur (huc recensemus aquam Rulandi benedictam) atque eadem sic emeticâ virtute im-

prægnatur, citò citissimè propinetur vel juxta Autoris manuductionem sal vitrioli curiosè purificatus in aqua hujusmodi seu essentia spirituosa dissolvatur atque sic exhibeatur: Sic enim geminæ statim satisfiet indicationi, dum & calor nativus hinc potenter excitabitur, & ratione energiæ emeticæ partes membranosæ nervosæque faucium stomachique vellicabuntur, atque sic citiori negotio vomitus provocabitur, summèque glutinosa excrementorum viscididitas propulsabitur: Et quamvis primâ vice hujusmodi remedium in ventriculi fundum non pervenerit, tamen fauces ad minimum eâ quâ pollet lancinandi potestate irritare valebit, ut deglutiendi facultas exinde pariter exstimuletur, atque iterata dosis posteà minùs impeditum per orificium ventriculi consequi transitum queat. Quo magis itaque acceleratâ ope vomitus concitari poterunt, eò certior etiam spes restituendi apoplecticum adfulgebit, modò tum ulteriùs præstanda perperàm non negligantur.

Levioris monetæ præsidia in paroxysmo apoplexiæ frictiones & cucurbitulas utrasque tam scarificatas quàm non scarificatas seu ventosas, necnon ipsam venæ-sectionem esse (nisi summa plethora sonticam hanc obstructionem efficiens ac sanguinis circulationem ob nimiam vasorum repletionem cohibens hanc exposcat in quo casu copiosè emittendum sanguinem nos seriò quoque hortamur.) Autori ambabus manibus largimur, atque ratiocinio ipsius hac de re instituto album quod dicitur calculum prompti addimus. Ad quam classem clysteres etiam utut acres referendos esse exstimamus, si neglectis nimirùm emeticis in paroxysmo apoplexiæ illi adhibeantur: Tanti enim tum valoris non sunt, ut unica opitulandi fiducia ab excellentissimis etiam Practicis in eos collocetur; post usurpata priùs verò vomitoria, & quando ad se nonnihil rediit æger, convenientia emetica sæpiùs iterata fructuosè admitti nequaquam negamus, quòd hâc ratione tam fomes mali, quàm id, quod de suspectissima excrementorum visciditate aut materia peccante circa vias primas residuum est, penitusque sic eliminari queat.

His in curatione apoplectici paroxysmi præmissis, & corpore ritè rectèque postmodùm expurgato ad sudorificorum maximorum, quorum mentio in antecedentibus capitulis passim facta fuit, nos remittit usum, ut omnia & singula hujus characteris recrementa, quæ in vasis aut corporis habitu adhuc delitescunt, ne paralysis exinde fiat, radicitùs exstirpentur removeanturque. Cumprimis autem hic laudat stannum diaphoretic. seu sudorificum suum maximum, cujus virtus ut ex superioribus jam nobis cognita est, ita notatu existit dignum, quod sudorifica illa cum essentiis calidis (quo epitheto ardentes & cum spiritu vini optimo factas denotat) porrigere præstat: Ut enim juxta Helmontium medicamenta vix nobilitatis alicujus aut singularis præstantiæ titulum sibi vendicare possunt, nisi cum spiritu vini sint nupta, ita tantùm abest, ut noceant eadem, ut potiùs abditissima corporis nostri loca penetrare, ac sudorem efficaciter sic suscitare queant. Atque hæc sunt, quæ Autor pro apoplexiæ medela hîc adnotavit, quam nos etiam in praxi nostra omni ex parte observamus, eamque cum fortunato successu hactenùs præsertim in ipso paroxysmo alchohol aceti virtute vomitoriâ nobilitatum, cui insuper unam aut alteram guttam de oleo cinam. destillato (quod spiritus vitales mirè reficit, & proinde hoc ipso nares apoplectici etiam intrinsecùs illinere tunc solemus) addere consuevimus, sine ulla dubitatione adhibendo sequuti fuimus: Ubi pariliter fatemur amissam loquelam, nempè familiarem illam apoplexiæ prolem certiori subsidio restitui non posse, quàm emeticorum iteratorum auxilio, id quod toties probatâ experientiâ fulti bonâ fide testamur. Oleum succin. alb. stillat. tam extra quàm intra ad habitum probatissimi experimenti laudem sustinere sæpiùs sæpiùsque etiam comperti sumus: Post vomitoria utilissimè omninò enemata nobis sueta aliquoties, iteravimus, spiritum nostrum cephalicum, item sudorifica nobiliora & sanguinem pariter renovantia nempe tinctur. corall. veram atque tinctur. antimonii utramque nostram dedimus, & ita apoplexiæ curam ex voto absolvimus; non enim pluralitas, sed bonitas remediorum hîc respicienda est, quæ Medicum verâ celebritate ac felicitatis famâ unicè exornat, Reliqua quæ hîc animadvertenda fortè se afferunt, morbi circumstantiæ docto Medico facilè insinuabunt, &c. *Christian. Langius Patholog. animat.*

Methodus, Therapeutica, aut est *curatoria ad paroxysmum*, quando ingruit aut *præservatoria* ad ipsum, ne redeat, præcavendum; prior ad *apoplexiam* omnem, altera tantùm ad *habitualem* spectat.

Morbi insultu facto, (si non à capitis læsione externa, aut vehementi, præcedat) quamvis nescitur utrum à *causa* invincibili (cujusmodi sunt sanguis in cerebro *extravasatus* aut *abscessus* disruptus) excitetur, necne; utcunque *Therapeiam* ejus operâ sedulâ conari debemus. Et quia *sanguis* nimis turgens causam morbificam inferre, aut saltem augere, eandemque subsidens, & sedatior factus, nonnunquam auferre solet; idcirco imprimis de cursu ejus moderando deliberare oportet. Atque hîc quæstio oritur de *Ægrotantis situ*; nempè utrùm mox in *lecto* reponi, vel annon extra eum aliquandiu detineri debeat? Nonnulli posterius hoc religiosè observant, nec sine ratione; quia nimirùm in *lecto* major ad *somnolentiam* propensio est, atque *sanguis* propter ambientem strati calorem magis effervescens, & uberiùs efflagrans, plus materiæ recrementitiæ usque in *cerebellum affectum* suffundit: è contrà, dum *Ægrotans* tenuiter vestitus in *cathedra* locatur, sanguis tardius fluit, atque vasa subsidentia, ad humores ex ἐγκεφάλῳ resorbendos potiùs, quàm ad eos illuc mittendos aptiora videntur. Quapropter si Patiens satis robustus fuerit, expediat forsan, per 6. aut 8. horas, donec materiæ morbificæ fluxio prætereat, & sanguinis cursus *phlebotomia*, aliisque remediis sedulò adhibitis, sedatior fiat, eum *extra lectum* manere; imbecilles autem, & qui tenellæ sunt constitutionis, quamprimùm percussi mox cubili committantur. *Ægrotantis* sive in lecto, sive extra ipsum, *situs* non sit *supinus* sed capite nonnihil erecto, ac ad latus, modò unum, modò alterum inclinato.

Phlebotomia, in quibusvis ferè apoplecticis necessaria, minimè *differatur*: verùm *enemate acriori* injecto *sanguis* copiosè detrahatur. *In clystere* dissolvatur *species hieræ diacolocynth.* ac *infusio*

fusio croci metallorum turbida. Vesicatorium amplum *cervici*, aliaque *cruribus* & *cataplasmata* attrahentia pedibus applicentur: tempora & *nares oleis* aut balsamis appropriatis illinantur, atque *membrorum* immò totiùs ferè corporis *frictiones* dolorificæ instituantur: Interim quæ spiritus animales exuscitent, & vinculis expediant, scilicet *sp. C. C. fuliginis*, & *similia* cum *julapio cephalico* subinde propinentur.

Post hæc ægrotante cubili imposito, (si ad *vomendum* satis facilis, & potens videtur) *emeticum ex sale vitrioli, oxymelite scillitico*, aut *ex infusione croci metallorum* exhibeatur, & subinde pennâ gutturi intrusâ vomitio quater aut quinquies proritetur, liquore possetico ex intervallis infuso.

Vomitione peractâ confortantia, uti *elixyr vitæ, Quercetani*, *spiritus lavendulæ*, aut *theriacalis camphoratus*, *tinctura pœoniæ*, aut *corallii* cum aquis apoplecticis, aliisque appropriatis in dosi convenienti exhibeantur, & prout res exigit, repetantur. Die secundo iisdem remediis adhuc continuatis, insuper *cucurbitulæ siccæ* aut *scarificatæ* circa homoplatas, aut cervicem applicentur; aut si plus sanguinis detrahere oportebit, *vena jugularis* aperiatur; enema repetatur; *spiritus salis armoniaci* aut *suffitus ex Galbano in aceto acerrimo cocto naribus* admoveatur. Insuper *errhina*, & *apophlegmatismi* usurpentur: Dein vesperi *catharsis ex pilulis Rudii*, vel *electuario rosar. solut.* in liquore quovis dissolutis instituatur.

Hisce nihil juvantibus, etsi spes tenuis aut nulla est, *capitis vertici raso* aut *ferrum candens*, aut *vesicatorium* amplum imponatur; reliqua pars ejus, ac imprimis *frons*, & sinciput foveatur *aceto bezoardico*; *hirudines temporibus* aut post *aures* applicentur, *spiritus C. C.* aut *fuliginis* in majori dosi, & sæpiùs infundantur; his, aliisque administrationum modis insistendum erit, donec mors in propinquo esse videbitur, quam scilicet (uti *Celsus* habet) *ejusmodi remedia sæpè tantùm differunt, atque vitam interim infestant.*

Methodus prophylactica respicit tum eos, qui *insultibus* scilicet uno aut pluribus priùs tentati fuerunt, tum & eos qui in hos proclives videntur, utpote qui à *Parentibus apoplecticis* enascuntur, aut qui *vertigini*, *incubo* aut *lipothymiæ* crebris obnoxii sunt, etiam qui collum brevius & torosum habent.

Vere & autumno catharsis, *& phlebotomiæ* (ubi conveniet) instituatur; quoad prius, qui ad *vomendum* faciles sunt *emeticum* imprimis sumant *ex infusione croci metallorum*, cum sale vitrioli, vel ex *sulphure antimonii*; & dein per tres aut quatuor vices repetatur: *fontanellæ* duæ amplæ juxta homoplatas excitentur, vel, si loca ista quibusdam non arrident, unam illi in *brachio*, alteramque in crure opposito gestent.

Diebus aliis à purgatione vacuis, *medicamenta alterantia & cephalica* bis in die sumantur.

℞. Conserv. flor. lilior. convallium (vel pœoniæ maris) ℥ vj. pulv. rad. pœon maris ʒ ß. cranii humani præp. ʒ iij. sem. & flor. pœon. maris pulv. ana ʒ ij. corallii rubr. præp. margar. & succin. albiss. ana ʒ j. salis corallii ℈ iv. syrup. è floribus pœoniæ maris, q. s. f. electuarium dosis ℥ ij. manè & vesperi superbibendo aquæ sequentis ℥ ij. vel ℥ iij.

℞. Rad. pœon. maris, angelicæ, imperatoriæ ana ℔ ß. rad. zedoar. galang. minor. ana ℥ j. folior. visc. pomor. rutæ, salviæ, betonicæ ana m. iv. cort. exteriores 10. aurant. & 8. limonior. cardam. cariophyll. nucis moschat. ana ℥ ß. omnibus conscissis & contusis affunde vini albi (in quo stercoris pavonis ℔ ij. per diem infundebantur) ℔ x. claus. infundantur per triduum, dein destill. s. art. liquor totus misc.

℞. Specier. Diambræ ʒ ij. pulv. rad. pœoniæ maris, zedoar. select. ana ʒ i ß. marg. ʒ j. ol. succini puriss. ʒ ß. sacchar. albiss. solut. in aq. pœoniæ & ad tabul. coct. ℥ vj. f. s. a. tabul. pond. ʒ ß. Patiens comedat j. vel ij. sæpiùs in die ad libitum.

Intra dies 15. aut 20. remedia, quò minùs tædio & plus emolumento fuerint, mutari debent; itaque loco *electuarii* substituatur per duas vel tres septimanas, modò spiritus salis armoniac. succinat. aut coralliatus, aut cranio aut castoreo impregnatus; modò elixir pœoniæ aut tinctura succini, vel corallii, aut elixir vitæ Quercetani aut mixtura simplex: etiam loco istius aquæ compositæ propinentur, vel aq. cerasor. nigror. vel jugland. vel rorismarini, vel lavendulæ simplicis, modò haustus liquoris possetici, cum floribus pœon. maris aut lilior. convallium incoctis, vel haustus Teæ vel Coffeé tempore matutino, (aquæ è qua paratur priùs incoquendo ejusmodi ingredientia:) vel paretur confectio chocolatæ ad hunc modum.

℞. Pul. rad. pœoniæ maris, cranii humani præp. ana ℥ ß. specier. diambræ ʒ ij. f. pulv. cujus singulis chartis adde carn. nucleor. cacoe ℔ j. sacchar. q. s. f. confect. sumat hujus ℥ ß. vel ʒ vj. quòque manè in haustu decocti salviæ flor. pœoniæ, aut similium.

℞. Pulv. radic. pœoniæ maris, cranii humani præp. ana ℥ i ß. rad. zedoar. select. dictamn. cret. angelic. contrayervæ; ana ʒ ij. f. pulvis omnium subtilis, adde flaved. aurant. & limonii conditi ana ℥ ij. simul terantur in pulverem, sumat circa ʒ ß, vel ʒ j. horam 1. ante & post pastum.

℞. Pro potu ordinario doliolum iv. congiorum impleatur Allâ mediocri, cui incoquantur folior. marrubii albi odorati siccati m. vj. fruct. anacardin. cardamom. ana ℥ i ß. conscis. & contus. f. sacculus.

Imprimis verò exacta victûs ratio institui debet. Aër temperatus, siccus & benè perflatus eligatur; cibi tantùm eupepti, & tenues comedantur. Cœna sit parca, aut nulla; somnus meridianus, compotationes, aliæque circa res non naturales consuetudines malæ vitentur. *Thom. Willis de Apoplexia.*

Cùm levi etiam apoplexiâ correpti vix possint ab interitu vindicari, summa esse debet Medici sollicitudo, ut eos, qui in hanc perniciosissimam affectionem propensi sunt, ab ejus insultu præservet. Cùm itaque apoplexiæ causa sit melancholia, præcipuus esse debet omnis præcautionis scopus ut hujus humoris generatio prohibeatur, idem genitus evacuetur, temperetur, ne congenita aciditas evecta aliquando vires suas exerat, & sanguinem figens horrenda inferat apo-

plexiæ symptomata. Cerebri etiam quod præcipua est hujus affectionis sedes, tuendum est robur.

In primis itaque rerum nonnaturalium usus in hos scopos dirigi debet; nec solùm humoris melancholici ratio habenda est, sed etiam eorum omnium quæ possunt ad illius generationem quomodocumque conducere, aut illius activitatem augere, aut ad ejus effectus perniciosissimos producendos, aut accelerandos conferre, cujusmodi sunt præcipuè plethora & cacochymia pituitosa & morbi varii præcipuè cerebri. Quia verò hyeme & tempestatibus humidis frequentiùs invadit apoplexia tunc major debet esse cura eorum qui in hunc morbum propensi sunt, cavendo ne ab aëris intemperie noxa aliqua suscipiatur, aut si quæ suscepta est emendetur. Quæ præstantissima sint ad præcautionem præsidia facilè erit intelligere ex iis quæ dicentur in hujus morbi curatione, quam jam aggredior.

Cùm apoplexia sit abolitio functionum omnium animalium exceptâ respiratione &c. à prohibito spirituum animalium influxu propter obstructionem ductuum cerebri excitatam ab humore melancholico figente sanguinem, ab hoc morbo indicatur obstructionis solutio, & causæ illam efficientis remotio, quibus omnibus citissime prospiciendum est, cùm primò succi melancholici afflatu sanguis incipit concrescere; quandoquidem magna & consummata concretio, omnem remediorum vim eludit. Cùm verò morbus non modò præceps sit, sed etiam magnus & perniciosus, præter Medici diligentiam, maxima etiam requirit auxilia. Quæ verò magna vocantur auxilia sunt sanguinis missio & purgatio de quibus inquirendum est an & quomodo conferant apoplecticis, sumpto à sanguinis missione inquisitionis exordio.

Quanta sit vis missionis sanguinis ad apoplexiam ejusque causam debellandam experientia quotidiana commonstrat, cùm plerique solâ sanguinis missione tempestivè administratâ statim à sævissimo hoc morbo vindicentur, eâ vel neglectâ vel in longius tempus dilatâ quæ reliqua adhibentur auxilia nullam plerumque conferant utilitatem, ægrique symptomatum violentiâ de medio tollantur. Quapropter non immeritò in omnium ore est illud Celsi lib. 3. c. ult. ubi dicit *sanguinis detractionem in apoplexia vel occidere vel liberare, aliud verò curationis genus vix unquam sanitatem restituere, sæpè mortem tantùm differre, vitam interim infestare.* His addit *si post sanguinis missionem non redeat & motus & mens, nihil spei superesse; si redeat, sanitatem quoque respici.*

Practicorum autoritas & fausti hujus auxilii eventus, quanti facienda sit in apoplexia sanguinis missio satis suadent iis, qui alios tantùm sequuntur, eorum quæ agunt rationes nosse parùm curant, satis esse existimantes ad famam tuendam, si magni Medici in similibus occasionibus similiter se gerant. Quia verò convenientem auxiliorum modum ii tantùm possunt adhibere, qui ex perspecta morbi natura ejus curationem instituunt, demonstrandum nobis est, ex idea apoplexiæ ejusque causa juxta doctrinam hactenùs stabilitam, quanta sit in hoc morbo necessitas sanguinis missionis, & quæ debeant esse in hoc auxilio administrando præcautiones.

Missionem sanguinis per se indicat plenitudo, seu in toto corpore, seu in parte aliqua cumulata; ea verò aliquando totum apoplecticorum corpus gravat: certè semper cerebrum & pulmones infestat, ex demonstratis, ac proinde, in apoplexia semper indicatur sanguinis missio per se ratione plenitudinis, & per accidens ratione coagulationis sanguinis quam plenitudo adjuvat, & ratione obstructionum quas fovet, ut patet ex dictis. Plenitudine pulmones infestari manifestum ex difficultate respirandi, ex ruptione vasorum quæ aliquando contingit cum effusione sanguinis in thoracis cavitatem, ex pulmonum distentione, quæ aliquando perseverat aperto thorace eorum qui apoplexiâ extincti sunt. Plenitudinem cerebri demonstrant venarum jugularium distentio in vehementi apoplexia, vasorum sanguineorum in cerebro ruptio, & sanguinis effusio satis frequens in ventriculos cerebri aut circa cerebrum.

Utilitas venæ-sectionis statim perspecta erit perpendenti apoplexiæ causas & symptomata & quæ sanguinis missionem necessariò sequuntur. Undecumque mittatur sanguis totius plenitudo minuitur; sed præcipuè ea quæ cerebrum & pulmones gravat, si vena aliqua, ex iis aperiatur, quæ sanguinem reducem in cavam ascendentem convehunt. Cùm enim qui sic effunditur sanguis, ab illo alveo subducatur, minor quàm antea illius quantitas in pulmones influit hincque fit ut qui eorum vasa distendit per angustiores ductus faciliùs in cor elutrietur, indeque in arterias: subducto etiam sanguinis in jugularibus stagnantis impedimento, qui ad cerebrum defertur, faciliùs ad cor remeat, tum proprio pondere, tum ejus impulsu qui per arterias advehitur. Ob hæc omnia celeriùs quàm anteà sanguis movetur in vasis, à coagulatione prohibetur, & qui in ductibus exilioribus incipiebat concrescere, ibique hærebat, inde extruditur, & validiore agitatione suæ fluiditati restituitur; ac denique quæ occlusæ erant sanguinis & spirituum viæ reserantur. Ad hoc etiam confert restitutus per venæ-sectionem liberior sanguinis motus, ut quæ exhibentur sanguinem solventia medicamina ad cerebrum uberiùs deferantur, & expectatam conferant utilitatem; nec enim facilè ad partis cujusquam interiora penetrare possunt, nisi cum sanguine ad ea devolvantur. Eâ de causâ statim in prima morbi invasione mittendus est sanguis, *dum* ut ait Hippocrates *adhuc elevati sunt spiritus*, dum viget sanguinis calor & fluiditas, si enim hoc auxilium differatur & sanguis penitùs in vasis concrescat, nulla expectanda ex missione sanguinis, aut aliis auxiliis utilitas: cùm à consummata coagulatione non detur regressus. Si enim in cerebri vasis fiat ejus coagulatio, immedicabilem inducet resolutionem: si acidum ad cor delatum in ejus ventriculis & vasis vicinis omninò figat sanguinem apoplexiæ syncopem copulabit, quæ subitò interimet ægrotantem: sic apud Petrum Salium diversum l. de particularibus affect. c. 4. puella 14. annorum, cùm per diem capitis gravitatem, vertigines & anxietates passa esset, qui proculdubio erant apoplexiæ prodromi, die sequenti subitò extincta est. Secto post mortem cadavere, in arteria magna & in vena cava totus sanguis concretus apparuit, ut apprehenso illius altero principio, ita integer ex vena & arteria educeretur, ac gladius è vagina extrahi solet. Adde quod ad eam coagulationem

vix

vix potest perveniri, quin à sanguinis cum impetu ruentis & exitum non invenientis conatu vasa cerebri rumpantur, & magna sanguinis copia effundatur, unde mors certissima est expectanda. Citissimè itaque administrandum est sanguinis missionis præsidium apoplecticis, nec expectandum est, cùm res urget, ut clyster aut quodcumque aliud remedium præmittatur: maximè verò in plethoricis, quos sanos apoplexia invadit, quibus, inquit Hippocrates, l. 4. de diæta in acutis *ut plurimùm coincidunt rubores faciei, oculorum immobilitates, manuum distentiones, dentium stridores, pulsationes, maxillarum adductio*: his inquam liberalis convenit sanguinis profusio, juxta præceptum Hippocratis eodem loco. *Venam igitur secare oportet in dextro internam, & detrahere sanguinem, secundùm habitum & ætatem initâ ratione; plus aut minùs.* Ubi æqualis est utrinque affectio venam in dextro brachio secare satiùs existimo, quàm in sinistro, quia in illo ob majus exercitium, vasa sunt latiora, quàm in isto, ex quibus proinde largiore factâ sanguinis profusione, major & magis subita contingit in sanguine mutatio. Unde meritò Hippocrates per venam internam creditur designare magnam. In brachio autem præscribitur venæ-sectio, quia misso ex ea parte sanguine plenitudini totius & speciatim cerebri & pulmonum prospicitur. Ut citiùs minuatur plenitudo universalis, quidam eodem tempore in utroque brachio venam aperiunt. Capivaccius l. 1. pract. c. 17. spatio horarum 12. tres venas aperiendas monet, in brachio, in pede, in capite; scilicet ad vacuandum, revellendum, derivandum. Verùm horum indicatio desumi debet à copia & à motu humorum, quem designant: non solùm præsentia symptomata, sed etiam quæ præcessere, & apoplexiæ dederunt occasionem. Vires, quæ qualem in mittendo sanguine oporteat modum servare indicant, æstimandæ sunt non ex impotentia præsenti, sed ex robore ægrotantis ante morbi invasionem, quo fit ut etiam pulsu ferè deficiente aliquando mitti debeat sanguis, nec metuenda est ob sanguinis missionem perfrigeratio, concitato enim in motum sanguine & prohibita coagulatione redit calor, fitque vegetior, qui quiete sanguinis penitùs extinguitur. Nullus itaque apoplecticus à venæ sectione immunis esse debet, nisi summa virium dejectio prohibeat. An eæ sint penitùs exolutæ judicabitur ex respirationis læsione, faciei pallore & concidentia, extremorum aut etiam totius corporis perfrigeratione, sudore post angustiam respirationis. His enim omnibus mors proxima significatur, & inutile foret missionis sanguinis præsidium. Hîc subit mirari Medicos, qui existimantes apoplexiæ causam esse pituitam crassam & viscidam obstruentem cerebri ventriculos aut ipsos nervos, nihilominùs venæsectionem præscribunt; nec enim video quem sibi scopum proponant, nec quâ ratione misso sanguine, tam subitò obstructio solvatur. Quò enim tam subitò abit pituita crassa? Quas ipsi, ut inde evacuetur vias aperit sanguinis missio? An illam attenuat, incidit, ac fluidam reddit?

Postquam, sectâ in brachio venâ imminuta est universalis plenitudo, partes præcipuè afflictæ sublevandæ sunt: ad quod præstantissimum est præsidium venarum jugularium apertio, à quibus, ob earum magnitudinem affatim profunditur sanguis, quo restagnante cerebrum gravabatur; & pulmones hoc onere detracto minùs premuntur, ac parciore affluente sanguine, faciliùs quem continent deponunt in arterias & sinistrum cordis ventriculum: ac tandem liberiore reddito sanguinis fluxu coagulatio impeditur, obstructiones solvuntur, functiones animales sensim restituuntur. Circa apertionem venarum jugularium experientia suffragatur rationi, eòque faciliùs eæ venæ tundi possunt, quod cùm in hoc affectu tumidiores sint, nulla opus est ligatura, quæ hic posset esse noxia, quæque eam ob causam post venarum jugularium apertionem non est arctè adhibenda, sed vulneri imponendum est emplastrum ex bolo armeno, aloë, pilis leporinis & ovi albumine, ac sine constrictione deligandum.

Si non sit locus venæ-sectioni ob virium dejectionem applicandæ sunt cucurbitulæ cum scarificatione scapulis, lumbis, cruribus, brachiis, uni vel pluribus ex illis locis: prout vacuandi, revellendi, derivandi necessitas indicabit.

Hirudines margini ani applicatas conferre ex eo manifestum est, quod spontanea hæmorrhoidum apertio salutaris est, monente Hippocrate loco supra citato. Tum verò sunt potissimùm utiles quando in partibus infimi ventris collecta est ingens humoris atrabilarii colluvies, & sublato plenitudinis excessu hirudines applicantur, tum enim & reliquam plenitudinem tollunt, sanguinem atrabilarium evacuant, ejusque qui fit ad superiora motum retrahunt ad opposita. Eædem hirudines venis capitis affixæ, post generales evacuationes & revulsiones juvant: Nec non cucurbitula sincipiti aut occipiti applicita cum scarificatione, sed cavendum ne ante adhibeatur quàm instituta sit conveniens evacuatio & revulsio, aliàs humorum motum ad superiora concitaret.

Frictiones etiam sunt utiles non solùm quia revellendi vim quandam obtinent, & calefaciendo sanguinem attenuant, sed etiam quia sopitam animalem facultatem excitant & majorem torporem impediunt.

In apoplexia quæ comitem habet causam concitantem plenitudinem, quam signa suprà memorata designant, mittendus est statim sanguis largâ manu, juxta præscriptum Hippocratis nullâ adhibitâ præcautione, quia vires sunt remedio ferendo pares, & periculum urget. Quando verò non adest plethora, sed humorum acrium ingens copia melancholiæ scilicet acidioris multitudo aut exaltatio apoplexiam inducit, quod indicant dolores prægressi, fomenta venæ-sectioni præmittere jubet Hippocrates, nec abs re. Cùm enim venæ inflammentur ac exsiccentur angustioresque fiant, & sanguis sensim concrescat, si iis occurratur per fomenta emollientia, calefacientia, attenuantia, sanguis faciliùs fluet suoque rapido motu quod concrescere incipit, à dilatatis & mollioribus factis vasis capillaribus absterget, si statim post fomentum aut in ipso fomenti usu vena secetur; aliàs metuendum est ne per venæ sectionem tenuior sanguinis portio effluat, crassiore & coagulari incipiente relictâ, quæ mox exhibendi cathartici effectum impediat: fovendum autem est præcipuè caput, cùm in eo maximum immineat à coagulatione periculum, deinde hipocondria, sed & fomenta & venæ-sectio in ipso sunt morbi principio usurpanda, dum adhuc sunt elevati spiritus.

Postquàm demonstravimus missionis sanguinis in apoplexia necessitatem, inquirendum superest an in hoc morbo aliqua sit necessitas purgationis. Cùm præcipua apoplexiæ causa sit melancholia, qualitate, aciditatis scilicet excessu aut acerbitate peccans, evidens est humorem illum cùm à natura sit alienus, sui evacuationem indicare, eòque magis, quòd periculum præsens est, nec datur etiam multo tempore ab aciditate ad benigniorem & spirituosam aut balsamicam naturam reditus: multoque magis adhuc indicatur purgatio si cacochymiæ melancholicæ pituitosa conjungatur. Nec post sanguinis missionem, sublatâ è toto aut è cerebro plethorâ, majorem patitur dilationem purgatio, quàm venæ sectio post apoplexiæ invasionem, nisi vires dejectæ ad refectionem moram postulent. Quapropter sine ullo temporis delectu purgatio est quàm citissimè præscribenda. Nisi enim statim fluidiore reddito sanguine per venæsectionem, & obstructionibus cerebri & pulmonum ex parte solutis, aut earum augmento prohibito, dum adhuc elevati sunt spiritus, medicamentum exhibeatur catharticum, sensim progrediente sanguinis coagulatione, tam pertinax effici poterit partium sanguinis, & humorum ipsi permistorum inter se cohæsio, ut omnium purgantium vim eludant: imò poterit purgantis ad partes potissimùm affectas distributio aut omninò, aut saltem ex parte, viis per coagulationem sanguinis angustioribus factis, prohiberi. Nec qualecumque est exhibendum medicamentum sed vehemens, tale enim indicat, humoris peccantis natura, sanguinis dispositio & ipse locus affectus. Ad primum spectat aphor. 9. sect 4. *melancholicos vehementer purgabis per inferiora* Nec enim movetur melancholia nisi mochlico medicamento à reliquis humoribus divellatur. Sanguis verò concrescens aut ad concrescendum proximè dispositus non facilè contenta dimittit, sed valido indiget fermento ut fervescat, & partium secretionem patiatur. Denique cùm non è ventriculo & primis viis educendus sit humor, sed è tota sanguinis massa, & potissimùm è cerebro, necesse est, ut per totum corpus purgantis vis diffundatur, & integra ad caput perveniat, quò nunquam pertinget purgans debile.

Erunt itaque conveniens medicamenti purgantis materia diacarthami, trochisci alhandal, hiera diacolocynthidos, sed maximè vinum emeticum quod, ut per inferiora purget in sennæ infuso dissolvitur. Nec sola vis purgandi vinum emeticum commendat, sed etiam ob insignem, qua pollet, vim sanguinis coagulationem impediendi, & coagulatum solvendi, quod inprimis hoc in morbo requiritur; ea de causa, ut vim illam in reliquis purgantibus acuant practici, illis solent castoreum permiscere.

Consideratis indicationibus inquit Hippocrates, *medicamentum purgans exhibere oportet, si non allevetur sursùm; ad inferiorem verò alvum si non subeat, infusum per clysterem.* Spectare debet Medicus quam in partem vergant humores, ut si nullus se prodat ad vomendum motus, aut dispositio, purgatio per inferiora sit instituenda, & contra: per eas enim vias optimè & cum minore ægrotantis molestia fit ope medicamenti evacuatio, in quas humores vel ex propria natura, vel ex ductuum & totius corporis dispositione spontè profluunt. Si itaque ex structura corporis, consuetudine, &c. ægrotans sit ad vomendum optimè comparatus, & nihil sit aliundè metuendum, exhibendum est ipsi emeticum. Verùm majora sunt quæ in hoc morbo vomitus inferre potest incommoda, quàm ut debeat sine meditatione promoveri. Non possunt enim musculi abdominis cùm in vomentibus contrahuntur subjecta viscera & vasa comprimere, quin sanguinem ex ipsis exprimant & ad caput propellant: undè fit, ut qui extra apoplexiam vomunt, dolorem capitis gravativum patiantur, & venarum in fronte & temporibus distentiones. Hinc patet vomitu in apoplexia concitato noxam augeri, quia cerebrum jam sanguinis statione oppletum uberiori per arterias affluxu adhuc magis impletur, cum magno periculo ruptionis vasorum, maximè quando adest plenitudo ad vasa, aut huic proxima. Tutiùs itaque semper erit per inferiora purgare, quamvis fortè aliquando vomitum concitare non esset adeò periculosum, cùm vasa non sunt humoribus distenta, & vix incipit in cerebri aut pulmonum vasis obstructio. Hic advertendus est frequens error in exhibendo vino emetico, meticulosi enim illud in minori dosi ad unciam scilicet aut sesquiunciam ad summum præscribunt, expectatoque effectu frustrati medicamentum accusant infamantque, quod in adultis & robustis debet ad uncias tres circiter exhiberi ex infusione sennæ. Clysteres acres frequenter injecti conferunt ex decocto herbarum cephalicarum, in quo dissolvenda sunt purgantia valida, diacarthami, hiera diacolocynthidos, benedicta laxativa, aqua benedicta, vinum emeticum, &c. Horum clysterum unus utiliter præmittitur venæsectioni, si quod immineat periculum patiatur dilationem venæ-sectionis; clysteres enim evacuant ac ad inferiora revellunt, & quod spirituosum est & volatile, tum in purgantibus, tum in cephalicis, in venas illapsum sanguinis fluiditatem auget.

Nec negligenda sunt ab ipso principio quæ intùs assumpta effervescentiam sanguinis augent, spiritus recocillant, calorem deficientem suscitant, præsertim post venæ-sectionem in plethoricis, in reliquis tum ante, tum post præstantissima sunt maximè spirituosa, & quæ sale volatili abundant, cujusmodi sunt aquæ apoplecticæ multiplicis generis, spiritus vini tartarisatus, olea stillatitia anisi, rorismarini, salviæ, caryophyllorum, & similium cum aqua aliqua cephalica. Magnam inprimis & repentinam conferunt utilitatem sales volatiles à corporum concretione separati depuratique, cujusmodi sunt sales volatiles salis armoniaci, fuliginis, sanguinis, cornu cervi, inter quos primas obtinet sal volatilis viperarum. Sales illi citissimè totam sanguinis massam pervadunt, fluidioremque reddunt, acidorum vim infringunt, sanguinis grumos dissolvunt. Prætereo Theriacam veterem, Mithridatium & varias potiones, ex usu præsenti & prout varia medicamenta reperiuntur, parabiles quibus castoreum cum summa utilitate admiscetur.

Extrinsecùs illinuntur palatum, nares, aures, balsamis apoplecticis, theriacâ, mithridatio, confectione anacardina, & similibus cum castoreo. Ista prosunt quia eorum partes magis volatiles in venas capillares penetrando sanguinem fundunt, & vias, quibus humores crassi evacuantur, aperiunt præcipuè circa fauces.

Vesicantia capiti, cervici, brachiis, cruribus empla-

emplastra epispatica pedibus applicata sunt alicujus utilitatis, non tam serum eliciendo, quàm aliquando quod concrescibile est.

A prima invasione morbi ægrotans ita in lecto collocetur, ut corporis truncus non sit omninò erectus; hoc enim esset nimis laboriosum & ægrotanti & adstantibus, sed parùm inclinatus: sic enim abdominis visceribus deorsùm procumbentibus, & diaphragmate ab eorum pressione libero, facilior erit respiratio, sanguis superiora petet minore impetu & faciliùs inde defluet ad inferiora.

Succussiones possunt esse alicujus utilitatis vacuato corpore: At in plethoricis & cacochymiâ pituitosâ laborantibus mortem accelerant. *Franc. Bayle de apoplexia.*

Frictiones fiant circa venas jugulares. Palato inungatur castoreum in aqua appropriata solutum. Conferunt & *revulsiones si adsit plethora* vena secatur, cum foramine amplo, quod cerato ex aloës p. j. thur. p. ij. & pilis leporinis ustis agglutinari potest ac debet. *Purgantia & vomitoria* sint in forma liquida saporis ingrati, cum oleo stillat. macis & aquis appropriatis. *Discutientia* in humore crassiori debent esse mitiora. Conveniunt spiritus vitriol. apoplecticus, sal apoplect. compos. Mynsichti, vel sal ex capite mortuo aq. apoplect. paratum, acetum rutaceum vel appropriatum. It. sal. bened. vitriolatum. *Fortes clysteres* ex revellentibus fortioribus specificis ac pituitam educentibus. Glandes item fortes ex specif. stimulantibus. *Lingua* theriacâ, salibus appropriatis admixtis illinatur.

Appropriata sunt semen sinapi & erucæ, aquæ apoplecticæ variæ impr. mynsichti, aq. lil. convall. cum vino, aqua primulæ veris essent. flor. anthos. salv. lil. convall. cum spiritu propr. spir. cerebri humani, sang. hum. spir. vitriol. volat. Balsamus apoplect. Crollii, essentia ligni sancti &c.

Externè species diabalaust. myns. lixiv. sapient. & cucuphæ exiccantes.

♃. Herb. rutæ salv. cent. min. origan. ana m. j. flor. salv. lil. convall. primul. veris sthœcad. arab. ana p. j. rad. aristol. rotund. cyclam. ana ℥ j. sem. cartham. in pet. ligat. ʒ vj. agaric. ʒ ij. coq. in s. q. aq. commun. col.

♃. ℥ vi. vel viij. in quibus dissolv. hier. picr. cum agaric. ℥ j. fell. taurin. inspiss. ʒ i ß. sal. apoplect. vel rutæ ʒ j. mellis anthosati ℥ j. f. l. a. clysma.

♃. Herb. rut. rorismar. origan. fol. asari ana m. j. flor. sthœcad. arab. cent. min. lil. convall. ana p. j. rad. aristoloch. rotund. ℥ j. imperat. pyrethri ana ℥ß. sem. cartham. in pet. lig. ʒ vj. agar. albiss. ʒ i ß. pulp. coloc. in pet. lig. ℈ j. coq. in s. q. aq. commun. col.

♃. ℥ viij. in quibus dissolve elect. hier. picr. cum agar. bened. laxat. ana ℥ß. succ. rut. inspiss. ʒß. extract. castor. gr. vj. m. f. l. a. clysma.

Possunt quoque massæ pilulares dissolvi in clysteribus, dissolvuntur scilicet à ʒ j. ad ʒ ij. in decocto. Potest etiam clysteribus addi ol. diacoloc. quercet. Et pro *ditioribus* olea destillata exempli gratia oleum salv. rut. rorismar. ac melioris penetrationis ergo ess. salv. rorismar. & lil. convall.

♃. Spec. hier. picr. cum agaric. ℥ iij. pulv. elleb. alb. ℈ ß. sal. apoplect. vel rut. ℈ j. c. s. q. mellis anthosati f. l. a. suppositoria num. II. illinantur oleo diacoloc. Quercet.

♃. Fell. taur. inspiss. ʒ j. succ. rut. inspiss. ℈ j. succ. cent. min. inspiss. ℈ ß. sal. rut. ℈ j. c. s. q. mellis anthosati f. l. a. suppositoria. Inungantur unguento clysmatico. Castoreum vel ejus extractum quoque potest addi, vel inungi supposit. ol. castorei.

♃. Aq. ceras. nigr. lil. convall. c. vin. meliss. c. v. ana ℥ j. apoplect. ʒ ij. ess. flor. anth. lil. convall. ana ʒ j. salv. ℈ ij. Q. E. Matthiol. ʒ j. syrup. de betonic. ℥ j. misce.

♃. Aq. apoplect. opt. ℥ j. lil. convall. ceras. nigr. ana ℥ i ß. spir. primul. ver. ʒ ß. syrup. flor. tunic. ℥ i ß. m.

♃. Aq. meliss. c. vin. lil. convall. c. vin. ana ℥ ij. apoplect. cum moscho & ambrâ ʒ vj. spir. lil. convall. ʒ j. acet. rutac. acet. apoplect. ana ℥ß.

♃. Aq. meliss. cum v. aq. lil. convall. c. v. ana ℥ i ß. specif. cephalic. ʒ i ß. syrup. flor. tunic. betonic. ana ʒ vj. m.

♃. Flor. anthos flor. meliss. flor. salv. ana p. ij. cubebar. cardamom. ana ʒ ß. rad. ireos Florent. ʒ j. f. l. a. nodulus c. stylo.

♃. Balsam. majoran. balsam. rut. balsam. succin. ana ℈ i ß. balsam. apoplect. Crollii ℈ j. misce.

♃. Extract. salv. extract. theriacal. ana ℈ j. sp. lil. convall. sp. ceras. nigr. ana ℈ ß. m.

♃. Sp. ceras. nigr. spir. eruc. ana ʒ j. syrup. flor. tunic. ʒ ij. m.

♃. Theriac. veter. ʒ j. confect. anacard. ℈ ij. essent. salv. ℈ j. m. *Externè* applicentur medicamenta principio nervorum.

Extra paroxysmum: ♃. Sal. vitriol. ℈ ij. s. ʒ j. dissolv. in s. q. aq. salv. Adde syrup. de beton. ʒ iij. m.

♃. Fol. S. S. S. elect. ʒ i j. agar. albiss. ʒ ij. flor. primul. veris fl. anthos ana p. ij. cardamom. cubeb. ana ʒ ß. Infund. in s. q. aq. salviæ & ceras. nigr. stent in infus. per 24. horas colat. adde syrup. de beton. ʒ iij. scam. sulphurat. gr. v. m.

♃. Extract. diacartham. ℈ j. dissolv. in s. q. aq. primul. veris vel lil. convall. c. vino adde resin. jalap. gr. v. syrup. de sthæcad. ʒ iij. m.

♃. Mass. pil. de succino Crat. pilul. cochiar. ana ℈ ß. extract. troch. alh. gr. ij. vel iij. c. s. q. ol. stillat. majoran. f. l. a. Pilul. num. XIX.

♃. Extract. diacarth. ℈ j. trochisc. alhand. gr. ij. castor. gr. iij. c. ol. stillat. salv. f. l. a. pil.

♃. Pulv. rad. jalappæ ℈ j. scammon. sulphurat. gr. v. ol. stillat. majoran. gr. ij. m.

♃. Fl. primul. veris flor. lil. convall. fl. tunic. flor. sthæcad. Arab. anthos, flor. beton. ana p. ij. rad. aristol. rot. ℥ j. rad. pœon. ℥ ß. fol. S. S. S. elect. ℥ j. sem. cartham. ʒ vj. agaric. albiss. ℥ j. jalap. ℥ ß. cubebar. cardamom. ana ʒ ij. raspat. lign. sassafr. ℥ ß. sal. tartar. albiss. ʒ ij. f. l. a. Nodulus. Quod si omisso sale tartari & cæteris ingrati saporis, species reliquæ infundantur in vino, clarificenturque per manicam Hippocratis & sive saccharo sive syrupo aliquo edulcorentur, & aromatizentur & erit Claretum.

♃. Spir. ceras. nigr. lil. convall. primul. veris ana ʒ j. essent. fl. salv. ess. anthos. ess. lil. convall. ana m. ʒ ß. dosis gutt. 30. vel 40.

♃. Spir. apoplect. ℥ ß. dosis gutt. 20. vel 30.

♃. Conserv. flor. anthos, conserv. primul. veris, conserv. betonic. conserv. salv. conserv. tunic. conserv. lavendul. ana ℥ ß. succini præp. ʒ i ß. spec. diambr. spec. diamosch. ana ʒ j. cum s. q. syrup.

syrup. flor. tunic. f. l. a. electuarium liquidum. Potest etiam addi spiritus apoplecticus vel loco spir. ol. destillat. appropriata.

℞. Succin. præp. ʒ ij. spec. diamosch. dulc. spec. diambr. ana ʒ j. extract. salv. ʒ ß. c. s. q. aq. apoplect. opt. f. l. a. rotulæ.

℞. Conserv. flor. anthos, conserv. lavendul. conserv. salv. conserv. calendul. conserv. tunic. conserv. primul. veris ana ℥ ij. cubeb. cardamom. ana ℈ ij. nuc. indic. condit. ʒ iij. c. s. q. sacchar. in aq. apoplect. sol. f. l. a. morsuli. Pro ditioribus adspergi possunt ess. ambræ.

℞. Spir. apoplect. ℥ ß. tinctur. fl. tunic. tinct. fl. pœon. ana ʒ j. m. dosis gutt. 30. vel 40. Commendatur etiam sal vol. sanguin. hum. in spir. appropr. dissolutus, It. spir. cerebr. human. succin. & simil. affus. spir. vitriol. destill. & sæpiùs super cranio humano cohobatus, donec sal. vol. evehat.

Claretum corroborans.

℞. Flor. anth. fl. lavendul. fl. salv. fl. primul. veris, fl. tunic. fl. betonic. fl. calendul. ana p. ij. rad. aristol. rotund. rad. irid. florent. ana ℥ j. ras. lign. sassafr. ℥ i ß. visc. quercin. ℥ ß. n. m. nu. iij. cinamom. cass. lign. ana ʒ iij. cardamom. cubeb. ana ʒ i ß. Infund. in s. q. vini Rhenan. opt. per biduum in loco calido postea coletur per manicam Hippocratis & edulcoretur saccharo.

Externa.

℞. Flor. chamomill. Roman. p. iij. lavend. fl. primul. veris fl. stœcad. Arabic. ana p. ij. fol. laur. meliss. puleg. ana p. iij. succin. ʒ iij. gumm. juniper. ʒ i ß. benz. styrac. calam. ana ʒ j. n. m. ʒ ij. ras. lign. Rhod. ʒ iij. incis. d. ad chartam. Possunt ejusmodi species adspergi spir. lil. convall. rosar. vel ol. destill. appropr. & pro ditioribus essent. ambræ.

℞. Empl. Vigon. emplastr. de tacamahac. emplastr. carann. ana q. s. malaxentur cum balsamo Peruvian. Induc. super alutam, & obduc. syndone rubro in forma orbis medii.

℞. Ung. nervin. Aug. ℥ j. balsam. Peruvian. ʒ ij. ol. stillat. rorismar. ol. stillat. salv. ol. stillat. rut. ana gutt. vj. m. pro principio nervorum.

℞. Aq. artic. ad extr. sp. lumbr. terrestr. aq. apoplect. opt. ana ℥ ij. m.

℞. Ol. irin. ol. nicotian. ana ʒ j. ol. stillat. majoran. g. vj. m. pro educenda pituita è naso. It. turunda ex rad. iridis nostratis.

℞. Pulv. lil. convall. ʒ i ß. c. s. q. ol. nicotian. & ol. n. m. express. f. l. a. linimentum pro naribus illinendis. It. succus betæ, rad. cyclam. ex quibus turundæ cum filo parari debent.

℞. Succ. betæ, succ. anagallid. majoran. ana ℥ ß. m. ex vola manûs attrahend.

℞. Herb. majoran, herb. puleg. anagallid. ana m. j. sem. nigell. ʒ ij. fol. S.S.S. elect. ʒ i ß. agaric. albiss. ℈ ij. coq. in s. q. aq. commun. col.

℞. ℥ iv. m. Adhibetur ut succus præcedens.

℞. Ferment. acerrimi ʒ ij. pulv. canthar. ℈ j. euphorb. gr. vj. m. f. l. a. cataplasma. Commendantur etiam fonticuli, frictiones, & sinapismi. Ess. lign. præmissis universalibus ad ʒ j. singulis diebus bis: vel infus. lignorum c. aq. appropriatis: Infusum præcipuè lign. sassafr. Mynsicht. Pro exsiccatione quoque conveniunt species diabalaust. si capiti adspergantur. Item pulveres peptici post cibum sumti. Vesicatoria ex ranunculo ardente maculis nigris, plantag. aquat. flammula Jovis, cantharidibus, fermento, sinapi &c. *Joan. Michaelis Prax. clinic. general.*

Apoplexia si aliquem cum amissione pulsûs & respirationis invadit, raro; his autem salvis adhuc existentibus, difficulter, & magno labore curatur. Si igitur Patiens tali modo prosternitur, tunc pluma aut speculum ori & naribus, ad explorandum vitæ spiritum admovetur, errhinon naso insufflatur, aut fumus ex in censo sulphure per infundibulum immittitur, patiens hinc inde movetur, pectus denudatur, vena aperitur, vomitus oleo & aq. tepida excitatur, spina dorsi deorsum linteamentis calidis fricatur, lamina ignita cervici & collo propius admovetur, capilli capitis detonduntur, ac gallina nigra vivens in medio dissecta capiti calidè superligatur, postea abrasum caput oleo aut linimento aliquo calefaciente & siccante inungitur, os aperitur, ac spiritus cerasor. nigrorum, vel aqua apoplectica infunditur ac propinatur. Et si deinceps iterum ad se rediit tunc humor peccans per appropriatum medicamentum catharticum per os sumptum (vel si æger valdè debilis, per clysterem) derivatur & evacuatur. Ubi præ cæteris usus rhabarbari, tam ad præservationem, quàm curationem, quemadmodum in aliis, ita præprimis in hoc morbo, commendatur. Quin etiam cerebrum & pars mandans, per medicamenta convenientia roboratur.

Ad præservationem quotidianus Rhabarb. usus, vel in forma pulveris vel rotularum ℈ j. pondere continuatus, aquæ cephalicæ, Tabulæ, Pulveres, Balsami apoplectici & cephalici, fonticuli, purgationes, venæ-sectiones, scarificationes, sudorifera &c. Sed omnia pro dispositione causarum, ætatis, temperamenti, &c. conferunt. Utiles etiam sunt rotulæ sequentes.

℞. Spec. diambr. compl. diamosch. dulc. ana ʒ j. sacchar. albiss. in aq. borrag. dissol. ℥ iv. ol. anis. destill. g. ij. m. & f. s. a. conf. in rotulis. vel.

℞. Sacchar. in aq. ros. solut. ℥ iv. ambr. grys. gr. iv. ol. anis. still. gutt. iij. m. & f. confect. in rotulis. vel.

℞. Spec. diamosch. dulc. diambr. ana ʒ j. succin. albiss. ℈ j. ol. anis. g. iij. sacchar. in aq. lavendul. dissolv. ℥ iv. & f. orbiculi. Aut,

℞. Specier. diambr. compl. ʒ i ß. ol. succin. g. vj. ol. carui ℈ ß. sacchar. albiss. in aq. salv. solut. unc. ij. m. f. s. a. Rotulæ. De his rotulis singulis septimanis ter vel quater aliquot assumi possunt. Dimidia quoque pars nucis moschatæ masticata & comesta, proficit. Simili ratione spiritus cerasorum nigrorum, tam ad præservationem quàm ad curationem, magnarum est virium præsertim, si in libris ejus duabus specier. diambr. compl. ʒ j. in syndone suspendatur. De hoc manè jejuno stomacho, aut ventriculo existente frigido, etiam vesperi, singulis hebdomadibus bis vel ter repetendo, cochleare unum assumitur, aut guttæ duæ vel 3. vertici capitis instillantur.

Pari modo etiam sequens pulvis ad præservationem apoplexiæ summè commendatur.

℞. Rad. Sesel. Cret. ʒ j. sem. eruc. cardamom. piper. alb. ana ℈ ij. m. f. pulvis subtiliss. sæpiùs ℈ ß. vel ℈ j. quantitate in vino vel jusculo sumendus.

Vel ℞. Succin. alb. pulver. ʒ ij. specier. diambr. ʒ j. sem. carui ʒ sem. m. & f. pulv. subt. Dosis, quantum cuspidibus cultri capi potest, singulis men-

mensibus proxima die post novilunium. Nec minùs semina erucæ & carui, æquali pondere mixta, pro certo & infallibili remedio præservativo deprædicantur si singulis mensibus quater in vino albo vel brodio carnis deglutiantur; Et notum est, dicta etiam semina in affectibus pectoris & asthmate omnibus aliis remediis prævalere, ut D. Schorer in Tractatu suo Germanico de apoplexia adstipulatur. Nec verò sufficit ut materia peccans solummodo evacuetur, cerebrumque cum capite confortetur, sed modicè etiam exsiccantia requiruntur, qualia sunt, Pilulæ sine cura, de succino Cratonis, de Cynoglossa, quibus spec. diambr. compl. extract. lign. aloës, moschus & ambra addi, ac de iis una vel altera septimana grana viginti deglutiri possunt.

Ad præservationem etiam Pulvis sternutatorius ex majoran. subtiliss. pulveris. ʒ j. & balsam. apoplect. opt. gr. iij. invicem mixt. paratus, utiliter adhibetur. Apud Pauperes phlegmaticos Nicotiana non sine fructu accendenda & potanda conceditur. Pro ditioribus species Diatabaci, gratum odorem spirantes, parari possunt.

℞. Tabaci commun. (non imbuti) unc. iv. majoran. unc. sem. Rosmarin. flor. ros. rubr. fl. spic. hortens. cubeb. ana ʒ ij. nuc. mosch. ʒ j. sem. anis. ʒ ij. caryophyll. ʒ j. styrac. calamit. expr. mastich. ana ʒ ij. m. gross. mod. incis. d. in scatula. Sacculus quoque sequens in metu apoplexiæ aut catarrhi suffocativi optimum remedium est.

℞. Pulv. succin. alb. ʒ ij. inde sindoni albo vel rubro, & fiat sacculus oblongus interpassatus.

Hinc ℞. Pulv. piperis longi ʒ j. inde vitro angusti orificii, superfundendo spir. vin. opt. rectif. unc. iij. ol. succin. gr. vii. stent benè cooperta ac clausa in loco calido. Quoties deinde necessitas postulat, sacculus prædictus cum hoc spiritu præparato humectetur, & capiti, vertici, suturæque sagittali secundùm longitudinem versùs suturam coronalem & faciem superligatur, ne decidat. Thermæ Pollenses in affectibus, si ex consilio Medici secundùm rationem adhibentur, ut expertæ, proficuæ, & salutares deprædicantur.

Ad hæc, diætæ quoque, & 6. rerum non naturalium accurata est habenda ratio, ne in his peccetur, & sic damnum aliquod causetur.

Apud cholericos & sanguineos hæc præcipuè signa apoplexiam præcedunt: sano adhuc corpore facies est rosacea & rubicunda, frons & venæ oculorum turgent, ad vertiginem sunt proni, memoria est labilis, facilè inebriantur, ac confestim, antequam alii animadvertunt, prosternuntur; Et hæc apoplexia omnium est periculosissima. Et quia ita dispositi sunt, vere & autumno per usum rhabarbari, aut syrup. ros. sol. aureum expurgentur, certisque temporibus, nec semel duntaxat in anno, sed sæpiùs largiorem sanguinem, & quidem cruciatim mittant, & scarificent, ac bonam diætam observent. Fonticuli in hoc passu aut cum discrimine parentur, aut planè mittantur. Acidulæ quoque, propter refrigerationem sanguinis, & obstructionum reserationem sunt proficuæ. Cholerici etiam supradictas aquas calidiores apoplecticas fugiant, & harum loco trochiscos diambræ assumant. Morbus attonitus si magnus fuerit, vix sanatur, unde remedia non sunt adhibenda, cum natura suaptè exitialis sit: Debilis autem difficulter curatur. Ii autem, qui periculum mortis effugiunt, plerumque in diuturnum morbum, paralysin nimirùm aliquarum partium incidunt: Subinde etiam totius corporis, aut memoriæ jacturam faciunt. In omnibus nervosi generis frigidis affectibus febris superveneniens adjumento est Gal. 2. Prorrheticor. aphor. 50. Hinc Practici jubent alternis diebus (ut inter hos uno die quiescat) exhibere ʒ j. Mithridatii, in aqua salv. vel lavendul. ad excitandum nativum calorem, ut deinceps noxios edomare, & resolvendo eliminare possit humores. Si apoplexia sit fortissima, & fortiter sternutamentum provocantibus non sternutet, neque impressionem sentiat lethale.

Methodus curandi apoplexiam Practica huc plerumque spectat. 1. clyster. Donec autem sit paratus, substituatur suppositorium seq.

℞. Mell. coct. & concret. unc. sem. pulv. euphorb. ℈ sem. colocynthid. gr. iv. helleb. alb. gr. ij. sal. ʒ sem. m. & form. gland. Clyster. autem seq. paratur modo.

℞. Rad. angelic. ʒ vj. salv. rut. mercurial. beton. hyssop. ana m. j. flor. sthœcad. cent. min. ana p. j. sem. anis. urtic. cumin. fœnicul. laur. ana unc. sem. agaric. alb. & lev. ʒ sem. colocynthid. ʒ ij sem. f. decoct. in s. q. aq. ad ℔ i s. Colatur. adde hier. logad. diacolocynthid. ana ʒ i sem. benedict. laxat, diaturb. cum rhab. ana unc. sem. opoponac. ʒ ij. mell. rosat. unc. ij. ol. de castor. laur. ana unc. i sem. sal. ʒ ij. sem. f. enema, quo paulatim per intervalla vacuabimus humores è toto corpore, donec Pharmacum solutivum per os sumere poterit, N. B. Si summum periculum non imminet, mittatur colocynth. & hiera diacolocynth. Tertia vero vice assignatum injiciatur enema.

Ad causæ antecedentis imminutionem sequentes in usum veniunt Pilulæ.

℞. Mass. pil. de euphorb. fœtid. coch. ana ℈ j. sem. castor. ℈ sem. Diagryd. corr. gr. vj. f. cum aq. ceras. nigr. Pil. Aut,

℞. M. Pil. sine quibus ℈ ij. Panchym. Crollii ℈ j. gutt. gamandr. gr. v. f. pilul. communes, asperg. pulv. cubeb. & hæ pil. singulis septimanis repetantur. Hoc pacto, & si corpus sit plethoricum, conducibilis est venæ-sectio cephalicæ in parte sana, vel opposito latere, in signo Piscium vel Aquarii. Ligaturæ quin etiam fiant fortes & dolorificæ axillarum & extremarum corporis partium. Affigantur cucurbitæ magnæ cum multa flamma ad scapulas, & una mediocris ad commissuram (cucurbitula ad ignem calefacta, vertici admovenda) sagittalem. Prosunt quoque frictiones palati & colatorii cum castoreo dissoluto in aceto squillitico, aut cum Theriaca veteri. Frictiones item totius corporis, & præsertim colli, qua parte venæ sunt & arteriæ. Nec minùs commendantur punctiones & pilorum evulsiones. Ut & inunctiones totius corporis cum oleis calidis castorei, spicæ, laurino.

Externè, ad corroborationem nervorum, & dissipationem humorum influxorum applicetur Principio nervorum atque cervici, versùs ægram regionem sequens emplastrum.

℞. Empl. de bacc. laur. nervin. ana unc. j. sem. euphorb. rad. pyrethr. sem. sinap. ana ʒ j. cum ol. philosophor. seu de lateribus q. s. f. l. a. Emplastrum. Aut, si nullus p. n. calor in affecto membro observatur.

℞. Ol. laterin. & stercor. columbin. ana unc. j. sem

sem. sem. eruc. nasturt. ana ʒ ij. m. & applica. Aut,

℞. Ol. rutac. nardin. ana ℥ i ß. ol. destill. è bacc. juniper. ʒ iij. Pulv. castor. ʒj. euphorb. ʒß. cer. q. s. f. linimentum. Aut,

℞. Ol. lil. alb. ℥ ij. castor. ʒß. euphorb. ℈ ij. ol. nardin. ʒ iij. f. unguentum pro capite raso, cervice, & spina dorsi. Interiora narium ungantur balsamo apoplect. rutaceo, ol. nardino rutaceoque, in quibus aliquid castorei, nucisque moschatæ dissolutum sit. Observandæ etiam 6. res non naturales, ne in his peccetur, quæ omnes, ad caliditatem inclinent. Potus sit decoctum ligni sassafras & guajaci, addito cinamom. pro potu ordinario, per se, aut cum vino mixtum. Vel

℞. Scob. lign. guajac. sassafr. ana ℥ ij. cinnam. acerr. ʒ ij. baccar. juniper. ʒ iij. sem. anis. fœnicul. coriandr. præp. ana ʒß. m. & f. decoctum in 3. aut 4. mensur. aq. fontan. Ad obstructionis nervorum reserationem & resolutionem egregiè juvat oleum succini albi, aut spir. tart. de die terna vice ℈ j. pondere in brodio carnis, aut aq. ceras. nigr. sumendus. Capiti abraso emplastra, olea & unguenta, appropriata, applicentur. Thermæ, præsertim ferinæ non procul ab oppido Kalvu, Badenses, piperinæ, & aliæ his similes prosunt. In defectu verò harum substituuntur artificiales: Ut,

℞. Herb. menth. thym. puleg. hyssop. origan. rut. meliss. serpill. rosmar. salv. hyperic. lavendul. majoran. ana m. j. flor. chamomill. sambuc. spic. sthœcad. rosar. rubr. melilot. ana m. ß. scob. lign. juniper. ℔ ij. guajac. ℔ j. rad. pyrethr. ebul. ana ℥ ij. baccar. laur. ℥ iij. juniper. ℥ iv. sal. ℔ j. sulph. viv. ℔ ij. sal. nitr. ℔ß. vitriol. crud. ℔ j. Omnia hæc gross. mod. contus. & concis. d. ad chartam. In Balneo, & aliàs quotidie potest loco præservationis, corroborationis, & curationis ore sequens quantitate avellanæ sumi electuarium.

℞. Conserv. flor. anthos, primul. veris, betonic. salv. ana ʒ ij. spec. diambr. compl. diamosch. dulc. ana ʒß. diaplir. elect. de gemmis ana ℈ j. succin. alb. præp. ℈ß. theriac. andromach. ℈j. confect. alkerm. compl. ʒß. cort. citr. condit. ʒj. nuc. moschat. cond. num. 1. cum syrup. de sthœcad. f. electuar. molle d. ad ollam.

Finito Balneo, super carbonibus ardentibus calefactis & suffumigatis linteamentis deorsum corpus abstergatur & fricetur sequenti suffumigio.

℞. Mastich. succin. ana ℥ß. baccar. juniper. crassiusculè contus. ʒ i ß. m. & adhibe. Aut.

℞. Thur. mastich. sandarac. ana ℥ ß. succin. storac. calamit. ass. dulc. ana ʒ ij. caryophyll. ʒ j. flor. rosar. anthos ana ʒß. m. gross. mod. d. ad scatulam.

His quoque medicamentis annumerari possunt Fomenta, quorum paratio tali modo fit.

℞. Scob. lign. juniper. bacc. juniper. ana m. iij. ebul. salv. origan. puleg. hyssop. sisymbr. domest. balsamitæ, thymi, flor. sambuc. rosmarin. ana m. ij. coq. in aq. & vino an. part. æq. fiatque fomentatio artuum & corporis.

Si placet sacculum vino madidum calentem artubus superponere, para sequenti modo.

℞. Bacc. juniper. laur. ana m. j. rorismarin. melilot. ros. rubr. furfur. ana ℥ j. rad. ireos Florent. ʒ ij. sal. m. j. indatur sacculo & adhibeatur. Post universalia adhibeantur sternutatoria quæ passim nota sunt. Inprimis verò excellentissimus est hic pulvis.

℞. Herb. anthos, majoran. ʒ ij. sem. nigell. ʒj. rad. helleb. alb. ℈ß. mosch. gr. v. ambr. gr. iij. ol. lign. rhod. gutt. v. majoran. cinamom. ana gutt. iij. caryophyll. g. ij. balsam. apoplect. opt. ℈ß. misce.

Aquæ confortantes & præservantes contra apoplexiam speciales.

℞. Aq. hyrund. cum castoreo, epil. lang. ana ℥ j. fl. anthos, cerasor. nigr. borrag. ana ℥ß. cinnam. stillat. ʒ ij. elix. vit. Matthiol. ʒj. confect. Alk. compl. ʒß. lapid. bezoard. or. gr. v. mag. perl. or. gr. iij. man. chr. perlat. ʒ iij. theriac. androm. ℈ ß. misce.

Hoc in malo castoreum magnarum est virium. Utiles quoque sunt ad hunc effectum spiritus & aquæ apoplecticæ, passim in officinis & manibus doctissimorum virorum præstantes. In casu necessitatis potest de sequenti cochleare unum & alterum assumi.

℞. Spir. ceras. nigr. fl. anthos, cephalic. Anhalt. ana ℥ ß. juniper. ʒ ij. lign. guajac. lil. convall. ana ʒ j. elix. vit. Matthiol. aq. cinamom. stillat. ana ʒß. m. d. ad vitrum, & indatur nodulus ex spec. diambr. compl. ʒß. & diamosch. dulc. ℈j. paratus. Cui in usu ad quodvis cochleare sumendum addi possunt ol. succin. alb. gutt. v. Alternis diebus quoque conducibile est exhibere patienti ʒj. mithridat. aut theriac. in aq. lavendul. vel salviæ. *Eberhard. Gockelius consil. 28.*

Alia sunt in paroxysmo tentanda, alia extra paroxysmum ad apoplexiæ præcautionem exhibenda.

Quidquid movendum, statim move; & quod vis facere fac citò: In talibus enim tardare malum:

Tu propera nec rem venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.

Ægris pessimè agitur dum suspensâ manu Medici minùs valida medicamenta importuno metu perculsi exhibeant, cùm extrema remedia adhibere expediat.

Sanguinem in plethoricis liberâ manu *mitte*: *vesicatoria* nuchæ, brachiis, ponè aures, imò toti vertici applicato. Quærantur folia asari viridia, quæ leviter trita indantur *naribus*: Interim ex eorum pulveris ʒ ij. pulv. rad. cyclam. ℈ iv. & ʒj. rad. helleb. alb. f. pulvis subtilissimus per calamum naribus insufflandus.

Liquamine sequenti *illinatur palatum* sæpissimè fricando.

℞. Anacard. rad. pyrethr. & staphisagr. ana ʒ ij. granor. paradis. cardamom. major. ana ʒ iij. capsici sive piperis Indici ʒ j. hellebor. alb. ℈ iv. bulliant simul in vini alb. ℔. ß. ad medias, fiat expressio, quæ cum æqua portione mellis anthosati redacta ad mellaginem reddatur acidula sp. vitrioli antiepileptico, addendo salis succini volatilis ʒß. m. pro litu.

Emeticum sequens exhibeatur. ℞. aq. cerasor. nigr. ℥ iij. syrup. flor. pæon. ℥j. gillæ Theophrasti ʒj. vel ℈ iv. f. potio. Si hæc mitior æquo videatur, optimum in apoplexia vomitorium est oleum antimonii, cujus guttæ x. vel XII. dentur ex optimo vini spiritu. Cita & seria est ejus operatio; multos hujus ope excitavi.

Ad apoplexiam præcavendam caput per sedem purgantia frequenti sint in usu (qualia in cap. de *epilepsia* & *vertigine* præscripta sunt) emetica item

item temporibus idoneis exhibita plurimùm prosunt. *Fontanella* in nucha, vel *setum* communi sunt in usu. Vitentur omnia quæ caput nimis tentant, qualia sunt vinorum generosorum liberalior ingurgitatio, tabaci per tubum improba fumatio, Veneris usus nimius &c. In plethoricis *sanguis* sæpè mittendus è brachio vel hæmorrhoides aperiendæ. *Caput* denique roborandum est specificis cephalicis calidioribus, qualia in *Epilepsia* & *Vertigine* videre est. *Theod. Mayern. in Praxi.*

Consultationes.

Apoplexia in Paralysim terminata.

Nob. Senex sexagenarium annum agens, temperamenti secundùm totum & caput, calidi & humidi, boni habitûs, ad plethoriam vergentis, comessationibus & compotationibus assuetus; tribus ab hinc annis vertiginibus corripi cœpit, à quibus sanguinis missione & purgatione liber evasit. Sed quoniam ad pristinum vivendi modum reversus est: cum varietate vinorum meraciorum delectetur, & copiosè bibat aliquot ab hinc mensibus vertigines rursùs & frequentiùs Nob. senem molestarunt; quibus accesserunt quoque tremor in manibus, insueta delatio in somnum, imò & somni solito profundiores atque longiores: atque tandem suo fine hyemis, dum decumbebat in lecto, summo manè extemporanea successit sensûs & motûs privatio, cum omnium principum operationum abolitione, necnon magna respirationis læsione & mediocri stertore. Accersitus autem Medicus sibi domesticus multa præstitit medica præsidia, nimirùm acria suppositoria; mox repetitâ sanguinis missione ex brachio, vesicantia quatuor apponi jussit; Quibus adhibitis, sequenti nocte veluti à somno expergefactus, adstantes cognoscere & imperfectè loqui cœpit, brachio sinistro sine motu & sensu manente, cum oris tortura, labiis ad partem dexteram laxatis. Et quoniam de novo hujus accidentis recursu, non sine ratione timet excellentiss. Medicus Assistens; idcirco ad te, vir præstantissime, confugiunt consanguinei, ut motus & sensus paralyticæ partis, si possibile fuerit, restituatur, & novi prævertantur insultus.

Subitaneam privationem sensûs & motûs cum principum omnium operationum animalium abolitione & respirationis læsione, quæ contingit Nobili seni, apoplexiam appellandam esse docebat Galenus, quam syderationem vocabat Hippocrates, & Paulus, in qua semper læditur respiratio, parùm in debilissima, magis in debili, & maximè in forti apoplexia, ita ut ejusdem gradus, ut placuit Galeno cum Hippocr. à læsione respirationis desumi soleant. Quod si jam dicta privatio cum omnimoda apnœa contingeret, non ampliùs apoplexiæ, sed cari nomen retineret. Hanc prænunciarunt vertigines, quibus tribus ab hinc annis obnoxius fuit, quas proximas esse comitialibus & apoplexiis pronunciavit Galenus. Sicut enim in vertigine spiritus animales inordinatè moventur, ita ut rectâ via ad organa visûs & motûs deferri nequeant sicque Patientes procidant: ita in apoplexia impeditur omninò irradiatio spirituum propter obstructionem, sicque concidunt unà cum sensu & motu cæteræ omnes functiones principes: Quam obstructionem non tantùm in ventriculis reperiri, sed multo magis in vasis, nimirum in arteriolis per cerebrum dispersis, censendum esse judico, dum sanguis acris & calidus crassior factus stagnat in vasis & spiritibus transitum intercipit, unde sensûs, motûs & omnium functionum animalium privatio. Servatur autem respiratio, quamvis læsa, ob vitæ necessitatem, non ut Averroës, quia sit motus ex naturali & animali compositus. Obstructio autem in casu nostro, non à solo sanguine calido & crasso, sed etiam à viscido & lento commisto facta fuit, cùm solutam apoplexiam sinistræ partis Paralysis subsecuta fuerit, factâ nimirùm metastasi à cerebro per nervos ad colli vertebras, sicque vox viriata fuit; præterea mediante tertio pari ad labia sinistræ partis, unde oris tortura in dextram partem, laxatis nimirùm sinistræ partis musculis: sicut per septimam nervorum conjugationem linguæ motus ademptus fuit; atque tandem ad quintam dorsi vertebram depositâ crassiori materiâ, brachium motu & sensu privatum fuit. Nec mirum genuinam hanc materiam in sanguine collectam fuisse, cùm à potibus meracioribus caliditas & acrimonia: à copioso vini potu, frigiditas & viscididitas provenire soleant, ut considerabat Galenus, dicens, *Ubi vinum plus bibitur, quàm vinci possit, tantum abest ut calefaciat, ut potius frigida vitia gignat*; & ideo præcesserunt quoque tremores, debilitato nempè à meri potu nervoso genere: sicut à redundante in capite pituitoso sanguine, somni profundiores & longiores ante casum observati fuere.

Affectus iste est semper peracutus, quicquid dicant aliqui, dividentes apoplexiam in calidam & frigidam: citò namque utraque solvitur: calida enim insensibiliter solvitur ad salutem: fortis terminatur ad mortem; frigida ante septimam vel occidit Patientem, vel in Paralysin degenerat. Et quoniam propter pravum apparatum in sanguine, & imbecillitatem in capite contractam, recidivare solet hujusmodi affectus, idcirco exacta Medici assistentia hîc opus est, ne revertatur apoplexia, & ut interim à Paralysi liberetur.

In quem finem materia in venis existens, licet verè non turgeat, ut turgens tamen tractanda est; & ideò non expectatâ perfectâ coctione & præparatione, aliquo Purgante, statim à capite evocanda & educenda: deinde residuum peccantis materiæ præparandum, & epicraticè evacuandum: mox ad topica paralyticæ parti deveniendum, & caput cum toto nervoso genere roborandum.

Et sicut in actuali apoplexia, post acria suppositoria aptissimè & cum evidenti utilitate missus fuit sanguis, ita si rursùs ingrueret talis accessio (quam Deus avertat) rursùs vena illæsi brachii aperienda esset, ita docente Galeno cui subscribunt cæteri Medicinæ principes: Aretæus quidem dicens, *Æquale adjutorium, utpote morbo magno, remedium magnum, est sanguinis missio:* Paulus, *Si curari possit, statim sanguis detrahendus, & si confert, sequenti die iterandus*: Aëtius jubet ineptis venæ-sectioni cucurbitulas admovendas esse; imò magnam occipiti post venæ sectionem commendat quoque Paulus. Confert autem sanguinis missio, quoniam affectus, non à sola frigiditate, sed etiam à crasso & calido sanguine stagnante procedit; & ideò Aretæus à sanguinis

missione excipit apoplexiam cum multa frigiditate & torpore invadentem; & propterea à quibusdam carpitur Celsus, dum ait, quod *sanguinis detractio, aut occidit aut liberat:* occidit enim, si tantùm ab humore crudo & frigido facta fuerit: liberat verò, si à calido; in priori igitur abstinendum à sanguinis missione: sicut in posteriori administranda & iteranda. Clysteres acres proponuntur à Medicinæ principibus, sed non adeò facilè injici, recipi & retineri possunt. Vesicantia quoque passim usurpantur, præsertim scapulis apposita, & ferrum candens occipiti admotum. Cervicem quoque & mentum calefacit Aretæus, pro frigidi humoris attenuatione & discussione. Quibus omnibus addamus nos purgans medicamentum ab alto trahens omni industriâ per os infundendum esse, ex trochiscis alhandal, diagrydio & castoreo paratum. Et hæc obiter pro curatione apoplexiæ dicta sufficiant. Ad præsentis Paralysis itaque curam revertamur. Et quoniam jam primæ viæ expiatæ fuere, Præparans ita instituendum erit.

℞. Oxymel. simpl. syrup. de betonic. ana ℥ j. decoct. cichor. borrag. agrim. salv. ℥ iv. m. pro syrupo & sic aliis usque ad decimum quintum: Sed quinto quoque die prebeatur minorativum hujusmodi.

℞. Pil. de hiera cum agaric. de tribus cum rhabarb. ana ℈ ij. masticinarum ℈ j. m. reform. pilulæ summo manè exhibendæ. Dum hæc omnia fiunt, paralyticæ parti frictiones quotidianæ sunt exercendæ, cucurbitulæ admovendæ, atque tandem rubificantia apponenda, præsertim post validiora purgantia exhibita: & erunt pilulæ de nitro Alexandri, cochiæ præparatæ cum helleboro, de hermodactylis, aggregativæ, quarum dosis erit ad ʒ i ß. circa noctis dimidium assumendæ, & bis aut ter repetendæ, dum diebus intermediis validiora Præparantia præscribenda erunt, ut

℞. Oxmel. compos. syrup. de iva, de beton. compos. ana ℥ ß. decoct cichor. betonic. herb. paralys. hyssop. majoran. ana ℥ iv. m. pro syrup. & sic pro aliis. Nec omittenda topica aliis partibus affectis: sic spinali medullæ circa quintam vertebram inunctio ita instituenda erit.

℞. Olei vulpini, viperini ana ʒ ß. ol. succini ʒ j. m. pro inunctione spinæ cui præmittantur frictiones factæ cum squilla per medium dissecta. Faciei quoque sinistra pars resoluta quinta essentia rorismarini erit illinienda: sed hoc tempore pro capitis expurgatione, errhinum manè attrahendum ita parabitur.

℞. Pulveris tabaci Indici ʒ ij. majoranæ, ireos ana ʒ j. m. f. pulvis. per nares attrahendus, & ad linguæ motum restituendum, pro oris collutione paretur mulsa cum aqua salviæ, addendo aquæ vitæ juniperinæ exiguam portionem. Pariter in ore detineat frustulum nucis moschatæ, aut legitimi cinamom. aut caryophyll. integr. tandem caput & nervosum genus roborantia erunt in usum ducenda, ut conservæ capitales sub ingressum lecti ex floríb. rorismar. salv. betonic. additis speciebus aromatici rosati.

Statim à prandio sumatur acorus conditus: m nè aliquod cochlear aquæ vitæ, baccis juniperi, cinamom. & caryophyllis alteratæ. Vinum pro mensa medicatum reddatur visco quercino & sassafras. Quibus jam dictis omnibus Nobilem senem sanitati restitui posse sperandum. Quod si fortasse non ex voto succedat, sudorificum decoctum erit addendum, ex ligno guajaco, salsa, visco querc. & sassafras, in aqua stillat. cichorii, betonicæ, ivæ, parandum, cui præmitti poterit pulvis viperinus.

Congrua interim vivendi ratio præscribenda erit, & præsertim in usu potûs: etenim & quantitas & qualitas vini, necnon bibendi tempus moderatione indigebunt. Victus autem sit attenuans, & præsertim ex avibus terrestribus: & valdè prodesse poterunt pulli, carne viperina & ejus decoctione nutriti ut considerabat Avenzoar. Cætera viro Doctissimo præscribenda relinquo. *Raymund. Jo. Fortis consult. tom. II.*

Pastor ætatis consistentis, affectioni hypochondriacæ aliàs obnoxius, tempore hyemali, inter concionandum irâ accensus, primò horrore, pòst vertigine correptus, obmutescit, omnes tam interni quàm externi abolentur sensus, corruit, ita ut eum de suggestu deportare necesse haberent auditores, stertebat cum respiratione difficili, pulsu parvô & inordinatô, facies rubebat &c. Intra horæ ferè spatium adhibitis infrà dicendis internis & externis medicamentis, ad se redire cæpit, linguæ immobilitate, totiusque corporis imbecillitate remanentibus, quæ tamen continuatione medicamentorum brevi quoque cessarunt.

Omnibus & singulis, quorum in proposita casûs historia mentio fit, benè probèque perspectis signis, facilè quilibet judicabit, ægrum nostrum eô correptum fuisse affectu, quem apoplexiam vocamus, ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν, quod fortiter & graviter percutere significat, ductâ similitudine ab animalibus ad aram uno ictu corruentibus. Ulteriorem qui desiderat etymologiam & synonymiam, practicos aliosque adeat authores, fusiùs hæc ipsa pertractantes.

Sumitur verò apoplexiæ vocabulum dupliciter. (1) Generaliter, Paralysin, stuporem, obstupescentiam &c. includens vid. Hippocr. sect. 7. aphor. 40. (2) specialiter & in propria significatione. Estque subitanea sensuum & motûs abolitio, remanentibus respiratione difficili, interdùm nullâ & pulsu inordinato, ex p. n. spir. animalium stagnatione sive statione proveniens: alii definiunt, quod sit mentis consternatio cum sensuum externorum & motûs abolitione. *Lindano* est hæmastasia in capite.

Symptoma ergo est, & quidem actionis abolitæ: de parte affecta in seqq. dicetur.

Exactiùs verò ut calleamus *generationem & naturam* hujus affectûs, inquiramus parùm in ejusdem causas, rem planè perplexissimam, de qua diversissimis & intricatis sententiis multùm pugnatur; sed posthabitis litigationibus istis, potioribus quorundam authorum breviter, pro ratione instituti, recitatis opinionibus, mea quæ sit, paucissimis subjiciam.

Sunt itaque qui statuunt, ex obstructione principii nervorum in basi calvariæ apoplexiam generari, ita *Galenus*, *Paulus Ægineta*, & qui eos sequuntur alii. Sed quid obstructio illa incommodabit functionibus principibus, cùm cerebrum cæteroquin sit illæsum, imò cùm nervi manifesta destituantur cavitate, humor viscidus eos intrare, obstructionemque causari non poterit.

Alii oriri eam existimant ex compressione principii nervorum, verùm & hæc opinio antedictam

patitur

patitur instantiam, quod nempè functiones principes hactenùs non læderentur.

Alii intemperiei cerebri frigidæ causam apoplexiæ tribuentes, si considerarent nudam intemperiem, quæ summum gradum non in instanti, sed successivè adipiscitur, non tam citò actiones omnes tollere neque tam subitò corrigi posse, convenientibus enim adhibitis remediis, citò interdùm affectus hic desinit, hæc, inquam, si paulò accuratiùs expenderent, brevi suæ valedicerent opinioni.

Obstructionem ventriculorum cerebri ab humore viscido & crasso ortam, *alii* accusant; verùm experientiâ anatomicâ constat, in ventriculis cerebri variorum apoplexiâ extinctorum nihil repertum, eosque ab humoribus ejusmodi prorsùs immunes fuisse, de quo videatur *Fernelius lib.2. de abditis rerum causis*. Ulteriùs hanc opinionem redarguit hydrocephalo laborantium insignis & maxima cerebri cavitatum ab humore repletio, nihil interea plerumque apoplectici sentientium.

Fernelius causam in compressione arteriarum, plexum retiformem, seu rete mirabile constituentium, rejicit, experientiâque hanc suam stabilire conatur sententiam. Sed quicquid sit, licet concedam, interdum obstrui vel comprimi posse hæc vasa, cerebrum tamen omni debitoque pro conficiendis spir. animalibus sanguine minimè defraudatur, cùm alia adhuc supersint vasa sanguinem sufficienter advehentia, nempè arteriæ vertebrales.

Gregorius Nymmanus apoplexiam ortum trahere ab obstructione torcularis arbitratur, cùm tamen ejus officium non sit, sanguinem cerebro afferre, sed potiùs advehere, ita ut venæ, non arteriæ fungatur officio, insuper adesset arteria cervicalis, adessent arteriæ plexum retiformem constituentes, quæ cerebro, sanguinem apportando, sufficienter providerent. Posset igitur & Nymmano concedi, apoplexiam interdùm ex obstructione torcularis oriri, ob impeditam scilicet sanguinis circulationem, verùm eô, quô vult Nymmanus, modo fieri non credo. Alii dictas observantes difficultates provenire dicunt ex stagnatione sanguinis in vasis sanguinem cerebro adducentibus, cui sententiæ favere videtur *Dn. D. Mezgerus in Dissert. Medic. Anatom. 3. de flux. & reflux. sang. pag.* 29. 30. Huic sententiæ & ego subscribo, quod scilicet sæpissimè inde generetur atrox hoc malum, prout ex seq. patebit. Plures Authorum hîc adducere opiniones chartularum harum angustia non concedit.

Causam igitur immediatam apoplexiæ posui spir. animal. stagnationem. spir.n. animalis ad motum & sensus perficiendos in continuo motu & influxu sit necesse est. Ad hoc verò requiritur motor perpetuus & via libera; Horum alterutrum vel utrumque, si simul subitòque lædatur, apoplexia præsto est.

Considerabimus itaque primò motorem, ejusq; in hoc affectu vitia, postmodùm viam ejusq; obturationem, aliaque eidem affinia. Quò verò hæc omnia fiant planiora, de generatione, naturâ & motu spir. animalis pauca quædam erunt præmittenda.

Generationem verò *spir. animal.* modo sequenti fieri, mihi persuadeo: sanguis si per arterias capillares, unicâ saltem tunicâ dotatas, cerebrum transit, spirituosæ sanguinis partes cerebri substantiam, corticalem præprimis penetrant, relictis partibus crassioribus aquosis aliisque heterogeneis, haud aliter ac spirit. vini in destillatione transit spongiam oleo imbutam.

Naturam spir. animalis quod concernit, vini spiritui vel cuicunque alteri simillimum esse arbitror, id quod præter alia generatio modò proposita & restauratio indicant: Consumpti enim ab exhibito spir. volatili facilè reparantur: Videatur *Timæus in respons. Med. pag.* 20. statuens, spiritus constare in sale volatili spirituoso, iisque acidum aversissimum esse: Ubi tamen notandum eum spiritui vini similem non esse prout est in forma liquoris, sed halitûs & vaporis, tum enim expansus ac mobilis existit, & quemadmodum parva quantitas spir. vini in halitus resoluti totam cucurbitam & alembicum cum vase recipiente in destillatione implet, imò per tenuissimas rimas cum impetu erumpit, ita & spir. animales cerebrum, nervos & musculos subitò adimplent.

Eos verò halituosâ formâ suas perficere operationes, ex dicendis elucescet: Cùm calidus effumansque sanguis cerebro communicatur, tum halitus spirituosi id penetrant inque halituosa forma à calore, tanquam subtilissimi spiritus, conservantur, atque ad partes corporis, expansione & motu per spinalem medullam & nervos deferuntur: Cerebrum enim cum spirituali medulla multis vasis sanguiferis refertum est, nervosque concomitantur, arteriæ, à quarum calore continuò foventur, facilèque in forma halituosa conservantur. Unde, ut experientia docet, si partes corporis admodùm refrigerantur & humectantur spiritus hi concrescunt, (similiter ac spir. vini in alembico impositis linteis madidis) & partes ad motum & sensum redduntur ineptæ & resolvuntur. Hi enim spiritus, cum omnibus corporis partibus sensum & motum largiri debeant, motu satis celeri præditi sint necesse est, quo voluntatis in motu potens ac celerrimum exequantur arbitrium, sensationesque externas citissimè ad cerebrum deferant: Spir. volatilis, si expansus ad hæc omnia aptior erit, tum enim citò & facilè transire nervos, expandere musculos, & resilire in sensatione poterit, quæ à coagulato simili modo perfici nequeunt.

Modus autem *motus hujus* talis est: Halitus isti spir. volatilis, si in cerebro dispersi & expansi sunt, propelluntur non tantùm expansione, sed & cerebri motu per spinalem medullam, cæterosque nervos ad omnes corporis partes. Ad motum verò hunc propriâ facultate edendum cerebrum ineptum esse, fabrica ejus satis superque testatur. Meningibus motum cerebri qui attribuunt, experientiâ refutantur, ablatâ enim magnâ cranii parte & ipsis meningibus, motum tamen cerebri observavit *Riolanus* in ovo. Motus enim ille qui in cerebro deprehenditur & manifestè quidem in infantum recens natorum & vulneratorum, pulsuum motui respondet, pulcherrimè in demortuorum cerebro repræsentari potest: Cranio nempè priùs ablato, quo cerebrum suis meningibus vestitum in conspectum veniat, crassam quoque meningem removere proficuum foret, tum enim cerebrum tenui solùm meninge tectum mæandros intestinorum quasi repræsentabit. His ita paratis, si inflentur arteriæ carotides in collo, per distinctos pulsus egregium edet spectaculum singulis namque inflationibus non solùm arteriæ inflantur & attolluntur: sed & integra massa cerebri movetur & intumescit, quolibet inflationis ictu, sic quoque apertis ventriculis lateralibus, si ramus arteriæ jugularis, plexum constituens choroidem, inflетur, tremulum

visuque jucundum exhibebit motum, unà etiam movebit partes quasdam adjacentes, præsertim glandulam pinealem.

Ex hoc *pulsatili* universo cerebro communicato *motu*, arteriarum beneficio, spirit. animalem in motu versari & in nervos propelli suspicor. Dum enim cerebrum tam arctè à cranio circumdatum sit, ut in multis craniis, viæ arteriarum exscriptæ quasi extent, fieri aliter nequit, quin per motum & appulsum sanguinis cerebrum intumescat, cùm ulterius, ob accuratam cranii adjacentiam, propelli nequeat, ipsius substantia movendo & dilatando prematur, & consequenter spir. animal. exprimantur in suos canales & nervos. Arteriæ verò spinalem medullam & nervos undique concomitantes, præterquàm quod calore eos expandant, continuo quoque motu pulsatili eorum motum promovent.

Moveri autem spir. animal. continuo illo motu & calore sanguinis in cerebro ejusque appendicibus, ex eo constare videtur, quod, quoties impediatur sanguinis ad cerebrum partesque sensiles motus, toties derepentè, omnes actiones animales labefactentur & tollantur.

Quemadmodum videre licet in strangulatis, in quibus in momento ferè omnes sensus tam interni quàm externi, motusque animales cessare solent, quorum historias quasdam collegit *Wepferus in exercit. de loc. aff. in apoplex.* quarum illa præ cæteris memorabilis existit de Angla suspensa Medicorum verò ope restitutâ: Hujusmodi notatu dignam recenset historiam *Helmontius* de curioso quodam Astrologo *lib. de Lithiasi cap.* 9.

In morbis syncopticis, cùm motus sanguinis & pulsus suspenduntur, animales etiam actiones labefactantur & tolluntur, non autem functiones animales subitò abolentur, quod ob impeditum sanguinis influxum, spir. animal. suo destituantur & frustrentur alimento, tum enim lentè labefactarentur ejusmodi actiones, donec tandem successivè consumptis spiritibus deficerent hoc autem non fit in illis sanguinis stagnationibus sed derepentè, alia igitur subitaneæ hujus abolitionis functionum quærenda ratio, dicta scil. cessatio motûs. Cessante enim in cerebro pulsatili motu, cessat, ab impedito sanguinis influxu, calor, spiritus ad partes non propelluntur, sed stagnant, brevique coagulantur.

Cùm itaque impeditum sanguinis influxum sequatur repentina spirit. animal. stagnatio, læsio verò & abolitio functionum à spir. animal. dependentium, inquirendum in causam tam subito sanguinis illius influxum impedientem: Hæc est repentina sanguinis in arteriis carotidibus & vertebralibus stagnatio, coagulatio & concretio, & hanc, si non semper, ut plurimùm tamen generatæ apoplexiæ causam esse existimo.

Coagulatio verò ipsa causatur ab halitibus acido-austeris & coagulativis sanguini commistis; Halitus hi afficiunt vel extrinsecùs advenientes, corpusque in respiratione vel per poros intrantes, vel intrinsecùs in corpore nostro, mediante effervescentiâ vitiosâ in tenui intestino excitantur ascendunt, sanguini commiscentur, eumque coagulant. Huc inclinare videtur *Bernh. Swalve in tract. de querel. vent. p.* 222. Sublimatum autem acidum quippiam, inquit, sin ab astro suo depulsum ruat in spinæ medullam, tactum motumque resolvit. Ideoque sæpiùs apoplexiam præcedere videmus cardialgias, vomitus vel vomendi conatus, dysenterias &c. Id quod variorum etiam testantur facta, Ex his dictis *focus qualitasque materiæ* haud obscurè jam colligi poterit, cùm & post apertionem in ventriculo & intestinis caustica & nigra materia sæpiùs reperta sit.

Generari hæc materia & in corpore nostro produci potest pravâ diætâ, multa scilicet acido austera in alimentis assumendo, unde humores tales in corpore generantur, præ cæteris verò succus pancreaticus facilè eam inducit naturam, inque ductu laterali stagnat, stagnatione acrior factus tandem copia & acrimoniâ materiam obstruentem, pituitam nimirùm viscidam, perrumpens, cum bile vitiosam in duodeno excitat effervescentiam, unde halitus illi acido austeri & coagulativi exsurgentes, acrimoniâ suâ in orificio ventriculi admodùm sensili cardialgiam excitant, ventriculum ad vomendum, intestina ad egerendum irritant, imò, corrosis intestinorum tunicis, dysenteriam pariunt. Fieri coagulatio quoque potest à veneno exhibito coagulativo, mercurio sublimato communi, aquâ forti & similibus, quæ cani propinata mortem subitaneam cum coagulatione sanguinis intulisse vidimus.

Num verò sanguinis in cerebrum influxus alio etiam modo tam repentè impediri queat, certò determinare non possum. Pituitam viscidam quod concernit, eam quidem in arterias capitis delatam, easdem obstruere posse non nego, quod verò confertim & simul omnes oppilari & obstrui possint à pituita, est de quo maximè dubito. An quoque subitò omnes comprimi possint arteriæ, ut transitus denegetur sanguini, non assequor, posito verò hoc fieri à sanguine extravasatò ut plurimùm fieri arbitror, quamvis non sequatur: in hujus vel illius apoplectici capite inventus est sanguis extravasatus, ergò hujus mali causa extitit, cùm vasa obstructa facilè rumpantur & sanguis extravasetur, quemadmodum videre est in pleuritide: Per subitaneam verò arteriarum carotidum & vertebralium abscissionem etsi fiat apoplexia ea tamen Medico curanda non offertur. Non desunt quoque qui ex obstructione sinuum cerebri, qui sanguinem revehunt, circulationem sanguinis impeditam, stagnationem interdum & extravasationem, & per consequens apoplexiam provenire statuunt.

Perspectâ hactenùs stagnatione spir. animal. à motore labefactato & sublato pendente, pauca quædam addam de *via affecta* influxumq; spiritibus denegante. Certum est incisâ spinali medullâ illicò sequi omnium inferiorum partium resolutionem, eorum sensûs & motûs abolitionem, cujus rei experimentum in brutis facilè institui potest, inciso enim spinalis medullæ principio, apoplexia præsto erit; Medico tum incurabilis. Comprimi posse medullam oblongatam & quidem subitò censeo, repentè materia confluente circa magnum occipitis foramen, (foramen infundibuli repræsentans) per quod transit medulla oblongata, medullamque comprimente, ut spiritibus denegetur exitus. Confertim autem eò materia confluere potest, si ventriculi cerebri & quidem laterales humoribus sint repleti, qui quantitate nimiâ coacervati, contiguitatem limbi cum cerebri radice perrumpunt, licet hæc etiam motu cerebri violento divelli possint, in sternutatione aliove modo. Sanguis ex ruptis cerebri vasis eò effusus, medullam oblongatam comprimere aptus existit, rumpuntur verò vasa à vulnere, contusione, si consuetæ supprimantur hæmorrhagiæ per nares & menses, vel alio quocunque modo.

A cau-

A causis mediatis proximioribus ad remotiores nunc progrediendum, quas in naturales, non naturales & præter-naturales dividunt: *Naturalium in classe* sese offert temperies ad frigiditatem præcipuè & humiditatem proclivis: Ætas senilis apoplexiæ ferax secundùm *Hippocr. sect.* 3. *aphor.* 31. ubi apoplexiam inter senum morbos refert. Dispositionem hæreditariam multùm huc conferre quibusdam placet. Inter *nonnaturales* se sistit primò aër aquilonaris, frigidus, violentus & asper: Occidentalis, pluviosus, pituitam serososque humores augens: Aër exhalationibus venenatis & narcoticis infectus: Radios Lunares peculiari vi cerebro infestos hîc quidam accusant. Pertinet & huc tempus anni hyemale, de quo *Hippoc. sect.* 3. *aphor.* 23. Diætam suprà parùm tetigimus: Venere nimiâ apoplexiam imò mortem sibi quosdam acquisivisse, legimus. Prae aliis verò animi pathemata humores exagitare solent, ex ira enim vehementiori quosdam apoplexiam passos esse observavit *Forestus l.* 20. *in schol. obs.* 70. *ex præternaturalibus* adducitur melancholia. *Vid. Hippoc. sect.* 6. *aph.* 56. Causa externa violenta verbi gratia contusio, casus, vulnus, ictus, fractura &c. Plura repeciuntur apud Authores; hîc brevitati studens, dictas causas casui nostro nonnihil applicabo.

Affectum Ægri nostri ortum habuisse à vaporibus acido-austeris & quasi malignis, non solùm ex suprà positis, verùm etiam si circumstantiæ, symptomata, aliaque in historia casus proposita, imò curatio sequens, diligentiùs paulò inspiciantur, ad oculum patebit: Primò enim dixi eum *affectioni hypochondriacæ* obnoxium fuisse; cujus causam plurimi moderni Medici in acido-austero latitare asserunt: Hyems erat coagulationem & stagnationem humorum promovere apta, imò cùm ipsum frigus in particulis acidis & nitrosis consistat, aciditas in corpore præprimis disposito aucta fuit. *Irâ inter concionandum* corripitur, Pathemate à scherbio vehementissimo dicto. Ira enim humores agitando, mineram causæ morbificæ in pancreate absque dubio latitantem excitavit, unde vapores acido-austeri elevati, primò horrorem, postea caput petentes, spir. animal. inordinatè movendo, vertiginem produxerunt, tandem coagulato in vasis sanguine & per consequens cessante spir. animal. motu & influxu (à quibus omnes corporis partes tanquàm à sole irradiantur) necessariò subsecuta fuit omnium, qui à spir. animalibus alias sustentantur sensuum abolitio, corporisque lapsus. Remansit autem *respiratio difficilis* cum *pulsu parvo inordinato*, non prout quibusdam videtur, ob summam respirationis ad vitam conservandam necessitatem: Quamquam enim respiratio summè sit necessaria, finis tamen per se efficaciter agere nihil potest, efficiente scilicet causâ deficiente, præterea natura nunquam non hoc ageret in omnibus ad vitam conservandam necessariis actionibus: Neque etiam à spirit. vitalibus, calore & motu cordis, ut aliis placet, conservatur, sed ob faciliorem spirit. animal. in illos nervos influxum evenire suspicor, qui influxus à prima nativitate & dormienti & vigilanti sine ulla intermissione continuatur, hinc, hos nervos poros suâ sponte apertos & dilatatos habere quidam existimant, reliquos non item, sed tantùm per inflationem spir. animal. dilatari. *Pulsus* erat *parvus & inordinatus*, cùm sanguis propter obstructionem arteriarum vix circulari poterat.

Ast ad ea, quæ supersunt festino, ubi si obiter differentias & signa *apoplexiæ* tetigero, curationem postmodùm subjungam: *Differt* apoplexia ratione graduum: Quorum *Hippocr. sect.* 2. *aphor.* 42. duos; Galenus verò *lib.* 3. *de loc. affect. c.* 7. & 10. & *comment. ad aph.* 42. *sect.* 2. Hipp. quatuor constituit, quem plurimi imitantur: *apoplexia primi gradus* est, ubi respiratio aliqualem servat ordinem: *Secundi gradus* est, ubi respirationis major adest difficultas & inæqualitas, modò enim crebra, rara modò observatur. *Tertii gradûs* fortis dicitur & vehemens, in qua respiratio quidem præsens, sed summa cum difficultate æger laborat, adeò ut cum stertore spuma prodeat. *Quarti gradûs* acutissima & fortissima est, in qua respiratio ad sensum abolita est, ægerque cadaveris instar jacet: Ratione causarum porrò differt apoplexia, cùm alia sit à motore cessante, sicut in ægro præsenti, alia à via obstructa & laborante: Rursùs alia à causis internis, alia ab externis, item alia à vi externa à contusione, ictu, vulnere &c.

Signa imminentis interdum ferè nulla sunt, interdum præcedunt torpor & stupor, sensûs amissio sine manifesta causa, dolor capitis & gravedo subitò ac vehementer invadens teste *Coo sect.* 6. *aphor.* 51. somnus altus, oculorum caligo, circumgyratio capitis per imaginationem, & vertigo tenebricosa, horror, incubus, tinnitus aurium ac linguæ balbuties secundùm *Hippocr. sect.* 7. *aphor.* 40. stridor dentium in somno, sternutationis conatus sed impotentia, & quæ sunt alia: In præsenti apoplectico præcursores erant horror & vertigo. Præsentis apoplexiæ signa satis sunt evidentia, subitaneus nempè lapsus, cum sensûs & motûs privatione relictâ saltem respiratione vel difficili vel ad sensum nulla cum pulsu inordinato & parvo, ut hîc, vel magno, neque concussus neque punctus sentit, dormit profundè, imò stertit, membra laxa elevata concidunt suo pondere, mortuorum instar.

Signa causarum, ut in aliis quibusque morbis, ita & hîc ob curationem probè sunt observanda: Si enim sit à motore cessante & sanguine stagnante, plerumque adest pulsus magnus, interdum, ut hîc videmus, parvus, cum majori nisu respirationis & faciei rubore, sæpè eam quoque supradicta præcedere solent signa. Si à compressione medullæ oblongatæ, pallor potiùs quàm rubor faciei observatur, neque tam subitò sensus interni omninò tolluntur, pulsus admodùm debilis cum respiratione simili adest. Si à sanguine extravasato, plerumque evidens causa vel plethora præcessit. Cæterarum causarum signa ex circumstantiis & per se patent, vel judiciosâ calculatione & diligenti symptomatum observatione facilè eruuntur.

Ne verò hîc cum aliis affectibus valdè ipsi affinibus, confundatur, operæ pretium me facturum arbitror, si signa apposuero distinguentia: *Distinguitur à lethargo*, quod in hoc, quamvis somnolenti sint, excitentur tamen, quod apoplecticis non accidit, insuper lethargum febris comitatur, in hac non, nisi superveniat. Ille paulatim fit, hæc subitò. A caro, tactu, qui remanet & plerique sensus, puncti enim sentiunt partemque movent, carus sensim invadit & respiratio adest libera, hæc repentè cum respiratione vel difficili vel ad sen-

sum nullâ: apoplexia plerumque in paralysin desinit, ille citra paralysin curando evanescit. Ab epilepsia motibus convulsivis: *à syncope* ubi pallor faciei & pulsus ferè abolitus cum sudore frigido. *A suffocatione uterina* dicta, colore faciei cadaveroso (quamquam teste *Lazar. Riverio Prax. lib. 8. cap. 1. p. m. 360. & lib. 15. cap. 6. p. 219.* interdum rubicundus observetur) fauciumque strangulatione, Patientes sensibus tum internis tum externis aliquantum constant, vocatæ enim audiunt & post paroxysmorum dictorum aut factorum recordantur: *à catalepsi*, quia cataleptici liberè respirant, & membra rigida, apoplectici verò resoluta habent, præterea in illa ægri in eodem situ, in quo deprehunduntur, rigidi permanent: *A catarrho suffocativo*, quod hoc correpti sensibus motuque integris suffocentur.

Prognosin quod attinet, sciendum, hunc affectum periculosum & sæpè lethalem esse, quamvis pro varietate graduum curam admittat, secundùm *Hippocr. aphor. 42. sect. 2.* apoplexiam fortem solvere impossibile esse, debilem verò non facilè. *Hippocr. aphor. 15. sect. 6.* sequens ponit prognosticum: Qui valentes capitis dolore subitò corripiuntur, & protinùs muti fiunt & stertunt, intra 7. dies intereunt, nisi febris supervenerit: Grandævos ob virium imbecillitatem frequentiùs opprimit quàm juniores: Si à difficili respiratione sudor superveniat, præsertim frigidus, lethale. Quæ à sanguinis stagnatione oritur, solutu faciliorem esse existimo, cum medicamenta locum affectum faciliùs attingere queant, secùs ac in illa, quæ à compressione medullæ oblongatæ provenit, quod remedia hìc adhibita locum destinatum difficiliùs assequantur. Cùm igitur à sanguine potissimum stagnante malum in ægro nostro foveri æquè ac ortum traxisse pateret, tantùm abfuit, ut de salute ægri desperatum sit, ut potiùs omnis eò moveretur lapis, quò citiùs convenientia adhiberentur remedia.

Statim itaque, ægro in justo situ priùs collocato, pro conciliando & reddendo sanguini motu, ad nobilissimum pariter ac generosissimum auxilium, *venæ-sectionem* nempè, confugimus, sanguinemque è mediena brachii dextri misimus ad ℥vj. *Celso* enim notante *lib. 3. cap. 28.* post sanguinis missionem si non redit mens, nil spei superest: magni ideò æstimanda venæ sectio, cùm scilicet, ut hìc, adsit plethora & stagnatio sanguinis: Post venæ-sectionem respiratio liberior, pulsusque fortior erat: Subinde cochlearia duo mixturæ seq. ipsi infundebantur.

℞. Aqu. lavendul. ℥ i ß. aq. apoplect. Sennert. spir. lilior. convall. ana ℥ß. tinct. castor. ℈ j. spir. armoniac. ʒj. ol. succin. nigr. ℈ß. syrup. de betonic. ʒvj. m.

Cervix, collum, adjacentesque partes seq. inungebantur linimento.

℞. Aq. anhalt. aq. theriac. ana ʒ iij. spir. sal. armon. ol. spic. ol. philosoph. ol. vulpin. ana ʒ ij. ungu. martiat. ʒ ii ß. m. f. linimentum. Quibus per dimidiam horam adhibitis oculos aperire incipiebat, membraque movere, intereà frictiones & inunctiones non intermittebantur, naribus admovebatur spir. sal. armoniac. inungebanturque oleo succin. nigr. His ita continuatis per 5. horæ quadrantes planè æger se recolligit, remanentibus solùm, ut in historia casus dictum linguæ immobilitate viriumque imbecillitate, quæ continuatione medicamentorum dictorum brevi quoque cessarunt, & hæc ad Paroxysmum tollendum fuerunt ordinata & adhibita: Ad præservationem ipsi recommendabatur usus crebrior spir. sal. armoniac. non satis laudandi vel alterius urinosi, pituitam enim viscidam, ductum pancreaticum, aliosque obstruentem non solùm deobstruit, incidit & attenuat, verùm etiam humorem acido-austerum corrigit, præterea tempore veris & autumni purgatio præcessâ præparatione instituatur pilulis seq.

℞. m. p. tartar. quercet. ℈j. resin. jalap. diagryd. ana gr. ij. ol. garyophyll. gut. iij. cum conserv. flor. lavendul. f. pilul. num. XIII. Tempore verno post purgationem venam incidere valdè quoque proficuum foret, præprimis cum æger noster sanguine abundet: In usu rerum sex nonnaturalium diætam observet exactam: Aër eligatur purus & temperatus: Cibus & potus causæ morbificæ sit contrarius. Vigiliæ & somnus non excedant: Motus mediocris præsertim ante prandium & cœnam instituatur: Imprimis verò animi pathemata & præ cæteris iram cane pejus ac angue fugiat. *Joann. Michaelis Prax. clinic. special.*

Vir quadragenarius ac fortis, crapulæ & ebrietati admodum deditus, postquàm de capitis gravativo dolore, modò majore, modò minore, per duos menses conquestus fuisset, nec remedia adhibuisset sed more solito, tam antemeridianis quàm pomeridianis temporibus, aliorum sanitatem magnis multisque poculis bibendo, suam citissimè profligare diligenter studuisset, tandem matutino tempore in cubiculo deambulans, postquàm tria quatuorve inarticulata verba protulisset, repentè concidit, omnis sensus & motus expers solâ respiratione excepta, quam Medicus post sesquihoram vocatus aliquantum ingravescere percepit, pulsu mediocriter valido etiamnum existente.

Caput in hoc ægro gravissimè affligi, animalium functionum prostratio satis docet.

Affectio hæc *apoplexia* nominatur, quæ *est subita omnium functionum animalium, exceptâ respiratione, privatio.*

Non esse lethargum, syncopem, coma somnolentum, carum, catalepsin, aut epilepsiam, ex eo liquet, quòd æger sine febri existens, prorsus immobilis jaceat, nihil omninò sentiat, nullis mediis excitari possit, & omnia membra flaccida habeat, cum pulsu mediocriter valido, & respiratione jam ingravescente; quæ omnia simul in prædictis affectibus non adsunt.

Cerebrum autem in hoc ægro imprimis afficitur circa principium medullæ, è qua omnium nervorum origo procedit: quod principium ab humore pituitoso obsidetur.

Causa remota fuit continua ebrietas & crapula, qua longiore tempore debilitatum est cerebrum, in eoque multi crudi ac pituitosi humores generati, & in ventriculis cumulati, causam antecedentem dederunt; qui postea ad nervorum principium decumbentes constituerunt causam continentem.

Istius enim nervorum principii poros obstructione & compressione repentè angustantes, ingressum spirituum animalium prohibent; qui cum ea de causa subitò sistantur & in nervos non influant, subitò etiam concidunt, omnes animales

les functiones, ægerque omnis motûs & sensûs expers relinquitur: excepta tamen respiratione, quæ aliquandiu persistit, quia spiritus animales in principio mali ad solos musculos respiratorios adhuc influunt, propter pororum in nervis respiratoriis majorem latitudinem, qui ea de causa tam citò non obstruuntur, ut aliorum nervorum pori angustiores. Verùm malo perdurante, & humore pituitoso se magis magisque in eorum poros paulatim inserente, vel eos compressione angustante, etiam magis magisque impeditur spirituum animalium in eos influxus, unde tunc actio musculorum respiratoriorum imminuitur, & respiratio cum stertore ingravescit.

Pulsus integer sentitur, quia malum est in principio,& sanguis è dextro cordis ventriculo in pulmonem impulsus propter respirationem adhuc permanentem satis refrigeratur. At si perduret malum, etiam pulsus paulatim imminuetur ac deficiet, non quòd cordis motus ab influxu spirituum animalium dependeat, ab eoque deficiente etiam deficiat, sed quòd dextri ventriculi sanguis, propter respirationem desinentem, non satis eventiletur & refrigeretur, atque hinc pauca quantitate ad sinistrum ventriculum deveniat, unde cor debilitatum in suo motu deficit.

Malum hoc periculosissimum est, nam juxta 2. aphor. 42. *apoplexiam fortem solvere impossibile, debilem verò non facile.* Quia tamen in principio est,& respiratio nondum fit cum stertore, ægrique calor ratione ætatis validior existit, aliqua sanationis spes elucere videtur, sed non sine metu paralysis post morbi solutionem secuturæ.

Curatio igitur citissimè instituenda est: ac studendum primò ut humores pituitosi nervorum principium obstruentes, loco moveantur, sicque spiritus in nervos transitus pateat: deinde eorum nova generatio & in capite collectio impediatur, ac cerebrum corroboretur.

Corpus itaque moderatè commoveatur, fiantque pilorum vellicationes & asperæ frictiones ac ligaturæ in brachiis & cruribus. Hic quoque clyster injiciatur.

℞. Herb. absynth. rutæ, parietariæ, mercurialis, hyssopi, betæ, centaurii minoris ana m. j. fol. senæ ℥ j. colocynthidos in puppa ligatæ ʒ j. sem. anis. ʒv. aq. q. s. coquantur s. art. rec. colatur. ℥x. elect. hier. picr. diaphænici, ana ℥ j. olei chamæmelini, rutacei ana ℥j. salis ℈iv. misce, fiat clyster. Vel ejus loco uti licet tali suppositorio: Rec. specier. hieræ ʒ j. trochisc. alhandal. ℈ß. sal. gemmæ ℈ j. mell. ℈vj. f. s. art. suppositorium, cujus extremitati adhæreant diagridii gr. iv.

Post injectum clysterem secetur vena in brachio, & sanguis mediocri quantitate educatur. Deinde cucurbitulæ cum & sine scarificatione applicentur collo, humeris, scapulis & cruribus.

Naribus etiam hic pulvis sternutatorius insufletur. Rec. rad. helleb. alb. ℈ j. pyrethr. ℈ ß. fol. majoran. ℈j. piperis nigri, castorei, ana gr. v. fiat pulvis.

Foris capiti calidè imponatur hic sacculus.

℞. Sal. m. j ß. sabuli marin. m. ij. sem. cumini, fœniculi, levistici, ana ʒij. gariophyllorum ʒ i ß. calefiant simul in olla lapidea sicca, ac sacculo lineo infusa, capiti calidè applicentur.

Naribus, temporibus & vertici illinatur hoc linimentum.

℞. Ol. castorei, lavendulæ, rosmarini, succini, ana ℈ j. unguent. martiat. ʒ j. misce, f. linimentum.

Cùm æger incipit ad se redire, detur interdum cochleare hujus aquæ.

℞. Aq. flor. tiliæ, lilii convallium, vitæ Matthioli, syrup. de sthœcade, ana ℥ j. misceantur.

Deinde purgetur cum pilulis cochiis, vel extracto catholico, vel elect. diaphœnic. aut hier. picræ, vel pulvere diaturbith, vel infusione ex phlegmagogis parata. Quæ purgatio subinde repetenda est.

Corpore purgato præscribatur hoc apozema.

℞. Rad. acori, fœnicul. ana ʒvj. galang. ℥iij. herb. majoran. betonic. rosmarini, rutæ, calamentæ, hyssopi ana m. j. flor. sthœcad. m. ß. cordialium ana p. j. baccarum juniper. ʒvj. sem. anis, fœniculi ana ʒij. aq. & hydromelitis, ana part. æq. coquantur s. art. & fiat apozema ad ℔ i ß. de quo sumat æger ter de die ℥ iv. vel v. cum particula hujus conditi.

℞. Specier. diambræ ℈ iv. diamosch. dulc. ʒ ß. rad. acor. condit. conserv. flor. salviæ, anthos, betonic. ana ʒv. syrup. de sthœcade q. s. fiat conditum.

Capiti imponatur hoc capitium.

℞. Fol. majoran. m. j. rosmarin. flor. lavendul. ana p. ij. gariophyllorum, nucis moschatæ, ana ℈ ij. benzoini ℈j. fiat pulvis grossus, è quo in serico rubro fiat s. art. capitium.

In diæta sit aër modicè calidus & siccus, vel natura vel arte. Cibi sint boni nutrimenti & facilis coctionis, conditi cum iis quæ attenuandi, calefaciendi, & caput corrobotandi vim habent, qualia sunt, rosmarinus, majorana, serpillum, salvia, betonica, melissa, hyssopus, semina carminativa, & aromata. Potus sit melicratum, vinum tenue, & nonnunquam pauxillum vini hypocratici. Somnus sit brevior, & corporis exercitatio mediocris. Excreta naturalia benè procedant. Fugiantur animi Pathemata. *Isbrand. de Diemerbroeck. Medicat.* 12.

Apoplexia ex concussione cerebri lethalis.

Reverendus Theologus, D. Jeremias Victor, Superintendens Giessensis, ferè sexagenarius, fluxionibus capitis admodùm obnoxius, anno 1609. vespertino tempore scalam descendens in domo propria decidit, capite pavimentum feriens, ut circa frontis os contusio deprehenderetur: subitò collapsus instar mortui jacet, sine voce, nec videns, nec audiens; quin etiam tactu, motuque privatus, cum stertore quodam, pulsu adhuc integro, sine febri. mox vomitus subsequitur, omnibus in eodem statu permanentibus, donec tandem vitali facultate suffocatâ, die sequenti vitam cum morte mutaret.

Verum est illud Hippocratis lib. 7. aph. 58. quibus aliqua ex causa cerebrum concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri, quod *Gal. in comm.* hoc modo interpretatur, eos scilicet absque sensu pariter & motu instar apoplecticorum jacere. Hoc modo *Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis capite* 15 ex ictu oculi puerum, *& Herc. Saxon. in prælect. pract. par.* 1. quendam Venetiis ex alapæ contusione apoplecticum redditum fuisse testantur. Mirum ergo non est, quòd hîc etiam externa causa, nimirùm contusio ex lapsu, *apoplexiæ* occasio-

nem dederit, *in sexagenario*, cum senili ætati familiaris aliàs hic affectus sit, juxta *Galen. lib. 3. aphorism. comm. 31. qui fluxionibus capitis admodùm obnoxius erat*, quâ ratione proxima continensque hujus symptomatis causa nimirùm *subitanea compressio cerebri, respectu si nuum & baseos, seu principii nervorum* originem suam, externâ violentâ concurrente, citiùs habere potuit: *vespertino tempore*, nimirùm post cibum, capite aliàs repleto, spiritibusque versùs concoctionis membra revocatis, *ergo subitò collapsus instar mortui* jacet, quod omnes facultates animales æqualiter langueant, unde situs talis in universali prædictarum facultatum quiete solet observari, quod patet in *lipothymia ex resolutione*, cui melius succurri nequit, quàm ubi laborantem protinùs in dorsum extremis æqualiter extensis procumbere jubemus; *sine voce, nec videns, nec audiens*, læsis scilicet tam internis quàm externis sensibus; *his* propter denegatum spirituum animalium influxum, *illis* propter cerebri compressionem subitaneam, illarum partium respectu, per quas spiritus animales aditum liberiorem requirunt, *quin etiam tactu, motuque privatus*, quòd non tantùm anterior cerebri pars, sed undique totum esset affectum, ubi colligitur *differentia præsentis affectûs* 1. *à Caro & gravi sopore*, quod prioribus cerebri partibus potissimùm hîc oppressis per posteriorem medullæ partem communicatio spirituum, quanquam difficulter adhuc, fiat; unde stimulati sentiunt & moventur. 2. *à lethargo*, cui idem accidit, lentâ febre simul presente 3. *ab epilepsia*, quæ cum motibus convulsivis jungitur. 4. *à suffocatione uteri*, quæ non tantùm similes quoque motus, sed sensuum etiam internorum & externorum imperfectam operationem relinquit; *cum stertore quodam*, propter motricis facultatis imbecillitatem; quæ thoracem abundè satis attollere nequit, adjuvante simul caloris imminente suffocatione, qui propterea collectus circa cor ampliùs eventilari cupit, quâ ratione dormientes etiam, non vigilantes, frequenter stertorem edere solent, inprimis ubi dorso incumbunt, *pulsu adhuc integro*, corde videlicet principaliter non adfecto; sine febri, quatenùs affectus hic inflammatione destituebatur, quod non fit in lethargo, in soporiferis febribus, &c. *Mox vomitus subsequitur*, à concussione suam originem trahens, quatenùs vomitus, inprimisque biliosus, cerebri, membranarumque potissimùm læsionem sequi solet; *juxta Hippocr. lib. 6. aphor. 50. & alibi.* His signis perdurantibus prognosin facillimè fecimus, nimirùm affectum lethalem esse, cum *Hippoc. lib. 2. aphoris. 42.* apoplexiam fortem nullo modo, debilem verò non facilè solui posse statuat.

Ne verò quicquam, quod Christiana charitas requirebat, intermitteretur, aliquid tentandum esse judicavimus, propterea quòd interdum etiam in desperatis casibus benedictio divina luculenter, præter spem, dum ex officio sæpiùs extremè laborantibus succurrimus, nobis apparere soleat. *Hinc revulsionem à capite variis mediis instituendam, & deinde omni ingenio facultatem animalem excitandam esse putavimus.*

Pro primo mox venæ-sectionem instituimus in brachio dextro, sanguinis ℥vii. vel 8. extractis, propterea quod suspicio esset, sanguinem ex concussione capitis eò confertim affluxurum. Quanquam verò sanguinis missione dextrè peractâ, respiratio levior videretur in cæteris tamen nulla mutatio sequebatur, unde non tantùm extremorum frictiones & ligaturas dolorificas ordinavimus, sed paulò post clysterem sequentem suasimus, qui.

℞. Herb. betonic. salv. primul ver. centaur. minor. calaminth. montan. ana m. i ß. fol. senn. ʒvj. pulpæ colocynthid. ʒiß. coq. in aq. & vin. ad tertias, colatur. ℔ j. diss. elect. hier. simpl. Ind. major. ana ℥ß. ol. rutacei, de castoreo. anethin. ana ℥j. sal. gemm. ʒ ß. m. f. clyster.

Præter hæc remedia revulsionum, partem affectam quoque non neglexim us; quam ob causam, *pro secundo*, non tantùm aquam apoplecticam Langii, cum spiritu cerasorum nigrorum permistam, aliquoties infudimus, corroborationis gratiâ, sed etiam ol. succini verticem, tempora & nares inunximus, ac tandem sternutatoriis ex castoreo & similibus, quæ post universalia & revellentia rectiùs, quàm in principio adhibentur, naturam excitare conati sumus, sed frustrà, *sensim* etiam vitali facultate remittente. *Gregor. Horstius de Morb. cap.*

Observationes.

Juvencula in veram apoplexiam, cum menstrui effluvio, incidit; pluribus celebratis auxiliis, ego neglectâ indicatione quæ à menstruo fluente actu desumitur, ob urgens periculum, factis crurum frictionibus & cucurbitulis femoribus appositis, octo horarum spatio quater è cephalica copiosè sanguinem mitto, à quo præsidio convaluit. *Zacutus Princ. Med. Histor.*

Sartor quidam pallidi coloris extra urbem existens, subitò apoplexiâ correptus, in domum sine sensu ac motu fertur; qui cum pituita abundaret, & venæ non apparerent, sectionem venæ prætermisimus. Sed ut subitò materiam à capite divertendo avellerem, ut hic clyster infunderetur mandavi.

℞. Cent. min. puleg. calamenth. origan. beton. rutæ, salv. mercurial. hyssop. ana m. j. fol. lauri, fl. stœchad. & anthos, ana p. j. sem. anis. fœnicul. cartham. contus. ana ʒ ij. uvarum pass. enucl. ℥j. colocynth. ʒ i ß. coq. in aq. communi in col. ℔ j. dissolv. elect. hier. simpl. benedict. laxat. ana ℥ß. hier. logad. diacolocynth. ana ʒ i ß. ol. chamæm. rutac. ana ℥j. ol. anethi, ℥ß. ol. castor. ʒ ii ß. salis gemm. sal. communis, ana ʒ j. m. f. clyster. interim dum clyster parabatur, etiam alvus irritata est ad solutionem glande infrascriptâ.

℞. Trochisc. alhandal. ℈ ij. spec. hier. picr. ℈ j. sal. parùm, mellis q. s. f. suppositorium. Adhibui etiam frictiones; & vincula tum femoribus, tum brachiis injeci, quibus adhibitis, tendebat in paralysin: Sed non expectatâ digestione, ut has pilulas devoraret præcepi.

℞. Pil. coch. ʒ j. castor. ℈ j. cum syrup. de stœch. fiant pilul. 7. quas, cùm non potuit devorare, dedimus solutas cum aq. beton. Cùm ventrem egregiè solvissent, cœpit meliùs loqui. Exhibui tunc syr. è stœch. & oxym. scillit. Et postea cum pilulas devorare posset, prædictas deglutiendas dedi, nucham quoque inunximus oleo sampsuchino & nardino simul mixtis. Deinde pro parti-

particulari evacuatione, palatum inunximus cum theriaca & sinapi; etiam masticatoriis quoque adhibitis, & errhinis cum succo betæ, rutæ, & majoranæ, & sternutamento hunc in modum præscripto.

℞. Nigell. piper. alb. nuc. moschat. ana ℈ j. helleb. alb. pyrethr. castor. ana ℈ ß. m. f. pulvis. pauxillum ejus calamo insuffletur in nares. Ultimò ad majorem resolutionem & capitis roborationem, theriac. mithridat. & oxymel scillinum, dedimus, & imperavimus ut ex hoc sequenti condito sumeret subinde.

℞. Conserv. flor. torismar. beton. salv. ana ℥ j. mithridat. ʒ ij. theriac. el. ʒ j. spec. diambr. diamosch. plirisarchont. ana ℈ i ß. diacori ℈ ij. oximel. scillin. syr. è stœch. ana ℥ ß. m. bibebat & hoc claretum.

℞. Salv. majoran. hysop. betonic. ana m. j. flor. rosmar. stœch. ana p. j. liquirit. ras. ʒ iij. coq. in aq. q. s. in colat. ℥ ix. dissolv. mell. despum. syrup. è stœch. ana ℥ j. clarificetur & aromatizetur cum ʒ iij. cinam. f. claretum pro tribus dosibus.

Exteriùs verò spinam totam inungebat, & crus paralyticum his oleis.

℞. Ol. Nardin. sampsuch. ana ℥ j. ol. vulp. ℥ ß. ol. caryophyll. gutt. v. tempore inunctionis addebatur aliquid aquæ vitæ rectificatæ, & sic hic fuit tandem egregiè curatus. *Petrus Forestus observ. 77. lib. 10. de cerebri morbis.*

Juvenem pleni habitus, præcipitavit redundans capitis sanguis in subitam ac gravem apoplexiam, cum tremore, aphonia, ac stertore; tribus periculosissimis hujus morbi comitibus; quorum vehementia maturè quo infringeretur, emittebatur illicò sanguis in brachio dextro, sed eo lenius fluente quam ut satisfaceret morbi magnitudini, exolutum fuit utique eodem ferro & brachium sinistrum: quo bipartito fluxu aliquandiu continuante, remisit evidenter stertor, traxit commodiùs spiritum, & recuperavit brevi sanitatem. *Tulpius cap. 7. lib. 1. observat.*

Mulier Hebræa, cùm continuos 4. dies de more gentis jejunaret, inde debilis facta est; cæterum cum postea mali succi cibariis vesceretur, multum humorem pituitosum exaggeravit, ex quo cerebri cavitates occlusæ sunt, ad quas privatio sensus & motus sequuta; pro quibus recuperandis multa illicò facta sunt, & ad cauterium in sutura coronali deventum, unde aliquantùm ad se rediit, sed Medicus inscius ad eam juvandam præsens sanguinis ℥ viii. vel x. extraxit, unde mors brevi supervenit. *Amatus Cur. 13. cent. 4.*

Anglus sexagenarius, virginum Anglarum Leodii agentium, symphoniæ organisque præfectus, media quadragesima ebrius, in penuarium hospitii pugilum, in quo potarat, delapsus; occipite contuso, osse tamen calvariæ integro, vera, & forti apoplexia correptus fuit. Convenimus ad illum quotquot Leodii erant Medici: omnibus qui aderant illum desperantibus, atque soli prognostico relinquentibus, Rogavi Patres, & Virgines Anglas quæ aderant, quibus tum ordinariam Medicinam faciebam, paterenturne me aliquid tentare, remediumque nullo modo anceps experiri? Illis annuentibus validè concusso & agitato clysterem acerrimum injicio, quo duabus horis cessante, & glande acri evocato cum insigni evacuatione, toti capiti raso cataplasma, ex fimo columbino, euphorbio, pyrethro, sinapi applico; hinc multæ magnæque vesicæ cum se surrigerent, omnibus forcipe sectis, aquæ flavissimæ plurimùm effluxit, superpositis rubrorum caulium contusis foliis, multâ jam nocte domum redeo.

Postridie specierum hieræ colocynthidos dragmas duas, castorei dragmam semis, rutæ scrupulum, cum aqua antapoplectica propinavi: quæ potio cum ex voto successisset, cucurbitulas humeris cum scarificatione applicui, unde minuto stertore, salivaque circa os omninò siccata, in spem erectus, vesicis capitis non ampliùs fluentibus novas in nucha & vicinia, sed solis cucurbitis excito; quod quando meum inventum est, neque quod sciam ante me cuiquam usitatum, libenter vobis communico. Capio latioris orificii cucurbitam vitream, aut vitrum humilius quo Mosellanica, aut Rhenana vina sorbemus, illis stuppâ ardente ut fit munita, ubi libet applico; cùm per horæ quadrantem hæserunt, detraho, novamque cum flamma, quam possum maxima stuppam appono, paulò post in junioribus & eusarcis, (in senibus aut densâ cute præditis tardiùs) vesiculæ surgunt, parvarum acicularum capitella vix æquantes; quibus omnibus horæ spatio coeuntibus, surgit vesica maxima, & orificio cucurbitæ, aut vitri, par vel major. Tum si vas vitreum, quorum multa huic usui paravi, non habet foramen cerâ obductum, quo acu perforato, flatu exeunte spontè sua cadit, plerumque vitrum cultro percussum frango, alioquin vesicam dum manu avellitur lacerans, dolorem sæ um excitat. Hinc educta semper magna aquæ copia, esurialibus diebus caulis folia, extra quadragesimæ tempus, macram musculi bovini carnem alligo, tandiu, dum illa virore & fœtore amovendam se indicet. Hoc modo innoxiè & intra horarium spatium, certo certius surgunt vesicæ, cum omnia alia vesicantia post multas horas sæpè spem nostram eludant, morbumque vel procrastinent, vel contumacem aut etiam invictum reddant.

Quartâ demum nocte cùm naturaliter dormisse visus, jamque liberiùs respiraret, neque tamen oculos aperire, aut ulla sensús vel motus signa edere posset, alimentis convenientibus maximè decocto cicerum, & tenui mulso, pro potu præscripto, totum occiput spinæque medullam, aqua catarrhali cum petroleo remixta, perunxi; plerisque horum remediorum ad vigesimum diem continuatis, addendo etiam in cibo & potu balsami Peruviani, aut olei succini aosmi guttam, aut olei rorismarini salviæque, chymica arte educti; cùm interim aliquoties alvus bonis jusculis & melicerato rigata, jam spontè officium faceret. Die vigesimâ primâ, oculos aperit, caput leviter motat, & jam carpis, temporibusque pulsus redierat, ita ut de salute ejus jam securus, rogarem num loqui posset: Eii respondit, quod Anglis ita significat. Cæterùm cum urgerem, aliud quid pronunciaret; nec illo nec altero die, syllabam extorquere potui, ipso quoties aliquid dicere jubebatur, amarissimè flente.

Suspicatus de paralysi musculorum, aqua antapoplectica, cui infuderam sinapi, staphidem agriam, baccas lauri, pyrethrum &c. os continuò collueret imperavi, cùm liberiorem linguæ motum notarem, dixi recitaret orationem dominicam, cum ille cancellatis manibus, oculis sursùm

sum veris, tantum, quantum ad hanc diem non vidi lacrymarum imbrem profudit, ita ut jam & si loquelæ usum habuisset, nimio illum fletu & suspiriis amisisset; multo post cùm lacrymas abstersisset tempore: sequere, inquam, me dicentem, dic Pater noster: Ille hianti ore & tanquam aëris aucupio intentus, sæpiùs ut Pater diceret sollicitatus, primam tandem protulit syllabam, deinde alteram, eodem prorsùs modo quo pueri Abecedarii. Sic paulatim redeunte quam penitùs amiserat rem nitcentia, & musicam, & fidium peritiam recuperavit, decimaque demum à casu septimana, consueta vitæ munia integrè obivit. Simili ferè modo mulierem curavi; nisi quod huic ex octo gradibus delapsæ in occiput, cùm nec concussione, nec pilorum vulsione septem qui aderant Medici, ullum ab illa vitæ signum extorquerent, aciculam prælongam inter pollicem pedis sub ungue adegi, è cujus dolorifico sensu excitata, momento citiùs, magno clamore edito in lecto consedit, sed paulò post iterùm concidit, at mox ad se rediit, antapoplecticisque remediis adjuta intra diem septimum omninò convaluit. Neutri sanguinem detraxi, quia plethoræ suspicio nulla, & utrobique cacochymiæ signa manifestissima. Tertium curavi apoplecticum Anglum in cujus caput, magna porta, cum trabe cui adhærebat, deciderat. Illius capiti raso post universalia imposui emplastrum Alexandr. Benedicti, quod etiam Franciscus Valeriola commendat observ. 9. lib. 5. quod quia fidum inveni, hìc describam.

℞. Gumm. hederæ, ceræ, terebinthinæ ana ℥iij. resin. purgatæ ℥ß. succ. corymborum hederæ ℥iv. ammoniaci ℥ ij. olei rosat. ℥ ii ß. farinæ fabarum q. s. f. cerotum. *Henr. Ab Heers observat. Medic.*

Vir quidam temperamento phlegmatico sanguineus, 55. annorum præter propter, posteaquam præcedentibus diebus symposiis operam dedisset, in prandio, inter cibum potumque incipit balbutire, mox insequens apoplexia terminatur in paralysin lateris dextri, quam comitatur inexpugnabilis dormiendi cupiditas. Secundo die morbi adveniens, ægrum omninò ἄφωνον reperio soporique deditum, facie tamen sana, & omnia intelligentem, solùm latere dextro immobili, & paralytico: præmisso morbi curatu difficilis prognostico, illicò hunc clysterem injiciendum curavi.

℞. Rad. angel. zedoar. ana ℥j. fol. rutæ, cent. min. origan. serpill. beton. mercurial. ana m. i ß. Sambuc. cent. min. cordial. omnium ana p. ß. sem. cumin. anis. ana ℥ ß. baccar. laur. ℥ ß. fol. sen. elect. ℥j. f. decoctio in colat. ℥x. dissolv. diaphænic. diacathol. ana ℥j. bened. laxat. ℥ ß. ol. chamæm. aneth. irin. ana ℥j. sal. gemm. ʒj. f. clyster. statim injiciendus. Interius accepit per vices cochlear unum hujus aquæ apoplecticæ.

℞. Aq. hirund. apoplect. Lang. ana ℥ j. aq. pæon. lil. convall. ana ℥ß. ol. succin. gutt. vii. m. diligenter ad vitrum. Postea vertex, totumque sinciput unà cum nucha, illinebatur primùm cum ol. succin. calidè, deinde cum hac aqua.

℞. Aq. salv. rosmar. lavendul. ana ℥ i ß. aq. vitæ opt. ℥j. ol. salv. succin. destill. ana ℈ß. m. ad vitrum post fotum cum hac aqua illinebantur partes illæ cum his oleis.

℞. Ol. lumbricor. laurin. ana ℥ß. ol. costin. nardin. ana ʒ iij. vulpin. ursin. ana ʒj. ol. rosmar. lavendul. ana ℈ß. m. ad fictile. Sequenti die cum in soporem subinde relaberetur, injectus est alius clyster. paulò acrior, additis spec. de hiera ʒ ij. colocynth. in petia ligat. ℈ij. Sed neque hic quicquam promovit, tametsi per horam mediam & paulò ultrà subsisteret: ideòque elapsâ horâ, ex indito suppositorio, tandem bis terque dejecit. A meridie contra soporis augmentum sequentibus pugnatum est.

℞. Rad. Angelic. imperator. zedoar. tormentill. dictamn. ana m. j. fol. satureiæ (quæ contra veternum peculiaris) m. ij. lavendul. rutæ, serpill. majoran. ana m. ß. coq. in q. s. vini & aceti vinosi pro decocto petiæ duplicatæ hoc liquore imprægnatæ, tam fronti, quàm nuchæ calidè adhibeantur, & sæpiùs renoventur. Succus rutæ cum aceto acerrimo mistus, ex spongia subinde naribus objectus. Intus de hac mixtura ori ingestum.

℞. Oxymel. scillit. ℥ ß. mithridat. elect. ʒ j. Castor. pur. ℈j. cum confectione anacardina fiat mistura. Oleo etiam sequenti paulò fortiori præeunte aqua suprascriptâ, juxta cum spina dorsi, nucha calidè fovebatur.

℞. Ol. laurin. petrol. ana ℥j. ol. castor. laterin. ana ʒ ij. euphorbii pulv. ℈ j. ceræ rubr. & aceti parùm M. F. Linimentum. Pulvis pariter sternutatorius naribus insufflatus est. Gargarismi etiam tentati. Denique ut in tam magno peneque desperato morbo, nullum remedium aliàs salutare, prætermitteretur, clysteriis suppositoriisque nihil aut parùm efficientibus, sequentes pilulas capitales pro revulsione ac minoratione repletionis istius apoplecticæ præscripsi.

℞. Extract. pil. coch. ℈ j. gummi gutt. lax. elect. gr. v. castor. elect. gr. iv. ol. succin. gutt. iij. syrup. de stœchad. q. s. f. pil. num. v. inaurentur, quia deglutire non poterant, sic dissolutas propinavi.

℞. Aq. pæon. salv. ana ʒ x. dissolv. pil. prædict. adde aq. cinam. perlar. ana ʒ j. sp. vitrioli, gutt. iij. m. f. haustulus brevis. elapsâ horâ excrevit aliquoties materiam duram, nigram, fœtentemque, pro majore revulsione, ab utraque parte nuchæ applicata sunt vesicatoria, sed omnia præsidia frustranea, *Joannes Petrus Lotichius. obs.* 10 *cap.* 1. *lib.* 2.

Fortissimâ apoplexiâ correpta fuit mulier quædam 48. annorum habitu corporis εὔσαρκῳ ac carnoso concidit subitò. Seniores Medici vocati nihil spei superesse judicabant: tandem 16. ab invasione horis vocatus accessi, tunc temporis adhuc juvenis, observavi gravissimam cum difficili admodùm respiratione apoplexiam: pulsum fortem & magnum, tentandam esse curationem existimavi; itaque sanguis illo die bis, & quidem satis copiosè, detractus, semel è brachio dextro, deinde ex pede: Enemata quoque hoc ipso die satis acria duo injecta, deinde singulis diebus singula, adhibita & localia quædam, ita tandem octavo aut nono die suos domesticos agnoscere cœpit, & nonnihil balbutire. Postea purgantibus medicamentis per os exhibitis, deinde ἀποφλεγματισμοῖς apophlegmatismis, aliisque similibus usa, meliusculè habuit; verùm eo usque perduci non potuit, ut mentis ac sensuum integrè compos fieret, aut pedibus consisteret. Mansit reliquo tempore impotens: sedebat ac gestabatur in sedili, ita tamen aliquot annis supervixit. *Rembertus Dodoneus, cap.* 8. *obs. Medicinal.*

Ab hinc quatuor annis, præsidem valentem, qui ab obstructione venarum jugularium, & carotidum arteriarum apoplecticus penè conciderat, liberali sanguinis detractione, curavi, hunc etiam in apoplexia totam noctem dormire permisi, quoniam absque stertore dormire visus est, unde meliùs habuit, nam si cum stertore dormiat apoplecticus statim excitandus est. *Ludovicus Duretus* in annotat. *ad cap. 7. lib. 1. Jac. Holler.* de morbis internis.

D. Screvelius anno 1639. commemoravit mihi quod Hagæ Comitis tractâsset Chyrurgum quendam apoplecticum, qui statim ac corripiebatur morbo, clamabat pellis humana: *Screvelius* quærebat quid ea vellet? collo appensam dicebat, eo modo enim ante tempus aliquod apoplecticum Germanum sanatum vidisse qui subinde cutem humanam expetebat: quam cùm ipse à *Petro Paavv* anatomiæ Professore *Leydensi* petiisset, illicò collo appendebat, & apoplexia planè liberabatur. *Ottho Heurnius*, ad cap.3. lib. 5. pathologiæ *Joan. Fernelii.*

Ex consueta Hæmorrhagiæ narium suppressione Apoplexia.
Ad
Clarissimum atque Doctissimum virum,
Dn. Ioh. Iacobum Craftium, apud Neocomens. Doctorem Medic. ordin. atque celeberrimum,
cui
Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

Quemadmodum superfluæ evacuationes, clarissime atque doctissime Dn. D. Crafti, periculosæ, sic quoque videmus, si consuetæ fuerint retentæ, pernitiosum atque exitiale esse. Id mihi cùm alias, tum etiam Lausannæ videre contigit. Historiam, quia annotatione non indignam esse sentio, T. Exc. communicare non gravabor.

Simon Clericus, Aurifaber Lausannensis, natione Gallus, homo pius, sanguineus & robustus, hæmorrhagiæ narium à juventute ita obnoxius fuerat, ut etiamsi sæpiùs sanguinis ad uncias aliquot pro vice efflueret, singulis annis, aut biennio semel tanto impetu erupit, ut difficulter cohiberi posset. Cujus rei ego testis sum ocularis. Anno enim 1586. cùm sanguinis ei impetuosiùs copiosissimèque ex naribus proflueret, adeò ut de vita periclitaretur, unà cum clarissimo Dn. Jacobo Auberto Vendone, piæ memoriæ apud Lausannenses Doctore Medico longè celeberrimo, amico ac fautore meo plurimùm honorando, in consilium adhibitus, sanguinis fluxum ipsi non sine difficultate multisque laboribus restrinximus. Convaluit tamen divino favore, & per annos aliquot supervixit. Tandem adultior factus, cùm eminens aliquod periculum ex crebra hæmorrhagia narium sibi metueret, & ad sanguinis profluvii præcautionem amuleto quodam collo appenso, fluxum inhibuisset, apoplexia correptus fuit anno 1589. Ex qua protinùs animam Deo reddidit, cùm annum sexagesimum ætatis prætergressus esset. Post duodecim horas ab obitu, cùm cadaver jam sepulturæ tradendum esset sanguis copiosè è naribus & ore emanavit. *Fabr. Hildan. obser. 11. cent. 3.*

Mulier quædam pia & honesta, nomine Bonadonbelle, Bysantina, commater mea, ætatis quadraginta annorum, valdè obesa, cacochymica, admodùm plethorica, destillationibus, doloribusque præcipuè capitis, ventriculi suffocatione uteri sicut ante biennium ipsam eâ laborasse, & per tres horas morti quasi similem fuisse, tum animum recollegisse, (ego ocularis testis) necnon hæmorrhagiæ potissimùm eo tempore, quo menses retenti fuerunt, omninò sarcinam menstrualem copiosè per os & nares deposuit, à multis annis obnoxia fuit.

Inde ipsam apoplexia, (ut postea dicetur,) plethorica, cùm subitò quasi attonita concidit, priùs tamen benè se habens, & in officina sua nens, & motu excepta, perdifficili respiratione, pulsu vehementi, magno ac veloci, & omni sensu privata, vitam cum morte commutâsse, quid credibilius? affluxio namque ista consueta sanguinis, non neglectâ intemperie, atque mala dispositione ex interioribus corporis partibus, majori ex parte ad cerebrum, quod omnium actionum animalium fons, author, & principale, necnon instrumentale subjectum apoplexiæ, absque violenta & agitatione internorum viscerum: sive valvularum venarum præcipuè jugularium, tam internarum quàm externarum, ut Hippoc. 4. de vict. ac atque resistentia fact. non fuit. Quamvis Fernelius 5. De partium morbis & sympt. cap 3. assistente Gal. 5. de sympt. causis cap. 6. & 3. 4. loc. aff. cap. 27. asserat apoplexiam fieri ex causis frigidis, pituitosis, lentis, crassis, & viscidis, quæ ventriculos afflati implent, sicut refert Ætius capite de apoplexia, functionem radiorum spirituum animalium impediunt transire ad musculos respirationis: unde systole & diastole diminuitur seu aboletur, ac finis respirationis tam cerebri, quàm cordis tollitur, qui est eorum refrigeratio, recreatio, sive augmentatio, & excrementorum expulsio, atque tandem vel subitò vel brevi, idque secundùm latitudinem obstructionum, uti in hac muliere vidimus, spiritus & functio animalis suffocantur: tamen alibi, ut lib. de sang. miss. cap.7. & 4. de vict. in morbis acutis comm. 27. in lib. introduct. sive Medic. Avicenna can. 3. Non negant & plethora nonnunquam id fieri posse, quoniam, ut aiunt, tempore potissimùm veris nonnulli venæ-sectione ab ejusmodi morbo liberantur: id quod nobis in nostra muliere apparuit. Non eo tamen inficias, sanguinem pituitosum fuisse, quia maximè repleta ac cibis horariis, quibus summoperè delectabatur, crudos indigestosque humores fovit, putredo inde interna genita in causa fuit, quod sæpissimè febricula laborarit, unde cerebrum incalefactum, humores quodammodo liquescendo affatim delabi sivit. Sanguis insuper menstrualis retentus, sursùm regurgitatus, ventriculos & ductus radiorum facultatis sensitivæ, & motivæ, ita è toto occupans, replens atque obstruens, ut vim animalem in reliquum corpus, præcipuè musculos thoracis, partim influere non permiserit, partim ipsos provocarit. Insuper talem apoplexiam plethoricam fuisse pleniùs affirmatur, quod in agone mortis grumos sanguinis ex ipsius ore extraxi, sperans, ea modo maximè difficilem respirationem allevari: sed frustrà. Deinde non parvum adminiculum dedisse, planè credendum, histerica passio, qua aliquando, ut superiùs annotavimus

tavimus laboravit: Et hoc secundùm Avicennam cap. 13. qui etiam apoplexiam procreari dicit à communitate alicujus membri: maximam autem habere cerebrum cum utero, & contrà, lippis & tonsoribus notum. Et has fuisse causas, & quidem materiales, concomitante quadam intemperie, totum cerebri corpus occupantes reor: quamvis aliam adjungat *Gal. comment. Aphorismi 42. sect. 2.* ait, fieri quoque à dispositione simili inflammationi: quod intelligitur ab Avicenna, apoplexiam fieri à copioso sanguine, qui non egreditur vasa: id est, venas, arterias; aliàs fieret inflammatio, quæ tunc non esset, διάθεσις φλεγμονώδης. Sanguis ergo vasa non egrediens, ea vehementer replet, affectum similem inflammationi efficit: Et fit angustia, quæ est compressio non substantiæ, sed pororum cerebri.

Summoperè certè admiratus, audiendo, ipsam quandocunque menses suppressi erant, sanguinem & per os, & per nares ad aliquot dies copiosè exspuere atque emungere, ac ita sarcina menstruali per ea loca liberari: quod cùm factum, benè tum se habere, uti illæ, quæ mensibus per vias naturæ designatas purgantur.

Et hinc proculdubio una inter alias promitur ratio, quod nonnisi semel, sicuti ipsamet mihi retulit, conceperit, & conceptum non diu retinuerit; quanquam hoc majori ex parte plethoræ & magnitudini corporis adscribatur. Menses enim cùm adhuc ordinariè & secundùm naturam fluebant, maximam semper copiam solebat excernere. Et hæc, qua fieri potuit brevitate, de duabus hujus historiæ partibus dicta sunto.

Nunc eâdem conditione, relictis quamplurimorum opinionibus & sententiis, & tertiam subnectemus, quæ est: longè post mortem sanguinem magnâ copiâ excrevisse. Quæ proinde, cùm mortua tempore consueto almæ matri committi non potuit, propter sororis distantiam, quæ ad funus etiam accersebatur: Ideò in hypocausto calido aliquandiu manens, ob fœtorem coacti fuere feretrum immittere, quod in culina erat, aliàs propter angustiam & incommoditatem domûs, foràs portari non potuisset: Locus non minùs calidus, quàm in hypocausto; Addo & insuper, quod eo tempore loco frigoris, & Auster & pluviæ satis diu regnabant: quæ duo, calor videlicet externus, tanquam causa efficiens, & humiditas tanquam materialis, quàm plurimùm augent putredinem, ut *Gal. 4. 9. Methodi Med. cap. 5. 3.* Calor proin aëris ambientis in hoc cadavere putredinem non parùm juvit. Idque secundùm putredinis naturam, ut *Gal. 11. Meth. Med. 8.* quæ est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ & corruptelam, à calido externo, vel in corpore ascititio vel aliunde adveniente: quæ omnia causam hujus fluxûs maximè promovebant. Calor enim naturalis nondum omninò extinctus, fotus præternaturali & adventitio seu extraneo, tam hypocausti culinæ, quàm temporis Australis & pluvialis proprio enim calore nihil corrumpitur, siquidem putredo juxta Aristotelem, est corruptio seu interitus proprii atque innati caloris, per externum & adventitium, in unoquoque humido proveniens: ex crudis, pravis & retentis humoribus, putredinem, vapores atque flatus excitavit, qui quoniam calor non minùs non dissipat frigus non ingens, non coacti seu condensari, uti Aristoteles dictitat, nimium calorem vapores consumere, contrà frigus eos consistere & impedire, verum horum medium fovere, ideò adeò aucti fuerunt, ut ventrem tympani instar intumefactum intenderent.

Non sanguis in venis contentus, ac nondum calore insito totaliter privatus, quamvis mors non aliud sit, quàm caloris nativi extinctio ut *Gal. 2. de temperam.* docet, motu vel intrinsecè vel extrinsecè excitato, ut videre libet in cadaveribus morte violentâ sublatis, aliquando post multos dies ex vulneribus sanguinem promanare, potest moveri, non ilicò enim cessat, præcipuè in eis, qui morbis chronicis non sunt consumpti aut extenuati, quemadmodum fuit hæcce mulier, quæ nullo tunc temporis morbo apparente laboravit: quamvis videatur animâ efflatâ corpus subitò refrigerari, poros, vias, ductusque ita contrahi atque coarctari debere, ut humores seu sanguis omnimodè in loco retineatur, & arctè incarceretur, propter insitam tamen arteriarum & venarum proprietatem, sanguis quandiu in ipsis continetur, non coagulatur, extrà verò quamprimùm, sed semper liquidum ac fluidum conservant, id quod ultra authoritates, autopsia nobis, & anatomicæ sectiones, uti & quotidiana experientia ostendunt, sicuti mihi semel Basileæ videre contigit, in quodam adolescente, qui aquis submersus, decimo sexto demum die repertus, merum, & non loturæ carnis similem, ut quis inferre posset, sanguinem per os & nares omnium cum admiratione ejecit. Putrilaginosi igitur isti vapores ex tetris & fæculentis humoribus tanta copia excitati, humores in calore foventes, vias ductusque quæ spatio viginti octo horarum contracta & clausa, proculdubio propter jam infrigidatum & rigidum cadaver erant, reserarunt, ac per ἀναστόμωσιν sanguinem excluserunt, ob compressionem flatuum in ventre inferiore excitatorum: qui adeò ventrem implentes ac replentes, sanguinem præcipuè in vena cava contentum, sursùm expulerunt ad venas jugulares, quæ sine dubio jam debilitatæ ac laxæ erant, potissimùm internas: quæ magis apertæ propter calorem, qui aliàs aperit, rarefacit, liquescit, humores attenuat, & sic fluxum aliquo modo accelerare potens, ubi ἀναστόμωσιν consuetam sanguinis menstrualis exclusi reperiens, itaque propter repletionem erumpere cogens, & per os & per nares copiosè exiit, & hanc unicam hujusmodi fluxus fuisse rationem principalem, quamvis non ignorem, & alias multas posse esse, quæ ora venarum seu arteriarum cerebri, vel aliarum partium acredine, calore extraneo, casu, motu, (fieri enim inquit Lemnius, potest ut sanguis, qui in venis delituit, agitato, motoque corpore erumpat) quantitate, qualitateve corrodunt & aperiunt: planè mihi persuadeo. Et hæc insuper etiam causa est, quod ter quaterve per horam colorem faciei mutarit, cum mox vividum, rubicundumque, mox pallidum ac morti similem habebat. Nam quoniam, ut diximus, admodùm cacochymica erat, calor qui conveniens ex putredine flatus excitavit, qui cùm comprimentes venam cavam sanguinem sursùm expulsum aliquid in venas capillares vultus intruserunt, qui tamdiu ibi manens colorem rubeum, quamprimùm autem per os seu nares effluxus, fœdè pallidum peperit, alius deinde cùm appulsus, rursùs vividum, cùm ejectus, lividum effecit: idque sæpissimè, ac per intervalla, quod adstantibus

bus & causam hujus nescientibus maximum horrorem, dubiumque ipsius mortis incussit: existimantes, plusquam miraculum ac inauditum quid, necnon omni ratione destitutum esse: ideo me advocarunt; id cùm vidissem, statim suprà recitatis rationibus cuilibet labellum compescui, terrorem excussi, & ad rectam veramque hujus rei opinionem induxi: & hoc per horas novem duravit, tandem post mortis horam 37. terræ commissa est. *Joan. Iacob. Crasstius apud Fabricium Hildanum cent. 3.*

Civis & Arcularius quidam Bernensis, Vir probus, & 50. circiter annorum ætatis, homo cacochymicus & obstructionibus viscerum laborans, cùm anno 1623. 9. Februarii, circa 6. vespertinam, inter pocula altercationem cum patricio quodam habuisset, & colaphum accepisset, protinùs in pavimentum hypocausti cecidit, & aliquantisper veluti exanimis permansit: paulo pòst tamen ad se rediit; surrexit, & ad ædes suas (quæ non procul absunt à loco, ubi percussus fuit) se contulit, ubi apud domesticos de dolore capitis conquestus est: nihilominùs tamen jusculum sumpsit, sed mox evomuit illud cum reliquis cibis indigestis. Ad lectum se confert, perseverante tamen dolore, & satis quietè dormit usque ad horam primam noctis, tum veluti rigore quodam correptus subitò loquelam amittit, fitque apoplecticus, & postero die circa meridiem, naturæ debitum persolvit. Post mortem sanguis, pituitâ vitreâ mixtus, copiosè per os emanavit. Dorsum lividum erat. Posterior quin etiam pars capitis, & nucha intumefacta reperta fuit.

Porrò quomodo id acciderit, quod levissima illa causa & casu mors successerit, perquisitione dignum est. Arbitror ego, post ictum colaphi & casum, commotionem cerebri sequutam esse. Id enim inde colligitur, quod veluti exanimis mutusque permanserit, & cibum indigestum rejecerit. Sunt enim hæc signa commotionis cerebri certissima, si casus aut percussio capitis præcesserit: In hac porrò agitatione & concussione cerebri ruptæ fuerunt venæ (sanguis, qui ex ore emanavit, testis est) ex quibus sanguis effluxit, ventriculosque cerebri, & ipsius anfractus opplevit, & spiritus animales suffocavit, ita ut ad partes infra caput existentes defluere non potuerint. Hinc apoplexia illa maxima, quam fortem appellat Hippocr. lib. 2. aphor. 42. Hæc verò ita sese habere, ex Galeni libro de sanguinis missione colligitur, ubi hæc habet verba: *nonnunquam* (inquit) *priusquàm computrescat sanguis, ingens ipsius vis decumbit in partem aliquam, quam aut omninò, ita ut actio ipsius pereat, aut illi certè noxam non contemnendam infligit. Hoc siquidem pacto apoplexiæ eveniunt, multo nimirum sanguine incumbente in animantis principium.* Hæc Galenus. At apoplexiam hoc modo ex ictu aut casu fieri posse, etiam experientia, & viri docti testantur. Platerus inter alia hæc quoque habet verba. *Extra vasa sanguis delatus, si non in cerebri substantiam infusus inflammationem pariat, tunc enim phrenitis fieret, sed anfractus & ventriculos subitò opplendo obstruat, nervorumque initium premat, stuporem & apoplexiam causat: ut frequenter ruptâ venâ accidit: idque nonnunquam ob plethoram ad vasa iis præsertim, quibus consuetæ hæmorrhagiæ per menses hæmorrhoides & nares substiterant. Idem à causa externa violenta, ut cerebri contusione, ex ictu vel casu potest accidere: etsi cerebri substantia vulnerata minimè sit, ut sanguis quoque cerebri cavitates, ipsiusque substantiam, ex locis præsertim ubi contusa est oppleat.* Hact. Plat.

Sed quæstio est, cur non è vestigio post ictum & casum, sed saltem post aliquot horas sequuta sit apoplexia? Respondeo id evenisse propterea, quod venæ disruptæ in capite fuerant exiguæ, & proindè sanguinem sensim ex eis ad ventriculos fluxisse, eosque opplevisse. Pituitam quinetiam (quam in hac apoplexia ex præcipuis fuisse causis morbi, viscosus ille sanguis testatur) quia tardè movetur, non tam celeriter ex remotis partibus ad ventriculos cerebri confluere potuisse. *Guilielmus Fabricius Hildanus, observation. 11. centur. 6.*

Domina Sara Schvverin, à multis ab hinc annis pro ætate sua robusta, paùmque morbis obnoxia, imò etiam hac hyeme, quæ tamen propter intemperaturam, & inconstantiam aëris (ut ego etiam in memetipso expertior) senibus gravis & valdè molesta fuit, provinviam suam cum laude administravit. Cæterùm decimo prædicti mensis, circa meridiem, quum ex inepto & agresti tabellario literæ ipsi traditæ essent, & ex eis inopinanter intellexisset, filium suum, qui in Dalen, in Argovia hujus Reipublicæ ditionis pago, Ministrum Ecclesiæ agebat, quemque unicè amabat, diem suum clausisse; adeò mente fuit commota & cordolio prostrata, ut vix perlectis literis, in grabatum se projiciens, protinùs syncope correpta sit. Adstantes hac de re non usque adeò solliciti (nullus enim ex Medicis vocatus fuit) optimam ac piam hancce matronam sine auxilio ex arte præscripto derelinquunt, & mulicrcularum, imperitorumque hominum remediis ipsam refocillare tentant, sed frustra; Hæc quum mihi ab amico quodam meo nunciata essent, protinùs & quidem ultrò accurro, an forsan optimæ matronæ auxilio esse possem, verùm fefellit me opinio: sine loquela enim, intellectu, & planè apoplecticam ipsam inveni, ita ut sequenti die extincta fuerit illa, quæ præcedenti die corpore adhuc sana & valida, ad meridiem usque per urbem ambulaverat. Vides, quam perniciosæ sint passiones animi, præsertim in corpore senili, si subitò & inopinatè acciderint. *Guilielmus Fabricius Hild. observ. 12. cent. 6.*

Somnambulo quidam, æstate ann. 1633. ex alto ædium se in straturam siliceam viæ publicæ præcipitavit: artubus mirè conquassatis & cranio fisso cum collectione sanguinis sub cranio. Ægro & astantibus trepanum abhorrentibus, bis venæ sectionem adhibuit: totum dorsum oleo discutiente inunxit: truncum pelle arietinâ adhuc recenti detractione calente involuit: Capiti sacculos cephalicos in vino coctos applicuit: cerebro dedit Tincturam traumaticam: vinum denegavit, propinavit decoctum corn. cervi alvum subduxit brodio prunorum lax. & suppositoriis. Vires subinde refecit aqua Cord temperata, sic convaluit. *Joan. Jacob. Wepfer. tractat. de Apoplexia, Ex Ephemer. Burge Werig.*

M. G. V. D. M. Tempus sinistrum, casu ab alto per scalam lapideam, vehementer allisit 1631.

gru mos sanguinis per nates excrevit, tinnierunt aures: vomuit: vino poto deliravit. Statim tinctur. traumatic. drachma cum dimidia dabatur: die secundo vena secabatur; Caput inungebatur tinctura traumatica, ung. populneo, ol. chamomil. violac. mixtis. Propinabatur Julepus ex aquis heder. terrestr. veronic. chærefol. betonic. syr. violac. papav. errat. & acetos. citri. Intra octiduum convaluit. *Idem.*

Matrona Nobilis annos circiter quinquaginta nata, & in vicinia hujus urbis vivens, apoplectica corruit, advocor & ad eam festinanter propero; invenio jam à pluribus horis immotam, cum pulsu languido & intermittente, sensu omni destitutam, & respirationem cum multo stertore ægrè ducentem. Clyster à Chirurgo præsente ante mei adventum injectus fuerat, venam in brachio statim secari jubeo, ac paulo post sanguinis eductionem purgans medicamentum adjecto emetico, propino, saliaque volatilia spiritibus cephalicis admista subinde exhibeo, simulque toti capiti & nuchæ oleum viperarum fœtidum inungo, frictionesque instituo, post horas aliquot abundè purgato infra & supra corpore, excitatoque per volatilia cerebro, ægra quidem ad se rediit, verùm hemiplegia correpta est, quæ & linguæ usum, & sensum ac motum in tota corporis parte dextra, sustulit. Tum inunctiones ex oleo viperarum memorato, ut & ex oleo tartari itidem fætido in parte affecta continuavi, linguam & palatum guttula olei cinnamomi, ut & anisi subinde attigi, cucurbitulas nuchæ, scapulis atque femoribus applicui, postque eas vesicatoria & nuchæ & femoribus, salia volatilia atque purgantia necessaria non una vice repetii, suffumigationes parti resolutæ ex herbis aromaticis atque odoris gravis, vino & aceto incoctis pluries adhibui, sicque brevi quidem rediit sensus, & pulsus atque aliquis motus & loquela sed uterque imperfectus, quæ difficultas superstes cum ad plures dies extenderetur, tempestasque, scilicet æstiva, non obstaret quò minùs thermas aliquas adiret, illam ad thermas Aquenses in Sabaudia dimisi, unde perfectè sana rediit, nec ampliùs etiam inter vitæ satis molestæ ærumnas, ullam morbi hujus accessionem passa est.

Vir quidam spectabilis annos plus quam 76. natus morbo attonito correptus me pro medico habuit, statim venæ sectionem in brachio celebrari jussi, clysterem injeci, emeticum deinde purganti medicamento associatum exhibui, salia volatilia è spiritibus cephalicis, cerasorum scilicet & baccar. juniperi abundè haurienda præbui, illaque etiam in nares insufflavi, quibus omnibus effeci ut brevi ad se rediret; verùm somnolentus, imò delirans ad aliquot dies permansit, donec vi salium volatilium, ut & clysteriorum atque etiam purgantium medicamentorum repetitorum, tandem integrè convaluerit, atque ad annum ætatis octuagesimum sine recidiva vixerit, quâ demùm ætate pulmonum affectione oppressus est.

Faber quidam lignarius 60. annos natus in capite baculo duriùs percussus, domumque suam reversus, post bihorium sideratus corruebat: Accersitus venæ-sectionem primò in brachio, postque intercalata alia remedia, è jugulari suadeo, enema acrius injicio, frictiones & vellicationes varias, nec non cerebri lotiones è spiritu vini juniperino adhibeo, vomitorium identidem è gilla Paracelsi & syrupo emetico Angel. Salæ propino, Hisce liberatum quidem aliquatenus est cerebrum, sed lingua permansit impedita, & præterea ad omnia interrogata subridebat æger, gestibusque suis animi ineptiam prodebat. Pro loquela adjuvanda, consulente Hartmanno, oleum anisi guttatim linguæ instillo, & salem volatilem armoniacum aromatisatum cephalicis & apoplecticis variis admistum sæpius exhibeo. Sic lingua officium & ratio dominium repetere visa est; sed recurrente post biduum paroxysmo, eo sublatus est vir bonus, nullo è remediis rursus adhibitis percepto emolumento. In hoc ægro omnino probabile est cerebrum ab ictibus commotum effusioni sanguinis in propriam substantiam occasionem dedisse, quod non licuit in mortuo videre renuentibus agnatis.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

De iis in quibus sanguinis extravasatio visa est.

Juvenis temulentus, ictus vehementer, in pectore, concidit repentè attonitus, in terram, ceu fulmine consternatus: cum spiritu gravi, vomitu frequenti, voce suppressâ, & spumâ tam confertim ex ore emanante, ut intra paucas horas amitteret vitæ usuram.

Cujus inopinati eventûs causa fuit, partim evidens calvariæ rima, à casu exorta: partim verò frequens sanguis, effusus ubertim, cùm suprà, tum infra cerebri membranas. Sed pulmo habebat plurimas lividas maculas; adscribendas fortè, vel repentinæ suffocationi; vel nicotianæ crebriùs adsumptæ: quâ plantâ dicebatur hic juvenis plus nimio, fuisse delectatus.

Ad suffocationem quidem maculas hasce referre, suadebat, cùm spumæ, tum livoris natura. Spuma quippe (juxta elegantissimum Actuarium) est spiritus, & humorum mixtio. Fitque in morbo attonito; vel ex destillante capitis pituita, per aërem rarefactâ: vel ex spirituoso, oppressi pulmonis, vapore. Priorem spumam planè innoxiam declarat cottidianus spumosæ epilepsiæ reditus. Sed alterum lethalem, repentina apoplecticorum mors: orta proculdubio ex adempto spiritu; sine quo, ne momentum quidem subsistit homo. Cujus spumæ periculum propterea propositurus Cornelius Celsus, subjungit satis scitè. Neque is ad vitam redit, qui ex suspendio spumante ore detractus est. Quippe hanc spumam non producit pulmo, nisi summè laborans: sive à resolutione humidi, sibi, cordique insiti: sive à spiritibus, ob retentos vapores, impeditamque respirationem, adeò effervescentibus, ut in extremo dissolutionis metu sit calidum innatum. Quam luctam cùm designet hæc spuma; quid mirum eam utique præsagire ineluctabilem mortem? Inducitur enim post illam partibus obsessis, loco vividi coloris, obscurus, ac luridus livor. Non secùs ac à solis occasu tenebræ; & à flammæ suffocatione carbonis nigredo. Livor enim sequitur vel extinctionem; vel interceptionem spiritûs, ac caloris vitalis. Ac proinde non temerè Hippocrates, in coacis aph. 72.

Τὰ πελιδνὰ γινόμενα, ἐν πυρετῷ, σύντομον θάνατον σημαίνει.

Livida

Livida evenientia, in febre, brevem mortem significant.

Potuit itaque, hæc repentina suffocatio, has quidem produxisse maculas: sed rariùs cùm occurrant in eorum pulmonibus, quos occidit morbus attonitus: & contra frequentiùs, in illis quibus Nicotiana fuit in delitiis, non inconsultum fortassis erit, excutere hîc naturam illius fumi: qui aëri permixtus, & ore attractus, tam bene facit ad multorum palatum: ut eum præferant omnibus epulis; modò non & ipsi sanitati: quâ tamen humano generi nihil utilius.

Extra omnem itaque controversiæ aleam est, Nicotianam potui datam, tantùm adversari ventriculo, ac in estinis: quantum prodest humido, ac frigido cerebro. Sed dubitatur, utrum fumus ipsius offendat pulmones? calida quippe est planta; imò acris ac vellicans: sive naturâ, sive arte. Ex pulvere videlicet euphorbii, pyrethri, piperis, aliorumve acrium aromatum, lucri causâ, à fraudulentis, ac infid s mercatoribus, clanculùm, contortis ipsius foliis, inspersо. Quorum omnium vapore, verisimile est, non minùs offendi pulmones, quàm à raphani agrestis, ac piperis tritura, cerebrum sternutans.

Immodicus namque calor, ut exhaurit humidum radicale; sic obscurat nebulosus ipsius fumus, non parùm, illustrem nostræ vitæ spiritum: imò suffocat tam efficaciter calidum innatum, ut instar tabidorum (qui ex sententia Galeni, à siccitate consumuntur) planè extenuentur, cum tussi perenni, & infatigabili spiritûs difficultate. Quæ duo arguunt inextricabile, oppressi pulmonis, vitium.

A quo equidem plurimos, qui dies, ac noctes cum hac Helena transegerant, vidi pessundatos. Moderata certè uti nullibi, sic neque hîc culpantur. Sed modum in hoc fumo si excesseris, defatigaberis à tussi, vitiabitur pulmo, emarcescet animus, & tandem consumetur corpus universum, vel lentè, si fueris integer, ac valens: vel celeriter, si quid vitii alibi sit in visceribus. Sicuti videre fuit in hoc ægro. Quem eò, proculdubio, citiùs strangulavit morbus attonitus; quo minùs potuerit reluctari; & spiritum ab interitu vendicare, exsuccus, ac maculosus pulmo. *Nicol. Tulp. Observ. Med. lib. 1. cap. 6.*

Joann. Jacobus Reiter Kenzingâ-Brisgoius, ætatis circiter 45. annorum; habitu corporis gracili, capillis flavis & crispis præditus, ingenio pollens; honestis parentibus Patre scilicet Consule prognatus; à puero literis operam dedit, ac lautè victitare potuisset, nisi miseranda & Germaniam universam devastantia obstitissent fata: quæ cùm & patriam communi calamitati involuissent, varia passus, inprimis truculentam famis tyrannidem gravissimè anno 1634. expertus est, quæ malesuada ipsum coegit, etiam iis vesci quæ natura, ceu venenum aliàs horrere solet. Hinc post multa discrimina & casus Rheinovium appulit, ubi aliquot annis Ludimoderatorem egit: Tandem à Reverendissimo & Amplissimo Domino D. Bernhardo à Freiburg, celeberrimi ejusdem Monasterii Præsule optimè merito, Domino meo plurimis nominibus colendo, intra Monasterium adscitus fuit, ubi Clavicularis munere aliquot annis fideliter functus est. Parciùs semper, quandiu ipsum novi, comedit, indulsit verò plus poculis, adeò tamen ut non nimiùm Baccho litaret. Ad iram paulò pronior, non tamen rixarum amans, nec ... bus ferens. Aliquoties, in hoc Monasterio ... podagra excruciatus fuit, quæ primis annis in pedum articulos sævиit, sequentibus tamen nec reliquis articulis pepercit: Dum cum hoc morbo luctabatur, nihil ægriùs tulit, quam si podagræ nomine insignitus ille fuit. Ab anno verò & quod excurrit, ante obitum nunquam ejus consuetam sævitiam sensit, sive id medicamentorum clanculùm usurpatorum culpa, sive naturæ imbecillitate non potentis morbi causam ampliùs ad articulos, ceu ignobiliora loca protrudere, factum sit. Hinc circa id temporis tussi molestissima diu vexabatur, adeò ut phthisicum crederent, quæ podagræ suppressæ tribuebatur. Verùm idoneis à me propinatis remediis, tussis cessavit & satis commodè per integrum ferè annum valuit, si herniam intestinalem excipias, quam tussis violentia effecit. Anno 1655. 7. die Novembr. quinto die à plenilunio, manè sanus sal usque, quantùm omnibus constitit, Reverendissimo D. Præsuli sacra peragenti adstitit, quibus peractis in conclave suum se consueto more contulit cùm fortè fortuna famulorum quidam ipsum convenire voluisset, reperiit ipsum humi prostratum, ad vociferationes surdum, & ad concussiones & corporis vellicationes, instar trunci, stupidum; accurritur, infunditur aqua antiapoplectica, atque alia, iis, quæ ad manum erant, tentantur, sed omnia frustrà. Accersor & ego: cùm post bihorium adventassem, vidi illum ex pallore livescentem, sensibus omnibus & motu animali orbatum, solâ respiratione, primùm satis ordinata, excepta; & nisi respirantem vidissem, primò intuitu Leypothymia vel omninò syncope affectum dixissem, adeò exsanguis facies erat ac livebant extrema, & cum naribus ad tactum perfrigebant. Pulsus primò validus, magnus, celer, mox debilior, minor & crebrior, respiratio quoque laboriosior, mox inæqualis evasit, ac sæpè penitùs cessatura videbatur. Nullum genus congruorum remediorum omisi, venam in debili tamen & brevi exspiraturo tundere non ausus fui. Horâ decima antemeridiana motu quodam convulsivo aliquoties totum corpus concutiebatur, plurimumque sputi albi, viscidi, lenti ex ore emanabat, nihil verò cruoris: hinc magis magisque vires labascere, ac extrema ampliùs frigefieri cœperunt: Hora prima pomeridiana ejusdem diei vivere desiit. Statim ac morbo correptus fuit, plurimùm fœcum nigrarum per alvum excrevit, quod vino cuidam chalibeato tribui, de quo tum temporis, nescio ex cujus empirici consilio, aut quem ob finem singulis manè & vesperi cyathum epotare solebat. Indulgentiâ Reverendissimi Dom. Præsulis antea memorati, Patroni literarum omniumque bonarum artium summi, caput aperui: remoto cranio ac discissâ durâ meninge plurimùm cruoris profluxit ex spatio, quod inter eam & tenuem meningem satis capax est, copiosè p. n. undique & undique eò effusum; neque enim solùm circa basin cerebri cruor stagnavit, sed & verticem usque & ad anteriora & posteriora pertigit, quin etiam intra anfractus quotquot ferè cerebri sunt, se insinuavit. Ventriculis detectis reperii & illos omnes cruore adimpletos; nec quarto quidem excepto, quorum laterales, propè basin quasi laceri, ac si nimio cruore distenti rimas egissent. Cruoris extravasati quantitatem duarum libra-

superasse non difficulter divinare. Cum poro cerebro, ventriculis & superficie à poro & grumoso sanguine contaminatis, ulteriùs nihil observare, nec vel ruptam venam aut arteriam deprehendere valui. Hoc tamen certum est, nullam causam violentam externam, sive ictum, sive casum, tantæ rupturæ vasorum sanguiferorum authorem præcessisse, cùm derasis capillis & ablatâ cute, ne minimum quidem contusionis alicujus vestigium apparuerit. *Joan. Jacob. Wepfer. de apoplexia.*

Barbara Zuberin. Septuagenariæ vicinior, totum ferè vitæ cursum in famulitio consumpsit, ac jam senex desponsata, utramque vitam toleravit? Vidua in Nosodochium recepta fuit: Habitu corporis erat mediocri, & quantùm mihi constat, non multùm morbis conflictabatur, nisi quod ab aliquot annis visus ipsi imminui cœperit, quo quandoque tantùm non penitùs privabatur, quem tamen brevi, citra ferè medicam opem, aliqua ex parte, recuperabat, protinùs recrudescente malo: nunquam tamen cœca omnino evasit. In utroque oculo manifesta suffusionis exordia conspici poterant. Jam ab aliquot mensibus apoplexiæ prodromi in ea ab astantibus animadversi sunt, dum subinde lingua titubavit, mox tamen hoc loquelæ vitio cessante. Anno 1657. 29. Januarii 10. à Plenilunio die, hora 3. pomeridiana, dum ut rebantur, sana cum sociis fila trahebat, subitò sermonis usum perdidit atque inclinare corpus visa est: mox ab ancillis in lectum ducta fuit, incessu illo observatum est adhuc dextri lateris pedem illam movisse, manum ad caput sustulisse atque verba quædam, sed non intelligibilia, protulisse: statim tamen omnem sensum & motum animalem amisit, permanentibus respiratione (quæ tamen paulò post cum stertore fiebat,) pulsu & faciei colore rubicundo. Remedia pauca adhibita, cùm nihil amplius à primo insultu deglutire valuerit. Eodem die, horâ sextâ pomeridianâ exspiravit. Altero die post meridiem cum Cl. Dom. D. Hardero collega meo honoratissimo & harum rerum studiosissimo, caput aperui: olla ablata, orbiculatim duram meningem mediam discidi, corpus falciforme à crista galli liberavi, ac laterales sinus dissecui: hinc reclinato ad latus cerebro, omnia nervorum paria, arterias carotides propè infundibulum ipsum, arterias vertebrales, ubi in occipite emergunt, ac denique medullam oblongatam in ipso orificio magno occipitis, abscidi, atque ita cerebrum undique ab omnibus vinculis liberum, totum extraxi, quo penitiùs subiti casûs proximam causam perscrutari valerem. Exempto cerebro, duram meningem ei adhuc incumbentem levavi: apparuit pars dextra cerebri superior ac posterior, inferior, non tamen ad basin usque, & anterior frontem versùs tota sanguine suffusa: cerebrum ibidem molle erat & humor quidam in eo fluctuans manifestè attactu deprehendi poterat; in eximendo hoc in latere rimam egit, ex qua prominuit grumus sanguinis nigerrimus, nucis myristicæ magnitudine: digito immisso sensim cultello rimam dilatavi: inveni cavitatem amplam ad frontem ferè antrorsùm, sursùm ad corpus ferè falciforme & sinum tertium, posteriora versùs ultra cerebri dimidium, ac deorsum etiam ultra dimidium dilatatam. Longitudo hujus cavitatis, seu antri præternaturalis octo, latitudo quatuor, & profunditas duas cum semisse uncias superavit. Continuit grumum sanguinis ovum gallinaceum æquantem, præter alios minores grumos & fluitantem sanguinem, pondere unciarum circiter octo, vel integræ ferè libræ, ventriculum lateralem primo intuitu opinati sumus: Verùm accuratiùs inquirendo invenimus cavitatem hanc non esse ventriculum, vel ejus portionem aliquam, sed peculiarem & p. n. à sanguine extra vasa effuso formatam: & quidem ex rupto ramo aliquo, sobole insignis rami arteriæ carotidis anterioris, qui postquàm nervos opticos transcendit, in parte anteriore & laterali cerebri notabilem anfractum ingreditur, ac non procul ab exortu in plurimos ramos scinditur, inter omnes cerebri anfractus medios incedentes, quandoque eorum superficiem scandentes, mox descensuri ac ulterius per medios anfractus sursùm ad corpus falciforme ferè in minutissimos subdivisi surculos, ambulaturi: horum etiam non pauci nec uno in loco manifestè cerebri substantiam subeunt: Et quidem hujus arteriæ ramos unum vel plures hoc in loco ruptos fuisse, clarè & sine dubio cognoscere potuimus, nam dum illius progressum in eo latere investigavimus, primarium ramum ejusque surculos, tum in principio, tum in cuncto reliquo incessu, vacuum omninò sanguine invenimus, secùs ac se habebant arteriæ cæteræ omnes, tum in parte opposita, tum & posteriores in hoc latere & anteriores quædam non ab hoc ramo profectæ. Præterea ubicunque incedebat hæc anterior lateralis arteria, ejusque rami, grumi sanguinis obviam facti sunt, sæpe pertinaciter arteriis adhærentes, idque tam latè & altè, quàm hæ arteriæ disperguntur. Ruptâ itaque unâ atque altera harum, & sanguine intra anfractum profundiorem effuso, novi semper sanguinis appulsu, ut unda impellitur unda, magis magisque spatium anfractus dilatatum fuit, atque dum ab irruente sanguine perpetuo pulsu, humilior anfractuum superficies depressâ, aliorum interstitium tenerum gracile, molle & sanguinis impetui cedens perruptum fuit, in hanc amplitudinem facilè excrevit, non secùs ac in aneurismate fit, nisi quod citiùs in cerebro talis cavitas à sanguine irruente, quam in quavis alia parte, ob ejus mollitiem, conficiatur. Superficies anfractuum superiùs integra permansit, id cavente piâ matre, eos colligando & quasi uniendo: nec basis hujus cavitatis perrupta fuit, lecto seu fornice ventriculi dextri magis medulloso & tenaciore existente, quam anfractuum interstitium, quod flaccidius, est ex cortice cerebri, ut vocat Cl. Bartholinus, confectum. In toto spatio illo, quod inter duram & piam matrem est, nullus humor ullibi, nec etiam in basi vel occipite occurrit. Ventriculus dexter undiquaque integer fuit: vix tantùm seri subcruenti continuit, quantùm dimidium nucis juglandis, putamen caperet: in posteriore & ima ejus parte plexui choroideo hydatis parva adhæsit. Siniſter omninò vacuus fuit: in plexus choroidei medio ibidem calculum gypseum, candidum, asperum & inæqualem, seminis lupini magnitudine invenimus, alios, in utraque plexus parte, seminis milii & majore magnitudine hinc inde dispersos vidimus. In tertio ventriculo gru-

grumulum sanguinis fabæ magnitudine reperiimus. Glandula pinealis non accuratè præerat canali, è tertio in quartum ventriculum aperto, forsan quod ob tumoris hujus, seu aneurismatis cerebri magnitudinem sursùm aliquantulum, cum quarto sinu, rapta fuerit. In principio hujus canalis parietes ejus paululùm sero subcruento tingebantur. Verùm quartus ventriculus mundissimus erat, nec vel minimam in eo labem animadvertimus. Omnes quatuor crassæ meningis sinus vacui erant à pituitosis corporibus, nec ullo in alio vase cerebri ea vidimus. In sinistro cerebri latere ne minimum quidem ἐγχύμωμα apparuit, nec quicquam sanguinis grumosi vel alterius rei p. n. vestigium occurrit. Adeò ut hoc ἀνεύρυσμα ad apoplexiam fortissimam producendam suffecerit. Carotis interna utrinque ad latera glandulæ pituitariæ incedens, tum ante, tum post perforationem duræ matris, laminâ ossea & tenera incrustabatur. *Idem de apoplexia.*

Illustrissimus Dominus Rudolfus Hannibal Comes de Reitnavv, ultimus familiæ, annorum 39. habitu corporis obeso & staturâ mediocri præditus: à multis annis melancholicus, facie atrorubescente, taciturnus, πικρόχολος, litteris addictus ac in legendis historiis plurimùm occupatus. Anno 1671. 16. Januar. manè è lecto surrecturus anxietatem quandam percepit, quam vomitus secutus est: eodem die parùm comedit: potulenta rursùs evomuit: noctem habuit inquietam, parùm dormivit: noctu incaluit. Hodie pilulas sibi familiares sumpsit ante prandium: inde bis vomuit, quater dejecit die 17. Januar. vomitus cessavit, parùm comedit nec multùm bibit: manus & facies per totum diem erant pallidæ & frigidæ: noctu melius dormivit. Die 18. Januar. nonnisi de anxietate præcordiorum conquestus est: parùm comedit, bibit vinum cum decocto rhabarbari & macis alteratum: Circa vesperam rursùs pejus habuit: cœnavit parùm; variè faciem assidentes immutatam observarunt; noctem habuit quietam die 19. Januar. Illustrissimum Dominum planè restitutum putabant: in prandio melius quam hactenùs comedit: à mensa hora prima pomeridiana surrexit inque locum, secretiorem secessit, ubi per horæ quadrantem commorabatur: famulus ibi humi jacentem invenit, domestici conscii facti omnes statim accurrunt inque lectum deportant. Post bihorium adveniens ipsum fortissima apoplexia jamdudum defunctum inveni. Apoplecticum verò fuisse conjeci, quia Aulici aiebant Illustrissimum Dominum post casum adhuc respirasse atque illi sacris provisum fuisse. Die 20. Januar. cadaver conditurae causa aperui, præsentibus multis Aulicis & D. Laurentio Chirurgo Hohentvvielensi. In ventre infimo omnia se naturaliter habebant, præterquam quod lien valdè corrugatus esset, variæ incisuræ & corpora duo cartilaginosa in superficie apparerent. Inter secundum Chirurgus diaphragma læsit, unde ex Thoracæ magna sanguinis quantitas, dimidiam circiter libram ponderans, defluebat. Thorace aperto, nec cor, nec pulmones ob maximam sanguinis grumosi copiam primò in conspectum veniebant: pendebat libram cum dimidia ferè. In pericardio & cordis ventriculis nullum planè sanguinem deprehendere potui. Pulmones nullum vitium contraxerant, demptâ calvaria in capite, extra ventriculos cerebri sanguinem quoque, sed magis serosum deprehendi dimidiæ plus minùs libræ pondere. Cerebro dissecto omnia diligenter examinavi, nec quicquam tamen vitiosi animadvertere potui. *Idem de apoplexia.*

Nuper studiosus Jurium egregius infrà orbitam sinistri oculi, propè natum, absque ulla læsione oculi, à milite nequitioso ense punctim vulneratus fuit. Paulo post, loquelâ & ratione privatus, per 24. horas se jectigans, tandem reverâ cum stertore apoplecticus mortuus est. Aperto à me cranio vidi vulnus per orbitam oculi & os cribrosum propè cristam Galli factum, dextro quoque cerebri ventriculo inflictum fuisse: ex quo etiam magnam portionem sanguinis atri grumosi & fibrosi ad crassitiem & longitudinem medii digiti extraxi: basis cerebri & regio cerebelli copioso sanguine extravasato refertæ erant, præterquam quod tota cerebri moles quasi ab inflammatione etiam rubicunda appareret. *Idem de apoplexia ex communicatione D. D. Exc. Maximiliani Henrici Egermeieri Med. Profess. Celeberrimi in Inclyta Academia Friburgensi.*

Vetula quædam furiarum non postrema, consuevit maritum sæpiùs egregiè verberibus dedolare, quod plerunque patienter pertulit. Mense Jul. 1673. cum nescio quas sordes scopis abstergeret indignabunda uxor accurrit ac verbera intentavit, verùm patientia tandem aliquando in furorem versa à marito scopis in tempore dextro fortiter percutitur, adeò ut dissolutis ac avolantibus scopis acuminata scopisque infixa baculi pars tempus transfixet. Sanguine largissimè ex vulnere emanante, à vicina amicè monita ut illius curam gereret, verum renuit, mirè in virum conviitiis debacchata est ac se jugulum propediem ipsi fracturum minabatur. In cœna iratum plena cibos devoravit ac potu se ingurgitavit: mox tamen foco assidens omnia assumpta evomuit: Postea lectum petiit: surrectura nescio quam ob causam humi cecidit: & juxta lectum manè mortua inventa fuit. Ex Illustrissimi supremi Dicasterii Hassiaci mandato, Exc. D. Combachius cum Chirurgo vulnus contemplatus est: invenitque vulnus primo aspectu exiguum & quod tegeretur apice minimi digiti: verùm indito vulneri stilo deprehenderunt baculi acumen altiùs penetrasse: cujus rei maritus conscius factus, mox sibi fuga consuluit: detracta cuti circa musculum temporalem omnia sanguine suffusa erant: remoto musculo temporali in osse foramen rotundum ac si sclopeti manuarii, quod Pistolam vocant, globulo pertusum & efformatum fuisset, occurrit; ablato cranio inter illud & duram meningem, item inter utramque meningem, imò in ipsa substantia cerebri plurimùm cruoris inventum fuit. Ex substantia quoque cerebri duo fragmenta à baculo avulsa extraxerunt. Quibus ritè expensis meritò vulnus lethale judicarunt ac sententiam suam Illustrissimo Dicasterio explicarunt. *Idem de apoplexia. Ex communicatione excellentissimi Domini D. Ludovici Hertmanni Combachii Lud. Fil. Serenissimorum Principum Hassorum Medic.*

In cadaveris muliebris à Cl. Veslingio Paravii 1644. nostram in gratiam aperti, ex apoplexia, illique succedente Paralysi tandem defuncti, aperto cranio repentinæ mortis innotuit causa: omnes

cerebri ventriculi concreto sanguine turgebant, ut ne guttulam ampliùs exciperent: *Th. Baotholinus cent. 2. historia* 60.

Illustris matrona octoginta annorum plethorica valdè, à multa diæta & exercitio nullo, exeunte Decembri, ipso plenilunii die, hora nona vespertina, mensæ accumbens, protinùs irâ incaluit, ac duriusculum quid intra dentes diffringens, cecidit sensûs & motûs expers, cum stertore multo, oculis rubris, atque clavorum more defixis, manibus resolutis ac frigidis, postridie febre correpta fuit, & 18. ab insultu horis vitam exhalavit.

Apertâ calvaria, arteriæ tumidæ erant, tum in dura meninge exteriùs, tum circumcirca cerebri gyros omnes. In utroque cerebri ventriculo majori aderat grumus sanguinis, isque spississimus, & ad ovi anserini magnitudinem concretus: Insuper plurimum serum cruentum devolutum erat in tertium & quartum ventriculum ac spinam medullarem usque: Plexus autem choroides juxta suarum alarum concursum, eo scilicet loci quo sanguinem suum in *venàm magnam Galeni*, seu in *quartum cerebri sinum* effundit, crepuerat medius, atque nihilo secius per omnem suum, intra ventriculos illos anteriores decursum vesiculis aqueis tumidissimis adunatis & conglobatis refertus, atque summè decolor erat. *Ex observationibus Clar. Caroli Drelincurtii Lug. Batavorum Professoris Practici & Anatomici.*

Septimo Martii 1671. Lunæ nondum impleta falce, juvenis armiger, lautè victitans, torosus & athleticus, statim post prandium, dum sese incurvabat, derepentè corruit sensu motuque privatus, utpote apoplecticus, nonnihil tamen universè convulsus est, & intra quindecim horas animam expiravit.

Dirutis cerebri muniis, nigerrimi sanguinis quantitas ingens, ab arteriosis tubis, & caroticis & vertebralibus, gyros cerebri naturaliter perreptantibus, ibi denique præternaturaliter passim distractis, ubique reperta est, sub meninge scilicet dura, à cerebri basi ad verticem, & ab anteriore cerebri lobo in posteriorem usque, juxta utrumque illius hæmisphærium, ventriculis ejus quaternis illæsis & intaminatis. *Ex observationibus Clariss. D. Caroli Drelincurtii Professoris Practici & Anatomici. Lugdun. Batavorum.*

Anna Waltherin è pago Loninga, sex circiter stadiis ab urbe nostra distante oriunda, sexagenaria major. Habitu corporis mediocriter carnoso prædita. Vitam à prima infantia vixit rusticam, pauperculæque omnes operæ rusticæ subeundæ erant etiam gravissimæ, quæ in vineis colendis, ab utroque sexu eò loci peraguntur; aliquot prolium mater fuit: hinc senior facta ad obstetricis munus peragendum ordinata est. Crebrò sanguinem, tam venæ-sectione, quàm scarificatione, malo nostrorum more profudit. Solent enim nostrates ruricolæ, inprimis, ter quaterve in anno venæ sectiones usurpare, & qualibet vice duas, quandoque tres, non rarò quatuor venas pertundendas curant; emittunt sæpè binas sanguinis libras; nulla cura est vel temperamenti, vel sexûs, vel ætatis: Videntur quandoque gravidæ, quæ bis terve gestationis tempore sanguinem V. S. effundunt, nec etiam partui vicinæ à V. S. sibi temperant persuasæ salubrius tum puerperium agi. Vidi senes octuagenarios hoc remedii genus expertos: nec sanguine fuso solliciti admodùm sunt, qua ratione inanitæ venæ præstantiore sanguine replendæ sint, frequenter enim statim ac vena secta, & cibo & potu nimio corpus infarciunt; videres sæpiùs ex urbe nostra domum properantes titubare, nec pedes vestigia servare; & sæpè sæpiùs vel altero die ad consuetam victûs rationem & solitos labores redeunt; alios errores taceo.

An verò & quibus morbis afflicta fuerit fœmina hæc toto vitæ curriculo, ab astantibus intelligere non potui, præterquam quod jam vetulæ incessus difficilior fuerit. Anno 1655. decimo tertio Julii, sexto die à plenilunio, circa vesperam, domo ad vicina pago dumeta, sarmenta collectura, egressa est. Ea nocte à suis desiderata & quæsita, sed non inventa fuit. Sequenti die juxta sepem in temporis sinistri medio leviusculè vulnerata & mortua reperta est. Tertio die cum inopinatus casus ad Rev. D. Ludov. Spleissium vigilantissimum pagi pastorem delatus esset, viso in tempore vulnere, operæ pretium esse duxit me accersendi, ad indagandum num ex hoc vulnere, fortè violenta aliqua manu illato, an verò vi morbi alicujus latentis occubuerit? quo postmodùm Amplissimus Magistratus noster de tota re certior fieri posset. Detracta itaque cute, in tempore sinistro inveni vulnus vix cutim transiisse, & temporalem musculum parùm in superficie attigisse: Ablato musculo temporali, os ad sensum integrum erat. Hinc cranium sustuli, adjutus præcipuè fratris charissimi Joannis, Medicinæ studiosi operâ. Dissectâ durâ matre neque serum neque sanguis in spatio, quod inter utramque est, occurrit. Neque vel minima macula in interiore parte ossis temporis, vel in dura matre contigua, eo in latere ubi vulnus accepit, apparuit. Adeò ut mortis repentinæ causam vulneri huic tribuere nullatenùs potuerim. Mox elevato & nonnihil reclinato cerebro omnia sanguine suffusa comparuerunt: quæ ut rectiùs viderem, nervos dextri lateris abscidi: Hinc accuratiùs conspexi totam basin cerebri, quaquaversùm cruore subductam, effuso illo intra piam matrem & substantiam cerebri. Suggillatio hæc diffundebatur antrorsùm ultra nervos opticos, vel retrorsùm usque ad foramen sacrum sub medulla oblongata, & ad latus ejus utrumque in ambobus cerebri lateribus, etiam intrà anfractus longè lateque spectari poterat, maximè verò ἐγχύμωμα in dextro latere, parte scilicet vulneri opposita ultra dimidium cerebri intra gyrorum hiatus & per superficiem eorum emicuit. Circa orificium magnum in occipite, intra duram & piam matrem, etiam aliquid sanguinis grumosi inveni. Omnes ventriculi sero flavescente stagnabant, cui innatabat grumus sanguinis in tertio ventriculo fabæ magnitudine. Aliquot hydatides parvulas plexui choroideo adnatas vidi: glandulæ hujus plexus manifestè turgidæ & duræ erant. Cor in dextro ventriculo replebatur copioso & grumoso sanguine, nec sinister ab eo vacuus erat. Pulmones aëre distenti, totam pectoris cavitatem occupabant, ut videri potuisset potiùs inspirationem ultimum vitæ actum, quàm exspirationem fuisse. In cæteris partibus imi & medii ventris nihil notatu dignum deprehendi. *Ex observat. Georgii Bauhini.*

De

De iis in quibus serum multum effusum visum est.

Septuagenarius ebrius, delapsus ex altiori loco, contraxit in calvaria tam amplum vulnus, ut commodè per ejus hiatum educeretur quicquid inhæreret extimæ cerebri membranæ: Invadentibus ipsum nihilominùs illicò vertigine, vomitu ac stupore, sive à residua crapula, sive à concusso cerebro, sed postridie rediit ad se, expers febris & immunis aliorum omnium symptomatum: Verùm die 4. excreatis priùs sputis purulentis, periit præter omnem spem ab inopinata apoplexia.

Cujus ergo interiora capitis penitiùs perscrutantibus, obtulit se primum frequens humor replens ventriculos cerebri: Sed mox longissima rima excurrens continuatâ serie, per frontem oculique foramen usque ad sellam equinam, propè ossis cuneiformis medium: quo loco animadvertimus (quod jure in omnium oculis fuit rarissimum) ingens ossis cuneiformis fragmentum, ita sejugatum a reliquo osse, ut manifestè elevaretur supra quscunque partes circumpositas: In quarum remotiori recessu cùm delitesceret plurimùm sanguinis coagulati, verisimile est ex ejus putredine prodiisse postremo vitæ die quod excreavit pus: Sed morbus Attonitus, qui ipsum occidit, traxit originem partim ex obstructis processibus spinalis medullæ (qui sunt verum nervorum principium) partim verò ex angustia *retis mirabilis*, quod constat ex intricato venarum jugularium, arteriarum carotidum ac cervicalium concursu: Quibus nobilissimis partibus impeditis privatur homo non modò sensu ac motu, sed ipsa vitâ, juxta illud Celsi lib. 5. cap. 26. Servari non potest cui basis cerebri percussa est. *Nicolaus Tulpius Observat. lib. 1. cap. 3.*

Momma Baxius, *homo torpidus ac hebes*, occisus repentè à morbo attonito, obtulit secanti Chirurgo cerebrum flaccidum, & membranas ipsas tam frequenti pituita perfusas, ut *opus fuerit eam spongia detergere*: Qua eadem pituita replebantur utique & venæ per cerebrum dispersæ, nec minùs sinus falciformis, & quidem utrobique tanta copia ac lentore, ut inde potuerit extrahi instar longioris alicujus fili. Movente hac concretâ pituitâ non levem polypi suspicionem, sed quem id temporis frustrà quæsitum ivimus in naribus, illum offendimus deinceps inscii in sinistro cordis ventriculo: Sed redeundum ad pituitosum hoc cerebrum, in cujus ventriculis invenimus, non tantùm plurimùm aquæ (quod attonitis familiare,) sed spinalem medullam ita humidam, imò udam, ut necesse fuerit exuperantes liquores priùs spongiâ absorbere, antequam liceat inquirere in naturam nobilissimæ hujus partis. Constabat autem hic polypus *ex alba concreta pituita*, inclusa membraneo involucro, & inhærens suis radicibus carneis Cordis fibris, assurgebat bifido trunco, obturatum non minùs arteriam aortam quàm venosam: quarum nobilissimarum viarum obstacula impedimento fuere, ne deinceps vel aërem libere attraheret, vel fuligines debitè expelleret Cor, nedum exactè se clauderent valvulæ post egressum spiritus vitalis; cui tamen usui illas ibidem loci destinavit sollicita natura, unde factum ut partim ob exclusum aërem, partim verò ob retentas fuligines & spiritus plus æquo dissipatos, infirmaretur usque eo cordis robur, ut nequierit ampliùs officium facere, multò minùs spiritus vitales quibuscunque partibus impartiri; quorum calore ac fotu ubi carendum fuit, refrixit inde confestim corpus, emarcuit animus, & torpuit tam vehementer cerebrum, ut tandem perierit à gravissima apoplexia. *Nic. Tulpius lib. 1. observ. cap. 27.*

Jacobus Reutinger Viterdinga, ditionis per illustris & generosi D. Baronis Hornsteinii, oriundus, quinquaginta circiter annos habens, temperie totius ad calidam & siccam vergens, coloris fusci: habitu corporis utcunque carnosus erat, capilli nigri & crispi, rari, dimidiumque caput, juniori adhuc, calvities turpabat: ad iram vehementiorem proclivis. Pauper victum & amictum duris laboribus, præcipuè viticultura acquisivit. Multum ipsi usum cum Baccho fuisse & non rarò sicca labore pectora fervido maduisse mero, Gutta rosacea, quæ faciem fœdabat, fidem fecit. Quibus morbis toto vitæ tempore afflictus fuerit, ut de homine ignoto impossibile, ita hoc loco id referre supervacuum existimo. Quantum mihi constat ab aliquot mensibus sæva cardialgia excruciabatur, ob quam & mea opera usus est, quæ purgantibus & stomachum roborantibus cessavit, brevi tamen ob pravam victûs rationem, fame & pauperie etiam noxia imperante, rediit: hinc ope mea non contentus etiam carnificem consuluit, (nam & hoc genus hominum his in oris medicinam facere consuevit: & nulla non mortalium παρηκιάμαλα sacra hæc invadere audent) & haud obscurè intelligere potui, illum nec à benedictionibus, ut vulgò loquuntur, rectiùs ab incantamentis, abstinuisse, ad quæ fœx plebis, ceu ad sacram anchoram, non rarò confugere solet, adeò ut nefanda impietas vix satis dissuaderi possit. Aliquot septimanis ante obitum crudelissima cephalalgia totum caput, frontem præcipuè & occiput afflixit, à qua ipsi nec mora nec requies; fastidivit omnia medicamenta: Extrinsecùs quædam mulierculárum suasu applicita fuerunt. Præ dolore quandoque amens erat, ut quicquid vel diceret vel faceret non rarò nesciret. Tribus septimanis ante mortem cœcus omninò evasit, nullo vitio extrinsecùs in utroque oculo apparente, verâ scilicet guttâ serenâ excœcatus. Doloris quidem sævitia in capite aliquantùm tunc temporis remisit, at remansit quædam anxietas ob quam corpus hinc inde jactitabat, nec, proculdubio mente æger, causam hujus volutationis per lectum revelare valuit. Medicamenta plurima adhibita, sed serò, ideoque sine successu. Quatuordecim diebus ante fatalem diem, lectum permingere cœpit; paucis diebus post hanc calamitatem nova excepit, Paralysis scilicet pedis dextri, quam secuta paulò post & sinistri. Quatriduo ante obitum apoplexiâ forti tactus fuit, jacuit sine omni sensu & motu animali, nulloque ingenio excitari potuit. Totis his ultimis diebus largiter sudavit: per integrum diem cum stertore respiravit. Quamdiu decubuit ἀπύρετ☉ erat 11. Februar. & 11. à plenilunio anni 1656. vitam cum morte commutavit. Altero die cranium aperui, sauciâ durâ meninge profluxit serum pallidum spicei coloris, cum impetu quodam, non secùs ac mediana vena brachii secta sanguis erumpit, & quidem tantâ copiâ, ut cyathi aliquot unciarum capaces eo impleri potuissent.

Hoc serum maxima ex parte colligebatur in spatio, quod inter duram & piam matrem est, quod mihi amplius & capacius esse videbatur, quam naturaliter existere solet, sero præ nimia copia duram matrem undiquaque, ubi nullum obstaculum inhibebat, expandente, ac cerebrum cerebellumque deprimente. Quin etiam seri plurimùm intra piam matrem ac cerebrum & cerebellum continebatur, unde tota cerebri & cerebelli superficies, tam gyri, quàm divulsis gyris, anfractus, ceu gelatinâ quaquaversùm obsiti videbantur, quâ cultello læsâ serum exstillavit sincerum, simile ferè illi, quod inter duram & piam matrem cumulatum fuit. Imò ipsam substantiam cerebri & cerebelli plurimùm seri imbibisse, clarissimè cognoscere potui, nam summoperè utrumque flaccidum & molle erat, ut instar ferè pultis, etiam leviculo attactu dissolverentur, ita tamen, ut non diffluerent, prout vetulæ apud Cl. Platerum contigit, cui pultis forma cerebrum emanavit: nam citra attactum & figuram, & terminos antiquos cerebrum & cerebellum, ablatâ quoque piâ matre, aliquo modo servabant. Tota cerebri externa facies pallida, vasaque sanguiduca tantùm non omnia exsanguia erant: ablatâ portione cerebri, raræ sanguineæ maculæ pullularunt. In omnibus etiam ventriculis serum redundavit; mucum nullum vidi orificium seu canalem è tertio in quartum ventriculum patulum, obturantem; Verùm presso cerebello, plurimùm seri in tertium ventriculum regurgitavit. Plexus Choroideus totus erat luridus & sanguine ferè privatus, quamplurimis nodulis varicosis subduriusculis præditus. Abscissa medulla oblongata propè orificium magnum, elevatisque cerebro & cerebello, nonnihil declivi posito capite, plurimùm seri ex ostio illo prosiliit, ut non dubitarim, totam quoque fistulam sacram eo repletam fuisse. Adeò ut non vererer, morbum hunc hydropem cerebri & ὑδροκεφάλου quandam speciem appellitare. In reliquorum viscerum conditionem lubenter quoque inquisivissem, sed nec pretio quicquam à defuncti uxore & affinibus impetrare valui, ac potestatem mihi caput aperiundi factam fuisse, pro magno beneficio reputare debui: Ex superstitione enim quadam, plusquam ethnica plurimi nostratium opinantur, cadavera humana injuriâ quadam affici, si studio alios ægros juvandi, secentur, brevi vermium esca aliàs futura. *Joann. Jacob. Wepfer. de apoplexia.*

Jacobus Speerlin C. B. septuagenarius: staturæ proceræ, pallidus, gracilis, robustus: Victor in laboribus assiduus, industriâ celeritateque in opera & dexteritate nulli secundus, plures, dum junior erat, superans, nec facilè cuiquam jam senex cedens. Mercaturam aliquandiu exercuit, spiritum vini aliaque in castris divendidit, & hujus causâ pericula præsentissima crebrò subiit, variasque tempestatum injurias in itineribus frequentissimis passus est. Ante plures annos ad carceres perpetuos, nescio ob quas causas, condemnatus fuit: in quibus tenebris & squallore terrificis ultra duodecim annos vixit; tandem amplissimi Magistratûs nostri intercessione libertati restitutus ac in Nosodochium nostrum receptus fuit. Huc perveniens totus cachecticus erat, facies & labia pallebant, pedes œdemate tumebant, omnes artus languebant. Tibia dextra ulcere dysepuloto afficiebatur, quod ichorem flavum acerrimum copiosumque continuo cum summo dolore stillavit, ut plures noctes insomnes duxerit: quandoque etiam sanguinem sincerum profuderat: quamprimùm emplastri sine morsu siccantis usum intermiserat, serpebat ac profundius reddebatur. Fonticulus in tibiæ parte externa interceptionis causâ excitatus ad ulceris consolidationem non exiguam opem tulit, sed non fidam, nam sæpè recruduit. Postquàm liberiore aëre, cibis salubrioribus & medicamentis congruis, fruebatur, sensim cachexia & pedum œdema evanuerunt, ac strenuè pristinos labores adiit, ac vix imitandam in doliis minoribus conficiendis solertiam ostentavit. Paulò post adventum ipsius in Nosodochium, scilicet mense Augusto 1650. Ischuria omnimodâ cum alvi occlusione per integrum octiduum ægrotavit, utrumque symptoma, imprimis alvi constipationem occultans. Postquam clysterem emollientem injiciendum curaveram, pluribus scibalis summoperè induratis excretis, protinùs urinâ effluxit copiosè atque in posterum nihil ampliùs hujus generis passus est. Urina clara erat: nihil vel sabulosi, vel arenosi, vel mucosi subsidit: nec memini ipsum unquam calculum excrevisse, quamvis sæpè de dolore circa regionem renum & lumborum conquestus fuerit, qui non rarò ad alterutram coxarum pertingebant. Quandiu in Nosodochio vixit, cibis salubrioribus frui poterat, cum talis effœtis suppeditetur, ipseque nummis abundabat: & quantum rescire potui, à nocuis vir prudens & longævitatis per quam studiosus abstinuit. Sæpè omnem cibum, imprimis carnes fastidivit: Sæpè etiam nec vinum sive rubrum sive album, sapuit: non rarò amarore quodam omnia imbuta videbantur, quæ assumpserat. Crebrò manè jejuno stomacho aquea, quandoque meram bilem non sine violentia evomuit. Alvo suppressâ protinùs colicâ torquebatur, quam bis intra novem circiter annos, dum hîc commorabatur, Paresis brachiorum secuta est: eandem quoque antequam huc pervenerat aliquoties post colicam expertus est, ob quam minimi & auriculares digiti in manibus incurui permanserunt, ut quamvis flectere, tamen extendere nequierit. A Paresi tum ab Exc. D. D. Ch. Hardero, tum à me non magno medicamentorum apparatu vindicatus fuit. Diarrhœam biliosam iteratis vicibus non incommodè sustinuit. Ferè perpetuò de dolore quodam compressivo & tensivo præcordiorum conquerebatur. Assiduè quoque caput doluit, comite nonnunquam Vertigine. Hæmorrhagiæ narium frequenter obnoxius fuit, quæ non rarò profusissima erat. Anno vitæ ultimo, manè inprimis tussire cœpit, & purulenta exspuit: tussis magis magisque crevit eaque diu noctuque miserè excruciabatur: sputum subviride, turbidum, lentum, viscidum, rotundum, planè non fœtidum, quandoque cruore tinctum ejecit. Paucis septimanis ante obitum conquestus de catarrho manè impetuosè ad pectus ruente & suffocationem intentante. Febricitavit lentè: emaciebatur; non tamen ita corpus contabuerat, prout in plerisque Phthisicis observatur. Ultimis mensibus sævissimum dolorem perpessus est in utroque interfœmineo, ut attactum minimè perferre potuerit: incipiebat ab osse pubis ac desinebat in medio femoris, ductum musculi tricipitis sequens, in loco dolente, nullus tumor præter paucos quosdam & exiguos ac concolores cuti nodos, nullus

rubor

rubor videbatur. Paulo ante obitum loquebatur & corpus præ langore & impotentia immobile, verti petierat: quamvis nondum omnis motus animalis perierat, die 10. Maii 1657. ringentibus malevolis, cadaver cum Exc. D.D. Hardero aperui. Dissectis integumentis imi ventris, ventriculus & intestina sanis similia apparuerunt. Pancreas & mesenterii glandulæ duriusculæ, sed non tumidiores erant: ductus pancreatis vacuus: Epar fuit legitimæ magnitudinis: debito mollius, pallidum & tantùm non cruoris expers, si venæ majores excipiantur: bilis in ductibus cholidochis vitellina redundavit, pressoque parenchymate copiosè profluxit: vesicula foris albicans simili bile flava implebatur simulque continuit calculum magnitudine nucis moschatæ. Lien fuit lividus, major debito, mollis & divisus, naturali similis. Renes erant pallidi: unius Carunculæ papillaris extremo apici exiguum lapilli frustulum immersum fuerat: cætera nec vestigium arenulatum ullibi apparuit. Vesica nihil præter naturam continuit. Pectore recluso pulmonum lobos superiores utrinque maximè sinistrum, accretos invenimus, ambo subduri & compacti erant, nondum tamen ad illam duritiem pervenerant, quam aliàs in phthisicis observavi: discisi in suprema parte exulcerati erant ac cavernulas avellanæ capaces obtinuerant, non tamen exactè rotundas, aut æqualiter cavas, sed quasi laceras, ac si à mustella vel glire, frustulatim portiuncula avulsa, pulmones exesi fuissent. Pressâ hâc pulmonum parte ex bronchiis sputum viride minùs tamen viscidum ac tussi rejecerat, prodiit. Lobi pulmonum inferiores nec pleuræ accreverunt, nec quicquam puris continuerunt. In cordis ventriculis corpora pituitosa parva nec longè per quatuor fontes propagata, at firmiter suis radicibus thalamorum anfractibus immersa & connata invenimus. In pericardio plurimùm seri flavi continebatur. In cavo pectoris serum subcruentum copiosè redundavit. Remota cranii olla ac discisâ durâ meninge plurimùm seri subpallidi effluxit, quod in spatio inter utramque meningem continebatur, sed non in tanta copia, quanta apud Jacobum Reutingerum videram nam interstitium angustius erat. Tota anfractuum superficies quasi gelatinâ operta fuit, qua cultello sauciata aqua exstillavit. Hujus seri quoque plurimùm in omnibus ventriculis repertum à nobis fuit. Plexus choroideus palluit ac exsanguis propemodum erat: in illo manifestè glandulas, sed luridas, cœnosasque vidimus ac duriusculas tetigimus. Cerebri consistentia mollis quidem & flaccida fuit: minùs tamen quam apud prædictum Reutingerum: nec collapsam aut coarctatam & compressam observaveram. Multùm quoque seri, reclinato pectore ex ostio magno occipitis promanavit. *Jonn. Jacob. Wepfer. de apoplexia.*

Ursula Puley Frizen, In sylva Martiana *zun Hausern* habitans. Habitu sanguineo-Phlegmatico prædita. Victu gaudebat lautiore, qualem scilicet Rustici melioris conditionis hæc loca incolentes nanciscuntur: potissimùm ferè lacticiniis, quæ illorum delitiæ sunt, fruebatur. Aliquot liberorum mater erat. Menstruus fluxus extra graviditatis tempus ritè manabat 1661. circa 37. ætatis annum iterùm gravida, diu continuos eosque sævissimos capitis dolores passa est cum vertigine. Quarto mense conceptionis scilicet circa principium Maii, manè è lecto surrexit, humi sedit ac caput manibus suffulciens de consueto capitis dolore conquesta est, atque malum quoddam gravissimum sibi imminere prædixit: mox oculi pervertebantur; vomituriebat: maritum & liberos miserabili vultu intuebatur, at ἄφωνος facta amplius alloqui nequibat: protinùs instar trunci omni sensu & motu privata concidit, solâ respiratione salvâ manente. In lectum traducta, per triduum, eo situ quo locabatur, immota jacuit. Juscula & aquas anti-apoplecticas spiritum vini redolentes absque labore deglutiit. Post diem tertium ad mentem aliquantùm rediit; compellata annuit: & paulò post artus sinistri lateris denuò movere valuit. Intra mensis spatium nullis aliis medicamentis adiuta, à marito aliisque adstantibus suffulta, incedere potuit: ita tamen ut dextrum pedem trahere & manu dextra ad opus aliquod perficiendum impotens esset: intellectus semper debilior mansit: Appetitus consistit. Mense Octobri 1661. delirio melancholico corripiebatur. Circa finem Octobris infantem vivum enixa est. Appetitus ad 14. diem puerperii integer permansit: hoc die subitâ debilitate obruta omnem cibum fastidivit, simulque delirium mitius evasit, & ipsa quietior aliquandiu fuit. Rediit delirium cum cephalæa solita atque ad anni 1662. fœnisecium usque perduravit. In hoc delirio notissimos & omnia tuta timebat: maximè à fragore lignorum minùs aridorum in foco crepantium percellebatur: sæpiùs in sylvas aufugit, ut vix satis custodiri potuerit: ter violentam mortem sibi inferre nitebatur, jamque laqueum collo sibimet adaptavit totiesque mariti providentia à tanto facinore vindicata fuit: Nullam penitùs liberorum curam habebat, nec famelicos vel mica panis refocillasset: nonnisi coacta comedit: Delirium hoc plerumque sub auroram incepit: duravit usque ad vesperam: hinc minùs sibimet metuebat, quietior erat nec custodiam sui egerat. Medicamentorum, nescio tamen qualium, usus frustraneus fuit: Empirici suasu vere, æstate & autumno singulis mensibus, hyeme verò alternis mensibus largè vena-secta sanguis emittebatur, unde delirium propulsatum fuit; quin etiam capitis dolor mitigabatur & vertigo ablata fuit. Ultimo vitæ semestri venæ-sectionem omisit: ob nimiam sanguinis profusionem vividus faciei color periit & cachectica evasit. Postea iterùm concepit fœtumque vivum peperit, quem ad terminum suum fatalem usque lactavit. Ab illo tempore quo ab apoplexia prostrata fuit, totum dextrum latus debilius perstitit, adeò ut inter incedendum imbecillitas quædam observaretur; insuper manu dextra corpora crassa & ponderosa facilè arripuit firmiterque tenuit, at gracilia & levia apprehendit quidem verum invitæ & insciæ statim iterùm elabebantur, die 21. Februar. 1664. noctu in lecto horrore concutiebatur subsequente æstu cum dolore lateris dextri punctorio: Pleuritidem neglexit: Vinum bibit: Venæ-sectionem distulit ad signum Zodiaci gratius & magis ex superstitione valetudini commodum: singulis horis dolor lateris dextri incrementa sumpsit; tussiit frequenter: ob doloris vehementiam sputi subcruenti parùm excrevit: dolor à latere dextro quandoque ad collum usque pertigit, qui tamen continuus, nec una sede fixus permansit, die 25. Feb. exspectatus venæ-sectionis dies advenerat, verùm ob virium langorem & delirium omittebatur: die

29. Feb.

26. Februar. mortua est, die 27. Febr. indultu Reverendissimi Domini D. Francisci Chouloti Abbatis Monasterii S. Blasii optimè meriti, Viri judicio acerrimo & rerum agendarum dexteritate apud omnes laudatissimi, cadaver secui, cum Cl. D. D. Joh. Ludovico Silbereisen Bada-Helvetio, Physico Lauferburgensi & collega dum vivebat suavissimo. Remotâ cranii ollâ dura meninx tumida & elata erat ac si flatibus distenderetur: ejusque arteriæ sanguine turgidæ. Sublatâ durâ meninge, tenuis ita omnes anfractus colligavit & æquavit, ut tota cerebri superficies levis & æqualis apparuerit, crassiorque debito fuerat: illa saucia ex omnibus anfractibus tam dextri quàm sinistri lateris copiosè serum emanavit. Vasa sanguifera tenuis meningis ubique majora & sanguine pleniora videbantur. In utroque ventriculo laterali serum subcruentum abundè stagnavit: simile quoque serum in occipite circa medullam oblongatam invenimus, quin etiam antrorsùm inclinato capite ex foramine sacro juxta medullam ad unciam hujus seri effluxit. Utriusque ventriculi lateralis superficies lutea penitùs & quasi rubigine obducta videbatur, oblita enim erat muco croceo, illi simili, qui circa aquas ferratas conspicitur & lapidum & terræ superficiem incrustare solet: Eodem quoque plexus choroideus infectus erat: pertingebat rubigo ista quoque ad tertium ventriculum: quartus prorsùs mundus erat. In dextro plexu choroideo plures hydatides, quarum quædam piso majores invenimus, in sinistro itidem plures aderant, quarum una nuce avellanâ major, angulosa, instar humoris crystallini perspicua, solidaque à nobis visa fuit. Cerebellum valdè flaccidum erat. Medulla spinalis multo naturali gracilior nobis apparebat. Sterno remoto pulmo in toto dextro latere firmiter pleuræ adhæsit, quo avulso in postica pectoris cavitate ad libras duas circiter seri pallidi comparuit: in sinistro latere fibris intermediis pulmo leviculè accretus erat. In dextro latere pulmonum lobi omnes magni, duri, tensi, utcunque rubri, vel potiùs ex rubro variegati: illorum membrana extima densa & crassa: incisi intùs pleni ichore subcruento, subaqueo, spumeo & in partibus profundioribus purulento adimpleti erant. Sinistri pulmonis lobi erant molles, flaccidi, albicantes, pauxillâ rubedine diluti. In ventriculis cordis invenimus corpora pituitosa, quæ ramos in pulmonum vasa spargebant. Ventriculus & intestina flatibus admodùm distenta erant; ut gravidam putarent. Epar pallidum & Renes flaccidi erant, Lien naturalis visus. In utero nihil præter naturam apparuit. Mammæ adhuc lacte niveo abundabant. *Idem de apoplexia.*

Juvenis quidam annorum circiter 24. staturæ mediocris: macilentus, cute fuscâ & strigosa præditus: quantùm ex vestitûs semilaceri forma conjicere licuit miles profugus, ex morbo aliquantulùm convalescens; (nam circa illud tempus plurimi Gallorum ad Rhenum in Marchionatu Badensi inferiore Febre Hungaricâ, dysenteriâ gravibus morbis ægrotabant, ac quotidie tum sani tum reconvalescentes non pauci huc venerant, per Helvetiam Patriam repetituri) in vicino colle extra urbem nostram propemodùm frigore enectus die 14. Novemb. 1673. repertus moxque traha circa 10. antimeridianam in Xenodochium deportatus fuit. Satim accersitus fuit Exc. D. D. Henricus Screta à Zavorziz: deprehendit ægrum, quamvis in hypocaustum calefactum delatum & lecto plumeo fotum, toto corpore non solùm in capite & artubus, sed etiam pectore, dorso & abdomine attactu frigidissimum esse. Artus rigebant adeò ut nec brachium, nec pedes flecti potuerint: brachium tamen sursum facilè tollebatur: ore hiabat, verùm aquarum cordialium ne guttulam quidem deglutiit: pulsum nullum invenire potuit: nullâ inclamatione, vellicatione aut frictione excitari valuit, ut vel minimum alicujus sensûs superstitis indicium præberet: oculos semper clausos tenuit: respiravit cum stertore: in lingua maculæ rubræ videbantur ac si illam convulsus momordisset. Vesperi circa quartam vivere desiit. Die sequente cum D. D. Screta, D. D. Hollandero & Chirurgis aliquot cadaver perlustravi. Foris in pectoris latere sinistro duo ulcera rotunda, dimidii bazii amplitudine aliquousque sinuosa, ultra cutim sed non ad pleuram penetrantia, pus coctum continentia, invenimus: In dextro latere circa costam tertiam cutis palmi latitudine sugillata erat: omnia sub cute ad pleuram usque sanguine suffusa visa sunt, sive à percussione, sive à casu contigerit. Abdomine aperto omentum pertenue & macilentum, occurrit: Ventriculus & intestina, præcipuè tenuia, flatibus & fœcibus liquidis subflavis plena erant: iisdem fœcibus quoque Colon infarctum fuit. Foris à Colo imprimis papillæ plurimæ, aquâ lympidâ turgidæ pendebant. Hepar fuit rubicundum: Vesicula biliaria tumida & quasi inflata: Pancreas album: Lien lividus, major debito, nam duos palmos longus, palmo latior, crassitie dimidii palmi erat: aliquotque in locis quasi fissuris præditus, sed non perviis. Renes consistentiâ & colore naturales, sed omni pinguedine destituti erant: ubi vasa emulgentia renes subeunt loco pinguedinis humor aqueus subflavus in gelatinam concretus sinus impleverat. Vesica distendebatur ab urinæ retentæ copia. In pectore pulmones dextro & sinistro lateri per fibras oblongas hinc indè laxè, non toti nec firmiter accreverant. In dextro latere pulmonis lobus inferior debito rubicundior & paulo durior fuerat, ita tamen ut inflammationem nec magnam nec pridem enatam credere potuerimus. Omnes pulmonum lobi aëre pleni & turgidi erant. Cordis dexter & sinister ventriculus, venæ item cavæ & arteriæ aortæ rami superiores & inferiores sanguinem prorsùs fluidum, neutiquam fibrosum continebant & fundebant, adeò ut ne minimus grumulus à nobis inveniretur. Extravasatus in pectoris cavum, diu post effusionem grumescebat, ita tamen ut maxima pars fluida perstiterit. Cranii superiore parte demptâ anteriùs sub fronte dura mater admodùm rugosa apparuit ac si ibi à flatu vel aqua distenta fuisset. Propè cristam galli, incisâ durâ matre in sinistro latere protinùs multùm aquæ promanavit, quod itidem incisione in dextro latere factâ contigit. Durâ matre à crista galli utrinque juxta sinum tertium ad sinus laterales incisâ, vidimus in sinistro latere sub osse syncipitis versus tempus duram matrem tenui meningi, ferè dimidii daleri amplitudine, præter naturam intermediis fibris validissimis firmiter accretam fuisse. Sub pia matre intra cerebri anfractus aquæ plurimùm undiquaque fluctuabat. Reflexo corpore falciformi, diducto cerebro vidimus insignem arteriam super corpore

calloso

callosо incedentem sanguine vacuam: & quamvis arteriæ & venæ sinum tertium adeuntes sanguine plenæ essent, nihilominùs tamen sinus tertius & laterales non usque adeò sanguine implebantur. Cerebro cum cerebello è cranio exempto, separatâ durâ meninge circa sellam equinam ostendi utrinque arteriam carotidem tortuosam esse, neutiquam verò ut in brutis in plexum seu rete mirabile dispesci, quod aliis quoque vicibus feci: nec hactenùs aliam arteriæ faciem in his locis inueni, ausimque dicere talem semper apud homines repertum iri; ut quoque tandem aliquando fatebuntur Retis mirabilis patroni, si modò & ipsi quoque rei periculum facient. Inversâ cerebri & cerebelli mole vidimus quoque arteriarum vertebralium & carotidum conjugium, ramosque varios hinc inde per universam machinam dispersos; In dextro ventriculo multum aquæ limpidæ continebatur, minùs in sinistro: multum quoque aquæ ex fistula spinalis medullæ sublato trunco emanavit. In glandula pituitaria duplo majore solito, sinum inveni plenum muco qui in gelatinam subflavam pellucidam concreverat. Meningem tenuem citra cerebri lacerationem longè latèque avellere potui, evulsis simul innumeris fibrillis arteriosis substantiæ cerebri immersis: quâ sublatâ in superficie denudati cerebri rimulæ innumeræ conspectæ fuerunt, è quibus presso leviusculè cerebro sanguis exsudabat. Id aliis vicibus præstare potui, quoties madidius cerebrum debito fuit, aut si per biduum aut triduum cerebrum frigido & humido aëri exposui. Cerebri pars cineritia flaccidior medullosa, utraque flaccidior debito; quin etiam cerebellum mollius quàm in aliis observaveram. Non tamen cerebri substantia tam flaccida erat ut in se conciderit ac subsiderit, aut pultacea evaserit, quamvis undiquaque aquæ immersa fuerit, nam etiam extra calvariam exemptum cum cerebello figuram suam retinuit, etiam sublatâ tenui meninge in locis plurimis: adeo ut spectatoribus cætera cerebri & cerebelli curiosa demonstrare potuerim: ut taceam, imprimis cerebrum intra cranium corpus falciforme fibrasque & ramulos arteriosos tum ab ipso, tum albi à dura matre profectos suspensum tenuisse. Intestinis à sordibus mundatis, in medio jejuno invenimus tumorem juglande majorem inter intestini tunicam externam & internam conclusum proprio folliculo circumdatum, continens corpus mirè fibris & vasis sanguiferis intertextum: In principio jejuni reperimus quoque valvulam seu circulum membraneum, coli valvulæ similem, ascensum impedientem: In recto plurimos scrobiculos superficiarios dimidiati pisi capaces vidimus, ac si non ita pridem dysenteriam passus esset, quæ tunc militibus epidemia fuit. Certè diarrhœæ vestigia clinici in indumentis invenerunt; cujus quoque indices fuerunt fæces intestina implentes. Vesiculæ seminales continebant humorem copiosum in gelatinam concretum: utraque ductu insigni & proprio prædita qui ambo quoque osculo proprio ad latus monticuli in urethram capaciorem hiabant. Quæ insuper circa partes generationi dicatas in hoc cadavere observaverim & num in lithotomia saucientur? alibi erit commodior disserendi locus. *Idem de apoplexia.*

Obtuso quidam ingenio, repentè apoplexiâ correptus vitæ usuram deponit. Cerebrum erat flaccidum. Meninges mucoso & valdè tenaci humore perfusæ: imò ise sinus tertius cum adhærentibus vasis istoc liquore turgebant. Ventriculi quoque eodem repleti. In cordis sinistro thalamo polypus fuit ex viscida materia concretus. Madebat, etiam spinalis medulla liquore lymphatico. *Stephan. Blancard. Anatom. Pract. rational.*

Mulier quædam quadragenaria, boni corporis habitus, sed subinde de doloribus capitis gravantibus, conquesta, subitò, cum capite inclinato, igni suo in culina; pro cæna paranda accendendo incumberet, apoplexia validissima correpta est, & intra paucas horas nihil proficientibus remediis, sublata. Die subsequenti summo mane aperto cadavere, elevatoque cranio reperiebamus cerebrum totum quantum sero sanguinolento abundantissimo suffusum. Interna substantia ipsa cerebri in omnibus suis partibus nobis sana visa est, de grumo aliquo sanguinis in ejusdem vasis aut sinubus nullatenus constitit. Medii & imi ventris viscera omnia optimè se habebant.

Puer quidam annos præter propter duodecim natus, postquam febre lenta plures menses perdurante, contabuisset, lethargo tandem & postmodum apoplexia validissima correptus obiit. Cranio amoto reperiebamus sinum falconatum polypo prorsùs oppletum; serum præterea coloris ex flavo viridiusculi, post resectam duram matrem, ad libram unam & semis ad minimum effluens, non minus interim turgidis remanentibus vasis quæ tum duram, tum piam matrem, tum etiam ipsam cerebri substantiam corticalem perluunt, illorum scilicet portio aliqua sanguine dilutiori, alia sero coloris viridiusculi ad maximam distentionem adimplebantur. De iis quæ in medio & imo ventre tum apparuere, hic verba non facimus, quia ad morbum quem hic tractandum habemus, non pertinent. Adnotabimus tantùm, quòd vesica urinaria cujus sphincter æquè ac illa ani plurimis apoplecticis resolvitur, urinæque evacuationem in ipso paroxysmo facit; hic sero copioso ad grandem expansionem turgida sit reperta.

De iis in quibus vasa multùm distenta apparuere cum aliis &c.

Sub finem Octobris anni 1675. Nobilis & lectissima N. uxor Viri clarissimi & celeberrimi Dom. N. annos circiter 20. nata, temperamenti laudabilis, coloris subfusci, aliquot ante matrimonium annis, sexto per mortem dissolutum mense, capitis dolori obnoxia vixit, sinistræ præsertim parti infesto, & ubi fluerent menses, graviori, quo vigente cervix in id latus invitè distorquebatur; Quindecim ante obitum diebus de ingravescente conqueritur, absque dilucidis intervallis, nec tamen à domesticis officiis distrahente, ac si gravior fieret: oculus sinister introrsùm corripi videbatur: Consultus Medicus lienem maleficii accusat, quia conjugium viscerum obstructiones præcesserant: Eò collineat, syrupos & apozemata ex succis herbarum composita præscribit, necnon venæ sectionem, à quibus præsidiis nonnihil solatii percipit, generosioribus, in graviditatis suspicione, prætermissis. Pridie ante fatalem diem aliquid in cerebro crepitasse exclamat, mox tamen inficiatur, metum incutere satagen-

satagenti & sollicito de salute marito verita: Nox eam diem excipiens utcunque tranquilla, manè vultum insolitus pallor obsidet: accedit in prandio præter morem apositia, unde graviditatis opinio certior Medico. Circa meridiem visitantes coætaneas hilari excipit vultu, sed paulò post dimittit invaletudinis prætextu, earum ad ostiis usque limen comes, quod dum repetere intendit, subortâ vel vertigine, quod verisimilius, vel leipothymia, humili sedili obvio insidere volens, concidit: Jacens deprehensa in cubiculum defertur, cui imposita vires brevi reparatas iri ait, ac quietem sibi permitti postulat: Interim absente Medico de confectione hyacinthorum aliquid praebetur, à qua vomitus excitatur: Superveniens ille hystericum πάθος suspicatur, alvum enemate prolui jubet, & cucurbitulas internis femoribus affigi: dehinc somnus conceditur, qui diutiùs protractus assidentibus suspectus fieri incipit, quod vix verbum extorquerent: erectæ caput nutabat, cum insigni & plumbea corporis gravitate, unde seriùs animadversum *apoplecticam passionem* ægram invasisse; exinde ad extrema concurritur præsidia; Syrupus emeticus salæ exhibetur, à quo ἰρεθισμοὶ & irriti ad vomendum conatus, sed nulla exclusio, mors quarta à decubitu hora subsequitur. Præceps ille & lugubris obitus mœstissimos maritum & consanguineos ad causæ cognitionem per cadaveris reserationem impulit, quæ eodem die instituta est, hæc est prosectorum, Medico adstite exarante relatio.

Nos subsignati D. Medici & M. Chirurgi, rogante clarissimo D. N. instituimus dissectionem cadaveris conjugis suæ, initio ducto ab apertione capitis: Remoto cranio statim, se obtulerunt venæ duram matrem perreptantes ultrà modum & morem dilatatæ ac expansæ, nigræ & varicosæ, minimi digiti crassitiem penè æquantes, parte præsertim sinistrâ: inde cerebri superficies livida admodùm apparebat: Hinc ad duræ meningis separationem progressu facto, ea deprehensa est insignis & insolitæ tum crassitiei tum duritiei; circa præsertim basin cerebri, in qua venæ distentæ etiamnum & admodum lividæ apparebant. Dein ad Thoracem devenientes, omnia in eo integra visa sunt, pulmones à connexione cum costis liberi, ad livorem tamen utcumque vergentes: Quoad imum ventrem nulla in eo labes adfuit: examini enim subjecti renes & lien, integritate donati reperti sunt; Uterus insigniter parvus citra ulla conceptionis rudimenta: Quibus perpensis, censemus insignem dolorem capitis, Ægræ olim molestum, ortum duxisse à crassitie & duritie extraordinaria cerebri meningum, liberam vaporum & fuliginum, à cerebro manantium, difflationem impediente, à quibus diuturnus ille capitis dolor excitabatur, qua de causa sanguis ad hoc alliciebatur, qui ideò illuc uberiori copia confluens, vasa præter modum replebat & distendebat; cujus etiamnum portio in cerebri substantiam basimque decubuit; Cùm autem sanguis nimiam venarum distentionem pareret, ejus circuitus & reditus ad cor ideò prohibitus fuit, ac postmodùm concrescens quasi & immobilis redditus, basis cerebri ab eo compressione facta syncopen apoplecticam, ac tandem mortem intulit. *Thom. Willis Tractat. de Anima Brut. part. 1. cap. 2. p. 257. 258. 259.*

Bartholomæus Feer Triboldinga-Turgovius: Adolescens novendecim annorum: sartor: Circa principium Novembr. 1656. capite doluit: assumpta evomuit: hujus causâ carnificem consuluit, qui purgans propinavit & venæ-sectionem suasit: an præterea aliis medicamentis & quâ diætâ usus fuerit, rescire non potui. In dies morbo in deterius vergente 11. Novem. ad Nosodochium delatus fuit; Febricitare mediocriter videbatur: dormivit plurimum, expergefactus stupidus quasi erat & delira loquebatur: nec cibum nec potum petiit: oblatum & intrusum deglutiit: ciban ius erat instar infantis. Urina naturali simillima; die 15. Novem. quo ipsum cum Exc. D. D. Christophoro Hardero conveneram, profundissimè dormivit, ut ipsum nullâ ratione excitare potuerimus: aiebant adstantes ipsum interdiu dormire, noctu vigilare: attamen inscius lectam perminxerat; In respiratione nullum adhucdum vitium observatum fuit, die 17. Novem. horâ 10. noctis mortuus est. Ex ore demortui plurimùm cruoris effluxerat. Dum ceu sanus adhuc vivebat odontalgiæ obnoxius erat; cujus causa fumum Tabaci hauriebat; an crebrius id fecerit? non constitit nobis. die 18. Nov. caput aperuimus; sublatâ cranii ollâ; per duram meningem vasa tenuis meningis in syncipite ad sinum tertium meantia vidimus valdè cruore oppleta & triplo ampliora, quàm alias existunt, adeò ut primo intuitu circa verticem omnia sanguine suffusa apparerent; verùm incisâ durâ meninge nihil extravasati invenimus; ipse quoque sinus tertius sanguine turgidissimus erat remoto corpore ac falciformi primò cerebrum ad ventriculum sinistrum incidimus, protinùs serum flavum satis copiosè effluxit. Sublato prorsùs fornice conspeximus utrumque ventriculum cerebri lateralem, maximè sinistrum humore purulento, viscido, instar pultis fluidioris turbido copiosè imbutum: hic quoque ad ventriculum tertium defluxerat. Ventriculus quartus planè mundus nec vel minimùm conspurcatus erat. Superficies utriusque ventriculi aspera & inæqualis & insuper flaccida fuit, dum enim blandâ manu & leviusculè pus detergebant successit statim medullosa substantia candido suo nitore privata, corticis cerebri instar flavescens aut subfusca apparens. In dextro ventriculo observavimus superius tabulatum seu fornicem, imæ ejus parti, humore hoc purulento intermedio, aliquomodo agglutinatum fuisse. Plexus choroideus iisdem sordibus inquinatus fuerat. Aperto pectore, inciso pericardio effluxit aqua limpida flava. In corde nihil morbosi visum fuit. Pulmo in dextro latere leviter pleuræ accrevit; minùs rubebat; in sinistro latere firmiter pleuræ adhæsit undique admodum cruore suffusus. In abdomine ventriculus, intestina, lien, pancreas, hepar & cæteræ partes à naturali dispositione non desciverant, quantum quidem oculis usurpare licuit. Vesicula bilaria bile coloris fusci plena fuit. *Joan. Jacob. Wepfer. tract. de apoplexia.*

De iis in quorum cerebris abscessus sunt reperti.

Ursula Aberlin Wolfachensis, virgo 23. annorum: Plethorica, staturæ mediocris, carnosa, robusta; famula apud cauponem ad solis insigne; æstate 1667. semel magnam graminum farraginem ac pondere gravem capite gestatam ex agro domum deportavit: Sub hoc onere sensit manifestè aliquid

aliquid intra cranium ruptum fuisse: paulo post cibaria cum suppellectili capiti imposita ad messores in loca montana Wolfachio vicina detulit; cùm ab hoc onere summoperè gravabatur, ut sibi sub illo occumbendum putaverit, nemoque præsto esset qui ipsum hoc onere levasset, magnâ contentione etiam per acclivia ad locum destinatum properavit, unde denuò fragorem intra cranium editum animadvertit. Ab illo tempore minùs urinam detinere valuit; nihilominùs officia servilia solito more præstitit: strenua aliàs nec ob patrem duriorem labores fugiens, nec unquam de ullo alio symptomate conquerens. Menses semper ritè fluxerunt, die 22. Decembr. 1667. nihil mali præsentiens ad templum ita cucurrit, ut inde incaluerit; in templo perfrigeratur: mox animadvertit se pedi sinistro non posse firmiter, unde in genua decubuit, vix inclinato corpore, nisi à vicina sustentata fuisset, humi prostrata fuisset: Totum sinistrum latus motu & sensu privabatur: labia torquebantur ac maxilla inferior dextrorsum abripiebatur: primùm loquebatur ut intelligi potuerit, paulo post verò ægerrimè. Astantes Leipothymiam morbum ratæ, quamvis vividum faciei colorem non amiserit, ipsam frigida largè conspergunt. Hemiplectica domum deportata per dies 14. deliravit: conquerebatur de syncipitis dolore sævissimo, quasi summâ vi sursùm capilli ibidem raperentur continuè: oculus quoque dexter intensissimè doluit ac videbatur ipsi ac si ex orbita evelleretur. In sinistro latere toto hemiplectico neque in capite neque alibi præter motûs ablationem nec vel minimam molestiam experiebatur. Primis diebus crebertimè & copiosè mingere cogebatur, nunquam tamen lectum perminxit. Cephalalgia diu continuè afflixit atque hanc unicè causabatur. Medicamenta nulla, præter aquas quasdam cephalicas, paupercul æ exhibita fuerant, die 12. Februar. 1668. cùm Wolfachii apud Illustrissimam Dominam Annam Magdalenam Comitissam de Furstenberg essem, ad ipsam vocabar, scilicet post octavam septimanam ab insultu hemiplectico. Tunc temporis carnosa & benè colorata fuit: os non ampliùs distorquebatur, loquebatur sana & expeditè; non multùm de capitis dolore conquerebatur: Brachium sinistrum movere suâ sponte nequivit: at uno alterove digito incurvo fortius à me compresso brachium aliquantulum attraxerat: Pedi sinistro aliquandiu insistere, antrorsum ipsum promovere non valuit. Tum brachium, tum pes sinister sæpè motu quodam convulsivo succutiebantur. Appetiit, & cætera satis benè habuit: menses quoque stato tempore ceu sanæ hucusque legitimè manarunt. Suasi tunc temporis decoctum rorismar. aliarumque herb. cephalic. purgantia per vices sumenda & linimentum nervinum: imperatâ simul congruâ victûs ratione; qua in re suppetias Illustrissima Domina Comitissa, erga pauperes benignissima, luculenter contulit: His aliquandiu, sed non satis sollicitè continuatis, sensim viribus pedi sinistro redeuntibus, scipione suffulta in publicum prodiit tota æstate, templum quoque frequentavit. Subinde tamen cephalalgia recruduit, quæ à vini potu exacerbabatur: tota itaque æstate aquam, aut seri lactis caprini bibit: Frigida præ calefactis unicè appetebat, unde totâ Æstate acetariis, fructibus crudis & lacticiniis profusè vescebatur; Sæpè toto die nonnisi manè jusculum comedit. Mense August. 1668. manè è lecto surrectura sensit motum animalem denuò languescere simulque querebatur de dolore in planta pedis dextri aliàs sani, ob quem nunquam diu posthæc nudo & non prius linteaminibus probè involuto pedi insistere audebat: doloris rationem ipsamet effari nequibat. Rediit quoque tum ante, tum post novum hunc insultum Cephalalgia præcipuè dextram capitis partem occupans & nunc occiput, nunc sinciput, nunc tempus, nunc frontem miserè excruciavit: quandoque præ dolore exclamavit abscessum intùs sub syncipite latere, imò jam exitum parare: unde quoque non rarò ut ille ope chirurgicâ maturaretur, expetiit. Tunc quoque de vertigine querebatur, ob quam pronam se casuram verebatur: hujusque sedem dextram potiùs partem dicebat, cùm cerebrum præcipuè turbari ibidem distinctè sentiret. Incedebat nihilominùs subinde: at brachium sinistrum paralyticum tam ponderosum aiebat sæpiùs fieri, ut casum timeret, pondere corpus antrorsùm trahente. Hieme adventante tum ob frigidorum abusum, tum ob vitam sedentariam, tum denique ob medicamentorum neglectum sensim pedes œdematosi facti fuerunt ac intumuit abdomen. Mense Januar. 1669. primum menses substiterunt. Subinde catarrhi ad pectus ruebant, & tussim excitabant, qua aliquoties sanguinem concretum fabæ magnitudine excrevit, aliàs cessante catarrho liberè respiravit: incommodèque decubuit, humiliùs certè quam cæteri hydropici. Hydrops in dies incrementa sumpsit abdomine prætumido & œdemate etiam lumbos occupante. Doluit summoperè pes dexter. Die 23. Mart. 1669. Ipsam moribundam conveni; præter pedes, abdomen, lumbos, brachium quoque sinistrum admodum intumuerat: Facies erat Hyppocratica, extrema frigida; lingua arida; pulsus summè debilis; in pedibus maculæ rubræ apparebant: in dextra tibia gangræna in procinctu aderat: delirabat per aliquot dies, ante obitum ad mentem rediit: semper & ad ultimum usque halitum accuratè vidit & acutè audivit. Die 24. Martii 1669. mortua erat. 25. Mart. Cadaveris apertionem prece & pretio obtinui. Ante apertionem in cadavere observavi maculas in tibiis latiores & lividas evasisse; alicubi vesicas amplas sero turgidas emersisse, quibusdam in locis ex poris serum exsudasse, abdomen subsidisse, ex ore humorem viscidum subflavum copiosè emanasse. Cuti capillata decussatim incisa tum ex vasis capillaribus sauciis tum ex cranio denudato exstillavit sanguis ichorosus, fluidus, omnibus fibris destitutus nec in grumos concrescens. Ollâ ablatâ, integrâ durâ meninge aliquid serosi excidit. Divisâ durâ meninge copiosius serum occurrit. Corpore falciformi à crista galli resecto ac retrorsùm flexo superficies cerebri ubique ceu gelatina flava transparente tegebatur, illaque aliàs anfractuosa, plena & levis conspiciebatur: sauciata tenui meninge exstillavit copiosè serum flavum, tenue, admodum fluxile. Cerebri portione ad ventriculum dextrum usque ablata, protinùs ex illo exiliit aqua turbida: dilatato amplius hoc ventriculo occurrit abscessus ovi gallinacei magnitudine peculiari tunica, crassitie pennæ columbinæ vestitus, cujus oppositum latus versùs tempus dextrum exporrigebatur; inciso folliculo aqua turbida subfusca effluxit, qua evacuata cerebri superficies in fundo & ad latera inæqualis & quasi

exesa & exulcerata apparuit: nam deterso in fundo muco subsidente, manifestè cerebri portiunculæ prominulæ & laceræ videbantur. In folliculo hoc nullibi foramen nec premendo ante incisionem, nec postea reperire potui. In sinistro ventriculo ut & tertio quoque aquam sed pauciorem & limpidam inveni, unde conjeci dextrum duos folliculos recondidisse, quorum primus incautè incisus fuerat. Plexus choroideus utrinque glandulis plurimis, minutissimis albentibus & pellucidis refertus erat. In toto reliquo cerebro nullum vitium animadverti: in basi quidem sinistra pars mollior primùm videbatur: verùm posteaquam ipsam cum dextra contuli, discrimen admodùm exiguum deprehendi. Cerebellum mollius & flaccidius cerebro fuit. Cerebro & cerebello è calvaria exemptis, recisâ medullâ spinali ex orificio calvariæ amplo plurimùm seri suberuenti effluxit: simulque observavi ostii illius spatium multo amplius fuisse quam ut à medulla impleretur: vidi medullam, hinc inde manantibus quibusdam fibris alligatam quidem, sed nihilominus humoribus descensum concedere. Ex medullæ incisæ superficie guttulæ sanguineæ exsudabant: quæ aliàs firma & nitida erat: sinistra tamen pars dextrâ minor videbatur. Quicquid sanguinis intra cranium stagnaverat fluidum mansit nec in grumos concrevit. Imò ventre aperto aqua citrina effluxit, sed præter exspectationem, quantitate minor. Ventriculus & intestina tum tenuia tum crassa flatibus turgidissima erant: Crassa ab excrementis vacua. Hepatis superficies livida inæqualis ceu corpus ex plurimis glandulis conglomeratum apparuit molle, vastum. Lien non erat naturali major, mollis, lividus. Glandulas mesenterii & pancreatis admodùm duras comperii. Videbatur pancreas esse corpus ex multis glandulis conglomeratum: ejus ductus vacuus erat. Uterus ejusque testiculi minores, quàm aliàs in hac ætate inveneram. Nullibi sanguis concrevit. Pectus quia aliò avocabar, nec multùm de pectoris morbis conquerebatur non aperui. *Idem tractat. de apoplexia.*

Maria N. post contusionem syncipitis à me curatam, per integrum annum de sola vertigine gravissimas querelas habuit, remediisque frustrà usurpatis *apoplexiâ* fortissimâ subitò obiit.

Apertâ calvariâ, inspectoque cerebro, in sinistro latere tumorem, quoad folliculum & materiam contentam, superiorum duorum postremo non absimilem, qui magnitudinem ovi gallinæ mediocris adæquans tertium cerebri ventriculum ex parte compressit.

Quærentibus quænam hujus tumoris tunicati causa extiterit? Respondi, nec forsan adeò malè, quod cerebrum ea parte vehementer percussum, debilitatem quandam contraxerit, ob quam affluens alimentum non in cerebri, sed in descripti tumoris substantiam fuit conversum, *J. Scultetus Chirurg. Armamentar. obs. 10. & 11.*

De apoplectico in cujus cerebro nihil prorsus inventum est cui apoplexia tribui potuerit.

Senex Theologus, vir probus, & pius, corpore obeso, necnon collo breviori, & toroso præditus, diu invaletudinarius, & vitam sedentariam agens, cacochymiam valdè *scorbuticam* contraxerat; respiratione difficili, & anhelosa & capitis gravitate, & corpore insolito affectus, vix quicquam præterea laboris, aut exercitii præstare poterat, quàm quòd quotidie è cubiculo ad sacellum & refectorium iret, & rediret: Quodam manè *Capellam* paulò ante preces ingressus, dum genibus provolvitur, derepentè perculsus & mox ἄφωνος, & insensibilis factus, in humum concidit, illicò verò sublatus, & vestibus exutus, lecto concalfacto imponitur. Ipse aliique Medici mox accersiti, ac ocyssimè adventantes reperimus eum, non modò absque *sensu, pulsu, & respiratione*, sed toto corpore *frigentem*, & planè *rigidum*, nec ullis remediis, aut administrationum modis, aliquandiu licet diligentissimè adhibitis, ad *vitam* aut *incalescentiam* revocari potuit: unde suspicati sumus à primo ictu, *cordis pulsum* penitùs inhibitum fuisse flammaque ejus extinctâ, sanguinis statim omnem motum suppressum fuisse.

Postridie *cadaver exanime* satis, & obriguisse visum aperuimus, nihil dubitantes, quin affectûs ita subitò lethalis vestigia satis clara, intra ἐγκέφαλον relicta, in conspectum prodierint. Verùm illic, aut in alia quavis parte, morbi, licet atrocissimi, ne vel umbra quædam supererat: *vasa meningas* irrigantia, sanguine mediocriter repleta fuerunt, absque ulla tamen phlogosi, aut extravasatione: *cerebrum, cerebellum, & medulla oblongata* cum *processibus* eorum omnibus & *prominentiis*, ubique *firma* & benè colorata, tum extrà, tum in iis, per totum apparebant: nec *serum* nec *sanguis effusus*, ullibi intra eorum poros, & meatus, nec etiam intra ventriculos majores coacervabatur; quin imò *plexus choroeides* tum intra *cerebri cavitatem* tum *penè cerebellum* consiti, omni culpâ immunes videbantur; adeo ut *materies morbifica*, æquè tenuis, ac subtilis, ac sunt *spiritus animales*, quos offecerat, prorsùs in conspicua maneret, ejusque illi præsentiam, tantummodo ab effectu arguere liceret.

Attamen ne alibi *extra caput* lateret illa, post singula τῷ ἐγκεφάλῳ contenta accuratiùs inspecta, ad Thoracem devenimus; *ubi pulmones discolores & ichore spumoso* per totum infarcti *respirationis difficilis* & anhelosæ causam satis manifesto prodebant: *Cor* verò satis sanum ac firmum obstructione quavis, aut *polyposis concretionibus* immune prorsùs existebat. Porrò nec in vicinia ejus, nec in aliis circumcirca visceribus, *abscessus* quispiam aut *apostema*, à cujus contractu, aut fœtore *cor* opprimi, aut spiritus vitalis (si modo hoc possibile est) derepentè suffocari potuit, reperiebatur.

Quamobrem in hoc casu nihil aliud suspicari licuit, quàm spiritus animales intra cerebri meditullium consitos, à particulis quibusdam malignis, sive narcoticis, sive aliàs infestis, subitò profligatos & quasi extinctos fuisse; proinde ut cordis, quasi primi in machina elateris, motu illico deficiente, statim cæteræ omnes functiones, earum impulsibus ademptis, prorsus cessarunt.

ARTHRITIS.

Arthritis est periodicus articulorum dolor, à distentis & punctis membranis ipsos vestientibus, per affluxum humoris acrioris. Simplex hæc aut similis descriptio non arridet Clar. Wilhelmo ten Rhyne, qui in sua de arthritide dissertatione cùm flatum ejus causam facere, probare nitatur

nitatur, morbum sic definit; Arthritis est præternaturalis periostei, parvus, plerumque invisibilis, atque intrinsecè delitescens, tumor; ex sicco frigido, & maligno ortus flatu; qui per arterias sanguine subvectus contractivo cordis motu ad artus eorumque præprimis articulos expellitur, & ab ossibus periostea vi divellit; cui interstitio impactus flatus hic inibi tenacissimè hæret, dictamque tenerrimi sensus membranam distendit, acerbi adeò doloris author, ut & ipsum membrum in suo motu quandoque impediat. Hæc paulo fusiùs ex ipso Autore huc adduximus, ut curationis ab eo per inustionem ex moxa perficiendæ, quam in sequentibus exhibemus; seu potius ejusdem curationis rationes à Clarissimo Viro allatæ, magis pateant.

Partem affectam in genere esse articulos varios, apud nullos disputatur; verùm quæ in specie articulationis pars à morbo arthritico affligatur, in quaque verè & potissimum recumbat materia illius productiva, non ita patet, unde alii in ipsa articulationis cavitate, alii in ligamentis ossa connectentibus in genere, eam collocarunt, alii verò multò satiùs in ligamento in specie membraneo à periostio producto ossium capita invicem colligante & comprehendente satis laxè ut liberam motionem ipsis relinquat, morbi genuinam sedem reposuerunt, hocce enim solum sensibile admodum est passionisque arthriticæ quàm maximè capax.

Arthritis autem commune seu generale nomen est, sub se comprehendens Chiragram in qua manus, Podagram in qua pedes, & Ischiadem in qua commissura femoris & coxæ, dolent; imò secundùm Paræi minùs necessarias distinctiones; Siagonagram in qua maxillæ articulus; Tracholagram in qua cervix; Cleisagram in qua clavicula; Rachisagram in qua dorsi spina; Homagram in qua humerus; Pechyagram in qua cubitus, affliguntur. Verùm ab hisce differentiis ad alias magis necessarias deveniamus, scilicet Arthritides aut breves sunt aut chronicæ; novitiæ aut veteranæ; crudeles aut clementes; longis aut parvis intervallis recurrentes; unum pluresve simul articulos, imò ipsum corporis truncum atque caput petentes.

Causam arthritidis immediatam putabant veteres, & in specie Galenus, esse non tantùm pituitosum humorem, sed qui propriè crudus appelletur, quique crassus sit ad similitudinem puris crassioris. Illum autem humorem Fernelius vult à capitis exterioribus in subjectos articulos esse deciduum, atque sub cute deorsum decurrere: At quomodo humor arthritidem pariens, non que sola quantitate in articulos influente, indeque orta distentione, sed etiam quicquid contra asserant, pungitiva qualitate, maximè noxius, de cerebro, aut capitis exterioribus delabi valebit, sine ulla vel stuporis, vel vellicationis totius sensatione, totque sine noxa peragratis exterioris corporis regionibus, in extremo pede, pollicis scil. v. g. articulo, ferus hospes tandem domicilium sibi seliget? Paracelsus tartarum accusat à plantis variis quibus vescimur suffectum, in que ventriculo ubi prima peragitur coctio, non ita attritum ut postea commodè segregetur, atque per alvum & vias urinarias excernatur. Helmontius quarumvis partium proprium alimentum depravantium, illudque in articulos demandantium, vitium arguit. Menjotius causam arthritidis esse asserit serum vel sanguineum instar muriæ duræ ac maturæ salsugineum; vel biliosum pro more piperis acerrimum; vel melancholicum aculeatam aceti asperitatem æmulans; additque quò serum istud magis fuerit dentatum atque mordax, eò acutiores excitari dolores, hincq; arthriticos salaces esse in ipsa quoque doloris, etsi veneream pruriginem aliàs reprimentis acerbitate, necnon iracundos & atrabilarios. Alii tandem, sero atque lymphæ analogum quid accusare non dubitant, at de viis per quas ad articulos derivetur magis sunt solliciti, quidam enim sanguifera vasa, quidam nervos quidam verò lymphæ ductus illius vectores faciunt. Verùm, ut habet Willisius, si talis humor solummodo per nervos deferretur, non primùm in pede & articulis extremis, at in toto itinere nervosum genus irritando ἀλγήματα seriatim & tractu continuo excitaret. Si vero juxta Hollerii, Sennerti, aliorumque recentiorum sententias statuatur, impuritates quasdam serosas à sanguine effervescente deciduas & ab articulis susceptas, insultus podagrici causam materialem esse unicam, effervescentias immanes in vasis suis excitabit sic constitutus sanguis, quod nullo modo in accessionibus podagricis est perpetuum, imò ne quidem frequens. Unde concludit succos fermentativos morbum hujus pancreantes non ab unico vasis genere amandari, sed potius à vasis sanguineis, lymphaticis, imò nervis subministrari, eosque quantumvis immiscibiles in articulis coïre vellicationes dolorificas in fibris nerveis ligamentorum capita ossium complectentium, per exortam inter se luctam atque effervescentiam, parituros.

Causa remota est primæ coctionis vitium, scil. in ventriculo malè peracta digestio, unde succi crudi, circulationibus inepti, acres, & fermentativi ubivis in corpore congeruntur, qui propter rationes mox enarrandas in articulis præcipuam vim suam exerunt.

Causæ externæ sunt primò, Aër frigidus atque humidus, frigiditas enim articulis omnium consensu est infesta, humiditas verò mollit ac laxat. Itaque bonum fuerit contra ejusmodi aëris injurias articulos munire, nec mirum si Japones qui capite raso, pedibusque nudis, etiam bruma sæviente incedunt, non minùs arthritidi quàm cæcitati sint obnoxii. Secundò alimentorum assidua superingestio, non expectato necessario coctioni spatio; Helluationes perpetuæ, cænæque adjiciales; Usus ciborum & liquorum quorundam in hoc morbo præcipuè malè audientium, anguillæ v. g. & cyprini limosa innutriti terra, caponum vetustorum, anserum, pomaceorum, imò ipsius vini præsertim generosi & vacuo ventriculo sumti, unde cautos decet arthriticos lymphis potius litare quàm baccho. Tertiò balneum aquæ frigidæ frequentiùs usurpatum; Nam quantumvis algida dolentibus articulis largè affusa momento succurrere videatur, per stuporem scil. inductum, non ideo tamen minus noxia credenda. Quartò incessus per loca lutulenta atque uliginosa pedibus non bene communitis. Quintò otium atque desidia, viscerum debilitatis, excrementorumque fons abundantior, ut enim inquit Solon apud Lucianum, triticum ventilationibus, sic & humana corpora exercitiis perpurgantur. Immodicæ tamen exercitationes cum articulos enervent ac deterant minimè probantur, & in mediocritate subsisten-

dum. Sextò, effusa venus quæ non tantum concussu, præcipuè in adolescentibus quorum articuli nondum satis sunt firmati nociva est, sed etiam summa quam inducit nervorum, nerveorumque corporum debilitate, per rejectam abundantiùs, in mediis quasi convulsionibus materiam, ab omnibus partibus, præsertimq; nerveis ac tendinosis deciduam. Septimò, solitorum effluviorum occultatio, ut intempestivè resiccatis ulceribus tibiarum inveteratis, ani fistulis, &c. hæmorrhoidibus vel menstruis suppressis &c. Octavò, artuum offensiones ac impulsiones quæ materiam in corpore quiescentem lacessunt, articulosque vexando arthriticum paroxysmum provocant. Hisce omnibus causis adventitiis ingenitam addamus, jus scilicet hæreditarium rigidum ac quasi indeclinabile, non tamen omnino perpetuum: hoc autem nihil aliud est quàm articulorum atque viscerum nutritioni dicatorum debilitas; quæ cum diæta proba aliquatenus reprimi possit, ita ut in actum, aut minimè, aut non tam citò prorumpat, commissis è contrà erroribus facilè augetur, ita ut avita arthritis cujus semen visum fuerat apud integrum & sanum parentem expirasse, in nato ab eo nepote exsuscitetur. *Hæc præcipuè ex Menjotio.*

Signa hujusce morbi *diagnostica* non aliunde nobis petenda veniunt quam ab ipso Sydenhamio, qui tam accuratam Arthritidis historiam exhibet ut integram illam hic adjicere, satius multò reputemus quàm propriis verbis eam describere.

Sic itaque, Clariss. Author. Podagra eos plerumque invadit, qui meliores vitæ dies molliùs ac delicatiùs transegerint. Epulis lautioribus, vino, aliisque liquoribus spirituosis liberaliùs indulgentes, tandem ob pigritiam, ætatis ingravescentis semper comitem, ea corporis exercitia penitus omisere, quibus juvenes assueverant. Ad hæc, isti, qui huic morbo sunt obnoxii, Crania habent grandiuscula, habitu corporis ut plurimùm sunt pleniori, humido & laxo; & constitutionem habent omnes luxuriantem virosamque, ditissima atque optima vitæ stamina. Non quòd podagra eos solùm adoriatur, qui crasso & corpulento habitu donantur, cùm aliquando etiam, etsi rariùs, graciles ac macilentos invadat; neque quod hic morbus in omnibus senium præstoletur; quandoque enim etiam ætate florentes corripit, quoties scilicet infælicia morbi semina à parentibus, quasi ex traduce acceperint; vel si hoc non fuerit, immodicæ veneri præmaturiùs indulserint, aut exercitiis omnino valedixerint, quibus priùs etiam vehementioribus utebantur; edaciores insuper fuerint & liquores spirituosos immoderatiùs hauserint, postea derepente ad liquores tenues & refrigerantes se contulerint. Si quem nonnisi jam senio confectum primùm adoriatur, nunquam postea, vel tam statas habet periodos, vel tam immaniter sævit, quàm si juniorem occupaverit; tum quod vita ut plurimùm elabitur antequam morbus naturalibus symptomatibus stipatus ad ἀκμὴν pervenerit, tum etiam quia calore nativo & vigore corporis imminutis, nec ita jugiter, nec vehementer in articulos displodi potest. At si quem maturiùs lacesset, quamvis nec sedem adhuc figat, nec eum ita malè tractet, sed incertâ periodo pro data ansa ingruat, leviter ad paucos dies torquens, & nullâ methodo invadens recedensque, sensim tamen castra metatur, legem sibi ponens, typumque præformans, tam quoad anni tempus quo arma quotannis movebit, quàm quoad paroxysmi durationem: ad hæc, ferociùs quam primo intuitu debacchatur. De hoc morbo dum ita regulam typumque servat, libet primò disserere: postea de ejusdem Phœnomenis Anomalis, atque incertioribus, quoties scilicet vel præpostero inidoneorum medicamentorum usu de statu suo dejectus fuit, vel ob subjecti debilitatem & langorem ad propria & genuina symptomata nequit assurgere. Quoties itaque regularis est podagra, hoc ferè modo ægrum aggreditur. *Januario* exeunte, aut incipiente *Februario*, derepente & nulla ferè præsensione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate atque ἀπεψίᾳ ad septimanas aliquot æger laboraverit; corporis insuper intumescentiâ quasi ventosâ & gravitate, quæ in dies augetur donec tandem detonet paroxysmus; quem paucis diebus præit torpor & quasi flatuum descensus per femorum carnes, cum affectione σπασμώδει, tum etiam pridie paroxysmi appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur, horâ verò secunda post mediam noctem excitatur à dolore pollicem pedis utplurimùm occupante, quandoque vero calcaneum, suram, aut talum; Hic dolor eum refert qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquæ tantùm non frigidæ partis affectæ membranis affusæ: Mox sequitur rigor cum horrore & febricitatione aliquali. Dolor autem hic primò remissior gradatim intenditur, (& pari passu rigor atque horror recedunt) idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem officulorum tarsi & metatarsi, quarum ligamenta obsidet, perbellè accommodans; nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoq; pressuram & coarctationem exprimens: ad hæc, ita vivum exquisitumque habet sensum pars affecta, ut nec linteorum super-incumbentium pondus, nec cubiculi à fortiori ambulatione concussionem ferre valeat. Atque hinc fit ut nox non tantum in cruciatu transigatur, sed etiam cum irrequieta partis affectæ hàc illàc rotatione, & mutatione sitûs quasi perpetuâ. Neque minor est totius corporis jactatio incessans, quæ semper paroxysmum, maximè verò accedentem, comitatur, quàm torti membri agitatio & dolor. Hinc etiam mille conamina, sitûs tum ipsius corporis, tum membri affecti mutatione assiduâ, doloris sedationem incassum exambiunt: quæ tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam, (decurso scilicet nycthemeri spatio à primo appulsu paroxysmi) quo tempore æger post materiæ peccantis modicam digestionem & difflationem aliqualem, subitò à dolore respirat; licet hanc ille liberationem isti membri affecti posituræ, quâ postremò usus erat, immeritò acceptam referat. Jam leni madore perfusus somno concedit; à quo evigilans, dolore multùm imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit; cùm solùm antehac (quod in omnibus podagricorum paroxysmis solemne est) insignior intumescentia venarum membro laxato intertextarum se in conspectum dederat. Sequente die, fortè etiam ad biduum triduumve, si materia podagræ generandæ apta fuerit copiosior, dolet nonnihil pars affecta, idque vehementiùs die jam advesperante, levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies, alter pes eodem dolore torquetur quo is qui prior doluit, vel si prior iste jam dolere desierit,

debilitas

debilitas infirmaverat, mox evanescit, tam viribus quàm integra sanitate isti pedi statim restitutis perinde ac si nunquam laboraverat, si modò dolor pedem nuper tentatum ferociùs lancinet. Nihilominùs eadem hic excitat tragædias quas priùs in altero pede, tam quoad doloris vehementiam, quàm durationem. Quandoque etiam primis morbi diebus cùm materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendæ pes unus impar sit, utrosque simul pari vehementia fatigat: sed ut plurimùm pedes successivè, uti diximus, aggreditur. Postquàm utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum quoad tempus invasionis, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane verò remittatur. Atque ex serie horum paroxysmulorum (sit verbo venia) constat paroxysmus qui dicitur podagræ, diuturnior breviorve pro ægri ætate. Neque enim censendum est quoties quis cùm hoc morbo ad menses duos vel tres fuerit conflictatus, unum illum paroxysmum fuisse, sed seriem potiùs & catenam paroxysmulorum, quorum posterior quilibet priore & mitior fuit & contractior, donec tandem materiâ peccante prorsus absumptâ: æger pristinam obtinuerit sanitatem, quod in vegetioribus, & iis quos podagra rariùs invisit, diebus sæpè quatuordecim fit; in senioribus, atque iis quos sæpiùs afflixit, duobus mensibus, iis verò qui vel annis, vel diuturniore morbi morâ fractiores jam sunt, non priùs valedicit quàm æstas jam adultior eam fugaverit. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quæ post separationem sedimentum rubrum & quasi arenulis refertum deponit; nec æger ut plurimùm nisi tertiam potulentorum quæ assumpsit partem per vesicam reddit; Alvus item ad dictos primos ferè dies constipata est. Appetitûs prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas & molesta sensatio integrum paroxysmum comitatur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maximè inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. Morbo jam discusso, ægri tum εὐεξία, tum appetitus redeunt pro ratâ doloris quo sæviebat paroxysmus nuper elapsus, & in eadem proportione servata vel acceleratur vel differtur sequens paroxysmus. Nam si hic ultimus ægrum pessimè multaverit, sequens paroxysmus nonnisi anno ad idem punctum revertente denuò accedet. Atque hoc se habet modo podagra regularis phænomenis genuinis propriisque se ostendens. Cùm verò vel ab indebita medicatione turbatur, vel ob diuturniorem morbi pertinaciam, corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur, neque par est naturæ eidem, methodo consuetâ, eliminando, phænomena multùm sunt diversa à jam descriptis. Nam cùm hactenus dolor pedibus tantùm fuerit infestus, (qui peccantis materiæ sedes sunt genuina, quæ cùm alias quaslibet partes occupat, certissimum est vel morbi methodum inversam esse, vel corporis vigorem paulatim jam imminutum,) jam itaque manus, carpos, cubitos, genua aliaque regiones occupat, ea jam, sicut pedes olim solebat, discrucians. Quandoque enim unum pluresve digitos distorquens, fasciculo radicum pastinacæ similes eos reddit, motu paulatim privans, tandemque concretiones circa articulorum ligamenta tophaceas generans, quæ articulorum cuticulam ipsamque cutem destruens, nudos tophos cretam vel oculos cancrorum æmulantes, aciculâ eruendos exhibet conspectui. Nonnunquam materia morbum committens cubitis impacta tumorem subalbum excitat ferè ad ovi magnitudinem, quæ sensim inflammatur cum rubore. Est ubi femur occupans sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sed dolore tamen notabili, at genu exinde petens id acriùs urget, motum omnem inhibens, ut quasi clavo transacto lectulo affixum ne latum pilum à loco in quô est se queat dimovere. Et quando vel propter totius corporis inquietudinem huic morbo ita familiarem, vel urgente necessario aliquo vitæ officio, æger aliorum operâ est movendus, omni cautelâ opus est ne fortè vel minima motûs contrarietas dolores accersat, qui eo tantùm nomine potest tolerari quod confestim evanescat. Quæ quidem corporis latio ita cautè & delicatè peragenda, haud exigua pars est ærumnarum quibus podagra oneratur; dolor enim vehementior non per omnem paroxysmum extenditur, si modò pars affecta omnino quiescat. Cùm podagra antehac nonnisi exeunte hyeme soleret invadere, post duos tresve menses prò more recessurus; jam per annum integrum vexat ægrum, demptis duobus vel tribus mensibus calidioribus, atque æstivis. Et quod insuper est observandum, quemadmodum paroxysmus major sive generalis protractior quàm olim fuerat, inveniatur, etiam paroxysmi isti particulares ex quibus generaliter componitur, singuli diutiùs sæviunt; cùm enim antehac particulares isti non ultra unum alterumve diem excruciarent; jam ubicunque sedem, figant, maximè si pedes vel genua occupaverint, non ante diem decimum quartum castra movent: Primò ad hæc, aut secundo post appulsum die, æger præter dolorem, aliqualem etiam ægritudinem patitur, atque simul omnimodam appetitûs prostrationem. Postremò cùm antequam malum usque adeo incruduerat, æger non solùm longioribus frueretur paroxysmorum intervallis, sed etiam durante ista intermissione rectè valeret tam artubus quàm reliquo corpore, facultatibus singulis naturalibus officio suo debitè fungentibus; jam artus habet ferè undiquaque contractos atque impeditos, ita ut quamlibet stare possit, fortè etiam aliquantisper procedere, gressu tamen ita claudicante ac permolesto prorepit, ut etiam cùm ambulet quiescere videatur: & si ultra vires ambulare perstiterit, quo pedibus rectiùs valeat, quanto magis ipsos ambulando confirmat & dolori excipiendo minùs obnoxios reddit, tanto morbi fomes, nunquam per hoc omne intervallum perfectè dissipatus, visceribus periculosiùs imminet, cùm in pedes ita liberè nequeat effundi: qui hoc morbi tempore vix unquam doloris sunt expertes, sed sensatione aliqua plus minusve molestâ perpetuò tentantur. Quin etiam multis aliis symptomatis infestatur æger, ut venarum hæmorrhoidalium dolore, ructu nidoroso cibi jam manducati & in ventriculo putrescentis gustum referente, quoties vel aliquid è dyspeptis assumpserit, vel eam tantùm cibi quantitatem quæ sano competit. Appetitus languet, uti & totum corpus præ inopia spirituum. Denique ideo tantùm vivit ut calamitosus sit & miser, non ut vitæ dulcedine vel minimùm fruatur. Urina, quam priùs coloratiorem, maximè

in Paroxysmis & in pauca quantitate solebat reddere, jam illam tam colore imitatur quàm copia quæ in diabete excernitur. Dorsum aliæque partes molestè pruriunt: maximè sub horam somni. Id etiam in hoc morbo quoties jam confirmatior est, incommodi accidit, quòd ab oscitatione, imprimis verò matutina, ligamenta ossium metatarsi vehementer convelluntur, cum sensu quasi coarctationis vel compressionis fortissimæ à manu valida. Quandoque etiam nulla oscitatione præcedente, æger jam se somno committens ictum quasi clavi metatarsum confringentis derepentè persentiscit, unde cum ejulatu expergiscitur. Tendines musculorum qui tibias suffulciunt subinde spasmo corripiuntur: ita acri & violento, ut dolor quem excitat, si vel tantisper duraret omnem humanam patientiam dejiceret vinceretque.

Post multos dirosque cruciatus & carnificinam diuturniorem, ceu pignus missionis quam mors jam in propinquo stans mox est datura, paroxysmi subsequentes ægrum quoad dolorem clementiùs tractant, (naturâ partim ab onere materiæ peccantis oppressa, partim ob senium, eandem in corporis extremitates jugiter ac strenuè relegare non ampliùs valente) at loco doloris consueti, ægritudo quædam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhœam superveniunt. Hæc symptomata, dum vigent, artuum dolorem leniunt, quæ pariter evanescunt quoties articulos dolor fatigat: atque ita nunc dolore, nunc ægritudine quasi alternatim lacessente, paroxysmus longas moras nectit. Animadvertendum est enim quòd ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor singulis paroxysmis gradatim imminuitur, tandemque ægritudine potiùs conficitur quàm dolore. Quem enim in his patitur dolor, quamlibet sint productiores, vix ad decimam partem ejus assurgit doloris quem pati solebat cùm viribus esset magis integris. Nihilominùs hæc ipsa morbi inclementia pensabatur ut plurimùm longiore intercapedine quæ paroxysmos intercedebat, tum sanitate quâ interea satis commodâ utebatur. Namque hoc in morbo dolor amarissimum est naturæ pharmacum; qui quo vehementior est, eò citiùs præterlabitur paroxysmus, atque insuper & longior erit intermissio & magis perfecta; & viceversa. Neque tamen dolor, claudicatio atque impeditus partium affectarum motus, ægritudo aliaque symptomata jam descripta, hujusce morbi tragœdiam absolvunt: Calculum insuper Renum in quamplurimis parit hic affectus, tum ex eo quòd æger diu supinus recumbat, tum etiam quod ferientur organa secretoria à debitis sibi functionibus: sive etiam quod calculus ejusdem materiæ morbificæ in genere portio quædam sit, quam ego litem non dijudico. Quæcunque verò sit hujus mali origo, nonnunquam ægri animum mœstissima interpellit contemplatio calculusne an Podagra immitior sit. Quandoque etiam calculus lotii per meatus urinarios in vesicam transitum impediens, ægrum de medio tollit lentas podagræ moras haud ampliùs expectantem. Nec satis est ægrum ita miseris modis dilaniari, ut nec sui jam fuerit compos, alienæ opis prorsus indigens: sed & hic accedit miseriarum cumulus, quòd durante paroxysmo, animus etiam ceu contagio afflatus, eo usque corpori compatitur, ut haud facile sit dictu utro horum æger calamitosiùs doleat. Non enim rectiùs podagræ, quàm iracundiæ, Paroxysmus omnis dici potest; cùm mens & ratio usque adeo ab infirmato corpore enerventur, ut vel levissimo affectuum motu impellantur & vacillent: unde non magis ipsi quàm aliis gravis est. Quid quod & cæteris quoque passionibus est obnoxius, timori videlicet sollicitudinique atque aliis id genus. A quibus pariter torquetur donec morbo evanescente, animus quoque pristinâ tranquillitate receptâ una convalescit.

Tandem æger (ut funestissimi hujus morbi Catastrophen semel expediam) visceribus a materiæ peccantis incubitu complexuque ita læsis, ut secretionis organa non ampliùs suo munere fungi queant, unde & sanguis quasi limo & fœculentiis refertus stagnat, & materia peccans non jam, ut olim solebat, in corporis extremitates disploditur atque rejicitur; tandem, inquam ὁ τελ-άθλι☉ vitam afflictissimam & jamdiu non vitalem cum morte ærumnarum requie feliciter commutat. At verò (quod mihi aliisque licèt tam fortunæ quàm ingenii dotibus mediocriter instructis, hoc morbo laborantibus solatio esse possit) ita vixerunt atque ita tandem mortem obierunt magni Reges, Dynastæ, exercituum classiumque Duces, Philosophi, aliique his similes haud pauci. Verbo dicam, articularis hicce morbus (quod vix de quovis alio affirmaveris) Divites plures interemit quàm pauperes, plures sapientes quàm fatuos; naturâ quasi digito monstrante quàm parum iniqua sit omnium Parens & arbitra, quam partibus non studeat, cùm eos, quibus alicubi defuit, alio aliquo bonorum genere cumulatiùs ditare soleat; Profusiorem verò erga alios munificentiam æqua malorum parte admixta diluat & contemperet. Adeo ut ubique gentium rata sit lex atque inviolabilis nullum hominem vel ex omni parte beatum, vel per omnia miserum ac calamitosum posse inveniri, singulos autem utramque experiri sortem. Quæ boni atque mali contemperatio, fragilitati nostræ & mortalitati ita propria, nobis fortasse apprimè conducit. Podagra fœminas perraro infestat easque nonnisi jam vetulas & viragines seu corpore masculorum habitum æmulantes. Graciliores quæ vel in adolescentia vel constanti ætate symptomata patiuntur Podagram mentientia, ea ipsa vel affectibus hystericis, vel rheumatismo quo jam olim laborarunt, & cujus fomes non satis initio fuerat eliminatus, accepta referunt. Neque pueros neque juvenibus minores podagrâ verâ atque genuinâ vexatos hactenus observavi: Nonnulli tamen mihi noti sunt qui priusquam eam ætatem attigissent, leviculam aliquam quasi velitationem præsenserant: quorum nempe patres etiam tunc hoc morbo tenerentur cùm iis generandis operam darent. *Hacten. Sydhen.*

Quoad arthritidis *prognosim*, nemo nescit ipsam ab aliarum molestiarum myriade vindicare, neque desunt qui tot ab ea beneficia proficisci autumant, ut illam ferè optabilem sibi effingant, dum enim scoriæ atque spurcitiæ in articulos tanquam loca viliora ablegantur, melius habent viscera omnia, hinc podagricorum longævitas; vitam ut inquit Menjotius, sæva doloris mercede redimentium, ac in pœnam vivacium; itaque ubi ejus consuetudo jam facta est, funditus extirpari neque potest, neque debet, si enim semel absit pernicialium

lium ægritudinum incumbunt agmina, propter fluxum aliò aversum; unde aut cataphora, aut convulsio, aut delirium, aut asthma, aut varii in urinis dolores & difficultates emergunt.

Inter podagricos, ait Hippocrates, qui in senectute tophos aut callos in articulis induratos habent, aut laboriosè vitam tolerant, cum alvo sicca, humana arte hi sanari nequeunt. His succedentes dysenteriæ optimè medentur, quin & quæcunque aliæ colliquationes infernæ eos valde juvant: Juvenis verò, cui nec dum circa articulos calli indurverunt, cuique victus ratio curæ est, ad laborem est impiger, alvumque vitæ instituto probè respondentem, is sanè prudentem nactus medicum sanus evadet. Propterea existimat Theod. de Mayerne podagram, etiam in eo cui jure hæreditario imminet, nedum in omni subjectò posse præcaveri, scilicet in primordiis suis & priusquam aliquod sedimentum tophaceum reliquerit ac deposuerit in articulorum loca cava, ac gluten eorum nativum in calculum ejus efficacia induruerit; illam inquam censet curationis capacem esse: Effatum, addit, specie temerarium, verissimum tamen, si modò arthritici primo aphorismorum parere velint per quem non tantùm medicum decet officio fungi, sed & ægrum & assidentes, atque causæ externæ ad eandem curationem conspirare debent. Arthritides autem inveteratæ ut jam vidimus minimè sopiri aut radicitus evelli valent; nec immeritò, ut habet Menjotius, suspectæ sunt historiæ de arthriticis qui à Quæstoribus admoti gravissimis tormentis, feruntur impostèrum ab arthritide fuisse vacui. Ac multò adhuc incredibilius est quod narrant de illo podagrico cui pedes clavis trunco ligneo fuere affixi, eoque pacto à podagra absolutus est. Quod attinet autem ad repentinum metum illius podagrici qui ædes fugit incendio conflagrantes; vel ad insperatum gaudium alterius arthritici cui, dum ad supplicium duceretur, venia principis nunciata est, moxque à doloribus in perpetuum convaluit; à talibus quidem animi pathematis paroxysmum arthriticum discussum non inficiamur, sed altas morbi radices inde evulsas fuisse, ac ægrum securitatem totius vitæ esse consequutum non injuriâ dubitamus. Officium igitur est munusque Medici dolorum arthriticorum inveteratorum vehementes impetus retundere, minimè verò ægrotantium labores in totum tollere: graviter affectis, inquiebat Seneca, sanitatis loco est bona remissio.

Mulieres ut rariùs, sic & molestiùs divexat arthritis.

Ischias præ cæteris arthritidum generibus atrocissima judicatur atque curatu difficillima, forsan propter humoris profunditatem, exhalationemque inde minùs facilem.

Si autem inquit Menjotius, diuturnæ Ischiadi accesserit femoris ἔκπτωσις ἐκ τῆς φύσεως, ægri claudicant, crure facto vel longiore si in intimam partem, vel breviore si foras extorqueatur. Fracto etiam luxati articuli calore fit mucoris congestus, ac distortis vasis annonam vectitantibus crus macilescit, hæcque tabes è privata fit tandem generalis per quam æger ante debitum tempus senescit, istamque universalem phthisin Præceptor in Coacis prænotionibus appellavit ἰσχιαδικὴν à mali primordio. His vitiis medetur ustio, utpote supervacaneos mucos absorbens ac emotum articulum, post aptam ἐμβολὴν, firmans in positu naturali: quòd si vacua coxæ pixis crassis impleatur humoribus, ischii ἐκπαλὲς in pristinam legitimamque sedem reductio, spatii defectu in cassum tentatur. Advertendum porrò labefactatâ per vetustas arthritides, ob caloris paupertatem ab intermissione exercitii, coctrice partium facultate, etiam citra articulorum luxationem, non crus modò sed reliqua etiam arthritica membra tandem macerari ac in atrophiam deduci; siquidem non solum cursus, lucta & celer ambulatio sed ipsa etiam quies affert carnium καταίρεσιν.

Si in arthritide contingat luxatio difficulter sanatur, aut prorsus insanabilis est, membranis scilicet & ligamentis nimis laxatis repositum membrum non firmantibus, & synoviâ coagulatâ intra articulos collectâ repositionem impediente.

Si dolores sensim ingravescentes ad jugulum & superiores partes transeunt, perniciem minantur.

Cùm ex suprà dictis satis pateat inveteratam podagram medicamentis minimè cedere, imò ab importuno illorum usu efferari, ac propterea opprobrium Medicorum etiam consularium injuriosè nuncupari; *Nam quicunque ab arte exigit ea quæ ars præstare non potest, vel à natura apta non est, illius ignorantia desipientiæ assimilis est.* Omnis industria adhibenda est ut dum recens fuerit profligetur, illique protinus occurrendum non tam medicamentorum agmine quàm exactâ diætâ. Primùm autem paroxysmum retundere, dolorem atque tumorem demulcere atque minuere necessarium erit; postea verò imminentes alios antevertere & præcavere.

Pro antevertenda & præcavenda arthritide faciet præcipuè victus ratio exquisita, repudiatis scilicet alimentis crudis, crassioribus, fæculentis, acidis atque difficilis digestionis, imò multis & variis. Quidam carnes damnant veluti nimiùm aptas subministrandis sanguini particulis fermentescibilibus: verùm hæc abstinentia præterquam quòd sufferri vix potest, quis nescit etiam eos qui piscibus & herbis unicè vescuntur, ab arthritide tamen immunes non vivere. Interim tamen inter carnes aut ea quæ ex iis parantur, vitanda quæ nimii sunt alimenti, sicque stomachum gravant, & corruptionem in succis atque excrementorum copiam augent; talia sunt juscula consumpta dicta, ut & ea quæ ex contusis carnibus exprimuntur &c. In specie autem laudatur diæta sudorifera ut & diæta lactea, quæ ultima hodie maximo est in usu apud Gallos, describiturque à Greiselio tractatu peculiari, & à Waldschmidio disputatione lectu dignissima, cui titulus de cura lactis podagricorum solatio. Vinum à pluribus Medicis maximè noxium reputatur, & revera illius abusus non parva damna arthriticis intulit, membrorum scilicet & trunci corporis contractiones aliaque idgenus, at usus sobrius potius juvit quàm nocuit, & ut ipse inquit Tozzi, Novi aliquos non minùs ab aquæ quàm à vini usu crudeliter afflictos podagra, & quod gravius, longè diuturniori, ac pene irresolubili: quin imò crediderim à vino potissimùm albo, non tamen acido & austero, diuresi promota, vel etiam diaphoresi, podagricos & chiragricos in melius abituros. Experiri namque contigit breviores paroxysmos à vino, longiores difficilioresque ab aqua successisse. Quòd si præterea vinum comparetur medicatum, quale est antipodagricum Paracelsi, vel ex melissa, ro-

rosmarino, salvia, betonica aliisque compositum, certiùs proderit. Verùm in his peculiares corporum constitutiones spectandæ sunt, ex quibus conjicere licebit vinum ne potius, aut aqua sit profutura: quamquam mediocritas semper est tutior, & salubrior in utrisque. Atque hactenus de diæta pro paroxysmo præcavendo, nam in ipso paroxysmo vinum omnino vitandum est, nisi ille admodum levis fuerit, aliàs exacerbabitur & contractionis membrorum periculum incurret æger. Alvus etiam lubrica servanda est in ipso paroxysmo, si ita permittant dolores, per clysteres, ex decocto althææ, flor. chamomill. papaver. rhæad. verbasc. paralys. &c. in lacte vaccino recenti, addito pauco electuario lenitivo & melle violaceo, purgantia siquidem omnia per os assumpta currente paroxysmo in plerisque potius nocent quàm juvant. Extra paroxysmum verò vidimus aliquos qui continuatis singulis diebus per annum integrum pilulis modicè purgantibus à podagra immunes fuerunt, sed in quibusdam adnotavimus symptomata inde enascentia multo quàm ipsa podagra periculosiora, & propterea ab ejusmodi medicamentis semper abstinuimus, interim non negamus, purgationes suo tempore, vere scilicet præcipuè & autumno institutas, easque satis validas magni fore emolumenti, dum stomachum evertunt indeque mineræ morbi partem educunt antequam ad artus devehatur, aut cùm ad eos devehi jam parata est. Itaque præterquàm quòd singulis prope mensibus ventriculum & intestina ab onere suo liberare expedict remediis levioribus, ineunte vere atque autumno conducibile erit, in iis qui facilè ferunt, vomitum ciere per remedia antimonialia, quibus scilicet validè succusso stomacho, excitatisque fibris viscerum omnium, abundè exprimitur & egeritur materia peccans arthritidem jam jam paritura, unde aut ipsius prorogabitur insultus, aut admodum minuetur. De exercitatione podagricis necessaria hic jam nihil addimus, quisque enim novit ab ea dum modò vires non superet, invigorari non tantum viscerum & partium corporis musculosarum fibras, sed etiam ipsum sanguinem, & animantes corpus humanum succos varios, sicque humores minus stagnare ac fermentationibus post longam moram inducendis minùs aptos evadere. Remedia alia omnia ventriculi corroborationem unicè respicere debent, de quibus infra ex parte Sydenham &c.

In ipso paroxysmo quidam venæ sectionem celebrant, eamque in pluribus institutam vidimus, at successus promissis atque speratis non semper respondet, nam plerique qui in primis arthritidis insultibus inde bene habuerant continuata ejusdemodi evacuatio fuit noxia, dum scilicet vel morbum in uno aut altero tantùm articulo dolorosum ad omnes in universum aut plerosque saltem extendebat, vel convulsiones quandoque lethales accersebat. Fatemur quidem in plethoricis & opiparè viventibus, si ante insultum neglecta fuerit sanguinis missio, eam ipso ineunte institutam utilem futuram; itaque in hisce omnibus attendendum ad constitutionem & consuetudinem. Alii eodem tempore purgationem suadent, eamque validiorem, nos etiam à quibusdam faustè vidimus usurpatam, at in plerisque morbum auxit quem non facile fuit postea anodynis adhibitis demulcere, imò dolores colicos peperit atroces & pertinaces, propterea ejuscemodi evacuationibus valedicentes, sive per caryocostinum Fuvri, sive per pilulas ex hermodactylis, sive per pulverem arthriticum Paracelsi, sive per arcanum corallinum crollii, sive per essentiam hellebori Hartmanni, aliaque maximè specifica sollicitentur, unicè confugimus ad anodyna, extractum scilicet opii vel syr. papaver. alb. parcâ dosi salibus volatilibus maritatum aquisque appropriatis immistum, revera vidimus hoc medicamentum aliquando soporem quidem conciliasse, quem violabant dolores artuum cum tremoribus atque subsultibus convulsivis, sed hoc tantùm factum est ubi intestina humoribus scatentia, clystere ex decocto mox descripto, aliquatenus non fuissent elata; itaque singulis diebus, ante anodyni exhibitionem clysterem repetebamus. Applicationes quod attinet præter eas de quibus in sequentibus & Willisius, & Tachenius & Sydenham, & Theodorus de Mayerne, item inustionem de qua Then Rhyne, imò inter illas applicationes paucas vidimus proficuas. Commendatur inter alia fotus tepidus urinæ virilis, cui admiscetur vitriolum per radios solares calcinatum: Laudatur etiam immersio partis afflictæ in cumulum tritici, exemplo Sexti Pomponii Hispaniæ citerioris Principis, qui, ut habet Plinius, cùm horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, levatusque siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio usus est. Hic autem monendum, inquit Menjotius, non solùm in diversis individuis, sed etiam in uno eodemque ægrotante innumeras occurrere doloris arthritici rationes, pro diversitate ineffabili salium serosum humorem accendentium & velut aculeis armantium; ac propter variam istam dolorum periodicè recursantium idiosyncrasiam, remedia quæ adversus plures paroxysmos fuere salutaria, postmodùm reddi haud modò inutilia, at interdum quoque malefica. Prædicatur à quibusdam narcoticorum, laudani v. g. fol. hyosciami &c. applicatio, verùm metus est ne dum dolorem reprimunt, motus libertatem in sequentibus impediant articulumque debilitent. Heurnio usui, fuere ranæ vivæ in butyro insulso excoctæ, sicut pariter fotus aquæ spermatis ranarum. Platero nix dicitur aliquibus profuisse ut & acetum frigidum. Reusnerus vult illinendas esse partes dolentes pinguedine herinacei; Nos sæpius cum successu adhibuimus pinguedinem viperarum, item stercus vaccinum recens admisto oleo catellorum & olei tacamahacæ salini guttis aliquot item fotum calidissimum flor. sambuci in aqua fontana, urina, aut lacte incoctorum &c.

In Ischiade si cætera remedia nihil prosint, ex ex documento veterum pars altè inuratur, aut etiam, quod ipse per Chirurgum nostratem aliquando cum fructu vidi peractum, amplâ cucurbitulâ cum multa flamma priùs applicatâ, per medium carnis ab illa elevatæ profundius, scilicet ad periostium usque ferrum acutum adigatur quò ichor illic nidulans dolorumque malignus autor educatur. Nos aliquando cum successu sequens emplastrum adhibuimus.

℞. Picis albæ ℔ i ß. liquefiat in vase terreo, tum affunde aquæ vitæ simplicis, seu spir. vini debilioris ℥ iv. igni lento imposita agitentur continuò bacillo donec consumpta sit prorsus aqua vitæ; quo peracto adde ceræ citrinæ ℥ iv. cinnamomi

momi pulverati, gum. ammoniac. storacis, benzoini & gummi arabici ana ℥ij. semper bacillo aut spatula agitando materias, quibus exquisitè permistis vas ab igne removendum est, contentaque in aliud vas aqua pura plenum sunt projicienda. Frigefacta massa extendatur super alutam satis amplam ut totum femur ab illa contegi possit; ipso verò applicationis momento sinapisetur emplastrum pauco pulvere piperis albi & cantharidum num. vj. Jaceat oportet æger super culcitra prope ignem luculentum, parsque afflicta spiritu vini calidè foveatur manibusque fricetur donec integræ spiritus prædicti ℥viii. sint consumtæ, tumque demum imponatur emplastrum probè calfactum, postquam semel applicatum est non priùs debet amoveri quàm per se excidat, quod post absolutam operationem evenit; æger autem per totum adhæsionis emplastri tempus aëri libero non exponatur. Si una applicatio non fecerit satis ad secundam deveniendum. Alii componunt emplastra ex pice, sulphure & sinapi, aut ex pice, sulphure & oleo lumbricorum: Item cataplasmata ex piperide & nasturtio, ex urtica in cerevisia, aut urina cocta &c.

De Podagræ transplantatione sic scribit Borellus; si catelli cum podagrico recumbant, & ciborum reliquias, ac sputa deglutiant, futurum ut morbum illi contrahant, æger verò convalescat. Sic etiam Helmontius ex Paracelso asserit quòd si sanguis podagrici calens in ovi putamine fotus, cani vel sui in cibum carnibus commistum exhibeatur necessariò ægritudo in canem vel suem transiliet. Verùm de hisce, ut & de cruribus testudinis, ex animali vivo excisis partique dolenti & tumenti applicitis cum maximo emolumento, ut se ipsum vidisse narrat Reinerus Solenander, idem judicium facimus ac de curis omnibus magicis tantopere à Paracelsistis decantatis, scil. potius confictas esse in minùs cautorum deceptionem, quàm in generis humani aliquod emolumentum, interim si quis per imaginationem ab ejuscemodi propositionibus salutariùs agitatam, aut Archei, ut loqui amant, inde enatam oblectationem fructum aliquem perceperit, quem aliis per propriam commendationem & imaginationis aliquod contagium percipiendum tradere valeat, per nos illud omnino licet.

Curationes.

Arthritis seu articulorum dolor est instar matris plures ex se generans natas, specie podagram, chiragram & ischiaticam.

In Arthritide interdum est universalis omnium articulorum dolor cum summa inquietudine; in cæteris particulares dolores externarum partium manuum in Chiragra, pedum in podagra, coxendicis in ischiade.

Horum omnium universalis cura consistit in consumptione vel etiam expulsione tartari in toto corpore humano stabulantis.

Hæc itaque cura unicè instituenda est, nec tamen quovis tempore promiscuè in singulis subjectis, nisi priùs omnia probè fuerint considerata. Itaque hæc cura universalis paroxysmos non tollit, nec leviter etiam affectos extra alia medicamenta curat: oportet igitur, ut aut ante insultus, aut post eosdem (non in paroxysmo) quiescentibus scilicet & in suis matricibus quasi dormientibus, cura instituatur & tartarus resolvatur. Sic nimirùm feliciùs successerint omnia. Ejusdem curæ prophylacticæ simili modo cum lapidibus astacorum in eam formam medicamenti præparatis instituendæ: maximoperè pro corroboratione naturæ succenturiari potest Magisterium perlarum à Riverio Medico Regio olim plurimo cum fructu præparatum & exhibitum hôc modô: Perlas reduc in pulverem impalpabilem, quemadmodùm aliàs redigi solent, (vulgariter margaritæ præparatæ) his in vitro superfunde de succo citri vel de pomis aurantiis recentibus q. s. ut fiat instarpastæ. relinq. aliquandiu postea solve cum aceto, & remoto aceto per inclinationem à fæcibus aliud affunde, donec nempè perlæ ex toto fuerint solutæ. Collectum acetum misce cum tertia parte aquæ fluviatilis, destilla per retortam ex igne arenæ primùm igne lento, post fortiori. Destillatum reaffunde capiti mortuo restanti & vicissim solve, posteà cola per filtrum, evapora admodùm lentè & restabit perlarum Magisterium. Hujus ℈j. ad summum aliquoties jejuno stomacho in vino datus potenter naturam recreat, eamque ut medicamenta antecedentia (arcanum ludi humani & Astacorum) feliciùs operentur, excitat. Multùm ad præcautionem facit cruditates fugere, & si adsint castigare vomitionibus manè si facilè, à prandio si ægrè, vomat.

Quod si verò paroxysmi podagrici vel arthritici soleant recurrere, id quod sæpiùs fit, præsertim ubi vita non usquequaque conformis fuerit, requisitis tales insultus vel impedientibus vel prorsùs rejicientibus, hoc unicè providendum fuerit, ut quotannis statô Æquinoctiorum & Solstitiorum (circa eadem nimirùm fluxiones podagricæ plerumque vigent) corpus benè mundificetur, & in primis ratio victûs, quæ alioquin nuspiam negligenda est, solers & recta instituatur, auferendo tum plethoram; si quæ adsit, tum cacochymiam quamcunque suis idoneis medicamentis. Hæc etiam evacuatio instituti debet in principio morbi, & ubi quædam signa imminentis præsenserit æger. Potus sit vinum melissæ cum rad. Caryophyllatæ infusum in mensa pro haustu primo, aut vinum anti-podagricum Paracelsi.

♃. Rad. caryophyllatæ, acori ℔ ß. fol. majoran. m. iv. flor. sambuc. p. iv. infunde in vini ℔ iij. stent in infusione per 8. dies, sumatur ex hoc manè & vesperi haustus. Cum sale humano misceri, possunt ossa humana calcinata. in cibo galreda ex iisdem in modum galredæ cranii facta. Post mundificatum corpus corroborantia & diaphoretica scilicet peculiaria Solis transparentis extractio, de qua in notis ad Crollium & pilulæ antipodagricæ meæ, quæ descriptæ à Rhenano in tractatu Solis è puteo emergentis cum arcano asari aliquot diebus assumptæ. His omnis podagra, modò non sit nodosa, curari potest. Hoc nimirùm modô paroxysmi rarò vel nunquam recurrent: aut, si insultus à levi errore externo aliquando coincidunt, tam graves nunquam sunt, nec dolores excitant continuos, aut insolentes, quin externis balsamis facilè cedent. Ex numero mundificantium seu purgantium est pulvis arthriticus Paracelsi à Crollio descriptus, ubi in primis notandum, in ejus descriptione pro rasura cranii humani substituenda esse ossa hominis calcinata, juvenis non inhumati, manuum ad chiragram, pedum verò ad podagram

dagram. Ex hoc pulvere natus est pulvis caryocostinus, quem vocant, etiam vulgaribus Medicis usitatus. Ille verò pulvis securè & leniter omnes defluxiones podagricas purgat. Feliciùs id præstat essentia radicis ellebori nigri vulgari modo cum spir. vin. non ad summum correcto extracta. Cujus quotidie cochl. j. manè & vesperi sumatur, donec alvus spontè suâ quater vel sexies tandem fuerit soluta quotidie. Hac nimirum facili, lenique purgatione impuritates, fluxionesque podagricæ satis commodè repurgantur, fortificatur essentia ellebori cum arcano filicis totius. (N. B. arcana hæc nobilia) vel cum arcano asari debitâ proportione, nempè, si admisceantur alterutra cum essentia ellebori. Præstat alioquin hanc eandem essentiam ante consuetum tempus paroxysmorum podagricorum assumere, quemadmodum & pulverem arthriticum, sic nimirùm faciliùs ante invasionem corpus integritate adhuc dum constans ab insequentibus influxionibus liberatur. Idque eò magis, si ad hanc evacuationem temperata victûs ratio accesserit, & vinum majoranatum cum radice caryophyllatæ & floribus sambuci infusum ad victum pro primo potu haustum fuerit. Quidam convenientiùs utuntur decocto ligni sassafras, præmissis his purgationibus, impuritates crassiores, quæ adhuc restare solent, finaliter exterminandæ cum Mercurio laxativo, aut cum sole aut pulvere arthritico sequente.

♃. Hermodactylorum turbith, diagrydii, fol. senæ, ossis manus hominis juvenis violentâ morte perempti calcinatorum si chiragra manuum, si podagra pedum sacchar. candi ana ʒ j. m. f. pulvis. Dosis à ℈ ß. ad ʒ ij. manè ex aqua ivæ arthriticæ per 3. aut 4. dies. Hinc demum ad confortantia, quod est magisterium perlarum Riverii, & ad diaphoretica accedendum, quale est extract. Solis transparens. Prosunt & maximè in his affectibus cauteria.

Qui vomitus ferre possunt & statis temporibus veris & autumni ante imminentes paroxysmos podagricos, aquâ benedictâ utuntur, dosi legitimâ, rarissimè vel etiam nunquam, modò reliqua correspondeant, insultibus podagricis corripiuntur. Hoc itaque modo, cuicunque sanitas curæ est, quilibet è podagricis insultibus tutissimè se præservare potest. In paroxysmis vigentibus & graviter articulos occupantibus, sæpiùs mitigantibus opus est, ea sunt interna & externa. Inter interna omnibus modis superat & excellit laudanum opiatum suis proprietatibus maximè vigens (vide Quercetanum in responso ad Aubertum) dolores nimirùm sistit, placidum somnum inducit, fluxionibus frenum injicit, fervores consumit & delassatos spiritus roborat. In aliis qualibuscunque vulgaribus Medicinis haud iisdem viribus pollentibus, frustrà sperandum est aliquid. Externa sunt. 1. Balsamus podagricus primus & secundus apud Crollium, quibus succenturiari potest unguentum anodynum, quod est apud eundem. 2. Est spiritus salis armoniaci qui fit h. m.

♃. Ammon. sublim. misce pulverisatum cum 4. partibus cinerum & destilla per alembicum ex arena prodit spir. ammon. qui æqualibus partibus cum sp. vini mixtus & plumaceolo loco dolenti (aliquoties, bis terve) illitus confestim dolores restinguit. Nonnulli aliquid camphoræ adjiciunt, ut prius solvatur in iisdem, postea ad illinendum utuntur. Hujus mirabilem usum sæpè deprehendi. 3. Est aqua antipodagrica Rulandi.

♃. Florum chamomillæ, meliloti ana m. j. Mercur. sublimati ℈ ij. coque in aqua simplici. Hujus aquæ colatæ æqualem portionem m. cum ℔ iv. aq. mortuæ quæ est aqua fortis, quâ usi sunt aurifabri in separationibus, aq. fortis recentis ℥ ij. succi seu decocti myrtillorum (℥ ij.) q. s. ad colorationem. Utere ceu patet ex curationibus (durat aliquot annos aq. mortua.) 4. aqua Antipodagriça, quæ.

♃. Spermatis ranarum mense Martio collecti circa novilunium ℔ iij. adde stercoris bubuli recentis ℔. totidem M. diligenter & relinque per diem unum, postea, destilla & serva, Calidiusculè membris affectis applica. Confestim sedat dolores. Feliciùs operabitur, si addetur aliquid spir. vitrioli aut stercus vaccæ cum mellis ʒ ij. Cataplasmatis loco imponatur, præsertim in podagra frigida. 5. Oleum petroleum, in quo radices ellebori incoxerint, præsentissimum est in doloribus podagricis sine rubore & vehementi tumore (alii vocant podagram à causa frigida) subitò sistendis. Ubi induciæ factæ sunt cum morbo, si ita necessitas exigit, purgantia tandem commodiùs (vomitus hîc non est necessarius) locum habere possunt, qualia fuerunt supra; præsertim, si pulvere specifico arthritico utendum sit, is per aliquot dies justâ dosi (ʒß.) in brodio vel etiam aqua ivæ sumptus impuritates tartareas mobiles, causantesque paroxysmos è corpore educit. Sæpè vidi in hoc casu pilulas antimoniales per secessum solùm purgantes, semel duntaxat sumptas multùm profuisse. Ejusdem facultatis est arcanum corallinum per Crollium descriptum. Omnibus his præstat specificum purgans Paracelsi, si sæpiùs urgente necessitate, crassiores adhuc in corporis habitu particulæ residuæ fuerint, eæ deinceps mundificantibus, si vires & facultates patiuntur, expellendæ sunt. Insuper etiam ad diaphoretica descendendum. Diaphoretica suprà proprio titulo proposuimus. Sunt nimirùm in eo genere specifica, tum tinctura antimonii, tum pilulæ antimoniales podagricæ: Descriptionem vide in libello Rhenani Solis è puteo emergentis tractatu postremo p. 18. & 19. Tincturæ præparatio hæc est:

♃. Mineræ antimonii ℔ iij. iv. v. (minera Hungarica præstat) in defectu mineræ antim. crudum locum supplere potest, tere minutissimè superfunde aquam calcis vivæ per simplicem infusionem (aq. ℔ xv. Calcis ℔ vj.) à calce viva colando (aliquoties aqua infundatur calci, donec subsidet) defæcatam delinque (in alembicum lati fundi) insolando & aliquoties quotidie movendo donec nempè spondilia & superficies aquæ rubere incipiat; quanquam rubedo nulla apparet, & tamen satis tincturæ extractum est, si per 6. vel 7. dies infusio fiat. Habebis autem signum extractionis (extractio tantisper fiat, donec nihil sit residuum) si in particulam istius infusi seorsim in vitrum peculiare transfusam guttas aliquot aceti injeceris, repentè nimirùm immutabitur aq. (nihil aliud est quàm antimonii sulphur,) & tinctura antimon. in colorem corticum mali aurantii præcipitabitur (in mixturam simplicem infusum præcipitabitur in colorem albicantem propter spiritum vitrioli) extractionem trajice per filtrum & leniter ebulliendo in catillo reduc in pulverem rubeum, quem extrahe cum sp. v. non usquequaque forti (Alchol non extrahit) ad flavedinem

(instar

(instar extracti Solis) & filtrando decanta. Ante usum move (pulvisculus nimirùm semper ad fundum præcipitabitur) dos. gr. v. vi. viii. x. ad summam spirit. vini hac tinctura antimonii impregnatus aliquoties (septies) per cohobia ex alembico destillatur, deinde ex retorta vitrea in aren. datis ignis gradibus, vel etiam ig. suppressionis pellitur, & prodibit in forma rubicundissima oleum antimonii dulce cum striis splendidissimis. Postea verò spiritus vini leni B. evocatur, remanet in fundo tinctura antimonii rubicundissima (confortativum summum) dos. gr. j. ij. iij. ad summum. Vide Ragerium Bacchonium de oleo antimonii dulci.

Tinctura porrò antimonii (appositâ candelâ lucet noctu instar carbunculi) vel dicto modo saltem leniter extracta, vel deinceps per multa cohobia cum sp. vin. in nobilissimam essentiam exaltata, contracturam ex podagra in articulis externis causatam feliciter curat, si observandis ad legitimam nempè diætam pertinentibus & corpus mundificantibus (N. B. in hoc casu pilulæ antimon. per secessum tantùm purgantes maximè commendabiles sunt) quotidie vel alternis diebus gut. 5. vel 8. de tinctura simplici, sed gut. 1. de tinctura exaltata in diaphoretico in peracutis vel mixtura seu in aurora exhibeantur, & sudor vel in lecto vel in laconico provocetur (id quod in declinatione contracturæ cum spir. vini tandem fecisse expedit) & contractura nulla resistit arthritica.

Ad externam curam podagræ tophaceæ, sed non admodùm inveteratæ, præmissis præmittendis alioquin ad podagræ tum diæteticam tum therapeuticam pertinentibus, de quibus hactenùs, externa auxilia accersenda sunt, quæ nempè duros istos nodos tanquam morbos compositionis ab internis medicamentis difficulter resolubiles penetratione suâ resolvant, & quod in articulis heterogeneum est, eliminent. Ubi igitur nodositates admodùm inveteratæ non fuerint, unicè hoc emplastrum commendatur, quod præter sedationem dolorum etiam ex articulis tophaceam materiam seu sulphur coagulatum cute leniter aperta resolvendo extrahit. Emplastrum tale est.

℞. Vitrioli Romani seu Hungar. aluminis rochæ ana ℔ß. salis ℥iv. Hæc omnia conjunctim calcina in catino terreo evaporando saltem, donec spiritus etiam exhalare inceperint, quibus odore perceptis statim subsiste à calcinatione & refrigescant omnia, pulverisentur. Hujus & pulveris ex farina hordei.

℞. Ana q. pl. misce cum fæcibus vini adinstar pultis, quam super laciniam more solitô ad spissitudinem cultri extensam applica ad locum affectum & relinque. Exsiccatum denuò cum fæcibus vini distempera, & apponendo sic perge, donec primùm dolor omnis consumptus, postea etiam ex articulis ipsis contortis omnes tophi absumpti fuerint: Interim fit sæpè, ut simul cutis, præsertim ubi verrucæ & scrophulæ in articulis apparuerint, hoc modo aperiatur, id quod formidandum non fuerit. Vel nimirum spontè suâ postea ulcera coeunt, vel cerâ saltem emplastri locô superimpositâ vicissim consolidantur, ipsis articulis denuò mobilibus & agilibus redditis. Quod si denique nimis inveterata podagra seu prorsus nodosa & tophacea fuerit, ab illa quidem externa cura dolorum mitigatio speranda est, sed tamen ipsi tophi vix cedunt, nisi Chirurgia accedat potentior. Tunc igitur hôc modô procedendum fuerit.

℞. Mercur. sublim. arsen. albi ana q. pl. m. cum aq. forti & fiat in modum pultis, deinde appositô priùs emplastrô Basiliconis majoris (vel alio defensivo, vel etiam sparadrappâ) ad locum affectum foraminatô, foramini de pulte præscripta instar lentis impone, & statim aliam particulam emplastri prædicti desuper, ac relinque aliquandiu, donec cutis benè aperta sit, ac nonnihil tumoris, ac exinde eschara accesserit. Hanc cum butyro vel oleo rosaceo emolliendo remove & attractivum appone specificum, quod omnes tophos coagulatos in aquas resolvit & extrahit, etiam aliquando spontè casuras instar calcis ad parietes incrustatos; cessantibus postea fluxibus locus vicissim est consolidantibus & epuloticis vulgaribus. Attractivum emplastrum tale est.

℞. Lithargyri, lapidis calaminaris, succini, magnetis ana ℥ij. pulverisata omnia tenuiter coque in olei lini ℔ i ß. ceræ ℔ j. terebinth. ℔ß. vernicis ℥iv. coque inquam, aliquandiu, donec inspissentur, adde postea gummata sequentia vulgari modo in acet. soluta & colata vicissimque opopanacis, serapini, galbani, bdelli, ammoniaci ana ℥iß. ebulliant leniter in fine adde de pulveribus mastichis, thuris, myrrhæ, aloës hepaticæ ana ℥j. diligenter move spatulâ, tandem malaxando in magdaleones redige, prædictoque usui serva. His modis infelix podagra prosperè & facilè curari potest; modò omnia prudenter & legitimè fiant. In externa cura tophorum sæpiùs mundificantia doloresque mitigantia sunt usurpanda, insuper sudores à superioribus diaphoreticis provocandi. Et hæc est genuina illa cura, quæ 14. ægros nobiles & ignobiles nullo alio remedio adhibito me curasse affirmare certò certiùs possum.

Articulorum dolor varias in se species includit, Podagram, gonogram, chiragram, homoplatæ dolorem, & ischiaticum, arthritidem item propriè dictam, quæ omnes simplicem scopum habent, symptomatis scilicet mitigationem & causæ ablationem. Usitatissima sunt Podagra & Chiragra, in quarum curatione unicè providendum, corpus semper mundum sit, & victûs ratio observetur exacta, quotannis stato tempore Æquinoctiorum & Solstitiorum, ubi fluxiones arthriticæ plerumque fiunt, corpus benè mundificetur auferendo tum plethoram, si quæ adsit, tum cacochymiam quamcunque suis medicamentis idoneis. Imò hæc ipsa evacuatio institui potest & debet quoque in principio mali, & ubi signa quædam imminentis præsenserit æger. In primis extractum asari & essentia ellebori nigri facta secundùm artem atque ad consistentiam mellis seu pilularum redacta. Electuarium item caryocostinum apud Bauderonium, quæ semper ante consuetum podagricorum tempus, ac in primis circa dicta assumi debent aliquot vicibus quater aut quinquies semper observatâ victûs ratione.

Pro potu sit vinum melissæ cum rad. cariophillatæ infusum in mensa pro haustu primo parcè tantùm sumptum. Aut vinum Paracelsi antipodagricum de quo suprà de arthritide. Cum sale mensali misceri possunt ossa humana calcinata in cibis. Hinc statim ad confortantia & diuretica accedendum. Inter confortantia principale est

Magi-

Magisterium perlarum Riverii Regis Galliæ Medici, de quo suprà. Maximè quoque in his affectibus prosunt Cauteria seu Fontanellæ: Ad præcautionem prodest fugere cruditates, quæ si fiant, castigandæ vomitionibus, manè, si facilè vomat, sin minùs longè à prandio. Nodosa modo non fuerit Podagra, his medicamentis curari potest. Nodosa verò præter hæc requirit etiam curam externam, de qua posteà. Dolor seu Paroxysmus si adsit, dictis medicamentis non est fatigandus æger, sed quies imperanda, dolor mitigandus, & ne ad partem affectam affluat materia, præcavendum. Dolor igitur intra corpus exhito laudano sedetur, præmisso tamen clystere. Si adsit magna plethora, vena secetur: restringentia paulò altiùs à loco affecto versùs partem internam adhibeantur, ut pulvis adstrictivus aceto & albumine ovorum exceptus, vel aqua adstringente, ut Myrtillorum, centinodii, glandularum quercûs vel cataplasmatis ex fructibus acerbis, cotoneis, herbis, pyris, prunis, inprimis sylvestribus, sorbis, quibus addi potest farina lentium, cum pulvere balaustiæ, gallarum, rosarum, bistortæ: aut tantùm applicetur Bolus armenus cum lacte & pulvere radicis bistortæ ad formam cataplasmatis.

Supra partem affectam refrænantia & dolorem sedantia imponenda. Communiter nec sine fructu fit cataplasma è mica panis albi, verbi gratiâ ℔ j. temperetur lacte super ignem lentum, ne bulliat, contunditur & reducitur ad formam cataplasmatis addendo vitellorum ovorum ℔ ij. croci parùm, calidè applicetur. Alii tantùm in lacte tepido panem macerant paulisper & applicant de 5. in 5. horam renovando. Nos hactenùs habuimus in usu carnem bubulam, cujus frustum crudum sine pinguedine parti dolenti superligavimus, idque manè & vesperi mutavimus, atque ita feliciter dolorem sedavimus.

Balsamus Podagricus.

℞. Vitrioli ad flavedinem calcinati ℔ ij. mellis ℔ j. silicum calcinatorum ℔ ß. destilletur spirit. igne ab initio lento per alembicum in cineribus (nam facilè ebulliunt) posteà fortiori. Ab hoc spiritu auferatur phlegma, eum destillando ad tertias usque, quæ in cucurbita restitant, misce cum mastiche, olibano, myrrha, axungia humana, gumm. ammoniaco, opopanace, bdellio ana ℥ ij. destillentur adhuc per retortam, cum destillato misce æquales partes spiritus vini atque ad usus serva. Non quoque inutile erit in hoc affectu vel totum spiritum salis cum aqua fontana temperatum tepidè adhibere, cum laciniis duplicatis, ut & oleum tartari per deliquium ex sale factum. Tophaceam podagram præter ordinariam curam requirere externa, vide annotata mea in Crollium, quæ huc transfer. *Joann. Hartmann. Practic. Chymiatric.*

Methodus therapeutica tres primarias indicationes suggerit, quarum prima curatoria tantùm in paroxismis ad dolores sedandos, aut citiùs finiendos adhibetur; 2. Præservatoria accessionum intervallis destinata, morbi procatarsin (propterea ut dolorum insultus rariùs, aut mitiùs, aut non omninò repetant) tollendam molitur. 3. Vitalis instituit, quo victûs genere, & quibus remediis vires inter diros cruciatus sustentari; atque vita, non obstantibus morbi crebris, aut continuis feré molestiis, prolongari, simulque refocillari possit.

1. Prima indicatio, nempè dolorum sedatio, duas hasce præcipuas intentiones continet; nempè, ut solutio continui auferatur; ac interea ut fibrarum, sive spirituum in iis scatentium irritatio, sive excandescentia compescatur.

2. Ad tollendam in locis affectis unitatis solutionem, & humorum, qui illuc tendere apti sunt, fluxiones inhiberi, atque minera jamjam impacta discuti, ac dissipari, ejusque particulæ à mutuis effervescentiis supprimi debent. In hos fines remedia evacuantia, & alterantia, ac utraque tum interna, tum externa destinantur. Horum formulas, & administrationum modos quosdam selectiores ordine subjiciemus.

Phlebotomia arthritide recenti, aut non multum inveteratâ, & præsertim in constitutione calidiori, circa morbi initium celebrata, sæpè juvamen confert; verùm in morbo habituali, necnon temperamento frigido, ac ætate senili, plus obesse quàm prodesse solet; quatenùs sanguinis & spirituum haud nimis efferatorum vigorem deprimit, absque materiæ morbificæ diminutione.

De purgatione circa morbi initia, res valdè controvertitur, dum Medici quidam à catharsi omni ante paroxysmi declinationem, aut finem, religiosè abstinent; aliique è contra circa morbi initia purgantia fortiora constanter exhibent, & non rarò cum bono successu. Discriminis ratio potissimùm in hoc consita videtur, nempè quod arthriticis quibusdam humorum ac vasorum continentium constitutione, & tono adhuc firmis, atque articulis nondum debilitatis, quoties sanguis & liquor nerveus à pharmacia perturbantur, haud statim superfluitates eorum & recrementa in morbi mineram præcipitantur; quin ea medicamento irritanti, simulque incitanti obsequentia, ex arteriarum osculis in cavitates intestinorum emulgentur; ac interim vasa inanita materiæ morbificæ partem quandam retrahunt, aut tres resorbent: Secùs autem, in constitutionibus teneris, & debilitatis, à levissima medicamenti commotione, utriusque humoris purgamenta in locum arthriticum decidunt. Quibus itaque purgatio convenit cum medicamento fortiori, & elaterio institui debet. In hanc rem vulgò celebria sunt. Electuarium Caryocostinum, syrupus de Rhamno carthartico, pulv. hermodact. compos. pilul. ex duobus, pil. rhasis; quæ si authori credendum sit, incedere non valentes mox pedibus inambulare faciunt.

℞. Aloës opt. ℥ß. rosar. rubr. ℈ ij. hermodact. de cort. ℨiß. diagridic. ℨj. mell. rosac. q. s. f. pil. Rodericus à Fonseca mirè prædicat. rad. helleb. nigr. & inter alia, pomum cum fibris ejus infixis ad ℨß. sub cineribus coctum & comestum.

℞. Calomelanos ℈j. resinæ jalapii gr. iij. vel scammonii gr. iij. olei cariophyl. gut. j. balsam. Peruvian. q. s. f. pil. iij. vel iv. pro una dosi. Inter purgandum, alicujus forsan momenti erit, quod præcipit Solenander; scilicet emplastro, aliove medicamento defensivo supra loca affecta imposito, humorum in eo decubitus inhibere. Vomitio quibus tuta solet esse, ac facilis, etiam in hoc morbo convenit: ob quem finem tartarus emeticus mynsichti, sulphur. antimonii, flores ejus, Mercurius vitæ, vinum emeticum, gutta gamba adhiberi possunt.

Cæterùm in paroxysmo arthritico prosunt lapidum, ossium, & testaceorum, necnon vegetabilium acrium pulveres; quæ hujus morbi alexiteria

dicta

dicta, particulas quasque subjugant, cumque iis effervescendo quasi mortificant; & demum subjugatas, per urinam aut sudores foràs eliminant.

℞. Pulv. è chelis compos. ʒij. eboris rad. dictamni cret. rad. pœon. maris, ana ʒj. ligni aloës, santal. citrini, ana ʒß. f. pulv. sumatur ʒß. ad ʒj. aut per se in cochlear. aq. papav. rhœad. superbibendo ejusdem coch. vj. vel redigatur in bolum, aut pilulas cum theriac. Androm. aut terebinth. venet. q. s. dosis ʒj. bis in die, superbibendo aquæ destill. infrà præscriptæ ℥ij. vel iij.

Vel ℞. ejusdem pulv. ʒvj. conserv. flor. tunicæ, betonicæ ana ℥ i ß. diascordii ʒij. syrupi de Meconio q. s. f. electuarium, dosis ʒj. ad ʒ ij. vesperi, & manè. Interea dum hæc aguntur, ad materiam morbificam in loca affecta effluxuram aliò devocandam, aut foràs eliminandam, insuper medicamenta alterantia, & placantia, quæ sanguinis & succi nervei turgescentias sedant, & recrementorum ab iis deciduorum, fluxiones sistunt, vices suas habeant; propter hunc finem victu tenui, ac hydroposia (si convenit) institutis, emulsiones, julapia, apozemata ex blandis, & anodynis præscribantur.

Quod spectat ad cæteros medendi scopos, viz. mineræ impactæ discussionem, & fibrarum ac spirituum excandescentias leniendas; posteriori huic primò incumbendum erit, sine qua peracta intentione alteri minimè satisfiet: In hunc finem igitur remedia, tum externa, scilicet topica varii generis, tum interna, scilicet hypnotica adhibere expendit. Cùm sit immensa topicorum sylva, ea vel tantùm anodyna dolorem per se respiciunt; vel ad hunc simul, & tumorem collimantia, aut sunt repellentia, vel resolventia, & discutientia: Horum cujusque generis variæ sunt formulæ & administrationum modi: præcipui tamen usus solent esse fotus, cataplasmata & emplastra; ex his quædam maximè celebria subdemus; & primò applicationes anodynas, quæ mulcimine quodam fibras, leniunt, & spiritus compescunt. Propter hunc usum, cataplasma ex lacte & mica panis, vel ex iis cum muccagine foliorum, & rad. malvæ, & althææ, & similium, ubique apud vulgus in praxi communissima est. Alii laudant cataplasma ex stercore vaccino recenti calidè applicatum.

℞. Aq. solani, spermatis ranarum ana ℥vj. sacchari saturni ʒj. misce; lintea huic intincta calidè applicentur.

℞. Minii ℥iij. aceti destill. ℔ ij. digerantur per plures dies; aut liquor hic per se, aut aqua per destillationem avocata pro fotu usurpetur. Item aqua destillata, à tinctura viridis æris in aceto destillato facta, sæpè dolores sedat.

Accepi à generoso podagræ graviori sæpè obnoxio, se interdum istius morbi cruciatus, præsentaneum semper levamen habuisse, à fotu cum aqua stillatitia è contentis stomachi bovini recens mactati.

Ad extremos podagræ cruciatus narcotica externa nonnunquam adhiberi debent.

℞. Folior. Hyosciami cicutæ ana m. iij. indantur aquæ ebullienti, & quamprimùm tenerescunt, eximantur, quibus contusis adde pulv. flor. chamomeli circa ʒij. vitellum unius ovi, f. cataplasma.

Vel ℞. Tinctur. croci in spiritu vini facti ℥iv. Camphoræ, opii, ana ʒj. digerantur clausè, & calidè ad dissolutionem; pars dolens hoc liquore illinatur. Hujus farinæ medicamenta alia innumera passim in libris Medicis prostant, & ubique trivio, à quibusvis ferè è plebe hominibus præscribi solent; quæ insuper alteri intentioni, nempè humorum repercussioni (si quando indicari videbitur) explendæ sufficiant.

Quod spectat ad topica resolventia, & discutientia, non ejusmodi requiruntur, quæ tantùm poros aperiunt, ut serum evaporet, & sanguis circulationi reddatur, prout in phlegmone aut œdemamate; attamen quorum particulæ salinæ istis mineræ arthriticæ salinis oppugnandis destinatæ, eas aut amplectendo foràs educant, aut præcipitando ab effervescentiis dolorificis supprimant. Quamobrem in hoc morbo cùm fotus aut cataplasmata ex chamomelo, malva, althæa, sem. lini, & fœnigræc. parùm aut nihil juraminis præbent, immò partes nerveas relaxando sæpè multùm officiunt; salis armoniaci aut marini, nitri, vitrioli, calcis vivæ, & similium dissolutiones, aut liquores stillatitii, in aliis tumoribus aut doloribus semper infesti, maximi emolumenti esse solent. Hujusmodi liquores in paroxysmis arthriticis, parti dolenti applicandi, à Quercetano, Crollio, Hartmanno aliisque chymicis varii præscribuntur; quos cum Medici alii celebres, sæpiùs experti comprobarunt, eos ob rationem prædictam juvamen conferre concludimus. Non opus erit horum formulas repetere, cum possim plures alias ejusdem farinæ præparationes suggerere; libet tantùm hîc unam aut alteram adjicere.

℞. Salis tartari & armoniaci pulv. ana ℥ij. dissolv. in aq. pluvia vel font. ℔ iv. usurpetur tepidè cum pannis lineis intinctis.

℞. Spiritus vitrioli non rectificati ℔ j. salis marini calcinati & pulv. ℔ j. misce, & destilla in retorta vitrea calore arenæ; prodibit purus ferè putus spiritus salis, qui nempè ædibus suis per stigma vitriolicum expulsus, illique possessionem relinquens, facilè ascendit: Capiti mortuo affunde spiritus vini ℔ ij. digerè clausè & calidè addendo camphoræ ʒ ij. applicetur tepidè cum pannis linteis parti dolenti.

℞. Limaturæ ferri, flor. salis armoniaci ana ℥vj. misce simul terendo; destilletur in retorta vitrea, donec flores sublimantur; capiti mortuo trito affunde spiritum vini, digeras, & serves pro usu.

Audivi quosdam ad dolores podagricos sedandos, pedem affectum sacculo, sale marino calcinato, & pulverisato impleto, includere, à quo levamen usque certum ac citum expectant.

In paroxysmi declinatione ad partem corroborandam, atque materiæ morbificæ reliquias discutiendas, emplastra utiliter adhibentur; quæ tamen non omnia indifferenter omnibus, verùm his magis, illis minùs calida conveniunt: Plerisque autem maximè efficacia esse solent, ea quibus minium, litargyrus, mercurius aliaque mineralia, aut salina insunt. Nobis præcipuè in usu est emplastrum ex minio, cerussa & sapone, cum oleo coctis, vel quod

℞. Emplastri de minio p. ij. Paracelsi part. j. misce, & extende super alutam. Remedia interna ad dolores arthriticos usurpanda ferè tantùm sunt narcotica, quæ in diris & diuturnis cruciatibus exhiberi debent. Ex his maximè commendamus opii cum sale tartari, aut tinctura ejus præparationes.

Porrò in hunc usum Laudanum Paracelsi, aut Londinense, pilulæ de styrace, de Cynoglosso, syrupus de Meconio, theriaca Androm. & diascordium emolumento esse solent.

Secunda indicatio præservatoria dicta, Arthritidis causas procatarcticas tollendas respicit, propterea ut dolorum paroxysmi rariùs ac minùs, aut non omninò infestent: In hunc finem remedia evacuantia, alterantia, & corroborantia, unà cum exacta victûs ratione, extra paroxysmos adhibenda præscribuntur.

Primò igitur Arthritici, vere, & autumno solenniter purgari debent; atque vomitionem, si nihil contra indicat, tunc celebrari, & postea interdum ex intervallis repeti expediet. Stomacho & præcordiis firmioribus præditi emetica mineralia ex antimonii aut mercurii præparatis sumant. Qui constitutionis tenerioris sunt, post pastum ex cibis lubricis, vinum scilliticum, aut salem vitrioli cum sero lactis capiant, dein stomacho aquâ tepidâ, aut liquore posletico simplici, aut cum foliis cardui incoctis, impleto, vomitio bis, vel ter aut sæpiùs provocetur, Pro catharsi crebrâ etiam vice cum interstitiis idoneis celebranda purgantium formulæ superiùs præscriptæ satis conveniunt.

♃. Fibrar. hellebor. nigri mundat. ℥j. lign. aloës, cariophyllor. ana ʒ ij. contusis affunde spiritûs vini non rectificati ℔ ij. digerantur clausè & calidè, per plures dies, dosis cochl. ij. manè bis, vel ter in septimana: & vomitio, & purgatio semper ante Æquinoctia incipiantur, ne fortè paroxysmus, priùs contingens, medicinæ cursum prævertat.

Phlebotomia aut vasorum hæmorrhoidalium apertio Arthriticis, temperamento calido, & sanguine acriori præditis, nonnunquam vere, aut autumno conveniunt. Cauteria in brachiis, & juxta homoplatas excitata, quibusque ferè huic morbo obnoxiis utilia sunt.

Præterea tamen, medicamenta alterantia, à veteribus Arthritidis antidota dicta, egregii sunt usus, & longo tempore unà cum exacto circa sex non naturalia regimine assumpta, juvamen sæpè magnum præstant, in hoc sensu medicamenta sale volatili, ac sulphure balsamico prædita, quatenùs nempè hæc salem fixum exaltant, illaque acetosum reducunt, præcipua habentur; insuper amara & adstringentia; uti herbæ; chamædrys, chamæpitis, centaurium, rad. gentianæ, & aristolochiæ, &c. (siquidem experientia duce in hoc morbo comprobantur) hac ratione utilia esse videntur; quod pepseos, & chylificationis munia adjuvant, atque fæculentias salino fixas, ne in sanguinem ferantur, cohibent. Cujusque horum formulas quasdam subdemus.

♃. Pul. chamæpityos ʒ vj. oculorum cancri ʒ ij. terebinth. Venet. q. s. f. pil. exiguæ sumantur iij. vel iv. vesperi & manè per 30. aut 40. dies, superbibendo aq. destill. sequentis ℥ij. vel ℥iij.

♃. Folior. cupress. abietis, visci pomorum ana m. vj. rad. cariophyllatæ, bardanæ, ana ℔ j. cort. exteriores 10. aurant. & 6. limonum, nucis mosch. maceris ana ℥j. contusis & conscissis, omnibus affunde lactis recentis ℔ vij. vini malagani ℔ j. destillentur s. a liquor totus misceatur. Vel paretur aq. folior. bardanæ simplex, bis vel ter cohobando super folia recentia.

♃. Pul. semin. bardanæ ʒvj. ocul. cancri ℥ ij. nucis moschatæ ʒß. balsami capiccii q. s. f. massa, quæ formetur in pil. exiguas, sumantur iv. vesperi, & manè per plures dies.

♃. Tinctur. antimonii ℥j. dosis gutt. 20. ad 25. vesperi & primo mane, cum ℥iij. ac modò descripta. Pauperibus præscribere soleo ad hunc modum.

♃. Pul. folior. salviæ ℔ß. ocul. cancri, sacchar. crystall. ana ℥ ij. misce; servetur in vitro, sumantur cochl. j. bis in die cum haustu decoct. foliorum salviæ, vel rad. bardanæ. Vel pul. Dornorelli præscribatur eodem modo sumendus.

♃. Pulv. folior. chamædryos, ivæ arthriticæ, centaurii minoris, majoranæ, salviæ, betonicæ, rad. gentianæ, aristolochiæ rotund. ana ℥j. sacchar. ℔ j. misce f. pulvis. Vel pulvis Joannis Anglici, ab ipso Sarracenius appellatus.

♃. Pulv. folior. chamæpityos ℥j. ossium humani pedis combust. ℥ ij. liquirit ℥iij. misce.

Pro potu ordinario paretur Bochetum ex sarsapar. santal. lign. Rhod. rasur. eboris, C. C. &c. vel paretur alla tenuis pro doliolo iv. congiorum capaci; cui vice lupulorum incoquantur folia chamædrios & chamæpityos; & post fermentationem indantur foliorum salviæ siccatæ m. iv. sassafras ℥ ij. rad. cariophyllatæ ℥ viii. Inter alterantia locum non infimum vindicat diæta ex lacte; nempè, ut Patiens per tres aut quatuor menses nullo alio alimento utatur: manè, & vesperi, lac recens emulctum bibat; circa meridiem, & aliis temporibus comedat cum pane albo; hordeo, aut farina avenacea, coctum: Novi quosdam ab hoc victûs genere, insigne juvamen accepisse; alios verò à lactis usu multo deterius habuisse, & Arthritide nullatenùs curatâ, viscerum obstructiones magnas, & cacochymiam contraxisse. Itaque methodus ista, sine prudentis Medici consilio & observatione sedula, utrum conveniat necne, haud temerè ineatur. Non ita pridem mox vulgò inoleverat, ut Arthritici uno quoque mane urinam propriam biberent; quod nonnullis commodo fuisse memini. Cujus juvaminis ratio videtur esse, quod urinæ latex salinus, sanguinem denuò pertransiens, particulas salino-fixas priùs in articulos deferri solitas, Arthriticum sublevat, plerumque Nephriticum auget. *Thom. Willis de Arthritide.*

Arthritidis curationem quod spectat; (ut primò quæ sunt omittenda subinnuam) licèt, si humores respiciamus atque indigestionem unde isti trahunt originem, primâ fronte videri possit indicationes curativas imprimis ad humores jam factos evacuandos, dein ad coctiones roborandas, (unde aliorum humorum succrescentium aggestio possit præcaveri) collimare debere, quandoquidem hæ sunt Indicationes magis generales quibus in plerisque aliis morbis humoralibus satisfaciendum est: in Podagra nihilominùs naturæ quasi prærogativa est materiam peccantem suo modo exterminare, & in articulos deponere, per insensilem transpirationem difflandam. Namque haud plures tribus proponuntur modi, quibus causam Podagræ continentem ejicere valeamus; venæ sectio scilicet catharsis, ac diaphoresis per sudorem: nulla verò ex his methodus scopum attinget unquam.

Imprimis venæ-sectio, quantumvis magna polliceatur, tum in humoribus, qui in procinctu stant & quasi descensum meditantes, tum in istis qui jam-

jam Articulos obsiderunt, evacuandis; manifestò tamen pugnat cum indicatione illa quam causa Antecedens, quæ est Indigestio à spirituum (quos sanguinis detractio magis imminuit opprimitque) depravatione ac defectu orta, sibi vendicat. Non est itaque adhibenda Phlebotomia, vel ad præcavendum Paroxysmum qui timetur, vel ad istum qui jam adest mitigandum, in iis nempè qui ætate jam sunt provectiores. Quamvis enim qui educitur sanguis Pleuriticorum & Rheumatismo laborantium sanguinem ut plurimùm referat, attamen venæ sectio haud minùs insigniter in hoc morbo officere ægro, quàm in duobus prædictis prodesse cernitur. Etenim si sanguis in intermissione, quantumlibet diu post Paroxysmum, fuerit extractus, periculum est nè à sanguinis & humorum agitatione novus succrescat Paroxysmus, qui & priore diuturnior futurus est & symptomatis enormioribus stipandus, sanguinis rubore & vigore, quibus adjutoribus morbi fomitem strenuè ac constanter excutere debuerat, exinde retusis. Atque hoc incommodi toties etiam accersitur, quoties ineunte Paroxysmo vena pertunditur. Si mox à Paroxysmo feriatur vena, ingens periculum est nè natura, dum sanguis adhuc languidior est & nondum pristinas vires à morbo succisas redintegraverit, ejusmodi vulnere importunè inflicto usque adeo infirmetur & succumbat, ut Hydropi aditus aperiatur. Veruntamen si æger adhuc juvenis fuerit & ab immodica potatione excalefactus, sanguis, initio Paroxysmi potest detrahi; sin autem in Paroxysmis subsequentibus Phlebotomiâ jugiter utatur, Podagra quàm citissimè etiam in juvene inveterascet, & intra paucos annos latiùs imperium seu potiùs tyrannidem propagabit, quàm aliàs in multis extendere valuisset. Deinde, Catharsin quod attinet, sive ἄνω sive κάτω, animadvertendum est, quod cùm naturæ lex sit inviolabilis atque ipsi hujusce morbi essentiæ intertexta innexaque morbi fomitem semper in Articulos rejici debere; nihil prorsùs aliud præstabunt Remedia, sive Emetica, sive Cathartica propriè dicta, nisi ut materia peccans, quam natura in corporis extremitates protruserat, in sanguinis massam denuò revocetur; unde accidit ut quæ in Articulos eliminari debuerat, in aliquod è visceribus fortè irruat, atque ita æger, qui in nullo priùs discrimine versabatur, jam de vita periclitetur. Quod iis fatale esse haud rarò observatur, qui medicamentis purgantibus, vel ad Podagram præcavendam, vel (quod adhuc pejus est) ad leniendum Paroxysmum assueverant. Etenim cùm natura à methodo sibi familiari exturbata fuerit, quâ, utpote securissimâ optimâque, materiam morbificam in articulos ablegat, dum humores intrò versùs intestina sollicitentur, loco doloris in juncturis, quem vel nullum habent vel certè perexiguum, ventriculi ægritudine, alvi torminibus, lipothymiâ, & longo Anomalorum symptomatum agmine miseri quasi enecantur. Ego certè persuasissimus sum, à jugi & sæpè iterata experientia edoctus, Catharsin omnem tam per lenientia, quàm per fortiora medicamenta, qualia pro more Articulis expurgandis destinantur, plurimùm nocere; sive in Paroxysmo ad minuendam materiam peccantem, sive in fine ad dissipandas morbi reliquias, sive in perfecta intermissione & recta valetudine, ut venturo Paroxysmo occurratur, Purgatio in usum revocetur. Etenim tam mei ipsius quàm aliorum periculo compertissimum habeo, Catharsin quovis horum temporum administratam, ita parùm votis respondisse, ut malum quod debuerat averruncare atque avertere, accerseret. Primùm itaque purgatio sæviente adhuc Paroxysmo adhibitâ, naturæ, in materia morbifica separanda & in Articulos deponendâ occupatæ, negotium facessens, magnam spirituum ἀταξίαν nonnunquam excitavit, unde non tantùm Paroxysmus magis invalescebat, sed & æger in vitæ discrimen haud obscurè conjiciebatur. Deinde Cathartica in fine Paroxysmi usurpata, cùm morbi reliquias amoliri debuerint, id tantùm egère ut recens Paroxysmus de novo suppullularet haud mitior priori isto; atque ita æger spe falsâ lactatus ea sibi fabricat mala, quæ non fuerat perpessus nisi humores denuò in rabiem agerentur. Quod genus incommodi ipsemet plus semel expertus sum, artis medicæ opem præposterè implorans ad exturbandas, ut mihi videbatur, reliquias morbi. Postremò quod Purgationem attinet, certis intervallis & integrâ sanitate repetendam, ut Paroxysmo eatur obviam atque ei aditus præcludatur; etsi, quod est fatendum, non ita præsens periculum est ne nova accessio invitetur, atque fuit in casu jam dicto cùm æger nondum ἐξωβέλως omninò fuerit; tamen etiam hoc tempore Paroxysmum parit, idque ob causas suprà memoratas; quo malo si fortè ægram non statim multaverit, nullatenùs tamen eum à morbo liberat, quantumlibet constanter & debitis intervallis Cathartica hæc illàve assumpserit. Quinimò nonnullos novi huic morbo obnoxios qui Catharsi non solùm Vere & Autumno, sed & singulis mensibus, imò & septimanis continuis, celebratâ, sanitati litabant, neque tamen horum quisquam Podagram effugit: quæ ex hinc crudeliùs plerunque & immanioribus symptomatis eos impetebat quàm si ab omni medicatione sibi temperassent. Licet enim jam dicta purgatio Causæ continentis partem aliquam possit educere, cùm tamen Concoctioni roborandæ (à quo tantùm abest, ut eam debilitet, recenti vulnere naturam subruens ac dejiciens) ne hilum conferat, uni tantummodò causæ opponitur, & morbi curationi impares prorsùs habet vires. Ad hæc annotandum est, ab eodem illo spirituum defectu quo concoctiones in iis vitiantur, qui podagrâ solent laborare, eorundem spirituum Animalium σύςασιν minùs firmam vegetamque reddi, unde mox disjicitur & interturbatur à quavis causa quæ vel animum vel corpus paulò violentiùs concutit exagitatque; ac proinde jam fugax ac dissipabilis est admodum, prout iis qui Affectioni vel Hypochondriacæ, vel Hystericæ obnoxii vivunt, persæpè accidit. A qua etiam Spirituum ad ἀταξίαν propensione fit ut Podagra vel levissimam quamlibet evacuationem ferè subsequatur. Dissoluto enim corporis tono, quem Spirituum firmitas, dum in vigore suo persistunt ritè compactum vegetumque servat, materia peccans quasi disruptis repagulis jam sui juris est, atque ab hac plaga corpori inflictâ Paroxysmus statim exoritur. At verò hæc ipsa methodus ut ut perniciosa ac nocens, nihilominus Empiricis quibusdam, qui Catharticum quo utebantur medicamentum asturè omnes celarunt, haud mediocrem existimationem conciliavit. Observandum est enim quòd Purgatione currente, æger vel non omninò vel remissè admodùm dolet; & si

Catharsis ad plures dies produci queat, nullo superveniente Paroxysmo recenti, æger confestim ab eo, quo jam tenetur, convalescet: verùm enim verò pœnas imposterùm pendet dirissimas ab ἀταξίᾳ in quam dicta humorum exagitatio naturam præcipitem egit.

Denique materiæ peccantis per Sudores evacuatio, licet prædictis evacuationibus minùs officiat, liquidò tamen officere cernitur. Quamvis enim morbi fomitem non retrahat in viscera, sed è contra in corporis habitum propellat, attamen his saltem nominibus obest. Primò quidem quod extra Paroxysmum humores adhuc crudos & nondum ita subactos ut ritè separari debeant, quasi vi quadam protrudit in Artus, atque eo pacto cunctantem Paroxysmum ante diem, & vel invitâ naturâ sollicitat. Deinde quod sudoris provocatio in ipso paroxysmo materiam morbificam nimis violenter in affectum membrum impingat adigatque, dolorem simul adducens haud tolerandum; & si major sit materiæ peccantis copia, quàm ut pars affecta eam queat admittere, illam mox in artus alios deturbat, unde orgasmus interea atque ingens tàm sanguinis quàm cæterorum humorum ebullitio sive exæstuatio; si verò corpus colluvie serosâ Podagræ generandæ aptâ admodùm scateat, metuendum est ne Apoplexia ingruat. Quamobrem in hoc affectu, perinde ac in cæteris omnibus in quibus sudores Artis ope sollicitantur ad eliminandam materiam morbificam, non verò naturæ ductu profluunt, periculosum est eosdem nimis violenter atque ultra eum Coctionis gradum ad quem humores evacuandi suâ spontè pervenerint, elicere. Et celeberrimus iste Hippocratis Aphorismus, *Cocta non Cruda sunt medicanda*, tam in sudoribus provocandis quàm in subducenda alvo locum habet. Quod quidem liquidò constat ex sudore illo quo Paroxysmus Febrium Intermittentium claudi solet, qui, si modicus fuerit & materiæ Febrilis à præcedente Paroxysmo concoctæ quantitati aptè respondens ægrum insigniter juvat levatque; si verò ultra naturæ modum sudatio promoveatur, ex eo quod æger lectulo jugiter affligatur, jam Febris continua subnascitur, & recens focus succenditur, cùm iste qui priùs efflagrabat, fuerat extinguendus. Pari ratione in Podagra etiam lenis ille mador qui ut plurimùm manè suâ spontè oritur post minorum Paroxysmorum, è quibus majorem Paroxysmum constare docui, singulos, tam dolorem quàm inquietudinem quibuscum æger totâ nocte conflictabatur, mitigat; è contra verò, si quando levis hicce mador & suaptè natura fugax, diutiùs & vehementiùs proritetur quàm fert proportio materiæ peccantis jam ab ultimo Paroxysmo concoctæ, morbus inde exacerbatur. Tam itaque in hoc quàm in aliis morbis quibuscunque quos mihi videre contingit, demptâ solâ Peste, sudores prolicere non tam Medico, quàm Naturæ provincia est: Cùm nullo modo assequi possimus, quanta materiæ pars ejuscemodi separationi obeundæ jamjam est parata, nec per consequens quem in provocando sudore modum tenere debeamus.

Ex jam dictis cùm satis liqueat non solùm Podagræ curationem à medicamentis evacuantibus incassùm peti, sed & eadem ποδαγριῶσι noxam adferre, restat ut exquiramus ad quem alium scopum Curativæ indicationes sunt dirigendæ. Ego quidem ex accurata φαινομένων prædictorum omnium pensitatione & diligenti examine colligo, duabus potissimùm causis in hujusce morbi curatione obviam iri debere. Prima est causa Antecedens, sive humorum indigestio à caloris & Spirituum Naturalium defectu orta. Altera est causa Continens, sive eorundem humorum calor & exæstuatio, ubi jam tum putredinem, tum etiam acredinem nacti sunt à mora in corpore quam oportuerat diuturniore; quæ mora ab inconcoctione suprà memoratâ pendet. Hæ causæ ita toto cælo, quod ajunt, à se invicem discrepant, ut, quæ huic prosunt remedia, alteri obsint; unde hic Affectus ita curatu perdifficilis est. Etenim dum Medicamentis calefacientibus Indigestionem vincere satagimus, periculum est nè ex altera parte humorum calor intendatur: atque è diverso, dum sive Diætâ, sive Remediis refrigerantibus calorem & acredinem humorum commitigare volumus, ἀπεψίαν accersimus, labefactato scilicet calore naturali. At verò hic Causam Continentem non eam tantùm intelligo, quæ jam actu Articulos obsidens Paroxysmum format, sed eam insuper quæ adhuc in sanguine delitescens separationi hactenùs est inepta. Perrarò enim materia morbifica omnis à Paroxysmo quantumlibet diuturno & crudeli, ita plenè egeritur, ut nullæ prorsùs in corpore reliquiæ sint, eodem jam elapso. Ac proinde utriusque hujus causæ tàm extra Paroxysmum quàm eo vigente ratio habenda. Quandoquidem verò materiæ continentis eliminatio Naturæ omnis opus est, suâ ipsius methodo peragendum, cumque nihil interea temporis ad humores calidos acresque leniendos, absque damno digestionibus illato, possit tentari, nisi ut exulent ac evitentur victus medicamentaque calidiora à quibus inflammantur humores: maxima certè & præcipua Curandi intentio in eo verti debet, ut Coctioni, indigestionibus sublatis, consulatur, de qua jam agam: ita tamen ut in Dissertationis serie ea etiam attingam Remedia, prout ansa data fuerit, quæ ad leniendum humorum calorem, & acredinem retundendam facere possint. Quæcunque igitur naturæ opem ferunt in muneribus suis ritè fungendis, sive Ventriculum confortando ut alimenta ritè coquat, sive sanguinem ad debitam chyli in illum invecti assimilationem, sive partes solidas corroborando, quo meliùs succos earundem nutritioni atque augmento destinatas in propriam substantiam convertant; quæcunquè denique varia excretionis organa et emunctoria corporis in eo statu conservant ut singularum partium recrementa debito tempore atque ordine valeant amandare; hæc & hujusmodi omnia huic intentioni adimplendæ conferunt ac propriè *Digestiva* appellantur, sive Pharmaca ea fuerint, sive ratio victûs, sive exercitatio, sive aliæ ex istis quælibet, quæ *sex res non naturales* indigitantur.

Hujusmodi Medicamenta sunt in genere quæ moderatè excalefaciunt, & vel emaricant, vel linguam leniter feriunt, utpote quæ ventriculo sunt pergrata, sanguini medentur, & cæteras partes fovent confortantque; qualia sunt, verbi gratiâ, Radices Angelicæ, Enulæ, Folia Absynthii, Centaurii minoris, Chamædryos, Chamæpityos, &c. Addi possunt etiam Anti scorbutica vulgò dicta, ut Radices Raphani rusticani, Folia Cochleariæ Hortensis, Nasturtii aquatici, &c. Cùm autem herbæ istæ acres ac pungentes, ut ut stomacho

stomacho arrideant atque eidem conferant in Coctione juvanda, morbi tamen fomiti jamdiu formato, aculeos subdant, & augeant calorem parciùs usurpandę veniunt, præ aliis istis quæ miti calore atque amaritudine & ventriculum corroborant, & sanguinis massam vegetiorem reddunt ac magis virilem. Eorum species aliquot affabrè permistæ humoribus concoquendis rectiùs, ut mihi videtur, quàm simplex quodlibet ex eorum tribu desumptum. Quamlibet enim quoties specificâ medicamenti cujuslibet virtute opus est nobis, Regula tenet, *Quò simplicius eò melius*; tamen cùm id habemus propositi ut huic illive indicationi satisfaciendo ægrum sanemus, singula ingredientia Symbolum pro morbo curando quasi conferunt: atque in hoc casu, quanto major est simplicium numerus, tanto potentiùs medicamentum operabitur. E prædictis itaque & reliquâ ejusdem farinæ materiâ medicâ, variæ Remediorum formulæ ad hunc scopum tendentes concinnari possunt. Ego formam Electuarii ad exemplum Theriacæ Andromachi cœteris præfero, seu viribus præstantissimam, eò quòd in mixtu simplicium confermentatio omnium virtutem adaugeat, quasi *aliquid Tertium* progignens, quod in ita conjunctis majorum est virium in pari quantitate quàm in eorum quolibet. Verùm tamen delectum ejusmodi ingredientium quàm formulas quibus exhibenda sunt prudenti Medico lubens relinquo; cùm nunquam mei officii esse duxerim Receptulas, ut vocant, conscribere, at potiùs veras Indicationes notare ad quas Curationes sunt dirigendæ: Quod cùm minùs observetur, exhinc, ut alibi dixi, Empiricis ansa data est ut se artis medicæ Principes jactent. Verumtamen Tyronum gratiâ, remedium, quo ego uti soleo, in medium proferam, quod ad hunc modum componitur.

♃. Rad. Angelic. Calam. Aromat. Imperator. Enul. campan. Fol. Absinth. vulg. Centav. minor. Marrub. alb. Chamædr. Chamœpit. Scord. Calaminth. vulg. Parthen. Saxifrag. pratens. Hyperic. Virg. aur. Serpil. Menthæ, Salviæ Rutæ, Card. Ben. Puleg. Abrotan. Flor. Chamœmel. Tanacet. Lil. Convall. Croci Anglican. Sem. Thlasp. Cochlear. hortens. Carvi, Bacc. Juniper. singulorum quantitatem sufficientem. Legantur singulæ Herbæ, Flores, & Radices quo tempore viribus pollent maximis. Siccentur ac in Papyraceis Sacculis asserventur dum in pulverem tenuissimum rediganatur. Singulorum Unciæ sex simul probè mistæ excipiantur s. q. mellis opt. despumati, & Vini Canarini, & in Electuarium debitæ consistentiæ conficiantur s. a. Sumat Drachmas duas manè & serò. Vel hujus defectu, sequenti utatur.

♃. Conserv. Cochlear. hortens. ℥ i ß. Absinthii Roman. & Flaved. Aurantior. ana ℥ i. Angelic. condit. Nuc. Moschat. condit. ana ℥ ß. Theriac. Andromach. ʒ iij. Pulv. Ari compos. ʒ ij. cum s. q. syrupi Arantiorum fiat Electuarium. Capiat drachmas duas bis in die superbibendo sequent. Aquæ cochlear. v. vel vi.

♃. Rad. Raphan. rustic. incis. ℥ iij. Cochlear. hortensis manipul. xij. Nasturt. aquatic. Beccabung. Salv. Menth. ana m. iiij. Cort. Aurantiorum num. vi. Nuc. Moschat. contus. num. ij. Cerevisiæ Brunsvvic. ℔ xij. Destillentur organis communibus, donec solummodo libræ sex Aquæ eliciantur pro usu. E Medicamentis vulgò cognitis *Theriaca Andromachi* Concoctionibus roborandis præ cæteris confert: Cùm tamen plures in se species contineat quæ plus satis calefaciant, atque insuper Opio abundet, Electuarium supradictum commodiùs parari potest è Vegetabilibus præ ipsis excalefacientibus & corroborantibus. Curandum est interim ut ea simplicia eligantur quæ ad ægri gustum magis faciant; cùm enim diu admodum, scil. ad omnem ferè ætatem, in ejus usu perseverandum sit, omninò convenit ut palato minùs sit ingratum. Inter simplicia *cortex peruvianus* primas obtinet, cùm sanguinem corroboret vegetumq; reddat, si ejus grana aliquot manè & serò assumantur. Et sanè uti in hoc Affectu de quo jam agimus, ita & in aliis Chronicis plerisque, hæc & huic similia remedia quæ sanguinem corroborant, vegetumque reddunt (si modo eorundem calor, propter causas postea adferendas, in spiritibus vinosis non consistat) præ cæteris juvant; quando quidem singuli hujus generis morbi ad unam eandemque causam universalem, humorum scilicet *Indigestionem*, si rectè conjicio, referri debeant. Nihil est autem ex quo hoc certiùs evinci poterit ac probari, quàm si ob oculos ponamus differentiam quæ inter morbos *Acutos & Chronicos* intercedit; quam ob causam æquus Lector boni consulet si paulisper ab eo, quod jam præ manibus est, negotio digrediar. Prout itaque morbi *Acuti* ii ferè habentur qui citò vel pereunt, vel ad Concoctionem perducuntur: ita *Chronici* appellantur isti qui vel non omninò vel tardè admodum & longâ temporis morâ ad candem Coctionem pertingunt. Atque hoc quidem tam ipsa rei natura, quam verba quibus illa exprimitur, apertè loquuntur; at verò causa hujus differentiæ quæ inter hæc duo morborum genera deprehenditur, altiùs latet, haud ita facilè eruenda: cujus indagationi si aliquantisper immoremur, operæ, ut puto, vix nos pœnitebit, cum harum rerum notitia clara ac distincta, ad inveniendas veras Indicationes horum Morborum Curationi accommodas, magnum momentum adferre queat. Sive interiora terræ viscera, si ita loqui fas est, varias subeant mutationes, unde à Vaporum inde exhalantium interventu aër inquinetur, quod mihi maximè probatur: sive inficiatur Atmosphæra omnis, ab alteratione quam eidem inducit peculiaris aliqua corporum Cœlestium quorumlibet Conjunctio: res ita se habet, ut ad hoc illudve tempus aër particulis referciatur quæ humani corporis œconomiæ adversentur; ut etiam alio tempore istiusmodi particulis impræagnatur quæ cum corporibus speciei alicujus Brutorum minùs conveniunt. His jam temporibus, quoties nos hujusmodi noxia & naturæ inimica μιάσματα in nostrum sanguinem inspiratione attrahimus, & in illos morbos Epidemicos incidimus, quos illa parere apta nata sunt, Natura *Febrim* accersit, solennem nempè sibi Machinam ad sanguinem à materia aliqua hostili & contraria intus stabulante vindicandum. Et tales morbi *Epidemici* vulgò audiunt, & ideò Acuti sunt & Breves, quia motum habent ita celerem & violentum. At verò præter hos morbos à causa externa excitatos, sunt & alii perinde Acuti, ab hac vel illa peculiari sanguinis inflammatione nati, quæ non à causa aliqua generaliori ab aëre pendente, sed à particulari particularum corporum Anomalia vel intemperie producuntur. Quod quidem Febrium ge-

nus ego *Intercurrens* & Sporadicum idcirco vocito, quod annis ferè quibuslibet occurrant. At verò morbi *Chronici* genus habent longe ab his diversum: quamvis enim aër minùs salubris hujus vel illius generis ad hos morbos generandos multùm conferat; non tamen aëri ita immediatè originem debent suum, sed ut plurimùm communi horum omnium Parenti, Humorum scilicet *Indigestioni*. Ubi enim quis Naturæ principia jam habuerit infirmata ac protrita, sive à senecta, sive à magnis & continuis circa *sex res non-naturales* erroribus, præcipuè in Cibo Potuque; vel si Organæ Secretoria eo usque fuerint debilitata, ut jam functionibus suis ad defæcandum sanguinem & ejus superfluitates eliminandas destinatis, prorsùs fuerint imparia; his in casibus uberiori humorum proventu jam coagmentato quàm cui digerendo hominis vires sufficiant, dicti humores morâ diuturniore varias fermentationes ac putrefactiones patiuntur, tandemque in *speciem* erumpunt, & varias morborum species edunt pro depravationum varietate. Et prout hi succi depravati variam habent indolem, ita variè in hanc illamve partem dilabuntur, quæ eisdem excipiendis aptissima est; atque ibi sensim longam illam symptomatum seriem explicant, quæ partim à talium succorum natura, partim ab ἀταξίᾳ istis partibus illatâ, solent exoriri: quæ duo simul juncta istam naturæ ἀνωμαλίαν constituunt quę morbi alicujus nomine insignitur.

Jam quòd ejusmodi impotentia naturæ ad coquendos humores plerorumque Morborum Chronicorum causa sit præcipua, facilè liquebit, si animadvertamus Senes, quorum Coctiones sunt læsæ, & spiritus, earum instrumenta, absumpti à repetitis vitæ longioris functionibus, hisce Affectibus magis esse obnoxios quàm sunt Juniores quorum vitæ flamma magis accensa recrementa ista coacervata dissipat; & quorum Organa Secretoria jugi isto caloris naturalis subsidio instruuntur, ut functionibus in totius sanguinis massa depuranda peragendis neutiquam deficiant, nisi insuper premantur & quasi suffocentur à nimia humorum copia. Ad hæc talem humorum indigestionem plurium Morborum Chronicorum causam esse ex eo constat, quod Hyems ad istiusmodi morbos gignendos longè magis faciat quam Æstas. Licet nonnulli ex his morbis non actu exerantur nisi sub Brumæ exitum; attamen iste humorum proventus à quo illi pendent per omnem Hyemis decursum succrescens, auctior factus ab ejus tempestatis frigore & effœto langore naturam debilitante, quo minùs valeat in administranda corporis œconomia. Unde fit ut qui in Æstate satis benè habeant, rarò tamen Hyeme eos morbos effugiant ad quos magis sunt proclives, Podagram, verbi gratia; Asthma, Tusses, &c. Atque hinc etiam ratio deducenda est quare Peregrinatio in Regiones magis Australes ita efficaciter eos morbos expugnet, quorum curatio in frigidioribus incassum tentabatur. Eorum, quæ de generali morborum Chronicorum causâ jam dixi, veritas magis adhuc patebit ab ingenti & quasi stupendo ac incredibili emolumento quod ij qui morbis Chronicis plerisque, præcipuè verò Phthisi, laborant, ab Equitatione percipiunt, quod genus Exercitii digestiones singulas invigorat firmatque, dum à continua corporis succussione calor naturalis re-accenditur, & Organa secretioni destinata in munere depurandi sanguinis ritè fungendo promoventur: unde necesse est ut sequatur Digestionum deperditarum quasi renovatio quædam, & è consequenti totius corporis Crasis optima. Quocirca è rationibus jam allegatis satis elucescit, quod non in Podagra tantùm, sed & in aliis quoque Chronicis morbis, ubi nullum symptoma manifestum contra indicat, *Herbas* ejusmodi *excalefacientes* magnum omninò commodum adferre, cùm sanguini Æstatis calorem vel mediâ hyeme concilient: quamvis si æstivo tempore earum usui assuescamus, meliùs præcavebunt mala ista quæ adversa tempestas solet apportare. Et profectò si ad hyemis usque appulsum deferantur quo tempore ingens humorum saburra accumulatur, periculum est nè serò nimis ad hoc asylum confugiamus, &, quod dici solet, μετὰ πόλεμον συμμαχία. Quamvis autem, ut supra fusiùs disserui, Podagra id sibi habeat peculiare, ut non tantùm non juvetur, sed & lædatur à Catharticis; tamen in aliis Chronicis plerisque & venæ sectio quoties opus fuerit repetita, & Purgatio ante sunt imperanda, quàm Remediis corroborantibus & Digestivis hic a me laudatis opera danda est: ubi verò se æger his addixerit, in iis perseverandum est nullis intercalatis Evacuationibus. Etenim hoc est firmiter retinendum, quod quoties cujuscunque morbi curatio Remediis corroborantibus innititur, Evacuationes, qualescunque eæ fuerint officiunt prorsùs. Denique non is sum qui asseram Medicamenta Digestiva jam memorata cæteris quibuscunque præstare: at verò dico eum qui Remedium ad hanc intentionem satisfaciendam potentissimum invenire potuerit, longè majora in sanandis Morbis Chronicis præstare posse, quam ipse se posse existimaverit. Istud verò iis omnibus quæ de Podagra sananda dicturus sum, præmittendum est, & maximoperè præ cœteris observandum, nempè quod *Digestiva* Remedia quæcunque, sive medicamentorum apparatu, sive Diætâ, sive Exercitatione ea constent, haud obiter instituenda sint, verùm constanter atque omni adhibitâ diligentiâ assiduè usurpanda. Cùm enim in hoc morbo, uti etiam in Chronicorum quamplurimis, causa ejus in habitum, & novam quasi naturam transiverit, nemo sanus existimaverit leviculam aliquam ac momentaneam alterationem sanguini atque humoribus à quolibet sive remedii sive victûs genere superinductam, curationis scopum posse attingere; at verò corporis habitus omnis aliò traducendus est, atque homo integer deinceps quasi novâ incude refingendus. Neque enim hic ita se res habet atque in morbo Acuto aliquo, ubi is qui modo athleticè ac pancraticè valebat, derepente Febre correptus, ab optimo sanitatis statu in morbum periculosissimum, quasi rupto ponte, præceps ruit. Podagræ dispar admodum ratio: ubi quis per multos annos continuos comessationibus, compotationibusque intemperantiùs indulgendo, solita exercitia intermittendo, desidiâ atque pigritiâ intabescendo, vel etiam nimio studio atque irremissâ animi intentione, aliisque vitæ erroribus, id egit tandem quasi deditâ operâ ut varia corporis fermenta pervertantur, atque opprimantur Spiritus Animales (qui Coctionis instrumenta sunt primaria,) unde humores præter-naturales coacervati erumpunt tandem, cùm jam ad summum gradum exaltati fuerint, ac stragem edunt; Carnibus denique emollitis & effœminatis Articulis, unde humo-

humores illabentes promptiùs excipiunt. Atque ita demum alia quasi natura sensim super inducitur, pristinâ & naturali corporis œconomiâ eversâ funditùs & deletâ: Cum isti Paroxismi, qui hominum incautorum ac minùs perspicacium oculos animosque soli ferè perstringunt & occupant, nihil prorsùs aliud sint quàm series & ordo symptomatum ab ista methodo pendentium, qua uti solet Natura in materia morbum committente foràs pellendâ. Quamobrem operam ludit quisquis hoc illove sive medicamento, sive etiam regimine subinde in usum revocato, hunc morbum protelare satagit. Cùm verò hic habitus tum in Digestionum omnium labefactatione, tum & in amissione firmitudinis naturalis partium singularum præcipuè fundetur ac constet, utrique malo occurrendum est; & tam Coctionum robur, quàm firmitudo partium pedetentim reduci debet ac restaurari, pro modulo scil. pristinæ ac consuetæ corporis œconomiæ. Quantumlibet verò istud plenè perfecteque fieri non posse videatur, non eo solùm nomine, quod Habitus quicunque non nisi ægerrimè in sibi contrarios transmutantur, sed etiam quod ætas senilis, quæ huic morbo ut plurimùm comes est & socia, vehementer refragatur: tamen quantum vires annique sinent, tentanda est curatio, & prout æger propiùs ad hanc metam accedet, vel recedet longiùs, Podagræ tyrannidem magis minusve effugiet. Atque porrò animadvertendum est, quòd Remedia πεπτικὰ vel Digestiva, sive partem Medicam ea spectant, sive Diæteticam, in Paroxysmorum præcipuè intervallis in usum revocanda sunt; idque quàm longissimè fieri potest à Paroxysmo insecuturo. Neque enim sine magna temporis mora & pertinaci Remediorum usu Concoctionum omnium corroboratio, fermentorum corporis jam imminutorum restauratio, tantaque firmitas quantam expetunt tum sanguis, tum viscera, senio adversante possunt acquiri. Quantumlibet verò prosint hæc aliaque ejusmodi remedia, attamen hisce solis hæc corroborandi intentio satisfieri nequit; sed & earum etiam rerum habenda est ratio quæ ad artem propriè medicam non spectant. Et certissimè voto frustrabitur is qui in hoc aliove morbo Chronico omnem curationem Medicamentis solis absolvi posse autumat. Primùm itaque ea in *cibo potuque* mediocritas est observanda ut neque plus alimenti ingeratur quàm ventriculus concoquere valeat, ac proinde morbo fomes subministretur: neque è contra, nimiâ abstinentiâ partes eâ proportione defraudentur, quâ earundem robur & vigor debuerat sustineri, unde etiam magis debilitentur quorum utrumque ex æquo nocet, prout tam in meipso quàm in aliis haud semel expertus sum. Ad hæc; ciborum qualitatem quod spectat, licet εὔπεπτα per se considerata δυσπέπτοις præferenda sint, attamen ægri palato est consulendum quandoquidem observandum est, quod sæpe numerò id quod ventriculus vehementer appetit, licet difficiliùs coquatur, citiùs tamen à natura vincitur quàm quod facilioris concoctionis habetur; si ventriculo nauseam creet: at verò quæ δύσπεπτα habentur, idcirco parciùs sunt comedenda. Unicâ etiam ciborum specie singulis pastibus vescendum arbitror, cùm varia carnium genera simul ingesta plus ventriculo molestiæ facessunt quàm unicum quod omnia ista quantitate exæquet. De cæteris, demptâ carne, pro libitu comedat, modò nec acria, nec sale condita sint, nec aromatis; quæ licet coctionem non lædant, nocent tamen quatenùs morbi fomitem exagitant.

Tempora quod attinet, Prandere tantùm expedit; cùm enim lectus humoribus dirigendis propriè dicetur, id temporis in cibis concoquendis non est insumendum. Non cœnent itaque qui Podagræ sunt obnoxii; haustum tamen Cerevisiæ alicujus tenuioris liberaliorem sibi indulgeant: quandoquidem etiam Renum Calculo generando proclives ferè sint tales; cujus concretio à liquore ejusmodi hoc tempore hausto multùm impeditur, refrigeratis scilicet ab eo Renibus prolutisque. Γαλακτοποσία, seu Diæta è solo lacte sive crudo, sive cocto, exulantibus cæteris omnibus, nisi quod panis aliquid semel fortè in die adjiciatur, ab Annis retrò viginti obtinuit. Profuit hæc quamplurimis præ cæteris hujusce morbi præsidiis, quandiu ne latum unguem ab ea discesserint. Quamprimùm verò ad sanorum diætam, ut ut lenem mitemque, sese receperit qui huic insueverat, Podagra confestim reversa ægrum pejus longè quàm antehac vexavit: labefactatis enim hac methodo naturæ principiis, æger jam morbo pellendo magis impar redditur, unde & periculosiùs infestat & diuturniùs. Qui igitur huicce methodo tradere cogitat, primùm seriò secum perpendat, num valeat per omnem vitam in eadem persistere: quod tamen fortassis penes eum non erit, ut ut propositi tenax fuerit: Novi enim Nobilem quendam qui post quam per annum integruum solo lacte victitaverat, non tantùm sine offensione sed & cum summa voluptate; (quo tempore quotidie semel aut pluries dejecerat) sistente derepente alvo ac mutatâ corporis temperie, manente verò adhuc animi propensione, & ventriculo tandem ad lac nauseante, absistere coactus est. Nonnulli verò Hypochondriaci, crasso corporis habitu, vel qui aliàs liquoribus spirituosis diu multumque assuevere, lactis usum nullatenùs ferre possunt. Interea emolumentum illud per breve ac fugax quod ex hac diæta percipiunt illi quibus cum lacte convenit, hinc oritur, videlicet quod non tantùm diæta sit simplicissima (unde nullus dubito quin jusculum Avenaceum, modò ventriculus illud ferat, idem præstare possit) sed etiam sanguinem dulciorem mitioremque reddat, particulas in eo acriores contemperando: atque insuper, quod ego palmarium judico, cùm lac alimenti genus sit Adultis prorsùs impar, istam humorum turgescentiam sive virositatem reprimit cui Podagra ortum debet, atque eo nomine paucos istos quibus congruit, tamdiu à Podagra immunes præstat quandiu eo solo vescuntur, nec juvat ulteriùs. Cùm enim Podagræ causæ originali ac primariæ nempè Concoctionum ac Fermentorum debilitati omninò contrarietur, longè magis hac ratione obest quàm alterâ prodest. Quod cùm minùs perspectum fuerit, nonnulli incautiores in errores permagnos & planè exitiabiles inciderunt; dum morbi causas, Continenti, humorum scil. calori & acredini, obviam ire satagentes, Concoctiones pessundederunt, & Functiones naturales prostraverint omnes. *Liquores* quod spectat; ii, me judice optimi sunt qui neque ad Vini generositatem ascendunt, nec ad aquæ debilitatem deprimuntur, cujusmodi sunt Cerevisia tenuis *Londinensis*, sive lupulata, sive non lupulata, cùm

extrema ab utraque parte noceant. Primùm de vino, licet Proverbio jactetur, Vinum potans Podagrâ laborabis, & Vinum non Potans laborabis Podagrâ; extra controversiam tamen est & variis πολυγελώντων experimentis confirmatissimum, *Vinum* de facto officere. Licet enim prodesse credatur juvandis Coctionibus, quarum vitia causam Podagræ Antecedentem jamdudum statui; ratione tamen Causæ Continentis omninò obesse censendum est, humores scilicet, fomitem morbi, jam in procinctu stantes accendendo exagitandoque. Sed neque damus Vinum pro potu ordinario usurpatum Coctiones promovere, at potiùs subvertere dicimus, in diu vino assuetis. Quamvis enim calorem aliqualem in transitu impertiat, certissimum est tamen fermenta corporis ab eo subjugari, & avocari spiritus naturales atque fugari: unde est si benè conjicio, quod Bibaces atque Nepotes isti male feriati, *Podagrâ, Paralysi, Hydrope* aliisque morbis frigidis ferè pereunt. Adde, quod jugis & immodica vini ingurgitatio corpus ad instar corporum Fæminarum emollit laxatque; cùm liquores temperati partium omnium tonum roborent ac firment: unde qui liquoribus tenuioribus semper assuevere, Podagram ferè nesciunt. Notandum est insuper quòd huic morbo maximè obnoxii viri sunt, qui licet imminutam habent concoctionem naturalem, tamen ex quadam sanguinis luxuria plus satis nutriunt & incrementum sumunt ex materia quadam indigesta loco substantiæ sanioris & ritè compactæ. Hanc sanguinis luxuriam Οἰνοποσία adauget magis, ac proinde tum novam materiæ saburram accumulat, tum etiam fomitem jam diu repositum quasi subditâ face actu in morbum provocat. Huic accedat strui, quòd cùm Podagricorum sanguis isti qui è Pleuriticorum, aliorumque morbis inflammatoriis laborantium pertusis venis extrahitur, persimilis sit, si ac insanorum esset sanguinem jam ὀργιῶντα ulteriùs spirituosis liquoribus, ceu ignem oleo, proritare. Neque tutiùs ex adverso liquores nimiùm refrigerantes in usum revocantur, cùm hi Concoctiones prorsus dejiciendo, & extinguendo calorem naturalem, majorem adhuc noxam inferant; non dolorem scil. ut vinum, sed ipsam adeò mortem: prout experientia docet in iis qui ad senium usque vino liberaliùs indulgentes aquam aut tenuiores liquores derepentè cum vino, & non ita diu post vitam cum morte commutârunt. Hic itaque podagrâ obnoxiis in potu modus statuatur, ut iis utantur liquoribus, qui neque vel in maxima copia assumpti inebriare possunt, neque frigore suo ventriculum lædere. Hujusmodi est, ut dixi, cerevisia tenuis nostras, & aliis regionibus confici poterit ex multa aqua cum pauco vino permixtâ. Aquam puram crudamque periculosam existimo, & expertus sum meo damno. Attamen satis commodè ab ineunte ætate potatur aqua; quâ hodieque longè major hominum pars sitim levat: inopiâ suâ feliciores sunt quâm nos nostrâ copiâ & luxu. Testes appello ingens morborum agmen quo corpora nostra hoc nomine discruciantur, podagram scil. Calculum, apoplexiam paralysin, &c. tum & vim animis illatam quâ à nativâ rectitudine transversum aguntur, dum adventitii talium liquorum spiritus, cum spiritibus animalibus cogitationi formandæ inservientibus complicati mentem nimùim volatilisando perturbant, vana ac subtilia loco rerum solidarum atque alicujus momenti subingerentes: atque ita demum ingeniosè lepidos ac dicaces, pro sapientibus nos reddentes; inter quos eadem fermè differentia intercedit atque est inter substantiam & prorsùs nihil. Sed de his satis.

Jam verò quamvis sufficiat ei qui podgrâ mitiùs ac tantùm per intervalla laborat, vel cerevisiâ tenui uti, vel vino dilutiori, cùm is morbi gradus tanti non sit ut severiori regimini se subjiciat; attamen cùm universa corporis substantia in podagram quasi degeneraverit, minùs quàm exoptet in profligando morbo promovebit, qui non à liquore fermentato quocunque quantumvis leni & tenui, in totum abstinet: cùm hi omnes spiritus pungentes, & aliquem acredinis gradum in se contineant; & quod peius est, quatenus fermento imbuti, (perinde ac flores cerevisiæ liquoribus inditi vim suam fermentativam toti massæ communicant,) humores fermentationi perpetuæ addicunt. *Potus* itaque diæteticus ex ingredientibus vulgò notis & huic usui dicatis pro tali potu ordinario præscribendum est: modò non sit justo fortior, quo haud multo minus periculosè accendentur humores quàm ipso vino; nec è contra aquosior justo, naturales functiones nimiâ refrigeratione prosternens. Hujusmodi potus si rite paretur selectis ingredientibus istis quæ ægro minùs sunt ingrata, licet ad septimanam unam alteramve non sine aliquali fastidio ita jugiter assumatur, postea tamen perinde gratus & acceptus est ac sunt alii liquores quibus quis maximè assueverit. Atque ab hoc potûs genere non tantum non imminuetur appetitus, sed & augebitur: magis insuper naturalis & genuinus evadet quàm cum liquoribus fermentatis uti soleret. Hoc insuper commodi accedet, quod qui hujusmodi potum diæteticum loco ordinarii hauriunt, liberiùs in cætero victu sibi possent indulgere, quàm cùm cerevisiam biberent, aut vinum: cum errores in victu, (quos omnes penitùs evitare pene supra humanam sortem est) hoc pacto aliquatenùs corrigantur compensenturque. Quod verò omnium primum est, æger hoc modo sibi à Calculo præcavebit qui Podagræ fere individuus est comes; cum liquores acres ac attenuantes quilibet, uti ad Calculum jam factum proritandum, ita ad eundem generandum etiam faciunt. Liquor sequens, ut pote qui gustu ac colore jucundo est, mihi maximè arridet.

℞. Sarsaparil. ℥vj. Lign. Sassaphr. Chinæ, & c.c. ana ℥ij. Glycyrrhiz. ℥j. coq. in Aq. fontan. Cong. duobus per horæ dimidium; deinde stent clausè super cineres calidos per horas 12. postea ebulliant ad tertiæ partis consumptionem. Cum primùm ab igne amoveatur, infunde sem. Anisi ℥ß. Post duas horas coletur, & postea depuretur per residentiam, & liquor clarus reponatur in lagenis vitreis probè clausis ad usum. Hic liquor tum primum commodissimè in usum trahetur ubi quis à Paroxysmo convaluit; atque in eo perseverandum tam in ipsis Paroxysmis, quàm in eorum intervallis per reliquum vitæ cursum. Neque enim satis factum est sæviente adhuc morbo novis rebus studere, cum in ejusmodi ἀταξίᾳ & motu inordinato natura vix ferre queat ut liquores fermentati, qui vegetiores sunt ac magis spirituosi, cum alio inerti ac spiritibus destituto com-

commutentur. Eodem etiam tempore & *Electuarium* prædictum usurpabitur; quod pariter deinceps tam in Paroxsymorum insultibus quàm extra eos quotidie est devorandum. Hujus calor Potûs Diætetici aquositatem quadantenus pensabit, sanguini & visceribus debitum caloris gradum concilians, sine ista agitatione quæ excitari solet ab æstu liquorum fermentatorum. Si quis objiciat eam vitam vix vitalem esse in qua omnimoda tùm à vino tum ab aliis liquoribus fermentatis abstinentia observatur; respondeo perpendendum esse an non longè miserius sit ac minus tolerabile diris inveterascentis Podagræ cruciatibus (nam in mitiori morbo non hoc postulo) quotidie excarnificari, quàm huic soli liquori se adstringere; cujus usu continuato in cæteris esculentis fermè omnibus animo obsequi licet: ut jam non repetam, quòd & hic potus (uti cætera omnia) dulcescet consuetudine. Certè qui hunc morbum expertus est modò Homo, modò bipes fuerit pecus, nihil ambiget in quam partem debeat concedere. Quo non obstante, si æger vel à longo ac nimio usu liquorum inebriantium, vel ab ætate provectiore, vel denique præ nimia debilitate, cibos absque vino vel quovis alio liquore fermentato nequeat concoquere, non vacat certè periculo eundem protinùs ac derepentè à vino depellere, qui quidem error haud paucis lethalis fuit. Prorsùs itaque, si me audit, Apozema Diætericum supra præscriptum abdicet, vel, si eodem uti statuerit; ei sensim assuescat, haustum vini in pastibus ad tempus aliquod sibi indulgens, quasi Remedii loco potiùs quam Diætæ, donec decoctum illud familiarius evaserit. *Vinum* autem *Hispanicum* hîc loci tam Rhenano, quàm Gallico omninò præferendum est; quæ posteriora, licet ventriculo pergrata sint, tamen exacerbandis humoribus & augendo morbi fomiti apta nata sunt. Adde quòd cùm æquè ferè cruda sint & vix magis concocta quàm est nostrum Pomaceum, non perinde cardiaca sunt atque calida ac res postulat. Atque hæc de Cibo Potuque ποδαγριώντων dicta sunto.

Est & aliud quod tametsi parui pendatur, magni tamen momenti est, tam in digerendo morbi fomite, Paroxysmo adhuc vigente, quàm ad prohibendam ejusdem materiæ generationem extra Paroxysmum, nempè ut æger, maximè hyemis tempore, maturè lectum petat. Etenim post venà lectionem & Catharsin nihil æquè naturę vires subruit ac noctu vigilare: quod quidem valetudinariorum quilibet expertus affirmabit, si seriò animadverterit quanto alacrior vegetiorque exurgit quoties se lecto temporiùs commiserit, quàm verò enervis est ac languidus quoties ad multam noctem vigilaverit. Et quamvis res eodem recidere videatur an citiùs seriusve quis lectum repetat, modò per tot horas eidem indulgeat, verbi gratiâ, an *horâ nonâ* cubitum; eat & *quintâ* surgat, vel *undecimâ* cubitum eat & surgat *septimâ*; multùm tamen interest, idque ob hanc, ut existimo, potissimùm rationem. Interdiu scilicet spiritus dissipantur, sive in corporis exercitio, sive animi, qui in minùs rectè valentibus ita sunt infirmi ac debiles ut vesperi somni subsidio maturiùs opus habeant; & cùm noctis appulsus æconomiæ corporis quasi relaxationem quandam adferat quę diurno tempore à solis influxu vegeta conservatur, lecti calor, brumâ præsertim, solis vicem ut gerat necesse est. Manè verò spiritibus tam à prægressæ noctis quiete quàm à lectuli calore refocillatis invigoratisque, præter quam quod dies superveniens firmitatem ac robur corporis tono conciliet, diluculo surgere hoc tempore, licet horam unam alteramve à somno matutino detrahat, non ita altum vulnus Naturæ infligit ac vigiliæ vespertinę ad horam unam vel alteram protractæ. Quamobrem istis qui Podagræ sunt obnoxii Author ego sim, hyeme præcipuè, ut lecto maturè admodùm se committant, & diluculo exurgant, quantumvis somnus justo brevior suadeat ut diutiùs cubantes eundem adhuc venentur. Cùm somnus qui ita diluculo capitur secuturę noctis somno tantundem detrahat, atque ita tandem naturæ vi illatâ, spretoque sapienti ejus instituto, noctem pro die quis habeat, diem perversus pro nocte. Quinimò *animi tranquillitas* omni ope stabilienda est: cùm perturbationes omnes, si repagula semel effringant, ad solvendam spirituum, qui sunt Digestionum instrumenta, systasin, ac proinde ad Podagræ incrementum multùm faciant. Prudenter itaque secum meditetur æger mortalitatis suæ conditionem, nec se earum quæ eam sequuntur molestiarum exortem stultus opinetur: sive enim suipsius, sive aliorum culpâ hanc animi ægritudinem pariat, non poterit unquam mundo leges dare, qui nemini hactenus, quantumlibet demùm potens aut sapiens fuerit, semper morem gessit, neque ita cuiquam semper ex animi voto cadebant res omnes ac vana mens spoponderat, at derepentè inter rerum apparatus animam agens humanæ fragilitatis specimen tandem edit, immeritò se brevi vitæ fructu spolians: Idem etiam incommodi sequitur nimiam animi ad studia & res serias applicationem: Cùm enim huic morbo præ cæteris quibuslibet melancholia vulgò dicta comes semper adhæreat, qui ei sunt obnoxii, Spiritus Animales diu multumque cogitando, etiam non adhibito artificiali librorum adminiculo, fatigare solent atque obruere, hoc ipsum ita valdè ac nimioperè agentes, ut corporis æconomia integra ampliùs conservari nequeat: Quam ob causam ut mihi videtur, hic morbus perpaucos Insipientes (me excipiat qui volet) occupavit unquam. Cæteris verò omnibus, quæ ad impediendum humorum indigestionem (quam ego primariam Podagræ causam constitui) & ad sanguinem idcircò corroborandum, ac firmitudinem partibus conciliandum faciunt, *Exercitium* corporis facilè palmam præripit. Animadvertendum est autem, uti suprà monui, quod cum in hoc morbo, etiam magis quàm in Chronicorum quovis totius corporis Habitus immutari debeat, exercitatio corporis nisi quotidiana fuerit nihil juvabit: hujusmodi enim exercitatio per vices intermissa, uti nihil ferè conferet ad immutandum corporis habitum ab inertia atque indulgentia jam languescentis & effæminati, ita fortassis & nocere possit, Paroxysmum accersendo, ubi quis jam diu ab ea desueverat. Hoc verò exercitium vehemens non sit oportet, tale verò quale Senibus competit, qui Podagræ subjecta sunt magis usitata. Motus enim corporis justo vehementior spiritus nimiùm dissipat, & è consequenti Concoctiones lædit; quando exercitatio

tatio moderata ac perseverans eosdem firmet. Quantumlibet hoc durum videatur homini, qui præter senium & corporis ad motum ineptitudinem, & socordiam huic præsertim malo quasi connaturalem, dolore insuper mactatur, tamen si hoc omittatur nihil ex hactenus inventis quicquam proficiet. Utque Paroxysmorum intervalla sine jugi corporis exercitio magna esse non possint, ita etiam ad Calculi generationem talis erit proclivior; qui quidem plus habet & periculi & cruciatûs quam ipsa Podagra. His adde, (quod magnum pondus habere debet) materiam *tophaceam* à longa requie admodum auctam iri in Articulis corporis maximè verò Digitorum, ita ut tandem omni motu priventur. Ut ut enim fidenter asserant nonnulli horum tophorum materiam nihil aliud esse quàm sanguinis *Tartarum* ad articulos transmissum, facilè tamen constabit cuilibet rem paulò attentiùs perpendenti, quod dum magna vis materiæ inconcoctæ Podagram facientis in Articulos quosdam depluit, & partes vicinas diutiùs tumidas reddit, tandem accidit, ut partim harum virtus assimilativa sufflaminetur, partim à suffocante obstructione quam in eis parit iners hic humor, dicta materia generetur, quæ à calore doloreque articuli in hujusmodi substantiam cogitur, atque indies augetur, tum carnem tum cutim articuli in propriam naturam vertens; quæ jam nuda jacet, aciculâ, ad instar *Cretæ*, *ocul. Cancr.* aut similis alicujus rei, extrahenda. Jam verò hoc malum ab exercitio quotidiano præcavetur, à quo oritur debita humorum Podagram generantium, qui unam aliquam partem libenter occupant, difflatio per omne corpus. Unde fit, uti ipsemet expertus sum, quod exercitatio longa & quotidiana non tantùm non officit generationi tophorum, sed etiam tophos veteres & induratos solvit, modò non eousque invaluerint ut cutim extimam in suam substantiam mutaverint.

Exercitii genus quod spectat, *Equitatio* quoties nec grandior ætas, nec Calculus intercedant, reliquis longè præferenda est. Et sanè diu multumque mecum reputavi, quod si cui innotesceret medicamentum, quod & celare vellet, æquè efficax in hoc morbo, ut in Chronicis plerisque, ac est Equitatio constans & assidua, opes ille exinde amplissimas facilè accumulare posset. Hâc si uti non liceat, vectio frequens in curru ferè eodem recidit. Atque in hoc saltem Podagrâ laborantibus plerisque benè est, quòd opes quæ luxuriæ, unde pullulavit morbus, irritamenta erant, facultates currûs habendi subministrent, quo hac saltem exercitationis specie fruantur, cùm altera frui nequeant. Observandum est autem, quod Exercitatio in aëre salubri longè eâ præstantior est quæ in minùs salubri peragitur: ruri scilicet potiùs quàm in urbe, ubi aër vaporibus à variorum Artificium officinis exhalantibus est repletus, & ædificiorum densitate constipatus; qualis est in *Londino* hoc nostro, urbe quantum certo scimus omnium quæ in toto terrarum orbe sunt, spatiosissimâ. Quantum verò intersit an quis ruri an in urbe, se exerceat, Podagricorum quivis statim persentiscet. Quod *Venerem* attinet, is qui tam Podagrâ quàm senectû laborat (quandoquidem jamjam eâ spirituum copiâ destitutus est quâ Concoctiones promoveri debuerant, & per consequens absque hac clade adventitiâ articulos & reliquas partes adjacentes plus satis laxatas habet & debilitatas) æquè improvidus meo judicio foret, si ejus lenociniis indulgeret, atque ille qui cùm longum iter emetiendum susceperit, Viaticum omne prius abliguriret quàm se viæ committeret. Quinimò præter malum quod sibi accersit languidiora ævi jam fatiscentis desideria non cohibens, maximo illo Privilegio fruendi Jubilæi, quod speciali atque eximio naturæ munere senibus conceditur, se abdicat, qui jam in ultima vitæ scena ab earum libidinum impetu, quæ, ceu tot rabidæ feræ, eos per juventam omnem diu noctuque quasi laniabant, tandem aliquando sunt emancipati: cùm horum appetituum expletio nullo modo longum illud malorum agmen quod eam vel comitabatur, vel insequebatur, pensaret unquam. Atque hæc de Regimine.

Quamvis autem hujusmodi Regulæ tam Diætam quàm cæterum regimen spectantes, si ab homine Podagræ obnoxio religiosè observentur, cum ab enormioribus morbi insultibus præservare queant, atque istam sanguinis & partibus solidis firmitatem conciliare, quæ ab illa malorum Iliade unde morbus non solùm supra humanæ patientiæ vires, sed & funestus tandem redditur, eumdem immunem præstare possit; non tantùm efficient ut non post quædam intervalla maximè exeunte hyeme, Podagrâ quandoque tentetur. Licet enim æstivo tempore dum tonus vigorque sanguinis à Solis calore excitatus fuerit & in statu conservatus, & pariter debita humorum per poros eliminatio pro voto successit, omninò oportet ut coctiones longè meliùs quàm hyeme celebratæ fuerint; tamen cùm appetente bruma & sanguinis robur fuerit imminutum, & perspiratio per cutis poros impeditior, necesse est ut ingens materiæ indigestę colluvies sit accumulata, quæ tandem diuturnâ morâ in speciem prorumpet, propriis se exerens symptomatis & Paroxysmum inducens, quamprimùm vel ab humorum motu ab accessu Solis propiore, vini potatione, exercitio vehementiori, aut aliâ causâ evidenti quacunque ansa detur. Ex jam dictis liquet eum qui hujusce morbi curationem molitur, id negotii sibi dare debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad pristinam constitutionem refingat, quantum per ætatem & reliquas circumstantias fieri possit: quod in Paroxysmorum interstitiis, non in ipsis Paroxysmis annitendum est. Cùm enim morbi fomes non solùm generatus, sed & in articulos jam ablegatus fuerit, serò nimis vel ejusdem mutationem vel eliminationem per alias vias conabimur: Cùm non aliâ methodo foràs ejiciendus sit, quàm eâ quam natura præmonstrat, cui soli permittendus omninò est Quod & in Febrium Intermittentium Paroxysmis usu venit, quas ob eandem causam remediis non oppugnamus, nisi æstu priùs consopito. Nec absurdius quis in extinguendis harum febrium, calore scilicet à siti, inquietudine, aliisque symptomatis anxiè operam locaverit, quàm existimaverit alius se Podagram sanare, cùm in Podagræ symptomatis tantùm coercendis laboret; quam tantum hoc tempore à curatione morbi abscedat, ut eandem aliquatenus impediat ac remoretur. Quanto enim magis ægri dolores lenit, tanto magis humorum concoctioni adversatur; quantoque claudicationem

acert

ardet, tanto materiæ morbificæ expulsioni officit. Adde quod quanto paroxysmi furor ac acies retunditur, non solùm tanto diutiùs affliget, sed & brevius erit spatium interjacens, & minùs etiam liberum ab omni gradu symptomatum quibus hic morbus funestatur. Quod nemo inficiabitur qui diligenter trutinaverit quæ suprà in hujusce morbi historia edisserui. Quamobrem licet nihil magni in *Paroxysmo* tentandum sit, nisi quod istis symptomatis occurrendum est, quæ falsa medendi methodus quandoque parturit: tamen cùm omnes uno ore fateantur morbum huncce ab humorum copia & exuberanti plenitudine nasci, ægro fortasse conducet à carnibus per aliquot dies, ubi primùm à morbo corripitur, abstinere, & harum loco simplici jusculo Avenaceo uti, aut alio pari alimento: cujusmodi diæta tenuis materiæ morbificæ imminuendæ multùm conferet, & naturæ opportunitatem subministrabit, quâ eandem ocyus digerat. Cùm verò ingens sit corporum aliorum ab aliis discrimen, quibusdam abstinentiam à carne non ferentibus, statim verò ab ea spirituum animalium ἀταξία, animi deliquio, aliisque symptomatis qualia fœminis Hystericâ affectione laborantibus accidere solent, correptis; istos non tantùm non juvabit, sed & lædet, si diutiùs à carnibus abstineant quàm ventriculus earum usum aversetur: quod ut plurimùm non excedit primum aut secundum diem eorum Paroxysmorum particularium, qui omnes simul juncti integrum Paroxysmum, ut suprà innui, constituunt. At verò sive tardiùs sive ocyus quis carne vescatur, seriò cavendum est ne urgente morbo majore copiâ utatur, quàm quæ ad naturam sustentandam necessaria sit, nec minore curâ opus est in assignanda victûs qualitate. Namque ut semper in Paroxysmorum intervallis, ita præcipuè Paroxysmo jam præsente, æger summoperè curare debet, nè quid vel in quantitate vel qualitate sive potûs, sive ciborum peccetur. Neque in hoc solo, sed in alio omni Regimine, de quo fusiùs egi, in intervallis observando, cautela haud vulgaris adhibenda est. Et licet tam dolor quàm magna ad motum inhabilitas, exercitio, quod ego præ cœteris omnibus laudavi, contra indicare videantur, tamen & hic labor exantlandus omninò est. Quamlibet enim in Paroxysmi initio ægro impossibile videatur ut lationem in curru multò minùs ejus motum ferre queat, attamen si tentaverit, non ita diu post sentiet se minùs à tali motu dolere, quàm cum se in cathedra domi contineret. Id insuper accedit emolumenti, si ad horas aliquot tam manè quàm post meridiem in curru vectus fuerit, quod cùm domi toto die sederet noctem ferè insomnem ageret, jam dolorem somno ad multam noctem fugare poterit; cùm exercitatio permodica Podagrâ laborantem eousque delasset, ut in somnum dilabatur. Adde quod eadem exercitatio calculum, quem vita deses ac iners, ut plurimùm accersit, quadantenùs præcavebit. Quod verò maximi momenti est, à jugi ac pertinaci exercitio occurretur totali Artuum ad motum impotentiæ, quæ haud paucis accidit post Paroxysmum unum alterumve diuturniorem contractis, sive poplitum sive calcaneorum tendinibus dum enim in cruciatu longiore quieti indulserint (maximè crura nolentes extendere quoties dolor genua occupaverit) tandem crurum ac pedum motu per reliquum vitæ tempus orbati sunt, tam in Paroxysmorum interstitiis quàm in ipsis Paroxysmis, quos non ita tamen effugiunt. Quinimò in iis Senibus quorum concoctiones admodum vitiatæ sunt, & qui à morbo per multos annos affligente ipsam corporis substantiam quasi in Podagram habent conversam, nihil minùs sperandum est quàm ut morbus sine exercitio ad digestionem perducatur unquam: cùm enim morbus naturam viribus superet, sæpè moriuntur à langore atque ægritudine fomitis morbosi copia concoctionem respuentis apportat, & ab hac materia incoctili, quæ nullo modo potest assimilari, tanquam à veneno enecantur. Attamen non obstantibus iis quæ de exercitii utilitate in Podagræ Paroxysmis dicta sunt; si tamen æger præ nimia Paroxysmi atrocitate primo statim insultu quasi prostratus fuerit, (quod istis ferè usu venit in quibus podagra jam ἀκμὴν suam attigit, nec adhuc à multorum annorum decursu mitigata est) hoc in casu si æger cubiculo includendus est, è re erit ut etiam lectulo ad primos dies aliquot, donec scilicet doloris vehementia remiserit, idem includatur: etenim lectulus exercitii defectum aliquatenùs supplebit; cùm ejus usus continuus materiam morbificam potentiùs digerat paucis diebus quàm excubatio aliquam multis, maximè incipiente morbo; si modo æger absque leipothymia aliisque malis symptomatis à carnibus abstinere queat, solo jusculo Avenaceo, cerevisiâ tenui & cæteris ejusmodi contentus. Veruntamen haud emittendum est, quod si podagra jam inveterata fuerit, atque æger ad animi deliquia, ventris tormina, diarrhæam, aliaque his similia symptomata propendeat, vix libitinam evitabit ab aliquo Paroxysmorum jugulatus, si non exercitio utatur, idque in aëre liberiore ac perflabili loco; quod diligenter animadvertendum censeo, quando magnus Podagricorum numerus iis symptomatis jam perierit, quibus hæc in cubiculo, & præsertim in lecto incarceratio eosdem obnoxios fecerat, qui non ita maturè facto concessissent, si molestiam vectationis per majorem diei partem devorare voluissent. Licet enim qui unico artuum dolore fatigatur, se cubiculo possit includere, tamen qui loco doloris acerbissimi, ægritudine, aliisque symptomatis prædictis laborat, talis idem imitando, se in vitæ discrimen conjiciet. Et quidem benè nobiscum agitur quod quoties dolor ita vehemens est, ut æger motum tolerare non valeat, neque eo admodum opus habeat; ipso dolore, quod amarissimum est naturæ remedium, ægro de vita prospiciente.

Jam verò quod attinet podagræ *symptomata*, iis occurrendum est à quibus æger in *Paroxysmo* de vita periclitatur. Horum maximè familiare est ventriculi debilitas ac languor, cum ventris torminibus tanquam à flatu; quod iis accidit, qui vel jam à multis annis podagræ obnoxii vixerunt; vel iis qui licet non ita diu eâdem laborantes, hoc tamen mali invitarunt præposterè, liquores spirituosos cum tenuioribus & multùm refrigerantibus derepentè, com-

commutantes; vel *emplastra repellentia*, aliaque medicamenta refrigerantia partibus affectis ad leniendum dolorem admoventes, unde morbi causa materialis quæ in artus debuerat deponi, in viscera rejicitur. Multa egomet expertus sum in postremorum annorum Paroxysmis ad mitigandum hoc symptoma; nihil verò æquè votis respondit ac *vini Canarensis* haustulus subinde deglutitus, langore, atque ægritudine urgentibus: neque vel vinum Gallicum rubrum, vel Theriaca Andromachi, neque aliud quodlibet è Cardiacis mihi hactenùs notis pares habet vires. Sed neque vinum hocce, nec Cardiacorum aliud quodlibet ægrum, si exercitio non utatur, omninò servare posse existimandum est. Sin autem gravius aliquod symptoma inducias non ferens, ex retrocessu materiæ podagricæ subitò ingruat, & mortem ægri minitetur, neque vino neque exercitio suprà laudatis fidendum, verùm hoc in casu, modò non caput, at partes naturales vel vitales ejusmodi malum impetat, ad *laudanum* statim confugiendum; nempè *laudani liquidi gutt. xx. haustulo aq. epidemic. immistæ propinentur*, & in lecto ad quietem æger se componat. Quod si materia podagram committens, quia non jam in artus fuerit eliminata, Diarrhœam induxerit, modò ea Paroxysmi singularis crisis non fuerit, & laudano jam laudato, & exercitio omniusmodi (hoc enim imprimis ad diarrhœæ curationem obeundum est) non obstante, alvus nihilominùs diutiùs fluat, ægritudine, torminibus ventris, &c. accedentibus, unicum quod scio, remedium est, *Sudor* provocetur methodo & medicamentis huic usui destinatis: quod si fiat ad biduum triduumve manè & vesperi, per duas tresve horas continuas, sistetur ut plurimùm Diarrhœa, & morbi fomes magna vi in artus detonabit. Hac ego methodo aliquot retrò annis meæ vitæ consului, postquam me in hoc malum à potatione aquæ frigidæ pro ordinario potu, imprudens conjeceram; idque posteaquam Cardiacorum & adstringentium varii generis opem frustrà imploraveram. Est aliud symptoma non perinde crebrum, quod tamen aliquoties ipse vidi, metastasis scil. materiæ peccantis in pulmonum lobos; quoties nempe tussis brumalis à frigore, tempore paroxysmi susceptо, materiam sensim in pulmones allicit, artubus interim, ob translationem materiæ morbificæ in aliam regionem, vel omninò, vel tantùm non, tam à dolore quàm à tumore liberatis. Uno hoc in casu intentio curativa non ad ipsam podagram dirigenda est, at verò hoc symptoma pari modo tractandum est quo peripneumonia absoluta; venæ-sectione scilicet repetitâ, cum diæta & remediis refrigerantibus ac incrassantibus, cùm sanguis, in hoc symptomate præcipuè extra... us pleuriticorum sanguinem prorsus referat. Purgandus est insuper æger inter venæ-sectiones potionibus lenientibus quibus hæc colluvies in pulmones illapsa possit amandari. Sudoris autem provocatio, quam vim cunque habeat in morbi fomite super artus deturbando hîc tamen non tantùm prodest, sed & obest, materiam pulmonibus impactam indurando; unde generantur *abcessuli*, & tandem ægri mors certissima subsequitur. Hîc porrò notandum, quod *podagrici* ferè omnes, postquam cum hoc morbo diu conflixere *calculo renum* sint obnoxii, proindeque vel statu, vel declinatione sæpiùs, paroxysmi generalis Nephritico dolore laborare soleant; idque cum magno ægrorum non tantùm cruciatu, sed & virium dispendio, cùm jam plus satis attritæ fractæque eæ fuerint. Hoc in casu posthabitis quibusvis aliis remediis, liquoris possetici, cui rad. althææ unc. ij. incoctæ fuerint, congium unum quàm citissimè devoretur, & sequens enema injiciatur.

℞. Rad. althææ & lilior. ana ℥j. fol. malv. parietar. branc. ursin. & flor. chamæmel. ana m. j. sem. lini & fœnugr. ana ℥ß. coq. s. q. ad lib. j. ß. colatura dissolv. sacchari culinaris & syr. dialthææ ana ℥ ij. m. s. f. enema. Quamprimum per vomitionem æger totum reddiderit quod per os ingestum fuerit, ut etiam enema rejecerit, *laudani liquidi* satis magna dosis propinetur viz. ad gutt. xxv. vel pil. Matthæi gr. xv. Remedia *externa* si quis quærat ad leniendum podagræ dolorem accommoda, nulla hactenùs mihi cognita sunt (licet plurima tùm in meipso, tum aliis expertus fuerim) præter merè refrigerantia & repellentia, quorum usum jam supra docui periculo haud vacare. Et fidenter assero, multâ & longâ observatione suffultus, maximam partem eorum qui podagrâ periisse putantur, non tam ipso morbo quàm sublestâ atque indebita medicatione fuisse peremptos. Si quis autem remediorum externorum, quæ pro anodynis indubitatis habentur, virtutem probare velit, non fucum sibi faciat, eadem sub declinatione paroxysmi particularis (quo tempore dolor jam spontè suâ cessurus est) applicando: quin potiùs sub initio paroxysmi ista usurpet, & statim edocebitur quàm ficulneum sit illud auxilium, quàm vana spes; cùm hæc epithemata nocere quandoque possint, prodesse nunquam. Quâ de causâ egomet jam à multis annis remedia externa adhibui. Pulticula ex pane similigineo cum croco in lacte coctо, addito posteà oleo rosaceo in pauca quantitate, mihi olim præ cæteris profuit; quæ tamen in paroxysmi initio nihil prorsùs juvabat. Si igitur dolor admodùm sæviat, æger rectiùs sibi consulet se in lecto continendo, donec is aliquantisper remiserit, quàm anodynis utatur: attamen haud abs re fuerit *laudani* pauxillum vesperi sumere, si dolor patientiam multùm vincat; aliter meliùs omittetur. At verò cùm in externis hujusmodi remediis jam sim, omninò aliquid mihi dicendum est de musco quodam Indico, *Moxam* vocant, nuper magni nominis in podagræ curatione, si nempe pars affecta eâdem accensâ leviter ustuletur. Quamlibet hoc remedii genus *Indis Orientalibus* acceptum referatur, atque Europæis universim omnibus pro incognito habeatur, attamen constabit antiquioris id esse ævi, etiam apud nos, illi qui *Hippocratis* effata jam ante annos bis mille litteris tradita voluerit consulere. In præstantissimo illo de *affectionibus* libro, Sect. 5. pag. mihi 524. de Ischiade agens, hæc habet ἢν δὲ ἐς ἕν τι χωρίον, &c. id est. *Quòd si in uno aliquo loco firmiter constiterit dolor, neque medicamentis expellatur; quocunque loco dolor fortè extiterit, eum lino crudo inurito.* Et paulo post de *podagra*

gra verba faciens: ξυμφέρει δ' ἡ αὐτὴ, &c. i. e. *Huic eadem quæ Articulari morbo conferunt, & longus quidem hic morbus est & gravis, minimè tamen lethalis. Quod si in digitis dolor remaneat, venas in digito paulo supra articulum inurito; ustio autem per linum crudum fiat.* Opinor neminem posse existimare eam esse differentiam specificam inter flammam vel à lino, vel ab hoc musco Indico excitatam, ut hæc illâ in sanatione Podagræ plus valeat, non magis quàm reputaverit ignem è *Roboris* segmentis accensum majus aliquid præstare posse illo qui *Fraxini* ligno alitur. Hæc partis affectæ ustulatio aliquid pollicetur (quod & efficere quandoque possit) ad doloris commitigationem, evocatâ scilicet fomitis morbifici parte subtilissimâ ac maximè spirituosâ, in articulum jam depositâ. Attamen beneficium ab hoc remedio partum, cùm Indigestionem, quæ Podagræ causa est Antecedens, nullo modo attingat, fugax esse oportet ac breve. Neque opus est ut dicam illud in Podagris tantùm incipientibus locum habere; quando enim sive à morbi diuturnitate, sive ab importuno atque indebito Medicamentorum usu, Podagra, ut subinde fit, ad partes internas fuerit conversa, ac proinde ægritudine, torminibus ventris, atque longo hujusmodi symptomatum agmine, potiùs quàm dolore ægrum multaverit, nemo sanus igne utendum esse arbitrabitur.

En vobis omnia quæ mihi hactenùs comperta sunt in hujus morbi Curatione. Si quis objiciat multa esse Remedia *Specifica* ad Podagram; ego me ea nescire lubens fateor: & vereor ne Promissores isti perinde sint ignari ac sum ego. Et sanè dolendum est Medicinam (Artem nobilissimam) hujusmodi nugis, quæ, sive ab inscitia, sive à pravitate Scriptorum, credulis objiciuntur, usque adeò deturpari; cùm in omni ferè morborum genere hujusmodi aliquid à Nugivendulis tanquam Θεῶν χεῖρες decantetur pleno ore. Et, quod est magis mirandum, quòd non tantùm in morbis typo indutis hujusmodi deliramenta obtineant, sed & minimè formatis qui ab Organorum læsione aliqua, aut προφάσει externa producuntur, Viris etiam cætera cordatis imponant. Atque hoc satis evincunt *Specifica in Contusionibus* vulgò prædicata, qualia sunt *Sperma Ceti*, *Tegula Hybernica*, &c. quæ omnia id tantùm præstant ut Methodum qua tractari debuerat hic Affectus divertant: prout illi satis constabit qui experiri voluerit, quanto tutiùs atque ocyùs sanabitur is qui *Venæ sectionibus* ac Purgationibus utetur *alternatis* usque dum benè habuerit; neglectis prorsus levidensibus istis quæ pro more post sanguinem semel eductum sæpè exhibentur, atque etiam eâ sudorum sollicitatione quæ pari passu cum eorum usu solet procedere: à qua partium jam diu ad inflammationem propensarum excalefactione æger sine causa in vitæ periculum adducitur. Quod si nihil proficientibus his quæ attuli omnibus, adhuc minùs sagax videar, & minùs copiosus in medicamentis eruendis enumerandisque; Universa illa proponam quæ *Lucianus* in Τραγοποδάγρᾳ jam pleniùs collegit, è quibus tam externa quàm interna qui volet eligat: quæ forsan haud minùs efficacia sentiet quàm sunt eorum plurima quæ à nonnullis deprædicantur. Apud hunc *Podagræ* Persona ita istos alloquitur, qui secreta quædam Remedia se habere jactabant; quibus is morbus possit expugnari.

τίς τὴν ἀνίκητον, &c. id est.

Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat Podagram in terra mortalium?
Quam neque Thuris vapor placat,
Neque effusus sanguis aras ad incensas;
Non templum divitiarum undique suspensis ornatum donariis:
Quam neque Apollo Medicamentis expugnare valet,
Omnium Medicus in cælo Deorum;
Non filius Apollinis doctissimus Æsculapius.
Postquam enim enatum est primum hominibus genus,
Conantur omnes meam elidere potentiam,
Miscentes semper Medicamentorum artificia.
Alius aliam in me experitur artem.
Terunt Plantagines, & Apia mihi,
Et folia Lactucarum; & silvestrem Portulacam;
Alii Marrubium, alii Potamogeitonem;
Alii Urticas terunt; alii symphytum;
Alii Lentes afferunt ex palustribus lectas;
Alii Pastinacam coctam; alii folia Persicorum,
Hyoscyamum, Papaver, Cepas agrestes, Mali Punici Cortices,
Psyllium, Thus, radicem Ellebori, Nitrum,
Fænum græcum cum vino, Gyrinem, Collamphacum,
Cyperissinam Gallam, Pollinem hordeaceum,
Brassicæ decocta folia, Gypsum ex Garo,
Stercora Montanæ capræ, humanum oletum,
Farinas Fabarum, florem Asii lapidis;
Coquunt Rubetas, Mures-araneos, Lacertas, Feles,
Ranas, Hyænas, Tragelaphos, Vulpeculas:
Quale metallum non exploratum est mortalibus?
Quis non succus? Qualis non arborum lachryma?
Animalium quorumvis ossa, nervi, pelles,
Adeps, sanguis, medulla, stercus, lac.
Bibunt alii numero quaterno pharmacum:
Alii octono: sed septeno plures.
Alius verò bibens Hierampurgatur:
Alius incantamentis impostorum deluditur:
Judæus alium stultum excantat nactus:
Alius verò remedium petit ab Hirundinis nido.
Ego autem his omnibus plorare impero,
Et facientibus hæc atque irritantibus me
Soleo occurrere multò iracundior.
Iis verò qui cogitant nihil adversum mihi,
Benignam adhibeo mentem, facilisque fio.

Nullus dubito prudentissimos quosque eorum qui cum hoc morbo diu conflixere de omnimoda Curatione desperantes, Choro qui istius Dramatis Catastrophen facit, suffragaturos.

Ἤπιον ὦ πάνδημε, &c. id est.

Lenem, O ubique gentium Celebrata afferas (nobis) dolorem ô Podagra,
Levem, facilem, non acutum, brevem, haud sævientem,
Tolerabilem facilè desinentem, parùm validum, ambulationes non impedientem.
Multi sunt modi miserorum:
Sed exercitii dolorum, & consuetudo
Podagricos soletur.

Ideoque æquo animo, ô Complices obliviscimini;
Dolorum Si ea quæ placent non fiunt,
Tamen etiam præter spem accidentibus viam invenire solet Deus.
Quivis sustineat Podagrâ laborantium
Deludi & derideri:
Talis enim hujus morbi natura est.

Ut semel finiam. Methodus quam hîc trado φαινομένων prædictorum & examini innititur; quamque ego secutus tam in ipso me, quàm in aliis, morbi levamen percepi. Therapeja Radicalis & usquequaque perfecta, quâ quis etiam à diathesi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet, atque in naturæ sinu reconditur, nescio quando, aut à quibus in lucem extrahenda. Spero nihilominus me hoc scripto humano generi commodi aliquid contulisse, si istos scopulos fideliter indigitaverim, ad quos tum ipsemet, tum alii plurimi naufragium fecimus; atque insuper optimam quæ hactenùs innotescit methodum præmonstraverim. Non his majora promitto; quamvis à longa cogitationum serie quas huic rei impendere tantùm non sum coactus, inducar credere ejusmodi Remedium quandoque inventum iri. Quod si unquam acciderit, inscitiam suam Dogmaticis exprobrabit, atque exinde liquebit quam insigniter tam in dignoscendis morborum essentiis, quàm in medicamentis quibus eos aggrediuntur, hallucinentur, Cujus rei exemplum satis luculentum habemus in repertione summi illius ad *Febres Intermittentes* Specifici, Corticis Peruviani. Per quot jam sæcula homines quique solertissimi ingenia exercuerant in investigandis harum Febrium causis, quibus praxin quilibet aptavit Theoriæ à se excogitatæ optimæ respondentem? Quomodo verò hæ Medicationes Theoremata valebant defendere, ex iis constat quorum adhuc recens est memoria; in quibus varias intermittentium species in variis humoribus in corpore redundantibus collocantes. Curationem ad humorum istorum alterationem atque evacuationem dirigere solebant. At quàm inauspicatò id egerunt eorum in his conaminum frustratio, præcipuè verò hujus *Corticis* usus felicior, palam faciunt: cujus ope nos nunc temporis tum humores hujusmodi omnes, tum etiam Diætam & regimen quodcunque susque deque habentes, ac nihil nisi methodum pulveri exhibendo debitam observantes, scopum rectà attigimus; vix ab illo aberrantes unquam jussi ægrum lecto sine ulla necessitate addicimus, dum in ejus usu est: Tanta tamen est hujus remedii vis, ut non obstante eo incommodi, quòd scilicet febris à Lecti calore plus quàm erat opus intendatur, ægrum nihilominùs ad sanitatem ut plurimùm reducat. Interea donec hæc Podagræ Curatio Radicalis comperta fuerit, quod Medicos omnes, me præ cæteris, optare fas est; hanc meam qualemcunque opellam boni consulite. Quod si minùs eveniat, hominum mores ita probè perspectos habeo ut non multùm fallar; & officii mei rationem ita calleo ut animo neutiquam cadam. Et si sævissimi isti cruciatus, impotentia ad motum, cæteraque corporis mala, quæ ego per maximam vitæ partem sum perpessus, (una cum damno rei familiaris quod sustinui, à Medicina facienda, toties adversa valetudine avocatus) aliis quietem & ἀναλγησίαν possint comparare, erit unde me fructum aliquem miseriarum hujus generis, quas in hac vita toleravi, in aliam migrans percepisse existimabo. *Th. Sydenham Tractat. De Podagra, & Hydrope.*

In magnis Arthritidis doloribus & cruciatibus statim ad compescendos eos animus est adhibendus, relictis & postpositis tantisper aliis intentionibus, donec doloris carnificina cesset, in quo statu astans Medicus non minùs sæpè rubore suffunditur, & pudore, quàm æger dolore. Quare ex topicis spagyrica & antiquissima Hippocratica methodo inventis, & ratione approbatis selectiora nunc memorabo: asseverare enim non oportet (Magistri verba) propter varia attributa & circumstantias; quod unum aliquod remedium applicatum statim profuturum sit, & ideo varietatem constituere ratio suadet, horum plurima à vulgo practicantium, & ab Hippocratica vetustissima methodo dissecti citantur, nullum tamen horum legere aut videre contigit, qui minimam rationem addere potuisset; quare hæc ita fierent? Cùm autem citum, tutum, & jucundum auxilium animadverterint, & ad frigidum, vel calidum quadrare non possit, vel nocuum, vel empiricum vocarunt, manifesto argumento à nostris hæc & alia excerpisse, & eo ipso ignorare se testantur, in Natura scilicet nil unquam fieri posse, cujus legitima causa non præcedat. At non solùm in his, sed in reliquis omnibus admodum jejunos se manifestant: exempli gratia, bezoar, dicunt urinam & sudorem movere, perlas cor roborare, &c. nullus tamen, quâ ratione sic indubitatè in corpore humano agerent! & ideò dicti sectarii à principio ad finem usque sunt, manent, & consenescunt empirici, & experimentatores, semper discentes, & nunquam ad veritatem pervenientes, sic enim habet Author in Hollerium de Vinaceis, *je l'ay pratiqué cent fois, il n'y a rien de meilleur sous la chappe du ciel*, attamen nulli podagrico profuerant unquam, quare illis receptula quædam, qualitativo, & frigido sermone roborare sine causarum cognitione satis est, superflua, ait Philosophus, discunt, necessaria ignorant, quia aliud non cognoscunt, quàm quod externo sensu friget, vel calet: id est quod nesciunt, scire nolunt. Sperma ranarum, luna decrescente collectum, & ex balneo ad siccitatem distillatum, prolicitam aquam alcali insipidi ditissimam dabit, ut Hippocr. Chim. mechanicè docet, quæ tepida cum lineis pannis applicata calidæ igneæque podagræ optimum est refrigerium. Aduertat tamen patiens, ne aquæ addatur alumen, ut suadent Crollius, Sala, Tenzelius, & alii: licet enim alumen sit refrigerando, ejus tamen adstringentia poros cutis claudente, diaphæris impeditur, dolorque in excessum augetur: experto crede. Unde rectè Hildanus, alumen podagricis esse inimicum monet. Multo promptiùs dolorem leniveris, si aquæ prædictæ alcali acueris, sive multiplicaveris additione alcali urinæ, tali proportione, ut inflammatam dolentemque partem applicata aqua non pungat, quod lingua facillimè metiri potest. Cùm autem *ex Magistri libro de morbis*, totum corpus,

corpus, dum vivitur, transpirabile habeatur, dolenti loco tepidè duplicatis, vel triplicatis linteis fomenti modo adhibita, non potest alcali urinæ non attrahere acidum tem ibi ebullientem, & cute per fomenti calorem rarefacta acidum spiritum non extra corpus erumpere, ac proinde quietem non consequi dolorem, *Verba Hipp. de flatibus.* Dicta nempè aqua non primis qualitatibus, sed absumpto, ac attemperato acido igneo refrigerare dicitur, ex quo postea magno patientibus solamine dolor mitescit. Alii, loco spermatis ranarum aquæ spirituum vini eligunt, atque urinæ alcali commiscent, sed ubi inflammatio prævalet, cautè procedendum est, aliàs enim urit, & vesicas attollit: etiamsi locus affectus plumaceolo leviter tantùm eo perungatur. Urinæ spiritus commodissimè ac celerrimè parabitur ex sale armoniaco, quod nihil aliud est, quàm alcali urinæ ligatum, vel condensatum cum acido communi sale cibario, ut docet Hippocr. Chimicus c. 2. Si enim armoniaco addideris æquam alcali fixi (ex gr. Tartari) portionem, & ex retorta vitrea levi calore ambo unita pepuleris, in illo tepore fixum alcali tartari amplectitur, trahitque ad se acidum salem cibarium, & alcali urinæ, quia fugax & volatile, dimidiæ horæ spatio, in mediocris magnitudinis vas recipiens se recipit ab igne fugiens volatile, albissimumque, qui servandus est ad usus prædictos vasis vitreis cera perquam optimè obturatis. Hac in operatione simplicissima, naturæ instrumenta rarefactio nimirùm & condensatio oculis mechanicè patefiunt. Alcali enim volatile urinæ liberum dimittitur à societate acidi salis communis, se iterùm alcali tartari fixiori copulantis. Unde alcali urinæ, si dolentem locum podagricum attingit, acidum rursùs trahit, utpote vacuum, illoque saturatur; & in neutrum ambo vertuntur. *Unde Magister* Generare, & interire idem, commisceri, & discerni idem. Eò quod Naturæ minister sive spagyrus profundum habeat ingenium. Recens etiam urina sani pueri, in defectu aquæ spermatis ranarum, ex Balneo distillari potest, adjecto cinere communi, cujus alcali sorbet acidam urinæ partem, & alcali urinæ cum aqueo humido ascendit per alembicum: hæc quoque alcalizata aqua pluribus profuit. Ex eodem fundamento paretur ex tempore absorptiva aqua sine ulla distillatione, sed simplici mixtione ex salis armoniaci pulverizati, & alcali tartari ana, cui mixturæ affunde aquæ communis, tantùm, quantum pro solutione sufficit, & lineis molliusculis petiis duplicatis, fomenti modo tepidè applicatur. Sunt, qui lacte recèns mulcto utuntur, eò quod inter alcalia, quæ acida bibunt, infimum locum non habeat; sed quia in calido statim in aliam naturam mutatur, propterea omnibus non æquè confert, placat interim, & mitigat acidum ignem trahendo, locique asperitatem demulcet, præsertim quando cum hyosciamo semel ebullierit, ut habent ab experientia plurimi practici. Huc etiam referri potest Crollii unguentum Anodynum, præsertim febre absente, ab hujus enim unica tepefacta unctione afflictissimum arthriticum à doloribus liberatum vidi, qui deinceps sospes vixit, caveat tamen ab hoc, & aliis omnibus unguentis, si dolor febriculam comitem habeat. Sunt qui virga, seu ferula cædunt dolentem podagricam partem, donec rubescat, sic acidum expirat, & à doloribus tuti vivunt. Caro bubula alcali ditissima, ut Hippocr. Chym. mechanicè ostendit, lacti præfertur, ut & prædictis omnibus: hujus enim frustum crudum sine pinguedine partem dolentem olim superligavimus, à qua manè vesperique mutata fœliciter siluere dolores: memores, quod aliquando quidam ita levissimo teneretur pedis dolore, ut foras in publicum egredi sua peracturus negotia non dubitaret, verùm in itinere parùm progresso, dolor increbuit majorem in modum circa malleolum externum sinistri pedis, intensissimo cum cruciatu: & deficiente vectura, pedibus, domum laboriosè repetiit, carnis bubulæ frustum illicò applicabatur, cujus alcali acidum dolorosum, & igneum electivè vel spagyricè trahente, sequenti manè locus circumquaque veluti atramento conspurcatus ater visitur, maximo patientis terrore: dolor tamen planè sublatus aberat: ejusmodi enim nigredo sanguis erat ab igneo acido calore, violentoque dolorifero articulari motu extravenatus, ac expressus, qui ab alcali attrahentis appositu rarescens paulatim expirando evolabat. Infimum locum hic etiam non habet spiritus vini camphoratus, præsertim à rosmarino rectificatus. Insuper pulvis radicis consolidæ majoris cum aqua communi in pultem coquitur, quam minimi digiti grossitie dolenti loco applicatam, optimum mitigativum in novella podagra, primaque doloris invasione deprehendi: etenim post tres vel quatuor horas à parte elevata nares ferit odore ex putri acido: argumento, acorem extrahere. Inveteratæ tamen podagræ nil commodi adfert. Dolore & febre; & si remissis, lecto ægrum sibi non obligante, attamen incessus, ac ambulatio impossibiles sunt: videntur enim mille aciculæ juncturas lancinare. Unde pro hoc statu opportunum Emplastrum composui, cujus præparatio hæc est.

Olei rosati lib. 1. calefiat in patella, adde saponis albi rasi unc. iiij. liquefacto sapone, adde cerussæ, minij, ana unc. iiij. coque lento igne continuè movendo ligneo paxillo, donec emplastri duriorem consistentiam acquirat: Si enim eò duritiei non adducatur, rursùs in aëre mollescit, quia saponarium alcali humidum ab aëre rursùs attrahit: cui demum ab igne remoto, & nonnihil refrigerato addatur sub continua agitatione camphoræ unc. i. prius solutæ in mortario spiritu vini ad pultis formam. Hoc emplastrum ex meris alcalibus compositum mirabiliter non solum acidum podagricum ibidem latens, sed & apostemata, tumores duros, pedum callos, varios dolores tam Nephriticos, quàm ex acido ubicumque obortos, etiamsi febriles promptissimè sopit, refrigerat, mitigat, adhæretque plures dies super pellem extensum, tamdiu scilicet, donec poris apertis acidum morbosum exhalet, tunc nimirùm degenerata humiditas expirans à cute depellit: quod autem morboso acido non concordat, illud dolenti loco, neque adhæret, neque assidet. Hujus alcalizati emplastri encomium hìc non adduco, ut mihi esse velim ceu hederam suspensam, sicut titillabundis decanis acetum, sub

pomposo titulo: *spiritus veneris noster, sal vini nostrum, magisterium nostrum, & similia nostra!* neutiquam verò: abhorret enim animus meus ab ejusmodi vanis ostentationibus, quod norunt, qui, Tachenium liberi candoris alumnum esse, sciunt. Decani verò docent, dolori podagrico oleum saponis esse lenimen illud, tamen oleum, quod ex sapone stillando eliciunt, cùm nihil aliud sit quam distillata pinguedo unà cum fixo alcali cocta in saponem, eorum vanitatem pro dolore placando illis lubentes relinquimus.

Est & alius Arthriticus dolor sine inflammatione & rubore, qui plerumque scapulis ita infixus hæret, ut respirationem nonnihil aggravet: hic ex acido dolor, quia non profundus, facillimè ideò mitigatur potentiori acido, quare huic usui spiritum vitrioli optimum esse deprehendi, ab unica enim hujus unctione quies sequitur: cavendum tamen, ne inter ungendum linteamina, seu vestes alicujus momenti hoc spiritu attingantur: eas enim corrodit atque instar ignis urit, tamdiu ungendo cum lanei panni frustulo continuandum est, usque quo pars dolens pungi sentiatur, tunc ab unctione cessantes locum abluimus tepida aqua, deinde superlinimus oleo Hypericonis. Addit *Magister*, acetum (ejus enim tempore nondum innotuerat vitrioli spiritus) valere ad podagram, si non corpus vulneraret, eadem etiam fæx vini facit: frigidæ namque Podagræ (ita loqui lubet) quando scilicet dolor igneus abest, aceti totus accommodatissimus est. Notandum hoc loco, verum non esse, quod turba scribillat: *spiritum vitrioli, & spiritum sulphuris idem esse, easdemque possidere vires*, quam assertionem pernitiosè falsam esse deprehendi, nam spiritus vitrioli sex dies, totidemque noctes igne reverberii naturæ possibili expulsus, mercurium præcipitat, eundemque eo simul ipso reddit longè constantiorem præcipitato per sulphuris fumum condensatum, ut ut oleosum. Vitriolum enim ab igne, cùm non facilè fugiat, ideo mercurium ab ejusdem acido, firmiore constantia ditari, eoque perfectioribus dotibus insigniri, quàm à sulphuris stagmate præcipitatum, necesse est. Mercurius nempè terrestris cum Cælesti symbolizat: eorum enim, quibus jungitur, induit potestatem, ut docuerunt Veteres sub experientiæ testimonio: vid. Clavis cap. 8. adeoque Turbith mercurii à prædicto vitrioli acido veniens, est medicamentum nobile, præsertim ad veneream luem, similia contagia, pestilentialesque morbos exhibitum in rosarum conserva, pasta Ruffi, aut in succo liquiritiæ, sub pilulari forma, &c. Cave autem, ne ipsum commisceas cum scammonii resina, vel terebintho, vel gummi gutta, ut docet Hartmannus: omnis enim mercurius quocunque modo præcipitatus, pinguedinibus irretitus, vi laxativa exuitur, & hactenùs cinnabaris, quæ est sublimatus mercurius, alvum non ciet, pinguedini sulphureæ combinata.

Ischiadicus omnium arthritidis dolorum gravissimus ob doloris magnitudinem, & symptomatum supervenientium momenta, sedem in profundo habeat, necesse est, ideò inflammatio rarò extra apparet. Itaque ad salutem flatus intus eò loci detentus discutiendus est. Cibi conveniunt tantillo saturegiæ aromatizati. Podagricum medicamentum exhibendum in haustu jusculi, vel vini semel ebulliti, unà cum quatuor seminibus calidis majoribus, & locus affectus foris perungendus oleo lini: desuperque noctu fovendus applicatione tepefacti sacculi cumini semine ruditer contuso, & furfuri commixto referti. Præsente febre; vehementique pulsatione, sanguinis missio mirificè confert: ea absente phlebotomia inutilis est, atque lini oleo adjungere præstat dimidiam, vel quartam partem olei laterini rectificati. Hacque simplici methodo, brevi temporis spatio sanitas induci solet, dummodo morbus inveteratus non sit. Sunt qui ossa humana ad albedinem exusta oleo vetusto extingui, indeque distillari jubent, hoc postea oleo laterino præferunt. Hi sunt ex illa classe, de quibus dicitur, *quæ nesciunt, scire nolunt* sacram scientiam odio habentes vituperant, & vilipendunt, *quia nesciunt, quid faciunt, ait Magister*, nesciunt, inquam, ossa combusta oleo in hoc casu non plus communicare, quàm lateres igniti, eò quod oleum in forma fumi ab illis elevetur ossa enim semel candefacta & ignita fiunt, sicut lateres ipsi, inania & vacua corpora rursùs exsatiari cupientia. Unde per os assumpta, acida specifica, non secùs, quàm cornu Cervi ustum, bibunt, ut in Clave mechanicè ostendi. Dolorem verò ischiadicum à sanguine extravenato, radix bryoniæ recens rasa, & cum lini oleo commixta tepidè applicata mirum in modum pacat: renovandus est labor, donec sanguis planè dissolutus, & ad transpirationem seu volatilizationem aptus transsudet: interea tamen temporis podagricum medicamentum nullo modo intermittas, ut acidum obortum sorbeat, novumque regenerari non patiatur. Clysterem in hoc casu ex Bryonia, ut docet Donzellinus Neapolitanus in suo Dispensatorio nemini suadeo, nam rectum intestinum magnam habet consonantiam cum ore ventriculi, ideò choleram facilè causare potest. Idem morbus inveteratus cùm sit frigidus, & alcalizatus, oleum lini cum euphorbio applicatum loco affecto optimum deprehendi remedium, licet magno cum dolore agat. Pedibus continuata diaphœresis ita requiritur in omnibus arthritidis speciebus, ut instantis paroxysmi præ indicio sit, quotiescunque intra pedum digitos excrementum proprium, & consuetum non reperitur; quare in subcalceolos, seu saccos ex denso lineo panno consutos, digitos pedum versus, infundo parùm cineris ex herbis cephalicis, ut rosmarini, rutæ, salviæ, lavendulæ, betonicæ, &c. ejusmodi enim cinis alcali suo modo volatile continet, ut Hippocr. Chim. docet, quod quia solum, inane, & vacuum esse non potest, ideò trahit per poros cutis, combibitque acidum pedum articulos torquens: unde licet podagricus tota die sine motu deambulationis sedeat, renovandi sunt tamen quotidie linei subcalcei, aut ad minus cinis: horum enim continuato usu, & perseverat effluvium, & rariùs deinceps morbus infestat. Aliquando post paroxysmum, plures menses pedum, malleolorumque tumor persistit, quem tamen alcali dictarum herbarum udonibus lineis inspersum optimè, celeriterque demittit, complanatque.

planatque. Picem navalem emplastri forma applicatam hoc in casu quoque proficuam esse animadverti. Cinis dictus non solum acidum trahit, sed etiam pedes mundat à sordibus, ut ablutione, quæ podagricis pessima est, præsertim ab aqua, opus non sit. Pedum verò lotionem ab aceto, vel vino instituere volentibus, per me, sed valdè raro, liberum esto. Sunt, quibus pedes olentem mephitim spirant, quod vitium conversatio civilis admodùm horret, & præsertim in iis, qui aulas frequentare habent, cujus causam plerique descencentibus nescio quibus putridis humoribus adscribentes, evacuationes cum cautela, ne hepar accendatur (res risu digna) indesinenter repetitas, & rigorosum vivendi genus frustra præscribunt. Sufficit cinerem prædictum lineis calceis, modo quo dixi, inspergi, & fætor unàque diffluens sudoris mador illico cessant: argumento, id evenire non putridi humoris descendentis, sed vitio ventriculi, cuti pedum insiti, affluentem pro alimento sanguinem deturpantis, & in ejusmodi fætorem convertentis: ut sanandi methodus ostendit, eò quod alcali dictorum cinerum acidum putrefactivum ab ipso cutis ventriculo (non secùs quàm alcali calcis cadavera) absorbeat, absumatque. *Otto. Tachenius Tractat. de Morborum Principe.*

Podagra, Chiragra, Gonagra & Arthritis vaga necessariò ex malè disposito succo nervoso ortum trahunt, qui acris est, & continuò pejor redditur à malè elaborato Chylo, & exinde confecto sanguine; curari debent, primò per strictam diætam, ut eligantur tales cibi, qui superfluum sal alcali volatile continent. Intestina interdum à crassis vitiosis humoribus purgari debent per purgantia, sive supra interdum, sive infra; Deinde talia medicamenta usurpari, quæ ex Alcalibus volatilibus constant, tam ex Animalibus quàm Vegetabilibus parata, ut vitiosus acris & acidus succus nervosus corrigatur, aliàs parùm efficietur. Optima Medicamenta, quæ nobis semper honorem creârunt, vobis communicabimus. Vomitoria possunt esse talia.

♃. Tartar. Emet. gr. v. oxymel Scyllitic. ℥ß. Vini Rorismarini ℥i. m. f. Vomitorium. Vel

♃. Sulph. antim. gr. vi. Crem. tartar. ℈i. Aq. Rorismarin. ℥ij. m. f. Vomitorium f.

♃. Sapæ vomitor. gutt. vij. Vini lilior. Convall. ℥i. misce f. Vomitorium. *Purgantia.*

♃. Resin. scammon. resin. Jalapp. ana gr. vi. Mag. succin. gr. v. sal. succini volatilis gr. iiij. Conserv. flor. Anthos ʒij. Misce f. Bolus. Vel

♃. Extr. Helleb. nigr. ℈i. Resin. Jalapp. Turbith. ana gr. v. Mag. tartari ℈i. Mag. succin. gr. vi. Ol. still. Rorismarin. gutt. iij. Conserv. Rosarum ʒij. Misce f. Bolus. Vel

♃. Extr. Agaric. Helleb. nigr. ana ℈ß. Resin. Mechoacann. Resin. Scammon. ana gr. v. Sal. Tartar. ʒß. pulp. Cassiæ ℥ß. Misc. f. Bolus. *In Arthritide vaga, quando dolor magnus.*

♃. Extr. Pilul. Alœphang. nostr. ʒi. laudan. Aromatic. gr. iij. Misc. f. Pilul. n. vij. vesperi assumendæ.

♃. Extract. Diacatholici nostr. ʒß. Laudan. Aromatic. gr. iij. Misc. f. Pilul. n. vij. vesperi assumendæ.

♃. Pilul. Ruffi ʒß. Resin. Jalapp. Scammon. ana gr. vi. Mag. succini gr. v. Ol. still. Sassafras gutt. iij. Misc. f. Pilul. n. vij. Vel

♃. Extr. Aloës, Extract. Rhei, Extr. senn. tartarisat. ana. ℈i. Resin. Agarici gr. viij. Mag. succin. gr. v. Ol. still. majoran. gt. ij. Misc. f. Pilul. n. vij.

Corpore hoc modo supra scriptis pilulis purgato & præparato, uno ex sequentibus compositis semel aut bis in hebdomade sudorem prolicere potestis.

♃. Antimon. diaphoretic gr. xv. Corn. Cerv. philosophic. præp. ℈i. Ocul. Cancr. præp. gr. xvi. Spir. C. C. Spir. Tartar. ana ʒß. Decoct. lign. sassafras ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

Vel ℞. Spir. sal. amm. aromatic. spir. fuliginis Succinat. ana ʒß. Tinct. tartar. antim. ℈i. Antimon. diaphoretic. gr. xvi. Ocul. Cancr. præp. ℈i. Decoct. Lign. sassafras ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

♃. Spir. Ligni Guajaci ʒi. Spir. Tartar. Spir. C. C. ana ʒß. Sulph. aurat. diaphoretic. ℈i. C. C. ust. & præp. Matr. Perlarum præp. ana ʒß. Decoct. Sarsaparill. & Chin. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

Vel ℞. Rob Sambuci, Rob Juniper. ana ʒi. Spir. tartar. sassafrati, spir. sal. ammon. succin. ana ℈i. Flor. antimon. diaphoretic. gr. xv. C. C. ust. præp. Ocul. Cancr. præp. ana ℈i. Decoct. lign. & Cort. Guai. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

♃. Spir. tartar. sassafrat. Spir. Lumbricor. terrestr. ana ʒß. Sal. lign. Guajac. Sal. Viperin. ana gr. x. Antimon. diaphoretic. Ocul. Cancr. præp. ana ℈i. Rob. Juniper. ʒij. Decoct. Lign. sassafr. ℥ij. Misce f. Sudoriferum. Ubi dolor in paroxysmo magnus est, tunc laudan. aromatic. gr. i. gr. ij. vel gr. iij. pro ratione circumstantiarum adjungi possunt. In India hæc sequentia haberi possunt.

♃. Spir. Lign. Ebeni, Spir. Lign. Colubrin. Spir. C. C. ana ℈i. Antim. diaphoretic. gr. xvi. C. C. usti, Lap. Percar. præp. ana ℈i. Rob Sambuci Indici ʒij. Aq. Zerumbeth. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

℞. Spir. fuliginis Cinnamom. ʒi. spir. sal. ammon. Spir. C. Rhinocerotis ana ʒß. Spec. diasolis ʒi. Decoct. Ligni Sassafr. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

Vel ℞. Bezoart. C. & Ungul. Alcis ʒi. Spir. Lign. Ebeni, Essent. Lign. Colubrin. ana ʒß. Sal. Volat. oleosi Zerumbeth. gr. vij. Aq. ex Rad. Cinnam. sylvestr. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum.

℞. Spir. C. Capri Cervi Orient. ʒi. Spir. Lign. Ebeni ʒß. Sal. viperin. ℈ß. Sal. volat. oleos. Zedoar. Sal. Rad. Cinnamom. Sylv. ana gr. v. Decoct. Sarsaparill. ℥ij. Misc. f. Sudoriferum. Elyxiria, quæ per vices inter Sudorifera, ad prævervationem usurpari possunt.

℞. Elixir. Balsamic. Tinct. tart. antim. ana ʒi. Tinct. C. C. ℈i. Misc. Dosis manè & vesperi gt. xx. Vel

℞. Spir. Sal. ammon. aromatic. Spir. fuliginis succinati ana ʒi. Tinct. tartar. antim. Elixir. Balsamic. ana ʒß. Misc. Dosis gt. xv. manè & vesperi.

℞. Essent. Succin. Essent. Cinnamom. ana ʒß. Essent. Rorismarin. ʒi. Spir. C. C. ℈i. Misc. Dosis ℈i. manè & vesperi. Qui multorum Medicamentorum usu abhorret, ille mane & vesperi assumat ℈ß. vel plus volatilium Alcalium ex C. Cervi, C. Rhinocerotis, Unicornu, Viperis: vel dosin unam Bezoartic. C. Cervi. Corn. Rhinocerot. Viperin. deque magno auxilio confidat. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medico-chymic.*

Quoad Arthritidis præcautionem, perfunctoriè eam exequitur Galenus, existimans purgationes & sanguinis missiones, vere & autumno celebratas, satis esse, accedente recta vivendi ratione, non modò ad eam præcavendam, in his qui ab ea hactenus immunes fuere, verùm etiam in quos jam aliquando invasit. Addamus verò plurimarum aliarum rerum concursum requiri: Diæta sibi primas vendicet, atque ex alimentis eligenda euchyma & eupepta, facessere jussis quibuscumque glutinosis, tartareis, sale impraegnatis, & iis quæ facile coagulantur. Eorum species petantur è libris, qui regulam continent utilium vel noxiorum. Potus maximum hic momentum obtinet, qui cum diluendo cibo inserviat, ichorosi excrementi collectioni materiam præcipuam præbet. Is si Tartareæ ejusmodi materiæ plurimæ particeps est, procul dubio per similitudinem substantiæ ad se allicit eam quam alimenta continent, ac proinde podagræ generationem promovet: Constat enim potiones viscidas, quales sunt Zythum & cerevisia non ritè defæcata, ad coagulationem aptas esse, ac facilè calculum parere. E contra tenuiores potus, maximè simplices, atque quibus minimum salinæ materiæ inest, minùs pronos esse in generationem ejusmodi mali: Hinc raro aquæ potores, modò sincera sit, in podagram proclives sunt, præsertim divites: qui curiositatis ergo in fontes, è quibus aquas hauriunt, silices fluviatiles tersos & nitidos conjiciunt, hi limo mucilaginoso, quem secum vehit aqua, terræ venas perfluens, obducuntur, removenturque injectis aliis: Vel utuntur aqua pluvia cisternis excepta, sabulo repletis, Hydromel ex aqua cœlesti paratum, ritè depuratum, accedente fermentatione, donec limpidum fiat, nec quicquam in fundum deponat, insignis utilitatis est, imò medicamenti vim adipisci potest, adjectis herbis cephalicis, neureticis & arthriticis, quales sunt betonica, iua arthritica, & moschata, primula veris & similes: Vinum nimiâ copiâ assumptum turbidum, non exactè à fæcibus depuratum, & à suo Tartaro liberatum, summè noxium est, tum quia à continuo illius usu & immodico dissipatur calor nativus, tum concoctio in ventriculo impeditur, præsertim carnium, quæ in eo liquore indurescunt, jecur offenditur, sanguis acris simul ac serosus gignitur, cerebrum debile redditur, nervorum robur infringitur, catarrhi cientur, quorum materia in suprema illa regione condensata, perpendiculariter in subditum corpus decumbit, & devastat quicquid obvium est & maximè debile. E vinis alia polyphora sunt, & quanquam diluta linguam vellicant: ejusmodi tartaro vitriolico abundant, acido, pontico, pungente: Alia generosiora, plurimoque spiritu pollent, quorum robur ab admixta aqua cito retunditur: hæc cerebro præsertim infesta, ut priora artubus: Ars modum excogitavit quo vaporem noxium vino demeret, id transcolando per instrumentum vitreum duplex, dictum Gallis *Montevin*, eoque ingenio Tartaro superfluo privant, infuso aliquo liquore præcipitandi vi prædito, quale est oleum Tartari, (cujus ope vinum ad acorem vergens dulcescit) lithargyri solutio, vel saccharum plumbi ex aceto factum: crystalli calcinatæ solutio per crebras in aquæ urticæ extinctiones & reverberationes cum spiritu acido terebinthinæ, s. a. sed durum est & tædiosum medicato cibo & potu in pastibus uti: Qui vino sibi temperare non poterit, eligat quod minus noxium, & oligophorum est, optime id diluat, neque ultra necessitatem diluat, abstinendo quoque à copiosiore cibo: Hæc sanitatis prima sit lex, non satiari cibis, nec ventriculum gravare, vires ejus superando, superflua πλήσμονὴ quo calor nativus in objectum sibi commissum sine molestia agit, quod ἡγημονικὸν est; neque etiam novus ingerendus cibus priore nondum concocto: hic esto simplex, cujus præcipuum condimentum sit fames: eam revocando, si deficit, mediocri exercitio horis debitis instituto, ante, non immediate à pastu, cujus ope excitatur calor sopitus, non secus ac sopitus ignis cinerum agitatione reviviscit. Sed quandoquidem exercitii mentio injecta, cujus essentia est in motu, accersantur huc frictiones tum totius, tum artuum, quæ poros reserant, exhauriunt suppressas superfluitates caloremque ad partes, functionum omnium opificem principem & instrumentum facultatum revocant: Porrò, cùm nullum alimentum non aliquid impurum in se contineat, quod in excrementum facessit; in id elaborandum quo supervacanea excludantur per vias naturales, quantitate convenienti & opportuno tempore: quod si natura cæspitet, arte ei succurrendum in id sedulo incumbendo, ut venter secedat, nec ventriculus unquam impuritatibus scateat, ita ut primæ concoctionis reliquiæ vice fermenti non sint, quod sequuturo alimento acorem conciliet: In id conducent remedia quædam familiaria, ut pilulæ masticlinæ, macri, aloës variis succis impraegnatæ, stomachicis, epaticis, atque aliis levibus medicamentis, quæ vocamus Eccoprotica. Maximeque refert perpendere an urinæ & potus copia sibi invicem proportione quadam respondeant; alias potiones aliquæ aperientes & diureticæ certis temporibus & medicamenti forma assumptæ, atque extra pastus, eximii usus erunt, qualis est liquor vinosus, qui ex baccis juniperi exactè maturis, ope aquæ bullientis extunditur, addito pauco fermento, vel sinapi, ut sic ejus fermentatio promoveatur; aut tantillo liquore rubeo qui è sale tartari cum spiritu vini elicitur s. a. Mirè quoque sudorum provocatio confert, sive mediante exercitio excitentur, sive in laconico, semel aut bis in mense, injectis aliquando enematis, ventriculo cibis vacuo: Aëris extremæ injuriæ vitentur, frigoris præsertim & humiditatis, sedulo artus contra earum vim muniendo. Somnus & vigiliæ in mediocritate consistant, excessus enim æquè noxius est: De Venereis

nereis idem esto judicium; Podagricis summè infestis, quanquam, experientia teste, humores salsi & nitrosi, quibus podagrici abundant, ad ejusmodi conflictum crebrò impellant: de quo quondam sciscitatus quidam, quod tempus illi foret opportunum? Scite respondit, cum quis seipso debilior fieri cupit. Tandem, si mediocritas ex usu sit in omnibus quæ corpus spectant, potiori jure in iis quæ ad animum attinent ejusque impetus, qui organis corporeis usus, ea destruit & consumit, nisi à Ratione motus ejus regantur.

En succinctam ἀπογραφὴν præcipuorum Canonum in diæta à Podagricis observandorum, vel iis quibus meritò suspecta esse debet podagra: Ad præcautionem adjungenda quædam remedia, præcipuè vacuantia, quo infortunii plenum illud malum in herba, ut ajunt, & in primordiis averruncetur, subtrahanturque illius causæ priusquàm in actum erumpant, ac obsideant partes in quas tyrannide suâ & laniena sævire solent.

Vomitus Podagræ prophylacticum præstantissimum est, qui potest provocari emeticorum ope in plenitudine insigni, ubi juncturæ admodùm laxæ, & morbus præ foribus est, atque ubi Podagricis (qui aliàs insultus sustinuit, vel nondum expertus est) sui est juris Medici imperio non parens, sed genio in valetudinis incommodum plerumque indulget. Ex vomitoriorum classe, hoc usu certissimum est, successu nunquam irrito exhibitum, scilicet infusio croci metallorum, in alkool redacti, optimè loti, macerati in duabus tribusve unciis vini albi per horas 24. exhibendo ejus colaturam cum ℥i. oxymelitis simpl. manè, vacuo ventriculo, dato pauco jusculo pingui, post singulos vomendi impetus. Id genus remedii vim suam cum aliqua violentia exserit: ideo non æque omni corpori conveniens est, sed illi solùm quod ritè à natura ad id est comparatum: malum vero radicitùs tollit, neque unquam frustra præbetur, & quamvis comite aliqua molestia, innoxium tamen est, modò tempestivè exhibitum. Vitrioli albi depurati drachma una, in aqua hordei dissoluta, aut cum conserva aliqua exhibita, ingesto desuper ejusdem aquæ magno haustu, cui multa liquiritia incocta sit, eluit, simulque roborat ventriculum in mollioribus corporibus, ac ubi humor è penitioribus partibus non est eliciendus: valet quoque emulsio viginti quinque aut triginta granorum catapuciæ majoris, additis duabus vel tribus amygdalis, facta cum jure pulli & transcolata, aut aqua hordei saccharo dulcorata. Est aliud vomitionis genus, utilissimum minusque molestum: cujus ratio ut teneatur, in memoriam revocandum quod superius dictum, primitivam Podagræ materiam in ventriculo natales habere: Ex Arabum consilio inebriari semel in mense convenit: quod non indecens est, modò porcorum natura non induatur, & rationis usus superstes sit. Quadrat ejusmodi præceptum in helluones, qui omnia sine discrimine vorant: Semel ij aut bis in mense ventriculum ultra morem infarciunt, ingestis quibulvis promiscuè cibis, pinguedine præsertim, Superhausto qui libuerit liquore, solito liberaliori: Si saburrati per horam quieti stent, demum semi horæ spatio lentè deambulent, tandem indito in fauces digitò ventriculum ad subversionem sollicitent, & ad excretionem non modò ingestorum ciborum, sed etiam mucilaginum congestarum, illiusque parietibus jam pridem affixarum & adhærentium; quæ à pastu ad provocatum usque vomitum alimentis sese immiscuerint, ab assumptis liquoribus & potu dilutæ; natura in singula quavis concoctione tentante colligere quicquid ventriculi spatio continetur, ac illi chyli substantiam & formam inducere, deinceps in sanguinem transmutandam; In quibusdam longius requiritur spatium ut ad summum bihorium, prout ventriculus tardè chylificationis munus obit; Quoad motum ante vomendi actum requisitum, sufficienter ostendit navigatio, monente Hippocr. ab illo juvari & promoveri ejusmodi vacuationem. Præter vomitum purgatio quoque corporis necessaria est, præmissa priùs præparatione per remedia leptomeria prædita & spirituosa quæ ἀκ[illegible]τητας ejusmodi tartareas adoriantur, qualia sunt spiritus acidi Vitrioli, Sulphuris, Salis, qui ex quovis liquore, conservis, aliisque propinari possunt; Tartari tum cremor, tum spiritus, tum sal, materiam ad exclusionem parant. Cathartica podagricum humorem respicientia verè sint hydragoga, quorum immensa est sylva: Syrupus de rhamno adversus id malum specificum est, immediatè ante cibum sumendus, dosis sit unciæ duæ vel tres: Cremor Tartari, additis quindecim, duodecim aut decem granis extract. scammonii, in aqua rosarum præcipitati, simul in vino albo dissolvendo, ex jusculo sumendo, addita gutta olei è cinnamomo stillatitii, evadit remedium utilissimum: Cydoniatum laxativum, Lugdunense dictum, ejusdem est efficaciæ: valet radix Gialapa ex vino albo sumpta, drachmæ unius quantitate aut scrupulorum quatuor, utile & jucundum est remedium: Non minoris emolumenti sunt Ebuli grana, eorumque oleum per ebullitionem aut expressionem elicitum: singulariter commendatur Electuarium Caryocostinum: Sed omnium remediorum potentissimum est Mercurius dulcis, cujus scrupulus unus felicissimo successu exhibetur, additis, stimuli gratiâ, ne moram trahat in corpore, xx. aut xxv. granis massæ pilul. cochiarum minorum fideliter dispensatarum, & correctionis gratiâ aliquot auri foliis, guttisue oleorum destillatorum rorismarini, anisi, aut cinnamomi. Generosiorum remediorum, ne creber esto usus, sed tantùm tempestatum, vernæ aut autumnalis, initio: Vomitus, ut ante dictum, frequenter esse debet, & maximè pilularum usualium nominatarum. Ad vacuantia pertinet Nitrum, educet id per renes & vesicam substantiam Tartaream, quæ facilè coit in calculum in iis qui ad Podagram vergunt: assumitur, declinante Luna, d drachmæ unius vel alterius quantitatem cum aqua hordei vel saccharata: Tandem Antimonium fixum diaphoreticum, Crolliano modo præparatum, sudores promovet, in laconico vel lecto exhibitum, ex sapa vel roob granorum sambuci, semel aut bis in mense, pro corporis plenitudine, aut si in diæta gravius erratum sit. Quoad cætera, *Zocoli, brocoli, buon capello, pochi quadrechi menco cer-*

vello; Et, ut adagio fertur, Cura ut caleant pedes & caput, cætera, brutorum vitam agas, i. e. horis commodis pastum ineas, vitata plenitudine. Qui prædicta observarit, quanquam insitam ad podagram propensionem habeat, vix eam incurret, modo ex ordine & cura adhibita id fiat. Tempestivum jam est iis opem ferre qui actu hoc morbo affliguntur; iis autem manifesto solatio posse succurri experientia crebra mihi compertum est: vel paroxysmis mora injecta, vel crebro insultu eorum prohibito, vel accisa eorum longitudine, dolorumve atrocia mitigata, aut citiùs restituto robore artubus partibusque à diuturno malo debilibus. Ad horum tutelam, præter generales easdem & necessarias indicationes, 1. vacuanda materia tartarea, initium ducendo ab ipsa origine, scilicet ventriculo, 2. eadem præparanda per omne temperantium genus, 3. materia præparata per imum ventrem excludenda: 4. maxima ejus pars per vasa excretioni urinæ dicata exhaurienda, 5. Præterea superfluum per exsiccantia & absorbentia dissipandum: 6. procuranda, per interceptionis viam, consumptio ejus quod medicamentorum vim eludet, 7. retundenda salis acrimonia in partibus patientibus: 8. id in vapores solvendum quamdiu sub forma manet liquida, 9. si necessitas ingruat, idem fixandum & congelandum in sua scaturigine, 10. Dolore acriùs urgente, narcoticis is sopiendus, quod fortè paradoxum quibusdam videbitur, 11. unum inter & alterum insultum articuli firmandi, quo minùs fluxioni in posterum opportuni sint, strenuè roborantibus post paroxysmum usurpatis: 12. si liceat, dictæ materiæ & salia dissolvenda, antequam omnino concrescant & in ipso, si licet, concretionis initio: Ad Curationem enim nodosæ podagræ, lapide philosophico opus esset, aut Medeæ balneo in quo senectam deposuit Jason. Præire cunctis debent vomitoria, omnium quippe maximè necessaria, quorum enumeratio antea est facta; crebrò autem an rariùs in usum ducenda sint, docebit necessitas, aut diætæ ratio, ordinata vel susque deque habita: convenit autem solum hic eradicans Emeticum, è croco metallorum aut vitriolo albo, quod nunquam non in usum duci debet; cùm cætera ad præcautionem mali satis sint in iis qui nunquam id experti; Convenit quoque sæpius à cæna concitatus vomitus ventriculo priùs cibis gravato, cujus laborem nox sequens emendabit, patientemque instaurabit; Semel ad minimum in mense id vacuationis genus advocabitur, utpote maximè efficax præsidium, saltem vere & autumno, vel necessitate postulante, cujusque tempestatis initio. Id verò annotatione dignum salia Alkali dicta, quæ è vegetabilibus per calcinationem extrahuntur acerrimos & pungentes spiritus edulcorare, inter quos sal Tartari potentissimus est: Idem accidit in corporibus nostris, quorum salia recensita acuuntur tantùm à substantiis eorum spirituosis, quarum retuso aculeo, salis corpus enerve & innoxium restat; Neque potest ulli noxius esse usus salis Tartari cum jusculo assumptus, vel conserva aliqua betonicæ, chamæpithios, cichorii, sub qualicunque tandem forma, Podagricis eximiè conducit, non solùm quatenus temperat, sed & evehit per urinæ vias Salinam materiam & tartaream mali causam: Eundem prodent effectum salia chamæpithios, betonicæ, absinthii, ebuli &c. Tutò intus assumitur saccharum Saturni cum conservis appropriatis, actuque mitigat, indice gustu, sed veneream cupidinem infringit, in commodum forsan podagricorum. Ejusmodi remediorum exhibitio ultimis Lunæ diebus fieri debet, præmissis levioribus quibusdam eccoproticis. Purgantibus, podagræ maximè convenientibus, superiùs commemoratis, accedat hoc specificum, Pulvis scilicet noster arthriticus, qui semel saltem in mense, circa plenilunium, cùm maximè turgent humores, à drachma una ad scrupulos quatuor, plus aut minus, pro morbi magnitudine, virium præsertim ægri habita ratione, usurpari debet: Qui sunt plethorici & Podagrâ graviter vexantur, ii quoque illum in usum ducere poterunt, suspectis præcipuè tempestatibus, uno aut altero die ante novilunium, ex pingui caponis jusculo, vino albo, cremore hordei, lactis sero, cujus haustum à sumpto medicamento ingerere convenit.

℞. Rasuræ cranii humani insepulti, turbith, hermodactyl. Gialapæ, sennæ, cremor. Tartari, diagryd. garyophyll. ana ʒi. misceantur, ac in subtilem pulverem terantur: Bairus, Medicus Italus, laudibus extollit Caryocostinum, cujus simplicia, cùm maximè caleant, ejusque operatio paulò vehementior sit, vix utile puto siccis corporibus, sed tantùm summè frigidis & humidis; ita ut prædictus pulvis vicem aliorum supplere possit, excepto Mercurio, cujus vim & energiam cæteris omnibus antepono: Actum supra de eum exhibendi modo, vehiculum ei debetur quod citò operationem perficiat, quales sunt pilulæ cocciæ minores, similiaque purgantia colocynthidem admittentia, scammonium, elleborum nigrum, è quibus, si lubet, concinnari poterit extractum, pilulari forma, permiscendum Mercurio. Si quos jam invasit podagra, liberari ab ea postulant, aut saltem mitiùs tractari, ii post purgationes universales triplicis corporis regionis, pro exigentia & gradu affectionis, præmissa diæta sudorifica, per annum subsequentibus pilulis utantur, quibus tanquam sensibilis desit vacuatio, diutino tamen usu nec interrupto, materia ejusmodi Tartarea cum urinis evehitur, de quo toties actum: facultate demum omnino specifica, in quam semper intentum esse decet Medicum, cuicunque demum insistatur methodo, articulos roborant.

℞. Pulv. chamæpit. ʒß. liquir. Hispan. ʒij. beton. ʒiß. ossium mespilorum ʒiij. omnibus in pulverem subtilem tusis cum s. q. terebinth. Venet. f. pilul. à ʒi. ad ʒiß. & ʒij. quotidie, tribus horis ante prandium exhibendæ, post deambulando & leviter se exercendo: Illius remedii basis est Chamæpytis, quam nonnulli simpliciter terebinthinæ remiscent, addunt alii betonicam, usus ut supra: Exacto primo anno, utendum hoc remedio singulo vere & autumno, spatio xxx. aut xl. dierum, effectu observato, ita ut si venter liberè fluat, res naturæ committatur, remediisque eò conspirantibus: sin pigra sit, sollicitetur pilulis usualibus, identidem assumptis fortioribus purgantibus, ut dictum; vitata

vitata interim vitiosa diæta, cavendoque ne quod una manus adstruit, altera destruat. Absorbentia siccandi vi polleant, qualitate manifesta, cui si specifica associetur, præstantior & vegetior orietur effectus: Ossibus cujuscunque generis, crudis aut calcinatis, ea vis inest, sed humana, ex iisdem partibus quæ affliguntur desumpta, efficaciùs agunt ratione similitudinis.

℞. Dictorum ossium ℥iij. C. C. crudi & calcinati an: part. ij. ocul. cancr. subtil. pulverisat. part. i. pulv. aut medullæ farinaceæ sarsæparill. part. iv. omnia in pollinem terantur; quibus, si lubet, adjici poterunt sem. anis. fænicul. coriandr. cinnamom. succini, moschi, sed exigua quantitate ac solùm ad gratiam gustus: mane & sero assumatur cochlear integrum, procul a cibo; cùm destiterit podagricus ab usu prædictarum pilul. chamæpithios, vel intermedio, quo eas non usurpabit, tempore. Cauteria brachiis inusta, vel tibiis, humorem in articulos fluentem intercipiunt alioque deducunt, maximi solatii, tum ad præservationem arthritidis, tum curationem, præsertim si ægri legibus diætæ non obtemperent, qua de causa ea admittere tenentur. Succedunt jam remedia doloris urgentiam spectantia, ad quorum disquisitionem, ob ægrorum impatientiam, tormentique vehemenciam Medicorum solertia impellitur: In memoriam revocetur, quod priùs dictum, materias salinas, acidas & mobiles, simul permistas sese mutuò temperare: Eædem met podagricum dolorem sedant: Lixivia e cineribus caulium, sarmentorum, cinerum clavellatorum, Tartari, similibusve salibus Alkali in mitigationem doloris concurrunt, maximè si vitriolica admisceantur, in quibus latet anodinum sulphur & sal, potenti discutiendi vi præditum: vitriolum album in aqua stillatitia caulium dissolutum: nimirum nativa dulcedine mordacitatem sal podagricum exuit, exteriùs ad motum ex prædicta caulium aqua, ut & silicis, cujus sal in cineribus latens eximiæ est virtutis. Phlegma vitrioli albi, aqua spermatis ranarum, similesve liquores, quibus persæpe narcotica adduntur, duplici nomine utilia sunt, quà sensum obtundunt (de quibus infra) & ope naturæ sulphureæ, quà temperant humorem. Maxima pars eorum qui podagricis auxiliares manus porrigunt, cataplasmatis ineptè utuntur, unde plus damni, poris cutis occlusis, quam commodi accedit; Reserandi potiùs ij & in id elaborandum quo foras eliciatur id lixivium, dum sub forma est liquida: Eum in finem utendum aquis apoplecticis, tantoperè ab Authoribus decantatis, conflatis è salibus & vitriolis suprà memoratis, Oxoronia Zuvingeri, Aqua ex urina & vitriolo diu simul maceratis, digestis per putrefactionem, egregiam opem fert: Eximia est iis in doloribus camphora, digerit, halitumque insensilem juvat, mediante summa acrimonia: Ex aquis supra dictis utiliter admovetur, etiam in intensissimis doloribus: Vidi qui dissolvant opium, digerant, postmodùm distillent, utiliterque ejusmodi mixturam dolentibus articulis admoveant, etiam maximè vigente dolore: ejus efficaciam augebit additio camphoræ: In id satis sunt hæc præsidia, quanquam & alia non minùs generosa afferri queant & præscribi. Somnus vacuationem omnem cohibet, excepto sudore: atque ubi fluxio vehemens est, doloresque intensi, nihil gratius & utilius ad eum accersendum, nec quicquam æquiparandum venit Laudano, cujus duo, tria, quatuorve grana possunt præberi horâ somni, imò pluribus ex serie noctibus. Per quietem humores concoquuntur, natura vires resumit, & insurgit hostem superatura: Alia prostant somnifera laudani succedanea, sed istud cæteris palmam præripit. Maxima Medicorum pars contra narcoticorum & stupefacientium usum insurgit, eaque impugnat; quod non desint alia præsidia tutiora quorum ope doloris vehementia demulceri possit, ac satius sit, ex ipsorum mente, ejulatus non compescere quàm ægrum enervem reddere per ejusmodi medicamenta; Lepidum sanè & plausu excipiendum excusationis genus, quasi vero per ea tam insignis imbecillitas partibus & ægro inuri queat; Reverâ intus assumpta narcotica, si dextrè in usum non flectantur, damni non sunt expertia, quippe quæ intempestivè data in cerebro congelationem quandam, ut ita dicam, pariunt, spirituumque quandam ἀκινησίαν, non mediante refrigeratione, sed fixatione, quæ sulphuris, luxuriantis in iis remediis, soboles est, unde inducta immobilitate spirituum animalium, illorum influxus prohibetur, hinc mors per suffocationem sequitur: sed si viget atrox dolor, ab ejusmodi remediorum admotione nihil quicquam simile pertimescendum, cùm certum sit dolorem, vel una die urgentem, majorem nervis inferre labem & debilitatem, quam topicorum admotionem sex dierum spatio continuatam; Supponamus verò stuporem inde aliquem superstitem esse in partibus, mille præsto sunt remedia eam labem eluere valentia, balnea, fotus, emplastra, laconica & alia quæ brevi tempore id præstant: adde his narcoticum fore innoxium suæ antidoto annexum: Omnes prope autores in vehementia doloris podagrici hyoscyamum in usum ducunt: ad opium quidam ascendunt: si splen multùm induruit cicutam illi innoxiè apponimus, quod & oculis utiliter superimponitur, quanquam cerebro proximis: Ego autem non vereor, comprobante felici eventu, in usum ducere utramque illam plantam cataplasmatis forma, addita cassia, camphora, spermate ceti, atque axungia humana, quæ præstantissimum est anodynum eo in affectu. Sedato dolore ad roborantia accedendum, inter quæ vinum optimum, quod ut extus ad motum partibus nervosis utile est, sic intus assumptum maximè infestum est omnibusque cerebri propaginibus. Qui alias insultus arthriticos sustinuere, admittere necesse habent remedium quod siccandi vi roboret partes nervosas, quarum tonus & temperamentum nativum per similia conservari postulat: Paulus Ægineta, antiquus & doctus medicus, podagricorum articulos linimento ex sale & oleo perfricat: conducit id remedium mitigatis doloribus, sed præstantissimum est in iis præcavendis: Paretur, oleum ex violis luteis (cheirinum vocant) ex iteratis florum infusionibus, quod optimum evadet additione florum verbasci.

℞. Prædicti olei ℔i. salis marini decrepitati, dissoluti & in alkool redacti super porphyrite, saponis albi veneti ana ℥iv. m. fiat instar nutriti. Eo vesperi omnes articuli inungendi, præsertim pedum & manuum, præ cæteris partibus maximè doloribus obnoxii: post inducantur tibialia & cheirothecæ laneæ in introitu lecti. Quondam mihi fuit notus Medicus doctus, qui cùm podagrâ per annos triginta fuisset infestatus, (fuit is Dom. Quartier Ducis Bullionæi Medicus) demu nque totidem annis supervixisset, reliquo vitæ tempore, (prætergressus eni n est annum centesimum) beneficio suprà scripti linimenti, decem annis ante obitum, incedens visus est æquè firmo talo, ac si nunquam eo affectu tentatus fuisset: Plurimis forsan adstrictior hæc diætæ & medendi methodus tædiosa censebitur, quia sic redit labor actus in orbem. Agricolis, quibus vita sobria, exercitiumque indefessum, talia præscribere superfluum est: Divites, qui laboris tædio servorum ministerio omnia exequuntur, quantum velint debaccentur, nihil moror. Desineatibus paroxysmis, familiaris est usus Emplastri diachalciteos, quod reverâ innoxium est, sed exigui solatii; Prostant meliora, qualia sunt Empl. de hermodactylis, de minio magistrale, vocant Emplastrum Sandicis, Gummi Caranna spiritu vini dissolutum, ut & Tacamahaca singularis sunt efficaciæ: Emplastr. betonicæ: mastiche, storax ac benzoin, liquefacta cum prædi o spiritu, egregiè conferunt. Balsamus Ebuli, paratus cum lumbricis, catellis lactantibus, addito sale præstantissimus est. Balnea & fotus ex herbis neuroticis, lixivio ex aqua chalybeata confecto, incoctis, addito vino rubro, sale, sulphure & alumine, mirè corroborant, Lac aluminis singulariter valet, quod sic paratur.

℞. Aq. vitæ ℔j. album. ovorum rec. num. vi. diu una conquassentur cum 3. aut 4. grandioribus aluminis frustulis in olla terrea vitreata; ea satis erit agitasse & commovisse, si prius in dicto vini spiritu facta fuerit infusio herbarum nervalium salviæ, majoranæ, rorismarini, inde remedio virium accessio fiet: hoc verò calefacto, cum ovorum albumina indurescant, & crassescant, ac in grumos abeant, satius erit seorsim excalefacere vinum rubrum optimum, (de alicanto si prostet) demum in vas igne exceptum, duplam aut triplam quantitatem alterius lactis aluminis injicere, atque in eam miscellam immergere lintea duplicata, ac calidè admovere; sed quorsum plura, cùm prædicta satis efficacia sint. Ridiculum se præbet qui tophorum dissolutionem pollicetur, nam si induruerint, tale quid tentare, laterem lavare est: sed materia existente adhuc viscidâ, credo rem non omnino esse impossibilem, si modò nanciscamur remedium quod illam subeat, ac similitudine subst ntiæ cum illa conveniat; Tale est sal armoniacum, tum naturale tum artificiale, imò compositum ex fuligine & urina animalium. Sed sal urinæ volatile, crebris depuratum sublimationibus, viribus antecellit. Partium poris sufficienter reseratis, vel balnei ope vel Laconici, aut ad lixivii vaporem, parati cum fæcibus aut scoriis flavis reguli antimonii: (cujus sulphur potentissimè attrahit: nec minori dissolvendi vi pollet) Accipiatur sal urinæ, misceatur cum optimo spiritu vini, ex hac mixtura fiat fotus: Oleum arsenici digerit & ad superficiem allicit, nec remedium extat hoc in opere æquiparandum; si tantillùm ejus misceatur cum butyro Majali vel alia pinguedine, leniterque inungantur artus: Dissipantur aliquando ejusmodi tumores exsudante materiâ quadam viscidâ, pinguedinem referente, & sæpè exoriuntur pustulæ aquæ guttas fundentes non secus ac ova igni exposita. Cardo verò, circa hujus remedii usum, in hòc vertitur, ne festinatio quæratur, ejus enim effectus persæpe duodecimo demum, vel decimo quinto die se exserit. Quidam, ut Dariotus, apertionem partium circa articulos per ruptoria moliuntur; & ante factam ullam concretionem utiliter vesicatoria admovent. Ego autem in ea sum sententia priorum consilium supervacaneum esse, atque eum qui mali causam antecedentem per remedia intus assumpta impugnarit, externis facile posse carere, vel saltem à dolorificis hisce abstinere, cùm iniquum sit afflicto afflictionem addere. Priusquam colophonem imponam de sanguinis missione aliquid adjiciendum, quæ in corporibus plethoricis, in iis qui lautè & opiparè vivunt, mero indulgent, præcautionis gratiâ nunquam non fieri debet: vere brachii venæ tundantur & autumno: In melancholicis reserentur hæmorrhoides; mulieribus cieantur menses si substiterint: Galenus intrepidè asserit præsentaneum esse auxilium in maximis doloribus, præcipibus fluxionibus & ingentibus inflammationibus: his tribus sæpè simul concurrentibus primo podagræ insultu, quis eam sæpius instituendam negaverit, juxta necessitatis urgentiam? Hujus remedii cùm tam eximia sit utilitas, quodnam quæso majori certitudine, minusque ancipiti spe poterit decerni? Nunquid in urgentia dolorum purgationi anteponenda? Quanquam Bayrus asserat se ipsum podagra ad extremum afflictum, ab assumpto Elect. suo Caryocostino in doloris urgentia, semper libertatem pedum restitutam fuisse, ut solus, nemine fulciente, sellam perforatam adire valuerit: Hic illi fidem adhibeamus, Medico quippè docto, seni & experientissimo: Constat tamen vel non purgandos podagricos urgentibus doloribus, vel id ἀδεῶς faciendum, aliter commotâ camarinâ malum ingravescere certum est: præcavebitur id damnum si ea ipsa die qua assumptum purgans, exhibeatur noctu laudani dosis, ut suprà dictum; Eo pacto orgasmus humorum sistitur, figuntur spiritus, tandem imminuta causa mitigatur malum, restituiturque natura pristinæ libertati. Positis his regulis, non difficilis erit usurpatio plurium particularium remediorum, præter specifica dicta: sed multitudo deterret ægros, confusionemque invehit tum in Medici animum, tum eorum qui ægro assident: Et quanquam sylvam medicamentorum huc adduxerim, non ea tamen mihi mens est, ut omnia in usum duci debere velim in eodem subjecto: Medici est ea eligere quæ unicuique ægrotanti commoda credit: Medicinalia consilia artis magistros directores habere debent, quo rectus usus ineatur & opportunus, hincque utilitas

litas emergat, futura aliàs gladius in manu furiosi, si quis vero artis ignarus iis intendit uti, deceptum se à sinistro usu agnoscet: dicat idem totam curationis summam in electione opportuni temporis sitam esse, quod non omnibus obvium est, sed iis tantùm qui in artis operibus consenuere & c nos acquisiere; hæc non annus nedum dies una docet. Antequam finem faciam illud moneo, hoc consilium ab amico extortum, atque in ejus gratiam & reverentiam à me conscriptum fuisse, ejus curiositati potiùs quam necessitati satisfacturo. *Theod. Turquetus de Mayernæ Tract. de Arthritide.*

Arthritidis cura est in causæ sublatione; hoc est flatuum, ossa inter periostiumque delitescentium evaporatione, quæ apud Japonenses hoc modo perficitur. Tenuiora folia summitatesque artemisiæ latifoliæ colligunt, collecta siccant in umbra, siccata manibus fricant ambabus, cauliculos, foliorum fibrillas, aliasve inutiles reliquias, vel sordes abjiciunt, cæteram molluginem servant ad usum, quæ tum gossypii instar est, si præparata sit bene. Ille est moxam aptandi modus, tum apud Japonenses, tum Sinas vulgatissimus, lippisque & tonsoribus non minùs quàm insignibus quasi Doctoribus notus: Nec minùs communis est isthæc medicina quàm ejus usus; hic enim copiosiùs quam alibi infælix lolium, illa panacea crescit. Hanc igitur ex arefacta ac mundata artemisia molluginem, pollicis ac prioris digiti apicibus in parvam, minoris pisi, vel paulò ampliùs, magnitudinis, formant stupam, acutiori prismate, basi latiore prædictam: Vel etiam purificatum herbæ gossypium charta obvolvunt, & diducta palma circum volutant, ut illa plantaria lana magis & æqualius compingatur, de qua sua cultro præscindunt stupas, duos circiter scriptorios calamos crassas, quas dolenti loco (digito parum saliva imbuto priùs submadefacto) imponunt, atque ellychnio aliove vel flammæ vel ignis subjecto (sic sæpè una stupa sequentem alteram) incendunt, ut hoc medio articulorum ille tortor, doloris omnis autor, flatus extricetur, & agatur in fugam. Has ergo artemisiales turundulas, vel plana manu, vel extremis digitis inurendæ parti imponunt. Ast hic primò arteriarum pulsus in affecto loco explorandus est (quod Sinæ Japonesque non ita attendunt) ut ex certiùs constet de flatuum hospitio. Quin corpus servandum est in eodem situ; uti dictæ gentes notant. Hanc ergo facilè combustibilem, modò siccata sit congruè, stupam (quam idcirco etiam in igniariis suis pixidibus secum portant Sinæ) in apice cum conflagrante bacillo (quem potentiores Sinensium, non Japonensium quantùm mihi saltem constitit, ex rebus aromaticis in olfactus delicias confici curant) accendunt; quæ lentè ardens flamma turriculam hanc in cineres non omnino convertit, sed parvum ejus segmentum in basi relinquit, quod epidermida nulla violentia attrahit, pustulamve, sed plerumque cineritiam tantùm maculam, etiamsi quoque sæpiùs super eadem plagula illa renovetur inustio, superstitem sinit; quoniam cucurbitulæ instar peccantes humores, teste visu, illiciens, eosdem imbibit, ut plenè consumi, cutemve nimis corrodere nequeat; humores enim ad hoc stupæ incendium celeriùs etiam confluunt, quam in urbe vicini paries cum proximus ardet. Neque valdè dolorifica est (quod, præter ingens levamen, hoc genus auxilii summopere commendat) inustio; mollis namque est hæc stupa, nec spissa, nec magna, neque ad ipsam cutem flamma penetrans, atque ipsa conflagratio momentanea est. Hæc imbecillioribus in locis ter quaterve communiter reiteratur inustio; aliis vero in plagis, si robustiores sint, flatusque profundiùs hæreant; Verbi gratiâ in Ischiade (in qua crustas valde multas, magnas, ubi Sinenses ac Japonenses parvas, ac inter se propinquas inurendas præcipit Hippocrates) quandoque vicies, trigesies, etiam quinquagesies, imò pluries, illa repetitur; donec malesuadus ille flatus exhalet; atque hinc nullus mali alicujus metus est, neve doloris reliquiæ; & quamprimùm finitum est hoc comburium, licet inustam partem tractare, vel pro lubitu comprimere; hoc enim dolorem sedat, & ut plurimum tollit moxæ incendium, si bene successerit.

Jnustionis hujus utilitati quidam contrariam, uti suprà attigi, experientiam opponunt, dicentes, quod podagrici ustionum vexaminibus animales simul & vitales vires exantlent, nutritionem vitient, & (quod quidem levissimum est) cutis planitiem cicatricibus deforment. Verùm in Japoniam ac Sinam concedant illi antagonistæ, ubi experientur homines cujusvis ætatis, sexus ac conditionis, in quocunque doloris, cùm externi, tum interni, insultu, nec non tumoris accessu sua moxa urere, & crebriùs urendo robustiores evadere, urere etiam tametsi sani degant, ad formidati mali procatarsin: Quanquam, fateor, nonnunquam contingat, ut longâ, forti, & sæpius iteratâ inustione in leipothymiam concidant; & inustio hæc in regionibus calidis (ubi per perpetuò patulos corporis poros spiritus plures exeunt) minùs prosit, quàm in locis frigidioribus, ubi corporis habitus contrario se habet modo. Præterea etiam macri teneriique non ita fortiter, nec ita frequenter, quàm validi carnosique, urendi sunt. Et quod cicatrices attinet; ego saltem existimo, sanitatem ægritudini præferendam. Verè igitur, quod de igne generatim Plinius, de hac inustoria stupa sigillatim dixero; est & ipsi igni medica vis; maxima autem nostro: Jta valentissimum super omnia medicinæ auxilium simpliciter esse ignem comprobat Galenus, ubi dicit; Ustio ex his est præsidiis, quod totam ejus quod infestat substantiam exinaniunt. Quod sic interpretatur M. A. Severinus; Nullum esse vitium tam ferreum ac impenetrabile, quod vi ignis domari non queat; præsertim si ejusdem vires atque usus ad amussim intelligantur: Uti hæc non minùs acutè, quàm prolixè persequitur prædictus autor: Quippe uti flamma aëre, tanquam suo pabulo ac incitabulo fovetur, sic hæc artificialis inustio noxiis flatibus, eorum flabellis, magis succenditur, & quod primarium est, eosdem exhaurit atque dispellit. Attamen debiliori naturæ subveniendum, levisque separanda escara est, hoc pacto; Contusum allium escaræ imponendum;

ponendum, quod iterum ejusdem corticis lamella, in ore parumper humectata, contegendum, ut emplastri loco serviat; atque ita post diem naturalem auferenda sunt ista ex allio tegumenta; nam separationi tunc proxima est crustula; postquam, dum decidit, pellucidior in cuticula cicatrix remanet, rariùs rotunda pustula; quæ si nihilominus suboriatur, minutiore forcipe leviter incidenda est, ut peccanti materiæ exitus patescat: Verùm abstinendum à violentis mediis; nec fortioribus instrumentis, scalpello cultellove, &c. auferenda est illa crusta: Uti barbara Hottentorum gens solet, quæ, si pars quæpiam læsa lenioribus (nam præter ovillum, bubulum, vaccinumve sevum in extremis doloribus nullum agnoscunt pharmacum) telorum acumine (quibus hostes aggrediuntur externos) internos etiam dolores demere conantur; dum post violentam scarificationem, mali causam exugere tentant ore; quos inter optimus ille Chirurgus est, qui fortiùs sugere novit. Verùm quis nostratium crudelem illum medendi ritum non aspernetur? Cùm exinde dolor exacerbetur, hinc febris sæpenumero sobolescat: Escara illa facili ratione tollitur, si modò plantaginis folium (rusticorum apud Japones communis in vulneribus & ulceribus medicina) betæ, brassicæ, Syri &c. modicè tostum manibusque frictum, ut mollescat, applicetur; atque ita patienti animo crustulæ decidentia expectetur & cura. Ubi notandum si illa plantaginis folia (ignitis carbonibus priùs imposita, ut lentescant & concidant, manuumque palmis compacta iterum explicentur) nervoso sui latere calidè simul & humidè applicentur, illinc fonticuli instar ichor exsudare; si verò parte glabra adhibeantur (cùm consolidationem exigit ulcusculum) illa citò & sine notabili cicatrice (quod cùm negligunt Japones, & unctuosa putrilagine luxuriare plagam, & emanantem incrudescere saniem faciant, deformibus ex hac inustione nævis fœdantur) coalescit vulnusculum, convenientiùs etiam quàm si vel electa instrata fuissent emplastra, propter pinguedinem maximè postponenda. Verum non est præcipitanda illa escaræ ablatio, etiam si plagulæ levissimè tantùm adhæreat; Naturæ remittendum illud opus, neque sistendus est saniei fluxus; neve globulorum introductione excitandi sunt meri fonticuli; suopte exeat, quantum velit udor: Quare diutius illa folia fibrilloso latere super plagam retinenda sunt, quia sic insanum ichor liberiùs effluit; verùm parte glabra non ita diu; quia tunc nimis citò vulnusculum consolidant; servanda ergo super plagam nervosa foliorum facies, &, ne illa decidant, obliganda, vel conglutinantibus emplastris (si ligaturas non ferat plaga) detinenda, atque ad minimum bis viginti quatuor horarum spatio renovanda sunt. Si verò plantago (quæ in Sina ac Japonia, ubi hic medendi modus usitatissimus est, per quam abundat) deficiat, brassica, beta, tussilago, hedera, vel consimilia substitui possunt: Quæ si desint singula, uti mare peragrantibus accidit, diapalmæ, basiliconis, vel, quod magis probo, sticticum Paracelsi, alteriusve emplastrum succedaneum sit.

Ast tanti non est monstrasse portum, nisi scopuli, qui cum periculo allidi possunt, simul ostendantur. Prohibent igitur Japones, quorum inustionis praxim hic imprimis doceo.

1. Ne in febribus ardentibus, sive continentibus, sive continuis quamdiu illæ typum servant, vel exacerbationes cum suis accidentibus patiuntur, corpora inurantur moxa, experti febrem cum suis symptomatibus exinde intendi.

2. Moxæ usum vetant in intermittentium paroxysmo, quod accuratè observant Japones; verùm extra eundem inustionem hanc seduli inculcant & strenuè administrant.

3. Moxæ comburium interdicunt in gravedine; secus febrem, eamque nonnunquam gravissimam, supervenire inquiunt, præsertim si corpus tegmentis non bene muniant: Quod semper in inustionis opere observandum injungunt ob metum febris, uti experientia comprobant; secus enim externum aëris frigus adapertis inustione poris, quibus flatus egressi fuere, se insinuat, atque vetus malum in pejus sæpe pervertit.

4. Gravidas etiam urere, nisi centum diebus jam transactis, recusant: Quod de his locis intellectum velim; namque non semel fœminas fœtum recens enixas adversus cephalalgiam, aliosve cum capitis, tum pectoris dolores magno cum levamine inuri præcepi.

Post inustionem, (hoc est, primis post primam inustionem diebus) ustam partem digito, vel potius munda syndone, in aqua calida ac subsalsa leviculè tinctis, & lenissimè, formidine febris, iteratò molliterque contrectant; præcaventes, ne aqua nimiam salsuginem contraxerit, digitusque perfrigidus, præhumidusve sit. Quanquam hæc monitoria regula in omnibus non habeat locum; id tamen commodi adfert probè observata, quod purulentum ichor ex inusto stigmate, citiùs tutiùsque prolectet.

His adde, si lubet, Hippocratis monitum, Dextras urere aut secare lethalius (saltem damnosius) esse.

Enim verò quibus hic labor nimius videtur (nam Japones veri μισοπονοι sunt) aliis cauteriis actualibus utuntur; in quorum usu illam præceptorum exactitudinem non sequuntur; Conficiunt ergo ex siccis integrisque artemisiæ &c. foliis herbaceam turundam, digitum longitudine, non crassitie superantem; hac longiuscula stupa inurendam partem octies deciesve cautè tangunt & leviter, ast ultima vice eandem plagæ aliquanto fortius imprimunt. Hanc & prædictam pariter operationem *Sin kin* nuncupant Japones, cujus nomen & usum à Sinis (quibus hæc hodie saltem non ita familiaris est) accepere: Huic ego vulgatam cum moxa inustionem anteponerem. Ad quam juxta artis leges bene absolvendam sua habent schemata Sinenses & Japonenses Practici, in quibus loca totius corporis perustioni designata notarunt exigua anatomes notitia: Malim ipsos consuli sensus & venas pulsantes in circuitu inuri. Hanc pyrotechniam chirurgicam plerique Japonum ad morborum prophylaxim quotannis saltem semel, ut plurimum bis, imò pluries, administrant; eodem quo nostratium

nostratium multi ritu, qui ad ægritudinum præservationem, præsertim verna tempestate, cum in orgasmo sunt humores, corpus evacuare & sanguinem fundere assuevere.

Hactenus *Wilelmus Ten. Royne Dissertat. de Arthrit.* Quibus non omnino consentit *Herman. Nicol. Grimm.* qui compendii sui medico chymici pag. 361. sic scribit. In India Arthritis inter primarios & infimos versatur. Hujus causa est quod sanguini suum sal volatile supprimitur; unde nihil, nisi acris & acidus succus nervosus generatur; ad quod non parum facit prava diæta, aër calidus & excessus in horto venereo. Sed hac de re quid dicam, nisi quòd fortè justa Dei pœna hisce hominibus superveniat? Nam plurimi ex inferioribus in manus barbitonsorum conscientia carentium incidunt, qui propter avaritiam omnes eodem modo tractant. Quamprimùm enim de dolore capitis, humeri, brachii &c. conqueruntur, statim lue venerea infectis adjunguntur, probeque mercurio unguntur, ita ut debilis sanguis adhuc magis sudando exhauriatur, & illi miseriùs ex Nosocomio venereo exeant, quàm introiverint. Plurimi ditiores sese quidem (quod gustus inferni est) exuri permittunt; sed sine fructu, nisi fortè subtilis & volatilis vapor solum, modo partibus exterioribus insideat.

Consultationes.

Pro præservatione Arthritidis, sanguinis missionem, & purgationem, certis anni temporibus, tibi proficua judico; ut & usum decocti ligni Guajaci. Inter utrumque tempus purgationis, videretur mihi consultum esse, uti aliquando leviori purganti medicamento, quod prima solùm viscera aliquando aggravata expurgaret, quare sit usus hujus electuarii frequens.

♃. Succi fœnicul. depurati lib. ij. mell. despumat. ℔j. coq. lento igne usque ad succ. consumptionem, frigefacto adde hermodact. ℥iß. M. dosis Castaneæ magnitudo bis terve in hebdomada cum decocti anisi, fœniculi; carvi sem. agar. ℥iß. hujus loco velim aliquando in ingressu mensæ assumeres cochlear unum Syr. de Spin. Cervin. quem sæpè in hac dispositione proficuum cognovi, exhibeatur dissolutus in vino vel jure carnium, & quoniam ferè solùm serosum humorem educit, & aliqua ex parte biliosum, minùs pituitosum & crassum, poteris aliquando uti his pilulis videlicet semel in mense.

♃. Agar. troch. hermodact. ana ℥iß. turbith. elect. ℥i. trochisc. alhand. ℈iß. mirobal. Chebul. Citrin. ana ℈iiij. rhei, mastich. Zinzib. ana ℈ij. spec. hier. simpl. ℥i. cum melle rosac. f. pasta pro pilul. quæ crassa & viscida recrementa educunt potissimùm. Ut artus firmentur advigilandum ne pedes, vel cæteri artus ullo frigore premantur, aut humore madescant, abstergendi tam vesperi quam manè sicciore linteo. Lavandi item singulis 14. diebus aquâ chalibeatâ, salsâ incoctis rosis, salvia, iva, verbasco, artemisia, vel id genus similibus. Post ablutionem perungendi oleo rosaceo omphacino, intrito sale. Ad mali præsentis Curationem jam veniendum. In principio influens humor statim vacuandus venit, & revellendus, quod commodissimè fieri potest vomitu & medicamento purgante: quod licet quibusdam non probetur, tamen ego multâ experientiâ didici mirum in modum prodesse; neque novum illud est, & inusitatum: etenim *Trallianus* lib. ij. expressis verbis jubet exhibenda solutiva, non solùm præservationis ratione, per morbi intervalla, sed in ipsis mali paroxysmis. Intercipiuntur viæ, ut dictum est suprà, quoties medicamentum purgans per os assumendum erit: nam sic fiet, ut exagitatus & ad motionem expeditus humor, minùs illabatur in juncturas. Si dolor vehemens accesserit, utatur hoc cataplasmate quo frequenter fæliciter usus sum in magnis doloribus tam ischiadis, quàm podagræ.

♃. Cicutæ, parietar. Lapath. malv. ana quantum placet, coque in vino albo bono, coctis & contusis adde axungiam porcinam recentem & subtilissimè tritum furfur. Et F. Cataplasma, applicetur loco dolenti, postquam fluxio destitit & dolor cessavit humoris resolutio tentanda est fotu cum decocto rad. althææ flor. stæchad. Lavendul. Calamenth. Chamæmel. Melil. & salis momenti, & hoc Cerato.

♃. Diacalcit. ℥iij. diachyl. ireat ℥i. Emplast. è melilot. vel oxycroc. (ubi magis resolvere velis) ℥ß. emolliantur instillato oleo vulpino, & extend. super alutam. In hunc usum etiam mirè valet decoctum vulpis integri adjectis ranis, & lumbricis, & herbis paulo ante dictis, hisce addam (licet quæ hactenùs scripsi sufficiant) hoc naturale remedium, cujus ego experimentum vidi hisce meis oculis. Episcopus quidam mihi familiariter notus, graviter laborabat arthritide: Cùm ubique auxilium imploraret, remediaque undique conquireret, intelligit Monachum quendam eodem morbo laborantem, remedio sequenti curatum esse. Accipiatur testudo mascula (cognoscitur inter cætera ex caudæ discrimine, & leni, sub inferiore testa incisura) ubi luna fuerit maximè lumine diminuta, priusquam cum sole conjungatur: amputentur vivæ crura omnia, ea consuta in sacculos, ex pelle hœdina angustos, alligentur membris patientibus, ita ut dextrum crus testudinis dextro cruri ægrotantis respondeat, sinistrum sinistro: item anterius crus dextrum, brachio dextro applicetur, sinistrum sinistro, quo loco alligari debeant non expressit Siculus Medicus cujus fuit experimentum certissimum: Monachus verò supra genua suspenderat, & in brachiis supra cubita. Quibus postquam usus esset, cæpit paulatim meliùs habere, genua quæ humore mirùm turgida fuerant, cæterique pedum articuli egregiè detumuerunt, adeò ut membra jam agiliora sine scipione levarentur. Aptavimus his intellectis idem remedium Episcopo, ex quo tempore cæpit paulatim meliùs habere, sed cùm statim mihi abeundum fuit, intelligere non potui an penitùs convaluerit. De differentia testudinis nihil addidit Monachus: Si quid tamen inde auxilii sperandum sit, arbitror in podagra frigida, applicandas terrestres; in calida aquaticas. Nam illud discrimen observare soleo,

in unguento quodam quod ex testudinibus ad arthritidem compono, quo aliàs sum fæliciter usus. Nolim hoc aut simile remedium parvi fieri, quod ab usu communi, aut à ratione alienum videatur: nam multa sunt in rerum natura, quæ experientia talia comprobat; licet ratio nihil inveniat, quo illa dijudicet. *Reinerus Solenander. Consil. 20. Sect. 1.*

De Doloribus Articularibus, Colicis, & Nephriticis. Pro Sereniss. Vladislao, Poloniæ, & Sueciæ Rege.

Ad Clariss. Jo. Gasparem Crafft. Regiæ Majestatis Archiatrum.

Serenissimus Rex, naturalem eam totius corporis, & partium principum constitutionem sortitus, quam accuratissimè expressit Clarissimus ejus Archiater; non sine hæreditaria labe, doloribus Arthriticis, Colicis & Nephriticis per intervalla torquetur; quorum quidem arthritis nunc sævit atrocius, & diutius, ad augmentum quippe perducta; a renibus forsan, & intestinis ad articulos tota irrumpente materia; non quidem errore naturæ doctissimæ, quamvis non didicerit, ex Hippocr. cùm leviores sint articulorum morbi, quàm aliarum partium.

Quorum omnium causa materialis frigida omninò est prædominio, tartareæ particeps, calidiusculis serositatibus immixta; cujus causam eandem agnoscimus hæreditariam dispositionem, quæ affectas partes imbecilliores produxit: ut propterea frequentiùs dolores hujusmodi invicem connectantur; atque rarò arthritici, non aliquando nephriticis, & colicis doloribus divexati fuerint. Et quamvis omnium fons, & origo referri possit ad viscerum naturalium intemperies; censemus tamen, capitis humiditatem primas obtinere, à quo fluxiones ad articulos plerumque decurrunt; imbecillioris potissimùm ex epilepsia, qua antehac laboravit; cujus intemperiei luculenta habuimus indicia; gravem nempè capitis præcedentem dolorem; quem primo excepit partium superiorum arthritis, quæ & omnes jam articulos obsidet.

Ex quibus patet, præsentem affectum omni quidem periculo vacare; cujus tamen difficillima sanatio sit futura, perfecta saltem, imò nec præservatio effatu digna, & tuta satis, ac diuturna; cùm sit antiquus, hereditarius; atque roboratis articulis, immineat periculum, ne materia in penitiora corporis remeante, dolores nephriticos, & colicos exsuscitet. Quidquid eorum sit, in certa spe sumus, fore ut Serenissimus Rex, hoc in primis tempore, quamprimùm à præsenti insultu incolumis evadat; cùm jam in declivi sit, & remedia nuper adhibita juvamento fuerint; usque adeò quidem, ut nullum vestigium superstes sit futurum eorum humorum, qui articulos obsederunt; atque cùm humores, tenues alioquin, brevi adeò temporis spatio in nodos concrescere non potuerint, de aliqua saltem præservatione certior allucet spes; accedente inprimis temperantia Serenissim. Regis, qui tantùm non est abstemius, & quod palmarium est, exercitiis addictus; eam potissimùm sortitus constitutionem à naturæ ortu, quæ morborum est medicatrix, ut ab affectu æquè pertinaci, ac gravi convalescere potuerit; Epilepsia scil. & quidem ea ætate, quâ difficillimè plerique sanantur.

Agitur verò nunc de superstite materia in articulis discutienda. Quod quidem si hactenùs ad vota Clarissimi Archiatri non successit; probatur nobis exercitium par viribus Regiæ Majestatis; non tamen equo; juxta Hipp. præceptum, à quo solo Scythæ ischiade laborabant; necnon, & præ cæteris topicis, accommoda frictio manibus *spiritu vini* perfusis; infusione in eo facta *florum ivæ, salviæ & rorismarini.* Quod si fortè obduruerint humores; qui proinde validiori emollitione, & dissolutione opus habeant, confugiendum primò ad Gal. *Emplastrum ex caseo veteri, & pernæ decocto*; atque ejusdem *oleum vetus salitum, suffumigia*, & alia, quæ his proportione respondeant. Quo autem, favente Numine, res ad vota magis succedat, instituenda est blanda, & familiaris aliqua purgatio, cùm universalis, tum particularis capitis: atque hoc exsiccandum, missis calidis; roboratis pro virili articulis: quanquam fieri nulla ratione posse censeamus, ut hæreditaria eorum imbecillitas, seu laxitas omninò amovetur. Victûs ratio est adhibenda, atque si, quod veremur, accessio aliquando invadat, localia erunt usurpanda.

Purgationem universalem quod spectat, ea bis in anno omninò repetenda; levioribus tamen medicamentis; atque missa etiam venæ sectione, si abundè fluxerint hæmorrhoides: sin minus quam pro usu, Vere saltem, ex Hipp. & Galen. præcepto, sanguis modicè educetur. In purgantibus vero, clysteres locum habent; quorum usus aliorum purgantium erit vice Vere, & Autumno, atque sæviente ischiade; acriorum etiam præsenti erit remedio, addita *colocynthide*; quanquam & sint utiles futuri purgationis familiaris loco, quolibet tempore, & Hipp. 6. Epid. 3. & Lib. de Humoribus, sub finem, his verbis: *si doloribus articularibus intestinorum à dextra parte superveniat dolor, reddit ægrum quietiorem; hoc autem curato, magis dolet.* In quam rem dejectiones etiam in ischiade commendavit Lib. de Affectionibus. Quod si accurata adeò purgatio exigi non videretur, medicamentum saltem aliquod habeat in familiari usu, præter clysteres præscriptos, paratum *ex pilulis arthriticis, aut de hiera cum agarico*; quarum vis augebitur, exigente quandoque usu, addito modico *pulvere hermodactylato*; qui hac formula Patavii prostat.

℞. Turbith. hermodactyl. pulverisatorum ana ℥i. sem. diagrydii ʒiij. Zinziber. ʒi. sacchar. alb. ℥ß. cujus compositi integra dosis est ʒi. quorum loco vomitus esse posset, si ipsi Sereniss. posset assuescere; quod facilius à cibo, & oxymel. usu consequetur. Purgatio capitis fiet errhinis, & apoplegmatismis notissimis: atque ex Fernelii consilio, cujus opinio in hoc casu rationi est consentanea, perfrictiones ad ejus suturas, & occiput, sacculis calidis, sale, furfuribus, milio, & seminibus calidis repletis. Quibus tamen hoc

tempore

tempore supersedendum duximus, cùm dolores in declinatione sint universales: atque vigeat æstus; non sine aliqua virium imbecillitate; spe freti, fore ut pauca in articulis superstes materia, exercitiis, & victu paulò tenuiori, & attemperante potissimùm, futuro tempore calidiore; atque diaphoreticorum inprimis, & topicorum à Doctissimis Viris præscribendorum usu, elidi prorsùs, & dissolvi possit. Alios scopos quod attinet, tempore frigidiori, in quamplurium internorum remediorum censu, quæ ex usu esse possunt, probatur nobis præ cæteris Terebinthina Cypria; immixtis ossibus combustis, & iva arthritica, cum modico balsamo Orientali. Conferet enim summopere emundandis renibus, & roborando ventriculo, ac intestinis: in cujus usu, ne nova materia ad renes influat, dejectorium sæpius præscribendum. Jn externis, instar omnium erit inunctio, tot laudibus à Gal. celebrata ex oleo veteri salito; vel præscripta frictio, cum aqua vitæ; non neglecta materia, quæ in dies succrescit, & ad articulos illabi posset; quæ omninò divertenda est, & evacuanda, vomitu, dejectione, & sudore; ne roboratis articulis ad partem aliquam nobiliorem irrumpat, & graviora inferat mala. Jn quam rem, & eadem lege, opportunus erit usus illarum aquarum Thermalium, quæ antehac juvamento fuerunt; ut & Vinaceorum vindemiæ tempore. Commendantur autem Hipp. & aliis Græcis, ad præservationem, & sanationem, inustiones in ipsis articulis, cùm potissimùm dolores à mucosa materia ad articulos laxiores influente ortum ducunt. Nec abs re, cùm magna vi polleat ignis absumendi materiam viscidam, & lentam; articulos roborandi, & constringendi. Quod tamen remedium in doloribus universalibus Regis Sereniss. locum non habet; nisi dolor ischiadicus majus facesseret negotium, atque refractarius, & pervicax evaderet. Tunc enim inurenda esset pars affecta juxta Hipp. consilium 6. Aphor. vel ferro candente, vel si Sereniss. Rex hoc respueret, medicamento caustico, quod commendat Gal. *ex radice Iberidis*, contusa cum adipe suillo; Materiæ verò divertendæ, & pro tuto magis usu remediorum corroborantium, fonticulus sinistro brachio inustus præsenti esset remedio, si admitteretur. Jnvadente verò arthritide, potissima cura sita est in internis remediis, & victu. Jnterna in ipso principio constantibus viribus, validiora usurpentur; putà, pulvis hermodactylatus; vel pilulæ de hermodactylis; exhibito ea die ipsa purgante medicamento, quia turget materia, ex Gal. præcepto. Sæpiùs enim non minùs æstuant, atque ad fluxiones proclives sunt humores in arthritide, quam turgentes; ac proinde ad evacuationem æquè proni. Jn victu, quiescendum in accessionibus; & à vino abstinendum; cibo tenuiori utendum. Atque si his demulcebitur dolor, topicis supersedendum; cùm periculo prorsus non vacent. Repellentia verò quod attinet, urgentibus doloribus; videntur quidem ex usu, ex Hipp. 5. Aphor. 25. ubi commendat frigidam largè affusam parti affectæ; quòd scilicet *levat, & extenuat, solvitque dolorem.* Cui adstipulantur plures Medicinæ Scriptores, dum ad opiata confugiunt, irrito repellentium usu. Verùm quia Erastus inter Recentiores, quælibet repellentia improbat, quarta Disputatione contra Paracelsum, illius sententiam nos quoque amplectimur, in hac arthritide à materia frigida; cui consultius ducimus supersedere quibuslibet localibus; ne materia magis impingatur, & inculcetur in parte affecta, evadatque arthritis tophacea, & immedicabilis: quanquam sæviente dolore, leviora concedantur; ut aqua rosarum primò, cum albumine ovi; mox & cum vitellis, & modico aceto; vel perfusio partis affectæ lacte tepido chalybeato; vel fotus ex moderatè calidis, ab Hipp. commendatis, Libro de Affectionibus; qui 5. Aphor. cit. affusam frigidam parti affectæ in arthritide calida præscribit; ex Gal. in Com.

Extra accessiones, & earum declinatione, hæc potissima; in victûs ratione, cibi, & potus parsimonia, ac temperantia; hæmorrhoidum modicus fluxus; repetita sæpiùs purgatio totius, & capitis; atque in rebus omnibus nonnaturalibus temperantia. Tandem cùm nec rustici Podagra torqueantur, nec eunuchi, & pueri, ante Venereorum usum; neque mulieres, quibus menstrua non defecerint: id quidem Hippocr. ævo contigit, quo nullos in victus norma committebant errores: Galeni tamen seculo, & nostro potissimùm, pueros, eunuchos, & mulieres podagra exercet, ob promiscuam vitæ rationem in omnibus sex rebus nonnaturalibus. Potus medicatus parabitur ex cerevisia, & immixta mulsa, vel aliquo hujusmodi ex melle illi affuso. Atque hæc in Sereniss. Regis salutem potiora duximus: quam illi à Regum Rege, ferventibus votis precamur. Archiatro Præclariss. expendenda, & exigente usu administranda. *Bened. Sylvat. Consil. Centur.* iij.

Excellentissimus, Augustissimæ Majestatis Generalissimus, sexagesimum octavum annum agens, temperamenti totius & capitis calidi & humidi, cum aliquo excessu caloris in jecore & corde; qui in victûs ratione satis cautè vivens, aëris tamen inclementiis, tum diurnis, tum nocturnis frequenter seipsum exposuit, ut Munus & Ministerium suum tanti momenti requisivit: incolumem nihilominùs diuturno tempore vitam duxit: sed quinque jam transactis mensibus, prægressâ capitis molesta gravedine, non sine insueto calore, incidit in dolores articulares, pedes occupantes, dum antea ab occipite per dorsum & scapulas materiam defluentem sensibiliter percipiebat. Dolores autem succedente tumore, remissi sunt, sed motûs impotentiam reliquerunt, quæ adhuc in præsens perseverat. Et cum topicis medicamentis resolventibus & roborantibus hucusque adhibitis malum non cesserit, & salutis recuperandæ spem totam in Te, Vir Præclarissime, modo Viennæ commorante reposuerit, de agendis tum pro curatione, tum pro præservatione auxilium implorat.

Dolores articulares, quibus Excellentiss. Vir, Generalissimus Augustissimæ Cæsareæ Majestatis quinque abhinc mensibus correptus fuit, arthritici potiùs, quàm podagrici, cum Hipp. appellandi sunt, qui non à partibus

læsis, à quibus inutiles desumi possint medicæ indicationes, sed potiùs à causa lædente nomen desumere solebant: & idcirco cum eodem Podagræ nomen, & manibus, & pedibus competere potest, quotiescunque insignis fuerit dolor stabilis, & ægre medicamentis cedens; sicut è contra Arthritis pedibus quoque competit, dum dolor non adeò fixus & stabilis, sed mobilis, ab uno ad alium articulum migrat, nec diuturnus est, sed facilè medicamentis cedens; & ita causam respexit Hipp. ipse, quam expressit sub illis verbis, quod Podagra fiat à sanguine, à bile & pituita corrupto: Arthritis verò à bile & pituita commotis; ac si dixerit, Podagra provenit à crudo succo in visceribus coctionibus destillatis genito: Arthritis autem non ita, sed à materia pituitosa, eaque catarrhali; bili commista; & hinc Fernelius suum inventum facilè deduxit: sicut enim Podagra à visceribus naturalibus sumit originem suam, & per venas succum crudum atque biliosum, sanguinem inquinantem, in articulos recipit, ita Arthritidis causa potissima in capite generatur, catarrhalis nempè materia, quæ biliosæ serositati immista, à jecore per venosum genus ad caput elata, non per vasa, sed per musculorum spatia ad articulos defertur, sicque sine sanguinis corruptione, sive inquinamento, ex sola pituitæ & bilis commixtione arthritici dolores excitantur; quod quidem contigit Excellentissimo Viro, qui in victûs ratione, quoad potuit, semper moderatè vixit, nec de visceribus naturalibus quicquam conqueritur: aëris autem inclementiam & vigilias in Castris cùm evitare nequiverit, capitis naturalem calidam & humidam intemperiem non parùm adauxit, & idem ad pituitosæ catarrhalis materiæ productionem aptius reddidit: addita verò aliqua serositas biliosa in jecore genita, per venas, atque tandem per carotidas in caput facilè elata, catarrhalem ipsam materiam ad partes inferiores, ad articulos scil. per musculorum spatia secum duxit, & dolores arthriticos peperit.

Quæ cùm ita se habeant, non erit in Arte versatus, qui non videat fontem mali, ut dicebat Celsus, tolli & exiccari debere, si Præservationis ratio habeatur, cùm affectus iste recidivare soleat: si verò Curationem expostulet, ut in casu præsenti, dum materia in articulis, si non omninò tophacea, saltem valdè densa atque dura relicta fuerit, tunc valdè Emollientibus & parùm Resolventibus est utendum, hisque toto tempore usque ad ver venturum, quo ineunda erit purgatio, primas vias expiando. Totum venosum genus quodammodo depurando; sed præsertim caput purgando, & ejusdem humidam intemperiem corrigendo: dum iisdem præsidiis musculorum spatia exiccari, & articuli roborari poterunt.

Quibus intentionibus satisfieri posse sperandum, cùm sexagesimum octavum annum suæ vitæ attingens, ab hujusmodi arthritica fluxione immunis semper vixerit, ex quo conjectari licet, naturalem ad hanc dispositionem non habuisse; sed ex accidenti propter injurias externas in eandem incidisse.

Quare alacri & confidenti animo erit ineunda Purgatio, & primò in præsens curativa, mense verò Aprilis venturo præservativa. Et pro enodandis articulis tumore affectis, Balneolum præscriptum administrandum erit, ex radicibus malvarum, althææ & liliorum alborum, in lixivio dulci, aut aqua communi decoctis, paratum, in quo per horæ dimidium manè & vesperi erunt detinendæ atque tractandæ partes ipsæ affectæ; postea inungendæ linimento pariter ita præscripto.

♃. Adipis anserini ℥ij. pinguedin. felis ℥i. sal. alb. in patella torref. ct. aquæ vitæ juniperinæ ana ℥i. m. bulliant lento igne ad consumpt. aquæ, deinde reformetur linimentum; quo tempore congrua & parca erit servanda vivendi ratio.

Præservativa verò medela proximo Vere erit aggredienda. Et pro prima intentione, Leniens bis exhibendum erit.

♃. Pot. ex manna clarif. ℥vi. aquæ florum citri parùm, m. f. potio.

Vel ℞. Syr. rof. solut. clarif. ℥vi. aq. florum citri parùm, m. f. potio. Quinque verò inter mediis diebus sumat summo mane hujusmodi Præparans.

♃. Julap. acet. ℥ij. aq. florum citri ℥i. misc. pro syr. & sic pro aliis.

Pro secunda intentione, ad ulteriora præparantia deveniendum, & esse poterunt succi depurati, cum decoctione ita paranda.

♃. Succi depurat. cichor. borag. betonic. ana ℥i. decoct. in jure pullæ facti cichor. borag. endiviæ, acetos. ivæ arthriticæ ℥iv. m. pro syr. & sic pro septem aliis; quibus assumptis, præbeatur infusum hujusmodi.

♃. Rhabarb. opt. agarici trochisc. ana ʒi. fol. senæ Orient. mund. ʒij. cinnam. integri ʒi. aq. meliss. q. s. m. inf. per hor. xij. deinde fiat fortis expressio, & colaturæ adde syrupi rof. solut. ℥iv. m. f. potio, cui, tribus transactis horis, superbibat seri capr. ℔. ß. duabus verò horis ab assumpto sero prandeat. Sed interim in horum dierum intermedio aperiatur jecoraria dextra, & parcè sanguis educatur.

Jnde pro tertia intentione explenda, pilulæ capitales tribus vicibus, quarto aut quinto quoque die circa noctis dimidium erunt præbendæ, ut.

♃. Pilul. capitales Paracelsi ℈.ij. m. f. pilulæ, & aurentur. Jntermediis verò diebus assumat syrupos capitales ita parandos.

♃. Succi depur. cichor. betonic. ana ℥i. decoct. cichor. endiviæ, betonicæ, stœchados, chamædryos, chamæpityos ℥iv. m. pro syrupo, & sic pro aliis. Et interim Errhino aliquo capitis purgatio coadjuvanda erit, ut.

℞. Pulveris majoranæ, ireos Florent. ana ʒij. nigellæ ʒi. m. pro Errhino.

Postrema tandem intentio Decocto sudorifico erit perficienda, sine quo reliqua non suffecerint; & ideò hypocaustum parandum erit, ut caput potissimùm, una cum toto corpore sudet. Decoctum autem hunc in modum concinnandum.

♃. Sarsæparill. el. lign. visc. querc. ana ℥i. ligni rorismar. santal. alb. rasp. ℥ß. aq. still. cichor. lib. ij. betonicæ, ivæ arthriticæ an. ℔i. m. f. infus. per horas xxiv. deinde bull. ad consumpt. dimidij, & colatura servetur pro tribus vicibus, summo manè, hora una ante ingressum

gressum hypocausti assumenda. Pro potu verò consueto.

♃. Residuum lignorum, aq. comm. opt. ℔. xv. m. bulliant ad consumptionem tertiæ, in fine ebullitionis adde cinn.m. elect. integri ℥ij. bulliant parùm, deinde colaturæ adhuc ferventi adde sacchar. alb. ℥iij. vel ad libitum, & frustula citri recentis, ut agit.ndo fiat aqua, itaque dicta Cedrata. Maneat autem pri is diebus in hypocausto solum per horæ quadrantem: cæteris per horæ dimidium, & non ulterius; mox sudet in lecto. Decimo vero quoque die præbeatur potio ex manna clarificata, & in hujus Decocti sudorifici usu quadraginta diebus perseveret, semel in die. Sed interim victûs ratio non adeò tenuis esse debet, verùm quotidie præter panem biscoctum, nucleos pineos, amygdalas atque passulas, in prandio caro assa est concedenda, aut palumbæ, aut pulli junioris: in cœna verò nonnunquam ptisan hordeacea. Quod si fortasse tumor durus in aliquo articulo remanserit, vesperi sub ingressu n lecti pars ipsa petia, ol. lil. alb. imbuta, erit involuenda, totaque nocte detinenda: mane verò curandum ut pars ipsa in hypocausto sudet, pedes nimirùm altiores detinendo. Mox quotidie à Sudore balneolo præscripto erit utendum, & articulus nodosus præscripto linimento inungendus.

Quadraginta autem jam dictis diebus peractis, totum corpus vestibus diu ab ambiente frigido muniri debet, noctu verò operimentis, sive culcitris, ita ut quandoque sudor excitetur, articuli vero fluxionibus obnoxii, sed sani & immunes existentes, frequenter spiritu salis vola manus calida fricari debent, ut roborentur; & sub ingressum lecti Conserva aliqua capitalis in usum ducenda, ut è floribus betonicæ, vel rorismarini: imo & anni tempore calido, etiam rosarum.

Quibus omnibus, quantum fieri poterit, congrua vivendi ratio erit addenda. Primò caput ab injuriis externis, tum calidis, tum frigidis erit custodiendum. Secundò Semel in die cibu n capere, erit adversùs hunc affectum egregium Præservativum: sin minùs, saltem cœna sit parcissima atque frugalis, & decem saltem horis distet à prandio. Inter carnes omnino omittatur suilla, vitetur bubula, & animalia omnia annosa atque pinguia: sic & extremitates, ut caput & pedes vituli &c. ita & caro volucru n aquatilium. Inter pisces vitentur cænosi, glutinosi, Conchylia & Ostreacea. Lacticinia omnia nocumentum aliquod afferre possunt, sed præsertim caseus, potissimùm antiquus. Edulia ex pasta parata omittenda, exceptis levioribus, ut vermiculis Apuliensibus, & hujusmodi. Omnia legumina debilitant articulos, hordeo & oryza exceptis. Ex oleribus caveat ab usu lactucæ, fæniculi, apii, fungorum & tuberum. Ex fructibus permitti possunt fraga, melones optimi: nonnunquam persica & pyra cocta. Ex condimentis, abstinendum à larido suillo, ab allio, cæpis & aromatibus, excepto cinnamomo & pipere ruditer contuso; acida quoque nonnisi rarò usurpanda. Vinum sit rubrum, nec dulce, nec austerum, non valdè generosum. Tertiò somnus nocturnus saltem septem horarum necessarius esset: quo deficiente, suppleat diurnus. Quartò exercitium, etiam laboriosum, quam maximè convenit, sed ante cibum ut propterea Hipp. dixerit, Labor articulis & carnibus, somnus visceribus. Ultimò alvus quotidie exoneranda, & si opus fuerit, arte solicitanda prunis aut passulis in vino dulci decoctis, sacchato aspersis, & in prima mensa comansis, superbibendo jus carnium tenue. Venus autem articulos extremè lædit. Tandem animi pathemata, nisi evitari possint, saltem aliqua geniali consocietate divertantur. Quæ omnia eximio atque invicto Excellentiss. Viro à summo Deo salutaria ex corde precor. *Raymund. Jo. Fortis Consult. T. 2. Cent. 4.*

Illustrissimus vir trigesimum quintum annum agens, temperamenti totius ad humidum vergentis, hepatis tamen calidioris, habitus mollis & delicatioris, ex Patre podagrico natus, nonnullis abhinc annis arthritidis insultibus obnoxius, cum Autumno 1672. Roma discesserit, Bononiam perveniens, ibique commorans, post tempestatem Austrinam in hyemis principio eadem Arthritide universali, nempè omnium articulorum correptus fuit, eaque cæteris præteritis sæviori atque diuturniori, imo toto anno 1674. usque ad hunc diem, Tophis in manibus relictis. Cùm autem hucusque nullo modo Præservationem ullam tentaverit, sed tantummodò ab accessionibus, levioribus medicamentis seipsum paraverit, modo variæ atque diversæ curationes hinc inde eidem considerandæ veniunt; quæ cùm sibi invicem contrariæ & contra indicantes videantur, apud ipsum electio incerta, imò nulla restat. Inter multiplices autem quatuor proponuntur, judicio tuo prudentissimo perpendendæ: Prima est, bis in anno, primis expurgatis viis, circa Æquinoctium, & semel misso sanguine, assumere serum vaccinum, aut caprinum stillatitium, cichoraceis, & malvis prius alteratum, hocque ad triginta dies, eo fine, ut corrigatur & edulcoretur acris atque salina qualitas in sanguine existens, quæ in accessionibus podagricis ad articulos præcipitatur. Secunda curatio est illa, quæ diuturno solius lactis vaccini usu, etiam in mensa perficitur; quod curationis & præservationis genus & Germani, & Galli, & Itali, præsertim Parmenses experti fuerunt. Tertius curandi modus, forsan à summa tua Prudentia inventus atque præscriptus, est vini Antipodagrici solutivi usus ad quadraginta dies, tum Verno, tum Autumnali tempore. Quartus modus de quo præsertim consilium à te petii, est, post prægressam totius & capitis convenientem expurgationem, Decocti sudorifici usus, quod quamvis communi Neotericorum opinioni contrarium videatur, attamen cùm à te, pro teipso, jam Podagrico existente, utiliter usurpatum fuerit, ab ore tuo pendere intendit Illustriss. iste vir, dum auxilium implorat.

Juremerito exclamabat Trallianus, unus ex Medicinæ Principibus, Podagram incurabilis nomen acquisivisse ob Medicorum inscitiam, ejusdem causam ad amussim ignorantium. Hinc fit ut medicamentum quod Podagricum aliquem sanat, alteri non prosit, imò sæpè noceat; & præterea multæ intentiones contra indicantes, pro individuorum diversitate, à Medicis

Artem callentibus proponantur, & felici successu executioni mandentur. Sic primus Purgationis modus pro Præservatione utilis esse poterit iis, in quibus generatur copia biliosi & salsi humoris, sine tamen pituitæ mistura, qua præsente, jam dictus medendi modus satis prodesse non poterit. Secundus modus nimirùm diuturnus atque continuus lactis vaccini usus, juvabit gracilia corpora obstructionibus carentia, affectu hypochondriaco vacantia, caput humidum non habentia, neque destillationibus catarrhalibus obnoxia, & bile quidem, sed qualitate potiùs, quàm quantitate peccante scatentia: in his enim Podagra facile nodosa & tophacea evadit; quibus absentibus conditionibus tantùm abest ut lactis usus juvare possit, quin potiùs & Podagram augere, & alia lethalia mala inferre soleat. Circa tertium Præservationis modum, vinum Antipodagricum purgans medicatum, & à me in usum ductum, valde profuit habitu mediocri præditis, à catarrhali destillatione immunibus, sine excedenti jecoris calore; in quibus ob intensas applicationes & nimia studia, additâ quoque libera victûs ratione, cruditatum copia in venis acervatur, præsertim Æstate & Hyeme, quæ vere & Autumno à natura ad articulos pro minori malo transmittitur; unde Gal. cum Hipp. dicebat, quod *Dolores podagrici Hyeme & Æstate siunt: Vere autem & Autumno moventur.* Et idcirco cum vinum purgans ineunte Vere & Autumno, nimirùm toto mense Martio & Septembri, in prima mensa quotidie epotum, cruditates epicratico modo per alvum educere valeat, mox Natura quicquam quod ad articulos deponat, ampliùs non habet: unde Præservatio. Postremus præservandi & simul curandi modus, consistit in Decocti exiccantis sudorifici usu; hoc autem competit destillationibus à capite obnoxiis, & serositatibus quibuscunque scatentibus; quæ frequentissimè in Junioribus podagricis observantur: ut propterea Decoctum sudorificum mirabile sit, tum pro serositatibus per corporis peripheriam educendis, & ab articulis divertendis: tum pro exiccandis spatiis, & delendis viis intermusculosis, per quas cum Fernel. frequenter humiditates ad articulos feruntur: atque tandem efficacissimum & unicum evadit remedium pro capite exiccando, & feliciter ejusdem humida intemperie auferenda; quam felicitatem expertus sum ego Podagricus triginta quinque annorum, ex Genitore podagrico natus, ter hucusque ad sexagesimum usque quintum ætatis annum hoc præstantissimo remedio ab arthriticis & podagricis doloribus curatus atque præservatus: absque eo, quod nec minimum quidem Podagræ vestigium in meipso modo septuagenario fuerit relictum. Verum tamen est quod exactissima diligentia & observatione eget remedium hujusmodi, sine qua plures recto neglecto usu, ad motum impotentes redditi fuerunt: cum eodem tempore quo partes mandantes exiccatione indigent, recipientes, à Podagra detentæ, sæpè humectatione egeant, ne tophacea evadat Podagra, si non est, neve magis confirmetur, si fuerit. Ex jam dictis omnibus apertum erit cuilibet in Arte perito, quantum Illustriss. Viro prodesse possit, imò quam necessarium sit ut ad Medici præsentiam seipsum conferat, qui præservandi non solùm, sed curandi quoque directionem præscripturus est. *Idem Tom. 2. Centur. 3.*

Cùm Illustrissimus & Excellentissimus vir ex Matre podagrica natus, olim arthriticis & podagricis doloribus à capite & toto procedentibus fuerit tentatus, & tandem in consistente ætate majora remedia, Decocta scilicet sudorifica vinaque medicata purgantia in cassum fuerit expertus, illud nobis dicendum venit, quod qui bonam victûs rationem tenere nequeunt, iis optimam medicinam præscripsisse supervacaneum fuerit; multi enim, dicebat Celsus, cùm ex toto convaluerunt, periculosæ vitæ genus subitò mutant, & inordinatè agunt, sicque, ut Aretæus, tanquam ab inferis elapsi, licentiosiorem vitam ducunt: unde delicatos curandos non contingere, melius & fortunatius esse, dicebat Aëtius. Et licet qui Veneri & Gulæ indulgent, si hæreditaria his accedat imbecillitas in articulis, difficulter admodum præservari possint; nihilominùs pronunciavit Hipp. quod qui juvenes sunt, & nondum tophos contraxerint, si Medico intelligenti obedientes fuerint, accuratè vivunt, laboris amantes, & alvum apertam servent, sanari, magisque præservari possunt; in quibus Virum Excellentissimum deliquisse minimè dubito; & ideo & manus, & pedes, & cubitos, cruda à venis & catarrhalis à capite materia majori & vehementiori ferocia, quàm antea, invasit, tumoresque & laxos & duros, at non adhuc tophaceos reliquit.

Et quoniam novas & repetitas purgationes ægerrimè permittit, quas forsan nec facilè tolerare posset, idcirco spem totam in congrua vivendi ratione reponens, hanc sibi præscribendam mihi mandavit, quam primo in hujusmodi affectibus universalem, secundò quidem particularem assignabo.

Et quidem summa prudentia Vir Excellentissimus ad rectam vivendi rationem confugit, cùm Gal. asserat se non paucos Arthriticos vidisse, quibus jam articulorum ossa denudata fuerant, attenuante congrua victûs ratione in totum persanatos, alios ad multo meliorem statum redactos; quæ vivendi ratio cùm in sex rerum non naturalium recto usu consistat, has omnes examinabo, earumque salubrem usum Viro Excellentissimo significabo.

Et primò si de aëre loquamur, ad calidum & siccum vergere debet; & licet consulat Celsus, loca, cœlum & cibum esse sæpè mutanda, in meliorem tamen fieri semper debet mutatio.

Partes autem affectæ, pedes nimirùm & manus, nec nimis caleant, nec nimis frigeant, & siccæ potiùs, quàm humidæ detineantur.

A radiis solaribus, à crepusculis cavere debet; neque caput hyeme igni exponetur, sicut neque aëri ventoso ac nubiloso.

Secundò victus debet esse tenuis, tenuitatem tamen intelligendo respectivam, non absolutam, respectu scilicet victus favorum; & ideo Aët. audiendus non est, qui ab omni cibo & potu abstinentiam præcipit, sed potiùs cum Fernelio dimidium cibi & potûs circumcidendum esse, dicendum, quod forsan desumpsit à Paulo dicente, quod præcavet à Podagra ciborum

rum

rum detractio, eorumque probitas; sicque repetebat Fernelius, quod famem interdum tolerare bonum.

Varietas tanquam pestis fugienda: minùs enim nocet simplex cibus malus, quàm bonorum multiplicitas; simplex itaque cibus est, non solùm ut unus, verùm & à condimentis immunis, coquorum enim adparatus est præcipua cruditatum causa; nec ingeri debet novus cibus, priori non benè confecto; nihil enim deterius, quàm comestio supra comestionem; sit autem potiùs attenuans; non itaque crassus, non glutinosus, non concoctu difficilis, sed tenuis substantiæ, pauci excrementi, facilis coctionis & distributionis; nec alimenta sint humores fundentia, salsa, vaporosa & caput tentantia.

Quare inter carnes vitentur suillæ, bubulæ. licet à Tral. biliosis concedantur, ovinæ, aves palustres; vitentur pariter extremitates animalium, capita & pedes. Caro caponum succum quendam continet glutinosum, & propria natura parùm articulis amicum, præsertim antiquorum; carnes enim omnes antiquæ peccant in hoc quod pravum succum generant. Inter pisces, palustres & cœnosi, ut anguilla, tinca, & hujusmodi alii prohibentur: sicut quoque testacei & ostracei, quos armatos appellant. Inter Lacticinia, caseus potissimùm prohibetur: de reliquis verò lacticiniis, & præsertim de lactis usu dubitari solet, cùm apud Gallos, & quosdam etiam Italos lac Podagræ, etiam tophaceæ, ut remedium fuerit expertum, præterquam quod ab Hipp. quoque in cura Arthritidis & Podagræ recensetur; de quo ego ita decerno, quod lac concedi, & convenire possit in Arthritide biliosa & gracilibus corporibus, à siccitate namque facilè nodosa redditur: & ideo emollientia & humectantia conveniunt; unde & Gal. victu humectante curavit Arthriticum illum ab eodem in Campania repertum, ab aliis Medicis ad morbum exiccatorium deductum; at ubi pituitosa materia, & cruditates abundant, suspectus est lactis usus, & omninò interdicendus, quando catarrhalis materia à capite ad articulos deferatur; unde Hipp. *Lac dare caput dolentibus malum.*

Ova admittuntur, sed sine ullo unctuoso condimento. Prohibentur omnia legumina, hordeo & oriza exceptis: omnibus enim qui in oppido Aëno ob famem leguminibus vescebantur, articuli debilitati fuerunt. Omnia ædulia ex pasta parata noxia. Inter fructus horarii præsertim prohibentur, pomacea item omnia à Dioscoride, Inter olera, prohibentur lactuca, fæniculum, apium, asparagi, ostroboli, fungi, tubera terræ. Inter condimenta, vitentur aromata, frequens usus aceti, sed & succi limonum, aurantiorum, allii, cæparum.

Inter carnes eligantur phasiani, gallinæ cohortales, atagenæ perdices, turdi, aviculæ montanæ. Inter pisces, saxatiles, & habentes substantiam albam ac friabilem. Inter edulia ex pasta, admitti possunt vermiculi Apulienses.

Inter fructus concedi possunt fraga, cerasa subflyptica, uvapensilis, ficus nonnunquam, & parcè. Inter olera libenter admittitur borrago, intybus quoque, quandoque brassica non valdè cocta: Ante prandium ventriculum roborant gingiber conditus, vel acorus conditus. A cibo verò diacydonium cum pipere.

De vino valdè dubitatur; Paulus enim ait, quod qui per totam vitam à vino abstinuerunt, omnes opem senserunt, aut ex toto liberati fuerunt; sic Rhasis ait se vidisse relinquentes vini potum, sanitati restitutos. Fabulantur enim Antiquiores, Podagram esse Bacchi & Veneris filiam, pauperibus inimicam, & Mesues rationem reddit: vinum enim per se nocet oculis atque nervis, præterquam quod suo calore fundendo, attenuando & aperiendo fluxiones concitat, quatenùs dilatat vias, & humores fluxiles reddit, & apud Chymicos, eosdem sulphureos tartareosque parit. Attamen quoniam Podagræ minera in capite & ventriculo esse solet, ideo probæ concoctionis magna & præcipua est habenda ratio; propterea non omnibus vini abstinentia & potus aquæ conferre potest, unde & ipse Paulus subdebat; Si nihil prohibeat; & Celsus præscripsit tempus, dicens quod quidam, cum toto anno à vino & venere sibi temperassent, totius vitæ securitatem consecuti fuerint; & si tanto tempore sine vino perdurare nequierint, consulit quod ubi triduo aut quatriduo vinum delibaverint, uno aut altero die aquam interponant; & qui nullo modo aquæ potum sustinere possunt, vinum eligant, cum Paulo, modicum & aquosum, nigrum potiùs, quàm album; & licet album dicant ab articulis ad urinam humores divertere attamen quoniam ut aperiens citò è ventriculo defluit, alimenta quoque cruda, & non benè concocta immaturè secum ducit, & ideò cruditates in venis multiplicat. Quod si à ventriculi imbecillitate non desideretur, aquam bibere conferre poterit, santalinam, si biliosi fuerint, lentiscinam si pituitosi, & china optima alteratam, si valdè graciles fuerint.

Tertiò somnus & vigiliæ sint moderata: ab immoderato namque somno caput repletur, sicut ab immoderata vigilia cruditates generantur; unde Galen. dicebat quod *somnus concoquit, vigilia digerit.* Intercedant autem duæ horæ ad minimum inter cænam & somnum, & à somno pomeridiano cavendum.

Quartò exercitium quam maximè necessarium; unde Hipp. *Labor articulis & carnibus cibus, somnus visceribus*; & ideò laboris amantes esse debere Podagricos jubebat idem Hippoc. Verum tamen est quod labores cibum præcedere debent; ita enim nervis, cartilaginibus & ligamentis robur & firmitatem confirmant, calorem naturalem excitant, alimentum deferunt, & excrementa discutiunt atque resolvunt; motus tamen immoderatus non sit, nam lassitudo articulos largiùs excalefacit, & materiam à longinquioribus partibus attrahit. Corpus itaque exerceatur matutinis horis ambulando, vespertinis in rheda. Et quoniam manuum non adeò facilis evadit exercitatio, ideò pila manibus iisdem affectis tractetur, & melior, si fuerit ex succino parata.

Quintò alvi excrementa promptè & quotidie excerni debent; quantùm enim confert Podagricis soluta alvus, innuit nobis Hipp. dum Dysenterias Podagricos sanare affirmavit unde

& Aët. perfectam curam in fame & Clysteribus reponebat: & ideò nisi spontè fiat, arte solicitanda erit evacuatio pilulis mastic. vel crem. tart. in pituitosis, electuario lenit. ad ℥ semi. in cæteris; prunis quoque Damascenis vel Gallicis coctis & saccharo conditis. Nec spernenda evacuatio & exiccatio capitis post pectinationem, spongia lixivio dulci ex sarmentis parato, & betonic. rosis, serpillo, calamento, majorana alterato imbuta, expressa & exiccata caput ipsum detergendo, deinde pulveribus aspergendo ex caryophyll. in aq. rosac. maceratis, moxque exiccatis.

Articulorum quoq; aliqua evacuatio & roboratio ex Antiquioribus, addenda, quod adeò antiquo salito præstare solebant: nos autem spiritu salis, vola manus madefacta, articulos fricando.

Venus ut Podagræ mater & Nutrix, semper mala: non enim est de illis morbis Podagra, qui coitu sedantur: quare Galenus duplici nomine coitum, Podagricis inimicum esse dicebat, primò quia articulos enervat; secundò quia vires ventriculi labefactat, sicque Podagræ materiam multiplicat, & partes affectas debilitat; ut propterea Hipp. Eunuchos & Pueros ante usum venereorum à Podagra immunes pronunciaverit; unde proferebat Paulus quod venus extremè lædit, imò & omnis voluptas.

Tandem animi motus omnes violenti sunt evitandi: ira enim biliosis non parùm obesse potest, humores ipsos accendendo, agitando, attenuando, & ita ad motum fluxibiliores reddendo: sicut reliquæ animi perturbationes, vigilias inducendo, cruditates multiplicare valent. Applicationes autem & studia nimia, calorem & spiritus à ventriculo divertendo, effectum eundem producunt, eoque magis, statim, aut parùm ab assumpto cibo; præterquam quod caput quoque quam maximè repletur.

Et quamvis ex jam in universali præscriptis Excellentissimum atque prudentissimum Virum particularia sibique propria electurum minimè dubitem; nihilominus ut desiderium meum in sui beneficium omninò propensum agnoscat, & præterea quoniam affectio hujusmodi morbosa ultrò progressa est, ideò particularem quoque vivendi rationem subdam.

Et primò circa aërem, ut Patavinum inspiret, quantum fieri potest, consulo, ut qui mediocris inter Venetum nimis crassum & humidum, & inter montosum nimis tenuem atque subtilem existat. Cubiculum vero nullo modo Septentrioni sit expositum. Ubique crepuscula fugienda, nec radiis solaribus, neque igni caput exponendum; indumentis potiùs copiosis corpus diu noctuque à frigore muniendum.

Secundò de cibo & potu pauca sunt dicenda, status enim Excellentiss. P. exigit tenuem cibum, non valdè tamen attenuantem, quia corpus ad gracilitatem vergit, ejusque viscera æstuant, at boni succi, pauci excrementi, facilis coctionis & distributionis. Potus parcissimus esse debet. Sed ut ad magis particularem usum deveniam hoc anni tempore à pullis junioribus vel palumbis turricolis vario modo conditis discedere non debet, addito in prima mensa ferculo ex oriza aut hordeo, sive ex lacte, ovis & saccharo parato. Autumno verò venturo aves sylvestres, perdices, alaudæ, aviculæ montanæ eligi poterunt. Pro potu vinum tenuis substantiæ rubrum, nec austerum, nec dulce, nec generosum, nec nimis oligophorum. Prandium & cœna conceduntur, intercedentibus tamen novem aut decem horis. Verùm integro anno (nec tædeat Excellentiss. Virum) talis debet esse usus, ut tam in prandio, quàm in cœna comedat, ex nuper præscriptis alimentis quantum comedere potest, quousque sitis accedat, & bibere cogatur: mox bibat unica vice ad saturitatem; vinum autem sit frigida non nive refrigeratum; sicque prandium & cœnam claudat exigua assumpta Conserva persicorum & cydoniorum, & toto jam dicto anno à cæteris omnibus & carnibus, & piscibus, & fructibus, & oleribus prorsùs abstineat. Anno verò transacto, ad victum licentiosiorem seipsum traducat, meliora alimenta ex superiùs descriptis seligendo, quantitatem in prandio adaugendo, & parcam cœnam sibimetipsi instituendo.

Tertiò somnus sit saltem septem horarum nocturnus, quo deficiente suppleat diurnus, nec se somno tradat, nisi una aut altera à cœna hora prætérita.

Quartò motus corporis nullo modo negligendus, præsertim matutinis horis, etiam si pedes ægrè laborem ferant, ita & manus pilam aliquam, aut quid simile tractando exerceantur; erit reassumendum.

Quintò excrementa, licet pauca, sunt tamen bis in mense ad excretionem solicitanda; idque commodè præstare poterit usus elect. lenit. ad ℥ß. parùm ante cibum assumendi; non enim alvum stypticam reddit, uti reddunt Clysteres. Articuli verò sani, manu spiritu salis illita confricentur, sicut tumoribus detenti, ita quotidie illiniantur.

♃. Adipis anser. ʒ ij. pingued. [illegible] ℥ j. salis albi ʒß. spiritus vini ʒß. m. bulliant omnia ad consumpt. spiritus vini, & servetur ad usum quotidianum.

Tandem applicationes legendi, scribendi, magisque gravia negotia tractandi, à cibo omnino cavendæ: caput enim Viri Excellentiss. facillimè repletur.

Hæcque pauca extra podagricam accessionem observanda præcipio, quibus universalia præmisi, rationibus & authoritatibus comprobata. Nec severa nimis Excellentiss. Viro præscripta vivendi ratio videatur; sicut postea severissima esse debet in accessione ipsa: Urgentibus enim doloribus, & carnibus, & vino omninò parcendum, ut cuilibet notissimum est, & victu verè tenui tunc temporis utendum, *Idem Tom. 2. Centur. 4*

Ischiadici Dolores.

Illustrissimus & Excellentissimus Comes Generalis quadraginta quinque circiter annorum, est à Parente articulari morbo obnoxio oriundus, temperamenti sanguineo-biliosi, habitus corporis mediocriter carnosi, vultus coloris ex rubro flavescentis, ad iram præceps, viscera habens calida & sicca, cum lienis obstructione & duritie. Olim ob errores, qui iis, qui Castra sequuntur, in sex rebus nonnaturalibus contingere

gere solent, catarrhis colicisque doloribus frequenter cruciabatur. Postquam vero ante annos octo in loco superioris Hungariæ paludoso, inter assiduas, easque persæpe molestissimas mentis occupationes unius alteriusve anni spatio vitam egisset, & cibis, præsertim vero piscibus sæpius vesceretur suffumigatis & muria conditis, dolorem sensit in enarthrosi ossis femoris, ea præsertim parte ossis, quod Ilnion indigitatur, qui inde jam per femora ad genua & crura descendit, jam inverso ordine à cruribus per genua ad regionem Ischiadicam ascendit, mox hæc, mox illa loca magis magisque affligens. Hic dum in summo, seu ἀκμῇ consistit, motum progressivum tremulum efficit, ac genua vellicando, convulsivo similem. Invasit autem plerumque circiter principium somni, observando certas quasi, periodos, quamquam subinde etiam de die tristia sua fecerit interludia, præcipuè dum gravior aliqua præcesserit animi passio. Ex signis propositis conclusum est affectum esse dolorem Ischiadicum, à rheumatismo dependentem; pro quo extirpando quamplurima quidem usurpata sunt remedia, tum via methodica & regulari, tum etiam aliquando empirica sine regula. Methodica via corpus reddebatur fluidum per digestiva, purgatum est per epicrasin, & fortiter; sectæ sunt venæ, sanguisugæ applicitæ hæmorrhoidibus; sanguis autem extractus semper duas fermè partes continebat seri tenuis & corrupti. Item excitata sunt Cauteria in brachio & supra genu partis dextræ dolore magis afflictæ, revulsionis & derivationis gratiâ. Semicupium adhibitum est ex Vinaceis, Balneum plenum ex Decocto capitum & pedum Vervecis, bibit lac caprinum, asininum, acidulas: Sed omnia hæc sine expectato effectu sanitatis. Hinc statutum est, subesse huic malo fermentum aliquod peregrinum, seu malignitatem veneream, quam usurpatione Decocti lignorum, ceu proprio ipsius mali Alexipharmaco, per sudorem in Laconico exterminare allaboratum est per duas vel tres septimanas: hinc assumptione Mercurii dulcis sine salivatione; sed omnia citra sequelam sanitatis. Quapropter derelicta via Methodica ac rationali, tentavit Excellentissimus Comes Empiricam cujusdam Medici Anglici hic existentis, qui, spretâ omni diætæ lege, ei victus ratione omnia concessit, præter haleces & brassicam conditam: ac compromisit, se solo vino adusto medicato in dies sub certa dosi introsumpto, integrum valetudinis statum Excellentissimo Comiti reducturum. Proinde sumpsit spiritum illum vini modo præscripto ultra annum & adhuc eo utitur, quo se in tantum adjutum scribit, ut dolores antea intolerabiles nunc non sentiat amplius, nisi circa magnas aëris, & Lunæ præsertim crescentis mutationes: illosque ita remissos, ut non impediatur in suis functionibus, sed possit cum illis ambulare, equitare, pergere curru, domi & ruri fungi suo munere militari, sine notabili impedimento; hoc præcisè tamen animadvertens, quod dum leges diætæ circa cibum & potum transgrediatur liberiùs, sentiat se fieri constipatum, donec accepto sibi familiari Enemate, alvus denuò reddatur fluida. Quia tamen Excellentiss. Comes unicè integram anhelat sanitatem, quærit consilium & auxilium, ut possit etiam ab hoc per intervalla recurrente dolore reddi liber & immunis, periculo recidivæ.

Mirum non sit, quod Illustrissimus & Excellentiss. Comes Generalis ex arthriticis Parentibus natus, inter trigesimum & quadragesimum annum ischiadico dolore divexari cœperit, cùm jam à semine paterno causam sine qua non, ipse contraxerit, ut ideò Galenus dixerit, necesse esse Arthriticis priùs articulos invalidos habere: quam invaliditatem in eorumdem frigiditate consistere voluit Aretæus. Causam autem materialem suppeditavit prava vivendi ratio, forsan in omnibus sex rebus non-naturalibus, cùm primò loca paludosa octo abhinc annis incoluerit, unde lienosus; & aëris inclementiis caput & totum corpus in Castris exposuerit; cibis prauis humiditates serosas multiplicantibus, & præsertim piscibus salitis frequenter usus fuerit, atque forsan generosioribus vinis in Hungaria consuetis. Nec somnum concoctionibus adeò necessarium semper capessere potuisse credendum, & corpus atque articulos coxæ & crurum equitando nimium exercuisse, & imbecilliores reddidisse; sicut forsan utilium & inutilium excrementorum evacuatio sanitati prorsùs idonea non fuit. Atque tandem animi pathemata, à quibus omnia mala prodire posse credidit Plato, valdè molesta Excellentiss. Comiti fuere: hinc excrementorum copiam necessariò fuisse genitam non est qui non videat; quorum portionem crassiorem in primis viis stabulare, & obstructiones conservare facilè credi potest, sicut crassiorem sanguinem atque limosum in splenicis vasis stagnare, Medici tactus judicavit. Cùm autem non exigua eorundem excrementorum pars ad massam sanguineam sese insinuaverit, Natura gravata, eandem ad imbecilliorem partem, ad coxæ nimirùm articulos deposuit, & ischiadicos, sive coxendicos dolores excitavit, quos quamvis Græci inter arthriticos reponere recusaverint, sub genere tamen Arthritidis eosdem collocavit Galenus, & ideò crediderim ego, potiùs à toto venoso genere, visceribus naturalibus nempè, intemperie & morbo organico affectis dolores hos ischiadicos magis, quàm à capite defluente originem duxisse: etenim si à capitis rheumatismo magis procederent, Decoctum sudorificum profuisset, & plures dies administratum etiam sanasset, præterea si à catarrhali materia à capite deffluente, facilius progressu densata fuisset, & motum coxæ diutiùs impedivisset, nec levamen à spiritu vini frequenter hausto adeò facilè accepisset. Quare potiùs ego censerem materiam serosam, exiguæ cruditati immistam, à toto ad coxarum articulos transmissam fuisse, & in præsens per intervalla non tantùm ad acetabulum per vasa, verùm & ad musculos per spatia transmitti, ut sanguis ipse eductus confirmavit; & ideò docuit Hipp. primò podagricos dolores fieri à sanguine, à bile & pituita corrupto: peculiariter verò de ischiadico, hunc fieri, quando in sanguifluis venis articuli coxæ sanguis à bile & pituita ægrotaverit, locutus de ischiadico dolore legitimo; sicut spurius dicendus est ille, qui in coxæ musculis, Iliaco interno, psoas, & glutæis pec-

peccantes humores continet & conservat; ut propterea facilem consensum ad suras, imò ad pedem, usque ad extremum digitum, existimaverit Aëtius, dicens, *Auspicatur hunc dolorem vicinorum musculorum dolor, maximè lumborum, poplitem, talum, & quibusdam totum crus affligit:* imò & ad summum pedem usque pertingit, ut Paulus. Non tamen negaverim aliquam quoque à capite destillationem, si non per vasa, saltem per parietes medullæ spinalis ad musculorum spatia defluentem, spurium dolorem coxendicum fovere posse.

Quod si res ita se habeat, massam sanguineam depuratione egere, ut Comes Excellentiss. ab insultibus ischiadicis præservetur, unicuique patere potest. Et quoniam à visceribus naturalibus intemperie & organico morbo affectis, quotidie sobolescit excrementorum proventus, idcirco eorundem viscerum providentia habenda est, non omninò capite neglecto. Et tandem, ne pars affecta adeò facile excrementa suscipiat, exiccanda atque roboranda erit alioquin tractu temporis & declinante ætate, crassiores humores in ventriculo ipso hærere, & glutinosi atque mucosi evadere possent, auctisque doloribus, omninò motum impedire.

Quæ mala ut avertantur, proximo Vere Purgationem præservativam regularem infrà describendam Excellentiss. Comes inire tenetur, primas vias expiando. Secundò obstructiones mesenterii & lienis aperiendo & auferendo. Tertiò Massam sanguineam depurando. Quartò caput expurgando. Quintò intemperies corrigendo, atque demum coxæ musculos exiccando, & articulum ipsum roborando.

Ut igitur prima expleatur intentio, integra hebdomada consumenda, repetito Leniente, in principio & fine assumendo, ex syr. rof. solut. vel ex cassia, elect. lenit. & tart. parato. Quinque verò intermediis diebus Præparante præscripto ex syr. acetos. de cortic. citri, atque florum citri ana ℥ j.

Pro secunda verò intentione exhibeatur summo manè jus pullæ aperiens alteratum foliis cichor. borag. endiv. lupulorum, fumariæ, pentaph. & asparagorum, in quo diluantur gr. xii. salis tart. fixi, cui præmittantur duo aut tria cochlearia julapii acetosi, in quo rhabarb. globulus semper detineatur infusus. In horum autem usu pergat ad nonum usque diem: mox assumat medicamentum hujusmodi.

♃. Floris cass. rec. extractæ, elect. lenit. ana ℥ß. pilul. de tribus cum rhabarb. ʒ j. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. aut asin. depur. ℔ i ß. tribus verò horis ab epoto sero prandeat.

Inde ad tertiam intentionem explendam, & secundam perficiendam erit deveniendum, præscribendo pro sequenti die tale Præparans.

♃. Succ. depur. & per arenam trajecti, cichor. agrimon. ivæ arthritic. ℥ v. sal. tart. volatiliz. gr. x. m. pro syrup. & sic pro aliis quatuor horis ante prandium assumendis. Die verò sequenti summo manè assumat bolos ita parandos.

♃. Elect. Lenit. ʒ ij. rhabarb. maturi ʒ ß. m. f. boli, quibus post horam superbibat cyathum aquæ stillat. cichorii & agrimoniæ, tribus verò horis ab assumpta aqua prandeat; & ita in horum usu perseveret ad decimum quintum usque diem: quibus transactis, assumat pulverem hermodactylatæ præparatæ ad ʒ i ß. rut. ʒ ij. tribus aut quatuor horis ante cibum. Sed interim die secunda succorum aperiatur vena brachii lateris magis affecti, præsente Medico, & quantitas sanguinis educatur pro ejusdem conditione, & prout Assistenti visum fuerit.

His peractis capitis quoque purgatio non erit inutilis, Extracto pilul. cochiarum, aurearum; vel pilulis capitalibus Paracelsi, quæ tamen nonnisi quatuor aut quinque interpositis diebus ab assumpta hermodactylata exhibendæ sunt. Interim verò syrupi capitales ita præscribi poterunt.

♃. Succ. depur. & per arenam trajecti, cichorii, beton. ana ℥ j. decoct. betonic. borag. majoran. agrimon. ivæ arthritic. ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis. Quo eodem tempore per nares quoque capitis erit tentanda purgatio Errhino ita p rato.

℞. Pulv. majoran. ireos ana ʒ ij. nigell. ʒ j. m. f. pulvis per nares attrahendus more tabaci.

Quintæ intentioni satisfaciendum refrigerantibus, & sanguinis biliosi acrimoniam, & forsan etiam melancholici aciditatem demulcentibus & edulcorantibus, quibus cautè valdè procedendum, ne serositates inutiles in corpore multiplicentur; quæ incommoda ut evitentur, & obtineamus intentum, lac asininum quadraginta diebus in usum duci poterit, de more cum saccharo, summo manè assumendum: hoc enim cum quam citissimè per corpus digeratur, caput implere minimè poterit, & minus obstructiones augere, ut docet Galenus.

Postremæ intentioni satisfacere poterunt, primò insessiones in aquis sulphureis, mox ipsa sulphurea luta pluribus diebus administranda, & tandem vindemiarum tempore vinacea generosa, dum interim Ceratum oxycroceum super aluta extensum parti affectæ, coxæ nimirum, erit applicandum, singula quaque hebdomada innovandum.

Et nisi præscriptis executioni mandatis, Præservatio ex voto succedat, vinum meum Antipodagricum supplere poterit, bis in anno, nimirùm ineunte Vere & Autumno, quadraginta continuatis diebus assumendum, cujus dosis est primus cyathus in prandio & cœna, præmisso lenienti aliquo medicamento, ut primæ viæ à fæcibus expediantur; hujus autem descriptio ita sequitur.

℞. Rad. chinæ opt. lentisc. è Chio ana ℥ ij. Baccarum Juniper. manip. j. ivæ arthrit. manip. j. fol. senn. rec. mund. ℥ v. hermodactylor. ℥ iij. Turbith. ℥ ij. mechoac. ʒ j. cinnam. integri ʒ ß. Contund. contund. incid. incid. & m. ponantur in doliolo simul cum duabus nostris situlis Italicis vini, & post infusionem trium dierum, potus ejusdem incipiatur manè & vesperi, ut dictum fuit ad cyatum unum in prima mensa; per quadraginta dies, Vere & Autumno; in cujus usu perseverandum jam dicto tempore, tribus saltem annis.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, quæ licet à Viro Excellentiss. Adstanti sit præscribenda, aliqua tamen notatu digna sub-

subscribam. Et primò quod nisi palustrem incolatum mutare possit, saltem crepuscula tum matutina, tum vespertina evitare debeat, sicut & aëris inclementias præsertim frigidiores; affectæ vero coxæ articulus pelle agnina de more vestitus custodiatur. Secundò ab humidioribus & glutinosis alimentis abstineat, ut à carne suilla, agnina; ab usu casei; & à consueto butyri condimento; à leguminibus; à fructibus; à lactuca, & à copioso potu. Tertiò fugiat somnum pomeridianum. Quartò exercitium quidem convenit, sed ut monuit Hippoc. *Labores ante cibum*: imò Paulus docet, quod conferant deambulationes, assidui flexus, saltus & cursus. Quintò Venus extremè lædit: sicut magnopere juvat quotidiana alvi evacuatio: namque ab astricta alvo articulus coxæ aggravatur; & ideò nisi sponte respondeat, pilulam de tribus cum rhabarb. singula hebdomada in usum ducat. Tandem animi pathemata, quantum fieri potest, arcenda; & ab intensis applicationibus, præsertim legendo, aut scribendo, repleto ventriculo abstineat, alacrique animo vivat. *Idem Tom 2. Cent. 4.*

Amplissime & Consultissime Vir, fautor, & amice pl. colende, literis Ampl V. certior fio, quod non parùm sollicita sit, ne posthac fluxionibus arthriticis affligatur. Quanquam verò pro tempore morbus hic nondum adsit, necessarium tamen erit, ut præservatio non negligatur, cùm vagæ fluxiones dolorificæ, de quibus querela est, eundem præsagire soleant, quatenùs pedetentim postea magis ipsis articulis sese insinuant.

Cùm autem *antecedens causa fluxionum podagricarum* à cruditate concoctionum oriatur, omninò requiritur, ut antè omnia eò respiciamus, *quomodo cruditas concoctionum vitetur, & superflua serosorum humorum copia consumatur & evacuetur: deinde pars recipiens una cum capite corroboranda venit. Prius* convenienti diæta potissimùm consequimur, ubi primò respiciendum ad refectionem spirituum, per aëris ambientis usum, ubi frigidus, humidus, nebulosus inprimisque æstuosus is vitandus, qui si natura non emendatur, arte corrigendus erit, fumo excitato per pulverem, qui prunis ardentibus injiciatur, ex *Tacamahaca, Mastiche, Olibano, Benzoi succino* & similibus, cui interdum Gallia Mosch ata admisceatur. *Radix Juniperina* frequenter incensa plurimùm etiam hic inservit, ut etiam lignum sassafras frequenter naribus adhibitum, & in Musæo diversis in locis repositum.

Porrò cibus & potus etiam observetur, ubi eligantur alimenta facilis concoctionis, non admodum serosum sanguinem generantia quorum usus moderatus sit, juxta communem regulam, cuivis stomacho nihil melius, *quàm cibis non repleri, nec fame torqueri*, quod eò magis naturæ congruit, quò magis ordinem observamus, ne quocunque tempore, etiam absente fame, quæ tamen peractæ concoctionis indicium est, quosvis etiam diversarum qualitatum cibos ingeramus. Tales cibos in specie non difficulter quis colligit ex illis, quæ libello nostro de tuenda sanitate literatorum proponuntur. Quoad potulenta, nihil deterius frequenti ingurgitatione, qua copia serositatum cumulatur, & caput atque articuli debilitantur. Hic igitur, ut etiam in cibis, Temperantia regnet, ubi vina immatura, tartarea & terrestreitatibus adhuc permixta, sicut etiam fortiora, penetrantia, vitentur, electis temperatis Neccarinis & similibus, quibus interdum decoctum Rad. Glycyrrhizæ necnon infusum ligni sassafras, cum paulùlis minoribus, &c. addatur. Primus haustus in prandio sit vinum medicatum infusionis rad. Helenii, quod concoctionem juvat, fluxiones consumit, & serosas humiditates per vias urinarias educit. Præter dicta sæpiùs etiam ad corroborationem ventriculi respiciendum, quo melior alimentorum digestio subsequatur. Huc ergo pertinet conditura & præparatio ciborum, ob calorem nativum imbecilliorem necessaria, quando cibi Cinnamomo, Galanga, Nuce moschatâ, Croco, Mace, & similibus parumper (nimia enim conditura aromatica sanguinem reddit acriorem) aromatizantur: Sic etiam radices Petroselini, sem. Anisi, Fœniculi, Cumini, herba Majoranæ, Salviæ, Rosmarini, Satureiæ &c. conceduntur. Quod si viscida pituita ventriculi plicis sese insinuet, indicante idipsum appetitu dejecto, jejuno stomacho plurimùm usus Oxymellis Squillitici ℥ ij. superaddito haustu vini Absinthitis conferret, cui intentioni Aloës insuccatæ usus singulis septimanis etiam conveniret, scrupuli quantitate mox ante cœnam assumptæ.

Verùm ubi talis *nausea cum sit* deprehenditur, indicium est, bilis effusionem stomachum occupasse, quo casu Syr. Acetos. Citr. Rob. Ribes Conserv. Rosarum Vitriolata & similia ante cibum succurrunt: cum cibis olivæ immaturæ, Cappares, Herba acetosæ cum pullis Gallinarum, Columbarum, carne vitulina, hædina, &c. laudantur. Contra *evaporationes à ventriculo ad caput* post cibum aliquid corroborandæ concoctionis gratiâ sumatur de confect. coriandr. simplice, Nuce moschata cond. sicc. Diacydonio cum speciebus, Cydoniis conditis, Conservâ rosarum rub. antiq. cum Magisterio Corall. rub. permixtâ, & similibus, inprimisque confectione Morsulorum contra fluxiones, cujus ʒß. post cœnam conveniet.

℞. Conserv. ros. antiq. ʒß. Diacydonii s. ʒvj. Mastich. opt. Nucis Mosch. condit. sicc. ana ʒj. Sem. Coriandr. præp. ʒß. Ambræ gryseæ gr. iiij. Sacchar. opt. in aq. rosar. solut. ℥ vj. F. Confectio in morsulis. Præter diætam, ubi moderatus animi, corporisque motus, necnon conjugalis amplexus rarior includitur, pro superfluis humoribus serosis evacuandis semestrales evacuationes instituuntur, ubi primò per quatriduum Oxymellis Squillitici unc. j. sem. in decoct. rad. Cichorii quotidie bis usurpatur, superaddita quarta die purgatione; quæ fiat Mechoacæ nigr. ℈ ijß. Rhabarb. opt. ℈ j. Cremoris Tartari ℈ß. misce f. pulvis. Cùm autem Amplit. V. constitutio plenior sit, præmissis hisce, verno tempore venæ-sectionem non dissuaderem, ubi subsequentibus diebus, pro dissipandis reliquiis superfluitatum serosarum in ipso habitu corporis, sudorem provocarem ad dies aliquot assumpto Rob. Ebuli, cum æqualibus partibus aq. fumariæ & aq. veronicæ dissoluto, quæ tamen omnia propter quotidianas mutationes quibus corpora nostra subjiciuntur, pro Medici præ-

præsentis directione fieri poterunt. Quod secundo loco capitis atque articulorum corroborationes attinet, post prædicta universalia, fiat pileolus capite gestandus, qui

℞. Majoranæ, Rorismarini, Salviæ, Betonicæ, Fl. Lavendul. Rof. rub. ana m. ß. Nucis Mosch. Caryophyll. Macis ana ʒß. Santal. Citrini, albi ana ℈j. Thuris, Lign. Aloës ana ℈ß. Moschi, Ambræ ana gr. iiij. F. pulvis grossus pro Cucupha. Imò Balsami Capitales hîc etiam commendantur, ut Balf. Majoranæ, Rorismarini, Nigellæ, Succini, Macis &c. quantitate pisi naribus, temporibus, & cervici frequenter adhibiti. Interius conveniens est Balf. m. Fœniculi, ex ejus oleo, tinctura & sale diligenter præparatus, matutino tempore quantitate fabæ dimidiæ sumptus: ut etiam confectio Rotularum, quæ

♃. Nuc. Mosch. condit. sicc. num. j. C. C. usti præp. Eboris præp. ana ℈j. Ol. nuc. mosch. per expr. ℈ß. Sacchar. opt. in aq. Lavendul. solut. ℥v. F. Rotulæ. Ad articulorum robur firmandum fiat balneum pedum ac manuum, in quo decoquantur sequentia.

℞. Fol. Myrti, Plantag. Salv. Origan. ana m. j. Fl. Rorismar. Balaustior. ana m. j Bacc. juniper. ℥ij. Aluminis, Cinerum vitium ana ℔ j. F. decoctum in aq. pluviali. Hac fomentatione præmissâ, post exiccationes & sufficientes abstersiones, oleo sequenti fiat frictio.

℞. Ol. comm. ℔ ß. adde fl. lil. convall. q. s. aliquoties ebulliat, rursùs de novo semper flores imponantur: tandem coletur, exprimatur, & cum ℥ i ß. olei, ʒ j. salis tosti permisceatur. Hæc sunt, quæ servationis gratiâ consignare volui: Deus ἀρχίατρος det incrementum. Benè vale. Dab. Darmstadii, 12. Maii, 1616. *Gregor. Horstius Oper. Medic. Tom. 2.*

Observationes.

Quædam benè habita & crassa admodùm mulier annorum 25. quæ semel adhuc tantùm pepererat, cruciatu magno affligebatur circa coxendicis articulum, mox etiam in poplite, tandem in manibus, pedibusque, & in dorsi regione atque cervicis, ipsiusque mandibulæ articulo: tumor cum rubore in certis locis se manifestabat, adeoque torquebatur, ut ex contactu, decubitu, & sessione dolores intolerabiles pateretur. Vocatus ego à vino illam abstinere jussi, illiusque loco aquam coctam & lac amygdalinum bibere. Pilulas has quoque exhibui.

℞. Pilul. sine quibus ℈ ij. cum aq. salviæ formentur. Sequenti die inungere jussi loca dolentia.

℞. Ol. chamæm. Lil. amygd. d. ana ℥ j. unguent. dialth. ℥ß. m. ungantur manibus madefactis priùs aquâ vitæ. Sequente die permanente summo dolore, sub vesperam bibit sequentem julepum.

℞. Syr. papav. julep. rosat. aq. rof. ana ℥ß. m. quievit & sudavit, sicuti post narcotica sumpta fieri solere, jam sæpè observavi; quia verò sudor profuerat, ut deinceps quoque sudaret, ordinavi ita.

℞. Ligni Guajaci ℥ j. Sarsæparill. ℥ß. rad. liquirit. ʒj. pastul. ℥ iij. fiat decoctio in mensura i ß. (seu ℔ vj.) aq. ad tertiæ partis consumptionem aromat. cinamom. bibat de hoc decocto summo manè, sudet. Usa fuit dies aliquot, & tolerabiliùs ferebat dolores. Iterùm redeuntibus doloribus, sumpsit tabulas meas opiatas, & placidè dormivit, iterumque sudavit, ab eoque tempore cæpit malum mitescere. Ad tollendas mali reliquias, detracto primùm sanguine, quia corpus plethoricum erat, dedi sequens Apozema.

♃. Lig. Guajac. ℥ ij. Sassafras ℥ j. rad. enul. ℥ß. fol. Chamæpit. m. j. fl. anth. Salv. ana p. j. fol. sen. ℥ i ß. sem. Coriandr. ʒj. sem. Fœnicul. ʒ ij. sem. Cartham. contus. ℥ j. F. decoctio in Colat. ℔ j. infunde agaric. trochisc. ʒ iij. f. apozema pro 4. vel 5. dosibus; addendo sacchari ℥ i ß. inde meliùs habuit, & iterum sanitati restituta est. Præmonita priùs, ut parcè cœnaret, aliquando quoque cœnam omitteret. *Felix Platerus, Observ. lib. 2 p. 491.*

Advocatus quidam, post varios morbos, quibus à teneris annis erat obnoxius, & tandem post dysenteriam, & podagram, in Arthritidem, plurimis articulorum locis simul affectis & dolentibus, inciderat, cujus causam cùm illi exposuissem; curationem sequentem præscripsi.

♃. Hermodactyl. veri ʒ ij. agar. rhab. ana ʒ j. myrobal. citrin. chebul. ana ʒß. rad. pentaphyll. aristol. rot. ad ʒß. spic. mastich. succin. ana ℈ j. cubeb. zinzib. ana ʒ j. diagridii, ℈ j. extract. chamæpit. ʒ j. resin. Laric. q. s. f. massa pilul. sumat bis in septimana, ad ʒß. Multùm ille successum pilularum prædicavit. Electuario etiam sequenti usus est.

♃. F. Chamædr. chamæpit. ana ℥ß. fol. salv. betonic. thymi, ana ʒ j. sem. hyperici ʒ ij. rad. acori veri, pentaphyl. ana ʒ j. succin. eboris, cineris cranii humani, ana ʒ i ß. margar. ʒß. mell. anthos. ℥ iiij. F. Electuarium. Capiat ʒ j. alternis diebus manè superbibendo aq. hyperic. & chamæpit. ℥ ij. dulcorando eas cum hydromelite vero, quod malvaticum vinum refert, ut sudaret quoque altero die, quoties pilulis præcedenti usus esset. *Felix Platerus, Obs. lib. 2. pag. 498.*

Quidam gravissimos dolores articulares, podagricos, & Chiragricos, sæpissimè levabat caulibus rubris, apud ignem calefactis, & locis affectis impositis. Butyro recenti aut majali caules primò oblinebat, deinde applicabat, & sæpiùs renovabat. Sequenti quoque experimento, post universalia remedia, plurimi à dolore, tum podagræ tum Chiragræ, ac morbi articularis liberati sunt.

♃. Stipites duos sambuci, 10. vel 12. digitorum, à quibus extrahatur medulla interior tum impleatur crasso sale, & luto, utrinque foramina sigillentur, ne sal excidat, postea in tegula ignita sæpiùs circumvolvendo comburantur, & f. pulvis: cui addatur ol. Lavendul. & rosac. q. s. coeant in unguentum, quo loca affecta & dolorosa inungantur, *Petrus Forestus Observ. 10. & Schol. lib. 29. de Arthritide, &c.*

Joanni Picquet fluxio arthritica & valdè dolorosa, incredibilis humorum rabies, mox in has, mox in illas partes, quia nervi, & arteriæ, & venæ sanie quadam scatebant, Phlebotomiâ quin-

quinquies celebratâ meliùs habebat. Prudentis est medici videre, an non securè vena his in morbis aperiatur, an verò prudenter prætermittatur. Si facultatis retentricis imbecillitas est, prudenter omittitur. Si cacochymia est, immo virulentia, quæ tantæ tragœdiæ author sit, audaciùs id faciendum. *Guil. Ballonius, lib. 2. Epidem. & Ephemer.*

Pharmacopæus quidam *Gratianopolitanus* decumbebat ex doloribus articulorum, qui pedes & brachia, aliasque partes affligebant, cum tumore, inflammatione, & febricula: à 20. diebus hoc affectu laborabat, eique novies proprio nutu secta fuerat vena, aliquoties etiam purgatus fuerat; tandem meo jussu, illi exhibetur pulvis in jusculo ex Calomelanos, ℈ j. diagrydii gr. viij. Caryoph. num. j. blandè & copiosè purgatus est, ac multo melius habuit; deinde sumpsit manè & serò julepum refrigerantem, in cujus dosi matutina insundebantur sen. ʒ iij. cum sem. Coriandr. ʒß. frigidè per biduum. Postea sumpsit eundem pulverem pari successu & integrè curatus est. *Lazarus Riverius, Obs. 31. Cent. 1.*

Franciscus Alexander Medicus de *Francisco Pechio* scribit, eum jam quinquagenarium morbo articulari graviter afflictum totis annis 20. turri inclusum fuisse, vixisse autem solâ aquâ & pane. Eâ diætâ beneficio naturæ materiam absumptam, & motu & exercitio articulos adeò roboratos, ut liberatus nullos unquam dolores podagricos senserit. Ex quo perspicuum est immoderationem in victu hujus morbi quasi matrem esse, *Joan. Crato Consil. 21. lib. 4.*

Cùm anno 1605. Consul quidam Hafniæ secunda vice Podagra corriperetur, & præsertim pollex dextri pedis ea affligeretur, venis dorsi pedis valdè tumentibus, jussi actutum illi incideretur vena ad locum affectum, & tanto impetu prosiliit sanguis quanto vix ex mediana: Cui postea sequens cataplasma applicui, ingentique miraculo ab omnibus doloribus liberatus est, ita ut tridui spatio in publicum citra ullum incommodum iterum prodire potuerit.

℞. H. boni Henr. rec. sine flor. man. iv. flor. sambuc. camom. sicc. ana m. ij. grossè conscinde, coque in s. q. aq. sambuc. ad putrilaginem, adde gummi carannæ ℥ß. camphor. ʒß. m. f. l. a. Catapl. *S. Pauli Quadrip. Botan. classi. 3. Tit. Bonus Henricus.*

Nobilis sanguinei temper. eusarcus, gonagra à tribus diebus laborabat; statim sanguinem ad ℔ j. mitti jubeo, qui cùm valdè impurus apparuisset, postridie iterùm s. m. ad parem quantitatem præscribo, quâ se multùm recreari sensit sanguine priori simili educto. 30. demum sanguinem detracto ad ℥x. postridie medicamentum ex senna & rheo in decocto convenienti cum diaphœnic. & syr. rosf. propino, quo benè omninò habuit: Simile in duobus aliis mihi contigit eodem temperamento & habitu donatis, in quibus s. m. ter aut quater repetita in ipso initio affectum penitùs sustulit, oxycrato fovendo partem affectam, & postea illinendo oleo rosaceo. *Francisc. Chomel Obs. 9.*

Matrona pro præcautione, seu præservatione à chiragra & podagra, singulis mensibus utrumque pollicem, tam manuum quàm pedum, circa radices unguium scarificare solebat: In eum finem conjux N. Cucurbitulas scarificatas pedibus applicabat. *Joan. Junischenius* verò asserebat jamdiu se ex eadem laborasse, nisi baculo innixus, summo conatu incedendo, præludia illius avertisset, vel potiùs consumpsisset; Quod & de me verè affirmare possum, alius enim certè in lecto decubuisset: Ego verò in despectum doloris circum cursitavi, & motu illo materiam potiùs evaporare feci quàm sedem ibi figere permisi: *Philip. Salmuth. Centur. 3. Observ. 46.*

Mense Novembr. Anno 1675. venit ad me rustici conjux, petens à me consilium pro filio 12. annorum, arthritide manuum & pedum cum contractura laborante; cui ego tum sudorifera ex sambuco, rusticorum theriaca, paucis aliis admixtis, dein paregorica præscripsi, doloribus paulisper per solstitium hybernum remittentibus. Sed paulo post, ejusdem mulieris rusticæ infantes, ni fallor, bini eodem malo, sed mitiùs infestabantur, & à sudoriferorum usu statim ab eodem liberati sunt.

Anno eodem, mensibus Januario & Febr. *Joan. Schulffen*, Civis Thoruniensis filiola quadriennis, malo hoc gravissimè tentabatur, tam in superioribus quàm inferioribus articulis; & quamvis diversa adhibita fuerint remedia tam interna quàm externa, etiam pretiosa, frustranea tamen omnia fuerunt, puella enim consumptis carne & viribus, doloribus fracta, contractura accedente, vitam cum morte commutavit. Sed parens hujus interdum podagra, & levissimè tentatur: Videbatur igitur malum apud istam puellam, licet in tenerrima ætate, hæreditarium fuisse.

Hoc verò Anno 1676. Mense Januario, Februario, usque in Martium arthritide vaga primùm, dein in manibus & pedibus nodosa afflictam fuisse *Elisabetam Binnerin*, puellam 16. præter propter Annos natam recordor, cujus uterque parens nunquam podagra laborabat. Sed hæc jam ab ejusmodi doloribus planè libera vivit, licet aliàs valetudinaria sit.

Nos causam arthritidis puerorum & infantum rejicimus in ingluviem & intemperantiam hujus seculi, crassorum scilicet ciborum & potuum, præsertim apud nos Septentrionales, cujus fructum liberi, per hæreditatem quasi à parentibus, intra se habent & percipiunt per ætates. *Simon Schultzius.*

Quidam *Hanoviensis pagi* Filvvel Incola adhuc in vivis, Arthritide diu afflictus sub monte pollicis pedis nodum seu verrucam accepit, quam tonsor ebrius cum forfice ovina non jubenti improvisò abscidit, unde gypseus humor, hinc sanguis ichorosus effluxit, insignis verò dolor & lipothymia accessit. Ex hac apertione tandem hæc utilitas secuta est, ut quidem non dolor omnis emanserit, is tamen multò levior jam invadat, & dum vulnusculum illud apertum manet, accedens paroxysmus, effluxâ tali materiâ albidâ, mitescat, & crus à diuturnis & atrocissimis doloribus incurvatum, atque linea furca ante suffulciendum, nunc liberè extendi & absque sustentaculo possit moveri. Hæc narravit mihi oculatus testis *Isaac Heræus Pharmacop. Hanoviens.* curiosus artis nostræ minister & filius, cujus parens aulicus medicus fuit Gustroviæ, quique antecessoris sui Joan. Angel. Salæ

multa scripta & secreta hæredibus reliquit. *Salomon Reisel.*

Nobilis quidam, Dn. è Tannhausen, duabus circiter horis ab urbe nostra distans præterita æstate, per aliquot septimanas, doloribus podagricis, quibus per decennium jam obnoxius mirè excruciatus fuit. Cùm audivisset esse Empiricum quendam in Franconia, qui dirum hunc morbum curare posset, eum advocari jussit, à quo, nescio, quibus medicamentis, per tres septimanas usus, in eadem interim sævitia persistentibus cruciatibus. De utroque interea femore tumorem durum exsurgere videt, de quo, cùm interrogaret Empiricum, responsum tulit, esse causam materialem Podagræ, per divina sua medicamina, ad exteriora corporis protrusam, misero ægro spem faciens, de pristina sanitate mox mox recuperanda; pro tumoribus his tollendis, adhibuit unguentum, (prout colligere potui) ex oleo laurino cum Mercurio vivo subacto constans; à cujus applicatione utrumque femur intensè inflammabatur; reiterata itaque, renuente quamvis ægro, per triduum inunctione hac, inflammatio latiùs serpere incipiebat, exortis flavis lividisque pustulis circa scrotum partesque adsitas. Monitus de Gangræna ab adstantibus, meum consilium implorat. Adveniens, invenio nobilissimum Dn. Patientem, in miserabili statu, totumque abdomen, ad genua usque, intensissimâ inflammatione correptum rubris lituris, hinc inde, ad alias partes tendentibus. Nolebam primò, in tam ancipiti statu, aliquid præscribere, ne Empiricus occasionem haberet culpam in me conterendi, si sinister sequeretur eventus. Victus tandem & ægri & adstantium precibus, præscribo pulverem exsiccantem ex farina fabarum, pulv. baccar. lauri, olibani, myrrh. cerus. & sacchar. saturni, quem partibus abdominis flavis lividisque pustulis scatentibus inspergere jussi. Pro Gangrænosa inflammatione ordinabam spirit. vini rectif. cum croco & camphora. Internè verò propinabam Mixturam sudorificam, ex aq. card. ben. fl. sambuc. ana ℥ i ß. Antimonii diaphoret. ℈j. myrrh. rub. ℈ j. spirit. tart. ʒj. camphor. gr. vj. laudan. opiat. gr. iij. Syr. papav. errat. ℥ß. a cujus usu, cùm per subsequentem noctem integram, alterumque diem largissimè sudasset, Dei gratiâ, intra biduum, restitutus fuit, remanente saltem flava crusta, anteriora corporis investiente, quæ ipsa crusta post aliquot dies exaruit, & sponte decidit. *Ex Joan. Georg. Laibio.*

Civis quidam nostras, pistor, David Rumpler, septuagenario major, robustus aliàs, & huc usque vix aliquo morbo tentatus anno 1674. 16. Julii, corripitur Arthritide dextri femoris à coxendice usque ad extremum pedem & digitos, nihil proficientibus purgantibus Medicamentis per epicrasin adhibitis, neque scarificationibus, donec tandem, post sudores naturæ motu excitatos, sensim dolores remiserunt, aut potiùs omisso crure dextro, lævum occuparunt, sed præscripto sequente electuario sudorifero blando, decima Decembris ejusdem anni in totum evanuerunt. Electuarium sudoriferum tale est.

♃. Rob. juniperi, è succo sambuci cum sacchar. ana ℥ ij. syr. sambucin. ℥ j. m. pro aliquot dosibus. Anno Christi 1675. 13. Martii, denuò dolores reversi sunt, & brachium dextri lateris usque ad extremitatem manus occuparunt, graviores prioribus in femore. Institutæ sunt purgationes aliquoties cum euphoria, præsertim hoc electuario.

♃. Elect. laxat. extr. fol. senn. nostr. ʒvj. m. Dein scarificationes & sanguisugæ applicatæ, plurimùm sanguinis serosi extraxerunt: sed tamen dolorem omnem haud sustulerunt. Sudabat postmodùm in Laconico per plures dies, assumpto priùs electuario sudorifero superiùs descripto, cum euphoria: sed parùm levaminis sensit, neque etiam emplastra, neque inunctiones anodynæ, neque suffumigationes ex blandioribus articulos roborantibus & materiam discutientibus aliquid profuerunt; quin dolores nonnihil remittentes, postliminio reversi fuerunt, exortis interim hinc inde in superficie corporis seu cutis pustulis pruriginosis. Tandem 13. Junii noctu post vomitus biliosos plurimos naturæ vi promotos biduanos atque diarrhœam triduanam, non absque virium prostratione, Arthritis illa diuturna planè desiit. Sed stupor quidam digitorum, manus utriusque & præsertim minimorum ista consequutus, adhibito aliquoties vapore decoctionis formicarum cum myrmecio, tandemque applicato emplastro nostro miraculoso, etiam sublatus est, natura pristinum robur & motum manuum acquirente. *Ex Simon. Schultzio;*

Divexabant *Zythopæum* dolores vagi arthritici, à quibus jam per biennium cura mea liber, tandem circa festum natalitiorum Christi, advertit ex diæta non satis ad leges Medentis gubernata redire, ut solent, genuum labores, & punctiunculas, corpusque totum lassitudine gravari. Rogatus ab uxore ut Medicum familiarem advocaret, mense Martio id se facturum respondit, nec enim Januario convenire pharmaca, sed veris initio: Inter hæc invalescunt cruciatus genuum, & invisentes fœminæ (quod genus ad medelas communicandas officiosissimè promptum est) alia atque alia suggerunt remedia. E quibus unum præ cæteris eligit æger, cataplasma ex farina triticea aceto incocta, quod postquam genibus applicuisset, cessavere dolores quidem, sed graviori malo succedente. Enim verò repulsus versus superna humor arthriticus, ad cor usque & cerebrum pervasit, unde anxietates febris, & ex intervallis deliria, tandemque mors ipsa, in conspectum venere. *Ex Olao Borrichio.*

Anno 1654. percelebris Medicus Joannes Freitagius, Physicus Ratisbonensis, sæpiùs Chiragra & podagra infestatus, Anno ætatis supra sexaginta tertio & climacterico, non sine animi lætitia completo, postridiè incipit denuò afflictari chiragra, cujus nullam ferè rationem habens, medicamenta tantùm adhibuit levia externa, sed succrescente tumore totius manûs, retento in digito annulari annulo aureo, accumulatis quoque doloribus, tumor tandem circa internodium hujus digiti ruptus, & tophacæa quædam exciderunt, manum verò sphacelus totam invasit, ac subinde partes spirituales petens, bono viro, præter spem conceptam, obitum acceleravit. *Ex Joan. Helvvigio.*

Domi-

Dominus Hameltong, nobilis Anglus florentis ætatis, intolerabili torquebatur arthritico dolore in articulo humeri dextri, ita ut se emori malle, quam tantum dolorem diutiùs perpeti diceret. Tres dies & noctes ob doloris magnitudinem insomnes duxerat: Præscripta conveniente diætâ purgavi ipsum cum pilulis cochiis, decoctum validè diureticum aliquot diebus bibendum dedi, & sequens emplastrum loco affecto applicui.

℞. Gummi galbani spiritu vini dissoluti, tacamahac. spirit. terebinth. dissol. empl. oxycrocei, ana ℥ß. misceantur & extendantur in corio. Hoc emplastrum per octiduum adhæsit, quô spatiô immensus ille dolor totus evanuit, ita ut sine ullo impedimento brachium rursùs liberè movere posset. Cùm jam sanatus esset, Bredam versùs (quod tunc temporis à nostris obsessum erat) profectus fuit, ubi voluntarius arma sumens, aliquandiu pòst cum hostibus fortissimè pugnans interfectus est. *Isbrand. de Diemerbroeck Obs. & Curat. Medic.*

Magnus quidam Generalis in Europa, ætate quinquagenarius, corpore robusto, solitus est 16. septimanis & ultra, pedibus & manibus sine motu decumbere; dolor in eis erat acerbus, cum tumore & rubore, ita ut calida medicamenta externe usurpari non possent. Huic vesperi sequentes dedi pilulas.

℞. Extract. Pilul. Aloephang. Diacatholic. ana ℈ j. Laudan. Aromatic. gr. iij. misc. f. Pilul. num. vij. inauratæ. Sequenti die vesperi sudavit ab hoc sudorifero.

℞. Spir. tart. Sp. C. C. ana. ʒß. Tinct. tart. antim. ℈ j. Essent. Lignor. gut. xvi. Decoct. Lign. Sassafras ℥ ij. misc. f. Sudoriferum. Externè in forma Cataplasmatis sequens applicavi, quo dolores cessarunt, ut quarto die sanus fuerit.

℞. Farin. tritici q. s. coquantur in lacte vaccino ad formam cataplasmatis, adde Sapon. Hispan. ℥j. Sacchar. Saturni ʒ ij. Sal. ammon. in aq. sperm. Ranar. soluti ℥j. misc. f. Cataplasma, quod semper calidè applicari debet, & quamprimùm frigescere incipit renovari.

Mercator quidam corripiebatur podagrâ, cum dolore intolerabili, inferiùs in ambobus magnis pedum digitis. Ego ei ad sudandum sequens sudoriferum exhibui.

℞. Rob. sambuc. juniper. ana ʒj. sal. C. cervi gr. vj. mag. tart. ℈ß. ocul. cancr. præp. ℈ j. Spir. lign. Guajaci ʒß. extract. Laudan. Aromatic. gr. iij. decoct. Sassafras ℥ ij. m. f. sudoriferum. Externè sequens applicui, atque vesicam pulvillis super induxi, ne avolaret virtus.

℞. Sal. tart. sal. ammon. ana ℥ ij. tinctur. croci ʒj. Solve in aq. sperm. Ranarum q. s. misc. Hoc citò applicari debet: quod statim dolorem mitigavit, & repetitum aliquoties totum abstulit.

Officiarius quidam nauticus semper in autumno, magno atque intolerabili dolore in flexura humeri atque cubiti corripiebatur. Hunc purgavi per sequens.

℞. Resin. Jalapp. scammon. ana gr. vj. Mag. succini, gr. viij. Mag. tartar. ℈j. pulp. Prunor. ℥ß. misc. f. Bolus. Aliquoties etiam sudavit per hoc:

℞. Theriac. Andromach. ʒ j. Spir. tart. C. cervi ana ℈ j. Antimon. diaphoret. gr. xvi. ocul. Cancr. ℈j. Decoct. Sarsaparill. & Chinæ ℥ ij. misc. f. Sudoriferum. Externe hoc emplastrum multùm profuit, ut æger brevi, ab omni dolore liberatus sit:

℞. Ceræ Citrin. ℥ iij. Gumm. Ammoniac. ℥ i ß. Saponis Hispanic. ℥ j. sulphur. citrin. in ol. lini dissolut. ℥ß. Sal. Armoniaci, Tartar. ad nigredinem calcinat. an. ʒß. opii ʒ ij. misc. f. emplastrum.

Insignis quidam Dominus in India, vehementi podagra corripiebatur, sine rubore. Primis in annis, in momento sedatus est dolor per spir. Corn. Rhinocerotis, applicatum. Aliquot anni postea, ætate auctâ & diætâ neglectâ, hoc medicamento quidem sedatus est dolor, sed pertinacior fuit, cum rubore & tumore inferius ad genu & dolore magno. Tunc applicui sequens cataplasma; quod miros effectus edidit.

℞. Medull. panis Tritici ℔ j. coque in Lacte Vaccino, & adde Sapon. Hispanic. ℥ ij. Croci Oriental. ʒij. Sal Armoniac. ʒiij. m. f. Cataplasma. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medico-Chymic.*

Adolescentem me in trivialibus ad Drusi fossam tenuit oppidum, in quo cum Rhenano Baccho non modicè epulabantur Consulares viri, qui omnes ferè claudorum tragœdiam agebant ex articulari morbo; Hic tribus, ille quatuor pedibus, incedebat, iste rheda, alius sella, vehebatur, portulabatur alius ad curiam; unus ex iis miseriarum pertæsus, ad primum Arthritidis insultum, affectam partem ad ignem præligari mandabat, atque ita doloris impulsorem vi extorquebat morbumq; abigebat confestim. *Wilelm. ten Rhyne Dissert. de Arthritide p. 102.*

Me primum in Japoniam adventantem invisit nostrorum interpretum, unus in rebus medicis præ cæteris curiosior, ille claudicans, baculoque non leviter innixus ad me proreptabat, culpans gonagræ molestiam, cum illo de remedio mihi agenti regerebat; Cras fortè mirabere præsentanei medicaminis energiam; quapropter ad dictum diem ad me reversus, sine ullo incommodo procedebat; Ecquid hoc rei esset? mihi percunctanti respondit; En tibi promissi eventus fidem. Emplastris ex Japonica papyro plurimis, inustas plagulas tantùm defendentibus, obtectum genu ostendit; ita nos expellimus articulorum doloré, effatus: Verùm postea innumera exempla dubitationem omnem non minus ex animo meo, quam omnem dolorem ex ægrorum artubus inustio hæc, abstulere. *Idem p. 107.*

Peditum erat Præfectus jam per tres septimanas rigidâ hieme pessimè à podagra habitus, jamque remedia olim utilia nihil conducebant; itaque in desperationem versa impatientia alia & fortuita poscere videbatur, &, ut in ejusmodi casibus fieri solet, sua quisque conferunt consilia: sed ante alios Villicus quidam, in eodem pridem morbo deprehensus, nullum aliud remedium sibi profuisse sanctè adfirmabat, quàm ambulationem super nivibus; hanc ergo, ut erat solum nivibus coopertum, tantùm non suadet, & certò profuturam esse ægrè credenti adjurat. Victus doloribus æger inepto consilio facilè morem gerit, sed quòd nec stare, nec ambulare initio videbatur, primùm nives quibus pedes perfricet, adferri

jubet. Ad repentinum frigus omnium statim dolorum remissio, & jam fidens sui in auram frigidiorem educi se patitur nudatis pedum plantis. Inde confecta super nivibus ambulatiuncula domum refert pedem omni dolore defunctus, atque ex illo anni unius quod alias factum non erat, à morbo immunitas. Sed hoc quoque inusitatum satis, quod Regii sanguinis Principi post identidem frustrata Medicorum consilia evenisse scio. Nempe ad deliniendum dolorem podagricum frigida salsa uti ille solebat maximo cum fructu. Ut adeò tot sint futura Podagricorum remedia, quot sunt, qui ex hoc morbo ægrotant, individua; plerisque enim cum tempore tædium subrepit, & fortuitorum, quàm excogitatorum major est gloria.

Γαλακτοποσία, de qua in superioribus, remedium in Arthritide non ita tutum est, ut ad eam quasi ad sacram anchoram confugiendum veniat, nec ab uno aut altero exemplo fausto inductio est petenda. Fateor quidem ab ejusmodi usu dolores remittere, & articulorum imbecillitatem aliquatenus imminui; verum non sic eradicatur causa morbi, imò in ipsis interaneis dum coërcetur & excursiones in artus minimè facit, vires acquirit visceribus principibus ut plurimum funestas: Huiusce rei plurima in praxi exempla videre contigit, inter quæ sequentia seligam. Vir quidam Nobilissimus 66. annos natus postquam in podagræ medelam per duodecim annos lacte & pane pro omni alimento usus fuisset, in tantam cerebri, nervosi generis, & memoriæ debilitatem aliaque incidit, symptomata, ut morti jam proximus videretur, ni mutata diæta vires novas acquisiisset, lethoque sic ereptus fuisset. Ejusdem Nobilissimi Frater annos 60. natus postquam per annos octo eadem diæta lactea usus esset, in dies serosa colluvies abundantissimæ in pulmones fluxionis causa, aggerebatur, & debilitas summa inducebatur; meo autem consilio cum ad jufcula carnium, carnesque ipsas rediisset, melius multò habuit. Alius præterea 58. circiter annorum, cùm per septem annos in arthritidis ipsum vexantis solatium lacti ac lacticiniis totum se dedisset, in affectum pectoris tam gravem incidit, ut subinde se suffocatum iri meritò crederet; verùm abdicata diæta lactea volatilibusque & reficientibus usus, non priùs liberatus est pulmo ab hoste lethaliter ipsum infestante, quàm materia tartarea in artus expulsa affectionem podagricam renovaverit per intervalla, quam tamen multò faciliùs & commodiùs tulit, quàm morbum suffocantem sic fugatum. Videant itaque Tyrones ne confidentiùs curas ejuscemodi suscipiant, eò per dissertationes ab Excellentissimis Viris serio conscriptas, inducti; nam sicut una hirundo non facit ver, sic & neque super uno aut altero exemplo cura aliqua generalis est instituenda; sed tantùm sic materia ipsis præbetur experimentorum ulteriùs conficiendorum, an autem proximi sui periculo illa cessura sint penes ipsos est videre. Arthriticorum historias, quorum alii à clunibus ad ultimos pedes tophis lapidosis extus incrustati visi sunt alii in lumbis, coxendice, genubus & malleolis rigidi & inflexiles facti sunt; ut & aliorum in quibus pro mitigando dolore varia superiùs explicata medicamenta cum successu adhibuimus, hic non addimus, ne sine necessitate nimii simus in capite per se jam forsan nimis amplo.

Cadaverum Anatomicæ Inspectiones.

Anno Domini 1670. fatis cessit Perillustris Dominus Capitaneus Ammon, qui vitam suam longo spatio annorum arthritide excruciatus transegit, ita ut manibus & pedibus contractus remanserit.

Aperto cadavere, causam contracturæ digitorum tam manuum, pedum, quam reliquarum juncturarum indagans, easdem calce vulgò dicta plenas spatia omnia occupantis reperi tanta quantitate ut ipsa ossicula loco suo naturali cedere necesse fuerit, unde dislocatio ossium digitorum, tam manuum, pedum, & juncturarum facilè inde colligi potest; cùm enim tanta materia ad articulos transmandetur, ut mole sua priùs nervos, membranas, tendines, obruat, & ad obeundas ritè actiones motui & sensui convenientes suffocet, tandem & ipsa ossa suo loco dimovet. *Dom. Joan. Jacob. Dobrzensky In miscellaneis curiosis anni 1661. Observat. 65.*

Dom. à Rapolstein in Alsatia degens, cùm per multos annos podagrâ dirâ vexatus esset, tandem supremum diem clausit: A morte, quum exenteratum fuisset corpus, conditurâque mumiata curatum, Lien inventus fuit plane exsuccus & omni culpa carens, marsupii in modum inanis, sinistris hypochondriis affixus. *Ex observat. Jacobi Moccii Professor. Med. in Academia Friburgensi Brisgojorum.*

Vidua *P. Auberti* patiebatur dolores atrocissimos in Ischio sinistro, qui sese ad extremum pedem porrigebant: Cùm dolor in coxa gravior evasisset, & tumor in parte appareret, concolor tamen, tum etiam pars compressa multùm doleret, necnon ægra dolores lancinantes in eadem perciperet per vices, vocati fuere Chirurgi qui abscessum profundum latitare asseruerunt: Sicque consilio habito pars aperta est caustico & scalpello, nullum pus effluxit: Post xv. dies ab apertione hydropica facta est, & tandem suffocata interiit. Aperto cadavere, & sectâ coxâ usque ad os, in loco apertionis inventæ sunt parvæ quædam glandulæ suppuratæ, quæ pus concretum continebant, ita ut non potuerit effluere. *Riverius Observ. 53. Centur. 2.*

Amedeus Faber lignarius, 40. annos natus, biennio variis morbis, ac postremo etiam dolore Ischiadico laboravit, & tandem extinctus est.

In dissectione ad rotatorem femoris dextri ingens abscessus, humorem purulentum copiosissimum, supra libræ pondus continens, inventus est: hinc erosis articuli ligamentis, inhibitis etiam musculis, *Luxatio* quam passus erat æger: Deinde sub musculo Psoa sinistro, cui ren incumbit, quique in cruris interiorem partem infertur, ingens atheroma, ultra libras duas puris crassioris continens. *Fabritius Hildanus Obs 71. Cent. 1.*

Vir Doctissimus & Piissimus Gentis hujus pariter, & literarum decus D. D. H. H. cum crebsiı

crebris dolorum, vomitus, & cruentæ mictionis paroxysmis, per plures annos graviter obnoxius vixisset, tandem remediis sequentibus constanter usus; nephritide fere immunis, absque graviori quopiam insultu supra septennium vixit. Curationis methodus, quam Generosus quidam edocuerat, sine pharmatica quavis, ad hunc modum habuit, vino & Pomaceo abstinens, pro potu ordinario Allam tenuem ex Brasio Avenaceo bibebat; porrò semel in hebdomada manè cœpit haustum ejusdem Allæ ad libram circiter unam, cum pulveris ossium senelorum coch. iij. in eo dissolutis: horum usu intra paucos menses morbo calculari valedixisse visus, mox Arthritico laborare cœpit; ejusque paroxysmis gravioribus per totam nephritidis vacationem subindè infestabatur; iisque demum, levi quavis occasione in tantùm obnoxius fiebat, ut, si statim à pastu corpus, vel animum, scilicet deambulatione aut studio ullatenùs exerceret, dolorum insultus certissimè expectaret: Cujus ratio erat, quòd sanguis particulis salinofixis, & liquor nerveus acetosis usque ad plenitudinem saturi, scilicet quando succo nutritio recenti perfusi simulque incitati turgerent, illicò superfluitates suas, scilicet materiem utriusque indolis morbificam, in Articulos valdè debiles deponerent.

Itaque venerandus ille vir torturæ ita crebræ ac fere continuæ pertæsus, ex consilio cujusdam amici urinam propriam unoquoque mane bibebat; cujus usu intra mensem unum aut alterum doloribus Arthriticis paulò minùs plectebatur, sed malâ vice affectus nephriticus recrudescere cœpit; nam dolore circa lumbos, cum vomitu & dysuria subindè afficiebatur, & brevi postea urinæ suppressio totalis successit; quæ, nullis remediis superanda, post duas circiter hebdomadas Dominum Clarissimum è medio sustulit.

Cadavere aperto viscera omnia, exceptis renibus, maximè sana & firma apparebant; attamen ren dexter jampridem fere absumptus fuerat, superstite tantùm exiguo glandularum acervo, vasis omnibus & uretere coalitis, & penitùs occlusis, ut nulla prorsùs urina illuc à longo tempore transierit: Ren sinister satis largus intra cavitatem, & ductus suos magnam sabuli, & calculorum aggeriem continebat; insuper lapillus rotundus, obdurus, & albicans in ureterem spatio circiter trium unciarum delapsus, ibidemque fixus, lotii transitum penitùs occluserat; ureteris membrana, ubi calculus hærebat crassa adeò, & callosa, proindeque indolens evaserat, ut hic nullo modo sursùm, aut deorsùm dimoveri potuerit.

Videtur in hoc casu, quòd, cùm sanguis & succi nervei particulæ coagulativæ, nempe salinofixæ, & acetosæ primò in renibus coeuntes affectionem nephriticam diu excitarunt; postea supra dicti pulveris usu salinæ usque in corporis habitum protrusæ & non facilè redditæ, in Articulis seminium Arthriticum congenerent, renibus interim ferè liberis: Tandem verò cùm ab urinæ propriæ potu, minera salina in renes reduceretur, morbus Articularis in Nephritin exitialem commutabatur. *Th. Willis de Arthritide Tom 2. Operum.*

ARTICULARIS MORBUS

Vid.

ARTHRITIS.

ASCARIDES.

Vid.

VERMES.

ASCITES.

Vid.

HYDROPS,

ASITIA.

Vid.

ANOREXIA.

ASPHIXIA.

Vid.

PULSUS DEFICIENS.

ASTHMA

Vid.

RESPIRATIONIS LÆSIONES.

ATHEROMA.

De Atheromate, Meliceride, Steatomate, Emphysemate, Natta, Lupia & Ganglio.

Hosce omnes affectus qui de tumorum anomalorum atque cysticorum genere sunt, unà comprehendimus, quandoquidem plura uni ex iis conveniunt, quæ alteri apprimè etiam faciunt, ac propterea simul pertrectari debent: Est autem *Atheroma* tumor indolens tunicâ suâ continens humorem lentum atque glutinosum pulti similem, admistis quandoque corpusculis durioribus, imò etiam pilis aliisque similis sortis. *Steatoma* est tumor proprio comprehensus folliculo, cujus materia sevo similis est, ejusdem ubique coloris, & ab exiguo principio sensim augmentum sumens, qui digitis compressus aliquatenus quidem cedit, at iis remotis ad priorem magnitudinem & elevationem facilè redit. *Meliceris* est tumor doloris prorsus expers ac rotundus, humorem tenuem, mellis substantiam referentem folliculo suo complectens. Diximus tumorem hunc esse rotundum, in quo ex parte differt ab Atheromate & Steatomate quæ non ita rotunda reperiuntur, sed figuræ ut plurimum magis depressæ, imò inæqualis. *Emphysema* est tumor ex flatulento spiritu, sive intra membranosas membri alicujus partes, sive sub ipsa densior cute, sive inter musculorum interstitia, coacervato genitus, sævissimum quandoque dolorem faciens, ob membranarum sensu exquisitissimo præditarum divulsionem. *Natta* est tumor, seu potius excrescentia magna & carnosa, cujus plures sunt species, aliæ scilicet quæ vasa grandiora implicita ac quasi commixta habent, aliæ verò minimè, aliæ quæ

ſuper baſi magna, lata ac adhærente elevantur, aliæ verò ſuper baſi anguſta & minimè adhærente. *Lupia* & *Ganglion* ſunt tumores per ſe indolentes, renitentes, & cuti corporis concolores, quorum hoc circa articulos plerumque manuum & pedum parteſque illorum nervoſas & tendinoſas, exiſtit: Illa verò circa aliarum partium articulos, imò è variis membris emergit. Diximus eſſe per ſe indolentes, quia quandoque lupia temporis mora, & præ carie oſſis ſubſtrati, ab humore contento effecta, non tantùm dolens fit, ſed etiam in cancroſum quid abit; imò ipſa ut & ganglium vehementer preſſa obtuſum quendam doloris ſenſum exhibent. Humor contentus aliquando eſt tenuis ad inſtar mellis, aliquando pultaceus, aliquando ſebaceus, & in ganglio aliquando nullus, & ex mera diſtenſione fibrarum tendinis ortus.

Cauſa horum omnium tumorum eſt humor viſcidus & glutinoſus ſale multo imprægnatus à ſanguine aut lympha variè concreſcibili ſuffectus: Folliculus autem materias è quibus conſtant concludens, efformatur à maximè ramoſis ac ſalinis particulis, quæ dum ſubtiliores avolant ad tumoris ſuperficiem abreptæ ulterius pergere neſciunt, ibique invicem implicitæ cruſtam faciunt membranoſam, qualiter videmus liquores viſcidos & ſalinos dum igni admoventur ſubitò pelliculam efformare; vel etiam ille folliculus primò conficitur à membranula quacunque partis cui tumor inſidet, quæ extenſa in dies compactior atque denſior evadit per particularum prædictarum adjunctionem. Viſcidus autem ille humor varios concretionis gradus acquirit, unde vel ad mellis, vel ad pultis, vel ad ſevi conſiſtentiam, accedit, imò quandoque etiam talis à ſanguine ſufficitur qui excreſcentiam prorſus carneam qualem in natta ut plurimùm videre eſt, conſtituat. Aliquando tam multus eſt & à vaſis grandioribus aut pluribus derivatus, qui tumores magnos, aliquando tam paucus qui tumores parvos conficit; imò aliquando ea tantùm in copia effuſus quæ poſſit poros partis obſtruere, liberumque ſpirituum vitalium commeatum impedire, unde flatus procreantur genuina *emphyſematis*, & etiam aliquando ganglii materia.

De *Differentiis* & *partibus affectis* in hiſce tumoribus, non eſt quod aliquid addamus iis quæ jam dicta ſunt. *Prognoſin* autem, *Indicationes* & *Curatio* abundè peti poterunt ex iis quæ jam è variis Autoribus habemus afferenda.

Curationes.

Curandum eſt atheroma ſepticis, ut ærugine, ſquamma æris, chryſocolla, myſi, calcitide, auripigmento, arſenico, calce viva, atramento ſutorio, lacte caprifico; his autem non indifferenter utaris verbi gratiâ, Septica erunt in durioribus corporibus, arſenicum, chryſocolla, calx viva, quæ in aliis naturis erunt cauſtica. Calx in pueris quidem eſt ſepticum, in adultis verò & robuſtis eſt tantùm epuloticum. Medicamenta ſeptica ſunt.

℞. Calcis vivæ drach. iv. fœcis vini combuſtæ, nitri liquidi toſti drach. ij. minii drach. j. cum lixivio teruntur, & melle ad craſſam ſubſtantiam deducuntur.

℞. Squammæ æris, Sandarachæ, drach. ij. veratri nigri drach. ij. cum roſaceo.

Item ℞. ſquammæ æris, ſandarachæ, ſeminis urticæ torrefacti, cum roſaceo.

Item ℞. Erinaceorum combuſtorum, teſtæ ſepiæ, auripigmenti partes æquales ex roſaceo. Valet plurimùm aqua fortis, qua utuntur aurifices, in qua tingatur lignum, & eo perfricetur pars, exedet partem. Item valet illud ex lixivio fullonum in ſartagine cocto, donec craſeſcat, & indureſcat, deinde miſcentur auripigmenti partes v. atramenti ſutorii part. iij.

Curatur etiam Atheroma per Chirurgiam, ſcilicet, excidendo, qui modus primo melior eſt; ſepticis autem curatur, ſi eruperit materia, nec folliculus ſit abſciſſus, vel æger ferrum ignitum pertimeſcat. Exciſio autem fit hoc modo; Ægro in ſella poſito in cubiculo claro, deradendi ſunt crines, vel potiùs recidendi, quia deraſionem ſequitur ſanguinis eruptio; deinde atramento ſignanda longitudo inciſionis, quæ tanta eſſe debet, quanta eſt rotunditas abſceſſûs, interdum abſceſſus poſtulat unam, interdum verò duplicem inciſionem, crucis modo; quando fit duplex inciſio, prima major eſſe debet, quàm ſecunda, fit unica in abſceſſu minore, vel in fronte; duplex verò, ubi eſt in capillis; in qua inciſione ſcalpellus debet habere aciem recurvatam exteriùs, & in ipſa inciſione efficienda videndum eſt, ut tantùm cutis ſuperpoſita folliculo incidatur, cavendum verò eſt ab inciſione folliculi. Incidemus autem tantùm cutem, ſine folliculo, ſi ſciamus colorem cutis, & folliculi, qui cùm ſit diverſus, facilè diſcernitur. Solet autem unum nos impedire, quò minus diſtinguatur folliculus à cute, ſcilicet ſanguis effluens, ideo Chirurgus manu ſiniſtra ſpongia exſiccare ſanguinem debet. Facta ſectione, vel una, vel duplici, ſtatim toto ſpecilli mucrone, inter folliculum & cutem immiſſo, ſeparetur folliculus à cute, quod facili negotio fiet, quia non valde adhæret cuti folliculus; quod ſi folliculus magis hæreat, ſcalpello ſeparetur, in fundo autem, ubi eſt vena illa porrecta ad folliculum, ſanguinem atheromati affundens, & illud augens, præcidere oportet tranſverſùm venam, ne cum vaſe relinquatur aliqua folliculi portio, ac proinde currat morbus; illa enim vena ſimplex eſt, ſine arteria; quo fit ut ſanguis ille non ſit alimentalis: hoc peracto, conjungenda ſunt invicem labia; non tamen prehendatur pericranium, nec deradatur dimiſſa ſutura, etiam reducuntur labia, quia inter incidendum, ſemper ſanguis exit, & in cavitate ſemper ſanguis remanet, qui per ſuturam factam inflammaretur. Interdum utendum eſt glutinatione, quando nimirum remanet aliquis tumor in parte, & labia magis quàm par eſt, ſunt ſeparata; interdum ſolent liquores replere cavitatem, & eò confluere; tunc utere ſuppurantibus, quale eſt.

℞. Reſin. terebinth. ℥ j. thuris pulveriſati drach. j. myrrh. drach. j. olei hyperici ℥ j. olei vitellorum quantum ſufficit. Quod ſi folliculus

culus jam sit ruptus, vel per se, vel per Chirurgum, necesse est ut alterutrum eveniat, vel revertatur morbus, vel remaneat ulcus cavernosum, fistulosum, & fœdum; tunc autem utendum est incidentibus, vel septicis, vel considerandum tempus ruptionis; si recens sit ruptus utere curatione artificiosa, immitte latum speculi mucronem, inter cutem, modo prædicto, & aufer folliculum; quod si multo ante sit ruptus, septicis utendum in maximis abscessibus, qualibuscunque, forcipe abscessu prehenso, abscindendus est cum cute; tantùm enim timetur profusio sanguinis. *Hieronym. Fabric. ab Aquapendente in Pentateuch.*

Curatur Meliceris triplici ratione, ex Galeno 13. Meth. cap. 11. vel digerentibus, vel septicis, seu exesione, vel excisione. De septicis & excisione dictum est in atheromate, jam de digerentibus erit sermo, quæ cùm vacuent materiam per halitum, notandum, quod digerentia, quæ huic loco sunt opportuna, sunt valentiora, quàm si esset abscessus sine folliculo; quia materia præter cutem debet exire per folliculum, unde in humidis, & parva meliceride, valent ceratum philagrii, & ceratum sacrum; item decoctum pulegii, calamenthi, hyssopi, admotum, cum spongia expressâ; item spongia ex lixivio: at in majori abscessu, & duriori corpore, valent nucleus allii, aut allium decoctum, & per spongiam admotum. Valentius hoc est si in aqua infundamus calcem vivam, quo aqua ea inficiatur, deinde alia infunditur aqua, & fœx abjicitur, postea exprimitur spongia, & superponitur aqua infecta. Media sunt inter valentissima, & mitissima, verbi gratiâ.

℞. Salis Hispani, argenti spumæ, cerussæ, ana ℔ j. ceræ ℥ j. terebinthinæ, galbani, opopanacis ℥ ij. sinapi ℥ vj. olei veteris ℔ iij. acet. ℥ vij. misce. Est & aliud.

℞. Salis Ammoniac. spumæ argenti, ℔ j. ceræ, terebinthin galbani, opopanacis ℥ j. rubricæ sinopicæ ℥ vj. aceti heminam, misce, ex Aëtio lib. 15. *Idem ibid.*

Quod ad curationem Steatomatis attinet, propter duritiem latam basin, multitudinem sevi, tractandus est abscessus tantùm excisione, quia medicamentorum vis à sevo obtunditur, & copia sevi obruitur. Audacter ergo scalpello separatur sevum à pericranio; ne aliquando revertatur abscessus: difficulter enim vel curatur, vel revertitur, propter humorem crassum obduratum, & propter pericranium, quod reducit ad humidam intemperiem; unde nec caro gigni, nec cicatrix potest induci, ideo unde ne difficulter curetur, nec revertatur, cum Aëtio l. 15. separetur pericranium, & deradatur cranium, quia materia est diffusa, & facilè utrumque remollit. Deinde obducenda cicatrix. *Idem ibidem.*

Hac nostra tempestate medicorum omne decretum in eo constitit, ut neutiquam per scalprum attrectanda judicent hæc apostemata, utpote quæ non urgeant. Verumtamen incommoda multa, quæ genus hoc afferre solent inconsultè transcurrunt. Taceo formæ turpitudinem, quæ multis est supplicio, siquidem in locum corporis oculis aspectabilem inciderint, præcipuè verò fœminis & mollibus hominibus; quibus, ut notat Celsus, eripi cura cultus sui non potest. Sed enim quis horum molestiam, quis alienæ substantiæ innæsum dissimulet, totis vitæ curriculis stabilem? Sunt autem horum materiæ toto genere præter naturam, ut notat Gal. l. 3. meth. med. non semel. Præterea vastitatis incommodum interdum est tale, ut motiones corporis, & musculorum impediat, perpetuum autem illud, quod in unum latus decubitu privant homines; si de majusculis tamen hoc dictum intelligas. Porrò videre licuit sæpe Neapoli mendicum, cui abscessus erat in sinistra nate (napam & nasdam vocat Conradus Tigurinus) major, quàm totum abdomen sit communis mensuræ hominis, undosus fluctuans; tota sua comprehensione concolor; indolens, & mobilis velut utris: homo habitu strigoso & squalenti atque etiam quasi confecto. Plures quoque relati sunt à me ante, quibus incommoda vita erat, & qui principio sanari potuerant facile jam insanabiles. Tertio etiam ad plenilunia atque interlunia dolent acriter, atque efferascunt ita distenti, ut discerpi sibi membra sentiant laborantes. Ad hæc per extremos brumæ rigores difficile non est, ut rigorem nigroremve obeant. Etenim æstate media licuit observare in fronte cujusdam hominis atheroma, quod attactum persentiretur frigens: adeo scilicet à natura, & comite calore distat inclusus fomes. Postremo si locum excarnem infimi, vel medii ventris atheroma prehenderit, aliquot annorum curriculis non est difficile, ut factis erosione cuniculis interdum in cava penetrat viscerum, quod Dominico adolescenti Abellinati evenisse comperi eventu planè funesto. Etenim ulcerato circa Xiphoidem atheromate post aliquod tempus facta sinuatio in ultimam membranam; & claustra pectoris sensim exhausto spiritu finiit puerum alioquin imbecillum.

Ad hæc mala omnia illud accedit maximum; quod sub longa contage saniei, atque putredinis adusque os subjectum conteri solet, ut si in caput vitium inciderit, pericranium & cranium infectionem maneant; ut evenire solet è gummi venereo, quod annotavit Fallopius loco sæpius recitato; Itemque è talparia testimonio Lanfranci Mediolanensis, Guidonis Cauliaci tract. 2. doctr. 2. c. 1. Amati Lusitani cent. 1. curat. 16. Cùm igitur, inquam, putridi vitii pericula foveant hi abscessus; cum menstruis incrementis, distentionum, & molis, onerisque molestia fatigent; detrimentum afferentes amictus, insessus, decubitus, motus, item plerisque vitæ muneribus; necnon majestati vultus, cui tantoperè natura studuit, incommodent; denique cùm non semel ad usque mortem insolentia sint; quid non amputandos eosdem, & quacunque licet arte demoliendos existimet quispiam? vel quis etiam nunc deliberatè rescindendos abnuat? suasum hoc quippe nobis per veteres autores Græcos, Latinos, Pœnos, Mauros, Arabas, & Arabistas omnes seu Medicos, seu Chirurgicos, suasum etiam novissimè à Gabriele Fallopio, Joanne Tagautio, Hieronymo Fabricio, Joanne Riolano in Chirurgia cap. de bronchocele, nata, testudine, talpa;

Bartholomæo Cabrolio obs. 30. & Fabricio Hildano observatione 63. Illud autem frugis consequitur, si declinetur, differaturque Chirurgia, sive gestantium hominum, qui non permittunt, sive Medicorum, qui operam attrectare non audent, culpa; ut sæpe cùm elaborare velint, non possint. Notus est homo Neapoli, qui circumseptas cervices, & collum quatuor atheromatis folliculi lusorii magnitudinem æquantibus habet, jamjam, ut apparet, strangulaturis. Notus & eadem urbe Ferrandus Baudisella sophista doctorque adolescentium eruditus, qui cum steatomatis in gena extantis excisionem multis jam annis ab experientis medici manu refugerit: jam accretum ad magnitudinem mali insani tumorem, & amictu insolenti nunc obtegere coactus est, & vix aliquem reperit, qui tutò ab eo se malo liberare confidat. Itaque neglectam in arduis chirurgiam pœnitentia semper sequitur. Quod si me audient, aut medentes, aut vitium hoc ferentes, cùm primum se prodiderit exultans cute tuberculum è vestigio succidant nil veriti, facile tenella revellitur arbuscula, quæ cùm altas in patrio solo fixerit radices, & revellentis omnes vires ridet, & resecta repullulascit. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abscess. natura.*

Antequam verò ad ipsam anomalorum abscessuum curationem accedamus, mentio quidem esset facienda curationis eorundem prophylacticæ, sed quia eandem abunde descriptam nobis reliquit Joannes Langius in epist. 4. l. 10. itaque te eò remitto, interim tamen absolutè plurimos ustione Arabica me curasse, te latere nolo; inter quos etiam est integerrimus generalis Antistes ordinis Montis Virginei, Reverendus item P. Joannes Baptista Nenna ejusque sodalis Horatius Tarantellus utrique è societate Jesu viri: Insuper sacerdotes templi incurabilium duo, ut & Augustinus Saulinus Doctor Medicus probatus ac Gregorius Sapone librarius compositor, amplo aut ulceri delapsa crusta & membranula per corrosiva subducta, facilis fuit carnis inductio & in ejectricem obductio. Hæc de prophylactica curatione sufficiant, sequitur nunc altera.

Cùm autem triplex is abscessus alieno constiterit concremento: expletur omnis curandi scopus evacuatu, atq; absumptu materiæ, quæ opera, vel sensu evidens, vel obscura est. Evidens quidem tum putrefaciendo, tum exscindendo habetur obscura medicatio per discussum est lentum, quem medicamenta extreme calida præstant, & absorbentia, qualia sunt inter cætera Gal. emplast. diapyrites, & diadictamnum, & sacrum opere de comp. med. per gen. descripta. Itaque horum abscessuum omnium curatio communis est triplex, per digerentia, per liquantia, per exectum. Porrò uni meliceridi triplex hæc omnis ratio pro libitu, proque ratione affectus accommodari potest: corruptoria verò, & exectus atheromati conveniunt. Solus exectus steatomati competit, quippe materiæ crassitie contumacissimum ad medicatum steatoma; minus atheroma est, multo omnium minime meliceris; de qua Galenus in l. 14. meth. med. cap. 12. Paulus in l. 13. cap. 34. Fallopius, & Fabricius memoratis locis.

Jam verò, quod Galenus l. 3. meth. med. melicеridem rescindendam absolute posuit; 14. vero ejusdem operis per discussum medendam: contradictionem aliquam non habet. Etenim eo loco curationem extremam: hic promiscuam, & multiplicem explicuit. Præterea meminisse nos oportet, Gal. in l. de tumor. præt. natur. cap. 5. haud perpetuas fecisse tunicas abscessibus. Fieri ergo potuit, ut tunicata quidem tubercula per exectum à scalpro; tunicæ verò expertia per digestum à medicamentis curaverit. Enimverò diversitas hæc, & mihi comperta est, qui juveni Romano meliceridem de palpebra detraxi cysti circumseptam; in carpo verò mihi, & aliis eandem curavi præter eductum rei solidæ. Sed & atheromati non unus est modus, interdum enim adhærens levius tunica cuti, interdum adjacens laxe reperta est. Sic & steatomatis variam, madore, pinguedine, densitate, compagine, toto habitu systasin adverti superius. Vides jam non dissentisse sibi Galenum productis locis. Major ambiguitas est apud Aëtium Amidenum, qui Tetrabib. l. 4. serm. 3. cap. 7. proposuit medicamenta, quæ meliceridas, & steatomata citra chirurgiam exolvere valent; sed pro eis, qui chirurgiam recusant ea verba protulit: quasi verò condocefactos hos faciamus in medicamentis utendis tædium, non veram curandi efficacitatem esse, vel dixeris tentanda omnia sub tumorum initiis. Et Gal. myrmecias discuti licere docuit l. 6. epidem. com. 2. qui meth. cap. 1. & l. 14. cap. 13. & 17. censuit excindendas, nimirum, quia toto sunt genere præter naturam. Sed & Paulus Ægineta l. 3. cap. 34. remedia digerentia potissimum ad meliceridas exposuit, qui alia operis parte tradidit exscindendas.

Quoniam igitur cysticis abscessibus una meliceris curationem per medicamenta discutientia sibi prærogat; septica verò exposcit atheroma; de horum utrorumque delectu necesse est, ut dicamus. Quod autem ad meliceridem spectat; curatio per medicamenta difficilis plurimumque fallens usu comperitur: nihilominus, quia tumoris initio debita, omnibus semper optabilis, & à scriptoribus plerisque proposita est: exequemur etiam hic nos medicamentorum ejusmodi descriptiones, auctore primùm adscito Gal. qui l. 6. de compositione medicam. per gen. cap. 14. exposuit Alexandri unum, quod recipit. Salis Hispani, argenti spumæ, cerussæ ana ℔ j. ceræ, terebinthinæ ana ℥ j. Galbani & opopanacis, visc. quercin. ana ℥ ij. sinapeos ℥ vj. olei veteris ℔ iij. aceti sextarios octo. Describit & sic Fallopius. Alterum descripsit ex Democrate, quod sic conficitur.

Libram salis lævissimi.

Tenuis, duas cerussæ, tot & galbani,
Fac uncias, totidem puræ propoleos.
Aristolochiæ binas pariter uncias,
Præstantis olei libras annosi duas.
Crassissimum si fuerit, addes alteram.
Coquito similiter, temperatumque probe
Ab igne tollito: lævigatam tunc quoque
Aristolochiam insperges, injeceris ubi
Mollita, propolim scilicet, atque galbanum.

Hæc

Hæc Galenus. Ætius verò proposuit & suum aliud quod

♃. Ceræ terebinthinæ, squamæ æris, sing. sextantem, sulphuris vivi, nitri, sing. ℥ j. radicum siccarum cannabis sylvestris ʒ xxxv. & si defuerint, Aristolochiæ tantundem, olei antiqui ℔ j. Radices per triduum aqua madefactas, & contusas in oleo coquito, donec torreficant. Deinde ipsis abjectis cætera, quæ liquari debent, liquata admisceto, & arida ex aceto tria adjicito, atque utitor. Sed Paulus Ægineta l. 4. cap. 34. præter alia multa commendat unum ab Archigene excogitatum, quod

♃. Aphronitri, & veratri partem duplam cum cerato duriore impositam. Hæc isti veteres; è Junioribus verò Joan. Langius lib. 3. epist. & Evonymus Phyliatrus tum in operis parte priori; tum in posteriore, & post hoc alii celebrarunt oleum subtiliore ignis arte (chymicam vocant) extusum. De quo hæc ille: Aqua mirabilis, quæ delet napas, tubercula, seu pustulas papulasve, aliqui napas vocant (Itali puto) Lupias, glandulas, scrophulas, porros, id est, verrucas, & omnia nascentia mala ubivis in corpore tollit.

♃. Olei laurin. ℔ ij. thuris albi, mastiches elect. gumm. Arabic. terebinthin. claræ, ana ℥ ij. Tritis terendis misce omnia, & destilla per alembicum, & in aqua ista sic destillata infunde ℔ ß. cineris terræ & iterum destilla, & serva aquam thesaurum: Innominatum. Cinerem terræ calcem puto.

Devenit jam sermo ad rationem administrandæ rei chirurgicæ, quam Cornelius Celsus omnium post Hippocratem vetustissimus absolutissimusque auctor scripta reliquit lib. 7. rei medicæ c. 6. his verbis.

Si capillis conteguntur, per medium oportet incidere: sed steatomatis tunica quoque secanda est, ut effundatur quidquid intus coit: quia non facilè à cute & subjecta carne ea separatur: in cæteris ipsa tunica inviolata servanda est: Protinus autem alba, & intenta se ostendit, tum scalpelli manubrio deducenda à cute, & carne est, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet, si quando tamen ab inferiore parte tunicæ musculus inhæsit, ne is lædatur, superior pars illius decidenda, alia ibidem relinquenda est; ubi tota exempta est, committendæ oræ, fibulaque his injicienda, & super medicamentum glutinans dandum est, ubi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum est: pus moventia adhibenda sunt. Hæc ille. Addidit Paulus præcipuam emundandæ tunicæ diligentiam servandam esse in brachiali, in talo, & articulamentis motui dicatis: in quibus locis relicta membranæ portio consuevit occasionem exuscitandi vitii præbere. Sed nos adscribemus his utiles quasdam agendi rationes, & observationes. Primum abscessus cum tunica, qui in manibus attrectati permotique sese exhibent circumfluos, id est, quoquoversum sub cute mobiles: alteros confidentius arripi curandos licet, in alteros verò, qui firmiùs hærent, jam apertos materique opplente exhaustos candentia ferramenta tutiùs immittuntur, qui ignis insuper, ubi minùs evulsæ videantur fibræ, quibus abscessus nititur, atque ubi periculum est, vel profluxuri sanguinis, vel accessuræ corruptionis, opportunissimus erit. Ad insecandum autem cauteria, non vulgariter acuta desiderantur. Smilion, id est, recurvum scalprum requirit Hieronymus Fabricius Aquapend. in Tract. de tumor. c. de atheromate, &c. Sed interim homo, qui tractandus est, Hippocr. præcepto in l. de offic. medic. paulo post initia, tum ad lumen illustre, tum ad te curantem, quam commodissimè collocandus est; qui si timidus sit, sive puer, sive fœmina, manibus ad dorsum retractis religandus; nimirum ne doloris impatiens medicum agentem actis variè manibus impediat, aut pavens, quoquoversùm agitetur. Post hæc ordinatis, quæ sunt ex usu rituque potissimùm habe paratam spongiam, qua inter secandum effluens turbator sanguis extergatur; notabisque aptè per atramentum scriptorium dissectionis necessariæ situm, magnitudinem, figuram: quæ sectio, qua tumor exporrigitur, aut paulo citerius extendi debet: sic enim & commodiùs diduci fibras, & apprehendi tunicam, & purgari ventriculum licebit, tum obverso scalpro rem peragas licet, tentans obliqua manu descissionem: atque ita etiam excoriatis cutem, ne folliculum, id est, vestientem membranam convulneres. Incisione facta præcipit Cornelius, ut tunica scalpelli manubriolo diducenda sit ex cute, & carne ejiciendaque cum eo quod intus tenet. Sed nihilominus compertum est mihi firmius hanc adhærescere, quam ut obtusæ rei scalptu divellatur, quapropter acie ferramenti sub tunicam immissi subsecanda est, totaque detrahenda; vel si hoc æger patiatur, medicamentis causticis exedenda: in qua sæpius laborare Medicum contingit.

Meliceris, quæ carpo paulo superius oboritur, his, qui rem minimè sunt experti plerumque imponit sic, ut credant scirrhosum esse tuberculum gangliumve: atque adeo dissectionem execrantur medentes. Sed nihilominus scire licet hanc duritiem evenire distentione humoris copiosi, qui candidum ovi, aut, ut verius fortasse dicam, mel album refert. Hunc igitur mobilem circumquaque tumorem non contrectaveris; confidenter, si me audis, aperueris, sive phlebotomo, sive pastinacæ marinæ radio, quem homines timidi minùs exhorrebunt. Comperta hæc observatio mihi fuit in multis: primum in meipso, qui Pithecusæ degens unam ex his in metacarpo natam discidi; deinde in aliis, & in Leonardo Ciccono Civi Abellinati Doctore jam medico, qui tum usum medendi sub Mario Schipano medico celebri erudiebatur cujus sinistra manus initio natum tuberculum licet aliquibus ganglii speciem referret, nihilominus à me suppunctum pellucida effusa pituita meliceriam manifestam fecit. Cui operæ interfuit principio Dominus Coccia Neapolitanus Medicus eruditus. Meliceridis super carpo superiore natæ folliculus inhærens nullus quantum ego in plurimis observavi; quare neque ampliorem illius causa sectionem feceris; neque ab insecta illa cysti exsolvenda fueris sollicitus, quam curam multi falso volunt habendam.

Steatoma cùm abscideris, memento intemperiem nonnullam, præcipuè si majusculum fuerit idem, in parte relictam curare. Consilium autem

autem tui medentis erit eandem medicamentis naturæ amicis fovere: ubi verò fibras aliquot residuas inspexeris, consultum his fuerit induci causticum, vel ignem leviculum. Hæc equidem à me comprobata sunt omnia, in eo, quod curavimus Gratiæ à Philippis Cœnobitæ minori: cujus in hoc libro plus semel mentio facta est. Atque hæc quidem curatio est, si lata sit basi steatoma; namque si tenui sit pedunculo propendens, satis erit ad imum exectio. Corrosivis contentus est Fallopius. Illud etiam ex Aëtio negligendum non est, quod in strumis servatur, si steatoma sublevatum fuerit; in circuitu per scalpellum, subter verò digitis, insertum verò in ambitu, & subter incidendum esse. Cœterùm ex ejusdem viri doctrina scire licet in atheromate, ac meliceride tunicæ sectionem formidari: in steatomate, quia solidioris est substantiæ, quæ non effluit: nullam ejus rei necessariam cautionem esse.

Sed in atheromatis genere illud inter cætera maximè advertendum est, ab aliis quidem nullis admonitum, à me verò dum hæc sæpe tracto, non semel observatum: detectam amplè tuniculam abscessus haud semper oportere totam à cute revelli concluso tum infarctu integram: quippe per acerba revulsio, & ab omnibus vix tolerabilis. Satis est, ut latiusculè dissecta cute, potissimùm autem decussatim, quam maximam licet, membranæ partem forficulis, aut scalpro rescindat; cæteram portionem medicamentis non dico equidem causticis, sed digerentibus & erodentibus detracturus: Id equidem comperi primum in valetudinario curans Dominicum Riccardum Adolescentu'um Abellinatem, qui atheroma obtulerat super ensiformi cartilagine sexto plus mense natum. In quo adolescente nulla etiamnum facta resectione folliculus amplè apertus computruit, & partim abstergentibus, partim cathereticis extritus est, & liquatus. Non dissentit autem à me Paulus l. 6. cap. 36. Verùm enimverò non te lateat velim, hujus sortis non esse crassiores folliculos, & cartilagineos fere. Ejusmodi fuit is, quem Capuccino de genu substuli, porrò par non omnium est conditio etiam ejusdem generis. Ergo prudens Medicus exercitusque sit oportet, qui perspicienter omnia discernat in singulis. Aliud etiam à me comprobatum super eodem adolescente rescias velim. Circa pectus execta hæc tubercula distentionem aliquam lacertis thoracis induxisse, quapropter sollicitus esto laxandorum continuo musculorum, tum ad ipsos datis medicamentis tum ad axillas, & inguina. Aliud ex Aëtio servandum est. Post ablatam pelliculam, si labia plus æquo laxa fuerint, redundans cutis exsecanda, deinde suturis labia connectenda. Atque illud insuper animadversione dignum est eodem auctore; ut si in capite hujusmodi tumor fuerit post ablatam pelliculam os ambientem secemus, & calvariam diligenter abradamus, qua in re facienda, quid consilii sit, Aëtius quidem ipse non expressit; sed nos illud interpretamur, aut quia sic omnis mali fomes eluitur, scatensque quasi fons ejusdem occæcatur: nimirum in pericranium, & cranium inducto per derasionem poro, calloque, aut quia securius sic exteritur omnis à vitio primum inducta labes, nullusque recidivæ relinquitur locus. Confirmat autem opinionem simile quiddam apud Joan. Riolanum, atque alios etiam antiquiores, qui talparium capitis vitium, ut perfectè curetur, etiam pericranium exscindunt, & os deradunt, ne aliquando vitiatum, plagæ coalitum remoretur.

Quæstio nunc ad extremum hunc locum occurrit, num folliculo ad unguem extracto, sutura concienda sit, nimirum, quia vulneris incruenti ratio conglutinatum exigit sui ipsius. Cujus rei determinatio non ita facilis est: nam si magnitudinem consulas, & secundùm hanc requiri suturam velis, parvus quidem hiatus ex plaga solis medicamentis conglutinantibus contentus est, si magnus est sinus quantum quidem amplitudo vulneris adjumentum conglutinandi requirit, tantundem etiam difficultatis exhibet, & ambiguitatis, ne fornice aliqua remanente per antiquum cutis habitum ex antea substrata materia abscessus falsus fiat & irritus coalitus, itaque necessum esset evagantem, & cohærentem cum carne cutim prius abscindere, deinde consuere, sed hoc sæpe homines, qui tractantur doloribus multis pertæsi non concedunt, possunt autem si concesserint, sutura uti, liberam autem, ut consuas, vel abstineas potestatem fecit Aëtius, qui, inquit, peracta opera, vulneris labia suturis constringantur, ut melius glutinentur, aut linamenta profunda indantur, & curatio ad puris generationem adhibeatur. Tradidit & de sutura idem vir Tetrab. lib. 2. serm. 3. cap. 33. & Tetrab. 4. serm. 3. c. 7. & 8. At Celsus lib. 7. cap. 6. tradidit hæc ubi tota (tunica) exempta committendæ oræ, fibulaque his injicienda, & super medicamentum glutinans dandum est. Approbavit, & suturam Paulus Ægineta lib. 6. cap. 36. præter quam (addens) si quid membranulæ restitisse fuerit deprehensum, tum enim erodentibus medicamentis reliquiæ sunt absumendæ. His & Hieron. Fabricius adhæsit.

Privatam & peculiarem curationem nanciscitur Nata, seu Nasda, quòd plerique dixerunt; tuberculum ex anomalis unum, quod interdum ex graciliore basi, velut ex pedunculo ficus, propendet. Ad steatoma quidem retulit Joannes Tagautius instit. chirurg. l. 1. cap. 13. verum ego potiùs de genere meliceridis fecerim, quippe steatoma basi nititur ampliore, si credimus Aëtio: id quod de meliceride atque de atheromate, neque idem ipse, neque alius quispiam dixit. Utcunque cum hoc tenuiore basi dependeat; circumsectione, atque amputatione tractandum est, non simplici apertione. Ita enim Brunus Calaber Longoburgensis lib. 2. chirurg. magnæ cap. 8. quæ cæteroquin exciso sive adstricto filo in pusillanimis ad stupefactum, usque partis; sive etiam sine innodatu, quod Bruno visum est, fiat; in nostra est manu. Inustionis verò neque ille meminit, neque necessitas ulla est; nisi cum aut profluvii sanguinis, aut recursus vitii metus suadet. *Idem ibidem.*

In Atheromate, Steatomate & Meliceride inprimis corpus repurgandum est ut occurratur causæ antecedenti, ut pilulis cocceis, de agarico

agarico, de hermodactylis, aut diaphœnici, diacartham. bened. lax. ℥ ß. aut ʒ vj. in forma boli cum sacchiro, vel si placet dissolvatur cum decoct. hyssop. thym. puleg. Pulvis diaturbith utiliter quoque sumitur pondere ʒ ij. Ad purgandum mucum thermæ tam sulphureæ quam aluminosæ valde prosunt. Celsus & Aëtius commendant esum viperarum opportunius præparatum. Quidam adsumunt frequenter magno cum successu diacalamith. vel diaprassii ʒj. cum vino aut aqua card. bened. vel scabios. abscessus si fieri potest rumpetur, deinde cardiacis, ut theriaca, Mithridatio, cor muniatur, ne putridis fumis offendatur, ut à se materiam putrem longius repellat & potentiùs expurget. Quo natura verget sequamur. Si videatur viam per urinas affectare, diureticis ejus conatus juvetur, si per alvum, clysteribus, aut blandis catharticis. Abstineat à jusculis & elixis, utatur pane biscocto, anisato, & decocto ligni Guajac. & rad. sarsæparill. chinæ, pro potu ordinario cum saccharo & cinnamomo.

Horum omnium curandorum quatuor sunt communes scopi: Resolvere, exedere, incidere, & ligare. Melicerides his quatuor modis curari possunt: nam si resolvi non possint, aut cauterio exedi, aut facta incisione evelli, si fieri possit ligari debet. Steatomata neque possunt resolvi neque exedi, solâ incisione sanantur, quia adiposus humor nec resolvi potest, neque suppurari, semperque includitur tunica duriore. Atheroma non potest quidem resolvi, quia materia est crassior quàm ut discuti possit, sed aliquando potest pepticis maturari. Quorum usus si inutiliter tentetur, aut exedatur, causticis, aut cum sua tota & integra cysti humor evellatur. Duobus autem signis cognosces an includatur humor tunicâ. Primò si sit mobilis, secundò si à cute separetur. Quando enim immotus manet dum contrectatur, & cohæret cuti aut carni, indicium est membranula non includi. Notandum autem est recentes abscessus & molles resolvi posse & suppurari, duros verò & inveteratos sola chirurgia curari. Itaque in hoc diligenter laborandum est, ut singulæ differentiæ discernantur. Steatoma est durius resistitque tangenti, & basim habet solidiorem. Meliceris contra subsidet in modum œdematis, cedit in se compressa, lentéque dissilit, sed cito revertitur: Atheroma verò est veluti medium inter utrumque extremum. Faciamus ergo abscessum esse mollem, non refert si magnus aut parvus fuerit. Resolventibus primùm tentanda erit curatio, ut diachylo ireato, aut cataplasmate ex far. fabar. ervi, lolii, lupinorum coctis cum pulvere buphthalmi in oxymel. vel stercore capræ, aut ovis cocto in aceto, vel farina lupinorum cocta in oxymel. Calx oleo vetere, aut adipe suillo, aut melle excepta commendatur à Paulo, quia fundit simul & resolvit. Idem Paulus serpentem conjicit in ollam oblitam gypso, quam mittit in fornacem, pulverem miscet cum æquali portione fœnugræci: utrumque excipit melle. Prodest etiam diachylum magnum cum gummis, addito pulvere radic. ireos, ad libram unam addatur uncia una pulveris. Ad resolvendas Melicerides.

♃. Uvarum passul. exemptis acinis par. iv. squammæ æris ʒ iij. parti prius fotæ imponitur.

Vel. ♃. Spumæ nitri & veratri duplum cum cerato duriore imponitur.

Vel. ♃. Ladani, bdellii, galban. ammoniac. thymiamatis, propolis, terebinth. ana partes æquales, contunde cum pistillo & applica.

Vel. ♃. Passular. exemptis acinis ℔ j. cumini levissimè triti ℥ vj. nitri ℥ iij. omnia simul in mortario subacta adhibeto ac alligato. Non negligendum quod ex Avicenna ad resolvendos tumores frigidos descripsimus, nam ex Galeno transcripsit Guido ut faciliùs resolvat humorem inclusum cysti, primùm excrescentiam manibus contrectat, deinde ferulæ aut scutellæ fundo percutit, ut vesicâ ruptâ materia effundatur, mox applicat plumbi laminam, eamque arctè ligat, quæ non tantùm molles & crescentes excrescentias resolvit, sed etiam duras, ut ganglion. Est veluti nodus in nervo, quod Tagautius videtur confundere cum lupia, quando scribit potissimùm oriri in capite. Verior tamen est Pauli & Aëtii opinio, qui frequentiùs talos, & manuum juncturas occupare volunt, rariùs cubitum & caput. Ganglion hoc habet peculiare, quod dum premitur stupidiorem sensum exhibet, moveturque tantùm ad latera pro situ nervi, neque in orbem, in anteriora, aut posteriora ut melicerides & atheroma. Ad dissolutionem lamina plumbea cribri instar perforetur, quinetiam ut emolliat magis & fundat humorem concretum, illinatur argento vivo, nec ante novem dies removeatur. Ad resolvendas meliceridas, valet decoctum puleg. calament. hyssopi admotum cum spongia imbuta & expressa. Item spongia ex lixivio expressa. At in majori abscessu & in duriori corpore valent testa allii, aut allii decoctum & per spongiam admotum. Valentius hoc est, si in aquam infundamus calcem vivam, donec aqua inficiatur calce, deinde alia infunditur aqua, & fæx abigitur, postea exprimitur spongia, & aqua infecta superponitur. Media sunt inter valentissima.

♃. Salis Hispani & argenti spumæ, cerussæ ana ℔ j. ceræ ℥ j. terebinth. galbani. opopanacis, ana ℥ ij. sinapi ℥ vj. olei veteris ℔ iij. aceti ℥ vij. misce. Est & aliud.

♃. Salis ammoniac. spumæ argenti ana ℔ j. terebinth. galbani, opopanac. ana ℥ ij. rubricæ sinopicæ ℥ vj. aceti heminam, misce. Ex Aëtio lib. 15. Sequitur curationis secundus scopus, ut caustico exedantur. Admovebis cauterium in medio. Aut si magnus sit abscessus, multa cauteria: cùm crusta deciderit, indantur penicilli Ægyptiaco illiti, aut præcipitato & melle, aut trochiscus de minio vel asphodelorum, mixtus cum unguento apostolorum. Joannes de Vigo linimentis omnes excrescentias indolenter erodit intra unum mensem. Accipit ex linteis usu detritis & bene carptis ℥ ij. medullæ panis albi ℥ iij. sublimati tenuissimè pulverisati ℥ j. aq. rosarum & plantag. ana ℔ j. omnia simul coquit in vase æneo ad consumptionem duarum aut trium partium. Deinde expressa linamenta siccat in furno mediocriter calido, quæ iterum carpta servat in vase bene operto ad usum qualem ipse ita describit. Primùm defensivo vicinæ partes muniantur. Deinde

de ulcus quod fecit pyroticum prædict. linamento impleatur, superponatur unguentum de tuthia, vel de cerussa; persistendum donec appareat caro viva, tum ulcus melle rosato & terebinthina mundandum. Sunt qui parvas excrescentias totas per transversum incidunt, moxque implent alumine, aut vitriolo usto, quæ cystim erodunt simul, & hæmorrhagiam sistunt, ad idem valet oleum vitrioli cum plumaceolis applicatum: magnis verò trajiciunt duplici setone cruciatim, uno secundùm longitudinem, altero per transversum. Quod si humor fluxilis non fuerit, filum aut ellychnium ex quo setones parantur maceretur priùs aqua forti, vel liniatur ægyptiaco, vel terebinthina, cui pulvis mercurii sit permixtus. Sequitur tertius modus. Quæ non sanat ignis, sanat ferrum. Incidatur primùm cutis, deinde unguibus laceretur ut divellatur à cysti, quæ prehensa volsellis funditùs evellatur, quia si remanserit frustulum recidivam faciet; quin etiam si rumpatur dum fit operatio, inanis est labor. Si fortè quibusdam vasis adhæreat volsellis suspendatur, atque interim scalpello ab illis separetur. Notandum quod si magna excrescentia adhæreat magnis vasis, venis, arteriis, nervis, tendinibus, utpote si fuerit sub mento, si in manibus, aut pedibus, sinenda ea est. Si sit super suturam, vel spinam dorsi, latera, tempora, nucham, non potest extrahi sine periculo, potest tutò extra illas partes extremas. Sed memineris, extractum abscessum periostium exedere & os subjectum diligenter abradere, si cariosum sit. Memineris quoque quoties cogitas de magna excrescentia incisione tollenda si fortè magnam venam subesse putes, priùs habere parata, quæ conveniunt sistendæ hæmorrhagiæ.

In curatione Emphysematis seu flatuosi tumoris cùm tria instent, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum densitas; ideo tres intentiones habere debemus. Prima erit convenientem victum instituere, qui talem humidam materiam non gignat. Secunda pituitosam & humidam materiam præparare, concoquere, & evacuare, caloremque debilem viscerum, ac aliarum partium roborare. Tertia flatulentam materiam in partem contentam extenuare & meatus recludere. His quarta etiam addi potest quæ erit symptomatibus succurrere ac subvenire. Primò diæta eadem quæ in œdemate præscripta imperanda; vitanda legumina ut pisa, fabæ: necnon fugaces, potissimùm crudi fructus. Secundò succurrendum cruditati: (nam ex cruditate ab imbecillo calore fit flatus, qui humores in vapores dissolvit calor, quos non potest discutere imbecillus appellatur.) pilulis de hyera corpus repurgandum, nam inflationis curatio ex communi indicatione posita est in evacuatione flatus, cujus vacuandi rationem ex illa triplici causarum varietate deprehendemus: Languentem itaque calorem nativum roborare, & vaporem crassum discutere, humoremque frigidum, viscidum, aut crassum, flatus materiam attenuare, ipsumque continens corpus rarefacere conveniet. Calor ventriculi primæ coctionis officinæ (cujus errorem sequentes emendare non possunt) robotatur aromaticis stomachicis, & electuariis ad hoc dicatis, ut diacymino, diacalamento, aromatico garyophillato, aromatico rosf. diagalango & similibus; Aniso condito, aut tragea communi utendum. Roborandus etiam ventriculus litu ex oleis de mastich. de absynth. &c. Denique ablatione materiæ conjunctæ, per calida siccantia, attenuantia medicamenta quæ carminativa nominant, ut rarefacta parte humor flatusque subjectus dissipetur. Varianda tamen erunt hujus generis præsidia pro partium varietate: alia enim ventriculo, alia intestinis, alia articulis, alia partibus carnosis erunt applicanda. Ad colicam injiciuntur clysteres carminativi, apponuntur resolventes sacculi, & umbilico affiguntur cucurbitulæ: si extima, utimur fotu, linimentis, si præsertim divexet dolor. Relaxanda cutis, ut transpiret, oleo calastico, ut chamæmeli & liliorum. Immiscendum aliquod oleum carminativum dissipans flatus, ut anisi, anethi, rutæ, lauri, cum aqua vitæ. Aut ex anetho, ruta, foliis & baccis lauri, florib. chamæmeli, anthos, sambuci, melilot. seminibus anisi, fœnicul. dauci, cumini, fiat decoctio in vino pro fotu partis inflatæ. Huic superponatur deinde emplastrum de baccis lauri; confectio de baccis lauri, tam injecta quàm sumpta benefacit.

Vel ℞. Flor. camomill. melil. rorisin. rosarum rubr. ana p.j. absynth. hyssop. ana m.ij. coquantur in lixivio, addendo aceti parùm, pro fotu cum spongia.

℞. Oleor. chamæmel, aneth. rutac. & lilior. ana ℥ j. olei laurin. ℥ß. ceræ alb. ʒ vj. aq. vitæ ℥ j. liquefiant omnia simul & fiat linimentum quo liniantur partes præmisso fotu.

Vel. ℞. Ol. rutæ, amygd. amarar. chamæmel. & aneth. ana ℥ j. vin. alb. ℥ iij. semin. anis. dauci, fœnicul. cumin. ameos, rutæ, carui an ʒ j. bulliant ad vini consumpt. & exprimantur, expresf. adde ceræ alb. q. s. f. unguentum.

Vel ℞. Ol. nard. aneth. de castor. ana ℥ iij. aq. vitæ ℥ i ß. pulv. radic. gentian ʒ j. Folior. agrimon. calamenth. origan. ana ʒß. rubiæ tinctor. ʒ iij. scœnanth. mastich. ana ʒ i ß. spic. nard. croci an. ℈ iij. ceræ q. s. fiat unguentum.

Vel ℞. Farin. fabar. & orob. ana ℥ iij. coquantur in decocto puleg. origan. calamenth. salv. addito pulvere chamæmel. & melil. ana ℥ ß. sulphur. vivi subtiliter pulverisati ʒ ij. ol. chamæmel. & anethi ℥ i ß. f. cataplasma.

℞. Stercoris caprin. bene triturat. ℥ iiij. flor. camomill. an. m. ß. furfur. farin. fabar. & orobi an. ℥ ij. coquantur cum lixivio communi addendo terebinth. ℥ iij. ol. aneth. & rutac. ana ℥ ij. f. emplastrum ad usum dictum.

Vel. ℞. Milii, vel avenæ ℔ i ß. salis ℔ j. folior. artemis. sampsuc. rorism. rutæ, ana m j. semin. fœniculi, carui, cumin. baccar. laur. ana ℥ j. flor. stœcad. Arabic. anthos, calamenth. origan. ana p. j. omnia in sartagine torrefiant, & duo sacculi componantur qui generoso vino irrigati calentes vicissim applicentur, postea unum ex suprascriptis unguentis adhibe. Emplastrum de ranis seu de Vigo cum Mercurio & sine Mercurio in eam rem valde confert. Notandum verò ejusmodi medicamenta calida actu parti imponenda esse, eumque calorem continendum & renovandum, circumappositis linteis

linteis, lateribus, lagenis, similibusque rebus calentibus. Resolutis humore flatuque qui in parte conclusi detinebantur, pars roboranda erit, ne subinde similem materiam vel excipiat, vel gignat, id fiet fotu & cataplasmate sequentibus.

♃. Nucum cupress. cortic. granat. sumac. berberis, balaust. ana ℥j. caud. equin. arnogloss. taps. barbat. absynth. salv. rorism. lavendul. ana m. ß. flor. chamæmel. melil. rof. rubr. anthos ana p. j. alumin. salis communis ana ℥j. bulliant omnia in æquis partibus aqu. fabrorum & vini austeri, fiant sacculi pro fotu cum spongia.

♃. Farin. fabar. hord. & lupinor. ana ℥ij. tereb. communis ℥iiij. pulv. rad. ireos flor. mastich. ana ℥ß. mellis comm. ℥ij ß. prædictæ decoctionis q. s. f. cataplasma ad formam pultis satis liquidæ, applicetur parti affectæ, calidè præmisso fotu. Ad inflationem genu.

♃. Fœcis ceræ novæ, ex prælo, quæ propoleos dicitur ℔ i ß. micæ panis furfuracei ℔ ß. rosar. rubr. ℥j. bulliant in vino albo, deinde contunde & adde piperis, garyophylli, nucis myristicæ, zinziber. ana ʒij ß. cumini, anisi, Fœnicul. ameos ana ℥ß. ol. chamæmel. aneth. rutæ, ana ℥ij. fiat cataplasma.

Vel. ♃. Saponis nigri, ol. aneth. chamæm. & mellis commun. ana ℥ij. misce applicetur parti affectæ. Potest etiam illi adhiberi vesicatorium è cantharidib. ac fermento & aceto confectum, aut cum sapone nigro: quidam locum illum leviter scarificant: quod si omnia hæc remedia nihil prosint, tumorque resolvi nolit, tunc is aut scalpello, aut cauterio, seu actuali, seu potentiali aperiendus est. Utilius autem est illum aperire cauterio, quo scilicet flatus consumitur. Huc adde quod illius evacuatio non fit celeriter, sed paulatim, faciléque, quod volumus per scarrham inde elicimus, nisi in hydropicis, in quibus cauterio non est utendum, quippe ibi periculoso, propter maximam evacuationem quæ post scarrhæ casum fieret: abscessus autem humore, qui non est semper planè flatulentus, sed cum serositate aliqua conjunctus, extracto & dissipato ulcus mundatur, ut illud œdematum: Reliquum verò curationis in libro ulcerum reperietur.

Natæ curativæ indicationes omnibus abscessibus communes dicuntur à Galeno esse, vel digerere, vel putrefacere, vel exscindere rem contentam. Notandum autem curationem omnium abscessuum contineri in evacuatione materiæ, quæ vel est sensibilis, vel insensibilis. Insensibilis curatur digerentibus, sensibilis verò vel putre reddendo totum contentum, vel exscindendo. Per putre reddere totum non intelligitur ut materia contenta putrefiat, vel pus fiat suppurantibus medicamentis, sed ut eliquetur, exedaturque non solùm materia, sed etiam folliculus. Hæc autem medicamenta quæ id efficiunt omnia sunt calida in quarto gradu. Igitur hic abscessus vel curatur digerentibus vel septicis seu exedentibus, vel excisione quæ ferro fit. Non tamen omnes abscessus curantur triplici illo modo, sed meliceris potest triplici ratione curari, quia continet materiam quæ concoqui potest: at Atheroma, quia continet materiam crassam & densam, non potest curari digerentibus, quia per diaphoresim seu habitum digeri non potest, sed curatur vel septicis vel excisione. Steatoma verò & nata, quæ continent materiam crassam respuunt curationem digerentium & septicorum. Igitur propter duritiem, latam basim, multitudinem sevi, tractandus est abscessus tantùm excisione, quia medicamentorum vis sevo obtunditur, & multitudine ejusdem obruitur. Præmissa purgatione patiens in lecto collocetur, sique Nata satis latam radicem habeat, pars ejus inferior, id est basis sive radix, satis arctè chorda ligetur. Deinde crucis instar incidatur, posteaque undique excorietur, & à partibus adjacentibus separetur, tandemque extrahatur. Alioquin verò vinculo non utuntur. Si verò magna hæmorrhagia sequatur, ignitis ferramentis sistatur: nisi verò sit valde magna medicamentis ad hoc aptis sisti potest. Cutis verò quæ superest ita excidenda ut labia se mutuò tangant, nec se superequitent ac superponant, deinde suito, si fieri potest: In reliquis verò ut in aliorum tumorum incisione diximus, curationem sequi debemus. Audacter scalpello separetur tunica, seu cystis & sevum à periostio, ne aliquando revertatur abscessus, difficilè enim vel curatur vel revertitur propter humorem crassum obduratum, & propter periostium quod reducit ad humidam intemperiem: Unde nec caro gigni, nec cicatrix potest induci; unde ne difficilè curetur, nec revertatur, cum Aëtio lib. 15. separetur periostium, & deradatur os, quia materia est lata, & facilè utrumque remollit. Deinde claudenda est cicatrix. Si verò Nata pendula sit, & angustam subtilemque basim ac radicem habeat, tunc excorianda non est, sed tota à basi rescindenda, vel ignito ferro vel non ignito: deinde quæ dolorem tollunt & sanguinem sistunt, si opus fuerit admoveantur, postea pars consolidetur & ad cicatricem perducatur. Si ægrotus respuat sectionem & reformidet ferrum, curandum est septicis, ut ærugine, squamma æris, chrysocolla, mysi, chalcitide, auripigmento, arsenico, sublimato; calce viva, atramento sutorio, lacte caprillo. His tamen non indifferenter utaris, verbi gratia, Septica erunt in corporibus durioribus, arsenicum, sublimatum, chrysocolla, calx viva, quæ in aliis naturis erunt caustica. Calx viva in pueris quidem est septicum, in adultis verò & robustis est tantùm epuloticum. Medicamenta septica sunt.

♃. Calcis vivæ ℥ß. fœcis vini combustæ, nitri ʒij. minii ʒj. lixivio teruntur & cum melle ad crassam substantiam deducuntur.

Vel ♃. Squammæ æris ℥ß. sandarac. ʒij. cum melle rosato fiat medicamentum.

Vel. ♃. Squammæ æris sandarac. semin. urtic. torrefact. an. q. s. cum melle rosato fiat medicamentum.

Vel ♃. Erinaceorum combustorum, testæ sepiæ, auripigmenti, partes æquales cum melle rosato fiat medicamentum. Valet plurimùm aqua fortis quâ utuntur aurifices, in qua tingatur lignum, & eo perfricetur pars, exedet partem. Item valet illud ex lixivio fullonum in sartagine cocto, donec crassescat & indurescat, deinde miscentur auripigmenti partes

vi atramenti sutorii, iij.

Ad Lupiarum curationem quod attinet, certum est materiam istam resolutioni haud cedere, ut nec veræ suppurationi: hic igitur abscessus aperiendus est, quo evacuetur humor. Ut autem id feliciter fiat, tumoris magnitudo, situs & latitudo seu densitas, basis aut abscessus fundamentum considerabitur. Si tumor fuerit magnus, vasis majoribus proximus, aut in nervosa parte, ut in cervice, ubi sæpe ille nascitur, intactus relinquendus est, ob periculum quod inde consequetur. At si parvus est, in quacumque parte fuerit, resolvi potest cum comprimendo, frangendo tamen cystin, id est vesicam, seu folliculum quo involvitur, ut separetur hinc & illinc materia, & faciliùs ipsius naturæ beneficio, ut jam dictum est, discutiatur & resolvatur. Quod si lupia eo sit in loco, in quo validam compressionem facere non liceat, ut in facie, thorace, ventre, gula, apponetur emplastrum quod resolvendi vim habeat, quale est quod sequitur.

♃. Gumm. ammon. bdell. galban. ana ℥ iij. liquefiant in aceto, & trajiciantur per setaceum, addendo ol. lilior. & laur. ana ℥ j. aq. vitæ parùm, pulveris ireos, salis ammoniac. sulphur. vivi vitriol. Rom. ana ʒ ß. incorporentur omnia simul & fiat emplastrum secundùm artem. Sin lupia est mediocris, tolli potest incisione in crucis modum facta, in tumoris summo, membranam quidem qua tegitur & continetur minimè incidendo, sed à cute ad radicem usque separando, quàm solertissimè fieri potest, radice tamen non excisa, sed constricta firmissimè ad vitandum impendens sanguinis profluvium, præcipuè si ab ingenti aliquo vase longè non absit, quod ubi factum erit, accedendum ad ejus curationem quæ in libro de ulceribus tradetur. Quòd si Lupia basin angustiorem habeat, infima illius pars commodè liganda erit, non aperienda, nec secanda ullo modo: atque singulis diebus ligatura constringenda, donec illius alimentum omnino pereat, ea autem uno duntaxat modo utiliter fiet, sed circumvolutione duplici, ut firmior sit, & faciliùs si quid erit opus abstringatur. Sin basis lata adeo fuerit ut sola ligatura, ad detrahendum illi alimentum non sufficiat, duplex facienda erit, acum duplici filo instructam per mediam basim trajiciendo, pesque seu ima pars utrinque liganda, quumque ea deciderit, si quod ulcus restet, ad eum quem diximus modum curabitur.

Quoad universalia præsidia in ganglio adhibenda, id est ad victûs rationem, humorum præparationem, evacuationem, ventriculi, hepatis capitisque roborationem, eadem competunt quæ sup. capite de œdematis curatione fuere dicta. Quod ad topica, molliendi, eliquandi & discutiendi vim habentibus medicamentis uti debes, ut sunt infrascripta.

♃. Fol. sambuc. p. j. salis modicum, misce, & his ganglium fricetur tamdiu donec tabescat.

Vel ♃. Cerat. oxycroc. ℥ j. muccag. sem. alth. lini & fœnugr. ana ʒ v. euphorb. sagapen. ammoniac. in aceto dissolut. ana ʒ iij. resin. ʒ vj. ceræ albæ ʒ iij. fiat ceratum.

Vel ♃. Mucilag. alth. semin. lini, fœnugr. ana ʒ x. ol. chamæmel. lilior. ireos ana ℥ i ß. ol. sambuc. ℥ i. coquantur ad mucilag. consumptionem, postea adde ammoniac. bdell. opopanac. sagapen. in aceto dissolutor. ana ʒ vj. pingued. anatis & anseris ana ℥ ß. axungiæ suillæ veteris, & salis expertis ℥ iij. medull. cruris vitulin. & cervi ana ʒ v. spumæ maris ʒ ij. fiat unguentum, Is plerumque sanatur crebra partis frictione, & humoris hac illacque distractione, ut vi naturæ resolvatur. Gangliis quæ tendines, articulosque occupant ferrum admovere non convenit, sed tantum ammoniacum, & galbanum in aceto & aqua vitæ dissoluta admovere, ut.

♃. Gumm. ammoniac. & sagapen. ana ℥ j. coquantur sub cineribus calidis ad formam emplastri, sub finem adde sulphuris vivi subtiliter pulverisati ℥ ß. fiat emplastrum ad usum. Confert etiam in eundem finem emplastrum de Vigo cum Mercurio duplicato. His remediis remollito tumore, attendendus tantisper veniet, quoad sub digito cystis contusa findatur, quod ego non semel tantùm factitavi: mox laminam plumbeam argento vivo illitam fortiter ipsi apprimere, & advincire oportet, quæ quod superest tumoris consumat & tabefaciat. Vel apponatur verticulum plumbeum ut inquit Oribasius, simile illis quæ mulieres fusis appendunt, & vult hic Author, ut tumore ipso sit latius & arctè alligetur, quoniam pondere suo citiùs dissolvit. Aetius superponit ammoniacum juxta ignem, ad cerati sive emplastri compagem emollitum, & postea applicat & superponit laminam plumbeam tumore æqualem, & ne hinc ac inde labatur, arctis vinculis constringitur. Visuntur nonnunquam ganglia exigua ex radice valde tenui velut pendentia: illa ergo vincula ab ipsa radice erunt comprehendenda & in dies fortiùs strigenda, quo usque decidant. Curationis reliquum facilè erit ex artis communibus regulis perficere. Si quando verrucæ, polypi, condylomata, & aliæ excrescentiæ filo constringi possunt, privatæ alimento, sensim etiam contabescent ἀναβρόχισμον hoc genus remedii veteres appellârunt. *Joan. Vigierius Chirurgiæ lib. 1.*

In cura Ganglii nostro judicio eò incumbendum est, ut obstructiones tollantur, ac succi viscosi ante omnia attenuentur, hinc præter interna volatilia & incidentia solis externis peragitur remediis, ut sunt spiritus lumbricorum, matricalis, vini camphor. item fotus & cataplasmata ex blandè resolventibus parata. Hisce verò nihil juvantibus, eò deveniendum est, ut extirpatio hujus instituatur manu Chirurgi exercitati, quæ per Sectionem fit, hinc Ganglion circa articulos vel alibi emergens tollitur vel concussione aut digiti compressione firmiore, seu manu fricetur vel valdè comprimatur, usque dum incalescat, mollescat, & evanescat, & sic vi compressionis succi tumorem constituentes iterum quaquaversum protrudantur & quidem per tubulos; & ne recidivam patiantur ægri, ad succos porrò attenuandos obstructionesque reliquas tollendas, ipsi tumori superimponatur lamina plumbea aut alia simplex Mercurio incrustata, & super hanc emplastrum tenaciter hærens, cum splenia compactiore & deligatione arctiore, eousque quo cystis

cystis rupta & materia intus contenta discussa fuerit, quod sæpe intra mensem & citiùs contingit: vel loco laminæ imponatur Emplastrum de ranis cum duplo Mercurii cum stricta ligatura, quæ impedit ne succi viscosi in consueta cavitate iterum ut ante cumulentur. In quem finem & Emplastrum nostrum de Thea egregium erit, item de Labdano, Divinum *Barbettes*, Diaphoret. *Myns.* Alii aliquid de emplastris his dictis, aut gummi saltem ammoniac. dissolutum sub forma emplastri laminæ plumbeæ supponunt, & facta decente deligatione eundem exspectant effectum. Sequens linimentum Gangliis illitum à pluribus magni æstimatur.

℞. Ol. Limac. Lumbric. terrestr. ana ʒ ij. lil. alb. chamomill. ana ʒ i ß. verb. tabac. sambuc. ana ʒj. castor. ℈ß. Quo linimento mane & vesperi artus Gangliis infecti & deturpati calide illinantur, vel loco hujus fotus instituatur ex herb. absynth. Arthemis. origan. salv. grano juniper. in lixivio decoct. Item suffumigiis utendum est ex gummosis aliisque discutientibus volatilibus. Sed breviori manu negotium hoc succedere videtur, si nempe pugni ictu duplici fortiore, membro super tabulam commodè situato rumpatur capsula, quod vulgus imitari solet, tumorem versùs tabulæ apicem aliudve corpus solidius premendo, sicque pariter cystim ejus lacerando. Sed ubi Tumor altas jam egerit radices, & per annos duraverit aliquot, tunc ad præscriptum Celeberrimi Domini Muys ferula lignea haud differens ab illa, qua Præceptores in castigandis pueris utuntur, nisi quod plumbi portio in illius medio infusa jaceat, juvat, & talis ferulæ uno ictu, ægroti facie à manu affecta in dorsum aversa, tumor rumpi solet. Quo remedii genere prælaudatus vir Ganglium per quadriennium patientem vexans evanescere vidit, cujus medela brevi per emplastrum & strictam ligaturam absoluta fuit. Qui à duro hoc cuneo abhorrent; ii uti possunt sequenti vel simili linimento.

℞. Ol. de lateribus ℥j. ol. terebinth. ℥iij. ol. ceræ ʒ ij. ol. camphor. gutt. v. ol. vitell. ovor. num. j. m. f. Linimentum. Quidam ex Chirurgis sunt, qui aperiunt Ganglia, eaque per suppurantia sanare tentant. Alii Emplastrum Arsenicale extollunt, ac dein ictum pugni. Rarum est, quod Cl. *Myns.* refert in *Podalirio* suo ex *Blankardo*, materiam Ganglii ex cadavere exemptam instar crystalli apparuisse & satis duram, eamque literas subjectas exhibuisse, multò majores quam erant revera, sic ut illud Ganglion tum temporis pro microscopio inservierit, quod tamen phænomenon non tam ejus pelluciditati, quàm figuræ attribuendum existimo, quod facilè experiri est, dum pupilla ex vitulo alioque animali exemta imponatur chartæ, literas videbis multò majores quàm erant reverâ.

In Ganglio Ettmullerus folia sempervivi majoris, cui detracta sit inferior cuticula commendat, quæ imponantur quotidie, mane & vesperi removendo, meliore jure applicatur lamina Saturni spir. vini, camphor. irrorata & adspersa euphorbio, quod Ganglia successivè dissipare aiunt, ut penitus tandem evanescant.

Quod Therapeiam affectuum reliquorum Tunicatorum Atheromatis, Meliceridis & Steatomatis attinet, cura fere eadem est, eorum enim sublatio fit per interna volatilia & fluiditatem succorum conciliantia remedia, ut sunt potus Theæ vel Caffeæ more jam recepto calidè absorbendus, aliaque incidentia & Diaphoretica sæpiùs recensita. Cura verò insensibiliter peragitur per attenuantia & resolventia fortiora medicamenta, imprimis si tumores hi adhuc materiam fluidam contineant. Sensibiliter verò magis cura perficitur per Maturantia, Septica atque Sectionem. Inter Resolventia medicamenta primas tenent calx viva ejusque decoctum, spir. vini camphor. sp. matrical. cum aliis oleis aromaticis& gummosis mixta vel emplastra redacta, quæ sæpe post pugni ictum imponi possunt ad materiam meliùs resolvendam ex. gr.

℞. Gumm. galban. ammoniac. styrac. calam. ana ʒ iij. resin. pin. ℥ß. ol. guajac. ʒj. ol. ceræ ʒß. ol. philosoph. ʒiß. pul. rad. bryon. ʒ j. m. f. l. a. emplastrum. Emplastrum nostrum de Thea, item de Labdano, de cicuta, de Tabaco, item Divinum, de ranis cum Mercurio de Galbano Myns. & Magneticum imprimis si quid camphoræ addatur, egregia sunt in resolvendis quibuscumque Tumoribus, præsertim in his Tunicatis. Vel in forma linimenti sequens vel simile præscribatur.

℞. Ung. Dialth. Martiat. ol. laurin. an. ℥ß, ol. philosoph. ʒ ij. ol. ceræ ʒ j. Tinctur. galban. ℥ j. sp. sal. armoniac. volatil. ʒ iij. camphor. ʒ iij. m. & illinatur, dein superiùs præscriptum applicetur emplastrum. Balsamus Peruv. item vapor à pyrite ignita exceptus, & oleum rubetarum à *Barbette* laudantur. Quoad maturantia medicamenta asterisco notandum est, quòd hisce cautè incedendum sit, ne, quemadmodum à potentioribus exsiccantibus durities redditur scirrhosa, maturantium fortioribus malignitatem cancrosam inducamus. Melius ergo mitioribus resolventibus ut empl. ex gumm. ammoniac. ol. succin. & pulv. rad. pyrethri mixto tumores hi discutiuntur, mediante enim hoc remedio Tumorem tunicatum in maxilla ruptum fuisse testatur *Sennertus*. Caustica verò seu corrosiva medicamenta externa Tumores hos Tunicatos erodentia aliquando in usum vocantur, quæ cutem cum folliculo eorum abrodunt, sicque Tumores excavant, eapropter ea in Meliceride, Atheromate & Steatomate maximè conveniunt. Ex quorum erodentium seu causticorum classe uti cuti erodendæ applicandorum sunt lapis infernalis sive causticus officinarum, oleum vel butyrum antimonii, item vitriolum lunæ, vel quæ Escharâ, quam illa induxerunt, remotâ, ipsum folliculum penitus erodunt, inter quæ sunt viride æris, colchotar dulciss. Alum. ust. Mercurius sublimatus, & præcipitatus, ung. fuscum *Wursii*, quibus tamen medicamentis eo allaborandum est, ut cum materia contenta omnis folliculi substantia auferatur, & ossa quoque, si his adhærescant tales humores, studiosè abradantur, aliàs Tumores hi in ulcera abeunt fistulosa, facilèque repullulant. Chirurgica ac manualis curatio horum Tumorum Tunicatorum consistit in pugni ictu, prout superiùs in curatione Ganglii diximus, postea curari potest ut aliud ulcus. Caustico priùs adoriendi, & cultro re-

liquiæ exscindi possunt. Operatio ergo sequenti modo peragenda est: Incidatur cutis superposita ad formam crucis, & manu labris à Tumore separatis cystis eximi debet cum tota intus contenta materia, quæ interdum pinguedinis, mellis, pultis, interdum lapidis, vel calcis, vel etiam ceræ, vel glandulæ coctæ similitudinem habet, &, si aliquid membranæ remanserit, ad istam destruendam penicillum sp. sal. comm. imbui, & sic applicari potest.

Vel, ♃. Empl. diasulphur. ℥ iij. ol. succin. ol. tartar. ana ʒ ij. & applica Tumoribus Tunicatis, Lupiæ, aliisque.

Curatio Emphysematis consistit potissimùm in removendis tubulorum obstructionibus, per interna Diaphoretica volatilia ac carminativa specifica, ut sunt sp. nitri dulcis, essent. carminativ. camomill. Rom. cort. aurant. menth. zedoar. arcan. dupl. sem. carminativa quæcumque, & ex eis parata spiritus & olea. Omnia enim aromatica hic egregia sunt, ut Tinctura cinnamomi, macis & sexcenta alia cum aq. fœnicul. carmin. aliisque propinanda. In Juniorum gratiam esto sequens formula.

♃. Aq. fœnicul. ℥ij. carminat. ℥ j. flor. chamomill. ℥ i ß. essent. cort. aurant. ʒ iij. sp. nitri dulc. ℈ ß. Syr. flor. chamom. ʒ vj. m. detur cochleatim. Vel detur per vices arcanum duplicatum à ℈ ß. ad ℈ j. excellens in flatibus remedium, interponantur spiritus anisi, angel. matricar. catarrhal. elix. vit. essent. bacc. lauri, Juniperi, spir. sal. armoniac. anisat. Ut & omnia reliqua salia volatilia oleosa conducunt. Solis enim sudoriferis internis curatur *Emphysema*. Externè in *Emphysemate* conducunt sacculi ex flor. chamomill. sambuc. sem. anis. &c. in vino cocti & tepidè parti flatulentæ impositi, vel parentur ex herbis rutæ, scordii, malv. flor. chamomill. sem. cumin. carui, bacc. laur. juniper. sal. armoniac. tartar. &c. Ex quibus pro re nata parentur fotus vel epithemata vino Gallico vel lixivio incoquenda & calidè applicanda. Vel sequens.

♃. Aq. flor. sambuc. aq. calc. ana ℥ ij. spir. vini camphor. sp. matricar. angel. ana ℥ j. m. cum quadruplicatis linteis applicandum epithema. Ceratum de Cumino, Empl. de bacc. laur. de Thea, de Labdano, carminat. Sylv. &c. optimo sæpe cum successu applicantur. Tumores hi flatuosi haud incidi aut ferro aperiri debent, Gangræna enim ac Sphacelus facilè subsequi solent sed potiùs medicamentis idoneis cataplasmatibus, aliisque oleis chamomill. Philosophor. succin. carui, cumini, anis. &c. resolvendi ac discutiendi sunt. Conducunt etiam suffumigia ex carminativis ac gummosis resinosisque parata. *Joan. Dolæus in Encyclop. Chirurg. rational.*

Atheroma, Steatoma, & Meliceris, quandoquidem Tumores sunt folliculis inclusi, vix nisi per manualem operationem curantur; sique inter operandum contingat, quod membranula rumpatur, aut tota non auferatur, Fistula ferè, aut ulcus fœdum remanet, quorum difficilis & tarda plerumque curatio. Curationis consilium tribus hisce abscessuum generibus, Atheromati viz. Steatomati, & Meliceridi commune est, ut quod tunica illa continet discutiatur, aut medicamentis totum cum sua tunica exedatur, vel suppuretur, aut Sectione auferatur. Triplici hac ratione Curatur Meliceris, utpote humorem continens liquidiorem. Sed Atheroma, humorem continens glutinosiorem, vel sectione tollitur, aut medicamentis exeditur seu suppuratur, atqui nunquam discutitur. Steatoma verò nec discuti, nec exedi aut suppurari potest; at solâ manus operâ, hoc est, Sectione duntaxat curatur, quoniam sevo haud absimilis materies nec resolvi, nec suppurari aut exedi, potest, semperque duriore includitur tunica. Notandum quoque hujusmodi folliculis inclusos Tumores, si recentes sint ac molles, & Resolvi, & Suppurari posse, duros verò & inveteratos solâ Chirurgiâ Curari. Hinc diligenter in eo laborandum, ut singulæ differentiæ discernantur. Steatoma quippe durius est, resistitque tangenti, & basin habet solidiorem. Meliceris è contrario facilè subsidet, cedit in se compressa, lenteque dissilit, citò tamen revertitur. Atheroma est veluti medium inter utrumque extremum. Igitur hujusmodi tumor si mollis sit, Resolventibus erit tentanda Curatio, imposito scilicet emplastro Stiptico Paracelsi, vel è Ranis cum Mercurio; vel manè diu fricetur Tumor digitis salivâ hominis jejuni identidem madefactis, cui ratione salis volatilis & spirituum in ea abundantium vis attenuandi resolvendique copiosa inest; vel post Tumoris diuturnam frictionem illinatur *Balsamum Peruvianum*, quo solo scribit Barbette se aliquando molliores hujusmodi tumores curasse.

Scultetus *post Armament. Cheir. Observ.* 66. eum in finem valde laudat Ceratum Diasinapios, quo duas Melicerides resolvisse scribit, alteram in Humero, alteram in Genu, ovum anserinum sua magnitudine æquantem, quam tamen hoc solo Cerato mensis spatio integre discussisse refert. Ceratum Diasinapios Aquapendens describit *Cap. de Meliceride*, & à Spigelio correctum ita proponit Scultetus *Armam. Chirurg. Tab.* 43.

♃. Salis gemmæ, cerussæ, lythargiri an. ℥ iiij. Ceræ, terebinthinæ an. ʒ ij. Galbani, opopanacis, an. ℥ ß. pulver. semin. sinapi ℥ ij. olei veter. ℥ ix. aceti acerrimi q. s. M. F. S. A. Ceratum. Barbette hoc habet emplastrum.

♃. Gummi Sagapen. Ammoniac. an. ℥ ß. pulv. euphorb. rad. pyrethri an. ʒ ß. sulphuris ℥ iij. ol. succin. ʒ j. M. F. S. A. emplastrum. Alii laudant id quod sequitur.

♃. Passularum majorum enucleatarum ℔ ß. Contundantur minutim in mortario, & addendo pulv. sem. cumini ℥ iij. salis nitri ℥ i ß. simul subigantur, & adhibeantur.

Alterum Curationis consilium est, ut Folliculi hi *Caustico exedantur*: viz. Cauterium in medio imponatur Potentiale; aut si magnus sit Tumor multa simul admoveantur Cauteria, cumque Crusta deciderit immittantur Penicilli *Unguento Ægyptiaco & Apostolorum* illiti, aut *Melle* cum *Mercurio Præcipitato*. Joan. de Vigo Mensis intra spatium omnes excrescentias indolenter erodit: Accipit Linteorum usu detritorum & decerptorum ℥ ij. medullæ panis albi ℥ iij. Sublimati tenuissimè pulverisati ℥ j. Aquæ Rosarum & Plantaginis an. ℔ j. omnia simul coquit in vase æneo ad consumptionem duarum aut

aut trium partium; dein expressa linamenta exsiccat in fumo mediocriter calido, quæ iterum discerpta servat in vase bene operto ad usum, qualem ipse ita describit. Primum defensivo vicinæ partes muniantur; deinde ulcus quod fecit Pyroticum prædictis linamentis impleatur, supponatur unguentum de Tutia, vel de Cerussa; atque ita persistendum, donec viva appareat caro, tum ulcus melle Rosaceo & Terebinthina mundandum, &c. Nonnulli Arsenico utuntur & Auripigmento, sed non nisi summo cum periculo ea usurpantur, quia acria nimis sunt, partesque subjectas penitus erodunt. Non desunt quoque qui parva hujusmodi Tubercula transversim incidunt, moxque implent Alumine, aut Vitriolo usto, quæ folliculum erodunt simul, & hæmorrhagiam sistunt, vel oleum aut Spiritum Vitrioli cum Plumaceolis applicant: Magna verò cruciatim trajiciunt duplici Setone, altero secundum longitudinem, altero per transversum. Sin ad suppurationem tendant hi Tumores, quod tamen rarò contingit, naturam Chirurgus adjuvet Maturantibus fortioribus.

At verò omnium tutissima Curationis Methodus est, Tumores hosce per Sectionem & Separationem auferre. Fit autem hoc modo: Primò tum ad lumen illustre, tum ad Chirurgum quam commodissimè vel in Sella, vel in lecto collocandus est Patiens; dein atramento signetur sectionis longitudo, quæ sit tanta, quanta est tumoris rotunditas, tum elevanda cutis, quæ incidenda vel simpliciter vel cruciatim, eaque postea circumquaque lato specillo, aut scalpelli manubriolo, aut indice digito separanda, donec integer Folliculus appareat, qui tum circa pedunculum resecandus est, simul cum vase tumori nutrimentum adferente, ne vel minima relinquatur folliculi portio, tumorque regeneretur. Quo in casu notat Joan. van. Horne *in Microtechne*, priùs arctè vasculum tumorem nutriens esse ligandum, antequam resecetur. Hoc peracto, & folliculum postquam extraxit Cheirurgus, vulneris labia sunt conjungenda Linteolis emplasticis in crucem appositis, &c. Quod si Folliculus jam ruptus sit, aut per se, aut per Cheirurgi negligentiam, tum necesse est, ut vel tumor revertatur, vel ulcus remaneat fœdum, & fermè incurabile, nisi Cathæreticis absumatur folliculus. Plura de modo excidendi hujusmodi Tumores videri possunt apud Fabricium ab Aquapendente Operat. Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 16. & Scultetum Armament. Cheirurg. Tabul. 35. Sed hujusmodi Tumor si ingentis sit magnitudinis, magnisque vasis, arteriis puta, venis, nervis, adhæreat, sinendus is est, aut saltem magna in excidendo requiritur industria. Ita refert Scultetus observ. 88. se in externa femoris parte Atheroma ovum gallinaceum magnitudine superans excisione curasse. Et scribit Petrus de Marchettis observ. Medico-Cheirurg. 21. se Meliceridem majoris oculi anguli, ad pupillam usque protensam, illæso oculo, cum folliculo extirpasse. Atque observ. 24. & 25. duas non minùs raras addit historias: alteram Atheromatis inferioris palpebræ, interna parte, prope angulum majorem oculi, ab ortu geniti, avellanæ mole, in puella quinque mensium, sectione extirpati & sanati, alteram Meliceridis colli prope asperam arteriam, & venas jugulares externas, in cujus dissecto folliculo alius ejusdem generis tumor, sed minor delituit suâ & ipse membranulâ conclusus. Haud minùs rarum fuit Steatoma in dorso circa finem vertebrarum colli, quod pondus librarum septem excedens, à Joanne Griffonio Medico-Chirurgo feliciter extirpatum fuit: uti videre est apud Fabritium Hildanum *Cent.* 6. *Obs.* 16.

Cæterum Tunicatis hisce tumoribus propè accedere videntur Propenduli, qui non exciduntur, sed funditus amputantur; in Pusillanimis filo ad stuporem partis constricto & relicto, donec tumor decidat; in Animosis scalpello. Quod si post Tumoris Propenduli abscissionem, sanguis copiosè profluat, aut filum aliquid de radice relinquat, ne recidiva fiat, locus candente ferro leviter tangatur, & escarâ ablatâ, cicatrice obducatur: vel id quod ex radice relictum est absumatur admotis Cathæreticis, uti Alumine usto cum Mercurio præcipitato insperso, vel Unguento Basilicon admixto, sicque imposito, &c.

Magnus Flatuosus Tumor periculosus est, ob sui magnitudinem, & partem affectam debili calore præditam. At parui si sint hujusmodi Tumores, omnis periculi expertes meritò censentur. Porrò Hyeme frequentiùs, quàm Æstate evenire solent. In Curatione generalibus circa Diætam, & intus sumenda medicamina roborantia ac evacuantia, præmissis, haud secus ac in Oedemate, partis læsæ meatus aperiendi, in eaque contenta Flatulenta materies attenuanda, discutienda, resolvenda. Quem in finem conducunt Calida, Siccantia, & Attenuantia, *Carminativa* dicta, ut apertis membri læsi poris humores flatusque dissipari queant, verbi gratia.

♃. Herb. malv. menthæ, pulegii, rutæ, an. m. j. Flor. camomillæ m. ß. Summit. aneth. flor. rosar. rubr. an. m. j. Sem. cumini ℥ j. Bacc. lauri ʒ vj. Coq. in S. Q. Cerevisiæ tenuis, vel Æq. Part. Aq. puræ & vini Albi ad ℔ iij. Colatura sit pro Fomento. Egregios aliquando vidimus successus in hujusmodi Tumore resolvendo solo Oleo *Cucumeris Asinini* illito. Potest tamen ejus loco fieri Linimentum, v. g.

♃. Olei cucumeris Asinini ʒ vj. Anethi, Rutæ an. ℥ ß. Nucis moschatæ express. ʒ i ß. Cumin. stillat. gutt. vj. misceantur. Barbette Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 7. laudat hoc cataplasma.

♃. Fol. Rutæ, Calamenthæ an. m. ß. Farinæ Fabar. ℥ ij. sem. Anis. Cumin. an. ℥ ß. Baccar. laur. Salis comm. an. ʒ iij. Nitri, Sulphuris an. ʒ j. Stercoris caprilli ʒ vj. Olei Anethini, Nardini an. ℥ j. Vini alb. Gallici q. s. Coq. simul. S. A. & contund. in formam cataplasmatis. Conducit quoque emplastrum de meliloto, de Ranis cum, aut sine mercurio.

Vel ♃. Emplastr. de melilot. de Ranis sine Mercurio an. ℥ j. Gumm. Galban. in aceto solut. ʒ ij ß. Pulv. castor. ℈ ij. olei Cumini stillat. gutt. vj. Ceræ & Terebinthinæ q. s. M. F. S. A. Emplastrum, extendendum in Corio. Sed notandum ejusmodi medicamenta actu calida parti ægræ semper imponenda esse, caloremque conservandum appositis linteis, lateribus, lagenis, similibusque rebus calentibus. Veruntamen Genu

cum Flatuoso Tumore vehementer inflatum sit, nonnulli sequens commendant.

♃. Fæcis Ceræ novæ ex prælo ℔ i ß. Micæ Panis Furfuracei ℔ ß. Florum Rosarum Rubr. ℥ j. Bulliant in vino albo, dein contundantur, & addendo Piperis, Caryophyllorum, Nucis moschatæ, zinziberis an. ʒ ij ß. Sem. Cumini, Anisi, Fœniculi, Ammios an. ℥ ß. olei chamæmelini, Anethini, Rutacei an. ℥ ij. M. F. S. A. Cataplasma. Platerus *Obs.* lib. 3. Tumorem in Genu immensum, mollem, laxum, & diuturnum discussum, ac penitus curatum scribit imposito Cataplasmate ex Radicibus Bryoniæ, Iridis, & Liliorum recentibus, simul contusis, atque in vino, additâ etiam Aqua vitæ decoctis. Vel fiat Cataplasma ex rasura Radicis Raphani Rustici cum Aceto Rosaceo, quod calide apponatur. Magno quoque cum levamine inflato & tumido admodum Genu aliquando applicari jussi Vesicatorium magnum, ex Cantharidibus & Fermento acri, addito Aceto, confectum.

Ganglion Cheirurgia, hoc est, excisione rarò curatur, præsertim si in quodam manus pedisve articulo situm sit: est n mque, monente Paulo Æginetа lib. 6. cap. 39. periculum si quid illic excidatur, mutilum reddi illud membrum. Sed Ganglion ut tollatur, imponenda sunt molliendi, attenuandi, & discutiendi vim habentia medicamenta, v. gr.

♃. Emplastri de meliloto, oxycrocei, de mucilaginibus an. Part. Æqual. olei Petræ tantillum M. F. S. A. emplastrum, extendendum in Corio.

♃. Gummi Galbani, Ammoniaci, Sagapeni in acet. solut. an. ʒ i ß. emplastr. è Ranis cum duplicato mercurio ℥ ß. M. F. S. A. emplastrum.

♃. Gummi Ammoniaci, Sagapeni in acet. solut. an. ℥ ß. Liquefiant, hinc addendo Sulphuris Pulverisati ʒ ij. M. F. S. A. emplastrum. Eundem in finem conducit Gummi Ammoniacum, vel Galbanum in Spiritu vini dissolutum, atque emplastri modo impositum. Vel imponatur emplastrum de Ranis cum Mercurio, & stricta satis ligatura, quæ impediat, ne viscosi denuo humores affluere, cum aliis concrescere, sicque Ganglion augere queant. Felix Platerus laudat hoc cataplasma, quo Ganglion pugni magnitudine in utroque Genu curavit, ut refert *lib. 3. Observationum.*

♃. Rad. Bryoniæ, Iridis Nostrat. rec. an. ℔ ß. Liliorum alborum rec. ℥ ij. Coctis in Aceto fortissimo ad mollitiem, & in mortario minutim contusis, adde olei lilior. alborum ℥ ij. Gummi Ammoniaci in Spiritu vini soluti ℥ iij. Pulv. Rad. Iridis Florent. ʒ ij. M. & S. A. redigantur in formam emplastri seu Cataplasmatis. Cum igitur Remediis hisce emollitus sit Tumor, atterendus tantisper, quoad sub digito cystis frangatur; mox lamina plumbea Argento vivo illita fortiter ipsi apprimatur, & advinciatur, quæ quod superest Tumoris tabefacere & consumere queat. Etiam crebra tantummodo tumoris Frictione, humorisque huc illuc distractione non rarò sanatur Ganglion. Et scribit Antonius Chalmeteus *in Encheiridio Chirurgico*, se Ganglia in carpo existentia frequenti cum saliva frictione sæpius curasse, absque aliorum medicamentorum usu.

Reinerus Solenander Consil. Medicin. 24. sequens commend. t emplastrum.

♃. Emplastri oxycrocei ℥ j. Gumm. Ammoniac. Bdellii dissol. an. ʒ ij. Pulv. Rad. Irid. Florent. ℈ j. Lumbricos terrestres vino lotos & dissolutos num. iij. Commixtis omnibus cum pauco oleo Terebinthinæ & Cera nova F. S. A. Ceratum, quod extendatur in Corio, applicetur Tumori, & Fasciâ arctè constringatur. Tumore autem Cerati ope quodammodo emollito, addit; singulis quatuor quinque, sexve diebus solutâ fasciâ, & ablato Cerato, Tumorem debere suffumigari suffitu aceti acerrimi, cui Satureia, Origanum, vel similia incocta sunt, affusi Pyritidi, vel Lapidum Molarium frustis candentibus; dein absterso sudore, compresso attritoque satis Tumori rursus Ceratum imponi. Tandem hisce aliquoties factis præcipit, ut tenuis Plumbi lamina arctè Ganglio illigetur, qua ulteriùs consumatur. Sin verò his modis Ganglion non cesserit, nonnulli volunt ferro resecandum & extirpandum esse; Quorum sententiæ tamen minimè subscribimus, si in manus pedisve articulo existat, ob tendines aliasque partes nervosas ibidem facilè læsuras. Sed potiùs Sectione Tumor aperiatur, atque viscoso educto humore, impositoque Balsamo Peruviano, aut Balsamo Sulphuris Terebinthinato, ulcus porrò curetur. Jobus Mekeranus Observ. Chirurg. cap. 60. prolixè docet, quomodo Ganglion in Carpo existens Contusione curari queat. Viz. manus plana mensæ imponatur, hinc Cheirurgus manu in pugnum contractâ bis terve Tumorem vehementer contundat, donec cystis findatur, humorque contentus effundatur, qui dein continuo articuli motu, accedente insuper crebra partis affectæ frictione, facilè resolvitur: præsertim si hoc vel simile linimentum frequenter inungatur.

♃. Olei Ceræ, Terebinthinæ an. ʒ ij. ol. philosophorum ʒ vj. vitellum unius ovi M. F. S. A. linimentum.

Ad Curationem Lupiæ quod attinet. Materia hæc nec Resolutioni, nec veræ suppurationi facilè cedit; sed ut humor evacuetur, tumor hic aperiendus est. Quod ut tutò ac feliciter fiat, humoris magnitudo, situs, latitudo seu densitas, denique & basis seu fundamentum consideretur. Si igitur magnus sit Tumor, vasis majoribus, partibusve nervosis ac tendinosis proximus, sinendus is est ob periculum, quod ex Apertione facile consequitur. At si parvus sit, in quacunque parte fuerit, sæpe Resolvitur comprimendo, digitis Saliva madefactis identidem fricando, frangendo tamen cystim seu folliculum, quo includitur, ut hinc illinc effusus humor dispergatur, & dein naturæ ipsius beneficio discutiatur, resolvaturque. Quod si Lupia in eo loco sit, in quo validam compressionem facere non liceat, ut in Facie, Thorace, Ventre, Gutture, similibusve locis, emplastrum aliquod in Ganglii Curatione præscriptum apponatur, quod Resolvendi vim habeat. Scribit Riverius *in Observ. communicatis à Dionysio Pomaret*, Lupias Resolutione curatas fuisse Foliis Acetosæ charta madida involutis, & sub cineribus coctis, quæ postmodum cum cineribus per cribrum trajectis incorporabantur

tur in formam cataplasmatis, calidè applicandi. Sin Lupia mediocris sit, neque in Articulo existat, tollatur excisione, ut Atheroma, Steatoma, vel Meliceris. Quod si basin habeat angustiorem, infima illius pars ligetur, non aperiatur, neque secetur; atque singulis diebus ligatura constringatur, donec alimentum ei omnino detrahatur, sicque Lupia sponte decidat. *J. Munnicks in Prax. Cheirurgic.*

Consultatio.

Pro Meliceride.

Triennium agitur, cum Illustriss. Palatino Polono tumor quidam subortus fuit in anteriori parte sinistri femoris, doloris expers, concolor, prementi digito cedens, nullo tamen relicto vestigio; qui in amplam adeo molem sensim excrevit, ut in præsentia ab inguine usque ad genu, illi firmius adhærens, protuberet, instar amplæ cucurbitæ, anteriori, & exteriori femoris parti appositæ; non sine manifesta motus cruris noxa; cujus causâ variis ubique locorum consultis Medicis meam nunc quoque exposcit sententiam, cùm de præsentis affectus essentia, & natura, tum de medicis præsidiis huic extirpando in usum revocandis. Quod Illustrissimi, & generosissimi Herois mandatis morem gerens, pro virili aggredior; quò eventus ipsius, & curationis ratio constet. Est autem hic tumor morbus in aucta magnitudine, lædens flexionem cruris, à pituita ortum ducens; hoc indicio, quod nullo dolore sit molestus, atque cuti sit concolor: quæ tamen pituita naturalis non est, cùm non sit œdematosus, presso digito cedens, sed præter naturam, non ex permistione humorum heterogeneorum, sed ex conversione potiùs propriæ substantiæ in alienam; non quidem flatulentam, in quam non rarò facessere solet, ex Galeno; neque enim tamdiu durasset affectus cum tanto ponderis sensu; minùs longè in serosam, & aquosam, particularis hydropis causam; tunc enim pelluceret cutis, tumor esset adeo expansus, sine fluctuatione; quinimo in corporis erectione pars tumida præ aquæ pondere ad interiora procumberet. Fuerit itaque pituita tenuior, & fluida in lentam, viscidam, tenacem, flatulentæ, & serosæ immixtam, conversa; cujus ratione tumor hic accensendus est tumoribus illis, quos Antiquiores Abscessus; Recentiorum verò barbarorum aliqui Arabum interpretes, exituras vocant, genitas ex humoribus, & aliis excrementis heterogeneis folliculo conclusis: quorum triplex est genus, Meliceris, Steatoma, & Atheroma; quibus Recentiores addunt Testudinem, Lupiam, & Nattam, seu Naptam, & Strumam. Qui quidem tumor struma non est, glandularum propria; Non Testudo, seu Talpa, capiti familiaris; non Napta; cùm hæc sit tumor carnis instar, durus, prementi digito non cedens; cujus generis præsens non est, quippe qui cedit, & est mollis; atque ideo neque Steatoma, neque Atheroma, sed meliceris censendus, illi non absimilis, quem Ambrosius Paræus Lupiam vocavit. 6. de Tumoribus præter naturam qui aliquando partibus adhæret firmius, inquit ille: aliquando verò mobilis est; semper tamen venas habet exiles quidem in principio; processu verò temporis ampliores, qualem hunc observamus: qui proinde abscessus est ex tenui pituita ortus, serosæ & flatulentæ immixta: à cerebro, ventriculo, & venoso genere sensim eò transmissa, ac cysti seu folliculo conclusa, parti affectæ adhærens. Ex his patet, quis hunc affectum maneat eventus, cum consensu præstantissimorum virorum, quibus & ego accedo, sit insanabilis: quippe qui discuti non possit, cùm ob ejus amplam molem, tum ob fluxionis periculum, quod à localium calidiorum usu impendet, quorum ope resolvendus est, neque evacuari patefacto abscessu, & suppurata materia; metu scilicet ulceris, quod immedicabile evaderet ex fluxione continua, & fortè cancrosum. Neque radicitùs extirpari poterit, absque enormi sanguinis profluvio, ob venarum copiam & amplitudinem, non sine vitæ præsenti discrimine in ipsa operatione. *Benedict. Silvatic. Consil. & Respons. medic. Cent.* 4.

Observationes.

Atheroma.

In genu sinistro 12. jam annos gestaverat tuber folliculi lusorii minoris magnitudinem æquans Fr. Stephanus à Calatio Capucinus, vir quantæ in Deum pietatis, vel hoc argumento cognoscendus, quod cùm lethiferam hanc in articulo dissectionem celebratissimi Medici uno omnes ore pronunciassent: nihilominus hic tamdiu privatus ea, quæ solo defixis utrisque genubus fieri consuevit à Sodalibus Sancti Numinis adoratione frequenti: facultatem hanc etiam cum tormento at discrimine vitæ maluit consequi, quàm officio suo cedere, ac sanctarum exercitationum carere fructibus. Hujus igitur viri, tam pro desiderio gratificatus; cunctis ex ordine provisis, præcautisque his, quæ curationis cursum interturbare potuissent: rem instituto cominus, acuto scalpro cutem amplè, qua maximè extabat, inseco, dividoque quoad pateret membrana. Quæ subsecta circum, tandem in manus venit, & media discissa saniem reddidit subnigram fœcis vini substantiæ, cartilagineis ferme crustis internè obsita. Qua cavitatis quidem, & externa aliqua parte carunculæ putres, & boleti formam referentes extumescebant. In universum erat membrana uteri chorii modo densa, dura, crassa, quæ postquàm est detersa ministri manu, vellere infarcta, & ad caminum deposita, vendicata jam à putredine talis apud me ad hanc diem asservatur. Chirurgiam ferme nihil insecutum est mali, nisi si paucum effusum sanguinem admemoraveris. Atque hæc de primo illo excisionis actu; cæterùm quod ad reliquam curationem pertinet; in ulcere medicamentis primùm digerentibus, mox expurgantibus ritè percurato; paulatim accreta caro vacuum orbem implevit, sanatusque est homo 40. dierum spatio sine ulla incessus offensa Deo bene favente: cui quidem auctori medicationis omnis felicitas accepta esto.

Neapoli urbe cunctis artibus bonisque florentissima ex honesta Coppularum familia juvenis fuit, ac modo est, cui Tiberio nomen, ortum huic 16. jam annis super lævam mammam tuberculum principio pusillum pisi instar, quod singulos in annos aggeratum tandem excreverat in ovi gallinacei magnitudinem, concolor, mobile, æquale, duriusculum, dolorem non inferens, nisi cum vehementer premeretur, toto decennio sollicitè chirurgicos, qui sunt in urbe omnes consuluit, requisivitque de tollendo vitio. Respondere alii, nihil ut adhibens rem naturæ committeret: quippe vitium irritare periculosum. Alii vel ut balsamelæo, vel appressa plumbea laminula excuteretur. Nullus è plerisque in multis chirurgiæ meminit, quam nemo non ex auctoribus hujus disciplinæ proponit. Demum me, ac sex è principibus medicis congregat domi, singuli, ut diceremus sententiam: Scirrhum dixere quidam: quidam occultum cancrum, qui tentandus non esset. ad Hippocratis sententiam 38. aphor. lib. 6. Tertii quidam Emphysema absurda quadam opinione: scirrhum œdematosum pronunciavere plurimi. Ego atque alter quidam, qui sententiam meam à consulente resciverat, steatoma pronunciavimus. Consensere in id omnes, ut medicamentis tractaretur, chirurgia valere jussa. Ego contra chirurgia certum, atque unicum in hac re præsidium, ut professus fueram semper: ita & in dictione mea peroravi. Refutavere omnes curandi genus, adhæsitque homo alteri sententiæ, ut quæ leniora proponeret, veruntamen fatigatus diu remediis, victu tenui, sudoribus, decoct. sarsæparill. fonticulis; neque aliquid assequutus ex his, nisi longa laborum tædia, venit ad me festinè, succurrerem: vitam odisse se præ noxa ista corporis. Tantum ne quid ferro agerem, certum se pati quidquid oporteret. Breviter: pyrotico cutem aperui, patuit cystis putaminis ovi modo candicans, qua dissecta promptum fuit merè putridam fœtidam, atque artocreæ coctæ modo laminosam, sed crusta referentem substantiam late complentem infarctu suo amplexum omnem folliculi. Labor fuit in eximendis membraneis fibris, quæ radicum instar hærebant: quibus tamen extirpatis, dies circiter quadraginta finita curatio est. Hærere autem abscessus hujusmodi anomalos plerunque nerveis & cartilagineis fibris observationes testantur, qualem contigit observasse aliquando in pedis digito medio, quales etiam fuere observatæ fibræ in abscessu Marini Caputi Vicarii, Archidiaconi vici Equensis viri spectatissimi: Similiter cartilaginearum fibrarum in abscessu respectarum exemplum habes In R. P. D. Andrea Cancelliero Cartusiano Monacho probatissimo, cujus rei historiam ab amico fidelissimè conscriptam, huic nostro de abscessibus anomalis tractatui inserere placuit; est autem ex autographo talis.

Quam lepidè abs te compellari videor, Clarissime Simon, quam urbane, parum abest, quin dixerim ridiculè: sic revocasti ejectas jam pridem è domo tua philosophica argutas Curialium nugas; quarum quanto major, & religiosior in hoc fucato seculo cultus, eo perniciosior est usus, magno cum ingenuitatis opprobrio. Quid agis cum rythmicis istis alloquiis? amicum, qualem me nosti, stoicum & rigidum (ut tua tibi regeram verba) rogas, precaris, blandimentis excitas? Me fatuum hominem fingis, te Logodædalum, quo utroque vitio, sicuti revera vacamus ambo, ita cynicè, ac liberè effando, uterque nostrum, tali etiam suspicione liber est. Amicitia quidem sicuti animorum nexum facit, ita & bonorum omnium communionem. An fortasse nostræ Eutopiæ mores oblitus es; an amicitiæ transfuga videri vis? Absit. Quid igitur precario postulare, quod jure tuo tuum est? tua sunt mea studia, tui laborum meorum, si qui sunt, fructus, siquidem quod vivo, & spiro tuum est. Hac igitur eadem epistola nobilem illam, quam tam anxiè efflagitasti, curationis ostracoli tumoris, à nostræ ætatis Chirone, Doctissimo inquam M. Aurelio Severino magno naturæ mystæ confectæ descriptam habebis, utinam tam eruditè, quàm verè; potero siquidem oculatus testis de re integra fidem facere, qui tunc temporis Chartusianorum hospes vixerim, quorum ut singularis est in bonarum artium, & musarum asseclas studium & propensio, ita liberalitas, ac munificentia compotem reddidit, ut cuncta exactissimè adnotarem. Feracia sunt (ut hinc exordiar) Chartusianorum corpora, malorum complurium è tartaro ortum ducentium (tolera interim verbum hoc Paracelsæum) sed tumorum in articulis excrescentium ferocissima: an ob strictam vivendi regulam, quâ carnibus cane pejus, & angue abstinent? An ob nocturnarum vigiliarum frequentiam, in quibus Deo psallunt diutissimè recti, vel incurvi, sedentes nunquam; laboraverat pertinacissimâ meliceride in dextro genu R. P. D. Dionysius Coccia Cœnobita severiori vitæ addictus in claustro, cui post aliorum Medicorum ludibria, auxiliares manus Severinus ipse dederat eventu felicissimo; cùm V. P. D. Andreas Cancellarius alere se etiam in dextero genu tumorem non spernendæ magnitudinis, cujus natalia ab anno 1632. numerabat; veluti per jocum affirmavit: sphæricus is erat, cujus ambitus sesquipalmaris fili mensura comprehendebatur, omnino indolens, solo pondere religioso viro molestus, ut proinde mollium, & inermium Chirurgorum, quibus nunc Neapolis abundat, timiditate eviratus, nihil de illo extirpando cogitaret, quidquid Clarissimus Severinus pronunciaret de corruptionis periculo. Indulsit igitur proprio genio natura, sensimque & furtim molem illam adauxit adeo, ut operis veluti sumptuosi postmodum pertæsa, ceperit orbis, quem tam sedulò construxerat, ruinam moliri. Accersita igitur fermentatione magno illo separationis instrumento calorem & ruborem, & dolorem etiam aliquem in sui auxilium convocavit, pulsum verò nullum, ob arteriarum defectum, quibus meritò carent hujusmodi tumores Doctissimi Dureti sententiâ, ubi hæc urgere cœperunt, cœpit etiam Chartusianus suæ salutis integritatem desiderare, ac Medicorum conventus adire, ut præsentaneo, sed leni aliquo remedio sævienti morbo obviam iret. Deflexit ergo ad comptos illos & mulieres Chirurgos, à quibus, ut pingues aliquas inunctiones impetravit, ita pinguem inquilinum hostem reddidit

dit adeo ut circa Februarii finem, anni 1640. pustulis aliquibus in tumore apparentibus ob vim adauctæ intus corruptionis inceperit in eo floridus color occidere, ac tenebræ ex inferiori Limbo obrepere sursum, & corpus molis totum febris incrementum sumpsit, stipata suis asseclis lumborum gravedine, stomachi debilitate, virium lapsu: interim excavato foramine ab arsenicali intus congesto excremento in superiori parte materia ab illo emanavit, coloris quidem fæci vini similis, sed odoris adeo horribilis, &, ut ita dicam, pestiferi, ut etiam adstantibus & ipsis Medicis statim atque in cubiculum ingrediebantur, alioquin peregrinis suffumigiis odoratum, nauseam, & capitis dolorem excitaret. Cutis in nigrum abibat ex aliqua parte insensilis. Tunc seriò res suas agi animadvertit religiosissimus Pater, ac se ab unguentariis Medicis delusum, sicuti ingenuè ab Excellentissimo Severino præmonitum agnovit. Interim R. Prior Joan. Baptista Assantius incomparabilis in suos pietatis, & zeli acciri Medicorum consilium voluit, in quo sex capita disceptavere, ut Neopoli mos est ad pompam; tritum enim tempus est trium horarum in exquirendis & conciliandis Galeni locis: quandoquidem in varias sententias itum est; putantibus aliis steatoma, aliis meliceridem esse, cum tamen Excell. Severinus demonstrasset innominatum esse abscessum, de quo aliqua obiter Galen. 14. meth. post carbunculi curam: quod postea confirmavit eventus. Conclusum tandem à Senioribus, de ægro jam conclamatum esse, futurumque ut degenerante gangræna in sphacelum cita mors adstaret foribus, vel minimo minus etiam ob alias causas ægrum lenta tabe liquatum iri. Præscripta sunt putida illa Arabum cordialia ad spirituum vim confirmandam, quæ si postero die aliquo pacto restituta visa fuisset, poterat de foramine aperiendo è diametro prioris respondente cogitari. His medicorum conventus solutus est sub vesperam diei quinti Martii, in cujus nocte subsequente efficacissimè operante cataplasmate ad intercipiendum gangrænæ motum à Severino præscripto; præter aliquorum Medicorum spem remissa est febris, & symptomata leviora apparuerunt, supererat ex Medicorum consilio foraminis apertio, de qua cùm Clarissimus Severinus, tanquam inefficaci præsidio justis de causis etiam difficili malè sentiret: coram Reverendissimo Priore prius causâ benè retextâ, ægro assentiente magna cum promptitudine, atque animi alacritate decrevit, postero die regularem curam potentibus auxiliis inchoare. Mane igitur octavi diei Martii causticum, haud quidem ad planum femoris, sed superius ad duorum digitorum transversorum altitudinem toti tumori circumduxit, quod intra paucas horas egregiam operam præstitit, adeo ut die decimatertia extractæ fuerint crustæ ad daleri crassitiem excavato circumcirca vallo, quod sericeo filo per ligneum vecticulum constrictum ad diem usque decimum sextum tandem novacula omnino exæquatum est exciso globuli tumoris superiori hæmisphærio, inferiori candente ferro pluries adusto, sic nulla subsecuta est hæmorrhagia; doloresque, adhibita prope genu quantum ferre potuit, calidissima testa cum adstantium omnium admiratione sedati sunt, pependit amputatum culmen uncias circiter 18. atque in ostracosæ carnis illius medio, quæ nova ulæ aciem obtundere potuit, observatus est sinus inæqualis, & cavitas minor quidem quàm putabamus, ex proportione magnitudinis, in quo sinu stagnaverat fœtidissimum illud virus. Constitit post recisionem, tumori non fuisse folliculum, ex quo Severini sententia triumphavit. Verum enim verò fuit inter Ministros chirurgus, qui subtilius rem disquisiverat, putans exactiori sua acri via se reperturum saltem quicquam proportionale cysti, sed utcumque allaboraverit præter ostracosam carnem, quæ variis fibris intertexta erat, ac veluti inæqualibus corticibus composita, nihil aliud notare potuit curiosus ille anatomicus; octiduo autem elapso ab hac prima operatione ex frequenti, & efficaci illitu saturnini butyri, & aliorum emollientium separata est à viva carne crusta digitalis crassitudinis. Interim bene se habente ægro in omnibus vivido suo naturali colore perfuso, & superstite succulentia illa habitus, qua naturaliter præditus is erat; Cœpimus de tam felici eventu omnes lætari, & rem in tuto positam, beneque peractam existimare: Verùm Clarissimus Severinus in subtus derelicta tumoris parte syrtes latere, hoc est, graves difficultates, & pericula mussitabat; nimirum terreri seipsum, aiebat ingenuè per rebellem illam duritiem in tumoris radice firmatam; adversus quam etiam validissima caustica ficulneum robur suum ostendebant. Verum nihil non cadendum tamen animo suadebat: deprompturum se efficacis Chirurgiæ suæ arma, quibus omnino futurum erat, ut caderet hostis. Vicissim ergo nunc causticis solidis, nunc liquidis, nunc actuali igne nostri seculi Hercules Lernæa Hydra tentavit, at illa sui officii haud immemor cùm supra os patellæ jam deventum esset, ex rimis, in quibus tendones vel ad invicem, vel cum osse coeunt, vel unius noctis spatio fungosa capita emittebat, contra quæ etiam Hermeticorum illa Draconum spuma hebes videbatur. Sed tamen excogitavit Clarissimus Vir malo nodo, malum cuneum; ac liquore quodam, cujus nunc compositionem non scribo, superfuso & agitato, è spongiosa illa carne glutinosum humorem emungebat prius, inde arcano suo albo præcipitato desuper adsperso sæpius crustulas extraxit; tandem ad operis compendium ignito auro radicitus renascentem bestiam occidit; adeo ut non amplius pullularent capita. Detectus ex parte tendo latus est, ac non sine admiratione observatum est, ostracosam carnem, & fungos intra tendonum fibras radices habuisse, & in medio patellæ omnino labem ad os usque pertigisse; unde opus desquamationi vacare, quam egregiè præstitit extractum Aristolochiæ rotundæ, euphorbii æqua portione commixta. Hujusmodi laboribus Aprilis & Majus menses insumpti, ac jam ulcus ad daleri magnitudinem, quod in prima sectione diametro spithamæ mensurabatur devenerat: curabatur autem emplastro styptico Paracelsi, cum sub nocte D. Joann. cujus festum 24. Junii celebramus; descendens æger lecto seipsore non bene firmo innixus in pavimentum toto

corpo-

corpore illisit, ac genu affecto præcipuè: unde & discissa sunt ulceris labra, & fluxione accersita recruduit ex parte malum; adeo, ut insudandum pertinacissimè fuerit usque ad vigesimam Augusti, qua die jam otii pertæsus, & suæ ipsius salutis bene conscius Religiosissimus vir è Monasterio D. Martini ad officii sui curam discessit, qui vivit nunc Pancraticè motus nullo impedimento notatus; Cum Martino Delrio sæpe dictitans, non pejus esse ab uno lictore morti addici, quàm à centum medicis. Hæc est ipsissima curationis Historia. Utinam vero, amice, egregia illa Severini facinora, ut apud exteros gloriam, ita apud Neapolitanos invidiam nunc excitassent, qua una torpere tanquam facino videtur Clarissimus vir ad sua ingrato mundo bona communicanda, maximo cum litterarum, & Hippocraticæ Medicinæ detrimento, cujus alioquin reparator esse posset. Cæterum tibi librorum helluoni, quid nunc in os ingeram non habeo; nam ut nosti; & ut cum Scaligero dicam, Italiæ nonnisi Mercaturæ, & forensium librorum chartæ excuduntur, at felicissima illa Germanorum præla, vel ob Martis strepitus quiescunt, vel ad nos sua non transmittunt, licet ad miraculum nunquam satis laudata ingenia teutonica inter bellorum turbines, & literas profiteantur, & in medicina exornanda desudent perpetuo; quibus sicuti gratias pro tanto opere debemus, ita Italicæ gloriæ memores invidere etiam possumus. Vale, vir clarissime, qui sicut à me coleris unicè, ita fac, ut abs te redamer æque. Neapoli nonis Januarii, Anno 1641. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abscess. natur.*

Puellam quinque mensium curavi, cui ab ortu genitum fuit tuberculum ciceris magnitudine, parte interna palpebræ inferioris, prope angulum majorem oculi; quod spatio quinque mensium avellanæ molem æquavit, ex genere tumorum, quos nattas vulgo vocant; totus siquidem carneus erat, tenui folliculo involutus; quem propterea secui radicitùs forfice, cum effluxu sanguinis ad unciam circiter, qui fuit suppressus bolo armena, sanguine draconis, ovique albumine, cum filamentis tenuissimis, cui postmodum applicui aquam rosaceam cum ovi albumine conquassatam, & bolo armena in pollinem redacta; quibus spatio octo dierum fuit sanata ægra, in hunc usque diem incolumis. *Petrus de Marchettis in Observ. Medico-Chirurg.*

Anno 1666. Legionis Vice-Præfectus fere sexagenarius strenuus olim in bello miles Cæsareanus, nomine La Branche, ante 12. annos erupit atheroma in humero sinistro ad spinam vergens, quod tractu temporis in tantam excrevit molem, ut ovi anserini magnitudinem excederet; remedia plurima adhibita prohibere non potuerunt, quo minus in putrefactionem abiret, talem nimirum, ut ulcus ad basim se extenderet, quo venæ erosæ periculosæ hæmorrhagiæ causa fuerunt, imò sæpe sæpius ad duas libras sanguinis affluxit, quare animo linquebatur æger, suasi itaque excisionem quam annuit *Exc. D. Zwelferus*, præparato itaque corpore Medicamentis idoneis præscripta diæta, venâ sectâ, illud adorior caustico, quod sæpius applicatum ultra quartam partem basis non corrosit, quod mihi corpus aliquod durum & callosum subesse indicavit, reliquum ergo cultro exsecui, unde tres venæ obtruncatæ, ingentem hæmorrhagiam causarunt, quæ non sine labore sistebatur; vulnus ut artis est tractatum, spatio trium septimanarum sanatum fuit, partem abscissam inspexi, quæ constitit ex diversis involucris, primum simile erat corio porcino, alterum primo non absimile, reliquum semiputridum, ossicula mansa, & quasi scobem, & malè olentem materiam in se continentem. *Dom. Joann. Pilas.*

Meliceris.

Juvenis quidam XIV. annorum ætatis, Reverendi & Doctissimi Viri, Dom. Jacobi Heberuteri, p. m. quondam hujus urbis Divini verbi Ministri filius, cùm 10. Augusti superioris anni pedem inter deambulandum leviter contorsisset; & ab initio circa curationem error à barbitonsoribus commissus fuisset, exortum primò dolorem maximum sequuta est inflammatio totius tibiæ, & ad coxam fere usque. Febris item maxima, inquietudines, nausea, cum virium prostratione supervenerunt. Tandem, videlicet 8. Septembris cùm à barbitonsore suo derelictus & affectus pro deplorato habitus fuisset, ego quoque advocatus fui. Tum circumcirca juncturam pedis novem inveni ulcera, & quidem nonnulla eorum in ipsam articulationem usque penetrantia: ex quibus ichorosa materia tam copiosè aliquandiu effluxit, ut mirum sit, unde in corpore tam extenuato & debili, tanta humorum colluvies provenire potuerit. Ligamenta, imò & ossa ipsa erosa erant. Os calcis (quod dicam, admiratione non vacat) in medio ex una in alteram partem, ut progressu temporis cognovimus, & vidimus, perforatum fuit, ac si aliquis terebello illud perforasset. Perforationem hancce ossis, cùm durante curatione invenissem, funem ex uno in alterum latus per ipsum os traduxi, quo Ossa cariosa extrahere possem. In medio tibiæ ulcus erat cuniculosum: ex una enim parte ad genu usque extendebatur, ex altera verò ad talum usque fere descendebat. Ab initio omnem adhibui diligentiam, atque industriam, ut dolores quamprimùm sedarentur: & vires (quæ adeo labefactatæ erant, ut mortem proximam esse, omnes putarent) refricarentur. Deus ita benedixit remediis, ut duos hosce scopos paucis diebus absolverem. Postea ulcera mundavi, ligamenta putrida, & ossa cariosa, atque à virulenta illa materia contaminata, extraxi. Curatio perquàm difficilis & laboriosa fuit. Omnia tamen (laus sit Deo) nunc in tuto sunt, etiamsi ulcus, quod, ut antea dixi, calcaneum perforavit, nondum penitus cicatrice sit obductum. Genu, quod propter magnitudinem morbi, & retractionem nervorum, incurvatum erat, in pristinum statum restitutum quoque fuit. Articulus tamen pedis rigidus immobilisque permanebit. Id enim plerumque quod ante me nullus, quod sciam, observavit, fit in Meliceride, quando ligamenta & cartilagines ossium eroduntur: tunc enim mediante callo, coalescit junctura, fitque rigida, uti fusius, & quidem exemplis, Deo volente,

te, in tractatu meo de Meliceride ostendam. His vale, Vir Nobilissime, cum Tuis omnibus, quos tecum quàm demisse saluto. Raptim Bernæ 7. Junii 1623. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obs. Chirurgic. Centur.* 6.

Petrus Antonius Russus Amalphensis V. jam annis ferebat dextera mamma melicerıdem tam magno tubere, ut caput hominis æquasset. Hanc dum medici valetudinarii nostri ferro vererentur attingere, intrepidus ego sectionem aggressus sum certus anatome subgracilis viri mammæ corpore, nihil præter cutem, & adipem extare: deinde & fluctuatio suffusum intro fluorem me docebat. Jam igitur huic execto tenuis ichor exiit mellis albi referens speciem, quo in dies exhausto sanatus est homo non longiore, quàm mensis unius curriculo. Similiter Honofrium Stranerium Neapolitanum Isabellæ nobilis obstetricis ex fratre nepotem 12. annos natu ex ingenti meliceride circa sinistram mammam inhærente vexatum, cùm plerique medici pharmacis internis, & decocto sarsæparill. & quotidiano sudore, quibus unicè confidebant, adhibitis; nulla unquam parte juvissent: sola nos tumoris apertione suæ prorsus integritati restituimus. Res nota pervisaque tum tonsoribus ad compita Spiritus sancti, tum Aloysio de Gratia, & Francisco Laviano Medicis præstantissimis. Exempla sunt hujusmodi, ut non possint esse graviora tum excessu magnitudinis, tum locorum perdifficili situ, tum vitii gravitate, ac novitate. Quibus tamen nihil operantibus sunt homines integrè restituti. Quas ob res nisi verè sint impotentes, atque omnia tuta timentes; non est, quod similes, ac sæpe etiam minores operas refugiant nostri Chirurgici. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abscess. natura.*

Lingua pluribus morbis tentatur; soluta scilicet continuitate, ac variis tumoribus, in quibus quendam curavi observatione dignum, meliceridis nomine, in Reverendo Patre Theatino, Hieronymo Capite Bovis Mutinensi, cui sub lingua, ubi venæ raninæ, & tumores ranulæ dicti succrescunt, obortus fuit tumor, de genere quidem ranularum, non legitimus tamen, qui ex continuo affluxu materiæ, paulatim crevit ad magnitudinem ovi; sensim exporrectus per latus dextrum colli, juxta jugulares venas, & carotides arterias, ad fauces usque infra tonsillas, & œsophagum, qui asperam arteriam adeo graviter comprimebat mole sua, ut ni chirurgus quolibet mense, eo patefacto, materiam contentam eduxisset, periclitaretur æger intercepta respiratione, & impedita deglutitione, ad vitam planè necessariis. Multi verò tentarunt curationem sectione sola ipsius tumoris, cum patientis quidem aliquo levamine, non perfecta tamen valetudine; cum mense post circiter tumor in eandem magnitudinem excreverit, cujus causa Reverendus æger, metu suffocationis, Patavium venit, & meæ curæ se commisit; cui præscripto primum omni revulsionum genere, per totius corporis purgationem, & sanguinis missionem, statim deveni ad partem affectam, tumoremque cultro, longa satis sectione, in inferiori parte patefeci, multis venarum ramulis datâ operâ disruptis, à ranulis diffusis, quo folliculus contabesceret, intercepto nutrimento; in quem postmodùm immisi crassam, & longam turundam, imbutam ovi albumine conquassato, ad tumoris usque fundum; sequenti die alia facta sectione, & quidem ampla in collo exterius parte, qua desinebat tumor, illæsis interim vasis majoribus, turundam pariter indidi vulneri æqualem, intinctam ovi albumine, superaddito gossypio usto, cum pulveribus ex sanguine draconis, & bolo armena, sanguini copiosè satis fluenti sistendo. Sexto verò post die, nullo ampliùs periculo inflammationis imminente, intra os, & exterius in collo totum folliculum ferramento candente inussi; atque removendæ, ac detergendæ escharæ in parte externa digestivo usus sum ex terebinthina, & butyro lotis aqua rosacea, vitello ovi, & oleo sambucino; parte verò interna, globulis melle rosaceo imbutis. Laudabili verò pure apparente turundas inunxi unguento ex Betonica, iisdem in dies decurtatis; Interius verò applicui filamenta inspersa pulveribus ex tuthia, cornu cervi usto, & terra sigillata; quibus spatio quadraginta dierum æger omnino sanatus est, nunquam ampliùs recurrente morbo. *Petrus de Marchettis in Obs. Medico-Chirurgic.*

Reverendus Theatinus Genuensis, ex familia Spinolæ, laborabat tumore colli, magnitudine ovi gallinacei, prope asperam arteriam, & venas jugulares. Habita consultatione cum viris Præclarissimis, statuimus unanimes, tumorem esse melicerídem, quo tamen dissecto nihil aliud effluxit, quàm serositas quædam flavescens; quod verò mirum, separato folliculo à tegumentis communibus, eoque secto, quò melius radicitus educeretur; sub eodem deprehensus alius tumor, suo & ipse folliculo obductus: eadem materia repleto, alio minor, qui sectus tandem serositatem flavam effudit. Hic verò ita excipiebatur à primo folliculo, ut videretur veluti innatare materiæ illi inclusæ, quem cum transversum forfice secarem, ac simul ramulum jugularis externæ ad nutritionem ipsius tumoris exporrectum, quo facilius folliculum extraherem, maximo impetu sanguinis copia erupit, quem tamen facili negotio digito, gossypio usto, & pulveribus adstringentibus suppressi, adeo ut ne ejus quidem guttula ampliùs effluxerit, cùm verò folliculi reliquum nec forfice, nec cultro auderem abscindere, & extrahere, propter venas & arterias subjectas, digestionem priùs tentavi digestivo rosaceo; atque inflammationis metu, à sectione, applicui oleum rosaceum circumcirca vulnus, & linimentum simplex, Facta digestione, superstite adhuc aliqua portione folliculi, tenuiori, & subtiliori ejus parti adhibui præcipitatum pulverisatum, crassissimæ verò portiunculam caustici, atque paulatim sine ulla effusione sanguinis ambos folliculos absumpsi; sarcoticis postmodùm cavitate carne inducta, & cicatrice epuloticis obducta longitudine digiti indicis; quibus feliciter fuit sanitati restitutus æger, non sine præmissa totius corporis expiatione, ex methodi lege. *Idem ibidem.*

Steatoma.

Steatoma 4. librarum pondo 10. jam annos pro

pro insanabili destitutum de poplite pendulum excidimus Reverendo cuidam è Carmelitis novæ formæ sodalibus Sacerdoti, cui nomen Eugenio Callesano Hispano Madritensi pro insanabili tot annos à medicis permultis Europæis destituto, qui ponderis, quo fere dejiciebatur, impatiens multa se mihi prece, atque obsecratione curandum commiserat: curavique secta ample cute, ac tubere cystico circumquaque resoluto, mox ulcere repurgato, & intra 40. dies obducto: intervenientibus ad eam rem Adamo Marchio Medico perdocto, Francisco Mosca, Francisco Romano, & Bartholomæo Calova in nostro Incurabilium Nosocomio Chirurgis assiduis, ac multos annos exercitis.

Gratiæ de Philippis virgini Deo sacræ in Cœnobio Jesu Neapoli spectante Mario Schipano viro quidem non sine honore nominando, exectum est per me sub jugulum steatoma, quod selibram pependit: abscessus, qui sex jam annos nullo medicamentorum fructu continenter crescens sacram fæminam perpetuò torserat ac pene jugulaverat. *Marc. Aurel. Severin. de recond. abscess. natur.*

Cuidam sexaginta circiter annorum, Jean Girau de la Four nomine, robustissimo & optimo corporis habitu prædito viro, in ipso dorso, circa finem vertebrarum colli, paulatim steatoma in tantam molem excreverat, ut molestum esset ægro onus hocce quamvis indolens, veluti colossicum, amplius gestare: quapropter ut ab ipso liberari posset, expertorum Medicorum & Chirurgorum auxilia imploravit. Vivebat autem eodem tempore Lausannæ egregius quidam ac excellentissimus Medico-Chirurgus, Joannes Griffonius, olim præceptor meus fidelissimus, qui cùm vocatus & ab ægro & ab adstantibus supplex rogatus fuisset, ut manum adhibere vellet, curationem hoc modo aggressus est. Primò optimam victûs rationem instituit, & ut à vino omnibusque cibis potentia calidis, ad tempus quoddam ante operationem planè abstineret, jussit. Interim apozemata & purgantia exhibuit, venamque secuit. Sic satis præparato corpore, cutem ad radicem tumoris ad subjectam carnem usque circumcirca tumorem incidit. Postea totam illam partem tumoris, quæ spinam versus tendebat, cum sua membrana unguibus separavit, & integrè extraxit, & mox quæ hæmorrhagiam cohibent, vulneri; quod maximum erat, applicuit: deinde illud more aliorum vulnerum feliciter sanavit. Finita operatione, trutinata excrescentia pondus librarum septem excedere reperta est. Vixit homo iste per multos annos sine ullo incommodo. *Guilielm. Fabric. Hildan. Observ. Chirurgic. Centur. 6.*

Elisabetha S. ex Palatinatu, ætatis præterpropter annorum quinquaginta, steatoma prægrande per annos fere sexdecim gestarat, abscissionem hujus ponderosi oneris expetiit, quæ & anno 1659. die 21. Februarii Ratisbonæ, præsentibus tribus Medicis à Davide Schaffnero, lithotomo & Chirurgo Augustano, feliciter peracta, cæterisque ritè adplicatis, ab hoc molesto comite penitus illa liberata, nec quidquam ejusmodi hactenus illi recrevit, seseque optimè habuit, cuncta munia sua liberè obiens. Steatoma hoc in podice lateris dextri non longè ab ischiade excreverat, magnitudine caput viri robustissimi exsuperans, librarum pondere facilè decem. *D. Joann. Helvvigii.*

Vetula erat rustica sexagenaria cursoriis plerumque operis destinata; hæc à plurimis annis in latere super costis spuriis tumorem alebat puerili capite majorem, qui cùm non tantùm cursioni pedumque velocitati, quâ aliàs pollebat, officeret, sed & identidem Erysipelate afficeretur, magnopere laboravit ut à tam onerosa mole liberaretur. Increbuerat forte fama B. Affinem meum D. Langelottum Chirurgiæ felicis specimina aliquot jam tum edidisse; itaque mulier fidens animi ad eum se confert sævæ manus beneficium exoratura. Affinis tumoris magnitudine, diviteque venarum, etiam grandium, copia exterritus meum quoque poscit consilium; ibi ego in tam ampla tumoris radice, & venarum tum magnitudine tum copia periculum, quod putabam, prospiciens, curam dissuadeo. At illa iterum iterumque manum ejus sollicitans mori se malle aiebat, quàm cum mole ista tam onerosa atque incommoda vivere. Ergo precibus & constantia mulieris mortem aliàs expetentis victus, periculo ejus curam recipit diemque sectioni dicit. Præparata illa, velut ad mortem, animos cunctanti addit, & tantundem sibi esse adjurat, sive vivat sive moriatur, dum ab isto onere immunis esse possit. Itaque me inspectante præsentibusque duobus Chirurgis extirpationem aggreditur, cutemque injectam secundùm longitudinem novacula discindi jubet; ibi tum ipse admotis digitis primoribus, quâ poterat dexteritate, vesicam vel abscessum à cute solvit, cumque costis eum firmiùs adfigi sentiret, forfice immisso radicem amputabat, integramque molem fere sine notabili hæmorrhagia, quod stupendum erat, eximebat. Forte metus ex dolorum sensu enatus, qui & constantissimo cuique sub lenta operatione exprimi solet, sanguinis motum sufflaminaverat. Interim mulier ne hiscebat quidem, sed in Lipothymiam prona, quam dolor haud dubiè intulerat, cardiaco revocari opus habebat. Quanta verò illa & quàm hiulca plaga, dependentibus utrinque vasti corii laciniis? vulnus styptico & defensivo obligatum compositis ad latus cutis laxæ fimbriis, postridie resolvebatur; ubi cùm vulneris oras explorant, fortè arteria rumpitur, copiosis se se iteratisque pulsibus in lucem efferens. Huic cauterium actuale vel decies adhibitum nihil profuit, donec Bodeti styptico occurreretur. Tum deinde abscisâ magnâ laciniarum parte vulnereque per digestiva ad maturitatem perducto consui cutis, commissisque invicem labris intra quinque septimanas sanari cœpit, fæminâ nullis interim symptomatis in illa temperamenti duritie labefactatâ. Tumor sive abscessus exemtus quatuor fere libras æquabat, & si texturæ habeas rationem nihil aliud erat, quàm compositum glandulosum pingue membraneum, intertextis copiosissimis inque superficiem satis manifestè expositis venis.

Emphysema.

Pro tumore ventoso in genu post universalia remedia

remedia consului, ut hoc cataplasma resolutivum (etiam valens in materia phlegmatica) apponeretur.

℞. Sem. anis. subtilit. pulver. sem. fœnic. cumin. carui ana quartar. ß. far. fabar. ℥j. succi ebuli, sambuci, & vin. aromat. ana q. s. decoquendo fiat cataplasma, quo apostema illud ventosum resolutum est. *Petr. Forest. Obs. Chir. l. 3. Obs. 3.*

Natta.

Nuper erumpentes si dentibus leviter comprimantur Nattæ, sensim marcescunt & pereunt, quod bis observatum *Patavii*, semel in Nobili Fœmina, cujus erumpentem Nattam dentibus vicina mulier apprehendit; & semel in filia summi jurisconsulti. *Thom. Bartholinus histor. 40. cent. 3.*

Lupia.

Puella quædam laborabat tumore scirrhoso nucis juglandis magnitudine, superiorem metacarpii partem occupante, qui discussus est meo consilio, admota super partem affectam lamina plumbea hydrargyro illita, eaque per octo dies gestatâ tumor disparuit, nec amplius est reversus. *Simeon Jacoz. obs. 9.*

Frater quidam Capucinus Lupiam habebat in genu, post longum tempus ad summam mollitiem tandem perducta fuit: cujus ratione apertionem suadebam, ille verò renuit, inquiens se Lupias huic similes resolutione curatas vidisse foliis acetosæ chartâ madidâ involutis & sub cineribus coctis; quæ postmodùm cum cineribus per cribrum trajectis, incorporabantur in formam cataplasmatis; quod ille per plures dies applicuit calidè, & tumor prorsus evanuit, quod ego valde miratus sum, & postea duas alias Lupias in eadem parte eodem remedio curavi. *Dionysius Pomaret. obs. 3.*

Ganglium.

Honesta quædam matrona aliquot annos in poplite in utroque crure tumorem gerebat, pugni magnitudine in uno, & altero paulo majorem, concolorem, molestiam potiùs quàm dolorem afferentem, flexionem tamen articuli illius, & sic incessionem aliquo modo impedientem: quem tumorem cùm inspicerem, Ganglion esse judicavi. Plumbariis thermis, ut eos extirparet, aliisque remediis, sed sine fructu, usa fuerat. Ad fortiora transeundum esse docui, illique primum hunc fotum præscripsi.

℞. Lixivii, urinæ, & vini an. pt. æq. adde ad mens. j. hujus liquoris, aq. vitæ ℥j. spir. juniper. ʒj. cum spongia intincta fomententur tumores calidè. Postea apponatur hoc emplastrum.

℞. Rad bryon. irid. rec. an. ℔ß. bulb. lilior. ℥ij. coq. in aceto fortissimo & contund. & pistentur: addendo olei lilior. ℥ij. gumm. ammoniac. in aq. vit. solut. ℥iij. pulv. rad. ireos ʒij. redigantur in formam emplastri vel cataplasmatis: continuabat fotum & emplastrum in dies domum reversa, spatio trium mensium, unde admodùm imminuti tumores, adeo ut licet aliquid adhuc appareret, tamen nullum fere impedimentum ampliùs adferrent. *Felix Platerus observ. lib. 3. pag. 703.*

Juvenis quædam mulier Ganglion habebat in facie Cerasi magnitudine, intra oculum supra zygoma, quod intra mensem discussum est, admota lamina plumbea hydrargyro illita & emplastro infixa, ut meliùs næreret: eaque super Ganglion admota, una cum emplastro, splenium satis solidum superimponebam, deinde fascia alligabam quæ semiphalera à *Galeno* nominatur. *Samuel Formius Obs. 16.*

Mulier quædam ictum frontis passa est, quem tumor nullus subsecutus est, ante quindecimum diem, quo tumor obortus est magnitudine nucis juglandis, sed mobilis, nuncque dolebat, nunc mollescebat, nunc minuebatur, nunc augebatur, & sic per longum tempus cum maximo incommodo permansit: curatus tandem fuit aq. vitæ cum rutæ succo mixtæ admotione, linteisque fronti appositis. *Petrus Borellus. Obs. 5. Cent. 1.*

Adolescens sedecim annos natus conquerebatur de tumore duro, indolenteque, qui, in superna manus dextræ parte situs, mole sua nucem avellanam adæquabat, eratque ejusdem cum cute sana coloris; atque jam tertius mensis erat, ex quo æger post laborem consueto majorem hoc malo affectus est. Jacebat nempe tendo in superna manus parte, cujus tubuli ab insueto labore ita distorquebantur, ut humores, in circulatione multas obstructiones pro obstaculo offendentes, stagnarent in tubulis tendinis, tandemque ab humoribus à tergo insequentibus propellerentur usque ad membranam illam, quæ tendinem investit, ubi, efformatâ sibi cavitate, colligebantur & concrescebant aliquatenus particulæ viscosiores, tenuioribus interim abeuntibus, & sic exortus est tumor, de quo hic ago, & qui ganglii nomine à plerisque appellatur. Ego pollice manus meæ tumorem hunc validè satis compressi, eumque hoc pacto extemplò evanescere vidi, dum scilicet vi compressionis humores tumorem constituentes protrudebantur iterum quaquaversùm per tubulos tendinis; sed quia obstructiones sic nondum sublatæ erant, ideo recidivæ formidine tenebar, quapropter ad humores viscosos attenuandos & obstructiones reliquas tollendas imposui emplastrum de ranis cum Mercurio, & strictam satis ligaturam, quæ impediebat, ne humores viscosi in consueta cavitate iterum, ut ante, congregarentur. Sed ubi tumor hic jam per aliquot annos duravit, tunc à pollice comprimente tolli non potest, sed adhibenda est ferula lignea, non differens ab illa, qua præceptores in castigandis pueris utuntur, nisi quod plumbi portio in illius medio infusa jaceat; & talis ferulæ unico ictu, ægroti facie à manu affecta in dorsum aversâ, prorsus evanescere vidi ganglium, quod per quadriennium patientem vexaverat, cujus medela tunc brevi per emplastrum hic citatum & strictam ligaturam absoluta fuit. *Joan. Muys in Prax. Chirurg. ration.*

ATROPHIA.

Atrophia quam si latinè recedere liceret innutritionem diceremus, est morbus quò

corpus paulatim emarcescit cum virium debilitate, hic autem *a* non est merè privativum; sed imminutivum; notabilem scilicet non verò absolutam nutritionis defectionem significans: sic *apepsia* non integram coctionis privationem, & *asphuxia* non omnimodam pulsus abolitionem designat; sic etiam *amentes* vocantur qui parum non qui nihil mentis possident.

Triplex cùm sit corporis substantia, adiposa scilicet, carnosa & solida, videndum quænam ex iis consumpta, *atrophiæ* denominationem propriè mereatur. Adipe carere possumus, nec tamen ideo tabidi verè dici; sic & partes solidæ, venæ scilicet in venulas, & nervi in villos abire possunt; atque etiam ossa aliquatenus minui, satis tamen notabili inde non confecto detrimento quò corporis moles sensibiliter detumeat; quapropter solâ substantia carnosa vera censeri debet *atrophiæ* sedes, illiusque pars affecta. Non negamus interim adiposam substantiam absolutè liquari non posse, minus etiam solidas partes imminui, quin atrophia adsit, at illud est morbi quem pertractamus prodromus, hoc verò ejusdem ut plurimum consectaneum, non verò morbus ipse.

Atrophia alia est *universalis*, in qua totum corpus marcescit, si cor excipias quod ad proportionem reliqui corporis non tabescit, alia *particularis* quæ huic aut illi membro in specie infigitur.

De *Atrophiæ* causa ut aliquid dicamus necessarium fuerit de naturali corporis nutritione, succis illi inservientibus, eorundem præparatione, vasis deferentibus, atque applicatione pauca præmittamus.

Nutritio in plantis satis diuturno tempore intermitti potest vita interim incolumi, arborum namque surculi hieme vivunt sine alimento, imò bulbi plurimi è terra post flores emissos educti absolutè exsiccantur, nec tamen suo tempore terræ denuò mandati minus vivaces fiunt: At in animalibus nutricatio & vita pari quasi passu ambulant, nec per effluvia continuo de se emissa deteri possunt quin necessariò deficiant, ni detrimentum illatum per succos identidem suffectos resarciatur; hic itaque necessariò fieri debet quod in nave illa, Christophoro Columbo ducente, totum orbem circumagente, sicque Victoriæ nomen demerita, confectum est; scilicet dum per tempestatum injurias, ambientisque liquidi importunam actionem, aut ruinosam ad scopulos allisionem, tabulæ aliquæ ut & alia ædificii quantumvis solidi munimenta deterebantur & confringebantur, ruinæ illæ resarciebantur novis continuò in partium deperditarum locum suffectis tabulis, trabibus, transtris atque tignis, unde in portum è quo primò exierat revecta, integra quidem visa est, sed nihil prorsus ex iis lignis è quibus primò constructa fuerat, habens. Sic enim animalium corpora indesinenter renovari amant, inductis per alimenta continuò particulis in earum locum quæ per sanguinis, humorum & spirituum motus tam naturales, quàm violentos per vias, tum sensibiles deturbantur, tum per insensibiles avolant, nec non earum quæ ab ambiente aëre abripiuntur, & corraduntur, sufficiendis. Persequamur jam alimenti illius tam necessarii omnes præparationes, imò quæ ejus legitimæ distributioni ac applicationi apta nata sunt paucis expendamus. Alimentum ore exceptum dentibus conteritur, & (saliva quasi fermento admista) pinsitur, hinc per œsophagum in ventriculum detruditur, ut moras illic trahens per particularum novarum in rugis profundioribus cavi visceris restitantium, aliarumque per plura tunicæ ipsius interioris orificia exudantium, actionem colliquetur ac in pultaceum quid abeat, quod demum per varias fibrarum circumcingentium compressiones in intestina propellitur, ubi bili, succo pancreatico, ac etiam succo ex intestinalibus pluribus glandulis, per proprios cuique canales depluentibus, admiscetur in ulteriorem perfectionem, & ut parte maximè excrementitia, (salibus scilicet terrestrioribus, viscidioribus & ad motum magis ineptis) per vias sedis præcipitata, depuretur, per tunicas intestinorum in vasa lactea tandem percolandum. Hic per adjunctam lympham, ex omnibus prope corporis partibus in vasa prædicta advectam, fluidius evadit, ut compressioni per motum intestinorum peristalticum, aliamque etiam ab ipsis abdominis musculis inductam, facilius obediens, in glandulas mesentericas filtrationi novæ destinatas, indeque in receptaculum suum promoveatur. Illinc tum per motus prædictos, tum etiam per productionum diaphragmatis ad lumbos usque pertingentium actionem perpetuam, adjuvante canalis thoracici mechanica, in venam subclaviam elevatur, ibique sanguini confunditur pleno alveo per cavam descendentem in ipsum cor quasi microcosmi mare postea convehendum. Tum demum per aortam indeque enatos ac productos arteriales ramos totum corpus perreptans, in partes & carnosas & alias solidiores diffunditur, ibique adjuncto succo nerveo, de quo alibi, per villos nervorum undique dispersos, influente, vigoratur magis, & non secus ac aurum mercurio amalgamatum in poros metallorum deaurandorum commodè ac promptè se insinuat, sic etiam succus hic, novo addito quasi menstruo & stimulo per prædictos nerveos canales advecto, poros omnes quantumvis minutos pervadens, substantiæ quam penetravit, facilè accrescit, si modo salium spicula ramosis & unctuosis sulphurum particulis obtusa illam ad sui excussionem non excitent, sed potius ut amico complexu suscipiantur, faciant. Hisce peractis aquea portio quæ diluendo succo nutritio, eidemque in partes corporis omnes intrudendo, inservierat, spiritibus salino-sulphureis restitantibus commista, partim per insensilem transpirationem excernitur, partim per vasa lymphatica in venas ipsas ac propria receptacula abit, novis circuitibus peragendis parata; cruor verò à nutritione residuus per venas abripitur, salibus fixioribus ac minùs mitibus, ut & sulphuribus crassioribus ac terrestrioribus imprægnatus, quo scilicet per novas in variis visceribus triturationes ac fermentationes denuò præparentur, aut si omni elaborationi legitimæ prorsus inepti fuerint, per repetitos circuitus in vias sedis, urinarum, aut alias, foràs excernendi, demandentur.

Hisce sic explicatis facilè videre est *Atrophiam* & *Tabem* necessariò induci, si, vel alimentum deficiat per abstinentias longius protractas, easque tum voluntarias, tum etiam ab *Anorexia*, cujus causas suprà vidimus, ortas; Vel idem alimentum in ventriculo & intestinis subigi minime potuerit, tum quòd terrestrius esset, & totum quasi excrementum, vel dentibus minus bene attritum ac salivæ inerti commistum in ventriculum prolaberetur succis fermentescibilibus, ipsius dissolutioni necessariis spoliatum, ac propterea crudum de ventriculo in intestina excidens ulterioribus digestionibus ac depurationibus minùs paratum fuerit, languidéque & parcè nimis per crustam intestinorum villosam in lacteas procederet; Vel in ventriculo legitimè satis præparatum taleque ab intestinis exceptum, ibi viscidiori, parciori, minusque activo succo pancreatico, intestinali, aut bilioso occurrat, unde potius colligentur variæ ejusdem particulæ quàm per inductam præcipitationem separentur, ut quod excrementitium est infra propellatur, reliquum in canales lacteos transvehatur; imò si a purulenta materie continuò de ventriculi aut intestinorum ulcere manante, coinquinetur, aut per irritationem à salibus efferis, undecunque demum advectis, in hæcce viscera inductam, totum quantum est purum ac impurum per sedem excidat; Vel crusta intestinorum villosa, per quam percolari debet, obstructa, aut aliàs ita alterata fuerit, quæ ipsi filtrando inepta evadat, proindeque fluxus cæliacus oriatur; Vel lympha viscidior in lacteis illi admisceatur, quæ ejus motum potiùs remoretur, quàm novos addat stimulos, ut propterea dum per glandulas mesentericas de novo filtrandum venit, illas non ita commode pervadat; imò si hæ glandulæ ita obstructæ fuerint à salibus terrestrioribus, ut non tantum parum succi nutritii in percolationem ab ipsis perficiendam excipiant, sed etiam illum exceptum spiculis salinis nimium onerent, unde & parcior, & acrior chylus in sanguinem, & partes corporis omnes devehitur; Vel tumores grandiores, tum vasa lactea, tum canalem thoracicum comprimant, qui liberum succi nutritii per eosdem convehendi commeatum impediant, sicque sanguinem rorido illo succo maxima ex parte defraudent; Vel sanguis viscera quædam ita corrupta alluat quæ ipsi labem imprimant, quam chylo admistus partibus omnibus quas pervadit necessario inuret; Vel crassior fuerit sanguis, terrestrior, ac aqueo menstruo non satis dilutus ut in poros omnes se se insinuare; imò si acrior, ac particulis salinis ita onustus fuerit, ut deprædandis & corradendis corporis partibus potiùs quàm iisdem enutriendis habilis sit; vel succus nerveus eo lentore ac visciditate peccet, quibus irretiendis potius particulis sanguineis, quam iisdem in poros partium promovendis, faciat; Vel partes corporis omnes succo nutritio defraudentur, propter ejusdem deperditiones, tum per hæmorrhagias largas atque protractas, tum per effusam venerem, tum per fluxus seminales ac gonorrhoicos diutinos, tum per diabeticos affectus, tum per ulcera manantia, præcipuè juncturarum, unde humor abundans, Paracelso Synovia dictus, exit, tum per sudores immodicos, aliaque id genus, factas.

Particularis membrorum *atrophia* causam suam debet, vel arteriis alimentum deportantibus, exsectis, quæ exsectio necessariò verbi gratia venit facienda in cura aneurismatis brachii, cruris &c. Si grandius illud fuerit, sanguisque, eo aperto stipticis admotis compesci minimè valeat; imò si eædem arteriæ vel obstruantur, vel comprimantur, tum à ligatura arctiore, tum à vicino tumore, tum ab osse quopiam locò suò dimotò. Vel nervis succum ultimæ alimenti applicationi necessarium non devehentibus, tum propter infarctos suos canales, tum propter eorumdem continuitatem per excisionem, compressionem, aliásque interruptam; non mirum itaque si paralysi particulari, in qua afficiuntur propriè nervi, *atrophia* succedat.

Tabes præterea *dorsalis* quæ ad atrophiæ classem reponenda venit, duplex est, Una quæ ex seminali aut gonorrhoico fluxu immodico, illoque aut voluntario, aut involuntario de quibus mox in atrophiæ universalis causis, verbo diximus, procedit. Altera quæ à dolore circa lumbos incipiens, gibbositatem, aut claudicationem non tantùm inducit, sed etiam insignem in toto corpore, solo excepto capite, contabescentiam; cujus causa, *ut optime disserit Willisius*, proculdubio in hoc consistit, viz. quòd imprimis humor, sive materies quædam incongrua & morbifica cum succo nerveo per spinalem medullam descendens, in nervorum vertebralium ramis incurrit, proindeque ab initio ob fibras vellicatas dolor ferè continuus oritur; dein ob quasdam è fibris carneis resolutis, oppositæ vehementiùs contractæ spinæ vertebras quasdam distorquent, & denique siquidem spiritus animales nervos & fibras ad truncum & membra pertinentes haud uberi satis copia actuant, ob nutritionem frustratam, corporis emarcescentia succedit. *Additque præterea*; Profectò cum liquor nerveus & spiritus animales è spina dorsali in totum corpus haud plenè & liberè dispensantur, proinde marcor sæpenumero oritur. hinc abscessus & ulcera circa lumbos aut os sacrum excitata, quatenus liquorem nerveum absumunt nimis aut profundunt, atrophiam in toto, aut saltem in partibus inferioribus inducunt.

Signa *Tabis dorsalis* satis ex iis quæ mox attulimus patent; *Atrophiæ* item *particularis diagnosis* per se nota est ac propterea explicatione nullatenus indiget; *universalis* verò ex sequentibus demonstratur, primò ea affecti etiamsi cibis convenientibus cum appetentia utantur, non tamen sic reficiuntur, quin potiùs in dies strigosi magis fiunt, usquedum nil nisi ossa, aridis carnium fibris iisque parcioribus & tenui obducta cute supersint; cavantur præterea ut eleganter scribit Menjotius oculorum recessus, acuminantur nares, collabuntur tempora; retortarum ac rigidarum auricularum lobi invertuntur; malæ protuberant; buccæ quasi consuuntur; os patulum est, depressa labia ac dentibus affixa risus præbent imaginem; cervix nonnihil tortuosa est, gracilis & ad speciem longior, non versatilis, sed velut rigens & intenta; larynx prominet; claviculæ procul à

thorace distant, profundæ foveæ interjectu; costæ perspicuè dinumerantur, earumque cum vertebris articulationes ac in sternum insertiones redduntur aspectabiles; ipsarum interstitia inania sunt, rhombi figuram secundum ossium circumductum præ se ferentia; curvatur cartilago xiphoides; operta scoptula tota se se aspectui offerentia expansas avium alas imitantur; eminent vertebrarum spinæ, & utrinque ad earum latera tergum, ut canebat Divinus Psaltes, quasi vomere in longum sulcatur; hypochondria vacua & quasi excavata sunt, ac superiùs revulsa; epigastrium atque ilia dorso cohærescunt; ad os sacrum & ilium pelvis ossea cernitur; coccyx caudæ instar exeritur; artus omnes sunt arundinacei cum articulis conspicuis ac nodosis; uno verbo ossium idea duntaxat remanet, horumque compages cute obducitur flava, exucca & rugosa, quæ præterea ita translucet ut subjectarum venarum livor sensibilis sit; ungues denique ut in feris avibusque rapacibus uncinantur, depasta digitorum pulpa quæ unguium est fulcimentum. Huicce iconi appendamus effigiem jejunæ famis apud Scytas, ut fingitur, habitantis, quam Ovidius ad vivum sic expressit, Metam. 8.

Hirtus erat crinis, cava lumina pallor in ore,
Labra incana situ, scabri rubigine dentes;
Dura cutis per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis extabant arida lumbis;
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Prognosin quod attinet, quandoquidem *atrophia* plures agnoscit causas quæ in variis morbis reperiuntur, de ea in specie illic dicetur, hic tantùm de Atrophia in genere aliquid addemus, scilicet quòd macies præternaturalis nocentior multò sit obesitate morbosa: quòd contabescentia sit præsertim in infantibus mala, siquidem illi plurimum ad corporis augmentum exigunt alimentum & rarior eorum textura, adipum carniumque consumptione ampliùs rarescens, effluviis copiosioribus, atque ulteriori virium exolutioni viam liberiorem facit. Marasmus qui ad ἀκμὴν venit scilicet in quo non tantum carnes & partes solidæ sunt diminutæ, sed etiam arefactæ, & si ita loqui liceat quasi exustæ, curari minimè potest, ut enim plantæ ad tabem absolutam deductæ ampliùs non revirescunt, sic nec homines atrophia absoluta affecti recorporari queunt.

Indicationes, ut & *Curatio Atrophiæ* deducuntur & quasi emergunt à variis illius causis quas suprà enarravimus, quandoquidem autem illæ causæ in variis morbis inde effectis occurrunt, non est quòd hic de iis pluribus agamus, eò etiam minùs quòd, curationes generales &c. ex aliquot celebrioribus Autoribus pro more tradendas jam habeamus.

Curationes.

Atrophiam evacuationes acres & solutiones non tollunt, sed exasperant quasi, tantùm si colluvies interiora viscera gravat, præsertim ventriculum, vomitus lenes sunt imperandi, præsertim ab aqua benedicta. Ejus nimirùm peculiaris vis hæc est, ut non tantùm saburram eliminet, sed etiam ventriculum ad concoquendum instiget. Unde post aquæ Benedictæ usum, semper videmus appetitum corroborari, augerique, licèt aliquandiu ille sepultus, parùm aut omnino nihil effecerit. Hoc itaque auxilium moderatè institutum in principio hujus curationis multùm prodest. Deinde humectantia imperanda sunt, quæ tamen ita imperari possunt, ut simul obstructiones viscerum expediantur. Tartarus ergo vitriolatus cum decocto passularum & syrupis humectantibus, quales sunt syrupus violarum, tussilaginis, betonicæ sumptus, illas solvit. Externa in hoc casu laudabilia sunt in pueris. 1. Balneum ex decocto capitis & pedum vervecis in aqua fluente tamdiu ebulliendo præparatum, ut consumptis omnibus carnibus ossicula tantùm possint eximi. 2. Decoct. cort. salicis rubri in aqua fluminis. Hæc balnea præsertim in pueris maximè atrophiæ subjectis eam solvunt laudabiliter, si septies, octies, novies, in iis laventur, semel atque iterum de novo præparatis. In Balneis spina dorsi vel ol. olivar. aut unguento aliquo Resumptivo tota inungenda est. In victu dentur humectantia, juscula & brodia, rarò assa. Emulsio amygd dulcium cum aqua tussilag. & betonicæ. It. quandoque cum semine papav. albi & melonum maximè utilis est. In adultis Balneum aquæ dulcis, in quo cineres Corylorum, malvæ, bismalvæ, parietariæ, betæ, lactucæ, semen lini, ossicula item Vervecum contusa ebullierint, sæpius institutum, membrorum atrophiam pellit. Iisdem utile est lac Caprillum. Item aqua destillata ex sanguine suillo, ex plantis refrigerantibus & humectantibus mirificè prodest. Aqua ista sic paratur.

℞. Sanguinis suilli ℔ ij. frica manibus ut omnes fibræ auferantur, adde foliorum betonicæ, tussilaginis, rosarum rubrarum, malv. ana m. j. fol. lactucæ m. ß. sem. melon. excort. ℥ j. aq. tussilaginis ℔ ij. destilla per alembicum ex B. postea aromatisetur cum tabulis manus Christi perlat. ad singulas libras ℥ iij. de hac aqua bibat sæpius. Sic lac humanum ex uberibus ipsis haustum mirificè prodest. N. B. Iis, qui ex sumpto philtro atrophia laborant, lac equarum auxilium est præstantissimum: semper tamen cum pauxillo sacchari exhibendum. Consumptionem corporis desperatam nihil scilicet proficientibus aliis remediis, hoc aliquando modo curavi.

℞. Mellis virginei q. placet, inunge ollam non vitreatam recentem intrinsecus, postea olla plantetur in acervum formicarum, ita ut orificium ollæ tegatur cribro mediocriter laxo, & sic formicæ currunt per cribrum & incidunt in mel in eodem hæsitantes, atque sic nihil palearum vel impuritatum aliarum intromittitur. Supra collectarum formicarum s. q. funde sp. vini q. s. digere vase clauso in B. per unum atque alterum diem, dein destilla per B. primò lentè, donec nimirum sp. vini prodeat, quo ablato, reliquum ebulliente B. destilla & reserva.

Hujus aquæ cochl. j. in qualibet septimana ter vel quater jejuno ventriculo cum pane tosto exhibitum, atrophiam corporis mirabiliter tollit. Interim vel totum corpus vel tantùm partes distantes aliquoties eodem liquore inungendæ sunt (manus, brachia, pedes) quod si nec curatio celerior succedat, tandem procede sequente modo: (hæc cura magnetica etiam in febribus valet) vide infra de aridura.

℞. Ovum recens coque in urina consumpti (hominis) in olla nova, ut urina ovum plane contegat, ebulliendo, donec ovum induresc. Quod ubi factum fuerit, remove ollulam ab igne, & ovum coctum hinc inde foraminibus pertora ligneolo acuto, ut foramina pertingant vitellum, postea idem ovum perforatum in eadem urina reliqua coque semper vertendo ovum, donec urina planè consumpta fuerit: postremò ovum sic paratum sepeli in acervo formicarum. Quando itaque ovum à formicis consumptum & exesum fuerit, mirabili συμπαθείᾳ consumptio corporis desinit, & nutricatio subsequitur pristina elegans. Interim verò superioris liquoris usus non est negligendus. In Atrophia puerorum à Dracunculis (seu vermiculis in cute, juxta partes carnosas & musculosas à vitiato nutrimento progenitis) si quæ comedunt, nihil tamen apponitur, hæc cura est approbata.

℞. Radicis bryoniæ ℥ j. vel ij. coque in lixivio è cineribus quernis parato in pulticulam, quâ pueris dracunculis laborantibus in loco calido (balneo) illine totum corpus & relinque aliquandiu, sic vermiculi per poros exerunt capita nigricantia. Itaque universa cutis statim radenda est novaculis. Amputantur hac ratione capita vermiculis consumptoribus (*Mitesser*) & causa vitiatæ nutritionis aufertur. Hæc verò operatio semel atque iterum repetenda deinceps fuerit, donec nempe certum extiterit, vermiculos omnes esse sublatos. Exinde pueruli balneentur aliquoties in insessibus illis, de quibus supra dictum est, vel ex capitibus & pedibus vervecinis, vel ex corticibus salicum rubeis præparatis. *Joann. Hartman. Practic. Chymiatric.*

Balneum ex decoctione pedum vervecis prodest ob mucilaginem, quam habent. Si metus sit veneficii, corylus addatur. Semen lini humectat, ut & semen althææ, ex nucibus cum sem. fœnugræci F. Emulsio. Quò & nuclei pini & pistaciæ pertinent. Quidam lacti caprillo præferre volunt Lac asininum, sed lac humanum magis prodest interdum. Vid. Paulum, qui hoc modo convaluit. Unguentum *Lusitani* describitur in Praxi ejus admiranda lib. 1. hist. pag. 107. & ita se habet.

℞. Gumm. tragacanth. arabic. ana ʒ j. Infund. acet. rosar. diem & noctem. Postea addatur ol. violar. ℥ i ß. butyr. recent. ℥ ß. camph. ʒ j. m. in mortario cum lacte muliebri, ut fiat unguentum. Convenit porrò aq. sang. suilli, cochlear. testudin. ostrearum. Syrupus de testudinibus, elect. resumptivum &c. Externè in aridura particulari convenit arcanum solis Felicis Uvurzii, sp. lumbricor. terrestrium, formicarum. sp. vitriol. in quo rad. Aronis, raphani, armoraciæ & sem. urticæ infusa fuere, unguent. Agrippæ, nervin. August. It. Pingued. humana, vulpina, lupina, ursina, canis, taxi, ol. stillat. juniper. taxi, ceræ, piperis. Quidam etiam addunt aliquid euphorbii. Pueri hujusmodi atrophiâ laborantes è vermibus mittantur in balneum, illinantur melle & spina crustæ panis fricetur. Si à ventriculo oriatur atrophia, corroborantia ventriculum prosunt, ut ol. stomach. Cratonis. Non minus & empl. ejusdem & de tacamahaca convenit. Si ab hepate alentur aq. ex hepatibus, & ea quæ hepar roborant. Atrophia scorbutica singularem requirit curam, si enim vulgaria tantùm adhibeantur, affectum non attingunt. Cùm enim adsit sanguinis vitium, antiscorbutica postulantur. Datur quoque atrophia ex nimio fluxu mulierum albo. It. ex Gonorrhœa, quæ ex alio capite curanda. In atrophia mesenterica conveniunt ea, quæ prosunt in hypocondriaca. Radix graminis hic bona est, quæ habet vim aperiendi. Si humor cordialis absumitur, aresit cor & atrophia oritur, ut observavit D. Michael in puello, cujus cor ut pyrum erat arefactum. Prodest ergo electuarium resumptivum cum rob. passularum, aq. caponis cum syrup. de testudinibus. Unguentum resumptivum externè & pinguedo humana: emulsiones præparari possunt cum aq. destill. ex testudin. & amygd. dulc. nucl. pini & pistac. aq. Ferdinandi Epiphanii, aqua contra atrophiam, aq. antihectica ex cancris Schroderi diligenter & recens destillata citra empyreuma. Decoctum & juscula ex sem. 4. refrig. pistac. pin. amygd. clysteres alterantes & nutrientes & alia, quæ in febri hectica prodesse solent, loco hoc quoque mutatis quidem mutandis commodè adhibentur. *Joann. Michael. Prax. Clinic. General.*

Aqua Cochlearum rectè destillata atrophiæ medetur, valenter nutrit, illa sæpe sæpius fælici cum successu semper sumus usi. Proposuimus singulare remedium, & quo aliàs ipse summa cum languentium utilitate, fœlicissimoque successu sum usus. Remedium hoc singulare ad impinguandum partim est à Cardano desumptum, & partim ex nostro marte inventum, & à nobis aqua mirabilis dicitur, cujus hæc est descriptio, quæ mihi semper secreta fuit, nunc autem ad languentium commoditatem & studiosorum curiositatem, publicandam esse censui.

℞. Sanguinis porcini juvenis & adulti nuper decollati ℔ ij. terebinth. Venet. ℔ j. liquirit. ras. ℔ ß. passul. m. v. ficuum ping. numero 50. rad. ireos ℥ iij. pinear. mundatar. m. iij. fol. tabac. m. ij. micæ panis ℔ ß. destillentur in vase vitreo optimè obturato servetur, in loco frigidissimo. Mirabilis est hæc aqua sumpta ad ℥ ij. cum modico saccharo alb. per 15. dies: impinguat valde, & restaurat omnes hecticos, etiam morituros, sed morituri postea redeunt ad consumptionem statim; est gustui grata, maximæque ac incredibilis efficaciæ. Inter cætera quæ maciem arcent, sunt somnus longus, gaudium, lætitia, quies è contra, curæ, sollicitudo, anxietas, & nimia venus, corpora siccant. Cibi saliti & herbacei fugiantur tanquam parum nutrientes, acetum maximè improbatur, nam præter quam quod vitam breviat, corpora etiam exsiccat, approbamus aquæ dulcis Bal-

nea, inunctiones universales ex ol. amygd. d. rec. & pinguedine gallinæ cum rosaceo, & juscula restaurantia. Si nactus fueris ægrotum aliquem divitem, & supra dicta remedia non juverint, tutò confugere poteris ad balneum lactis, quod tantopere laudat *Avic.* in macilentis, consumptis, hecticis, arefactis, & marasmo confectis. *Epiphanius Ferdinandus Hist.* 20.

Consultationes.

Atrophia in Puero.

Consultationem accepi pro Infante Illustriss. peregrinis equidem doctrinis ornatam atque illustratam, quibus tamen minimè opus habuit existimatio vestræ sapientiæ, quæ apud me cuilibet auctoritati præcellit. Quare & ego vobiscum censeo Nob. Infantem, sex abhinc mensibus in atrophiam paulatim perductum, adeo ut tandem marasmum frigidum reformidare debeamus. Hanc autem ab alimenti defectu provenire nullus est cui non constet; non quidem ratione objecti, sed facultatis aut instrumenti; alimenta quippe oblata, quantitate, qualitate, & ordine nutritioni accommodata, ab imbecilli tamen facultate coctrice ventriculi probè confici nequeunt; unde absoluta, non respectiva censenda, ab intemperie frigida & humida proveniens. Hæc autem non solùm naturalis, sed potissimùm ab impuro lacte, & destillatione à capite ad ventriculum magis adaucta; unde rectè dicebat Gal. quod à cerebro valde humido ventris quoque consequitur humiditas; cujus propria passio solet esse diuturnum alvi profluvium. Verùm quoniam non sola intemperie, sed organico quoque morbo affici Infantem Nobiliss. vobiscum suspicor; cùm facilè jam à lacte impuro, & facilius mox à solidioribus alimentis exhibitis; ac tandem à cruditatibus manifestis, quotidie in ventriculo genitis, obstructiones in lacteis, necnon in mesentericis venis necessariò subortas esse conjiciendum sit; ideo imminutæ chylificationi accedit quoque alimentorum non probè elaboratorum interceptus transfluxus, cui succedit eorundem corruptio, ac proinde necessaria quotidiana per alvum excretio; unde ob vitium tum facultatis tum instrumenti diarrhæa fovetur, non tamen stomachalis tantùm, quoniam, si non lienteriæ, cœliacæ saltem passionis indicia hucusque apparuissent; ut propterea mirachialis, seu intestinalis propriè magis sit nuncupanda; quam flatus, umbilicum & partes illas distendentes à cruditatibus in iisdem locis, diebus aliquot suppressis elevati, abundè indicant. Hujus autem diarrhœæ causas immediatas fovere potuerunt, & deinceps poterunt dolores, vigiliæ, inquietudines, gingivarum inflammationes, quæ dentibus erumpentibus, contingere solent; unde dicebat Hippoc. Alvi profluvia his esse familiaria. Quibus ita se habentibus, quid mirum si Illustrissimus Infans non nutriatur; sed quotidie gracilescat, cùm alimenta primò imminutè concoquantur in ventriculo, mox in via perfectiorem elaborationem vix adipisci possint; transfluxu tandem eorundem ad hepar intercluso.

Ut autem nos medicam opem feramus, primis viis cruditatibus satis emundatis obstructiones omni industria sunt reserandæ; ventriculus exsiccandus; jecur roborandum; nec dentitionis difficultas posthabenda; & congruis alimentis corpus nutriendum.

Quæ omnia sicut præstari possent in adultiori ætate; ita hac tenella in dubium revocantur. Nihilominus quoniam audio plurima assumpsisse infantem, imò & vinum absynthite, beneque se haberet ad oblata; ideo salutis ejusdem non est omnino abjicienda spes.

Quare tribus aut quatuor continuis diebus, exhiberem mel rosac. simplex, vel etiam clarif. ad ℥ ij. aq. cinnam. aspersum, mox aquam ex succo agrim. destillatam, in quæ gutt. vj. aut vij. sp. tartari ter quaterque rectificati dissolutæ fuerint, quotidie plures dies præberem, vel infunderem ℈ j. rhab. opt. in eadem aqua, vel in jure agrim. pentaphyl. & radic. gram. per noctem; eidem addendo gutt. spir. tart. matutinis horis pariter exhibendum. Et interim juscula omnia, quæ cibis parandis conficiuntur, china optima & modico lentisco alterarem. Neque quotidianam ventriculi aromatizationem omitterem, unica guttula olei veri atque legitimi cinnam. vel rotula, vel vini, aut juris cochleari instillata, & à cibo exhibita; sicut & usus salis absinthii, in gratiam quoque hepatis, non est posthabendus.

Dum verò hæc omnia intrinsecus administrantur, extrinsecus inunctio totius corporis, oleo amygdalino recenti uberiori, non est prætereunda, sicut & totum abdomen, ung. ros. aliquot gutt. ol. lil. alb. affusis, erit inungendum. Ventriculo verò emplastrum à me pluries expertum applicari poterit, paratum: ex mentha viridi contusa fermento, pulveribus mastiches, & rosar. cum vino malvatico, vel saltem albo generoso reformatum.

A quibus, obstructionibus diminutis, ad usum lactis, tanquam ad sacram anchoram, quamprimùm confugiendum erit; faciliorem enim quàm cætera alimenta concoctionem admittit, & quia satis crassum, ventrem sistit, valde nutrit, pauci est excrementi & huic ætati est alimentum familiare atque proprium. Quod si res bene cedat; à vino omnino erit abstinendum; ventriculo tamen semper aliquam corroborationem conciliando. Dentitio autem erit promovenda, illinendo gingivas lacte canino, aut leporis cerebro. Quæ omnia felicem poterunt sortiri eventum, sub vestra prudentissima, & inculpata administratione, cui ideo omnia libentissimè committo. *Joan. Raym. Fortis Consult. tom.* 1. *p.* 339. *& seq.*

Frigidus Marasmus Consultatio prima.

Senium irreparabile nobis esse testatur quotidiana experientia, quoniam quotidie resolvimur, tum extrinsecus ab ambiente aëre, tum intrinsecus à calore nativo. Et licet humidum instauretur; semper tamen deperdito siccius evadit, operationibus quidem aliquo tempore accommodatius, non tamen pro vita; prout humidum Juvenis cum humido Pueri collatum; unde jure merito irridebat Gal. Philosophum quen-

quendam, qui quadragenarius librum scripsit quo docebat quomodo Senium vitari posset; octuagenarius autem factus, adeo consumptus fuit ut risum apud omnes concitaret. Sicut autem naturale est quod annis labentibus evenit nobis; ita præter naturam quod immaturè juvenilibus annis contigit, ut in Illustriss. Com. Pat. nostro, 29. annum agente, qui hypochondriaco affectu illegitimo pressus, non tamen subsecuto exsiccatorio morbo, minusque nigro, aut corruptorio, ad gravem tamen adeo atrophiam, spatio mensium, modo perductus est, ut propriè magis marasmo eundem laborare affirmare possimus; cum humidi consumptio, ex siccitate adhucnum fiat, nondum verò facta sit, tunc enim Tabes genuina propriè nuncuparetur, frigidus autem hic, non torridus, minusque syncopticus habendus, cùm sit citra febrem & syncopen.

Nec senium ex morbo hic propriè vocandus; cùm hoc ex cordis affectione promanare dixerit Philippus. Marasmum autem consummatum & tabidum non esse, facile nobis suadere potest ejus signorum absentia; flos enim caloris vitalis non periit, squalidum corpus non est, cutis circa frontem nondum sicca & obtensa, nec oculi adeo concavi, neque collapsa tempora. Et licet abdomen, ex hypochondriaca affectione, tum gracile tum depressum sit, præcordia tamen vehementer adducta & contracta non sunt, nec thoracis cutis sicca ac arida; & veluti corium digitis apprehensa producitur, necdum pulsus adeò rarus observatur.

Ortum verò duxit affectus hic ab hypochondriaca affectione, ex venis lacteis & mesentericis à crudo & copioso cibo obstructis procedente, non tamen pylorum primariò & essentialiter afficiente; quæ ideo non legitima, ut illa à Gal. descripta, sed illegitima fuit. In omnibus tamen hypochondriacis semper solet Jecur accendi, cujus causa pylorus deinde in modica caliditate exuritur, unde æstuationes circa partes illas, necnon arteriæ pulsatio, compressione facta, sicque ventriculus fere siccus esse solet, non solùm quia ipsius calor ab immoderato jecoris fervore veluti extinguitur, sed quia turbatis somnis, profundis cogitationibus, necnon jugibus cruditatibus paulatim viscerum humidum substantificum absumitur; quo deficiente, calorem quoque languescere necesse est, ob jecoris vero incendium succi alimentales unà cum crudis, in nostro Pat. Illustriss. combusti quodammodo & liquati fuerunt, renum attractrice facultate non parùm adaucta: unde urinæ, tum copiosæ, tum in superficie pingues diutiùs apparuere; sicque partim ex primis concoctionibus malè peractis, (cum naturalia instrumenta quantò sicciora, tantò ad nutriendum inepta magis sint, potissimùm innato deficiente calore) partim ex liquatione, & insensibili per halitum succorum alimentalium resolutione, consumptis humiditatibus, tum innominatis tum roridis, siccitas modò cambium depascere non desinit.

Ideo sedulo agendum, antequam partem glutinosam corporis siccitas obsideat, & tabes suboriatur; tunc enim omnino desperata res est; *Tabem enim curare nunquam speraveris, dicebat Gal. nam licet caliditas, si adsit, remitti possit, remanet tamen siccitas, quæ senectutis ritu hominem interficit.*

In quem finem, Medicæ intentiones ex fonte Diætetico potissimùm sunt desumendæ, est enim omnino humectandum, sed substantificè, ut totum renutriatur, moderate autem calefaciendum, majori namque calefactione egeret, si senium ex morbo adesset.

His itaque intentionibus satisfaciant alimenta. Quoniam verò cibus non se ipsum ad omnes corporis partes devehit, sed ab ipsis egenis trahitur, & partes invalidæ præ siccitate, sunt ad attrahendum infirmæ; ideo alimentum ut facilè attrahatur, necesse est; hoc autem erit tenuium partium, & moderatè calidum; cùm tamen hoc parum admodum nutriat: crassum namque, viscosum, firmum & difficilis resolutionis debet esse, ut promptè assimiletur; ob hanc ideo contrarietatem non adeo facile alimentorum copia suppetit. Quare utrumque dumtaxat præstare poterit lac humanum, utpote quod magis asinino nutriat, præcipuè si æger muliebrem mammam ore sugat, ut Euriphon, Prodicus & Herodotus Gal. præceptores censebant; idque quoniam lac statim mulctum, ut genitale semen, vim suam & facultatem amittit: cùm præterea, ut non modo concoquatur, sed & distribuatur, ac partibus alendis assimiletur, nativus ejusdem & spirituosus proprius calor, jam dictarum facultatum imbecillitati non parùm prodesse possit. Quare, postquam postremis hisce diebus, lactis asinini uberiori usu naturalia instrumenta, in abdomine conclusa, abundè humectata & pervia reddita fuerint, statim Nutricibus erit committendus Pat. Illustriss. ut altera interdiu, noctu altera lac ipsi præbeat, quarta, aut ad summum quinta quaque hora, & qualibet vice, antequam mammam sugat, sacchari fini cochlear deglutiat. Quantitas verò lactis sit ad mammæ dimidiam exinanitionem.

Et quoniam aliorum alimentorum lac societate non gaudet, ideo per aliquot temporis spatium solo lacte contentus sit; bis tamen in die, tum mane, tum vesperi, vini albi subdulcis & parumper aromatici semicyathus, cum offa panis madefacta concedi potest, cùm frigido marasmo conveniat.

Sed quia exsiccatæ sunt totius corporis partes, ac venæ, propter attractricis facultatis imbecillitatem, unde difficilis evadere posset etiam lactis distributio: ideo in hunc finem picationes ab Antiquioribus commendantur: quibus nos manibus oleo amygd. abundè inunctis, cutis non solùm: verùm & musculorum contrectationes, & placidas evulsiones substituimus, iterum, vel tertiò in die adhibendas: Dum eodem tempore inunctiones uberiores præcipimus, (cum temporis inclementia balneum non admittat) ut autem oleum jam dictum penetrantius evadat, bulliat cum pauco vino malvatico.

Mense verò exacto, sola sufficere poterit nutrix, lactis inopiæ substituendo ptisanam hordeaceam dilutam, cum emuls. amygd. dulcium, & nucleorum pineorum, cum pugillo sacchari, & cochleari instaurantis ex capone, in pauco

jure dissoluto bis in die, quinta aut sexta quaque hora.

Et dum jam dicta omnia fiunt, alvus clysteribus ex lacte & butyro, vel ex jure pingui & butyro, vel ex ol. amygd. & butyro, erit provicienda, & quandoque sacchâro fino addito, solicitanda. Somnus utpote maximè necessarius, erit conciliandus martio pane, ex amygd. & saccharo, cum ℥ iß. sem. papav. albi pro qualibet libra, simul contusis; cujus dosis erit ad ℥ ij. quo non sufficiente, injiciatur clyster ex lacte, in quo dissoluta sit ʒ j. philon Rom. rec. qui tamen non ultra tres horas aut quatuor contineatur. Et tandem, ad inhibendas pollutiones, quibus, ob renum & vasorum imbecillitatem, à calore contractam, obnoxius esse solet, hac inunctione illinatur renum regio.

℞. Ung. rof. Mes. ℥ ij. popul. ℥ j. ol. saturnini, id est de plumbo ʒ ij. camphor. ℈ß. succi sempervivi, ol. nenuph. an. q. s. m. ref. in mortario plumbeo. Abdomini continuò applicetur lana oleo amygd. imbuta, addita exigua portione mastichini; interdum omenta suilla & vitulina iisdem oleis madefacta.

In cæteris Aër sit temperatus; utraque exuperantia, tum frigoris, tum caloris nocere potest. Nutrices selectioribus refrigerantibus & humectantibus cibis alantur abundè, vinumque dulce iisdem exhibeatur; substantifica namque debet esse earum victus ratio; etenim Galen. Asinis quoque victus rationem præscripsit. Quies quam maximè conducit: Animi pathemata arceantur. Et læto & præsenti animo vivat.

Pro eodem Consultatio secunda.

Justa curatio præscripta & administrata refrænandæ, & tandem superandæ atrophiæ universali, quæ Pat. Illustriss. ad tabem, sine febre marasmum scilicet frigidum perducere videtur, cùm duorum mensium spatio nihil profecerit, cogitandi ansam nobis præbuit, ne in eadem persistentibus, marasmus qui non adest, tandem succedat. Ex duabus autem causis nos resolventibus; consideranda potissimùm universalis diaphoresis, sive insensibilis resolutio, qua non procedente, neque corporis nutritio neque alimenti appetentia fieri potest; cùm totius exinanitionem sequatur exinanitorum desiderium naturale: huic verò succedat suctio, dum vasa majora in centro à minoribus in circunferentia sanguinem attrahunt, ut necessarius appulsus sanguinis ad cor conservetur; quare exuguntur quoque venæ ventriculi, divinum cibi promptuarium à Gal. dicti, quam suctionem mox percipit ipse ventriculus; cui succedit tandem fames, appetitus animalis; & ita, quo copiosior facta fuerit totius habitus corporis resolutio & inanitio; eo majori, copiosiori & crassiori alimento indigebit corpus; morbosa namque tunc temporis evadit, & affectum illum constituit, à Gal. descriptum, his verbis. *Quandoque Pat. multos assumit cibos, qui neque crudi sunt, neque per alvum dejiciuntur, neque plenitudinem efficiunt, neque etiam probè alere possunt; sed dissipantur, discutiunturque celeriter.* Hocque nobis persuadet, quòd sufficiens alimentum, lac nimirum Illustriss. Pat. præbetur, quòd chylificationis nec imminutè, nec depravatè elaboratæ signum exhibet, quodque sanguificationem satis idoneam subire conjiciendum; quoniam totius calor probus est. Quod si, aut ob vasorum exsiccationem ad partes non permearet, aut calor partium, ob imbecillitatem, hoc ipsum non actuaret; inutile certe in corpore retineretur, sicque cachexiæ jam præludium adesset; quæ jam dicta cùm in nostro casu non appareant, alimentum insensibiliter resolvi credendum; eo potissimùm, cùm caloris immodici & acrimoniæ alia signa non desint; frequentes nimirum nocturnæ pollutiones, cum simulacris jucundis; atque adeo ab irritata, non laxata facultate provenientes; & præterea molestæ ac contumaces vigiliæ, corpus dissolventes.

Quare deliberatum fuit, non solam alimenti qualitatem, verùm & quantitatem esse alterandam; magis enim glutinosum, nec adeo facilis resolutionis debet esse, & quodammodo plenius; atque interim totius corporis obstructio continuò procuranda, pollutio inhibenda, & somnus conciliandus.

Quibus intentionibus satisfieri debere censemus, bis in die, lac naturali substituendo artificiale, ex jure pedum vituli, borragine alterato, quo extrahatur emulsio ex amygdalis, nucleis pineis, & sem. melon. cum modico saccharo. Quod si fortasse observetur ventriculus aliquo pacto gravari, addatur quoque cochlear aquæ cinnamomi ut frigiditati ejusdem & cordis prospiciatur; progressu verò dierum, addatur quoque instaurans pullæ, non omisso interim lactis muliebris usu, duabus aliis vicibus, intra diem naturalem, addito pane, vino albo satis aromatico madefacto, ita ut quater in die alimentum assumat.

Extrinsecus verò inungatur totum corpus ol. violaceo, addito quoque myrtino. Somno autem conciliando, injiciatur Clyster ex lacte, in quo Phil. Rom. rec. ʒ j. dissoluta fuerit; & tempora atque sutura coronalis ol. nenupharino inungenda: hoc enim solo ad contumaces vigilias uti solebat Rhasis.

Ad nocturnas pollutiones sistendas, præberi poterit camphora; verùm à proprietate pariter prodesse solet pulvis ossium sepiarum ad ℈ j. Mirabilis quoque censetur à Medicinæ scriptoribus tinctura corallorum chymica. Extrinsecùs verò, cæteris incassum tentatis, præstat oleum ex seminibus hyoscyami expressum, quo illinantur pudenda, & potissimum perinæum. Quæ tamen omnia ab Excellentiss. Viris præsentibus summa observatione administranda & ad lubitum corrigenda.

Pro eodem Consultatio tertia.

Historia tum præteritorum tum præsentium de statu Illustriss. Com. ad amussim ab Excell. Viro descripta ac delineata, nos movet ad renovanda ea quæ possint ipsum ad meliorem statum redigere qui quoniam in nutritione consistit, victus quoque potissimùm alterationem desiderat: in quem finem, parumper immorandum præteritorum considerationi, & quærendum, cur à justa alimentorum quantitate corpus totum instaurari, sive carnis moles augeri non potuerit? quod dubio procul non aliunde

pro-

ptomanare potest, nisi quia alimentum in sanguinem non convertatur; vel quia sanguis à partibus suscipiatur quidem, non verò assimiletur; qui rursus non assimilari potest, vel quia ab earundem partium imbecilli calore non actuetur, vel quia sensibiliter & insensibiliter dissipetur, ac resolvatur. Vitium primum non adesse credimus, quia copiosiora excrementa & cruditates in primis coctionibus accumularentur & observarentur, neque secundum, quoniam si sanguis copiosus produceretur, neque à partibus absumeretur, venæ copioso sanguine turgidæ, hujus nobis signum aliquod præberent. Supereit igitur, ut vel non actuetur ob imbecillitatem nativi caloris partium corporis, vel dissipetur. Quorum utrumque nostro casu concurrere credi potest, sicut enim partes, caloris principio proximæ, satis humescunt atque nutriuntur, ita remotiores exsiccatæ magis apparent. Verisimilius tamen, quod, cùm corpus totum raræ texturæ, valde transpirabile & resolubile sit; sensibiliter ideo per sudorem & per halitus insensibiliter alimentum, non tam cito à caloris imbecillitate in partes conversum, continuo resolvatur, eoque facilius; cùm propter vasorum & viarum exsiccationem, ægerrimè ad partes devehi possit, quæ mora ipsi resolutioni commodum & opportunum tempus præbet.

Quibus ita habentibus, medicæ intentiones esse debent, alimenti quantitatem augere: qualitatem alterare; illud opportuno tempore devehere; & totius corporis porositates densare.

Et primò, si de quantitate loquamur, ea fuerit quantam ventriculi vires tolerare possint: si de qualitate, crassior & resolutionis difficilioris præscribenda erit; si de alimenti distributione, laxantibus quidem & humectantibus, sed & attrahentibus utendum. Et tandem cutis densitas ex cautione procuretur, quæ necessariam excrementorum resolutionem, & caloris nativi transpirationem intercipere nequeat.

Itaque lacti bis assumendo, ovum recens tremulum addi posse credimus: emulsioni verò substituere ptisanam hordeaceam, ab Excellent. Viro propositam, è re ducimus, cui addatur emulsio amygd. more Fernel. & pineorum nucl. cum pulli instaurante, cum qua tamen simul bulliat vituli pes, omissis seminibus melonum & plantaginis foliis, à qua ebibat haustum vini odoriferi, potiùs generosi. Mox quibusdam exactis diebus, poterit minutim incidi pulpa pulli, & simul cum ptisana misceri, masticationi instituendæ; omisso tamen instaurante: quæ si à ventriculo bene tolerentur, masticatio erit augenda pullis nuper natis, & sorbitiones minuendæ; ita enim majoris durationis, magisque firma evadet ipsa nutritio; cum, *eorum, quæ facilè nutriunt, veloces quoque sint excretiones*. Totum verò corpus erit oleis consuetis inungendum; quæ inunctio si Viris Excellentiss. non sufficere videatur, paretur illitus totius corporis, manibus leviter faciendus, ex duabus partibus ung. ros. Mes. & tertia medullæ crurum vituli, sic enim majori poros cutis obstruendi, nec exigua humectandi ac nutriendi vi pollebit. Sed interim aliqua attrectione omnino opus fuerit; quare loco molestarum picationum, manibus amygd. oleo inunctis contrectentur cutis, & musculi coxarum, tibiarum atque brachiorum, idque quinque horis ab assumpto cibo, quod tempus distributionis proprium est.

Et quoniam aliqua de vigiliis querela obauditur, & inunctiones capiti nocere ferunt, panis martius, utpote medicamentum alimentarium, à nobis proponitur, exigua quantitate assumendus. Quæ jam dicta salutaria fore speramus, Sapientissimæ Excellentiss. Virorum administrationis ope.

Pro eodem Consultatio quarta.

Si longè difficilius est humectare siccum, quàm exuccare humidum, cùm illud non simplicibus, sed materialibus qualitatibus remitti debeat; quid dicendum fuerit, quid cogitandum de substantifica humiditate, quæ in hoc illustrissimo Comite jam fere ex toto fuerat absumpta? Unde Hippocr. multo magis, semper errores in tenuiori quàm in paulo pleniori victu reformidavit, prout pariter exinanitiones quàm repletiones ipsas; quia non adeo difficulter evacuantur, prout ægerrimè implentur corpora atque instaurantur. Rationi itaque consentanea, quinimò necessaria fuit, hæc paulatim & gradatim procedens in pristinum restitutio, dum de humiditate substantifica reparanda, & prius de intemperiebus siccis, omnium pessimis, auferendis, semper huc usque actum fuit. Neque ideo mirandum si hyemali adventante frigida tempestate, aliqua symptomata emerserint, inofficiosa nempe alvus, sedimentum urinarum consueto crassius atque limosius; & tandem somni breves: etenim primò ventris segnities, sicuti ex defectu biliosi excrementi sæpe provenire solet; ita casu nostro à congestis cruditatibus, ab ambiente frigido primò à capite in ventriculum expressis; mox & ab eodem refrigeratis visceribus, & ventriculo potissimùm, productis (cùm antiperistasis in istis gracilibus corporibus locum non habeat) aquarum proventu bilis facultas refracta, imò & partim expultrix oblita & segnior reddita, alvum à proprio munere vacare coëgit; cujus rei indicium præbere potest plumbeus ille color, instar non bene confectæ ptisanæ. Adauctis autem cruditatibus, & eodem tempore constipa diaphoresi, & insensibili consueta evacuatione necessariò imminuta, quid mirum si sedimenta in urinis crassiora apparere cœperint? Tandem somni brevitas melancholicis familiaris esse solet, quia siccitas primum locum obtinet in vigiliis excitandis; unde habet cum Hippoc. Gal. quod senibus facilè vigiliæ fiunt, tùm quia senectus plena curarum, tum quia senes exsiccatum corpus habent; quibus nos addere possumus vigilandi consuetudinem, quæ in Illustriss. Viro, ab animi studiis, sive timore facile originem duxit. Quæ omnia licet à nobis parvi facienda videantur; in Illustrissimo tamen Juvene omnino negligenda non sunt, ne confirmentur, neve augeantur, & ne absque medicis auxiliis, anxius propria mala foveat.

Quare proba concoctio est adjuvanda, somnus

nus conciliandus. Et quia illa non parùm ab alimento concoquendo pendet; ideo alimenta concoctu facilia, nec adeo crassi succi; quibus conficiendis ventriculus agendo non repatiatur, sunt deligenda; atque ventriculo robur aliquod conciliandum; licet enim de nulla ejusdem querela fiat mentio; edulia tamen adhuc cruda dimittere credendum.

Ptisanæ itaque usus omnino rejiciatur, ut quæ non nisi febricitantibus, æstuanti ventriculo, & hypochondriis, continuò conveniat, crassumque succum producat, pineis præsertim adjuncta; & vi detersoria prædita, reliquos quoque cibos à ventriculo citiùs, quàm par est, expellat; hujus autem loco, assumat edulium aliquod ex ovis paratum, vel ex Apula pasta, vel ex oryza dilutiori, vel ex endivia & borragine in jure coctis, ovis additis. Nec caro pullæ ampliùs contusa, sed commansa assumatur, ut ita ventriculus magis uniatur, nec adeo ut à liquidis laxetur. Ita convenient caro tenerrima Volucrum sylvestrium, non tamen aquatilium. Pisces quoque saxatiles, & ova recentia. Vinum sit potiùs generosum quàm tenue, nigrum, non tamen omnino meracum. Quod si inter cœnam & prandium primis horis matutinis, pauco aliquo alimento opus fuerit, hoc sit jus pullæ cum ovi vitello conquassatum; quod nonnunquam malva aut mercuriali alterari poterit, ad alvum emolliendam.

Aliqua quoque ventriculum roborantia in usu habenda, ut grana mastiches, hora una ante cibum integra deglutita; aut sal absynthii, aut ejusdem conserva; prout extrinsecùs pannus coccineus ventriculo adinducendus, & gestandus, ut calor ejusdem proprius foveatur potiùs quàm alienus accedat. Somnus verò accersendus auxiliis aliàs à nobis propositis, & potissimùm usu panis martii, qui parari poterit ex ℥ ij. sem. papav. albi, pro qualibet libra amygd. & sacchari, ita enim unica sufficiet uncia, à cœna assumenda, suavis etenim, nec minùs noxium præscribi potest familiare somniferum. Meditationes sub ingressum lecti ablegandæ, his enim præsentibus somnum conciliare impossibile foret. Quæ in gratiam perfectæ salutis, à nobis ex intimo pectore Viro Illustriss. optatæ, raptim, scripta fuere, à summa prudentia Viri Excellentissimi Adstantis melius disponenda.

Pro eodem Consultatio quinta.

Vicit ut Leo, Fortis, quia Gallum non hostem, sed amicum, imò commilitonem habuit, qui arena sive campo potitus, Leoni gloriam comparavit, licet palma cum campo, Gallo debeatur; Utinam verò in mearum consultationum executione pro commilitonibus, Medicos adversantes, sive remediorum subversores frequentes non haberem, qui aut ignari, ne unguem quidem à præscriptis discedunt; aut arrogantes, præscripta mutare contendunt. Quare tibi potissimum, in omnibus quidem, sed præsertim in re medica pereruditо, atque prudenti Comes Illustriss. pristinam sanitatem debebit.

Duo autem nobis supersunt in præsens consideranda; Urinæ à naturali statu alienæ, & victus ratio in cæteris observanda. Urinæ quidem, primò coloratiores, aliquando verò cum tela supernatante densa adeò ut quandoque pelliculam referat. Crassior verò est ejusdem hypostasis, quæ fere statim à mictione in media matula filamenta exhibet, & fundum petens, limosa, subrufa, conspicitur rubrum pollinem potiùs quàm arenulam referens, quarum urinæ conditionum unica causa est, nimirum imminuta concoctio, cum vitioso atque exuperanti calore; quæ quoniam in omnibus partibus perficitur; ideo cruditates variæ conditionis sese nobis exhibent, prout vel à jecore, vel à venoso genere, vel à partibus ipsis excrementitia cruditas superest ac secernitur, & quidem supernatans à partibus, filamenta à ventriculo & jecore; & à venoso genere limosum atque subrufum transmittitur quod & arenosum quoque in venis ipsis evadere posset, si major in iisdem vigeret caliditas, tunc verò parietibus matulæ adhæreret, atque adeo nunquam calculo cogendo idoneum; necesse quippe est arenosa in urinis subsidere, non autem limosa, nec arenosa parietibus adhærere, ut calculum efformare sint apta; quæ enim in renibus generantur arenulæ subsident omnes. Lithiasin autem præcedere solet materia tartarea, & meiendi aliqua difficultas; etenim lapis in vesica cogi non potest, nisi præcedente ejusdem insigni calore, à quo constringitur ejusdem musculus; unde urina coercetur; Hippoc. *Vesica excalefacta urinam non dimittit, sed retinet, & quod crassissimum & turbidissimum est, circumvolvitur & concrescit.* Ex quibus colligere est, coctiones omnes imperfectas & imminutas esse; nam si perfectæ forent, tanta alimentorum copia velocissimè corpus, non modo nutrire, sed impinguare potiùs deberet.

Quare nutriendi modum, quoad quantitatem & ordinem saltem, si non quoad qualitatem, mutandum esse censemus. Et quoniam cum Avic. nil deterius quàm comestio supra comestionem, ideo tempus diuturnius inter unam & alteram alimenti assumptionem erit interponendum; atque adeo ter die nutriendum, ita ut summo mane lac sugat muliebre, ad summam dosin, cum sacchāro, & statim ab eo sumat cochlear aquæ cinnamom. Quinque verò aut sex horis ab assumpto lacte, prandeat, sitque prandium quandoque ptisana hordeacea, cum ovi recentis vitello, quandoque panis, jure optimo imbutus, quandoque edulium ex subtilissima pasta Apula paratum; mox pullum gallinaceum juniorem comedat, bibatque vinum album, odorum, iterum aut tertiò in prandio. Hora verò prima noctis, ad cœnam se conferat, ex panatella cum emulsione amygd. dulc. & pineorum, cum saccharo, & quarta parte, vel dimidia pulli junioris jam dicti, duabusque vicibus bibat. Interim manè surgat, & duabus saltem ante prandium horis, ambulans in cubiculo corpus exerceat; mox à cibo, hora transacta, decumbat, & hora 21. & 22. rursus surgat, & leniter ambulet, imò & in apricum nonnunquam prodeat; calor enim nativus, sicut à motibus violentis resolvitur, à nullo torpescit, ita à moderato vivificatur, sicque coctiones perfectiores & excrementorum excretiones, vel copiosiores vel promptiores

evadunt. Siti verò non semper indulgendum, sed oris collutionibus deludenda, vino albo tenui, quousque jecoris & renum calor accommodatis contemperari possit. Atque hæc potiora, reliqua Excell. Viro dijudicanda & statuenda committentes. *Joann. Raymund. Fortis Consult. tom. 1. Cent. 3.*

Observationes.

Quidam Atrophiâ laborans mala citria summoperè appetens unum integrum & magnum 4. librarum pondere comedit, quod, ut scimus, commanducatum à quolibet sano difficillimæ concoctionis est; tamen hic æger citro devorato meliusculè habere incepit & convaluit. Indulgeant quandoque Medici ægrorum voluptatibus cum modo & mensura, multoties enim natura à nullo edocta id quod est sibi utile maximoperè appetit. *Dominicus Panarolus, Observ. 36. Pentecoste 2*

Vir quidam obesus & pinguis, ex febrili calore, & diuturna hepatis intemperie siccâ, conniventibus cutaneis meatibus, non nutritus in atrophiam incidit, cui, non proficientibus aliis remediis, 15. diebus continuis ad normam Galeni adpicationem applicui: cujus usu ita impinguatum est corpus, ut paucis auxiliis adhibitis ad pristinum statum fuerit redactum. Picatores dicuntur illi, qui ferulis pice illitis partem debilem concutiebant, & sic motu & calore, sanguinem & nutrimentum ad partem attrahebant, & hac ratione membrum gracillimum impinguabant. *Zacutus Lusitanus. Obs. 136. lib. 1. Prax. Admirand.*

Anno 1594. mense Januario puer 13. annos natus, filius *Petri Von Werd*, civis Coloniensis, ex variolis tumores aliquot ex lenta & viscida materia circa humeros, cubitum dextrum & genu contraxerat. Horum nonnullos, qui humeros occupabant; incidi, & processus superiores scapulæ (quos rostra porcina vocant) extraxi: quo facto numeri nullo motu deperdito restituti fuerunt. Cubiti verò tumorem, quum ad id me parentum cogerent preces, discutientibus medicamentis resolvi: Sed non multo post, brachium usque ad humerum in atrophiam incidit, & ita desiccatum est, ut periret motus omnis. Verùm appetente vere, puerum denuo purgavi leni quodam medicamento phlegmagogo, qualia sunt Diacarthamum & Diaphœnicum cum rhabarbaro. Deinde singulis diebus bis terve brachium decocto capitum, pedum & intestinorum vervecis vel vituli, cum lumbricis incoctis, insuccare jussi, quoad pars inciperet rubescere. Tum præsto fuit famulus, qui parvo quodam instrumento excavato corneo, præcipua brachii vasa sugeret. Hinc totum brachium, humerum, collum, & pectus cum succo lumbricorum, & oleo amygdalarum dulcium simul mistis, inunxi. His Deo benedicente, brachium pristino restitutum fuit vigori. *Guilielm. Fabric. Hildan. Obser. Chirurgic. Centur. 1.*

Ante annos tres in Alsatiam ad puellam decem circiter annorum ætatis, atrophia cruris per annos aliquot laborantem, vocatus fui. Circa puellam hanc diversi barbitonsores occupati fuerant, omnæmque lapidem moverant, ut extenuationem illam partium musculosarum, ac claudicationem corrigerent. Ego cùm primum denudatum crus inspexissem, dislocationem coxæ reperi, indeque Atrophiam propter compressionem vasorum, venarum imprimis, & arteriarum provenire, parentibus indicavi; & quid circa affectum huncce tentandum, aut præterea de eventu expectandum, simul significavi.

Ante dies 15. ad puellam duodecim annorum claudicantem, & atrophia cruris laborantem, vocatus fui. Hanc barbitonsores nostri per menses tres in Xenodochio curandam habuerunt: circa genu quidem, ubi sedem mali esse arbitrabantur, multa adhibuerunt medicamenta, sed frustra. Nec immeritò: quandoquidem dislocatio in coxa, quam barbitonsores nunquam observarunt, & claudicationis, & atrophiæ sola causa erat. Hæc fecit ignorantia artis Anatomicæ, simul & sordida negligentia. *Idem.*

Anno 1597. matronam 63. annorum curandam habui, illam, cùm propter herniam intestinalem, in gangrænam degeneratam, præter modum extenuata & emaciata fuisset, remissa febre, beneficio lactis muliebris post Deum in integrum restitui, & ad 15. usq; annum post curationem supervixit. De gravissimo hocce affectu videat Lector Observ. 55. Cent. 1. singulis autem matutinis, absoluto somno, maximum haustum lactis ex juvencula, & optimo corporis habitu prædita, rustica, ad lectum ægræ emulctum, ægræ propinavi. Deinde circa decimam prandebat. Aliud habeo exemplum memorabile de præstantia lactis muliebris. Dn. Jacobi de Tribus Paterniacensis filiolus, 4. annorum ætatis, post dysenteriam gravissimam Lyenteria correptus fuit, quam secuta est periculosa atrophia, ita ut ossa vix cute obtegerentur. Juscula & quidquid assumebat, indigestè iterum per secessum excernebat. Suasi ut mater infantem semestrem, quem lactabat nutrici alicui committeret, periculumque faceret, an atrophiam huncce ac summam extenuationem corporis, cum labefactatione virium, lacte suo reficere posset. Mater consilium, infans verò papillas celeriter arripuit, & cum aviditate exsuxit, omnemque cibum in posterum respuit. Hæc cùm ego viderem, & de salute ægri spem aliquam conciperem, singulis diebus regionem ventriculi, totumque abdomen sequenti unguento bis calidè inungere jussi.

♃. Ol. Mastichis & menth. ana ℥ j. ol. nuc. moschat. Gumm. Tacamahac. pinguissimi ana ʒ j. Terantur omnia lentissimo igne, percolentur & reserventur in vase vitreo. Hisce præsidiis convaluit, & per multos annos supervixit. *Idem.*

Tria fuere veteribus, juxta Oribasium, coll. lib. 7. cap. 16. cucurbitularum genera, vitrea ænea, cornea. Quorum priora trahunt per ignem; posterius citra ullum, solo oris suctu. Quæ cornea cucurbitula, licet nobis ferme in desuetudinem abierit, plurimi tamen etiamnum fit Indis, sub torrida Zona habitantibus.

Qui curaturi dolorem colicum, Juvenis mihi notissimi, infudere primùm ore clysterem: mox applicuêre abdomini cucurbitulas corneas,

neas. Quarum spiritu, per exile foramen, ore (ut Celsi verbis id efferam) educto; occlusêre festinanter cavum id digito: Cùm ut cuti firmiter innæresceret cucurbitula: tum ad eliciendum flatum intestinis molestum. Quem certè felicissime, huic juveni, hac ratione, subduxere barbari. Quapropter domum reversus, donavit me tali cucurbitula. Cujus periculum equidem aliquando facturus, selegi mihi (uti etiam fecit Fabricius Hildanus, cent. 1. obser. 80.) brachium ab atrophia consumptum. Cui imposui hasce cucurbitulas loco picis, ac resinæ: quibus legimus, in simili necessitate, usam fuisse, antiquitatem etiam nobilissimam. Attrahunt autem hæ cucurbitulæ potenter; & abducta aptissimè cute, elevant venas, & arterias, præ macie in se collapsas. Quibus iterum adapertis, commeant denuò quocunque, sanguis, ac spiritus. Quorum indesinens affluxus, nisi cottidie subiret: in locum eorum, quæ continenter ex corpore, decedunt; non solùm non aleretur, sed emaceraretur necessariò, membrum tali vitio infectum. Cui maciei nihil profectò salutarius est, hacce corneâ cucurbitulâ. Præsertim si affigatur dextrè, juxta cursum venarum, arteriarumque illuc nutrimentum, ac vitam deferentium. Nautæ Juniori, effluxêre, ex amplo brachii abscessu, tam frequens pus, & adeo copiosus liquor: ut subducto succo alimentali, & dissipato, plus æquo, calore vitali, conciderent venæ inanes: cessaret accretio: & tandem emacresceret brachium universum. Cui jam exarefacto, ubi imposuimus aliquoties cucurbitulam corneam: vidimus ipsius suctu, tantum caloris, ac sanguinis, ad cutis extrema attractum: ut exsuccum illud brachium, non modò non aleretur iterum; sed adipisceretur denuò pristinum vigorem: imò tantùm virium, ac roboris: ut potuerit deinceps quocunque iterum navigare, & in mari, nullo non fungi officio. *Nicol. Tulpius Observ. Medic. lib. 3. Obs. 49.*

Medicus meticulosus, veritus, ob imbecillitatem, venam ferire Catharinæ Geriæ, acerbissimè ex latere dolenti, auxit tantoperè, febrem; utique inflammationem, in membrana costas succingente, conceptam: ut ex retorridi sanguinis æstu, ipsa non secùs emarcuerit; ac si laborasset, immedicabili tabe. Quam etiam non obscurè videbantur designare, sputa ita frequentia, ac sordida: ut copiâ, capacem pelvim; & fœtore, spatiosum facilè replevissent conclave. Re autem ipsius, jam plane desperatâ, & morbo, ultra quartum mensem, in ipsam sæviente; apparuit ipsi, qu si ex machina Deus, excitando, nescio quod, crudorum ostreorum desiderium. Quod eò quoque lubentiùs concessimus, quò minùs hactenus profuissent, potiones concinnatæ, ex humidis ac frigidis herbis. Qua spe etiam minimè excidimus. Vix enim comederat cruda hæc ostrea, quin protinus imminuerentur non tantùm calor, ac febris: sed etiam usque eò perniciosissimus hic morbus: ut brevi integrè convaluerit. Extincto, ab algido, ac viscido ostreorum succo, pertinacissimo illo incendio: quo, procul dubio, conflagrasset miserrimè universum ipsius corpus. Non temerè itaque Celsus. Quos ratio non restituit, adjuvat temeritas. Neque certè inconsideratè agere videtur, qui circumspectè cedit naturæ inclinationibus: & obliquat prudenter sinus, ubi non licet, rectum tenere cursum. Satius quippe est, anceps remedium experiri, quàm nullum. Dubia namque spes, certa desperatione potior. *Idem. Obs. Medic. lib. 2. Obs. 8.*

Tabes dorsalis, seu φθίσις νωτιάς, duplex est Hippocr. Altera ab immodica Venere, lib. 11. de morbis. Altera vero, à destillatione in spinam dorsi, lib. de glandulis. Quam utramque speciem lubuit Balduino Ronsæo lumbaginem vocare. Quanquam hæc vox designet Festo, solam lumborum imbecillitatem. Præterquam tamen in tabe dorsali videre est, cùm dolorem continuum; tum marcorem insuperabilem. Quorum naturam minùs significanter cùm exprimat lumborum imbecillitas: satiùs erit, stare ab antiquitatis sententiâ, quàm temerè ab ea desciscere. Dolorem autem hic parit, acida pituita; dilacerans magnopere vel membranam, quæ spinalem medullam proxime cingit: vel ipsos nervos inde oriundos. Sed si obstruantur venæ, aut arteriæ: sive à lumbis, sive à cervice huc delatæ: vel ob constringens frigus, à nimia Venere illis impressum: sive ob prolapsum crassioris pituitæ (cujus maximam copiam equidem aliquando illic conspexi) eripitur ægro, non modo consensus inter superiores, inferioresque corporis partes: verùm redditur præterea sterilis, propter interceptam, decidui seminis, materiam. Neque marcescit solùm ipsa spinalis medulla, quæ obstruitur: sed contabescit utique cum illa corpus universum, communicato paulatim malo, hinc per nervos cerebro; illinc per arterias cordi; uti per venas Jecinori. Quorum nobilissimorum viscerum functione, evidenter læsâ: torpet necessariò corpus; marcescit animus; & consumitur miserabiliter homo. In qua tergemina, nervorum, venarum, ac arteriarum via, invenire quoque est viam; inducentem, vel febrem convulsioni; vel convulsionem febri. Siquidem febris supervenit convulsioni; discutit (ut cum Galeno loquar) æstuans cordis calor, illud frigus: quod lenta, ac viscida pituita impresserat, nervis spinalis medullæ. Quod si vero convulsio sequatur febrem; vel exaruit spinæ medulla, præ febrili incendio; vel acris, fervidæ bilis, vapor, ab accenso corde, per arterias, illuc effusus, pupugit tam rigidè sensiles ipsius membranas: ut inde sequatur exitialis nervorum contractio. Potissimùm si vires exhauserit præcedens febris. De qua propterea satis circumspectè Hippoc. lib. 2. aph. 26. πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ. Febrem convulsioni supervenire, satius est, quàm convulsionem febri. Samueli Vespretio elevabat impurus lien, tot vapores versùs cerebrum: ut inde destillaverit iterùm plurimùm acrioris pituitæ, primùm quidem in occipitium, ac cervicem: sed mox inde, in spinæ medullam: & potissimùm in lumbos, ilia, ac coxæ articulum. Quarum partium immanis dolor excruciavit ipsum tormento tam indefatigabili: ut amisso omni colore, ac decore, inciderit in lentam febriculam: consumentem ipsum, morte adeo tardâ, ac miserâ: ut ante ejus accessum, non semel exoptaverit, languentem remittere animam, & reluctantem exspuere spiritum: Quod ipsum etiam, in hoc morbo observavit,

vavit, Auctor libri de glandulis: Sed ferendum fuit, quod non licuit mutare. Præsertim Labe hac, jam penitiùs infixa, quàm ut cesserit vel tempori, vel remediis etiam convenientissimis. Argumento certè evidenti, pervicaci, sacræ hujus fistulæ, labi, auxilia medica esse, non solùm infirma, sed ausim dicere, nulla. Idem *Obs. Medic. lib. 3. Obs. 24.*

Anatomicæ Inspectiones.

Puella annorum circiter sex secta fuit: Cum toto vitæ curriculo morbis fuisset obnoxia, præsertim verò tumoribus œdematosis circa articulos manuum, quibus apertis ossa corrupta inveni, nulla tamen fere materia aderat: Dein palpitatione cordis & asthmate divexata, tandem *Atrophiâ* periit. Abdomine aperto, Omenti pinguedo absumpta erat, intestinum cæcum, non lumbrici instar, sed crassum, ex meris glandulis rubentibus compositum, duorum scil. digitorum latum, in quo nihil nisi muci aliquid: Mesenterii glandulæ scirrhosæ, Hepar à naturali magnitudine recedebat, ut quod plus justo magnum esset, Ren sinister dextro multo major & durior: ventriculus chylo vacuus, sed flatibus distentus. In thorace verò Pulmones à convenienti colore recedebant: Pericardium distentum aqua refertum, Cordis auricula dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranosa, crassa, oblonga, in ipso autem dextro cordis ventriculo, materia pinguedini similis. *Ex Observ. Casp. Bauhini.*

In cadavere exenterato Nobil. C. A. B. hæc reperta, 1. Omentum glandulosum & adenibus undique refertum, adeo ut nulla ex parte membranosum appareret, crassum valde & tumidum: in parte dextra, circa regionem hepatis, putrefactum & lividum. 2. Hepatis parenchyma scyrrhosum, tumidum, variisque maculis nigricantibus & griseis distinctum. 3. Vesicula fellis humore nigerrimo & bile atra materiaque quadam tartarea, sabulosa & friabili turgescebat: 4. Ren dexter totus erat corruptus & putridus; sinister glandulis oui columbini magnitudinem adæquantibus undique obsitus & quasi obvolutus: Pulmones toti flaccidi & variegati. 5. Partes circumjacentes proximè Hepatis gibbam partem, ut & renem dextrum putridum, planè erant corruptæ. 6. Cor, Lien, Uterus, Intestina & reliquæ partes naturales. *Timæus lib. 6. Epist. 8.*

Quatuor annorum puer Marasmo extinctus obiit: Animi causa à me secatur cadaver, cujus hepar dum inspicerem, erat supra modum magnum: Habebat Abscessum propè venam cavam, circa partem gibbosam pure circumquaque obductam. Lienem boni coloris & integrum. Omentum nullum, aut vix conspicuum. Pulmones, mirum dictu, nullos; quorum loco erat vesicula membranosa flatu repleta, venulis exiguis munita, originem sumens ab ipsa arteria aspera, quæ refrigerium afferre videbatur cordi. *Fontanus lib. 1. Respons. & curat Medicin.*

Jacobus Knoll adolescens 17. annorum laboravit à puero calculo vesicæ, à cujus cruciatibus, accedente renum suppuratione, macie confectus, viribusque pene exhaustus è vita excessit. Cùm juxta alia imum ventrem scrutando, ac duplicis vesicæ speciem contemplando, venam cavam dissecuissem, corpora alba, pituitosa seu fibrosa, cavitatem earum ferè implentia reperi, qualia in diu decubuis & à morbis chronicis sublatis sæpius vidi; statim cogitavi talia quoque sinus cerebri occupatura, cùm quod uni majorum vasorum obtingat; alterum ab eo raro immune existat: Aperui itaque sinum tertium, in alterutro laterum occurrit corpus sive pituitosum sive fibrosum, certè non adiposum (prout quidam hæc corpora nominare solent) candidum, lentum, tenax, crassitie ferè digiti majoris, circa torcular maximè, & tantùm non tantam cavitatem implens: In cavitate hac tenacius erat quàm in vena cava descendente, ubi ad levem attactum rumpebatur, secus ac aliàs de his pituitosis corporibus observavi &c. Totum hoc corpus pituitosum ex sinu tertio extraxi, cui haud ægrè omnes ejus appendices succedebant, numero magnitudini & fere longitudini vasorum respondentes, adeo ut plurimæ spithamæ longitudinem superaverint: præterea in ramusculos & filamenta, ad numerum propè vasorum divisibiles essent: Similia corpuscula pituitosa, in utraque carotide interna, prope infundibulum, notabilis magnitudinis aliquousque sursum scandentia inveni, non tamen tantæ longitudinis atque erant in venis tertii sinus, quod seu flaccidiora minusque tenacia forte abrumperentur: Adolescens autem hic nihil unquam apoplectici passus est, at sæpius convellebatur: *Jacobus Wepferus Exercit. de Apoplexia.*

Uxor Jac. Bagolle paulatim morbo admodum intricato correpta fuit; Nunc enim palpitatione cordis; nunc dolore & torminibus ventris; interim tamen appetitus non multùm prostratus fuit, ita ut pro more alimenta sumeret, quibus tamen parùm nutriebatur: Tussiculâ quinetiam & dyspnœâ laborabat; Cum circiter annos 4. vitam hanc calamitosam vixisset, ac sceleti fere instar extenuata esset, paulatim stupore & frigore in sinistra manu præcipuè circa extremitates digitorum, correpta est; symptomata tamen hæc ab initio tam exigua erant, vix ut percipi possent, nec aderat tamen multo minùs inflammatio, imò nec dolor ullus: Interea tamen extremitates digitorum, & tota manus paulatim, & (quod mirandum) absque dolore sphacelata & penitus emortua est. Ego, tribus septimanis post inceptam sphacelationem digitorum vocatus, brachium ad cubitum usque, simul & digitos, carbonum instar nigros, frigidissimos, & ita extenuatos, ut ossa vix tenuissima cute obtegerentur offendi; nulla tamen, ut dixi, aderat inflammatio neque dolor, imò nequidem in loco illo in quo calor nativus nondum penitus extinctus fuerat. Porrò cùm etiam perexigua recuperandæ sanitatis spes superesset, rogatus tamen ut brachium amputarem, quia malum adeo lento tardoque gressu incedebat vix ut percipi posset, visum ante operationem corpus præparare: Postea brachium supra cubitum, & quidem in parte sana, feliciter & fere sine dolore à sanguinis profluvio abscidi, vulnus breui digestum quidem fuit, adeo ut laudabile pus appareret, nihilominus circa 11.

post brachii abscissionem, gangræna denuò truncum invasit, ita ut paucos post dies è vita discederet.

In cadavere hæc notatu digna observavi. 1. Abdomen serosi humoris plenum & extensum erat. 2. Mesenterium steatomatis multis scatebat. 3. Sub vena Portæ, & quidem in ipso Pancreate, scirrhus admodum magnus conspiciebatur. Hoc principium & præcipuam causam hujus morbi tam diuturni, tamque gravis fuisse rationi consentaneum est: quia enim venæ Portæ subjacebat, facilè impedire potuit quominus chylus ad hepar perveniret, totumque corpus nutriret, hinc viribus paulatim prostratis, & calore nativo diminuto, sanguinem optimum & laudabilem generare non potuit: Quare in juventute, & ante nuptias, debilis, pallida & palpitationibus cordis obnoxia valde fuerat: in matrimonio tamen melius se habuerat & proles aliquot habuerat: Circa annum verò 1600. symptomata omnia ingravescebant, ita ut continuo de dolore ventris, & quidem ea in parte, in qua scyrrhum invenimus, conquereretur. Supervenerunt item dolores ventriculi & capitis, cum totius corporis imbecillitate, tussi continua, palpitatione cordis & appetitus imminutione: Itaque corpus ita sensim extenuatum fuit ut ossa vix cute obtegerentur: Attamen interim dum ita laboraret puellum genuit, qui hoc anno 1608. bene se habet. 4. Hepar durum, pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat. 5. Pulmo dextra parte materia purulenta ac fœtida; sinistra verò humore seroso imbutus erat 6. Per totam Pulmonis substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra atramenti instar, contenta fuerat; conspiciebantur. 7. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem, diversi coloris, parui tamen omnes, reperiebantur. 8. Cor sanguine planè exhaustum, extenuatum, ideoque valde diminutum & paruum erat. 9. Arteria venosa in monstrosam amplitudinem extensa erat, humore seroso impleta; à quo quia simplici constat tunica, ita dilatata erat. *Fabric. Hildan. Cent. 1. Obser. 89.*

Cùm Christiana Pickia, triginta novem annos nata, Gregorii Jetken Pistoris Thorunensis conjux, per tres fere hebdomadas male habuisset, & de Tumore abdominis cum continuo dolore conquesta esset, se gravidam esse à quibusdam mulierculis persuaderi passa est, inque isto errore hucusque permansit, donec malo in dies increscente, Georgium Grunach Chirurgum ad se vocavit, qui ei oleum anodynum cum chamæmelino mixtum porrexit, utque eo abdomen cum dolore tumidum quotidie inungeret, jussit, hoc facto, in somno, 3. ab inunctione nocte, scil. 21. Junii anno 1674. materiæ purulentæ fere duæ libræ per umbilicum effluxerunt, natura in ipso sibi umbilici centro parvulum foramen effornicante, & abdomen à congesta ista materia vitiosa liberante, non sine magno fœtore viriumque insigni prostratione: Ego eadem die, hora pomeridiana ad eam vocatus, offendi debilem, in abdomine autem, circa regionem hepatis, duritiem aliquam cum dolore animadverti, urina nonnihil erat tincta, pulsus parvus & debilis, pectus purulenta sanie refertum, quam tussis crebra prodidit, quæ omnia atrophia artuum, præsertim superiorum, comitabatur. Appetitus cibi integer adhuc erat, Sitisque nulla eam infestabat, singulis etiam noctibus placide dormiebat. Sed à 14. Junii durities ventris disparebat: Chirurgus interim canaliculum plumbeum subtilissimum semper indidit, per quem dies noctesque coctum pus copiose effluere solebat, superimpositis emplastris idoneis: Ego ipsi primum corroborantia præscripsi, Deinde ob materiæ purulentæ in pectore contentæ copiam, expectorantia. Die 26. Junii puris quantitas valde imminuebatur, abdomine quoque naturalem formam acquirente, sed post deligationem vulnusculi à Chirurgo mane hora 7. peractam, horrorem quendam percipiebat, tum etiã circa noctem subsequentem semper calorem p. n. aliquot horarum: A meridie puris quantitas major erat, abdomine ubique molli, pus autem per vasa umbilicalia foras erumpebat in quæ etiam Chirurgus instrumentum ad medii digiti longitudinem immittere potuit, ad latera verò, in carnem musculosam nullatenus. Unde facile dignoscere potuimus pus illud per venam umbilicalem, tumore mox concidente, ex hepate originem habuisse: Hinc venæ umbilicalis sectionem Anatomici periculosam esse demonstrant, ceu videre est apud Riolanum Fil. Enchir. Anatom. lib. 2. cap. 15. in cons. med. Ideo etiam Epomphalia medicamenta admota umbilico purgare manifestum est: Scitum etiam ex Hipp. Abscessus ventris umbilicum esse terminum. Sed & aquam hydropicorum interdum per umbilicum erumpere, ejusque affectus esse graves hinc patet. Sic nos in præsenti coctum pus per abscessum umbilicalem usque ad mortem fluere observavimus natura scil. illud undiquaque ex visceribus putridis foras expellente. Postmodum ulcus in mammilla sinistra unum, alterum in sinistra natium exoriebatur, donec tandem totum corpus atrophia consumptum sceleton repræsentabat, & tum misera illa die 29. Julii, hora media octava matutina placidè obiit. A meridie hora media prima, cadavere à Georgio Grunach, Chirurgo, aperto, inventum pus & sanies fœtidissimi odoris, in vasis umbilicalibus, quæ ex hepate ulceroso scaturiebant & per umbilicum stillant. Hepar duritie & ulceribus tumidum, quinque libras civiles cum semisse ponderabat. Peritonæum, Mesenterium, Omentum, Pancreas; omnia plena puris, & vix non consumpta: Intestina etiam aliqua ex parte corrupta: Lien, Renes & Ventriculus bene constituti erant: Uterus purulentæ materiæ plenus & ulcerosus: Caro musculosa circa regionem Hepatis eidem adhærebat: Diaphragma, Mediastinum, putrida. Pulmones à pure consumpti, maximè in sinistra parte, ubi nihil de parenchymate pulmonis conspiciebatur, imò pleura sinistra tota consumpta erat. Dextri autem lateris superior pulmonis lobus nonnihil adhuc de substantia pulmonis habebat, flaccida tamen & ulcerosa: Bronchia pulmonum, quæ adhuc salva erant, usque ad principium asperæ arteriæ versus palatum, pure scatebant. Cor salvum, sed flaccidum, ejusque capsula humore vacua: totum corpus plane consumptum

consumptum. Hinc (exceptis liene, & ventriculo) præsentem affectum Phthiseos universalis nomine appellandum censemus. *Simon Schultzius in Miscell. Cur. annor. 1674. & 76. p. 85.*

Natatui indulgens puellus, dum undis marinis nimium credit, ab iisdem per infortunium abripitur, mersusque profundo ægrè à sociis inventus, defertur in littus, & inter frequentes rotantium manus oborta vomitione, salsam aquam copiosè rejiciens, eripitur quidem morti subitæ, sed æger tamen domum refertur, & anicularum suasu, sacculis arena marina plenis calentibusque obruitur, potissimùm qua parte Hepar delitescit, quod de illius partis regione conquereretur: Sed cùm jamdiu sacculorum nullus finis esset, ille quidem lectum deserit, obambulatque cubiculum languidus & pallens, verùm ignoto amicis morbi genere paulatim contabescit: Tandem huc translatus mihi committitur, animam ægrè trahens: Ego re expensa ostendo conclamatum esse, hepar ferventibus arenis perustum, sanguinis motum illa parte non parùm sufflaminasse, eôque ex coacervatis ibi humoribus scirrhum Hepatis natum; meo quidem judicio jam immedicabilem: Quid fit? biduo post exspirat puellus, & quidem 24. horis ante convulsus.

Rogor ab amicis, salvum Hepar suspicantibus, ut aperto cadavere, mortis causam indagem; profuturum id fratribus reliquis, etiam temperamenti imbecillioris, ut sibi rectiùs prospiciant: Itaque resectis integumentis, dum hepar intentius contemplor, naturali longe majus duriusque offendo, atque ostendo astantibus non tantùm viscus durissimum, sed & parenchyma ejus mille abscessibus minutis refertum: Erant autem abscessus illi, non fluido pure distenti, sed duro alboque, quale fere in elephanticarum suum carne quandoque videmus & abominamur: Nec immunis ab eodem malo Lien, circulatione sanguinis luem in diversa transferente: Pulmo superna parte maculis nigris flavisque hinc inde versicolor, sive aqua marina illuc quoque novam calamitatem deportante, sive catarrhis ex capite sensim in pulmones destillantibus: Notavi enim sæpe alias in pulmonibus mortuorum, quos catarrhi infestaverant, nigricantes illas pulmonum maculas, vera vel præsentis vel brevi sequuturæ corruptionis argumenta. *Olaus Borrichius Observ. 95. In Actis Med. Bartholini anni 1671. & 1672.*

Montispessuli Virgo 18. anno ætatis moriebatur, quæ per integrum annum *Atrophiâ* laborarat & à Medicis diversimodè tractata erat: Aliis vermes subesse existimantibus; aliis vero intemperiem partium nutritioni inservientium: Pater defunctæ cadaver aperiri petit à Facultate Medica, *DD. Guichardus* dum secat, aperto peritonæo summus fœtor ab adstantibus non sustinendus, nares eorum ferit. Partes ergo naturales, tanquam facultatis læsæ, pertunduntur instrumento, Tum aliquot millenæ verrucæ circa Hepar, mesenterium & intestina repletæ erant vermibus, & quidem lumbricis longioribus, ut etiam secundum longitudinem intestinorum bini & terni simul juncti ad tactum deprehenderentur. Plura rimari ob intolerabilem fœtorem non licebat: Tanta vero corporis erat siccitas seu ariditas, ut etiam in tanto ætatis flore matrimonio inhabilis fuisset. Hoc sanè loco, licet utrique rectè senserint, dum & vermes adfuerunt, & vitium partium naturalium; attamen novum hoc erat verrucarum spectaculum: Fœtor ille procul dubio ex illuvie putrescente, & materiam vermibus, *ex qua*, præbente. *Phil. Salmuth. cent 1. Observ. 5.*

Cùm Nobiliss. virum *Valentinum de Hoës* &c. Per integrum fere annum *Atrophia* laborantem, tandemque lenta *Tabe* extinctum secarem: In hujus vesica fellea lapilli plusquam ducenti fere, partim quadranguli, partim cineritii, partim subflavi, & auro quasi micantes reperti sunt, Jecorisque substantia planè exesa; De dolore verò gravativo dextri lateris nihil unquam conquestus est. *Greg. Horstius lib. 4. Observ. 47.*

Tres occubuere uni parenti filii, omnes tandem Marasmo tentati, ultimum dissectioni meæ commisit mæstus ille genitor: Nullum reverà nec vel vestigium ullius Bilis in vesicula adinveni; illæsis cæteris omnibus visceribus: Hinc culpam omnem in diagridiata illa contuli medicamenta, crebrius illis defunctis adhibita: Hunc enim errorem illos errare sæpius deprehendi, ut à vehementissimis quoque purgantibus non abstinerent tenera ista ætate, adeoque præmaturè committant funeri corpuscula longiore dignissima vita. *Anonymus ad Gothofredum Mœbium in hujus Fundamentis Phisiologicis cap. 16.*

Puella placentis, libis, teganitis, aliisque hujusmodi in butyro frixis cibis ultra modum sæpius se ingurgitavit: Exinde cùm malè se habere inciperet, mater ex consilio muliercularum multa quidem adhibuit, sed omnia frustra: Tandem ingravescente penitus malo, me quoque 21. Janv. 1673. in consilium vocavit: Offendi puellam satis debilem, & à calore p. n. extenuatam planè, cibum quoque nullum appetentem, crebrò vomentem, & diarrhœa gravi laborantem: Morosa insuper erat, atque à medicamentis ita abhorrebat, ut quæ & qua ratione ei sint danda, tædiosæ curæ haud postrema fuerit pars: Licet verò sub curæ initium calor planè remiserit, vomitus quoque & dejectiones non adeo crebrò infestarint ægram, quia tamen extenuatio corporis, & appetitus viriumque prostratio sensim in dies augebantur, solam mortem horum malorum unicum futurum remedium facilè licuit colligere, reverà die 1. Martii placidè obdormivit ægra.

Post mortem Chirurgus reseravit abdomen, Sed ecce in isto viscera omnia, ipsumque Hepar, quod alias in justo majorem excreverat magnitudinem, apparebant sana; solum Pancreas induratum erat omni ex parte & planè scirrhosum: Glandulæ quin etiam mesenterii hinc inde visæ scirrhosæ, atque in eam auctæ erant molem, ut magnitudinem nucis iuglandis longè superarent. *Georgius Segerus in miscell. cur. Anni. 4. Observ. 87.*

Benjamin Vallenger generosus, annum agens 32. ex lapsu ex equo circa regionem Lumborum contusionem passus est; Post biennium per vices, circa locum contusum multùm doluit;

variaque sequuta sunt symptomata, nempe dolor colicus sæpe recurrens, urina pauca & ejusdem nonnunquam suppressio (verùm absque arenulis & calculis] frequens vomitus, dolor ischiadicus: quibus accesserunt tractu temporis, difficultas spirandi, tussis continu. & violenta, totiusque corporis macies: demum corpore extrema tabe confecto, suppressaque per tres dies expectoratione, obiit.

Aperto abdomine, Hepar floridum apparuit, at vesica bilaria fere vacua: ventriculus & intestina satis sana, nisi quod hæc flatibus distenta & in latus dextrum propulsa: Lien aliquantulum justo turgidior, ut & Pancreas: Renes flacciduli, alioquin satis quoque sani ureteres & vesica tum à calculis, tum à grumis aliisque materiis obstructivis liberi: Mesenterium (absumpta à tabe illius pinguedine) transparens, cujus propterea glandulæ admodum conspicuæ erant, sed justo flaccidiores: Partes hucusque à statu naturali parùm recedebant: Verùm circa mesenterii exortum *ingens apparuit tumor*, qui intestina in latus dextrum, ut dixi, detruserat: Tumor hic ab appendicibus diaphragmatis supernè, ad os coccygis infernè, ad renem utrumque lateraliter, ad umbilicum usque anterius protendebatur, & vertebris lumborum fibrosa connexione firmiter adhærebat: Involvebat autem in sua mole magnam arteriam, venam cavam, vasa emulgentia, plexus nerveos, renes succenturiatos & glandulas lumbares: Longus erat pedem unum, latus sex pollices, crassus quinque, pendebat circiter septem libras: In frusta dissectus, glandulosus apparuit & carneus, magis quàm humoralis. Aperto thorace, pulmones utrinque numerosis tuberculis, variæ magnitudinis, instar cotyledonum vacuarum, albi coloris, substantiæ glandulosæ, ejusdem generis cum tumore abdominis priùs descripto, scatebant: quorum unum majusculum exectum uncias duas pendebat; Adeo tubercula hæc pulmones undique obsidebant, [nam centum ad minimum numero erant] ut primo obtutu ex illis solis eos constare putares. Lobi insuper pulmonum pluribus in locis pleuræ adnascebantur, à qua difficulter separabantur. Anterior pars cordis unico consimili tuberculo infestabatur. Dexter verò ejus ventriculus grumoso sanguine, instar gelatinæ refertus visebatur. *Varthon. Adenograph. cap.* 11.

Puer octennis ab alio quodam puero baculo circa lumbos percussus, aliquot diebus post male habere cœpit, & septimanis aliquot præteritis, licet tempus vitæ ultimum cibo sufficienti nutriretur, Tabe consumptus obiit: Huic licet nec tussis molesta esset, nec febri laboraret, nihilominus à quodam tanquam phthisicus fuit tractatus. Quare parentibus mortis causam scire cupientibus, & me ut cadaver aperirem rogantibus, ipsorum voluntati satisfacturus, cadavere denudato ventrem infimum turgidum reperi, & utrinque circa umbilici regionem ad tactum renitentem: Et quia nec tussim, nec febrem ipsi molestam fuisse intellexeram, illico necdum cadavere aperto, adstantibus significavi causam mali, in mesenterio latitare: mox ventre aperto, glandulas mesenterii non solùm tumentes, sed etiam scirrhosas reperi, & ita conglobatas, ut duorum pugnorum magnitudinem superarent: In thorace verò & pulmonibus nihil penitus vitii occurrit. *Ex Observ. Clariss. Bauhini.*

Georgius Gebhardus variis morbis & longo cruciatu detentus per 13. annos, vix ægra trahens membra, vehementer contabescente universo corpore, frustra hinc inde consultis Medicis, tandem obiit.

Dissecto corpore solum cor illæsum reperi, cœteræ partes erant fœtidæ & putrefactæ, ventriculus inanis prorsus erat, omni chylo destitutus, nec ullam aliam humorosam in se continens materiam, & consequenter occlusus quasi & parvus. In vesicula fellis, & meatu ejus choleram ad intestina deducente, obtulit sese massa quædam nigra, specie vitreorum lapillorum, qui pileis & eorum fasciis & redimiculis, ornatus gratia annecti solent, *adeo quidem ut bilis* reciproco gradu, *propter obstructionem*, spinam dorsi perforando, ad pedes defluxerit, ubi concitavit ampullas ac vesicas ovi columbacei magnitudine, vel etiam majores, tantum ardorem ac dolorem moventes, ut mirum sit quod non singulis horis æger in syncopen inciderit, quibus apertis nihil nisi cholera ichori commixta exivit. Mesenterium à tinctura illius choleræ undiquaque putridum erat. In renibus deprehendi materiam calculosam satis multam, præcipuè autem in sinistro, ubi apparuit lapis haud exiguus, ita ureteri acuta sua cuspide insertus, ut omnis urinæ ad vesicam transitus sit interceptus. Pedes illius magis quàm in leproso squallidi erant. *Ex Joan. Fabri Observat.*

Detectis Glandulis novis patet unde pendeat atrophia partium, præsertim thoracicarum, quæ ex glandulis lacteis chylum sugunt: Premitur subinde Receptaculum lacteum & *διάδοσις* chyli remoratur, obstruitur, & inflammationes aliosque tumores patitur: Vidimus id in cadavere humano, in quo ad Atrophiam omnia, excepto hepate sano, vergebant, flaccidis pulmonibus & marmoris instar variegatis, bubonis in inguine, gangræna in pede, & aliis pessimi habitus indiciis, sana erat altera glandula lactea, rubra altera, quasi inflammata & phlegmonodes: unde hepar quidem sanum & multæ mesaraicæ lacteæ, at thoracicæ lacteæ non ita plenæ aut tumentes chylo. *Thomas Bartholinus Historia Anatom. de lacteis Thoracicis cap.* 9.

Pancreas ad instar aliarum glandularum Scirrhosum omnino evadere posse dubitare desii, postquam in puero 9. annorum, Atrophia extincto, illius constitutionis id reperi; Hoc tamen addere convenit, non omnes ejus partes æquali ratione induratas fuisse, cùm tres quatuorve adhuc extarent, intestino vicinissimæ, vix à statu naturali recedentes. *Gerardus Blasius Observ. Anatom. pag.* 127. *Obs. Med.* 23. *part.* 1.

Anno 1595. Ernestus Archidux, Belgicarum Provinciarum Prorex, obiit nocte intercedente 20. & 21. Mensis Februarii die, anno ætatis 42.

Ejus cadavere aperto, Cor, Pulmo, Jecur nihil vitii præ se ferebant: In lumbis tantùm mediocris magnitudinis calculus repertus est, & in Renum altero vermis oblongus & vivus, qui

qui visceris illius parenchyma superesse diu non potuerit. *D. M. Jansonius Mercurii Gallo Belgici Tom.* 2.

Jurisconsultus Parisiensis sicca tussi vexatus, Macie universali affectus & diarrhœa diuturna, post repetitas purgationes & venæ-sectiones me accersiri jubet. Eum attentè considero, & post colloquium aliquousque protractum, decumbere jubeo quo latera dextrum præsertim, commode pertractare liceret, suspicatus aliquid in jecore vitii. Admota manu, indolentem tumorem percipio nucis juglandis magnitudine, (sed forti digitorum impressione & profunda, proque partis sensus tolerantia) infra costas nothas in jecoris regione. Prognostico emisso, asserui tumorem illum ad capitis magnitudinem perventurum, imò majorem, quod eo loco situs esset, quo intus nequicquam reniteretur, ad extra verò augmento prohiberetur à caligarum cingulo & thorace. Ulteriorem sanguinis missionem prohibeo, eo quod judicarem vitam tandiu productam iri quamdiu sanguinis penuria non adesset. Opinionem & prognosticum meum impugnarunt venisecæ, qui imaginarium esse tumorem objiciebant, iteratisque venæ-sectionibus ægrum vexabant. Post dies quindecim iterum advocor, atque ægrum in deteriorem statum deductum video, tumorem auctum & digitis palpantibus manifestum, globuli sphæristerii m gnitudinem æquantem. Mortem prædico, Chirurgi verò revocati, agnito tumore, sanguinis missionem perperam iterum instituunt, sed paulo post mors succedit.

Apertum cadaver fuit à Riolano Chirurgo, qui solus, consultatione habita cum tribus Medicis ac duobus Chirurgis ampullatis, contendebat tumorem neque mesenterium neque pancreas obsidere, sed musculorum cuipiam *viscera colligantium adnatum esse*, si enim aiebat, situm in pancreate aut mesenterio obtineret, ad motum corporis huc illuc nutaret, illius inclinationem sequutus, alvi excrementa cohiberet, quæ liquida & inconcocta dejiciebat æger: Obviam ergo illi secanti se obtulit *tumor* pendulus & *annexus* lateris dextri *musculis lumbaribus*, magnitudine capitis vitulini, cui plurimæ adnatæ erant cystides, aliæ materia pulti simili refertæ, aliæ sebacea, aliæ lardum, aliæ mel referente, aliæ erant duræ, variæ consistentiæ & coloris ab invicem secretæ. Totum corpus exangue erat, sed plurima aqua reperta, ad mensuras duas Parisienses. *David Lagneau lib. de sanguinis missione p. m.* 385.

Puer duorum annorum erat macie ita confectus, ut vix cutis hæreret ossibus: Ad latus sinistrum, in musculo mastoideo exulceratio erat, quæ usq; ad ipsam jugularem venā penetraverat, eamque corrodendo sic extenuaverat, ut puris subtilior materia percolasse per eam videretur: non exiguam namque ejus copiam sanguini permistam in dextro cordis ventriculo, corde aliàs sano & integro, inveni; quam, ut dixi, transcolatione eo pervenisse suspicatus sum: sed unde puris ejusdem crassiusculi, bene cocti, copia, item magna è regione in dextro latere, ad eundem musculum, intus & foris sanum, penetraverit, ego divinando assequi non potui: *Lien* præterea *induratus* erat & magnus, pendebat enim uncias septem & tres unciæ quartas: Hepar contra, consumpto fere parenchymate, nonnisi quinque uncias & quadrantem ponderabat: biliosa id plenum erat materia, quæ propter obstructionem ductus communis in illum redundaverat; *bilis interim drachmas undecim* [magnum pro ea ætate pondus] exæquabat: *Pancreas magnum* erat & scirrhosum, quod in chronicis morbis sæpe contingere observavi: Succus etiam tam acidus, ut in duodeno bili admistus, tamen adhuc insigniter eum saporem retineret; hac aciditate sua ita ventriculum & intestina perederat, ut dum inflare ea vellem, ad minimam distentionem rum perentur: Non immeritò igitur Clar. *Franc. de le Boë Sylvius* in Praxi sua plurimorum morborum causas refert ad hanc succi illius aciditatem, *Theod. Kerchringius observ. Anat.* 65.

Venit mihi in memoriam apertio Virginis in Nosocomio Leydensi, quæ cum macie contabescens occubuisset, proscripta ad ferrum Do. *Sylvii*, abdomen ostendit farctum pinguedine, visceribus interea proximis nutrimenti inopia fatiscentibus & contractis. *Olaus Borrichius observ.* 92. *Actor. Bartholini ann.* 1671. & 72.

Fateor plerosque Medicorum ignorasse ossa, quantumvis solida, quasi phlegmone & apostemate quoque corripi posse, Quicquid enim nutritur, crescit, augmentatur aut influxus recipit, id quoque putrescere & apostemate aliquando turgere fatemur: Proinde *Avicenna & Galenus*, suo periculo edoctus, apostemate quoque distendi asserunt: Et Hippocr. empyemate os sacrum computrescere quoque novit, cujus putredine & incredibili doloris tyrannide duos, Nob. *Wurmhauser* in Neoburgo, & *Joan. Castnerum*, afflictim & diu maceratos tandem contabescere & mori hisce oculis vidi. *Langius Epist.* 42. *Tom.* 1.

Jo n. le Fuzelier Tabida matre natus, eo modo, eoque morbo & eodem tempore interiit quo ejus mater. In pulmonibus nihil commemorabile reperitur quod mortem attulerit. Mirum quod ante mortem ei contigit; Decem antequam è vivis excederet diebus tumidum corpus fuit, Tumor fugax erat, repetebat ex intervallis. Unde hoc? Leucæ videbantur esse; Tale quid in morbis funestis contingere solere agnovit *Hippocrat.* 2. prorrh. Leucæ, ait, oboriuntur (supple in morituris) in morbis funestissimis, cujusmodi est Phthisis. *Ballonius Parad.* 39.

Anno 1562. In mulieris cujusdam consistentis ætatis, quæ ad tantam maciem redacta erat, ut vix cute & ossibus hæreret, corpore quatuor lumbricos teretes spithamæ unius longitudine, in ipsum truncum venæ portæ se insinuasse, ac toti corpori alimenti aditum obstruxisse observavi: *Ex observationibus Adriani Spigelii.*

Quatuordecim annorum Virguncula à quatuor annis tabe incepit laborare, postea tussi & febricula correpta est: functionibus quotidianis obeundis satis vigilax. Cibi & potus valde appetens, per sesqui mensem ante obitum decumbens, moritur.

Mesenterium scirrhis ac steatomatibus duris undique plenum, præsertim circa vasa sanguinea: quædam ovi anserini magnitudinem superabant, alia nucem moschatam excedebant.

Cibi ut comesti erant impermixti excreti fuerunt, ramosus calculus pondere sesquisicilicii, in dextro pulmone abscessus fœtidus, membrana inclusus fuit: inciso tumore tanta puris copia effluxit ut dodrantem bis æquaret. Porrò pulmones scirrhis ac steatomatibus referti. Cor molle & flaccidum: cætera satis sana. *Steph. Blancard. Anatom pract. rational. pag. 153.*

Morbo admodum intricato quædam mulier correpta fuit, nunc enim palpitatione cordis, nunc dolore & torminibus ventris vexabatur. interim appetitus non multum prostratus fuit, ita ut pro more alimenta sumeret, quibus tamen parum nutriebatur. Tussiculâ quinetiam, palpitatione cordis, & difficultate respirandi laborabat. Cùm circiter annos quatuor vitam sane calamitosam vixisset, ac sceleti fere instar extenuata esset, paulatim stupore & frigore in sinistra manu, præcipue circa extremitates digitorum, correpta est: Symptomata tamen hæc ab initio tam exigua erant, vix ut percipi possent: nec aderat tumor, multo minus inflammatio, imò nec dolor ullus. Interea tamen extremitates digitorum & tota manus paulatim & absque dolore sphacelata & penitus emortua est. Postea brachium ad cubitum usque simul & digiti carbonum instar nigri erant, frigidissimi, & ita extenuati, ut ossa vix tenuissima cute obtegerentur, nulla tamen aderat inflammatio, neque dolor; brachium postea feliciter supra cubitum amputatum est: nihilominus tamen circa undecimam horam post brachii abscissionem, gangræna denuò truncum invasit, ita ut paucis post diebus è vita discederet.

Cadavere dissecto, abdomen serosi humoris plenum & extensum erat. Mesenterium steatomatis multis scatebat. Sub vena portæ, & quidem in ipso pancreate scirrhus admodùm magnus conspiciebatur. Hepar durum pallidum, ac si elixatum fuisset, apparebat. Pulmo dextra parte materia purulenta ac fœtida, sinistrâ verò humore seroso imbutus erat. Per totam pulmonis substantiam scirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia nigra, atramenti instar, contenta fuerat; conspiciebantur. Lapides plurimi hinc inde per pulmonem diversi coloris, parvi tamen omnes reperiebantur. Cor sanguine planè exhaustum, extenuatum, ideoque valde diminutum & parvum erat. Vena pulmonalis in monstrosam amplitudinem extensa erat: nam humore aquoso fuit impleta.

Ægram hanc sanguinem habuisse admodum crassum, ex gangræna satis liquet: non enim ex inflammatione ortum habuit, sed ex sanguine in manu coagulato. Est mihi adhuc cognata, quæ ante aliquot annos sanguinem suum seroso lacte aliisque acetariis ita corruperat, ut postea in febrim inciderit, ex cujus frigore, quo incipiebat, non tantùm ungues nigredine commaculabantur, sed iste color per integrum annum sub unguibus latebat: unde igitur iste color? nisi à sanguine, ibidem loci coagulato. Scribit *Thucydides*, cùm pestis Athenis sæviret, præter alia symptomata etiam summas manus, summosque pedes invasisse: quibus nonnulli amissis liberabantur. Quomodo hoc aliter factum fuisset, nisi ex sanguine coagulato & corrupto, in manibus pedibusque restitante: & hoc accidit iis, quibus frigidi temperamenti sunt. Revera nutritionis particeps esse non potuit, quoniam viscera abdominis omnia obstructa erant, imò ob Hepatis duritiem & scirrhositatem, bilis deficiebat, quæ toti sanguini balsamum existit, eique fluiditatem, corporique optimam ἀλεξιφάρμακον procurat: effluvia etiam à corpore decedentia maximâ ex parte à bilis copia dependent. Deficiente quoque bile, chylus manet crassus & viscidus, scirrhositatesque mesenterii glandulis, lienis item, Hepatis, pulmonis, aliarumque partium adfert: pulmonibus hoc modo obstructis, respiratio impedita fuit, ex humorum acrimonia, eorumque vellicatione tussis excitata, pulmonumque φύμεις, qui & phthisis appellatur. Serositates ex sinistra pulmonum parte, necnon ex vena pulmonali, vasis lymphaticis ruptæ fuerunt. Vena isthæc laxioris texturæ est, non ex una membrana, ut veteres voluere; verum industria hujus seculi Anatomicorum, eam ex variis tunicis constare, detexit. Hæc venæ pulmonalis tunica admodum laxa, & à reliquo vase soluta existit, in tantum ut ubivis aperta per totum inflari, & quasi distinctum esset, plurimùm extendi possit; unde suspicari licuit, hoc ductu peculiari lympham à glandulis substratis secretam reduci: verùm obortâ obstructione, eam immensum usque posse distendi, ut in hoc cadavere liquet. Hinc facilè percipiendum est, unde cordis *palpitatio originem* traxerit, nempe ab obstructa vena pulmonali: nam in Hydrope hoc, adeo ejus capacitas coarctabatur, ut sanguini per eam via denegata fuerit, tum resilire coactus cor se immodicè movere debuit. Omnis enim palpitatio fit à causa obstruente circa cor: quotquot mihi contigere cadavera, semper vel Polypum, vel sanguinem coagulatum, vermes, ossificationes, aut simile quid preeri. *Idem pag. 225.*

ATRITI & ATRITÆ
Vid.
IMPERFORATI.

ATRICES
Vid.
CONDYLOMATA.

ATTONITUS MORBUS
Vid.
APOPLEXIA.

AUDITUS LÆSIONES.
ubi scilicet
De Tinnitu Aurium, Obauditione, & Surditate agitur.

Antequam de hisce affectibus aliquid dicamus, non inutile fuerit si Auditus rationes naturales, organaque illi inservientia paucis explicemus.

Aër tremulo atque undoso motu à corpore sonoro actus, ab auricularum externarum mechanica anfractuosa & flexuosis eminentiis donata, congregatur, ita ut ejus ad interiora impressio intendatur; hinc per antrum seu meatum auditorium, membrana, glandulis cerumen naturaliter vomentibus strata ex parte objectum in angustum coactus, & ab ejusdem inæqualitatibus & curvaturis novas reflexiones ac refractiones, quibus vim majorem rursus acquirit, subiens, ad tympani pelliculam flexibilem, Myringem vocant, inferiori, seu interiori prædicti meatus extremitati subtensam, pergit, illamque variè agitat ac commovet; qui motus non tantùm aeri in cavitate tympani concluso, illucque per canalem inde ad foramina narium interna decurrentem, adsportato, communicatur, sed etiam ossiculis pone tympani membranam sitis, quæ malleum, incudem, stapedem ac os orbiculare vocant, quibus mediantibus, membranula duplex, scilicet alia quæ foramen rotundum, alia quæ ovale claudit utrumque labyrintho, ultimoque ejus recessui cochleæ dicto, præfixum, succutitur, sicque per vibrationes in labyrinthi anfractibus continuatas impulsio ad usque nervorum auditoriorum ramulos ibidem multipliciter implantatos devenit, per eosque ad cerebrum usque pergit variorum sonorum sensationis occasionem animæ exhibiturus.

Tinnitus itaque aurium fiet, si per particulas è glandulis in membrana partem meatus auditorii obvestiente positis, vel aliunde, scilicet verbi gratia, abscessu vicino, aut aggesta fluxionis materia affluentes; fermentatio oriatur, aëri contento, imprimendo cuidam fremitui, unde tympani membrana leviter quatiatur, apta; vel etiam si particulæ fermentescibiles per aquæ ductum in tympanis cavum ruant, aut arteriosa quævis demum de causa validiùs pulset, quæ aërem cōclusum jactent, Vel si idem motus in ipso labyrintho imò nervi auditorii substantia, aut spiritibus per ipsum decurrentibus à sero peregrino aut succo nerveo degeneri inductus, adsit. Idem facient vermes in aure geniti suis succussionibus, violentæ capitis plagæ & horridi fragores &c. Obauditio verò fiet si vel deficiat auricula exterior sono excipiendo destinata; vel ex parte meatus auditorius obturetur, tum per corpora extranea, tum per cerumen aggestum, tum per turgentes membranæ propriæ glandulas; vel tympani membrana crassior atque humidior fuerit, imò in eo tensionis gradu non reperiatur, qui variis aëris vibrationibus excipiendis sit accommodus; vel aër tympani crassus & quasi nebulosus existat, qui propterea vibrationes ab aëre exteriori advenientes, exquisite non satis transmittat, quin potius variè easdem alteret; vel si mobilitas in ossiculis tympani, cordarumque musculosarum ipsa agentium non ea sit quæ feriendis membranulis, foraminibus ovali & rotundo affixis, necessaria est; vel si nervus auditorius ex parte obstruatur, aut in aliquibus deficiet cavitas labyrinthi: Surditas ab iisdem causis quæ in obauditione jam enarravimus, orietur, si modò illæ graviores fuerint; imò si particulæ illic tantùm fermentescentes, hic corrosivum quid acquisierint quò varias organi partes lacerent & destruant.

Signa variarum auditus affectionum non opus est ut hic expendamus ad *prognosim* itaque continuò procedamus.

Tinnitus aurium febribus quibuscunque superveniens materiæ ut plurimùm ad cerebrum ἀναδρομὴν denunciat, febre autem curata, idem hic sine usu medicamentorum curatur. Idem affectus ut apoplexiam, epilepsiam aliosque comatosos cerebri morbos præcedit, sic in eorum decremento fausti est ominis, siquidem resolutionem materiæ morbum facientis denotat. Convalescentibus, ac post immoderatas vacuationes, ut oculi vertigine tentantur, ita aures bombilare solent, nam exhaustæ partes flatus facilè accumulant. Inveteratus aurium tinnitus, scilicet qui per biennium duravit, vix curari potest; uti etiam tinnitus ex frequenti percussione in caput & tempora, propter internam lacerationem.

Surditas ab ortu rarò imò rarissime curatur, iisdem nihilominus loco aurium inserviunt oculi. Sic D. Wallis Mathematicus Oxoniensis duos Nobiles Anglos ab ortu surdos instituit solo labiorum motu, ut loquentes intelligerent & accuratè responderent: Sic etiam Digby lib. de immortalitate animæ refert de quodam Nobili Hispano, qui ab ortu surdus, ut ne bombardam auribus admotam atque explosam perciperet, simulque linguæ usu privabatur; quem nihilominus dexteritas atque industria Sacerdotis cujusdam eò perduxit, ut post multos annos cum stupore omnium distincta admodum proferret verba, aliosque secum colloquentes (solo aspectu) perfectè intelligeret, ut per integrum diem in crebro hominum contubernio versatus, illorum ne verbulum quidem non apprehenderet, atq; appositè cunctis responderet.

Surditas & *Obauditio* à vitio membranæ tympani confirmato vix curatur, si enim à tensione sua naturali remittat, idque multo perduret tempore non facilè ad statum reducetur, sed tantùm sic affecti, sub quovis strepitu majore membranam prædictam violentiori ad interiora impulsione aliquomodo tendente, mediocrem sonum percipient, quò nullatenus afficientur extra hos strepitus constituti: Exempla quatuor sic affectorum refert Bohnius Circulo suo Anatomico physiologico, bina ex Willisio, tertium & quartum ex Transaction. Philos. Angl. petita. Prius fœminæ est quæ surda quidem, quamdiu nihilominus in conclavi tympani bellici sonus aures ejus circumstrepebat, adstantium alloquia distincte capiebat, cessante verò immaniore isto strepitu statim obsurdescebat, cujus propterea maritus tympanistam pro servo domestico conducebat, ut illo mediatore colloquia interdum cum uxore haberet. Alterum surdastri maris erat, qui prope campanile degens, quoties plures campanæ simul resonarent, vocem quamvis facilè & clarè audiebat, tacentibus illis secus. Tertium in Nobili à nativitate surdo observabatur, cui pariter temporaria ejusmodi medela solatio erat, sc. quandiu tympanum prope ipsum violentiùs pulsaretur, à tergo submissiùs loquentium voces percipiebat, nec tamen clamantes strepitu illo cessante. Ejusdem quoque generis studiosus quidam erat, qui surdaster omnia

distinctè & commodè audiebat, quando in rheda velata per plateas velociùs vehebatur, & cum amicis assidentibus colloquebatur.

Surditas in febribus superveniens urinâ existente crudâ delirium grave portendit, sin verò in acutis & malignis febribus cum signis coctionis conjuncta sæpius boni est ominis, & ipsi interdum aut hæmorrhagiæ narium, aut dejectiones biliosæ superveniunt. Delirium surditati superveniens infaustiùs multo quid denotat, quam surditas superveniens delirio; præcipuè si delirium hoc cum anxietate, vigiliis ac vomitu conjungatur. Quibus surditas cum gravitate capitis & hypochondriorum tensione, ac oculorum splendoribus adest, iis hæmorrhagia narium indicatur.

Curationes, Consultationes, ac Observationes ex variis.

Curationes.

Tinnitus Aurium.

In tinnitu præstat vapor Absinthii & Verbenæ ex lacte, ut.

♃. absinthii crudi m. j. decoque in lacte vaccino; postea per tritorium, quod commodè orificium ollæ istius decocti claudat, immittatur vapor decocti adhuc ferventis in aurem, abstersâ aure & purgata gestetur gossipium, quod aliquandiu cum moschata fuit conjunctum (moschus nimirum capiti amicus) imprimis viris, mulieribus verò ratione uteri minùs tutus est. In tinnitu, sonitu, strepitu, sibilo multùm præstat panis recèns coctus minor, statim ex clibano sumptus, & inferiore crustâ ablatâ, immissoque Sp. V. bonò, si ad aurem applicetur (interjecto circulo ligneo crassiore ad evitandam partis exustionem) ut vapor ille intrò recipi possit. N.B. Continuetur curatio, donec cedat malum. Possunt etiam adhiberi sternutatoria præmissis universalibus. *Johann. Hartmann. in Pract. Chymiatric.*

Obauditio.

In obauditione item fluctuatione, immittantur auri ol. amygdalarum amararum gutt. ij. iij. quæ postea emittantur: ab oleo Iuniperi abstinendũ. Post universalia instituantur fotus, præsertim ex corroborantibus caput, qualis est decoctum absinthii, verbenæ, in lacte vel etiam cum pane calente cum & sinè sp. v. (si affectus lenior) foris ut antea applicato. Tandem, si non sòlvatur in B. immittatur in aurem turunda ex radice raphani affabrè sculpta & per dies aliquot in sp. Vini macerata, ac in B. inter sudandum, in aurem immissa. Si neque hoc modo soluatur, eadem turunda tandem maceretur in oleo fœniculi stillat. & eodem modo in Balneis usurpetur. Auri instilletur sæpe oleum carui & illinatur post aures. *Idem ibidem.*

Observatâ victûs ratione, sæpe corpus infuso senæ purgetur; cùm sena omnium sensuum organa præcipuè mundet, infusum ita fiat.

♃. Passul. ℥j. galang incis. ʒj. decoq. in aq. puræ q. s. pro duabus dosibus. Infund. fl. borag. viol. ana p. j. fol. senæ elect. ℥ j. stent in infusione per noctem, & mane calefiat, ac pro duabus portionibus exprimatur.

♃. Expressionis ℥iiij. Syr. rosf. solut. ℥j. mann. Calabrin. ʒ vj. m. f. sic pro uno & altero haustu. Caput deinde hoc apophlegmatismo expurgetur.

♃. Rosmarin. origan. salv. rutæ, ana m. s. rosar. rubr. pß. rad. zinzib. incis. ʒß. pyrethr. ʒiij. coq. in ℔ij. ad medietatis consumptione. Colat. adde aceti rosac. acerrimi ʒ j. detur pro gargarismate quo mane os abluat. Isto modo evacuato capite, decoque in aqua & vino origanum, atque in decocto calido, spongia maderacta & expressâ auri affectæ adhibeatur. Injiciatur deinde per calamum una vel altera gutta aq. Cardui hoc modo destillata.

♃. Folior. cardui mundator. & siccor. m. j. aspergantur spiritu vini, & in vas vitreum quod bocciam appellant, imponantur; atque aq. Cardui q. s. affundantur; suppositoque alembico vitreo destilletur in arena, destillatum in vitro clauso servetur, cùm uti voluerit, parum de eo in argenteo cochleari calefiat, injectum auribus in adversam partem caput declinet exiguo tempore, deinceps rursus elabi sinat, aurem perpetuò lana xylina quæ odorem vel ex moscho, vel ambra contraxerit, concerpta muniat: caput non refrigeret, & ne auribus ventus molestus sit caveat, cùm auris mundanda est, non confricet auriscalpio, sed linteolum molle intortum instar turundæ imponat, atque hoc modo mundet. *Joh. Crato Consil. 2. lib. 4.*

Surditas.

Ad surditatem & tinnitum valent succus raphani, pinguedo anguillæ, axungia talpæ, oleum amygdalarum amararum (pinguedo serpentis, succus expressus ex cœpa imbuta sp. vini & sub cineribus cocta. Item.

♃. Capam magnam rubram in medio cavatam, cujus cavitatem reple oleo ruthæ, addendo pulverem cyperi, bacc. lauri, anisi, cumini ana ʒ j. Castor. pulverisat. ʒ ß. bulliant omnia super prunas ardentes, postea exprimantur, serventur in phiola, de qua stillentur aliquot guttæ in aures manè & vesperi claudendo cottone moschato. In surditate non connata præmissis universalibus mirabiliter operatur essentia fellis humani cum sp. V. extracta (diu durat) & simili ratione cum turundis Raphani inter sudandum applicata: tamen à proprietate innata in hoc casu præstat fel perdicum, si cum oleo succini albi ana mixtum in aures guttatim immittatur (dos. gutt. iij. iiij. ad plurimum) hæc verò aliquoties sunt repetenda. *Joann. Hartmann. Practic. Chymiatric.*

Succus hederæ depuratus cum vino albo potenti instillatus mirificè prodest, ut & absinthium cum aqua marina decoctum, ac per arundinem pro fomento adhibitum. Ova quoque formicarum contrita & cum succo cæpæ in aurem infusa, quam vetustissimam etiam surditatem persanant: item & caprillum fel vel leporis fel recens cum pari mellis portione mixtum, & in cepæ corio tepefactum, & in aurem immissum auditum mirifice restitui: quæ omnia

topica

topica crassos & vitiosos humores, in auditus organo surditatem causantes incidunt, secant & attenuant. Convenit etiam ligni guajaci decoctum per triginta dies: quo tempore theriacæ vel mithridatii interdum ℥j. nonnunquam conserv. betonic. aut flor. salviæ ℥ß. alternis saltem diebus dormituro exhibeatur. *Joan. Zecchius. Consult.* 58.

℞. Menth. salv. puleg. rorismar. chamæmel. millefol. cent. minor. abrotan. ana m. j. bulliant in vino albo generoso ad tertiæ partis consumptionem, & cùm it dormitum calefiat, inde per infundibulum suscipiatur fumus intra aurem per spatium dimidiæ horæ, & prædictæ herbæ bene calidæ ad aures internas admoveantur. *Rodericus à Fonseca tom. 2. Consult.* 58.

Judæus quidam Empiricus quidam medicamenta suppeditavit, quæ cùm ego satis probem, volui studiosis ea communicare. Ea hæc sunt; Conficiatur lixivium ut fieri solet ex cinere juniperi, & fluviali aqua, lixivii capiat ℔ ix. cui infundantur per viginti quatuor horas serpill. flor. chamæmel. absinth. matricar. ana m. ß. baccar. lauri, rad. ireos, ana ℥j. rad. asari ℥ i ß. contusa infundantur. Deinde eo lixivio abluat caput aliquoties.

℞. Succi porrorum, succi absinthii, ol. amygdal. amar. petrol. ana ℥ ß. m. Deinde ea mixtura impleantur cepæ duæ excavatæ, ac earumdem cortice tectæ; atque ita sub cineribus calidis coquantur. Coctis iis succus exprimatur, qui sæpe in aures instilletur.

℞. Aceti acerrimi ℔ i ß. stercor. columb. rec. q. s. mixta hæc indantur in ollam novam, coq. ad mediet. consumptionem. Deinde coopertam ollam crusta panis larga in medio perforata, & imposito aptè emboto, auri subjiciat; atque inde exhalantem vaporem in aures excipiat, vesperi iturus dormitum, continuet ad duodecim dies, & quaternis quibusque medicamentum reiteretur. Hæc medicamenta post ritè purgatum corpus administrentur. *Reinerus Solenander. Consil.* 4. *Sect.* j.

Non subticebo quod experimento multorum probatum reperio, nimirum surdos non parùm beneficii suscepisse ex hoc præsidio, quod recipit aquæ stillatitiæ ex renibus arietis nuper ab ariete extractis & minutim incisis, cum pari portione aquæ vitæ; si guttulas aliquot noctu ante cœnam in aurem instillaveris, & gossipio foramen auditorium obturaveris, quod si simul cum renibus aliquid florum capitalium instillaveris, non errabis, item magni solet esse momenti in aurem injicere instillationem ex ligno guajaco, flor. stœcados, majoranæ, anisi ac rutæ. *Ludovicus Mercatus Consult.* 16.

Non est melius hic remedium, quàm ambra, imprimis, ubi est defectus spirituum animalium. Debet dari in magna copia, vel per se, vel essentia. Item species diambræ cum aq. cardui benedict. prodest quoque essentia castorei, absinthii spir. otalgicus & acousticus ambratus. In memorabilibus Camerarii exstat oleum, quod præparatur ex vermibus repertis in corticibus ligni quercini. It. Essent. fellis hominis, Lucii piscis, Axungia serpentis, Castoris, Aq. picarum cum castoreo. Conferunt etiam aq. card. benedict. rectificata, manè & vesperi infusa: It. aq. salviæ rectificata & eodem modo usurpata. It. raphanus excavatus impleatur aq. majoran. addatur momentum salis, subterretur & aqua collecta instilletur. Item panis recens cum cumino sufficienter coctus. Item

℞. Pulp. colocynthidos ℈j. ol. n. albor. ol. de castoreo ana ℥ß. vin. alb. ℥ vj. Coque ad vini consumptionem, & guttulatim in aures immittatur. Item propria urina frequenter et externius adhibita pro lavamento. Aqua etiam ex ovis formicarum prodest.

℞. Sem. carui ʒ ij. Bacc. laur. N. ij. flor. chamomill. fol. roris marin. herb. salviæ ana m. ij. Coq. in s. q. v. & evaporet in aures aliquoties singulis diebus. *Joann. Michael. in Prax. clinic. general.*

Surditatis causa vel in exteriore; vel in interiore Auris parte quærenda est.

Si *causa* sit in *parte exteriore*, surditas non integra est, sed auditus tantùm gravior fit. Ad hujusmodi surditatem amovendam, abluatur sine violentia via quæ usq; ad tympanum pertingit, vino Malvatico, Cretico seu Hispanico calentibus quo sordes omnes auri exteriori inhærentes eluantur.

Immo licet *causa* sit in *parte interiore*, tamen cùm ad topica devenire tempestivum sit, primò ab omnibus contentis expurgandus est meatus auditorius, quò medicamentorum vis ad aurem internam meliùs pertingat.

In causa autem interna, ante topicorum usum, de generali (immo & particulari) evacuatione primò deliberandum est. Nam cùm humores pituitosi nervum auditorium vel obstruentes vel comprimentes, plerumque sint surditatis causæ internæ, humores isti viis aptis diligenter expurgandi sunt.

Potio igitur seq. primò exhibeatur. ℞. sarsæparill. ℥iij. fol. betonic. chamæpit. ana m. ß. summit. floridar. rorismar. p. j. flor. herb. paralys. p. ij. sem. anis. & coriand. ana ʒß. crem. tart. ʒij. fol. senn. munda. minut. incisor. vino albo nutrit. ℥v. f. omnium decoctio & colatura, in qua ad dosin aptam reducta dissolv. syr. Augustan. de rhabarb. & ros. pallid. cum agaric. mann. Calabr. ana ℥ß. sp. vitrioli gut. iv. m. f. potio danda in aurora hor. iij. ante jusculum cum debito regimine

Vel *pil.* seq. ℞ mass. pil. sine quibus, cochiar. aggregativ. ana ʒij. f. massa, de qua cap. ʒj. pro dosi, idque post primum somnum, levi cœna præcedente, cum debita custodia, dilato ad 3. horas jusculo. Cap. primò has pilulas ter, interpositis duobus diebus inter singulas doses, vel etiam tribus pro ratione operationis.

Ita purgato corpore, *exsiccationi* cerebri sedulò incumbendum est; humoris item pituitosi *derivationi*. Quibus indicationibus satisfacient usus quotidianus *gargarismorum*, *frictiones capitis* matutinæ retrorsum cum sacculis farctis pulveribus salviæ, majoranæ, rad. cyperi, rasur. guajaci, lign. Rhod. bacc. laur. junip. additis speciebus aromaticis in mediocri quantitate, succino multo, & pulvere violato qui cæterorum basis esse debet: *suffitus* item siccantes operimentorum capitis necnon per eosdem aëris cubiculi correctio. Proderunt *balsama* ex oleis chimicis salviæ, majoranæ, rorismar. præsertim verò succini, quæ unguento aurantiorum & butyro nuc. moschat. excipiantur, ad

inungen-

inungendas nares interiores & capitis rasi suturas, idque manè post frictionem prædictam. Non inutilia erunt *Sternutatoria*, sed blanda admodum sine elleboro & euphorbio. Sufficient primò aurantiorum vel citri cortices extimis naribus inditi, aut asari folia convoluta. Noxia omnis vehemens capitis concussio, quæ non nisi quando impactum aliquid magno conatu excutiendum est, locum habere videtur. Melius erit partem hanc principem à superfluitatibus quotidiano proventu succrescentibus exhaurire per derivationem, quam egregiè præstabunt *fontanellæ* duæ utrinque ad spinæ latera prope superiorem homoplatæ angulum excitatæ, quæ pluribus immissis pisis continuò apertæ teneantur.

Bona sit *victûs* ratio, moderatè calefaciens & siccans: & præscribatur *potus diæteticus* seu *cerevisia medicata* ex sarsaparill. rad. chinæ, ligno lentisci, sassafr. betonica, plurima chamæpit. summitat. rorismar. flor. tiliæ & herb. paralys. nuc. moschat. &c. quæ omnia vel decoquantur vel pendeant in zytho recent. coct. qui liquor defæcatus per fermentationem sufficientem lagenis lapideis recondatur ad usum.

Post sordes meatui auditorio inhærentes ablutas, excipiatur decocti convenientis cephalici & nervalis, vel ex lagena, vel ex tubo ligneo canali ex æolipila prominenti affixo. Prosunt etiam *suffitus* sicci surdis auribus insufflati, ut ex tabaco ipsove sulphure si malum hæreat pertinaciùs.

Postea *liquores* seq. auribus instillentur. ℞ succi porri ℥ij. succi allii & cepæ ana ℥j. fellis anguillæ ʒij. spiritus vini optimi ʒx. misceantur & digerantur per aliquot dies, mox f. per chartam colatura. Hujus liquoris quotidie aliquid instilletur auribus, quæ claudantur postea bombace permisto pauco Zibetho. Vel ℞ rad. enul. siccar. & brion. ana ʒij. cortic. Winteran. ʒiß. fol. sicc. majoran. salv. ana ʒiij. flor. lavendul. & stœchad. Arab. ana p. j. cinam. interior. cubeb. cardamom. caryophyll. ana ʒj. spir. vini opt. q. s. ut supernatet mater. un. digit. f. digestio in arena per biduum, mox colatura, cui indatur nodulus continens ambr. gris. gr. viij. mosch. gr. iv. zibet. gr. ij. Utatur instillando in aurem mane & vesperi guttam unam & alteram, aures obturando bombace eodem liquore imbuto & leviter expresso.

Vel ℞ zibeth. gr. iv. moschi gr. ij. olei stillatit. salv. & rorismar. ana gutt. iv. m. atque hâc mixtura imbibatur bombax quo obturentur aures.

Interim *alvus* servetur *laxa* injecto subinde enemate: Vel quarto quoque die sum. ℈ij. massæ seq. horis duabus post levem cœnam sine custodia. ℞ mastich. ʒj. majoran. sicc. ʒß. aloës rosat ʒiß. specierum hier. picr. ℈ij. f. omnium pulvis subtilissimus, excipiendus succo caulium viridium probè saccharato; f. massa pilular.

Si ex horum omnium usu auditus non recuperetur, æger conferat se ad *thermas sulphureas* [quales sunt Bathonienses] passurus strenuam & longam capitis irrigationem ex alto cum aqua sulphurea: hinc enim spes est ut impactus humor liquetur; & spiritui animali detur per auditus organum commeatus liber.

Nota. Si membrana tympani rumpatur, *surditas* inde pendens est *incurabilis*: ut & ea quæ à nativitate est *Theod. de Mayerne in Praxi.*

Consultationes.

Tinnitus aurium.

Aurium tinnitu multis abhinc annis divexatur Nobiliss. Adolescens vigesimum septimum annum agens, temperamenti totius & jecoris ad calidum & humidum vergentis, capitis verò calidioris ac valdè humidi, studiis atque applicationibus deditus; & quamvis Gal. asseruerit quod hujusmodi affectus causæ cognitio adeo statim haberi non possit, cum prægresso morbo nonnunquam succedat, & quandoque fiat ex cruditatibus, vino, vomitu, medicamentis, nonnunquam etiam à flatuosa materia, vel ab exquisito auditu, ut imaginariæ suffusiones in oculis fieri solent; attamen in hoc casu facilis, imò manifesta mihi videtur causæ cognitio cùm capitis temperamentum præhumidum primo aspectu nobis ostendant ejusdem magnitudo reliquo corpori non adeo proportionata, præterea fertilis capillorum copia ac longitudo, crudorum excrementorum abundantia, & ipsius capitis nonnunquam gravedo atque præter naturam quædam obtusitas, ex quibus sicut redundantem in capite humiditatem in aures transmissam, causam mediatam hujus tinnitus fuisse & esse existimo, ita reliquas omnes à Galeno loco citato recensitas excludi posse credo; non enim prægressis febribus successit, nec vino, aut cruditatibus, minùs medicamentis narcoticis: sicut excluditur exquisitus sensus auditus, quoniam adesset capitis siccitas; nec à solo vapore, quoniam non adeo diuturno tempore perseverasset. Fit igitur à materia vaporosa tanquam à causa immediata, sed à minera humida ut à mediata causa suscitata, dum calor nativus ipsius partis continuo in humidam materiam agens, ut dissolvat, eandem in halitus elevat, qui aëri implantato in interiori concavitate ossis petrosi quieto manenti commisti, eundem agitando, apparentem sonitum, hoc est, à nullo externo objecto ad aures delatum simulant, sicque quodammodo etiam auditum impediunt, cùm ut dicebat Celsus, ubi aures intra seipsas sonant, externum sonum recipere nequeant; & quamvis caput idiopathicè & essentialiter affectum esse non sit dubitandum, attamen propter magnum consensum quem cum ventriculo habet per nervos copiosos sextæ conjugationis, ventriculum quoque ipsi capiti nonnihil contribuere non est negandum, ut propterea à copia ciborum, vel potu abundanti, ab exercitio, ventriculo repleto, vel ab applicationibus, caput ipsum facilè compatiatur, imò & ab ascendentibus evaporationibus spiritus in auribus magis agitentur, & tinnitus adaugeatur.

Est affectus iste non spernendus, cùm jam diuturnus & confirmatus sit, & causam antecedentem foventem, validam atque naturalem habeat, humidam scil. capitis intemperiem, cui caliditas quoque associatur tanta quidem,

quæ

quæ liquare ac fundere humiditatem potest, at non quæ eidem dominari & absumere valeat; & eo considerabilior evadit in hac ætate quæ neque puerilis, neque senilis est; surditatem enim minari solet, dum adaucta fluxione meatus auditorius obstruitur, aut nervus auditorius, à quinto pari descendens, comprimitur, vel à viscida materia dura membrana, meatum investiens, oblinitur atque obtunditur.

Quare quamprimùm ad medica auxilia est confugiendum, ut præsens tinnitus auferatur, & surditas arceatur præterquam quod à præsenti humida capitis intemperie non pauci alii affectus sobolescere possent. Medicæ autem intentiones esse debent, humiditatem in auribus existentem exiccare flatusque discutere. Secundo capitis humidam intemperiem, ut pote partis mandantis corrigere. Tertio totum expurgare. Quartò primas vias expiare, hac lege ut quod fuit primum in intentione, debeat esse ultimum in executione.

Et à fonte Chirurgico aliqua sanguinis missio ex Jecoraria dextra est depromenda, si non ratione capitis & auris, saltem ratione totius & jecoris, ut facilius calorifica & exiccantia medicamenta administranda tolerari possint.

Ex pharmaceutico fonte reliqua sunt desumenda medica præsidia, ut jam dictis intentionibus medicis satisfaciamus, & primò Leniens exhibeatur ex manna clarif. & syr. rof. solutivo, vel ex cassia, electuario leni. & tartaro. Primum Præparans quinque aut sex diebus summo mane assumendum, sit oxymel ad ℥iij. exigua aqua flor. citri dissolutum; mox leniens medicamentum, ut supra, repetatur. Inde ad ulteriorem præparationem deveniendum oxymelite simpl. & syr. de betonic. in decoct. cichor. borag. agrimon. melissæ, salviæ & betonic. in qua octo aut decem diebus insistendum; deinde Purgans exhibeatur ex elect. lenit. diacath. vel diaphœnic. paratum. Vel ex infus. agarici, rhab. senæ & cinnamomi, addito syr. vel mell. rof. solutivo, quibus superbibenda præberi poterit aqua hordei ad ℔ij. vel mulsa diluta, aqua hordei parata.

Hac absolutâ primarum viarum ac venosi generis expurgatione, expurgandum erit quoque caput, quod præstari poterit pilulis capit. cochiis præparatis: additis quoque aureis & masticinis, tribus saltem vicibus quarto quoque die assumendis; intermediis verò diebus Præparans erit exhibendum ex decoct. cichor. betonic. salviæ, stœchad. & majoranæ, addito oxymel. compos. syr. de betonic. & de stœchade. Interim ejusdem capitis expurgatio Masticatoriis quoque erit procuranda, ex pulvere pyrethri, Gingib. nuce myristica, mastiche & cera parandis, maximus enim extat consensus & communicatio oris cum auribus. Ita purgato capite, humida ejusdem intemperies est corrigenda & exiccanda, quod egregiè præstabit Decoctum sudorificum ita parandum.

℞. Sarsæparill. elect. lign. visc. quercin. veri ana ℥j. lign. ror. marin. santal. alb. infus. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimidii, facta verò colat. servetur ad usum pro duabus vicibus, matutino tempore hora una ante ingressum hypocausti assumenda, addendo gutt. ij. aut iij. quintæ essentiæ ror. marini; in cujus usu perseveret supra triginta, imò usque ad quadraginta dies: deinde residuis adde aquam quæ bull. ad consumpt. tertiæ, addito colaturæ saccharo, ut fiat potio consueta. Decimo quoque die præbenda est potio ex mann. clarific. & victus ratio debet esse attenuans, licet non adeo tenuis; etenim præter panem biscoctum, passulas & nucleos pineos, concedatur tertio aut quarto quoque die caro assa palumbi ex turre, aut pulli junioris, aut vituli, manè tantùm in prandio, cum omnimoda tamen à vino abstinentia.

Dum jam dicta omnia fiunt, post totius absolutam expurgationem localia auribus admoveri possunt; inter quæ commendant acetum cum nitro & melle Oribasius atque Trallianus; Castoreum, crocum & nitrum cum aceto Paulus & Aëtius; Oleum de colocynthide & succum cyclamin. Dioscorides; nos verò tale experti sumus efficacissimum remedium.

℞. Ol. amygd. amar. ℥ij. succi raphani ℥j. fell. capr. ʒß. pulp. colocynthid. ʒj. m. macerentur in vasculo terreo vitreato cooperto per noctem, deinde bull. ad consump. succi & f. fortis expressio panno lineo raro, quo madefacta turunda bombycina, in auribus noctu de more detineatur.

Sed quoniam hæc nonnisi ineunte vere peragenda erunt, ideo interim aliquo leviori Topico uti poterit, ita parando.

℞. Cœpam vulgarem excavatam & oleo amygd. amarar. repletam, in vasculo terreo repositam; & oleo addatur pulvis cymini, bulliat autem quousque Decocta sit ipsa cœpa, deinde f. fortis omnium expressio, & turunda hac expressione imbuta in auribus noctu detineatur.

Jam dictis omnibus cautio in victûs ratione erit addenda, ita ut Nobiliss. Patiens caveat à diuturna mora propè ignem, sub radiis solaribus, neque caput ventis & aëris inclementiæ exponat; abstineat à vaporosis omnibus, præsertim humidis, & super omnia à lacticiniis omnibus; à lactuca, ab apio, fœniculo, vinis generosis, ab eduliis crassis atque difficilis concoctionis; ab exercitiis tum animi, tum corporis, ventriculo pleno existente, & alacri animo vivat. *Joann. Raymund. Fortis Consult. Tom. 2. Cent. j.*

Vir triginta duos annos natus postquam diu crapula se fatigasset, incidit in tinnitum aurium, quem postea, jam à sex mensibus insecutus est sinistræ auris, primò gravis auditus, & deinde surditas. Huc jam accessit tinnitus & gravitas auditus auris dextræ.

Afficitur in hoc ægro utraque auris secundùm nervos auditorios; quod ex surditate, gravitate auditus, & tinnitu aurium est manifestum. Morbus sinistræ auris est obstructio vel compressio nervi auditorii ab humore pituitoso facta: quæ auditûs privationem ibi inducens, surditas dicitur. Dextræ verò auris morbus est intemperies humida, crassa & flatulenta nervi auditorii; quæ imminutum auditum, & tinnitus sonum, in ea excitans, gravis auditus & tinnitus aurium nuncupatur.

Causa

Causa procatarctica horum morborum est crapula, quâ hic vir se diu fatigavit. Inde enim cruditas, & deinde pituitosi in toto corpore humores ex cruditate fuerunt geniti, qui in vasis cerebri contenti causam antecedentem; ex vasis verò in nervos & vicinas aurium partes postea effusi, continentem horum morborum, & symptomatum, constituunt causam. Dum enim humores isti propter crassitiem suam, & debilitatum cerebri calorem, in flatus circa nervum auditorium convertebantur, impingebant illi vehementius in nervi istius fibrillas, atque etiam in tympanum, atque hinc motu suo excitabant tinnitus sensationem: ii verò postea leviter circa aurem sinistram incrassati, & in nervorum sinistræ auris cavitates impacti, primum nervorum fibrillas leviter ibi compresserunt, & obturarunt; atque hinc ortus est gravis sinistræ auris auditus: ab iis verò, postea ibidem magis auctis & incrassatis, tanta nervi auditorii compressio & obstructio est orta, quæ motum omnem, à sono nervis impressum, ad cerebrum deferri impediens, surditatem in ista aure excitavit. Humoribus verò ad nervum auditorium dextræ auris delatis, ibique partim in flatus conversis, & in nervi istius fibrillas vehementiùs impingentibus, tinnitus; in nervum verò nonnihil impactis, & fibrillis nervi iis nonnihil compressis vel obstructis, gravis auditus dextræ auris etiam supervenit.

Quoniam hic affectus jam sex duravit menses, & paulatim incrementum sumsit, metus est, ne ob diutinam illam moram, materia ita nervo auditorio sinistro sit affixa, ut nunquam inde tolli possit, & surditas ibi maneat perpetua. Et quia cerebrum hic valde est affectum, metuendum, ne auctis humoribus, surditas etiam dextram aurem occupet.

Quia tamen hæc prædictio non est necessaria; ideoque Curationem inchoandam existimo. Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, intemperieique per contraria correctione. Primò itaque purgetur æger bis terve his pilulis.

℞. Pilul. cochiar. sine quibus esse nolo an. ℈ß. scammon. g. 12. cum syr. rosl. sol. q. s. F. pilulæ Num. v. mane sumendæ. & singulis etiam mensibus admoveantur tribus diebus continuis cucurbitulæ sine scarificatione post aures ab auribus revellantur, & ex iis educantur. Utatur etiam mane & vesperi lotionibus pedum, cum camomill. melilot majoranæ, hyssopi, & roris marini decocto institutis. Nocturno verò tempore talem cucupham capiti imponat.

℞. Rad. irid. flor. ℥ß. calam. aromat. cyperi, acori an. ʒj. folior. siccor. majoranæ, melissæ, salviæ, roris marini an. m. ß flor. sthœcad. arab. spic. nard. an. p. j. cinnamomi, macis, caryophill. benzoini an. ʒß Omnia in pulverem redacta excipiantur cottone moschato, & cum panno serico interpuncto F. e. a. Cucupha, noctu gestanda. Interdiu sub pileo in capite gerat cucupham ex corio Hispanico; quales jam in frequenti usu esse inter juvenes & senes observamus. Mane jejunus, & vesperi sub horam quartam, hoc utatur masticatorio.

℞. Rad. pyrethri, angelicæ, zedoariæ ana. ʒj. sem. staphid. agriæ, sinapi nucis moschatæ, fol. senn. an. ʒß. pulverisentur & addatur parùm masticheš, ac cum ceræ q. s. formentur Globuli masticatorij: de quibus masticetur unus prono capite, frequenter exspuendo. Noctu dormitum iturus auribus hanc aquam indat.

℞. Aq. fœnicul. sem. carui post olei extractionem remanentis ana ℥j. spir. juniper. ℥ß. Misce, & de hoc liquore instillet aliquantulum in aures, addendo semper guttam fellis carpionum; & postea sinat effluere, ac deinde indat auribus cotonem, in quo moschus fuit servatus, vel in quo moschi pulvis est dispersus. Manè suffitum etiam auribus excipiat per infundibulum, ex hoc calido decocto.

℞. Fol. lauri, rutæ, origani, hyssopi, majoranæ ana m. j. absinth. mentastri an. m. ß. flor. stœchad. celticæ m. j. Baccar. lauri, juniperi ana ℥ß. sem. anis. fœnicul. carui, cymini an. ʒj Decoquantur in vin. alb. q. s. ad tert. part. consumptionem, & halitus calidus aure per infundibulum excipiatur.

In aëre versetur calido & sicco. Victus sit tenuis, & paucus: & famem aliquando sustineat. Vitet repletionem, & omnes cibos crassos & tenaces, qualis caseus & legumina. Cibi condiantur semine anisi, fœniculi, cymini, petroselini. Potus sit vinum & cerevisia mediocris. Exercitium sit moderatum. *Henr. Reg. apud Theodor. Craanen in Observ. Medic.*

Hypochondriacus queritur de tinnitu aurium, putat se audire sonitum campanæ, vel strepitum aquæ, quandoque cessat, sed subito recurrit.

Hypochondriacus queritur de tinnitu aurium, & putat se audire sonitum campanæ ab humorum inordinata fermentatione hypochondriaci etenim sanguine gaudent fermentescibili. Causa est viscīditas flatibus generandis apta, & variis obstructionibus conficiendis idonea. Hinc conveniunt stomachica acidum absorbentia, qualia sunt omnia anti hypochondriaca Sal volatile C.C. bis vel ter sumi potest in septimana in prandio. Sic sudorifera hic erunt insignis effectûs: Enemata etiam possunt applicari cum emolumento. Externè sal tostus auribus applicetur. Scarificatio aurium singulis mensibus instituatur, ut & v. sectio in pollice pedis, vel manus, ac vesicatorium item nuchæ applicetur. *Joan. Jac. Waldschmidt in Prax. Med. ration.*

Obauditio.

Nobilis puer annorum 12. hæreditario catarrho obnoxius, incompositaque victus ratione usus, annis elapsis surdus evasit. Verùm medicis remediis adhibitis imminutus est affectus, ita ut nunc surdaster dici possit, magisque læditur quoad aurem sinistram, idque ex confluxu catarrhi ad aures, tympanum humectantis, atque ita repercussionem aëris impedientis.

De sanitate perfecta spes luculenta est: quod conjectare licet ex juvamento à medicamentis etiam non admodum validis suscepto, reliquis sensibus satis bene se habentibus Adde quod epileptici juvamentum ex mutatione aëris, & ætatis suscipiunt, multo magis hic affectus, qui levior longè est.

Primò itaque purgandum est totum corpus, tunc caput; fluxio divertenda, materia fluxa resol-

resolvenda, & tandem cerebrum exsiccandum, & roborandum. Venæ-sectio in hac tenella ætate non permittitur, cùm imprimis morbus sit potiùs frigidus. Neque opus erit hirudinibus. Fonticulus, purgato toto corpore, inuratur brachio sinistro: quem si respuat, recuperatâ sanitate, occludere poterit. Non est opus alio fonticulo. Contumaci tamen existente affectu, inuri etiam posset coxæ dextræ; & tandem occipitio. Frictiones, & ligaturæ, tanquam revulsorium præsidium locum habent: fient tempore matutino, & vespertino etiam, potissimum post somnum, cum linteo aspero suffito thure, mastiche, &c.

In corporis purgatione cogitandum est qua arte decipiatur puer. Secùs enim respueret medicamenta, cùm abhorreat à dulcibus. Esset ad rem manna cum jure: sed non admittet. Si assuesceret pilulis cum panatella, essent ex usu pil. mastichinæ, de Aloe, Alephanginæ &c. Si non possit, vel abhorreat, pilulis addetur Diacydonium, cum senna vel cremor Tartari cum jure gallinæ, vel Galli antiqui. Ex usu essent etiam Beta, Caricæ, pruna, &c. Si magna copia sumantur, addito saccharo non depurato, vel melle; verùm ab his fortasse gustus abhorrebit. Præparatio fiet oxymel. s. syr. de betonic. &c. Si hæc non admittat, detur decoctum ex betonica, seminibus citri, rore marino, calendula, floribus borraginis, & violarum: vel præparantium loco, victus erit, qui corpus ad purgationem disponat: quales erunt cappares cum aceto, fœniculum, asparagi &c. Purgatio erit instituenda blandioribus, non dulcibus, neque ingrati saporis. Ad rem erunt mechoacan, jalappa, sal, & cremor Tartari, pulvis myrobalanorum, nitrum, turbith &c. Ex aliquo horum parandi erunt morselli, cum jure, exempli causâ: si sumatur scrup. j. mechoacan, vel jalappæ, cum portione agarici trochiscati, & saccharo in aliqua aqua soluto ex qua paretur morsellus, à quo jusculum aliquod sumat, vel sic medicamentum in simplici jusculo exhibeatur, vel cum conserva cydoniorum, rosf. aut viol. &c. Secundò purgetur corpus, iterum præparatione præmissa, jure alterato flor. rorismar. flor. lavendul. & cardui benedicti. Præterea purgantibus erit utendum pro diversione: Diarrhæa enim tollit surditatem. Capitis evacuatio potiùs per os, quàm per nares erit tentanda, propter meatum illum ab auribus ad palatum pertinentem. Hæc erunt modo leviora, modò generosiora. Validiora hyeme ex masticne nempe attrita dentibus, cortices aurantiorum, limonum, frustum fœniculi, vel semina ejusdem linteo inclusa madefacto aceto: vel parandum erit ex nuce moschata, origano & aliis masticatorium. Præterea attingi poterunt radices faucium gossipio madefacto aqua bis destillata ex carduo benedicto, & origano, ita ut repetatur destillatio, affusis fæcibus. Interim etiam per nares aliqua evacuatio tentanda est: abstinendo tamen à pulveribus, & validioribus omnibus, quæ sternutamentum excitare possunt, sufficiet attractio succi betæ, parietariæ &c. Quod si ex succorum attractione contingeret sternutamentũ, indantur potiùs cortices aurantiorum vel citriorum & limonum, & intus extraq; oleo amygd. dulciũ inungantur nares. His peractis de majori capitis exsiccatione erit cogitandum: quod præstabunt aquæ Thermales interiùs sumptæ. A quibus tamen abstinere consultius censeo, cùm quia non poterit sufficientem earum copiam perducere, tum quia validius sunt remedium, quàm hæc ætas ferre possit. His præferrem decoctum columbæ turricolæ paratum ex salsa, china, & sassafras. Sed præ cæteris probatur viscus quercinus, & buxus, addendo etiam alia cephalica, flores scil. roris marini, calendulam, salviam, betonicam, quibus addantur sonchus, & cichorium. Detur hoc decoctum horis matutinis, à quo in lecto bene tegatur ad sudorem usque. Pro insensibili capitis evacuatione, exterius erit perfundendum caput lixivio alterato betonicâ, rore marino, & lavendula, vel aquis Thermalibus, ex quibus etiam fiet stillicidium supra suturam coronalem, & in occipitio, necnon totum corpus in ipsis immergetur. Aquæ sint non adeo calidæ, quales Aponenses, neque emollientes quales sunt B. Helenæ: præferantur potiùs Laltrenses, & D. Petri. Tandem suffumigium per tubulum in aures, & potissimùm in sinistram erit admittendum, paratum ex aquis Aponensibus, vel decocto ex vino albo, cum aceto, & radicibus cucumeris sylvestris, bryoniæ, & cyclaminis, addita betonicâ, suffitus etiam per os duci poterit ex thure, & mastiche, addito pulv. rosf. & santalorum. Capillis inspergantur pulveres exsiccantes ex floribus lavendulæ, & calendula, additis rosis siccis, & portione agarici trochiscati. Vel pileolus paretur intersutus, supposito gossipio, ex pulveribus Xiloaloes, betonicæ, & rorismarini, cum portione agarici trochiscati. Item duci poterit supra caput cochlear cum carbonibus: qua ratione à pannis cera elici solet supposita charta. In aures instillentur Aquæ Cardui benedicti, & origani, Oleum amygd. amarar. cum sp. rorismarini. Allium coctum sub cineribus ex usu est. Ut & pinguedo illius *Avis*, quæ Strabuso dicitur, vel pinguedo anguillæ, quæ ita solet parari. Sumitur Anguilla, & aromatibus conditur, postea assatur, & pinguedo manans ad usum colligitur. Tandem caput erit intrinsecus corroborandum, conserva Anthos, betonicæ, & florum lavendulæ, æstivo tempore, additâ paucâ conservâ rosacea. Vel fiant morselli ex speciebus Diambræ, Diamoschi, Diamargarit. frig. cum corall. & saccharo in aqua borraginis, & betonicæ soluto.

In victu abstineat à piscibus, fructibus dulcioribus, acetariis, & lactuca potissimum. Abstineat ab usu vini copiosi & generosi. Si posset omninò ab eo abstinere, consultiùs esset, cujus loco uti posset mulsâ aliqua medicata. Ventos fugiat, & potissimùm Austrinos, præsertim capite aperto. Exercitia valida vitet, imprimis partium superiorum. Quotidie alvus respondeat, vel spontè vel cum aliquo Diacydonio præparato. Aërem mutet in sicciorem. Hæc dicta volui in salutem Illustrissimi Patientis *Benedict. Silvatic. Consil. & Respons. Medic. Centur. ij.*

Puer duodecim annorum laboravit ante triennium morbo Hungarico, hunc excepit auditus difficultas in hunc usque diem durans, ut ea etiam quæ proferuntur à præceptoribus vix audiat.

Solent Febres malignæ judicari per surditatem, dum pori à fermento peregrino maligno obstruuntur. Et hic quidem non est absque periculo, quoniam non tantùm diu duravit, sed & obstructio fortis est, & totalis ferè. Conveniunt verò 1. Purgantia v. g.

℞. Extract. diacartham. ℈ij. solve cum aq. serpill. adde rhabarb. pulv. gr. vij. syr. diaser. Andern. ℥ß. Misc. pro dosi. Dehinc sudorifera non negligantur, inter quæ conducunt Decoctum lignorum, &c. Pro corroboratione detur Spir. cephalicus, Tinctur. succin. Sp. formicar. Aq. Anhaltina internè, ad gutt. 12. vel 15: Externa non sint nimis acria, neque crassa, nec frigida aut calida, sed temperata. Commendantur verò Aq. Reg. Hungar. Aq. card. bened. de recenti herba ter vel plus destillata, cum gossipio auribus indita, vel item Spir. Tartari sassafratus. Vel & panis recens ex fornace extractus & cum aqua Anhaltina aspersus & applicatus. Moschata quoque non sunt infimæ sortis auribus immissa. Vel Aq. acovistica Mynf. aut formicar. ob sal eorum volatile quod magnanimam efficit. Crato commendat axungiam serpentis, cum aq. card. bened. destill. & immissam. Pediluvia item non negligantur, & Potus Coffe diligenti sit in usu. Si omnis cura frustra adhibetur; videndum an mediante cornu audire patiens queat, quia per id propter flexuosum aëris motum surdastri sæpe optimè audiunt. *Joan. Waldschmidt in Prax. Med. ration.*

Mulier 36. annorum, temperamento pituitoso prædita, præteritâ hyeme catarrhis subinde laboravit, à quibus tamen circa principium mensis Februarii prorsus immunis evasit, sed tunc per paucos dies de leviore gravativo capitis dolore conquesta fuit, qui brevi evanuit, subsequente magno aurium tinnitu, cum tanta auditûs gravitate, ut vix altos clamores audire posset, quæ auditûs gravitas cum tinnitu jam per tres menses continuos remansit. Reliquo alioqui corpore bene valet, & menstrua statis periodis fluunt.

1 Afficitur in hac ægra instrumentum auditûs secundùm partem interiorem.

2 Affectus duplex est: Auditûs gravitas, & Aurium tinnitus. Illa est auditus imminutus ac difficilis, quo non nisi magni soni ab objectis externis moti audiuntur, leves verò non percipiuntur. Hic est sonitus molestus inter ipsas aures, à nullo externo objecto excitatus.

3 Gravis auditûs causa est humor pituitosus versus utriusque auris interiora decumbens, & partim nervum acousticum compressione angustando sufficientem spirituum animalium influxum ad auris interiora prohibens: partim tympani liberum motum impediens. Hinc enim fit ut leves soni tympanum impeditum & inclusum aërem congenitum vix moveant, isque ex illis motus ob spirituum paucitatem non percipiatur, nec sensorio communi communicetur: fortes verò soni tympanum & inclusum aërem fortiùs quidem commoveant, sed motus tamen, ob spirituum paucitatem & nervi acoustici angustiam, tantùm leviter sensorio communi communicatus percipiatur.

4 Tinnitus seu sibilus aurium fit à spiritibus vitalibus arteriolas aurium interiores transeuntibus, atque motu suo proximè vicinum, auri interiori inclusum, aërem congenitum simul etiam moventibus; cujus motus cùm ob locum continentem à pituita, quæ versus aurium interiora decubuit, angustatum, liberè fieri nequeat, hinc dictus aër commotus continuò in tympanum impingit, ab eoque repercussus, in forma levis sibili seu tinnitus sensorio communi offertur.

5 Per tres circiter menses perdurarunt hi affectus, partim quia à pituitoso totius corporis temperamento fovetur causa proxima: partim quia pituita illa in parte affecta hærens ob crassitiem & frigiditatem ægrè dissipatur.

6 Licet hi affectus per se non magnum vitæ periculum minentur, attamen metuendum ne ingravescentes, tandem in absolutam & incurabilem surditatem desinant. Nam pituitosus humor, qui ad auditûs organum decubuit, paulatim augeri poterit, & dissipatis tenuioribus partibus adeo incrassescere, ut postea nullis remediis attenuari & rursus discuti queat. Si tamen curatio quamprimùm instituatur, spes est illum dissipatum iri posse, quia paucus est, ut ex eo liquet, quòd nullus adsit dolor tensivus nec auditus omninò perierit.

7 Corpus igitur singulis septimanis semel aut bis purgetur cum pilulis cochiis vel aureis, pulvere diaturbith, electuario hiera, aut diaphœnico, vel infusione ex agarico, jalappa, aliisque phlegmagogis.

8 Ad totius corporis pituitam imminuendam, convenient decocta sarsæparillæ, sassafras, & guajaci, quibus cephalica calida sub finem decoctionis adjicienda. Humores verò in cerebri ventriculis contenti evacuabuntur masticatoriis, errhinis & sternutatoriis. Deinde ad capitis corroborationē præscribenda erunt apozemata & condita cephalica modicè calefacientia.

9 Ad dissipandas reliquias in capite & parte affecta residuas, conveniet fomentum ex cephalicis calidis ac discutientibus (betonica, rosmarino, majorana, salvia, calamenta, thymo, chamæmelo, &c.) confectum, & cum magna spongia, vel panno laneo sæpius calidè capiti admotum: Post cujus usum capilli mappis calidis sunt exsiccandi, & caput contegendum cucuphâ ex cephalicis calefacientibus consutâ.

10 Postea ad incidendos, attenuandos ac dissipandos pituitosos humores in auditûs organo contentos præparabitur hujusmodi decoctum.

℞. Rad. raphan. sylvestr. ℥iij. herb. thymi, betonicæ, hyssopi, majoranæ, roris marini, serpilli, fol. lauri, flor. chamomill. meliloti, ana m. j. sem. cumini, carui, levistici, fœnicul. an. ℥ß. aquæ q. s. fiat s. a. decoctio. Inter coquendum, per infundibuli ollæ impositi tubulum vapor calidus modò in unam, modò in alteram aurem admittatur, ac postea cum spongiis decocto immersis aures fomententur. Post fomentationem verò cum petiis ex bombace immittantur in aures duæ guttulæ olei anisi, fœniculi aut carui.

11 Plurimùm etiam proderit hoc cataplasma, inter duo lintearnina utrique auri nocturnis temporibus calidè impositum.

℞. Herb. majoranæ, salviæ, flor. Chamomill. meliloti, an. m. j. sem. nasturtii, cumini, fœnicul. ana ʒ i ß. pulverisentur, adde bulbos cæpa.

cæparum sub cineribus assatos num. ij. rapam assatam mediocrem num. j. farinæ sem. fœnugr. ℥j. aquæ q. s. coquantur paulisper, & addendo olei anethini, amygdalarum amararum, an. ℥j. f. s. art. cataplasma.

12 De die poterit loco cataplasmatis utrique auri calidè admoveri talis sacculus siccus.

℞. Herb. majoran m. j. rorismarin. flor. chamomill. an. m. ß. sem. cumini, fœniculi, carui, levistici, an. ℈ij. ex his concisis & grosso modo contusis, fiant. s. art. in serico duo sacculi intersuti.

13 Si horum remediorum usus aliquandiu continuatus manifestum levamen non inducat, multùm proderit fonticulos in cervice & brachiis excitare, ut pituitosa materia versus aures decumbere solita, per alias vias deduci & evacuari possit.

14 In victu sit aër modicè calidus, & vitetur turbulentus ac ventosus, imprimis aquiloneus. Cibi sint boni succi & facilis digestionis, conditi cum majorana, foliis lauri, serpillo, rosmarino, betonica, seminibus carminativis, nuce moschata, & similibus. Potus sit vinum tenue, & cerevisia mediocris notæ ac bene defœcata. Caveat sibi ægra ab omnibus iis quæ caput replent, ut raphano, sinapi, allio, cæpis, vino generoso, nimia quantitate sumpto, spiritu vini, &c. Etiam à repletione, tam in cibo quàm in potu. Somnus non sit nimius, & corpus mediocriter exerceatur. Alvus si sponte quotidie non respondeat, arte laxa servetur. Fugiantur vehementiora animi pathemata. *Isbrand. de Diemerbroeck de morb. capit. Medicat. 20.*

Surditas.

Admodum Reverendus Pater annum agens vigesimum quintum, temperamenti secundum totum ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitus, calidioris verò jecoris, sicut caput habens præcalidum & humidum, ideoque excrementis abundans, quæ olim per nares copiosa excernebantur, moxque suppressa, assiduis studiis deditus, quintus jam agitur annus quo sinistræ auris dolore correptus fuit, cui post aliquot dies successit excretio copiosæ materiæ magna ex parte purulentæ & fœtidæ: qua excretione remissus fuit dolor, perseverante tamen materia non quidem adeò purulentæ seu catharrhali naturæ, modò albæ, modò flavæ: cujus expurgatio per aurem modò major, modò minor semper hucusque perseveravit atque perseverat, non solùm cum diminutione, verùm tandem cum totali auditûs abolitione, quæ ab eodem Reverendo Patre observata non fuit, nisi anno elapso; dum dextera quoque auris eadem symptomata pati cœpit, & auditus quoque in illa diminui. Illud interim observatum fuit, quod præterito Autumno post abundantem in aure sinistra materiæ excretionem confertim secutam, auditum ferè ex toto recuperaverat, quem tamen post tres aut quatuor dies rursus amisit. Modo sicut omnino surdus in sinistra, ita surdaster in aure dextera remansit, & de agendis pro salute consulit.

Surditas itaque absoluta in aure sinistra, & imminuta in aure dextera quæ Obauditio, sive Barycoja à Gal. dicta fuit, cum perpetua materiæ fluxione, sunt affectus quibus divexatur Reverendus Pater, symptomata audientis actionis abolitè & imminutè læsæ, necnon in excretis immodicè fluentibus, quantitate peccantibus: quæ symptomata à symptomate alio originem habuere, nempe à dolore: sicut omnia postea à morbo in aucta magnitudine, à tumore nimirum in aure sinistra, eoque inflammatorio, non per congestionem, sed per humorum affluxum excitato; qui tumor non quidem in interiori concavitate ossis petrosi, ubi manet aër quietus implantatus, adestque nervus auditorius, qui in interiori parte, simul cum dura membrana meatum investit, & auditum perficit: etenim in illo casu acutissimo dolori continua quoque, ac vehementissima febris accedit, difficilis atque periculosa, non rarò & delirium, & mortem inferens, idque quoniam, ut ait Gal. in Com. ibi reperitur nervus auditorius cerebro proximus: unde repetebat Hippocr. *Juvenes septima occidit, & citius si cum delirio, seniores autem tardius.* Igitur infra meatum auditorium tumor fuit olim excitatus, & spatio aliquot dierum suppuratus atq; abruptus; cujus occasione attracta & retenta fuere alia capitis excrementa, quibus imbuta dura membrana tympani, sicque madida reddita, non amplius sonora, sonos externos unà cum aëre implantato recipere, nec cerebro communicare valet, unde surditas: quam non parùm fovere credimus ulcus ab abscessu disrupto relictum, sicut utrumque affectum à perpetua destillatione à cerebro intemperato manante, & foveri & conservari credimus: caput enim jam valdè excrementosum quod per nares olim exonerari solebat, suppressâ per nares evacuatione, ad sinistram primò, mox etiam ad dexteram aurem excrementa transmittere cœpit, & adhuc mittit; à quibus partim & auris dexteræ interna tunica madefacta, partim meatu ipso auditorio semiobstructo, tandem postremo hoc anno auditus ipse non parùm imminutus est. Et quamvis caput essentialiter à propria humida & calida naturali intemperie affectum semper fuerit, imbecillius tamen ab applicationibus in studiis semper est redditum, & ad suscipiendos à jecore per venosum genus tum vapores calidos, tum ichores biliosos, qui propria ipsius capitis excrementa & adaugere, & calidiora atque flaviora reddere, simulque liquare ac fundere, sicque ad fluxionem aptiora facere valent.

Surditas est affectus qui rarò Curationem admittit, præsertim ubi consummata fuerit, obauditio verò in surditatem terminare solet: & augetur difficultas in casu nostro ab ulcere in sinistra relicto. Attamen cùm Patiens sit juvenis, neque hucusque majora & propria expertus fuerit remedia, eradicativa atque generosa; Purgatione proximo Vere perficienda, salus desperanda non est, quæ Purgatio infra erit describenda; & interim aliqua quoque agenda ad affectûs incrementum inhibendum, aut saltem remorandum.

Quatuor igitur usque ad festa Paschalia ante exactam Purgationem tunc temporis ineundam, sunt in usum ducenda. Primum erit Leniens aliquod familiare bis in mense assumendum ad evaporationes à capite divertendas, quod esse poterit.

℞. Elect. lenit. ʒvj. aloës rosat. ℈j. magister. Mechoacan. gr. vij. m. f. boli duabus horis ante cibum sumendi.

Secundum erit alterans quotidie prima mensa

hauriendum, ut jecoris calor contemperetur, & erit jus carnis endivia alteratum.

Tertium erit Errhinum sive Nasarium matutinis horis per nares more tabaci attrahendum, ad hoc ut materia ad nares tanquam ad proprium emunctorium revocetur, sicque ab auribus divertatur, cujusmodi esse poterit.

♃. Pulv. majoran. rad. ireos Florent. an. ℨij. m. pro Errhino.

Quartum erit Topicum in aures introducendum, quod primò incidentem & detergentem, deinde exiccantem facultatem obtineat, ut humor in auribus existens attenuetur, detergatur, & tandem ulcus exiccetur. Introducatur igitur turunda oxymelite squillit. intincta, præsertim noctis tempore: non enim sunt infundenda medicamenta, ne violenter tangatur meatus auditorius, ut admonebat Gal. sed turunda aut specillo lana obvoluto sunt introducenda. Aliquot verò transactis diebus, paretur tale medicamentum modo jam dicto in usum ducendum.

♃. Ol. amygd. amar. ℥j. fellis capræ ℥ß. succi raphani ℥ß. pulv. cymini ℨj. m. ref. ad ignem, & intincta turunda in aures introducatur. Vel

♃. Cæpam vulgarem, excavetur & pulvere cymini impleatur, deinde coquatur, & forti expressione succus extrahatur, turundâ modo jam dicto in usum ducendus. Neque verendus est usus validorum medicamentorum: etenim vehementissima medicamenta tolerant aures, ut docet Galenus.

Tandem pro ulceris exiccatione nullum præstantius excogitavit remedium ipse Gal. quàm ferri scoriam tritam, & sub radiis solaribus acerrimo aceto lævigatam. Tinctura quoque corallorum cum sale eorundem, efficax erit.

Sed fontem mali tollere oportet, in quem finem Vere proximo primæ viæ erunt expiandæ. Secundò Totum venosum genus expurgandum. Tertiò purgandum corpus. Quartò ejusdem intemperies, humida presertim, corrigenda, atque tandem Topica auribus admovenda.

Et si primò Chirurgica remedia consideremus, necessaria erit sanguinis missio ex Mediana dextera, imò repetenda erit vel ex sinistra, vel ex hæmorrhoidibus. Si Cauteria gestet in brachio & coxa, pro nunc custodienda. Ex Pharmacia reliqua sunt remedia depromenda, & primò Leniens erit.

♃. Pot. ex man. clarif. ℥vj. aq. flor. citr. parùm, m. pro potu. Præparans sit hujusmodi.

♃. Oxym. simpl. ℥ij. mell. rof. simpl. aq. florum citri ana ℥j. m. & sic pro aliis quinque. Deinde repetatur præscripta potio. Ut secunda ineatur præparatio.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti cichor. borag. beton. an. ℥j. sal. tartar. fixi gr. x. decoct. cichor. sonchi, beton. agrim. pentaphyl. meliss. ℥v. m. pro syr. & sic pro aliis septem. Inde purgentur humores in toto infusione rhab. agar. fol. senæ, & cinnamom. integri, addito syr. & mell. rof. solutivo; vel electuario lenit. de succo rof. & diaphænic. quibus superbibat aquam Nocer. ad lib. ij. vel iij.

Purgato toto, debet quoque expurgari caput pilulis cochiis, aureis, & aggregat. ana ℨß. quibus pariter superbibat aquam Nocer. aut hordeaceam; quæ pilulæ quoniam bis aut ter quarto quoque die sunt repetendæ, ideo intermediis diebus præbeantur succi jam præscripti, in decoct. cichor. beton. salviæ, majoran. & stœchados. Et eodem tempore matutinis horis caput erit quoque purgandum errhinis aut masticatoriis, Errhinum ita parandum.

♃. Pulv. maioranæ, ireos Florent. ana ℨij. nigell. ℨj. m. Masticatorium ita.

♃. Pulv. gingib. pyrethri ana ℨj. mastich. ℨß. sacchar. ℨij. ceræ q. s. & f. globuli.

Purgato toto & capite, ejusdem humida intemperies corrigenda sudorifico Decocto in hunc modum parando.

♃. Ligni visci querc. veri, medull. guajaci, salsæparill. elect. lig. rosmar. an. ℥j. aq. comm. lib. 4. m. f. infus. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimid. & colatur. servetur pro tribus vicibus, hora una ante ingressum hypocausti sumenda. In cujus sudorifici Decocti usu quadraginta diebus insistendum, & decimo quoque die potio ex manna clarif. præbenda. Pro potu vero consueto aqua hunc in modum paretur.

♃. Residuum, aq. com. lib. 15. m. bull. ad consumpt. tertiæ, in fine verò ebullit. add. cinnam. integr. ℨij. bull. parùm, & colaturæ adhuc ferventi adde sacchari albi ad gustum Pat. pro potu consueto. Victus autem ratio sit mediocris inter tenuem & crassam, attenuans tamen & exiccans. Absoluto sudore conservæ capitales erunt in usum ducendæ, è flor. rosar. ror. mar. beton. salviæ, additis guttis quintæ essentiæ rorismarini; imò Confectio in rotulis ex quinta essentia ror. mar. sacchar. dissolvendo in aq. cinnamom. parari poterit, noctu in ore detinenda. Tandem Topicum in aures introducendum mediante turunda bombycina in parte superiori eodem intincta, ita paratum.

♃. Pomum colocynthid. in summitate incisum, excavatum, & impletum oleo amygdalar. amar. aquæ vitæ, caryophyllor. ana ℥j. fellis caprin. ℥ß. m. bull. lento igne in vase terreo ad consumpt. aquæ, deinde f. omnium fortis expressio, cui add. moschi gr. v. & servetur ad usum.

His autem omnibus congruam vivendi rationem propositis intentionibus proportione respondentem, Excellentiss. Viro Aditanti addendam relinquimus. *Joann. Raymund. Fortis Consult. cent. j. Tom. ij.*

Observationes.

Tinnitus Aurium.

Quidam naturæ melancholicæ, 50. annorum, per aliquot septimanas, perquàm molesto aurium tinnimento exagitatus, paucorum dierum spatio liberatus aliquot guttis spir. cæphalic. Anhalt. cum bombace insertis: deprehendi illius effectum multo præstantiorem in cerebro roborando, & flatulenta ac vaporosa materia resolvenda, quàm oleorum stillatitiorum, quæ nimio calore magis officiunt. *Thonerus lib. 2. Observ. ult.*

Tinnitu aurium alios sine dolore, alios cum dolore laborantes, etiam inter hos senem sexagenarium à tribus hebdomadis surdastrum levavi præmisso potu decocti trifolii fibrini, oleo trifolii

folii destillato, gossipio ad aliquot guttas excepto, & auri indito quanquam fatear me in hoc affectu oleum C.C. efficacius deprehendisse. Faber quidam lignarius 30. annorum ad Michaelis festum 1674. dolore levissimo auris dextræ corripiebatur, qui tamen mox evanuit, effluente nihilominus magnâ puris fœtidi & saniei vi. Nullus unquam capitis dolor præcesserat, nullus parotidum tumor. Auditus interim planè hac in aure sublatus. Nulla hactenus res ei commoda fuit præter frequentem fumum tubulo tabaci in morem haustum trifolii fibrini, hujusque ut & Cornu Cervi destillatum oleum gossipio aure exceptum, post diligentem mundificationem per linteum aqua trifolii fibrini calida imbutum, potumque ordinarium cerevisiæ cui trifolium fibrinum infusum esset, ut illi principio Aprilis 1675. præceperam. *D. Joëlis Langelotti.*

Obauditio.

Pro auditûs difficultate jussi eum aquam ex fellibus auribus indere eaque interiora madefacere, nec diutiùs retinere, sed postquàm effluxit aures bombyce moschatâ obturare. Aqua ex fellibus detersiva ita paratur.

♃. Rad. raphan. porr. cœpar. ann. ℥j. cyclamin. ℥ß. helleb. alb. ʒj. fol. origan. sicc. ʒiij. rutæ, majoran. an. ʒij. flor. lavend. ʒj. sem. fœnicul. cumin. an. ʒj. bacc. laur. numero 15. contusis adde fellis vaccin. ʒj. (fortè ℥j.) vin. alb. q. s. ad pultem formand. destill. in B. M. & servetur aqua. Suffitum etiam excipiat ex decocto bacc. lauri, sem. carui, rad. caryophill. iridis, fol. rutæ, salv. beton. myrrhidis spondylii an. cum vino. *Felix Platerus Observ. lib. j. pag. 125.*

Dolore dentium intolerabili pridem cruciabatur Dn. Erasmus Vindingius, Vir magnorum meritorum, qui neque noctu inducias dabat. Cùm alia remedia frustrarentur spem nec levarent dolores, consilium in arena cepit. Media nocte lecto se proripiens, dormientibus famulis, exiliendo ad mensam corpus agitavit concussitque propulitque ex loco suo dolorem vel doloris causam, statimque levatò dolore ad quietem compositus, ex eo tempore ab isto symptomate immunis fuit. Nuper idem consilium Joanni Trochilli Procuratori Urbis de auditûs difficultate conquerenti suasit felici quoque successu. Scilicet subsultu illo corporis seu, ut cum *Plauto* loquar, insultura & desultura, pellitur loco noxia materia, quæ vel dentes vel aures occupat. Non ignotum antiquis remedii hoc genus. Testis est *Oribasius* L. B. Collect. Med. c. 3j. qui ex Antyllo refert, exilire accommodatum esse diuturnis morbis capitis, thoraci, materiæ quæ ad partes superiores propensa fertur: saltationem quoque ad nares, qua Lacænæ mulieres utebantur, caput purgare & siccare. Differre verò monet exilire à saltando: nam exilire esse cursui simile, quum eodem in loco corpus manet, poplites inflectendo & circumvehendo, saltum verò esse fermè crurum continuum. At subsultus quo Vindingius noster Magnus suam odontalgiam discussit, pedibus sursum deorsum in eodem loco motis, corpus quoque deorsum sursumque concussit, & quæ dentes occupaverat, materia deorsum quoque propulit. Ita & discussit ex auribus sive flatus sive obstruentes humores. Affinis huic est curatio; quâ quoscunque corporis dolores exteriores & tumores, pugnis vehementioribus parti dolenti impactis domare amicum alium vidi, ut quasi fustibus molliores fiant magis, quàm ullis emplastris. Quæ de subsultu dixi, propriis Magni Vindingii nostris verbis confirmabo, sicut ipse consignavit. Ita verò ille.

Ante annos plus minùs quindecim postquam stato tempore cubitum iveram, aliquantum obdormiveram, acutissimus dentium dolor mihi somnum excussit, duravitque is aliquot horas, rumpo tandem patientiam: de lecto surgo, & me propinquæ mensæ applico & pulvinum in tenebris fortè repertum nudis pedibus subdo, & manuum, quibus mensam apprehendi, ope subsilire incipio toto corpore, pulvino pedibus insistens: cœpit sensim remittere dolor: postquam me ita ad octavam horæ partem exercueram, redeo cubitum & mox lenis sopor occupat artus, nec ullum discusso somno sensi dolorem.

Accidit his diebus notissimum in hac urbe causarum Patronum Joannem Torchilli f. agentem causam apud constitutos à Rege Judices M. Wibe & me ob defluxum humorum ad aures difficillimè audivisse quæ vel ab adversæ partis Patrono vel à judicibus dicebantur: cùm dimitterentur disceptantes apud nos quæstus est se hoc aurium vitio plusculos menses laborasse. Rediit in memoriam quo modo ante annos quindecim dolorem dentium repulissem: putavique eodem modo audiendi difficultatem ex humorum in aures defluxu ortam tolli posse. Docui eum rationem à me initam. Paruit consilio & cum iterum apud nos in eadem causa post aliquot dies compareret, ea audiendi facultate præditum deprehendimus ut quæcunque vel ab adversa parte, vel testibus, vel judicibus dicerentur haud difficulter auditu perciperet, sine ulla vocis intentione. *Gottofredi Christiani Wincleri.*

Juvenis studiosus à septennio aure dextra difficulter, & aliquando vix audit. Cura ejus sic fuit instituta. Primò purgatus fuit pilulis anethinis, post scarificationes factæ sunt circa scapulas & cucurbitula admota. Postea usus est hoc topico, quod

♃. Spir. formicar. tartar. rectif. sassafrati an. ℥ß. extr. castor. ℈j. ol. succin. seu spiritus gutt. x. m. Mixturam cum bombace exceptam intrudat in aurem, & illibi per diem & noctem servet, applicato semper pressius linteamine intensè calefacto, pro imposita medicina in actum transpirationis intimioris promovenda. *M. B. à Bernitz Fasc. Medic. Tit. 9.*

Surditas.

Adolescens quatuordecim annorum Lendenariensis me convenit, qui ab utero matris laborabat obstructione alterius auris, à carne quadam densa, nonnihil tamen circum circa erosa, quæ assiduè ichorem purulentum cum fœtore effundebat, totumque meatum auditorium obstruebat, usque ad membranam tympani. Facta expiatione totius corporis, deveni ad operationem Chirurgicam, parato instru-

mento instar volsellæ intus cavo, prout Aquapendens ad polypos extrahendos effinxit, quo ferramento sæpius in aurem immisso, sensim ac sensim fere totam carnem luxuriantem eduxi; atque alio postmodum candente, per canulam insinuato, particulas carnis superstites inussi, adhibitis medicamentis crustas removentibus; tum exsiccantibus induxi cicatricem, sanitatique ægrum restitui, auditu incolumi, qui antea abolitus fuerat. *Petrus de Marchettis Obs.* 28.

Cùm satis purgata esset mulier quædam surditate laborans, vetula quædam illi consuluit, ut granum unum vel alterum moschi opt. in bombace misceret, & auri perpetuò imponeret. Hoc remedio præter omnium spem ab omni surditate liberata est. Ego multos quidem, quibus auris f. nie longo tempore maderet, curavi sola imposita bombice vel cottone, in quo moschus reservatur, quod & aurem exsiccat, & simul surditatem tollit. Mulier quædam oleo murino (mures enim rec. natos sine pilis macerabat oleo) utebatur cum miraculo ad aurium surditatem. *Gisbertus Horstius* aquam ex illis distillabat & eam in aures immittebat. Arculanus medicus suo tempore insignis in nono ad Almansorem scribit moschum cottone involutum, & in aurem positum egregiam prærogativã habere in curando surditatem; sed in mulieribus juvenculis suffocationi uteri obnoxiis nequaquam convenit. *Petrus Forestus Obs.* 15. *& Schol. lib.* 12. *de Aurium Morbis.*

Judæus quidam Empiricus surdo medicamenta quædam suppeditavit quæ cùm ego satis probem, volui studiosis ea communicare. Ea hæc sunt. Conficiatur lixivium ut fieri solet ex cinere juniperi, & fluviali aqua; lixivii capiat ℔. ix. cui infundantur per viginti quatuor horas serpill. flor. chamæm. absinth. matricar. an. m. ß. baccar. lauri, rad. ireos an ℥j. rad. asari ℥iß. contusa infundantur. Deinde eo lixivio abluat caput aliquoties.

℞. Succi porrorum, succi absinth. ol. amygd. amar. petrolei an. ℥ß. m. Deinde ea mistura impleantur cæpæ duæ excavatæ ac earundem cortice tectæ; atque ita sub cineribus calidis coquantur. Coctis iis succus exprimatur, qui sæpe in aures instilletur.

℞. Aceti acerrimi ℔.j. stercor. columb. rec. q. s. mixta hæc indantur in ollam novam, coq. ad mediet. consumptionem. Deinde coopertam ollam crusta panis larga in medio perforatã, & imposito aptè emboto, auri subjiciat; atque inde exhalantem vaporem in aures excipiat, vesperi iturus dormitum, continuet ad duodecim dies, & quaternis quibusque medicamentum reiteretur. Hæc medicamenta post ritè purgatum corpus administrentur. *Reinerus Solenander. Consil.* 4. *Sect.* 1.

Plurima gravis auditus sunt remedia, neque semper obtemperat uni, sed ex deterso ritè tympano, & infuso liquore flatus discutiente, maximum plerumque percipitur emolumentum. Nihil utilius urinâ leporina, sive seorsim seu cum spiritu vini auribus calidè instillata: cujus frequentior usus multis opitulatus fuit & quidẽ præcipuè Proxinetæ cuidam Amstelredamensi, qui eo surditatis jam devenerat, ut necesse foret, palimpsesto, sive cartæ deletili inscribere, si quid illi verbis communicatum velles. *Nicolaus Tulpius Obs.* 15. *lib.* 4.

Thonerus p. 117. obs. gloriatur, se Ecclesiasten ex febre continua per metastasin materiæ, auditus difficultate laborantem sola aqua Anhaltina cum bombace auribus immissa, curasse. De successu etiam haud dubito, si materia non sit copiosa & si potius vaporosa, quàm insigni tenacitate & crassitie pollens. Si enim hac consistentia prædita nervum auditorium occupet & a calore p. n. induretur, haud ita facilè tollitur, sed medico multum negotii facit, ut sequenti observatione patebit.

Præfectus quidam aliquot pagorum laborabat febri continua maligna cum pleuritide spuria, quibus idoneis remediis sublatis, febris lenta cum totali auditus abolitione sequebatur, ita ut maximos clamores & penetrantissimos sonitus, ne minima quidem parte perciperet. Crisin hanc esse imperfectam sive metastasin materiæ, nullus dubitavi. Cùm autem de cephalalgia & dolore aurium simul conquereretur, abscessus futuros existimavi & discutientia dolores mitigantibus additis applicavi. Quibus quidem dolores evanuere, sed surditas perseverabat cũ febricula lenta. Corpus purgavi decenter alterantibus subsequentibus. Febris cessabat, omnia munia exequi potuit, sanus alioqui præter auditum. Fotus applicavimus, cucurbitulas dorso & brachiis affiximus, caput decoctis herbarum lavavimus; aurium cavitati aquam Anhaltinam & alia discutientia indidimus, & sexcenta alia tentavimus omnia sine levamine. Tandem fumum tabaci ordinavimus & cucurbitulas post aures affiximus, quibus tandem perfectæ sanitati restitutus est. *Gottofredi Christiani Winkleri.*

Clarissimus Dominus D. Gablovvitzki, serpiè defuncti Episcopi, Caroli Ferdinandi, Princ. Polon. & Suec. Medicus ordinarius, in simptomatica surditate, cum dolore Sac. Reg. Mai. Anno 1648. mense Janvario, auri sinistræ superveniente, commendabat colocinthidis pomum, cum calefacto oleo amygdalarum amararum bene imprægnatum, post fortissimè expressum. De expresso hoc oleo colocynthinato cum bombace excepto, ponatur in aurem bis vel ter indies. Ex consilio autem DD. Cnoeffelii observavi, auditum S. Reg. Mai. brevi post restitutum fuisse, spir. tartar. sassafrato, leviter tepefacto, & bombace excepto, atque in aurem posito, suppositis statim linteaminibus probè calefactis ad extra per dimidiam horam. Anno 1649. rediit dolor, cum surditate, strepitu & fluxu excrementoso, ubi *Cl. Cnoeffelius* denuò præscriptum remedium repetiit, sed absque levamine, unde & balsamum hoc adhibuit, quod

℞. Spir. tartar. rectificatiss. sassafrati, elixir. propriet. sine spir. tartar. an. ʒß. ol. hypericonis, succin. an. ℈ß. simili dicto modo fuit adhibitum, & S. R. Majestas ex reiterato usu per tres dies iterum convaluit. *M. B. à Bernitz fasc. med. Tit.* 19.

Medicus noster, ac Chirurgus *Cornel. Solingius* nuper mecum literas quasdam communicabat ad ipsum à fratre *Hercule Solingio* Gorcomiini *Eyl*, aliàs *Andel Workomium* inter, & *Hoesdam* ad aggerem sito, rusticus quidam 40. annorum nomine Gisbertus, natus in civitate Campensi habitavit, qui illuc anno 1666.

mutus, & surdus cum campanula quadam (ut solent ejusmodi homines) ad colligendas eleemosinas advenerat. Quem, cùm laboriosus esset admodum vidua quædam, etiam surdastra, misericordia ducta hospitio excepit, ita ut ab eo usque tempore res perageret rusticas, in quibus diligentem se, solertemque præstitit. Postquam vero ibidem per biennium laboribus insudasset, ac aliquando fossam quandam foderet, contigit, ut inter operandum campanæ audierit sonum quod digitorum suorum allisione sodalibus suis satis indicabat, & ab eo usque tempore auditum conservavit integrum. Duodecim autem post annis die 12. April. 1680. cum consortio cuidam interfuisset Dominicâ palmarum, ancilla heræ cui famulabatur, lecto ipsum incumbere rata pro more domum clausit, lectumque petiit. Ille verò multa demum nocte reversus, januam reperit clausam, quapropter vicini sui domum adiit, à quo commodiore tunc temporis lecto destitutus ad fœnile dimissus est rogatusque fuit, uti maturè domesticos excitaret secuturo die, qui Lunæ esset, multo mane mercatum adituros Gorcomiensem. *Gisbertus* ergo in prædicto fœnili decumbens vocem quandam, uti postea retulit, audiit vel forsan sibi audire visus est, vel somniavit, clamantem: *surge, Gisberte & loquere*! ipse ergo surgens mox vicini domum adiit, cujus ostio frustra ter pulsato, Heræ fores pulsavit; unde ancilla surgens rogabat, quisnam adesset, cui ille: ego sum *Gisbertus*, Deus mihi linguæ restituit usum: quod minùs credens ancilla, dissolutiorisque vitæ homines adesse suspicata, qui domum ingredi conarentur, januam non aperuit. Coactus ergo fuit *Gisbertus* vicini sui domum repetere, cujus uxor, quæ interea surrexerat, uti se itineri accingeret Gorcomiensi, strepitum quendam ante fores audiit, quapropter accurrens quis esset, rogavit; *Gisbertum* autem se nominantem illa accedens cognoscensque exclamavit: Tunc ades, *Gisberte*, & loqueris? Ille autem non sine amplexu respondit: *Deus mihi loquelam restituit, ipsi sit honos, & gloria.* Unde mulier stupefacta primo quidem loqui non poterat, sed tamen parumper ad se rediens, quo pacto loquendi recuperasset usum, rogavit, quare ipse quicquid sibi accidisset, narravit. Adventante autem, quo uxor discederet, tempore, *Gisbertus* maritum adiit, eique rem significavit: omnium autem primo mulier ista se ad meas (ita scribit *Hercules Solingius*) contulit ædes, ut nonnulla emeret. Dum autem nos simul (ita pergit) pranderemus, intravit & *Gisbertus*, quem quidem unà ad prandium invitabam, sed verecundior ille (uti videbatur) abnuit. Interroganti igitur mihi, quid ni Juvenis ille ad comedendum accederet, vicini uxor, tui, dixit, causa pudore afficitur, ac mox singula exposuit, quæ ipse etiam confirmavit referens, quomodo primo in pagum pervenisset. Famulam autem qua cum simul diù habitarat, postea uxorem duxit, sed cum ipsa diu in matrimonio non vixit, toto isto tempore valetudinarius admodum. Uxore itaque sine liberis relicta, fatis cessit anno 681. mense Martio. Quæ relatio (ut ait Hercules *Solingius*) non tantùm verissima est, sed & centenis aliis testimoniis, si quidem opus foret, confirmari posset. *Cornel. Stalpart. Cent. 2. Observationum p. 35.*

AURIUM MORBI.
ubi scilicet

De earum Dolore atque Inflammatione, Ulcere, Vermibus, Caruncula obstruente, Humiditate ac Fluxu, rebus externis immissis & Parotide, agitur.

UT *Aurium morbos* explicemus, nihil opus est partes has describamus quarum ideam mox ubi *Auditus Læsionibus*, dedimus.

Dolor auris sæpe inflammatione, sæpe absque illa oboriri solet. *Inflammatio* autem sæpe est cum abscessu eumque consequente ulcere in meatu auditorio, aliquando etiam consequitur vulnera & contusiones.

Ulcus auris fit per rupturam abscessus in meatu auditorio partibusque maximè vicinis, vel per acrimoniam liquoris alicujus ex aure stillantis, aut ab extra in eam immissi. Ex eo autem ulcere prodire possunt *vermes* quales sæpissime viderunt Practici.

Res extraneæ variæ *in aurem* immitti possunt, scilic. pisa, globi, nuclei, animalcula, velut araneæ, grilli &c. de quibus vide in sequentibus.

Caruncula aut excrescentia autem obstruens tum ab ejusdem ulcere, tum etiam sine eo, qualiter in aliis corporis partibus ejusmodi excrescentias progigni videmus efformatur.

Humiditas & fluxus aurium vel à glandulis, membranam meatum auditorium ex parte obvestientem, occupantibus plus nimium turgidis, unde scilicet serum copiosum depluit, quod tractu temporis in purulentum quid abit, lacerata sc. & ulcerata prædictarum glandularum compage per seri acrioris non tantùm importunam alluitionem, sed quasi inundationem enascitur. Vel eadē etiam humiditas à partibus vicinis aliquando sufficitur per canales cæcos, aut vias quas sibi excavat humor aggestus.

Parotis est tumor contra naturam glandulas quæ pone & circum aures sitæ sunt, quæque cerebri emunctoria vulgò dicuntur, occupans. Est autem vel *critica* vel *symptomatica*; illa à morbi præcedanei materia mitificata quæ vi naturæ eo depulsa provenit; hæc quæ sine ullo morbo præcedaneo, à causis iisdem quæ in omnibus aliis inflammationibus, quales suprà ex parte in Angina, infra verò sub inflammationis titulo, describemus, efformatur. Rursus *Parotis* alia est *venenosa* & *pestilens*, alia minimùm.

De *Prognosi* istorum affectuum hæc habeto. *Dolores aurium* præcipuè qui in ipsius meatu sentiuntur sunt semper violenti; si autem febri acutæ superveniant, iisque accedant deliria, insomnia, convulsiones, & leipothymiæ, infausti sunt sane ominis. *Inflammationem* si sequatur *abscessus* pessimum est; si verò abscessus in *ulcus* terminetur, hoc difficillimum est curatu, propter materiam salsam è glandulis vicinis continuò suffectam quæ reunionem ac cicatrisationem quam maximè prohibet. Si verò ulcer... in meatu osseo, sc. meatus auditorii parte tympa-

tio viciniori posita fuerint, præterquàm quod cariem promptè inducunt, difficiliùs etiam sanantur, quàm quæ in ejusdē meatus parte anteriore collocantur, quia canalis osseus versus tympani membranā declivis est, & ubi in planum descendit fossam efficit notabilem, è qua pus difficulter eximitur. *Humiditas aurium* effluens à pluribus præservat capitis symptomatibus, uti in infantibus frequentiùs, & in adultis etiam, sed rariùs, observatur.

Vermes cum maximam corruptionem denotent nihil boni portendunt. *Res externæ auribus immissæ* maxima ut plurimum cum difficultate eximuntur, præcipuè si profundius introductæ, aut figuræ rotundæ fuerint, quia non facilè arripi pro eductione queunt. *Excrescentiæ fungosæ* in cancrosum quid frequenter abeunt, *carnosæ* verò excisione curantur. *Parotis* febri die critico superveniens cum signis concoctionis, bona est, sin minùs, mala, quæ verò per febris decursum, hac nullatenus remittente enascitur omnino est perniciosa. Si Parotis intrò repellatur, aut per se sine ulla prægressa evacuatione subitò retrocedat, delirium imò phrenitis aliique cerebri inflammati affectus promptè oriuntur. Parotidem si nulla sequatur suppuratio malum est, ni larga hæmorrhagia aut alvi fluxus superveniat, hic autem dum de alvi fluxu verba facimus, illumque parotidibus non suppuratis supervenientem faustum dicimus, de Parotide pestilenti hoc dictum nolumus quæ cum alvi fluxu ægros enecat. Parotis sine malignitate Juvenes graviùs exercet quàm senes, & curatu contumax est, si fuerit ab humore crasso, lento & viscido.

Curationes, Consultationes & observationes è variis Autoribus.

Curationes.

Aurium dolor & inflammatio.

Præmissis purgatione & venæ sectione, ad topica remedia confugiendum est: quorum omnium mox præscribenda efficacissima tutissimaque sunt ad mitigandum dolorem, cui quam maximè studendum est.

♃. Ol. rosac. omphacin. nymphœæ, amygd. dulc. an. ℥ß. succ. solatri depurati ℥j. m. omnia exactè & in aurem sensim instillentur actu tepida, vel adeps anseris in butiro recenti liquatus cum oleo rosac. in aurem pariter instilletur, mirificè dolorem omnem mitigabit. Ubi verò doloris causa frigido morbo accepta fertur, vel inflammatio ad suppurationem tendit, *Benedicti Victoris Faventini* emplastrum ex cœpa, fœlicissimo cum successu administratur, quod hujusmodi est.

♃. Cæpæ sub ignitis cineribus excoctæ num. j. butyr. rec. ℥ij. ol. chamæm. & rosac. an. ʒj. croci ℈j. omnia simul contusa & probè subacta ad emplastri formam redigantur, quod temperatè calidum dolenti parti applicetur. *Joan. Zecchius Consult. 62.*

In dolore aurium folium hyoscyami vel tabaci prodest. Internè pulvis anodynus cum specifico cephalico saturn. & globulus, quô fera est confossa laudantur vulgò. Applicetur quoque oleum nucistæ cum moscho. It. pinguedo anseris cum succo cæparum.

♃. Cœpam. sub cineribus coctam. butyri recent. ℥ij. ol. chamælin. rosat. an. ℥j. croci ʒß. mucilag. sem. cydon. cum aq. ros. q. s. f. Cataplasma. Prodest etiam oleum rosarum, cui lumbrici terrestres præpar. & loti incoquantur. It. oleum rosarum ʒij. cum acet. optim. ʒß. coq. ad. 4. p. consumptionem, post add. laudan. opiat. vel extract. opii cum spir. vitriol. vel acet. facti gr. iij. m. In causa frigida expertum se scribit Horstius oleum camphoræ præsentissimum fuisse remedium. vid. Forest. l. 12. obs. j. *Joann. Michael. in Prax. clinic. general.*

In aurium inflammatione succus sempervivi præstantior est succo ranunculi, ob nimiam hujus acrimoniam. In affectibus aurium internè dentur medicamenta ex betonica, essentiâ lignorum, Tinctura lign. Tinctur. corallor. quibus misceantur specifica cephalica.

♃. Succ. lactuc. succ. nymph. succ. rosar. an. ʒj. m. Ubi materia ad suppurationem tendit, prodest decoctum lactis cum ficubus. Ad rupturam apostematis.

♃. Succi sempervivi express. ʒiij. lact. mulieb. ℥ß. m. *Idem ibidem.*

Remedia ad dolorem auris maximè sensilem sedandum diversa esse debent, pro diversis morbi causis. Auspicanda ergo doloris curatio à causarum externarum, antecedentis item & continentis per contraria ablatione. Si dolor proinde à frigore fuerit subortus, contra frigus & procellis agitatum aërem defendenda venit auris, applicatis super aurem omnibus illis, quæ calefacere possunt; frigida enim acria & acida auribus sunt inimica, ut & repellentia dicta topica applicata, ex quibus sæpe majus damnum quàm emolumentum ægris affertur, de quibus legi meretur Obs. 81. Ephem. German. Ann. 6. & 7. Præstat ergo species pro fomento sacculo inclusas cum lacte coctas auribus imponere. Ex gr.

♃. Herb. salv. calaminth. rosmar. meliss. hyssop. flor. chamomill. an. m. j sem. fœnicul. ℥j. Dentur incisa pro sacculo. Panis quoque calidus cum sem. carui vel aneth. coctus & discissus auri applicetur sæpiùs. Vel infundatur ol. amygd. amar. rec. cum guttula una vel altera ol. de garyophyll. vel carui, aneth. anis. & cum gossipio moschato auris obturetur, quæ jam dicta remedia sale abundant volatili valde penetranti, hasce partes facilè calefaciunt, poros & canales glandularum aperiunt, & circulationem humorum adjuvant: hinc & convenit spiritus formicar. Cùm dolor verò sit à congestione seri scil. acris & salsi, qui chronicos & molestos affectus producere solet, hinc conveniunt spirituosa, quæ tamen cum cautela applicanda sunt; nihil spiritibus auris magis alienum est, quàm humor talis peregrinus: excipiatur ergo in eum finem fumus tabaci, vel ex thure, mastiche, succino, gumm. sandarac. Omnia hic quoque conveniunt remedia sale volatili alcalico prædita, aciditatem humorum serosorum destruentia, necnon ambrata, moschata, essentia scil. ad auditum Michaëlis sequens.

♃. Fol. asar. m. iiij. laur. herb. card. bened.

aa. m. j. flor. stœchad. Arab. p. iij. chamomill. Rom. m. j. sem. raphan. ℥ij. cæpar. porri an. ℥ß. cumin. carui, aneth. an. ℥j. rad. asar. cyclam. an. ℥iß. elleb. alb. ℥j. Incisa & contusa grosso modo infund. spir. formicar. tum instillentur aliquot guttæ. Convenit præprimis tinctura mea nepenthes in aurem immissa guttatim. Spiritus Otalgicus *Mynf.* aq. apoplect. *Lang.* Anhald. Aco vis. *Mind.* sunt polychresta roborantia auribus remedia. Laudatur cœpa sub cineribus assata. In dolore aurium egregium quoque est remedium ob vim suam anodynam oleum scorpionum, vel scarabæorum per infusionem paratum, ad guttulas aliquot cum bombace auribus inditum, vel cum lacte muliebri commixtum.

♃. Ol. chamomill. aneth. an. ℥j. hyoscyam. express. ℥ß. m. Balsamus sulphuris sequenti modo paratus in dolore aurium est egregius.

♃. Sulphuris part. j. ol. terebinth. p. iv. coq. in aren. ad solut. sulphur. instar balsami rubri, ei affunde Sp. vini rectific. digere ad Tinctur. decanta & inspissa in Balneo qui remanet balsamus est & potest per Retortam destillari in oleum dulce. Nec hic interna negligenda sunt, imprimis diaphoretica cinnabarinis mixta in Otalgia omnem implent paginam, lympha enim, ceu diximus, omnium affectuum aurium est causa, quæ omnibus modis emendanda, dissipanda & in ordinem redigenda. Hic ergo præ aliis conducit balsamus noster nervinus, vel liqu. cc. succinat. Essent. viperin. anodyna Wedelii permixta, & sæpius exhibita. Tinctura succini per vices exhibita nostra experientiâ est polychrestum remedium. Vel detur sæpius sequens pulvis.

♃. Specif. cephal. Mich. ℈j. pulv. anodyn. gr. iiij. m. f. pulvis. Detur una vice, & reiteretur aliquando. Pulvis anodynus confortans est sequens.

♃. Magister. cordial. ℥iij. laudan. opiat. ℥ß. m. f. pulvis. Vel spasmodicus noster. In contumaciori malo & decoctum lignorum cum herbis appropriatis sæpe magno cum fructu profuit; item conducit Tinctura antimonii volatilis nostra, sp. cephalicus. In doloribus hisce sæpe quoque ad caput aliáque viscera respiciendum est, hinc conveniunt sæpe in sexu sequiori antihisterica, splenetica, aliaque ut Tinctur. martis nostra. Dolorem hunc sæpe unico vesicatorio in nucha applicato curavi. In graviore & diuturniore etiam conveniunt fonticuli, setacea &c. si simul humor ex auribus effluat, assumat pilulas *Ruffi*, cum extract. rhabarb. vel sequens hydragogum, caute tamen purgantibus incedendum.

♃. Pulv. rad. laxat. ℈j. resin. jalapp. gran. iiij. salis euphras. gran. v. m. Si à rebus externis in aurem immissis dolor hic obortus fuerit, illæ ut exsiccentur necesse est, de quo modò inferius dicemus. In his doloribus non opus est tanto apparatu, modò internè exhibeantur opiata, imprimis Tinctur. nepenthes, quâ sola plures feliciter curavimus, exhibendo 30. vel. 40. guttas. Si verò dolor auris ab ejus *inflammatione* dependeat, ea curanda ut alia inflammatio, nam hic eædem indicationes observandæ sunt, quæ in cæteris aliarum partium inflammationibus. Abstinendum est à Carminativis aliisque nimis acribus, sed eligenda sunt blanda diaphoretica, interna & externa, anodyna & demulcentia: non enim statim ad suppurationem accedendum est, nec venæ sectio tam citò instituenda, quod tamen sæpè magnoniminis Medici & Chyrurgorum vulgus facere solent, non sine ægri periculo & tortura. Ut inflammatio tollatur, succus evasatus discussione suis vasis iterum afferendus est. Auribus imponantur varii sacculi ex floribus sambuci, hyssopi, aliisque herbis parati & lacte incocti, vel infundatur auri ol. amygd. amar. dulc. cum gr. j. vel altero camphoræ, alii oleum ovorum magnifaciunt, auribus per vices immissum, & ol. rosato vel nymph. permistum, Pinguia verò & oleosa mihi valdè suspecta sunt, potest melius cataplasma emolliens & discutiens ex prædictis parari & auribus imponi. Si autem pertinax sit inflammatio, & ad suppuratione tendat, maturantibus utendum est, qualia sunt cataplasmata ex mica panis, cœpis coctis, bulb. lil. flor. chamomill. melilot. &c. *Joann. Dolæus Encycloped. chirurgic. rational. lib.* 1. *cap.* 14.

Ulcus aurium.

Ulcera fiunt in meatu auditorio, tum ab externa causa, ut ictu, lapsu: tum ab interna, ut abscessu illic genito (sunt enim talia ulcera ferè exigua, & præterea in parte spermatica) sed decubitu facto ab universo cerebro. Ad curationem habenda imprimis ratio est causæ antecedentis, quæ ulcus fovet eaque divertenda catharticis, masticatoriis & errhinis: masticatorii quidem hæc est forma.

♃. Mastich. ℥j. staph. agriæ & pyrethri an. ℈j. cinnam. & garyophyll. an. ℥ß. fiant masticatoria, quibus utatur mane & vesperi, longe à pastu sæpè exspuendo, errhini verò hæc est forma.

♃. Succor. betæ, mercur. & meliss. an. ℥ß. vin. alb. ℥j. misce & frequenter naribus attrahatur. Quod ad topica remedia spectat, pinguia omnia & oleosa vitanda sunt, ut à Galeno notatum 5. Meth. med. ubi arguit Thessali quendam sectatorem qui tetrapharmaco adhibito ulcus auris sordidius in dies reddebat, quod Galenus sanavit trochiscis Andronii in aceto dissolutis, quorum hæc est compositio.

♃. Balaustior. atramenti sutorii, thuris, aristol. gallar. an. ℥ij. alum. myrrh. sal. ammoniac. ℥j. excipiantur omnia melicrato & fiant trochisci. Galenus eodem loco testatur se hujus generis ulcera inveterata, ac duorum annorum sanasse cum ferri scoria in pulverem redacta, indeque cocta cum aceto acerrimo quoad mellis acquireret consistentiam. Sed & putredinem qua hæc diffluunt ulcera emendat & siccat fel bubulum in forti aceto dissolutum tepidè instillatum: Itemque fæx ferri in pollinem redacta in acetoque acerrimo decocta, resiccata, & aspersa. Quod si viarum angustia non pateret, contento in aurium anfractibus puri exitus, eliciendum id foras erit instrumento Pyulcum inde dicto. *Joann. Vigier. Chirurg. lib.* 3.

In ulcere recenti & inveterato interne conducit Decoctum sequens:

♃. Rad. chin. rub. tinctor. an. ℥iß. enul. campan. ℥ij. bacc. laur. juniper. an. ℥ß. rorismar.

mar. ℥ß. salv. ʒij. sal. tartar. ℈ß. coq. in vin. colat. ℥xl. add. oxymell. scyll. ℥j. m. conducet quoque sal volat. ol. Cùm abscessus fuerit apertus, ad extergentia fugiendum, quæ non tantùm obstructiones reserant, sed & mundant, inter quæ sunt aristol. raphan. rust. cæpæ & amara, ipsæ quoque rad. helleb. colocynth. imprimis absynthium in lacte coctum, & per injectionem adhibendum, flor. persicor. asarum, rosmar. chamomill. ut & ol. amygd. amar. velut basis omnium oticorum extern. quæ omnia in ulceribus aliisque sordibus proficua sunt, & si ulcus valdè putridum & sordidum sit, frustum spongiæ imponatur, quod imbibit pus, ac arcet aërem ambientem, & præsertim indatur seq.

♃. Elix. vitæ ℥ß. tinctur. castor. ass. fœtid. an. ʒß. sp. volatil. sal. armoniac. ʒß. camphor. ℈ij. m. Tincturam aloës cum Sp. vini paratam magnifacio, ad guttulas aliquot immissam, vel tinctur. myrrh. & si valdè profundum fuerit, balsamum viride nostrum proderit. Cùm detersum fuerit ulcus, exsiccandum deinceps & ad cicatricem reducendum, ubi laudatur vinum granatorum descriptum à *de Vigo*, sed cùm auris sicca expetat, possunt in formam pulveris, vel fumi, vel balsami exsiccantia adhiberi, quæ parari solent ex mastiche, succin. sandarac. & thure, aliisque *Joann. Dolæus encyclopæd. chyrurgic. rational. lib. 1.*

Aurium Vermes.

In vermibus aurium tum evocandis, tum extrahendis, quemadmodum etiam in vermibus narium & cerebri præstant unguentum ex axungia capi & oleo coryli cum pauxillo mercur. præcip. vel mercur. dulci mistum (gr. ij. ne fiat eschara) & in orificio aurium cum bombace impositum *Joann. Hartmann. in prax. chymiatric.*

Ad interficiendos vermes amara commendamus auribus injicienda, ut succum absynth. flor. persicor. centaur. minor. decoct. colocynthid. vel etiam guttas aliquot olei amygd. amar. cum oleo tanaceti, vel oleo diacolocynthid. maritati; item convenit oleum nucleorum persicor. cum essentia fellis perdicis vel lucii piscis maritatum, fel enim animalis alicujus hîc optimè conducet. Sequens mixtura oleosa non sine insigni adhibebitur juvamine.

♃. Ol. diacolocynth. ʒij. ol. nucl. persicor. ol. amygd. amar. an. ℈j. ol. ligni coryl. gutt. iij. Sic quoque urinosa hoc in casu conveniunt. Ephem. Gallor. anni 1677. commendant spiritum vini tanquam infallibile remedium contra vermes aurium. Ex remediis hisce illa quæ oleosa sunt & spissa, excellunt, & quidem eo nomine, quod insectorum rostella & proboscides obturent, atque ita eo momento suffocent. Hîc & omnia anthelminthica in Encyclopæd. Med. jam dicta proderunt. Sæpe & allicitur vermis imposito dimidio pomo excavato, mox enim vermis ex aure properat in cavitatem pomi. Et cum acidum viscidum in corpore peccet ubi vermes hospitantur, hinc hic corrigendum est, in quem finem seq. vel simile decoctum præscribere soleo.

♃. Lign. sanct. ℥iij. sassafras ℥j. rad gentian. angelic. an. ℥ß. bacc. laur. juniper. an. ℥j. herb. centaur. cochlear. an. m. j. sal. tartar. vitriolat. ʒj. inf. & coq. in s. q. seri lactis. Colaturæ ad ℥xxx. add. oxymel. scyllit. ℥j. vel delicatulis infund. vino & amara possunt interponi.

♃. Essent. absynth. camph. ℥ß. Elix. vitæ ʒv. Tinctur. corallor. ʒj. ol. sassafras gt. xv. ol. aurant. gt. x. m. assumantur 60. guttæ in vino mane stomacho; jejuno, dentur per septimanam bis pilulæ seq.

♃. Resin. guajac. ℈ß. gumm. ammon. gr. iij. mercur. dulc. gr. iij. ol. sassafras q. s. In infantibus quibus non multa exhiberi possunt, solum decoct. rad. contrayerv. vel chinæ conducet, & in vino malv. exhibeantur guttulæ 6. vel. 9. seq. Mich.

♃. Elix. vitæ ʒj. sal. volat. oleosi ʒß. ol. sassafras gt. x. m. Externè conducet in ulcere ipso seq.

♃. Elix. vit. ℥j. tinctur. myrrh. ℥ß. Spir. sal. armoniac. ʒij. Extract. centaur. min. gentian. an. ℥ß. camphoræ ʒij. ol. lign. sanct. m. Si verò alia animalia in aurem irrepserint, ea variis blandioribus elicienda sunt, vel lacte, vel oleo olivarum, scorpion. Legimus exemplum in Ephem. ann. 4. obs. 50. quod grillus in aurem irrepserit, & immissis 8. guttis olei grillorum cum oleo olivarum parati, grillus in aure mori cœpit. Simili modo aurium illa vespa seu scolopendra parva, portione pomi dulcis recens incisi & auribus admota elici potest, ut pulex, ex suasu D. Riverii pilis caninis in globum convolutis & auri insertis allicitur, ut iisdem inhærens unà cum iis eximatur. *Joann. Dolæus Encyclopæd. chirurgic. rational. lib. 1.*

Caruncula Aurem obstruens.

Ad excrescentias fungosas & carnosas Auri adnatas vel innatas tollendas meretur legi Obs. 1. cent. 3. *Fabric. Hildani*, ubi describit excrescentiam fungosam & scirrhosam, quæ meatui innata erat post abscessum, antequam verò illam aggrediebatur, præparabat cum cura ægri corpus, quo facto, quantum poterat, auferebat. Si excrescentia hæc magna est, & extra meatum prodit, abscindenda est vel forficis cuspide, vel cultello incisorio, vel etiam filo liganda, & dein abscindenda, ad sanguinem sistendum liquor stipticus usurpetur, & dein Eschara inducatur, sed cavendum, ne membrana interna lædatur causticis. Escharâ inductâ applicandæ sunt aliquot guttæ olei ovorum vel amygdalar. ad eandem separandam. Alii illinunt unguentum fuscum Würtii. Deinceps detersivis & mitigantibus remediis utendum, ut incarnetur ulcus & cicatrisetur, subindè tamen mistis ejusmodi remediis, quæ renascentiam fungorum impediunt, ut sunt omnia acidum imbibentia, ex. gr. C. C. ust. pulv. myrrh. pomphol. sacchar. vitriol. paululum enim vitrioli solutum in sufficienti quantitate decocti alicujus vulnerarii admodum proficuum erit, si injectiones ex hoc liquore fiant in aurem, & tormenti aliquantum hoc liquore imbutum in aurem imponatur, & imprimis utile erit tormentum, si facilè possit imponi, comprimit enim ulcus & excrescere carnem prohibet. Ad cancrosas excrescentias nulla cura superest, nisi ab initio pars superflua exstirpetur & radicitùs

citùs tollatur, tollitur enim fungus ex aure scirrhosus vel instrumentis vel ligatura vel caustico, & si hoc fieri nequit, curâ palliativâ utendum, & tantùm majus incrementum impediendum, & hoc obtinere possumus, si quotidie parti affectæ inspergamus pulveres ex aristolochia, myrrha, saturno, saccharo, vitriolo, lapid. cancror. calce viva & similibus paratos, quandoque & opus est præcipitato, si hic non suffecerit, malum lethale est. In mitiori verò casu interna, imprimis diaphoretica remedia non negligenda, quæ jam ad nauseam usque superius diximus. *Joan. Dolæus. Encyclop. Chir. lib. 1.*

Aurium humiditas & fluxus.

In fluxu aurium perpetuo, inque colluvie laudatur urina puerorum destillata, immissa in aurem ad gutt. aliquot etiam usque ad x. Relinquitur immissa urina aliquandiu (mane quotidie ventriculo jejuno) postea inclinato capite denuo emittitur. In hoc casu necessariæ sunt purgationes capitis, vel medicamentis communibus, pilulis, vel etiam ex panchymagogo vegetabili. Item specifico purgante Paracelsi. Datur præterea decoctum guajaci pro potu. In pueris, qui propter humiditatem potissimùm huic morbo obnoxii sunt, non deproperandum ad curam, sed malum ætati crescenti relinquendum. *Joan. Hartmann. in Pract. Chymiatric.*

In aurium humiditate prodest externè essentia absinth. spir. urinæ non adeo acris neq; sæpe rectificatus, oleum amygd. amarar. ol. stillat. absynthii, urina puerorum non destillata &c. *Joann. Michael in prax. clinic. general.*

Res externa auribus immissæ.

Si corpora externa in meatum auditorium incidant, ante omnia hæc extrahantur, quod ut dextrè fiat, perpendendum est, an corpora talia sint ut emolliri possint, sicut pisa, vel an dura sint, ut globi vitrei, plumbei, nuclei, &c. videndum etiam est, an corpora ista in meatu cartilagineo, an verò in meatu osseo lateant. Si corpora mollia sint & in meatu tantùm cartilagineo, eò annitendum, ut frangantur, vel cochlear ab *Hildano obs.* 4. cent 1. designatum pone ea adigendum, quod in parte flexili, qualis est cartilago auris, haud difficulter fieri potest, atque ita eadem extra meatum protrahi: idem fieri potest circa corpora dura; quæ sunt in eodem loco, & cochleari vel terebello eximi possunt. Quod si verò corpora extranea in meatu osseo hæreant, illumque in totum adimpleant, difficillimum est ea cochleari vel terebello eximere; melius verò est incisionem facere pone aurem, & versùs ejus partem superiorem, id quod hoc loco satis tutò fieri potest, cùm nullum ibi vas sit notabile; eo modo evitari quadantenus potest obliquitas meatus, & adhiberi terebellum cujus usus potissimùm est in globis plumbeis extrahendis. Sed priùs injicienda sunt ad vias lubricandas varia olea, præsertim verò amygd. dulc. & si nucleus vel pisum, in meatum osseum fuerit intrusus; qui propter figuram ovalem utraque sui extremitate posset adprehendi, utendum est instrumento descripto à *Fabric. Hildan.* quod tenaculum nominat, oportet autem ut in genina curâ conficiantur hujusmodi instrumenta, ex optimo chalybe, ut tenuia fieri possint, & si incurventur, ex seipsis iterum recta fiant. Sed cavendum in his operationibus, ne membrana tympani lædatur. *Joann. Dolæus Encyclopæd. Chirurgic. rational. lib. 1.*

Parotis.

Parotidis curatio perficitur diætâ, quæ humoris qualitati in ciborum qualitate & consistentia contrarietur. Si ingens subsit inflammatio & robur quæ sanguinis copiam indicent, sanguinis missio erit utilis; immò necessaria. Topicorum verò adhibendorum non debet hic simile esse judicium quod in reliquis tumoribus ut Galenus monet lib. 3. de comp. med. secundùm locos cap. 2. nempe initio non est locus repercutientibus; si præsertim criticus fuerit abscessus, sic enim naturæ conatum sese morbificæ materiæ impetu in eas partes expedientis impediremus. Multò verò minus repellendum est, si materia quæ eò defluit sit venenata, inde enim ejus funestus contingeret recursus ad partes nobiles. Quare chirurgus potiùs dabit operam ut attrahatur & proliciatur humor ille. Quanquam si adeo immanis fuerit fluxio, si dolor adeo acris, ut inde metus sit vigiliarum & febris, quæ vires prosternerent ex usu futurum censet Galenus, resolventibus multis nonnihil admiscere repellentium. Quare initio ejusmodi imponetur cataplasma.

♃. Farin. hord. & semin. lini an. ℥ij. coquantur cum mulsa aut decocto chamæmel. addendo butyri recentis & olei chamæm. an. ℥j. f. puls.

Vel. ♃. Butyri recentis ℥ij. ol. chamæm. & lilior. an. ℥j. unguent di lthææ ℥ß. ceræ parùm, fiat linimentum admovendum cum lana succida parotidi. Dolore mitescente ex usu erunt discutientia & resolventia paulò validiora. Ut.

♃. Rad. alth. & brion. an. ℥ij. folior. rutæ, puleg. origan. an. m. j. flor. chamæmeli. melil. an. p. j. coquantur in hydromelite, pistentur, trajiciantur addendo farin. fœnugr. orobi an. ℥j. pulv. ireos Florent. chamæm melil. ʒij. ol. anethini & rutacei an. ℥j. f. cataplasma. Quòd si ampliùs resolvere fuerit consilium, uti poteris emplastro oxycroceo, de meliloto, diachylo ireato. Si concrescat illic & induretur humor, convertes te ad ea medicamenta quæ capite de scirrho fuerunt præscripta. Quod si ad suppurationem tendat, sequens appones medicamentum.

♃. Rad. lilior. & cæpar. sub cineribus coctarum an. ℥iij. vitellos ovor. numero ij. axung. suill. & unguent. basil. an. ℥j. farin. semini ℥iß. fiat cataplasma. Suppuratione autem factâ materiaque probe evacuata, ulcus leniter tractandum erit, non irritandum affectæ partis ratione habita. Si verò tumor fuerit pestilens & contagiosus, adde theriacam & alia alexiteria pharmaca. *Joann. Vigierius Chirurg. lib. 1.*

In Parotide oleum fœtidum Guajaci vel tartari juvat, si adest exulceratio, mollificetur locus, quo facto inspergatur pulvere menthæ (ulcere rupto) & ulcus sæpius eluatur aquâ menthæ, adhibito Emplastro convenienti, quale est

Di-

Diasulphuris. *Joann. Hartmann. in pract. Chymiatric.*

Parotides ubi suam habeant sedem, & quale sit earum πρῶτον πάσχον, tam nomen ipsum, quàm etiam verba Authoris abundè significant. Sunt autem nihil aliud, quàm inflammationes tumoris juxta aures erumpentis pariter ac doloris stipatæ satellitio, quæ ibidem in partibus adenosis seu glandulosis fiunt; quarum quædam venenatâ qualitate ac malignitate sunt suspectæ, quædam verè non. Atque sic duplex parotidum occurrit differentia, ut sponte hoc liquet: Tertia species est, quando parotis frigidam causam agnoscens plane indolens existit, sed nihilominus in abscessum desinit, è quo tamen non pus, sed materia quædam duriuscula, & ad instar crassi cremoris, imò etiam tartarea & non rarò calculosa egreditur. Certissimum autem est, quod parotis seu tumor hic inflammatus pone aures plerumque in laboriosis, hoc est malignis, pestilentialibus, ac purpuralibus febribus supervenire soleat, dum Natura ad hoc emissarium superfluos humores & quidem tunc temporis venenata, vel ut nostanter loquitur Autor arsenicali aura (quæ Realgar alioquin dicitur) infectos à sede seu centro mali huc tanquam circumferentiam transponit, & ad has ipsas glandulas expellit: Ubi nihilominus negari non potest, quod ex imperfecta crisi in febribus malignis parotides superveniant, quod tamen fieri tunc præcipuè solet, si ab initio graviter compatiatur quoque cerebrum. Unde etiam nullum est dubium, quod febris malignæ solutio illa, quæ fit per Parotides, minus fida & secura sit, nec semper salutem certo polliceatur, præsertim si non debitè accrescat hujusmodi tumor, sed retrocedat potiùs ibi stabulans virulentia, id est, etiamsi accrescat febris, attamen & æstûs ferocia non remittat, & magna insimul subsit prostratio, siquidem hujusmodi crisis per abscessus facta validum virtutis robur exoptare soleat. Magis igitur ob dictas causas quandoque lethales sunt excrescentes hi prope aurium regionem tumores, quàm ipsæ febres malignæ, quibus superveniunt: Ex adverso autem salutares non immeritò judicantur parotides illæ, si vires supersint, quò humor impactus ritè resolvi ac suppurari maturè queat.

De parotidibus illis, quæ malignitatis sunt expertes, hic verborum faciemus nihil, quod facilè curari possint per resolventia ac maturantia seu suppurationem promoventia, vel etiam quòd sponte non rarò evanescere, ac levibus & internè duntaxat sumtis medicamentis, tam purgantibus, quàm diaphoreticis, cedere soleant. Quum verò potiorem & valdè accuratam sui curam deposuerint illæ parotides, sub quibus anguis latere, hoc est, quæ à venenata atque maligna provenire causa solent, ideoque album protinus calculum adjicimus Autoris sententiæ, qua docet, perpetim fontem, unde parotides illæ scaturiunt, esse attendendum, atque proinde febris malignæ hos tumores causantis rationem, nobiliora alexipharmaca, quale est Bezoardicum minerale, ab Autore commendatum, studiosè præbendo, tunc potissimùm habendam. Qua methodo autem febris malignæ curatio rectè celebrari queat, suo loco docebitur. In eo tamen ab Autore nostro discedere cogimur, dum purgationem in parotidibus à febri maligna oriundis, aut cum ea adhuc concretis commendat, quum notum cuivis sit, quod purgantia in hoc casu sint exitiosa, & propterea planissime nullum habeant locum, quoniam non tantùm vires alioquin tunc fractas extreme penitusque prosternunt, verùm etiam malignitatis virus à circumferentia ad centrum potiùs revocant, atque sic ad mortis necessitatem solemniter deducunt, sin verò statum declinationis aut convalescentiæ hic subinnuat Autor, ubi vires ad se nonnihil redire auspicantur, & malignitatis suspicio nulla amplius subest, parotides verò adhuc præsto sunt, tunc (adhibito tamen sic medendi moderamine) cum indulgentia etiam nostra id fieri patiemur, licet virtuosi clysteres tutiùs rectiùsque tunc adhibeantur. Cæterùm rectissime statuit Autor, à repellentibus, seu repercutientibus, ubi malignitatis vigor dominatur, omnimodè abstinendum, sed attrahentibus seu extrahentibus utendum potiùs, ac quidem talibus, quæ vim alexiteriam insimul obtinent. Neoterici Chirurgi hic nobis placent omnino, ac sincerum merentur adplausum, qui ut anthraces atque bubones omnes, sic & parotidum apparentes abscessus atque tantisper excrescentes celeriter ac nulla expectata suppuratione cauttici sive actualis illius ac per ustionem celebrati, sive potentialis & per corrosivum facti (quorum hoc tolerabilius ac minus crudele est) administratione aperiendos dictitant, ut materia venenata & infaustissima citissimè & sine ulla mora à corpore amoveri ac educi queat, quoniam si hoc ipsum negligatur, ex diutina mora, dum ad partes principes levissima de causa retrogreditur, plerumque vitæ periculum & mortis repentinus insultus imminet: Cui accedit, quod ob naturam insigniter tunc exhaustam suppuratio (quæ ad naturæ, causam morbificam pro commodiore expulsione preparantis & edomantis conatum quoque pertinet) tardissimè succedat, vel plane etiam expectare eam virulentissimus hospes, vitali officinæ crudeliter insidians, non soleat. Qua curandi dexteritate observata, seu abscessus venenati apertione accelerata, Autores illi bona fide testantur, multos plurimosque se hâc ratione è faucibus Orci sic eripuisse. Deinde hoc quoque non negligendum, ut jam laudato medio aperti abscessus non statim conglutinantibus ac cicatricem inducentibus claudantur, sed aperti diutiùs serventur, donec malignitatis sævitia decrescere ac evanescere, adeoque cum bona veletudine in gratiam redire ægrotus incipiat. Quibus verò deproperata parotidũ illa cauttici beneficio apertura non arridet (sicuti cuncta cunctis placere non soleat, ac quemlibet suo abundare sensu notissimum sit) illis egregium & magneticum hic commendatum præsidium ibimus, cujus virtus uti est probatissima & fidissimis experimentis stabilita, ita etiam tutò & sub rationum favore nunquam non administrari poterit: Accipiatur nempe bufo exsiccatus ac probè torridus) sic enim de volatilibus ejus partibus, in quibus veneni tyrannis, præsertim vigere solet, indubitatò consumtis & dispersis certiores esse quimus) isque

isque linteolo involutus apponatur loco affecto sive tumori maligno; ubi elapso aliquot horarum spatio valdopere bufo ita intumescet; ut quasi revixisse ob torvos cumprimis oculos, quos sic tumefactus ostendit, videatur; quo facto, is confestim, quod veneno è corpore microcosmi vi suâ magnetica attracto vehementer jam impraegnatus ac turgidus reverâ tunc existat, removendus (vel potiùs profundè sepeliendus, aut etiam sulphureo suffumigio à concepta virulentia liberandus, posteaque soli expositus denuò exsiccandus) & alius retorridus statim substituendus, atque hoc toties sic iterandum, quoties hanc medendi technam, quæ non immeritò inter arcana reponitur, necessitas efflagitat. Emplastrum, quod beneficio ceræ ex balsamo sulphuris conficere docet, peculiarem possidet facultatem veneno potenter resistendi, veluti nobis etiam constat, non tantùm suffumigium cum sulphure institutum tempore pestis conclavia egregiè à virulentis sorditatibus sive effluviis depurare, verùm etiam flores sive lac sulphuris, item alia quoque exinde parata remedia antidotis excellentissimis & masculè valentibus accenseri. Quum ergo attrahentibus semper aliquid alexipharmaci commiscendum Autor paulò ante consuaserit; Emplastri hujus ex sulphure facti nobilitas sive nobilissima efficacia suâ desubitò luce resplendet, quam tamen fieri ex admixtione Mercurii vivi præstabiliorem nulli dubitamus; Cujus asserti causam amuleta cum argento vivo confecta reddere ac confirmare statim poterunt, veluti hoc etiam in genere circa hæc remedia notum habere sufficiat, quod simile quodlibet suum consimile magnetica quadam adpetentia desideret & attrahat: Atque eatenus etiam mercurius currens cum emplastro sulphureo extra adhibitus malignitatem tumoris nondum aperti retundere dicitur, quatenus nempe virulenta miasmata, quibus tumor ille tunc refertus esse solet, validè attrahit, atque sic malignitatis ferociam imminuit, ac demum penitus expugnat. *Christian. Langius in Patholog. animat.*

In Parotide si malignitas adest & Parotis sine maturatione evanescit, tunc malum signum est & recidivæ metus. Hic E. usurpanda sunt malignitati resistentia, præcipuè expellentia, v. g. C.C. sine igne ac antimonium diaphoreticum. Externè vero oleum scorpionum. Aliàs est dolor manifestissimus. Prodest hic oleum chamomillæ destillat. ℈j. cum oleo hyosciami expr. ʒj. m. certissimum est in inflammatione. In Parotide omni cum & sine malignitate mirè prodest specificum cephalicum, cujus hæc est descriptio.

♃. Cinnabar. nativ. Armen. per sublimationem vel sexies vel ultra rectific. cinnab. antimonii toties rectif. ℥iij. fœcul. rad. Pœon. ℥iß. Mag. epilept. ℥ß. mag. cordial. ℥ij. fol. auri num. j. m. f. specificum cephalicum. *Joann. Michael. in Prax. clinic. general.*

Consultationes.

Aurium Dolor.

Juvenis 28. annorum, robustus, plethoricus, intensissimo afficitur dolore dextræ auris, quo pene ad delirium adigitur. Adest febricula continua; distentionemque, gravitatem, ac calorem, pulsationemque, non tantùm foris, sed etiam intus in aure percipit. Rubor & calor ad tempora & malam usque pertenditur. Interiora quoque auris aliquo modo tumere & rubere conspiciuntur.

Afficitur in hoc ægro auris dextra secundùm partes internas & externas; quod ex querela ægri, item ex rubore, tumore, pulsatione, & calore, circa aurem & in aure perceptis, est manifestum. Afficitur etiam cor & totum corpus; ut ex febricula colligitur.

Morbus qui ægrum affligit, est intemperies sanguinea & biliosa auris dextræ; quæ dolorem, tumorem, pulsationem, gravitatem, & tensionem, in ea & vicinis partibus, item febrim continuam producens, à potiore symtomate *otalgia* græce, & *dolor auris* latine appellari solet.

Causa antecedens hujus morbi est plethora nostri ægri; pars verò ejus ad aures à corde propulsa, & ibidem propter poros ibi justo magis patentes, auris partibus internis & externis insinuata, ibique corrupta, & inde cum fervore ad cor delata, continens hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

Dum enim humor sanguineus biliosus partibus istis insinuatus, nimiâ suâ quantitate partes auris, & vicinorum membrorum replet & extendit, facit in iis tumorem, ruborem, gravitatem & distentionem; & ob arteriarum ex quantitate ista nimia elapsorum humorum pressionem, eorum pulsationem. Dum verò vehementi suo fervore, quem ab æetherea materia, vehementiùs in poris ejus se agitante, accipit, membranas, nervos, aliasque acutissimo sensu præditas auris, temporum, & malæ partes, vehementissimè agitat, eumque motum ad cerebrum defert, intensissimum in iis partibus excitat dolorem, qui, ob suam vehementiam, ægrum nostrum ad insaniam pene redigit.

Morbus hic, ob doloris vehementiam, & acutum partium affectarum sensum & cerebri sympathiam, periculosissimus est. Metus enim est, ne delirium, lipothymiam, cerebri inflammationem, & convulsionem, aliaque gravissima inducat symptomata.

Celeri itaque & accuratissima curatione hic morbus est impugnandus; quæ in intemperiei & tumoris, per contraria ablatione, & doloris sedatione, consistet. Primò itaque tali clystere emolliente, refrigerante, & laxante, fiat corporis evacuatio.

♃. Rad. althææ, lil. alb. an. ℥j. herb. malv. bismalv. parietariæ, lactuc. an. m. j. sem. lini, fænugræci an. ℥ß. coq. ex aq. commun. ad lib. j. colaturæ adde el. diaphœnic. diaprun. an. ʒvj. ol. violacei, camomill. an. ℥j. sal. commun. ʒj. M. F. Clyster, mox injiciendus.

Corpore expurgato, & horâ unâ atque alterâ intermissa, vena in dextro brachio aperiatur, sanguisque liberaliter, ad uncias decem

præter propter, & clyster atque venæ sectio sequenti die reiterentur.

Interea temporis ad revulsionem humorum, ac intemperiem corrigendam, doloremque sedandum tale medicamentum auribus instilletur.

℞. Lactis muliebris recenter emulcti ℥ij. Albuminis ovi in liquorem agitati ℥ß. Misce & instillentur in aurem tepidè citra vehementem auris contactum. Oleum etiam rosarum cum succo plantag. & solani, si ardor ingens sit, instillari potest, præsertim si ei aselli vivi incocti & expressi fuerint: dolorem enim valdè sedant. Tali etiam utatur fotu:

℞. Malvæ, bismalvæ, violariæ, lactucæ, an. m.j. sem. cydonior. malvæ an. ʒiß. flor. camomill. melilot. an. p.j. flor. rosar. rubr. p. ß. F. Decoctio, qua pars affecta leviter & tepidè, cum spongia madefacta & expressa, foveatur. Et post fotum tale imponatur cataplasma.

℞. Herb. malv. bis malv. chærefolii an. m.j. farin. sem. lini, fœnugræci an. ℥ß. medullæ panis candidi ℥ij. cum lacte vaccino F. Cataplasma, tepidè cum lin eis applicandum. Hoc cataplasma resolvit & si materia rosolvi non potest, etiam suppurationem procurat. Si doloris summa vehementia urgeat, tale narcoticum adhiberi poterit.

℞. Opii Thebaici gr. iiij. castor. croci an. gr. j. ß. cum lacte muliebri q. s. subigantur & in aurem instillentur. Et sub tempus somni exhibeatur philonii Persic. ℈j. vel laudan. opiat. gr. iij. Ad suppurationem maximè commendatur tale cataplasma ex cæpa factum:

℞. Cæpam majorem Num. 1. butyr. recent. ℥ij. ol. camomill. rosac. an. ʒj croci ℈j. F. Cataplasma, quod moderatè calidum parti adhibeatur. Factâ suppuratione, æger in partem affectam decumbat, ut pus commodè effluat; eluatur auris tali remedio:

℞. *Decocti hordei* ℥iiij. mell. rosar. ℥j. misce; & instilletur tepidè in aurem.

In diæta aër sit temperatus, Cibus parcus, refrigerans. Potus cerevisia tenuis, & julapium ex syr. de limonibus & aqua hordei. Motus vitetur; concilietur omni ratione somnus; atque ideo utatur lacte amydgdalato cum syr. & sem. papav. albi. Alvus quotidie respondeat naturâ vel arte. Vitet omnia vehementiora animi pathemata. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen.*

Aurium ulcus.

Licet quandoque contingat, ut cerebrum ab excrementitia materia per aures expurgetur, quæ in via pravum quoque potest odorem, atque colorem contrahere; idque absque ulla essentiali auris noxa, attamen hoc casu, cum jam quindecim abhinc annis, à diuturna mora sub radiis solaribus; acerbissimis doloribus auris dexteræ Illustriss. Pat. fuerit diu vexatus, quibus cum febre cessantibus, purulenta materia, non sine aliqua cruoris tinctura spontè excreta observata fuit, ideo inflammationem tunc in aure excitatam fuisse, eamque ab excalefacto, atque fuso in capite sanguine, ad aurem transmisso, manifestissimum est. Aures siquidem ut pote naturâ debiles, faciliùs cæteris partibus fluxionem susceperunt. Ab inflammatione autem tunc temporis suppurata, num ulcus perduraverit, necne, in historia desideratur, in qua de continuo materiæ effluxu nulla fit mentio, sed de hoc solùm, quod tribus post annis à decocto & sudore, in aure sibilus supervenit, qui licet non continuus, temporis tamen progressu sensibilior & molestior fuit redditus, cum audiendi quoque non levi difficultate; ubi enim aures intra se sonant externum sonum recipere nequeunt, ob vaporosam materiam ab auris intemperie, cum aliquo humore elevatam. Sed tandem, sex circiter abhinc mensibus, quibus Romæ degit Illustriss. Pat. bis fluxionibus à capite in eandem aurem tentatus fuit, cum doloribus somnum quoque interturbantibus, qui materia maturata, eademque alba & cocta per aurem excreta, cessarunt, cui effluenti portiunculæ quoque membranosæ immistæ observatæ sunt, interim turunda bombycea immissa, nonnunquam cruore tincta extracta fuit. Quare de ulcere, à disrupto abscessu superstite non est quod dubitemus, non quidem in cochlea, neque in labyrintho, sed vel in tympano, vel in meatu auditorio, cùm turunda immissa tingatur sanguine probabili indicio quod ad ulcus pertingat. Verùm quoniam ab eadem materia in halitus conversa, aër implantatus continuò inordinatè movetur, ideo continuus quoque sequitur aurium sibilus, cum auditu quoque diminuto, tùm ob aëris ejusdem confusionem, tum maximè ob instrumentorum & tympani potissimum humectationem; ac tandem quia omne recipiens debet esse denudatum qualibet conditione recepti.

Quæ ulcera sunt difficillimæ sanationis, potissimùm verò si annua & profunda, idque tum ob excrementa perpetuò à capite manantia, quæ tamen ad sanationem, accuratam exsiccationem postulant, tum quia callosa fiunt, cujus ratione eorum cicatrix prohibetur atque protrahitur. Attamen cùm materia effluat satis concocta, & à paucis diebus meliùs se habere videatur Illustriss. Pat. salutis spes non omnino abjicienda.

Pro qua medicæ intentiones erunt, purgato toto & capite, ulcus detergere, exsiccare, sarcoticis implere, & cicatrice obducere. siquidem cum viris istis Excellentiss. soli naturæ opus non esse relinquendum existimo, cùm naturalis alterius auris imbecillitas, alterius quoque imbecillitatem supponat.

Quare sanguinis missionem repetendam censeo, & quidem prima vice ex lateris affecti brachio, secunda verò ex hæmorrhoidibus, habitâ melancholici habitûs ratione. Cauterium quoque omnino brachio inurendum, & pedum lotiones familiariter ante cibum adhibendæ, prout frictiones quoque scapulis & dorso, matutino tempore non negligendæ.

Medicamenta verò erunt Lenientia, Præparantia, totum & caput Purgantia, ab auribus Divertentia, & Roborantia. Leniens itaque sit pot. ex manna clarif. addita aqua flor. citri. Præparans sine diluto, quinque diebus, pro syr. matutino assumendum, erit julap. acet. cort. citri aromatiz. ad ℥iij. cum cremor. tart. qualibet vice. Repetatur evacuatio syr. ros. sol. & de polyp. vel cass. lenit. & tart. Mox ulterior

se qua

sequatur humorum præparatio, succis potiùs depur. quàm syr. saccharatis, aut mellitis, qui hypochondriacis non adeo convenire solent. Quare præbeantur succi depur. sonchi, borragin. & betonic. an. ℥iij. in decoct. cichor. borrag. sonchi, endiv. betonic. majoranæ, addito ℈ß. tartar. vitriol. pro syr. & ita pro aliis septem. A quibus præparati humores expurgentur infus. agar. rhab. & sennæ, addito syr. rosf. sol. vel elect. lenit. diacath. additis pilul. de tribus superbibat P. Illustriss. aq. Nocer. ℔. ij.

Purgato toto, purgetur & caput pil. & errhinis. Pil. erunt cochiæ, aur. & aggregat. epota semper ab iis aqua Noceræ, aut hordeac. ne exsiccentur hypochondria, quæ tribus vicibus quarto aut quinto quoque die repetendæ, atque vacuis diebus, succi depur. assumendi, ut supra. Interim Errhinum suave erit parandum quo, more tabaci utatur ex pulvere rad. ireos, nigellæ & fol. majoranæ. De capitis verò majori exsiccatione non loquor, utpote nimis operosa, quod tamen aliqua conserva capitali erit roborandum, sub ingressum lecti assumenda, è floribus betonicæ, salviæ, rorismarini, & à prandio, rosarum.

Tandem partis affectæ, ulceris scilicet, curatio tentanda, atque omnium primò leviora mundificantia sint mel. rosf. cum aq. hord. modica dissolutum, quo paulo validius erit mel scilliticum cum succo cæparum, sicut validissimum foret (quo tamen opus non est) Ægyptiacum melle dilutum, valida enim exsiccantia admittunt, imò postulant aures, quæ tamen non sunt infundenda, ne meatum auditorium attingant, sed specillum solùm lana obvolutum insinuandum.

Ulcus detersum erit exsiccandum, in quem finem Galenus extollit scoriam ferri, in tenuissimum pollinem redactam, cum aceto fervefactam ad linimenti consistentiam, quale exsiccans medicamentum parari poterit hoc modo.

℞. Scoriæ ferri subtiliss. ℥ß. vitriol. ʒj. m. bul. in aceto & vino, & eadem turunda intincta immittatur.

Carne denique implendum, & cicatrice obducendum ulcus, in quam rem priùs suffumigium in aurem præcipi poterit, ex mastiche, myrrha & thure paratum. Mox sarcoticum hujusmodi inducatur.

℞. Cerusæ, tuthiæ præp. an. ʒj. rad. aristol. myrrhæ, sarcocollæ, aloes an. ʒj. rad. Ireos ℈j. m. f. pulvis & excipiatur melle & succo agrestæ, quo turunda imbuta intrudatur.

Quibus omnibus congrua victûs ratio erit addenda. Hæc sint in salutem viri Illustriss. præscripta, quæ omnia si adhibere recuset, quod plurimùm cesserit affectus, non deerunt selectiora & maximè opportuna eligenda. Ita Deus vota nostra secundet. *Joann. Raymund. Fortis Consult. & Respons. Med. T. I. Centur I.*

Illustrissima virgo annorum quatuordecim, temperamenti hepatis paulò calidioris; cerebri verò calidi & humidi, quarto ætatis anno ob luxuriantes in cerebro humores, aquosum per aures effluvium pati cœpit, quod cum à principio per Medicum ordinarium, & Adstantes minùs curatum esset, diuturnitate temporis symptomaticum evasit, ut novem abhinc annis materia fœtens, sordida, corrosiva, & sæpius sanguinolenta excernatur, cùm notabili auditus gravitate. Pro cujus symptomatis Curatione, in vitiis excretorum enumerandi, à diversis Medicis diversa tentata sunt. Atque in primis præter diætam convenientem, ad mentem Galeni 4. Meth. per syrupum magistralem, humoris peccantis blande, & per epicrasin à toto facta est evacuatio. Data post hæc catapotia aliquoties ex alto trahentia, celebratæ venæ sectiones; dum etiam ad revulsionem & derivationem materiæ, adhibitæ cucurbitulæ, cum & sine scarificatione, vesicatoria, fonticuli in brachio & nucha. Tandem etiam post plenariam corporis & capitis expurgationem, ad evacuationem causæ conjunctæ Masticatoriis & Errhinis pugnatum est. Thermæ naturales sulphureæ adhibitæ, dum etiam ad locum affectum magis exiccandum, præter Decoctum chinæ pro potu ordinario, Decocta sudorifera ex lignis cum corrigentibus usurpata fuere. Successit usus herbæ Thee, ut omnium catarrhorum alexipharmaci. Nec omissa quæ ab intus & extra corpus confortarent, illiusque mali partes mandantes, viscera nempe principalia. Minùs neglecta, quæ aures blandè detergerent & exiccarent, ex succis agrim. absynth. vino, mell. rosf. urina pueri impubis &c. Sed nec his proficientibus, ad fortiora quæ abstergerent, exiccarent, carnem generarent, & cicatricem inducerent, descensum est, scil. ad Decoctum lignorum, sarcocollæ, myrrhæ, aloes, croci metallorum, cum succis apii, absynthii, agrimoniæ, centaur. min. quæ tepidè in aurem infusa sunt; successere suffumigia ex gum. ladano, sandaracha, sarcocolla, myrrha, olibano, omnibus terebinthina exceptis. Tandem ad ipsa etiam metallica adventum est, quæ commendat Galenus 3. de Composit. Medic. sec. loc. & Rhasis 9. ad Almansorem cap. 26. scoriam nempe ferri cum succo agrimon. centaur. minor. absynth. & aceti modico præparatam. Sed irritis omnibus, & symptomatibus, non tantùm perdurantibus, verùm cum dolore ingravescentibus, cum humor sua copia non tantùm membranosas, sed & cartilaginosas aurium partes distendat, membranasque musculorum sua acrimonia vellicet; verùm etiam cùm jam ulcus sordidum evaserit, ipsaque Natura omnes cerebri humiditates illuc ad parotidum glandulas deponat, putarem (salvo saniori judicio) hoc unicum superesse remedium, manualem nempè atque chirurgicam operationem à perito Artifice faciendam, ne hæmorrhagia major, dolor aut inflammatio succedat; scilicet ut primò secundum longitudinem quatuor communia integumenta ad glandulas parotidas secentur; postea instrumento ad operationem apto cùm cautela eædem glandulæ eruantur, ne vasa majora, venæ scilicet, à jugularibus externis, & interiores à carotidibus lædantur, & hæmorrhagia incurabilis & lethalis succedat. Quam ipsam Ambrosius Paræus timens glandulas hasce potiùs filo in fundo earumdem ligat, ut paulatim exiccentur, flaccescant & spontè decidant. Glandulis hisce hoc modo erutis, cùm nullus ibidem humor sese cumulare poterit, omnia præfata symptomata cessabunt: ipse verò humor ad ductuum salivalium principium

derivabitur, ac per eosdem expurgabitur. Et hæc Præclarissimi in arte consummati viri judicio pensitanda deferuntur.

Cum Hippocrates pronunciaverit, quod *caput dolenti & circumdolenti, si pus, vel aqua per nares, aures, ac per os effluat, solvitur dolor.* Ideo credendum naturam totum caput humiditatibus scatens per aures olim expurgare tentasse, & intentum obtinuisse. Verùm quoniam superstes mansit ejusdem humiditatis in capite reproductio, cùm affectus ipse vel à Domesticis, vel à Medicis neglectus fuerit: hinc factum est quod nova reproducta materia calidior & crassior, ad aures transmissa, erodendo, progressu temporis ulcus excitaverit, non in cochlea, nec in Labyrintho juxta tympanum, auditus enim non solùm imminutus, sed olim ex toto abolitus fuisset: sed in meatu auditorio in quo præter cartilaginem & membranam, substantia quoque nonnihil carnea, sive potiùs pinguedinosa reperitur, in qua ulcus faciliùs fieri & diutiùs conservari potuit. Hoc autem ulcus abscessum inflammatorium non præcessisse credendum, quoniam de intensis doloribus cum febre Nobilissima Puella conquesta fuisset. Ulcus itaque in utraque parte intra aures modo multis abhinc annis Nobilissimam Puellam gestare, sive pati non est dubitandum, cui à capite calida & humida intemperie affecto, continuo catharrhalis serosa materia suggeritur: quæ tamen malè olens non esset, nisi ex mora in ulcere ipso corrumperetur, & pravum odorem adipisceretur. Quoniam verò in transitu & aërem implantatum quodammodo turbatum fuisse necesse est, ideo sibilus, sive tinnitus: sicut tympani membrana madefacta, auditus imminutus sequutus fuit. Materiæ autem fluxio ab utraque aure adeo copiosa, totque annis effluens, credibile non est quod à glandulis parotidibus ipsis auribus suppeditetur: sed pro certo habendum quod immediatè ad aures transmittatur: etenim adeo copiosa diurna si ad parotidas sese insinuasset, jam molles & tumefactæ tactu, imò & visu perciperentur. Et quamvis ab iisdem glandulis aures ipsæ materiæ portionem aliquam susciperent, non tamen in glandulas, sed in cerebrum causa referenda esset, à quo non solùm humectato, sed humiditatibus referto tanta emanavit serositas, quæ in Infantula retenta facilè Hidrocephalum induxisset.

Quare si huic inveterato affectui providendum sit, non est qui non videat capitis curam omnium primò habendam esse, illud ipsum ut mali fontem & ulceris fomitem exiccando, & residuum fluxionis ab auribus divertendo, ut ulcus postea consolidari possit. Quod consequi quamvis difficillimum fore censendum sit (propter diuturnitatem affectus) non tamen impossibile, quoniam appropriata præsidia non adeo legitimè & perfectè administrata fuisse puto.

Primæ viæ itaque ab excrementis mundandæ. Secundò Totum corpus ab humoribus excrementitiis vindicandum. Tertiò caput purgandum. Quartò Capitis humiditas exiccanda & humida intemperies corrigenda. Quintò si aliqua materæ reproductio superesset, ab auribus divertenda; Atque tandem ulcus, amoto impedimento, exiccandum & cicatrizandum.

Primam & secundam intentionem viro Doctissimo explendam relinquo; non omittendo aliquam sanguinis missionem, saltem ex saphæna pedis, cum tempus instet purgationis menstruæ. Pro tertia, pilulas capitales Fracastorii propono ad ℈ß. circa noctis dimidium à primo somno, more Tralliani, ter quarto quoque die exhibendas; & iisdem diebus errhinum ex pulvere majoranæ, ireos & nigellæ paratum. Pro quarta intentione, Decoctum sudorificum pro egregio & unico remedio propono ita parandum.

℞. Ligni visc. querc. ver. ror. mar. an. ℥j. ligni guajaci pinguis rec. chinæ opt. an. ℥ß. aq. stillat. cichor. beton. an. ℔ ij. m. f. infus. per horas XXIV. deinde bull. ad consumpt. dimidii, & facta colatura servetur pro tribus vicibus, summo mane hora una ante ingressum hypocausti assumenda. Pro potu consueto.

℞. Residuum lignorum, aq. fontis opt. ℔ xij. m. bull. ad. consumptionem tertiæ partis, in fine vero ebullitionis adde cinnam. integri ℨij. bulliant parùm, & fiat colatura, cui adhuc ferventi adde frustula citri recentis, & sacchar. alb. ℥iv. ut agitando fiat aqua suavis vulgò dicta Cedrata. Pro sudore provocando ingrediatur hypocaustum, adeo ut caput principaliter sudet: alioquin tantùm abest ut caput exsiccari possit, ut potiùs ab humoribus in toto fusis magis magisque impleatur atque gravetur; & in hoc potissimum consistit rectus usus tanti remedii in quo delinqui solet cum incredibili præjudicio Patientum. Sudet autem quadraginta diebus manè tantùm, nimirum semel in die, & primis diebus per horæ quadrantem, sequentibus verò usque ad horæ dimidium, & non ultra: sicut postea reliquum dimidium horæ sudabit in lecto. Maneat autem toto sudoris tempore semper domi non solùm, sed in cubiculo, non hypocausti, sed hypocausto proximo ab aëre & ventis custodito. Decimo quoque die præbeantur pilulæ capitales jam supra descriptæ, ea die omisso sudore. Victus non sit adeo tenuis, sed quotidie in prandio tantùm concedatur caro assa pulli junioris, aut palumba ex turre præter panem biscoctum, nucleos pineos & passulas ad libitum; quandoque in cœna permittatur ptisana hordeacea probè cocta, addito saccharo.

Absoluto sudore (quoniam facilè adhuc aliqua in capite humiditas reproduci poterit) idcirco ut ab auribus divertatur, & à capite extraducatur, Setaceum occipiti erit affigendum, & serico laqueo per menses apertum conservandum: non enim glandularum parotidum extractioni subscribere possum, non solùm ob rationes à me superiùs adductas (fluxio namque ad aures, etiam demptis glandulis, dubio procul perseveraret) verum quoque quoniam non sine vitæ discrimine barbara illa operatio administrari posset.

Interim ulcus detergendum & exiccandum, cùm ulceris curatio vera sit exiccatio. Pro detersione introduci poterit mel ros. simplex, aqua Tettuciana aut sulphurea dilutum, in cujus usu aliquot diebus insistendum quater in die auditorium meatum abluendo. Mox pro exiccatio-

exiccatione, Metallica præsertim scoria ferri, à Galeno proposita, & à Paulo comprobata, efficax erit remedium: præterea ex usu esse poterit vinum ita parandum.

♃. Vitrioli rom. calcinati ℥ij. vini rubri ℥viij. succi cydoniorum ℥iv. m. f. infusio in loco calido per xxiv. horas, deinde f. colatura quæ introducatur mediante turunda bombycina. Præstantissimum quoque remedium ad hujusmodi ulcera contumacia est spiritus Mercurii dulcis, pariter turunda madefacta introductus.

Jam dictis omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, ita ut caput ab inclementiis Ambientis, tam frigidis, quàm calidis custodiatur & omnia vaporosa, tam frigida, quàm calida interdicantur, ut lactaria omnia, Lactucæ comestio, fœniculi, cardui, fungorum, tuberum, Leguminum, vini meracioris potus: & à prandio usus Conservæ rosarum, à cœna verò è floribus betonicæ & rorismarini instituatur, alvusque aliquo familiari Medicamento bis in mense solicitetur. *Idem Tom. ij. Centur. 1.*

Aurium vermes.

Proponitur casus generosi patientis Hungarici, annum agentis 25. qui post febrem quotidianam sex continuos menses in pueritia affligentem anno 1639. annum agens duodecimum conqueri cœpit de dolore sinistræ auris, quæ matutinis horis non audiebat, nisi post prandium: atque dolore hoc in dies magis ac magis infestante, oleisque variis non cedente, ad mulierem adiit, quæ ipsi eduxit vermiculos albos circiter decem, perseveranteque dolore, & fonticulo sinistro brachio anno 1642. insito, nihil juvante, iterum aurem applicuit ollæ, herbis & vino plenæ, cujus remedii usu eruperunt inde plusquam 20. vermes, mensem vivi qui fuerunt. Non ob id tamen convaluit: ac propterea multis applicitis non conferentibus, instillatis quinetiam in utramque aurem tribus guttulis olei elixyr. Proprietatis, quotidie erumpebant vermiculi pilosi mortui: ac proinde cùm perseveret dolor, cum continuo vermium susurro, auditui, studiis, & somno valdè molesto, quærit, utrum hic Patavii habeatur oleum hoc elixyr proprietatis dictum, vel quid aliud, quod vermes enecare, caput roborare, & pristinam sanitatem ipsi restituere possit.

Cui satisfacturi, negare non possumus, vermes in auribus generari posse. Ubicunque enim adest materia putrida, ex ipsa vermes produci possunt; adesse autem potest in qualibet parte nostri corporis, quotiescumque calor extraneus dominatur calori nativo, ita ut ab eo terminari non possint passivæ qualitates, sed humiditas prævaleat. Habemus namque ex Aristot. 4. Meteor. *putredinem esse corruptionem propriæ, & nativæ caliditatis in uno quoque humido, à calore extraneo factam.* Quam ob causam vermes ut plurimùm generantur in intestinis, quoniam in ipsis frequentissima est putredo. Generari tamen possunt etiam in ventriculo, in capite, thorace, & alibi, testimonio Avicennæ, Alzaravii, Benivenii, Gabucini, aliorumque plurium medicinæ Scriptorum, & præsertim Valesci de Taranta in suo Philonio, statuentis dolores aurium aliquando fieri à vermibus. Tandiu autem perseverare hanc vermium generationem, totque adesse in capite vermes, ut strepitum inferre valeant, somnumque, & studia interpellare, non tam facilè persuaderi possumus, cùm præsertim non referat patiens, saniosam materiam jugiter fluere, ex qua statutis temporibus novi regenerentur vermes, atque ita dolor & strepitus perseveret, non obstante, quod sæpius & plures vermes fuerint extracti. Quin potiùs in eam concedo sententiam, quod adsit firma, & fixa imaginatio super hoc objectum, quam propterea ratio corrigere non valeat.

Utcunque tamen sit cùm imaginarii affectus & ipsi medicis præsidiis non raro tollantur, quatuor in casu præsenti peropportuna censemus. Primò quidem mentem ab hoc objecto divertentia, secundò corpus diligenter expurgantia, tertiò aures, & cerebrum exsiccantia, quartò & ultimò cordialia, & humori melancholico occurrentia.

Primæ intentioni satisfiet per sex res non naturales, & præsertim per intermissionem studiorum, sodalitates, & peregrinationes; secundæ, sanguinis detractione ex venis sedalibus semel in mense, repetità totius corporis expiatione per melanagoga, & capitis ipsius, per nasalia, & masticatoria: attritionem namque dentibus factam juvare ad digerendam materiam ad aures noctu fluentem, colligitur ex perfectiori auditu post prandium, quam ante ipsum. Caput deinde, & aures exsiccanda per usum *elixyr.* non quidem proprietatis, sed *vitæ majoris & minoris* à Quercetano descripti in Pharmacopæa Restituta: per fumum etiam tabaci ore exceptum ita, ut exsuffletur ex auribus, & per pulveres gentianæ, acori, scordii, & similium: ex quibus cum lauro parabitur lixivium pro capite; ac tandem præscribantur magnæ antidoti, ut puta Mithridatica conf. juleb. gemmatum, el. de gemmis, confectio Alchermes, & similia. Ad vermes in auribus Aetius Tetrab. 2. sermon. 2. cap. 8. commendat hæc remedia: calaminthæ succum instillatum in aures, Veratrum album cum vino: colocynthidis decoctum, centaurii, & absynthii, cum vino; scordii tandem, & marrubii succum. Et hæc agenda duxi pro medela saltem animi, si non corporis, Reverendi patientis. *Benedict. Silvatic. Consil. & Respons. Medic. Centur. ij.*

Aurium Fluxus.

De hoc vide supra consultationem ex Joan. Raymund. Forti cap. de surditate.

Parotis.

Patricius Illustriss. Juvenis 20. annum agens, temperamenti totius, jecoris & capitis calidi & humidi, post varios errores in vivendi ratione commissos, & potissimum in exercitio parvæ pilæ, & meri potibus, incidit in febrem acutam, quæ ut biliosa, sed spuria, à Domesticis Medicis curata fuit, cujus hodie dies decima quarta numeratur. Et quoniam in toto febris progressu de dolore capitis conquestus fuit, & septima die nonnihil deliravit, &

undecima comatosus fieri cœpit, decimæ-quartæ initio glandula post aurem dexteram intumescere cum dolore visa est, qui tumor hodie, sub finem quartæ decimæ elevatus est ad ovi anserini magnitudinem, cum rubore & dolore, & adeo œsophagi musculos comprimit, ut difficilem reddat deglutitionem. Pulsus constant, suntque satis magni, frequentes, sed non adeo celeres. Urinæ potius tenuiores, nunc verò aquosæ substantiæ. Modo Parentes de agendis consulunt.

Et ego cum Viris Excellentiss. censeo febrem hanc fuisse biliosam, cum non exiguo sanguinis subdominio, qui justo calidior, tum à vehementibus motibus, tum à meri potibus biliosior fuit redditus, unde febris synochus, *Quodammodo biliosa* Gal. dicta suborta fuit. In cujus curatione, quoniam natura à Medica manu opportunè adjuta & sublevata fuit, & sanguinis missione, & alterantium atque evacuantium administratione, ideo usque in hunc diem, vitalis facultas viguit, nec naturalis dejecta est, licet animalis quodammodo turbata fuerit, cùm septima die nonnihil Patiens deliraverit, & postea ad somnum præter naturam inclinaverit, cùm enim venosum genus humoribus redundet non adeo crassis, adsitque fervidus calor, facultas expultrix validior eosdem in aliquam corporis partem detrudere tentans, caput calidum & humidum ad attrahendum proinde & suscipiendum opportunum nacta, in eodem residuum redundates humores deposuit, & ad cerebri emunctorium transmisit, & tumorem in eadem parte post aurem excitavit, qui Parotis propriè appellari solet, quæ licet nonnunquam fieri possit à multis, crassis & crudis humoribus, multo tamen tunc vehementior & acutior debet esse febrilis calor. Hujus autem imminentis abscessus præcesserunt signa, nimirum capitis dolor, cum comate, quibus surditatem quoq; addit Gal. licet hæc frigidæ potiùs naturæ & ætati accidat. Præsentem autem sicut demonstrant tumor & dolor, ita ejusdem causam, sanguinem scil. non adeo tenuem nobis significat calor cum rubore.

Si de eventu hujus febris loquamur, licet incertus sit, salutis tamen spes elucescit, cùm Pat. sit Juvenis, valida virtus, & per abscessum terminanda videatur, cui abscessui modo nos maximè attentos esse oportet, nam licet superiores abscessus, inferioribus difficiliores sint, quia tamen non in principio, & intempestivè, sed die critica hic apparuit, ideo fovendus aut adiuvandus: Parotides enim, si evanescant, recidivam imò sæpe mortem expectare oportet, ut contigit quoque Nicolai Concubinæ ab utraque parte. In casu verò nostro saltem recrudescentiæ metus esset, quinimo, *si non maturescant Parotides, nec ex naribus sanguis fluxerit, aut urina subsidentiam copiosam & crassam habuerint, omnes pereunt.* Quare circa abscessum hunc sermo noster potissimùm versari debet.

In cujus curatione, licet nunquam repellentibus, sed attrahentibus potiùs utendū esse consulant, & Orib. & Ætius, nihilominus, si cum impetu irruat humor, nil curiosè agendum esse, jubet idem Ætius, imò Tral. notat quod si à sanguine fiat, attrahentibus facilè suffocatio induci potest. Quæ omnia à Gal. desumpserunt, dicente, *non repellentia, sed potius attrahentia, aut saltem laxantia, vel natura bene agenti totum opus permittendum.* Cùm igitur hoc casu, natura bene & satis agat, ab attrahentibus abstinendum, & sola laxantia tutò adhibenda, nec ab usu butyri recedendum, *Concoquit enim, laxat, & digerit*, ut dicebat Gal. & licet Celsus quamprimum Parotidem aperiendam consulat, ab initio tamen nunquam id fieri debet, nonnisi præsente aliqua materiæ suppuratione, cui dum attendimus, si forte contingeret ut ab humorum affluxu, aut hodie vesperi, aut cras mane tumor in amplam molem adeo excresceret, ut & deglutitio, & forsan etiam anhelitus interciperetur, tunc ad sanguinis missionem per venam sectam, dubio procul erit deveniendum, ut nos docet Gal. Quinimo dum à Sanguine Parotides fiunt, statim venam aperiendam consulit Tral. ut arceatur suffocatio. Si verò crastina die eodem sit statu ipse tumor, Emplas. aliquod illi erit admovendum, quod laxandi, nonnihil attrahendi, & omnino concoquendi atque maturandi facultatem obtineat, quale esse poterit paratum ex Fol. Malv. in lacte vaccino decoctis & contusis, addito butyro, adipe gallinæ, & Ol. amygd. cui vesperi fermentum quoque addi poterit, quinimo & farina cum Caricis ping. exemplo Paul. Quamprimum autem tumor erit aperiendus, ut monet Celsus, neque expectandum in superficie pus, ut aliqui inexperti, non enim attollitur priusquam deprimatur, & in sinus varios atque difficiles se diffuderit, præterquam quod si tarde aperiatur abscessus, materia antecedens in capite hæret, cùm ei à conjuncta non cedatur locus, etenim intus existens prohibet extraneum. Ferro igitur aperietur abscessus hoc casu, cùm Juvenis sit Pat. vegetus nativus calor, & tumor sit phlegmonosus potiùs, & bile immistus, quàm œdematosus, aut cum pituita, Neque semper ferrum adeo tutum, inclinante scil. ætate, nativo calore imbecilli, & febrili intensiori, atque humore, tumoris causa ad frigidum vergente, tunc enim ex vulnere Gangræna excitari posset cujus causa causticum ferro tutiùs substituitur.

De reliquis febri extinguendæ administrandis non est quod loquar, utpote Viris Excellentiss. perquam notis, quod scil. aperto abscessu à medicamentis evacuantibus atque divertentibus sit omnino abstinendum, & solis clysteribus utendum, sicut attenuantibus insistendum, usui nimirum copiosi Julap. Acet. neque ab alterantibus discedendum, habita scil. febrilis caloris ratione, congruam victus rationem jam præscriptam observando, quæ in præsenti casu dicta satis. *Joann. Raymund. Fortis Consult. & resp. Medic. T. 1. Cent. 1.*

Observationes.

Auris Dolor.

Cùm mulierem auris dolore intensissimo afflictam pilulis cochiis & aureis purgassem, & cucurbitulas scapulis cum scarificatione, & ventosam in Nucha apposuissem; hoc cataplasmate imposito miraculi instar ab omni dolore liberata est.

℞. Cæpæ num. j. sub cineribus ferventibus decoct. ol. Chamæmel. ℥ß. butir. rec. ol. aneth. an. ℥ß. croci, ℈j. Contusa emplastri modo, auri dolenti apposita sunt, *Petrus Forestus Obs.* 1. *lib.* 12. *De aurium morbis.*

Auris dolorem ex inflammatione sic curavi. Præmisso clystere emolliente & refrigerante, sanguinem detraxi ex vena cephalica ejusdem lateris: Postea, cùm fervens esset inflammatio, ovi candidum tenue cum lacte muliebri tepidum infudi. Aliquando etiam usus sum ol. viol. in quo aselli infusi sunt & expressi, modo etiam rosaceo solo, modo lacte admisto, aut albo ovi. Similiter extrinsecus lanam jam dictis imbutam imposui, cavendo tamen ne calefierent. Pars quoque dolens hoc fotu fovetur.

℞. Fol. Malv. bismalv. viol. lactuc. salic. an. m. j. sem. cydonior. malv. an. ʒiß. flor. chamæmel. melilot. an. p. j. flor. rosar. rubr. p. ß. F. decoctio, qua pars leviter & tepidè cum spongia madefacta & expressa foveatur: Talis fotus optimè conveniebat, ut materia digeratur, & sic paulatim materia fuit resoluta sine abscessu. *Petrus Forestus. Obs.* 5. *lib.* 12.

Quidam aurem dolentem ex percussione ita curavit; medullam panis albam calidè tritam cum melle apponebat, quæ frequenter superposita dolorem sedabat. Particula etiam thuris infundatur in lacte, donec dissolvatur, & guttatim in aurem mittatur: Hoc enim illico dolorem tollit, ut expertum est. *Petrus Forestus. Observ.* 7. *in scol. lib.* 12.

Cuidam auris dolore cum apostemate & ulcere laboranti in consilium post multa frustra tentata Medicamenta, adhibitus, jussi, ut manè ac vesperi in aurem læsam 3. vel 4. guttas olei sulphuris tepidi, priore rejecto injiceret & postea in sano latere horas aliquot decumberet quod cùm fecisset in dies, omnis dolor mitigatus, ulcus abstersum curatumque fuit paucis diebus, cum omnium admiratione. Cum eodem sulphuris Balsamo ad eundem modum administrato, sanavi auris dolorem intensissimum in alio. *Martinus Rulandus. Curat.* 85. *cent.* 1.

Divinus senex, lib. 2. epidem. sect. 6. sic præfatur; gravissimos aurium dolores affixa cucurbitula tollit. Hæc memoranda sententia summam attulit opem misero cuidam, qui ex dolore auris atroci malè habens; omnibus præsidiis destitutus, vigil, debilis, & amens factus, continuò febriens, in horas moriturus sperabatur. Hic cum ex venæ sectione, cucurbitulis, costis, humeris, collo affixis, revellentibus clysteriis, expurgantibus, cæterisque revulsoriis auxiliis, sicut & anodynis intra aurem inditis, nullam sentiret utilitatem, cucurbitulâ scarificatâ juxta aurium glandulas applicatâ, levatus est: extracto enim copioso sanguine, inflammatione resolutâ, hujus auxilii beneficio omnino sanus permansit. *Zacutus Lusitanus. Obs.* 69. *lib.* 1. *prax. admirand.*

Notarius Proventuum Oeconomiæ Regiæ nomine Michaël Dam, inexplicabili dolore auris dextræ affligebatur, noctes diesque ducebat insomnes, ac vix delirium effugit. Humor quidam primò fluebat ex aure, sed postquam Chirurgus hujus loci emplastrum applicasset, & simul linteaminibus aurem bene munisset, desiit fluxus, continuatis interim & simul ex parte auctis doloribus. Medicus quidam accersitus opii usum pro sedandis doloribus suadet, sed absque penitiori effectu, nisi quod ex memorati opii usu ægrotus dormire, insequentibus insomniis, horis duabus poterat, recedente mox dolore. Tandem ex suasu alterius amici, qui me consuluerat, assumpsit pilulas ex M. P. Ruff. & extract. Rharbarb. continuis quatuor diebus, mane & vesperi, cum euphoria, remotis omnibus emplastris & linteaminibus. Pus incipiebat fluere copiose, successit levis purgatio, ex pulv. rad. jalapp. ℈j. cum resin. jalapp. gr. v. acuato, & sic post tres septimanas restitutus est æger.

Vir magni nominis apud nos æquè tali dolore gravi aurium infestabatur, unica nocte horrendissimo dolore capitis noctem totam insomnem, sed miserandam consumebat, quid ageret, vix sciebat, nam dolor videbatur modum excedere. Hic sepositis omnibus externis, quæ suadebantur (exemplo enim erat affinis præditus) statim consilio meo confugit ad pilul. quarum sequens est formula:

℞. Extract. helleb. nigr. cum sp. v. facti ℈j. mass. pilul Ruff. ʒß. resin. jalap. gr. vi. m. F. l. a. pil. divid. in p. ij. æqual. Mane prima parte Pilul. usus est. sedibus quatuor motis, cum alleviatione doloris; altera die secundam partem iterum priori similem assumpsit sequentibus sex sedibus. A meridie incipiebat pus fluere ex aure, quæ deinde tantùm externo leni linteamine muniebatur, fluxus autem cum euphoria 14. diebus continuavit, & æger restitutus est.

Vir quidam nomine Johann. Lonhert, civis Risenburgensis in Prussia ducali, dolorem auris gravissimum sentit dextræ: quinque vel sex diebus continuavit dolor, & parùm abfuit, quin sibi ipsi mortem conscivisset æger. Confugit ad Mariæ Insulanum ibidem medicum qui omnem etiam cum pharmacopola ejus loci dant operam, ut restituant ægrum. Emplastra, linteamina externa, fotus & quæ necessaria videbantur, applicant, sed absque fructu, dolore quidem non aucto, interim tamen permanente in eodem, itaque tandem quærens auxilium tendit Mariæburgum. Chirurgus hujus loci omnem movet lapidem, quo possit dolorem hunc blandè sopire, propinat *Laudan. Opiat.* gr. iij. omni vespere, unde dormit quidem cum allevatione patiens, nihilominus effectu hujus exspirante, denuo uti priùs dolor urget, donec post aliquot dies tandem tumor ponè aurem exsurgeret, qui scarificatus, naturalem locum doloris mutat. Ab aure enim divertit ad lumbos, & rependo quasi ibi constrictionem causat, emplastris applicatis tendit deorsum in spinam dorsi, circa regionem renum, deinde eo de loco expulsus in sinistro genu se figit. Sudoriferis autem attenuatus non quidem ad natale solum, sed ad aurem ipsam, & quidem carneam ejus substantiam redit, ibique rependo ac constringendo non quidem insignes dolores, sed tamen molestiam pariebat, ab aure autem iterum pugni magnitudine usque ad gulam ingens rumor se prodebat, ita ut suffocationem quasi minitaretur. Interea fluit pus ex aure, & quidem satis copiosè, patiens se domum confert. Sequuntur domi

continuæ lipothymiæ, nemo præsens potest ferre auxilium: Moritur in Domino.

Ex his itaque recensitis casibus, facili negotio quilibet Medicus & Chirurgus colliget, externa applicata circa hunc affectum potiùs damnum inferre, quàm prodesse, & tutius esse, sequi naturæ ductum, secundùm Hippocratem, & quo vergat ducere, quàm topicis figere, quod ad volatilitatem videtur esse progeneratum. Experientia etiam testatur, plus posse unica die in talibus casibus Medicum perficere internis specificis, materiam discutientibus, & ad expulsionem præparantibus, quàm topicis repellentibus, quæ plus ab extra impediunt, quo minus materia peccans ad effluxum disposita suo fine potiri queat. *Andreas Cnoeffelius.*

Virgo viginti annorum jam per quindecim septimanas egregiè conquesta fuerat de auris dolore propemodum intolerabili, ac per totas aliquando noctes somnum prohibente; auris interea temporis multùm puris bene cocti quotidie fundebat; complura jam medicamenta sine fructu fuere adhibita. Accersitus ad omnes & quidem minimas circumstantias tam circumspectè, quam potui, attendebam, tandemque digitis meis persensi undulationem quandam puris profundè siti post aurem affectam; atque hic abscessus ab aliis non fuerat observatus, licet causa foret totius mali. Rem bene mecum perpendens facilè intellexi hunc abscessum post aurem nunquam spontè, hoc est, absque externo artificio iri apertum non tantùm ob profunditatem suam, sed præterea etiam, quia pus inibi contentum jam per aurem exitum sibi quæsiverat, quamvis valde sinuosum ac minimè sufficientem; quapropter mox imposui corrosivum salis acre, cujus eschará separatâ ingens copia puris bene cocti prodibat ex arte-facto foramine, ac post illud tempus auris dolor & puris ex auris cavitate profluxus protinus in totum cessavit; foramen autem corrosivo inductum, omni pure per illud evacuato, intra duas septimanas prorsus coaluit, ac ægrota omnino restituta fuit pristinæ sanitati.

Hanc aperturam post aurem, nullâ morâ interjectâ, fieri debere existimabam, ne pus aliàs tandem os subjectum attingeret, illudque temporis progressu carie inficeret; quanquam pus bonum super osse aliquandiu moram nectens non necessariò semper inducat cariem, sicut id exemplo sequenti demonstrare mihi facile est.

Vir circa trigesimum sextum ætatis suæ annum tempore brumali ac aëre ventis haud parùm agitato iter faciens brevi post sentiebat auris dextræ dolorem, ex qua deinde quotidie prodibat nonnihil puris, tuncque aderat doloris illius non mediocre levamen; postea, pure non ampliùs promanante, æger de summo iterum conquerebatur cruciatu, qui, noctu non raro delirium producens, jam per aliquot menses duraverat, nec ullis externis, internisve remediis obsecundabat.

Advocatus post aurem reperi tumorem longè latèque extensum, in quo pus contineri firmissimè mihi persuasi, licet ob profunditatem loci, in quo pus delitescebat, palpando nulla animadverti posset undulatio; imposui igitur corrosivum, cujus escharâ valde crassa separatâ incredibilis puris copia profluxit; hoc autem pus jacuerat super os petrosum quod totum nudum existebat, sicut id specillo observare facilè potui; ac interim tamen absque ulla fragmentorum osseorum separatione patiens intra sex septimanas prorsus sanatus est ac sanus postea permansit, non adhibitis aliis medicamentis, quàm injectione idonea, bono digestivo, ac tandem, osse iterum contecto, tincturâ meâ antimonii, quam externè multis in casibus mirum in modum prodesse quotidie comperi.

Tympano auris ab ulcere eroso auditum superstitem permansisse legere datur apud Vopiscum Fortunatum Plempium in fundamentis Medicinæ p. 148. Præterea memini me conspexisse Rotterodami apud Jacobum Lodensteyn, classis navalis Archi-Chirurgum, virum dexterrimum, ossicula auditus omnia, quæ post ulcus ex aure pueri alicujus prodierant; sed puer hic eadem aure postea nunquam audivit. Novi Chirurgum, qui ad dentium dolorem auferendum urit aurem ferro ignito, sed ridicula ac inutilis videtur hæc operatio. *Muys in Prax. Chirurgic. rational.*

Aurium vermes.

Non in intestinis tantùm, sed in omnibus prope corporis humani cavitatibus vermes generari observant Observationum scriptores. Fœmina quædam hic Posonii in suburbio habitans per longum temporis spatium capitis auriumque divexata doloribus, tandem Chirurgum accersit, petens auxilium, credere enim sibi aliquando sub dio dormienti aliquod animal in aurem dextram irrepsisse. Applicuit iste subridens cataplasma, & quæ nescio alia. Sed ecce cum quadam die de ingentibus lancinantibus doloribus conquereretur, aurem inspexit, vermesque deprehendit, quorum in mea & D. D. Zolicoferi, nunc Archiatr. Brogens. præsentia, complures extraxit albos, cum capitulis nigricantibus illis similes, qui in pyris vel avellanis nasci & inveniri solent. Inclusi tres chartæ bibulæ domum eos portaturus, & ad Microscopium examinaturus, sed cùm illos eximere vellem in arrosa vel attrita charta, quamvis nihil præterea in illo sacco habuerim, nullum invenio nisi unicum extra eam in sacco, quò reliqui aufugerint, nescio. Videbantur autem vermes non irrepsisse, sed geniti fuisse ex ulcere, id quod fieri posse ex Observationibus constat. Mulier adhibitis fomentis ex herbis vermes necantibus & ulcus aurium (nam pus quoque & sanguis ex illis fluxerat) consolidantibus, convaluit. Similes planè vermes annotavit *Henr. à Moinichen* Obs. 16. *à Th. Barth. Cultro Anat. Lyseri annexa.* Caroli Raygeri

Caruncula Aurem Obstruens.

Circiter annum 1594. genere & virtute verè nobilis puella, Margarita de Martines, Nobilissimi

bilissimi ac prudentissimi viri Dn. J. Francisci de Martines, Domini in Bourgou & Pally, filia primogenita, ætatis annum octavum agens, variolis correpta fuit; ex quibus eò gravius laborabat, quia pustulæ ad extremam cutem nihil ferè eruperunt. Porro quia materia variolarum non satis ad partes externas expulsa, puella quin etiam à teneris annis scabie in capite, & circa emunctoria, parùm obnoxia fuerat, non diu post, nimirum anno 1595. qui fuit annus 9. ætatis, dolor in meatu auris dextræ præcipuè acutus & pungens erat, ita ut tota illa pars faciei in tumorem elevaretur. Auri oleum chamæmelinum tepidum, doloris leniendi causâ, gossipio imponebant, faciemque eodem oleo inungebant. Post dies aliquot in ipso meatu auris ruptus est abscessus, ex quo primis quidem diebus materia subtilis, & loturæ carnis instar, deinde pus crassum spissumque extillabat. Dolor capitis & auris paulatim cessavit, tumefactio quin etiam faciei evanuit, Tribus elapsis mensibus, iterum materia subtilis extillare cœpit, & deinceps continuò extillavit; absque tamen dolore: quapropter nullum ex hoc malo sibi accidere posse incommodum, cuncti arbitrabantur. Circa annum verò 1600. cùm auditum paulatim diminui viderent parentes, atque hac de re solliciti essent, meatumque auris inspexissent, in profundo ipsius excrescentiam quandam carnosam & meatum planè obstruentem deprehenderunt. Interim tamen, etsi quotidie nonnihil materiæ subtilis extillaret, quia tamen neque dolor, neque aliud quodpiam adesset symptoma, puella quin etiam ratione ætatis timida esset, & ab operationibus chirurgicis abhorreret, res de die in diem prolata fuit.

Anno verò 1604. cùm excrescentiam illam carneam, ex meatu auris propullulantem, viderent parentes, attoniti ac perturbati fuerunt, protinusque medicos eosque doctissimos, imprimis verò Dn. M rcum Offredum, & D. Andream Bonetum, apud Genevenses Medicinæ Doctores longè celeberrimos, hac de re consuluerunt, illi cùm affectum difficilem esse, & manum diligentem requiri cognovissent, ut ego vocarer, suaserunt. Vigesimo itaque tertio Decembris 1604. cùm in Perroy ad lacum Lemanum, ad prædictum Dominum de Bourgo pervenissem, & aurem inspexissem, excrescentiam in ipso meatu auditorio, magnitudinis ingentis inveni. Hæc extuberantia dura, inæqualis, lividaque erat, & tympanum versus in apicem desinebat, habebatque p anè formam fungi, nondum tamen integrè conspici potuit.

Superficie sive extuberantia hujus fungi, uti postea dicemus ablata, quod reliquum erat, paulatim usque ad ipsius radicem quæ prope tympanum erat in conspectum veniebat; à forma itaque & duritie excrescentiam hanc fungum schirrosum appellare libuit.

Propullulabant præterea circa ipsius radicem duo parva germina, ex quibus proculdubio etiam fungi procreati fuissent, nisi angustia meatus auditorii obfuisset. Est tamen notandum meatum huncce dextrum altero aliquomodo ampliorem apparuisse. Videbatur enim dura ista excrescentia; interim dùm accresceret puella, impedimento fuisse quominus proportionem suam observaret meatus iste.

Porrò cùm ex colore livido & duritie affectum huncce difficilem esse, & periculo minimè vacare vidissem, denuo ut prædicti Medici in consilium adhiberentur, autor fui, iis itaque convocatis, & diligent r explorato & perquisitô morbô, deliberatum fuit ut curatio propter maximum frigus usque in proximum ver protraheretur.

27. Itaque die mensis Martii 1605. cùm iterum in Perroy pervenissem expurgato corpore, cucurbitulis cùm multa flamma & scarificatione, pro diversione scapulis adhibitis, item setaceo per verticem trajecto, lino electuario pro cerebro confortando, & pulveribus capiti inspergendis in usum revocatis, fungo bis in die linteum suave reduplicatum aqua nostra ad ulcera maligna (cujus descriptionem vide in Cent. 1. Obs. 1.) imbutum, tepidè applicui: neque aliud quicquam usque ad mensem Majum cum fungo tent re volui: quò natura ante omnia ad ablegandas superfluitates cerebri versus setaceum sese assuefaceret. Interim tamen, uti & per totum curationis tempus, optimam victus rationem observabat.

13. M ij ad ipsam reversus, purgato corpore, sanguine per medianam dextram ad unc. 7. emisso, & apozematibus per tres dies continuos exhibitis, posteaque repurgato corpore per opiatam, toto curationis tempore per intervalla sumendam, ad fungi extirp tionem transeundum fuit: ea autem quia, aut abscisione, aut erodentibus & causticis medicamentis, vel ligatura fieri debebat, ante omnia nobis explorandum perpendendumque erat, quænam tutior & securior esset via atque methodus? Excisio adstantibus propter hæmorrhagiam suspecta erat, & ægra illam abhorrebat. Erodentibus quoque & causticis medicamentis massam illam fungi, qui externam partem auris adimplebat, absque periculo absumi minimè me posse sciebam. Imprimis verò quia ex colore livido, duritie, & inæqualitate tumoris, malignitatem aliquam subesse apparebat, verebar ne ex usu medicamentorum causticorum magis irritaretur malum, & humor ille acris qui post applicationem causticorum ex ulceribus effluere solet, vicin s partes simul exulceraret. Malui itaque ligaturam instituere. Singulari enim & ad hanc operationem perficiendam commodissimo à me excogitato instrumento quodam fungum istum satis profundè in ipso meatu auditorio amplecti & ligare me posse sperabam. Instrumentum autem hoc forceps fuit ex lamina cuprea aut argentea fabricatus, ita quidem scilicet ut per se apertum sit, extremitates t men digitis facilè comprimi ac claudi possint. Prædictæ extremitates quoque aliquomodo excavatæ esse debent, quò carunculam quæ lubrica est meliùs amplecti possint.

23. Itaque Maij, electo loco splendido ægram in sedem collocavi, & ita quidem ut radii solares in auris meatum penetrare possent. Postea caput, sive externam fungi extuberantiam filo apprehendi. Hujus enim fili benefi-

cio

cio caput fungi suspensum tenebam. Interim funiculum cum seminodo intromisi, & cum stylo quodam exploratorio tam profundè, quantùm fieri potuit intrusi. Deinde ambas extremitates hujus funiculi in extremitatibus forcipis prædicti facta, traxi. Postea instrumento tam altè quantùm fieri potuit in meatum auditorium, & quidem ad utrumque latus fungi intromisso, extremitatibus funiculi ambobus indicibus apprehensis & fortiter tractis atque constrictis, fungum arctissimè ligavi. Interim autem dum filum simul & instrumentum intruduntur, minister filum extuberantiæ fungi annexum clementer leviterque in altum trahet, idque in eum finem ut funiculus simul & instrumentum eò facilius & profundius intromittere possit. Facta ligatura instrumentum clementer extraxi; filum verò suspensum reliqui. Deinde linteum reduplicatum, & sequenti liquore insuccatum applicui.

♃. Aq. nostr. ad ulcera maligna ℥j. aq. ranar. aquatil. plantagin. rosar. ana ℥ß. semin. cydonior. subtiliss. pulver. ℈ß. C. C. usti, tutiæ, & plumb. usti ppt. ana ℈ß. M.

Monitum autem velim lectorem, funiculum in hujusmodi affectibus nullô modô (ut in aliis quidem corporis excrescentiis aliquando fieri solet) aqua forti insuccandum, multò minus arsenico illiniendum esse, propter gravissima quæ inde sequuntur symptomata; funiculum tamen, ut fungum paulatim abscinderet, singulis diebus iterum immisso & adaptato instrumento, clementer contraxi, nodumque magis magisque constrinxi.

Cùm extuberantia fungi ita ligata esset, paulatim flaccescere cæpit, emanavitque ex illa humor fœtidus & putridus, is verò ne in meatum auris internum defluat, quotidie ter quaterve peniculis è spongiis paratis, abstersi. Deinde extuberantiæ undique spongias in præscripto liquore madefactas iterumque fortiter expressas, supposui, idque in illum finem ut humorem illum putridum fœtidumque absorberent exciperentque. Ita paulatim abscissa est extuberantia fungi, ita ut 27. ejusdem mensis absque dolore & hæmorrhagia, excideret.

Sed quia fungum ad radicem ipsius propter angustiam meatus auditorii ligare non potueram, quod reliquum erat erodentibus, ut postea dicam, absumere cogebar: priùs tamen, nimirum 24. dosim electuarii purgantis exhibui, quò optimè expurgata fuit ægra. Ad majorem quoque humorum exsiccationem sequens exhibui decoctum.

♃. Radic. sarsæpar. ℥j. Lign. sassafr. minut. dissecti ʒiij. radic. chin. in tenues orbiculos sect. ℥j.

Macerentur horas 20. in aq. font. tepidæ lib. iij. & coquantur ad duarum partium consumptionem. De colatura moderatè calida ad ℥iiij. hora quinta matutina exhibui; interim dum utebar præscripto decocto victum utcunque tenuem & exsiccantem observabat, à jusculis & fructibus horariis humidisque abstinebat, eorum verò loco uvis passulis & amygdalis tostis utebatur. Pro potu ordinario sequens decoctum præscripsi.

♃. Residuum prædict. decoct. passular. liquirit. ana ℥jß. aq. fontis lib. vj.

Macerentur per horas 15. deinde coquantur ad unius tertiæ partis consumptionem: paretur potio gustui grata, & aromatisetur pauco coriandro præparato.

Hoc decocto, & victus ratione per mensem integrum utebatur, interim corpus per intervalla expurgabatur, & cucurbitulæ scarificatæ applicabantur.

Extuberantiæ parte beneficio ligaturæ excisâ, quod reliquum erat usque ad radicem prope tympanum sita, quomodo absumserim dicendum. Statim itaque postquam extuberantia exciderat, iterum ægram ad radios solares in sedile collocavi: mox laminas parvas tenuissimasque è cera fabricatas, & aliquantum incurvatas undique circumcirca carunculam imposui, idque in eum finem, ne medicamenta acria quæ imponenda erant, meatum auditorium attingerent exulcerarentque, deinde penicillis ex spongiis paratis abstersa humiditate, escarotici nostri ad magnitudinem capitis aciculæ imposui: postea filamentis & spongiis meatum implevi, & linteum reduplicatum, nec non liquore superiùs descripto imbe; exteriùs auri superimposui. Medicamento quotidie bis, nimirum hora septima matutina & quarta pomeridiana, (ad candelam enim hujusmodi operationes minimè sunt tentandæ) imposito. 28. ac 29. escharam induxi, illa verò ut abscederet, sequens medicamentum filamentis in eo intinctis, applicui.

♃. Mucilag. sem. cydonior. extractæ cum æqualib. partib. aq. arnogloss. & ranar. aquatil. ℥ij. C.C. usti & præpar. tutiæ pp. lapid. calamin. an. ʒj. croc. mart. saturn. calcin. an. ʒß.

M. Fiat medicamentum ad instar. collyrii utcunque liquidi. Medicamentum hoc propter meam absentiam usque ad 4. Junii impositum fuit. Tum, uti & sequenti die, laminis cereis iterum investita caruncula, denuò de prædicto escharotico bis in die applicui.

Sexta die ejusdem mensis repurgato corpore 7. 8. & 9. collyrium descriptum applicui. Decima eschara denuò exemta, laminæque novæ impositæ, escharoticum ea die ter, undecima verò bis iteravi.

Duodecima die mensis, quia eschara magna apparebat, neque pinguia ut imponerentur consultum mihi videbatur, cultello separatorio incurvato ad carunculas ex auris meatu excidendas aptissimo, eam excidi.

Excisa eschara, quia propter angustiam meatus auditorii, laminas cereas difficulter imponere mihi licuit, escharoticum applicare ausus non fui: globulum itaque lentis magnitudine ex filamentis contortum, sequenti pulveri immersum applicui, & spongiis collyrio suprà descripto madefactis iterumque expressis, ductum auditorium adimplevi. Spongiæ autem in purulentis auribus summopere conveniunt, materiam enim purulentam ex profundo attrahunt absorbentque, partemque affectam ab injuria aëris vindicant.

♃. Pulver. præcip. optimè rectific. ℈j. lapid. bezoard. diligenter pulveris. saturn. calcin. & abluti an. ℈ß. misceantur, fiatque pulvis.

Decima sexta, cùm beneficio speculi auris ad tympanum usque ferè inspexissem, & nonnihil de

de radice fungi superesse probè cognovissem, sequenti die iterum laminas cereas, ea qua fieri potuit diligentia infixi, & medicamentum escharoticum applicui. Verùm decima septima cùm domum proficisci coactus essem, sequentem pulverem præscripsi, & me absente imponere jussi.

♃. Croc. mart. optimè pp. C.C. usti & pp. Saturn. calcin. & ablut. lapid. calamin pp. aa ℈iß.

M. fiat pulvis tenuissim. qui filamentis collyrio suprà notato madefactis usque ad tertium Julii impositus fuit. Quartâ cùm ad nobilem ægram rediissem, & radicem fungi nondum penitus absumtam esse, imò & præter radicem duo parva germina, adesse cognovissem, iterum pulverem ex præcipitato &c. & spongias madefactas imposui.

Sexta Julii speculi & radiorum solis beneficio, nonnihil puris in profundo meatus auditorii oculis se se offerebat, in quo motus, veluti diastole & systole arteriarum, conspici potuit. Absterso pure, quia radicem mali non dum omnino absumtam esse observavi, iterum laminam ceream cui ex una parte nonnihil escharotici annexeram, ad radicem ipsam applicui, & spongias madefactas superimposui. Radicem præterea fungi cranio adhærentem, imò ex ipso cranio originem traxisse, bellè apparuit. Septima de eodem medicamento escharotico ad magnitudinem capitis aciculæ bis applicui.

Octava ægram expurgavi, post prandium, cùm radiorum solis & speculi auris beneficio meatum auditorium inspexissem, fungi vestigium nullum nobis apparuit; qua de re in posterum nihil, præterquã pastillos Andronis, syrupo de rosis siccis dissolutos, imposui. Post dies tamen aliquot, cùm in profundo auris, & illa quidem parte quâ radix fungi fuerat, os denudatum invenissem, sequentem pulverem catagmaticum, melle rosaceo parùm que spir. vini, mixtum, per mensem ferè integrum, me absente imponere jussi.

♃. Pulver. flor. betonic. rosar. an. ℈ß. rad. irid. florent. angelic. caryophyll. mastic. an. ℈j. benzoi, styrac. calam. an. ℈iß. M.

Post mensem cùm ad ipsam rediissem, nullam ampliùs ossis denudationem inveni: qua de re ut in posterum pro corroboratione partis affectæ, linimentum ex pastillis Andronis, & syrupo de rosis siccis imponeretur, corpusque per intervalla expurgaretur, ac optima victus ratio observaretur consului. Sic Divino aspirante Numine pristinæ sanitati restituta fuit, quâ & ad hodiernum usque diem 24. Octobr. 1613. feliciter utitur, & quidem in matrimonio non infelici, proles præterea aliquot progenuit, & auditum, qui antea per annos aliquot deperditus fuerat magna cum admiratione multorum recuperavit. Tam provida & diligens est natura; præcipuè si in juvenibus diligentia Medici intervenerit. *Guilielm. Fabric. Hildan. Observ. Chyrurgic. Cent. 3. Observ. 1.*

Aurium Fluxus.

Habemus hîc in vicinia, in Oppido Solignen, matronam piam atque honestam, quæ nunc vigesimum quintum annum ætatis prætergressa est, illa à juventute in hoc usque tempus purulentas aures habuit. Extillat quoque materia, aliquando cocta & digesta, nonnunquam quoque subtilis & tenuis, & tum dolores adiunt, aliquando & fœtor percipitur. Cœlo existente frigido & humido, de dolore brachiorum conqueritur: proculdubio propter nervum, quem ego ex nervo auditorio deorsum descendentem observavi, uti ex obs. 4. Cent. 1. videre poteris. Inuisi illam aliquoties, aures quinetiam diligenter inspexi; & ut plurimùm ductus auditorios materiâ purulenta repletos reperi. Ante menses duos cùm aures abstergerem, frustum cartilaginis semi putridæ, ex ipso ductu auditorio extraxi. Id autem observatione dignum in hoc affectu occurrit, nimirum aërem, clausis naribus & ore, tam violenter ex auribus efflare & expirare, ut impositis pennis aut festucis illas expellat, & bullas in ipso pure excitet. Cujus rei ego aliquoties periculum feci. Interim tamen, quod admiratione dignum, auditum non multùm depravatum esse, & exiguam molestiam sibi adferre malum hoc, ipsa ægra mihi retulit. *Guilh. Fabric. Hildan. obs. Chirurg. cent. iij.*

Admiratione dignus est casus venatoris cujusdam, qui consilii causa superioribus mensibus me accedens, inter cætera referebat, quod hactenus ingentes capitis dolores, inprimisque auris dextræ perpessus fuerit, ubi tandem aperto abscessu, multum puris & saniei, unà cum animalculis nigris quàm plurimis, ex singulari putredine proculdubio genitis, effluxerit. Ab hoc cruciatu tamen se liberatum esse dicebat, id tantùm ægrè ferens, quòd aurium sordes profundiùs extrahere cogeretur, simulque auriscalpium ad digiti longitudinem ostendebat, quod sine molestia hinc & inde auris in cavitatem agitabat, nec ullum dolorem vel etiam auditûs difficultatem, quod maximè mirabar, percipiebat. Quid dicam igitur de usu Tympani; quodnam munus ossiculis auditus attribuendum erit? membranam hanc putredine corruptam & cum malleolo & incude, quæ sustinet, quis non opinabitur: &c. *Gregor. Horstius Obs. medic. lib. 9. Observ. 8.*

Res externa auribus immissa.

Anno 1596. Puellæ Genevæ insinuatum fuit pisum in auris meatum: quod cùm mox excitasset dolorem, suadet vetula fovendam esse partem affectam spongia madefacta lacte calido. Ex hac humiditate accrescit pisum: inde fit dolor vehementissimus. Vocatus in consilium Clarissimus Dn. D. Andreas Bonetus, ejus urbis medicus celeberrimus, me advocandum jubet. Præparatis igitur omnibus necessariis, caput firmiter tenendùm jubeo. Deinde suprà scriptis instrumentis pisum sine violentia extraho. Extracto piso, spongia in decocto radicum chamomillæ, meliloti, & betonicæ madefacto, & quotidie ter aut quater applicatâ, sedatus est dolor, & brevi convaluit ægra. *Guil. Fabr. Hild. Obs. Chirurg. cent. 1.*

Rosæ filiæ quondam Roberti Chaperonis, annos 10. natæ, verno tempore sui similibus colludenti, insinuatus fuerat in concavum auris sinistræ globulus vitreus instar pisi, cujusmodi puerorum carpis pro brachialibus accommodantur. Admonita mater Chirurgum advocat,

cat, qui globulum extraheret: frustra. Venit & alter, tertius item, & quartus, diversis tamen temporibus: ex his nemo juvit, quin imò altiùs insinuatus est ab illis globulus. Exin desperavit mater de extractione: & quamvis casum filiæ, doloribus assiduis conflictatæ, ægrè ferebat, Dei tamen & naturæ arbitrio permittendum statuit. Postmodum sedatus quidem est auris dolor: sed tota illa pars capitis, usque ad suturam rectam, nocte dieque doluit, plus tamen minùsve pro aëris constitutione: cœlo maxime humido ac pluvioso, quale est hyeme & autumno, cruciatus urgebant. Accidebant præterea lævo brachio quasi stupores, usque ad digitos pollicem & indicem, progredientes ad lumbos usque, tibiam & pedem: & ut paucis dicam, totum latus sinistrum continuis iis ceu stuporibus languebat. Transmutati sunt postea torpores in dolores gravissimos brachii, humeri, & cruris: idque, ut dictum est noctu & aere frigido & humido. Tussicula sicca assiduò aderat. Menstrua ex parte supprimebantur, & nonnisi semel singulis trimestribus, aut parùm fluebant. Quum annis quatuor aut quinque sic doleret, acciderunt interdum epilepticæ convulsiones: ipsum quoque brachium in atrophiam incidit. Videns mater tam dira symptomata, varios adhibuit medicos, chirurgos & empiricos: & quum nullus auris dolor adesset (quippe maximi dolores obscurabant minimum) de symptomatis tantùm querebatur, omissâ primaria morbi causâ. Nequicquam autem hæc omnia juvêre, neque enim intermittebant dolores, aut symptoma ullum, imò augescebant. Tandem adiit me anno 1595. mense Novembri. Purgavi ipsam aliquoties: inunxi præterea humerum, brachium, & reliquas partes dolentes, oleis anodynis & calidis: breviter, quæcunque necessaria ad hunc morbum videbantur, adhibui: frustra tamen, ut priores. Quum viderem morbum repugnare omnibus idoneis remediis, desperabam de salute. Latebat enim me istius morbi causa, nisi fortean ex catarrho foret.

Interim cogitanti mihi quid melius adhibere possem, ipsa nec opina cæpit recitare casum: nempe quòd sibi ante octo annos globulus in aurem demissus esset. Hæc ego audiens, cœpi cogitare, eam esse morbi causam. Et quamvis illa valde repugnaret operationi, propter superiorum chirurgorum irritos conatus in recenti morbo, tandem tamen paruit. Tum ego feliciter extraxi globulum sine vi ulla, quamvis profundiùs, prope tympanum videlicet, excrementis & sordibus auris firmissimè hærentem. Cessarunt illicò dolores capitis, reliquarumque partium corporis, & subsequente nocte meliusculè habuit: sicque paulatim leni inunctione olei lumbricorum restituta fuit. Cessarunt inquam dolores, stupores, convulsiones epilepticæ, reliquaque omnia symptomata. Restitutum est quoque brachium: ita ut hactenus, Dei beneficio, bene se habeat. *Idem Observ. Chirurg. cent. 1. Obs. 4.*

Anno 1610. Rev. viri D. Jonæ Merulæ, apud Aventicenses verbi divini ministri fidelissimi, filio duodecim annorum ætatis, nucleus cerasi in dextrum auris meatum infixus fuit. Hac de re, ut extraheretur nucleus, cùm solliciti essent parentes, (quia ego Augustam Vindelicorum profectus) empiricum advocant. Is etiamsi omnem suam diligentiam atque industriam adhiberet, nucleum tamen extrahere non potuit: immò profundiùs intrusit: idque non sine dolore & cruciatu: Est enim meatus auris exquisitissimo sensu præditus. In ista autem operatione, hamulo acuto usus fuerat, quo ductum auris ita dilaceraverat, ut sanguis sequeretur, atque operationem impediret. Remansit itaque nucleus usque ad 14. octobr. cùm pater puerum mihi adducere vellet, ac aurem inspiceret, nucleum ab ingressu auris undique pure immersum, animadvertit: illumque acie aciculi parvo cum negotio extraxit: Meatus enim auris materia purulenta, quæ nucleum extruserat, impletus erat. Postea brevi convaluit.

Etsi curatio hæc, atque expulsio nuclei ad votum successisse videatur, nunquam tamen hac methodo, ac naturæ opus plane relinquendum esse suadeo. Multa enim variaque symptomata ex suppuratione harum partium oriri solent. Cùm enim ductus auris exquisitissimo sensu sit præditus, facilè propter doloris vehementiam humores affluunt, atque membranam tympanum corrumpunt: Inde surditas. Non raro quoque os, quod exigua tantùm membrana investitum est, ex hujusmodi suppurationibus cariem contraxit. Carnem item fungosam ex ductu auris, propter suppurationem exortam esse, & fungum scirrhosum procreasse, ex præcedenti observ. apparet. Diligentia itaque adhibenda ut quicquid extranei auribus infixum est, protinus extrahatur. *Idem Observ. Chirurg. cent. II. Observ. 5.*

Grillus in aure.

Rusticus penes fornacem jacens, in scamno, non advertit in somno ingredientem grillum in aurem, quem tamen expergefactus ex clamore, ut dicebat, terribili statim percipiebat. Homo hic ferè ad insaniam redactus est, nec ullo modo potuit eum vel interimere vel extrahere: Venit tandem ad me, suadeo, ut infundat oleum scorpionis. Paret: sed sine fructu. Itaque jussi, ut afferat grillum vivum ex campo; allatum injicio oleo olivarum, moritur in eo grillus. Hujus olei cum duodecim ferè guttas in aurem immisissem, paulò post grillus in aure mori cœpit, inter moriendum tamen, retrogradum quasi motum repentis insecti sentit æger; frustatim deinde cum multo pure grillum auris evomuit cum restitutione ægri *Andreæ Cnoeffelii.*

Aranea aure contenta.

Quot, quantisque malis humana corpora tam internis quàm externis, exiguæ quandoque premant, obruantque causæ, evidenter demonstrat, quod referre aggredior.

In Michaëlis Digbaucher die 30. Decembr. anno 1682. sub tecto quodam nudo capite operantis aurem aranea quædam coloris fusci, irrepsit, quæ ipsum adeo torsit, ut non parùm anxius; quò eam eximeret, omnem moveret lapidem

lapidem. Trium autem Chirurgorum ope nequicquam implorata tandem ad Medicum, Chirurgumque nostrum Cornelium Solingium itur, qui, licet speculo sive instrumento dilatorio, cavitate auris ampliata, araneam conspicere non potuit. Capit. lem tamen inimicum, hominem tam miserè cruciantem, post quinque horarum moras, discedere coegit tenui quodam, planoque, ac lapidilli in morem efformato cochleari usus. Animadvertebatur autem circa Araneam illico post extractionem extinctam nonnihil sanici, cujus reliquiis exemptis, Solingius auri Arcæi balsamum cum Peruviano, & oleo hyperici, gummique elemmi mixtum instillavit, cujus virium effectus tanti fuere, ut Michael postridie optime se habens, lætusque non fine gratiarum actione à medico discesserit. *Cornel. Stalpart. Observ. rarior. Cent. 2. Obs.* 11.

Parotis.

Nobilis quidam puer tumorem juxta aurem ovi magnitudine, jamdiu habebat, in ambitu durum, inæqualem, in medio mollem, ubi pressus cedebat, ex quo materiam quandam inesse deprehendi: dolor alioquin nullus, nisi quod pruritum interdum sentiebat. Corpore purgato, usus est sequentibus. Fotus fiebat ex decocto rad. ireos, brioniæ, in dies bis. Postea applicabat sequens emplastrum.

♃. Gummi ammoniaci in aceto fortiss. dissol. empl. diachyl. ireat, an. ℥j. malaxentur, quo facto duodecimo circiter die, sponte se aperuit tumor, purulentamque & spissam admodum materiam copiose tota septimana reddidit, multumque subsedit. Restabat adhuc in humiliore sede, exigua durities, cujus causa, cùm Chirurgi maturantia adhiberent, tentaque immissa ulcus apertum servarent, tandem tentæ fundo cùm extraheretur, sabulosa materia penitusque terrea, grani milii majoris instar adhærens apparuit, posteaque plusquam triginta ejusmodi grana terrea, ejusdem magnitudinis, aliquando etiam majora prodierunt; sicque repurgato ulcere, cessanteque duritie, ulcus consolidatum fuit *Felix Platerus. Obs. lib. 3. pag.* 107.

Anno 1599. ineunte Aprili quadragenariam & innuptam puellam Coloniæ Agrippinæ, abscessu post aurem sinistram (quem Medici parotidem nuncupant) laborantem vidi. Nulla adfuit in principio febris, neque lecto decumbebat, imò domestica administrabat. Demum circa decimum quartum morbi diē, quum abscessus ad pugni magnitudinem excrevisset, & materia planè esset præparata, sed propter duritiē cutis diutiùs retenta, viam deorsum sibi petebat. Tum advocatus, inveni abscessum ex semet ipso ante aliquot horas ruptum: puellam verò febre, lipothymiâ, nauseâ & cibi fastidio, vigiliis item, dolore dorsi & renum, laborantem: nihil tamen aut parum ex abscessu effluebat, neque pus sursum revocari potuit. Itaque paucos post dies è vita decessit: Ex quibus perspicuum est, in hujusmodi abscessibus, sive sint in emunctoriis, sive in vicinia non esse expectandum, donec sponte erumpant. *Guil. Fabric. Hildan. Observ. Chirurg. Centur.* I. *Obs.* 30.

Verissimum esse quod asserto P. Alpin. *l.* 7. M.M. præsag. ult. (citante M. Aurel. Sever. de recond. Absc. nat. l. 1. cap. 29. ex quo etiam *Riverius* fortassis suum sumpsit Theorema Instit. Med. l. 2. S. 2. cap. 3.) Abscessus post aures perpetuo sunt suspecti, nam fere superveniunt fractis viribus & videntur novas morborum attexere causas; vel ex sequentibus patebit Historiis. Illustriss. Comes ab Hardegat, magnæ spei Juvenis intra 17. & 18. ni fallor, annum morbillis corripitur Argentinæ, à quibus cura medicorum extra periculum constituitur, & liberatur die 12. vel 14. Postquam jam melius valere visus in hypocausto deambulare & literas domum de restituta sanitate exarare, cœpit, subitò in novam incidit febriculam cum virium omnium langore ac prostratione; erumpentibus inopinatò ponè aures parotidibus, & licet omnia, quæ conducere videbantur, adhibita, nihilominus ille tertio vel quarto die in flore ætatis, ingenti suorum cum luctu obiit. Fortè hæc Andegavi narravi Medico Urbis Nosodochio præfecto, cum ille manu me duceret ad lectum ægroti cujusdam, ecce, inquiens; hic periculosissima febri continua laboravit, sed jam apparentibus motu naturæ crit cō istis tumoribus rectiùs se habet; & spero evasurum. Interrogatus ægrotus affirmabat, quæ medicus dicebat, nihilque jam sibi molestius esse siti & virium langore. Hæc mihi displicuere, in memoriam revocando illud *Hippocr. in Coacis*: qui morbi in malis signis levantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles, ut & 2. *Apho.* 27. non si quid in morbo præter rationem fiat levius fidendum &c. quippe Crisis, quæ fit ad partem principem (utpote caput) perpetuo suspecta. Reversi alterò die inquisivimus in istum ægrotum, sed ille circa mediam noctem mortuus cum admiratione Medici, qui fidem observationi meæ tum demum dedit. Hic Possonii A. 1671. in lepida puella undecim, credo, annorum mihi consanguinea, similes funestas notavi Parotides. Laboravit illa præteriti anni autumno morbillis, sed inde legitimè tractata penitus convaluit. Circa initium autem præfati anni sine dolore apparuere tumores in collo, concomitante lenta & levissima febricula, semper de nocte recurrente. Crevere in dies tumores, & aucta febris degeneravit in Hecticam, insequente marasmo, quo totum corpus miserum in modum contabuit, ut cutis ossibus, hæserit donec mense Augusto vitam cum morte ingenti matris viduæ cum luctu commutavit. Hi tumores nullis remediis ad suppurationem deduci poterant, semper duri ad tactum manentes.

Quartum adjungo, sed felicioris eventus Exemplum in Illustriss. cujusdam Comitis, qui primò nominatū consanguineitatis gradu attingebat, filiolo, Ottone Henrico. Convalescens hic Posonii A. 1670. ex morbillis tubercula circa aures, cum febri quidem intermittente, singulis tamen diebus circa vesperam redeunte, afflictissimis parentibus priorem flebilem casum non ignorantibus. Ego verò nihil territus repetendo Alexiteria & Diaphoretica (residuam enim à morbillis judicavi malignitatem eo expulsam) & sub finem purgando ipsum feliciter per D. G. restitui. Est autem hoc morbi ge-

qus nostratibus inprimis in juventute; valde commune, & quandoque cum tali invadit signorum vehementia, ut meritò aliquem tempore imprimis contagii, & rei ignarum terreant, aut aliquid mali suspicari faciant. Remittit tamen ut plurimum intra 24. horas morbi vis, & tubercula sensim sine suppuratione evanescunt, ad quæ ne redeant præservationis ergo communiter Cucurbitulas cum scarificatione adhibent. De Parotidibus in maligna febre earundemque cura vid. *River. in tr. de Febribus cap. febr. pest. sub finem.*

AXILLARUM FÆTOR

De eo vide Caput de Fœtore in genere & in specie.

Finis Libri primi.



BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER SECUNDUS

De Affectibus à Litera B incipientibus.

BALBUTIES
Vid.
LINGUÆ VITIA.

BARYCHOYA.
Vid.
OBAUDITIO.
in Audit. Læsion.

BATRACHIUM.
Vid.
RANULA.

BATTARISMUS
Vid.
BALBUTIES in LINGUÆ Vitiis.

BERIBERI.



EST Paralysis quædam species apud Indos familiaris, qua affecti genibus veluti nictando & elevando crura non aliter quàm per saltus progrediuntur. Mulierem hic habemus eo afflictam morbo, diceres machinam arte confectam quæ vi elastica subinde moveatur. De illo jam olim Erasistratus sic autem *Jacob. Bontius Histor. natural. & medic. Ind. Orient lib. 2. cap. 1.*

Affectus quidam admodum molestus homines infestat, qui ab incolis *Beriberii* (quod ovem sonat) vocatur. Credo quia, quos malum istud invasit, nictando genibus & elevando crura, tanquam oves ingrediantur. Estque species paralyseos, seu potius tremoris: nam motum sensumque manuum, ac pedum, immò verò aliquando totius corporis depravat, & tremere facit. Causa hujus morbi præcipua est crassus & lentus humor pituitosus, qui nocturnis temporibus, præsertim pluvio cælo (pluviæ autem assiduæ cadunt ab initio Novembr. usque ad Maii initium) nervos corripit, dum nimirum homines diurnis caloribus defatigati, noctu omne tegmen & lodices à se rejiciunt; unde facilimè, jam in cerebro præcipuè genitus, nervos iste humor phlegmaticus invadit. Nam noctes in his locis comparatione caloris diurni, frigidæ appellari possunt. In hoc casu artus prolonguntur, non contrahuntur, insinuante se inter juncturas phlegmate, ita ut nervi & ligamenta inde laxentur. Quamvis autem hoc malum plerumque per gradus & pedetentim homines invadat, tamen aliquando valde subitum est, dum nimirum homines æstu defatigati, potum ex palma Indica copiose & affatim ingerunt non secus ac in Patria diebus canicularibus aliquando vidimus fieri, cùm quis cursu, aut alio aliquo vehementi motu, calefactus, potum cerevesiæ aut lactis pressi, nimis avide haurit, ita ut inde sæpè summum vitæ discrimen, immò ipsam mortem incurrat. Porrò signa hujus mali aspectu obvia sunt. Adest enim spontanea corporis universi lassitudo; motus & sensus, præcipuè manuum & pedum, depravatur, hebecitque; atque in iis plerumque sentitur titillatio talis quædam, qualis in Patria, frigidâ, & hiemali tempestate, manuum ac pedum digitos corripit, nisi, quòd hic tantus dolor non adsit. Tum etiam vox aliquando ita impeditur, ut æger vix articulate loqui possit quod mihi ipsi accidit, dum hoc morbo laboranti vocis sonus per integrum mensem tam exilis esset, ut me vel proximé assidentes vix intelligerent. Adsunt præter hæc aliquando multo plura signa & symptomata, quæ tamen omnia tenacem & frigidum humorem sapiunt, sed præcipua enarrasse sufficiat. Accingamus ad curationem itaque, quæ plerumque in longum trahitur; dum nempe humor iste lentus & frigidus ægrè discutitur: per se tamen, ut plurimum, lethalis non est: nisi musculos pectoris & thoracis invaserit, & hoc modo spiritus ac vocis viam intercludat. Verùm hoc imprimis curandum est, ne (si ullomodo fieri possit te lecto affigas decumbendo: sed vel ambulando, vel equitando, vel simili aliquo motu validiore, omni conatu te exerceas: currere quidem impossibile est. Frictiones quoque fortes & dolorificæ summè necessariæ sunt, quas commodè hic servi Bengalenses, ac mulieres Malaycæ adhibent. Nam nostra gens tali exercitio non assuevit,

ut nec balneis, quæ hic frequentia sunt. Fomenta atque insessiones conficiunt ex herba nobili *Lagondi* dicta, quæ folio quidem Persicariam refert, estque odoris suavis & aromatici. Certè nobis non tantùm usum chamomeli & meliloti præbet, sed discutiendi & resolvendi viribus, iis, meo quidem judicio præstat. Pedes & manus præterea inungendi sunt oleis caryophyllorum & macis, Sed mixtis oleo rosaceo: nam sola adhibita nimis caustica sunt, & cutem facillimè eroderent. Habemus præter hæc nobilem Naphthæ speciem allatam ex Sumatra Javæ regno è regione in conspectu sita; quam *Miniach Tann nah* Indi vocant, oleum terræ significans; quod non secus ac nobis cognita naphtha, quod oleum petræ vocamus, e terra erumpat, vel ex rupibus in subjecta flumina præcipitetur. Hoc oleum à Barbaris in tanto pretio habetur, ut rex Achinensis, qui potentissimus istius insulæ est Tyrannus, sub capitali pœna istud devehi inde prohibeat: ita ut incolæ, nocte intempesta, si quæ nostra, aut Anglorum navis, eorum littoribus adpellat, ad nos istud furtim deferant. Hoc oleum partibus affectis illitum, miraculi instar ægros consolatur. Odore est porrò gravi: tamen non fastidioso.

Sed cùm hic morbus sit chronicus & longi temporis, nihil æquè prodest quàm decocta ex radicibus chinæ, sarsæparillæ ac ligno guajaco; quæ blando & amico nostro corpori calore, frigidos istos & crassos humores, per sudores & urinas egregiè discutiunt & evacuant. Interpositis tamesi subinde commodis per alvum evacuationibus, inter quas principem locum obtinet extractum quod hic conficimus ex aloë & gutta Cambodia dicta vulgò, corruptè apud nos gutta gamba.

Sanguinem mittere nefas: non enim plethora, sed cacochynia in vitio est: & quis sanguinem fontem caloris & thesaurum vitæ non esse intelligit?

Hujus affectus reliquiæ porrò commodè discutiuntur theriacha, mithridatio, &c. sudorem & urinam moventibus, ac nervos roborantibus medicamentis. Reliquas hujus mali molestias opportuna exercitatio, & valida naturæ vis sanabunt.

Observationes.

Justus Auceps Juvenis peregrinandi cupidus, peragratò jam tum præcipuò Orientis tractu, substitit tandem in regione Choromandella, ubi sol tantò interdum æstuat ardore: ut indigenæ ejus vitandi causa, cogantur maximam diei partem transigere in balneis frigidis. Quem exurentem fervorem utique declinaturus hic juvenis id negotii famulis suis dedit, ut se plumbo impositum, cottidie, idque sub dio, ac aëre patente, frigidâ affatim perfunderent. Quod certè irriguæ, ac intempestivæ lavationis genus, adeò non profuit, ut potiùs multùm nocuerit. At juvenile vitium est animo non posse imperare. Obstipata itaque cute, & humoribus ab inordinato frigore impendio nimis in nervos repercussis, contraxit illam paralysis speciem, quam India *Beriberi* sive Ovem vocat, qui morbus, ut minimum habet periculi, curatur tamen difficilimè; ut suo exemplo docuit hic adolescens: qui propterea cum ipso domum reversus, nobis ansam dedit inquirendi in naturam hujus morbi.

Quem animadvertimus tantùm discrepare à perfecta, quantùm conveniret cum imperfecta paralysi. Corpus quippe erat quidem hebes ac languidum, artusque inertes ac desides, neutiquam tamen omni omnino motu destituti. Et quamvis ægro minimè integrum fuerit cibũ capere, nedum deambulare, licuit tamen ipsi in sedili sedere, obscurum aliquem edere motum, imò in stupidis membris interdum persentiscere vagum, ac aberrantem illum titillationis sensum qui solet præcedere spiritus animales in nervos influxuros, ac jam jam per exigua eorumdem foraminula transitum quæsituros.

A qua utique imperfecta nervorum resolutione haud quaquam etiam dispar fuit curandi ratio. Convalescente ægro non minùs prospere remediis patriæ nostræ familiaribus, ac si illis ipsis usus fuisset, quæ morbo huic speciatim præscribit, qui Indiarum Præfecto à medicinis fuit Jacob. Bontius method. med. cap. 1. ne quidem deficiente nobis pretioso illo terræ oleo, quod *Miniach Tinnah* Indis vocatur, & in insula Sumatra, cui præest rex Achinensis, adinstar olei petræ ex rupibus destillat. Cujus Indici olei frequens periculum à nobis factum, tum in frigidis affectibus, nervis ac musculis penitus insidentibus, tum etiam in suffocationibus uterinis, quibus non minùs opis adfert, quàm oleum arte chymicâ è succino elicitum. Evacuandis autem pituitosis succis (in quibus potissima hujus morbi causa) operam imprimis navarunt, cùm cathartica convenientia; tum lignum guajacum, sassafras ac radix china; & extrinsecus ungentum, partim ex oleo terræ partim verò ex oleis castorei, ceræ, nucis myristicæ, cariophyllor. piperis, ac ligni rhodii; quorum omnium legitimo usu, non tam confirmatus, quàm in pristinum valetudinis statum, integrè restitutus fuit. *Nicol. Tulp. Observ. lib.* 4.

Beriberi Spurium.

Verum depingit Tulpius Observ. lib. 4. cap. 5. spurium hoc nocentius quò graviùs affligit. Expertus illud est nuper *Daniel Wichelhuysen* Batavus, quem funestum hoc malum tandem peremit. Is quinquagenario proximus, post sedecim annos in india Orientali exactos redux, apud nos consedit negotiationi Eoæ manum & consilià accommodaturus. Vix mensem hic transegerat, cùm obstinata correptus urinæ suppressione, vesicâ simul stupente, & tractô in societatem ob musculum communem podice. Transit & in crus sinistrum stupor, & ad ultima pedis tensionem molestam exporrigit. Paucis post diebus notatur & in regione cordis dolor exquisitissimus, non ille cor ipsum divexans, sed inter musculos pectorales & sternum cum summo cruciatu obambulans. Inter hæc mala destitutus consilium postulat. Mihi statim visa illa συνδρομή & rara & periculosa. Credita initio vesicæ ægritudo, suppressio urinæ & narcosis cruris, à calculo per musculum psoas transeunte pendere, dolor autem pectoris à flatibus. Sed dum in eo sum, ut

istuc

istuc curam vertam, crus sinistrum paralysi tentatur, & mox dextrum quoque simul cum vesica & podice, ascenditque malum illud & stupor partium ad usque diaphragma. Superiora bera nisi quod ex intervallo redirent immodici dolores musculorum circa cor, quos cùm mihi describere frequenter pararet, ut erat vir sagax, & qui sensa animi clarissimè alioquin expromebat, agnovit præ varietate motuum, & inusitata doloris novitate, victum sese quominùs ægritudinis illius morem modumque lingua expediret, innuens tamen subinde vellicari partes diversis motibus, & tandem contrahi tanquam in nodum, cum interim exterius nullus tumor, nullus præter naturam calor appareret. Sed & suffocationis quædam species identidem, maximè noctu, admonebat ex flatibus haud dubiè impetuosis, qui tamen solutô paroxismô erumpebant nusquam. Cætera se bene satis habebant à capite ad usque diaphragma, ratio constabat, de ventriculi appetitu nulla querimonia. Illud gravissimum quod in progressu morbi sponte semper proflueret urina, ægro invito, & alvus constipata, vel ægerrimè admotis clysteribus, quicquam excrementorum profunderet sine sensu ægrè. Sæpè enim ignarus in propriis volutabatur purgamentis, unde nates tribus locis subitò gangræna correptæ, quicquid etiam contrà niteretur solers Chirurgus *Nicolaus Boius*, ad cicatricem nulla arte revocari poterant. Neque viva natium caro sentiebat scalpelli ictum, ne quidem ad ipsa coccygis ossa, nam & ibi gangræna nidulabatur. Tentata in solatium mali varia purgantia, sudorifera, specifica, salia volatilia, spiritus, unguenta, fomenta, alia non quidem nullô fructu, sed tamen non satis optatô. Et quidem purgantia faciebant officium, quoties situs corporis exitum permiteret excrementis, alioquin quanquam illa in intestina copiosè satis confluerent, non stimulabant ægrum, emortua parte per quam prodirent. Ab urinæ aspergine liberabat eum appensa vesica bubula labrô ligneô præmunita, nam coriaceum sacculum priùs adhibitum penetrârat liquor mordax. Sudor à decocto lignorum guajaci &c. prolicitus & sæpe cum euphoria. Propositum balnei usum impedierat gangræna. A cucurbitula circa pectus abhorrens, vesicatorium admittebat, unde per biduum musculorum ibi quies sequuta, sed quæ dolore post graviori pensaretur. Quid multis? tantùm effecere purgantia & decoctum guajaci, ut ægro ipsi (me adhuc dubio) spes sanitatis affulgeret, narranti redire in crus sinistrum paulatim titillationes internas, & motus non obscuri indicia. Dum hæc aguntur, nescio quis Auster empiricam aniculam in cubiculum ejus me inconsultô, introducit. Illa polliceri statim sanitatem, & unguentorum suorum præstantiam in cælum tollere. Credulus æger, qui à me audierat festinandum lentè, aniculæ celeritatem auxilii sui jactanti præbuit aures. Inungitur, fricatur, spe inflatur ad aliquot dies, me mea quotidie inculcante pharmaca, & medicatricis illius ignarô. Tandem æger plenior spe fælicis eventus, aperit mihi incognitum secretum; advenire bis in die fæminam in curanda paralysi mirificam & crura sua atque femora ad horas tres inungere singulari quodam unguento, nec illô unius generis, perfricare enim aliô genua, aliô crura, femora denique aliô, istam varietatem temperamentorum omnibus medicis incognitam brevi admiranda præstituram. Dum in laudibus empyricæ prolixus est, observo angustias pectoris, & anhelitum ægri concitatiorem, subiungo què ita curam gerendam crurum ut malum in pectus non regurgitet. Sed cùm is periculi securus, plus tribueret vocibus medicatricis ineptæ, quàm meo præsagio, abstinui ipso non invito ab ulteriori visitatione & ille intra triduum ad plures migravit. *Tom. Bartholin.*

BLACCIÆ.

Vid.

MORBILLI.

BLÆSITAS.

Vid.

LINGUÆ VITIA.

BOMBI AURIUM.

Vid.

TINNITUS AURIUM.

In Auditus Læsionibus.

BORBORIGMUS

Vid.

FLATUS.

BOTIUM.

Vid.

BRONCHOCELE.

BOVINA AFFECTIO.

Est morbus bobus utriusque sexus satis familiaris; nec illis solis, sed etiam, Leonibus variisque aliis quadrupedibus, avibus item, piscibus &c. ut observat Clar. Rhedi in suo de Viventibus in Viventibus tractatu italicè conscripto. In eo autem vermis longior cutem inter & carnem perambulans, illam sæpe perforat, eadem ratione qua comdones & crinones qui infantibus tam graves & molesti sunt.

BRANCHOS.

Vid.

CATHARRUS.

BRADUPEPSIA.

Vid.

DIGESTIONIS LÆSIONES.

BRONCHOCELE.

Bronchocele, Hernia gutturalis, aliis Struma, tumor est colli præternaturalis, magnus, sæpiùs æqualis, atque ut plurimum indolens.

Illius plures dantur differentiæ; nam aliquando de steatomatum, aliquando atheromatum, aliquando meliceridum, genere est; aliquando verum existit sarcoma, cujus sc. materia est caro pro tempore hebes & stupida; aliquando

materiam tophosam, aliquando tartaream, aliquando gypseam, aliquando lapideam, aliquando ossa, aliquando filamenta & quasi pilos, aliquando carbones & alia non minùs prodigiosa concludit, ut nos ex parte vidimus, & alii ulteriùs se vidisse enarrant. Satis ex hisce patet nos de vera & genuina hernia gutturis seu tracheæ, (quæ rara admodum, & propè inaudita in praxi,) & à distentis fistulæ pulmonalis membranis oritur, unde & vox & respiratio non parum impediuntur, imò etiam supprimuntur, verba non facere; neque etiam de tumoribus à dilatatis colli venis aut arteriis, in quarum illis mollities multa cum retrocessione materiæ per compressionem, in his verò pulsatio magna reperitur; sed de tumore grandiore colli à vario infarctu orto, vel sarcomate ibidem efformato. Tumor hic aliquando ita magnus existit, ut in totum fermè guttur expansum cernatur.

Causa conjuncta est pituita seu lympha viscidior, sale multo, particulisque terrestrioribus imprægnata, unde pro varia sua coagulatione & concretione, varias etiam ementitur materiarum species. Hæc autem pituita à sanguine ad colli glandulas amandatur, postquam in eo ipso fuit collecta, propter causam aliquam antecedentem, victus nimirum rationem illi cumulandæ aptam, aquarum pro potu ordinario usurpatarum specificam qualitatem, (propterea endemius est hic affectus, ex parte Sabaudis, Allobrogibus, & iis qui Alpes & Pyrenæos montes incolunt, qui aquis gelidis, quales de rupibus scaturiunt uti coguntur.) Ventriculi debilitatem cibis dissolvendis imparem, &c. Adde aliquando pro ejusdem pituitæ, ad partes glandulosas & membranas juxta laryngem sitas, derivatione, causam aliquam evidentem, nimirum vim factam partibus istis, vel præ nimio nisu, in partu difficiliori, vel præ nimiis clamoribus in diuturnioribus atque intensioribus doloribus, &c. unde lacerata compage glandularum, diductis earundem membranis, & impetuosiùs lympha in ipsas devecta, non mirum si tum ipsius lymphæ, tum salivalis materiæ effusiones in viciniam fiant, quæ mora congelatæ, sensim magis ac magis indurantur, dum sc. evolante aquosiori motuique aptiori parte, terrestrior, quasi caput mortuum, in dies ulteriùs desiccatur, atque postea compressione qua viciniam urget, dum circulationem in vasibus varii generis, vel omnino impedit, vel remoratur, magis ac magis continuò augetur. Rationibus mox enarratis alia etiam addi potest, sc. obstructio in ipso parotydum conglomeratarum aut conglobatarum corpore, vel in vasorum salivalium truncis, aut eorundem ramis aliquibus, enata; sic enim vel seri transcolatione per glandulas impedita, vel seri in glandulis transcolati, & ad os continuò derivandi, via obstructa, moras trahit illud serum, & moras trahendo inspissatur.

De parte amandante, non mihi sanè convenit cum quibusdam, qui è cerebro humorem depluere, per sibi ignotas vias, nullique unquam demonstrabiles, asserunt. Quale enim cerebro cum partibus colli exterioribus commercium, præter illud quod per spiritus animales peragitur? Concedam forsitan ex systemate eorum qui succum tuentur nervosum, aliquando eò morbi deduci posse eum succum, ut non ampliùs spirituum animalium vehendorum officio, fungi valeat, sed potiùs fermenti sero coagulando apprimè inservientis vices gerat. Sic non tamen tota tumoris strumas constituentis materia, e cerebro depluere dicatur; nam quis non videt morbosi istius muneris partem præcipuam, imò ausim prope dicere integram sanguini deberi, qui dum sero nimiùm coagulabili imbutus, salibusque fixioribus & motui ineptioribus impregnatus reperitur, aliquid sarcinæ suæ in glandulis per quas filtratur, necessariò deponit, præsertim si præ fermenti aliundè advecti vi, salium illorum, atque terrestriorum particularum, præcipitatio priùs in glandulis fiat, sique, vel frigus externum, vel pororum immutatio per contusionem, aut alia id genus, præcesserint.

Prognosim quod attinet, si tumor hic fuerit scirrhosus, in cancrum quàm facillimè abit, nec est quòd aliquid per chirurgiam moliaris, quandoquidem sic heret tantùm irritatio multa, quæ vitari & declinari totis viribus debet. Si ex tactu appareat, nec majoribus vasis, nec nervis, nec profundioribus colli partibus adhærescere, nec interim tamen medicamentis cedat, est sanè quòd aliquid per cultrum & ignem, nec frustrà tentes. Si verò humor intercutaneus fuerit, nec profundius infiltretur, aut ejus malagma nimis exsiccatum non reperiatur, speranda ejus resolutio & absumptio, à medicamentis melioris notæ admotis.

Indicationum prima erit pituitæ in toto sanguine evacuatio aut correctio. Secunda novi ejusdem proventus per diætam, ventriculi corroborationem, sanguinisque & spirituum invigorationem, inhibitio. Tertia fluxionis ad partem affectam repressio. Quarta materiæ in tumorem aggestæ emollitio, resolutio & discussio, sique rebellior fuerit, per ferrum & ignem, sive actualem, sive potentialem totalis extirpatio. Quinta, si tumor in scirrhum cancrum minantem abierit, totis viribus humor est mitigandus & demulcendus.

Diæta itaque sit mediocriter siccans & attenuans, propterea vitentur ea omnia quæ sunt, vel aquosiora, vel crudiora, vel crassiora, vel viscosiora, vel sale, aut fumo condita, vel acidiora, coagulationibus quippe conficiendis nata; vitetur nimia desidia ut & nimius somnus, alvus servetur libera, sique illud per se non fiat, adhibeantur clysteria, aut alia id genus.

Remedia erunt & interna & externa; interna, præter purgantia, sunt varia. Boucherius Camberiacensis apud Nicolaum de Blegny decoctum commendat, cujus duo cochlearia decrescente luna, mane & vesperi sumenda.

℞. Spongiam puram, affunde spir. vini quantum imbibit, colloca in medio stribitariæ coquullæ cupreæ stanno obductæ, & manipulo radicum porri circumda, superpositoque cooperculo, admoveatur ignis validus, qui urgendus, quousque contenta in carbones redigantur, demum in cacabum conjice, additis duabus aquæ fluviatilis pintis, cum una cotyla,

tyla, sulphuris communis unciis duabus, ebulliant, non igni imponendo, sed ope decem, aut duodecim grandiorum silicum, in ripa fluminis collectorum; & nunquam aliàs in usum ductorum: illos probè ignitos conjice in cacabum, relinquendo quousque desinat ebullitio: his exemptis transcoletur decoctum per chartam emporeticam; asservandum in lagena ritè obturata.

Non tam operoso artificio paratur vinum cujus efficaciam ego sæpius vidi.

♃. Salviæ M. ß. alumin. ʒjß. spongiæ ustæ ℥ij. infunde in vini bene maturi ℔. ij. sume quatuor aut quinque uncias; decrescente luna matutinis horis & iteretur pro exigentia.

Theveninus pulverem è borrace venet. & spongia trita ad ʒj. in vehiculo apto sæpius exhibet.

Clariss. D. Johann. Jacob. Nozet Archiater Friburgensis apud Helvetios Celeberrimus, methodum curandæ herniæ gutturalis mihi amicissimè communicavit, quam hic inserere pergratum lectori fuerit.

Primò, sequenti remedio corpus expurgat.

♃. Trochiscor alandh. extracti massæ pilular. cochiar. extracti agarici, ana gr. viij. mercur. dulc. g. xv. olei garyoph. stil. gtt. iij. M. F. e. a. pilulæ pro una dosi in subjecto robustiori.

Secundò, corpore expurgato exhibet sæpiùs tincturam è speciebus hieræ, & pulvere guttetæ, cum spiritu vini extractam.

Tertiò, pro potu ordinario decoctum parat è guajac. sassafr. sarsaparill. ligno aloetico, flor. lilii convall. salv. beton. pæon. & tilii.

Quartò, cùm per iteratas medicamentorum jam memoratorum doses videt humoris fontem aliquatenus exhaustum, secunda aut tertia quaque die hora somni exhibet extractum opii spiritui apoplectico maritatum, ut sic fluxio reprimatur.

Quintò & præcipuè parat syrup. pro quo.

♃. Spong. finiss. in carbones non in cinerem ustarum & pulver. ℈iiij. syrup. ex decocto ligni aloës, fol. nasturtii aquat. flor. salviæ, beton. & sem. ocymi ℥ij. M. & capiat cochleare unum singulis diebus matutinis horis.

Pharmacopæa August. sequent. habet pulverem qui est Arnold. de Villa nova.

♃. Spong. combust. pilæ marin. tostæ, ossis sepiæ, piper. long. & nigri, zingiber. cinnam. sal. gemm. pyrethr. gallar. lap. spong. ana ℥j. pulveris. & misceant.

Clar. Josephus Donzellus in suo Theatro Pharmaceut. italicè conscripto commendat pulverem, pro quo.

♃. Spong. mar. spong. stipitib. rosæ caninæ adnascentis ana ℥ij. ex iis incineratis fiat pulvis, cujus.

♃. ℥j. ciner. chart. bibulæ ℥ij. cinnam. ℥ß. corallor. rubr. pulverat. ʒjß. M. F. pulvis, cujus hic est usus.

♃. Pulveris descripti ℥j, aut ℥ij. infunde in vase vino albo pleno, macer. dies tres, dein tempore plenilunii sumantur omni mane hujus liquoris ℥iij. donec incipiat luna crescere, quo tempore eo abstinendum, plenilunio verò subsequente reassumatur liquor ut priùs.

Usum salium volatilium ego præcipuè commendo, interque eos salem volatilem aromaticum & amarum meæ compositionis, cujus virtutes in hisce & aliis casibus non semel expertus sum.

Usurpentur præterea gargarismata, ductus salivales reserantia, lymphamque & humorem salivalem coagulatum fundentia, quale v. g. hoc fuerit.

♃. Radic. ciclam. virent. verbasc. polypod. fol. beton. & rad. brioniæ ana bulliant in vino. Item masticatoria ex myrrh. radic. imperat. angel. mont. garyoph. &c.

Exteriùs applicabuntur, emplastrum de cineribus, balsamo sulphuris tach. mahacato prægnans; cataplasma è porris & baccis myrtill. vino incoctis; item è foliis & nucibus cupressi pulver. vino austero incoctis, & pulvere limacum rubr. sinapisatis. Sale volatili armoniaco spiritui vini artificiosè maritato, non sine fructu præterea tumor sæpius, sed parcè fovebitur, ut & sale volatili verè oleoso e gummi caranna extracto.

Si hisce omnibus non cedat malum ad Chirurgiam deveniendum, quæ eadem prorsus hic erit, quam in scrophulis describemus. Hocce in negotio tantùm advertendum, an tumor fuerit aneurisma, quod intactum relinquendum; anque vasis majoribus & nervis adhæreat; si enim nervus recurrens in hac excisione læderetur usum vocis perderet æger; ut illud abundè testantur historiæ ex Galeno, Avicenna, Amato Lusitano &c. cuivis facilè depromendæ; ut & propria experimenta in brutis animalibus sæpissimè instituta; Clar. Isbrand. de Diemerbroeck historiam præterea læsi nervi recurrentis adfert, quam hic adducere non piget. Rusticus Hollandus, inquit ille, in conflictu quodam aurigarum vulnus cultro inflictum recepit in colli latus dextrum circa jugulum. Vulnus à Chirurgo cito curatum fuerat. Post aliquot deinde menses ad me venit, rogans ut ipsi aliquod medicamentum præscriberem pro maxima sua raucedine, qua statim ab accepto vulnere laborare cæpisset, & quam medicus ille, qui ipsum cum chirurgo tractaverat, nullis linctibus, tabellis, decoctionibus, alisque medicamentis dispellere potuisset. Vox homini adeò exilis & rauca erat, ut vix, quid diceret, intelligi posset. Ego è vulneris loco animadverti nervum recurrentem transversim præcisum fuisse, per quem vocis efformandæ virtus defertur, hincque mediam vocalitatem deficere; quod malum cùm nullis remediis restaurari posset, ægrum pro incurabili dimisi.

Observationes.

Observavi vinicolam post ingentem ex frigida & cœnosa aqua haustum in Bronchocelam incidisse, quæ plurimum excrevit; deinde ex abscessu facto exivit Bufo vivus, quem meis ipse oculis vidi; fortasse seminalis virtus cum aqua ad colli membranas exsudans hujus generationis causa fuit. *Paulus de Sorbait in Miscell. Curios.*

Paupercula 30. annos circiter nata, inde ab incunabulis insignem strumam in collo gessit,

ut vix respirare, nedum deglutire potuerit, nam tunc maximos dolores patiebatur, ægra fuit macie consumpta & pulsum habebat parvum, languidum: consultum judicatum est ægræ obstaculum ab organis respirationis & deglutitionis, dimovere. Struma itaque in parte molli & declivi profundius incisa fundebat libram serosæ & glutinosæ materiæ foramen vulneris spongia præparata adimpletum & diapalma deligatum est, evacuata omni materia, massa carnea pugni magnitudine comparuit, tam dura ut nec cathæreticis, nec causticis potentialibus nec igni actuali cedere potuerit, cultro quoque resecari ægrè concessum, inventa fuere in massa hac quatuor ossa sibi cohærentia, tam putida, ut adstantibus lipothymiam causata sint; ossicula minora ultra duodecim quoque inde exempta, ægraque perfectè restituta est. *D. Joh. Murali. in Miscell. Curios.*

BUBO.

Curationes, Consultationes & observationes ex variis.

Curationes.

Hippocrates magnas in emunctoriis sitas glandulas vocat *Bubones* traducto nomine ab affecta parte, quandoquidem illarum inflammatio *Bubo* nuncupari solet. Ita Galenus *lib. 2. ad Glauconem cap. 1. & de differ Feb. lib. 1. cap. 5.* inquit *Bubo est Glandularum seu glandulosarum inflammatio & lib. 2. de Meth. Med. ait, Bubonem esse affectionem corporis Glandulosi*, & quandoque pestiferæ febri associari.

Est igitur Bubo inflammatio seu potius tumor præter naturam glandularum rubicundus, dolens, renitens, & ex impuro sanguine enticè in illas expulso ortus. Hinc pars affecta in Bubonibus insunt plerumque Glandulæ ponè auriculas, sub axillis, aut in inguinibus sitæ, aliàs namque in aliis Glandulis vix unquam aut saltem rarò Bubones fiunt.

Hujusmodi verò glandularum tumoris quædam dantur differentiæ. Enimverò minor si sit tumor, minusque dolens, facile tamen suppuretur, *Phima* dici consuevit, sin ad Erysipelatis naturam magis accedat, neque facilè suppuretur quin potius discutiatur, *Phygethlon* appellatur. Si sub Maxilla existat *panus*: atqui post auriculas *parotis* nominatur.

Insuper Bubones alii critici sunt, alii simptomatici, & horum alii contagiosi, alii; non contagiosi; alii pestilentes sunt, quia secuntur febres atqui vulgò *bubones maligni seu pestilentes* alii non sunt pestilentes qui *Venerei seu Gallici bubones*, cum à gallica luë proveniant.

Generalis Ergo Bubonum causa est sanguis vitiosus, acescens, dictas in Glandulas naturæ robore expulsus; qui illic hærens cum propter abundans *acidum* sanguinis formam amiserit atque suppuretur tumorem hunc excitat.

Causa verò efficiens est partium internarum robur, quæ in Glandulas ceu vera Emunctoria, vitiosos ablegant humores. Sed quod in Glandulis tantum bubones contingant, ratio est, non quod destinatione quadam naturæ cruoris recrementa has in partes deferuntur; at cum vitiosæ particulæ ubique passim in sanguine scatent, in Glandulis seu partibus laxioribus velut in communi foco promptius aggeruntur præsertim cùm sanguis illic ad arteriolarum extrema delatus, difficulter & non ita promptè suscipitur, ac refertur à venis, atque hoc circa glandulas fieri experientia, & hodiernorum anatomicorum observationibus liquido constare putamus: quare cum in locos glandulosos vitiosi in toto corpore scatentes humores promptiùs, quàm alias in partes deponuntur impuritatis velut nidus ibidem conflatur.

Ita *pestilens bubo* fit, quando particulæ venenatæ & malignæ in glandulas ponè aures, aut sub alis, aut in inguinibus, aut in collo. sitas, naturæ robore expelluntur.

Atqui *venereus bubo* plerumque in Inguine fit, estque tumor, qui nec sponté, intimoque vitio, nec ullo simplici attactu, congressuve, aut corrupti aeris inductione, sed impuro duntaxat concubitu contrahitur atque adeo Efficiens ejus Causa haud immeritò censetur maligna & venenata quædam labes, quæ coitu in Penā primum accepta, non numquam pustulis, tuberculis, & ulceribus ipsum conspurcat, & sese manifesto prodit, antequam partium continuatione altiùs in corpus propagetur: non numquam vero, pene adhuc integro clanculum penitius sese insinuans, intestinas partes primum afficit, fædatque, nullis adhuc notis extrinsecus conspicua. quæ si exigua infirmiorque est, corpus verò sanum & firmum, humorum vitium atque corruptela parua consequitur, quam natura suis facultatibus tanquam copiis nixa, in partes externas, Inguinum putà glandulas deponit, unde *Bubonem venereum* nasci contingit.

Equidem varia hæc bubonum genera facile dignoscuntur, & signis à se inuicem distinguuntur. Ita symptomatici, non tamen contagiosi bubones cognoscuntur, ex tumore, rubore, dolore, calore, tentione, renitentia, pulsatione quibus sæpè febris adest. In Critico bubone eadem adsunt signa; Sed insuper adjungitur præcedens morbus, per erumpentem Bubonem morbi sublevatio, & dein ab eodem morbo liberatio.

Pestilentis bubonis signa sunt, quòd conjuncta sit febris maligna Pestilens, malignis, simptomatibus, ut Nausea, Vomitu, Cordis oppressione, animi deliquio, & similibus quæ in Peste observari solent comitata: insuper si Ægrotans versatus fuerit in aëre pestilenti aut in loco, in quo plures peste sunt correpti.

Venerei Bubonis Signa sunt, non solummodo tumor, dolor, rubor, calor & alia proposita, sed coitus cum persona gallica lue infecta nonnuquam & alia adsunt luis venereæ, signa ut Penis ulcera virulenta Gonorrhea, dolores vagātes & noctu magis affligentes, pilorum defluvium &c.

Cœterum benigni Bubones periculosi non sunt, nisi tardè dissipentur aut suppurentur. Nam quanvis ex sua natura non sint periculosi facilè tamen si diutius protrahantur, in fistulas abeunt; quæ non solum sunt difficiles curatu, sed sæpè periculosæ.

In genere Bubones citiùs maturantur sub axillis quàm in Inguinibus, & hic citius quàm ponè aures.

Malignus seu pestilens bubo subitaneæ mortis

mortis non raro prodromus est; minus tamen periculosus est, qui præcedit febrem pestilentialem quam qui eandem sequitur. Qui in Inguine apparet, minus habet periculi quàm pone Aures aut sub Alis. Etiam talis Bubo quò minor est, eò periculosior.

Venereus Bubo lethalis non est, sed difficilis curationis idque non Bubonis, sed venereæ infectionis ratione: est equidem salubris, eo namque mediante brevi sæpè curatur venerea lues.

Cum igitur Bubonum species hoc modo distinxerimus, proponenda eru nt & accommodata remedia. Sic in *Bubonibus benignis, ortis per modum expulsionis*, antecedens causa primò est evacuanda. quem in finem lenis *Purgatio* sæpe admodum necessaria est. *Venæ sectio*, nisi febris gravior aut Plethora exegerit, ne instituatur, quippe quæ sanguinem perturbare, atque adeò naturam in opere expulsionis impedire possit. Verùm sudoris provocatio in omni Bubone valdè prodest.

Deinde ad conjunctæ materiæ correctionem & evacuationem, nec non symptomatum mitigationem conducunt resolventia, imo & attrahentia, ac maturantia foris imposita: Repellentia vero non admoveantur, quæ vitiosos robusto naturæ conatu expulsos humores cohibere, adeoque interiora versus repellere solent, unde gravia oriuntur symptomata, atque non raro pallida mors succedit; Ita Hildanus *Cent.* 3. *Observ.* 78. se observasse scribit, ex intempestivo Repellentium ad Emunctoria applicatorum usu, mortis periculum sequutum fuisse.

Sed in dolorifico Bubone necessarium omnino est *dolorem sedare* ante quam ulla imponantur remedia, admoto hoc vel simili cataplasmate.

℞. Fol. Malvæ, Althææ an. M. j. ß. coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contusis adde Farinæ Hordei, althææ, Fœni Græci an. ℥iß. Vitellos ovorum numero 2. Croci puluer. ʒj. Butyri recent. ℥iß. M. F. Cataplasma. Sedato paulisper dolore Attrahentia & suppurantia admovenda sunt V. G.

℞. Rad. Lilior. albor. rec. ℥iiij. cæparum sub cinerib. assat. ℥ij. Malvæ, Althææ. Flor. Meliloti. an. mj. caricar. ping. consciss. num. 10. Coctis in aqua pura ad mollitiem, & minutim contusis adde farinæ semin lini, Fæni græci an. ℥ij. Olei, lilior. alb. ℥iß. unguenti Basilici ℥j. M. F. cataplasma. Suppuratus Bubo quàm citissimè aperiatur, ferro potius quàm cautico, atque apertus servetur, donec omnis materia fuerit evacuata, & dein aliorum ulcerum adinstar curetur. Viz. *Emplastrum Diachilum Cum Gummi* aut *demucilaginibus applicetur / solo* sæpe *oleo olivarum, raparum, camomillæ* vel *liliorum alborum* curatur.

In *Venereo* autem seu *Gallico Bubone* nec repellentibus utendum est, nec Resolventibus: verum omni opera curandum, ut quamprimum fiat curatio & suppuratio cum indies videamus, Bubones hi si maturescant & ad suppurationem deveniant, sæpissimè à lue venerea evadere ægrotantes. E contrario in Gallicam luem facilè illos incidere, in quibus vel repellentibus, vel Resolventibus Bubones curare conamur. Hinc nec venam secare, nec corpus purgare licet, quandiu ulla spes est Topicis medicamentis eos curare posse.

Igitur ad malignorum humorum perfectam expulsionem si tardior ac imbecillior videatur natura, attrahentibus adjuvanda est imponendùmque cataplasma v. gr. ℞. cæparum sub cineribus. assat. ℥ij. saponis nigri, emplastri Diachili cum gummi an. ℥iß. unguenti Basiliconis ℥j. Fiat ex his S.A. cataplasma.

Vel ℞. Rad. liliorum albor. sub cinerib. coct. ℥iij. cæparum pari modo coctarum ℥iiij. Axungiæ Porci ℥ij. croci pulu ʒj. vitellos duorum ovorum M.F.S.A. cataplasma.

Verùm tamen cùm talis Bubo pertinax sit nonnunquam *cucurbitula cum magna flamma imponi* solet.

Botallus *lib. de Lue venerea cap.* 10. ad Gallicos Bubones maturandos, *Frictiones & cucurbitulas ventosas* valde commendat; nihilque his citius vel melius suppurationem accelerare ait. Fricentur autem digitis simpliciter, vel recenti Butyro illitis, usque dum tumentes, & phlegmone obsiti tactum amplius ferre nequeant; quo tempore suppurantia imponenda.

Fallopius *lib. de morbo gallico. cap.* 91. commendat motum, & mandat ut ludant gladio, vel pilâ parua, ut saliant, & motu isto fiat fluxio, ac promoveatur suppuratio.

Suppuratus hujusmodi Bubo mox aperiatur ferro potius quàm Caustico; *etiam semicocta existente materia*. Enim verò tardius facta apertura sæpe noxia est quod ampliorem quàm par est sibi sedem efficiat, venereum venenum vicinas partes inficiat, pessimaque simptomata inducat, ut exemplo demonstrat Hildanus *Cent.* 5. *Observ.* 65. Hisce tamen omnibus nihil efficientibus, universâ tum sanguinis tum Limphæ massâ infectâ, curatio porro instituatur ut in Lue venerea.

Similiter in *Pestilenti Bubone* nec venæsectio nec purgatio, (quidquid etiam contra adferant Adversarii) locum habet; sufficiunt sudorifera & Alexipharmaca ut in generali pestis curatione.

Extrinsecùs nonnulli suadent Bubonibus hisce imponere discutientia, quos inter est Cl. Sylvius, *qui Prax. Medic. lib.* 5. *tractat.* 2. Laudat Pestilentes Bubones in Principio discutere Litu *Olei Cornu ceruini*. sed cùm modus hic periculosus sit & incertus, ei non subscribimus; verùm præstat per Attrahentia & suppurantia curationem instituere.

Quum Ergo Peste correpti duritiem cum dolore sentiunt ponè Aures, in Collo, sub Axillis, vel in Inguinibus, mox ei applicetur *vesicatorium ex cantaridibus & fermento acri*, ut venenata materies naturæ robore expulsa foràs ulterius protrahatur. Altero die admoveatur cataplasma Attrahens, & vehementer maturans. Ex. gr.

℞. Rad. Lilior. Albor. rec. ℥ij. *Fol. Rutæ, Malvæ, Althææ, Scabiosæ an. Mj. Caricarum ping. consciss. Num.* 10. *omnia in aqua pura cocta in mortario contundantur additis tribus Bulbis cæparum sub cinerib. assatar. & farinæ Althææ, Tritici an.* ℥vj. *fermenti acris* ℥iß. *Mellis* ℥j. *unguenti Basiliconis* ℥iß. *Butyri rec.* ℥ij. *M.F.S.A. Cataplasma.* Equidem

in

in secundo cataplasmate *Fimus columbinus fermentum* acre & cœpæ possunt omitti.

Vel ♃. *Rad. Althææ, cœparum sub cinerib. assat. an.* ℥iß. *Fol. scabiosæ, malvæ, Rutæ an. coctis in aqu. communi ad mollitiem, & contusis, adde Emplastri Diachili cum gummi* ℥iß. *Olei scorpionum, Mitridatii an.* ℥ß. *Croci puri.* ʒj. *M.F.S.A. Cataplasma.*

Vel ♃. *Cœpam unam qua excavetur, & cavitas impleatur Theriaca Vel Mitridatio; dein carta involuta sub cineribus Coquatur, hinc Teratur cum oleo Scorpionum & fiat S.A. Cataplasma.* Cui nonnumquam *fermentum acre* addi solet. Vel solæ *cepæ sub cineribus assatæ*, contusæ cum pauxillo *Theriaces & Butyri insulsi* mixtæ cataplasmatis forma per biduum aut triduum imponantur.

Barbette hoc in casu vehementer laudat Emplastrum.

♃. *Emplastri Diachyli cum Gummi, de Mucilaginibus an.* ℔ ß. *unguenti Basiliconis* ℥iiij. *semin. sinapi. pulver.* ℥iij. *M.F.S.A. Emplastrum.*

Nonnulli Gallinam, aut Ranam viventem atque discissam parti affectæ applicant, sæpius eandem renovando. Alii Gallinæ aut columbæ viventis podicem deplumatum admovent. Quidam totum Bubonem sectione auferre conantur quod periculosum valdè, & nequaquam permittendum. Neque etiam cucurbitæ vel infrà Bubonem vel ipsi Buboni appositæ conducunt, quoniam & in Peste & Pestilenti Buboni eæ admodum damnosæ sunt. Tumor verò maturus mox scalpello incidendus, ut puri exitus detur: & quidem aperiendus est, priusquam omnino maturescat, ut de Bubone venereo dictum fuit; cum citissimè venenum sit educendum. Atque hujusmodi Bubo aliquandiu, quantum fieri potest, apertus servandus; dein ab omni sorde mundificandus & aliorum ulcerum ad instar porro tractandus: quem in finem summoperè conducit *Digestivum ex unguento Basilicone, Melle, Theriaca, & Balsamo sulphuris Terebenthinato. Joannes Munnliiks Chirur. lib. 1. cap. 15.*

In bubone convenit emplastrum diachylon cum gummat. & mucilag. seminis lini. Si suppurationem volumus maturare, addatur aliquid saponis Veneti. Empl. diachylon malax. cum oleo lumbricorum, chamomillæ, lini. Cataplasmatibus, addantur lumbrici, & gummata, v. g. Tacamahaca, ammoniacum. Ad attractionem quoque faciunt ficus, fimus columbinus, parum de magnete arsenicali. Internè dentur diaphoretica & expellentia communia, antimonium diaphoreticum, tinctura bezoardica, pulv. bezoardicus, medicamenta omnia antimoniata, quæ valdè expellunt.

♃. Herb. uvæ inversæ, flor. chamomill. flor. melilot. malv. an. m. j. Rad. altheæ lil. alb. an. ℥j. sem. alkekengi ʒiij. sem. lini fœnugræc. an. ℥j. Coq. in s. q. aq. simpl. ad putrilaginem. F. l. a. Cataplasma. adde ol. scorpion. ol. bufonum an. ʒiij.

♃. Emplastr. diachylon c. gum. ℥ij. malaxetur cum ol. scorpionum, bufon. an. q. s. Potest imponi cataplasma ex sola uva inversa: vel si recens haberi potest, contundatur, & succus expressus applicetur. Convenit etiam unguentum dialthææ. Item fuligo, si misceatur cataplasmatibus & emplastris. *Joh. Michael. in Prax. clinic. general.*

Consultationes.

Expendenti Aphoristicam Divini Hippocratis, qui nunquam erravit ex Macrobio, sententiam, quòd scil. *ex Bubone febres omnes malæ, præter ephemeras*, cùm inviserem ad Præclarissimum Virum Adrianum Spigelium, celeberrimum Anatomicum, è vivis sublatum, cum bubone sub axilla sinistra anno 1625. annorum 47. non levis mihi scrupulus occurrit, numquid ex bubonibus fiant solæ ephemeræ, vel putridæ etiam; Ex Hippocr. enim sententia in Aph. proposito expressa luce clarius statui videtur, ex bubone putridas quinetiam febres fieri posse. Non enim dixisset: *Ex Bubone febres omnes malæ præter ephemeras*, si ex Bubone fierent solæ febres ephemeræ. Cui subscribentes omnes ferè Medicinæ Scriptores, asserunt fieri posse ex Bubonibus non solùm febres ephemeras, sed etiam putridas. Atque de putridis id palam sit ex præsenti Spigelii morbo, à quo extinctus est, quem ferè continuè observavi 63. dierum spatio quibus decubuit. Hic etenim Vir præclariss. ex indicis digiti punctura dolorem, & tumorem insignem in sinistro brachio passus est, cui successit abscessus, seu Bubo sub axilla, cum dolore adeò gravi, ut non solùm brachium, sed & totum corpus immobile factum sit, cum febre acuta absque annotationibus manifestis, inappetentia, vigiliis & gravi virium langore. Vigesima spontè erupit abscessus, & multam saniei copiam tridunm effudit subcruentam, fœtidam, liquidam, à qua remisit dolor, adeo ut in latus affectum decumbere potuerit, quod antea fieri non poterat. Perstitit tamen febris vehementia, cum tensione, & dolore dextri hypochondrii ad claviculam usque: cui successit diarrhæa primo biliosa, mox & saniosa, non dissimilis materiæ ex abscessu emanantis, quod ansam præbuit dubitandi, numquid esset dysenteria, vel abscessus jecoris. Cùm verò nulla præcessissent tormina, non ramenta, aut intestinorum erosiones, in jecoris abscessum conspirarunt sententiæ, cum præsertim præteritis annis abscessus ventriculi per vomitum expurgatus fuerit. Interim plura interna fuere præscripta, cum durante febricula, cum dejectione materiæ saniosæ 63. die extinctus est. Dissecto cadavere, occurrit abscessus in concava jecoris, juxta prognosticum. Ex quibus patet, putridas, quin etiam febres ex bubonibus fieri posse. Quod præteritis annis observatum à me fuit in Nobili Margareta de Doctis fratris mei conjuge, undecima extincta febre pestilentiali, cum bubone in inguine dextro suppurato, & aperto. Quod si Galenum consulamus primò de Differ. Febr. ubi de Ephemera ex bubone, adstruit expressissimis verbis, solas ephemeras ex bubonibus fieri, quæ hæc sunt: *Quæ ex bubonibus febres fiunt, calefaciunt semper partes continuas, donec ad cor usque calor febrilis propagatur. Non pervenit autem ad ipsum putrida fuligo, sed ibi permanet, loco bubonis circumscripta, sola alteratione per continuum facta usque ad cor perveniens*

veniente calore; eo prope modo quo in iis qui solis calore deuruntur. Ex quibus verbis compertissimum redditur, ex bubonibus putridas fuligines ad cor non elevari, atque ideo neque febrem putridam fieri. Accedit quod pulsus in febribus ex bubone sunt æquales, ex Gal. L. de Dignoscendis Pulsibus; cùm in putridis sint semper inæquales. Pro solutione itaque contradictionis qua dissentire videtur Hipp. à Gal. non dixerim quidem cum Capivac. & aliis, febres ex bubone vel fieri à causa externa, & manifesta, & has esse ephemeras; vel à causa occulta, & esse putridas; quod videntur mutuati ex Gal. com. Aphor. citati; licet & eo loco non dicat Gal. Bubones qui sine causa manifesta ortum habuerunt, causas esse febrium putridarum, sed hoc solùm; *Verisimile est, una cum viscerum inflammationibus accessiones suas habere.* prout in casu nostro, in quo licet bubo sub axilla factus sit à causa manifesta, punctura scilicet digiti, nihilominus febrem putridam annexam habuit eamque lethalem, propter hepatis abscessum. Quare statuendum est bubones factos à causa occulta non inferre putridas, sed significare noxam viscerum principum, ac propterea malas esse ratione signi, non ratione causæ. Non enim excitant febrem putridam, quoniam putredo illa cor non subit per vapores putridos; ideoque ubi legitur in Aph. *ex bubone febres*, legendum, *cum bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.* Aliæ enim omnes possunt esse cum bubone, & non ex bubone. Quod & hac ratione confirmare licet. Putridus vapor in cor exhalans, & ab eo remota parte ignobili, non inducit febres malas: Sed emunctoria sunt partes ignobiles, & inguinum partes distant à corde. Ergo ex se non possunt facere febres malas, sed solùm eas significant, putridis etiam fuliginibus ad illud pertingentibus, ex Hipp. 2. 6. Epidem 10. quod, *Abscessus veluti glandularum signum quidem sunt germina habentium cum aliorum, tum præcipuè viscerum; maligni autem sunt hi.* Ubi intelligit per *germina habentium*, affectionem earum partium, cum quibus habent rectitudinem; atque ideo si bubones appareant retrò aures, significant affectionem cerebri; si sub axillis, cordis; si in inguinibus, hepatis. Subiungit tamen, tum aliorum; quoniam non semper servatur hæc rectitudo, ut in casu nostro, in quo jecur erat affectum, & nihilominus bubo factus fuit sub axilla sinistra, servata convenientia, & rectitudine, neque ratione situs, quia fuisset in parte dextra, neque ratione loci, quia erupisset in inguine, & non sub axilla sinistra: cujus tamen diversitatis causa provenit à punctura digiti valdè dolorifica. Semper enim natura affluit medio sanguine, & spiritu in subsidium partis dolentis, propterea confluxit ad sinistrum brachium, hæsitque materia in glandula, & non ad manum, & digitum decubuit, duplicem ob causam, vasorum scilicet copiam in glandulas diffusorum, per quæ fluit materia; secundò ob laxitatem prædictarum partium; cujus ratione expultrix materiam, quæ confluxit, inde repellere non potuit. Et hæc de affectu proposito dicenda habui, omissa ejus curatione quòd esset incurabilis & lethalis. *Benedict. Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 3.*

Exhibita mihi morbi & symptomatum, eundem comitantium, historia & schemate quodam; meam de ipsius indole & ingenio sententiam, ut petitioni tuæ morem geram, breviter sed candidè declarabo. Et ne longius abeam, tumores istos in inguine propè pubem, & in perinæo juvenis, nec non alium puellæ sub axilla, & aliorum etiam ejus loci, obortos, calidæ cujusdam fluxionis sobolem esse, extra omnem dubitationis aleam positum esse duco. Hippocrates, venerandus medicorum coryphæus, inguina bubonum nomine insignit, & glandularum eo loci phlegmones sive inflammatiores eodem nomine appellare solet; Tales sunt in dictis personis pullulantes, renitente tumore conspicui, rubore perfusi, doloris æstu effervescentes, in principio febriculam quandam, ephemeræ seu diariæ æmulam, comitem nacti. Horum aliqui sunt simplices & benigni, minimè contagiosi: Alii verò maligni, & hi vel pestilentiales, vel venerei. Quod eos attinet, de quibus consulor, nec venereos esse, nec pestilentiæ characterem præ se ferre judico. De illis non est ut aliquid addam. De his verò, etsi in pestilenti constitutione cælitus nata bubones semper sint suspecti, attamen credo me satis firmas posse in medium proferre rationes, nullam inesse tumoribus istis pestilentis contagii notam. Nulla grassatur in vicinia pestis; nulla ejus, quod sciam sparsa sunt alicubi semina; nullum intercessit cum infectis rebus, vel personis commercium; tumores ipsi non sunt lethales, nec gravia, qualia in peste conspiciuntur, adsunt symptomata. Quamprimum enim de communi morborum causa pestiferæ luis seminaria orta per pulmones aut alios quosvis meatus in arterias & venas irrepserint, & sanguinem coinquinarunt, tum primum stomachus nauseat, & cibum aversatur, assumpta eructat, caput dolore affligitur, urgent vigiliæ & deliria, in aliis sopores, & comatosi affectus contingunt; animi deliquia accidunt, universa corporis moles lassitudine & somnolentia torpet, calor intra præcordia æstuat, longè tamen mitior, quàm in aliis febribus continuis per artus, velut in Hectica, expanditur. Nec enim tanta humorum putredine, quanta in ardente febri, Causone dicta, succenditur. Virus quippe pestilentiale absque ulla putredine necare satis est. Unde accidit, ut plerumque pulsus & urina sint in principio sanorum simillima, sed lenta illa febris vaporulentis de lue virulenta vaporibus, quavis putredine perniciosioribus, cor, vitæ fontem & domicilium, obsidet; unde pulsus arteriarum exilis & imbecillis dispari motus tempore diastolen ejus & systolen metitur. Si verò cordis robur & vires constiterint, expultrix & vegetior est, tum noxios humores vel in principio adhuc crudos & incoctos ad emunctoria protrudit, unde bubones pestiferi & anthraces, carbonum more urentes, nigri, petechiæ quoque enascuntur, per quos natura vel se exonerat vel tanquam viribus exhausta in crisis conflictu succumbit. His & aliis signis pathognomonicis, quæ sunt inseparabiles morborum comites & accidentia, substantialiter ut *Galenus* ait, illis adhærentia, pestis ab aliis morbis discernitur. Horum cum nulla se in proposito casu se manifestent, ægros à pestilentis

lentis contagii suspicione immunes & liberos judico. Facile tamen fieri potest, ut tumores hujusmodi in pestilenti constitutione à benignitate sua degenerent & malignam naturam induant. Ordinarii sunt istiusmodi bubones & mihi in praxi mea haud infrequenter occurrerunt. Vidi, quibus labore nimio defessis, longo itinere & inconsueta equitatione lassatis, artuum dolore gravatis, pruritu, scabie & ulceribus obsessis, & aliis, tumores istiusmodi eruperunt, subsistente nimirum materia copiosa, naturæ sibi consulentis vi ac robore ad brachia & crura expulsa, in inguinum & alarum glandulis & adenibus, recipiendis humoribus accommodatissimis. Tumores verò isti ortus sui primordia derivant à vitiosis succis, præcipuè verò à sanguine vitioso, ex mala victus ratione in corpore congestis, qui postea à natura onere se levante, virtute expultrice cooperante, qua data porta, nunc in corporis ambitum, nunc ad principum partium emunctoria amandantur. Nempe quod in Oligarchia contigit, ut potentiores opprimant imbecilliores, in eosque totum onus deponant, idem in corporis œconomia contingit. Natura siquidem, provida rerum mater, semper custodit & desiderat principum membrorum salutem; Et hæc est tumorum dictorum idea, in quorum cura, cum non sint per modum criseos, præcedente alio morbo, sed sponte sua oborti, sanguine cum copia sua, tum pravitate naturam ad expulsionem irritante, vena à principio secta profuisset; humoribus etiam accommodatis in eam rem præsidiis sedulò expurgandis insudandum erat. Quibus neglectis, quid mirum, si dolores ingravescunt & cura protrahatur. Quoad partem affectam, solet sanguis influxus evacuari repellentibus & digerentibus. Illa non sunt tuta; metuendum enim, ne fluxio ad partes principes retrocedat. Hæc verò ruptis jam sponte tumoribus vana & minimè necessaria. Urgente saltem dolore Anodynis utendum, post ulcus ipsum probè mundandum, carne implendum & cicatrice obducendum, quod Chirurgo præsenti relinquo. Cavendum saltem, ne ulcus in fistulam degeneret, quod facilè contingit, nisi ex artis lege tractetur. Sed de his satis. Scabie & pruritu detentus, secta cubiti vena, purgetur Apozemate ex radicibus Oxylapathi, Fumaria, Sena, Liquiritia & Prunis Damascenis composito, adjecto syrupo Rosaceo solutivo, postea verò utatur sero lactis Fumaria medicato. *Frideric. Lossius in Consil. Medicin.*

Observationes.

Juveni cuidam 15. annorum Bubo & Apostema enatum erat sub alis sine febre. Perunxi manè & vesperi oleo nostro sulphuris; ac desuper applicavi Emplastr. Diasulphuris: quibus statim emollitum, maturatum, ruptum, mundificatum; & consolidatum fuit intra decem dies. *Martinus Rulandus curat. 3. cent. 4.*

Quidam natus annos 9. supra 10. habebat inguinum permagnam inflammationem, cum dolore, propter quam ægrè movit pedes, non potuit stare, hunc ita curavi.

♃. Pingued. porci ℔j. absinth. contus. q. s. m. ac. F. pulticula; quam applicabam manè ac vesperi per tres dies, unde tumor emollitus, ac cum dolore diminutus fuit. Post tres dies bubonem perrupi oleo sulph. & desuper imposui empl. diasulphur. ex quorum usu intra quatuor dies rectissimè convaluit. Interea dum ambulare cœpit, accepit talem potionem.

♃. Decoct. senæ ℥iij. syr. è rhabarb. ℥j. m. pro haustu qui magnopere profuit. *Martinus Rulandus.* curat. 28. cent. 8.

De Sambuco venit in mentem quoddam remedium, quod tibi reticere non debeo, præsertim cum singulari modo aliud agens, in scripto libro meo reperirem, & certo experimento comprobatum legerim, accipiendi sunt fl. sambuci, cum his contundenda eruca, atque fimus columbinus, vel piper. Si Sambucus non sit recens aliquid aq. sambuci admiscendum ac fingendum Cataplasma, idque Buboni applicandum; abjiciendum, posteaquam tribus horis jacuerit, in ignem, atque ter repetendum; non ratione carere videtur remedium & autor sanctè affirmat, magno & manifesto successu se eo usum. *Jo. Crato Epistol. ad Camerar. lib. 5. consil. & Epist. &c.*

BULIMUS
seu
APPETENTIA CANINA

Bulimus & Appetentia Canina apud omnes prope Medicos Autores idem sonant, interim tamen apud quosdam inter accuratiores eô distinguuntur, quòd κυνορεξία, λυκορεξία seu Appetentia Canina sit insatiabilis edendi libido, per quam cibi avidè devorati statim, aut vomitu refunduntur, aut per alvum detruduntur. Quòd vero βούλιμος sit prægrandis appetentia, sed pauco alimento sedabilis, ab extremo ambientis algore progenita, in cibi fastidium ac leipothymiam brevi desinens; Quòdque propterea vomitus ac secessus quasi lientericus cum implacabili appetitu sit signum illius inseparabile; hujus verò leipothymia & appetentiæ voracioris prompta cessatio, in anorexiam etiam abiens. Dum autem hic de Appetentia Canina & Bulimo scribimus non de belluina illa edacitate hominum, sanctæ, ut ludebat Comicus, saturitati litantium, quales fuere olim Bæoti, Mithridates rex Ponti, Heraclides, Milo, Gnatho, Philoxenus, atque præ cæteris Vitellius; sed de immani illa ac morbosa esurigine quæ tota corporea est, verba facimus; Denominationem habet Appetentia Canina à canibus & lupis propterea quòd cum ea animalia intestina minus tortuosa gerant, voracitati magis sint dedita. Βούλιμος verò vocatur ingens fames, quæ bovem veluti exæquat, hic enim particula βου rei cui adjungitur magnitudinem denotat.

Cùm Bulimus & Appetentia Canina in fame aucta, illic quidem brevì cessatura, hîc verò diutius perstitura, posita sint, in earum causis exarandis, hîc, nobis de fame in genere primò agendum foret, ni illud pensum suprà titulo de Anorexia jam perfecissemus; istic itaque tantum de famis auctæ causis quædam dicenda veniunt. Augetur autem fames propter acidi

acidi stomachalis in quo propriè ejus essentia quærenda est, exaltationem præternaturalem, quæ eò devenire potest, ut, explicante Glissonio, in propriam matrem, tunicam scil. ventriculi, unde maxima ex parte promanavit, subinde involet, eamque rodat ac sugillet. Hinc ventriculus, addit idem celeberr. Autor, querulus fit, & prodigi instar, omnia quàm par est citiùs dissipat, digerit, dissolvit, absumit, nec repletus satiatur cibis; atqui novæ subinde prædæ inhians, quasi inedia mox periturus miserè lamentatur, suamque inopiam cerebro jugiter inculcat. Fit autem frequenter ob nimiam ingluviem, ut sequatur vomitus, aut lienteria. Subinde verò depleto tantillum stomacho, ad cibum de novo ingerendum, quasi nihil adhuc comedisset, redit.

Aciditas descripta sufficitur ventriculo, vel à sanguine particulis salinis acidioribus abundanter nimis impregnato, quibus præterea excipiendis, atque in visceris cavum transcolandis aptiores sunt glandulæ toti illius tunicæ mediæ infixæ. Vel extrinsecùs advenit, sc. à cibis acidioribus saleque muriatico nimiùm saturatis, diutiùs usurpatis; aut ab ambientis aëris intensiori frigiditate, nivibusque corpus circumcingentibus, unde sc. nitrosum quid emanat, vellicando stomachi superiori orificio, ventriculoque ipso coarctando, ut quicquid acidi in propriis glandulis habet momento quasi expuat, quàm maximè accommodum. Hæc autem ultima causa, cùm merè occasionalis sit, brevi cessat, imò apositia sic facilè inducitur, non adventante sc. per aliquod tempus acido quò, ipso expressionis momento, tota propè spoliata est ventriculi membrana nervea. Atque hæc ipsa est ultima causa quæ Bulimi propriam essentiam constituit.

De signis horum morborum non opus est multis verba facere; siquidem satis superque in mox exaratis explicantur, hic tantùm adjungemus in absolutiorem Appetentiæ Caninæ descriptionem quod de Erisichtone canit Ovidius Metam. lib. viij.

Fuit ardor edendi.
Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër.
Poscit, & appositis queritur jejunia mensis.
Inque epulis epulas quærit: quodque urbibus esse;
Quodque satis poterat populo non sufficit uni:
Plusque cupit, quò plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes:
Utque rapax ignis non umquam alimenta recusat,
Innumerasque faces cremat: & quò copia major
Est data, plura cupit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora prophani
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo
Causa cibi est, semper que locus fit inanis ede nd.

De Prognosi hæc habeto. Canina appetentia dum obstructiones parit, ac cruditates aggerit, insuperabilem vomendi & secedendi consuetudinem interdum affert, ac in hydropem, cæliacosque fluxus tandem facessit. Deterior verò est si generalem consectetur corporis deprædationem; at minùs periculosa si fiat ab acido humore, per varia in diæta errata in stomachum inducto, etenim pluribus potest illud obtundi, de quibus infrà.

Bulimus propter adjunctam leipothymiam perniciosus est, si alimenta præsto non sint quibus æger deperditas & exhaustas resumat vires, datis verò cibis aptis illi promptissimè subvenitur.

Indicationes curativæ in Appetentia Canina sunt acidum infringere, tum per diætam, tum per medicamenta; cruditates aggestas expurgare; Obstructiones reserare; Ventriculum & intestina roborare. In Bulimo nihil aliud agendum venit, quàm leipothymiæ ipsius consectaneæ alimentis vi cardiaca præditis promptè mederi.

De Curatione ipsa non habemus quæ superaddamus iis quæ jam adjicienda sunt.

Curationes Consultationes & Observationes ex variis.

Curationes.

Appetentiam caninam (hujus causa bilis prasina seu succus vitriolatus in ventriculo non ergo imperandus est vomitus, ne moto humore sequatur Cholera, nec dandi sunt succi vitriolati acidi, ne malum augeatur) tollit Essentia melissæ cum sp. vini extracta; cujus dos. cochl. j. misce cum aliquot gut. olei carui, præmittenda tamen sunt universalia, quæ succum vitriolatum seu bilem minuunt & per inferiora deducunt. Sic extractum Rhabarbari, mechoacannæ. It. panchymagogon vegetabile maximè hic laudantur. Vitelli ovorum qui indurati, sæpius comesti à specifica proprietate κυνορεξίαν solvunt *Joann. Hartmann. in Prax. Chymiatric.*

Villanovanus refert quendam hoc affectu percitum, panem calentem, amurca olei imbutum comedisse & mulierem bovis liquatum adipem, cum pari calentis olei quantitate, duabus vicibus bibisse; & in tantum cibi fastidium utrumque incidisse, ut nihil per 5. dies comederint, & à priori affectu liberati sint. Narcotica medicamenta sensum ventriculi nimis exquisitum obtundendo, famem illam caninam possunt imminuere. Inter ea theriaca recens magis est ex usu, quia præter vim narcoticam, humorum etiam malignam qualitatem, quæ à nonnullis in hoc affectu subesse creditur, virtute alexiteriâ corrigere valet. Narcotica tamen rarò & non nisi summa urgente necessitate usurpanda sunt. Ambra grisea ad v. vel vj. gr. cum ovo sorbili sumpta non solum ventriculum roborat, sed etiam proprietate specifica huic prodesse creditur. *Lazarus Riverius cap. 2. lib. 9. prax. Med.*

Curabitur fames aucta exhibendo ea quæ acidum succum in corpore temperant, infringunt, & emendant, ejusdemque augmentum præveniunt; potentissimè sucum acidum

infringunt salia lixivialia, tum fixa, tum volatilatilia, ut & alia alterutro abundantia, corallia, margaritæ, oculi cancrorum, creta, lapis hæmatites, succinum, chalybis limatura, & similia. Eundem succum acidum obtundunt pinguia & oleosa omnia. Eum pariter temperat spiritus volatilis ex vino, aliisve paratus, eum denique diluunt & enervant aquea quævis copiosè usurpata, abstinendum ab usu acidorum. Exempli loco sunto sequentia.

℞. Corrall. rubr. marg. præp. an. ℈j. cretæ alb. ℈ß. sacchar. alb. ʒiij. M. F. pulvis in vj. doses dividend. & bis in die tribus saltem quatuorve post cibum assumptum horis ex vini potentioris cochleari assumendus, cui forma liquida magis arridet, capiat subinde sequentis misturæ cochleare unum.

℞. Aq. menth. ℥ij. aq. cohlear. tinctur. cinamomi cum spiritu vini rectificato per infusionem paratæ an. ʒß. syr. absinth. ℥j. m.

Vel. ℞. ol. macis, granorum juniperi an. ℈j. m. in vitro. Hujus olei guttas ij. vel iij. sumat æger aliquoties in die, ex vini malnatici, alteriusve generosi, aut præmissæ misturæ cochleari. Utatur quoque fame auctâ pressus jusculis tum pinguioribus, tum ad gelatinæ consistentiam proximè accedentibus, nulloque acido conditis: nulla hîc purgantia præscribo, quoniam nulla sunt hactenus mihi nota, quæ humores acidos educant blandè *Franciscus Sylvius, cap. 2. lib. 1. Prax. Med.*

Zacutus narrat vini generosi potu plurimos caninâ appetentiâ laborantes curatos esse. Fames canina ob lumbricum 12. cubitorum concitata, est teste Eodem. Succus nasturtii aquatici maturino tempore per aliquot dies sumptus certissimè ventriculi vermes enecat. Si ergo est à vermibus, conveniunt medicamenta præcipitantia & narcotica. Vinum salviæ specificè prodest. It. essentia melissæ, pilulæ hieræ picræ. Externè valet aloë & fel tauri in pultis forma. Essent: absinth. *Joann. Michaël. in Prax. Clinic. general.*

In appetentia nimia. ℞. Conserv. Rosar. ℥j. tartar. chalybeat. ʒj. fœcul. aronis, ocul. cancror. an. ʒß. m. f. conditum. Dosis ʒj. manè & vesperi.

Vel ℞. Conserv. Rosarum ℥j. chalyb. præp. ocul. cancr. an. ʒj. sal. absinth. ʒß. m. f. bolus Dosis sit præcedenti similis, seu.

℞. Tartar. chalybeati, corall. rubr. margarit. præp. an. gr. 10. C. C. ust. ʒß. m. f. pulvis pro una dosi.

Vel. ℞. Cremor. tartar. ʒj. lapid. hæmatit. ʒß, ocul. cancr. cretæ alb. an. ℈j. sal. fraxini gr. 15. m. f. pulvis pro 3. dosibus. *In India.*

℞. Terræ rubr. martis ʒj. lap. frigid. citrin. percar. præp. an. ℈j. m. f. pulvis pro 2. dosibus.

Vel. ℞. Conserv. Rosarum ℥j. terræ rubr. martialis ʒj. lap. percar. præp. matr. perlar. præp. an. ʒß. m. Dosis manè & vesperi ʒj ad ʒij. *Hermann. Nicol. Grimm. in Compend. Medic. chymic.*

Consultationes.

Tabellarius quidam per dispositos equos algidioribus ac fervidioribus anni temporibus, diu noctuque iter faciens, annum agens 40. temperamenti totius & iecoris calidi & sicci, gracilis habitus, cum hyeme præterita, loca montosa, frigida, atque nivosa peragrasset, matutinis horis, frigidissimo flante Aquilone, perfrigerationis sensum in visceribus percepit, simulque cibum capiendi vehementi desiderio correptus, præ fame animo defecit, quinimò cum alimenta præsto non essent, paulo post rusticum quoddam tugurium ingressus in lypothymiam incidit, qua, ut ipse ait, periisset, nisi Rusticus hospes aceto cum aqua frigida inspersisset, & vinum in os infudisset, ignique statim etiam admovisset, moxque, vel ipso invito, & alimenta respuente, vino, lacte, & ovis vires instaurasset. Quoniam autem hoc mali genus non semper Pat. corripuit, adeo ut solita itinera non ampliùs ingredi audeat, consilium ideo nostrum & auxilium petit.

Affectus, quo Tabellarius iste correptus est, ex ingenti vehementique fame, lipothymia, seu animi defectu syncopi proximo, & anorexia, seu ciborum aversatione constare videtur, etenim ab initio vehemēs cibi desiderium suboritur à quo animo linquitur, mox restitutus cibum prorsus aversatur: Quare Bulimos appellandus, quem magnam famem nuncupavit Paulus, Tral. & Aët. Gal. verò dixit, nil aliud esse quàm animæ defectum, & Actuarius Bulimo detentos cibum aversari asseruit.

Malum hoc plerique medicorum cum fame canina solent confundere, cùm tamen ipsum definiat Gal. quod sit, *Casus potentiæ ex frigiditate exteriori, qui à fame quidem inchoavit, sed non habet eam amplius adjunctam.* Ideo subdit *A fame Canina Hipp. differt.*

Fit autem hoc modo. Dum ab externâ intensa ambientis frigiditate per os attracta, & & per cutis etiam porositates insinuata ventriculus facilè refrigeratur, ut pote pars non carnosa, sed frigida & membranosa; ab hac frigiditate initio nondum immodica, os ventriculi condensante, constringente, vellicante & irritante, vehemens excitatur ciborum appetentia, at in progressu eadem invalescente & præcellente, calor ipse extinguitur, unde non solum perit appetitus, verùm & animi defectus ac lipothymia subsequuntur. Ex quibus apparet, quod in principio convenit quidem cum Canina fame, cùm ambo ab ingenti appetitu incipiant, in canina tamen fame perdurante, cessante verò in bulimo, prout illa in Diarrhæam, vel vomitum desinit, hic autem in animi defectum & lipothymiam cujus causa à Professoribus in alimenti inopiam referri solet. Hinc dicebat Avic. *bulimos est fames membrorum, cum satietate stomachi, sicque membra semper famelica, & nutrimento indiga sunt, cum tamen stomachus illud ipsum respuat.* Attamen quoniam brevi adeo inediæ tempore, membris omnibus alimentum deficere impossibile est, ac proinde corpus ad lipothymiam & animi defectionem perduci, verisimilius propterea nobis videtur, quod ore ventriculi vehementer perfrigerato & affecto, illico cor in consensum trahatur. Nulla quipe pars nostri corporis æque ac os ventriculi in consensum ducit utrumque principium, nimirum cor & cerebrum.

Neque

Neque audiendus Arist. cui subscripserunt quoque Avic. & Trall. mox & Altimarus, & Mercurialis, Bulimi causam calidam esse statuentes, quod tanta frigiditas in nobis dari non possit ab ambiente frigido inducta, sed à calefacto ventriculo ob frigus ambiens, atque à calore dissipato, inanitionem fieri, exinanitoque ventriculo impotentiam succedere, qua dissipentur ac resolvantur spiritus, unde tandem frigiditas, non est, inquàm, cum magnis istis sectatoribus Arist. audiendus, hujusmodi namque antiperistasis in corpore exangui, frigido ac membranoso admitti non potest, satis tamen hoc nobis sit, quod & ipsi frigiditatem in hoc affectu concedant atque adeo cum Gal. & Aetio conveniant. Neque subticendus error Trall. de suo Bulimo in illa muliere quæ cùm multa atq; immodica assumeret ac concoqueret, nunquam tamen saturabatur, quæ erosionem in ventriculo passa, assumpta hiera vermem insignis longitudinis ejecit, à quo immoderata appetentia cessavit, Bulimos namque affectus ille non fuit, quia nunquam in animi defectum vel lipothymiam incidit mulier; nec forsan canina fames, quia neque vomitus, neque alvi dejectio subsequebantur, sed Animal ut omnia alimenta absumens, citra ullam ventriculi læsionem, Mulierem ad cibum capiendum compellebat.

Affectus hic gravissimus est, parùm enim abest à caliditatis extinctione, unde quamplurimis in locis desertis Bulimo correpti, momento temporis perierunt, quod evenisset quoque Patienti nostro, si procul ab incolis, ac proinde ab auxiliis in hoc malum incidisset. Neque adeo facilem futuram censemus expetitam præservationem, prout incertam admodum curationem o[illegible]inamur.

Certa tamen evadere poterit præservatio, ab itineribus per loca frigidissima atque nivosa abstineat, alioquin cùm gracilis corporis sit, rarique habitus, forsan etiam ventriculus exquisito sensu præditus, verendum foret ne quoties intensa ambientis frigiditas ingrueret in bulimum incurreret. Nihilominus, ut ipsi morem geramus præservationis gratiâ primò, mox & curationis, aliqua præscribemus.

Primò itaque iter facturus, ventriculum Oloris aut Mergi pelle, aut sacculo ex plumis Perdicis & anseris præmuniat, nec jejunè frigidissimo aëri in itinere se exponat, Ore caryophill. aut frustulum nucis Myristicæ continuò verset, atque dentibus terat. Vasculum vitreum aut terreum, Aqua vitæ Juniper. aut Caryoph. plenum secum portet, ut urgente necessitate ejusdem haustu recreetur ita enim ab ambientis frigiditate ventriculo tutato, famem arcebit. & potissimùm animi defectum.

Pro curatione verò omnium primò ab animi defectu Pat. revocandus. Secundò præsentissimum auxilium à cibis statim petendum ex Aetio Tertiò ventriculus & totum calefacienda. Ac tandem appetitus excitandus.

Quibus explendis intentionibus jubet Gal. ut omninò totum corpus calefiat prope ignem illud fricando atque fovendo. Secundo, ut vinum exhibeatur. Et tandem cibi calefacientes ingerantur. Nec ullo modo audiendus Trall. qui frigidam exhibet, quod cum Arist. credat bulimi causam calidam esse. Statim itaque frictiones, calefactiones, extremarum partium vincula, Capillorum vellicationes, mox odoramenta præcipiunt Aetius & Paul. ex decoctione Pulegii in aceto, & pane calido, vel ex carne suilla assata, omnia tamen desumpta ab ipso Gal. Et licet odores nutrire posse negatum fuerit ab Arist. oppositæ tamen sententiæ fuerunt Hypp. & Gal. cum eo, licet ita conciliari possint, quod scil. si pro simplici qualitate odorabili odor sumatur, non nutrit; nutrit autem si pro vaporosa substantia ab odoriferis corporibus effluente usurpetur, cum enim qualitas odora sit accidens, nutrire non potest, nutritio namque fit ex rebus corporeis, quia est evacuati repletio, evacuatum autem corporeum est. Conciliantur quinetiam, si dicamus cum Hipp. & Gal. odores spiritus tantùm alere, non autem solidas partes, quod solùm negavit Arist.

Restitutus autem Pat. solidioribus nutriendus, jure scil. carnium, vino, ovis sorbilibus, & iis quibus modica quantitate vis plurima inest. Vinum sit dilutum, meracum enim corpora exinanita atque imbecilla ad convulsiones ac deliria perducit. Utcunque autem nutrito Patiente, aliqua calefacientia, tùm interna, tum externa administranda veniunt. Intrinsecus convenit aliquod cochlear Aq. Cinamom. Elix. vitæ in Aq. tot. Cit. Scorzon. vel cord. prima Sax. Parandæ quoque, & pro usu præsto habendæ Confect. Rotul., ex Oleo Anis. Caryophyll. Cinnamom. Cort. Citr. Extrinsecus fovendus ventriculus decoct. Menthæ, Absynth. Caryophyl. Cinnamom. vel saltem inungendus oleo nucis Moschatæ. Tandem ad appetitum restituendum plurima existunt, verum vi peculiari præ aliis pollet in hoc affectu acetum squill. in aq. bugloss. & quia afferunt Chymici, Bulimum fieri ex succi Vitriolati defectu, adeo abs re non fuerit, ad acida vitriolata confugere, ut est spir. vitriol. philosoph. in vino granatorum, vel cum tinctur. ros. exhibitus.

Victus rationem quod attinet, Cibi sint facilis coctionis, atque distributionis, ut citò nutriant, Traliani misso consilio, qui alimenta difficilis concoctionis proponit, à causa calida bulimum fieri falso persuasus. Et quia *Eorum quæ velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones*: ideo *Et quibus semel, aut bis, & quibus plura ne an pauciora offerre oporteat*, considerandum. Unde Galen. in Com. monet, quod in defectu spirituum, parum & sæpe cibus sit offerendus. Quæ pauca, tum pro præservatione, tum pro curatione satis.

Joann. Raymund. Fortis Consult. & Respons. Medic. T. 1. Cent. 2.

Reverendiss. Canonicus 30. annorum temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, ventriculi verò frigidi, gracilis & rari habitus, copiosis cibis, fructibusque & potibus nive refrigeratis semper usus, cùm multis abhinc annis vorax quodammodo factus fuerit, & frequentibus Diarrhæis obnoxius, tandem anno abhinc, licet abundè, quinimo consueto plenius & avidius cibos assumat, nunquam tamen satiatur. Quod si aliquando plurimo alimento famem compescere tentet, in tantam ventriculi anxietatem delabitur ut vomere cogatur.

Quamobrem, ut ab hac insigni molestia atque incommodo vindicetur, medicum petit auxilium.

Fames morbosa, qua Reverendiss. Vir laborat ad amussim à Galeno describitur titulo Caninæ famis, & definitur ab eodem quod sit, Vehemens & *indesinens ciborum appetentia, proveniens vel ab indesinenti sensu suctionis, vel ab alimenti defectu.* Læditur os ventriculi, in quo fit appetitus, & licet Plantis quoque ventriculum non habentibus, competat fames, est tamen in his opus naturale, proveniens à suctione per partes facta, donec deventum fuerit ad ipsas radices, quæ postea appetitu Animali non egent, ut indigentiæ prospiciatur præsente scilicet alimento, Animalibus verò præter opus naturale, quod suctione fit, sensu quoque ejusdem suctionis fuit opus, appetitu videlicet Animali, ut distans alimentum exquireretur, quod animale opus Appetitus propriè, sicut naturale Fames appellatur.

In casu itaque nostro indesinens est Appetitus hic Animalis, in ore ventriculi excitatus, non sine tamen præcedente nimia vasorùm suctione. Quare utraque causa à Gal. jam recensita, ad hanc Caninam famem excitandam dubio procul concurrit. Et primo quidem alimenti defectus, quoniam utpote temperamenti calidi & sicci rarique habitus, plurimum Pat. resolvitur, unde perpetua totius exinanititio, & inde necessaria suctio, dum venæ majores à venis partium exugunt, donec ad os ventriculi deveniatur, in quo tandem perficitur suctionis sensus, qui hoc casu adaugetur à copiosiori succi acidi portione, & continuus redditur ab intemperie frigida ipsius ventriculi, quæ constringendo, vacuando, vellicando perpetuò irrita sensum suctionis & appetitum ipsum Animalem, unde in Arte Med. dicebat quod frigidior natura ventricu i, ad appetendum quidem plurimùm viget, ad concoquendum autem minimè. Quæ quidem intemperies naturalis eidem fuit, multum tamen adaucta, tum à copia prægressa ciborum, unde frequentes contingebant Diarrhææ, tum verò maximè è gelidorum fructuum atque potionum consueto usu. Neque obstat quod temperatus ventriculus magis concoquat & appetat, quàm calidus & frigidus, ut Gal. asseruit, tunc enim de naturali appetitu, & concoctione loquutus fuit. Nec rariter quod scribit Avic. *Et quandoquidem accidit appetitus Caninus, propter caliditatem superfluam in ore stomachi resolventem & restaurationem requirentem, ob quas os ventriculi quasi semper famelicum fit*; Etenim caliditas hæc non concurrit, ut causa proxima Canini appetitus, sed ut remota, quatenus frigiditatem inducit: sicut enim dum caliditas tenuius humidum resolvit, siccitas superest, sitim excitat; ita dum resolvit humidum crassius, frigiditas inducitur, famis causa.

Verùm quoniam copiosa adeo alimenta, nec ventriculus conficere potest, nec iis corpus universum eget, ideo necesse est, ut more Canum Pat. ad vomitum se convertat, sicut superioribus annis per alvum exonerabatur non secus ac Seleucidæ Aviculæ, in Asia, Locustas comedentes easdemque per aluum excernentes.

Affectus equidem non spernendus, etenim diuturnus calorem nativum adeo labefactat ut Concoctrice & Retetrice debilitatis in Hydropem, aut Cæliacam passionem tandem desinat, & nisi cibis succurratur, in hac potissimum calida & sicca temperatura, facile febres accendantur, quinimò si Pat. pravis utatur alimentis, febres pestiferæ, vel cutanei molestissimi affectus suboriantur. Et licet Virum hunc Reverendiss. hujusmodi affectu liberare non adeo facile fuerit, cum præternaturales, novas etiam morbosas radices egerit, quia tamen Medicis mandatis obtemperaturus est, salus speranda.

Cujus gratia causis contraria sunt opponenda, totius enim habitus quodammodo densandus, & intemperies frigida ventriculi corrigenda, quæ quoniam non sine acidæ pituitæ ope affectum hunc excitat, ideo hæc prius deturbanda, mox intemperies emendanda, atque tandem à proprietate juvantia in usum revocanda.

Quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico desumendæ inunctiones totius corporis densantes, ex Ol. Rof. & Viol. frequenter repetendæ.

Ex Pharmaceutico primò ratione acidæ materiæ, Lenientia, Præparantia, & purgantia conveniunt. Leniens sit Elect. Lenit. cum Hiera, vel mel. rof. sol. cum cremor. tartar. Præparans sine diluto, ut diutiùs in ventriculo moretur sic paretur.

♃. Mell. Rof. simp. Oxym. simp. Aq. vitæ caryophil. an. ℥j. m. pro syr. & sic pro aliis.

Vel ♃. Oxym. simp. Aq. cinamom. an. ℥j. Salis menthæ gr. vi. m. pro syr. Purgans validum non sit, cùm materia expurganda in ventriculo hæreat, unde nil Hiera picra præstantius quæ humores impactos dissolvit, expurgat, ventriculum calefacit, exsiccat & roborat. Quare.

♃. Spec. hier simp. ʒj.ß. Elect. lenit. ʒvj. m.f.b.

Vel ♃. Pil. de hier. cum agaric. ʒj. Aleph. ʒß. m. reformentur pilulæ, cum vino aromat. & aur. Quod si fortasse hæc acidæ materiæ præparatio non sufficiat, prout nec expurgatio, repetatur hac ratione.

♃. Oxymel. squill. Syr. de Prassio, de Mentha. Aq. vitæ Caryophil. an. ℥j. m. pro syr. & sic pro aliis, quibus expurgatio Hiera picra, vel pil. succedat.

Frigidam autem ventriculi intemperiem corrigunt Diacyminum, Elect. Agreg. Avic. de Scoria ferri Haly, Theriaca ex Serapione, Diatrionpip. quo Gal Septuagenarium spatio unius hedomadæ sanavit. Verùm Hippocr. meraci vini potum proponit, dicens, quod *Famem thorexis solvit.* Quod genus remedii admittitur quoque in Com. à Gal. Efficacius autem reddi poterit vinum ipsum, si piper, aut spica nardi eidem addatur, & jejuno ventriculo calidum acervatim præbeatur, statimque cibaria pinguia & oleosa exhibeantur. Extrinsecus quoque intemperiem frigidam corrigere poterit stillicidium ex Oleis, hoc casu parandum, prout in corporibus obesis, Aquis sulphureis. Itaque.

♃. Olei Amygd. dul. Amar. an. ℔iij. Mastich. ℔ j. vin. malvatici ℔ jß. Nucum Myrist. contus. n. ij. Cinnam integr. ℥ß. Macis, Caryoph. an.

an. ℥ij. Fol. Menthæ rec. m. j. m. bulliant omnia ad consumptionem vini, & facta fort. express. serveruir pro stillicidio, 20. saltem diebus administrando. Reliquo verò tempore, illini poterit os Ventriculi ol. M. Ducis Etruriæ, vel etiam Nucis Moschatæ per expressionem parato.

Tendem aliqua à proprietate juvantia non omittenda. Ita Caro Glirium à proprietate nauseam provocat, Essentia item melissæ cum Spir. vini extr. ad cochlear, vinum pariter Salviatum.

Quibus omnibus congrua addenda victûs ratio, qua primo gelidi potus omnino mittendi. Servanda quoque propria ciborum quantitas, Gal. consuetos cibos, duplos & triplos permittit, eosdemque difficilis resolutionis proponit, cujusmodi sunt caro suilla, Cochleæ, cancri, oryza cum lacte, Caseus, Pultes ex farina triticea; Ratio est, quia, *Eorum quæ velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.* Foveri autem potest affectus hic ab Aqua, & Vigiliis, hinc, *Aqua edax, Vigilia vorax.* Illa, quia refrigerando & exprimendo appetentiam generat & adauget, hæc verò, quia corpus digerit atque resolvit, ut Gal. in Com. Quæ pro hujus affectus curatione sufficiant. *Idem Ibidem.*

Juvenis 26. annorum, melancholicus, post longum multorum acidorum usum; incidit in ingentem famem, quâ quotidie sexies, septies & amplius cibum copiosum sumere cogitur. Post cibi sumptionem sæpe ventriculi sequitur dolor; quem deinde vel vomitus, vel magnus alvi fluxus, lipothymiam sæpius inducens, sequi solet.

Afficitur in hoc ægro ventriculus; quod ex ingenti illa fame, item ex ejus dolore, necnon ex vomitu, est manifestum. Afficiuntur quoque intestina, quod ex alvi fluxu; & cor, quod ex lipothymia insequente patet.

Morbus, quo hic æger torquetur, est intemperies quædam acida & valde acris ventriculi, quæ illam ingentem famem, tam copiosam frequentemque ciborum sumptionem, & ventriculi dolorem, vomitum, alvi magnum fluxum, & lipothymiam inducentem, producens, *Fames canina* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi fuit diutinus ille copiosorum acidorum alimentorum usus. Hinc verò copiosi acidi humores in corpore geniti, & cum sanguine per illud diffusi, antecedentem hujus morbi constituerunt causam. Pars verò eorum copiosè & perpetuò ad ventriculum delata, eumque acore & acrimoniâ suâ magnâ vellicans, facit ingentem illam tam copiosè & frequenter sumendi alimenti imaginationem. Cùm verò illud assumptum rectè à ventriculo non concoquatur, & magnam acrimoniam præternaturalem adipiscatur, hinc oritur ventriculi morsus, spiritusque ita ex illa morsus vellicatione determinantur, ut illi fluentes, modò in ventriculi & intestinorum obliquè ascendentes fibras, vomitum; modò in obliquè descendentes, alvi fluxum, & lipothymiam, per spirituum & utilium humorum dissipationem & evacuationem, in hoc ægro pariant. Atque ita existit acidus ille humor, in ventriculo genitus, vel ad ventriculum delatus, continens hujus morbi, & remota symptomatum ejus causa.

Morbus hic valde periculosus est. Ab eo enim sæpe cœliaca affectio, vel hydrops oriri solet; & quia hic adest lipothymia, metus est, ne æger subitò extinguatur.

Curatio itaque est acceleranda: eaque in causarum & intemperiei ablatione, bonæ temperiei reductione, consistet. Primò itaque præscribatur tale vomitorium.

♃. Conserv. fol. asari ℥j. vin. alb. ℥iij. contundantur in mortario marmoreo, & exprimatur postea liquor, cui adde aq. cinnam. ℥ß. F. Vomitorium, Vel.

♃. Salis vitrioli albi ʒß. aq. decoct. hordei ℥ij. oxymell. simpl. ℥ß. M. pro Vomitorio: Postea utatur tali Apozemate.

♃. Rad. acori ℥ß. rad. Helenii ʒiij. Cort. citr. aurantior. an. ℥ß. herb. menth. salv. puleg. rorismarin. m. j. absinth. m. ß. sem. anis. fœnicul. coriandr. carvi. an. ʒij. Decoq. in vini Gallici q. s. ad ℔iß. In colatura dissolue syr. de mentha ℥ij. Aq. cinnam. ℥j. M. F. Apozema. De quo sumat æger haustum mediocrem, bis terve in die. Subinde etiam purgetur talibus pilulis.

♃. Pil. de hiera ℈j. rhabarb. ℈ß. cum syr. de mentha F. Pilulæ No. v. vel vj. Postea utatur tali condito.

♃. Conserv. rosarum ℥iij. Diacydon. ℥j. nuces moschat. cond. No. ij. Corall. rubr. præpar. ℈j. Spec. aromat. ros. Caryophyll. incis. an. ʒiij. Cum syr. cydoniorum F. Conditum, De quo æger aliquoties in die sumat magnitudinem castaneæ majoris.

Si æger in paroxysmum lipothymiæ incidat, ad se erit revocandus exhibito cochleari aq. cinnam. odore panis vino madidi, & similium. In ingenti ventriculi morsu exhiberi potest theriaca, vel Mithridatium, requies Nicolai, vel simile.

In victûs ratione Aër sit temperatus; æger quiescat & diutius dormiat. Cibi sint, qui tardè coquuntur & distribuuntur, quales sunt cochleæ, cancri, caro suilla, & bubula, oryza, & similes. Vinum & omnia attenuantia vitentur. *Henric. Regius apud Theod. Craanen.*

Juvenis 28. annorum, qui toto corpore sanus, sed nonnihil melancholicus esse videtur, & duris, salsis, acidisque alimentis oblectatur, nonnunquam repente maxima atque intolerabili fame corripitur, & nisi mox vinum aut cerevisiam fortiorem largo haustu bis terve bibat, ac nonnihil panis alteriusque cibi comedat: de visûs aliqua obscuritate, cum levi vertigine conjuncta, conqueritur, adeoque protinus debilitatur, ut se sustinere nequiens in lipothymiam incidat: è qua ad se nonnihil reversus, vino & pane dato iterum reficitur, ac post refectionem aliquot diebus ab illa fame immunis manet. Hic affectus interdum tempore matutino, cùm æger jejunus est, interdum horâ unâ aut alterâ post pastum ventriculo nondum inanito, eum invadit subitò; nullâ præcedente nausea, nullo comitante vomitu.

Afficitur in hoc ægro ventriculus secundùm partem superiorem, appellaturque ejus affectus *Bulimus*, *qui est, maxima fames præter naturam, hominem subitò invadens, cum debilitate & lipothymia.*

Causa remota fuit melancholica corporis dispositio, & talis diæta quæ lienis coctionem nonnihil vitiavit, sicque multos acres acidosque humores, à liene malè coctos (antecedentem causam constituentes) in corpore genuit, qui inde ad ventriculum delati, ejusque superiori parti propè stomachum adhærentes, eam peculiari modo vellicarunt, & acida quadam intemperie ac constrictione famem vehementem induxerunt, sicque causa continens evaserunt.

Lipothymia subsequitur, viriumque prostratio, propter eximium consensum stomachi cum corde & cerebro, per nervos sextæ conjugationis, seu vagos, qui multiplici ramificatione stomacho ac superiori parti ventriculi inseruntur, hincque iis circa stomachum malè affectis, mox per sympathiam afficiuntur cerebrum & cor. Hoc, quia ab eodem pari vago suos nervulos habet, & quàm proximè stomacho incumbit. Illud, quia ex eo nervi illi vagi progrediuntur, quorum mala circa stomachum affectione cerebro communicata, mox spirituum animalium motus & è cerebro effluxus turbatur, atque inordinatus fit, unde visus aliqua obscuritas & levis quædam vertigo oboritur; ac propter spiritus eandem ob causam pauciores in musculos influentes, corpus tremit, ægerque se sustinere vix potens, interdum concidit. Adde, quòd propter eundem inordinatum & parciorem spirituum animalium influxum, etiam cor debilitetur & inordinatè moveatur, sanguinemque arteriosum pauciorem & inordinatè ad cerebrum transmittat, unde & illud non convenienter dilatatum pauciores spiritus gignit, atque ex se propellit.

Æquè paucis horis post pastum, atque jejuno stomacho invadit hic affectus, quia quocunque tempore subacidus ille succus in ventriculum influit, & superiorem ejus partem vellicat, ingens illa fames oboritur. Succum autem illum aliquandiu post pastum influentem, non protinus ab alimentis in ventriculo contentis obtundi, sed iis sæpe innatare, sicque superiorem ventriculi partem vellicare, imò nonnunquam cum aliqua nausea ad os ascendere, docet usus.

Vino generoso aut cerevisia optima roboratur æger, affectusque mox mitigatur, quia talis potus spiritus, cùm vitales, tum animales reficit, & humorem acidum ventriculi tunicis adhærentem diluit, imò & digerit ac concoquit, suaque admistione acerbam ejus vim refringit, unde fit ut semel sic sedata fames non statim redeat, sed aliquot dierum spatio opus sit, antequam alius similis collectus humor ad ventriculum feratur, eumque vellicet ut antè.

Nullis hîc opus est signis diagnosticis, cùm affectus se ipsum prodat, & ex ægri relatu sciri possit. De eventu autem statuendum, quod periculosus existat, & metuendum sit, ne aliquando hac fame tali loco corripiatur æger, quo potus & cibus ad manum haberi non potest atque sic horum defectu graviore lipothymia prostratus extinguatur.

Eapropter curatio quamprimùm instituenda, jubendumque ut æger nusquam foras procedat, nisi pane vino generoso comitante, ut hostis subito invadentis vires talibus armis mox infringere, suasque collabentes vires protinus rencere possit.

Præterea corpus subinde clementer purgandum cum elect. hier. picr. pilulis Rufi, aliisve similibus, abstinendo a valde fortioribus. Si tamen æger facilis sit ad vomitum, non inutiliter exhibebitur vomitorium ex asaro.

Ad ventriculi & lienis corroborationem, ac coctionis emendationem præscribendum apozema.

♃. Rad. tamarisci, capparum, helenii, an. ʒvj. galang. ℥ß. herb. chamædryos, cuscutæ, eupatorii, scolopendriæ, melissæ, an. m. j fol. laur. m. ß. cort. aurantior. ℥ß. bacc. juniper. ʒvj. sem. fœnicul. ʒijß. passul. corinth. ʒiß. aquæ & vini, an. Fiat s. art. apozem. ad lib. iß. Eundem in finem etiam præscribendum conditum.

♃. Specier diambr. diarrhodonis abb. an. ʒ. j. rad. helenii, & cort. aurantior. condit. conserv. anthos, & flor. salviæ, an ℥ß. syrupi helenii q. s. fiat s. art. conditum.

In victu prohibenda alimenta duræ digestionis, salsa, acida, & acria: & præscribendi cibi euchymi & eupepti, ut carnes vervecinæ, agninæ, vitulinæ, gallinæ, cuniculi, pisces saxatiles, &c. quorum juscula condienda sunt cum cherefolio, borragine, melissa, rosmarino, betonica, semine anisi & fœniculi, nuce moschata, gariophyllis, raphano rustico, &c. Potus sit minimè acidus, sed subdulcis, ut cerevisia bene defæcata, unius aut duarum septimanarum, & vinum mediocre. Versetur æger in aëre lucido, minimè nebuloso: corpus mediocriter exerceat, nec somno nimis indulgeat, fugiatque iram & quælibet tristia animi pathemata. *Isbrand. de Diemerbroek de affectibus imi ventris. Medic. I.*

Juvencula 30. annorum, melancholica, subtristis, cibos salsos, fumo siccatos, acres, acidos, aliosque duræ digestionis edere consueta, per integrum annum ingenti fame laboravit, sine lipothymia. Quælibet edulia ingenti copia avidissimè comedit, & mediocriter potum superbibit: repleto ventriculo fames non omnino cessat, sed aliquanto mitior evadit. Paulò post pastum omnia assumpta rursus evomit, quæ isto exiguo temporis intervallo adeo acida in ventriculo evaserunt, ut adstantibus valde acidum nidorem offerant, & ægra dicat illa sapore succi limonum aciditatem superare. His ejectis præ ingenti fame mox iterum edere cogitur, assumpta paulo post rursus evomendo. Atque dies noctesque modò edere, modò vomere posset, nisi res angustior domi subinde molestissimam abstinentiam & dolorosam famis perpessionem injungeret. Interim paulatim emaciatur ægra.

Affectus hujus ægræ est *Canina appetentia, id est, maxima fames, sine lipothymia, ab acida inferioris ventriculi intemperie procedens, quâ alimenta copiosa avidissimè assumuntur ac non diu post rursus evomuntur raro per inferiora deturbantur) & iterum alia comeduntur, sine insigni famis imminutione.*

Differt à bulimo, quod in hoc adsit virium prostratio fine vomitu, sed multoties

cum

cum lipothymia, in illo vomitus, sine insigni debilitatione.

Afficitur in hac ægra ventriculus, imprimis secundum inferiorem partem: ejusque affectus ex relatu ægræ satis cognoscitur.

Causa continens est humor acidus ac viscidus, vitio lienis genitus, & in ventriculum infusus, ejusque tunicæ rugosæ inferiore parte firmiter inhærens, qui aciditate sua ventriculum simili intemperie afficiens ac peculiari modo vellicans, inducit appetitum vehementem ad sumenda alimenta in molestæ vellicationis remedium. Quibus cùm ab eodem humore etiam valdè acida constitutio imprimatur (sicut vinum quod in aceti vas infusum statim acescit) sicque vellicatio molestior fiat, mox è cerebro copiosis spiritibus ad ventriculi inferiores fibras determinatis, fit inferiorum tunicarũ ventriculi contractio, sicque ope musculorum abdominis valida contentorum expulsio seu evomitio; qua quia dictus acidus humor ventriculi tunicis firmiter impactus, nec dissolvitur, nec ejicitur, imò potiùs à liene fovetur, fit ut post vomitum eadem ingens fames adhuc infestet & perduret.

Non adjungitur lipothymia, quia inferioris partis ventriculi non est eximius consensus cum corde & cerebro.

Quia hæc vehemens fames cum vomitione conjuncta, nutritionem debitam fieri impedit, non parvus atrophiæ, ac tandem dejectionis virium metus incumbit.

In curatione corpus subinde evacuandum, cum aloë, hiera picra, infuso agarici aliisve amaris: item vomitus bis terve promovendus cum foliis asari.

Postea deveniendum ad talia, quæ lienem & ventriculum corroborant & abstergunt, coctionesque promovendo acidas cruditates consumunt, qualia sunt illa modo ad bulimum præscripta, aliaque similia, ut & similis diæta, qualis bulimo dicata. *Idem Ibidem.*

Observationes.

Vir ferè octogenarius, staturæ proceræ, gracilis, attamen corporis & animi viribus in hac ætate mirè vegetus, atque liberrimi genii, tum temporis, anno circiter 1632. conjugio tertio iterato liberos adhuc gignens, tanta ciborum aviditate gestiit, ut sæpius jurulentum cum cæpis, anguriis, foliis porraceis, brassicæ capitatæ vel caulifloræ, & radicibus petroselini simul more Gallico incoctum acetarium, bonam partem petasunculi in oblonga ac tenuja frustra concisi, & saccharo consperſi, botellos aliquot lucanicos, alaudas aliquot sive anatem sylvaticam palustrem, atque armum agninum in unico prandio omnia, magno cum appetitu, sine ulla stomachi noxa, simulque panis triticei portionem magnam peresitaret, potus verò non valdè avidus fuit. *Helvvigii.*

BVTIGA

Vid.

GVTTA ROSACEA

GVTTA RVBEA.

Finis Libri secundi.



BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER TERTIUS

De Affectibus à Litera C incipientibus.

CACHEXIA & CACOCHYMIA.



CAcochymiam Cachexiæ hic adjungimus ut causam suo effectui, dum enim Cacochymia Cacotrophiam inducit, hæc Cachexiæ mater est. Cacochymia autem nihil aliud est quàm succorum nutritioni dicatorum varia impuritas, aut simpliciter cruditas, unde pensum suum in totius corporis conservationem malè exequuntur. Cachexia verò ea est corporis à succis crudis, aliàsque impuris enutriti, constitutio, quâ in vastam molem turgescit, varioque cutis colore tingitur, quandoque scilicet albo, interdum citrino, aut livido, interdum ex candido virescente.

Pars affecta in Cachochymia sunt succi nutritii variè depravati, imo etiam viscera unde iidem succi promanantes in totum corpus derivantur: in cachexia verò est totus habitus corporis.

Differentiæ, respectu Cachochymiæ in eo sunt, quod alia succis simpliciter crudis originem suam debeat, alia verò iisdem varia impuritate noxiis; Item quod alia sit cum labe viscerum, ventriculi præcipuè, intestinorum, hepatis &c. altera ab alimentis aquosioribus, crudioribus aliàsque impuris, imò ab aëre ambiente sine ulla viscerum labe gignatur. Respectu verò cachexiæ quòd alia sit alba, alia citrina, alia livida &c. ut mox in hujus morbi definitione verbô diximus.

De causis Cachochymiæ & Cachexiæ non opus est hic multa subiungamus illis quæ supra titulo de Atrophia, dum scilicet de succis totum corpus enutrientibus, eorumque etiam variis vitiis, diximus; Addemus itaque tantum quòd si lympha viscidior à suis non exugatur ductibus, & in habitum corporis diffundatur, primò Cachexiam, dein Leucophlegmatiam ipsam inducet. Imò si diaphoresis atque insensibilis transpiratio sive ab aëre frigidiori orificia vasorum à glandulis cutaneis assurgentium constringente, sive eodem densiori & crassiori illa ipsa orificia obstruente, impediatur, fiet in ipsam sanguinis massam particularum aquearum per totam corporis cutem secernendarum refluxus, aut in cute aggestio, quæ turgescentiam universalem pariet. Præterea si ab ulcere in quopiam è visceribus sedem suam habente sanguis coinquinetur, ille nutritioni exquisitæ ineptus redditur. Eo pacto videmus sæpissime, renum ulceribus cachexiam astare, pure scillicet in venas regurgitante.

Signa diagnostica ex superioribus satis facile est elicere, adjicimus tantum in Cachexia faciem maximè turgere, quippe cujus cutis præ naturali laxitate phlegmaticam impuritatem combibat, illudque præsertim sub auroram propter demissum tota nocte in lecto caput, eoque in situ humiditatibus excipiendis magis accommodum; Manus etiam & pedes potissimum sub vesperam ampliantur. Totum præterea corpus non tantùm subtumescit, sed etiam gravatur & ad motum pigrius evadit, atque aliquatenus stupescit.

Senes in cachexiam frequenter incidunt, ea autem affecti vix evadunt; at pueri quibus non minus frequens est malum facilè curantur, quia nativo calore abundant. Aetate florentes huic morbo raro sunt obnoxii, ut que in illud delabantur requiritur causa admodum valida, quæ sc. tam dissentaneam ipsorum vigori adferat passionem propterea ni illa in aëre ambiente, aut etiam alimentis per aliquod tempus usurpatis demonstrari possit, vix persanantur. Addamus cum Aretæo quòd hic affectus longo acquiritur tempore, &nec ab uno inducitur corporis vitio, nec ab uno prodit viscere, sed omnium est in deterius conversio; ita etiam tardè pellitur. Tempus quoque anni non unum hanc fert ægritudinem, neque uno finitur tempore.; Verùm autumnus eam concipit, hyems alit, ver ad fastigium perducit, æstas verò morbum jugulat.

Cachexia melancholica Elephantialis est prodromus, phlegmatica verò ac pituitosa Leucophlegmatiæ.

Indicationes è Curationibus mox afferendis ut & etiam Consultationibus adjiciendis satis elucesce nt.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Cùm cacochymia principium sit gravissimorum morborū, & plerumque in icteritiam & hydropem transeat

transeat, uti superius dictum fuit, videat Chirurgus, ne quicquam eorum, quæ necessaria sunt, intermittat, ut itaque Medicum aliquem doctum, & in operibus medicis exercitatum, in consilium advocet, etiam atque etiam necesse est. Id tamen quia ubique locorum & præsertim in castris fieri non potest, in gratiam & ægrorum & Chirurgorum pauca hæc adscribere volui, quæ ut benevolus lector benignè interpretari velit, summopere rogo.

A victus autem ratione curatio inchoanda est, quæ talis esse convenit, ut non solùm corpus nutrire, verùm etiam loco medicamenti inservire possit. Aër, si fieri potest, temperatus sit, ad calorem & siccitatem aliquo modo vergens, adversissimus est frigidus, non solùm enim poros claudit, & perspirationem impedit, sed & membrum, nervosaque omnia, quæ antea ab ichore excruciata fuere, debilitat. Præcipuè si ulcera adfuerint. Testatur id Hippocrates multis in locis, præcipuè l. 5. aph. 17. 18. & 20. Aër præterea summè calidus, quia sanguinem & humores acres efficit, & insitas facultates & vires partium dissolvit, viscidamque materiam visceribus inclusam exsiccat, obstructionesque magis magisque adauget, vitandus est. Quoad cibum, perpendendum est primò, ventriculum, omniaque viscera nutritioni inservientia propter præcedentes dolores, vigilias, & æstum febrilem, ad summam labefactationem & imbecillitatem redacta esse. Abstineat itaque æger ab omnibus, quæ difficulter concoquuntur & succum crudum crassumque generant, qualis est panis sine fermento, omniaque in sartagine, butyro aut oleo frixa. Noxia quoque est caro bubula & porcina sale condita & in fumo siccata, caro item ferina præcipuè leporina, cervina, ursina, aprina, & avium in aqua viventium, caseus item, lac & lacticinia omnia, præter butyrum. Pisces salsi, & qui in stagnis & limo vivunt. Adversissima sunt legumina omnia, jure tamen lentium & pisorum uti poterit æger, ut postea dicam. Ab acetariis quoque & fructibus crudis & horariis abstineat. Nutrimenti enim nihil, multùm verò excrementi procreant.

Secundò abstineat æger ab omnibus, quæ insigniter & præter modum sanguinem & humores excalefaciunt & adurunt, hujusmodi enim, sive medicamenta sive alimenta fuerint, non solùm alvum siccam reddunt, verùm etiam humores viscosos in venis mesaraicis, & hepate infarctos exsiccant, omniumque viscerum obstructiones magis magisque adaugent. Sunt autem illa imprimis salsamenta omnia, uti quoque aromata, & præcipuè calida usque in tertium & quartum gradum, qualia sunt piper, zinziber, garyophylli, cardamomum, piper ut vocant Hispanicum, allium quoque, porrum, cæpæ, raphanus, & sinapi, nisi in exigua quantitate fuerint sumpta, nocent, inter aromata conveniunt cinamomum, macis, nux moschata, & crocus.

Tertiò consultè caveat æger, ne glutinosis utatur cibis, ex viscosis enim cibis viscosus provenit chylus, qui postea venis tam lacteis, quàm hepatis includitur, omniumque viscerum obstructiones adauget.

Quartò extremitates & intestina animalium omnium, uti quoque caro vitulina & agnina (mucilaginoso enim succo prædita sunt) pisces absque squamis, aut qui in stagnis vivunt, caseus, lac & lacticinia, præter butyrum in omnibus morbis longis, minimè conveniunt. Quapropter non video, quomodo hujusmodi alimenta viscosa, præcipuè extremitates animalium, absque insigni detrimento in fracturis ossium ægris offerri possunt. Ex eis enim chylus viscosus generatur, qui venas Mesaraicas & hepar ipsum obstruit, sanguis verò, qui ex ipso producitur, quia viscosus est, nonnisi cum difficultate pro nutritione partium distribuitur, imminuto itaque calore nativo propter penuriam alimenti, sanguis ille viscosus in venis putrescit, variaque symptomata procreat. Cujus rei exemplum annotatione dignum vidi. Nobili cuidam juveni, & optimo corporis habitu prædito, ex familia Helvetica haud obscura oriundo, cùm anno 1608. in Galliis os femoris in medio confractum & comminutum fuisset, cum ingenti contusione & dilaceratione musculorum, per multos menses lecto affixus permansit. Interim à Medico quodam docto, Chirurgo quin etiam doctrinâ & experientiâ claro, curatus fuit, & quidem ex arte, & eâ quâ potuit diligentia. Interim tamen, ut de gravissimis symptomatibus, quæ ab initio morbi supervenerunt, taceam, post multos etiam menses, ne dicam annos, propter obstructiones gravissimas hepatis & lienis, febribus tertianis & quartanis, icteritia & similibus excruciatus fuit. Ego tandem cùm in consilium adhibitus fuissem, & multa tam externa quàm interna præsidia adhibuissem, & thermis piperinis aliquoties usus fuisset æger, restitutus fuit, & in hunc usque annum 1630. bona valetudine fruitur. Præcipuam autem causam obstructionis viscerum tantorumque gravissimorum symptomatum, ad usum alimentorum viscosorum referendum esse arbitror. Per menses enim novem & decem quotidie cibis viscosis usus fuerat. Quapropter ægris meis nutrimentis viscosis semper interdixi, nihilominus tamen fracturas multas & quidem maximas, etiam in magnatibus, feliciter & cum laude curavi. Hæc obiter & præter institutum, in gratiam tyronum monere visum fuit.

Quintò videat æger, ut ab omnibus cibis facilè putrescentibus abstineat, uti sunt fructus horarii, videlicet Cerasa dulcia, pruna recentia, persica poma, cucurbitæ, melones, uvæ recentes, mustum & hujusmodi, qui concoctionem ventriculi impediunt, calorem nativum debilitant & imminuunt, succumque crudum & putridum procreant.

Postremò danda est opera, ne cibus aut potus cacochymicorum sit astringens & exsiccans, hujusmodi enim non solùm alvum siccam reddunt, verùm etiam vias constringendo, materiamque viscidam in visceribus exsiccando, obstructiones adaugent, hujusmodi autem sunt legumina, caro ferina, de quibus in prima classe quoque dictum fuit, Nuces quinetiam, amygdalæ, castaneæ, mespila, corna, pruna sylvestria, sorba, uvæ & fructus omnis immaturus. Farina quoque avenacea, apud

apud nos usitatissima, propter torrefactionem, quia insigniter exsiccat, minimè convenit. Cotonea autem etsi astringunt, post pastum tamen sumpta summoperè conveniunt, ventriculum enim corroborant, & digestionem promovent. Utatur itaque æger cibis; quæ facilè concoquuntur, succum quinetiam laudabilem procreant, neque excrementorum proventum faciunt. Hujusmodi sunt carnes recentes, veluti bovina, vervecina, item caro Gallinarum, pullorum, alaudarum, columbarum, perdicum, ficedularum & avium in arboribus degentium. Conveniunt quoque ova recentia & ex ipsis præparata edulia. Cum carne concoquendæ sunt herbæ, quæ intemperiem hepatis corrigunt. Quapropter si intemperies internarum partium adfuerit calida, tunc lactuca, endivia, cichorium, spinachia, cerefolium, & portulaca conveniunt. Sin calor nativus viscerum propter vehementiam ac diuturnitatem morbi prostratus fuerit, refocillandus est eis, quæ mediocriter calefaciunt, quapropter salvia, rosmarinus, majorana, folia & baccæ lauri, & mentha, betonica, & hujusmodi cum carne cocta, conveniunt, macis quoque, crocus, cinamomum, nux moschata, cortices arantiorum & citronum cibis additæ, calorem innatum refocillant. Instaurant quoque calorem innatum, & humidum radicale adaugent, vitella ovorum, si in jusculo carnis dissolvantur. Etiamsi legumina nutrimentum crassum reddant, jusculo tamen pisorum & lentium, cum butyro recenti, sale, & nonnihil macis vel croci, cocto, uti poterit æger, uti quoque cremore hordei, & avenæ decorticatæ. Conveniunt & sorbitiunculæ ex vitellis ovorum, cum vino & aqua præparatæ, addito saccharo, cinamomo & croco; tempore veris juscula herbarum recentium, veluti cerefolii, fœniculi, spinachiæ, betonicæ, foliorum urticæ, & summitatum sambuci, præparata maximo cum fructu ægro in prima mensa aut (quod magis mihi probatur) per horam unam aut alteram ante prandium exhiberi poterunt. Diuretica enim sine damno cibis vix permisceri posse, alibi demonstravimus. Summoperè quoque convenit succus, qui ex perna vervecina in veru percocta, & cultro hinc inde pertusa & compressa, effluit. Vires enim labefactatas instaurat, & humidum radicale adauget, præcipuè si nonnihil vini parùmque aquæ cinnamomi sine vino destillatæ, admiscueris.

Si æger magnoperè acetaria appetit, poterit per intervalla uti cichorio, cerefolio, fœniculo, asparago, lupulo, mentha, gemmis genistæ conditis, & capparibus. Ab eis verò quæ insigniter refrigerant veluti sunt lactuca, portulaca, cucumeres & melones abstineat.

Bibat vinum album, tenue, & quàm optimè defœcatum. Si generosum fuerit diluatur aquâ aliquâ appropriata, aut quod efficaciùs, decocto veronicæ, saccharo, & cinnamomo aromatizato. Si cerevisia uti voluerit, aut eis in locis, in quibus nihil præter cerevisia pro potu utuntur, constitutus fuerit æger, videat ut illa sit bene cocta & defæcata, non nimis generosa, vetusta vel acida. Vinum secundarium, uti quoque potus qui ex prunis & pomis sylvestribus, uvis immaturis, & granis oxyacanthæ fit, propter astrictionem mirum in modum nocet, si sitis maxime & vires prostratæ fuerint bibat æger lac amygdalarum, non tantùm enim sitim restinguit, verum etiā viscera humectat & egregie nutrit. Reinerus Solenander magni nominis Medicus in cons. sect. 3. pro cachectico, vult ut quarta vel quinta, vel etiam sexta pars amygdalarum sit amara, & rectè quidem, ita enim lac magis fiet medicamentosum, quandoquidem abstergit & mundificat præcipuè, si ut suadet Solinander, cum jure furfurum macrorum præparatum fuerit. In fine mensæ pomis aut piris coctis saccharo, aniso, aut fœniculo aspersis, uti poterit. Conveniunt quoque cydonia cocta, & saccharo parùmque cinamomi aromatisata aut Miva cydoniorum sine speciebus, vel sumat cochleare unum pulveris nostri peptici statim à pastu.

℞. Panis albi tosti ℥ ij. pulpæ cydoniorum exsiccatorum, cinnamomi optimi, pellicular. interior ventric. gallinarum, seminis anisi & coriandri præpar. ana ʒ ij. Misce, & fiat pulvis. Hæc de cibo & potu. Porrò quia exercitatio digestionem promovet, exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit, utilius est, teste Galeno de tuenda valetudine lib. 2. eam ante cibum administrare, dummodo mediocris sit nec laboriosa. Vult autem Galenus duplicem concoctionem, videlicet eam quæ fit in ventriculo & eam quæ fit in vasis sanguinis peractam esse, ac denuo tempus cibandi instare. Post pastum tamen modicè quoque corpus exercere convenit. Modica enim exercitatio, post sumptum cibum calorem nativum excitat & adauget, & concoctionem promovet. Si verò æger propter debilitationem partium, corpus deambulando aut equitando exercere non potest, frictiones sunt administrandæ. In somno & vigiliis modus quoque est servandus. Intempestivæ enim vigiliæ concoctiones omnes impediunt, cerebrum siccant, mentem perturbant, & humidum radicale absumunt. Contra somnus immoderatus calorem nativum obtundit, & multos humores crudos gignit, corpusque ignavum reddit. Passiones animi quoque veluti sunt ira, metus & mœstitia, æger quantum fieri potest, vitabit. Præter hæc operam quoque dabit, ut alvus quotidie ad minimum semel respondeat, id si naturæ & ciborum beneficio non fiat, sollicitanda est prunis laxativis vel clystere lenitivo cap. 19. præscripto. Vel imponatur suppositorium ex melle & sale coctum. Summoperè quoque conveniunt pilulæ sequentes. Partes enim nobiles corroborant, obstructiones viscerum tollunt, materiam viscidam incidunt, attenuant & alvum lubricam reddunt.

℞. Aloës purissimæ & ter aut quater succo gratiolæ impregnatæ iterumque exsiccatæ ℥ j. rhabarb. elect. ʒ ij. turbith. gummosi, cremor. tartar. ana ʒ j. gumm. ammoniac. purissimi & dissoluti in aqua cinamomi ʒ iv. confection alkerm. ʒ j. ol. cinamomi ℈ ß. syrupi rosati solutivi compositi cum rhabarbaro, agarico & senna q. s. misce fiatque massa, de qua æger (si tantummodo alvum duram lubricam reddere cupit) sumat à granis 12. usque ad ℈ j. aut ʒ ß.

per

per duas horas post cœnam. Sin ampliorem evacuationem habere cupis, ad ℈ ij. aut ʒ j. deglutiet, ut postea dicetur. Hæc de victûs ratione.

Sic instituta optima victûs ratione corpus quantum fieri potest à pravis humoribus expurgandum est, verùm enim verò quia materia peccans in cacochymia tenacissime visceribus inhæret, difficulterque suo loco movetur, juxta mentem Hippocratis lib. 1. Aphorismo 22. coquenda & præparanda est apozemate aliquo convenienti, ante omnia tamen vias communes sequenti lenitivo expurgabis.

℞. Radicum polypodii q. liquiritiæ, cichorii ana ʒß. cort. interiorum radicum frangulæ ʒ j. veronicæ, flor. cordial. an. p. ß. sem. anisi ℈ ij. foliorum sennæ ʒ i ß. incidantur, contundantur, coquanturque in aqua, ut colatura redeat ad uncias duas in quibus dissolve elect. diacarthami. & diaphænic. cum rhabarb. ana ℈ ij. cremor. tartar. ℈ j ß. syr. de cichorio cum rhabarb. ℥ß. misce fiat potio, detur in crepusculo matutino, cum custodia. Postridie, aut tertio die à purgatione, si plethora adfuerit. & vires permiserint, vena incidenda est, idque ex cubito ejusdem lateris de quo æger præcipuè conqueritur. Si menses, aut hæmorrhoides suppressæ fuerint, venæ ad malleolos incidendæ, aut applicentur sanguisugæ venis hæmorrhoidalibus. Sin tamen maxima adfuerit virium omnium prostratio atque imbecillitas, venæ sectio omittenda & ad humorum concoctionem progrediendum est, ubi sequens apozema.

℞. Cortic. interior. & flavarum, radicum frangulæ ℥ j. radicum polypodii q. liquiritiæ, lappati acuti an. ʒ iij. asparagi, cichorii, fœniculi & petroselini an. ʒ ij. herbar. & flor. betonicæ, veronicæ, cuscutæ, scabiosæ an. m. ß. trium flor. cordialium & genistæ an. p. j. seminis anisi fœniculi an. ʒ ij?. Coquantur in s. q. aquæ purissimæ, ut colatura redeat ad ℔ iij. clarificetur & dulcoretur syrupo de 5. radicibus q. s. hujus apozematis bibat æger per dies tres ad uncias duas in aurora, totidemque per horas duas ante cœnam. Postea accipe de eodem apozemate ℥ xij. In quibus infundantur, macerentur & coquantur s. a. sequentia. Foliorum sennæ ℥ j. rhabarb. ʒ iij. agaric. recent. trochiscati cremor. tartar. ʒ i ß. cinnamomi elect. ℈ ij. Maneant in infusione & loco tepido per horas xii. deinde post unam aut alteram ebullitionem fortiter exprimantur addanturque, syrupi de cichorio cum rhabarb. ℥ ij. aq. cinnamomi sine vino destillatæ ʒ j. misce fiat potio purgans pro quatuor dosibus in aurora sumendis, cum custodia. Si primus haustus sufficienter operatus fuerit, alternis saltem diebus medicamentum sumatur, aut dosis diminuatur, ut vires conservari possint. Quod si nimis segniter successerit operatio, postrema dosis acuenda est drachma una diacarthami, aut diaphænicone cum rhabarbaro. Sic satis purgato corpore, poterit æger per dies aliquot quiescere, post pastum tamen nonnihil de suo pulvere peptico sumere, deinde apozema præscriptum iterandum est. Quod si apozema ingratum fuerit ægro soleo sequens præparare jusculum; quod propter singulares operationes tum in morbo regio, tum in reliquis omnibus obstructionibus viscerum Jusculum Regium appello.

℞. Rad. apii ʒ ij. petroselini, fœnicul. ana ʒ iv. passular. exacinatar. ℥ j. croci ℈ j. macis ℈ ß. Incidantur omnia & caponi aut Gallinæ, cui collum, pedes & alæ abscissæ sunt, infarciantur. Coquantur in aqua, donec caro ab ossibus separata, & jusculum ad doses sex consumptum fuerit. Caro cum suo farcimento fortiter exprimatur, & fiat colatura, addito sale, quantum satis est; sumat æger per duas horas antè prandium, quantum libuerit. Addo quoque nonnunquam nonnihil cremoris tartari, aut salis nostri deoppilativi, ex cichorio, fœniculo, petroselino, hypericone, Eupatorio, & similibus herbis & radicibus aperitivis confecti. Si subacidus sapor ægro gratus fuerit, nonnihil vini aut aceti sambucini admisceri poterit. Si prostratio virium fuerit maxima, addatur nonnihil aquæ Cinnamomi sine vino destillatæ. Jusculum hoc excellentissimum est medicamentum, simul & nutrimentum in cacochymicis, quo ego sæpissimè maximo cum fructu ægrorum usus fui. Sin ægro vinum aliquod aperitivum gratius fuerit, sequenti uti poterit.

℞. Rad. asparagi, brusci, ebuli, fœniculi an. ʒ j. cinamomi elect. ʒ ij. macis ℈ j. herb. betonic. agrimoniæ & veronicæ an. m. ß. centaurii minoris, absinth. Pontici, card. bened. an. p. j. incidantur & contundantur fiatque nodulus, cui affunde vini albi & optimè depurati ℔ iij. De hoc vino bibat æger ad uncias tres aut quatuor, tribus horis ante prandium. Interim autem dum æger utitur aperitivis prædictis, subinde leniter leviterque expurgandum corpus. Ubi syrupum de rhabarbaro à Solinandro tantoperè celebratum, convenire, sæpissimè vidi.

℞. Rhabarb. optim. ʒ vj. fol. sennæ Alexandrinæ ʒ x. mechoacan. albiss. ℥ ß. flor. violar. recentium, fl. prunor. sylvestrium, si haberi possunt, vel cotoneorum an. p. ß. cinamom. acuti interioris ʒ j. zinziberis albi ℈ ij. ß. aq. betonic. cichor. bugloss. destillatæ in balneo Mariæ an. ℥ iv. rhabarb. & Mechoacan. pulveribus irroratis aqua cinnamomi, infundantur omnia s. a. per noctem. Manè ebullitione & expressione facta, colentur & cum sacchari albissimi ℥ v. vel sex, syrupi rosar. solut. ℥ ij. misce fiat s. artem syrupus. Detur ad uncias duas in exiguo haustu juris pulli non pinguis, cui paucæ passulæ demptis gigartis, pauca folia rosmarini & macis tantillum incocta sint, bibat.

Cæterùm præter victûs rationem & purgationem pravorum humorum, partes nobiles summo studio corroborandas esse, ratio ipsa suadet. Quia enim in præcedenti morbo propter vehementiam & diuturnitatem doloris, æstum item febrilem, vigilias & decubitum, humidum radicale absumptum, calor quinetiam nativus prostratus, & proinde facultates omnes mirum in modum imminutæ fuerunt, nisi refocillentur, frustra medicamenta adhibentur. Est enim robur naturæ, quod medicamentum ex potentia in actum vertit. Corroborabis autem imprimis viscera, si præscriptam optimam victus rationem observaveris, & pravos noxiosque humores (ex

quibus

quibus continuò putridi vapores ascendunt, facultates omnes afficiunt) uti antea satis dictum fuit, evacuaveris: sine quibus corroborantia omnia nullius erunt momenti. Corroborat ventriculum & viscera nutritioni inservientia pulvis pepticus, antea præscriptus. Aut.

℞. Diacurcumæ, diarrhodonis Abbatis Aromat. rosat. an. ʒj. sachar. dissoluti in aqua Cichorii ℥iiij misce, fiantque tabellæ addendo ol. cinamom. ℈ß. de quibus utatur æger aliquoties in die præcipue ante & post prandium & cœnam, ad ʒj. aut ʒij. Aut detur sequens Electuarium.

℞. Spec. Aromat. rosat. diacurcum. an. ʒj. cinamom. elect. ʒiß. cortic. citron. & rad. cichorii conditarum an. ℥j. cum s. q. syrupi conservæ cortic. citronum fiat Electuarium, de quo sumat æger ad magnitudinem nucis juglandis, ter aut quater in die, Aut:

℞. Conservæ flor. betonic. rosmarini, salviæ, majoran. an. ℥ß. specier. Dianthos ℈iiij. cum syrupo de betonica fiat Electuarium. Aut.

℞. Spec. de gemmis, Lætificantis Galeni an. ℈ij. confectionis Alkermes & de hyacintho an. ʒj. conserv. flor. bugloss. borraginis & melissæ an. ℥ß. Cum syrupo conservæ cortic. citronum fiat Electuarium. Sumatur ut præcedentia. Hæc de internis. nec omittenda sunt externa; ideo si propter dolorem & vigilias caput labefactatum fuerit, præter optimam victus rationem & purgantia, etiam per intervalla cucurbitulæ scapulis applicentur. Quod si catarrhus ut sæpissimè fit, cum impetu ad oculos aut pulmones defluxerit, setaceum in Vertice, aut fonticuli in brachiis efformandi sunt, cucupha quoque ex sequentibus parari poterit.

℞. Rad. iridis Florentin. ʒij. styracis calamitæ, benzoini, masticis, olibani an. ʒj. rosar. rubrar. summittat. majoranæ & fl. betonicæ an ℈ij. moschi ℈ß. Incidantur & contundantur omnia grosso modo pro cucupha intertexta, vt artis est. Corroborat sequens Linimentum, si carpi, & regio cordis eo inungantur.

℞. Ol. rosacei fragrantissimi ℥ß. ol. cinnamom. ℈ß. ol. cortic. citronum ℈j. misce. Aut:

℞. Aq. borragin. bugloss. rosar. & melissæ, Aq. cinnamom. an. ℥j. acet. rosat. ℥ß. confect. Alkerm. spec. Diamosch. dulc. an. ʒj. croci & caphuræ an. ℈j. misceantur, fiatque Epithema, carpis autem tantum modo in eo imbutis puluillis, applicetur tepidè. Mediantibus enim arteriis, vis ipsius facilè ad cor perveniet. Si quis tamen de hoc epithemate regioni cordis applicare voluerit, non errabit, videat tamen, ut linteis calidis cooperiatur, frigus enim pectori & spiritibus vitalibus nocentissimum esse omnes sciunt practici. Ventriculum roborat & concoctionem promovet sequens Linimentum.

℞. Olei masticis, & menthæ an. ʒvj. gumm. tacamahac. ʒij. Terantur lentissimo igne & percolentur. Postea admisce olei nucis moschatæ per expressionem ℥iß. ol. garyophyllorum ℈.j misce, fiat linimentum, quo regio ventriculi usque ad umbilicum quotidie bis inungatur, & linteum calidum apponatur, aut aplicetur sequens emplastrum supra alutam extensum.

℞. Gumm. tacamahac. ℥j. ol. menth. & masticis an. ℥ß. Disolvantur lentissimò igne, & per linteum colentur, postea admisce pulv. nucis moschatæ ʒij. garyophyllorum, macis an. ʒj. misceantur & cum cera nova q. s. f. ceratum, applicetur ut dictum est. Hepar corroborat, obstructionesque insigniter tollit sequens linimentum.

℞. Unguent. deoppilativi Foesii, ol. lumbricor. an. ℥j. misceantur, fiatque linimentum, quo regio hepatis, totusque venter præter regionem ventriculi inungatur bis in die. Secundam enim concoctionem mirum in modum promovet. Unguentum deoppilativum Foesii sequenti modo præparatur.

℞. Succi apii, endiviæ, menthæ, absinthii, pertroselini vulgaris, valerian. an. ℥ß. olei absinthii, menthæ an. ℔ß. Ceræ citrinæ quantum satis sit misce & ad ignem fiat unguentum s. a. Viscerum obstructiones liberat, eoque crebro in jecorariis utimur, additur quandoque pulveris calami Aromatici, spicæ nardi, sing. ʒj. & olei capparum aliquid. sunt qui hoc modo etiam parant: ℞. Succi Ebuli ℥viij. Succi Apii, Petroselini sing. ℥iiij. succi Absynthii & Iridis sing. ℥v. ol. communis ℔ß. ol. lil. alb. ℥x. Ol. absynth. & chamomelini sing. ℥vj. axungiæ anatis, & gallinæ sing. ℥ij. Ferueflant omnia simul ad consumptionem succorum. Postea colentur & cum cera alba & pauxillo aceti paretur unguentum. Hæc Foesius de unguento suo aperitivo, quæ hic inserere libuit, tum (expertus loquor) propter medicamenti præstantiam, tum etiam quod optimus ille vir & de re medica tam bene meritus, olim mihi cognitus fuerit. Ego ceram non addo, ut facilius altiusque ad subjectas partes penetrare possit. Lien, si propter vehementiam atque diuturnitatem morbi labefactatum, & obstructum fuerit, hypochondrium sinistrum inungendum est sequentibus.

℞. Ol. de capparibus & rutacei an. ʒvj. ol. amygd. dulcium ℥i. misceantur. Aut.

℞. Succi cochleariæ & nasturtii aquatici an. ℥ij. ol. lilior. amygd. amarar. an. ℥ij. pinguedinis caponis & ursi an. ℥j. Coquantur lentissimo igne ad consumptionem ferè succi, in colatura dissolve Ammoniac. purissimi, & aceto scillino dissoluti ʒvj. ol. nucis moschatæ ℥ß. misce; Si intemperies calida renum adfuerit, inungantur lumbi, os sacrum, & regio renum linimento, antea capite de ardore urinæ descripto. Hæc de cacochymia, de qua nonnihil prolixè agere nolui. Est enim veluti scaturigo, ex qua Icteritia, febres erraticæ, quartanæ, & quamplurima alia symptomata profluunt, de quibus omnibus si sigillatim agere vellem, opusculum hocce meum in immensum opus excresceret, & multa jam antea dicta, repetenda essent, quod lectori ingratum foret. Itaque ubi diligenter quis curaverit cacochymiam, reliqua symptomata facilè evitabit. Quod si tamen advenerint, Medicus consulendus est. *Guil. Fabric. Hildan. lib. de Ichore & Meliceria.*

Cachexia quælibet à quibusdam nempe causis procreata requirit resolventia & corroborantia. Resolventia sunt omnia aperientia internorum viscerum. Sic nimirum omnis Oeconomia totius corporis depravata corrigitur

rigitur. Aperientia sunt tartarus vitriolatus, cremor tartari, Vinum Martis. Acidulæ tum naturales tum artificiales: quæ tamen omnia administranda sunt post præmissos vomitus, si illi commode fieri, & patientes ferre possunt. Purgantia post illa universalia habent locum quælibet, modo observentur observanda. Panchymagogon Crollii. It. specific. purgans paracelli & Mercurius dulcis hic præcipue laudantur, Extractu Esulæ & ellebori nigri in pituitosa & Melãcholia Hypochondriaca multùm prosunt. Confortantia desumuntur ex communioribus quibuslibet hinc inde, præstat spir. vitrioli in conserva rosarum, acetosæ. florum borraginis, buglossæ, violarum sumptus, Magisterium Corallorũ, item & perlarum, cæteræque aquæ Analepticæ usitatæ. Omnis porro Cachexiæ felicissimum auxiliũ est pulvis Cachecticus supra descriptus. Itaque is solus præmissis saltem vel vomitoriis, præcedente cura aliquando purgantibus sufficit: quantumvis nimirum pulveris cachectici usus alvum moveat sæpius, nihilominus convenientibus purgantibus interdum res expedienda ut scilicet in corpore collectæ fæces, & ab usu pulveris cachectici quadantenus separatæ penitus excernantur. In virginibus plerumque defectus mesium ad Cachexiæ causas accedit, unde fit illa deterior. Solet quidem in vetulis pulvis Cachecticus etiam venulas uterint aperire, sed obstructio interdum tam pertinax, ut à solo illo aperiri nequeat. Dextre itaque observato tempore usitato fluxûs mensium, quod est juxta illum vulgatum versiculum:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Præsertim ubi in cursu adhibitæ curæ dolores circa lumbos & uterum animadversi fuerint. Ut igitur feliciùs procedatur, menses moventia simul danda sunt, quibus infra de suppressione mensium. Taliã sunt aqua allii destillata & oleum Sabinæ. It. aqua asari, raphani, artemisiæ rubræ

N. B. si ad pulverem Cachecticum addideris æqualem quantitatem chalybis præpatati stercoris anserum juniorum, & dederis priori quantitate, præsertim circa instans mensium tempus, & pallori Virginum & obstructioni mensium melius medeberis. Pertinacissimas obstructiones mensium aperit lixivium è scoriis seu recrementis reguli Antimonii ebulliendo tantùm cum aqua communi præparatum, & super ferrum vel silices candentes fusum, ut vapor per sellam perforatam ad naturalia contingat. Mercurialis in aqua cocta & pudendis applicata menses ciet. (Ex his scoriis paratur oleum tartari Antimoniatum, si nempe in cella aërive frigido & humido expositæ in deliquium abeant, profluit inde oleum Tartari copioso Antimonii sulphure imprægnatum, ingrati quidem saporis sed majoris efficaciæ, non solum in mensibus retentis, verùm etiam in tarda alui dejectione pertinacissimas quoque aliorum viscerum obstructiones reserat. In retentione menstruorum fæliciter sæpius usus fui, magisterio martis aperitivo, ex limatura Martis cum succo acetosellæ & pulpa tamarindorum facto, *vide Mynsichti armamentarium chymicum*. His omnibus postea dextrè subjici potest vel addi sectio saphænæ definito tempore fluentium mensium instituta. Antimon. diaphoret. fixum ad expellendos menses etiam efficax est, si ejus dosis usitata quotidie cum guttis aliquot essentiæ myrrhæ in aqua artemisiæ rubræ exhibeatur. Hæc autem omnia moderanda sunt ad præscriptum ipsius naturæ & canones artis. *Joan. Hartmann. in Pract. chymiatric.*

Præstant hic crocus Martis aperit. cum salibus præparatus. Item omnia medicamenta ex tartaro, crocus martis saccharinus, tinctura martis Zvv. essent. & extract. martis mynsichti, tinctura martis tartarisata, tinctura martis antimoniata. Diaphoretica inter excellit bezoard. minerale & martiale. Conveniunt etiam in fine exiccantia, ut essent. lignorum. Acidulæ artificiales principatum tenent iu tollenda cachexia; naturalibus etiam acidulis melioris & facilioris operationis causã potest misceri vitriol. martis. It. Clyssus, si misceatur cum aquis appropriatis. Non debet statim fieri purgatio, sed digestiva præmitti debent. Vel si purgandum, misceantur aperientia.

♃. Croc. martis aperit. cum salibus ʒj. S. Digestivus pulvis. D. in triplo.

♃. Pulv. cach. Quercet ℈ij. croc. martis saccharini gr. viij M. S. Digestivus pulvis. D. in quadruplo.

♃. Tartar. chalyb. ʒß. fœcul. aron. gr. vj. S. ut ante.

♃. Essent. aperit. Essent. martis liquid. an. ʒiij. S. Digestiua Essentia Dosis gutt. 20. vel 30. singulis diebus manè & vesperi sumend.

♃. Tinctur. Martis Zvv. ʒiij. S. Digestiva Essentia. dosis g. xxx.

♃. Acid. artif. lib. ß. syr. ros. ℥ij. m. Dosis 2. vel 3. cochlear.

♃. Spir. aperit. Penoti ʒij. Dosis g. 30.

♃. Herbar. eupator. agrimon. scolopendr. cuscut. ceterach. an. p. iij. flores cichor. epat. rubr. genist. an. p. ij. rad. aperient. an ʒiij. esul. præp. jalapp. an. ℥j. elleb. nigr. præp. ʒvj. agarici ʒiij. santal. rubr. ʒij. cremor. tartar. ʒij. F. Nodulus. Sumatur tempore matutino; sic enim præparatur materia. Si lien sit in causa, splenetica sumantur.

♃. Fol. agrimon. cichor. Com. absinth. flor. cent. min. an. m. j. flor. bellid. cichor. genist. epatic. rubræ an p. ij. rad. graminis, filicis an. ℥ß. helleb. nigr. præp. jalapp. an. ʒj. zedoariæ, galang. an. ʒiij. spicæ, squinanthi an. ℈j. Incis. & contus. grosso modo adsperg. Essent. absinth. & tinctur. tartar. F. Noduli laxativi.

♃. Pulv. jalapp. ℈j. scammon. sulphurat. croci mart. saccharin. an gr. vij. ol. stillat. macis g. j. Misce pro una dosi.

♃. Pulv. cathol. Quercetan. ℈j. Extract. Martis, resin. gialapp. an gr. vj. F. Pilulæ.

♃. Essent. lign. ℥ß. Dosis gutt. 60.

♃. C.C. sine igne ℈j. Bezoard. Martis gr. xv. M. F. pulvis pro una dosi. Acidulæ quoniam debent interdum portari, multùm spirituum deperditur, ideoque artificialibus possunt corrigi, cavendum tamen ne nimiùm aq. infundatur. Vid. *Kyper. de acid. artif. Joann. Michael in Prax. Clinic. generali.*

Consultationes.

Illustrissima Comes temperamenti calidioris

jecoris, & totius; ætatis annorum 40. post varias animi perturbationes, mensiumque suppressionem, febricula lenta laborare cœpit, malo corporis habitu, palpebrarum, faciei, & crurum intumescentia, cum foveæ impresso vestigio, siti, inappetentia, & vigiliis. Quorum causa de agendis nos consuluit.

Ex prædictis itaque statuentes ipsam cachexia laborare ex labefactato, & imbecilliori reddito calido innato jecoris, cum excessu caloris præter naturam, & febrilis, ob prohibitam transpirationem ab obstructionibus utriusque hypochondrii, consultum duximus, quò ab hydrope imminente præservetur, expurgare primas vias, attenuare, incidere, & detergere humores peccantes, cùm pituitosos, tum melancholicos, & biliosos, in corpore redundantes; ac deinde ipsos educere, jecur refrigerare, obstructiones reserare, & serositatem ex toto corpore sensibiliter, & insensibiliter evacuare, calidumque innatum jecoris roborare, revocato mensium cursu, quantum in nobis erit; quod tamen perarduum opus nobis visum est. Quas intentiones implere conati sumus, præsidiis Chyrurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Quoad Chirurgiam, non abs re primò censuimus parùm sanguinis educere, cùm ob febrem, tum ob mensium suppressionem, & quidem istius ratione ex saphena. Verùm intumescentibus cruribus, & pedibus, mensibusque jam annum deficientibus, in muliere cachectica, & quadragenaria, consultius duximus ipsum mittere ex venis sedalibus, quo fieret derivatio ad partes proximas.

In Pharmaceuticis, præcripsimus medicamentum ex el. lenitivo, & speciebus hieræ picræ Gal. cum ℥ij. mann. elect. Præparandis humoribus in ventriculo, syr. sine diluto fuerunt præscripti, ex syr. acet. simp. mell. ros. simpl. & syr. de corticibus citri. Repetito deinde leniente proposito, in usu fuerunt syr. magis aperientes ex syr. capill. ven. de quinque radicibus, & byzantino cum aceto, cum decocto agrimoniæ, ceterach, capill. ven. betonic. sem. citri, & matricariæ, alvo interim clysteribus sollicitata. A quibus cùm jam febris negotium non facesseret, erat enim valde remissa, exhibuimus aquam Tettutianam, cum mell. ros. solutivo, biduum; ac deinde aquam B. Virginis potui, cum syr. capill. ven. in primò cyatho, ad lib. 6. 7. 8. 9, cujus beneficio sedata est sitis, & fames inducta juxta Hipp. effatum 4. in 6. Epidem. quod Aqua sit vorax; id est homines reddat voraces, & famelicos; quod non solùm accidit ex potu frigidæ corrugantis os ventriculi, sed etiam ab eadem acida & parùm salsa, qualis est B. Virginis quia deterget. Verùm quia difficulter permeabat ac propterea suspicionem injiceret majoris serositatum proventus in venoso genere, ideo ipsius potu supersedentes, exhibuimus succum cichorii optimè depuratum in jure columbæ, in quo macerata fuerat coma absinthii, cum unc. sem. succ. agrim. perstititque in usu ipsius plures dies, præmisso bolo ex trochiscis cypheos, alvus interim laxata pilul. masticbinis, additis granis duobus elaterii; quarum usu quarta quoque die repetito, magnam aquæ vim dejiciebat, cum perfecta virium tolerantia; ut propterea mina fuerint validiora, cùm vigeret ætas; quorum loco decoctum potius fuit in patria autumno administrandum. Externis demum usi sumus Lutis & aquis Thermalibus. illis quidem D. Petri abdomini applicatis, & immersione corporis umbilicotenus in aquis Aponitanis; quarum ope resedit crurum tumor. Atque hæc fuerunt hic administrata, cum luculento juvamento Nobiliss. patientis, accedente recta victùs ratione, misso aliorum usu in patria ad autumnale tempus, ubi cura Virorum præclarissimorum pristinæ valetudini restituta fuit. *Benedict. Sylvatic. Consil. & Respons. Med. Cent. 3.*

Illustriss. & reverendiss. Præsul, annorum 56. antehac temperamenti calidi & humidi, nunc ad frigidum, & humidum vergentis, conqueritur de variis affectionibus, paucorum mensium spatio subortis tumore scil. duro scyrrhoso in regione ventriculi, supra hepar; difficili respiratione in ascensu locorum acclivium tumore pedum, & crurū, totius corporis torpore ac segnitie, melancholia, ac tandem inappetentia. Quarum origo adscribitur liberaliori potui ætate præterita, post vitam sedentariam, cum continua mentis agitatione, & cohibitam sanguinis hæmorrhoidalis evacuationem. Nec immeritò. Ab his enim omnibus causis labefactatur adeo calor nativus jecoris, & accumulantur cruditates, cùm per suffocationem, tum per ejusdem distractionem, ut facillimo negotio mutatà intemperie calidà in frigidam & humidam jecoris, ac aliorum viscerum, coacervata sit copia humoris serosi, & pituitosi in toto venoso genere qui deinde sicuti tumorem produxit in partibus subcutaneis Steatomati, vel Atheromati non absimilem, circa regionem ventriculi; ita dum imbuit musculos intercostales, respirationem impedit in ascensu per loca acclivia. Confluens autem idem ad pedes, & crura, prædictas partes tumefecit; qui tumor forsan ædematosus diffusus per totam musculosam substantiam partes omnes torpidas reddidit, & inappetentiam inducit ad os illapsus ventriculi.

Quocirca non immeritò de agendis consulitur. Maximum namque impendet periculum patienti Illustrissim. ab hydrope. Quare ut à præsentibus affectibus liberetur, & ab imminentibus præservetur, quatuor sunt agenda; expiandum est primò accuratè totum corpus; digerendæ postmodum sunt, & sensibiliter evacuandæ serositates, quæ à variis partibus confluxerunt; tertiò corroborandum est calidum innatum jecoris, & totius venosi generis; ac tandem revocandæ sunt evacuationes consuetæ. Quod fiet per evacuantia, alterantia, & symmetriam viscerum foventia.

Pro totius purgatione laudantur primò Lenientia ex el. lenitivo, & speciebus hieræ simpl. mox præparantia materiam in ventriculo eaque sine diluto; syr. de corticibus citri, vel ros. simpl. oxymel simpl. & syr. de betonic. cum unc. j. emuls. sem. citri, triduum: à quibus prædictum leniens, vel ipsius loco mel. ros. solut. & manna erunt ex usu. Secunda humorum præparatio fiet syrup. de betonica, de hyssopo, de prassio, & oxymel. scyllitico, additis

additis unc. iij. jusculi carnis alterati beton. borrag. origano; ac interea sanguis educatur ex venis sedalibus mediocri quantitate. Post usum verò quinque syrup. repetatur purgatio addito agarico trosciscato, & senna, habeatque oxymel scilliticum in familiari usu. His peractis, exhibeatur aqua Tettutiana ad lib. 4. singulis diebus, præmissis unciis iij. mel. ros. solut. Mox ad validiora deveniendum, quæ erunt duplicis generis, primo hydrotica matutinis horis assumenda; puta radix mechoacan. radix jalappæ, succus sambuci, summitates ebuli, mann. elect. & aliquando grana tria, vel quatuor elaterii. Diuretica demum vespertinis horis exhibenda, decoctum scil. sassaphras cum radicibus fœniculi, asparagi, rusci, paratum cum columba turricola, instillatis quatuor vel quinque guttulis spiritus vitrioli, & salis. Non omissis externis serositates educentibus, atque imprimis provocato sudore in hypocausto, vel in balneo aquæ sulphureæ.

Victus sit tenuis, attenuans, & detergens; ac proinde intinctus ex petroselino, cinnamomo, & aceto, conferet. Vomitus aliquando à cibo, cum succo raphani, & oxymel. Exercitium pedibus, si fieri poterit, sin minus, curru ex usu erit. Vigilet: abstineat tamen à negotiis. & pil. ex aloë familiares habeat; quò revocetur sanguis hæmorrhoidalis. Vino albo aromatico utatur pauca copia, & tumori ventris adhæreat ceratum oxelæum, subactum cum succo cyclaminis, & herbæ reginæ. Atque hæc Ill. patienti ex usu fore spero *Idem Ibidem.*

Corpori quidem excalefacto quandoque dysenteri m succedere dicebat noster Divinus Senex, sed addebat, si purgatio acris, ideo & ego excalefacto corpori Adm. Rev. Patris addo, acrium humorum excretionem sequutam fuisse, bilioso nempe prægresso in venoso genere apparatu, qui facilè congeri potuit, habita totius & jecoris temperamenti calidi & sicci, habitus gracilis, exercitii immoderati tempore calidiori ratione; unde Diarrhæam biliosam & acrem Dysenteriæ associatam suppono, quam immaturè sistere est ita periculosum atque perniciosum, quàm citiùs sanare Dysenteriam necessarium: quæ quoniam frequenter implicant, ideo non adeo medico facilis evadit Curatio, ut propterea de intemperiem calidam corrigentibus multo magis, quàm de astringentibus solicitum esse debere Medicum exclamaverit Trallianus; iis enim inopportunè adhibitis, aut supressa evacuatione multo pejora mala succedunt, aut saltem viscera naturalia implentur & obstructionibus, à quibus augetur intemperies, & afficiuntur, calor naturalis eorundem labefactatur atque imminuitur; unde vitiantur concoctiones, & hæmatosis præsertim in hepate, indeque totiùs corporis nutritio.

Ita in casu nostro obstructiones præsentes necessariò suppono non in solo hepate, verùm & in mesenterio, & lacteis; quæ non solum chylo in ventriculo non integrè elaborato, transitum ad jam dictas venas, & mesentericas, & lacteas impediant, sicque in via remorando corrumpatur, & diarræa inde chylosa, multis diverso tempore variegata coloribus conservetur; verùm etiam pars illa chyli tenuior, quæ ad hepar pervenit, non adeo rectè elaborata ab imbecillitate ejusdem in pravum sanguinem vertatur, qui ad venas distributus, utpote nutritioni magna ex parte ineptus, primo totum vitiato colore depravet, mox pars deterior ad extrema transmissa, eadem tumida reddat, sicque mali habitus, sive Cachexiæ principium appareat, quæ consistere solet in universi corporis pallore, extremorum tumore, & totius macie.

Adm. Rev. Patris status negligendus non est, ne Cachexia perficiatur, quæ Hydropicorum caput ab Avic. jure merito dicebatur. Ut autem arceatur, obstructiones reserare omnino necessarium puto; deinde intemperies corrigere, & partium naturalium innatum calorem fovere: ita enim expeditus reddi poterit chili transitus ad hepar & venas, sicque supprimi di rrhæa; concoctiones præterea perfectiores reddi, & ita totum corpus probè nutriri: unde deficientibus excrementis, & extremorum intumescentia necessariò cessabit.

Pro quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico in præsens nulla est depromenda sanguinis missio ut quæ obstructionum proprium remedium non sit; iis tamen adapertis, & suppressa prorsus diarrhæa, progressu forsan, pro ca ida intemperie jecoris remittenda, aliqua, sed parca conuenire posset sanguinis eductio, situm temporis labefactati nativi caloris adhuc aliquod supersit indicium. Fundo ventriculi aliqua couvenire posset levis illinitio, aut oleo M. D. H. aut oleo de cortic. citri aut de cinamomo, sed legitimo. Reliqua totius abdominis regio inungi & tractari poterit oleo amygdal. in quo coma absinthii macerata fuerit.

Reliqua à fonte Pharmaceutico depromenda. Et quoniam dixi medicam intentionem esse præcipuè reserandis obstructionibus dirigendam, ideo statim ad rhab. usum confugiendum, quod ita poterit exhiberi, ut faciliùs permeet, minusque ventrem moveat.

℞. Extract. rhab. ℈ j. sal. tartar. fixi ℈ ß. m. ref. bolus, & summo mane præbeatur, cui post horam superbibat seri capr. aut asin. destil. cyathum, tribus verò horis ab assumpto sero prandeat. Sequenti verò die bibat.

℞. Aq. stillat. de succo agrimon. ℥ iv. de succo cichorii ℥ iij. tartar. vitriol. gr. x. m. & præbeatur quatuor horis ante cibum. In horum autem alternato usu persistendum ad viginti dies saltem; ut mox rhab. infusum exhibeatur, eo fine, ut jecoris non solùm cavam, verùm & gibbam partem penetrare valeat, tuncque ita parabitur.

℞. Rhab. opt. maturi ʒ j. spicæ gr. iij. m. alligentur in panno lineo, & infund. per noctem in cyatho aquæ stillat. agrimon. & cichorii. Sequenti verò die bibat cyathum aq. stillatit agrimon. & capill. veneris, in quo dissolvantur gr. x. sal. tartar. volatilizati; in quorum alternato usu pluribus diebus erit insistendum, si videbitur opus esse Excellentissimo Medico Adstanti.

Reseratis autem obstructionibus, præberi poterit succus cich. depur. & per arenam trajectus ad ℥ iij. in jure pullæ cichorio alterato, in quo dissolvi poterit sal absinthii ad ℈ j. & in

hujus usu ad plures dies pergendum, dum interim & ventriculi aliqua ratio erit habenda; in quem finem absinthita omnia opportunissima erunt. Confectiones item, præsertim ex ol. legitimo cinnamomi; & hyemali tempore quandoque etiam magnæ Antidotus.

Quibus omnibus addenda congrua atque diligens victus ratio, mediocris quoad quantitatem, attenuans & aperiens quoad qualitatem, alimentorum facilis coctionis atque distributionis, exiguique excrementi, a Viro Excellentiss. omni diligentia præscribenda, cui reliquorum quoque omnium jam dictorum rectum & opportunum usum remitto. *Raym. Joan. Fortis Cent. & Resp. Modic. T. 2. Cent. 3.*

Matrona Illustrissima & Excellentissima quadragesimum annum agens, ex Patre podagrico nata, temperamenti à primo ortu totius, & jecoris calidi & sicci, capitis verò calidi & humidi, podagricis doloribus multis abhinc annis obnoxia, vitam sedentariam ducens, cùm valde fœcunda fuisset, pluries concepit, & feliciter peperit, at in postremis partubus adeo copiosum lochiorum, indeque probi sanguinis profluvium fuit subsequutum, ut exanguis Lipothymiis frequentibus prehenderetur cum evidenti discrimine vitæ. Reassumptis autem parumper viribus, iterum atque iterum nova parturiendi occasione, in eandem largam sanguinis effluxionem incidit, & interim Menses decolores inde, nec statis temporibus apparuerunt, quo eodem modo perseverant, & ipsa quoque in toto decolor reddita, de ventriculo affecto conqueri cœpit, & de redundante in eodem humiditate & anxietate à cibo præsertim, sequutis aliquando, licet cum difficultate, vomitibus ejusdem materiæ aquosæ & pituitosæ, ut plurimum insipidæ, nonnunquam etiam acidæ, accedentibus in toto abdomine rugitibus, hypochondriorum tensione, non tantùm in epigastrica, verum & hypogastrica regione, Menstrua inordinata & variegato colore apparere cœperunt, Mulierque Excellentissima mœsta fieri, cum cordis oppressione, capitis obtenebratione, gravedine, & nonnunquam sensu punctionis & lancinationis, dum calidas atque fuliginosas evaporationes ab hypochondriis ascendentes, caputque ferientes percipit; à quibus omnibus se levari affirmat, dum serositatis aqueæ copiam per urinam deponit, quod tamen non adeo frequenter accidit. Interim etiam ad ambitum corporis portio serositatis ejusdem defertur, pruritum excitantis: & pariter cum levamine aliquo ex scalptu. Gaudet ambiente calido & calidorum accessu: extrinsecus enim corpus frigidum habere sibi videtur, accedente quandoque etiam rigore, vel saltem horripilationibus citra febrem. Crura jam intumescere cœperunt, & dum Autumno præterito medicamentis adversus hujusmodi affectus pugnabatur, extemporanea principum omnium actionum abolitione cum motibus convulsivis correpta fuit, quod genus symptomatis quater aut quinquies octo mensium spatio repetivit. Modo hoc mense Maio à Podagra non omnino immunis, cum tumore in cruribus foveam conservantibus, totiusque corporis pallore & macie, nec sine metu recurrentis epilepsiæ, de agendis consulit.

Quamvis Matrona Excellentissima à primis annis biliosis febribus, moxque pustulis in facie circa os obnoxia fuerit, caloris exuberantis indicio, mirandum tamen non est; si in præsens frigiditatis signa supervenerint; siquidem ex immodicis sanguinis ex utero profluviis iterum atque iterum repetitis, naturalem calorem labefactari, quinimo & diminui necesse fuit, unde & Aristoteles dicebat: quod si multùm sanguinis deficit, si nimium, omnino interit vita. Ita & sacræ paginæ animam in sanguine reponunt, dum pro anima calorem nativum sumpserunt, & sumebat Hippoc. ipse. Summa verò cum ratione idem dicebat quod si *Menstrua plura fiant, accidunt morbi*, quos enumerat deinde Gal. asserens, sequi vitiatum totius colorem, inappetentiam, læsam concoctionem, pedum tumores œdematosos, virium languores; & peculiariter magis ad hominem protulit in Aphorismis, inquiens, quod ex profluvio sanguinis calor nativus adeo debilitatur, ut cibi neque bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multoque minus distribui possint, quod confirmavit experientia in Excellentissima Matrona, in qua debilitato calore nativo totius corporis, & potissimùm ventriculi atque jecoris, cruditates in illo, indeque obstructiones subortæ sunt, unde hypochondriacæ affectiones, serositates in isto, & imperfectus sanguis, unde vitiatæ totius nutritiones; ad quæ omnia non parùm conspiravit vita sedentaria, spontanea potiùs quam coacta. Nec horum desunt manifesta signa; cruditates enim frequenter percipit Excellentissima Matrona in ventriculo insipidas, etiam quandoque acidas, rugitus præterea in hypochondriis, & murmura, quinimo & fluctuationes, aqueæ serositatis quandoque per urinam copiosas excretiones, & ejusdem ad ambitum corporis transmissiones, pruritum & rigores, sive horripilationes, citra febrem nonnunquam cum sudore excitantes; quæ tamen non à sola positiva frigiditate congelante, verùm & à jecoris calore temperamenti, & adscititio colliquante fieri credo, qui calor juvenibus semper major evadit, & ideo Gal. dicebat *Pueros esse ætate florentibus calidiores; ætate vero florentes esse pueris calidiores simpliciter.* primo loco de nativo calore, secundo de calore temperamenti loquutus; quos calores distinguere quoque voluit Hippocr. ipse; quinimo nativum calorem à calore adscititio temperamenti sæpe magnopere lædi nos docuit, dicens, quod *Anima nostra producitur usque ad mortem, sin autem igne excanduerit, simul cum morbo anima quoque depascitur.* Ideo in casu nostro oblivisci non debemus temperamenti naturalis Excellentissimæ Matronæ, sed vigere credendum, labefactato licet calore nativo; & ideo ab illo non solùm hypochondriacum & flatuosum affectum exiccatis cruditatibus primo in ventriculo genitis, moxque in lacteis & mesentericis venis stabulantibus, necnon cum sanguine ad Uterum transmissis, & obstructiones facientibus ortum habuisse, sed & ab exusto quodammodo sanguine, in vasis illis stagnante, melancholicam quoque affectio-

ctionem fuisse superadditam; quibus præsentibus, exteriora frigent, iis quoque, quibus neque serositates aqueæ ad ambitum corporis transmittuntur, neque tumores œdematosi in cruribus excitantur. Verùm quod magis est, in casu nostro à melancholica, & facilè quoque hysterica minera Autumno proximè præterito medicamenti occasione agitata, elevati fuliginosi & acidi, si non acres vapores, caput petentes, & ad cerebri ventriculos sese insinuantes, meninges irritantes, motus convulsivos in toto excitarunt, & cum animalium actionum abolitione; dum ad illam ventriculorum concussionem spiritibus animalibus & motus inordinatus additus, & transitus liber fuit impeditus, unde sequuta privatio sensus, regularis motus & omnium facultatum abolitio, quæ omnia epilepticam affectionem constituerunt; ut propterea observaverit Hipp. quod melancholici facilè fiunt epileptici, & è contra.

Quoniam verò vitiatam esse dixi Excellentissimæ Mulieris totius nutritionem, & non solùm imminutè, quia gracilior, quàm antea, facta est, sed etiam depravatè, quia decolor atque pallens reddita, cum crurum tumoribus œdematosis foveam servantibus; ideo ad Cachexiam tendere nullus est Medicorum qui non videat, sicut in euexia sanguis optimus, color floridus, & caro mediocris esse solet. Neque crurum intumescentiæ à toto venoso genere procedentes cum podagricis tumoribus à capite per spatia potissimùm prodeuntibus, sunt confundendæ, ut quæ carnes, illi verò articulos occupent.

Status Excellentissimæ Matronæ est periculi plenus, cùm à planta pedis usque ad verticem capitis non sit in ea sanitas; etenim motus progressivi proximam minatur impotentiam Podagra: Cachexiam & hydropem jecoris nativi caloris paupertas: affectum melancholicum hypochondriorum obstructiones; indeque epilepsiæ perseverantiam capitis imbecillitas. Et quamvis jecur, ut minister Principi, cordi subministrare videatur, attamen ut vere Princeps, distribuendi facultatem obtinet.

Quare viscerum naturalium intemperiebus primò incumbendum esse videtur, deinde capiti; at neutrum præstari potest, nisi ablatis obstructionibus, totoque venoso genere repurgato, nec dictorum ullum sine præcedenti primarum viarum expiatione; ideo omnium primo ventriculus & intestina ab excrementis mundanda. Secundò mesenterii, deinde jecoris obstructiones reserandæ. Tertiò venosum genus depurandum. Quartò etiam uteri vasa pervia reddenda. Quintò capitis humida intemperies corrigenda. Sextò calor nativus ventriculi, jecoris atque totius restaurandus; atque tandem viscera omnia una cum capite roboranda.

Quibus intentionibus confidenti animo satisfacere conandum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis.

Et inter Chirurgica consideratur sanguinis missio, quæ tunc solum locum haberet, quando Cachexia ab aliqua consueta sanguinis evacuatione suppressa ortum duceret; in hac verò opposito modo se habente, minimè convenit. At quoniam totius massæ sanguineæ status est à nobis explorandus, ideo erit aperienda dexteri brachii vena media, sanguinis qualitatem observando, qui si niger & crassus exierit, ad ℥ v. & non ultra permittendum ut exeat, si tenuis & pallens, statim supprimendus. Cauteria præterquàm quod odiosa forent, suspecta quoque habentur.

A Pharmacia pro primarum viarum expiatione desumenda sunt lenientia, & erunt.

℞. Pot. ex manna clarif. ℥ vj. aq. cinnamom. ℥ß. m. pro potu. Præparans autem sit hujusmodi.

℞. Julap. acet. ℥ ij. aq. flor. citri ℥ ij. aq. cinnam. ℥ß. poll. cremor. tartar. ʒ ij. m. pro syr. & sic pro aliis v. quos subsequatur idem Leniens ex pot. ex mann. clarif. ℥ vj. aq. cinnamom. flor. citri an. ℥ß. m. f. potio. Inde secunda sequatur humorum præparatio, & primarum obstructionum reseratio, parando julapium, aut macerando in aceto & aq. agrim. radices fœniculi, petroselini, apii, graminis, sive asparagorum, & facta forti expressione, colaturæ addatur sacchari albi q. s. ut fiat julap. longum, ad ℥ iij. quotidie septem diebus exhibendum, cui superbibat jus pulli junioris tenue, alteratum cichorio, borag. endiv. soncho, melissa, agrimonia. Septem verò transactis diebus paretur eadem potio clarif. addendo infusioni consuetæ agar. trochisc. ʒ iij. rhabarb. opt. turbith. an. ʒ j. & aq. cinam. ℥ ß. f. potio. His peractis, ut viscera, simulque massa sanguinea purificetur, ad usum syr. Ferneliani, qui syrupus cachecticus ab eodem nuncupatur, erit deveniendum; præbeatur autem decem aut duodecim diebus, tertio aut quarto quoque die ad ℥ ij. additis totidem unciis vini albi maturi, neque dulcis, neque austeri, tribus aut quatuor horis ante cibum. Diebus verò intermediis exhibeatur cyathus aq. stillat. de succo agrim. in qua dissolvantur tartar. vitriol. gr. xii. necnon salis artemis. & sabin. an. gr. v. quibus addi quoque possunt grana salis viperini. Et si fortasse à jam dictis assumptis calor molestus percipiatur, dimidiæ agrimon. præscriptæ æqua portio misceatur aq. de succo cichor. sicque alternatim syrup. noster Fernelianus & aq. agrimon. sumatur usque ad xxiv. diem. Quo tempore decoctum sudorificum convenientissimum erit, nisi ab æstivo calore prohibeatur; hoc enim poterit humiditates excrementitias, in carne & interstitiis existentes absumere, humidam capitis intemperiem corrigere, & visceribus naturalibus robur addere; ita autem parari poterit.

℞. Visc. querc. veri ℥ j. salsæ, medullæ guajaci, Chinæ, rad. pœon. an. ℥ß. aq. stillat. cichor. beton. pœon. an. ℔ j. m. f. infusio per hor. xxiv. deinde bull. ad consumpt. dimidii, & colat. servetur pro duabus vicibus, cui præmittantur pulv. viper. gr. xv. & transacta hora ingrediatur hypocaustum, ita ut caput cum toto corpore sudet. Alligetur autem in petia seorsim guajacum, & facta colatura, abjiciatur, ut aqua secunda suavior evadat, cui in fine ebullitionis addi poterunt frustula cinam. & citri rec. ut aqua vulgò Cedrata evadat. In hypocausto non sudet ultra horæ di-

midium, perseveret autem triginta diebus & decimo quoque die potionem assumat ex manna clarificata; nec victus sit adeo tenuis, verùm tertio quoque die, aut pullus junior, aut palumba turricola assa concedatur. imò & quandoque ptisana hordeacea. Vinum quoque aliquando, sed raro, album, aqua secunda dilutum, concedi poterit.

Verùm si ferveat nimis anni tempus, ita ut hypocausti ingressus periculosus videatur, paretur saltem ejus vice jus palumbæ turricolæ, aut galli junioris, China, ligno ror. mar. lentisco è Chio, & radice pœoniæ alteratum, cui præmitti poterit pulvis viper. ad gr. xx. ut qui extenuantis sit facultatis, citra insignem calorem ad cutem properans. Observanda tamen naturæ propensio, quæ si ad urinam inclinare perseveret, ut antehac; ad ambitum corporis non est divertenda, sed quo vergit, eo ducere oportet, viperino pulveri terebinthum substituendo quotidie ante præscriptum jus. Sudor autem cum primo decocto in aliud tempus opportunum magis erit differendum.

Interim ventriculi, jecoris & capitis ratio corroborans erit habenda; quare in usum ducat æstivo tempore salem absynthii; proderit enim & ventriculo, & jecori, sicut ejusdem succus condensatus, vel conserva. Temporibus verò frigidioribus, theriacæ usus utilissimus erit. Pro capite verò sub ingressum lecti proderit Conserva è floribus betonic. ror. mar. salviæ. Nec à proprietate juvantia adversus epilepticos insultus sunt negligenda; in quem finem præsto sint conservæ è floribus lilior. convallium, pœon. rutæ capr. quibus misceatur pulvis ungulæ alcis, salis cranii humani, superbibendo haustum aq. pœon. rutæ caprariæ, tot. citri, cord. Saxoniæ.

Articulis quoque tum affectis, tum non affectis aliqua sunt administranda medica auxilia; & primo affecti & tumefacti manu illiniantur, & perfricentur tali linimento.

℞. Adipis anseris ℥ij. adipis felis ℥j. ol. nucis mosch. expr. ʒij. salis alb. ℥ß. m. ref. omnia ad ignem pro quotidiana inunctione. Non affecti verò roborari solent oleo antiquo salito; quod quoniam gravè olet, ideo substituatur pro Matrona Excellentissima spiritus salis ʒj. quintæ essentiæ ror. mar. ℈j. quintæ essentiæ rosar. ℈ß. m. & vola manûs guttulis aliquot inuncta fricentur articuli.

Hisce omnibus congrua erit addenda victûs ratio, non quidem tenuis, sed nonnihil extenuans; circa quam observatione dignum erit, quod Matrona Excellent. objectorum violento, aut celeri motu sese moventium aspectum evitare debet, sicut odores, & bonos, & malos, motus quoque concitatos totius corporis, sive in Navicula, sive in Rheda; pedibus autem domi, quo magis fieri poterit, corpus exerceat; à proprietate nocentibus abstineat, ut à vaporosis omnibus, tum calidis, tum frigidis, à carne hædina, qualeis perdicibus, coturnicibus, ab anguilla, leguminibus, & reliquis, à Doctissimo & prudentissimo Medico adstanti considerandis, cui cætera omnia jam proposita, alteranda, mutanda & ad rectum usum revocanda libenter committo. *Idem ibidem.*

Non hoc mihi sumo, V. C. ut de nobiliss. Matronæ morbo ejusque causis judicare me rectius posse putem, quàm tu ipse, qui hactenus curationi interfuisti. Quoniam verò hoc à me requiris in literis tuis, morem tibi gerere volui. Succumbit nobiliss. Matrona Cachexiæ hydropicæ, ni fallor, ad Anasarcam proxime vergenti non sine levi scorbuti sublatentis; qui corpora nostra sub omnium malorum larva clanculum aggredi solet, suspicione. Quænam fuerint à parentibus derivata generationis primordia, me quidem latet. Nec quicquam mihi constat de victûs norma & vitæ genere, quo ab ineunte ætate usa est, quæ si minus profuerit, pro fœminarum more, luxui utplurimùm indulgentium, huic multorum capitum hydræ generandæ potuit esse satis. His accedit impregnatio, cujus tempore plurima ex suppressis mensibus & diætæ erroribus in corpore accumulantur excrementa. Video tamen naturam, industrium alioquin humani corporis opificem, effinxisse huic generosæ Matronæ infirmam corporis constitutionem ab ipso ortu, nec dum vel peritissimorum Medicorum opera & sedulitate ad meliorem statum reductam, sed & graviditatis tempore in pejus lapsam. Familiaris est affectus hic utero gerentibus, maximè verò iis, quæ ante ingravidationem in eum viscerum vitio ruere proclives fuere, præcipué si fœtus alimentum non satis attraxerit. Cujus exemplum proponit venerandus noster è Coo Senex in *Harpalidæ* sorore, cui quatuor vel quinque mensium spatio uterum gestanti pedum tumores exorti sunt œdematosi; oculi in orbem intumescebant totumque corpus velut pituita alba suffusum in tumorem elevabatur, accessit tussis sicca & orthopnæa, interdum quoque spiritûs suffocatio, adeo quidem ut perpetuò in lecto erecto corpore sedere neque decumbere ullo modo posset, sed si qua somni capiendi urgeret necessitas, eum desidendo capere cogebatur. Dic sodes, an non generosa nostra hujus fœminæ ipsissima est imago? Certè non est ovum ovo similius. Laborat illa magna viscerum nutritioni dedicatorum, hepatis maximè, dyscrasia & imbecillitate, tum natura sua tum & victus erroribus acquisita & aucta, quorum merito sanguis generatur pituitosus crudus & serosus, qui in corporis partes evectus, illicque concrescens vitiatam substantiam pro utili apponit & assimilari nequit. Hinc corporis moles intumescens præter naturam augetur, corpusque non ut antea promptum & alacre, sed grave & iners; non robustum viribusque pollens, sed effœtum, dissolutum ac quasi enervatum; non firmum & compactum, sed molle & laxum; non vivido colore florescens, sed subalbido & pallido squalidum apparet, sanguine phlegmatico & seroso cutis substantiæ imbibito nec ritè digesto, plurimis quoque excrementis in ipsis carnosis partibus luxuriantibus. Pedes tumor ædematosus infestat, qualis ex abundantia sanguinis piuitosi oriri solet. Sed & pectoris angustia plurimùm urget, non quod pectus aut pulmo, quæ tua est opinio, particulari hydrope afficiatur, sed ob Diaphragmatis compressionem, necnon pituitam viscidam in bronchiis pulmonum collectam.

Non inficias iverim humores serosos, circa hepar in venoso genere collectos per uenam arteriosam in pulmones effundi, unde respirationis necessitas augetur compressis pulmonum bronchiis, quod malum insuper à vaporibus ab utero in partes spiritales in puerperio elatis non parùm ingravescit. Ex his de aliis symptomatibus, si quæ restant, facile est judicium. Et hæc sufficiat quoad affectus idæam proposuisse, qui generosam Dominam in tantum discrimen & vitæ periculum præcipitavit, cui debellando ne *Hercules* quidem suffecerit. Hactenus sapienter & magno judicio hostem hunc infensissimum oppugnasti & juxta abs Te desumptas Indicationes remedia à Te assignata non improbo. Miror saltem omnes evacuationes hactenus omissas fuisse. Si meo consilio locus, purgarem ægram pulvere Mechoacannæ cum correctivis, quem tutò exhibere poteris etiam utero habenti. Hæc radix, ut nosti, vim habet mirificam hepar aperiendi & roborandi atque ab hydrope præservandi, colorem etiam lividum faciei, ab intemperie & obstructione hepatis oriundo, emendandi. Poteris pulverem ejus adjecto sacchari tantillo ex aqua Absinthii, vino albo diluta propinare. Vidi matronam aliam hac radice in simili casu curatam. Hinc adjunge decoctum Palmæ sanctæ, adjecta ligni sassafras portione, quod in corroborando stomacho, aperiendo hepate & præservatione ab Hydrope maximæ est efficaciæ. Quod si brodio potius delectetur, laudarim jusculum gallinæ China, santalis, ligno Sassafras, Mentha, Buglosso, Scolopendria, Nuce moschatâ, & similibus medicamentum. A pastu verò utatur pulvere sequenti.

♃. Semin. Anisi ℥ij. sem. coriandr. Fœnicul. dulc. an. ʒj. Corall. rubr. præp. Cinnamom. ʒj. Cinerum pellicul. ventriculi Gallinæ lotor. in aq. Rosar. ʒj. sacchar. rosat. Tabul. ℥iiij. Misce, f. Pulvis, cujus dosis Cochlearii. Horâ somni devoret quantitatem juglandii Electuarii quod.

♃. Conserv. Rosar. rubr. Vitriolat. & flor. Cichor. an. ℥j. spec. Aromat. Ros. & Diarrhod. Abbat. an. ʒß. syr. de Mentha & Corallor. an. q. s. Misce, fiat Electuarium. Tandem observet bonam victus legem, utatur cibis boni succi, facilis concoctionis, abstinendo à frigidis, crassis & lentis atque aquosis, quorum minutias Tu qui præsens, facilè præscripseris. A partu de aliis erit cogitandum. Deus opt. max. hæc paucula ad nobilissimæ Matronæ recuperationem efficacia velit esse. Tu me ut facis ama, Vale. *Frideric. Loss. Consil.* 49.

Vir quadraginta annorum, febri erraticâ diu fatigatus, & tandem ab ea liberatus, incidit in pedum & tibiarum inflationem; quæ deinde, per femora & testes paulatim ascendens, totum corpus, faciem ipsam, palpebras, labia, ac gingivas occupavit. Color corporis ad fœdam albedinem declinat. Digiti partibus externis impressi aliquandiu profunda in iis relinquunt vestigia. Urina est pauca & cruda. Pulsus debilior. Coctio ventriculi tarda. Corporis motus lentus & languidus.

Afficitur in hoc ægro totius corporis habitus; ut ad oculum patet. Item hepar, ventriculus, lien, & aliæ partes, chylosi & chymosi ac etiam sanguificationi inservientes; quod totius corporis inflatio & tumor indicant.

Causa prima sive procatartica hujus morbi est febris erratica, quæ diu ægrum nostrum fatigavit. Hinc calor nativus, primò quidem nimis fuit intensus; sed postea, ex dissipatione spirituum & oleaginosarum partium, imminutus: unde humores serosi & pituitosi, item vapores crudi & crassi copiosè fuerunt in visceribus geniti: qui, in vasis cum sanguine contenti antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Ji verò, propter debilem viscerum calorem cum reliquis sanguinis partibus non satis bene mixti atque ideo extra vasa in habitum corporis, cujus minor quam viscerum est calor, sese effundentes & illi qualicunque modo se agglutinantes continentem hujus morbi & symptomatum constituunt causam.

Nam serosa & pituitosa illa materia, circa viscera chyloseos & chymoseos ac sanguificationis existens, producit ibi intemperiem commemoratam. Extra vasa verò in pedes, propter longiorem à corde & reliquis viscerib. distantiam, & seri gravitatem, effusa, facit ibi tumorem ædematosum, digitorum impressorum vestigia, ob partium mollitiem, aliquandiu retinentem. Hic, malo ingravescente, primum tibias & femora, deinde totum ambitum corporis, item brachia & caput, in eoque faciem, labia & gingivas tandem occupavit.

Et quoniam serosa hæc materia, ob dictas causas, in habitu corporis hæret; idcirco pauca ejus quantitas ad renes defertur; quæque eo deportatur est crassa & cruda, ac obstructos etiam ibi invenit poros; hinc urina etiam est pauca & cruda. Quia verò ab hoc sero & sanguine crudo ac frigidiore calor ventriculi & cordis, jam antea à febri præcedente debilis magis magisque debilitatur: hinc pulsus est justo debilior, ac concoctio ventriculi, ut & aliarum partium, tarda. Et denique quia moles corporis ab hoc tumore est gravis, & spiritus animales, ob serosam hanc cacochymiam, pauci, hinc motus corporis est languidus & tardus.

Ne itaque in lethalem leucophlegmatiam, vel ascitem abeat. Curatio quamprimùm erit inchoanda: quæ consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei viscerum & habitus corporis, per contraria, correctione. Primò itaque purgetur tali haustu.

♃. Diaphœnic. ℥ß. Tartar. vitriolati ℈j. dissolve in aq. card. benedict. ℥ijß. adde aq. cinnam. ℥ß. scammon. gr. viij. Misce F. Potio, manè jejuno ventriculo exhibenda. Postea utatur hoc apozemate aperienti alterante, & purgante.

♃. Cort. rad. apii, ireos recent. cort. ebuli an. ℥j. cort. bryon. ℥ß. cort. enul. campan. ʒiij. Herb. cuscutæ, agrimoniæ, ceterach, cardui bened. fumar. an. m. j. absinth. vulgaris & Romani an. m. ß. Flor. genist. sambuci centaur. min. an p. j. Sem. anisi, fœnicul. carui, dauci an. ʒij. fol. sennæ ℥ß. agarici, rad. esulæ an. ʒß. rhab. ʒj. Zinziber. cinnamomi, schænanthi an. ℈j. uvarum pass. ℥j. prunor. acidor. paria viij. liquiritiæ rasæ ʒij. decoq. ex aq. comm. & vin. alb. part. æqual. ad lib. ijß. & colentur pro Apozemate, de quo bibat æger uncias quatuor,

manè jejunus. Ubi aliquoties purgatus fuerit, utatur his tabellis corroborantibus & intemperiem viscerum corrigentibus.

℞. Spec. elect. aromatici rosati, diarrhod. Abbatis, diamargar. frig. an. ℨiß. rasuræ eboris, cornu cervi, an. ℨj. Ol. cinnamomi, caryophyll. an. ℈ß. sacchar. albi dissoluti in aq. rosar. ℥iij. F. Tabellæ ℨiij. pondere; capiat unam hora ante prandium & cænam. Ventriculus & præcordia hoc foveantur linimento.

℞. Ol. nucis moschatæ, absinthii, amygdal. amar. an. ℥ß. ol. cariophyill. ℈j. ceræ parùm. F. Linimentum quo regio ventriculi mane & vesperi illinatur, & superponatur scutum ex bombace. Alvus si postea substiterit, moveatur subinde his pilulis.

℞. Aleos rosatæ, spec. hier. simpl. rhab. agaric. trochis. an. ℨj. Cum syr. de absinthio q. s. F. massa, de qua capiat ℈j. horâ unâ ante cænam.

Cibus sit euchymus, ex pane triticeo, bene fermentato, carnibus gallinaceis, verùecinis, perdicibus, ovis sorbilibus; aromatibus moderatè conditus. Abstineat à multis jurulentis & sorbitionibus, multo potu; qui sit cerevissia & vinum album, mediocrium virium. Bis terve in die alatur quantitate cibi, quam facile conficere potest. Versetur in aëre mediocriter calido. Moderatè ambulando se exerceat. Bene dormiat; & tristiam fugiat. *Henric. Regius apud Theod. Craanen.*

Observationes.

Colore ex luteo fusco deformata erat mulier quædam, cum compressionis circa præcordia (ut cachectici solent) dolore. Imprimis verò de summa imbecillitate membrorum conquerebatur, urinæ crudæ & albæ erant cum me consuleret, obstructiones in venis meseraicis adesse judicavi, vinum hoc illi 9. Maii præscripsi.

℞. Rad. aperit. an. ℨiij. rad. rhapont. ℥ß. cort. rad. Sambuc. ℥j. absynth. ℥ß. Chamæp ℨij. summit. centaur. min. sem. fœnicul. an. ℨj. sem. petrosel. ℨij. fol. sen. ℥iß. agar. ℥ß. Zinzib. ℨj. limatur. chalyb. præp. instar castaneæ. Infund. in vin. alb. Mens. iß. bibat aliquot matutinis, cum ter bibisset, & nullam operationem sentiret, jussi in postremo haustu dissolvere El. de succo rosſ. ℨij. diaphænic. ℨi syr. rosſ. solut. ℥j. bibit bonum haustum & admodum purgata fuit: revera 18. Maii ordinavi sequens.

℞. Conserv. flor. cichor. fl. bugl. capil. ven. & rad. apii an. ℥j. pulv. pellic. stomac. & intestin. gallinæ, ℨi. limatur. chalyb. præp. ℨiij. cum syr. de 5. rad. F. Electuarium, sumat instar castaneæ manè alternis diebus superbibendo ad ℥iß. aq. sequentis.

℞. Aq. cent. min. ℥iiij. aq. Endiviæ ℥iij. misce. Hisce continuatis 2. Junii ad me veniens, urinamque salubri similem ostendens, successum medicamentorum laudabat, ut pote quæ nullam amplius in membris sentiret debilitatem, cibumque bene appeteret & concoqueret; faciesque melius colorata, genæque parùm rubescentes, etsi fusco colore à natura prædita esset. *Felix Platerus, Observ. lib. 3. pag. 603.*

Præterire non possum pulverem meum cachecticum, qui ob fœlices successus imprimis in infantium cachexia febre lenta comitata, usualis in nostris officinis factus est.

℞. Rad. & sem. pæon. excortic. an. ℨj. rosſ. rubr. ℨß. nuc. mosch. parùm tost. ℈ij. baccar. lauri parùm tostarum ℨß. Spic. Schænanth. Croci an. ℈j. pellicul. ventriculi & intestin. gallin. præp. ℨj. Croci martis aperitiv. ℨiß. Cinamom. ℈j. fiat omnium pulvis tenuissimus. *Idem Pract. Tom. 3. lib. 1. cap. 2. pag. 119.*

Admodum Illustris Domina Dorothea, Dom. Augustini Bero uxor post febrem continuam in duplicem tertianam inciderat: quam κακοχυμία, ventriculi frigida constitutio, viscerum, lienis & jecoris durities mesaraicarum obstructio, inappetentia, vigiliæ, & similes affectus concomitabantur. Nobilis hæc Domina, ut naturâ satis delicata, & vulgatis remediis nauseabunda, ipsisque & morbi diuturnitate defatigata, vitam in non exiguo discrimine trahebat, eò magis certe quod ad hydropem jam jam incipientem inclinaret. Hujus curationis difficultas & à parte subjecti, & à morbi natura pendebat, Quocirca nobilissimæ ægræ nobilissimum hoc electuarium exhibuimus.

℞. Salis centaurii minoris ℨj. conser. rosar. & violar. an. ℥i. olei vitrioli gutt. x. Mixtis omnibus concinnabatur Electuarium, cujus ℨii. bis in die dabantur; cujus beneficio brevi convaluit *Petrus Poter. Observ. & curat. Centur. 1.*

Perillustris Dominus D. Marcus Aurelius Donatus Romanus, Bononiam venit, ut Cachexiæ jam pridem post diuturnas febres contractæ mederetur. Ad hanc accedebat lenta febris, dolor & imbecillitas ventriculi, insignis virium prostratio, alvi stipticitas, & similia; quæ omnia, solius specifici nostri stomachici usu, intra sesquimensem sustulimus. Specificum ejusmodi stomachicum insensibiliter suas vires exerit, aperit, dissolvit, & roborat: ter & quater in die in magnis morbis adhibetur, cum vino, conserva, aut quovis alio condito. *Idem Observ. & Curat. Cent. 2.*

Incurabilem, & penitus deploratum Hydropem, Hæmorrhagiæ succedentem, quotidie experimur: nam in magno sanguinis effluvio, fit maxima caloris, & spirituum jactura; quemadmodum prava succorum concoctio, à qua phlegma & aqua. Sic contigit Doctiss. & optimo viro, Admodum Rev. P. Rossano, tunc collegii Bonon. P. Jesuit. Rectori, qui post longam, & continuam sanguinis fluxionem, in Leucophlegmatiam inciderat pedes, & tibias insigniter tumentes habens, cum insigni ventriculi imbecillitate; unde inappetentia, sitis, &c. Ad hæmorrhagiam firmandam coral. Tinct. saccharo rosaceo miscebamus. Ad ventriculi, & aliarum partium naturalium robur conciliandum, specifico nostro stomachico, cum conserv. rosar. contenti fuimus, quibus gratissimis pristinam recuperavit sanitatem. Videant interim, si sciant illi qui se jactitant cononicè mederi, num cura hæc tuta, vera & legitima sit. Quid si medicamenta hæc ipsis non sint nota, an propterea non sunt canonica? Ejuscemodi Aristarchis consulerem potiùs, ut naturæ miraculis sedulò operam darent

durent quàm inani, & infrugifero suo cachinno. Sæpissime demiror, quomodo ad sydera eorum pedantismus ab his, qui docti habentur, extollitur. Scio quantum apud mortales valeat exterior apparatus. Pauci sunt, qui docti sunt. Non in verborum strepitu, sed in factis, vera sapientia residet. *Idem Obs. & Curat. Cent. 3.*

Sartor Geislingensis mense Jun. An. 58. cùm anteà per tempus jam bene longum male haberet, dicto mense & domi manere coactus est; Urinam mihi monstrat spiceam, conqueritur de extenuatione corporis, Inappetentia, siti, tussi perquam molesta, tumore item pedum sub vesperam ædematoso; varia ipsi medicamenta communicavi, præsertim de nodulo purgante & obstructiones reserante per quatuordecim dies bibit, unde miram humoris peccantis saburram excrevit, nondum tamen quicquam levaminis persensit, sed potiùs rem in deterius ruere putavit, unde postea solis aperientibus tussisque asperitatem mitigantibus, & inprimis Elix. Propr. (unde multum levaminis accepit) succurri, ut non nisi instaurante victus ratione opus habuerit; sed ob paupertatem rem suam curare nequiens, & medicamenta, quibus adhuc opus habuisset, continuare aut non volens aut non potens, sensim denuò in pejus ruere, veramque Phthisin incurrere cœpit, unde alterius Consilio Ulmæ vivens vitam usque in Septembr. protraxit, ubi totus consumtus tandem in vivis esse desiit. *Vitus Riedlin. in Observ. Medic.*

Fœmina quædam Geislingens supra 15. annos 40. intempestivè suasu muliercularum instituta venæ sectione, mens. Februar. sensim vitioso colore & habitu, quemadmodum & tumore circa regionem ventriculi & ambos pedes, tussi itidem sicca prehenditur consiliumque meum implorat, cui vino medicato sq. succurri.

℞. Herb. marrub. alb. veronic. agrimon. capill. veneris, chamædr. an. m. ß. rad. Helenii iridis n. aa. ℥j. rhab. ver. sel. ʒij. esul. præp. ʒiij. Cort. aurant. sicc. rad. cappar. an. ʒij. tamarisc. ℥ß. fol. sen. s. s. ʒvj. agaric. albiss. ℥ß. passul. Corinth. ℥iiß. cass. fistul. calam. aromat. an. ℈ij. tartar. albiss. ℥i. Inc. & cont. q. o. m. ad ch. optimè evacuante brevi & tumor dictus & vitiosus color evanuerunt, ita ut jam Dei gratia melius habeat. *Idem Ibidem.*

Matth. Christ. *Speiser* Pharmacopeus Geisl. peritissimus 40. annorum, optimæ antheac constitutionis, per sesquiannum Cachexia prehenditur, quam ut ominabar ex potu frigido, dum sedulus in colligendis herbis ipsemet occuparetur, contraxerat: accedente victûs ratione crassiore, Variis dicto tempore symptomatibus divexabatur, nimirum valido continuoque dolore capitis, perennibus defluxionibus ad fauces, nares, & pectus, Tussi ferina, hæmorrhagia vicibus interpolatis, Hæmoptysi, vomitu primo pituitoso horis matutinis post cibum, denique spasmo flatulento in cruribus admodum doloroso, & quidem tempore nocturno. Sæpius admonitus à me, ne dictos affectus ita incrementum sumere sineret, sed principiis obstaret, medicationem namque postea fore difficillimam, nihilominus distulit & moras nexit, usque eo, ut negotiis ampliùs obeundis planè esset inidoneus, quod mense Jul. Anno 1662. evenit: quo auxilium meum implorare cœpit, sed proh dolor! nimis serò; nam quamvis operam meam ultrò obtulerim, natura tamen protinùs prostrata, medicamenta ore assumta mox iterum rejecit, imò etiam ne clysteres quidem retinebat, ut voto nostro satisfacerent: Unde subitanea virium collapsio, ut pedibus amplius inambulare non posset, sensim indies consumeretur, & largis quæ supervenerant, hæmorrhagiis tandem exhaustus debitum naturæ mens. Octobri solveret, cujus animæ, ut benè sit in æternum, calidè apprecamur, Medicamenta quæ applicata fuerunt, maximam tamen in partem frustra uti dictum, sunt seqq. Cum urina quæ per longum tempus spicea, tenuis, &c. cum multa spuma erat, obstructiones viscerum indicaret, judicavi: 1. Lenitivis primas aperiendas vias: 2. Obstructiones reserandas: 3. Pleniores corporis vacuationes quantum quidem possibile moliendas. 4. Partibus laborantibus prospiciendum. & 5. Roborantibus atque convenienti victus ratione viribus succurrendum.

℞. Rad. scorzoner. polypod. qu. an. ℥ij. bryon. rhabarb. an. ʒij. Herb. scolopendr. salv. chamædr. Flor. acaciæ. violar. primul. ver. an. p. j. Fol. sen. Al. ℥j. sem. Carthám. ʒiij. passul. min. ʒvi. Cort. rad. Cappar. aurant. sicc. an. ʒiß. Mac. Cinnam. an. ʒi. Incis. & cont. q. o. m. ad nod. pro mens. dimid. vin. alb.

℞. Magist. tartar. vitriolat. ʒiß. fœcul. bryon. sal. card. bened. sal. absynth. an. ʒß. Magist. corall. rubr. ℈ii. m. & divid. in part. viij. æqual.

℞. Rhab. sel. ʒi. fol. senn. Al. ʒiij. zinzib. ℈j. Coq. in s. q. aq. font. col.

℞. ℥iij. Mann. Calabr. ℥iß. extract. Panchym. Cr. ℈iß. m. f. Potio.

℞. Rob sambuc. ʒiij. Mithridat. ʒj. syr. de pœon ʒii. spir. lil. convall. ʒi. Aq. hirund. cum Castor. ʒii. Aq. ceras n. q. s. m. f. Potiunc. Sed ut dictum ad primum haustum lenitivi mox vomitus sequutus, cum virium mira dejectione; quarum ut & sputi sanguinei causa vacuantibus minùs tutò litari potuit; Urgentibus solùm pro virili symptomatibus obviam itum. Anorexias causa aliquoties sumpsit Aq. acetos. Myns. c. vin. quæ.

℞. Conserv. rosar. rubr. ℥j. aq. rosar. ℥iv. spir. vitriol. ℥ß. extract. tinctur. adde sacchar. alb. ℔ j. M. It. Elix. Propriet. Parac c. cons. ros. rubr. Die 1. Augusti Clyster injectus, mox verò sine operatione rejectus.

℞. Rad. Gramin. asparag. petrosel an. ℥j. herb. soldanell. Mercurial. an. ʒvi. flor. sambuc. genist. anth. an. p. ij. agaric. alb. in pet. mechoacan. baccar. laur. an. ʒiij. sem. fœnicul. carui an. ʒij. Coq. in s. q. aq. fontan.

Col. ℞. ℔ j. bened. laxat. lenitiv. flor. an. ℥j. mell. ros. sol. ℥ß. ol. rutac. aneth. an ʒvj. sal. comm. ʒj. m. f. Clyster Alius:

℞. Spec. dec. Carmin. ℥ij. fol. sen. Al. ℥ß. Coriand. præp. ʒij. tartar. alb. ʒiij. Coq. in s. q. aq. font.

Col. ℞. ℥x. Elect. Lenit. Fl. mell. ros. sol. na. ℥iß. ol. Baccar. laur. ℥j. m. Ad vomitum datus Pulv. Pumic. & corall. rubr. an. ℈ß. m.

℞. Ge-

℞. Gelat. Cydon. q. s. pulv. ros. rubr. N. Mosch. mastich. an. ʒiij. C. vin. alb. & aceti an. q. s. f. Cataplasma. Ad hæmorrhagiam, qua d. 21. sept. ℥xviij. sanguinis effudit.

℞. Sperniol. compos. gr. iiij. dentur. C. syr. de Ros. sicc.

℞. Aq. plantag. burs. pastor. urticæ an. ℥j. acet. rosar. acet. fl. papav. errat. an. ℥ß. nitr. præp. ʒß. compos. sperniol. gr. iij. m. ad frontem, nucham & Carpos. Lutum com. cum acet. subact. dictis locis itidem fuit appos. Ad oris siccitatem fauciumque, præ qua amplius loqui non poterat.

℞. Mucilag. sem. Psyll. & malv. cum aq. malv. p. an. ʒj. syr. violar. ℥ß. ʒij. m.

℞. Rosar. rubr. flor. malv. arbor. herb. salv. malv. an. m. j. rad. liquirit. ℥ß. passul. min. ʒvj. Inc. coq. in s. q. aq. font. col.

℞. ℔ ß. mellis ros. col. ℥j. nitr. præp. ℈j. m. pro Gargarism. Vomitionum causa parat. Cataplasma.

℞. Ferment. secal. ℔ ß. pulv. fol. absynth. ros. rubr. an. m. ß. mastich. bol. Armen. balaust. malicor. an. ʒj. C. succ. menth. & ol. cydon. q. s. m. Cucurbitula etiam sat ampla apposita. 7. Octobr. media nocte sanguis rursus è naribus ita largiter profluxit, ut sisti non posset; rediit etiam hæmopthysis quâ grumosum rejecit sanguinem, unde sibi jamjam ultimum instare diem dixit, cujus antea aliquoties memor fuerat, nimirum si hæmoptysis recidivaret, sibi moriendum esse; duravit 24. horas, cum ultima fatalis instaret, qua integris sensibus & rationis usu placidè expiravit. *Idem Ibidem.*

Andr. *Beuters* Sartoris Ulm. filiolus annorum 2. achoribus antehac laborans, sed iisdem subitò disparentibus, m. Octobr. 1663. pedibus valde intumescit ad abdomen usque, subsequente gravitate pectoris, & spiritus difficultate, cui seq. med. præscripsi, & illis dicta symptomata, intra 14. dies, divina adjuvante gratia propulsavi.

℞. Pulv. Gialapp. gr. xv. gumm. gutt. correct. gr. vj. cholag. s. gr. ij. syr. violar. & Julep. ros. an. ʒiß. m. f. Lambile ad ollul.

℞. Pulv. C.C. phil. cal. ℈ij. ol. carui destill. gutt. 1. m. & dent. ad chart. dos. iiij. quar. singulis diebus unam capiat. Pro potu bibit Dec. C.C. *Idem Ibidem.*

Anatomicæ Inspectiones

D. Trenti cadaver apertum fuit, qui diuturno morbo Cachectico ad hydropem vergere videbatur: de eo contulerant consilia *Jo. Dom. Sala & Benedictus Silvaticus*, quorum hic abscessum in Hepate, ille in Corde divinabat, quia plerumque in lentis ejusmodi morbis, ad Cachexiam vergentibus, Cordis aliquis solet esse abscessus, & Pulsus in hoc erat interruptus: Cor tamen in aperto cadavere nihil noxæ contraxerat, Hepar pallidum, quasi coctum, Lien verò rubicundus sani Hepatis instar: Pulmonum sinister inflammatus & ferè putridus. *Th. Bartholinus Observ. 67. Cent. 3.*

Puellula sexennis, cum ante facie tumida, alba inflataque suspectæ fuisset valetudinis, tandem decumbere verè cœpit 5. Novembr. 1626. concurrentibus siti, calore, laterisque dextri sub costis veris dolore itemque pedum intumescentia: urina turbida, cum hypostasi, excremento gallinarum simili: Die 6. Novembris, tametsi tumor ventris nondum esset conspicuus, & facie tamen leucoplegmatica, pedibusque tumentibus, Hepatis labefactationem, ipsumque hydropem ante portas esse prædixi: Die 9. Novembr. urgebant inquietudo, tussis, compressio & dolor pectoris circa costas: Die 17. Novembris urina paulo rubicundior; citrina sed sabulosa, crassa; venter tumidus & valde transparens ac lucidus: Regio Lienis dolens inuncta oleo de cappar. venter verò aq. vitæ cum spir. juniperino: Die 18. Novembris inquietudo magna, ventris tumor auctus, Die 19. ex assellatione iterata detumefactus est; Sitis & potûs cupiditas ingens, febris lenta & comes: Die 21. debilitas magna, latus sinistrum, imò manus pesque tumida: dextrum verò extenuatum: rejecit bis screatu saniem cruentam & retorridam, quæ ex pulmonibus esse videbatur: Omnibus in pejus vergentibus, circa medium noctis expiravit.

Die 28. Novembr. ad petitionem parentum, quibus Puellam hydrope obiisse persuaderi haud poterat, corpusculum apertum, prognostico à me præmisso, fidem fecit, Itaque à mucronata cartilagine facta ad pubem usque, & lateraliter incisione transversa, statim comparuit.

Hepar valde magnum, idque ex parte corruptum, maculisque infectum, è quo tanquam è fonte, promanarat Hydropisis. 2. Abdomen scatebat materia serosa multa; colore cæruleo viridique infecta, quæ effundebatur cum fœtore: 3. Lien integrè, præter opinionem sanus: 4. Ejusdem integritatis Ren uterque: 5. Intestina lucida, aquosaque humiditate repleta. Aperto Thorace, 6. Cor integrè sanum. 7. Pulmones verò intus extraque corrupti, fœtidique atque purulenti, unde Tussis, Febricula, Hectica Laterisque dolor punctorius. Siquidem ergo Pulmonibus atque Hepate lethaliter affectis causa morbi mortisque pateret, caput apertum non fuit. *Joan. Petr. Lotichius lib. 4. cap. 3. Obsvat. 4.*

Mercatoris filia frequenter hæmorrhagiæ ob noxia, ac proinde Cachexia fere consumpta in febrim biliosam continuam incidit &c. Post mortem aperitur. Abdomen ichore fœtido repletum: Omentum putrefactum, Lien atque Hepar scirrho laborabant, cor duplo majus, bubulum referens, inveniuntur: Et circa valvulas dextri ventriculi Calculus ex tartaro concretus, instar minoris castaneæ compressioris &c. *Gregor. Horstius lib. 4. Observ. 48.*

Dom. de Claigni, Canonicus Pariensis, velut Leucophlegmaticus erat, lapidosus mortuus est: An lapidosi ita fieri possunt? Ita, *Fernelius* cap. 12. lib. 6. Pathol. annotavit suppressionem & regurgitationem cujusdam materiei purulentæ à renibus ad venosum genus id genus symptomatis inducere potuisse. *Ballonius Epidem. & Ephem. lib. 2. pag. 243.* Revehunt venæ Emulgentes sanguinem à nutricatu renum, quem arteriæ important, residuum in cavam: Hinc proculdubio in renum ulceribus, si quando obstructo vreteris capite pus cohibeatur, ut

per

per urinas evacuari nequeat, id sensim una cum sero per venam emulgentem in cavam redundans, sanguinem totum; habitumque corporis inquinabat: *Higmorus in Anat.*

Amedeus Faber lignarius, 40. annos natus biennio variis per intervalla morbis, Dolore capitis, Ictero: viscerum obstructionibus, imo etiam Cachexia, postremum etiam dolore Ischiadico laboravit, tandemque aucta febri cum paraphrenitide extinctus est. In cadavere hæc fuere observatione digna 1. Omentum inflatum & corruptum. 2. Intestinum *Colon* præter consuetudinem *arctum circa Ilia sinistra*: 3. Inter collum vesicæ & intestinum rectum, tuberculum scirrhosum, unde sæpe dysuria & iscuria. 4. Sub musculo psoa sinistro, cui Ren incumbit, quique in cruris interiorem partem fertur, ingens atheroma, ultra duas libras puris crassioris continens: ibidemque tres aut quatuor lumborum vertebræ, ita carie affectæ ut earum frustula coram adstantibus extraxerim digitis & attriverim. 5. Intestina vermibus scatentia. 6. T*umor scirrhosus*, suppuratus, & instar steatomatis, magnitudine duorum pugnorum, ortus ab inferiore parte pancreatis, intestinum duodenum circumdederat, sic ut peritonæo tectus alterum quasi ventriculum mentiretur, materia per ramos venæ portæ in ipsum pancreas desinentes, affluebat. 7. In Hepate scirrhoso apostemata exigua multa. 8. Lien totus corruptus multos continebat calculos. 9. Pulmo inflammatus multis refertus glandulis. 10. In superficie sterni, ad clavicularum conjunctionem, atheroma ovi magnitudine. 11. Apostema sub ala dextra, inter pleuram & costas maximi pugni magnitudine, & graveolens, cujus purulenta materia; 4. 5. & 6. costam exederat: atque adeo non modo divulsæ erant costæ à vertebris, sed & summa parte, qua vertebris junguntur, usque adeo carie corruptæ ut facilè eximi digitisque fricari possent. 12. In cranio dura mater inflammata. 13. Inter meningas & cerebrum ichor multus. 14. Plexus choroides inflammatus. 15. Circa cerebri basin & cerebellum semilibra sanguinis & amplius è jugularibus internis affluxerat. *Fabritius Hildanus cent. 1. Observatione 71.*

Erat apud nos mulier Cachectica, in cujus vesica fellea deprehendimus humorem serosum pallidumque minimè amarescentem, sed insipidum potiùs dulcique proximum. *Glisson: Anat. Hepatis cap. 39.*

Vir an. 42. natus ab ineunte ætate parùm firmæ valetudinis, decolor, capitis in pulmonem defluxionibus, sed iis nec salsis sed acribus, vehementer obnoxius, quum ad nativam corporis imbecillitatem accederet ratio victus negligentior & vita sedentaria, studiis occupata, mense Septembri anni 1560, primùm *in cachexiam cum œdemate pedum & difícili respiratione* incidit: urinæ, quas prætenues, pallidas & copiosissimas priùs reddere solitus erat, paulatim imminutæ sunt. Difficultas spiritus, cum sensu ponderis, utrinque ad latera thoracis, supra costas spurias, sic paulatim (præcipuè si altior ducererur anhelitus) augescebat, ut sub finem Decembr. jam decumbere neque in latera posset: Si in lecto se converteret, humoris aliquid in thorace fluctuare percipiebatur: ac proprius admota aure, rei cujuspiam leviter bullientis ceu stridor aliquis obaudiebatur qui nec ægrum ipsum latebat; eo plane modo ut Hippocr. de Hydrope pulmonis prodidit. Itaque dies & noctes tantùm non residere surrecto thorace cogebatur: Tum sensim venter, quoque in tumorem assurgebat, & tussis aspera, eaque sine stercore, prorsus sicca, sive tenuantia sive inspissantia remedia tentarentur, infestabat: Porrò ad quemvis corporis motum mirè anhelitus crescebat angustia, ut æger protinus suffocari atque animo linqui videretur: Sub his pulsus, præsertim vesperi, lentam quandam febriculam, Tum urinæ sedimen pulvereum albicans ostendebant: neque appetentia cibi omnino dejecta erat, neque sitis magna: A medicamentis purgantibus plus visus est lædi quàm juvari, Sectionem thoracis, in qua spes aliqua collocanda erat, magis fere quàm mortem ipsam formidabat, Mense Martio, postremis aliquot morbi diebus, cœpit cruenta quædam excussire.

Cæterùm inciso corpore, nullum in pulmonibus vlcus deprehensum est: thorax verò universus aqua cruenta, quam quis haud ineptè carnium assimilasset; repletus fuit: venter inferior (ut ascitis solet) aqua flavescente suffundebatur: In dextro pulmone tres cernebantur lobi teretes, fastigiati crassitie & longitudine digitum superantes: Hepar albicabat & duriusculum erat; reliqua viscera nihil ad oculum vitii ostendebant. *Schenckius ex Manxelii Observationibus.*

Quadragenarius à biennii tempore incidit in capitis dolorem, icterum, sæpe, ischuriam, viscerum obstructiones & dolorem ischiadicum, postremo febri, cum paraphrenitide diem clausit.

Inspecto cadavere. Omentum corruptum & inflatum. Colon in latere sinistro admodum contractum & coarctatum. Intestina vermibus plena. Inter vesicam & rectum intestinum tuberculum scirrhosum creverat. Circa femoris dextri Trochanterem, apostema fuit, continens libram puris: hinc redundantibus musculorum & ossium ligamentis erosis femoris luxatio. A postica renis sinistri parte sub musculo lumbari atheroma fuit, è quo plus quam duæ libræ puris effluebant: Vertebræ tres quibus incumbebat, carie exesæ & contritæ erant. Pancreas circa partem duodeni, ipsum intestinum scirrhoso atheromate ita obsedebat, ut alterum ventriculum mentiretur. Jecur exiguis scirrhosis apostematibus plenum. Splen totus corruptus & calculosus.

Pulmones inflammati ac glandulosis tumoribus referti. Sternum circa clavicularum juncturam, atheromate oui magnitudine obsessum fuit. Sub axilla dextra, inter pleuram & costas ad pugni maximi magnitudinem abscessus graveolens fuit, cujus aciditate quarta, quinta & sexta costa carie non tantùm afficiebantur, sed à vertebris divulsæ sunt.

Elevato cranio meninx crassa fuit inflammata. Ad lævam falcis regionem tumor scirrhosus & latus in tenui meninge erat. Cerebrum lympha flaua turgebat. Ad basin selibra sanguinis inventa.

Hic homo ab omni parte corruptus & obstructus: in capite scirrhus præcedentem indicat inflammationem, unde dolor biennalis.

Obstructiones in Hepate impedimento fuerunt, ne bilis ad vesiculam fellis aditum haberet, unde contigit eam in sanguine remansisse, cutimque colore aureo infecisse. Ischuria à tuberculo inter vesicam & rectum itestinum orto quia ab eo vesica premebatur.

Apostema circa Trochantorem ischiadicum dolorem procreavit. sic omnibus visceribus & glandulis obstructis myriadum mala crea vere. *Steph. Blancard. in Anat. pract. rational.*

CACOSITIA
Vid.
FASTIDIUM CIBORUM & ANOREXIA.

CADAVERUM EXAMINA
Vid.
RENUNTIATIO.

CADAVERE CONDITURA.
ex Variis.

Ex corruptione, & intenso fœtore, non rarò observando in tumulis Magnatum, Principum, imò & Regum, etsi summum adhibitum sit studium cadavera incolumia servandi, colligere mihi licuit inanem illum successum avaritiæ solùm aut inscitiæ adscribendum esse illorum qui condiendi vel balsamandi curam susceperunt. Ideoque non inutile fore credidi si hoc capite publici juris facerem medicamenta & methodum, quâ non raro usus sum in balsamatione Cadaverum nonnullorum utriusque sexus, imò & principum; eo fine ut qui famæ consulunt, omnemque operam navant quo eventus votis respondeat id consequi valeant ut cadavera quæ à corruptione vindicare student, per plurima secula citra corruptionis metum perennia esse queant.

Hoc loco immoraturus non sum circa modum condiendi cadavera antiquis assuetum Aegyptiis, aliisque nationibus qua de re nonnulli quædam scriptis tradidere, ac inter cæteros Petrus Belonius, Maynensis, Tractatu edito Parisiis anno 1555. de medicato funere. Etsi enim hodie supersint non obscura indicia industriæ antiquorum in balsamatione cadaverum personarum illustrium; ac in variis Autoribus occurrat series præcipuorum medicaminum ad id opus ipsis familiarium non adscriptæ tamen sunt doses, neque ratio legitima qua ipsi usi fuere.

Neque etiam disquiram varias Authorum sententias circa mumiæ nomen quandoquidem nihil quod animum curiosum expleat invenire est, id verò novisse sufficiat vocabulum mumiæ inditū fuisse, modo cadaveribus medicamentis aromaticis, imbutis & conditis; modò illis quæ arenis in lybiæ desertis obruta ab æstu solis arefacta fuere; modò liquori è monumentis vel tumulis in quibus magnatum cadavera condita jacebant exudanti, ac in sepulchris exsiccato, adeò ut duritiem æqualem corporibus balsamatis æmularetur.

Missis ergo antiquorum sententiis, imò neotericorum, statuo, quando quidem cadaverum corruptio non alia ratione contingit quàm ab excessu exuberantis in illis humidi, quod adauget aër ambiens, in primis curæ esse debere ut absumatur humidum illis innatum, prohibeaturque accessus & introitus ambientis: A calce viva quidem quicquid superfluum in corpore absumi potest, imò quodammodo præpediri aëris admissio; At cùm destructoria & caustica vi poleat, qua molliores corporum mortuorum partes absumendæ essent, solo superstite sceleto, ejusmodi auxilium inutile est, nisi solorum ossium custodiendorum cura incumbat: Adservari quoque ad aliquod temporis spatium possent cadavera exenterata beneficio muriæ plurimo sale prægnantis; vel etiamnum in spiritu vini eadem reponi, si modo vas idoneum præsto esset accuratè obturabile; At cùm id ipsum perenne esse nequeat, requiruntur autem media stabilia, nec caduca, nemini non gratum futurum spero si hoc loco tradantur.

Id porrò mihi curæ cùm semper fuerit corpora defuncta figura externa salva tueri, præsertim vultus; imò præstare si concessum esset ut in perpetuum durabilia essent, ideò semper prohibitus fui ab usu pulveris coriariorum, cinerum, calcis, quibus plerumque abutuntur qui turpi lucro inhiant, conscientiæ vero & famæ nequaquam attendunt, posthabitis querelis & exprobrationibus de infelici & improspero sucessu ipsis morientibus: Etiamsi enim prædictus coriariorum pulvis ex se sat aridus, idoneus videatur absorbēdo humori redundanti partium quibus admovetur, destitutus nihilominus est quavis utili dote quam secum transferre queat in cadavera; ipse vero putredini obnoxius quam tandem contrahit ab humido quod absorpsit. Cineres quod spectat, etsi sal ipsis commixtum aptum videatur conservandis cadaveribus, non sufficienti tamen hoc illis inest quantitate qua id præstare valeat, ac procul dubio dominium in illud obtinet colliquatio sensim contingens partium mollium cadaverum, imo dissolventis potius cujuspiam vice fungitur ratione partium carnosarum aut pinguium quas attingit, quàm remedii corruptionem prohibentis: Calcem cur exulare jusserim rationem ut reddam nulla impellit necessitas, satis fuerit tradidisse media, ratione & experientia duce à me optima confirmata, quorum ut copiam omnibus facerem jussit Dominus d'Aquin.

Etiamsi forsan spes assulgere posset cadavera labis immunia conservari posse si includantur feretro plumbeo, obvoluta pulvere composito ex partibus æquis Myrrhæ, Aloës & salium, specifica vi donatorum profuse verò affatim inserso pulvere, eoque optimo vini spiritu humectato, feretri autem commissuris accuratissimè occlusis, eademmet autem methodo usus fuerim erga cadaver illustris matronæ, ex ipsius ante obitum jussu, ratio tamen omnium probatissima hæc esto.

In cranii postica parte, seu occipitio, excavandum foramen magnitudinis volæ manus, aut circiter, per quod cerebrum eximendum est, cranii autem cavitas, pulvere inferiùs describendo opplenda, demùm foramen occludendum, adposita parte inde exempta; suturæ ope panniculum carneum divisum & à cranio divulsum data opera, conjungendo.

Cutis

Cutis, & partis adiposæ illi subjectæ incisio facienda à summo sterno ad umbilicum extremum; eadem verò cutis transversim quoque dividenda ad sesqui pedalem circiter longitudinem, quæ in aperto ponat regionem jecoris lienis & ventriculi; cunctisque his à Sterno cadaveris novacula liberatis, inciso & à costis separato sterno, hinc inde in locis cartilagineis eodem sterno ad vultum usque adducto; eximantur lingua, oculi, pulmones, cor, jecur lien, ventriculus, intestina, partesque omnes corporis cavitatibus conclusæ detrahantur: Duæ etiam vel tres altæ incisiones secundum brachii longitudinum faciendæ ac utriusque suræ, magis aut minus penetrando pro ratione corporis, obesioris aut strigosioris. Necessariæ eædem divisiones cutis, sed profondiores & numerosiores, in natibus & femoribus: similes requiruntur secundum longitudinem a summo dorso ad nates excurrentes, novacula etiam partes adiposæ à carneis separandæ: Quinque etiam aut sex in collo faciendæ, quæ item per longitudinem in unaquaque pedum planta & manuum vola: Occurrere possunt corpora adeò obesa, carnibus & adipe farcta, ut locus sit detractioni superfluæ carnis & adipis; visceribus commiscendæ; sed prætermitti potest illa ablatio, dummodo nihil prætermittatur illorum quæ requiruntur ad corporis conservationem.

Sanguis & serum, si quæ forte in corporis cavitates influxerint, aliasve partes novacula adapertas, spongia sedulò absorbeantur & abstergantur; Singulæ designatæ partes generoso vini spiritu madescant, ac denum leviter optimo salis spiritu imbuantur, magnetis vices subitura, qui aciditate sua attrahens tum salia fixa tartari, & tamarisci, tum volatilia in aromatibus latentia, ex quibus pulvis componendus est, eorum intimiorem conjunctionem effecturus est ac magis idoneos redditurus qui cadaveri coaptentur: universa demum hæc capacitas, cunctique excitati hiatus, tota intercapedo cutis adiposæ, carnium & ossium, sicuti & cranii spatium ac panniculi carnei nec non oris cavitas, faucium, buccarum, narium & orbitæ oculorum, impleantur pulvere sequenti.

Pulvis ad implendas Cadaverum cavitates

℞. Myrrh. Aloës an lib. xvi. Sal. tart. tamar. asphalti, summit. siccar. absint. scord. & centaur. min. radicum siccar. imperat. gentian. angel. carlin. aristol. rot. aa lib. 3. cardam. vulgaris, piper. nigr. zinziber. an. lib. 4. cinnam. caryoph. labdani & acori veri aa lib. 2. F. ex a. omnium pulvis ad usum.

Quantitas præscripta hujus pulveris modum non excedet, si corpus balsamandum magnum fuerit, ac præsertim si cuncta viscera condienda sint. Media tamen pars satisfactura est si corpus condiendum parvum fuerit; At pulveris nunquam cadaveris conditorem parcum esse decet, sed sedulo indagando cunctas cavitates novacula divisas, omnino illæ adimplendæ & per vim pulvis adigendus quantum cutis illius poterit esse capax. Demùm irroratione facta externæ partis pulveris optimo vini spiritu, quò utcunque concorcoporari queat & coalescere, adductaque hinc inde cute, & suturis conjuncta; omnium inflictorum vulnerum, accurate universum corpus inungendum erit balsamo Peuviano, cui aspergenda est pulveris sequentis quantitas sufficiens, ut inde exurgat quædam crusta densa, spissitudinis transversi digiti; corporis universam superficiem obtegens.

Pulvis ad Cadavera loricanda.

℞. Styr. benzoin, ireos Florent. aa lib. 4. summit. major. flor. aurant. lavendul. tamahac. od or. an. ℔ ij. lign. rhod. acor. veri aa ℔ j. M. F. e. a. omnium pulvis crassior ad usum.

Universo corpori pulvis iste inspergendus, sed successivè, postquam scil. pars quæpiam balsamo Peruviano inuncta fuerit, adeo ut undique suffusum sit corpus, & circumquaque ad spissitudinem transversi digiti; sicuti jam supra innui. Demum, involutum cadaver tela cerata, ac commissum feretro plumbeo cujus commissuræ optimè ferruminentur; proculdubio ad ditissimas regiones transferri poterit in secula seculorum durabile adversus omnem corruptionis metum tutum.

Sin Cadaver ad aliquod tempus feretro non inclusum adservandum fuerit, imò per plures hebdomadas exhibendum vultu patulo, in lecto ad pompam extructo, vestibus indutum, cheirothecis, tibialibus & calceis instructum præparanda erit tela incerata alba, odorata, dividenda in longissimas tænias, tres aut quatuor digitos latas quibus seorsim obvolvenda brachia, femora, tibiæ, demum universum corpus, obliquè illas supra pulverem circunducendo, quo pacto Cadaver non secus ac corpus vivens indui poterit capillos depromendo, vultumque prodendo, dummodo sæpissime spiritu vini optimè rectificato eluatur; imò lintea eodem spiritu imbuta, quo tempore non exhibetur cadaver admoveantur. Potest & supponi capiti cervical pulvere aromatico descripto oppletum, minora itidem pulvinaria lateribus & pedibus supponenda. Telæ inceratæ hæc est compositio.

Tela Cerata Aromatica.

℞. Ceræ alb. ℔ vi. olei express. nucis mosch. oleorum stillat. lavend. cortic. arant. & citr. aa ℥ij.

Ceræ igne lentissimo liquatæ permisceantur olea, illisque tela linea imbuatur pro usu jam dicto.

Minutim priùs dividatur cera alba, lentissimo igne colliquescat in sartagunculа stanno interiùs obducta, superna parte latissima, inferna in conum vergente, demùm commistis oleis æqualiter & undique imbuitur tela alba & rarissimæ texturæ.

Cerebrum quod spectat, omnesque interiores corporis partes, imò carnes & adipes quæ detrahere è re visum fuit; condiri hæc poterunt priore pulvere insperso. Eapropter probè elotis intestinis, longisque ac altis incisionibus cordi inflictis, pulmonibus, jecori, lieni, & renibus, adparatoque doliolo plumbeo dimenso, hujus fundum pulveris portione cooperiendum, irroratisque omnibus partibus

optimo vini spiritu, hæ in doliolo seorsim collocandæ, pulvere ubique superaddito; sedulò quoque vulnera cordi, jecori &c. inflicta eodem pulvere infarcienda, partium repositionem successive continuando, pulvere attatim injecto, quoad omnia inclusa fuerint, ac doliolum pulvere omnino oppletum sit. Postmodum dolioli commissuræ accuratè ferruminabuntur; quô pacto cunctæ illæ partes in massam coagmentabuntur, non minùs ipso doliolo durabilem. Cor balsamatum, sicuti superiùs dixi, pyxidi plumbeæ dimensæ committi potest, seorsimque custodiri. *Moses Charas in Pharmacop. Regia.*

Gero tandem morem voluntati tuæ & amico desiderio, quo antehac, ut, si quid mihi de balsamationibus (liceat sic loqui Tecum) observatum esset in antiquitate, pro re nata communicarem amicè instabas. Quamvis enim norim quàm sit mihi curta suppellex, nec diffitear, aliorum scrinia compilare speciem quandam plagii literarii esse de quo nuper *Thomasius* Professor Lipsiensis, pluribus ex professo egit: malo tamen periculum subire judicii temerarii quàm non stare promissis, præsertim cùm is demum sit fructus lectionis cujuscunque, ut quid inde prout usus fert, decerpere & argumento quod præ manibus est tractando, accommodare. Quo nomine minimè incusandi vel plagii vel negligentiæ in proferendis aliorum dictis, qui per quos profecerint apertè profitentur, atque alienis laboribus tum utuntur, ubi de suo nil melius possunt adferre, maximè quando de ejusmodi argumento disquiritur, quod fide testium est confirmandum. Potuissem autem hac scriptione publica abstinere, (unde fortè notam falcis in alienam messem missæ incurram) nisi tanti fuisset publicè profiteri, me dolere vicem tuam, qui cum privata industria operi incumbas ad humani generis commoda pertinente, non absque valetudinis detrimento & rei familiaris, dum sumptus in experimenta facis, dispendio: necdum tamen reperisti qui te sublevent, aut dignum labore præmium rependant. Sed hic te ipsum commodis tuis obstitisse, mihi videor observasse, qui arcanum illud condiendi cadavera & à putredine conservandi, à Bilsio, Anatomico celeberrimo, acceptum atque variis tentaminibus ad majorem perfectionem excultum, hactenus tecum servasti: vel potiùs fortunis tuis intercessisse fata, partim obitu *Bilsii*, partim & præcipuè incendio illo motuum bellicorum, quæ te *Sylvam Ducis* relinquere coegerunt, cùm maximè in eo esses, ut, post editum publicè, in theatro Sylvæ Ducensi, specimen, fructum caperes laborum. Bene tamen est quod in portu aliquo appulisti & cathedræ redditus in Academia inclyta, ubi sub auspiciis Maximi Principis doces, cujus non minima virtus est, fovere conatus honestos & inter arma quoque ad literas respicere. Neque dubito, quin, ubi operam dederis, ut isti tui conatus magis innotescant, sive Regiæ Societati Anglicanæ, sive Academicorum Curiosorum per Germaniam collegio, inventurus quoque sis patronos plures, queis cum communices istud secretum, ne tecum intermoriatur. Aut ubi visum fuerit Deo, reddere Belgio fœderato quietem, habebis ibi qui justo ære redimant arcanum, magni in Medicina vestra potissimum usus, ad detegenda beneficio sectionis incruentæ, etiam minutissima cadaverum, & ostendendos ductus varios, qui multorum Anatomicorum oculos hactenus effugerunt, aliaque quæ Prof. Lovaniensis Gutschoven in sua declaratione supra pag. 25. exposuit. Licet enim *Bilsius*, quoad in vivis fuit, multos habuerit antagonistas, & hos quoque inter magnum *Bartholinum*, quem in epistola quadam, ad *Sassium* Medicum Roterodamensem, nisi fallor, edita, potissimùm ipsi objecisse memini, quod quæ in figuris ostenderet seu schematismis sectionum anatomicarum, non posset in ipsis cadaveribus demonstrare: ab obitu tamen ejusdem *Bilsii*, cujus tu locum imples, livorem quievisse arbitror. Accessit & alia causa scribendi ad te publicè, ut hæc eo lubentiùs legeres & faciliùs dijudicares. In quo secutus sum judicium Academiæ Gallicæ, quæ ut membra hujus eo commodius possent examinare ideam illius erigendæ, hanc voluit clam typis excudi, & exemplaria inter examinatores distribui, ut mens minùs occupata legendo, ad judicandum eo liberior esset, prout autor anonymus Relationis de Academia Gallica pag. 20. refert. Quod si & tu probas, habebo quod censoribus opponam, qui hanc scriptionem publicam mihi vitio vertent, defendendam facilè virorum clarissimorum exemplis, nisi & hoc ipsum pars criminis foret, horum vestigiis quadantenus institisse, quorum malo negligentiam quàm aliorum obscuram diligentiam imitari. Ut ergo ad rem deveniam, quamvis *mumia* vox (quomodo solet cadaver exsiccatum, certâ ratione conditum & corruptionis expers, vocari) Persica sit notante *Kirchero Oedipi Ægyptiaci Tom. 3. pag. 396.* tamen constat apud omnes, Ægyptiis hunc cadavera condiendi ritum deberi, quippe etiam in sacris memoratum, Mosi antiquissimo scriptori Gen. c. 26. ubi de cadavere Jacobi & Josephi agit. Nam quòd *Patricides* Patriarcha Alexandrinus in Chronico suo narrat, Adamum ipsum testamento filiis suis præcepisse, ut ab obitu suo corpus suum myrrha, thure & cassia conditum in spelunca abdita ponerent, prout *Hottinger. Smegm. orient. pag. 216.* & ex illo *Heiddegger Histor. Patriarch. Exercit. 4. S. 71.* observant; id nimis audax commentum est. Nos gloriam hujus inventi Ægyptiis relinquemus, quorum istam consuetudinem inter alios veterum fusè descripsit Herodotus lib. 2. cujus narrationem ἱερογλυφικῶς deducit *Athanasius* ille *Kircherus* in stupendo opere *Oedipi Ægypt.* tom. 2. syntagmate 13. quod est de *mumiis cap.* 3. Sect. 1. & pluribus circumstantiis *ex Diodoro Siculo* imprimis explicat tom. 1. ejusd. Oedipi synt. 2. cap. 2. pag. 123. Utrumque audire juvabit istum condiendi modum Ægyptiacum describentem. Herodotus quidem l. 2. sic fatur. Sunt certi ad hoc ipsum constituti, qui hoc artificium factitant: qui, cùm ad ipsos cadaver portatum est, ostendunt eis qui portaverunt exemplaria mortuorum lignea, pingendo assimilata. Et eorum unum accuratissimè fabrifactum esse aiunt [cujus ego nomen si nuncupavero, haud faciam

ciam sanctè) alterum illo inferius & vilioris pretii tertium vilissimi. Quibus expositis sciscitantur ab iis ad quod exemplum velint effingi mortuum suum. Illi ubi de pretio convenerunt, illinc abeunt. At hi relicti in ædibus hunc in modum diligentissimè condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt. Quam ubi repurgarunt & vino Phœniceo eluerunt, rursus odoribus contusis proluunt. Tum alvum complentes contusâ myrrhâ purâ, & cassiâ & aliis [excepto thure] odoribus, iterum consuunt. Ubi hæc fecere, saliunt nitro abditum septuaginta dies. (Kircherus habet: Saliunt intro abditum septuaginta dies: cùm tamen in Græco sit: ταριχεύουσι νίτρῳ κρύψαντες ἡμέρας ἑβδομήκοντα. Nam diu salire non licet. Exactis septuaginta diebus, cadaver, ubi abluerunt, sindone byssina totum incisis loris involvunt gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerunque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inferunt mortuum, inclusumque ita reponunt. Eos autem qui mediocria volunt, nimium fugientes, sumptum ita apparant. Clysterem unguine quod è cedro gignitur complent: deinde ex hoc alvum mortui ipsam neque scindentes, neque extrahentes, sed per secessum, prehenso viæ posterioris hiatu, infarciunt: & tot quot dixi diebus sale condiunt. Quorum dierum ultimo cedrinum unguentum quod prius ingesserant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim ut unà secum alvum atque intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & ossa relinquuntur. Ubi ista fecere, ex quo sic tradidere mortuum nihil amplius negotii suscipiunt. Tertia conditura hæc est quâ adornantur eorum mortui. Qui tenuiori sunt fortuna, ablutionibus ventrem abstergunt, arefaciuntque sale septuaginta per dies, deinde tradunt deportandum. Hæc *Herodotus*. Nunc verò etiam Diodorum Siculum audiamus. Is l. 1. c. 5. de Ægyptiis loquens sic inter alia scribit: Sepulchrorum tres habebant species, sumptuosas, mediocres, & humiles. In prima argenti talentum exponebant, in secunda, minas viginti, in ultima pauciores sumptus fiebant. Qui funera mortuorum curabant, eo exercitio à majoribus tradito, funeris impensam curaretur funus. Primus Grammaticus (ita enim appellatur) posito humi corpore, signum circa ilia describebat, quantum à sinistra parte incideretur: Deinde qui dicitur scissor habens lapidem Æthiopicum, quantum lex sinebat, latus aperiebat, subitoque cursu à persequentibus, qui astabant, lapidesque cum execratione in eum jacientibus, fugiebat. Existimabant enim odium inhærere, quicunque amici corpus vulnere illato violarit. Curatores vero corporis, hos salitores appellant, honore existimationeque digni habebantur. Versantur enim cum Sacerdotibus (in Kirchero mendosè est utebantur) templaque pariter ingrediebantur. His penes cadaver astantibus, unus per scissuram corporis interiora præter renes & cor educebat; quæ singula alter vino Phœniceo è rebus odoriferis lavabat, deinde corpus totum primùm è cedro tum aliis pretiosis unguentis ungebant dies amplius triginta, myrrhâ deinde atque cinnamomo, cæterisque rebus liniebant, quæ non solùm id servare diuturnè, sed odoriferum reddere valerent. Curatum cadaver cognatis tradebant defuncti, ita singulis ejus partibus, etiam superciliorum palpebrarumque pilis integrè servatis, ut omnis corporis species, dormientis more, integra perduraret. Ex quibus *Diodori Siculi* verbis æque ac loco Herodoti apparet, qualis istius conditurae ratio quondam apud Ægyptios fuerit, qui cadavera sic condita non solùm in locis quibusdam subterraneis & cryptis artificiosè structis (quas *Kircherus Syntagm.* 13. *de mumiis c.* 4. ex relatione *Titi Livii Burattini* Architecti Regis Poloniæ & *itinerario Petri à Valle* describit & cœlo sculptas exhibet) diligenter servabant, sed & domi secum habebant atque ad posteros transmittebant, ut aspectu progenitorum suorum oblectarentur simul atque ad virtutem incitarentur. Quæ etiam cadavera, non solùm in mensas inferebantur, ut mortalitatis convivas admonerent, sed & pignori locabantur, magnâ debitoris infamiâ nisi solveret, & certâ pœnâ ut sepultura careret, prout hæc ex *Luciano de luctu & Diodoro Siculo* rectè probat *Kirchmannus de funeribus Rom. lib.* 1. *cap.* 8. Quamvis autem hæc condiendi ratio ab Ægyptiis originem traxisse videatur, ad alias tamen quoque gentes transiit. Nam apud Judæos obtinuisse, ex funere Servatoris constat de quo Joan. 19. 39. 40. Sic tamen, ut exinde simul appareat, citra ullam exenterationem aut cadaveris violationem, lotum fuisse hoc, unctum atque involutum ejusmodi tegumentis quæ tincta erant succo aut unguento, quod ad conservationem cadaveris fiebat. Hoc enim sibi illa ὀθόνια volunt, de quibus Evangelista, ἔδησαν αὐτὸ [ὀθονίοις] μετὰ τῶν ἀρωμάτων. Nec alia fuerunt illa Lazari lintea, nempe κειρίαι, & σουδάριον, quibus involutus prodiit è sepulchro. Joan. 11. 44. ut *Petrus à Valle* bene conjecit. De Græcis & Romanis idem probat *Kirchman.* l. c. c. 7. ut & de Christianis indefinitè ex Tertulliano, Clemente Alex. & Minutio Felice cap. 8. de Italis verò aliisque id colligitur per exempla quæ Zacchias Medicus Romanus *Quæstionum Med. Legalium lib.* 4. *tit.* 1. *quæst.* 10. ex Kornmanno de miraculis & propria observatione recenset, qualia de cadavere Cardinalis Angli quod Romæ in templo S. Cœciliæ trans Tiberim post annos trecentos inventum undiquaque integrum: de cadavere Alexandri Tartagni ICti quod post annos 150. sic Bononiæ repertum: & Bonifacii VIII. Papæ, quod incorruptum permansit annis post obitum trecentis. Quæ inter omnem tamen fidem exuperat quod ex Kornmanno idem habet, in urbe Hispaniæ Valentiâ post bis mille & supra annorum lapsum repertum fuisse integrum cadaver Adoniram Servi Salomonis cum epitaphio Hebraico. Quomodo enim hoc in Hispaniam pervenit? nisi dicere velint & illud navigio impositum, atque sic de Jaco bo Compostellano fabulantur, vid. *Pet. de*

Natalibus Catalog. Sanctorum lib. 6. c. 133. Id autem tuum magis usum spectat, Patruelis amantissime, quibus simplicibus in condiendis cadaveribus veteres fuerint usi, paucis notare. Cùm *balsamatio* dicatur vulgò hæc conditura, videri posset *balsami* præcipuum fuisse usum. Atqui licet aliquis quoque fuerit, uti ex inscriptione Hispanica potissimùm, quam *Kirchmannus* citat & in qua disertè opobalsami fit mentio, planum evadit, alia tamen longè prævaluerunt, ut sal, nitrum, cedrus, asphaltus seu bitumen, mel, cera, myrrha, gypsus & calx, quæ omnia adhibita fuisse idem *Kirchmann.* l. c. ex autoribus confirmat. Salis quidem hic tantus usus, ut hoc solo hæc conditura apud Aegyptios intra 70. dies fuerit perfecta, uti ex *Herodoto* notatum. Nec potuisset *Eunapius* salita martyrum corpora *in Ædesio* ridere, nisi sal etiam Christiani hanc in rem adhibuissent. De nitro idem *Herodotus* auctor est, tantam ejus esse in tabefacienda carne vim, ut mortui tantùm cutis & ossa relinquantur. Unde ossium *Josephi* sic conditi fit mentio *Exod.* 13. 19. quæ Israëlitæ ex Aegypto secum asportarunt. Cedrini verò unguenti efficacia non solùm ex supra dictis constat sed ex istis quæ *Plin.* tum lib. 24. cap. 5. de cedri succo, tum lib. 13. cap. 13. de libris Numæ Pompilii Regis Rom. habet, qui post annos plusquam quingentos integri reperti, sic ut adhuc legi possent, quamvis ex charta essent. Causam enim, cur tineæ hos libros non attigerint, hanc ex Hemina reddit, nempe quòd libri fuerint cedrati. Quid autem de bitumine dicemus, cùm *Joan. Nardius* Medicus Italus, citante *Kirchero tom.* 3. *Oedip. pag.* 398. post mumias quasdam dissectas, eas solo gummi conditas deprehenderit, quòd nihil aliud olerent aut saperent, hujusque vestigia etiam in ipsis ossibus extarent. Sed ut bitumen per intimam corporis substantiam imbibitum in duram & consistentem consistentiam degeneraret, idem *Nardius*, adstipulante *Kirchero*, sic factum existimat. Asphaltum & fluidum bitumen seu naphtam simul in congruo lebete conjuncta fuisse. Quæ ubi igne cogentes diffluxissent, bituminoso huic balneo immersum fuisse cadaver in eoque tamdiu maceratum, donec id altè imbibisse conjicerent hunc liquorem. Neque tunc ignem cadaveris adipi aut carnibus pepercisse, quibus liquescentibus, insigne auctarium arescenti bitumini accessisse. Mitto cætera, mel, ceram, myrrham, gypsum & calcem, & solùm noto, mellis usum apud Babylonios majorem fuisse, atque hinc fortè cadaver quoque Alexandri Magni isto conditum, licet Hippocentaurus quoque sic conditus ex Aegypto allatus & cadaver Agesipolis Ducis Spartani pariter in melle conditum Lacedæmonem fuerit reportatum: ceræ verò apud Persas: myrrhæ apud Palæstinos: gypsi & calcis, apud Aethiopes. Judæos aloën quoque adhibuisse testatur locus Joannis Evangelistæ antea citatus, ubi Nicodemus mixturam myrrhæ & aloës quasi centum librarum legitur attulisse ad funus Servatoris. Idem de Aegyptiis posterioribus *Salmasius* portendit, licet nulla ejus apud Herodotum mentio, atque ex Aëtio probat, qui hanc condituram σμύρνισιν vocet, cujus species in eam rem adhibitæ aloë, myrrha, gummi, sarcocolla, acacia & opobalsamum. Quin & cadavera in oleo condita, argumento est monumentum Beli de quo *Ælian. lib.* 13. *cap.* 2. cujus cadaver in urna vitrea oleo non penitus repleta jacebat. Ex quibus omnibus jam tuum erit, Patruelis conjunctissime, factâ collatione cum istis quæ ingenio Bilsii inventa colligere, utrum methodo admodum diversa in hac conditura usi fuerint veteres, & majori sumptuum compendio. Certè postulatum Bilsii, de sex millibus florenorum, sibi pro condiendo cadavere Comitis Hautreppe solvendis, immane fuit, cujus tamen fortè potior pars in præmium laboris & operæ ob raritatem artis credo fuit petita. Idem de viginti duobus florenorum millibus censeo, quibus & artem, & quinque illa cadavera artificiosè condita, Regi Hispaniarum & ordinibus Brabantiæ vendidit. Te arbitror secretum tuum pretio bis mille imperialium æstimare. Quibus ut aliquando potiaris, voveo, sed quamdiu hæc arma durant, ubi tot cadavera cæsorum computrescunt passim & aërem inficiunt, ubi artes illæ potissimùm vigent quæ in perniciem generis humani inventæ, parum habes quod exspectes. Bono tamen sis animo. Labor qui nunc te occupatum tenet, proderit olim. Neque is talis, de quo scrupulus possit hærere, si ad cadavera humana extendatur, cùm inter casuistas recentiores facilè primus *Voet. Polit. Eccles. Part.* 1. *lib.* 3. *pag.* 229. eum approbet, paucis limitationibus adjectis, quæ te non tangunt. Ego hac tumultuariâ scriptione amorem meum erga te volui testari & simul conatus tuos aliquatenus adjuvare. Quamvis enim hæc mei fori non sint, gaudeo tamen, quoties licet publico de augmentis scientiarum & artium bonarum incrementis gratulari, adeoque cùm placuissent illa quæ auctore *Bilsio* Roterodami erant edita, sponte mea ac lubens operam dedi, ut hîc cum appendice recuderentur à mendis plurimis repurgata. Sed nolui descriptionem quinque cadaverum quæ pag. 26. habetur in calcem historiæ rejicere, ut fieri debuisset ex ipsius Bilsii præscripto pag. 32. quoniam parum in eo situm, sive illa ante, sive post historiam legeretur. Prout ergo inveni, ita suo eandem loco reliqui. Tu quicquid hujus est opellæ à me impensum, id in eam quam soles partem, id est, optimam accipe, atque porrò, Deo benedicente conatibus honestis strenuè rem, in usum rei Anatomicæ & Medicæ, faventibus quibuscumque boni publici amantibus gere, atque id ut possis, quàm diutissimè vale. Dabam Marpurgi Cattorum a. d. 22. Martii anni 1678. *Ex Epistol. Samuel. Andreæ ad Tobiam Andr. &c. de Balsamationibus veterum in fine libri continentis opera quædam Ludovici de Bils.*

Cum in præcedentibus nobis, de partibus humani corporis, sermo fuit etiam, ad curiosorum satisfactionem, methodum balsamandi cadavera eorumque partes ad conservationem in aliquot centenos annos & ultra proponemus.

Conservatio igitur cadaverum duplex esse potest, nempe mediante liquore, aut sicca Balsama-

ſamatione. Ea quæ fit mediante humido, fit tum cadavera eorumve partes ab una regione in aliam, absque ulla corruptione aut decoloratione transmitti debent: fiat igitur muria vel lixivium fortissimum ex marino ſale & alumine aliquantum ſufficit; cadaveri in capulo picato jacenti ſuperfundatur hic liquor, adeo ut bene immergatur: atqui hoc modo ex longinquis regionibus in alias, ſine ullo fœtore aut corruptionis indicio transferri poſſunt; imò ſectioni anatomicæ, non inepta erunt quia inter diſſecandum minimè fœtent. Aliquando, quod mirum, infantes eo modo conditos accepi, qui vivum adhuc colorem retinuerant; non ſecus ac ſi in cunis dormiverant. Optimè hæc methodus inſtituitur, cùm aliud negotium ſit, & cum occaſio diſſecandi tibi commoda non fuerit, in aliud tempus differatur. Alter conſervandi modus eſt, quo cadavera in oleo terebinthinæ condiantur; atque hoc modo per aliquot annos in priſtinum ſtatum perſeverant. Affuſione ſpiritus vini conſervari poſſunt; imò ſi more veterum incedas melle condiantur. Verum in melle, aloë, myrrha, ſimilibuſque Balſamis cadavera deformia fiunt, in ſpiritu verò vini ſenſim conſumuntur. Optimum ideoque eſt, ut cadavera mediante ſpiritu vini primò tincturam ſuam evomant. Spiritus iſte iterum rectificatus reaffundetur, tincturamque de novo extrahas, qui rurſum deſtillatus iterumque reaffuſus, tamdiu rectificari poteſt, donec nullam ampliùs tincturam imbibat. Accipe tunc ſpiritum vini rectificatum, cui admiſce ſpiritus ſalis armoniaci cum calce viva deſtillati partem quartam aut quintam: hanc mixturam cadaveri ſuperfunde: atque hoc ritu diutiſſimè conſervantur. Ita generationes ex ovo, quæ ſingulis diebus conſpiciuntur, conſervantur, quæ omni anni tempore repræſentari curioſis poſſunt. Imò ſi hac methodo incedas, ſemper & ſingulis diebus diſcipulis inſtructionem dare potes, absque ulla Anatomica ἐγχειρήσει. Elutriata omni tinctura ſæpe affudi ſpiritum ex myrrha, olibano, maſtiche, ſuccino & ſpiritu vini deſtillatum, quem ob eximium in Medicina uſum, ſpiritum matricalem voco. In hoc ſpiritu optimè dephlegmato conſervantur pulli, angues, lacertæ, limaces marinæ & ejuſmodi alia, ſine ulla coloris deperditione. Si tibi contingat integrum cadaver à corruptione præcavere, per os & œſophagum aqua calida ſiphone immittenda, ut nimirum materia, aliàs facilè corruptura, ex ventriculo & inteſtinis foras per anum emandetur: idque tamdiu continuandum, donec aqua pura & limpida exeat. Poſtea ſpiritus vini magna quantitate immittatur, ut nempe hoc modo omnis aquoſitas relicta, abſorberetur. Porrò arteriæ quoque & venæ majores aperiendæ, iiſque aqua quoque calida tamdiu injicienda, donec omnis ſanguinis rubedo exire deſinat, & aqua tantùm clara prodat: deinde, ut ſupra, ſpiritus vini immittendus, ut particulæ aquoſæ ab hoc ſpiritu elutrientur. Operatione hac prævia multùm ſpiritus parcitur, alias ingenti ſpiritus copia opus fuiſſet, quod mediante aqua jam fieri poteſt *Sandapila plumbea* aut *Stannea*, ne ſpiritus exhalet ad id opus requiritur, ſi integrum conſervari debeat cadaver: verùm ſi partes quænam conſervandæ ſint, vitra omnis generis requiruntur, quæ veſicis firmiter ſatis obturari poſſunt.

Poſt Balſamandi modum in humido, alter ſequitur ſiccus; Quando contingat ut totum cadaver Balſamationi ſiccæ exponetur, potiſſimùm ad faciem & manus advertendum, ne colorem vivum perdant. Aqua igitur calida & vino adusto, ut ſupra expoſitum cadaver eluendum; poſtea limpidus terebinthinæ ſpiritus cui pigmentum aliquod album admixtum fuit, de novo immittendū ut præcaveatur, ne cadaver ſiccum flavedine tingatur. Hujus liquoris, immiſſio in ſingulis ferè membris ubi arteriæ aut venæ manifeſtæ ſunt inſtitui debet. Cadaver hoc modo præparatum, altioribus domi partibus exponatur, ſituque debito membra diſponantur: replendæ tunc omnes arteriæ & venæ cera parùm miniata, ut corpus nempe vividum acquirat colorem: Hæc ceræ injectio fit, ne corpus ſiccatum aridum fiat, verùm ut membra debitam expanſionem ſervent. His peractis ſenſim ſiccetur cadaver ventis expoſitum, ſingulis diebus tamen adeundum, ne quid mali accidat. Facies interim & manus coſmetica vernice obliniendæ, ne flaveſcant nimis. Oculorum orbitæ, vitreis oculis, ejuſdem coloris ac vivus habuit, replendæ, quamvis cilia claudi poſſunt, & tunc mortuum, quaſi dormientem conſpicies. Genæ, labia, ſimileſque partes rubore vivo pingendæ: vivus enim color, quoad poſſumus, imitandus eſt.

Exſiccatum hoc cadaver, ita ut nihil humidi in ſe contineat, ab omni parte vernice illinendum eſt, ut nempe ab aëris injuriis præcaveatur. Fiat igitur mixtio ex aloë terebinthina & maſtiche, quibus ſimul colliquatis nonnihil ceruſſæ admiſce, ne color fiat flavus. Hiſce ita peractis: arcæ ligneæ, ad præſervationem comparatæ, mumia imponatur, ne ab omni aëris immunditie lædatur. Quamvis hoc ritu cadavera præſervari poſſint, melius tamen erit, ut viſcera, facilè corruptibilia, eximantur: exempli gratiâ, ſi capitis cutis cruciali modo incidatur calvariaque ſerra elevetur, cerebrum facilè corrupturum, eximetur: cavitas, poſt debitam exſiccationem eadem vernice obducatur: replenda interim cavitas Aromatis, gummiſque bene olentibus: imponatur deinde calvaria, cutiſque jam reſiccato filo ſerico conſuatur. Porrò ipſum cerebrum condiri poteſt, ut poſtea dicemus & cavitati loco aromatum; imponi. Simili modo & Thoracis & abdominis contenta eximi poſſunt, & balſamo indurari, ut nimirum poſtea ſuo loco locentur: verùm ſi licitum ſit inteſtina ſepeliri, cavitates aromatis replendæ, & cutis diſſecta reſuenda.

Si quis ſolummodo muſculos condire ſtudeat, cutis decorticanda. Omnes muſculi arte anatomica à membranis ſolvendi, ut diſcipulis omnes totius corporis muſculos exhibere poſſis. Solutis omnibus muſculis, tamdiu aqua calida eluantur, donec nihil cruenti amplius appareat, poſtea ſpiritu vini irrorandi, ut omnis nempe aquoſitas imbibatur. Poſtea cadaver ante foramen modicè calidum ponatur, ut pedetentim exſiccetur, deinde oleo terebinthinæ quotidie

musculi inungendi, donec omnes partes penetraverit. Hæc olei penetratio fit, ut partes ab omni corruptione præserventur. Exsiccato postea oleo, musculi aliquoties ab invicem separandi sunt, ne mutuò adhæreant. Interim erigatur corpus hoc modo ut erat in vivis, ita nimirum ut musculi posteriores & anteriores facilè conspiciantur. Induratis jam præ siccitate musculis, illitio iterum fit vernice ex oleo terebinthinæ & mastiche facta, ne externæ aëris injuriæ quippiam lædant: Si enim omnia providè peracta fuerint, hoc modo cadavera in aliquot centenos annos conservari possunt.

Minorum infantium cadavera ad siccitatem usque concinnè Balsamo indurari, vitrisque crystallinis includi possunt, ut, post mille annos ita conspiciantur, ac si recens essent conditi. Hoc igitur incede modo: infantis aut embrionis corpusculum per octo aut plures dies vini spiritui immergatur; sed recens spiritus singulis diebus affundendus. Infanti majori autem intestina siphonibus purga, eique terebinthinæ oleum superaffunde. Interim vernix ex oleo terebinthinæ, mastiche, succino, copal &c. præparanda: eaque sit ita spissa, ut, si ab igne movetur, in rigidum ferè vernicem rigescat. Hæc, calida in vitrum amplum, ad magnitudinem fœtus accommodatum, infunditur. Tepidæ huic vernici embryon balsamandum immergitur, ut in medio vernicis spatio obrigescat, vernixque instar succini diaphani apparebit. Mirum sane, quod magnatum maximi hoc modo non condiantur, cùm id paucis sumptibus & brevi tempore fieri possit.

Locuti jam sumus de modo, quo integra cadavera Balsamo condiantur, nunc de viscerum Balsamatione particulatim agemus. Ventriculus, intestina, imò vesica urinaria, uretheres, Cystis fellea, omniaque ea quæ fistulosa aut membranacea sunt eadem methodo præparantur: nempe, primò aqua à sordibus purgantur, deinde spiritus vini ad aliquot digitorum eminentiam superfunditur, perque dies nonnullos infunduntur, ut omnis nempe aquositas extrahatur. Hisce peractis vento distendi debent, & quemadmodum vulgares vesicæ exsiccari. Postea fenestricula in stomacho vel intestinis fiat, partem nempe cultello fenestellæ in modum conscindendo, ut interiores parietes oculis pateant, tunc omnes æqualitates, & inæqualitates, ut sunt valvulæ conniventes, rugæ & plicæ, necnon glandulæ miliares ob oculum sistuntur. Posthac eadem vernice intus & extus obliniantur, ne acari & teredines partes corrodant.

Lieni illæso aqua tepida per arteriam lienarem immittenda donec per venæ portæ ramos nihil cruenti redeat, tunc lien, ob sanguinis penuriam, planè albus apparebit. Injiciatur tunc sæpe vinum adustum eique per aliquot dies immergatur, ut supra. Lien deinde inflandus ut spiritus exeat, iterumque terebinthinæ oleo imbuatur. Omni jam liquido liene efflato, vena portæ vinculis constringenda, & arteria insuffletur & ligetur. Lien hoc modo ad siccitatem induratus, vermis eodem modo ab omni corruptionb custodiendus est. Post exsiccationem membrana quæ lienem investit, scalpello acutissimo facilè abscinditur, ut interior substantia, arteriæque distributio cominus conspiciantur.

In Balsamando jecore, immittenda per portæ venam aqua tepida, necnon per arteriam hepaticam, tunc omne sanguinolentum per venam cavam exhibet: deinde spiritus vini & postea oleum terebinthinæ injiciatur, ut supra. Interim quoque fellea cystis purgetur, insuffletur & exsiccetur ut ante de ventriculo & intestinis dictum. Sic quoque insufflandum est jecur per vasa sua, iisque extimè ligatis, exsiccationi exponantur, verniceque obducantur. Eodem modo & renes condiri possunt. Oculis inamœnum non est, venas esse cera nigra & arterias rubra repletas, ut nempe earum ramificatio eo distinctius conspiciatur.

Omentum exsiccatum, byssum aut carbasum, refert, quibus se mulierculæ ornant. Primo per aliquot dies spiritui vini immergatur, leviterque siccetur. Verùm quia multi ductus adiposi per illud excurrunt, idem amyli farinæ aut furfuribus immergendum, tum ab omni pinguedine liberabitur.

Pulmonum Balsamatio haud ita facilè fit, quia difficile vento replentur, insufflatis enim pulmonibus, omnis aër elabitur. Si enim pulmones eximantur è corpore plurimi meatus, post vasculorum lymphaticorum abruptionem relinquuntur, per quos aër & mercurius exeunt. Præparatio per aquam calidam, pulmonum arteriæ injectam, deinde per spiritum vini, oleumque terebinthinæ, eodem modo ut supra fit. Postea, ligatis omnibus vasis sanguineis, pulmones vitro largioris colli immittantur, Trachea tunc hoc modo in vesicæ alicujus medio ita accommodatur, ut flatus tamen in asperam arteriam immitti possit: vesica hæc ex cujus medio trachea dependet, supra vitri os ita expanditur & circumligatur, ne aëris momentum intrare vel exire queat. Verùm antequam vesica ligetur, alius quidam pulmones inflare oportet, ne scilicet post constrictionem iterum subsideant. Omnibus jam optimè ligatis inflatisque arctè trachea est constringenda; tunc nullus, nec per tracheam, nec per vesicam, aëri aditus & reditus patebit. Deinde exsiccationi exponantur, & vernice obliniantur, sicque pulmones expansi manebunt.

Cerebrum cum immissione humidorum non ad votum penetratur, immergendum tantum est spiritui vini, & eousque renovandum, donec nulla tinctura aut aquositas extrahatur. Superfunditur deinde oleum aut spiritus terebinthinæ, donec penetraverit oleum; postea vernici fervidæ aliquoties immergatur, & papyro oleo olivarum madidæ, ut exsiccetur, cerebrum imponendum.

Mirum in modum, vasa sanguinea capillaria per omnes corporis partes excurrentia videbis, modo ea cera miniata aut alius coloris impleas exempli gratia, si quis vascula pulmonum tenella conspicere cupiat. Primo, ut in præcedentibus dictum, pulmones ab omni sanguine liberandi sunt, & postquam omnem humiditatem expresseris, arteria cera liquida, eaque miniata, mediante siphone repleatur,

verùm

verum nigra cera implenda est vena, viridi arteria bronchialis, alba verò Trachea. Putrefiant deinde omnes membranæ & vesiculæ, ex quibus pulmonum substantia contexta sit & aqua frigida tandiu eluantur, idque singulis diebus, donec omnis materia putrida elota. Tunc apparebunt omnes arteriarum venarumque nec non Tracheæ ramusculi, instar arbusculi.

Jam quod ossa, nulla fere arte opus est, cum duritie sua seipsa satis præservare possunt. Verùm in hoc versatur totius cardo ut ab omni carne, membranis, tendinibus, & præsertim pinguedine liberentur, nitoremque eburneum acquirant atque hoc fit sola coctione, tunc non tantùm multum medullæ extrahitur, sed & externa cultello deradentur: postea per aliquot dies calcis aquæ imponenda, deinde supra eminentias arenosas circa maris littus insolentur, tunc post aliquot tempus eboris nitorem acquirent. Postea terebra versatili, seu verticillo circa articulationes perterebrantur, & invicem filis æneis junguntur, ut sensim in sceleton erigantur. Os sacrum porrò, omnes que vertebræ ut in vivis erant virgæ ferreæ vel cupreæ accommodantur, quibus caput, cum cranio, pro virgæ transitu, perforata, imponitur, atque sic omnia cochleari instrumento firmentur. Inferior virgæ pars tripes esse debet, ut totum sceletum virili magnitudine erigatur. & sustentetur. Quæ ulterius ad sceleti erectionem pertinent, melius quis conspiciet si Anatomias publicas & privatas consulat. Atque hoc modo corpus integrum, ejusque partes Balsamo præservatæ privatim & singulis momentis curiosorum, discipulorumque oculos sistere possunt: nam cadavera recens denata ubique præsto non sunt. Inque anatomiis publicis specialiora ita quoque non repræsentantur, quin prius fœtorem contrahant. Atque hæc de Balsamandi Methodo, qui plura desiderat, me adeat rogo. *Steph. Blancard. in fine suæ Anatomiæ.*

CÆCITAS.

De Cæcitate non opus est in specie agamus, illud siquidem perficietur Tractatu generali de Visione ejusque vitiis suo loco inserendo Nunc sufficiat *Consultationes* quasdam atque *Observationes* è variis Autoribus adduxisse.

Consultationes.

Illustriss. & Reverendiss. D. ætatis annorum 43. temperamenti calidi & sicci jecoris, & totius corporis, ut ex rufis capillis, corporis gracilitate, & venarum latitudine perspicuum est; Cerebri verò calidi, & plus æquo humidi, ut ex destillatione salsa, & visione confusa constat mense Julio anno 1643. repentè incidit in duplicatam visionem simplicis objecti, magisque in scalarum descensu, quàm in ascensu, spatio ferè duorum annorum, à quo nullis adhibitis spontè illicò evanuit affectus, qui tamen rediit mense Augusto anno 1646. eodem prorsus modo trimestre spatium durans, quo tempore duplicata objecta non amplius cernebat, sed visio adeo defecit, ut in præsentia sit ferè abolita, præterquam quod quandoque ignea objecta, quandoque obscura & alba videre videtur, nullo extrinsecus in pupillis apparente vitio. Accedit quod sæpe, & ferè continuo splendores & veluti coruscationes quasdam intra oculos observat. Quibuslibet verò aeris calidioris & frigidioris injuriis diurnis, & nocturnis, capite tecto & aperto se exposuit, cùm imprimis è loco calido in frigidum migraverit, & ad ignem diu moratus sit, dormieritque in cubiculo ventis exposito, ad focum quandoque totum diem moratus. Sæpius de hoc affectu consultatio habita fuit à primariis Medicinæ professoribus, multaque medica præsidia irrita fuere. Propterea de agendis consulitur.

Quod ut pro virili fiat, supponam cum Viro Præclarissimo ad nos scribente, partem affectam esse oculos, cùm læsa sit visio, affectumque esse in internis partibus. Extrinsecus enim oculos intuentibus nullum apparet in pupilla vitium: quinimò spectantium imago in ea conspicitur: Visionemque dupliciter esse lœsam, hinc quidem depravatam, cum ratione duplicata visionis, qua laborauit, tum ratione splendoris, & coruscationis præsentis; hinc verò imminutam, & ferè omnino deperditam, cùm nonnisi proxima, & obscurè videat; ut propterea si non sit perfecta cæcitas, Latinè Gutta serena, & Græcis Amaurosis dicta, saltem sit valde imminuta visio, Amblyopia vocata. Quænam autem pars oculorum sit per se primò læsa, tunc clarius assequemur, quando, prædictorum affectuum causam adæquatam in medium afferemus. Quare primò constituimus causam duplicatæ visionis; secundò coruscationis & splendoris; & tertiò cæcitatis, vel imminutæ visionis.

Duplicatæ autem visionis in casu nostro duas causas producere possumus; quarum prima esse potest divisio spirituum visoriorum in neruis opticis, ubi coeunt in unum, juxta sellam sphenoidis, eaque facta à vaporibus ad spiritus visorios pervadentibus ac ipsos dispescentibus. Alia causa est pupillæ situs non in eodem plano, qui provenire potest à læsione musculorum rectorum oculos attollentium, vel deprimentium. Primam causam assignavit Galen. lib. 10. de Usu partium cap. 14. quærens causam conjunctionis nervorum opticorum, confutatis aliorum opinionibus, duas protulit causas ex propria sententia. Quarum prima est, *si quando inquit alter oculorum clausus sit aut omnino mutilus, & in alterum superstitem spiritus confluant, quod experientia facilè comprobatur; clauso enim oculo, statim alterius pupilla dilatatur, eodem denuo aperto, in statum naturalem redit:* altera, quod visoria facultate sic duplicata, visus acutior fiat. Cui opinioni subscripsit Mercurialis in suis Prælectionibus de Oculorum affectibus cap. 1. statuens primo, judicium visus fieri in ea nervorum opticorum decussatione, quam videmus in Anatome, ad quos cùm plurimi vapores pertingant, spiritus ab iis dividuntur in duas partes, à quibus deinde in duobus locis unius rei species offertur sensui communi, atque unicum objectum geminum videtur; quod confirmat exemplo aquæ, in

qua Solis imago apparet; si enim baculo discindatur, apparebant duæ Solis imagines. Cui opinioni ego quoque in consultatione aliàs habita de hoc affectu subscribendum censui, confirmatæ ab Andreâ Laurentio, & aliis pluribus rationibus. Licet profitear, me hac in re post consultationem conscriptam, & Romam transmissam non parùm hæsitasse, cùm circa partem affectam, tum circa causam effectricem. Quoad partem affectam, numquid scilicet duplicata visio proveniat à læsione nervorum opticorum, ubi in unum coeunt, ut asseruit Gal. 10. de usu partium cap. 14. jam cit. & Avicenna prima primi doctr. 5. Summa 3. cap. 2. quibus subscribunt plures Medicinæ Scriptores. Quinque enim rationibus iisque validissimis confirmari potest, affectum hunc non provenire à vitio nervorum opticorum, ubi in unum coeunt. Quarum prima est hæc. Uniuscujusque partis organicæ actio provenit à parte illa similari, quæ est præcipua in organo, teste Gal. 8. de Usu part. cap. 5. ubi ipsum primum, & præcipuum visûs instrumentum nominatur; quod confirmat primò de causis Sympt. 2. Ergo visio fieri debet in crystallino, & non in coitu nervorum opticorum. Secundo: eadem ratio est aliorum sensoriorum, quæ & oculorum. Sed alia sensoria habent nervos sensui dicatos separatos, ut apparet in auribus, quæ tamen non recipiunt sonos duplicatos. Ergo neque oculi reciperent duplicatas visiones, licet optici in unum non coirent. Tertio: si species separatim receptæ à nervis opticis duplicatam visionem facerent, etiam id præstarent separatim receptæ in primo sensorio post coitum opticorum: tunc enim denuo separantur. Atqui recipiuntur unitæ. Ergo & ante conjunctionem separatim receptæ uniri possunt. Quarto: primum & præcipuum videndi organum debet esse perspicuum, & splendidum; alias neque ab interno lumine per spiritus influente, neque ab externo illustrari posset; lumen enim est *actus perspicui* ex Arist. 2. de Anima 7. Sed nervi optici non sunt perspicui. Ergo visus organum esse non possunt. Quintò & ultimò id confirmatur ex Anatome. Refert enim Andreas Vesalius lib. 4. de Humani corp. Fab. cap. 4. se in cadavere dissecto invenisse nervos opticos sejunctos, & consanguineos defuncti interrogasse, numquid conquestus fuisset de læsa visione. Nec minorem habet difficultatem assignata causa: hoc fieri scilicet ex divisione spirituum visoriorum, facta in illo nervorum concursu à vaporibus cum impetu ad ipsos pervadentibus. Quod ebriorum exemplo ab Arist. proposito 3. Problem. 10. probari posse videtur; necnon & aquæ, in qua Solis imago apparet, baculo discissæ in qua conspiciuntur duæ Solis imagines, ut inquit Mercurialis loco citato. Quod etenim à vaporibus spiritus animales agitantibus recipi possint objecta depravatè mota, negandum non est: hoc enim observatur etiam in vertigine. At quod fiat duplicata visio, & non multiplex, vix mihi persuadere non possum, eoque minus, quod in Illustriss. & Reverendiss. patiente duos annos ferè continuos perduraverit affectus, cùm alias vaporosa materia semper mobilis, affectum permanentem, & semper sui similem producere non possit tam longo temporis spatio molestum. His rationibus sane non nullius rei adductus quis dicere poterit, causam duplicatæ visionis neque referendam esse in vapores spiritus discindentes, neque fieri in concursu nervorum opticorum, cùm præcipuum visionis instrumentum sit crystallinus, ex omnium cùm philosophorum, tum Medicorum sententia, cumque affectus biennio perseverans à vaporosa materia fieri non possit humida verò facta obstructione imminutam, non depravatam visionem inducere potuerit, prout factum videmus. Atque ideo partem affectam statuimus esse pupillam ipsam, non in eadem planitie positam, sed alteram altera eminentiorem. Sic enim objecta duplicata recipiunt, ut experientia comprobare quilibet in se ipso potest, attollendo alterum oculorum digito, in quo casu pars affecta non erunt nervi optici, ut existimant aliqui, asserentes ab ipsis oculos sursum deorsumque moveri posse. Nervi namque optici inserviunt sensationi non motui oculorum, cui potiùs dicati sunt nervi secundæ conjugationis. Præcipuum tamen motus organum est musculus, ut propterea pars principaliter & essentialiter affecta possit statui musculosa substantia: non tamen quilibet musculi oculum moventes: nam laterales pupillam ad latera trahentes duplicatam visionem non efficiunt, ut strabismo apparet, quoniam servatur pupilla in eadem planitie: at duplicata visio fit quando visoriorum conorum axes non sunt in uno eodemque plano positi. Hoc autem provenit, quando musculi attollentes, superbi vocati, vel deprimentes, humiles dicti non moventur æqualiter prout in præsenti casu forsitan factum fuit, colliquato scilicet humore ab ambientis caliditate, cum mense Julio prima vice, tum Augusto postea, qui ad oculos confluens, laxitatemque majorem inferens alterutri musculorum deprimentium, ac proinde inæqulem depressionem efficiens, geminatam visionem, & eam magis in descensu, quàm in ascensu scalarum producit. Quam causam à Gal. quoque propositam video Lib. 4. de Locis Affect. cap. 2. dum tractat de motu vitiato musculorum oculos moventium, his verbis: *Porrò in oculorum perversionibus, si ad alterutrum angulum fiat conversio, illæsa permanebit cernendi facultas; si verò aut sursum, aut deorsum, in obliquum quoque convertantur, quid quid ipsis objeceris, id omne duplex esse videbitur.* Hæc Galenus. Quæ repetit primo de Sympt. Causis 2. in principio. Ex quibus luce clarius constat, Gal. utrique opinioni adhæsisse; ut propterea ego in hanc deveniam sententiam, priore antea proposita non neglecta. Et hæc de duplicatæ visionis causa satis. Neque obstat exemplum ab aqua desumptum baculo discissa, in qua Solis imago apparet duplicata. Hoc enim provenit ab objecto in diverso plano Solis imaginem representante sicuti à speculo in plures partes fracto, repræsentantur plures inspicicientis imagines absque ullo vitio visoriæ facultatis, & ipsius oculi: in ebriis autem objectorum confusio, ut & aliquando in iratis, ob agitationem spirituum. Splendoris autem, & coruscationis causam esse statuo crassitiem, & impuritatem spirituum visoriorum provenientem à vaporibus heterogeneis in corpore

exuperantibus, cùm igneis, ex temperamento, & diuturna mora prope ignem, & in loco calido, tùm pituitosis, à cerebro transmissis. Hinc enim fit, ut spiritus ipsi humorem albugineum non subeuntes retrocedant in crystallinum, atque splendores, & albas visiones efficiant, per reflexionem. Cum hoc tamen à prædictis humoribus obstructione facta in nervis opticis vel absoluta cæcitas, vel imminuta visio inducta est, in perfectam tandem cæcitatem terminanda.

Affectus namque diuturnitas, oculorum imbecilitas, & irrita plurium remediorum administratio, ex methodo præscriptorum à Viris præclarissimis omnem ferè sanationis spem adimunt.

Insistendum tamen humorum qui confluxere sensibili, & insensibili evacuationi, diversioni fluentium, totum expiantibus, & jecoris, ac cerebri intemperies corrigentibus, Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Quoad Chirurgica, præter hæmorrhoidum reserationem jam factam, & cucurbitularum applicationem, non abstinerem à venæ sectione in hac ætate, & hoc temperamento; cùm visus lædatur non ex solutione, sed conculcatione veluti spirituum. Setaceum jam factum, cauterium in tibia, auriumque perforatio proposita summoperè probantur.

Frequens alvi dejectio prodesse potest, ex Alexandro Benedicto, historiam referente nonnullorum, qui cùm aliquandiu nihil vidissent. repentina alvi dejectione visionem receperunt, Vomitoria & errhina in oculorum affectibus detestatur Hollerius tanquam ad oculos trahentia; quod admittitur quidem impuro existente corpore, & capite catharrho laborante: at præmissa accuratissima totius, & capitis expiatione utrumque ex usu futurum censerem, & præsertim valida sternutatoria, ad repellendos humores, qui confluxerunt, præmisso fomento oculorum ex vino albo alterato, *euphrasia, scordio, & fœnugræco.* Nec abs re futurum censerem in morbo ferè incurabili, ulcuscula retro aures excitare aut vesicante apposito aut lacte tithymali & facta diversione, ulcus etiam mediæ fronti inurere: cum habeamus historiam apud Alexandrum Benedictum cujusdam Germani octogenarii, qui ab equo currente in terram excussus, frontem sibi confregit, & dum curaretur visionem recuperavit. Nec omittendum censeo collyrium à Mercuriali propositum, tempore Antonini Imperatoris ab oraculo evulgatum, paratum ex sanguine galli albi, & melle. Rationi namque consentaneum judico,

Et hæc cum congrua victûs ratione ritè administrata proponenda censui, additis quæ jecur, & totum corpus refrigerare valeant, atque caput exsiccare absque majore ipsius incalescentia. *Benedictus Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. II.*

Vir quadragenarius & fortis, crapulæ nimis addictus, cùm per aliquot tempus levi aliqua vertigine cum molesta gravedine conquestus fuisset, tandem ipsi visus bidui spatio adeo imminutus est ut nihil prorsus videre, imò ne lucem quidem percipere amplius potuerit; & exinde omnino cæcus remanserit. Oculi tamen bene sese habere videntur, in iis enim nihil mali, nec decoloratio, nec suffusio, nec aliud quid præter naturam apparet, Aeger quidem à crapulis per aliquot tempus abstinuit, sed remanet cæcitas. A vertigine autem & gravedine maxima ex parte liberatus est. Reliquo alioqui corpore mediocriter bene valet.

Affectio nostri ægri est cæcitas seu abolita visio. Hujus mali causa antecedens est pituita in cerebri ventriculis collecta, quæ inde ad nervos defluens eosque obstruens, atque sic spirituum animalium ad oculos influxum, & objectorum visibilium perceptionem impediens, causam continentem constituit. Collecta autem fuit in cerebro ex crudis vaporibus & humoribus è nimia crapula genitis, & ad caput delatis; ibique ob partis frigidiorem naturam nec satis coctis, nec dissipatis, sed magis incrassatis. Ab iisdem crudioribus humoribus per arterias carotides ad plexum choroidem delatis ejusque angustissimos meatus hìc illìc aliquantulum obstruentibus, primò verticosus spirituum transitus factus, ac vertigo generata est. Cui accessit maxima gravedo, à crassis viscosisque humoribus quos natura per os cribriforme evacuare nitebatur. Verùm cùm illi ob copiam & crassitiem non satis cito evacuari potuerint, pars eorum ad nervos opticos decubuit, eosque obstruxit. Oculi interea bene se habent, quia nulla in iis est intemperies aut prava conformatio; nec visus abolitus est propter oculos malè dispositos, sed propter defectum spirituum animalium, factum ab obstructione viarum per quas ad oculum defluere debent, scilicet nervorum opticorum.

Hi nervi tantùm in suo principio obstructi sunt à dicto pituitoso humore, qui in principii medullæ latioribus poris se aliquantulum insinuavit: credibile tamen non est illum humorem ulteriùs nervos ingressum esse, cùm ob ejus crassitiem & pororum in nervis angustiam id fieri vix possit. A vertigine & gravedine postmodum maxima ex parte liberatus est æger, quia destitit à crapulis & consuetis potationibus: unde cruditates in valido corpore magis magisque excoctæ sunt, sicque imminuta est causa antecedens, quæ dictorum affectuum continentem causam fovebat, atque hinc etiam à natura paulatim consumpta est continens. Remansit tamen cæcitas, quia humor crudus nervorum poris infixus, tam ratione propriæ crassitiei & viscositatis, quàm ratione densitatis & angustiæ pororum in nervis, neque excuti, neque consumi potuit; & licet ab antecedente causa ampliùs non foveatur, tamen ratione sui, & partis cui inhæret ibi remanere, & continuam illam obstructionem facere potest.

Hæc cæcitas curatu difficilis erit, quod humor nervis opticis impactus non facilè discutiatur. Quia tamen malum recens est aliquam sanationis spem exhibet, si modo convenientia remedia quamprimùm adhibeantur.

In curatione primò corpus purgandum his pilulis.

℞. Massæ pilular lucis, cochiatum an. ʒß. cum pauxillo syrupi de stæchade, fiant pilulæ novem. Quarum loco etiam dari potest Si pul-

pulveris diaturbith. cum rheo. Quia sanguis in hoc ægro redundat, postridie à purgatione aliquantum sanguinis detrahendum. Quo facto, post biduum vel triduum rursus est purgandum. Postea bibat æger ter de die haustum hujus apozematis.

℞. Radic. acori, valerian. fœnicul. helen. an. ℥ß. herb. betonic. euphrag. serpill. majoran. rosmarin. fol. lauri an. m. j. flor. chamomill. stæcad. an. m. ß. sem. fœnicul. carui, an. ℨij. bacc. juniper. ℥ß. passul. mund. ℥ij. aq. q. s. coquantur s. a. & fiat apozema ad ℔iß. Hoc absumpto illud ipsum apozema fiat purgans, addendo fol. sen. mund. ℨiß. rhab. opt. agaric. albiss. an. ℨij. sem. anis. ℨiij. cinnamomi ℨj. Tunc æger ex eo tantùm semel de die haustum sumat. Corpore satis purgato, & sanguine convenienter extracto, hoc errhinum sæpe in nares attrahat, ut pituita in cerebro contenta evacuari possit.

℞. Succi majoran. fœnicul. an. ℥ß. betæ ℨiß. misceantur pro errhino.

Ad diversionem & simul revulsionem cucurbitulæ dorso & scapulis, cum & sine scarificatione apponendæ: vesicatoria etiam post aures applicanda: vel, quod efficacius erit, cervici setaceum adhibendum, aut fonticulus in ea excitandus.

Ad dissipationem reliquiarum in cerebro, & imprimis in nervis opticis contentarum, & capitis corroborationem, fiat sæpe oculorum, frontis, verticis & temporum fomentatio cum hoc decocto.

℞. Herb. fœnicul. majoran. rutæ, betonicæ, rorismarin. euphrag. flor. chamomill. melilot. stæchad. an. m. j. sem. anis. carui, levistici an. ℨij. aq. q. s. coquantur ad ℔ ij. pro fomento. Post fotum imponatur capiti cucupha ex cephalicis calefacientibus & attenuantibus consuta. In aures quoque cum petiis ex bombace immittatur gutta una aut altera olei fœniculi. His peractis in ipsos oculos etiam instillanda talia, quorum incidens & attenuans vis usque ad nervum opticum penetrare potest, quale est hoc collyrium.

℞. Succi fœnicul. ℨj. chelidon. rutæ, an. ℨß. misceantur. Illud postea acrius fiet, addendo succi raphani sylvestris ℨiij.

In victu sit aër modicè calidus. Cibi sint boni succi & facilis digestionis, conditi cum majorana, fœniculo, betonica, rosmarino, euphrag. semine fœniculi, anisi, aliisque similibus: abstinendo ab alliis, cepis, sinapi, aliisve quæ caput replent. Potus sit cerevisia mediocris, bene defæcata, & vinum tenue: fugienda omnia vina generosa & quilibet potus fumosus; nec minus repletio tam in cibis quàm in potu. Somnus & exercitia sint mediocria. Alvus bene respondeat, & fugiantur animi pathemata. *Isbrand. Diemerbroeck De Morbis Capitis Medic.* 19.

Observationes.

Adolescens 14. annos natus, & phlegmatici habitus, cum æquali sponsionem fecit, posse se sternutare ad libitum, imò etiam centies. Deposito pignore cœpit ex immodica titillatione irritatis naribus sternutare, circiter centies & amplius. Exin protinus correptus est dolore capitis & hebetatione visus, qui etiam sequenti die deperditus fuit, citra tamen inflammationem oculorum aut febrim. Convocatis mecum clarissimis doctissimisque viris, Jano Antonio Saraceno, & Andrea Boneto, decretum est, ut purgato corpore setaceum adhiberetur collo, uti & scapulis cucurbitulæ: atque his usus revulsionibus, visum paucos post dies recepit. Hinc apparet quantum hallucinentur, qui in nervorum opticorum obstructione, aliisque morbis oculorum, errhina & sternutatoria præcipiunt & adhibent. Materia enim quæ à vehementi motu ex cerebri ventriculis ad nares trahitur, & circa os cribrosum accumulatur, transiens prope nervos opticos, ratione propinquitatis eos magis magisque obstruit. Objicitur, purgationem universalem præmittendam errhinis: sed nunquam ita potest exonerari cerebrum, quin tantùm materiæ supersit, quantum ad hanc exiguam nervorum opticorum capacitatem obstruendam satis sit. *Guilhel. Fabric. Hildan. Observ. Chirurgic. Cent.* 1.

Aulicus quidam Serenissimi Principis ac Domini Dn. Philippi Landgravii Hassiæ, &c. Conradus nomine, natione Helveticus, cùm ad oculum sinistrum ictu baculi percussus esset, in ipso momento visum amisit. Protinus dolores exorti sunt, & inflammatio aliqua Adnatæ supervenit, quæ symptomata tamen brevi, adhibitis medicamentis quibusdam remiserunt; verùm visus restitui non potuit, etiamsi multis, & præclaris quidem uteretur Medicis ac medicamentis. Ego cùm anno 1617. ex Hassia rediens, & Fridbergi apud Clarissimum & Doctissimum virum Dominum Georgium Fabrum ibidem Castri Imperialis Medicum celeberrimum, amicum meum intimum per dies aliquot moram traherem, jussu Principis sui ad nos venit, quinta decembris, & an, & quibus remediis curari possit, ex nobis perquisivit. Cui de affectu suo, sequens Judicium nostrum ad Principem suum (qui omnem movit lapidem, ut visum recuperare posset) deferendum dedimus.

Nos subscripti notum facimus omnibus, quod, cùm honestus vir Coradus ad nos venisset, & petiisset ut affectum suum oculi sinistri dijudicaremus atque curabilis sit ipsi indicaremus, ex inspectione cognoverimus: Primo ex ictu ipso, quem in oculo recepit, tunicam uveam ita disruptam atque dilaceratam fuisse, ut spiritus visivi (quia disperguntur) non ampliùs res objectas inter se distinguere possint. Secundò propter contusionem & inde consequutam inflammationem, humorem Aqueum aliquo modo incrassatum atque inspissatum esse, ita ut res objectæ ad humorem Crystallinum veluti præcipuum & primarium visionis instrumentum, pervenire non possint. Porrò quia utrumque symptoma corrigi non potest, præcipuè primum, verisimile nobis videtur incurabilem esse affectum. In fidem veritatis præsentes dedimus, propriisque manibus subscripsimus Fridbergi Wetterauorum, 5. Decembr. 1617.

Georgius Faber M. D. Guilielm. Fabric. Hildanus. Idem cent. 5.

Puel-

Puellus quidam 4. annorum ætatis, M. Jacobi de l'Oseat civis Moratensis Aventicorum filius, cùm 20. Maii hujus anni, turbæ infantulorum, qui cæcum quendam quatuordecim annorum exagitabant, adsisteret, & cœcus ille bacillum ex una parte acutum in turbam projiceret, puerum prædictum inter omnes innoncentissimum attigit, vulnusque ipsi ad sinistram palpebram superiorem infixit. Cecidit mox in terram puer iste, cibumque indigestum evomuit, nec quiquam cibi aut potus in tertium diem retinere potuit. Accersito barbitonsore ejus loci, frustulum pinguedinis extra vulnus propendens reperit, quod filo serico ligatum post dies aliquot forfice abscidit, vulnusque intra quindecim dies, nullis immissis turundis cicatrice obduxit. Sic salva omnia esse videbantur, sed perperam; post menses enim aliquot, quum parentes observassent, visum hujus oculi abolitum esse, puerum mihi Bernam adduxerunt 20. Augusti anno 1627. ubi revera hoc oculo cæcum esse infantulum, cognovi. Interim tamen oculi partes extimæ (quantum quidem oculari inspectione cernere potui) omnes illæsæ erant. Imo ne motus quidem depravatus erat, cùm tamen musculus attollens, quem & superbum vocant, proculdubio læsus fuerat. Cæterum vulnus hoc, inter cranium & oculum ad nervum opticum usque penetrasse, pinguedo, quæ ex ulcere propendebat, testis est: an verò materia aliqua cruda; circumcirca nervum confluxa, ibidemque retenta, nulla enim immissa fuit turunda, nemini, nisi Deo notum est. Interim tamen junioribus Medicis & Chirurgis suadeo, ne usum turundarum in vulneribus profundis, præsertim contusis, ut nonnulli inepti barbitonsores, rejiciant negligantque, quin potiùs vulnus tantisper apertum retineant, donec satis expurgatum fuerit. *Idem Ibidem.*

Domina Ursina Francisci Camerini sartoris uxor, in via *delchiavadore* commorans, annum 30. suæ ætatis agens, à tribus mensibus oculorum suffusionem contraxerat, cum acerrimo & acutissimo dolore: cui ut subveniret alter Medicus, multa toto illo tempore incassum remedia dederat. Imprimis purgationes reiteratas, julepos & syrupos capitales, & alterantes, pilulas etiam plures reiteratas, coccias, de agarico, lucis, & similes; phlebotomiis, sanguisugis, cucurbitulis, frictionibus, & aliis medicis tormentis minime omissis, imò pluries repetitis evacuationibus semper præmissis; cauteriis in utroque brachio concitatis, atque in nucha setone. Quid? misellam tot crucibus dilaniatam, mortem potiùs quàm vitam oppetere vidisses. Medicos, Pharmacopæos, & chirurgos perhorrescit ipsa, & eorum quæque non remedia, sed venena appellitat: nec sine causa, nam his invitis, morbus semper invaluit, & ad morbi sævitiam, loco remedii, cruces & flagella addita fuerunt.

Quis non mecum malam mortalium sortem ingemiscat? Videre proximum langoribus, & doloribus dilaniatum, & auxilii loco graviores morbos, flagella, & cruces ipsi imponi: O cæcas mentes! Quid vobis confert titulorum honos, & gloria? Petenti panem dabimusne scorpiones? Absit, nobis præfixa charitas in omnibus nostris prævaleat semper. Itaque diris his malis afflictam sequenti methodo, brevi sublevavimus.

Nauseabundo ventriculo, tot remediis perperam adhibitis fracto & dejecto tanquam parti publicæ, sine qua nulla corporis actio perfecta esse potest, stomachicum pulverem nostrum ad aliquot dies dedimus: eo sensim prava symptomata à remediis malorum Medicorum suscitata evanuerunt. Roborato ventriculo, decoctum cholagogum, & cephalicum ad 20. dies accepit, à quo cæcitas, & dolor penitus recesserunt, atque pristinæ sanitati restituta fuit; nec à decennio post curam, ullum vitæ incommodum persensit. *Petr. Poter. Obs. Et Curat. Cent. 2.*

Vir olim splendidus, sed id temporis, inops, exceptus hilariore convivio, incaluit usque adeo à vino: ut instar musti, dolia sua rumpentis, quoquo versus exitium molirentur humores, plus nimio in ipso concitati. Quærentes exitum, modò per vomitum, modò per dejectionem alvi; modò verò per nares; è quibus ut effusè perfluxit sanguis: sic doluit impense caput: cum febre intensa, præcordiis æstuantibus spiritu gravi; oculis flammeis; & mente tam vehementer perturbata: ut vel cæcus vidisset, bilem ipsi summoperè turgere.

Cujus impetuosum, quò infringeremus, raptum, infudimus illico Clysterem; & ex soluta priùs brachii vena, propinavimus medicamenta, cùm cathartica, tum intemperiem corrigentia. Quorum ope, inhibita quidem fuit, sed non tam strictè, effera hæc vis; quin converterit se nihilominus, in nervum opticum inducendo illi pessimam illam cæcitatis speciem: quam ἀμαύρωσιν nominant Græci. In qua, licet omnia oculo sint pura, nihil tamen vident ægri. Vide Galenum comm. 11. in prorh. cap. 11. & Aetium tetr. 11. serm. 3. cap. 48.

Cui pertinacissimo vitiò, quantumvis protinus, animosâ, cum Roberto Verhoevio, ac Nicolao Fontano, obviam itum: cùm per ferrum candens; tum per stibium potui datum; utique per cucurbitulas scarificatas; sternutamenta valida; filum, per cervicem, trajectum; & sanguisugas; affixas non minus temporum, quàm oculorum venis. Nequit tamen redintegravit visus: sive ob morbum penitiùs jam impressum: sive ob vehementiam alicujus veneni: quod æger asseverabat medicis à se adsumptum. Cujus, licet voluerit, exactam haberit rationem: nequit tamen eò unquam perduci, ut ejus exprimeret naturam; nedum à quo datum: satagens clam potiùs mussitare, quàm palam detegere, injuriam sibi illatum. *Nicol. Tulpius Observ. Medic. cap. 32.*

Honesta fœmina nondum quadragenaria ex osculis, & halitu, & accubitu mariti, ex lue venerea recens convalescentis, fauces asperari sibi sensit; tonsillas erubescere, & ulcusculis hinc inde obsideri. Advocatus imperitus magisterii tyro, non expurgato priùs corpore; aqua mercuriali fauces quotidie illevit, & in paucis hebdomadibus ulcera omnia ad maleficam cicatri-

catricem perduxit. Verùm eum verò stagnans adhuc in glandulis faucium impurus humor, cùm viam ampliùs per clausas tonsillas non inveniret, infelici metastasi in utrumque ægræ oculum sese violentiùs effudit, & ita paulatim invaluit, ut licet omnia in adversum moliente chirurgo oculario, quem re cognita suasi consulendum, malum in funestam cœcitatem degeneraret, nec vel fontis Helenæ collyrio, nec aliis utcunque generosis cederet remediis. Tanti est methodum in medendo vel ignorare, vel negligere. *D. Olai borrichii.*

Anni proximè ad exitum currentis die Nov. 3. adfui Nobil. Virgini, natæ 25. annos, quæ cœca erat, Palpebris clausis oculi intorti deorsum ad angulos internos decumbebant, nihil prorsus videntes: Gutta serena videbatur ex cerebri narcosi, vel humiditate ejus partis, unde nervi oculorum motorii & visorii oriuntur, ut & Paralysis oculorum: Præter voluntatem subinde oculus movebatur, sed leviter; concussum fuit ea parte cerebrum à janua cadente. Ipsum quoque cranium inæquale, sinum ostendit circa suturam lambdoideam. Antequam hoc oculorum vitio comprehensa est, copioso sero stillarunt oculi, pusque ex naribus fluxit, ut de cerebri abscessu suspicionem dederit. Cùm prorsus visu privetur, metusque sit imminentis vel apoplexiæ vel epilepsiæ D. Henrichus à Moinichen Regius Medicus; qui curæ ejus præerat, me unà cum celeberrimis Viris D. Simone Paulli & D. Olao Borrichio, ad consilium vocavit. Communi consensu ad evacuandos humores serosos cerebrum inundantes, caputque exsiccandum & roborandum præscriptæ Pilulæ cephalicæ, lucis, cochiæ, panchymagogicæ Crollii, cum resina jalappæ: emplastrum de betonica raso bregmati impositum, & subinde pilulæ de succino Cratonis exhibitæ, aliaque hisce indicationibus inservientia. Post usum horum medicamentorum commotus aliquando uterus, ad vomitum concitavit ægram, quo concusso cerebro, medicamentis præscriptis, roborato, oculi converti sensim, exsiccatis scilicet liquoribus nervos laxantibus, cœperunt, pupillæ ad rectam lineam erectæ, palpebræ aperiri, & mox obscurè, tandem clariùs objecta discernere, magna omnium admiratione, qui perpetuam cæcitatem ipsi ægræ prædixerant. *Thomas Bartholinus.*

Ex verrucâ in oculi sinistri palpebrâ malè curatâ cœcitas.

Cujusdam quæstoris in Episcopatu Caminensi uxor, myrmeciam, sive verrucam glabram & sessilem in oculi sinistri palpebra multis annis alebat, nullo adhibito remedio, siquidem molestiæ & doloris erat expers.

Obtulit tandem se quidem ultrò Cheirurgus Castrensis opem exigua herbula pollicitus; succo nimirum ex esula recenti expresso verrucam illinivit, simulque linteolum eodem succo impregnatum oculo clauso sub vesperam palpebræ imposuit; noctu totius oculi tumor & inflammatio suborta tam atroci cum dolore & cruciatu, ut de vita desperaret ægra. Accersitus ad leniendos immanissimos cruciatus, lac muliebre instillavi oculo, idemque & palpebræ cum petiis duplicatis tepidè applicui. Fronti autem & temporibus epithema ex repellentibus induxi. Mox ad inflammationem coërcendam, aperta in cubito vena, sanguinem ad uncias septem detraxi. Hinc alvum enemate convenienti provocavi, aliaque revulsionum media adhibui. Dolore nihilominus perseverante & immane quantum sæviente cataplasma anodynum tepidè imposui.

♃. Pomor. dulc. num. iij. coque ex aq. rosf. & plant. q. s. ad mollitiem, trajiciantur per cribrum, pulpæ adde sacchar. albiss. ℥ ij. camphoræ gr. xi. croci gr. v. M. F. Cataplasma. Hujus usu sæpiusculè repetito immanissimi dolores mitigati, postmodum ex toto remisere, quin & ipse tumor sensim disparuit; Oculus verò à mordaci & erodente thythymali succo insigniter læsus in calamitosam cæcitatem concessit. *Baldass. Timæus Casuum Medicin. lib.* 1.

Cæcitas ex ulcere pedis rheumatico intempestive curato.

Henricus Manteuffel Hæreditarius in Trinicke multis annis ulcere rheumatico pedis sinistri affectus, doloris & molestiæ à fluxu & pruritu sæpe excitatis pertæsus, consolidationem à Cheirurgo petiit, in qua cùm frustrà per totum semestre occupatus fuisset artifex, tandem ope cujusdam vetulæ, paucorum dierum spacio ulceris occlusionem obtinuit.

Elapso mense uno atque altero in capitis dolores incidit adeò vehementes ut de vita desperaret, paulò post excæcatus est; exinde quolibet mane multum viscidæ ac flavescentis fœtidæque materiæ frequenti expuitione citra tussim rejecit, conquestus se quamdiu jejunus esset, eundem fœtorem in ore percipere, quem olim ex ulcere pedis.

Ex intempestiva ulceris diuturni & fluentis occlusione cæcitatem hanc subortam nullum est dubium. Cum enim longo jam tempore natura assueverit humores noxios ad pedem deturbare, & per apertum in eo ulcus evacuare, facilè fieri potuit ut occlusa via ad partes superiores, ipsumque cerebrum, regurgitaverint, & in principium nervorum opticorum effusi, cæcitatem induxerint; quod ipsum & fœtor quem æger à somno in ore percipit, similis illi quem ulcus olim in pede exhalavit, manifestè indicat. Præmissa itaque, cùm universali totius, tum particulari capitis evacuatione, revulsionumque remediis, omni conatu allaborandum censui, ut occlusum ulcus in pede iterum aperiretur, quod cùm alio modo obtinere non possem, fonticulum in pede affecto excitavi, sed exiguo cum fructu: Quod enim inde promanabat, nec quantitate, nec qualitate, ulceri continuè & affatim olim fluenti respondebat. Quare denuò omnis generis evacuationes, revulsiones & derivationes institui, exhibitis etiam quæ caput & cerebrum roborarent, materiamque nervis opticis impactam discuterent & absumerent. Tandem & decantatum illud fluxionum remedium, quod setaceum vocant, perforata cervice applicatum, nihilque eorum quæ ad calamitosum hoc malum avertendum facere poterant, intermissum: Sed parum ex voto, nisi quod immanissimi capitis dolores miti-

mitiganti, cæcitate in hunc usque diem perseverante. *Idem ibidem.*

Cæcitas incantamento curata.

Anno 1629. Miles quidam gregarius in fortalitio ad portum Colbergensem novissimè extructo à Cæsarianis, excubias agens, subitò & quasi in momento obcæcabatur; nullo corporis, capitis, aut oculorum præcedente morbo, aut vi, vel casu externo. Adductum à Commilitonibus ad me hominem, de corporis constitutione, sanitate & morbo, de victu, de externis aliisque ad causæ investigationem pertinentibus interrogavi, sed nihil eorum quæ cæcitatem adeo repente & subito inducere possent, deprehendi: Oculos itaque accuratè inspexi, nec in his quicquam vitii animadverti, omnibus eorundem partibus & coloribus, quin & ipsa pupilla naturaliter constituta. In mentem venit quod de suffusione subitò exorta, scribit Fernelius lib. 5. pathol. cap. 5. & de nervorum opticorum obstructione ab agitatis in cerebro humoribus repentè excitata Sennert. lib. 1. Medic. pract. part. 3. sect. 2. cap. 37. Sed & hæc videbantur ad præsentem casum parum facientia. Ut tamen ægri præcibus & Illustriss. Domini, Baronis de Funstkirchen sub quo stipendia merebat, satisfacerem, tentanda quædam in recenti malo artis præsidia duxi. Et primo quidem ea quæ totum corpus, postmodum quæ caput & cerebrum particulariter purgarent, exhibui, idque repetitis vicibus: Mox & revulsiones institui, phlebotomiam, cucurbitulas scarificatas, vesicatoria, capitis lotiones, topica convenientia, & id genus alia adhibui: Cephalica etiam & ophthalmica quæ caput roborarent & humores noxios absumerent, discuterent & expellerent, præscripsi. Sed frustrà omnia. Supervenit tandem, me inscio, vetula quædam Saga, digitoque saliva obducto palpebras & oculos contrectavit, verba quædam semitertiata submurmurans: Quô facto, subitò & quasi in momento visum recepit: Sed periculoso admodum auxilio si Dioni credimus, qui de passione Domini sermone nono scribit, *beneficia dæmonum omnibus esse nocentiora vulneribus.* Unde Chrysostomus statuit, *potius mortem homini Christiano obeundam, quàm vitam ligaturis redimendam; sanat enim corpus ut animam sibi devinciat diabolus.* Idem ibid.

CALCULUS.

Calculus est corpus durum, tartareum, tophaceum, aut etiam solidius, è multis quasi pelliculis ut plurimùm concinnatum, & in omnibus corporis cavitatibus, ac partibus generabile.

Omnes corporis partes, ac cavitates calculi sedes esse possunt, sed hic præcipuè de calculo renum ac vesicæ urinariæ verba facturi sumus.

Differunt inter se calculi, quòd alii sint duriores ac solidiores, alii verò molliores ac in pulverem facilè reducibiles, alii angulosi, triangulares, quadrati, asperi &c. alii rotundi, læves &c. calculi renum ut plurimum sunt friabiles ac angulosi, calculi verò vesicæ urinariæ sunt structuræ compactioris & magis rotundi.

Causa calculi secundùm Galenum, aliosque veteres est succus pituitosus ac viscidus, calore exsiccatus ac induratus. Hoc est succus crudus atque crassus causa est calculi materialis, qui si visciditatis sit expers itaut ejus partes invicem cohærere nequeant, in moleculas arenularum corpus formantes, compingetur, si verò lentus, mucosus & glutinosus fuerit in lapidem conglobabitur. Calor verò secundùm eosdem calculi est causa efficiens, isque non naturalis, sed immoderatus quô scilicet mediante particulæ succi prædicti liquidiores exhalant, atque reliquæ non secus ac lateres in fornacibus siccati indurantur. Verùm primò ex succo pituitoso quantumvis indurato ut & amurca exsiccata quis unquam lapides, aut aliud quid quàm crustulas enatas vidit? Imò rarum est lapides reperire in ipsis pituitæ præcipuis officinis; quid ergo opinabimur eam uias urinarias affectantem, & per renum secernicula minutissima transcolatam, in ejusdem visceris pelvi aut canalibus ex ipso in vesicam lotium deducentibus, ureteribus dictis, imò in ipsa vesica urinaria in calculos compaginari? Quidni potius filtro suo adhærebit illudque ad instar particularum quæ fontium lapidescentium vim faciunt, in lapideum quid semper commutabit? Aut si in secerniculis illis dilutior sit, quomodo quæso in ipsis lotii stagnis, pelvi scilicet, & vesica urinaria densabitur atque resiccabitur? Dices hoc fieri vi caloris præternaturalis ibidem conclusi, in eoque positam esse calculi causam efficientem; Sed hæc sunt mera verba; Nam primò si calor satis intensus in renum pelvi, aut vesica urinaria daretur qui succum pituitosum in lapideam substantiam concoquere valeret, quomodo ille idem in visceris substantiam non ageret, eamque deassando perderet, siquidem secundùm eosdem calor mitior ac totus naturalis in ventriculo nidulans, dissolvendis carnibus aliisque multò solidioribus, iisque in pulticulam dissolvendis par est; Secundo detur talem calorem adesse qualem illi fingunt; quomodo in pituitam multo sero tenui dilutam aget adeo, ut à menstruo illo secedens mutuo particularum suarum amplexu in durum corpus compaginetur? Quis potius quotidie non videt salia in lixiviis fortioribus partesque glutinosas iis itidem ut & ipsi urinæ innatantes, vi caloris suspendi ut liquorem continentem minimè conturbent; imo urinas etiam turbidissimas aliasque omnes quàm purulentas, igni expositas clarescere.

Recentiores quidam, inter quos Celeberr. Menjotius, volunt calculi humani causam eandem esse quæ lapides in macrocosmo gignat, scilicet salinum quid terrestres particulas complectens in lapideam substantiam abire dicunt. Quod explicaturus mox citatus Menjotius, sal, inquit, ingenita proprietate corporum omnium gluten est & quasi ferrumen; ideoque pacis & amicitiæ symbolum censetur. Hinc conchilia, ovorum testæ, cornua & ossa animalium concretionem suam sali, qui multus ex

illis arte educitur, ferunt acceptam; hinc animalium duris cibis vescentium fœces uberrimo scatent sale, ac stercus canis ossivori anginosum tumorem strenuè discutit. Laterculi & tegulæ non ex quavis terra vi ignis coquuntur, sed ex terra sale referta; ideoque viscida & cohærescente quam vulgus pinguem, sicut salem quo terra fœcundatur, pinguedinem vocitat; sed impropriè: hæc namque fertilitati potius officeret: Lapis etiam ille osteocolla dictus, habens pro domicilio, præ cæteris Germaniæ locis, Heidelbergensem tractum, qui pondo semidrachmæ ossa fracta ferruminat, totus fere resolvitur in salem: ligna tantò sunt solidiora, quantò plùs sunt sale onusta, ut fagus, quercus, guajacum, ebenum quod aquæ demergitur. Lachrymæ insuper quia paululum salsæ, in tenuissimas formantur arenulas, quibus seu pulvisculo, genarum limbi ac cilia asperguntur, oculi ἀχνώδεις dicuntur Hippocrati; imo cervorum lachrymæ vertuntur in lapillum quem venatores adversus serpentum ictus morsusque curiosè recondunt. Tandem lapidosi soli natura nitrosa est, plantasque summittit ejusdem indolis participes. Sic prope Arelatem in campis Herculeis (Crautiam vocant) inter congeriem lapidum incredibilem, herba enascitur, quâ, utpote multo sale gravidâ, mirum in modum pecora saginantur. Hæc ille, quibus addimus hanc sententiam eò faciliùs excipi posse, quòd non eadem incurrat incommoda quæ de pituita mox diximus, non enim necessariò filtro suo renum scilicet fibrosæ seu potius vasculosæ substantiæ adhærebit, sed liberius eamdem permeando in chrystallos, arenulas sensimque grandiores lapides concrescet, quò modô videmus quotidie salium nitrosorum particulas, rimulas ac porulos rupium pervadentes, in ipso egressu in lapideum quid abire, illudque modo opacum, modo pellucidum, modò hoc, modo alio etiam colore tinctum Interim tamen nondum sic satis patet, quid in ipsis renum aut vesicæ antris salinam hanc materiam ad coagulationem promptam disponat, nec enim ex omnibus rupibus stillans in chrystallos abit, sed in quibusdam tantùm, in quibus scilicet specifica vis inhæret, quæ egressui paratam materiam salinam congelationi aptam faciat, aut aër concluditur specificaqualitate imbutus ac impregnatus. Itaque hic cum Helmontio non tantùm salinum aliquod principium in genere, at illud duplex statuimus lixiviosum unum aliud acidum quorum concursu massa efformatur, quæ quandoque, dum scilicet succum crudiorem seu pituitosum complectitur albida est, quandoque, dum sanguine per venulas stillante seroque excepto tingitur, rubra evadit. At quandoquidem materia illa lixivialis in urina naturaliter constituta, nuda non reperitur, ut in illam agere valeant spiritus acidi advenientes, quod ad cogulationem prædictam necessarium est; propterea omnes homines calculo non sunt obnoxii, ut aliàs proculdubio contingeret, sed illi tantùm in quibus hæreditaria, aut aliunde acquisita dispositio fermentum in renes induxit miscellæ urinæ naturali destruendæ eidemque quasi putrefaciendæ aptum, unde pars lixivialis atque sal urinæ volatile sui juris factum, cum succo acido in omnibus corporis nostri partibus facile reperibili, intimiùs cohærescit. Hæc exemplo spir. urinæ volatilis cum spiritu vini, ac potius spir. sulphuris acidi cum oleo tartari per deliquium &c. illustrare necessarium non est.

Causæ calculi externæ, sunt primò Ingluvies, & præcipue alimentorum crassorum, dyspeptorum, salsorum, saccharatorum, terrestrium, crudorum succoque lapidifico turgentium, qualia sunt pyra, ovorum induratorum, lactisque propter caseosam partem admistam, abundantior usus. Hisce omnibus adde panem azymum aut malè coctum, è frumento pulverulento nec rite repurgato confectum, nec non biscoctum ac nauticum, imò ejusdem crustarum crebrum usum, præterea aquas cænosas pluribusque salibus prægnantes, vina generosa ac in terra lapidosa nata, ut etiam turbida, somnum diuturniorem & à cibo, tergi ad ignem obversionem, supinum in culcitra decubitum, exercitationes à pastu, balnea intempestiva, vitam desidem, ventris astrictionem, venerem immodestam, tristitiam uberem fæculentorum humorem fontem, & alias de quibus *Meniotius Dissertatione de Nephritide.* Ex hisce omnibus patet puerulos atque senes calculo esse præcipuè obnoxios debere propter crudorum & indigestorum succorum salibus crassioribus onustorum in utrisque saburram, illic quidem per ingluviem, hic verò per debilitatum ventriculum partesque digestionibus variis inservientes, accumulatam.

Signa Diagnostica Calculi renalis traduntur apud Meniotium capite de Nephritide, Ettmullerum in Collegio Practico capite de calculo renum & vesicæ, Lucam Tozzi Medicinæ Practicæ lib. 2. cap de renum dolore & nephritide: sed cùm distinctè admodum et paucis verbis à Joan. Groenevelt Dissertatione lithologica describantur non opus erit aliunde ea expetamus; Illa itaque ex ipso sic habeto.

1. Dolor circa regionem lumbarem fixus omnino & stabilis, obtusus quidem, & gravantis ponderis sensum inferens, cùm in ipso renum parenchymate, obtusiore ut pote sensu donato, calculus stabulatur, at ubi in caput ureteris sese insinuavit, acutus, lancinans, omniumqne crudelissimus.

Quinque jam annis circum circa elapsis, ægrotus quidam Ischuria laborans, consilium nostrum imploravit (urinam nullam emittebat) nisi quod vomitu sursum excernebatur, (urinalem quoque odorem expiratio præ se ferebat) quo continuato maximè debilitatus fuit, consultis aliis non imæ notæ Medicis, multis remediis usi fuimus, sed frustra, vitam tandem cum morte mutavit; corpus ejus cum dissectum fuerit, pelvis renis dextri majori calculo fuit oppleta, cujus pars inferior, papillæ in modum protuberans, ureterem omninò obstruebat; capiti ureteris sinistri acutus calculus adeò exactè erat infixus ut renes utrique suo officio fungi neutiquam potuerint, atque adeò expiravit.

2. Spinam inflectendi difficultas, compressis scilicet distentisque ejus nervis aut musculis.

3. Calo

3. Calor lumborum molestus prorsum.

4. Stupor femoris crurisque è directo, ob compressionem (à calculi grandioris pondere) musculi, ψόα dicti, vel nervi in omnes crurum musculos divaricati.

5. Testiculi retractio e regione affecti renis, ob vasorum (quæ à renibus ad testes vergunt) versus superiora adductionem.

6. Nausea & vomitus propter consensum scilicet renum cum ventriculo, qui fit non tam mediante, ut volunt, peritonæo, cujus membranam utrumque viscus participat, quàm quidem ob communem illum nervulum, a stomachico sexti paris ramo, in propriam & interiorem renum tunicam implantatum.

7. Urina plerumque cruenta, laceratis apertisque à calculi asperioris attritione, venulis, per renis substantiam dispersis, quin & quandoque, præsertim circa initia, tenuis, aquosa, & parvâ copiâ prodiens, propter renis à calculo obstructionem, quoties verò per ureteres in vesicam demittitur, urinæ crassæ, turbidæ & aquosæ ut plurimum excernuntur.

8. Calculos per urinas excretos, ut & arenas (non quæ vasorum lateribus adhærent, sed quæ statim matulæ fundum petunt) unde ægroti notabile levamen sentiunt, inter præcipua signa recenseri vellem.

Sed quia tanta est similitudo nephritidis cum dolore colico, ut non solùm sæpissimè empiricum, sed & Medicum rationalem falli contingat, distinctionis ergô hæc signa notari vellem.

Si supra renes sit dolor, non ad renes sed ad intestina pertinet.

Dolor Nephriticus extrorsum vergit, nec ab eo loco unquam discedit, nisi cùm tophus, è nido suo excussus, delabitur in ureterem:

Colicus verò sæpissimè peregrinatur, locum mutat, & per omnem intestinorum circuitum oberrat, inque pectinem declinat.

Nephritici à sumpto alimento melius, colici verò pejus habent. *Hæc ille.*

Conveniunt interim Autores nil prorsus certi è signis prædictis decerni posse, sed dubium semper relinqui, an arena, an phlegma grumus sanguinis, an pus crassum an flatus ureterem subeuntes dolorem nephriticum procreent, de quibus ipso de Nephritide capite. In ulteriorem verò nephriticorum dolorum à colicis distinctionem hæc adjicimus ex Meniotio. Dolor colicus pro coli positione ascendere potius videtur, nephriticus descendere secundum ureterum ductum. Colicus dolor supernis infernisque vacuationibus, seu naturalibus, seu artificialibus, vel mitigatur vel prorsus desinit; ni forsitan ejus materia geminis intestinorum tunicis involuta fuerit ac intricata: Nephriticus paululum equidem concedit, quod depletis intestinis non ita coarctentur renes, verùm minùs quàm colicus, constante lapidis stimulo. Colico dolori associatur quidem vomitus, sed non ut in nephritico biliosus & æruginosus post pituitosum. Ob intestinorum cum ventriculo continuitatem, nausea, vomitus, cibi fastidium, dyspepsia, similiaque symptomata in colico dolore magis vigent: in nephritico verò, propter renum cum lumbis connexionem, corporis flectendi erigendique impotentia magis urget; crus etiam torpet è directo, quod alienum est à colico cruciatu. Per colicos dolores fæces, & quandoque etiam flatus restitant; per nephriticos urina aut tenetur aut vitiosa emingitur. Denique laxatis viis per fotus & cataplasmata, nephriticus dolor multùm remittit; colicus tantillum quidem lentescit, sed illico invalescit, diffusis à calore humoribus, adauctoque flatuum proventu, ex Aëtio. Porro omittendum non est nephritico dolori colicum, eumque ut plurimum à bile solere complicari.

Signa Diagnostica Calculi Vesicæ ex Helidæo pro certis habentur si post meiendi desiderium etiam adsit desiderium excernendi feces intestinorum: & si ægri dum humi ponderosum quid tollere volentes se inclinant in vesicæ regione sentiunt puncturam. Deinde si inter mingendum supprimatur urina, æger verò pedibus in altum sublatis postmodum liberè mingat. Omnia autem propè calculi vesicalis signa sic accuratissimè describit Clariss. Joan. Groneveld in sua Dissertatione Lithologica. 1. In principio, cùm calculus adhuc minor est, fit, ut calculosus excreta jam urina, obtusiorem dolorem in glande sentiat, qui dolor à glande per urethram vergit ad vesicam, eodem modo ac si stranguriam pateretur. Asperitate enim sua quamvis calculus minor sit vesicæ tamen cervicem pungit, adeoque dolorem glandi infert, qui dolor à glande revertit ad vesicam.

2. Calculosus anteriorem virgæ ferè partem semper, præcipue verò urinâ redditurus, digitis fricat, comprimit, trahit, ac mulget, & hinc fit quòd infantes calculosi semper manum brachis admoveant, & vellicando membrum virile, dimidia ferè parte solito longius faciant.

3. Si gravior sit calculus, dolorem tunc gravativum sentit calculosus, ac si grave quoddam pondus infimo ipsius ventri ac intestino recto inter ossa pubis incumberet, eaque deorsum deprimeret, dolorem patitur tunc præterea circa umbilicum, quia fundo suo per urachum umbilico jungitur vesica.

4. Si calculus meatum urinarium non omninò obstruit, natura ad expellendam urinam sæpiùs irritatur, sed frustrà; aliquando effluit paululum; aliquando continuò nolenti volenti urina emittitur, dolore interim semper ægrum affligente.

5. Sursum elevatis pedibus, capite ad terram demisso, sæpiùs evenit, ut calculus ad vesicæ fundum delabatur, urinaque liberiorem exitum nanciscatur.

6. Extra paroxismum videmus non rarò calculo afflictum crura sua transversim complicare, eo enim modo calculus aliquo modo è collo vesicæ sursum elevatur, ità ut urina exitum liberiorem habeat.

7 Urina detenta, acris & ardens, præ doloris magnitudine, quam excitat, spiritus ad virgam allicit, sicque virile membrum in infantibus æquè ac adultis, tenditur & erigitur, non ex venereo quodam appetitu & libidine, ut aliàs quis crederet.

8. Ex consensu sphincteris ani & vesicæ, ob

nervorum, quos ab uno ramo recipiunt communionem & colligentiam, *simultaneos desidendi meiendique calculo afflictus habet conatus.* Sed irritationes illæ frustraneæ sunt, & si quid excernatur, parum est, idque cum cruciatu; in infantibus sæpius summus fit intestini recti prolapsus.

9. Calculosi plerique continuò sitiunt, & sæpiùs multum potum appetunt, quia, quamvis parum urinæ singulis vicibus excernunt, ob frequentem tamen ac crebram excretionem multum urinæ emittunt, & sic serum sanguinis absumitur, quod natura quidem compensare, adeoque interiora viscera in conveniente suo temperamento ac symmetria naturali conservare studet: ob continuos porrò dolores, vigiliæ & inquietudines oriuntur, salsum in illis acrius redditur, sanguinis etiam massa magis in dies incalescit, undè multum ac crebrum refrigerium requiritur, aliquando etiam Icterici, Hydropici, similesque affectus sequuntur.

10. Ab opiatis assumptis melius sese habent calculosi, à diureticis verò potentioribus in pejorem vergunt intemperiem.

11. Hippocrates (Aphor, 79. Sect. 4.) vesicam calculo laborare ex urinis hoc modo judicat Ὁκόσοισιν ἐν οὔρῳ ψαμμώδεα, *&c.* Joann. Zechius in Consult. Med. libr. consult. 58. per ψαμμώδεα intelligit sabulum crassum, cœnosum excrementum (narium veluti mucum) matulæ fundo tenaciter adhærescens, quod calculi majoris in vesica, & diu illic concreti signum est pathognomonicum.

12. Certum est cùm digitum in anum puerorum intrudunt, vel catheterem per urethram in vesicam adultorum immittunt, & explorant sæpiùs, calculus an sit, vel quotuplex sit, magnus an parvus, unus vel plures, multum enim interest Medico hæc exactè novisse.

Huc quoque causarum antecedentium consideratio spectat, nim. temperamenti, diætæ quam habuit æger, symtomatum quæ subiit; sine dubio enim crudelem fuit passus dolorem, si calculus sit magnus, durus, & inæqualis, porrò an sacculo inclusi sint calculi, & vesicæ membranæ cum eo adhærescant, cognitu quamvis sit necessarium, difficillimum tamen, nisi cathetere vel digito investigetur. *Atque hæc ille.*

Signa autem hæc nunc plura, nunc pauciora, vix imò nunquam omnia, simul in eodem individuo reperiuntur, & etiamsi illud contingeret non minus interdum forent fallacia; quia aliquatenus sunt æquivoca, & aliis vesicæ, partiumque vicinarum morbis communia. Rarus est casus Illustr. Casauboni, in quo concursus aderat omnium propè signorum enarratorum, interim eorundem causa non in calculis, qui tantùm minimi & exquisitè rotundi, in vesicæ rugis profundioribus visi sunt; sed partim in corpore carnoso meatus urinarii radicem occupante, & foris intrò resistente; partim & præcipuè in vesicæ hernia, quæ quasi in saccum aberat capacitatis ad vesicam sextuplæ, prout hæc omnia fusè, nec minùs doctè describit D. de Mayerne in historia vesicæ monstrosæ magni Casauboni, quam proprio nomine evulgavit Brouardus; & nos Bibliothecæ Anatomicæ Vol. I. pag. 387. & sequ. inseruimus. Signa univoca quod spectat, ea non sunt alia quàm exploratio per specillum in vesicam immissum, vel digitos in anum aut mulierum vulvam introductos; nec etiam iis ita fidendum quasi nunquam prorsus fallerent; sic Clar. Von Hammen in Epistolica ad Clar. Pechlin. de mendaci vesicæ calculo enarratione, dicit se in viro sexagenario variis calculosorum cruciatibus afflicto, corpus durum per specillum in vesica invenisse, quod dum evocare per sectionem tentaret, illud non calculum sed vesicæ tumorem esse vidit, quem tamen frustillatim illæso cui adhærebat vesicæ sphinctere, educere licuit. Præterea specillum etiam fallit quando lapidem contentum non adinvenit, cujus rei historiam raram profert Bened. Sylvaticus in Epistola ad Beverovicium de Nobili Veneto, qui stranguriâ laborans cum subsidentia materiæ tartareæ, diureticis refrigerantibus & lacte caprillo quasi sanatus, catheteri immisso nullum præsentis calculi signum præbuit; & postea & curru & equo sine magna molestia iter habuit; dum verò tandem tabefactus obiret, vesica aperta calculum magnitudinis ovi gallinacei, nec mucositate, nec membrana aliqua involutum, in sui cavitate commonstravit. Sæpè etiam inhabiles fallit, conflictus ille qui inter urinam & aërem per catheterem se insinuantes, oritur; nam eo audito crederes in corpus aliquod extraneum & durum allidi.

Quam autem infida sit etiam ipsa calculi per specillum, seu catheterem exploratio, nobis aliquando satis constitit in Matrona apud Nostros Nobili, quæ cum diu calculosorum doloribus, non tantum afflicta, sed quasi contrita fuisset, de Clariss. Medicorum Ordinariorum sententia (renuentibus licet aliis) calculo vesicæ laborare creditum est, atque ea propter exploratio à peritissimo Lithotomo è Vicinia advocato instituta, qui prima vice calculum sibi occurrere, sed muco, seu membrana vestitum affirmavit, ita ut opinatus fuerit calculum vesicæ parietibus impactum, & immobilem, membrana ejusdem interiori contegi; post tamen aliquas injectiones detergentes, exploratorio instrumento rursùs adhibito, idem ille jam in calculum nudum, in quem etiam cum sensibili atque evidentissimo sono allideret, se incidere pronunciavit: Sic itaque omnia ad extractionem in tempestate commoda methodo ordinaria peragendam parantur; interea tamen moritur Aegra, præ morbo inducias dare nescio, & cruciatus novos, quasi totidem malignos, atque nimis funestos fœtus in dies pariente. Cadaver, me absente, quamvis priùs aliquoties consulto, à Dexterrimo Chirurgo D. Jacobo Coudougnant, statim de Nobilis Matronæ Mariti petitione, præsentibus D. Medicis Ordinariis, aperitur, cumque ad vias urinarias recta perventum esset, ren dexter calculo minoris castaneæ magnitudine, multoque pure, scilicet ad uncias circiter octo, obsessum reperitur, vesica verò urinaria omnino vacua, & per fibras suas, propter irritationem præcedaneam, ita contracta, ut in cavitatem suam vix fabam majorem admitteret. Reputabant prædicti Clar. Medici laceratam fuisse vesicam, sicque contentum calculum in abdominis cavum erupisse;

verùm perquisitione diligentiori facta, contrarium tandem perceptum: revera vesicæ fundum aliquatenus lacerum deprehenderunt, & duplicaturæ peritonæi undique adhærentem; scilicet ichor ille qui continuò e rene, ut suprà dictum, infarcto depluens, urinæ in vesica immiscebatur, non tantum dysuriam creabat, sed etiam a prædictæ vesicæ parietibus imbibitus, eas sensim & attrivit, & viciniæ præter naturam univit; Sic videmus præputium balano, pleuram pulmonum lobis, aliasque partes per serosos & corrodentes humores sæpiùs invicem necti, & aliquando mihi in cane à Clariss. Domino Zvviky Glareano Helvetico Medicinæ tum Candidato, nunc Practico apud suos Celeberrimo & Anatomico eximio, apud me exsecto videre contigit costas aliquot inferiores per ictum prius inflictum disruptas, saniemque interiùs stillantes, medio propè diaphragmati intimè adhæsisse, vulnere aliàs absolutè sanato; ut & in eodem majorem hepatis superficiei partem peritonæo undique alligatam, propter vim isti visceri factam in ictu præmemorato, unde ex eo serosus ichor transudavit qui glutinis vices egerit. Sed ad rem revertamur, & expiscemur quid causæ fuerit, cur peritus atque versatissimus Lithotomus de calculi vesicæ præsentia tam confidenter cum Medicis assidentibus, pronunciarit, exploratione dexteriter per specillum facta? Supper hoc recurrendum credimus ad ea quæ mox attulimus, nec ampliùs verbulum addere necessarium credimus.

Prognosis Calculi renum & vesicæ ex mox citato Joan. Groënevelt hæc est.

Pueri, inquit Hippocrates 6. Epidem. maximè vesicæ; senes renum calculo magis sunt obnoxii. Et aphor. VI. renum & vesicæ vitia in senibus difficulter sanantur.

Lithiasis à parentibus in sobolem, primigenia seminis labe, omnem fermè, quamvis alioquin generosissimam spernit eluditque medicinam tam prophylaxeos quàm curationis ergo adhibitam, unde Aretæus multò difficilius esse putavit, renes aut vesicam, dispositionibus calculi obnoxia, artis beneficio ab illis generandis impediri, quàm uterum fœcunditate luxuriantem à concipiendis fœtibus.

Vesicæ calculus pharmacorum respectu curatu difficilior quam qui in renibus est; si verò chirurgiam spectemus, longè sæpè facilior; aliquando tamen, doloribus ad spinæ musculos extra vergentibus abscessu facto, illac calculos excretos, & ulcus consolidatum fuisse, constat. Calculus vehemens & periculosum est malum, inflammationes, exulcerationes, dolores atroces, vigilias, febres, urinæ suppressionem, aliaque gravissima symptomata inferens.

Si calculus non sit magnus sed parvus, non in corpore cachectico, nec humorum ad calculum generandum magna copia adsit, non hæreditaria ad illum dispositio, bona, contraria verò si adfuerint, mala exinde prognosis haurienda est.

Si calculus sit satis magnus & durus, æger operationi chirurgicæ, quamvis periculi plenæ, si ab eo liberari velit, sese subjiciat necesse est.

Quod si lapis sit insuetæ magnitudinis & ponderis qualem in plurium præsentia eduximus e cadavere N. L. juxta Nosocomium S. T. qui 19. uncias & tres drachmas pendebat, tales pro desperatis habendi sunt, & minimè, dum vivunt attingendi.

Qui calculum sive folliculo inclusum sive solum vesicæ membranæ tamen annexum in suo gestat corpore, in eodem prædicamento versatur, ut & senes debiles, pueri & infantes, minori ætate, sed infirmi.

E contra, si vires constent ægris, viscera benè sint disposita, calculus non sit nimis magnus, quamvis sint plures, implorato Dei auxilio, operatio animosè aggredienda, & de ejus successu benè sperandum est.

Feliciùs & securiùs ejiciuntur & extrahuntur calculi in mulieribus, quàm in viris, quia brevem & amplum habent urinæ meatum.

De Indicationibus & Curatione vide quæ sequuntur.

Curationes.

In cura Calculi ab initio Clyster injiciendus leniens & flatus discutiens, ne scilicet flatus & excrementa in intestinis contenta renes comprimant & dolores augeant. Flatus dico, quia calculosi plerumque generant flatuum copiam propter ventriculi imbecillitatem. Fortes autem clysteres & diuretica, solaque solutiva ab initio devitanda, quia humores agitant, qui agitati ad renes decumbunt & dolorem augent. Diuretica verò serosos humores ad renes dirigunt, unde dolor quoque augetur. Statim quoque regio renum inungatur oleo sequenti:

℞. Ol. scorpion. part. j. terebinthin. part. ß. Superposito Emplastro, quod.

℞. Cerati infrigidantis Galeni ℥iiß. ung. rosat. camphorat. ℥ij. Opiat. ℥iß. extendatur super alutam, qua regio renum tegatur. Intra corpus assumat olei Amygdal rum dulcium ℥ij. in jusculo aliquo cum essentiæ Croci g. vj. ipsius ℈ß. ut viæ laxentur. His peractis, si patiens Plethoricus fuerit, vena secari potest, ne sanguinis multitudo ob dolorem & tensionem in partem dolentem ruat ac dolorem augeat. Offerri etiam potest dosis laudan. opiati, imò, si dolor sit vehemens, ex eo fieri potest Emplastrum renibus applicandum: detur etiam syrupus de mucilaginibus cum emulsione 4. sem. frig. majorum: hinc exhibeatur bolus ex Cassia recens extracta. Et si dolor non remittat, fiat balneum in quo æger sedeat usque ad brachia.

℞. Rad. malv. altheæ an. ℥ij. flor. chamomill. melilot. an p. iiij. restæ bovis p. vj. sem. fænicul. ℥viij. lini ℥iiij. bacc. juniper. m. iiij. Coque in s. q. aquæ pro balneo, in quo commoretur per horam 1. vel 2. Post 2. horas si non remittat dolor, parùm se moveat ambulando per cubiculum, & iterum ingrediatur balneum, in eo sedens assumat gr. vj. olei oculorum cancrorum (quod præparatur sequenti modo:)

℞. Pulv. cancrorum ℥v. olei tartari per deliquium facti ℥vj mista digerantur in B. vel fimo equino per 15. dies, postea coagula ma-

teriam in phiala in arenam locata, tandem pulverisa, pulverem cum spiritu vini extrahe in formam olei spississimi abstrahendo inde sp. Vini redige, dosis à gr. iiij. ad vj. in aqua petroselini vel ononidis cum syrup. de mucilaginibus ℥iß. aut si cares oleo isto:

♃. Oculorum cancrorum præparatorum, trochiscor. de Alkekengi opt. pulverisatorum an. ℈ß. detur cum syrupo dicto: potest etiam cataplasmatis loco applicari regioni Renum Nasturtium in lacte coctum.

Hinc ad ea, quæ proprietate quadam Calculum pellunt, accedendum, quæ omnia dolore priùs præsente in balneo afferenda, in quo æger, ut dictum, commoretur, præmissa tamen, si inducias patiatur dolor, purgatione leni, quæ fit apozemate aut syrupo aliquo.

♃. Fruct alkekengi ʒß. rhabarb. elect. trochisc. de agarico an. ʒj. nuc. moscha. ʒß. Decoque in s. q. aq. comm. ad ℥vj. colaturæ adde syrup. de 5. radicibus, de cichorio cum rhabarbaro ana ℥iß. F. Apozema pro duabus dosibus. Medicamenta quæ proprietate quadam contra hunc morbum faciunt, sunt: 1. Aqua Antinephritica.

♃. Rad. restæ bovis ℔j. minutim concisæ macerentur in vini generosi ℔ ij. per 3. dies. Deinde exprimantur & colentur. In colatura macerentur, Rad. petroselin. eryngii, parietariæ, herb. herniariæ, saxifragiæ cum toto an. ℥iiij. fruct. alkekengi, granor juniper. conquassat. an. ℥iij. sem. fœnicul. urticæ, melonum, milii solis an. ℥ij. Omnia incisa in dicta Colatura macerentur per 4. dies, fortiterque exprimantur, expresso adde succi portulac. ℔ ij. destillentur per Alembicum. Dosis Cochl. ij. tum præservationis, tum curationis ratione. 2. Commendatur sequens, quam aq. Fuckerorum aliqui nonunant.

♃. Rad. liquiritiæ ℥ij. petroselin. ononidis, pimpinellæ an. ℥iß. enulæ ʒj. fol. heder. terrestr. m. iiij. sem. fœnicul. urticæ an. ℥vj. succi heder. terrestris ℥v. præmissa per 3. dies infusione destilla, aqua servetur, cui syr. de Caryophyllis vel de Canella pro condimento admisceri potest, dosis ut præcedentis. Huc spectat oculor. cancrorum oleum supra descriptum. Ut autem reliquiæ & mucus in renibus & vesica existens expurgetur, & dictæ partes corroborentur, nodulum sequentem in vino maceret, & singulis diebus matutinis haustum, nodulo tamen expresso, assumat. Nodulus sit talis.

♃. Lign. sassafr. nephritic. an. ℈iß. rad. polypod. petroselin. an. ℥ij. restæ bovis, pimpinellæ sanguisorbæ an. ℥iiß. asparag. irid. nostr. an. ℈ij. irid. Florent. ʒß. turibth albissimi ℈ij. herb. rorismar. fragariæ, saxifragiæ, pimpinell. an. m. ß. flor. rosar. borragin. an. p. j. semin. anis. fœnicul. sileris montani an. ʒß. fruct. alkekeng. Num. vi. cinnam. elect. ʒß. macis ℈ij. Contusa ligentur in sindone rubro. F. Nodulus in ℔iß. Vini per tres dies macerandus. Alternis quoque diebus capiat ʒ. ß. terebinthinæ lotæ in aqua Halicacabi & interdum cum syrupo sequente aut etiam in vino calido cum spiritu terebintinæ ℈ß. It. ad libitum tempore matutino in usu habeat Morsulos Imperatorios, quibus ol. nuc. moscha. destillat. instillet gutt. 1. ad iij. Syrupus fiat ex syr. 5. radicib. ℥iij. è lupulo ℥ij. aq. petroselin halicacab. an. ℥iß. Capiat cochl. j. vel ij. cum spiritus Terebinthinæ ℈ß. Si à potione dicti jam noduli alvus non sit libera, aliquo ex superiùs dictis syrupis, aut alio ad placitum purgante leniter purgetur. Si lignum Nephriticum verum haberi possit, maceretur ℥ß. in vino per 7. dies, vinumque bibatur manè: ab eo assumpto se exerceat æger. Ad miraculum, si repetatur, renum calculosam dispositionem emendat, eos confortando & materiam lapidis sine molestia educendo. Celebre Nephriticum paratur ex capitulis illis callosis, in fructibus Cynosbati sive rosæ caninæ innasci solitis, Germanis *Schlafopffel*. capitella illa per medium dissecta callosa sunt, ac in centro eorum plerumque reperiuntur Vermiculi viij. Præparatio fit exsiccatis & pulverisatis, exemptis tamen vermibus, in modum extracti cum spiritu vini, præparatur.

In Calculo vesicæ.

Lithontripticon famosum ex millepedibus describitur in notis ad Crollium: quo resolvi calculum ovi magnitudinem excedentem. Methodū medendi calculo tradit Mercatus Tom. 3. lib. 4. cap. 10. Præter ista omnia maximè utile est ut quolibet anno expurget humores crudos cum cassia & Terebinthina. Post purgationem venæ sectio, & post urinæ procurationem Evacuatio etiam singulis mensibus potest institui. Hujus (suprà dicti) specifici administratio est talis: 1. Purgetur patiens calculum vesicæ purgante conveniente. Præstat in hoc casu specificum purgans Paracelsi, acres purgationes reliquæ hîc minùs locum habere possunt. 2.

♃. Pulv. Oniscorum à ʒß. ad ℈iiij. spir. vini; à ʒj. ad ʒiß. (biliosis medetur tantum sp. vini) juris Cicerum rubeorum ℥j. m. Hanc mixturam exhibe totam, deinceps singulis diebus patienti mane jejuno ventriculo, quinque nempe horis ante pastum: ita tamen, ut semper ante sumptionem specifici Enema molliens & lene sine acrimonia purgantium capiat (nisi nimirum alvus libera:) usum hujus specifici excipit febris, ac deinceps per totius curæ cursum, utatur diætâ convenienti & molli, ne uspiam alvus obstruatur, (ab initio ne detur vinum ante diem 16.)

Post assumptum specificum sequitur Calor ferè totius Corporis præter naturam. It. sitis molesta & dolores circa pubem sentiuntur. Medicamentum hoc lapidem Vesicæ vi quâdam invadere solet: quapropter omnia calida diligenter evitentur, & nonnumquam lapidis prunellæ aliquid in aqua fragorum aut fl. fabarum. It. Julapium ex istis aquis cum syrupo violaceo & guttis iij. vel iiij. spir. vitrioli exhibeatur. Diebus primis urina inprimis progreditur admodum crassa & exigua, sequentibus v. diebus utpote 9. 10. 11. &c. copiosiùs, calor remittit, dolores sistuntur, & universa substantia calculi comminuta in minimas partes progreditur. Urina nimirum toto cursu curæ collecta, si bulliendo, exsiccetur, tandem prodit quantitatem calculi; denuò in lapidem convertibilem, si cum solutione Tragac. vel Ichthyocollæ conformetur.

N. B. interdum in hac cura opus est, ut aliquando dies unus atque alter vacuus sit ab hac

hac medicina, & quiescat patiens propter vires colligendas, idque in tenerioribus locum habere potest. Hoc tamen hic observandum, ut medicamenta interdum per Catheterem in vesicam mittantur, ægerque statim in B. locetur, inungatur post Balneum calide pecten & perinæum ol. Scorpionum amygdalarum amararum, axungia cuniculi, & gallinarum ana ℥iß. succi parietariæ ℥ij. Lapis vesicæ si confirmatus jam sit, & ad aliquam magnitudinem jam pervenit, vix alia ratione curari potest, quam sectione. Poterit tamen tractari suprà dictis, præsertim in mulieribus; in quibus via laxior & recta.

Tinctura antinephritica & splenetica.

♃. Nitri purif. part. ij. Tart. part. ij. trita in sartagine decrepitent, contusis iterum in M.B. calido mortario affunde tantum Aq. fraxini vel cardui benedict. aut alterius cujusvis aquæ specificæ, quantum ad solutionem necessarium, nec plus, quod observa & coletur. Colaturæ adde tartar. opt. crud pulv. & in vase amplo ligneo colloca ne quid fermentatione, quæ sequitur, effluens pereat; Extrahatur tinctura Tartari rubicundissima; Coletur denuò & servetur usui cujus non satis laudandus, ad calculum enim & affectus lienosos præsentissimum & expertum est remedium, flatusque optimè dispellit, principio prandii ad ʒj. datum. *Joan. Hartmann. in Pract. Chymiatric.*

In calculo renum, in Diæta radices petroselini & herba ejus, si exinde juscula parentur, cavet, ne calculus augeatur. Crato pariter in his affectibus cynosbati fructus commendat. Oleum amygd. dulcium recens dilatat ureteres. Conveniunt etiam grana juniperi in cibo. Comminuentia sunt lignum Nephriticum; Dicitur etiam santalum cœruleum, quia aq. tingit colore cæruleo & flavo pro diversitate diversa. si ad lucem ponatur, videtur flavum, si verò in umbra, cæruleum, aliàs non potest distingui ab alio santalo. Porrò aq. fragorum eorundemque syrupus, emulsio ex sem. 4. frig. majoribus, semen violarum, ut & pediculi violarum, qui mira hic præstant cùm aliàs abjiciantur. Fortioribus pellentibus semper addenda sunt laxativa in calculo usitata, ut cathol. terebinthinatum Mynsichti, ejusdem pilul. terebinthinatæ, syrupus nephrocatharcticus. Clysteres ad curationem prosunt emollientes, additis carminativis & specificis; V. S. Ego non adhibeo, nec aliquid juvare posse arbitror. Laxant alias vias syrupus de althea Fernelii, de mucilaginibus, syr. violarum ex floribus cum folliculis, ubi semen in est, quod purgat & pellit calculum. Externè ol. amygd. dulcium lubricat: Miscetur cum succo citri. Magisterium tartar. vitriolat. debet misceri cum salibus appropriatis, vel dissolvatur cum brodio in quo petroselinum coctum fuerit, conterit enim frangitque calculum. Lapis spongiæ, lyncis & judaicus huc pertinent, ex quibus ego habeo peculiarem liquorem. Aq. Nephritica porrò, crystallus, lapis percarum, ova struthionis & sal ex hisce. Cortices ovorum exclusis pullis. De lapide Nephrit. vid. *Vnzerus & Laurembergius.* Si dolor est acutus, additur aliquid de laudano opiato, tam externe quàm interne, v. g. unguent. anodyn. Myns. aliis specificis additum. Si adest urinæ suppressio prodest cataplasma Cratonis, additur etiam aliquid de oleo scorpionum vel nucl. mespilorum. Sanguis hirci ab *Helmontio* commendatur, si nutriatur per aliquod tempus herbis nephriticis & diureticis. It. lepus combustus mense martio & sanguis eodem tempore collectus. Semen urticæ, saxifragiæ, bardanæ, milii solis, genistæ, violarum. It. sal genistæ, stip. fabarum, ononidis, stercoris columbini huc pertinent. It. essentia nephritica ex vegetabilibus cum spiritu glomorum cynosbati fructus; glomi simul sistunt dolores; Infundantur vino & excitant somnum; est ingrediens Essentiæ meæ nephriticæ. Ess. ocul. cancr. & cineres eorum. It. Claretum juniperi, quod præparatur ex rob cum spiritu juniperi.

Alvus in calculo semper sit aperta. In Paroxysmo prosunt clysteres:

♃. Herb. viol. parietar. malv. an. m. j. rad. altheæ ℥ij. flor. malv. chamomill. an. p. iij. Coq. in s. q. aq. com.

Col. ♃. ℥viij. in quibus dissolve Cassiæ pro clyst. ℥iß. ol. lil. alb. ℥j. scorpion. simpl. ʒij. m. F. l. a. Enema.

♃. Herb. ononidis, heder. terrestris, parietariæ, virg. aureæ an. m. j. Rad. ononidis bardanæ an. ℥j. sem. althææ ʒiij. flor sambuci, genistæ an. m. ß. Coq. in s. q. aq. communis.

Col. ♃. ℥vj. unguent. clysmat. cass. pro clyst. ℥j. sal. genistæ ℈j. vitell. ovorum N. j. antimon. cum vitriol. fixati ʒj. m. F. Clyster. pro ditioribus addi potest oleum amygd. dulcium. Purgantia:

♃. Pil. de Terebinth. ʒiij. Dos. ʒß. ad ʒj.

♃. Pil. de Terebin th. Myns. ʒij.

♃. Terebinth. cum aq. malv. & vitell. ovi in liquorem redactæ ʒiij.

♃. Sem. viol. purpur ʒiij. c. s. q. aq. saxifrag. F. Emulsio. Edulcoretur Julepo rosato vel viol. Est secretum Hartmanni etiam in urinæ retentione vel suppressione valens.

♃. Tartar. vitriolat. ℈j. salis genistæ gr. viij. scam. rof. gr. vij. m. pro una dosi. in Paroxysmo.

♃. Unguent. dialth. ℥j. ol. amygd. dulc. persicor. expressor. an. ʒß. M. F. unguentum.

♃. Ol. lil. alb. amygd. chamomill. an. ℥ß. ol. scorpion. simpl. ʒiß. m. Potest etiam addi ol. stillat. chamomillæ & ceræ.

♃. Unguent. nephrit. Myns. ℥ß. ol. nephrit. ʒiß. m.

♃. Ol. anethi ℥iß. ol. scorpionum ʒiij. ol. capparum ʒj. axung. caninæ vel porcinæ ℥ij. succi rad. bardanæ succ. urticæ an. ℥ij. Coq. lento igne ad con sumptionem humorum. Valet etiam in suppressione urinæ.

♃. Herb. malvæ, parietariæ, heder. terrestris, saxifragiæ an. m. ij. flor. chamomill. hyperici, genistæ, sambuci an. m. j. rad. ononidis, bardanæ, althææ an. ℥ij. sem. urticæ, sem. genist. an. ℥j. Incis. & contus. D. S. species pro Balneo.

♃. Ol. amygd. dulc. rec. express. ℥j. Potest sumi cum. brodio carnis, in quo radix petroselini cocta fuerit.

♃. Sem. 4. frigid. major. an. ʒiß. violar. saxifrag. an. ʒij. Nucl. persicor. ʒiij. c. s. q. aq. ononidis, saxifrag. an F. l. a. Emulsio, edulcorarum Julepo violato.

♃. Aq. ononid. saxifrag. malv. an. ℥ j. Syrup. Fernel. de alth. ℥ ij. Ubi dolor acutissimus & vigiliæ.

♃. Pulv. anodyn. gr. xii. magist. nephrit. gran. x.

♃. Aq. malv. ℥ iij. syr. Dialth. Fernel. ℥ß. Laud. opiat. gr. iij.

♃. Extract. nephritic. gran. vj. Laudan. opiat. gr. iij. M. F. Pilulæ.

♃. Conserv. heder. terrestris ʒ j. mag. ocul. cancr. mag. lapid. nephrit. an. gr. iij. Laudan. opiat. gr. iij. cum syr. dialth. F. Bolus. Extra Paroxysmum.

♃. Lign. nephrit. ℥ß. Dos. gutt. xx.

♃. Tinctur. contra calculum ℥ß. Dos. gut. 30.

♃. Essent. nephrit. veget ʒvj. Dos. ℈ j. ad ʒß.

♃. Vin. malvat. juniper. ℔ j. Syr. de althæa ℥ iij.

♃. Rob. juniper. rob. cynosbatos an. ℥ iij.

♃. Magist. nephrit. ʒ ij.

♃. Tartar. vitriolat. ʒ i ß. sal. stip. fabarum, sal. genistæ, sal. ononidis, sal. sterc. columb. an. ʒß. m.

♃. Lign. Nephritici ℥ iij. Infund. aq. ononid. saxifrag. contra calcul. usit. an. ℥ iij. Stent in loco calido, postea filtrentur. Tingitur hæc aqua à ligno cœruleo colore, *vid. Hornungi Cista Medica & Disput. Renodæi.*

♃. Tereb. aq. parietar. sæpius lotæ ℥ß. sal. ovor. struth. ℈ j. pulv. liquirit. ʒ ß. cinamom. ℈ ß. c. s. q. aq. Nymph. F. Pilulæ instar pisorum. *Joan. Michael. in Prax. clinic. general.*

In calculo vesicæ commendatur sal tartari dissolutum in aq. petroselini; sed melius dissolvitur in aqua quadam composita lithontriptica. Millepedes, variis præparantur modis, sed optimus est, qui fit spirit. salis. Si calculus vesicæ obstruat urethram, aliquando juvat, si æger pedibus tollatur, & ita fortiter commoveatur. Conveniunt autem hic medicamenta superiùs in calculo renum laudata. Hîc verò fortiora non possunt.

♃. Asell. præp. cum sp. sal. ʒ j. spir. juniper. ʒ ij. juris cicerum ℥ ß. m. Est experimentum Laurembergii.

♃. Tereb. citrin. cum succo citr. lotæ ℥ß. spec. lithontriptic. ʒ i ß. scamm. rosat. ℈ ij. M. F. l. a. Pilulæ.

♃. Tereb. cum aq. saxifrag. lot. ʒij. magist. Nephrit. ʒ j. m.

♃. Herb. herniar. saxifrag. an. m. j. Glom. cynosbat. num. iv. rad. eryng. ononid. bardan. an. ʒ ij. F. l. a. Nodulus.

♃. Sal. fimi columb. sal. stip. fabarum an. ʒ ij. sp. sal. ʒ j. M. *Idem ibidem.*

In dolore nephritico, obstructione & calculo renum & vesicæ.

♃. Rad. Althææ, lilior. alb. an. ℥ j, Herb. malv. saxifrag. branc. ursin. flor. chamomill. melilot. an. m. ß. sem. anis. ℥ ß. fœnicul. lini an. ℥ j. coq. in s. q. aquæ communis, colat. ℔j. adde extract. cass. ℥ j. Tereb. in vitell. ovor. solut. ℥ß. ol. anethin. ol. scorpion. an. ℥ j. m. f. enema.

♃. Extract. cass. ℥ß. pulv. rhab. ʒj. tinctur. tartar. ℈ j. ol. amygd. dulc. ʒ j. misce f. Bolus.

♃. Pulp. cass. ℥ ß. extract. liquiritiæ ℈ß. sal. essent. tartar. gr. vi. Laudan. liquid. tartaris. gt. iij. aq. fœnicul. ℥ ij. m. f. potio. *In India.*

♃. Conserv. flor. cassiæ ʒ ij. pulver. rhab. ʒj. pulv. liquirit. ℈j. lap. percar. præp. ℈ ß. ol. amygd. dulc. ʒ j. misce f. Bolus.

Vel ♃. Aq. petroselin. fœnicul. an. ℥ ij. liquoris lapid. Hæmatit. ʒß. Laudan. liquid. tartarisat. gr. v. Syr. fœniculi, liquiritiæ an. ℥ß. misc. dosis cochlear. j. bis in die.

Seu ♃. Aq. Morungæ, fœniculi an. ℥ j. sp. sal. ammoniac. sp. lign. ebeni an. gt. xv. syr. perlar. ℥ß. misc. detur cochleatim.

Vel ♃. Marmeladæ antinephritic. ℥ j. Dosis ʒ j. ad ʒ ij. mane & vesperi cum aq. fœniculi.

In calculo renum & vesicæ.

♃. Spir. sal. ammoniac. acidi ʒ j. Dosis à gutt. x. ad xv. in aq. Saxifragiæ.

♃. Liquor. lapid. Hæmatit. ℈ j. essent. juniper. ʒß. misc. dosis gt. xv.

Vel ♃. Tartari vitriolati ℈ß. ocul. cancror. gr. xv. sal. succin. volat. gr. v. sal. stipit. fabarum ℈ß. misc. f. Pulvis pro j. dosi.

Seu ♃. Nitri vitriolati ʒß. lapid. perc. præp. ʒ j. succin. præp. ℈ j. m. f. Pulvis pro i. dosi.

Sive ♃. Spir. urin. hirc. ʒ ß. essent. Hyperici ʒ j. syr. liquirit. ℥ß. aq. Hyperici ℥ iij. misc. dosis cochlear, bis in die.

♃. Spir. sanguinis hirci ʒß. vini Alkekengi, ℥ ij. misc. pro 2. dosibus.

♃. Spir. sal. tartarisati ʒ j. Dos. gt. x.

♃. Marmelad. Antinephritic. ʒ j. Dosis manè & vesperi ʒ j. ad ʒ ij. *Herm. Nicol. Grimm. in Compend. Medico-Chymic.*

In mictûs sanguinei à calculo renibus impacto remedium & sanguinem satis copiosum è brachio mitti curabam, & post purgationes universales, medicamenta refrigerantia & incrassantia, varii generis in usum revocabam; Diætam interea his consentaneam adhibens, liquores acidos, acres, & attenuantes sollicitè devitans. Cùm autem neque ista, neque alia permulta, quæ numerare longum esset, quicquam prodessent; & metuens calculum quem grandiorem esse suspicabar quam ut expelli possit, aquis chalibeatis ad exitum sollicitare, tandem spem rei bene gerendæ prorsus amisi idque eo potissimùm nomine, quod observâram senes aliquot mihi notos, sibi mortem accersisse, dum hujusmodi remediis incassum morbi curationem molirentur. Steterit itaque sententia non ampliùs tentare, at vitato tantùm quàm potui maximè corporis motu, ab hoc affectu mihi cavere. Tandem verò animo fortè recolens, quàm mirè nonnulli deprædicent seminis *Fraxini* vim Lithontripticam subiit cogitare quòd si semen ejusmodi virtute polleret, omnino verisimile esset *Mannam* Fraxini adhuc plus posse. Cum manna quam habemus, docente Botanographo πάνυ Domino *Joan. Ray* post alios scriptores, neque Mel Aëreum est, nec Ros aliquis Cœlestis, sed liquor potiùs, tam è foliis, quàm è trunco & ramis Fraxinorum in Calabria nascentium, exudans, de cujus rei veritate idem dum in *Italia* peregrinaretur certior factus est ab eruditissimo Medico, qui ex ramulis & foliis linteo à se curiosè contectis Mannam (qui est succus ita concretus ut dixi) sæpius collegit. *Vid. Joan Ray Catalogum plantarum* Angliæ experimentum itaque facturus, Mannæ ℥ ii ß. in seri

lactis ℔ ij. solutæ hausi, pauxillum succi limonum subinde, dum purgaret, deglutiens; quo & Catharticum acuerem, quod segnius operari solet, & ventriculo minus ingratum redderetur. Ab hujusce remedii usu vix dici queat quantum ego levaminis circa Renum regionem perceperim; licet enim antea non semper dolerent Renes, tamen pondere quodam gravativo & molesto sensu afficiebantur. Quod cùm ita feliciter mihi cessit, idem Catharticum singulis Hebdomadis stato quodam die ad menses aliquot continuos in usum revocabam; & post singulas Catharseos vices meliùs me habuisse planè sum expertus, donec tandem etiam rudiorem Currus conquassationem ferre potuerim; ab hoc symptomate prorsus liberatus usque ad veris tempus jam proximè elapsum. Quo apparente, cùm per prægressam hyemem ferè omnem Podagrâ laborassem, & præ nimia corporis ad motum inhabilitate, quieti & ἀκινησίᾳ magis quam aliàs solebam, indulsissem, rediit denuo sanguinis mictus. Hic ego an ad Catharsin me iterum reciperem hærebam dubius; quoniam nuperis hisce annis omni corporis substantia in Podagræ sedem & fomitem quasi perversâ, Catharticum, quantumlibet lene, diutinum Podagræ paroxysmum certo certiùs accersebat. Tandem animo succurrebat quòd si Paregoricum singulis noctibus post purgationem adhiberem, quo tumultus à Cathartico excitatus sedaretur, posse me pristinam methodum Mannæ semel in hebdomade capiendæ tutò resumere. Uncias itaque duas cum semisse in seri lactis ℔ ij. dissolutæ manè hausi, & serò guttas xvi. Laudani liquidi in Cerevisia tenui dormiturus adjeci. Et Mannam & Laudanum dicto modo repetens bis in Septimana ad sex vices. Postea verò manna semel in septimana tantùm uteter, humorum illuvie jam ita copiosè à Cathartico subductâ, ut à Podagra minùs metuendum erat. Cùm tamen mea mihi ratio planè dictaverit, quòd si facultate aliqua, sive dissolvente, sive alio quovis modo Lithontripticâ fuerit insignita Manna, omnino est necesse ut Medicamentum, quale est Laudanum, valdè astringens, remedii, in quo spem collocaveram, efficaciam ac vim quadantenus infringat; satius esse duxi Hypnoticum missum facere cùm jam semel in septimana alvum solverem. In qua Methodo jam ad menses aliquammultos persisto eundem septimanæ diem ubique Catharsi dicans; nec me ab hoc meo more, ex quacunque data ansa dimoveri patior. Licet à prima hujus remedii dosi dolor qui in dorso erat, remittebat uti prius, tamen non ita diu post repetita Catharsis Podagræ signum dedit; quod nunc Artubus, nunc visceribus, bellum cœpit indicere; at hac morbi tentamina Laudanum fortiter repressit. Cùm hæc mihi medendi ratio hactenus bene verterit, in eadem perseverandum mihi esse judico, tam ad præcavendum mictûs sanguinis recursum, quàm ad imminuendum aliquantulum ipsius Podagræ fomitem, (cujus radicalem curationem jam à me posse obtineri planè despero, rariores paroxysmos eosque breves ac tolerabiles solùm exoptans) subductis per hæc intervalla fœdis illis humoribus; qui à depravata coctione prima hujusce morbi origine, in corpore sensim accumulantur, donec tandem summum depravationis gradum adepti, in Podagræ Paroxysmum actu desinant, ex occasione vel solito majoris sive animi sive corporis agitationis & motûs, vel causæ alterius cujuslibet, unde dicti humores ad fluxum incitantur. Purgationem itaque quod attinet (modò cathartico, mannâ scilicet, & secundum methodum suprà à me traditam subducatur alvus) jam retractanda mihi est sententia illa mea quam in scripto de Podagra olim evulgaveram: nempe Podagrâ affectis minimè conducere, ut vel initio, vel in declinatione, vel per Paroxysmorum intervalla purgentur.

---------Nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Nondum enim in mentem mihi venerat, Paroxysmum quem à tumultuante cathartico excitandum metuebam, exhibito sub noctem Hypnotico prohiberi potuisse.

De Regimine victûs ratione, quæ utrovis horum affectuum laborantibus competere mihi videntur, (quando nihil eorum præterire velim quæ istis usui esse poterint qui iisdem, quibuscum ego, morbis conflictantur) hæc addo mane lecto exsurgens, decoctionis *foliorum Tea* cyathum unum alterumve exicco; dein curru ad meridiem usque gestatus, & domum reversus, quovis ciborum genere mihi grato & eupepto modicè [id enim ante omnia semper, & diligenti cum cura tenendum est) me reficio; statim à prandio per singulos dies vini Canarini plus aliquid quarta parte cibræ (seu Pintæ) vulgaris ad promovendam ciborum in ventriculo concoctionem, & ad Arthritidem à visceribus procul arcendam, haurire soleo. Pransus iterum Rheda vector, & quoties per occupationes meas non destineor, Rus peto, aëris salubrioris inspirandi gratiâ, ad milliaria duo vel tria. Cerevisiæ tenuioris haustus mihi pro cœna est: sed & hunc repeto etiam in lectulo, me jam somnum compositurus; idque eo fine ut hoc Julapio succos acres calidosque in renibus stabulantes, è quibus fit calculus, refrigerem simul ac diluam. Ego verò & hîc & inter prandendum cerevisiam tenuem lupulatam, cerevisiæ non lupulatæ, quantumlibet tenui, ac miti, præferendam censeo. Licet enim non lupulata, mollitie ac lubricitate quâ pollet, ad subducendum calculum jam in Renibus concretum magis faciat; attamen Lupulata, ob levem illam stypticitatem quam impertiunt Lupuli, minùs facit ad sabuli vel materiæ calculosæ generationem, quàm facit non lupulata, cujus & viscidior est substantia, & lutulentior: Quo die catharsi defungor, ex Pulli carnibus Prandium mihi est; vinum tamen Canarinum pro more meo superbibo. Mihi curæ est, præsertim hyeme, ut lectum temporiùs petam: quo nihil magis confert ad con-

concoctiones rectè perficiendas, & ad conservandum pariter tenorem illum atque ordinem qui naturæ jure debetur. Sicuti ex adverso, nocturnæ lucubrationes, senum cum morbo chronico qualicunque conflictantium, tum concoctiones imminuunt ac depravant, tum eorumdem principio vitali vulnus haud medicabile infligunt. Illud etiam sedulo observo, ad præcavendum à calculo mictum sanguineum, ut quoties per plateas ad longius aliquod intervallum curru vehendus sim [gestatio enim, vel ad maximam quamlibet distantiam, per vias lapidibus non stratas minimè obfuit, mihi] non priùs rhedam ingredior quàm haustum cerevisiæ tenuis paulo liberaliorem ingessero, quem pariter itero ante regressum domum versus, si forte alicubi diutius fuerim commoratus: quo pacto semper mihi à mictu sanguineo satis est præcautum. Etsi verò haud quenquam fortasse deceat (eum maximè quem sive salvum, sive mortuum esse Hominem vix interfit) ita crebram sui mentionem injicere; hæc tamen eo animo dicta volui, ut aliis quorum vita salusque majoris fortasse ponderis & momenti sunt, queant prodesse.

Hic postremò subindicandum est ingens discrimen in quod nonnulli se conjiciunt, tam calculo quàm podagrâ laborantes quoties mannam in *aquis mineralibus* catharticis solutam inconsultò capiunt. Quamvis enim hoc modo assumpta, & celeriùs vim catharticam edat, & minori nauseâ ventriculum irritet; tamen minora ista commoda injuriam aliàs ab aquis illatam pensare non valent. Etenim ei calculus renibus inclusus ita magnæ molis sit, ut per ureterum ductus in vesicam propelli nequeat, istæ aquæ paroxysmum ut plurimum excitant, qui eousque perdurabit, cum vitæ ægri periculo, donec tandem calculus in pelvim redierit. Quinimo nec *chalybeatis aquis* æger se tutò committet, nisi priùs certò sciat calculum majorem non esse quàm ut per ureteres viam possit sive invenire sive facere, quod hoc tantùm modò, quantum ego conjicio, certo dignoscere potest; si nempe jam antea paroxysmum aliquem nephriticum fuerit perpessus, (cum dolore scilicet sævissimo in Renum alterutro, per ureterum ductus propagato, & vomitu enormi) pro comperto habeat, non tam grandiorem aliquem calculum pelvi concludi, quàm lapillorum exiguorum congeriem, quorum unus subinde in ureterem illabitur, atque ita Paroxysmum hunc invitat, qui fere non desinit nisi calculo in vesicam detruso. Cùm res ita se habeat nullum est magis efficax remedium sive ad præcavendum minorum calculorum incrementum, sive ad eosdem è Renibus deturbandos, quàm *aquarum chalybeatarum* potatio liberalior, per singulas æstates jugiter repetenda.

Cùm verò sæpè accidat, ut *Paroxysmo Nephritico* quis corripiatur, quando hujusmodi minerales aquæ haud præsto sint, vel etiam tempestas anni adsit, quæ earundem potationi minùs faveat; hac itaque compendiosâ methodo, sine ulteriore remediorum apparatu, insistendum. Si æger tempetamento sanguineo præditus fuerit, & ætatem provectiorem haud adhuc attigerit, sanguis ex brachio Reni affecto respondenti, ad ℥ x. extrahatur; deinde liquoris posset ici cui rad. altheæ ℥ ij. incoctæ fuerint congium unum quàm citissime devoretur, & sequens enema injiciatur.

℞. Rad. altheæ & lilior. an. ℥ j. fol. malvæ, Parietar. branc. ursin. & flor. chamæmel. an. m. j. semlini & fœnugr. an. ℥ ß. coq. in s. q. aq. ad ℔ i ß. colaturâ dissolve sacchari culinaris & syr. dialtheæ. Fernel. an. ℥ ij. m. f. enema. Quamprimùm per vomitionem æger totum reddiderit, quod per os ingestum fuerit, aut etiam enema rejecerit, Laudani liquidi satis magna dosis propinetur viz. ad gut. xxv. vel *Pil. Mathæi*, gr. xv. vel xvi. In senibus verò, morbo aliquo diuturno fractis, ut & in vetulis, *vaporibus*, vulgò dictis, obnoxiis (præcipuè si sub initium paroxysmi urinam eæ reddant nigram ac sabulosam) venæ-sectio omittatur: At quoad reliqua, eadem, quæ jam dicta fuit, viâ omnino procedendum. Sed ut ad calculum, qui hujus loci est, grandiorem revertamur. Quod si calculosus nullo unquam paroxysmo nephritico fuerit tentatus, cum jam major sit calculus quàm ut ex pelvi possit elabi: non solùm nihil proderunt *ferreæ aquæ*, sed etiam ob jam dictas rationes, non sine præsenti periculo sumentur. Neque minùs malè quandoque *Podagricis* cedit aquarum mineralium usus, modò senes fuerint (ut sunt plerumque) & pariter corporis habitu phlegmatico imbecilloque. In his enim nonnunquam naturæ vires eo usque sunt imminutæ ac succisæ, ut omnino metuendum sit, ne tantâ copiâ aquarum penitus obruantur ac succumbant. Sive verò in causa sit noxæ quam exinde capiunt homines tali habitu ac temperamento præditi, sive non sit; illud mihi compertissimum est, haud paucos quorum corpora hoc modo fracta admodum, & quasi confecta fuerant, hisce aquis interemptos diem suum obiisse. *Thom. Sydenh. Tract. de mictu sanguineo à calculo Renibus impacto.*

Calculi renum nisi magni sunt, aut malè figurati, aut corpori insunt arido, venisque exilibus prædito, haud magno plerumque apparatu propelluntur, sæpe etiam solo Naturæ ductu. Notavi ego calculos, qui diu satis & quovis medicamenti genere frustrà erant lacessiti, tandem sponte sua, aut remedio molliculo corpore excessisse. Verùm quia dolores sunt longè intensissimi, non indulgetur naturæ mora, sed extemplo poscitur quod dolores dolorumque leniat materiam. Statim ergo ad primas querelas conquiruntur diuretica eaque calida & sale volatili oleoso plena, terebinthinata, juniperina, balsama sulphurea. alliata, & alia quæ in frigidis serosisque corporibus non sunt damnanda: ita in calidis, ut sunt plerumque nephriticorum illa, ea cum prudentia adhiberi debent, ut nec copia, nec qualitate sua sanguinem nimium accendant viasque exsiccent. Equidem, ut vidi renalem calculum sanguineis biliosisque temperamentis familiarius evenire quàm aliis, in suspicionem veni ad generationem ejus plurimum quoque conferre biliosum fermentum. Adeò nunquam

veni

putavi nephriticos temerè calidis siccisve medicaminibus fatigandos esse, quippe qui cruciatuum biliosique sanguinis effervescentia plus satis incalescant. Nimirum oleosa illa aut spirituosa, quæ tot nominibus celebrantur, initio quidem & nondum inflammato sanguine solliciteque usurpata, pulchrè quidem conducunt, sed progressu temporis, quando biliosi fermenti acrimonia sanguinem renesque pervasit, non bilem tantùm accendunt, sed vias quoque, quas laxare oportebat, nimium exsiccant. Profectò, si Indicantium in illa Empirices invalescentis autoritate aliqua adhuc vis est, nulla etiam post curiosum examen magis convenire morbo illi possunt, quàm aquea, dulcia, pinguia, & quibus aliquid inest nitrosi, aut si quid renali fermento affinius urinæque juvat secretionem: In quo casu cùm omnibus numeris absolutum sit Foresti Belgæ, Practici Celeberrimi, decoctum, dubitem ego, an quid convenientius morbo huic excogitari possit; Mihi certè in plurimis felicissimè cessit ejus usus. Reperias autem ibi primò aquam cæteræ virtutis vehiculum, quæ etiam mucosum pelvis involucrum diluvio solvat, materiamque præbeat seri. Reperias mucilaginosa malvæ altheæque semina, dulce caricarum sebesten & glycyrrhizæ delinimentum, hordeum denique & ciceres quæ cùm nitrosa contient & abstergente facultate, & secretionem adjuvant seri, nutantisque fermenti renalis vires confirmant. Quibus si deinde juscula adjungas vitulina, acido citri, oleo amygdalarum dulcium, manna tabulata, & syrupo de althea Fernelii, parte etiam vini Mosellani delibuta, jam haberi puto quod omnibus chimicorum arcanis, ipsi imprimis Aroph & Samech Paracelsi fastum facere possit; Nam cùm hæc uni, aut summùm alteri indicationi, illa ex æquo omnibus respondent. Non negaverim interim si caloris immune corpus obtigerit, misceri illis posse spiritus antinephriticos ardentes, balsama & sulphura terebinthinata, at certâ & circumspectâ dosi. Vidimus enim prodigo istorum usu, ubi arenulæ & calculi expectabantur, tristi augurio sanguinem è renibus defluxisse fusum & colliquatum, quod ipsum etiam ab intempestivo usu diuretici Langii profectum vidi. Quare etiam auctor esse soleo, ubi in calidum temperamentum incidit hic morbus, ut acidis potiùs tartareisque, quam spirituosis sulphureisque certetur, spiritu nimirùm nitri, illo adeò nunc etiam probato, tartaro vitriolato, chrystallis & cremore tartari, illâ quoque ex plurium acidosalinorum corporum conjugio orta Amelungi tinctura antinephritica, tot olim elogiis famigerata, quò intelligatur biliosum sæpe fermentum totam hanc scenam instruere, & victâ renum siccitate sero quoque liberiùs eundi facultatem esse. Pulveres fixi atque absorbentes tum demum conducunt, quando acidum acrius fermento junctum renali, secretionem fluidi moratur impeditque, ne calculus diluvio seri ad vesicam deduci possit, & ut in hisce peculiaris est lapidum cancri efficacia plurimis effectu testata, meritò etiam in usum vocantur, etiam tum, cùm bilis effervescit; namque & illud nitrosum volatile, quo & ipsi perfunduntur, huic temperandæ pulchrè respondet. Mucilaginosi pulveres qui ex seminibus malvæ, altheæ, milii solis, gummi tragacanthino, cerasino, cujus commendatio apud nonnullos maxima est, & liquiritiâ conficiuntur, viarum potius asperitatem fermentique renalis acrimoniam deliniunt, quàm ut vi gaudeant peculiari lithontriptica. Pilulæ ex succo liquiritiæ, terebinthina, oculis cancrorum, sale juniperino, succinato acido volatili, tartaro vitriolato aliisque pro necessitate compositæ & ipsæ officium faciunt, etiam magis profuturæ in exquisitis doloribus, si tantillo opii condiantur; neque enim hoc semper aut nimium esse debet. Ut tamen dicam, quod res est, non adeò Medicinis illis specificis, neque unis aut alteris dosibus, evertitur calculi fermentum, nimis toti sanguini, nimis universæ constitutioni infixum, sed toto vitæ ordine & diætæ ductu, imprimis quotidiani potus qualitate usque continuata. Hinc præter potum bene compositum cerevisiæ, hordeatæ magis quàm siligineæ, tenues quàm crassæ, molliculæ & pingues, quàm diobolares & aqueæ, inter Germanicas Goslariensis, Belgicas Leodiensis, utræque metallicum quid redolentes, inter medicatas juniperina, scolopendriata, petroselinata, dauci seminibus, liquiritia aliisque, dum fermentationem sustinent, perfusæ, vel excogitatissimis remediis palmam præripiunt. Et verò non spernendus quoque ille jam ab aliquot retrò annis celebratus theæ potus, multis nominibus, tum maximè fluidi aquei calorisque beneficio probatissimus. Veronicæ potus & ipse magno compendio in eundem medicinæ usum vocari posset. In Belgio Hispanico rubeolæ sylvestris pulvis, velut specificum, in maximo est pretio, amplissimisque elogiis venditatur, si & ille in calida bibatur. Aquis etiam thermalibus calculos nonnullos felicissimè propulsos vidi; illâ enim quotidianâ thermopotatione plerumque in renes abeunte viæ in immensum ampliantur, & cùm perpetuum eas occupet diluvium, calculi olim fixi pertinaciusque hærentes, etiam supra fidem magni facilè loco facilè angustiis canaliumque poris excutiuntur. Vidi tamen etiam, ne quid ab omni parte tutum esse credas, qui nullis unquam doloribus renum calculi vexati intempestiva aquarum Emsensium potatione gravissimè & decretoriè ex nephritide laboraverint. Namque latitaverat in hisce calculus, qui nondum penitus solutus, qui aliàs Naturæ labor est, lentus ille & paulatinus, copioso aquarum diluvio subitiùs præcipitari loculisque suis excuti, nunc etiam in periculosiores dolentesque situs figurasque, mox tamen succedente novo diluvio mutandas, conjici cœpit; adeò ut aliarum rerum, ita calculi quoque videtur expectanda maturitas quædam, id verò est Naturæ concurrentis solertia. A Pyrmontanis viro ex hypochondriis ægrotanti etiam calculos nunquam ante creditos, ab alvo magna copia propulsatos scio, tot olim purgantibus, quòd diluvio isto carerent, frustrà propinatis. *Nicol. Pulin. in Observ.*

Operæ pretium erit vesicam cathetere explorare, an Calculus sit doloris causa necne; & quantus sit, si adsit: ne si molis sit magnæ, frustra

frustra patiens Lithontribis fatigetur. Hoc enim casu si lithotomiæ se nolit exponere, ut atroces cruciatus demulceantur, & urinæ viæ leniantur, Medico unicè nitendum est. Hisce intentionibus inserviunt sequentia.

♃. Fol. beton. m. ij. malv. violar. parietar. an. m. j. flor. chamæmel. & melilot. an. p. iij. sem. fœnugr. ℥ß. f. omnium decoctio in sero lactis recent. Cap. de colatura ℔ j. in qua dissolv. cathol. elect. lenitiv. an. ℥ j. syr. violac. sacchar. alb. an. ℥ ij. mucilag. sem. altheæ extract. in aq. hord. ℥ iij. m. f. Clyster. Instituatur quoque Purgatio lenis. Perinæum foveatur fotu sequenti.

♃. Rapor. ℔ iij. raphan. totius ℔ ij. rad. lil. alb. alth. symphyt. maj. an. ℥ iv. parietar. totius, malv. argentin. virg. aur. saxifrag. nasturt. betul. an. m. ij. chamæm. m. iij. baccar. juniper. ℥ iij. sem. alkekeng. mil. sol. an. ℥ i ß. f. Sacculi, quibus decoctis in aq. font. foveantur perinæum & pubes calidè mane & vesperi per horam integram. Ex iisdem urgente dolore, paretur *Semicupium*, etiam addito lacte vel oleo pro necessitate. Balneum quoque instituatur ex ingredientibus semicupii auctâ quantitate, in quod ingrediatur bis in die; & post tertium balneum sumat in ipso balneo haustum infrà descriptum è succo parietariæ, &c. addendo lap. prunell. ʒ j. aut ampliùs pro necessitate ad ʒ i ß. aut ʒ ij. si calculum expellendi spes sit.

Cerevisia medicata sit talis.

♃. Filic. fœmin. ℥ viij. alth. symph. an. ℥v. cort. med. ulm. nucis moschat. an. ℥ iv. fol. siccor. pariet. equiset. veronic. mar. an. m. iij. flor. malv. utriusque, nenuphar. cum semin. an. p. iv. sem. malv. cydon. an. ℥ i ß. Coq. in alæ rec. galen. vj. ad duos, addendo ejusdem cerevis. ferment. galen. iv. infund. per noctem, & coletur per setaceum manè: liquori affuso in doliolo adde q. s. ferment. cerevis. cum ℥viij. gumm. Arabic. sinatur fermentari ad perfectam depurationem, & lagenis lapideis indatur ad usum.

Opiata sequens multùm levaminis ægro ferre poterit.

♃. Conserv. flor. malv. ℥ iv. medull. sem. melon. ℥j. pulv. rad. symph. maj. glycyrrhiz. an. ℥ ß. pulv. oss. mespilor. ocul. cancr. mandibul. lucii an. ʒ iij. pulv. virg. aur. sem. alkekeng. milii solis an. ʒ ii ß. gum. Arab. ceras. prun. an. ʒ ij ß. cum syr. de alth. f. *Electuarium*. Dos. quantit. nuc. juglandis manè, super hausto cerevis. medicat. momento, dilato prandio ad 4. horas. Convenit quoque (in arenulis vel calculis minoribus) in ipso semicupio haustus sequens.

♃. Succ. depurat. parietar. ℥ ij. vin. alb. ℥j. succ. limon. ℥ß. ol. amygd. dulc. rec. ℥ i ß. m. f. Haustus.

Aut ♃. Cancror. fluviat. numero ij. terantur in mortario marmoreo cum vin. alb. & extrahatur cremor, cui adde syr. viol. de alth. an. ʒ vj. crystall. mineral. ʒ j. m. Crystallus rupis in succo urticæ specificum est. Pulv. lithontripticus item exhiberi potest ad ʒ j. qui talis est.

♃. Rad. alth. & glycyrrhiz. an. ℥ j ß. virg. aur. ℥ iij. rad. ononid. ling. avis an. ℥ j. nucl. mespilor. ℥ j. sem. aquileg. ocymi, milii solis, alkekeng. spatulæ fœtid. an. ʒ vj. sem. violar. Martiar. ʒ x. ocul. cancror. præp. cum sp. vitriol. & sp. vini, lap. Tiburon. cryst. rupis præp. an. ℥ ij. grillor. præp. cum malv. ℥ j. m. f. pulvis ut alkool. Et si velis, cum triplo syrup. de alth. & nephro cathart. (supra in cap. de Calculo Renum descript.) in æqua proportione mixtor. f. Opiata, cujus dosis à ʒ j. ad ʒ iij. superbibend. haustum cerevis. medicat.

Si ulcus adsit, primò deterg. injectione ex aqua hordei & melle rosaceo. Aut sit hujusmodi, de qua injiciatur ℔ß. quavis vice quater in die, ut pertingat ad vesicæ fundum & latera.

♃. Ros. rub. fol. melilot. an. m. j. fol. agrimon. apii, prunell. veronic. utriusque sanicul. consolid. maj. an. m. j. rad. aristol. rot. ʒ iij. furfur. macr. hord. integr. an. m. ß. cancror. fluviat. clibano exsiccat. & pulv. num. vj. Coq. in vin. alb. aut sero lact. q. s. Ad Colaturæ ℔ ij. adde sacchar. cand. syr. de ros. siccis aut mel. ros. an. ℥ iij. urin. puer. impub. ℔ j. m. f. Injectio.

Ad ulceris consolidationem talis fiat injectio.

♃. Glycyrrhiz. Hispan. rec. ℥ ij. rad. alth. symphit. maj. an. ʒ x. fol. beton. aquatic. equiset. an. ℥ i ß. veron. mar. bugul. prunell. hyperic. totius, persicar. maculat. an. ʒ vj. flor. malv. roseæ ʒ v. sem. malv. psyll. cydon. an ℥ ß. gumm. Arabic. verm. terrestr. siccor. vesic. bubul. siccat. an. ʒ iv ß. f. pulvis crassiusculus, de quo sumatur ℥ j. aq. hord. ℔ ij. Coq. ad medias f. colatura, cui adde æq. part. lact. vaccin. rec. & f. Injectio bis in die tepidè. Pilulæ meæ lenientes in vesicæ aut renum ulcere & calculo, tales sunt.

♃. Oliban myrrh. mastich. an. ʒ iij. glycyrrhiz. rad. consolid. maj. sicc. an. ℥ß. crem. tart. ʒ ij. croci ʒ j. camph. ʒß. antim. diaphoret. ℥ j. f. pulvis & cum tereb. aq. ros. lot. q. s. f. massa pilularis. Dosis ʒ ß. mane superbibendo haustum cerevisiæ medicat. Paulatim augeri potest dosis ad ʒ j.

♃. Gumm. guajac. natural. ʒ iij. mastich. oliban. part. alb. benzoin. sandarac. gumm. anim. an. ʒ ij. santal. alb. ocul. cancr. an. ʒ j. terebinth. Cypr. coctura indurat. ℥ ß. succin. alb. præpar. ʒ ii ß. f. alkool excipiend. s. q. balsam. Peruv. nigr. & f. massa pilular. Dosis ʒ ß. ad ʒ j. superhaust. cerevis. medicat. haustu.

In ulcere Renum & vesicæ, in quo cum maximis inter mejendum cruciatibus mucus viscidissimus excernebatur, D. Deodatus, irritis aliis omnibus remediis, salivationem provocabat per Mercurii dulcis iteratam exhibitionem in vetula generosa fere nonagenaria, omnia sedata fuerunt symptomata: ita ut quæ moribunda erat & cui cutis vix ossibus hærebat, per annum vixerit satis sana. Recurrente tamen morbo, senectute oppressa tandem supremum obiit diem.

In juniore subjecto iterata exhibitio Mercurii in parva quantitate, etiam sine ptyalismo, proculdubio profuisset. Quotidie possunt exhiberi gr. vi. viii. x. calomel. vel de de Mercurio nigro sive Æthiope minerali. Rationalis est hæc

hæc via propter revulsionem, præter Mercurialem vim quæ aliàs ulcerationes internas & xternas persanat.

N. B. Non dubito quin possit prodesse hâc viâ in tartaro lutoso sine ulcere, revellendo & evacuando blennam quæ vel in stomacho generata, vel in cerebro, sugitur à Mesaraicis cum substantia aliment. & postea separatur in renibus & defluit in vesicam.

Apes siccatæ in pulverem redactæ propinentur ex vino albo, urinam paulo post provocant. Num. iij. sufficiunt utplurimum. In seipso Ischuriâ laborante sæpius expertus est Hiberniæ Primas Armaghanus.

Quidam (nomine *Dinkinson*) laborans caruncula in urethra, Ischuria correptus, partim à fungosæ carnis inflatione, partim à grandiori arenæ grano meatum jam pene occlusum penitus obstruente, de vita desperans, & consilii inops, assumpto siphone seu syringâ stanneâ (quod instrumentum ipsi tunc erat ad manum ad injectiones faciendas in urethram & vesicam) aërem saltem ex vacuo syringæ corpore in meatum impulit cum aliqua violentia. Sic dilatato ductu, successivè multum aëris intravit vesicam, qui ne erumperet, quoties siphonis apicem sive fistulam extrahebat ad novum aërem captandum, arctè digitis premebat urethram. Tandem satis oppleta vesicâ, laxato & remoto obice, flatus cum impetu erumpens, arenam expulit, & prorupit urina satis copiosa maximo cum levamine. Deinceps quoties aliquam experitur difficultatem, recurrit ad sacram anchoram cujus nunquam fallacem experitur effectum.

Ego vellem insufflare ex folle parvulo duplici, qualis est organor. aërem in tubum argenteum satis brevem & majusculum, urethræ priùs inditum & circumligare virgam serico molli sine ullo dolore; atque ita & urethram dilatare & opplere flatu vesicam, &c. vel uti vesicâ vento turgidâ eodem modo quo clysteres injiciuntur.

In calculo majori, ubi ejusdem exclusionis nulla spes est, si *Lithotomiæ* se subjicere æger velit, post operationem modo sequenti tractari potest. Operator quidam Scotus aliàs ignarus, post extractionem lapidis vulneri & vesicæ hoc pacto prospicere solet felicissimo cum successu. Ægrum jubet obambulare passus aliquot, ut vesica à muco, grumis sanguinis, & restitantibus lapidis frustulis aut arenulis liberetur (quam intentionẽ in debilioribus supplere poterit injectio detergens calidè facta in vesicam immediatè post absolutam operationem) Postea facit ut per horæ quadrantem sedeat in semicupio tepido parato ex decocto cortic. quercûs tam valido, ut ejus guttula ungui superposita non diffluat. Semicupium istud seq. die & tertio repetit: quo remedio profitetur sanguinem sisti, vulnus claudi, & partem insigniter corroborari. Deinceps usque ad perfectam curationem vulneri prospicit mixturâ ex decocto prædicto, melle purissimo & terebinth. veneta, quod suum balsamum vocat, & pennâ illinit. Cortex autem (*Tann dictus*) petatur à coriariis. Terebinthina facilè cum cæteris jungetur, si aliquid vitelli ovi crudi addatur.

Si post *Lithotomiam* restet *involuntarium urinæ profluvium*, convenit decoctum vulnerarium & astringens & suffitus ex gummatibus per sellam perforatam receptus.

Si *Gangræna* Lithotomiam sequatur, vulneri adhibeatur fotus ex scord. absinth. centaur. minor. &c. vulneri denigrato adhibeatur unguent. Ægyptiacum cum spir. vini. Cavendum ne vulnus aëri sæpius exponatur. Aperta teneatur vesica turundâ lineâ balsamo digestivo inuncta. Fiant injectiones vulnerariæ & detergentes per tubum œsophago vel intestino pulli obtectum in vesicam per vulnus. Intus sumantur decocta vulneraria. Clysteres lenientes injiciantur alternis diebus. Ulcere deterso occludatur vulnus per suturam siccam ex pice, mastiche, vernice, thure, sarcocolla, &c. quæ aquæ appulsum non sentiant. *Theodor. de Mayern. In praxi.*

In omnibus ferè partibus corporis possunt calculi enasci, vesica, renibus, utero, folliculo fellis, intestinis, pulmone, hepate, in externis partibus corporis; addo quòd etiam in fronte, & sub cute, instar duri tumoris natum, exsectumque fuisse legamus. Verùm in duabus iis valde communiter est, & magis ordinariè nascitur: renibus nempe & vesica. Eorum verò, qui intus in membris, & visceribus nascuntur, nullus est per chirurgiam eximibilis præter eum, qui in vesica nascitur: ideo sectio calculi lithotomia dicta versatur tantùm circa exsectionem calculi vesicæ; Calculus enim renum pharmacia curatur, non verò chirurgia; Etiamsi Rousettus doceat, eum etiam per abdomen posse exscindi, sed stultum nimis mihi temerariumque videtur, & merito deridendum, & ideo de tali sectione nihil dico.

Quoad calculum vesicæ, ille potest per Chirurgiam duobus modis eximi, vel cum sectione, vel sine sectione; In mulieribus propter collum vesicæ brevius, & quia in iis facilior est manus Chirurgicæ per pudenda eius ad vesicam accessus, potest aliquando sine sectione extrudi: in viris non ita; Saltem ars eum sic è viris educendi non est nostris Chirurgis Europæ cognita.

Est tamen bene aliqua ars eum educendi, modo non sit nimis magnus. Illam describit Prosper Alpinus in lib. de Medicina Ægyptiaca, quum ait novisse Chirurgos Arabiæ, & Ægypti, & se propriis oculis vidisse, eam fuisse practicatam in aliquibus principibus Ægypti viris, & per eam vidisse educi calculos magnitudinis olivæ, & quendam Arabem sic uni duci Aegypti, se præsente, multos calculos extraxisse. Ratio artificii consistit in eo, quod illi membri virilis cavitatem, & colli vesicæ insufflatione plurimi aëris valde dilatent sicut per eum tam magnus calculus possit transire. Meatu sic dilatato, faciunt ut fuga vacui exsucto aëre, lapis per virgam magno impetu efferatur, virgam dilatari posse, non debet mirum videri, quandoquidem ea tota est nervosa, carnea & pelliculosa, & proinde bene dilatabilis. Etenim si os uteri quod adeo connivet; ut calamus non possit in eum imponi, quodque constat substantia cartilaginea, dura, & non facilè dilatabili possit tempore partus ita dilatari, ut per eum exeat fœtus tam magnus & crassus; Quare non posset substantia membri

virilis tam mollis in tantum dilatari, ut unus lapis posset per ipsum exire? modus faciendi non est omnibus Chirurgis idem. Unus modus est talis. Capiunt ligneam cannulam longitudine octo digitorum, latitudine unius pollicis, quam virgæ cannali admovent, tum fortiter insufflant, & ne flatus ad anteriora perveniat, altera manu extremum virgæ stringunt, tum foramen cannulæ claudunt, ut interim virgæ canalis latior fiat, & intumescat. Eo facto, digitum in anum imponunt, & lapidem paulatim ad canalem virgæ & ad extremum ejus deducunt, & cum præputio lapidem appropinquasse sentiunt, cannulam virgæ à foramine fortiter impetuque removent, sic ut magna dexteritate lapis evolet. Alius modus est hic. Habent multas cannulas, unam majorem altera, factas è substantia quadam cartilaginea valdè dilatabli, in modum musici instrumenti syringa appellati. Harum graciliorem in virgæ canalem primò intromittunt, quousque ad vesicam pervenerit: moxque ore insufflando, ipsam dilatant quantum maximè possunt. Postea capiunt paulo crassiorem, eamque ibidem immittunt insufflandoque eam dilatant ut primam, postea eodem modo imponunt, & tertiam, & quartam omnium maximam. Et cum sic virgam dilataverunt, ut viam satis magnam esse putent, ut per eam calculus possit transire, digitos in anum imponunt, & calculum ad collum vesicæ, ubi majoris cannulæ extremitas pervenit, & usque ad ipsam deducunt: tum altero cannulæ meatus ore excepto, spiritum fortiter retrahendo calculum simul attrahunt tanto impetu, ut si calculus aliquando major sit, quàm ut foramen exire possit sæpe in frusta rumpatur. In mulieribus adultis potest etiam calculus eximi sine suctione modò non sit valde magnus, id est, modò sit illius quantitatis, ut possibilis sit per foramen colli vesicæ transire. In mulieribus autem faciliùs eximitur, quia via non est longa, & est recta & ob humiditatem magis explicabilis. In viris non potest, quia via est nimis longa & flexuosa: Exprimitur autem per extrusionem, digitis f ctam: Chirurgus enim duos digitos anteriores in genitalia tam profundè imponit, eos sursum versus vesicam inflectendo, quousque calculum tangat, tunc eum inter duos digitos quasi comprehendendo adducit, trahendo in collum vesicæ, & continuatione quadam trudit, donec vel exeat, vel adeo ad extremum canalis promotus, ut forcipe in eundem meatum imposita apprehendi, & eximi possit. Si via sit angustior, quàm ut calculus commodè transire possit, debet fomentis emollientibus foveri, & in balneo emolliente ad umbilicum imponi, ut partes laxentur; & in viam urinariam debent imponi forcipes dilatatorii, oleo liliorum uncti, ut ea ratione amplior evadat, sed rarius sine sectione eximi potest.

Hæc sectio etsi sit valde periculosa, & multos ex ea mori contingat, constat tamen experientia quotidiana, quod per eam etiam multi sanentur, & evadant, & quamvis sit periculosa, tamen quia impossibile est magnum calculum aliter curari, quia intolerabilem affert cruciatum, ita ut homo libentius moriatur: Et quia tandem bene mortem infert, ideo ægrum melius est dubia cum spe, quàm ita perpetuo, & diuturno cruciatu & certæ morti relinquere.

Periculum in multis consistit imprimis in eo, quod in peritonæo sint multæ insignes venæ, & arteriæ, & imprimis vicinæ hæmorrhoidales; hinc periculum est, ne iis incisis, vel per dilatatoria, & alia quæ immittuntur instrumenta laceratis, fiat hæmorrhagia lethalis. Sunt præterea ibi nervi, musculus sphincter, intestinnm rectum, vasa spermatica, tendines, & substantia vesicæ, quæ omnia hac operatione offendi possent, unde varia pericula oriuntur. Inprimis si vesicæ corpus scindatur à novacula, aut laceretur à calculo, aut instrumentis quæ immittuntur, est lethale: fit enim inflammatio, convulsio & postea mors. Si intestinum rectum scindatur, periculum est fistulæ, & inde etiam mortis. Denique in illarum partium nervosarum tanta divexatioen, per tot sæpe instrumentorum in illa scissione, dilatatione, catheteris impositione, crebro denique attactu & laceratione, maximum est periculum inflammationis, febris, virium debilitatis, & mortis: præcipuè, cùm ipsa jam antea prægresso calculi attritu vesica plerumque sit exulcerata & inflammata. Tandem, ut omnia rectè successerint, periculum est, ne post exsectum calculum maneat defectus detinendi urinam, quod fit propter musculum colli vesicæ læsum, vel ex vulnere fistula maneat, & per eam intolerabili fœtore, & magnis aliquando doloribus, tota vita urina effluat. Sæpe enim fit, ut vulnus inflictum consolidari non possit, vel urinæ acrimonia erodente, vel vulnus in ulcus convertente, ac pure illac exitum quærente: vel quia vulnus non est bene curatum à Chirurgo: vel quia intus putredines aliquæ, & sordes sunt relictæ, quæ non patiuntur vulnus claudi: vel quia interstitium illud in perinæo, vel vesicæ corpus tacta sint, quæ conglutinari nequeunt.

Non est autem hæc sectio in omni ætate æque periculosa. In pueris enim, & mulieribus est facilior, in viris contra. In pueris enim carnes humidæ sunt & laxæ, & ideo facilius conglutinantur, & robustus calor nativus resistit injuriis corpori illatis. Et secari possunt minori molestia, & sectione minoris, quam vocant, apparatus, quæ fit paucioribus instrumentis, sicut audiemus. In mulieribus autem propter viæ urinariæ brevitatem, laxitatem & rectitudinem, operatio etiam est facilior. Hinc minus molestiæ iis infertur. Potest enim in iis calculus immissis per genitalia digitis tangi, apprehendi, adduci & extrudi, catheter brevior & rectior est, fit minore dolore, faciliusque imponi potest. In viris omnia contra se habent.

Celsus dixit, non ante nonum, nec post undecimum, ætatis annum licitam. Verùm experientia quotidiana docet, & Chirurgi præclarissimi scribunt, usque ad 60. ætatis annum licitam esse, & usque in illum quamplurimos, & cum fœlici successu fœliciter curari, ante

ante annum autem 9. & post 60. non esse secandum. Nam ante 9. annum, ætas nimis tenera est, & duo digiti Chirurgi non possunt sine maxima violentia in anum imponi, quod pro sectione necessarium est. Post annum sexagesimum habitus corporis est nimis siccus, & calor nativus nimis imbecillus, hinc vulnera partium nervosarum non consolidantur, & imbecilla constitutio non habet tantam violentiam, sed periculum gangrænæ adfert.

Modus sectionis non est idem, sed pro ratione ætatis, sexusque varius. Aliter in pueris, aliter in adultis, aliter in viris sectio est instituenda. Præter hactenus usitatam sectionem exortus est Franciscus Rousetus, qui in lib. suo de partu cæsario scribit; videri longè securiorem, & faciliorem sectionis rationem futuram, si venter, aut abdomen à latere sub umbilico aperiantur, & imposita per foramen manu vesicæ corpus vulneretur, & inde calculus eximatur. Sed illa ratio non valet. Vesicæ enim vulnus lethale est, & non potest consolidari: & quamvis aliquando legatur consolidatum, est tamen rara avis, & temerarium nimis foret. Et quia illam rationem nemo secutus est, de ea non agimus.

Ordinaria autem sectio fit in perinæo. In ea rectè administranda totum artificium consistit, ut scissio fiat in exortu colli vesicæ & in carnosa parte ejus, ut ipsa membranosa vesicæ substantia non vulneretur, nec ab instrumentis, quæ postea inducuntur, aut calculo egrediente non dilaceretur. Denique ut vitentur magnæ venæ, ac tendines ac partes nervosæ: sic enim ut convulsio & hæmorrhagia, quæ in tali opere sunt timenda vitentur. Si in carnosa illa parte colli vesicæ sectio fiat, & vesica non tangatur, facilè vulnus curatur. Duæ sunt differentiæ principales hujus sectionis, una vocatur Celsistica, vel Guidoniana, quam docuere Celsus, & Guido, quæ vocatur à practicantibus sectio minoris apparatus: eo quod fiat facili modo, sine multo instrumentorum apparatu. Nam tantùm ponuntur digiti in anum, & fit simplex sectio super ipsum calculum, & ejusdem digitis in ano, existentibus, vel tantùm calculus per vulnus extruditur, vel cum cochleari Chirurgico, aut simplici tenaculo extrahitur. Altera vocatur sectio Mariana, quam docuit & primus scripsit Marianus Sanctus Barolitanus, ex doctrinâ Joannis, sui præceptoris, famosi Chirurgi, & practicantibus vocatur sectio majoris apparatus, & ideo, quod illa sit valde laboriosa, & fiat ope multò plurium instrumentorum. Nam in ea primum imponitur catheter ad calculum explorandum, tum alius catheter, qui habet sulcum, & rimam, qui vocatur itinerarium ad hoc, ut super eum fiat sectio: tum instrumenta, quæ vocantur ductores, ut ducant, & quasi viam monstrent tenaculis, & cochlearibus ad calculum apprehendendum: immittendum tamen verticulus, seu instrumentum ad tentandum, quo loco vesicæ calculus sit, tum dilatatoria ad foramen, si opus sit explicandum; tum tenacula diversi generis ad calculum apprehendendum, aut frangendum, tum cochlearia ad evertendum frustula aut arenulas. Sectio minoris apparatus locum habet in pueris secandis; propterea, quod in illis digitis in anum immissis calculus tangi, & apprehendi potest, & sic extrudi. Et ideo non debet multis instrumentis quæri & apprehendi. Sectio majoris apparatus locum habet in adultis & maximè in viris, in quibus propter corporis magnitudinem ductus ad vesicam est longior; & ideo digiti in anum immissi non possunt ad calculum pertingere, & ideo cum sic nec digitis explorari nec apprehendi nec extrudi potest, debet explorari, quæri, educi magna instrumentorum & molestiæ varietate.

Cùm itaque secandi sint diversi; primum loquor de modo calculi pueris exscindendi. Antequam itaque puer sectioni exponatur, primo cognoscendum, an calculo laboret? Hoc cognoscitur ex communibus signis, & symptomatis calculi: secundo per impositionem digitorum in anum: Itaque curandum est, ut puer saltet vel currat, vel apprehensus per medium duobus brachiis est concutiendus, ut calculus decidat deorsum ad collum vesicæ, tunc sedenti corpore erecto, ne calculus recidat, duo digiti anteriores dextræ manus oleo amygdalino, liliorum aut rosato uncti in anum pueri sunt immittendi quàm profundissime; & antrorsum versus ventrem seu vesicæ situm, (nam vesica intestino subjacet) inclinando, & tangendum, an ibi calculus jaceat, & quam sit magnus, ut pro ratione magnitudinis sectio fiat, & explorandum an non sit tam magnus, ut non possit educi. Si enim esset valde magnus, non deberet cura tentari, quia non posset sine vesicæ laceratione extrahi, unde mortis præsens periculum esset: aut si tentetur, non debet fieri sine prædictione summi periculi, ut honor operantis maneat salvus. Quare exploratione pridie, vel diu ante facta, ad sectionem transeatur.

Celsus dicit non omni tempore sectionem posse fieri, sed tantum in vere. Hodie verò omni fit tempore; tamen, si fit hyems, curandum, ut fiat in cubiculo calido, nam puer jacet nudus, & sic refrigeraretur, ac rigeret, quod esset malum. Secundò quia vulnere facto frigus ad vesicam perveniret, frigus autem membranosis partibus est inimicum. Puer prius alvum exoneret, & parum comedat, ut sit fortior, & currat sive concutiatur, ut calculus cadat ad collum. Tunc debet vir aliquis fortis in humili sede sedere, lumini obversus, & puerum in gremio suo aversum, ac mediocriter supinum, coxis ejus super viri cruribus, ponere. Dico, mediocriter, nec in totum, ut sic liberius possit respirare. Tum vir curvatos, ac retractos pueri poplites manibus apprehendat, & fortiter teneat, ac diducat, sic enim puer non poterit se movere & agitare. Secundò ea

ratione vesica deorsum trahitur & in angustum redigitur. Tum Chirurgus duos, non ut ante dextræ manus, sed sinistræ digitos unctos in pueri anum imponat, & dextra manu ventrem inferiorem fortiter comprimat, ut illa compressione calculum à vesicæ fundo deorsum subter os pubis in ipsius cervicem detrudat. Ne autem ita fortiter comprimendo puerum lædat, & ventrem ac vesicam debilitando disponat ad facilem inflammationem, ventrem prius linteo aliquo tegat, subtus verò digitis illis in anum immissis calculum apprehendat, & quantum fieri potest à tergo attrahat, & antrorsum nimirum in vesicæ cervicem promoveat. Eo adductum digitis iisdem firmet, ne regrediatur. Tum scroto obstante elevato notet Chirurgus vel oculo vel linea cum atramento facta, locum secandum. Locus est in perinæo inter testiculos, & anum, duobus digitis transversis ab ano, non in recta linea, aut in medio, sed à latere sinistro; Nam in medio est quoddam interstitium, q. quia est nervosum non debet tangi. Debet ergo locus esse paululum ad latus distantiâ unius grani hordei ab illo interstitio, nam si illo sectio fiat, tunc rectè sectio incidet in carnosam partem colli vesicæ, & in ipsum calculum. Tunc secandum est novaculâ utrinque acutâ, super ipsum corpus calculi, tam profundè, donec novacula ipsum calculum subjectum tangat, & scindat. Foramen debet esse proportionatum magnitudini calculi, jam acute tacti & explorati. Ordinarium est longius duorum digitorum transversorum; Nonnulli sectionem faciunt cum novacula ignita in viris, uti post audiemus, sed hoc locum non habet in pueris, in quibus ob humiditatem teneræ carnes quodammodo liquarentur: Cavendum tamen est, ne rectum intestinum vulneretur: quia ut notat Paræus fieri potest, & solet, ut dum calculus ad cervicem vesicæ è fundo educitur, illud intestinum replicetur, tum enim inconveniens sequeretur: Nam fœces per vulnus exirent, & urina per anum, & maneret fistula. Vulnere facto, digitis, qui in ano calculum comprehendebant, jam suaviter per vulnus est extrudendus: & si non poterit digitis semper bene uncini, seu cochlearia Chirurgica, ad eam rem facta, per foramen desuper inducenda sunt, ut à tergo eum comprehendant, & comprehensum valde educant, dum jam extractus est, si quæ sordes, aut sanguis grumosus in venis putetur contentus, fistula tenuis argentea perforata in vulnus est imponenda, ut per ipsam effluere possit. Aliqui una sutura vulnus conjungunt, alii non: alii etiam fistulam talem non imponunt. Inde medicamenta sanguinem sistentia, & conglutinantia sunt super imponenda, & pueri pedes sunt colligandi, ut labra vulneris conjungantur, & sic faciliùs consolidentur, & ne puer pedes divaricando faciat labra inepta uniri, denuo dehiscere; Inde vulnus more reliquorum vulnerum est curandum.

In viris autem jam adultis secandi ratio est talis. Quando signa sese offerunt, calculi in vesica existentis priusquam ad sectionem eatur, ante oculos est habenda certitudo, ne sectio fiat frustra, signa enim medica sæpe fallunt. Itaque cathetere est opus. In pueris id exploratur, digitorum in anum impositione: nam illi catheterem ob viæ angustiam, & carnis mollitiem non ferunt. In viris id digitorum immissione fieri non potest, propterea, quod propter partium magnitudinem digiti usque ad collum vesicæ, & locum calculi immitti non possunt. Æger ergo in sede parùm altiore collocetur, corpore in posteriora nonnihil declinato, & sinistra apprehenso ejus membro, catheter secundùm artem in canalem imponatur usque ad vesicam, ibi titillando, & cathetere quoquoversum moto, exploretur, num in vesica calculus sit, Partim enim tactu, partim sono catheteris contra calculum acti, ibi esse comprehendetur. Quod si verò non tangatur, non ideo sequitur eum ibi non esse: potest enim fieri, ut, etsi calculus in vesica sit, tamen à cathetere non percipiatur. Ideo si nihilominus signa naturalia eum sequentia multa & fortia sint, non ideo debet sectio omnino omitti. Contingit autem, catheterem non tangere calculum, vel quia multo limo & viscida pituita est obductus, vel quia propriæ membranæ & vesiculæ includitur, sicut aliquando fit: tum enim catheter non figitur contra calculum, quia est rotundus, & etiam quia catheter est parum curvus, ideo aberrat à latere calculi, & qua calculus est obductus limo, non sentitur ejus durities, aut sonus, conclusio ergo, quod sectio sit facienda. Æger multis ante diebus est purgandus, & si plethoricus sit, etiam phlebotomandus, & ptisana aut aqua cocta potandus, ut minus sit obnoxius inflammationi, & febri. Dico multo ante, quia si immediatè ante sectionem illam fierent, esset nimis debilis. Docent aliqui, ut aliquot diebus ante venter, & perinæum fomentetur decoctis emollientibus: sed ego non probo hoc, quia illa ratione partes incalescunt, & videntur disponi ad faciliorem inflammationem & fluxum recipiendum. Mane diei sectionis alvum evacuet, vel natura vel clystere. Tum sæpe descendat è gradibus vel cursitet vel saltet, ut calculus cadat in collum vesicæ. Eo facto, æger in mensa, aut scamno stabili semisupinus collocetur: & collo ac dorso pulvinaria supponantur; natibus verò linteamina multa ad sanguinem excipiendum; poplites incurventur, & contrahantur, calcibus ad nates diductis: tum fascia tres digitos lata malleolis injecta pedes deligentur, ejusdemque capitibus sursum ad cervicem adductis, manus ambæ ad suum quoque genu vinciantur; Ita revincto debebunt quatuor viri fortes astare, qui brachia & pedes ejus & totum corpus fortissimè contineant, ut illa movere, corpusve aut nates attollere nequeat, sed maneat in eadem sem-

semper quiete, & corporis situ, ne operatio impediatur. Deinde per canalem virgæ debet imponi argenteus catheter ordinarius, quia non est absolutè rotundus, sed una parte externa parùm retusum habens sulcum seu fossam, in quam acies novaculæ scindentis recipiatur. Ille catheter vocatur, itinerarium, & debet imponi usque ad vesicam, ut calculum si fieri possit, tangat. Imponitur autem propter illum finem, ut nimirum sectio fiat contra ipsum, ut tanquam director manus Chirurgi ostendat, ubi sit secandum, & constitu t terminum novaculæ scindentis, ne ipsa ulterius in subditá corpora pervadat. Et ideo habet sulcum, seu fossam, ut in eam novacula incidat, & ibi figatur, quæ novacula alioqui aberrare à rotundo cathetere nec figi posset, & sic in inferius subdita corpora penetraret. Ille ergò catheter seu itinerarium relinqui debet, ulteriùs cruribus à ministris assidentibus diductis, scrotum attollatur, & locus sectionis notetur atramento. Locus debet à latere esse: a latere sinistro, ut ante, septi seu lineæ, quæ est in perinæo, ubi itinerarium, in vesicam immissum, seu catheter, insistit, ut scindas ultra ipsum septum, duorum digitorum ab ano interstitio. Nam septum illud cùm sit callosum & exangue si secaretur, vulnus non posset bene consolidari, & remaneret fistula: si etiam propius anum sectio fieret periculum esset, ne mox, dum calculus revelleretur venarum hæmorrhoidalium aliqua disrumperetur, unde difficilis hæmorrhagia, vel sphincter musculus, aut vesicæ corpus dilaniaretur. Vulnus debet esse tam longum, quàm esset pollex transversus; postea enim per instrumenta adhuc potest bene dilatari. Vulnere facto debent per illud imponi duo alia specilla, quæ à se invicem diducta vulnus etiã diducant. Hæc instrumenta ideo imponantur, ne perdatur via & ingressus in vesicam: nam vulnere facto, prout musculi variè contrahuntur, & unus venit ante alium, fieret, quod foramen clauderetur, & instrumenta ad calculum extrahendum non possent bene imponi, & via ingrediendi ad vesicam esset perdita: ideo illa duo specilla imponantur, quia illis impositis, non potest via perdi, quia inter illa possunt instrumenta immitti, & quando inter illa immittuntur tunc recta ducuntur in cavitatem vesicæ, & quia sic illa specilla sic ducunt quodammodo instrumenta calculum extrahentia rectà ad vesicam, ideo vocantur ductores. Illi autem ductores rectà in vesicæ cavitatem imponantur, mediante cathetere qui in canali est, & usque in vesicam pertingit; secundum enim longitudinem corporis catheteris ductores imponuntur. Ductoribus impositis, non est amplius opus ullo cathetere, sed debet extrahi, tum inter ductores debet imponi vericulum seu specillum aliud, habens in extremitate globulum, ne lædat vesicam, ad tentandum, ubinam sit calculus. Eo scito, inter duos ductores debent imponi tenacula, ad calculum apprehendendum, & extrahendum. Si calculus sit major, quàm ut per foramen commodè possit educi, debet foramen per instrumenta quædam dilatatoria dicta dilatari, & facta dilatatione extrahi. Si apprehensus & utrinque adductus, calculus adhuc extrahi nequeat, sinistræ manus digitis in anum immissis a tergo promoveri & extrudi debet: & simul per tenacula dextra extrahi, sic enim una manu trudente, & altera trahente faciliùs educetur. Si nec hoc sufficit & calculus tam magnus indicetur, ut sine vesicæ laceratione extrahi non posse putetur, erit imponendus forceps dentatus, qui vocatur rostrum corvinum, ad calculum apprehendendum, & infringendum in plures partes ut per partes extrahi possit. Si frangi non potest, desistendum ab opere & calculus relinqui debet: præstat enim calculum relinqui, quam Chirurgum cum vi extrahendo esse causam subitæ mortis ægrotantis. Etenim tamen, relicto calculo, oportet foramen semper relinquere apertum, ut urina per ipsum effluat; sic enim æger adhuc potest supervivere, & quidem sine magnis cruciatibus, ut postea dicemus: quod præstat, quàm ei sic violentam mortem inferre. Si extrahatur, videndum, an sit integer, & adhuc subsint alii. Si sint frusta, vel arenulæ, illa debent extrahi, per aliud quoddam instrumentum impositum, quod curriculum appellatur, quod est instar oblongi cochlearis. Quando adhuc calculus subsit, debet illo eodem specillo in extremo globulum habente de quo ante mentio facta est tentari, & eodem modo, ut prior extrahi. Hæc ubi facta sunt, si vulnus videatur esse magnum, debet sui, & in ipsum debet imponi uno, aut altero die tubulus argenteus foraminatus, ut per eum concretus sanguis qui adhuc in vesica hæret, possit adhuc evacuari; Interim medicamentum consolidans ex sanguine draconis, bolo, ovorum albumine, oleo rosato, pilis leporinis, & similibus debet superponi. Non est malum etiam vulnerarias potiones per os exhiberi, & decoctum anodynum, & moderatè refrigerans, & detergens, per vulnus in vesicam tepide injici, quo ardor vesicæ, ex prægressis per instrumenta contusionibus excitatus temperetur & sordes eluantur. Interim pedes ægri debent colligari, & vulnus sicut alia vulnera curari. Quod si sordes, aliquæ arenulæ, aut grumi sanguinis in vesicæ collum incidentes meatum obstruant, & urinæ exitum impediant, debent cathetere intus cavo, per canalem immisso removeri; Et debet catheter in canali relinqui, per dies aliquot, donec sordes per vulnus sint purgatæ, ut sic canalis virgæ maneat liber, & urina per catheteris cavitatem effluat. Sed notandum in hac sectione, quod plerique omnes doceant, eam faciendam cum novacula ignita: & hoc securius est, eaque ratione, & convulsionem, & hæmorrhagiam quæ supervenire possunt, magis evitari.

Ratio sectionis in mulieribus adultis, ac conjugatis est talis. An calculus in iis subsit, exploratur, digitis non in anum, sed in cunnum immissis, & antrorsum versùs situm vesicæ incurvatis. Exploratur etiam per immissum catheterem; sed catheter in illis debet esse rectus, & minimè, ut in viris curvus, & debet esse brevior, quia meatus urinarius in illis & rectior & brevior est quàm in viris; & im-

ponitur minori molestia, & dolore, eò quòd in iis canalis sit laxior. Ex quibus patet, quod modus explorandi calculum in iis sit longe facilior, quàm in viris. Cùm constiterit eas, calculo laborare, compositis in scamno, ut de viris dictum, catheter ille, qui itinerarium dicitur, & fossulam habet, seu rima in canalem urinæ imponi debet, sic ut rima extrorsum vergat, & ut novacula in eam incidere possit. Illud itinerarium quoque debet esse rectum & brevius quàm in viris. Tum super pudenda, inter canalem urinæ & os pubis, & non in perinæo uti de viris diximus, facienda sectio est, sic, ut novacula itinerario respondeat, & in ipsum incidat. Tunc digitis sinistræ manus in cervicem uteri immissis calculus ad vulnus protrudatur, & vel uncis vel tenaculis extrahatur. Notandum monet Paræus, q. vulnus in mulieribus tam magnum fieri non posset, neque tanta dilatatio licita sit quàm in viris. Unde si æque dilataretur, contingeret, ipsam vesicam dilacerari, ex qua remaneret urinæ incontinentia. Reliqua eadem sunt, quæ in sectione viri.

Cùm puella secari debet, si est infra 7. aut 10. annos, debet secari, sicut pueri masculi, digitis in anum, non autem in genitalia, sicut in mulieribus immissis, & tota reliqua sectio est minoris apparatus; in iis propter ætatem digiti sine magna violentia in genitalia immitti non possunt. Locus sectionis idem est qui in magnis mulieribus: si secandæ sint virgines provectioris ætatis, possunt illam digitorum in genitalia immissionem tolerare. Itaque præstat eas sic secare, quàm digitorum in anum immissione; Facilius enim, ac securius tum sectio procedit; propterea quod uterus vesicæ sit vicinior, quàm rectum intestinum.

Verùm quia omnis extractio calculi est valde periculosa, præcipuè in senibus, qui sunt imbecilli, propter tot contusiones, quas vesica debet pati: à digitis, catheteribus, ductoribus, verticulis, everriculis, tenaculis & uncis, unde inflammatio sequitur: Et quia periculum est ne, dum extrahitur, vesica dilaceretur, vel si asper sit calculus, venæ hæmorrhoidales vel aliæ lacerentur, unde lethalis hæmorrhagia sequetur: Et quod maximum est periculum, ne dum calculus apprehenditur, & extrahitur, unà etiam substantia vesicæ cum eo apprehendatur, extrahatur, & dilaceretur: Ideo aliqui docti viri invenere aliam rationem sectionis, qua calculus non extrahitur, sed relinquitur. Hæc sectio in valde senibus locum habet maximè, propterea, quod illi debiles sint, & non tam bene possint extractionem ferre; ad hoc quod illi jam fere ad terminum vitæ pervenerint, & ideo non debeant hanc molestiam quæ ab hac sectione remaneat, tamdiu quàm juvenes tolerare. Locum etiam habet, ubi calculus est valde magnus, ad eò ut sine periculo dilacerationis vesicæ, & mortis non videatur extrahibilis. Hæc sectio dubio procul minus est periculosa, quàm præcedens; nam etsi ipsum vulnus quidem sit periculosum, tamen ex magna parte non est tam periculosum, quando tantum fit vulnus simplex & nihil aliud quàm quando insuper fit calculi extractio. In hac ergo sectione fit vulnus, sicut supradictum usque ad vesicam, seb multo minus quàm antea, & calculus non extrahitur, sed relinquitur, sed curatur, ut vulnus nunquam claudatur, sed ut occalescant labra ejus, & maneat semper apertum, ut sic urina per illud perpetuo fluere possit. ideo primis diebus imponitur tubulus argenteus foraminatus, ne claudatur, quousque labris obductis ipsum per se maneat apertum. Hæc sectio non est equidem perfectum calculi remedium, quia calculum ipsum non aufert, sed est tamen valde utilis; etenim aufert & minuit præcipua symptomata quæ calculus adducit. Nam imprimis tollit periculum suppressionis urinæ, quod à calculo quotidie imminet, quia sic facto foramine potest urina per illud semper exire sine periculo supressionis ejus: nam si calculus ante illud foramen cadat, leuiter stilo removetur, & suppressio tollitur; si vero alias caderet ante canalem vesicæ, occluderet ipsum, sic ut urina exire non posset, nisi cum maximo dolore, & periculo imponeretur. Et ut imponatur, sæpe calculum non potest removere. Deinde tollit illum intolerabilem cruciatum in reddenda urina, quam calculus semper faciebat: propterea, quod tum urina exeat per vulnus in cujus labris callosis non est ullus sensus, & sic non fit dolor, antea verò exibat per ductum urinarium & virgam in qua est acutissimus sensus, & ideo excitabatur immensus dolor. Tertiò etiam quia præcavet mortem, quæ ante certo esset secutura: nam vesicæ ulcus, & inflammatio, quæ semper calculum comitantur, possunt facilius curari injectionibus in vesicam per foramen factis, quam ante poterat: alias autem periculum mortis erat, sicuti etiam ab urinæ suppressione, cujus periculum, ut dixi, hac sectione tollitur. Verum quidem est quod sectio cum extractione calculi esset melior, quàm hæc, si esset æque facilis: sed est longe periculosior. Præstat ergo habere aliquod remedium moderatum cum securitate, quàm majus cum periculo maximo est. Etiam verum, quod hæc sectio habeat magnum inconveniens, quod scilicet homo tota vita debeat laborare involuntario per vulnus urinæ stillicidio: sed melius est hanc molestiam ferre quàm in periculum vitæ incidere; Atque hæc est tota de calculi sectione doctrina. *Thom. Fien. de præcipuis artis chirurgic. controversiis tractat. 9.*

Diæteticis atque pharmaceuticis remediis jam breviter excussis, superest ut ultimum illud, scilicet chirurgicum jam exponamus.

Venæ sectionem, si plethora, vel nimius sanguinis æstus adsunt, ex usu posse esse statuimus.

Cucurbitulas in regione lumbari positas, in dolore nephritico calculum unum vel plures ad vesicam derivasse, experientiâ sæpius observatum.

Si vesicæ lapis major sit quàm ut expelli queat, nec defectu requisiti ad id medicaminis resolvi possit, si atrocitas morbi nullis medicamentis succumbat, tunc duriori nodo durus adhibendus est cuneus.

Circulatores plerumque enim omnes ridemus hìc & Empiricos, qui calculum vesicæ medicamentis ore assumptis terere fabulantur: idem evincunt literæ paucis jam elapsis diebus ad nos datæ.

J. G. Eques Auratus.

JOANNI GROENFELDIO, M. D. S. D.

CUM mihi in mentem venit, cum quo mihi res impræsentiarium agenda est, viro nempe eruditione & experientiâ notissimo, confisus spero, quod non me argues vel ingratitudinis, vel imprudentiæ, cùm de salute filii sollicitus essem, libentissimè enim vellem, ità me movente paterno affectu, & naturali στοργῇ, ut qui Tyrannidem tantam subiit, modo lenissimo sanaretur, ideóque sanè spes mihi affulsit major, quod inveni quendam (qui Vestras fuit, qui in Arthritide & Hydrope curandis, & nuperrimè quoque in comminuendo calculo, summus voluit esse mysta, solâ spe lucri, fractis omnibus pudoris repagulis, ahenea jam diu fronte fuit indutus) qui affirmavit intra viginti dierum spatium se potuisse frangere & expellere calculum per medicamenta intus assumpta, etiamsi calculus tantus esset, ut pugni magnitudinem excederet: sed ah! quanta de spe decidi cum filio meo, cum fallacia & impudentia ignorantis Empirici miserè fallebamur, & filius meus adhuc subit torturam calculi gravissimam.

Ad Te itaque, tanquam ad asylum, confugio, opem implorans vestram, ut tentares an calculum in vesica concretum invenire possis, & si invenias, ut eandem adhibeas curam quam (cum bono Deo) habuisti, respectu fratris ejus Senioris, quem biennio abhinc per Lithotomiam à calculo liberasti, & manet adhuc in perfecta valetudine.

Deum precor ut reipublicæ bono Te diu velit superstitem esse & valere.

Nostra Responsio.

Eximie Domine,

ACcepi Literas à Te 2. Martii 1684. datas, quibus certior factus sum de bona veletudine filii Tui, natu majoris (quem non ità pridem à calculo σὺν Θεῷ liberavi.) Sed me statim dolor aggressus est, cum literis iisdem percepi, filium tuum juniorem eodem malo oppressum esse, quo prius senior afflictus fuit, quem (vestrâ me invitante Dominatione) hodie visitavi & calculum inveni, juglandem magnitudine excedentem, solidum etiam & confirmatum.

Quoad istum, cujus audaciâ fuisti seductus, benè novimus Thrasonem esse vanum, & qui gloriari solet de rebus impossibilibus & extra sphæram activitatis humanæ positis, nec erubescet de rebus etiamsi turpissimis; qui nihil honoris vel ingenuitatis habet, nihil quoque ipsi detrahi potest. Ingentem offendimus talium Impostorum gregem, perniciosam hominum fæcem, qui ruditate & inscitiâ suâ imponentes, & in circulis civitatum versantes, vanissimo verborum strepitu panaceæ miracula jactant. His verò mendacibus, & inanibus Medicastris præstaret tacere, quàm in detrimentum proximi nociva remediorum crepitacula credulis obtrudere. *Ten Rhyne Tractat. de Arthr.*

Quod ad nos attinet, talem licentiam nobis nunquam assumemus, ità in aliis & contemnendam & supprimendam duximus.

Id nobis astipulavit jure nobilissimus ipse Galenus, Medicorum Princeps, qui asserit quod medicamentum integris viribus vesicam attingere non potest, atque si concedamus attingere posse, vis medicamenti infringitur, tum amplitudine vesicæ, tum involucris & pituitâ multâ quâ circumvolvitur.

Itaque jam tandem ad ultima remedia progredimur quæ si tentanda sunt, exectio instituenda est (de qua vid. Paræum Schultetum, Hildanum, Cornelium Celsum, *&c.*) diebus verò aliquot antea, victu corpus præparandum est, ut modicos salubresque cibos & minimè glutinosos assumat, & inter hæc ambulandi exercitatione utatur, quo magis calculus ad vesicæ cervicem descendat, ut ipse Celsus.

Cujus rei ubi fides est, pridie id corpus tenui victu nutriendum, & tunc loco calido curatio adhibenda est, quæ diversis modis ordinari potest.

PRIMUS apparatus vocatur minor, ægri continet, & in quo omnibus præparatis index & medius digitus manus sinistræ in anum immittuntur, dextra manu venter inferior versus vesicam deprimitur. (à violenta compressione hîc summopere cavendum, hinc enim atrocissimi dolores, inflammationes, imò ipsa gangræna)

Ex quibus evenit, ut in angustum compulsa vesica faciliùs capi possit, quo capto in perinæo super calculum fit incisio, digitisque, si minor sit lapis extruditur, sin verò major, hamulo extrahitur.

Minimè festinanter hac in re agendum, sed ità, ut quam maximè tuto id fiat, nam læsa vesica nervorum distentiones cum periculo mortis excitat.

SECUNDUS est Hildani, qui fit hoc modo: omnibus præparatis Medicus catheterem, (non talem intelligo, quali ad urinam suppressam utimur, sed qui sulcum seu fossam habet. vid. Paræum, lib. 17. cap 44.) in vesicam immittit super calculum, tum novaculâ mediâ sui parte obvolutâ, incisionem facit ad catheterem usque, postmodum super catheterẽ sive itineraium per vulnus conductorem immittit, catheterem, ut virga sit libera, extrahit, conductore, si sit opus, vulnus dilatat, tùmque per latus conductoris cochlearia immittit, extracto conductore, immissoque in anum digito, hamulo prehendit & extrahit (Tortorem) calculum, sive integrum, sive frustulatim, si nempe major justò aut tenerioris compaginis fuerit.

TERTIUS MODUS, quando modo præcedenti vulnus est inflictum, super conductorem tenaculam immittit, quo extracto prehendit Medicus calculum, & sic eum extrahit, quod locum habere potest, cùm lapis hamulo extrahi nequeat.

QUARTUS operandi modus Lithotomia Franconia appellatur, ab Auctore Petro Franco, fit hoc modo:

Incisione præcedenti modo factâ circa extractionem calculi nihil molitur Lithotomus nisi calculus in vulnere compareat sed vulnus more solito ligat, post aliquot dies (nisi calculus suâ sponte per vulnus excidat, quod sibi

in sua praxi aliquoties accidisse dicit inventionis hujus Auctor Petrus Francus) calculum extrahere, quando æger est valde debilis, ut judicat Hildanus.

Quintus Modus est cùm calculus est tam magnus, ut per vulnus in collo vesicæ factum, transire non posit, nisi substantia membranea vesicæ, vel ejus sphincter lædatur: quod Author Petrus Francus non proponit, ut ipsum aliquis imitaretur. Sed in casu tanquam desperato, coactus precibus parentum infantis, in quo operationem instituebat, fecit.

Æger erat infans bimulus, qui calculus ovo gallinæ non minorem in suo gerebat corpusculo (in adultis hanc operationem locum non habere vult notari Auctor) sectionem instituebat in inguine & superiore ossis pubis parte, ut ferè partus cæsareus fit, & sic fundum vesicæ transfodiebat, & extrahebat calculum.

Infans quamvis maximè debilitatus, fuit restitutus, & vulnus sanatum: tale Hildanus alibi in suis observationibus quoque commemorat exemplum.

Sextus & ultimus modus fit instrumento quod excogitavit Hildanus: factâ eo modo (uti dictum) incisione, immittit per vulnus suum instrumentum super calculum, illud quando est immissum dilatari potest (instar instrumenti quod Speculum matricis vocamus) post dilatationem conatur Medicus calculum apprehendere apprehensumque extrahere.

Parisiensis ille Lithotomus, cui Collot nomen est, plurimos hoc modo satis feliciter secuit, ex cujus, ut & aliorum curiosa inspectione tantùm profecit Tractatuli hujus Auctor, ut hunc cum cæteris quoque Operationis modis aggressus fuerit, & adhuc quotidie peragat.

In fœmineo Sexu, sive sit Virgo, sive nupta, longè minori negotio, & citra sectionem magnamve sanguinis effusionem, hanc operationem instituere & peragere licet: quia vesicæ foramen in pudendo statim occurrit visui, sufficit solum catheterem immittere, & infra ejus sulcum dilatatorium instrumentum indere, denique forcipe lapidem extrahere: Interdum tamen ob calculi nimiam quantitatem in vesicæ orificio parva incisio facienda est, à qua nihilominus, ut & à nimis violenta dilatatione, periculum metuendum est, ne læso spincthere, sequatur involuntaria urinæ emissio.

Jam sequitur, ut, extracto calculo, agamus, qua ratione sit regendus æger, non statim ille in lectum erit reponendus.

Si valens fuerit corpus, nec magnopere vexatum, sinere oportet sanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur.

Tunc desidere debet in semicupium, ità ut à genibus ad umbilicum aqua teneat (cætera vestimentis circumdentur) quo sanguinis hæmorrhagia sistatur.

In corpore imbecilliori hæmorrhagia statim sistenda erit, agglutinanda aliquando cucurbitula & inguinibus & coxis, & super pubem, si sanguinis fluxus cohiberi nequeat, qui si cohibitus, æger resupinus in lectum collocandus est.

Venter interim inferior ab umbilico ad lumbos itidem & pudenda, oleis convenientibus paululum calefactis optimè inungatur.

Vulneri linteolum duplex vel triplex, astringenti medicamento madens, imponatur; cannula aliquando vulneri immittitur, quâ arenulæ & sanguis extravasatus postmodum commodius expurgetur, per illam & sipho quoque immitti potest, quo, necessitate urgente, vesica syringetur, sicque continuò excernatur, quicquid præter naturam in ea continetur.

Si Lipothymia superveniat, cardiacis removeatur, ægerque placidè ad quietem reducatur, ac si somnus non obrepat, anodinis mitioribus promovendus.

Sicque, si vires ferant (hæc ipsa Celsus ρητῶς tradit) interpositis viginti quatuor horis, balneum iterum ingrediendum, & pro virium constitutione in eo demorandum, si sudor aliquis erumpat, spongia detergendus erit.

Inter hæc si somnus blandior æqualisque respiratio adsint, si lingua sit madens & modica sitis, & venter infimus sedit, & mediocris cum modica febre dolor, curationem feliciter procedere, certum est.

Denique, quantum possibile est, & cibis & medicamentis allaborandum est, ut natura, quæ saluberrimum balsamum suppeditat, corroboretur sicque vulnus consolidetur.

Omnibus itaque, ad renum & vesicæ calculum pertinentibus hucusque breviter descriptis, unicum superest, nempè modus eximendi calculum ex urethra quem breviter describemus.

Contigit aliquando, ut calculus exiguus è vesica excludatur, in urethram tamen illapsus, ibidem sistitur, urinæque iter occludit.

Quo in casu omnia remedia tentanda & applicanda, quæ apta nata sunt calculum educere absque ulla incisione.

In horum numero Primò occurrunt medicamenta diuretica, emollientia, fomentationes, insessus in balneum, qui sunt relaxantis qualitatis, quorum ope calculum non infimæ quantitatis eduximus ex urethra ingeniosissimi admodum Viri, Equitis Aurati, & Regi à rebus castrensibus Architecti.

Secundus modus est extensio urethræ per flatum, ligando eam virgæ partem, quæ juxta pubem est, eodem modo, quo frequenti usu fuit apud *Ægyptios*, urethrâ nempè itâ dilatatâ, liberior exitus calculo patet.

Tertius modus sugendo efficitur, cùm maximo conatu spiritum trahendo, lapis simul attrahitur.

Quartus modus est comminuendi calculum, ope tenaculæ & specilli (de quibus vide Paræum, Hildanum, Schultetum) qui cum successu sæpiùs efficitur, ideoque maximè laudadandus est.

Hæc verò si frustranea sint, ultimò tandem fiat incisio: inter Authores summa disputatio est de loco, in quo incisio hæc facienda est.

Quidam eligunt partem lateralem, cavendo, nè inferiorem secando, fiat fistula; aliqui partem inferiorem, ne corpora nervosa offendantur.

Quod ad nos attinet, utrumque modum tentavimus, curam invenimus faciliorem, neque ullum ægris fuisse detrimentum percepimus, cùm incisionem facimus in parte nervosa laterali: incisione factâ, calculus unco subtilissimo & tenerrimo educi potest.

Quibus jam peractis, vulnera post extractionem

nem calculi (sive vesicæ sint, sive urethræ) curanda supersunt, de quibus abunde descripserunt Practici, ideoque & ea impræsentiarum mittimus. *Joann. Groënevelt in Dissertat. sua Litholog.*

Consultationes.

Ex enarratis symptomatibus Illutriss. & Excellentiss. D. Marci Procuratorem divexantibus, dolore scilicet quodam continuo gravante in sinistra parte lumborum, & subcruentis urinis ex levi quocunque motu, iisdem que à validiori, & concitatiori cruentis omnino, quæ postmodum incidentes hypostasin habent sanguinis fæci non dissimilem; dum autem abstinet à quocunque motu, inclarescunt, & sanis similes effluunt, dubium occurrit, utrum causam habeant æstuosum renum calorem, ut censent Virorum Præclarissimorum aliqui, in consilium de affectu acciti; an calculum renibus impactum. Ego verò liberè, & incunctanter pronuntio, & statuo, hanc urinarum varietatem cum gravitate sinistræ partis lumborum non posse fieri ab immoderato renum calore, duplicem potissimùm ob causam. Primò quia gravitatis sensus continuus in rene sinistro ab intemperie induci nulla ratione potest: sed vel à materia suo pondere gravante, ut propterea prodiderit Hipp. ubi de renum calculo Primo in 6. Epid. 6. quod *in renem dolor gravis*; vel à partibus adjacentibus, quæ comprimuntur, ex Gal. in Comm. Secundò, & id patet, luculentius ex urinis illis variis, quæ motu cruentæ evadunt, quiete verò inclarescunt: siquidem quando affectus ortum ducit ab intemperie, illa vigente, dura hic; qua vicissim recedente, & ipse cedit, nulla superstite molestia, nisi denuo convaluerit intemperies; cùm nulla sit ratio, quod ex levi quocunque motu incalescant adeo renes, ut venæ reseratæ sanguinem effundant. Propterea pro comperto statuendum, affectus præsentis causam esse calculum in rene sinistro, cùm quantitate continua in regione sinistri renis prematur. *Ubi enim dolor, morbus* qui quidem calculus inæqualis, & scaber est, non lævis, & veluti marmoreus, ut ajunt: alioquin renis substantiam non abraderet; quod contingere existimo ex quolibet corporis motu; magis tamen & minus, prout concitatior est & minus violentus: quod quidem aliud est calculi signum ab eodem Hipp. l. cit. memoratum his verbis: *sangninolentum mejunt.* Neque facessit negotium, quod Vir Illustriss. stuporem non observet in femore è regione partis affectæ ab eodem Hipp. propositum; quoniam in eam molem non excrevit, ut ex venæ cavæ, & arteriæ magnæ descendentis compressione, spiritus, & sanguinis ad infernas partes affluxum intercipiat. Vomitus autem comitatus est pituitosæ materiæ multâ copiâ ab assumpto medicamento, & injecto clystere. Sicuti enim hæc in ventriculo coacervata, & ad renes decumbens, si ab ipsorum expultrice cavitate ampla patentium exturbetur, nullam, vel levem saltem infert molestiam, ita si ipsis infarcta fuerit, atque adhæserit arctius, ita ut ab expultrice non possit inde extrudi, & expelli, tunc novam à vena cava suscipientes, continuo partium ductu coacervatur, discussisque partibus tenuioribus in calculum concrescit, etiamsi renes immodico calore non æstuent, ex Gal. in prædicti textus Commento.

Utrum autem ipsi exirpando, & excludendo potus *aquarum Thermalium*, & in primis B. Virginis ex usu sit futurus, quod deinde queritur; censuerim equidem non inutilem hanc futuram, si liberè permeaverit, quà expurgandis humoribus in renibus coacervatis, quà calculi incrementa prohibendo. Quod verò ipsum jam concretum ad vesicam propellere possint aquæ illæ, non admiserim, si in eam molem excreverit, ut ureteres subire non possit, quod vereor. Neque unquam comperi diuretica lapidem frangentia, dummodo non coaluerit ex pluribus arenulis compactus. Has etenim secernere, & expurgare fateor. Quod innuit Hipp. sequenti textu: *Quiescere non confert, sed exerceri non repleri. Juvenes helleboro purgares, poplitis venam secare, cientibus urinam purgare, attenuare, & emollire.* Hæc enim cuncta conferre possunt cùm præservationis loco, à calculo, confluente materia ad renes, tum curationis arenularum, antequam in legitimum calculum obdurescant: quem, quando jam concrevit, incurabilem censeo; ut propterea quolibet medico præsidio diuretico supersedendum sit, præter solam rectam victûs rationem, humorumque in corpore redundantium expurgationem, vomitu, & per alvum institutam. Atque hæc responsi loco ad prædicta quæsita à unde fuerint. *Benedict. Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 3.*

Accuratè usque adeo à Viris Excellentissimis expensus est affectus ille, quo paucis abhinc mensibus Perillustris Dominus, integræ alioquin valetudinis, divexatur, ut quod addam non habeam. Ne tamen sententiam rogatus detrectare videar, hanc paucis proferam. Cùm igitur, si excretum sanguinem cum lotio, si pondus in perenæo, si dolorem, & mordacitatem, si acrem illam ab urina effusa superstitem meiendi voluntatem perpendimus, dubium nullum sit, quin pars affecta sit vesica. Hoc solum superest inqurendum, an à calculo, an verò à salsa pituita memorata dependeant accidentia. Equidem ut verum fatear, levior licet illa in dictis partibus, continua tamen molestia, ponderis aliquis sensus in perinæo, atque supra enarratorum accidentium exacerbatio ab ascensu, descensuve scalarum aut exercitio violentiore; necnon & sanguinis cum urina permixtio, cùm vel equo, vel curru vehitur, de calculo præsenti mihi gravem injiciunt suspicionem, ne dixerim id præter omne dubium esse atque luculenter comprobari ex rubris illis, albisque arenulis, ac mucosa illa in urina hypostasi, calculo perquam familiari, ut & ex sanguine excreto, qui à salsæ pituitæ fluxu haud ita facilè contingit. Accedit corporis habitus, ætasque senilis: præterquam quod & cathetere ipso à perita manu insinuato id facilè explorari possit. Neque à mea me abducit sententia, quod Vir perillustris duos necdum, aut certè non amplius,

plius, menses his malis opportunus fuerit: quod temporis spatium angustius videatur, quàm ut eo concrescere calculus possit. Non enim ignorant Viri illi Excellentissimi sæpenumero calculum, copiosa in primis pituita obductum non quo tempore primùm coalescit, sed nonnisi grandiorem jam factum excruciare patientes. Quod observatum à me est in quodam nostro nobili sex abhinc annis; qui ne vel levissima quidem prius vesicæ molestia affectus, ex equi citatiori cursu, sanguinem cum lotio cæpit effundere, ac frequenti deinceps meiendi voluntate, non absque cruciatu sollicitari; tertio autem post mense instituta sectione, quod constanti sententia calculum adesse pronunciarem, duo mole ovi gallinacei me judicio falsum non fuisse prodiderunt. Frustra quinetiam objecerit quis quòd perillustris hujus Viri molestia paucis admodum iisque levissimis medicamentis cesserit. Evacuatis siquidem, aut contemperatis humoribus ad partem affectam decumbentibus, delitescit nonnunquam adeo malum, ut derepente se quis incolumem, atque ab omni prorsus calculo immunem existimet. Quod contigit nuper Illustrissimo atque Reverendissimo Candiæ urbis Archiepiscopo, qui cum crescente Luna atrocissimis earundem partium doloribus excruciaretur, eadem decrescente usque adeo dolore vacabat, ut Medicorum non pauci à mea de calculo sententia recederent: quam nihilominus alii amplexabantur, donec tandem calculus cathetere deprehensus est. Quod si purgante medicamento perinæi illud pondus, mordacitas, meiendi voluntas, ac reliqua partium illarum noxa usque adeo cesserit, ut quindecim aut viginti dies dolore prorsus vacaverit, adscripserim & ego memorata accidentia salsæ pituitæ à capite, & ventriculo ad partes illas, natura forsitan aut alia de causa imbecilliores decumbenti. Quod si juxta vota contingeret, ut de salute perillustris ægri firmior esset spes; in errorem tamen cùm præceps sit lapsus, ab eo quammaximè cavendum. *Idem. ibidem.*

Vir Nobilis annorum 58. temperamenti calidi, & humidi, ad melancholicum vergentis, ventriculum frigidum sortitus, catarrho opportunus, conqueri cœpit x. ab hinc annis de doloribus nephriticis quotannis recurrentibus, cum urinis non raro cruentis, ab excreto tamen calculo inclarescentibus. Ab accurata verò totius corporis purgatione, aquæ potissimum Tettutianæ usu instituto, anno 1643. ac sequenti, diarrhæa gravissima, & tantùm non lethali correptus, biennii spatio nullum excrevit calculum, cujuscumque fere doloris nephritici expers. Anno verò 1645. novis doloribus divexatus, non tamen gravibus adeo, ejectis octo calculis, paucis diebus ab illis immunis fuit: mox anno 1646. invalescente iterum dolore, cum ventris pondere infra umbilicum & acri meiendi voluntate, non sine consensu extremæ glandis calculum fabæ mole expulit, qui in extrema glande hærens, instrumento chirurgico inde evulsus est: superstite tamen ventris pondere: quod de alio calculo suspicionem auxit licet à perito chirurgo cathetere facto periculo nihil se prodiderit; superstite nihilominus frequenti meiendi voluntate, atque cum antehac ab exercitio validiori urina cruenta efflueret, nunc & absque mo quin etiam hujusmodi conspicitur, supprimiturque brevi temporis spatio, sponte ponea manans. Cùm vero ante hoc tempus dolores 20. & plurium dierum spatio convalescerent, nunc octo, vel x tantum, triduo circiter id contingit, cum excretione materiæ catarrhalis; accedente ab aliquot annis destillatione catarrhi fere continua, cum raucedine, corporisque lassitudine, tunc potissimum, quando meiendi voluntas sollicitat; ut propterea meum literis poposcerit consilium, cùm Parmam anno 1647. ad curam Sereniss. Cardinalis Farnesii immortalis memoriæ accitus essem cui tunc mentem aperui, suspicari me scil. de novo calculo, quanquam à lithotomo non deprehenso, cum Excellentiss. Medici Placentini curæ ipsius præfecti prædicta symptomata ad catarrhum salsum referrent, in quibus fuit præstantissimus Medicus Lodianus; iis forsitan adducti rationibus, quod catarrhi destillatio sit manifestissima, nec ardor urinæ continuus, quinimo plures dies molestia vacans, atque potissimùm, quod lithotomi peritissimi effugerit manum. Cùm tamen ego mente recolerem præteritos affectus, plures calculos antehac ejectos, urinæ suppressionem sæpe recurrentem, & illico sponte recedentem, absque materiæ alicujus excretione, & insigni molestia, qua afficitur non solùm curru vectus, in lectica, & dum pedibus ambulat, cum mictione cruenta, pro comperto asserui calculum adesse in vesica, non in renibus, ut sensuit Excellentiss. Archiater Neapolitanus. *Si enim quis sanguinem meiat, aut grumos, aut stillicidium urinæ patiatur, & dolor in imum incidat ventrem, pectinem, & perinæum, ad vesicam loca laborant*; ex Hipp. 4. Aph. 80. Cùm autem tunc Nobilis patiens Parmam concessisset, consilium rogaturus Excellentiss. Medicor Aulicor, aliorumque ad curam Sereniss. Cardin. Farnesii accitor, eadem constans fuit omnium sententia; atque periculo iterum facto à lithotomo Sereniss. Principis, calculus se prodidit, ab ægro tandem admissus, ut propterea cum collatis sententiis multa in medium proferrentur, unanimi tandem consensu determinatum fuerit quod à Gal. sancitum est 5. in 6. epidem scil. vesicæ solam manus operationem admittere. Quod sæpius experientia comperi, potissimùm verò in Perillustri & Reverendiss. Joan. Bellono, Canonico Patavino & publico magni nominis Moralis Philosophiæ Professore vesicæ calculo laborante, qui duos annos continuos plura medica præsidia tamquam compertissima sibi transmissa frustrà adhibuit, calculo sectione extracto ovo gallinaceo mole pari, integro omninò. Cùm autem anni tempus calidum vigeret, deliberatum hanc operationem differendam esse ad autumnum quo tempore eam lithotomus Placentiam accitus administravit, eduxitque calculum, & Nobilem Patientem pristinæ valetudini restituit. Hæc enim dummodo peritam manum sortiatur, in patiente allioquin boni habitus, & integrarum virium, semper est tutissima; ea lege, ut fiat potiùs amplior, quàm angustior, cùm non satis con-

constet de calculi magnitudine. Si enim angustior fuerit, dilacerantur partes in extractione calculi, atque ita suborto ulcere, febris quandoque interitum accelerat; quod contigit prædicto Rever. Bellono.

Cæterum dubium superest elucidandum, qua ratione hac ætate provecta, & in primo senio procreari possint calculi in vesica, cùm proditum fuerit ab Hipp. 3. in 6. Epid. 15. quod *Lapis à mictione pueris magis*: ubi Gal. in commento. *Scimus autem inquit, pueros quidem in vesica calculos sibi procreare, in renibus autem ætate provectos. Causam verò hujus rei assignans Hipp. in textu, subjunxit; Vtrumne quod calidiores.* quod explicans. Gal. in commento hæc habet. *Pueris itaque, qui calorem nativum multum habent, & validas functiones, materiæ crassities fusa ad renes pervenit, atque ob id facilè ad vesicam colatur, functionum robore non parùm ad crassitiei penetrationem conferente. Vesica verò cùm frigida sit, quod nervosa, & pauci sanguinis existat, & magnæ intus sit capacitatis, concrescit hic & coagmentatur.* Ex quibus patet obiter, calorem nativum ex Hipp. & Gal. diversum esse à temperamento. Ratione namque temperamenti, calidiores sunt juvenes pueris, si sermo fiat de temparamento corporis viventis, qua vivens est. Ille namque quo propior principiis est generationis, eò vegetior est. Ex primo enim Aph. 14. *Qui crescunt plurimum habent de calido innato*, ut ex his constare videatur, calculos in vesica procreari in pueris, non verò in adultis. Propterea statuimus solutionis loco, calculos in vesica vel concrescere immediatè, vel coagmentari ex eorum rudimento in renibus jam concluso: in pueris verò in ipsa concrescere immediatè quod expressit Hipp. *à mictu* id est ex materia superstite post mictionem; in adultis autem procreari in renibus ante mictionem, sed in vesica non rarò hærere, vel ob crassitiem, vel ob expultricis imbecillitatem, atque tunc in vesica coagmentari, & grandiores fieri, ob adhæsum materiæ crassæ, & viscidæ. Quæ superpondii loco fuerint. *Idem ibidem.*

De Præservatione à calculo post sectionem. Pro Reverendiss. Marino Cerchiari, Veneto.

Nephritidem esse morbum hæreditarium, palam facit luculentissimè Reverendiss. patiens, magni nominis Concionator, & Dominicani Cœtus Provinciæ præfectus, quippe qui parente natus est à pubertate ad 48. usque ætatis annum, quo obiit, stranguriæ, & arenularum excretioni maximè opportuno, ut & duo ipsius fratres. Quo propterea affectu patiens Reverendiss. boni alioquin habitus, staturæ mediocris, & temperato propior, ab adolescentia excruciari cœpit. Dominicanorum siquidem cœti adscriptus 20. ætatis anno, arenulas excrevit, atque cùm in Hispaniam studiorum causâ equo iter faceret, nocturna, diurnaque invita pollutio illi suborta est, cujus ratione vel in sella sedens, vel in tabula decumbens somnum captare coactus fuit cùm verò juxta sacri Cœtus normam rigidam, & severam piscibus, & ovis uteretur, atque studiis assiduò invigilaret, laneis vestibus amictus, continuo ferè pruritu in extremo pene divexatus est. Anno verò ætatis 28. in Italiam redux, publico docendi & concionandi muneri cùm operam addixisset, Cænobiorum quinetiam curâ ipsi demandata magna sollicitudine, nominis sui fama nec sine neglectis medicis præsidiis, & propria salute posthabita Dei cultui, & Dominicano Cœtui, doloribus Nephriticis atrocissimè triduum excruciatus fuit, anno ætatis 58. Quibus iterum novennio post invadentibus, Venetiis concionatus calculum parvum ejecit; hinc per vices Venetias Veronam, & aliò concionandi causâ profectus, curru vectus, non solùm invitis pollutionibus, sed & doloribus nephriticis atrocissimis, stranguria continua, frequentique meiendi desiderio divexatus, urinam effudit crassam, & cruentam; cujus ratione Patavium redux consilii causâ, cum meam de vesicæ calculo mentem aperuissem, affectu spreto, quanquam ex levi quolibet motu cruentum quid meieret, concionaturus. Venetias reversus, quatriduo post doloribus admodum urgentibus, intermisso munere illo, de calculo certior factus, nulli alii remedio, præter sectionem cessuro, mense Aprili proximè præterito illam tandem admisit, qua exemtis septem calculis figuræ rotundæ quibusdam, aliis quadratæ, avellanæ mole, excepto ipsorum altero minuto, obducta cicatrice 40. post diebus, immani affectu liber evasit. Cùm tamen durans arenularum mictio suspicionem, nec immeritò, illi injiciat de nova calculi concretione, in aliis non rarò observata, ad nostram confugit opem.

Quò itaque præservetur Patiens Reverendiss. morum probitate, & sublimi doctrina præstans, brevibus præmittam quæ generationem calculorum cùm renum, tum vesicæ spectant. Tria verò omninò concurrere ad eorum in renibus concretionem censeo, Materiam, Efficientem causam, & ea sine qua non. De Materia verba faciens Gal. 3. in 6. Epid. Text. Comm. 15. hæc habet: *Igitur urinarum crassities creandorum calculorum prima potissimaque causa est*: sive coacervetur ex incomposita victus ratione, aut ex imperfecta chylificatione, ob imbecillitatem ventriculi, destillatione à capite, cibis crassi succi, lacte caseoso, atque vinis nigris, crassæ substantiæ: de quibus fusè Galenus 2. & 3. de Alimentorum Facultatibus; qui propterea cap. 16. ejusdem tertii libri statuit, ab omnibus crassi succi cibis concrescere calculos in renibus. Ex immodico quinetiam exercitio statim à cibo, tanquam causa potissima pueros calculosæ affectioni opportunos esse, prodidit 3. in 6. Epid. 15. Comm. Secunda causa princeps est Efficiens, calor nempe densans, cogensque materiam crassam renibus impactam, discussis scilicet partibus tenuioribus. De qua idem Galen. Lib. de dignoscendis, & curandis Renum affectibus cap. 2. ubi dedita operâ agit de causis calculi, his verbis. *Ideoque simpliciter à calore fit in nobis calculus.* Licet enim concretio non minùs fiat à frigido, quàm à calido, non propterea censuerim cum Valesio in Epidem. calculos utramque causam agnoscere. Nunquàm enim in corpore intensa adeo frigiditas viguit, quæ condensare & obdurare possit. Quanquam non eo inficias, quod calor agens possit esse inten-

sior

sior, & remissior. Si namque materia vitiosa crassior fuerit, densari, & obdurescere potest etiam à calore remisso. Quod docet Gal. 3. in 6. Epidem 15. *Igitur*, inquit, *urinarum crassities procreandorum calculorum prima potissimaque causa est.* Quibus non negat mediocrem caliditatem ad hujusmodi materiam cogendam abundè esse; ut hoc nomine in vesica, & intestinis concrescunt calculi, quibus etiam senes sunt opportuni, in quibus tamen non viget calor: quanquam si tenuis materia ad renes confluxerit in tophaceam & calculosam materiam cogi non possit, nisi ab eorum caliditate immodica. Præter verò dispositionem ratione materiæ crassæ & efficaciam agentis, renum nempe caliditatem, angustia vasorum in ipsis, & eorum imbecillitas accedat oportet, ex Gal. 5. de Sanit. Tuenda 7. quòd, *qui latas habent venas, à cibis crassi succi non læduntur*: nec immeritò, quia cùm omnis actio fiat per contactum permanentem, hic desideratur in iis quibus venæ non sunt amplæ, hærente materia in renibus quàm potiùs liberè præterlabente, & cum urina effusa. Quod mihi contigit observare in Illustriss. & Reverendiss. Hercule de Sancto Bonifacio, qui octogenario major, urinas semper profudit, copiosæ pituitæ viscidissimæ immixtas, ad libram circiter, tenaciter adeo hærentis fundo matulæ, ut & ea inversa, effusa urina, ab illius fundo penderet; cùm tamen nullæ unquam fuerint de calculo querelæ toto 10. annorum spatio, & quod excedit, quibus ad ipsum invisi. Quam viarum angustiam, cum expultricis imbecillitate censeo esse dispositionem hæreditariam, non facultatem quandam petrificam; quæ aliquorum est sententia, cùm etiam in aliis partibus concrescant calculi: neque succum aliquem tartareum, ut existimant alii; cùm hoc non careat qualibet terrestris materia, atque non raro potores à calculo immunes degant, licet vinum fuerit fœculentum, & tartareum. Sicuti enim ex gibbis gibbi, ex luscis lusci, aliique ex aliis hujusmodi nascuntur, facultatis formatricis vitio à semine, ex Gal. 6. Aph. 28. ubi de podagra sub finem Comm. ait: *Accedit ad has causas relatas, ob quas plerique nunc podagra infestantur, quod parentes, & avos multi podagricos habuere, in quibus scilicet semen erat corruptum, atque ideo posteris majorem conciliavit partium imbecillitatem.* Ita renes malè conformari censeo, & imbecilliores reddi à semine vitiato. Cùm enim angustiora sunt vasa hæret materia crassa, aut in renum cavo, aut frequentius in tenuibus illis meatibus in carunculas papillares patentibus, qui urinam transmittunt in vreterum ramos, per illorum substantiam divaricatos; atque ita in calculum concrescit, affluente sensim nova materia; ex primo in 6. Epid. 6. Quod si quærat quis, quomodo procreentur in vesica, qua ipsos sæpius concludi patet experientia: hoc referat responsum, fieri dupliciter: primariò & per se, ex materia crassa, & terrestri à renibus ad vesicam illabente: secundò ex arenulis, aut calculis minoribus ad vesicam propulsis; ubi hærentes, ex allapsu novæ materiæ crassæ, & glutinosæ, atque ejus adhæsu, grandescunt. Primus generationis modus fuit à Gal. memoratus 3. in 6. Epidem. 15. explicante Hipp. verba. *Lapis à mictu pueris magis.* Dum enim dicit lapidem à mictu fieri, innuere voluit non excibere lapidem à renibus cum urina, sed coagmentari in vesica post mictu, id est, ex materia prolabente cum urina. Quod clarius patet in alia versione. *Post mictum concretio pueris magis.* Ideo Galenus in illo Comm. addit. *Veritas autem est, calculos pueris. ob urinæ crassitudinem in vesica procreari Porrò urinas crassissimas à pueris reddi, ab omnibus ante nos medicis concessum est*; inquit Gal. Quod clarius expressit, dum ait; *crassas enim urinas excerni, & evidenter apparet, & rerum testimonio declaratum est. Hujusmodi namque crassitudo multa collecta, & in unum coacta, cum semel aliquando non opportunè excreta intus diutius manserit, coagmentandi, concrescendique initium capit, eoque principio facto, facilè postea quicquid iterum crassum in vesicam illabitur priori agglutinatur, majorque inde tophaceus calculus redditur; quemadmodum extra corpus, & in calidis aquis spontè nascentibus, & in vasis ubi calefit aqua quotidie lapis concrescere cernitur.* Hæc Gal. Quod confirmat 2. Progn. 75. his verbis: *Propter importunos, & exuperantes cibos copia plurima colligitur humoris crudi vocati in corporibus puerorum. Is igitur per renes expurgatur quotidie, atque etiam per urinarios meatus in vesica collectus interdum calculos in ea gignit*; omniumque luculentissime 3. Aphor. 26. ubi dum collocat Hipp. calculos inter morbos puerorum, Gal. in Comm. ait: *Lithiasis verò, id est calculi in vesica generatio proprius est puerorum morbus*; atque adducens rationem addit. *Propter edacitatem, & ingluviem crudos humores non paucos coacervantium, ex quibus crassior pars una cum urinis ad vesicam comportata, fit lapidum gignendorum materia, accedente causa altera, caloris scil. copia.* Nec alia ratione procreantur calculi in puerulis lactantibus. Quod autem calculus in illis concrescat ex lacte, patet ex Libro de Morbis Hipp. vel Polybi potiùs, ubi hæc habentur: *Cæterum calculi morbi principium oboritur à lacte, ubi puer lac impurum sugit.* De loco demum concretionis eorum hæc addit: *Et ubi suxerit lac non purum, sed terreum, & pituitosum, & habuerit puer venas de ventriculo ad vesicam amplas, & attrahentes, si quid in lacte non purum fuerit, id quo vesica fruitur, lapis fit.* Hoc confirmat quin etiam Hipp. Lib. de Aëre, Aquis, & locis: ut propterea plus satis probatum fuerit, lapidem primò, & immediatè quandoque in vesica procreari posse. Quæ fuit etiam Arist. sententia 3. de Historia Animalium 15. cum ait: *Defunctis nihil humoris in vesicam transmittitur; ac vivis non solum humor, sed etiam sicca quædam excrementa descendunt, ex quibus calculi conficiuntur.* coagmentatur secundo in vesica lapis ex lapillis à renibus ad vesicam exturbatis, & in ea hærentibus, atque ex novæ materiæ allapsu coalescentibus. Quod patet in Reverendiss. nostro patiente, ex cujus vesica exempti fuerunt septem calculi, quorum alter in operatione obtritus, minutum alium in sinu veluti exhibuit diversi coloris, à materia ipsi accrescente, & agglutinata. Quod idem palam fecit alius ex cadavere alterius Adm. Rev. ejusdem cœtus exemtus mole magnæ castaneæ, attritus, qui & ipse minutum in medio protulit in conspectum varii coloris: quod

quod me judice, est indicium luculentum concretionis ipsorum in diversis locis. Quanquam enim concedi possit, calculum etiam in vesica procreatum posse in se complecti alium minutum in eodem concretum, superinduta veluti lamina, vel pluribus per adhæsum novæ materiæ; non tamen fuerit diversi coloris, cùm semper calculi vesicæ sint albicantes, renum vero fere semper flavescant; ut propterea cum minuti illi sint flavi coloris, & cortice albi, statuendum sit, ipsos e renibus in vesicam excidisse: quod perspicuum sit magis ex alio minuto calculo in Reverendiss. Patre exemto flavi coloris, quod nondum excrevisset novæ materiæ adhæsu. Qua in re observanda Hippoc. sententia Lib. de morbis, ubi de vesicæ calculo; *Patiens ejicit aliquando lapides duos, aut etiam plures minutos eodem modo procreatos.* Quasi dicat, calculos à renibus ad vesicam prolapsos esse quandoque plures, eosque secretos, qui seorsum concrescentes, plures in vesica calculos efforment; atque ideo mirum non est quod in Patre Reverendiss. inventi sint septem, ex quibus unus nondum incrementum susceperat. Quòd autem in calculo vesicæ minutus alius delitescere possit, luculentissimè patet ex calculis in vesica fellea, ubi concrescunt non transmissi à renibus, sed ex minutorum quodam in ipsa rudimento, qui per adhæsum novæ materiæ augentur. Quod oculata fide confirmatum in calculo vesicæ felleæ, Illustriss. & Reverendiss. M. Antonii Cornelii Episcopi Patavini, ejus cadavere me presente dissecto, qui penes me est, pluribus conspectus. Dubium hic tamen occurrit, cur pueri sint opportuni magis calculi vesicæ, renum verò adulti, cùm tamen illi sint istis calidiores, in quibus propterea frequentius concrescere deberent in renibus, qui vesica sunt calidiores, partes utpote carnosæ, pluribus venis & arteriis perfusæ, cùm hæc sit exanguis. Quod ego quoque observavi in Sereniss. Archiduce Joanne Carolo, Sacræ C. M. natu maximo, ad cujus curationem accitus fui. Solutio est, quod caliditas calculi efficiens causa sit potius acris, & mordax, quæ magis viget in adultis, cùm pueri calido innato abundent, humorum concoctioni, & robori facultatum naturalium accommodato magis. Quod propterea humores crudos ad renes confluentes concoquit, qui ab expultrice valida à renibus ad vesicam postmodum propelluntur, in qua deinde si remorentur, densantur, concrescunt. Quod in Sereniss. Archiduci non contigit, quoniam hæreditariam vasorum angustiam, & expultricis imbecillitatem ab utero materno contraxerat, Serenissima ipsius matre calculosâ extinctâ: ut hoc nomine nec humores crudos attenuare, & concoquere, nec eosdem à renibus exturbare potuerit. Quæ præmittenda duxi ad calculorum essentiam, & causas.

Præservationem quod spectat, supponendum est, tanquam verissimum Hipp. sancitum 6. Aphor. 6. Renum, & vesicæ vitia in senibus difficulter sanari; quod clarius 8. in 6. Epid. Text. Comm. 25. proprio testimonio confirmatum, cùm ait: *Vitia renum post annum quinquagesimum sanata non vidi.* Quanquam enim tolli possint objecta aliena actu lædentia, morbosæ tamen affectiones confirmatæ & diuturnæ removeri non possunt. Farcant Gal. manes in Comm. Ego namque in calculis semper observavi, quod licet sectione exemti fuerint ex vesica, & obductum vulnus, vel iterum concreuerint; ut contigit Reverendo Piazzolæ, ex Benedictinorum cœtu; vel effluxerit semper materia corrupta, ut in Illutriss. & Excellentiss. Marchione Riario, Venetiis secto, & à me curato observavi: vel impedimentum perstiterit in congressu Venereo, ut accidit Illustriss. equiti Livio Zabarellæ, me præsente secto; vel continua superstes fuerit arenularum excretio; quod observatum in hoc Reverendiss. nostro patiente: ut juxta Hippocratem de sola præservatione cogitandum sit.

Hæc autem in eo potissimum sita est, ut prohibeatur novus humoris vitiosi proventus. In morbis enim ex materia quanquam sint hæreditarii, cum intensa caliditate, deficiente materia vitiosa, calculus nunquam procreabitur. Tribus vero potissimùm medicis præsidiis hoc præstabimus.

Primum, & potissimum est, ut cibis attenuantibus, & facilis coctionis utatur, pane scilicet bene fermentato, salsamentis cibi loco, *melle*, moderaté tamen mediocriter salitis, vinis tenuis substantiæ, albis, non dulcibus: missis cibis crassi succi, carnibus bubulis, suillis vervecinis, aut oleribus, piscibus, præsertim palustribus, & testaceis; laganis item, & leguminibus præter ciceres, atque caseo, maxime verò antiquo. A cibo semel saltem in hebdomada abstineat, & mediocri utatur exercitio; non tamen statim à cibo, quo tempore intermittat etiam studia. Quod si quandoque cruditates in ventriculo abundent, diutius decumbat, & dormiat manu ventriculo apposita. A cibo vomitum semel in hebdomada saltem cieat, oxymel. scil dummodo ab eo non sit valde alienus. Quod si contingeret, assumat drach. 1. pil. de hiera cum agar. hora ante cœnam: atque quotidie descendat alvus vel spontè, vel suppositorio, vel clystere; vel usu pilul. ex aloë lota cum succo rosarum, vel cremore tartari cibis asperso. Bis autem in anno purgationem universalem moliatur, Vere, & Autumno, cum aliqua sanguinis eductione ex salvatella dextra; quo tempore uti quin etiam poterit diureticis ad emundandos renes, & vesicam: in quem usum accommodata erit Terebinthina Veneta, cum spiritu salis, cremore tartari, & aquis diureticis, octidui spatio: à quibus tamen aliis temporibus abstinendum censeo, ne crudos humores, ciboſque non concoctos devehant ad renes. Quæ præservationis loco abundè fore censeo. Faxit D.O. Omnipotens ut cedant ad vota. *Idem ibidem.*

Illustrissimus Adolescens vigesimum quintum annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & humidi, carnosi habitus; dum diebus elapsis ad invisendas Italiæ urbes una cum sociis iter faciebat, dolore vehementi in latere sinistro, à rene ad abdomen sese extendente correptus fuit, cum mingendi & egerendi inclinatione, imò & irritamento, qui paucis horis remisit; sed sequenti die rediit vehementior, cum iisdem symptomatibus, addito etiam vomitu & insigni ad vomendum

irritamento. Cessavit iterum dolor, sed tertio die reversus est, dum in rheda iter faciebat, intolerabilis ita, ut extra rhedam pedibus incedere atque currere coactus fuerit. Veronam tandem perveniens, Clysteres præscripti fuerunt, & cassia exhibita, cum nonnullis inunctionibus, quibus nonnihil quievit dolor, ita ut rursus iter capere eidem permiserit: nunquam tamen, nec arenulas, minusque calculos per urinam excrevit, imo nec urinæ ipsæ turbidæ observatæ fuerunt, sed tenuissimæ semper & pellucidæ. Cùm autem Patavium pervenerit; doloribus immunis, de agendis consulit, Venetiis domi suæ exequendis.

Nephriticis doloribus divexatum fuisse Illustriss. & Excellentiss. Adolescentem, non est quod dubitemus, si signa ab Hipp. recensita consideremus, dolorem gravem scilicet in regione renis dextri, cum vomitu & urinæ stillicidio. Et quamvis arenulæ in urinis non subsideant, id nihil obstat: quando enim Hipp. dixit, quod *Quibus in urinis arenosa subsident, iis renes, aut vesica calculo laborant*, vult nobis innuere, quod arenulæ calculi præsentiam confirmare possint; unde & Gal. dicere solebat, quod dum dubitatur, utrumne dolor nephriticus sit, an potiùs colicus, subdit, quod *si arenulæ aut calculi in urinis subsideant, tollitur omnis quæstio*: non tamen è contra, arenulis non apparentibus, calculos non adesse sit affirmandum. Arenularum autem carentia, calculi non tophacei, sed densioris, & marmoreæ substantiæ suspicionem præbet, sicut magnitudinis, esse meatibus non proportionatæ: quod si parvus esset, multo angustiores forent existimandi ipsi meatus, papillæ nimirum, cùm nunquam antea hoc affectu tentatus fuerit: etenim cum multo tempore intermittant dolores & redeant, calculum aut in renis cavitate, aut in infundibulo reperiri credendum, dolorem excitantem quotiescunque vreteres ingredi tentat. Quare licet & in præsens dolore vacet Nob. Adolescens, calculum tamen gestare pro certo habendum, & idcirco Curatione indigere, executione intentionum ab Hipp. propositarum dum dicebat, *Juvenes Veratro purgare, poplitem incidere vrinarios mundare, tenuare, & mollire.*

Quibus intentionibus ut satisfiat, abs re non erit Leniens repetere ex elect. lenit. & tart. vel potionem ex manna clarificata, ut tutior evadat Diureticorum usus. Mox in casu nostro ordinem ita servandum censeo, quod primò Emollientia & Laxantia præmittantur, ut meatus dilatari atque laxari possint. Secundò sequantur Diuretica ad impellendum calculum ipsum; quibus non sufficientibus, tandem ad Lithontriptica, tenuantia ab Hipp. dicta, deveniendum. Neque interim de sanguine mittendo cogitandum nisi imminente renis inflammatione: tunc enim poplitis vena cum Hipp. incidenda & cum Gal. vena brachii in Plethoricis pro revulsione, sicut cum Hipp. pro derivatione.

Pro prima igitur intentione, post assumptum Leniens, usum Terebinthinæ nostræ venetæ propono, liquiritiæ rasura reformatæ, cui post horam superbibat jus tenue pullæ, foliis malvarum, violariæ & parietariæ alteratum. Quo eodem tempore mane & vespere pars affecta foveatur magna spongia tali decoctione calente imbuta & expressa.

℞. Fol. malvarum, parietariæ, chamæmeli, anethi, meliloti an. m. j. rad. althaæ, rad. alb. raphani an. ℥j. fœniculi, apii an. ℥ß. aq. com. ℔ xij. contund. incid. & m. bulli. ad consumpt. tertiæ pro fotu. Amota verò spongia, statim illinitur pars manu, oleis lil. alb. & de scorpionibus inunct. In horum emollientium & laxantium usu plures dies immorandum, nisi dolores revertantur & urgeant: tunc enim fomentationes & inunctiones non omittendo, ad impellentia medicamenta diuretica deveniendum & esse poterunt sal tartar. volatilizatum ad ℈j. in aq. stillat. ononid. & parietariæ, addito succo limonum. Pariter insignem vim permeandi & impellendi habet spiritus tartari alcalizatus, ad gutt. xij. vel xv. in eadem aqua; quæ medicamenta, non cedente calculo, nec remittente dolore, sunt repetenda.

Pro tertia intentione explenda, efficacissima semper fuit essentia crystalli, a semidrachma usque ad drachmam integram in jam dictis aquis offerenda: sic & magisterium oculorum Cancrorum. Et tandem omnibus incassum tentatis (quod futurum esse non credo) ad succi cæpæ albæ, per expressionem extracti, aq. stillat. parietariæ, vini malvatici suavis. an. ℥iv. m. f. potio urgentibus doloribus, nec cæteris medicamentis cedentibus, propinanda. Hæcque pro Curatione: nam de Præservatione aliàs erit sermo, dum causæ quoque materiales, efficientes, & sine qua non, examinandæ erunt.

His jam dictis congrua vivendi ratio est addenda, victus enim mediocriter tenuis esse debet & facillimæ concoctionis: augentur enim dolores, ut ait Hipp. dum cibo implentur. vinum pro potu consueto concedendum, album, tenue, & subdulce. Exercitium quammaximè confert; & ideo Hipp. reperit, quod *Exerceri convenit, nec quiescere.* Sicut pro evacuatione solicitanda frequentes debent esse clysteres, præsertim oleo de lino parati, ut qui dolores quoque sedare valeant. Quæ omnia Illustrissimo & Excellentissimo Adolescenti à summo Deo salutaria precor. *Joann. Raym. Fortis Cons. & resp. Medicin. T. 2. Cent. 4.*

Eques Illustrissimus, ex Patre Nephritico natus, Calculosus & ipse calculos enim alias, & non exiguæ magnitudinis, nephriticis prægressis doloribus, per urinam excrevit; quatuor ab hinc mensibus circiter calculum in rene sinistro gestat forsan neglectum, quia in renis cavitate contentus, cruciatus consuetos non intulerit, sed tantum in ipso rene dolorem gravem, sive gravativum, ita ab Hipp. nuncupatum: ut propterea, neglecta quoque facilè congrua vivendi ratione, progressu ad tantam molem increverit, ut papillas egredi non potuerit, & ideo dolores exacerbabantur à quibus papilla contracta, egressum non admittebat, & ideo dolor gravativus manebat. Et quoniam aut in rheda, aut equitando, calculorum descensum à renibus in vesicam promoveri, indistinctè vulgò creditur; idcirco & Illustrissimus ipse hoc deceptus axiomate, Equo gradatim currente iter fecit, ut ad aquas vitriolatas epotandas perveniret, quo violento motu

motu calculus renem contundens, nec exire valens, phlogosin, & forsan etiam legitimam inflammationem in ipso rene excitavit, quam necessario febricula subsecuta fuit; ad cujus adventum & sitim cum linguæ siccitate, & ventriculi anatropam; & totius corporis maciem, quæ omnia antea à calculi præsentia procedebant, adaucta fuisse mirandum non est. In deterius autem lapsum equitem Illustriss. censeo, ob aquæ vitriolatæ assumptæ retentionem, quæ sanguini immista, eundem inquinare, & corrupta corrumpere quoque potuit. Nec retentionis causa in aquas ipsas, quamvis nondum satis à Sole confectas, est referenda, sed in renum angustiam: conflictatus enim à lapide ren ipse affectus, constringitur, & in consensum trahit renem alterum non affectum, ut propterea difficilis & imminutus valde aquarum transitus fuerit.

Quibus ita se habentibus, exiguam spem superesse, nullus erit in arte versatus qui non videat, tum quia calculi excretio tot congruis remediis incassum tentata fuit, tum quia febris symptomatica, nempe à rene affecto, à me existimata, inflammationem suppurandam minatur, & interim necessaria Lithontriptica prohibet; & ideo febri (si perseverat) & reni afflicto, tanquam urgentiori, & veluti causa sine qua non, incumbendum est: mox ad ipsum calculum dirigenda Curatio.

Adversus febrem & renis afflictionem, pugnandum Evacuantibus, Refrigerantibus, Repellentibus & Derivantibus. Adversus calculum, Diureticis, Laxantibus & Lithontripticis, habita tamen semper virium ratione. Quibus omnibus sequenti ordine satisfaciendum esse puto, ut primò aquæ eductio iterum atque iterum procuretur blandis medicamentis, ut est potio ex manna clarif. aut flos cass. cum Magist. Mechoac. superpræbendo jus malvis vel hordeo alteratum. Inde aperiatur saphæna lateris affecti, hacque juxta Hippocratis doctrinam *Veratro purgare, poplitis venam incidere*, idque quoniam, non constantibus viribus, revulsio à vena superiori ipsi derivationi præmitti non potest. Interim extrinsecus refrigerantia, sed cum exigua subastrictione apponenda, ut simplex unguentum rosac. Mesues, cui progressu addi poterit etiam malvinum.

Victus autem ratio debet esse substantificè humectans, renutriens, viresque non solùm conservans, sed etiam, non inhibente inflammatione, ipsas adaugens.

Ablata febre & inflammationis suspicione contra calculum vires medicæ erunt intendendæ, Hippocratis præceptis obtemperando, nimirum vias urinarias mundando, ductus laxando, & lapidem ipsum frangendo: quas intentiones nobis insinuavit sub illis verbis, *Urinarios mundare, attenuare atque mollire*. Et quoniam propriis remediis primæ & secundæ intentioni à Viris Excellentissimis satisfieri non potuit, nempe post expetitam ventris expiationem, diureticis atque laxantibus, & demum aquis ipsis vitriolatis; idcirco ad tertiam intentionem deveniendum esse mihi videtur: dum enim calculus præ magnitudine vias, nempe papillas ipsas, quamvis emollitas atque laxatas, pervadere non potest, tota vis Curationis in ejusdem calculi fractione, aut erosione & imminutione posita est, nunquam tamen laxantibus & aperientibus omissis. Quare ad Lithontriptica confugiendum: inter quæ selectiora & efficaciora apud nos experta sunt, sal tartari volatilizatus ad ℈ j. in aqua ononidis; Magisterium oculorum cancrorum pariter ad ℈ j. vel in eadem aqua, vel in aqua è thecis fabarum; Essentia crystalli montani ad semidrachmam in aqua parietariæ; atque tandem succus cæpæ albæ, per expressionem extractus, ita parandus.

♃. Succi cœparum alb. aq. pariet. vin. malvasii suavis an. ℥ iv. m. pro potu. Et quoniam jam dicta Lithontriptica non quotidiè, sed tertio aut quarto quoque die sunt repetenda; idcirco diebus intermediis Laxantia & Aperientia non sunt omittenda, ut Terebinthina Cypria tota nocte detenta in aqua malvarum, ad ℥ j. quæ reformetur cum semidrach. pulver. ossium mespilorum, & huic superbibat cyathum aquæ malvarum, vel jus malvis alteratum, addito succo limonum. Extrinsecus quoque fomenta mane & vesperi sunt in usum ducenda, quæ Balnei vicem supplebunt, magnam spongiam reni apponendo, imbutam & semi expressam, decoctione fol. malv. chamæmeli, parietar. saxifragiæ, meliloti, radic. althææ, lil. alb. sem. lini & fœnugræci; Et urgentibus doloribus apponatur omentum vituli, oleo amygd. & de scorpionibus imbutum, quibus addi poterit etiam liliaceum pro inunctione, post amotam spongiam facienda.

Sic fracto aut comminuto calculo, tunc locum habere poterunt aquæ vitriolatæ, ad ipsum educendum, & renes atque urinarios meatus mundandos.

His autem omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, à viris Excell. Adstantibus præscribenda: quibus & cætera omnia melius dirigenda committo.

Appendix ad antecedentem Consultationem.

Post perscriptam consultationem, ad me pervenit relatio Præclarissimorum Virorum de statu equitis Illustrissimi, à priori diverso, cujus diversitas in duobus consistere mihi videtur, nimirum in doloris renis remissione, & in virium subitanea prostratione. Levaminis causam non in solam calculi mictionem, sed in materiæ pituitosæ partim, si non purulentæ, saltem analogæ puri, excretionem referendam esse crediderim ego, cùm dolor in rene perseveraverit, etiam calculo in Urethra existente: utinam ex disrupto in rene abscessu inflammatorio materia jam dicta alba, & forsan purulenta, pituitæ immista, non effluxerit, ut non sine ratione dubitari potest, cùm derepente dolor evanuerit, aut saltem remissus fuerit. Nec obstat remissa febris, & pulsus ferè ad totalem Apirexiam perductus, cum doceat Divinus Senex, quod *dum pus conficitur, dolores & febres magis fiunt, quam pure jam confecto.* Quoniam verò sequenti die urinæ fœculentæ & ferè subcruentæ apparuere; idcirco calculum excretis multo majorem adhuc in rene reperiri

summoperè dubitandum, cùm jam nuper excreti figurati fuerint, ita ut fragmenta existimari non debeant. Interim tamen utriusque affectus symptomata & excreta diligenter observanda, ut veritas innotescat. Virium autem prostrationem totam hepati soli tribui posse non video: vitiata namque hæmatosis ipsa, ad Cachexiam, indeque ad Hydropem Patientes ducere solet. Quare adderem ego sanguinis inquinamentum ab aquæ vitriolatæ retentione introductum, cujus causa spiritus vitalès qui ex ipso probo sanguine generari debent, reproduci non possint: non excludendo tamen jecoris labefactationem, obruto à copia aquarum ejusdem nativo calore, nisi concurrat forsan etiam in rene tumoris eruptio, cùm *A tuberculi intus ruptione exolutio contingere soleat*, ut monet Hippoc. Quare adhuc in vitæ discrimine versamur, cum pro viribus reparandis massæ sanguineæ purificatio requiratur, quæ nonnisi hydragogis medicamentis, à virium imbecillitate non permissis, procurari potest; præterquam quod calculi excretio adhuc tentanda restat, quam difficiliorem reddere posset renis ulcus, ab abscessu dirupto relictum.

Quibus omnibus consideratis, urgentiori dubio procul est incumbendum, viribus nempe reparandis, sine quibus cætera remedia incassum, imò cum præjudicio administrarentur: illis enim reassumptis, ut dicebat Celsus, Medicinæ dabitur locus: & hic observandum venit Hippoc. præceptum, *Quibus semel, aut bis, plurane, an pauciora offerre oporteat*, considerandum esse; & præterea Galeni Commentum, in quo monet, viribus existentibus imbecillibus, parùm & sæpe cibum esse offerendum, qui sit boni succi, facillimæ concoctionis ac distributionis, & pauci excrementi. Et quoniam *facilius est implere potu, quàm cibo*, ideo convenire poterunt, præter jura carnium in quibus sint dissoluta lutea ovorum recentium, nonnunquam restaurum pulli, quandoque contusum; addantur quoque emulsiones amygdalarum dulc. recent. & pistaciorum. Proderit quoque vinum aromaticum modicè exhibitum. Semper ante cibum aliquod Cardiacum proficuum erit, ut julapium gemmatum Mag. Duc. in exigua aqua totius citri, aut florum ejusdem; Species quoque Diahyacynthi in aqua scorzoneræ. Interdum bolus ex Alchermes & hepate lupi paratus. Caro quoque viperina, cum reliquis carnibus ebullita, vim quandam balsamicam, & calori nativo nostro analogam obtinet.

Quamprimùm verò Curationem vires permittant, ab aquæ eductione erit incipienda, & interim renis status observandus, ut opportuna medela adhiberi possit: non omittendo tamen Clysteres naturam ipsam ad aquam educendam excitantes. Quæ pauca subdidi, à sapientibus viris examinanda. *Idem ibidem.*

Calculi Renum in Puero.

Princeps Excellentissimus Puer duodecim annorum, ex Patre valetudinario & immaturè defuncto natus, temperamenti ad calidum & siccum vergentis; hepatis calidioris, mediocris habitus, liberè vivens, imò eduliis crassi succi de more utens, & immodicis exercitiis deditus; usque ad decimum annum ætatis suæ semper valetudinarius, frequentibus nempe febribus obnoxius, cum alvi consueta stypticitate. Præterea somni turbati, cum spectris terrificis quandoque ei contingunt, ita ut clamoribus expergiscatur, nec præteritorum quicquam recordetur. Caput ejus frequentissimè gravatur, & per nares nonnunquam catharralis materia copiosa & crassa expurgatur, quæ detenta, nares ita obstruit, ut dormiens ore adaperto respirare cogatur. Duobus tamen abhinc annis sanitate satis laudabili frui cœpit: verùm renum dolores accesserunt, per intervalla frequenter recurrentes, quos solvit mictio calculorum rotundæ figuræ: qui si diebus aliquot (integra hebdomada) retineantur, dolores vehementiores & acerbiores afferunt, donec calculus consueto major per urinam excretus fuerit: à cujus mictione prorsus à doloribus immunis & alacris manet. Et cùm frequenter repetat hujusmodi affectus, à Te Vir Doctissime, præservationem implorat.

Quod Excellentissimus Princeps duodecimum suæ ætatis annum agens, statim natus, usque ad decimum annum multis & variis ægritudinibus conflictatus fuerit, mirum videri non debet, cùm hæreditariam à Patre valetudinario pravam totius corporis dispositionem sortitus fuerit, & præsertim capitis intemperiem calidam & humidam, quæ idipsum excrementosum reddidit, & destillationibus valdè obnoxium; præterea jecur justo calidius cum fervore, atque eorundem pravam diathesin & calculosam dispositionem; & propterea dicebat Galenus, quod *Catarrhus omnium morborum fons, & soboles esse possit, cujus vi totum corpus languere solet*; quod facilè desumpserat ab Hippocrate asserente, quod *destillationes à capite magno tædio atque molestia naturam frangant*, potissimùm verò in Excellentiss. Puero, cerebri emunctorium, nares scilicet, angustum habente. Quare cùm à perenni destillatione in ventriculum ciborum coctiones imminutæ secutæ fuerint, biliosis humoribus à calido jecore genitis immistæ, & massam sanguineam inquinantes, fermentatæ frequenter & putrefactæ, febres modò acutas, modò chronicas præteritis annis excitarunt; sed tandem ad renes transmissæ sive deductæ, extra consuetudinem & valdè immaturè in calculos albi & flavi coloris, marmoreos potiùs, quàm tophaceos converti cœperunt, suggerente renibus materiam prava vivendi ratione, nimirùm crassis, concoctu difficilibus & excrementosis alimentis, quibus delectatur; præterea vehementibus & intempestivis motionibus corporis; & diureticorum, nempe granorum juniperi & fœniculi in potu, abusu, quo materia pro calculis producendis ad renes quotidie ducitur: præsertim verò cum alvi stypticitate, dicente Aëtio; quòd *Si alvus bene se habuerit, pauciora lotia prodibunt*. Rarissima equidem in Puero calculosa conditio, quam semel tantùm hucusque mihi vidisse contigit, & semel se videre potuisse asseruit Cardanus: Pueris enim propria & familiaris esse solet calculorum in vesica pro-

productio, unde Hippocr. dicebat, *Post mictum concretio Pueris magis, num quoniam calidiores?* Et modum alibi explicat, dicens, *Quorum alvus ardens, ac fervida fuerit, sic & vesica, ita excalefacta, urinam non dimittit; & quod crassissimum & turbidissimum est, coacervatur, & dum volvitur, concrescit*; quod evenire sæpe solet etiam infantibus ex impuro lacte Nutricis pravis alimentis connutritæ. Et quoniam sicut calor intensus vesicæ, una cum cruditatibus, in Pueris Lithiasin generat, ita ab eodem in adultis ratione ætatis in renibus adaucto, nephritis excitari solet: ut propterea docuerit Gal. Lac Pueris in vesica, Adultis in renibus calculos generare, sic & magis caseum; idque quoniam ad calculorum productionem concurrit calor, ut causa efficiens, & humorum crassities, ut causa materialis. Cum autem calorem hujusmodi excedentem in renibus Pueri non habeant, ut calculum producere valeat, examinanda à nobis est causa hujus raritatis, si Excellentissimo huic Puero præservatio est præscribenda. Hanc igitur à mala vasorum & renum conformatione hæreditaria, ab Excellentissimo calculoso Patre contracta, pendere pro certo est habendum, quæ consistit in amplitudine vasorum emulgentium, & in renum densitate atque ureterum angustia: ut ideo renes facilè à jecore per ampla superiora vasa cruditates multas suscipiant & attrahant, sed subinde ob propriam densitatem easdem non dimittant & retineant, sicque diu retentæ, etiam à moderato calore in calculos convertantur: quam causam tetigit & ipse Gal. dum dixit, *Succi crassi non in omnibus calculos generant, quibusdam enim densi renes, & perangusta sunt ora vasorum, quibusdam è contra*; quod idem alibi ita confirmavit, *omnia crassi succi* in renibus calculos generant, dum transitus latos non habeant: Et hæc causa ab Oribasio quoque recepta fuit, imò & à Recentioribus ferè omnibus, dum Fonseca protulit, quod Calculosa & hæreditaria renum dispositio, etiam cum pauco renum calore præsente materia, est sufficiens ad calculorum in renibus generationem; & idcirco ut causa sine qua non ab universali Medicorum schola recepta fuit. Ita in casu nostro juges cruditates, partim à capite in ventriculum descendentes, & coctionibus officientes, partim à ciborum superingestionibus, Pueris consuetis genitæ, ut causa materialis; calor verò & jecoris, & renum, ut causa efficiens; & potissimùm naturalis calculosa dispositio, in emulgentium amplitudine, & renum atque ureterum angustia consistens, causa sine qua non appellata, concurrunt in Excell. Puero Principe ad calculorum in renibus intempestivam & immaturam procreationem.

His autem ita sese habentibus, cum caput & renes ope medica indigeant, urgentiori prius incumbendum nos docet Galenus, ipsaque ratio dictat: capitis enim exiccatio & catarrhalis materiæ extirpatio tutius in juvenilem ætatem differri potest, quàm calculorum inhibitio: evidens enim periculum imminet, ne diutius aliquis calculus in renibus detentus, & major consueto factus, non ampliùs in vesicam descendat, sed manens in renibus, Principem miserè interficiat, ut contigit Excellentissimo Patri defuncto. Alterum imminet periculum, ne in vesicam delapsus, propter canalis Urethræ angustiam, in eadem moretur, per additionem grandior fiat, & pro extractione incisione sit opus, cùm vesicæ calculus manuum dumtaxat opera curari possit.

Hoc igitur anni tempore, nempe proximo mense Maio purgatio erit ineunda, primas vias expiando. Secundò Venosum genus ab excrementis depurando. Tertiò caput quoque purgando. Quartò jecoris & renum calorem contemperando, & vasa angusta dilatando; atque tandem causæ materialis reproductionem inhibendo, & ipsam à renibus divertendo.

Pro prima intentione explenda, primò potio suavis leniens præscribenda, ex man. clarif. cum tartaro, aut syrupo rof. solut. aureo. Inde sex aut septem sequentibus diebus cruditates in primis viis existentes, ita præparandæ.

℞. Julap. acet. simpl. syr. de cortic. citri aq. flor. citri an. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis; Aut singulo mane exhibeatur.

℞. Cremor. tartar. sacchari albi an. ℥ß. & dissolvatur in modico jure carnis, corticibus citri alterato. Inde alterum ex præscriptis Lenientibus repetendum.

Pro secunda verò intentione, ulteriora præparantia erunt usurpanda.

Ut ℞. Decoct. in jure paratæ cich. borag. endiv. meliss. betonic. agrim. ℥v. oxymel. sim. pl. syr. de beton. an. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis septem. Interim primis diebus jecorina dextera erit aperienda, sed sanguis parcè mittendus. Transactis jam dictis diebus, purgans hujusmodi erit exhibendum.

℞. Rhabarb. opt. ʒ j. agaric. trochisc. fol. senn. an. ʒ ij. cinnam. integr. ʒß. aq. agrimon. q. s. m. f. infus. per hor. xii. & facta forti expressione, colaturæ adde syrupi rosat. solut. ℥ iv. clarificentur omnia cum cremor. tartar. & f. potio brevis, cui, incepta evacuatione, superbibat aquæ hordeac. vel seri caprin. depur. ℔ j. & duobus horis ab assumpto sero prandeat.

Inde ad tertiam intentionem explendam deveniri poterit pilulis capitalibus.

℞. Extracti pilular. cochiar. ℈ j. aurearum ℈ß. reformentur pilulæ, & tribus interpositis diebus ab assumpta suprascripta potione, præbeantur summo mane, & repetantur. Intermediis verò diebus reassumat syrupos præparantes præscriptos: & aliquod errhinum manè tantùm in usum ducat, suave, non violentum.

Ut ℞. Pulv. majoran. ireos an. ʒ ij. nigell. ʒ j. m. f. pulvis per nares attrahendus.

Quartæ intentioni ut satisfaciamus, aquis acidulis omnino opus erit, non tantùm ferreis sed vitriolatis, quales sunt in Valle Solis nascentes, quæ primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio syrupi ros. solut. aut mann. clarif. erunt præbendæ, sequentibus verò diebus quindecim cum aliquo vehiculo diuretico, quamvis rarò eodem indigeant: posset autem esse spiritus tartari pluries rectificatus; harum autem usus duobus sequentibus annis tepe-

tendus, leviori tamen præmissa corporis expurgatione. Terminato autem aquarum usu, magnoperè conferre poterit lac asininum ad quadraginta dies, quod inter genera lactis prærogativam habet refrigerandi, renes emolliendi, imò & tophos in renibus dissolvendi, ut testatur ipse Galenus, & cum eo cæteri Medicinæ Principes: nec caput implet, quia celerrimè per corpus digeritur. Præbeatur autem statim mulctum, summo mane, à quo somnus nullo modo permittatur, incipiendo ab unciis quatuor cum semicochleari sacchari, & ascendendo usque ad novem, cum integro sacchari cochleari. Quo tempore aquarum & lactis, statim à cœna deglutiat Excellentissimus Puer duo aut tria grana masticheś integra: à prandio verò conferre poterit conserva absynthii, quam si ob amaritudinem respuat, sal absynthii in exiguo vino dissolutum supplere poterit.

Verùm ut postremæ intentioni satisfiat, sat non est roborare ventriculum, si quotidie oneretur crassis cibis excrementosis & difficillimæ concoctionis: & ideo Valescus de Taranta scripsit, ridiculum esse medicamenta Calculosis præscribere, non præmissa congrua vivendi ratione. Quare si primò aërem consideremus, neque hypocausta, neque repentinæ mutationes à calido ad frigidum, & è contra, capiti convenire possunt. Si secundò alimenta; inter carnes suillæ prorsus ablegandæ, bubulæ & cæteræ annosorum animalium, & aquatilium rarò usurpandæ; pariter extremitates, ut pedes & capita, omittendæ. Inter pisces, soli saxatiles eligendi, & à conchyliis atque ostreaceis omnino abstinendum. Lacticinia omnia & edulia ex lacte & pasta parata, sunt fugienda, & caseus præsertim. Legumina omnia vitanda, hordeo & oriza exceptis. Inter fructus, fraga, pepones, persica, ficus nonnunquam permitti possunt. Inter olera, prorsus abstinendum ab usu lactucæ, à fœniculo, selino, carduo, radice raphani, fungis & terræ tuberibus. Inter condimenta interdicitur usus aromatum, pauco cinnamomo & pipere ruditer contuso exceptis; neque conceditur succus citri & limonum, quoniam diuretici sunt: hoc enim documentum est quàm maximè observandum, quod dum Calculosi actuali calculo, in renibus existente laborant, tunc, primis viis ab aliquo medicamento expiatis, omnia diuretica & urinam ducentia opportuna sunt: è contra verò extra accessionem, dum agitur de præservatione, nullo modo sunt admittenda, quoniam ducunt materiam, cruditates scilicet ad renes pro calculis producendis: ut propterea approbare nequeam usum quotidianum granorum juniperi, minusque fœniculi in vino, nec aliorum diureticorum, quoniam confunditur ita Curatio cum præservatione, & præservatio cum Curatione, in quem errorem incidunt quoque non rarò Medici ipsi; & ideo in hunc finem reprobantur etiam vina Moselana, Rhenana, utpote valde diuretica, ita & cerevisia lupulata. Præservatio enim à calculo requirit, ut cruditates non generentur, & genitæ à renibus divertantur, & per alvum ducantur. Tertiò somnus largior esse debet, sed nocturnus, non tamen dormiat in plumis: & si decubitus supinus consuetus fuerit, substernatur linteolo portio corii vervecini. Quartò exercitium sit moderatum, & ventriculo non repleto, ita præcipiebat Hippoc. Labores ante cibum. Quintò Alvus lubrica servanda prunis Damascenis aut Hungaricis; vel passulis in vino subdulci tenui decoctis, & saccharo aspersis, prima mensa comansis; & ut magis divertantur cruditates à renibus, & per alvum educantur, semel in mense, unica hora ante prandium assumere poterit.

℞. Elect. lenit. ℥ß. Mag. Mechoac. gr. vii. aut pilul. mastich. ℈ j. m. f. boli. Tandem alacri animo ut indulgeat Princeps Excell. permittendum, neque ad nimia & intensa studia solicitandus, sed geniales conversationes admittendæ, quæ tamen in vivendi ratione errandi occasionem non præbeant. Quæ omnia faxit Deus, ut salutaria evadant. *Idem ibidem.*

Vesicæ Calculus.

Cùm à naturæ primordiis Vir Illustrissimus non adeo probam partium principalium & inservientium temperiem sortitus fuerit, jecore namque justo calidiori, capiteque humidiori, atque ventriculo frigidiori præditus fuit, ideò varia & heterogenea excrementa à jam dictis partibus jugiter produci necesse fuit, quæ quoniam à natura è corpore excerni vix credi potest, idcirco mala inde exorta fuisse mirum non est, præsertim addita libera vivendi ratione: intemperantes enim in diutinos morbos incidunt, à quibus postea tota vita sese explicare nequeunt, inter quos Nephritidem & Arthritidem, sive Podagram enumerabat Galenus, quorum alterum, Arthritidem scilicet superioribus annis fuit expertus Vir Illustrissimus, quo cessante, insurrexit alter, nephriticus videlicet, cui statim Lithiasis successit; non enim defuerunt crudi & crassi succi à ventriculo naturaliter frigido, & à continuis applicationibus adhuc frigidiori reddito, addito quoq; improportionato objecto: quæ cruditates ad varias corporis partes transmissæ, & præsertim ad artus, articulares quoque dolores pariebant: ad renes verò tandem conversæ ab igneo eorumdem calore, tanquam à causa efficiente assatæ, & à vasorum naturali conformatione detentæ, in arenulasque conversæ, à glutinosa materia coactæ, tophaceos calculos produxerunt, qui dolores nephriticos excitarunt. Cessarunt autem, dum diureticorum medicamentorum ope à renibus depulsi in vesicam; & tandem per urinam ejecti visi fuere; sed non omnes, quandoquidem actionem mingendi depravatam, quæ ab illo tempore quoque Virum Illustrissi. affligit & torquet, ab aliqua causa musculum irritante provenire dubio procul asserendum; de qua quoniam Sapientes & Excell. Viri isti propriis & necessariis experimentis certiores facti fuere, non est quod dubitemus; siquidem conjecturæ primò calculum in vesica reperiri satis apertè nobis significabant, cujus præsentiam non semel, sed bis sensus ipse tactus comprobavit: calculum enim mense Aprili præterito à primis nephriticis doloribus in renis papillis mansisse, & vehementis motus in rheda occasione in cavitatem delatum fuisse pro certo habendum

dum, qui ibi sine dolore adservari potuit, sicut cum dolore ad vreteres delapsus, exquisitissimo sensu præditos, Diureticorum ope in vesicam cecidisse; sed in rene antea crassiorem factum exitum non invenisse censendum. Quare in vesica quotidie à superadditis cruditatibus involutus & grandior redditus, dum, quod turbidissimum, coacervatur, circumvolvitur & concrescit, sui ipsius etiam quotidie majora nobis præbuit indicia; etenim ab initio mictio molesta & frequentior apparuit, in progressu stranguriosa, adeo ut dolor adfuerit in mictione cum urinæ stillicidio, vesicæ ardore, & quandoque arenosæ materiæ excretione, omnia signa lapidis vesicæ, ab Hipp. proposita; quibus accesserunt & ponderis sensus, & inquietudo, & ani Tenesmus, & hæmorrhoides, quæ omnes conjecturæ eundem confirmarunt, accedentibus præterea experimentis diureticarum aquarum, & motus vehementis in rheda, à quibus nocumentum evidens reportavit Illustriss. Patiens, atque tandem sensu ipso judice facto, & candela in vesicam introducta, & digito in anum immisso, conjecturalis cognitio sensata & mathematica reddita est.

Agitur igitur de calculo in vesica actu existente, nec adeo exiguo, eo quod nunquam urinam supprimit, à vesica removendo; & idcirco pars curativa in præsentia à nobis consideranda venit, de præservatione alias cogitandum, & posteaquam diureticis aquis, prudentissimè à Viris Excellentiss. propinatis, educi non potuit; Lithontripticis verò fidere inexperti Medici certum indicium sit, idcirco nonnisi manuum opera curari posse pronunciavit Hipp. alioquin præter urinæ suppressionem, doloribus, febriculis, ulceribus, colliquationibus contabescere solent Patientes. Et quamvis hoc remedii genus potiùs inspirationem divinam quàm Medici consilium requirat, ut propterea Hipp. nobis consilium dare prohibeat, imò Avenzoar vetet quoque Medici præsentiam. Nihilominus viriliter ego & ex corde agens, virilè quoque & unicam curationem, dissectionem consulo, antequam congruæ conditiones ad hujusmodi operationem tutiorem reddendam effugiant; concurrunt enim in præsens anni tempus opportunum, lapidis magnitudo conveniens, cùm nec grandior, neque exiguus nimis requiratur pro faciliori extractione, quam & vires, & ætas permittunt, nec prohibent nimia gracilitas, aut febricula, aut ulcus in vesica; quæ sicut modo non adsunt, ita superventura valdè suspicandum. Neque præter excrementorum in primis viis existentium per alvum evacuationem, alia precedens corporis expurgatio necessaria mihi videtur, cum jam sanguis non semel ex hæmorrhoidibus satis spontè effluxerit, qui novæ sanguinis missionis pro inflammatione arcenda occasionem aufert.

Quod si fortassis veram hanc atque legitimam Curationem non admittat Vir Illustrissimus, palliativa erit substituenda; pro cujus institutione non adeo facilè Medico erit medicas elicere intentiones, cum ex una parte calculi augmentum inhiberi debeat: idque crudorum excrementorum à viis urinariis ad alvum diversione procuretur: ex altera verò cùm calculus angulosus, aut inæqualis conjiciatur, nec æqualis & minus cruciosus reddi possit sine cruditatum accursu, nec præterea dolores demulceri possunt, nisi Anodyna diuretica ad afflictam vesicam ducantur, contrariæ exoriri videntur intentiones; in quo casu, quoniam, cum Galeno, urgentiori est incumbendum, ideo posteriori intentioni satisfaciendum, priori tamen non omninò neglecta. Et idcirco Diureticis demulcentibus statim utendum, quæ ad vesicam quidem pervenire, sed à vesica excrementa impellere minimè valeant, ne calculus magis à suis tunicis expolietur, extrema quoque non omittendo.

Interna Anodyna possunt esse & injecta, & assumpta; & inter injecta alia per intestina alia per Vrethram, per intestina enim parantur Clysteres cum exiguo lacte bubulo, in quo dissoluta fuerit drachma philonii Romani recentis; detenti namque ad duas tresve horas vespertinas vesicæ sensum adeo obstupefaciunt, ut dolor tota nocte magnopere remittatur, & somnus concilietur. Per Vrethram verò licet medicamento injicere difficilè videatur, cùm vesicæ collum habeat anfractus ad modum S. attamen per fistulam indirectè perfotam medicamenta injiciebat Galenus; & ideo lac asininum, vel caprinum in quo globulus opii torrefacti nocte infusus fuerit; aut Laudanum Nepentes, ad demulcendos dolores, injici & prodesse poterit. Per os verò sumenda duo propono mihi familiaria remedia, quorum alterum est serum asininum destillatum, apposito globulo opii torrefacti rostro Alembici, ut in transitu obstupefacientem facultatem acquirat, cujus dosis erit ad ℥x. addito syrupo de ibisco; & ut faciliùs ad vesicam perveniat, ex eodem emulsio quoque sem. melonum, sed valdè diluta, parari poterit. Alterum verò ita parabitur.

℞. Fol. malv. rec. m. iv. viol. m. ij. radic. anonidis, liquiritiæ an. ℥ij. sem. melon. mundat. ℔ ß. passularum ℥j. incid, incid. contund. contund. & adde aquæ Nocerianæ ℔ xv. succi limonum ℥iij. m. macer. omnia per horas xij. deinde fiat fortis expressio, in qua dissolve flor. cass. rec. extract. ℥iij. ponatur in Alembico vitreo, & B. M. destilletur, & præbeatur ad ℔j. vel paulo minus, addendo, si placeat, syr. de ibisco, vel julap. viol. ℥j. mirabilis enim experta est, ad vesicæ & renum dolores demulcendos.

Extrinsecus quoque in sessiones & inunctiones fieri solent; sed ut nimis operosæ, iisdem fomenta substituere consuevi, bis saltem in die admovenda, magna spongia imbibita, & non expressa, decoctione malvæ, viol. nymph. radic. althææ, liquir. hord. & fœnugræci; quibus, urgente dolore, capita quoque papaveris albi addi poterunt. Fomentis verò succedant illinitiones ex unguento malv. & populeo oleo violac. reformatis, vel oleo nenuph. & viol. simul mistis; quibus, dolore urgente, addi quoque potest exigua portio olei jusquiami.

His autem addenda erit congrua victûs ratio, inter attenuantem & incrassantem media, ne incrassante nimis augeatur calculi moles, & attenuante acuantur nimis urinæ & humores:

media quoque debet esse inter tenuem & plenam, ne tenuiori vires deficiant, neve pleniori excrementa cruda in corpore redundent, & ad vesicam tanquam ad partem affectam confluant: moderata quoque in calida & frigida, ne frigiditate nativus calor elangueat, caliditate verò acriores reddantur urinæ: demulcendi autem facultatem obtineat: nec ullo modo diuretica alimenta sunt admittenda, ne humorum sarcina ad vesicam ducatur. Quæ sapientibus Viris pro salute, aut meliori statu Pat. Illustriss. quam eidem à D.O.M enixè precor, sat superque sint dicta.

Vesicæ Lapis.

Illustrissimus Vir annum agens quadragesimū tertium, temperamenti calidi & sicci, Patre natus Nephritidi & Arthritidi obnoxio, à primis suæ vitæ exordiis ferè morbosus, cum in ipsa pubertate rebelli hypochondriaca affectione, quæ adhucnum perdurat, affectus fuerit, frustra variis adhibitis medicamentis, & inimitabili victûs servata ratione, tertius annus excurrit, ex quo cum urina cœpit ejicere arenulas & minutos calculos, nullo tamen doloris, aut difficultatis sensu, nisi circa renes levi passione. Ante duos annos apparuerunt urinæ magis turbatæ & sabulosæ, quæ per aliquot dies Nob. Aegrum noctu maximè afflixerunt, de quibus tamen soli naturæ relictum fuit opus; à quo tempore postea sæpius in urinis ipsis modò calculi observati sunt, non sine gravi Patientis molestia; qui tandem de sua salute solicitus, præterita Æstate, congrua præmissa corporis expiatione, ad renes & vesicam emundandam aquam B.V. meo consilio sumpsit; quæ licet feliciter è corpore educeretur, secum nihil evexit: purissima enim semper exivit, ut toto assumptionis tempore nil prorsus nisi aqua ipsa & naturale lotium visum sit; à qua postea per duos menses integrè ferè convaluit, extirpato penitus dolore, licet aliquis minutus calculus aliquando apparuerit. Mense præterito Septembri Patavio redux, quo Sella vectus erat, frigida satis aëris constitutione in maximum inferioris ventris dolorem incidit, qui ipsa sanatione, quæ Hipp. certissimum judicium est colicus fuit: qua occasione in alvi artificiosis depositionibus, materiæ multæ, mucosæ, necnon biliosæ dejectæ sunt; sed majus & intolerabilius successit malum, renum scil intensissimus dolor, qui lentè ad inferiora delapsus, vreterum loco priùs afflicto in ipsa vesica hæsit, & præcipuè circa ejusdem orificium, qui etsi, cùm jam Illustriss. Aegri corpus familiaribus medicamentis pro tempore de more sumptis satis expiatum esset, usu Terebinth. etiam Venetæ in aqua malvarum lotæ, superbibito aquæ hordei, vel malvæ calice, aliquod levamem visus sit accepisse, hisce diebus post violentum corporis exercitium, confecto pedestri itinere per loca alpestria spatio ferè quatuor milliarium, adeo invaluit, ut continuis cruciatibus noctu diuque Ager divexetur tali dolorosa lotii excretione, ut præ ejus immanitate Vir alioquin patientissimus & tolerantissimus, altiùs exclamare cogatur, urina ipsa, summa cum difficultate semper & guttatim destillante; quam licet Aeger nixu expellere conetur, paucissima semper exit immista pituitæ, & lacteo colore perfusa; in quo deplorabilis conditionis statu modo acutum & pungitivum, modo adurentem urinarum exitum nominat Aeger, & aliquando incendium intolerabile experiri conqueritur, vigiliis etiam & animi solicitudine fere consumptus, non sine symptomaticæ febris, licet levis, præsentia. Ad cujus horridi hostis pertinaciam devincendam, nos hic varia experti sumus, dum ipsam causam non negligentes, ad ipsum symptoma, ut magis urgens, manus medicas admovimus, ne soli causæ incumbentes, spreto Galeni consilio, in ipso symptomate prius Aeger periret. Unde multa ad ipsum dolorem directa sunt, tum interna, tum externa. Propinato scil. repetite ol. amygd. dulc. extr. sine igne, assumpto cum succo limonum, modo solo, modo in sero capr. destillato, necnon ipso sero caprino cum sem. melonum, & aliquando ipso malvarum jure; exterius verò vesicæ regionem fovendo petiis lacte imbutis, & unguento ros. malv. illito, necnon per syphonem injecto in vesicam ipsomet lacte, aut malvarum decoctione. Quæ omnia quamvis dolorem demulcere jure debuissent, irrita hucusque sunt, perseverante miserabili Aegri cruciatu. Unde ad idsum laudanum Nepenth. devenimus, cujus effectum expectamus, cum hoc vesperi tantùm præscriptum fuerit. Tali rerum discrimine & ulterioris perniciei metu, ad Præstantiss. Virum confugit, ut salus ipsa, quæ verè vita est, si possibile sit, redimatur.

Utinam stranguriosa urina in isto Illustriss. Patiente non nephritica esset, sed totum corpus per ipsam expurgaretur, ut nobis innuere videtur mucosa materia, quæ jugiter cum urina excernitur. At contra hoc decretum plura nimiùm testimonia reclamant, & calculi præsentiam in vesica ferme attestantur atque confirmant, dum præterita & præsentia examino. Est enim è Patre Nephritico natus Vir Illustriss. temperamenti calidi & sicci, olim & in præsens hypochondriacus, ac si dicamus multis cruditatibus scatens, & quod magis est, tribus ab hinc annis Nephritidi obnoxius, quinimo duobus superioribus annis urinas minxit sabulosas atque turbatas, cum arenulis modo, modo cum calculis; ut propterea summa cum ratione aquas B.V. tua consuluerit prudentia, argumenta omni fide majora pro Lithiasi confirmanda: sicut tandem omnem quæstionem tollunt nephritici dolores mense Septembri ingruentes; quorum occasione à renibus ipsis calculus in vesicam decidit, & facilè inæqualis & angulosus, nec adeo minimus, ut qui ad vesicæ collum una cum urina perveniens, expultricem quidem quàm maximè irritare, at nunquam ecerni potuerit; unde frequens & dolorosa mingendi cupiditas, unoque verbo Stranguria secuta fuerit, non parum fovente dificilem urinæ exitum musculi constrictione, quæ fit occasione doloris; Stranguriam vero magnoperè adauxit iter illud postremo per aspera loca factum, quod veritatem jam dictam prorsus & omnino confirmat, præsertim si addamus quoque urinas in præsens lacteas apparere. Neque huic veræ opinioni obstare

potest

potest mucosa materia, quæ continuò cum urina excernitur, siquidem hæc calculi in vesica existentis, perpetuo comes esse solet, dum, partim a dolore a calculo in vesica excitato; partim progressu, & a calculi pondere cruditates à superioribus partibus ad vesicam ipsam alliciuntur. Nec minus obstat quod, dum Illustriss. Vir huc atque illuc, sursum ac deorsum dimovetur, lapis vesicæ dolorem non inferat; est enim iste calculi grandioris effectus, præter quam quod sphincteri vesicæ (ut asperum & inæqualem) adhærere, magnopere suspicandum, cùm incessantes molestias & dolores acutissimos ferè continuo suscitet atque conservet; quos adeo cruciosos nullo modo excitare posset sola mucosa materia quantumvis acris, aut salsa nisi ab eadem ulcere excitato. Tenesmi ad instar. Sed jam dictis omnibus accedet quoque (nisi calculus foras expellatur) simul cum mucosa, materia quoque tartarea & alba, quæ lapidi vesicæ, sicut arenulæ calculo renum propria esse solet.

Quibus ita se habentibus, totis viribus nitendum ut calculus ipse aduc exiguus existens, auxiliis medicis extrudatur, alioquin brevi vel inflammationem, vel saltem ulcus in vesicæ collo excitare poterit; & præterea grandior factus, non nisi manuum opera curabitur, cum Lithontryphica spernat, tum ob propriam duritiem atque soliditatem, tum ob loci distantiam, quæ ideo à calculis in renibus admittuntur, & quia friabiliores sunt, & quia citiùs ad renes medicamenta perveniunt. Interim doloris ratio est habenda, ne vigiliis, cruciatibus atque febriculis perseverantibus vires deficiant, & Tabe tandem vir Illustriss. conficiatur.

Nostram autem intentionem ut assequamur, ex consuetis fontibus remedia sunt depromenda; Et in chirurgico nullum habere locum sanguinis missionem censeo, cum causæ morbificæ nihil prodesse, viribus valde obesse possit; ideo Hippocrates sanguinis missionem suasit in Nephriticis doloribus, juvene existente Aegro, ratione imminentis inflammationis. Reliqua igitur in hoc fonte remedia sunt examinanda & administranda nempe insessiones in aqua dulci fol. malv. viol. nenuph. pariet. necnon althææ à summa tua Prudentia propositæ; quibus substituitur fomentum, magna spongia eadem decoctione imbuta, & quodammodo excavata, ut Perinæo & pudendis adaptari possit; cui decoctioni, sævientibus doloribus, capita quoque papau. erunt addenda, Fomentis autem succedant inunctiones ex ung. malv. & popul. vel ex oleo viol. & nenupharino. Pariter per syphonem injiciatur medicamentum aliquod anodynum, ut lac asininum, vel aqua solatri cum emulsione sem. papau. vel aqua Cassiæ. Dolores quoque demulcere poterit clyster ex lacte vaccino, in quo drachma Philonii Rom. rec. dissoluta fuerit, ob consensum & contiguitatem quam habet intestinum cum ipsa vesica.

Hinc ad Pharmaceutica remedia sedulò deveniendum, quæ quidem vesicæ ardorem contemperare, & dolores nonnihil remittere valeant, sed potissimum horum symptomatum causam respiciant, quæ cùm sit calculus, ut moribus quoque in numero t. g. p. n. sui excussionem exspostulat. Idcirco ut ductus urinarii magis pateant magisq; aperiantur in aqua stillatitia me in superiori scripto proposit, aliquot diebus erit propinanda; cui macerationi addi quoque poterit succ. limon. ad ℥ij. vel iv. tum ut magis diuretica evadat, tum ut facilius in maceratione ingredientium facultates extrahantur. Et si eandem magis anodynam reddere velimus, syrupo de ibisco, syrupum de papau. substituere possumus; & remissis quodammodo doloribus, magis diuretica reddatur, addendo sp. tartar. rectif. gutt. xij. aut xv. Aquæ autem stillatitiæ descriptio talis erit.

♃. Fol. malv. viol. nymphææ, parietar. an. m. ij. rad. ononid. ℥ij. liquir. ʒj. sem. melon. mundat. anguriæ an. ʒij. sem. papau. albi ℥ß. aq. Noceræ ℔ xij. succi limon. ℥iij. incid. contund. & macer. per diem naturalem, deinde f. fortis expressio, & colaturæ adde flor. cass. rec. extr. ℥iij. m. destill. B. M. &.

♃. Ejusdem aquæ ℔j. syr. de ibisco ℥j. m. pro maturin. potu. Aliquot transactis diebus, aquas Nocerianas de more propinandas esse arbitror, ut in redundanti illa aquosa humiditate calculus ipse, si adhæreat sphincteri, removeatur, & veluti innatans, una cum aqua ipsa foras extraducatur, ut non semel in praxi observavi, calculis exiguis existentibus: me namque non latet grandioribus diuretica, & aquas præsertim hujusmodi, atque ferratas non prodesse, sed obesse posse, quas experiendas propono, cùm unica spes in lapidis expulsione posita sit. Vehiculum ideo in hunc finem satis validum esse debet, ut vehementior quoque insequatur impulsus, quale esse poterit, Terebinth. ad ℈j. vel sal tart. volatiliz. ad gr. xv. aut xx. Dum verò mingitur aqua, omni artificio utendum, ut lapillus quoque cum aqua extraducatur; quare Patiens ipse manu penis extremitatem sibi adstringat, ut intumescat, sicque calculus Urethram facilius ingredi possit: deinde affatim manus à pene removeatur, ut confertim exeat urina, aut aqua ipsa. Præterea dum mingitur aqua, tepentibus quoque insessionibus jam dictis felici cum successu usus fui. Quæ jam dicta omnia materiam quoque mucosam abstergere & abluere, collumque vesicæ ab ulcere tueri valebunt; (si forsan, quod faxit Deus, calculus non adesset) præterquam quod jecoris, renum calorem, & humorum acrimoniam moderare atque demulcere poterunt.

Quod si res pro voto non succedat, rursus ad Anodynorum usum erit confugiendum, & jam præscriptis addi potest aqua stillat. ex emulsione quatuor semin. frigidorum, additis etiam sem. papau. albi, vel syrupo ejusdem. Atque tandem ad lactis asinini usum quotidianum de more erit ducendus Vir Illustriss. totumque corpus oleo amygd. quotidie inungendum. Et ratio victus substantialiter humectans, ab eximia tua virtute præscribenda est; sicut reliqua omnia melius dirigenda & corrigenda, prudentissimo atque in Arte versatissimo judicio tuo libenter committo. *Idem ibidem.*

Pro-

misso, pectini apponebatur, continuò bibebat ex decocto sequenti.

℞. Sem. malv. alth. an ʒ iij. cicer. rubr. ℥iij. caric. ping. numero ix. sebest. numero viij. sem. 4. frigid. maj. an. ʒ ij. hord. mund. ℥ ij. liquirit. ras. ʒ vj. F. decoctio in aq. pluvialis ℔ iv. ad ℔ ij. Colatura ad libitum utebatur, post cujus usum minxit, & lapillos multos ejecit perfectamque valetudinem consequuta est. Mulieri cuidam cùm meiere non posset, Medici adstantes oculos cancrorum pulverisatos dederunt, & hoc modo urinam provocabant. *Petrus Forestus, Observ. 25. lib. 24.*

Nobilis quidam cum calculo laboraret, & dolor in rene & uretere illum lancinaret, post injectum enema sumpsit oleum amygdalarum d. cui succus limonum immixtus erat, & pectini apponebat sacculum ex cumino, quibus præsidiis calculus expellebatur. Idem alio tempore cum exiguum nostræ destillationis (de qua supra dictum est) prægustasset miraculi instar calculos una cum lotio reddebat. *Petrus Forestus. Schol. Observ. 25. lib. 24.*

Pro calculo Renum.

Sexagenarius quidam ob reprobum alimenti usum, in calculum renum incidit, hic præter purgationes varias, paratas præsertim ex terebinthina abietina, cujus vi mucilaginosam per alvum pituitam excernebat usu assiduo aquæ concoctæ cum ligno illo Indico, quo aqua cœruleum dilutiorem colorem contrahit, & vocatur à Monardo Nephriticum, biennio sanus evasit. Postea exasperato malo, supprimitur omninò urina, adsunt ureterum & renum cruciatus immanes; vocantur de novo Medici: quorum consilio, enematis emollitur alvus, expurgantur excrementa, discutiuntur flatus, ministrantur unguenta, fomenta, & emplastra: superiores & inferiores venæ secantur, ano hirudines admoventur, balneum applicatur oleagineum, lapidem comminuentia auxilia imperantur, omnia licet utilia, citra commodum tamen celebrantur, nam aucta gravitate in lumbis, & per 18. dierum spatium retenta urina, per intervalla jam epilepsia vexabatur, demum cum nulla essent prætermissa, quæ calculi comminutionem pollicerentur, & æger conclamatus esset, toto corpore tumidus, diroque dolore in ilium regione oppressus ex præscripto medicorum oleum amygd. d. rec. paratum cum guttulis balsami permixtum lambere cœpit; cujus auxilii ope, aliquantulum recreatus, per sedem viscidum humorem, & per urinam arenulas minutissimas excrevit, & in eodem auxilio persistens, cum urina cruenta, calculum purpureum, oblongum, asperum, durissimum, nucleo dactyli magni similem, excrevit, libereque jam urinam reddens, majorem quantitatem amygdalini usque ad ℥ iij. & balsami usque ad ʒ ß. assumens. Decem dierum spatio 65. calculos emisit, duros, ciceris forma & magnitudine, tandem restauratis viribus sensim & sine sensu convalescere cœpit. Hujus etiam solius auxilii beneficio in posterum præservatus fuit. Nam jejuno ventriculo amygdalini ℥ß. 6. balsami guttulis permixtam absorbebat; cujus præsidii ope sabulosam urinam excernens in multos annos vitam produxit, magna ergo est balsami pro hoc morbo & aliis frigidis curandis vitiis vis atque potestas: cujus usu se liberasse virum quendam qui erat in conditione mortis a lapide gloriatur. *Avenzoar.* lib. 2. Their. Tract. 2. cap. 7.

Si verum balsamum desit, ejus loco utere Stacte. i. Myrrhæ prætiosissima gutta, vel Orientali, aut eo quod ex Peruvianis insulis afferri solet, quod mirabiles præstare utilitates veterum & juniorum diligentissimi literis commendarunt. Memini me pluries calculos magnos renum cavo tenaciter impactos, usu stillatitiæ aquæ ex nicotiana viridi extractæ in potum exhibitæ per urinam deturbasse. Si ea desit ejus decocto utere cum utilitate multa. *Zacutus Lusitanus, Observ. 66. lib. 1. Prax. Admirand.*

Sexagenarium immunem à renum calculo servavi annos 16. (cui alioqui obnoxius erat) largo salis marini usu, quod deinceps in multis confirmavi *Joan. Helmontius. Tractatu de Lithiasi cap. 3.*

Consiliarius quidam cùm per quindenas singulas soleret miserè calculi dolore decumbere, usus deinceps cerevisia cui semen dauci incoctum est, liber à calculo per aliquot annos vixit. *Idem Tractat. de Lithiasi cap. 3.*

In Monasterio prope *Bruxellam* fontes spirant aliquot, qui saxa parieti apponunt, unco namque & securi frequenter saxa adnata decutiunt. Ibi monachi quæruntur se strophas sive tormina pati, nisi semine dauci cerevisiis incocto utantur quotidie, odor enim seminis dauci, odorem saxatilem domat & comprimit. *Idem Tract. de Lithiasi. cap. 1.*

Baro quidem nostras dum per aliquot annos in sua *Angliæ* legatione, pluries calculis renum summo cum dolore infestatus fuisset, meque suadente, uteretur bis hebdomadatim liquore Aroph. *Paravelsi* (quod sonat Aroma Philosophorum) per 16. deinceps annos à Lithiasi liber. Tandem anno 83. defungitur, ejusque cadaver dissectum ne arenulam quidem aut Lapillum ostendit. *Idem Tract. de Lithiasi cap. 7.*

Rarissimum diureticum ex lapide cancrorum colligitur etiam vulnerarium ac febrifugum: modo resolvatur in formam pristini lactis quod quam sit excellens & potens, vix cuiquam quam perito persuaderi potest. *Jo. Helmontius Tract. de Lithiasi. cap. 7.*

Pro Calculo Vesicæ incipiente in puero quinque annorum.

In consilium adhibitus, hoc modo cum ipso processi. 1. Institui optimam victus rationem, nimirum ut aër sit calidus, panis bene fermentatus & coctus, non recens, neque nimis durus. Jusculis utatur carnium castratorum, pullorum, gallinarum, aut caponum, quibus aliquid rosmarini, salviæ & majoranæ, nonnihilque salis ratione saporis addi poterit, radices fœniculi, petroselin. & quæcunque urinam insigniter movent, succum indigestum simul ad venas mesaraicas ac hepar secum ducunt, ex quibus obstructiones viscerum, & materia calculosa augetur

getur. Viscidi, glutinosi, crassi, & qui difficilis sunt digestionis cibi nullo modo sunt offerendi, uti nec salsi, & qui pipere, zinzibere, caryophillis, raphano, cepis & ejusmodi rebus conditi sunt cibi. Legumina quoque oriza, fructus crudi, pisces, caseus, l. c, & lacte confecta edulia summopere vitanda. Vino utatur albo, & tenui decoct. agrimon. & veronicæ diluto. Posteà corpus sequenti potiunculâ expurgavi.

♃. Rad. fœnic. petrosel. eryng. marin. an. ℥ß. fol. agrimon. veron. cuscut. an. m. ß. sem. anis. ʒ j. coq. in aq. ad consumptionem tertiæ partis, in colat. ℥ ij. dissolv. syr. ros. compos. cum rhab. agar. & sena ℥ß. elect. diacartham. ʒß. M. F. potiuncula sumenda quatuor horis ante prandium.

Purgato corpore sequentem præscripsi syrupum magistralem, de quo singulis diebus duabus horis ante prandium ex cochleari sumebat ℥ j. observatâ interim optimâ victus ratione & per intervalla expurgato corpore, nunc præscripta potiunculâ, nunc pulv. rad. mechoac. ℈ ij. sumptis cum jusculo carnium, syrupi autem hæc est descriptio.

♃. Rad. fœnic. petrosel. gramin. saxifrag. eryng. marin. an. ℥ j. fol. agrimon. veron. herniar. capill. ven. cuscut. an. m. j. fl. 𝟑. cordial. genist. & fl. chamæm. an. p. j. sem. milii solis bismalv. anis. & sem. 4. frigid. maj. an. ℥ ij. liquirit. ras. & uvarum passul. exacinat. an. ℥ ij. F. decoctio ad consumpt. tertiæ partis, adde sacch. miscellan. ℔ 1 ß. mell. puri & despumati ℔ ß. F.S.A. Syrupus, aromatizetur pulv. cinamom. el. ʒ ij.

Per menses quoque aliquot sequenti semicupio ex rad. herb. & sem. emollientibus, laxantibus, lenientib. & flatus discutientibus per intervalla utebatur.

♃. Rad. & fol. malv. rad. fœnicul. petrosel. eryng. marin. an. ℥ ij. herb. parietar. viol. veronic. flor. chamæm. melil. genist. sambuc. an. M. j. sem. fœnugræc. lini, an. ℥ j. sem. petrosel. anis. fœnicul. genist. an. ℥ ij. coq. in q. s. aquæ pro semicupio. Ex simili quoque decocto, quotiescunque alvus non respondebat, addito vitello ovi, parumque elect. bened. laxativ. & ol. rutac. enemata præparavimus, & exhibuimus. Imum ventris, & perineum non ei solum balneo egresso, verùm etiam singulis diebus semel aut bis sequenti unguento inunximus.

♃. Ol. Scorpion. amygd. amar. an. ℥ j. ol. lil. alb. & ung. dialth. an. ℥ß. M. fiat unguentum.

His adhibitis remediis Dei singulari beneficio, paulatim convaluit, neque posthac ullum mali hujus vestigium sensit. *Guil. Fabrit. Hildanus Obs.* 71. *Cent.* 5.

Pro calculo Vesicæ.

Multa usurpavit remedia toto anno per intervalla ac tandem calculum excrevit nucis avellanæ magnitudinem æquantem, sed figuræ oblongæ olivam referentis: at verò tantâ difficultate, ferebatur per virgæ canalem, ut intra 31. tantùm horas a vesicæ orificio ad balani radicem pervenerit, ubi meatum angustiorem inveniens, nullo modo eum pervadere potuit, atque adeò necessum fuerit balani incisione illum extrahere, quæ in parte inferiori, propè frænum celebrata est, remedia quibus præcipuè calculi exclusio adscribitur, talia fuere.

Post evacuationes universales, usus est per mensem integrum pilulis ex salibus bacc. hederæ & nasturt. aquat. crystallo tartari & minerali part. æqualibus cum terebinth. in massam pilul. redactis. De qua sumebat ʒ j. manè singulis diebus; Posteà verò per novem dies sumpsit aquæ ceparum albar. in vino albo destillatarum ℥ iij. cui addebatur sal ex capite mortuo elicitum, & nono die prædicti calculi excretio contigit. *Lazarus Riverius Observ.* 14. *Cent.* 4.

Puero mercatoris cujusdam 7. annorum calculo vesicæ laboranti, Lithotomus Italus sine sectione lapidem eximere volens, digitum sinistræ manus medium butyro inunctum in podicem immisit (quæ ratio calculum inveniendi omnium est optima, & tutissima) ac dextrâ manu ventrem inferiorem in regione pectinis premens, digitoque podici intruso calculum propellens, illum ex vesica in cervicem illius impulit: ubi cùm ob magnitudinem subsisteret, & tactu suprà podicem deprehenderetur, illic sectione factâ suprà lapidem cochleari ferreo mox exemit, qui si minor fuisset, per meatum penis facilè exprimi vel exugi potuisset *Felix Platerus Obs. lib.* 3. *pag.* 894.

Barthol. Turrianus In Jatro 6. lib. 4. Vesicæ calculum sectioni destinatum fregit propinato pulvere crystalli, vel potiùs substantiâ ejusdem resolubili: fit autem Crystallus solubilis, si vel minimum novies in fornace figuli calcinetur, tunc abit in friabilem substantiam, & in cella positus liquescit, olei tartari instar, vel lapis crystalli ignitus septies extinguatur in aq. vel spiritu urticæ minoris.

Vesicæ calculus comminuitur emplastro ex cœpa alba cocta pectini imposito teste *Jo. Prevotio* med. *Patavino*, *Schroderus* commendat urinæ spiritum, vel è calculo humano factum, quem & ego sæpiùs probatum reperi *Wolfangus Hoeferus Herc. Med. lib.* 3. *cap.* 4.

Gerardus Boot Medicus doctrinâ & experientiâ præclarus, Molinæum quendam vesicæ calculo laborantem aquâ Persicariæ destillatâ ad integram sanitatem perduxit, de eâ haustum singulis matutinis exhibendo *D. Robertus Boyle* in aureo suo libro *de Utilitate naturalis Philosophiæ, parte secundâ, sectione tertiâ.*

Pro calculo Vesicæ,

Calculum in vesica existentem durum & antiquatum frangere nemo potuit: Molliorem, tophaceum, friabilem, recentem cum difficultate frangemus in juvene, non in sene, ubi aperti sunt meatus, non adstricti, ubi vires validæ sint, & ægrotus medico pareat, medicusque suo munere perfungatur: at etiam si conditiones adsint hujusmodi, rarò tamen hoc opus medicamentis absolvitur. Ego bis in hanc usque diem fractum vidi, primùm casu, mox deliberatione, atque maturâ consultatione additâ. Casus fuit, filium *Zanetti* Pontificii Typographi *Romæ* expurgandum susceperamus. Doctissimus quidam Medicus, & ego, ut po-

reâ tutior ad ipsam sectionem accederet (Jam enim cum Nurtino artifice de pretio convenerat) tentaverat ante omnia remediorum genera tum à Medicis Venetis, tum Florentinis excogitata, cúmque nullam consequeretur utilitatem, secari cupidus, sacerdotem jussit accersiri, ut sumptis Ecclesiæ sacramentis, si ex sectione moreretur, animæ fuisset consultum. Religiosus fuit ex societate Jesu, qui auditâ confessione ab ægroto, & cognito morbo proponit illi Pharmacum, ut dicebat magni usus, de quo & in seipso, & in aliis periculum fecit, experiri placuit, neque facti pœnituit. Eodem remedio in renum calculo usus sum bono semper successû, vidi enim circuitus illos nephriticos fuisse, non sine assistentium admiratione sanatos. In affectu vesicæ nunquam sese mihi obtulit occasio experiundi, nisi semel, sed æquali cum superioribus eventû, variato tamen exhibendi modo. Describam primùm Pharmacum ab ipso Jesuitâ traditum, mox verò aliud, sed imprimis illud remedium approbo, quia nihil deesse video, quod possit ad hujusmodi opus perficiendum exoptari: vim agnosco simplicium egregiam, componendi rationem exquisitam conspicio, ac eò magis probo, quod pro basi continet antidotum, in quo summa vis inest ad frangendum calculum. Habet autem Jesuitæ pharmacum ita.

℞. Pulv. millepedum præp. ʒj. ad summum ℈ iv. aq. vitæ ℥ß. juris cicer. rubr. ℥ix. vel ℥x. capiat calidum horis ante prandium 5. enemate utebatur emolliente ante medicamenti potum; instituebat simul emollientem victum: effectus medicamenti fuit; horarum duarum spatio, totum corpus incalescebat, angustiebatur ægrotus, sitiebat, ac ferè loco stare non poterat, aliquando circa pubem dolores urgebant, urinæ horâ quintâ cœperunt crassiores reddi, sed non multæ. Secundo die à pharmaco contingebant eadem, sed urinæ copiosiores, & crassiores. Tertio sabulum apparuit multum, septimo tandem adeò plenæ sabulo visæ sunt, ut recte quis diceret, eas nihil esse quàm sabulum aquâ dissolutum, omnia in meliorem statum redigebantur, ita ut qui proximè incidi debebat, liber ab omni malo nono fuerit Die; & hic adhuc vivit, ab eo morbo Dei benignitate liber.

Ego verò Juvenem annorum 18. calido & sicco temperamento curaturus, duxi minuendam quantitatem aq. vitæ, & ubi singulis diebus datum alteri fuit antidotum, huic alternis dari jussi, ac pro refrigeratione totius corporis aquam fragariæ, & fabarum ad ℥x. propinabam, intermedio die cum gutt. vj. ol. calcanthi & ℥j. Julepi violati, hoc autem modo Pharmacum indicabam.

℞. Pulv. asellor. præp. ʒj. aq. vitæ ʒij. decoct. cicer. rubr. ℥viii. M. S. & capiat tepidum 6. horis ante cibum, sed cum excalefaciebam igne Pharmacum, ibi non erat aqua vitæ, verùm ubi ab igne remotum erat; miscebatur. Dedi medicamentum in Balneo decoctionis herbarum emollientium, universalibus præcedentibus, præparantur millepedes ad renum & vesicæ calculos hoc modo.

℞. Asellòrum quam volueris quantitatem, vinoque albo generoso abluito diligenter, mox in ollam conjicito novam vitreatam, lutoque illam incrustato, demum in furno exsiccentur itaut possint in tenuem pulverem redigi. tum verò affunde vini ejusdem generosi quantum poterunt imbibere, & rursus exsiccato ac tertio imbibito & exsiccato ut supra, quarto verò pulverem irrorato hoc qui sequitur liquore.

℞. Aq. fragor. ℥iij. spirit. vitriol. ℥iß. Iterum pulvis exsiccetur. & tennissimè contritus in vase vitreo, aureo, vel argenteo usui servetur. quod ad ipsam incisionem attinet, si fiat ignitis cultris, multò fœlicius succedet hanc rationem secandi, meâ persuasione, adhibebat *Romæ* quidam ex meis discipulis, ac omnes ferè sanitati restituebat. *Horatius Augenius Epist. & Consult. Tom. 2, lib. 9. Epist. penult.*

Wilhelmus Laurembergius Professor *Rostochiensis*, ut ipse de se refert provecta jam ætate calculo vesicæ laboravit, qui cùm varias molestias exhiberet, & nucem ponticam æquare deprehenderetur, ac citra sectionem exire non posse putaretur: ipse verò periculosissimo huic auxilio sese subjicere nollet, de aliis remediis cogitare cepit, primò ergò liquorem illum nephriticum celeberrimum magnoperè apud Principes in pretio & usû habitum expertus est, qui ita paratur.

℞. Salis tartar. alb. ʒj. affund. aq. petrosel. ℔j. M. & per chartam bibulam transcoletur, & liquori color croceus corticibus aurantiorum concilietur, usurpavit etiam gemmam illam Indicam, Igiada *Hispanis* dictam, ad calculum frangendum celeberrimam: sed utriusque remedii nullam vim deprehendit, ergò inter reliqua quæ ad calculum comminuendum commendantur, Pharmacum ex asellis experiri voluit, ad imitationem Augenii in hunc modum.

R. Pulv. asell. præp. ʒj. spirit. Juniper. ʒij. Juris cicer. rub. ℥x. M. Quo manè assumpto, primâ & secundâ vice à sumpto medicamento tribus aut 4. horis quandam. pectoris compressionem percepit, & quasi imminens animi deliquium, ut necesse haberet theriacæ ℈j. potioni admiscere, atque ita remedio hoc totos 15. dies usus est. Sed toto hoc spatio ne minimum quidem Sabuli expurgari reperit, itaque alia addenda ratus, sequenti medicamento usus est.

R. Assel. præp. ℥ij. lepor. præp. sang. hirci præp. spong. ros. sylvestr, sem. Viol. purpur. an. ʒj. spec. Lithontrib. ʒij. M. F. antidotum. Hujus antidoti accepit ʒij. decoct. diuretic. ℥x. spirit. Juniper. ʒij. quod medicamentum ubi manè hora 5. hausisset, secundâ vice post horas plus minùs 4. sub pubis osse ad regionem ostii vesicæ magnos sentire cepit dolores. Paulò post parum urinæ profluebat, & cum ea lamellæ exiguæ instar squammæ piscis subrubræ, quæ licet aliquam viscidıtatem habere viderentur, ad tactum tamen in sabulum resolvebantur, ita ut manifestò appareret tunicam vel crustam esse à majore calculo solutam. Cujus medicamenti usum cùm continuaret, interdum tertio, interdum quarto, nonnunquam quinto die, hujusmodi lamellæ crassiores, & fragmenta sæpè grandiuscula profluxerunt, & præsertim ubi lavacro aquæ dulcis uteretur, cùm verò & à calculo & ab ejus fragmen-

tis,

tis, orificium vesicæ esset sauciatum ad leniendum dolorem, medicamentis usus est, atque ita horum medicamentorum usu 17. septimanarum spatio a calculo isto liberatus est. Decoctum diureticum hoc fuit.

℞. Rad. liquirit. ℥vj. alth. graminis, ononid. an. ℥ß. baccarum halicacab. numero xx. cicer. rub. ℥iij. uvar. pass. ℥j. sem 4. frigid. Mai. an. ℥j. hord. pil. coq. in aq. alkekengi, ononid. fragor. flo. fabarum an. ℔ iß. colatur. adde syr. de alth. ℥ij. *Daniel Sennertus Pract. lib. 3. part. 8. sect. 1. cap. 2.*

Pistor quidam habebat filiolum, quæ sæpiùs cruentum mejebat, medioque filo suspendebatur lotium: erat autem pallidum cum multo sedimine ac glutinoso, sicque septimum vixerat annum; Vilica quædam narrat pistori, idem sibi olim contigisse, jussit adferri vesicam tauri embrionis nondum nati; vesicula ista plerumque repleta est liquore saporis non quidem urinalis, sed alieni, cujus singulo mane bibit ℥ij. cum totidem vini albi. Apud aliquot puellas pauperes idem ex embrione hirco tentatum ac fælicius adhuc successit. *Joann. Helmontius tract. de Lithiasi Cap. 7.*

Ingens calculus ex inciso vesicæ fundo, in nobili Muliere extractus.

Vesicæ vulnera quia sunt ut plurimùm exitiosa, non immerito inter lethalia censet Hippocrates; attamen læsa vesica convalescere, cùm aliis, tum etiam mihi ex sequenti historia compertum est.

Nobilis matrona Urbana Proux, vidua Danielis Hugonini, Viviacensis patritii, biennio miserrime cruciata est calculo in vesicâ. Ego tandem adhibitus, partim cathetere in vesicam immisso, partim imposito in matricis collum digito, calculum ovi gallinacei magnitudine semi, a quo continuis, iisque acutissimis doloribus afficiebatur; vires plane prostratæ erant, unde ægra pariter cum adstantibus de vita desperabat. Pluries rogatus, ac tandem victus ipsius decumbentis & affinium precibus, ut calculum extraherem; ante omnia cùm totum corpus, tum imprimis partem affectam præparavi hunc in modum: Primò levi quodam medicamento ægram purgavi: vires quantùm potui, cibis eucnymis, itemque potionibus cordialibus, & epithematibus restauravi. Deinde dolores, quoad fieri potuit, emollientibus & anodynis vesicæ regioni appositis, & syphone in ipsam injectis, sedavi. Tum leviculum ulcus ipso vesicæ fundo in collum matricis ad uteri orificium intrans, deprehendi; quod calculus sua cùm asperitate, tum pondere eroserat, quodque una cum calculo, quoties recta staret ægra acie digiti indicis in collum matricis immissi facilè deprehendere poteram.

Die igitur 28. Julii 1598. apparatis omnibus ad operationem necessariis, ipsâque ægrota in sede parturientis collocatâ, vesicam oleo amygdalarum dulcium, syphone immisso implevi: (sic namque reddebatur lubrica; & ab lapidis asperitate vindicabatur) deinde ipso ulcere nonnihil partim digiti operâ lacerato, partim cultelli acie ad vesicæ collum inciso, ac per ipsum immissis tenacula, & idoneo unco, calculum (ut dixi) ad ovi gallinacei magnitudinem citra vim, hæmorrhagiam, doloremq; magnum eduxi. Ab operatione, ventrem, & totum inguen defensionis gratia, oleo rosaceo & myrtino inunxi. Pessarium ex stupis, albumine ovorum imbutum, matricis collo indidi, triduo aquam plantaginis cum oleo amygdalarum dulcium (ad dolores sedandos) tepide injeci. Postmodum decocto petroselini, asparagi, brusci, Herbar. herniariæ, saxifragiæ, & seminum petroselini, genistæ, & anisi cum melle rosaceo mixto, vesicam quotidie ablui. Sic Divino auxilio nullis supervenientibus symptomatibus, restituta & persanata fuit & ad annum 1611. incolumis supervixit. *Guil. Fabri Hildan. Observ. chirurg. Cent. 1. Obs. 68.*

Calculus ingentis magnitudinis ex vesicâ hominis extractus.

Calculos ingentis magnitudinis ante menses aliquot mihi ostendit Dn. Daniel Episcopus Bernensis, lithotomus excellens; quos ipse diversis temporibus ex calculosis extraxerat. At ego calculum, qui magnitudinem ovi gallinacei multùm excedit, ex vesica nobilis matronæ extraxi anno 1598. 28. Julii, quæ & ad annum 1611. usque supervixit.

Anno 1602 prima Novembris Andream Vitellium, oculistam & lithotomum intrepidum, mihique olim cognitum; Hattingiæ in comitatu marchiæ, calculum monstrosæ magnitudinis cineritii coloris, inæqualem ac si ex multis lapidibus compactus fuisset, & ad uncias viginti duas pendentem, ex vesica juvenis cujusdam, viginti annorum ætatis, Joann. Groten nomine, extraxisse, Magister Eberhardus Stelinks, ejusdem oppidi chirurgus, vir probus & fide dignus (in cujus præsentia Vitellius calculum istum extraxerat) anno 1612. cum Hildena Hattingiam profectus essem; præsentibus multis aliis hujus operationis testibus fidelissimis, mihi retulit. Sed in ipsâ operatione quæ & longa & laboriosa, imprimis vero dolorosa fuerat, æger animam Deo reddidit. *Guil. Fabr. Hildan. Observ. Chirurg. Cent. 4. Obs. 51.*

Valentinus Vogler Heidelbergensis, antehac ludi moderator, grammateusque in Schroetzingen & Munster ad flumen Noli in Palatinatu inferiore, qudragenarius, ante annos octodecim videlicet circa annum 1608. stranguria, & difficultate inter mingendum cum maximo cruciatu ventris, laborare cœpit, sine ulla tamen causa, ut ille quidem testatur, externa. Stranguria illa, & dolores ventris, cùm in duodecimum annum perseverassent, & magis magisque adaucti fuissent, tandem ante annos sex planè substitit urina, nec ampliùs per penem effluxit, sed hinc inde per Scrotum, & è regione pubis ulcera fistulosa sibi efformavit, perquæ ab eo tempore urina sine insigni molestia & dolore effluxit. Horum ulcerũ, uti fieri solet, jam nonnulla claudebantur, jam nova exoriebantur. Superiore præterea æstate, cùm Novus & ingens quidem abscessus ad sinistrum latus scroti exortus fuisset, Basileam venit, ubi iterum multos, ingentesque sustinuit dolores. Tandem 16. Junii cùm ruptus fuisset, multumque puris effluxisset, calculus in conspe

ctum venit, qui & post dies aliquot à Dn. Martino Wirzio Basileensi, Lithotomo, & amico meo singulari, sine ullo negotio ex vulnere post ruptum abscessum relicto tenaculis & hamulis, directore ac præside clarissimo viro Dn. D. Thoma Platero, celeberrimæ Academiæ Basileensis Archiatro ac Professore Practico Ordinario, extractus fuit. Calculum ab initio pondus octo drachmarum excessisse nobis retulit, jam verò, uti tu ipsemet vidisti, vix drachmas quinque pendet, est enim porosus, & cineritii coloris, itaut facilè crediderim, ab initio ipsum, veluti pumicem aquâ imbutum fuisse. Calculum mihi reliquit, quem inter rariora mea reservo. Ego verò ne ingratus erga pauperem huncce exulem essem, viatico ipsum muneravi. Porrò ab eo tempore, quo extractus fuit calculus, tota fere urina per illud ipsum ulcus, à calculo factum, effluit, sine dolore tamen, interim præter ulcus hoc, sex adhuc reperiuntur ulcera ad ductum urinarium penetrantia. Unum in pube, tria circa radicem penis, & principium Scroti, versùs dextrum latus, & duo in Scroto ipso. Perinæum integrum & sanum est, neque antehac malè affectum fuisse, constanter affirmavit, urinam quoque se nunc retinere posse, nec guttulam quidem involuntariè effluere dicit. Quum vero summoperè molestum ipsi esse viderem, urinam nonnisi depositis caligis reddere posse, vel spongiâ, aut linteaminibus ipsam colligere coactu esse, sequens vasculum, olim Coloniæ, pio ægro quodam amico meo à me inventum, ex cupro fabricandum feci, ipsique dedi. Hujus vasculi beficio urinam ita excipit, ut nè guttula quidem ad caligas exstillet.

Cæterùm de loco generationis hujus calculi nobis perquirendum est, in vesicâ ipsum generatum fuisse, vix credam; quo modo enim tantus lapis ex vesicâ per ipsum ductum urinarium usque ad radicem penis pervenire potuisset, sine insigni læsione partium, quas transiit? Et quia perinæum nunquam in hoc viro malè affectum fuisse, & tactus ipse, & ocularis inspectio (lubrica enim sunt omnia) fidem nobis fecerunt, & æger constanter asseruit, sequitur, calculum non in vesicâ, sed in ipso loco ubi extractus fuit, concretum fuisse. Id verò quomodò acciderit, non facilè est scire causam enim externam hujus mali nullam ex ipso expiscari potui. Quædam tamen, quæ mihi in mentem nunc veniunt, adscribam: quæ si non vera, verisimilia tamen esse mihi videntur. Arbitror autem, ipsum ab initio morbi (hæc sine dubio nobis propter verecundiam celavit) excoriatione quadam, & postmodum caruncula laborasse, & proindè urinam sæpissimè retentam fuisse, donec tandem exorto abcessu circa radicem penis, relictus sit sinus & ex eo varii ductus & ulcera fistulosa, quemadmodum & te præsente, sex circumcirca Scrotum & in ipso Scroto reperi. Toties itaque & quotidie collecta; imò & plerumque ad tempus retenta urina, in sinû ipso circa Scrotum, nihil video quod obstare potuisset, quò minus hoc in loco æque ac in vesica, concrescere potuerit calculus, imò & forsan facilius. In vesicâ enim insita illa facultas expultrix continuò operatur, & quod nocuum est extrudere conatur, quod circa Scrotum minimè fieri potuisse, tibi notum est. Cur quæso in hoc sinu calculus generari non potuisset, cùm & in Atheromate circa temporalem musculum genitam fuisse materiam lapideam superiori anno hic mihi videre contigerit. *Guil. Fabr. Hildan. Observ. Chirurg. Cent. 6. Obs. 57.*

De calculo in vesicâ

Inter complurimos à calculo per me liberatos mihi in mentem venit Illustriss. D. Gregorius Malvetius, qui viginti annis elapsis in calculum vesicæ incurrit. Alios præter me consuluit Medicos, qui omnes calculo vesicam laborare asserunt. Hac de re medicamenta plurima frustra ipsi præscripserunt. Ad nos tandem venit, maxime cùm ab illis intellexisset solam superesse incisionem, quam toto pectore reformidans, undique conquerere remedia statuit. Nos ipsi duo præscripsimus, in quibus ejus salutem repositam esse assero, si in eorum usu persistat: Primùm fuit herniaria cum betonica in jusculo carnium cocta, bibit quotidie jusculum ad tres vel quatuor menses; at cùm ipse astrologiæ deditus esset, subexplorato, & benevolo siderum positu plantas eas colligi curavit. Secundum fuit astacorum fluviatilium lapis de quo quotidie in vesperis ʒß. accipiebat cum succo Limonum. His duobus fælicissimè convaluit. Quid mirum si quindecim annis à sanitate elapsis sanguinem expuere cœperit? cujus occasione Patavio Medicos consuluit, sed eum ad propriam Civitatem remittunt, ubi post aliquod tempus in manifestam phthisim incidit: tunc que pluribus in hac re habitis consultationibus, extremum diem tandem clausit, quamvis sexagesimum quintum annum ageret. Hic affectus raro senes adoritur. Unde quidam Medicus ad Eminentem cathedram evectus, morbum hunc non esse phthisim asserebat, quod ex Hippo. intellexisset, post trigesimum quintum raro advenire.

Admodum Rever. Pater, moribus & vitæ integritate clarus, P. F. Antonius Vernitius Franciscanus annos 45. natus, post varia tormenta, & infinita remedia pro calculo in vesica atterendo, me accersiri curavit. Re citra spem habita, & potius de morte, quàm de vita cogitans, ad extremum confugiendum esse statui, ne ipsum sine remediis periturum relinquerem: Salem itaque vitrioli sublimatum, & ad extremam puritatem adductum ipsi statim exhibui cum jusculo carnium. Horâ post ipsum assumptum vomuit & excrevit calculum satis magnum, ex quo confestim ab omni dolore liber evasit.

Vetula quædam annorum 60. in via, quæ dicitur *il Borgo della Paglia*, longo tempore à calculo in vesica cruciabatur. Post multa remedia incassum adhibita, Lithotomus ad eam conducitur, qui cathetere calculo explorato, de mercede paciscitur. At illa non tam expensas timens, quam operis sævitiem sic diu incurata manebat, ac vitam nimis infaustam ducebat. Quum verò minus de salute cogitaret, ecce calculus ad orificium externum vessicæ se profert. Ad eam perductus consului, ut sequenti mane pro viribus per civitatem deambularet, & ubi non sufficerent vires, aliquem secum perduceret

ceret cui per viam inniteretur, & antequam egrederetur domo, pudenda bene mungeret oleo scorpionum: quod ad unguem exequitur, unde vix domum reversa, calculum prædurum ovi Gallinacei magnitudine exhernit, non sine admiratione, à qua excretione libera penitus evasit. *Petrus Poterius Observat. Cent. 3. & seq.*

De calculo renum.

Tanta est nephritici doloris affinitas cum dolore coli ut non raro peritissimos Medicos ambo deludant. Talis fuit is, quem nuperrimè patiebatur Admodum Rever. D. P. M. Joann. Evang. de Juncis, in celeberrimo cœnobio D. Francisci, ipse enim quindecim diebus atrocissimo dolore ventris premebatur. Locus doloris erat circa regionem renum per vreteres se extendens, cum frequenti nauseâ, & vomitu, urinæ erant multæ & tenues. Curationem aggredimur per communia, tantò magis; cum tres essemus vocati ad curam. Prima die subducta aluo clystere emolliente accepit pluries de spec. Elescoph. quod statim evomuit. Sequenti die pulpa cassiæ cum Diaphenic. adhibetur quod pariter per os rejecit. Interea fotus cum carminativis, bacc. lauri, Junip. menthæ, calament, majoranæ, absinth. fœnug. lino, cymino, camomill. & melil. Post ejusmodi fotus oleis discutientibus, & aperientibus inungebatur; clyst. quoque discutientes cum decocto carminat. elect. de bacc. lauri, Benedict. laxat terebint. & similibus, frequenter reiterabantur. Cùm dolor magis sæviret, sapientissimè à seniore Medico balneum olei communis præscribitur: stat per horam in dicto oleo, à quo cum nihil levaminis percepisset, imo dolor vehementior redditus videretur, consultationem inter nos inire cæpimus rem esse conclamatam videbamus. Vitrioli salem propono, & in his morbis verum esse rhizotomum. Abnuunt alii duo Medici, sed sagacissimè; nam ab assumpto tribus horis cessat omnis dolor. In quo satis videre est boni & legitimi Medici esse, Chimica remedia non spernere, indocti soli vituperant quæ ignorant. *Idem Observat. & curat. Cent. 3.*

Calculus vesicæ cervicem deserens.

Joanni Trassato tantum negotii, in senectute facessivit calculus vesicæ: ut non modo vix unquam mingeret sine acerbo urgentis urinæ cruciatu, verum rarissime quoque deambularet, sive subdio sive in porticu, sine evidente doloris sensu, ob calculum vesicæ cervicem, miserandum in modum excarnificantem, donec tandem doloribus ac punctionibus cessantibus, liberè denuo urinam reddiderit, adeptus non solum copiam agendi iterùm negotia, à quibus aliquandiù abstinuerat, verùm etiam quocumque proficiscendi perindè atque sanissimus.

Quam inopinatam rerum faciem, ut summè admirabatur Aeger, sic non levem conjecturam movit Medicis, calculum stationem suam, ex quâ tam atrox intulisset bellum, seu remediis sive tempore deseruisse. Indeque turbas recedisse, pacemque corpori tandem concessam, à qua tamen sententia æger adeo fuit alienus; ut potius crediderit, se nihil unquam a calculo, verùm omnia ab indurato aliquo tumore, cujus pondus etiam num circa anum persentisceret, pepesisum fuisse. mansitque ipsi hæc opinio ad extremum vitæ halitum. Facto vivendi fine per omnimodam urinæ supressionem, ubi integrum quinquennium satis commode habuisset. & producta ab anatome in lucem veritate, quæ hactenus delituerat spissa caligine sepulta. Cujus benefio vidimus durum aliquem tumorem prope vesicæ cervicem situm, in causa fuisse, quominus profluxerit ipsi lotium, sive sponte sive meatu quoque per catheterem reserato, idque ex vesica, aquâ, id temporis, maximè repleta. quod inusitatum tumoris genus, instar carunculæ tunica inclusæ, ante vesicæ exitum propendens, uti huic ægro exitio fuit, sic etiam clanculum aliorum vitis insidias struxit; ignorantibus Medicis quo referrent exitialem suppressæ urinæ caussam; ea enim fuit tumoris forma, ut elevata à cathetere, illud tamen ita complecteretur, ut nihilominus impediretur urinæ effluxus, in quod haud leviter admirari licuit imperuestigabilem Dei sapientiam, cui numquam desunt ministri quibus animam ex hoc ergastulo ad meliorem evocet vitam.

Sed quid dicemus de calculis, qui primum maximum, deinde verò nullum excitarunt cruciatum? erant hi duo, & quidem satis ingentes, in principio, atritu suo vesicæ cervici molesti, mox verò pondere suo adeo extenderunt sequacem vesicæ membranam ut paulatim descenderint, ad quatuor transversos digitos, à priore statione; provoluti quasi in sacculum vesicæ adhærentem in cujus receptaculo, etiam calculum suum dicitur conclusum habuisse, Vir incomparabilis eruditionis. Isaacus Casaubonus, fuitque hæc loci mutatio verissima Causa illius levaminis, quod æger percepit postremis vitæ annis defficientibus Deo optimo maximo nunquam auxiliis, quibus etiam sine medicorum ope, ab intricatissimis morbis vindicet miseram hominis vitam. *Nicol. Turpius, Obs. lib. 4. Cap. 48.*

Calculus Vrethræ.

Filio Rectoris Campensis succreverant ab ineunte ætate, in medio urethræ ductu, plurimi calculi qui illum paulatim distenderunt, ad instar pugni puerilis, adeo ut singuli distinctè manu palparentur; illato tamen ne minimo quidem impedimento urinæ exituræ, quem tumorem sexto demum ætatis anno ablaturus Chirurgus, aperuit scalpello colem, prope lineam intermediam; in musculis urethræ dilatationi dicatis; eductisque inde quinque & viginti calculis, instar maximorum pisorum, perduxit vulnus ad cicatricem, puerumqne ad pristinam sanitatem, ante diem sextum, sine ullo fistulæ metu, nedum pervio hiatu, per quem invito efflueret vel minima urinæ guttula, usque in decimum post sectionem annum. *Idem Obser. lib. 4.*

Calculus per lumbos excretus.

Jurisconsultus natus patre calculoso, eidem-

que cruciatui à puero obnoxius, vixit aliquandiu misere, & tum quidem hoc miserius, quod calculus à rene per lumbos expulsus reliquerit ibidem ulcus callosum, profluens perpetim urinâ ac pure, & quidem fluxû tam perenni ac diutino, ut nec tempore nec remediis, nedum aquis Spadanis aut thermis Aquisgranensibus ullam persentisceret opem, quin potiùs, occluso per lumbos exitu, ac derivato deorsùm sordidissimo pure, inciderit tandem in febrem acutissimam, quæ ipsum miserandum in modum occidit.

Cui fortuitæ calculorum per lumbos eruptioni, fortè innixa est sectio illa, quâ Roussetus satagit, per scalpellum, calculos ex renibus elicere, sed rectè, an perperam, viderint illi, quibus notus est cùm ipsorum renum, tum calculorum inibi concrescentium situs, qui ut non semper sunt uniusmodi, sic discrepant interdùm evidenter formâ, loco, numero, ac magnitudine: dispersisque radicibus per renum carnem insident nonnulli penitùs ipsorum substantiæ; quam ut sine omnimodâ ipsius dilaceratione inde extrahentur: quid quod, dissectis tubulis ad papillares processus sive glandulas serum provehentibus, necessario consequatur, perenne illud, quod Jurisconsultum hunc pessundedit, Ulcus, quod non minùs molestum arbitror, quàm ipsum calculum, in renibus permanentem, nè quid jam dixerim de lumborum nervis, vicinis venis ac larga peritonæi incisione, quorum omnium anceps eventus facilè plus damni quàm emolumenti afflictis daret. *Idem eodem libro.*

Urinæ transitus renis calculo per sedecim dies obstructus.

Plurima reliquere nobis doctiores exempla diuturnæ urinæ obstructionis renum calculis exortæ; nullus tamen eorum, quod sciam animadvertit accidisse, ut urinæ cursum prædicta causa per sedecim dies sisterit, mihi tamen illud anno 1661. in Mauricio Gerardi Boschuliet moderatæ vitæ homine, ac septuagenario, valido tamen etiamnum, ac sano videre contigit. Is per horas aliquot curru vectus, in aggere secundum Mosam flumen, ac descendens, ut urinam excerneret, eandem sanguinolentam vidit: Ac, quoniam lapis rhedæ agitatione, corporisque hinc orto motu mobilior, minusque adstrictus factus exinde sensim in inferiùs vergeret, omnis omninò lotii retentionis causa fuit, ac sextodecimo demum die transitus lotio patuit, postquàm varia emollientia tam interna, quàm externa clysterum videlicet, fomentorum, balneorumque &c. à diversis Medicis illi præscripta, atque adhibita essent, quo etiam tempore calculum ille oblongum emisit, qui nuclei pini magnitudine par erat. Interea tamen per illos dies ipse præ nimiâ oppressione, urinæque impedito exitu hanc at salsissimam aliquoties vomitû ejecit. *Cornel. Stalpart. Observ. rarior. Cent. 1. Obs. 51.*

Calculus per ulcus prope inguen emissus.

Mense Junio 1660. cum Chirurgo H. Dorlé, intellexi filium J. Brouwer decem annos natum, ad quem vocatus eram, per aliquot dies nihil omnino lotii excernere potuisse, nec tamen tunc quidem ulla notabilia calculi renum deprehendimus ex accidentibus Indicia, cui licuisset urinæ retentionem attribuere: Nulla insuper aderant signa, quæ vesicæ proderent calculum, quoniam Chirurgus, aliquoties immisso ad facilitandum lotii transitum cathethere, nihil omnino obstaculi, duritieive senserat. Postquam itaque puer hic dies aliquot satis miser transegisset, in dextrâ parte prope scrotum, nec procul à virgæ radice, versùs inguen abscessus apparuit, qui non ita diu post versùs partem exteriorem rumpebatur; hac tamen antequam fierent Scroti, nec non penis cutis, præputiumque ita intumuit, ut incidere hoc necesse habuerimus, ut aptè ad urinæ transitum promovendum intromitti posset catether, tandem verò Calculus phaseoli instar, variegatoque colore, ut solet marmor, prodiit; puer autem tam per Virgam, quàm per foramen propè inguen continuè tribus etiam post annis, lotium excrevit, quamquam hoc sensim minutum, ac tandem sanatum fuerit. *Idem ibidem.*

Calculus per inguen prodiens.

Vidit frater meus *Joan. Stalpartius vander Wiel*, ut & Chirurgus *Arnoldus de Wilde* in Hagiensi πτωχείῳ quindecim annorum adolescentem, cui post diuturnum dolorem, cujus causa erat ureteri inhærens calculus, tandem ulcus in inguine ortum est, per quod ille exiens ægrum dolore liberavit, fistulâ tantum ibidem superstite, per quam continuè guttatim urina stillabat. *Idem ibidem.*

Calculus venæ Thoracicæ.

Calculum quem nobis aliquando obtulit arteria aorta, corpori inclusa, illum nunc demonstratum venit vena Thoracica foris obvia, cujus os, ab interno abscessu reseratum, apertumque novum hunc hospitem non secus complexum fuit, ac scapulæ ille tumor, in quo teste, Joanne Schenkio lib. v. Ferrandius senior conspexit simillimum calculum, à sanguine firmiter concretum.

Jano Mulerio integrum triennium à suppurata pleuritide divexato, tandem exortus fuit, circa extimam ulceris oram, prædurus tumor, continens in se, sphæricum, ac inæqualem calculum, insidentem arctè venæ thoracicæ externæ, cujus magnitudo, ut nuci avellanæ, sic forma fuit simillima racemo uvarum corinthiacarum, quibus calculus hic rotundis, splendicantib., ac atris suis acinis adeò fuit æqualis, ut vix ovum ovo videri similius possit. Exorto procul dubio nigro illo colore, ex adusto venæ sanguine; uti albâ, quâ inferiùs obducebantur, crustâ à candicante puris recremento.

Agedum Chirurge, fatigant te interdum inveterata ulcera, ludisque non raro operam in tumoribus duris, ignarus, loco puris, aliquando calculum inibi maturescere. Vis filum Ariadnæum? cujus ductû feliciter ex hoc labyrintho evades, sequere quod proposui exemplum & considera attentè, num siliceus

hic

hic hospes clandestinè alicubi delitescat. *Nicol. Tulp. Observ. Medic. lib. 4. cap. 22.*

Calculus.

Rutgero Schorer, filiolo, parvus calculus cum summis doloribus per ureterem ad vesicam descendit, indè verò paulò post in penis meatum expulsus, cùm ob magnitudinem transire non posset, mediæ urethræ inhæsit, atque urinam totaliter obstruxit. Variis modis illius extractio tentata fuit, sed frustrà; tandem autem cùm ad doloris immanitatem etiam partis inflammatio accedere animadverteretur, eundem sectione extrahere necesse fuit, quapropter cute aliquantum sursùm versus glandem attractâ, Chirurgus Urethram in latere loco ubi calculus subsistebat, sectione aperuit, atque inde calculum extraxit, quod vulnusculum postea facili negotio rursùs consolidatum fuit, puello nullum incommodum inde retinente. *Isbrand. de Diemerbr. Observat. & Curation. Medic. 73.*

De Calculo Renum.

Civis Bergensis conquerebatur de dolore dorsi è regione renum, vomuit, urinæ retentio aderat, & difficulter nec sine dolore aliquid ejus excernere potuit. Adhibui enemata, dedi lithontriptica varia, balnea, & fomentationes institui. Dolorum quidem acerbitas mitigabatur. & sentiebat calculum magis magisque descendere, permansit tamen in urethere, per octiduum & eo diutiùs. Deinde ex improvisò omnes dolores evanuere, urina libere fluebat, appetitus rediit, sed nullus excernebatur calculus, ita ut dubium nobis esset, an unquam calculus adfuisset, sed signorum syndromen, animi trutina ponderans, & quod ante aliquot annos etiam calculum excrevisset, calculum adhuc latere persuasus sum. Quid fit, per 10. dies integra fruitur sanitate deinde subito recrudescit dolor cum ischuria; dedi diureticum cum lithontripticis, & excrevit tum demum calculum magnitudine fabæ. Qui proculdubio tam diu hospes fuit in vesica. Idem ante biennium dolore nephritico affligebatur, descendebat calculus in vesicam ubi adhuc latet, & interdum liberum transitum urinæ impedit; cum verò id sine dolore fiat, medicinam non admittit; Et si ipsi prædixerim, calculum quotidie augmentum capturum, & olim ipsi causam mortis præbituram. *Got. Christ. Wincleri.*

Insolita calculi in corpore transeuntis via.

Fœmina hujus *urbis*, Reverendi cujusdam *Antiscitis filia* anno 64. de summa deglutiendi difficultate conqueri cœpit, cum vehementi in collo dolore. Huic sperma ceti cum ol. amygd. dulc. camphora & syr. ex viol. &c. commistum; ad minoris cochlearis capacitatem noctu assumere præcepi, dolor non nihil remisit. Altero mane repetiit eandem misturam, non ita diu postea quidpiam, *à collo ad dextrum sub diaphragmate latus*, tanquam globum sclopetarium veloci motu transire sensit. Emplastrum triapharmacum ad bidui tempus inibi impositum habuit. Exinde pari velocitate dolor ille ad pubem descendit, ibique moratus, donec post inunctiones & cataplasmata tres calculos pisa superantes ex vesicâ ejecit, nullo hactenus subsecuto incommodo *Joan. Georgii Volcameri.*

Effectus pathematum animi in Calculo.

Illustris quidam *legatus Batavus* calculo renum afflictus, & meæ curæ permissus, cùm ægrius potaret pharmaca, hoc gravius aliquandiu cruciabatur, sed in mediis doloribus postquam superveniens tabellio lætum nuncium è patria attulisset, è vestigio prodiit sponte calculus; & nobilissimum ægrum sollicitudine duplici levavit. Hæc in lætis, quid in tristibus possint, nunc intuebimur: *Dorothea Mothia* viduarum honestissima securè dormiens, & jam diu nullos calculi labores experta, cùm à famula per tumultum excitaretur ob incendium vicinis domibus imminens, subitò gravissimos renum cruciatus sensit, à quibus expediri non potuit, nisi excluso demum grandiori calculo. Non formavit hic metus calculum, sed quietum loco suo excussit: non ibi lætitia ejecit lapillum, sed vasa ampliavit ut facilius ejiceretur. Adeò stringit, arctatque formido, aperit hilaritas. *Olai Borrichii.*

Quid faciat aliquando immanitas doloris à Calculo inductio.

Dolui ex animo, cùm ex *Antonio Guainerio* aqud *Gabelchoverum* legerem, Virum quendam bonum, cùm diu dolores calculi crudeles patientissime sustinuisset, tandem victum acerbitate cruciatuum animam suam infesto Dæmoni commendasse, modo à doloribus liberaretur. Mitius fortasse magnus ille Macedo, sed tamen vehementissimè doluit, cùm auctore *Curtio*, epoto jam Herculis scypho, repente velut telo confixus ingemisceret, & ferrum posceret in remedia. Parùm abfuit ab honorato quodam viro nostrate, peregrinationibus claro, similis fortuna: is postquam diu luctatus esset cum infelici stomacho, omnia cibaria per vomitum rejiciente aliisque doloribus hypochondria vago, sed acerbissimo cruciatu affligentibus, aliquando cùm ex lege amicitiæ ægrum inviserem, præsente medico ordinario ad utrumque conversus, inquit, quod graviter sauciat conscientiam meam occidi hominem & manus innoxio sanguine inquinavi; proinde iterum iterumque per omnia vos sacra obtestor, ut Regi mox atrox crimen meum aperiatis, ne diutius justum supplicium eludam, & animæ periculum adeam desperabundus. Nos circumspicere omnia, notare vultum ægri, habitumque, & cùm constaret eum sanâ mente ex meditato ita loqui, ambigere, utrum doloris impatientia hæc verba dictaret, an vulnus conscientiæ. Abeuntes premere illa silentio constituimus, & alia viâ in circunstantias facti operosiùs inquirere, ne vel amico, vel veritati deesse videremur. Redeo ergò post dies aliquot, & de statu ægri percun-

ctor. Ille vultu sereniori, inducias, inquit, hodiè experior, non ita acriter me lancinant dolores, cùm adesses superioribus diebus, ea fuit tormentorum sævities, ut quamcunque lanienam mallem, quam eandem ulteriùs sustinere, proindè studio dixi (ita me superi mente) commissam a me eodem, ut vel publico supplicio domesticum hunc & quotidianum tortorem evaderem. De militaribus ingeniis hic ego nihil, ut quibus non infrequens est gladio vel sclopeto imperare doloribus suis quoties aliquanto diutiùs acerbiusque perseverant. *Olai Borrichii.*

De Olei succini nimis largiter hausti noxa.

Optimæ apud nos existimationis Juvenis Mercator *Christophorus Momsen* τετράγωνος, nephriticis doloribus sæpiuscule ferè oppressus, αὐτόδιδακτον me rogat, quo necessitate urgente in absentia medici tutò uti possit. Recommendo *Oleum succini*, cujus aliquot subinde assumere guttas non abs re fore inculcabam. Annuit, neque ingratum sibi hoc remedium fore respondet. Post septimanarum aliquot decursum obvius mihi fit in platea, & pro communicato consilio grates agit prolixas: Scatulam mihi monstrans variis repletam calculis, minimis sabuli instar, mediis cicerum magnitudinem referentibus, & maximis pisa æquantibus, plerisque autem acuminatis. Ecce, inquit hosce hostes omnes una profligavi opera, compendiū rei faciens; tu aliquot me guttas assumere voluisti, ego medium & amplius cochlear oleo isto repletum vice una exhausi, firmiter credens, ex parua dosi parùm me Levaminis sensurum; ex copiosa autem majus me emolumentum habiturum: nec fefellit me mea opinio, nam uno impetu, non quidem sine dolore, illam quam monstro excrevi quantitatem. Malè, Respondeo, tuæ consuluisti sanitati, & certam temeritatis tuæ certo augurio pœnam lues; ex inordinato enim & impetuoso diuretici hujus vehementis usu, vesicæ orificium ita læsum deprehendes, ut nullis remediis impressa hæcce labes corrigi valeat. Et quamvis in prognosi hac me errasse maluissem, tamen Eventus docuit, certissimum satis fuisse hocce præsagium; nimirum brevi post tempore exulceratam esse vesicam, signa monstrabant non obscura; namque vrina cum dolore excernebatur, eadem cruenta primum apparebat, post crassum album, matulæ lateribus firmiter adhærens sedimentem sese monstrabat, quod sæpiùs cum & sine dolore in copia excernebatur, quæ copia ad eam tandem crescebat molem, ut mediam matulæ partem non semel adimpleret: & cum potentissimi illius diuretici usū labes vesicæ impressa esset, inflammatio tandem loci affecti accedebat, cum febre continua intensa, unde maxima pectoris anxietas oriebatur, quam extremorum mox infrigidatio ob Nervosarum partium læsionem, hanc mors post paucorum dierum decursum excipiebat *Joann. Schmdii.*

Calculo laborans puer immunis factus febre pestilenti accedente

Morbum morbo curari insolens non est. Hydropem febris sanat exsiccatione humorum, & volvulum copiosa urina 6. Aph. 44. & capitis dolorem aph. 51. Ita & febris pestilenti lis absumere potuit in puero calculosam materiam illâ ætate fluidiorem. Observatum multis a peste convalescentibus vocem diu læsam fuisse exsiccatis faucibus. Si bubones adfuerint, multorum in corpore puerili malorum evacuatio secuta. A calculo verò liberatum puerum post hac securum esse juberem, nisi dispositio hæreditaria adsit. Induciæ enim erunt, nulla pax. *Th. Bartholini.*

Veronicæ usus in calculo.

Ut gutta cavat lapidem non vi sed sæpè cadendo, ita non raro medicamenta Simplicia & viliora subinde assumpta effectum relinquunt plane mirandum, cujus schema oculis meis exhibuit antè aliquot septimanas, *Ursula*, sutoris cujusdam vidua, quæ calculum per 16. annos in rene aluit sinistro qui tot cruciatibus illam affixit, ut viribus omnibus assumptis, nilnisi sceleton vivum repræsentaret, & ob summum cruris stuporem, & renis dolorem in isto latere per totum illud tempus nunquam dormire potuerit. Tandem consulenti assentiens, quotidiè *Decoctum veronicæ*, & quidem in satis magna dosi per tractum aliquem temporis assumpsit, quo effecit, ut *Calculus* priorem relinquendo Nidum, alium quærens ad vreteres protrusus fuerit, ubi nimias anxietates excitans, ipsam inter mortis & vitæ discrimen constituit, tandem tamen assumpto largiori *Decocti veronicæ* dosi, vesica receptaculo fuit ubi miseram stillicidio & difficultate urinæ diu vexavit, donec ab assumpto superiori nominato decocto, & ejus fomentatione, natura hactenus dormiens, expergefacta, maximis & iis conatibus, quibus alias à foëtu se liberare conatur, excitatis, Hospitem peregrinum cuspide expulit, qui tandem vi ab ipsa ægrâ per collum vesicæ extractus fuit, & quidem non absque summa illius læsione, & copiosa hæmorrhagia. *Joachimi georgii Elsneri.*

Calculus penè siliceus in vesica pueri medicamentis fractus & expulsus.

Puellus sex annorum, senatoris Helsingburgensis filius, calculo vesicæ tentatus, alia atq. alia suasu amicorum & parentum deglutierat, quibus nihil proficientibus ab Agyrta, qui commodum in urbem advenerat, & intra triduum promiserat liquefactum iri calculum, recipit potionem medicatam acerrimi saporis, fætorisque ingrati; & postridie reddit non calculum, sed urinam oppido cruentam, variis hinc inde filamentis ex interiori vesicæ tunica abrasis distinctam. Perseverante ad plures dies urinâ sanguinolentâ, nullo autem calculo in conspectum veniente, proripit se circum foraneus & ægrum miserabili ejulatū omnia replentem deserit. Puellus deinde inter dolores hos Hafniam delatus meæ fidei committitur. Adverto inter meiendum intolerabiles cruciatus, video strigmenta innatantia urinæ filamentorum, & tunicarum minutarum specie, agnosco crassius subinde inlotio sabulum. Igitur nullum ab acribus præsidium mutuandum ratus, balsamum

samum sulphuris terebinthinatum, & oculis cancr. crudis in alkohol redactis, cumque saccharo remistis in pulveris forma temperatum offero ad plures dies, eo consilio, ut læsæ partes vesicæ (si tamen coalescere eæ unquam possint in loco tam acre lotium perpetuò sentiente) sensim coirent, & calculus nihilominus attereretur. Quo effectum id quidem, ut glarea, & minutiora quædam calculorum frustilla alternis fere diebus excernerentur, & urina non cruentaretur amplius, dolor tamen in meiendo vix tantillum interquiescebat. Ventum igitur ad terebinthinam ipsam aqua virgæ aureæ, & plantaginis elotam, ut glutinando aptiorem, quam & aliquandiu cum pulv. ocul. cancr. in morsellos (quos vocant) coactam usurpavit, successu nondum satis exoptato. Tandem diu propinatus ex lap. judaic. lap. Lyncis, cryſtall. mont. & ocul. cancr. pulvisculus id novissimè præstitit ut Calculus magnitudine juglandis minoris, siliceæ duritiei in frusta fabis æqua confractus exierit, certas fracturæ notas secum afferens. Læsa tamen membrana vesicæ interior nondum plenè coaluit, nec fortassis bonâ fide coalescet unquam, ob continuum lotii erodentis affluxum, ut vel hinc constet, quod mercatur agyrtarum natio, quæ ita impunè per mortes & vulnera ad divitias grassatur *Olai Borrichii.*

De mirabili calculi vesicæ curâ.

Calculum vesicæ pergrandem, & duos lotones cum dimidio aliquotque granis æquantem pondere, attulit mihi fœmina quinquagenaria Eckelsurdana, quem cum raræ commendent circumstantiæ, æquum ratus ut illas quoque curioso vestro adspectui exhibeam. Misera illa consilium rogitans, quâ nimirum ratione vitam jam tot molestiis fractam paulò liberiorem ab iis agere posset, conquesta initio est se totos annos duos immanes circa Epigastrium dolores sensisse, nec tamen vel proprio aut aliorum instinctu cognovisse, quid ibi malè lateret, sed imprimis propter angustiam rei familiaris, medicorum opera uti nom potuisse. Tandem cum impendente vere melius, & cæli temperatior aura spiraret, suasere vicinæ, ut animi relaxandi causa, una ad navem onerariam noviter constructam pertenderet, in quod facile consentiens, quantum vires permittebant, comitatum secuta, & ad oram navis perveniens, cùm illam sublato pede transcendere vellet, divaricatis cruribus medio Epigastrio in rude lignum impingit, insidens ei instar eorum, qui equo vehuntur, quo casû ferè exanimata, & à vicinis domum deducta, tantis cum doloribus circa inferiorem ventrem conflictari cœpit, ut omnes eam statim emorituram crederent, sed ipsa illa jam ultimis confecta laboribus naturæ tamen victricis beneficio adjuta, corpus aliquod solidum cum tanto fragore & tonitru, ac si lapidem fulminarem nubila emitterent, naturalibus est ejaculata. Quo sonitû perculsæ assidentes mulierculæ, propiùs se lecto admovent, & quid ægræ accidisset, quærunt, quæ ut de dolore dextri femoris querebatur, lodice & stragulis retractis, quo suppetias ferre laboranti possent, reperiunt ibi calculum ingentem in pedem explosum. *Joëlis Langelotti.*

De Autolithotomo.

Non ut novi aliquid proferam, sed ut pridem à Præillustr. Dn. *Nicolao Tulpio.* observationum suarum medicarum L. 4. C. 31. divulgatam de Autolithotomo Historiam confirmatam magis redderem Picturam cultri atque lapidis una cum authentico Testimonio, Belgico idiomate Amstelodami tunc edito, nuper verò mihi à plurimum Rev. & clari ∫. Dno. *Petro Veldio*, Pastore meritissimo Belgicæ hujus loci congregationis, communicato, qui hoc ipsum exemplar dicti Testimonii ab ipsomet Dno. Henrico Muon. Ultrajecti acceperat, pro Ephemeridum curiosarum exornatione si exhiberem, minime curiosis lectoribus ingratum fore existimavi; quod ita se habet.

Genuina Relatio.

De Mirando nec unquam audito facinore *Joann. Janssonii* de Doot Fabri Amstelodamensis, qui semetipse felecissimâ sectione liberavit à calculo præmodum magno, hic depicto; quod inscriptione propria fabri & sequentibus actis Notarialibus confirmatur.

Comparuit coram me *Petro de Bary*, Notario publico curiæ Hollandicæ, Amstelodami agente; & contestatus est sequentia *Joann. Janssonius de Doot* junior, faber hujus Urbis, habitans in vico Engelsche Steegh dicto; ætatis circiter 30. annorum, & veris verbis jurato coram nobis instinctu Do. Henrici Mirou Ultrajectini narravit atque professus est; quod verùm & veritati consonum esset, quod testatum iret, diù multumque temporis se gravissinas ægritudines & tormenta à calculo passum, jam tum bis sectionem perpessum esse; quinto Aprilis proxime elapso, cum dolor intensissimus, supra modum gravis, nec perferendus esset, semet cultro vetusto ac ferè præfracto ipsi calculum exsecuisse; Ea in operatione referebat neminem adfuisse præterquàm discipulum, qui solummodò cultrum una cum aceto & similibus procurasset itidem contestatus est callum ponderatum esse; & deprehensum, quòd quadrantem unius libræ penderet. porro retulit; se ex charta affinxisse atque petentibus à se dedisse calculi magnitudinem & formam juxta cum delineatione supra dicti cultri, quo sectionem perpetraverat; simul asseverans versiculos picturæ Calculi inscriptos, propria suâ manû se scripsisse, meditatum esse & composuisse. Omni bona fide acta sunt Amstelodami præsentibus Nicolao Blyenberch, & Arnoldo van Erp. loco testium ultimo Maii 1651. *Salom. Greiselii.*

De Calculo Vesicæ feliciter exciso.

Foëmina quædam Bergensis, vidua, patre calculoso, imò calculi doloris atrocitate tandem è vivis sublato, genita, patiebatur haud inconsuetam alias dolorum Nephriticorum acerbita-

bitatem, & durante, affligenteque illâ calculum descendere sentiebat per ureterem dextrum in vesicæ cavitatem. Iste antecessorum & successorum non carebat caterva, & inter illos, sex fabæ majoris magnitudine numerabantur. Hic verò per septem integros annos in vesicæ capacitate moram trahens, sæpius summis doloribus molestus fuit, ita ut misera ad omnem motum, præcipue concitatiorem inepta esset. Variâ hâc annorum intercapedine experta est remedia, sed sine alicujus emolumenti perceptione. Septennio hoc elapso, alius è renibus, haud sine doloris sensu dejicitur calculus, qui septennem magnum & molestum hospitem hospitio suo abscondito extrusit; hic exitum quærens collum vesicæ occupavit, urinæque transitum liberum intercepit. Ego tum primùm accersitus, omnibus viribus eo contendi, quo calculi compagem, quoquo modo tam internis, quàm externis medicamentis dissolverem, persuasus ab ægra, me, & semetipsam fallente, calculum in duo frusta ruptum esse. Cum itaque quotidie haud parvam arenularum copiam, cum urina (quam vix eâ quantitate, quam cochlear caperet, unâ vice emittebat) excerneret, hujus curationis scopo mensibus duobus insisti. Accessit interim febris, imò lipothymiæ & convulsiones, omnia tamen medicamentis præscriptis & exhibitis manus victas præbuere. Tandem spe calculum comminuendi frustratus, obstetricem Lignicensem expertam, Olaviæ apud Serenissimam Ducem tum temporis degentem, accersivi, quæ calculum catheteris ope explorans, ipsum nucis juglandis putamini viridi inclusæ magnitudinis & duritiei siliceæ esse, pronuntiavit; movet illum suo loco, digitorum & olei amygd. d. per syringam immissi adminiculo, sed sine levaminis sensu. Ad extremum itaque remedium, scilicet sectionem inclinans, de viro hujus artificii gnaro & experto sollicitus fui, sed neminem, qui huic operationi sufficeret, vel illam sustinere auderet, reperire potui; donec tandem post trium mensium continua tormenta *Urbani Joannis Holst*, Chirurgi Uratislaviensis expertissimi dexteritas nobis commendata fuit. Eidem itaque mox inde accersito Chirurgum nostrum aulicum *Fridericum Springerum*, adjunximus, cum utroque de sectione colli vesicæ intra vaginam uteri deorsum facienda deliberantes; cum verò *Sennertus* l. 3. p. 8. sect. 2. cap. 2. excretum viderit calculum à fœminâ ovi gallinacei magnitudine, & *Fabritius Hildanus libro de Lithot. vesic. cap. 22.* Extractionem, si possibilis sit; per collum vesicæ summopere suadeat, illam prius tentare voluimus, nihilominus ad sectionem, si opus non succederet, parati. Itaque in N. D. die 29. Octobr. anno 1675. cum ægra 45. annum intrasset, precibus ad Deum fusis, præeunte nobis viro admodum reverendo, clarissimoque *Dn. M. Joan. Christ. Leschio* Parocho ac Seniore Bergensi meritissimo, manè h. 10. rem aggredientes, speculum uteri vaginæ ipsius indidimus, collum vesicæ haud contemnendæ amplitudinis invenimus: Calculum in eo delitescentem deprehendens præfatus Chirurgus, forcipe arripit, & spem bonam ad extrahendum absque sectione calculum præbet; sed frustra, etsi tribus vicibus, summa cum ægræ debilis constantia & Chirurgi industria id tentaretur. Cum itaque misera lipothymia corriperetur, ab opere desistere coacti fuimus. Mane diei sequentis rem aggredi non ausi sumus, propterea quod uteri vagina valde tumefacta, ægraque summopere debilitata esset, itaque hâc die refocillationi operam dedimus, & tumorem, doloremque fomentationibus sedavimus, sectionemq; in crastinum distulimus. Invitavimus quoque hâc die ad consilium *Dn. D. Zollighoferum*, Archiatrum Serenissimi, nunc proh dolor! desideratissimi nostri Principis, & unanimiter sectionem crastinâ luce, & quidem in inferiore parte colli vesicæ instituendam conclusimus.

Etsi enim *Fabritius Hildanus l. cit.* hanc sectionem dissuadeat propter metum incontinentiæ urinæ subsecuturæ ex læsione sphincteris, tamen putavimus consultius esse illam instituere in illa parte, ubi minus periculi vitæ immineret, etsi molestiam quandam relinqueret. Nam in superiore parte vesicæ membraneam substantiam lædi, ipse *Fabritius* fatetur. Huc accedit, quod propter ossis pubis obstaculum, calculus non ita commode extrahi possit. Novam etiam forcipem cum dentibus aculeatis cudi curavimus, ut firmius calculum apprehensum tenere, & in eo vestigia figere possit, ne ut antea elaberetur. Itaque 31. Octobr. mane h. 10. iterùm convenimus, & precibus ardenter fusis, ægram valde debilem & dubiam salutis decenter ligavimus, Prognostico in omnem eventum nos munivimus, & sectionem per manum Chirurgi præfati *Urbani Joan. Holst* præfato modo instituimus quâ summâ cum ægræ constantia facta, forcipem novum à *Dn. Springero* accipit, calculum et arripiens, summo conatu illum extrahere nixus est, sed rem perficere non potuit; ægra valde anxia, & præ dolore clamorem altâ voce edente, quâ anxietate nos omnes affecti fuerimus, vix dici potest, modo hanc, modo aliam animo volutantes causam impedimenti. Tandem Chirurgus forcipem retrahens, animadvertit illam non probe induratam fuisse, & ideo incurvatam calculum non tenuisse, eam rejiciens, alteram accipit, calculum arripit, & feliciter extrahit. Exhilarata ægra nobiscum, vinculis soluta, & vulnus debito modo deligatum est, sine ullis lipothymiis vel magna sanguinis profusione. Calculus pendens ℥iß. hic æri incisus, forma fere æquabat renem vervecinum. Tempore operationis ægram refocillavi convenientibus cordialibus externis & internis. Febris prægressa adhuc comitabatur ægram, imo vires majores acquirebat, tremor quoque & deliquium animi die tertio accessere. Præcipitantia plura prioribus addidi, & enema applicari curavi, unde melius habebat. Cum die 5. calor adhuc perseveraret, & compressio ventriculi accederet, julapio confortante ipsam refici, enema reiterari, & ol. mastich. ventriculi regionem inungi curavi, quibus adhibitis remiserunt ista symptomata. Dies septimus gravis admodum ipsi erat, cum summa virium debilitate, & ventriculi compressione; sed die octavo excrevit cum sabulo copioso cal-

calculos duos; quorum unus fabam minorem æquabat, quos è renibus descendisse & prædictorum symptomatum causam extitisse, putavi. Hos sequebatur die nono, & sequentibus membranaceum quid, de quo dubitavimus, utrùm vesicæ forte forcipe abrasæ tunica interior an membrana calculum involvens esset? Die decimo præter spem & opinionem menstrua, præterito mense suppressa, satis copiosè redeuntia, pessum & canalem è vesicæ collo extrusere, ita ut saltem fomentationibus uti potuerimus. In fine undecimi nigror obortus est, per tres quadrantes horæ durans, subsequente calore p. n. Sed reiteratis antea perscriptis, iterum evanuere hæc symptomata. Dum itaque vires recollegisset, & vulnus magis magisque coalesceret, hoc decoctum vulnerarium præscripsi.

♃. Rad. Pyrol.
Consol. sarac. an. ℥ j.
Herb. Betæ. alb. & rubr.
Alchim.
Artemis. rub.
Sanic.
Agrimon. an. m. ß.
Herb. Beton.
Veron, an. m. ß.
Flor. Borrag.
Bugl.
Nimph. alb.
Acac. an. p. j.
Hord. m. j.

Coq. in s. q. aq. s. ad ℔ ij. col. dulc. syr. pomor.

Sic vulnere conglutinato, urinæ tamen prædicta incontinentia remanente, injectione in collum vesicæ facta sphincterem confortare tentavimus, sed frustra, incipiente Decembri diabetica fere affectio cum febre & hydropis ascitæ principio eam infestabant, quæ tamen omnia remediis methodica dexteritate præscriptis evanuere. Anno 1676. Initio Februarii, febre continua putrida affligebatur cum dolore hypochondrii dextri, ita ut venam secare necessum fuerit, quem ab Apostemate in hepatis parte gibba oborto, accidisse inde putavimus quod deinde per urinæ ductus pus longo temporis intervallo excretum est, accedente iterum Hydrope. Hidrops quidem aperientibus & purgantibus usurpatis evanuit, sed pus tamen per urinam identidem excernebatur.

Interim novus calculus è rene dextro mense Maio descendit, haud sine dolore, locumque magni sui antecessoris occupat, metum ne in ipsius magnitudinem cresceret incutiens. Variis ipsum aggressus sum remediis; tamen continuo usu *Tinctur. tartar.* die decimo octavo, Junii expulsus est. Ablegavi illam deinde ad thermas Landeccenses, quæ in tantum profuerunt ut non saltem ab apostemate hepatis, sed etiam ab urinæ incontinentia maxima parte liberata, adhuc sana degat. *Gotof. Christ. Wincleri.*

Calculus vesicæ insignis feliciter excretus.

P. P. anno 1670. die 16. Maii, venit ad me à Pago Muscheneim prope *Butisbacum* mulier 50. annorum, quærens se magnum circa inguina & in emissione urinæ sentire dolorem, urina erat mucilaginosa. Ego de calculo vesicæ judicare incipio, præscribo ipsi lene purgans, pulverem lythontripticum & fomentum externum. Quid fit? cum continuasset usum medicamentorum præscriptorum per 6. dies, excernit calculum asperum, & quod mirum, nullam per excretionem in meatu utinario sensit læsionem. Comprobavit casus hic eo ipso, facilius, asserto Medicorum, in mulieribus quàm viris, ob viarum propinquitatem, calculos vesicæ posse excerni, ponderavit calculus ℥ ß.

SCHOLION.] consimile exemplum in fœminis facilioris calculi exitus videre licet apud *Borel. Cent. 2. Obs. 22.* ubi puella excrevit calculum ovi anserini magnitudine, & fœmina calculum instar ovi gallinacei apud *Th. Bartholin. Cent. 1. hist. 71. Joan. Ant. Clozii.*

Calculus vesicæ spontè dissolutus.

I M. Vidua pietate & honestate maximè conspicua post perpessos aliquot annorum decursu ingentes à lithiasi dolores, eorum tandem sævitia delassata, nullo remediorum genere, quamvis sollicitè usurpatorum, proficiente gangræna etiam partes obscœnas occupante anno M. DC. LXXV. 16. Cal. Junii, ætatis verò septuagesimo, succubuit. In cujus demortuo corpore abdominis sectione ad istum vitæ hostem inquirendum impetrata, quæ singularia 13. Cal. Junii observaverim, breviter notare hic libuit. Dissectis itaque ventris inferioris integumentis, remotisque, intestinis, cùm ad vesicam parare statim viam, qui manus commodabat, Chirurgum jussissem, vesicæ fundum lividum & anteriorem ejus partem putridam ac levi manus adpulsû disruptam deprehendi, magno fœtore ex ea prodeunte, immissamque dextram firmiter adeò obsidente, ut arte nullâ elui potuerit, sed per integrum quatriduum, antequàm penitus evanesceret, adhæserit. Calculum tamen, quem adesse debere, signa prægressa edocuerant, nullibi invenire potui, fragmentis saltem aliquibus minoribus manui occurrentibus; quæ quidem & ipsa primo statim conatû mox in limum, partim & arenulas soluta fuerunt. Hinc auram illam, ex putrescente vesicæ substantia ortam, calculi compagem penetrasse & dissoluisse, suspicatus sum. Adfuisse autem revera calculum, præter memorata modò fragmenta, perpessi sæpius per aliquot annos dolores nephritici, arenularum & calculorum minutiorum, excretio, pondus & gravedo circâ pubem ac perinæum, stranguria & insignis in mingendo difficultas, necnon materiæ viscidæ, fibrosæque cum urina emissio, abundè evincunt. Quæ sane signa à sagacioribus Practicis considerata magnam de calculi præsentia certitudinem multoties præbuisse, imò majorem, quàm peritorum aliàs Lithotomorum dolorificam per catheterem explorationem, quin nunquam fefellisse quosdam (quantum ex institutis post obitum sectionibus colligere licuit) hactenus non una vice observavi. Ejusdem verò comminutionem post mortem demùm accidisse, exinde suspicari licet quòd in urinis, ultimis n-

te obitum diebus excretis, nec limi, nec arenularum indicium comparuerit. Num ex hoc possibilitas inveniendi medicamentum lithontripticum quodammodo probabilis reddi queat, alii judicent. Mihi adseruisse hoc non absonum videtur. Haud quidem me latet, de talis modi Pharmaci existentia multos præclaros Medicos dubitare, & vulgaria illa, quæ passim in libris commendantur, vel etiam illa, quæ tanquam arcana à plurimis magni æstimantur, raro effectum speratum sortiri, non omnis tamen planè deneganda esse videtur experientia, cui hac in parte ubique credendum, sic edocente; quæ tamen exempla cumulare hîc supersedeo, unico illo, magis ad rem faciente, contentus, quo *Philipp. Salmuth. Cent.* 1. *Observ.* 25. describit, popularem quendam suum, per sesquiannum à Medicis tanquam calculosum (persuadentibus ita signis pathognomonicis) curatum, tandem materiæ planè argillaceæ ingentem copiam per urinam excrevisse ac postea optimè se habuisse, memorat. Nec incongruè *Joan. Freitagius* apud *Horstium consultat. & epistol. lib.* 2. *sect.* 19. Calculum vesicæ frangentia medicamenta dari statuens, *quid repugnet*, inquit, *Non video, cùm æquè detur sal resolvens, quàm coagulans?* Quæ sanè δύναμις resolutoria agere eò liberiùs potest, quò laxior calculi compages existit, quam majorem in corpore esse, & strictiorem demùm evadere, ubi e vesicâ extractus liberiori aëri committitur, mihi persuadeo; cùm omnes, quotquot expendere hactenus licuit, calculos, postquàm e corpore exemti, pondere majori fuisse præditos, & facilius in lamellas separari potuisse, observaverim, quàm ubi aliquandiu aëri expositi fuerint, sic enim, exhalantibus sensim humidis eorum particulis, leviores atque ad separationem lamellarum ineptiores comparuerunt. Ut ideo *Joan. Bapt. Helmontii* decreto non simpliciter subscribere queam, dum c. *de Lithiasi* §. 19. tam durum recenter excisum & madidum pronuntiat, *quàm erit hic à seculo asservatus.* Cæterum in cadavere hoc nostro nec renes indicti abire debent; quorum dexter sinistro superior, præter communem naturæ in homine ordinem, in situ comparuit, quamvis nec lienis adfuerit insolita magnitudo, nec hepar magnitudine naturali caruerit, quæ aliàs depressiorem sinistro locum dare, altiorem verò dextro permittere potuisset. Uterque aliàs quoad substantiam notatu dignus. Dexter quippe totus consumptus, ut præter membranosum aliquod crassiusculum corpus à membrana adiposa ortum ducens, nihil, & nec guttula puris, vel unica arenula comparuerit, ac primo intuitu abesse planè visus fuerit. Quam consumptionem latitans quondam in illo rene calculus, & asperitate suâ ipsum vulnerans inducere potuit, quod vulnus dein in ulcus, renis substantiam depascens abiit, pure unà cum calculo per ureterem in vesicam deposito, & cum urina dein ejecto, simile exemplum in *Praxi Barbettiana*; *lib* 4 *cap.* 8. legitur de viro triginta per annos Nephritide detento, in quo post mortem dissecto renis sinistra substantia tota consumpta fuit reperta, ita ut præter crassam membranam, nihil superfuerit, sinistrum quod attinet, ipse quidem formâ externâ naturali similis, substantiâ densus ac vegetus, justo tamen minor extitit. Dissectus autem copiosam flavescentem pinguedinem circa pelvim & ductus sive tubulos renales exhibuit. Qualem pinguedine infarctum renem etiam *Beatus noster Sachsius*, teste *celeberrimo D. D. Joan. Daniele Majore* in *memor. Sachs. cap.* 1. consecutus fuerat. *Lucæ Scrockii, Luc. fil.*

Calculus extemporaneus.

Calculos in corpore humano generari pervulgatum adeò est, ut nulla propemodum corporis pars sit, quæ illos aliquando non dederit; calculum autem extra corpus in momento & quasi ex tempore generari inter raro contingentia merito numeramus. Contigit tamen anno 1674. mense Maio Nicopiæ in Falstria in filiola bimula civis & coriarii ejusdem urbis, quæ cùm aliquot diebus pessimè habuisset doloremque ejulando prodidisset cum urina emisit materiam albam mucilaginosam, quæ statim ab aëre externo in subflavum oblongum riguit calculum, quem adhuc servat Pharmacopæus loci *Christophorus Hartmannus*, duritie quemvis alium æquantem *Joan. Henric. Brechtfeld.*

Calculus vesicæ, putaminis ovorum instar, frustillatim excretus.

Reverendiss. & Illustr. Pr. I. G. C. de H. E. R. sæpissime questus est de dysuria pergravi, verum suadente me, cum ingruentem affectum sentiret, præmisso mox clysmate conveniente, assumsit aliquoties in brodio, vel jusculo quodam guttulas aliquot spiritus terebinthinæ, vel spiritus putaminum ovi struthiocameli, urina exinde non duntaxat facilior fluebat, sed & interdum frusta magna ovorum putaminis instar una reddebantur, acri cum dolore. *Helvvigii.*

Calculus monstrosus in fœmina vidua.

Fœmina quædam *vidua* ætate plusquam 40. annorum, continuis doloribus cum urinæ stillicidio, & aliis molestiis fuit tentata, ex quibus symptomatibus *calculi vesicæ* suspicionem habuit, ideò sese famati *Lithotomi & Chirurgi Regis supremi D. Friderici Wred.* (qui in arte sua nemini est secundus) curationi commisit. Is ex certis suis indiciis prius habitis, singulari arte & industria, & absque magno incommodo & dolore, *Lapidem* extraordinaria figura, ex orificio cervicis vesicæ extraxit, bonamque istam fœminam à suo incommodo doloroso liberavit quæ etiam adhuc sana in hanc diem hic Warsoviæ vivit. *Lapis extractus* ex omni parte & loco, *virili membro cum glande, præputio, scroto*, & in illo interstincta sutura ita *erat similis*, ut omnes qui illum huc usque viderunt in admirationem sint deducti propter lepidam lapidis formam. Ego ipsemet, cum Magnif. *D. Wred* mihi illum prima vice in Camera regia monstraret, lapidem tanquam rem extraordinariam *Ser. Regi Joan. Casimiro* Domino Clementissimo ostendi, qui illum etiam vidit, & non sine admiratione manibus tractavit. Quod imaginatio in illa fœmina ad hanc figuram cooperata sit

sit sunt qui hoc omnino credant, forma autem & magnitudo illius lapidis (qui coloris quasi Cinamomei est, parùm rubescentis) in adjecta tabula in fig. 1. conspicitur. *Martini Bernhardi.*

Calculus vesicæ ingentis molis in Patre quodam Soc. I.

Serenessimæ reginæ Cæciliæ Renatæ Confessionarius Rev. Pat. *Schonhovius* Soc. Jes. sexagenario maior à multis annis intolerabili dolore ardoris & stillicidii urinæ, aliisque gravissimis symptomatibus, ita cruciatus & viribus exhaustus fuit, ut potiùs mori, quàm ulterius ita vivere, & pati sæpissime desiderarit, proinde post medicamenta innumera prius adhibita & tentata, consilio ante cum aliis Medicis habito, sese tandem *Magnif. D. Friderico Wred.* (cujus in præcedente Obs. mentio facta est) sectioni subjecit: ubi peracta illa, *Lapis stupendæ Magnitudinis*, coloris obscuri rubescentis, fuit inventus, longitudine, forma, ac crassitie talis, qualis in debita *tabula No. 2.* ostenditur. Quem ex relatione Domini Lithotomi ab anno trigesimo, ortum suum habuisse, & in hanc magnitudinem excrevisse, ex certis suis notis & argumentis, quæ habere se dicebat, intellexi. Quoniam verò post ipsam peractam operationem vesica ex una parte inventa fuit cancrosa, brevi post irruente gravi gangræna, obiit. Lapis exemtus, & purgatus in spiritu aliquo acido resolutus, & spagirico more in liquorem potabilem redactus, tanquam medicina interna contra Calculum *Illustr. & Excell. Domini Palatini Polocensis* filiolo puero septem annorum, quotidie in certa dosi & in vetriculo idoneo fuit adhibitus, qui ab eo jam totus consumptus est. *Martini Bernhardi.*

Calculus è scroto prolapsus.

Vesicæ calculum per Epigastrium fuisse eductum notavit Fr. Sanchez in observ. Medic. oper. pag. 370. pariter post gravissimos dolores è *vesicâ pueri* Scanici quadrimi anno 1628. calculum *in Scrotum* fuisse *protrusum* exinde suppuratione factâ eundem foris rejectum, remanente fistula perquam urina continuò exsudavit, refert *Th. Barthol. Cent.* IV. *hist.* 8. Non absimilem casum *Silesia* paucis ab hinc annis exhibuit in viro robustissimo, cujus *ingens Calculus* à Natura *per Scrotum* fuit protrusus. Ad Majorem verò hujus historiæ fidem *instrumentum publicum* Magistratus Teschnensis sigillo firmatum adducere placet, quod integram Historiam luculenter exponit, & ex bibliotheca rarissima *Nostitiana Generos. L. Baro. Othonis à Nostiz* Capitanei Ducatuum Suidnic. & Javoriens. sumtibus comparato (in qua *Calculus* iste *humanus* una cum aliis Natur. artisque mirandis asservatur) communicatum.

Nos consul & Senatores Ducalis *Urbis Teschnensis in Silesia* superiore per præsentes literas attestamur, & notum facimus, quod infra nominato Die Generos. Dn. Dn. Casparus à Borock Baro in Tuvorckau, & Rostropiz, Dn. in Ropiz & Brodisdit. S. Cæs. Mai. Consiliarius, & capitaneus Ducatus Teschnensis ad nos miserit quendam suorum subditorum ex pago Ropiz nomine *Michël Leinuveber* ætatis 45. annorum, qui ingentem *Calculum* excrevit pondere 12. lotoues (sive ℥vj.) æquantem, ex balneatoris nostri relatione. Modum excretionis nobis post institutum examen in pleno consessu in curia sequentem fide dignum enarravit, ante biennium sese sensisse primum *Calculum* istum & molestiam, cùm urina fuisset excernenda, ex illo tempore semper dolorem gravativum in pube perseverasse, potissimùm tamen anno 1664. brevi tempore ante Mensem dolorem intensiorem factum, adeo quidem, ut Scrotum ipsum intumuerit, ut omnes opinarentur Herniam accessisse; unde singulis diebus cum adipe ursino bis inunctionem instituit, unde & humor aliquatenus remisit. Post messem duabus septimanis, antequàm calculus egrederetur, intentissimos sensit dolores, parùm de cibis assumpsit, præter panem & butyrum, rarissimè etiam cerevisiâ usus est, nisi aqua limpidissima, durantibus doloribus, in scroto abscessus factus est cum foramine quantitatem Nucis iuglandis æquante, & per tres septimanas in eodem permansit statu, tandem cùm post Meridiem urinam emittere tentaret, *Calculus per foramen* illud *perrupit*, & dum in terram delaberetur, frustulo exinde diffracto disrupit, ægro ob doloris vehementiam lipothimiâ correpto, cui tamen uxor adstans suppetias tulit. *foramen in scroto* cum pinguedine caponis inunxit, & ad hoc unguento ex pice, & adipe veteri sanationem tentat; foramen quidem non penitùs clausum, sed ferè adhuc pisi magnitudinem æquat. Urina ut à principio Morbi, sic etiam Nunc quoque per ordinarium penis canalem prorumpit, nec dolorem ullum ampliùs sentit. *Ad instantiam Generos. Dn. Capitanei pro majori confirmatione hoc attestatum urbis nostræ sigillo munivimus: Teschini actum* 23. *Mart.* 1665.

De Calculo per scrotum excreto.

Circa festum S. Michaëlis anno 1674. nostratis Pharmacopæi ad rubrum cancrum, duorum annorum filiolus dysenteria aliquot diebus laboravit, urinam nonnisi cum difficultate & in minimâ quantitate reddens inguinibus & scroto distentis ac duris existentibus calculum hic subesse statim prædixi, jussi applicari clysterium emolliens cum multo oleo Scorpionum, quibus jam ante adventum meum sæpius usus erat, & altero die dedi laxativum ex *Extract. Diarth. Norib. cum aqua frag. tinct. tart. & spir. sal.* quo accepto tam male se habuit infans, continuò clamabundus, ut clamosâ morte, ceu nostri ajunt, moriturum eum crediderint adstantes. Reiteratum clysma, & applicata fomenta externa de *Meli. alth. malv. pariet. & saxifrag. semin. lini. fœnigr. & cœpis alb. rec.* quo dolor parùm cessavit, quiescente quidem ad horam unam vel alteram infante, sed in eodem vigore manente affectu. Catheterem abhorrebant pater & adstantes, cæteroquin nullum supererat auxilium, jamque in septimum diem penitùs suppressa urina, quæ jam ante, ut dicebatur, à tribus septimanis parcè nec sexta parte potui respondens, fluxit. Tentavi candela cereâ, vel explorare calculum, vel viam face-

re vrinæ, sed irrito conatû. Ita ad extrema redactus misellus, abdomine jam mirum in modum tumido, nihil ampliùs videre videbatur, nihil deglutiebat, pedes ac manus tantùm parumper movens, dentibusque stridens metuebamus ne cum Epilepsia ultimum nobis diceret vale, Ita in agone prope constituti parvuli exploro inguina & scrotum, cum jurato hujus Civitatis chirurgo *Alexandro Schele*, invenimus hocce in sinistra parte aliquatenus mollius quàm anteà, in primis in loco quodam, nummi Hungarici magnitudine. Decrevimus hic lancetta aperturam facere, ne plane prognosticis relinqueretur æger, annuit pater, succedit feliciter, vix enim chirurgus instrumentum intra cutim adegit, ecce prosilit urina, instar loturæ carnium, non admodum saturatæ, ad sextarium unum; Vulnus clausum, & infanti adhibita confortantia. Redii post tres horas, jam meliùs se habebat, & tanta per Emplastrum ligaculumque seri effluxit copia, ut in lectulo super expansum corium quasi stagnaret. Aliquot diebus elapsis, paulo infra vulnusculum à nobis factum sponte natura molitur aperturam, & intra tres dies, dum emplastrum removere vult chirurgus, una extrahit calculum Pisi majoris magnitudine. Detumuit abdomen, ægrotus melius in dies valuit sed lotium nunquam per locum legitimum, sed semper per hancce aperturam fluxit, quare omnibus modis prospectum, ne in consuetudinem abiret, sed sensim tamen coaluit, per loca legitima successivè profluente urina. Dedi sæpius *Decoctum Foresti cum herbis vulnerariis*, nihil autem magis conduxit, quàm *spiritus salis cum syr. de alth. fern. sumtum. Caroli Raygeri.*

De calculis Pisiformibus per perinæum sponte excretis.

Puer duodecim annis major dolore vesicæ ponderoso, at sine suspicione calculi diu laboravit; tandem insperato auctis doloribus circa perinæum tumor sese prodit in ulcus, quod videbatur, desiturus; sed tamen nullis sive emplastris, seu linimentis ad maturitatem adduci potuit donec tandem remediorum seposita cura sponte in ulcus transiret rebillis hactenus tumor. Cum autem certo die pisis in cænam appositis largius indulsisset protervus puer, pruriginem in perinæo sentit intolerabilem, quam ut coërceret, digitos, unguesque admovit, qui cum graves parti incumberent, nonnihil etiam lacerarent, emollitum jam humorem facilè disrumpunt. Aperto sine dolore vulnere, quod minime puer credebat, rectractam manum pone sequuntur globuli, quos ille viginti numero excipiens ipsa illa comesta pisa esse putabat, adeò forma & magnitudo erat similis: sed excussis diligenter sphærulis, apparuit lapillos esse pisiformes, Albos, & superficie glabra velutque exposita. Traditi postea sunt chirurgo, cujus curæ sanandum vulnus committebatur, quique ilicò lapillos tam insolenti casu productos mihi ostendit, vulnerisque conditionem explicuit. Acta res anno 1671. Lugduni in Batavis *Joannis Nicolai Pechlini.*

De flagri funiculo è vesica à Lithotomo extracto.

Duobus abhinc Mensibus sese obtulit curandus dysuria & stranguria detentus *frater Joseph* ex Turre vulgò dicta Ceccona comitatus Tuderti, laicus capucinus, cumque in pejus rueret ex iis quæ lixiviosas urinæ particulas edulcorare, salinosulphurearum portionum exaltationem compescere valerent, atque ex eo quod renum gravitate, simulque vreteris dextri dolore paulo antea fuerit detentus, incongruum conjicere haud fuit, patientem vesicæ lithiasi laborare. Unde à chirurgo facta exploratione per catheterem indubitato lapidem adesse autumavit.

Non Apollinem ab æthere, ut jaculis transfigeret, neque Neptunum ab æquore, ut tridente domaret, neque herculem e terra, ut clava contunderet, imploravit Patiens, sed expertissimum, & non satis laudabilem *D. Jo. Ramaldum Bonajutum* ex castro Nursiæ vulgò dicto *Jo preti*, qui ex animi pietate absque mercedis subsidio, ut sectionis opus aggrederetur, libentissime huc se contulit prout diligenti manu 15. Kal. Novembr. in actum deduxit.

Sectionis executioni una mecum interfuit, præter diversos capucinos, *D. Michael Angelus de Benedictis* in arte chirurgica peritissimus, cumque Lithotomus vesicæ collum rescinderet, atque illius latebras scrutaretur, non nisi hujus formæ materiam arenulis circumvolutam deprehendit, cumque eam instar funiculi efformatam primo intuitu judicarem, observaturus qua materia vere constaret, vino abluendam suasi, qua ablutione cum arenosa materia exciderit, funiculum esse mea confirmatur opinio, & ex eo quod chirurgus admiratione captus, adnotaturus an esset funiculus, eum dissolvi incæperit, verum esse flagri funiculum, æquareque hanc longitudinem, & rotunditatem, etiam nunc resiccatum, omnes summa admiratione contemplantur. Examine facto, an unquam patiens eum deglutiverit, tantum recordatur se quondam mense Junii præteriti insatiabili quadam bibendi licentia, tam avide matutinis horis aquam & è puteo haustam ore hiante in situla perpotasse, non sine periculosa deglutiendi difficultate visum ei fuerit.

Prout tali pacto probatissimum suspicor funiculi transitum ad ventriculum, sic difficillimum intuetur iter à primis viis ad vessicam. Non me latet, Anisi semen simulque carbones & pilos (*Hild. Cent. 5. Observ. 51.*) fuisse cum urina excretos; Pulmonis frustulum (*Idem Cent. 2. Observ. 50.*) cum urinis emissum, Grana Alkekingi (*Idem Cent. 2. Observ. 73.*) per urinarias vias demandata. Fungi frustulum (*Nicol. Flo. in Schenck lib. 3. Observ. 22. de urin.*) cum lotio deportatum, ossicula, (*Fel. Plat. de Mict. c. 10.*) cum alimentis assumpta, & cum urinis excreta; ex diabetica passione totum (*Amatus Lus. Cent. 2. cur. 94.*) quod assumebatur per urinas fuisse exportatum, (non loquor de diversorum animalium per urinas excretione, cum captu facilior sit modus eorum generationis vel in renibus, vel in vreteribus, vel in vesica, prout mille testantur Testi-

testimonia) atlatet, quo ductu iter fecerint ad vesicam.

Non enim volatile est, per messaraicas ad venam portam, à vena porta ad hepar, ab hepate ad cavam, ex hac ad emulgentes venas, & sic ad renes ureteres & vesicam, prout transitum fuisse acum deglutitam (Jul. Cæs. Claud. resp. med. lib. 1. resp. 40.) & per urinam transmissam, quondam somniatum fuit, nam præterquam quod impossibilis sit aditus funiculi per hepar, adhuc tamen non concedimus transitum cavæ ad emulgentes venas, cum à quo innotuit sanguinis motus in orbem, (*Harvæus de circul. sang.*) habeamus, motum in venis esse à circumferentia ad centrum, adeoque à minoribus ad majores, simulque edocti, serositates è massa humorali eliminandas, ut præcipitatione facta per ureteres deponantur, non per venas emulgentes, hæ enim sunt refluæ, sed per arterias emulgentes (*Harveus, Th. Barthol. Valeus, Willis, Sylvius de le Boë, Charleton.*) transitum obtinere.

Neque reor recurrendum ad intestini & vesicæ perforationem, prout transitum fecisse præfatam Acum, fuit affirmatum, esset enim fabulosum id de funiculo asserere.

Cum vero alius non possit esse transitus ad renes quàm per arterias emulgentes, non admittimus funiculi motum per Galaxiam viam, nempe quod per lacteas venas ad cysternam chyli pervenerit, ita ut per thoracicas lacteas ad subclavias, ab his ad venam cavam, à vena cava ad dextrum cordis ventriculum, & hàc per venam arteriosam ad pulmones, ab his iterum per arteriam venosam ad sinistrum cordis ventriculum atque ex hoc per arteriam descendentem ad emulgentes arterias transitum obtinuerit: non enim sine regiminis vitalis œconomia interrupta per anfractuosos hos sinus aditum sibi funiculus parasset, sed probabilem suspicarer transitum à primis viis ad renes per venas lacteas, taliter enim ut funiculus, ad cisternam chili inter renes, & capsulas atrabilarias situatam (*Pequet.*) delatus non per Thoracicas lacteas iter cum chilo fuerit prosecutus, sed breviori tramite, nempe per surculos lacteos, è dicta cisterna chili in arterias emulgentes insertos (*Th. Bartholin. Cent. 6. de lact. Thorac.*) transitum fuerit ingressus.

Per hos surculos enim (*idem Bartholin. Cent. 8. de ven. lact.*) serum ad renes transfertur ibi à chilo separatum, vel ad capsulas atrabilarias sero melancholico destinatas traducitur.

Hinc cum ad dictam chili lacunam & partibus inferioribus limpha progrediatur, sive eam constituamus (*Th. Barth. de venis. limphat.*) excrementum tertiæ concoctionis; sive credamus partim, (*Sylv. de le Boë prax. Med. lib. 10. cap. 49.*) fieri ex spiritibus animalibus per nervos delatis, partim ex sanguinis aquosiore parte, eaque acidiori in glandulis conglobatis è massa humorali secreta; sive concludamus (*Gu. Charleton. de Oecon. anim. exerc. 9.*) ac halitibus cum sanguinis arteriosi, cum succi nutricii, per nervos delati componi, & si non inficiamur, multum prodesse, vel cordis æstum temperare, vel sanguinis volatilitatem facilitare, vel sanguinis coagulationem inhibere, & micationem ejusdem promovere, probabilissimam suspicarer limphæ superfluæ secretionem, & per urinaris vias translationem.

Per hunc breviorem tramitem, sine diabetica passione, paulo a potu vina oligophora, clareta, lacrymæ urbavetana vina, vulgo *raspee* & similia per urinam excerni conjecturare fas esset: per easdem vias aquam nucerinam aliquando immediate a potu deportari tuto concludendum; nam cum ea sæpissime utamur, ut fervescentium particularum massæ humoralis morbosa efferatio compescatur [ejus aquositate partes sanguinis sulphureæ diluuntur, & ratione boli, seu terræ Samiæ, qua insignitur, partes salinæ obtunduntur, & ab ea abripiuntur] frustraneus ejus usus comperitur, cum recto tramite à cisterna chyli, non per thoracicas lacteas ad cor, ut cum sanguine circulante transitum obtineat, sed ad renes deferatur. His obiter dictis, redeamus unde degressi sumus.

Neque dijudicandus difficilis aditus ab emulgentibus arteriis ad renes, à renibus per ureteres ad vesicam, nam renum substantia (ex Bellin. refer. Will. de Pharm. rat. sect. 4. cap. 1.) nec Parenchymate est insignita, ut hepar, lien, nec fibris carneis constat, ut cor, si recentioribus fides habenda, sed tubulorum membranaceorum aggeriem componere videtur, ita ut per eos ductus, licet exiguos, facilis fuerit redditus motus funiculo, cum experientia doceamur, calculos non exiguæ magnitudinis à renibus ad vesicam deferri per ureteres, quæ vasa duos digitos posse admittere (Th. Barth. lib. 1. c. 19. anat. ref.) testantur Anatomici.

Sed cum renum substantia dura sit, compacta, & densa, adhuc non obstat, cùm non solùm renes sinus habeant, in sinubus substantia laxa & cavernosa est, (Th. Barth. lib. 1. cap. 17. Anat.) sed sinus ipsi membranacei existant ex ureteribus in renum cavo expansis & dilatatis, quominus funiculus per unum ex renibus transitum obtinuerit.

De lactearum exiguitate major difficultas: ast non solum affirmandum in vivente corpore meatus longè patentiores esse & ampliores, quàm in defuncto, prout quendam immisse legimus, dum apii radices per urinas excretas deprehenderit (ex *Jul. Alex.* refer. *Schenck lib 3. Obser. 20. de urin.*) cùm non desint etiam, qui quadruplo majores (*Joan. Fort. Cent. 4. Cons. 50. tom. 2.*) esse pronuncient; sed concludendum, naturam sine doctore (*Hippocr. lib. de alim.*) sibi invenire vias (lib. 6. epid. sect. 5. text. 2.) quæ licet oculorum visum effugiant (id. de art.) ea tamen mentis acie comprehenduntur.

Interim si incongrua vobis videbuntur, quæ rudi minerva meditatus fueram, libentissime ea submitto, ut purgantissimi judicicii vestri censura meliora reddantur; optarem tamen, ut si quis vestrum arcem Palladis conscenderit, atque Apollineis influxibus verum funiculi excogitaverit iter, de eo per epistolam certior factus, tanquam ab *Æsculapii* fano in somniis deprompto beneficio mererer dignari favore. Valete. Tuderti 4. idus Nov. 1681.

Observationem hanc communicavit *Illustriss. Dn. Antonius Magliabechius M. D. Hetruriæ Bibliothecarius, an.* 1682. M. Mart.

Calculus vesicæ ab imperito Medicastro in urethram protrusus lethalis.

Notum est calculos renum præcedente quadam urinæ putredinali resolutione per concursum salium diversorum generari, & quicquid in hac actione comprehendunt, in ejusmodi tophaceum corpus coagulari, calculos autem vesicæ ut plurimum à renibus per ureteres in vesicam derivari, & sæpe tantum ibidem sumere argumentum, ut per vias naturales eliminari nequeant: varia proinde pro feliciori horum exclusione excogitata sunt remedia tam Pharmaceutica, quàm Chirurgica, in quibus adhibendis plerique omnes impostores atque medicastri suam jactant peritiam, sed infelix sæpius successus summam istorum prodit imperitiam: Quod apparuit nuper in cive quodam nostrate nephritide & calculosa dispositione laborante, quæ postposito Medico consilio, istiusmodi Agyrtæ curæ se commisit, & numerato pactæ pecuniæ dimidio (qui fucus pro emungendo à simplicioribus argento ipsis frequens est, & quasi proprius) varia medicamenta sub forma potionum & pulverum urinam pellentium, & calculum frangentium ab impostore propinata assumpsit; hinc calculus non sine acerbissimis doloribus versus vesicæ sphincterem est promotus, quem cùm digito ano immisso certius explorasset, tanta violentia versus urethram promovere tentavit, ut hinc dolores non solùm graviores, sed & major urinæ reddendæ difficultas, atque inflammatio periculosior succederent, quæ symptomata deinceps ita invaluerunt, ut nebulo malè sibi conscius aliquoties in auxilium vocatus non modo non comparuerit, sed & Nuncio à ministro accepto, patientem delirantem in agone versari, fuga sibi salutem quæsiverit, ægrumque ante aliquot dies satis robustum & sanum morti tradiderit; hinc re hac ad medicos loci delata & examinata, jussu Magistratus cadaver est apertum, inque uretræ radice calculus asper, eminentiis quibusdam insignitus, magnitudine denti molari mediocri, binas radices inferiùs acuminatas repræsentanti, haud dissimilis, per violentas protrusiones membranis, nervosisque partibus summe inflammatis profundius infixus, & versus anteriora immobilis repertus est, qui omnium malorum, etiam mortis consecutæ, author extitit. *D. Joan. Laurentii Fehr.*

Sectio calculi vesicæ in viro quater celebrata.

Furthæ Noricorum mercator quidam eximius Paulus *Lersch* calculo vesicæ laborans, ingravescentibus subinde doloribus ob suppressam toties urinam, spem tandem salutis certam in sectione posuit; quam in se suscepit *Georgius Gentnerus* Lithotomus, si quis alius circumspectus & in ea arte insignis. Prima proinde vice anno 1674. 2. Octobris die, implorato Divino auxilio, novaculam perinæo admoveri passus fuit, duabus pene cum dimidia horis exactis, prægrandem enixus est, post vehementes sæpè tractus, calculum, non sine larga subsequente hæmorrhagia, summaque virium jactura & universi corporis debilitate, difficilem hanc efficere curationem arenulæ, per vulnus subinde effluentes, quæ multum consolidationem vulneris retardarunt. Lapis exemptus formæ adpictæ cum sex draghmis uncias tres adæquavit. *Gentnero* adstitit manus porrigens auxiliatrices Georgius Prodmanon Chirurgus nostræ civitatis celebris practicus. Aliquandiu exinde patiens levamentum quoddam sensit, quamvis per vulnus continuo quædam manarunt guttulæ, indubii non debitæ, propter arenulas coalescentiæ testes, unde nova paulatim incommoda circa vesicam illius suborta integram polliceri restitutionem non potuere.

Ingruente anno 77. cùm doloribus gravativis & pungitivis atrocibus ille denuo, urinæ toties redeunte suppressione, nimium urgeretur, ad iteratam refugere sectionem, priore eandem Lithotomo maximopere dissuadente, victus tamen intensis doloribus, 20. Januarii post mediam noctem coactus fuit, & secundam hanc operationem à dicto Georgio Prodmanno pati, quam præsente sola sua conjuge in genua devoluta, cum juvene Chirurgo, dum heroico prorsus animo itinerarium catheterem sua manu direxit, fortiter sustinuit; Re feliciter & ex voto peracta, accitus ego illicò fui, symptomatum vehementiæ obviaturus, quæ exoptato remediorum usu & successu paulatim evanuere, meliusque ille se deinde quàm antehac habere cæpit. Lapillorum exinde exemptorum ingens multitudo uncias duas cum duabus draghmis pondere æquabat, formæ obscuræ, gryseæ cortices illi æmulabantur confractos, subsequente multoties insigni tenacis & sat viscidæ pituitæ copia, cui crebræ se jungebant flatulentiæ, patienti satis molestæ. Solatio ipsi fuere injectiones decocti hordei cum vitello ovi, oleo ovorum & Hypericonis misti; Aqua citrata cum cinnamomo & saccharo, & decoctum chinæ siti restinguendæ suffecit; alvo cum enematis subinde servata lubrica.

Vix Biennium peractum est, licet se pluribus præservare lithontripticis studuisset, denuo tamen gravissimis divexatus calculi symptomatis tertiam admittere adactus fuit sectionem, quæ anno 78. 9. Januarii die, intra sesqui horam felici Prodmanni dextra, me duobusque ejus ministris præsentibus fuit finita. Dura satis & quasi pultacea cum cochleari fuit exempta, unciæ unius & duarum draghmarum pondere, massa; quæ paulo post in tophum induruit, symptomatis non tantopere eundem exercentibus. Tertio vero post sectionem die penicullus vulneri immissus ad articuli digiti longitudinem nigrescere visus fuit, non citra gangrænæ metum quem ope injectionis ex seminibus frigidis præparatæ aliquoties repetitæ sustulimus, felici cum successu & veloci. Flatibus iterum in vesica tentari mirè cœpit, ut sæpius ligaturæ solutionem desiderarit, iis tamen nulla resistere arte potuimus, latente eorumdem in vesicam ingressu intra sex septimanas denuo ambulare cœpit, impetrata paulatim pristina valetudine, & quam antehac longè meliori, ut se in portu navigare summè fuerit lætatus, supremo pro tali clementia persolutis numini gratiis.

Sed ut vix aliquid ab omni beatum esse parte

potest

potest, ita & optimum hunc virum per binos saltem annos spes recuperatæ ex integro sanitatis, satis vana lactavit. Anno siquidem 8. 4. februarii Nephriticis rursus victus doloribus, diritate sectionis non absterritus, denuò id officii exequente Prodmanno avunne suo, me juxta cum duobus ministris præsente, se tali Encheiresi invicto iterum submittit animo, quæ ad quinque horæ quadrantes exercita felici cum supremi Numinis auxilio iterùm fuit peracta. Calculi complures ad ℥ij. ʒj. post illam exempti fuere sectionem, doloreque ille infestatus tertio die post injectionem in vesicam olei ovorum & Hyperici cum melle Rosato, saccharo, & julepo rosato quietem sensit. Quinto exiguus, quem sexto duo majores secuti fuere lapilli. Decimo omnia cessavere symptomata, præter salivationem post usum Mercurii dulcis cum Cinnab. nativa & ocul. cancr. præparatis permisti; prò lenienda aluo adstricta aliquoties ab ipso assumpti, quæ per plures dies satis ipsi fuerat molesta. 22. Martii circa plenilunium tantam virium jacturam persensit, ut omnes de ipsius vita conclamatum esse crediderimus. Sed post hac ad meliorem redire cœpit statum, ut sequente x. Aprilis in templo iterum comparuerit, pro tanto beneficiò Deo opt. Max. ex intimo cordis sui penetrali agens gratias. Subsequenti luce in vicino suo horto noviter constructo cum amici se recreavit, domumq; cum iisdem commode satis reversus fuit. Duodecimo verò aprilis circa vesperam insolenti correptus fuit horripilatione, lectumque suum repetiit, quæ duravit ad quinque horas; remittente dein paulatim rigore, æstum perbrevem sensit. Pretiosa satis in salutem Dn. ægrotantis ordinata fuere medicamenta, sed incassum omnia. Toties siquidem reversus fuit horror iste, interpolatis tamen, non certis vicibus, qui omnem elusit opem operamque quo ad delassatum, consumptumque tandem ad obitum deduxit patientem, quarto post decimum die 27. aprilis rarum pietatis & patientiæ Exemplar longiore ætate dignissimum.

Post luctuosum ejus ex vitâ discessum, voluntati piè defuncti, ut calamitosum ejus aperiremus corpus, parentes; omnia ferè in naturali suo statu viscera deprehendimus. Stomachus quippe cum hepate & intestinis absque nævo comparuere. Lien penitùs corruptus marcebat, levique compressione pultis instar dissolvebatur. Ren sinister dextro longe major disruptus totus putridus, exiguis calculis conspersus, vreterem duplo altero majorem ostendebat, per quem acrior transfluens urina dolorem non saltem ejus loci, de quo vivus continuò conquestus fuit, arguebat, quin & orificium vesicæ propè sectionem rubens plane & quasi gangrænosum præsentabat. Pulmo sinister quoque altero major fuit deprehensus, nullo alio prætereа observato corporis partium incommodo.

Imber Calculorum urinosus.

Senex quidam genere nobilis, olim etiam opibus potens, nunc religionis causâ exilio multatus, miseraque & Dionysiana fortuna contentus, Calculi renalis impetum ter expertus erat gravissimum; toties tamen Deo volente decocti Forestiani ope liberatus. Hic cùm post ultimum morbum corpus refecturus amicum certum ruri inviseret, jamque mediocriter vino potus domum curru repeteret, evenit viâ propemodum mediâ, ut urina vehementer urgeret, quam cum intempestivo pudore adactus in illa aliorum præsentia mittere non auderet, accedit, ut præ nimia urinæ instantis violentia aurigam rogare cogeretur tantisper detineret. Itaque currum descendens, cùm nihil præter urinam expectaret, illa subsistere paulum; mox oborta capitis vertigine, & majore meiendi conatu una explosione; quæ & audiri poterat, juxta cum urinis imber prorupit calculorum non tam doloris, quàm molestiæ cujusdam, sensu notabilis. Colligit ergò fundo sparsos in orbem calculos, instar glandium sclopeto emissarum, non unius omnes figuræ nec magnitudinis; unum tamen supra quam crederet, in centro magnum, quem cœteri indefinitæ quantitatis & numeri ambibant: collectos in conum papyraceum domum refert; insolitum portentum mihi exhibiturus, ut qui morbo ejus sæpiuscule adfueram. Numerum ego calculorum deprehendo esse supra triginta, præterquam quos terræ sinus graminaque absconderent; Variam inde illorum magnitudinem, aliquos papaveris, aliquos cicerum, unum, & illum in centro medium, seminis cucurbitini forma & magnitudine: quæ sane mirum est una explosione sine manifesto doloris sensu prorupisse; cùm aliàs minima etiam frustilla coli negotium facessere soleant. Color & superficiei lævitas indicio erant, jam diu eos in vesica hæsisse, detrita per muriaticum serum tinctura, quæ renalibus calculis adesse, ut plurimum solet. Atque ex hoc conjicias licet, quantum sæpè natura, arte, fortuna, consilio præstet. Equidem futurum erat, ut hi Calculi nec exquisitissimis remediis cederent, quos nunc natura vino & vectione adjuta, facilè jecit omnes; Nimirum cùm natura temporis sit servantissima, & una omnium optimè noverit horarum momenta, cum sibi relinquitur, sæpe felicius expedit morborum semina, quàm medelis coacta: hæ namque, cum sine discrimine urgeant atque instent, intempestivius naturam exercent, & momentum isthoc, quo & ipsa operi se accingit, vel prævertunt, aut relinquunt. Id quod in Calculi ejectione, proinde ac in partu, tam est manifestum, quàm in ullo affectu cùm non ante remedia facilè proficiant quàm conjurata venerit in subsidium Natura, tum etiam Empiricis sæpe, feminisque medicastris gloriam reportantibus. Ego autem existimo, non in alio magis Medici boni prudentiam consistere, quàm in temporis aut momenti illius æstimatione, quo natura jam ipsa solvere se gestit: siquidem illa obluctante κενεὰ πάντα. De vectione autem censendum est, eam si modica est, & æqualis, naturæ & calculis pellendis idoneam esse; sin immoderata, ex fortuna pendere, num utilis sit, vel noxia. Certè intempestiva vel vectio, aut Equitatio, plurimis etiam damnum adtulit quod expulsum sede sua non incommoda calculum in transversum egerit, angulisque acutis Membranæ nerveæ, arteriisque violenter allisert. Quæ

etiam res plurimùm nocuisse videtur nupero Belgii Hispanici Gubernatori Marchioni de Grana, cui magna acidularum copia importuniùs sumta Calculum solvit quidem, sed ita disposuit, ut accedente vectura, & sibi & aquis exituris viam omninò obstruxerit, moriente post aliquot dierum ischuriam Marchione. Adeò apparet, non nimis urgendum esse Calculum mediocriter positum, ne mutatus in deteriùs locus novam doloribus scenam instruat. commeatumque omnem & vitam interpiciat. Melior erat Nobilis illius fortuna, qui cùm calculum in vreteribus latere deprehenderet, magnis cerevisiæ Goslariensis (*Gooso Vocant*) scyphis largius se invitavit; magnisque itineribus & celeri vectura domum properans (peregrè enim profectus erat) morantem jam diu etiam cerevisiam & Calculum doloribus infestissimum tandem provocauit, & itinere & morbo feliciter defunctus. *Joann. Nicol. Pechlin. Observ. Physico Medicar. lib. 1.*

Calculi Excreti sine Dolore.

Si renum latibula sinuosa, si angustiam itineris urinarii, si sensum partis nerveæ, & tot laborantium ærumnas attentè consideramus; vix fieri posse videtur, ut peregrinæ ejusmodi, solidæ, tuberosæ atque acutæ Calculorum moles sine omni dolore è corpore excernantur, & tamen vidi ego lapidem, ovi columbini magnitudine, quem ipsum sine dolore in Crambriviis femina dejecit. Olim etiam non alio, quàm gravativi doloris sensu cognitum; sed hoc ipsum in feminis adeò novum non est, quòd ob meatus brevitatem humidique copiam, latiora ibi omnia atque expeditiora; in viris autem ubi arctior longiorque meatus, membrana forte etiam nervea ob siccitatem subtilior, omnia periculi plena, & rarissimi sint Calculi, qui absque dolore excernantur. Ut tamen sunt mirifici Naturæ lusus, ita viris quoque nonnullis accidit, ut conceptos aliquandiù & toleratos renum calculos etiam grandiores, sine dolore emittant. Ostendit mihi vir senatorii ordinis, omnis generis lapides, majores, minores, rotundulos, oblongos, glabros, angulosos, papaverinos, cicerinos, sed & alios rugosos intortæque figuræ, nec piperi longo absimiles, quos ille cum tempore & aliquot annorum decursu, omnes sine ullo dolore emiserat, & hodienum emittit. Alius, & ipse vir gravis, munerisque dignitate conspicuus, narrabat, nullo se unquam renum dolore affectum, ex renum tamen calculo laborare, & plerosque quos à longo tempore excreverat lapides (quamvis jam senex esset depontanus) nescio sibi cum urinis exire, non dolore se, at sono, quem elisi mitterent, prodentes: agnovi autem in pyxide, qua plures ejus generis lapides condiderat, aliquos, fabis, pisisque majores, oblongosque. Id verò non plane insolens, exilem lapidem, modò angulum habeat aut acutiùs tuberculum, majore quoque sed ipso rotundulo, molestiorem esse: nam ut Calculi positus est, qui angustias obsidet, ita majora, minorave tormenta excitari necesse est sanè, si acutior angulus membranæ impactus hæreat, jam parata dolori immenso materia; si glabra aut convexior superficies, aversis spiculis jam facilior, & subinde ἀνώδυνος excretio. Adeo propitiam sibi naturam optare oportet, quæ latentem calculum e renum sinubus, inde ex vreterum angustiis, imprimis, qua vesicæ junguntur, jam vero etiam vrethra subtili, sensibilique parte feliciter, & sine dolore educat. Plerumque autem non una est dolorum ratio; aliis in renum vicinia & pelui, aliis in vretere, aliis prope vesicam, circa vreterum ingressum, aliis in vrethra infestissimum dolorem sentientibus, ut ne dicam, Coli sæpe atque intestinorum socios calculi dolores in renes, viasque urinarias, adeo & Calculum imprudenter rejici: certè enim, qui solis clysteribus expugnantur dolores Nephritici, haud dubie a flatibus sunt tensione molestis; qui tamen ipsi cum renibus & viis urinariis graves incumbant, retardare sæpiùs iter calculi, positumque in deterius mutare possunt. Non infrequenter calculi ægrè & post varia dolorum tormenta vesicam ingressi; ubi flatus remisere subitò & absque dolore, vix etiam animadvertentibus ægris, fuere expulsi. Nuper adhuc arthritico mihi quam familiari post aliquot mensium decubitum cùm nullum ante unquam calculi vestigium notasset, lapis in vrethram improvisus illabitur magnus ille & durus planè formam nuclei mali persici, ut cortice vestitur, referens; neque mora quin uno impulsu, sine doloris sensu ejicitur, & sic satis miserum ægrotantum prodigii novitate percellit; quod ipsum tamen etiam Prospero Farinaceo. JC. Romano famosissimo evenisse, apud Collucium, libro de Querelis Nephriticorum legi; an verò etiam nonnullis tam crassus contigerit, obtususque sensus, ut dolorem ea parte non facilè sentiant, an justo major laxitas, an emolliens aliquod unguen, litus instar sensui doloris securitatem præstet, alii viderint. *Idem ibidem.*

Militis Curoni durities.

Cùm Hamburgi degerem, Miles mihi occurrit Curonus, quod genus hominum rigidum est, & supra quàm credi potest laboris patientissimum. Conquerebatur is de renum & vesicæ calculo jam diu sibi familiari, sed cui sanando vel emendando, si quod esset auxilii genus, in illa mendicitate nihil impendere poterat, igitur, qua erat fortuna tenui, manum sibi ipse commodabat; namcùm affatim bibendo, modò aquas, modò cerevisias diobolares, calidas tamen, si licebat per loci commoditatem, calculum, quod putabat, è renibus in vesicam feliciter deduxisset, major jam erat de mora illa in vesica, & hinc nata ischuria querela, doloresque plane intolerandi: quod cùm ab angustia urethræ proficisci conjiceret illud unum sibi agendum ratus, quò viam redderet latiorem, bacillum juniperinum cultro sibi aptavit, eoque sæpiusculè in vrethram, quod aliàs Balænaria virga aut cereo fieri solet, immisso, canalem sic satis dilatavit, ut grandiusculi aliquot lapides sponte sequerentur & qui majores erant, quàm ut pervadere possent, ad ostio vrethræ repulsi urinæ viam relinquerent; hic homo jam à tribus inde annis calculos in vesica alebat, non quidem

quidem in illo, pro nota duritie, sueta tormenta, sed molestam admodum ischuriam jamjam ni lapis amoveatur, jugulaturam excitantes, in eum ergo usum, quocumque iter faceret, virgam sibi adsciverat comitem juniperinam, hanc pro necessitate morbi vesicæ immittebat, iterumque extrahebat, donec vel calculi aut urinæ sequerentur. Accidit autem, ut cùm Dantisco Lubecam enavigaret in navi ab ischuria & calculi objectu malè affectus solitam virgam intruderet, viamque urinæ panderet sed jam Lubecæ, jam in viâ Hamburgum versus eodem incommodo oppressus, nescio quâ manus levitate bacillum profundius adegit & tandem abrupit; itaque magna ejus pars in urethrâ relictâ novam homini sollicitudinem pariebat. Erepit tamen pedes Hamburgum, & in officinam Chirurgi hominum indicio deductus opem manus implorat. Chirurgus temeritatem & invictum hominis animum miratus, cùm nullum in cole humorem animadverteret, & in illa urethræ toties impunè vexatæ latitudine grassandi immunitatem habere videretur, post tædiosam manuum operam aliquoties frustratam, tandem forcipe exili fibras arripit fragmenti, illudque oportunè deducit. Stupendum erat, nullo adeò sensu præditum hominem fuisse, ut neque ad forcipis cedentisque baculi tarditatem vel vocem mitteret, sed credo calculi istis & dysuriæ doloribus duratum facilè etiam illum spernere potuisse. Notum aliàs, quanta sit plerunque dolorum vel ad cerei, aut catheteris immissionem violentia, deprecantibus statim molestum beneficium ægris.

Sed & hoc mirandum, potuisse post tot sollicitationes sphyncterem quoque officium facere, & urinam retinere, quamvis vitiatum illum ex parte fuisse subindè recurrens stranguria, nisi eam calculus excitaverit, argumento erat. Observavi autem illam Finnorum, Livonum, & vicinarum gentium patientiam, si cum illa tractus nostri aut plagæ comparetur, incredibilem esse, ut quæ ad dolores, mortisque apparatum ferè non contremiscat. Utrùm fluidi animalis in ista gente motus sint tardiores, an verò ipsa cutis callosior sensum non facilè transmittat, censeat quisque pro ingenio. Certè melior fuit hominis inepti fortuna, quàm Medici Lagathæ apud Janum Nicium Erythræum, ut qui in tuto hamulorum uncique remedio usus sphyncterem resolverit, perpetuoque urinæ profluvio imprudentiæ pœnas dederit. *Joan. Nicol. Pechlin. Observ. Physico Medicar. lib. 2.*

Mirabilis Calculorum sectio in Octogenaria.

Inter omnes corporis affectus, qui hominem misere infestare solent, haud infimum locum obtinet calculus vesicæ; hoc malum quantumvis in Batavia nostra admodum frequens, rarissimo & inaudito tamen modo, sese nobis nuper obtulit in octogenaria, præ dolore admodum emaciata, & à viginti annis propendentiam Uteri perpessa, cum intolerabili mingendi difficultate, & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quàm hoc diutius perpeti, præsertim postremis duobus annis.

Tandem mense Maio 1681. me vocari jussit, de uteri propendentia, & mingendi difficultate conquerens. Mirabar vetulæ querelas, quoniam nunquam à solo uteri prolapsu ita dolere solent mulieres, verendumque esse adjeci, aliquid mali, præter uteri prolapsum, hactenùs in alta nocte latuisse. Hisce auditis, misera visum, & ulteriorem explorationem (sine quibus nihil certi asseverari poterat de absconditi morbi essentia) non renuit, ostenditque mihi uteri, justo paulo majoris prolapsum, Palpitando hunc uterum, calculos sentire putabam, nec fefellit, quamvis circa calculorum formam deceptus: videbantur enim tenuiores laminæ calculosæ (belgicè Leyen) qui post incisionem reperti sunt angulosi & crassi.

Non autem interim certè determinare poteram, utrùm locum haberent dicti calculi in ipsâ uteri cavitate, an verò inter ejus membranas, vel in aliquâ vesicæ portione. Videbantur quidem uteri locum occupare, qui totus quantus è corpore propendebat, sine ullâ vesicæ portione (ut nobis videbatur) Hisce visis & exploratis, calculorum exsectionem proposui: accersuntur Magistri, Petrus Adriani filius, & Andreas Boekelmannus, de re Chirurgicâ benè meriti, qui eandem quoque operationem commendabant, proximo die instituendam. Operationem in sequentem diem dilatum iri misera illa vetula audiens lamentari cœpit, exclamans, ô me miseram, non reversuri estis, relinquetis me &c. quibus quærelis permoti, ilico operationem instituimus, solâ incisione, secundum uteri propendentis longitudinem; extraximusque momenti temporis spatio, calculos quadraginta & duos, partim instrumentis, partim solis digitis.

In hâc operatione non admodum doluit ægra, eaque peracta, & hoc onere exonerata, atroces ilico evanuere dolores, quos tot annis passa fuerat, & satis commodè vivere cœpit, in ipsa sectione præter guttulas sanguinis aliquid liquoris promanabat è vulnere, unde suspicabamur, vesicam quoque esse in procinctû; nec falsò, nam sequenti die hoc penitius investigantes, & siphonis ope liquorem per meatum urinarium injicientes, eum vulnere exire reperimus: quod, ut & lotium sequentibus diebus per vulnus stillans, nobis manifestavit, calculos dictos vesicæ portioni simul cum uteri mole prolapsæ, inhæsisse.

Hoc urinæ stillicidium haud exiguo nobis fuit obstaculo in vulneris curatione quæ tamen, (gratia Deo ter opt. max.) brevi peracta fuit, sequenti methodo.

Aliquot diebus post balsamo Arcœi illitum vulnus; labia ejus arctissimè adducta sunt emplastro diapalma tantillum terebinthinæ, ut magis adhæreret, recipiente, quod emplastrum scissum fuit, super impositis spleniis, & ligatura convenienti.

Quum autem hic faciendi modus expectationi non satisfaceret, propter urinæ stillicidium continuum, & emplastri relaxationem, loco emplastri excogitavit Magister Boekelmannus annulum è plumbo, cujus extremitates recur-

vatu filo attrahebantur, unde labia vulneris tam arctè claudebantur, ut nihil urinæ amplius stillaret, & sic intra triduum conglutinaretur vulnus.

In hoc affectu nonnulla consideranda; imò miranda occurrunt. 1. Uterum è corpore propendentem secum rapuisse tantam vesicæ portionem, quod rarissime (si unquam) antehac visum est, quantumvis partes sint circa oscula continuæ.

Crediderim hoc in illa vetula accidisse propter difficultatem mingendi, à calculorum copiâ ortam, unde conatus urinam reddendi fuere continui, & quidem tanti, ut per cohæsionem dictam impediri non potuerit.

2. Quod moles è corpore propendens, & nil præter uterum mentiens, ob calculorum magnitudinem & numerum, nullam inæqualitatem; nec aliam formam sit adepta, superficies enim admodum erat æqualis, & figura uteri naturalis.

3. Admirationi est, calculos omnes eandem ferè obtinere formam; & adeò æquales esse superficie, ac si essent planati.

4. Vulnus ad consolidationem pervenisse, quamvis parti vesicæ membranosæ inflictum, per quod urina assiduo stillabat.

5. Considerandum est, non omnes calculos in illa vesicæ portione, quæ uterum investiens simul è corpore propendebat, hæsisse; non enim sat s ampla ratione magnitudinis & numeri calculorum, sed nonnullos in ipsa operatione ab altiori & profundiori vesicæ parte descendisse dubitandum non est.

6. Inauditum lithotomiam in Muliere adeò annosa cum tanto successu, esse institutam, in mulieribus calculi dilatatione urethræ quidem extrahuntur; ast per quàm rarum est, sectione vesicæ idem perfici. *Frider. Ruyschius in Observ. Anatomico Chirurgic.*

Calculi tussi rejecti.

Dum pectoris hic vitia recenseo, præteritam alibi calculorum pulmoneorum historiam adferre lubet. Mira sane res, nullam adeò esse corporis partem, quam non petrifica illa idea infamet; & cum in perpetua viscerum succussione solidum concrescere posse difficile creditu sit, jam nec pulmones, reciprocis usque agitati motibus, à receptu solidi, lapideique concreti immunes apparent. Migrare sane aliquando & in illam partem vis petrifica solet, novoque Phœnomeno spectantium oculos confundere. Studiosus Anglus, disciplinæ olim meæ concreditus, diligens valde & sedentarius, cum operas suas vel ocii fallendi causa aut exspectatione melioris sortis Residenti cuidam Anglo locasset, eique ab epistolis esset, nimia industria, vitæque partim jucundæ tædio, in tussiculam primùm mox ingravescentem, usque tamen siccam, prolapsus est; hæc ipsa cùm quatuordecim demum dies frustrà laborantem fatigasset, tandem post iteratas tusses vehementiores solidum rejecit ore frustillum, quod cùm attentius exigeret, deprehendit lapillum esse inæqualem undique & crenatum, loci, in quo hæserat, formam referentem.

Sed neque excreto eo malacia; continuò enim infestabat alia post aliam tussis eaque semper sicca, donec elapsis aliquot diebus alterum extussiret lapillum. Nec dum tamen quies, insurgente iterum tussi, ex qua tandem rejecto tertio post aliquot dies calculo convaluit. Exinde nullum sensit incommodum è Gambriviis ad Anglos feliciter transfretans, etiam nunc post biennii moram navatamque Praxi medicæ operam, commodè agente. Erat alias Nephriticis doloribus oculorumque inflammationibus obnoxius, sed à quibus illo tempore immunis vixit. Tussi siccæ occurrebat quidem lentis illis viscosisque succis, syrupo jujubino, dialthæa &c. quibus etsi nihil mitigaretur, oblita tamen per viscosa dulcia interna Tracheæ superficie hæsuros aliàs angulorum asperitate calculos auspicato rejecit. Hic verò non levis scrupulus cogitantibus oboritur, unde & quando illi calculi in pulmonum bronchia sese inseruerint. Limosum pituitæ viscum arescere planè, negotiumque tussiculosis facescere vidimus, & nullum indè calculi periculum; ideam aut fermentum lapidificum errore quodam per diversa corporis vagatum pituitæ bronchiali tandem incubuisse credent haud dubiè, quos archei pridem subtiliumque rerum veneratio incessit. Cum autem nulla alia evadendi via sit, alterum in re perplexa eligendum, & quidem virtuti cuidam lapidificæ in tam repentino Lymphæ coagulo hoc facilius accedo, quod nunquam ante in pulmonibus quidquam senserit incommodi, & postquàm semel invadere tussis cœperat, non ante illa desierit, quàm ejectis, quos subita vis aut halitus Gorgoneus contraxerat, lapillis. Quodnam verò fuerit coagulationis subjectum, perinde incertum, vero tamen similius ipsam illam lympham interiora bronchiorum oblinentem, ut glandulis quibusdam suis ortum debet, ab halitu coagulante subito deprehensum in stirias, ut fieri aliàs in cryptis solet, coivisse formamque ab annulata illorum ramorum bronchialium textura collapsuque alternato accepisse. *Joan. Nicol. Pechlin. Observ. Physico medic. lib. 2. Observat. 4.*

Ante tres circiter annos, Genevæ, in Hospitali, paupercula quædam puella annos 25. nata, atrocissimos lumborum, pectinis, & perinæi dolores simulabat, tum de urinæ difficultate, & suppressione multùm querebatur, quadam autem die cùm symptomata omnia ingravescere visa essent calculum unum fabam crassitie æquantem, subrufum, solidissimum, ponderosissimum, uno verbo, silicem in fluminis ripa collectum omninò referentem ægrè ut videbatur excrevit. Plures dein tales calculos etiam multò majores, per aliquot dierum intervallum obstetricantibus mulierculis enixa est. Donec casus insolentia impulsus, simul & dolum suspicatus Medicus Hospitalis ordinarius nos una cum Chirurgis, qui rem penitiùs scrutarentur, accersivit. Inquisitionem primò, pudoris & futuri doloris prætextu recusabat illa, sed mox, fore ut Chirurgis etiam imponeret confidens, se ad examen ut par erat composuit. Diductis vulvæ labiis, & nymphis, Urethræ foramen nullatenus dilatatum apparet. Immisso cathetere nullus deprehensus in vesica calculus. Postquam explorata est vesica, Chirurgus vaginæ ingressum

ſum apice digiti, virginitatis ocellum violare metuens, leviter primò attingit; at cùm ſtratum iter agnoviſſet, digitis altius adactis, ovo lapidem columbino ſimilem è vaginæ fundo extrahit. Nequitiam fateri cogitur mendica, virgiſque impoſtura expiatur. Sanè ſi improba hæc, unum aut alterum ſubdititium calculum primis diebus reddidiſſe contenta, viſitatione, & inſpectione fraudis apertè convicta non fuiſſet; ſilices fluviatilibus ſimiles, etiam in veſica quandoque ſuccreviſſe, non pauci hodiè affirmarent. *Aut. Bibliothec. Anato. Tom. 1.*

Anatomicæ inſpectiones.

Eas fuſè vide deſcriptas capitibus de iſchuria, dyſuria, ſtranguria, ardoribus urinæ &c. Hic itaque tantùm quædam.

Hiſtoria veſicæ monſtroſæ magni Caſauboni.

Summus & Clariſſimus Vir Iſaacus Caſaubonus corpus gracile & ſiccum à natura ſortitus erat, temperamento exblioſo in melancholicum plurimùm declinante. Ignei vigoris & cæleſtis originis animam continebat fragile ergaſtulum, quod exili, nec importuna mole haud grave, hoſpitem ſui planè juris eſſe ſivit. Hinc factum, ut literis deditiſſima mens paruam admodum habuerit domicilii ſui rationem, ita vir magnus non impalluit modò, ſed penè inaruit chartis. Paucis vel ferè nullis magnis morbis obnoxium tranſegit illud quod Deus ipſi indulſit ætatis curriculum. Et caſtigata corporis exſucci conformatio, fecit ut ea non ſenſerit, vel leviter expertus fuerit incommoda, quæ vitam ſedentariam, ut plurimùm, conſequuntur. Arenoſam aliquando ſaburram depoſuere renes, non ſine aliquo vrethræ inter meiendum ardore, nihil tamen effatu dignum, vel quod ſedulam, aut iteratam medici poſtularet operam. Cælum, ſolumque mutavit ſæpius, ab urbibus, & principibus viris doctrinæ non vulgaris nomine humaniſſime invitatus, & exceptus honorificentiſſimè, ut pateat ipſum non uni aſſueviſſe victus legi. Tandem à Jacobo primo Britanniæ rege acceritus, in florentiſſimo illo regno vixit per triennium. Penſum à maximo rege accepit grave, at humeris, qui antiquorum nodis, atque ænigmatis ſolvendis innutriti erant, non impar. Theologicum aggreſſus opus, in Baronium ultra annum inſudavit. Huic abſtruſioris ſuæ eruditionis ſpecimini edendo, animum in varia diſtrahi, & pungentibus agitari παθήμασι non novum, ubi de aſſerenda veritate & pariter de famæ diſcrimine agitur, præſertim in polemico ſcribendi genere. Quot Evoluit illo temporis ſpatio patrum antiquorum volumina? Quot horas in muſæo Epularum immemor, veluti raptus in ἐκστάσιν, trivit vir optimus, qui terram calcans pedibus, cælo mente affixus erat. Quot inſomnes tranſegit noctes? ut accuratiſſimum illud opud cuderet, & luci tandem daret, quod nunc in antiquitatis depravatores, quantumvis purpuratos proſtat? Hic paulatim vires immunui, corpus magis ac magis extenuari, diſſipari ſpiritus, & debilitari calor nativus functionum omnium opifex, quibus ceſſantibus, vel ſaltem facultatum læſione depravatis, Excrementorum quotidiana germinatione ſuccreſcentium proventu, partes obrui, & naturam tandem fatiſcere neceſſe eſt.

Duodecimo circiter ante obitum menſe, qui vel ante quieverant; vel fugaci præſentia obitio ſaltem moleſti fuerant, inter meiendum punctorii dolores, & urinæ ardores redivivi, cœperunt virum fatigare, primum longioribus intervallis, noctuque præſertim importuni, ita ut dulcem interrumperent ſomnum, & experrectum adigerent ad matulam. Rubrarum arenularum profuſio, cauſa iſtius irritationis ſtatuebatur; neque ullis poterat æger incommodis à ſtudiis avelli, urina tandem ardore difficutatem pariens ſubinde ſiſtebat gradum, & non effundebatur, niſi mediocri ſaltem niſu, idque incurvato corpore & facie prona, tanta aliquando expultricis irritatio, ut qui parce olim, vel ſemel, tota nocte ſoleret urinam emitere, intra paucos menſes bis, ter, quater, quinquies, ſexies, & tandem infinitis vicibus cogeretur in eum finem ſurgere. Pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter meiendum alui exonerandæ cupiditas. Exeuntem urinam comitabatur dolor, cùm per totum canalem vrethræ, tum maximè in glande, cujus ſenſus erat quaſi multorum acuminum ſimul pungentium Ingens in dorſo aliquando calor, ad quem levandum veſtem ſæpiſſime deponere cogebatur. Urinæ ut plurimum pallidæ cum mucoſo ſedimento, poſt Equitationem, vel violentius exercitium ambulationis cum arenoſis granis craſſioribus, vel tenuioribus lapillis rotundis, præduris plurimis, quorum nonnulli granum tritici, plerique milii magnitudine æquabant. Ita ſymptomatum ſyndrome medicis calculi in veſica latentis ſuſpicionem injecit. Quem cùm cathetere explorare ſtituiſſet, nullus inſtrumento in veſicam aditus, ſed ita præcluſa via, ut apparerent ὑπερσαρκώσεως meatum obſidentis injicia. Inter numeroſum iſtum ſymptomatum concurſum, quæ vel athletico corpori petfundando, ſatis erant, ſexto ante fatalem diem menſe, in parte hypochondrii ſiniſtra, inter albam lineam (ſeu veſicæ regionem ſupra pubem) & ilia, efflo reſcere cœpit tumor, initar juglandis primùm, qui paulatim auctus ad pugni magnitudinem vel potiùs latitudinem excrevit, deſinens in obtuſum acumen; Molliſerat, & qui fluctuatione, quæ contrectationem ſequebatur, aquam ſubeſſe certò indicabat. Sicuti liber inter tuſſiendum vel reſpirandum, muſculorum abdominis motus materiam ſub iiſdem contineri, tumoris circumſcriptio, eandem non in ventris cavitate vagam, ſed in quadam cyſti concludi arguebat. Si durius impreſſa manu tractaretur tumor, veſica in conſenſum tracta dolebat, & micturiebat æger. Id quod à partium vicinia, & veſicæ inter duas peritonæi tunicas ſepultæ, cum tumore connexione fieri credebatur. Subſidebat nonnunquam, & paucis poſt diebus ad priſtinam redibat dimenſionem. In miſero iſto ſtatu vitam languidam menſibus aliquot traxit, donec inſtante, ultima & fatali hora, ſic acceleratus fuit viri piiſſimi interitus, ut ſereno die animi recreandi, & corporis gratia exercendi, Rheda vectus, decem

angli-

anglica miliari percurrerit. Reversus domum noctu minxit frequentissime, aucti dolores, aucta dysuria, cum stranguria, urinæ cruentæ cum sedimento mucoso, quod maximè tenacis & vitreæ pituitæ simile aliquid puris admixtum habebat. Inualuit inter meiendum desidendi cupiditas, exclusi calculi exiles quàm plurimi, aucta uno verbo omnia. Inuasit febris, quæ antea per intervalla inæqualia, licet levis, non tamen sine aliquo horrore, & inordinatis rigoribus occupaverat. Pugnatum iis quæ acrimoniam lotii demulcere, mucum incidere, eique facilem lenitione viarum exitum procurare valebant; Vano sane labore. Siquidem urinæ tunc olidæ, turbidæ, instar lixivii, aut cerevisiæ, profluxerunt, sine levamine: cum mictionem novum exciperet illicò meiendi desiderium. Ardorem internum sibi molestissimum dicebat æger, & calidissimæ reddebantur urinæ, etiam ad tangentis manum: mucus erat dimidia lotii pars, aliquandò etiam quicquid reddebatur, mucus erat tam tenaci filo cohærens, ut vix divelli posset, & ex matula in pavimentum lubrico & continuo contextu efflueret. Notatu autem dignum, quod post redditam ingentem istius albuginea pituitæ quantitatem, hoc symptoma per duos vel tres dies inducias dabat, nova Egestione facta denuò ut ante recurrens. Tam diris cruciatibus excarnificatum tenue corpusculum ad dies 20. duravit, continua febri tabefactum, perpetua effluentis lotii, & fusæ alui vacuatione, pumice siccius redditum, urinæ foetore, quem ipse oris spiritus redolebat, infectum. Donec tandem felix animula sui carceris impatiens, cui ab ipsis conformationis primordiis, iniquis conditionibus alligata fuerat, vocante supremo rerum conditore, ad suam migrans originem, corpus humo, amicis lacrymas, literatis raram Eruditionem, omnibus probis eximiam pietatē imitandam reliquit. Die veneris Kal. Jul. 1614. ætatis anno 57. secto autem cadavere, post exquisitam singularū partium perscrutationem, sequentia fidelibus oculis objecta fuerunt. Vrethræ inditus catheter argenteus nulla arte, nulla vi, valuit in vesicam adigi, ita ut secta per perinæi longitudinem vrethra manifestò apparuerit σαρκοειδὲς σῶμα, meatum occupās, foris intrò resistens, sed ab interna parte foras obsequentius, collo vesicæ appositæ adstites glandulæ, prostatæ dictæ, quadruplo majores quàm naturalis ferret conformatio, vesicæ corpus contractum, crassum, & admodùm spissum, interna sui parte rugis quàm plurimis & veluti cuniculis exsculptum, quorum cavernulæ lapillis infinitis rotundis scatebant: collum interius, quod declive levi canaliculos ine ulla protuberantia naturaliter in vrethram desinit, introrsum tumens, elatum instar podicis gallinæ, vel colli interioris uteri; ita ut in ambitu esset veluti sulcus, seu cavitas, per quam circumduci poterat digitus, cujus magnitudinem facilè admittebat colli orificium, per vrethræ retractionem sursum factam formatum, quæ virgæ in arrigendo incurvationem invehebat. ad sinistrum latus perforatum fuit vesicæ corpus, & pervium rotundo foramine, quatuor digitorum apices admittente, in saccum sive ἔκφυσιν vesicæ, vel additītiam vesicam quæ urina turgens capacitatis erat ad vesicam sextuplæ. Habuit saccus ille tunicas tres seu membranas, cum vesicæ membranis continuas, spissas admodum, (nequis ἀποδιδύρωσις comminiscatur) cum insignibus nervis, venis & arteriis, situs talis, ut totam ὑπογαστρίου partem sinistram occuparet, usque ad ossa ilium, instar vesicæ, in ipsa peritonæi duplicatura latitans. Figura ejus inæqualis, ita ut infra foramen infima sacci pars propenderet plurimùm, sicuti superior peritonæo affixa firmiter, multùm supereminebat, utraque vesica lotio turgens plenissime. Ast in additītiæ fundo, infra foramen pensili ingens saburra putriset olidi muci sive Phlegmatis vitrei, quod cum tanto nisu & dolore à misero ægro profundebatur. Vesica ipsa neque ulcerata, neque inflammationis præ se ferens vestigium. Additītiæ interna membrana erosa variis in locis, atque ob inflammationem rubra, livida, nigra, gangrenæ proxima, quæ mortis certissima, & inevitabilis causa fuisse videtur. Vreteres lati, urina turgidi; sinister instar sacci tunicas gliscebat profundiùs, uterque autem desinebat in vesicam veram, paulò supra collum. Ren dexter totus purulentus, sanus sinister. Partes cœteræ sanæ, exceptis pulmonibus, quos corruperat & denigraverat ferina & perennis fluxio à capite in ipsorum bronchia & substantiam, continuò stillans, quam prodebat ordinaria tussicula, & in ultimo hoc morbo consueta raucedo ingeminata, etiam usque ad aliquam difficultatem vocis edendæ.

Vitiosæ istius conformationis in numero, situ, & meatu monstrum, quoniam doctorum animis exercendis satis est atque amplum aperit campum disquisitioni medicæ; in hac lubet exspatiari planitie; cùm ut credant ἰατρῶν παῖδες quotidie nova occurrere, quæ sub antiquorum specie nobis imponere possunt, & conjecturæ acumen fallere, tum ut in observando seduli, in prædicando, & judicando cauti, in operando religiosi, atque periculosa festinatione alienissimi esse edisçant: fatendum ignotam fuise tot malorum causam, & deceptos medicos omnes, quorum alii calculum prægrandem adesse, alii ulcus in vesica, quidam tumorem aquosum, partim inter musculos, & peritonæum existentem, occupare autumabant. Rara non sunt artis, & in conjecturis quantumvis artificialibus, parum est fiduciæ. Errorem suum confiteri ingenui est in rebus inauditis, & nulli visis decipi non turpe; observata, (licet prognosi potiùs quàm therapeiæ idonea) posteris pandere non inglorium.

Equidem ab ipsis conceptionis primordiis vim plasticem in hoc subjecto insolenti utique & gravi errore lusisse arbitror, dum concurrente nimia ad vesicam fingendam à parentibus decidua materia, eam cum ἔκφυσει & cum foramine, in hoc additamentum ducente formavit. Eodem planè modo quo lienes, & testiculos duos & tres, sextum quoque digitum non semel vidimus. Ita seminum confusorum, & sanguinis materni affluentis superflua quantitas, una cum vegeto calore, formas è potestate oblatæ materiæ educente monstra gignit Porrò credibile est istud additamentum primis annis vel exile admodum fuisse, vel etiam ipsi vesicæ, sic

sic agglutinatum, ut vel nihil excipere, vel exceptum statim refundere in naturalem alveum valeret. Incrementi autem, seu dilatationis ipsius primordia tum cæpisse verisimile est, cùm vir pius penso gravissimo nimium intentus, dies, noctesque libris assidens per multos menses transegit, tum siquidem lotii reddendi immemorem quotidie, imò quavis hora reddebat animi à naturalibus ad sublimia avocatio. Ita ut à corpore veluti abstracta mens, nec incommoda sentiret, neque muniis necessariis vacare, vel ad corporis vilia officia se demittere dignaretur. Si ii quibus mens ægrotat, dolorem non sentiunt, quidni vesicæ pondus negligetur? quoties in ferventioribus studiis calor & spiritus ad rationis arcem vi quadam rapti, totum cerebrum sibi vendicant, neglectis, nisi quantùm ad vitam sat est, ut ita dicam, ignobilioribus partibus. Id videre est, non tantùm in melancholicorum, sed impia religiosorum, nec non in amantium ἐκστάσει. Jam vero motus principium quantumvis debile, sat est ad incrementum. In dies aucta fuit ista dilatatio, viresque acquisivit eundo, & concavum istud corpus membranosum ductile, & facilis extensionis, repletione crevit, inter peritonæi tunicas deorsum versus primo, ni fallor, ob contenti fœculenti pondus, deinde sursum suam nactum dimensionem ad lævam hypogastrii primò extuberavit levius, deinde insigni erupuit tumore; quòd videlicet ad inferiora dilatatio obice ossium ilium, & pubis impediretur, quæ ad laterum mollitudinem erat facillima, neque verò impunè tulit istam extensionis libertatem ipsa naturalis vesica, cujus membranas cum additamenti tunicis continuas, his licentiosius expansis in se retrahi & tandem corrugari necessum fuit. Sed quod gravius est, cum fibrarum transversarum & obliquarum beneficio, succedat quantitate gravius lotii expulsio, partis autem organicæ perfectio in legitima conformatione consistat, solutionem illam continui, actionum læsio, quæ inutilem vesicam reddit, consequuta est, itaque per ureteres à calidissimis renibus ex toto corpore emulctum serum deducebatur quidem in vesicam, sed cum ea nisi inæqualiter in se comprimi non posset, ad expulsionem partim naturalem, partim voluntariam, antequàm meiendi incesserit voluntas. Saccum seu ἔκφυσιν oportebat impleri, etiam usque ad molestiæ importunum sensum, & consecutione necessaria, in dies paulatim magis ac magis dilatari; hinc factum est, ut intra paucos menses à dilatationis principio in magnam excreverit amplitudinem, quam excrementi quantitas, & facultatis imbecillitas æquali passu quotidie invalescant. Interioris membranæ vesicæ corrugatio urethram intro traxit, & collum ipsum corrugatum in formam podicis gallinæ expulit, quæ causa una ex multis erat difficultatis in meiendo, unica autem, ni fallor; incurvationis virgæ in arrigendo, cùm urethræ membrana nimis sequax, cavernosa corpora in arcum reflexa retineret. Idem ab inflammatione tumorem abbreviantem procurante in gonorrhœa contingere solet. Calculos in vesicæ rugosæ cuniculis infinitos creavit urinæ tartareum sedimentum. Ea siquidem & naturaliter in hoc subjecto, plurimo turgebat sale; & istius terræ portionis separatio, sive tartari coagulatio, promovebatur mora, quam excrementum præ languore, imò impotentia expultricis ob organi vitium, in cavitate facere cogebatur, proinde ac sui ipsius inspissationem, & non ogeneorum ab heterogeneis separationem, vi caloris nunquam feriantis experiri.

Cur verò in imo sacci fundo nullus calculus etiam prægrandis, cùm ei generando plurima materia suppeteret, coagulationi etiam proxima! nempe quòd in illo eurapo intus lævi, non cuniculoso, perpetuus quasi esset urinæ meantis & remeantis æstus, cujus fluctibus pars eluebatur.

At ut generetur per additionem partium calculus, quiete opus est. Adde quod defuit isti concretioni tempus, ei siquidem mors existentiam præripuit. Ulcus vesicæ qui statuerunt, decepti fuerunt excreto purulento, confisi, quòd à rene dextro putri, inflammato, & calorem intolerandum lumborum excitante, profluebat. Ulceratus sanè erat saccus; salsuginosi tartari, & lotii putris & statione fœtidi, amurcæ acumine. Quæ materia cùm in hujus additamenti declivi atque infra foramen multum propendente, & demisso fundo diutiùs stagnans hæreret, erosionem pariebat, à qua immunis erat vesica, per quam momentaneus saltem dabatur, ob ejus angustiam transitus. Mucum autem sive mucilaginosum phlegma, seu fæcem tartaream plurimam continebat ἔκφυσις veluti iners, actionisque omnis expers additamentum, quod præter eam separationem, quæ ab ipsa urinæ substantia fiebat; etiam conditione suæ substantiæ membranosæ fundebat viscidum excrementum, non minus quàm ipsa vesica vel calculo iritata, vel urinæ mordaci sale corrosa, eodem plane modo, quo puncti limaces, salivam ex proprio corpore in se contracto, expressione rejiciunt, viscida esse solent spermaticarum partium, imprimis vero membranarum excrementa. His positis, & diligenter perpensis, haud obscurum est, quænam fuerint symptomatum causæ, quibus vir tantus ad acerbam & crudelem necem excarnificatus fuit. Sed cur inter meiendum oleti faciendi cupiditas, quæ ut plurimùm calculi grandioris vesicam occupantis est signum pathognomonicon? cur ano incumbens pondus, quod fallaci conjecturâ, vel oculatissimis medicis imposuit? Nempe ab ingenti prostatarum tumore, quarum corpus inter meiendum intestinum rectum premebat, & gravitate molestum naturam ad exonerendam alvum sollicitabat, idque eò violentius, quòd pari nisû per musculorum abdominis introrsum factam contractionem comprimendo, urina & crassiores fœces exprimantur. Tumor autem istarum glandularum, an fuit naturalis in homine, cui vasa spermatica ampla, & qui plurimos suscepit liberos? An potius eum fecit urethræ contractio, colli vesicæ violenta sursùm attractio, quæ latitudini addit quod demit longitudini? an dolor, calorve, quorum proprium est ad partem affectam trahere, multo magis glandulas, quæ laxæ, molles, spongiosæ, recipiendum pronæ, ad expellendum sunt ineptissimæ? Tot tantorum malorum hydram non potuit non consequi mors, quæ multorum accidentium populosa

sa caterva stipata, lento pede virum fœlicius extingui dignissimum, tandem jugulavit, hæc habe, clarissime vir, à tuo Brouardo. Autor *Bibliot. Anat. Tom. 1. ab Autore mox memorato qui historiam hanc à Clar. Theodoro de Mayerne, ut creditur, exscripsit.*

Domini Drelincourt ad Dominum Vallot Epistola Prior.

In quâ de Calculi & caruncularum vesicæ extractione agitur.

Adsum, vir Amplissime, fidem meam liberaturus: cum autem Regis absentia, quominùs præsens præsentem te alloqui possim, impediat, scripto rem conficiam.

Normanus cystotomiam modo passus est. Calculus extractus tres uncias justo pondere pendit longus & latus est, ut ovum gallinæ majusculum at non ita crassus, nec ita rotundus fundo, vesicæ, latere suo depressiori adhærebat, ibique carunculis innumeris, quæ forcipibus accessum omnino præcludebat, veluti circumvallabatur. Oppugnandum itaque fuit vallum istud, duæque carunculæ quæ operatori majori impedimento erant, extirpandæ fuerunt.

Reliquæ prudenter relictæ sunt usque ad suppurationem, quæ eas per vulnus sensim, & tutius quàm violenta & subita avulsione factum fuisset auferret. Duæ istæ carunculæ, avellanæ, vel testiculo pueri x. aut xii. annorum similes sunt: fibrillas verò in basi sua validas, & subrubentes habent, quas ipsarum radices voco, quibusque vesicæ uniebantur. Porrò duræ & scirrhosæ sunt, atque adeò lubricæ ut vix digitis contineri possint. Cysti, seu tunica rubicundissima & validissima arctè amiciuntur. Earum interior pars, tunica cornea, ubi nervum opticum circumdat, magis alba & durior est: eas aclullis vel patellæ tendini, seu potiùs *lupiæ* seu nodo minori durissimo, & ganglio comparo. Dura enim illa & nervosa vesicæ corpora *filamentorum myriadibus, quibus tendines constare primus retexi,* carent. At soliditatem coriaceam, & nodosam non secus ac *lupiæ*, & ganglia durissima nactæ sunt.

In harum altera cavitatem ovalem admiratus sum, in qua calculus niger & durus, ut granum tritici secundùm longitudinem fissum, crassus & longus, nidulabatur, sed ad operationem nostram redeamus.

Post integrum semihorium, quod in extirpandis duabus his carunculis consumptum est, calculus ab omnibus, quibus vesicæ clavo veluti affixus erat obicibus, liberatus est: aliàs enim, nisi remota fuissent impedimenta, frustra forcipibus, tum aduncis, tum rectis, tentabatur; apprehensionem usque & usque eludebat, quin forcipes ipsi incurvabantur, sed tandem digitis eò intrusis, ut in placentæ ab uteri parietibus separatione usu venit, à vinculis quibus alligabatur, dexterè solutus est, atque ita totus apprehensus, & ut par erat conversus, tandem eductus est.

Quòd si in hoc casu repentè & primò aggressu expugnari non potuit, non ideò minori laude dignus D. Hieronymus Collot, cujus constanti solertia, ægri patientia non parùm adiuta, reclamantibus licet omnibus, operationemque in aliud tempus differre suadentibus, audacter nihilo secius extractus est.

Si post cruciatus, & duratione, & gradu adeò enormes, patiens à *febre, singultu vomitu, tussi, delirio, abdominis inflatione, gangræna* & aliis id genus pessimis auguriis, immunis sit, erit quo Deo benedicat: sed partibus illis membranosis ferro divulsis & devastatis, aerique tam diù expositis perniciosa fore, ut non accidant symptomata, in sene potissimum, cujus vires tam longa, tamque dolorifica operatione exolutæ, vix mihi persuadeam. Necessaria tamen omnia ex arte peragam, rem totam, de cætero, supremo vitæ & mortis arbitro committens Paris. 28. Augusti 1665 ex traductione Autorum *Bibliothec. Anatom. Tom. 1.*

Ejusdem ad eundem epistola posterior.

Vesicæ, ejusque caruncularum, callorum, tartari &c. descriptionem continens.

Pretiosæ benevolentiæ tuæ notas, eo quo debebam grato animo, accepi, vir amplissime, iis non meliùs respondere queo, quàm continuatione historiæ, cujus progressum & finem audire tantopere gestis. Omnia cum prognostico meo perfectè quadrant: uno verbo, ne te auxium diutiùs detineam; bonus ille vir 24. ab operatione die, 65. ætatis anno, fato functus est.

Suppurationem tam lento gradu venire ægrè admodùm ferebam, undecima enim duntaxat die, idque adeò parcè & leviter ut nullus inde spei radius affulgeret, apparuit. Varia ad paucitatem & tarditatem illam conferebant; namque urina quæ copiosè & jugiter à vulnere manabat, una cum frequentibus nostris injectionibus, partes omnes incisas indesinenter lavabant, ac proinde laudabilis suppurationis materiam sensim auferebant. Adde quòd calor nativus à spirituum exhaustione debilitatus, in operatione adeò molesta, & longa, nullam digestionem in partibus illis nervosis, & à vitali scaturigine remotis, facere poterat, in sene potissimum, qui ventriculum suum plus æquo onerabat, & qui à tussi pertinacissima & molestissima, sine intermissione, affligebatur: etenim præter sensibile stillicidium humoris cujusdam viscidi & copiosi tussim irritantis, ejus pulmones violenter aliundè succutiebantur; partim, scilicet ab humore alio, in bronchia altiùs jam adacto, partim etiam propter admirandum pulmonum cum vesica consensum, qui nervorum è cerebro & spina ortorum utrique parti communium, atque hic incisione læsorum, ope fit. Eò res redactæ erant, ut si hinc per aliquot temporis momenta, malacia frueremur, procella illinc diu & cum maximo impetu nos agitaret: Siquidem vix tussis gravissima cessaverat, quum alvi fluxus, quo vires, multo magis quàm ab ipsâ pulmonum commotione, deterebantur, ingruebat. Duo illa symptomata simul in ægri perniciem dixisses conspiravisse, sibi enim mutuò suppetias ferebant, nec ab uno eorum liberabatur patiens, quin ab altero illico etiam vehementius vexaretur. Verùm comparatione facta, tussis diarrhœa crudelior hostis erat, cùm illa somnum exulare juberet, vulnus irritaret

ab

ab eoque calorem omnem naturalem & amicum diverteret, ut illius loco ignem extraneum & perniciosum introduceret; præterquam quod sputa adeò viscida erant, ut nulla arte incidi aut detergi possent: diarrhœa vero; etsi vires prostraret, pectus, ex parte saltem, levabat, & universalis evacuationis loco erat.

Cor nullatenus affectum videbatur, nisi respectu febris; quæ per vices vehementer accensa, non parum negocii mihi fatiscebat; incendium enim si medicamentis & alimentorum subductione extinguere conarer, nativum partium omnium ignem manifeste suffocabam. fortiori itaque cedendum erat, multumque de mea severitate remittendum, quia defuncti voracitas ordinaria me diætæ exactæ limites transgredi cogebat: imò febrem sensibiliter imminui, quotiescumque paulò largius comederet, observabam; quippe cibus ingestus calorem illum igneum & destruentem, à quo alioquin consumebatur, occupabat.

Non multum sitiebat, & ex quo tussis inducias quadantenus dabat diarrhæa quominus dormiret non obstabat; somnum enim soluta aluus, seu oleti lectum inquinantis frequens excretio, non interrumpebat: Paucus autem ille somnus ipsi manifestò proficuus erat, excitatus siquidem, validior semper, & omnibus sensibus liberior apparebat. Sed ad Cystotomiam redeamus.

A Primis diebus abdomen tensum admodum, scrotumque sero turgidum erat plures & in eo ecchymoses apparebant. At cùm hæc symptomata hujusmodi operationem frequenter satis subsequantur, ad ea minùs attendebam quàm ad vulneris labia, quæ penitùs livida, sicca, & sensu privata (non tamen dura in ambitu, aut callosa, quanquam subtumida essent) apparebant. Variis olei rosati suprà infimum ventrem & scrotum embrochationes, variasque ex vino albo, spiritu vini, aristolochia rotunda myrrha, aloë, & theriaca injectiones pro vulnere præscripsi. Unde, Deo benediente, totum abdomen, totumque scrotum pristino statui restituta. Quin ipsa Eschara, forficum cuspide leviter amota, à vivo abcessit: non secus ac cauterii crusta à carne subjecta decidit. In undecima tum versabamur die; tumque, duntaxat, ut jam suprà dixi, suppuratio primùm visa est. Ablatâ crustâ hâc nigrâ & insensibili, lividus color, sensus exquisitissimus in vulnere deprehendebatur. Interiora non ita ut priùs abdita erant, cannula, & forcipes haud ita ægrè introducebantur; quia nimirum, Escharâ delapsâ, vulnus longè apertius erat, quàm dum ipsius labia crassis illis crustis obducebantur. Caruncularum etiam in vesicâ relictarum corpus flaccescere, atque earum radices suppurari incipiebant, ad eò ut multò minùs, quàm antea spatium occuparent. Imò sex ex illis diversis diebus exiverunt, quo factum, ut tanto faciliùs in vulneris fundum penetraremus, fœtidissimum odorem omnes hæ carunculæ spirabant. Eas tamen diligenter lustravi. Duabus primis, suprà descriptis non erant absimiles, nisi quod hæ nullum includerent calculum, sed tartaro albissimo, & durissimo (in nnullis locis, veluti totidem colliculi prominentes) incrustarentur.

Postquàm duarum eschararum, sexve caruncularum delapsus spatium mihi dedisset, oculis vesicam lustravi, & profunditatem ejus penetravi, in eaque multa corpora rotunda, confuse accumulata, observavi totidem caruncolas (cùm enim digitum, ne patienti horrorem incuterem, intro adigere non auderem, rectiùs judicare non poteram) credebam; atque earum, ut in sex prioribus videram, suppurationem expectabam. Verum Etsi ægro meo diligentissime, & juxta omnes artis canones, medicinam fecerim, mihi, nihilominus seciùs nudius tertiùs, vesperi, ereptus est.

Abdomen lividum, peritonæum lividius, at omentum lividissimum erat, duosque ut id obiter dicam, crassos tumores in inguinibus formabat, quos hic Epiplocelas, eodem jure ac si in scroto fuissent, nominarem. Verùm usus tyrannus est, eique ideo me submitto.

Totum cadaver impense fœtebat, renes nihilominùs, & quæ ab iis pendent examini, subjeci: sed cùm in duobus his urinæ cribris nihil singulare observaverim, ad vesicam transeo. Ejus membrana interna lævis omninò, & integerrima erat, nec ullatenus dilacerata, vel ulceribus erosa, nisi quo in loco incisa fuerat, toto scilicet cervicis ipsius tractu, & profundiùs inter extremitates vreterum.

Accurato hoc examine, tam ii qui ulcus in vesica antequàm incideretur, fuisse putabant, quàm qui vesicam in operatione dilaceratam credebant, mendacii arguuntur. Nam præterquàm quod nullum hic ulceris præcedentis vestigium nobis apparuit defunctum nullas unquam urinas purulentas, sed vel simpliciter omphacium colore referentes, vel instar albuminis ovi viscidas & tenaces excrevisse certum est. Ulcus autem sine pure imaginari non possum. si etiam vesica in operatione perstricta & lacerata fuisset, vel forcipes, vel calculus ipse fibris vel laciniis onusti visi fuissent: addo horrores vehementes, febre & delirio stipatos, convulsionesque horrendas quales sæpius in his casibus vidi, ægrum dubio procul à tertia die, è medio sublatura fuisse, nec possibile nobis futurum tandiu procrastinare, & & cum fato, cujus diem factam ad 24. usque distulimus, litigare; sed ad cadaver redeamus.

Vesica quanquam interius lævis, pluribus in locis nodosa, & inæqualis erat, tuberculis, nempe, duris & callosis hinc indè prominentibus, (quales sunt manuum calli, aut pedum clavi, vel potiùs ganglia circa nervos) scatebat. Dura enim illa & prominula corpora, substantiam admodum compactam, & in soliditate æque ac in albedine suâ uniformem nacta erant.

Cæterùm V. A. Materiæ cujusdam albæ, grumulis refertæ, & ut tartarum album friabilis, cumulos, cum singulari attentione expendendo lassari non potui. quod verò admirationem meam omnino superavit. Tartarum illud Scirrhosæ vesicæ substantiæ non tantùm aggestum, sed cùm ea veluti ferruminatum erat. Verum Tartarum cum dolii veteris asseribus arctiùs non unitur, quàm mucilago hæc petrificata

his vesicæ callis agglutinabatur; adeò ut eam sine dexteritate, & violentia divellere non potuerim. Tota vesica mihi specum, seu potius fodinam, è quâ lapides aut mineralia eruebam, repræsentabat. Et revera fæcunda erat fodina, quæ novos lapides perpetuò produxisset, recensque in horrida illa rupe cæsum in dies auxisset.

Hic non substiti, V.A. quin oculis vidi, & digitis tetigi, id quod non paucis, qui in iis quæ ignorant cæteris doctiores haberi volunt, pro figmento est. Caruncularum nimirum adhæsionem, & connexionem; quas nec in propria matrice unquam videram, nec â nativo solo unquam evulseram, observavi, ex primo intuitu, balani canis πρὸς ὀχεῖαν ὀργῶντος ideam, in imaginatione mea excitarunt; at, paulò post, illas honestiùs & forsan aptius cum uvula, seu, gurgulione, vel potius cum corde pulli gallinacei comparaui. Quærat, si lubet, Vir Amplissimus comparationem minus claudicantem. Rem clarè jam describam.

Præter Callos & tartarum vesicæ, corpuscula quædam rubra, & firmissima vidi quæ in basi lata erant, paulatimque angusta evadebant, donec in acumen coloris vividi, & rubentis desinerent: acumen illud nullibi adhærebat, basi verò vesicæ arctissime alligabatur innumeris fibris, quæ, ceu totidem radices, corpusculis his vitam & nutritionem largiebantur. Qualemcumque, ea ut sine vesicæ detrimento extirparem, adhibuerim diligentiam, incassum laboravi, eorum enim radices vivæ, & profundæ erant, illa tamen scriptorii scalpelli cuspide avulsa, in spiritû terebinthinæ conservo.

Singulare quid, præterea, quod ex auditione tantum noveram, at oculis nunquam usurpaveram, admiratus sum; maximam scilicet, copiam corpusculorum extraneorum, quæ inter vesicæ fibras ita irrepserant, ut indè admodum tumens & scirrhosa esset, vesicam, utut tribus, constantem membranis; naturaliter tamen satis tenuem, & flexilem esse, atque ubi, nec multum extensa, nec multùm contracta est, vix ad dimidii coronati argentei crassitudinem accedere, prætereaque ductilem omninò esse meliùs me nemo novit. V.A. Hæc tamen, missa omni hyperbole, & secundum mensuram justam, 15. lineis Geometricis, quæ pollicem unum cum quadrante conficiunt, crassa erat, illam mulieris prægnantis, vel quæ recenter pepererit, utero assimilavi, cum hoc tamen discrimine, quod hæc vesica adeò firma & dura, in toto suo corpore, erat, ut cornu ad ignem emollitum referre videretur. Eam sanè nec comprimendo minuere, nec trahendo extendere quitus sum; uterus verò licet à graviditate tumidus, mollis adhuc, est digitisque cedit.

Vesicam istam, tranversam incidi, ejusque interiorem substantiam vasis, infinita diversæ magnitudinis perspicilla, admittentibus, trajectam offendi. Quantumvis igitur dura esset, poris & canalibus ubique perforata erat: Durities enim neque numerum neque magnitudinem pororum, aut meatuum excludit; nostra siquidem Diploë, nostræque. Epiphyses (ut pumices, & corallia taceam) de duritie, æque ac de poris, certatim disputare videntur.

Quemadmodum vasa spermatica & Hypogastrica uteri, juxta embrionis incrementum inflantur, & crassescunt; ita venas & arterias vesicæ hypogastricas, ut carunculis alimentum (quod inde tanquam è placenta uterina, hauriebant) suppeditarent, omnes dilatatas, atque expansas fuisse putavi.

At cùm viderem tot canaliculos earum numerum ordinarium longè superare, id ità contigisse credidi; quia scilicet singuli capillarium vasorum ramusculi, ob exilitatem oculorum aciem in statu naturali fugientes, plurimum in hoc subjecto intumuerant, ut miseræ huic matrici, sanguinis proventum solito uberiorem adveherent.

Finire non possum V.A. Quin priùs vesicam istam, imminutam simul & auctam fuisse, annotem. Extendi enim non poterat, ut sana, ad justam urinæ quantitatem continendam, solebat. Contrahi item non potis erat, ut contrahebatur, prius quam tot lapilis, tartaro, callis, & carunculis impediretur. Posito etiam eam, enormem, de qua loquutus sum, crassitudinem non sortitam fuisse, contentumque fibrarum ejus natulaliter se habuisse; ut prius tamen agere impossibile ipsi erat; siquidem fundum tot extraneis corporibus, illam, dum constringebatur, ut urinam expelleret, lædentibus, refertum erat.

Imò putaverim Carnuculas illas potissimum quarum viventem truncum resecui, cùm animatæ, & sensu exquisitissimo præditæ essent, dolorem inter meiendum, intendisse; quippe quæ tunc temporis omnes invicem colliderentur, omnium siquidem capita sibi invicem occurrebant, vel mutuò irretiebantur.

Paucis ut absolvam, matricis harum caruncularum, & capacitatem & crassitudinem tibi meliùs repræsentare non potes V.A. quàm si digitorum apices jungendo, gallinæ podicem imiteris, tum eos, hoc modo junctos, quàm maximè fieri poterit, tenendo, ad volam, & radicem manus adduxeris, cavitas quam efformabis, vesicæ capacitatem referet; At digitorum, & præsertim metacarpii, crassitudo, ejusdem vesicæ (à me diverso modo incisæ, & in oleo terebinthinæ limpidissimo conservatæ) crassitudinem denotabit.

Nullus dubito, quin longior hæc Epistola patientiam tuam fatigaverit. Ego verò ad te scribendo, nondum lassatus sum, sed urget tempus, meque concludere cogit. &c. Paris. 22. Septemb. 1663. *Ex traduct. Auth. Bibliothec. Anatom. Tom. 1.*

Calculus Renum.

Plumarum venditor emortuus ob renum ac pectoris vitia, habuit in utroque rene insignem calculum: dispergentem se quadruplici ramo, instar crucis per universum renem: adeò ut non potuisset inde eximi, nisi decerpsisses frustulatim totum ipsius parenchyma. Viderint igitur illi, qui satis speciosè docent, ex incisis renibus calculos eximere: quam turpi ignonomiæ prostituerent & se & artem suam; siquidem aliquando inciderent in calculum tam firmiter renibus innatum. Sed in thorace vidimus, tres aquæ libras, pulmonem costis adnatum, & cor, non tantum pericardio suo destitutum; sed exprimens præterea, extima sui parte, naturam pal

pallescentis sevi. Quem colorem ipsi, procul dubio, impresserat aqua in thorace contenta uti luce clarius videre est, in eorum musculis, quos occidit, vel λευκαφλεγματία, vel, ἀνασάρκα *Nicol. Tulpius Observ. Medic. lib. 2. cap. 44.*

Calculus vreterem obturans.

Quàm utile foret ægris, quemcunque curari, tam gloriosum utique esset Medicis singula futura prædicere, sed latent sæpe penitiùs morbi; & pertinaces ipsorum causæ, adnectuntur nonnunquam arctiùs corpori, quàm ut possis semper vel infallibiliter præsagire eventum, vel integrè expellere qualemcunque morbum.

Margareta Nicola, vidua quadraginta annorum, infestata aliquandiu, à dolore lumborum, procidit tandem in crudele calculi renalis tormentum, cum vomitû, febre, menstruis inordinatis, urinæ difficultate, & interdum tantâ ejus suppressione, ut totos octodecim dies, nihil lotii reddiderit: unde excit batur ipsi, ex sero sursùm recurrente, primùm sopor, sed mox tam gravis nervorum contractio, ut cogeretur vitam cum morte commutare.

Dissecto autem cadavere apparuit ren sinister, ut extrinsecus lividus, ac tumidus: sic intus frequenti aquâ, & pluribus calculis infarctus. Quorum maximus insinuaverat se, aucto suo apice, tam longè in ureteris principium: ut id integre occluderetur; neque permitteretur illac descendere quicquam lotii; licet potui darentur plurima aquam ducentia.

Basi enim cùm foret latiore, quàm ut permearet commodè, angustum hunc ductum, necesse fuit, quò plus urgeretur ab affluente sero, tanto quoque impensiùs intercludere transitum urinæ à renibus descendenti. Præsertim cum oppositi renis ureter, non minus utique occluderetur, à latiore aliquo lapide, instar operculi, ipsius principio imposito. Quæ duo obstacula conspicuè omnibus ostensa, vendicarunt artem ab ignominia; & inculcarunt efficaciter.

Non esse in Medico, semper relevetur ut æger.

Sed dicat quis: quem terminum ponunt Medici, morti exsurgenti à suppresso lotio? annon alios citiùs, alios verò occidit tardius? valentia corpora ut interdum excurrunt diem vigesimum: sic attingunt infirma vix septimum, vel octavum. Certum est, aliquos durasse ad undecimum, & tamen ex toto iterum convaluisse, sed post illum diem, equidem certè vidi neminem enavigasse, periculosum hoc syrtium æquor.

Quamvis enim cedat dolor, & fluat iterùm lotium; reddidit tamen diuturnior illa mora urinam interea loci, usque adeò acrem, & vesicam ita effœtam: ut nè præstantissima quidem medicamenta possint ab interitû vendicare naturam, hâc ratione, non fictè, ac simulatè, sed plenè emortuam. *Nicol. Tulpius Obs. Medic. lib. 2. cap. 45.*

Renum & vesicæ ulcus cum vesica calculo.

Adolescens unde vigesimum annum natus à longo tempore de vehementi dolore circa renis sinistri & vesicæ regionem, cum vomitu assiduo, & dolorifica urinæ exeretione questus, moritur.

Abdomine aperto ingens fœtor apparuit. Exterius in superiore vesicæ parte insolitus sinus pugnum adæquans, fuit: in cujus membranis, pus conclusum ren sinister plane exulceratus purulentum illud in vesicæ sinum deposuisse videbatur. In ipsâ vesicâ pro urina calculus rotundus, & nimis asper sesqui unciam pendens. Interior tunica exulcerata.

Ab obstructionibus in renibus, alit vesicæ membranis, inflammatio: ab inflammatione ulcus unde & dolor. Vomitus ei obortus est, quia nervi intercostales cum renibus & vesica magnam connexionem habent, adeo ut si nervi renales convellantur, etiam & ventriculi. Vesicæ textura ex duabus tunicis tendinosis seu membranosis constat: intra cujus duplicaturam binæ fibrarum musculosarum series inveniuntur: quibus inflammatis pus facile intra tendinosas tunicas effundi potuit, unde sacculus purulentus. Calculus anne in vesicâ, an verò in rene cretus sit dubitandum: credo tamen eum à rene primò descendisse & in vesicâ augmentum sumpsisse, qui & vesicam forte nimis irritans ad inflammandam adegit. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent. 1. Obs. 43.*

Calculosus senex apertus.

Senex ultra sexaginta annos natus, sæpè febricula, apepsia, virium imbecillitate &c. corripitur. Tandem odiosæ tædia vitæ deposuit. Inspecto abdomine vesica calculum pyriformem continebat, admodum durum, ac in medio pervium, per illud foramen urina exitum habebat; quatuordecim uncias pendebat. Mirum, eum per totum vitæ ductum nunquam de calculo, dolore, gravitate aut suppressa urina quæstum fuisse.

Ob perforatum calculum, urina nunquam substitit, ideoque à doloribus maximis liber fuit. Cæterum non à calculo, verùm ex scorbutico sanguine tandem obiit. *Stephan. Blancard. Anatomic. practic. ration. Centur. 1. Observat. 94.*

Calculosi dissectio.

Calculosus à febri lethali extinguitur. Hic bis decem ante annos de dolore laterum intolerabili conquestus est, viscosa sæpe per diuresin excrevit. In cadavere exenterato ren sinister fuit consumptus, verum ejus loco calculus ramosus inventus: dexter fuit colore magis citrino, & subfusco; uretheres admodum capaces. Vesica distenta, & hydatidibus obsessa, magnum continens calculum. Ventriculus sanguine concreto externis aspersus. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent. 2. Obser. 82.*

Calculosi Anatome.

Cujusdam, qui diù laboraverat calculo, cadaver aperitur, in cujus vesicâ septem reperti sunt calculi nucis moschatæ majoris magnitudine, ita ut simul ferè libram mercatoriam æ-

quarent. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration. Cent. 2. Observ. 96.*

Ex calculis in uretere hærentibus, ischuria lethalis.

Quàm deplorabile malum sit vesicæ calculus, nemini ignotum; multo tamen adhuc crudelior affectus, calculus renum, si tantæ sit magnitudinis, ut ureterem transire nequeat; quia in hoc casu nil valet ars Medica, nil quoque Chirurgia prodest. Exemplo sit Chirurgus quidam Amstelodamensis anno 1682. qui à longo tempore nephriticus, multos calculos excreverat: demum in ischuriam spuriam incidens [à quo semicupii beneficio semel liberatus à nobis fuerat paucis ante diebus] & vehementissimis ventris, crurumque doloribus, & vomitu materiæ nigricantis, correptus, vitam tandem cum morte commutavit.

In cadavere aperto, reperi præter duos calculos in rene dextro, unum in uretere sinistro magnitudine & formâ olivæ exiguæ, cujus superficies innumerabilibus calculis & arenulis obsessa erat, qui omnem transitum urinæ denegarunt.

Pars hujus ureteris suprà calculum, propter calculorum transitum admodum erat dilatata, infrà eundem verò naturalis capacitatis, ast rubicundior justo ab inflammatione excitatâ. Renem ejusdem lateris monstrosæ magnitudinis, ut & ureteris maximam partem aqueo humore obsessum inveni; cujus liquoris motum sæpissimè percepit æger, quum sese moveret, ut nobis indicabat *Frider. Ruyschius Obser. anatomico-chirurg. p. 20.*

In Puello trienni calculi insolita magnitudinis.

Puellus tres annos præter propter natus, plus quàm quinquaginta calculos excreverat, inter quos multi fuere magnitudine pisi minoris, ex relatione Domini Doctoris Bronckhorstii Medici Amstelodamensis, dum viveret, celeberrimi. Quantis cruciatibus miser ille fuerit vexatus, facilis est conjecturæ; neque cessarunt. Aperto dein cadavere, inveni renis sinistri pelvim admodum dilatatam, calculoque ingentis magnitudinis (pro ratione scilicet ætatis, quamobrem hanc recensere historiam mihi animus fuit) obsessam. *Frider. Ruyschius.*

De insignibus renum calculis.

Infans trimulus, ortum ducens à parentibus nephriticis, statim post partum magnâ vexabatur siti, præprimis noctu: accesserunt tormina ingentia, cum diarrhœâ, & magnâ virium prostratione: dejecit autem ab initio serosa bile mixta; sub finem verò merè serosa & albicantia instar lactis coagulati, albumine ovorum similia, appetitus tamen nunquam prosternebatur: annum agens dimidium, incepit gradiri, incuriâ verò ancillæ factum est, ut in spinam dorsi caderet: ancilla tandem malum quod evenit confitente, de vertebrarum lumborum luxatione metuerunt parentes, remediisque decentibus, fasciatione præsertim hunc in finem usi sunt: nihilominus tractu temporis pedum quasi paralysi laborare videbatur: casum hunc in misello octo septimanis post excepit febris continua, ex quâ vires quidem recepit, persistente tamen toto ætatis decursu atrophiâ totius corporis, pedum maximè. Tandem motus inordinatos in ipso animadverterunt parentes, unde nostram opem implorârunt: vocati antiepilepticis pugnavimus, iisque quæ nervosum genus demulcent, quibus licet cessare primùm convulsiones viderentur, post octiduum tamen recurrerunt. Ab hoc tempore observarunt urinam parciùs fluere, & nonnisi magno cum dolore, quem gestibus patefecit, usque dum erumpentibus unâ exanthematis ac pustulis ulcerosis, convulsiones ingravescentes, misellum interemerint.

Licentiâ à parentibus nobis factâ, cadaver præsentibus aliquot viris præstantissimis, quâ licuit diligentiâ lustravimus. In infimo ventre, ventriculum cum intestinis inflatum deprehendimus: hepar naturalis magnitudinis & mollitiei, nisi quod color ad p. n. parùm accesserit. Vesicula fellis copiosâ bile distenta fuit: lien naturalis, epiploon verò consumtum. Mesenterium glandulis præditum albicantibus, mollibus iisque plurimis. Ren dexter naturalis erat, nihil in se continens alieni; in rene autem sinistro deprehendimus materiam sabulosam, carunculis papillaribus inerrantem; ad ipsum autem ureteris ostium calculus situs erat oblongus, acuminatus, silicis duritiei, membranisque tenaciter involutus, adeò ut lancettâ ipsum separare necesse habuerimus: in ventre medio pulmones putridi fuerunt, & corrupti, absque tamen materiâ purulentâ. *Joan. Jac. Harder. Apiarii. Observ. 58.*

De Calculo renali lumbos perforante.

Quod si auxiliares Chirurgorum Medicorumque manus operanti naturæ, quam *Joan. Bapt. ab Helmond Archeum* vocat *lib. de Aurora §. 3. & 4.* succurrerent magis, quam, imprudenter, imò sæpius ex inscitia, fieri observamus, plures sanitati restituerentur ægrotantes, quam nunc sepulturæ exhibentur.

Franciscus de Haas, Juvenis temperamenti boni, ast, ob continuos dolores, quodammodo siccioris, ab anno ætatis decimo sexto ad trigesimum octavum gravi dolore nephritico, & urinæ excretione purulenta, laboravit, varia ad doloris mitigationem, arenularum exclusionem, ulceris renalis curationem, adhibita, magno cum successu, remedia, etiam fonticulus in femoris parte interna ad genu productus, quo hoc effectum, quod & dolor per aliquot annos remiserit, & urinæ excretio purulenta.

Anno uno cum dimidio ante obitum subitò recidivam passus est æger, quæ gravis adeò ipsi fuit, ut sceleto magis quam homini similis videretur. Undè Medicis *Tabe dorsali* eum laborare probabilius visum, quam renum exulceratione, Antifebrilia hinc omnis conditionis exhibuerunt, lumbisque linimenta appropriata applicarunt.

At provida natura affectum hactenus occultum brevi manifestum reddidit, dolore afficiebatur intolerabili lumborum parte infimâ, proximè

ximè ad oram ossis Ilium, sine omni protuberantia, intumescentiâ, aut crassitie; quæcunque applicabantur *Emplastra*, aut *Cataplasmata*, *Anodyna*, *Attrahentia*, nihil effecerunt. Tandem *tuberculum*, fabæ magnitudinis, rubicundum, inferiore magis loco, ac ille qui doloris, se exhibebat. Hoc cultro acutiore aperto puris viscidi, cinerei, aliquomodo fœtidi, plus quam libra semis effluebat, & hæc puris dicti evacuatio, licet non semper eâdem quantitate, ad vitæ finem perdurabat.

Excretio hæc purulenta controversiis variis inter Medicos Chirurgosque occasionem dedit. Fuerunt qui purulentam hanc materiam *ab occipite* deorsum defluere ad foramen statuerunt, eamque, antequam perforatio à nobis instituta, collectioni ansam dedisse. Sententiam hanc confirmabant plurimum quæ à fratre ægrotantis *Theodoro de Haas*, *Consiliario*, proponebantur. *Hic* ante biennium dolore cervicis, capitis, lumborumque, longo tempore laboraverat, qui Empyemate terminabatur; similem affectum etiam in hoc ægrotante dari, & sibi & nobis persuadere conabatur, maximè cum etiam purulenta quædam, sanguini sæpius mixta, quandoque expectoraret, Asthmaticus satis; magis ea propter pectoris pulmonisque rationem haberemus, quam dorsi, lumborum, renumque, rogavit, curationem certam, qualis integra obvenerat sibi, etiam fratri promittens.

Medici *Alii* nobiscum nullam partem aliam internam accusari hic debere crediderunt, quam *renem dextrum*, hujusque læsionem doloris in ægrotante causam esse, idque magis, quod accurata observatione notatum esset, puris copiam in urinâ urinali receptâ imminutam esse, quoties ejus per foramen tactum evacuatio largior. Imò credibile omninò nobis habebatur, ulcus purulentiam exhibens, supra musculum glutæum majorem, ad ossis ilii dorsum ocurrens, ex pure, à rene dextro ad musculum serratum, & sacrolumbum destilante, ortum fuisse.

Concludebamus adeoque, ægrum nostrum *Calculo renali cum exulceratione laborare*, licet pulmonum malam constitutionem adesse haud negaremus, naturamque, morborum sæpè medicatricem, perforatione aliqua puri exitum procurasse, qua de re legi possunt quæ habentur apud *Fontan, exemp. 42. fol. 117. Tulpium Obs. 4. cap. 27.*

Antequam finem imponeret vitæ æger noster, præterquam quod dolores dorsi, lumborum, pectoris, & stomachi, gavissimi valdè debilitarent, febri correptus est continuâ ardente, cum vomitu purulento continuo; ad hæc tincturam beneditam propinavimus, at sine notabili successu. Agonizans ut Deo omnipotenti animam, sic medicis Chirurgisve corpus obrulit.

Aperto cadavere, præsentibus *Ampliss. Dn. de Haas Consiliario*, fratre defuncti, Viris celeberrimis *Dn. Guilielmo Pisone*, *Dn. Francisco vander Schagen, Medicis & D. Geörgio van Loon, Chirurgo*, variisque aliis, *Pulmonem* invenimus sanum, sine ullâ inflammatione aut purulentiâ, parvum & mollem.

Ventriculo puris cinerei, & aliquomodo fætentis notabilis satis copia continebatur.

Hepar bene se habebat, nisi quòd convexa ejus pars inflammationis notas exhiberet.

Ren sinister satis bene constitutus, ac *dexter* in totum consumptus, locum ejus occupante materia callosâ, cui hærebant calculi aliquot; quorum maximus, dorsi exulceratione præmissa, viam sibi loco ulcerato, fecit, penetrante parte acutiore, relictâ intra costas spurias parte ampliore.

Dissectio hæc docet nos, muneris nostri esse naturæ providæ succurrere. Quod si apertio quædam à nobis fuisset instituta loco altiore, eo scil. qui renum est; qualem instituisse *Hildanum* legimus *obs. parte sextâ in Magdalena Bis*, sinistro licet successu, non dubito quin calculum majorem extrahere licuisset.

De Calculo ureterem renis dextri obturante.

Dissectio cadaveris *Magdalenæ van de Graaf* valdè contristavit non solùm Medicos Chirurgosve, sed & adstantes alios, consanguineos, amicos, quod, ejus ope, contemplari liceret, & interiorum viscerum constitutionem visam, miseræ vitæ authorem, & curationis impossibilitatem.

Quod enim cadaveris hujus apertionem aggressus fuerim, non solum desideria fecerunt medicorum variorum, qui ægrotanti manus auxiliares præbere omni ope allaborarunt, sed & nostra: sic enim fore nullus dubitabam, quin cujus conditionis hostis ille fuerit, qui miserè adeò hactenus vexaverat demortuam, quævè causa, quod, quæcunque magno numero, usurpata media, nihil omninò levaminis attulerint, constare queat.

Non unius sed duplicis hostis insultus sustinere, coacta fuit ægra nostra, quantum ex ventris imi apertione notare licuit.

Dissectis *Ventris integumentis communibus, musculisque abdominis dictis*, *peritonæum* occurrebat durum valdè, imò *cartilaginosum* omninò, forsan, quo aquæ graviori sustinendæ commodius inserviret; per annos enim sex aut septem ex seri hic collecti copiâ tumidum circumgestaverat ventrem. Imò intra peritonæi duplicaturam serum hoc in hac ægrotante collectum esse, sententia medicorum variorum fuerat, jam antequam venter aperiretur.

Peritonæo dissecto *seri* quantitas ea, quæ est *viginti quinque librarum*, effluit, haut sanè magna, siquidem comparetur quantitati illi, quæ in aliis solet observari, forsan quod, vel per vias occultas, vel per secessum aut urinationem, imminutum fuerit.

Ablatâ hinc etiam aquâ eâ quæ in cavo ventris continebatur, *peritonæum* interiore superficie nigrum observavimus, quasi sphacelatum.

Omentum nigrum itidem, & ferè corruptum.

Intestina corrugata, commaculata.

Hepar tuberosum, grave, contractum, variis locis muco incrustatum.

Vesicam bilariam tubera hepatis primò occultabant, ast mox bilis exiguam quantitatem continens se exhibuit.

Ventriculus vacuus erat, laxus, muco obductus.

Lien exterius gravis, crassus atque ingens, at interius & coloris erat boni & consistentiæ debitæ.

Vesica urinaria urinæ nihil continebat, mucosa crusta, similiter ac partes reliquæ, obducta.

Hydrops hic imi ventris, ex tristitiâ, levi à causa inducta, ortum habens, subito invaserat ægram, unde varia hominum judicia effugere haud potuit, uno hanc, altero aliam subitanei hujus incrementi ventris causam adferente; & cum vidua esset satis formosa, annon gravida esset occasio dubitandi multis data.

Potio Monachodamensis sutoris, valdè hic loci decantata, calida, acrisve aquosi humoris plurimum educebat at febrem continuam ægrotanti inferebat.

Post varia adhibita medicamenta, meam implorare cœpit opem ægrotans, quam in alio quodam subjecto à me institutam viderat *abdominis paracenthesin*, in suo instituere summopere flagitans, sic enim curari se posse sibi persuaserat. At ego, operationis hujus incommoda exponendo, ab intento desisteret, effeci; aquam enim, ventre contentam, successu temporis viscera omnia, hepar, lienem, ventriculum, intestina, omentum imprimis, eo quod tenerum, pingue, facilisque corruptionis, corrumpere, adeo ut tonum naturalem amittant, imò tunicam eorum exteriorem variis locis vi suâ corrosivâ auferre quale quid in brutis iis videmus quæ in aquis diu detenta fuerunt, certum esse dixi, hinc metum esse, siquidem paracentheseos ope educeretur ventre contenta aqua, mucosum visceribus inhærentem, adhærentemque magis acrem, fœtidumque humorem cumulari, eundem dehinc citius putrescere. Distinguenda adeoque corpora esse eorum, docui, quibus ventris apertio instituenda; ut enim successus aliquis, incertus licet, exspectandus, ubi paracenthesis hæc peragitur in hydrope recenter oborto, visceribus ab illuvie serosa minus alteratis viribusque corporis minus destructis, ita nullus, ubi inveteratum malum, interiora corrupta, vires deperditæ.

Videns ægrotans nostra hoc auxilio se destitutam, annon aliud quid excogitari possit inquirere cœpit, ego, ne nihil egisse viderer, plaustra medicamentis onusta licet jam oblata, ad seri aliquam evacuationem promovendam *Vesicatorium* pedi dextro applicavi, *Emplastrum* itidem exsicativum & corroborans abdomini, loco tamen illi maximè cui subjacet hepar. Præter hæc *conditum* sequens singulis diebus, aut alternis magnitudine juglandis assumendum, confici curavimus.

♃. *Elect. Diaphœn.* ℥j. ß.
Rad. Jalapp. ʒj. ß.
Guttæ gamb. ʒj
Macis gr. vj.
M. F. Conditum.

Multum profuit, adò ut Ecclesiam adire, tempore vario, concederetur, neutiquam tamen in totum ab illuvie serosâ ventre congregata, variè mobili, adeoque nec respirandi difficultate, liberari potuit. Miserè eapropter hostis hujus impetus sustinere coacta usque dum secundus; qui nephritis, accessit, ad cujus ablationem medicorum operam de novo implorare necessarium fuit.

Renes in cadavere, qui hosti secundo januam aperuerant, extraordinariæ erant figuræ, *dexter* imprimis, magnitudinis, crassitieique excedentis, interius calculis nonnullis exilibus refertus.

Sinistro infundibulum erat insigniter amplum, à quo ad ureterem via satis patens; cui digitum inserere indicem licebat, quale exemplum *Pareus* adfert *lib.* 17. *cap.* 31.

Ureteris hujus in medio *calculus* hærebat teres, quem ex rene deorsum descendisse certo nobis persuademus, quarto maximè ante mortem die, quo urinam largiter usu medicamentorum excrevit,, quæ jam per dies viginti tres (horrendum dictu) suppressa fuerat.

Consideratione dignum, ex seri sanguinis diuturna adeò retentione nullam cerebro inductam fuisse alterationem fere quæ in tali casu supervenire solet, adeoque ægrotantem, sana mente, sine ulla extraordinariâ somnolentiâ, aut febre graviore, interjisse.

In anatome nostrâ procedentes *Renem* acessimus *dextrum*, de quo non est quod multa hic proponamus, alius enim hic se exhibebat *calculus* cui æquiparandum proponit *Nobil. Tulp. observ. lib.* 2. *cap.* 45. differt tamen noster ab eo qui *Tulpio* in *Margareta Nicolai* repertus, quod crassior, & instar epistomii foramen vasis claudentis renis pelvi impositus. Obstaculum hoc similiter ac illud quod *Tulpius* invenit, conspicue omnibus ostensum, vindicavit artem ab ignominia, & inculcavit efficaciter.

Non esse in medico, semper relevetur ut æger.

Superest hoc loco moneamus, insecta ea *cantharides*, *millepedes*, *locustas*, *cicadas*, similisque conditionis alia, diureticis annumerata, non statim ac urinæ excretio impedita est, usurpanda, cum plus sæpius damni quàm commodi ægrotanti adferunt, eò quod ejusmodi animalculorum minutissimo satis insit virium etiam crassissima, attamen fluxilia, mucum scilicet, calculos, arenulas, & ejus generis alia, ureteres transire valentia, penetrandi, expellendique. *Job à Meckerem in Observ. Chirurg.*

Mors à lapidibus asperam arteriam prementibus.

Vir quidam laborabat maximâ anhelitus difficultate: non tamen tussiebat, non excreabat, nec ulla vel Asthmatis vel Orthopnææ, vel phthyseos, aut vulgati alicujus pectoris vitii aderant symptomata. Medici curabant eclegmatis, syrupis, & similibus morbum non obsequentem, æger tandem febre superveniente abiit ad plures. Causa autem morbi, & mortis postea sese aperto corpore aperuit, & hic clarè omnibus appositam figuram intuentibus apparebit. Lapides varii variæque figuræ iis quibus picti sunt, locis immediate asperæ arteriæ incumbentes, ita eam oppresserant, ut tandem hominem præfocaverint: cætera enim interiora nihil contraxerant vitii. Ita sæpè, quæ latent in corpore, medicantes latent. Quo magis risu digna eorum uidetur arrogantia; qui medendi rationes ad Mathematicorum calculos volunt exigere, & medicos rident, si for-

si forte ex ignoratione rei prorsus extra ordinem sese offerentis mediis ordinariis fuerint usi, ad eum morbum depellendum, quem illi prudenter, quamvis non certò subesse existimabant. *Theod. Kereking. spicil. Anat. Obs.* 22.

Lapis in cerebro repertus.

Joannes Nicolai Westphalus 14. annorum adolescens, id ætatis inter rationis, stultitiæque continia traduxerat; semper somnolentus, semper capite obtuso: ut, si quid ageret, quod hominem saperet, potiùs ex ereperæ cujusdam rationis scintillis, quam ex vero ejus usu proficisci videretur. Is cùm obiisset 8. Junii anni 1667. operæ mihi pretium facturus videbar, si in causam constitutionis hujus inquirerem, & quid repererim, ubi, candide lector, audiveris, vide sis prudens facias de ejusmodi semistultis judicium.

Substantia cerebri omnino erat flaccida, pia mater, quod in hydrocephalicis fieri amat, ita laxè cerebro erat circumjecta, ut nullo negotio ab eo posset separari; cerebrum, non ut in hominibus fit, cerebellum magnâ ex parte obumbrabat, sed ab eo recedens, ut videre est in ovibus; nudum cerebellum primo aspectu oculis subjiciebat, Glandulæ pinealis ne vestigium quidem natura elaboraverat; an fortè, quia non decreverat homini huic indulgere illud (quod hic fieri quidam putant) animæ corporisque colloquium? an camphoræ instar aëri expositæ, in nihilum redacta? an denique resoluta erat instar salis ab humido? ratiocinentur alii in quaslibet partes; ego nihil nisi quod vidi & tetigi, aut alio sensu percepi in medium profero: inter quæ aqua salsissima, quæ priores duos ventriculos fatui hujus plus mediâ parte repleverat, quorum dexter etiam inclusum servabat calculum colore albicantem, qui medicâ staterâ examinatus grana pendebat tredecim, quem & hic, quâ apud me asservatur specie, videndum præbeo. *Theod. Kerckring. spicil. Anat. Obs.* 35.

Lapis in corde repertus.

Puella undecim annos nata vehementer de anxietate & angustia quâdam circa regionem cordis querebatur: ubi mors eam doloribus liberaverat, curiosè in causam horum & mortis inquirens, reperi in corde lapillum ejus, quem in figura notavi formæ & magnitudinis, ponderis granorum 14. colore autem & reliquo habitu referentem perfectissimè eum lapidem, quem inter medicamenta rariora ex India asportant, & Bezoardicum dicunt. Notet Lector curiosus, contra ac sentiebat Galenus, jam indefessa Anatomicorum indagatione in corde non unum reperiri tumoris genus; imò glandulas, carnem, ossa, pinguedinem, & interdum ulcera; ut observat Civitatis nostræ & Medicinæ lumen Nicol. Tulpius, quo testimonio jam locus hujus calculi est probatus. De formæ autem similitudine cum bezoardico lapide idem accuratissimus observator dicit viginti novem calculos in una Senatoris Amstelodamensis vesica repertos, formâ, glabritie, ac levitate ita propè accedentes ad lapidem bezoardicum, quem fert India Orientalis, ut facilè, vel accuratissimo imposuissent Aromatario. Interim notetur & hoc, in omnibus ferè corporis partibus reperiri lapides, rarissimos tamen repertos esse in corde qui repererint. *Idem ibidem.*

CALENTURE.

Mutatio climatis, & ejus effecta valde sensibilia sunt in corporibus nostris, quando appropinquamus *Tropicos*. Solebant ibi accidere (quemadmodum animadvertere licet ex itinerario *Purchasii*) morbi in navibus nostris circà id tempus; & simul ac transgressi sunt nautæ *Tropicum* lætitiam suam testantur explodendo tormenta, pro fausto adventu eousque. Non potui discere ex vetustis nautis aliam rationem diversæ conditionis sanitatis, cui nostræ naves nunc sunt obnoxiæ, ratione eorum, quæ majores nostri experti sunt, quàm hanc: solenne est nautis nostris & vectoribus, Phlebotomia in itinere uti ante id tempus.

At illa non est adhibenda præcipitanter, nec omnibus sub eodem gradu latitudinis; nam studiose observavi in navibus nostris alterationem corporum nostrorum alterato climate, & comperi, sanguinem *Anglorum* qui constat ex partibus crassioribus, & extrahitur ex nutrimento magis substantiali, *videlicet*, Carneo, quam in aliis regionibus attenuari, & pulsus in quibusdam evadere tumidos, plenos & rapidos: in aliis lentos, attamen magis tumidos & plenos quam ante. Quidam sentiebant compunctionem in carne; in quibusdam erat torpor & oppressio spirituum: & post sudant, quæ conditio eo persequitur tandiù ut suprà dixi. Ex hac agitatione humorum facilè est ostendere rationem, cur majores nostri morbo afficerentur, & quam necessarium sit sanguinem emittere, quando quis talia simptomata in corpore suo sentit. Nam statim post sanguinis emissionem pori aperiuntur, & sudor insequitur; & hoc modo socii nostri in itinere *Jamaicam* versus, salui adveniebant. Quibusdam curavi venam secare, sub 32. grad. aliis sub 28. aliis sub 24. & 23. grad. Et in omnibus navibus nostris non nisi tres mortui sunt. In navi nostra duo afficiebantur morbo famoso dicto *Calenture*: de cujus morbi progressu nihil dicere valeo: nam hoc modo pristinæ restituebantur sanitati. Cum uno illorum colloquebar, & ille subitò per phantasiam imaginabatur sibi videre, *virides* frondes mari innatantes, quod revera erat colore *cæruleo*: postea in admirationem trahebatur, pulchrorum lignorum, quæ prope nobis instituta imaginabatur. Mox ego præbui illi Emeticum ex *Vitro Antimonii* in vino *Hispanensi*; & simul ac operationes suas illud exercuerat, omnes illæ phantasiæ evanescebant.

Noctu dedi illi conservam rosarum rubrarum vitriolatarum, salem absinthii & diascordium: proximo mane venæ-sectionem passus est in brachio; & à meridie in sincipite. Cibus ejus erat pulmentarium cùm cremore *Tartari*; & pruna coquendo macerata. Nihil cum febri commune habere morbum observavi; pulsus ejus erat depressus, lentus & æqualis, tempe

ramentum justo frigidius; nihilque caloris sentiebat, nec discolor erat lingua, nec sitiebat. Alter nihil imaginabatur præter viridaria pomorum aurantiorum & citreorum; & rogabat serio admodum scapham quâ littus peteret, adeo ut fortè præcipitem mari se dedisset ni ei invigilatum fuisset. *Symptomata* eadem erant quæ in priori; nisi quod ejus corpus videretur esse multo frigidius; quamquam nullum internum sentiret frigus. Vomere eum feci, & caput ejus bene habebat, simul ac vomitorium dolores stomachi inducebat, seu quod nondum operatum fuerat. Diætam similem huic & alteri præscripsi, & tantum venam ejus secui in brachio. Phlebotomiam illis tantum adhibui ex cautella (nam aliàs benè constituti videbantur) & ut promoverem transpirationem & sudorem: quæ ex votis eveniebant.

Dubio procul sedes hujus morbi est in stomacho, & partibus vicinis, in quibus prima concoctio perficitur: & admodum probabile est, præcipuam ejus causam esse malam diætam, edendo durante itinere nimium cibi salsi; salinis vaporibus ex stomacho peculiari modo afficiendo cerebrum.

Quod attinet ad curam per *vomitum*, non nunc exponam, qua ratione emetica operationes suas exerceant, sufficit morbi sedem fuisse in & circa ventriculum; & tam in calidis regionibus, quam calidis anni stationibus, Regulam Hippocratis locum habere; *Æstate per superiora*. Nunquam observavi ullum utilem effectum simplicissimi etiam cathartici, quoad fui in Indiis, nisi in morbis chronicis: neque fere ulla adhibui, (postquam frequentia tentamina me cautum reddiderant) præter pilulas *Antimoniales*, vel *mercurium vitæ*, vel *infusiones vomitorias*. Et hac methodo præservavi optime naves nostras, & effeci properas illas curas, quas arbitror neminem antehac vidisse in *Jamaica*. Verum est, inter vilioris conditionis homines in aliis navibus, quando venimus in *Barbados*, prævia inquisitione me plurimos invenisse Hydropicos & Scorbuticos: & simul ac eo veni, omnes qui aliqua ratione male habebant, vomere & purgare curavi, *Mercurio vitæ*, *vomitoria infusione*, & *Cambodia* quibus mediis, & uno prandio cibi recentis, & quibusdam citreis missis, omnem inordinatam colluviem sustuli; ita ut tres duntaxat morerentur, prout ante dixi in toto itinere. Neque dubitarem rursus, ope divina, eo ducere longè majorem hominum numerum similibus mediis & cura. *Ex Observ. Domini Stubbes in Act. Philos. Reg. Societ. Angl. anno 1668.*

CALLVS MANVVM.

Vid.
MANVVM CALLVS
in Manuum morbis.

CALVITIES

Vid.
PILORVM DEFLVVIUM.

CAMAROSIS.

Præter architectonicam significationem quâ concamerationem denotat, apud Medicos illam designat ossis ac præcipuè cranii fracturam quæ cameræ similem figuram efficit. De hac autem vide fracturas in genere, & in specie vulnera capitis cum fractura.

CAMBVCA MEMBRATA.

Est species bubonis vel tumoris ulcerosi ad inguina, vel juxta genitalia siti. Cùm autem signum sit luis venereæ; & etiam ad bubones referri debeat, de eo non est quòd hic specialiùs agamus.

CANCER.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones ex variis.

Curationes.

Cancer, *Carcinoma* Græcis, Arabibus *Sartan*, quibusdam *Cancrosus humor* appellatur; ut inquit Paulus Ægineta lib. 4. cap. 26. à similitudine quam habet cum cancro fluviatili, quoniam circa malum hoc venæ turgescunt, & instar pedum cancri animalis intenduntur. Quidam verò hoc nomen desumtum asserunt, quod ab his, quas occupavit partibus ægrè avellatur, veluti cancer aquaticum animal, qui si quid pedunculis suis ceperit, id haud facilè avellitur: insuper hujusmodi tumor cancri animalis colorem præ se fert, qui est lividus atque cinereus. Igitur Cancer *tumor est rotundus, durus, inæqualis, coloris lividi, aut subnigri, magnas & eminentes circumquaque habens venas, dolore coloreque gravis, aspectu teter & horribilis.*

Species hujus affectus duæ sunt, etenim *cancer* est vel non exulceratus qui propriè *carcinoma* audit, vel exulceratus, isque *phagædena* Græcis appellatur. Quæ autem à cancro affici possunt sunt omnes corporis partes, imprimis laxiores & fungosæ, quales sunt mulierum mammæ: Unde Galenus lib. 2. ad Glauc. cap. 10. sic ait. Cancrosi tumores in omnibus consueverunt fieri corporis partibus, sed præcipuè in mammillis mulierum, quæcumque sua naturali purgatione privantur. Et Corn. Celsus. lib. 5. cap. 28. Id vitium fit maximè in superioribus partibus circa faciem, nares, aures, labia, mammas fœminarum &c.

Quoad cancri seu carcinomatis causas, eas quique Autores peculiares ac speciales huic tumori explicando assignant. Galenus tanti mali causam putat naturalem melancholiam, quæ sanguinis fœx ipsi dicitur, lib. de tumor. præter nat. cap. 7. & lib. 2. de crisib. cap. 12. vel bilem atram redundantem, quæ si in universo corpore existat superflua, Elephantiasin, uni autem parti inhærens, cancrum excitari contendit. Galeno se se opponit Sennert Prax. lib. 5. part. 1. cap. 20. cancri causam dicens atram bilem, in quam humor melancholicus naturalis, vel bilis flava degeneravit. Illam quippe adhuc naturalem, & nondum adustam, potius

scyrrhum, quàm cancrum producere affirmat: primam nihilominùs occasionem Cancroso Tumori humorem melancholicum præbere posse non negat, atram interim & adustam accusans bilem in venis hærentem propter crassitiem suam & per Exiles meatus non penetrantem, quandoque mitiorem, minus calidam & acrem, quandoque calidiorem & acriorem, illam *Cancrum non ulceratum*, hanc verò *ulceratum* gignentem. Bilem atram, quam defendit hujus mali causam humorem dicit calidum & siccum, acrem, salsum, cuncta erodentem, & corrumpentem; adeoque non frigidum & siccum, *hoc est*, humorem verè melancholicum. Avicenna *Melancholiam adustam*; Oribasius *Bilem feruefactam*. Tagaultius *sanguinis facem*; Aquapendens, Pareus, & plures alii *Bilem atram, imò omne id, quod sanguinem adustum ac melancholicum generare aptum est*, accusant. Atque hæ præcipuæ sunt antiquorum de cancri generatione sententiæ. Verisimilius equidem nos putamus, *Proximam seu continentem cancri causam esse Humorem Acido salinum, & Austerum, intra partem aggestum*; & quo humor hic majorem vel minorem habet acrimoniam, hinc cancrum produci vel ulceratum, vel non ulceratum.

Austerum, hoc est, *acidum acre potentius ac valentius* accusamus, sive relictum ex alio Tumore nimis tarde, negligenter, vel malè curato, quapropter facilè in *magis austerum* desinere potest, adeoque in Scyrrhum, hinc in cancrum degenerare; qui tandem ob summam & pertinacem austeritatem vim corrosivam nactus exulceratur, & planè incurabilis evadit.

Atqui *causæ antecedentes seu Remotæ variæ esse possunt*; omnes nimirum quæ hujusmodi acidoacrem & austerum humorem quovis modo generare, & in corpore augere possunt: tales sunt *aër impensè Calidus*; *vitiosi admodum & crassi cibi & potus* ut allium, cœpa, Legumina, Carnes salitæ, & fumo siccatæ, Vina acida; *vigiliæ immodicæ*; *animi passiones vehementes*, præsertim, *Ira*. Quibus accedunt *Viscerum quorumdam obstructio*; *mensium, Hæmorrhoidum, aliarumvè consuetarum evacuationum suppressio*.

Cancer porrò in sua origine, cognitu quidem difficilis est, at curatu facilis. Sed in progressu facilè cognoscitur, difficilè autem curatur. Itaque in principio vix, nisi à sagaci & erudito medico vel chirurgo dignoscitur; nam ut inquit Galenus, *Meth. Med. l. 14. c. 9.* quum primùm oriatur, accidentia habet mitissima, & maximè confusa; tuncque parvus est, & dolens tumor, qui postmodum auctus majorem in molem accrescit, non decrescente interim dolore, insuper durus est, tactui renitens, lividus, plumbeus, inæqualis, venis circumcirca turgidis quasi inflammatus; ad hæc si talis Tumor sit in parte suspecta, in mammis putâ; labiis, naribus, lingua aut Pudendis de cancri præsentia vix amplius dubitatur. Dein à syrrho distinguitur imprimis *dolore*: Etenim vetus scyrrhus indolens est, cancer autem continuò dolorem facit, atquè tum scyrrhum in cancrum degenerare conjicimus, quum incipiat acriter dolor. Verum cancer exulceratus cognoscitur facilè, ex ulceris fœditate, labiis crassis, tumidis, lividis, inæqualibus, erosis, saniem seu potius ichorem foetidum & copiosum eructantibus, acriter dolentibus, atque sanguinem frequenter fundentibus.

Cæterùm Cancer, sive sit non ulceratus, sive sit ulceratus, gravis est morbus atque perniciosum malum, tum ratione symptomatum, tum causarum, difficiliorisque curationis; hic tamen illo longè gravior est affectus, quod confirmat Hippocrates. *Sect. 6. aphor 38.* quibus cancri occulti adsunt, non curare melius; curati enim citius intereunt, non curati longiori tempore vivunt. Ratio est, quòd cancri non exulcerati, impositis medicamentis facilè exacerbari, hinc exulcerari queant.

Incipientem Cancrum se curasse affirmat Galenus *lib. 2. ad glauconem.* Sed quum in molem creverit insignem, citra Cheirurgiam non esse sanabilem; hujus quippè mali tanta ferocitas, tantaque sævitia, ut vehementissima quæque respuat medicamenta, quin illis irritetur potius, & excandescat, quàm ulla ratione curetur: hinc detestabile nomen, noli me tangere, sortitum est malum hoc, quod intactum relinquendum sit, & cura tantum palliativa curandum.

Ad *Curationem* itaque *hujus affectus* quod attinet; abstineat in primis ægotans, ab iis omnibus, quæ humorem acido acrem, & austerum generare, atque in corpore augere possunt. Dein istius modi humor, antecedens cancri causa è corpore educatur, *Purgantibus Medicamentis* per intervalla exhibitis. Interim *Phlebotomia* si nihil contraindicet, quoque celebretur. Præterea in Mulieribus menstrua, si sint suppressa, provocanda. Hæmorroidum fluxus, quibus fuit familiaris, promovendus: necnon aliæ evacuationes suppressæ excitandæ: viscerum obstructiones reserandæ ut, sic acidi & austeri generatio, quantum quidem possibile, prohibeatur. At verò *cura cancri Chirurgica* duplex est una fucata seu palliativa: altera vera seu legitima. *Cura Palliativa* Topica tantùm applicat Medicamenta ad inhibendum mali impetum. Sed *Legitima* consistit in extrahendo, tollendoque omni eo, quicquid est cancrosum in parte affecta. Atque scitè hic animadvertit Hildanus *Cent. 6. Observ. 82.* nullum fere affectum hodie in Cheirurgia occurrere, in quo majores committuntur errores, quàm in curando Cancro. Dum enim vident Tumorem durissimum, curationem adhibere volunt methodicam, ideoque medicamenta imponunt calida, humida, emollientia, & quàm periculosa hæc sint in curando hoc morbo, quotidiana docet experientia, & exemplis confirmat Hildanus *Cent. 1. Observ. 89.* Enimuerò Pharmaca emollientia atque pus moventia si imponantur magis utique excitant, & acriorem reddunt humorem cancrosum, ut tandem omnia exulceret, erodatque. Et quoniam vicinæ partes ab emollientibus admotis relaxantur simul, atque dilatantur, facile deinde dispergitur, vicinasque partes invadit illa acrimonia; quæ est fermenti ad instar, quod sanguinem, lympham, aliosque humores inficit, & sibi similes, *hoc est*, acres ac austeros reddit: quapropter Hippocrates meritò hocce suum decretum Posteris reliquit *Aphor. 38. Sect. 6. Quibus*

bus Cancri occulti nascuntur, non curare præstat. quod intelligendum de curatione Methodica, quæ contrariis perficitur; nequaquam de sectione vel ustione, quæ sola, ut Galenus testatur, sunt cancri remedia. *Curati enim subito intereunt* scilicet per imposita Emollientia, quæ protinus exasperare solent cancrosum Tumorem, *non curati verò diutius vivunt*, nimirùm Curatione methodica, per Topica emollientia atque pus moventia, Sed instituta solummodò Palliatione.

Igitur occulti Cancri, si penitùs exscindi nequeant, non methodicâ, sed Palliativa tantùm curâ sunt tractandi, ne exulcerentur. Cancer namque Occultus latet sæpè diu sine offensâ: sed irritatus exedit cutem; eaque sponte, sive Curantis imperitia, adaperta, coërcetur deinceps nullis repagulis; sed instar sævientis feræ depascitur quicquid obvium. Et quò liberius exhalet vapor illi inclusus eò impensiùs quoque affluit humor, tumorem adaucturus. Ad cujus intima siquidem penetret circumfluus aër à tunicis antea exclusus, insequitur ilicò & major putredo & uberior partis affectæ luxuries. Blanda quippe remedia ut nihil prosunt, sic nocent summè acria. & quò plus puris, eò penitiùs descendit virus; seca itaque mature, vel blandire prudenter. Et si lubet, audi C. Celsum, qui *lib. 5. cap. 28.* hæc habet, plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent. sed imponendo tantum lenia medicamenta, quæ quasi blandiuntur, quò minus ad ultimam senectutem perveniant, non prohibentur. Ita Scribit Hildanus *Cent. 3. Observ. 86.* matronam cancro occulto in dextra mamma per quadraginta annos laborasse, absque dolore & ullo incommodo. Et Refert Ampliss. *Tulpius Observ. Med. lib. 1. cap. 47.* quandam in sinistris temporibus quinquaginta ampliùs annos durum ac inæquale carcinoma, sine ullo ulcere, ullave gravi noxa tulisse, cui post tot annos exulceranti cum levamine imponebatur hoc ceratum.

℞. Olei Rosacei ℥ij. ceræ albæ. ʒvj. Plumbi usti ac loti ℥ß. Oleum cum cerâ liquefiat & addito plumbo agitentur sex horas in mortario plumbeo, ut fiat ceratum. Ejus loco, & hoc applicari potest.

℞. Olei Rosacei ℥viij. Teratur in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, donec crassescat & plumbi colorem acquirat, tunc admisceantur exactè Cerussæ, Lythargyri an ℥j. & detur usui.

Enimverò ulceratum cancrum, etsi non attingendum plurimi existimant, cùm tamen inhumanum sit, ægrum etiam tali morbo laborantem deserere, Palliativa cura mitigare conemur: qua saltem detur opera, nè phagædæna facilè proserpat, dolorque ut leniatur, atque minore cum molestia vitam ducere possit Patiens. Hoc efficiunt medicamenta quæ imposita moderatè siccant atque acidum, & Austerum imbibunt, edulcorant. Talia sunt quæ nunc proposuimus. Et scribit insuper ampliss. Tulpius *loco citato*, se feliciter cancris ulceratis admoveri vidisse *pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto cum Mercurio vivo*; quòd Medicamentum *Amalgama Mercurii* dici consuevit.

Aquapendens, Chalmetæus, & alii pro cancro sive non ulcerato, sive ulcerato miris laudibus extollunt, unguentum de *Ranis viridibus*, cujus hæc est descriptio.

℞. Ranas virides in aquis puris degentes; eas conjicito in vas fictile vitreatum multisque exiguis foraminibus in fundo pertusum, ora butiro impleto, hinc vas ne quid exhalet, luto diligenter obnitito, cui alterum etiam terra conclusum supponito, ignemque in ambitu accendito; dein Oleum seu liquorem stillantem colligito, atque cum ranarum pulvere exactè misceto pro linimento; sunt qui *Aquam cancrorum Fluviatilium* hic commendant. Alii *oleum è cochleis destillatum* laudant. Nonnulli *Aquam Ranarum* miris modis prodesse scribunt, cujus descriptio apud Hildanum *lib. de gangræna & Sphacelo cap. 19.* ita habetur.

℞. Ranas aquatiles, easque suspende in cucurbita vitrea, ita tamen, ne fundum attingant, neque comburantur, & aqua extillans gravem odorem acquirat. Accenso igne aquam in arena clementer extrahe, ac adustum reserva. Interim ne removeatur ignis, priusquam omnino exsiccatæ fuerint ranæ, nec ulla amplius extillet aqua. Scultetus post armament. cheirurg. observ. 56. ad cancrum occultum & ulceratum laudat ceratum oxylæum, & Linimentum simplex in mortario plumbeo agitatum, quorum descriptiones tradit observ. 52.

℞. Olei communis veteris ℔j. aceti vini, lithargiri an. ℔ß. Misceantur ad ignem lentum, donec cerati acquirant consistentiam.

℞. Succi solatri, Olei Rosacei an. ℥xx. coq. s. a. ad consumptionem succi, tunc add. Cerusæ, Lithargyri an. ℔j. M. S. A. in formam unguenti. Ex his nunc sequens componit.

℞. Cerati Oxylæi, Linimenti simplicis an. ℥j. Olei myrtini ℥ij. misceantur diu in mortario plumbeo pro linimento. Cancro occulto imponi quoque potest hoc emplastrum.

℞. Emplastri Diapompholigos ℥j. Plumbi usti ʒiß. argenti vivi extincti ʒiß. misceantur exactè, & fiat in corio emplastrum. Vult Paræus, ut cancro non ulcerato imponatur Lamina Plumbea, argento vivo illita. Refert Petrus de Marchettis obsv. chirurg. 29. se cancrum nasi ulceratum curasse ungento albo camphorato, in mortario plumbeo ducto, nullo alio adhibito remedio, atque sic horum, similiumve medicamentorum usu cancer non ulceratus, atquè incipiens aliquando curatur. Ulceratus verò ad multos annos eodem in statu servatur. Equidem Cheirurgia omnibus palmam præripit ad eradicandum malum cancrosum; eaque hujusmodi tumorem, tum in principio, tum in augmento exscindere, ac sectione perita penitùs auferre potis est. Hinc Avicenna cancros minores radicitus exscindit, crassioremque sanguinem facta sectione, circumquaque exprimit, locum postea actuali cauterio inurens, ut mali cancrosi reliquiæ porrò absumantur, memorum corroboretur, & hœmorrhagia sistatur.

Igitur detestabile hocce malum, si manum Cheirurgi efflagitet; ac subire potiùs vitæ periculum, quàm miserè semper vexari, consultum ducat ægrotans; affectus erit considerandus, ejusdemque locus, num commodè sectio

sectio institui possit. Tunc enim comprehendendus totus tumor, qui lato & acutissimo cultro, quàm celerrimè & promptissimè fieri poterit, radicitus amputandus est. Non autem, dissecta vasa sunt adurenda, sed imponenda potius medicamenta sanguinem cohibentia.

Sed cancrum sectione etiam si benè curatum, anno aut biennio post, in loco viciniore sæpiùs reverti, praxis docet quotidiana. Nihilominùs tamen non semper contingit, ut idem malum revertatur, atqui curatus aliquando manet hic morbus. Videantur C. Celsus *lib. 5. cap.* 23. & Hildanus *Cent. 3. Observ.* 87.

Nonnulli cancrum extirpandum censent admotis causticis; sed in re ejusmodi, quæ acria medicamenta repellit, iisque irritatur, ea curandi ratio dubia est, & periculosa, uti scitè ait Pigræus *Prax. Chirurg. lib.*10. *cap.* 22. & Hildanus *Cent. epistol.* 40. hâc de re sic scribit: extirpatio quæ fit cauterio actuali, vel medicamentis escharoticis, sive quovis simili medicamento erodente mihi suspecta est, quia experientia docuit, cancrosa ulcera hujusmodi remediis exacerbari, atque peiora fieri.

Sectionem verò & manum Cheirurgi si renuant ægri, vel non admittat tumor ob profunditatem, vel exulcerationem, *cura* tantùm *Palliativa* ob vitam fœliciorem & nè malum ulteriùs serpendo, partesque erodendo majorem inferat dolorem, instituatur, de quâ abundè nunc dictum est. *Joan. Munnicks Chirurgiæ ad prax. hodiern. accommodatæ. lib.*1. *cap.* 23.

Cancer mammillarum in mulieribus plerumque subsequitur mensium obstructiones aut si alia causa procatartica suum initium habuerit, sæpè tamen menses subsistunt, & malum fit deterius.

Non exulceratum satiùs est intactum relinquere, hoc modo nihil proficientibus auxiliis, sed malum exasperantibus. Mitius fit, si menses in pristinum statum vel à natura, vel medicamentis revocati redeant, si per ætatem id licuerit, aut si corpus alias cacochymum purgantibus, & mundificantibus reddatur purius.

In mundificantibus præstat specificum purgans Paracelsi. It. Mercurius dulcis, & alia melanagoga cùm chymica, tum vulgaria.

Ulceratus firmissimè sanatur, primo, aqua fuliginis mundificante, donec nempe fiat eschara. Secundo, valet oleum arsenici fixi in aqua plantaginis distemperatum, donec nempè mundificetur ulcus, & eschara sponte vel axungiis adjuta cadat. Quod si fibrosæ radices per cavitates hinc inde disseminatæ fuerint, volsellis evellantur prudenter.

Internè sæpius magisterium ocul. cancrorum in aqua empetri aut Persicariæ exhibeatur.

Externe mundificato ulcere, & cancro mortificato, consolidantia ex oleo, balsamoque sulphur. ejusque emplastro procurentur.

Hæc autem cura celebris est in ulcere cancroso vel carcinomate tantùm incipiente. Si esthiome non accesserit, seu si ulcus sordidum, & cavernosum redditum fuerit, præsertim, si in thoracem usque propagatum, rarissime sanatio ulla locum habere potest. Præstat post mundificantia sæpius ulceri aspergere pulverem de cuticulis ovorum internis pullorum exclusorum.

Lactis redundantiam auferunt maximè folia cicutæ, vel menthæ apposita It: Caseationem lactis solvunt, felicius operaberis, si menses simul fluant, itaque vel à natura vel arte movendi.

Lac promovet semen fœniculi sæpius comestum. It. radix fœniculi gestata id præst. t, pulvis crystalli lapidis tenuissimus intro semel atque iterum pondere ℈ß. vel etiam ℈j. datus in aqua fœniculi à proprietate quadam lac augere videtur. Scissuras mammillarum tollit axungia cochlearium, de qua supra de fissuris labiorum. Item capipomada.

Cancer est tumor inæqualis aspectû teter, aliquando cum dolore; nomen accepit à cancris. Hoc vitium fit in omnibus humani corporis partibus cùm internis tum externis, quæ à naturâ purgationem habent, quod raræ & laxæ sint, quæ crassissimam materiam melancholicam promptissime excipiant. Generatur ex melancholico humore effervescente, qui, si sit acrior, exulcerationem efficit.

Sunt cancrorum differentiæ speciales. Nam quidam ulcere carent, quidam exulcerantur: signa sunt tumor, magis phlegmone nigricat absque tanta caliditate, venæque in habitu intumescunt, quoniam sanguis inutilis à profundo attrahitur, ideoque varicosæ venæ redduntur.

Color cancri cinericius, sublividus, ad purpureum vergens, tactû durissimus, pungentes interdum dolores inducere solet, & maximè in maxillis, mammillis, in aliquibus autem corporis partibus dolorem infert, in aliquibus non.

Diversificatur tum ratione loci, tum ratione materiæ cùm sunt humores mixti, melancholici atque biliosi simul; ratione loci in facie, in labiis, in naso, in fronte, in manibus, digitis, ut experientia me docuit.

Hæ partes immunes sunt ab omni dolore; in mammis autem dolorem pungentem habet, in virili parte quoque dolores habere solet.

Nascuntur aliquando in labiis, naso, in angulis oculorum, in fronte, & in tota faciei parte, ut plurimùm quasi verrucæ in forma ciceris, postea dilatantur, & crescunt sicut fungi cum labiis callosis & inversis, solent sanguinem vel quiddam virulentum emittere, in fronte solent ut plurimùm corrodendo se dilatare.

Aliud genus, seu species nullo modo, ad ulcus pervenit, sed tumor, scirrhusque durus, lividus & nunquam ulceratur, & quotidie augetur. Imò ut plurimum in collo, hepate, splene, in vulvâ, in matrice nasci solent, raro in aliis corporis partibus, neminem vidi nisi Patavii in naso cujusdam mulieris.

Primum hujus vitii genus si ulceretur, jugiter erodit, & profundum suffodit, saniem putridissimam emittit, & dolorem abominandum creat, qui sufferri vix potest.

Incurabilis est, qui habet radices seu venulas varicosas, quæ sanguinem è profundo attrahunt, in partibus thoracis, alius est curabilis.

In curatione cancri 1. Instituatur victus ratio, in qua vitanda, quæ succum melancholicum generant, utendum ptisana, hordeo, malva, atriplice, betâ & omnibus, quæ bonum generant

rant sanguinem, & coctû facilem bibendum vinum tenue, album, non valde antiquum.

Vacuatio primùm tentanda sanguinis missione, modò vires & ætas permiserint. Vena in gibbo media secanda, & primò menses provocare, post humorem peccantem evacuare oportet.

Si hæmorrhoides in viris, quibus emanare consuevere, suppressæ sint, recludantur.

Purgantia erunt epithymum, senna, polypodium, serum lactis, & hujusmodi composita diasenna, diabuglossum, pilulæ, de lapide lazuli.

Post hæc humorem, qui in partem decubuit, repellere, vel discutere, ad hæc particulam, ne quid humorum abundantiæ ad eam confluat, firmare oportet cum aliquo repercussivo circa locum affectum: post imponendus pulvis benedictus ab altissimo mihi datus ad utilitatem generis humani.

Hunc ordinem servare oportet medicum: manè jejuno medicus semper cum sputo bombacem apponat. Si cancer est ulceratus, accipiat pulverem, ut aspergunt farinam super pisces cùm parantur in sartagine; & cum prædictâ bombace tegat ac cum sputo liniat circumcirca, ut adhæreat, cùm adhæret, nunquam cadit, nisi unà secum radices eradicet. Solet hoc ut plurimum inferre dolorem interpolatè, quando humor acris & mordax non potest purgari per ulcus (etiam alioquin fit tumor magnus eo tempore, nec removendum medicamentum, nec aliquid supra apponendum, sed circum oleo rosaceo illinendum, & postea dimittendum usque dum per se cadat) quando ille humor acris purgatur per ulcus, nullum dolorem infert, postea purgatur sicut alia ulcera. Sed ego semper usus sum pulvere incarnativo, mundificativo, & digestivo solùm ex terebinthina & vitellis ovorum cum unguento de lithargyro, & mumia, ut infra scribam.

Semper avertendum, ne aliquot radices remaneant, & si remanserit, iterùm imponendus pulvis. Extant alioquin, dum adsint radices varicosæ, unus cancer super alium quasi strumæ, tunc oportet iterare pulverem, usque dum strumæ omnes evellantur, & isti cancri sunt difficillimæ curationis, cùm sint in thoracis partibus, quia inter thoracem radices habent. Multas mulieres curavi solo hoc emplastro, dum erat in fieri ulcus.

♃. Ammoniaci in acet. soluti, & exquisitissimè purgavi succum illum malignum tali modo, quod non fluebat ad locum affectum (expertus sum in mammillis) & sæpè iteravi ad perfectam curationem. Hoc emplastrum post consolidationem ulceris per aliquot dies apposui, & feliciter curavi nonnullos. Pulveris benedicti conficiendi ratio.

♃. Pulveris in signo A. ℥ ij. B. ʒ j. C. ʒ iij. Subtilissimè quantùm sufficit impalpabilis reddatur super Porphyritem, servetur in loco benè clauso, nè humiditatem recipiat, & quantò magis inveteratur, tantò pretiosior est. Ante annum ad usum non erit bonus.

A Accipe in Mense Junio Julio, & Augusto radices dracunculi majoris (quia eo tempore folia siccantur, & tota radix remanet in terrâ) radicem illam scinde in plures particulas, suspende in loco, ubi spirant venti, cùm siccatæ sunt, serva illas ad usum in conficiendo pulvere. Quando istæ radices non haberi possunt, in earum vicem radices dracunculi minoris, qui dicitur Aron, sed melior major dracunculus, qui dicitur dracuntium.

B Sandaracha ab antiquis à vulgo dicta arsenicum album, calcinosum, non splendidum, quam vitrum, non rubeum) quod in se habet quandam malignitatem, sed album calcinosum non habet tantam malignam qualitatem; præpara sequenti modo.

♃. Illius q. v. subtilissimè pulverisa per 15. dies de tertio in tertium, appone aquam vitæ in loco calido, ut recipiat illius virtutem, & cooperiat aquam vitæ, ad illum pulverem post triduum iterum nova aqua vitæ apponatur, & illa quæ priùs adfuit, abjicienda. Misce semel cum aqua, & tunc erit præparatum.

C. ♃. Fuliginem, quæ reperitur in caminis (supra de confortantibus de oleo fuliginis) non antiquam neque annosam, sed quæ habeat in se salsuginem, quia solet reperiri quasi tela araneorum, & hæc non est bona, & prudens operator poterit considerare suâ diligentia, & ut suprà, componit pulverem. Pulvis incarnativus, & mundificativus.

♃. Olibani, sarcocollæ, mastichis, myrrhæ, aloës, mumiæ, aristolochiæ utriusque ana ℥ iij. mercur. præcipit. cum aquâ calcinatâ compositi ʒ i ß. F. Pulvis. Ego usus sum præcipitato facto cum sale amalgamato, in nobilibus unguento sequenti.

♃. Lithargyri auri ℥ iij. mumiæ ʒ i ß. subtiliter pulverisat. cum oleo rosaceo; & acet. rosac. F. unguentum in mortario plumbeo unguentum quo uti soleo, tale est.

♃. Lithargyrum, affunde oleum, & agitentur per quadrantem horæ, postea adde acet. rosaceum, & sic agitetur postea iterùm solum, semper agitando, & fermentando per 3. vel 4. horas. & erit optimum compositum.

(Radicem cicutæ sub cineribus assato, & calidam applica, continuando per aliquot dies cancerque excidet, experimento probato) *Joan. Harthmannus in Pract. Chymiatr.*

Cancri non ulcerati curatio consistit præcipuè in universali regimine (particulari tamen minimè omisso) quod omnino tale erit, quale in curatione scirrhi docuimus, tùm quod ad aëris delectum, tum quod ad ægroti vivendi rationem attinet. Nempè humorem sirupis, julepis, apozematis præparandum esse. Purgatio quidem blanda, & modica erit, ut humores minus agitentur sed sæpè si sit opus iterabitur, sanguis ex adversâ parte ad refrigerandum, itemque ad sedandum & mitigandum dolorem, utiliter detrahi poterit; adhibebuntur cardiaca, & quæ cor atque præcordia corroborant medicamenta, ob malignos, vitiososque vapores, qui è tumore attolluntur, & eas partes offendunt. Sæpenumero quidem bibet & comedet, sed parùm admodùm. Somnus perutilis est, ideoque nisi naturæ sponte obrepat, arte conciliandus. Dandaque imprimis opera, ut hæmorrhoides viris, menstrua autem mulieribus fluant. Proritentur hæmorrhoides acrioribus balanis, linteis asperis, & foliis ficuum, vel admoveantur hirudines. Mulieribus verò manè ante

ante exitum è lecto fricentur crura, & tibiæ, per semihoram præmissa purgatione.

Regimen verò particulare versatur duntaxat, aut in tumoris palliatione impediente quominus ille incalescat, augeatur, & invalescat, aut certè in totâ illius ablatione & amputatione.

Tumoris Palliatio topicis remediis fiet, quæ refrænandi, mitigandi, & sedandi humoris, furoris, & violentiæ facultatem, virtutemque habebunt. Nam tota spes curationis consistit in repellentibus, & resolventibus, atque leviter repellentibus, humor crassus, & contumax non cedit, multò minùs leviter resolventibus patitur se discuti. Vehementer repellentibus partes quidem tenuiores dissipantur, sed crassiores manent. Itaque mediocriter repellentibus, & resolventibus superficiarios incipientes cancros gloriatur Galenus se persanasse, profundos aut inveteratos, aut omnino non attigisse aut duntaxat, dolorem ut demulceret, & incrementum prohiberet suscepisse. Remedia verò mediocriter repellentia, & digerentia sunt succus solani, pompholix lota quæ tuthia vulgò dicitur. Galenus q. simpl. suprà cætera commendat plumbum ustum & lotum; nam metallica lavari debent, ut acrimoniam deponant. Plumbum autem humoris melancholici acrimoniæ moderandæ & sedandæ vim habet. Ex his tribus unguentum in officinis paratur, quod diapompholigos appellatur, cujus penuria permittit Gal. ut utamur emplastro diacalcytheos quod vulgò diapalma nuncupatur, dissoluto succo solani, & oleo rosato, aut.

℞. Ol. rosat. sine igne confecti ℥ viij. teratur in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, donec crassescat, & plumbi colorem acquirat, misce cum litharg. & cerusæ seorsim contritæ ana ℥ j. fiat unguentum. Oleum de ranis, & de limacibus non tantùm dolorem lenit, sed etiam mediocriter repellit & resolvit. Si placet pulvis ranarum aut testarum cancri cerato Galeni vel succo solani permisceatur. Vel.

℞. Succi solan. & ol. rosac. an. ℥ iv. pulv. ranar. ustar. & testar. cancri an. ʒ iij. tuthiæ, & plumbi usti loti an. ʒ i ß. agitentur simul in mortario plumbeo, fiat unguentum. Cristalli pulvis à quibusdam commendatur præsertim in ulceratis. Tenella fraxini folia in aqua coquantur, decocto pars foveatur, & ex residentia paretur cataplasma. Quod sequitur sæpe, & fœliciter est à me usurpatum.

℞. Theriac. veteris ℥ j. succi cancrorum ℥ ß. succ. lactuc. & olei rosat. an. ℥ i ß. vitell. ovor. sub cinerib. coctor. ij. caphuræ ʒ ß. agitentur in mortario plumbeo & fiat unguentum. Vel.

℞. Ol. rosat. & ceræ albæ an. ℥ ij. succ. granor. & fol. solani ana uncias duas plumbi usti loti, & cerus. præparatæ ana ʒ iß. thuris, mastich. an. ʒ ij. fiat emplastrum molle. His autem remediis leniter utendum est, nec calefaciendum quidquam, fricando leniter tumorem, omnemque illius ambitum, deinde solo linteo, eoque lenissimo & tenuissimo cum tegendo.

Alterum verò caput, quod est de cancrosi tumoris ablatione, aut amputatione, diligenter considerandum est, videndumque, an tutò id fieri possit, ut si corpus malè habitum non fuerit, si cancer perexiguus, & in aliqua ignobili parte, proculque a magnis vasis ac nervosis partibus fuerit; auferendi igitur illius erit ratio.

Tumor ille totus primùm corripiendus, & cum omnibus suis radicibus, acutissima novaculâ adhibitâ penitùs amputandus est quàm celerrimè & promptissimè fieri poterit. Deinde permittendum, ut venulæ illæ, quæ alimentum illi suppeditabant, libere & abunde fluant, & causæ illius antecedentis nihil omninò supersit, unde recidiva fieri possit. Quo quidem facto cauterium actuale quod cæteris hâc in re aptius est & efficacius (quippe promptius, minusque doloriferum, omnemque virulentiam & malignam qualitatem dissipans & consumens, parti affectæ applicandum est; Tum accelerandus crustæ casus, & recenti butyro in mortario plumbeo diu agitato quodammodo provocandus: ea autem ubi deciderit, nisi aliud quoddam symptoma acciderit, tractandum erit ulcus, ut cætera, quorum curationem suo loco tradiemus.

Nonnulli eum extirpandum censent causticis, sed in re ejusmodi quæ acria remedia repellit, iisque irritatur, ea curandi ratio dubia & periculosa est. Itaque standum consilio Hippocratis, præstat cancros ocultos non attingere, sic enim in longius vita protrahitur, satis est si humor melancholicus per intervalla purgetur, ut sistatur incrementum, non neglecta venæ-sectione, quæ ardorem contemperet & dolorem demulceat. Utatur lacte asinæ, aut capræ; utatur etiam carnibus viperar. serpentium præparat. & sale theriacali, ut in elephantiasis curatione. *Joan. Vigierius Chirurg. magna lib. 1.*

Cancer ulceratus cum apostemoso multa habet communia, ut tumorem, duritiem, dolorem: multa particularia, ut labia tumida, dura, inversa. Continuò saniem eructat tenuem & aquosam, nigram aut fulvam gravissimè olentem, quâ nullum est præsentius venenum. Denique ulcus est ipso aspectu horrendum, cujus differentiæ sunt lupus, & noli me tangere. ille est cancer cruralis, hic in facie ab imo serpens sursùm. Verùm in tibiis serpit citò, tardiùs in facie, nisi medicamentis irritetur, unde nomen habet. Cancro crus occupanti vulgus quotidie gallinæ carnes apponit, quarum suavitate furor morbi mitescit. saniei malitiam benignitas carnis lenit, serpigo sistitur, & vicinarum partium exesio retardatur.

In aliis partibus tam externis, ut mammis, & genitalibus, quàm internis, utero, retinet nomen generis additâ parte affectâ; minus depascitur & dolet qui fit à pituita salsa, putri, conversa in atram bilem. Maximè omnium furit qui fit à flava bile pro ustionis gradu in atram degenerante. Repurgato humore atrabilario, misso sanguine, constitutis vitæ legibus, si quis affectum hunc patiatur, nec morbus magnus & obfirmatus altè jam radices egerit, totus cancer extirpetur. Nam si minima portio relinquatur, solito deterior renascetur. Guido suadet, ut abscisso carcinomate è fœculento sanguine è vicinis partibus diligenter expresso, locus uratur: alii caustica, eaque non levia, sed vehementissima loco ustionis usur-

pant. In quibus primas laudes habent arsenicum sublimatum, cujus usum sæpè docuimus; interim vicinæ partes defensivo aliquo muniendæ, nè dolor fluxionem & inflammationem accersat intra triduum scarrham producet, qua remota, & placato dolore ulcus in modum cæterorum percuretur.

Tùm verò extinctum cancrum intelligens, cùm subjecta caro laudabilis apparebit, nullaque inde sanies putrida dimanabit. Inter omnia remedia laudo & probo sequens.

♃. Radic. serpentar, Maio mense vel Junio collectam, in taleolas transversum dissectam, filo lineo trajectam, & ad umbram exsiccatam, nec parietem attingat, redigatur in pulverem tenuissimum, cujus sume quantùm volueris, adde arsenici crystallini partem tertiam, fuliginis camini parùm, misceatur optimè, pulvis servetur in pixide lignea. Carcinoma ulceratum priùs acû transforetur in formam crucis, inspergatur pulvere supradicto, & fiet scarrha, quæ circa diem duodecimum decidet per se: tandem uteris emplastro sequenti.

♃. Galban. opopon. sagapen. an. ℥ iv. ammoniac. bdellii an. ℥ viij. in aceto distillato solvantur, soluta exprimantur, & ad aceti consumpt. evaporentur. & ad emplast. consistentiam coquantur.

Posteà ♃. Olei chamæm. ℔ ij. ol. hyperic. ℔ j. ol. laurini ℥ iv. ol. Thereb. ℥ j. petrolei ℔ j. ceræ novæ ℔ ij. ponantur simul cum prædictis gumm. & coquantur perfectè igne lento. Postea adde litharg. ℔ ij. aristol. utriusque, olibani, mastich. myrrh. elect. corall. rubri & albi an. ℥ iv. lapidis calamin. ℥ vj. Karab. ℥ j. flor. antimon. ℥ iv. salis vitriol. mumiæ, camphoræ an. ℥ ij pulveranda pulverentur, & cùm supradictis lento igne misceantur, continuè movendo, dum fiat massa emplastri, de qua formentur duo emplastra debitæ magnitudinis, unum cancro mane impone alterum vesperi mundando qualibet vice ulcus, & abstergendo cum panno lineo molli & intra paucos dies curabitur.

Hoc emplastrum omnibus ulceribus etiam scrophulosis medetur, absque ullo alio medicamento, neque inveniri potest ullum præstantius in curatione cancri.

Quòd si consistat in parte internâ, ut utero, vel quæ excindi non possit, aut æger sectionem, & ustionem refugiat, contenti simus curâ palliativâ, quæ morbi impediat incrementum. Victus conveniens imperetur, qui atræ bilis fervorem contemperet, ut ptisana, serum lactis, caro vitulina. Corpus per intervalla repurgetur, sanguis mittatur, hæmorrhoides viris si substiterint, mulieribus menses provocentur. Topica sint linimentum ex succo solani agitato pistillo plumbeo, in mortario plumbeo, addendo parùm camphoræ: aut succi penuria utere aquâ solani destillatâ, eâque camphoratâ. His intincta lintea sæpè applicentur cancro: vel misce plumbum ustum, unguento de cerusa: benefaciunt quoque unguenta de minio, de cerusâ, de tuthia, de plumbo, diapompholigos: lamina plumbi illitâ argento vivo, aut.

♃. Plumbi usti & loti, tuthiæ, & thuris an. ℥ v. olei absynt. ℥ j. olei rosar. ℔ ß. ceræ ℥ i ß. succi solan. q. s. ad unguent. crassitiem. Dolorem lenit cataplasma ex foliis cichor. & papav. aut ex foliis alth, tritis cum paulo ol. rosaceo. Vel.

♃. Tuthiæ Alexandrinæ ℥ ij. pulv. cancror. fluviat. in furno adustor. litharg. arg. an. ℥ ij. antimon. plumbi usti an. ℥ i ß. succ. plantag. gallitrici, solani, politrici, centinod. alleluiæ an. ℥ vj, alum. rochæ ℥ i ß. priùs collatis succis bulli nt omnia simul usque ad consumptionem succorum, deinde pulverisentur subtiliter, & ducantur in mortario plumbeo, donec colorem nigrum acquirant, & utere intra cancrum ulceratum, ponendo insuper unguentum pompholigos magistrale.

♃. Tuthiæ ℥ ij. mirobal. citrin. litharg. plumbi usti an. ℥ j. calcis decies extinctæ in aqua hordei ℥ iij. cerusæ ℥ vj. terræ sigill. ℥ ii ß. aceti ℥ iv. succor. plant. solan. an. ℥ iij ß. bulliant omnia simul usque ad consumt. succor. & aceti, deinde pistentur & ducantur in mortario plumbeo per tres horas, & utatur modo jam dicto. Vel.

♃. Muccag. sem. psyllii, lini, fœnugr. extract. in áqua rof. & plant. q. s. ex his tepidis fiat fotus: Vel.

♃. Rad. alth. ℔ ß. coquantur in hydrom. & trajiciatur, addendo ol. rof. parùm, fiat cataplasma; vel.

♃. Stercoris bubuli ℔ iv. herbæ roberti, plantag. sempervivi, hyosciami, portul. lactuc. endiv. m. j. cancros fluviat. xii. pistentur omnia simul, & destillentur alembico plumbeo, liquor servetur usui, atque de eo fiat injectio frequens in partem, vel si partis situs permiserit, inde cancrosa ipsius ulcera abluantur, & lina carpta insuccata subinde renovanda apponantur: sic enim inflammationis acrimonia, & vis obtunditur, & dolor sedatur; vel.

♃. Litharg. & cerusæ an. ℥ j. terantur in mortario plumbeo, donec reducantur ad consistentiam linimenti vel unguent. vel.

♃. Plumbi usti loti, pompholig. thuris an. ℥ ij ß. absynth. pont. ℥ ß. ol. rof. ℥ iij. ceræ ℥ vj. succi solan. q. s. fiat unguentum in mortario plumbeo cum pistillo plumb. Theodorici emplastrum ad cancrosa ulcera lenienda.

♃. Olei rosat. compl. ceræ albæ an. ℥ ii ß. succor. granat. & solan. an. ℥ ij. ceruf. lotæ ℥ j. plumbi usti loti & tuthiæ præpar. an ℥ ß. mastich. ℥ ij. fiat emplastrum molle; vel.

♃. Thereb. vet. ℥ j. succi cancror. ℥ ß. succi lactuc. & olei rof. an. ℥ j ß. vitellos ovor. sub cinerib. coctorum num. ij. caphur. ℥ ß. pistentur omnia in mortario plumbeo, fiat unguentum. vel.

♃. Spumæ argenti, axung. porci recentis, ceræ albæ an. ℔ ß. olei boni ℥ iv. vitell. ovorum assatorum num. iv. fiat unguentum. *Joan. Vigierius Chirurg. magnæ lib. 2.*

Curatio cancri, quâ quidem fœliciter usus est à magno quodam viro mihi communicata, talis est.

♃. Rad. serpentar. maj. mense Junio collectæ, transversim incisæ, & filo lineo trajectæ, & ad umbram exsiccatæ, suspensæ nè parietem attingat, in subtilem pulverem redactæ quantùm volueris, cui adde arsenici non splendentis tertiam partem, fuliginis camini parùm, omnia benè commisc. & subtilissimè pulverisentur, & serventur in pixide ligneâ. Si ulcus sit valde putridum, arundinaceo cultro scalpendum est,

ut

ut parùm sanguinis exeat, & pulvis subtiliter inspergendus, atque gossipium saliva madefactum, superponendum, protestandumque est, quod per diem & noctem unam, dolorem molestum excitabit, atque pars intumescet, sed quantò tumidior evadet, eò meliùs non est removendum medicamentum, sed faciet escharam, quæ sponte per se post octavum diem cadet, si post escharam elapsam, immundum remanebit: ulcus mundifica cum melle rosato, succo apii, & parum farinæ hordei, vel unguento isidis, & superponatur unguentum de tutia. si verò aliqua radix remaneret, rursus appone pulverem prædictum, & prò removendâ escharâ nihil addes, sed naturæ permittes, sed antequam aggrediaris curam, purga corpus competenti purgatione, & rectam victus rationem præscribe. *Carolus* os *levius* in epistola ad *Laurent. Scholzium* lib. 3. Epist. *Cratonis* & aliorum med. à *Scholzio* Edit.

Placet hic cancri ablationem & veram ab amico mihi communicatam, subjungere.

♃. Arsenic. alb. subtiliss. pulverati pt. 1. rad. ari pulveratæ part. iiij fuligin. parùm, ut in trium horum mistione, pulvis modicè cinereus, vulgò griseus fiat, qui ad usum servandus, & quò vetustior, eò melior evadit, ac in quintum usque annum durat. Hic pulvis exulcerato cancro ad crassitiem dorsi cultri, cavendo nè bonam carnem tangat, inspergatur, in medio tamen paulò spissius, ob mediam cancri radicem, communiter reliquis majorem. huic asperso pulveri gossipium extensum, & salivâ benè madidum, ut cum pulvere eò meliùs adhæreat, aliàs nihil operabitur, imponatur. Inspergendus autem pulvis, postquàm æger jam pastus fuerit, & exulceratus cancer, nullis aliis quam ligneis instrumentis tangendus. In adhibitione hujus pulveris cautelæ aliquot notandæ veniunt. Ob diversos effectus ejusdem, aliis enim dolorem creat, aliis non item, penetrat usque ad venas seu radices cancri, illque firmiter adhæret, ut sine ruptione harum adimi ampliùs nequeat; quare semel tantùm inspergendus, quia ejus vis, donec omnia secum auferat, durat. Interea nulla alia medicamenta imponenda, quia hoc sine noxa fieri non posset, nisi in ambitu circumcirca, ad latitudinem 2. digitorum transversorum, defensiva, seu potiùs repellentia & inflammationem impedientia, quale hoc esse potest.

♃. Boli armen. ol. ros. an. q. f. aceti ros. parùm misce. solet quandoque ob penetrationem & vim medicamenti, ruptio venarum, eamque effusio magnæ sanguinis copiæ, & simul materiæ flavæ & acris, subsequi, quæ ubi contigerit, nullum medicamentum præter lintea duplicata imponenda, & quoties madida, renovanda; fluxio enim hæc ultra unum aut alterum diem non extenditur, hacque omnis aufertur dolor, his factis expectanda cancri suâ sponte cadentis, à sanâ carne separatio, quæ continget intra 18. aut 20. dierum spatium: minima namque rupta radix ante hoc tempus, vi illata, totius curæ reiterationem minatur, separatione hac secuta ulceri sequens pulvis inspergendus.

♃. Thuris puriss. mummiæ, mastich. aloes Sarcocoll. an. ℥j. opopon. opt. ʒß. laventur omnia aq. plantag. & ros. fiat pulv. tenuiss. qui acrior reddi potest aucta thur. mastich. myrrh. & sarcocoll. quantitate, pulvere crasso inperso ulceri, tale unguentum supra telam extensum imponatur.

♃. Lytharg. auri ℥ii. mumm. ol. ros. ℥iß. aceti ros. parùm: pulverata in mortario plumbeo agitata incorporentur, & si diuriusculum adhuc sit unguentum, adhito ol. rosac. mollius reddatur. Hæc 2. semel. in die applicare usque ad plenam ulceris consolidationem sufficit, emanabit ex eorum usu, primis diebus, materia viscosa, tenax & alba, quæ in dies optimè extergenda, usque ad absolutam curam, quæ auxiliante. Deo, his omnibus ritè administratis promittitur. *Felix Platerus* Practic. Tom. 2. cap. 17. pag. 752.

Hic est pulvis quo *Antonius Fuchius Italus* multos cancros per *Germaniam, Poloniam & Angliam* non sine admiratione curavit, atque inde non exiguum lucrum fecit, & ob id Medicus cancrorum vulgò nominatus fuit. Rodericus à castro lib. 1. *De morbis Mulierum* cap. 21. & 22. & *Daniel Sennertus* Practic. lib. 4. part. 3. sect. 1. cap. 7.

Vir quidam meis diebus in tractû Juliacensi cancrum quemlibet sanabat insperso pulvere indolente, atque tum demum emplastro incarnante solidabat; cujus ars secum sepulta est. *Joann. Helmont.* Tractat. de *Ideis morbosis*.

Si Parvus est cancer camph. & non vult cedere, non dentur corrosiva fortiora, sed inhibentia tantum, ne ulterius serpat v. g. è Saturno, nam Saturnis medicamentis omnium optimè hic curatur affectus. Spiritus & oleum fuliginis mirè quoque hîc prosunt.

Dentur primò purgantia, & sanguinem purificantia v. g. Essent. & Ext. hellebori nigri, medicamenta ex antim. tart. sat. Essent. & spir. sat. Tinct. solari cum sat. essent. sal. armon. essent sal. fum.

Inter specifica convenit persicaria solanum, virga aurea, plantago, herba cancri rad. serpentariæ, aronis, sal. calcis decoct. calcis (medicamenta enim ex calce & fuligine omnium sunt optima) aqua pomorum putridorum spir. oleum & sal fulig. ranæ calcinatæ, bufones, calcin. Stercus vaccinum recens. Emplastrum singulare *Penoti* Empl. de cancris *Fabritii Hildani*, quod misceatur in mortario plumbeo, quo aliquid sat. adhæreat. *Scherzerus in Epist.* pulchra tradit de pulv. benedicto. Arsenicum præpar. cum oleo arsen. prosunt. Unguenti nob. Mynsichti, Empl. Saturnin. ejusdem empl. de carne bubula ejusdem.

In cancro *exulcerato* mirè commendat *Bartholus in Encyclopædia*, aquam latrabilem, quæ paratur ex cane lacte matris adhuc utente in MB. destillato *Joann. Michael. prax. clinic. gener.*

Consultationes.

De tumore cancroso incipiente in Mamilla sinistra prò Nobili Matrona Ravennate ad Excellentiss. D. Cæsarem Rossetum Forojuliensem.

Sicuti luculenter & accuratè scriptis mandasti, vir clarissime, naturam & causas tu-

moris occupantis mamillam sinistram Nobilissimæ patientis; ita prò ejus curatione ad rem adeò cuncta proposuisti, ut nihil à quolibet vel in arte versatissimo his addi possit.

Quamobrem meam sententiam rogatus, negare non possum, durum tumorem, inæqualem magnum, indies incrementum suscipientem, cum asperitate cutis varii coloris, & lancinationibus quidem per vices in præsentia frequentioribus, tracto in consensum jugulo & axilla ejusdem lateris, esse scirrhum illegitimum, sive non exquisitum in glanduloso corpore prædictæ mamillæ, à melancholia prædominante productum, ad atræ. bilis naturam vergente, cum permixtione pituitosæ materiæ ac proinde à carcinomatis seu cancri non exulcerati natura parum degenerantem, præsertim cum in superiori loco ad partes externas serpat, & cutis asperitatem producat. Nec difficile fuit Matronæ Nobilissimæ in prædictum affectum incurrere, ubi primum viro fuit orbata, cum quo antea fæcunditate gaudebat. Hic autem humor nunc in majori copia genitus est in jecore, alioquin præcalido, post insignes animi perturbationes, & longè minori quantitate statuto quoque tempore per uterum expurgatur, cùm quia cessant puerperia, & lactationes aliàs frequentes, tum quia menses ipsi sunt imminuti: undè facilè confluxit ab utero, & à toto corpore ad mammam sinistram, tanquam partem melancholico succo magis redundantem, per venas quæ in ipsa sunt valdè patentes, propter frequentem sanguinis fluxionem ad mammas conceptionis & lactationis tempore; fitque inde tumor & quidem durus propter repletionem à materia terrestri & sicca. Immunitonis autem mensium causa licet antehac esse poterit osculorū venarum constrictio, ob mærorem, & animi perturbationes, nunc sane est obstructio producta à sanguine crassiore, & magis fæculento reddito, propter causas prædictas, & temperamenti mutationem hac ætate quæ juventutis limites excessit, concurrente quinetiam cruda, & pituitosa materia à frigido ventriculo genita, & per otium, ac vitam sedentariam majori copia congesta.

Cùm autem hæc ita se habeant, difficillimum sane fore reor præservare Matronam Nobilissimam ab imminente cancro & longè magis eandem ab affectione præsenti liberare, propter refractariam, & rebellem naturam prædominantis humoris, nisi menses liberaliùs fluxerint, ipsis enim liberiùs fluentibus, præcavendi cancri spes aliqua affulgere posset.

Quare primò & potissimùm curanda est libera mensium expurgatio, quò intercipiatur fluxio. 2. materia jam fluxa digerenda: ac tandem ejusdem regenerario prohibenda, refrigerando jecur ventriculumque roborando. De capite enim non essem valde sollicitus, quandoquidem censeo illud affici potiùs per consensum ab infernis partibus, quàm per essentiam. Prædictis autem intentionibus satisfaciemus Medicis præsidiis ex Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diæta deprom ptis.

Quare inter chirurgica laudatur primò venæ sectio saphenæ dextri pedis, vel venæ sub poplite, si apparuerit tanquàm utero proximæ à quibus sanguis educatur ad uncias decem circiter, præmisso fomento, & fricatione, ad faciliorem sanguinis crassi evacuationem. Mox aperiatur interna jecoraria sinistri brachii prò derivatione à parte affecta; singulisque mensibus tundenda erit saphena dextri pedis; vel aperiantur venæ hæmorrhoidales, si intumuerint. Perlutat in frequenti crurum & pedum lotione cum *lixivio dulci*, alterato *malva, althæa, floribus chamæmeli; matricaria, artemisia, & origano*, urgente affectu; applicentur duo vesicantia internis femoribus, & aliquot dies in ulcus serventur, ipsisque juvantibus, eidem loco duo fonticuli inurantur.

Inter Pharmaceutica, præferantur *aloetica* cum *flore cassiæ* recens extractæ, & *Diasenna*. Præparentur humores *syrupis de pomis, de succo borraginis, de cichorio*, cum decoctione *cichorii, borraginis, lupulorum, capillorum veneris, & agrimoniæ*. Purgentur *Rhabarbaro, agarico, & foliis sennæ* intuus in decocto *Cordiali*; addito *syrupo de polypodio composito, violato solutivo & manna*. Repetatur humorum præparatio syrupo de fumaria composito, de chycorio cum rhabarbaro, & oxymelite composito, cum decoctione matricariæ, fumariæ, capillorum veneris, cichorii, ceterach, & agrimoniæ; præmisso bolo ex trocniscis de myrrha & de Eupatorio. Purgetur deinde corpus eodem medicamento, addita decoctioni radice hellebori nigri. His peractis, insistendum est iis quæ menses provocare possunt: in quem usum præscribatur decoctum ex radice chinæ, salsa parilla, & modico sassafras, paratum cum gallo juniore flagellato, & exenterato, salito decocto, in sufficienti aquæ quantitate, in qua infundantur ligna prædicta diem naturalem, additis radicibus fæniculi, Petroselini & asparagi, ad consumptionem medietatis, quibus accedant sub finem cichoreum, capilli veneris, borrago, malua, & melissa; sumatque singulis matutinis horis, uncias quinque prædicti juris in aurora, affusis octo, vel decem guttulis chalybis potabilis, & uncia una succi cichorii depurati, præmisso bolo ex ammoniaco, & trochisc. de myrrha. Cum hoc viginti, & plurimum dierum spatio usa fuerit, in rem erit serum lactis caprini optimè depuratum, cum cremore tartari, & succo limonum, exhibitum alternis vicibus, cum decoctione epithymi Mesues, & emulsione seminum quatuor frigidorum majorum ad libras duas qualibet vice dies duodecim. Quod si ipsum dejici non contingat, addantur unciæ tres mannæ electæ in eo dissolutæ. Externa localia sint, quæ accuratissimè fuerunt proposita à virò præclarissimo; quibus ego libenter sane subscribo, prout laudo illam victûs rationem, quæ ab eodem rectè instituta est hoc addito, quod si nupserit, summo futurum ipsi juvamento. *Benedict. Sylvatic. Consil. & respons. Medicin. Cent.* 11.

De tumore duro, dolorifico Mamillæ dextræ. prò Illustriss. Comit. Sarega Veronensi.

Illustrissima & Elegantissima Matrona, temperamenti calidi, & humidi annos nata 46. boni habitus, post numerosam prolem feliciter in luminis oras editam, varias animi perturbationes perpessa, cessantibus menstruis purgatio-

gationibus, sex abhinc mensibus, conqueri cœpit de parvo quodam tumore mamillæ dextræ, avellanæ magnitudinem non excedente duro, ad validam compressionem dolorinco, & per vices vellicante ac pungente, qui deinde in majorem molem excrescens, inæqualiter expansus, majorem dolorem infert, cum livido cutis colore, venarumque circum excurrentium nigricante turgentia, pro cujus curatione plura fuerunt hactenus frustra administrata. Propterea de agendis consulit.

Quod ut fiat, primò natura præsentis Tumoris proponenda, ejusque causæ in medium adducendæ, quò postmodum statuamus an curari possit necne, & quibus præsidiis. Ex enarratis itaque compertissimum est, tumorem hunc non esse ædematosum, quia durus, etsi non Scirrhosum, quia dolorificus, non erysipelaceum, quia in magnum molem excrescit; neque phelgmonoden, quia progressu temporis vel discussus, vel suppuratus fuisset, atque ideò alterius generis esse non posse, quàm cancrosum; cùm sit durus, dolorificus, inæqualis, cum venarum circumpositarum turgentia nigricante, cutisque proximæ livore.

Hujus proinde affectus causa est sanguis crassus, ac atrabilaris, genitus à jecore fervido, congestus per animi pathemata, magisque exustus, cùm per uterum statutis temporibus non expurgatus fuerit, prout antea, fluentibus mensibus, magisque in puerperiis; Idque cùm ob ejus crassitiem, osculorumque venarum adstrictionem à prædictis perturbationibus animi, tum & obstructionem ab eadem sanguinis crassitie inductam: qui propterea ad mammas transmissus per venas epigastricas ampliores, & laxiores redditas à partubus præteritis frequentioribus, in mamilla dextra jecori proxima, & forsan imbecilliore, humorem cancrosum produxit, accedente incomposita victus ratione.

Quibus sic habentibus, quid de hoc affectu prædicendum sit nos docuit Hippocr. 6. aph. 38. dum prodidit, cancros occultos melius esse non curare; *curati enim* inquit, *citius pereunt, non curati diutius perdurant.* Per cancros occultos, non illos tantum intelligens, qui sunt in penitioribus partibus sed etiam qui non sunt exulcerati, ut optimè explicavit Gal. in com. Quocirca ex Hippocratis sententia, incurabilis est affectus. Qua de re fusius differens Galenus in commētar. statuit, cancros ipsos curari non posse nisi sectione vel ustione. *Hæc enim sola*, inquit *cancro facto comparata sunt remedia: quotquot autem cancros ejusmodi cura magis sunt aggressi irritasse, brevique homines necasse; ulcera namque cancrosa ad cicatricem perducere non potuerunt, sed homines affligentes curatione, ad mortem usque excarnificarunt.* Incurabilis propterea pronunciandus præsens affectus; quinimò irritatus citius exulceratur. Non tamen solo prognostico sunt relinquendi ægroti, quò saltem prohibeatur majus incrementum, & exulceratio.

Hoc autem ut fiat, divertenda est fluxio, consulendo toti, contemperando malam humoris peccantis qualitatem, & ipsum alio divertendo; non omissis levioribus quibusdam localibus subadstringentibus, ne præceps adeò fluat humor ad partem affectam. Quare purgetur diligenter totum corpus per lenientia, præparantia, & purgantia melanagoga, & à longinquis partibus trahentia: in quem usum *extractum Hellebori nigri* primas partes obtinebit, cœteris Virò præclarissimo notissimis, brevitatis gratia silentio transmissis.

Sanguis interim cùm ex saphena utriusque pedis, tum ex venis sedalibus alternis vicibus erit educendus, singulisque mensibus ex venis sedalibus mittetur, quò si fieri possit, natura assuescat huic evacuationi.

Contemperandus interea erit sanguis internis & externis atq; inter interna, *serum lactis caprini* optimè depuratum summopere conferet diureticum potissimùm redditum cum emulsione sem. melonum & syrup. capillorum exhibitum cum cinere cancrorum fluviatilium, tanquam à proprietate juvantium aliquando etiam dejectorium redditum cum infusione foliorum *sennæ & Epithimi*; pergendo in usu ipsius quindecim dies circiter, dummodo libere permeet, ab ipsius usu *lac ipsum asininum* singulis matutinis horis exhibeatur ad unc. iiij. circiter, pro tolerantia ventriculi cum modico *saccharo* & buccella panis eo imbuta, persistendo in usu pulveris *cancrorum* propositorum 20. & plures dies ea cautione adhibita quam postulat lactis usus, quò concoquatur, & non acescat in ventriculo; atque ideo cæna sit parca, & prandium sumatur quinque ab illo horis. Atque hæc pro diversione, & alteratione satis. Dubium est de localibus, utrùm scilicet repellentia sint administranda. Hinc enim præscribenda viderentur, ad intercipiendam majorem fluxionem, cum observemus intumescere in dies partem affectam, indicio manifesto continuæ fluxionis, quæ propterea aliò repellenda videtur, parsque affecta subastringētibus roboranda, ne adeo sit opportuna fluenti materiæ: ex alia verò parte habemus Hipp. præceptum supra relatum *Cancros occultos melius esse non Curare*; imò Galen. 3. de Medicament. compositione secundum loca, capite de Parotide, scripsit. in Parotidibus curandis non esse repellentia medicamenta adhibenda, sed potiùs attrahentia & evocantia; cùm tamen Parotides fiant in partibus glandulosis retro aures, non aliam ob causam nisi quia repellentia possunt retrudere materiam ad cerebrum. Quanto magis igitur abstinendum in humore cancroso mamillæ cordi proximæ ab iis quibus materia facile repelli potest, vel saltem impingi, & inculcari magis in parte affecta ob crassitiem, atque ita acrior reddita exulcerationem celeriùs inducere. Quare statuendum censeo, quod si essemus in principio morbi fiente (ut ita dicam,) tunc non esset abstinendum à levioribus quibusdam repellentibus, permixtis cum levioribus digerentibus. In quem usum uti soleo *Oleo rosato compleso*, agitato in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, ad mediocrem consistentiam. Hujus enim linimenti beneficio non semel superavi cancros incipientes, repulsa, & resolutâ materiâ peccante, ad validiora autem repellentia neque in principio neque in progressu deveniendum erit; non in principio: quoniam densata magis spongiosa mamillarum substantia sanguis non rarò recurrit ad uterum, ubi generatur cancer, ut ego aliquando observavi: minus in progressu, quoniam accelerant exulcera-

tionem, prout accidit Illustrissimæ nostræ patienti, cui ego aliquot dies Patavii dedi operam, qua postmodum in spem erecta perfectæ curationis à comite Bruschio Medico celeberrimo Mantuano, Mantuam concedens, variis, usa est remediis à quibus ulceratus fuit cancer. Reversa demum Venetias, mulieri empiricæ se commisit, brevique temporis spatio fato functa est. *Benedictus Sylvaticus consult. & respons. Medic. Centur. 2.*

Tumor cancrosus in mammâ dexterâ.

Illustrissima Matrona annorum quinquaginta, temperamenti & totius & hepatis præcalidi, cui nondum erant suppressæ purgationes, sed tantùm imminutæ, mense Februario, & paulò ante in tumorem durum mammæ dexteræ incidit, rotundum, inæqualem, cum aliquo dolore dum comprimeretur, & quandoque citra, cum vellicationibus & lancinationibus internis usque ad jugulum & maxillam dexteram, cui per vices addebatur insignis ardor, & incendium. Et quia brevi incrementum suscepit, ut timorem ei incuteret, consuluit Medicos exteros, quorum aliqui tumorem cancro finitimum statuere, aliqui scirrhum spurium, vel cancrum occultum cujus causa esset lympha spuria, acido acris, sive serum concrescibile; alii imperfectum cancrum seu proprius tumorem cancrosum à sanguine melancholico adusto; alii esse Cartanaum Hispanum, quid medium inter cancrum & scirrhum, alii imminentem cancrum. Quæ opiniones licet primâ facie diversæ possent dici, intimius tamen perscrutanti parùm vel nihil differre, quisque cognoscere poterat: cùm in curatione parùm vel nihil fuerint diversæ, quoad partem chirurgicam, instantibus menstruis, secta fuit vena in talo: semel medio tempore eductus est sanguis ex brachio, à quâ evacuatione insigne percepit levamen, ita ut consueto tempore natura aliquid sponte eduxerit. At quia sequenti mense non apparuere, repetita fuit evacuatio per talum, nec ampliùs apparentibus, & cum aliquali dolore, hirudines venis sedalibus applicitæ sunt, quæ optimè contulere. In fine mensis Augusti partibus infernis inustum fuit cauterium, & frequentes factæ pedum lotiones: decretumque fuerat balneum, alteratum malvâ, violis, parietariâ, & similibus usque ad thoracem, verùm temporis conditio vetuit. Quoad partem Pharmaceuticam, assumpsit jus alteratum malvâ, indiviâ, cichorio, lupulis, addito syrupo de pomis simpl. & acet. simpl. aromatizat. aquâ florum citri; & post sex aut septem dies, assumpsit cassiam cum cremore tartari, & sic per 20. vel 22. dies repetendo singulis sex vel septem diebus eandem cassiam, unà semper cum ℔ ij. seri caprini depurati. Hisce transactis, ad novam præparationem deventum est, ex decoctione in jure sine sale, fol. fumar. lupulorum, cichorii, sonchi, sem. citri, cum succis malvarum, endiviæ, borrag. & pomorum, & singulis quinque vel sex diebus cassiam deglutiebat cum extracto senæ & rhab. & post duas horas serum caprinum depuratum: & sic per multos dies incessit, & ultimo cassiam assumpsit, cum extracto senæ, & extracto hellebori nigri. Deventum posteà fuit ad serum caprinum, quod per aliquot tantùm dies assumpsit, quia se valde tumefieri, eo assumpto, experiebatur. Nec ad aquam nocerianam deventum est, tantam molem aquæ timens, unde postea lac asinæ assumere cœpit 17. Junii, in cujus usu adhuc progreditur, repetendo per vices cassiam cum cremore tartari (illo tamen intermisso per 10. vel 12. dies) & per totum præsentem mensem progredi decrevit, ab hisce purgationibus se magis vegetam experitur, & ad obeundas actiones magis agilem: ut plurimùm dolorem in loco affecto non persentit, per vices quidem, verum raro, aliqualem calorem ex infernis partibus elevatum sensibiliter percipit. Post aliquot dies, cum levi dolore, & fere momentaneo premeretur, adnotavimus quod ambæ papillæ intus recluduntur, ut suprà ipsas rima quædam observaretur: dilatata verò rima, partis læsæ excoriatio quædam superficialis apparuit, quæ simplici unguento de plumbo brevi fuit exiccata, ut nihil modo appareat, nec de dolore aut calore ulla querela. Pro duritie mollienda & discutienda remedia quærit; at quia reor ipsi non undequaque esse tutum hujusmodi remedia pro nunc adhibere, potius quid per se purgatio profecerit, observarem; tempus enim consilium dabit, & an salutare sit futurum aliquod decoctum ex arte, à Viro celeberrimo audire pergratum mihi fuerit.

De nomine tumoris Matronam Illustrissimam septem abhinc mensibus molestantis ambigendum non est. Etenim relictis novatorum terminis, utpotè fuco & plerumque dolo infectis, nos Hippocrati atque Galeno adhærentes, tumorem jam dictum, atrabilarem naturam redolentem, rectè atque propriè cancrosum nominabimus, non autem cancrum, quoniam non à puro atrabilari humore, hoc est, non ab atrâ bile superassata, & prorsus præter naturam existente, verum & à portione melancholici humoris naturalis, licet inutilis, & forsan etiam non sine aliquâ pituitosâ mistura provenisse credo; ut propterea medicamentis jam administratis non parùm cesserit, sicque morbum & morbi causam, ut dicebat Hippocrates, ostendat sanatio, & præterea non adeò abundare melancholiam præter naturam significavit excoriatio, jam in læsa mammâ sequutâ, & statim medicamento exiccante apposito agglutinata, cum tamen ulcera à verâ atrâ bile insanabilia ab eodem Hippocrate censeantur. Quod ipsa quoque confirmat quotidiana experientia, & idcirco non adeò malè senserunt aliqui in relatione adducti, quod idem tumor sapiat etiam naturam scirrhi. Siquidem à melancholia naturali valdè exiccata, at non exusta scirrhus ipse gigni solet, cui dum pituitæ ac pituitosi sanguinis portio associatur, non ampliùs scirrhi sed scirrhosi tumoris nomen acquirit.

Et quamvis de nominibus certare inutile quandoque Galeno visum fuerit, utile tamen evadit, quotiescunque natura morbi ejusque causa ut in casu nostro in nomine continentur.

Ex his autem adductis metiri difficile non est, quanto recessu à naturali statu, ab optima scilicet temperie distet tum sanguis in toto, tum hepar, & cor mulieris illustrissimæ; omnia namque justo calidiora, non verò calidissima

ma esse censendum; alioquin & ætas bilis atræ forax, & menstrua purgatio prorsus suppressa cancrum legitimum atque exquisitum produxissent.

Sunt hujusmodi affectus valdè contumaces, & periculi pleni: partem enim mollem atque spongiosam, ubi semel crassus humor apprehenderit, difficilè attenuari, resolvi & destrui potest: quinimò alium advenientem humorem facilè admittere solet; eoque faciliùs in hac illustrissimâ aliquam in mammis malam conformationem à natura sortita, & præsertim hâc ætate consueta menstruorum expurgatione destituta & ideò non exiguum afferret auxilium Illustrissimæ Matronæ Medicus ille qui tumorem hunc, partim cancrosam, partim scirrhosam naturam obtinentem, in scirrhum perfectum totum permutari curaret, quod faciliùs, quam resolvere ego non semel expertus sum.

Interim ab inceptis minimè desistendum; siquidem quæ administrata juvant, repetita sanant, dicebat ille, & ideò perpauca jam administratis mihi restant addenda: videlicet ut humor peccans à parte affecta revellatur, & divertatur, imò & evacuetur, 2. ut ejus acrimonia atque aciditas contemperetur. Tertiò ut viscerum intemperies calida moderetur. Quartò ut tumor ipse potiùs repellentibus & refrigerantibus, quàm resolventibus, & calefacientibus tractetur. Quintò à proprietate juvantia non negligenda; atque tandem doloris ratio semper habenda, ut qui attrahendi vim obtineat.

Quibus intentionibus ut satisfacere conemur, in fonte Chirurgico statim consideranda venit sanguinis missio, quæ sicut opportunissimè à viro doctissimo jam bis terque administrata fuit, ita præsenti autumno omninò deserendam non esse arbitror, ex pede scilicet aut hæmorrhoidibus, imo etiam ex brachio; si jam ex eodem eductus sanguis, crassus, & niger observatus fuerit.

Cauterium custodiendum: pedum lotiones non omittendæ, & tumori medicamenta infra describenda applicari poterunt.

Ex fonte quoque Pharmaceutico aliqua erunt depromenda, & repetenda remedia, tum alterantia, tum electivè purgantia, antequàm hybernum tempus accedat; quibus semper succedant potiones refrigerantes, anteacto quoque tempore propinatæ. Et quoniam hyeme adventante, lac proprias vires atque dotes ratione pascuorum amittere solet, ideò imposterum supplebit lac arte factum ex ℥ij. sem. melon. mundat. & ℥ß. sem. angur. & cucurbitæ, cum jure pullæ extractum, cui addatur sacchari albi cochlear: vel fiat emulsio ex iisdem seminibus in aqua stillat. aut borag. summo manè quotidie assumenda, & in usum diuturnum ducenda.

Quoniam verò, ut suprà dictum fuit, intentio nostra dirigi debet adversus naturam cancrosam, utpote magis urgentem atque molestam, non autem sic contra scirrhosam, quæ in nostro casu desiderabilis est, idcirco à quocumque decocto attenuante, tum exiccante, tum emolliente abstinendum esse opinor, quale esse posset, ex salsaparilla, radice althææ & liquiritiæ, in aquâ stillat. borag. & virgæ aureæ paratum: hoc enim nonnisi humori scirrhoso carcinomatosa natura carenti convenire posset, ut propterea emulsionis jam præscriptæ usus vice decocti multò magis mihi arrideat.

Potius venturo tempore hyberno, terminato emulsionis usu, in usum ducere poterit Matrona Illustrissima medicamen aliquod à proprietate juvans, pulverem nempe cancr. fluviat. ad ℨ j. singulo manè per mensem in aquâ virgæ aureæ & cardui sancti.

Et interim topica erunt administranda, alia tumorem, ejusque causam, alia dolorem respicient: & primi ordinis erit tale linimentum.

♃. Succi solani, virgæ aureæ, malvar. anarum, virid. an. ℥ j. pulv. pompholygis, cancr. fluviat. cerusæ camph. an. ℨ j. olei rosat. compl. ℥ j. olei de plumbo ℥ iß. m. ref. & asservetur in mortario plumbeo. Pro doloribus vero.

♃. Olei rosat. compl. ℥ ij. de vitellis ovorum ℥ j. de plumbo ℥ß. aq. stillat. ex albuminibus ovorum ℥ ij. m. refor. & asservetur in mortario plumbeo. Lac quoque è mamma muliebri mulctum, imò & tumori statim aspersum dolores egregiè solet lenire.

Quibus jam dictis omnibus congrua erit addenda victus ratio Medicis jam dictis intentionibus proportionata; quæ ab Excellentissimo & Eruditissimo Viro erit præscribenda, cujus summæ prudentiæ, etiam reliqua omnia opportune disponenda libenter remitto. *Joan. Raym. Fortis Consultat. & respons. Medic. tom. 2. Cent. 2.*

Cancer exulceratus in mammilla.

Tumor carcinomatosus primò sine ulcere, atque tandem ulceratus, non solùm diligenti calamo delineatus, verùm & doctissimo penicillo depictus ab Excellentissimo Viro in transmissâ paginâ, offertur mihi potius considerandus, quàm curandus, & potiùs protrahendus atque leniendus, quàm auferendus; in quem finem recensendæ sunt causæ à viro præstantissimo in Historia annotatæ, natura nempe illustrissimæ mulieris, virilis potius quam fœminea ad omnes operationes aptissima atque promptissima, & ideò justo calidior, tum in hepate, tùm maximè in corde, indeque in toto arterioso atque venoso genere, unde calidioris, & in progressu exusti sanguinis necessarius proventus, nec purgationibus menstruis satis defœcati; quam quoniam à massa sanguinea natura nunquam tentare destitit, ideò ad partem, substantia in mulieribus imbecilliorem, tandem detrusit, ad mammam scilicet quo ab arteriis impulsus, nec à venis reassumptus, utpoté crassus, adustus, & ideò ad nutritionem ineptus, in parte relictus, humorem cancrosum excitavit, exiguum primò, sed tandem ad ovi magnitudinem evectum. Et quoniam atrabilaris sanguis in dies peiorem conditionem & acredinem acquisivit, ideò tandem tumor ipse ulcus contraxit, non solùm dysepuloticum & cacoëthe, verùm etiam œththo de & verbo cancerosum. Neque ab hoc decreto nos abducere valet purulenta materia aliquando visa, cùm impossibile non fuerit, portionem aliquam carnis non cancerosæ in pus cessisse, quod

tunc melioris conditionis ulcus nobis repræsentaret: si apparere & effluere perseverasset.

Quibus ita se habentibus, vera & legitima hujus curatio alia esse non potest, quàm partis amputatio, cùm eumdem infiltratum non esse ex scriptis conjicere possim; & licet barbara videatur, barbaries tamen fere semper salutaris euadit, terrifica quidem verùm apud nos rarissime in perniciem desinens. At quoniam rarissimi quoque à mulieribus præsertim delicatioribus admittitur hoc remedii genus, id verò pro palliativa curatione instituenda, sanguinis impuritas, quoad fieri potest removenda; ejusdem acrimonia atque aciditas demulcenda; viscerum calor contemperandus & à Chirurgica manu ulcus congruis modò detergentibus, modò ulteriorem corruptionem inhibentibus, modò anodynis tractandum, congruâ præscripta vivendi ratione.

Quibus intentionibus satisfaciendum erit, suis loco & tempore, parcâ & potiùs repetitâ sanguinis missione. Præterea succorum endiviæ atque boraginis per arenam depuratorum, in jure cichoraceis & malvâ alterato, per hebdomadas exhibitione; iteratâ interim humoris melancholici electivâ eductione hellebori extracto, & senæ, nonnunquàm cassiæ immisto, seroque lactis depur.. ad libras superhausto; atque tandem lactis asellæ diuturno usu: quibus addere placet pro mammâ tuendâ, & ad putrilaginem separandam, oleum antimonii cautè administrandum, superimponendo aliquod magneticum attrahens, cui succedat usus olei mercurii dulcificati; sunt enim egregia medicamenta, sed hisce casibus cum grano salis administranda.

Quibus omnibus ratio victus addatur refrigerans & humectans, adeò ut lactaria omnia in usum ducantur: fructus & olera concedantur refrigerantia, pisces saxatiles non prohibeantur; vinum sit album, non dulce, non generosum, & si quandoque sitis urgeat, bibat aquam boraginis, vel ex boragine, & pomis dulcibus destillatam. Hæcque pauca Viro sapienti sufficiant. *Joan. Raym. Fortis consultat. & respons. Medic. tom. 2. cent. 2.*

Fœmina 30. annorum temperamento melancholica, jam à duobus mensibus, tuberculum habet in mammilla sinistra magnitudinem avellanæ adæquans, tactû durum, parùm dolens, sed dum comprimitur, dolorem exhibet punctorium, velut ab acûs punctione profectum. Jam per sex menses ipsi subsistit menstruorum fluxus.

Pars affecta in hâc ægrâ est *mammilla sinistra*; quod ex tactû patet, quo tuberculum illud durum in mammillæ sinistræ carne glandulosâ percipitur.

Morbus quo hæc ægra laborat, est tuberculum atrabilare recens, quod *cancer incipiens* appellari solet. Isque ex duritie & dolore punctorio, post compressiones, in ipso percepto; & prætereà ex mensibus per semestre suppressis, cancrum sæpè producere solitis, est manifestum.

Potest hic cancer dici *manifestus*, quoniam tactû facile deprehenditur, atque etiam *occultus*, quia non est ulceratus.

Procatarctica hujus morbi *causa* est mestruorum suppressio, ante hunc affectum per aliquot menses facta; inde enim humores pravi, qui singulis mensibus erant evacuandi, in corpore nostræ ægræ fuerunt retenti, iique per totum corpus diffusi præbuerunt *antecedentem* huic morbo *causam*. Pars verò eorum ad mammillam sinistram delata, ibique poros plus justo apertos inveniens & per eos sese in glandulosam mammillæ carnem effundens, ac ibidem crassescens, acrimoniamque atrabilarem & duritiem per particularum tenuium dissipationem, crassarum & acrium verò retentionem & cohæsionem adipiscens, continens hujus duri tuberculi; & ex compressione, punctorii doloris sensationem præbentis, hoc est, *cancri incipientis* est *causa*.

Est *metus*, nè tuberculum hoc in cancrum inveteratum, imò nè in carcinoma, sive in cancrum exulceratum, degeneret.

Curatio itaque circumspecta, & prudens quàm primùm est adhibenda *eaque primum* consiltet in mensium provocatione, & corporis expurgatione, *& deinde* ubi illa rursus fluxerint, in tuberculi excisione, & mammillæ consolidatione, sed quia ægra talem curandi rationem forsan haud admittet, idcirco mensium provocationi, & corporis evacuationi studebimus, & tuberculi incrementum impedire conabimur.

Primo itaque præscribatur tale apozema menses, sanguinemque expurgans.

♃. Rad. valerianæ, aristolochiæ, bryoniæ, gentianæ, cyperi an. ℥ vj. fol. abrotani, artemisiæ, marrubii albi, matricariæ an. m. j. melissæ, majoranæ, salviæ, rutæ an. m. ß. sem. rutæ, amomi, nigellæ, agni casti, anisi an. ℨ j. flor. camomill. abrotani, matricariæ, centaur. min. an. p. j. decoq. in æq. part. aq. com. & vini albi, sub finem additis, addendo in fine decoctionis fol. sennæ ℥ i ß. turbith. ag r. trochisc. mechoacannæ, jalappæ, an. ℨ j. in colatura dissolve syr. de artemisiâ, de hyssopo an. ℥ j. m. f. apozema de quo sumat quotidie ℥ iij. vel iv. jejuna, idque reiterari postea poterit.

Venæ sectio hic etiam erit adhibenda, primùm in brachio, & deinde circa tempus quo menses fluere antea solebant, in talo.

Dum hæc aguntur, ipsi mammillæ tale adhibeatur unguentum.

♃. Succi plantaginis, solani, geran. robertiani, symphyti an. ℥ ij. ol. rosar. omphacini ℥ iij. sub radiis solaribus simul agitentur in mortario plumbeo, donec ut gluten crassescant.

Vel ♃. Ol. rosati completi, lactis an. ℥ j. tuthiæ præp. pulveris. ℨ j. agitentur in mortario plumbeo ad consistentiam unguenti.

Alii laminam plumbeam argento vivo oblitam adhiberi volunt. *Victus* sit humectans & attenuans: alimenta euchymia ex pane bene fermentato, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, carnibus vitulinis, vervecinis, vitentur salsa & acria. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib. 4. cap. 20.*

Fœmina 30. annorum postquàm menses ipsi inordinate & parce aliquamdiu fluxissent, percepit sibi in dextra mammilla paulatim quoddam tuber subnasci durum & subinde dolens. Ejus emollitio & discussio multorum remediorum

rum usu per sesquiannum hactenus frustra fuit tentata. Jamque illud ad ingentem magnitudinem excrevit, & frequentibus punctionis acutæ sensationibus ægra est molestum. Tuber hoc nec pectoris ossibus, nec musculis, firmiter annexum sentitur.

Pars affecta in hâc ægrâ est *mammilla dextra*, uti ex visu & tactu est manifestum. *Morbus* qui eam affligit, *scirrhus* mammillæ dextræ, ad cancri naturam jam vergens.

Causa procatarctica hujus morbi est mensium inordinatus & parcus fluxus, aliquamdiu durans; hinc enim, cùm sanguis a suis excrementis non satis emundaretur, cacochymia multa melancholica in hujus ægræ corpore fuit genita, quæ *antecedentem* hujus morbi constituit *causam*. Hujus verò pars in mammillam dextram, propter poros ejus ibidem præ cæteris magis patentes, copiosius sese effundens, eamque suâ copiâ & crassitie distendens, & in *tumorem* attollens; *duritiemque* suâ partium firmâ cohæsione, & *dolorem punctorium* suâ acrimoniâ ipsi conciliians, *continens* hujus morbi, ejusque doloris, & incrementi est *causa*.

Cùm hoc malum nullis medicamentis, etiam optimis, hactenus cesserit; incrementumque tum tumoris, tum doloris, perpetuo inter curandum sit factum; *metus* est, ne hic tumor scirrhosus, majorem malignitatem contrahens, in perfectum cancrum, imo in carcinoma, degeneret.

Atque ideò, cùm hoc tuber nullam firmam cum ossibus pectoris, vel musculis pectoralibus connexionem habeat, ad *Chirurgiam* veniendum censeo, *eaque* hâc ratione erit instituenda.

Primò apprehendat Chirurgus mammillam dextram manu, digitisque se paulatim magis, magisque contrahentibus premat apprehensum tuber versus anteriora, idque in tantum ut cutis mammillæ exterior apressa, & propulso tubere tensa appareat. *Hoc* facto, incidenda mammilla incisione rectâ in ipsum tuber penetrante; tuberque *deinde* acu falcatâ transfigendum, & ope acus falcatæ infixæ, & digitis Chirurgi apprehensæ, ipsum tuber cum mammilla, a pectore versus exteriora aliquantum protrahendum. Tumque ut mammilla foris minus deformetur, ipsum tuber scirrhosum à sanis & vicinis partibus magna circumpectione cultro separandum, & penitus eximendum, ita ut nulla tumoris vel membranæ, eam forsan involventis, pars supersit. *Hæmorrhagia* postea aptis remediis est sistenda, ægraque ad lectum deferenda, & porrò ulceris *sanatio* per apta remedia ex arte procuranda. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen. Medicat. lib. 4. cap. 21.*

Observationes.

Pro cancro labrum superius obsidente.

Vir quidam *Monspelii* degens circâ finem hiemis correptus fuit exiguo tuberculo labrum superius obsidente, quod in dies incrementum capiens in tumorem cancrosum tandem degeneravit, in auxilium vocatus, curationem sic aggressus sum.

℞. Rad. Bugl. & cichor. an. ℥ j. fol. agrimon. borrag. ceter. ch. & veronic. an. m. ß. coq. cum pullo gallinaceo, in colat. dissolv. crem. tartar. ℥ j. f. jusculum quod capiat manè per 12. dies in quarto quoque jusculo dissolv. syr. sequentis ℥ ij.

℞. Succor. rec. express. & per residentiam depurator. borrag. bugl. fumar. cichor. ℔ iij. succ. veronic. & pomor. redolent. an. ℔ j. sen. mund. ℥ vj. epithym. ℥ ij. rhab. el. & agar. rec. troch. an. ʒ j. zinzib. & caryophill. an. ʒ j. infund. & decoque ut artis est, donec colaturæ supersint quart. v. in quibus dissolut. sacch. albiss. quart. v. fiat syrupus perfecte coctus, postremæ dosi jusculorum adde extract. hellebor. nigr. gr. iiij. capiat cum regimine, hoc medicamentum summâ cum vehementia ægrotantem expurgavit, non solùm per alvum, sed etiam per vomitum, verum eodem die tumor valdè imminutus apparuit, & doloris expers.

Post usum jusculorum usus est balneo tepido per triduum; hirudines hæmorrhoidibus admotæ; causticum utrique tibiæ missum; serum lactis cum epithymo per mensem usurpatum, & balneum iteratum singulis septimanis.

Post 15. dies ab assumpto extracto hellebori nigri idem remedium iteratum est, eadem dosi cum diapruni solutivi ʒ iij. cujus operatio fuit priori similis, & eodem die tumor imminutus apparuit.

Topica omnia tumorem exasperabant, excepto unguento ex ranis viridibus, quod maxime laudatur ab Aquapendente, Chalmetæo & aliis, & in hoc affectu plurimùm præstitit: ita ut illius curationem duobus præsertim remediis tribuendam esse existimem, extracto scil. hellebori nigri, & unguento de ranis viridibus, non parùm tamen contulit syrupus magistralis, quo bis in septimana utebatur.

Intra mensem à curationis principio tumoris portio suppurata est, & sponte aperta cum pure satis laudabili, ulceri & tumori universo admovebatur continuò unguentum prædictum, & sensim tumor imminutus ac tandem sensim resolutus est, & ulcus ad cicatricem perductum. Unguenti de ranis compositio hæc est.

℞. Ranas virides in aquis puris degentes, q. v. in vas fictile vitreatum, multisque exiguis foraminibus in fundo pertusum conjicito, earumque ora butyro impleto, vas ne quid exhalet luto diligenter oblinito, & cooperito, cui alterum effossa terra conclusum superponito, ignem in ambitu ad destillandum accendito, oleum seu liquorem illum stillatitium colligito, & cum pulvere ranarum misceto, ut fiat linimentum. *Lazarus Riverius Observ. 97. cent. 1.*

Pro cancro ulcerato.

Filia *Geropii Becani* Medici *Antuerpiensis* tulit in sinistris temporibus 50. amplius annos, durum ac inæquale carcinoma; sed sine ulcere, ullâve gravi noxâ, verùm increscente paulatim, post tot annos, tum dolore, tum pruritu, sive ex adversâ mariti sui fortunâ, sive ab atrâ bile eo uberius effusa, imposuit tumori improvidè, ex consilio empirici, nescio quæ adurentia medicamenta, quibus cutem erodentibus, concitabatur

tabatur non modo malum hactenus quietum, sed degenerabat brevi in carcinoma ulceratum cum labiis inversis, crustâ cinereâ, sinû deformi, tubere inæquali, colore livido, sanie cadaverosâ, dolore, vigiliis, animi deliquiis, ardore, pruritû, aliisque conclamati cancri notis, cui nulla cùm prodesset medicina, applicuit tandem blandiens hoc ceratum, quod usus comprobavit, qualicunque carcinomati summe utile.

℞. Ol. rosat. ℥ij. ceræ alb. ℨ vj. plumb. usti ac loti ℥ß. oleum cum cera liquefiat; & addito plumbo, agitentur 6. horas in mortario plumbeo, ut fiat ceratum. Præter quod vidimus ulceratis cancris ab aliis fœliciter admoveri pulverem concinnatum ex plumbo liquefacto cum mercurio vivo, cui siquidem tantillum mercurii vitæ insperseris, rediges omnia in pulverem friabilem ulcerato cancro ad primè utilem. *Nicolaus Tulpius* cap. 27. lib. 1.

Famula quædam compescuit malignum carcinoma in femore, ingentis molis, ultra annum 17. solo plumbi unguento, cujus litu, nihil simili tumori utilius. *Nicolaus Tulpius* cap. 51. lib. 3.

Nobili cuidam, & electæ mulieri propè castellum *Neuveum* degenti tota pars faciei dextra, cancro eoque ulceroso obsessa fuit diutissimè, & sævis exagitata cruciatibus, à Medicis frustrà petitis auxiliis; tum *Gallis & Italis*, tum etiam *Germanis & Hispanis*, exterisque aliis quibusque: vulgaris cujusdam barbitonsoris remedio hoc sequenti, & euporisto persanata fuit. Pullos illa *Gallinaceos* in partes tenues & latas concidebat, quas sæpiuscule commutando, interdiu admovebat affectæ parti. Ab unico tandem eoque præstanti remedio, reliquis quibuslibet frustrà, (ut diximus) tentatis, curationem recipiens, pristinam valetudinem recuperavit. *Mauritius Cordæus, comment.* 7. in lib. 1. Hippocrat. *de Morbis mulierum.*

Alii admovent carnes pullorum columbinorum sectas & adhuc tepidas. *Lazarus Riverius cap. 12 lib. 2. Prax. Medic.*

Vetula quædam mulier cancrum habebat in mammâ sinistrâ, quem per 13. annos gestaverat, in quo exigui tumores cancrosi adnascebantur, qui multò acerbiores dolores excitabant, propterea quod exulcerati fuerant, quam tota cancri ipsius moles, qui tamen exigui tumores sublati sunt frequenti applicatione aquar. pap. rhæad. plantag. & rosar. cum melle rof. permixtar. ab initio, deinde solis aquis admotis.

In aliâ etiam muliere ulcus cancrosum in mamma patiente, idem remedium ulcus protinus sustulit, & ad cicatricem perduxit. *Samuel Formius Obser.* 21.

Quædam mulier quinquagenaria laborabat cancro in mamma sinistra, ulcerari incipiente. Juvenis Chirurgus extraneus sequens remedium admovit.

℞. Aq. fortis ℥j. sublimati crudi ℥ iv. sal. ammoniac. ℥ij. arsenic. ℨj. ponantur omnia in alembico & destillentur ad siccitatem, addendo aceti destillati par pulveri pondus, destilletur iterum acetum, donec materia ad pastæ consistentiam redeat: primò cancrum diligenter abluebat vino calente, cum linteis eo imbutis, & fortiter fricabat, ut pars irritaretur. Deinde extendebat pastam suprà plumaceolum sextuplo minorem ipso tumore, quod remedium suprà partem relinquebat per 24. horas, & fiebat eschara plumaceolo sextuplo major, ita ut cancrum omninò absumeret, & decisâ escharâ, ulcus carne implebatur, & ad cicatricem perducebatur. Quòd si dicta eschara tumorem universum non abstulisset, sed quædam illius radices subsisterent, illas absumebat pulvere præcipitati rubri cum alumine usto permixti: ad ulcus verò carne implendum, linteis tantùm detriti, utebatur. Hoc notatu dignissimum est, quod admoto parti medicamento febris accendebatur, vomitus & alvi fluxus excitabatur, & urinæ fluxus provocabatur, quæ symptomata per biduum aut triduum perseverabant, natura irritata à venenata medicamenti deletitia qualitate.

Eodem remedio cancer in nasi extremitate obortus, qui nasi apicem exederat, in quodam milite curatus fuit. *Samuel Formius Observ.* 20.

Ficus cancrosus in oculi dextri orbita, cum gravissimis capitis symptomatis feliciter extirpatus.

Anno Domini 1596. Calendis Augusti, accivit me Lausanna Lustriam Generosus Claudius Lustriacus: ejus loci, & totius Vallis propriè sic dictæ majori: quoniam diro & funesto morbo conflictabatur, is fuit tumor prominens, scirrhosus, in cancrum degenerans, cum symptomatis internis & externis longè gravissimis.

Hic cùm à natura, tum à variis morbis, Febribus, casibus, luxationibus, fracturis &c. haud parùm fuit catharris obnoxius: maximè quum accederet, more patriæ victus largior cum amicis & hospitibus: in quos fuit perpetuo liberalissimus; itaque anno 1580. quum fuisset hyems humida, & clemens, haud dubie corporis universi partes oppletæ sunt humoribus excrementitiis, qui à jecinoris calore sursum ac inprimis ad caput sublati, cœperunt divexare hominem. Ineunte enim anno 1581. circa Februarii finem, æger correptus est hemicrania ad dextrum latus, & frustrà adhibitus multum, diuque medicus; siquidem humor capite conclusus, evacuationis quæsitâ viâ, impetum fecit in oculum dextrum. Hinc vehementissimus dolor, & inflammatio. Et sic superiora symptomata, dolor capitis, febris, inquietudo, vomitus, lipothymia, aucta sunt potius quàm imminuta. Nec, ut aiebat æger, prandiis, revulsione, derivationeve ullâ potuit sisti humoris affluxus: quin imò congestio tanta facta est, ut tandem erosa sit, vel potius putrefacta oculi membrana prima, conjunctiva dicta.

Hic verò brevi eaque necessaria digressione annotandum, supra decem hebdomadas non solùm dolorem adfuisse gravissimum, sed & cerebri motum attrectanti perceptum fuisse, qua sagittalis & coronalis suturæ concurrunt: auditos etiam sonitus & cranii crepitationem quandam, perinde ac si lignum finderetur. Id ego tum accidisse autumo, quum cranii suturæ ob dolorem, inflammationem, & copiosum in cerebro

cerebro humorem disjunctæ sunt, & verum fuisse mihi persuadeo; cùm ex amplissimi viri ægroti relatu, & generosi Gabrielis à Blonay Baronis à Chattelart &c. ejus generi assiduo præsentis, tum quod ipse tale quid observarim in viro honestissimo apud nostrates germanos inferiores.

Hic ex gravissimo morbo & febri ardente cum dolore capitis acutissimo habuit suturas adeò disjunctas, ut per interstitium illud cerebri, systole, & diastole facile deprehenderetur. Ubi via facta est ad conjunctivam, longo tempore exstillavit copiosus humor tumque primùm & dolores, & reliqua symptomata mitigari cæperunt. Urgentibus doloribus adhibitus erat cervici setaceus funiculus, sed quem ut nimis dolorificum & incommodum (ut qui circa sextam vertebram, & ubi nervi eminentiores sunt, adhibitus esset) post 15. dies detrahi jussit. Clauso vulnere impressum est ibidem potentiale cauterium: sed & hoc ulcus, ut nimis dolorificum claudendum fuit His frustra tentatis optavit æger, humori morbifico dari exitum, excitato ulcere in dextro brachio, beneficio potentialis Cauterii. Tum demum partim ob febrim ante dictam, quæ plerosque humores superfluos absumpserat, ipsumque adeo corpus exsiccarat, atque extenuarat, partim propter evacuationes subinde iteratas, partim denique quod cauterium ita ad brachium fluxionem averteret, oculus cœpit arescere. Et quoniam tres oculi humores, ruptis conjuncta, & corneâ membranis, effluxerant, sensim etiam concidere, & contractæ sunt ipsæ membranæ; atque ita oculus deperdita naturali magnitudine & rotunditate, simul quoque in imam orbitam contractus est, & coeuntibus palpebris clausus ab anno 81. ad 95. citra symptoma ullum, nisi quod singulis annis subinde recurrebant, & defluxus, & capitis dolor.

Anno demum 95. quum in diæta modum non servasset, rediit capitis & oculi dolor, priore tamen levior; ideò fortè quia membranæ, & reliquæ oculi partes etiamnum dilatatæ erant, unde poterat humor sine vi influere. Etenim quæ sensim fiunt mutationes, parùm dolorificæ sunt. sic igitur affluente magis, magisque humore, in capacitatem conjunctivæ, propriis humoribus destitutæ & contractæ, ipsa paulatim intumuit. Tum verò palpebræ quindecim annis clausæ, denuò apertæ sunt, & oculus adeo intumuit, ut post semestre palpebras superaret, sparsis per totum oculum venarum ramis lividis, crasso, adusto & melancholico sanguine turgentibus. Tum æger ingravescentibus in dies & morbo & symptomatis, undelibet præsidia conquirere cœpit, inter quæ adhibitum fuit medicamentum, quod adeo irritavit morbum, ut subito accreverit oculus plurimùm. Exin, ut initio dictum est, vocatus sum ab ægro Lustriam in ejus ædes. Laboravit ille hemicraniâ ad dextrum latus: oculus ovo anserino major extra palpebras prominebat, partemque faciei cooperiebat.

Durus autem, scyrrhosus, lividus, & cancrosus erat, aderatque magna oculi & vicinarum partium inflammatio: præter capitis dolorem, oculi quoque dolor acutissimè pungens, in parte exteriore potissimùm hominem malè habebat. quod siquis miretur quomodo ex tumore duro, & scyrrhoso tantus dolor excitatus fuerit, in promptu sunt causæ. Primùm enim tunc formabatur cancer, fiebatque humor corrosivus & acris, ac proinde vellicans & calefaciens vicinas partes. Deinde invalescente morbo violentiùs humor irruebat in conjunctivam, quæ est exquisito sensu prædita. Doloris verò in extimâ parte, ut plurimùm gravioris quàm in intima, causâ fuit ossiculum quadratum, & undique scabrosum, quod interiùs ad conjunctivam latens (uti ab operatione compertum) eam perpetuo premebat, ac pungebat. Accessit & febris, itemque sitis, lipothymia & vomitus. His ego symtomatis cœpi statim occurrere. Itaque post præscriptam legitimam victus rationem, sub vesperam jussi lenientem clysterem injici. Postridie purgatum fuit corpus sumptis duabus unciis syrupi rosacei laxativi cùm rhabarbaro, agarico, & senâ, infusis & decoctis in aqua betonicæ, agrimoniæ, & euphrasiæ. Sequentibus diebus propinatum fuit julapium sequens.

℞. Aquarum borraginis, acetosæ, & betonicæ an unc. ij. syrupi de succo citriorum, & granatorum ana unc. ij. misce pro tribus dosibus.

A purgatione fuit secta vena cephalica, respondens parti affectæ, & missus sanguis ad uncias circiter sex. Paucis post diebus, admovi hirudines venis jugularibus sub aurem ad idem latus, nec non & scapulis cucurbitulas modò siccas, modo cum scarificatione. Pedes lavi decocto herbarum calidarum, rorismarini, salviæ, majoranæ, origani, menthæ, cum sale &c. Suadebantur & frictiones, sed quum his incalescat sanguis, subtilisque, calidus, & erodens evadat, censui abstinendum, contentus memoratis revulsionibus: maximè quum æger lubens iteraturus esset sæpiùs superiorem purgationem, per syrupum rosaceum compositum & similia, quibus peccantem humorem subduxi. Ita mitigata imminutaque sunt paulatim symtomata. Statim etiam partem affectam ablui gossypio, imbuto stillatitiâ quadam aqua, quæ multum potest adversus cujuscumque partis cancrum. ejus hæc est descriptio.

℞. Radicum scrophulariæ majoris, herbarum geranii primi Dioscoridis, hoc est, herbæ Roberti ana M. ij. arnoglossæ majoris, solani, buglossæ sylvestris, boraginis, Portulacæ, euphrasiæ, betonicæ ana. Mj. ranarum aquatilium & album. ovorum diu agitatorum, ana num. 12. seminis cydoniorum, & foeni græci aliquantum conquassatorum, an. unc. j. His seminibus affunde aquarum rosarum & euphrasiæ, ana lib. j. incidantur omnia, & conquassentur, destillenturque in alembico plumbeo. Et quoniam ingens fuit affluxus, præter revulsiones admove fronti sequens unguentum ad fluxionem intercipiendam.

℞. Farinæ hordei unc. ij. pulveris rosarum rubearum, myrtillorum, balaustiorum, nucum cupressi, & florum betonicæ, ana Drachm. ij. Acaciæ Drachm. j. cum oleo rosato, pauca cera & aceto, fiat unguentum.

Hoc defensivum adhibui tribus vel quatuor diebus, ad sistendum fluxionis impetum; dein super

supersedi; ne plus satis refrigereratur caput. Hac methodo sedavi ad tempus tum capitis, tum ulceris dolores acutissimos, cæteraque symptomata, crescente nihilominus in dies tumore.

Aliquantò post rogatus sum ab ægro, ut sibi fusissime morbi naturam declararem, libereque aperirem, quæ praviderem pericula omnia, ac simul quæcunque ad sanitatem optima viderentur præsidia, proponerem. Tum ego coram clarissimo Alberto Roscio D. Medico celeberrimo, in ædibus Claudii Marionis, fidelissimi ac diligentissimi pharmacopæi & civis Lausannensis; ita disserui: Generose Domine, siquidem adeò exoptas & jubes coram declarari quæ ad morbum tuum attinent, etsi præter Medicorum institutum in consultationibus id sum facturus, dicam tamen liberè & coram quæ sentio.

Ad quemvis morbum tollendum, caput est nosse ipsum morbum. Tuus iste ab essentia definitus nihil aliud est quàm Scirrhus illegitimus, seu potiùs cancrosus: quippe qui desinit in cancrum occultum, & latentem, hoc est, non exulceratum. At ex figura Celsus αἰγίλωπα vel cum latinis, exitum oculi nominat. Actuarius μῆλον, id est, malum vocat. Ego à figura ficum ab essentia scirrhosum & cancrosum, cognomino. Scirrhus propriè medicis dictus est tumor durus & indolens, qualis hic ante annos aliquot. Verùm postea humor conjunctiva membrana conclusus, & ita quasi conculcatus, ut nulla potuerit fieri transpiratio, tandem accensus est, & acrior atque malignior redditus: sicque formatus est Scirrhus illegitimus, seu potius cancrosus. Hoc indicant non modò durities, inæqualitas, dolor, color lividus, seu poitùs plumbeus, sed maximè venæ crassiores toto tumore sparsæ, atro sanguine, adusto, & melancholico turgentes. Et quamvis nondum exulceratus sit tumor, periculum est tamen, ne temporis progressu sanguis, & humores melancholici accensi, tantùm malitiæ attrahant in locum affectum, ut tandem (proh dolor) exesis tunicis, fiat cancer ulceratus, adversus quem medicamentis frustra pugnetur.

Hujus & similium morborum causa triplex, primitiva, antecedens, conjuncta. Primitiva medicis est exterior, posita in victus ratione, aliisque non naturalibus, aëre, motu, & quiete, somno, & vigilia, animi pathematis, excretis & retentis. Plerumque enim si supprimantur solitæ evacuationes, ut mensium, & hæmorrhoidum, fit magna congestio humoris melancholici: unde hic morbus. Nascitur etiam ex vulneribus, contusionibus, fracturis, in primis verò erysipelate & inflammationibus perperàm curatis: quum scilicet ipsarum materia frigidiorum applicatione in duritiem concrescit, aut quum solis calidis, non etiam emollientibus, tenuior portio dissolvitur, crassiore subsistente.

Antecedens causa est humor melancholicus, item splenis imbecillitas, qua fit ut ex officio suo sanguinis portionem fœculentam ex jecore non alliciat. Huc quoque plurimùm facit ipsa jecoris constitutio, sive id natura proclive est ad generandum atræ bilis copiam, sive nimis calidum & biliosum, unde coquatur nimis, & aduratur sanguis, nec non & alii humores.

Conjuncta causa est, humor in locum affectum congestus. Tres istæ causæ hic concurrunt. Nam quum generosus Dominus habitu sit non mediocriter bilioso, bilis assiduo præbuit materiam humori melancholico, siquidem cholericus humor summâ adustione tandem etiam vertitur in atram bilem. Adde victus rationem, in quâ haud parùm peccavit Dominus largiùs potans, utensque cibariis crudis & concoctu difficilibus, itemque aromatis, cœpis, alliis, porris, raphanis &c. Hujusmodi primitivarum causarum concursu, excitata & corroborata est antecedens: inde humor ille qui ab anno 81. supererat ex inflammatione indurata in oculi membranis, data occasione accrevit. Cumque superflui humores ferè influant in locum affectum, natura sese, quantùm potuit, exoneravit in eum locum. Hinc conjuncta causa in istam, quam videmus magnitudinem, aucta est: & perget, inquam, nisi occurratur iis, quæ infra proponemus, auxiliis.

Quoad signa: tametsi initio cancri sicut herbæ germinantes difficilè cognoscantur, autore Galeno, nihilominùs tumor iste sat liquido intelligitur cancrosus; contra eos qui merum esse scirrhum apud generosum Dominum contenderunt. Cancri cognoscuntur eo, quod sint præduri, inæquales, lividi, sparsis circa tumorem crassioribus venis, atro sanguine turgentibus.

Sæpè etiam adest intemperies calida, sive calor, & inflammatio cum dolore pungente & pruriente. Si fuerit exulceratus cancer, exit subtilis, & foëtida sanies. Ista autem hic visuntur pleraque omnia. Non quidem pervenit cancer ad summam malitiam, sed ad eam properat, brevi perventurus. Adustus enim est sanguis loco affecto, inclusus tandem contrahet (& jam cœpit) malignitatem tantam, ut quæ hactenus mire operata sunt præsidia, sedandis doloribus, reprimendo morbo, & minuendis symptomatis omnibus, demùm infirma futura sint ad reprimendum morbum, & prohibendum, ne exulceretur, & occupet reliquas faciei partes, sicque fiat. (noli me tangere) hoc est, ulcus cancrosum, in facie perquam malignum & immedicabile, assiduo erodens imas partes affectas, nec sisti potest, ut monet Ætius.

Nunc de curatione. Hæc perfici solet tribus potissimùm: victûs ratione, evacuatione humoris antecedentis, & Chirurgicis auxiliis. Victus & cæterorum non naturalium, quæ sit ratio, jam sæpè ex me audivit Dominus: vitanda nimirum esculenta dura, vaporosa, & quæ facilè corrumpuntur: cujusmodi sunt carnes sale aut fumo inveteratæ, bubula, suilla, ferina & similes: item aves aquaticæ. Utendum bona veruecina vitulina, hædina, pullis, capis, perdicibus, turdis &c. Piscibus abstinendum nisi forte, ut non nihil appetitui indulgeatur, iis uti liceat sub initium prandii non in cæna, idque adjectis paucis aliis cibis. Sint autem pisces carne firma præditi; veluti percæ, truttæ &c. In aquatilibus optimi sunt gammari sine aromatis. Aromata enim omnia vitanda,

da, piper, zingiber, garyophylli &c. item cæpæ, porrum, allia, raphani, synapi, & quæcumque vim habent, calefaciendi nimis sanguinem: legumina, fabæ, lenticulæ, pisa, phaseoli, &c. plurimum nocent: item caseus & quævis lactaria opera. Vespertina juscula potissimum noxia: vinum item vaporosum. Bibendum autem album, maturum, & modicè potens. Diuturnus somnus, potissimùm statim à cœna, noxius: aër item nimis calidus, aut summe frigidus vitandus.

Secundam sanationis partem diximus, positam in evacuando humore antecedens, quod ubi fiet, spectanda erit Domini habitudo biliosa, & intemperies calida, cum Obstructione jecoris: ideoque purgandum cholalogis, habita tamen partis affectæ ratione. Quem in usum mire placet syrupus rosaceus compositus cum rhabarbaro, agarico & sena, quo sæpe usus est æger, cum decocto betonicæ, euphrasiæ, agrimoniæ, &c. Salubriter etiam usus est præscripto à me diaphœnico in tabellis, & electuario de succo rosarum. At ex Hippocrate ante purgationem præparandus est & coquendus humor apozematis aperientibus, qualia poterit præscribere D. D. Roscius, phlebotomia, cucurbitulæ, & hirudines sæpe utiles, imò necessariæ ad hunc morbum, tum ut evacues, minuasque causam antecedentem, humorem videlicet melancholicum, tum ut derives loco affecto. Opportunum his vernum tempus, authore Hippocrate, quibuscunque inquit, venæ sectio, vel medicatio convenit, hos vere purgare, vel vena secta vacuare oportet. Aperienda vena brachii ad latus partis affectæ, cucurbitæ, scapulis, & clumbus applicandæ. Hirudines applicentur, quo modo jam applicuimus magno Domini bono, modò sub aures ad jugulares venas, modò ad hæmorrhoidas ano, prout medico videbitur, idque urgente demum necessitate. Tum verò sensim emittendus sanguis propter male constitutum jecur, quod cùm sit jam dudum debile, scirrhosum, & obstructum, dubium non est, quin nimia aut importuna phlebotomia plurimùm sit nocitura.

Tertia & postrema tollendi morbi ratio, posita in operatione chirurgica in curando videlicet loco affecto. Porro hujus morbi sanatio chirurgica duplex est: una palliativa, seu fucata: altera vera. Palliativa est, quam hactenus adhibuimus, & commodo victu, & purgato sæpè corpore ad deducendum humorem, sive causam morbi antecedentem, atque etiam inhibendo ejus impetum exterioribus applicationibus, qualibus huc usque sumus usi. Sed quum hæc curatio tandem futura sit inualida, ad reprimendam morbi vehementiam, & perfectè sanandum ægrum, operæ pretium fuerit, proponere veram & legitimam sanationem.

Quum igitur legitima sanatio tumoris præter naturam, authore Galeno, fiat extrahendo tollendoque quicquid adest in parte affecta: videndum, quot modis tolli possit tumor, sive excrescentia ista, & quæ tollendi tutissima ratio? Jam ante ex me audiit Dominus, id faciendum vel resolventibus, vel erodentibus Pharmacis aut ipsa manu. Quoad resolventia, quùm tumor sit durissimus, credibile est, nullo resolutum iri medicamento nisi priùs emolliatur. At verò præterquam quod hujusmodi prædura materia, tam diu (quindecim videlicet annis) congesta, emolliri nequit, periculum est, ne ex isto emollientium usu tumor subito contrahat summam malitiam, uti testatur Galenus, & nos in tractatu de Gangræna confirmavimus, exemplo Scirrhi in jecinore inveterati. Hic enim adhibitis emollientibus, statim versus est in cancrum exulceratum, ex quo mors; ex hac ergò methodo nihil sperandum. erodentia verò mihi perquam Periculosa censentur. Nam cùm prominens hic tumor sit durissimus, credibile est benigna medicamenta irrita futura: quin potiùs. ut summa durities adest, sic vehemens requiritur medicatio, cujusmodi est, quæ vi septicorum, & escharoticorum fieri solet. At verò ut lenibus non afficitur cancer, sævissimum malum, sic irritatur, & ingravescit, vel tantillum acribus & vellicantibus ut antè expertus est æger. Porrò quum pars affecta sit cerebro proxima, oculus videlicet, in quem, ut radicitus tollatur morbus, penetrandum est altiùs ad nervum opticum erodentibus Pharmacis, haud dubiè illorum vis communicabitur membranis cerebri unde maxima & periculosissima exorietur inflammatio, siquidem magna intercedit sympathia & necessitudo inter oculi tunicas & capitis, ut infra liquebit ex oculi anatome, Ergò ne sic quidem sanari potest æger.

Superest, quam diximus, chirurgica operatio, ut simul & semel extirpetur, quicquid vitiosum est. Hæc autem omnium minime periculosa, meo quidem judicio. Primùm, quia solide conjicio, me facile posse radicitus malum extrahere, quantumvis alte latens in oculi orbita, nempe ad ipsum usque opticum nervum, cujus & pars amputanda. Deinde quia venarum & arteriarum vasa ibi, tenuia sunt, & quasi capillaria: ideoque nullum hæmorrhagiæ periculum. Denique licet altius incidendi sint nervi, opticus, & qui secundæ conjugationis est, nullum tamen periculum: siquidem nervis perfecte incisis in transversum, eorum extremitas contrahitur; ipsique integuntur carne, sicque desinit illorum functio, nec aëre aut medicamentis lædi possunt. Unum hoc timendum, ne quum ægri corpus jam dudum cacochymum sit, ac ætate jam provectiore ad annum videlicet accedens quinquagesimum sextum, facilè accendatur intemperies in partibus intimis, simulque excitentur febris, capitis dolor aliaque id genus symptomata. His ut occurras, laudabili victu utendum, purgationes usurpandæ, secanda vena, applicandæ cucurbitulæ, & cœteræ revulsionum ac derivationum species, sicque tuta erunt omnia, si modò benedixerit Deus Opt. Max. cui pro generoso Domino vota nuncupamus.

His auditis, partim quod exhorresceret æger, partim quod dissuaderent nonnulli, absurde & imperite spem facientes, fore, ut quicquid ex oculo prominebat sponte excideret, visum est pergere in curatione palliativâ. Hac verò etsi sedantur dolores, nihilominùs tamen excrescebat fungus indies. Nascebantur quoque tubercula & varices lividæ ad pisi magnitudinem, merum quandoque sanguinem emittentes;

ejusmodi hæmorragiam etsi probabant nonnulli, ut quæ ægrum & partem affectam levatura videretur, ego contra constanter affirmavi, ita in dies magis, magisque debilitatum & refrigeratum iri jecur jampridem obstructum, durum & scirrhosum ac tandem illectum iri sanguinem, aliosque humores ad caput & faciem; uti sane accidit 13. Julii. Reverso enim generoso Domino à brevi peregrinatione, ex qua incaluerat ei caput, itemque corpus universum, tubercula illa & varices oculi cœperunt sanguinem profundere, tanto impetu ut 13. & 14. diebus ejus mensis, impletæ sint sanguine scutellæ septem, præter eum qui periit in linteis, spongiis, vestibus & singularum scutellarum sanguis à me appensus, præsentibus G. Dn. ægroto, Nicolao Gantino, Franscisco Croserano & Jo. Glaronio, fuit unciarum decem & semis: quod quidem tam verum est, quàm dictu mirabile. Paulo post æger impense debilis, imminente altero profluvio me accersivit ejusdem mensis die 15. Quum primùm advenio, fasciam quâ malum contegebatur, resolvo: tum cœpit sanguis longè majore quàm unquam antea, impetu promanare: id quod, nisi fuissem testis oculatus, ægre credidissem, quùm sint oculi venæ fere omnes capillorum instar exiles: sed hæc contra in hoc bono viro varicum instar dilatatæ conspiciebantur. Attamen insperso pulvere nostro, sanguinis sistendi vi prædito, cujus descriptio habetur in libello nostro de gangrena c. 19. illico suppressus est ita sanguis, ut deinceps nonnisi parcissimus fluxerit. Ab hoc profluvio declinantibus sensim viribus, & excrescente in dies oculo, nonnisi miserrima eaque propinqua mors expectabatur, quum tandem generosi viri Gabriel in Blonay, Baro à Chattelart, & Dominus Philippus Ceritiatius, Dom. à Denezi, ejus generi, cum aliis nobilibus & honestissimis amicis statuerunt aduocandos eruditissimos & peritissimos quosque Medicos, & chirurgos, quorum deliberationi & sententiæ sese æger subjiceret. Annuente ægro, accitur Geneva clarissimus & doctissimus Janus Antonius Saracenus, Philosophus eximius, Medicus Regius, Lausanna item doctissimus D D. Albertus Roscius, senex experientissimus. His me tertium adjunxit æger benevolus, ut si opus esset chirurgica operatione, hanc ego perficerem. Die Julii 28. inita consultatione, proposui quæ infra suo loco.

Inita consultatione, commemoravi apud clarissimos Doctores Medicos duos, quæ ante apud ægrum & D.D. Roscium in ædibus & præsentia Marionis Lausannæ proposueram: iterum concludens, sola manus opera plenissimè sanari posse ægrotum. Cumque ex nova quorundam sententia sperasset æger, commodè incisum iri cancrum religatum serico, necesse habui meas contra sæpius allatas rationes subjicere hunc in modum.

Primùm: quod mali radix à ligatura relinqueretur: siquidem quæ facta est morbi renovatio, liquidò constat factam esse in orbita, adeoque altiùs ad opticum usque nervum. Ligatura autem quum id solum apprehendat, quod prominet à palpebris, relictum est quicquid orbita continetur, sicque irrita futura esset operatio. Etenim id quod relinquetur, illico proferet novum fungum priore maligniorem.

Secundò quod fieri possit, ut rumpatur uena aut arteria quæpiam importuno tempore, puta nocte; & sic æger vel exigua sanguinis jactura è vestigio moriatur, quum tanta jam sit facta profusio.

Tertiò: quòd ex ligatura futurus esset gravissimus dolor, totis quindecim diebus & ultra: propterea quod conjunctiva in qua fieret ligatio ut pote à pericranio deducta miro sensu sit prædita. quo ex dolore, ut nihil dicam de cerebri læsione, sequeretur humorum affluxus ingens in partem affectam. Adde quod æger jam dudum debilis & extenuatus hos dolores & inquietudines, tolerare non posset,

Quartò: quòd pars oculi supra ligaturam, dùm corrumperetur, fætore suo gravissimo læsura foret partes principes, & ipsis adstantibus intolerabilis futura. Relinquitur incisio, quam spero a nobis tam dextre factum iri, propitio numine, ut leviores sint cruciatus, & nulla aut minima hæmorrhagia. Quod ambigitur, queat ne morbus radicitus erui? spero id quidem factum iri. Quippe jam pridem excogitavi instrumenra quædam, quibus oculum tutò & agiliter ab ima orbita recisum extraham. Præterea quantuluscunq; ille qui percipitur motus, apprehenso tumore ficoso nonnihil mobili, spem facit hunc non hærere periostio, cui si adhæreret, certè esset immobilis. Imò & ex eo intelligimus, reliquam esse aliquam pinguedinis & musculorum ambientium portionem inter oculum & os; ex quibus operatio tantò facilior, tutior, & felicior expectatur. Quoad hæmorrhagiam, ego certè nonnihil moveor, cum subit animo nupera sanguinis illa profusio, nobis notissima. Attamen venæ in oculo tenuissimæ non videntur largum emissuræ sanguinem, si incidantur ad basim; & potest diligente manu inhiberi erumpens sanguis, quem post tantum profluvium non est verisimile multum futurum. Denique haud dubiè ex ægri metû & horrore major pars sanguinis recurret ad cor.

Consultissimum tamen fuerit extrema ligare arctissimè, brachia supra cubitum, tibias supra genua, idque horæ dimidio ante operationem. ut nimirum molesta & constringente hac ligatura, sanguis avertatur ad illas partes, & procul ab iis, in quibus futura est operatio. Atque hoc meum est de hoc morbo ejusque chirurgica extirpatione judicium. Vos Medici videte, & de nostris judicate, Doctores clarissimi.

Hic Medici, postquàm disseruissent de morbo & medicamentis universalibus, nostra omnia comprobarunt, & decreta est mali extirpatio per incisionem. D. Saracenus rem detulit ad ægri necessarios & amicos, quotquot aderant. Illi audito tum præsentaneæ & quidem funestissimæ mortis periculo, tum sanationis spe per oculi extirpationem, facilè assenserunt, multoque libentius æger ipse magnanimus.

Tùm postquàm prædixi metuenda symptomata, decreta est in proximè sequentem diem Lunæ, qui in Augusti Calendas incidebat, operatio. Interea præscripta est ægro victus ratio congrua, ad reparandas vires deperditas superiore sanguinis profluvio. Præscriptus & illi

pr

ad diem sabbathi decimum nonum] Calendas Augusti laxativus potus.

♃. Tamarind. electorum, foliorum senæ oriental. mundat. ana ℥ ij. uvarum passarum mundat. ℥ j. epithymi. sem. anisi, fœniculi, ana ℨ ß. cichorii, agrim. ceterach. polytrichi, ana p. j. fiat decoctio ad ℥ iij. in qua colata macera rhabarb. elect. ℨ i ß. cinnamomi electi gra. 7. in expressione dissolve syrupi violati ex 9. infusionibus & mannæ granatæ ana ℥ j. misce: fiat potio.

Sequente die Dominico, & die lunæ, manè ante operationem, exhibitus est potus cordialis sequens.

♃. Aquarum buglossæ, violarum, rosarum, melissæ, ana ℥ j. syrupi corticum citri & de succo acetosæ ana ℥ j. confect. alkermes ℨ j. pulv. diambræ ℨ ß. misce fiat potio pro duabus dosibus.

Exterius super corde ante & post operationem applicitum est scutum sequens.

♃. Florum trium cordialium ana p. ij. melissæ, majoranæ, ana m. ß. seminis & corticum citri, seminis ocymi, ana ℨ ij. pulv. elect. diamargar. frigidi, pulv. elect. e gemmis ana ℈ iij. pulv. diamoschi dulcis, & diambræ, ana ℨ ß. croci ℈ j. excipiantur gossypio, & cum syndone rubra fiat scutum interpunctum pro regione cordis.

Antè & diu post operationem, unctus est stomachus hoc unguento.

♃. Cerati stomach. Galen. ℨ iij. pulv. aromat. rosati ℨ j. garyophyll. & nucis mosc. ana ℨ ß. olei nardini & mastichini, ana ℨ ß. fiat linimentum pro regione stomachi, ante cibum.

Aliud unguentum pro stomacho, aliquandiu applicitum post operationem factam.

♃. Olei mastichini & de mentha, ana ℥ ß. olei nardini & de absinthio pontico ana ℨ iij. cerati stom. gal. ℨ ij. ladani & olei de nuce mosch. an. ℨ j. pulv. arom. ros. & ligni aloës, ana ℈ j. pulv. garyophyll. & ambræ griseæ ana ℈ ß. cum cera nova q. s. fiat unguentum, quo calide illinatur regio ventriculi ante cibos, bis die.

His ita præscriptis, amici qui aderant studuerunt ægrum recreare, quantùm fieri potuit. At ille magnanimus & sanitatis avidissimus constantiâ se suâ magis quàm alienis verbis solabatur; nisi quod stato die nonnihil teritus est D. Roscii excusatione per literas factâ, veritus nimirum, ne quid ille mali præsagiret: quod tamen ita dissimulavit, ut non nisi ab operatione resciri potuerit: adeò urgebat ipse operationem.

Itaque præmissis solennibus precibus pro felici successu, & tribuenda ægro patientia ac viribus, ipsemet sumpto recente ovo & cyatho vini, cathedram accommodatam sibi delegit, & ultro sedit: ita ut quum mollis quispiam cathedræ alligandus foret, necesse duntaxat habuerim, adstantium duobus brachia, tertio caput committere. Dum crumenâ ex utraque parte apertâ, ad hanc operationem à me inventâ, totam excrescentiam, sive ficum tam altè quantùm fieri potuit, versus nervum opticum apprehendi & inclusi, crumenulamque constrinxi, & sinistrâ meâ nonnihil attraxi. Crumena hæc fit ex corio tenerrimo ex supernâ parte annexi sunt orbiculi, ex filo æneo facti ad excipiendos funiculos.

Vulgus Chirurgorum loco crumenæ, ad has, aliasque excrescentias, scirrhos, atheromata, steathomata, & similia excidenda, excrescentiæ, sive tumori, filum duplicatum acu incurvatâ trajiciunt, sed perperam, aqua enim sive humor in oculo, aut quovis alio tumore contentus, protinus effluit, & membranæ concidunt, flaccescitque tumor, difficilimamque efficit operationem, sed de his forsan aliàs plura.

Sic apprehenso, & crumena incluso fungo, cœpi sub palpebra superiore ad majorem oculi canthum, instrumento (quod ipse inveneram, & nominatim præpararam ad eam operationem) separare conjunctivam: adactoque ferro ad opticum usque nervum, percurri oculi ambitum, quæ erant separanda disiungens, eodemque instrumento opticum secui tum & eum qui secundæ conjugationis est, & tam dextrè (sine jactantia sit dictum) me gessi ut vix decem passus fierent, dum ficus ille cancrosus, totam oculi orbitam implens, & in faciem latè prominens, intactis palpebris, radicitus erutus sit.

Est autem cultellus veluti lenticulare obtusus, ne in operatione cranium lædatur. Cuspis enim ipsius nonnihil extuberat, sed ex illa solummodo parte, quæ in operatione cranium respicit. Altera verò pars, plana & æqualis est; Præterea nonnihil incurvatus est cultellus, sed eodem plane modo, quemadmodum cultri quibus excavantur cochlearia lignea, incurvari solent.

Sed quia cuspis cultelli in forma lenticulare, ut dixi, obtusa, necesse est, ut phlebotomo, aut novacula, per ipsam adnatam parva fiat incisio, quo cuspis cultelli saltem per ipsam adnatam intrudi possit, & reliqua omnia facile à cranio separentur.

Ut autem cultellarius instrumentum hoc apte atque concinne fabricare possit, necesse est, ut Chirurgus ipsemet exemplar sive specimen ex plumbo ea qua fieri potest diligentia adornet. Id verò facilè efficiet, si longitudinem ac latitudinem exactè observaverit. Quantùm autem incurvandus sit cultellus, facile cognosces, si interim, dum specimen ex plumbo paras, cranium hominis suâ carne denudatum ad manus habueris. Hoc modo ego, cùm operatio hæc mihi facienda erat, processi. Summa autem adhibenda est diligentia, ut quàm aptissimè fabricatum sit instrumentum; in hoc enim totum ferè negotium operationis situm est. Si enim aptum & bene scindens fuerit instrumentum, feliciter succedet operatio: infeliciter verò, si minùs aptum fuerit, ut fusiùs dicturus sum, quando de instrumento quo Dom. Georgius Bartisch in hac operatione utitur, agam.

Porrò etsi adnata tunica, quæ præcipuè incidenda erat, exquisitissimo sensu sit prædita, non usque adeò tamen dolorifica fuit operatio. Agitatio ægri nulla, nisi lingua quum ter, quaterque Deum inclamavit.

Injeci illico copiose pulverem nostrum ad sanguinem sistendum lib. de gangræna, & sphacelo cap. 19. scriptum; stupas quinetiam al-

bumine ovi madefactas, & prædicto pulvere conspersas, oculi capsulam implevi, ita ut vix unciæ duæ sanguinis extillarint. Ideoque nihil opus fuit actuali cauterio argenteo quod proprie præpararam, propter loci affecti nobilitatem & præstantiam.

Deinde involuta fasciis orbita, & defensivis ad frontem & collum circumcirca adhibitis, æger ipse se abluit, & voluit ire pedibus in lectum, triginta circiter passus ab operationis loco. Nos prohibuimus, & sella detulimus. Mirum tam diuturno morbo, tanto sanguinis profluvio, ævo tam provecto, ægrum sic substitisse, nisi Deus, cui laus & gloria, eum corroborasset.

Tumoris magnitudo ad nervum opticum usque patebat. In tumore post operationem dissecto, invenimus ossiculum, & mole & figurâ dimidiatam fabam repræsentans, ubique tuberosum, prope minorem oculi canthum. Hic varia judicia. Alii in tumore natum dixere, quòd densâ & durâ integeretur tunicâ, quæ mihi sclerotica esse videbatur. Alii diutino defluxû carie affectum cranium censebunt, indeque cariosum ossiculum sponte naturæ separatum, sensim membranam illam penetrasse, atq; illud callo deinde obductum fuisse. Verò mihi similius videtur, id ossiculum è cranio illuc penetrasse, quàm in ipso tumore natum. Primùm enim ad orbitam oculi pertinuisse patet. Deinde materia intra quam illud repertum est instar atramenti nigra erat, nihilque aliud quàm sanguinis fœx. At necesse est, quod ex materia aliqua gignitur, ejus colorem referre: ossiculum autem album fuit ac proinde non ibidem genitum. Tertiò ex progressû curationis facile fuit animadvertere, è cranio illud delapsum, siquidem percipiebatur cicatrix nonnihil cava, ad minorem canthum: qualis esse solet, ubicunque est ossis deperditio, teste Hippocrate. Residuum tumoris duabus diversis substantiis constabat. Nam pars ea quæ extra orbitam prominebat, instar fœcis atramenti fuit, satis densa, forti membranâ involuta, quam autumo ex conjunctiva & cornea membranis ita coaluisse.

Pars verò orbitâ contenta, dura fuit & scirrhosa, colore livido. Hos ego fuisse puto oculi musculos, qui quidem nequaquam conspici poterant agnoscive, utineque membranæ, quia plane occaluerant cum aliquâ aliâ materiâ residuâ, ex priore illa inflammatione anni 1571.

Ipso operationis die non est retectum vulnus metû hæmorrhagiæ: at postridie tantùm applicatum ex decerptis linamentis digestivum sequens.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ ij. gummi elemi ℥ß. dissolve in olei rosacei ℥ j. adde vitell. ovorum num. 2. croci ʒ ß. misce: fiat digestivum. Insuper admovi emplastrum basilicum. Inunxi totum caput & collum oleo myrtil. & rosato: fronti & collo defensivum applicui: nec aliter processi; quoad facta esset vulneris digestio. Sequenti die, Saracenus relicto longiore scripto, in quo victûs ratio tum in rem præsentem, tum etiam in futurum conveniens, tradebatur, domum repetens mihi rem omnem commendavit. Ego sex diebus continuavi digestivum & basilicum: exin digesto vulnere pro digestivo adhibui mundificativum sequens.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ ℥ ij. gummi elemi dissol. in oleo rosaceo ℥ß. radic. aristol. rotundæ. iridis flor. ana ʒ ij. cum melle rosaceo fiat mundificativum.

Tùm applicui emplastrum de betonica, eoque lapso incarnavi vulnus: cicatricem induxi pulvere sicco, ex cerussa, lithargyro, cornu cervi usto, alumine & radicibus iridis, super inducto empl. diapalma. Victus rationem æger adeò accuratè & lubens observavit, ut supra decimum quartum diem vino sibi temperarit, contentus ptisana, cui adjectum erat paucum coriandrum præparatum, aut etiam oxysaccharum, cui inter parandum indebatur tantillum cinnamomi: atque sic adductis tandem concinnè palpebris, à fico cancroso, ejusque omnibus symptomatis, vir genere & virtute, in primis verò pietate nobilissimus persanatus est.

Porrò quùm locus multum diuque affectus ac pro indebilis, ut plurimùm obnoxius sit defluxionibus à valentioribus partibus transmissis, ideò ut nè deinceps novi exorirentur in facie affectus, aut in parte nupertime sanata, author ægro fui, ut clauderetur ulcus, cauterio excitatum in brachio dextro, quod progressu temporis inferius descenderat, & circumcirca callosum evaserat, & novum applicui superius ac propius venam cephalicam 22. Augusti. Porrò in eundem usum & ad majorem præcautionem suasi, setaceum ad cervicem trajici legitimo loco, qui est à prima vertebra ad tertiam, nec inferiùs. Adhibitum quidem fuerat anno 81. ineunte morbo, sed male ad sextam cervicis vertebram, ubi eminentiores sunt nervi, quàm superiùs ad caput: hinc acutissimus dolor, ob quem adeo excitatum ulcus post mensem claudendum fuerat. Ille consilium nostrum admisit, & consultus Saracenus literis, eandem sententiam scriptis confirmavit. *Gulielm. Fabric. Hildan. Observ. Chirurg. Cent. 1.*

Ratione officii à Serenissimo Principe ac Domino Dn. Philippo Ludovico Comite Palatino Neoburgico &c. mihi in patria demandati inter alios alumnos Illustris scholæ Lavinganæ, mense Februario curandus ad me venit amicus meus consanguineus Sebaldus Agricola, superintendentis Neoburgici piæ memoriæ filius, adolescens pius, doctus, sanus aliâs, aspectû & corpore nobilissimus, sed nimia severitate alter Cato: hæreditario quasi malo sermonem nunquam articulatim explicabat, lingua crassa, ex copia humoris affluentis ab humidiore cerebro, ob quod etiam pater ipsius p. m. continuis distillationibus obnoxius, neglecto consueto ligni guajacini decocto, feliciter aliàs usurpato, tandem apoplexia mox perculsus obiit.

Filio prædicto (sequentia omnia feliciter referenti) in extremitatis linguæ magis dextra parte, ineunte æstate, tuberculum valdè exiguum ab initio erupit. Mox ad ciceris, posteà fabæ, tandem neglectum, ad castaneæ minoris, majorisque quantitatem, absque omni dolore, insigni tamen duritie, sensim excrevit, ita

ita tamen ut fili instar majoris hujus tuberculi radicem per linguæ compressæ substantiam ego cum Chirurgo tactu sparsim deprehenderim. Eadem magnitudine mense Februario subsistit; præcedentibus autem ineuntis hyemis mensibus, non solum bubo frigidus, indolens, induratus ovi instar anserini magnitudine, , qua erupit, eadem quamvis remediis exceptus, ad ægri usque finem vitæ pertinax quievit: æquè cum scrophulis forsan cancrosa malignitate rebellis futurus fuisset (si vitam longiùs æger pertraxisset) verùm etiam in glandula post aurem dextram sita, parotis frigida at mollis prominebat. Uno & altero die sensim amandata, ad emunctoria dictæ saltem partis sub mandibula inferiore, & musculis ossis hyoidis ac linguæ, sensim longa serie in χοιράδας & scrophulas terminabantur. Hoc modo singulis ferè septimanis ineuntis hyemis, ad ineuntem in qua obiit æstatem, imprimis luna crescente, parotis recens, frigida, mollis iterùm, tandem ad emunctoria sub mandibula in scrophulas semper desivit tam induratas, ut in calculos abiisse materiam, tactu putasses, tamque ingentes, ut cum scrophulis sinistræ partis ex eisdem parotidibus enatis, sibique obviis, tandem totam illam cavitatem, quæ est in colli totius sub mento ambitu, impleverint.

Crescentibus sic in dies scrophulis, suæque valetudinis curandæ negligens, demùm coactus mense Februario me consuluit: illius natura, linguæ, & colli tumoribus aliisque ex ægri relatione consideratis statim suspicabar tubercula hæc cancrosa prodiisse: mihi enim tunc in mentem veniebat venerandi illud Galeni: cancrosa scilicet esse omnia, quæ ab atrabilario succo induruerint. Propterea non esse vulgares, sed malignos tumores pronuntiabam, atque priùs alteri Medico, hoc ipsum malum dijudicandum offerat, ipsi mandavi. Illo tum peregre absente, aliquandiu nè nihil agere videar, aliquid remediis lemendo coactus egi: ob intensissimum enim frigus, quod tempore Bacchanaliorum, duravit, malum in dies augebatur, cum scrophulis lingua in magnum tumorem suffocationis periculo non solum elevabatur, verùm illud ipsum tuberculum linguæ cancrosum, eodem die vidi cum pustula, prope venam, sub lingua raninam dextram atro sanguine turgente, quam æger sæpius exerendo linguam tumidam, dentibus fricando aperuit, qua evacuata, ne instante nocte omnia augerentur, avertebam humorum affluxum. indè etiam ex præscripto colutorio, & irrigatione oleo ligni juniperini seu corylini facta, sicque per os derivando materiam, paucis horis lingua planè detumuit. Altero die syrupus cum decocto diasenæ exhibitus, ut sudorifera sequentibus diebus assumpta, feliciter ac magno ægri levamine operabantur. Postea alter Medicus, me absente (cujus tamen adventum ad veram & methodicam hujus ægri curam suscipiendam præstolabar) fere per mensem, præmissis etiam purgationibus linguæ tuberculo imposuit digestivum, sed omne incassum, sic enim digerendo ulcusculum in dies latius serpsit. Quare alter Medicus suum patientem incurabilem, nisi malum sectione auferatur, proclamabat, & absque ullis remediis desperatum, neque unquam attingendum putabat. Eodem tempore astans ego matri, ob filium suum medica ope exclusum ejulanti, non modò rogatus, verùm imprimis συμπαθεία christianorum (qua membris fide & dilectione nobis annexis omnibus ad mortem usque opem ferre jubemur, cùm in desperatis admirabilem sanando Deum viderim) commotus, mea pauca, & certa remedia repetii. Erat enim cancrosus adhuc lacertosus, & viribus validus, benè & comedebat & dormiebat. Quapropter ex præsentibus signis quam minime curatio eradicativa certò sit speranda præsagiens, curam palliativam, qua cancri augmentum prohiberi, aliaque symptomata demoliri queant, amplectendam suasi; ustioni aut sectioni, quam senior Medicus suadebat, semper meritò contradixi, ab Hippocrate & Galeno sect. 6. Aphor. 38. fideliter admonitus, pars enim affecta nunquam gangrænosa manifestè apparebat, quam alter Medicus suspicabatur, ut jam de hoc curandi modo præsertim hic periculosissimo, & calumniis exposito nihil dicam, quo saltem ulcus ablatum fuisset, latente per amputatæ linguæ substantiam maligna radice.

Decimo ergo Martii rogatus, primum præscripsi convenientem diætam: deinde cum sufficientissime à nobis binis Medicis perpurgatum corpus fuisset, talibus evacuationibus supersedi, leviores tamen, jubente ægri natura, non negligendo.

Deinceps venam salvatellam aperiri jussi; postea sudorifera, occulta virtute cancro inimica, alternis diebus (quod tempus si neglexit, recens parotis statim erupit) citra molestiam præbui.

Sequebantur colatoria, optimè partes ejus carcinomati vicinas defendentia. Denique exulcerato linguæ cancro aquam abstersoriam ex stillatitiis plantaginis, cardui & ligni heraclini, nec non pollinem ulceri inspergendum ex carduo benedicto, nicotiana & trochiscis à viperis, magno emolumento ægri ordinavi. Præterea adhibitis prædictis, post horam cataplasma ex saccharo cando, floribus sulphuris & theriaca cum oleo ligni Heraclini ad justam consistentiam redigendo, nunc ficubus, nunc panno cerato ulceratæ linguæ imponi, & per famulum aut chirurgum usurpari curavi; qui ambo in administratione remediorum diligentissimi erant; bis enim plerumqne singulis diebus si non peregrè advocatus, affectum tangendo ipsis adfui. Miror autem sæpius Berckmannum famulum, quo meliorem nunquam apud ægrotos optarem, noctu patienti accumbendo, interdiu cancrosa industriè meis remediis tractando, tam ingentem fœtorem sustinere potuisse absque manifesto damno. Sic in dies Clarissime Dn. Fabrici, cataplasmatis operatio mihi arridebat, cujus vim in his & similibus affectibus admirandam oriri puto ex oleo ligni heraclini sive corylini, hujus virtutem nobilem indies curando laude experior.

Instante Maio, cancer exulceratus in dies omnium admiratione tumore mollior, fœdo & sordido ulcere mitior, imò labris primum crassis tumidis, duris, posteà etiam nodosis, inversis, elatis, ac profecto aspectu horridis, subsidens & evanescens apparuit: ita, ut interim

nunc sanguinem melancholicum (at per aliquot intervalla) guttatim ad ℔ ij. nunc saniem ichorosam, fœtidam, & cadaverosam, ac quandoque atram eructaverit: venulis atro cruore & melancholica fœce deoneratis, tumor evanuit: ac malignitate extincta ulcus saniem laudabilem fusit, in exulceratæ linguæ cavitate detersa caro non livida, sed rubella, proba & sana sensim succrevit; ita ut jam cicatrix obducenda foret, nisi rimulam literæ instar Cadmodum parvam cum natura etiam studio apertam aliquantulum reliquerim.

Quùm sic rem in vado esse sperassem, in lateris ejusdem scrophulæ sub mandibula inferiore, quas in dies auctas antea scripsi, tumore serpentes intro ad linguam sese insinuarunt, ibique sub lingua in cancrum manifestum terminabantur, quem dudum metuebam, quemque foras elicere, & aperire summo studio, præsertim cum colore in rubro nigricante id simulaverit, laborabam, at hic funis (ut in proverbio) nihil attraxit, sed linguæ frenum partim exedendo, labro albicante, nodoso; sensim magis inverso, demum cruento, tandem exulcerato, paucis diebus ita rebellis factus est, ut sibi incumbentem & sanescentem linguæ extremitatem, cataplasmate insuper interposito, tamen per ligamentum & venam raninam furiens, iterum non quidem magno aut manifesto, ut antea, ulcere inquinaverit; atque totam linguam, præsertim te discedente magno & pertinaci tumore, oris ferè cavitati adæquaverit, geminum ac contiguum malum, quasi datatim alternis vicibus materiam sibi administrans, repullulando citò, latè admodum germinabat: hypochondrium utrumque inprimis dextrum valdè prominebat, quodve principio initæ curæ solùm prominens accusabam, at cancrosus idem, quasi ipsi sit congenitum, & absque dolore excusabat: pectus elevatum, tuberculis nodisque totum cum tumentibus venis perspergebatur. Dolor priùs dextri, dein utriusque hypochondrii, primum subacutum austerus homo nolebat, rogatus etiam mihi, illum suspicanti, indicare: postea tam vehemens, ut cruciatum diutius absque leniente remedio, se ferre non posse clamaverit. Dolorem enim acutissimum, pungentium velut acicularum sensum inferentem, nunc unum, nunc utrumque hypochondrium, nunc ad claves usque interioresque homoplatas, & humeros, etiam frequenter brachium, coxendicem, & totum pedem, ejusdem scilicet & dextri lateris pervadere, æger conquestus est, à quo tamen vacationem sæpius habebat, ob mitigantia à me miserante præscripta. Miserabiliter enim dolore agitata, tremula membra vidi. Tandem in dies effluxu aucto, nec avertendo, nec derivando cessante, priùs uvulam inflammatam, ferè æque malignitate cancrosa, infectam aspeximus, quo aspectu prohibiti, quamvis strenuè ego & chirurgus ubique laboraverimus, tamen oris cavitati adæquata tumida lingua ob vestigia sibi à dentibus impressa ita secundum dentium seriem planè exulcerabatur, ut superiores dentes per exesam linguam inferioribus conjuncti fuerint. ô miserandum spectaculum! ô ingentem fœtorem, quem toleravimus.

Tecum omnes suffocationem metuebamus, quam tamen Deus prohibuit: tandem cùm nullo alimento frui posset, & potu vires vix reficiebantur, succedente frequenti λειποθυμίᾳ, unde horis ante meridianis bis alvum cito exoneravit, post magno deliquio animi commotus illius curator recitabat orationem Dominicam, quam agonisans patientissimus Job qualitercunque mussitando ad finem usque sequens, voce amen clausit, & confirmavit atque sic placidissimè in Christo Salvatore 3. Junii solis die obdormivit.

Vesperi suadebam tecum sectionem cadaveris, cùm prius sæpissimè matri explicuerim, te mihi consentire, malignitatis hujus cancrosæ radicem ex hepate (omnibus signis sic annuentibus) & germinasse & propterea viscera inspicienda esse, at illa cum suis mulierculis hâc de re, quasi hoc committere planè iniquum foret, incipientibus, rigidè denegando me amandavit. *Valentinus Rulandus in Gulielm. Fabric. Hildan. Obser. Chirurg. cent. 3.*

Superiori mense Octobri unà cum viro clarissimo, atque Doctissimo Dn. Andrea Weickio, Medicinæ doctore, convictore meo gravissimo, solodurimatronam, non ex obscura familia oriundam, invisi, laborat illa cancro occulto in mamma dextra, quem ante annos quadraginta, cum infantem ablactaret, ex lacte in grumos concreto contraxit. Supervenerat autem tum temporis ex abundantia lactis, nec non retentione mensium inflammatio quâ sedatâ tuberculum ad magnitudinem fabæ remanserat. Quod neglectum ab initio, per annos ferè quadraginta in ipsâ mammâ delituerat, absque tamen dolore aut ullo incommodo. Nunc verò ante annos tres, cùm decrepita ætas appropinquaret, ita accrescere & dolere cœpit, ut tandem non solùm totam mammam occuparet, verùm etiam sub axillam usque sese extenderet. Tumor iste non usque adeo elevatus, inæqualis tamen est, & undique nodulos durissimos, ac lividos, venulisque infinitis nigricantibus circumdatos habet. Tumor ac noduli isti adeò sub axillam versus vergunt ac retracti sunt, ut papilla, quod notandum, ferè sub ipsa axillâ recondatur; Hinc fit, ut brachium quoque dextrum propter musculum brachium pectori adducentem, in consensum trahatur. Totum enim brachium, imo & manus ipsa tumore præcipuè ex pituita, cui tamen multum bilis atræ admixtum (œdema scirrhodes appellant Medici) ab initio morbi per annos ferè quadraginta, ut dixi, nullus fuerat dolor in ipsâ mammâ, nunc tamen continuus est, qui quidem jam acutus & pungens, mox vero remissior, in ipsum tamen brachium, mediante prædicto musculo sese extendit. Dolorem autem ac intumefactionem brachii, venæ-sectio, ab imperito barbitonsore in ipso cubito, ante menses octo facta, non parùm auxit. Cùm enim antea dolor brachii esset exiguus, post venæsectionem adeò auctus est, ut brachium nunc officio suo fungi ampliùs non possit, tantopere attraxit venæ-sectio.

Ego etsi affectum in decrepita hacce matrona (septuagesimum enim annum ætatis prætergressa est) planè incurabilem esse, adstantibus significaverim, quia tamen ægra, post Deum spem

ſpem maximam in medicamentis, quæ adhibiturus eſſem, poſuit, nonnulla morbum palliandi cauſa præſcripſi. Imprimis verò optimam victus rationem inſtitui. Deinde corpus ſequenti potiuncula expurgavi.

℞. Radicum lapat. acuti, ſcrophulariæ majoris, polypodii q. Cortic. interior. radic. frangulæ an. ℥ß. Herb. cuſcutæ, fumariæ, ſcabioſæ, ceterach an. M. ß. ſem. aniſi & fœniculi an. ℥ij. foliorum ſenæ ℥iß. liquiritiæ raſæ ℥ß. fiat decoctio in aqua, ut colatura redeat ad ℥viij.

Hujus colaturæ accipe medietatem, cui admiſce ſyrupi roſati ſolutivi comp. cum rhabarbaro, agarico & ſena ℥j. Miſce, fiat potio, detur in crepuſculo matutino, leniter hac potione expurgato corpore, poſtridie venam malleoli dextri incidi, ſanguinem (revulſionis cauſa) ad uncias circiter quatuor extraxi, & poſtquàm per diem unum aut alterum à venæ ſectione quieviſſet, alteram doſin præſcripti decocti, cui conſ. hamech, ʒij. ſyrupi roſat. ſolutivi compoſiti ℥j. admixta erant, propinavi. Brachium autem ut ſequentibus oleis quotidie bis inungeretur juſſi.

℞. Ol. lumbricorum, vulpini an ℥ij. ol. Scorpionum ℥j. de vitellis ovorum, & amigdalar. dulcium an. ℥iß. ſpicæ ℥ß. miſce. His uſque nunc maximo cum fructu utitur oleis, dolor enim & intumefactio brachii remittunt, mamma in eodem ſtatu perſiſtit, tumor non accreſcit, nec dolor adeſt, ſequens tamen emplaſtrum applicat.

℞. Empl. diapomphol. ʒij. diapalm. ʒj. plumbi uſti & loti, lapidis calaminaris an. ʒß. cum ſ. q. olei roſacei & ſucci geranii fiat l. a. unguentum.

Porrò Clariſſime Dn. D. Toxoti, vix credas quàm exitioſum in cancroſis ulceribus ſit unguentum Ægyptiacum, ego expertus loquor, ſuperiori enim anno 1606. ad matronam, hic in vicinia cancroſo, necnon fætidiſſimo ulcere in mamma dextra laborantem, vocatus fui, Cheirurgus, qui curationem ſuſceperat, ut foëtorem iſtum caſtigaret, & carnem quæ in cancroſis ulceribus continuo excreſcit, abſumeret, de tertio in tertium diem aut etiam, alternis diebus, unguentum Ægyptiacum applicuit, inde ulcus in continenti adeò malignum factum eſt, ut intra breve temporis ſpatium mammas ad coſtas uſque eroderet, ægramque extingueret, integram hiſtoriam ſuo loco quoque videbis. blande itaque hujuſmodi ulcera ſunt tractanda. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 3.*

Matrona hic in vicinia, ex nobili familia oriunda, poſtquam quinquageſimum annum ætatis prætergreſſa eſſet, nec amplius utero geſtaret, menſes quinetiam ſubſiſterent tuberculo ad papillam dextram correpta fuit. Tuberculum hoc etſi ab initio durum, & aliquo modo moleſtum eſſet attamen quia exiguum & indolens, neque ipſa ægra, neque adſtantes, hac de re uſque adeo ſolliciti erant. Anno verò ineunte 1606. quum accreſceret, & dolere cæpiſſet, chirurgus quidem in conſilium accerſitus fuit. Is cùm emolientia & pus moventia per menſem ferè integrum adhibuiſſet, paulatim acuto dolore, ruptum eſt tuberculum. Sed nihil præterquam aliquid ſaniei, loturæ carnis inſtar, extillavit. Mox verò malignum, dolorificum, fætidumque ulcus ſequutum eſt, ego 6. Julii ejuſdem anni cum advocatus eſſem, matronam hanc ſupra modum extenuatam & debilem inveni. Ulcus quod foëtidiſſimum, adeo erat malignum, ut totam mammam ad ſternum & ſub axillam, coſtaſque ferè uſque eroſerat, idque ſpatio quatuor menſium, nimirum à principio Menſis martii (quo tempore ruptum fuerat tuberculum) uſque ad menſem Julium perfecerat. Dolor item maximus, inquietudines, febricula, continua nauſea, & cibi faſtidium aderant. Ex quibus omnibus, quum ipſam in evidentiſſimo mortis periculo verſari cognoviſſem, manum adhibere recuſavi, domumque redii. Non diu poſt meum diſceſſum animam Deo pie, placideque reddidit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obervat. Chirurg. Cent. 3.*

Matronam Nobilem, conſultiſſimi & Doctiſſimi Viri D. Joh. Mouleri J. U. Licentiati, & illuſtr. Principis ac Domni D. Guilhelmi Juliac. Clivens. & Montenſium &c. Ducis Conſiliarii Uxorem Duſſeldorpiæ circa annum 1583. cognovi, laboraverat illa per annos aliquot cancro non exulcerato in mamma, quum verò præſtanſſimum virum Dn. Coſmum Slotanum, meum præceptorem plurimùm honorandum in conſilium adhibuiſſet, certis quibuſdam medicamentis, cùm per os exhibitis, tum etiam exteriùs admotis, incrementum tumoris ita retardavit, ut ipſum abſque dolore, & inſigni incommodo per multos annos, & quidem ad finem uſque vitæ ſuæ, patienter tulerit; neque unquam ad ulcerationem pervenerit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurg. Cent. 3.*

Joannes *aufder Euſt*, Hildenæ in patria, quum multos annos tumore ſcirrhoſo in ſiniſtro clune laboraſſet, ad conſilium vocavit barbitonſorem Duſſeldorpenſem, qui nulla habita morbi ratione, multis unctionibus & cataplaſmatis tumorem ad ſuppurationem provocare ſtuduit. Hinc exorta inflammatione, & dolore acutiſſimo, novaculam tumori infixit: ſed nihil præterquam aliquid ſanguinis adulti effluxit. Dolor in dies factus eſt vehementior, ita quidem, ut nullo modo ſedari potuerit, ulcuſque intra paucos dies totum clunem invaſerit, labiis ejuſdem in altum elevatis, inverſis & calloſis. Incredibile eſt, quo dolore ipſe excruciatus fuerit. Ego illum aliquoties cum clariſſimo Dn. Doct. Reinero Solinandro Illuſtr. Princip. Cliviæ, &c. Medico & Coſmo Slotano, ejuſdem principis chirurgo præſtantiſſimo inviſimus. Quamvis autem nos ſummo ſtudio in hoc incumberemus, ut dolores aliquo modo lenirentur, fruſtra tamen omnia tentavimus. Tandem enim ipſe in ea miſeria & cruciatu deceſſit 17. Maii 1581.

Dominus Polerius, civis Lauſannenſis, vir ingenio & virtute præſtans, mihique amicus, tumore cancroſo ad magnitudinem ovi gallinacei circum circa papillam ſiniſtram, per multos annos vexatus eſt. Suaſerunt ipſi aliquando Medici, ut tentaret tumorem paulatim emollire, & diſcutere emplaſtris de mucilaginibus, de meliloto, & ſimilibus: ſed quamprimum ejuſcemodi medicamenta tumori ad-

movit statim exortus est dolor, & inflammatio, ita ut illa abstrahere, & frigidum aliquod medicamentum applicare, coactus fuerit. Sedato dolore, ac inflammatione, denuo applicuit emollientia; sed ut ante sequutus est dolor. Tandem, quum ipsemet experientia explorasset, hunc dolorem atque inflammationem ex horum emollientium usu manare, ab eis plane abstinuit, diuque postea superstes fuit. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Observat. chirurg. Cent.* 1.

Anno 1600. Vetula Lausannen. cancro exulcerato ad concursum suturarum sagittalis, & Lamdoideæ laborans, in consilium me adhibuit, ulcus dolorificum, sordidum, fœtidum, inæquale, labia verò dura, & ad pugni magnitudinem elevata erant. Præparato corpore, cum optima victus ratione, tum purgationibus & venæ sectione, præsente Reverendo viro Dn. Joanne Rheterio in schola Lausannensi linguæ sanctæ professore longe excellentissimo, Claudio Marione, Dav. Clerico, multisque aliis, abrasis crinibus, totam istam exulceratam massam, & quicquid nobis malignitate ista contaminatum videbatur, ad cranium usque excidi. Cranium quin etiam, quia cariosum, post dies aliquos scalpris abrasi. Dein pulverem catagmaticum quotidie inspersi, vulnusque more aliorum vulnerum capitis, cicatrice obduxi, convaluit, & multos annos supervixit, tandemque plane decrepita peste obiit.

Quidam prope Lausannam, cui membrum virile in fungum cancrosum, ac planè monstrosum excreverat, necnon exulceratum fuerat, cùm auxilium à me petiisset, membrum virile, & quicquid ita infectum, in ipso ab domine incidi. Hic similiter convaluit, & ad multos supervixit annos. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Observat. Chirurg. cent.* 3.

Verruca in summo Balani existens, tandem in Horrendum fungum cancrosum degeneravit ubi de abscissione membri virilis agitur.

Pierre Perrod faber ferrarius ex pago Cresciacensi propè Lausannam, ætate quadragenarius, vita rusticus, temperamento melancholicus, à teneris annis verruca in summitate glandis lentis magnitudinem vix excedente, laboravit: ex qua in cælibatu, nonnisi aliqua collisione facta, dolorem non sensit. in matrimonio autem propter confricationem, quæ fit in coitu, magnum & continuum cœpit sentire dolorem, ita ut per tredecim annos à congressu uxoris abstinuerit. Successu verò temporis accrevit dolor, verruca in monstrosum cancrum, magnitudine infantis capiti recenter nati, nihil cedenti, degeneravit. Penis in carnis massam inæqualem, & lividam transformatus erat. fætor tantus aderat, ut familiares & amici consortium ipsius ferre nequiverint. Ulcera etiam non pauca, è quibus urina hinc inde effluebat, hunc fundum cancrosum circumambiverunt. Morbo itaque indies in deterius vergente, tam empiricos quàm rationales adhibuit medicos atque chirurgos, sed absque fructu. Ab iis omnibus cùm æger tandem plane prò desperato atque incurabile judicatus esset, in maximo quinetiam discrimine vitæ versaretur, & cuncti ad commiserationem comvoverentur, ut sibi opem porrigere vellem, petiit. Reverendus itaque pietate simul & doctrina ornatissimus senex Dn. Petrus Pagesius, verbi divini minister fidelissimus, author fuit, quod facto prius prognostico coram amicis & adsistentibus, curationem aggressus sim. Affectum autem cùm diligenter examinassem, in extremo esse deprehendi. Cancer enim jam radices suas ad ipsius abdominis musculos usque fixerat. Quapropter extremum remedium, hoc est, ipsius membri abscissionem, potius tentare malui, quàm hominem tanta calamitate fractum atq; afflictum, in ejusmodi miseriis diutiùs derelinquere. Quod igitur ipsam curationem attinet, hoc modo processi. Primò instituta optima victus ratione, corpus sequenti potiuncula leviter purgavi. R. Herbarum fumariæ, scabiosæ, cuscutæ, ceterach. an. M. ß. sem. anisi ℥ß. foliorum senæ ʒiij. fiat decoctio ut colatura redeat ad ℥iij. in quibus dissolve confectionis Hamech ʒiij. syrupi rosati solutivi compositi cum Rhabarbaro, agarico, & Sena, Aquæ cinamomi distillatæ absque vino ℥j. Misce, fiat potio, detur in crepusculo matutino.

Postero die venam brachii sinistri incidi, & uncias sex sanguinis extraxi. Deinde ad majorem humorum præparationem, & evacuationem sequens Apozema exhibui.

♃. Radicum cichorii cum toto. Radic. Lapati acuti, Petroselini, Polypodii, Scrophulariæ majoris, corticum tamarisci, & interiorum radicum frangulæ an. ℥j. herbarum agrimoniæ, veronicæ, scabiosæ, cuscutæ, Ceterach. Polytrichi, Geranii an. M. j. Trium florum cordialium, Genistæ, & sambuci ana p. j. Liquiritiæ, & uvarum passular. exacinatar. an. ℥j. Fiat decoctio in s. q. aquæ, ad consumptionem tertiæ partis in ℔. j. ß colaturæ infundantur & macerentur l. a. foliorum senæ mundat. ʒij. rad. elleborinæ, hoc est, saniculæ fæm. Fuchsii, polypodii an. ℥j. agarici recenter trochiscati ʒiij. rhabarbari optimi ʒiij. fiat s. a. potio pro quatuor matutinis. Hisce expurgato corpore, & exonerata vesica, decima julii anno 1601. ægrum in sedem collocavi, & præsente clarissimo & doctissimo viro Dn. Johanne Rheterio, in schola Lausannensi Hebraicæ linguæ professore celeberrimo, Claudio Marione, pharmacopæo exercitassimo, Davide Clerico, aliisque multis qui etiam nunc vita fruuntur, membrum virile in ipso abdomine abscidi. Postea pulverem meum, ad sanguinem sistendum, stupis, albumine ovi madefactis, applicui; ac linteis reduplicatis & oxycrato imbutis, inguina & scrotum involvi, fasciisque colligavi. Quibus factis servos constitui, qui per vices manu madefactâ oxycrato, stupas cum pulvere continuò continerent, ne sanguis erumperet. Cauterium enim actuale hoc in casu summe periculosum est, tum quod meatum urinarium obstruat, tum etiam vesicæ & circum jacentium partium inflammationem facilè excitet. Vulnus sic in hoc primo apparatu ligatum in alteram diem usque intactum reliqui. Tum primis diebus applicato digestivo,

vo, ventre circumjacentibusque partibus vulneris ol. Rosarum & Myrtillorum inunctis; item applicato defensivo imo ventris, vulnus curavi more solito. sic Dei beneficio plenissimè convaluit.

Prò urinæ autem canali, hoc subsequens instrumentum ex Ambr. Paræo lib. 23. cap. 9. substitui, quo tam commode statim post absolutam curationem utebatur, ut parum imò nihil vel obstaculi vel doloris inde sentiret. Vitæ etiam suæ munia feliciter, & firma sanitate obiret, ita ut omnes, qui ipsum antea viderunt, admirarentur.

Porrò quùm nonnulli cancrum, in una parte excisum, in altera renasci existiment, notandum est hominem huncce per multos annos vixisse, & corpore ita validum fuisse, ut negotia rusticana, & opificium suum absque ullo impedimento exerceret, urinam quoque libere, & quidem sine fistula illa, qua in principio usus fuerat, non solùm redderet, verum etiam ipsam non secus ac si virgam sanam & integram habuisset, longè expelleret. Retulit præterea mihi aliquoties, se sæpissime ad venerem incitari. Obiit tandem circa finem anni 1611. dum ego in Belgio essem, qualis autem fuerit postremus suus morbus, latet me. *Guilhelmus Fabric. Hildanus Observat. Chirurg. cent. 3.*

De Excisione tumoris cancrosi ad radicem dentium ocularium.

Genere, virtute, doctrina, sed præcipuè pietate Nobilis vir Dn. Wilhelmus Vom Scheidtgenam Juris U. Doctor. & Serenissimi principis ac Domini Dn. *Wilhelm*, Juliacensium, Clivensium & Montensium &c. Ducis consiliarius prudentissimus & Satrapa in Solingen &c. à multis annis tuberculo ad radicem dentium ocularium sinistri lateris laboraverat, quod ex defluxionibus vehementibus ad dentes ortum suum traxerat. Tandem quum accrescere & dolere cœpisset, majora incommoda evitaret ex consilio Dn. D. Galeni Wieri, ejusdem Principis Medici celeberrimi, Coloniâ in arcem vicinam, una cum clarissimo viro Dn. Joann. Cosmo Slotano, Medico Coloniensi (Dn. Wierus enim propter occupationes gravissimas circa principem, curationi interesse non potuit) accersitus fui. Anno 1593. ubi curationem sequenti modo instituimus. Tuberculum autem magnitudinem juglandis adæquabat: prædurum, lividum, & inæquale erat, & partim gingivæ, partim quoque labio adhærebat; ita quoque ut exterius extuberantia quædam appareret. Dolor quoque pungitivus aliaque signa quæ cancrum comitari solent, aderant. Porrò quia à multis annis catharris ad dentes obnoxius fuerat Nobilissimus æger, ne facta operatione, defluxiones negotium nobis facesserent, constitutum fuit inter nos, ut ante operationem corpus omnibus modis, & quantùm fieri posset, præpararetur; quapropter in primis sequens apozema, ad humorem peccantem incidendum, & præparandum, exhibuimus.

℞. Radic. cichorii cum toto m. j. Radicum petroselini, fœniculi ana ℥ij. Polypodii q. ℥ß. corticum frangulæ ℥j. Cortic. Capparum & Tamarisci an ʒj ß, Herbar. Scolopendriæ, veronicæ, betonicæ, Fumariæ, scabiosæ, ana. m. ß. flor. boraginis, buglossæ, rosmarini Betonic. Summitatum thymi & majoranæ ana. p. j. Seminis anisi, fœniculi an. ʒij. coriandri præparat. ʒj. Passularum corinthiarum ℥ß. decoquantur in s. q. aquæ & tertia parte vini ad consumptionem medietatis. Hujus Apozematis accipe ℥ij. ß. in quibus infundantur, & macerentur per noctem: rhabarbari electi ʒj. Agarici recenter trochiscati, & turbith. gummosi an. ℈ij. folior. senæ mundatorum. ʒij. Sem. anisi, & florum tartari, ana. ℈ij Maneant per noctem in infusione, in loco tepido, mane post levem ebullitionem fiat fortis expressio, cui adde Syrupi de polypodio ℥j. aquæ cinamomi ℥ß. misce, fiat potiuncula. Sic purgato corpore, per dies aliquot de præscripto apozemate bis in die, nimirum tribus horis ante prandium, totidemque ante cœnam, haustum bibit, tandemque jam jam præscriptam potiunculam reiteravimus, cucurbitulas quinetiam Primò siccas, tandem cùm scarificatione applicuimus. sic præparato, & evacuato corpore per vias manifestas, sudorem quoque per dies 14 duximus, sequenti decocto.

℞. Ligni sassafras optimi ℥ij. ligni Guajaci rad. sallæ parillæ an. ℥j. cinamomi ℥ß. Projiciantur in poculum stanneum aut terreum, & affunde aquæ claræ ℔. iiij. Claudatur quàm diligentissimè vesicâ madida primò, deinde linteo, nè quid expiret. Tandem fiat decoctio per horas sex aut octo in duplici vase. Non autem illicò aperiendum est poculum, sed expectandum, donec per se sit refrigefactum. Hujus decocti sumpsit ad uncias quatuor pro vice, & bis in die. Post sudorem corpus iterùm expurgavimus sequenti purgatione.

℞. Rad. polypodii quercini, cortic. rad. frangulæ, Tamarisci, & capparorum an. ʒj. ceterach. fumariæ, scolopend. an. p. 1. flor. Buglossæ, boraginis, violarum, an. p. ß. seminis anisi, fœniculi, an. ʒß. folior. senæ Alexand. select. ʒiß. Decoquantur in aqua fumariæ & scabiosæ, ut colatura redeat ad ℥iij. in quibus infundantur & macerentur l. a. Rhabarbari, Rad. mechoacæ, agarici trochiscati ana. ʒj. Zingiberis & sem. anisi an. ℈. j. Maneant per noctem in infusione, in colatura fortiter facta dissolve. Electuarii rosarum Mesuæ ʒij. Syrupi de polypodio ʒvj. Diasennæ Brassavoli ℈ß. Aquæ cinamomi ʒiij. misce & detur in crepusculo matutino. Interim autem dum decocto sudorifico utebatur, frequenter os sequenti Gargarismate abluebat, idque in eum finem, ut partes defluxionibus obnoxiæ ante operationem corroborarentur.

℞. Rosarum rubear. m. j. flor. malvæ hortensis, m. ß. Cortic. granatorum. ℥ij. Balaustior. Gallarum immatur: an. ʒj. flor. betonic. scabiosæ, an. p. j. Radic. scrophulariæ ʒ. j. ß. coquantur in ℔ iiij. vini rubri & stiptici, ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ adde Mellis rosacei ℥ij. Diamoronis, Mellis violacei an. ℥j. misce. fiat gargarisma.

Ex præscriptis herbis quoque minutissimè incisis, Sacculos duos præparavi, quorum alter latus erat pollicem unum, longus duos; alter ejus

erat

erat latitudinis, ut superius labium, nasum & genam coeperiret. Sacculos istos vino rubro & stiptico incocto, tepide applicare jussi & quidem continuò.

Satis præparato corpore, tam optimâ victûs ratione, quam præscriptis remediis, ægrum in sedem collocavi, capite parumper retrorsùm versus nucham reclinato. Tum ministrum retro ægrum constitui, qui ambabus manibus non solùm caput tenebat, verum etiam indicibus digitis superius labium in altum elevabat. Hoc facto, acû incurvatâ, filoque reduplicato apprehenso tumore, ipsum paululum attraxi, & cultello separatorio, ad ipsam mandibulam usque fœliciter excidi.

Exciso tumore sequentem pulverem ad sanguinem sistendum, cum stupis albumine ovi madefactis imposui, & fasciâ ligavi.

℞. Farinæ volatilis ℥ß. boli orientalis, terræ sigillatæ an. ℈ iv. pulveris albuminum ovorum sole exsiccatorum ʒ j. pilorum leporis minutissime incisorum ℈ j. corallorum præparator. ℈ ij. misce. fiat pulvis tenuissimus. Sequentibus diebus oleum de vitellis ovorum, cum pauco croci mixtum, filamentis vulneri imposui. Digesto satis vulnere, sequenti gargarismate os sæpissimè abluere jussi.

℞. Flor. betonicæ, rosarum, folior. alchymillæ, Saniculæ, pyrolæ, scabiosæ, an. p. ij. coquantur in aq. ℔ iij. ut colatura redeat ad ℔ i ß. in quâ dissolve mellis rosati colati ℥ iij. misce fiat gargarisma. Circa finem curationis sequentem pulverem vulneri inspersi, & laminam plumbi tenuissimam applicui.

℞. Tutiæ præparatæ, pulveris grammarorum, aluminis usti, an. ℈ j. misce. Hisce remediis sanitati restitutus, & ex evidentissimo periculo liberatus fuit, ita ut ad annum 1611. supervixerit. Quo anno circa finem Rattingæ pie & placide obdormivit, & pro calamitosâ hacce vitâ beatorum sedem sibi elegit, cùm annum septuagesimum prætergressus esset.

Cæterum dum circa vulnus occupatus essem in universalibus nihil prætermissum fuit, quotiescumque enim alvus astricta erat, clysteres injecimus, cucurbitulas quinetiam cum levi scarificatione applicuimus; singulis quoque diebus paulò ante prandium, ad nucis juglandis magnitudinem de sequenti electuario sumpsit.

℞. Conserv. flor. betonicæ, salviæ, rosmarini, & flor. scabiosæ, an. ℥ j. specierum dianthos, aromatici rosati, & de gemmis frigid. an. ℈ ij. misce. & cum syrupo conservæ corticum citronum f. electuarium.

Post pastum aut mivâ cydoniorum, aut semine anisi, & fœniculi condito utebatur. Cucupham præterea ex sequentibus pulveribus præparavimus, quâ per annos aliquot usus fuit.

℞. Florum betonicæ, rosmarini, stœchados, rosarum rubrar. an. m. j. summitat. majoranæ m. ß. sem. coriandri præp. ʒ ij. ligni aloës ʒ j. masticis, thuris ana ʒ i ß. specier. diamoschi dulcis ℈ iv. nucis moschatæ ʒ i ß. caryophyllorum ℈ i ß. granorum kermes ℈ ij. misceantur & contundantur grosso modo pro cucupha, sequens quoque vinum medicatum præscripsimus, de quo per intervalla paulò ante prandium haustum bibebat.

℞. Flor. rosmarini, betonicæ, lil. convallium, primulæ veris an. m. iij. summitat. thymi, majoranæ, flor. stœchados, borag. buglossæ, an. m. j. radic. iridis florent. ℥ j. galangæ ʒ iij. ligni aloes ʒ ij. cinnamomi, nucis moschatæ an. ʒ vj. radic. caryophyllatæ ℥ ij. liquiritiæ ℥ iv. incidantur omnia grosso modo, projiciaturque in dolium, pro mensuris 12. aut 13. vini optimi & depurati. Pro corroboratione gingivarum seq. dentifricio usus est.

℞. Corallor. præpar. rosarum rubear. an. ʒ j. thuris, cornu cervi usti & præpar. cancrorum præp. ana ℈ ij. sanguinis draconis balaustiorum ana ℈ j. margaritar. præp. ossis sepiæ an. ℈ ß. rad. iridis florent. ʒ i ß. aluminis usti ℈ j. misceantur, fiatque omnium pulvis subtilissimus.

Ignosce, quæso, candide lector, si forsan nimis prolixus fuerim. Fecit id magnitudo morbi: magnitudo inquam. Gingivarum enim & labiorum cancri, nisi universalia ritè & ex arte adhibita fuerint, incurabiles, ut plurimum esse solent. Hæc quia empirici, & circumforanei, in excisione cancri labiorum non observant, mirum non est, si utplurimùm malum recrudescat, & in peius evadat. Qui itaque operationes hujusmodi cum laude & utilitate ægri perficere cupit, videat primò, ut corpus ægri ante operationem diligenter sit præparatum, ubi præsens observatio, tyronibus veluti exemplar, & idea inservire poterit: deinde diligentiam adhibeat, ut malum cum suis radicibus & in parte sana extirpetur, quandoquidem minimâ remanente portione mali, frustranea erit operatio, ut alibi fusiùs demonstravimus. *Guilielmus Fabritius Hildanus Observat. Chirurg. Cent. 5.*

De excisione tumoris cancrosi, in malâ existentis.

Anno 1594. Coloniæ Agrippinæ Viduam Magist. Henrici Sartoris, ad portam leporinam habitantem curandam habui. Laboraverat illa per multos annos tuberculo cancroso in malâ dextrâ, quod magnitudinem nucis avellanæ haud excedebat. Durum erat, lividum, & inæquale, exterius tamen nihil apparebat. Præparato satis corpore, tam victûs ratione, quàm reiteratis purgationibus, & venæ-sectione, ægrum in sedem collocavi: deinde ministros duos retro constitui, quorum alter caput tenebat, alter indicibus digitis in os immissis, & ambobus pollicibus è regione tuberculi positis, malam invertebat. Sic satis in conspectum veniente tuberculo; illoque acû incurvatâ ac filo apprehenso, cultello separatorio, excidi. Postea eodem modo, uti in præcedente observatione dictum fuit, processi, curationemque feliciter absolvi.

Binas hasce observationes in eum finem scripsi, ut junioribus Chirurgis animum adderem, nè in cancrosis tumoribus in ore existentibus, facilè desperent, & ab officio desistant, dummodo ipsos apprehendere, & radicitus extirpare possint. *Guilielm. Fabric. Hildanus Observat. Chirurg. cent. 5.*

Tumores duri, rebelles, cancri formes.

Occasione tumorum dictorum memoriam subit aliud genus horum, quod insidias sanitati, & vitæ struit, & cautè tractari desiderat, quorum aliquot dabimus exempla. Puella 15. annorum cui menses nondum fluxerant, sub pondere majori collapsa, ad basin scapulæ dextræ tumore corripitur duro, renitente, lato, & profundo, citra dolorem ullum, non tamen citrà molestiam in movendo brachio. Tractata aliquandiu à Chirurgo solo, successû sanitatis nullo: quin in dies malum adaugeri observabatur. Consulti ex methodi legibus alterando & purgando correximus humorem peccantem melancholicum, vel atrabilarium potiùs; exterius verò, noscentes mali naturam, sola defensiva topica ex empl. diaphorét. diapomphol. aliisque saturninis concessimus; prognosi factâ, si neglectim tractaturi essent malum ipsum; causæ vero averruncandæ subinde per purgantia, diaphoretica, & sanguinem defœcantia, operam daturi, tolerabilius in futurum, contrario verò casu, quo majori studio eradicationi incumberent, eò citius malum exasperatum iri. Æmulantur enim aut revera sunt hi ipsi cancri occulti quos non curare, puta externis illis alias in curatione tumorum fieri consultis, melius est; curati enim quoad finem primum, & intentionem citius intereunt ægri, morbo exasperato, & vitalibus principiis infesto, non curati verò longius vitam trahunt teste Coo 6. aphor. 38.

Neglecto hoc, ut fit, salubri monito, circumforaneum consulunt, qui pactâ mercede ferro aperit tumorem, eoque sic magis, magisque exsurgente post aliquot hebdomades turpiter, ut fit, discedit, alibi similes structurus fraudes. Inde ad carnificem curandi defertur provincia, ubi diu etiam cruciata, exarescente corpore aliquo, domum ferenda in via moritur. Nil supererat, quàm ut incantamentis apertiùs acceptum ferrent malum, quod post obitum factum tamen. Domum enim illato, mense Maio, cadavere, sonos & sibilos adstantes percipiunt in tumore, ultra dimidium dorsi occupantes occurrunt, & angues mibi latere suspicantes rogant, ut tumorem inspicerem. Factâ dissectione, ichor plurimus, putredinem jam subiens, conjunctâ fermentatione sensibili, sibilorum causa patuit, partibus carnosis mirè de tono suo dejectis.

Vir primarius fracto pede sinistro paulò supra talum, aliàs hypochondriacus & scorbuticus eminenti gradu, paulò maturius, jubente officio aulico à curatione solitis occupatur negotiis. Succedente tempore supra locum olim affectum sentit tuberculum non tam profundum ob nudum ibi magis os tibiæ, quàm eminens & non adeò molle. Eadem ferè luditur fabula. Adhibitis topicis, datis internis, nil proficitur, leviori interim viso malo, quàm ut produceretur curatio; verbo aperitur tandem tumor suadente id extraneo medico, nil nisi sanguis effluit; inde vero labia vulneris sensim dilatantur, protuberat materia velut fungosa, frustra quibusvis adhibitis. Tumor serpit ulterius, & cum omnino statum subit, quem describit *LamZvverde promptuar. Chir. Obs.* 26. Reliquum corpus interim hecticum subit statum, cum pulsû ordinario frequenti, donec consumptis viribus placide obdormiret.

Sectione examinatus pes post mortem obtulit fracturam nonnisi laxius cohærentem, imò ceu scaturiginem omnis hujus mali, callo omni absumpto. Mechanicus propè femur dextrum consimili tumore corripitur, qualem superiùs descripsimus. Post apertionem improvidam, reliquis licet nihil juvantibus, nil nisi merum sanguinem stillat, & imminui & consolidari renuit, donec ad ipsum abdomen facto progressû velut sphacelo afficeret consentientiâ intestina, summo cum fœtore, & consumptum totum corpus reliquum fatis tandem cederet.

Alius in sinistro thorace tumore ejusdem commatis, sed dolorifico affectus, eandem subiit fortunam, nisi quod post mensem integrum consolidationem admiserit ulcus à vulnere, per aperitionem facto, merum itidem stillante sanguinem. *Georg. Wolfg. Wedel.*

Carcinoma femoris.

Ida, famula Regneri Neckii, amici nostri, perculsa vehementius, sensit ex inopinato illo terrore, nescio quem sibi oriri dolorem circa genu; cum tumore femoris, in dies usque eò invalescente, ut post annum septimum videretur, plurium medicorum calculis, si non excedere, saltem suo pondere, accedere quàm proximè ad illam strumam, quam ibidem loci olim vidit Antonius Benivenius, ponderantem sexaginta libras observ. 14.

Quam molem hæc virgo septem ampliùs annos tulit tam animosè, ut nemo domesticorum, nedum quisquam extra familiam, animadverterit unquam, quicquam vitii, in ipsius incessû. Verum erosa paulatim, summâ tumoris cute, intumescentibus ipsius venis; increscente indies pruritu, & carne magis livescente; nequit ipsa malum suum diutiùs clam habere, sed coacta id detegere, imploravit tandem pudibunda ac mœrens opem medicam.

Expetens obnixè, tumorem hunc scalpello sibi amputari. Qui tamen pervenerat jam tum eò incrementi, ac malignitatis, ut nemo id auderet. Quocirca, licet invitissima, circumferebat tamen quocumque locorum infensissimum hunc hostem, incedens intereà temporis per amplissimam nostram urbem non minùs expeditè, ac si femori nihil omninò ponderis inhæsisset. Compescens interim malignum hocce carcinoma, ultra annum septimum decimum, solo plumbi unguento. Cujus litû, nihil simili tumori utilius.

Dissectus autem post obitum hic tumor ac bilanci impositus, ponderabat tantummodo præter omnem opinionem, ob fungosam suam substantiam, libras sexdecim; foris quidem glaber & æqualis, sed intus steatomate, gypseâ pituitâ, induratis calculis, dilatatis venis, ac sinuosis scrobiculis, vera levitatis causa, impendio nimis repletus. Latitans extrinsecus sub extimo femoris musculo.

Aliquot annis post oblata nobis fuit, ibidem loci in alia quâdam virgine, longè major excres-

excrescentia, adæquans ambitu sesquiulnæ longitudinem, exorta, partim ex fisso ob graviorem lapsum, femoris osse, partim vero ex venis, & arteriis usque adeò dilatatis, ut tumorem priùs commemoratum ludum ac jocum dixisses, præut hujus fuerit circumferentia. *Nicol. Tulpius Observ. Medic. lib. 3.*

Senem Salodiensem, octoginta quatuor annorum, laborantem cancro exulcerato in labro inferiori oris, magnitudine medii ovi gallinacei, curavi; quem licet præmonuissem, morbum fore insanabilem, admisit tamen, imò rogavit, ut ipsum secarem. Præmissâ itaque totius corporis purgatione, hunc novaculâ incidente radicitus resecui, sanguine cùm impetu erumpente quem ad decem circiter uncias datâ operâ effusum, absque ullâ postmodum inustione, verùm gossypio tantummodò usto, pulveribusque adstringentibus firmavi. Digerentibus verò prius medicamentis aliquot dies usus, ex ipso vulnere optimum pus emanavit indicio, totam substantiam cancri esse sublatam, atque unguento postmodum ex cerusa camphorato, ducto in plumbeo mortario, spatio viginti dierum cicatricem induxi, incolumi ægro tres annos absque ullâ molestiâ; à quibus novus cancer subortus in faucibus, ex quo brevi spatio temporis obiit, præter meam omnem opinionem qui existimabam ex ætate humorem melancholicum adustum iterum succrescere non posse, novi cancri in alio loco causam; prout ferè semper contingere solet omnium authorum sententiâ, quod scilicet cancer in aliqua parte avulsus, in altera progressu temporis suboriatur; firmabatque meam opinionem, quod in praxi viderim mulierem septuaginta annorum, famulam Collegii Divæ Catharinæ, cancro exulcerato nasi laborantem, cui præscripsi idem unguentum ex cerusâ, potius ad dolorem sedandum, quàm curationis causâ, quæ tamen præter spem mensis spatio nullo alio remedio adhibito, fuit perfectissimè sanata, vixitque multos annos eadem firmâ valetudine; quod censui contigisse ratione ætatis, prout in sene illo futurum rationi consentaneum erat. Et quamvis hæc curatio non solùm à me sit in usum revocata, sed à plerisque, ut dixi, autoribus, quia tamen raro contingit, cancros exulceratos omninò sanari, nec ampliùs subolescere, ut in femina illa, ideò hanc observationem aliis adscribendam censui, quamvis in sene illo cancer in faucibus triennio post repullularit, quod fortè non contigisset, si quolibet sexto mense remedia adhibita fuissent, humorem melancholicum spectantia, eundemque expurgantia. *Petrus de Marchett. in Obser. Chirurg.*

Alium quoque quadraginta annorum circiter in Nosocomio Sancti Francisci Batavii laborantem cancro exulcerato labii inferioris, magnitudine ovi palumbi eodem modo quo superius sanavi, à principio tamen præscripta vere & autumno purgatione humoris melancholici, atque ejusdem alteratione refrigerantibus, & humectantibus; quanquam idem quatuor post annos in eodem Nosodochio ex febre maligna obierit, cancro tamen in nullâ alia parte corporis suborto; ut propterea aliquando non sit omninò abjicienda spes sanationis istorum morborum: dicti siquidem patientes medicorum præceptis si obtemperassent, forsitan non obiissent. *Petrus de Marchett. in Observat. Chirurg.*

Fungus cancrosus in interiori matricis colli parte.

Honesta quædam Vidua hic Hagæ habitans, quadraginta circiter annos habens, temperamentique calidi, ac sicci, nec non atrâ, (quam jam olim dixere) infestata bile, de tumore quodam extra corpus propendente mihi questa est, quem non parum incommodi sibi adferre, quoque velut stimulis assiduè se pungi dixit, fœtore insuper ingenti illum abundare, ac instantibus catameniis, extendi, ampliorem que multo fieri asseruit.

Quamobrem non parum sollicita meam imploravit opem. Ipse autem suasi, uti, præparato, prout deceret, corpore, quicquid hoc esset humoris (malignum namque perspexeram) Manuali Chirurgi operâ tolli juberet. Cùm itaque (neque enim alium mali finem videbat) consentiret, rem cum fratre *Joanne Stalpartio vander Wiel*, nec non cum tunc quidem Chirurgo, nunc autem & Medico *Cornelio Solingio* communicavi, perpendique. Tumorem itaque hunc exactè perspectum fungum, sive colli matricis excrescentiam cancrosam, esse comperimus, anteriori quidem parte latiorem; posteriori vero angustiorem. Statuimus idcirco basin hujus excrescentiæ, si contingere daretur, valido cingere filo, ac quotidie paulò arctius vincire, ut, siquidem fieri posset, tumor à sanâ parte separaretur. Rem itaque aggressi duplici fili circuitu anteriorem, crassioremque excrescentiæ cinximus partem; Chirurgus autem, quòd utramque manum eodem tempore vagina non admitteret, digitis sensim eò usque promovit filum, ut basin attigisse crederet. Tum verò ob viæ angustias præpediebatur vinculum contrahendi facultas: id tamen ut perficeretur, nihil consultius duximus, quàm si utramque fili extremitatem crassiori, firmiorique alligaremus specillo, ut hoc contorto, illud contraheretur, coarctaretque excrescentiam; hoc autem ita successit, ut illa intra quatuor, vel quinque dies alimento destituta protinus decideret. *Cornel. Stalpart. Observat. rarior. Cent. I.*

Cancer in urinario fœminæ meatu.

Anno 1672. cum Chirurgo *Cornelio Solingio* vocatus fui ad mulierem hic Hagæ commorantem, quæ urinas excernere nequiens de maximo pudendorum dolore conquerebatur. Nobis autem, ut obstructi lotii inveniremus causam, cathetere utendum fuit, cujus ope satis commodè urinam deprompsimus: ac tum quidem cancrosum in urethra ulcus latere comperimus, quo illa pene tota exesa erat. Illa autem nunquam nisi dicti instrumenti adjumento lotium egerere valuit, ac non multò post miserâ admodum vitâ excessit. *Cornel. Stalpart. Observat. rarior. Cent. I.*

Cancer Ossis.

Cornelius Celsus lib. 8. cap. 10. asserit fracturæ ossium, præter inflammationem, ac distentionem nervorum interdum quoque cancrum intervenire. Ecquid verò per cancrum ibidem loci intelligatur, variæ varioru n sunt conjecturæ, neque minores sententiarum conflictus. Verisimile tamen non est, verum hic designari cancrum, nedum sphacelum perperam excogitatum, at si quis conjecturæ locus, videtur hæc vox adumbrare callosum illud tumoris genus, quod plerumque sequitur calamitosas ossium fractu as, vel immedicabilem illam eorundem mollitiem, quam imprimit ossi acida pituita, solidam ipsius substantiam planè corrumpens. Cujus perniciosissimi tumoris natura, quantumvis haud parùm discrepet à genuino cancro, in eo tamen cum ipso convenit, quod uterque nullis cedat remediis, conspiretque perinde in perniciem ægrorum.

Vincentius Balduinus, Vir infractæ ætatis, vixit aliquandiu miserandum in modum, ob humeri os, intra annos 15. quater effractum, quod paulatim increscens, sive ex viscido contusi ossis succo, sive sanguine eò uberius affluente in eam tandem devenit molem, ut nè pectus, nec scapula immodicum ipsius pondus fuerit amplius ferendo, excitatis non solùm maximis nervorum doloribus, verum etiam summâ spiritus difficultate, ob luxurians pondus, thoracis motum continenter impediens, cum indefatigabili vigilia. Quibus è salebris quo evaderet, usus fuit consilio variorum Chirurgorum, quorum alii tumorem emollire, atque in pus convertere; alii contra luxuriem ipsius arctiore fasciâ coercere; ac nonnulli vitiatum os serrula præcidere adnixi fuere.

Sed omnes successu infelici. Venæ enim ac arteriæ hujus tumoris latiores erant, quàm ut pollice humano potuissent obturari. ac proindè magis impedimento, quàm auxilio fuere fasciæ. Mortemque adeò non distulisset, quam maturasset amputatio improvidè instituta.

Facto autem vivendi fine, docuit anatome, omnia, sub cute, visci crassitiem, ac steatomatis induisse naturam, parumque discrepasse à materia veri cancri, cujus nomen fortassis propterea, huic ossis vitio, haud malè impositum ab industrio hoc auctore. Ipsa vero ossa erant non modò, à se invicem sejugata, verùm quasi malleo minutatim confracta, ac præ irriguo madore adeò tenera, flaccida, ac mollia: ut instar ceræ scalpello facillimè conciderentur.

Quam eandem alienationem ossibus utique imprimit acida, ac maligna quædam pituita, per habitum corporis effusa, quam interdum quinquaginta vidimus occupasse loca, ac depascere tantùm non solida ossa; verum etiam carnem, membranas, nervos, ligamenta, aut quicquid illi obvium. Parum interim, aut nihil proficientibus remediis, quibus infensissimum hunc hostem satagimus domare, sive sponte ex latebris suis prodeuntem, sive à variolis in arenam hanc productum. *Vide Fabritii Hildani Centur. 4. Observ. 69.* Nicol. Tulp. Ob. lib. 4.

Cancri contagium.

In artibus (inquit seneca) magis utilia, quàm subtilia quærenda, cujus effati rationem utinam haberent illi quibus epulis jucundius, quidvis in controversiam trahere, ignari, multum altercando veritatem amitti, saltem magis inumbrari, quam illustrari. Quantùm enim improvidis juvenum sensibus imponit verborum lenocinium, tantùm nauseæ movet exercitatis, propositis duntaxat, quæ neque studenti prosunt, neque ignoranti nocent, è quorum numero qui exemeris, acriter disputantes. Utrum cancer ulceratus sit eminus contagiosus. ô Medicos verè umbratiles! ecquid enim verisimilius quàm tenue, ac fervidum, urentis cancri virus, contagium suum non magis propè, quàm longinquè dispergere? Quis exhalationi ipsius limitem præstituit? Quis cancellos posuit, intra quos permaneret coercitus, volatilis ille spiritus? Adrianæ Lambertæ, provectæ ætatis, post devoratam aliquot annorum molestiam, ulceratum mammæ carcinoma, ad eum pervenit putredinis gradum; ut halitu suo inficeret famulam, continenter operam ipsi navantem, & quidem eò majore labe, quo diutius suppetias tulerit, ac familiarius cum illa vixerit; è quibus conceptæ perniciei scintillis tandem exortum ingens incendium: quod ipsam non minus quam Dominam suam peffundedit. Insidente utriusque pectori, ac alis, tam fœdo, ac inæquali ulcere, ut aliquandiu animi penderem, utra illarum graviori excarnificaretur sævitia.

Quid quod mihi ipsi, solus fœtentis hujusmodi carcinomatis intuitus, præter insignem cordis defectum, aliquando guttur usque eò exulceraverit, ut non mercurio præcipitato tantum; verum etiam forfice quotidie opus fuerit, ad auferendas crustas à depascente veneno in faucibus excitatas, è quibus vel cœco apparet ulceratum cancrum non solùm cominus, verum etiam eminus contagium suum disseminare, ac proinde satius esse, fidem habere experimentis indubitatis; quam incautæ juventuti illudere, frivolis argutiis, atque excogitatis captiunculis, nè dicam subtiliter disserendo aditum intercludere, quominus perspicax mentis acies dirigatur ad meliora usu abunde comprobata. *Nicol. Tulpius Observat. Medicar. lib. 4.*

Anatomicæ Inspectiones.

Mulieri viduæ in mammilla sinistra tumor sensim excrescens prodit durus, quem alii scirrhum, alii cancrum esse indicabant, qui cùm diu durasset, tandem in abscessum conversus & suppuratus in ulcus abiens sanatus est, relicta cicatrice admodùm inæquali, labiisque duris &c.

Hæc tandem plurimis morbis labefactata è vivis excessit &c. mamma sinistra quæ scirrho laborarat, circa radicem scirrhosa, ut & circa papillæ radicem scirrhus erat; candidus, glandulam repræsentans. In costis vena lata nigricans latebat. *Platerus Observation. libro secundo pag. 503.*

Nob. Matr. in sinistrâ mammillâ læsa est; verùm quia parùm, aut nihil indè doloris sensit,

tanquam levius vulnus neglexit. Subsequentibus inde diebus loco affecto tumor quidam indolens ferè succrevit, qui tamen citrà negotium Chirurgi industriâ sublatus est, enatæ successu temporis complures pustulæ sunt, quæ in ulcera tandem terminarunt: sollicita Matrona de cancri successione Medico, sed Paracelsico se concredidit, qui deleteriis pharmacis potionatam necavit. Mammas mortuæ crucis in modum divisi, quarum caro dura admodùm nigrescens, sed non omnis putrida conspiciebatur. In utero dissecto materiam albam, lapidefactam, adeoque durissimam, ut vix cultro discendere licuerit, invenimus. *Ex clar. D. D. Georgii Garveri observationibus.*

Infanticida fœmina sextâ à partu septimanâ capite patratum scelus expiat. Sinistram mammam ex lacte coagulato apostema occupavit, quod ipsa natura exiguo facto foramine cœpit expurgare. Glandulis ad pectoralem musculum usque remotis inter has & musculum dictum magna puris copia sinum efformavit, illæso musculo. *Th. Bartholinus cent. 1. histor. 92.*

Vlcus & cancer colli matricis.

Quædam matrona cum bimestri spatio mensium suppressione laborasset, tandem exortus est dolor & inflammatio partium genitalium. Morbo propter verecundiam neglecto, abscessus & ulcus in collo matricis secutum est. Adhibito matricis speculo, ulcus callosum fœtidum, inæquale lividumque & ut brevi dicam cancrosum inventum est. Postea auctus dolor, aucta febris, inflammatio, Vigiliæ, cibi fastidium, & syncope & paucos post dies è vita discessit.

Cadavere dissecto, totum uteri collum planè cancrosum & exulceratum erat. Menstrua ex sanguine nimis crasso sæpè supprimuntur; fortè fortuna sanguis depluendus in colli vasculis substitit, præsertim in substantia ejus glandulosa; equidem hoc malum aliquando invadit mammas, glandulas salivales, aliasque partes glandulosas, interim ibi, corrupto sanguine, inflammatio, cancer, & ulcus factum. Cancer nihil aliud est quàm glandularum sphacelus, cujus sævitia vicinas partes non rarò quoque depopulatur. *Stephan. Blancard. Anatom. pract. ration.*

A gulæ carcinomate mors.

Cuidam succrevit humilis ac latus tumor, insidens firmiter lateri tracheæ paulo supra jugulum. Hinc respiratio & deglutitio impediebantur, ita ut nè gutta liquoris pertransire poterat, tandem emaciato corpore morti succubuit.

Denudata post obitum cute, ad instar carcinomatis, colore plumbeo, & radicibus undiquaque diffusus tumor, præsertim circa gulam, intus adeò concreverat, ut vix aciculæ majoris glandem admittebat.

Laboravit cancro glandulæ alicujus ad tracheæ latus communiter residentis: sæpe glandulæ immensum usque excrescunt, quæ partes vicinas premunt ut hic, si enim trachea & œsophagus liberum habuissent aëris transitum, nec deglutitio, nec respiratio læsa fuissent; cancer gangræna est alicujus glandulæ. *Stephan. Blancard. in anatom. pract. ration.*

Vir anno 22. horribili cancro in gena sedente infamabatur, vorante eo pro more ferali, ut tandem pomum aurantium mediocre sua cavitate monstrosè hiante haud ægre caperet; erat ei alioquin status corporis commodus, ut male habentis partis principis labes post multum examen argui à me vix potuerit. Hujus affectus incurabilis cura frustrà sperata chirurgo data fuit. Cancrum autem ex Hippocratis effato sacro melius est non curare, quam curare, curati enim, *ut inquit*, citius intereunt, id noverat Poeta *inquiens*.

Curando fieri quædam pejora videmus.
Ulcera, quæ melius non tetigisse fuit.

Post mensis circiter unius conatus studiosos & pro re nata prudenter audaces, repentina morte æger, absque ulla incidente causa periit. Subitum rei funestæ monstrum Chirurgum sollicitè movit, ut corpus secandum peteret, sic ut sensuum judicio pateret causa tam insolens casus miserrimi, ubi id obtinuit, me rei curiosæ impatienter avidum officiosè ad spectaculum rogavit. Apparuit statim cadaver parvis punctis, quæ pulicum morsus imitarentur, rubris quibusdam, aliis lividis, multis subnigris, ubique pictum; & dum ad sectionem omnia studiose disponuntur, animadverti sensibiliter se se explicare ea, novorumque nec non similium productione augeri: rei insolentia stupore aliquo commovit mirantem animum, sed cùm tacitè mecum ipso dubius discurrerem, notavi maculas eas in vesicas surgere separata ab adnatis carnibus cute, ut quædam nuces avellanas, aliæ nuces juglandes, æquarent, aliæ verò ovis gallinaceis magnitudine omnino non cederent, servato semper eodem colore, sed simul cùm omnia curiosè lustrarem, ulcus intuens vidi id fervente spuma repleri, & propiùs admotus audivi insuper iratum in eo murmur, atque sibilum non tacitum, utpote qui ab omnibus in hypocausto percipi facilè potuit. Aspexi Chirurgum, ut ille me, utrique plus stuporis quàm discursus erat, id ipsum imitatione fecit adstantium turba; mussitare dein dubiè omnes, timere tacitè, seseque cubito & pede modestè monere, aliisque tum oculorum, tum capitis, vel pro genio aliarum partium, gestibus invicem imperitè loqui; Ego interim furtim abrepto pallio me secretæ huic comœdiæ, ut suspicabar, non fidæ, subtraxi; tum illi loco imperantem Tribunum Plebis piè & ex officio monui, ut quàm diligentissime cadaver suspectum terræ daretur, idque loco quoad fieri posset remoto, altoque sepulcro perderetur, ne suspecti virus effluvium aëre omnia ambiente imbibitum, & passim ab hominibus respiratione miserè haustum, contagione, nec non deinde horribili propagatione latè omnia contaminaret; insuper variis suffimentis, & aliis alexipharmacis illi domui prospexi. Sed ubi pacato animo rem licuit otiosè ruminare, didici, Chirurgum, ut mali pertinaciam vi superiore frangeret, ulcus irrigasse liquorib. urentibus, qui conspurcatas carnes ederent, & intimiùs adnatum malignitatis characterem, cùm ferro secanti non pareret, ustione expungerent, eos autem à copiosis venulis erosione hiantib. bibitos, universæ massæ sanguineæ circulationis lege datos fuisse; inde tantâ effervescentiæ phreneticæ tempestatê derepente exortam, quam ferre delicatū cor citra momentaneam perniciem nequiverit, perditis

nempe

nempe spiritibus beneficis & modestis, supressaque barbare ebullitione religiosa vitalis ignis parente, quæ eum perenni similis materiæ fabricatione & effluvio sollicitè alit & fovet, ut vorax ignis parvum, exempli gratia, candelæ sibi vicinum absorbet & perdit; inde volatilitatione nimia tenuis & volubilis sanguis venis facile sese extricans, primò cutem triplici colore fædavit, postmodum, ut sensim aliqua quantitate fuit conglomeratus, eam in altum coegit: hinc pariter ex prurienti fervore in cancroso ulcere, nata spuma, natusque sibilus. *Ex commun. Dom. Nozzet Archiatr. Friburg. apud Helvet.*

CANIS RABIDI MORSUS
Vid.
VENENA.

CANTARIDUM VENENUM.
Vid.
VENENA.

CANITIES
Vid.
PILORUM MORBI.

CAPILLI.
Vid.
PILI.

CAPILLITIUM
Vid.
TRICHIASIS.

CAPITIS DOLOR.
Vid.
DOLOR CAPITIS.

CAPITIS HYDROPS
Vid.
HYDROCEPHALUS.

CARBUNCULUS, seu, ANTRAX.

Carbunculus seu Carbo ita dictus, quia extinctum carbonem refert, vel, (ut alii volunt) quia illius color in ambitu instar Carbunculi Lapidis obscuro rubore splendescit, Nominatur etiam *Anthrax* ab ἀνθρακόω *in Carbonem muto*, quia occurrit affecta pars extincta quasi & in Carbonem mutata; hinc Arabibus *Ignis persicus & Pruna* nuncupatur, quia non malè refert exustionem cum pruna ignita factam; vel ut mavult Galenus, quia vicinæ partes vehementer inflammantur, & quasi uruntur.

Nonnulli inter Anthracem, Carbunculum, & Ignem Persicum aliquam statuunt differentiam, cùm tamen re ipsa nihil differant neque Veteribus ullum discrimen fuerit cognitum: & Avicenna in curatione ignis Persici eadem præscribit medicamenta, quæ Galenus in carbunculi curatione commendat. Verùm nulla alia hic obtinet differentia, quàm quod modò major, modò minor, quandoque magis, quandoque minus malignus sit Carbunculus.

In cognitione autem Carbunculi graviter hallucinatum est inter Medicos. Galenus namque ulcerum ordini Anthracem annumerans *in comm. ad. Hipp. Aphor.* 45. *Sect.* 6. ait Anthrax est ulcus crustosum, cui *conjungitur multus partium circumstantium fervor.* & alibi: *Carbunculus est ulcus crustam cito cum valida Phlegmone circumstantium particularum inducens.* Hanc Galeni definitionem sequitur Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 25. Cui plerique posteriores Medici subscripserunt. Verum enimvero si Carbunculi essentiam curiosius indagemus, observabimus has definitiones ipsi non satis proprie accommodari. Etenim Carbunculus non est partis alicujus exulceratio, sed potius ejusdem Necrosis seu sideratio à particulis acri-salinis lixivialibus inducta. Est igitur *Carbunculus* partis alicujus gangræna, dum in fieri est; vel ejusdem Sphacelus, dum in facto est, quorum neutrum ulceribus annumerari potest. Sphacelum esse, & non ulcus, inde liquet, quia nullâ naturæ vi edomari, & in Pus converti potest Carbunculus, quod posset, si ulcus esset; sed integer à vicinis partibus separatur.

Præterea in *causis Carbunculi* adhuc gravius erratum est. Galenus *lib. de Tumor. pr. nat.* dicit, *Carbunculos excitari, cùm sanguis tanquam fervens & inflammationi propinquus cutem exurit.* Haud secus Aquapendens *Oper. Chirurg. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. scribit, *Carbunculum fieri à fluxione ferventissimi sanguinis ad partem.* Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 17. & Mercurialis *de Peste cap.* 18. putant, *illum causari à crassi & adustis* humoribus. Actuarius *Meth. med. lib.* 2. *cap.* 12. credit *eum oriri à sanguine Melancholico fervente.* Fernelius *crassum torridumque sanguinem.* Forestus *sanguinem corruptum, fervidum cum succo melancholico vel atra bile; Carbunculi causam* statuunt. Sed à veritate longissimè aberrant, & illi, & quotquot Hactenus illorum sententiis subscripserunt medici. namque Carbunculus, seu Antrax, est partis alicujus vel incipiens, vel perfecta mortificatio aut corruptio, à particulis acri-salinis lixivialibus, ac venenatis, critice in illam expulsis, orta; unde excitatur Tumor maximè adurens, & nigram crustam habens.

Ut plurimùm autem ab exili pustula, in ambitu inflammata, ac dolente, interdum à pluribus parvis Pustulis, quæ postea in unam vesiculam coëunt; aliquando sine Pustula incipit Anthrax. Dein pars affecta dolorem sentit pungitivum, & quasi constringitur; hinc paulatim magis magisque corrumpitur ac nigrum vel cinereum acquirit colorem, partes, quæ proximè Carbunculum circumstant, alterantur, haud secus ac in gangræna fieri solet; etiam valde inflammantur, acriterque dolent, quas natura, antequam mortificationis labes in illas quoque proserpat, suppurat, atque hac mediante suppuratione corruptam & emortuam

particulam, viz. Carbunculum à sanis separat, ejicitque.

Omnis Anthrax sua natura periculosus est, præsertim tempore pestilenti, quique niger est, parti principi vicinus, magnus & subito evanescens. Minùs verò lethalis est Carbunculus, qui primùm ruber, dein citrinus apparet. Qui livescit aut nigricat, neminem fere non jugulat.

In curando Carbunculo *purgantia* valdè mihi suspecta sunt, imò suspecta magis *venæ sectio*. Sed *Sudoriferis* & *Alexipharmacis* solummodò insistendum, quibus particulæ venenatæ acri-salinæ domenrur & per habitum corporis expellantur. *Topica* verò *Medicamenta ne repellant, sed potius foras trahant.* Itaque Locus affectus alte scarificetur, atque ne sanguis corruptus concrescat, liberiusque ut effluat, foueatur *Spiritu vini in quo dissoluta Theriaca*; dein superponatur Cataplasma.

♃. Farinæ Seminis lini ℥iß. coq. cum s. q. lactis dulcis recentis, & addendo croci pulver. ʒß. Vitellum unius ovi, Mellis q. s. F. S. A. cataplasma.

Sed quoniam Anthracis curatio exigit, ut quamprimum *promoveatur suppuratio & exitiosa mali prohibeatur propagatio*, præstans remedium sæpè est, ut *candente ferro pars affecta inuratur*. Neque enim dolor metuendus, quia caro emortua non sentit, finisque adurendi est, dum omni ex parte sensus doloris adsit. Sunt tamen qui eo horrendo nimis (ut dicunt) præsidio abjecto, *Cauterium potentiale*, aut *Vesicatorium* eligunt, quod utrumpue etiam conducit, quoties aut fortia fatis videntur, aut alio medio uti non licet: sæpiùs namque multisciorum ad stantium voluntati obtemperare cogitur Medicus, etiam cum damno Ægrotantis.

Hoc in casu Vigierius *chir. lib. 1. cap. 9.* ad malignitatem & virulentiam Carbunculi corrigendam, istud laudat remedium.

♃. Calcis vivæ, & non extinctæ ℥j. saponis q. s. formentur in formam unguenti solidi, & fiat emplastrum, quod Carbunculo applicetur per duas, tresvè horas.

CL. Sylvius *praxeos medicæ lib. 4. tract. 2. §. 690*, testatur, nihil se hactenus novisse, quod potentius ac certius, citiusq. serpentem Carbunculorum mortificationem sistat, quàm *Butyrum Antimonii*, si circumcirca illinatur parti affectæ, ad miraculum enim tunc sistitur partium omnium corruptio serpens, ac omnia depascens.

At verò Escaræ separationem promovet inunctum *unguentum basiliton*, vel *Butyrum recens*, vel id quod sequitur.

♃. Butyri insulsi ℥iß. unguenti Basiliconis ℥ß. Theriaces ʒj. Vitellum unius ovi M. F. S. A. Linimentum.

Barbette ad crustæ separationem commendat Emplastrum.

♃. Theriaces, Mithridatii an. ℥ß. Therebinthinæ, Fermenti acris an ℥ij. Mellis Rosarum ℥iß. Butyri rec ℥ij. Vitrioli albi ℥j. Fuliginis ℥iiß. Saponis nigri ℥iij. Croci pulver. ʒiij. Vitellos trium ovorum M. F. S. A. Emplastrum.

Nonnulli in principio curationis, omissa scarificatione, Carbunculo imponunt *Folium Brassicæ rubræ assatum, oleo raparum inunctum*; ac postea hanc vel similem applicant Pulticulam, sæpius eam permutando.

♃. Rad. consolidæ mai. pulver. fol. scordii pulver. an. ʒij. Farinæ Lini, Tritici, an. ℥ß. coq. paulatim in aqua pura, ut mucilagines solvantur & compositio ad pulticulæ crassioris consistentiam deveniat, cui adde Mellis, Therebinthinæ, Unguenti Apostolorum an. ℥iij. Picis Liquidæ, unguenti Basiliconis an. ℥ij. Croci pulverisati ℈j. Vitellum unius ovi Misceantur.

Vel *Pix Navalis & Liquida æqualibus partibus mixta, forma Emplastri imponatur, aut Emplastrum Diachylum cum Gummi.*

Carbone separato, & exempto, Ulcus aliorum ulcerum instar curetur, diligenter sc. abstergendo; quem in finem admodùm conducet *Mundificatum ex apio*, cujus hæc est descriptio.

♃. Succi foliorum apii depurati ℔j. vel ejus loco Absynthii, Plantaginis, Crassulæ an. ℥iiij. Thuris, Myrrhæ, Mastichis an. ℥ij. Therebinthinæ ℥iiij. Farinæ hordei, Fabarum, Orobi an. ℥iiß. Mellis optimi ℔iß. coq. Simul S. A. ad Spissitudinem mellis, & fit usui. Vel loco hujus mundificativi

♃. Fol. Scordii. pulv. ʒij. Vitellum unius ovi, Mellis, Therebinthinæ, unguenti Apostolorum an ℥ß. Misceantur.

Potest quoque hîc usurpari *unguentum fuscum felicis Wurtzii.* Sed notandum ulcera hæc nimis citò occludenda non esse, quin potiùs aliquandiu aperta servanda, ut venenata materies probe expurgetur. *Joann. Munnicks cheirurg. lib. 1.*

Pro Carbunculo Benigniore.

Primò secetur vena è directo partem affectam respiciens. Deindè supra locum affectum scarificatio rectè accommodatur, plagis ob succi crassitiem altioribus. Sunt qui præcipiant ipsos scarificatatus in crustaceo ulcere dùtaxat esse faciendos: ipsas verò incisiones aqua salsa calente statim perfundunt, ne in illis sanguis coëat, & concrescat, fed foras egrediatur. Interdum etiam erodens medicamentum imponunt; cujusmodi est Arsenicum, quod ea in re inter cætera principatum obtinet. Cœterùm laboranti particulæ valdè repellentia haudquaquam admoveri debent. Adhibenda quidem sunt remedia, quæ modicè reprimendo, etiam dissipare & digerere possint, cujusmodi est cataplasma ex arnoglossa quod sic paratur.

♃. Arnogloss. lentium, panis farinacei. an. part. æq. coq. in aquas his galla. *Avic.* addit. Alii ex foliis plantag. coctis, lente cocta, pane clibanite, & ol. rosac. conficiunt. (Panis clibanites ex *galeno* erat valdè laudatus, quoniam summa coctus diligentia, ita ut omni sui parte crustam referret) ut verò radicitus carbunculus divellatur ab adjacentium commercio, hoc sequen sprobatur.

♃. Malum punicum acidum; malum punicum dulce, hordei Mj. fol. plantag. Mij. coq. in posca, donec rumpatur hordeum; & contundantur. Postea adde pulpam mali cydonii sub prunis cocti, vel alterius mali acidi, & F. Emplastrum. Item nucis avellanæ veteris vel etiam non veteris medulla carbunculos maturat, & rumpit. Alii nucleos juglandis viridis idem posse contusos cum carnibus cydoniorum

rum vel aliorum malorum acidorum contendunt. Optimum autem fuerit perpetuo circunjacentibus partibus unguentum ex bolo armen, rosac. vel myrtaceo oleo, & aceto confectum inducere, ne scilicet intro, qui jam fluxit humor recurrat. Supra verò ipsum ulcus crustosum valens aliquod medicamentum, & quod vehementer exsiccet imponendum est. In communi usu est unguentum Ægyptiacum, si hoc parum proficiat, ad acriora & quæ ignis vires habeant deveniendum erit, cujus generis sunt radix dracunculi vel aristolochiæ ex aceto trita, & imposita, calx, arsenenicum, & Sandaracha. Hæc proficiunt satis, si protinus à viva corruptam partem resolvant: quicquid corruptum est & emortuum, quam primum avellere & radicitus extirpare oportet. Cæterum cogimur aliquando (victis scilicet malo medicamentis) malignum Carbunculum cauterio actuali extirpare: finis adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est; post hæc crusta ulceribus inducta auxiliis ad id accommodis resolvenda est, ut hoc emplastro.

♃. hord. frumenti an. ℥iij. decoct. malv. viol. rad. alth. an. q. f. butyr. rec. axung. suill. liquef. ct. an. ℥ij. F. Emplastrum, cui ab ebullitione remoto addantur duo ovorum lutea. Post ablationem locus mundetur & detergatur hoc medicamento.

♃. Terebinth. ℥iij. syr. ros. solut. ℥j. mellis ros. ℥v. bulliant simul. q. s. & ab igne ablatis addantur ovi luteum, farin. hord. & frumenti, an. ʒvj. M. purus factus locus implentibus medicamentis curari debet. Consolida major. inter duos lapides contrita, divino quodam (ut referunt) miraculo anthracem sanat, & ex toto intra diem unum interimit. *Petrus Forestus Schol. Obs. 2. lib. 1. Obs. Chirurg.*

Monialis quædam passa est Carbunculum in pede malignum, & sævum. Post multa frustra ab aliis tentata remedia, hanc ita sanavimus.

♃. Stercor vaccin ℔ j. ℥ij. ol. rosat. ℥iiij. croci, ℈ß. M. pro Emplastr. quod singulis tribus horis applicabatur tepide, hoc mitigatus dolor, extractus calor, remotus tumor, & morbus extirpatus est. *Martinus Rulandus curat. 83. cent. 10.*

Pro Carbunculo in muliere in inferiori labri dextri parte.

Ad eam secundo die vocatus venam tundere jubeo è directo partis, quâ malum infestabat, plurimumque sanguinis detraho, quod & bene habita, & ætate florens & viribus pollens ægra erat, loco deinde in quo carbo insidebat prius scarificato, tale imposui medicamentum.

♃. Vitel. ovor. numero ij. rutæ virid. & scabios. (à proprietate namque carbonibus prodesse omnes volunt) an. Mj. nucum sicca num. vj. acris fermenti ℥j. piper. ʒj. Pistentur omnia, & in formam cataplasm. reducantur. adm overi jubebam pustulæ: quod biduo carnem putrem à sana diduxit; item hoc altero usus sum.

♃. Succor. sumphit. maj. scabios. & calendul. an. ℥j. theriac. el. & veteris ℈iiij. (venenum namque ad se trahit) sal. ʒj. ovi vitell. duo, incorporentur simul & applicentur. hoc apud me arcanum est, nec me unquam fefellit.

Calendulæ namque succus mira proprietate ad carbones, pestilentesque bubones valet, ut *Alex. Benedictus* de peste testatur. Escharam porrò ex adipe suillo, butyro loto, farina triticea, cum basilicone unguento decidere feci.

Postea verò amota eschara, ulcus detersi hoc unguento.

♃. Succ. Calendul. absynth Scabios. & apii, an. ℥j. myrrh. el. rad. Irid. flor. aloes, sarcocoll. an. ℥j. (vel potius ʒj.) mellis rosac. ℥ij. F. Linimentum, optime detergit, & carnem generat. Locis circumjacentibus repellens hoc adhibui.

♃. Unguenti de Bolo ℥vj. omnium santal. ℥iß. pulv. myrtill. & ros. an. ℥ij. ol. ros. & myrtin. an. ℥iß. aceti rosac. ℥j. album ovi numero j. agitentur simul. F. Linimentum. Hisce integre sancta fuit, sed deformis remansit contorto ore. *Franciscus Valeriola Obser. 3. lib. 6.*

Pro Carbunculo Pestilentiali.

Ut virulenta materia tuto & cito suppureretur, necessarium erit, ut Angeli Salæ emplastrum attractivum ruptorium pestilentiale sit in promptu, quod ita fit.

♃. Gummi sag. pen. ammoniac. Galban. an. ℥iij. terebinth. coctæ, ceræ virgin. an. ℥iiijß. magnetis arsenical. superi. pulver. ℥j. rad. aronis pulv. ℥j. gummi depurentur cum aceto scyllitico & ad consistentiam emplastri coquantur; & postea ponderentur; deinde cum rebus aliis F. S. A. Empl. str. quod excellentissimum & specificum est ad extrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extra; præcavendo, ne vicissim ad interiora regurgitet, & cor ipsum suffocet, ut credam inter omnia topica simile remedium non inveniri.

Hoc emplastro Carbunculus obducatur quod paucis horis venenum extrahet. Præparatio magnetis arsenicalis antea dicti talis est.

♃. Arsenic. cristalin. sulphur. vivi, antimon. crudi, an. part. æq. hæc tria in mortario ferreo pulver. dein in vase fortissimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incalescat, & prædicta solvantur atque liquentur instar picis quod observabitur, quando filum quoddam immittatur ad fundum, quod extractum postea instar terebinth. trahetur, ubi satis coctum erit. Postea remove vitrum ab igne, & ubi refrigeratum est, rumpe, & subtiliter petram istam rubicundam, quam invenis, pulverisa, quam ad usum serva ut supra. *Gregor. Horstius Observ. 32. lib. 7.*

CARCINOMA
Vid.
CANCER.

CARDIACUS MORBUS
Vid.

CARDIALGIA.

CArdialgia, *Cardiaca passio*, *Cardiacus morbus*, *Cardiogmus*, *Cardiaca & Stomachica exolutio*, habentur plerumq pro synonymis, licet fortassis quidã aliquam differentiam inter ea posuerint, vel ratione graduum, vel ratione subjecti morbi; Est autem *Cardialgia* vehe-

mens ac propè intolerabilis orificii ventriculi sinistri præcordiorumque in genere dolor, cum gravissimis quandoque aliis symptomatis, cordis nimirum palpitatione, animi deliquio, nausea, vomendi conatu intensiori, immoderato sudore thoracis in specie, cervicis, & capitis nec non & febre inordinata ac symptomatica, imò epilepticis etiam insultibus. Dicitur autem hic morbus *Cardialgia*, aliisq; nominibus à Cardia desumptis insignitur; quia etiam si vox illa unde ethymologia hujus morbi deducta est Cor propriè significet, interim tamẽ quia sinistri orificii ventriculi dolor cor in consensum trahit, ac lypothymias, syncopes, virium exolutiones aliaque cordi propria symptomata procreat, propter nervos illic abundantissimos & in rete densissimum divaricatos cum cordis nervis communionem habentes, seu potius propter maximam sensibilitatem à nervorum copia ortam, cor, quasi pars princeps, ab ejus affectionibus, ut & ab aliis omnibus vehementioribus in toto corpore excitatis, ita læditur, ut illud primario & præcipue affectum credas.

Pars itaque *affecta* nec est Cor, nec ejus capsula, Pericardium dicta, sed orificium ventriculi sinistrum, superius male forsitan dictum. Quæ pars ita nobilis est ut si vel levissimo vulnere attingatur mors necessario sequatur, imò exemplum habeat Bartholinus de ictu illius regioni fortiter inflicto qui lethalis fuerit: unde etiam illic animæ sedem collocaverat Helmontius. In exterioribus autem scrobiculus cordis illi respondet. *Causa proxima* est insignis læsio sinistri stomachi orificii; vel per flatus in visceris cavo oberrantes illudque cum suis orificiis summa cum molestia distendentes; quales flatus sunt familiares in febrium intermittentium paroxysmorum principio; vel per excrementa quæcunque acria in stomacho stabulantia illic que fermentescentia, ac in specie pituitam viscidam & acidam quæ ventriculo ejusque orificio sinistro imò inter ipsius tunicæ nerveæ fibras agglutinata, illum rodit & quasi perterebrat. Huc referri etiam possunt biles illæ quarum alia porracea, alia æruginosa dicitur, in quibus acidum intensius, vel à pancreate vel aliunde advectum reperitur; Vel per lac quod acorem contraxit, unde infantibus qui hoc vescuntur alimento familiaris est cardialgia, ut & adultis qui dum lac frequentius ebibunt ab acidis intensioribus tamen non abstinent, Vel per vermes ab intestinis in stomachum evectos, illiusque orificium morsibus suis affligentes. Observationes etiam habentur particulares eorum quorum alius assumta solutione cosmetici mercurialis loco emulsionis amygdalarum, alius arsenico propinato, alius hirudine cum potu deglutita, alius devorata anguilla viva &c. cardialgiis vehementioribus fuere vexati, donec materiæ hæ aut malignitate, aut pondere suo molestæ è ventriculo vi remediorum fuissent deturbatæ.

Variat autem hic morbus, symptomataq; nunc pauciora nunc plura habet adjuncta, prout causa illius effectrix intensior aut remissior fuerit. Aliquando enim acidum prædictum austeritate etiam peccans eo erit in gradu, ut anxietates tantum stomachi quæ sunt cum angustia in partibus scrobiculo. cordis & præcordiis subjectis, cum inquietudine, & jactitatione ac volutatione in lecto, at veram cardialgiam procurare non valeat. Aliquando eo acrimoniæ humor acidus, aliaque acris (in quo morbi causa,) evectus est, ut morbum atrociorem, imo si intimius visceris membranis adhæserit, ut à focis suis continuo in stomachum elevetur ut depluat, pertinaciorem; aliquando vero nec ita acris nec ita agglutinatus nec ita perpetuus ut symptomata alia quam mitiora ac minus durabilia inducat.

Signa diagnostica ex suprà dictis satis innotescunt; attendendum tantum ne cardialgia propriè dicta cum symptomaticis illis quæ vel à remotus vel ab aliis partibus, per consensum oritur, confundatur. Videndum præterea ne dolor ille qui in coli intestini parte ventriculo substrat quandoque sentitur pro cardialgia vera hebeatur, de quo præterquam pluribus signis, injecto etiam quandoque simpliciter clystere sæpius constabit.

Prognostica verò quod spectat, sciendum est *Cardialgiam* per se & simpliciter leve esse malum, sed si acerbior ac diuturnior fuerit, propter symptomata adjuncta ea afflictos in non leve periculum conjici, præcipue si motibus epilepticis aliisque gravioribus associetur. *Symptomatica* præterea *Cardialgia* quæ a febribus malignis originem trahit mali semper est ominis.

Curationem & Indicationes Curativas vide in sequentibus e variis Autoribus abundè explicatas.

Curationes, Consultationes, & Observationes è variis.

Curationes.

Curatio hujus affectus pro causarum varietate maxime est varianda si enim ab aliarum partium affectibus oriatur, illorum affectuum therapia adhibenda est. si vero in ipso ventriculo causa stabuletur, dolor vel a flatu, vel ab humoribus acribus & biliosis vel ab inflammatione, abscessu aut ulcere procedit.

Qui à flatu generatur curandus est remediis discutientibus, & evacuantibus flatulentam illam materiam, tum etiam pituitam à qua flatus concitantur.

Ac Primùm injiciendus est clyster emolliens, & laxans, cui statim succedat alter carminans & discutiens ex decocto fol. origani, calamenthi, pulegii, rutæ, centaurii minor. sem. anis fœnic. dauci, cumini, & similium. Inquibus dissolvatur benedicta laxativa, ol. anethinum, rutaceum, mel anthosatum. Si dolor perseveret, ex oleo rutæ aut nucum & vini generosi aut Hippocratici partibus æqualibus clyster erit componendus. addendo aquæ vitæ ℥ij. vel paretur clyster ex vino albo cum olei juniperi, aut cinam. aut caryophyl. chymice extracti gutt. viii. qui miraculi instar liberat. Posteà admoveatur fotus sequens regioni stomachi.

℞. Rad cyperi, galangæ, calami aromat. ana ℥j. fol. menthæ, origani, pulegii, majoranæ, hyssopi, salviæ, ana m. j. sem. anisi, fœniculi, carui, dauci, & baccar. lauri, ana ℥ ß. flor. camom.

momill. meliloti, anthos, & lavendulæ, ana p. j. contundantur, & incidantur, includanturque duobus sacculis, qui bulliant in vino generoso, dein expressi, ventriculo, & toti ventri alternatim admoveantur.

At in materia minùs frigida potest parari fotus sequens, maximè laudatus à Foresto, ut qui reliquis remediis non conferentibus, ægrum à dolore citissime liberaverit.

℞. Rad. althææ ℥ ß. rosar. rubr. flor. cham. summitatum absinthii, ana m. j. coquantur in aqua communi, & chamæm. ad ℔. j. sem. in fine addendo vini rhenensis opt. aquæ rosac. & aceti, ana parùm; fiat fotus.

Post fotum fiat illitus ex ol. rutaceo, & anethino mixtis cum aqua vitæ, quibus aliquid addatur ol. salviæ, aut caryophyll. chymice extracti.

Post inunctionem admoveatur emplastrum de baccis lauri; vel ejus loco cataplasma ex melle & semine cumini.

Interim dum hæc fiunt, si nausea adsit, excitabitur vomitus blandiori vomitorio, aut catharticum exhibebitur pituitam evacuans.

Purgato corpore exhibeatur ol. amygdal. amar. recenter extract. & cum vino albo mixtum: aut vinum Hippoc. aqua clareta, vel aqua cinnam.

Julepus sequens ad dolorem sedandum, flatus discutiendos, pituitam detergendam, & ventriculum roborandum efficacissimus est.

℞. Fol. absinthii vulg. centaurii minor. & agrimon. an. m. sem. coquantur ad ℥ v. in colat. dissolv. sacch. albi ℥j. capiat mane per biduum.

Amatus Lusitanus valde commendat aquam è florib. chamæm. destillatam, tanquam præcipuum, leniendis ventriculi & intestinorum doloribus, auxilium; cujus ℥ iij. calide exhibeantur. Vel in aquæ illius penuria, decoctum flor. chamæm. usurpari poterit, maximè laudatum à Foresto: qui se mercatorem quendam, ingenti stomachi dolore affectum cum insigni clamore, hoc solo decocto semel exhibito, curasse refert. Quo epoto, emissis ructibus in sudorem solutus est, & incantamenti instar omnis dolor evanuit, ut nullis aliis præsidis opus fuerit. Ex hoc autem decocto, cum semine anethi parato, aut etiam agarico, vel radice asari; dissolvendo oxymel, syrupum acetosum, aut rosatum solutivum, parari potest vomitorium ab initio morbi exhibendum, quod evacuando mitigare dolorem poterit.

Docet Galen. cucurbitulam ventriculo admotam illius dolores citissimè resolvere instar incantamenti. Hæc tamen cautio adhibenda est, ut nihil aut parùm humoris crudi in ventriculo lateat, alioqui dolorem intendit.

Utiliter etiam admoveri potest eidem parti panis recenter è furno extractus, per medium sectus, tum per se, tum pulveribus aromaticis conspersus.

Tandem dolore pertinaciter adhærente, confugiendum est ad balneum ex decocto herbarum emollientium, & calefacientium, quod tutissimum & efficacissimum est; flatus enim diffundendo, & per poros apertos resolvendo, à dolore liberat. Quod citius efficietur, si in ipso balneo remedium aliquod discutiens ægro exhibeatur. Concurrente enim utroque præsidio, tum interno, tum externo, opus ritè peragitur.

Balneum esse debet valdè calidū, ut facilius flatus discutiantur, & humores crassi colliquentur.

Quòd si propter doloris vehementiam clysteres vel injici, vel retineri nequiverint, in ipso balneo catharticum propinandum est, & in eo per horam integram aut dimidiam immorandum, donec vis cathartica ventriculum, & viscera attingat.

Aliquando autem, ubi ex doloris vehementia periculum imminet, ad narcotica est confugiendum. Quibus prudenter exhibitis, admirandus non raro subsequitur effectus. Nonnulli etiam cum purgantibus narcotica permiscent, ut simul & dolor sedetur; & materia peccans educatur; quale est medicamentum Elidæi à Foresto laudatum, quod sic habet.

℞. Diaphoen. ℥ ß. philonii rom. ℈ ij. cum aqua vel decocto chamom. fiat potio.

Dolore prorsus sublato, in iis qui ei sunt obnoxii semel aut bis in mense purgatio iteretur, ut proxima flatuum causa auferatur: tum remedias roborantia usurpentur. Qualia in læsæ concoctionis curatione proposita sunt.

Qui vero à bile dolor excitatur, curandus est humoris peccantis evacuatione, vomitorio blando, aut cathartico medicamento, aut clysteribus sequentibus, emollientibus quidem, non acribus, aut calefacientibus.

Postmodum demulceatur humorum acrimonia julepis refrigerantibus & incrassantibus, emulsionibus semin. frig. major. lacte recenter mulcto, oleo amygdal. dulcium recenti, vitellis ovor. & similibus.

Interim non omittantur opiatæ, aliaq; roborantia, in superioribus curationibus descripta.

Ac tandem necessitate urgente, ad narcotica confugiendum est.

Extrinsecus admoveatur cataplasma ex mica panis in lacte decocta, additis vitell. ovor. & croco.

Vel admoveatur panis recenter ab igne extractus, per medium sectus, & in aceto madefactus.

Vel foveatur eadem pars decocto flor. cham. viol. & nymphææ, aut quod multò præstantius, demergatur æger in balneum, aquæ tepidæ, id enim ad hujus affectus curationem præcipuam vim obtinet.

Dolore sedato; si fortè reverti contingat, æger purgabitur bis in mense, & viscerum intemperies calida corrigetur victu refrigerante, & remediis convenientibus.

Qui verò dolor fit ab inflammatione, abscessû, vel ulcere, remediis in sequenti curatione proponendis oppugnabitur *Lazar. River. Pract. Medic. lib. 9. cap. 10.*

In cardialgia incipiente vel paululum durante curanda, vomitus, si promoveri possit utramque absolvit paginam. Vomitus ergo ab aqua bened. Gillã Theophrasti procuratus facillime solvit.

Inveteratum præsertim apud senes, tandem aufert (vomitiones apud senes non satis tutæ) syrup. de chamom. melius est arcanum de chamom. præsertim romana, si in aqua menthæ quotidie exhibeatur usque ad declinationem morbi.

Forinsecus applicentur epithemata ex emollientibus & dolorem auferentibus chamomilla, malua. Præstantissimum est in hoc casu oleum chamomillæ sapphiricum Turnheuseri

(quod fit, si floribus chamomillæ addatur aliquid Terebinthinæ cyprinæ in aqua dissolutæ, & postea per vesicam destilletur.) in aqua menthæ vel chamomillæ, aut floribus sambuci, aut foliis prunellæ sylvestris datum gutt. iiij. v. vj. *Joann. Harthmann. in Prax. Chymiatr.*

Ad curandos hos stomachi dolores sola purgatio nostra antimonialis sufficit, purgatoque sic à causis illis præternaturalibus ventriculo, roborandus est oleo anis. aut cinamom. vel aqua cinamom. sive sequenti etiam electuario.

♃. Corticis citri conditi contusi & aqua cinamom. dissoluti ℥v. olei anis. ʒj. olei cinamom. ʒß. Mosch. & Ambr. ana gr. vj. M. f. Electuarium, quo post purgationem utatur æger ad quantitatem ʒß. summo manè jejuno ventriculo. *Joann. Petr. Faber. in Patholog. Spagir. ex Langii Pathologia animata.*

Si a malignitate ortus fuerit iste stomachi dolor, illis remediis ex voto expeditur, quæ putredinis excellentiæ potenter resistunt, & animatam eam desubito mortificant. Sin verò ab acrimonia nidorulenta seu aciditate humorum putrilaginosa provenerit, præsentissimum exhibebunt adiumentum, ea quæ vim tam mascule præcipitandi, quàm etiam radicitus recrementa illa expellendi habent, quam ob causam emeticum hoc famigeratum ex antimonio confectum fundamenti loco præmittendum erit, & postea præcipitantium usus, quorum nomina (uti sunt verbi gratia pulvis Marchionis, sperma ceti, magisterium eboris, corallior. oculor. cancr. Tinctura Tartari &c.) jam memoriter nobis ex superioribus constant, subjiciendus. His ita observatis fragrantia & aromatica etiam ut pote quibus archeus ventriculi singulariter delectatur, specificè convenire & adpropriatum habere locum pariter concedimus; unde illa quoque medicamenta, quæ autor curando huic affectui consecravit, omninò multùm tunc pollere confirmamus. Oleum enim anisi egregiè discutit excrementitii humoris impactum vitium, atque Saburram istam in ventriculo collectam blande ejicit, imo stomachicum per se audit. Citri cortices putredinem oppidò compescunt, eamque si animata sit illa, ex sententia fugant. Aqua chamomill. & oleum stillat. ejus singulares tunc sibi vindicat laudes, quòd affectissima virtute dolores mitigare valeat; unde etiam extrinsecus & quidem in dorso præcipuè, utpotè cujus oras stomachus potissimùm occupat (quod Practico bene notandum) regio ista Oleo chamæmelino, cui guttulæ quædam, de distillato ejusdem oleo sunt instillandæ, exoptato cum fructu inungi solet. A vulgo contra hoc malum usitatissimè expeti unguentum potabile quod butyrum rubrum alioquin vocatur, solet, quo scrobiculum cordis inungunt mulierculæ; imo ad intra etiam inutiliter non accipiendum porrigunt: Habet enim efficaciam efficaciter dissolvendi ac discutiendi, sicuti etiam castoreum & sperma ceti tanquam nobiliora ingredientia istius remedii præstantiam faventibus argumentis affatim statuminant. *Ex Langii animadversionibus in eundem.*

Hypochondriorum inflatio, seu Cardialgia curatur usu enematum carminativorum ex Decocto carmin. &c. Præter clysteres tamen ad flatus discutiendos aq. Carminativa Dorncreilii prodest, vel semen anisi grosso modo incisum, ut videre est apud *Heurnium Comment. in Aphor. Hippocr.* Externe emplastrum card. Schroderi cum ol. destill. Angelicæ. Potest etiam misceri cum ol. chamomillæ, quod est singulare secretum. Mulieres unguentum rubrum commendant, sed præfertur ei unguentum prædictum cardi .cum. *Pro purgandis pueris* Non datur præstantius medicamentu Mechoacanna, quæ educit simul vermes, sine odore, & sapore est, darique commode potest in pulte. *Joan. Michael in praxi clymic. gener.*

In Cardialgia imprimis *removenda causa irritans aut lædens stomachum, sive sit interna sive externa. placandus est dolor tam appropriatis expertis* quam intermistis *Opiatis.*

Primò quidem ad removendas causas notum est quod optima sint *vomitoria*, quæ Amatus Lusitanus, Faber, & omnes authores ubi necessarium commendant, præ cæteris tamen *vomitor. Antimon.* præcellunt, quæ inter sunt *Aq. benedicta* Hartmann. aut Rulandi. Vel quidam solent commendare, si *vinum absinthites infusa datur in poculum vomitorium* Rulandi, cujus descriptionem habebitis in collegio Jonstoniano D. Mich. est admodùm elegans hoc poculum.

Post vomitoria se offerunt *purgantia*. Cæterùm quoniam purgantia & ipsa ventriculo inimica facile possunt exasperare malum propterea convenientissimum est, ut iisdem *Opiata* addantur, ut etiam opiata omnium humorum excretiones sistant, & etiam hypercatharses removeant, nihilominus tamen convenientibus purgantibus mista eadem blande & suaviter, nec adeo vehementer operari faciunt Hujus rei alias horrenda prostant vestigia; nam ut plurimùm habuerunt hanc formulam.

♃. Elect. Diaphænic. ℥ß. (quod etiam purgat) Philon. roman. ℈ij. (ex capitibus papaver.) misc. fiat Electuar. quod purgat blandè & simul dolorem sistit, de quo videre potestis Riverium *in sua praxi ac* Scholzium *in consil.* 114. Verum quoniam talia Electuaria sunt nauseosa commodius a modernis præscribitur talis formula, quæ etiam in colic. est proficua.

♃. Mass. pilul. Aloephang. c. scam. gr. xv. v. ℈j. Laudan. opiat. gr. ij. c. s. q. Essent. Absinth. F. l. a. Pilul. *Purg.*

Certum est quod admodùm convenienter possint *permisceri opiata cum purgantibus* observata cautela, ut si volumus purgare tunc temporis, quando admiscemus opium dosin purgantis nonnihil augeamus, ne supprimatur omninò minor purgantis dosis. Conveniunt *purgantia opiata* imprimis, iis qui laborant *intestinorum doloribus*, aut mulieribus, quæ ex levi purgatione *suffocationi uterinæ* sunt obnoxiæ. Item convenit talis mixtura *iis qui facillimæ sunt solutionis alui*, quemadmodum reperiuntur quos gr. vj. scammon. octies purgant; in his enim remora injicitur purganti. It. convenit hæc mistura iisdem, qui acidis aut corrosivis succis abundant in specie scorbutico hypochondriacis: in his enim ex medicamentis purgantibus ob succos crudos & acidos supervenimt satis horrenda & gravia Abdominis tormina, hoc ne

fiat

fiat commodè permiscetur opium, aut saltem die uno aut altero cum digestivo præmittitur. De hac Mistura vid. unice agentem Hoferum in Hercul. med. p. 124. sicuti moderni Belgæ Sylvius & ejus discipuli utuntur tali mistura Opii cum purgantibus. Poterius curavit aliquandò Cardialgiam aliis omnibus reluctantem per suas Pilulas Catholic. cent. 1. cur. 24. habet exemplum de dolore ventriculi intentissimo periodico quotannis certis temporibus, certisque diebus redeunte qui aliis quam plurimis irritis tandem à Poterio curatus fuit per pilulas catholicas quæ sunt hæ, & prostant in Pharmac. spagir. vid. ejus cent. 1. cur. 24.

♃. Aloës succotrin. ℥ß. myrrhæ ʒ ij. mastich. ʒj. croc. orient. ʒß. magnes. saturn. meteorisat. ʒ j. cum syrupo rosar. solutiv. f. massa cujus dosis à gr. 15. ad 24.

Valdè commendat has pilulas. Magnesia saturnina meteorisata, sunt flores antim. correcti ita ut per inferiora purgent: magnesia saturn. est antim. per meteorisationem intelligit flores. Aliàs si cardialgia oriatur à flatibus aut exhalationibus ex effervescentia humorum in intestino duodeno obvia; (Nam succus pancreaticus & bilis commisti dum effervescunt, halitus acres in stomachum mittunt, uti contingit in febribus intermittentibus) in tali casu injiciatur clysma ex carminativis, ex iis nempè quæ flatus discutiunt & blandè intestina abstergunt. Exemplum talis clysmatis sit hoc.

♃. Radic. angelic. ℥ß. fol. origan. puleg. calaminth. an. m. j. flor. chamom. roman. aut vulgar. m. ß. sem. anis. fœnicul. dauc. an. ʒ j. baccar. laur. ʒ iij. egregiæ sunt carminativæ, coqu. in s. q. aqu. simp. colat. ℥ ix. add. electuar. de bacc. laur. lenitiv. an. ℥ ß. v. ʒvj. olei destill. anis. fœnicul. chamom. an. gr. v. vitell. ovor. num. j. misce pro clysmate injiciendo tepidè.

Riverius habet *clysmata* in tali casû ex solo vino albo cum oleis destillatis carminativis parata, quæ non sunt inelegantia.

Quæstio est *an ven. sect. conveniat*: quæ negatur, per se enim nihil adfert adjumenti in cardialgia tollenda; ergo quando prosunt exempla curatarum cardialgiarum per ven. sect. sunt potiùs exempla casualia, quam ex lege artis exhibita; exemplum tale habet Riverius cent. 1. observ. 44. de dolore vehementi ventriculi & lienis regionem occupante, aliis omnibus irritis ven. sect. tandem fuit curatus. Pertinent huc etiam exempla Thoneri *in observ. p.* 135. de dolore ventriculi immani & ingenti in plethorico aliis irritis ven. sect. subitò incantamenti instar curato, idque propterea quia tantùm adfuit suspicio inflammationis stomachi quæ tamen non est sufficiens. Aliàs *quæ conveniunt in cardialgia remedia*, quæ post purgantia ventriculum placant & dolorem sedant, sunt *aromatica blanda*: præ cæteris radix angelicæ & enulæ campan. fœnicul. caryophillatæ. Denique herba chamomillæ vulgar. & romanæ, quæ sunt expertissimæ in cardialgia, & non habent remedium in hoc passû illis conferendum: imprimis flores harum camomill. conveniunt. Sanè Amat. *Lusit. cent.* 5. *cur.* 39. vix sufficienter potest commendare aq. camom. destillatam in cardialgia si ad ℥ iij. propinetur: decoctum camomill. vulgaris ceu expertissimum commendatur à Foresto; essentiam paravit D. Mich. ex floribus cum spiritû vegetabili carminativo, spiritu vini à specificis seu simplicibus carminativis abstracto, quæ essent. à gr. 20. ad 30. propinata in affectibus stomachi & cardialgiæ erit convenientissima & elegantissima. Solet etiam destillari ol. saphirinum ex chamomilla vulgari & romana cujus paucæ guttæ cum vino interiùs assumptæ, cum aut oleo nucis moschatæ destillato, exterius illitæ admodum sunt convenientes ad tollendam cardialgiam. Post chamomillam conveniunt hyssopus, summitat. anethi & ordinaria mentha, item flores anthos seu rorismarini & flor. Verbasci, qui sunt singulariter anodyni. Hinc etiam cortices citri, & aurantiorum & ex his parata elexyria: elexyr. citri & aurant. Ex his simplicibus destillatæ aqu. chamomillæ, flor. sambuci. hyssopi, & cinam. conveniunt.

Vinum absinthites similiter est utile, uti etiam ad dolorem acrem vinum in quo decoquitur nux moschata, quod admodum commendatur à Stockero in praxi ad dolorem acrem. Spiritus vini seu spirit. anisi experimentum est Lindani, qui insigniter commendat spir. stomachalem Mynsichti & itidem est expertus essentiam chamomill. à ʒß. ad ʒj. in urgente casu potest propinari Exixir menthæ. Si percipiatur simul ardor in regione stomachi, tunc commodè permiscentur his appropriatis temperatè acida, quæ ardorem refrænant, quæ interest rob & syrupus cydoniorum it. syrupus acetositatis citri, it spir. vitrioli, & similia. Denique internè olea destillata sunt admodum convenientia. De oleo chamomillæ dixi: huic simile est ol. carui & succini destillatum de quo postmodum: it. ol. anisi & cumini.

Subsequuntur denique ea quæ dolorem tollunt sensum imminuendo in stomacho, qualia sunt papaverina: veteribus in usu fuit philonium romanum ad ℈ j. item pilulæ de cynoglossa ad ℈ß. modernis in usu est laudanum opiatum cum decocto flor. chamomillæ usurpatum.

Cæterum sit formula contra dodorem stomachi.

♃. Aqu. chamom. destill. ℥ iij. succi cydonior. ℥ j. essent. chamom. roman. ʒiij. elixir. menthæ ʒ i ß. olei destill. chamom. gr. vj. laudan. opiat. gr. iij. Sirupi de hissop. ʒ vj. dos. cochl. ij. m. f. mistura dolor sedans.

Vel ♃. Essent. flor. chamom. roman. ʒ ij. menth. spirit. anisi an. ʒj. anodyn. s. solut. opii in spir. vin. ʒj. perinde enim est sive in forma sicca sive liquida adhibeatur. f. essent. dolor sedans, dos. 30. ad 40. gtt.

Elegans casus est quem habet Thonerus in observ. p. 136. de dolore ventriculi punctorio, qui fuit curatus per ℥ii ß. olei amygd. dulcium in jure Galli propinato, quo facto intra 3. horas acicula per vias urinarias fuit excreta, & exindè dolor omnis subito disparuit. Facit huc etiam quando oritur dolor ex deglutitis frustis vitri, & conveniens est ut usurpetur pulpa ex milio aut oryza facta, eaque non nimis fluxilis, sed aliquantisper spissa, quæ absumitur absque

sub

subsequente potû: sic enim fit, ut huic pulti involuta frusta vitri vel aciculæ aut similes res acutæ citra noxam ex ventriculo per pylorum dilabantur. Idem Thonerus citato loco duo exempla habet curatorum à vehementissimo totius abdominis itemque ventriculi dolore per v. gt. ol. carui destill. & eodem loco habet exempl. doloris stomachi, qui per intervalla præsertim à cibo assumpto, usque ad scapulas se extenderit, qui dolor insignis subito fuit curatus v. gt. ol. destill. succini.

Sic Zacutus Lusitan. l. 2. Med. Princ. histor. 58. Observat. 10. habet de importuno ventriculi dolore, potu vini absinthitis curato. In doloribus senum aut etiam in doloribus stomachi, in dejectione virium elegantes sunt istæ Pilulæ Poterii, quas recenset in cent. 3. cur. 30. ita.

℞. Ambræ gryseæ gr. ij. mosch. croc. orient. an. gr. j. opii thebaic. rit. præp. gr. iv. misc. f. l. a. pilulæ, quæ in senibus & viribus dejectis sunt convenientissimæ.

Idem Poterius citat. loc. curat. 31. habet exemplum doloris ventriculi aliis omnibus irritis tandem decocto ligni sassafras per 20. dies curati.

Quod attinet externa inter hæc sunt imprimis olea; ol. chamomill. destillatum & infusum, mastich. nucis mosch. nardinum: it. ol. stomachale Cratonis. Hinc balsam. peruvianus ut & ol. destill. macis, caryophyllorum, & guttulæ quædam olei destillati cinnamomi.

Modus præscribendi est hic. ℞. Ol. chamom. dest. ʒ j. balsami peruvian. ʒ ß. ol. mac. caryoph. an. ℈ß. vel gr. xv. nuc. moschat. expr. q. l. misc. f. balsamus. Quo inungatur regio stomachi.

Post olea usitata sunt emplastra regioni stomachi applicata: quæ inter elegans est emplastrum carminativum Mynsichti; it. si suspicio sit flatuum emplastrum de baccis lauri.

Reliquis externis omnibus præferenda tacamahaca, in forma emplastri regioni stomachi applicat.. Experientiam hujus certam factam videbitis in Poter. cent. 3. cap. 32. Et quod etiam fuit in frequenti usu D. Michael. Præscribitur vel simpliciter ita.

℞. Tacamahacæ, q. v. subigatur in mortario calido inducatur super alutam & obducatur syndone rubra in forma emplastri stomachalis.

Melius videtur si tacamahacæ & ceroti stomachalis ana misceantur, & cum ol. stomachali Cratonis subigantur in formam emplastri.

Ipse Poterius in ejusdem Pharmac. Spagyrica excellens nobis præparat emplastrum stomachicum ex tacamahaca hâc formâ.

℞. Ol. mastich. destillati ℥ß. menth. absinth. nucis moschat. caryophyll. an. ʒ j. gumm. tacamahac. ℥ i ß. ceræ citrin. ℥ iv. misc. fiat cerotum de quo accipiatur q. s. pro scuto stomachali.

Quæ dicuntur de tacamahaca eadem & similia dici possunt de gummi carannæ, quod & ipsum in similibus casibus est elegans. Aliàs videatur quod attinet naturam gummatis carannæ & tacamahacæ, Monardes de simplicibus commentario in Clusium p. 318.

Fotus itidem externè applicantur in cardialgia, iique duplici sub forma: aut ut species coquantur in aqua & aceto aut in vino, & illud decoctum pannis linteis triplicatis aut quadruplicatis applicetur stomacho: vel ipsæ species insuuntur sacculo, coquuntur parumper in aqua vel vino, & ita sacculus applicatur regioni stomachi subinde renovandus.

Fotus potest esse talis quem commendat inter alia Forestus in lib. 18. obs. 22.

℞. Absinth. com. & roman. flor. chamom. rosar. rubr. menth. ana m. j. semin. sumach. myrtillor. an. ℥ß. flor. melilot. p. ij. coq. in s. q aqu. commun. colat. ℔ ß. adde specier. diarrhod. abbat. ℈ ii ß. aromatic. rosat. ℈ j. aqu. rosar. ℥ ij. acet. rosacei ℥ß. ebulliant. fiat fotus pro ventriculo. Sacculi fiunt meliores ita.

℞. Flor. chamom. roman. comar. absinth. herb. menth. majoran. an. m. j. sem. anis. fœnicul. carui. dauci. an. ʒ v ß. baccar. junip. contus. ℥ß. concis. & contus. impleatur sacculus interpassatus. region. stomach. applicand. vel siccus, vel coquatur in vino aut aqua & applicetur subindè renovando.

Sin verò sit cardialgia à refrigeratione corporis externa, & indè ortis flatibus, tunc conveniens est simplex quidem, sed admodum bonus sacculus Montagnanæ; descriptio hæc.

℞. Milii cribrati. m. ij. furfurum m. iij. salis comm. m. j. misc. f. sacculus qui calefactus imponatur: in colica quoque est elegans.

Superiùs dixi quòd Valeriola in l. 1. obser. 7. referat historiam intensissimæ, & molestissimæ cardialgiæ factæ ex haustu merc. sublim. qui casus cùm sit singularis & non inelegans ejusdem remedia paucis communicabo. 1. Præscripsit fomentum exterius.

℞. Fol. hyoscyam. alb. absinth. roman. an. m. ß. mastich. ʒ iij. crystall. purissimi ʒ ij. coq. in olei rosat. violati, liliacei, anethini an. ℥ iv. vini rubri ℔ ß. colent. & hoc remedio applicato mirum levamen percepit. Interim postmodum præscripsit hanc potionem.

℞. Crystall. purissim. ℥ j. (ratio quoniam acidum mercur. sublim. arripit crystallum & enervatur) theriacæ elect. ℈ ij. butyri recent. ℥ j. (ad demulcendam acrimoniam mercur. sublim.) aqu. decoct. hordei q. l. misc. f. potio pro aliquot vicibus.

NB. Hyoscyamus externè & crystallus internè perfecerunt totam curam: Nam crystallus externè in fomento nihil præstat, nititurque ejus auctor hypothesi vulgari. *Michaël Etmull. in Collegio Practico.*

Consultationes.

De Cardiogmo, & Icteritia pro Nobiliss. Patiente.

Ex iis quæ fusè & accuratè enarrata sunt à Nob. Patiente, luce clarius constat, Virum Nobilissimum dolori acutissimo, & molestissimo obnoxium esse, infestanti os ventriculi, qui aliquando desiit in cardiacam passionem, ad dor-

dorsum sæpius molesto, ubi magis delitescit illud.

Hic autem dolor antehac originem duxit à flatulenta materia, genita propter labefactatam coctionem ventriculi, ob intempestivum, & diuturnum exercitium, deinde etiam & biliosa, porracea, ut ex excretis per vomitum apparuit, regurgitante à jecore ad ventriculum, ob impeditum ejus effluxum ad intestina, ratione obstructioni poris fellei à materia crassa, & pituitosa, quam jecur præcalidum trahit à ventriculo inconcoctam; ex quo fit, quod icteritia supervenire soleat cum fecibus albicantibus, & urinis tinctis, accedente febre, ob illius bilis accensionem, & corporis fœdo colore, ob effusionem ejusdem, tunc primùm cessante, quando prædicta materia, vel sensibiliter evacuatur, vel insensibiliter resolvitur: non negando aliquem confluxum ichoris melancholici acidum sapientis qui dolores acutiores infert, cùm præsertim referat Nob. patiens se myrachiali affectui utcunque esse obnoxium.

Affectus equidem non contemnendus, quippe qui majora mala portendere potest, cardiacam scilicet diuturniorem, cum gravi virium languore calculum in vesica fellea vel quid hujusmodi.

Ideò summo studio incumbendum est hujus curæ. Et quia originem habuit, & aliquot post annis recurrit, convaluitque ob errores in victû, & præsertim exercitio intempestivo, ac immodico, sub cœlo humido, nocturno, & frigido, prima & princeps cura consistit in rectâ victus ratione, cibis scilicet boni succi, & facilis concoctionis & vino oligophoro, non valdè generoso, moderatâ quantitate, atque abstinendo, cùm ab exercitio intempestivo, tum à mentis studio in negotiis, atque diuturno scribendi officio, duas saltem horas ab assumpto cibo.

Ac interim alvus continuò lubrica est conservanda familiari usû pilul. de tribus cum rhabarb. semel saltem in hebdo nada; non omissa blanda totius corporis purgatione vere, præsertim verò autumno, atque jecoris refrigeratione frequenti usû jusculorum cichorii, & ventriculi corroboratione cum diacydonio, vel gelatina ex cidoniis, aut succo granatorum statim à cibo. Sic enim præservabitur ab affectibus præsentibus. *Benedict. Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. cent. 2.*

De Cardialgia, Tussicula sicca, colica, aliisque symptomatibus. Pro Illustriss. & Reverendiss. D. Petro Gembischi Episcopo Cracoviensi, & Duce Serviensi.

Quanquàm de variis morbosis affectionibus, elapsis annis conquestus fuerit Illustriss. & Exlentiss. D. Petrus Gembischi, Dominus meus semper Colendiss. de arthritide nimirùm, nephritide, colica, tussi, hemitritæo, & aliis: tres tamen sunt præcipui, Viris Præclariss. Excellentiss. Principis curæ præpositis Maius negotium facescentes, nobis per litteras Excell. D. Laurentii Smicschoviz significati, caldialgia, tussicnla sicca non raro invadens, & dolor colicus valdè molestus: à quibus licet hoc tempore sit prorsùs immunis, inculpata corporis salubritate usus toto itinere Cracovia Patavium, cogitandum nihilominus est de medicis præsidiis, quæ à prædictis affectibus, vel etiam gravioribus Illustriss. & Excellentiss. Principem præseruent.

Quod ut fiat, statuendum censeo, cardialgiam antehac graviter infestantem Exc. D. à materia provenisse, cum biliosa, à fervido jecore ad ventriculum transmissa, tum in ipsomet ventriculi corpore & fundo genita, simul mixtis, & ad os ventriculi exquisitissimo sensû tactus ob nervos sextæ conjugationis à natura donatum, affatim affluentibus, ibique infarctis, nec nisi ægrè deturbatis. Quæ enim sensim fiunt, dolorem non inferunt. Colicos autem dolores fieri reor à flatibus ex prædicta minera à jecoris fervore elevatis, & intestini coli tunicas violenter distendentibus; diuturnamque illam tussiculam à duplici causâ excitatam fuisse tenui nempe materia à capite calido & humido ad asperam arteriam destillante, & quæ non minoris momenti est, sanguine crassiori à jecore ad pulmones transmisso.

Hæc etenim materia, sicuti statutis temporibus à jecore per ramos mesaraicos, vel splenicos ad internas venas hæmorrhoidales transmissa, per ipsas expurgatur, non sine quibusdam torminibus inferioris ventris hanc excretionem prænunciantibus, ita per ramos venæ cavæ ad pulmonum venas delata, & inæqualiter per ipsas diffusa, tussim siccam non difficili negotio excitare potest. Atque hinc fit, quod cohibito sanguine hæmorrhoidali tussim hanc gravius invadere fuit observatum à Viris Excellentiss. necnon & ab Excellentiss. Principe.

Quæ cùm ita constituta sint, sperare jure meritò possumus. Exc. D. in dies melius habiturum, quotiescumque persistet periodica hæmorrhoidalis fluxio, congrua victûs ratione in sex rebus non naturalibus non neglecta, levioribusque quibusdam Medicis præsidiis administratis. Quod si forte sisteretur sanguis hæmorrhoidalis, periculum immineret, nè in tabem convertatur affectus, nisi arte pateat ipsi via, juxta dictum. Hippoc. Apho. 12. *Diuturnas curanti hæmorrhoïdas, nisi una quæpiam servetur, periculum aquæ inter cutem aut tabis impendet.* Quemadmodum cardialgia in cardiacam passionem, & colica in nephriticam, paralysin, aut volvulum non rarò mutatur, cum maximo ægrorum periculo. Propterea, quanquam Princeps Excell. nunc benè habeat, & inculpata sanitate fruatur, non omittenda sunt aliqua à prædictis gravibusque malis ipsum præservantia.

Intentiones autem cùm curativæ, tum præservativæ eò collimant, ut præmissa universali totius expiatione, purgetur peculiariter caput & thorax, divertatur fluxio à pulmonibus, vel ad articulos olim dolentes, quando graviores urgebunt affectus, exsiccetur caput, & ventriculus, jecorisque fervor contemperetur internis & externis refrigerantibus, accedente congruâ victûs ratione.

Ad quæ præstanda locum habebunt leviora, nunc quidem familiariter, & generofiora remedia proximo autumnali, & subsequente verno

no tempore administranda. Leviora erunt frequentiores alvi subductiones, modo cùm clysteribus Ill. & Exc. Principi familiaribus, modo cùm pil. aloeticis lotis succo rof. ad ℈ j. statim antè cœnam, dùm præsertim propius abest tempus fluxionis hæmorrhoidalis, dummodo non excedat. Tum enim aloë venarum orificia aperiente supersedendum cujus loco erunt ex usu pil. de trib. cum rhabarb. ad drachm. 1. hora ante cibum; utrumque enim bilem evacuabit, à ventriculo divertet, flatus discutiet, & ipsum roborabit: à quibus superbibat jusculum alteratum cichorio, si ab eorum usu incalescentiam aliquam majorem observaverit. Secundum familiare remedium erit capitis expurgatio quolibet mane, horâ magis opportuna, cùm per nares succo malvæ attracto, & turunda ex corticibus citri, vel aurantiorum, vel radice cyclaminis intra nares detenta: tum per os, attrita mastiche, capiti namque & ventriculo ex usu erit, divertendo, intercipiendo, & roborando. Verùm quia manè Illustriss. & Excellentissimus Dominus solet materiam crassam tussi expectorare, non erit inconsultum assumere duo, vel tria cochlearia oxymel. simplicis, parati ex melle Hispano, cum syrup. de corticibus citri; imò & cochleari aquæ ardentis cum baccis juniperi aliquando uti poterit matutinis horis pro ventriculi corroboratione; in quem usum proderit zingiber conditum. Caute tamen his utendum, nè jecur magis incalescat. Caput singulis diebus post pectinationem exsiccandum, factâ frictione cum spongia sicca: & hyberno tempore cucuphâ caput teget consuta cum pulveribus exsiccantibus ex roremarino, cornu cervi usto, corticibus ostreorum ustis, pumice, ligno aloës, & agarico.

Exerceat corpus: cibis utatur boni succi, non adeò aromatibus conditis, non pinguibus, non oleosis, non butyrosis. Vinum bibat oligophorum, non generosum, neque copiosum; atque semper à cibo sumat quid subastringens, putà diacydonium sine aromatibus, vel gelû cydoniorum, vel saccharum rof. antiquum, vel duo cochlearia aquæ menthæ actû frigidæ supersedendo ab arduis negotiis saltem duas horas à cibo, & horam à somno. Intereà vindemiarum tempore vinum medicatum sibi parandum curet, ex visco quercino, lentisco, menthâ, & absinthio. Aërem fugiat impensè calidum in hypocaustis, vel impensè frigidum, & ventis perflatum. Et hæc in familiari usu habere poterit.

Generosiora autumno, & vere administranda sunt corpus totum purgantia, præmissâ humorum præparatione, sanguinisque eductione ex jecoraria dextri brachii, necnon ex hæmorrhoidibus, si spontè non fluxerint, sintque particularia caput purgia supra præscripta; inuraturque fonticulus sinistro brachio, ac deinde si Patavii moratus fuerit, usui erunt aquæ Tettutianæ triduum, ad ℔ iv. singulis diebus, cum vehiculo; deinde aquæ refrigerantes Beatæ Virginis in agro nostro, vel Villenses in Lucensi, vel & Nocerianæ omnium maximè temperatæ, quas bibere poterit 10. vel 12. dies: sicuti & extrinsecus fieri poterit stillicidium ventriculo cum aquis calidioribus, munito jecore unguento santal. & cum temperatioribus in activis qualitatibus, ipsimet capiti supra suturam coronalem.

Quorum medicamentorum vicem implebunt in patria decocta exsiccantia calefacientia: lixivia itidem exsiccantia, conservæ ex flor. ror. marini, de floribus cichorii, & de absinthio pontico, aliaque hujus ordinis, Viris illis doctissimis perquam notissima: hoc tamen supposito, quod succedanea viribus semper cedunt principalibus, & naturalibus. Et hæc pro incolumitate hujus principis mei amantissimi indicanda duxi. Faxit Deus ut ad vota succedant. *Benedict. Sylvatic. Consil. & respons. Medic. cent. 2.*

De Cardiaca passione ex dolore oris ventriculi, ob interceptum assumptorum descensum pro Perillustri & fortissimo Militum Præfecto Domino Ambrosio.

Annus nunc est, cùm Perillustris Præfectus temperamenti calidi & sicci ætatis consistentis, post varios exantlatos labores, & usum generosi purgantis, conqueri cœpit de dolore circa os ventriculi in assumptorum descensu, adeò gravi, ut aliquando deficiat, cum sudore & frigiditate totius, atq; dolore continuo ad vertebras dorsi, modò graviori, modo leviori, continuo tamen. Observatq; ingravescere affectum ex vini potu, faciliusque assumpta descendere post somnum, glutinosa tamen atque panem jusculo, aut vino imbutum omnium difficillimè; hincque subsequi insignem corporis maciem, viriumque languorem. Appetit tamen, & concoquit deglutita, & dejectiones sunt plurimùm albicantes; atque familiaris ipsius cibus est lac, quod facilius descendit in ventriculum. Adest tumor durus, sine dolore, extuberans infra mucronatam cartilaginem, sub costis mendosis sinistri lateris. Variis remediis frustrà hactenus à Viro Præclarissimo tentatis de agendis consulit.

Nos igitur morem gerentes perillustri patienti, statuendum primò censemus partem præcipuè affectam esse orificium supernum ventriculi, cum dolor invadat, quando per ipsum delabuntur assumpta, in ventriculum ipsum admittenda: duplicique morbosâ affectione eum affici observo: quorum prima est morbus in mala compositione, angustia scilicet, ob quam assumpta, dum non permeant, gravant, & vellicant orificium ipsum, adeò exquisito sensu præditum, ut dixerit Gal. nullam nostri corporis partem acriori sensu pollere: qui nunc potissimùm viget, ob vomitum, & alia accidentia ab assumpto antimonio: ut propterea non raro succedat dolor ipsius acutissimus, cum sudore frigido, & insigni virium languore, verbo, cardiaca passio, non tantum sic dicta, propter consensum cordis, ratione viciniæ, quo nomine etiam cardiogmos & cardialgia vocantur alii dolores oris ventriculi, cùm leviores, tum graviores, cùm à causa externa, tum ab interna, os ventriculi afficiente; sed etiam propter sudorem & virium imbecillitatem, quo sensu usurpatum nomen cardiacæ passionis à Cornelio Celso lib. 3. de re Medica cap. 19. his verbis:

Car-

Cardiaca est totius corporis imbecilitas cum sudoribus propter oris ventriculi languorem. Quinimò sic nuncupandus venit hic affectus, quia ad syncopen proximè accedit, propter totius corporis refrigerationem. Quas omnes ob causas syncope consunditur cum Cardiaca passione à Cælio Aureliano 2. Acutorum cap. 30. Dolor autem hic in casu nostro fit in ore ventriculi, ab assumptis cum liquidis tum solidis: magis verò ab illis, quoniam sua tenuitate sese magis insinuant in fibrosam & musculosam substantiam ipsius: atque inter liquida magis officit vinum, quoniam penetrat magis, & tenuioris est substantiæ, prout & acetum; minus autem lac molestum est propter epicerasticam & anodynam ipsius facultatem: facilius descendunt assumpta post somnum, quoniam ab eo hebetatur sensus oris ventriculi: atque difficilius deglutitur panis madefactus, quàm siccus, quia ex humiditate glutinosum quid illi accedit, cujus ratione inviscatur veluti, ac propterea ægrè descendit.

Causa hujus angustiæ est tumor durus, scirrhosus, doloris expers, in ventriculo genitus potiùs ex humore melancholico in perillustri patiente prædominante, ut ex situ partis affectæ, & actionibus læsis patet. Utrum autem in interna vel externa ventriculi tunica hæreat, non ita in propatulo est. Crediderim tamen in externa tunica situm, cùm appareat insignis protuberantia exterius, atque ex compressione musculorum lumbalium dolor continuus in illa parte foveatur, ut dum ita comprimit cavitatem ventriculi, propter orificium supernum ipsius, angustiæ propositæ causa est, ob quam refert patiens, quòd si modicam assumptorum copiam excesserit, majori molestia afficitur; nisi statuamus esse atheroma quoddam ex dura & veluti lapidosa materia, ut fieri solet in membranosis corporibus, à quo cùm comprimantur rami illi arteriæ aortæ denscedentis, cæliaci dicti, mirum non est, si circa ipsum tumorem adsit continua pulsatio; non secus ac in hypochondriaca observari solet pulsatio aortæ descendentis circa umbilicum.

Hisque sic habentibus, necessario extenuari debet corpus, deficiente alimento; dejectiones ut plurimùm sunt albicantes propter lactis copiam, licet nonnunquam sint biliosæ, imo & aliquandò successit diarrhæa, propter cruditates in ventriculo genitas. Persistit tamen in ore ventriculi fames, cùm propter exquisitum magis corrugationis sensum, tum ob majorem suctionem a toto propter alimenti defectum. Et hæc de præsentis affectus essentia, atque causis dicenda habui, in casu perobscuro, & difficili, & ut censeo prorsus incurabili. Removeri enim non potest impeditus descensus assumptorum, nisi extirpetur tumor, tanquam causa sine qua non,

Quod ut fiat, materia illa vel insensibiliter digerenda est, vel sensibiliter evacuanda. Prò insensibili ejus resolutione necessarium duco, duram illam emollire, & attenuare, ac deinde calorificis & exsiccantibus digerere. Prò evacuatione sensibili, præcedat opus est suppuratio, seu ipsius tumoris in abcessum conversio, ejus disruptio, & materiæ in pus conversæ sensibilis evacuatio: ac tandem detersio, exsiccatio & cicatrice facta obductio. Atqui neutræ intentioni satisfieri potest per medica præsidia sæpius jam usurpata toto anni spatio à Medicis doctissimis, cùm Mantuæ, ubi degit patiens perillustris, tum Patavii, ubi ex Medicorum clarissimorum consilio usurpata fuerunt validissima emollientia cùm interna, tum externa, cerata in primis, & emplastra, cum pinguedinibus, & gummatibus emollientibus, stillicidia item ex oleis emollientibus, luta thermalia bituminosa atque omnia permixta cum subastringentibus, ratione symmetriæ, & roboris partis affectæ, juxta Gal. præceptum: à quibus tamen nulla tumoris emollitio fuit observata: sine cujus ope neque resolutio, neque suppuratio speranda est. Quare solo prognostico committendus æger.

Quod si tumor esset externus ita, ut certiores fieri possemus an vere sit scirrhus, vel atheroma, tentari posset ipsius extirpatio operatione manu facta. Verum hanc prohibent reconditus ejus situs, sub partibus principibus & apprimè necessariis, a quibus qualicunque manuum operatione interdicitur. Propterea sat futurum putamus si vita in longius protrahi possit alimentis boni succi, & nutrientibus parùm & sæpè assumptis; observando interim numquid natura ad validiores operationes nobis aditum patefaciat: præscribendo vini loco adeo molesti mulsam dilutã, coriandro conditam, vel cerevisiam non parùm nutrientem; vel vinum ex cerasis aut ex passulis in eo ebullientibus paratum, minùs detergens, nec ita facilè sese insinuans in fibrosam substantiam oris ventriculi. *Benedict. Sylvat. Consil. & Respons. Medic. Cent. 2.*

Cardialgia legitima.

Juvenis Mercator 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, gracilis habitus, vini potor egregius, superioribus annis biliosis diarrhæis frequenter obnoxius, duobus abhinc annis, iisdem omninò suppressis tertianis febribus exquisitis bis in anno corripi cœpit, sed quod gravius, cum tanta ventriculi erosione, morsu atque dolore, ut etiam ad impatientiam feratur, licet ultra febris principium non duret, sed unius horæ spatio esset, vomitu, atque alui dejectione subortis, materiæ biliosæ, flavescentis & copiosæ. Invalescit autem hic affectus tertio quoque die, cum ipsa febre, 4. aut 5. paroxymis solvi solet. Modò æstivo hoc tempore hesterna die denuo invasit febris, cum eodem symptomate, à quo, ut aliàs, unius horæ spatio, prout à febre antè horam duodecimam Pat. liberatus est. Febris autem cum rigore corripuit, quem secutus est calor vehemens acris & mordax cum pulsu magno, celeri & frequenti, urina subflava, & vomitu, atque per alvum dejectione biliosæ materiæ. Quare de agendis tum in accessione, tum extra eandem nostrum consilium exposcit.

De febris genere non est quod dubitemus, biliosa namque est, ut attestatur invasionis modus, cum rigore scilicet, oris ventriculi morsu, flave bilis vomitu, ac dejectione, pulsu magno, celeri, atque frequenti, calore acri

& mordaci, urinaque subflava cujus indicium certius quinetiam præbent temperamentum totius & jecoris calidum & siccum, anni tempus æstivum, prægressus immoderatus vini usus, tandemque suppressæ biliosæ diarrhææ. Quoniam verò eodem modo & tempore, quo præteritæ, hæc febris accessit, tertiana propterea exquisita, cum illis statuenda est, præsertim cum accessio duodecimam horam non excesserit, neque hucusque secunda die novus paroxysmus invaserit.

Sævum autem symptoma, quod febrem comitatur, oris nimirum ventriculi morsus quod casu nostro, ut principale potiùs quàm superveniens ad se curationem trahit, Cardialgia vera atque legitima nuncupandum à parte affecta. Symptoma sc. in actione animali tactrice depravatè læsa, os enim ventriculi Antiquis Cor vocatum, vel cum Gal. ob cordis viciniam, vel cum Ætio ob sæva symptomata, quæ oris ventriculi læsionem sequuntur, cujus dolor, mordaci (licet Archigenes dolorum proprietates exprimi non posse falsò existimaverit) ob exquisitum sensum, quo ad ciborum appetentiam à natura donatum est copia propterea nervorum à sexta conjugatione contextum. Ita autem distinguitur à passione Cardiaca, in qua fit dissolutio solidæ substantiæ oris ventriculi, cui syncope solet succedere, quæ tamen etiam sine ullo dolore fieri potest. Distinguitur quoque à Cardiogmo, in quo passio parũ durat, cùm ab humoribus tenuioribus biliosis in ventriculo effusis, non vero ejus ori adhærescentibus ut in Cardialgia, proveniat. differt etiam ab anxietate, quæ & sine dolore, & sine vomitu, sed cum sola quadam ineffabili inquietudine fit, quæ ab infarctu frigidæ materiæ procedit ab angore, inquietudinem breviorem tamen inducente, ut qui ab habitu putrido, & aura venenata ad os ventriculi elevata dependeat. Ab attritione ventriculi, in qua affectio observatur, cum ventris torminibus, profluvio, ac tanta pulsus alteratione, ut febricitare Pat. videantur, licet non febricitent, ut Gal. observavit in Antonino Imperatore, in quo cibus corrumpebatur, ejusdem portione in flatus conversa. Tandem distinguitur ab astrictione Ventriculi ab Ætio solo descripta, quæ contingit superno, infernoque ventriculi ore ita adstrictis ob siccitatem, ut nec flatus nec vapores erumpere possint, qui propterea accensi febris speciem exhibent, quæ affectio demum cedit coctione absoluta, & cibo descendente.

Causa autem hujus affectus, humor biliosus est acris & mordax, continuum solvens, ab intemperie calida & sicca jecoris genitus, non parùm etiam eandem fovente copiosiori vini potu, qui humor cum præteritis quidem annis in venis congestus ab irritata natura per alvum extruderetur, ut in Eudemo, ejusdem evacuatione suppressa febres tertianæ statim invaserunt, quarum principio eadem bilis commota, ad alvum partim transmissa, partim regurgitans ad ventriculum, & crassiori parte ori ejusdem adhærens morsu Cardialgicum dolorem excitat, qui recedit dum exiguo temporis spatio irritata expultrix eandem vomitu rejicit.

Affectus equidem gravissimus, ob sæva & perniciosa symptomata, quæ illi interdum succedunt; Cardiacam scil. passionem, syncopen, & mortem ipsam, licet febris omni periculo vacet, nulla siquidem pars nostri corporis exquisito adeo sensu pollet, nec in consensum trahit utrumque principium, Cor nimirum & Cerebrum, ac ventriculi os, idque propter nervorum à cerebro manantium magnitudinem & copiam, unde meritò dicebat Gal. quod os *ventriculi in consensum sui animam ducit.* Quinimo observavit Trall. quod si humores valdè erodentes & ventriculi exquisitus sensus simul concurrant, ægri cito moriuntur.

Nostræ igitur partes erunt, evacuantibus, præparantibus, alterantibus febri prospicere, prout extra Cardialgiæ accessionem præservationi, in accessione verò curationi incumbere. Prævertunt autem Evacuantia, Revellentia, intercipientia, & ventriculum corroborantia, ad quæ diebus intermissionis animus convertendus, quare hodie, secunda scilicet die, de medicamento minorativo exhibendo cogitatum fuit, quod tamen distulimus in sequentem diem, quinque horis ante accessionem præbendum, ut materiæ biliosæ à jecore ad os ventriculi regurgitanti occurramus, sicq; fiat ejusdem cum evacuatione diversio. Interim tamen duos clysteres infundi suademus, manè alterum alterum vesperi. Medicamentum verò erit cassia, cum pulpa Tamarind. addito Tartari crem.

Sanguinis missio hic locum non habet, cum bilis peccet, eaque satis sincera per alvum ac vomitum excernatur, tribus namque solis casibus Cardialgia admittitur. Primo præsente jecoris intemperie calida, fervidissimum sanguinem producente, ex quo neque carnosa neque adiposa substantia progigni possit. Sic apud Hippoc. vir in Oeniade vehementissimis ventriculi doloribus correptus, secta vena in utraque manu, & sanguine copioso educto, liberatus fuit. 2. quando ichor sanguineus à jecore, vel à toto in ventriculum irruit, ex suppressa aliqua consueta hæmorrhoidali evacuatione. Tertiò quando Cardialgia provenit à suppressis menstruis. Ab hoc quoque fonte clysteres etiam purgantes hora ante accessionem injecti, revulsionis causa desumendi, more Petri Salii. Frictiones quinetiam, ligaturæ, cucurbitulæ siccæ, quinimò & Vesicantia, urgente necessitate non omittenda.

Bilis verò contemperanda vel Decoct. cichor. Endiv. Acetos. Portul. Viol. addito julap. Viol. Rosac. Syrup. de Papav. vel sero. destillat & chalybeato ad ℔j, ß. vel aquis stillatit. Acetos. Endiv. cucurbit. cum syrup. rosac. Violac. de ribes, de Berber. Quæ si crassior evaserit, præberi poterit aqua hordeacea, vel serum depuratum cum Julap. acet. aut syrup. de acido Cit. & Lim. Perdurante verò Cardialgia, & valde minorata materia, ad intercipientia humores ad ventriculum decurrentes tuto deveniri poterit, duabus horis ante accessionem præbenda. Sint autem adstringentia & incrassantia, ut.

♃. Pulv. Margar. præpar, ℨj. Terræ sigill. aeræ ℈ß. Aquæ scorzon ℥iij. Vini Granat. ℥ij. Tinctur. Corall. gutt. v. m. & ad cochlearia sæpius assumantur ante accessionem.

Vel

Vel ℞. syr. de papav. ℥j. & in Cardialgia pravæ conditionis.

℞. Ther. rec. ʒß. Margar. præpar. ℈j. m. f. b. & aur.

Dum hæc fiunt extra accessionem, semper aliquid os ipsum ventriculi corroborans administrandum, internum & externum. Gal. enim dum quærit, num evacuationi materiæ magis, an oris ventriculi roborationi sit incumbendum, sic quæsito respondet, multos se vidisse defunctos, alios ad extremum periculum perductos, cum Medici eos magis evacuare, quam corroborare tentassent. Intrinsecus itaque præbeatur conserva rosar. vel bolus ex Margaritis & coralliis, vel offa panis in vino Granatorum, de quo Hipp. *Mulier Cardialgia torquebatur; nec malum sedatum est prius quam polentam succo mali punici adspersam comedisset.*

Extrinsecus apponi poterit regioni ventriculi offa panis, vino austero imbuta, & pulvere rosarum, sumach, & Mastiches aspersa, vel emplastrum de crusta panis Montagnanæ, cum succo agrestæ, aceti loco paratum. Ætius commendat spongiam infusione rosarum, cum aceto madefactam. Et hæc ad præservationem.

Pars autem curativa perficietur Anodynis primo 2. causam respicientibus. Anodyna autem cum sint vera vel spuria, omnia tamen doloribus conferunt, a quacumque causa exortis, solutionem enim continui spectant & sensum partis, sine quibus dolor non fit. Anodyna verò sunt interna & externa. Interna jus Althææ, Malv. intestinorum Castrati cum butyro recenti: emulsio amydal dulcium. ol. amygdal. externa ol. amygdal. chamæmel. adeps vituli, castrati, omenta vitulina, vervecina, suilla, ol. amygdal. & rosac. imbuta, placenta ex ovis, etiam dictis oleis parata. Anodyna Spuria, narcotica quoque dicta, interna esse possunt emulsio sem. Papav. alb. extracta cum Aqua lactucæ, syrup. de Papav. ad ℥j. Theriaca recens, philonium romanum recens, Nepenth. Querc. ad gr. j. vel, ij. externa erunt fomenta ita parata.

℞. Cap. Papav. alb. num. vj. sem. hyoscyami ʒiij. fol. viol. nymphεæ an. m. j. Aq. com. ℔xj. m. bull. ad consumpt. tertiæ; pro fomento, quo amoto, hujusmodi inunctio adhibeatur.

℞. Ung. Popul. Malv. an. ℥j. ol. nenuph. ℥ß. m. f. ut linim.

Verùm legitima & propria curatio est causarum ablatio, hoc ordine peragenda. ingruente accessione, vomitus statim provocandus Galen. exemplo, qui vel oleo simpl. vel aquæ misto vomitum ciebat, Ætius aqua tepida, nos vero jure carnium, ad ℥vj. cum ol. amygdalar. & julap. acet. an. ʒiij. concitato vomitu, perdurans accessio signum exhibet bilis crassioris ventriculo adhærentis, ideo exhibendum julap. ad ℥iv. vel v. & hora ab hoc assumpto, nisi sponte vomitus iterum procedat, exhibeatur oleum amygdalarum recens, ad ℥v. ita enim materia incisa, & detersa à julapio, & attenuata per vomitum aut per alvum facilius educetur. nec ullum metum injiciat julapium acetosum, bilem siquidem id in pituitam, & pituitam in bilem vertit, ut docet Avicen. Statim verò à vomitu, morsu sedato, aliquod adstringens & roborans extrinsecus Galen. consilio apponendum.

Ita verò procedendum præservativis auxiliis, materiam iterum imminuendo, bilis fervorem & febrilem calorem contemperando, eandemque à ventriculo revellendo, atque in progressu intercipiendo, osque ventriculi roborando, curativis verò, modò dolorem anodynis, vel etiam narcoticis demulcendo, modo laxantibus, vomitumque cientibus materiam biliosam educendo, ut quedum Cardialgia, & febris imminuantur, atque omnino auferantur.

Addita congrua victus ratione, circa quam notat. Trall. quod tarde cibum capere valdè noceat. Ideo Celsus ante ipsum parum & sæpè cibum exhibuit, cui subscripsit quoque Ætius. Cibi autem sint refrigerantes, & potius ventriculum confirmantes. Sic mala punica, pyra conveniunt, vini tamen usus non est accelerandus, quod exigente necessitate, sit austerum & gelidum, ex Celso, subastringens, ex Aetio; etenim præterquam quod os ventriculi roborat, celeriter etiam nutrit, quicquid dicat Mercurialis, hoc enim confirmatur expressis verbis ipsius Galen. Hæc pro præsenti tum febris tum Cardialgiæ accessione sufficiant, prout plura superessent pro præservatione ab aliis imminentibus, ad quam suis loco, & tempore, tum sanguinis missione, tum elective bilem purgantibus & jecoris fervorem contemperantibus opus fuerit, viris Excellentiss. quàm notissimis. *Joan. Raym. Fortis Consult. & respons. Medic. T. 1. cent. 2.*

Cardialgia spuria.

Ventriculi dolor corrosivus, toto elapso anno, per intervalla ordinata primo, & tandem inordinata juvenem Illustrissimam afflixit & adhuc num rarius invadit. Cardialgicus si lubet, quanquam non adeo legitimus appellari poterit, non modò quia læditur ventriculus, verùm multò magis, quia & prima vice & alias sæpiùs cum febre apprehendit, quem à bile quidem, copiosæ tamen pituitæ immista, incepisse & perdurasse certò existimari potest, ob ejusdem diuturnitatem, qua pituita à ventriculo ad mesenterium detrusa, omninò remittebatur, nulla licet secuta ejusdem extra corpus excretione. Hujusmodi autem excrementa, tum ab imbecillitate ventriculi, tum jecoris fervore, originem duxerunt, à quorum intemperie iis jugiter productis, invicem mistis, & in mesenterio putrefactis, febrem quoque sæpiùs toto hoc tempore repullulasse credendum, prout ab iisdem non putrefactis dolores quandoque sine febre fuisse excitatos. Nec mirum videri debet, si primò hebdomadariam periodum servaverint, intemperata siquidem earum partium diathesi, tanto temporis intervallo ea excrementorum copia producebatur, quæ accumulata dolores illos renovare poterat, quæ tamen temporis proportio obliterata est, magna secuta mutatione ab edito partu. Sic nec novum accidit, quod fere ad syncopen perducta fuerit Illustriss. Patiens, siquidem *Nulla pars nostri corporis adeo exquisitum sensum habet, nec ita in consensum trahit utrumque principium, ac ventriculus ipse.* Ideoq; jure dicebat Gal. quod *os ventriculi in consensum sui animam ducit.* Quoniam verò inustas visce-

ribus intemperies non [illegible]aravit Excell. defunctus: ideò ab excrementorum colluvie postmodum febres inæquales, cum inæquali rigore fuerunt observatæ, excrementis iisdem per partes sentientes una cum halitibus elevatis circa viscera naturalia, & quidem inordinatè decurrentibus; cujus etiam humorum redundantiæ indicia præbent sudores, circa febrium initia manantes, prout caloris ad viscera refluxum significat [illegible] genarum rubedo, paucis horis ab assumpto cibo eas perfundens. Et quoniam vix credi potest, hoc temporis spatio Illustriss. Patient. ab obstructionibus immunem se præstare potuisse, ideò easdem delitescere pro certo habeo, & quidem ab his terreis atque melancholicis redditis exhalationes elevari, quæ lumbos, femora, & brachia, propria acrimonia & aciditate percellentes, vagos & errantes dolores excitarunt, nunc verò coctionibus ventriculi saltem, si non appetentiæ, ob aciditatem nonnihil officere persistunt. Hæc autem ita se habere adeò verum puto, ut ab hypochondriaca jam dictorum humorum, tum crudorum tum assatorum minera materia flatulenta atqui fuliginosa elevata, in penitioribus mesenterii & viscerum partibus conclusa, dolores & cruciatus lancinantes producere majori ex parte nunc existimem, supposita tamen necessario humorum minera jam dicta cujus portio recentior ac crudior à calore liquata solutis doloribus per urinas copiosas & aquosas excernitur. Quoniam verò affectus hujusmodi rari quodammodo sunt, eorumque causa à Medicis ipsis, vel maximè exercitatis, nedum à Patientibus, non adeò facile investigari potest, quid mirum si ad veneficia, & fascinationes confugiant cùm tamen ut plurimum pertinax & ineffabilis lateat melancholica qualitas.

Et licet affectus hujusmodi contumaces esse soleant, & ægre medicamentis cedant, cum præter mineram, & viscidorum à frigiditate & crassorum humorum à caliditate, intemperiem, inæqualem quoque causam habeant, attamen quia Patiens juvenis, & medicis præceptis obtemperans est, nec manifestæ tactû percipiuntur obstructiones confirmatæ, ideò salutem, licet non adeò brevi tempore, & facile, polliceri possum, ut, accommodata curatione, quæ tuto procedet, si humores jam geniti è corpore educantur, intemperies remittantur, & partes roborentur. Quibus intentionibus, aliquâ parte, opportunissimè satisfactum fuit, ideò reliqua agenda ordine executivo proponam.

Primò itaque leniens ex syr. & mel. ros. sol. vel ex lenit. & tart. præmittatur, mox unico interposito die, aqua tettuciana ad ℔ iv. exhibeatur cum vehiculo mel. rof. sol. secundo die iteranda ad ℔ v. quæ nisi secunda vice, clara, & sine excrementis excernatur, repetatur quoque tertia, sic enim tum ventriculi, tum primarum viarum detersio atque ablutio, necnon exsiccatio obtineri poterit. Inde ratione hypochondriorum ad succos depuratos malv. & borrag. erit deveniendum ad ℥ iv. in jure cichoraceis alterato, 12. aut 15. dies, mox ad usum seri capr. aut asin. depur. per quinque dies, alternatim, ad ℔ iv. & v. præmisso vehiculo deject. aut syr. rof. sol. aut pot. clarif. à quibus tandem magna fiducia utor diutius lacte asinino de more, exhibendo ad ℥ v. cum semicochleari sacch. fini, progressu facto ad ℥ x. cum pleno sacch. cochleari, manè quatuor horis ante prandium. Verùm eodem tempore 15. dies summo manè ventriculo stillicidium erit adhibendum, ita paratum.

℞. Ol. amygd. ℔ iv. mastich. ℔ ij. vini albi generosi ℔ j. fol. rec. absint. pont. mentæ virid. an. m. j. nucum myrist. contus. num. iij. cort. cit. rec. ℥ j. cinam. integ. ʒ ij. m. bull. ad consumpt. vini & facta forti express. colat. servetur pro stillicidio, calidè administrando, mane ante lactis usum.

Interim si recrudescant dolores, tutissimum erit auxilium clyster. ex lacte vaccino, in quo dissolutum sit philon. rec. rom. ad ʒ ij. illicò, namque eosdem sedabit, & somnum conciliabit, duabus tamen aut tribus post horis movenda alvus, ut excernatur clyster. ne nimium stuporem inducat.

Quibus omnibus consueta victus ratio, quam laudo servanda. Caveat autem ab infarctu ciborum, his enim casibus nihil peius, ex Avic. quàm comestio suprà comestionem, atque prima mensa de more jus pullæ aut vituli malva aut borrag. alter. sorbeat. Vina generosa vitet, & reliqua medicis intentionibus correspondeant.

Quæ jam dicta, quoniam ab Excellentiss. Viro prudentissimo administr. nda erunt, profutura spero, ita meritis Illustriss. juvenis D. O. M. annuente *Joan. Raym. Fortis Consult. & Respons. Medic. Cent. 2.*

Puella viginti annorum jam à multis annis de rosione, & compressione circa ventriculi regionem coqueritur, ructus continuò edit acidos, in hypochondriis murmura & rugitus audiuntur: torminibus ventris frequentibus & dolore capitis infestatur. Colore est pallido & cachectico, mensesque non decenter fluunt.

Afficitur in hac ægra ventriculus: ut patet ex rosione & compressione circa ejus regionem, quæ est circa mucronatam cartil. ginem, percepta, & ructibus acidis emissis. Afficiuntur item viscera, hepar scilicet & lien in hypochondriis sita, nec non pancreas, & caput, quod probant murmura in hypochondriis audita, & tormina ventris, ac dolor caput infestans. Deinde totum corporis habitum & uterum affici, testatur pallidus & cachecticus color, & menses non decenter, sive parcius, & inordinatè fluentes.

Morbus præcipuus, qui ægram nostram affligit, est intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida & acida, imò etiam & acerba, quæ rosionem & compressionem ventriculi, ac ructus acidos; item murmura hypochondriorum & rugitus ac ventris tormina pariens, cardialgia, sive cordis dolor vulgo appellari solet: sed ventriculi dolor meritò appellandus; cùm hic non cor, sed ventriculus præcipuè afficiatur.

Hæc intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida, acida & acerba est manifesta ex acidis ructibus & rosionibus atque compressionibus circa ventriculi regionem perceptis; illa enim producit acidum, acerbum & crudum chylum, qui ventriculum pungit & constringit, & quia ex eo oriuntur obstructiones in

in partibus variis crassique succi & vapores, hinc nata sunt omnia illa symptomata, quæ in casu proposito narrantur.

Nam chylus ille crudus, acrimoniâ & acerbitate sua pungens ventriculum, facit in eo dolores rosivos & constrictorios, in vapores crassos mutatus, qui ob crassitiem suam commodè per poros ventriculi & intestinorum distribui nequeunt, facit ructuum acidorum per os excretionem, & per vicina viscera discurrendo, & partes eas cùm sonitû agitando, & dolorose ventrem vel tunicas intestinorum lancinando, facit in hypochondriis rugitus & in ventre tormina. Ad cor verò per venas mesaraicas & lacteas, & inde in caput delatus, & ibidem cerebrum & membranas vellicans, efficit capitis dolorem. Ad habitum verò corporis cùm sanguine crudo delatus, colorem pallidum & cachecticum. Ad uterum denique delatus, ibique poros ejus obstruendo, sanguinemque ad commodam excretionem ineptum faciendo, facit mensium parcam & inordinatam excretionem.

Morbus hic propter magna symptomata, quæ inducit, periculum lipothymiæ, hydropis, aliorumque gravium affectuum, minatur. Atque ideo diligenti, & cita curatione erit impugnandus.

Quæ in intemperiei & symptomatum per contraria impugnatione consistet.

Primò itaque utatur talibus pilulis usualibus, quæ leviter purgabunt, ventriculumque roborabunt.

♃. Pil. de hiera simpl. ʒ i ß. alephanginar. assaiereth, agarici trochisc. an. ʒ ß. rhabarb. elect. ℥ ß cinnamomi ℈ j. cum syr. ros. sol. q. s. fiat pilularum massa, de qua capiat singulis septimanis ʒ ß. cum pomo cocto, manè jejuno ventriculo, & deinde porro utatur hoc electuario.

♃. Conserv. rosar. antiq. flor. cichorii ana ℥ j. conserv. scolopendr. cort. citri condit. an. ℥ ß. spec. aromat. ros. ℈ iv. spec. de gemmis ℈ j. spec. diatriasantal. cum duplicato rhabarb. ʒ j. cineris intestinorum & pellicular. ventriculi gallinæ ʒ i ß. limaturæ chalibis præparat. cùm aceto ℥ ß. trochiscor. de rhabarb. ʒ iv. de eupatorio ʒ i ß. cum syr. de mentha q. s. f. electuarium, de quo capiat quantitatem castaneæ majoris, mane duabus horis ante prandium, superbibendo haustum vini generosi, aqua absinthii diluti.

Post singulos pastus utatur de hoc medicamento.

♃. Carnium cydon. saccharo condit. ℥ ij. conserv. rosar. antiquæ ℥ i ß. cortic. citri condit. ℥ ß. coralli rubri usti & loti, rasuræ eboris, cornu cervi an. ʒ j. spec. diacydon. ℈ j. cinnamomi ʒ ß. sacchari ad pondus omnium, f. Mixtura de qua capiat cochleare unum post singulos pastus.

Ventriculi regioni scutum hoc stomachale admoveat.

♃. Emplastri de mastiche, pro stomacho an. ℥ j. pulver. rad. galangæ ʒ iij. cariophyllor. ʒ ß. ladani ʒ j. coralli rubri ʒ ß. cum ol. de absinth. f. emplastrum extensum in corio ad formam scuti. Hepatis regionem semper manè inungat hoc linimento.

♃. Ol. de absinthio, nardini an. ℥ ij. ol. cydon. ℥ j. spic. utriusque ʒ j. rad. cyperi, asari, santali rubr. & albi. an. ʒ ß. ceræ q. s. f. linimentum.

In diæta, aër sit temperatus. Cibus offeratur concoctu facilis, corruptioni minus obnoxius, ex aviculis, capis, perdicibus, pullis gallinaceis, jusculis carnium, conditus succo arantiorum. Potus sit vinum tenue, cerevisia mediocris.

Motus sit corporis moderatus, ut & Somnus. Alvus in dies naturâ vel arte respondeat. Mæror vitetur præcipuè, ut & alii vehementiores affectus. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib. 3.*

Observationes.

Pro cardialgia cum impedimento veluti bolo in faucibus.

Cuidam fœminæ de dolore stomachi, cum nausea ac difficultate aliquâ deglutiendi, ac si bucella in faucibus hæreret, jam longo tempore conquerenti, cùm sæpè varia ac inter reliqua etiam vomitoria exhibita, nihil effecissent, illaque unice vomere cuperet, & adhuc robusta esset, dedi aquam destillatam ex nucibus viridibus, cùm raphanis priùs in aceto maceratis, quâ alias vomitum movere solitus eram, sed in illa nihil effecerat, itaque addidi vini albi, in cujus ℥ ij. stibii vitreati pulv. gr. iij. macerata per noctem fuerant ℥ i ß. ut biberet, quo facto copiosissimam materiam quinquies evomuit, & posteà ab ejusmodi cardialgia & impedimento in faucibus, penitus liberata est. *Felix Platerus Observ. lib 2. pag. 438.*

Matrona quædam honesta ac pia, cùm ultra annos duos de dolore ventriculi conquesta fuisset, nec ullis remediis ventriculum roborantibus, aut per inferiora purgantibus sanari potuisset; tandemque ex consilio Medici cujusdam celeberrimi, vomitivum accepisset, frustum corii laridi fumo exsiccati, quod ante duos annos inopinanter cum difficultate tamen deglutierat, maxima cum admiratione adstantium evomuit, & brevi plenissime convaluit, utinam semper causæ morborum tam facilè debellari possent. *Guil. Fabricius Hildan. Observ. 53. cent. 4.*

Filiolus meus Cardialgia, seu passione cardiaca, infantibus familiari malo affligebatur, illi secretum experimentum nostrum magno cum fructû applicatum est. Mucago sem. cydonior. misceatur cùm pingued. gallinæ, atque hoc linimento ter in die ungatur orificium stomachi, deorsùm versus costas spurias. In plerisque sequitur hanc unctionem dejectio excrementorum virescentium & fœtidorum, quâ cardialgia cessat. *Hieron. Reusnerus Observ. 71.*

Quidam cardialgia laborans, insumpto sequenti haustulo, statim sanus factus est, nam multos acres, mordaces, & virulentos humores, qui juxta os ventriculi obhærebant, vomitû projiciebat.

♃. Aq. benedict. nostr. ℥ i ß. vini absinth. ℥ i ß. m. f. haustulus, quo solo sanitatem recuperavit. *Martinus Rulandus curat. 50. cent. 5.*

De cardialgia miris stipata symptomatibus tandem lethali.

Vir Senatorii quondam apud nos ordinis, temperamento sanguineus, corpore praeditus obesiori, doloribus quidem obnoxius Nephriticis, cæterum sanus & benè valens. Anno ætatis suæ 54. ex mœrore animi ob calamitosissima hæc tempora sensim, sine febri tamen manifesta, contabescere cœpit, de nullâ re conquestus aliâ, quàm de præcordiorum compressione & Anorexia; credidit tamen hæc omnia à calculo quodam oriri & à neglecto usû thermarum singulis annis aliàs consueto. Sed circa festa Natalitia rem serio agi, & dolores quasi morsus ex sinistro latere versus cor ascendentes sensit, qui etiam de die in diem exacerbati singulis tamen trinis diebus tantùm vehementius infestarunt.

Horum prodromus semper erat nasi extremitatis refrigeratio sensibilis. Tandem singulis diebus circa vesperam recruduit hic morsus, vere καρδιωγμὸς, ita enormis, ut clamare vehementissimè coactus fuerit, interea manus, & pes dextri lateris continuo tremebat, sinistrum verò latus, ubi tamen dolores erant, quievit. Sic quandoque per totam noctem miserè divexatus circa auroram, recedentibus cruciatibus sensit levamen. Alvum perpetuo adstrictam, clysteria aut propinata laxativa solvebant quidem, sed statim commovebant etiam dolores. Excrementa sive per purgationes sive naturaliter reddita, quod sub finem morbi (cùm ex metû cruciatuum nec clysterem, nec laxativum sumere vellet) sed non nisi, de tertio in tertium diem factum, semper erant solida & bene concocta, ac si optimè sani essent hominis. Pulsus nunquam mutatus, nisi sensim debilior factus. Deglutitio insuper mirum in modum erat læsa; nam solida deglutiebat facillimè, liquida verò neutiquam, ita ut sitim intensam, absque tamen calore febrili, nunquam potuerit potû restinguere, sed aquam cochleatim tantùm, ut & alia medicamenta liquida sorbere debuerit, statim superveniente enormi quâdam salivatione quæ descensum liquidorum impedivit, quamvis & fluxus hujus pituitæ lentæ, ac viscidæ semper, & per totum morbum usque ad finem vitæ duraverit, ut quandoque singulis diebus aliquot vascula hæc materia impleverit. Tandem ex vehementia morbi ita contabescens, ut cutis ossibus hæreret, circa initium Maii hujus anni placide exspiravit. Dolor adeò pertinax nullis cedebat remediis, nisi exhibitis granis duobus laudani nostri, de tribus dicti, cum Magisterio perlarum vel oculorum cancri in aqu. flor. arant. Tum enim ad miraculum usque quasi in momento omnis evanuit cruciatus & noctem insequentem cum somno placidissimo transegit patiens: Cætera omnia quæcumque adhibita nihil profuere, vel dolores exacerbarunt. *Caroli Raygeri.*

Cardialgia cum molesto ventriculi sensû, & disphnœa.

Anno 1672. 10. Februarii vocatus sum ad C. S. gravi cardialgia pressum cum insigni respirationis difficultate ac permolesto ventriculi sensû, addidit videri sibi mobile quid in ventriculo oberrare varia circumvolutione ultra medium œsophagum crebro ascendens, quod respirationem jamjam intercepturum videbatur. Motum naturæ examinans vomitorium statim exhibui ex oxymelle simplici ac squillitico, unde per repetitos vomitus magnam quantitatem mire gravis pituitæ rejiciens æger, statim liberius respirare occæpit, & à tristi illo ventriculi sensû liberari, sponte per triduum succedente copiosissimo ptyalismo, ac si mercurialibus usus, posteà ventriculo iterum corroborato satis rectè valuit. *Henrici à Moinichen.*

CARDIOGMUS.
Vid.
CARDIALGIA.

CARIES.

Græcis dicitur τερηδὼν & est morbus solutæ unitatis in partibus duris, ossibus videlicet cum deperditione substantiæ à materia acri & corrosiva proveniens, & respondet ulceri quod est solutio itidem unitatis sed in partibus mollibus, carne scilicet &c. De hac vide tum ulcera cum carie in genere, tum in specie caput de Spina ventosa. Cariem pudendorum quod spectat idem significat quod Caroli.

Curationes & Observationes.

De carie ossium ubi de euphorbii usû.

In ulcerum curatione nihil fermè occurrit, quod Chirurgo majorem pariat molestiam atque plus negocii facescat, quàm si ulcus cariem in osse sibi adjunctam habeat, præcipuè si profunda fuerit, propter humorem ossi imbutum, ad hujus autem humoris exsiccationem, & ossis decidentiam tum ab antiquis, tum neotericis Medicis ac Chirurgis præstantius cauterio actuali nihil excogitatum est, quo & ego non rarò maximo cum fructû, usus sum. Post cauterium actuale, euphorbium hoc in casû secundum sibi locum vindicare facilè concedo, quandoquidem non solum quia acre est & calidum in quarto gradû, humores ossi imbutos exsiccat, sed videtur occultâ quâdam facultate hic convenire, non immerito itaque a Dioscoride, Avic. & recentioribus Medicis in cariosis ossibus præ aliis medicamentis celebratur. Ego etsi hactenus in cariosis ossibus euphorbio maximo cum fructû usus fui: una tamen mihi occurrit difficultas, nimirùm an verum euphorbium, cujus Dioscor. mentionem facit, hodie ad nos advehatur? scribunt enim Dioscor. & Avic. beneficio euphorbii cariem uno die abscedere, id quod nostrum vix spatio 40. dierum præstat; neque proximam carnem adurit, quemadmodum Dioscor. & Avic. de suo euphorbio scribunt. Hinc verisimile est, aut textum Dioscor. adulteratum esse, aut euphorbium antiquorum apud nos non extare. Cæterum Dioscor. & Avic.

Avic. monent, ut si quandò quis Euphorbio uti voluerit, propter ejus summam acredinem atque Caliditatem, ossium circumjacentem carnem linimentis aut ceratis diligenter ac probè communiat, ne contactu carnis inflammationem excitet.

Vesalius in sua chirurgia & Fallop. in tractatu de ulceribus non minus hac de re solliciti sunt Hinc factum ut à multis annis Euphorbio uti non ausus fuerim propter metum inflammationis aut doloris; deinde non exigua erat molestia, circumjacentem carnem, quotiescunque ulcus curare necesse fuit, ita diligenter munire. Paulatim tamen experientia contrarium me docuit, nimirum Euphorbium nostrum etsi linguam & nares vehemeter vellicet, in ulceribus tamen etiamsi copiose iis inspergatur, nullam inflammationem aut dolorem excitare; foelici itaqua cum successu in ossa cariosa carne denudata, etiam immunitis ulcerum labris, quotidie aut alternis diebus eo inspersso utor. Ante aliquot annos cùm hæc coram Dom. Abele Roscio Medico doctissimo narrarem, miratus fuit. Qua propter petii, ut ille ipsemet Euphorbium optimum ex officina pharmaceutica sibi eligeret, & in pulverem redigi curaret, quo facto puerum 14. annorum natum, & ulcere in anteriore parte cruris (in quo anterior pars ossis tibiæ longitudine spithamæ denudata erat) laborantem accessimus, tum temporis ulcus implevi pulvere Euphorbii, deinde filamentis siccis, & emplastro diapalmatis super impositis, in alterum usque diem reliqui, quo denuo Medicum ad ægrum duxi, qui dum nullam neque pulsus neque urinæ mutationem perciperet, multò minus dolorem, aut inflammationem aliquam adesse videret, rei novitate obstupuit, quod oculari demonstratione viderit, Euphorbii sævitiam atque acrimoniam in ulceribus tantam non esse, sicuti à doctissimis Medicis divulgatum atque proclamatum. *Guil. Fabric. Hildanus Observ. 92. Cent. 2.*

Pro carie ossis cum ulcere.

Puer 15. annorum ulcus habebat vetustum in meta pedio, quod à perito chirurgo per annum integrum curari non potuit, alter Chirurgus junior, cui postmodum æger commissus fuit, dilatato ulcere cariem percipit, pulverem cartagmaticum imponit ad tollendam cariem, sed frustra. Postea oleum sulphuris admovet, & frustra, postea me consulit, jubeo imponi prima applicatione pulverem Euphorbii cum plumaceolo ex lenteo detrito facto, multæ exiguæ educuntur ossium squillæ. Secundò die Plumaceolum nudum admovet, tertio die eundem pulverem denuò applicat, & plures iterùm squillæ egressæ sunt, ut deinde os mundum & à carie repurgatum apparuerit, atque ulcus postmodùm intra breve tempus curatum fuerit. *Lazarus Riverius Observ. 76. cent. 2.*

Ossibus cariosis mandibularum, ut ignis & ferrum, item ol eum vitrioli, & aqua fortis adhibeantur, non suadeo, idque propter gravissimas causas, sed inspergantur pulveres rad. Aristoloch. rot. irid. flor. angelic. thuris, corticum pini & similium, quæ separationem ossium cariosorum accelerant, aut misceantur cum succis prædictis & melle Rosac. ad fomam linimenti, quod si mandibula aliquo in loco extra os denudata fuerit, applicarem pulverem Euphorbii quod mirandas habet proprietates in hoc casu. Ulceribus tamen in ipso ore existentibus, quia inde ad linguam & fauces facile pervenire potest, ut inspergatur non suadeo. *Guil. Fabric. Hildanus Observ. 21. Cent. 4.*

Commendarur in hoc affectu *Benedicto Bolognino* unguentum ex agarico in hunc modum.

♃. Salis, agaric. tartar. an pt. æq. f. pulvis & cum melle unguentum. Si ita non possit os desquammari, cariesque tolli, ferrum candens (quod quamvis ipsa bile amarius videtur medicamentum, ipso tamen sanguine dulcius commodum quod insequitur existit) sine cunctatione adhibendum. Extremis namque morbis extrema secundum *Hipp.* appropriata conveniunt remedia. *Mathias Glandorp. cap. 25. lib. de Paronychia.*

Pro carie gallica in pudendo

AQ. Plantag. ℥iij. pulv. squamm. æris, adustæ & lotæ ʒj. M. F. injectiones in virgam per syringam tepide. Hoc medicamentum facultatem habet exsiccandi sine morsu, eò melius habere cepit, & cum minore dolore & ardore mingebat, quia tamen perseverabat sanies & ardoris sensus, recurrimus ad præcipitatum quod omnium medicamentorum optimum pro sananda carie gallica jure meritò censeri debet, & ut moderatius fieret medicamentum, cum butyro recenti miscuimus in hanc formam.

♃. Præcipitati correcti & præpar. ʒj. butyr. rec. ℥j. M. quo intingebat linteolum angustum & stylo obuolutum intra virgam mittebat, & ad partem affectam applicabat, extrahendo stylum & relinquendo linteolum, ita tamen ut pars linteoli foris penderet, ut extraheretur. *Rodericus à Fonseca Tomo 5. Consult. 35.*

Fernelius describit aquam mirabilem, ad cariem malignam, quam vocat divinam; Fit ita

♃. Sublimati opt. gr. xij. aqu. plantag. ℥vj. recoque supra cineres calidos in phiala vitrea ad dimidias. Hoc liquore styli acumen illinatur, ut postmodum attingantur ulcera bis vel ter indies supra posito unguento de tutia. *Rodericus à Fonseca Tom. 2. Consult. 59.*

Vidi quendam patientem Carolos (cariem) in virga, accepi lac mulieris tepidum & ablui membrum & sanatus est, aliquando etiam curavi ulcera virgæ cum succo millefolii, & aliquando cum succo summitatum Sambuci, pulvis cariei ligni multum etiam prodest, maximè vero salicis. Ego *Marcellus* curavi multos patientes Carolos & ulcera virgæ cum tumefactione præputii, & dolòre vehementissimo primò facta purgatione & diæta, & defensivo suprapposito, & cum oleo rosato ungendo. Cum syringa injicio intra præpucium lac vaccæ, capræ, vel si habeam, mulieris ab uberibus mulctum, tepidum. *Marcellus Cumanus Obs. 20. & 21.*

CARO SUPERFLUA

Prò Carne superflua.

Ego uti soleo linamentis excerptis ità partis.

℞. Aq. plantag. rof. solan. an. ℥iiij. opii. ℈j. medullæ panis, ℥ij. mercurii sublimat. ℈iiij. sublimatum supra porphyritem teratur: deinde M. & bulliant ad medietatis consumptionem, colentur per pannum crassiusculum. Fila excerpta bulliant aliquandiu in hoc liquore, posteà eximantur, exprimantur, siccentur, ac serventur ad usum. Seplasiarii nostri in officinis ad manus habent alumen ustum, quod optimum est, Squammam æris, æruginem æris, pulverem hermodoctylorum, pulverem asphodelorum, præcipitatum omnium optimum, quia agit sine dolore; ex compositis unguentum Aegiptiacum, apostolorum, & isidis, quæ omnia carnes superfluas exedere solent. *Gabriel Fallopius cap. 18. Tract. de ulceribus.*

CARO ABLATA

quomodo restituenda: ubi de chirurgia Curtorum.

De nasi amputati ex carne Brachii restitutione.

Quæritur an talis restauratio sit possibilis, & videtur quod non. Primum authoritate *Jo. Andreæ Crucii* maximi chirurgi qui *lib. 2. c. 3. suæ chirurgiæ* dicit non audiendos eos, qui amputatos nasos restituere pollicentur: nam, natura, inquit, tantum artificii nemini concessit. Videtur id etiam ratione confirmari. primo quia caro brachii est musculosa, nasi non; & caro brachii est alterius temperamenti, quàm nasi: itaque non videtur, quod illæ carnes possint uniri. Secundò quia in illa operatione videntur tam multæ difficultates debere intervenire: hæmorrhagiæ, convulsionis, gangrænæ, dolorum inflammationis, œdematis, pustularum, febrium, ut omnino impossibilis videatur. verùm in contrarium sunt autoritas variorum, qui dicunt hanc artem & operationem possibilem esse, imprimis *Calentius in Epist. ad Orpianum* scribit, sic nasum abscissum ex brachii carne, vel ex carne servi restaurari posse. Et *Steph. Gourmelenus lib. 1. chirurgiæ* testatur, sic nasum reparari posse, & scribit, quòd quidem *Branca Siculus* ita nares solebat restituere. Quod idem *Gourmelenus* scribit se vidisse. Et *Guilbertus Cognatus Noserenus lib. 2. narrat.* scribit quòd ille *Branca Siculus Catanæus* insignis chirurgus aures, nasos, & labia sic soleret restaurare. *Alexand. Bened lib. 5. c 19. Anatom.* scribit sua ætate sæpè visum esse, quod nasus restitueretur caruncula è brachio concisa. Idem tradit *Vesal. lib. 3. c. 19. & Paræus l. 22. c. 2. suæ chirurgiæ* scribit hoc fieri posse, & superioribus, inquit, annis extitisse chirurgos in Italia, qui id facerent. Idem etiam scribit *Fallop. lib. de decoratione c. 2. & Hieron. Mercur. lib. de eadem materia* Ego etiam testari possum, *Casp. Taliacotium* Professorem chirurgiæ in acad. Bononiensi plurimos hac arte nasos restituisse, quorum ego aliquos restauratos in aliquibus vidi, alios actu fabricari: itaque certum est hanc restautationem esse possibilem & sæpissimè factam, & ideo authoritas *Joann. Andreæ Crucii* non est attendenda, ut pote qui illam nesciebat, sed quia mirabilem, ideò putat esse impossibilem. Ad secundum argumentum respondeo, non esse tantam diversitatem, quæ unionem impediat, & etsi incommoda, & difficultates satis multæ circa illam operationem occurrant, non sunt tamen tantæ, ut operationem faciant impossibilem.

Quæritur Secundo, an ex carne Brachii alterius hominis possit hæc restauratio fieri. Dico autem breviter, quod sic; quod probo autoritate *Calentii* supra citati ad *Horpianum*: item *Gourmeleni* in chirurgia, *Taliacotii* in suo libello chirurg. qui omnes scribunt, nasum ex carne Brachii alterius hominis separabilem esse, & probatur ratione: quia constat ex historiis fætus geminos aliquando in lucem venisse modò frontibus tantùm, modò dorsis, modò ventris parte aliqua connatos. si ibi diversos homines connasci non fuerit impossibile utique neque impossibile erit, post partum diversos homines artificio conjungi, & uniri posse. Secundo constat sæpe in corpore nostro partes aliquas connasci quæ & substantia & temperamento magis sunt diversæ, quàm cutis aut caro musculosa diversorum hominum. Secundo quia legimus in historiis aliquandò monstra genita fuisse, quæ parte trahebant corpus unius animalis, altera alterius, si ibi diversa specie animalia in unum corpus unumque animal connasci potuere, quanto magis duo corpora ejusdem speciei connasci, & arte conjungi potuerunt.

Quæritur Tertiò, an hæc operatio sit periculosa? Et videtur, quod sic, quia videtur in ea esse periculum lethalis hæmorrhagiæ, cùm tam magna carnis pars è brachio desumitur. sunt enim in brachio magnæ venæ, & arteriæ. Secundo videtur esse periculum convulsionis, cum musculi illi brachii scinduntur & nervi forte dividuntur, aut punguntur. Tertio videtur periculum syncopes à magnis doloribus inflammationis, febrium, pervigilii, gangrænæ, quæ omnia cùm obvenirent, possent mortem afferre. sed respondeo operationem hanc non afferre periculum mortis, sed tantum habere multas molestias, & difficultates conjunctas: nulla enim ibi potest vel hæmorrhagia, vel convulsio, vel gangræna talis oriri, quæ non possit mox compesci à Medico, modò operationi velit vacare. Ergo non est periculum mortis. Secundò quia non fit scissio in musculis Brachii, sed tantùm cute, & eligitur locus, in quo venæ & arteriæ magnæ non decurrunt.

Hæc tamen operatio infinitas difficultates, & inconvenientias habet. Prima est quod æger sæpè, & maximos debeat pati dolores. Hos patitur duplici ratione; Primo propter sectiones, quia debet antiqua nasi cicatrix circumcidi, brachium bis terve, diverso tempore secari, acus plurimæ per nasum & brachii carnem transfigi. Secundo propter brachii ad caput alliga-

alligationem, quæ benè quatuordecem diebus debet permanere, unde in cubito & omoplatis æger intolerabilem fere patitur dolorem, saltem primis quatuor aut quinque diebus, donec brachium situi illi assueverit. Altera difficultas est, quòd æger ægrè somnum capere possit, propter dolorem ex brachii alligatione. Tertia, æger magnam patitur sitim, interim dum brachium capiti est annexum, eo quod propter nares ex traduce obstructas, cogatur per os respirare, aëris enim per os attractio, maximam gutturis, & linguæ semper siccitatem inducit, undè sitis. Quarta difficultas est quod hæc cura, quatuor mensibus duret, & postquam jam nasus factus est, adhuc bene uno anno, aut altero necessum est, (modo æger velit nasum optimè formatum habere) tectorium ad nasum gestare, saltem de nocte; cùm jam factus, hæc inconvenientia sequuntur. Primò quod aliquando in locum conjunctionis remaneat magna aut turpis citatrix. Secundò quod pars apposita non sit omnino ejusdem coloris, cujus est nasus, sed est albicantior naso, & tempore hyemis cum illa pars frigescit propter defectum naturalis caloris, fit tota livida, saltem primis annis, cum pars recenter agglutinata, adhuc non est temperamento nasi benè conformata, nec adhuc benè assuevit a naso calorem & alimentum recipere, aut ab eo perfectè nutriri. 3. quod factitiæ nares sunt aliis molliores, quia cutis brachii est laxior cute nasi, ideo pars apposita magis quassata est, & pennula, quam verus nasus, qui stat rectus & firmus. 4. quia in factitio naso aliquandò pili nascuntur, ideo quod caro opposita cum esset in brachio habuerit naturam pilos producendi; & sic eam adhuc servat, cum naso est applicata. 5. foramina factitii nasi sunt longè minora foraminibus nasi naturalis; nam etiamsi in principio illa foramina conformentur satis magna, cum tempore tamen fiunt minora, & aliquandò ita minorantur, ut ægri fere per ea spiritum ducere non possint. 6. non habent factitiæ nares tam exactum sensum quàm naturalis, eo quod extrema nervorum corporis non ingrediantur illam factitiam carnem, cùm sint partes spermaticæ, nec possunt regerari, unde influxus facultatis sensitivæ & spiritus animalis in ea est debilior. 7. ille nasus vel debet in principio major fieri, quàm deceat, vel in fine, si erat nimis parvus; caro enim illa novella quæ in principio est spongiosa, temporis decursu consolidatur ac constringitur, hinc imminuitur; unde ut nasus sit postea bene proportionatus, debet in principio fieri major quam deceat. Sive ergo in principio fiat major, sive post evadat minor, utrumque disformitatem habet. Etsi vero hæc omnia incommoda possint ex hac operatione contingere, tamen neque semper contingunt, & plurima possunt vitari, & plurima temporis decursu, & cum ætate nasi minuuntur.

Ad hanc operationem quævis corpora non sunt idonea. In cacochymia, in morbo gallico affectis, in intemperatis operatio est vitanda: in pituitosis & frigidis non succedit propter defectum caloris nativi quia in iis facultas nutrix non est vegeta: hinc tradux marcescit, non benè nutritur, mortificatur, non facilè agglutinatur, allabuntur ad partem pituitosi humores, qui nutritionem impediunt, & traducem faciunt laxum, spongiosum, œdematosum, unde totum turpiter albescit, & livescit, propter caloris defectum.

Si biliosa sint corpora, facile etiam marcescit, & siccatur tradux, & inflammatione, erysipelate, herpetibus, impeditur: si melancholica etiam facilè tradux exarescit, nasus fit lividus, pilosus &c. conveniunt optimè sani, sanguinei, carnosi, solida roseaque carne præditi, in iis enim vegeta est nutritio, & calor nativus fortis, ideo tradux optimè crescit, & educatur, & fit solidus, & facilè agglutinatur, unde nasus solidus & boni coloris, & brevi tempore conformatus. Senes non conveniunt huic operationi, nec pueri, hi quia nequeunt manere quieti, nec dolores tolerare; illi quia frigidi sunt & pituitosi, calor nativus, & virtus nutritiva in illis ferè emortua sunt: hinc tradux non adolescit, sed contabescit, & nequit conglutinari.

Tempus omne etiam huic operationi accommodum non est. Pessima hiems, & tempus omne frigidum, quia ab externo frigore tradux alioqui per se debilis, ut pote à matre sua semi divulsus, debilitatur, & frigeratur, & perdit suum Calorem nativum. Aestate biliosi humores facile in cutem efferuntur, herpetes inflammationes, febres oriuntur. Optimum est ver, quia temperatur, verum etiam autumnus, quia inter frigus, & calorem medius est.

Artificium hujus operationis in his præcipuè consistit. Primò ut tradux ita nutriatur, foveaturque, ut non conglobetur, marcescat, exsiccetur, & emoriatur, aut ædematosus fiat, aut apostematibus, aut gangræna, aut humoris fluxionibus afficiatur, sed incarnetur, fiat crassus, & solidus, & bene sanus. Secundò, ut æqualiter naso accommodetur, proportionetur, non sit nimis tenuis, nec nimis crassus, & conjungatur cum parua & æquali, pulchraque cicatrice. Tertio, ut nasi foramina artificiosè excaventur, & tradux parte interna ac inferna sui quum ad labia pervenit, non sinatur agglutinari, quodque foramina nasi bene sint concinnata. Quartò, ut cùm tradux undique est agglutinatus, pulchrè conformetur, & concidatur, & in tectorio ita benè concludatur, ut pulchram acquirat figuram.

Verùm ut hæc omnia bene observentur, necessum est operandi modum subjungere. De Modo varii scripsere, imprimis *Fallop. l. de Decorat. c. 2. Alexand. Bened. l. 6. c. 19. Vesal. l. 3. Chirurgia c. 9. Paræus lib. 2. Chirurg. c. 2. Marian. Sanctus in consiliis. Taliacotius in sua Chirurgia.* Sed non omnes æque bene eum sunt assecuti. Verus & absolutissimus operationis modus est talis. Primò deliberandum ex quo brachio tradux sit eximendus. Capiendum autem est brachium potiùs illius lateris, cui æger dormiendo non solet incumbere, vel id cujus alligationem faciliùs feret. Præstat ordinariè capere sinistrum. Primò, quia plerique homines in dextro latere meliùs dormiunt. Secundò, quia tunc poterit æger tempore operationis adhuc uti brachio dextero, quod magnum solatium adfert

adfert. Tertiò, quia, cùm fieri possit, ut brachium ab illa exsectione traducis debilitetur, vel aliquod inconveniens acquirat, præstiterit sinistrum capere eo quòd illo minus egeamus, ejusque noxam minus curemus. Insuper notandum, quod non oportet secare musculos brachii sicuti malè *Vesalius & Paræus* docent, sed tantum cutem carnosam ejus, nam musculos secare periculum convulsionis adfert, & musculosa caro non est carni nasi homogenea aut proportionata. Eo cognito brachium denudetur, & medio inter cubitum & humerum loco parte brachii interioris cutis duabus manibus secundum brachii longitudinem attollatur: sic elevata apprehendatur tenacula quatuor digitis lata, quæ habeat foramen tenue instar lineæ tam longum, ac debet esse tradux amputanda. Illa tenacula fortiter comprimatur & claudatur, quo sensus carnis illa compressione minuatur, & sic dolor non sentiatur.

Per illam lineam tenaculæ adigatur scalpellum, seu lancetta, quæ transigat carnem ad longitudinem lineæ, seu foraminis illius linearis tenaculæ. Tum enim tradux à brachio erit divisus tantum sursùm & deorsum suis extremis adhuc adhærens. Tum antequàm tenacula laxetur, per illud idem foramen lineare tenaculæ transmittatur oblonga pars lintei, seu fascia tam lata, quàm est linea sectionis; & sit illa, primum albumine ovi, & oleo rosato imbuta. Tunc tenacula laxetur, & tradux explanetur. Porrò imponitur linteum inter traducem, & carnem, ut non iterùm accrescat, imbuitur albumine, & oleo rosato, ut sanguinem sistat, & sedet inflammationem: desuper ponantur cataplasmata anodyna, repellentia, & sanguinis fluxum sedantia: ab immodico tamen eorum usû est cavendum, nè frigiditate suâ faciant traducem emori. Secundo die, ablato metu accidentium, illa fascia quæ inter Brachium & traducem transit, inungatur terebinthina, & oleo olivæ ad suppurandum, sed nunquam fascia eximatur, quia non posset nisi magno dolore reponi. Cum alia imponi debet, ea priori assui debet, & sic pertrahi. His digestivis tam diu utendum, donec plaga sit benè suppurata, & purgata. Æger primis quatuor diebus in lecto quiescat, brachium medio sitû contineat, non exerceat, utatur tenui & refrigerante victû, si nulla occurrunt prava symptomata, potest tum æger liberaliore victû uti, & brachio ad collum appenso etiam exire, & ambulare. Quatuordecim diebus debet sic tradux educari, nutriri, & foveri antequàm ab unâ parte abscindatur, ut interim incarnetur, densetur, & robustus fiat: nam si statim primis diebus abscinderetur, conglobaretur, marcesseret, & inutilis fieret. Post diem circiter decimum quartum tradux in uno extremo est abscindendus. Debet autem abscindi parte superiore, quæ humerum spectat, manens infernâ parte sui adhuc brachio affixus. Ideò autem debet abscindi parte superiore, ut cùm affigitur naso; habeat cutem suam extrorsùm: si inferius abscinderetur, cum applicaretur naso, deberet inverti, & sic cutis naturalis ejus veniret extrorsùm, quòd naso pareret deformitatem. Factâ abscissione iterum stiptica, & repellentia sunt adhibenda, & postridie iterùm digestiva, sicut suprà; ea autem sunt continuanda, novem aut decem diebus circiter. His elapsis, non est ampliùs suppurationi studendum, sed siccantia adhibenda ut tradux callescat, & consolidetur. Eo facto, de traduce naso agglutinando est cogitandum. Usque ad tempus agglutinationis æger nullas molestias habet, potest incedere, exire, & munia sua obire. Sed cùm agglutinatio instituitur, tum dolores præ foribus sunt. Imprimis tum universa barba est abradenda, nè ea impedimentum adferat, tum nasi antiqua cicatrix æqualiter est præscindenda, & simul quoque cicatrix illius traducis extremitatis, quæ naso debet agglutinari: illæ enim cicatrices impedirent unionem, & agglutinationem. Nasus debet oblique deorsùm præscindi, ut vulnus habeat trianguli figuram. Illi figuræ debet charta accommodari ejusdem figuræ. Illa charta tum debet traduci adhiberi, ut tradux ad figuram illius chartæ conformetur, & quicquid traducis extat debet abscindi, ut sic figura traducis figuræ nasi sit conformata. Cùm tradux sic est figuratus, debet tum naso conjungi, & tum utrumque simul junctim consui, sed debet brachium manere in suo loco, seu ad pectus, & ibi debet acus cum filis primò per traducem transmissa sursùm ad nasum duci, & ibidem per nasum ab infra, sursùm foraminibus oppositis, transmitti; & ideò debent acus habere fila oblonga, ut brachio supra pectus pendente usque ad nasum pervenire possit, quando utrobique acus cum filis sic transmissæ sunt, tum primùm debet brachium elevari, & tradux naso applicari, & cùm applicatus est, tum debent fila utrinque pertrahi & constringi, ut arctè naso tradux alligetur, debent acus sic per brachium, & nasum, à se distantia transmitti; quia si primò tradux naso admoveretur, cùm una acus, cum primo puncto transmissa esset, non possent reliquæ acus commodè per utramque partem, jam conjunctam, transmitti pro reliquis punctis. Acus illæ debent ducere filum duplicatum, ex lino, ignem non experto, suturæ fieri debent non unâ acû, nec uno filo, sed pluribus, nempe tot, quot erant suturæ, sicut una quæque sutura fit cum diversa acu, & filo. Suturæ debent esse quinque vel septem; una in medio, & duæ, vel tres a singulis lateribus; quæ in medio est, priùs facienda est; posteà autem à lateribus, hic enim fiet æqualiter applicatio.

His factis, brachium ita est fortiter capiti alligandum, ut nulla ratione, nullove modo possit, ab eo, vel minimùm separari aut divelli, nam si vel minimum divelli posset, agglutinatio quæ fit labiorum vulnerum conjunctione, impediretur. Brachii alligati situs sic esse debet, ut corpus supremum frontis tangat, vola capitis vertici superponatur, & medius digitus ad angulum suturæ lamdoeidis deveniat. Ut illa alligatio benè fiat, debet parari unus thorax cum cuculla ex linteo grosso, & forti, quod extendi & laxari non potest, & eo debet æger indui, ut fasciæ ei hinc inde optimè annecti possint. Fascia, quâ brachium annectitur, est in medio lata, & cava, ut brachii cubitus in illa cavitate recipiatur, & quiescat: debetque esse sic consuta, & ex tali linteo facta, ut non possit extendi. Illa fascia habet diversas fascias seu

extre-

extrema in oppositas partes tendentia, tanquam ramos, aut propagines, quæ ad caput, collum, & alias diversas partes adduci, alligari, & annecti possint, ut brachium quàm exactissime firmetur. Cùm jam per suturam applicatus est tradux, debent ei medicamenta repellentia, & sanguinem sistentia apponi pro primo: postea vero, super lineam conjunctionis, debent semper siccantia, glutinantia, & cicatrisantia supponi, donec fit agglutinatio facta. Alii balsamis utuntur, alii emplastris siccantibus, ut emplastro barbaro diaconphoticis &c.

Parte interna debent suppurantia adhiberi. Quarto plerumque die signa agglutinationis factæ apparent. Cùm illa apparent, suturas laxare oportet: præstat autem aliquas tantùm laxare non omnes simul, ad videndum atque experiendum, an tradux adhæreat. Si benè adhæreat, oportet alias suturas etiam statim laxari, si enim suturæ diu manerent, fierent in foraminibus suturarum ulcera & remanerent postea turpes cicatrices. Prima itaque agglutinatio, nempè externæ partis nasi, quâ suturæ sunt factæ, septima die perfectè facta est: verum agglutinatio partis internæ nec dum adhuc tunc est facta; sed diu postea fit. Impediendum autem nè interna parte ita tradux statim agglutinetur, quia alioqui foramina nasi tum amplius excavari non possent. Itaque non prius sinenda est illa pars agglutinari, quàm quando foramina illa bene sint perfecta. Post septimum ergo diem, cùm jam suturæ sunt laxatæ, debent adhuc epulotica loco suturarum adhiberi, usque ad alios septem dies, priusquam tradux amputetur, ut interim fiat firmissima agglutinatio & dura mater, & tradux naso assuescat, & ab eo jam didicerit benè nutriri. Decimo quarto itaque die à prima suturâ debet tradux extremo illo, quod huic brachio adhærebat, abscindi: non debet autem totum simul abscindi, sed tantùm pro media parte ad experiendum, an si totus abscinderetur, fortè non emoreretur, & an à naso jam sufficienter nutriretur.

Si enim pro medio abscissus non mutet colorem suum, nec fiat lividus aut pallidus, indicium est, quod à naso jam perfectè nutriatur. Tum in totum est abscindendus. Quando tradux est abscissus, magna ejus habenda cura est, nè frigescat aut emoriatur, quia à naso adhuc debiliter nutritur, & ab eo exiguum spiritum, & calorem adhuc recipit. Tum videndum, quantum de mole traducis jam agglutinati, ad nasi restaurationem opus sit: quod ejus supervacaneum esset debet postridie amputari, & in rotundum ad formam nasi, cum cultro conformari: Potest autem hoc sine dolore fieri, quia tradux tum exiguum sensum habet: tum super traducis parte recenter amputatâ, septem iterum diebus suppurantibus, & siccantibus utendum ab infra: & parte interna traducis duæ turundæ medicamento idoneo imbutæ infigendæ sunt, nè tradux subtus naso accrescens foramina obstruat. Illis turundis foramina confortabuntur. Interim quia ea parte, ubi tradux rescissus est, sæpè nova caro ultra proportionem accrescit, ea sæpe rescindi debet, nè forma nasi vitietur. Quando foramina conformata sunt, pro ultimo infernæ, ac internæ partis traducis agglutinatio procuranda est.

Omnibus iis factis tubuli duo plumbei, pro turundis, sunt imponendi, & instrumento cavo, seu tectorio ad similitudinem. Nasi facto tradux, seu novellus nasus est includendus, ut in eo & similitudinem & figuram suam exactius acquirat. Tubuli singulis ferè diebus sunt removendi, & pro plumbeis postea argentei sunt imponendi. Tectorium primò ex plumbo, deinde ex argento fieri debet. Plumbum enim magis callum inducit; argentum verò dat soliditatem & applanationem. Illud tectorium hieme tenui panno lineo vel bissino est investiendum, nè frigus metalli calorem recentis nasi adhuc debilem extinguat, æstate verò nihil debet interius poni, meliùs enim applanatur, & solidatur à tectorio nasus, si nihil intermedium sit, & nudum metallum nasum tangat quàm aliter.

Nasus debet quàm diutissime tectorio inclusus gestari: quo enim diutius ei includitur, formam suam servat magis permanentem, & induratur: adeò ut ad duos annos sic in tectorio gestari malum non sit. Naso sic efficto in loco cicatricis aliquando talia medicamenta adhibenda, quæ cicatrices dolent, ut minus nasus habeat deformitatis. *Thom. Fienus de præcip. artis Chirurgic. controvers. tract. 12.*

De carne lateris ablata & restituta.

Ab itinere Brasiliensi ad nox redux Chirurgus haud vulgaris experientiæ, & jussu regio à nobis examinatus, sanctâ fide asseveravit, ictû tormenti ablatam esse nauclero in navi quâ vehebatur, magnam carnis portionem in sinistro hypochondrio, ut hiatû manifesto viscera interiora illæsa apparerent, se verò carne vervecinâ, quæ fortè ad manus erat; læsum locum replevisse, & hâc Chirurgiâ curtorum hominem restituisse. *Thomas Bartholinus hist. 59. cent. 6.*

CAROLI.

Sunt pustulæ venereæ in membro virili excitatæ de quibus capite de Lue Venerea.

CARUNCULA.

In Meatu urinario.

Hic de Carunculis illis præternaturalibus agimus quæ à succo ex ulcere, vel colli vesicæ, vel meatus ipsius urinarii, subinde succrescunt, urinæque evacuationi non parum incommodant. Ulcera autem illa unde enascuntur ejusmodi carunculæ, sunt ut plurimùm venerea, à Gonorrhæa scilicet orta. Ex eo dignoscitur hoc malum quòd urina non ut in sanis pleno, ut aiunt, alveo prorumpat, sed minutiùs & ad instar fili in duas partes divisi, exeat; præterea dolor in mictionis fine crudeliùs, quàm dum urina profluit, discruciat. Explorari etiam potest Cathetere immisso.

Pro-

Pro Carunculis in collo vesicæ.

℞. Viridis æris, auripigmenti, vitrioli, alumin. roch. an. ℥ ij. omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos porphyrites lapides, quàm accuratissimè ducantur, in lævoremque tenuissimum reddantur, & soli æstivali exponantur. Hæc rursùs sic exsiccata aceto affuso ducenda sunt, & læviganda, solique exponenda, quousque pulvis subtilissimus evadat, ut ab iis omnis prorsùs acrimonia extincta sit, quod opus 8. dierum spatio conficies, hoc parato pulvere.

℞. Ol. rosac. ℥ iv. litharg. ℥ ij. ad ignem f. coctura quousque emplastri acquirat consistentiam, tunc ab igne deposito, adde prædicti pulveris ℥ ij. & spatula M. & ad ignem omnia tractato, quousque medicamentum duriusculum evadat, ita ut ti candelæ cereæ, vel plumbeæ virgulæ hæreat, non diffluat etiam si digitis tractetur. Hoc enim emplastrum hujus Lernæi & Herculei morbi clava existit, quod hymnis multis & laudibus variis decantari meretur. Nec solùm huic morbo prodest, sed varios alios arcet, & explodit, nam polipos unicè curat, & extuberantes carnes in aurium meatibus & aliis locis repertas unicè extirpat, & resecat.

Præter hoc emplastrum cereæ candelæ numero xx. in promptu erant, quæ ex alba cera paucula resina terebinthina adjecta parabantur longitudinis 12. digitorum transversorum, crassitudinis verò prout nobis meatus urinarius ferre videbatur. Nec minùs ex plumbo 3. vel 4. plumbeas virgulas paratas habuimus, quibus quando carunculæ refractariæ & difficiles sunt, candelarum vice utimur: iis sic in ordinem dispositis candelam ceream unam vel alteram per circuitum excavatam eo modo quo fusi in cuspide, nè fila decidant, excavari solent, ex prædicto emplastro inunctam per urinarium meatum ægrotante optimè sedente immittimus, ac per 6. vel 8. dies singulis diebus unam, vel alteram, ut decet innovatam candelam æger continuò in urinario meatû insertam habet, neque absque eâ, nisi meiendi tempore, agat, necesse est; septimo die in ægroto nostro carunculas defecisse manifestissime deprehendimus ex his signis, primo quòd candela jam facilè penetrabat, secundo ex multitudine caruncularum putridarum extra emissarum, & humoris purulenti effluentis.

Tertio ex urinæ expeditâ ejaculatione, extirpatis igitur ac ex toto eradicatis carunculis per 8. sequentes dies nihil per siphonem injecimus, sola candela crassiuscula sicca absque alicujus rei inunctione immissâ contenti. Nam etsi carunculæ extirpatæ sint, non tamen ex toto portiunculæ, quæ emplastrum subterfugiunt, brevi illo tempore deponi potuerunt, sed ut magis exactè excernantur longiori indigent tempore, quas ad fundum vesicæ non sine ulcerum vellicatione & ægrotantis detrimento, si per Siphonem quid injecerimus, retrocedere faciemus, reliquis igitur 7. diebus urinarium meatum per candelam ceream crassiusculam patefactum servavimus, per quem urina abstergendi exsiccandique vim habens liberè & expeditè exeat secum caruncularum reliquias nonnullas excernens. Quod unum hâc in curatione tanquàm præcipuum adnotandum decrevi, elapso igitur hoc tempore quo & caruncularum & crassioris puris effluxus cessavit, ad nonnullorum liquidorum abstergendi vires habentium injectionem per Siphonem devenimus in hunc modum.

℞. Hordei integr. pii, rad. aristol. rot. ℥ iß. fol. plantag. p. ij. f. e. a. decoctio in aq. ℔ ij. ad medias. Colaturæ adde mell. rosac. colati ℥ ij. m. & cum syphone per fistulam urinariam injice bis vel ter in die, & virgulam plumbeam, aut candelam ceream remittat. Hoc decocto abstersorio nos utimur continuo & in nostro hoc ægrotante intra 6. dies opus peregit, quod si fortiori opus fuerit, ad aquam Lanfranci viridem pro ulceribus exactè abstergendis pervenimus, quæ ita habet.

℞. Alumin. roch. virid. æris an. ℥ ß. auripigmenti ʒ j. f. decoctio in aq. fontis vel plantag. ℔ ij. quousque ℔ ß. absumatur; per saccum laneum coletur. Hanc aquam camphorâ alteratam per Siphonem in meatum injicimus, deinde post plures elapsos dies hoc cicatrizans medicamentum injicimus.

℞. Ceruss. ℥ j. alum. roch. lithargyr. an. ʒ ij. f. decoctio in aq. caudæ equinæ ℔ ij. ad medias, colatura per manicam laneam trajecta injiciatur. His medicamentis hic vir intrà mensem ex toto sanus evasit. Si ut aliquando dolor superveniat, urinarius meatus colluatur lacte aut aqua rosacea camphorâ admixtâ, aut decocto sem. lini & fœnugræci, quod si acerrimus dolor sit, ut eum æger pati nequeat, ad opii unum aut alterum granum devenimus dissolutum in aqua ros. *Amatus Lusitanus cent. 4. curat. 19.*

Pro carunculis in meatû urinario.

Post celebratas universales evacuationes, partes urinæ famulantes fomento, balneis, ac unguentis relaxantibus fotæ sunt deinde ad opus Chirurgicum accessimus, hoc modo. Candelas cereas albas, quibus parùm terebinthinæ immixtum erat, paratas habebat Chirurgus longitudinis 12. digitorum transversorum, crassitudinis verò prout meatus urinarius ferre posse videbatur, eas Chirurgus sequenti unguento oblinebat & bis in die impositum, unguentum illud erat ex lib. 1. pag. 20. *De secretis Alexii Pedemontani* ad ulcus sanandum carnosum etiamsi fuerit inveteratum, cujus hæc erat descriptio.

℞. Fœces ex melle destillato, vel his deficientibus sumito mellis ad justam crassitudinem cocti. Deinde ponito in ollam ad cremandum vel in figuli vel in vitrarii fornace, donec auri colorem assumat, hæc materia valet ad omnes plagas, nam carnem putridam atque mortuam consumit, posteà mundificat, & absque ullo dolore persanat.

℞. Hujus pulveris ℥ j. stercoris canin. ℥ ij. tartar. alb. ʒ ß. sacch. albiss. aluminis usti, tutiæ an. ʒ j. terantur omnia atque cribrentur. Deindè.

℞. Fol. olivæ rec. contund. in mortario lapideo optime, adjiciendo parum vini albi postea

postea benè expresso succo addatur tantundem succi plantag. ponanturque ad ignem infundendo paulatim prædictos pulveres & continuò miscendo, postremò parùm ceræ viridis adjungatur & parùm mellis rosac. f. unguentum molle atque in usum servetur. Est autem valdè pretiosum ad carnem consumendam consistentem præsertim in locis valde sensibilibus, quæ fortia medicamenta respuunt propter dolorem. Modus verò utendi est hujusmodi; syringa parva vino albo impleatur, in quo rosæ siccæ & fol. plantag. cocta, deinde parùm lactis muliebris vel caprini adjectum fuerit, ponatur in virgam, quæ vino optimè lavetur, deinde candelam parvam ceream sumito, & in ejus mucrone prædicti unguenti parùm affigito, atque sic in virgam immittito quousque ulcus pertingat, & unguentum ibi relinquat hoc bis in die faciendum manè scilicet & vesperi, & sic admirabilem effectum videre licebit: nam paucis absque ullo periculo æger sanabitur. Hoc tamen non juvante usi sumus experimento *Amati Lusitani* descripto cent. 4. curat. 19. quo feliciter curatus fuit æger noster. *Petrus Forestus* Observ. 10. *lib.* 25. *De Vesica morbis.*

Pro Carunculis urinam supprimentibus.

Caruncula, quia pepasmi expers est, si impedimentum fecerit, consumi debet, abstergi ulcus & claudi, nè moriatur æger, (inquit *Hollerius*) cogimur carunculam illam absumere, & rumpere; remedio carunculis est oleum cucumeris asinini remixtum cum unguento rosato, cui pauca grana sublimati, vel præcipitati adduntur; candela cerea immittetur doctâ manu, vel hæc adduntur unguento de Tutia: quidam 30. ferè annis ita laboraverat, urinâ semper tenui filo fluente, his recreatus fuit *Joan. Heurnius* ad aphor. *Hippoc.* 82. sect. 4.

Pro caruncula in meatu urinario inter alia unum familiare habeo secretum, arsenicum nimirùm, quo utor hoc modo. Emollio optime ipsum super lapide pictorio cum succo limonum, postea soli, donec siccatur, expono; deinde ipsum diluo aceto stillatitio, & iterùm sub sole sicco, & hoc quater facio. Ultimâ vice abluo aq. rosac. deinde cum aliquo cerato misceo, ut cum diapalma vel diachylone, vel cum ol. rof. & cera, & facio emplastrum pro ratione duritiei carunculæ, & minimam portiunculam hujus medicamenti pono in extremitate candelæ & quotidie semel aut bis in meatum urinarium fœlicissimè intromitto. *Gabriel Fallopius lib. de Tumoribus cap.* 38.

Carunculam meatûs urinarii certissimo experimento in pluribus sustulit *Antonius Fuchsius* Medicus *Noribergensis*, scil. oleum succini cum vitello ovi mixtum applicabat candelâ cereâ, & meatui immittebat securum sanè remedium, & reliquis omnibus præferendum, si respondeat eventus. *Hieronymus Reusnerus. Obs.* 91.

CARCINUS

Vid.

CANCER.

CARUS.

Item

Coma Somnolentum & Vigil, Somnolentia perpetua ac Lethargus.

Somnus naturalis qui pars est humanæ melior vitæ, laborumque portus meritò censetur, si in morbosum quid abeat pro graduum varietate variis insignitur nominibus, exinde enim & *Carus*, & *Coma Somnolentum* ac *Vigil*, & *Somnolentia perpetua* & etiam *Lethargus* oriuntur. Unam enim propè ac eandem causam agnoscunt morbi variis hisce nominibus distincti & gradu tantùm distant, propterea uno eodemque capite à nobis describentur.

Est autem *Carus* somnus sine febre & maximè profundus, in quo æger etiam durius compunctus aliquantillum revera membrum sæpe contrahit, at interim neque clamoribus, neque pilorum vellicationibus, aliisque mediis excitari potest. *Coma Somnolentum* seu *Cataphora* est somnus profundus quidem, sed à quo æger excitatur & respondet, verùm mox in somnum relabitur, idque sine febre. *Coma Vigil* est gravis ad somnum propensio cum impotentia tamen ad eundem, in quo scilicet ut eleganter Tertullianus quam sitit æger quietem desperat ebibere. *Somnolentia perpetua* est continua ad somnum propensio etiam inter colloquia ac comessationes. *Lethargus* tandem est affectus in quo æger somno quidem quasi sepelitur, sed ad interrogata respondet cum delirio, & febrem habet adjunctam.

Pars affecta in hisce omnibus affectibus est cerebrum, quod scilicet humoribus pituitosis, vel etiam particulis narcoticis variè obsessum, varios somnolentorum morborum gradus profert. Cerebrum autem hic in genere tanquam spirituum animalium genuinum fontem pro parte affecta producimus, nec ad corpora striata, medullam oblongatam, aliasque in specie hujusce visceris partes nos restringimus, quia quicquid demum super hac materia tradant Willisius & alii, de earumdem tamen functionibus particularibus & læsionibus adhuc dum non satis constat. Focus autem morbi sæpius non est in cerebro, sed ut plurimùm in imo ventre scilicet humoribus corruptis variis ipsius visceribus innidulantibus sanguinemque, aut succum nerveum eo contagio inficientibus quod ad cerebrum delatum morbos descriptos pariat.

Quomodo *Somnolentia perpetua* ab aliis omnibus Affectibus Soporosis differat satis clarum est: In eo autem *Lethargus* ab iis distingu tur, quòd febrem habeat comitem quæ nec in Caro, nec in Comate Somnolento aut Vigili nec in Somnolentia perpetua si simplex fuerit affectus, affligit. In specie vero à Caro diversus est, quòd quamvis in illo magna adsit ad somnum propensio, æger tamen clamoribus excitari potest, & ad interrogata cum delirio respondere, cùm in Caro somnus sit tam profundus ut nulla vi æger excitari queat. *Coma Vigi*

differt à Caro ut & à Comate Somnolento & Lethargo, quòd eò tacti quamvis per propriam morbi propensionem somno capescendo quàm maximè parati videantur, inquieti tamen continuò vigilent. *Carus* tandem & *Coma Somnolentum* inter se tantùm secundùm magis & minus discriminantur; Quidam etiam qui Comatis nomine omnem morbosum somnum designant, illud in profundum seu grave per quod ægrotans in nigras Lethargi mergitur undas & propriè Carus est; in insomne de quo suprà; in somnicosum quod in utriusque prædictorum confinio positum est; & denique morbum quem hic Comatis nomine in specie insignimus, dispertiunt.

Causa horumce omnium affectuum est, vel humor pituitosus spirituum animalium motus quales pro vigilia requiruntur, præpediens, vel particulæ venenosæ ac narcoticæ quæ etiam secundùm Sylvium de le Boë in bile ad opii naturam & genium per peculiarem quandam fermentationem ac corruptionem exaltata reperiri possunt & nunc parciùs, nunc abundantiùs, nunc magis, nunc minus sese explicant & diffundunt, sicque spirituum actioni magis aut minus officientes, varios morborum soporosorum gradus constituunt. Humoribus autem, aut particulis prædictis, adjungi possunt aliæ acriores, aut cerebri membranarum peculiaris dispositio, quibus arceatur somnus per irretitos ex parte spiritus aliàs necessario inducendus; sic videmus quotidie temperamenta quædam cerebrique specificas constitutiones quæ opii omnem vim eludunt, scilicet respectu somni, & ab eo epoto vel aliàs deglutito potius cum inquietudine vigilant quàm dormiunt, dum interim eorum caput vaporibus, ut loquuntur, repletum non parum gravatur. Febrem Lethargi comitem quod attinet, ejus causam minimè necesse est huc adducamus, cùm eadem sit quæ aliàs plures febres facit, scilicet fermentatio inter varios humores seu potius inter varios sales humoribus & succis corporis nostri degeneribus supra modum exaltatos, innidulantes, orta, de qua suo loco, nempe tractatu de Febribus.

Diagnosis ex descriptione & differentiis horumce affectuum mox allatis, satis patet.

Prognosis verò varia est pro varietate affectuum, ac primò *Carus* prognosis omnino est ominosæ, præcipuè si febrem malignam, aliamque non judicatam adjunctam habeat, aut si puerperium consequatur, ut & si morbis aliis cephalicis, aut capitis vulneribus succedat. Non rarò etiam in Apoplexiam eamque citò lethalem abit, & etiamsi cerebrum aliquando videatur ex parte excussisse materiam morbificam, unde loquela restituitur, non sic tamen minùs timendum, ne spasmi superveniant, aliaque quæ ægrum subitò tollant. *Coma Somnolentum* dubii omnino est eventus & medicum prudentem inter spem ac metum continet. *Coma Vigil* melancholicis proprium irritationemque magnam in cerebro aut ejus membranis denotans, in Maniam sæpe abit, nec periculo vacat. *Somnolentia perpetua* ad affectus alios omnes somnolentos, ipsamque etiam Apoplexiam viam sternit. *Lethargus* tandem per febrem ut plurimùm malignam sibi adjunctam potius quàm per se periculosus est, & præterea propter metum inflammationis in cerebri meningibus, à particulis salino acrioribus ipsis quasi impactis, & à febris foco continuò ascendentibus, unde Phrenitis excitari potest. In senibus tamen iisque quorum vires prorsus collapsæ sunt, periculosior est, ut & cùm à veneno, vel intus assumpto, vel extus per ictum à venenato animali inflictum serpente diutiusque retento, procreatur. Ex Hippocr. autem sect. 7. Aph. 21. tremor Lethargo superveniens malum, ut & ex ejusdem Sect. 2. Aph. 1. somnus laborem multum faciens malum. Si affectus hic ex crapula, ictu, plaga, aut narcoticis assumtis, iisque non admodum infestis oriatur, spes omnis non excluditur; ut & si minùs fortis atq; medicamentorum ope statim aliquid causæ morbificæ dimoveri videatur.

Indicationes hic eædem propè sunt quas in Apoplexia & Paralysi adduximus, observata tantùm graduum varietate. *Lethargum* quod spectat, quandoquidem ut plurimùm alterius morbi soboles est, vel à causa aliqua evidenti enascitur, indicationes ab iisdem petantur, nam longum foret ac minùs necessarium eas hic omnes pro varietate causarum enumerare. In *Comate vigili* retundenda venit acrimonia illa vitriolica cerebro ac præcipuè ejusdem membranis impacta, unde & spiritus efferari & in motus maniacos deduci possunt: hæc autem ad classem morborum melancholicorum referenda veniunt.

De *Curatione* nihil hic addimus iis quæ tum in aliis afferuntur capitibus, sed præcipuè de Apoplexia, ut & etiam quæ mox è variis Autoribus adducenda veniunt.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones ex variis.

Curationes.

In sopore, caro, veterno, comate, vigiliis, cataphora, siphila stricta, id est noctambulonib. it. incubo, in tremore, stupore, cæterisque vitiis cerebri, præter illa, quæ hactenùs enumerata sunt, potissimùm prodest, liquor lunæ, suprà in desipientia descriptus, cujus excellentia in ejusmodi casibus commendari nequit.

NB. Sternutatoria, in ejusmodi casibus esse necessaria, itaque in curationibus istorum morborum sternutationes sunt sæpius provocandæ.

Prodest litus ex oleo castorei cum succo rutæ, fœniculi; it. ℞. Succi apii, acet. fortis q. s. & cum pulvere castorei f. emplastrum, & capiti abraso superpone *Joan. Hartm. in praxi chimiatr.*

De Comate vigili.

Licet coma ἄγρυπνον seu vigil ad soporosos affectus referri soleat quia tamen longè diversam à cæteris conditionem obtinet, ideò seorsim in hoc capite explicandum est.

Est autem coma vigil affectus, in quo ægri clausis oculis decumbunt, ut dormire videantur, cùm tamen vigilent, & delirent: ac si eos tetigeris, statim oculos aperiunt & torvè aspiciunt, & iterùm delabuntur in somnum, qui variis imaginibus, & deliramentis impeditur, ita ut vigilare cogantur. Hunc affectum Gal. medium constituit inter phrenitidem & lethargum & typhomaniam appellat.

Causa

Causa hujus affectus vulgatissima est bilis cum pituita permista, à quibus humoribus cerebrum tantum irrigatur, vel tumorem atque inflammationem cocipit, unde erysipelas œdematosum, vel oedema erysipelatosum exoritur. Cùm autem ea humorum miscella variis modis & proportionibus fieri valeat, sic varii in diversis ægrotantibus isti affectus apparent. Si enim bilis in mixtione prævaleat, delirium majus est, & ægri licet clausos habeant oculos, minus dormiunt; si verò pituita prædominetur, ægri magis dormiunt, minus delirant, & expergefacti minùs vociferantur, ac desipiunt.

Fit enim coma vigil per sympathiam à vaporibus biliosis, pituitosis simul mixtis in cerebrum translatis: quod non raro solet contingere in febribus ex humorum miscella oriundis, præcipue hemitritæis ex tertiana, & quotidiana compositis. Non est tamen inconveniens asserere, vapores simpliciter calidos & humidos in febribus satis intensis hunc affectum producere, quia ab humiditate fit somnus, à calore autem vigilia.

Diagnosis hujus affectus ex iis quæ antea dicta sunt satis elucescit in eo enim laborantes clausis oculis permanent, & somnum capere videntur; attamen dormire nec queunt, & se variis modis exagitant, sese subito erigunt, è lecto surgere nituntur, & iterùm in somnum relabuntur. Causarum varietas ex prædictis etiam facile dignoscitur.

Periculosus affectus maximè censendus est. Sivè enim tumore, & inflammatione cerebrum afficiatur, grave malum esse consuevit, seu alio quovis modo a prædictis humoribus obsideatur, sivè à vaporibus ex febrium malignarum materia oriundis afficiatur.

Deliria vehementiora in comate vigili convulsionem efficiunt: fiunt enim ab humore, vel vapore acerrimo, qui partes nervosas feriendo convulsionem facile concitare potest.

Curatio comatis vigilis idiopathici iisdem instrumentis perficitur, quibus phrenitis & lethargus curari consuevit: quod si magis ad phrenitidem deflectat, illius remedia magis adhibentur; si verò magis ad lethargum inclinet, ejusdem remedia magis usurpantur. Symphatici verò comatis curatio à febris malignæ curatione dependet, à qua sumit originem. Peculiariter tamen remedia vapores illos à cerebro revellentia, & repellentia usurpanda sunt in principio, ut phlebotomia ex brachio & malleolo, & Oxyrrhodina fronti & syncipiti admota, quibus accedent clysteres frequenter iniecti, cucurbitulæ tum siccæ, tum humidæ scapulis, dorso, natibus, & cruribus affixæ; vesicatoria cervici, brachiis, & femoribus admota & siquid cerebro infixum videatur, derivatio per apertionem venæ frontis, aut hirudines ponè aures, & temporibus affixas, molienda erit, simulque resolutio procuranda animalibus tenellis calentibus capiti admotis. *Lazarus Riverius prax. medic. lib.* I.

In Caro, Comate &c. nimium Phlegma cerebrum inundans, est evacuandum nunc per aluum nunc per sudorem, nunc per sternutatoria. Hinc spiritus torpidi primò acidis excitandi, & volatilibus spirituosis denuo restaurandi. Interea acribus, aut sensuum organa vellicantibus nimius somnus impediendus

Inter evacuentia primatum obtinet vomitus, qui si commode potest institui, admodum est proficuus: hæc inter uti notum est, eminent emetica antimonalia vina emetica. Item tinctura Nicotianæ cum spiritu vini extracta ad ℥ij. propinata. Purgatip instituì debet cito, neglecta temporum electione, neque enim timidus aut cunctabundus in purgandis Lethargicis debet esse medicus, & quidem forti medicamento fiat; alias enim frustra laboratur. Inter purgantia imprimis est purgans ex scammonio cum castoreo, id quod jam à Tralliani ætate fuit celebratum. v. g.

℞. Castorei ℈j. scammonii præparati ℈j. M. Divid. in 2. partes æquales. Datur in vehiculo oxymelitis scillitici, jam hoc ipsum à Tralliani ætate, ut dixi, est celebratum, & curavit eadem virum 55. annorum Borellus uti videre est in cent. 2. obs. 52. Alias extractum phlegmagogum Quercetani à ℈j ad ʒß. propinatur. Item extractum Trochiscorum alhandal à gr. 6. ad xij. usurpatur. Item extractum Esulæ aliis loco stimuli additum laudatur. Ex officinalibus sunt Pilulæ cochiæ ad ʒj. propinatæ, quæ ceu expertus in Lethargo commendat Forestus lib. 10. obs. 33. si cum Castoreo Misceantur v. g.

℞. Extracti phlegmagogi Quercetani, castorei ana. ℈ß. Extracti Trochiscor. alhandal. gr. ij. Resinæ Jalapæ gr. v. c. s. q. ess. Castorei F. v. Pilulæ purg. credo quod pilulis additus mercur. dulcis non futurus sit frustraneus, cùm hic in similibus affectibus alias sit egregius.

Loco purgantium per os assumendorum si non possint convenienter adhiberi; conveniunt clysteres acres & fortiter stimulantes, quibus imprimis addenda salia volat. V. gr. fiunt tales clysteres ex cent. minor. Majoran. Salvia, origano, absinthio, serpillo, ruta, pyrethro, felle tauri inspissato. Pulpæ colochynthidos in petia ligata cum electuario de Hiera picra cum agarico, cum electuario Indo & similibus v. g.

℞. Herbæ absitnhii, cent. minor. folior. rutæ ana. mj. radicis pyreth. ʒiij. pulpæ colocynth. in petia ligat. ʒiß. (alias enim exulcerat intestina) coquuntur in s. q. aqu. communis. Colaturæ.

℞. ℥ix. cui adde Electuarii cum agarico ℥j. fell. tauri inspissati ʒj. sal. vol. succini ʒß. vitell. ovor. Num. I. M. pro clysmate, quod est satis acre.

Item subinde applicantur suppositoria, eaque etiam acutiora: Nunc scil. suppositoria acuta usitata illita cum felle tauri, aut illita cum ol. colocynth. Quercetani: vel præparantur de novo, ex melle inspissato cum sal. gemm. aut ex felle tauri insp issato cum speciebus Hieræ picr. & similibus, quæ cum melle conjunguntur, in formam suppositoriorum applicanda.

Præmissis hisce dantur appropriata, quibus tamen etiam intermiscentur Sternutatoria. Hæc sternutatoria fiunt fortiora ex rad. Helleb. albi, rad. liliorum convall. cum granis aliquot Euphorbii. Item ex pulvere Nicotianæ cum Euphorbio & aliquot granis sal. volat. urinæ spirit. vin. vol. Nam hæc salia vol. optimè permiscentur cum talibus sternutatòriis acrioribus cùm fortiter penetrent, dùm interea alia acria sternutatoria vellicant. Vitriolum ad albedi-

nem calcinatum ad ℨj. solutum aq. Majoranæ ℥j. qui liquor naribus attrahendus subinde pro sternutatorio satis eleganti. Juxta hujusmodi evacuantia & subinde ven. sect. vel saltem pro scopo aversorio aut derivatorio locum habet, in casu nempe quo à colluvie recrementorum mediante sanguine & sero cerebrum inundante malum ortum fuerit. Tali in casu venarum jugularium apertionem suadet Willis loc. cit. Quibus non sufficientibus, altero die cucurbitulæ scarificatæ inter scapulas aut hirudines prope aures applicari possunt. Quod si nec sic resuscitari videatur æger, præmissis talibus ad vesicatoria item ad sternutatoria, accedendum venit: ad ista quidem pro scopo aversorio, ad hæc pro scopo excitatorio ac simul evacuatorio, sed non nisi istis præmissis v. g.

♃. Pulv. cantharidum ℈j. euphorbii gr. xij. castor. gr. xv. fermenti acerrim. ℨß. M. pro vesicatorio. Nam acria ac dolentia in talibus ægris omnino requiruntur. Applicari nunc possunt vertici, nunc syncipiti, pro scopo derivatorio, nunc cruribus pro scopo revulsorio. Sternutatoria per pennam insufflanda sunt naribus.

♃. Pulv. Nicotian. lil. convall. an. ℨj. rad. hellebor. albi ℈j. ol. destillat. majoran. gr. iv. castor. gr. xij. ad xv. M. vel sternutatorium Timæi in affectibus soporosis expertum, quod habet in casibus p. 20.

♃. Ellebor. albi, castor. piperis alb. an. ℈j. ol. destillat. rutæ, majoran. salviæ, an. gr. ij. M.

Hisce etiam salia vol. v. g. sal. vol. salis ammoniac. aut sp. salis ammoniaci cum calc. viv. paratus commodè permiscentur, cum fortiter penetrent cœteris addita vellicando; sternutatorium ex turbit. cum pulvere glyzyrrh. vid. in Barbett. praxi cum comment. Deckers p. 76.

Post hæc sunt appropriata quæ aut spiritus excitant, aut eos restituunt.

Hæc inter primatum obtinet Castoreum quod est omnium optimum sive ipsum Castoreum sive Ess. sive extractum quocumque modo usurpatur: Post castoreū est imprimis Ruta, Serpillum, pulegium, & origanum. In specie tamen acida omnia externe & interne ad excitandos & curandos lethargicos mire conveniunt. Hæc inter, præter acetum & Oxymel scilliticum est imprimis spirit. vitriol. vol. cujus legitimum signum est quod non guttatim, sed striatim in alembico appareat, paratus ex vitriolo artificiose calcinato, ita ut Phlegma saltem evaporet, remanente spir. vol. qui postmodum per rectificationem à spiritu fixiore separandus; sic enim fit spir. vitriol. vol. excellens in cura lethargi. Loco hujus spir. vitriol. seu acetum istud singulare vol. potest commode usurpari ad guttas aliquot in aqu. appropriata rutæ, liliorum convall. Majoran. &c. aqua quadam apoplectica & simili; spir. vitrioli regeneratus s. ex capit. mort. aëri exposito denuo destillatus, (qui non tam est vitriolaceus quàm potius nitrosus) & ipse commendatur ad curam lethargi, vel adhibetur spir. vitrioli cephalicus factus ex eodem capite mortuo ab aëre imprægnato, quod irroratur largiter speciebus cephalicis vegetabilibus, Cerasorum Nigrorum, flor. tiliæ, lil. convall. majoranæ, salviæ. Hoc destillatum more solito, & post rectificationem dat spir. Cephalicum admodum penetrantem & volatilem, qui in cura lethargi in aquis appropriatis propinatus, in aqua rutæ in aqua rorismarini & similibus admodùm convenit, & egregie restituit ægros. Pertinet huc etiam acetum Histericum Mynsichti, præ cœteris verò acetum vitriolatum benedictum, remedium quoddam singulare in affectibus catarrhosis, & etiam in affectibus soporosis. Modus præparandi est hic, vitriolum in crucibulo leniter calcinatur ad absumptionem phlegmatis: exhausto omni phlegmate crucibulum contegitur operculo, & hoc contegitur carbonibus vivis, ita ut per quadrantem horæ calcinatum exactè rubescat: h. m. calcinatum pulverisatum per setaceum subtile trajiciatur. Postmodum.

♃. Carbonum faginorum durorum benè pulverisatorum ac per setaceum trajectorum, & vitrioli istius præparati an. ℥ij. benè mista indantur vasi plano, & satis patulo terreo, quodque igni tamen resistere valeat, imponatur carbonibus in turno venti, benè calcinentur, continuo agitando cum rutabulo ferreo tamdiu donec nulla amplius scintilla in mistura appareat. Hinc.

♃. h. m. vitriolum præparatum; affunde acet. destillat. acerrim. exponantur radiis solaribus per 14. dies, hinc filtretur acetum per chartam, eritque sic paratum vitriolatum benedictum. Dosis à gutt. x. ad xij. in aqua appropriata assumendum. In omnibus catarrhis frigidis, ut vocant, item in affectibus soporosis admodum commendatum, & ab accurato, & celebri medico in secretis habitum remedium. Hæc & similia acida vitriolica vol. exsuscitant, & sedant lethargum. His subjungenda ea, quæ spiritus torpidos volatilisare & agiles reddere valent, qualia sunt Ess. & spiritus vegetabiles Ess. lil. convall. Ess. rutæ, croci, spir. & Elyxir. Citri, Ess. ambræ, cum spir. rosarum vel spir. lil. convall. Item semen sinapi & semen Nasturtii, quæ ipsa insigniter laudantur ad curandum lethargum, quin & sal. vol. in lethargo appoplexia & Caro singulariter laudantur. Item herba Thée modernis usitata, in tali casu admodum convenit. Est Plantula Sinensis, & Iaponensis foliis myrtinis; hæc collecta coquantur in aqua istiusque decocti, quod saporem acquirit aromaticum, haustus interius assumptus, mirum est quàm arceat omnem somnum, ita ut quis etiam per triduum sine somno continuo persistere posset. Hinc etiam acuit admodum ingenium. Præparandi modum & descriptionem vid. in Borello cent. 3. obs. 39. item in *Wormii* musæo, uti etiam in Tulpio lib. 4. obs. cap. ult. Item Deodati valetudinario p. 169. Denique est radix Indica quæ vocatur radix Cusei, quam mirifice externo usu esse ad curandum lethargum refert Kircherus in regno naturæ magnetico p. 45. &c. dico externo usu. Nam præter interna etiam externa in lethargo conveniunt. quæ inter sunt 1. spir. salis ammoniaci vol. naribus subinde admotus, qui potens est ad lethargum & apolexiam imò etiam hystericas mulieres excitandas, alias acetum castoreo impregnatum cum linteis vel spongia naribus admotum est egregium; experimentum Hartmanni est spongia cum succo apii & aceto rutaceo impregnata venit ad arcendum somnum & adducendas vigilias. Item succus fœniculi aut

etiam succus rutæ mistus cùm aceto naribus applicatus aut cum linteis temporibus & fronti alligatus admodùm laudatur. Semen sinapi aceto subactum, si eodem fricentur plantæ pedum, commendatur ad excitandos lethargicos. Comata febrilia quæcumque optimè curat acetum naribus applicatum, quo validius, eò est melius; unde spir. vitriol. omnibus præfertur. Carus ex opiatorum & narcoticorum externo abusu aut vaporibus venenatis mercurialibus aut sub nuce juglande contractus, aut ex ebrietate aut ex inspiratione halituum ex liquoribus fermentantibus ortus curatur quandò vomitus maturè instituitur. Hinc acetum naribus est applicandum, & postmodum spirituosis internis spiritus animales denuò volatilisandi. Ex opio s. croco si sit carus acetum est optimum. Hos etiam figit opium & opii sal. vol. oleosum omnino destruit; unde etiam acetum assumitur à quibusdam in præparationem Laudani opiati. Ex Ebrietate si oriatur carus præmisso vomitorio acetum capiti applicandum, & epithema ex succo semper vivi majoris Acet. & nitr. testibus applicandum & subinde renovandum potenter enim ebrietatem discutit. Imprimis spiritus salis ammoniaci vol. non erit inconveniens, propterea quoniam hic spiritum vini rectificatum (unde ebrietas) prompte coagulat in offam crassam, ratione cujus coagulationis est præservativum ebrietatis, sicuti etiam curat ebrietatem coagulando spiritum vini, eumque aut per sudorem aut per urinam expellendo. *Michaël Ethmuller. Collegii practici part. 2. cap. 7.*

In caro & comate.

Methodus Therapeutica easdem medendi intentiones suggerit, ac eadem prorsus remedia indicat, quæ in lethargo, & apoplexia adhiberi solent Quare non opus erit, indicationum classes hic subjicere aut ingentem medicamentorum sylvam congerere *Tom. Willis de Morbis cerebri,*

Coma vigil rarò morbus solitarius, sed plerumque symptoma est, aliisque affectibus, uti febri, phrenitidi, lethargo, & similibus superveniens, quapropter methodum therapeuticam peculiarem non postulat, at verò tantùm opus esse videtur, ut remediis primario indicatis adjungantur alia cephalica, quæ nempe hæc cerebri meteora quasi nubes & fulgur dispellant, vel si utraque simul exterminari nequeant, ipsum medicamentum unius affectus partis foveat, quo iste superior factus, mox alterum vincat: adeo in somnolentia, vigilia aut, perfectum somnum aut perfectam vigiliam accersere conveniat. enim verò in hoc casu narcotica sæpè bono cum successu exhibui. *Thom. Willis de pervigilio.*

Circa lethargi therapejam cùm nullas faciat inducias, haud diu deliberandum est post Enema acrius injectum, protenus vena secetur; nam vasa sanguine depleta serum, aut alios humores in cerebro depositos aptius resorbent. Porrò in hoc casu venam jugularem præ brachiali pertundendam consulo. Quoniam hoc morbo sanguis intra capitis sinus plurimùm coacervatus, & forsan stagnans in circulationem æquabilem facilius reducetur.

Phlebotome peracta, alia cujusque generis remedia mox in usum adhibenda sunt. Vesicatoria larga cervici, & cruribus applicentur; tempora & facies oleo succini, aut balsamis cephalicis illinenda, cataplasmata ex Ruta, Piperitide aut ranunculo, cum sapone nigro & sale marino in pultem contusis totis pedibus imponantur frictiones asperiores membris adhibeantur, sal urinæ aut spiritus salis armoniaci crebro naribus admoveatur. Interim remedia cephalica subinde propinentur.

♃. Aq. Florum Pæoniæ, cerasorum nigrorum, Rutæ, juglandium simplicis an ℥ij. Castorii nodulo inclusi, & in vitro suspensi ʒij. sacchari ʒiij. misce f. julapium, dentur Cochlearia iiij. vel v. tertia, vel quarta quaque hora, porrò singulis hujus dosibus adde sp. C C. succini, vel salis armoniaci gut. 12. ad 15. vel chartam pulveris sequentis.

♃. Pul. Rad. Pæoniæ Maris, Cranii Humani, rad. serpentariæ virginariæ contrayervæ an. ʒj. Bezoar. Margarit. an. ʒß. Corallii præpar. ʒj. f. pulvis divide in 12 partes.

Porrò hic considerandum est, annon Catharsis per vomitum aut secessum mox ab initio celebrari debeat. Scio hoc inter authores varie controverti, etiam vario cum successu in praxi adhibitum novi: quibus perpensis, & inter se collatis, quid nostra fert sententia, breviter proponam.

Si lethargus à crapula aut ebrietate recenti vel si ab incongruis, & narcoticis assumptis, exorsus fuerit, statim vomitio excitatur; quare sal vitrioli cum vino & oxymelite scillitico, vel in robustis, infusio crocimetall. aut Mercurii vitæ cum aq. cerasor. nigror. exhibeatur, & postea, ni sponte operetur, penna gutturi intrusa vomitus irritetur.

Sin morbi insultus, febri aut affectibus aliis cephalicis supervenerit, vel si ipse primariò aut perse, ob procatarxin in sanguine & cerebro prius lactum, exicetur, vomitoria & cathartica statim ab initio, dùm materia in fluxu est, exhibita, sæpiùs plus officere quàm prodesse solent, quatenus nempè humores dum in motû, magis exagitant, cumque adhuc subigi & educi nequeant, eos in parten affectam adigunt.

Die secundo si torpor nondum remittatur, phlebotomia, si pulsus indicabit, repetatur, vel loco ejus sanguis per cucurbitulas post scarificationem in scapulis eximatur, dein paulò postea Pharmacum emeticum (si nihil prohibeat) vel catharticum exhibeatur.

♃. Sulphuris antimonii gr. v. scammonii sulphurati gr. viij. cremoris tartari gr. vj. misce f. pul. detur in cochleari julapii præscript.

Vel ♃. Scammonii sulphur. gr. xij. crem. Tartari gr. xv. Castorii gr. iij. f. pulvis; detur eodem modo: Remedia interim alterantia aut derivantia usque eadem aut similia continuentur.

Die tertio & deinceps, quæ morbo ineunte ob metum novæ fluxionis vetantur, scilicet errhina, sternutatoria, apophlegmatismi adhiberi debent. Porrò tunc interdum expediet, animalis recens mactati viscera calida sincipiti post capillitium rasum vel detonsum applicari, & subindè mutari, quandoque etiam loca isthæc decocto cephalico, & discutiente foveri; præ cæteris verò topicis maximum juvamen à

vesicatorio amplo, ulcuscula plurimùm manantia in toto ambitu capitis excitante, collatum novi. Duos ego lethargicos, post morbum diu protractum & non solùm memoriam, sed & notitiam fere omnem deperditam, ab hoc potissimùm remedio sanatos vidi: quippe in utrisque loca excoriata, cum iis cicatrix haud facilè obduceretur, ichoris tenuis copiam ingentem, nempe quotidie circiter libræ semis profuderunt. *Idem ibidem.*

In affectibus soporosis, somnolentiâ perpetuâ, comate & caro.

♃. Pilul. aloephang. ʒß. Res. Jalapp. agarici an. gr. iij. mag. succin. gr. iiij. sal. Succini gr. iij. ol. menthæ gr. ij. misc. f. pilul. n. vij. assumantur vesperi.

♃. spir. sal. ammon. succinati, fuliginis succinati an. ʒß. Tinct. castorei ℈j. sal. succini ʒij. aq. majoran. menth. an ℥iiß. misce,

Per diem interdum assumatur.

♃. Spir. Cran. humani, fulig. succinati an. ʒß. aq. lavendul. Rorismarin. Primul. veris an. ℥iß. syr. corallor. ℥ß. misce.

Dosis cochlear unum bis indie. In India.

♃. Spir. corn. Alcis, Lign. Ebeni an. gt. xxij. Essent. ambr. griseæ gt. xij. aq. Ocymi ℥ij. syr. perlarum, corallorum an. ℥ß. misc.

Dosis cochleari. bis in die. Seu.

♃. Sp. C.C. fuliginis, cinnamom. an. ʒß. syr. fol. cinamom. ℥ß. aq. flor. cardamom. sylv. ℥iij. misc. & cochleatim exhibe. Pro ordinario potu usurpari potest, decoct. ligni sancti, sassafras, cum foliis salviæ, rorismarini, betonica, aliisque herbis cephalicis. Naribus quoque tale attrahi potest.

♃. Aceti succini, Rutacei an. ℥ß. spir. armoniac. aromatic. ʒj. misc. quandò clysteribus opus est, utatur medicus illis, qui in capite de apoplexia præscripti sunt. *Herm. Nicol. Grimm. in compend. medic. chymic.*

In lethargo ♃. sp. vini camphorati. sal. ammon. aromatici an. ʒj. aceti succini, rutacei an. ℥ß. misc. mistum attrahatur naribus vel internè.

♃. Sp. c. cervi ℈j. Tinct. Castor. Succin. an. ℈ß. aq. Lavendul. ʒiß. misce pro una dosi. Aliud.

♃. Sp. sal. ammon. succinati, aromatici an. ʒß. corn. alcis ℈j. Tinct. Castor. succin an. ℈ß. aq. melissæ, Lavendul. an. ℥ij. syr. cinnamom. ℥ß. misce. Dosis cochleatim usurpanda. Seu in India.

♃. Spir. corn. Rinocerot ℈j. Epileptic. ex ungul. alcis ℈ß. aq, calaminth ℥ijß. syr. cinnamomi ℥ß. misc. pro 2. dosibus.

Humores vitiosi evacuentur per talia.

♃. Panaceæ antim. gr. vij. cremor. tartari ℈ß. Pulv. castor. ℈ß. syr. de Betonic. ʒij. misc.

Vel ♃. Panaceæ antim. gr. vj. extr. castorei gr. iij. magisterii succini gr. iiij. conserv. rorismarin. ʒij. ol. still. rutæ gt. iij. misc. f. bolus

Aliud. ♃. Resin. scammon. gr. xij. Panaceæ antimonii gr. v Tinct. castor. Succini an. gt. viij. conserv. anthos ʒij. misc. f. bolus.

Aliud. ♃. Resin. Turbith. gr. x. sal. cinnamom. gr. vj. asæ foetid. ʒß. misc. fiant pilul. n. vij. vesperi assumendæ. Notandum hic, ut post purgationem clysteres præservantes non omittantur.

Aliud. ♃. Conserv. primul. veris, lilior. Convall. an ʒj. salviæ, anthos, an. ʒß. Extr. castorei gr. v. Magisterii succini gr. iij. sal. c. cervi ℈j. misc. pro duabus aut 3. dosibus, quæ adveniente nocte usurpari possunt. *Hermann. Nicol, Grimm. In compend. Medic. chymic.*

Pro curatione Galenici plura adhibent. Primùm balanis, & clysteriis alvum pluries exonerare conantur, mox in lethargo venam secant ob adjunctam febrim: frictiones & cucurbitulas, etiam cum cutis incisione, cruribus & scapulis applicant protinus quoque catharticum propinant, præsertim ex pilulis aliquo liquore solutis: vesicantia admovent: Catellos, gallos, aut pipiones per dorsum dissectos, atque adhuc calentes suturæ coronali imponunt, & fronti oxyrodina, naribusque acerrima inducunt, & cum hæc non satis esse viderint, capillos ægrotantium cremant, & verticem capitis candenti ferro inurunt ut illos alto sopore detentos, excitent, & in vitam, ut credunt, reducant.

Verùm curandi Methodus rationabilius à causis petenda. Cùm tumoris aut abscessus in meningibus suspicio est, ea probantur, quæ ejusdem resolutionem aut diruptionem, atque per sua emunctoria repurgationem promovere possunt, ut sunt omnia diaphoretica superius memorata; quamvis nec his plerumque morbus cedat, nec aliis violentioribus, præsertim cùm nequeant medicamenta cerebrum pertingere, & apostema ibidem genitum dissolvere.

Cùm superabundantis seri, aut lymphæ, seu mavis dicere pituitosi humoris indicia adsunt, purgantia locum habebunt, & quidem validiora, tum quia ob sopitos sensus nec ventriculus, nec reliqua viscera tum facilè ad exoneranda corporis recrementa concitantur, tum etiam quia adhuc à remotioribus ductibus humores subducere expediet, ut qui in cerebro restagnant, commodiùs indè deponi possint, & alios divertere. Quamobrem licebit uti medicamentis ex colocynthide, scammonio, agarico, Jalapa, gummi guttæ, carthamo, & senna compositis. Salutaris præ cæteris est usus extracti catholici, & pilularum ex tribus Galeni, cochiarum, aggregativarum dilutarum in aliquo convenienti liquore, ut facilius à soporato deglutiantur, quibus addi potest, castoreum verum, & sal. volatile succini. Conferent præterea quæ salivam, & sputum movent, quibus Hippocrates *cit. lib. 3. de morbis* universam curationem concredidit. Ad hæc sudorifica præsertim sal volatile cornu cervi, & viperinum bezoarticum, Jovis,

Vel minerale antim. Diaphoreticum, simul cum roborantibus cephalicis diambra diamoscho, diaplire, confectione alchermes vel tincturis eorundem, optima erunt.

Castoreum etiam, ejusque Magisterium, vel essentia maximè commendatur, sicut pariter spiritus cupri ad aliquot guttas exhibitus in convenienti liquore. Externe verò proderit balsamum rutæ, oleum nicotianæ destillatum, essentia lavendulæ & rorismarini, spiritus salis ammoniaci.

Cùm à crapula, & ebrietate sopor ortus est, vel provocetur vomitus, & quidem quàm citissimè, vel pannis contectus æger, ut temulentiam somno deponat, eousque dimittatur.

Proderit

proderit etiam vomitus, cùm ex ventriculo pravis humoribus repleto caput gravatur, & in soporem delabitur. Concitetur autem ille emeticis ex vitriolo, antimonio, aut mercurio.

Vel oymel scilliticum, aut oxysaccharum Angeli salæ sorbendum detur.

Postea verò cùm stomachus, tum caput roboretur, & peculiaribus, propriisque remediis foveatur.

Pari modo procedendum in sopore à Narcoticis inducto, promoto nimirum, si commode fieri possit; protinus vomitu ac præterea specialibus antidotis vim veneni retundentibus congruenter administratis. Cumque ut plurimum ab opiatis immodice, vel intempestivè sumptis cerebrum sopiri possit, proindè quam cito ad sua antidota confugiendum. Galenus 8. de Compos. med. s. Castoreum scribit opio obsistere, illudque vocat Avicenna hujus theriacam, & Guainer. de venenis; bezoar dicitur aliis, antidotum opii, vinum Creticum, ut testatur Gaspar Hofmann. animadvers. in Mont. ex Galeno lib. 3. de simpl. med. facul. cap. 19. qui vinum calidum, vetus, generosum, polyphorum, præsentissimum opio sumpto remedium esse docet, confirmantque Rondeletius, Grevinus, aliisque. Dioscorides lib.5.cap. de sale. Contra haustum opium, & fungos, salia cùm oxymelite bibi, ait; idemque repetit lib. 6. cap. de Meconio & opio, ubi plura alia ad assumptum opium commemorat, præ cæteris autem merum cum absynthio, aut cinnamomo, origanum cum lixivio, piper cum castoreo; & aceto mulso, acetum ipsum calidum, decoctum satureiæ, & origani cum vino. His addi possunt acida, quæ sulphur narcoticorum obtundunt, præcipitant, aut invertunt. Bacc. lib.7. de Therm. cap.23. commendat balneum aquæ tepidæ, præsertim cùm soporati ingenti pruritu cruciantur ab assumpto opio. At verò stupidi ex pravis halitibus in liberiorem aërem ducantur, nares aceto sæpiùs abluantur, vel spongia aqua gelida & odora imbuta facies madefiat. Cordi verò apponatur mica panis calida vino generosiori irrorata, vel ejus loco theriaca vino diluta.

Cum sopor febri adnectitur, quæ proculdubio maligna erit, vel pestilens, oppugnandum iis, quæ ejusmodi febribus occurrere præstò sunt, aut vitium in sanguine, succove nervorum inductum auferre possunt, & utriusque naturalem habitudinem restaurare. De qua re alibi. In hanc rem tamen valdè proderit sal volatile succini, & cornu cervi, elixir magnanimitatis, spiritus cochleariæ, spiritus sanguinis, & salis ammoniaci dilutus, elixir proprietatis ex descriptione Helmontii, oleum cinnamomi, sal essentiale tartari, & id genus alia. Quòd si sanguis, & liquor nervorum vitium contraxerint à Pancreate, mesenterio, liene, aliisque visceribus imi ventris, ut in scorbuto, & hypochondriaco affectû; tunc antiscorbutica, & antihypochondriaca præcipuè acidum infringentia locum habebunt.

A sanguine extra proprios ductus stagnante vel à pure effuso per meninges, & cerebri corticem, illatus sopor curabitur (præter ea, quæ Chirurgi periti operam expostulant) grumos sanguinis dissolventibus, & quoad fieri poterit, simul cum pure evacuantibus. Quare non levem opem afferet in principio pulvis contra casum Mesues, sanguis hircinus in decocto rubiæ tinctorum, sperma ceti cum extracto hyperici, aut balsamo ligni guajaci: Itemque potiones vulnerariæ dictæ, cum balsamo sulphuris ex oleo anisi, vel juniperi; oleum succini destillatum, cerusa antim. tinctura ejusdem; præter fotus externos suturæ coronali, & sagittali, temporibus, auribus, naribus, & palato adhibendos ex aqua ardente, & oleis stillatitiis ceræ, castorei, lavendulæ, rorismarini.

Postremò qui à mala capitis constitutione ad soporem, & lethargum proclives observantur, præcaventibus potius quàm curantibus muniri poterunt, tum evitando alias causas, tum etiam artificiosa industria caput in meliorem statum reducendo; tum denique cerebrum roborando, ut obsistere valeat causis internis & externis, ne in soporem altum gravemque delabens, vita tandem defungatur.

Quæ specialiter postremò lethargicis, ac soporatis auxiliantur, proindeque antilethargica appellata, referuntur, externè quidem oleum nicotianæ, succini, & balsamum rutæ naribus admotum, & syncipiti, ac temporibus illitum, spiritus salis ammoniaci, si ex phiala oblongo collo olfactandus detur, mirificè excitat, & cerebri recrementa per nares allicit. Hartmannus commendat litum ex oleo castorei cum succo rutæ & fœniculi, itemque emplastrum ex succo apii, aceto acerrimo, & pulvere castorei abraso capiti superponendum. Proponit Paracelsus in sopore, qui febribus malignis & pestilentibus supervenit, fotum quendam, quem mirabilem prædicat, estque ut sequitur. ℞ fol. beton. amarac. & salviæ, fl. sambuci & ros. sylvestr. singulorum m. j. bull. in suff. quant. acet. ros. & vini albi: tum prædictæ herbæ exprimuntur; & calentes capiti circumponuntur, & cùm refriguerint, denuò calefiunt in prædicto decocto, & iterum admoventur, aliquoties repetendo, nam subinde sopor ille lethalis expugnatur.

Alium describit Riverius efficacissimum qui habet angel. zedoar. & imperat. singul. ℥j. fol. beton. salv. rorism. singul. m. j. satureiæ, rutæ, amar. & flor. lavendulæ singul. m. ß. bacc. lauri, & juniperi singul. ℥ iß. coq. in suff. quant. acet. & cum spongiis capiti abraso f. fotus.

Sternutamentum moventia, etiam optima sunt ex pluribus autem summè contulisse refert Fridericus Deckers *in notis & observ. ad praxim. Barbet. de Lethargo*, hunc pulverem naribus inditum, qui continet: *turbith natural.* ℈ß. glycyrrh. pulv. ʒ ß.

Utilis quoque est pulvis compositus ex beton. rorem. puleg. castor. & cyclam. naribus exceptus.

Internè verò præstantissimum est castoreum, ejusque extractum, magisterium vel essentia. Borellus *cent.* 1. *obs* 52. ductus authoritate Tralliani, Ruffi Ephesii, & Oribasii, narrat se curasse lethargum usu castorei cum subdupla portione scammonii addito oxymelle, myrrham etiam, & thus deglutitum somnum discutere nonnulli testantur. Cardilucius *in officin. sanit. cap. de aff. sopor.* saluta usus esse scribit spiri-

tum sulphuris acidum, vel vitrioli in dosi ʒ j. & ultra in aceto vini instillatum, addit insuper in defectu horum spirituum, exhiberi posse decoctum chelidonii majoris in ℔ j. aceti ad dosim iij. vel iv.. unciarum per vices patientis ori infundendum. Dominicus Leonus relatus à Sennerto quendam empiricum memorat retulisse, succum consolidæ minoris ad ℥ij. haustum, lethargo & caro laborantes excitare. Ipse verò Sennertus sulphur lunæ cum extracto castorei aliis præfert. Apud Joan. Bapt. Du-Hamel mentio fit quarundam pilularum lunarium valde efficacium in omnibus affectibus cerebri soporiferis, earumque compositionem deberi Roberto Boylæo. D. Michaël magni facit spiritum ven. & Hofmannus junior spiritum volatilem vitrioli verum, & philosophicum, vel simplicem vel cum spiritû salis, & aquis cephalicis commistum. Inter hæc suum habet locum camphora tùm interiùs, tum exterius adhibita. Georgius Wolfangus in sua opiologia laudat essentiam castorei, elixir cephalicum cum spiritû salis ammoniaci, spiritum formicarum volatilem tum externè, tum internè. Ab Helmontio, sopores tam morbosi, quàm artificiales, sive opiatorum efficaciter debellantur per lixivia quæ multò anteà commendata fuere à Dioscorid. lib. 6. cap. 17. de Meconio, ubi origanum cùm lixivia aut passo, inter plura alia opii antidota commemorat, idemque Helmontius radicem carlinæ, ejusque succum, & extractum, somnum arcere scribit, multoque magis sopores modum non servantes. *Lucas Tozzi Medic. practica part.* I.

Consultationes.

De carotica affectione. Pro adm. R. Patiente Anconitano.

Quemadmodum ex animalibus actionibus læsis constat cerebrum esse partem affectam, præsentem alium non esse quàm qui à græcis caros dicitur, à latinis verò sopor, & altus somnus. Refert enim Patiéns adm. R. se in accessione quolibet sensû cùm interno, tum externo privatum esse & animali motû, solâ exceptâ respiratione, quæ illæsa permanet, per quam præsens affectus distinguitur ab apoplexia teste Gal. 4. de L. aff. 2. absque ullo motû convulsivo partis alicujus determinatæ, quoniam licet in epilepsia non semper adsit evidens corporis convulsio, semper tamen adest motus aliquis vel oculorum, vel buccarum, & labiorum. In carotica autem passione jacent patientes prorsùs immobiles, non tamen rigidi, & inflexibiles, ut in catalepsi. Propterea Gal. de hoc affectû locutus 5. Aph. 5. dixit, propriè carum nominari *repentinam totius corporis sensus, motusque privationem*; ac propterea in lib. de symptomatum differentiis 3. statuit carum esse veluti paralysin imaginationis, seu resolutionem ipsius. Læditur autem cerebrum in hoc affectû, non secundum corpus, sive secundum temperamentum, ut pars similaris, sed secundum ventres, sive cavitates, ut pars organica, & præsertim superiores, anteriores dictos, & medium, ex ejusdem Galeni testimonio. Unde Patiens adm. R. refert, quod ubi primùm evadit ab occasione, gravitatem percipit in fronte, & temporibus, sine ulla in occipite molestia. Negandum tamen non est, aliquando sensus internos non esse prorsùs deperditos, sed imperfectos manere: ut contigit illi, cujus historiam descripsit Fernelius 5. Pathologiæ 2. qui in accessione erat ita sopitus, ut nec pilorum evulsionem, nec punctionem sentiret, & nihilominus excitatus illa omnia cum furore retulit, quibus graviter excruciatus fuerat in sopore.

Utrum autem cerebrum sit essentialiter affectum, vel per consensum, dubitare non immeritò quis potest; Hinc enim apparet elevari ab infernis partibus vaporem quemdam sursùm repentem, sibilumque in auribus excitantem, antequàm superveniat affectus: nec raro fœtor in ore sentitur: ex quibus conjectare quis potest adesse consensum à ventriculo & hypochondriis. Hinc habemus affectus præsentis durationem, quæ medicis præsidiis non cesserit: unde colligere licet affectum hunc esse essentialem. Crediderim tamen ego mixtum esse ex essentiali & per consensum. Adesse enim censeo essentialem cerebri humiditatem excedentem, necnon & ipsius imbecillitatem aliquam, contractam ex præteritâ violentâ capitis contusione in puerili ætate; unde facili negotio in ipso congeruntur excrementa, cùm per modum generationis, tum per modum receptionis. Negari tamen non potest vaporum ascensus pituitosorum à ventriculo, & melancholicorum à liene, statutis quibusdam temporibus genitorum ab inæquali naturalium viscerum intemperie, caput petentium, ac humores in ipso congestos agitantium; atque ideò aurium tinnitum, præcedere caroticam passionem, factâ scilicet obstructione ventriculorum cerebri à prædictis vaporibus & flatibus, quibus deinde discussis, tollitur affectus, patiensque adm. R. ita liberatur, ut proprias actiones liberè obire valeat, persistente tamen aliquâ totius corporis imbecillitate.

Dubitare tamen non immeritò quis poterit, qui fiat, quòd in accessione servetur libera respiratio, cæteris omnibus sensitivis & motivis actionibus deperditis, imò & aliquando principibus; cùm jam statutum sit, esse veluti paralysin imaginationis. Quod etenim respiratio sit actio animalis non difficulter probari potest, cùm ex eo quod ipsam ad libitum ita cohibere possumus, ut aliqui sibi ipsis voluntariè mortem intulerint respiratione cohibitâ Gal. test. 2. de motû musculorum: tum & magis, quoniam respirationis instrumenta sunt musculi intercostales, & septum transversum. Musculi autem sunt instrumenta motûs animalis. Ergo & respiratio erit motus animalis: atque ideò cessantibus omnibus motivis actionibus, deberet cessare & respiratio. Ex alia tamen parte non desunt rationes, quæ probent respirationem esse operationem naturalem, non animalem, ideoque servari posse, & debere, cessantibus aliis animalibus operationibus, & vigentibus naturalibus; duæque inter cæteras sunt præcipuæ, quarum prima est hæc. Actiones animales ex continuo motû defatigantur, per virtutis animalis, quam cerebrum continuò

trans

transmittit, absumptionem, sic asserente Galeno primò de causis sympt. 8. Ergò si respiratio esset motus animalis, cùm sit continua, cum vigilantibus nobis, tum dormientibus, defatigaretur & ipsa, quod tamen non evenit: ergo non est motus animalis. Secunda ut se habet pulsus, ita & respiratio: Utriusque enim idem est finis, caloris scilicet cordis ventilatio, & fuliginum expulsio. Sed pulsus est motus naturalis, ex communi omnium consensu, ergo & respiratio. Quare statuendum censeo, respirationem esse motum mixtum ex naturali & animali. Eadem enim est ratio respirationis, quæ & fœcum, & urinæ excretionis, ex Gal. 2. de motu muscul. 6. sed excretio fœcum, & urinæ, non est omnino voluntaria, & ex electione, teste eodem Gal. 5. de l. aff. 4. ergo neque respiratio; ratione enim necessitatis est naturalis, quoniam vita sine respiratione subsistere non potest. Ratione autem instrumentorum est partim naturalis propter pulmones motû naturali attollentes se & subsidentes: ratione autem musculorum intercostalium est animalis. Ideoque ratione necessitatis & finis conservari debet, etiam in carotica passione & somno, non secus ac motus constrictorius musculi sphincteris intestinorum, & vesicæ tempore somni. Ita ta men conservatur, ut non sit prorsùs naturalis, ut asserit Galen. 5. de L. aff. 1. dicens, *quod in levi apoplexia, caro, catalepsi, & lethargo respiratio læsionem aliquam suscipit, ita ut videatur thorax veluti cingulo ligatus,* & hæc de essentia & causis.

Affectus præsens est magni momenti. Scribit enim Hipp. 2. aphor. 5. quod somnus & vigilia modum excedens malum; ac propterea scriptum reliquit in coacis prænotionibus, *quod si vehementi capitis dolori caros supervenerit, convulsionem significat.* Nec tam facile superari poterit, cùm sit antiquus, neque hactenus cesserit variis medicis præsidiis antehac in usum revocatis.

Pro ipsius curatione alia sunt præstanda in accessione, alia verò extra accessionem. In accessione tria sunt agenda; primò spiritus animales revocandi suffitu naribus facto ex asa fœtida, castoreo & galbano, vel suffitû bituminis, vel barbæ hircinæ combustæ: Excitetur sternutatio, fiantque asperæ frictiones. Secundo avertenda est fluxio suppositoriis, vel clysteribus acribus. Tertio discutiendi sunt vapores calorificis, & exsiccantibus; puta suffitû facto cum calendula, calamentho, ruta & aceto: & si pertinacior fuerit, ad ustiones etiam in occipite deveniendum erit.

Extrà accessionem, humores peccantes præparandi sunt, & purgandi, caputque roborandum. Præmissa itaque alui lenitione, præparentur humores oxymel. simplici, syr. de betonica, de succo borraginis, & de hyssopo, cum decoct. proportionata: ac interim modica sanguinis copia educatur ex venis sedalibus per hirudines admotas. Pro purgatione laudatur diagrydium cum castoreo, sumendo gr. j. hujus cum granis v. diagrydii formata in pilulas cum oxymel. scill. & drach. sem. extracti hellebori nigri: vel exhibeantur pil. de nitro Alexandri cum pil. de hiera cum agarico. Pulvis etiam hermodactylatus dictus, cum portiuncula foliorum sennæ pulverisatæ summopere proficiet. Errhina quinetiam, & apophlegmatismi non generosè caput purgantia præscribentur à Viris Excellent. qui curæ præerunt. Mox erit roborandum caput internis & externis; inter quæ laudatur theriaca antiqua cum castoreo aut mithridatica confectio cum eodem. Odoramenta capiti maximè ex usû erunt, utpotè moschus, ambra, beniuin & similia. Quæ tamen non conveniunt in accessione, nè trahantur humores in caput, sed post accessionem & capitis expurgationem. In accessione namque fœtida sunt utiliora. Si esset Patavii, non improbarem stillicidium ex aquis thermalibus sulphureis, suturæ coronali, & ventriculo administratum. Conferet quoque conserva parata ex flor. rorismar. salviæ ad ℥ ij. coriandrorum præparatorum pulverizatorum drach. ij. cinnamomi drach. j. moschi gr. v. lixivium quoque exsiccans, & calefaciens capiti fieri poterit ex vino albo generoso. Quòd si prædictis non cesserit affectus, perseverabitque evaporatio in caput, inuretur fonticulus sinistro interno femori pro continua revulsione.

Victus sit tenuis, attenuans, aromatibus conditus, paretur panis cum aniso, & sine lolio, abstineat à piscibus, leguminibus, lacticiniis, selino, hipposelino, aliisque in caput exhalantibus. Vinum sit oligophorum, & subastringens. Vigilet, corpus exerceat, non tamen statim à cibo; aërque sit lucidus, calidus, & siccus & alvus continuo lubrica servetur. *Benedict. Sylvatic. Consil. & respons. Medicin. cent. 1.*

Carus.

Vir quinquagenarius, temperamenti totius calidi & humidi, capitis humidi & excrementitii, per nares materiam mucilaginosam frigidam expurgare assuetus, habitus potius ad obesitatem quàm ad plethoram vergentis, copiosis meri potibus indulgens, postremis hisce annis, ob extinctam familiam, uxorem juvenculam duxit, eamque fœcundam, quæ prosapiam ab interitû revocavit.

Hic autem multis abhinc mensibus, de capitis gravitate conqueri cœpit, & consueta mucosæ materiæ per nares expurgatione imminuta. Somniculosus quoque præter consuetudinem factus est, & decubitus valdè amans. Accessit insuper quædam ignavia ad propria negotia obeunda & merces expediendas, unde exercitio intermisso domi semper manet, ventri tamen, nec veneri parcens. Quare tandem hesternâ die, capite gravatus statim à prandio decubuit & somno se tradidit & adeò quidem profundo, ut usque in hanc horam matutinam nunquam sit expergefactus. Et quoniam neque expergefieri potest, ideò ejus uxor & cognati nos accersiverunt, qui Pat. invenimus profundissimo somno sepultum, neque clamoribus, neque vociferationibus respondentem, quinimò nec punctum moveri, aut sentire, sed oculis clausis dormire, sine stertore, & spirandi difficultate, sine febre, motibus convulsivis, & sine corporis rigiditate, cum pulsû magno & valido, atque florido faciei colore, pro quo ita consultum fuit.

Profundissimus somnus, quo prehensus jacet egre-

geregius iste mercator, ille est, quem Caium Græci soporem sive Veternum latini, Marco-Aërem Celsus, Gal. caroticum appellat; de quo Aëtius dicebat, quòd in caro somno profundissimo detinentur, ita ut si pungantur, nec loquantur, nec oculos aperiant, quod desumpsit à Gal. dicente. *In caro licet stimules, ferias & inclamites, nihil respondent, nec expergesiunt.* Caroticos autem muros nominare consuevit Hipp. Quare actiones omnes principes una cum sensû & motû abolitas esse omninò asserendum. Et quoniam noster Patiens observatur sine spirandi difficultate & stertore, sine febre, motibus convulsivis & sine corporis rigiditate, cum pulsû magno & valido atque florido faciei colore, ideò ab omnibus consimilibus affectibus facilè distingui potest; & primò quidem ab apoplexia, in qua læditur respiratio, & cui paralysis succedere solet; à lethargo, in quo semper febris præsens, à comate lethargico, in quo non abolentur actiones principes, nec sensus, & motus, & quo interrogati Pat. respondent, à catalepsi, in qua rigent ægri, oculosque tenent apertos, ab epilepsia per motus convulsivos: à sincope tandem per asphyxiam & totius floridum colorem.

In hoc affectû cum principes omnes actiones, unà cum sensibus tum internis tum externis, non solùm lædantur, sed prorsùs aboleantur, cerebrum ideò necessario affectum esse censendum, & quidem magis secundùm anteriorem quàm posteriorem ejusdem partem, ita Gal. scribit quod si *tota anterior cerebri pars patitur, supremum ipsius ventrem ei consentire necesse est, atque mentis quoque actiones vitiari, hæcque passio Caros vocatur*, afficitur autem cerebrum immediate ab insigni angustia ventriculorum anteriorum & medii quorum ratione omnium primò tollitur imaginatio. Unde Gal. carum appellabat paralysin imaginationis; dum autem aufertur imaginatio, & ratiocinationem quoque & memoriam tolli necesse est, nam nisi offerantur phantasmata, nec ratiocinari certè, nec memoriæ quidquam mandare quis potest; unde ablatis sensibus externis, necessario aufertur imaginatio, quâ ablatâ tollitur & ratio & memoria. Ideò Gal. dicebat quòd in caro non solùm corrumpitur sensus & motus voluntarius, sed etiam ratiocinatio & memoria, unde concludit Carum esse ablationem imaginationis & discursus, dum subdit, *supremum ventrem consentire.* Nec obstat historia à Fernel. adducta de carotico illo qui post accessionem puncturæ recordatus fuit, fuit enim ille carus imperfectus, non autem exquisitus. Angustia igitur insignis potissimùm in anteriori & medio cerebri ventriculis est immediati cari causa, quæ quidem à plurimis mediatis pendere potest. Et primò quidem à densitate ex frigiditate inducta. Secundo à compressione ex mala terebratione aut ictû. Tertio à subsidentiâ ex spirituum resolutione, vel retractione, in morti proximis aut doloribus vehementissimis. Quarto ab obstructione, ut in casû nostro, quæ licet aliquando à sanguine provenire possit, ut Paulus, Aëtius & Avic. ab Hippocr. desumpserunt, in præsenti tamen facta est obstructio ab excrementis pituitosis, ac glutinosis tum à cerebro naturâ perquàm humido genitis, tum in toto venoso genere quodammodo obsesso, & cruditatibus scatente acervatis atque ab otio, cibo multo, & coitû non parùm adauctis; nec non à meri potibus facile ad caput elatis, neque ut anteà expurgatis, unde Galen. dicebat, quòd *eadem est materia causans Carum, & causans lethargum, at differt solùm quod in lethargo putrescit, in Caro non.* Suâ siquidem mole onerabat solum, & humectabat præteritis mensibus cerebrum. Unde Pat. consueto somniculosior factus est, sed tandem adaucta, & in ventriculis cerebri firmata, obstructionem, & indè insignem angustiam induxit, unde Carus; à quâ tamen angustiâ licet insigni, non tollitur respiratio, prout in apoplexia, quoniam ut considerabat Doctissimus Valesius, in apoplexiâ non solum cerebri ventriculi obstruuntur, sed obstruitur quoque ipsa ejusdem substantia, quæ cùm sit nervorum radix, & principium processûs eorumdem, & influxus spirituum, mirum non est si lædatur respiratio, quam opinionem deduxit ex Galen. dicente. *Verum in Sopore & morbo comitiali ventres magis cerebri, corpus minus, in apoplexia verò corpus magis pati solet.* Et hæc est vera ratio quicquid dicat Aver. de arteriarum obstructione, sive Mercurialis cùm Peripateticis, de cordis à cerebro perfrigeratione.

Si somnus atque vigilia utraque modum excesserit, malum est. Carus pessimus erit, cùm multùm naturæ modum excedat, est enim lethargo profundior, imò profundissimus Sopor, qui gravior redditus in apoplexiam ferè semper degenerare solet, ac magis, magisque respiratione læsâ in interitum, si verò levior fiat, in affectum comatosum declinat.

De apoplexia autem, & interitû dubitandum in Patiente nostro, altas quippe & naturales habet affectus iste radices cum crudo & pituitoso, tum in capite, tum in toto venoso genere, apparatû, & nativi caloris imbecillitate. Omnia tamen agenda, nam si fortasse accederet quoque febris, ad pituitosi humoris attenuationem, atque resolutionem non parùm conferre posset.

Medela autem dupl. esse debet, curativa, modò in accessione, & præservativa extra accessionem.

Pro curatione, primò facultas est excitanda; secundo humorum influxus à capite divertendus, tertio jam fluxi, attenuandi, discutiendi & quoquo pacto è capite educendi.

Pro præservatione verò calefaciendum, attenuandum, evacuandum, frigida & humida capitis intemperies, corrigenda, & tandem roborandum. Sed de hac alias.

Curatio itaque tentanda, primò facultatem sopitam excitando sternutatoriis, pulvere per nares insufflato, ex nigella, majorana, iride & nicotiana parato. Suffumigium ex barba hircinâ naribus admoveatur, nares pariter illinantur oleo de castoreo, cum succo rutæ; fiant frictiones asperæ, ligaturæ arctæ, facies aspergatur aceto rof. cujus guttula angulis oculorum instilletur, sed & ferro ignito occiput tangendum.

Secun-

Secundò, humorum influxus à capite divertendus, cucurbitulis ſiccis cruribus applicitis, phænigmis coxis, brachiiſque appoſitis, acribus repetitis ſuppoſitoriis.

Tertiò, attenuatio, atque diſcuſſio procuranda. Sic nares illinantur theriaca, cum caſtoreo, & aceto ſquillit. capiti deraſo apponendum Oxyrrhodinum, ex ol. chamæm. & aceto ſquilit. vel empl. ex ſucco apii cum aceto forti, addito Caſtoreo, ac tandem ſinapiſmus coronali apponendus, præmiſſis tamen fomentis, ſpongia magna decoct. imbuta & expreſſa, ex ſatureia, thymo, calament. origano, pulegio in vino malvatico. Nec quicquam de ſanguinis miſſione cogitandum in hoc affectu curando niſi ab interceptione venarum procedat, tum enim per ſectam venam ſanguis educitur, ut monet Hipp.

Hæcque ſufficiant, cùm plurium remediorum patiens capax non ſit. Interim aër cubiculi ad calidum & ſiccum vergat, calidis ſuffumigiis alteretur ſitque lucibus. Cibus ſit pulli inſtaurans, aromatibus conditum. Ovorum recentium lutea, aceto diſſoluta. Vinum non offeratur, niſi in declinatione, quia narcoticum. Alvus ſolicitetur ſuppoſitoriis & clyſteribus acribus, ſi injici poſſint. Quibus nos muneri noſtro ſatisfeciſſe abundè putamus. *Joann. Raymund. Fortis conſultat. & reſpons. Medicin. T. 1. cent. 1.*

Caroticus, & Vertiginoſus affectus.

Reverendiſſ. Veſtalem fervidum ſemper habuiſſe jecur, ac proindè calidum ſanguinem, atque tandem conſiſtenti ætate exuſtum, teſtatur abundè tumor, qui a 45. ætatis anno in dexterâ mammâ ſuccrevit, carcinomatoſam naturam redolens, & ideo à refrigerantibus medicamentis imminutus. Verùm quoniam jecoris calida intemperies in hac reverendiſſimâ Pat. naturalis ab animi quoque curis non parùm adaucta non adeo facile remitti potuit, hinc accidit, ut deinceps ex fluxionibus calidis quolibet anno humores in gula ſuborti fuerint, ſuffocationem minantes, undè jure merito cogitatum fuit de validis medicamentis refrigerantibus exhibendis, prout eſt aqua virginis. Sed quia in expurgatione, quæ neceſſario præcedere debet, non exigua ſequuta fuit humorum calidorum agitatio, hinc elevati ad caput copioſi & craſſi vapores, cerebri ventriculos anteriores præſertim obſtruentes, & ſpiritibus animalibus effluxum intercipientes, affectum caroticum, potiùs quàm apoplecticum, minùs Epilepticum excitarunt, ad id forſan utero quoque conſpirante, cujus ratione occiput quoque gravatur, cui per ſpinalem medullam ille conſentit; cùm materia oppletus quodammodò coarctatur; Sanguinis verò calidioris in toto præſentiam teſtantur acres illæ puncturæ, totam membranam carnoſam capitis percurrentes, & vermiculorum adinſtar mordicantes, ac nonnunquam uſque ad pericranium pervadentes, quas non ſolum ab evaporationibus, verùm & ſeroſitatibus tùm acidis & melancholicis, tum bilioſis acribus, ad caput elatis, procul dubio provenire credendum, quibus quandoque per madorem prodeuntibus, caput quoque meliùs habere videtur. Tandem quoniam caput quotidie ſemper majorem imbecillitatem, & jecur ac ſanguis majorem effervescentiam acquiſiverunt, ob validum nimis chinæ decoctum, à quo ventriculi quoque labes potius privativa ſequuta eſt, ideò capitis mala invaluerunt adeo, ut in præſens, non modo inſigni imbecillitate, verum & Scotomatico affectu continue afficiatur, ita ut caput à pulvinari elevari nequeat, minuſque Patiens ſtare poſſit, ſpiritibus agitatis & inordinate commotis. Hinc jure ſuſpicari poſſumus, caput modo non ſolùm ſympathice à toto & ab utero, verùm & idiopathice affectum eſſe, cùm ipſius mala continuo Nob. Pat. excrucient.

Cui ut ſuccurratur, Medici intentiones eſſe debent, totum evacuare. Secundò à capite revellere. Tertiò jecur & venoſum genus contemperare. Quarto materiam in capite hærentem ſenſibiliter, & inſenſibiliter reſolvere & tandem caput idem roborare.

Quibus omnibus omnino ſatisfacere perarduum fuerit cùm hæc mala altas imò & naturales radices habeant, nihilominus de eorundem diminutione deſperandum non eſt. Auxiliorum propterea materiæ, à fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico deſumendæ.

Et primò quidem ſanguinis miſſio omnino convenit, eaque repetita ex pede pro revulſione & ex brachio, tum pro derivatione, tum pro jecoris, & totius venoſi generis refrigeratione; in progreſſu verò hæmorrhoidalis quoque ſanguis eductus non parum prodeſſe poterit. Cauteria, quæ geſtat aperta ſerventur. Et toto atque capite expurgatis capiti deraſo rubificantia ſive ſinapiſmi apponantur, ut ad ſummam cutem proliciantur humores, qui poſtea ſenſibiliter & inſenſibiliter evacuari ac digeri poſſint, & ideo ſub finem lotiones convenient, ex lixivio dulci malv. Betonica & majorana alterato. Occipiti tandem veſicans applicetur, quod derivandi quidem non vero à toto venoſo genere humores attrahendi vim habeat, cujus metu ſetaceum ſuſpectum habemus.

A Pharmacia reliqua ſunt deſumenda medicamenta. Et quoniam ex relatis totum corpus ab Excellentiſſimo Viro elective purgatum eſt ideo caput quoque non ſemel erit expurgandum, in quem finem tertio aut quarto quoque die, tribus vicibus, erunt præbendæ pilulæ aureæ, & Cochiæ, à quibus tranſactis duabus, vel tribus horis ſuperbibat Reverendiſſ. Pat. ſer. capr. aut aſin. depur. ad lib. 1. ß. vel ij. & duabus horis ab aſſumpto ſero, prandeat, diebus verò intermediis bibat ſeri capr. deſtill. libram, cum conſerva de acido citri, atque capitis expurgatio etiam per nares procuretur, errhino ex pulvere majoranæ, ireos, & nigellæ.

Toto & capite expurgatis, materia ſeroſa in capite redundans omni arte educenda & flatulenta reſolvenda, quod vix alio modo obtineri poterit, quàm ſudore in hypocauſto prolecto, licet enim acris & acida ſit, attamen evacuanda eſt, neque hypocauſti calor, jecori, aut capiti officere poterit, quia decoctum eâ arte erit concinnatum, ut humores quidem liquare; & ſudorem provocare, nullo vero modo calorem augere poſſit. Sit itaque hujuſmodi.

♃. Salſæ parillæ elect. unc. ß. chinæ opt. rad. roſar. an. unc. ß. aquæ cich. deſtill. lib. iij. aq. beton

beton. lib. j. m. f. inf. per hor. 24. deindè bull. ad consumpt. dimidii, & colat. servetur pro vicibus tribus, matutino tempore exhibenda.

Deinde ♃. Residuum demptâ & abjecta radice rosar. aquæ fontis lib. x. m. bull. ad consumptionem tertiæ, in fine Ebullitionis, adde cinnam. integr. drach. ij. bull. par. & colat. adhuc ferventi addantur Sacchari fini unc. iij. pro potû quotidiano. Hora una ab assumpto decocto ingrediatur hypocaustum, & ibi maneat, primis diebus ad sudoris provocationem tantùm, mox sudet in lecto, in progressû vero, nunquam excedat horæ dimidium. Nec victus ratio debet esse valdè tenuis, sed quotidie vel caro assa, vel ova recentia, vel ptisana hordeacea concedatur. Perseveret autem supra viginti & usque ad triginta dies, sed decimo quoque die potio man. clarif. prrpinetur pro evacuatione.

Quibus peractis, jecoris, hypochondriorum & viscerum fervor erit contemperandus, quod succis dep. præstari poterit, ut,

♃. Succi dep. end. unc. ij. borrag. unc. j. decoct. cich. borrag. end. acet. unc. v. m. pro syrup. quotidiano, matutino tempore sumendo. Quod si respuat succos. Serùm capr. depur. exhiberi poterit, vel aq. de Succo cich. & end. ad lib. j. cùm syr. de acido citri, vel lim. conserva quoque rosar. convenientissima erit sicut & è floribus betonicæ, sem. pæoniæ immista.

Neque Spernenda à proprietare juvantia, inter quæ sal cranii humani optimus est, in aliqua ex dictis conservis, prout præstantissimum omnium stercus pavonis pulv. sine ulla præparatione, quod pariter insciâ Pat. conservis vel è floribus Pæoniæ vel beton. misceri poterit.

Et quoniam de ventriculi imbecillitate, sine concoctiouis tarditate, conqueritur Pat. licet ventriculus per consensum à iecore, & hypochondriis potiùs quàm essentialiter sit affectus; nihilominus aliqua ejusdem corroboratio erit procuranda, quæ tamen jecori officere non possit, ideò à prandio, & cænâ deglutiat gr. ij. aut iij. mastich. integra aut pil. ex scrup. 1. succi absinthii condens. paratam. Quæ omnia licet inopportuno tempore, autumnali scilicet administrata, optatum tamen finem consecutura spero, potissimùm, quòd à summa prudentia viri Excell. ac peritissimi & dirigi & moderari possint. Ita Deus vota nostra secundet. *Joann. Raymund. Fortis consult. & responsf. Medicin. T. 1. cent. 1.*

Coma somnolentum.

Nobilis adolescens 25. annum agens temperamenti totius, jecoris, calidi & humidi, humidioris capitis, & imbecillis ventriculi, sanguine in toto abundans, sed ad obesitatem potiùs vergens & ante hac pituitosis vomitibus frequenter obnoxius hoc anno ex toto suppressis, post errores in meri potibus, & edulíis ex lacte paratis, captus est febre magno calore, æstuque comitatâ, capitis dolore, rubore faciei, & in somnum diuturniori, atque intensiori delatione, perseveravit enim usque ad hanc quartam diem, prout adhuc num perseverat, & augetur, adeò ut continuò dormire cupiat, imò & dormiat, qui tamen si expergefiat, respondet somniculosus, & statim rursus in somnum delabitur. Febris parùm, imò nihil remitti videtur, pulsus magnus, frequens, mollis, urinæ ad ruborem vergentes, potiùs tamen tenues.

Medicus familiaris accersitus leniens præscripsit, & brachii venam aperiri jussit. Vesicantia duo coxis apponi curavit: præparantibus & alterantibus usus est. Modò nos de agendis Domestici consulunt.

Febrem hanc Nob. adolescentem quatuor ab hinc diebus continuò & æqualiter divexantem continentem esse, synoclum, scil. illamque homotonam, non est quòd dubitemus; hanc enim ostendit accessionis modus & confirmant vita ante acta, habitus sanguine abundans, ætas juvenilis, tempetamentum calidum & humidum, & præterea rubor faciei, pulsus magnus, frequens, mollis, urinæque subrubræ. At quoniam habitus ejus quodammodo ad obesitarem vergit, licet plurimo sanguine abundet, sanguinem tamen quodammodo pituitosum esse, non sine ratione censemus, idque non solùm ob assumptorum conditionem, sed multò magis ob capitis naturalem humidam intemperiem, & ventriculi imbecillitatem, dum enim catarrhalis humidas in ventriculum descendit imbecillum coctiones turbat, indeque jugis cruditatum proventus, quarum portione à jecoris calore tracta, & à meri potibus in venas perducta, sanguis quidem producitur, sed pituitosior, quibus addita consueti pituitosi vomitus suppressione, & ejusdem excrementi ad hepar transmissione, obstructiones subortæ sunt, sicque impedita transpiratione, calor putris redditus in sanguine ipso corruptelam accendit, & febrem, synochum quidem continentem, sed tamen spuriam excitavit, sicut enim spuria fit synochus ex abundantia bilis in sanguine, *quæ synochus quodammodo biliosa* à Gal. nominatur, ita in casu nostro, ex pituitosi excrementi in sanguine præsentia, synochus spuria quodammodo pituitosa dici potest.

Habet autem symptoma somnolentum sibi annexum, quod potius concomitans, quàm subveniens censeri, & appellari potest; cùm febris statim ab initio cum capitis dolore & ad somnum delatione invaserit, quæ modo ad somnum quoque pervenit, invalescente quotidie magis, non solum ad somnum delatione, verum & ipso somno, quasi Comatis conditionem excedat, cùm ex Gal. comatis nomen idem importet ac delatio in somnum. Verùm quoniam Gal. idem asserit quod Hipp. coma appellare solebat cataphoram sive somnolentam, sive non somnolentam (coma enim & cataphora à symptomate ita dicta synonyma sunt) ideo & nos hunc affectum, Coma somnolentum appellare possumus; hoc autem lethargicum esse credendum, quia cùm febre, imo non solùm legitimum, quia nunquam in ullo statu febris remittit, verùm & exactè legitimum esse censemus, adeò ut non pituita in cerebro putrescente, sed ab inflammatione ædematosa ac pituitosa in anteriori cerebri parte existente, proveniat, unde anceps quodammodo sit febris origo, licet eandem

nos

nos putridam & essentialem existimemus, ita ut attectus iste coma somnolentum lethargicum sit appellandus, prout, si febris symptomatica esset, coincideret cum ipso lethargo. Non est tamen negandum, quinimo asserendum, ad febrem essentialem symptomaticam etiam accedere. Atque adeo sicut hujus affectus comatosi causa immediata est semper angustia aliqua in cerebro, ob quam fit, ut spiritus animales effundi ac permeare non possint, unde fit imminutus sensus & motus, ita hujusce angustiæ causa in nostro casu non est subsidentia, quia non processerunt causæ spiritus animales, & calidum innatum resolventes, neque conniventia ob solam humiditatem nervos laxantem, febris enim non adesset, sed est obstructio gravans, ut pote proveniens à copia pituitosi sanguinis, ab imbecillitate ventriculi, & prægressa victus ratione, nimirùm lactis usu, & suppresso ejusdem pituitosi excrementi vomitu consueto. In caput verò præhumidum facilè quoque efferri potuit, præsertim à meri potibus consuetis. Sicque primo cerebrum molle reddendo, gravando, meatus semiobstruendo, dolorem gravantem, & in somnum propensionem invexit, cui tandem ex inflammatione ab eo excitata somnus quoque comatosus jam descriptus successit.

Horum affectuum complicatio periculum evidens huic Nob. juveni minatur, febres enim cum Comate acutæ atque malignæ esse semper consueverunt. Coma verò cùm exactè exquisitum sit, & ab incepta inflammatione proveniens, lethale facilè evadet, nisi surditas accedat, indèque Parotides erumpant, vel quod melius retrocedant humores, & cerebri inflammatio resolvatur.

Pro horum affectuum curatione, modice refrigerandum, humores revellendi, repellendi, præparandi, evacuandi, discutiendi, & tandem caput roborandum, & præ omnibus continuo facultas excitanda.

Et in chirurgico fonte, si consideretur sanguinis missio, ex altero brachio repetendam esse censeo, juvenis enim est, viresque validæ, & febris continens, cum affectu inflammatorio in parte principe, additque animos Ætius, qui narrat, quendam ex hoc morbo subitò solo & copioso sanguinis profluvio è naribus liberatum fuisse. In progressu verò ita exigente morbo, & permittentibus viribus, venæ quoque sedales aperiri poterunt. Cucurbitulas scarificatas dorso, scapulis, & occipiti, non parum prodesse asserit ipse Gal. Cataphoricos enim excitant. Et progrediente inflammatione duo alii phænigmi brachiis applicandi. Jam abrasum est caput, cui medicamenta præter repellentia, ordine infrà dicendo, erunt admovenda.

Et primò omni arte revellendi vapores, & humores à capite, in quem finem clysteres potius acres conveniunt, tum ut major sequatur à capite revulsio, tum ut excitetur sopita facultas.

℞. Decoct. malv. betæ, mercurial. chamæm. lib. I. mel. ros. olei chamæmel. an. ℥iij. elect. diaphæn. ℥ß. salis parùm vitel. ovi m. pro clyst. interdum suppositorium ita paretur.

℞. Troch. alhand. ℈.ß. salis gem. ʒ. j. hieræ magnæ ℈. j. mel. q. s. m. f. suppos. n. ij. cum filo.

Ante septimam & antequam gravior sopor obrepat, rursus pituitosæ materiæ antecedentis evacuatio erit procuranda potione utpote familiari ex melle ros. & manna clarif. cum tartaro, cui mulsa superepota idonea foret. Præparantia erunt quotidie exhibenda, & in iis dilutum Oxymel. Neque alterantia omittenda, jura scilicet cichor. borrag. beton. salv. alterata, commodius vero erit alterans ex aqua stillat. cichor. & borrag. beton. paratum ex cordialibus, Aqua Excel. Saxoniæ cum Elixir. vitæ bis in die exhibenda.

Ut autem excitetur Patiens, horâ saltem qua cibus, aut medicamenta sunt præbenda, amoveantur phænigmi, pedum plantæ perfricentur, & sternutamentum excitetur, pulvere insufflato intra nares, ex majorana iride & nigella.

Dum jam dicta fiunt, materia in capite attenuanda, insensibiliter resolvenda, naribus apponendo spongiolam aceto imbutam, alterato majorana, salvia & satureia. Oxyrhodino chamæmelinum addendum, in quo folia serpilli macerentur. Clysteres acriores, vel suppositoria repetendo.

Quibus non obstantibus, si somnus perseveret profundior, tria agenda concurrunt.

Primo purgans medicamentum exhibendum, ex pulv. ut pote facilius parandum.

℞. Troch. alhand. diagrydii an. gr. viij. Castor. gr. v. m. Secundò cucurbitula magna & sicca occipiti applicetur; pluriesque repetatur. Tertio sinapismus capiti apponatur, præmisso fotu, spongia magna tepida, imbuta & expressa decoct. majoran. serpilli, satureiæ, betonicæ, in vino albo, quibus omnibus squilla tandem addi potest. Aliqui Euphorbium quoque addunt & Castoreum: Verùm: inflammationis, & maxime, ratio habenda, ut nos monet ipse Gal.

Et nisi jam dictis omnibus cedat affectus, desperata res est, tuncque parùm & sæpe æger nutriendus pullo instaurante, vino albo dulci immisto, ut ad cibum capiendum prolectetur.

Victûs ratio ad tenuitatem inclinet, & quodammodo sit attenuans, acetum ideò & ptisanæ, & vitellis ovorum in jure dissolutis, semper addendum. Vinumque in declinatione, ac meliori rerum statu, concedendum foret. Deus verò O. M. omnibus præsit & salutaria reddat *Joann. Raymund. Fortis consult. & respons. Medicin. T. I. Cent. I.*

Coma vigil.

Vir Nobiliss. 35. annum agens, temperamenti totius, jecoris & capitis calidi & humidi, meri potibus assuetus, capitisque doloribus obnoxius, post validum exercitium, Veris tempore, sub radiis solaribus febre correptus fuit, cum horroribus inæqualibus, quos æstus insignis fuit subsequutus, cum difficili tolerantia, molesta siti, capitis dolore, totiusque lassitudine, potius ulcerosa, quæ omnia inde parùm remissa, tertia die simul cum febre exacerbata fuere. Quare Pat. magis repleto capite, atque ideò facie rubore perfusa, pa-

rumper deliravit cum quadam in somnum delatione, quibus adauctis somnolentus factus, oculis conniventibus somnum quidem captare videtur, attamen dormire nequit, mox interrogatus iterùm excitatur & respondet, inepta loquitur, & agit, nam corpore incomposito dimovetur, è lecto surgit, moxque iterùm decumbit, & clausis oculis somnum quærit. Pulsus quoad dimensionem mediocriter se habent; quoad motum verò inæquales & frequentes cùm aliquâ celeritate; quoad instrumentum, tactu duriores percipiuntur; quæ tamen durities, dum ad somnum inclinat, quietusque manet, laxari videtur. Urinæ ab initio rubræ, mox flavescentes, in præsens verò non valdè coloratæ, & potius tenues apparent. Medicus domesticus statim accitus imposito clystere sanguinem ex brachii vena detrahi jussit deinde minorativum præbuit medicamentum, indèque rursus ex altero brachio sanguinis missionem repetiit, phœnigmos duos coxis apponi voluit, alterantia & præparantia opportuna præscripsit, nihilominus propè septimam nullum levamen, imò febris atque symptomatum augmentum potius observatur. Quare nos de agendis acturi accersimur.

Febris quâ premitur Nobiliss. hic Patiens de synochorum genere censenda est, si primò res præter naturam consideremus, nimirum æstum insignem, & ex eo jactationes, molestam sitim, capitis dolorem, faciei ruborem. Secundò res non naturales, nempè meri potum consuetum & validum, excercitium sub radiis solaribus peractum. Tertiò & res naturales hanc eandem attestari possunt, juvenilis scilicet ætas, & jecoris totiusque temperamentum calidum & humidum. Verùm quoniam febris tertia die exasperari visa est, cùm lassitudine potius ulcerosa quam phlegmonosa, pulsus aliquam celeritatem atque duritiem præ se ferunt, urinæ ab initio quidem rubræ, sed paulò post flavescentes redditæ sunt, ideo synochum hanc non legitimam, sed spuriam esse censemus, propter bilem exuperantem, ex illis videlicet synochis, quas quodammodo biliosas appellabat Gal. quæ inter synochos & ardentes medium locum tenere solent, ut pote ortæ ex bilioso sanguine in venis, cum corde & faucibus magnum consensum habentibus.

Capitis autem affectus qui post continuum dolorem febri tertia die supervenit, delatio scilicet in somnum, cum vigiliis atque delirio, comatosus dicendus est. Comatis enim nomen idem significat ac delatio in somnum, quod clarius expressit Gal. Idem *dicens, Coma idem sopor, est affectus ille, in quo indicatur propensio ac delatio in somnum, cum vigilare ægri nequeant, non apertos habentes oculos, sed conniventes vel altis somnis, vel tenuibus, vel vigiliis detineantur.* Ideò & Hipp. & idem Gal. Cataphoram somnolentam, & non somnolentam, Coma appellare consuevit. Hoc autem Coma vigil est, & non pigrum, dum vocatur patiens, aperit oculos, sese cum impetu atque violentia movet atque delirat; in Pigro vero Comate Vigili patientes ægrè respondent, & statim rursus oculos claudunt delirantes.

Causa hujus affectus potest quidem esse materia vaporosa, inæqualiter in cerebro contenta, sed in nostro humorosa est, quâ continuus non autem modò accedens, modò recedens est affectus. Inæqualitas autem hæc in cerebro sæpè provenit à mistione pituitæ cum bile. Unde tertius emergit affectus, ex phrenitide & lethargo compositus à Gal. exacte descriptus quem Antiquiores Typhomaniam appellabant. Attamen in hoc casu inæqualitas fit à mistione sanguinis, cùm enim totum venosum genus sanguine abundet, ab eodem excalefacto, & putrefacto, & vapores primò elevabantur ad caput à radiis solaribus, qui quantitate & qualitate continuum solventes dolorem excitabant, sed perseverantes ebullitione, atque putredine à bile sursum elati, sua copia aggravant, comprimunt, angustiam inducunt, & in somnum delationem; ratione verò bilis, vigilias & delirium excitant; omnia in anteriori potius quam in posteriori parte cerebri fieri docuit Gal. dicens, *Soporosus fit homo humectata parte, quæ sensuum fons est.* Et ita Coma vigil erit affectus Typhomaniæ, ex phrenitide & lethargo compositæ non absimilis.

Febris hæc, utpote tertia die ingravescens, cœteris continuis periculosior habenda, imò maligna propter superveniens symptoma, unde Hipp. *febres cum Comate, labore, lucis turbulentia, vigiliis, sudoribus, malignæ.* Coma namque vigil facilè in phrenitidem ex usu calefacientium, vel in lethargo ex usu refrigerantium degenerat. Sic *nullus Phreniticorum vehementer insanivit, sed alta quadam veternosa in somnum delatione, capite gravati peribant.*

Pro curatione itaque hujusce febris, cum Comate vigili, medicæ intentiones erunt, refrigerare & humectare, præparare & evacuare, revellere, repellere, resolvere, & roborare.

Et in fonte chirurgico jam bis aptissimè detractus fuit sanguis ex brachiis, modò transactâ septimâ, tertia vice educatur ex venis sedalibus, & tandem pro derivatione, cogitandum erit de hirudinibus retrò aures applicandis, ante quarum usum duo alia vesicantia bachiis sunt apponenda. Cucurbitulæ quoque scarificatæ prius dorso, modo scapulis, ac tandem occipiti locum habebunt.

Pharmaceutica remedia talia esse poterunt, Primo clysteres ita parentur.

℞. Decoct. malv. mercurial. chamæm. lib. I. syr. rof. sol. ol. chamæm. an. ℥iij. elect. de succo rof. ℥iij. vitel. ovi, salis parum, m. pro clyster. Oxyrrhodinum sit hujusmodi.

℞. Ol. rof. ℥iij. aceti rof. ℥. j. m. Diligenter autem observanda ad somnum propensio vel ad vigilias, & Oxyrrhodinum in progressu oportunè mutandum, ita ut in febris accessione sit magis repellens, in declinatione magis resolvens, & ita sæpe mutanda oxyrrhodina, pro affectus mutatione, adeò ut ambo in æquilibrio serventur, quousque simul remittantur.

Lenientia interim repetenda ex syr. rof. & manna clarif. vel ex flor. cass. cùm tart. quibus superbibat aquam Nocerianam, aut hordeaceam, quæ primi quoque alterantis loco esse poterit, addito syr. vel conserva de acido citri, sicut secundum alterans erit decoct. cichor. borrag. acet. beton. vel aqua stillat. borrag. & beton. addito syr. acetoso.

Cor-

Cordialia quoque semper toto mali progressû sunt exhibenda & in statu, magisque in declinatione, resolventia capiti apponenda, infundendo serpyllum in oxyrrhodino, applicata quoque spongia madefacta, mox expressa, in decoct. beton, chamæm. puleg. serpill. satureiæ; spongiola quoque naribus admoveatur, aceto madefacta, in quo serpillum fuerit infusum, non cedente verò malo, purgans exhibere solet, extremis enim morbis extrema remedia adhibenda. Sic tendente ad phrenitidem affectû, exhibeatur diagrydium cùm castoreo, prout si ad lethargum, addantur dictis trochisc. alhand.

Victus sit ad tenuem inclinans: ptisanam & apomel præbet Aëtius. Nos addimus ex pullo instaurans, aut ovi vitellum. Vinum in declinatione tantum convenit ad humorum concoctionem ac expulsionem, nec non materiæ in capite resolutionem. Quæ satis pro præsenti affectû. *Joan. Raymund. Fort. Consult. & respons. Medic. Cent. 1. tom. 1.*

Comatosus affectus.

Nob. Vir annum agens quinquagesimum secundum, largiori victu & potu præsertim vino meraciori utens, temperamenti sanguinei, pituitosi, corporis obesi, capitis humidioris, tribus abhinc annis somno tam manè quàm vesperi plus justo vexatur, ita ut in mensa, lusu, scribendo, loquendo & aliis actionibus obdormiat, non tamen profundè, cum facilè vel per se, vel ab adstantibus excitetur: sed iterum in actionibus obeundis pergit, ut antea. Vir est satis perspicacis ingenii, industrius, & ad motum, licet obesus, valde agilis, nec vitam agit sedentariam, motibus præsertim itineris assuetus.

Somnus à natura fuit institutus, ne perenni caloris & spirituum dissipatione sensus elangueant, & tandem pereant. Unde Themistius dicebat quòd somni finis est salus & conservatio animalium; moderatus tamen esse debet & ætati atque temperamento proportionatus: tunc enim est suavior quædam sensuum detentio, calorisque ad interna revocatio, à quâ cessat interioris animæ ab exercitatione membrorum in sensu, & motû operatio, eo quòd melius & suavius judicetur cessare, quàm sic operari: Non autem suavis & naturæ amica est cessatio ab operationibus adeo frequens & importuna quæ observatur in Nob. Patiente proposito: namque omnino p. n. est talis somnus qui in genere sopor dici potest; in specie tamen neque lethargicus est, quia sine febre, neque Caroticus, quia non profundus, minus apoplecticus, quia nulla spirandi difficultas, neque principum functionum læsio, præterquàm quòd diuturnus est, sed comatosus verè dicendus, à comazando ita dicitur, cujus essentia in delatione in somnum consistit, unde definitur quod sit *in somnum delatio nequeuntibus Ægris vigilantium munera obire.* Coma verò hujusmodi non quidem Vigil sed somnolentum est, dormit enim. Nob. Pat. non tamen lethargicum, ut dictum fuit, tum quia facilè expergescit, tum quia nullam habet febrem sibi conjunctam.

Fit autem hujusmodi coma affecto cerebro ab aliquâ angustia, per quam fit quod spiritus animales moveri, nec transire liberè possint, ex quo sequitur imminutus sensus & motus. Hujusmodi autem angustia fit humectata parte quæ sensuum fons est, anteriori scilicet potius quàm posteriori: Premitur autem & gravatur cerebrum in Patiente nostro, non à frigiditate, tunc enim profundus fieret somnus, sed ob alicujus succi redundantiam, qui humidus esse debet, adeò ut cerebrum molle reddat, gravet, meatus obstruat, & laxando corpus stupidum faciat, quæ humiditas in casû nostro, tum humoris, tum vaporis specie se prodit: humoris quidem nempe pituitosi sanguinis, à toto venoso genere per carotidas ad caput delati, & nutriendo capiti inepti, quod facilè colligitur ex continuis erroribus in cibo & potû, necnon ex ejusdem temperamento atque obeso corporis habitû; quare per consensum a toto & à ventriculo potius, quàm per essentiam caput lædi credendum: licet enim caput quoque præhumidum habeat, est tamen vir industrii, & perspicacis ingenii: quæ conditiones redundantem humiditatem essentialem in capite non adesse demonstrant. Præterea vini generosioris usum, narcoticos vapores cerebro communicare, & spiritibus animalibus torporem inducere, quotidiana in temulentis docet experientia, quod licet calidum, frigida mala parere dicebat Galen. unde quærenti Hippocrati, an *sopor sit ubique malus?* Respondebat Galenus, *non esse malum in Ebriis*, quatenus per ipsum consumuntur copiosi, crassi, & narcotici vapores, à vino & crapula necessariò in caput elevati: hæc igitur causa, si non principalis hujus soporis, saltem valde fovens censenda est.

Est iste affectus magnifaciendus. *Somnus enim atque vigilia utraque si modum excesserint, malum*: caput enim gravat, mentis hebetudinem inducit, memoriæ jacturam, caput copioso, & pravo humorum affluxu ad sævissimos præparat morbos, ad verum scilicet lethargum, ad Apoplexiam, dum sanguis ob sui copiam, & pravam, frigidam, & humidam qualitatem, non solum tardè movetur, ut nunc in somno, sed crassior adhuc redditur, stagnat in cerebro, propriumque circularem motum prorsus amittit. Sic fortem somnum corpus dissolvere, capiti gravitatem inducere, dicebat Galenus. Sicut Plato, quòd somnus multus nec animis, nec corporibus, neque rebus gerendis conducit.

Ideò omnia agenda, & quàm primùm ut à præsenti Comatoso affectu liberetur, & ab imminentibus præservetur vir nob. quod sperari potest, tum quia nondum majora & propria adhibita fuere remedia, tum quia errata hoc malum parientia omissa non sunt.

Primò igitur viæ primæ sunt diligenter expiandæ. Secundò Venosum genus à cruditatibus depurandum. Tertiò Vapores revellendi. Quartò caput ipsum sensibiliter, & insensibiliter evacuandum. Quintò roborandum, & dum hæc omnia fiunt, facultas solicitè excitanda.

Quibus intensionibus ut satisfaciamus, à fonte Chirurgico non unica est depromenda sanguinis missio, sed ex brachio prima, ex Saphæna secunda: habemus enim historiam ab Ætio tra

ditam de illo qui copioso sanguinis profluvio è naribus superveniente hoc affectu liberatus fuit. Infernis partibus quoque conveniunt Sinapismi, qui possunt diuturno tempore administrari, non ita Phaenigmi. Frequentes esse debent Clysteres acriores, cum pulpa Colocynth. utpote mirabilis efficaciae.

Primae viae mundandae mell e Ros. & syr. ros. solut. addito polline crem. tartari. Primùm Praeparans sex diebus sit sine diluto, ex oxymel. & melle ros. ad ℥iij. quae exigua aqua florum citri dilui possunt, mox idem leniens erit repetendum, & ad ulteriora Praeparantia deveniendum, & esse poterunt oxymel simplex, & syr. de beton. ad ℥ij. in decoct. cich. borag. melissae, beton. calend. agrim. in quorum usu insistat septem diebus. Mox exhibeatur Purgans, ex elect. lenit. & diaphaen. & granis Magist. Jalappae; cui post horam superbibat mulsae dilutae libram. Inde ad efficaciora progrediendum: Oxymel enim, saltem compos. si non squilliticum, necessarium erit, cum syr. de beton. compos. in decoct. cich. melissae, beton. staechad. majoranae, serpilli, per alios septem dies: & interim clysteres acriores injiciendi; tribus diebus transactis, pilulae capitales erunt praebendae, ut cochiae praeparatae, aggregat. & aureae an. ʒß. Castorei gr. vj. m. cum aceto squillit. reform. & aur. quibus post horam superbibat mulsae dilutae saludatae ℔ iß. & tribus horis ab assumpta mulsa prandeat. Et quoniam corpus obesum est, caputque repletum, ideò in purgantium medicamentorum usu insistere necessum est; quare pilulae jam dictae aliis duabus vicibus quarto aut quinto quoque die repeti poterunt, diebus intermediis syrupos jam dictos offerendo, caput Errhinis & masticatoriis expurgando.

Si jam proposita satis profuerint, ut sperari potest, sat erit praescribere jus galli junioris, & visco querc. lentisco, ligno roris marini; & tantillo sassafras alteratum: cui praemittatur pulvis viperinus, in cujus usu persistat per integrum mensem. Sin minus Decoctum sudorificum erit parandum, ex iisdem ingredientibus, in aqua cich. salviae atq. beton. hora una ante sudorem, in hypocausto propinandum: quod tamen facilè omitti poterit, cùm caput essentialiter affectum non sit. Interim diximus à somno Patientem frequenter esse excitandum, in quem finem Gal. saepius sternutatoriis uti solet; pulvis enim cannula per nares insufflatur. Suffumigium pulveris quoque Castorei, & asae foëtidae & lapidis gagates carbonibus injecti naribus admodum efficax est, spongiola naribus apposita, aceto imbuta, inquo ebullierint serpillum, majorana, & pulegium. Excitat quoque, tum materiam ipsam, tum vapores attenuando & disolvendo, spongia magna vino imbuta & expressa, in quo satureja cum floribus ebullierit, syncipiti calens admota; sicut inter interna à Trall. & prius à Gal. extollitur Castorei usus.

Quibus omnibus aptior addatur vivendi ratio, & primò cubiculum lucidum inhabitet, parcius comedat, & parcissimè vinum oligophorum & album bibat. Condiantur cibi aceto, menthastro, salvia, majorana, cinnamomo. Exerceat corpus, & frequenter moveatur, Pilulas mastic. toto anno in usum ducat, & consocietates frequentes habeat, omnia autem contra hujus affectus contumaciam proposita fuere. Faxit Deus, ut paucioribus cedat; frustra enim per plura fieret, quod per pauciora obtineri potuerit. *Joann. Raymund. Fortis consultat. & respons. Medicin. T. 2. cent. 1.*

Lethargus.

Vir dives annum agens 55. temperamenti totius ad calidum & maximè humidum vergentis, capitis humidioris, obesi habitus, delicatè vivens, ventri, gulae, otio, & somno plurimùm indulgens, antehac capitis destillationibus obnoxius, tempore praesertim autumnali, quandoque etiam podagrae cubiti, atque manus, post copiosorum aestate nuper elapsa fructuum nive refrigeratorum, & lactariorum frequentem usum, tandem autumno praesenti, nulla secuta destillatione, nulloque dolore podagrico, de dolore capitis gravativo cum delatione in somnum, inappetentia, totiusque corporis lassitudine conqueri coepit, imò per quindecim praeteritos dies, dolor capitis gravans magis, magisque semper adeo invaluit, ut modo tandem Pat. prorsus somniculosus factus sit, cum levi febricula, & quandoque etiam delirans, & obliviosus. Cùm autem Medicus assistens minorativum medicamentum ei exhiberi jussisset, & ab eo sanguinem quarto die ex brachio detrahi, hic pituita redundans observata fuit, cujus ratione oxymel cum alterantibus praescripsit, atque tandem duo vesicantia coxis apponenda. Quibus tamen non obstantibus, somnus adeò excrevit, ut vix respondeat interrogatus, oculosque statim iterum claudat, oscitat insuper, hiat & os apertum detinet, matulae prae manibus obliviscitur, alienaque loquitur, delirium tamen non furiosum, sed satis remissum est, & hodie, xi. scilicet, febris cum reliquis symptomatibus adaucta videtur. Quare nos de agendis consulit.

Pituitosi sanguinis & catarrhalis excrementi necessarium proventum in hoc egregio Viro sat nobis praemonstrare possunt aetas inclinans, temperamentum totius humidum, humidū item caput, vita anteacta, ventri, otio, & somno indulgens, usus lactis, & fructuum nive refrigeratorum, podagrici insultus periodici, prout & nunc illius sunt indicia, dolor capitis gravans, inappetentia, & quaedam etiam veluti spontaneae lassitudines. Cùm enim praeteritis annis pituitoso humore copioso in hoc patiente producto, in id conspirantibus rebus naturalibus & non naturalibus, corruptus ab eodem sanguis ad articulos à natura deponeretur, & partim insensibiliter resolveretur, partim ab evacuantibus medicamentis, tunc temporis à medico praescriptis, sensibiliter evacuaretur, nec non ex inedia quoque coctione absumeretur, modo natura jam fortè defessa, & humori copiosiori ac tenaciori reddito fortasse jam impar, ab ejusdem depositione cessavit, unde ille in venis haerens, & magna sui parte ad caput elevatus, vasa distendens, & continuum solvens, dolorem gravantem excitavit & in praesens excitat, cum delatione in somnum, & quia ob

crudi sanguinis præsentiâ totius exinanitio prohibetur, nec non suctio, & ab ea sensus suctionis, sine quibus fames dari non potest, ideo inappetentia prægressa quæ solet alioquin ægritudines prædicere non secus ac spontaneæ lassitudines.

Verùm quoniam excrementi pituitosi apparatus jam in capite succrevit, ob humidam ejusdem intemperiem, & assumpta antehac vaporosa humida alimenta, unde dolor gravans prægressus, hic propterea in cerebro putredinem concipiens, somnum profundiorem induxit, dùm à calore putri liquatus magis, magisque in cerebri substantiam sese insinuavit. Sic Gal. dicebat quod *Alti sopores sine febre sunt Apoplexia, Caros & Catochus, at si humor putrescat, additur febris, & fit Lethargus.* Quod repetit præterea dicens, *cùm pituita humectaverit diluerìtque cerebrum fit Lethargus.* Hinc lethargicæ febres fiunt ex humore Pituitoso in cerebro acervato. Obliviosus autem & amens factus est, ut de quibusdam dicebat Gal. *Non est mirum in cerebro crudis collectis humoribus, comatosos illos, simulque dementes evasisse, comatosos quidem simul ex multitudine & frigore succorum crudorum; dementes verò quia putrescentes acredinem pariebant & calorem.* Sic & ipse Hipp. scripsit, *Lethargicus nugas gerit, & ubi nugari desierit, dormit.*

At quoniam modò in xi. Febris & reliqua symptomata, nimirum somni profunditas, atque delirium cum oblivione, adaucta videntur, & urinæ, quæ ab initio crassæ ac perturbatæ, crudorum humorum in venis agitationem prodebant in præsens tenues factæ sunt, verendum nè à calore putri in capite attractio, & a toto venoso genere transmissio pituitosi sanguinis facta fuerit, qui etiam inflammationis in cerebro ipso ansam dederit, unde lethargus exquisitus quidem antea, exactè jam exquisitus evaserit; somnus enim morbosus in nobis fieri incipit, cùm pituita copiosa cerebrum irrigat ac humectat, quæ proindè quò copiosior fuerit, eo profundior erit somnus, quod si eadem putredinem suscipiat fit somnus lethargicus, cujus putredini accedente quoq; cerebri inflammatione ex sanguine pituitoso, per venas à toto transmisso, vel in cerebro genito, fit lethargus, non modò exquisitus, sed & exactè exquisitus; quæ tamen inflammatio rarò in principio, & in fiente, sed in facto tantùm & consummato lethargo accedere solet: ad lethargum enim constituendum, sufficit sola pituitosa materia in capite putrescens.

Hinc sibi non contradixit Gal. dum in eodem genere phrenitidem & lethargum reposuit, atque phrenitidem in lethargum degenerare probat, dumque illam à menigum potius, hunc verò à cerebri inflammatione fieri scripsit. Nec male Hipp. & Celsus cum eo, asseruerunt Lethargum nonnunquam ad suppurationem verti, prout optime quoque Avic. Lethargum apostema frigidum, & alias tumorem pituitosum appellavit. Et propterea non audiendus Averr. qui essentiam lethargi in inflammatione constituit, quem sequuti fuerunt Hollerius, Heurnius, Capivac. Ugo, & plures alii de consummato lethargo loquuti. Ideò quamvis perpetua letargi comes sit ipsa febris; attamen quoniam adaucta est, novam causam, inflammationem scilicet accessisse jure merito suspicandum; adeò ut duæ in unum conspirent, febris nimirùm lethargica simpliciter, & lethargica inflammatoria; quæ cùm non in membranis, sed in cerebro hæreat, pulsus ideò lethargicorum proprius percipitur, mollis scilicet undosus, magnus, licet vacuus, & intermittens potiùs quàm interceptus, refrigeratæ facultatis indicio.

Status itaque hujus Patientis est periculi plenus; cùm modò in xi nullum appareat coctionis signum, & copiosus sit in capite, & venis crudorum humorum apparatus; lethargus insuper sit morbus acutus. *Et morbum acutum acuto morbo supervenire lethale sit.* Ideò inter periculosos à Gal. collocatur; quinimò periculosior censetur peripneumonia, phrenitide lethalior; Phrenitis enim lethargum sanat; non autem vice versa; cum autem terminus solutionis soleat esse septima dies, quæ imminet, cum urinarum tenuitate, & crudis atque foëtidis dejectionibus, exigua spes superest quod per resolutionem terminari possit, aliqua per abscessum post aures, nulla verò per suppurationem; cùm enim in puppi potius quàm in prora cerebri fiat iste affectus, ægrè pus per nares, per os, aut per aures expurgari poterit.

Curatio autem dirigenda adversus lethargum. Primò revellentibus, & repellentibus. Secundò Præparantibus, incidentibus, attenuantibus, & detergentibus, moderatè calidis, habita febris ratione. Tertiò evacuantibus sensibiliter, & insensibiliter. Quartò facultatem sopitam excitantibus. Quintò à proprietate juvantibus. Sexto Symptomatibus occurrentibus.

Prò quibus explendis intentionibus, initio ab Excell. assistente sanguis ex brachio prudentissime fuit eductus, ratione imminentis inflammationis; ob quam repetita quinetiam conveniret sanguinis missio, non obstante quod lethargus & peripneumonia sanguinis fluxum non ament, locutus enim fuit Gal. de crisi per hæmorrhagiam difficili. Nec quicquam facit quod Mesue eandem omiserit in lethargo phrenitidi succedente. Minimè verò quod Gal. prohibeat sanguinem crudis abundantibus succis, in febre syncopali: verum tamen quoniam vires non satis constant, omissâ venæ-sectione, sedales aperiri poterunt, utpote quæ e capite revellere & à toto evacuare possunt; Saphenam enim & Avic. reserari jubebat. Cucurbitulæ quoque siccæ; cum multa flamma, primùm cruribus, coxis, & natibus; tandem & scapulis applicandæ; quinimo in casu nostro cucurbitula magna inter primam & secundam vertebram scarificari poterit, Ætii exemplo; cùm adsit & inflammatio. Cætera omnia genera revulsionum, ac tandem derivationum in usum ducenda, & ideò pedum plantæ scilla sunt perfricandæ, more Tral. Duo alia vesicantia brachiis apponenda, in ò & scapulis, & occipiti, namque & ipsi capiti, derasis capillis, rubificans, sinapismum scilicet, admovebat Ætius ipse.

Revellentia jam ab Excellentissimo Adstante administrata fuere, nec non repellentia, qualiscunque enim humor sit, semper repellendus, capite deraso, ut monet Celsus. Acres clysteres commendat Aret. non solùm ad evacuationem

ed & ad revulsionem ab ipso capite, ideò in clyst. injiciebat salem, nitrum, castoreum. Nos autem hujusmodi paremus.

℞. Utriusque centaur. chamæmeli, sennæ an. m. s. pulpæ coloc. in petia lig. ℈ iv. aq. com. ℔ j. s. m. bul. ad consumpt. tertiæ colat. verò adde mel. ros. sol. ol. chamæmel. an. ℥ iij. hieræ pro clyst. ʒ ij. salis gemmæ ʒ j. m. pro clyst. Quos si non admittat, suppositoria acria substituantur hâc formâ.

℞. Troch. alhand. diagrydii, an. gr. x. sal. gemmæ ʒ j. mellis q. s. m. f. supposit. num. ij. parva cum filo.

Optimum erit leniens, si repeti possit, ex melle ros. sol. cum manna. Sicut & præparantia ex decoct. cich. beton. major. salviæ & hyssopi, addito saltem oxymel. compos. Purgans quoque exhibeatur, si possibile fuerit, ut pil. de nitro Alex. cum troch. alhand. vel quod facilius.

℞. Troch. alhand. diagr. an. gr. viij. castorei gr. v. m. exhibeantur ex cochleari vini albi. Neque admittenda compositio Tral. imò & Avic. & Mes. ex cast. ℈ ij. & diagr. ℈ j. utpotè validissima, nec proportionata pituitoso humori, castoreum enim etiam in soporosis affectibus cautè exhibendum, nec nisi exiguâ existente febre.

Insensibiliter quoque materia discutienda ac resolvenda, in augmento decocto in oleo ros. thymo, origano, pulegio, calamento. In statû addito castoreo, vel euphorbio. In declinatione, fricando caput jam derasum ol. chamæmel. cum nitro & sinapi. Sinapismos enim apponebat Æt. & Gal. ante ipsum. Interim insuffletur per nares pulv. nigellæ, major. & ireos.

Quarta intentio est, facultatem sopitam excitare, in totâ curatione necessaria sternutatoria proponit Gal. Conveniunt & suffumigia ex castoreo, asa fœtida, gagate. Valent acclamationes, capillorum evulsiones, Plinius & Aretæus proponunt crurum verberationes cum urticâ. Gordonius ferrarum & limarum fragores. Gentilis proponit porcellos arctè ligatos in cubiculo detinendos. Aurelianus monet proprio nomine frequenter vocandos esse patientes.

Quinta intentio est, cerebrum roborare; quod præstare poterunt conservæ beton. anthos, salviæ, lavendulæ, majoranæ, & magnæ antidoti. Ex chymicis, ol. majoranæ, serpilli, quinta essentia rorismarini, extractum castor. ad grana dilutum in aq. lilior. conval. & omnium maximè extollunt sulphur lunæ.

Tandem à proprtetate juvantia non despicienda & inter interna, castoreum præcellit, quo solo vidit Tral. multis lethargo victis in potû exhibito, mortem evasisse, de quo Archigenes integrum librum scripsit, ut refert Gal. à quo etiam probatur. Extrinsecus Sisymbrium cum aceto capiti affusum. Sed nos experientia compertum, non semel vidimus, satureiam cum floribus, vino incoctam & calentem capiti admotam Lethargicos pertinaces excitasse. Cor & oculi Philomelæ alligati carnem attingentes somnum arcent, ut refert Nicolus, prout gemma Hæmatites ex Alberto.

Tandem symptomatibus supervenientibus occurrendum fuerit, quæ solent esse, facultas sopita, oblivio, urinæ & fœcum retentio, dentium constrictio, & extremorum refrigeratio.

Facultatem excitant, præter adducta, sternutamenta excitata. Pro oblivione sunt provocandi ad respondendum. Urina solicitetur paleæ frustulo fistula urinaria irritata; fœcum excretio acri suppositorio. Saliva linteolo lineo ex ore detergenda. Cochleari sæpe dentes diducendi, & os apertum servandum, ac tandem extrema calefacienda, ut docet Hippocrat.

Victûs rationem quod attinet. Aër cubiculi sit moderatè calidus, odoribus alteratus, splendidus, non tenebrosus. Victus medius cum Aretæo, tenuis & attenuans cum aliis. Condiantur cibi aceto, & cinnam. cavendo ab emuls. amygd. dulc. à Tral. proposita. Vinum in declinatione concedendum. Sic Tral. ubi morbus concoqui cœperit, ita Celsus, & Æt. Sic Hipp. ait, *vinum album vinosum postea bibendum dato*. Aquosum caput replet, nec resolvit, vinosum vero adjuvat coctionem & materiæ resolutionem. Interim potus sit mulsa, ex aqua hord. parata, & cinnam. condita. Tandem ad iram frequenter provocetur Æger. Faxit Deus, ut jam dicta abundè sint à nobis proposita, atque paucioribus Vir Generosus pristinæ sanitati restituatur. *Joan. Raymund. Fortis Consult. & respons. medin. Cent.* I. *tom.* I.

De Caro.

Juvenis Robustus cùm è loco editiore in caput decidisset, mox alto sopore oppressus est. Ab amicis præsentibus, qui illum ebrium esse putabant, in lecto depositus, toto biduo in isto statû remansit, cumque illo temporis spatio sponte non evigilaret, tandem Medici consilium imploratum est. In capite nullum vulnus animadvertitur, propterea quod pileus durior caput à vulnere defenderat. In vertice tamen aliqua non magna contusio observatur. Pulsus bene sese habet, neque cordis malè affecti signa exhibet. Respiratio facilis est. Si pungatur æger, compunctum membrum aliquantillum contrahit. Interim nullis clamoribus, pilorum vellicationibus, aliisque mediis è somno excitari potest.

1. Quantopere in hoc ægro caput afficiatur, gravissimus ille sopor satis ostendit.

2. Sopor hic *Carus* appellatur, *estque somnus maximè profundus cum actionum animalium læsione.*

3. Apoplexiam non esse liquet, quòd respiratio libera sit, & æger compuncta membra aliquantillum contrahat. Neque lethargum, quia febris abest, & æger excitari nequit; quo signo etiam à Comate distinguitur, utpotè in quo ægri subindè excitantur, & membra loco dimovent.

4. Mali hujus causa depressio superioris cranii, sive ossium Bregmatis, lapsu isto facta, quâ etiam depressum cerebrum in suo motû impeditur, ita ut se dilatare commodè non possit: hunc propter impeditam illius actionem, omnes quoque animales actiones læduntur. Ad-

de quòd propter compressum, & hinc magnâ ex parte obstructum plexum choroidem spiritus vitales pauciores ad cerebrum penetrent, hincque pauciores etiam generentur animales spiritus; quorum influxus ad sensuum organa, aliasque partes ab eadem compressione non parùm impeditur: atque sic propter spirituum animalium tum non satis liberum influxum, deficiunt partium actiones, & fit quies, altusque sopor.

5. Sopor hic grave periculum minatur, & nisi quamprimùm commoda remedia adhibeantur, metuenda est mali hujus in fortem apoplexiam mutatio.

6. Indicationes curativæ sunt primo, ut cranium depressum elevetur. Secundo, ut cerebrum à depressione illâ debilitatum corroboretur. Tertio ut totius corporis ratio habeatur & ne humores multi ad caput affluant, vel alius in corpore morbus generetur, præcaveatur.

7. Præmisso igitur clystere, sanguinis ℥ viij. vel ix, è brachio extrahantur. Quo facto ad generosum maximeque necessarium remedium deveniendum est, scilicet cranii denudationem, & si necesse sit, perforationem.

8. Eadem die (nam periculum est in mora) qua clyster injicitur, & sanguis detrahitur, etiam circa vesperam cranium, eo loco ubi extrinsecus in vertice contusio apparet, cruciali incisione, in partibus carnosis facta, satis lato vulnere denudetur. Postridie matutino tempore annitendum, ut commodis instrumentis depressum os elevari possit. Sed quia non sine ratione metus est, à violentâ illa depressione aliquas in dura meninge venulas disruptas esse, ex hisque nonnihil sanguinis inter illam meningem & cranium effluxisse, qui postea ibidem putrescens mortem inferre posset, tutissimum foret, si cranium trepano perforaretur in parte firma depressæ parti proxima, ut sic extravasatus ille sanguis effluere, & cranium, immissis per illud foramen instrumentis, commodius elevari possit.

9. Elevato cranio, & vulnere s. art. petiis obstructo, toti capiti hoc fomentum tepidè circumponatur, & cùm refrigerari incipit, mox renovetur.

℞. Herb. betonicæ m. iv. majoranæ, rorismarini, verbenæ, fœniculi, fol. lauri, melissæ, thymi, rutæ, flor. stœchados, chamomillæ, meliloti, an. m. j. aquæ commun. q. s. coquantur s. art. adjiciendo sub finem, vini albi ℔ j. fiat fomentum ad ℔ iij.

10. Temporibus illinatur hoc linimentum.

℞. Olei succini, rosmarini, majoranæ distill. ana scrup. j. castorei pulverisati gr. ix. unguenti martiati drach. ij. misceantur.

11. Ægro è somno jam excitato (quod paulò post cranii elevationem plerumque fieri solet) hic haustus purgans exhibeatur.

℞. Fol. senæ mund. drach. iij. rhabarbari opt. drach. j. s. agarici albiss. drach. j. sem. anisi drach. j. decocti hordei q. s. fiat infusio s. art. adde colaturæ elect. diapruni solutivi drac. iij. misce, fiat haustus.

12. Corpore purgato, bibat bis terve de die haustum hujus apozematis.

℞. Radic. cichorii ℥ j. s. fœniculi, acori, ana ℥ ß. herb. betonicæ, taraxaci, borraginis, melissæ, rutæ, ana m. j. rosmarini, majoranæ, florum stœchados, ana m. ß. corticum citri, aurantiorum, ana ℥ ß. passularum corinth. ℥ ij. aquæ q. s. coquantur s. art. & fiat apozema ad ℔ j. ß.

13. loco apozematis subindè etiam dari potest particula talis conditi.

℞. Specier. diambræ drach. j. rad. acori cond. corticum aurantiorum cond. conservæ anthos, rosarum pallid. ana ℥ ß. syrupi de stœchade q. s. fiat conditum.

14. Si intereà alvus non respondeat, clysteribus subindè proritetur: vel suspendatur hæc puppa in cerevisiæ tenuis ℔ j. ß. de qua subinde matutinis temporibus haustus detur.

℞. Foliorum senæ mund. ℥ j. s. rhabarbari drach. ij. rad. jalappæ drach. j. sem. anisi drach. ij. fol. majoranæ, cardui benedicti, ana m. s. fiat puppa.

15. In diæta, sit aër temperatus & clarus. Cibi offerantur euchymi & eupepti, primis diebus pauciores. Potus sit cerevisia tenuis & vinum tenue. Somnus primis diebus brevior sit, posteà moderatus. Exercitia sint mediocria. Excretiones naturales vel sponte, vel arte debito modo procedant. Animi pathemata fugiantur. *Isbrand. de Diemerbroeck de morbis capitis medicat. 8.*

De Comate Somnolento & Vigili.

Vir quadragenarius, mediocriter fortis, temperamento aliquantùm pituitosus, bis terve in anno catarrhis ad dentes vel pulmones delabentibus, per aliquot dies affici consuetus erat, qui interdùm nullo, interdum levi aliquo capitis dolore præcedente, invadebant. Tandem autumni tempore in posticâ capitis parte dolorem tensivum ac gravativum rursus sentit, qualis catarrhum præcedere solebat, nullo tamen catarrho subsequente. Dolori huic in dies adaucto, cùm vertigo adjungeretur, Medici consilio corpus purgatum, vena secta, aliaque convenientia remedia adhibita sunt, quibus dolor adeò mitis evasit, ut æger rursùs foràs prodiret. Verùm cùm se intempestivè nimis aëri frigido exponeret, increscente subitò dolore, unà cum vertigine, cubitum discedere coactus fuit, ac subindè aliquantum delirare compertus est. Dolore hoc magis, magisque increscente, secundo die ante lectum casu pedibus insistens, concidit, nec se erigere rursus potuit, sed ab adstantibus lecto impositus est, in quo paulò post tanto somno obrutus fuit, ut nonnisi magnis corporis concussionibus ac vellicationibus excitari potuerit; excitatus oculos tantùm aliquantulum elevaret, nihil autem loqueretur, sed mox in somnum relaberetur. Tertio die excitari ampliùs non potuit. Cùm altus ille sopor circiter per quatriduum durasset, posteà subindè paulisper evigilare cœpit, tuncque plerumque nihil, interdum pauca cum delirio loquebatur. Tali modo soporosus vixit per octiduum. Posteà continuam quidem habebat inclinationem ad somnum, cum oculis conniventibus, sed dormire tamen non poterat, plurimaque deliramenta secum loquebatur; interdum quiescens, cùm dormire putare-

tur, repentè è lecto exsilire (quod tamen ob debilitatem non poterat) & hoc illudve peragere volebat: in istâ inclinatione ad somnum cum continuo delirio, per octo decemve dies remansit. Postea omninò dormire non potuit, neque ullâ inclinatione ad somnum per duas septimanas tenebatur: interea tamen delirium in dies magis imminutum est, ita ut eo spatio mentis planè compos evaserit, viribusque paulatim recuperatis, tandem summi Dei & medicorum ope pristinæ sanitati restitueretur. Toto morbi decursû non febricitavit. Appetitus constitit usque ad profundum soporem, & posteà evigilans nihil quidem petiit, sed oblata assumpsit, & benè digessit, ex deliris responsis, præter imaginationem ac ratiocinationem, etiam valde labefactatam fuisse memoriam, compertum est. Quæritur quo morbo hic æger laboraverit, & quibus remediis curari debuerit?

1. Cerebrum in hoc ægro omnium maximè laborasse, hincque sensus principes & externos valdè afflictos fuisse, clarissimè patet ex historia.

2. Gravis ille sopor, quo in principio detinebatur æger, fuit *Cataphora seu coma somnolentum, quod est sopor gravis ob sensum communem torpescentem exortus.* Quæ vero posteà, cessante sopore, accessit gravis ad somnum inclinatio cum impotentia tamen dormiendi, fuit *coma vigil, quod est gravis ad somnum propensio, & ad eundem impotentia, à vasorum in ventriculis cerebri compressione vel obstructione*, & spirituum inordinato motû mentem turbante, producta.

3. Causa antecedens hujus mali fuit pituitæ in partibus inferioribus paulò copiosior generatio, quæ ad cerebrum delata, in ejusque ventriculis copiosior collecta, caus m continentem constituit, cum enim hæc pituita, more solito, non deflueret ad partes inferiores, sed ibi detineretur, paulatim ventriculos suâ copiâ distendit, unde primò dolor capitis tensivus ac gravativus exortus est. Deinde verò, illâ pituitâ magis adauctâ, plexum choroidem unà cum reti mirabili, aliquo modo compressit, & magnâ parte obstruxit: hinc cùm spiritus vitales, in animales mutandi, non sufficienti copiâ transirent, spiritus animales tam pauci generati sunt, qui ad sensuum principum & externorum officia non sufficerent, unde æger, motû imminuto, primò concidit, neque se erigere rursus potuit: & deinde sensibus externis quiescentibus altus ille sopor obortus est. Tandem verò naturæ & medicamentorum beneficio, illa plexus choroïdis obstructione aliquantùm imminutâ cùm spiritus vitales jam paulò copiosiores transirent, atque hinc plures generarentur spiritus animales, nondum tamen satis copiosi, iique per impeditas vias inordinatè moverentur, inde factum ut mens admodùm turbata sit, & spiritus quidem plures ad sensuum externorum organa effluerent, sed non satis copiosi ad eorum munia bene peragenda, quæ causa fuit magnæ inclinationis ad somnum, qui tamen à continua mentis turbatione impediebatur, ita ut æger dormituriens dormire non potuerit, sed cum continuis deliriis dormituriendo vigilaverit. Ultimò, cùm soluta penitus obstructione, spiritus jam satis libere quidem transirent, sed ob magnam corporis inanitionem paucissimi ad cerebrum ascenderent vapores, qui illos debito tempore aliquantum in cerebro sisterent. Hinc continuæ secutæ sunt vigiliæ, quæ postea pluribus vaporibus à copiosiore alimentorum usû ad cerebrum elatis, paulatim rursus imminutæ sunt. Febris non adfuit, quia nulla humorum putredo cor infestavit.

4. Coma Somnolentum, ut & vigil, periculosissimum malum est, quo plurimi intereunt, inprimis si ultra quartum diem sopor profundus extendatur: propterea quòd nobilissimum viscus, cerebrum, in eo graviter afficiatur. Ex obstructione enim & compressione illa plexûs choroïdis duplici de causâ periculum imminet: vel quòd à spirituum animalium defectû, in apoplexiam mutari, ægrumque citò extinguere possit. Vel quòd à spiritibus vitalibus calidis solitas vias transire nequeuntibus, facile inflammatio in cerebri membranis fieri, hincque malum in Phrenitidem mut ri possit.

5. Indicationes curativæ primariæ sunt, ut materiæ continentis in ipso principio instituatur revulsio & evacuatio, sicque solvatur obstructio. Deinde ut causa antecedens tollatur, cerebrum corroboretur, & impediatur, nè in eo nova pituitæ collectio fiat.

6. Quia æger profundo sopore oppressus, nihil per os assumere potest, clysteres, ad minimum semel de die, sunt injiciendi. Asperæ frictiones & ligaturæ dolorificæ in extremis partibus faciendæ. Sanguis è brachio detrahendus, cucurbitulæ cum & sine scarificatione scapulis, dorso & collo imponendæ. Corporis concussionibus & vellicationibus dolorificis æger, si fieri possit, sæpius è somno excitandus est. Utque materia continens excutiatur & evacuetur, hic pulvis sternutatorius subindè cum penna in nares sufflandus est.

℞. Rad. hellebori albi scrup. j. pyrethri scrup. ß. fol. majoranæ scrup. j. piperis, castorei, ana gr. v. fiat pulvis.

7. Sopore aliquantùm imminuto, exhibeantur hæ pilulæ.

℞. Massæ pil. cochiarum scrup. j. extracti catholici scrup. ß. fiant pilulæ v. vel si illas deglutire nequeat, detur drach. j. pulveris diaturbith, aut diacarthami, cum pauxillo cerevisiæ tenuis; vel haustus purgans ex foliis senæ, agarico, radice jalappæ, aliisque similibus paratus.

8 Corpore satis purgato, præscribendum tale apozema.

℞. Rad. acori drach. vj. helenii, fœniculi, ana ℥ ß. galangæ drach. ij. herb. majoranæ, betonicæ, rosmarini, melissæ, calamenthæ, ana m. j. salviæ, florum stœcados ana m. ß. bacc. juniperi drach. vj. lauri drach. ij. passularum mundat. ℥ ij. aquæ q. s. coquantur s. art. & fiat apozema ad ℔ j. ß. cui admisceri possunt syrupi de stœchade, ℥ ij. vel iij. Hujus decocti ter quaterve de die haustus exhibeatur. Interea tamen continuandum est in usû sternutatorii.

IX. Si Apozemate continuè uti nequeat, detur subinde particula hujus conditi.

♃. Specier. diambræ, drach. j. ß. conservæ melissæ, flor. salviæ, betonicæ, anthos, ana. ℥ ß. syrupi de stæchade q. s. misce, fiat conditum.

X. Conficiatur quoque sequens cucupha, vel potius capitium capiti imponendum.

♃. Fol. majoranæ, rosmarini, flor. lavendulæ, meliloti, ana scrup. iiij. benzoini, nucis moscatæ, gariophyllorum, ana. scrup. ij. fiat pulvis grossus pro cucupha. Tempora & vertex capitis illinantur hoc linimento.

♃. Olei rosmarini, majoranæ, nucis moscatæ, ana. scrup. j. ung. martiati drach. ij. misceantur pro linimento. illud autem capitium medicatum æger morbo jam cessante diu adhuc gestet.

XI. In Diæta, aër sit purus, mediocriter lucidus, ad calidum vergens. Cibi dentur pauciores, euchymi, & eupepti, cum rosmarino, majorana, aliisque cephalicis conditi. Potus sit ptisana, cerevisia tenuis bene defæcata, vel julepus aliquis cephalicus. A continuo somno æger arcendus est: postea tamen ubi ad continuas vigilias deventum erit, convenient amygdalata, aliaque quæ corpori bonum nutrimentum exhibere, & capiti blandum soporem conciliare possunt. Evacuationes naturales sponte vel arte procedant. Æger autem bene servandus est, ne in delirio se è lecto devolvat, aliove modo lædat. *Isbrand. de Diemerbroek. de morbis capitis medicat. 6.*

De Lethargo.

Vir sexagenarius, temperamento pituitosus, pro ætate mediocriter fortis, cùm toto autumni tempore nullam diætæ rationem habuisset, sed fructus horarios; lactucas, cucumeres, melones, aliaque similia copiosius ingessisset, per aliquot dies totius corporis lassitudinem, cum magna ad somnum proclivitare persensit. Deinde miti, sed continua febricula corripitur, sub noctem quo idie aliquantum recrudescente, & quotidianæ normam gerente. Hanc statim maxima somnolentia comitari cœpit, tanta scilicet ut à somno detineri nequeat æger; qui somnus adeò profundus est, ut nec ad adstantium altos clamores, nec ullum in cubiculo excitatum strepitum æger audiat, è somno non sine molestia & valida corporis agitatione excitatus, adstantes paulisper aspicit, atque ad interrogata paucis verbis, & sæpè non satis ad rem respondet, se dormivisse nesciens: matula si detur, mingere obliviscitur sicque oculis & ore clausis in somnum mox relabitur.

Pulsus est mediocriter magnus, tardus & rarus, cui subindè, imprimis circa noctem, inæqualitas quædam & paulò major celeritas adest. Urina turbida est, quæ refrigerata sedimentum pituitosum copiosum deponit. Quæritur Medici consilium.

I. In hoc ægro caput & totum corpus afficitur; illud liquet ex gravi sopore; hoc ex febri continua, & totius corporis lassitudine.

II. Gravis ille sopor, quo æger noster laborat, *Lethargus* appellatur, qui est *inexplebilis in somnum propensio, cum febre lenta, & principum facultatum læsione.*

III. Causa Remota hujus mali imprimis fuit victus pravus & refrigerans, quo in corpore pituitoso multi crudi ac pituitosi humores generati causam antecedentem præbuerunt.

IV. Hi pituitosi humores partim ad cerebrum copiosiores delati, idque frigida intemperie afficientes, partim in vasis majoribus putrescentes, in corde accensi indeque per totum corpus, & simul etiam per arterias carotides ad caput impulsi continentem soporis & febris causam constituerunt.

V. Cùm enim per arterias carotides crudiores illi humores, jam in corde accensi, ad plexum choroïdem perveniunt (cujus minimæ arteriolæ ob frigidam cerebri intemperiem solito angustiores sunt) & partim propter arteriolarum istarum angustiam, partim ob propriam crassitiem, plexum illum lentius transeunt, in eodem a frigida cerebri constitutione magis incrassantur, sicque adhuc tardior fit eorum transitus. Quæ causa est, quod spiritus animales solito pauciores & tardius conficiantur propter spiritus vitales, è quibus confici debent, parcius & tardiùs per plexum choroïdem transeuntes. Qui pauciores spiritus cùm ob paucitatem non sufficiant ad continua munia sensuum exteriorum, hinc fiet quies, in sensuum istorum organis; per quorum quietem cum nulla objecta ad sensus principes deferantur, etiam illi quiescunt, sicque altus fit sopor. A quo cum æger excitatur, etiam sensus principes læsi comperiuntur, ob eandem spirituum paucitatem, eorumque inordinatum per impeditas vias motum.

VI. Periculosus est hic affectus 1. quia nobile viscus cerebrum hic graviter afficitur. 2. quia febris adest, unde cor, totumque corpus patitur. 3. quia æger senex est, ob caloris nativi debilitatem, tam grave malum vix evincere poterit: adde quod in illa vires facilè collabantur, & difficulter restaurentur. Spem tamen sanationis exhibent vires mediocriter fortes, ac proindè curatio quamprimum instituenda est, antequam illæ collabantur.

VII. In curatione materia pituitosa, in toto corpore redundans, evacuanda, à capite revellenda, & ad partes inferiores derivanda est: præterea cerebri frigida intemperies tollenda, caput corroborandum, atque in eo contenta materia educenda ac resolvenda.

VIII. Injecto clystere instituantur ligaturæ dolorificæ, & asperæ frictiones in cruribus, quæ sæpius repetantur. Venæ sectio in hoc senili corpore minùs conveniens videtur, sed ejus loco cucurbitulæ, partim cum, partim sine scarificatione, admoveri possunt scapulis, dorso, humeris & cervici. Ab oxyrrhodino, aliisque similibus repellentibus frigidis hìc abstinendum judicamus.

IX. Deindè excitato ægro hic haustus purgans exhibeatur. Rec.

Agarici albiss. drach. j. fol. senæ mundat. unc. ſ. sem. anisi drach. j. zingiberis scrup. j. decocti hordei, q. s. fiat infusio s. art. add. colaturæ elect. diaphænici drach. iij. misc. fiat haustus.

Postea si alvus quotidie non satis respondeat, clysteribus proritetur.

X. Corpore expurgato, subinde detur ægro haustus hujus apozematis. Rec. Rad. calami aromat. helenii, fœniculi, petroselini, ana unc. ſ. herb. betonicæ, capilli veneris, cardui ben. centaurii minoris, taraxaci ana m. j. rosmarini, majoranæ, hyssopi, florum stæchados, chamomillæ, ana m. ſ. baccarum juniperi drach. vj. sem. anisi scrup. j. ß. corticum citri, aurantiorum ana unc. ſ. aquæ q. ſ. coquantur ſ. art. & fiat apozema ad lib. j. ß. cui admisceantur syrupi de stæchade unc. ij. vel iij.

XI. Post usum hujus apozematis corpus iterùm expurgetur haustu purgante ante dicto: cujus loco si æger pilulas malit, dentur scrup. ij. vel scrup. iij. pilularum cochiarum: vel si pulverem meliùs assumere possit, detur drach. j. pulveris diacarthami aut diaturbith, cum decocto hordei dissoluta.

XII. Secunda hac purgatione peracta, ad prædictum apozema redeundum, cui tunc plura diuretica (ut radices ononidis, asparagi, eryngii, herb. petroselinum, fragaria, aliaque similia) commodè adjicientur. Et quia castoreum in hoc morbo admodùm laudatur, non malè interdum cum haustu istius apozematis, aut cum oxymeli scyllitico, castorei pulverisati grana quinque aut sex exhibebuntur.

XIII. Interea dum hæc fiunt, studendum etiam, ut materia è capite speciatim evacuetur, ipsum caput topicis roboretur, in eoque contenta residua materia discutiatur. Prius impetrabimus si succum radicum betæ & foliorum majoranæ æqualibus portionibus pro errhino in nares immittamus; vel si hunc pulverem sternutatorium in nares sufflemus.

♃. Rad. hellebori albi scrup. j. rad. pyrethri, fol. majoranæ, ana. scrup. ſ. piperis nigri gr. v. Castorei, benzoini, ana gr. iiij. fiat pulvis.

Posterius consequemur, si verticem & tempora sæpè illinamus hoc linimento & sequentem cucupham imponamus.

♃. Olei succini, rosmarini, majoranæ ana scrup. j. unguenti martiati drach. ij. Castorei pulverisati scrup. ſ. misceantur pro linimento.

♃. Fol. majoranæ m. ß. rosmarini, salviæ, flor. meliloti, ana. p. j, gariophyllorum, nucis moscatæ, ana. Scrup. j. fiat pulvis grossus pro cucupha.

XIV. Porrò diætam convenientem instituere necesse est. Aër sit purus, lucidus, moderatè calidus & alteratus odoribus ex castoreo, pulegio, rosmarino, salvia, thymo, majorana, melissa &c. cibi dentur pauci, & facilis digestionis, conditi rosmarino, majoranâ, betonicâ, hyssopo, aliisque quæ humorem pituitosum attenuandi & coquendi caputq; corroborandi vim habent (non enim hìc ratione febris victus mere refrigerans est instituendus, sed potius ratione humoris peccantis, aliquo modo calefaciens: nam hoc modo sublatâ humoris pituitosi generatione, ejusque coctione peracta, febris facilè evanescet) abstineat æger à lacte, leguminibus, fructibus horariis, aliisque frigidis alimentis, ut & ab iis quæ subtili calore attenuatos humores copiose & subito ad caput deducunt, qualia sunt cæpe, allium, synapi, raphanus &c. Potus sit aqua hordei, cum hyssopo, majorana, rorsmarino, & similibus decocta, melle vel hydromelite dulcorata, & cum pauxillo cinnamomi aromatisata. A continuo somno æger omnibus modis arceatur, & quàm sæpissimè excitetur. Evacuationes naturales, si sponte non succedant, arte proritentur: cumque lethargici mictionis, & egestionis alvi oblivisci soleant, sæpè admonendus est æger ad urinæ, & alvi excretionem. *Isbrand. de Diemerbroek de morbis capitis medieat. 7.*

Medicatio adolescentis Comate vigili laborantis

Adolescens quindecim annorum, febri continuâ, eaque satis fervida laborans, sæpè ex lecto prosilit mutus ac oculis clausis, dormienti similis, quamvis perfecte non dormiat; tumque caput, reliquumque corpus in parietes illidit, tanquam exitum quærens. In lectum relatus, corpus varie jactat, oculosque clausos vel conniventes habet; Siquis ipsum alloquatur, vel attingat, nihil articulate respondet. sed inconditum sonum, instar mugitus, edit.

Afficitur in hoc ægro præter cor, cujus affectio ex febri est manifesta, etiam *cerebrum*; quod ex mentis stupore, oculis instar dormientium clausis vel conniventibus, & corporis illo inconcinno, & inconveniente motu & jactatione, patet.

Morbus qui ipsum cum febri cõtinua affligit, est intemperies pituitosa cerebri cum magno spirituum animalium, in cerebro & ejus ventriculis existentium, fervore conjuncta, quæ somnolentiam, vereque dormiendi impotentiam, simul inducens, *coma vigil appellari solet.*

Causa antecedens hujus morbi est congeries pituitosorum, biliosorum, ac putridorum humorum, in toto corpore existens. Pars verò ejus pituitosa in cerebrum copiosius delata, illudque gravans, & biliosa in spiritus feruidos conversa, & ventriculos cerebri distendens, inordinateque movens, *continens* hujus morbi, symptomatumque in historia commemoratorum est causa.

Morbus hic propter cerebrum & coram graviter affectum, maximum vitæ periculum, & præterea phrenitidis vel lethargi metum inducit.

Curatio itaque diligentissima adhibeatur. *Eaque* in causæ antecedentis, continentis & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

Mox itaque vena secetur, sanguisque pro ratione virium, ad revulsionem & evacuationem educatur. Talisque clyster injiciatur.

♃. Decoct. emollientis lib. j. in qua dissolve el. diaphænici, diapruni an. ʒvj. ol. violacei, camomill. an. ℥j. salis ʒj. Misce F. clyster, aliquoties iterandus. Vel subinde purgari etiam poterit tali haustu, si eum admittat.

♃. Diaphænici, diapruni an. ℥ß. Aq. decoct. hordei q. ſ. misce F. haustus.

Oxyrhodinum etiam capiti ex aceto acerrimo, ol. rosar. & camomillino, tepide per triduum adhibeatur.

Postea pro cerebri corroboratione & materiæ

riæ discussione, fiat oxyrhodinum vel capitis inunctio ol. camomillino, costino, irino, cum aceto, inquo pulegium est incoctum vel maceratum.

Corpore evacuato, cucurbitulæ cum scarificatione collo & dorso etiam sunt adhibendæ. Ad sitim & ardorem detur tale julapium.

℞. Aq. decoct. hordei lib. ß. syr. violacei, de succo limonum an. ℥j. Rob. de ribes ℥ß. Misce. vel.

℞. Rob. de ribes ℥j. syr. violacei, de limon. an. ℥ß. F. Mixtura, de qua subindè aliquid detur ex cochleari.

Versetur in aëre temperato. Nutriatur jusculis vervecinis & gallinaceis, alteratis endivia, acetosa, lactuca, item lacte amigdalato cum decocto hordei facto. Potus sit cerevisia tenuis. Teneatur quietus, à turba remotus. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen medication. lib.* 1.

Vir Quadraginta annorum, pituitosus, crassus, pinguis, deses, ebrietati & ingluviei deditus, postquam per aliquot dies de capitis gravitate esset conquestus, in tam inexplebilem dormiendi incidit propensionem, ut quicquid ageret dormire cuperet & in somnum assiduò laberetur. Malum jam ita crevit, ut magna difficultate per clamores & vellicationes excitatus, oculos vix attollat, aliena incondito murmure loquatur, & mox in somnum relabatur. Quandoque expergefactus matulam mingendi causa postulat. Verùm mox ejus oblitus urinam in lectum inscius effundit. Totum corpus tactu justo calidius sentitur. Calorque sub vesperam quotidie est intensior. Pulsus mollis est, celer, inæqualis, & debilis. Respiratio lenta, urinæ sunt crassæ & turbidæ.

Afficitur in hoc ægro totum corpus, quod docet ingluvies & ebrietas, atque urina crassa & turbida, sed præcipuè *cerebrum*, quod probat magna illa somnolentia, & præterea *cor*, ut constat ex febri.

Morbus, qui eum tenet, est *Veternus*, sivè intemperies totius corporis, & præcipuè capitis, pituitosa, & nimis gravis, quæ putrescens febrem, & cerebri substantiam suo pondere gravans, somnolentiam talem, qualis in historia hic describitur, inducit, quæ græcè *Lethargus* dicitur.

Causa hujus morbi *procatarctica*, est ingluvies & ebrietas, cui nuper æger indulgens, magnam pituitosorum humorum copiam in toto corpore collegit, quæ pro *antecedente* ejus causa est habenda. Eaque in corpore putredinem concipiens, ac in corde vehementius incalescens, & deinde per totum corpus, ac præcipue in cerebrum delata, illudque suo pondere premens & gravans, *continens* hujus morbi, & symtomatum omnium, est causa.

Nam sanguis pituitosus in venis putrescens, & inæquales partes habens, cum cordi perpetuo novam incendii causam suppeditet, illudque in totum corpus per arterias se diffundat, hinc oritur *febris continua*; quæ calore justo majore, pulsu celeri & inæquali, sese prodit. Magna verò istius pituitosi sanguinis portio, in cerebri substantiam & meningum poros delata induxit, primum *Capitis gravitatem*, eaque ibi acuta, cerebri molem ita oneravit, ut spiritus animales, qui in ventriculis existunt illud satis attollere, ventriculosque & nervos subjectos sufficienter distendere nequientes, *somnolentiam magnam*, & postea etiam *soporem tantum pepererint, ex quo vix ullis clamoribus & corporis vellicationibus*, spiritus in cerebro dilatantibus, *excitari æger possit & si aliquantum expergefiat, recte nomen audire, oculos satis aperire, & oportuna loqui nequeat, ac proinde inconditum & inconveniens murmur edat, matulaque exhibitæ obliviscatur, mox in somnum, ob cerebri gravitatem relabatur, & inter dormiendum urinam* ob nervum qui vesicam per influentes spiritus claudit, affectum, *inscius in lectum effundat.*

Sub vesperam ingravescit quotidie febris; quia materia morbifica, in cerebro existens, quotidie sub id tempus, propter peculiare suum temperamentum, tam matura evadit, ut in venas sese per rarefactionem effundens, ad cor deferatur; ibique calorem cordis, & deindè totius corporis, præter naturam augeat.

Nec est quod miremur, pituitam putrescentem posse febrim, & hinc delirium aliquod, hic excitare: nam etiam lactuca & gramen, aliaque similia frigida per putredinem sæpè incalescunt, dum sc. per eam insensibilium particularum pori ita disponuntur, ut æther, in iis copiosior existens, & sese vehementius movens calorem sive varium & vehementem insensibilium partium motum, in illis producat.

Hic affectus celeriter, nisi celerrime ei occurratur, occidere solet; ideòque ocissime illi *medela* adhibenda.

Eaque consistat in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperii cerebri per contraria correctione.

Primò itaque educatur sanguis per phlebotomiam è brachio ad uncias octo.

Et Deinde mox injiciatur hic clyster.

℞. Rad. altheæ unc. ij. Herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, betæ, mercurialis an. m. j. flor. camomill. meliloti ana m. ß. furfuris macri p. ij. Decoq. in aq. comm. ad lib. 1. in qua dissolve elect. Diaphænici, diacatholici an. dragm. vj. mellis rosat. unc. ß. olei camomill. unc. j. ß. salis dragm. j. misce. F. clyster, mox injiciendus.

Postea hoc utatur oxyrhodino leviter repellente.

℞. Aq. rosar. camomillor. ana unc. ij. ß. ol. rosacei unc. j. ß. camomill. unc. ß. acet. optimi dragm. vj. M. F. Oxyrodinum, tepidè cum pannis capiti adhibendum.

Deinceps ad ea remedia deveniendum quæ ægrum excitare possunt: qualia sunt frictiones asperæ dorsi & artuum, vinculaque iis injecta, ac frequentius soluta, tractio pilorum.

Præterea hoc usurpetur apozema.

℞. Rad. cichorii, polypod. q. ana unc. j. fœniculi, petroselini, asparagi ana ʒvj. Herb. betonicæ, melissæ, hyssopi, capilli veneris ana m. j. Flor. anthos, stæchados, camomill. ana p. j. Sem. anisi, fœniculi ana ʒv. Decoq. in aq. comm. ad lib. j. ß. addendo sub finem decoct. fol. sennæ unc. ij. Jalappæ unc. ß. colaturæ adde syr. de hyssopo unc. ij. aq. cinnamomi unc. j. ß. apozema; de quo sumat quotidiè uncias quatuor, semel, vel indies, pro ratione operationis.

Et adhibeatur tale vesicatorium, post cucurbitas humeris, dorso, & naribus adhibitas

℞. Pulv. cantharid. ℈j. euphorbii ℈ß. piperis

peris gr. vj. fermenti acid. unc. ß. aceti q. s. F. Vesicatorium, collo circa nucham adhibendum.

Circa tertium diem præscribatur hoc linimentum.

℞. Unguenti alabastrini unc. s. Olei liliorum dragm. iij. de castoreo dragm. ij. M. F. Linimentum; quo caput cum pannis adhibitis illinatur.

Sumatque hunc bolum; ℞. Theriacæ Androm. ℈iv. Castorei in oxymelite sol. gr. v. M. F. Bolus, sex horis ante pastum exhibendus.

Tandem, ubi vis morbi & febris jam plusculum erit superata, cerebrum tali medicamento erit corroborandum.

℞. Consev. fl. lavendulæ, salviæ, anthos, betonicæ ana. ℥ß. Calami aromatici condit. Nucis moschatæ condit. ana. ʒij. spec. aromatici rosati, diambræ ana. ℈ij. Theriacæ ℈j. cum syr. de stæchade q. s. F. Electuarium de quo sumat castaneæ quantitatem, bis in die.

In victus ratione aër sit moderatè calidus, & castoreo, pulegio, hyssopo, Origano, & aliis similibus alteratus; *Cibus*, ubi malum nonnihil remiserit, sit paucus, calidus, ad concoquendum & ad distribuendum facilis; uti sunt pulli gallinacei, capi, gallinæ. Alimenta quoque poterunt condiri salvia, thymo, roremarino, majorana. *Potus* sit aqua mulsa, à vino abstineat usque ad declinationem morbi. *Exercitii* loco sint frictiones validæ, vectiones curriculo factæ. *A nimio somno* arceatur æger, & tantum dormiat, quantùm saltem viribus conservandis sufficiat. Et quia præ oblivione aut *stupiditate* excrementa alvi & vesicæ deponere negligit, idcirco de excretione est admonendus; curandumque ut vel sponte, vel arte alvum quotidie deponat. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen medication. lib.* 1.

Observationes.

Pro comate seu subeth puerorum.

Puer quidam 5. annos natus, crassus & obæsus, subitò incidit in comatosum affectum, cui convulsiones interdum superveniebant. Vocatus statim præscribo clysterem ex hiera diaphænicone & aqua benedicta; quo multum purgatus est. Rejecto clystere, exhibeo salis vitrioli ℥ß. & provocato cum penna vomitu, multam pituitam excrevit, paucis post horis liberatus est. *Lazarus Riverius Observ.* 28. *cent.* 4.

Puella quædam 8. annorum comate detinebatur cum convulsionibus frequentibus, cui medici multa remedia adhibuerunt, clysteres, frictiones, cucurbitulas, vesicatoria, sternutatoria, & similia, ego vitrioli albi ʒj. cum jusculo exhibui, & vomitu excitato ilico liberata est.

Filius cujusdam hortulani 5. vel 6. annos natus, eodem affectu cum convulsionibus detinebatur, cui exhibui aq. bened. *Rulandi* ℥ß. undè supra & infra purgatus est, & ab affectu liberatus. *Samuel Formius Observ.* 11.

Sacerdotem juvenem robustum comate vidi correptum à recidiva febris; clystere acerrimo cum colocynthidis ʒij. melle ros. ℥ij. & sale fine efficacia indito, Prævotius 7. vesicantia imperavit, quibus parum proficientibus, ad occipitis inustionem ventum; à qua melius habuit. *Joan. Rhodius Observ.* 36. *cent.* 1.

Commune est omnibus Cathaphoris remedium aceti acerrimi perfusio super laminam ferream ignitam, quæ multos fumos acres excitat, qui naribus attracti cerebrum exsiccant, somnumque expellunt, efficacius erit, si addatur semen nigellæ, vel rutæ, aut castoreum *Guil. Rondeletius Pract. lib.* 1. *cap.* 19.

Qui in somnum profundissimum cadebat, pro apoplectico false habebatur; hunc autem difficulter ligaturis fortibus ac vinculis injectis, ac demum solutis, tum frictionibus excitare potuimus. Sed injecto acri clystere cum multis molestiis & vellicationibus excitatus est, frigidum & humidum habebat cerebrum pituita refertum. Post exhibitum Oxymel scyllinum & syrupum è stæchade, has pilulas commodè devoravit.

℞. Pil. Coch. ℈ ijß. cum syr. è stæchade F. pilulæ v. quibus alvus egregie turbata est, demum adhibita theriacha ad ʒj. vigil factus est & à somno excitatus ad mentem rediit. *Petrus Forestius Observat.* 33. *libro decimo de cerebri morbis.*

De Comate somnolento ex vini nimio usu.

Sacerdos quidam si apud convivas paulò largius vinum hausisset, comate soporifero detinebatur, adeò ut neque tympanis valde sonantibus, nec quovis horribili strepitu aut sonitu, vel exclamationibus à somno expergisceretur: imò in mensâ sedens, somniculosus, stupidus, & immotus manebat: & si annuli à digitis detraherentur, & modo in hanc, modò in aliam partem propulsus, & si in domum ab aliis ferebatur, nullo modo excitabatur. Huic viro ego apoplexiam, aut aliud gravius malum ob hoc accidens prædixi: nec me fefellit prognosticum, postea enim ab apoplexia extinctus est. Alios etiam novi, qui ubi largiter potassent, ilicò coma soporiferum incurrebant. *Petrus Forestus schol. Observ.* 34. *lib.* 10.

Dormitio puellæ quasi Lucumoriana.

Lucumoriæ gentis hyematio, inter mucum & nives à 27. Novembr. ad usque 24. Aprilis extensa, jam tum verò ab ipso *Illustr. Barone Herberstenio* (relata saltem referente) p. 90. expresse prò fabula habita, nec aliter ante quadriennium à magni Moschoviæ Imperatoris ad Serenissimum nostrum legato æstimata, planius autem nuper quoque ab *Excellentiss. Dom. D. Pechlino cap.* 6. *de aëris & alimenti defectû* deducta; nihilominus in memoriam nobis revocavit conforme fere, quamvis brevioris periodi exemplum; superioribus annis in quodam territorii huius pago notatum, relatu forsan haud indi-

gnum

gnum. Puella præter propter octennis (cui pro more domi durus pater, quia injusta noverca) pugnis prius probè dedolata mittebatur ad merendam patri bibulco deferendam; esuriens panem adoritur, pauloque post semesum videns, verbera denuò verita, poximum nemusculum ingreditur, & prona concidens inter lacrymas atque suspiria, facie musco undique mersa obdormiscit. Desiderata, quæsita tandem pro deperdita habita est usque ad diem septimum, quo quidam ejusdem pagi pueri eò venere, pedicas aviculis autumnali tum tempore paraturi. Vident ex arbusto quodam dependens subrepentis puellæ peplum, noscuntque: paulo ulterius progressi ipsam inveniunt pronam cum panis ad latus frusto, mortuamque rati parentibus nunciant: accurrunt isti, & in pagi proximam domum, ubi cum affini forte fortuna aderamus, deportant. Artus omnes adhuc molles, flexilesque, respiratio verò ad sensum nulla, facies glutinosa pituita, musco deciduisque foliis intermixta totaliter obducta, os, naresq; undique muco crassissimo oppleta. Corpus nihilominus frictionibus & fornacis ope postliminio caleneri, vel tamen illud mucosissimum calida removeri, & viscidum in ore, naribusque coagulum eximi curavimus; hinc spiritus vini cochlear, quia aliud ad manum non erat, infudimus, qui descendere videbatur; repetitionem ejus suspirium sequebatur; post tertium cochlear aperiebat oculos, per horas tamen aliquot adhuc instar attonitæ jacens, donec recollectis paulo magis viribus, supra memorata, & quod lacrymis superindormierit, referret, amplius nil norat. Haut ita pridem adhuc vixit, sed in actionibus animalibus obtusior, seu hinc, seu parentum instar, aut per utrumque.

Addamus autem huic consimilem observationem ex alio tamen capite. Puer septem vel octo annorum variolis hic grassantibus aliquando corripiebatur, cumque eruptio jam instaret, impatientissimo cochlearia duo vel plane tria haud mediocria, *de syrupo papav.* (forsan ex immaturissimis parato) vicinæ suasu dedit mater. Indormivit brevi post ille, ore plerumque hiante, calore tolerabili satis pulsuque pro morbi ratione sat constante. Potum interea & jurulenta tandem etiam medicamenta liquida (cum parentes continuatione somnolentiæ perterriti me vocassent) lente deglutiebat; cætera inclamantes, palpebrasve diducentes haut advertens, nec manu voceve signum perceptionis reddens. Jacuit ita fere per quintiduum, ubi suppuratarum forsan variolarum ardore superatus sensim ad se, & actionum animalium munia redire cæpit, brevi post integræ valetudini restitutus, citra residuæ cujusdam stupiditatis notam. De cætero, si cum judicio, debita proportione & Bezoarticorum consociatione fit, equidem non est de nihilo, sed præsentanei plane subsidii opiatorum sub tempore eruptionis (ab inquietudine Patientis, inter nimiam confusamque sanguinis effervescentiam impeditæ) accessus; admodum tamen accisus, ad decimam, octavam, sextam, quartamvè dosis Tincturæ vel Pulveris anodyni (pro ætatis ratione) partem semper si pote, alexipharmacis temperatam: ceu sanè parili ratione sub ipsa talium aliarumque malignarum (cum vomitu profluviisque) invasione plus proficitur una vice, quàm sistentium, roborantiumque (in se fermentante acrimonia magis irritantium) mixturarum, julepo-rum &c. congiis. Nostro verò huic dormitatori, circa tertium vocati, bis tantùm *Tinct. Bezoarticam ammoniacalem*, guttis aliquot *Ess. castorei* sociatam, & in potu *spir. salis* è muria spontaneè inspissata subtiliorem dedimus, sicque successivè se recollegit.

Dubitamus autem num referre huc liceat, cùm incideret, ridiculam variolarum aliquandò in Nigritis, nec diligentissimo in his *I. Bontio*, nec aliis, [quod recordemur] itinerariis, diariisque notatam; quam vir probe hic notus, bonæ fidei & à nugis perquàm alienus, præsente non uno Serenissimi Regiminis Consiliario, magna contestatione, causamque simul rogans, inter alia Orientalia recensuit. *In Javæ (Nova Battavia,* ubi tum mancipiis quoque plurimis dives vixerat, variolæ ab Europeorum, ni fallimur, novellis quibusdam etiam ad Æthiopes ibi pervenerunt, perirereque ipsi quoque hujuscemodi servorum haud pauci. Conterranei eorum accurrentes quæsivere, cur morbo haud tanti momenti objerint? ille, sibi hoc longè esse perniciosius; de cœtero nil fecisse reliqui; medicamentorum satis oblatum. Petierunt hi, ut si denuo è sociis quispiam corriperetur, notum faceret. Invasit affectus postero die duos; quos in ipso febrili fervore sublatos in proximum Civitati profluentem mersere. Secundo lacticinium oxygalæ nostrati conforme. Tertio acetarium è cucumeribus, quasi nostro more paratum, utrumque liberalius assumere adegerunt. Quarto imminentis eruptionis die denuò in profluente mersos stragulis suis, uti semper, reposuerunt facilem morbi decursum passos, brevique cum subsequiis omnibus ea methodo, (quam enixæ quoque ac puerperæ in Africa ac Asia ex parte sequuntur.) restitutos: saltem quòd ob persistentia subalbidaque variolarum vestigia reliquis immunibus (æquè ac ejusdem Æthiopissa, per totum corporis latus fervida perfusa, post sanationem quasi dividua) aliquamdiu fuerint deridiculo. Interea rebus sic stantibus, causam rogati, putavimus forsan nimiis diaphoreticis ad nostrorum tractuum normam, sub eo climate, eoque Nigritarum temperamento, hac conditione adhibitis, sanguinis, inconditum fervorem (quem misera mancipia moderata ibi attemperatione intus ac extus, ad faciliorem secretionem vel nostratium fermentantium liquorum semi exemplo sic interea disposuerunt) fuisse eò magis exaltatum, ut mors anticipando quasi facilè supervenire potuerit: æque ac complures fortasse pusiones terræ cedunt nimia illa cubiculorum exæstuatione, potus denegatione vel calefactione, expulsivorum anticipatione, multitudine, inordinatione refectivorum, juleporum, aquarum perlatarum, &c. ingurgitatione &c. qui cæteris paribus, vel rusticorum exemplo, dulciori, considerat iorique medicatione forsan servari potuissent, ante eruptionem sc. nil aut parum saltem per absorbentia bezoartica fixiora, (ni malignitas, vomitus, diarrhϾ subtilius cum anodyni tantillo exegerint) mo-

vendo; expulsionem postmodum volatilioribus (solitariis, aut dicto modo exaltatis) semel aut bis, hinc fixioribus denuò adjuvando, circa nonum vel undecimum novas interdum exacerbationes accisa *tinct. bezoartica*, mixturæ simpl. dosi, moderatioribusve infringendo, vel quùm per vulgatissima præcipitantia (mixto interea potui spiritu salis subtiliori, clisso &c. transigendo, non neglecto post recollectionem laxativo. *Daniel. Ludovici.*

Comatis curatio.

Illustriss. Domin. Coniczpolsky ob crebram capitis lotionem in Soporem incidit, memoria fere omni abolita, ad interrogata apertis oculis respondebat: ita, ita Domine. sed ad rem nihil, cibo porrecto, quærebat quid esset, quid faciendum? inditum ori deglutiebat, moxque rursus dormiebat, febre carebat, qua ante aliquot septimanas laboraverat. Duraverat hoc symptoma 2. tantum dies; clystere enim injecto ex emollientibus, tandem purgante ex infus. fol. Senæ, & Agar. cum manna exhibito, disparuit. Non multò post sequutæ sunt destillationes gravissimæ, primò ad fauces, deinde ad aures, tandem ad oculos, ut lumen aspicere non posset.

Coma somnolentum variis stipatum symptomatis.

Honoratus Civis, *Joachimus Curtius* annorum circiter quadraginta cacochymicus, scorbuticus, & sedentariæ vitæ assuetus jam ante triennium in somnos cœpit esse propensior, adeò ut sæpe inter prandendum, cænandumque sæpè inter colloquia obdormisceret, non sedens tantùm, sed & cùm stans in fulcrum se aliquod inclinaret, cœtera sanus & polyphagus, & a febre immunis. Duravit illa narcosis, quamvis antiscorbuticis oppugnata, ægro diætæ leges minus sollicitè custodiente, donec ante hos sex menses pertinacior comitem sibi adjungeret hydropem. Venter enim adinstar ligni induruit, intumuitque scrotum aquis & flatu distentum, urina parca, crura rigida, ampla, hinc inde livida, & à digiti pressu fortiori in valleculas constantes subsidentia. Evocatus in auxilium chirurgus catharticis, emplastris, & nescio quibus aliis hydropicum tumorem aggrediens eò tandem neglecto comate, rem deduxit, ut detumesceret scrotum [quod in primis tristia minabatur] atque æger in spem sanitatis erigeretur, abdomine licet adhuc tenso & pedibus tumidis. Verùm non diu tenuit illa lætitia. Quò enim plus induciarum spondebat mitigatus hydrops, hoc sævius paulatim coma incubuit, & ægrum; præcipuè verò uxorem ejus ad desperationem sanitatis conclamatæ plenissimè adegit. Tandem accersitus ego hominem video statuæ Mercuriali similem, qui vix clamore subinde experrectus statim oculos iterùm clausit, non modò obdormiscens, sed & stertore & rhonchis spiritum meantem inquietans. Aderat & is in vultu, & præsertim in labris livor, ut nullius suspensi facies aut labella saturatiori cæruleo colorentur. Instigatus agitatione, clamore, apoplecticis liquoribus verba subinde aliquot pronunciavit, sed illa tertiata & malè cohærentia, mox iterùm in rhonchos & interceptam quandoque respirationem declinans brachiis, & si sæpe attolleres, statim collabascentibus. Suasissem mox (præter analeptica) emeticum, sed metu calumniarum, ne secundum illud Celsi, quem non hoc modo servassem, occidisse viderer, abstinui, & prognostico præmisso, recentissimum sal. armon. urinam redolentis spiritum naribus ægri sæpe admovi, quo ille experrectior momento iterùm cum Didone saucia.

Quæsivitque oculis lucem, ingemuitque reperta.

Nihilominus crebro spiritus ejus admoti id effectum, ut ad pharmaca os subinde aperiret; quo viso ingeri jussi vinum liliorum convallium sale volatili succini, & spiritu salis armoniaci aromatico prægnans; non quidem nullo successu, sed initio perexiguo, quod conclamata viderentur omnia, pulsu vix dum observabili, id quod & missionem sanguinis alioquin profuturam retardavit. Ventum ergo & ad spiritus Cephalicos, salviæ, lavendulæ, rosmarini, cerasorum nigrorum, salem volatilem ungulæ alcis, & quæ alia usus in hoc affectu solet commendare, cumque his præmissis, sequentibus diebus paulò excitatior æger paulatim clysteres admitteret, & cathartica, plurimum quidem fæcum exclusum est, sed caput adhuc obstipum & germano Endymioni conveniens perduravit. Observatum mihi interea, quoties æger incumberet lecto supinus (quæ sola illi dormiendi consuetudo) anhelitum fuisse paulò liberiorem, & labra minùs livida, quin & ronchos placidiores, quoties autem sedili insidens à famulis contineretur metu lapsus omnia symptomata visa graviora, unde conjiciens obsideri cerebrum circa sagittalem suturam aqua quadam narcotica, quæ sedentem erectiori capite magis aggravaret, jacente autem, pondus ex declivi situ imminueret, in occipite mox cauterio viam noxio humori exitum aperiri jussi, & eraso ad sagittalem capillitio cucurbitas ex vitro amplas sine scarificatione caluæ sæpiùs affigi. Propinata interim frequenter tinctura foliorum tabaci cum volatili urinæ & fuliginis sale, suppositisque linguæ rotulis ex oleis rorismarini, salviæ, succini, extracto castorei & aliis, eò præter exspectationem post dies viginti rem vidi redactam, ut æger postea mane ad negotia sua consurgeret, domo egrederetur, cum amicis luderet fritilis, & libro rationum suarum vigil quotidie assideret, nec quicquam omitteret eorum quæ negotiationes domesticæ requirunt. Neque tamen ea felicitas diu duravit, cum plus cibariorum, plus potionum quotidie efflagitaret, quàm stomachus, & vita sedentaria paterentur. Accessit amplitudo illa & durities abdominis, accessit crurum tumor hydropicus, quæ mala, cum diætæ custodiam non adhiberet exquisitiorem, fatum accelerarunt. *Olaus Borrichius.*

Lethargus ab erisypelate.

Honestissima Matrona Deruda Finckia, Vidua

dua beati Dn. Joan. Brochmanni, Matertera nostra, annos nata 67. erisypelate pedis per hyemem totam vexata, vere primo 1671. disparente illo tumore convaluisse existimabatur. Sed nè falsus esset Hippocrates sect. 6. aphor. 25. peiora mala in procinctû erant. Supervenit enim lethargus, obmutuitque optima Matrona, benignè omnes affari solita, compos tamen mentis evigilans subinde, signa pietatis dedit. Omnia cum D. Jano Fossio tentavimus nihil profecimus. Septimo enim die expiravit placidissime, triste suis amicis desiderium relinquens. Semper tamen pulsus validus permansit, & celer, secus quàm in *Coaca* 138. *Cous* prodidit, quia in nostra beata sanguis humoresque calidi vigebant in arteriis, & translati fuerant ad cerebri vasa. Undè tentata venæsectio etiam in extremis. Cæterum sanguinem laudabilem promptè fluentem dedit vena, non vitam. *Thomæ Bartholini.*

Veternus ex Laudano opiato.

Medicus quidam peregrè veniens Ratisbonam, duobus hic ægrotantibus, quorum alter plebeius doloribus arthriticis magnis infestabatur, alter Nobilis Ungarus juvenis febre ardente & vigiliis nimiis afflictus, opium vel laudanum opiatum in inusitatâ dosi porrexerat, inde ambo veterno obruti, & simul lethi poculo obierunt *Helvvigius.*

Quàm salutare pharmacum est Opium cum prudentia usurpatum: tam noxium & instar gladii in manu furibundi periculosum evadit, ab imperito propinatum, tragicis hoc exemplis plurimis attestantibus; quæ inter orthopnœam lethalem ab exhibito opio in quartana à circumforaneo, nullâ præviâ evacuatione, describit Frider. Lossius lib. 2. Observ. 12. Quâ occasione in Pseudo medicos, oppidatim & per pagos oberrantes, unam omnium morborum medelam, veluti Panaceam venundantes, ac vulgo credulo obtrudentes unà invehitur. Rationalis sane medicus abunde habet, quod prospiciat, si salutarem opii effectum obtinere velit: quàm periculosa itaque evadet ipsius exhibitio, empirici (si epitheto hoc ad nostri ævi medicastros, omni ἐμπειρίᾳ destitutos, abuti liceat, cùm ab antiquis illis, multis parasangis scientiâ & dignitate differant; de quo præ aliis, videndus Joan. Freitagius Noct. medic. cap. 4.) in manus si incidat, qui neque morborum naturam causasque ritè dignoscere, multo minus ex fundamento curare didicit. Talem Panaceam, Solaris epitheto superbientem, ab aliis etiam jam memoratam, pilularum sub schemate vidit non ita dudum urbs nostra, quæ muliebri dispensatæ manû, quid commodi, damnive ubique attulerint, equidem me latet; hoc tamen compertum habeo, puellæ in pleuritidis initio, liberali satis manû, necessariis aliis neglectis, exhibitas, mortem accelerasse. Non quidem is sum, qui cuncta empiricorum remedia velim rejicere, cùm sæpiùs olitor quoq; fuerit oportune locutus, nec à Plebeis, si quid ad curandi opportunitatem conferre videatur, sciscitari, ex Hippocratis præcepto lib. de Præcept. quenquam pigere debeat. Ast Panaceas illas proclamare velle, alia verò necessaria negligere, aut etiam Medicastris magnam propterea in cæteris etiam quibuscumque partibus, ad medicinam quæ pertinent, & nescio quam infusam scientiam tribuere, eosdemque genuinis Medicis præferre, nemo prudens facile præsumat. Omnes equidem Medendi artem qui profitentur, nomen ipsum facit medicos, ast illi demùm veri dicendi sunt, qui Physica, Anatomica, & cætera artis fundamenta edocti, (non incertis ac cœcis quibusdam experimentis aut merâ temeritate ducti) cum ratione medentur; quo intuitu, ut in lege Hippocrates loquitur, *Medici nomine quidem multi, reipsa perpauci.* Sed hæc jam transeant. Quòd verò Laudanum duos Observationis hujus ægrotantes lethali veterno obruerit, in dosin inusitatam, Auctori nostro libuit causam referre nec immerito. Opium enim validum est medicamentum, parvâ in mole magnas exserens vires, adeoque debito ejus si excedatur in prævio, periculi plenum. Somnum alias provocando, spirituum orgasmum demulcendo, ichorum acrimoniam temperando, eorumque effervescentiam coercendo, Nectar est & Ambrosia, sicque ipsis in febribus ardentibus, doloribusque arthriticis auxiliares præstare valet manus, nimiùm tamen si ingeratur, æternum somnum atque inevitabilem ἀναισθησίαν accelerat. Sed plura de hoc proferre supersedeo, cùm quidquid adduci in medium queat; omne à Collega & amico meo honoratissimo D. D. Georg. Wolfg. Wedelio in elegantissima suâ opiologia curiose propositum ac sufficienter enucleatum fuerit.

Coma Vigil.

Mercator quidam Misnicus cum convictore suo rus ibat, ut Julos sambuci verno tempore pro medicina colligeret: ambo domum reversi Julos illos sambuci crudos non coctos cum aceto & oleo sanitatis ergo comedebant, alter innoxiè deliciis citis fruebatur; alter vero de quo sermo nobis est, vel quadragies alvum inde dejecerat: sequenti tamen die nihil mali amplius sensit, nisi quod debilis admodum esset, posterâ vero luce, utpote ipsâ die dominicâ, cum templum, ut sacris interesset, adire vellet, in viâ comatosus concidit, in diversorium ergo cum deportatus esset, ego vocor, inveni ipsum in lecto jacentem, & clausis oculis somnum quidem referentem, vigilans tamen, loquebatur enim sed delira: præscripsi quæ ex methodi lege necessaria, & salutaria videbantur. Deoque benedicente, sanitati restitutus fuit. Hoc saltem eruditis dijudicandum hic relinquo, an coma hoc ex crebris illis alui dejectionibus, an ex sambuci Julis crudis non coctis obortum fuerit, siquidem teneri isti Sambuci surculi vi narcotica non destituuntur, crudi scilicet, non cocti, coctione enim illa vis narcotica perit. *Caspari Kolichen Physici Hafn.*

Vir egregius 40. circiter annos natus, & propter intemperantiam perditâ valetudine, cùm medicamentis, nescio quibus, ab empirico præscriptis uti cœpisset, in *carum* incidit; fortè quia materies morbifica à Pharmaco com-

mota & agitata, in *cerebrum* irruebat. Hunc die secundo invisens, sopore profundo sepultum, ac fere insensibilem reperi, nam licet à punctione, aut vellicatione acriori oculos aperiret, & membra moveret, mox tamen iterum dormitans, eorum quæ agebat, aut patiebatur, nihil prorsus percepit. In hoc casû triste licet prognosticon denuncians, operam utcunque medicam navare non desistebam; à Phlebotomia propter vires attritas & sanguinem depauperatum, abstinens, Vesicatorium amplum cervici mox applicandum, & enema acrius ex decocto radicum brioniæ, cum floribus & seminibus carminativis, additis insuper specierum hieræ ℥ ij. quamprimùm injiciendum curavi: tempora & nares balsamis illinebantur. Cataplasmata ex ruta, rad. bryoniæ totis pedibus admovebantur. Insuper horis alternis aut tertiis, dosin sp. C. C. cum julapio cephalico propinabam; quin & plures aliæ administrationes, in hoc casu usitatæ, sedulo adhibebantur. Quibus tamen cùm morbus non omninò cederet, die sequenti catharticum ex scammonio præparato, in cochleari jusculi sumendum præscripsi; à quo, cùm sæpe & copiose dejecerat, oculos aperire, loqui, & astantes cognoscere cœpit, & paulò postea ad se rediens plenè evigilabat. Hic morbus ideo (ut opinor) facilius & præter spem cito curabatur, quoniam nubes ista forsan à Pharmaco in cerebrum immissa illinc alterius pharmaci ope melius deduci potuit.

Vir illustris quinquagenarius, corporis obesi, & olim vertigini atque affectibus asthmaticis obnoxius, per duos annos Pharmacia verna, & autumnali usus, & juxta Homoplatam utramque, fontanellâ amplâ instructus, sanus admodum vixerat, ineunte æstate, cùm ruri degeret, è fontanellis per plures hebdomadas neglectis recrementa evacuari solita longe minus fluebant, usque tamen bene valuit, donec circa solstitium, cùm quodam manè in porticu sederet, & cum amicis alacriter colloqueretur, derepente surgens se malè habere questus est, ædes ingressus, cathedræ insidens, plurimùm evomuit, dein mox reclinatus, in soporem profundum incidit, eoque ita obrutus jacuit, ut totâ istâ die excitari vix posset. Vesperi adveniens Phlebotomiam, clysterem, vesicatoria, & multa alia remedia in tali casû appropriata, sedulo administranda curabam. Postridie cerebrum paulo inclarescere cœpit, ita ut circumspiceret, & pauca verba eloqueretur: amicos cognoscere visus; nullius nomen efferre potuit. Attamen ob materiam hanc altius in cerebro subsidentem totius lateris dextri paralysis exorta est. Porrò adhuc cùm *Somnolentia* ingens persisteret isto die sanguis ex altero brachio mittebatur; remediis etiam aliis, uti prius, continuatis, die tertio, minus torpidus plurimos cognoscere, quorumdam nomina proferre, ægritudinem suam percipere, & de remediis sollicitus esse cœpit. At vero dùm cerebrum melius haberet, labes cerebello, & nervoso generi inflicta, se prodebat; nam die quarto respiratio inæqualis, & magis laboriosa, pulsus debilior evasit; porrò totius corporis rigore, & concussione convulsivâ spasmi, & convulsiones atrociores factæ crebrius infestabant, dein pulsû sensim diminuto, die sexto torpore licet magis immunis, interibat. In hoc casu, aliisque similibus probabile est, materiam morbificam unà cerebrum ac cerebellum invadere: verùm hujus (contra quàm, in cerebro accidit) dum in cortice hæret, noxam haud valde sensibilem inferre, quondam hic qua læduntur, nec somni, nec memoriæ sedes sunt: sed postea, die forsan quarto, aut quinto, materia deinceps ad cerebelli medullulas subsidente, dum quoad alia ægrotans melius se haberet, functio vitalis, ob spiritus ei destinatos, in ipso fonte oppressos, fatiscere incipit, & mox subito declinans, salutis spem, antea affulgere visam, inopinato omnem intercipit. *Thom. Willis, de morbis cerebri.*

Generosus quidam, temperamenti sanguinei, & dum juvenis esset, ingenii acris, & callidi, postea ætate in senium vergente, otio & ebrietati deditus, hebes, & torpidus, ac insuper cum magno aqualiculo, cumque femorum & crurum intumescentiis, hydropicus evasit: Verum ab his morbis (in quos frequenter incidit) si quando ad tempus aliquod à poculis abstineret, & pharmaciæ incumberet; & citò, & sæpè convaluit. Tandem vero hydrope licet immunis, Somnolentiâ ita gravi, & ferè perpetua oppressus est, ut quocunque in loco, & inter quodvis agendum dormitaret, deinde à servis aut amicis expertrectus, satis animo constare, & per horæ minuta quædam, de rebus propositis satis recte disserere solebat, mox denuo in torporem prolapsus. Huic post varia medicamenta, ferè in cassum, tentata, præscripsi demum ut omni manè & vesperi sumeret pulveris folior. betonicæ sole æstivo siccat. & in vitro asservat. cochl. in haustulo aq. stillatitiæ è floribus lavendulæ. Quo remedio intra paucos dies levamen recipiens, mensis spatio perfectè curatus est, per quatuor deinceps annos integrâ valetudine fruens. Postea cùm ob malam victûs rationem eadem mala redirent, remedium idem etsi non tanto cum successu repetebat; quin præterea cùm medicamentis aliis etiam opus fuerit, interdum spir. C. C. aut fuliginis cum julapio appropriato; quandoque electuaria ex conservis, & pulveribus cephalicis; addito nonnunquam chalybe sumebat. Quoties solito bibendi genio indulgere vellet, loco vini aut cervisiæ, liquorem Coffæ potabat; cæterum pro potû ordinario, modò Allam cum foliis cochleariæ, salviæ, & aromatis infusis, modò decoctum ex lignis, aromatis, & herbis cephalicis medicatum habuit: per plures deinceps annos fere semper intemperatus & cacochymus lethargo tamen immunis vixit, tandem cachexiâ pectus inundante, à tussi cum asthmate sensim labefactatus interiit. *Thom. Willis de Morbis cerebri.*

Colonus annum ætatis agens circiter trigesimum, temperamenti pituitosi ad sanguineum vergentis, crebris cephalalgiis diu obnoxius, sub initium hyemis somnolentus admodum, & torpidus evasit; dein quodam die, dum agros aratro subigeret, humi discumbens, in somnum profundum incidit, cumque à servo aliisque accersitis excitari non poterat, domum perlatus lecto committitur, amicis interim expe-

expectantibus, ut somno tandem finito sponte expergiscatur; Post elapsum nycthemori spatium cum vellicando, pungendo, obstrependo, aliisque modis eum excitare nequirent, me accersunt, adveniens vesicatorium amplum, mox toti cervici posteriori applicabam, dein sanguine ad ℥xvi. detracto enema acre injiciendum curavi, tempora, & faciem oleo succini illini, frictiones, & ligaturas dolorificas cruribus adhiberi: insuper spiritus fuliginis, cum julapio cephalico, sæpius in die propinandum præscripsi; nihilominus toto isto die sine omni sensu stupidus jacuit; si à vellicatione acriori irritatus se paulum erigeret, & oculos aperiret, mox reclinans, eosque claudens, veterno iterum indulgebat. Circa vesperam cucurbitulas cum multa flamma scapulis applicandas curavi, quo facto nonnihil expergefieri cœpit; cumque circa istud tempus alvus copiose dejiceret, & plurimum seri emplastris ademptis è vesiculis efflueret, exinde salutis magna spes affulsit. Itaque remediis crebra vice post istam noctem adhibitis, mane sequenti vigilans amicos dignoscebat, & interrogatis apte respondebat nondum vero nubes tota evanescebat, quippe somnolentus & obliviosus per plures dies perstitit, donec bis purgatus tandem perfecte convaluit.

Casus hic lethargi ita propriè dicti typum exacte refert, ubi pro morbi causa conjuncta adfuit seri copiosi circa cerebri ambitum aggestio, ac deinde in gyros ejus irruptio: cumque à tempestivo remediorum usu materiæ novæ affluxus impediretur, quæque parti insederat, partim in sanguinem resorberetur, partimque in effluvia & vapores rarefacta discuteretur morbi curatio cita & integra successit.

Hortulanus Oxoniensis, febre putridâ laborans, & circa morbi ἀκμὴν loco criseos, in veternum incidens per tres aut quatuor exinde dies sopore obrutus, nullius remedii usû ita ex somno excitari poterat, ut perfectè evigilaret, tandem verò cùm eraso capite per totum fere ipsius ambitum vesicatoria applicata ulcuscula plurima & copiose manantia excitassent, experrectus aliqualem sensus usuram recuperavit; attamen memoria fere in totum abolita, adeo stupidus evasit, ut nullius nomen, aut verba recordatus, vix supra brutum saperet. Cùm ad hunc modum per duos pené menses ingenii vacuus, & somni plenus mansisset, nubes paulatim dispelli cœpit; atque is demùm ad solitos labores rediens, mediocriter convaluit, eundem verò animi vigorem, & pristinam solertiam quâ ante morbum pollebat, nunquàm iterùm recepit. In hoc casu proponitur exemplum Lethargi febri malè judicatæ supervenientis, in quo materia morbifica, subita & copiosa metastasi in cerebrum exterius facta, non tantùm poros, & meatus omnes paulisper impleverat, verùm & eorumdem conformationem ita læserat, ut spiritus aliquandiu exclusi, & demùm immunes facti, nonnisi multo pòst tempore, orbitas, & tractus suos priores, & solitos recuperarent.

Lethargi autem ex opiatarum usû orti, Typum satis exactum memini me olim ruri in pago observasse, in quo pernoctari coactus sum, itinere ob cœli inclementiam interrupto: enimvero cubitum mox iturum rogat me hospes, ut in vicinia pauperis duos invisam mirandum, miserandumque in modum affectos; Quod quidem officium ut præstarem non tantùm charitate, sed & curiositate inductus, ad casulam perexiguam & humilem lubens perducor, ubi patrem senem, & filiam inveni, in duobus intra eandem cellam, hic illic, lectulis, profundissimo sopore obrutos, qui pridie eos oppresserat, postquam radices hortulo tunc recens effosso erutas comedissent, pro pastinaca habitas, cum forte hyoscyami essent.

His utrisque, post vomitionem oleo & oxymelite gulæ infusis, pennâque gutturi intrusâ copiose proritatam. Tincturam castorei, ex cochleari aq. theriacalis (quæ remedia fortè tunc penes me habui) crebra vice per totam noctem exhibendam præscripsi, insuper ut eadem tinctura tempora & nares illinantur, & si fieri posset, enema acrius injiciatur; die sequenti primò senex, & postea filia evigilantes ad se redierunt, torpore penitus excusso. In hisce affectis post narcotici reliquias, nè ampliùs nocerent, per vomitum rejectas, tantum opus erat, ut per idonea medicamenta (in quo censu castoreum contra opiatarum venena merito habetur) spiritus exsuscitati à narcosi inflicta liberarentur. *Thom. Willis. de morbis cerebri.*

Anatomicæ Inspectiones.

Hydrocephalus familiaris pueris affectus, qui non solum, ut Celsus ait, cutem inflat, id est, extra calvariam gignitur, sed etiam inter membranas cerebrum obvolventes, & sub ipsis fit, & etiam in adultis, ac quandoque in senibus, de quo author introductionis; Quod tandem, inquit, intra meningem cerebrumque incidit, insanabile est. Hoc morbi genere laboravit, cùm obiit, admirabilis Princeps Clem. VIII. Pontifex Max. cujus cerebrum repertùm est in aqua natans: Erat autem illius aquæ quantitas circiter libram & amplius: Hinc somnus ferè inexpugnabilis. *Hieronymus Rubeus ad cap. 2. lib. 4. Medic. Celsi.*

Puer 14. annorum duobus mensibus ante obitum caput casu ex alto allisit, & dolio à literarum commilitonibus rotatus fuit, posteà in febrem incidit, & primum empiricorum opera usus, hinc ego vocatus fui: inveni puerum leviter febricitantem, stupidum, instar ebrii incedentem, non sistentem, conquerentem de dolore capitis, absque rubore aut inflammatione postea oculis clausis obmutescebat, dentibus stridebat, frustraneis clysteribus, cucurbitulis, aliisque remediis, & licet loquutus sit mox tamen obmutescebat; paulo post moritur.

Aperto cadavere, inveni pulmonem dextrum, & hepar accrevisse, & ventriculum dextrum cerebri aquæ libram continuisse. Cui lethargus imprimis adscribi debere videtur. *Chiffletius Observ. singular. 2. p. 9.*

Sopor profundus à sero ad caput amandato ob vitium renum perforatorum.

Comitissa quædam sterilis in reditû ex Ther-

mis Helveticis; in profundum incidit soporem, adeò ut nocte totâ, matutinoque tempore ad vesperam usque somno obruta, non nisi admodùm impulsa ab eo excitari potuerit, à cibo potuque abstinens; & ubi parum excitata vigilasset, mox iterum obdormiscere solita: insuper & aliis accidentibus inter quæ & pedum tumor, atque inflammatio erant, oppressa tandem expiravit.

Corpore aperto abdomen pinguedine supra modum, transversæ manus spissitudine obtectum, intrinsecusque omentum, mesenterium eadem admodum referta deprehensa, uti & hepar lienque vitiata. Renes insuper perforati erant sicut in hydrope ascite, qui ab epate fisso & renibus oritur. Præterea in vesica fellis, quæ tota ampla, sed nigra erat, loco bilis qua destituebatur. Calculi innumeri inclusi erant, coloris cinerei & subviridis, è quibus sex magnitudinem nucis moschatæ æquabant, rotundi, sed angulosi ac læves, minores vero circiter trecenti, alii pisi, alii sem. coriandri, alii sem. raparum magnitudine. *Fel. Platerus Observat. lib. 3. pag.* 804.

Joh. Anton. Maginus Mathematicus celeberrimus, à morte sectus, sat magnum in vesica calculum ostendit, qui uncias XV. pependit, tot scilicet malorum causam, quæ ille in vitâ perpessus erat: Nam integro octennio continuo urinæ stillicidio & acrimoniâ graviter divexatus cùm semper de calculo dubitaret, & omnia in destillationem humoris salsi referret, doloribus tandem succubuit, superveniente febre continuâ cum Comate, quæ causa extitit, ut eum plerique apoplexia mortuum crediderint.

Ejusmodi soporem profundum doloribus à calculo ingentibus supervenientem in V. C. Joh. Jacobo à Brunn. Medico Basilcensi observatum memoravit Gr. Segerus oratione de vita ejus & obitu. Multos præterea ex Iscuriâ 5. 6- 7. dierum comate extinctos vidit Joh. Beverovicius lib. de calculo c. 9. Velschius Episag. observ. LXIV.

Scribit G. Clemmius Jurisconsultus de Joh. Hebenstreit Medico præclaro 1593. eum caus arium diuque afflictum Calculo vesicæ obiisse, cui ovi magnitudine, sectione à morte reperto, per triduum sideratio accesserit, ætatis anno 64.

Coma ex iscuria à calculo curatum commemorat J. Beverovicius Epistola ad Guid. Patinum scriptâ appendice de Calculo. *Velschius Episagmate Observ.* 64.

Marcus Prenè, ex pago Ondreviliers, ustrinæ ferrariæ in Audincourt Operarius, vir robustus, ann. 30. sub vesperam diei XII. Maii anni 1670. cum alio quodam ustrinæ operario litem habens, impacto in sinistra tempora palo graviter ictus concidit. Surgit paulò post, & prolatis aliquot verbis, Casam passus forte 40. illinc distantem petit, portatilem bombardam in vindictam explosurus: Uxor maritum, quominus clavis pendentem arriperet, colapho excipitur. Illico post super arcâ recumbit Marcus, & sopore profundo correptus, proximâ nocte mortuus est.

Vespere diei XIII. seq. visitato cadavere, nullus tumor, nulla lividitas externè apparuit, sanies è naribus putidissima & cadaverosa effluebat, & eadem lecti lintea é sinistræ auris effluvio madebant. Jubeo Chirurgum raso in circuitum capillitio circumscissa communia cerebri involucra calanticæ instar semovere: hoc facto, sinister musculus temporalis ruber, lividus & contusus apparuit, nulla ruptura vel contra fissura, serrato & remoto cranio, sanguinis circiter ℥iij. coagulati & nigri invenimus, qui lateralem ossis sphœnoidis sinistri cavitatem ita adimplebat, ut ab ejus copia incuneata, compressa meninges & cerebrum, adempta spirituum animalium commeatus libertate, mortis unica causa judicata sit, quum nullibi in tota cerebri substantia & ventriculis quicquam inventum sit; quod contra naturam esset. *J. Nic. Benningerus Cent.* V. *Observ.* XXVII.

Quidam grandævus gravedine capitis afficiebatur, tandem subito in cataphoram incidebat, & quidem lethiferam; ea nec levari poterat nec liberari. Patefacto capite defuncti, reperiebatur os frontis carie confectum, & quidem aliqua tantum ex parte cerebro salvo ac ejus integumentis integris. *C. Victor Schneiderus L. de aff. cap. soporosis pag.* 241.

Somnolentia & Torpor insignis scorbuticis frequenter accidunt in quantum scilicet spiritus animales particulis vel aquosis aut narcoticis onusti ac plurimum aggravati intra cerebrum, etiam valde obstructum, motus pernices & expeditos non facilè ineunt, neque functionum suarum actus, & exercitia diu continuant, quin succumbere, ac otio & quieti indulgere amant: Porro hujusmodi affectus quandoque à spirituum animalium defectu & penuria excitatur: etenim à *sanguine* plurimum vitiato & quasi effœto, liquor non nisi tenuis & vigoris omnis ferè expers cerebro & nervoso generi suppeditatur: à tali ἀποφύσει, in moribundis lethargum excitatum novi, quo scilicet affectu, licet somno continuo indulgere videantur, interpellati tamen illico adstantes noscere, & enatis quibusdam respondere solebant. Spirituum vero animalium copiâ fatiscente, nec diu evigilare, nec ad colloquia longiora attendere valebant. Tales demùm cum somno perpetuo obrutos aperui, cerebrum satis exsuccum, ac hydrope aut colluvie serosâ, quibus lethargici plerumque afficiuntur, prorsus immune deprehendi. *Thomas Willis. Tract. de Scorbuto cap.* 4.

Sodæ subethicæ hic jam multos interficiunt pueros, quorum è numero ante sex dies D. N. nlium, cùm eum XIV. die sopor citra febrem rapuisset, dissecto corpusculo omnia salva reperiens, tantummodò in media parte cerebri sinistri supra oculum sinistrum, prope nervos opticos, sinum apostematis, castaneæ magnitudine vacuum deprehendimus (jam enim in ipsa serratione calvariæ pus per nares exierat mortuo) quem cum amplius uidendum palparem, & sinisterius cerebrum eximerem, erupit clara mucilaginis subtilis instar aqua ad dimidiam usque libram quæ sub cerebro supra nervos opticos & rete mirabile delituerat. *Epist. Ach. Gateri ad Gesnerum & I. V. Rumlerus Observ.* 75.

In Nosocomio Patavino 1645 caput aperuimus viri in osse temporum vulnerati, qui sine delirio, paralysi & pulsu febrili X. die soporosus decesserat, vulnus ad cerebrum penetraverat, ubi apostema excitatum pure copioso

so abundans, vicinis partibus ad nigrorem vergentibus. *Thomas Bartholinus cent. 2. histor.* 34.

Mulier quædam honesto loco nata, cum aliquot diebus capitis gravitate laborasset, adeò fuit somniculosa ac in somnum propensa, ut quæcumque agens dormire semper cuperet, ac assidue in somnum dilaberetur, à quo initio excitari potuit, tandem verò accedente febre non potuit: remedia multa huic tarde adhibita, sed tandem mors supervenit.

Capitis hujus cranii osse sublato, abscessus in anteriori cerebri parte repertus, & pus interiori ossis cranii parti adhærescens, quod & è naribus paulo ante mortem irritatis profluxerat. *Dodonæus Observat. Medic. cap.* 7.

Puer XI. annorum Julio mense 1545. cùm prius lethargo laborasset ante paucos dies, vel stupore quodam non admodum gravi; à quo cum sanus factus videretur, demum in lethargum gravissimum incidit, & statim cerebri sphacelismum. Videbatur autem dum profundissimo somno detineretur hemiplegia laborare, nam tota pars dextra paralysi resoluta, neque movebatur, neque sentiebat, nihil loquebatur, quamvis subinde garrire videretur mussitando, quæ nemo intelligebat, neque ullo modo caudicis instar jacens, à somno excitari poterat. Tertius dies erat ita jacens absque loquela in castello patris: Adhuc evocatus, thymum (cùm nihil aliud esset ad manus) contritum cum aceto, glandis instar cum aceto nari dextræ imposuimus ad excitationem à somno, ut & materia crassa viscida dissolvi posset, & ad nates derivari: atque hoc adhibito remedio nonnihil reviviscere videbatur, ut oculos aperiret, & verba quædam indistincta proferret, & e nare materia quædam crassa valdè corrupta, sanguinolenta, viscosa instar putridæ saniei prodiret. Hæc cùm vidissem, puerum abscessum una cum sphacelo in parte dextra cerebri habere pronunciavi; & cerebrum corruptum esse, unde nec puerum diem supervivere posse prædixi ob materiam corruptam non solum ventriculos cerebri obstruentem, sed & totam ejus substantiam corrumpentem &c. eo quarto die ut prædixeram, defuncto, rogatus fui ut cadaver aperirem.

Cranii osse sublato, cerebrum & cerebellum in parte dextra vergens ad posteriorem partem omnino saniosum, putridum, corruptum, sanguinolentum inventum est, apostemate ex lethargo in abscessum & sphacelismum permutato: sinistra verò pars cerebrum album, sanum & incorruptum habebat. *Forestus libro decimo cap.* 11.

Non semper lethargus ex capitis apostemate provenit, neque omne capitis apostema lethargum inducit. Observavi enim quendam ex diuturno dolore capitis, longisq; vigiliis afflictum, tandem levi delirio & convulsione correptum periisse: & aperto cranio inventus fuit abcessus, cum pure admodùm fœtente & corrupto. Quare dici debet non semper lethargum ab apostemate induci, sed tunc præcipué cum non circumscripta margine, sed in omni cerebri substantia humor diffusus putrescit: vel cùm apostema circumscriptum mediam & præcipuam cerebri regionem, in qua arteriosi plexus continentur occupat, ita ut spiritus omnino opprimantur vel corrumpantur: cùm verò apostema locum certum cirumscriptum in cerebro habet, & reliquæ ipsius partes remanent liberæ, nec spiritus opprimuntur in illis, & possunt ex illis ad organa sensuum diffundi, tunc non sequitur, neque lethargus, neque comatosus sopor licet apostema fiat ut in exemplo allato *Sebastianus Nasius Meth. Med. Part.* 2. *p.* 243.

Rusticus consistentis ætatis *phalangie in palpebram* superiorem oculi sinistri vulneratus parum sollicitus de vulnere non admodum conspicuo, Chirurgum accedit ob imminentem capitis dolorem, qui ea quæ oculorum & palpebrarum vulneribus conveniunt imponit, à quibus solutio continui penitus curata videtur. At verò cùm circa septimum Coma quasi vigilans, & sensuum torpor sese offerret, accitus quoque fui, vires ægro adhuc ita constabant, ut ex superiori contignatione in inferiorem ad nos descenderet. Consideratis circumstantiis, anguem in herba latitare dixi, tam ob subitam consolidationem externæ læsionis, quàm ob læsionem sensuum internorum: At sequentibus diebus magis magisque inclinatio ad somnum augetur, donec die obierit nono.

Post mortem cranium apertum fuit, ubi interius orbita oculi in superiore parte punctim ita læsa conspiciebatur, ut una etiam ossiculum in duram meningem dilaceratam imprimeretur, separata verò dura matre, tenuis meninx etiam in eodem loco foramen instar fonticuli saniem expellentis exhibebat, sub quo tantus abcessus purulentus ur latitabat, superior cerebri substantia omninò in pus conversa videretur, quo undique cerebri ventriculi superius & inferius replebantur. *Gr. Horstius Tomo secundo lib.* 2. *Observ.* 4.

Puellæ XI. annorum Lethargus quadraginta horarum spatio funestus fuit: æperto cranio cerebrum sanum citra inflammationem, & ventriculi mundi reperti: in intestino vero tenui vermes duodecim oblongi conglobati, & intestinum cum insigni rubore inflammatum fuit, frustra iniectis clysteribus cauterio suturæ coronali applicito, & cucurbitulis affixis. *Chiffletius singularium Observ.* 10. *pag.* 8.

Juvenem *Comate Vigili* interemptum secui ad investigandum quænam hujus morbi sedes affecta esset; Reseratocapite, in primis ventriculis, ubi sunt plexus illi choroeidei in dextera & sinistra parte duæ parvæ quædam pilæ compactæ ita erant, ut non sine magna laceratione separari possent: Pilæ verò unaquæque magnitudine Ciceris, sed aliquantulum majoris, tunicam interne flavam habebat; substantia verò erat alba, sed aliquomodo dura, externe verò tunica rubra erat: Hoc ut vidi; collegi undenam proveniret quod huic morbo invalida essent medicamenta omnia, quandoquidem nec medicamento nec ferro, nec igne superari potest. *Domin. Panarolus Pentec.* 2. *Observ.* 9.

Parvulus paulò supra tres annos natus, cerebri humidi, prout ex ophthalmiis gravioribus, & faciei exanthematis aquosis (quibus interdum fuit obnoxius) constat, ineunte autumno malè habens cum febre lenta, & appetitu dejecto torpidus admodùm & somnolentus evasit, ut dies & noctes ferè continuò dormiret:

Experrectus verò adstantes novit, & interrogatis aptè respondit. Huic idonea remedia scilicet enemata, vesicatoria, cathartica, item Julapia, spiritus C.C. pulveres, cum multis aliis in hoc casu usitatis, statim & sedulo adhibita in tantum perfecerunt, ut intra 6. & 7. dies ægrotans febre immunis, satis evigilans,& alimenta poscens,convalescere, & cura medica vix ampliùs opus habere videatur. Brevi tamen postea (incertum ob quam occasionem) recidivam passus, & denuo soporosus, torpore statim graviori afficiebatur, adeo ut ægre expergiscibilis vix quidquam noverit, aut scienter fecerit; postridie plane stupidus, etiamsi acrius vellicatus oculos aperiret, eosque huc & illuc obvolueret, nihil videbat atque intra diem unam, vel, alteram totius dextri lateris paralysis insequuta est. Huic remedia priora repetita, insuper sternutatoria, apophlegmatismi, sanguinis detractio, cataplasmata pedibus, & epispastica toti capiti raso applicanda, cùm aliis medicamentis, & administrationum modis ordine præscripta, nihil profuerunt, quin ægrotans postquàm ita per 4. & 5. dies insensilis jacuisset, respiratione & pulsû tandem fatiscentibus interibat.

Cadavere aperto, in imo, & medio ventre fere omnia satis sana reperimus,nisi quod in dextro rene humor Ichorosus albicans, quasi sanies tenuis congeri cæperat, qui ex renis dissecti & compressi partibus quibusdam copiose effluebat; hoc abscessus futuri initium,sive rudimentum quoddam fuisse videbatur, & forsan ob serum haud satis ubertim, hic secretum, copia ejus major ad cerebrum affluxerat.

Nam Calvariæ olla exempta, anterior ἐγκεφάλου regio fere usque ad sinus quarti insertionem, aqua limpida per membranas transfluente obtecta intumescebat, quæ meningibus dissectis statim diffluebat; porrò illic loci, cerebri assulatim abscissi portiones minus madidæ, & ferè sine punctis rubentibus, sive sanguineis apparebant, in posteriori autem Cerebri limbo vasa cruore rubescebant, & substantia corticalis sine tumore aut aquæ diluvio, depressior, & firmior apparebat: Ex his (prout supra statuimus) lethargi causam à cerebri exterioris illuvie aquosa, & velut anasarca pendere manifestò liquebat.

Cerebro assulatim abscisso, & foramine in cavitatem anteriorem à lympha distinctam facto, aqua limpida, quasi prius intra spatium angustius coarctata, exiliit; cujus ingens copia ventriculos omnes ad summum impleverat(ac uti videtur) Thalamos opticos comprimendo (prout in altero casu superius descripto) cœcitatem, atque corpus unum striatum, aut poros ejus subeundo, aut comprimendo paralysim intulerat.

Plexus choroëides tanquam semicoctus, subalbicans, & fere exanguis apparebat; probabile est ex his vasis lympham qua ventriculi cerebri inundabantur, omnem aut quoad maximam ejus partem, exudasse; quanquam in hoc si (prout nonnulli existimant) latex aquosus è cerebri cortice inferius subsidens, demum cerebro penitus trajecto, in hos sinus depluere poterit, non incommode inde ratio petatur, quare lethargus primò sanari visus, mox inmanior, cum cæcitate & paralysi adscitis reciderit, nimirum quatenus, primò materiæ soporiferæ penus, à cerebri cortice in cavitatem ejus prolapsus est, functio animalis paululum inclaruit, postea verò cùm nova materies in cerebri cortice pullularet; & hæc in sinus prolapsa, ad plenitudinem aggereretur; ideò morbi prioris recidiva cum istis cæcitatis & paralyseos auctariis contigit.

Quanquam autem cerebri interioris hydropis, seu ventriculorum ejus inundatio, aut corpora striata, vel Thalamos opticos comprimendo, Paralysim, vel cœcitatem, aut nervorum origines vellicando affectiones spasmodeis cieat; attamen lethargum non à tali causa, sed tantum à cerebro exteriori inundato, aut compresso exoriri, observatione nupera anatomica evidentissimè constabat. *Thom. Willis. de anim. brutor. part. 2. cap. 9.*

Quinquagenaria per semiannum fermè immani cephalalgia sub sutura sagittali continuo ferè torquebatur: ea denique in lethargum cum partiali membrorum resolutione incidit: à curatione tamen per convenientia adhibita, multò peius quàm prius cephalalgia atroci experrecta est; post tres ferè hebdomadas apoplectica obiit.

Calvaria dissecta è latere sinus tertii, tumor scyrrhosus tres digitos latus membranis accreverat, cujus interventu & crassa meninx aliquanto spatio tenui accreverat, & vasa sanguifera, quæ illic in sinum dehiscere debuerunt, constipabantur. Cerebrum tam extus quàm intus lympha madidum.

Morbi ætiologia.

Ex præcedenti inflammatione dolor primò, & deindè scirrhus factus, qui compressione suâ sinum tertium adeò angustum reddidit, ut sanguis ex cerebro in illum transire non potuerit, hinc cerebri paralysis, quæ apoplexia dicitur. *Stephan. Blancard. in Anatom. practic.*

Puer 14. circiter annorum, habitu corporis macilento, staturæ satis parvæ toto quantum constat vitæ tractu, malè habitus, & vitio linguæ, ob quod ne verbum quidem integrum efferre poterat à prima nativitate laborans, cùm mens. septembri 1680. Orphanotrophii ægros inviseremus, malè se habere tremulis verbis significavit.

Ægrotam volvens faciem maculisque trementes
Pellentesque genas. *Virg. Æneidos* 4.

Nec tamen doloris locum dicere poterat, nunc parùm circumcursitabat, nunc caput contingendo, doloris indicia exhibebat; verbera quibus à magistro quandoque præter rationem exceptus fuit, ad iram misellum concitasse videbantur, vana hæc, sit sine viribus licet; prægressa quoque mala victus ratio, de corpore vitiosis humoribus repleto, qualiacunque prodidit vestigia: hinc lene infusum ex fol. sen. &c. suasimus, quod autem assumere renuit, aliquot diebus post in deterius labens, viridia & flava copiose evomuit, succedente somno profundo, à quo difficulter expergefiebat, & expergefactus, præter morem neminem fere ex adstantibus cognoscebat, imo vix dum oculis fixis ipsos tantisper intuitus, in somnum lethæum

lethæum rursus proruebat, neque excernenda ampliùs retinuit, urinâ, & fœcibus involuntariè profluentibus, quamobrem misturam antepilepticam per cochlearia sæpius exhibendam ex aq.fl.lil.conv.pœon.m. antepil. Lang.Spir. C. C. tinct. castor. & syr. de pœon. præscripsimus, vesicatorium nuchæ applicari curavimus, aliaque pro loci ratione, ex artis præscripto imperavimus; sed vix convulsionibus, quas imminere prævidimus, obviam itum fuit, quin miserum confestim invaderent, & per dies aliquot graviter vexarent, usquedum animula, ad creatorem anxiè tendens, corpusculum viribus suis prorsus defraudatum dereliquerit, in suo loculo blandè tantisper requieturum, dum suo tempore latius eidem conjungatur. Nos qui anxie respiranti & stertenti imò agonizanti manè adstiteramus, sub vesperam, ulteriora fragilitatis nostræ hausturi tecmeria, juxta quoque mortis causam demonstraturi, sectionem instituimus, spectatoribus Vir. Excellentiss. Clariss. D. D. Theodoro Zvingero, jam Eloq. Profess. & Colleg. Leopoldin. Aristotele digniss. D. D. Rolluvagio Heilbronnens. D. D Hochrütinero Sangall. D. Urcele Ritzio Pharmacopolâ, & D. Phil. Speckero Bas. Med. Licent. Remotis musculis abdominis, epiploon putridum & corruptum totum oculis se stitit cum intestinis flatibus distentis, ventriculo contra parvulo & inani: in illorum interioribus ultra viginti plexus glandulosos protuberantes ostendimus, qui omnes tribus tantùm exceptis gangrænosin cum aliquali duritie contraxerant, de quibus videatur Clariss. D. D. Peieri exercitat. 2. de gland. Intestinor. Valvulæ conniventes Kerkringii in iisdem admodum erant conspicuæ: Hepar pro ætate & staturâ miselli maximum, subsublividum: vasa cystica vesiculam suam eleganter perreptabant, pancreas subtus ventriculo protensum albicabat: Lien omninò lividus & superficie superiore admodum corruptus. Vena cava turgidissima, ut & vasa emulgentia & adiposa: Testiculi parvuli nucis avellanæ magnitudinem vix æquantes, ex innumeris vasorum filamentis compacti: renes cum ureteribus satis ampli: venter supremus cranio ablato, cerebri molem exhibuit, itidem justo majorem: vasa per hujus corticem distributa, admodum erant tumida & inflata sanguine livescente: glandulæ in ejusdem superficie, præprimis corpus falcatum versus, vasis appensæ videbantur: sinus tubulo inflati, maxime ipsa autem falx à vasis reticulariter dispersis varie perreptabatur: cortice abscisso ventriculi cerebri anteriores, vesicæ instar aqua distenti protuberabant, è quibus incisione facta, ichor copiosissimè profluxit, qui in tertia & quarta cavitate non minore quantitate stagnavit. Plexus choroideus totus palluit, vasa quæ ex hinc corpus falcatum versus expanduntur, glandulis subduris, gelatina infarctis, stipata erant: cerebellum flavidum, à quo ante spinalis medullæ progressum plures nervos oriri inferius vidimus. Glandula pituitaria erat subfusca. *Joan. Jacob. Harderus Apiarii Observ.* 35.

CASUS AB ALTO.

Curationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones.

Curationes.

In casu ab alto si febres accesserint signum est sanguinem extra vasa in corpore putrescere.

In quo casu nihil melius aqua benedictâ in vehiculo aquæ chærefolii propinata, febrem nimirum & inflammationes subito tollit, (vena quoque secari potest) ac totum corpus ab impuritatibus liberat. Potest eadem exiberi, etsi nulla adhuc tum adsit febris & quidem statim ab initio, facit nimirum ne febris facilè succedat. Interim cætera fiant, quæ sanguinē coagulatum dissolvunt, qualia sunt essentia sanguinis hirci; It. Sanguis lupi, mumia, in primis verò Magisterium oculorum cancrorum. It. carbones tiliæ (ʒ j. in aqua cherefolii, vel aceto) cherefolium detur in cibis, pulvis in hoc casu multum prodest.

℞. Carbones tiliæ, oculorum cancrorum, herbæ cherefolii ana f. s. a. pulvis, dosis ʒ ij. in acet.

Sic Diaphotericum in peracutis vel mixtura simplex, (vel aqua alia theriacalis) singularis est in hoc casu, si intro sumpta sudores provocentur, qui admodum necessarii sunt & interdum ab externis promovendi.

Sic lodices in vino rubro stiptico (diaphoreticis parum proficientibus) immersæ, & postea expressæ, ac universum corpus amicientes, sudores in hoc casu mirificè promovent in lecto, præsertim ubi conquassationes interiorum viscerum metuuntur. Felix Wurzius in sua Chirurgia laudat mercur. sublim. quem vide: sunt alii descripti pulveres ad casum utiles, de quibus vide practicos.

Sanguinem coagulatum in venis & extra venas, resolvunt omnia illa, de quibus jam diximus, interdum etiam vena hic secari potest, in primis verò sudores pro lecti post sumpta resolventia citò id expediunt.

Extractum vel arcanum seu essentia bellidis minoris sumpta, innata quadam proprietate omnem sanguinem coagulatum solvunt, & per insensibilem quandam transpirationem educunt, sic aqua theriacalis & spiritus tartari idem præstant. *Joannes Hartmannus in Praxi chymiatr.*

Pueri & homines, cursu incessuque temerario & ascensu præcipiti sæpissimè corruunt. Casus, autem differentiæ sunt multiplices, tum ex loco ex quo & in quem fit; ut humili, sublimi, duro, molli, medio: tum ex offensæ partis substantia, vel molli, ut ventris, vel dura ut capitis, crurum, brachiorum, thoracis, spinæ; tum denique ex sequentibus affectibus & simptomatis, ut fractura, luxatione, paralysi, contusione, obmutescentia, deliratione, hæmorrhagia, interna externaque. Ab iis omnibus casus differentiis, indicationes curativæ variantur.

Qui enim, humilior leviorque est in partem locumque mollem, & sine alterius affectus implexu, sola sanguinis, timore pueri cadentis agitati, compressione indiget, ut per potionem aquæ frigidæ, vel sinceræ, vel mixtæ cum paucissimo aceto, vel cum syrupo de granatis acidis, vel mirtillor ℥ j. vel ij.

Sin sublimior graviorque casus, in quamcumque partem vel mollem vel duram, locumque fuerit, victu primum eget prætenui frigidoque & sicco. Deinde repentina revulsione sanguinis, per suspectam anastomosim, vel potius rexim venarum, in viscera, aut ventrem effluxuri, unde gravis & pestifera interim eorum phlegmonte oritur. Revulsio fiet per frictiones & deligationes adversarum partium, ut brachiorum, crurum; per balanos & enemata acriora, cucurbitulas femoribus, natibus, scapulis admovendas. Phlebotomiæ autem eximia quidem promptaque ad revellendum vis est, sed pueritia eius ferè incapax est: cujus vicem subeat scarificatio post cucurbitulas.

Postremò confirmanda sunt protinus intùs viscera vasaque ne quid sanguinis effluat, adstringentibus potionibus ut ex ʒ j. mumiæ, boli arm. & terræ sigill. cum ℥ iij. aquæ plant. vel bursæ pastoris, & syrupi de granat. acidis, vel de rosis siccis, vel mirtillorum,

Vel ℞. Rab. tosti, semin. nasturtii, tosti terræ sigillat. boli arm. ʒ j. fiat pulvis, detur ℈j. cum prædictis aquis & sirup. bis quotidie toto principio, id est per quatuor vel quinque dies primos; quod si totus habitus graviter contusus sit, tunc quidem post revulsionem & corroborationem internarum partium ungendus est oleo rosato, vel myrtino, vel omphacino totum corpus moxque aspergendum pulvere mirtillorum, santalorum omnium, mastiches, balaustior. rosarum, vel obvelabitur pelle arietina recenti, adhucque calente, eodem pulvere imbuta, tantisper dum sudor emanarit. Sic enim qui in habitum effluxit digeri, qui fluxurus est supprimi, constrictis venulis poterit.

Atque quidem hæc remedia toto principio id est quinque aut sex dierum spatio ex usu sunt: quibus exactis jam grumi suscepti sanguinis tenuantibus & detergentibus dissolvendi sunt, ut hoc pulvere.

℞. Rab. torrefacti, rad. costi, aristoloch. rotundæ, rubiæ majoris & centaur. maior. an. ℥ß. fiat pulvis, capiat ℈j. cum syrup. acetosi simpl. ℥j. aqu. symphiti majoris ℥ iij. fiatque potio, detur sex vel octo diebus continuis manè.

Vel ℞. Vini ℔ j. mellis, opt. quart. j. radic. aristol. filicis masculæ, & caudæ equin. an. ℥ß. coquantur omnia simul, diligenter despumando, colandoque, dentur quotidie in introitu lecti ℥ iij. vel iv. Postremo contusus habitus, omni lassitudine & reliquiis sanguinis sub cutem expressi concoctique per stuphas ac balnea per triduum iteranda liberabitur, in quibus cum paucis adstringentibus ad venularum robur, ut simphito majori, plantagine, equiseto. plura digerentia incoxerint, ut absynthium, melissa, origanum, calamentum, arthemisia, cymæ lauri, hederæ, lavendulæ, flores chamæm. melil. anethi. Ejusdem generis remedium est, si corpus ægri intra fimum equinum calidum condatur sudoribus abundanter movendis.

Quod si pars durior privatim læsa sit, sitque contusio modica, hæc eisdem sine revulsione ulla prævia curabitur; primum adstrictione, deinde resolutione. Illa enim clausis venis sanguinis effluvium cohibet, per duos vel tres dies; hæc effluxum dissipat; adstrictionis materia sit unguentum album rhasis camphoratum, & sæpius aceto albo ablutum. Digestionis materia erit, cera nova aniso, vel cumino mixta, aut frustulum carnium arietinarum tostarum. Si grandior contusio fuerit, tumorque inde eminentior, præmissis revulsionibus prædictis adstrictio validior tentanda initio est.

Ut ℞. Ol. rosat. & myrtin. vel omphacini. an. ℥ i ß. pulv. myrtillor. sumach. gallæ & boli arm. an. ʒ ij. ceræ albæ parum, fiat unguentum.

Vel ℞. Orizæ & phaseolor. an. ℥ j. boli armen. folior. sumach. siccor. an. ℥ß. aloës, alumin. gypsi, calcis vivæ extinctæ an. ℥j. fiat omnium pulvis, concorporetur cum albumine ovi, & applicetur parti. Post quartum diem, id est principium, fovebitur pars, hoc autem vel simili decocto digerente & parum adstringente.

℞. Folior. symphyt. utriusque, absyntii melissæ, salviæ, summit. lavendulæ, & lauri an. man. j. boli arm. semin. fœnugr. & cuminan. quart. ß. flor. stœcad. utriusque & salis communis an. p. j. coquantur in vin. & melle. & foveatur pars.

℞. Residentiam contusam, cribratamque, eiq; adde butyri recentis & unguenti resumpt. an. ℥ iv. farin. fœnugr. orizæ & fabar. an. ℥ ij. succ. absynt. ℥ iij. fiat cataplasma. Digesto & dissipato sanguine pars ipsa deinceps apponendo emplastrum ceroneum magis magisque exonerabitur. Sin ad supurationem contusio resoluta urgeat; hæc ipsis remediis pepticis antea expositis accelerabitur.

Quod si pars ipsa contusa livore contracto sensuque stupido gangrænam minari videatur, tum vero appositione cucurbitularum cum levi scarificatione, prohibebit, cui subinde admovebitur fotus ex aceto & decoctione folior. origan. calamenth. absynt. hyssop. thymi, satureiæ, lavendulæ, hæderæ, vel ex vino, & decoctione radic. aristol. serpent. gentian. & similium.

Cum gravior è sublimiori loco casus delirationem vel obmutescentiam ascivit, tunc explorata prius ægri vita (neque enim mortuo remedia prosunt) ut tractato pulsu, vulsis temporum & pudendorum pilis, nomine proprio conclamato, cotone aut lana naribus admota, & cyatho aqua pleno ad stomachum inducto; tunc inquam à cerebro, cujus hæc sunt propria symptomata ex commotis vehementer spiritibus animalibus & affuso sanguine, humores omnes deducendi sunt, ut frictione extremorum duriori, hæmorrhagiæ provocatione per sectas paleas vel juncos penitus naribus insertos: tandemque ubi clariora vitæ indicia clisteribus acrioribus & Phlebotomia in cubito ex cephalica, vel in fronte & lingua, siquidem ætas viresque omnino non abhorreant. Postremò capiti ipsi roborando consulendum erit, vel puluisculis aromaticis & discutientibus

atque

atque roborantibus qui vel inspergentur & capiti raso tonsove per plures dies, vel cucupha diutius circumferenda ex cotone & serico rubro excipientur, non neglectis etiam lotionibus similibus sub æstatem. Si forte ex casu graviori fractura ossis alicujus inciderit; tunc præter revulsionum prædictas Species præmittendas, junctæ protinus ossis fracti oræ, emplastro oxycroceo muniantur vel cataplasmate ex farina fabarum cum oxymelite coctis & probè subactis.

Luxationis quoque propria curatio est per repositionem subitam ante revulsiones ipsas.

Denique distentionis articulorum per quam ligamenta sine ossium fractura aut luxatione in pedibus, genibus manibusque tantum elongantur, curatio est per blandam repositionem partis, dolorisque & caloris sedationem repentinam ex linteo in frigidam immerso, vel ex cataplasm. adstringente ex boli arm. sang. drac. gallar. myrtillor. pulvere, ex albuminibus ovorum ij. vel iij. excepto, cum oleo rosato & aceto rosato. Post principium autem id est post quartum vel quintum diem, novum cataplasma priori omisso adstringens leniensque & digerens articulo læso inducendum est, quale est hoc.

℞. Fol. absynt. verben. tapsi barbat. plantag. an. m. j. Rosar. rubr. flor. cham. aneth. centaur. minor. an. p. ij. aluminn. & balaust; an. quart. ʒß. coquantur in aqua simplici, addendo post finitam coctionem vini rubri austerique partem tertiam. Hoc decocto foveatur pars dolens bis in die, tepidè cum spongiis novis & per horam singulis vicibus.

℞. Residentiam contusam & cribratam eique adde farin. fabar. & hord. an. ℥ij. radic. ireos flor. ℥j. olei myrtin. & rosat. an. q. s. fiat cataplasma admovendum tepidè parti affectæ post fotum. Simile est emplastrum oxycroceum & contra contusiones descriptum in nostra chirurgia magna Gallica de vulneribus, capite de vulnere contuso. *Johannes Vigierius Chirurgiæ lib. 2.*

Pro casu & contusione commune remedium est, si ovi vitellum crudum cum aceto concussum ebibendum detur; prohibet enim concretionem sanguinis.

Rustici buphtalmi herbam cum floribus luteis instar calendulæ in cerevisia incoquunt, & tepidum haustum ejus decocti exhibent, qui omnes obstructiones & sanguinis concretionem ex lapsu dissolvit, vasorumque ruptiones persanat. Idem præstat Pilosella herba cum rad. in cerevisia cocta & bibita. Nautæ in præcipiti casu remedio utuntur ʒj. olei salis marini & calida cerevisia cocta & bibita, quomodo autem hoc oleum ex sale conficiatur, nondum explorare potui. Milites in castris ad violentas plagas, casusve præcipites exhibent ʒj. aut ʒß. pulveris nitrati bombardici cum haustulo vini, aceti, aut cerevisiæ; qui tum ratione nitri; tum carbonis salicis, discutit omnem concretum cruorem & colluviem. Nam & Carbo Tiliæ in pulverem redactus, & per se exhibitus in casu præcipiti mirum in modum confert: usitatum etiam remedium est quod sequitur.

℞. Unguenti Rubei potabilis ℥j. aut ℥ß. aceto calido dissolvatur, & ebibendum propinetur. *Franciscus Joël Practicæ libro decimo sect. 5.*

Quod sæpius usu venire videmus, ut, dum in plantarum nomenclaturas curiosè nimis inquirimus, plantam fere ipsam cum ejusdem virtutibus tantopere dilaudatis, aut amittamus, aut seplasiariis & scraptis quandoque aniculis excutiendas propinemus, id quod præstantissimæ huic & plantæ *Arnicæ* præter meritum quoque accidisse passim constat, quam enim ut proprio nomine ignotam ita & usu rarissimam putabat *Dodonæus* & ex illo *Joh. Bauh. Hist. Plant. univers.* eam jam vulgò, præsertim nautico quoque notiorem esse & frequentiori usu commendatam, quam quibusdam Medicis & Botanicis, in confesso est, ac dolendum, magnós interdum sumptus fieri, & plurimum temporis laborumque tribui intimius perverstigando, nec sine vitæ periculo ex intimis terræ visceribus eruto alicui medicamento ritè præparando, & per ignis violentiam à quisquiliis depurando simplici, aut granulatim & scrupulatim ad ostentationem tantum consuto & consarcinato informi cuidam composito, domesticis interim & passim obviis εὐπορίστοις neglectis: Præstaret igitur ad imitationem primorum medicinæ inventorum & modernorum in *China & Japonia* aliisque *Indiarum* provinciis feliciter medicantium, aut nostræ etiam plebis, quam penes optima quandoque & specifica reperiuntur medicamenta, uno eoque certo & experto simplici remedio uni obviam ire morbo, quam receptis trium ulnarum longitudinem exsuperantibus. Quod & quanta Vulnera persanavit solo suo chironio *Chiron* Medicus ille πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Quot ulcera Telephus Mysiæ Rex suo telephio? Quos uteri dolores & hystericas passiones *Artemisia* Cariæ Regina sola suâ artemisia mitigavit, sopivit, radicitus sustulit? Celeberrimum illud apud Sinenses & Japonenses procuranda arthritide remedium moxa dictum ex simplici quadam herba exsiccata paratur, lanugine obvoluitur & in forma cylindri vel pyramidis Europæ jam passim divenditur ac pluribus experimentis nobilitatur, quod magnificus Dominus Assessor Spirensis Mauritius, Vir in chymia quoque versatissimus nuper confirmavit in Epistola ad Nobil. D.D. *Sebast. Schefferum.* Phys. Francofurtensem die 14. Julii Anno 1677. exarata: Dominus Mareschallus de Stubenvoli, inquit, podagricus hic (Spiræ) decumbebat, ita ut ob intentissimum dolorem ne pedem quidem loco movere posset, moxam petit & facilè à me impetrat, pollicique pedis affecti ter imponit levis brevisque ab imposito cauterio dolor, exsudante quoque pauco ichore, sed podagricus dolor statim remissior, nox quieta, alteroque die tanta pedum alacritas, ut iisdem terram fortiter pulsaret & pleraq; Dominorum Assessorum palatia frequentaret. Similem quoque curam cum prædicta moxa felicissimè peractam esse in quodam Aromatario Francofurtensi diebus hisce sanctè mihi affirmavit Vir quidam ἀξιόπιστος. Sed moxa religiose tegitur ab Indis, regerunt nonnulli, ergo nec optima illa in vulgus statim sunt propalanda remedia, ne Medicorum vilescat authoritas, & pessimis quandoque nebulonibus ad experimenta per mortes agenda amplissima

aperia

aperiatur janua, aut insano gladius porrigatur ad nocendum. Verum, ô bone, plurima tuta times; præterquam enim quod ista medicamentorum occultatio avaritiam sapiat, aut invidiam ambitionisque & inanis gloriolæ captationem, diversissimè contradicit religione Christiana haut imbutus *Scribonius Largus præfatione ad Callistum.*

Qui experti sunt remediorum utilitatem, denegant autem usum, valde culpandi sunt, utpote qui crimine invidentiæ flagrant, quod malum cum animantibus invisum esse debet, tum præcipuè medicis, in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus sit secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis & hominibus invisi esse debent. Et ὁ πάνυ *Sennertus* in suis Exotericis: væ homini, qui talentum sibi à Deo concreditum sub terra defossum abscondit, Hominum quidem consilia sunt occultanda, Dei autem ter O. M. beneficia universo Orbi revelanda ad majorem ejusdem gloriam proximique utilitatem, quod prima & primaria fuit naturæ curiosorum semper cura & cynosura. Non ignorant Medici χαρίεντες Medicamenta esse χεῖρας θεῶν, sed legitimè administrata & methodicè usurpata, quod nonnisi longo usu addiscimus in schola Hermetico Dogmatica probe instructi, & educti a puero, quibus omnibus destituti adminiculis empirici in suam non raro perniciem ruunt & summam ignominiam, tranquillitatis animi & lætitiæ omnino expertes, ut *Cous* noster loquitur, & fusius hoc argumentum ac gravissimè persequitur *Langius in suis Epistolis* pluresque alii, sed ad rhombum.

Vox *Arnicæ* ex ptarmica mihi corrupta esse videtur ab imperito quodam rhizotomo, quod insignis ipsi insit vis sternutatoria, hinc *Ptarmicæ montanæ* nomen invenit apud *Lugdunenses*: *Gesnero*, & ex eo *Tabernæmontano Caltha & Calendula alpina*, *Aster luteus & Chrysanthemum latifolium* aliis, ob florum quandam similitudinem dicitur. *Matthiolo* & quibusdam aliis & *Damasonium Dioscor.* inscribitur, quibus quidem repugnare videtur *Renealmus in plantarum specimine Parisiis* Anno undecimo hujus seculi in 4. edito quod ἄνθη λευκὰ καὶ ὕπωχρα, floers albos & subpallidos suo tribuat Damasonio *Dioscorides*, sed nostrum aureis passim superbiat, quod deinde non in aquosis, ut vult *Dioscor.* Sed montosis locis plerumque nascatur, sed, quod pace tanti viri dictum esto, & floribus albis a Matthiolo, & ex pallido-albicantibus à Cast. Durante, (quin & cæruleis à *Bauhino*) reperta est hæc nostra arnica, & locis plerumq; humectis, summontium jugis, pratis riguis, sylvis cæduis ac uliginosis frequentior. *Nardus* quoque *celtica* nonnullis vocatur ob saporem aromaticum, & *Doronicum Germanicum*: Rectissimè autem ab absolutissimo *Clusio* ad Doronica refertur, & à Casp. Bauhino differentiæ ergo *Doronicum V. plantaginis folio alterum* cognominatur, Doronicum puta salutiferum & non venenatum quam infamiæ notam ab eo gravissimis rationibus abstergit. *Nobiliss. noster Nestor.* Diss. 2. de Ægagrop.

Profert autem folia plantagini Villosæ æmula, leniter hirsuta & molliora, summæ potissimùm telluri incumbentia, quaterna ut plurimùm, rariora in tereti & lanuginoso caule, semper tamen bina ex adverso, e quorum alis plerumque unus, interdum terni exurgunt surculi, suis mense Junio singuli floribus in fastigio conspicui aureo fulgore. Doronicum Æmulantibus, eodemque modo cum semine suo tenui, oblongo & nigro in pappum postea fatiscentibus; Radix subest oblonga summæ telluri pluribus fibris annexa cum foliis & floribus aromatica tota.

Nobis rara est & uno saltem loco, quod sciam, eoque sylvestri, nascitur, in pratis alibi & locis humidioribus frequentissima, in hortos translata culturam non admittit, quod & *Camerarius* notavit in suo horto.

Vires ejus ex acrimonia & virtute aromatica æstimandæ veniunt, in caliditate & siccitate excedentes cum magna partium subtilitate minimas etiam venarum fibras intimius permeat, easque ab obstructione liberat, in asthmate, in catharrho utilis, sternutamenta ciet, menses & urinas potenter movet, quod & mihi compertum (inquit *Renealmus*, unde & plantæ huic *Diureticæ* nomen tribuit, & à doctissimo quoque *Pena* annotatum) colicos & hystericos dolores mitigat. Vasa rupta persanat, in exturbandis arenulis & calculo præstans, sudorem facile ciet & nonnunquam vomitum, ideoque in morbis chronicis & in febribus diuturnis proficua, sed in contusionibus & casû ab alto pro dissolvendo sanguine grumoso etiam diutissimè in corpore delitescente, & motum ac respirationem impediente, tantæ virtutis & efficaciæ vix ullum ipsi facilè par reperiatur simplex ex triplici omniparentis Naturæ regno. Lapsorum igitur quædam quasi Panacea jure meritoque deprædicanda: statim enim atque assumpta est, tanto impetu ad locum fertur affectum, sanguinisque grumosi perrumpit latebras, ut magnos ibidem cruciatus, & summam quandoque respirandi difficultatem suscitasse observatum sit, præsertim à nimia ejusdem dosi, & ubi malum hoc inveteratum ac contumax; quæ tamen omnia brevi vel spontaneo vomitu, vel sectione venæ &c. iterum sopiuntur, cum exoptata corporis incolumitate & virium restitutione in integrum: ubi autem nulla manifesta læsio, ibi quoque nullus ab hac assumpta planta dolor, ubi nulla gloria aut victoria, quod ipsi cum bezoardicis proprie dictis familiare.

Usus est in radice, foliis & floribus, quorum dosis à pug. j. ad ij. in robustis, in decocto ex cerevisia calide propinato quod vulgatissimum in infusione ex Aqua major. Vino quoque infundi potest medicato cum cœteris ad plures affectus in abdomine, in utero, liene & vesica: pulvis quoque ptarmicus ex foliis & radice paratur præstantissimus. Ejus autem potissima vis, ut jam dictum, in dissolvendo sanguine consistit, quod ex sequentibus aliquot historiis evidenter elucescit.

Vetula quædam Pharmacopolii nostri Senatorii famula, de dolore lateris cum dyspnæa à nimio conatu oborto, diu multumque conqueritur, frustraque tentatis aliis pluribus medicamentis à solo *Arnicæ* ex cerevisia decocto calidè assumpto integre convaluit, provocata plurima per urinam & sudorem serositate An-

no 58. Secretarius quidam, robustus cæteroquin, & consistentis ætatis vir, ob cerevisiam frigidissimam in æstu copiose haustam in cervicis statim, spinæ dorsi & lateris dolores delabitur, aliquot dies noctesque lecto quasi affixus, ut ajebat, & immobilis decubuit, cum tussi pertinaci, raucedine & spirandi difficultate: usurpata alterantia, expectorantia varia, ab assumpto Arnicæ decocto ex cerevisia dolor quidem & angustia circa pectus intendit; sed obrepente suavi per bihorium somno omnia mox symptomata evanescere visa, profusa insigni urinæ copia. Ann. 60.

Albertus Stumpf. Villicus sexagenario major, catharro crasso cum tussi diu afflictus eodem modo curatus est; idque remedii genus sæpius repetiit cum successu, quod cum malo hoc quotannis præsertim vere vel autumno conflictaretur.

Annorum 26. Juvenis I.D.S. ex equo præcipitatus, de continuis totius corporis doloribus conqueritur, idque menstruo fere spatio, qui tandem Arnicæ nostræ decocto prolicito largo sudore iterum evanuere. Ann. 67.

Plebeja quædam, à consternatis equis cum temone ad murum violenter detrusa, & gravissime in pectore ac dorso læsa, aliis huic malo destinatis, pulvere sc. contra casum, unguento rubro potabili, spermate ceti &c. frustra administratis, decocto hoc feliciter restituta est. Ann. 63.

Nicolaus Ort Agricola dormituriens curru excussus à rota medium thoracem transeunte in respirandi difficultatem cum abdominis intumescentia incidit, pluribusque medicamentis tam internis quàm externis nihil levatus, tandem Arnicæ decocto convalescit. Anno 70.

Caspar Kempf. Carbonarius ab arboris succisæ subito lapsu ex imprudentia in dorso & femore ita læsus, ut diu tanquam claudus sutor domi sederet, nec se loco movere posset, licet pluribus inunctionibus continuè uteretur, eodem tamen modo sanitatem pristinam recuperavit, una cum ejusdem uxore quæ diro coxendicum dolore à nimio conatu exorto diu laboraverat. Ann. 70.

Carpentarius quidam A. R. fracto assere uno inter duos asseres in profundam cellam pendet medius litera longa sursumque summa vi vix tandem enititur, sed lateris inde dolor, qui ab impositione emplastri de ulmaria à tonsore facta exasperatur, tertio à casu die inter consuetos labores concidit miser quasi attonitus nec à terra se exigere nec movere potest de summo lateris dorsique dolore conquerens. Alvo l. a. aperta & vena secta pulvis contra casum in decocto *Arnicæ* exhibitus, & *Arnica* cerevisiæ pro potu ordinario immersa convaluit, inuncto quoque latere dolente cum unguento rubro potabili. *Eodem.*

Peter Schirmer Oberndorffensis ab equo calcitrante ad pectus percussus, ex sanguine hirci nequaquam, ex *Arnicæ* autem decocto itidem restitutus est. Petulans quidam puer ex casu caput fortiter lapidi allidit, unde tumor & vomitus in tertio die febricula cum nonnullo delirio, impositum capiti emplastrum de beton. decoctum *Arnicæ bis* terque exhibitum, subsequente diarrhæa spontanea & urina quasi sanguinea evasit. Ann. 62.

Iracundus noster molitor H. L. Uxorem propriam, fustibus præter modum excipit, unde respiratio difficilis, sputum cruentum, capitis tumor, Arnicæ decocto exhibito, urina sanguinea prodiit cum præsentaneo levamine. Anno 61.

Obstetrix nostra de scalis lapsa sumpto hoc decocto probè sudauit, & convaluit, nullo subsequente symptomate. Ann. 73.

Leonhard gravissimis oneribus ferendis & attollendis assuetus, ex nimio tandem conatu, deficientibus sensim ex ætate viribus, dorsum & lumbos ad perinæum usque vehementer dolet à nimia Arnicæ dosi dolor ubique major cum metu suffocationis, sed sumpto jusculo ex croco & maci liberius statim respirat, dolor remisit & secta in brachio vena evanescit omnis. Ann. 75.

Andreas Venn. sutor Cachecticus, cui & caput & pedes reciprocè dolebant ac intumescebant, cum nullo modo ad sudandum disponi posset, decocto *Arnicæ* ex cerevisia sumpto, egregiè sudavit 13. Oct. Ann. 60.

Matronæ cuipiam primariæ hac hieme asperiori in glacie lubrica lapsæ, & spatium sat longum lumbos dolenti, idem decoctum cum successu exhibui. Item.

Cuidam Juveni diu febricitanti cum inflatione lienis, & ex errore diætæ sæpius recidivanti, qui rejecta ex ejusdem usu per vomitum & secessum pravorum humorum saburra convaluit ex voto; aliique innumeri, quos studio prætereo, cum ex præmissis nobilissimæ nostræ *Arnicæ* virtus luculenter enitescat. Et nullus omnino dubito, quin in aliis quoque morbis, præsertim pectoris & abdominis, ubi magna in vasis corrupti seri restagnat copia, ut in hydrope, dysuria, præmissis tamen præmittendis, cum successu illa in usum vocari possit. *Joh. Michael. Febrii.*

Observationes.

Pro casu ad puerum quendam

℞. Vini rubri ℔ ix. cui superadde ros. rubr. sicc. rosmar. summittat. Myrti. an. m. ij. in cacabo ad ignem fiat decoctio: in hoc vinum stipticum syndon immergatur, & parum manibus exprimatur, & eo calido optimè æger involvatur, & in lecto optime cooperiatur: quo facto remedio copiosissime sudavit, & sanus factus fuit: Est autem hujus generis remedium apud *Hispanos* in omni lapsu admodum frequens & usitatum, à scribentibus de casu & offensione prætermissum, quum tamen potissimum sit. *Amatus Lusitanus cent. 3. curat. 9.*

Juuenis quidam 20. annorum cum per vimineum septum instar cancellorum tortum saltaret, cecidit supra palum circa dorsum, sine cutis tamen læsione; unde sequutus est dolor ingens circa renes & spinam inferiorem, ut incedere non posset. Ideo locum dolentem inunximus oleo rosat. insperso pulvere myrtillorum, & sanguinem ex Basilica, quia Juvenis erat, ne febris aut inflammatio supervenirent, detrahere mandavimus. Deinde statim

mummiæ, spermatis ceti an. ℨß. cum cerevisia butyrata calida propinavimus: mox ut sequentem potionem sumeret jussimus.

℞. Fœnic. cum toto, scabios. rubiæ tinct. cardium rubr. pariet. malv. cum rad. chærefol. sanicul. valerian. agrimon. bugul. & borrag. an. m. j. sem. nigell. (unicè confert ad casum ut experti sumus.) semin. anis. an. ℨ j. concisa & conquassata coque in cerevisia communi pro ℔. ij. colatura saccharo dulcoretur in qua puppa sequens pendeat.

℞. Mummiæ, spermatis ceti, an. ℈ j. nuc. mosch. troch. alkekeng. sine opio an. ℈ ß. f. puppa exprimenda dum potio sumitur; decoctum aromatizetur, cum ℨiij. cinamom. bibat de eo bis in die hora sexta matutina, & hora quarta à meridie, quarto die ita eundem purgavimus.

℞. Fol. sen. ℨiij. infund. in decoct. pectoral. ℥ v. adde elect. è succo rosarum, post fortem expressionem, ℨ j ß. oxymel. ℨ v. mumm. nuc. mosch. an. f. potio. Deinde ad majorem resolutionem inunximus hoc unguento.

℞. Unguenti de althæa ℥ ß. ol. chamæm. aneth. an. ℨ ij. m. quibus dolor sedatus est, & perfecte curatus fuit. *Petrus Forestus Observ. 29. lib. 6. Observ. Chirurg.*

Pro casu ab alto in quodam.

Hæc quæ sequuntur ex præscriptione Forentiolæ egregiè contulerunt.

℞. Rhab. ℨ ij. rub. tinctor. gr. xv. cum vino stiptico, f. pilulæ, quibus utebatur in principio; postea in processu exhibeatur illi medicamentum sequens.

℞. Cassiæ rec. extract. ℨ vj. mummiæ ℈ j. rub. tinctor. ℨi ß. rhab. el. ℨj. pulverisanda pulverisentur & dissolvantur cum cassia in decocto cicerum rub. & fiat potus. Hic pulvis contra casum in usu est apud Colonienses cujus author fuit Zittardus, Medicus insignis.

℞. Mumiæ, scabios. pilosell. hyperic. an. ℨß. costi dulcis & amari. nuc. mosch. an. ℨiß. terræ sigillat. bol. arm. an. ℈ iv. rub. tinct. rhapont. semin. nigell. an. ℨvj. spermat. ceti, rhab. an. ℨ ij. agar. troch. cumini præpar. an. ℨ j. m. f. pulvis dosis est ℨ j.

Elidæus pæceptor meus pro sanguine coagulato è corpore hominis expellendo, tum à percussione, & concussione; sequent. remedio utebatur.

℞. Mummiæ, rhab. el. an. ℨ j. rubiæ tinct. ℈ ij. m. cum decocti pulli nigri ℥ iij. vel capiat cum aliqua aqua convenienti; at pulla nigra coqui debet cum pennis & visceribus, eadem prius strangulata, nec aliter occidi debet: nam ita decocta plurimum præstat in hoc affectu proprietate quadam occulta. *Petrus Forestius Observ. 31. & schol. lib. 6. Observ. Chirurg.*

Pro casu ex fenestra ad somnambulonem quendam.

Præmissa venæ-sectione & injecto clystere, ad sanguinem collectum dissolvendum & expectorandum, exterius adhibui decoctum lactis cum meliloto, fl. chamæm. an. m. iij. marrhub. anthos an. m. ij. quod comprehensum aliquot vessiculis bubulis, per vices calidum epithematis loco partib. dolentibus applicare jussi. Interius diebus aliquot matutino tempore pinguedinem humanam (quam tum temporis à recenti corporis humani sectione copiosam in promptu habui) in jusculo cerevisiæ ad ℥ß. exibendam dedi quo remedio dolores & punctiones internæ leniebantur & sanguis concretus ad exitum præparabatur, ita ut consequenter per tussim & screatum concreti sanguinis frusta copiosè satis, & cum facilitate rejicerentur. Post octiduum cum suspicio aderat de sanguine concreto, aliquoties pulverem ex iis quæ sanguinis grumos dissolvunt, ut sunt oculi cancri præp. rad. rub. tinct. sperma ceti & similia, exhibui, & sudorem provocavi, & sic præter spem multorum intra 14. dies juvenis hic perfectè convaluit.

In hoc juvene observatione dignum, quod licet ex contignatione domus tertia ad altitudinem 14. ulnarum deciderit, inventus tamen fuerit, quod ad membra externa omni ex parte illæsus, capite excepto, cui vulnus inflictum erat ad os usque bregmatis sine ossis & periostii læsione. *Guil. Fabritius Hildanus, obs. 84. cent. 2. ex Epistola. Gregor. Horstii ad Hildanum.*

Mulier quædam ex altiori delapsa loco diu jacuit semimortua, tandem cum ad se rediisset, exhibui ante omnia contra sanguinem coagulatum hunc potum.

℞. Succ. cancri vivi contusi ℥ ß. vini albi ℥ iv. m. hæc potio expulit sanguinem coagulatum. Postero die ab assumpto potu, me jubente venam medianam secuit. Quarto à venæsectione die balneo aquæ dulcis chalibeatæ usa fuit, atque his paucis mox valere rectè cœpit. *Martinus Rulandus cent. 5. curat. 12.*

Mulier quædam quinquagenaria ab equo sternace sub bigas lapsa rotis caput, pectus, totumque corpus miserè contundentibus deplorata videbatur. Ego advocatus, devote Deum implorans, talem medendi curam instituo.

Primo posthabitis omnibus saphænam secandam suasi mane dein sudorem hoc modo provocandum curavi.

℞. Vini rubri stiptici ℔ 10. ros. rubr. sicc. rosmar. summitat. myrti, an. m. ij. f. decoctio in cacabo ad ignem. In hanc postea sindonem vel linteolum immergebam; eoque extremitate digitorum leviter expresso, ægram undiquaque & calide, & optime involvebam; atque sic in lecto arctè contecta, diù multumque sudavit, in prandio & cœna potus erat decoctum cærefollii cum saccharo. *Martinus Rulandus curat. 74. cent. 6.*

Gravis casus capitis absque ullo trepano sanatus.

Uxor L.O. Infortunio quodam in fulcrum incidit focarium, quod 25. libras pendebatur, quo ita læsit caput ut omnia deprehenderentur accidentia in fracturis cranii observari solita: quare judicarunt medici, chirurgique terebrandum esse cranium, licet vulnus tantum cum contusione absque fractura, fissura aut depressione ossis animadverterent, ideò statuerunt, requi-

requiri loci perforationem. Eam autem ægra admittere neutiquam volebat. At ecce! quarto decimo post læsionem die, caput ejus, faciesque admodum tumere, plurimisque hæc, ut & frons notari cœpit hinc inde vesiculis. Atque ita dicta mulier absque trepano, sed nos absque auxilio divino, modo certe insolito, paulo post omninò fuit pristinæ restituta valetudini.

Vero simile est dictam materiam infernè sub cranio prodiisse. Quoniam enim nulla manifestè deprehendebatur fractura fissurave, necesse est, tenuis ille & serosus humor, per suturas aut sudationem, vel denique per occultam rimam extra cranium pervenerit.

Id ipsum autem per transudationem fieri posse multi testantur scriptores: ut *Thom. Bartholinus, Observ. cent. 2. hist. 41. pag. 214. Marcellus Donatus Med. historiar. Mirab. lib. 5. cap. 4. pag. 200. Wepferus pag. 398. lib. 1. Tulpius Obs. cap. 2. pag. 4.* qui etiam profert exemplum in quo innumeræ sanguinis guttæ per calvariam, (quæ tamen integra erat quamvis aliquantum mutata colore, adeoque naturali soliditate parum debilitatâ,) erumpebant, instar roris universam calvariam cooperientes. Quibus spongia aliquoties detersis, repullularunt continuo & aliæ: monstraturæ velut nihil naturæ esse invium; sed omnia pervia, neque ossa ullibi tam solida, quin per ea libere permeet, cum sanguis tum pus. *Galenus in librum 7. Hippoc. Aphor. 54.* hæc confirmat dicens arbitrari *Hippocratem, naturam semper, si robusta sit, materiæ viam moliri & invenire, etiam si quam maximè crassa sit, & per exiles transitura meatus: quando per ossa etiam abscessu fieri dicat.*

Sicut autem ab intra foras pus per calvariam, ita etiam contra facilius foris resudat in interiora. Hac de re etiam videatur *Avicenna fen. 14. lib. 3. tractat. 4. cap. 5.* ac *Jacobus de Carpo de signis commoti cerebri*, è quo *Marcellus Donatus Med. hist. mirab. lib. 5. pag. 200.* testatur contingere aliquando in capitis vulneribus non dari liberum saniei transitum per ipsum vulnus eamque eo casu per porositates ossis resudare ad intra cranium, cujus rei testis est *Hippocrates lib. de vuln. cap.* dum scribit vulnera in posteriore cranii parte reperta minus esse letalia, quoniam os propter crassitiem diuturniori tempore pus contrahit & ad cerebrum inferius transsudat.

Petrus Marchettus celeberrimus Chirurgus posteaque Chirurgiæ Professor Paduæ obser. 12. pag. 24. ait se vidisse duo exempla vulnerum capitis, ac contusionum absque fissura in quibus sine terebratione emittebatur pus, quoniam id per cranii poros, haud aliter, quam per cutem sudor, exibat: quamvis uterque hic æger, diutius dilata perforatione, postea decesserit.

Quare ille artem profitentes monet, si vulneratis medeantur, quorum simptomata arguunt, internas partes etiam læsas. ut in tempore trepano utantur, dictante etiam Hippocrate si quid movendum videtur principio move. Unde sequitur, si terebrandum, initio terebra. Joan. Baptista de Lamszvverde, Append. obser. pag. mihi 238. obs. 41. duo similia vidit exempla, in quibus saniei pars quædam per cranii poros transudare conspiciebatur; huic autem evacuationi dum quidam nimium fiderent, serò trepani opera accessit: subjecta enim sanies aliquando nimis copiosa, tardiorque est exoneratio unde tandem internæ corrumpuntur partes. Et licet frequenter trepanum fracto fissoque cranio utile sit, idem tamen quandoque, salvo etiam, atque integro cranio, adhibetur præsertim cum timor est, ne intus vasa quædam rupta sint. Trepani enim ope non tantum sanguini effuso datur exitus verum ita etiam inflammationi, putrefactioni, delirio, febribus, aliisque letiferis accidentibus itur obviam, quamquam hoc agendi modo artis Magistri sperata non semper assequantur, optimè id ipsum ostendente Tulpio obs. lib. 1. pag. mihi 3. & cap. 1. &c. fieri non potest, ut materia quæ extra vasa sua fluxit, alio, quam quem ictus, casusve læsit, contineatur loco. Exempli gratia; si sinistrum alicujus os parietale lædatur; sanguis in adversam partem repulsu quodam potest effundi; licet falce à se invicem separentur bina hæc ossa; item: si ictus lapsusve frontem tangat, posteriore capitis parte potest manifestari sanguis quod sequenti probatum imus observatione.

Continetur etiam quandoque humor qui effluxit, inter binas membranas, vel etiam sub piâ matre; uti is ipse inter cerebri fissuram supra corpus callosum in ventriculis aliquoties apparuit locatus, cujus posterioris narrationem instituam.

Aliquando etiam incerta sunt signa, quibus dignoscatur, ubi lateat quæ effluxit, nec loco suo contenta materia, quamvis ea plerumque si fractura, fissurave adsit sub eadem reperiatur, nonnunquam alibi simul; notante Tulpio obs. lib. 1. cap. 2. pag. mihi 4. Contingit enim sæpius (at non semper) ut vi illa quæ fit loco plagæ vel ictus (quamvis nulla fissura facturave adsit) sanguis extravasatus ibidem reperiatur, qui exitum non inveniens, ac proinde ibidem tractu temporis putrescens, pravorum sæpe symptomatum, nec non mortis interdum causa fuit.

Verum quidem est fieri aliquando, cum nec manifesta apertura cranii reperitur, virium robore subjectam exonerari materiam, sive id eo fiat modo de quo superiori observatione dictum, sive per nares, aurésque, uti Wepferus pag. mihi 223. ac Bartholinus cent. 2. hist. 4. pag. mihi 215. pluresq; testantur, vel, quia aliquando per collum ad pectus, ventremve defertur, atque illis abscessus causa est, quod P. Marchettus obs. Med. Chirurg. 15. fol. mihi 35. sæpius se expertum ait, ac Jobus Mekeranus obs. cap. 2. pag. mihi 28. Paræus lib. 10. cap. 8. Marcellus, Donatus lib. 5. cap. 4. pag. mihi 201. nec non Roonhusius part. 2. lib. 1. obs. 3. p. 190. indicant. Qui vero viribus ægri cum internæ læsionis deprehendentur signa, solummodo fidere statuit, deceptum se sæpius sed serò dolebit. *Cornel. Stalpart. observat. rarior. centur. 1. obs. 7.*

Historia Casus ab alto Augustissimi Regis Daniæ Divi Christiani IV.

Rex Daniæ Christianus IV. 20. Julii ann. 1625. hora decima vespertina, ubi dispositas vigilias exploraret, in foveam secundum perpendiculum effossam 22. pedes profundam cum equo lapsus, & in dextrum latus prostratus diu jacuit inanimis sine loquela, sine sensu & ratione, & sanguis multus ex naribus & utraque aure fluxit. Medicus in loco venam aperuit. Ego vocatus 23. Jul. inveni valdè debilem, qui neque loqui ipse posset, neque colloquia aliorum ferre, vix nosse me potuit, adspiciens tamen manum languidè porrexit nihil locutus. Nullum tempus commodum à medicinis vacuum esse volui, & cùm serius aliquanto accessissem, nihil potui nisi clysterem, eo ipso die adhibere; ex eo cùm bis excrevisset, visus fuit aliquo modo melius habere, loquela tamen ignava & vix intellecta. Eodem die Balsamus inunctus est naribus, & auribus parùm illitus, item spiritus cephalici inuncti vertici capitis, ubi suturæ coëunt. Pulverem sternutatorium noluit admittere.

D. 24. Julii pulverem pro casû ad dissolvendum sanguinem dare volui cum aceto bezoartico, quem cùm assumere recusaret, neque tamen quicquam temporis frustra præterire sinerem, dedi ipsi pilulas 9. valde lenes, quæ tamen ter alvum moverunt, & cum de pulvere ad casum, ut volebam, promeridianis horis iterum quicquam sumere recusaret, propter periculum, quod erat in mora, iterum clysterem eodem die applicui, quem statim reddidit non sine fructu, adspersio capitis cum spiritibus cephalicis, & inunctio narium eo die non fuit neglecta, aqua etiam pro collutione oris usus est.

D. 25. Julii summo mane sub diluculum iter Verdam ingressi sumus; & tum Rex in monasterio Mollebeck pransus est, & eo prandio sua manu bis mihi cibum porrexit. Indè perreximus & pervenimus in pagum Reemer, hic sumpsit cochlear aquæ bezoarticæ, & caput inunxit, inde Petetersagium.

D. 26. Julii & 27. tria cochlearia aquæ bezoarticæ sumpsit; & capitis verticem spiritibus cephalicis inunxit, & os colluit cum aqua destinata, quod ut vesperi, cum Hoiam appulissemus, faceret, impetrare non potui, quemadmodum neque matutinis horis diei sequentis, cum inde Verdam proficisceremur. Eo cùm pervenissemus, statim appositus est clyster, quem addita hiera fortiorem reddidi, ex eo clystere magnam excrementorum copiam exclusit, & commodè habuit, ita ut me post rejectum clysterem ad se vocaret, & per horam dimidiam tam bene, tam articulate & tam prudenter, ut post hunc lapsum unquam mecum de multis rebus consuleret. Vesperi sub decubitum facta est inunctio ex unguento Hamelæ præscripto, & adspersio verticis cum spiritibus.

Subsequenti die 29 sumsit potionem ex rhabarbaro, ex qua parum dejecit, quocirca sub vesperam iterum clyster injectus est qui cùm fænore, quod relictum erat, exclusit, undè Rex iterùm benè habuit. Usus est etiam eo die pulvere sternutatorio, ex quo capitis levamentum sensit, itaut postero cupiverint adstantes iterum adhiberi, quod factum est, cum prius pulverem A. C. cum Aqua Bezoartica sumsisset, & caput lavisset cum lixivio medicato & sapone odorato. Inde ex pulvere cum molestiam nonnullam Rex sese percepisse austeriore vultu indicasset, adstantes prope me & medicamenta, quorum tamen utilitatem ante perspexerant torvo vultu incusare videbantur. Verùm Rex sub prandium hilaris fuit & multa locutus est modo de his, modo de illis, cumque pridie & postridie calidiorem potum bibisset, circa vesperam præcedentibus duobus diebus capitis gravamentum sensit, & noctem inquietiorem habuit, absque ullo tamen calore præternaturali. Alioquin tum propter curæ procrastinationem, tum propter calidiorem potum, æstum & itinerum molestias vix fieri potuit, quin in tanto casu corpus à malo, & cerebrum ab inflammatione defenderetur. Sub ingressum lecti fomento pro oculo & linimento est usus.

D. 31. Julii sumsit ℥v. gelatin. ribium, hora tertia pomeridiana de Electuario confortante sumsit, hora quarta ablutio facta est capitis, & adspersio spirituum cephalicorum, caput detersum est linteis calidis & pulvere præscripto infumatis. Hoc die mentis aliqualis fuit error & hallucinatio; nam quænam urbs in qua erat, interrogavit inter cænandum, tamen satis rationaliter locutus fuit. Circa tempus decubitus & dorsum inunctum est, & ea nocte benè dormivit.

D. 1. August. Rex ipse medicamenta flagitavit, dedi ipsi pulverem ad casum quantum ter cuspide cultelli capere potuit, & statim bibere jussi aquæ bezoarticæ ℥iij. caput spiritibus cephalicis irroratum, & dorsum inunctum. Hoc die cùm multa adversa nunciarentur, aliquanto perturbatiori animo visus fuit, inter prandium hallucinari visus est, hora octava pomeridiana injectus est consuetus clyster, quem brevissimo tempore retinuit, post multa excrevit: itaque de electuario cephalico dedi, nasalia admittere noluit, dorsum tamen inungi passus est, dormivit nocte, neque quicquam absurdi locutus est.

D. 2. Aug. assumsit ℥vj. gelatinæ ribium, aqua præscripta os colluit, pulvis capiti inspersus est, nasalia autem admittere noluit. Post meridiem dedi de electuario, caput lotum, spiritibus adspersum, iterum tentata nasalia & leniter. Vesperi hora octava dorsum inunctum, & caput spiritibus irroratum est, post decubuit. Hodie cum mentis hallucinatio & capitis aggravatio pertinaciùs hæreat, metum cancellario ostendi. Hac nocte benè dormivit, sed somnia habuit turbata; unde caput adhuc prægravatum potuit conjici.

D. 3. Aug. propinavi pulverem A. C. cum aqua bezoartica, pulverem capiti inspersi, in prandio satis prudenter locutus est, vesperi hora tertia caput lotum est, spiritibus cephalicis irroratum & pulvere adspersum.

D. 4. Aug. potionem ex Rhabarb. sumsit, & tertia pomeridiana electuarium, caput lotum est, & irroratum, noctu dorsum inunctum.

D. 5. Aug.

D. 5. Aug. pulverem ad casum cum aqua bezoartica sumsit, adspersus est pulvere; hora octava caput lotum, spiritibus inunctum, & nuchæ, scapulisque quatuor cucurbitulæ scarificatæ appositæ & dorsum oleis præscriptis primum inunctum, & unguentum prius abdicatum.

D. 6. Aug. Gelatina ribium sumta, à meridie electuarium confortans.

D. 7. Aug. sumpsit pulverem A. C. cum aqua bezoartica, caput lotum, spiritibus irroratum, dorsum inunctum oleis, cucurbitulæ siccæ adhibitæ, & pulvis sternutatorius in nares insufflatus. Pomeridiana tertia sumsit electuarium, circa somnum dorsum inunctum est.

D. 8. Aug. Mane Vestimenta induit, pulverem A. C. sumsit cum aqua bezoartica, deinde exercitum visitavit.

D. 9. Aug. sumsit potionem ex rhabarb.

D. 10. Aug. pulverem A. C. cum aqua bezoartica, caput lotum spiritibus inunctum.

D. 11. Aug. clyster consuetus appositus est, cucurbitulæ siccæ dorso fuerunt appositæ, & sic perreximus in alterno usu clysterum, purgationum, pulveris A. C. cum aqua bezoartica, inunctionum, cucurbitularum & reliquorum, quorum antea facta est mentio, usque ad 28. diem Augusti, morbi autem diem 35. ubi benè valere visus, & *Arnisæus* advenit, neque quicquam incommodi sensit.

Medicamenta Regi Præscripta.

♃. Aloes insuccat. ʒvj. Pilul. de Rhab. ℥ß. extr. hellebori nigri panchymag. Croll. cor. an. ʒj. Mumiæ ʒj. Castor. ℈ij. Diagrid. ℈j. ol. carv. cinam. an. gutt. vj. cum aq. cinam. f. Pilulæ ex ʒxv.

♃. Gelatin. rib. laxat. ℔ij.

♃. Aq. apoplect. L. ang. ℥vj. Spir. Sulphur. ℈j. Syrup. de chichor. ℥j.

♃. Ol. rut. dest. carv. an. ℈j. caryophyl. ℈j.ß. lavend. ℈ß. nuc. mosch. expr. q. s. f. Balsamus.

♃. Acet. Bezoart. ℔iij. Aq. Theriacal. ℥iij. spir. sassafr. ʒiß. syrup. de cinamom. de acetosit. Limon. de eupator an. ℥iß. spir. sulphur. acid. ℈ij.

♃. Ungu. potabil. ℥vj.

♃. Ocul. cancr. præp. ʒj. succin. alb. præp. ʒij. rad. tormentill. vincetox. rub. an. ʒj. Lap. bezoar. ℈ß cinamom. ʒj. terr. sigill. v. bol. Armen. an. ʒj. sacch. ex Julep. rosar. candisat. ℥j. f. pulvis A. C.

♃. Rad. Irid. flor. calam. arom. pyreth. angelic. meu an. ʒj. fol. ror. marin. salv. an. ʒß. flor. lavend. p. ij. pæon. primul. ver. an. p. j. sem. rut. bacc. laur. exs. an. ʒß. aq. destill. salv. ℔ß. rut. lavendul. an. ℥iij. Acet. vin. acerrim. ℥j. stent in infus. per horas 2. postea balneo ferveſcant & colentur, colaturæ add. mell. anthosat. ℥j. oxymel. scillit. ℥jß. spirit. vitriol. ℈j. M.

♃. Rad. althææ, gentian. helleb. nigr. præp. an ʒj. Herb. hyssop. beton. majoran. meliss. an. m. ß flor. chamomill. Rom. p. ij. bacc. laur. ʒj. Coq. in aq. font. & in fin. add. vini tertiam partem, colaturæ.

♃. ℥x. add. confect. Hamech. Diaturbith. c. rhab. an. ʒiiiß. mell. anthos. ℥j. f. clyster.

♃. Elect. diaturb. c. rhab. diaprun. hamech. mell. mercurial. anthos. an. ℥iß. rosat. ℥iij. M.

♃. Conserv. rad. cichor. Scorzon. an. ℥j. majoran. ℥iß. Veron. marrub. an. ℥ij. rut. ℥j. flor. ror. marin. lavend. an. ℥j. nuc. indic. ℥vj. myrobal. emblic. ℥ß. conserv. flor. rosar. rubr. ℥iij. conf. Alkerm. ʒiij. spirit. Vitriol. ʒiß. syrup. d. cinanam. s. m. f. Electuarium.

♃. Rhabarb. ℈iiij. fol. sen. ℈j. Turpeth. ℈j. passul. Corinth. ℥j. spic. ℈ß. sem. fœnic. ℈j. aq. endiv. fragar. an. ℥iß. Acet. flor. salv. ℥iß. infund. & col. colaturæ adde syrup. diaser. ʒvj.

♃. Rad. aristol. rot. v. gentian. an. ℥ß. costi ʒij. Herb. majoran. rut. salv. an. mj. flor. chamomil. stæchad. an. mß. scob. Lign. sassafr. ℥ß. bacc. laur. exs. ʒvij. agaric. crud. ʒvj. fol. laur. ℥ß. nuc. moschat. ʒij. incisa D.

♃. Sapon. venet. ℥iij. agaric. crud. ʒij. cinam. caryophyl. an. ʒiß. rad. irid. flor. ʒij. camph. ℈ß. mosch. ambr. an. ℈ß. cum aq. majoran. & lavend. formentur globuli pondere ʒij. S. sapo odoratus.

♃. Tartar. vin. ℥ß. litharg. ℥ß. alum. ʒij. sal. comm. ℥ß. aqu. fontan. pur. ℔iß. solan. plantag. an. ℔j. Acet. vin. acerr. ℔ß. m. & coq. in vase clauso, neque aperiatur vas, antequam refrigeretur, tum transcoletur.

♃. Gum. elem. anim. an. ʒij. Mastich. thur. an. ℥ß. caran. stirac. an. ʒvj. fol. ror. marin. salv. majoran. an ʒj. m. f. pulv. pro fumo.

♃. Rad. Irid. flor. ʒij. lign. Rhod. aloes an. ʒiß. sassafr. ʒij. fol. ror. mar. majoran. an. ʒj. flor. lavend. p. ij. gumm. anim. tacamah. an. ʒiij styrac. calam. oliban. an. ʒj. f. pulvis deinde.

♃. Mosch. Zibeth. ambr. an. ℈j. m. & diluantur accurate in aq. cinnam. & lavendul. an. ℥ß. postea misc. cum pulv. iterumque exsiccetur.

♃. Cort. limon. exsicc. ℥j. rad. irid. flor. ʒij. calam. arom. pimpinel. enul. an. ʒj. turpeth. el. ℥j. fol. ror. marin. salv. an. ʒij. scob. lign. sassafr. ʒij. santal. rubr. agalloch. an. ʒj. sem. carv. ʒij. fl. caryoph. hortens. rosar. rubr. an. p. ij. passul. corinth. ℥ß. vin. rhenan. ℔xiij. spir. vitriol. ʒj. infund. & add. zingib. ʒiß. cardamon. ʒvj. caryophyll. cinam. an. ℥ß. sacchari ℔iß. f. decoctum.

♃. Spir. salv. chamomill. R. calam. arom. hyss. an. ℥j. aq. carbuncul ℥vj. m.

♃. Ol. arthrit. ℥iß. terebinth. ℥ß. chamomil. dest. ʒj. majoran. salv. rut. an. ʒß. M.

♃. Spirit. rut. majoran. lil. convall. an. ʒiß. cinam. ℥ß M. S. spiritus cephalic.

♃. Radic. hellebori albi, pyreth. an. ʒij. h. majoranæ, tabaci an. ʒij. semin. rutæ staphisagr. an. ℈j. euphorb. ℈iß. m. f. pulvis. *Thomæ Bartholini.*

Varia cadentium fortuna.

Tralatitium est & vulgo etiam compertum homines nonunquam cadentes ex edito loco non lædi, sive si id angelorum custodiæ (quod malim credere) adscribas, sive corporis positioni inter cadendum fortunatiori. Talis mihi cognitus, qui puer ex alta turri in saxeum stratum præcipitatus, postquam se ca-

dens pedibus excepisset, nullum damnum sensit, nisi calopodiorum ligneorum, quibus pedes munierat, fracturam. Libuit tum experiri sociis ejus verumne esset, quod vulgò jactari solet ælurum, quomodocumque cadat, semper ita se in medio periculo gubernare, ut terram attingens insistat pedibus. Projectus ergo è fastigio turris in ipso lapsu varie gyrabatur, nonnunquam pronus, aliquando supinus, sed ubi ad pavimentum allisit; in pedes erectus subito cursu profugere nitebatur, & currebat strenue ad teli jactum, mox in ipso cursu mortuus diriguit, cerebro, opinor, ex illo lapsu nimium concusso. Altioris est indaginis, quod Sevenhusæ in Hollandia quotannis accidit, & mihi bis spectatum est. Nemus ibi surgit modicum, sed in quo plurimæ arbores volucrum nidis occupantur, succedentibus sibi in iisdem cubilibus, varii generis alitibus; de quo plura *Heginitius* in Itinerario Hollandiæ. Concesseramus istuc aliquot amici eo tempore, quo corvi aquatici in nidis imperium exercent, non planè implumes, sed nondum volucres. Igitur præmonstrator noster ut artificium capturæ ostenderet, contum altero extremo recurvum arborum uni sic satis proceræ, sed trunci tenuioris impingit, & varie agitando, succutiendoque duos corvos plumatos quidem, sed alis suis nondum fidentes nido excutit. Illi qui aquarum naturam experti nunquam fuerant, in medio lapsu dum superficiem aquæ (suberat enim rivus, in quem decidebant) attingunt, tanta sagacitate immergunt se undis, ut cum tres famuli astarent, omnes itidem sudibus longis armati, ut decidentes interimerent, ictus eorum diu eluserint, alio scilicet margine rivi emergentes, quàm quo in cædem parati excubabant; Dixisses volucres has, & vix bimestres, in illo foro evadendi pericula, pluribus annis dexterrime spectatas fuisse, ita nulla esse potuit matrum solertia prudentior. Id quod mea quidem sententia, satis evidenter docuerit notiones quasdam fœtibus animalium ingenerari, sine prævio genitorum magisterio; neque enim hi, ut ita dicam, corvuli, imperiti rerum & experimentis imbuti nullis, nec à nido in terram prospectare docti (tantum abest ut assueti lymphis fuerint) hos omnes cursus, recursusque, has è periculis intentatis exeundi technas scivissent, nisi ab innato emanassent principio. Quin & anatum ova gallinis incubantibus supposita attestantur idem: exclusi enim hi antitini pulli & gallinaceis permisti, ubi ad fluviolum venitur, statim, nullo nisi intestino doctore, aquas ingrediuntur, natant, alimenta quærunt, stupente veluti gallina, pullorum quos suos æstimat, degenerem indolem. At hi pulli matrem viderunt nunquam. Hæc eo tendunt, ut si notiones suas claras, distinctasque ab ovo secum ferant volucres, majorem utique prærogativam largiamur animæ humanæ (ut cumque suas alioquin tenebras agnoscat) nec eam vel existimemus tabulam rasam esse, generalem vel regulam; *nihil esse in intellectu, quod non ante fuerit in sensibus*. Sed ad cadentes iterum: Alius è scopulo Stephanite ad trecentos pedes in præceps per infortunium actus, piscatorem in subjectis undis cymbulæ suæ inhærescentem subito lapsu exanimavit, ipse salvus. Sacerdos quidam Hasniensis fallente vestigio è scalis suis proruens in filiam advolantem caput impegit elisurus haud dubie calvariam, nisi ex improviso adstitisset virguncula. Verùm superat hæc omnia fatum Svecanæ fœminæ, quæ mense Augusto hujus anni, ex incensa à nostris ad Calmarniam bellica hostium nave (cui à clave nomen) in sublime ultra centum pedes cum infante, quem ulnis retinebat rapta, deflagrante simul omni tormentorum pulvere, in mare inter medios ignes salva procidit, puerulo suo comitata, & à nostris excepta. Olandiæ suæ reddita est, ut facti sui lusum, & nostrorum misericordiam evulgaret. *Olai Borrichii.*

De lapsu ex alto indemni.

Fieri miracula in Medicina, non *Avicenna* solum, sep ipsa experientia dictitat. Occurrunt exempla θαύματα ἐ λόγου δεύμενα, ἢ πίστιν τοῦν ὑπερ ἔχοντα, quibus sæpenumero τὸ θεῖον subesse, nemo nisi atheus negaverit.

I. F. Evvaldi, Civis & Pannificis h. l. filiolus trium annorum 1669. d. 25. Jul. in avi sui domus secunda contignatione, circa fenestram lusui occupatus, & e scamno pronus in plateam lapidibus ubique stratam despiciens, pondere superioris corporis extra librato & declinante, præcipiti in caput lapsu decidebat, 17. pedum altitudine. Vocati cum binis chirurgis in consilium invenimus infantem præter solum ploratum, alias optimè habentem, nulla cutis læsio, nullus tumor, nulla cruentatio apparebat. Quare internè Pulverem Cephalicum bis terve propinavimus, externè verò sacculo ex plantis cephalicis interpassato, & vino incocto caput fovimus, hinc emplastro de Betonica imposito intra triduum omne negotium absolvimus, ipso interim puello assiduo bene habente, qui & hunc usque in diem quàm optime valet.

Verum quidem est rotundam figuram esse omnium perfectissimam, quæ ubique se sustinet, & contra externarum injuriarum impetum particulis & nexibus quasi concatenatis armat, nullibi facilè admittés aditum, & hinc capitis sphæra non aquè fracturæ, aliisq; injuriis subjacet, quod ob hanc ipsam causam natura (quæ *Galeno* teste, nullam partem reliquit *ἀφρούρητον incustoditam, contra injurias non bene munitam*) tali donavit figurâ, ut durum oporteat esse ictum, qui respectu aliarum partium, Osseum hunc fornicem perrumpere valeat. Nihilominus pium & christianum est, divinam hic agnoscere manum, quæ teneros potissimum & molles infantes protegit, & Angelis tutelaribus ubique sepit, ut ex Sacris latius deduci posset, nisi falcem in alienam messem immittere dubitaremus. *Georg. Wolfg. Wedelii.*

Ex lapsu ɩalus.

Civis quidam noster (cujus nomini parco, quod inter nos hodieque sanus, & bene habitus vivat) itinere Helsingoram instituto, per aurigæ incuriam everso currû in saxum impingit, inter cœtera, quàm vehementissimè sinistrum testiculum jam ante per sedecim annos scirrho, & tumore præter naturam obsessum. Delatus

tus mox in hanc urbem, præter dolorem partis contusæ febri corripitur & quidem continuâ. Cui ut malo obviam maturè iretur, rogatus cataplasmatis partem affectam foveri jubeo, & febri pharmacorum oppono solemnia. Duravit morbi & medicaminum conflictus mensem propemodum integrum, donec natura victrix & scirrhum sustulit, & contusione immani præmollitum, & natam ex dolore febrim exstinxit. *Olai Borrachii.*

Ex casu contusio maxillæ, vomitus, febris cum delirio & sopore, sinistri lateris motus convulsivi. &c.

Puerulus 4. circiter annorum. Vegetus ac vivax, cum aliquando currum imprudens conscenderet, cum fraterculo, de eodem in terram præceps concidit, ita quidem ut maxilla dextra inde præcipue contusa fuerit, capite aliisque partibus immunibus: nihil quoque sanguinolenti vel per os expuit aut per nares excrevit: Parentes mali sublitescentis inscii, externè remediis domesticis contusioni obviam iverunt, aliquot autem diebus post, Ægrotulo cibum renuente, imò, si quid injecerat, mox evomente, graviora subveriti convenerunt nos die 14. Maii 1683. conquesti de imbecillitate ventriculi, quâ filiolus laboret, cui Diaph. mart. C.C. philos. ppt. ungul. alc. aliisque his similibus prospectum ivimus: Triduo post ingruentibus, nausea, vomitu, siti intensa & inquietudine apud misellum ut accederemus ipsi petierunt, simulque quid mali nuper acciderit retulerunt; pulsus celer erat & frequens, urina saturata: interne pro resolvendo & discutiendo sanguine grumescente, usi fuimus cinnab. antim. rectif. ant. diaphor, cum spir. urin. addit. aq. destill. externè vero Balsam. de Peru cum ol. destill. menth. ventriculum inunximus: sub vesper. symptomatibus persistentibus, mixtur. ex antepil. diaphoret. per cochlearia sæpius propinandam suasimus, cui d. seq. febri augmentum sumente miscuimus spir. C.C. addito Epithemate cum spirituosis penetrantibus, quo caput subinde foveatur: postero die pulsus celer erat & inæqualis, intermittens; Urgebat sopor profundus cum delirio: Expergefactus statim obdormiit, sinistro latere immobili, adinstar trunci existente: de abscessu sublitescente Parentibus suspicionem nostram aperuimus: vesicatoria inde applicari jussimus, ad quæ ipsi prorsus obmutuerunt, abrasis capillis, sacculos ex herbis aromaticis cephalicis, hinc & columbam vivam per medium sectam imponi curavimus, pergendo juxta in internis: vesperi reduces in copioso sudore ægrum offendimus, sed citra διαφορίαν pulsus matutino similis: delirabat & vigilans tortis oculis adstantes salutabat: Clyster injectus à quo materiam satis graveolentem sed parce dejecit: nox subsequens inquieta fuit ægerque dentibus stridere cæpit: Vesicatoria deinceps imperata, præscripta vero Emulsio in 2. Dos. ex Semin. card. benedict. aquileg. cucurb. cum aq. scabios. beton. add. C. C. Philos. ppt. qua rursum idoneum sudorem excitavimus, sed citra ulterius emolumentum: Mane quippe postero motus convulsivi invaserunt, qui paulatim increbuerunt & misellum die sequente morti tradiderunt: incassùm adhibitis ante-pilept. internis & externis.

Sectione, quâ haud dubiè prædictiones nostræ obfirmatæ fuissent, ob alterius parentis rusticitatem prohibiti fuimus. *Joh. Jacob. Harderus Apiarii Observ. 32.*

Anatomicæ inspectiones.

Ex casu, capitis contusio, apoplexia &c.

Anno 1674. mense Januar. Molitor quidam transrhenanus, ubi prius Baccho aliquantum indulserat de scalis ex alto decidit, domumque vectus mox instar statuæ sine sensu & motu jacuit, vomuit enormiter & sanguinis per aures eruptionem passus est, vulnere in cranio nullo apparente; die postero hinc emigravit. Cranio ex artis præscripto remoto, sanguis inter ipsum & duram matrem copiose in occipite extravasatus deprehendebatur & totâ sui mole cerebellum versus & spinalem medullam procumbere. *Joh. Jac. Harderus Apiarii Observ. 31.*

Vir quadragenario major in vicinia, die 24. Januarii anni 1692 è sublimiori loco procidebat, & caput in saxa quibus strata erat in quam decidebat platea, tam vehementer allidebat, ut inde non parvum vulnus effectum sit. Chirurgi adstantes cum viderent magnam contusionem, incisionem per illius longitudinis majorem partem ex arte deducunt, venæ sectione etiam priùs celebrata, sed nihil amplius in diem usque 27. prædicti mensis tentare ausi sunt; quo tempore cum Chirurgo dexterrimo J. J. Coudougnant advocatus, febri satis intensa & phrenetica quasi affectione vulneratum laborare vidimus, tum explorato vulnere, cum de effracto cranio nobis constitisset, dilatata quantum necessarium fuit incisione, trepanum sequenti die applicandum decrevimus, quod etiam factum cum tanta sanguinis per foramen à trepano confectum evacuatione, ut ad libras ad minimum duas assurgeret, metumque nobis incuteret subitæ mortis tam larga hæmorrhagia, res tamen in melius abire visæ sunt postea, ita ut æger noster & cum ratione loqui, & alimenta assumere, imò febris remittere jam non parum inciperet, cùm nescio quo fato omnia in pejus ruere subito occeperunt die prima februarii, eaque ipsa die Caroticus obiit. Cranio elevato, vidimus fracturam non tantum per totam longitudinem ossis bregmatis dextri, sed etiam ultra suturam lambdoideam ad ipsum os occipitale extendi; duram præterea & piam meningem in toto illo cerebri hæmispherio quasi putridam, imò cerebrum ipsum infra usque ventriculos sphacelo prope affectum & prorsus diffluens reperimus. Unde mirari subiit quomodo vulneratus hic in tanta cerebri, & commotione & contusione, quam corruptio prædicta subsequuta est, etiamsi trepano exitum sanguini effuso pro viribus parassemus, nec paralyticum, nec convulsivum quid passus fuerit, imò à trepano applicito ad interrogata sine delirio responderit, donec parum ante fatalem horam Caro lethali affectus fuerit.

CATAGMA
Vid.
FRACTURA.

CATALEPSIS.

Catalepsis, aliis *Catoche*, *Prehensio*, *& Congelatio* est affectus in quo ægri rigidi, & quasi congelati corporis situm servant in quo erant cùm ipso corriperentur: immotis autem & apertis plerumque sunt oculis, motu & sensu destituti. Affectus hic ita rarus est ut unicam ejus historiam proponat Galenus, duas verò Fernelius, alii sc. Skenkius, Forestus, Tulpius alias itidem habent. Nos aliquoties hunc affectum vidimus, sed non legitimum, & subitò prehendentem, qualis fuit ille quo corripiebatur Galeni condiscipulus dum studiis attentius incumberet; sed febris vel continuæ vel intermittentis peioris notæ semper fuit fœtus & proles. Illius à mensibus retentis orti hanc habet descriptionem Clar. Diemerbroëkius. Domicella 20. annorum ob menses parciùs fluentes uterinis suffocationibus subindè obnoxia, his diebus subitò prehensa omnis sensus expers remansit, & in illo, quo prehensa fuit, corporis situ, obriguit, oculos apertos ac fixos detinens, nihil tamen videns. Si adstantes brachium illius sursum, deorsum, vel ad latus deflecterent, illud in tali situ remanebat. Si ægram in pedes deponerent, stabat; si corpus impellerent, pedem promovebat. Respiratio autem libera persistebat. Cùm hic paroxysmus per horam durasset, tandem ad se rediit ægra immemor omnium quæ ipsi contigerant. Post biduum simili paroxysmo de novo detenta fuit, qui etiam sponte cessavit. Sic unus ex illis quem vidit Fernelius è lectulo sublatus cum spiratione facili, solus consistebat, quicquid in os inferebatur promptè vorabat, impulsus incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum & stabile permanebat. Expressam quandam, addit, dixisses larvam, aut arte progredientem statuam.

Partem affectam in hocce affectu cerebrum esse, aut potius spiritus animales, nemo inficias iverit, atque eô potissimum quòd Galenus eum viderit à nimia attentione, spirituumq; defatigatione in libris pervolvendis & perlegendis in suo condiscipulo natum. Forsitan aliquando, ut in casu è Diemerbroëkio allato, ut & in aliis à nobis ipsis observatis, fomes morbi alibi nidulans in cerebrum emittit materiam qua spiritus torpore corripiantur & quasi congelentur; sed non minus propterea cerebrum aut spiritus ejusdem incolas affici dicas, aut minùs exigere remedia quibus excitentur, & excutiatur copula illa heterogenea motibus per eosdem peragendis adeò infensa, & ipsi cerebro & nervis, ut quibusdam placet, quasi impacta.

E supra dictis satis explicatur morbi istius diagnosis ut & ejusdem ab aliis capitis affectibus differentia; unde non opus est illis enarrandis ulteriùs immoremur.

Causam quod spectat, eam exquirendam cum Galeno non credimus in frigida cerebri intemperie, nervos constipante & congelante, talem enim intemperiem in subjecto vivente non opinamur possibilem. Sennerti spiritus congelans verba tantùm & voces nihil amplius continet, quamvis exemplo fulminis aut spiritus ab eodem profecti, atque homines aliquando congelantis, illum illustrare conetur. Sylvii coagulatio, analoga illi quæ è spiritu vini & urinæ invicem mistis oritur, pluribus nominibus non arridet, primò quod tales humores in cerebro vix, imò nunquam reperiantur, qui tamen pro morbo isto faciendo per totum hoc viscus & in omnes nervorum origines subitò effundi deberent. Secundò quia etiamsi daretur, similes humores in cerebro nasci, vel in illud aliundè elevari, non sic omnis spirituum animalium vis hebetaretur, nam è miscella spiritus vini & urinæ quod præcipitatur penetrantissimum est & ad minimum calorem præ volatilitate sublimatur, quod verò liquidum perstat, quamvis corpus mistum, non est minùs mobile, aut viis sibi per nervorum canaliculos reserandis aptum. Superest igitur, ut missis aliis aliorum sententiis de Catalepseos causa, ad eam quam legitimam credimus continuò veniamus. Morbus autem hic cùm melancholicis & iis qui assiduo disciplinarum studio se se fatigant potius quàm aliis sit familiaris, non incongruè pronunciabimus illum de genere exstaticorum affectuum esse. Sic ipsius ideam imitabatur Socrates, qui referente Gellio se se exercens in vestigiis patientiæ perdius atque pernox, ab altero solis ortu ad alterum orientem cogitabundus, & immobilis perstabat. Si itaque dispositio melancholica in qua spiritus pauci dantur, iique ad voluntatem minus mobiles, concomitetur attentionem & contemplationem illam fixam à studiis, vel aliunde ortam, in ea attentione procul dubio parcior spirituum copia in cerebro ad motus voluntarios peragendos degens tota impendetur; sicque revera animalium spirituum pars perexigua in tota nervorum longitudine, ut & fibris muscularibus existens motibus naturalibus ad tempus continuandis par erit, ut & ipsis motibus etiam voluntariis ad externam impulsionem peragendis; sed si diuturnior foret affectus, atque anima unionis cum corpore quasi oblita spiritus in cerebro longiùs detineret, tandem membra omnia ac viscera auxilio tam benefico defraudata, conciderent, sanguinis circuitus & imminueretur, & periret, unde mors prompta expectanda foret. Quod autem objicietur ex Diemerbroëkio, sc. quòd anima in hocce affectu omnium oblita, contemplationis cujuspiam in qua attentionem tam fixam adhibuerit omnino sit immemor, à nostra nos sententia minimè dimovet, nam præterquam quòd illud ex unica tantùm historia ab Autore prænominato allata colligi potest, facillimè eveniet ut spiritus post longiorem defatigationem, indeque factam absumptionem attoniti permaneant, meatusque in cerebro ad tempus non aperiant per quos memoriam præteritorum refricent, aut præsentis meditationis, ideam imprimant.

Prognosis non æque periculosa ac in Apoplexia, in quam, tamen hic affectus si longiùs pro-

protrahatur facillimè degenerat. Si malum non sit idiopathicum, si ejus causa in cerebro non nascatur, sed eò aliunde feratur, si spontè & per spirituum vitium subitò non adveniat, si invasiones sunt breviores, aut earum recursus non sit nimium frequens, facilius dispellitur: Sin minus periculo eoque etiam gravissimo non vacat.

Indicationes sunt cerebri corroboratio, spirituum excitatio, attentionisque & contemplationis nimium defatigantis, & longiùs protractæ, abstinentia. Duabus prioribus potissimum providetur volatilibus aliisque in capitis morbis, remediis recensendis; tertiæ, eique sane præcipuæ, potissimum medetur ratio, quæ hocce in negotio Medicinæ utrique, sc. Galenicæ & Chymicæ, prævalet.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Curatio Catalepsis duplex instituenda est; una in Paroxismo, altera extra proxismum, in Paroxismo ad ægrum excitandum conveniunt ea remedia quæ in soporosis affectibus descripta sunt. Extra Paroxismum curatio melancholiæ hic omninò conveniet, si catochus ab humore aut vapore melancholico generetur quæ quidem causa frequentissima est. Si autem frigida intemperies sola, à causa externa, vel interna producta huic malo originem dederit: quæ illam emendant remedia e capite primo hujus libri erunt depromenda, ac denique si copia sanguinis hunc affectum generet, vel foveat, illius imminutio per venæ sectionem erit consentanea.

Victus ratio calefaciens & humectans præscribenda erit, sicut in affectibus ab humore melancholico oriundis. *Lazar. Riverius Praxeos, Med. lib. 1. cap. 4.*

Quoniam catalepsis morbus rarissimus esse solet, alto silentio scriptores curationem præterire contenti solummodo generaliora præscripsere, communia his, quæ ad Epilesiam referuntur. Sed & Sylvius conferentia solum autumat sale volatili acriori prædita. Quendam mihi aliquando contigit observare qui levamen maximum persensit, (cum nihil per os assumere posset) à balneis ex chamæmelo, fœnugræco, anetho, malva, althea, meliloto, seminibus lini, additis salvia, betonica, nicotiana itemque linimentis ex Galbaneto Paracelsi, essentia lavendulæ, Oleo nucis myristicæ, & ceræ. Capucinus catalepticus relatus ab Henrico Heers his remediis curatus fertur. Primum, glande acri alvus soluta est, unde membra movit, surrexit & ambulavit; omnium præteritorum tamen immemor. Tum fricatis naribus ex ptarmico potentissimo sæpe sternuit mucumque excrevit simile glaciei, deinde ingressus laconicum flatus discutientia assumpsit. Postmodum ab usu clysteris validissimi, & carthartici purgatus est; atque insuper decocto herbarum capitalium, cerebelli regio, & universa spina tota est ac convenientibus oleis inuncta: Pro potu hydromel dilutissimum, in quo sassafras, fœniculum, & anisum ebullierat, ebibit, admisto vino fulvo: Ac tandem in dies exhibitum fuit conditum ex electuariis, acori, stæchados nucis myristicæ, zingiberis cum Theriaca & confectione pliris arconticon; seque in posterum, cum malum persentiret, oleo calido toti spinæ affricto à congelatione præcavit. Alium narrat Forestus, qui non dissimiliter à clystere & balano acribus, inunctionibus, decocto cathartico & roborantibus cephalicis convaluit. *Lucas Tozzi Medicin. practic. lib. 1.*

Consultationes.

Perillustris patiens, annum agens 23. perspicacis ingenii, in infantia habuit caput tædis crustis intectum, per abscessum retro aurem sinistram disruptum sanatus, mox & totum corpus squamosis crustis fuit fœdatum, sola blanda purgatione, seri lactis usu, & halituoso sudore delitescentibus: ita tamen ut ex levi qualibet ambientis frigiditate tussicula quædam sicca suboriretur, nisi suffultis vestibus indueretur. Adultior factus, frigidis humidisque alimentis familiariter usus, longo scribendi & legendi labore defunctus, post graves animi passiones, dum casu cubitum ad parietem allisit cum dolore maximo, in scalam antrorsum prolapsus est derepente querulusque mansit, absque loquela & sensu jacuit; post aliquot vero menses, à cæna & usu variorum fructuum, horariorum, potu vini frigidi, & aquæ gelidissimæ, mane dolore ventriculi acuto suborto, brevi temporis spatio perstitit immobilis, insensibilis, rigidus, cum oculis apertis immobilibus, facieque pallida, & veluti cadaverosa reddita. Quibus affectibus ante biennium semel atque iterum correptus fuit, post laboriosum motum accedente quinetiam longa, eaque spuria catarrhali gonorrhæa, variis præsidiis perfectissime sanata; propterea quærit, quænam sint horum affectuum natura, causæ, qui futuri eventus, & curatio.

Quibus paucis satisfacturi, non omissis tamen utilioribus, statuimus, affectum præcipuum Nob. hujus Patientis, alium non esse, quàm, qui à Græcis Catochos, vel catalepsis, à Latinis congelatio dicitur: non tamen accepto cathochi nomine, ea significatione, quâ usus est Hippocrates in coacis Prænotionibus, ubi legitur, Cephalalgias, Catochos, latine vertitur à Dureto dolor capitis firmiter fixus. Sic enim quilibet affectus firmus, & stabilis, seu in habitu, catochos vocatur: minus, sumpta voce catochi, pro affectu mixto ex lethargo, & phrenitide à græcis Typhomania dicto, quo sensu usurpatur ab Ætio, vel pro comate vigili sicut à Paulo Ægineta: Sed pro affectu specifico à prædictis distincto, à Gal. descripto 2. in Primum Prorrheticorum text. comm. 56. in condiscipulo suo sic scribente: *quidam etiam ex nostris condiscipulis, cum assiduo disciplinarum studio fatigaretur, malo hoc correptus est. Jacebat enim veluti lignum prorsus inflexus, rigidus atque extensus, & videbatur oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniveret quidem, nihil tamen loquebatur.* Et in eadem significatione sumitur ab eodem Gal. 2. de causis symptom. 7.4. de Loc. aff. 2.2. Aphor. 3. Libro de sympt. Different. 3. & alibi; quo sensu aliquando est tantum in principio: quo tempore est vitium solius motricis

tricis facultatis, non autem sensitivæ & principis, qualis fuit condiscipuli Gal. qui videbat audiebatque ea quæ dicebantur, dictorumque factorumque post accessionem recordabatur, ut tulit ipsemet Gal. Aliquando vero est affectus confirmatus, quem propterea Gal. lib. de sympt diff. cap. 3. agens de rectricis facultatis vitiis asseruit esse veluti paralysin, & resolutionem imaginationis, qualis est affectus Nob. nostri patientis, inquo propterea non erat corporis rigiditas, sed & insensibilitas, & abolitio functionum principum. At vero cum oculorum inconniventia, corporisque rigiditas observata non fuerit in prima accessione, credendum est, illam fuisse potius levem Epilepsiam, cum quærulus fuerit & gemuerit, ut fieri solet in accessione Epileptica. Ideoque in utroque hoc affectu cerebrum est pars affecta, magis tamen secundum ventres, quam secundum corpus, sicuti in melancholia afficitur secundum corpus magis quàm secundum ventrem, & præsertim secundum ventriculum posteriorem, ubi est internum principium medullaris substantiæ, à qua emanant omnia septem nervorum paria, cum ad anteriores tùm ad posteriores partes, quæ per irradiationem facultatem diffundit, cum sensitivam tum motivam, sensus, & motus instrumentis.

Ac Proinde causa immediata non est intemperies frigida & sicca, ab aliis authoribus proposita. Hæc enim neq; citò accedit & recedit: quod non fit in hoc affectu. Negari quidem non debet aliqua imbecillitas caloris nativi cerebri siccitati juncta, cujus ratione in Juvenili ætate præditus est moribus, & prudentia senili; potestque facilè affici à causis morbificis, & coacervare excrementa, ut propterea cessante accessione remaneat gravitas capitis. Verum symptomatis causa est incrassatio spirituum animalium & induratio nervosæ substantiæ. Hinc enim fit insensibilitas, immobilitas & corporis rigiditas accedens & recedens. Crassitiei autem spirituum, & duritiei nervosæ substantiæ causam in statu præsenti aliam statuendam non censeo, quàm flatuum copiam cum pituitosorum in ventriculo genitorum ex erroribus in victu præteritis, tum & magis melancholicorum, partim in cerebro genitorum, ex vigiliis animique perturbationibus, assidua lectione & scribendi munere, partim à venoso, & arterioso genere elevatorum, ob immodicum exercitium, replentium quartum ventriculum, & principium spinalis medullæ, atque ita membranas extendentium, spiritusque incrassantium, unde rigiditas, & inflexibilitas, illi similis quæ a flatibus irrumpentibus in nervos fistulosos penis, una cum spiritibus inducitur: cui ut plurimum jungitur oculorum inconniventia, quoniam musculi palpebras attollentes sunt ita breves ut facillimè sese contrahere valeant ad quamlibet contractionem nervosæ substantiæ, ideoque aperiuntur oculi antequam fiat perfecta totius corporis congelatio, quam primum autem replentur porositates nervosæ substantiæ, cum incrassatione spirituum, tunc totum corpus rigidum manet, in illa figura in qua erat quando corripit affectus; Ut propterea dicendum non sit, motum hunc esse tetanicam convulsionem: quoniam in illa omnia membra recta sunt; multo minus, fieri hunc affectum à sola obstructione ventriculi posterioris cerebri, ut existimant alii: tunc enim aboleri quidem possent actiones ex impedita irradiatione spirituum, non tamen fieret rigiditas. Si enim in apoplexia in qua fit obstructio omnium ventriculorum cerebri, nulla fit corporis rigiditas, imo potius universalis flexibilitas, quomodo quæso solius ventriculi obstructio rigiditatem inducere poterit? Neque dicat quisquam quod ad læsionem ventriculi posterioris cerebri lædi debeat motus, & non sensus, supponendo verum esse id, quod ab omnibus fere admittitur, nervos scilicet motui inservientes esse in postica parte capitis, sensui vero dicatos in anteriori. Compertissimum etenim est nervos oculorum motui inservientes esse in anteriori: qui vero ori ventriculi & partibus thoracis facultatem irradiatione spiritus diffundunt pro sensatione, esse in postica partè cerebri. Omnes tamen originem habent a principio spinalis medullæ quæ continua est cavitati ventriculi posterioris cerebri, & cerebelli: unde facilè fieri potest læsio, non magis in organis sensitivis, quàm in motivis, quotiescumque pars illa graviter afficitur ut in casu præsenti: in quo cerebrum modo afficitur essentialiter, quando scil. ex vigiliis, studiis, animique pathematibus recurrit affectus; modo per consensum à ventriculo ex erroribus in victu; vel a venoso & arterioso genere, in motibus violentis; nec non & aliquando per consensum a corde, unde lipothimia, faciei pallor, & forsitan pulsuum imbecillitas observatur. Et hæc de essentia, parte affecta & causis sufficiant.

Ex quibus colligendum est periculosum esse præsentem affectum: cui propterea nisi brevi prospiciamus, periculum imminet, ne patientes moriantur stupidi, seu apoplectici, ut inquit Gordonius, vel saltem facilè fiant Epileptici, cui potissimum obnoxii sunt acris ingenii, qualis est noster N. patiens.

Quare congruis remediis prædictæ affectioni occurrendum est. Aliaque sunt agenda in accessione, & alia extra accessionem. In accessione clyster carminativus illicò præscribendus est cum decoction. thimi, epithimi, fumariæ, flor. chamæmel utriusque centaurii, addito electuario de benedicta laxativa, speciebus hieræ picræ Galen. mell. rof. sol. & oleo rutaceo. Fricandi sunt artus manibus inunctis oleo liliorum alborum & modico castorio: oblinendæ nares, tempora & occiput Oleo sambucino, cum modico Euphorbio. Vinum Creticum sub naribus detinendum, & si fieri potest, cuneis ligneis os aperiatur ac instilletur vinum Creticum, aut Hispanicum in os, vel spiritus vini cum cinnamomo, vel elixir vitæ, aliudve simile spiritus attenuans & recreans. Extra accessionem, corpus est diligenter purgandum, nec non & caput, illis medicamentis, quæ humorem melancholicum & pituitosum expurgare valeant, præmissa eorundem humorum præparatione cum syr. appropriatis: ut potè syr. de pomis, de suc. borraginis, acetoso simpl. & de corticibus citri cum decoct. betonicæ, melissæ, borraginis, stæchadis, menthæ: factaque purgatione cum syr. de polyp. composito, rof. solut. cum infusione sennæ & aga ici, in decoct. cordiali, vel exhibitis pilulis aggregativis

gativis, hiera cum ag. cum castoroo. Quo tempore non erit abs re sanguinem mittere ex cephalica dextri brachii, mox & ex venis sedalibus; in pauca tamen copia singulis vicibus, repetita venarum sedalium reseratione Vere & autumno. Inurantur quin etiam duo fonticuli, alter sinistro brachio, alter dextro interno femori ad revulsionem, & derivationem. Præter quæ remedia, duo præcipua ex usu futura censeo, internum unum, aliud externum; internum erit decoctum ex radice chinæ, ligno buxi, lentisci, & ligni visci quercini cum modico medullæ ligni indici, addita betonica, lilio convallium, ruta capraria, melissa, borragine & mentha, præmisso bolo confecto ex castoreo & mitridatica confectione, vel confectione de Hiacintho, & Alchermes. Extremum erit balneum aquæ dulcis æstivo hoc tempore, summopere ex usu, cùm universale tùm particulare capitis cum aqua tepida, lotio quin etiam fieri poterit cum lixivio dulci in quo decocta sint malva, tilia, Stæchas, & fl. chamæmeli. Ventriculo conferret stillicidium, vel ex oleis mastichino, de mentha, amygd. amararum, de absynthio communi, cum spica schænantho, & zingibere, facta ipsorum infusione & ebullitione in duplici vase cum vino Cretico, ad penetrationem, vel ex aquis thermalibus non inpensè calidis, quales esse possent in ægro nostro Patavino aquæ Lastrenses super posita summitate purpuræ, imbuta prædictis oleis, vel oleo de nuce moschata & caryophillorum. Aquas Thermales aliasque minerales intus exhibitas non laudo, sive sint frigidæ ratione jecoris, sive calidæ, ratione ventriculi, quoniam omnes tanquam exficcantes in affectu præsenti, proveniente potius à causis exsiccantibus, intùs sumptæ sunt aliquatenus suspectæ. Propterea si jecoris caliditas ad se curationem traxerit utatur succo cichorii depurato cum succo absinthii per aliquot dies, & à cibo semper sumat aliquid subastringens: puta diacydonium vel saccharum rosatum tabellatum.

Victus ratio primas partes habeat in omnibus sex rebus non naturalibus: ac proinde fructus horarii, lacticinia, aquæ potus, vinum nive refrigeratum, compotationes, comessationes sunt interdicendæ, cum cibis crassi succi, difficilis coctionis, & succum melancholicum generantibus: cænaque sit parcior prandio. A somno pomeridiano abstineat: vigiliæ diuturnæ, animi pathemata, assiduæ meditationes, longaque lectio, & scriptio quàm maxime officiunt. Exercitia non sint violenta. Aer valdè tenuis qualis est Genuensis, nimis calidus, nimis frigidus, venti Boreales, aquilonaresque constitutiones sunt fugienda: neque iter suscipiendum per loca nivosa & valdè frigida, aut æstuosa. Nimia venus, aliaque hujus ordinis, vel caput replentia, vel impensè refrigerantia, & exsiccantia sunt semper noxia. Alvus continuò lubrica servanda, cælique mutatio in temperatius, quale est nostrum Patavinum, vel aliud simile maximè erit juvamento. Et hæc pro salute perillustris patientis proponenda duxi, quam ipsi à præpotente Deo enixe precor. *Benedictus. Silvaticus, consil. & respons. medic. cent.* I.

Reverendiss. Abbas annorum 50. temperamenti calidi & sicci, habitus tamen mediocris, & hirsutus, rebus œconomicis sui cœtus magnopere addictus, & ideo vigiliis, curis atque cogitationibus nimium intentus, in febrem quartanam incidit à qua spatio mensium liberatus fuit. Spontanea superveniente venarum sedalium copiosa & repetita evacuatione. Hic tamen paulo post febre acuta correptus curatus fuit a Medico domestico remediis congruis; sanguinis scil. ex brachio missione, & quoniam dolor capitis cum vigiliis undecima transacta die, remissa quodammodo febre, non modo perseverabat, verum etiam auctus est, ideò summa cum ratione venas sedales aperiri jussit, post quam tamen sanguinis eductionem, spontè non advertente ægro, copiosius effluxit, Patienti Reverendiss. vires eripuit, exigua tamen febre relicta. Decima vero quarta febris die dum sedens in lecto cibum capturus esset, ex tempore totus rigidus factus est, sine ullo motu ulloque sensu, apertis palpebris, immotis manentibus oculis, & ore subridente. Pulsus erant paulo duriores, illæsa respiratio, & tota illa die excrementa retenta fuere. Post aliqua vero administrata remedia oculos movere iterum cœpit mox & reliqua membra, tandem ad se reversus asseruit se nusquam præteritorum reminisci, nec ullum in accessione cognovisse, vidisse, aut audivisse, sicque duos sequentes transegit dies, cum exigua febre, at non levi manuum & capitis imbecillitate; Die verò decima septima febris, & quarta ab accessione redit idem insultus, ipso decumbente, cum iisdem symptomatibus, quorum causa rursus accersiti, de agendis huic in modum sumus effati.

Affectus iste, in quo fit subita prehensio & occupatio tum mentis tum sensuum internorum & externorum, motusque voluntarii qua Reverendiss. Pat. rigidus manet in eo statu quo prehensus fuit, apertis & immotis oculis statuæ alicujus instar, & nec sentit, nec videt, nec audit, sola respiratione & pulsu illæsis manentibus, Catalepsis, sive Catochus proprius & exquisitus erit appellandus; dico proprius & exquisitus, nam catochum improprium & non exquisitum coma vigil nuncupavit Amatus Lusitanus, cum Hipp. nec non Doctissimus Langius & Fernel. ipse cum Ætio, & Paulo, in quo rigiditas & insensibilitas nunquam observatur; exquisito catocho necessaria, cum ipsius essentia in tribus consistat, rigiditate corporis, pristinam figuram servantis, oculis semper apertis manentibus, & sensuum privatione. Ita rigidus, calamum adhuc manu tenens, mansit studiosus ille de quo Fern. sicuti & Gal. condiscipulus. Oculis insuper apertis manent. Catocho deteti, utentus atque ideo comate vigili detentus fuit ille a Paulo descriptus, qui oculis clausis degebat, non autem catocho, sicut comatosus fuit ille quem refert Ætius, quia punctus membra retraxit; in quo præterea perfecta sensus privatio non adfuit, ut in catocho exquisito seu catalepsi.

Hujus affectus causa immediata spirituum immobilitas, regiditati totius corporis juncta ob quam differt Catalepsis ab Ecstasi, in qua spirituum quidem immobilitas cum sensus caren-

carentia, non vero cum rigiditate reperitur. Hæc vero causa immediata à variis mediatis procedere potest, sive à sola frigiditate, externa tamen, ex ipso Gal. ut etiam observavit Forestus in militibus illis per loca nivosa iter facientibus congelatis; sive à frigiditate & siccitate, siue à frigida & sicca materia, ut Paulus; sive à sanguinea, ut Ætius; sive à forti imaginatione, ut Rondeletius; sive à materia melancholica; ut Altimarus, Rudius, Massaria, Capivaccius; sive tandem à sanguine multo & crasso replente ac distendente venas & arterias in postica parte cerebri, ut Holerius Nicolus, Mercatus; In casu vero nostro causa immediata est intemperies frigida & sicca cerebri cum materia halituosa & Serosa melancholica in quam proclivis fuit Pater Reverendiss. accedentibus etiam causis procatarcticis; intentis nimirum applicationibus, curis, sollicitudinibus, vigiliis, prægressis febribus, ac tandem copiosa sanguinis hæmorrhoidalis evacuatione. Ita Gal. scripsit quod *causa immediata catalepsis est immobilitas spirituum animalium, cum duritie nervosæ substantiæ, proveniens ab intemperie frigida & sicca, facta vigiliis, curis, studiis, exercitationibus & hujusmodi aliis.* Unde narrat historiam condiscipuli sui qui ex assiduo disciplinarum studio catalepsi fuit captus, spuria tamen, quia præteritorum recordabatur.

A jam dictis igitur procatarcticis, in hoc patiente disposito, & antehac quartana correpto, facile fuit introducta in cerebro siccitas, cum frigiditate, simulque melancholicus ichor, qui in eodem, & præsertim ejusdem postica parte contentus, replendo, cogendo & exsiccando spiritus immobiles reddit, atque ita sensum ac motum universi corporis intercipit, non irradiata per eosdem motiva, ac sensitiva facultate, prout accidit patientibus Ecstasim, ut proinde ad catalepsim necessaria sit quoque rigiditas, atque durities, quam non à causa congelante, sed partim exsiccante, partim replente in casu nostro fieri credendum, cum causæ nervosam substantiam exsiccantes præcesserint, non sine exhalationibus à Serositatibus melancholicis (unde & affectio quarta die recurrit) quæ partes nervosas non secundum solam medullarem partem, (ita enim fieret Paralysis) nec secundum solas membranas (fieret quippe convulsio) sed secundum totam substantiam, tum exsiccando, tum replendo rigiditatem catalepticam inducunt, à quibus omnibus excrementorum retentionem secutam esse, quid mirum jam sopita facultate?

Affectus catalepticus est semper gravis & sui natura periculosissimus, cum nonnumquam eadem die, imo & paucis horis jugulet, & licet a Cælio Aureliano inter morbos chronicos reponatur, id solum admittitur ratione dispositionis, acutus quippe est ratione affectionis. Periculosior autem præsens est, post tot causas exsiccantes viresque prosternentes, & quia morbo acuto supervenit, unde dicebat Hipp. *quæ cum exolutione fiunt, & catochæ & aphoniæ perniciosæ sunt, non sic quæ repentè sanis adveniunt.*

Attamen quia facultas vitalis valida conservatur, & accessio prima, horarum spatio paucis remediis evanuit, non adeò rebellis causæ indicio, idem de præsenti sperare potest, atque etiam integra salus remediorum medicorum ope.

Et primo præsens accessio removenda, deinde futura præcavenda. In accessione vapores & humores spiritus cogentes & immobiles reddentes, à capite retrahendi, qui sunt in capite discutiendi totum & caput moderate calefaciendum, & humectandum.

Aque adeo statim clyster acris, omni industria, sicut alias, est injiciendus ex decoct. Thimi, epith. fumar. mercurial. pariet. chamæmel; additis mel. ros. sol. ol. lil. alb. ovi vitello, & modico sale. Nec omittantur reliqua revulsionum genera, frixiones coxis, natibus, cruribus, manibus inunctis ol. lil. alb. affigantur cucurbitulæ siccæ, ac cum multa flamma; sternutamentum excitetur, cœpa cortice exuta naribus subdita, vel insufflato pulvere majoranæ, ireos & nigellæ.

Interim illinatur tota spina, imo & totum corpus & caput ol. lil. alb. & sesamin. capiti fomentum paretur ex vino albo in quo ebullierit beton. stechas, salvia, rosmar. althea, melil: his enim à præterita accessione evasit. & non præcedente affectu in balneum aquæ calidæ foret mittendus: deinde ol. lil. alb. cum aromat. totum & caput inungendum.

Circa victus rationem pauca proponenda supersunt, cum in accessione cibus afferri non posset; quæ tamen si diutius perduret odore calidi panis vino aspersi & carnis assæ præcalidæ nutriendus fuerit. Præterea clysteres nutrientes ex vino quoque parati forent injiciendi.

Extra accessionem humores sunt præparandi & evacuandi, vapores à capite revellendi & intemperies corrigenda, habita semper febris, licet exiguæ ratione. At quoniam in hoc casu quarto die imminet accessio, ideo statim melancolici humoris minorationem moliri optimum censemus, cassiam præbendo cum extracti sennæ ʒj. cui superbibat seri caprini lib. ij. Die vero sequenti pro humorum præparatione, ac totius corporis & capitis humectatione, idem serum erit repetendum ad lib. ij. addito julap. viol. ℥ij. & interim aliquod ferculum ex lacte, ovis & saccharo paratum exhibendum. Die verò accessionis primis horis matutinis, sinapismi duo cruribus apponendi, cibus verò sint ova recentia, & lac caprinum cum panis buccella, omisso vino. Quod si recurret accessio, omnia supradicta repetenda, mox sero depurato præparandi humores & clysteribus educendi.

Sed tandem lac & balneum erunt hujusce affectus propria & adæquata remedia, non obstante febre, quæ nulla aut valdè exigua erit. Lac autem copiosum afferendum nimirum ad libram cum saccharo, cum caput petat & humectet. Balneum autem sit aquæ dulcis, sed fol. malvæ, viol. salic. & Pariet. alteratæ, quâ caput quinetiam irrigetur, & perseverante affectu lacte ipso lavetur. Interim medicamentum minorativum repetendum, imò si recesserit febris, cassiæ, pil. cochiar. & aurear. scrupulus addi poterit, præbendo tamen ab his serum copiosum, aut etiam more Hippocratico, plurimum lac asininum; atque ita humores præparandi & evacuandi, nec non cerebrum ac

a nervosam substantiam humectandi indicationibus satisfactum fuerit.

Circa victus rationem observo Galenum catalepticis, extra accessionem concedere vinum malvaticum, cujus exemplo Amatus Cret cum permittit, atque plerique aquam insensissimam putant quia à frigiditate siccitatem superari supponunt. Verum quoniam in casu nostro contra se res habet Vinum, quidem concedatur, cautè tamen nostro patienti Reverendiss. ob siccitatem, sitque album, tenue, aquosum, & potius salvia vel Roremar. medicatum. Quæ pro Reverendiss. Patris salute satis. *Joh. Raymund. Fortis consult. & Respons. Medic. Tom. j. Cent. j.*

Domicella ob menses parciùs fluentes uterinis suffocationibus subinde obnoxia, his diebus subito prehensa sensus expers remansit, & in illo quo prehensa fuit corporis situ obriguit, oculos apertos ac fixos detinens, nihil tamen videns. Si adstantes brachium illi sursum, deorsum vel ad latus inflecterent illud in statu illo remanebat. Si ægram in pedes deponerent stabat, si corpus impellerent, pedem promovebat: si caput ad latus detorquerent in illo situ remanebat. Respiratio tamen libera persistebat. Cum hic paroxismus per horam durasset tandem ad se rediit ægra immemor omnium quæ ipsi contigerant. Post biduum simili paroxismo de novo detenta fuit qui etiam sponte cessavit.

In capite mali hujus sedem esse, actionum animalium gravis læsio satis ostendit sicut uteri affectionem indicant hystericæ suffocationes.

Affectio hæc est *catalepsis* quæ etiam catoche & prehensio appellatur, *estque actionum animalium excepta respiratione subita & maxima læsio, cum totius corporis rigiditate, qua ægri istum corporis situm servant in quo erant cum illo affectu corriperentur.*

Afficitur in hac ægra cerebrum, non quidem totum sed secundum illam partem, in qua fit sensus communis. Afficitur autem hæc pars à vicioso humore, aut vapore ex utero eò translato.

Causa antecedens est viciosus & viscidus humor, aut vapor crassus in utero genitus vel collectus, indeque per cæcos ductus ad caput translatus (quod ex præcedentibus uteri suffocationibus liquet) qui sensorio communi partibusque ei vicinis adhærens, easque subito involuens spirituum à sensorio communi determinationem impedit, sicque hujus catalepseos *causam continentem* constituit.

Quia autem hic totum cerebrum non afficitur & spiritus satis copiosi in eo generantur quorum etiam influxus in nervos, nulla principii neruorum compressione, vel obstructione impeditur, hinc fit quod spiritus illi in determinatas partes influentes cum jam sensorium commune à prædicto vitioso humore crassove vapore subitò occupatur, involuitur & detinetur, non determinentur ad alias partes sed continuè copiosi influant ad illas partes, ad quas determinati erant, mox ante illam prehensionem, seu detentionem: Atque hæc causa est quod singulæ partes in illo situ detineantur in quo erant mox ante prehensionem, & oculi, brachia, crura &c. quasi fixa remaneant.

Quod autem ægra in pedes deposita stet, & membra ab adstantibus aliorsum reflexa in novo rursus statu contineat, hoc fit, quod mutato musculorum situ, mutatur etiam influxus spirituum; & pori qui anteà clausi fuerant; aperiuntur ac spirituum influxum recipiunt; ita ut qui spiritus copiosi influebant in hos musculos, statim mutato pororũ situ copiosiores influant in illos; in quos etiam continue influere partemque in tali statu continere non desinunt usque dum ille situs rursus mutetur.

Respiratio eodem modo percipitur ut in dormientibus, & illæsa manet, partim propter insignem magnitudinem & latidudinem pororum, maxime necessarium usum nervorum respiratoriorum; partim consuetam, & continuam determinationem ad musculos respiratorios.

Cessat paroxysmus & ad se redit ægra vapore illo vel humore, qui sensorium commune occupat, discusso & dissipato. Redit paroximus cum ab utero similis humor vel crassus vapor ad sensorium commune de novo pervenit idque subitò occupat & involuit.

Periculosum est hoc malum propterea quod pars nobilis hic afficiatur, & tenaces viscidique humores sensorio communi adhærentes non facile dispellantur. Magnam tamen sanationis in nostra ægra spem facit, quod malum non sit idiopathicum ejusque causa in ipso cerebro non generetur, sed aliunde eò feratur: præterea quod invasiones sint breviores, unde judicamus sensorium commune non tam detineri ab humore tenaci & viscido, quàm potius à crasso quodam vapore, qui facilius attenuatur & dispellitur. Hic tamen crassus vapor, quia in tenacem humorem ibi aliquando concrescere, sicque gravissimam catalepsim, cum summo vitæ periculo inducere posset, curatio quamprimum erit instituenda antequam res eò deveniat.

Indicationes curativæ sunt 1. Ut in accessione crassus ille vapor vel humor sensorium commune occupans, discutiatur. 2. Ut uterus expurgetur; ejus obstructiones tollantur novaque hujus pravi humoris generatiò in eo præveniatur. 3. Ut pravi istius humoris vel vaporis translatio ad caput impediatur. 4. ut caput ita corroboretur, ut hujusmodi crassos ac pravos vapores, vel amplius non admittat, vel admissos protinus dissipet ac dispellat.

In paroxismo hic pulvis sternutatorius in nares sufflетur, ut irritata (si fieri possit) facultate expultrice, vapor ille vel humor, sensorium commune occupans, validè excutiatur.

♃. Rad. hellebori albi scrup. j. ß. pyrethri, fol. majoranæ, flor. lilior. convallium, ana scrup. ß. piperis nigri. gr. num. vij. castorei gra. iiij. fiat pulvis.

Postea hoc linimentum naribus ac vertici illinatur, ejusque nonnihil cum gossypio auribus immittatur. Rec. olei thymi, rosmarini, salviæ, carui, castorei, succini, ana scrup. ß. ung. martiati drach j. misce pro linimento.

Hic quoque nodulus de collo suspendatur Rec. castorei, assæ fœtidæ, camphoræ, ana scrup. j. ß. fiat nodulus in tenui serico. Interea etiam clyster injiciatur acrior.

Si his peractis, paroxysmus adhuc perduret cucurbitæ sine & cum scarificatione imponan-

tur Cervici, scapulis, & humeris, fiantque ligaturæ dolorificæ & asperæ frictiones in cruribus ac pedibus. Præterea hic sacculus in vino paulisper coctus & dein expressus, summo capiti calide imponatur.

♃. Fol. rosmarini, majoranæ, thimi, calamenthæ, flor. camomillæ, stæcados, ana m. ß. sem. cumini, carui, levistici ana drach. j. ß. baccar. lauri, nucis moscatæ ana drach. j. fiat s. a. in tenui linteamine sacculus intersutus, vel capitium.

Soluto paroxysmo, cum ægra ad se revertitur, detur hic haustus purgans:

♃. Fol. senæ mund. unci. ß. agarici albiss. drach. j. sem. levistici scrup. ij. decoct. hord. q. s. fiat infusio s. a. adde colaturæ elect. hieræ picræ drach. ij. misce fiat haustus.

Corpore sic expurgato secetur vena in malleolo & sanguinis unc. vj. aut viij. extrahantur.

Bibat tunc ægra ter quaterve de die haustum hujus apozematis:

♃. Rad. fœniculi, valerianæ, dictamni, calami aromat. pæoniæ maris, ana unc. ß. herb. majoranæ, nepethæ, calamenthæ, rutæ, pulegii, trifolii aquatici, melissæ ana m. j. flor. chamom. meliloti, stæchados. ana m. s. sem. levistici, dauci ana drach. ij. baccar. juniperi drach. vj. aquæ q. s. fiat s. art. apozema ad lib. j. ß.

Prædicta medicamenta subinde reiteranda sunt, iisque diæta conveniens adjungenda. Aër sit temperatus, lucidus & purus, alteratus herbis odoriferis, rosmarino, melissa, Thimo, ruta, levistico, castoreo, aliisque similibus.

Cibi sint Euchimi & Eupepti cum talibus conditi quæ cerebrum & uterum corroborant. Potus sit Cerevisia tenuis bene defæcata, vel subinde pauxillum vini tenuis.

Somnus & exercitia sint mediocria. Alui excrementa & menses vel sponte vel arte debito modo & justa quantitate, procedant. Animi & Pathemata vehementiora in primis tristia vitentur *Isbrand. de Diembroëk de morbis capitis medicat. 9.*

Vir annos natus quinquaginta temperamento melancholicus, hieme asperrima post diuturnos in occipite perceptos dolores sedens in museo inter libros quibus studiorum causa totos dies assidere solebat, subito omni sensu & motu est orbatus, excepta respiratione quæ ipsi cum pulsu est integra. Manet perpetuo in eodem corporis statu, oculis velut in adstantes defixis, palpebrisque immobilibus & inconniventibus, compellatus & interrogatus nihil audit, nihil respondet.

Ut ex hac historia *cognitionem per diagnosin & prognosin* rectè auspicemur, & deinde ad curationem perveniamus, investiganda primum *pars affecta*: quam ex omnium actionum animalium læsione cerebrum esse colligo. Læditurque illud præcipuè circa illam particulam quæ sensui communi inservit, quia æger manet in eodem inter sedendum statu, & oculos servat apertos: quod non fieret si totum cerebrum graviter esset affectum, ut apparet in apoplexia, paralysi & similibus aliis gravibus cerebri affectibus.

Morbus quo affligitur æger est intemperies melancholica sive frigida, sicca, crassa & cerebrum totum sive læviter, sed sensorium commune, sive conarium præcipuè graviter occupans: qua salva respiratione & pulsu, omnem perceptionem, judicium & motum tollens, ægrumque in eo statu in quo erat, cum ab hoc affectu primum corriperetur, servans, *Catalepsis* sive *Catochus* à medicis appellatur, isque ex causis & symtomatis innotescit.

Causa procatartica hujus morbi est perpetuum litterarum studium, cui noster senex totos dies inter libros sedendo, operam dedit. Hinc enim adjuvante senili ætate, melancholici humores, qui *antecedens* hujus affectus sunt *causa*, in ejus corpore fuerunt geniti. Horum pars in posteriorem partem capitis delata, dolorem diuturnum ibi excitavit: quæ vero postmodum subito, exigua quidem quantitate in totum cerebrum, sed copiosè præcipuèque in sensorium commune, & partes ei vicinas, ob asperrimum hyemale frigus, & interiores ægri cogitationes, erupit ibique firmiter inhæsit, ea *causam* hujus morbi constituit *continentem*: unde omnia *symptomata*, in ægro nostro occurrentia originem ducunt.

Cum enim totum cerebrum multis & copiosis humoribus non sit oppressum, vel repletum, hinc illud non subsidit, ut nervos graviter premit; atq; ideo satis copiosi & per nervos diffusi *spiritus, corpus ægri, inter sedendum, erectum, oculosque apertos servant & respiratorios musculos perpetua influxus alternatione liberè contrahunt, & dilatant. Manent autem oculi inconniventes, & ad eadem perpetuò defixi, situsque corporis ab ipso non mutatur*; quia spiritus, ob sensorium commune hic satis graviter affectum ab anima nullius rei hic conscia nihilque percipiente, in alios musculos non determinantur; sed in eosdem, in quos antea erant determinati, perpetuo fluentes, corpus in eodem statu retinent.

Compellatus vero vel interrogatus nihil respondet, nec quidquam audit; siquid oculis offeratur non videt: quia quamvis per nervos satis patentes, soni & imagines rerum visibilium in cerebrum & ad sensorium commune deferant, ab anima tamen propter conarion, quod commune & proximum actionum mentis est instrumentum, humore melancholico valdè imbutum, ac proinde ab objectis non satis motum, nihil quidquam percipitur.

Alii volunt hunc affectum à vapore spiritus in cerebro & toto corpore congelante, vel coagulante, originem ducere. Sed si hæc vera ejus esset causa, respiratio & pulsus quæ spirituum ope peraguntur, hic non possent esse integra. Nam coagulatio illa magna, ut spiritus totius corporis, ita etiam respirationi & pulsui inservientes congelaret vel coagularet: Iidem condensati & humoris vel pruinæ specie in ventriculo cerebri decidentes, non possent cerebri molem diutius sustinere, nec spirituum sufficientem copiam musculis Thoracis suppeditare; unde primum apoplexia ægrum prosterneret, & deinde, respirationis & pulsus usu ablato, mors necessariò ipsum invaderet.

Nec nobis obsunt ij qui à fulmine congelati & extincti in eodem corporis statu aliquandiu permansisse dicuntur: nam illi à fulmine non tantum spiritus sed etiam solidas partes indurante, fuerunt occisi, noster vero æger vivit & spirat. *Nec etiam*

obstat

obstat quod artus in Catalepticis nonnumquam quovis marmore rigidiores apparere dicantur. Nam rigiditas illa proficiscitur à spiritibus, non congelatis sed in musculos immissis, & perpetuo influentibus ibique ob nullam novam eorundem insecutam determinationem, retentis, atque ita partes distendentibus. Talis quodam modo rigiditas passim in nobis observatur, dum stantes & ad rem non attendentes, corpus nostrum erectum tenemus.

Alii vero qui observant catalepticos quosdam, ab aliis motos artus suos flectere, & erectos stare, imo propulsos ad passus aliquot progredi, *existimant spiritus imaginationi inservientes in cerebro hic figi, dum reliqui manent integri.* Sed hæc opinio non est admittenda cum spirituum animalium in cerebro nullum sit discrimen; sed iidem sensationi, imaginationi, motui, aliisque animalibus operationibus inserviant. Ut ex Phisicis nostris constat.

Nec mirum à Catalepticis, nihil cogitativè, ob sensorium commune affectum, sentientibus, *tales motus peragi, & alimenta, ori inserta, nonnumquam deglutiri*; cum hi, ob spiritus cerebri animales & sensoria singularia haud graviter hic affecta, tales motus ab objectis possint recipere, quibus spiritus in cerebro ita determinentur, ut certos quosdam nervorum meatus per vices aperiant & claudant atque in has vel illas partes fluant, easque vicissim, inscio cataleptico, moveant; Eo fere modo ut in automatis pneumaticis, & hidraulicis, aliisque contingit.

Periculosissimus hic est morbus: quia humores melancolici sensorio communi firmissime infixi dum difficillimè possunt tolli, ægrum necessario alimento sumendo privant; & justum corporis motum impedientes cacochymiam valdè augent, atque adeo procul dubio vitam, nisi tempestive, & cito excutiantur, brevi ipsi per lipothymiam, vel apoplexiam, vel carum, adiment. Maturanda itaque *curatio*: quæ perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & deinde per intemperiei cerebri & reliqui corporis per calefacientia, humectantia, ac incidentia, emendationem.

Primo itaque talis injiciatur clyster:

♃. Mercurialis, betæ, salviæ, rutæ, pulegii, centaur. min. an. m. j. Flor. meliloti, camæmill. Stæchados, an. p. j. Rad. polipod. querc. fol. sennæ, sem. carthami an. unc. ß. rad. althææ ℥j. Rad. Ellebori nigri ʒij. colochynth. ℈ß. decoquantur in aqua com. ad. lib. j. colaturæ adde confect. hamech. ℥ß. Hieræ Logadii ʒvj. trochisc. alhandal. ℈j. ol. rutacei, anethini, an ℥ß. sal. commun. ʒj. ß. F. clyster.

Si clyster injectus ob nimiam intestinorum irritationem, vel aliam causam non retinetur, mox sequens suppositorium ano inseratur:

♃. Pulv. hieræ logadii, ℈ij. trochisc. alhandal. ℈j. Diagridii gra. iij. sal. com. Gemmæ an. ℈ß. mellis cocti & indurati, qu. s. fiat suppositorium.

Ab alui eductione, mox hoc sequens medicamentum, si tum deglutire æger aliquid possit, ingeratur.

♃. Theriacæ And. ʒj. mithrid. ℈j. aqu. cinnamomi ℥ß. aqua beton. ℥iij. misce fiat sudoriferum.

Tum adhibeantur artuum & posterioris partis colli ac spinæ dorsi, cum pannis asperis calidis, frictiones; & inungatur caput hoc linimento calido.

♃. Ol. anethini, camomill. lilior. an. ℥j. His in vase dup. incoquantur herbæ, hissopi, thimi, serpilli. an. p. j. Expressioni forti adde castorei ʒß. ceræ parum fiat linimentum.

Naribus etiam inflètur sternutatorium, ex helleboro albo, pyrethro, euphorbio, Tabaco confectum.

Ubi ad se plusculum redierit, præscribatur hoc decoctum.

♃. Rad. bugloss. borag. an. ℥j. ß. ellebori nigri ʒiij. Herb. card. bened. stæchad. epithymi, calamint. fumariæ, anethi an. M. j. Flor. borrag. melissæ an. p. ij. coq. ex hydromellite ad lib. j. addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j. ß. rhabarb. agarici an. ʒiij. cinamom. nucis moschatæ an. ʒß. in colatura dissolve syr. de stæchade ℥ij. fiat Apozema.

De quo sumat ℥iiij. semel vel bis in die, pro operationis magnitudine. Ad intemperiem capitis & totius corporis corrigendam, sumat de hac mistura mane & vesperi, ad quantitatem castaneæ majoris.

♃. Conserv. flor. borrag. buglossi, anthos, an. ʒvj. sp. diamosci dulcis, lætificantis Galeni an. ℈iiij. Theriacæ veteris ʒj. cum syr. de buglosso q. s. misceantur ad consist. Electuarii.

In *diæta* aër sit calidus & humidus, cibus sit panis ex bono frumento, bene fermentatus, & rectè coctus; sumat & ova recentia, carnes juniores vervecinas & gallinaceas. Convenit ptisanna hordeacea: ex oleribus conveniunt malva, lactuca, buglossum, borrago. Ex fructibus mala dulcia, uvæ passæ. Legumina, porrum, cæpas, caules vitet. Cibi quantitas sit moderata, vinum bibat tenue & mediocrem cerevisiam bene defæcatam, exercitium ad excrementa excutienda sufficiat. Quærat lætitiæ occasiones tristitiæ fugiat, somnus sit longior, à vigiliis diuturnis abstineat. *Henr. Regius apud Theod. Craanem Medication. lib. j.*

Observationes.

Vir annorum 50. asperrima hieme cum diu in parte capitis posteriore dolorem persensisset, neque medicum tamen consilium adhibuisset sedens in cella in eodem statu permanens subito correptus est, & mente detentus, & veluti fixos oculos in adstantes ac palpebras veluti immobiles penitus habebat voce insuper ac sensu privatus nihil audiebat, neque respondebat. Mandavi illico ut Clyster actutum fieret.

♃. Fol. mercurial. betæ, salv. rutæ, puleg. an. m. j. fl. stæchad. chamem. melilot. an. p. j. polipod. fol. sen. an. ʒß. cent. min. m. ß. rad. alth. ℥j. sem. cartham (aliqui addunt colocynthid. vel hellebor. nigr. ʒj) F. decoctio in aqua (alii decoquunt cum gallo veteri.) colaturæ adde confect. hamec. ℥ß. hier. logad. ʒvj. troch. alhand. ℈j. mellis anthos ℥j. ol. rutac. camæm. aneth. an. ℥j. sal. communis ʒiß. M. F. clyster. mox suppositorium præscripsimus quod filo alligato immittetur, si clyster non retineretur, aut præter expectationem in corpore obhæreret.

♃. Pulv. hier. logad. ℈ij. trochisc. alhand. ℈.

Diagrid. gr. iij. Salis communis & Gemmæ an. ℨß mellis q. s. F. supositorium.

Statim ab alvi eductione exhibui ℨi theriacæ præstantissimæ, & ℈i mithrida. cum aq. card. benedic. & beton. an. ℥iß. ultro in os ingerendo; frictionibus etiam utebar ut & ligaturis fortibus brachiorum, pedum & crurum. Partem quoque capitis posteriorem inungi mandabam unguento infra scripto.

℞. Ol. aneth. camæm. lilior. an ℥iß. adjice hyssopi, thymi & serpilli parum & coquantur in duplici vase deindè fortitèr colentur. Colaturæ adde castorei ℈iß. ceræ modicum. Fiat unguentum molle. Nonnulli totum corpus anethino oleo inungunt maxime in hyeme & Castor. ℨi. cum aqua multa ori infundunt: Cum hisce non nihil ad se rediisset, & melius quid sumere posset, ne iterum rediret malum, & ut ex toto convalesceret, præscripsi decoctum præparans apii, fænicul. calamenth. aneth. fumar. buglos. borrag. meliss. syruppis de Epithymo, è stæcade & de succo fumariæ adjectis: Postea huic decocto adjicientes Sennam, Epithimum, polipodium, ut similiter purgaret: & ad roborationem capitis consului ut acciperet Diambram, pliris Archonticum, Conservam rosmarini, & similia quibus tandem bene habuit. *Petr. Forestus obs. 42. lib. 10.*

Ad Fratrem *Capucinum* Catalepticum factum vocatus inuenio illum aphonon, uno genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus curabat: brachiorum sinistrum pendebat ad genu, dextrum in aerem elevatum diductis digitis, viam prætereuntibus, (ut olim *Mercurii* Statua,) ostentare videbatur; utrumque omni gelato marmore frigidius; patebant oculi sed irretorti, & quicquid sudario illos perstringerem inconnivi. Os hiabat cum respiratione satis libera, pulsus in utroque brachio sat magni. Cum ad satietatem aspectassem, dixi accerserent alios Medicos, meque cum statuam exuisset æger, cum illis revocarent, in casu enim ad hunc mihi diem inviso nihil tentaturum nisi consultis senioribus. Volebam tamen injici validissimum Clysterem, sed Apothecarius negabat se ulla ratione ob strictas nimium nates injicere posse, glandem ergo præscripsi ex speciebus hieræ, colochinth. sale gemmeo, & muscerda; Jussique excipi felle, loco mellis, ut melius pungeret: agrè immisit sed cum bonis ægri rebus, valide enim soluta alvo, multisque bombis emissis, degelatus membra movit, surrexit, ambulavit, omnium præteritorum ignarissimus, tum fricatis naribus [ptarmicum enim potentissimum sufflaveram ante horas aliquot, sed sine effectu] iisque motu calefactis, sæpe sternuit multumque pituitæ vitreæ, aut glaciei, ut veriùs loquar, excussit. Cum sub vicesimam horam ad se rediisset, laconicum seu stupham *germanicam* paucis horis struendam procuravi; credebam enim algidissimum hoc corpus non nisi in aëre perpetuò æqualiter calido servari & curari posse. Cum istud ingressus esset, flatibus in cerebrum delatis discutiendis incumbendum duxi, unaque novorum generationem impediendam statui. Injecto ergo sub vesperam validissimo clystere, qui præter calida quæque recipiebat etiam Elleborum, turbith, trochisc. alhand. omnibus in jure veteris galli decoctis, colaturæ remiscebam hieram, Colochinth. confect. hamech. elect. de baccis lauri, Theriacam; & aquam vitæ rectificatissimam, postridie eccoprotico commodè purgato cerebelli regionem radi jussi, fotamque cum tota spina decocto lavendul. lauri, acori, stæchad. ex malvatico incoctarum, inungebam primo castoreo, aurea alexandrina, melle anachardino, Theriaca, oleo petroleo, & succini solutis. Hinc inguini superponebam emplastrum Paracelsi iisdem oleis recens subactum, dabam cibos convenientes, bibebat hydromel dilutissimum, cui sassaphras, fæniculum, & anisum incoxerat, miscebatque vinum fulvum. In dies sumebat conditum ex conserv. acori, stæchad. nuc. mosch. zinzib. chinensis, theriaca cum conserv. pleres arch. sicque cum Deo toto biennio liberrimus à congelatione fuit, sæpe tamen postea hic frater catochomenos factus est, sed tandem ita convaluit, ut duodecim annis mali nihil senserit, quoties enim rigente parum collo, (malum secuturum præsagit,) statim oleo calido nucham totamqne spinam inungi curat, & ita malum avertit. Miror itaque *Dodonæum* & ex illo *Heurnium* scripsisse neminem, secundo sine pernicie certa hoc morbo corripi posse. *Henricus* ab *Heers* observ. 3.

Juvenis Britannus impensiùs [ut solet illa ætas] amori indulgens, perculsus fuit adeo vehementer ex inopinata matrimonii repulsa: ut obriguerit instar stipitis; sedens in sedili suo κάτοχος, sive detentus, sive congelatus, per integrum diem, retinensque continenter eundem situm, & oculos non minus apertos, atque olim simillimum affectum delineavit Galenus, comm. II. in Prorh. cap. 55.

A qua figura ne latum quidem cum recederet unguem: jurasses certò te statuam potius quàm hominem videre. Adeo quippe fuere omnia non modo rigida, sed plane immobilia. Verum ubi exclamaretur, alta voce, rem ipsius meliori esse loco, & cupitam habiturum amicam: modo ad se reverteretur, prosiliit confestim ex sedili, & quasi excitatus ex profundiore somno, rediit actutum ad se, disruptis protinus illis vinculis, quibus illum arctè illigaverat tenacissima hæc catoche. *Nicolaus Tulpius observ. medicarum lib. 1. obs. 22.*

Rustica quædam puella annorum circiter 15 jam à quinquennio Catalepsi laborat [liceat ita loqui] stataria, eaque brevi ac sæpius de die inter eundum in media via, nullo præcedente frigoris sensu, subito instar Mercurialis statuæ consistit, omnibusque sensibus tam internis quàm externis quasi consopitis, oculis apertis non videt, non audit inclamata, nec è loco movet, nec progreditur, nec unquam cadit etiam graviter onerata, nec opus deponit aut projicit, quin & in templo ad Sacram Cœnam accedens sæpius ita consistit, & Pastorem in altari moratur, sed mox, quasi è profundo somno excitata ad pristinum vigoris statum redit; præteritorum omnium ignara, cæteroquin & extra paroxysmum omnium animæ corporisque functionum sic satis capax. Unica convalescentiæ spes in felici menstruo-

rum

num eruptione; quæ nondum apparuere. Ab ejusmodi diuturna austrina tempestate correptæ Catalepticæ quinquennis puellæ admodum somnolentæ & Morosæ, mentio quoque facta est in *Hiera mea picra*, seu. *Tractatu de Absynthio* pag. 59. quæ in prandio ob pinguioris boli præsumptionem à sorore offensa subito obriguit, cum manu & Cochleari ad patinam extensa, irretorto oculo quasi indignabunda sororem adspiciens, fortiter inclamata & increpata neque audit, neque os aut labia movet, manu ducta & coacta incedit, brachia ejusdem sursùm aut deorsùm, vel etiam transuersim tracta in eodem situ perstant. Ceream hominis statuam dixisses: Ante Paroxysmum marmoris instar frigidissimi rigebat; post horam ferè unam cum pandiculatione, ventris murmuribus, ac profundis suspiriis sensim iterum incalescebat, largiorique sudore profuso restituebatur in integrum, antepilepticis tum curata, & helmintagogis. Vorax enim erat; sed anno insequenti variolis publice grassantibus graviter afflicta obiit, Catalepsi non amplius tentata. Sic Prætor quidam in vicinia a quodam maleferiato subdito, aculeatis cavillis præter modum petitus tantopere excandes it ut subito ac in ipso adhuc tribunali sedens obrigesceret quasi minitabundus ac superveniente Apoplexia forti statim expiraret quasi fulmine percussus. Quô fato etiam arrepti sunt octo Messores in Insula Lemno sub quercu cœnantes, & subito exanimati, qui sub ea specie qua discubuerant, rigidi permanserunt, ita ut unus comedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere videretur: cumque omnes nigri essent, imaginem totidem statuarum repræsentarent, P. Zacchias Quæstion Med. Legal. pag. 395. Unde non inscitè Catalepsis morbus attonitus à quibusdam nuncupatur, & Catochus seu subita quædam quasi congelatio totius corporis viventis. Geminum quid patitur obstetrix nostra, Epilepticis alias convulsionibus ex aura maligna à summo pedis digito sursum exhalante obnoxia. Quoties enim ad maxillas usque ascendit aura ista frigida, ibique penitus se insinuat, caput obrigescit, nec os claudere vec verbulum eloqui potest, donec succedente stertore Paroxymus finiatur: Vessicatorium pedi impositum, & aqua Ciconiar. exhibita cum successu. Cor quoque ciconiar. hic quidam maximopere probant. *Johann. Michaël. Fehr.*

Anatomicæ Inspectiones.

In anatomia eorum qui catoche periissent, *majores* venas, quæ recta decurrunt a posteriore capite ad synciput *plenas concocto crassoque sanguine* vidimus, & *posterius cerebrum* serosa materia occupatum; Atque revera in hoc malo posteriora magis affici veteres Medici putaverunt: Galenus meminit cujusdam condiscipuli in Prorrhet. qui ex hoc sed levi malo, ut scripsit evasit: nam in omni genere morbi, hic gravior ille levior est. *Iacotius comm. ad aphor. 7. lib. 2. Coacarum.*

Secretarius vasco in febris declinatione, & alvi profluvio, urinis bene coctis certam valetudinis spem præbentibus, Catalepsi præhensus uno die obiit.

Aperto cadavere pulmones & hepar corrupta sunt inventa, *serum quasi rufum* cerebro posteriore contentum. Et sanguis concretus in majori vena quæ medium caput proreptat *Scholiagraphus ad caput. 9. lib. 1. Hollerii de morbis int.*

Civis Leodiensis mercator, à rivali suo in carcerem conjicitur, è quo valde liber domum reversus, totum Melancholiæ se immergit; paucos post dies acute febriit sine delirio tamen: à febre liber, in amentiam primùm, dein *furorem* versus, vinculis coerceri debuit: numellas manus stringentes tanto interdum squatiebat strepitu, ut fracturus crederetur: Melanagogis per Epicrasin diu sumptis, conciliato etiam multis noctibus somno ad mentem rediisse visus, ut omninò restitutus sibi videretur, xx. a Captivitate mense *fatuissimus* factus & repuerascens sub ætatis annum xl. primùm sinistræ *manus digitos* tres ultimos ita lunavit ut nulla arte extendi possent: Purgato capite, applicitis medullæ spinali oleis calefacientibus & humectantibus, digitorum usum recuperavit; sed paulo post omnes digiti ejusdem manus incurvati riguerunt, & ut in catochico, nullo ingenio dimoveri potuerunt; paulo post & dextro captus brachio, & utroque crurum, *aphonus* factus, immobilis jacuit, multis litibus & fomentis & gargarismis linguæ usum recepit: sed toto biennio ad mortem usque vocem articulatam formare non potuit, instar infantis semestris lallabat, alienaque manu cibum capiens sustentabatur: alvus interim utcumque respondebat, respiratio semper liberrima, & pulsus optimi, tandem sub anni quarti finem fatis concessit.

Ad anatomen vocatus, volui primum cerebrum inspici quod ablato cranio siccissimũ, durum adeoque in summa parte digitis meis friabile, flavedine citri æmula undiquaque ad altitudinem digiti tinctum, observatum circa ventriculos & basin mollius & humidius, colore tamen aliquantum vitiato; rete admirabile depressum: nervorum origines siccæ solitoque graciliores: Thorax Imusque venter nihil observabile exhibebant. *Henric. ab Heers Observ. Medic. 3.*

Argentum vivum si largius sumatur congelare sanguinem testatur Conciliator exemplo cujusdam seplasiarii, qui febre ardenti laborans, cum ad sitim sedandam imprudens aquæ vice, vasculum argento vivo plenum invenisset illiusque magnam copiam ebibisset, congelatus interiit.

Aperto cadavere sanguinem circa cor concretum Medici invenerunt *Primirosius de Vulgi erroribus l. 4. cap. 29.*

CATAPHORA
Vid.
COMA
Capite de Caro.

CATARACTA.

Curationes, Consultationes, & Observationes ex variis.

Curationes.

Cataracta est membrana seu tenuis pellicula genita in oculo ex pituitosa aliqua materia vel crasso vapore ad oculum & albugineum humorem delato, & ibi calore capitis paulatim in pelliculam condensato; quæ pellicula sua oppositione impedit receptionem specierum visibilium in humorem crystallinum, seu transitum earum per pupillam, ex quo contingit cæcitas. Illa pellicula est opaca, alioqui non impediret visionem; Et occludit seu obstruit pupillam; si enim alio loco esset quàm ante pupillam non sic impediret; suspenditur ergo tanquam velum quoddam vel ante vel retrò pupillam. Dico retro vel ante; quia locus ejus communiter est ante vel intra pupillam, id est profundius quàm pupilla & post eam & sic intra tunicam uveam; interdum verò est extra pupillam, seu ante eam & extra tunicam uveam id est inter uveam & corneam, seu in spatio illo quod ab iride oculi comprehenditur, & constituitur, à tunica uvea compressa, & ipsa corneâ. Itaque cataracta est in humore albugineo. Talis cataracta, cum est adhuc in fieri, priusquàm in pelliculam est condensata, & in forma humoris est adhuc fluctuans, est curabilis per medicamenta discutientia & nulla ratione curabilis acû seu Chirurgia. Sed quando jam est in formam pelliculæ continuata, & condensata, tunc non est amplius curabilis per pharmaciam; sed tantum per Chyrurgiam. Medicamenta omnia, quæ id possunt præstare, sunt discutientia: illa autem non possunt pelliculam jam condensatam & siccatam dissolvere, quinimò cum calida sint magis exsiccando indurant.

Hæc Cataracta cognoscitur tum signis à ratione desumptis, tum ipso sensu. Est enim facilè visibilis, & ubi est, ibi pupilla non apparet integra, sed alba: præcipue cùm cataracta est valdè externa, sed si profundius lateat, tum quidem adhuc pupilla quodammodo integra apparet, sed tum in profundo in ea, quasi album velum ei obtensum videtur. Signis à ratione desumptis cognoscitur, quia æger cæcus est & cæcitas illa paulatim exorta est, & paulatim majus majusq; cœpit incrementum. Primò enim muscæ, cimices & nubeculæ ante oculos volare visæ fuerunt, postea visus minui & res fenestratæ ac in iis integræ maculæ apparere inceperunt, tandem verò cæcitas magis magisque oboriri.

Variæ sunt differentiæ cataractarum, alia sumitur à sitû, quia alia est extra uveam & pupillam, alia intra, uti supra dictum. Quæ quia diverso modo debent curari distinguendum est quo loco contineantur. Quæ intra uveam est discernitur profunditate; quæ extra exterioritate, visus enim facilè dijudicat, unam esse exteriorem, alteram interiorem. Denique cognoscitur ex eo, quod quando est intra uveam, tunc videtur rotunditas pupillæ, quando verò est extra, tunc tota pupilla est obducta, nec illius ulla vestigia apparent. A quantitate etiam sumitur differentia, nam aliqua cataracta tegit totam pupillam, aliquam partem tantùm aliqua. Cum tota pupilla est tecta, tum adest absoluta cæcitas, cum pars aliqua tantum, tunc res apparent, vel quadrangulatæ, vel triangulatæ, vel mediæ, vel fenestratæ, prout est figura ipsius cataractæ &c. A substantia, quia alia est subtilis, alia crassa. Cum subtilis; tum res videntur obumbratæ, ac si pannus quidam lineus subtilis esset ante oculum, cum crassa est omnimodo cæcitas. A qualitate; Nam alia est mobilis, fixa alia, alia est cinericea, cælestina, alba, citrina, nigra, margaritalis, gypsea, viridis, subrubra, argentea, vitrealis, plumbea, turchini coloris, similis ferri nitentis seu aquæ marinæ.

Priusquàm Chyrurgus sese operi accingat, ut laudem referat ex sua operatione, debet considerare, an cataracta talis sit, quæ sit benè deponibilis necne, non enim omnes prædictæ differentiæ, æque bene sunt deponibiles. Si enim non sit deponibilis, non debet operationem incipere, ne cogatur postea cum infamia deserere. Si est facile deponibilis, animose opus aggredi debet. Si dubie aggrediatur, cùm prædictione id faciat, in primis recens & non confirmata cataracta non est deponibilis: talis enim adhuc est pultacea, & necdum satis in pelliculam condensata, ideoque quando acû tangeretur, finderetur, & acus eam pervaderet, & sic non posset eam deprimere: Debet ergo esse confirmata; signa confirmatæ sunt perfecta cæcitas, sicut æger distinguere non possit colores, secundo quod cum oculus fricatur manû, cataracta non divellatur, nec discontinuetur, aut diffluat, nec humores oculorum conturbentur, sed maneat unita. Cum enim adhuc confirmata non est contraria eveniunt. Ut cataracta sit solida & confirmata debet habere aliquam ætatem. Itaque ante medium annum non est confirmata, nec debet deponi, sed illa tantum, quæ est unius anni aut plurium. Nimis tamen inveterata cataracta etiam difficulter deponibilis est; talis enim valde dura & solida est, & tunicæ uveæ adhæret, per fibras valde fortes quæ non possunt ab acu deprimente satis facilè frangi.

Uti ergo nec nimis tenera debet esse cataracta, ita quoque nec nimis antiqua, cataracta quæ omnino odam adfert cætitatem, ita ut æger per eam non videat lumen, non debet deponi, quia periculum de ea est, quod etsi deponatur adhuc tamen æger visum non recuperabit. Ut ergo sciatur an subtus facultas visiva adhuc integra sit, debet æger lumini opponi, & ejus oculus fricari & rogari, an lumen cæli videat, subinde ponendo manum inter lumen vel tenebras, quando lumen non distinguit, vel indicium est facultatem esse intus emortuam

tuam. vel saltem Cataractam esse valde duram. In illo casu frustranea esset depositio: in hoc propter soliditatem irrita aut valdè difficilis. Si oculus sanus claudatur, & æger manu Chirurgi fricetur, & parum comprimatur, & tunc statim aperiatur & videatur cataracta in partes dividi seu separari, non est deponibilis. Talis enim est nimis subtilis & recens & cederet acui, cùm deprimeretur. A colore etiam sumitur indicatio. Nam si cataracta est margaritalis, aërea, columbina, cineritia, aut Turcino lapidi similis, aut plumbei coloris, aut ferri nitentis est, deponibilis est; alii colores sunt deceptivi & rarissime bonum dant successum. A motu quoque nam, si cataracta est fixa & immobilis, non debet tentari ejus depositio, si mobilis contra. Ideò debet Chyrurgus oculum ægri altero oculo clauso fricare vola manus, & statim oculum inspicere, si videat cataractam dilatari & constringi, aut sistolen quendã & diastolen pati, indicium est quod sit deponibilis, contra verò non. Spiritus etenim visivi frictione illa cataractam vellicant & moveri faciunt ex quo colligitur visivos spiritus adhuc ad oculum venire & sic interius in nervis opticis, aut in alia parte oculi non esse obstructionem & proindè si cataracta deponatur nullum aliud subfuturum oculi vitium, & consequenter ægrum visum recuperaturum. Verum etsi cataracta quoad seipsam talis sit, & tam bona signa habeat, & videatur facile esse deponibilis, tamen adhuc alia ex parte corporis sunt consideranda. Si enim illa cataracta fuerit in homine habente oculos malos & laborante destillationibus, aut lippitudine, aut continuo lapidis dolore, vel etiã tussim, reuma, aut continuam sternutationem, vel vomitum, vel aliquam molestam infirmitatem habente, non est subeunda cura, quia vel inflammatio, vel mala accidentia ex illa punctura sequerentur; unde febris, phrenitis, mors &c. vel eadem cataracta motu illo iterum assurgeret ante pupillam: unde labor omnis esset inanis. His prognosticis habitis potest Medicus audacter operationem aggredi, propterea quod etiamsi operatio non succedat, tamen per hoc æger nihil perdet: quoniam si non deponatur in nullo peccat, nisi quòd eadem tantum cæcitas & eadem cataracta maneat.

Pericula quæ circa operationem occurrunt, & vitari debent simul sunt ista; Primò ut à punctura tunicæ conjunctivæ & dolore ex eo allato & oculo diuturna acus agitatione fatigato inflammatio & inde febris, pervigiliam, phrenitis, mors, vel omnimoda cæcitas sequeretur. Secundò ne per foramen quod in conjunctiva & uvea tunicis à transpunctæ acu fit, effluat humor albugineus, quo effluxo visus vitiaretur & cæcitas fieret, tunicis corrugatis & cristallino collapso vel insitu mutato. Tertiò ne ab acu profundius adacta crystallinus pungatur & vulneretur, qui est proprium visus instrumentum. Quartò ne profundiore acus immissione & versatione humores oculorum commisceantur. Quintò ne cuspide acus uvea tunica multum tangatur, & ejus nigro colore per attactum recedente albugineus humor inficiatur aut obscuretur. Sextò ne cuspide acus pupilla multùm divellatur, & hac ratione corrugetur, concidat, vel comminuatur, adeoque rotundam suam figuram perdat, quod irreparabilem adferret læsionem. Septimò: ne si cataracta sit durior & difficulter cedat; dum sic nimis fortiter deprimitur, eadem etiam ratione uvea, cui ipsa adhæret divellatur & figuram ac magnitudinem perdat.

Ut hæc omnia pericula evitentur, hæc consideranda sunt, imprimis, ut tempus operationis sit congruum scil. ver & autumnus. Æstas est inconveniens, propterea quod in magno æstu nimium sit periculum inflammationis vel febris oborituræ. In hyeme membranæ oculi perforatæ læderentur. Hora sit matutina, corpore jejuno, ut impediatur vaporum adscensus. Dies sit clarus, ut omnia perfectè in oculo videantur, an scil. Cataracta sit, an retrocedat & retroacta adhuc hæreat, an vero ceciderit. Dies sit minime ventosus, ne aëris à vento in cubiculo motu depressa semel, cataracta iterum elevetur, sed quiescat. Luna sit decrescens, tum enim humores in corpore minus multiplicantur & agitantur. Acus debet esse longitudinis quinque digitorum, scil. manubrium trium, cuspis vero duorum; sit mediocriter subtilis ne faciat nimis magnum dolorem, & nimis magnum in oculo foramen, per quod possit humor albugineus exire, non sit nimis acuta, sed ita mediocriter ut facili negotio ingrediatur, si enim nimis acuta esset, interius nimis facilè uveam aut corneam, aut cristallinum læderet & exasperaret. Debet etiam esse rotunda, & valdè lubrica: rotunda, quia debet valde leviter in orbem voluendo imponi ut sic quam minimè oculum inquietet. Ideoque anterius planæ non valent. Sunt nonnulli, ut Albucasis, qui ut subtiliores viderentur, excogitaverunt acum perforatam, per cuius foramen postquam jam ingressa esset, suctu cataracta extraheretur, sed ridiculum est inventum: nam sic humor albugineus extraheretur, potiusquàm membrana ipsa. Adde quod vix imponi posset talis canaliculus, aut si imponeretur, maximum in oculo faceret foramen, magnumque causaret dolorem. Alii voluere quidem talem canaliculum imponi, sed non suctu cataractam extrahi, sed per foramen citharæ chordam immitti uncato cuspide, quæ cùm usque ad cataractam permota esset, illam apprehenderet, & foras educeret, sed & illa operatio nugatoria est, & talis quæ magis animo excogitari, quàm manu practicari poterit. Acus debet esse ex argento, ferro, aut auro; præstat autem ex argento esse, propterea quod illa propter albedinem melius in pupilla reluceat, postquàm jam est imposita.

Antequàm operationem aggrediamur, corpus primò præparandum est: aliqui dicunt, primò esse purgandum, ut cacochymia ablata, minus humores ulli ad oculum ferantur, aut febres oboriantur. Alii dicunt è contra, purgationem noxiam esse, eò quod propter illam humores in corpore & capite agitentur, & agitati aptiores sint ad fluendum versus caput & febrem faciendam. Sed distinguo, nam si purgatio immediate operationem præcedat, nocet agitando humores, si diu ante non no-

cet, sed prodest cacochymiam tollendo. Sanior doctrina practicantium tenet 1. clysterem esse injiciendum, inde venam è directo latere secandam & ulterius nil agendum, sed tamen æger debet triduo ante tenui victu ali, à vino & calidis omnibus abstinere, & solùm aqua potari, ut minus ad febrem incurrendum dispositus sit. Verum priusquàm operatio ineatur, debet æger aliquid confortans sumere, & ovum sorbile cum manu Christi perlata, vel panis frustum in succo granatorum maceratum, vel simile quippiam, quo vires acquirat, nè jejunus existens in syncopem incidat, quod scribunt nonnulli practici sibi aliquandò obtigisse; ex qua & operatio irrita fieret, & periculum aliquando, ne acu in oculo existente tunicæ ejus dilacerentur. Quæcumque post factam operationem necessaria sunt futura, ea primum parata, & in promptu esse debent. Adsint, coto mundus, splenia, petiæ, fasciæ, & medicamenta necessaria. Adsit acetum, & aqua rosata si forte contingeret ægrum in animi deliquium incidere.

Omnibus paratis ponatur æger in sede humili, lumini & fenestræ oppositus, sic tamen ut radii solis eum non illustrent, neve in oculum ferantur, manus sub genubus aptentur; nè earum motio impediat operationem. Oculus sanus claudatur, & petia & fascia suppositis obligetur: sic enim firmatur, & eo firmato etiam firmatur æger, qui alioqui motu sani moveretur. A tergo minister caput ægri teneat. Medicus seu chyrurgus sedeat ex opposito patientis, dorso lumini obverso sede parùm altiori quam ipse æger. Inter utrumque sit sedes cum pulvinari, quo cubitus medici innitatur, & quiescat, ut sit firmior manu. Tunc medicus fœniculum ore masticet & palpebris ægri tum à medico tum à ministro benè apertis, medicus vaporem fœniculi ter quaterve in oculum insufflet ut cataracta motum cum calore recipiat. Tunc ægro jubendum, ut oculum introrsus versus nasum moveat & quietum servet. Si cataracta est in oculo dextro medicus debet operari manu sinistra; si in sinistro, dextera. Acus primum per pileum bisterve adigenda ut asperitatem omnem deponat, tunc ore madefacienda est, inde infigenda est in album oculi externum, medio loco inter iridem oculi & angulum externum, sic tamen ut venulæ vitentur. Tunc acus leniter in orbem volui & revolui, cum quadam moderata trusione debet, donec in vacuum oculi, id est, in humorem albugineum intra cristallinum & uveam deventum sit. Tum verti debet acus paulisper antrorsus versus corneam, & tam profundè infigi, ut ejus cuspis usque ad medium cataractæ perveni t, acus enim mox intra oculum retrò cataractam apparebit ac relucebit, tunc ab altiore cataractæ parte incipiendo ipsa cum acu deprimi debet, & curari ut fibræ, quibus superius uveæ adhæret disrumpantur, & cataracta cadat. Cùm ceciderit deorsum sub pupilla diligenter sæpiusque trudi debet; & ibi usque ad unum miserere, cum acû detineri; si resurgat, iterum cum acu deprimi debet toties donec deorsum maneat, at si voluerit descendere, & ad aliam partem declinet versus illam depelli debet cavendo semper, nè pupillam dilatet aut laceret, aut cristallinum tangat. Si obstinatè redeat, in plures partes dissipanda est.

Facto opere acus paulatim extrahatur, ut sic paulatim foramen conjunctivæ minuatur, ne aliquid albuginei humoris per id effluat: Inde omnis quies corporis oculique imperanda est, statim coto albus intinctus in albumine ovi tenuiter quassato in quo aliquid croci sit dissolutum, & aliquid cumini impositum, super oculo jam clauso ponatur, & desuper petiæ lacte & aqua rosata imbutæ, & tum uterque oculus obueletur, & claudatur, ne unius motu etiam alter moveatur. Fronti apponatur cataplasma repellens ex albumine ovi, oleo rosato, aceto, bolo & similibus. Et statim æger pedetentim ad propinquum lectum ducatur, in quo sublevato capite supinus quiescat. Non loquatur autem nisi submissa voce; transeat primo die sine cibo, sequenti detur adhuc tenuis & liquidus, qui non habeat opus masticatione ne motu masticionis aliquis, etiam in partibus oculi motus fiat, & sic detur occasio adscensus cataractæ: maneat oculus sic clausus quatuor diebus, nec coto superpositus removeatur, nisi maximus dolor & inflammatio aliud jubeant, sed quotidie semel petiæ, aqua rosarum & lacte imbutæ removendæ. Postquartum diem potest oculus aliis localibus liberari, sed æger adhuc tamen in lecto remanere debet, & cubiculum adhuc esse tenebrosũ, lumen enim dissipando & visio spiritus movendo cataractam agitarent: & hoc usque ad septem dies secundum Avicennam, secundum practicantes autem usque ad nonum. Si alvus ægrotanti non respondeat, clystere blande movenda est, sic tamen ut æger maneat in lecto, nè loco moveatur. Si interim iterum cataracta resurgat, & nulla oculus inflammatione aut dolore tentetur, iterum deponatur acu in idem foramen imposita.

At si inflammatio & dolor adsit expectandum quousque ea sunt sedata; sedantur Phlebotomia, cucurbitulis, hirudinibus &c. aliquando in deponendis cataractis fit dachynosis in oculo, seu quod humores in eo contenti appareant rubri, hoc fit à sanguine qui propter aliquam paruam venam tactam exiens, albugineo humori miscetur, ex quo qui id nunquam vidisset, posset arbitrari oculum fractum, sed id nihil est, neque magnopere metuendum; post aliquot enim dies ille sanguis resolvetur, & discutietur. *Thom. Fienus. de Præcipuis Artis Chirurg. controversiis Tract. ij.*

Incipiens cataracta incremento & concretione prohibetur, diæta convenienter & artificiosè præscripta, uini præsertim potentioris & caput implentis abstinentia, vitato usu ciborum, quibus succus inest pituitosus & vaporosus, ut pisorum, fabarum, naporum, castanearum, omnium denique rerum quibus vis inest humores in corpore ciendi, & ad fluxum proritandi: cujusmodi sunt salsa omnia, & piperata sive acria, ut allia, cepæ, sinapi, præ cæteris verò immoderatior coïtus nocet, quia totum corpus vehementius exagitat, cerebrum, caputque debilitat & crudos parit succos. Panis imperetur fœniculi semine conditus, huic enim vis inesse creditur visionis juvandæ & oculi illustrandi, vapores nebulosos ante

ante in ventriculo dissipando quàm consurgere ad cerebrum possint. Quare eadem ratione, cydoniati, conservæ rosarum, euphrasiæ, aut cujusvis ex aliis rebus flatus discutientibus, aut ventriculum constringentibus compositæ, utilis est usus. Phlebotomia & purgatio, si res postulet, oportunè præscribentur, frictiones divertentes imperabuntur, cucurbitulæ scapulis & cervici affigentur: matutino tempore masticatoriis pituita per palatum derivabitur, sicut etiam vesicatoria, phænigmi & cauteria potentialia occipitio vel brachio applicabuntur. Verùm quia ut dicebat Plato in Charmide, neque oculos confirmare, neque desiccare licet nisi prius caput purgetur, neque hoc nisi universum corpus ante emundetur, id circo ante omnia corporis totius purgationi incumbendum est. Sed calens anhelitus ejus qui fœniculum, anisum, coriandrum, nucem moschatam cinnamomum, caryophyllos & similia ore versat & dentibus mandit, oculis digito ante leviter attritis continuò & frequenter exceptus magnum ad humorem concretioni proximum calefaciendum, attenuandum, resolvendum, digerendum, ac diffundendum momentum habet. Quin etiam illustrandorum oculorum, visionis roborandæ, & prohibendarum suffusionum, discutiendarumque si quando concrescant & cogi incipiant. Vis maxima inesse creditur huic Joh. Vigonis collyrio.

℞. hepat. hircin. sani & recent. ℔ ij. calami aromatic. & mell. an. ℥ß. succi rutæ ʒiiij. aquar. chelidon. fœnicul. verben. & euphras. an. ℥iij. piperis longi, nuscis mosch. caryophyll. an. ʒij. croci ℈j. flor. rorismar. aliquantulum contrit. m. ß. sarcocollæ, aloës hepat. an. ʒiij. fellis rajæ, leporis & perdicis an. ℥j. terantur omnia, tritisque adde sacch. alb. ℥ij. mell. rosat. ʒvj. conjiciantur in alembicum vitreum & destillentur in B. M. Stillatitius liquor frequenter oculo offundatur. Hujusce aquæ usu post universalia remedia absque alterius cujusvis remedii externi ope, plures curavi nulla lucis usura fruentes. Aqua è corniculis quæ in fraxinis nascuntur contusis destillata ad visum clarificandum est excellentissima.

Quod si his & tot remdiis nihil profectum fuerit congestusque nebulosus humor in dies augeatur & inspissetur, abstinendum à remediis est, expectandumque donec jam non congeri sed cogi, imò durities quædam concrevisse uideatur. Sic enim demum acu decuti poterit: alias si nondum matura, ac justo tenerior sit, illa velut pellicula, cùm ventum ad opus erit, acu transadigetur, non decutietur. Si contrà durior sit, illa resistet acui, nec decuti se facilè patietur.

Itaque quæ ejus sit quasi tempestivitas Chirurgo cognoscendum est; diligenterque tenenda signa quibus maturam suffusionem ab immatura, & sanabilem ab insanabili discernere possit. Nam sola quæ matura & sanabilis est manu & acu curanda, quæ immatura, idest quæ tenerior, & quasi cruda adhuc, quæque durior & densior est, quæ denique insanabilis, ne tentanda quidem.

Quibus signis cataractæ maturæ & curabiles ab immaturis & incurabilibus dignoscantur.

Oculo sano clauso, si suffusi, postquam pollice attritus fuerit, pupilla statim dilatetur & diffundatur, eademque celeritate in suum locum, figuram, colorem & statum redeat, opinionem facere nonnullis creditur maturæ & confirmatæ cataractæ, immaturæ verò & nondum attingendæ, si diu pupilla dilatata & diffusa maneat. At maturæ, itemque densioris, adeoque insanabilis, commune signum est nihil eorum quæ spectabilia sunt, præter lucem, & lumen cernere, distinguere verò aliquid aliarum rerum aspectabilium nondum maturæ est argumentum: Ideò verò clauso compressoque oculo sano, alterius pollice attriti pupilla dilatatur, quæ amplificatur, intumescit, diffunditurque amplius compressione illa, quasi compulsis a sano in ægrum oculum visoriis spiritibus. Cæterum quæ sequuntur cataractæ insanabiles censentur, illæ scil. quæ magnæ sunt, quæ affecta, attritave palpebra nihil dilatantur aut diffunduntur: quarum pupilla nihilo pariter illo attritu latior fit; hinc enim intelligere est obstructionem subesse in nervo optico, adeo ut decussa quantumvis feliciter cataracta superstes cæcitas sit mansura: nihilo plus proficias in decutienda ea cataracta, cujus oculus multum tum emacruit & phthisi laborat. Insanabilis etiam est illa quæ ex gravissimo morbo, acerbissimis nempe & diris capitis doloribus, vel ictu vehementissimo orta est Quæ gypsiæ; sunt coloris, virides, nigræ, lividæ, citrinæ, & coloris argenti vivi æmulæ ferè sunt insanabiles: contra quæ colore corticem castaneæ æmulantur, quæ cæli, seu aquæ marinæ colorem habent cum quadam albedine, hæ sanabiles sunt & feliciter succedere solent.

De cataractæ curatione chirurgica, postquam sanabilem esse cataractam commemoratis signis cognoveris, restat ut manu ejus curationem adoriaris, ita tamen si nihil sit quod impediat. Nam si capitis dolor, si tussis, si nausea, vomitusve ægrum infestet, frustra operam impenderis. Expectandum itaque donec talia symptomata evanuerint. Tempus eligendum ad eam rem oportunum, scilicet sitiente luna, à fulgore & tonitru silente cælo, & sub alio quàm Arietis, quod capiti dominatur, signo. Nam secundum Ptolomæum luna, signum illud cujus est membrum feriendum, tenente, ferro non attingendum. Tum Medicum consulet Chirurgus, si purgatio, & sanguinis missio ægro necessaria sit, vel plethoricis symptomatibus occurratur, relapsui alioqui materiam suppeditaturis. Biduo post eligendus est locus mediocri lumine perfusus, jejunusque æger in angusto sedili collocandus est, sic ut non adversum, sed à latere lumen habeat. Oculus qui curabitur mobilior efficiendus est super alterum lana imposita & deligata; mox chirurgus ægro se adversum statuat in scamno paulò altiori, jussoque eo manus ad zonam demittere, genibus suis ejus crura comprehendet & concludet. A tergo autem adstabit minister, qui ejusdem caput contineat & immobile præstet: nam levi momento erui acies in perpetuum potest. Acus inde præparanda est, & in densum aliquem pannum pluries intrudenda, ut illo velut motu lævigetur, & ad jamjam futurum opus minori dolore perficiendum tanquam incalescat. Ferrea sit oportet, aut

aut chalybea, non aurea, argenteave, sed aliquantulum lata, acuto mucrone, quô in oculum penetret, comprehensamque cataractam decutiat penitus, ac ne in manu chirurgi labatur, minusq; stabilis sit, manubriolo inseretur.

Hac tanquam præparatione rebus omnibus adhibita, imperandum ægro ut oculorum aciem nares versus contorqueat. Tumq acus intrepidè (inani, enim & spiritibus tantum pleno loco excipitur) recta per adnatam tunicam medio inter minorem canthum & corneam loco, è regione mediæ cataractæ, sic, ut ne qua adnatæ vena lædatur, intrudenda est, varieque tum quasi versanda, donec ad mediam pupillam suffusionemque pervenerit. Ubi eò ventum est, supernè deorsum inclinanda acus est ad ipsam suffusionem, leniterque ibi versanda, donec paulatim eam, quantùm fieri potest integram infra pupillæ regionem deduxerit depressè: instandum acu nihilominus vehementiusque ad breve aliquod temporis momentum ea comprimenda, ut inferiori parti in qua decussa est insideat, & ægrum monebit chirurgus ne oculum commoveat. Nam si sic constans hæret neque redit, completa est curatio. Tum acus paulatim sursum referenda est, neque tamen statim eximenda, ut si revehatur ac resurgat suffusio, iterum & toties, dum adhuc opus calet, & res in procinctu est decutiatur versus minorem angulum, donec planè & fideliter condita fuerit. Tum igitur molliter & pari qua intromissa fuerat inclinatione revocanda acus est; ne si moderationem non adhibeas, una cataractam eò unde decusseras referas, aut ad chrystallinum humorem primum videndi instrumentum, pupillamve cum ejus dilatandæ periculo, graviter offendas. Quidam opere statim peracto aspectabile aliquid ægro videndum exhibent: Sed non probat Paulus, timet enim ne intuendi ille conatus suffusionem sursum revehat. Itaque & saniùs & certiùs statim ab educta acu ovi albumen in aqua rosacea cum alumine agitatum, molli linteo excipere, & adstrictionis arcendæque inflammationis gratia oculo ac vicinis partibus imponere, tumque una etiam sanum deligare, ne si ad intuendum moveatur una etiam per sympathiam & quæ ipsis per nervos intercedit connexionem ægrum quasi rapiat, & ad motum incitet.

Post hæc lecto molli æger trahendus est, atque ita collocandus, capite ut sit altiori: procul sit ab omni strepitu, ne loquatur, nec quid mandat durius, ne maxillæ laborent: liquidis ergo nutriatur, ut panatella, hordeato, colatitiis aut expressis carnium euchymarum succis, gelatina, ovis sorbilibus, & aliis hujus generis. Octavo demum die resolvenda quæ oculos obvallat fascia, ipsi aqua rosacea proluendi sunt, oppositisque specillis, aut serico panno, sensim lumini ac diei æger est assuefaciendus ne repentino lucis occursu offendatur. Quod si paucis post diebus sursum referatur suffusio, decutienda iterum illa est, sed altero foramine, priori enim dolet oculus.

Contingit aliquando ut acus occursu non decutiatur integra suffusio, sed concidatur & in plures partes dissipetur. Tum igitur seorsim singulæ persequendæ & decutiendæ; si quæ minima portio subsit, quæ acus velut ansam effugiat, relinquenda illa est, virtute caloris nativi non est dubitandum quin tempore resolvatur.

Nonnullæ etiam occurrunt cataractæ, quæ ad primum acus contactum in lacteam quandam; aut aquæ turbidæ persimilem substantiam diffunduntur & abeunt, quod nondum plena concretione maturuerint, hæ tamen vel eo nomine sperabilem sanitatem pollicentur, quod nunquam postea in unum ut antea corpus coïre possint. Quare tandem etiam robore innati caloris discutiuntur, tumque pristinus splendor oculo restituitur. Si quæ alia de insperato superveniant symptomata, novis illa consiliis & suis quæque remediis profligabuntur. *Joh. Vigierius Chirurg. magnæ lib. 1.*

Suffusio est cataracta incepta. Cataracta suffusio perfecta, vel confirmata. Differunt enim non specie, sed tantùm gradu.

In hoc affectu primò levis quædam visus obtenebratio contingit, quæ sensim augetur, dum materia visum impediens, in pelliculam concrescat, visionemque demum prorsus auferat.

Incipienti morbo diligentissimè occurrendum & nam confirmati curationis spes nulla, nisi ex operatione chirurgica, acus ope.

Cùm medicamentis locus est, totum corpus, & præcipuè cerebrum exactè evacuandum est, dein humor visum obtenebrans discutiendus.

Quæ indicationes cum eædem fermè sint quæ ad guttæ serenæ curationem fuerunt propositæ, remedia evacuantia, revellentia, discutientia & roborantia ibi laudata, hic etiam aptari possunt, ut non opus sit hic eadem frustra repetere. Ab errhinis autem abstinendum, illa enim omnia nocent.

♃. Aloes hepat. diligenter lotæ in aqua fœnicul. ℥ß. caryophyll. nucis mosch. macis an. ʒß. fol. euphras. & rut. siccor. an. ℈j. sem. fœnic. ʒß. cum syr. ex succo euphras. & fœnic. fiat massa quæ formetur in pilulas. Dos. ʒß. in lecti introitu.

♃. Flor. viol. sicc. ℥ß. *flor.* euphras. ʒvj. *flor.* beton. vel eorum defectu folior. ʒij. sacch. ad pondus omnium f. pulvis, cujus portio inspergatur butyro recenti in pane extenso, sumend. initio prandii. Capiti prodest & alvum humectat.

♃. Sem. coriandr. in succ. cydon. *ppt.* ℥iß. conserv. flor. euphrasiæ solid. recent. paratæ ℥ij flor. fœnicul. in umbra siccat. ℈iiij. fol. euphras. ℈ij. macis ℈j. sacch. cum aq. fœniculi in rosatum cocti ad pondus omnium, f. pulvis quo utatur è cochleari hora dimidia post singulos pastus.

Quoad topica nihil plane immittatur oculis quod dolorem faciat.

Proderunt inspirationes pueri vel puellæ post mansum semen anisi vel fœniculi.

Bis terve in septimana mane post evacuatum ab excrementis corpus applicentur oculis exta columbarum, vel pullorum, aut aliorum animalium juniorum, adhuc palpitantia, iis viventibus per medium sectis extracta, atque super oculis detineantur, donec penè refrixerint; mox abluantur partes, clausis & conniventibus palpebris. aqua mox describenda, quæ quotidie mane, etiam sine visceribus utiliter usurpabitur.

♃. Succ. fœnic. scarleæ, rut. chelid. ma

verben. trifol. macul. euphras. an. ℔ j. succ. napi, vini hispan. an. ℔ ij. mell. albiss. ℔ iß. urinæ pueri impuber. ℔ iij. f. in balneo M. distillatio ut artis est, servetur aqua usui quæ validior reddetur, si hujus liquoris sumatur ℔ j. aloës succotr. ℥j. Ireos florent. torref. ℈iiij. vitriol. alb. depur. ℨß. sacc. cand. ℥j. Agitentur diu simul, & fiat per chartam emporeticam colatura. Temperetur liquore stillatitio simplici, si dolorem excitet.

Dominus *Packer* passus est in oculo sinistro cataractam confirmatissimam per annos ad minus 23. quàm albissimam, satis compactam & maturam acu deturbandam sæpius suasi; una nocte, sine ulla causa externa, evanuit suffusio, & licet confusè, mane cæpit & lucem aspicere, & colores agnoscere. Venit ad me & oculum ostendit purum, lucidum, sine ulla humorum perturbatione, obscuritate aut confusione. Pupilla minor tantùm fuit, quæ tamen clauso altero oculo dilatabatur. Non credo fuisse dissipatum istud coagulum, sed pondere forsan ab uvea divulsum fundum petiisse aquei humoris eò loci ubi ab acu separata cataracta deprimitur & subsidit. Forsan ascendet denuò, ut sæpe contingit in cataractis malè depressis & locatis ab operatore, nisi forsan substantia crassior & gravis elevationem impediat.

Elapsis diebus 15. ad me rediit, ostendit oculum clariorem, & facilè de omnibus objectis visibilibus potuit pronunciare. Dixit tamen uxorem aliquoties vidisse partem cataractæ denuò ascendentem ad pupillam quæ validâ narium emunctione illico ima iterum petiit. Proculdubio recurret, neque enim absumi potest.

Mulier Angla oculista, vidente *Mylord Rich*, filio Comitis *WarWich* acu aperuit corneam supra pupillam, & humorem aqueum exhausit, sive effluere sivit, qui turbidus & obscurior factus, visionem imminuerat, ita ut æger quasi per velum se omnia confuse cernere crederet. Post humoris effluxum oculus concidit. Applicata remedia, imperata quies in tenebris: Sic prospectum inflammationi. Aliquot post diebus postliminio succrescente humore aqueo, qui est excrementitius, non pars corporis, & qui reparari potest; intumuit, sive repletus oculi globus; punctura ejus occlusa & consolidata, nulla remanente cicatrice. Restituta visionis acies, & perfecte curatus fuit æger.

Nota corneam non sentire. *Theod. de Mayerne* Prax. *medic. lib.* j.

Consultationes.

Imminuta visio, quam novem ab hinc annis patitur serenissima matrona in utroque oculo, eo progressa est in oculo sinistro ut nunc fere nihil ipso videat, etiamsi perspicillis utatur. Id non aliam ob causam, quam ob manifestissimam suffusionem ejusdem oculi pupillam fere totam obuelantem, qualis dextri quin etiam oculi pupillam inuadere incipit. De quo sane affectu sicuti nullam video hæsitationem inter viros præclarissimos, quamquam volitantia corpuscula incipiente suffusione ut plurimum apparentia non præcesserint: ita neque ego ambigendum censeo, cum nullus peculiaris præcesserit oculorum affectus, nulla inæqualitas appareat in cornea neque lumen sit omninò obtenebratum, quæ tunicæ corneæ, araneæ, aut nervi optici affectum proprium indicare valeant: cumque causæ externæ adeo validæ fuerint, ut celerem humorum confluxum ad oculos excitare potuerint, qui illico crassitiem aliquam adepti non difficili negocio liberam cùm spirituum expansionem, tum specierum receptionem impedire apti fuerunt.

Humores autem qui ad oculos confluxêre, me quoque judice, sunt pituitosi, cum à capite calido & humido, tum à toto corpore ad partem affectam transmissi per venas potius circa oculorum tunicas diffusas, quàm per nervos opticos, à quibus si pituita vitrea fuisset suscepta, fieri vix posset, quin in iisdem impacta amaurosim vel saltem amblyopiam excitasset, nec tam facile ab ipsis per tunicam araneam ad humorem albugineum, & tunicam uveam confluxisset. Causæ externæ ut & ego censeo, præcipuæ fuerūt, diuturnæ lacrymæ, continua lectio, & scribendi labor diuturnus, & nocturnus, fructuum horariorū immodicus usus & variæ animi perturbationes, accendente innatâ oculorum imbecillitate, forsitan hæreditaria, cùm & fratres serenissimi similem oculorum affectum passi fuerint. Accedit naturalis oculorum humiditas exuberans, ob quam longe facilius in hunc affectum incidere potuit. Hanc enim solam ob causam solas capras inter bruta suffusionem pati prodidit Hippocrates; quoniam caput & oculi illis sunt humidissimi. Uterum in hoc affectu vix ullum locum habere mihi persuadeo, quamquam enim nunquam conceperit spatio sexdecim annorum conjugii, semper tamen habuit menses ordinatos, nec unquam de ullâ re in mensium fluxu conquesta est. Licet enim imminui cœperint 45. ætatis anno, & subindè intermiserint 47. ætas tamen hæc ut plurimum naturalem mensium suppressionem pati solet.

Utinam affectus propositi tam curatū quàm cognitu faciles essent, suffusionem enim in oculo sinistro jam factam, ferè totam pupillam obducentem, albam, ac ita immobilem, ut neque vel confricatione oculi dilatetur, neque ad alterius oculi compressionem, pupillæ dilatationem admittat, prorsus incurabilem esse censeo. Quippe quæ neque localibus insensibiliter digeri, neque manus operatione deponi unquam poterit; Si Græcis & Arabibus scriptoribus fides adhibenda: nisi forsitan emollientium beneficio mobilitatem aliquam adipisceretur, quod Viri præclarissimi experiri poterunt. Insistendum itaque magis præservationi oculi dextri à majori labe, cum & ipsius jam antiqui affectus sanatio difficillima nè dicam impossibilis sit futura.

Ut itaque voti compotes fieri possimus, quantùm per artem licet, necessarium erit insistere diversioni materiæ fluentis ad oculos per revellentia & derivantia; exsiccationi capitis & digestioni, vel manu factæ depositioni materiæ quæ jam fluxit, atque in membranulam conversæ.

Quæ præstabuntur quidem primò per repetitam purgationem totius, cum aliqua sanguinis eductione ex saphena pedis dextri. Nec displiceret inustio alterius fonticuli in dextro interno femore pro majori revulsione, prout summopere laudatur setaceum in occipite, à

viris

viris præclarissimis alias propositum, vel saltem ulcuscula excitata retrò aures in utraque parte aperta serventur. Aliam sanguinis eductionem ex venis capitis non propono, cùm de nullo inflammationis principio suspicionem subesse videam.

Peculiaris capitis expiatio debet esse accuratissima, primò quidem per masticatoria, ex *fœniculo* in primis aliquamdiu administrata ac deinde per errhina blanda; tandemque & validiora pro derivatione materiæ quæ ad oculos confluxit. Quibus peractis, blandum aliquod decoctum triginta dies circiter præscribi poterit, exsiccandi quidem, non tamen calefaciendi vi pollens. Quod propterea confici poterit ex *radice chinæ, visco quercino & santalis*, cum temperatis ocularibus.

Hoc enim spero fore, ut Serenissima matrona sine jecoris incommodo uti possit, præmisso quinetiam bolo *ex trochiscis viperinis cum succo cichorii concreto*.

Nec displiceret, ut eodem tempore comederet carnes viperarum coctas, amputatis capite & caudâ. Exsiccarent enim quam maxime & visionem conservarent. A quibus si abhorruerit, licet non sint ingratæ gustui, habeat saltem in familiari usu *pulverem* seu *salem viperinum*, cibis inspergendum, non omisso potû jam præscripto ex *china & visco quercino* in aqua coctis, cum modico euphragiæ statutisque temporibus repetita corporis purgatione per pilulas *lucis & aggregativas*, vel alias similes.

His internis addenda erunt externa, cùm cephalica, tùm ocularia. Quare pro capitis exsiccatione, pulvis confici poterit ex *agarico, cornu cervi, corticibus ostreorum ustis, ossibus sepiarum, & rosis exsiccatis*, capillis inspergendus, nisi prohibeatur ab ipsorum longitudine; vel saltem spongiis siccis caput frequenter exsiccetur, abstinendo ab illis, quæ caput, vel actû vel potentiâ calefacere valeant. Quod oculum postea sinistrum spectat, jam incurabilem redditum, non erit abs re uti emollientibus aliquot dies; ut puta succo malvæ, & altheæ destillato oculo adhibito cum vitrea illa cucurbita perforata, quo diutius hæreat, & emolliat magis; apposito quinetiam emplastro prædicto oculo; parato ex pulpa pomi cocti, cum butyro sæpius loto aqua malvæ, additis mucilaginibus semin. malvæ & radicum altheæ. Quod si forte mollitiem aliquam susceperit, tunc tentanda erit ipsius depositio verno hoc tempore, die sereno, lunâ decrescente. Magis tamen insistendum erit alterius oculi præservationi, per digerentia medicamenta, primò leviora parti affectæ applicita; in quem usum fuerit radix chelidoniæ diligenter lota aquâ vitæ, contusa, & per colum transmissa, instillando guttatim liquamen illud in oculum. Proderit quoque tartarum ex vino generoso, in tenuissimum pollinem redactum, oculo insufflatum. Aquæ fœniculi, fænugræci & cymini cum aqua vitæ oculo adhibitæ, cum instrumento vitreo, vel aqua parata ex pane furfuraceo, cum fœniculo, cymino & fænugræco pulverizato, in furno cocto, ac deindè sic calente intra duas patinas in cella vinaria, vel in alio loco frigido reposito quo vapor ille densatus in aquam vertatur; cui addantur deinde fella animalium, primo non rapacium, deinde & rapacium. Hæcque & similia ad digerendum humorem illum possunt esse accommodata, quæ licet viris præclarissimis perquàm notissima esse censeam, proponere tamen debui, ut oratoris illustrissimi mandatis obtemperarem. Faxit Deus O. M. ut cedant in juvamentum Sereniss. & Augustiss. imperatricis. Horum tamen remediorum usû non juvante facta fuit perfecta suffusio, ob quam visione prorsus deperdita administrata fuit suffusionis depositio à perito Lithotomo feliciter adeò, ut visum recuperaverit Augusta. *Benedict. Sylvatic. consil. & respons. Medic. Cent.* 2.

Suffusio incipiens

Illustrissimus Vir, post ictum vehementem capiti propè oculum inflictum, & hinc enatum tumorem, brevi tamen sanatum, rus adhuc convalescens, se contulit, ubi præter aerem humidiorem, & impuriorem illius loci, sæpiùs etiam nocturno sese exposuit, sicque naturalem humidam capitis & oculorum intemperiem non parum adauxit. Quamobrem præteritis diebus ex improviso sensit humorem quemdam in dexterum oculum delabi, qui objectorum distinctionem non solum eripuit, sed visionem ipsam offuscavit, valdeque confusam & nebulosam reddidit, ideoque medicum auxilium exposcit.

Momentanea ferè visionis depravatio ex sensibili destillatione, & condensatione materiæ inter tunicam uveam, & corneam, non alio quàm Suffusionis nomine cum Celso & Galeno nuncupanda est, quæ tamen in fieri in hoc casû est; Etenim si absoluta foret, aut velum seu tela, aut macula, aut guttula quædam ante oculum appareret, ut vel nulla omnino esset visio: prout quando est in fieri, fumus solum vel vapor, vel nebula tantummodo cernitur.

Hæc autem fit ab humore pituitoso inter uveam & corneam condensato ex Celso; seu inter corneam, & cristallinum ex Galeno. Humor verò iste abundè generatus ab humido capitis temperamento, naturali quidem, sed ab erroribus etiam in rebus non naturalibus adaucto, non potuit in oculum natura imbecillem, postea à vehementi ictu debiliorem factum, nec in curatione, ut par erat, corroboratum, partim non delabi, qui tamen humor neque hoc suffusionis principium induxisset nisi condensationem à frigiditate oculi adeptus esset.

Ut malo huic consulamus, satisfaciendum intentionibus à Gal. propositis, dicente, quòd *Oculum curare ante caput non licet, neque caput ante totum corpus.* Quare totum prius expurgandum, inde caput, tertio materia in oculo attenuanda & resolvenda, antequam suffusio ulterius progrediatur. Hypochyma enim in principio digeri potest, ubi verò diu constiterit, amplius digeri non potest. Et quamvis habeat Gal. quod promissiones medicamentorum in suffusis magnæ sunt, effectus vero aut nullus, aut valdè exiguus, nihilominus hoc locum habere supponimus in Suffusione tantum perfecta & absoluta, quæ, ut inquit Paulus, immoderate coaluit; quod dignoscitur, quia tunc

ex digiti impressione nulla fusio oboritur. Sperandum itaque, & licet non sine dubio, agendum tamen, ut saltem sanus oculus præservetur, qui facilè ob mutuum nervorum oculorum consensum,& ipse quoq; affici posset.

In chirurgico itaque fonte, facta primarum viarum expiatione sanguis ad ℥.vi. ex cephalica dextra educendus ad evacuationem & derivationem. Et quoniam caput copiosis humiditatibus abundat, ideo cauterium utrique brachio inurendum pro curatione læsi oculi, & pro sani præservatione. Et si morbus interim potius augesceret, setaceum in occipite per aliquot menses conveniet. Frictiones quoque in dorso & cucurbitula sicca valdè conferent.

Ex Pharmacia, exhibito medicamento ex lenit. & speciebus hieræ, desumenda præparantia ex syr.de chich.de beton. & oxymel. simplici, in decoct. cich. borag. beton. fœniculi, euphrag, & stæchados, a qua præparatione purgentur humores elect. lenit. & diacatholicone. inde efficaciora præparantia usurpanda, syr. scil. comp. in eadem decoctione; Quibus succedat purgatio pilulis de trib. cum rhabarb. sine quibus,mastic. aur. & lucis.

Toto expurgato,capiti quoque incumbendum masticatoriis ex mastiche,rad.Acori, pyrethro, Zinzib. & cera paratis, gargarismi quoque convenient ex decocto origani, pulegii, calamenthi, hyssopi, beton. addito oxymel. simplici; interim aluus lubrica servanda pilulis lucis, masticinis & de hiera cum agar. ad ʒj.

Tandem ut corroboretur caput, parandum erit Electuarium ex conservis appropriatis, nempe rosarum, è floribus beton. e flor. roris marini, nisi potius Theriaca quandoque utatur, quæ magis fortasse proderit.

Si verò hisce remediis morbus non cedat, necessario deveniendum erit ad decoctum guajaci, sallæ, visci querc. sassafras & Santalorum, cum herbis appropriatis, per viginti aut triginta dies sudorem in lecto procurando: cui tamen præmitti poterit bolus ex succo cich. pulv. euphrag. fœniculi, sileris mont. & chelidon. paratus.

Post Decoctum verò uti poterit Confectione aliqua, ex pulv. fœniculi, chelidoniæ, sileris mont. chamædryos, sassafras, & sacch. q. s. Extrinsecus idoneum erit leve lixivium ex herbis exiccantibus, paratum, quo abluatur caput & inde pulveribus exiccantibus aspergatur, additis maci, caryophyll. ladano & similibus & à stillicidio abstinerem, ne fusi humores ad affectam partem copiosius irruerent.

Purgato & corroborato capite læsi oculi ratio habenda: & quidem inter plurima collyria eligerem decoctionem Anagallidis, Euphrag. fœniculi, chelidoniæ, in aqua fœniculi & euphragiæ,in qua dissolvatur fel perdicis aut lucii, à proprietate oculis valde amicum.

Si his adhibitis remediis perseveraret adhuc morbus, chirurgo relinquendus erit, dummodo tamen suffusio talis sit, ut possit tuto deponi, haut enim operatio non immerito subtilissima vocatur à Celso.

His addatur conveniens vivendi modus, adeo ut vitet aërem humidum & impurum. Alimenta sint potius assa, quàm elixa, & fœniculo ac petroselino condita. In fine mensæ aliquod adstringens semper assumat, somnus sit mediocris, & nocturnus tantùm. Exercitium moderatum & ante cibum. Aluus lubrica servetur pilulis lucis & masticinis. Et alacriter vivat. *Joh. Raymond. Fortis consult. & Respons. Medic. T. 2. Cent. 1.*

Suffusio incipiens.

Excellentissimus Comes, quinquagesimum quintum annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, hepatis calidioris, & humidioris cerebri, alearum ludo noctu & aquarum potibus maxime delectatus; præterito autumno catarrhalibus fluxionibus quibus semper obnoxius fuit, maximè divexatus est. Quare Medicinæ opem tentare coactus, præter alia extractum chinæ, additis tamen salsa, lentisco & santalis per plures dies assumpsit, cujus ope bene habere visus fuit, usque ad Quadragesimæ initium, quo tempore visus dexteri oculi obtenebratus est, & valde impeditus in apprehendendis clare & distincte objectis visibilibus;quinimò veluti nubecula quædam ante oculos apparet quæ non solùm peractæ expurgationi non cessit, sed potius aucta est. Quare consilium tuum en xe efflagitat.

Visus immunitio circa objecta, Myopia dici posset,si fine ullo intercedente impedimento, & non adeo illico facta fuisset. At quoniam ex tempore incepit & quotidie magis increvit cum quadam apparente fumositate, quæ specierum sensibilium distantium impedit ingressum, sicut impeditur quoque obviantium spirituum ad debita loca transmissio, ideo Hypochymate seu suffusione oculum dextrum Excellentissimi Comitis affectum esse pro certo habendum; cujus quoniam tres dantur gradus, & primus est dum nulla in pupilla, medico intuente, mutatio, & à Patiente solus fumus observatur, ideo in primo gradu constitui potest. Cùm verò conditio hujus affectus sit, quod spatio mensium augeatur &increscat, ideò si ad secundum gradum accedat, nonnisi per telam raram, seu cribrum objecta patienti videre concessum est, sicuti tandem ubi tertium gradum attigerit, prorsus aufertur visio, & amblyopia evadit.

Fumus autem iste apparens vere vaporosa materia non est,sed aquosa, à vasis oculi humoribus, & potissimum aqueo alimentum deferentibus, in intercapedinem inter corneam & crystallinum existentem extrusa,quæ tractu temporis à frigididate, tum potissimùm ipsius oculi, tum ambientis, & propria paulatim crassescit, sicque visionem minuit, quæ tamen tanto tempore imminuta conservatur, quanto conservatur perspicuitas atque diaphaneitas in ipsa materia etiam citra ullum alium alterius materiæ accessum, unde jure merito Paulus & Oribasius suffusionem appellabat, humoris præterfusionem, inter corneam & crystallinum, & Aëtius humorum præterfusorum congelationem, quare decipi solent qui suffusiones à continuato materiæ influxu augeri credunt: ita enim exiguo tempore intumesceret, & extuberaret oculus, aliique affectus à suffusione diversi exorirentur.

Nec defuit serosæ materiæ antecedentis copia in Excellentissimo viro, cum hujus excedentiæ alia manifesta signa non desint, tum caput ejus essentialiter calida, & valdè humida intemperie jamdiu laborat, tum quia in aquæ potu semper deliquit & tandem quoniam à jecoris caliditate colliquante atque fundente, serositates in eodem multiplicari alias consideravimus, quas per venosum genus ad cor, deinde per arteriosum ad caput delatas, & ab oculis, tum alearum ludo accensis candelis circumstantibus, tum etiam facile in legendo, aut scribendo sese exercentibus nimirùm attractas, & nutritioni ineptas, vasa ipsa in jam dictum spatium evomuerunt, & suffusionem constituerunt, quæ quando ab extrinseco intuente discernitur, tunc non amplius incipientem, sed progressam esse censendum.

Summa verò prudentia statim ab Excellentissimo Adstanti fuit tentata curatio, quæ inservire quoque potuit illæsi oculi præservationi, cùm facilis nimis unius cum altero sit communicatio, & rara unius, & non alterius læsio. Nec deserenda suscepta provincia, cum Excellentissimi Comitis corpus totum & caput hnmiditatibus scateat, quas educere, corpusque totum, & præsertim caput exiccare nostra semper intentio fuit. Et quamvis promissiones medicamentorum in suffusis plures sint, effectus verò ut plurimum aut nullus, aut valde exiguus; attamen Hypochyma incipiens digeri posse promisit Gal. idem. Non est igitur cunctandum, sed in curatione progrediendum tum ut attenuato humore ulterius non procedat affectus, imo diminuatur, tum ut oculus sanus, aliæque corporis partes ab imminentibus malis præservetur.

Et ideò medicis intentionibus jam ab eruditissimis vi is suppositis satisfaciendum; primò materiam fluentem evacuando, revellendo, ejusque generationem prohibendo, fluxam verò resolvendo, & oculos moderate calefaciendo.

Pro quibus assequendis sanguinis missio locum habere non videtur, & ideo & à Gal. & ab Avic. omissa fuit, sicut & Rhasis quamcunque sanguinis missionem prohibet, quam & nos in hoc viro Excellentissimo omittendam censemus, sicut nullo modo omittendum cauterium in læuo brachio inurendum: nec frictiones à nucha incipientes usq; ad infernas partes, neque pedum lotiones. Interim totum corpus, quoad fieri potest, ab humiditatibus vindicandum. Inde caput quoque & pilulis Elleboratis, & errhinis expurgandum: oculum enim ante caput curare non licet, neque caput ante totum, ut dicebat quoque Plato in Carmide. Quod tamen solis purgantibus medicamentis nos assequi posse minimè speramus, sed Diaphoreticis & sudorem provocantibus intus, & extra opus esse pro certo habemus, alioquin & oculos & alias facile partes à redundantibus humiditatibus lædi dubio procul videbimus, ut superius innuimus. Idcirco præmissa jam dictâ totius & capitis expurgatione, Decoctum sudorificum erit instituendum, nec de liquatione, & fluxione ad oculos quicquam timendum, dum liquatæ humiditates ad extimas corporis & capitis partes alliciuntur, & per sudorem expelluntur, sicque ab oculis divertuntur, & interim materia jam fluxa attenuatur, & resolvitur aut ad resolutionem paratur: Sicuti valde suspectus apud nos semper fuit Decocti liquantis usus citra sudorem fusi namq; humores dum per sudorem non expelluntur, ad debiliores corporis partes irruunt, sicque præsentes affectus adaugent, novosque producunt: credibile namque non est Decoctum ipsum tantum absumere posse, quantum liquat. Paretur itaque Decoctum, sed sudorificum, adeò ut totum corpus, & caput potissimùm in hypocausto exudare possit, nempe ex visco querc. ligno roris mar. exigua pulpa guajaci, nec non lentisci portione, in aqua stillat. cich. atque beton. euphrag. aut chelidoniæ, cui si placeat præmitte bolum ex extracto præscripto chinæ, aut pulverem viperinum, Peritissimi Adstantis arbitrio remittimus, de cujus recto usu plura adducere non licet.

Interim autem Ophthalmica topica externa in usum ducenda, inter quæ quoniam crocus metallorum in aqua chelidoniæ dissolutus à Quercetano extollitur, ideò nos tincturam ejusdem croci parari jussimus, ipso croco multo præstantiorem: cùm enim crocus metallorum ex antimonio, & nitro semel calcinatis conficiatur, citra metallorum mistionem non adeo operosum evadit tincturas extrahere. Verùm ut facilius corneam permeare valeat ipsa tinctura, præmitti poterit suffumigium ex vino malvatico, in quo crocus & fœniculum ebullierint, reposito vino calente in vase, aut phiala vitrea oculo adaptata, ita ut fumus ab oculo eodem recipiatur: rarefaciendo enim tincturæ penetrationem non parum juvabit.

Ante sudorem & post, vinum pro mensa, ligno rorismar. & euphragia paretur medicatum. Et in reliquis congruam victus rationem à Viro Excellentissimo Adstanti præscribendam relinquimus: sicut cætera in præteritis nostris consultationibus descripta optime dirigi pro salute Illustrissimi atq; Excellentissimi Comitis & optamus, & exoramus. *Joh. Raymund. Fortis Consult. & respons. Medic. T. 2. Cent. 1.*

Suffusio incipiens.

Nob. iste Adolescens temperamenti secundum totum ad calidum & siccum vergentis, calidioris jecoris, capitis humidioris, glaucos oculos à natura sortitus, libere præterea vivens; annus jam agitur cum dimidio, ex quo corpuscula quædam, seu atomos pupillæ obversantes, sursum & deorsum moveri observavit, quæ modo majores quàm antea eidem apparent; nec semper ejusdem magnitudinis, sed quandoque majores, quandoque minores, sine tamen visus imminutione, sed potius ejusdem confusione: objectorum namque visibilium visio non impeditur, nisi quantum loci occupant corpuscula ipsa, nunquam stabilia, sed ut superius diximus, in continuo motu posita. Pupilla observatur nitida, & licet non nigra, suo tamen naturali colore prædita, humiditas autem quandoque, licet rarò sponte ab oculis decidit. Pejora verò timens Nob.

Nob. Juvenis de agendis consulit.

Corpuscula illa in oculis volitantia, ascendentia, & descendentia, imagines dici possent cum Gal. si perpetua non essent, sed modò adessent, modo abessent: sicuti quoniam perpetuo adsunt, idola potius cum eodem sunt appellanda. Differunt autem inter se idola & imagines ratione causarum; imagines enim à materia vaporosa ab infernis partibus ad oculos elevata proveniunt, quæ vaporosa materia, quoniam modo elevatur, modo non elevatur, ideo nec illæ continuo apparent. Idola vero fiunt à materia humorosa in oculo existente, quæ in aqueum humorem exprimitur in intercapedine inter corneam, & crystallinum, quæ postea in atomos divisa & à spiritibus se per commota & agitata, sursùm & deorsum movetur, & modo majores, & modo minores apparent particulæ illæ humorosæ, prout quandoque elevatur quoque materia vaporosa, quâ implentur, & majores apparent, sicuti à calore, vaporibus resolutis, minores fiunt, & ad pristinum statum redeunt. Oculo autem glauco existenti & naturalem imbecillitatem habenti, ab humidiori capite justo major impertitur humiditas, sicuti à jecore & hypochondriis, fervidioribus existentibus, vaporosa quandoque communicatur materia, unde hæc mala, eoque facilius, additâ promiscuâ libertate vivendi.

Quod quidem symptoma nuncius suffusionis esse solet: jam enim præterfusio humoris secuta est cum Paulo, & Oribasio, unde restat quod uniantur corpuscula illa incrassentur, & ut Ætii verbis utamur, congelentur; tunc enim adinstar telæ ante pupillam velamen apparet, quod specierum visibilium ingressum impedit, & suffusio, seu Cataracta tunc absoluta evadit.

Jure merito igitur Nob. Adolescens affectum præsentem non parvi facit, cum majora mala minetur: ideo cum hypochyma incipiens digeri posse promittat Gal. non sine spe præsentis ineunda curatio & à progressu præservatio. Et proximo verno tempore agendum, antequam corpuscula illa simul coeant: tunc enim spatio mensium visio semper tenebrosior redditur.

Et quoniam oculum curare ante caput, neque caput ante totum corpus non licet, ideo primæ viæ sunt expiandæ. Secundo totum expurgandum. Tertio caput. Quarto illud idem exiccandum, & roborandum, ut tandem materia pituitosa tenuis in oculo existens insensibiliter digeratur, habita semper caloris jecoris, & hypochondriorum ratione.

Quibus intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et à Chirurgico desumi poterit sanguinis missio semel tantum administranda, eaque ex pede dextero, tum pro revulsione vaporum ascendentium, tum ut minus caput & oculi refrigerentur. Cauterium quoque pro nunc in lævo brachio inurendum. Frequentes sint matutino tempore, antequam è lecto egrediatur, frictiones dorsi: vespertino vero ante cœnam pedum lotiones.

Reliqua remedia ex Pharmaceutico depromenda; sic potio ex manna clarif. vel syrupus ros. solut. cum manna poterit ventriculum exonerare, sicut cremor tart. ad semi unc. in jure cortic. citri alterato dissolutus, per quinque dies erit primum præparans, cui succedat eodem medicamento supra proposito evacuatio. Inde ad ulteriora præparantia erit deveniendum, & esse poterunt julapium quidem simplex acet. ad ℥ j. in decoct. cichorac. additâ betonicâ, salviâ, & majoranâ; in horum usû insistendum ad dies XII. in quorum intermedio sumat vel infusum agar. rhab. & senæ, addito syrupo ros. solutivo, vel electuarium lenit. cum diaphœn. cui superbibat aquam hordeaceam ad ℔ j. vel, j.ß. quod idem medicamentum repetatur duodecim jam dictis terminatis diebus. Post hæc caput quoque erit respiciendum, tum præparantibus, tum expurgantibus; præparantia sunt oxym. el simpl. ad ℥ ij. cui superbibat succi beton. & euphrag. an. ℥j. in decoct. cich. endiv. melissæ, calend. beton. salviæ, euphrag. chelidoniæ; & quinque transactis diebus assumat pilularum aggregat. coch. & aurearum an. ʒ ß. quibus, transactâ horâ, superbibat aquam hordeac. ad ℔ ij. & quatuor horis ab assumptâ aqua prandeat. Repetat deinde tribus sequentibus diebus eadem præparantia, & inde pilulas aggregat. cochias, & lucis eadem dosi, ita & tertia vice interpositis, ut supra, præparantibus. Quibus præparantium diebus omnibus, masticatoria ex usu matutino tempore erunt, ex mastiche, pulvere staphisagr. pyrethri, fœniculi, & cerâ paratâ. Errhina namque sive nasaria non valdè ab Hyppoc. probantur.

Purgatum caput esset quoquo pacto exiccandum: Verùm pro hac vice faciliora proponemus: quibus tamen non sufficientibus, mox ad generosiora, & magis operosa alio tempore esset deveniendum. Fiant ergo quotidianæ aspersiones & manè, & vesperi, pulveribus capitalibus exiccantibus, paratis ex carie lignorum, cornu cervi usto, radice iridis florent. ustis orizis rosis rub. major. & caryophyll. in aqua rosac. prius maceratis, deinde exiccatis & in pulverem redactis. Post pectinationem perfricetur caput spongia vino albo imbutâ mox expressâ & exiccatâ, in quo infusa fuerint, & efferbuerint lignum sassafras, rorismarini, radix rhodia, radix fœnicul. majoran. salvia. Sub ingressum lecti summo digito medio quinta essentia rorismarini intincto illiniatur sutura coronalis, & sumat conservam, modò è floribus rorismarini, modò beton. modo euphragiæ.

Tandem ophthalmica quoque externa sunt adhibenda, & esse poterit aqua B. M. destillata ex succis euphrag. chelidon. fœniculi, prassii, vino malvat. & mell. additis bovis, & lucii fellibus, cum volatilium hoc tempore haberi non possint; quâ aqua tepida jejuno ventriculo pluries sunt oculi abluendi; & ut facilius corneam penetrare valeat, præmitti poterit suffumigium ex vino malvatico, in quo ebullierit globulus croci & fœniculi pusillus, per phialam oculis adaptatam recipiendum. Ophthalmico jam dicto feliciori cum successû ego sum usus, quam cerebri illo Quercetani ex croco metallorum & aqua chelidoniæ parato.

Jam dictis omnibus cautior erit addenda victûs ratio, adeò ut caveat Nob. Juvenis, ab aëris inclementiis, ab eduliis vaporosis, tum

frigidis, tum nimis calidis; & præsertim ab usu lactis, lactucæ, apii, leguminum; à crassis & viscidis; à vinis generosioribus. Fugiat somnum diurnum, pariter exercitium à cibo; veneris immoderatum usum; & alacriter vivat, sed citra comessationes, & compotationes. Quæ à Deo Nob. Adolescenti salutaria precamur. *Joan. Raymund. Fortis Consult. & Respons. Medic. tom. 2. Cent. 1.*

Vir triginta quinque annorum, chymicis operationibus apud fornaces ardentes incumbere solitus, post visus defectum in sinistro oculo, cum nubeculis ante illum volare visis, & majore obscuritate postea insecuta, passum & setonem cervici frustra adhibitum; aliaque remedia, quæ humorum ad oculos defluxum inhibent, incassum usurpata; tandem, incrassata in oculo pellula, & albida in pupilla apparente, in cœcitatem istius oculi incidit. Dum verò etiam in dextro oculo similem visûs defectum, cum nubeculis, & filamentis ante illum volantibus, observat. Dextro oculo connivente, dilatatur pupilla oculi sinistri qui excœcatus est.

Afficiuntur in hoc ægro, *oculus sinister secundum pupillam,* ut ad oculum patet, & *dexter oculus secundum humorem aqueum*: ut constat ex nubeculis, ante oculum dextrum per visus fallaciam volare apparentibus.

Morbus quo sinister oculus laborat est obstructio pupillæ, à pellicula albicante in ejus cavitate nata, quæ radios rerum visibilium à sinistri oculi retina excludens, cœcitatemque eo inducens, *Cataracta confirmata* dicitur. *Morbus* verò *qui dextrum oculum afficit*, est intemperies humoris aquei crassa, quæ particulas quasdam opacas in eo dispergens, & volare faciens, nubecularumque volitantium imagines in retina, & deinde in cerebro excitans. *Cataracta incipiens*, sive *suffusio* appellatur.

Causa procatarctica horum morborum est diutina apud fornaces ardentes mora, quâ pori vasorum & membranarum nimis aperti fuerunt, & humores in capite, & præsertim oculis, incrassati; iique in vasis eorum existentes, *antecedentem* his morbis præbuerunt causam: illi verò in aqueum utriusque oculi humorem ex iis affusi, & primùm in parvas quasdam obscuras & opacas nubeculas coagulati, & deinde in sinistri oculi pupilla in membranam coacti, *continentem* hujus morbi & symptomatum constituunt causam.

A nubeculis enim in aqueo humore natantibus, & ex motû oculi in eo dispersis & volitantibus, excluduntur à retina multi rerum visibilium radii, atque ita integram inducit istius oculi cœcitatem.

Periculum hic est, nè in sinistro oculo non tantùm panniculus sive pellicula in pupilla sit nata, sed etiam ne humor crystallinus, vel vitreus opacitatem contraxerit, atque ita nullâ chirurgiâ per membranæ ablationem hic morbus curari possit. Verùm *dilatatio pupillæ oculi cœci* spem sanationis præbet. Et deinde metus est, nè etiam in dextro oculo humores oculares tandem opaci evadant, vel pellicula opaca in pupilla tandem nascatur atque ita cœcitatem etiam dextri oculi inducat.

Curatio tamen tentanda, quæ consistet in pelliculæ ablatione, nubecularum discussione, humorum ocularium attenuatione, & intemperiei oculi correctione.

Primo itaque acû à perito chirurgo, in oculum sinistrum prope extremitatem tunicæ adnatæ, adacta, pellicula à pupilla separetur, & deprimatur, ac vulnusculum cum maxima corporis, & oculi quiete, consolidetur.

Eo consolidato curatio incipientis suffusionis dextri oculi est inchoanda. Ac primò tales pilulæ erunt præscribendæ.

♃. Fol. sennæ ℥ß. sem. fœniculi ʒij. aq. chelidoniæ, euphrasiæ, verbenæ, an. q. s. Post levem ebullitionem infundantur per noctem; postea colaturæ eousque decoquatur, donec in spissam extracti formam fuerit redacta: atque adde aloes rosatæ ʒ ij. rabarbari opt. ʒij ß. turbith. ʒ j. sem. rutæ, fœniculi an. ʒß. cubebar. macis an. ℈ j. mastiches ℈ ij. scammonii ʒß. f. massa pilularum; de qua capiat bis terve in septimana ʒ. dimidiam, vel duos scrupulos, mane iejunus.

Præterea corpore aliquoties purgato, utatur hâc aquâ stillatitiâ, cerebrum, nervos, & oculos corroborante, humoresque oculares attenuante, mane cochlear unum quotidie bibendo.

♃. Herbarum fœniculi, rutæ, euphrasiæ, verbenæ, chelidoniæ an. m. j. summit. rorismarini, salviæ, flor. rosar. an. p. j. baccar. juniperi ʒvj. lauri ℥ß. piperis, garyophyllor. an. ʒj. cinnamomi ʒij ß. ligni aloës ℥ß. sem. fœniculi ʒ ij. sileris montani ʒ j. rutæ ʒ ß. infundantur in vino generoso, & distillentur. Adhæc utatur hoc linimento.

♃. Fellis carpionum, mellis, succi chelidoniæ an. ℥ ß. coquantur parùm, donec inspissentur, iisque adde tuthiæ dragm. j. camphoræ ℈ß. axungiæ thymali piscis ℥ ß. f. linimentum pro palpebris extrinsecus sub lecti ingressum ungendis.

Versetur in äere calido. Cibus sit ex carnibus gallinarum, vervecum, & aviculis montanis. Caveat nimis humectantia. Condiatur cibus serpillo, fœniculo, betonica, salvia, majorana, pulegio, cinnamomo; Potus sit cerevisia, & vinum mediocrium virium. Exercitium sit moderatum, somnus brevior. Alvus respondeat quotidie arte vel natura. Mœstitiam fugiat. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen. Medication. lib. 1.*

Observationes.

Retulit mihi Medicus quidam ingeniosus, se in *Hollandia* vidisse mulierem quandam, verâ suffusione laborantem, ex consilio cujusdam empirici succo millepedum brevi sanatam; incipiendo scilicet à tribus pro vice, augendo in dies usque ad ix. tum iterùm gradatim numerum diminuendo usque ad 3. & rursus augendo ut ante, & sic vicissim.

Alia item mulier ab imminente, & minitante suffusione ejusdem medicamenti ope prorsus liberata est. Contundebat quidem illa primùm 5. millepedes, postea 10. tum 15. dein 20. (quotidie augendo numerum per quinque, donec ventum fuerat ad 50) in vino albo vel tenui cerevisia, fortemque expressionem jejuno ventri-

culo bibebat. Honoratissimus *D. Robertus Boyle* in nunquam satis laudato libro de utilitate naturalis philosophiæ cap. 5. sect. 5. part. 2.

Cataractæ metus.

Ante 10. Menses fere oculis meis simulachra telarum aranearum instar observata, visus verò Dei gratiâ adhuc, licet nullus dies sine quærela transigatur, dum hæc scribo, tam acutus est, ut nec atomus fugiat eum, & splendidissimam lucem citra omnem ferunt laborem oculi, universum corpus sæpius evacuavi ut & caput pilulis cephalicis mundavi, interdum quoque ad sudorem eliciendum me composui, fonticulum in sinistro brachio & jam per IX. menses habui, vesicatoria quoque, errorem in diæta angue & cane peius vitavi, nihilominus adhuc dum hæc spectra ante oculos fluitare, & varias juxta oculorum nutum inducere formas, perseverant. Periculosam prognosin mecum instituo, & nè tandem aliquando, quod tamen cœlestis avertat archiater, suffusio succedat, paveo hercle: licet clariss. *Plempio* à pueritia, *Platero* & ipsi ægro apud *Carolum Pisonem* talia citra notabilem noxam oculis fuerint observata, & ipse in hâc praxi meâ vidi virum, cui quasi rete ante oculos expansum per quod objecta videret, verum jam citra ullam querelam acute cernit, nihilominus tamen ego mihi vereor, quare à te imploro auxilium. *Joan. Ludovici Hannemanni.*

Th. Bartholini ad D Hannemannum Responsio.

Dolendi causam subministras, sed telis aranearum, ut spero, fragiliorem. Times scilicet à suffusione, quòd simulachra quædam instar telarum aranearum ante oculos observentur. Sed noli metuere. Securum te à suffusione esse jubeo vel meo exe plo. Triginta & amplius anni effluxerunt, cùm primùm Patavii hæc spectra metum quoque mihi injicerent, ut consilii gratiâ ad senem Medicum *Joan. Dom. Salam*, in praxi meum ibidem ducem, accedens pro remediis solatium reportarem, plus hæc terrere quàm nocere: ego certe ex illo tempore sprevi ista simulachra, quæ pro aëris humidi vel calidi conditione, vel augentur, vel minuuntur, nullo visus impedimento, quem tibi quoque integrum & acutum superesse lætor. Cæterum sedulo ex illo tempore cavi à lucubrationibus, à quibus mihi tempero, ut post cœnam ad lucernam nunquam vel legam, vel scribam. Præterea pulveri tabaci magnam partem clarioris visûs refero acceptam, derivantur per nares oculorum humiditates offuscantes visum: quo remedii genere plures sublevavi. Vel sola tabaci folia in pulvisculum comminuo, vel addo majoranam, euphrasiam, agaricum trochiscatum & sem. fœniculi. Alia medicamenta ad suffusionem præcavendam tibi commendare nolo, ne noctuas Athenas. Ipse quâ es experientiâ, plura & scis, & rectè singulis uti novisti. Axungiam viperinam laudatam vidimus in Miscellaneis curiosis Germanorum, quam etiam amicus quidam meus expertus nuper est, quem idem metus tecum terret. Simplex aqua ophthalmica ex vino albo rhenano, in quo infusa fuêre fœniculum, bethonica, ruta, euphrasia, chelidonium majus, farfara, triticum, laudabatur mihi Patavii ex *Bellocati* traditione. Non dubito, quin corpore quotannis rite expurgato, servataque decenti victûs ratione, & à lucubrationibus abstinentia, posthac simulachra ista mecum discas spernere, quod ex animo precor, ut diutissimè salvis oculis his perfruaris.

Cataractæ depositio.

Idem Lithotomus & ocularius *Laurentius Nicolai* non semel magna dexteritate Cataractas labente anno deposuit. Unius depositioni interfuit, me in prædio absente filius, *Casparus Bartholinus*, cujus in hanc rem literas ad me scriptas non pigebit hic subnectere, modo non pigeat lectorem legisse.

Pater charissime.

Adfui die 19. Januarii cum *Dn. D. Simone Paulli, D. Henrico à Moinichen & D. Casparo Kolichen.* Viro cuidam natione Gallo, annorum vix quadraginta, cui reliqua membra de meliore luto finxerat Titan, cæterum in sinistro oculo suffusionem patiebatur quam summa cum dexteritate deponi vidimus à *Laurentio Nicolai* Cimbro, artis quam profitetur haud infelici magistro. Oculo sinistro opposuerat se hæc suffusio, ex pituitosi, ut videbatur, humoris in spatium quod est inter corneam tunicam, & crystallinum, affusione, quanquam *Galenus* lib. 1. de sympt. Caus. cap. 2. ab ipsius humoris aquei condensatione fieri interdum suffusionem doceat. Veram & legitimam suffusionem hanc atque à spuria distinctam esse nemo dubitabat, quippe quæ omnes veræ suffusionis habuit notas. 1. Alterum tantum oculum occupabat, quod veræ suffusioni proprium aiunt, unum tantum oculum aggredienti, aut si utrumque, non tamen simul aut similiter, sicut in spuria accidit. 2. In legitima suffusione tenebrosum quiddam in pupilla apparet, quod in spuria non contingit. Unde *Vegetius* lib. II. Artis veterinariæ cap. 16. *cùm accedit suffusio oculus videtur incolumis nullis lacrymis, nullo sanguine, nulla indignatione prodit injuriam, sed uno tantùm declaratur judicio, quod cum pupilla ipsius imaginem tuam tanquam in speculo videre non potes.* 3. In vera suffusione symptomata sunt continua, nec ulla sunt intervalla, in spuria vero per vices augentur, & remittunt, prout vapores ad cerebrum efferuntur. Quas notas nostram, de qua scribo, suffusionem habuisse vidimus. Quanquam autem *Plinius* lib. 28. Hist. Natural. cap. 1. *Miletum scripsisse ait, oculorum suffusiones felle hominis sanari*, huic tamen usitatum atque præsens nostris temporibus remedium adhibitum fuit, solâ depositione per acûs seu styli immissionem. Hic sine jurejurando sed efficacius oculos tetigit alienos ocularius, secus quàm veteres, qui oculos juraturi olim tangebant, teste *Petronio Ovidius* lib. II. Amor. El. 16.

At mihi te comitem jurabas usque futuram
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos

Sic & *Tibullus* lib. 3. El. 6.

Et si perque suos fallax juravit ocellos

Cur id factum, ex parente discere vellem,

quem scio in Anatome Paganâ olim rem hanc pertractasse accuratius. Sed Vulcani invidiâ tantus labor periit. Si balbutientem me audire velis, Minervam hoc more coluisse, & ad testimonium vocasse veteres suspicor. Oculos quidem Cupidini Veneris filio, in quibus excubet ceu specula quadam, tribuit *Philostratus*: rectius tamen minervæ eos sacros fuisse Paganis tradit *Fulgentius*. Unde Minervam cæsiis oculis, ut pulcherrimis, finxerunt poëtæ. *Hesiodo* in operibus vocatur Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη: Dea cæsia Minerva & alibi de Deorum generatione, idem Ascræus.

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν.

ipse verò (Jupiter) *ex capite* (peperit) *cæsiis oculis Tritogeniam.*

Neque id injuria Minervæ enim oculi debebantur, quibus nihil pretiosius aut utilius est. Hinc oculis digni habiti non sunt venefici, & malefici. Exurebantur enim istis *Plaut*. Menech. A. 5. sect. 2. Ecc. Apollo mihi ex oraculo imperat ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. Imò malignis eruti, apud eundem *Plautum* in captiv. A. 2. Sect. 4. Nam hercle ego huic diei si liceat oculos effodiam libens, ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. Deus tibi, parens indulgentissime, tuos diutissime conservet. Vale. Hafniæ *filius obsequentiss. Casp. Bartholinus.*

Suffusionis initium Fonticulo in brachio excitato evanescens: & oculi vigore eodem in nucha facto, restitutus.

Chirurgo cuidam hujus urbis ante oculos muscæ & culices observari videbantur, hicque fontanellam facit in sinistro brachio; hujus beneficio visus naturali claritati restitutus, muscæque obvolantes evanuerunt.

Alius quidam puer rustici filius in Hollandia ex pago Bargenhusen, omnimodo oculorum imbecillitate laborans, ita ut lucem ægre ferret; hic primo in nucha habuit fonticulum sine successu, tandem consolidata rursum fontanella in nucha, unum in brachio, alterum in pede ipsi fecerunt fonticulum, hinc optime jam habet, acutè cernit, splendidissimam lucem oculi admittunt. *Joan. Ludovicus Hannemannus.*

CATARRHUS.

Catarrhus vox est vastissimæ significationis, quâ scilicet designari potest omnis affluxus materiæ, è quacumque demum parte procedat, & cuicunque illabatur, quo sensu plerique morbi catarrhorum decuriæ adscribendi sunt. Inflammationes nempe & dolores intensiores, omnes surditates, ophthalmiæ, cæcitates, anginæ, pleuritides, erysipelata, herpetes, arthritis, tussis, imò lassitudo spontanea, scorbutus &c. Verùm non hic in fusissima illa acceptione, quæ omnem humorum incursionem, ut nec è contra etiam strictissimâ illâ, quæ defluxionem tantùm in os vel pulmones denotat: At media significatione, pro destillatione scilicet quæ à capite aut à glandulis ipsi proximè accumbentibus, in quamlibet partem subjectam ruit, sumitur, estque *ut vulgò definitur, præternaturalis humoris supervacanei è capite in partes infernas prolapsio.*

In consideratione *Partis affectæ* videndum quænam sit *pars mittens*, quænam *pars recipiens*, seu terminus à quo, & terminus ad quem catarrhi; terminus à quo & pars mandans, est cerebrum pituitosi excrementi præcipua officina, seu potius glandulæ omnes in capite, ac etiam infra caput sitæ, parotides nimirum, maxillares, salivares variæ, tracheales, aliæque per fauces œsophagum, ventriculum &c. sparsæ, quarum cùm munus sit succum in parca quantitate pro variis usibus, aut pro sanguinis purificationes secernere, quandoque propter affluxum majorem, quàm cujus cursum & impetum moderari queant, aut propter fermentum in iisdem vitiatum sanguinemque appellentem totum quasi in serum fundens, per filtra hæc non tantùm transudat quod transudare non debebat, sed etiam variè infectum, saliumque spiculis variè exaltatis ac fusis humor extillans imbutus in partes vicinas ac subjectas excurrit, plurium malorum causa futurus. Terminus ad quem, seu pars recipiens, sunt partes illæ omnes in quas defluxio illa decumbit, quæ si fuerint nares internæ Coryza, si gurgulio Staphyle, si tonsillæ Antias, si partes tonsillis proximæ Paristhmia, si fauces Branchus, &c. dicetur.

Causa materialis est lympha, nunc insipida, nunc acida, salsa, ac acris, aliquando etiam corrupta & tota substantia peccans, ut in catarrho contagioso ac maligno. Abundantius separatur hæc lympha, in qua varios acrimoniæ gradus elevatur, tum quia jam sanguis ea quasi inundatus fuit, unde qua data porta ruit, ac præcipuè per glandulas cerebrumque glandularum omnium nobilissimam, tanquam per propria sua secernicula viam sibi in partes vicinas ac subjectas facit. Jam autem cùm cerebrum illam separavit, non quidem per glandulam pituitariam aliasque vias à veteribus effictas intra amandatur, sed tum per ossis cribriformis foramina sensibilia; tum per jugulares venas quæ illam à vasis lymphaticis in cerebri sinus sese exonerantibus, excipiunt, aliundeque etiam exugunt, ad cor, sanguinis quasi primam scaturiginem & fontem deducendam, atque per ejusdem circuitus, varias in partes deportandam ac deponendam; tum etiam per nervorum *tubulos succo nerveo* admista undequaque defertur, sicque non parum & vires, & membrorum motus, & viscerum functiones, interturbat; imò siquidem quæ per has vias exudat lympha, penetrantissima est censenda, (quo scilicet tam minutos subire possit porulos) sale ad fluorem magis evecto proculdubio impregnatam esse credendum, unà etiam atrociorum dolorum ac cruciatuum erit autor. Quæ verò in aliis omnibus memoratis glandulis cumulatur lympha, tum per earumdem membranas transudat, quod rarum est, tum præcipuè per varios canaliculos excretorios aliosque inde assurgentes, effluit. Copiosa etiam quandoque separatur lympha in glandulis, propter fermentum aliquod peregrinum in ipsis existens, cujus maligna vi sanguis non tantum in serum funditur, sed etiam eidem sero tanta acrimonia imprimitur, quæ variis

vaiis torturis ansam præbeat. Sed præterea illa acrimonia vel ab aëre, vel à cibis, vel à calore sanguinem non tantum fundente, at etiam salia in ipso innidulantia exaltante, generabitur, imo etiam in sanguinem induci poterit analogum quid mercurio, quod seri salibus etiam mitioribus adjunctum in corrosivum quid exaltetur, affluxumque ad caput faciat non absimilem illi unde salivatio in lue venerea arrectis ex inuncto mercurio oritur. Tandem ab ictu in partes glandulosas capitis, frigore que tum extus admisso, tum etiam intus ex longiore in loco algido mora, suscepto, dum illic turgent glandularum fibræ, hic vero constringuntur, pori earum, seu potius substantia vasculosa, non parum arctantur, unde sanguini per arterias appellenti cum liber non concedatur commeatus, illius tenuior pars, serum scilic. per arteriolarum ultimos ramusculos percolabitur in ea spatia in quæ nec venæ nec vasa lymphatica hiant, sic que è circulationis viis excedens partes vicinas inundatione molesta affliget. Catarrhis autem cur quidam homines sint ma gis quàm alii obnoxi, quamvis nec in diæta nec in omnibus rebus non naturalibus ullatenus peccent; vel à debiliori sanguine seroque multo facilè coagulabili, unde glandulæ ita obstruantur ut succi postea advenientes ac viam satis patulam non reperientes, exundare cogantur. Vel etiam à laxiori glandularum compage quæ plus excipi t seri, quam per vasa de se assurgentia transmittere possit. Vel ab hæreditariò aliquo malo fermento easdē glandulas inquinante & inficiente. Adde hisce omnibus calvariam densiorem & inconsutam, pravam capitis conformationem ac illaudabilem magnitudinem aut parvitatem, anticæ seu posticæ ipsius projecturæ defectum, pineatam ac turbinatam ejusdem figuram, unde cerebrum ut plurimùm aliquid patitur &c.

Differunt inter se catarrhi non tantùm secundum varias quas affligunt partes unde scil. coryza, Bronchus, Catarrhus suffocativus, Catarrh. stomachi &c. sed etiam in eo quod alius sit jam consistens, alius in motu, quod alius sit frigidus, alius calidus, alius subdulcis; alius salsus, imo etiam amarus, alius suffocativus qui tanta vi in pulmones irrumpit ut subitæ suffocationis metum merito incutiat, alius denique contagiosus.

Signa Diagnostica per se satis patent. *Prognostica* verò ex ubertate ac natura materiæ deciduæ, partiumque in quas irrumpit præstantia petenda veniunt. Nam ut rectè Celsus, *humorem in nares stillare leve est, in fauces pejus, in pulmonem pessimum*; in genere tamen multo potius est humorem pituitosum in cerebro aggestum extra ejusdem conceptacula amandari quàm in ipsis concludi, tunc enim vel Apoplexiæ vel Affectuū Soporosorum materiam præberet. Pueri catarrhis quidem sunt obnoxii sed facile sanantur; Senes autem non modo iisdem opportuni vivunt, sed etiam ab hisce vix liberantur. Catarrhus cephalalgiæ junctus ægrè sanescit; qui vero à præcordiorum æstu elevatur, non prius curatur quàm hæc refriguerint. Catarrho cujus causa in cerebro proprie sedet febris superveniens, eaque in dubito, & morbo analago gradu medetur, fluxionis enim materiam digerit; unde Hippocrates, *Minus his qui ex capite gravedine laborant, si febre corripiantur, recidivæ fiunt.* De Catarrho eorum qui in agonem à variis morbis deducti sunt, quique mortis indesin enter adventuræ signum certissimum est, hic nihil addimus, quia ejus funestissima prognosis etiam mu lierculis est nota.

Catarrhi Curationem ac indicationes curativas quod attinet, vide si placet de iis fusissime disserentem Conradum Victorem Schneiderum libro suo de Catarrhis quinto: ubi sectione prima, de Catarrhosorum Diæta septem capitibus; sectione verò secunda de speciali cura Catarrhorum, quatuor capitibus, totidem catarrhorum speciebus, ex ipsius distinctione, Coriza scil. Catarrho membranæ pituitariæ posterioris. Brancho, seu Catarrho gutturis, ac Catarrho suffocativo respondentibus accuratissimè agit. Huc verò jam *Curationes, Consultationes, Observationes ac Anatomicas inspectiones ex aliis variis* adducemus.

Curationes

In omnibus catharris & defluxionibus tum prohibendis, tum etiam caput ab iisdem præservandis prodest aqua serpilli cum vino destillata, ejusque particula quotidie sumpta dos. cochl. j. ij. pro ratione ægri, illa sic fit.

♃. Serpillum cum flore matutino tempore ante exortum solis decrescente luna collectum, inde in particulas minimas superfuso vino generoso albo in sole aliquandiu, postea per alembicum destilla in B.

Prodest vinum medicatum sequens.

♃. Rad. caryophyll. ℥vj. rad. acori ℥iiij. pulv. sambuc. miss. fol. majoran. m. j. vini ℔xvj. exhibeantur pro potu communi.

Catharrhum quemvis sistit sacculus ex succino & sp. vini paratus de quo supra in apoplexia. Hujus itaque usus est magni momenti in catarrho suffocativo. It. ex chamæpithy pulverisato ol. succini asperso

Catarrhos tenues delabentes ad partes interiores, præsertim pectus, feliciter sistit laudanum opiatum, sub ingressum lecti exhibitum.

Præsentissimum in catarrho remedium extat in amuleto radicis verbasci virginis, hoc est, quod per eam æstatem non floruit, quando colligendum est. Colligitur autem in die veneris (ex his in ultima veneris die optime lunâ decrescente) ante exortum solis à 15. august. usque ad 8. sept. lunâ decrescente: postea radix purificata exsiccatur in loco umbroso. Ejus particula in auro ligata, & collo postea appensa mirifice contra omnes catarrhos qualescunque corporis præservat. Fœminis non prodest, conceptum impedit, quandiu gestatur, qui eâ remotâ restituitur. Vide Dodonæum, Radix quò rectior, eò melior in parvâ quantitate.

Catarrhus suffocativus.

Inter fluxiones, quæ à capite ad partes subjectas fiunt, nulla periculosior illa quæ ad pectus & cor fit, adeò interdum vehemens, ut hominem subito è medio tollat. Unde huic statim occurrendum absque omni mora. Hinc medicus vocatus, statim præsente magna sangui-

nis abundantia, præmisso clystere forti, eoque reddito venam secet, fumum in cubiculo excitet è mastiche, thure, succino per vices, & acet. rosaceum super lapidem ignitum effundat.

Capiti rasis capillis applicet emplastrum sequens.

♃. Emplastri contra rupturam ℥iß. gummi ammoniaci ʒß. mastichis, succini ana. ʒj. myrtillorum ʒß. m. simul & F. Emplastrum rotundum, suturæ coronali applicandum.

Nares inungat Balsamo succini, & ut æger sedeat in lecto, imperet. Exhibeat deinde syrupum ex aqua benedicta, & paulo post acet. theriacale vel scilliticum destillatum cum radice iridis Florentinæ. Accipitur sc. ℔j. acet. scillitici, pulveris rad. ireos Florentinæ ℥ij. simul per alembicum ad siccitatem destillando, imposito rostro alembici nodulo ex radice dictamni. Accipiat item Boli armeni loti in aqua rosarum ℈ij. cum syrupo de rosis siccis & pulvere diatragacanthi frig. ad ʒß. sequens item gargarisma in usum vocetur.

♃. Syrup. papaveris, diamor. an. ℥ij. vini granatorum ʒß. aq. plantaginis, scabiosæ an. ʒj. M.

Hinc ad materiam concoquentia apozemata, syrupos, magisteria & Electuaria confugiendum.

Materia cocta repurganda tum iis, quæ sentinam in toto corpore respiciunt, tum iis quæ caput ab humore liberant, qualia errhina, sternutatoria, apophlegmatismi, gargarismi. Palmam inter hæc obtinet nigella Romana, si subtilissimè pulverisata cum aq. majoranæ è vola manus in nares attrahitur: imo hæc sæpius odorata proprietate occulta confert in quavis destillatione capitis.

Quæ caput confortant, sunt vel electuaria, vel conservæ florum anthos, stoechados, rosarum vel cùm pulvere diamoschi dulcis, oxymelle scillitico, & oleo nucis moschatæ mixta, aut rotul. cum speciebus dictis, & cum ol. succini & saccharo in aq. fl. sambuc. soluto, quibus addi potest flor. sulphur. ʒj. vel altera. Possunt quoque ad præcavendum fluxum humorum subitaneum in ore noctû præsertim inter dormiendum tempore stillationis detineri orbiculi sequentes.

♃. Spicæ nardi ʒj. mastich. ʒij. sacch. ℥iß. cum syrup. de rosi. siccis F. orbiculi similes lupinis.

Exterius admoveantur sacculi vel pileoli capiti, qui recipiunt ea, quæ caput roborant, & materiam exsiccant.

♃. Flor. melissæ, majoranæ, betonicæ, summit. origani an. m ß. nuc. moschatæ, caryophyll. Benzoin. ana ʒiij. croci, macis an. ʒiß. thur. mastich. an. ʒiij. rosar. rubr. p. ij. in pulverem grossum redacta serico rubro includantur ac insuantur. F. pileolus.

Aut si æger hoc medicamentum recuset, pulvis syncipiti inspergatur è mastiche, thure, succino, gallia moschata. Excipiatur linteo, quo caput tegatur; linteum sæpiùs perfumetur, & capiti applicetur.

Vel ♃. Mastichis olibani an. ʒij. thymi, benzoin. an. ʒj. succini ʒß. Tacamahacæ q. s. ad incorporandum. F. Trochisci pro fumo.

Prosunt & hîc poma odorifera ac balsamus apoplecticus naribus illitus.

Quòd si medicamentis dictis non cedat catarrhus, parti capitis anteriori tonsæ vesicatorium admoveatur, vesica rumpatur, & per diem unum & alterum aperta servetur, tandem consolidetur; non neglectis interim, quæ ad catarrhum exterminandum faciunt medicamentis. Alii candens ferrum, vel cauterium potentiale applicant, ubi digitorum maximus desinit, capitis parti anteriori passa manu ejus radice seu pollice extrema nasi radici admoto *Joh. Harthm. in Praxi chymiat.*

Hujus affectus curatio duplex instituenda est, una quæ frigidum catarrhum, alia quæ calidum respiciat.

Tota catarrhi frigidi curatio in eo consistit, ut materia peccans præparetur & evacuetur, & si ad pectus, aliamve partem influat, revellatur, illiusque motus inhibeatur, tandemque intemperies cerebri corrigatur.

Primo itaque si materia copiosa sit, aut nimio impetu ruat, & metus sit ne à reliquo etiam corpore affluat, præsertim si hepar sit calidum, (contingit enim non raro, ut catarrhis obnoxii habeant cerebrum frigidum, & hepar calidum) sanguis mittendus est, sed parciori manu. Si vero materia sit pauca, & lente moveatur; ætas vero senilis, aut temperamentum hepatis minime calidum, unde nulla sit suspicio humorem aliunde cerebro suppeditari, venæ sectio omitenda est.

Materia vero peccans primum imminuenda est, potione aut pilulis, vel alio quovis medicamento purgante, & his quæ in frigida cerebri intemperie fuerunt proposita.

Mox reliquiæ humoris præparandæ apozemate dicto loco descripto; aut si nimia humoris exagitatio non metuatur apozema purgans poterit institui.

Ac tandem pilulis fortioribus; aut alio cathartico integra purgatio erit absolvenda.

Si catharrus admodum contumax fuerit, ad vomitoria confugiendum est quæ illius materiam potenter eradicant.

Colocynthis ad cerebrum potenter expurgandum efficacissima est, sed summo amarore intensa est, vehemensque est illius operatio. Corrigitur utrumque infusione in urina, sic enim amaritudinem deponit & ferè insipidum remedium evadit, tum vehementia illius infringitur, ut ad ʒ.j. tutò exhiberi valeat, fitque excellens ad morbos à causa frigida oriundos remedium.

Interdùm verò contingit, ut humores excrementitii à partibus inferioribus ad cerebrum sublati, catarrhum efficiant. Motum autem illum præternaturalem nanciscuntur obstructis meatibus ordinariis, per quos humores illi expurgari solebant. Et tunc temporis opportunissimè curatur catarrhus apertione viarum, tum etiam blandâ, miti, & continuâ purgatione, quia humores sic ad partes inferiores deturbantur, iisque motus contrarius sensim conciliatur.

Hujusmodi autem purgationes blandæ fieri possunt per decocta, vel juscula ad multos dies usurpata. Interim tamen roborantia medicamenta non erunt omittenda.

Ad revulsionem vero admovebuntur cucurbitulæ

bitulæ & vesicatorium scapulis & cervici; tum etiam cauteria occipiti vel brachio. Zacutus Lusitanus *lib. 2. Praxis ad mirand. Observat. 160.* Cauterium retro aures, tanquàm præstantissimum, ad omnes destillationes à capite manantes, remedium plurimùm commendat. Et nos in fluxionibus, oculorum præsertim, laudabiles effectus vidimus. Errhina, sternutatoria, apophlegmatismi & mastichatoria erunt usurpanda; eâ tamen adhibita cautione, ut quando catarrhus in fauces, pulmones aut ventriculum decumbit, errhina, & sternutatoria tantum usurpentur; quando vero in oculos & nares influit, masticatoria & apophlegmatismi.

Horum omnium formulæ capite prædicto fuerunt propositæ. In his tamen advertendum, quando materia tenuitatis cujusdam particeps est, ne fortius resolventia usurpentur: his enim humoris impetus ad pectus, & pulmonem aliasque partes adaugeri potest, sed nonnulla incrassantia, aut humoris impetum cohibentia erunt admiscenda, ut rosæ rubræ, mastiche, coriandum, nux moschata, aliaque in catarrho calido fusius proponenda. In hunc sensum errhinum in sequentem modum componi poterit.

℞. Aquæ majoranæ ℥iß. succi betonicæ ℥j. sem. nigellæ pulverat. ʒß. nuc. moschat. ℈j. fiat errhinum. Pro ditioribus addi poterunt moschi, & ambræ griseæ, an. gr. ij.

Vel ℞. Ligni guajaci limati ℥j. aquæ puræ ℔. infundantur per noctem supra cineres calidos, deinde coquantur ad mediæ partis consumpt. addendo sub finem majoran. & rosarum rubr. an. p. ij.

Sic etiam masticatorium, subtenui existente materia, vel fiet ex mastiche sola, vel in hunc modum.

℞. Nucis mosch. ʒj. mastiches, gummi arabici, an. ʒß. redigantur in pulverem & cum aqua rosar. fiant trochisci masticatorii.

Præstans sternutatorium componitur ex hellebori nigri, & sacchari partibus æqualibus, quod cerebrum potenter expurgat.

Extractum nicotianæ cum aqua vitæ paratum linguæ impositum, ad pisi magnitudinem magnam pituitæ copiam instar apophlegmatismi per os educit. Verum si nimia copia usurpetur aut si in ventriculum effluere sinatur, vomitum excitat etiam vehementem.

Supra dictum est cauteria brachiis, occipiti, & pone aures inusta plurimùm conferre, quod etiam efficaciter præstant posteriori parti cervicis, & inter scapulas admota quæ hodie in maximo usu sunt, & à Practicis nostris passim usurpantur. Novus etiam locus à quibusdam inventus est nempe in cervice prope venas jugulares, in musculorum instertitio, & hujus cauterii beneficio catarrhus inveteratus raucedinem efficiens in duobus curatus est.

Tandem post convenientes evacuationes, cerebrum roborantia & exsiccantia tam interna quàm externa, erunt utilissima, ut opiatæ, pulveres, cucufæ, suffitus, prout in curatione frigidæ intemperiei cerebri descripta fuerunt.

Notandum autem est opiatæ prædictæ, aut aliis similibus, in catarrhi curatione conservam rosarum, nucem moschatam & thus album utiliter admisceri.

Decoctum ligni lentiscini in modum decocti sudorifici usurpatum, cerebrum exsiccat, & fluxionem cohibet.

Præterea sequentes morsuli ad hunc usum sunt utilissimi.

℞. Sem. coriandri præparati ℥ß. nucis mosch. thuris an. ʒ. iij. glycyrrhizæ, mastiches, an. ʒ. ij. cubebar. ʒ. j. conserv. rosar. rub. ℥. j. sacchari albi in aqua rosar. dissoluti ℥x. Fiat confectio in rotulis pond. ʒ. iij. capiat unam mane & vesperi.

Trochisci sequentes valde commendantur à Solenandro *Cons.* 10. *sect.* 4. quos ab Antiquis tum Græcis, tum Arabibus mutuatur.

℞. Thuris masculi, succi liquiritiæ an. ʒ. j. opii, croci, myrrhæ an. ℈ j. cum syrupo papau. forma trochiscos, vel pilulas urgente catarrho exhibendas per intervalla, dosis erit ℈ij. vel, ʒß.

Tabellæ sequentes etiamnum usui esse poterunt.

℞. Pulver. electuar. diambr. & diamoschi dulcis an. ʒ. j. succini albi ℈. j. ol. anisi gutt. iij. sacchari in aqua lavendulæ dissoluti ℥. iv. Fiant tabellæ pond. ʒ. jj. capiat unam mane & sero.

Inter remedia interna, capite de intemperie frigida cerebri descripta, summæ est efficaciæ ad catarrhi inveterati curationem, balsamum cephalicum ibidem post opiatam descriptum, quod intus assumi poterit, & in narium cavitates immitti.

Lac sulphuris, & flores ejusdem ad catarrhum exsiccandum maximè laudantur à chymiatris, tum etiam Galenici in tubellis flores sæpissimè usurpant.

In recenti Catarrho aqua nucum cum hydromelite exhibita horâ somni per triduum, eum valde imminuit.

Ad cohibendum catarrhum utiliter admovetur sincipiti raso cataplasma ex fermenti ℥. ij. & carabes ʒ. ij. compositum. Si verò æger caput radere noluerit supra ipsum capillitium aliqua ex parte detonsum, sacculus ex chamæpit. & carabe conflatus apponi poterit.

Præter suffitus prædictos, qui ex gummi Tacamahaca fit, summæ est efficaciæ, catarrhum enim exsiccat ejusque motum cohibet; neque vehemens est illius odor, ita ut conclave ægrotantis eo sine molestia perfundi valeat.

Commodissimum est etiam caput exsiccare sacculis ex furfure, milio, sale, foliis salviæ, betonicæ, stoëcados, sem. fœniculi, anisi & similibus.

Denique si affectus sit contumax, omnia convenient remedia quæ pro frigidæ cerebri intemperiei curatione fuerunt proposita.

Calidus catarrhus curatur remediis materiam peccantem evacuantibus, incrassantibus, & revellentibus, tum etiam partium mandantium & recipientium intemperiem corrigentibus.

In hunc finem primo phlebotomia instituenda est, si cætera consentiant, quâ humor fluens revellitur, ejusque acrimonia temperatur.

Deinde humoris ejusdem portio educenda est, blando cathartico, quod humores nullo modo commoveat in hunc aut similem modum.

♃. Rabarb. electi ℈ iv. myrobalan. citrinor. ol. amygdal. dulc. ʒß. santali citrini ℈ß. Infundantur in aqua lactucæ & portulacæ. in expressione dissolve mannæ granat.& syrup. rosar. solut. an. ℥.j. Fiat potio.

Vel loco aquarum prodictarum potest fieri decoctio ex herbis refrigerantibus, & tamarindis, cui purgantia prædicta permisceantur.

Deinde humor alterandus & incrassandus est julepis convenientibus.

♃. Fol. lactuc. portul.c. & plantag. an.m. j. sem. quatuor frigid. mai. & papav. albi an.ʒ.ij. flor. violar. nympheæ & papaveris rhœados, an. p. j. coquantur ad ℔. j. in colat. dissolve syrupi violac. & rosac. siccar. ana. ℥.j.ß. Fiat julep. pro tribus dosibus bis in die sumendis.

Vel loco decocti, aquæ stillatitiæ prædictarum herbarum, vel emulsiones quatuor sem. frigidorum mai. substitui poterunt.

Deinde purgatio paulo fortior usurpanda, addendo purgantibus prædictis sennam, catholicum, diaprunum & similia.

Leve ac blandum remedium incrassans, humorisque acrimoniam demulcens, desumitur ex vitellis ovorum recentium, quorum duo in unciis quinque vel sex aquæ fontis dissolvantur, binario numero, addendo sacchari albi ℥.j. coquantur parùm sine ebullitione, semper movendo, & capiat calide quantum ferre poterit, mane & sero per triduum.

Ac tandem majori humorum incrassationi, & fluxus cohibitioni incumbendum est quod fiet syrupo sequenti.

♃. Syrupi violac. & de ros. siccis ana. ℥j. syrupi de papavere. ℥ß. detur ex cochleari ℥j. hora somni.

In eundem finem usurpari poterit opiata sequens.

♃. Conservæ rosar. antiquæ ʒ. vi. pulveris electuar. diatrag. frig. ʒ. ij. boli armeni loti in aqua rosar.℈.ij. cum syrupo rosar. siccarum, fiat opiata; capiat ad magnitudinem avellanæ hora somni.

Hordeatum sequens utilissimum etiam est.

♃. Hord. mundat. q. s. maceretur per horas vi. postea coquatur perfecte, & trajiciatur. Deinde accipe amygd. dulc. excort. ℥iij. sem. cucurbitæ mundat. ℥.j.ß. sem. melon. ʒj. papav. albi lactuc. an. ʒß. contusis omnibus cum aqua hord. eliciatur lac. quod cum ℔. ij. pulpæ hord. permixtum coquatur parum, addendo sacchari portionem. Bibat ℥. x. aliquot matutinis super dormiendo, & nonnunquam in introitu lecti. Tum etiam trochisci sequentes in ore frequenter erunt detinendi.

♃. Gummi tragacanthi & Arabici, an ʒ.ij. boli armen. terræ sigillat. lotor. in aqua rosac. an. ʒ.j. sem. papau. albi, succi liquiritiæ, an. ʒß. sacchari penidiat ℥.j. cum mucilag. sem. cydon. extract. cum aqua rosar. fiant orbiculi parui, quos diu noctuque in ore detineat.

Spiritus sulphuris, & vitrioli ad gutt. iij. vel iv. exhibitus mane, & sero cum liquore idoneo, contra omnes fluxiones magnas vires habet; præsertim vero eas quæ à calida viscerum intemperie ducunt originem. Potest etiam in minori dosi potui permisceri, quia cum eo venas omnes pervadit, & motum humorum cohibet.

Crystallum etiam minerale ad eundem usum julepis, aliisque remediis admisceri potest. His nihil proficientibus necessitas cogit, uti narcoticis, inter quæ principatum obtinet laudanum opiatum ad gr. iv. vel v. hora somni exhibendum. Vel syrupi de papau. ℥ß. vel ℥.j. exhiberi poterit. Hæc ab initio morbi usurpata miranda præstant. Eandem habet vim theriaca recens ad ℈.j. vel ʒß. noctu exhibita.

Benedictus Faventinus sequentibus pilulis usus est in catarrho salso, fælicissimo cum successu.

♃. Succi glycyrrhizæ ʒ.ij. aloës lotæ ʒ.j. pilul. de cynoglosso ʒß. cum syrup. violac. fiat massa pilularum de qua capiat ℈j. hora somni: trochisci Solenandri supra descripti erunt etiam utilissimi.

Huic usui etiam maximè conferre potest diacodium album, in curatione phrenit. descriptum.

Interim revellenda est materia fluens per clysteres cucurbit. frictiones & ligaturas extremorum, omniumque potentissimè per vesicatoria, posteriori cervicis parti admota ac denique cauterium occipitio, vel brachio, si catharrus sit diuturnus.

Ad caput etiam roborandum, fluxionem retinendam, ejusque reliquias absumendas conveniunt pulveres, cucufæ, & emplastra.

♃. Succini albi, sandarac. gumm. Arab. mastiches, benioini, nucis moschatæ, an. ℥j. thuris gran. kermes, & rosar. rubrar. an. ℥ß. santalor. omnium myrtill. & balaust. an. ʒ.ij. Fiat pulvis, qui inspergatur capiti hora somni, mane pectine decutiendus.

♃. Gummi juniperi ℈.ij. rosar. rubrar. p. ij. myrtill. ʒj. macis, nucis moschat. an. ℈.j. thuris, sem. pæoniæ, cortic. papau. an. ℈. ij. nuc. cupress. ℈.ß. pulverisentur, & cum floccis panni coccinei, ac sindone rubra fiat cucufa interpuncta perpetuo gestanda.

♃. Mastiches, cortic. rhuris, an. ʒß. sandaracæ, coralli rubri, rosar. rubrar. myrtill. balaust. cortic. granat. an. ʒ.j. laudani ʒ. ij. ceræ, & olei rosacei q. s. fiat emplastrum, applic. suturæ coronali.

Quia vero hujusmodi catarrhus à calida plerumque hepatis intemperie ducit originem, ideo remedia quæ illius intemperiem emendant, erunt etiam usurpanda.

Denique hoc imprimis notatû dignissimum est, quod etiamnum supra in catharri frigidi curatione propositum est; quòd nimirum non raro humores excrementitii, à partibus inferioribus ad cerebrum sublati, catharros efficiant, & motum acquirant præter naturalem, obstructis meatibus ordinariis, per quos expurgari solebant. Et tunc temporis opportune curatur catharrus apertione viarum; simulque blanda & continua purgatione per juscula aut talia decocta, ad multos dies instituta. *Lazarus Riverius Prax. Medic. lib. j. cap. 15.*

In ipsa catharri curá observandum, ut lympha aut nimis copiosa evacuetur, aut eadem vitiosa corrigatur: serum salsum & acidum per contraria temperando (id quod vulgo vocant catharrum tenuem esse incrassandum) eandem verò lympham crassam vel nutrimento partis in mucilaginem degenerato imprægnatam

tandem attenuando, incidendo & resolvendo (ubi tamen observetur, modo pars affecta sit restituta) sponte hæc rejicitur.

Porrò si quis subest partis & glandularum, aut obstructarum, aut alio modo læsarum, vitium, istud corrigatur, & quidem imprimis, si sit à læsione externa, per convenientia externa istud corrigatur, & restituatur; si autem sit à causa interna stomachi nempe vitio, & huic sequente totius massæ sanguineæ corruptela, in specie ab acrimonia salsa, hæc ipsa emendetur. Nimirum uti rectè monet Schneiderus materiæ, causæ, & loci ratio sedulo in cura catarrhorum habenda.

Remedia ea quæ hic conveniant, videntur.

1. Esse evacuantia: verùm evacuantia quæ per alvum evacuant, minùs commoda sunt, quando potius feliciori & promptiori successu lymphæ augmentum per urinam, & etiam hinc per sudorem evertitur. Talia ergo ex salibus volatilibus v. gr. succini, C. C. item ex lignis sudoriferis; in specie ex ligno sassafras erunt optima. Interim tamen, ubi catarrhus fuerit contumacior, aut idem ex stomachi vitio dependeat, vel etiam corpus impurum offendat, subinde necesse est ad purgantia progredi, imò ubi contumacior fuerit catarrhus, etiam ad vomitoria properandum suadet Riverius in sua praxi, id quod confirmat per experientiam in cent. 2. observ. 90. ibi enim refert catarrhum in pulmones cum aspera tussi defluentem, cum insequenti gravi dolore capitis, qui tandem curatus fuit per vomitum, per masticationem foliorum tabaci procuratum.

2. In catarrhis sæpius recurrentibus v. gr. in senibus aut similibus semper ante novilunia, aut evacuantia appropriata, aut à catarrhis alias præservantia, usurpanda, quæ inter eminent succinata & post hæc myrrha & sperma ceti, de quo postmodùm.

3. Si quæ alia in catarrhis à lymphæ nimia acrimonia conveniunt, sanè opiata erunt optima. Unde à veteribus in tali casu, nempe uti vocant, in catarrho tenui pilulæ de cynoglossa ex narcoticis dispositæ, fuerunt in usu.

Hæ ipsæ tamen pilulæ, quia ex crudis nimis, minusque præparatis narcoticis sunt composita, v. gr. ex opio, Hyoscyamo crudo, & similibus, ob id in desuetudinem ferè abierunt, utut in Belgio adhuc usurpentur.

His opiatis optime catarrhus nocturnus evertitur & præcavetur. Sed tamen sola vix usurpanda; verùm uti jam alias monui, appropriatis semper mista. v. gr. succinatis, cephalicis, & similibus, quæ lympham corrigere, & blanda diaphoresi & diuresi ejus augmentum avertere possunt.

Decantat admodùm horum opiatorum usum Helmont. in catarrhis & similibus affectibus in tr. Jus duumviratus, §. 62. 64. & 65. & inter alia fœlicem prædicat ægrum, cujus auxiliator Medicus sciat lethalia à papavere separare, retento auxilio excitatore potestatis in duumviratu. Salutarem præterea opiatorum usum confirmat quotidiana experientia. Imprimis ex modernorum consuetudine frequenter iis fuit usus Riverius qui cent. 3. observ. 5. observat catarrhum contumacem cum raucedine curatum per iij. grana laudani opiati assumpta; item in eadem cent. 3. observ. 69. refert, catarrhum diuturnum cum tussi per duplicem usum granorum trium laudani opiati curatum. Et eadem cent. observat. 74. Catarrhum ferinum cum variis febrium complicationibus, præsertim per laudanum opiatum curatum observat. Assumuntur talia opiata imprimis tempore vespertino sub introitum lecti, uti alias est consuetum.

4. *Chirurgia* in catarrhorum cura silet, nisi in iis corporibus ubi catarrhi fere sunt incorrigibiles, uti sunt admodum contumaces, aut sæpius recidivantes, aut ubi sunt similes affectus vitio lymphæ exorti admodum contumaces: tunc enim deceptivum & palliativum fonticulorum remedium interdum est adhibendum. Hæc enim voluntaria ulcera palliative tantùm his affectibus medentur, productum nempe morbosum aliquantisper eliminant, causas vero ipsas relinquunt. & cum vitioso latice utilem alimentitium succum in pus corruptum simul emungunt: ubi tamen à priori catarrhorum contumacia semper occurrere nequit Medicus, per fonticulum, à posteriori ejus ferociam nonnihil mitigare intendat, subtrahendo scilicet laticem & cruorem in parva quidem sed continua quantitate, & ita imminuendo naturam catarrhalem, horum insultus mitiores reddit: per se enim totum cauterium, & facti inde fonticuli excitatio tantummodo in cruoris & laticis minutâ quidem sed continuâ exhaustione consistit, adeoque palliative tantum proprie convenit; per accidens vero & à posteriori ac palliative, etiam iis confert affectibus qui à sordibus quibusdam vitio primæ digestionis aut vitio læsæ in sanguine fermentationis, aut vitio corrupti seri in massa sanguinea, enascuntur, ita ut labes illæ à priori propter subjecti ineptitudinem, v. gr. vel ob senium, aut in mulieribus propter menses deficientes, aut propter characterem hæreditarium sunt incorrigibiles.

In talibus ergo casibus una cum sanguine laudabili evacuatur simul id quod est nocivum, & etiam, quia excrementitium omne per se naturæ hostile ab œconomia vitali est præscriptum, propterea istud facile, imò facilius quàm utiles succi separatur, & ita per fonticulos excernitur: sicut fit interdum ab ipsa natura, dum eadem hinc inde spontanea excitat ulcera, quæ sanata per artem corpori non leve inferunt incommodum, sin vero denuo aperiantur, corporis œconomia denuo fit quieta. Egregium hujus rei exemplum habet *Scultetus in observationibus Chirurgicis observat.* 55. & 57. & sane id quod Scultetus hic observavit in ulceribus spontaneis, interdum etiam in fonticulis intempestive occlusis observatum fuit.

5. Quoad venæ-sectionem negotium hoc per se locum non invenit. Sin verò subjectum sit plethoricū & consueta sanguinis evacuatio suppressa &c. quibus & aliis similibus occasionibus intenduntur symptomata catarrhum vel constituentia, vel consequentia, consulta est ven. sect. observando revulsionum & aversionum regulas. Quin etiam cùm confestim nimis fit decubitus catarrhalis in quadam parte, ad impetum istum refrænandum, ven. sect. in loco opposito secundùm

dùm revulsionem & aversionem instituta, subinde solet in praxi admodum esse proficua.

Post opiata, remedia vel sudorifica, quæ partes eluunt, earundem sordes mediante sero commodo abstergunt, ac serum ipsum simul minuunt: vel aromatica, vel balsamica quæ tam ipsum corrigunt & emendant, quam partes solidas roborant, sunt utilissima in paroxysmis catarrhalibus. Hæc ipsa enim indicationibus supra factis maximam partem satisfaciunt.

Quod ergo attinet remedia in affectibus catarrhalibus usitata, iisque appropriata ea sunt primario serpillum quod est singulare catarrhale, quodque ut dicit Lindanus, simul corrigit stomachum, & ita antecedentes causas removet. Satureia, thymus, majorana, mentha, hyssopus; Item flor. betonicæ, flor. salviæ flor. anthos, lavendulæ, liliorum convallium, radices caryophyllatæ, aristolochiæ rotundæ, helenii, lignum sassafras, lignum lentiscinum, lignum juniperinum, lignum guajacicum & similia ligna, quæ communia decocta sudorifera ingrediuntur. Quin & baccæ juniperi, macis, acorus verus & adulterinus, zedoaria, cinnamomum & similia usitatissime usurpantur.

Hæc inter primatum obtinet lignum sassafras nobilissimum, præ omnibus ad catarrhos remedium, adeo ut etiam à Brunero in suis consiliis pro[illegible]ium catarrhorum vocetur alexipharmacum: odorem & saporem habet aromaticum adeoque vim monstrat corrigendi, & alterandi acrimoniam lymphæ, tam acidam quàm salsam, prætereaque eandem nimis copiosam una per urinam, aut per sudores evacuandi. Unde decoctum ligni sassafras egregium est remedium ad sistendos & curandos catarrhos, vel etiam exinde fit ess. vel tinct. sassafras Mynsichti quam habet in armamentario ad omnes affectus catarrhales convenientissima.

Pertinet huc etiam ess. ligni sassafras D. Michael. quam alias etiam vocavit ess. catarrhalem, quæ extrahitur cum spiritu serpilli. Nam serpillum & ipsum est commendatissima planta ad catarrhos, & ab omnibus laudatur. Modus præparandi spiritum serpilli pro extrahenda ess. ligni sassafras est hic. Nempe recipiuntur summitates serpilli campestris recentes, eæque collectæ ante solis ortum, ita ut rore nocturno adhuc madeant, his affunditur vinum malvaticum q. s. ut 3. præter propter digitos emineat: digeruntur in arena per 14. dies & noctes, hinc destillantur per balneum: liquor destillatus affunditur recentibus serpilli summitatibus eodem modo collectis, denuoque ut antea digeruntur, & destillantur, idque quò fit sæpius, eo aqua fit efficacior, & magis spirituosa evadit. Tandem hæc aqua spirituosa seu spiritus serpilli affunditur rasuræ ligni sassafras: digeruntur in loco calido, donec menstruum ligno sassafras imprægnatum egregie rubescat: Hinc decantatur & ad usum reservatur: dosis prout vel magis, vel minus spirituosa fiet aqua serpilli, ad gutt. 50. vel 60. aut si debilius fuerit menstruum cochlear 1. potest propinari, idque mane, in meridie, & vesperi, vel etiam urgente necessitate quocunque tempore. Valet admodum in omni catarrho, præservat ab apoplexia, & insigniter conducit affectibus similibus. In catarrho scorbutico miscetur hæc tinct. sive essent. ligni sassafras cum essent. pini balsamica, & sic fit egregium remedium contra catarrhum scorbuticum, imprimis si simul immineat paralysis notha scorbutica.

Loco decocti ligni sassafras subinde etiam aliorum lignorum decocta fructuosè usurpantur, sicuti videre est in observationibus Lotichii, admodùm fructuosus decoctorum lignorum usus in affectibus catarrhalibus. Item Gabelchoo in obs. singulis catarrhosis decoctum chinæ summo cum fructu præscribit.

Alii non sine ratione commendant decoctum ligni lentiscini, ex quo destillat mastiche. Cùm ergo mastiche sit singulare anti-catarrhale, non dubium est lignum lentiscinum, & ipsum æque esse appropriatum, atque lignum sassafras ad curandos catarrhos. Pertinet huc decoctum catarrhale Mynsicti, quod ex similibus paratur. Item vina medicata ex infusione aut decoctione istorum simplicium vegetabilium, quæ inter primarium est vinum Paracelsi, quod pro basi agnoscit radicem caryophyllatæ & acori aquatici: cujus descriptionem habet Hartmannus in praxi chymiatrica cap. 21. §. 2. Nam Paracelsus radicem acori aquatici, & caryophyllatæ singulariter commendat ad roborandum caput, & ad præservandum à quibuscunque defluxionibus catarrhalibus. Lindanus insigniter commendat hoc vinum catarrhale, quod ipsum etiam non est inelegans.

♃. Ligni sassafras rasi ℥ ij. radic. caryophyllatæ ℥ j. herb. rorismarini recentis ℥ ß. infundantur, in mensuras ij. vini, coquantur vase clauso in balneo maris horis 8. deinde removeatur ab igne, ut refrigescat, & vinum hoc colatum bibendum. Dicit Lindanus, sibi expertissimum esse hoc vinum, & magnarum virtutum in curandis catarrhis, cum & ventriculo succurrat, sanguinem emendet, & in specie lymphæ vitia egregie corrigat. Alias non minus quàm lignum sassafras, Cortex tamarisci ad curam catarrhorum laudari solet: si scilicet hujus ℥ vj. coquantur in aquæ simplicis mensuris vi. ad absumptionem dimidiæ partis: hoc enim decoctum potum admodum laudatur ad quamcunque lymphæ abundantiam, indeque ortos affectus catarrhales quoscunque; unde fere posset vinum medicatum ex formula Lindani præscribi hoc modo.

♃. Ligni guajaci, corticis tamarisci ana ℥ iij, ligni rhodii, sassafras gummosi ana ℥ ij. herbæ absinth. vulgaris m j. scolopend. eupator. menthæ, hyssopi ana m ß. radicis helenii, centaurei majoris, zedoariæ, cinnamomi ana ʒ j. affundantur mensuræ 4. vini, stent in infusione, & de infuso sumatur semper haustus per horam 1. vel 2. ante pastum. Hujusmodi vina medicata usurpantur imprimis in catarrhis ex vitio interno enatis, imprimis stomachi & massæ sanguineæ; qui fiunt à causis externis, facilius ab externis curantur. Facit huc etiam vinum Adriani Papæ ad catarrhos aliàs commendatissimum.

♃. Myrobalanorum omnium siccatorum an. ʒ ij ß. cinnamomi ʒ j. caryophyllorum, galangæ, cubebarum, cardamom. granorum paradisi, nucis moschatæ an. ℈ ß. rosarum rubrarum sicca-

ſiccatarum ℥ i ß. flor. anthos. contuſa miſceantur ad aliquot menſuras vini & infuſum exinde bibatur.

Præter dicta vegetabilia & hactenus recenſita etiam alias ſunt egregia eſſ. lignorum compoſitæ, item tinct. corall. ſaſſafrata, ſive cum ſpiritu ligni ſaſſafras parata, item eſſ. florum anthos, eſſ. ſalviæ, eſſ. ſerpilli, præ cæteris eſſ. ſuccini, de qua poſtmodum. Species ſerpilli, liliorum convallium, ceraſorum nigrorum & ſimilium.

De ſuccino modo dixi: ſi quid aliud certè ſuccinum eſt appropriatiſſimum pro catarrhis remedium, ſive præparatũ ſolito modo uſurpetur, ſive cum aqua ſpirituoſa ſerpilli præparetur. Sic enim fit ſuccinum catarrhale. Imprimis ſal vol. ejus eſt expertiſſimum catarrhale, quô vix reperitur melius, & omnia ex ſuccino parata.

Quo facit liquor cornu cervi ſuccinatus factus verbi gratia ex ℔ß. ſpirit. C. C. bene rectificati, & proprio ſale volat. imprægnati, cui adduntur ſal. volat. ſuccini probe ab oleo proprio liberati ℥iij. Hæc miſta per reiterata cohobia uniuntur in liquorem, quò vocatur liquor C C. ſuccinatus, qui eſt egregium catarrhale, cujus gutt. 20. vel 30. aſſumi poſſunt: alias egregium eſt antepilepticum, imprimis infantibus exhibitus.

Quin imò eſſ. ſuccini parata cum ſpiritu vini rectificatiſſimo (niſi enim fuerit probe rectificatus, extrahit nihil ex ſuccino) eſt appropriatum remedium ad quæcunque vitia lymphæ ad gutt. 20. vel 25. plus minus prout magis vel minus eſt ſpirituoſa, propinata.

Poſt ſuccinum eſt myrrha, & parata ex myrrha eſſ. ſalutis. Myrrha ad aliquot grana data interne conducit ad catarrhos ſive eſſ. cum ſpiritu vini tartariſato parata, miro uſu eſt proficua. Loco ſuccini ſunt, qui & maſtichen, olibanum, & thus uſurpant internè & externè felici cum ſucceſſu: quin & olea deſtillata vel cum ſaccharo, in Elæo-ſacchara redacta, v. g. ol. majoranæ, ol. ſuccini, ol. roriſmarini, quin & balſamus ſulphuris aniſatus: ad aliquot gr. ſi fuerit Elæo ſaccharum: vel guttas aliquot, ſi adhuc olea uſurpata interne admodum conducunt in catarrhis. Poſthæc eſt ſperma ceti, & ipſum ſingulariſſimum remedium contra catarrhos, modo habeatur recens & non rancidum. Hoc namque & corrigit acrimoniam lymphæ catarrhalis, & ſimul lympham craſſam & viſcidam incidit, reſolvit, & ad expectorationem diſponit: & ſic utrique ſcopo mire convenit. Formulas dedi ubi de tuſſi, ex olibano, thure, ſuccino, laud. opiato. &c. nam his ſulphureis ſubjectis optimè permiſcetur laudanum opiatum.

Faciunt huc pilulæ Montagnanæ ad catarrhos curandos & ſiſtendos egregiæ, compoſitio hæc eſt.

♃. Myrrhæ, ſtoracis calamitæ, croci ana ℈j. opii gr. xiv.

Cum ſyrupo roſarum. Fiant pilulæ majores, de quibus 3. aut 5. accipiantur duabus horis poſt aſſumptam cænam. Quin & ipſum ſulphur ex eoque præparati flores non ſunt ultimi in curandis catarrhis: ſi vel ſoli flores uſurpentur ad ℈j. vel cum aliis miſceantur, imprimis cum ſuccino: aut ſi ex his cum extracto enulæ campanæ fiant pilulæ catarrhales, quas inſigniter commendat Rhumelius in jatro-chymia, benzoe etiam convenit: ratione opii ſæpius decantati interdum aſſumitur theriaca recens; recens dico, in qua vis opii fermentando non eſt nimis infracta: aſſumitur vel ſola, vel additur ipſi aliquid de bolo armena.

Dixi ſuperius, interdum opus eſſe pergere ad purgantia; quæ ſemper admiſcenda appropriatis catarrhalibus. Unde maſſ. pilul. de ſuccino Cratonis fere primatum obtinet, ſunt blandæ aromaticæ, & ſenibus poſſunt præſcribi commodè. Modus præſcribendi eſt hic.

♃. Maſſ. pilul. de ſuccino Cratonis ℈j. extract. abſynthii ℈ß. Scammonii ſulphurati gr. j. reſinæ jalapæ gr. iv. vel v. (in catarrho à lympha acri, & tenui) ſi ſit craſſus; potius detur, extracti trochiſc. alhand. gr. 2. cum ſ. q. ol. ſuccini F. pilulæ catarrhales pro 1. doſ.

In affectibus ſenum etiam valent imminuta doſi ſtimuli. Aliàs etiam jalapa ordinario uſũ præſcribitur ad ℈j. Hac utitur Riverius miſta cum mercurio dulci, ita ut ad purgandos catarrhoſos recipiat mercurii dulcis gr. xx. radicis jalap. gr. 8. vel 10. uti videre poteſtis cent. 3. obſerv. 28. 41. 46. ubi utitur hoc pulvere pro purgante catarrhali, idque imprimis, uti dixi, in catarrho tenui: in catarrho vero ſpiſſo ſeu ubi adeſt mucilago craſſa colocynthis convenit, ſive extractum ex trochiſcis ſive correcta. Correctio optima fit, quod obiter moneo, per terram foliatam tartari, vel ſal. tartari.

Porrò miſtum gummi de Peru ſive reſina gummi guttæ ad gr. vii. ad x. ſpecificum dicitur purgans catarrhoſorum.

Poterius in ſuis curationibus in uſũ habet propinare decoctum Melanagogum cum ligno ſaſſafras. Confirmare hoc videtur Penotus de medicamentis, qui dicit, quod perfecta cura catarrhorum conſiſtat in helleboro nigro menſe Octobri collecto. Et credo quod helleborina multùm valeant, modò virulentia laxativa corrigatur.

Pilulæ aloë phanginæ & aliàs notæ ſunt in his caſibus.

Hæc de internis.

Quod attinet medicamenta externa applicanda locis & glandulis catarrhos fundentibus vicinis; hæ ipſæ glandulæ, quoniam nempe in capite aut circa caput parteſque ipſi vicinas ſunt conſitæ aut locatæ: Hinc fit, ut remedia contra catarrhos capiti aut vicinis locis applicentur, nunc naribus, nunc vertici, nunc temporibus &c. nunc ut melius penetrent, ſub formâ ſuffitus, imprimis ubi aſpera arteria & fauces nimis laborant. Hæc inter externa primatum obtinet oleum ſuccini, ſi aliquot ejus guttæ vertici illinantur mirum eſt quantùm faciat ad præſervandum & curandum catarrhum, imprimis ſi adſit ſimul gravitas capitis aut lethargus, aut torpor ſenſuum. Juxta oleum ſuccini oleum maſtichis, item oleum majoranæ uſurpantur. Oleum deſtillatum C. C. eſt potentiſſimum vertici & temporibus illitum, modo ejuſdem fœtor non ſit adeò gravis: alias cum hoc ol. ſit turgidum ſal vol. eſſet ſummum remedium.

Ulterius applicatur emplaſtrum de betonica, emplaſtrum pro bregmate uſitatum, item

emplastrum de tacamachaca, quæ omnia malaxantur commodè cum oleo succini destillato verbi gratia.

℞. Emplastr. de betonica usitati, gummi tacamachacæ an.q.s.malaxentur C.S.Q. olei destillati succini inducatur super alutam, & obducatur syndone rubra in forma orbis medii. F. emplast. capit. applicand.

Pertinet ad externa etiam fumus tabaci sive nicotianæ haustus, qui sane est egregium experimentum contra catarrhos, quod omnibus hunc in finem debet esse commendatum omnibus scopis satisfacit fumus tabaci haustus. Nam sal ejus vol. admodùm acre corrigit aciditatem lymphæ catarrhalis: eodem sale vol. lympham crassam & viscidam incidit & fluxilem facit, quin & læsiones partium à causa externa vitio aëris vitiosa facta lympha corrigit & imprimis ratione sui ol. narcotici, quo opiatorum vires æmulatur, insigniter conducit ad motus catarrhales feroces sistendos, prætereaque salivam copiosam eliciendo augmentum lymphæ nimium corrigit. Si huic nicotianæ usitatæ alias admisceatur semen anisi in catarrho ad bronchia & pulmones defluo vel addantur pulveres succini aut pulvis cardamomi, fit remedium eo magis appropriatum. Certi sitis quod in affectibus catarrhalibus vix habeatur par remedium fumo Tabaci, omnibus enim satisfacit scopis. Nec metus est, quòd denigret cerebrum; hoc enim vana est persuasio. Utut hoc verum sit, quod ejus nimius usus vitiat pulmones, eos aridos, squalidos & flaccidos reddat, simulque variis maculis tingat. Vid. experimentum hujus rei in *Observationibus Thoneri*.

Hæc de Catarrhis veris.

Monenda adhuc sunt, quæ habet Lindanus de catarrhis quasi nothis, dum dicit; Noctu sæpe evenit (sunt verba Lindani,) ut surgentes mane homines sentiant dolores, præsertim in scapulis, in lumbis, aliisve locis. Statim inquit, hoc refertur ad catarrhos, ubi tamen duo sunt consideranda. Primùm non esse semper in catarrho vitium, sed sæpissime à statu (de hoc tamen dubito) præsertim iis in locis, ubi musculi se invicem contingunt. Nam noctû corpus nostrum valde perspirabile fit sub lecto, adeo ut natura tunc soleat liberaliter per habitum corporis se evacuare. Jam si manus,, vel alia pars extra lectum jaceat denudata, concluditur iste insensilis exspiratus, qui exiturus erat, & sic dolorem ibidem facit. Interdum etiam fit, ut solummodo sub forma flatulentiæ ibidem hæreat. Uterque dolor satis molestus est, is qui à flatû est vagus, qui agitari ac subinde recrudescere videtur. Si ibi hæreat liquor, fixus est dolor & continuus interdum per aliquot dies.

In his catarrhis quasi nothis quoad curam cavendum est ab omnibus oleosis.

Hæc enim inuncta crustam quasi inducunt cuti, poros que adstringunt sive implent. Emplastra itidem hic nocent. In tali causa nihil potestis habere melius quàm gummi tacamachacæ mar. baln. solutum in vino, atque extensum super elutam & applicatum parti dolenti; si non benè hæreat; addi debet tantillum terebinthinæ, hæc enim conciliat firmam adhæsionem.

Hoc emplastrum applicatum egregie resolvit istas humiditates, id quod patet ex eo, ut quòd plurimum membra sub emplastro sudent, cùm hoc gumm. tacamach. interdum conjungere licet gummi Carannæ, hujus recipiendo partem unam ad alias partes, ij. dum duo ista gummata imposita optime resolvunt flatus etiam crassos, aut etiam materiam tenuem. Quòd si eveniat, ut applicatis hisce cutis tollatur in pustulas, eæque factæ ejusmodi applicatione gummarum; (hoc enim interdum quibusdam contingit) tunc potius præstanda est cura per tincturas sive essentias spiritu vini extractas, & ita inunctas: infundimus scilicet ea, quæ habent potentem facultatem incidendi, attenuandi, calefaciendi, & coquendi, ita ut in eam rem sumantur, v. gr. semina 4. calida minora, item semen erucæ, allii, sinapi, albi, piper longum, & similia quæ spiritui vini infusa externè fricando illita calidè super impositis linteis calidis. Sed rarum est, quod cutis non ferat gummatum impositionem, quæ omnium sunt optima.

Superius, ubi de catarrhis in genere, injecta fuit mentio febris catarrhalis, sicuti etiam in doctrina febrium febres catarrhales ex lympha deduximus: adhuc quædam dicenda de cura, quæ in multis cum cura catarrhorum vulgarium convenit. In specie omnis cura eò dirigenda est, ut lymphæ vitium corrigatur, & ipsa per blanda sudorifera, & diaphoretica imminuatur, idque eo magis, quoniam tales febres catarrhales epidemicæ non carent malignitate, id quod ex debilitate virium, ex facili contagio, ex vigiliis, interdum levibus deliriis supervenientibus apparet. Medicamenta hic imprimis sint sudorifera volatilia, quæ inter eminent etiam succinata, item conveniunt hic antimonialia fixa subinde volatilibus mista.

Rem exemplo declarabo; superiori anno grassabatur hic catarrhus epidemicus tempore vernali circa festum Pentecostes, isque malignus & insigniter contagiosus, vix erat domus in qua non aliquis ægrotaret, utut non omnes in lectis decumberent. Symptomata erant tussis admodum gravis cum copioso sputo, coryza contumacissima, cephalalgia, dolores dorsi & artuum, mox ingens virium prostratio citra manifestam causam, quibusdam superveniebat hæmorrhagia narium, quibusdam superveniebat diarrhœa serosa, curatio, quæ tunc temporis instituebatur, optime fiebat per sudorifera. Vocatus enim mox in principio præscripsi.

℞. Aqu. sambuci, cardui benedicti an. ℥ j. species C.C. essentificati (vel sal. vol. proprio acuati) ʒß. sal. vol. succini gr. iv. syrupi papaveris rhœados ℥ß. m. pro potione sudorifera. Quam capiebat æger, & expectabat sudorem, isque semper cum levamine profluebat. Repetebatur hic potus pro varietate circumstantiarum.

Interdum præscribebam hunc pulverem sudoriferum.

℞. Succini præparati gr. xv. specifici cephalici ℈ ß. bezoardici jovialis gr. iv. m. pro dosi

dosi. Pro compescenda tussi & jucunda excretione præscribebam istam formulam, quam habebitis in cap. de Tussi (prima forsan est) cum spiritu salis dulcis pro incisione materiæ crassæ, ejus expectoratione, simulque lymphæ correctione. Pro coryza & capitis affectibus optime conveniebat inunctio verticis cum oleo succini, aut applicabatur emplastrum cephalicum ex emplastro de betonica, & emplastro de bregmate ana malaxatis cum oleo succini. Pro reliquiis morbi expellendis, pro artuum debilitate, & eorundem dolore. Conveniebat hæc mistura, quæ ut plurimum morbum curabat, præmissis modo dictis. Mistura erat hæc.

♃. Aqu. cordis cervi, menthæ, antiscorbuticæ Dorncreu. an. ℥ij. ess. ligni sassafras. Spri. & lumbricorum terrestrium (propter dolores vagos) ana ʒij. cerasorum nigrorum, aqu. asthmaticæ Rudolphi (est spir. compositus an. ʒj.) sal. vol. succini ʒj. specifici cephalici ʒß. syrupi flor. tunicæ ℥i ß. m. pro aliquot dosibus, de qua sumuntur quater in die 3. vel 4. cochlearia. *Michaël Ethmullerus Colleg. practic. part. 2.*

In curatione Catarrhi tria sibi Medici agenda proponunt. Fluentem humorem evacuare: partem quam mandantem nuncupant, corrigere & roborare, ne novum humorem progignat: ac postremo partem recipientem ab irruente humore defendere, illumque alio divertere ac derivare. Hinc in catarrho, ut ipsi putant, à jecoris calore, sanguinem mittunt, purgantia exhibent, frictiones, cucurbitulas, aliaque revellentia adhibent, caput pariter exonerare tentant per ea, quæ è naribus, palato, faucibus, humores eliciunt: mox vero electuariis, tabellis, syrupis, pilulis ex moscho, ambrâ, roremarino, betonica, stœchade, rosis punicis, myrobalanis, atque extrinsecus pulverum supra verticem inspersionibus, unctionibus, suffimentis ex rebus cephalicis, roborare, atque interea fluxuros humores avertere conantur per emplastra caustica potissimùm ex thapsia & fimo columbino, aliove simili suturæ coronali applicita, quibus etiam serosas sanguinis partes cumulatas, vel fortasse in cerebro genitas educere simul, & illabentes inhibere credunt,

At his catarrhi plerumque non curantur, sed ingravescunt, vel in alios morbos commutati tandem in lethum desinunt, ut pluries experientia docuit. Tot namque evacuationum generibus vires maximè dejiciuntur, affectæ partes magis elanguent, & præsertim cerebrum suâ naturâ debile, humoresque redditi tenuiores plus justo fluitant, & destillatio urgentius promovetur, ut tandem extenuato corpore, sæpius viderim miseros ægrotantes in phthisim delapsos irreparabiliter occidere, nisi prius ex superveniente sopore lethargici periissent.

Satis esse existimant alii convenienti institutâ diætâ sensim abundantem lympham absumere, & vel per vias urinæ, vel per sudores, extrudere: quo pacto consuevit sæpissimè natura in his præsertim affectibus seipsam vindicare. Aërem proinde calidum præparant, ægrumque jubent pannis commodè contegendum. Cibum & potum frugalem, attenuantemq; præscribunt, vitando omnia dulcia, pinguia, acida & nimis humentia. Consuetas egestiones, alternis saltem diebus, sollicitant, & quæcunque ad sudorem blandum disponere possunt, absque ulla naturæ perturbatione, suadent. Solum in abundantiori lympha, & ubi periculum suffocationis instat ab ejusdem affluxu, hydroticum aliquod medicamentum exhibent, ad deplendam ejusmodi quantitatem. De reliquo cerebrum, spinam, & nervos roborantia fructuosa putant, non tamen posthabitis, quæ guttur, fauces, & pulmonem, illasque partes, in quas humor catarrhum excitans irruere solet, lenire, detergere, aut confirmare valent.

Cùm ergo in fauces & guttur decumbit humor, gurgulio laxatur, tumentque tonsillæ, præter gargarismos ex diamoro cum aqua hordei & sale prunellæ, vel ex rhodomelle cum decocto liquiritiæ, betonicæ, aut nicotianæ, vel melius cum aqua ardente; prosunt suffitus ex succino, mastiche, & gummi animæ: atque pro linctu utatur æger syrupo papaveris rubri, aut de Erysimo Lobelii.

Si delabatur in pectus, & pulmonem, conferent syr. ex prassio, hyssopo, tussilagine, hedera terrestri, nicotiana, oxymel, & looch scilliticum, fœcula Ari, extractum, & pulvis radicis iridis Florent. & illyr. flores sulphuris, butyrum, & rubinus ejusdem, oleum sacchari cum aqua ardente paratum, julap. vitale, & efficacius elixir proprietatis descriptione Helmontii. Quod si humor defluens salsedinem aut acritudinem sapiat, timeaturque de pulmonis læsione, ad corrigendam illius acritatem, salsulaginemve summe confert iteratus usus pilularum de cynoglosso, vel styrace. Ejusdem est efficaciæ pulvis anodynus D. Michaelis, theriaca recens, & laudanum opiatum; ad diminuendam vero peccantis lymphæ copiam, exhiberi poterit extractum agarici, & resina jalappæ cum modico gummi tragacanthi: & quidem salutares observatæ sunt pilulæ compositæ ex ℈j. resinæ jalappæ, & gr. vij. tragacanthi cum modico cinnamomi acuti ad tempus repetitæ.

Ad sedandum deinceps catarrhum consulit Crato hoc electarium sumendum ad castaneæ quantitatem, quod habet: thur. masc. ℈ij. nuc. cond. tost. ℈j. spec. aromat. rof. ℈ß. hæc autem excipiuntur rosarum punicarum conditurâ.

Ejusdem Auctoris pilulæ ex succino efficacissimæ referuntur; sicut etiam quæ constant: Thur. mascul. & succ. glycyrrhizæ singul. ʒj. opii, croci, & myrrhæ, singul. ℈j. cum syr. papav. alb. confect. mass. dos. gr. vij. vel x.

Thus ipsum horâ somni deglutitum optimum est cum balsamo Peruviano: & Lotichius admiscet ol. anis. gutt. iij. opii præpar. gr. j. cum syr. de papaver. Alias ex B. Faventino pilulas describit Riverius ex succo glycyrrhizæ, aloë lota, & pilul. de cynogloss. cum syr. viol.

Ossa bubula, vel efficacius Donzellino, humana, præsertim cranium, ad albedinem combusta, & in pulverem redacta, cum portione cinnamomi, & sacchari efficacissima experti sunt.

Hartmanno probatur aqua serpilli, cum vino

albo generoso destillata, quotidie sumpta ad unum vel alterum cochleare. Vult tamen F. Hofmannus in ea infundendum esse lignum sassafras. Aliam serpilli aquam benedictam nuncupatam conficit Adrianus Mynsicht ad catarrhum præstantissimam.

Idem Hartmannus suturæ coronali admovet sacculum succino repletum, & spiritu vini madefactum: & Rulandus vertici deraso cataplasma, quod componitur ex fermenti acrioris ℥ij. & pulv. carabes ʒij.

A Schrodero proponitur emplastrum cephalicum, quod catharrum in fauces sistit & Epilepticos motus, atque vertiginem arcet. Efficax quoque est gummi Tacamahaca cum oleo masticheς dissolutum & malaxatum.

B. Montagnana extollit & hoc aliud quod habet. Aloës, puleg. calament. mont. cort. citr. singul. partes æquales, F. pulv. & commisc. cum ladano & modico acaciæ in formam cerati.

Pro amuleto verò commendat Hartmannus radicem verbasci virginis, quæ scilicet per eam æstatem non floruit.

Refertur in Ephemeridibus germanicis anno 1670. fuisse quendam, qui usu cujusdam pulveris, catarrhorum materiam è naribus eliceret. Expertus sum ego idem tuto, & salubriter præstari pulvere ex cyclamino in clybano arefacto cui si lubet, addi potest tantumdem betonicæ, rosarum punicearum & sampsuchi. Ex helleboro nigro & saccharo conficit Helmontius pulverem, qui efficaciter sternutamentum concitet, & coryzæ medeatur. A spiritu vini puro, & à tinctura succini plurimum sane juvatur cerebrum in catarrhis, saltem si naribus excipiatur & temporibus, ac cervici sæpius adhibeatur: Sed & spiritus ac sal volatilis ammoniaci olfactus mire admodùm plerisque confert. Cæteros affectus Catarrhum consequentes, aut comitantes, suis locis memorabimus. *Lucas Tozzi Medic. practic. parte prima.*

Emplastrum seq. valide omnes fluxiones sistit, & dissipat. Applicetur capiti raso post strenue per plures dies expurgatum cerebrum.

♃. ficuum pingu. fermenti acris an. ℔ß. sem. viticis & nasturt. contusor. an. ℥j. sem. sinap. contus. ℥ij. empl. de mucilaginibus ℥iv. malaxentur & incorporentur addendo olei laurini quod satis fuerit. Formetur emplastrum extend. super alutam, quod toti capiti imponatur, & quotidie mane renovetur. Hoc omnem capitis humorem sensim eliciet, quod neque cantharides occipitio admotæ, neque ulcus sincipiti & commissuræ cauterio inductum, neque secta in fronte vena effecerit.

Quidam juvenis gravissimo catarrho in dentes decumbente conflictari solitus, mihi retulit se Cantabrigiæ D. Butlerum adiisse, qui dixit se malo nodo malum velle applicare cuneum, & extremum malum extremo malo profligare. Assuetus erat æger fumo *Tabaci*, Jussit medicus ut sine intermissione hauriret fumum, donec absumpsisset integram pulveris unciam. Ita ille uno tractu successive hausit 25. fistulas. Primo gravissime ægrotavit, antequàm motus sit catarrhus; eo fluere incipiente, paulatim imminuta omnia symptomata, & affluxit blennæ quantitas ingens, ultra duas quartas. Illico cessavit catarrhus, qui non recurrit postea per annos 17. sed ab eo plane immunis vixit donec à liberiore diæta, & assiduo vini clareti potu in consuetum affectum sit relapsus.

Pistachiar. exterior cortex ex viridi rubescens, siccatus, & accensus in fistula instar Tabaci, fumum dat aromaticum, qui usu continuato catarrhum sistit & siccat. Potentius operatur si ei admisceatur sexta vel octava pars Tabaci. Caput non turbat, & bonum spirat odorem. Hoc viso pulvis talis à me præscriptus ad desiccandum catarrhum à cerebro in pectus labentem.

♃. Cortic. pistach. optimè siccat. citra ustionem ℥iß. partis lignos. nuc. pineæ ℥ß. ramentor. lign. cedr. fragrantiss. sassafr. rhod. an. ʒij. nuc. moschat. cinam. an. ʒj. tabaci Indici opt. ℥j. m. f. pulvis servand. loco sicco.

Vel ♃. cort. pistach. sicciss. ℥iß. part. lignos. nuc. pineæ, cort. guajaci, lign. juniper. vel cedr. lign. Aloes vel sassafr. ligni rhodii, cortic. Winteran. nuc. moscha. an. ʒiß. tabaci (à ʒiiij. ad 5.6.7.) ℥j. m.

N. B. Quæcunque remedia in hujus libri capite primo pro frigida cerebri intemperie curanda laudantur, hic etiam locum habent. consulat ergo lector caput dictum, & hujus brevitati ignoscat.

Videantur item capita sequentia quæ fluxionum in partes particulares v. g. oculos, dentes &c. curam docent; nam termini ad quem fit catarrhus, æque ac termini à quo, ratio habenda est. *Theod. De Mayerne in Praxi Medic.*

Consultationes.

De Gravedine, aliisque affectionibus ex catarrho pro illustriss. Domino Gregorio Maluezzi.

Ex utero materno hæreditarium catarrhum contraxit Illustrissimus Dominus, annos natus 64. gracilis, temperamenti calidi, & sicci, cordis, jecoris, & totius, cùm excedente caliditate, & humiditate cerebri. Qui quidem catarrhus indies magis ac magis adauctus est ob insolatus, vigilias, venationes, venerem, inordinatamque victus rationem: unde effectum est, ut quemadmodum antehac defluens ad musculos intercostales circa mamillam sinistram, inibi dolorem; ad os ventriculi, & intestina, inappetentiam, ac diarrhæam; ad renes urinæ difficultarem, calculorumque generationem, induxit; ita tribus ab hinc annis in autumno & hieme ruens ad fauces, & pectus, raucedinem, tussim, & spirandi difficultatem pepererit, quod omnium maxime contigit in fine æstatis proxime præteritæ, propter varia animi pathemata, febres, aliaque suborta symptomata. Unde non tussim duntaxat nunc, & spirandi difficultatem patitur Vir Illustrissimus, prout annis superioribus, verùm etiam ex prædicti catarrhi salsedine, putredineque, levis aliqua facta est pulmonum erosio: quam ob causam & adfuerunt sputa cruenta, & nunc non raro conspiciuntur filamenta quædam

quædam ſanguinis, excitaturque nonnunquam febricula quædam putrida & ea quidem horrifica, cui jungitur quinetiam nunc fixa, & habitualis cum inſigni totius corporis macie.

Ut propterea omnimoda & perfecta præſentis affectus ſanatio non ſit expectanda, ſperamus tamen remediorum proponendorum beneficio remiſſionem tuſſis, renutritionem aliquam & virium reſtitutionem.

Quod ut fiat, catarrhus eſt evacuandus, divertendus à partibus ſpiritalibus, detergenda, exſiccanda & conſolidanda pulmonum labes, exſiccandum & caput, totumque corpus refrigerandum, humectandum, renutriendum. Quibus intentionibus ſatisfiet per remedia Pharmaceutica & rectam victus rationem.

Chirurgica namque tunc tantum locum habebunt, quando vel ſanguis in majori copia fluxerit, in quo casû parum ſanguinis ex ſalvatella dextræ manus detrahi poterit: (Venarum enim ſedalium apertio ſuſpecta eſſe poteſt, propter fiſtulam inibi forſitan latitantem) vel ſi majori cum impetu fluxerit catarrhus ad partes ſpiritales, tunc enim cogitandum erit de fonticulo, vel in ſutura coronali, vel occipitio. Quibus non ſupervenientibus chirurgica remedia locum non habebunt, præter blandas aliquas frictiones ipſorum artuum; cùm ad diverſionem & reſolutionem catarrhi; tum ad attractionem ſanguinis pro perfectiore totius corporis nutritione.

Remedia autem pharmaceutica erunt univerſalia, & particularia. Quare primò lenietur alvus flore caſſiæ noviter extractæ, & electuario lenitivo cum modica pulpa tamarindorum in bolo; vel ſyrupo roſ. ſolut. & manna. cum decoctione pulpæ tamarindi. Levia tamen ſint medicamenta; quoniam facile ex quolibet etiam levi medicamento ſuccedet purgatio, imo facta fuit etiam ſuperpurgatio. Præparabuntur humores primo levioribus; ut pote ſyrupo acetoſo ſimplici, de pomis, de betonica cum decoctione borraginis, betonicæ, farfaræ, liquiritiæ, hordei, capill. ven. cichorii, aut ſonchi. Deinde generoſioribus deveniendo ad ſyrupum de hyſopo, de praſſio, ad oxymel compoſitum, cum decoctione botrydis, pulmonariæ, radicum urticæ, hyſſopi, betonicæ, liquiritiæ, interpoſita blanda purgatione modo cum clyſteribus, modo cum melle & ſyr. roſ. ſolutivo, addita manna & infuſione rhabarbari; agaricum namque alias magno cum nocumento ſumpſit, propterea ab ipſius uſu abſtinendum erit. Purgato toto corpore, purgandum erit caput blandis errhinis, ut ſucco malvæ, manna diſſoluta in aqua malvæ, radice cyclaminis & aliis levioribus: generoſa namque caput ipſum calefacere poterunt. Quam ob cauſam ſuſpectus eſt uſus tabaci quem alioquin ad purgandum caput, & ſiccandos pulmones valde opportunum judicaremus. Purgari quinetiam debebit thorax eclegmatibus, & potionibus illis vulnerariis, quæ ſint valde diureticæ, & calorificæ. Quare conficientur eclegmata ex ſyrupo de hyſopo, oxymelite compoſito, ſyrupo capill. veneris, looch de pino, de pulmone vulpis, & de caulibus. Interim ad demulcendam tuſſim, detinebit in ore ſuccum liquiritiæ concretum vel rotulas ex diacodio. His peractis, ad topica cum interna, tum externa deveniendum. Inter interna tria ſunt, quæ ſummopere arbitror profutura: primum erit jus Galli junioris cum radice chinæ, viſco quercino, ſantalis, & medulla ligni ſancti deraſi, additis nucleis pineis, ſeminibus melonum contuſis, capilloveneris, pulmonaria, conſolida, agrimonia, veronica, & plantagine: quod ſumetur in aurora ſine ſudore, & cum victu mediocri, ſed exſiccante. Secundum erit terebinthina cypria cum minima quantitate florum ſulphuris & boli armenæ; quâ pariter uti poterit vel tempore decocti ſupraſcripti, vel poſt ipſius uſum. Tertium erit ſaccharum roſatum antiquum cum terra ſigillata hora decubitus. *Lactis* uſum pro renutritione, deterſione, & agglutinatione ſummopere commendatum non proponimus, quoniam lacticinio repugnat natura Illuſtriſſimi patientis. Ideoque ipſius loco parari poterunt morſelli ex pulpa caponis cum fiſticis, nucleis pineis, nuce indica, & ſaccharo cum aqua farfaræ. Inter externa præſcribi poterunt pulveres capitales exſiccantes confecti ex oſſibus ſepiarum, cornu cervi uſto, agarico, roſis, & corticibus oſtreorum uſtis. Stillicidium namque ex aquis thermalibus non erit tutum: quoniam caput Illuſtriſſimi Domini facile accenditur.

Victus ſit refrigerans, humectans, & nutrimentum glutinoſum ſuggerens. Propterea carnes decoqui poterunt cum limacibus; carne teſtudinum, caudis cancrorum, & ranis; fieri poterunt jura ex carne porcelli junioris. Habebit familiare ferculum ex hordeo cum ſaccharo & china, cocto in ollula, ut præſcribitur à Saxonia in Praxi, capite de Phthiſi. Potus ſit vinum ſubdulce tenuis ſubſtantiæ, quod medicatum fieri poterit cum ligno indico deraſo viſco, quercino & farfara pulverizatis, & in dolium conjectis, & hæc nunc duxi proponenda, mittens uſum balnei; ob inclementiam aëris, cujus loco ſat erit aliquando corpus inungere oleo amygdalarum dulcium ſine igne extracto. *Remed. Silvat. Conſil. Medic. Cent. 1.*

De catarrho, tuſſi & difficili reſpiratione pro illuſtriſſimo, & excellentiſſimo D. Georgio Oſelinſchi, Oratore extraordinario Sereniſſimi Poloniæ Regis, & Sueciæ, ad ſummum Pontificem.

Conqueritur Orator Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus de perenni quadam deſtillatione à capite ad thoracem, propter quam ante biennium tuſſi continua annum integrum correptus fuit, & in præſentia anguſtiam patitur in reſpiratione, horis præſertim matutinis, propter quam & extuſſire, & quaſi vomitu quodam materiam pituitoſam & aquoſam expectorare cogitur: imò & nocturnis horis involuntari e ſimilis materia extillat ab ore. Nec minus conqueritur de compreſſione quadam circa regionem cordis, duobus ab hinc annis, continuò moleſta, ob quam cum gravitate aliqua acclivem locum conſcendere ſolet, & difficulter ſuper latus ſiniſtrum decumbit.

Prioris affectionis cauſa alia non eſt, quàm copia catarrhi in capite calido & humido coacervata, cùm per generationem, tum per attractionem à ſubjectis partibus, cùm præ-

sertim ob gravia negocia caput ipsum facilè repleri possit, ideoque & per nares, & per os plura expurgantur excrementa. Posteriori affectioni externam occasionem præbuit insignis mæror præteritus ob mortem primogeniti, quam fovit, fovetque etiamnum collectio aliqua humoris melancholici, in regione forte lienis hærentis, cujus uberem proventum gignere facile potest illustrissimus & Excellentiss. Dominus ob naturalem jecoris fervorem in hac præsertim ætate consistente: ut propterea natura aliquando tentaverit levem aliquem effluxum sanguinis ex venis sedalibus, à quibus sanguis melancholicus expurgari consuevit.

Ab his igitur affectibus, ut liberetur Orator Excellentissimus opus esse censeo levioribus quidem remediis hoc tempore, ac deinde generosioribus Vere recurrente; tunc enim divertenda erit fluxio prædicta, materiaque fluxa expectoranda, caput exsiccandum, corque roborandum, non neglecto etiam liene, si ad tactum se prodat hypochondrii tensio, quod conjectare non potui, præmissa totius corporis evacuatione.

Neque difficile futurum spero Virum Illustriss. & Excellentiss. perfectæ sanitati restituere, cùm alioquin sit optimi habitus, vividique coloris.

Hoc itaque anni tempore nonnulla profutura mihi persuadeo, Primum erit familiaris usus pilular. masttichinar. ad drach. 1. horâ ante cœnam semel in hebdomada, alterum erit usus conservæ alicujus cùm cordialis, tum capitalis ex floribus rorismarini & borraginis cum confectione Alchermes & de hyacintho, cujus dosis erit unc. 1. singulis matutinis horis 20. & plures dies, duabus horis aut tribus ante prandium. Valebit quinetiam Juleb illud gemmatum magni Ducis Florentiæ ad guttas vi. cum aqua ex floribus citri. Præter quæ, sæpius matutino tempore dentibus conterere poterit frustulum citri cum toto cortice, expuendo quidquid ad os confluxerit; proderit enim ad expurgandum caput, & corroborandum cor. Caput quinetiam teget nocturnis horis cucupha ex pulveribus exsiccantibus hunc in modum parata.

℞. Flor. rorismarini, stœchadis, an. pug. 1. ossium sepiarum, agarici an. drachm. ij. cornu cervi usti, spongiæ ustæ an. drachm. f. ß. pulvis: & includatur cucuphæ ex rara sindone.

Quibus omnibus accedat congrua vivendi ratio, abstinendo à vinis generosis, aromatibus copiosis, & diuturna mora in hypocaustis, singulisque matutinis horis caput erit exsiccandum spongiis madefactis lixivio parato ex cineribus ficus, & capitalibus deinde exsiccatis.

Verno autem tempore, præmissa diligenti purgatione totius, iis quæ ducant humorem pituitosum, & melancholicum, ipsosque præparent, & expurgent, cùm à capite, tum à liene, quem suspicor non vacare noxa aliqua, cum eductione sanguinis ex jecororia dextri brachii, nec non ex venis sedalibus, quarum reseratio quam maximè conducit, ratione melancholicæ cordis & lienis affectionis.

Purgandum erit peculiariter caput per os & nares errhinis, & apophlegmatismis accommodatis, in quibus opportuna erit masttiche cum Zingibere. Quod si in thorace hæreat materia, lambitivis erit expectoranda. Hisque peractis potus aquarum sulphurearum esset quam maxime utilis, ad exsicandum catarrhum, & roborandos pulmones. Quod si aquis careat, sint ei familiares flores sulphuris & diasulphur una cum terebinthina laricina plures dies assumpta, superbibito decocto ex radice chinæ, & ligno indico deraso cum cichoraceis, cordialibus, cephalicis & pectoralibus. Verùm si aderit tumor, aut obstructio in sinistro hypochondrio, præscribi poterit jus galli junioris, cum prædicta chinâ & ligno, præmisso chalybe vel potabili, vel electuario de chalybe Saxonino aut vino chalybeato, instillando semper decocto tres aut quatuor guttulas juleb gemmati; vel detur Scrupulus mithridaticæ confectionis cum dragm. sem. confectionis alchermes. Extrinsecus erunt ex usu lotiones illæ capitis, quæ Illustriss. & Excellentiss. matronæ fuere præscriptæ, sacculusque supra cordis regionem continuo gestandus, hunc in modum paratus.

℞. Ocymi caryophillati, cinnamomi, macis, zingiberis, croci, moschi, ambræ an. gr. decem. flor. citri, aurantiorum, rosarum borraginis an drach. 1. sem. M. Exsiccentur in sacculo serico purpureo, qui detineatur supra regionem cordis. *Benedict. Silvatic. consult. & respons. Medic. cent. 1.*

De catarrho salso, & melancholica affectione pro nobili muliere Rhodigina.

Si unquam experientia comprobatum fuit verissimum Divini Hipp. oraculum, id in Nobilissima patiente luculentissimè conspicitur; quod scilicet *mensibus deficientibus morbi ex utero fiant.* Nobilissima etenim Domina cùm alias, salubriter degeret, usq; ad 20. ætatis annū cumq; tribus ab hinc annis imminutas, inordinatas, & albicantes habuerit menstruas purgationes conqueri cæpit de affectu melancholico. Mæsta si quidem erit, cum frequentibus lacrymis. Conqueri quinetiam cœpit de Tussi, & destillatione catarrhi salsi ad pulmones, hæreditaria quadam imbecillitate laborantes.

Qui sane affectus originem, & incrementum habent à sanguine menstruo non expurgato, jugiter in caput evaporante, & cerebrum calefaciente, à quo propterea catarrhus salsus gignitur mediantibus ichoribus biliosis à jecore transmissis, atque spiritus animales crassiores redditi obnubilantur, & affectus melancholicus, producitur; retenta autem est menstrua purgatio propter obstructiones venarum uteri ut optime statutum est à viro Excellentissimo ab humoribus crassis, cùm pituitosis à ventriculo, tum melancholicis à jecore per venas ad uterum confluxis: quos redundare comprobat qualitas sanguinis per uterum erumpentis, albicantis & pituitosi.

Affectus sane difficillimæ curationis, cum ob hereditariam maternam dispositionem, tum ob maximum recessum à statu naturali in hac ætate juvenili, eoque magis quod cùm juncta sit viro nobilissimo è congressu tamen juvamentum illud suscipere non potest, quod alias luculentum

lentum esset. Propterea non immerito de agendis consulit.

Quare insistendo indicationibus à Viro Excellentiss. propositis ego quoque laudo, quoad chirurgica, sanguinis missionem; semper tamen è partibus infernis, saphena scilicet utriusque pedis; sed parcâ manu; hinc enim fiet major revulsio à capite. Quod si in conspectum veniret vena poplitea, hinc major fieret evacuatio ab ipsomet utero, cùm sit vicinior, amplior, & majorem consensum habeat cum utero. Semper tamen ante sanguinis eductionem fiant frictiones ad inferiora, & foveatur uterus vino albo, in quo ebullierint fl. chamæmeli, fœnugræcum, malva, artemisia, & matricaria, quo sanguis fluxilior fiat. Fonticulos quinetiam propositos laudo, ita tamen ut primo inuratur coxæ dextræ; ac deinde autumno brachio: quo fiat primo revulsio, & observari possit, numquid salsedo illa, & continua fluxio catarrhi originem habeat ab evaporatione uterina: si enim hinc proveniret, remittere quinetiam posset absque fonticulo brachii, non adeo tuto in hac continua exhalatione. Pessaria quoque fient in vaginam immittenda, ex mercuriali & sabina, quæ maxime confert ad evacuandos menses, cum lotionibus & frictionibus frequentibus infernarum partium.

Pharmaceutica sint ea quæ fuere proposita hac observatione, ut primo præparentur humores in ventriculo scatentes cum syr. sine diluto, & aperientibus & menses provocantibus, factaque ventriculi & primarum viarum detersione, & evacuatione etiam cum aqua Tetutiana dejectoria reddita: præscribantur postea syrupi magis attenuantes & aperientes, puta syr. bizantinus cum aceto, oxymel. compos. syrup. capill. veneris, & de quinque radicibus cum decoctione lupulor. capil. ven. agrimoniæ, cichorii, & borraginis. Progrediendo postea ad magis aperientes, trochisc. scilicet de myrrha, de rhabarbaro cum syr. de pomis compos. & de cichorio cum rharbarb. additâ decoctione proportionata: ac tandem præscripto purgante accommodato: medio tamen tempore alvum lubricam servando, vel pil. ex aloe lota, vel infusione sennæ in syr. vel decoctione epithimi Mes. loco decoctionis consuetæ. Hisque peractis, duo genera remediorum peropportuna censeo, jus scilicet galli saliti, cum herbis, & radicibus aperientibus, cum chalybe potabili, vel electuario de chalybe, præscripto exercitio in curru. Aliud quod hoc anni tempore mihi videtur apprime profuturum usus aquarum Thermalium Apenensium cùm intus sumptarum, tum exrra adhibitarum stillicidii forma supra ventriculum, & insessionis ratione uteri cùm cannula pertusa undique intra vaginam detenta.

Hæc potiora sunt, quæ juncta cum congrua victus ratione motu præsertim & cæli mutatione miti; videntur profutura. Faxit D. O. Omnipotens, ut votis cedant. *Bened. Silvatic. Consil. & respons. Medic. Cent.* I.

Nobilissimus Dominus Bernardus Schuldten ex finibus regni Turcici per Podaliam & Poloniam tempore hyberno ni Pomeraniam iter faciens; gravitatem quandam & tensionem capitis sentiebat cum defluxione ad fauces, tussi & rejectione materiæ viscidæ & pituitosæ nares erant obstructæ, facies subtumida, somnus profundus, urinæ albicantes & turbidæ alvus suppressa.

Catarrhum à causa frigida excitatum judico, quatenus reclusis à frigore externo poris, per quos alias vapores exhalare solent, materia catharri cumulata, vel aliis de causis in capite congesta, ut ambientis & ad ipsum cerebrum per vias patentes penetrantis frigoris, commota & expressa ad facies defluit.

Capitis gravitas & tensio à pituita cerebrum occupante, membranasque distendente excitatur.

Tussim humor à capite ad fauces & asperam arteriam sensim defluens excitat.

Nares Obstruuntur ab humore crasso ossa Ethmoidea obsidente & exspirationem impediente.

Facies tumet diffusis in musculorum externorum spacia humoribus.

Somnus profundus à cerebro refrigerato, & humectato dependet.

Vrinæ albicant, & turbidæ sunt à crudorum & pituitosorum humorum in venis & meatibus contentorum copia.

Alvus suppressa est ex repletione intestinorum à pituita ob quam stimulum ita facile percipere non possunt.

Ante omnia itaque lenienti Pharmaco alvum laxandam censui exhibito decocto meo solutivo: hinc ad præparationem materiæ frigidæ viscidæ, & crassæ mixturam ex calefacientibus, incidentibus, & attenuantibus præscripsi.

♃. Aq. salv, beton. fœnicul. an. ℥ij. Hyssop. ℥iij. syr. de betonic. Hyssop. an. ℥iß. Oxymel. simpl. ℥j. essent. rorism. ℈ij. m. pro 4. dosibus.

Pro universali corporis purgatione dedi pilulas.

♃. Extract. pil. de hier. c. agaric. phlegmag. an. ℈j. ol. stillat. salviæ gt. iij. m. c. syr. de hyssopo. F. pilulæ no. 19. deaurandæ.

Ad particularem capitis evacuationem errhinon præscripsi.

♃. Aq. major. ℥j. pulv. sem. nigell. ℈j. fol. betonic. ℈ß. ambr. gr. iij. m. attrahatur naribus per vices & jejuno ventriculo.

Cum paulò remissius ageret, addidi tantillum flor. lil. convall. & tabaci, simulque nares obstructas inunxi tali balsamo.

♃. Pingued. anserin. c. aq. majoran. ter lotæ ℥ß. ol. stillat. majoran. gt. v. salv. beton. an. gt. iij. m. F. balsamus.

Repurgato convenienter corpore & capite, ad reliquam catarrhi materiam exsiccandam, caputq; corroborandum singulis matutinis cochlearia tria aquæ cephalicæ exhibui.

♃. Aq. lign. sassafr. ℥iiij. aq. lil. convall. c. vin. destill. ℥ij. cubebar. ℥j. meliss. ℥ij. essent. rorismar. ℈iij. rotul. man. christ. perlat. ℈ij m. vesperi sub horam decubitus electuario usus est, quo simul & vaporum ascensus inhibetur.

♃. Electuar. nostr. cephalic. ℥iij. conserv. rosar. rubr. ℥j. nuc. indic. condit. ʒvi. medull. nuc. indic. cond. ℈ij. cubeb. ʒiiß. coriand. præp. ʒiß thur. oliban. ℈ij. essent salv. ℈ij. m. c. syrupo de rosis q. s. F. electuarium.

Capiti pileolum sive cucupham ex speciebus siccantibus, & roborantibus destinavi.

℞. Fol. meliss. salv. majoran. origan. an. p. ß. flor. rosar. rubr. ℨij. lavendul. stœch. Arab. rorismarini pæoniæ, tunic. ana. ℨj. thur. nuc. moschat. cinamom. caryophyll. gran. kerm. an. ℨß. gummi elemi, benzoes an. ℨj. storac. calam. ℨij. grosso modo trita syndon. rubr. includantur, frequentique filo interpassata in formam cucuphæ redigantur.

Pro pedum lotione sequentia præscripsi.

℞. Herb. salv. Hyssop. origan. thym. beton. majoran. an. mj. flor. chamæm. miß. stœch. mj. summitat. aneth. mj. bacc. juniper ℥ij. salis ℥iij. incid. grosso modo pro pediluvio. A lotione & abstersione plantæ pedum medullâ cervinâ quantum ferre potuit calidissime inunctæ sunt, sicque à defluxionibus molestissimis, Dei gratiâ, plene liberatus est vir integerrimus, meique amicissimus. *Baldassar. Timæus lib. 1. casuum & observ. practicarum.*

Serenissimi Electoris Brandenburgici consiliarius intimus, capitaneus, & œconomiæ in Pomerania Orientali director, Nobilissimus Dominus Jacobus Heidebreck hæreditarius in Parnavv. Byzitker & Cragzig &c. post vehementem corporis & animi commotionem defluxione cum impetu ad fauces & pectus ruente tentabatur, respirabat difficillime cum summo stertore & pectoris elevatione, adeo ut à suffocationis periculo parum abesset.

Pectus & pulmones à catarrhi depluvio impetuose infestantur, quatenus per vehementem corporis & animi commotionem, materia in capite agitata, & à calore fusa ac liquata in partes subjectas βιαίως καὶ ἀθρόως irruit.

Respiratio difficilis est propter asperæ arteriæ & pulmonum ab humore viscido à capite irruente obstructionem.

Cum stertore ob viarum per quas spiritus ducitur, angustiam, & elevatione propter motum thoracis præter naturam auctum.

Suffocationem defluxio repente, subito, & confestim in fauces & pectus irruens minatur.

Et si verò in præsenti vitæ periculo versari videtur æger; spem tamen aliquam faciebat constans virium robur, unde in præcipiti malo haud cunctandum esse duxi, sed omni potius conatû allaborandum, ut materia ad fauces & pectus defluens, revellendo, derivando, & quibuscumque modis in plures partes distraheretur, defluxionumque impetus cohiberetur. Quo fine aluus suppositorio acri, mox & clystere provocata, hinc frictiones extremorum pannis calentibus & asperis institutæ, cruribus & brachiis cucurbitulæ applicatæ, suturæ coronali capitis quod caluum erat ceratum Galeni ex stercore columbarum & thapsia impositum, nucha oleo succini inuncta, nihilque eorum quæ suffocationem impedire poterunt, neglectum.

Remittente quodammodo fluxionum impetû materiam à capite & pulmonibus ad ventriculum & intestina trahere, indeque per aluum evacuare visum est, exhibitis decocti nostri laxativi ℥ij. agarici trochiscar. ℈j. gialapp. gr. vij. excrevit septem dejectionibus ingentem humoris pituitosi copiam, liberiusque respirare cœpit; ne tamen aliquid materiæ in insidiis remaneret, ad expectorationes promovendas præscripsi emulsionem, cujus usum etiam in ipso Paroxysmo valde salutarem expertus est, sumendo per vices cochlearia quatuor, vel quinq;

℞. Condit. rad. enul. ℥iß. cortic. aurant. cort. citri ana ℥ß. incis. contund. in mortar. postea affund. Aq. hyssop. ℥vj. fœnic. ℥ij. exprim. fortiss. & colent. add. Aq. asthm. Rudolph. Imperat. ℥j. cinam. ℥ij. Looch. san. & expert. ℥ß. M. Sic Dei gratia, præter omnium exspectationem & spem ex Acherusia quasi palude liberatus est æger; ne vero deinceps in hanc Scyllam defluxionibus admodum obnoxius, incideret, suasi observata frugali diæta, sæpius pilulis de succino Cratonis & vino Adriani Papæ contra catarrhos uteretur, quo facto in hunc usque diem ab omni morborum insultu præter mirabilem illum palpebrarum affectum cujus in Epistolis meis medicinalibus fit mentio, immunis vivit. *Baldassar. Timæus casuum & observation. practicarum lib. 1.*

Nobil. Adolescens 24. annum agens, temperamenti secundum totum & potissimum secundû caput, calidi, humidi, calidioris hepatis, mediocris habitus & coloris subpallidi, liberius in aëre subtillissimo degens, tribus ab hinc annis copiosam pati cœpit à capite destillationem in subjectas partes, tum naturales, tum spiritales, tussi namque continuâ molestatur, cum excretione catarrhalis materiæ crassæ, & viscidæ, modo flavi, modo viridis coloris, quæ tamen nec salsa, nec fœtens est, neque per nares satis expurgatur, cum earum meatus à materiæ crassitie fere obstruantur. Præterea rugitus atque tensionem in sinistro hypochondrio frequentissimè percipit. Parentes ac consanguineos copiosis atque molestis destillationibus ad pectus obnoxios habuit, non tamen phthisi peremptos aut podragrâ afflictos. Modo de agendis consulit, ut destillatio, si non omnino debelletur, saltem imminuatur.

Copiosam, Viscidam atque crassam materiæ catarrhalis à capite destillationem & per tussim excretionem, quâ præserim tribus ab hinc annis divexatur Nob. hic Adolesc. ab ætate valde alienam, altas, tum naturales, tum acquisitas habere radices certò credendum, adeò ut non modo caput ipsius impense humidum, verum & totum venosum genus ad productionem adeo copiosæ materiæ concurrere, sit necessario statuendum. Caput enim intemperie calida & humida à naturæ primordiis affectum, non confecto proprio alimento ob concoctricis facultatis imbecillitatem, crudam & excrementitiam humiditatem quotidie gignit, quam debilitata retentrix in subjectas partes dimittit, unde coctiones in ventriculo turbantur, cruditates generantur, massam sanguineam inficientes. Has autem à jecore præcalido una cum sanguine exassatas, partim ad Lienem, natura transmittit, quibus repletus & tumens, halitus ab iisdem expirat, unde rugitus, & tandem affectio hypochondriaca, citra tamen melancholiam producitur, partim vero per venosum genus ad caput elevat, ubi crudos humores congerens destillationem perpetuo fovet atque auget quæ à calore quidem ætatis crassa & colorata effici potest, prout salsa quoque & corrupta fieret, si caliditate æque ac humiditate excelleret intemperies ipsa,

Quibus

Quibus ita se habentibus summa prudentia medicam opem implorat Nob. Pat. cùm catarrhus omnium malorum fons & origo esse possit, cujus vi totum corpus languere dicebat Gal. desumptum forsan ab Hipp. asserente. Destillationes magno tædio atque molestia naturam frangere, quæ ideo in casu nostro coctiones labefactant, sanguinem impurum reddunt, vitiant nutritionem, & universo corpori pro roseo pallidum colorem inducunt, non sine falsedinis metû, temporis spatio temperamenti totius calore adaucto, quam facilis sequitur vasorum in pulmonibus diæresis, unde hæmopthysis & phthisis, vel ex perenni humiditate in iisdem flaciditas ac tandem fraciditas & phthisis ipsa secunda, aut ex eadem in bronchiis hærente, asthma & orthopnæa, atque ad articulos decumbente podagrici dolores, ut propterea cum Gal. concludendum sit, ut diximus, catarrhum omnium morborum originem esse posse.

Ut igitur à præsenti molestia luculenter levetur Pat. & ab imminentibus præservetur, curatio eradicans instituenda, quæ perficietur, primas vias mundando. Secundo viscerum, & lienis potissimùm obstructiones, aperiendo. Tertio venosum genus purificando, & à cruditatibus vindicando. Quarto caput & pectus expurgando. Quinto ejusdem intemperiem humidam corrigendo. Sexto jecoris calorem contemperando, & tandem caput & viscera roborando.

Et à fonte Chirurgico omnium primò desumenda repetita sanguinis missio, ex interna utriusque brachii. Cauteria omittimus, utpote ætate florentibus odiosa, & quoniam non diversionem, sed catarrhi extirpationem moliri intendimus.

A Pharmaceutico fonte primo desumenda primas vias emundantia, quæ esse poterunt potio ex manna clarif. deinde mel rof. simplex cum julap. acet. ad ℥ iij. per quinque dies, mox repetita eadem potione, & addito melle rof. solut. Secundo aperiendæ obstructiones succis depur. hâc ratione.

♃. Succi depur. cich. agrim. fumar. an. ℥ j. decoct. cich. borrag. beton. melissæ, scolopend. tamarisci ℥ v. m. pro syrup. & sic pro aliis septem. Inde purgentur humores præparati infus. agarici, rhab. & sennæ, additis syr. & melle rof. solut.

Pro tertia & quartâ implendâ intentione, pilulæ hujusmodi convenire poterunt.

♃. Pilul. aggreg. cochiar. an. ʒß. de agar. Mes. aurear. an. ℈ j. m. ref. pil. & aur. pro una vice, quæ ter repetendæ, quarto quoque die, diebus autem intermediis, sumantur succi depur. cich. beton. & fumar. ad ℥ iij. cum jam præscriptâ decoctione. Interim errhinis caput quoque erit purgandum ex pulv. major. ireos, & nigellæ paratis, sed mane tantum, jejuno ventriculo. Ita pariter expectoranda materia oxymel. ireato.

Atque ita toto cum capite expurgatis, capitis ejusdem intemperies humida erit auferenda, in quem finem necessarius omnino nobis videtur sudor in hypocausto, præmisso decocto hoc modo parato.

♃. Visci quercini veri, guajac. pinguis, & rec. salsæ electæ, lentisci è chio, ligni tamarisci an. ℥ j. aq. stillat. cich. beton. an. ℔ ij. m. fiat infus. per horas 24. deinde bull. ad consumptionem dimidii, & colat. servetur pro tribus diebus, matutino tempore, horâ unâ ante ingressum hypocausti assumenda, quòd si sudor non adeò facilè & promptè erumpat, præscribatur bol. ex ℈ j. extr. salsæ, & ℈ß. pulv. viper. Pro potû vero consueto, paretur ita aqua secunda.

♃. Residuum, aq. com. ℔ xii. m. bull. ad consumpt. tertiæ, sub finem ebull. additis cinnam. integri ʒ ij. bul. par. & in colat. adhuc ferventi dissolvantur sacchari fini ℥ iv. Procuretur autem sudor 40. diebus, & decimo quoque die præbeatur potio ex m nna clarif. & victûs ratio sit attenuans, non tamen adeò tenuis, sed quæ semper dimidiâ parte à consueto declinet.

Jam dictis transactis diebus, & peracto sudore, jecori & sanguini aliqua refrigeratio erit concilianda aq. destill. de succo cich. ad cyathum quolibet manè cum conserva de acido citri, vel syr. de succo limon. præmissa rosar. conservâ, idque quindecim aut viginti diebus, quatuor saltem horis ante cibum. Et interim paretur vinum medicatum ad mensam ligno rorismarini, lentisco, & santalo rubro ad ℥ iij. pro qualibet situlâ, quo toto hyemali tempore utatur. Et pro capitis roboratione in usum ducatur, sub ingressum lecti, bol. è conserva modo rorismarini, modo è floribus, beton. quarum consuetus sit usus.

Et jam dictis congrua addatur victus ratio, & præter cætera, caveat ab aëre nocturno, & quàm maximè à crepusculis, abstineat omnino à lactariis omnibus, lactucâ, apio, fœniculo, condimento allii, & cœparum, & à leguminibus, ac raro utatur cibariis ex pasta paratis, rarissime vero piscibus squamis carentibus, ut anguilla, tinca & hujusmodi aliis. Vitet vina generosiora, & compotationes, potissimum inter prandium & cœnam, necnon comessationes, ne cruditates congerantur. Somnus sit nocturnus, & si diurnus, capite elevato. Exercitia conveniunt jejuno ventriculo. Parca sit venus, & alvus lubrica servetur, alacriter vivat. Quibus cautè administratis, Nobil. Adolescenti levamen insigne ominamur. *Joan. Raymond. Fortis Consult. & Respons. Medic. Cent. 1.*

Nobilis Juvenis Vestalis 20. annorum temperamenti secundum totum ad frigidum & humidum, secundum verò caput ad calidum, & humidum vergentis, ventriculi frigidioris & humidioris, sex abhinc mensibus affligi cœpit, destillatione catarrhalis materiæ crudæ & insipidæ, atque in præsens salsæ, ad fauces, thoracem, aliasque corporis partes, cum tussi molesta, siti, inappetentia, febricula inconstanti, inordinatâ & nocturnis vigiliis, somnis inquietis, demum auditû gravi. Quæ tamen menstruis purgationibus consuetis rectè procedentibus patitur.

Nemo in arte vel mediocriter versatus non videt, quod Sacra hæc virgo Nobilissima salsa destillatione laborans, caput habeat essentialiter affectum, à quo omnia mala eandem affligentia deriventur, tum quia ejus temperamentum calidum & humidum, ideoque destillationibus obnoxium, tum quia sensorium læsum habet, surdastra enim utraque aure facta est

est, capiti tamen materiam quoque per totum venosum genus subministrari credendum, ob temperamentum totius frigidum & humidum, quod proinde duplici nomine erit læsum, essentialiter scilicet & per consensum, unde non mirum, si copiosa inde suboriatur in varias corporis partes destillatio, quæ omnium morborum fons & origo esse potest, ut dicebat Gal. & magno tædio atque molestiâ naturam humanam frangit, quanquam admiratione non careat, quâ ratione hoc temperamento totius frigido & humido, capite item calido & humido, ventriculo frigido & humido, salsa destillatio, sitis immoderata, vigiliæ, & somni inquieti adesse possint. Ut propterea nobis conjicere liceat, jecoris caliditatem in Nob. Virgine vigere, quæ & ventriculo siccitatem aliquam ascitiam inducere possit, & biliosos ichores producere, ex quorum cum pituita permistione salsedo fiat, cum de corruptis & coloratis sputis nulla fuerit facta mentio simulque ab eodem viscere, & forsan ab hypochondriis quoque, calidas evaporationes caput petentes, vigilias & somnos inquietos Patienti eidem invehere. Copiosa autem catarrhalis materia, non tota à capite in subjectas partes decubuit, sed ejus portio in eodem hærens,& ad meatum auditorium transmissa aut obstructione, aut nimiâ madefactione surditatem induxit, cujus maxima portio ad partes tum naturales, tum spiritales præcipitata, in naturalibus putrescens, febrem putridam quidem,non tamen humoralem, sed catarrhalem produxit, eamque intermittentem & inordinatam utpote quam nonnisi sufficiens, à capite catarrhalis materiæ destillatio excitet, quâ dissolutâ ac consumptâ febris cessat, interim tamen ventriculum permeare necesse est, unde nausea, minor autem ejusdem materiæ pars irruens in asperam arteriam atque pulmones, tussim molestam necessario concitat.

Status hujus patientis est periculi plenus, cum destillationes in pulmones vitæ adversarissimæ, à Gal. malignæ, à Celso pestiferæ dictæ fuerint: phthisin enim inducere solent, & potissimum in hac nostra Nob. Virgine periculum imminet, cum consanguineos phthisi peremptos habuerit, difficilior quinetiam redditur sanatio capite duplici nomine, tum essentialiter, tum per consensum affecto. Surditas quoque non levem difficultatem ex se habet, magnum enim à statu naturali recessum significat, prout sanationem difficiliorem reddit anni tempus, æstati proximum, quo accommodata prohibentur administranda remedia. Nihilominus salus desperanda non est, cum juvenis sit, & menstruis consuetis purgationibus gaudeat, sed curatio tentanda, suo postea loco, & tempore perficienda.

Primò itaque ventriculi & primarum viarum expiatio est procuranda. Secundo venosum genus expurgandum. Tertio ipsum caput. Quarto destillatio à pulmonibus divertenda. Quinto capitis intemperies humida corrigenda. Et tandem pulmones exsiccandi, & materia in auribus pro virili resolvenda. Quibus intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et ex Chirurgico fonte primo depromenda parca sanguinis missio ex jecoraria dextra: secundo cauterium in sinistro brachio nullo modo omittendum. Tertio frictiones quotidianæ à nucha per dorsum usque ad crura & pedes non negligendæ, matutinis horis, sicuti vespertinis ante cœnam lotiones pedum aqua calente.

Ex Pharmaceutico vero desumenda lenientia, præparantia, totum purgantia, evacuantia caput, intemperiem ejusdem corrigentia, & tandem expectorantia & aures exsiccantia.

Leniens esse poterit potio ex manna clarif. vel cassia cum lenit. & tart. primum præparans suavius hoc erit.

♃. Julap. acet. ℥ iij. Tenuiss. crem. tart. ℈ iij. aquæ cinnam. ℥ ß. m. pro syr. & sic pro quatuor aliis. Inde sequatur humorum evacuatio præscripto medicamento, & ulterior succedat præparatio, præbendo oxymel. simpl. ℥ ij. cui superbibat hujusmodi potionem.

♃. Succi depur. borrag. beton. pomor. dulcium an. ℥ j. decoct. cichor. borrag. endiv. melissæ, beton. flor. citri ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis septem. Inde præparati humores expurgentur infusione agarici, rhab. & sennæ, addito syr. & melle ros. sol. vel potione ex manna clarif. addedo agaric. & rhab. infus. consuetæ, vel electuar. lenit. cum diaphæn. à quibus bibat patiens mulsam dilutam ex aqua malvarum paratam, vel aquam hordeaceam ad ℔ ij.

Purgato toto & caput erit expurgandum his pilulis.

♃. Pilul. cochiar. aurear. aggreg. an. ʒ ß. m. ref. pilulæ, & aur. & hora post bibat aquam hordeaceam, vel Nocerianam ad ℔ j. ß. quatuor vero horis ab assumpta aqua, prandeat. Eædem vero pilulæ, quarto quoque die ter repeti debent, & diebus intermediis præbendi succi jam dicti in decoctione præscripta; interim mane errhinis modo, modo masticatoriis capitis expurgatio adjuvanda. Errhinum vero paretur ex pulv. majoranæ, ireos & nigellæ, licet masticatoria auribus magis conferre possint ex mastiche, gingibere, pyrethro, & fœniculo cum cera parata.

Hoc tempore caput exsiccandum quidem foret decocto aliquo cum sudore; verum quia æstatis calor vetare id poterit, ideo confugiendum erit ad aliquod aliud in jure paratum, quod exsiccandi quidem, sed parùm calefaciendi facultate polleat, quale hoc esse poterit.

♃. Ligni lentisci è chio, ligni rorismar. an. ℥ j. ligni buxi, santal. albor. radic. rosar. damascen. an. ℥ ß. aquæ destillatæ cichor. ℔ ij. violar. beton. an. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde illi adde quartam partem pulli junioris, & bulliant ad consumpt. dimidii, factaque colatura servetur pro tribus diebus matutinis horis assumenda, cui præmittatur pulvis viperinus ad gr. xv. aut xx. quotidie, valde enim exsiccat, citra insignem caliditatem, præter ejusdem vim quandam balsamicam ventriculo accommodatam, in cujus usû persistat ad 30. dies vel 40. Quo tempore, mane potissimum, ante decocti usum, materia catarrhalis expectoranda, vel julap. acet. cum syr. de ibisco, nisi adeo crassa fuerit, quo casû oxymel simp. cum aqua farfaræ ex usû erit, sub noctem vero

intercipientia convenient, quæ salsedinem quoque contemperare possint, quale est diapenidium, diatragacanthum frigidum cum bolo, ore in somno detinenda. Pariter auribus medicamenta erunt infundenda, & quidem selectiora, ut

℞. Cœpam integram, excavetur, deinde oleo amygdal. amar. & pulvere cymini impleatur, ad ignem mox decoquatur, & fiat fortis omnium expressio, tum gossypium in turundæ formam, eadem madefactum in aures instituatur.

Vel ℞. Pomum colocynthidis evacuatum, quod impleatur succo raphani, & felle capræ, mox ad ignem cinerum decoquatur, & pariter fortiter exprimatur, & in usum, ut supra, ducatur. His peractis, conservæ caput roborantes erunt usurpandæ, nimirum è floribus betonicæ, floribus rorismar. rosar. sub ingressum lecti sumendæ. Ventriculus quoque roborandus, atque è prandio statim duo, aut tria integra grana mastiches quotidie devoranda, vel pilula ex ℈ j. succi absinthii cond. deglutienda.

Quibus omnibus congrua victûs ratio erit addenda, vitando lactaria omnia, lactucam, legumina, condimenta cœparum, allii, apium, fœniculum, vina generosa. Vinum verò paretur medicatum lentisco, santalo rubro, & ligno rorismar. an. ℥ j. pro qualibet situla. Somnus sollicitetur sola quiete, non autem medicamentis aut vaporosis alimentis. Corpus moveat, & jejuno ventriculo exerceat, atque bis aut ter per mensem utatur semper pilulis mastichinis ad ʒ j. à cibo abstineat à lectionibus & meditationibus, & alacri animo vivat. Quæ omnia D.O.M. salutaria reddat. *Johan. Raymund. Fortis consult. & respons. medic. tom. I. cent. I.*

Sereniss. Matrona 30. annorum circiter, proceræ ut cumque staturæ, eximiæ pulchritudinis, habitûs corporis inter gracilem & carnosum medii, complexionis biliosæ, sub dominio sanguineæ pituitosæ, agilis ad motum, sensus acutissimi, ingenii excitatissimi, prudentissimi & ad omnes heroïcas actiones obeundas, expeditissimi, quatuor filiorum, duorum scilicet marium, totidemq; fœminarum augusta mater, passa est ob infortunia inopinata tres abortus duobus elapsis mensibus à conceptionis initio, quos profluvium sanguinis copiosum semper subsequutum est, non sine vitæ periculo, potissimum hoc postremo proxime præteriti Decembris, à quo accommodatis remediis, supremi Numinis ope convaluit, mensibus alioquin ordinatè semper fluentibus. Conqueritur igitur Sereniss. Domina de variis fluxionibus, tum ad dentes & oculos, tum ad fauces & pectus, unde frequentibus & atrocibus dentium doloribus quandoque, atque etiam tussi fere perpetua ab anno jam cum dimidio divexatur, cum expectoratione pituitæ aliquando viscidæ, alias serosæ & tenuis, ut plurimum tamen nullius aut paucæ salsedinis participis, cujus ob perennem fluxionem, dentes aliquam cariem contraxere, quorum tres ob hanc causam, cogente atrocissimo dolore, fuerunt revulsi.

Corripitur insuper levi de causa dolore capitis, modo gravante & sæpius pungente, cranium quippe ipsius rara textura, & subtiliori compage constans conjicere licet pluribus argumentis, ab injuriis siquidem externis facile offenditur, & post ultimum abortum acuto capitis usque adeo dolore divexata est, ut phrenitidis periculum subjerit, nisi missione sanguinis ex saphena, aliisque idoneis remediis illi prospectum. Naribus frequenter emungit mucum viridem, flavum & glutinosum, atque in capite ejusdem diutius effloruerunt furfures squamosi, nec non ulcuscula cum crustis cineritiis, è quibus Ichores lenti & crassi, adinstar mellis manabant, quæ tamen omnia jamdiu evanuerunt ab usu thermarum, fœcunditatis comparandæ causâ, spatio mensis, & ultra adhibitarum. Cauterium vero in brachio ut præsidium utile, emissarii loco, sæpius propositum, ob varias causas renuit.

Quibus sic stantibus, cùm in prædicta Sereniss. continuus Rheumatismus observetur, ob habitualem capitis intemperiem humidam, & calidam, nec non ob quandam imbecillitatem contractâ quæritur à Doctiss. ac peritiss. Viris, num Patavini agri aliquæ thermæ, præmissis præmittendis, & pro usu præparato corpore, possint stillicidii forma, potissimum in bregma robur cerebro conciliare, humiditates superfluas exsiccare, loco habitualis intemperiei, contumacium, & rebellium affectionum causæ, temperiem aliquam mediocrem inducere, ut enarrata incommoda expurgari possint, atque eadem operâ graviora præverti, non parum adjuvante benigno hoc cælo, ac saluberrimo, huic regioni Numinis indulgentia præ cæteris concesso. Quæ raptim, & currenti calamo, variis aulicis occupationibus districtus exarabat. N. N.

Serenissima Matrona à naturæ primordiis, jecoris justo calidioris & præhumidi ac calidi capitis, pravas quoque soboles earundem intemperiem prodidit, etenim primo antehac, in capite squamulæ quædam observatæ fuere, à quibus ulcuscula cum crustis, quæ lento & crasso humore, mellis adinstar, manabant. Favi ideo appellata, quæ exsiccatibus thermis, non tamen adeo utiliter, licet casu cesserunt. Præterea idem caput primario & essentialiter effectum materiam continuo producens sæpe patitur telis vulnera facta suis, dolores scilicet nonnunquam gravantes, ab eadem extendente, nec non pungentes quandoque tum à propria caliditate, tum à calida, & acri subministrata serositate biliosa ab hepate, à cujus cum catarrho mistione, salsedinem factam censemus. Et quoniam enim ob doloris acutiem & sævitiam, in delirium fere incurrisse relatum est, ideo partium intra cranium continuum solvisse existimandum. Sed quia Catarrhus, fons & soboles omnium morborum habetur, cujus vi totum corpus languere dicebat Gal. ab Hipp. mutuatus asserente, *Fluxiones à capite magno tædio, & molestia naturam frangere*, hinc accidit, ut in capite exuberans, & ad varias infernas corporis partes delabens, varios quoque præter naturam induxerit affectus, nimirum dentium corruptionem præcedentibus eorum gravissimis cruciatibus, qui ad emulsionem eorundem admittendam & tolorandam Patientem Sereniss. coëgerunt. Præterea adenas sive gulæ glandulas inflavit, & quod gravius in pulmones decum-

decumbens & expultricem facultatem irritans ad noxii excretionem, violentum & concitatum pulmonis atque thoracis motum excitavit cum strepitu, tussim videlicet, quæ decem & octo ab hinc mensibus perpetuo Sereniss. molestat, qua materia quidem catarrhalis excernitur, tenuis ut plurimùm, nonnunquam & crassior, frequentissime salsa, non tamen flava, seu subviridis, prout naribus aliquando emungitur, pro majori vel minori portione serositatis biliosæ à jecore, & venis ad caput transmissa, atqui diuturniori ejusdem, vel breviori in calido capite mora. Quibus omnibus accidit regionis ambientis nimirum conditio, est enim quid divinum, quod nobis inest, aër ipse â cujus mutatione effectus divinos, nostrum scilicet captum superantes produci videmus, & potissimum in calidis & humidis temperaturis, & mollis, & raræ texturæ, quæ ut notabat Gal. facilius à causis externis, prout frigidæ ab internis læduntur.

Diximus autem calidam & humidam intemperiem capiti innatam fuisse, nihilominus augmentum quoque suscepisse asserimus, non quidem ab utero, ob sequutos abortus, ac proinde lochiorum, & sanguinis immoderata profluvia. Etenim *Si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant ex utero morbi contingunt.* Verum potius à ventriculo ob sanguinis effluxum, animi mærores præteritos, & mentis applicationes quodammodo imbecilliori reddito, nec non à jecore calidiori, cujus fervor hac ætate potissimum vigere Solet, & præsertim in hac serenissima, cujus cordis quoque temperies, sicut firmissima ita calidior quoque censenda, ut ex influentis caloris robore, ad omnes actiones promptissimè & perfectissimè obeundas, facilè colligere possumus, unde mirum non fuerit, si sanguis in hepate calidiori genitus, & in calidiori corde elaboratus, ex immodicâ caliditate venarum expultricem irritante, postremis abortibus, non sine aliquâ vasorum uteri laxitate, profluvium immodicum, & ideò præter naturam excitaverit.

Status præsens Sereniss. Matronæ opem medicam exposcit, ut in meliorem mutetur vel saltem, ne in deteriorem labatur. Tenues enim destillationes *Malignas* appellabat Hippoc. *pulmonibus adversarissimas.* Gal. *Pestiferas* Celsus ob rationes Excellentissimo Viro notissimas, & potissimùm quod salsa in casu nostro percipiatur. Ac propterea summa cum prudentia cælum mutandum esse, & propria medica auxilia inquirenda consultum fuit, agitur enim imposterum de summa rerum.

Quare caput erit exsiccandum, & nullo modo calefaciendum, sed refrigerandum, jecoris & venarum calida intemperies pariter corrigenda, & contemperanda, destillatio aliò derivanda, ac intercipienda, & pulmones roborandi, congruâ universali totius corporis & capitis expurgatione præmissa, quod præstari poterit sanguinis ex brachii venis, medio inter utrumq; tempore menstruæ purgationis, eductione. De cauterio autem nihil in præsens, dum de fonte destillationis exhauriendo cogitamus, ideoque Sereniss. D. Genio indulgeamus.

Reliqua purgatio erit perficienda lenientibus, Præparantibus, ex herbarum succis & decoctionibus potius quàm saccharatis aut mellitis parandis, & purgantibus, tum à toto venoso genere, tum à capite elective educentibus, quibus semper succedant potiones copiosæ refrigerantes; Interim errhimum suavissimum, caput recreans & reficiens, more tabaci in usum ducendum, ex pulvere majorane, & iridis Florent. paratum, ut ab infundibulo & gutture materia catarrhalis divertatur, non omiss. nocturno tempore, confectionibus sublingualibus, ex Diacodio cum bolo, vel ex diatragacantho frigido, pariter cum bolo.

Hoc loco intemperies corrigendæ veniunt, proprio ordine, & prius capitis humiditati mox caliditati ejusdem, & jecoris, incumbendum. In quem finem Sacræ thermæ, ab effectibus ita dictæ, à Viro Excellentiss. proponuntur usurpandæ, quæ saluberrimæ in agro nostro Patavino scaturiunt, pro capitali stillicidio, vocantur Lastrenses, exsiccant enim citra insignem caliditatem, cùm multi aluminis, exiguæ calcis, sive gipsi, paucique sulphuris mineram contineant. Etsi capitis calor non obstiterit, præsto sunt Aponenses, magis exsiccantes, sulphure, cinere, alumine, & gypso constantes. Aliæ vero ejusdem agri sunt ore sumendæ, quæ B. V. dicuntur, refrigerantes, parùm salis & sulphuris, nec non alumen & juxta aliquos ferrum quoque continentes, quæ tamen prout reliquæ minerales, sulphuris participes capiti nocent, quare ab Andrea Bacio, celeberrimo viro, prohibentur, utpote effumantes, & caput plurimum replentes, locum tamen habere poterunt capite prius internis & externis exsiccato.

Præcedat itaque (quod omninò necessarium etiam præter usum harum aquarum) jus pullæ junioris, china, santalo albo, & radice rosar. damascenar. alteratum aqua beton. & farfaræ paratum, quod exsiccandi quidem citra calorem, refrigerandi facultate pollebit, per mensem exhibendum, quo tempore stillicidium quoq; aqua Lastrensi administrabitur. A quibus ad aquas jam dictas Beatæ V. deveniri poterit, primis diebus dejectorias, sequentibus verò diureticas, quarum usus si aliqua difficultate urgeri videatur, Aquæ Nocerianæ huc advectæ ex agro Romano iisdem à nobis substitui solent, frigidæ namque scaturiunt, nec exportatæ spiritus difflant, cùm non minerales sint, terram enim Samiam potissimam habent, quæ jecur egregie refrigerant sine ulla capitis offensâ. Quæ jam dicta, & alia Sereniss. Matronæ Salutaria evadent sub prudentissima viri Excellent. directione, ita D. O. M. vota nostra secundet.

Pro eadem.

Utinam sic firmum, ac Sereniss. Matronæ saluti proficiens, quæsitis iam propositis admitteret responsum mutilata historia, quæ modo pervenit ad manus nostras, prout fidelissimum & more nostro integerrimum reddetur.

Quatuor igitur in Scheda proponuntur solvenda quæsita, circa Sereniss. D. statum quibus nos addimus abortus causam expendendam quæ licet externa esse potuerit ob præteritos dolores, vigilias, corporis & animi motus, &

ut in secutis antehac abortibus nihilominus imbecillitatem quoque in utero contractam fuisse supponimus.

Primum autem quæsitum fuit, an integra secundina hucusq; extracta fuerit, an vero pars ejusdem non exigua adhuc num in utero hæreat. Secundum, utrum lochiorum expurgationem in puerperio necessariam possit supplere, aliæ albæ materiæ profluvium adhuc durans.

Tertium, an alicujus levis ulceris in utero suspicio esse possit.

Postremum num in dictis afflictionibus, Balnea, sive aquæ nostræ Patavinæ prodesse possint, & si non conveniant, num hyberno tempore facultates suas adeo conservent, ut Sereniss. huc se conferre, earum causa expediat. Balnea quippe hic habemus utero firmando, ac roborando quàm maxime opportuna, quæcunque demum intemperies imbecillitatis causa fuerit.

Quæsita igitur quod attinet, statim ab abortû hæsisse secundinam autopsia liquido patet, non enim excreta apparuit, sed præterea id mox apparentia confirmant immanes scilicet dolores, sicut ejusdem suppressæ & putrescentis indicia sunt nauseæ & animi deliquia, licet mirum acciderit, quod neque rigores, neque febres excitatæ fuerint. Num vero integra secundina excreta fuerit, prorsus ignoramus, siquidem putrefacta sexta aut septima die delabitur, quam si præterierit nonnunquam ad 60. protrahitur ejusdem excretio. Nos autem latet tempus ab abortu & præterea, num fragmenta plurima & manifesta, vel crassa materia fætens profluxerit, quanquam dolorum & deliquiorum moderatio, si non totam, magnam tamen ejusdem partem fuisse excretam certum nobis præbeat indicium, siquidem gravioribus accidentibus alioquin premeretur Sereniss. D. D. nostra.

Secundum quod spectat, consuetas expurgationes esse materiæ albæ continuo per uterum excretæ, minime dubitamus adscribere serositatibus & cruditatibus ex liquato catarrho, in venoso genere Sereniss. scatente.

Ad tertium de ulcere dicimus, quod hoc plurimùm præcedere solet inflammatio, quæ non datur sine febre acutissima, doloribus atrocissimis, & sævioribus aliis symptomatibus, de quibus nulla mentio, quod licet quandoque etiam fiat ex abortû difficili, aut violenta secundinæ extractione, has tamen causas non præcessisse supponimus. Neque ab acri humorum fluxione ulcus excitatum existimamus, quoniam dolores & pungentes, & corrodentes antehac passa fuisset. Quare ulcus in utero non adesse censemus, absentibus potissimis præsentis ulceris signis ab Hipp. recensitis, quæ sunt, continuus dolor acutus, qui ad tactum exasperatur, protensus ad pudenda, pubem, imum ventrem, ilia, & lumbos non sine febre, cum puris, & serosæ saniei effluxû, quibus à casu nostro prorsus alienis, nec ulcus in utero adesse suspicandum. Et licet quandoque recrudescant dolores, horum tamen causâ, vel in partem aliquam secundæ hærentis, vel in materiæ per uterum effluentis suppressionem referenda est, continui namque forent, si ab ulcere, ut pote à causa continua procederent.

Quibus ita statutis, ut quarto quæsito satisfaciamus, num scil. Thermæ nostræ dictis affectionibus conferre possint, considerandum easdem tres esse secundinam scil. retentam, album ex utero profluvium & ulcus si adesset.

Et primo si de suppressa secundina loquamur laxantibus, putrefacientibus, & detergentibus per uterum injectis, & impellentibus per os assumptis indiget,

Si secundo de albo profluvio sit sermo, hoc cùm Puerperæ expurgationis vicem suppleat, non est supprimendum, sed permittendum. Quod si quadragesimo transacto die persisteret & morbosum muliebre profluvium evaderet, tunc totum venosum genus serositatibus & cruditatibus purificandum foret, mox intemperies calida jecoris, humida capitis corrigendæ, in quem finem aquas nostras B. V. per os assumendæ utiles censerem, sicut & Lastrenses quoque pro stillicidio ad capitis humidam intemperiem contemperandam. Verum ut diximus, profluvium hoc observandum an morbosum redditum fuerit. Interim animadvertamus, aquarum. B. V. vires caniculari tempore vigere quo assumi solent, quia facilius permeant, & per urinam excernuntur, quæ aliis temporibus non sunt ex usû utpote quarum vires pereant. Primo quia calidioribus temporibus ab ambientis æstû rarenunt quodammodo, earumque vires & facultas à minera sursum attolluntur, & per ipsarum substantiam diffunduntur, prout contrarium accidit frigidiori tempore. Secundò quia ab aquarum pluvialium mistione vitiantur, & tandem quia anni tempore minus calido non permeant, sed cum ægrorum detrimento in corpore hærent. Unde ingruentibus pluviis diebus quinetiam canicularibus, Patientes ab earum usû abstinent per plures dies; quæ eadem ratio est Lastrensium pro stillicidio, & fere Aponensium, pro insessû.

Si tertio de ulcere verba faciamus, quoniam non adesse speramus, & credimus, ex relatis in Scheda, ideo de remedio ulceri curando, à nostris aquis depromendo, non est quod cogitemus, quod tamen si à Peritiss. istis Archiatris in progressu forte deprehenderetur in utero superstes, hoc tantùm casû, in gratiam harum aquarum, adventum Patavinum Sereniss. D. D. proximâ hyeme, & quam primùm necessarium omnino existimamus, ubi balneum extat montis ægrorum appellatum, cujus minera continet Gypsum, Calcem, & Alumen, ulceribus exsiccandis mirabilis facultatis, quæ non adeo facile refringitur, ut cæterorum Balneorum, & potulentarum aquarum.

Hæcque abunde, ut quæsitis pro virili ingenuè satisfaciamus, atque omnia in superiori consultatione proposita pro salute Sereniss. D. D. confirmemus, addentes interim, quod in hoc adversæ valetudinis Sereniss. statu, aëris & regionis mutatio, ut pristinum & meliorem facilius adipiscatur, præsentissimum, & pene unicum futurum sit remedium, quod candidè & ex corde pronuntiamus, prout summam felicitatem Seriss. universæ familiæ à D. O. M. enixe precamur. *Joan. Raymond. Fortis consult. & Respons. Medic. Cent. 1. T. 1.*

Illustrissimus Vir in Hispania natus vel con-

tinuis Jurisprudentiæ studiis vel gravi negotiorum mole (ratione ministerii) fatigatus, à fluxionibus quas ad dentes aliasque corporis partes passus est aliquando; inusto cauterio in brachio sinistro, deinde salsæ parillæ & guajaci propinato sudorifico decocto, anno ætatis trigesimo nono convaluit, ita ut per tres sequentes annos stomachi robore abuti non formidaverit: proindè enim natura (quæ solet esse morborum medicatrix) singulo mense humoris atrabilaris copiam sponte excernebat. Uxorem interim duxit, & meliori victus ratione instituta (excepto quadragesimo quinto ætatis anno; quo fluxu sanguinis per alvum, & febre correptus est) usque ad quinquagesimum vitam duxit saluberrimam, post quem usque ad quinquagesimum sextum quem hodie numerat; non sine labore pituitam quotidie multam, & bile commistam, prius paucam deinde & insipidam per os summo mane excreare consuevit. Quinque ab hinc annis ineunte æstivo tempore oedematosi tumores cum aliquo rubore pedes & crura occupantes, depositam à natura, adhuc forti, pituitam cum aliqua portione bilis, ad minus nobiles partes ostenderunt. Verum anno ætatis quinquagesimo tertio, post multa in sex rebus non naturalibus errata, vehementissimis colicis doloribus correptus, postquàm opportunis adhibitis remediis convaluit, per anni spatium benè & sine crurum tumore se habuit, sed tumefactis denuò partibus ipsis, licet absque dolore laborem in motû quem passus non erat antea, persensit, & duobus abhinc mensibus, evanescente denuò partium inferiorum tumore in novum importunum que morbum incidit: Nam ab assumpto cibo inter tertiam, quartamvè horam ab hypochondriis, & a dextero præcipuè removeri quidpiam agnoscit quod statim usque ad sterni medietatem ascendens, ita violento dolore pectus opprimit, ut subsistendum illi sit, sudor circa frontem erumpat, brachia & gingivæ, leniusculo tamen dolore, & in dextera magis corporis parte coafficiantur. Citò invadit dolor, & citò etiam evanescit; Modico evim aquæ saccharatæ haustû, duo vel tres ructus erumpunt, post quos aliqua solet pituitæ viscidæ quantitas excerni, & si aqua desit, qualibet re actû frigida, exteriùs admota, sublevatur: Condensantur enim vapores illi ascendentes & minus spatium occupantes, minorem etiam faciunt continui solutionem. Statim à metû se recolligens Illustriss. Pat. ità se habet, ut transactæ pressuræ nullum remaneat vestigium, & nihil labefactata naturali facultate circa vitales actiones omnes meliùs se habere fateatur, quàm antea, dum crura & pedes intumescebant. Modò tuum, Vir Sapientissime, anxiè consilium efflagitat.

Licet unius rei unica tantùm assignari possit causa, ab una tamen eademque causa plures procedere effectus sæpè videmus, ut in casû Viri hujusce Illustriss. cujus temperamentum totius & spatium, atque corporis habitus, quamvis in historia desiderentur, ex aliis tamen relatis, totius & jecoris, justoque humidius tum cerebri tum ventriculi conjicimus; ut propterea olim fluxionibus ad varias partes Pat. obnoxius fuerit: sicut ob jecoris fervorem sanguinis fluxibus, & atrabilariis vomitibus. Naturales autem jam dictas intemperies omnes non parum foverunt & auxerunt intensa studia & vehementes in arduis animi applicationes, quæ caput replere, defatigare & imbecille reddere solent, sicut ventriculi robur dissolvere. Undè jure merito dicebat Aretæus, *Studiosis ventriculum necessariò debilitari: amor enim disciplinarum à quo non avocat? à Patria, à parentibus, à semetipsis usque ad mortem.* Et sicut decoctum sudorificum Catarrhales fluxiones jam imminuere, & ventriculo non nihil prodesse potuit, ita jecinori calorem addidit, unde paulo post atrabilaris humoris proventus. Interim & in capite & in ventriculo tum Catarrhalis, tum crudæ & pituitosæ materiæ urgente reproductione, ejusdem copiosâ, plures annos summo manè quotidiè per os excretio visa fuit, non sine exiguæ bilis permistione. Verùm quoniam à capite continuo, & noctû potissimum in ventriculum delabens, & ab eodem quotidiè ex assumptis genita, adeò copiosa fuit, ut illa per os evacuatio sufficere non potuerit ad venas conversa, indè per arterias ad pedes à natura deposita fuit, talique metastasi tumores œdematosi in pedibus utiliter suborti. Verùm ab erroribus in victûs ratione commissis, cruditatum adauctâ mole, naturæ vires obruente, cessarunt abscessus, evanuerunt tumores, & in abdomine stagnans colicos excitavit dolores, à quibus congruis remediis liberatus, sat bene habuit Illustrissimus vir, per annum scilicet, nimirum usque ad novam crudæ materiæ accumulationem, quam rursùs sinceriorem, quam anteà natura ipsa ad pedes deposuit, sine bile, & ideo sine dolore, cùm habeamus à Gal. quod *humidum & siccum sine violentia corpus attingunt*: humiditas enim opponitur solutioni continui, nec illam nisi copia replendo inducere valet, ideò ex illa aut nullus, aut valdè exiguus dolor, licet mole sua spatia dearticulationum implendo, motum difficilem reddiderit. Sed tandem rursus materia eadem naturæ repugnans, aut ob sui copiam, aut faciliùs ob sui viscidam, quinimò & crassam qualitatem à calore jecoris inditam, sicque admotum inepta reddita, restitat in via, & in venis tum mesenterii, tum hepatis, nec non lacteis hærens vapores emittit, dum a calore ejusdem resolutio tentatur, qui præsertim elevari solent tribus vel quatuor horis ab assumpto cibo, dum Chylus ad venas jam dictas perveniens movet cruditates viam eidem intercipientes, quâ occasione fumosi halitus multiplicantur, & ab hypochondriis, à dextero potissimùm elevari percipiuntur, quorum pars sursùm elata exitum quærens, nec inveniens, septum fortiter comprimens, pectus opprimit, & sterno dolorem inducit: portio alia à venis lacteis per ductum thoracicum perreptans facilè ad jugulum, indeque ad brachia pervenit, & per carotidas ad caput & ad gingivas ipsas, quæ tandem in sudores solvitur.

At si simplices halitus, cur non facilè dissolvuntur, cur dolores adeò immanes ac violentos excitant? an quia vaporosa & halituosa materia non est, sed fuliginosa, crassa, acris, aut acida, & mordax, à minera ejusdem conditionis elevata; humor namque olim tantùm pitui-

pituitosus & crudus, qui statim genitus per os excernebatur; in intestinis collectus, colicos pariebat dolores, ad extremos artus decumbens tumores excitabat, tandem ad hypochondria insinuatus; & in iisdem permanens; non solum calorem concipiens; sed nigro, & melancholico humori associatus; qualitatem acrem, acidam, & mordacem comparavit; cujus halitus fuliginosi, exhalationum potiùs quàm vaporum naturam servant; & ideò utpote crassi & acidi difficilem habent resolutionem; & interim varias jam dictas partes petentes continuum solvunt & dolores jam dictos pariunt, sicque ab una eademque materia cruda & pituitosa, & fluxiones, & quotidianæ per os excretiones, & pedum crurumque tumores; & colici dolores ortum duxerunt; & ab eadem; sed causa alterata, & humori exusto; ac melancholico immista, tandem postremi suborti fuere dolores: quam veritatem confirmant frigida assumpta & admota, cùm morbum & causam morbi ostendat sanatio.

Affectum hunc non adeò facile solubilem fore minatur causæ pertinacia; atque diuturnitas altas radices agnoscens; & difficultatem auget modò tum locus causam continens, tum melancholici humoris societas. Nihilominùs omninò congrua supposita vivendi ratione, appropriatis tandem remediis cessurum speramus.

Si primis viis, ab excrementis expeditis, Aperientibus, humectantibus, humorum peccantium præparatio procuretur, per Epicrasim benignioribus expurgentur; qualitas acris & acida eorumdem demulceatur, & flatus actu dolores excitantes discutiantur, atque tandem tum ventriculi, tum jecoris intemperies corrigantur.

Pro quibus explendis, sanguinis missio per venam sectam in brachio nullo modo omittenda; sicut à venis sedalibus hirudinibus est repetenda. In hoc fonte locum habet balneum aquæ dulcis tepidæ; foliis malvarum, violarum, salicis, sonchi & lactucæ alteratæ; & inunctiones à Balneo copioso oleo amygdalino.

Pharmaceutica remedia quod attinet; pro prima intentione explenda erunt, Syrupus ros. solut. cùm melle rosato; vel Cassia cum lenitivo. Et primùm Præparans; Julapium acet. cort. citri aromatiz. additis tribus aut quatuor drachmis pollinis crem. tart. aut mellis ros. simplicis portione. Quibus per quinque dies exhibitis succedat evacuatio consimili medicamento supra proposito, cui superbibere poterit jus pullæ hordeo alteratum. Et hoc tempore tum ad absolvendam primarum viarum detersionem atque ablutionem, tum ad ventriculum quoquo pacto exsiccandum, aquæ Tettucianæ tribus saltem vicibus, cum vehiculo dejectorio adhibitæ, convenientissimæ erunt. Indè ad ulteriorem humorum præparationem erit devenienďum, quæ obtineri poterit succis depur. cich. borag. malvæ ad ℥ iij. in jure pullæ, cichorio alterato, in quorum usu viginti diebus perseverandum, sed quinto quoque die præbenda erit Cassia cum pil. de tribus cum Rhabarb. cui superbibat serum asinin. depur. ad lib. ij. & primis decem transactis diebus, succis jam dictis tartarus vitriolatus erit addendus, vel sal tart. vitriolati.

Transactis jam dictis viginti diebus, Rhabarbarum erit in usum ducendum, & potiùs infusum, ut faciliùs venas meseraicas pervadere & ad hepar pervenire possit. Infundatur autem in aqua stillat. de succo cichorii, ut uno eodemque tempore viæ aperiantur, humores expurgentur, & jecoris, atque hypochondriorum calor non augeatur; & in hujus administratione quindecim dies perseveret, cui si opus videbitur, addi quoque poterunt decem aut duodecim guttulæ spirit. tart. rectificati.

His absolutis, usus Thermalium acidularum locum habebit; primis quatuor diebus cum vehiculo dejectorio; reliquis verò duodecim aut quindecim cum vehiculo diuretico; quale esse poterit idem spiritus Tartari rectif. sicut spiritus salis; addito syrupo de succo limonum.

Dum jam dicta omnia fiunt; accedentibus doloribus, flatuum discussio procuranda jam expertis: Namque si aqua frigida semper profuit, ab hac non erit recedendum, quæ si è toto citro, vel ex ejusdem floribus fuerit destillata, & frigida exhibita, efficacior forsan erit, sicut & exteriùs admota. Jam proposita à nobis opportunum expostulant tempus. Verùm quoniam dolores urgent, nec inducias ferunt; ideò si non omnia, plurima tamen hyemali quoque tempore usurpari poterunt; cum peccantes humores per centrum, non per corporis peripheriam expurgari postulent. Addenda interim congrua victus ratio, in activis temperata, in passivis qualitatibus ad humidum vergens: sicca namque paulatim evadit affectio; præterquam quod & ipsa pituita incidi quidem & attenuari, non autem exsiccari debet, ut 5. simpl. monebat Gal. undè & Trall. pituitam ipsam à calore crassefactam humectantibus præparabat, & ideò anhelosis potum copiosiorem exhibendum præcipiebat, ad faciliorem pituitæ catarrhalis, jam à calore crassefactæ, excretionem. Neque patientem Illustrissimum decipiant flatus, qui cùm non vaporosam simpliciter, sed fuliginosam naturam præ se ferant, ideò à calidis magis, magisque densantur, sicut potiùs humidis & modicè calorificis dissolvuntur. Quæ in universali dictâ sufficiant, ut adstanti excellentissimo Medico, quem hujusmodi difficilis affectûs idea, nec vera causa latere potuerunt, particularia alimenta, & seligenda, & reprobanda relinquantur. *Johan. Raymund. Fortis Consult. & Respons. Med. Cent. 1. Tom. II.*

Vir quadragenarius, temperamenti frigidioris, cùm victu refrigerante & humectante diutiùs usus fuisset; incidit primo in gravativum capitis dolorem, modò majorem, modò minorem cum proclivitate ad somnum. Hinc modò valida tussi, modò gravi auditu, tinnitu aurium, dentium, cervicis, humeri, aliarumvè partium gravibus doloribus infestatur, quibus subindè graviter per aliquot dies excruciatur: Interdum validissima tussi corripitur, cùm impedimento respirationis, non sine suffocationis periculo: sæpe nauseabundus est, & ventriculi molestis ructibus, ac dolore torquetur: sub maxilla inferiore oedematosi tumores oboriuntur, qui postea dissipati rursùs evanescunt. Nares ipsi præter consuetudinem siccæ sunt, & per os pauca ejicit. Conqueritur

se in vertice capitis continuam quandam frigiditatem sentire, & capillos non esse adeò humidos, ut solent.

Æger hic *Catarrhis* infestatur, qui *sunt humorum excrementitiorum defluxiones præter naturam è capite ad partes inferiores.*

Victus refrigerans crudius ac pituitosum nutrimentum corpori exhibens remota mali causa fuit, hinc enim refrigerata & debilitata sunt viscera coctionibus inservientia, multaque incorpore generata est pituita excrementitia, antecedentem hujus mali causam præbens: quæ in cerebro majore copia collecta, illud nimis frigidâ & humidâ intemperie affecit, atque inde quâ datâ portâ defluens ad alias inferiores partes, causam continentem constituit.

Pituita autem illa collecta fuit in cerebro partim quia cerebrum intemperie frigidâ affectum, exiguo suo calore tam frigidum, crassumque humorem coquere & dissipare non potuit: partim quia obstructi fuerunt meatus per quos salsa excrementa naturaliter evacuari solent, & debent, scilicet viæ quæ ducunt ad nares & palatum, nec non pori in vertice Capitis.

Contingit autem hæc obstructio partim in interioribus, partim in exterioribus capitis partibus: In interioribus ob crassitiem & viscositatem istorum humorum angustos meatus, excretioni talium excrementorum dicatos, infarcientium. Undè cùm per debitas vias, evacuari nequeant defluunt modò ad aurium interiora, ubi tinnitum, dolorem, gravem auditum: modò ad laryngem & pulmones, ubi validam tussim & suffocationis periculum: modò ad ventriculum aliasve interiores partes, in quibus gravia mala excitant. In exterioribus, ob pororum in vertice capitis ab iisdem humoribus repletionem, eorumdemque a frigore externo constrictionem: à quo frigore externæ capitis partes adeò refrigeratæ sunt, ut æger frigus illud continuum in vertice persentiat. Quod frigus præterquàm quòd poros constringat, in causa est, ut quicumque vapores è cerebro per suturas & cranii poros transeunt, illic extra cranium sub cute vel pericranio condensentur in humorem serosum ac pituitosum, qui ob pravam coctionem sæpè salsus & acris existit. Hic cum ob suam crassitiem & pororum constrictionem dissipari nequeat, secundùm externas capitis partes defluens ad maxillas, dentes, cervicem, scapulas, aliasvè quascumque partes, ut dolores, alia etiam mala inducit.

Vias ordinarias, excrementorum istorum evacuationi dicatas, esse obstructas, ex eo liquet, quòd nares ægro præter consuetudinem siccæ & capilli quoque sicciores sint, quodque pauca sputa ejiciat: nam per palatum, nares, & verticis poros, maxima horum excrementorum pars naturaliter evacuari solet, & debet, quod hic non fieri manifestum est.

Affectio hæc, præterquàm quòd symptomatum multitudine ac gravitate molestissima est, etiam periculo non vacat: nam humoribus his copiosis & acribus subitò ad fauces & pulmones defluentibus, repentina suffocatio, vel pulmonis erosio & exulceratio, hincque tabes metuenda est: ad alias verò partes interiores ruentibus, Apostemata occulta & periculosa induci facilè possunt.

In curatione (quæ sine periculo differri non potest) primò corpus bis tervè expurgandum est pilulis cochiis, pulvere diaturbith, vel diacarthami, aut tali haustû: Rec. Folior. Senæ mund. Drachm. iij. agarici albi drachm. j. ß. Sem. anisi drachm. j. cinnamomi electi, Zingiberis albi ana scrup. j. ß. decocti hordei q. s. fiat infusio s. art. adde colaturæ elect. hieræ picræ drachm. j. diaphœnici drachm. ij. misce. fiat haustus.

Deindè sequenti apozemate corpus & cerebrum corroborandum & siccandum. Rec. Rad. acori, fœniculi, ana drach. vj. galangæ drach. iij. herb. majoranæ, betonicæ, thymi, rosmarini, melissæ, calamenthæ, ana. m. j. fol. Lauri, flor. stæchados, ana m. ß. sem. anisi, fænic. ana drach. ij. baccarum lauri drachm. j. ß. Aquæ & vini ana part æq. coquantur s. art. & fiat apozema ad lib. j. ß. de quo sumantur tres, quatuorvè haustus de die.

Meridie, & vesperi utatur post pastum particulâ hujus conditi. Rec. specierum diambræ, diamoschi, diagalangæ, ana drach. ß. conservæ anthos, rosarum rubr. ana. drachm. vj. rad. acori condit. drach. iij. Syrupi de stæchade q. s. misce, fiat conditum.

Magnum hic etiam locum habebunt decocta guaiaci, salsæ parillæ & sassafras; imprimis si cum cephalicis calefacientibus & siccantibus præparentur, iisque sudor semel de die provocetur.

Intereà dum hæc fiunt, etiam masticatoria, & errhina sunt adhibenda, ut dictorum meatuum obstructiones tolli, & excrementa per debitas ac convenientes vias deduci seu evacuari queant. Tabaci usus eundem in finem etiam multùm proderit.

Capiti imponatur hujusmodi cucupha, vel capitium: Rec. fol. rosmarini, majoranæ, thymi, flor. lavendulæ, ana p. ij. mastichis, thuris, ana drach. j. gariophyllorum, nucis moscatæ, ana scrup. j. fiat pulvis pro cucupha. Tempora & vertex illinantur quotidiè hoc linimento. Rec. olei rosmarini, succini, majoranæ, ana. scrup. 1. olei nucis moscatæ expressi scrup. ij. unguenti martiati drach. ij. misceantur pro linimento.

Si malum his adhibitis diutiùs perseveret, ut Catarrhus à principalioribus partibus diverti possit, conveniet fonticulus in altero brachio, aut cervice excitatus.

In diæta sit aër modicè calidus. Cibi sint euchymi & eupepti, assi potiùs quàm elixi, conditi cum aromatibus & cephalicis calefacientibus, attenuantibus, & siccantibus, fugienda autem raphanus, allium, synapi, cepe, aliaque quæ copiosos vapores excitant, & sic caput replent. Potus sit paucus, & generosus, somnus moderatus, potiùs brevior quàm longus. Corpus mediocriter exerceatur, & animus quietus sit.

Isbrand de Diemerbroëk de morbis capitis medicat. 16.

Juvenis 28. annorum, eusarcus, plethoricus, & vino largiore sæpiusculè sese oblectans, postquàm diu æstû solis sub diu incaluisset, incidit in magnam capitis incalescentiam, & gravitatem eam jam comitatur copiosus, acris, tenuisque & salsi humoris, per nares & in os defluentis, descensus, ejusque copiosa & frequens

quens cum screatu per os rejectio. Adest faciei rubedo, atque etiam tussicula, vesperi sub lecti ingressum ingravescens: & noctu sæpè omnem somnum ipsi adimens. Pulsus adest celer, creber, magnus. Plus justo sitit; urina est rubicundior.

Pars in hoc ægro præcipuè affecta est caput, ut patet ex nimia ejus incalescentia & gravitate: Item pulmo & aspera arteria, ut docet tussicula. Item cerebrum nares, os & fauces, ut indicat copiosa & frequens humoris tenuis & salsi cùm screatu per os rejectio. Atque etiam cor, ut constat ex pulsu celeri, crebro & magno cum siti; & totum vasorum genus, ut probat urina rubra.

Morbus præcipuus, qui eum affligit, est intemperies calida & serosa, & nimis laxa cerebri & glandularum, vasorumque circa nares, fauces, & palatum existentium; quæ copiosos humores acres, tenues & salsos, in nares, palatum, fauces, & pulmones demittens, screatumque & tussiculam sæpè excitans. Catarrhus calidus acris & salsus à Medicis synecdochicè nuncupatur.

Causa procatarctica hujus morbi est vinum largius ab hoc juvene ingestum, undè multi humores calidi & serosi geniti, & per totum corpus diffusi, causam antecedentem huic morbo præbuerunt: iique in caput reliquasque partes jam enarratas delati, & serosis suis partibus, à reliquo sanguine, vi æstûs solis humores attenuantis, porosque cerebri, faucium, glandularumque narium, & vasorum nimium aperientis, separati atque per nares & foramina palati in os, fauces, & pulmones delabentes, & in capite putrescentes, continentem ejus & symptomatum omnium causam constituunt.

Materia enim serosa, in caput cum reliquo sanguine copiosiùs delata, ibique à sole incalescens, produxit capitis nimium calorem & gravitatem, & faciei ruborem eaq. ibi putrescens & majorem calorem concipiens, ac deindè ex parte in cordis ventriculos, cùm reliquo sanguine ad cor redeunte, reversa producit cordis & arteriarum pulsum crebrum, celerem & magnum, urinam rubram, & sitim febriculæ symptomaticæ indices. Dum verò serosus ille sanguis ab æstû solis nimiò attenuatus, & ex parte in vapores est dissolutus, porique vasorum & cerebri nimium sunt aperti, magna copia istorum humorum & vaporum a reliquo sanguine sese separans, & in liquorem concrescens in substantiam & ventriculos cerebri, reliquasque partes affectas, sese effudit, & etiamnum effundit. Quæ ibi, propter angustiam loci, & minorem ejus calorem, in serum acre & salsum coagulata, & densata, ac ad cerebri basin in glandulam pituitariam, glandulasque & ductus aquosos narium & alias vicinas spongiosas & porosas partes descendens, *perpetuam humoris tenuis, acris, & salsi in nares, palatum ac fauces delabentis, parit defluxum, ejusque frequentem excreationem.* Pars autem hujus seri ex palato & faucibus per conniventis epiglottidis rimam, in arteriam & bronchia pulmonum descendit, & partes illas ita vellicat, ut fibrillæ nervorum asperæ arteriæ & pulmonum, in ventriculos cerebri, extremitatibus suis, desinentes, poros ejus copiosiùs & fortius subindè aperiant, spiritusque animales copiosos, modò in musculos thoracis & faucium inspiratorios, modò in expiratorios vehementiùs & inordinatiùs transmittant; atque ita thoracem inordinatè & vehementer dilatando & contrahendo, aeremque contentum per vices vehementiùs & inordinatiùs cum strepitû expellendo, *tussiculam illam molestam* producant.

Ingravescit autem hæc *ægri tussicula vesperi sub ingressum ejus in lectum frigidum*, quia vapores & humores cerebri & pulmonum, aliarumque partium affectarum, à lecti & advenientis noctis frigore copiosiùs coagulati & densati, & à cerebro, aliisque partibus affectis, sese ob frigus supervenìens magis constringentibus, in pulmones copiosiùs tum deturbati, augent tantoperè defluxum humorum, & hinc orientem tussiculam, ut illa propter humorum ad pulmones copiosius defluentium, illudque attollentium & pandentium copiam, sæpè ipsi *omnem somnum adimant.*

Morbus hic est valdè periculosus, quia est humoris acris, & salsi ac copiosi, non tantùm in nares, & palatum, sed etiam in fauces, & pulmones defluentis destillatio: undè exulceratio pulmonum, ac indè tabes imminet. Benè tamen sperandum, quia æger est validus, & malum non est inveteratum.

Curatio igitur haud perfunctoriè est aggredienda: quæ consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei cerebri, aliarumque partium affectarum, per contraria ablatione.

Primò itaque purgetur æger hoc medicamento:

℞. Fol. Sennæ ʒ iij. Rabarb. Electi ʒ j. Sem. anisi, fœnic. an. ℈ij. Infundantur in decocto hordei q. s. in colatura dissolve cremor. tartari ℈ß. Scammonii gr. iv. M. F. Haustus manè exhibendus & pro re nata postea reiterandus.

Sub vesperam sumatur de hoc lacte amygdalato, ad somnum conciliandum, & humores acres, & salsos temperandum, eorumque fluxum sistendum.

℞. Amygd. dulc. excortic. ℥ ij. sem. quat. frig. major. ana ʒ j. Papav. alb. ʒiij. Aq. hord. ℔ j. F. Emulsio amygdalata.

Vel sumat subindè vesperi pilulam gr. iv. laudani opiati vel pil. de cynoglossa, gr. xvi. quæ in pilulas duas formentur: vel syrupi de papav. unc. ß. vel ʒ vi.

Magni etiam usus ad catarrhi defluxum sistendum, & acrimoniam ejus temperandam, est cochleare sequentis syrupi, postquam corpus benè est purgatum vesperi sub ingressum lecti sumtum.

℞. Syr. de papav. albo, de hyssopo, Oxymell. simpl. an ℥j. Misce.

Postridie aperiatur vena, & educatur sanguis satis largiter, cùm æger noster sit plethoricus.

Deindè si malum perseveret, humor est alterandus, & incrassandus tali decocto.

℞. Fol. lactuc. portul. plantag. an. m. j. Sem. quat. frig. maj. papav. alb. ana ʒ ij. flor. viol. nymph. pap. rhæad. an. p. j. coquantur ex aq. com. ad lib. j. in colatura dissolve Syr. violacei, rosar. siccar. an. ℥j. Misce. F. Apozema pro tribus dosibus, bis in die sumendis.

Ad materiam defluentem ulterius incrassan-

dam, & fluxum inhibendum atque acrimoniam ejus temperandam, hunc sequentem liquorem in ore teneat.

℞. Flor. rof. rubr. p. j. cortic. cap. papav. num. j. vel ij. jujub. recent. p. j. decoquantur in aqua communi pro ℔ j. colaturæ adde syr. papav. ℥ ij. diamori ℥ ß. boli arm. veri ʒ j. misce.

Tum etiam trochisci sequentes in ore frequenter erunt detinendi.

℞. Gum. tragacanthi & arab. an. ʒ ij. boli armen. terræ sigill. lotorum in aqua rosacea an. ʒ j. sem. papav. alb. succi liquiritiæ an. ʒ ß. sacch. penid. ℥ j. cum mucilag. sem. cidon. extracti cum aq. rof. q. f. f. troch.

Interdum etiam ad catarrhum sistendum, & materiam tenuem incrassandam, & acrimoniam ejus temperandam, commodè utetur hoc linctû.

℞. Loch. de papav. ℥j. syr. papav. ℥j. & ß. de jujub. ℥ß, spec. diatragac. ℈ ij. m. & lambatur cum bacillo liquiritiæ.

Ad materiam aliò revellendam, adhibeanrur lotiones brachiorum & crurum in aq. decoct. flor. nymph. fol. salicis, cap. papav. alb. & flor. chamom. Frontem & tempora inungat ad somnum conciliandum oleo nymph. papav. & ung. popul.

Ad caput roborandum, fluxionem sistendam, ejusque reliquias absumendas convenit hæc cucupha.

℞. Gum. junip. ℈ j. rof. rub. p. ij. myrtill. ʒ j. macis, nucis mosch. thuris, sem. pœon. cort. cap. pap. an. ℈ ij. nucis cupressi ℈ß. pulverisentur & cum floccis panni coccinei, ac syndone rubra, f. cucupha interpuncta, perpetuo in capite gestanda.

Si his malum non cedat, fonticulus aperiendus in brachio, vel etiam circa nucham, ubi etiam vesicatoria poterunt adhiberi.

In diæta aër sit temperatus, aquilonaris, austrinus, ventosus, & pluviosus vitetur. Cibus sit concoctû facilis, ex piscibus saxatilibus, lactuca, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, hordeatis. Cibi quantitas sit moderata, cœna prandio parcior, sub finem refectionis sumatur portio carnis cydoniorum: sumantur etiam uvæ passæ, & amygdalæ dulces. Potus sit cerevisia tenuis, parce, quantum potest, sumpta; lectum vesperi ingrediatur moderate prius calefactum. Somnus sit moderatus & nocturnus. Tegatur caput mediocri tegmine, excrementa alvi quotidie vel arte, vel natura respondeant. Motus immodicus & animi perturbationes vitentur. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib.* I.

Juvenis 26. annorum cùm excalefactus ad ignem, & postea foras in aërem frigidum & humidum subitò esset egressus, cœpit in parte nasi, quæ os frontis attingit sentire gravitatem, & respirationis per nares faciendæ difficultatem. Malum hoc postea auctum jam per biduum durat, humorque acris ex naribus exstillans, easque exasperans, magnam molestiam ipsi parit.

Pars quæ in hoc juvene præcipuè afficitur est nasi radix & os ethmoides, idque ex gravitate circa radicem narium percepta, & ex respirandi per nares difficultate patet.

Morbus qui ipsum affligit, est intemperies narium & ossis ethmoides, ac vicini cerebri frigida, humida & acris, cum obstructione eorum conjuncta; quæ gravitatis sensum in iis, respirandique per ea difficultatem pariens, latinè gravedo & græcè coryza dicitur.

Causa hujus morbi est corporis & præsertim capitis calefacti, in aërem frigidum & humidum subita delatio. Inde enim partes jam commemoratæ fuerunt refrigeratæ, porique circa nares & anteriorem cerebri partem ab igne ante aperti, per frigus superveniens externi aëris, profundius in cerebrum ingredientis, subito clausi, impediverunt, quominus vapores copiosi, in cerebro calido existentes, satis abunde ex eo, & naribus exhalare possent. Illi autem ibi retenti & vehementius agitati, aperuerunt in anteriore cerebro, & naribus ita poros, ut copiosum serum & pituita salsa, à reliquo sanguine eorum ope separetur, ac ad nares deflueret. Cumque illi pori cerebri etiamnum ita dispositi maneant, hinc fit, ut humores, etiamnum eo defluentes, obstructionem narium, gravedinem, & asperitatem ac rosionem in iis pariant.

Hoc malum plerumque si diæta rectè instituatur, sponte cessare solet. Verum quia hoc nostro juveni magnam molestiam parit: & non sine periculo est ne catarrhus hic auctus etiam ad pectus aliasque partes defluat, idcirco curatio mox est adhibenda.

Eaque in humorum superfluorum, ex toto corpore, & partibus affectis, evacuatione, pororum clausorum apertione, & intemperiei per contraria correctione consistet mane itaque purgetur talibus pilulis.

℞. Aloës rosatæ, scammonii optimi an. gr. XIII. olei cariophyllor. gut. j. cum syr. rof. sol. q. f. f. pilulæ num. IV.

Interdiu hunc nodulum sæpe naribus admotum olfaciat.

℞. Sem. nigellæ, cymini, thuris, cariophyllor. an. ʒß. contusa includantur linteo & f. nodulus.

Purgato jam corpore, vesperi, & manè caput mantili injecto & undique dependente tegat, excipiatque pronis naribus, fumum à cariophyllis indicis sex vel septem, in ignem patella exceptum, & naribus suppositum, aliis post alios conjectis, exhalantem. Nares interius ad asperitatem tollendam & exulcerationem præcavendam oblinat unguento rosato vel pomato.

Vapor etiam à majoranæ, chamomeli, meliloti, & sisymbrii decocto, vel ab aceto rosaceo, in laminam ferream ignitam injecto exhalans, & naribus exceptus, multum hic conducit.

Versetur domi in aëre moderate calido, & caput tegat integumento quod ad frigoris sensum tollendum sufficiat. Vesperi cubitum iturus sumat cochleare spiritus vini cum saccharo albo. *Henricus Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib.* I.

De Catarrho pro viro Ampl. D. D. M.

Affectus Illustrissimo Domino præcipuè molesti & opem medicam postulantes, sunt catarrhi

rhi; coryſa ſcilicet bronchuſque, nunc cum febri juncti, nunc citra illam affligentes: nam mucum quem emungere cogitur; quandoque ita induratur, ut nares tenaciter obſtruat, ægreque eliciatur, frequenter autem ſputum, vel ſcreatu, vel tuſſi, nunc fortiore, dum materia adhuc cruda eſt & aquea minuſque aëris impulſui cedit; nunc faciliori negotio etiam ex intimis pulmonum receſſibus inſpiſſatum; & craſſefactum, excernit.

Horum catarrhorum indaganda materia ex qua tam frequentes & diuturni producuntur; locus ex quo in nares, fauces & in pulmonum bronchia ſtillat; fortè etiam in ventriculum; cauſa materiam ad tam largam & crebram ſtillationem impellens; atque hæc ſcire ad faciliorem curationem plurimum intereſt, & in medendo magnum momentum adferet.

Materiam quod attinet, non videtur lympha in ſpecie ſic hodie nuncupata, cùm illius motus ſit ab externis ad interna; ſcilicet aut ad receptaculum chyli, aut ad ramos venarum majorum non uno in loco: ſed ſerum, quod cum ſanguine per arterias ad partes defertur, per quas aliàs tum ſuperfluum, tum uſui alicui inſerviturum excernitur. Seri natales, & omnia quæ de eo dici poſſunt, huic reſponſo inſerere intempeſtivum foret, & propè in volumen excreſceret: pauca delibabo atque ea ſolummodo quæ ad explicationem Illuſtriſſimi Domini affectuum pertinebunt, primum non negabitur ſerum perpetuum & individuum ſanguinis comitem eſſe, eique commiſceri cum vitæ primordiis, auſimque dicere illud jam ſanguini junctum in veſicula ſaliente, antequam ullum viſcerum confo matum eſſet; niſi ſcilicet ab illo dilueretur ſanguis; nec fluidus eſſet, nec per minutiſſima capillamenta exporrigeretur; ut taceam illum ipſum ſanguinem nihil niſi limpidiſſimam aquam priùs fuiſſe, quam Excellent. Harveius appellat colliquamentum.

Deinde certum eſt ſerum maſſæ ſanguineæ quotidie in ſanis reparari non ſolummodo ex potulentis, ſed etiam eſculentis, nam & hydropotorum ſanguis, qui parciſſime bibunt, & non rarò demum tertio vel quarto die; item avium quarundam quæ nunquam potulenta ingluriunt, ſero diluitur. Aquilæ duæ, hic ubi hæc ſcribo, jam à 26. annis nutriuntur, rariſſimeq; animalibus ſeu vivis, ſeu mortuis ſanguine irriguis, ſed plerumque carnibus exſuccis & exanguibus ſcil. inteſtinis & extremis animalium potiuntur, ac ne guttula potus apponitur, nihilominus more aliarum avium mingunt. Paradoxon pridem, at nunc phyſicis curioſioribus non ignotum, & ipſemet in omnibus avibus renes & ureteres urina candida turgidos, & non ita pridem in aquila ejuſmodi, & dum hæc ſcribo in cloaca aquam lympidiſſimam cum ſedimento cretaceo in falcone reperi: inſtauratur autem ſerum hac ratione; abſumpta liquida non diu in ventriculo manent; nec in inteſtinis moras longas nectunt, ſed inde celeriter per vaſa lactea ad receptaculum chyli & cor amandantur, ac partim per vias à natura ad id deſtinatas, à ſanguine ſeparantur; & nonnunquam brevi poſt eliminantur. Tertio ſerum non ſolùm plurimos uſus corpori humano præſtat; verùm etiam ipſum morboſum, plurimorum ſymptomatum morborumque cauſa fit; ſi vel copia, vel qualitate, vel motu, vel loco peccat. Apud Illuſtriſſimum Dominum peccat copiâ, qualitate ſalſuginoſa; loco frequentioris excretionis, ac receptionis incongruo, atque etiam propterea graviora minari videtur. Sero abundare macilentos, fuſcos, venis amplis & capillis nigris præditos, paſſim Car. Piſo de colluv. ſeroſa & alii tradunt, Illuſtriſſimum Dominum verè hujus plurimum cumulare, non ſolum & frequentia & pertinaci duratione catarrhorum, ſed etiam ſenſu ipſo conſtat, dum in ſanguine venæ ſectione emiſſo, multoties ſeri proportio debitam excedens inuenta fuit, hoc in maſſa ſanguinea Illuſtriſſimum Dominum non credo coacervaſſe ob nimiam potulentorum ingurgitationem; cùm ſemper temperanter vixerit, ſuperfluum potius in maſſa ſanguinea colligi videtur, quia in illa portio moleſtiam paritura permanet, nec per vias & ductus à natura deſtinatos ſufficienter excernitur, videlicet, aut vitio renum quos fortè hæreditario imbecilliores nactus eſt; fratrum unus ex ulcere renum obiit, alter iſchuria, atque ipſemet Illuſtriſſimus Dominus ab anno 1653. ad annum 1673. dum merum bibit ac victu calefaciente & ſiccante fruebatur, urinas colore, conſiſtentia, ſedimentis, varias excrevit: quandoque obſcuras cum ſedimento copioſo, craſſo, etiam mucoſo, non ſine ſuſpicione renum ægrorum; aut glandularum ſubcutanearum, ob habitum corporis macilentum ſicciorum, minuſque perviarum, nec ad ſudorem, aut inſenſibilem tranſpirationem ſatis bene diſpoſitarum, eoque minus quia ſerum ad faciliorem exitum non ritè præparabatur, nam Illuſtriſſimus Dominus ob negotiorum multitudinem & gravitatem legendo & ſcribendo maximam vitæ partem ſedentarius traduxit, & nimis calorem egregiè ſuperfluam aquam abſumentem excitavit; aut denique glandularum inteſtinalium, per quas maſſa ſanguinea vere & autumno diarrhœis ſalubriter depletur, atque à ſuperfluis humiditatibus vindicatur & levatur, nam plerumque alvi ſiccioris fuit. Serum ſalſuginoſius eſſe apud Illuſtriſſimum Dominum ſapor ſputi manifeſtum facit; inſuper patet ex ſabulo ſeu ſubtiliſſimis arenulis rubris & flavis, ut & ex operimento urinæ telæ aranearum ſimili, quæ nihil niſi ſalinæ concretiones ſunt; ſive matulæ fundo aut lateribus adhæreant; ſive ſedimento permiſceantur, nam demum poſt aliquam moram apparent ſimiles prorſus cryſtallis nitri, aut tartari, quæ in liquore aliquo ſoluta poſt quietem mediis in undis coagulantur, atque operimentum urinæ, pinguedo hactenus credita, monitore Excellentiſſ. D. Willis de urinis, ſal eſſe comperitur; ſi exſtillatum cultri apici imponitur, & candela ardens ſubjicitur; nam nec diffluit, nec flammam concipit, ſed inſtar ſalis culinaris crepitat. Unde ſalſuginem excedentem obtineat ſerum apud Illuſtriſſimum Dominum, prolixè res explicanda foret, ſi cum contentioſis agendum mihi eſſet; rem paucis abſolvam, primò ſerum omnium animalium ſanguineorum in ſicco viventium ſalſum & nitroſum eſſe exiſtimo; quamvis quædam ne guttam quidem ſalis culinaris, aut

alterius seorsim existentis degustent, nam urina omnium quotquot novi acrimonia salina nares ferit, & degustata proculdubio salinam sobolem prodiret: pullus asinivus nullo alio cibo nutritus quàm lacte materno, aliàs ad sanguinem edulcorandum tantopere commendato, urinam salsam emittit, cuniculi solo suncho levi & lactuca cibati acerrimam urinam emittunt, equos graminibus pastos, vena secta copiosissimum salsissimumque serum acquirere veterinarii fidem faciunt & sudor illorum testatur; deinde arbitror salsuginem seri quotidie reparari, & quandoque augeri, nam quamvis à primordiis vitæ aliquid salis ipsi immissum fuisset, vel millies evanuisset, cùm naturæ volatilis sit, ut ex seri & urinæ destillatione notissimum est. Tertiò concedetur mihi cibos & potus plerosque ceu corpora perfectè mixta aliquid salini & pinguis continere, nisique his prædita essent ad nutriendum inepta forent, quod utrumque rationibus & inductione alimentor. probarem, nisi brevitati studerem, denique non negabitur alimenta in chylum lacti simillimum converti, adeo ut lac etiamnũ plures nihil nisi chylum esse tantum non apodicticè demonstrent; chylus igitur cum lac sit, vel lacti similis, utique quoque cremorem seu portionem pinguem habebit, calidi nativi pabulum, quod aliorum pinguiorum in morem à flammula vitali incenditur, deflagrat, ac fuligines post se relinquit, & quamvis harum portio per expirationem & insensilem transpirationem avolet, pars tamen magna sanguini permixta manebit, quæ in liquorem soluta illum salinum efficiet, non secùs ac à cineribus lixivium enascitur: cùm itaque omne serum salsum sit, illud quotidie reparetur ex cibo & potu, dum non solum alimenta solvuntur, sed etiam portiones pinguiores comburuntur quasi & deflagrant, facilè constabit, quò temperamentum totius calidius, eò serum sanguinis magis salinum evasurum. Quoniam igitur Illustrissimus Dominus quoque tale temperamentum nactus est, ut ex plurimis indiciis constat, quia insuper massa sanguinea ipsius à frequentibus febribus continuis & intermittentibus toties tantum non combusta fuit, mirum non est, pinguibus consumptis maximam partem, salina magis in propatulum venisse, & tandem prope principatum obtinuisse, serumque salsissimum evasisse.

Mucum qui emungitur ex Glandulis narium; sputum quod simplici screatu prolicitur ex Glandulis supra pharyngem in faucibus sitis, item extremæ Tunicæ palati juxta uvulam, insculptis, & tonsillis prodire existimo, cùm in ovibus & hominibus his in locis phlegma seu mucum facilè non semel expresserim; neutiquam verò ex intimis cranio indutis partibus & à cerebro huc descendere solidis argumentis Excell. D. Schneideri de Catarrhis fretus, credo, an mucus in Broncho è faucibus per laryngem in asperam arteriam delabatur? ambigo, cùm tantillum liquoris rimæ isti illabens tantum non suffocationem intentet; novi exceptionem quam regerunt; nimirum Catarrhosam illuviem sensim & ad latera descendentem tale periculum non afferre, verùm cùm in Broncho sputum copiosum per plures septimanas ejiciatur, vix turbas istas Illustrissimus Dominus evitare posset. Ut taceam me non rarò Bronchos observasse, in quibus fauces prorsus ab illuvie mundæ; imò quandoque prorsus aridæ erant; quod nunc quoque his in oris multi febri maligna decubuis accidit, multum sine pleuritide, aut peripneumonia tussientibus, succedente in quibusdam sputo, absque difficultate, simillimo catarrho sine febri contingenti. Existimo potius sputum hoc extillare ex Glandulis Bronchialibus, & extremis capillamentis arteriarum pulmonicarum; nam sero Bronchia perpetuò irrorari constat inde, quia semper tum aspera arteria, tum rami etiam extremi, liquore intus imbuti reperiuntur; Inflatis pulmonibus etiam multorum animalium spuma ab exagitato liquore copiosa resultat, fluctuante nihilominus liquore in ramulis: denique non semel observavi Aspera arteria secundum longitudinem divisa, digitoque attensa & fortiter pressa protinus liquoris plures guttulas exsudasse intus, nec absurdum est serum in massa sanguinea secretum & despumatum tumultuans uno eodemque tempore diversis in locis exitum quærere; non enim semel observatum fuit Broncho & Corysa affectos, simul largiter salivasse, copiosiùs solito minxisse, insuper sudasse, imò quosdam quoque dolores arthriticos expertos; in aliis quandoque simul larga diarrhæa alvum solutam fuisse: Exorbitans enim in tumultu hoc qua data porta ruit ac effluit. Glandulæ istæ serum ab arteriis accipiunt, quibus ubique pulcherrimè exornantur & ditantur;

Serum commovetur & à massa sanguinea separatur aliquando sua sponte & citra causam aliquam præviam, quæ alicujus momenti esset prægressam; quando nimirum copia aut acrimonia peccat. Apud Illustrissimum Dominum fiebat pridem à quavis tempestate frigida, unde diu Illustrissimæ matris more, frigoris impatiens fuit. Ultima vice evenit, æstuante corpore, à perfrigeratione in umbra frigida, idque per ἀντιπερίστασιν quandam seri, per habitum Corporis exitum quærente in vasa sanguifera repulso alibique exitum impetuosius inveniente. An illius commotio & segregatio aliquando fiat præcipitatione quadam ceu fieri solet acido lacti instillato, non certo statuerim, quamvis nec impossibilis sit, nec desint qui hoc etiam rationibus probent. Serum commotum per oscula glandularum narium, faucium & bronchiorum exitum sibi parat, quia naturaliter alias per illas evacuatur; propter crebros verò catarrhos, illorum oscula vasorum deferentium magis patula, cavernulæ ampliores & ostia in cavitates prædictarum partium magis hiantia existunt, ut inde sine impedimento largè emanare possit: largius & diutius continuato effluvio elabitur, quia serum acri sua salsugine osculorum labia prorsus nervea & exquisito sensu prædita continuo lacessit, atque ad ulteriorem effluxum sollicitat; qui eò usque perdurat, donec seri magna pars depleta, illudque tandem in illarum Cavernulis inspissari & incrassari, cœperit: unde etiam sero à lactis asinini potu mitiore reddito, Illustrissimus Dominus minus tussiit, & mutato victu calido & sicco in humidum & frigidum ab his molestiis vixit immunis.

Febres continuæ tum solæ tum cum Catarrhis exo-

exorientes adscribendæ sunt accensioni sanguinis alias fervidioris, ulteriori, potissimum à causis externis, nam temperamentum totius calidum & siccum scribitur esse; quod solummodo à tali constitutione dependet, atque alias sæpè ex levi occasione & commotione, etiam à dolore exardescit; intermittentes præterea fomitem aliquem postulant, qui bilis esse videtur, nam Illustrissimus Dominus toto durationis tempore carnes fastidivit ac plerumq; mitigata aut subducta bile curabatur.

Sententia hæc nimium propriæ credulitati litantis est, quâ asseritur neminem inficias iturum, Catarrhos ita frequenter recurrentes ab intemperie viscerum nauralium calidiore & sicciore multa humorum excrementiorum colluvie stipata, primariò scaturire: ejusdem sortis est quæ paulò post subjicitur, vel certe illam illustrat scil. colluviei humorum excrementitiorum partem crassiorem & terrestriorem in viscerum naturalium venulis omnibus indesinenter stabulantem, instar fermenti ex intervallis incalescere, atque fermentari, inde massam sanguineam ebullire, atque hoc modo recursus hujus catarrhi frequentes fieri. Certè qui sanguinis motum circularem agnoscunt, hoc effectum ridebunt: nolo judicium Italorum adjungere de illis qui superstitiosè, hunc motum in tanta rerum anatomicarum luce spernunt. Cum plurimis Viris Doctissimis per maximam Europæ partem sentio sanguinem venosum ubique sibi similem esse, nec diversum in pollice pedis dextri existere, ab illo qui in auricula cordis dextra detinetur, excepto illo momento quo chilus recenter per ductum Thoracicum affertur, brevi tamen pollicis sanguini similis futurus existimo, quam colluviem crassam & terrestrem cum sanguine in venulis omnibus viscerum naturalium stabulantem, alios potius morbos, non multùm recidivantes quàm Catarrhos parituram: à stagnatione non oriuntur inflammationes, cancri, scirrhi, scrophulæ, tumores cum folliculo, aliave mala, prætenditur quidem antiquitas, quæ tamen vix Fernelianam ætatem supergredietur. Novi Excell. Riolanum huic sententiæ favisse, ac propterea circulationem sanguinis peculiarem excogitasse: attamen quoque egregie ab Excell. D. Slegelio Hamburg. de motu chyli & sanguinis aliisque vapulavit. Phthisi Illustrissimum Dominum à pulmonum ulcere oriunda non ægrotare, libera Respiratio, sputum etiam ex imis bronchiis productum puris expers, & febris lentæ absentia demonstrant; num illa quæ à Marcore & pulmonum ariditate originem ducit, vel adsit, vel metuenda foret? summopere dubito, cum Illustrissimi Domini pulmones aliàs ob crebros Bronchos nimium irrigentur, an omnino talis visa fuerit non ausim negare; quamvis illam nunquam observarim in praxi mea trigesimum primum annum excedente, nec viderim, quamvis non pauca phthisi emortuorum cadavera secuerim. Waldtzuthi ad Renum in vicino monte specus est in quo lapides molares effodiuntur & dedolantur, in illo aër semper etiam gelidissimâ brumâ, calet, pulvisque volitat subtilissimus loculos coriaceos penetrans arctissimè clausos & nummos conspurgans: quotquot lapidicidarum ultra annum in illa morantur, quod non pauci faciunt, diviti lucro inhiantes, omnes phthisici fiunt; quidam etiam anno nondum elapso. Paucissimi & non nisi maturè opem poscentes evadunt: fortè his pulmones exarescunt; certo id affirmare nequeo, quia hactenus nullo cadavere potiri potui, quamvis id prece ac pretio attentarim, ab hac phthisi Illustrissimus Dominus ut sibi metuat nullam rationem habebit, licet macilentus sit, nec à liberaliore victu habitus augeatur: maciei enim causæ plures aliæ, præter febres lentas, esse possunt; plurimorum habitus non augetur licet nullus morbus adsit, vel propter unicum succum nutritium, ob salsuginem quoque minus ad instaurationem aptum; quia vero Illustrissimus Dominus parens & fratrum unus phthisi obierunt, oportebit saltem medentes cautiores esse atque etiam tuta timere: plerique salsos catarrhos phthisim militari tradunt; quibus tamen Exc. Platerus in praxi adversatur, plures quoque novi frequenter illis obnoxios ad seram senectam pervenisse, & quotidie videmus serum salsum sine damno pulmones permeare; fortè Illustrissimus Dominus jam aliquid arthritici experitur, dum in his paroxysmis catarrhosis brachius sinister, ubi fonticulum gestat, aliquoties doluit, nisi symptoma hoc adscribendum fonticulo devio & nimium versus tendinem deltoidis vergenti, vel affluxui alicui seri salsuginosi, ad partem à fonticulo aliquantulum debilitatam & ad affluxum dispositam.

His ita præsuppositis, indicationes erunt, serum in massa sanguinea redundans imminuendum, salsius & fluxibilius edulcorandum, & densius reddendum; sanguinis inflammabilitatem emendandam & pro virili incendium declinandum; denique oscula glandularum nimis patula coarctanda esse: quibus his auxiliis satisfaciendum est.

Venæ sectionibus semper aliquid seri subtrahitur, simulque sanguinis impetus coërcetur, nimia ebullitio & effervescentia obtunditur, at illas neque usque adeo crebras suaserim, cum in qualibet V. S. non exigua spirituum portio profundatur, unde ob hanc spirituum deprædationem sanguis serosior redditur, qui cachexiæ & secundum Avicen. Apoplexiæ paratior tandem evadit; à scarificationibus utilius quippiam non sperarem quàm venæsectionis succedaneo expectari potest: idem de hæmorrhoidum apertione sentio, quia non alius sanguis ab hyrudinibus elicitur, quàm si aliæ venæ affligerentur; fonticuli cum semper aliquid seri de massa sanguinea subtrahant & illud quotidie fiat, non sine Illustrissimi Domini commodo contingeret, si in dextro quoque brachio alter quoque excitaretur: in pedibus raro illos paro; cùm sæpe erysipelata superveniant, ulcerum difficiliorum curatu authores; quod Illustrissimo Domino eveniret ob massam totam debito fervidiorem;

Vesicatoria in habitu macilento atque ad febres proclivi, renibus aliàs debilibus, imprimis si è cantharidibus pararentur facilè turbas excitarent: tutiùs propterea omittentur; purgantia ex cassia, senna (addo Rhabarbarum, Tamaryndos, syr. rof. sol. syr. flor. perf. & similia) non improbanda, attamen in his modum servandum existimo, cùm à frequentibus purgantibus

tibus ventriculus & intestina mire enerventur: fortiora verò hydragoga ex jalappa, Gummi Gotta, & similibus in habitu macilento, & ad febres admodum proclivi detestor;

Sudorifera & diaphoretica non pœnitus damnanda arbitror, cùm serum æque ac purgantia evacuent, nec metuendum illud acrius inde evasurum, non enim mera aqua his viis excernitur aut tam graves ab illis quàm à purgantibus turbæ excitantur. Purgatio enim sive irritando oscula glandularum intestinalium, sive sanguinem fermentando, sive utraque ratione fieri putetur, id nunquam sine sanguinis commotione peragitur. Certè in principio quoque phthisis vix quicquam purgantibus nocentius exhiberi poterit: nullum novi qui horum usu convaluerit, tenue principium ab illorum abusu invaluit, & semper mortem ipsis acceleravit: Unde non immeritò Hippochr. diarrhæam phthisicis etiam citra purgantia supervenientem læthalem pronunciat, s. 5. aph. 14. & alibi; non tamen suaderem sudorifera aut diaphoretica valde calida: quamvis sint qui etiam tabidis decocta ex guajaco & similibus parata suadeant, & se cum fructu adhibuisse publicis scriptis bona fide attestentur, ut Jos. Freitag. in consilio contra phthisin, ac etiam Exc. Riverius in suis observationibus, & alii in sudore vel leviculo madore ciendo, curationem ineant; nec ab illius eruptione tantoperè terrerer; nimirum si mane circa horam quartam aut quintam sudor emergeret, neutiquam statim illum reprimerem, sed ad bonam tolerantiam manare sinerem; nec moderata exercitia ad sudoris emersuri metum, mane cœlo sereno & benigno, aut in conclavi temperato, vel vesperi tantopere prohiberem, quia calore nativo aliquantulum excitato, & vegetiore reddito, multum seri, catarrhorum materia futuri, si non per sudorem, saltem per insensilem transpirationem subtrahitur, citra ullum incendii periculum: præterea absque ullo scrupulo Illustrissimo Domino sæpe darem, maxime mensibus autumnalibus, hibernis & vernis diaphoretica absorbentia, simulque sanguinem edulcorantia, juxta potum lactis asinini, aut Jusc. Carn. vitul. aut similia, idque summo mane hora scil. quarta vel quinta: Cujusmodi sunt pulv. antihect. Pot. C. C. philosophicè præparati, Ebor. philosoph. præpar. unicornu fossil. Terr. sigill. Turc. Bol. arm. & similia, tantùm abest ut hæc nocitura sint, ut ausim dicere, me aliquos phthisicos qui adhuc superstites sunt, benedicente Deo, integræ valetudini restituisse; nec possum perspicere, qui tutiùs catarrhorum fons perpetuus sine his exhauriri possit. Doleo Thomam Willisium, virum optimè de re medica meritum hoc nomine suggillari, ac neminem ipsius methodo à phthisi vindicatum fuisse, licentiosiùs pronuntiari: nolo nunc illius causam agere, illud solùm addo, rectiùs neminem ex pulmonum ulcere phthisicum, se curatum posse fateri, æterno illo circulo clysterum, venesectionum, purgationum & ptisanarum, utpote si res penitiùs excutiatur, methodo veræ rationi & experientiæ refragante, & umbram non corpus, symptoma non ulcus aggrediente. Prædicta hac ratione exhiberem.

℞. Pulv. Antihect. pot. ℥ ij. C. C. philosoph. præpar. corall. præpar. Terr. sig. ana ℨ j. unicornu fossil. præpar. Matr. perl. præpar. ana ℨ j. Tab. man. Christ. perl. ℨ vi. M. f. P. cujus dosis sit ℨ ß. cum aquæ scabios. vel veronic. vel Tussilag. pauxill. hora supra memorata, aut omissis Tabell. Man. Chr. perl. reliquum pulverem miscerem cons. ros. rubr. ℥ iij. cons. fl. bellid. min. succo numular. aut simili inspissato, paro sc. ex ℨ j. pilulas numero XL. dosis sunt pil. X. cum paux. syr. viol. fl. bellid. min. hæc raro sudorem movent, aut si sudor emergat, nemini vel minimum nocuisse testari possum: nollem tamen illum culcitris aliterve violentiùs cieri.

Ead. diureticor. ratio est quæ non prorsus exsibilanda videntur, nec illi ipsi qui verbis illa detestantur, improbant, dum lac Asininum, Juscul. vitul. Cassiam, suadent, quæ ipsamet diuretica: fateor tamen mitiora seligenda, calida fugienda esse, lac Asininum mane hora 6. vel 7. & vesperi hora 5. ad ℔ j. tepidè Illustrissimus D. bibere posset, admisceo semper Jul. ros. aut viol. ℥ j. vel ℥ i ß. ut ventriculo gratius sit minusque acescat, continuare illius potum poterit non per unum alterumve mensem, sed etiam pluribus mensibus, quandiu nimirum illius potum ventriculus toleraverit, (nam non raro lac fastidit & summopere aversatur) nec symptoma prohibens supervenerit, ad podagram expugnandum jam pluribus proficue suasi: illius insultus hac ratione Illustr. Dom. evitaret, quos dolor humeri sinistri, & Illustrissimæ Dominæ matris valetudo, quæ demum sexagenaria, podagrica facta fuit, minari videntur.

Si lac Asininum non amplius bibet, Juscul. vitul. substitui poterit, ac non nudum, sed alteratum scorzonera, endivia, aliisve cichoraceis recentibus addito pauxillo hordei mundati, hac enim ratione major seri portio simul recederet, ac sanguinis effervescentia compesceretur; Ciocholatam, omisso pipere indico aliisque aromatibus non omnino improbarem, cum nucleum Cacao hecticis imprimis conducere legerim aliquando in Hernandi Thesauro rerum medicarum Hispaniæ novæ. Commendant quidam contra catarrhos potum cavæ sive caffè & decoct. herb. thee, ambo tamen Illustrissimo Domino minus convenientia opinor, ob calorem quo prædita sunt, licet nunc apud plures in usu sint, & sua quoque beneficia præstent: hæ potationes antiquor. potui calido respondere videntur, quas Europæi nunc ab Orientalibus mutuantur. Semicupia seu insessus in conclavi temperato parata ex humectantibus sc. malv. flor. Nymph. viol. hord. furfur. macris in aqua fontana decoct. extra paroxysmos catarrhorum non rejicio, cùm quoque hac ratione salsugo emendetur, pori reserentur, habitus ad incrementum disponatur: verùm illis utatur mane tepidè, post insessum lectum petat & toto die corpus contra frigus muniat, ne catarrhis ansa præbeatur. Diæta accuratissima ineunda est: aër frigidus, nebulosus, ventosus semper nocebunt, ut etiam præfervidus; cibis vescatur boni succi, facilis digestionis; cum lactis potu, carnium teneriorum esum nunquam prohibeo: cibi aromatibus, sale nimirum, item succis acidis cydoniorum, aurant. aceto aut saccharo nimio conditi; item fructus horei crudi

crudi pænitus fugiendi, pisces, pastæ farinaceæ succum nimis glutinosum præbentes, cum Glandulas globosas invisent; omnem butyri usum non pænitus rejicere possum, cùm etiam flammulæ seu pabulum debeatur, & particulæ quædam pinguiculam refocillationem exigunt, abusum vero ejusmet ut & ipsius olei etiam optimi, aliorumvè alimentorum præpinguium damno: cùm effervescentiæ sanguinis ansam præbeant; vinum dum lac bibitur in cibo & potu exulet, præ aqua fontana laudarem ob frequentes catarrhos decoctum aliquod E. g. in aquæ fontanæ ℔ iij. coque ligni visc. quern. aut lentisc. aut santal. citr. aut rad. chin. ℥ ij. quibus commode passul. maj. exac. ℥ j. vel ℥ ij. addderentur; Cæna longè parcior prandio: Exercitia moderata nihil prorsus nocebunt; somnum pomeridianum & lucubrationes summopere dissuadeo, non tamen statim à cæna se ad somnum componat; sed demum post aliquam ambulationem. Si alvus sponte aperiatur clysteres superflui videntur, imo rectum & colon temerè enervant flatibusque implent, &c. *Ex Consil. Manuscripto Clar. D. Wepferi, die 12. Octobr. 1678.*

Ad Glandulas faucium roborandas conduceret gargarismus leviculè adstringens, ex fl. ros. rub. flor. malv. arbor. & hord. parat. pulmonibus prodessent rotul. pector. ex spec. diatrag. frig. & bolo armen. parat. maxime dum catarrhus adhuc tenuis & aqueus est; item Diacod. Montagn. cum aq. lactuc. ad cochl. ij. vel iij. ante somnum sumptum.

Pro eodem ex aliis præcitati Excell. Wepfer literis.

Hactenus alteras accepi literas quibus traditur successus potus lactis asinini, & consilium Excell. D. T. B. Lac Asininum non contemnenda beneficia præstare, & ulteriora polliceri facilè perspicio: illius usum diu continuandum arbitror; quandiu scil. illud ventriculus tolerabit, nec symptomata prohibentia supervenient, alias soleo ejus potum mane hora 6. & vesperi circa 5. sc. duab. horis ante cænam suadere; verùm quia Illustr. Dom. parce cænat & hora quinta vespertina hordeatum bibit; potus nocturnus non multum nocebit, licet ad mictionem stimulet; atque somnum aliquo modo interrumpat; quia statim rursus indormiscit. Excell. Dom. B. Consilium quod attinet, video in præcipuis, maximè in illis quæ imprimis in curatione attenduntur, nos consentire, primum enim mecum statuit catarrhorum, sc. Corysæ & Bronchi materiam serum esse cum tenue & mobile sit; addo semper præsens, adeo ut ad quamvis causam externam catarrhos etiam subitaneos parere possit, non verò phlegma quod tardioris motûs sit, nec obstet catarrhorum visciditas & crassities, quæ tum imprimis conspicitur, quando vulgò coqui dicuntur, cùm nunc notissimum sit serum sanguinis facilè à calore spissari & gelatinæ simile reddi; serum quoque salsius fatetur testibus gustu & totius pruritu. Copiosius generari putat ob intemperiem totius calidiorem & scciorem, modum non explicat, fortè salsuginem nimiam ab illa derivat; ac cumulari propter insensilem transpirationem inhibitam, imprimis ob ventos Neocomenses vesperi frigidos quosque sentit, accedente abusu fructuum horæorum & olerum. Loco moveri serum & exitum affectare ex vasis sanguiferis, asserit; retentrice ob copiam labefactata, ac propter acrimoniam salinam & nitrosam expultrice sollicitata: Item ob perfrigerationem post æstum, imprimis denudato collo vasis sanguiferis maximis instructo; ob radios solares intensiùs caput ferientes. De loco ubi serum percolatur, & ex vasis elabitur, in hac corysa & broncho remotiore, scil. extremis apicibus arteriarum capillarium; nulla quoque dissentio inter Excell. D. B. & me erit, cùm materiam catarrhorum serum existimet illudque non nisi per illas ad partes affluat; aliqualis intercedet de propiore loco mandante; quamvis si recta ratione rem reputemus inter locum remotiorem & propiorem non longior distantia sit, quàm vel dorsum est tenuioris cultelli. Ex omnibus perspicio Excellent. D. B. credere adhuc catarrhorum fontem esse cerebrum, unde fingit cerebrum Illustrissimo Domino humidius esse; ac ob ejus coctionem debiliorem serosi plus in illo produci, & cumulari à vaporibus ex partibus sub diaphragmate locatis ascendentibus; augeri, à meditationibus post pastum, allici & attrahi quasi, à radiis solaribus, exprimi inde per quandam antiperistasim. Verùm primò dubito cerebrum Illustr. Domino admodum humidum esse. Utcumque profundè dormiat, nam non dicitur propterea somnolentus admodum. Imò scribitur in omnibus actionibus procul dubio etiam in animalibus alacrem & promptissimum esse; deinde vaporum ex abdomine ascensum ad caput simileque illud quo caput tecto fumosæ domui imposito aut alembico, comparatur, post circulationem sanguinis in lucem proditam; plures pridem exploserunt, ac publicis scriptis impossibilitatem rationibus & experimentis demonstrarunt, nihilque ex abdomine & pectore ad cerebrum pervenire; nisi per arterias Carotides internas & vertebrales; vaporum obicem in imo ventre esse diaphragma, in pectore pleuram, in basi cranii duram meningem, ibi densissimam & prope quadruplo crassiorem, nec cranium in vivo, aut demortuo animali, nondum omnibus membranis spoliato simile credendum illi; quod in ossuariis reperitur; imò oscula illa quæ in basi conspiciuntur, omnia ita obturari, ut humori vel etiam flatui ne minimus vel ingressus vel exitus patescat; ut facile experiri licet; unde etiam merito affirmant, serum intra calvariam extravasatum, alios potius affectus quàm catarrhos facturum, scilicet affectus soporosos, apoplexiam, in tenella ætate hydrocephalos; &c. Nisi intra venas resorbeatur, aut alibi quàm per nares & fauces exitum inveniat; & si ostia hæc tam patula sunt; cur post tam graves contusiones capitis, ad Trepanum properandum est? Addidi priùs alia quæ hic repetere nolo, moneo solùm pulmonum debilitatem non consistere in illorum flacciditate, cùm hæc ipsis naturalis sit: componuntur enim ex tenerrimis vesiculis, vasis sanguiferis, & lymphaticis, & bronchiis quæ omnia cavernosa & exceptis bronchiis mollissima ac ad distensionem & receptionem promptissima esse debent; verùm in osculorum nimia apertione, per quæ naturaliter fuligines ac portio seri ad Vesiculas & Bronchia humectandas exstillat, ob nimiam

miam dilatationem plus ſeri elabitur imprimis ſi aliqua deſpumatio in maſſa ſanguinea fiat, neque illi propter pororum cutis ſubitam conſtrictionem tranſpiratio concedatur. Denique mihi ſuſpecta eſt & multis contradictionibus obnoxia ſententia de obſtructione glandularum globoſarum, ob quam lympha detenta corrumpatur, acrior fiat, anſam det febribus, fermentationi & ſegregationi ſeri, &c. cum quotidie plurimis ſcrophulis circa collum, ſub axillis & in inguinibus refertiſſimi, horum nihil vel rarius patiantur, qui omnes tamen quoque his glandulis auctis in abdomine ſcatent, ut aſſerunt Cl. Riolanus & alii ac ipſemet quoque anatome comperi. Adjungit his ventriculum humidiorem debito, quamvis huic effato adverſetur appetitus integer, & pridem proclivitas nimia ad alui conſtipationem: ſi enim humidior eſſet obtunderetur ſenſus ac pylorus laxaretur, ut cibo nondum penitus ſubacto exitus pateret ante tempus, unde fluxus cæliacus, lienteria, aut certe alvus magis lubrica hactenus contigiſſet, & quid opus eſt ventriculum humidiorem cauſare, cùm ob alias cauſas ſerum cumuletur. Verùm videtur fruſtra meritò in ſcaturiginem horum catarrhorum prolixè inquiſiviſſe cùm Domini Pariſienſes & D.B. præterita antipraxi decantata viſcerum, omiſſa recenſione aperititivorum, ſtomachicorum, cæphalicorum, pneumonicorum (quibus aliàs ſcatent conſilia, omnium nationum extantia de affluxu hypoch. & catarrhis) rectà pergant in medendo ad emendationem ſanguinis & ſubtractionem ſeri, ac ſi ipſimet agnoſcerent omnem labem in ſanguine deliteſcere, illaque ſublata Illuſtriſſimum Dominum ad unguem curatum iri, qua in re ipſis non invitus aſſurgo, credoque tum in hoc morbo, tum in plurimis aliis ſanguinem morbi ſedem, utcunque Miſellus ex partium numero expungitur, plurimorum morborum & ſymptomatum cauſam, fontem, & terminum, a quo, & neſcio quæ non alia exiſtere.

Materiam igitur auxiliorum quod attinet, D. B. V. S. illam non magni facere videtur; nec ego nuper frequentiorem & largiorem laudavi; at penitus illam proſcribere in temperamento calido & ſicco non auſim neque etiam febri catarrhali, quæ non ſemper putredinis expers, ex calore mordaci, urina craſſiore, tinctiore & turbata comperietur, hæmorrhoidum apertionem non majoris facio, quam aliam venæ ſectionem ubivis factam: & ſi omnino credantur hyrudines idioſincraſia quadam ſanguinem aduſtum & ſalſum allicere, ut Nicol. Fontanus opinatur, ſine verecundiæ jactura alibi quàm turpiter venis ſedalibus apponentur. Certe hæmorrhoidum apertio utcunque ab Italis ſummè extollatur, in praxi non illam opem fert, quam præſtare multi pollicentur, quin ſæpe alibi vena ſecta laudabilior ſucceſſus conſequatur, fonticulos in interſcapulio excitatos nunquam vidi; at ſæpe in collo loco ſetacei. Excel. Dom. Willis commendat phthiſicis & empyſicis, fonticulos in ſpatiis intercoſtalibus paratos; cum locus Interſcapulii commendetur ab Illuſtriſſimo Domino de Mayerne non negligendus erit: ad quem eligendum exemplum Dom. De Seguier permovebit. A purgantibus maſſa ſanguinea ſero abundans ſæpè ægre depletur, at illorum abuſum improbo cum Dom. B. imprimis ſi ventriculo bene ſit, illuſtriſſ. D. appetat: aluus quotidie exoneretur, nimium frequentes purgationes ventriculum & inteſtina mire enervant, vitamque decurtant; quæ in ſena & caſſia carpuntur, eadem in mannam à ſcrupuloſo animadverterentur; diſſuadetur cholericis; adulteratur Eſula & ſcammonio aliiſque: novi illam hypercatharſes effeciſſe & tormina plerumque infantibus funeſta, ſyrupus aureus tutior eſt. Succolatam cum Excell. D. Pariſienſibus merito damnat, at ſolummodo paratam cum pipere indico: non aromatibus omiſſis factam, cùm etiam Hecticis concedatur, & memini magno Hetruriæ Duci emortuo, vel propter ſolos catarrhos & ad habitum augendum in frequenti uſu fuiſſe ann. 1646. Sulphurata & decocta magna non reſpuit D. B.; attamen nec illorum neceſſitatem imperare videtur præſens Illuſtriſſ. D. Valetudinis ſtatus, nec alias facile ſuaſerim illa antequam mihi penitius ejus conſtitutio innotuiſſet. Decocta ſantalor. rad. chinæ præmiſſo bolo ex conſerv. roſar. rubr. flor. bellid. min. & pulv. Antihect. Poter. ſuo tempore commendarem. Interea Illuſtriſſ. D. his præteritis pergat in lactis Aſinini potu, cum inde tuſſis imminuatur, raucedo ferè evanuerit, ac habitus incrementa ſumpſerit: nam quia urinæ copia potulenta quantitate, ſuperat diureticum eſt, quia tuſſis imminuitur ſeri ſalſuginem corrigit, quia deniq; habitus inde augetur, alimentum ultimum ab illo emendabitur: adeo ut vix laudabilius medicamentum & quidem alimentoſum, ideſt tutiſſimum excogitari poſſet; Eidem ſuccenturiare videtur juſculum vitulinum hordeatum, ſi pauxillum Endiv. recent. adjiceretur, magis caverentur febriles inſultus, minuſque afficeretur ventriculus, quem humidum exiſtimat D. B. nec tam facilè inde putreſceret ſanguis; ſi omnino talia à juſculis mane potis metuenda ſint: ſecus ac nunc, ſeu novo modo, ſeu antiquato in uſum revocato creditur, non, ubique locorum mane bibuntur vel ſuccolata, vel decoct. Theè. vel Coffè ſeu cavè. Vinum dum Illuſtriſſ. D. lac bibit plane diſſuadeo, cum ſæpe graviſſima damna attuliſſe ſciam illis qui Podagræ cauſa lactis cura fruebantur. Baro quidam Eques Melitenſis illa fælici cum ſucceſſu diu utebatur, & podagram tantum non expugnaverat, in principio harum turbarum bellicarum, ex his oris in Civiam patriam ſuam profectus, ab Equeſtribus ad compotationes ſollicitatus, poſt paucos errores, ut mihi à Medico ſcribebatur, primùm in febrim anomalam incidit, quam excepit hydrops, Juveni adhuc paulo poſt funeſtus. Exiſtimo à vino non ſolum in ventriculo lac, ſed etiam in maſſa ſanguinea quorſum ejus portiones integræ abripiuntur, (teſte ſero lacteo ſanguine ſtatim poſt potum V. S. emiſſo) coagulari periculoſarum obſtructionum authorem. Perplacet Illuſtriſſ. D. in prandio pleniorem victum in hac cura concedi, quod etiam facere apud podagricos conſuevi, pauci enim victum illum tenuem ſufferunt quem Itali & Galli in cura lactis imperant. Tinnitum aurium nuper præterii, factum fortaſſe à portione ſeri tenuoris in labyrintho & cochlea aurium devia; quia evanuit

nuit de illo non multa verba facienda sunt, nec inquisitionem ulteriorem meretur, num quoque ab hypochondriorum æstuario provenit nec ne? &c. *Scaphusii die 30. Octobr. 1678.*

Ad eundem ex eodem Clar. D. Wepfero.

Curam lacteam opem insignem attulisse, multa sunt quæ confirmant, nam hactenus nihil molestiarum Illustriss. Dominus quas antehac expertus est, amplius patitur: facies est vividior, minus irascitur, non læditur à sole, ventis, pluviis & frigore, toto die extra lectum moratur, obambulat sine lassitudine. Pluribus ante aliquot annos Illustribus viris, ac quoque Religiosis suasi hanc curam, qui adhuc feliciter in illa pergunt. Cùm itaque hactenus non pauca beneficia Illustriss. Domino lac præstiterit, nec ullum indicium appareat quod illius usum ulteriorem prohibeat, audacter illud continuandum arbitror; sanguinem debilitari, seu aquosiorem minusque fibrosum inde fieri non tam facilè credo, cum lac nihil prope aliud sit quàm chylus atque ex illo æque bonus chylus produci possit ac ex aliis alimentis sive carnes sive pisces, sive olera & fructus sint; imò præstantior, quod ex tam luculenta sanguinis correctione manifestè patet. In hac cura alios cibos nunquam denego, si modò tales eligantur, à quibus chylus non corrumpitur, nec vel acescit, vel bilescit: concedo carnes vitulinas, hædinas, pullor. gallinac. perdicum, avicularum montanarum, sive elixas, sive assas, etiam fructus dulces coctos, item olera cum butyro recenti cocta. Nocent verò valdè salita, aromatizata, frixa, acida, nimis dulcia & saccharata. Cibis boni succi & facilis digestionis in prandio potissimum frui posset, nec ut lac illo mane intermittat necesse est. Vinum penitus improbo, quod non solum in ventriculo & intestinis chylum corrumpit, sed etiam jam cum sanguine permixtum, unde sequuntur periculosæ vasorum capillarium obstructiones, gravium morborum Authores. Cœnam semper in hac parciorem suadeo, imprimis in senibus nunquam tamen penitus omittatur.

Nescio quam ob causam Illustriss. Dom. crebrius & fortiùs purgandus esset quam hactenus fiebat: nam nihil de ventriculo afflicto queritur, & massam sanguineam plurimum emendatam superius recensita beneficia testantur: Merum commentum est lac tot & tantas sordes legitimè potum in ventriculo linquere, citra illius vel aliquales læsiones. Novi plures hac cura fruentes, vix semel in anno lenitivum assumere, idque sine ulla sanitatis noxa: sufficiet igitur Illustriss. Dom. sola rhabarbari infusio. Nodum quoque in scirpo quærere videntur illi qui pulverem antihecticum Poterii rariorem improbant: posito illum fermentum stomachi, quod plures opinantur acidum esse, edulcorare, at hac ratione tutior lactis potus redditur: illum verò fermentum effætum prorsus reddere nemo me facilè persuadebit: Certè si æquo animo reputare velint adversantes, facilè animadvertere possent uno atque altero mane sumto hoc pulvere, eodem & sequentibus diebus ægros tam bene appetere & alimenta assumta coquere ac antea fiebat, imò plerunque & meliùs cibus sapit, & laudabiliter dissolvuntur alimenta, quàm diebus prægressis, modò nitrum probè ab illo eluendo sublatum fuerit. Hydropis quidem prænuncii sunt pedum œdema, & respiratio difficilior; verùm quoniam toto die sine lassitudine obambulare valet, vix credo œdema quod alicujus momenti sit, adesse, eò que minus quoniam pedes quandoque sudarunt. Si solummodo respiratio difficilior observetur in ascensu ad arcem, non tanta erit ut Illustrissimum Dominum terrere debeat; hoc enim senectutis culpa, non ab aliquo vitio intra cavum pectoris abscondito, aut graviora minante fit: certè si domesticas scalas, citra interpositam quietem ascendere valet, sique in lecto non altum decubitum eligere cogatur, quod vix credo, quia sex horis continuè noctu dormit, nec hanc dyspnæam timendam arbitror. Memoriam apud senes minui in vulgus notum est, at & hoc plerunque non fit ob aquam intra cranium stagnantem, sed quia & objecta negligenter, ceu pridem nota, non attendunt, aut quia propter multivaria negotia, quæ recenter obveniunt à succedentibus obliterantur; hanc ob causam non forem Author Illustriss. Dom. ut pro memoria roboranda uteretur confection. anacard. pulvere mneumetico Trithemii, aut similibus exsiccantibus, quibus marasmum senilem accerseret: præcipuum remedium erunt induciæ à copia negotiorum, imprimis tædiosorum, & animi quædam tranquillitas. Concludo ulteriorem lactis potum Illustriss. Dom. proficuum fore; frequentes purgationes nocituras, pulverem antihecticum præservationis causa, semel in septimana, profuturum, aut, urgente affectu, etiam crebriùs sumtum levamen allaturum, & lacti citra ullam noxam pleniorem victum adjungi posse.

D. T. O. M. Illustrissimum Dominum porrò conservet, curæ benedicat, ipsumque ad Nestoris annos servet.

Soloduri 1. Februarii, ann. 1687.

Observationes.

Continua coryza affligit nares Integr. *Dom. Pauli Mothi* Archiatri regii, ætatis ingravescentis, ut per nares impedita via difficilis sit illi & somnus & spiratio: obstructionis narium peculiaris causa & ratio est: Quotiescumque molestior est affectus per narium cavitatem prolabitur vesicula oblonga, rotunda, candida, sero plena, quod exsudat: Ea verò vesica membranosa sæpè in medio narium subsistit, sæpè extrà nares propendet, levi digitorum impulsu sursùm ad caput retruditur, naresque deserit, sed circa os ethmoides & olfactum & spirationem impedit: Evacuatur subindè exstillante sero, & liberior redditur olfactus. Ex pulvere sternutatorio sæpè amicorum hortatû hujus coryzæ quæsivit levamen, sed quia majores in naribus obstructiones nimiâ tractione catarrhi oriuntur, ab illo destitit unumque dormienti remedium est, in opposito latere obstructæ naris decubitus. Facillimum foret vesicam pendulam forfice amputare, si de membranulæ natura & origine constaret.

Ad varias conjecturas mentem torsi: an processus mammillares? Per Epilepsiam ad nares

protrusos author est *Erastus*; & recipiendis excrementis cerebri destinantur à *Warthono* in Adenogr. Sed quomodo ossis ethmoidei foraminula permeabunt, nisi p. n. cribrum hoc dilatetur amplius? At quid de olfactu dicendum? ut in quavis coryza, ita & hic propendentibus vesiculis cessat odoratus, qui illis evacuatis redit: Taceo processus facilè rumpi posse nimis sero distentos? Polypi principium quominus credamus, facit substantiæ diversitas & mobilitas. An duræ matris productio vel laxatio? Id sine insigni doloris sensu haud fieret, quo tamen caret vir optimus. An vasorum lymphaticorum progenies? Nec color abludit, nec contentus liquor, nisi alia subsit causa: forsan idem cum Polypo generationis modus, observante enim Riolano 4. Anthropogr. cap.6. In cellulis osseis spongiosis carunculæ exiles continentur, quas vidit prolongatas, & ad imas nares prolapsas, sponte verò adstringentibus medicamentis supernè revelli: Vesiculas membranosas sine dubio, loco carunculарum in hoc corpore natura efformavit, quæ sero ex catarrhoso cerebro defluente intumescant. *Th. Bartholinus hist.37. Cent.6.*

Quemadmodum aliis nares sanguine stillant, ita semel vidi illas pituitâ tenui cuidam stillare integrum triduum, per intervalla tamen: vacuato autem cerebro cessavit. *Quâ de causâ hyeme nares stillent*, notum est, *per compressionem scil.cerebri* quâ causâ itidem per æstatem scil.per fusionem humorum: hoc loco autem quomodo separatio illa humoris pituitosi à reliquâ massa sanguinea contigerit, merito dubitatur, in cerebro enim tanta copia latere non potest absque gravitate.

Id plane sibi evenisse asserebat conjux. N. quod nempè cum virgo adhuc, integrum triduum absque ullo prorsùs somno choreis consumpsisset, per quatriduum integrum dormierit, evigilanti verò cæperint nares pituitâ sincerâ per dies aliquot stillare cessavit autem iste fluxus usû pilularum cephalicarum. *Salmuch. Observat.37. Cent.1.*

Catarrhus frequens in insulis Ferroensibus Daniæ Regi subjectis.

In Insulis Ferroensibus propter aëris frigidam constitutionem, Incolæ penè omnes vere & autumno Catarrho affliguntur, (quem vocant Krüm) longè vehementiori quàm alibi terrarum. Ad nares defluit & pectus, cum tussi molestissima, & expectoratione, dolore capitis, & membrorum debilitate, ut vel lecto diu detineantur, vel moriantur. Salutaris tamen, censetur, & criticus, expurgans corpus ab humoribus humidis morbos graviores minitantibus. Deinde eadem frigida humiditas sæpe excitat morbum acutum (*Landsaervet* dictum, eo quod regionem pervagetur) non absimilem morbo Castrensi militum ex mora in cubilibus humidis, frigidisque, febris ardens est; cùm dolore capitis ingenti & delirio, in nonnullis cum diarrhæa nec antè solvitur quàm medulla ossium consumpta corpus tabescat; plerique tamen evadunt. *Thomæ Bartholini in actis Hafn.*

Malignitas occulta Catarrhum in pectore mentita.

Morbi qui ab initio blandiuntur, plerumque mutato schemate sub finem sæviunt, & dum apertè jocantur, occultè jugulant. Quod si de ullo, certè de maligna febri dici potest, quam meritò *P. Neucranz de purp. cap.12.* Morbum fallacissimum *Anton. Meniot.* vaferrimum atque versipellem, & *Hachst.* quovis vertumno mutabiliorem, varias induentem larvas, modò hanc, modò illam faciem formamvè mentientem. *Dec.1. observ.6.* appellant, quæ ita quandoque & ingenium, & mores suos occultare novit, ut nec lynceis possit observari oculis, semperque quo segniores ciet turbas, eò res ægrotantis deteriori loco sitæ, quoniam furtiva mansione magis radicatur, firmioresque nanciscitur, malignitatis nervos, ut inquit præfatus *Meniot. in febr. malign. hist. & cur. p. m. 49.* Vera hæc esse sequens probat historia. Circa finem mensis Aprilis anni 1674. huc venit Hungarus quidam robustæ aliàs naturæ, nomine *Michaël Todt*, habebat ille nescio quos dolores in pede, unde tamen rectè curatus, remanente aliquâ eorum imbecillitate, quam ex prioribus doloribus provenientem credidit, & neglexit: Non multò post languore corripitur universali totius corporis cum tussi valdè, urgente, & ut apparebat, cum gravi catarrho in pectore. Deambulavit hinc indè quanquam languidus, prostrata omnis appetentia, calor nullus, nulla sitis, dedi, cum Diætam non semper observavit bonam, aquam laxativam & post Elix. propr. Parac. Undè rediit appetitus, sed tussis exasperata; sumpsit decoct. pector. ℥ij. mann.el.℥j. quo quinquies purgatus. Sumpta cæna decubuit, mediâ nocte expergefactus de calore extraordinario, & siti vehementissima conquestus. Manè ipsum accedens corpus quidem observo plus justo calidum, in pulsû nil nisi aliquam debilitatem circa vesperam vehementissimè delirare cæpit, præpostere ad omnia respondens, corpus summè calebat exteriùs, lingua arida, vultus torvus, nihil tamen mutato pulsû. Apertâ venâ brachii, exhibita sudorifera, alexiteria, sed ille tertio die postquàm delirare cæpit obiit. Latuit sub specie Catarrhi malum, diù cum natura aliàs robusta conflictatum, donec prostratis viribus uno impetû mentem & vitam ademit. Sanguis qui V.S.emittebatur, floridus erat, nullum vitium notabile habens quod sæpiùs in malignitate observavi, & notavit hoc etiam *Meniot. l. c. p. 2.* Quod miremur, ait, sanguis iste profugus (è naribus scil.) ac plerumque ille ipse etiam, qui sectâ venâ educitur, rutilus, optimusque apparet, quod venenosa qualitas sensum lateat, solisque patescat facinoribus, vel quòd venenatæ putredinis foculus altior, strictisque limitibus circumscriptus *D. Caroli Raygeri.*

Singularis Catarrhorum extractio ope pulveris cujusdam.

Transiit anno 1661. mense Januario Suinfurtum quidam veteranus Bombamachides, qui pulvere quodam farinæ purissimæ simili, insipido

pido ferè, nisi quòd paulum acrimoniæ linguæ aut faucibus affricaret, insignem pituitæ lentissimæ copiam è naribus catarrhosorum, quibus pulveris istius quidpiam indiderat, absque permutatione aut molestia, cum stupore elicuit; asseruitque esse pulverem cujusdam radicis ex Arabia delatæ, suumque artificium multorum Medicorum in Imperio admodum celebrium testimoniis corroboravit, ego suspicor esse corticem Rheumaticum, quem *Carolus Clusius à Nicolao Monarde* in simpl. Medic. ex novo orbe delatum 3. p. 10. ita describit. Ex Peru mihi missus est crassus quidam cortex, quem ex vasta arbore ulmo simili, tum amplitudine, tum forma, detractum ferunt: Nascitur ad ripas fluminis cujusdam 25. leucis à Lima distantis, nec alibi in India facilè reperitur: Indi in capitis defluxionibus, rheumatismis, aut alioqui corporis gravedine laborantes, hujus arboris corticem in tenuissimum pulverem comminuunt, & naribus imponunt, humores insigniter educit, quâ ratione liberantur quod verum essenos ipsi experti sumus; secundum caloris gradum excedere videtur.

Hactenus Clusius. Si Coloniensis ille Pyrgopolinices alio quoque concesserit optandum esset, ut certo inquiri posset in genuinam hujus pulveris naturam à Medicis propter insignem usum, quem præbere posset in curatione catarrhorum, si fieret familiarior. *D. Joh. Mich. Fehr.*

Forte est idem Coloniensis quem describit *P. Schottus in lib. 11. Phys. curios. p. 1289. novæ edit. de anno* 1667. Fuit præteritâ hyeme (inquit) hic Herbipoli, Coloniensis, qui aliquamdiu in Creta apud Venetos contra Turcam militaverat, ac dein militiæ pertæsus in Palæstinam trajecerat, & annis aliquot propè Hierosolymam in ipsâ valle Josaphat, ut dicebat, habitaverat inter Turcas quidem, sed tamen non sine Christianorum, etiam religiosorum consortio. Habebat is pulverem, cujus exigua portiuncula, quantum apice cultri sustentatur, naribus imposita, & sine attractione retenta, projiciebat e naribus ac faucibus catarrhos ac fætidos humores tanta copia, sine ulla tamen violentia, ut qui curam patiebatur, sentiret notabiliter dictos humores è capite extrahi, atque ad nares & fauces confluere. Multis curam adhibuit, semper cum emolumento. Ajebat pulverem confici ex radice aliqua Arabiæ, nulla tamen aperire volebat vel nomen radicis. Sat magno pretio vendebat hunc pulverem. Forte & iste pulvis & radix in nostris pharmacopoliis reperitur, cum incredibile unicum hominem tantam e.us copiam è Palæstina attulisse, ut sufficeret in aliquos annos, & pro multis Germaniæ urbibus. *Hæc Scottus l. a.* Et talis Bombardarius Vratislaviam quoque venit nundinarum tempore anno 1664. & aliquot experimenta fecit, à Medicis tamen, quod dolendum, non prius observatus, nisi cum dudum abierat. Insigne tamen exemplum adducam, quod mihi sequenti anno 1665. oculatus retulit testis aliquoties, cùm me suæ valetudini præficeret Generosissimus *Comes Caspar S. R. I. Comes Colonna L. B. de Fels*; is cùm ex constitutione nativa partim etiam morbosa difficulter spiritum traheret, & nares haberet maximè obstructas, audito nuncio de hoc homuncione, illum accersiri jubet. Comparet is vocatus, & cum Gen. *Comes* jam major septuagenario in se ipso primum experimentum vix tentare auderet, secretario suo persuasit, qui difficulter pariter anhelabat naribus obturatis, ut in se permitteret fieri tentamen. Annuit ille, & in præsentia *Comitis* prædicti & Rev. Patris *Theodori Moreti* è Soc. Jesu Mathematici insignis pulverem tenuissimum, ab isto homine in aqua oblatum, naribus attrahit, quo facto tam insignis copia humoris tenuissimi per palatum absque ulla molestia educta fuit, ut aliquot minores pelues argenteas impleret, & post optime respiraret. Ipse Comes quidem hâc vice ab ipsa cura, quam salse vocabat *die Flüsse abzæpffen*, abstinuit, sæpiùs tamen posteà indoluit, & conquestus est, cum aliis nundinis ampliùs ille circumforaneus non rediret, quod tamen speraverat. Vidit *D. Joachimi Georg. Elsnerus collega noster* Jenæ, dum studiorum gratia ibi moraretur, Rusticum quendam in Thuringia Catarrhos tentasse educere maxima cum audacia adhibito pulv. Euphorb. & ut os tenerent eo facilius apertum, instrumentum adhibuit singulare pro apertura (*einen Bnebel*) & ita copiosissime humores è capite vidit in subjectam pelvim fluentes cum molestia tamen; pariter hunc modum vocabat *Flüsz abzæpffen* & pro singulis libris educti phlegmatis, Imperialem solvere ægri cogebantur. *Joh. Michaël Fehr.*

Appendix ad caput præcedens.

De singulari Catarrhorum extractione.

Mentio facta fuit *Artificis* cujusdem Catarrhos singulari artificio extrahentis; quid hac de re ulterius innotuerit, placet verba *Excell. D. D. Salomonis Reiseli* Archiatri Hanoviens. meritissimi, amici sincerissimi, adducere ex *Litter.* 24. *Januar* hoc ipso 1671. anno è Hanovia ad me datis: in vestra *Observat.* 34. *inquit*, facta fuit mentio de singulari *Catarrhorum extractione* cujusdam Bombardarii qui pulvere rheumatico ad nares attracto insignem copiam humoris tenacissimi eduxerit: antè paucos dies, *inquit*, Hanoviam transiit circumforaneus quidam nomine *Joh. Georgius Clar. Stutgardianus* Herniarius, Lithotomus, qui præter suffusiones detractas ejusmodi pulverem vendidit rheumaticum quem ineptè quidem in schedula sua ab Arabibus *Panchimachobi* dictum ad multos usus & destillationes, pisorum duorum magnitudine attractum laudavit publice: is ea de re interrogatus apud me privatim, & bona sed sua fide *Halusispis* (fortè adhuc ineptiùs quàm antè) dici affirmavit, & esse corticem ex Arabia allatum radice betæ rubræ, undè color rubeolus, permistum & auctum. Retulit porro quod Stutgardiæ stipendio Serenissimi Ducis vivat, ibique eo pulvere utatur, quod eo usus sit *Vratislavia* circa annum 1664. comitatus servo, qui ad plebem colligendam ignem evomuerit. Fides sit penes ipsum. Pulvis ipse est incarnatus nullius ferè saporis, sed si naribus attractus sit, multæ acredinis, undè distentis præsertim ligno faucibus, plurimum seri per nares, oculos, &

palatum educit cujus rei ut experimentum facias, indeque facilius subodorari possis, quæ desideras, mitto aliquot doses. Incidit hujus occasione in memoriam alterius cujusdam radicis, quæ masticata, compresso paulùm stomacho, appositione manuum inclinato capite, aperto ore & efflato spiritû tenacissimam & copiosam pituitam in quodam, magno cum levamine ventriculi, si is gravatus fuerit, eduxisse aliquoties vidi, quod in aliis licebit imitari. Id ipsum ne longius animum sciendi cupidum avarus teneam, gratis accipe, *est cortex aut cauda acrioris raphani. Hac D. Reisel. ad D. Sachsium.*

Appendix altera.

De Dicto Pulvere Rheumatico.

Anno Christi nati 1658. vir quidam militaris nomine Jacobus Weidenfeld patria Coloniensis, Ratisbonam venerat, medicinam vendens quandam ad purgandum Caput ab omni humore excrementitio sub forma pulveris grisei cum albido mixti pretio satis ingenti, considerato sexû & ætate, in varia dosi. Imponebatur autem pulvis hic parùm madefactus extremis oris utrinque narium, ea tamen cum cautela, ut ne cerebri meninges convellerentur, ore patulo patiens semper & capite inclinato sederet, aut staret, quousque humores profluebant, compressis interim per vices paululùm, & leniter, ast non emunctis naribus, tunc è momento inceperunt mucores, humores excrementitii, non sine risû & miratione adstantium, continuato fluxû, & connexû ad quadrantem horæ per nares ac palatum posluere imò etiam ex oculis destillare, & cum humoris crassi & viscosi defluxiones sponte desistebant, signum fuit evacuationis completæ ac deinceps patiens corpus & caput reflectens erigere se, & circa tempora, sinciput & verticem, expansis manibus retrorsum fricari jubebatur. Vix dictu credibile, quàm hilares & leves in capite se senserunt patientes post hujus pulveris usum. Si major copia humorum in sincipite, major fluxus per nares; si major in occipite, per palatum major fluor fiebat; tardior vel lentior operatio, mica panis tosti ad nares calide admota stimulabatur. Ajebat medicaster, se biennio, vel triennio ab hoc tempore è Terra Sancta in Germaniam reducem, medicinam hanc per medicum Arabicum in secreto obtinuisse, ac de trunco, seu stipite certæ cujusdam arboris esse in Arabia crescentis; defectum sive penuriam sibi suppleri cura & familiaritate Patriarchæ Damasceni. Arborem hanc præterea referebat, esse crassitie & proceritate malo nostrati non dissimilem, patulis, sed paucis ramis, corticem habere non valdè rugosum coloris spadicei, medullam ligneam, coloris subalbidi, duriorem quam in arbore malo, frondescere cum foliis salicis, germinare cum flore magno, rotundo, patulo, in diametro propè pedali, qui intus colore varius, viridi, cæruleo, rubro, nigro, artificiosè intertexto, exterius, vel in extremitate ac laciniis flavo; floribus succedere fructus, baccas scilicet vel pomula parva, rotunda, subnigra, sed nullius usus, quæ & sponte decidunt. Arborem hanc in lingua Arabica, (Estiopata) vocari. Truncum, qui odore & sapore aromatico insigniter acri, solus hactenus ab octodecim annis apud Arabes in usum medicinalem venerat, in particulas parvas & minutim dissectum, atque subtilissime pulverisatum calcinari in vase æneo super carbone ignito, atque dum fumus acris sub cœruleus de pulvere devolaverit; cui ob acrimoniam inter calcinandum propè aditare nemo audeat. Experimentum hujus pulveris cum effectû bono in personis illustribus, mediocris ac inferioris ordinis, tam religiosis, quàm secularibus utriusque sexus, & diversæ ætatis in urbe Ratisbona factum fuit ex observ. propr.

Scholion Helvvigianum.

De hoc pulvere rheumatico legatur in Tomo seu anno 1. Ephemeridum medico-physicar. Academiæ Naturæ curiosorum in Germania, Observatio 34. ubi ex epistola Nob. D. Johan. Michaëlis Fehr. Physici Suinfurtensis, perhibetur, eundem medicastrum anno 1661. Suinfurti fuisse, ac eundem pulverem cum magno applausu vendidisse, & ex radice rheumatica Calori Clusii præparatum esse. Meminit etiam P. Schottus S. I. lib. 12. Physicæ curios. hujus pulveris; nec non & D. Philipp. Jacob Sachs, Physicus Uratislaviensis, in scholio ad observ. prædictam refert, quòd idem vel talis homo cum pulvere suo Uratislaviæ anno 1664. in nundinis fuerit, & applausum magnum habuerit; vid. etiam annus 11. dd. Ephem. append. Placet his adjungere litteras, quæ Roma Ratisbonam, & vicissim Ratisbona Romam de hac materia missæ fuerunt, ex quibus Reverendi & excelsi nominis P. Athanasii Kircheri S. J. sententiam, sensumque meum quis percipere potest.

Sebasti no Denichio, Præsuli Almirensi, Suffraganeo Ratisbonensi. Reverendissime, & Illustrissime Præsul. Mirabitur forsan meam in respondendo tarditatem, sed causas ejus paucis expono. Jam à mense ingenti auriculari catarrho ita divexatus fui, ut me ferè ad omnia inhabilem reddiderit, obsurduisse videbar omnibus nec quicquam medico proficiente suis passim dari solitis alexiteriis, Dei gratia tandem convalui à surditate, remedio mihi à Deo inspirato, & fuit sulphuris accensi vapor intra aures immissus. Atque hic fuit rerum mearum hucusque status. Literas interim Illustr. D. V. penitus excutiens, circa mirum illud nescio à quo empirico propositum medicamentum hic statim in eo imposturæ vestigia subolfeci. Primum fuit, quod pulveris nomen Arabicis literis exhibere voluerit, quæ literæ non arabicæ fuerunt, sed cabalisticæ, & amuletariæ, ex planetarum, signorumque characteribus confictæ, ut quivis facile advertere poterit. Secundum fuit vox (Estiopata) quæ vox Arabica non est, sed per anagrammatismum id significat, quod est opiata. Est autem opiata confectio ex opio, helleboro, similibusque mirifice caput expurgantibus medicamentis confecta, mahumetanis valdè usurpata, utpote quæ mirificam vim ad capitis humores trahendos obtineat, spiritus corporis ad insaniam usque

exci-

excitet; opportunum proinde remedium quo ad hostes furiosè invadendos utuntur. Tertium est quod Archiepiscopus, seu Patriarcha Damascenus illud dispensare soleat. Ego sanè alium Patriarcham Damascenum nescio quàm Patriarcham Maronitarum, qui habitat in monte Libano in monasterio Genubin, mihi literis notissimum sed neque à Maronitis hic Romæ meis amicis, neque ab ipso patriarcha, de hoc mirifico pulvere quicquam innotuit, utique hic, sicuti multa alia peregrina à Maronitis mihi communicantur, ita & hoc tanti momenti non prætermisissent. Addo quartum, nullum hic mercatorum Arabum de hujusmodi Arabiæ felicis arbore, ejusque virtute quid nosse, inde concludo nullam simili medicamento fidem adhiberi posse & debere, cum & periculosissimum sit, & à superstitiosis lucris profectum, quibus in more positum, sine magico amuleto nullum ferè simile medicamentum exhibere, uti in magia, & cabala saracenica fusè ostendi tom. 2. Oedipi part. 1. syntagm. 4. & de virtute quidem istiusmodi pulveris non dubito, cum innumera in Oeconomia botonica reperiantur, quæ similes effectus præstent, ut sunt Helleborus, solanum, peplum opium omne certa arte præparatum; & similia reperiuntur in Prosp. Alpino de plantis Ægypt. de virtute itaque talis, uti dixi, pulveris non dubito, sed ut tales statim, assumptum effectus præstet, quos Ill. D. V. descripsit, illud dico esse suspectum, & ponamus non esse suspectum, dico tamen nulla ratione adhibendum esse, ob summam quam naturæ infert violentiam, & damna vitalis æconomiæ irreparabilia atque hoc est meum de pulvere isto judicium, salva doctiorum medicorum opinione nil igitur restat, nisi ut me gratiæ suæ commendatum habeat. Vale, decus Præsulum, meque ut soles, ama. Romæ 20. Julii 1658. *Athanasius Kircherus.*

Reverendo admodum Patri Dom, Athanasio Kirchero S. I. feliciter agere! Reverende admodum Domine pater.

Quantum contristatus fueram de percepta ægritudine tua, tantùm iterùm sum lætatus, cùm literas manu tua ad Rev. Dom. præsulem Almirensem videbam exaratas. Et quid ni? dignus etenim omni benevolentiæ & amoris affectu, quem omni honore dignum censet, & cui sceptra submittit literarius orbis. Averruncet, precor, altissimus, nè prius cælum laboris præmium capias, antequam nobis mundum subterraneum sagaci opera tua recluseris & publicaris, quem omnes anhelantes expectamus. Sententiam tuam, vir reverende de pulvere, seu medicamine empirico, in præmemoratis literis tuis ex benevola Reverendissimi præsulis communicatione, jucundam sanè perlegi, sagaciter omnia & erudite literulæ ipse enim, quarum figuras ego in ullo orientalium scriptore unquam invenire, aut pro Arabicis agnoscere non potueram scrupulum mihi imposturæ moverunt. Nec displicet anagrammatismi enodatio, si latiori sumitur significatione opiatæ vocabulum. Sub hoc siquidem veteres illa magna medicamenta, quæ opium admistum vel stuporem inducunt, intellexerunt, moderni verò etiam multas confectiones cardiacas, alterantes, purgantes, vocabulo hoc denominant. (ut Renodæus lib. 3. Institut. pharmaceut. tempestivè annotavit) credo ob subitas earum operationes. Linquamus interim Empirico secretum suum, quo hactenus multorum loculos emunxit, & est inuentum illud non ita modernum, octavo etenim ab hinc anno, & quod ultra, eodem cum medicamine idem homo Bavariam peragraverat, ut incolæ quidam mihi narraverunt qui, eo non absque effectu bono, isto tempore quoque usi sunt. Imò ante sexdecim annos in Helvetia Lucernæ, & Tiguri quendam doctorem medicum pro usu communi ægrotorum suorum, ejusmodi pulverem in eadem substantia, colore, odore, sapore, inque eundem finem, in publico præparari pharmacopolio curasse, fide dignus noster Pharmacopæus, qui societatis Collegio hac in urbe prò tempore inservit, retulit. Placuit quoque discursus R. T. de conficiendo ejusmodi pulvere valde elegans; sed secreti hujus pulveris præparationem legitimam ex agyrta illo audire, posito quocumque pretio, hactenus non licuit; licuit verò ex operosa investigatione, & variarum compositionum experimento demum subolfacere pulverem hunc certè ex nihilo alio, quàm ex euphorbio fore compositum. Observarunt hic quidem aliqui, sub hujus manibus sæpius tractari radices pyrethri & morsus diaboli, inde in experimentum conficiebant ex dictis radicibus tritis & cum pauco Zingibere ac cornu cervi præparato mistis pulverem fere ejusdem coloris cum priore, sed saporis acidioris, dum iste sit acris & aromatici, phlegma etiam ac humores serosos è naribus atque palato trahebat, ast non tam cito & potenter veluti dictus. Quocirca sagaciori processu alii procedentes præpararunt ex euphorbio & calce trita, qui quidem potentius humores, ac majore cum impetu trahebat; interim vero ob vim suam causticam, insignem & acerrimum capitis dolorem aut molestiam causavit. Usque dum ad formam & processum illius supra memorati medici Helvetii, præparari mihi portionem curaveram, quem pulverem ex una parte euphorbii & dimidia parte amyli confectum, comperi unum & eundem esse in substantia, colore, odore, sapore, & effectu cum empirico isto. Euphorbium autem basin genuinam esse hujus medicaminis, acrimonia sub lingua & odor accensi super carbone aromaticus ostendunt, atque causticam ejus vim infringi amylo, usus docebat. Et cum Euphorbio rite præparato & correcto, cujus præparationis quinque diversi habentur modi in catapotiis, & aliis utimur, etiamsi à quibusdam pro veneno habetur, non dubito cum fructu & citra periculum quoque sub forma prædicti pulveris, sternutatorii vel errhini instar illud usurpari posse, si modo inconsulto medico id non fiat; quod sane in utroque tum empirico isto tum illo cura mea præparato pulvere expertus sum, quibus igitur laudem omnem derogare non potero. Et dum Dioscorides cæterique veteres & moderni Botanici frigide satis Euphorbii historiam dederunt, imò num ex arbore, vel frutice concisis succus manet, discrepant, descriptionem magis genuinam ejus aveo, præsertim arboris, vel fruticis ipsiusmet, atque magna mihi & bono publico

gratia fiat si hujusmodi historia à modernis Arabibus, aut iis qui in Lybiæ oris negotiantur, peteretur: in quo te V.R. multùm posse non dubito, modò te exorare liceat. Hæcque sunt, quæ tibi tum ex jussu & voluntate reverendissimi præsulis, tum proprio motu ac confidentia veteri in itinere quodam nostro contracta, notificare debui, simulque ulteriori tuo favori, cujus non parvam favillam è literis tuis ante biennium ad me per quàm humanissimè datis ceperam, me meaque simul commendare volui. Vale, & fætum tuum, Mundum subterraneum, demum feliciter enitere. Ratisbonæ d. 5. Id. Septembr. A. C. 1658.

Johannes Hellwvigius.

Pulverem rheumativum, quem Dom. Joach. Georg. Elsnerus Jenæ apud circulatorem quendam agrestem observaverat, sicut D. Sachsius enarrat in Schol. supra cit. nec ego dubito, aliud quid, præter pulverem istum medicastri Coloniensis ex euphorbio fuisse, assidua ejus abundantia quoque & experientia ipsa persuadent. Alioquin posterioribus annis celeberrimus D. Guernerus Rolfincius in tract. suo de purgantibus vegetal. sect. 4. art. 3. euphorbii historiam accuratissimè conscriptam, & præparationem pulveris hujus rheumatici genuinam tradidit.

SCHOLION SCHRÖCKII.

Aliàs etiam Errhinorum ex Euphorbio formulas, idem Vir Excellentiss. in ord. & meth. medic. spec. comment. lib. 6. sect. 4. cap. 1. consignavit. Sed uti cautum semper in quovis adhibendo errhino Medicum esse decet, ita in primis in illis, quæ ciendo sternutationem, levis cujusdam epilepsiæ ideam referentem, vehementioris operationis existunt. Quale utique Euphorbium esse, si sibi relinquatur, nec additis idoneis aliis, acrimonia ejus infringatur, nemo non novit, cujus nempe acre & adurens quasi sal volatile variorum incommodorum causa esse valet. Quod sanè Regius in Dania Capitaneus pessimo eventu expertus fuerat, inflammationem capitis funestam sibi causatus, ceu testantur magna regni illius sidera medica, Simon Pauli Class. 3. Quadripart. botan. cap. de tithymal. nec non præfat. tract. de Dosibus vomitorior. ac purg. & Thom. Bartholinus Volum. 2. Act. Medic. Hafniens. observ. 102. Item Dissertat. G. de Medic. Danor. domest. Quamvis si debite contemperatum, & à prudentis Medici provida manu porrectum fuerit, innoxium evadere, optimosque præstare posse effectus, experientia sua confirmat Nobiliss. D. D. Franc. Ignat. Thiermairus Consilior. Med. lib. 2. cap. 2. ubi etiam pulveris hujus rheumatici, cujus historia in præsenti observatione traditur, præparationem edocuit, quem utique ob disgregatas & obtusas à Coraliis, & amylo potentioris succi istius Lybici particulas, blandiorem agendi vim sortiri credibile est. Alias quoque oleosis distemperatum mitescere, ex Mesue constat, quem Augustani nostri in Dispensatorii sui Classe 20. sequuti fuerunt à me pag. 432. Pharmac. August. restit. defensi, videlicet ab olei hamositate salis volatilis spicula (quæ etiam acidus citriorum pomorum succus frangit, atque obtundit,) illaqueari, Celeb. Joh. Nicol. Pechlinus exercit. de purg. Medic. facult. cap. 21. ostendit. Quâ ratione non ineptè Agyrta ille pulverem catarrhalem, quem Matri Excell. D. D. Joh. Ludov. Hannemanni dederat, oleo olivarum infusum, naribus attrahi jusserat, quem utpote ejusdem cum Euphorbio farinæ fuisse Illustr. Bartholinus l. c. Act. Medic. Hafn. non abs re suspicatur quamvis idem potentissime quidem tenacissimi humoris pluviam ex oculis, naribus, & palato concitaverit absque tamen sperato levamine, non tam pulveris ipsius culpa, quàm ut ipse D. Hannemannus judicat, quod corpus non antea debite præparatum vel evacuatum fuerit. Quos verò Euphorbii vehementia nimium terret, alia tutiora, quæ substituant, habent, nec tamen minoris virtutis Errhina; quæ inter in primis Aqua majoranæ laudem meretur, magnoperè à D. Simone Pauli Class. 3. quadripart. botan. tit. majoran. commendata; nec non Vitriolum album à Nobilissimo nostro Wedelio in Ephemerid. Curios. Ann. iij. Observ. 14. debito cum encomio communicatum. Cæterùm quæ circa actionem, usum, & virtutem Errhinorum notanda, optimè expressit idem Wedelius lib. 2. de medicament. facult. sect. 2. cap. 2. Vias etiam, per quas serositates arte ista evacuantur, eleganter monstrarunt. Magnif. Guern. Rolfincius lib. de purg. vegetabil. sect. 4. art. 3. cap. 10. & Cl. Nicol. Steno observat. anat. de glandulis oris §. 23. ac observat. de vasis narium.

Ante annos sex Agyrta quidam Matrem meam de imbecillitate capitis, & Vertigine conquerentem accessit, pulverem qui evacuabat Catarrhos, ipsi dedit, cùm in oleo olivarum infusum naribus attraheret hinc actutum ex oculis, naribus, palato, tenacissimus pluebat humor, usque ad guttam sanguinis, quod pro bono successu interpretatus, cùm ex ipso quærerem quodnam genus medicamenti esset? gummi exoticum ex India allatum dixit, cumque mihi ostenderet aliquot frusta, aliqua gummi species mihi visa fuit, hanc catarrhi pluviam nominabat *Flusz abzapffen*; nil verò levaminis inde sensit mater mea, quare? ratio in promptu, quoniam corpus non ante præparatum vel evacuatum, ut oportuit, scis enim quanam præpostera & sinistra utantur medendi methodo, quâ homines magis belle necant, quàm tuto sanant. De Catarrhorum extractione similem observationem Ephemeridum Curiosorum anni primi Observat. 54. p. 110. 111. 112. legi, cui hanc historiam meam socio, eamque dudum ad aliquod Academiæ membrum transcripsi, quæ dubio procul hujus anni Messi inseretur *J. Ludovic. Hannemanni.*

Empirici Errhinum, quod ad pluviam Catarrhi adhibuit Matri tuæ, ejusdem forsan farinæ fuit. Vidi vel mensuram portæ nostræ liquore ex naribus stillante velut ex fonte perenni impletam à quodam Empirico. Secretam autem hanc artem servant Agyrtæ, nec satis illi fidendum, cum euphorbio vix sit melior. Rectè ille

----- Ignotum nolis proponere notis
Cognita Judicio constant, incognita casu.

Optima quippè remedia, Hollerii Judicio, quæ

quæ plurimis cognita, pluribus probata sunt. His ergò utamur, præeunte *Vindiciano* ad Valentinianum Imperatorem, quibus sumus benè experti, & quorum beneficio consequuti sumus optabilem sanitatem. Non dubito ad eliciendam per nares aquam, quin Agaricus, Gummi gotta quocumque modo præparata plurimùm valeant. *Th. Bartholini ad D. Hannemannum. Responsio.*

Vitriolum album Errhinum tutissimum.

Legi in Observ. 34. Ann. 1. Misc. Medico Phys. p. 3. de pulvere ad Catarrhos extrahendos è naribus & faucibus, quod olim jam apud citatum Schottum legi. Non possum non mentem meam, quam circa illud Medicamentum hactenùs fixi, exponere. Putavi enim aut illud fuisse radicem Euphorbii, ita cum aliis temperatam, ut mitiori energia, exutâ agendi tyrannide, ageret, quale Excell. T. ipsa quoque suggessit, vel quod probabile visum est (uti de non viso Medicamento conjectari licet) Vitriolum album, subtiliter pulverisatum vel solitarium, vel mixtum, idque 1. quia Schottus ipse putavit, illud in nostris etiam Pharmacopoliis reperiri, inductus tantâ copiâ Medicamenti, quâ artifex instructus erat. 2. addit. Idem sine attractione in naribus retineri debuisse, dubio procul nè sternutationem cieret, vel saltem mitiorem. Si additum fuisset, an in aqua, quacum administratum est, Medicamentum illud solutum fuerit necne, esset id longè probabilius & certius assertû. Quicquid verò horum sit, Vitriolum album expertus sum in aqua s. vel cephalicâ solutum, pennâque naribus modestè applicatum, liquare in debita quantitate ex voto Catarrhos, & extravocare, ita ut infantibus etiam recens natis, præ spiramentorum nasi obstructionibus, uti sæpiùs fit, vix lactare valentibus & suffocandis, feliciter aliquoties id adhibuerim. Quo casu neque ol. Amygd. d. naribus instillatum, & radici earundem illitum, neque aqua Majoranæ indita, semper votis responderunt. Hoc Medicamentum omne tulit punctum. Novumque non est circumforaneos talibus sæpè ludere vulgus, ut peregrina illa jactent, quæ prò foribus sæpè reperiuntur. *Georg. Wolfg. Wedelii.*

Ex succo betæ noxa.

Non infrequens apud nos est in coryza difficiliori usus succi radicis betæ, quem permistum aquæ majoranæ addito mellis Anthosati tantillo naribus excipiunt ægri, & ita paulatim lentæ pituitæ copiam inde prolectam, sed non esse æque omnibus salutarem sæpè deprehendimus; imò noxium iis quibus glutinosa illa pituita non hæret in ipsis naribus, aut supra palatum, sed stagnat adhuc in vasis capitis sanguineis exitum moliens, quibus convenientius est solum foliorū betæ in aqua majoranæ infusum, ut quod minùs narium interiora radit, minusque offendit. Spretæ hujus admonitionis pœnas luit non ita pridem virgo nubilis, quæ ut matri familias coryza laboranti, & exhausto radicis betæ cum aqua majoranæ succo nares cum dolore contrahenti ludibunda gratificaretur, excepit & illa naribus satis liberalem ejus misturæ portionem, sed paulo post inter cruciatus intensissimos caput ejus totum ita intumuit, ut duplo majus naturali appareret; & vestigia prioris formæ obliterarentur omnia. Post triduum ab infelici Errhino meæ curæ permissa ostendebat faciem tumidissimam, duram, sublividam, præsertim sub oculis, conquesta de vertigine; inquietudine, ἀγρυπνία, doloribusque gravissimis. Inter hæc mala nihil ipsi tristius, quàm speculum inspicere, & in vultû suo vultum frustrà quærere, ita ille

Hæc mihi, qualis is erat, quantum mutatus?

Ego præmissis universalibus contrario Errhino, ex solo lacte recenti, eoque tepido, curam hanc, Deo benè fortunante, prospere absolvi. Præsagiens enim læsas primùm ab acri betæ succo narium membranulas malum ad Meninges cerebri, & alia vasa propagasse, credidi fore, ut infuso per eandem viam blandiori lactis succo oblinerentur iterum offensæ partes, & acrimonia betarum obtusa paulatim ad officium redirent. Quod ita successit ut hodie in conjugio vivat, felix nuper mater & priorum oblita laborum. *D. Olai Borrichii.*

Caloris & frigoris in eodem corpore mirificus lusus à Catarrho.

Vir validus ex dolore ossifrago nocturno non sine suspicione luis venereæ, & metû tabis dorsalis sæpiùs laborabat, semel, iterumque à me curatus post vehementissimos animi irati motus, ad quos incredibile quantum esset proclivis, in eundem recidit affectum, sed propter anni, temporumque inclementiam, multo sæviorem, erat perpetua seri fluidioris & salsuginosi à capite destillatio, modò in os, undè tum sale lixivo exuri palatum querebatur, modò in nares, quæ & ipsæ erodebantur, nunc etiam ad postica; ibique cùm immensi frigoris sensû. Pulsus intempestus, & de die pro vario Catarrhorum fluxû ipse quoque varius; calor incertus, & frigore alternatus, nunc λειπυρικός, & ad interiora vehementi æstû recedens deserta superficie. Somni summa inopia & rheumatum de nocte inquietantium nulla remissio. Cùm totum hoc negotium à copiosiore seri stillantis impetu proficisci conjicerem, pilulis de Cynoglosso, quarum usus nunquam me fefellit, occurrendum esse rebar; nec mora, quin à tribus, quatuorque pilulis immodicam illam salsuginem, fluorumque descensum coërceri ipse æger notaret, subrepente etiam molli somno. Sed cùm postridie ad novi impetum paroxysmi recrudescerent rheumata, alvo lenta & contumaci, copiam seri evocandam esse duxi præsertim cùm illud remedii genus olim commodo suo absumpsisset. Exhibeo ergo resinæ gialappæ gr. VI. (mobilitas enim seri augere dosin vetabat.) cùm vitello ovi, aquis rosarum, cinamomi & syrupo de acetositate citri, nequid ad gratiam deesset, permista. Inde alvus quaterdecies soluta, & morbus multis partibus jam levior, spem faciebant sanationis, imò intra tres dies de lecto surgere, obambulare ædes inceperat sui securus, pulsû etiam nihil monstri alente. Verùm post aliquot dies malo domestico concitatus, in tantam incidit iram, ut redditam sibi valetudinem momento distur-

baret, jamque superveniente tremula palpitatione membrorum, non febrem tantum, sed fluores quoque istos in perniciem suam revocaret. Id unum autem circa frigoris, calorisque vices à me singulare deprehensum, quod utraque qualitas corpori quidem simul gravis esset, sed diverso, quam hactenus observatum est, modo: quippe dimidium corporis à capite ad calcem, vel ut perpendiculari sectione, calido & frigido sensu distinguebatur, neque illo levi, nam unam partem glacie, alteram igne infestari serio querebatur, admotâ manû differentiam quidem, sed non adeo magnam notante. Hoc peregrino & prodigiali symptomate exterritus nihil boni ominari cœpit, sed quod eventus monstravit, fatum prædixit. *Joan. Nic. Pechlini.*

Anatomicæ Inspectiones.

Eminentiss. *Cardinalis Camillus Meltius* non simplices catarrhi quamvis levioris, molestias aliquoties perpessus, aliquam capitis debilitatem advertit, quibus *febris sociam* se superaddens, 14. ab invasione die septuagenarius moritur.

Cranio ejus aperto plusquam libra seri tenuioris inter duram & tenuem meninges diffusa videbatur, quo turgida pia mater solitam crassitiem quater superabat: eodem sero, sed rubicundiore, ventriculi cerebri erant repleti. *Henr. à Moinichen in Epist. Th. Bartholini Ep. 97. cent. 2.*

Catarrhus suffocativus in muliere, cujus cerebrum illæsum fuit, soli Pulmones vitiati.

Mulier dies 40. fœtum gerens, dum forte sororem est nacta, eamque complectitur, paulo post *tenebrosum quid ob oculos observatur*, nec amplius potest consistere; hinc aphonos jacet, ac *primum stertit* ac si suffocante catarrho premeretur, convellitur, nullâ ratione restitui potuit, omnia tentata sunt, convulsiones perseverant, sex horis post moritur; aperto cadavere, pulmones inveniuntur corrupti, ac sanie fœtenti & olidâ repleti, sed hoc non fuit causa tanti morbi, quanquam juvare potuit. In cerebro nihil fere alienum compertum est: in ventriculis aliqua erant corpuscula, sed adeò tenuia & exilia ut parvi essent momenti. Accepimus etiam huic morbo alias obnoxiam fuisse: erant hæc epileptica, & non interiisset nisi convulsiones assiduæ fuissent, nihil enim est quod tam vires frangat: vitium illud pulmonum ad subitam istam moriendi occasionem aliquid forte attulit. *G. Ballonius epid. & ephem. lib. 2. p. 69.*

D. Kirstenius plures observavit cordis polypos, in quibus catarrhos suffocativos ideo oriri imprimis credidit, quia omnes illi in quibus polypos hos observavit, catarrho hocce extincti sint. Credidit scilicet hujusmodi excrescentias inhibere aut plane sistere *fluxum purpuræ alimentaris G. Segerus ad Th. Bartholinum Epist. 85. cent. 2.*

Quotquot *Apoplexia* aut *Catarrho suffocativo mortuos* aperui, in omnibus corpora illa callosa, viscida, ac glutinosa, aut in corde, aut in cerebro, aut in ambobus aliquando reperi, de quibus scribit Excell. Wepferus Exercit. de Apoplexia. *Ex Joan. Georgii Greiselii observat.*

CATOCHE.
Vid.
COMA seu CARUS.
CAUSUS
Vid.
FEBRIS ARDENS.
CEPHALEA
Vid.
DOLOR CAPITIS.
CEPHALALGIA
Vid.
DOLOR CAPITIS.
CEREBRI CONCUSSIO, COMMOTIO &c.
Vid.
CONCUSSIO & COMMOTIO CEREBRI.
CHIRAGRA
Vid.
ARTHRITIS.

CHLOROSIS.

Chlorosis quæ Virgineus morbus, febris alba, amatoria febris, & ictericia alba nuncupatur, est affectus Virginum nubilium, aut Viduarum juniorum per quem totum corpus languet, facies pallet, ac etiam livescit, *Chlorosis* autem dicitur à voce χλωρὸς quæ ambiguæ est significationis, modò namque ex virore pallescentem, interdum pallidum, luteum, aut sub pallidum denotat colorem; Virgineus præterea morbus quia Virginibus frequentior; Febris alba, non quod ea afflictæ semper febricitent, sed quia specimen febrientium præ se ferunt, nimirum debilitatem, pulsus celeritatem & frequentiam, & insuper pallore albescunt; Febris amatoria, non quòd eâ laborantium color amantibus sit aptus, (quia scil. pallet omnis amans) sed potius quia amantibus, aut amabilibus virginibus, ac pulchriorib. sæpe accidit; Alba tandem vocarut ictericia quia ut ictericia flava per admistam sanguini bilem totum corporis habitum flavo colore, depositis scil. undequaque illius particulis, inficit, sic in hoc morbo sanguis sero putrido prægnans, illud per circuitus repetitos in varia membra partesque musculosas & nerveas, ac ipsam faciei cutem insinuando, præter lassitudines aliaque symptomata plura, in colore alterationem parit, quæ præcipuè in facie, tanquam maximè expositâ parte, visitur, dum aut albescit, aut ex albido virescit, aut ad flavum, imò fuscum vergit.

Pars præcipuè *affecta*, de sententia omnium prope Medicorum, sunt organa seminalia, unde

de toti sanguini & per eum etiam succo nerveo, imprimitur labes symptomatum mox enarrandorum causa.

Differt hic Affectus à *Cachexia*, quæ est morbus utrique sexui communis, interque fæminas non minùs vetulis, atque maritatis, quàm virginibus ac junioribus viduis, familiaris. *Chlorosis* enim aggreditur tantùm virgines, viduas, aut similes extra viri consortium viventes. Præterea *Cachexia* in mulieribus ut plurimùm mensium suppressionem habet comitem, cùm in Chlorosi sæpissimè fluere persistant, nec aliter ut plurimùm subsistant, quàm post longum morbi decursum. De *differentiis Chloroseos* respectu colorum ab ea inductorum, ut & respectu varietatis symptomatum eam consequentium, nihil hic addimus.

Causa est in liquore seminali alterato ac nonnihil corrupto, propter sui retentionem, succorumque illi efformando idoneorum appulsum continuum. Propterea hic morbus formosas virgines ac viduas, easque etiam vegetiores ac temperamenti laudabilioris, quæ viro maturæ, aut illum jam expertæ, amplexibus tamen virilibus aut nondum fruuntur, aut frui cessant, aggreditur, quia in illis materia seminalis est uberior. Qui generationem humanam ex ovo fieri, non secus ac illam avium, piscium, animaliumque forsitan omnium ac plantarum, statuunt, volunt quod de materia seminali jam diximus, proprie penes ova, in ovariis, seu testiculis mulierum retenta, esse, super quo adfertur historia à Domino Denis Medico Parisiensi Regio, de Virgine octodecim annos nata, quæ variis Chloroseos symptomatis diu & frequenter vexata, ac tandem oppressa, obiit, in cujus scilicet cadavere aperto nihil morbidi, præter testiculi sinistri, eam tumefactionem, quæ partem naturaliter minoris ficus siccæ magnitudinem habentem, in ovi anserini molem elevabat, quo præter vesiculas pisiformes, seu ova naturaliter constituta, concludebatur ovum grandius, scilicet olivam & figura & magnitudine quàm maximè referens. Nobis perinde est sive materiæ seminalis, sive ovi nomine indigitetur materia illa, cujus retentionem diximus esse in causa affectus quem explicamus. At dicent aliqui vix ac ne vix quidem tantas turbas, tamque gravia symptomata totum corpus afficientia, à tam levi particula concitari posse. Verùm respondemus miasmata venenosa per animalium morsus aut puncturas inducta, imò à variis venenis è regno, tum vegetabili, tum minerali petita, minoris esse molis, imò quædam inter ea prorsus insensibilia, non minùs tamen totum corpus eorum vi ita concuti, ut brevi mortem per truculentissima symptomata adferant, ni maturè ipsis occurratur. Addimus præterea quò nobilior & spirituosior est succus quispiam, eò funestiores esse ipsius corruptiones, facilè enim fermenti naturam acquirit quod promptè in massam sanguineam aliosque succos se insinuet. Sic ab ovariis mulierum affectis, quasi Pandoræ pyxide, oriri videmus furores uterinos, suffocationes, aliaque innumera de quibus suo loco. Illud autem etiam minùs mirum videbitur si attendatur ad varios plexus nerveos innumerasque nervorum per partes seminales distributiones, quibus, dum afficiuntur, facilè totum corpus in affectionis suæ consensum trahunt; quomodo videmus liquorem illum seminalem naturaliter constitutum sub pubertatis annis, alacritatem, robur, venustatem & similia cum menstrua fermentatione & mammarum sororiatione, conciliare.

Signa diagnostica sunt, quòd Chlorosi affectis faciei, genarum & labiorum color pallescat, plumbeus, vel subalbidus efficiatur, qui antea roseus, rubeusque sæpe fuerat, quòd prædictæ partes & oculorum palpebræ quadantenus tumeant; sicuti crura juxta malleolos; quòd pulsent temporum ac dorsi arteriæ, sæpe cum capitis gravitate, & dolore tum occipitis, tum syncipitis; quòd cor contremiscat, maximè dum nimium moventur, saltant, aut acclivem locum ascendunt, tumque etiam difficilis accidat respiratio, itaut confractæ, anhelosæ atque impotentes se projiciant, mæstæ, dejectæ ac pigræ fiant, cibos fastidiant, præsertim carnes, lassitudine premantur & corporis gravitate; quòd appetant nonnunquam extranea; sed præcipuè quòd aliàs curis & vacuæ & bene constitutæ visæ sint, nec in diæta peccaverint, aut morbus per mensium suppressionem inchoaverit.

Quoad *Prognosim*, facillimum est concludere quòd quò diutiùs durat hic morbus, eò deteriora insequantur symptomata: Virgines autem satis promptè liberantur si viro cohabitent: Quibus verò morbus associatur magnis lienis obstructionibus, ille facilè in melancholicum habitum, icterum nigrum, delirium &c. degenerat.

Indicationes Curativas & Curationem quod attinet de iis vide in sequentibus, ubi scilicet *Curationes, Consultationes & Observationes* adducimus ex variis.

Curationes:

Curatio hujus affectus perficitur obstructionum apertione, vitiosorum humorum ex toto corpore vacuatione, & intemperiei viscerum correctione, eorumque roboratione.

Obstructiones auferuntur iisdem remediis quæ in obstructionum hepatis, & lienis curationibus fuere proposita, additis nonnullis quæ uterum respiciunt, & ad venarum ejus obstructiones reserandas magis appropriata sunt.

Primò igitur medicamentum purgans exhibendum est, laborantis naturæ & temperamento congruum, ex benignioribus compositum, ut primam tantum regionem evacuet, idque præmisso clystere, si alvus non sit libera.

Postea verò Venæ-sectio erit celebranda, si affectus non fuerit inveteratus admodum, & puella valde exanguis vel ad cachexiam inclinans. Vena autem brachii ab initio erit aperienda, quamvis menstrua suppressa fuerint. Si enim ex pede sanguis tunc temporis detrahatur, majores fient venarum uteri obstructiones, auctâ earum plenitudine. Ex brachio denique sinistro sanguis detrahetur, si lien magis obstructus sit: è dextro vero, si hepar obstructiones magis invaserint.

Educta ea sanguinis quantitate quæ necessa-

ria fuerit, solennis purgatio instituenda est apozemate aperiente & purgante, quale in obstructionis hepatis curatione fuit propositum. Cui addentur herbæ utero peculiares: ut artemisia, matricaria, pulegium, & si lien obstructus fuerit, addi etiam poterunt, quæ illum peculiariter respiciunt, ut cortex capparis, ceterach, scolopendrium. Si vero biliosum fuerit temperamentum, & calidioris, & siccioris hepatis indicia apparuerint, calidiora omnia simplicia ex apozemate erunt detrahenda, & aperientia frigida eorum loco substituenda.

In puellis delicatioribus loco apozematis, juscula in dictâ curatione obstructionis hepatis descripta usurpari poterunt, ejusdemque simplicia immutari, ut de apozemate dictum est.

Interim fotus & linimentum dicto loco descripta admoveri debent, non solùm Regioni hepatis, sed etiam lienis & uteri.

Peractâ solemni purgatione, paretur sequens Balneum, ad vasa aperienda & relaxanda, & materiam obstructionum fundendam atque digerendam. Cujus tanta est efficacia, ut aliquando viderimus quibusdam ægrotantibus menstruas purgationes in tertio aut quarto balneo profluere incepisse, quæ per longum tempus antea delituerant.

♃. Rad. althææ, liliorum alb. enulæ campanæ, bryoniæ, cucumeris agrestis, ana ℔ ij. foliorum malvæ, violariæ, mercurialis, pulegii, matricariæ, melissæ, ana m. iv. seminis lini, & fœnugr. leviter contusi, an. ℥ ij. coquantur in aqua fontis pro balneo, quod ingrediatur tepide, bis in die sine sudore, longè à pastû, per biduum singulis diebus decocto renovato.

Postridie ultimi balnei, si mensium suppressio adfuerit, aperiantur venæ inferiores, & emittatur sanguis ad ℥ iij. idque bis aut ter repeti poterit eo tempore, quo menses fluere solebant. Aut si nunquam adhuc apparuerint, quo tempore ægra magis affici, & gravius laborare solita est.

Absolutis hisce remediis, ad viscera roboranda, & obstructionum reliquias conterendas conveniet opiata aperiens & roborans, dicto loco descripta, cui utiliter fœcula bryoniæ & sal artemisiæ ad drach. ij. utriusque, addi poterit.

Quia vero non raro adeo contumaces sunt obstructiones, ut primis remediis non cedant; hoc casû syrupus magistralis parari poterit ex materia apozematis præscripti, aucta purgantium dosi, quo utetur ægra bis aut ter in mense.

Pilulæ etiam usuales erunt efficacissimæ, quales in dictâ obstructionis hepatis curatione fuerunt propositæ, quibus utiliter addentur remedia ex tartaro, vitriolo, & chalybe composita, ibidem descripta.

Zacutus Lusitanus *Observ. 99. lib. 2.* proponit historiam cujusdam mulieris, quæ chlorosim per decennium cum mensium suppressione passa erat, & variis purgantibus & aperientibus remediis, quibus chalybs etiam accesserat, curari non potuerat: hanc ipse curavit conservâ artemisiæ, triginta dierum spatio exhibita, superbibendo aquam stillatitiam sabinæ, in qua per noctem rhabarbarum maduerat.

Idem Zacutus *Observ. 117. lib. 3.* aliam proponit historiam cujusdam virginis, quæ multo sale sese ingurgitans, ex diuturno atque assiduo illius usu incidit in diarrhœam biliosam cum tabe implicitam. Quam ipse curavit, post totius providentiam, lacte caprino chalybeato, & frigidis hepati applicitis.

In contumacissimis & diuturnis obstructionibus, causticum tibiæ dextræ vel sinistræ (prout hepar aut lien afficitur) inustum, plurimùm conferre poterit.

Reseratis magnâ ex parte obstructionibus humores pituitosi ac serosi, tum in venis residui, tum præcipue in habitu corporis stagnantes, per sudores resolvendi; sunt cui usui conveniet decoctum guajaci, in naturis frigidioribus, vel radicis chinæ ac salsæparillæ, in calidioribus, per 15. aut 20. dies exhibitum. Hac cautione adhibitâ ut quarto aut quinto quoque die, intermisso sudore, catharticum detur, quod humorem circum viscera collectum præparatum, ac concoctum, (ad sudores tamen ineptum) per alvum detrahat. Alioqui intus si restitet ibi obdurescens & putrescens febris & aliorum morborum occasio erit. In eundem finem thermæ sulphureæ usurpari poterunt, quales sunt nostræ Balerucanæ, tam potû quàm balneo. Potû enim istarum aquarum, expeditis prius & liberatis viis, remediis antea propositis, detergitur, excluditurque humor, in primâ & secunda corporis regione contentus, per alvi & urinæ profluvium; tertia vero regio excitatis à balneo sudoribus ab humorum sarcinâ liberatur.

Ac denique congressus, si legitime fieri possit, post deobstruentium remediorum usum, erit utilissimus; illo enim calor naturalis in partibus naturalibus multum excitatur, quo uteri vasa impensè dilatantur. Et docet experientia, interdum primâ conjugii nocte pallidis istis mensium fluxum, excitari: aliis vero, quæ optimâ fruuntur valetudine, tempus consuetum anticipari. *Lazar. River. Prax. Medic. lib. 15.*

In morbo hoc curando imprimis corpus cachecticum bene purgari debet, antequam ad deobstruentia (sic dicta) perveniatur v. g.

♃. Rad. petrosel. fœnic. glycyrrhiz. an. ʒij. sem. anis. & coriand. præp. ana ʒ j. crem. tartar. ℈ iv. fol. sen. mund. ℥ß. pulp. tamarind. ʒ iij. f. decoct. & colat. addatur infusio ℈ iv. rhabarbari seorsim fact. in aq. fumar. cum ʒß. santal. citrin. reducantur omnia ad dosin: in qua dissolv. man. calabr. syr. rosʃ. pallid. comp. cum agar. ana ℥ j. m. f. potio danda in auror. 3. hor. ante juscul. cum custodia.

Post diem unum aut alterum iteretur purgatio, à qua si non videatur satis vacuatus stomachus, sed supersit cruditas cum plenitudine, utile fuerit vomitum provocare vel data ʒ j. vitrioli alb. depurat. vel ℥ ij. vini emet. cum debita custodia, ita tamen, ut post purgationem, ante vomitorii exhibitionem, per biduum incidatur tenax humor exhibito oxymel. syr. viol. cum spir. vitrioli bis terve in die è cochleari longè à pastibus. Si vero sufficiens fuerit purgatio, à vomitorio abstinendum.

Purgatione generali præmissa ad deobstruentia deveniendum; quæ vel cum purgantibus mixta, vel sola exhiberi possunt. Deobstruentium omnium basis est chalybs, in cujus

præ-

parationibus omne fert punctum anima hepatis toties laudata.

℞. Aloës opt. ℥ij. specier. hier. rhabarb. agaric. ana ℈ß. Croci Martis ʒij. spec. diarrhod. Abbat. ʒ j. croci ℈j. Aqu. Meliss. q. s. f. massa pil. Dosis ℈j. vel ʒß. per plures dies continuos.

Vel ℞. Rad. curcum. & aristol. rot. ana ʒ ij ß. Rad. chelidon. maj. enul. ari præp. valer. sylv. calam. aromat. croci Angl. ana ʒj. flaved. aurant. & citri sicc. cort sass. fr. ana ℈iv. sem. trifol. odor. Sem. Myrrhid. ocul. cancr. & chel. cancr. marin. maj. constellat. C. C. vitriolati ana ℈v. flor. matricar. agerati ana ʒij. Trita omnia seorsim in alkool. ponderata & mista excipiantur, s. q. Mellaginis liquidæ, bacc. junip. & f. *Electuarium*.

℞. Hujus Elect. ʒiß. Croci Mart. Tartarei ʒß. resin. Gambodiæ gr. vi. viii. vel x. pro una dosi: capiat doses xx. xxx. xl. superhaustâ alâ maciatâ calente, & superambulet.

Vel omissâ resinâ Gambodiæ, loco mellaginis bacc. junip. excipe species syr. vel succo inspissato bacc. spinæ cerv.

Vel si purgantia omittere velis, ad formam seq. formentur *Tabellæ*.

℞. Croci Martis aperient. ʒ ij ß. conf. Alkermes ʒiß. magist. perl. & corall. ocul. cancr. præp. ana ʒ ij. cort. citri & aurant. sicc. condit. ana ʒiß. rasur. C. C. primar. rec. ʒvi. ossis e cord. ejusdem, cinam. ana ʒiij. Sacch. ℥ij. f. omnium pulvis ut alkool, excipiend. mucilag. sem. malvæ extract. in aq. cinam. f. pasta ex qua formentur *Tabellæ* æqualis ponderis num. 20. pro totidem diebus. Cap. mane hor. 4. vel 5. ante prandium superambulando per horas duas; superhauriat aliquid vini absinthit.

Tabellæ Diatartari. ℞. Crem. tartari albiss. ʒß. Ocul. cancr. cum succ. limon. præp. gr. x. flaved. extimæ citri sicc. cinam. inter. ana gr. iv. curcum. sal. absinth. cochinell. anim. hepat. ana gr. iij. Omnia subtiliss. pulv. excipiantur mucagine admodum liquidâ rad. alth. aut sem. ejusdem vel malvæ, & f. Tabellæ pro una dosi, quæ usûs tempore reducatur in bolum cum syr. flor. veton. rubr. vel dissolvatur in jusculo vel posseto. Sumatur hor. 4. antè prandium per plures dies; inter præparandum teratur massa optimè in mortario marmoreo & exactè subigatur.

Alternis autem diebus capiat. pil. stomach. cum gum. ℈ ij. horæ quadrante ante levem cœnam. vel vesperi sing. diebus pilul. tales.

℞. Gum. Ammon. in vino generos. vel aceto scillit. dissolut. ʒ i ß. Aloës ℥j. myrrhæ ʒ ij. croci ʒ i ß. sal. absinth. & artemis. ana ʒj. Sal. corall. ℈iv. M. & cum syr. de artemis. vel oxymel. scillit. f. pil. Dos. ℈j.

Si chalybeata minùs arriserint, sequentia ut plurimùm sunt utilia.

℞. Rad. Petrosel. fænicul. gram. asparag. ana ʒß. ras. C. C. ebor. dent. equi marin. ana ʒ ij. uvar. Corinthiac. cappar. à sale mundat. ana cochlear. j sem. alkekeng. & milii solis ana ʒij ß. Includ. omnia ventre galli gallinacei, qui consutus elixetur cum frusto carnis vitulin. addend. sub finem coctionis fol. borag. bugl. caryophill. adianth. polytrich. ceterach. ling. cervin. salv. vit. hepatic. ana p. j ß. flor. calend. vetonic. rubr. primul. ver. violar. ana p. ij. cort. pomor. redolent. m. j. Reduc. ad. ℥xxiv. pro 3. dosibus matutinis, in quarum singulis dissolv. crem. tart. vulg. ℈ ij. magistralis ℈ j. m. exhib. 4. hor. ante prandium cum exercitio. Repetatur ad placitum.

℞. Rad. oxylap. chelid. maj. ana ℥ij. Rad. filic. fæm. cichor. taraxac. gram. asparag. fænicul. rusc. ana ℥ j. fol. agrimon. chamædr. chamæpit. hyperic. capillar. omnium ana m. j. fl. calendul. genist. rubr. ana p. 2. sem. anisi, fænicul. dulc. coriand. ana ʒ ij. pom. redolent. num. 3. f. omnium decoctio & colatura, quæ levi coctione reducatur ad ℔ i ß. In qua dissolv. syr. de cichor. simpl. & de 5. Rad. ana ℥ ij. M. f. *Apozema* clarificat. aromatiz. cochl uno aqu. cinam. pro 4. dosibus in die sumend. longè à pastibus, continuand. per plures dies.

℞. Rad. sicc. chelidon maj ʒvi. Rad. cich. taraxac. petrosel. rub. tinct. ana ℥ß. verm. terrestr. præp. ℥ j. flaved. aurant. condit. sicc. ʒiij. Sem. Alkekeng. milii solis, myrrhid. bardanæ ana ʒ ij. spodii ex ebore, C.C. calcin. reduct. in magister. cum ol. vitrioli, ocul. cancr corall. rubr. cum succ. limon. dephlegmat. apert. ana ʒiß. crem. tartari utriusque ana ℈v. spec. trion Santal. nostr. ʒiß. Sal. artemis. & absinth. bis ust. ana ℈iv. Terantur terenda ut alkool; omniaque mixta excipiantur syr. de cich. simpl. & de quinque rad. & fiat *Electuarium*. Dosis ʒ ij. vel ʒ iij. super haustâ cerevis. absinthite vel potû sequent.

℞. Sarsæparil. ℥viij. rad. filic. fœm. oxylap. ana ℥ xij. rusc. asparag. ana ℥ iv. lign. sassafr. cum cort. ℥iij. fol. agrimon. meliss. capillar. omnium ana m. ij. fl. genist. sambuc. & garyophyl. ana p. 3. nuc. moschat. ℥j. Includantur omnia sacculo è tela rara, quæ pendeat in gallon. vj. cerevis. non lupulat. recent. utatur pro potû ordinar. dum sumet electuarium præscriptum.

N. B. Satiùs est uti iis quæ removent impedimenta quàm naturam impensiùs irritantibus. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 3.*

Curatio Chloroseos absolvitur *primò* V.S. præcipuè in talo, si malum recens est, nec sanguis in alium humorem degeneravit, imprimis si à sanguinis evacuatione suppressa oriatur.

2. *Purgatione*, præmissis præparantibus.

3. *Deobstructione*, in qua omnium viscerum habenda est ratio. Mensium imprimis suppressio maxime attendenda venit.

In Diæta acetum fugiendum. vid. *Franciscum Ranchini Profes. Monspeliensis de Morbis virginum* qui instar omnium esse potest: Exstat item *Disputatio inter Basilienses de hoc affectû* lectû digna.

Purgantibus semper digestiva & aperientia præmitti debent. Digestiva & aperientia simul sequentia sunt.

℞. Croci Martis aperit. ℥ß. Sal. cichor. fraxini ana ʒ j. fæcul. Bryoniæ ℈ij. M. F. Digestiv. Datur a ℈ j. ad ʒß.

℞. Croc. Martis aperitivi ℥ ß. fæcul. Bryoniæ ʒj. Sal. aperitiv. ℈ij. M. F. Digestiv. Pulvis.

℞. Tartar. vitriolat. ʒj. Sal. cichor. fraxini, uterini ana ℈ j. M. D. in 6. p. æqu. S. Digestiv. Pulvis.

℞. Essent. chalyb. liquid. aperit. splenet. bovis (si lien simul laborat) ana ʒij. S. Digestiv. Essent. Dos. gutt. 50. vel 60.

Vel

Vel ℞. Essent. aperitiv. chalyb. liquid. ana ℥ß. M. S. ut supra.

℞. Aqu. Aperit. compos. ℥ iv. Syr. aperit. Minder. ʒij. Essent. aperit. chalyb. liquid. ana ʒ iij. M. Dos. cochl. j. vel ij.

℞. Elix. propriet. aperit. ad menses ana ʒij. M. Purgantia (vomitoria etiam si vires ferant) adhiberi debent, & possunt.

℞. Pulv. Diajalap. Myns. ℈j. Agar. trochisc. croci Martis Sacch. ana gr. viij.

℞. Pulv. rad. Jalappæ ℈j. Croci Martis Saccharini, fæcul. Bryon. ana gr. vj. Scam. sulph. gr. ij. M. D. & S. ut ante.

℞. Pulv. phlegmagog. ℈j. Scammon. sulph. resin. Jalapp. ana gr. v. Vitriol. croc. Martis Antimon. gr. iij. (fit ex regulo croco Martis & Antimonio.) M.

℞. Agar. trochisc. ʒß. Pulv. rad. Jalap. ℈ß. Scammon. sulphur. gr. iv. Tartar. vitriol. ℈ß. conserv. & syr. ros. q. s. prô efformando bolo.

℞. M. P. de ammon. Quercet. Tartar. Ejusdem ana ʒß. Scammon. sulph. gr. xij. Extract. troch. alhand. gr. v. F. l. a Pilulæ num. xxiv.

℞. M. P. de Sagapeno ℈j. resin. Jalapp. gr. vi. Extr. troch. alhand. gr. ij. c. s. q. Essent. chalyb. liquid. F. l. a. Pilulæ.

℞. Extract. diacartham. ℈j. troch. alhand. gr. iij. Croci Martis aperit. gr. vi. F. l. a. Pilulæ num. xxi.

℞. Extr. diacartham. ℈ j. Scammon. sulphur. gr. vi. Extract. troch. alhand. gr. ij. F. l. a. Pilulæ.

℞. Extr. chalyb. resin. Jalappæ, Scammon. ros. Tart. rati ana gr. vij. F. l. a. Pilulæ Adsperg. fæcula Bryoniæ.

℞. Extract. diacartham. ʒß. dissolve in s. q. Aqu. aperitivæ, adde Scammon. rosati gr. v. Essent. croc. Mart. liquid. aperit. ana ʒj. Syrup. aperit. Mindereri q. s. F. potiuncula.

℞. Essent. croc. Mart. liquid. aperitivæ ana ʒj. Extract. diacartham ℈ij. Syr. de pom. laxat. q. s. F. l. a. Potiuncula.

℞. Pulv. cathol. purg. ℈j. Essent. aperit. croc. Mart. liquid. ana ʒj. Syr. de pomis laxat. F. l. a. haustulus.

℞. Herb. agrimon. cuscut. Marrub. ana Mj. Florum Borrag. buglossi, Cichor. genist. Epat. Nob. ana pug. 2. Rhabarb. Monach. ℥iß. Rad. Helleb. nigri, filicis ana ℥j. v. aperient. ana ʒij. Sem. Carthami ʒ vi. Agar. albiss. ʒiij. Cinamomi elect. Cassiæ ligneæ veræ ana ʒij. Caryophill. ʒ i ß. spic. ʒj. Sal. Tartar. albiss. ʒiß. F. l. a. Nodulus.

℞. Agarici albissimi ʒij. Rad. Jalapp. ℈iv. Adsperg. Tartar. tinctur. a. infunde per noctem in s. q. Aquæ aperitivæ compos.

Adde syr. de pom. laxat. ℥ß. Essent. croc. Mart. liquid. ʒ j.

Hisce præmissis sequuntur *Confortantia.*

℞. Pulv. cachect. Q. ʒ ij. ebor. sine igne spec. diarrhod. abbatis ana ʒj. cum s. q. Sacch. Aq. Scorzoner. dissol. F. l. a. Rotulæ.

℞. Eboris sine igne calcin. fæcul. Bryoniæ ana ʒ j. Pulv. cachect. Q. ʒ iij. spec. diarrhod. Abbatis ℈iv. *Joh. Michaël in praxi. clinic. gener.*

Curam quod attinet, quid meliùs quàm jucundo amplexû tam molesta exterminare mala? Quod si hoc ipsum non liceat ad remedia alia accedendum. Verùm pauca admodum, ut horum affectuum, ita & remediorum ap. practicos est mentio: Eo tamen imprimis quoad indicationes est collimandum, ut liquoris genitalis s. seminalis vitium corrigatur, & mass. sanguineæ hinc derivata vitiata crasis emendetur ac denique variis indè ortis symptomatis remediis appropriatis obviam eatur. Ut à posteriori incipiam: symptomata horumq; truculentiam optimè removent *opiata* specificis mista. Sed hæc ipsa opiata non curant morbum radicitus, sed saltem ferocitatem ejus palliando occultant.

Quæ ergò seminalis liquoris corruptelam corrigere valent, erunt imprimis *camphora* & *camphorata* quæ non tam absumunt quantitatem, quàm corrigunt virulentiam hujus ipsius liquoris, hinc & mass. sanguineæ & spirituum animalium vitia mire emendant: Nam singulare aliquid in his affectibus latet in camphora: Undè & pestifera miasmata tum potenter corrigit, eorumque violentissimam ferociam mitigat & obtundit. His adjuncta *succinata* erunt proficua: Nam præter vim corrigendi malignitatem seminalem, sal. ejus vol. oleosum ad hystericas aliasque convulsivas passiones mirum est auxilium. *Myrrham* etiam non contemnendi usus putarim non minùs quàm *Castoreum.* Denique ex Saturno parata remedia tam ejus sal. s. Saccharum quàm c. spiritû nitr. aut solo, aut c. aceto distillato acuato, tam ex minio, quàm ex minerâ Saturni parati crystalli: Hi enim & vitiosos sapores succorum corporis corrigere & præternaturales sanguinis effervescentias potenter compescere valent. Moderata acida ex *citro* imprimis petita, item ex *granatis,* aut *cydoniis* erunt proficua. His intermiscenda semen extinguentia dicta ut ex vitice, salice, cannabi, ac similibus elicita medicamina. forsan & *Balsamica Terebinthina* vis genitalibus locis imprimis dicata erit non inutilis.

Vena sectio denique ubi opus fuerit interdum cum prudentia instituenda: imò habitâ circumstantiarum ratione repetenda erit. Verum cùm raro occurrant tales affectus, eorum medelam vel primariam innuisse sufficiat. *Mich. Ethmuller. de morbis mulierum cap 3.*

Consultationes.

Illustris, & admodum reverenda virgo quoniam habitu decoro, & formoso donata est à natura, ea propter non miretur aliquis (quod timor, & mœstitia demonstrant) si in affectionem melancolicam inciderit, solent enim quæcumque ex fœminis pulchriores hoc genus mali, atque quodlibet aliud simile ex pravis succis natum incurrere, cujus nulla alia (ut obiter hoc sit dictum) censetur ratio, nisi quod fœminæ quo formosiores, & colore vividiores, eò etiam temperatiores, & quo corpus earum est temperatius, eò etiam plures illius partes purius, atque temperatius alimentum exoptant, si alimentum, & alitum similia sunt, quare alimenti quod remanet in corpore fit deterius, & intemperatius oporret, quod per universum corpus propagatum, ac distributum affectus præter naturam prætactos producit.

Atqui melancholiam, de qua agitur esse, quam flatulentam, & hypochondriacam dicunt,

hæc

hæc attestantur, ventriculi languor, inappetentia, dolores, ac flatus per imum ventrem discurrentes, urinæ copiosæ, crudæ & turbidæ, ac tandem alvus stiptica, verum hanc eandem affectionem esse consummatam durities in medio ventre cum magno pulsu, cordis palpitatio cum tussicula, & pectoris dolore, totiusque macies, ac lassitudo demonstrat, nec capitis dolor, vigiliæ, auriumque tinnitus affectionem à capite, & non ab hypochondriis oriri suadent, quando hæc cum Symptomatibus ad hypochondria attinentibus juncta melancholiæ ab hypochondriis, & non à capite (materia vaporosa in caput idem effumante) sint argumenta.

Quod verò postremo sit melancholia hypochondriaca ob uterum malè affectum indicio sunt menses imminuti, valdè decolorati, ac sine ordine prodeuntes, potissimum vero morbus virgineus, febris alba à quibusdam vocatus, qui quidem virgineus morbus, sicuti fœminis ob rationem à principio adductam contingere quoque solet ita & pro sui characterismo, ex Hippocrate in lib. de Morb. Virg. habet venarum præcordiorum obstructionem cum sanguinis crassi affluxu & permansione, qui cum transmissus ab hepate ad uterum non potuerit vel ob sui crassitudinem, vel quia incidit in venarum oscula propria sorte angusta, expurgari, necessariò ad hepar, & præcordiorum venas recurrit, & regurgitat, obstructionemque parit, à quo varia incommoda, in nobili autem vestali quæ proposita sunt suboriri necesse est, & quoniam præter timorem, mæstitiam, corporis segnitiem, & quamplura alia mala pulsus celer, ac frequens plus justo, deficiente debita ventilatione sub morbo virgineo evadit hinc hic ipse à quibusdam febris nominatur, cum tamen sui natura sit frigidus, quoniam per ipsum calor ingenitus ex magnis obstructionibus strangulatur, & veluti suffocatur, proindeque corpus universum ad intemperamentum frigidum perducitur, quia humores recrudescunt, refrigerantur, crassescunt, & impactiores fiunt, quod in aliis obstructionibus minimè usu venit, quia humores sub his ex prohibito transpiratu potius incalescunt, febris verò eadem quæ miserrimas virgines apprehendit, albo faciei, labiorumque colore alba dicitur, sub qua palpebræ ac crura prope malleolos sæpe etiam intumescunt, ut affectus virgineus icterus quidam albus existere videatur, nam quemadmodum ex bilis effusione in cutim icterus flavus, ex effusione melancholiæ, icterus niger producitur, ita etiam & ex pituitæ effusione icterum album oriri nemo erit qui neget.

Sed jam ad melancholiam nostram hypochondriacam redeuntes, generationem, & modum generationis illius adducamus, quocirca si ad Galenum 3. loc. aff. 7. respiciamus, proculdubio affirmandum, sit venis hypochondriorum ex obstructionibus ibidem factis phlogosim quandam generari, merito cujus exhalatione atra, & terrea in cor effumante cor anxium reddi & spiritus animales obscurari, hincque timorem, & mæstitiam derivari oportet, nec obstat quod Galenus eo loci ventriculum, & lienem, non autem uterum proponat, ut propterea sententia illius non videatur accommodari melancholiæ nostræ quæ ex utero pendet, quoniam responderi potest quod Galenus meminit earum partium tantum exemplificans, non autem ex proposito loquens, proinde Avicennas non tantum uterum, sed etiam mesereum ac jecur ex proposito loquens proponit; quod si ad morbum virgineum animum convertamus, qui est affectus frigidus, jam non à phlogosi, & hypochondriorum æstu, sed eorum frigiditate hanc melancholiam oriri contra Galenum est statuendum.

Quare ut hæc lis dirimatur, dicendum, generationem, & modum generationis melancholiæ hujusce nostræ sic perquiri posse, quod nimirum illius principia generationis in agentis efficaciam, & passi habilitatem referantur, Agens efficax est exhalatio atra, & tetra cordi, & cerebro communicata, elevata à minera simili non legitima sed spuria, cujus mineræ causa generans tum effectrix est frigiditas, seu intemperamentum frigidum non modo uteri, sed etiam præcordiorum.

Verum cum ad præcordia ventriculus, mesereum, jecur, atque lien referatur, merito dubitari potest an omnia hæc viscera, an verò aliqua malè habeant; De ventriculo igitur (ut res hæc decernatur) nulla est difficultas, quando inappetentia & languor illius apertè demonstrent ipsum malè affici, sed & duricies in medio ventre mesereum ipsum laborare ostendit, solum igitur de liene, ac jecore est difficultas, quoniam tametsi sub morbo virgineo fœminæ colore albo sint refertæ nihilominus jecore affecto cum colore illo flavities aliqua, sicuti liene laborante subnigredo conjungitur, quorum in literis missis nulla pœnitus fit mentio, ut propterea aut jecur, & lienem omninò intacta esse, aut saltem à statu naturæ vix recedere sit constituendum; Utrumque autem sit, intemperamentum frigidum jam propositum ab caloris ingeniti ob magnas obstructiones in visceribus illis extinctione ortum ducit, ad has enim obstructiones semper affectum frigidum sequi scribitur ab Hippocrate & Gal. 4. acut.

Quod vero minera melancholica spuria ex frigiditate, sicuti legitima ex calore nascatur Ætius & Avincenna, primum tamen Galenus 3. de Sympt. cau. 2. scribit, sanguis enim dicit Galenus, nigrescit, & ob id melancholicus ex frigiditate evadit, nam ab hac, partibus sanguinis Diaphanis & luminosis expressis sanguis idem nigrescit. Et si quis objiceret quod Galenus 3. loc. aff. cit. de generatione melancholiæ hypochondriacæ loquens phlogosim, & non frigiditatem proponat, hic ipse sciat, Galenum id quod ut plurimum accidit respexisse.

Causa verò materialis ejusdem mineræ melancholicæ spuriæ est sanguis menstruus copiosus, ac crassus in vasis viscerum prædictorum præter naturam retentus, non ob angustiam vasorum naturalem, quoniam molestiæ quas nunc patitur ante biennium incæperunt, quocirca menstruum retentum fuisse ob sanguinis crassitudinem ac visciditatem vasa obstruentem à pravo victu, & aliis similibus occasionibus externis acquisitam putamus. Nec obstat quod menses aquosi prodeant, quia tenuior pars percolatur, & crassa retinetur, quæ in vasis conclusaà frigiditate viscerum nigrescit & à calore ali-

quo præter naturam in vasis prædictis concitato in cor ac cerebrum effumat nec enim inconvenit in corpore quantumcunque etiam refrigerato calorem aliquem extraneum & ultra leges naturæ excitari qui & putredinem efficere, ac fumos elevare possit, exemplo sunt corpora hydropicorum alioquin refrigerata, in quibus & putredines fieri, halitusque elevari quotidie videmus; & hæc de agentis efficacia.

Subsequitur modo habilitas passi perpendenda, ad quæ duo Hippocrates in libro de morbis virginum totam earum melancholiæ constitutionem reduxit; retulit verò habilitatem corporis mulieris ad pusillanimitatem, & timiditatem, cum etenim fœminæ frigidiores sint, propterea ex Aristotele, Avicenna, & aliis pigræ, ac segnes sunt proindeque quavis causa, levi concitante; animo dejiciuntur, animositas enim, ut in ore omnium positum est, à calore proficiscitur, quapropter si halitus ater spiritibus animalibus permisceatur, virgines, imò verò & omnes aliæ fœminæ ob innatam timiditatem affectui melancholico obnoxiæ fiunt, quod illustri & nobili vestali accidisse liquet.

Verum tamen quoniam affectus melancholicus ob caloris ingeniti omnium operum vitæ opificis jacturam, quam illi infert, omnium malorum veluti seminarium existit, minimè alicui mirum videri debet, si tot incommoda nobilis hæc virgo sustineat, hæc enim veluti germina ac partus affectus jam propositi existunt, quandoquidem calore nativo depauperato, ac lacessito, succi crudi, & ex succis crudis, ac alimentis flatus quam plurimi giguntur, qui ad diversas partes distributi, ac relegati eas malè afficiunt, & incommodant, cunctaque mala, quæ in historiis describuntur gignunt.

Quibus ut Medicus præsto sit, in id incumbere debet, ut caloris nativi jacturam submoveat, atque hunc ipsum tum toti, tum singulis ejus partibus præcipuis reparet, ea tamen ratione ut prius totum à colluvie excrementorum pituitosorum, & melancholicorum expietur, deinde obstrustiones ac sanguinis menstrui vitia propriis præsidiis attenuantibus, detergentibus, ac impetum illi ad uterum perhibentibus emendet; tametsi prouincia Medico curanti valde ardua, ac difficilis offeratur, ut vix metam attingere posse putandum sit, affectus enim est vehemens, & vires totius corporis rectrices ferè superat, quod ex his facile est intelligere, primum enim affectus de quo agitur secundum propriam essentiam est cum insigni lapsu à naturæ statu, Symptomata plura, & hæc ipsa magna adjunguntur, causæ vehementer agunt, ut atrophiam ipsam minentur. Secundò viscera omnia naturalia, vitalia, ac animalia, immò verò, & totum ipsum corpus, ut de se liquet, labem ex frigiditate aliquam contraxerunt, postremò adeò difficulter, (uti pulsus languor, totius marcor & lassitudo ostendunt) vitium hoc à facultate regitiva toleratur, ut hæc ipsa quasi succumbere videatur, nihilominus Deo, Optimo Max. auxiliante spero ob patientis obsequentiam, prudentiam, ac florentem ætatem futurum, uti si affectus propositus, ejusque Symptomata non penitus cedant, saltem imminuantur, quod per materias medicas proponendas obtineri posse existimo.

Et quantum ad chirurgicas spectat, hoc tempore cauteria femoribus secundum partem domesticam infixa laudamus, mox obstructionibus aliquo modo reseratis, ac sanguine per calefacientia, & concoquentia ad meliorem frugem deducto, scarificationes malleolorum, vel potius cucurbitulas scarificatas suris tibiarum hinc inde applicitas non improbamus, sicuti nec frictiones humidas nunc toti corpori præhabita totius providentia, posthac partibus infernis ex aqua ardenti, vel elixire vitæ adhibitas vituperamus; imò verò & cucurbitulæ siccæ femoribus secundùm partem domesticam citra scarificationem applicitæ, ubi usus postulabit, videntur opportunæ.

Pharmaca administranda evacuantia, & alterantia erunt, in serie priorum non tantum ea quæ sensibiliter, sed etiam insensibiliter agunt arrident; quæ sensibiliter evacuant sunt lenientia purgantia & menses evocantia, lenientia quæ hic opportuna videntur, sunt vel syrupus de polypodio magistralis cum mel. ros. sol. vel hiera cum Diacatholicone, purgantia verò, quæ placidiora seligantur, & per intervalla, ac vices usurpentur, nam corpora magnis obstructionibus referta medicamentis vehementibus non sunt irritanda, & humores crassi, ac visci di unica vice non possunt concoqui, & evacuari, sed sensim concoquendi, sensimque evacuandi sunt, pilulæ igitur de tribus cum Rhabarbaro, de hiera cum agarico Mes. de Sagapeno Mes. probantur, quibus portio aliqua vel epithimi, vel ellebori nigri præparati est adjicienda, huc quoque referendum infusum agarici trociscati & hellebori nigri præparati cum syrupo de polypodio magistrali, item & cydoniatum ex carne cydoniorum in vino decoctionis polypodii, & epithimi cum saccharo cocta & pulvere radicis mechiocani factum, postremo & vinum ex sena, & carthamo cum radicibus buglossi paratum, item & triphera de epithimo, nec non Diachartamum ex descriptione Nic. Florentini addito pulvere senæ præparatæ compositum.

Menses evocantia hæc placent, primum ex aqua pimpinellæ; & croco paratur, alterum est pulvis radicis gentianæ ad drag. j. ex jure cicerum rubeorum quotidie datus. Tertium est sal Sabinæ chimicum ad scrup. i. ex decocto pulegii exhibitum. Quarto Castoreum devoratum ad idem conducit, sicuti & medicamentum quod fit ex æquis portionibus boracis mineralis, & cassiæ ligneæ in formam potus cum aqua adianti exceptis. Quinto antidotus hæmagoga. Sexto oleum vitrioli Romani ad scrup. ſ. in vino decoctionis betonicæ & matricariæ exhibitum. Postremò est vinum chalybeatum quod componitur sic.

♃. *Vini albi generosi lib.* 12.
Aquæ stillatitiæ matricariæ lib. 3.
Foliorum Diptami Cretici
Pulegii
Calamintæ
Origani Orientalis
Sabinæ } *an. pug.* 1.
Radicis eritroidis
ciperi } *an. unc.* 1.

Cinna-

Cinnamomi
Macis } *an. dragm.* ij.
Sem. dauci

M. & bulliant in duplici vase ad consumptionem quintæ partis, deinde addatur lib. j. limaturæ chalybis præpar. & omnia reponantur in vase vitreo bene obturato, vasque in stuffa furnaria per decem dies continuos detineatur. & quotidie vas agitetur. Dosis est ab unc. iij. ab lib. 1.

Chalybs quoque fusus Magni Ducis Hetruriæ ad drag. ij. in decocto nepitæ ad plures dies bibitus huc est referendus.

Pharmaca insensibiliter evacuantia, quæ post totius prospectum ad pituitæ dissipationem conveniunt, tametsi plura sint, duo potissimum possunt illustri, & Reuerendæ Vestali usui esse, Primum est antidotus magna mediæ ætatis intervallis quibusdam devorata; alterum est jus columbi turriti, vel (quod magis probatur) galli antiqui, in quorum ventre lignum Indicum, sassafras, radix cinæ, lignum visci quercini, betonica, melissa, capillus ven. Ceterac, cuscuta, artemisia, menta, passulæ, & tartar. vini albi sint incocta; exterius quoque abdomini spongiæ madefactæ in decocto eorundem simplicium facto in aqua, & vino odorato, adhiberi poterunt.

Occurrunt tandem medicamenta alterantia, quæ vel ad materiam crudam, vel ad obstructiones, vel ad viscerum intemperamenta diriguntur, si ad cruditatem materiæ primum syrupi de betonica, acetosus de radicibus, & de artemisia diluti cum jure columbino decoctionis betonicæ, pulegii, boraginis, melissæ & artemisiæ, deinde syrupus de calamento, vel oxymel scyllinum cum decocto matricariæ, vel Diacalamentum, vel Diatrium pipereum probantur.

Si ad obstructiones præter alia jus columbi, & galli superius propositum, adjectis ladidibus aperientibus maximè laudatur, quod magis proderit, si ante syrupum matutinum bolus ex gummi ammoniaco, & sale absynthii detur, quò pertinet infusum radicis scorchionerae in vino odorato, adjecto pulvere lapidis Bezoar, & vinum quod ex infusione chalybis supra propositum.

Postremò si alterantia ad intemperamenta viscerum pertineant, pro ventriculo præter nucem muscatam conditam, ac radicem gingiberis, & pulverem Angelicæ odoratæ, maximè extollitur, stillicidium admotum ex oleo amygdalarum dulcium, & vino Cretico cum polio montano, absynthio, menta, nuce myrrhistica, cinnamomo, ligno sassafras, myrrha, Benzoino, & mastiche in duplici vase ebullitis factum, à quo ceratum ex mastiche pulvere Angelicæ aromatizatum appositum juvabit, sicuti & lana illota, infectorio coccio infecta jugiter gestata. Pro mesenterio in medio abdominis indurato stillicidium pariter ex oleis amygdalarum dulcium, & semine lini, in quibus in progressu radix peucedani & cucumeris agrestis sit incocta maximè juvabit, à quo pariter superdandum ceratum ex oleo seminum lini ad spissitudinem cocto pariter in progressu addita portione cerati. Ex quibus apparet, nec lac nec balneum aquæ dulcis hoc tempore ob caloris nativi indigentiam, ac labem ex frigore contractam convenire.

De victus ratione statuendum moderatè attenuantem convenire, quem nobis Galenus in proprio tractatu reliquit, solum igitur notamus primum pulverem coctilem ex pane biscocto, agalloco, cariophylis, croco, & coriandris cum saccaro cibariis esse inspergendum; præterea, vinum fuluum auratum, vel calybeatum in cœna, & prandio continuo potandum esse, immo verò vinum in quo chalybs præparatus cum pulvere coriandrorum per sacculum maceratus continuò detineatur maximè probatur, sicuti & quod tempore hoc vindemiarum instante cum roremarino, radice buglossi, china, & ligno sassafras pro tota hyeme conficitur; Postremo pro aluo irritanda præter clysteres emollientes, laudantur hæc: primum sal tartari albi, vel Mercurialis chymicum ex ovo sorbili apsumptum. Secundo caricæ pingues in quarum medio granum salis positum sit in prima mensa commansæ. Tertio pruna dulcia primum in manna dissoluta, ex infuso senæ infusa, deinde manna simplici antequam ex toto siccentur obtecta; Postremò aloes succotrina in succo Sabinæ nutrita. Atque ut hæc in salutem hujus dignissimæ Virginis cedant D.O.M. precamur. *Jul. Cæsar Claudin. Consultationum Medicinal. libro.*

Barbara Margareta filia viri Nobilissimi Domini C. A. K. p. m. ab anno decimo quarto ætatis usque ad decimum septimum menstruatim & ordinate per uterum purgabatur: Hinc fructibus horariis & lacte, piscibus item, aliisque cibis crassis & viscidis copiosius, frequenterque ingestis, menses substitêre, faciesque & labia ex colore roseo in subalbidum & virescentem mutari, totumque corpus, maximè crura, & pedes intumescere coeperunt. Accessit, & capitis dolor, ciborumque fastidium & murmura, rugitusque ventris cum hypochondriorum tensione, interdum & cordis palpitationes molestæ erant, spirandique difficultas, maximè à concitatiore corporis motu.

Ex Prava victûs ratione humores crudos, & viscidos in corpore collectos, sanguinique permixtos mensium retentionem induxisse statuo, quatenùs obstructis uteri venis sanguini menstruo denegatur effluvium.

Ex hoc fonte reliqua scaturiunt symptomata.

Facies & labia pallent ab humore pituitoso, & seroso ad ambitum corporis & cutem delato.

Totum corpus, maximè crura, & pedes intumescunt ob eorundem vitiosorum humorum abundantiam, quorum potissima pars ad pedes decumbit.

Capitis dolor à vaporum adscensu, quatenùs membranæ cerebri ab iisdem distenduntur, dependet.

Ciborum fastidium impedita chyli distributio, crudique humoris copia excitat.

Murmura rugitusque ventris à conclusis & hinc inde divagantibus flatibus moventur.

Hypochondriorum tensio à sanguinis ad majora vasa refluxû, dimanat.

Cordis palpitatio spirandique maximè post motum concitatiorem, *difficultas*, suboritur à vaporibus, qui è sanguine crasso & impuro per motum incalescente elevati, respirationis orga-

na comprimunt, cordique molesti sunt.

Humores itaque vitiosi evacuandi, obstructiones viscerum reserandæ, intemperies corrigenda, menses provocandi, & victus ratio meliorandi.

Evacuationi præmittenda est viarum communium relaxatio & humorum præparatio. Illud prunis nostris laxativis, hoc emulso suprà descripto obtinuimus.

Purgationem ipsam pulvere nostro panchymagogo instituimus. Ad viscerum autem obstructiones expediendas, intemperiemque corrigendam, vinum medicatum præscripsimus, quod simul & menses movet.

℞. Fol. meliss. Chamædryos, Arthemis. Agrimon. ana m ß. Sabinæ. Rad. Enulæ, ireos, rubiæ tinct. ana ℥ß. Sars. parill. ℥vi. flor. cheiri, rorismar. apic. flav. lil. albor. ana p. 1. Sem. dauci, anis. fœnicul. ana ʒij. Croci integri ℈ I ß. Incisis & conquassatis affunde vin. Rhenani albi q. s. bibat manè & vesperi cyathum unum uncias circiter quinque continentem.

Verum cum pertinacia mali hæc omnia eluderet, duro nodo durum ratus quærendum esse cuneum, corpus denuò evacuavi, exhibito pulvisculo exiguæ quantitatis, sed magnæ efficaciæ.

℞. Fæcul. Bryon. ℈j. Magister. gummi de Goa gr. x. ol. stillat. macer. gt. j. M. F. pulvis ex aqua cinamomi sumendus in aurora, cum jejunio & custodiâ.

Hinc Electuarium meum chalybeatum per dies 14. singulis matutinis cum vino melissato hauriendum præscripsi.

Postmodum denuò pulvisculum ex Magisterio gummi de Goa exhibui, cujus iterato, & efficaci usû humor serosus in tantùm absumtus est, ut pedes manifeste detumescerent, & vena tali, quod antea propter œdema non erat integrum, aperiri posset, quo facto menses erupere, perfectaque quâ in hunc usque diem gaudet, subsecuta est sanitas.

Interea toto curationis tempore victum commendavimus ex cibis boni succi, & facilis coctionis, interdicto frigidorum, humidorumque ut & flatulentorum usû; leguminibus scilicet & oleribus, piscibus, carne suillâ, anserinâ, anatinâ, jurulentis, lacte, & lacticiniis, fructibus horariis, & imprimis aceto, quod calorem viscerum debilitat.

Pro Potû ordinario obtulimus cerevisiam melioris grani & vinum Rhenanum, quandoque & sectarium, sed parcius.

Cætera vigilias & somnum, animi pathemata, motum & quietem &c. omnia moderata esse jussimus; excretiones autem nisi quotidianæ per naturam essent, arte promovimus. *Baldass. Timæus casuum Medicin. lib.* 4.

Honesta virgo, 25. annum agens, à nativitate totius temperamentum calidum & humidum sortita, pravis eduliis semper de more enutrita, pallida facie, satis tamen formosa, cui parca menstrua, nec ante 18. annum apparuere, continuò circa viscera naturalia aliquod incommodum passa fuit, sed postquam duobus ab hinc annis ei menstrua omnino defecerunt, mæsta & timida evadere cæpit, cum sensibili cordis oppressione atque palpitatione, & difficili quadam respiratione strangulationem æmulante; nec non hypochondriorum tensione, & coxarum atque tibiarum torpore. Tandem febri cum horroribus correpta est, quæ statas periodicationes minimè servat, sæpe cum mentis alienatione, clamoribus ac vociferationibus, adeò ut à Dæmone ipsam possideri Religiosi aliqui affirment, vulgares suspicentur, dum verò ad mentem redit, mortem ut jucundissimam, vitaque multo meliorem, desiderat. Præterea pedes tandem semper, palpebræ verò & facies tota quandoque œdemate tument. Religiosi vocati pro signaculis. Maleficæ mulieres, ad maleficia solvenda. Divis vota facta. Cùm verò horum nihil profuerit, tandem ad nos Medicos confugiunt, ut de agendis pro Virginis salute consulamus.

Cùm Medecinæ Scriptores dubitaverint affectũ hunc forsan nullo nomine nuncupandum, pluribus ab iis sollicitè fuit insignitus. Ab aliis enim Virgineus morbus fuit dictus, quia Virginibus familiaris esse solet. Ab aliis febris amatoria, pulchriores enim potiùs quàm deformes hoc affectu corripiuntur, ratio est quoniam partes in his bene temperatæ, bonum sanguinem ad se trahunt, malum rejiciunt, qui corpus inquinat. Quibusdam febris alba seu alba icterica, quia hoc affectu correptæ corpus album, cachecticum, ac veluti œdematosum præ se ferant. Et tandem ab Hippocr. Erronea febris, quia nullum typum nullumve ordinem servet.

Est autem affectus iste morbus in via, nimirum obstructio vasorum, circa uterum primò, deinde circa mesenterium & jecur, dum enim sanguis statis temporibus uteri venas pervadere non potest, refluit, & præ multitudine resilit in cor & septum transversum, unde timores, pavores, dæmoniacæ imaginationes, difficiles respirationes & veluti strangulatus, cordis oppressiones; qui sanguis depressus ex coxis ac femoribus, in tibias & pedes, torporem inducit, donec ad superiora revertatur, quod facilè fit propter venarum rectitudinem. At ex corde & septo non adeo facile refluit, venæ enim obliquæ sunt, & locus est ad insaniam & delirium satis aptus, quo repleto, & horror cum febre ingruit, quas erroneas febres appellant. Verum quia ex pravo sanguine detento, frigida in visceribus & toto corpore succrescit intemperies, ideo frigidorum atque crassorum humorum copia congeritur, quæ nativum calorem cordis, jecoris & totius suffocando modò pedes & faciem paulatim, brevi verò & totum corpus, veluti œdematosum, ac verbo, cachecticum reddet.

Affectus, qui neglectus, sæpe in schirrhos viscerum naturalium, hydropem, insaniam & mortem terminatur. Curatu quidem difficilis in hac Virgine, sed difficilior multò evadit si maritatis sterilibus contingat, nam Virgines si viro utantur, aut menses suboriantur, aut conceperint, promptiùs liberantur.

Pro curando hoc affectu duplex est medica intentio. Altera totum. Altera partes, tum obstructas tum intemperatas respiciens. Totum itaq; 1. per partem post partem evacuandum. Secundò, mesenterii, jecoris & uteri venæ deobstruendæ. Tertiò, ventriculi, jecoris & uteri frigida intemperies corrigenda & auferenda. Et quartò partes affectæ roborandæ. Cujus quidem affetiùs

ctus curatio, curæ Leucophlegmatiæ non admodum dissimilis est.

Et si de remediis à fonte Chirurgico desumendis loquamur, hujus affectus curatio est sanguinis detractio, & quidem in hoc casu venæ superiores priùs aperiendæ, ut auferatur & dematur sanguis collectus, qui per venas inferiores nullo modo evacuari posset, imo sectis primò venis inferioribus, uteri obstructiones adaugerentur. Secundo verò loco, ex venis inferioribus, circa tempus consuetum menstruæ purgationis. Parce tamen erit sanguis educendus, cum jam in Cocochymiam migraverit, at potius electivè purgantibus pravi humores erunt educendi. Cauterium in coxa dextera locum habebit; Pariter frequentes pedum lotiones, aqua salsâ & nitrosâ, aut lixivio forti, addito sale.

In totius expurgatione; ventriculus est primò mundandus, melle rosar. cum manna, vel elect. lenit. tart. Prima præparatio procurabitur ita.

℞. Mell. ros. col. oxym. simpl. an. ℥iß. aq. cinnam. ℥j. M. pro syr. & sic pro aliis quinque. A quibus expurgatio succedat syr. rosat. & mell. ros. sol. cum elect. diacarth. vel elect. lenitivo, diachat. cum granis extracti mechoacann. Hac sequutâ primarum viarum expiatione, secunda ineunda erit præparatio tali syr.

℞. Oxym. comp. syr. byzant. cum aceto an. ℥j. syr. de cichor. cum rhab. ℥ß. decoct. cich. borrag. meliss. beton. agrim. cuscut. rad. gram. ℥vj. M. pro syr. & sic pro aliis septem. Deinde præparati humores erunt ita expurgandi.

℞. Agar. trochisc. ʒij. rhab. opt. ʒj. fol. senn. epith. an. ʒiß. cinnam. integri ʒj. aq. meliss. q. s. M. f. inf. per hor. 12. deinde fiat fortis expressio, & colat. adde syr. ros. sol. ℥iiij. elect. diaphænic. ʒij. M. f. potio.

Vel ℞. Electuar. lenit. diaphænic. diachat. an. ʒiij. pilul. de hiera cum agar. ʒj. M. f. bol. 4. horis ante cibum assumendi.

His peractis, nemo in arte versatus facilè crediderit omnes obstructiones circa viscera naturalia omnino expeditas, minus verò totum venosum genus à pravis humoribus defæcatum. Quare reliquiæ obstructionum sunt removendæ, ac totum, quantum fieri potest, expurgandum, in quem finem nil syr. Fernel. præstantius excogitari potest, eidem addendo rhab. ab eodem omissum. Præbeatur autem quotidie ad ℥ij. in semicyatho vini albi maturi, non valde generosi, matutino tempore, 4. horis ante prandium per 15. dies. Post ejus usum, cum viscera naturalia deobstructa satis fore conjectari possit, totumque, si non omnino, sat tamen bene expurgatum, ideo tempestivum fuerit quam primùm ad obstructiones uteri demoliendas, mox ad menstrua provocanda devenire.

Pro contumacibus obstructionibus auferendis, principem locum obtinere chalybem tota Medicorum schola profitetur, qui tamen, nec nimis trituratus sit, nec nimis ignitus: trituratus enim in argentum vivum degenerat, tuncque vomitum provocat, & alvum turbat: nimis autem ignitus privatur suo sulphure & mercurio: qua ratione evadit crocus martis, potiùs adstringendi quàm aperiendi vim obtinens. Quare in hoc casu convenientissimus erit crocus martis aperitivus, cum acido sulphuris paratus, ita exhibitus.

℞. Croci mart. aperit. gr. iij. trochisc. de eupat. ℈j. de myrrha ℈ß. M. & cum aq. capill. ven. q. s. ref. bol. j. & aur. à quo bibat Patiens talem potionem.

℞. Salsæ elect. rad. fænic. petros. gram. lign. sassafr. incis. an. ℥ß. aq. agrim. lib. iij. M. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad. consumt. dimid. addita quarta parte pulli junioris, & colat. servetur pro duabus vicibus, matutino tempore assumenda, quæ efficacior reddetur, additis gut. iij. vel iiij. spir. sal. vel. ℈j. spir. tart. ter rectific.

In hujus medicamenti usu per xxx. aut xl. dies erit persistendum. Sed interim externa quoque deobstruentia aministranda, quæ humectent & aperiant, non exsiccent, cujusmodi erit fomentum paratum ex decocto malv. melil. orig. puleg. calem. leucoii. rad. alth. & lil. alb. quod mane & vesp. per horam administratur, inunctis mox pudendis oleo lil. alb. & keirino mistis.

His peractis, si menstrua adhuc, prout opus est, non eruperint, eadem provocantia continuò erunt adhibenda. Quare instituendum jus familiare alteratum fol. capill. ven. arthem. orig. puleg. calam. mont. exhibendum singulo mane ad ℥vij. additis, vel aq. ex allio destill. ad ℥j. vel oleo sabinæ ad ℈ß. adhibitis interim insessibus usque ad umbilicum, in aqua Aponitana sulphurea.

Toti exsiccando, & partibus corroborandis, usus theriacæ antiquæ præstantissimus fuerit.

Quibus victus ratio congrua erit calefaciens, parùm exsiccans atque attenuans, & nisi medicamentis, aut Dianæ votis malum cedat, viro jungatur, & sana evadet *Joan. Raymund. Fortis lib. de Morb. Mulier. Tom. I. Consil. insertô.*

Virgo Nobiliss. ætate jam nubili submelancholica censenda ex totius colore fusco, hepatisque intemperie justo calidiori, sedentariæ vitæ sexui propriæ addicta, proximè præteritis annis succos crassos in venis congessit, qui ad uterum expurgationis causâ quolibet mense transmissi, tandem ob eorundem crassitiem & visciditatem in ejusdem venis occlusi & fixi obstructiones & infarctus induxerunt, unde consueta menstrua purgatio suppressa fuit. Quoniam verò *si menstrua non fiant, ex utero morbi contingunt.* Ideò duobus mensibus ab eadem suppressione, succi in venoso genere hærentes, prædominio biliosi, & subdominio melancholici atque pituitosi, putredine concepta, febrem duplicem tertianam continuam excitarunt, cui mirum non est, capitis dolores, & ventriculi angores accessisse, tum ob exhalationes ad caput & os ventriculi à putridâ minera elevatas, tum propter uteri consensum cum omnibus corporis partibus.

Congruis autem medicis auxiliis sanata febris, judicataque Pat. fuit. Verùm quoniam causa antecedens eodem tempore auferri non potuit, menstruorum nempè suppressio, & prætereà quia obstructiones licet nondum putrescentes, circa viscera adhuc superstites, supponimus, ex aliquo potû copiosiori in febre prægressa

gressa æstiva contractas, ideò paucis post diebus novis coacervatis cruditatibus ab imbecilliori convalescenti ventriculo relapsa est Nob. Pat. in febrem non quidem ut antea acutam, sed febriculam potiùs, ut potè a cruditatibus partes non adeò Nobiles obsidentibus productam.

Hâc verò neglectâ, una cum accommodata victûs ratione, cruditates, & excrementa varia, indeque obstructiones, non leve incrementum susceperunt unde hepar, & lienem obduruisse tunc primùm, atque mesenterium, & universam abdominis regionem intumuisse credendum, tuncque nutritionem, labefactari paulatim cœpisse, accedentibus mærore, cibi fastidio, capitis, lumborumque dolore, cordis angustia atque tremore, difficili respiratione, totius lassitudine, ac tandem faciei & labiorum pallido colore, cum febricula erronea, nullo ordine invadente, & pulsu parvo, ac frequenti, quæ omnia symptomata virginei morbi, sive febris albæ, superiorum viscerum naturalium obstructiones utero perpetuo fovente. *Cùm enim osculum exitus menstruis purgationibus non fuerit apertum & sanguis continuò influxerit, tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine resilit in cor & ad septum; quæ partes repletæ infrigidantur, & ideò fatuitatem & torpedinem sequi* scripsit Hipp. *Ad hæc horror cum febre ingruit, erronea dicta, formidant Patientes, iisque læditur respiratio, timent, mærent, & tandem in vitæ desperationem incurrunt.* A quo statû ab Hipp. descripto, parùm aut nihil abesse Nobil. hanc Virginem utique censuimus.

Quo ideò liberari difficillimum putamus, est enim ex illis morbis quorum curationem à Diis auspicandam esse dixit Hipp. ejusdem difficultatem his verbis significans, quæ & augetur a prægressa plurium mensium menstruorum suppressione. Nihilominus quoniam tumores nondum in visceribus genitos supponimus, & anni tempus purgationibus idoneum accedit, supposita Pat. obtemperantiâ, & in medicamentorum usû perseverantia, hucusque minimè servata (unde non mirum si leve, aut nullum ab arte medica juvamentum sit secutum) curatione à nobis proponenda, ab imminenti cachexia, & hydrope Nob. Virg. præservandam, & ad multò meliorem statum redigendam speramus.

In quam rem recto ordine primæ viæ erunt excrementis emundandæ, inde paulatim per partem post partem mesenterii, hepatis & lienis obstructiones aperiendæ, mox totum venosum genus à cacochymia vindicandum, & tandem ad uteri venas reserandas erit deveniendum, corroboratis denique visceribus.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, à fonte Chirurgico repetita sanguinis missio est depromenda ex brachio, post primarum viarum expiationem, verùm eâ cautione ut Medico præsente, si tenuis, & valdè serosus effluxerit, supprimatur. Secundo ex saphena, sed parcè, ratione tantùm motus, & solum sub finem post adhibita hysterica aperientia. Cauterium omnino conveniet coxæ inustum, sicuti pedum lotiones in fine tantùm curationis, & quotidianæ inunctiones uteri regionis, oleo simpl. lil. alborum.

A fonte Pharmaceutico præcipua desumenda remedia, quoniam jam sanguis suppressus in cacochymiam descivit. Sic primò conveniet potio ex manna clarif. cum insus. sen. & tart. Primum præparans erit Julap. acet. ad ℥ ij. vel iij. totidem additis drachmis crem. tart. & ℥ß. Aq. cinnam. Quinque verò post diebus repetatur eadem potio, ut suprà institutâ mox novâ præparatione. Et quoniam in uterinis affectionibus, & hypochondriacis affectibus, non multùm conferunt Sacch. aut mellita, ideò succi potiùs herbarum depur. decoct. erunt infundendi, ut

℞. Succi depur. borrag. agrim. an ℥ j. tart. vitr. gr. x. decoct. cichor. borrag. buglos. bet. melis. petrosel. ℥ iv. m. pro syr. & sic pro aliis. Septem verò exactis diebus, præbeatur infusum ex agar. rhab. & senna additis syr. ros. sol. & de polyp. à quo jus hordeac. ebibat.

Inde ad efficaciora deobstruentia erit progrediendum, in quem finem efficacissimus erit Syr. Fernel. quem cachecticum appellant addito Rhabarbaro, cujus mittimus descriptionem nobis familiarem. Præbeatur autem alternis diebus ad ℥ ij. in jure cich. vel end. alterato, & absente febre, etiam in semicyatho vini albi tenuis, non dulcis, more Ferneliano, diebus autem intermediis exhibeatur Bol. ex ℈ j. Extract. rhab. & ℈ ß. tart. vitriol. paratus, à quo bibat decoct. cich. end. agrim. melissæ petrosel. & fœnic. ℥ v. vel cyathum aq. stil. agrim. sicque pergat per mensem; etenim nec levibus remediis, nec brevi tempore affectum hunc expurgari posse pro certo habendum.

Tunc temporis vero de Chalybeatis medicamentis cogitandum fuerit ut duriores & contumaciores obstructiones attenuari & atteri possint. Chalybs autem ita præbeatur, ut peractâ operatione extra corpus educatur simul cùm excrementitiis humoribus obstructiones inducentibus, cujus causâ medicamento aliquo purgante, vehiculi loco illi immixto opus fuerit. Præ omnibus autem Chalybis præparationibus à me expertis, præstantiorem observavi, quam crocum Martis aperitivum appellant, cum acido sulphuris paratum, cujus grana duo aut ad summum tria mirabiles certè effectus semper præstare consueverunt. Quare præberi poterit bolus ita paratus.

℞. Pil. de tribus cum Rhab. ʒ ß. croci Mart. aperit. gr. ij. m. f. Bol. quem sequatur potus decocti salsæ, & tamarisci, idque pluribus diebus, prout Excell. Viro adstanti opportunum ac necessarium visum fuerit.

Tandem ad uteri venas aperiendas erit perveniendum, in quam rem xv. aut xx. diebus præbeatur aqua destill. ex capill. Ven. & artemisia, addito vel cochleari Aq. Sabinæ still. vel gutt. Ol. Sabinæ, vel gr. x. sal. arthemisiæ, præmisso quinetiam bol. ex troch. de myrrha, cum Tereb. reformato, quo tempore, præstò sint fila cannabina in lixivio cocta, & imò ventri, matricis nimirùm regioni calida admota, efficacissimum enim hoc ad menstrua provocanda remedium, quo ablato, inunctio ex ol. lil. alb. cum aromatibus usurpanda.

Interim ventriculo ac jecori roborationem conciliabit sal absinthii ad ℈ ß. hora ante prandium & cænam exhibitus.

His omnibus tandem congrua & accurata vivendi

vivendi ratio addatur. Vinum ad mensam salsa, tamarisco; & pauxillo sassafras medicatum paretur, & familiare medicamentum purgans præscribatur; magist. scil. mechoac. ad gr. xii. vel xv. cum ℈ß. pil. aggreg. vel ℥ij. elect. lenit. iterùm aut tertio quolibet mense assumendum. Quæ omnia à Prudentiss. atque Excell. Viro Adstanti administrata, ope divina, profutura speramus, ut tandem Hipp. consilio, viro jungi possit Nobiliss. Virgo. *Joh. Raymund. Fortis consult. & respons. medic. Tom.1. Cent.2.*

Vita vexationibus plena, quam à naturæ primordiis traxit Illustrissima patiens, quantum visceribus potissimùm naturalibus detrimentum afferre potuerit, unicuique in arte perito manifestum est cùm existimaverit Plato, omnia nostra mala ab animo pendere. Eorundem prætera viscerum nativus calor non parvam contraxit labem ex venenatâ assumptione: Uteri pariter intempestivam infœcunditatem læsionem iisdem attulisse credendum. Damnum tamen non sese manifesto prodidit, dum viguit ætas & calor nativus; sed eo paulatim debilitato, imperfectiores quotidie semper magis coctiones, nutritionesque depravatæ sunt redditæ ab excrementorum & crassorum & viscidorum proventu, undè totius jam color semper ferè vitiatus, excessus tamen observati non sunt, donec menstrua purgatio singulo mense onus deposuit. At quia tandem tum ex imminuto calore nativo, tum ex ætatis conditione; succi & crudiores & melancholici copiosiores geniti sunt, ii sibi ipsis viam ad uterum intercluserunt, unde menses diminuti, nec per idem tempus semper venientes, imò tandem præ propere ex toto ferè suppressi; qui prætterquam quod massam sanguineam impuriorem significabant detenti & ad superiora conversi, obstructiones jam sub pyloro, nunc magis in ramis inferioribus, in liene manifestas, in hepate & utero non adeò manifestas produxerunt; cum caloris nativi harum omnium partium imbecillitate, qui ut parvus ignis à copia lignorum viridium suffocatus est. Quare mirum esse non debet si ex utero morbi contigerint; menses enim recurrentes per venas in septum difficultates anhelitus & suffocationis sensum pariunt; in caput destillationes; in ventriculum inappetentiam & nauseam, in jecur sanguificationem vitiant, unde vitiatus totius color, tumores pedum oedematosi, in cor tremores, palpitationes, pavores, melancholias (imò & in senioribus cor fatuum fit ex Hipp. indeque torpedo, & delirium) & tandem eorundem excrementorum portio circa viscera naturalia putrescens; vel agitata incalescens nonnunquam jam febres quartanas & erraticas, nec non in præsentia ferè continuò erroneas & albas producit.

Affectus quidem difficiles, recursus enim mensium ad inferiora ob ætatem progressam obtineri non poterit. Quare hoc insigni naturæ beneficio destituti, omni arte tuenda erit Illustrissima mulier à melancholia, cachexia, & Hydrope: quod præstabimus, diligenter defæcando massam sanguineam, aperiendo obstructiones, auferendo intemperies; & semper fovendo calorem nativum, cum totius habitus jam ad frigidum vergere inceperit. A sanguinis missione inchoat Curationem Hipp. si nihil prohibeat. In casu nostro sola quantitas prohibebitur; quare vena superior aperienda erit ad sanguinem pravum in toto collectum educendum; & si se obtulerit occasio; caute tangi poterit, & saphæna ad motum. Duo cauteria affigenda; & si forsan affixa sint, custodienda.

Evacuantia medicamenta erunt lenit. cum tart. vel potio magistralis, elect. diaphæn. magist. Jalappæ, flos antimonii, præparatus secundum Fontecam. Specificum autem est in hoc casu medicamentum extractum Veratri cum Cassia. Præparantia erunt Oxymel cum aqua cinnam. sine diluto; oxymel cum syr. Bisant. & de cich. cum rhab. cum decoct. borag. malv. melissæ, artemisiæ, scolop. eupath. absinth. & quatuor radicum aperientium. Alternis autem diebus syrupus Fernel. ex vino albo. Tunc temporis forsan ex usu esse poterunt aquæ Tettucianæ, de quibus consilium in arena. Mox decoctio Epithymi Mes. aut extractum ejusdem per tres aut quatuor vices alternis diebus cum sero, si opus fuerit. Diebus autem intermediis succus cich. & fumariæ depur. in jure aperiente. Ultimo loco ad usum chalybis tanquam ad alexipharmacum deveniendum, qui chalybs nec nimis trituratus sit nec ponderosus fiat; argentum vivum evadat ventriculumque turbet: nec sit nimis calcinatus, ne partes sulphureas amittat; & astringens, ut crocus martis evadat: namque sæpe frustratur expectationem nostram, quia perperam præparatur. Assumatur verò cum pilulis de tribus cum Rhab. aut de hiera cum agarico. Huic associabitur jus columbi alteratum china, momento sassafras, tamarisco, dictamno, artemisia, & quatuor radicibus aperientibus. Declinante verò æstate magnæ antidotus ex usu erunt. Nec displicerent uteri insessiones in Balneis Aponensibus.

Congrua his omnibus addenda erit victus ratio, ut felicem eventum à nobis tantopere exoptatum assequamur, qui ut facilius obtineatur, prædicta omnia ab eximio, & prudentissimo judicio dilecti Viri Illustrissimæ Patienti corrigenda fuerint. *Joan. Raymund Fortis Consult. & respons. Medic. Tom. 2. Cent. 2.*

N. V. De *Aristotele* ingenti illo naturæ lumine, *Platonis* discipulo, refert *Ælianus* cùm adversa valetudine premeretur, & Medicus vocatus non prævio de morbi genere discursu ipsum curare tentaret, ita fuerit affatus: Ne me velut bubulcum suscipias curandum, quin prius de causa morbi edisseras, tum me magis morigerum & præceptis tuis audientem habebis. Hoc ipsum ne mihi eveniat, priusquàm in curanda filia tua dulcissima medendi methodum proponam, paucis te de morbi, quo laborat, indole & ingenio erudiam. Affectus cujus illa, meliori fortuna digna, succumbit tyrannidi ab *Hippocrate* artis Medicæ venerando conditore χλώρωσις, à recentioribus morbus virgineus nominatur, cùm virginibus sit peculiaris. Idem à *Brabantiorum* matronis febris alba, ob faciei pallorem & amatoria appellatur, cum palleat omnis amans, & color hic sit aptus amanti, quamvis febris raro coincidat in hoc affectu, quæ antehac Roseo genarum, labiorumque rubore florebant, nunc velut exanguia eadem triste pallescunt, cor ad

quemvis vehementiorem motum contremiscit, & temporum arteriæ sensibiliter pulsant, in scalarum ascensu dispnoea molestat, ventriculus cibum & imprimis carnem fastidit, crura tandem; præcipuè juxta talos, oëdemate intumescunt, aliaque complura symptomata infestant Pendet autem affectus hic immediate ab infimi ventris obstructionibus, unde fit vitiosa in visceribus concoctio, & hinc crudi humores in toto corpore cumulantur, qui ad habitum ejusdem delati cachexiam excitant, in reliquis verò partibus varia symptomata producunt quorum singula jam particulatim allegare non vacat. Causæ saltem obstructionum, quæ in venis viscerum contingunt sunt humores crassi, viscidi & crudi, ex pravâ victûs ratione geniti; ut *Diogenianus* ex iis non ægrotare, ex quibus vivimus, verissime pronunciarit. His calor partium nativus, omnis humorum coctionis in corpore opifex, obrutus, magnum generat crudorum humorum proventum. Malum hoc ut plurimum periculo vacat, & ad longum sæpe tempus perdurat. Si tamen negligatur, ut altas radices agat, ita ut magnæ nutritionis depravatio contingat, graves partium naturalium affectus subsequuntur interitum producentes. Idæa Curationis in eo consistit, ut obstructiones reserentur, humores in toto luxuriantes, evacuentur, & viscerum intemperies corrigatur, & tonus eorum restituatur. Hæc non sunt hujus tempestatis, quia Sirius intenso flagrat æstû. Sub cane & ante canem difficiles sunt purgationes, inquit summus in Medina dictator *Hippocrates*. Ne tamen malum eundo crescat, & morâ diuturna augeatur, velim filiæ tuæ curam auspicari emetico ad everrendam ventriculi saburram. Id commodè faciet vino stiquillitico adjecta unciæ hujus cum dimidia oxymelitis semuncia. Hoc ventriculi everriculum excipiat lenis primæ corporis regionis evacuatio hoc vel simili modo; Rec. rad. Polypodii fol. senæ ana ℥iß. Agaric. Rhabarbar. ana. ℥ß. cinamom. ℈j. Macis gr. vij. Infundantur per noctem in s. q. aq. Betonicæ; in colatura dissolve mannæ Elect. syrupi rosar. sol. ana ℥j. misce fiat potio, sequenti die aperiatur Saphena sinistri pedis. Postea verò utatur decocto obstructiones aperiente. Rec. Radic. apii, fœniculi, Petroselini, ana ℥ß. Helenii ʒij. Herb. capillor. veneris, artemisiæ, pulegii, ana M. j. hyssop. sicci, florum Betonicæ, & anthos an. p. ij. calami aromat ʒij. cicerum rubr. ℥j. granorum alkekeng. ʒij. semin. meli solis, fœnic. dulc. ana ʒj. bulliant in vini alb. ℔iij. in vase lapideo probe clauso in M. B. per horas 6. ubi refrixerint colentur. De colatura bibat omni mane ℥iiij. cum syr. de artemisia ℥ß. absoluto hoc decocto purgetur. agaric. Trosch. ℈j. pil. de Hier. & fœtid. an. ℈j. syr. de artemis. q. s. misce fiant pil. no. v. purgato corpore ad chalybeata progrediendum, quæ inter omnia remedia ad hunc morbum profligandum sunt efficacissima, corpus ab obstructionibus liberant, humoresque vitiosos in visceribus collectos evacuant, sed nolim ut chalybem in substantia assumat, vellem potius meum propinare syrupum simplicem, vel jusculo alterato herbis convenientibus permiscendum sine violento exercitio, à quo incalescit corpus, & caput, de cujus dolore conqueritur, oppletur. Quòd si syrupus non arriserit sale martis conserva permisto uti poterit. Sed inhærendum diu præstantissimo. His recte administratis, spes est fore, ut fausto & annuente *Apolline* filia tua meliorem corporis statum attingat. Interim observanda proba victus ratio, quâ solâ hujusmodi affectus sæpe evictos fuisse constat. Faxit Deus optimus maximus ut omnia cedant in filiæ tuæ salutem omnimodam. Vale. *Frideric. Lossius consil. Medic. libro.*

Virgo ætat. xxij. annor. habitû corporis gracili, & longiori paululum staturâ, pallidoque faciei colore prædita, postquam varios aliquandiu in Diæta commisisset errores, cibis potissimum acidis, & crassi succi delectata, & aliquoties choreis mox à pastu institutis, multamque in noctem productis una interfuisset, mane vero e lecto surgens potu frigido jejunum obruere ventriculum consuevisset, paulo post finito somno quandam in facie & palpebris intumescentiam observare cœpit, accessit ciborum, præsertim euchymorum fastidium, quod mensium suppressio, hactenus continuans, cum dolore capitis diuturno & gravante excepit, conqueritur nunc insuper, quod etiam ad leviorem corporis motum palpitatione cordis satis molestâ corripiatur, pulsationes in temporibus sentiat, neque absque insigni respirandi difficultate, & lassitudine scalas ascendere valeat. Pulsus plerumque celer ac frequens est debilisque apparet, & aliqualis in pedibus tumor conspicitur, graviora metuens Medici opem expetit.

Affectus cum quo ægra nostra conflictatur est χλώρωσις ἀπὸ τοῦ χλωροῦ, quo *color ex virore pallescens*, innuitur nomen habens malum *virginibus* familiare; unde latinis *febris virginea* vel *alba*, *morbus* item *virgineus* dici suevit. Plura ad *Etymologiam* pertinentia apud *Sennert. Rivier.* & alios videantur. *Rem* ipsam ut definiamus, est chlorosis (ad *mentem Sennerti* & aliorum) *caloris nativi & floridi in toto corpore, præcipue autem in facie, in pallidum, lividum, ac virescentem mutatio; cum virium languore, difficili respiratione aliisque gravibus symptomatibus conjuncta, ab imminuta & depravata nutritione, vasorumque circa uterum imprimis obstructione, originem trahens.* Ex quibus patet *affectum* non esse simplicem, sed *compositum*, in quo magna *symptomatum* caterva concurrit, unde à variis variè describi solet prout vel *morbi* vel *symptomatum* rationem magis respiciunt. Nobis interim iis subscribere lubet, qui *formalem* istius rationem *in coloris nativi* in p. n. & pallidum &c. *mutatione* ponunt culpamque in *vitiatam nutritionem vasorumque* quam diximus *obstructionem* transferunt.

Adesse verò hunc affectum, neque alio nostram virginem laborare patet primo ex *essentialiter inhærentibus*, in ipsâ mali descriptione occurrentibus, colore sc. nativo in virescentem mutato, cum langore totius, difficili respiratione &c. secundo ex *essentialiter consequentibus*, quorum plura *in historia* recensentur v. g. *in actionibus naturalibus* occurrit appetitus prostratus; qui ad cibos præcipue εὐχύμους nauseat; in vitalibus palpitatio cordis, temporum pulsatio &c. in *animalibus* ad leviorem corporis motum oborta lassitudo; In Qualitatibus pedum intumescentia &c. patet id tertio quoque ex *causis* variis

variis prægressis, ita sane comparatis, ut non potuerint, non producere tandem hoc mali genus, cujus rationem in subsequ. fusius examinabimus.

Subjectum seu *pars affecta* quænam sit? Rogantibus, cum *distinctione* inter *subjectum morbi & causæ* respondemus. *Uterum*, sane cum suis *vasis* fo[?]item subministrare non est, ut quis dubitet, cum juxta *Hipp. lib. de loco in hom.* Uteri muliebrium morborum omnium sint causæ: hinc *eodem teste*. Menstruis abundantibus morbi ex utero *sect.* 5. *aph.* 57. Cujus quidem de *partis naturalis* æque ac p. n. *constitutione* ut prolixe jam agamus, nostri non est instituti; poterit, qui talia desiderat, anatomicos præsertim Riolan. *Encheirid. lib.* 2. *cap.* 36. Rolfinc O. & M. *generat. dicat. part. c.* 13. aliosque consulere; scopo nostro sufficit, pluribus hanc *generationi* sacram partem esse dotatam *vasis sanguifluis*; quæ quoties in *distribuendo* suo *penso* vel *solvendo debito lunari* officii rationem negligunt, id genus turbar. de quibus historia loquitur, moveri experientia docet. Morbi v. *subjectum* quod attinet, *totum* id esse *corpus*, tot mutatæ in eodem *qualitates externæ* de quibus suprà mentionem fecimus testantur.

Causa immediata & Proxima dum in descriptione nostra ad *obstructionem vasorum uteri* refertur, petenda simul est juxta quosdam à pororum circa uterum p. n. dispositione; tumque imprimis à *naturalis turgescentiæ, & fermentationis sanguinis defectû*, in quem ceu, supra innuimus, viscera primæ & secundæ coctioni dicata, officio suo minus rectè fungentia conspirant. Quod dum fit neque uterus, quæ debet, expurgat S. M.ᵃ magis depravatur, ad superiora regurgitat, & in habitum corporis effunditur, ubi non solùm partes nutriendas genio suo defraudat, sed etiam livido & virescente colore cutim, seu potius, cuticulam, defœdat.

Patet hinc causam mediatam Proximiorem in massa sanguinea latitare: quæ sicuti tali in casu particulis viscidis, crassis, & chylosis imperfectioribus scatet, ita humorum pituitosorum nomine ut plurimùm exprimi solet. Et sane si ægræ nostræ constitutionem aliaque quæ in historia commemorantur, consideramus, non exiguum ejusmodi saburræ apparatum adesse, deprehendemus. Præterquam enim quod ipse corporis & faciei præsertim pallidus color talium particularum prædominium confirmet, docent id insuper.

Causæ mediatæ remotiores. Nam temperamento præditam esse hanc virginem frigido, ex actionibus languidioribus, textura corporis tenerâ, aliisque suprà enarratis facile liquet: imò etiam si natura tale non fuisset initio, errores in victû commissi inducere id quam maxime potuissent: quantum noxæ adferant utero acida non est ignotum, sic nec cibi crassi succi, melius nutrimentum partibus subministrari possunt; præsertim cum intempestivo frigidæ potû ventriculi calor obrutus & choreis istis mox à pastû institutis, & in multam noctem continuatis chylus crudior & indigestus ad receptaculum per vasa lactea concitatus, tota corporis œconomia maxime turbata fuerit.

Quibus causis tum præsentibus, tum, ut fieri solet, in totius detrimentum potius, quàm emolumentum concurrentibus, mirum non est, tanta virginem nostram Symptomatum syndrome quasi obrutam, modo de his, modo de illis, modo de singulis, quibus misera affligitur, molestiis conqueri: quarum omnium rationem breviter jam examinabimus.

Adest itaque 1. Pallidus faciei color, qui sui causam agnoscit nutritionem depravatam, cùm enim hoc in affectu crudi, viscidi, serosi, ac lenti abundent humores, subtilior horum portio effervescit, & ab expultrice ad corporis superficiem protrusa, cutim livido, pallidoque pingit colore 2. Intumescentia faciem & palpebras post longiorem præcipue somnum occupat, eo quod magna serosi sanguinis in tenuioribus hisce partibus rest. gnantis copia à calore per noctem concluso agitetur, majorque hinc vaporum elevatio, quam dissipatio oboriatur. 3. Ciborum secuta insuper est præsertim euchymorum inappetentia, quæ à pravis certoque modo corruptis humoribus provenit, qui in ventriculo ob læsam illius coctionem, colliguntur, vel ab aliis partibus eo transferuntur. 4. Dolor capitis diuturnus ac gravans affligit ob consensum tum uteri, tum ventriculi, cum vapores isti serosi ac crassi ex his visceribus elevati, cerebrum petunt, in poris & cavitatibus, seu ventriculis ejus stagnant, ibidemque membranas replendo & distendendo continuum solvunt, & sensationem ejusmodi molestam inducunt. 5. Palpitatio cordis temporumque pulsatio ad leviorem quoque corporis motum excitatur, propterea quòd sanguis crudior, & ex suppressione stagnans retrogrediatur, viscera, & imprimis cor gravet, tumque in arteriis temporum, indigestis suis particulis, turbas moveat: præsertim ubi accedente corporis motû saburra illa agitatur, cui debilior flammula vitalis dum non sufficit, reiterato quasi motû se cor exonerare & colligere vires laborat. 6. Hinc pulsus celer ac frequens, febricitanti haud dissimilis, ob debilitatem facultatis vitalis sequitur. 7. Mensium suppressio accessit, ob nutritionem depravatam qua laudabilis sanguinis portio heterogeneis particulis subruitur, hinc viscosi lentique humores in vasis uteri coacervati, certo tempore quidem moventur, sed non promoventur. 8. Intumescentia crurum ac pedum tum pituitosi ac crudioris humoris abundantiæ, tum ejus ponderi, quo partes decliviores petit, debetur. 9. Totius tandem corporis segnities ac gravitas à devolutis ad musculosum corporis habitum serosis humoribus oboritur, id quod eo facilius fieri potest, quod flamma vitalis ex parte quasi suffocata actionibus sibi convenientibus sufficienter præesse nequeat.

Ut verò nostram nunc de hoc affectu, ratione Prognoseos, sententiam dicamus, non absque omni periculo esse arbitramur. Cùm enim pertinaciores, quæ hic occurrunt, viscerum obstructiones insignem præ se ferant cacochymiam, non minus quoque malum ab iisdem foveri atque longius protrahi solet. Hinc Ægineta Chlorosin viam ad Hydropem valde tritam dicit, quæ non raro in Leucophlegmatiam, à qua non nisi gradu differt, degenerat. Interea tamen cum ægra adhuc in ætatis flore sit,

sit, malumque non tam hæreditaria ab imbecillitate ortum duxerit quàm varios per errores in diæta commissos incrementum cæperit, spes est fore, ut licet non sine aliquali mora, & difficultate id obtineri posse videatur, sensim tamen ægra, sublata causa, & collectis viribus, pristinæ sanitati restituatur.

Quod ut fiat, sine ulla sane dilatione, danda est sedulo opera; ut 1. coacervati in corpore humores tenaces atque viscidi, debito incidentium & aperientium vulgo dictorum usû præparentur. 2. per purgantia postmodum evacuentur. 3. Menses convenienti tempore promoveantur & 4. viscera coctioni primæ & secundæ dicata appropriatis aromatibus roborentur.

Quoad primum scopum obtinendum, proficuum Ægræ judico, si utatur per octiduum quotidie horis matutinis jusculo carnis, in quo rad. fœnicul. petroselin. asparag. cum flor. helenii, borrag. anthos &c. fuerint decoct. cum quo veluti vehiculo una sumi poterit seq. tinctur.

♃. Tinct. croci martis cum succ. pomor. parat. ℨ i ß essent. cent. min. ℈ j. spir. meliss. anth. ana ℈ß. m. f. tinctur. sumat vero ægra, pro qualibet dosi gutt. xxv.

A meridie proderit pulv. qui.

♃. Pulv. cachect. Q. ℨ j. fœcul. aron. ℈ i ß. bryon. ℈ß. gr. v. crem. tartar. stomach. birckm. ℈ j. m. f. pulvis. Sumatur ℈ j. v. ℨß. cum vino, in quo rad. caryophyllat. pimpinell. herb. meliss. ceterach. flor. borrag. anth. cortic. aurant. &c. infundantur.

Secundæ indicationi ut satisfiat, non tam semel & simul, quàm potius per ἐπίκρασιν humores crassos & viscidos educendos arbitror. Num elective purgantia dentur? jam non est ut prolixè examinemus, confer. hac de quæstion. *Excell. Dn. D. Wedel. de Med. Facult. lib. 2. sect. 2. c. 3.* virgini nostræ suadeo usum vini medicati, cujus manè & à meridie haustum mediocrem bibat; e. g.

♃. Rad. polypod. q. ℥ ß. pimpinell. ℨ ij. herb. meliss. chamædr. ana m. ß. flor. cheyr. rorism. ana p. j. passul. min. ℨ i ß. fol. sen. opt. mundat. ℥ ß. ℨ ij. rhabar. el. ver. ℨ i ß. agaric. in pet. lig. ℨ ij ß. tartar. crud. ℨ ij. spec. aq. vit. mul. ℨ j. misc. incis. d. ad chart.

Usû hujus vini purgantis finito proculdubio de V. S. quæstio movebitur, nisi enim hæc purgationem excipiat, plebecula medicum à scopo aberrasse, saltem generosum remedium neglexisse, censet; verùm cùm vera methodus indicationibus nitatur, nostraque virgo non tam plethorica quàm cachectica sit, affectusque ipse jam aliquandiu duraverit. V. S. differri in commodius tempus, quod consuetus alias naturæ motus innuet, posse, & tum demum in pede parcè instituendam esse, arbitror.

Interea aliquot ante novilunium diebus, ad implendam Indicationem tertiam commodè Ægræ nostræ propinabuntur ἐμμηναγωγὰ sive menses moventia e. g.

♃. Elix. uterin. Horst. ℨ j. tinct. calendul. ℈ ij. spirit. puleg. ℈ j. M. S. elixir.

Sumatur hujus manè cum aq. aperitiv. Schroder. vel cum jusculo carnis cum rad. petrosel. &c. gut. xxv. & repetatur usus à meridie cum vino cui cortic. aurant. infundi poterunt. Huic scopo pariter inservient pediluv. ex herb. artemis. meliss. puleg. flor. chamomill. summit. aneth. &c. sub somni tempus usurpanda. Quibus nisi eventus respondeat optatus, parca V. S. in pede, cui dixi, administranda, ad sollicitandum naturæ motum, non intempestive in subsidium vocabitur.

Quartæ indicationi, quæ viscerum roborationem urget, præter laudabilem diætam stomachica, tum externa, tum interna non infeliciter succurrent, in tanto horum apparatu, commendo ægræ nostræ seq.

♃. Elixir proprietat. Paracels. ℨ j. ess. cardiac. ℈ ij. spirit. menth. meliss. ana ℈ j. m. f. elixir.

Sumat singulis diebus mane cum jusculo carnis gutt. xx. à meridie autem pulverem seq. sumendo pro dosi ℨß. usurpet cum vino melissato.

♃. Spec. diarrhod. abb. ℨß. ebor. s. igne præpar. ℈ ij. ocul. canc. præpar. ℨ j. pulv. stomach. Birck. ℨß. c. pauc. sacch. misc. stomachi insuper regio seq. balsam. sæpius inungatur.

♃. Ol. nucist. ℨ i ß. bals. peruv. ℈ j. still. mac. menth. ana gut. v. caryophyllor. gut. iij.

Quod si mali pertinacia (uti non raro his in morbis evenit) horum ἐνέργειαν eluderet, validiora auxilia in usum vocanda judico: hinc tùm præparantia, tum purgantia iteranda, & quoad illa quidem chalybeata (de quibus *Celeberr. G. Horst. lib. 5. Obs. 1. 2. & 5.* consulatur) quoad hæc vero serum educentia e. g. magist. gialap. gumm. gutt. &c. dextre usurpanda commendarem, non neglectis quoque sudoriferis serum in habitu corporis pariter, ac vasis redundans, discutientibus, & repetitis post modum subinde roborantibus qualia apud laudat. Horst. Timæum & alios plura occurrunt.

Quibus omnibus legitima victus ratio coronidem imponat. Aër itaque ambiens calidus & siccus eligatur; quoad alimenta vero vitentur imprimis frigida & humida, cibique omnes δύσπεπτοι. hinc a fructibus, lacticiniis, piscibus fere plerisque, omnibusque crudis, & crassioris succi carnibus abstineat; iis contra potius utatur cibis, qui calefaciendi facultate pollent, uti sunt juscula vini cum aromatibus & sacchare præparata, brodia carnium cum sem. fœniculi, anisi, carui, vel etiam cum mace & croco & quas supra commendavi, radicibus petroselin, aliisque aperientibus. Carnes e. g. gallin. vitulin. juvencor. &c. assatæ potius sint, quàm elixæ, & frequenter cum mace, cinamom. salv. thym. majoran. rorismarin &c. condiantur. Panis non nimis recens, & bene fermentatus, cui aliquid sem. carui, sem. fœnicul. admistum sit, eligatur. Potus sit vinum tenue, in quo rad. helen. & cort. aurant. cum meliss. ceu supra innui, infundantur. Quod si vero vino vel non sit assueta, vel non lubenter utatur, Decoct. ex sem. coriandr. rad. galang. pauco cinamom. & lign. sassafr. paratum substitui poterit: ubique verò tam circa potulenta quàm esculenta, mediocritatem observet. Cùmque ad levem corporis motum palpitatio cordis immineat, moderato admodum exercitio utatur. Neque nimis diû dormiat, sic enim excrementa

menta in corpore justo diutius detineatur. Quorum evacuationes omni potius studio promoveri debent; præsertim mensibus instantibus eo erit laborandum, ut ea quæ illorum fluxum adjuvare possunt, minimè negligantur. Proinde præter jam commendata, haustus vini aromatisati cum croco, galangâ & saccharo &c. huic quoque scopo multum inserviet, si præcedentibus diebus bis calide sumatur. Animi παθήματα, cùm facilè sanguinem & spiritus turbent, datâ diligenter operâ moderentur; tristitiaque imprimis & mœrore, quantum fieri potest, abesse jussis, quorum locum potius moderatum gaudium, spiritus restaurans, & alacriores reddens, occupet. *Joan. Michael. Prax. Clhynic. Special. cas. 21.*

Puella anno vitæ decimo octavo frumentum crudum, cretam, & arenam subinde edere solita incidit in mensium obstructionem, per tres menses durantem; accessit faciei & labiorum pallor, totius corporis lassitudo, ac hypochondriorum nonnunquam inflatio & intumescentia; palpitatione cordis & respirandi difficultate sæpe etiam afficitur, præsertim ubi scalæ sunt ascendendæ: Ac præterea etiam capite, & ventriculo frequenter dolet.

Afficitur in hac ægra *Uterus*, quod ex mensibus obstructis; *facies & labia* quod ex pallore; *totum corpus*, quod ex lassitudine; viscera in hypochondriis existentia, *lien scilicet & hepar*; quod ex hypochondriorum tumore; *cor & pulmo ac diaphragma*, quod ex respirandi difficultate; ac denique *caput & ventriculus*, quod ex eorum dolore patet.

Morbus, quo hæc ægra laborat, est pituitosa & serosa viscerum; sanguificationi, & chymosi ac chylosi inservientium, intemperies, cum obstructionibus conjuncta, quæ pallorem faciei, & labiorum, item respirationis difficultatem, ac cordis palpitationem, necnon hypochondriorum inflationem; & totius corporis lassitudinem in hac virgine inducens, *morbus virgineus & Chlorosis* vulgo appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est consuetudo illa, quâ hæc puella frumentum crudum, cretam & arenam subinde comedere solebat. Inde enim crassi & fœculenti in corpore ejus geniti sunt humores, qui ad uterum delati, porosque ejus obstruentes, sanguinemque ad menstruam evacuationem ineptum facientes, mensium induxerunt sufflaminationem, jam per trimestre spatium durantem. Pravi deinde humores, per menstruorum obstructionem in corpore retenti, atque ad viscera chylosi & chymosi atque hæmatosi inservientia delati, debilitarunt istarum partium calorem nativum, unde serosior & pituitosior in ejus corpore productus est sanguis, qui antecedentem huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus ad varias partes delata, variaque symptomata inducens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

Nam serosi isti & pituitosi humores ad viscera, quæ jam commemoravimus delati, *iis intemperiem jam dictam conciliaverunt*. In faciem vero & labia per circulationem sanguinis pervenientes, pallidum illis colorem suo pallore excitant. In habitu corporis autem existentes; suoque pondere musculos gravantes, & crassitie sua in cerebro justam spirituum animalium generationem impedientes, inducunt *totius corporis lassitudinem*, in hypochondriis vero nonnunquam rarefacti, & in crassos vapores qui satis commodè ob cruditatem & crassitiem suam; dissipari non possunt, dissoluti, excitant ibidem *inflationem & distensionem hypochondriorum*.

Dum vero subinde acriores quidam humores ad cor feruntur, qui cor vehementius & inordinatius vellicant; hinc oritur ex illa vellicatione per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum delata, & poros ejus copiosius & inordinatius aperiente, inordinatus & vehemens spirituum ex cerebro in cor influxus, *palpitationem* sive inordinatum & vehementem *cordis* motum subinde efficiens. Effusi verò copiosius in pulmonum substantiam, bronchiaque ibidem arctantes præsertim ubi illi ex scalarum ascensu vehementius in pectore, & visceribus vicinis agitantur, & dilatantur, inducunt *respirandi difficultatem per scalarum ascensum ingravescentem*.

Denique quia sæpè contingit, ut acres illi humores ad caput & ventriculum copiosius ferantur, aliasque partes, tum quantitate distendant, tum qualitati acri rodant, hinc conqueritur nostra ægra etiam de *capitis & ventriculi dolore*, ipsam sæpe molestante.

Morbus hic periculosus est; cùm totam corporis œconomiam pervertat, & hydropem, aliaque gravissima mala, sæpe inducat.

Diligente itaque *curatione* erit impugnandus: quæ in causarum jam enarratarum & intemperiei & obstructionum ablatione, consistet:

Primo itaque purgetur tali haustû:

♃. Elect. diaphœnici, diapruni ana ℥ß. aq: hord. q. s. misce f. Haustus. Postridie secetur vena, & sanguis è brachio educatur, pro ratione virium:

Postea utatur hoc apozemate, sumendo haustum trium vel quatuor unciarum quotidie.

♃. Rad. aperient. rubiæ tinctor. eryngii; ireos; enulæ, salsæparillæ; capparum, cort. citr. siccor. an. ℥ß. herb: nepitæ, chamedryos, artemisiæ, melissæ, pulegii, matricariæ, valerianæ, an. m. j. summit: absinth. rom. fœniculi, sabinæ, an. p. j. sem: carthami excort. ℥j. apii ʒ ij. flor. stœchad. anthos, sambuci, genistæ an. p. j. Cicer: rub. p. ij: fol. sennæ ℥ ij. decoq. in hydromelitis q. s. ad ℔ i ß. & colentur pro apozemate aliquoties reiterando.

Convenientissimus etiam erit usus harum pilularum.

♃. Pil. de hiera ʒ vj. agarici trochisc. ʒ ij. gummi ammoniaci aceto dissol. ʒ ß. salis gemmæ, mastich, spicæ nardi an. ℈ j. croci g. v. cum syr. de absinthio f. pilulæ justæ magnitudinis, scrup. j. sumatur ante cœnam.

Corpore aliquoties expurgato, utatur quotidie de his rotulis mane jejuno ventriculo superbibendo haustum vini albi.

♃. Chalib. præp. ℥ j. cinnamomi, sem. anisi an. ʒ ij. spec. diamoschi ʒ j. sacchari in aq. artemis. dissoluti q. s. f. rotulæ de quibus capiat ʒj.

vel

vel ij. pro dosi, corpus deinde motû mediocri exercendo.

Non negligantur deinde corroborantia, quale est hoc conditum.

℞. Spec. aromat. rос. diagalangæ, ana ʒj. diacumini; diacinnamomi an. ʒß. conserv. rос. ℥j. conserv. melissæ, rorismarini, absinthii an. ℥ß. confect. alchermes ʒ ij. cum syr. de menta q. s. m. f. conditum, de quo sumatur castaneæ magnitudo ante singulos pastus.

Contra ventriculi & hypochondriorum inflationem ac dolorem, & cordis pulpitationem utatur his rotulis ad dragm. duarum quantitatem.

℞. Rad. angelicæ, obstrutii, rhabarb. cinnamomi, nucis moscat. macis, zedoar, calam. aromat. an. ʒ j. ireos, flor. zinzib. an. ʒ ß. nucis vomicæ, dictamni albi, pimpinellæ, cubebar. piperis long. lapid. bezoar. margarit. præp. cornu cervi usti & præp. coralli rubr. præp. an. ʒ ß. croci gran. xx. pulverisentur omnia separatim, & misceantur cum sacchari albi in aq. rос. soluti ℥ vj. f. confectio in rotulis.

In victûs ratione aër ad calidum vergat, cibi sint sicci, & facilis coctionis, conditi hyssopo, salvia, roremarino, cinnamomo. Panis sit bene fermentatus, semine fœniculi & carui perfusus. Potus sit vinum & cerevisia mediocrium virium. Motus sit moderatus. Venus legitima maxime hic conducit. Somnus etiam sit moderatus. *Henric. Regius apud Theod. Craanen Medication. lib.* 4.

Mulier Itala 32. annorum, formæ alias integræ, constitutionis sanæ, succi plena, postquam per duodecim annos marito sano ac robusto nupta feliciter cum eodem vixisset, & aliquot liberorum mater facta fuisset, illo post mortem sibi erepto incidit paulo post in vomitus enormes, periodice singulis diebus, apparente aurora invadentes, perque duas horas durantes, tanto siquidem cum impetû, ut hoc cessante cervicis tendines adeo tenderentur, ut quasi tetano correpta, per aliquot horas non sine multo dolore illius partis, & totius capitis torqueatur; Ipsa antea floridæ faciei evadit nonnihil pallida, ipsis labiis nativum colorem perdentibus. Mala hæc per integrum annum jam eam mirum in modum excruciarunt, mensibus semper ordinatim, licet nonnihil parcius fluentibus. In abdomine ac circa hypochondria recte se habet. Plures medicos consulit frustra, flagitat nihilominus pro suo malo curam.

Affectus noster est Chlorosis incipiens. Pars primario affecta sunt genitalia, ubi & fotus morbi: est enim ægra vidua Itala &c. *Symptomatum vero sedes* est stomachus & primæ viæ.

Causa proxima est corruptio genituræ muliebris, hinc aura virulenta exspirans. Notum quod aura ejusmodi orgasmon, brutis certo tempore concitet.

Hirci nisi crebriùs ad venerem admittantur, odorem virosum spirant, ex inchoatâ seminis putredine, ex odore tali canes se invicem cognoscunt, odores penetrantissimi habent se instar fermentorum, quorum naturam per odores *Helmont.* explicat, quatenus summè sunt activa, & volatilia, fermentum stomachi, renum, se habet instar odoris. Odor aceti lac coagulat, odor ex chirothecis scabiosis expirans, manus, ex genitalibus infectis, partes sanas in lue venerea corrumpit, odor sulphuris vina à corruptione præservat, odor camphoræ pestem curat.

Causæ remota exercitium veneris deficiens, & tristitia.

Vomitus fit partim mensium vitio, partim vitio fermenti, ab aurâ virulenta ex genitalibus, mediante circulatione advectâ, corrupti.

Matutino tempore vomit, quatenus cruditates nitrosæ ex ingestis non ritè digestis noctu coacervatæ, stomachum gravant, & ad expulsionem irritant.

Tetanus oritur ex spasmo musculorum per consensum cum nervis stomachicis.

Prognosis malum anceps est, & metus epilepsiæ imminentis, itaque ocyus curandum.

Cura (1) ut vitium genituræ corrigatur. (2) Massa sanguinea, & lympha vitiata purgantibus, & diaphoreticis blandis purgetur (3.) stomacho mature prospiciatur.

Quoad prius excellit camphora quæ in specie odores morbosos ex putredine ortos emendat, non tam extinguit, quàm refrænat impetus venereos, figit quadantenus spiritus animales, hinc in deliriis prodest, & somnum inebriando quasi excitat. Egregie confert in potû ordinario crebrius extincta, quali potu furorem uterinum curavit *Bartholinus*. In forma sicca cum nitro & sacchаro saturni.

℞. Nitri antimoniat. l. arcan. duplic. mynſ. ʒ iij. sacch. saturni s. potius cryſtall. miner. saturni cum spir. nitri parat. ʒ j. camphor. ʒ ß. m. pro 6. l. 8. dosib. capiat manè & sub introitum lecti cum potû camphorato, cum his in principio larga venæ-sectio instituatur, eaque repetatur. Vide Hildan. ac Forest. in observ. Vomitus gravidarum optime venæ-sectione curantur secundo vel tertio mense: nec inconsuetum fonticulos coxis supra genua inurere, in specie, si non amplius nubere velit, in principio curæ corpus purgandum ex hellebor. nig. & mercurio dulci.

℞. Extr. helleb. nigr. gr. xv. ad ℈ j. merc. dulc. gr. vii. ad ℈ß. scamm. sulphurat. gr. ij. c. s. q. ol. camphor. f. pilul.

Remediis ex camphora & nitro addendus est liquor salicis ex his incisis verno tempore collectus, impetus venereos in mulieribus singulariter refrænans, manè & vesperi pro lubitû propinatus.

Myrrhata ad putredinem, succinata ad spasmos adjungenda.

Externè mensibus remorantibus & seminis vitiis succurrendum per pessos artificiales quales delineat Rhumelius. Instrumento Glauberi, commodius videtur sequens, phialæ longioris colli immittatur spiritus salis armoniaci, collum linteis involutum muliebribus applicetur; phialæ carbones candentes providè admoveantur, sic spiritus magis penetrabit. *Michaël Ethmuller. Colleg. Consultator. casû* 11.

Observationes.

Observationes.

Aurifabri filia annos 2. deviginti nata sexennio fere foedos colores patiebatur, nil artis remediis contra contumax malum proficitur. Dum peregre profectura curru succussorio devehitur, nauseabunda tandem vomuit incredibilem humorum variegatorum copiam, animam agere videtur, intra 4. vel 6. dies deperditus faciei color; recuperatus nullâ ope medica, sed solo vomitû spontaneo revocatus; ut mirum non sit si tantopere in omni repletionis specie vomitiones *Hippocrates* commendaverit. Itaque credibile est à variis humoribus iisdem corruptis malum hoc ali ac foveri *Guil. Ballonius lib. De virginum & Mulierum morbis.*

Inter cætera in antiquis obstructionibus in usum vocetur radix Enul camp. in taleolas sectæ & in vino albo maceratæ, miraculo enim creditur fœdos virginum colores tollere, *idem ibidem.*

Vocatus ad virginem nobilem ictericam, cachecticam, verminosam, catameniis olim fluere solitis destitutam; præmissis purgationibus, decoctoque tartari, rubiæ tinct. mercurial. &c. Saphænam aperui, tandem exhibito *Monspeliensium* ad pallidos colores pulvere, quem schyronii vocant; menses copiosè provocavi; quibus fluentibus, icterus & cachexia brevi cessere. Formula pulveris quem sæpe fidum expertus sum est hæc:

℞. Rubiæ ℥iß. sabinæ, musc[illegible]læ an ℈j. croci ℈ß. lumbricor vino lotor. & ustor. ℥j. (ego vermibus illis quos suspectos jam tum habebam boracem substitui) macis. fol. lauri an. ℨß. spec. aromat. rosat. ℈j. limaturæ chalybis ℥iij. rad. Enul. ℨj. sacchar. duplum omnium dosis ℨj. cum vino albo dulci *Henric. ab Heers. Observat.* 6.

Fratris mei ancilla annorum 19. febre albâ à primis juventutis annis, ut ex colore faciei pallido ad leucophlegmaciam futuram tendente apparebat, laborans sæpè ventriculi Anorexia, vomitu, lassitudine totius; per convenientia remedia adhibita, aliquatenus sibi restituta visa; semel tantum suâ sponte; anno præfato, mensium patitur fluxum; quibus debito tempore non recurrentibus, perpetuis totâ die vomitibus divexatur, cum uteri ac lumborum doloribus. Huic præscripsi multa convenientia; universalia nihil profuêre, omnibus iterum per vomitum rejectis. Tandem 14. diebus ante obitum, in credibilem copiam viscidi, lentique parùm albescentis phlegmatis (quasi cùm Tragacantha flava, farinam volatilem vel amylum miscuisset quispiam) odore planè excrementa alvina referentis, ut adstantes ferre vix potuerint, continuò usque ad finem vitæ evomuit, alvo perpetuo obstructâ parum saltem vel clysteriis vel balanis sollicitata, excrementorum reddente. Dolores uterini erant continui, cum difficultate respirandi, anorexia, siti, frigidæ, quæ tamen nocivæ valdè, appetitû, faciei modò pallore, modò rubore conjunctis. Octiduo ante obitum post levem præbitam purgationem, eamque quod mirabar, retentam, in animi deliquia ex uterinis evaporationibus, earum commotione orta indesiuenter incidit; vomitû perseverante, & alvo manente constipatâ, quæ tamen altero die suâ sponte soluta; cum ingenti levamine, idque per totum octiduum. Appetitus iterum rediit, dolores uterini cessarunt; ante fluxum alvi perpetui. Cùm verò hic supervacaneus videretur in corpore atrophia correpto, præbitum binis diebus jusculum abstergens ex fol. Mercur. cum Macere conditum & fæcula Ari ℈ß. pro j. vice. Ecce denuò recidivantes hysterici dolores, vomitus, fluxus fætidissimus colliquativus. Anorexia extremorum refrigeratio, internus vero gulæ ac præcordiorum ardor, & siccitas (quæ etiam pridie ante obitum deglutionem læserat) virium omnium prostratio tandem insecuta; placidissima mors finem fecit malorum. Laboravit autem ab aliquot annis Pica, confessaque se herbas pro acetariis allatas planè crudas cum voluptate devorasse. Colostrum etiam cum lacte coagulato, cæterosque cibos planè crudos; pessimæque coctionis appetiisse; mustum etiam retens mirum in modum bibisse, præter ea quæ reticere placuit, ut erat argilla figulina, hordeum crudum &c. Omnia quæcunque vel uterinis symptomatibus (præterquàm semel inditum granum Zibethi ad genitalia) vel alvi fluxum adhibita frustranea, & sine fructû fuere. Puto latens aliquod apostema crudum in mesenterio ejusque glandulis extitisse. Phlegmatis autem istius fœtidissimi tam per alvum quàm per vomitum evacuavit prope mediam urnam, quod summopere mirandum. *Paul. Spindlerus apud Carol. Raygerum observat. Medicin. centur.*

CHOLERA.

De ea sic scribit Clar Joh. Nicolaus Pechlinus Observationum Medico Physicarum lib. 1.

IN *Cholera* sanè apparet plus esse humorum in corpore humano quàm vulgò nostri credunt; ut enim aliquando fluxus ille sit symptomaticus & ab errore ægri aut medentis natus; plerunque tamen criticus est, subitò que & vehementer; quæ est Crisis natura, ægrum absolvit, ne quis tantum viribus cum illa excretorum mole decessisse credat. Ego verò nec hoc observare potui; bilis aut biliosum esse semper hunc fluxum; quando & alterius male corrupti humoris ingens copia maximam excretionis partem faciat. Est quidem, non diffiteor; humor si quis alius, bilis potissimum ad εὔροιαν prona & volubili impetu; attamen; copiam & celeritatem excretionis in Cholera considero, non video quomodo ab una vesica fellea & hepate quantumvis mole magno repeti illa possit. Et verò sciendum est hepar solidum esse glandulosum multisque, iisque non exilibus, venis perfusum viscus; cujus quod minimum est, ad bilem pertineat; deinde bilis secretionem naturâ lentam, aliquando celeriorem, nunquam tam præcipitem & copiosam esse; ut tam numerosis excretionibus respondeat. Itaque credamus oportet, vel non omne quod dejicitur, biliosum esse, aut non solam bilem ab hepate defluere. Quid quod sollicita ægrotantium inspectione deprehenderim, etiam cholericis;

lericis, quibus fluida & meraca bilis initio secesserat, postea serum ut est ejus in corpore pars maxima, fuisse subductum, idque longè copiosissimum. Et quamvis quotidianum non sit Choleram esse ἄχολον omnisque bilis expertem, novi tamen, quibus serum solum, idque limpidum, dulce & ad frigus congelabile ἄνω καὶ κάτω prodierit incomitatâ bile, certe non animadversâ. Cholericus, erat, qui cum jam inde ab aliquot septimanis lente grassantem per viscera ζύμωσιν & borborygmos notasset, tandem occasione acetarii pinguis miscellaneique, nam & amara & salsa & acida & dulcia & pinguia in unum coiverant, in dejectiones vomitusque incidit tam copiosos, ut post octo & viginti sellas sedecimque vomitus mirificè fatigatum vires jam iam deserere viderentur, & musculi gastrocnemii tibiæque, quod in Cholera est familiare, ad seri detracti inopiam valide contraherentur. Ego, quòd pulsum ad se redire intelligerem & excretionem fieri minorem, ægrum periculi immunem judicavi, & plane ita accidit. Hic cùm de qualitate humoris æger rogaretur, & præter meam opinionem non bilem, sed serum quoddam, aut si mavis, lympham dulcem limpidam & post moram viscosam oculis ostenderet, qualem ab initio omnem fuisse sine ulla bilis nota tanrùm adjurabat, cœpit mecum ipse decernere, posse etiam fluxum esse quasi cholericum, qui maximam partem sit sero lymphaticus; id quod deinde etiam uno alteroque experimento probatum vidi. Neque hic de viis post tam manifestas & multiplices observationes ullus relictus est scrupulus, cùm ventriculus totus quantus, cùm intestina, quâ patent, tubulis hydragogis velut siphunculis pertusa in illo serosi humoris orgasmo suppeditare possint, quod tot alvi dejectionibus, vomitibusque sufficiat. Equidem, si copiam & naturam lymphæ nostræ attendis, una est in cæteris humoribus & copiosissima & fluidissima, & nisi fallor, maximè volatilis, imprimis in hisce regionibus, ubi præterea salino quodam fermento acuitur atque depravatur. *Atque hæc de Cholera humida, jam de Cholera sicca adjungit.*

Hippocrates *Choleræ siccæ* ideam nobis traditurus ventrem quidem inflari tumidumque esse, jam & laterum lumborumque, dolores graves incumbere διαχωρέειν ἢ ὐδὲν κάτω, ἀλλ' ἀποστεγνοῦσθαι, disertis verbis scripsit; adeò censorii ejus interpretes hoc uno Choleram unam ab alia humidam à sicca, distinxere, quod in ea alvus copiosa flueret, in hoc nihil planè sive flatum seu humorem dejiceret, causam verò ubique esse eandem, persuasi simili nomenclaturæ exemplo tum Hydropem siccum qui sanè illorum arbitrio Tympanites non est, tum Tussim siccam, in qua & ipsa nihil excernitur, ut præsens sit materia, ab Hippocrate appellata esse. Vidi ego, quibus Hypochondriorum tensio, borborygmi, lumborum laterumque dolores divexante molesta essent, quàm in os & alvum materia despumaret, & vero hactenus Cholera erat sicca, quæ tamen ipsa ubi excretione solveretur, in humidam transibat: quâ de causâ etiam Choleræ definitionem mutare fas erat, ut quarum una ad excretiones referri non posset, & si placet, excretio esset non excretio. Quamvis autem hunc in modum, emendatis definitionis genericæ terminis, in tres admodum species distinguere Choleram liceat, humidam, siccam, & flatuosam; graves tamen Practici & Epitheti ingenio, & experimentorum usu adducti siccam etiam voluere esse illam flatuum ἄνω καὶ κάτω excretionem, non infelici augurio; quando tanta sæpe sit flatuum copia, ut postquam discursibus hinc & inde ventrem fatigarunt, importuno turbine sursum deorsumque quantâ maximâ vi effundantur. Vidi aliquot horarum momentis flatus natos alios ex aliis alvum gulamque tam continuato impetu infestasse, ut veluti ex æolypilâ missi toti in ventum abiisse humores viderentur. Notus mihi est, qui quoties cùm tristiore animi ægritudine mistâ iracundiâ colluctatur, toties ventosæ hujus excretionis incommoda persentiscat. Jam verò etiam alii, quibus morbus hic familiaris est, antequam in alvum & gulam erumpat ille impetus, dura experiuntur & decretoria symptomata, tensiones hypochondriorum, borborygmos, cardialgias, lumborum dolores, & si tandem etiam in sanguinem erepat illa flatuum materia, cordis anxietates, cephalalgias, sudores frigidos, pulsuum momenta citissima, quibus ipsis non ante imponitur finis, quàm dato commeatu sursum deorsumque ex ordine proruperint flatus, nimiamque & tumidam circa Pylori confinia effervescentiam novum remedium aut temporis beneficium sedaverit. *Hactenus ille*, unde non necessum est pluribus de morbi aut *definitione* aut *differentiis* agamus. Super illius autem *causis* cùm videri possint quæ de irritatione fibrarum ventriculi ac intestinorum humorumque motibus contra naturam, abundè affert sua de primis viis Dissertatione Clariss. Thom. Willis; jam adducemus tantùm Choleræ descriptionem per sua signa paulo accuratiorem qualis à Clar. Sydenham traditur.

Cholera morbus eam anni partem quæ Æstatem fugientem, atque Autumnum imminentem complectitur, unicè ac eadem prorsus fide, quâ veris primordia Hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem Cuculus, amare consuevit: Qui ab ingluvie ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur affectus, ratione symptomatum non absimilis, nec eandem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Malum ipsum facilè cognoscitur; adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate & angustia per alvum dejectio; Ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio & distensio; Cardialgia, sitis, pulsus celer ac frequens cum æstu & anxietate, non rarò etiam parvus & inæqualis; insuper & nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notæ symptomatis, quæ adstantes magnopere perterrefaciant, atque etiam angusto viginti quatuor horarum spatio ægrum interimant. Est etiam & *Cholera sicca* à spiritu flatuoso suprà & infrà erumpente, idque sine vomitu vel secessu; cujus unicum duntaxat exemplum me vidisse memini ineunte hujus anni Autumno, quô tempore prior illa species mihi creberrimè, & factô quasi agmine sese obtulit.

Sedulâ

Sedulâ mentis applicatione, & multiplici etiam experientiâ edoctus, quòd si hinc istos acres humores, fomitem morbi, Catharticis expellere conarer, idem agerem atque is qui ignem oleo extinguere satagit, cùm Cathartici vel lenissimi operatio omnia magis perturbaret, & novos insuper excitaret tumultus: & si ex adverso Medicamentis Narcoticis, aliisque astringentibus in ipso statim limine primum humores impetum compescerem, dum naturali evacuationi obsisterem, & invitum humorem detinerem, æger, inimico visceribus inclusо, bello intestino indubie conficeretur. Has, inquam, ob causas mediâ mihi viâ insistendum esse duxi, ut partim scilicet humorem evacuarem, partim etiam diluerem: morbum itaque hâc arte, mihi à multis retro annis compertâ ac comprobatâ, toties quoties in ordinem coëgi.

Pullus tenerior in tribus circiter aquæ fontanæ congiis elixatur, adeò ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti (vel defectu ejus liquoris possetici) capaciores aliquot cyathos æger tepidè exhaurire jubetur, eodemque tempore, bona ejusdem quantitas pluribus *Enematis* successivè injiciendis inservit, donec qua per superiora, qua per inferiora, tandem omne jusculum absumptum, ac denuò rejectum fuerit. Hisce haustibus, pariter ac clysteribus, Syruporum *Lactucæ*, *Violarum*, Portulacæ, Nymphææ, eorumvè alicujus, uncia subindè admisceri poterit, quanquam & citra ejusmodi additamenta, jusculum ipsum per se rem satis commodè exequatur. Ita ventriculo insigni liquoris quantitate sæpiùs onerato, atque ut sic dicam, subverso, ac reiterata Enematum injectione, humores acres vel foras eliminantur, vel retusâ acrimonia, ad temperiem debitam revocantur. Exantlato hoc eluvionis penso, quod tres vel quatuor horas sibi vendicat, medicamentum aliquod *Paregoricum* curationi coronidem imponit: Mihi hoc crebro in usu est.

℞. Aq. Paralys. ℥j. Mirab. ʒij. Laudani liquidi gutt. xvi. cujus loco Narcoticum quodvis officinale succenturiari poterit. Atque hæc quam proposui diluendi humores via multò tutius ac expeditius quàm quæ vel per evacuantia, vel per astringentia vulgò instituitur, periculosissimo affectui occurrit, quippè cum ab illis tumultus concitatior, & ferocior evadat, ac omnia susque deque vertantur, hæc è contra hostem in mediis visceribus detineant, ac ex advenâ redd nt plane inquilinum; ut taceam, protracto in longitudinem morbo præter periculum ex ejusmodi morâ, quâ in massam sanguinis tandem humores vitiosi irrepunt, atque mali moris febrim facile accendunt, etiam ægris gravissimi mali tædium procreari.

At verò diligenter est animadvertendum, quod si non accesserit Medicus, nisi postquam æger vomitû ac dejectionibus ad horas aliquam multas continuatis, puta 10. vel 12. fuerit exhaustus, & jam frigescant extrema membrorum, hoc, inquam, casû, omissis aliis quibuscunque auxiliis recto cursû ad sacram hujus morbi ancharam, *Laudanum* intelligo, confugiendum est, quod non tantùm exhibendum est urgentibus symptomatis, sed etiam cessantibus vomitû, ac Diarrhæâ mane & sero quotidie repetendum, donec pristinas vires æger, ac sanitatem tandem receperit.

Hic morbus, quantumlibet Epidemicus, rarissime tamen (quod supra dictum est) *Augusti*, quo primum cæpit mense, terminos excessit, ex quo mihi subest contemplari elegantissimum illud, subtilissimumque artificium, quo utitur natura in Epidemicorum natalibus atque ortû: licet enim eædem prorsus maneant causæ, unde plures sub finem *Septembris* æque ac mense præcedente, hoc morbo possunt corripi, nimiâ sc. fructuum horariorum ingestio, eundem tamen non sequi videmus effectum. Quisquis autem *Choleræ morbi legitimi*, quocum solo nobis impræsentiarum res est, phænomena studiose collegerit, fatebitur morbum istum, qui quovis alio anni tempore invadit, quamvis ex eadem occasione prognatum, atque eorundem symptomatum nonnullis stipatum, ab hoc nostro toto cœlo distare; haud aliter ac si in aëre peculiaris mensis hujus lateat reconditum ac peculiare quiddam, quod specificam hujusmodi alterationem soli huic morbo adaptatam, vel cruori vel ventriculi fermento valeat imprimere. Hæc *Thom. Sydenham libro de Morb. Acutis jam sequuntur Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ab aliis variis.*

Curationes.

In Cholera valent eadem quæ in vomitu, in primis aqu. menthæ, semen rosarum, magister. perlarum, corallorum, tinctur. corall. & essentia Smaragdi. Et, his nihil proficientibus, laudanum opiatum, cujus dos. gr. j. spong. salicibus adnasci solita ad gr. iv. in aqua styptica vel vino rubello. *Joh. Harthmann. in Prax. Chymiatr.*

Conveniunt hic clysteres adstringentes, cum Alexipharmacis.

In hoc affectû semper admiscenda sunt *Alexipharmaca.*

Decoctum caryophillorum, Succus menthæ, & alia ex mentha peculiari proprietate hic prosunt. Aqua Mastichina Myns.

Syrupus ejusdem, Laudan. opiatum debet misceri cum theriaca Smaragdina Dom. Petr. à Castro.

Externè balsamus & emplastrum stipticum Myns. convenit.

Crystallus est proprium bilis æruginosæ medicamentum, etiam in dysenteria Syrup. cryst. *Vid. Horstium Tom. 2. p. 216.* Sed meliùs exhibetur Crystallus in substantia propria.

Porrò *huc pertinent* Medicamenta ex menthâ, Mastiche, Theriaca Smaragdinâ, præsertim si veniat à veneno, ut & Tinct. Smaragdi, crocus Martis, spongia salicis, Acetum rosaceum, Faber valdè commendat in febribus malignis, Ebur philosophicè præparatum, terr. sigillat. liquor. stiptic. bol. armen. Aqu. Solari. syrup. coralliorum.

Si adsunt convulsiones medicamenta ex Smaragdo specifice prosunt. Decoct. carminat. cum Elect. de baccis lauri, decoct. bacc. lauri cum vino malvatico, ess. carminativa, spiritus carminativus, aqua Zedoariæ cum spiritû & syr. aurantiorum, spiritus nitri.

Si à veneno prosunt clysteres ex lacte, & quæ corrosivitati resistere valent.

℞. Herbæ mercurialis, malvæ, parietariæ, scordii ana m j. flor. Malvæ p. iij. Rad. alth. ℥j. Coq. in s. q. aqua com. Col. ℞. ℥ vi. in quibus dissolve Trypheræ Persicæ ℥j. M. F. l. a. Clysma.

℞. Flor. chamom. verbasci malvæ ana m ß. Coq. in s. q. Lactis. Colat. ℞. ℥ viij.

Si dolor sit acutissimus in intestinis, laudani opiati gr. ij. vel iij. addi possunt.

℞. Eboris sine igne, crystall. præp. magist. corall. c. succo citri ana ʒj. Smaragd. præp. ℈j.

℞. Mag. corall. c. succo citri, Eboris sine igne ana ʒj. Smaragd. præp. croci Martis adstring. ana ℈ß. divid. in 2. part. æq.

℞. Spiritus Mastich. ʒ ij. Liq. stipt. ʒj. M. Dos. 50. gutt. in jusculo.

℞. Spiritus Mastich. vitriol. mart. ana ʒ iß. M. Dos. 20. vel 25. gutt.

℞. Essent. menth. ʒ iiß. Spirit. Mastich. ʒj. Vitriol. mart. ℈j.

℞. Aquæ menth. cinamom. cydoniat. ana ℥ij. Ebor. sine igne, mag. corall. c. citro ana ℈ij. Smaragd. præp. ℈j. Syrup. corall. ℥j.

℞. Aqu. cinamomi cydon. ℥ij. Laud. opiat. gr. ij. vel iij. Myr. cydon. ʒ j. M. detur præmissis universalibus.

℞. Pulv. menth. ℥j. rof. rubr. ℥ß. Rad. torment. bistort. ana ʒ vi. Mastich. ʒ iij. Nuc. mosch. ʒij. fermenti acerrimi ʒiij. Aceti Rosacei q. s. pro consistentia cataplasmatis, vel species possunt pulverisari & insperge pani tosto in vino madefacto.

℞. Empl. de crusta panis q. s. malax. Oleo Mastich. & Balsamo Peruviano, induc super alutam, & obduc syndone rubro in formâ empl. stomachalis.

℞. Olei Mastich. menth. cydon. ana ʒj. Bals. Peruv. ℈ij. Ole. still. menthæ g. vi.

In *CHOLERA SICCA.* ℞. Decoct. carmin. usitat. ℥ i ß. in quibus dissolve ole. de baccis lauri ℥j. stillat. lauri gr. iij. M. F. Clyster.

℞. Aqu. carmin. Dorncr. ℥iij. Menthæ ℥ i ß. Essent. Menth. ʒij. Spir. nitr. ℈ i ß. Externe prodest ole. chamom. menthæ ol. stillat. cinamomi. *Henricus* habet observationem, quod à lacte fuerit orta cholera.

Ol. amygdal. dulc. sed recens demulcet acrimoniam ortam à veneno, ubi etiam lac prodest. *Joh. Michaël. in praxi clinica generali.*

Cum in Cholera morbo cunctatio periculosa sit, quàm citissimè succurrendum, scilicet causæ remotione, correctioneque, mox verò vomitus & dejectionis temperatione, ac virium restauratione. Licebit autem aliquando, blandioribus tamen medicamentis, vomitum, aut ventris subductionem promovere, cùm natura videbitur cunctabunda & æger gravamen in ventriculo persentiet. At in reliquis satius erit abstinere & solis corrigentibus uti, quibus retundatur vis, & molestia irritantis humoris; idque potissimum observandum, si vires ferendo non sint, nam in turbationibus alvi, & vomitibus ultroneis, si talia purgentur, qualia oportet, confert, & leviter ferunt. Opiata communi voto commendantur, theriaca recens, diascordium, philonium, ut in curatione vomitus dictum est.

Sedato vomitû, virium refectioni deinceps incumbendum, nec tamen subitò & immoderatè, sed paulatim, nè gravamen indè sequatur, atqui interea tum extrinsecùs tum intrinsecùs fovendus venter erit. Vinum Celso commendatur, sed tenue & odoratum cum aqua frigida mistum: refert præterea Erasistratum qui primò tribus vini guttis aut quinis aspergendam potionem esse dixit, deinde paulatim merum adjiciendum. Scribitque Trallianus multos solo vino præter spem evasisse, & quidem si calidum illud exhibeatur, præsentaneum remedium est, cùm & calidas potiones unicè prodesse, si reliqua omnia æger evom t, advertat Aretæus.

Petrus Joh. Faber aceto rosaceo ex aqua fontis compescendum vomitum esse consulit, ter aut quater iterato. Deindè suadet tincturam violarum cum syrupo violaceo. Riverius etiam oxycrati exhibitione, Vomitum, & alvi profluvium in fœmina quâdam statim cohibuit. Et Langius, cui quoque assentitur Sennertus, præsentissimum & probatissimum in cholera humida remedium testatur esse Crystallum ad semidrachmam exhibitum, præsertim in succo citrii & berberum, ut vult Henricus ab Heers; & Panarolus vomitum, & dejectionem sanguineam ad virium jacturam usque cum sudore frigido compescuit lapide hæmatites in succo punicorum. Reliqui demùm omnes refrigerantibus, & acidis universaliter insistunt. Verùm hæc opportuna erunt ad humorum acritudinem temperandam, atque in sedanda cholera in picrocholis.

Si maligna febris affectum hunc comitetur, Bezoardica proderunt, & antimonium diaphoreticum, magisterium coralliorum, C. C. ustum, bolus armenia, terra sigillata, ebur, crocus Martis, tormentilla, bistorta, & alia hujus generis.

Cæterùm quæcumque stomachum roborant non levem opem in hâc affectione præstabunt, præsertim verò quæ ex mentha conficiuntur, ex absinthio & Mastiche.

Ad siccam verò quam appellant choleram, itemque ad ructus, rugitus & tormina ventris, quæ communem videntur habere conditionem, & causam eandem, conferunt flatus discutientia, diacinnamomum, dianisum, diacuminum, diatrion pipereon, diambra, philonium utrumque, theriaca, mithridatium. Commendatur à Sylvio spiritus nitri in aqua fœniculi, & syrupo menthæ, itemque spiritus carminativus ab eodem descriptus. Aliis ambra efficacissima dicitur cum quadruplo sacchari. Aliis vinum malvaticum & Cretense in quo fœniculi & petroselini semina, aut frondes incocta sint. Præcellit verò oleum cinnamomi, & essentia caryophyllorum, ac rorismarini. Rusticis familiare est allium coctum cum ruta, quæ nisi profuerint etiam enemata ex iisdem parata sunt in usu. *Hippocrates 4. de rat. vict. in acut.* Choleræ siccæ medelam describit per usum clysterum, vini meracioris, olei, & lactis Asinæ, præter somnum, quem illi conferentem esse dicit. *Lucas Tozzi Medic. Pract. parte secunda.*

Consultationes.

Juvenis quidam temperamento biliosus, dulcibus & pinguibus vesci solitus, cum in eadem mensa æstivo tempore cœpis, peponibus, raph nis, aromatibus, & vino generoso largius

largius usus fuisset, cœpit à cæna, cum se ad somnum composuisset, nauseam cum dolore pungente & anxietate, circa ventriculum & reliquum abdomen sentire. Paulo post subsecutus est vehemens vomitus, & alui per inferiora evacuatio, quibus tanta copia humorum corruptorum & biliosorum cum flatibus, torminibus, & magnâ angustiâ per vices fuit ejecta, ut jam æger valde sitiat, animique deliquiis, exsudationibus, & magna virium imbecillitate affligatur.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus cum intestinis* ut ex nausea, vomitu, aluique copioso secessu est manifestum; afficitur etiam *cor & habitus rorporis*, ut ex animi deliquiis, & sudoribus, ac virium illa imbecillitate patet.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies ventriculi & intestinorum biliosa, & nidorulenta ac corrupta, quæ nauseam, vomitum aluique secessum copiosum ac animi deliquia inducens. *Cholera* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est usus alimentorum pinguium & dulcium, antehac ab ægro nostro frequenter usurpatus, item larga illa cœparum, peponum, raphanorum, aromatum, & vini generosi in eadem mensa assumtio. Hinc enim magna biliosorum & acrium humorum copia, in corpore ejus genita *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Eaque corrupta, & vehementius circa ventriculum & intestina, item in eorum & reliqui corporis vasis, ebulliens & effervescens *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

Nam hinc *ventriculus* irritatus primùm *Nauseam, & ad vomendum proclivitatem magnamque anxietatem*, per inordinatum spirituum in ventriculum, intestina, & cor ex cerebro defluentium influxum *induxit*. Aucto verò hinc illo spirituum, in illarum partium fibras, tum oblique adscendentes, tum descendentes repentium, inordinato influxu, mox etiam per fibrarum istarum contractionem, subsecutus est *vehemens vomitus, & alui per inferna evacuatio, quibus humores acres, corrupti & effervescentes, tum* à corde ex arteriis cœliacis & mesaraicis in ventriculum & intestina propulsi, tum in iis anteà collecti; *tanto impetû, tantâque copia per vices* cum multis flatibus & torminibus, à magna illâ humorum effevescentia ortis *fuerunt evacuati, ut* dissipatis & expulsis per magnam evacuationis istius vim spiritibus & humoribus utilibus. *Æger jam animi deliquiis, exsudationibus & siti magnopere torqueatur.*

Morbus hic *est valde acutus*, ac proinde *periculosissimus*; metus enim est ne ex humorum perturbatione, & spirituum, humorumque evacuatione magna, æger subito per lipothymiam vel convulsionem exstinguatur.

Curatio itaque mox sedulo instituenda, *eaque* in humorum detersione, alteratione, & evacuatione, ac symptomatum mitigatione consistet.

Primò itaque cum etiamnum adsit nausea, humores ita detergantur, & blande educantur.

♃. Hordei tosti m. j. s. Decoque in aqua Chalybeata ad tertiæ partis consumptionem pro lib. 1. Colaturæ adde Syr. cydonior. acetositat. citri an. ℥iß. syr. de mentha ℥ß. misce F. Julapium, dequo frequenter aliquid exhibeatur.

Interea temporis frictiones, & ligaturæ fiant brachiorum & crurum subinde solvendæ ut iis fluxus humorum advenientium nonnihil sufflaminetur.

Post abstersionem leniter factam, & ubi materia corrupta sic satis evacuat afuerit, exhibeatur hoc electuarium corroborans.

♃. Conservæ rosar. antiq. Radic. cichor. an. ℥j. s. Rob de Ribes, carnis cydonior. an. ℥ß. sem. acetosæ, citri, pulv. an. ʒß. cornu cervi usti præp. ʒj. s. cum syr. de acetositate citri q. s. F. Electuarium, de quo sumat frequenter quantitatem castaneæ majoris.

Ubi per diem unum & alterum symptomata vehementiora quieverint blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis si quæ supersint, educi poterunt.

In victus ratione, Aër ad frigidum paululum declinet. *Cibus* sit ex ovis sorbilibus, carnibus gallinarum, veruecum, Parùm autem alimenti admittat, donec vehementiora symptomata mitigata fuerint. *Potus* sit cerevisia tenuis. *Quies* corporis imperetur. *Somnus* omni ratione conciliandus. *Vitetur* ira, mæstitia, & sollicitudo. *Henric. regius apud Theodor. Craanen medication. lib. 3.*

Ancilla ab hera ad pharmacopolium, cornu cervi, ad vermes intestinorum necandos, emendi causâ missa, attulit (suâ, incertum, an alienâ culpâ) arsenicum; illudque cum rob de ribes mixtum, a matre; rei hujus inscia duobus liberis, post cœnam cubitum ituris fuit exhibitum. Paulò post uterque puer incidit in magnam sitim, stomachi ardorem, ventriculi & intestinorum rosiones, acutissimum dolorem inferentes, quem jam secutus est vomitus magnus, aluique copiosus secessus.

Afficitur in his *ventriculus* & præterea *intestina*, quod sitis, ventriculi ardor, intestinorum rosiones, vomitus & alui copiosus secessus satis evidenter docent.

Causa hujus morbi *remota* fuit ancilla, quæ arsenicum, loco pulveris cornu cervi, attulit. *proxima* vero fuit mater, quæ culpæ commissæ inscia; arsenicum illud prò pulvere vermibus necandis apto, liberis suis exhibuit. Idque innotuit ex diligenti inquisitione, quæ occasione vehementissimorum symptomatum, in historia superius commemoratorum; & post hujus pulveris sumtionem subito apparentium, in pharmacopolio posteà fuit facta.

Morbus, qui eos affligit, est intemperies calida, acris, & corrosiua ventriculi & intestinorum; quæ ab arsenico assumpto orta, materiæque acris copiosum vomitum; & excretionem multam per inferiora efficiens, aliaque commemorata gravia symptomata producens, *Cholera arsenicalis est dicenda.*

Intemperies hæc vulgo deleteriæ & occultæ qualitatis vitium esse dicitur: Verum cum ea in manifestissimo particularum arsenici acumine; quo illæ instar pulveris vitri scindunt, & præterea in vehementissima incalescendi vi, quâ illæ in modum calcis vivæ urunt, & partes contactas incendunt, revera consistat, atque *hinc sitim magnam, stomachi ardorem, ventriculi & intestinorum acutissimas rosiones*, præterea *excretionem rerum acrium per vomitum & alui secessum*, dum manifeste producat, & nisi remedia tem-

pestivè adhibeantur *singultum, spasmum & ipsam mortem*, hac manifestâ suâ acrimonia & caliditate, sit productura, nullam causam video, cur non hic in manifesta hujus morbi intemperie subsistamus *Morbus* hic cùm à causâ vehementissime agente, gravissimaque symptomata inducente, & ni ei mox obviam eatur, graviora etiamnum inductura; originem ducat, *in maximo vitæ periculo* versantur hi pueri.

Celerrima itaque *curatione* suppetias ipsis veniendum: *quæ* in arsenici evacuatione & in ejus reliquiarum acrimoniæ & caloris attemperatione, & in corrosionis ablatione consistet.

Singulis itaque eorum mox exhibeatur tale vomitorium, quod simul acrimoniam veneni retundet, & leniet atque evacuabit.

♃. Conservæ asari ʒv. Contundatur in mortario marmoreo, addendo Aq. decoct. hord. ℥ij. & exprimatur per linteum succus, cui adde olei amigdalar. dulc. recentis ℥j. Misc. F. vomitorium.

Interea temporis, dum hoc medicamentum præparatur, ut etiam postea quovis tempore, utique liberaliter subinde bibat cerevisiam in quâ copiosum butyrum est liquatum; eâ enim ratione, & evomitio arsenici procurabitur, & acrium & scindentium, ac corrodentium ejus particularum acies, per ramosas & plicabiles butyri & olei partes, implicabitur, & obvoluetur: ejusque rosio & scissio, calefactioque impedietur præsertim cum ista pinguedine etiam ventriculus, & intestina, aliæque partes sint obducendæ, eaque adversus corrosionem, tum factam, tum faciendam muniendæ.

Ubi per vomitum purgati fuerint, exhibeatur singulis hoc medicamentum, ad eundem scopum.

♃. Olei amygdalarum dulcium ℥iij. Theriacæ Andr. ℈ij. misce. Ad sitim leniendam hâc utantur ptisana.

♃. Hord. mund. m. j. liquir. ras. passular. an. ℥ß. malvæ m. j. sem. malvæ ʒij. coq. in aq. comm. ad lib. i. s. postea colentur pro Ptisana.

Subinde etiam sumant de hoc syrupo.

♃. Syr. acetositatis citri ℥iij. violacei ℥j. Misce. Ad veneni hujus partes implicandas & frænandas magnopere etiam conducent sequentes tabellæ.

♃. Crystalli veri, Margaritarum an. ʒj. contundantur, & postea terantur super marmore in alcohol, sive pulverem omni asperitate orbatum; deinde cùm sacchari albi ℥iij. in s. q. aq. melissæ solutis. F. tabellæ. Itaque de his dragmæ quantitas per vices subinde ipsis exhibeatur.

Item magnopere hìc conducit crystalli alcohol, ad ʒj. quantitatem cum oleo amigdal. dulc. recenti exhibitum.

Lixivium sarmentorum per os assumtum etiam summopere hìc prodest, cùm salinæ ejus particulæ, cum arsenici particulis acutis, instar pectinum sibi mutuò implicatorum ita inter se contexantur, ut mutuas acies abscondant, atque ita vehementiores punctiones impediant.

Postridie ad excretionem reliquiarum veneni, si tormina adhuc adsint, singuli puerorum sumant ʒv. cassiæ recenter extractæ, in formâ boli. Tumque in reliquis remediis etiam perseverandum.

Inter *alimenta* exhibeantur lac, Oryza, juscula pinguia, butyrum, malua, portulaca, vitentur omnia alimenta acria. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen medication. lib. 3.*

Vir triginta annorum, crassus & ingluviei deditus, incidit in enormem evacuationem spontaneam, quâ multa corrupta per superiora & inferiora magno impetu rejecit. Hanc subsequuta est syncope, a qua vix liberatus, mox prolapsus est in magnam musculorum manuum, pedum, crurum, colli, gutturis, Pectoris, dorsi, & ventris inferioris, contractionem, quæ tantis doloribus, & animi deliquiis est comitata, ut adstantes ipsum jamiam moriturum metuant.

Partes quæ in hoc ægro afficiuntur, sunt *ventriculus, & intestina*, ut ex vomitu, & alui secessû; *cor* ut ex syncope: item *musculi totius corporis*, nec non *cerebrum*, ut ex ingenti illa partium contractione est manifestum.

Morbus quo hic æger laborat, est intemperies ventriculi, & intestinorum varia, acris, & nidorulenta, ac corrupta, quæ vomitum aluique secessum copiosum, animique deliquia, & musculorum totius corporis contractiones vehementes inducens, *cholera convulsione comitata* appellari potest.

Causa procatarctica hujus morbi est ingluvies nostri ægri, quâ multi variique humores acres, in corpore ejus geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum circa ventriculum & intestina, & in eorum, reliquique corporis vasis ebulliens & effervescens continens hujus morbi & symtomatum est causa.

Hinc enim ventriculus & intestina irritata motum vehementiorem, inordinatumque impresserunt nervis sibi implantatis; quo per illorum fibrillas ad cerebrum, cerebrique spiritus delato, pori cerebri ita fuerunt aperti, spiritusque cerebri ita determinati, ut illi in fibras ventriculi, & intestinorum, oblique ascendentes, & descendentes, magno impetu confluxerint, easque secundùm latitudinem dilatando, & longitudinem abbreviando, contraxerint. His contractis ventriculus, & intestina ita fuerunt mota, ut copiosi humores acres, corrupti & effervescentes, tum à corde ex arteriis cœliacis & mesaraicis in ventriculum & intestina propulsi, tum in iis antea collecti, *magno impetu, tum per os, tum per alvum fuerint rejecti.*

Dissipatis autem & expulsis, per magnam istius evecuationis violentiam, spiritibus, & humoribus utilibus, sanguis ad cor perueniens ineptus fuit ad justam dilatationem in corde suscipiendam, quo *spiritus vitales deficientes syncopen induxerunt*. Expulso verò deinde ex corde pravo illo sanguine, & meliore ad illud redeunte, spiritibusque vitalibus satis copiosè recens ex eo genitis, *æger noster syncope fuit liberatus.*

Quia verò reliqui pravi humores, in corpore posteà effervescentes, jam vehementius suo impetû membranosas vellicant partes, motumque illum vehementem & inconvenientem per nervos ad cerebri ventriculos, spiritusque ibi contentos deferunt; hinc fit, ut illi tam pravam motûs determinationem accipiant, porique cerebri ita aperiantur, ut spiritus, inordinates in partes fluentes, valvulas nervorum, musculis totius corporis insertorum, quæ iis contrahendis

hendis inserviunt, citra aut contra voluntatem nostri ægri jam aperiant, tantâque vi, tum ex cerebro, tum ex oppositis musculorum poris & cavitatibus, in musculos gutturis, dorsi, pectoris, inferioris ventris, item brachiorum & crurum, fluant, eosque cum magno dolore, novam lipothymiam per constrictionem cordis subindè inducente, vehementer secundum latitudinem; & profunditatem distendant, secundum longitudinem verò contrahant; atque ita totius corporis vehementissimam convulsionem nunc excitent.

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est, nè æger ex vehementiâ doloris & perturbationis, subitò extinguatur.

Curatio itaque diligens quàm primum est adhibenda. Mox igitur sumat hoc medicamentum, ut ventriculus ab humore acri abluatur, humoresque acres temperentur, & excernantur.

♃. Decocti hordei communis, non excorticati ℥iij. Syr. ex infusione rof. rubr. ℥j. Misce.

Pro lipothymia aqua digitis in faciem ægri inspergatur, & vinum generosum cùm linteis, naribus admoveatur.

Postea ad impetum choleræ inhibendum; vomitum, & alvi secessum reprimendum, ut etiam ad lipothymiam tollendam, de sequenti mixtura quotidie aliquid sumat.

♃. Rob. de Ribes ℥ij. Cerasorum ℥j. Syr. cydoniorum ℥iß. Manus Christi cum perlis ʒvi. Misce.

Ad contractiones membrorum, partes omnes convulsionem patientes inungantur indesinenter cum frictione forti, hoc sequente linimento.

♃. Olei irini, vermium terrestrium an. ℥ij. Castorei pulverisati ℈iv. Misce.

Ubi malum inclinaverit, nutriatur lacte amigdalato, cui modicum sacchari sit additum, & reficiatur cibis euchymis, ut ovis sorbilibus, & pullis gallinaceis; ac similibus. Exhibeatur etiam diacydonium post singulos pastus.

Ubi per diem unum, atque alterum symptomata vehementiora quieverint, blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis, si quæ supersint, educi poterunt.

Ad præcautionem novi paroxysmi utatur parciore *cibi & potus* quantitate, corpusque subindè blandè expurgetur. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen. Medication. lib.3.*

Observationes.

Juvenis quidam bilioso temperamento præditus, incidit æstate mediâ in febrem tertianam, quæ duabus primis accessionibus satis mitis apparuit, sed in tertia accessione, tanta fuit humoris biliosi malignitas, & ferocia, ut concitato vomitû, atque alvi fluxû frequenti, cum maxima virium jactura, summum ægro periculum impenderet, vocatus ad eum præscribo clysterem ex jusculo cum conf. alcherm. ʒiij. Theriac. rec. ʒj. quo statim vomitus & alvi fluxus sedatus est, quia verò in hujusmodi febribus malignis sæva illa symptomata in singulis paroxismis redire solent, & ægrum secunda, vel tertia invasione de medio tollere, ad præcautionem præscripsi victum incrassantem, & laudani gr. iv. duabus horis ante paroxysmum sumenda, sicque symptomata prædicta non rediere, levis accessio fuit, & Julepis refrigerantibus, incrassantibus, atque alexipharmacis curatio absoluta est. *Laz. River. Cent.3. Observ.78.*

Mulier quædam correpta est Cholera morbo 23. die *Julii* circa meridiem & ad vesperam usque vigesies alvum deposuit; cum gravissimis doloribus, non solum intestina, sed etiam ventriculum infestantibus, ita ut sequenti die, etiam vomitû premeretur, multosque humores acres & biliosos excerneret. Maritus à me consilium petiit, dum alia remedia pararentur, consulo ut ægra oxycrati cyathum assumeret, cujus adeò efficax fuit operatio, ut vomitus & alvi fluxus statim cohibiti fuerint, & alia remedia omissa, dictitante ægrâ, se à morbo liberatam, & pristinæ valetudini restitutam. *Lazarus Riverius, Cent.4. Observ.8.*

Mercator quidem *Monspeliensis* septuagenarius, gravi Cholera morbo correptus 4. præcipuè remediis intra 7. dies liberatus est. Clystere ex lacte confect. de hyacintho conserv. rof. & vitell. ovor. fotû ventriculi adstringente & roborante, cum sacculis in vino rubro maceratis, Julepo ex decocto plantag. & portulac. cum Syr. cydonior. & confect. de hyacintho manè & serò exhibito, & laudano cujus gr. j. singulis noctibus in Julepo dissolvebatur. Pro miraculo habita est hæc curatio in tam provectâ ætate. *Lazarus Riverius, Cent.4. Observ.53.*

Laterarius quidam mediâ dum æstate uxorem suam formosam noviter nuptam, nimio libidinis ardore accensus aliquando cognosceret, valdè periclitatus est, nam copiosissimè per vomitum & secessum sanguis excernebatur, cum calor & motus ora venarum aperuissent, istum morbum sanguineam choleram appellavi. Sanguine ad 11. circiter libras ejecto maxima aderant symptomata, nempè pulsus deperditio cùm dejectione virium, facies *Hippocratica*, sudor frigidus, & jam desperatus erat, tamen propinatis cum vino granator. Lapid. Hæmatitis ℈iv. statim sanatus est, magnâ omnium admiratione. *Dominicus Panarolus* Obs.11. *Pentecoste* 1.

Dominum quendam latè imperantem, subita aggrediebatur cholera, cujus vomitum sequens sedabat medicamentum.

♃. Laudan. aromatic. gr.ij. Syr. Corall. ʒij. Aqu. cinnamom. ℥j. Misc. alvi autem fluxus adhuc tantus erat, ut cum magno ventris, ex flatibus dolore per biduum centies excrementa ejiceret. Quiescebat tandem effervescentia, auxilio suprà scripti medicamenti; quod decoctum hoc sequens, pro potu ordinario adhibitum, maximè adjuvit.

♃. Conserv. Rosarum ℥ij. Ligni sassafras ʒj. Rad. Tormentillæ ℥ß. Hordei mundat. ℥j. Coquantur in aqua communi colaturæ ℔ ij. adde Syr. Coralliorum ℥ij. Misc. f. potio.

In Urbe Batavia quædam fœmina Illustris in vehementem vomitum, fluxumque alvi frequentem, quos ventris dolores flatus concomitabantur, misere incidebat. Per sequentem mixturam graviora symptomata quieverunt, & durantem adhucdum alvi fluxum infrà scripta emulsio sedavit.

♃. Laudan. aromatic. gr.v. Syr. cinnamom. Corallior. an. ʒij. Aq. menth. ℥iiß. Misc. pro 3. aut 4. vicibus.

Emulsio. ♃. Conserv. Rosarum ℥ ij. Rasur. C. C. ℥ ß. Lign. Sassafras ʒ j. Coquantur in aqua simplici q. s. ex colatur. ℔ ij. & Amygdal. dulc. ℥ j. Fiat emulsio, huic adde Corn. cerv. ust. ʒ ij. Philosoph. præp. ʒ 1 ß. Syr. corallior. Perlarum ana ℥ j. Misc. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medico chymici lib.* 3.

Puer quatuordecim quasi annos natus, hero suo qui est à pedibus, & manu, feriâ tertiâ Pentecostes hujus anni, finitâ concione vespertinâ, invisit domum alicujus patris familias hujus urbis; qui merendæ loco oxygala ipsi apponit. Idem domum reversus cum forte in culina heri sui reperit solito in loco, ab ancilla sepositum lac ovillum, ejus magnam partem in se ingurgitat, non avariter. Pauculis autem horis intermissis, & die se in crepusculum præcipitante, ecce puer hic usque adeò horrendis symptomatis corripitur, ceu toxicum hausisset. Accersor, compareo, jubeo actutum ut paretur Clyster domesticus ex lacte, ac ei dextre applicetur. Verùm licet is alvum semel atque iterum ab illius usu dejiceret, attamen gliscebant symptomata choleræ propria, usque adeò ut præ doloribus intolerabilibus, ita sive exclamaret, sive vociferaretur, ceu in quæstionem esset datus. Jubeo adstantes pararent, ex terna infusione vini, florum camomillæ campestris, potionem pro aliquot sive dosibus, sive vicibus, eum in modum, quem pridem in historia camomillæ Quadripartiti mei, Argentorati à filio meo Charissimo Simone editi, publici juris feci, quem proin non opus est huc arcessere, nè actum agere ac medicinæ candidatis, aut novellis practicis, veluti cramben bis coctam obtrudere velle videar, quorum ingratiam & commodum, (non moror, non sum invidus) hic loci noto, quod ab usu dicti infusi florum chamomillæ, horrenda illa symptomata mitescere quidem occeperint, attamen cùm contumacius esset malum (lac quippè coagulatum in vivo corpore comparatur ad venena) ac labascentes vires pueri præsentissimum Alexipharmacum poscere viderentur, hoc ipsum, Collega, & consultore Viro celeberrimo *Dom. Olao Borrichio* præscripsi quod

♃. Aquæ Zedoar. cum vin. ℥ iv. Cardui Bened. Veronic. an. ℥ vi. Theriac. Andromach. recent. Dioscord. Fracastor. an. ʒ ij. Radic. Zedoar. galang. an. ʒ j. Syrup. menth. crisp. q. s. ad edulcandum. Misc.

Cujus misturæ, cùm unum itemque alterum cochlear absorbuisset, dictum, factum, divinâ interveniente benedictione, dolor & cætera symptomata evanuerunt penitùs. Interim Medicinæ candidatis (insuper lubens illorum causa, vel paradoxologus nominabor ab illorum hominum genere, qui nihil rectum putant scioli, nisi quod ipsi faciunt) revelabo hic arcanum practicum: Jam Dei gratiâ, ab hinc quadraginta & amplius annos, praxin medicam exercens, nempè ex simplicium aut vegetabilium numero, contra inflationes hypochondriorum ac ventris tormina in utroque sexu, haud repertum in Zedoariæ radice generosius medicamen; imò insuper puerperis lochiis cessantibus, radice Zedoariæ nihil est conducibilius. Si illius pulveratæ draghma dimidiata, duabus tribusvè guttulis rorismarini olei irrorata, aut conspersa in vini haustulo calido propinetur. *Simonis Pauli.*

Anatomicæ inspectiones.

Puella 20. annorum cholerâ obiit cadaver ab *Adr. Falkoburgio* sectum vasa mammaria diligentius inquirenti nusquam apparuêre, in abdomine multa immutata; Ventriculi fundus transversum palmum infrà costas spurias demersus, nullo omenti fotu gaudebat, undè ventriculus imbecillis tantâ vehementiâ viventem puellam ad vomitum concitavit, ut revocato omni ad caput sanguine, post mortem rubeus faciei color perstiterit: quâ etiam vehementiâ ruptis viscerum vinculis, ventriculus cum intestinis fuit depressus: Omentum infrà ventriculum ad os Ischii protendebatur, intestinum colon profundius, multis alias gyris & circumvolutionibus distinctum, hic levi inflexione serræ dentes æmulabatur: In intestinis verò vermiculus rubicundus latitans, corpus verò cacochymicum notabat. Lien duplâ magnitudine, tumidus, à solitâ figurâ in globum oblongum mutatus videbatur. Meatus cholidochus in plurimos ramulos divisus multùm bilis ob angustiam regurgitare fecerat, undè molestus ille & lethalis biliosarum humiditatum vomitus concitatus. *Th. Bartholinus Cent.* 2. *Histor.* 81.

Secando Comitem Ausumondianum, offendimus porum cholidochum, aliàs in ecphysin se exonerantem, proximè pylorum egressum habuisse, ita ut non minùs ventriculo quàm intestinis bilem transmitteret; hinc causa, cur sæpius nausearet vomeretque & alvo esset duriori; Natura enim nativo suo clysmate orba, cùm nihil expultricem irritaret, desidebat, undè subitò cholera diem finiit. *Barthol. Cabrollius Observat. Anat.* 6.

CHOREA SANCTI VITI.

TArantulatis affine est malum quod Chorea, & saltus S. Viti appellatur. Hoc enim delirio & insaniæ genere qui laborant, dies, noctesque saltare gestiunt. Nonnulli equidem choream S. Viti ad ἐνθουσιασμὸν veterum referendum censent. Neque negandum est, quandoque etiam quiddam divini subesse, & malum hoc pœnæ loco interdum divinitùs immitti, sicut sedecim viris & tribus fœminis in cæmiterio choreas ducentibus ex imprecatione sacerdotis anno Domini 1012. id accidisse refertur ex Vincent. Belvacensi *lib.* 26. *cap.* 10. Verùm sæpissimè hoc malum à causis naturalibus & humore maligno provenit; cùm ἐνθουσιασμὸς Græcorum sine dubio à Dæmone immissus fuerit, & præcipuè in sacrificiis, quibus cessantibus etiam ἐνθουσιασμὸς cessavit. Qui verò hoc modo laborant, continuò, diesque noctesque saltant. Ita refert Felix Platerus lib. 1. Observat. ut & in Practic. se vidisse fœminam Basileæ, cui Magistratus viros aliquot robustos constituerat, qui alternatim uno fesso, altero succedente cum ea dies noctesque tripudiarent. Quod ferè mensis spatio spectantibus multis duravit, sine ferè intermissione, & si soleatum pedum ejus cutis attrita esset. Et licet aliquando ut cibum caperet, & somno

omno correpta, sedere cogeretur, tamen gestu, motuque corporis inquieto interim nihilominus corpus veluti saltans agitabat. Ortum autem habet proculdubio hoc malum ab humore maligno Tarantulæ veneno simili. Sicut enim hydrophobia quidem à rabidorum animalium veneno extra communicato plerumque oritur: interdum tamen, ut suprà dictum, etiam in ipso corpore tale venenum generatur, à quo hydrophobia excitatur: ita etiam non impossibile est humorem malignum Tarantulæ veneno cognatum in ipso corpore generari. *Daniel Sennert. Pract. lib. 1. part. 2. cap. 17. oper. T. 2.*

Quòd Vitistæ cura à nobis describitur, & proponitur, res multis temeraria, & planè impossibilis esse videtur, his rationibus persuasis, quòd nempè Vitista à S. Vito nomen traxerit, qui plagæ & pœnæ loco hunc hominibus morbum immittat: aut quòd Viti vice ipse Deus propter hominum peccata malum hoc infligat. Quod quidem vero esse simile quandantenùs nos minimè inficiamur; non tamen arbitramur interim, pœnam eam talem esse, quam vel Deus ipse, vel Divus nobis infligat aliter, quàm permittendo, ut per choreæ Viti imprecationem, imaginatio ejusmodi in animis hominum generetur, per quam iste morbus deinceps introducatur, & emergat quem vulgus posteà pro pœnâ divinâ æstimet, cùm tamen ægritudo ea sit merè æstimativa seu imaginativa, sicut in capitulo de origine ejus tradimus. Contra ejusmodi Vitistam æstimativam vel imaginativam, curam talem proponimus, eamque peculiarem. Præterea si originem traxerit ex levitate animi, consentiente voluntate, quæ affectio, chorea lasciva, vel levitas animi vocatur: Contra hanc ipsam quoque aliam, eandemque singularem curam docemus. Tertiò contra choream coactam cujus origo naturalis est, naturalem quoque Medicinam apponimus. His tribus distinctis speciebus tres distinctas curas opponimus, quarum quælibet suo morbo seorsim applicanda est, nec una pro altera unquam facit.

Dum ergò primùm de Cura choreæ æstimativæ, vel imaginativæ ex imprecationibus disserimus, notandum vobis erit, discrimen aliquod intercedere inter æstimativam, & imaginativam, quia nimirum altera ex ira, altera ex lascivia oritur. Primam ergò nos *Vitistam*, alteram *Lascivam* vocamus, quarum cura quoque diversa est, velut ortus. Et Vitistæ extra natæ cura ejusmodi est. Ex cera vel resina patiens imaginem sibi similem finget & obstinate, firmiterque sibi persuadebit aut cogitabit, universas adjurationes seu imprecationes, quas unquam fecerit, pro sua voluntate in hac imagine perfectum & impletum iri, hâc ratione: nempè intra sese ita cogitabit, quòd imagini omnia ea mala imprecetur, omnesque suas cogitationes, ac animum penitissimum citra recordationem omnem aliorum hominum in solam eam imaginem intendet & defiget, ac cum intentione eâ animi obstinatissimâ tandem imaginem in ignem projiciet, exuretque ut nec cinis nec fuligo ulla ex materia imaginis corporaliter superstes relinquatur. Dum ista prædicto modo fiunt, ex imprecante cogitationes usque adeò efficaces & validæ in imaginem procedunt, & effunduntur, ut nihil obstare aut adversari queat. Imprecationes enim perficiuntur in iis, qui eas faciunt, non in iis, contra aut in quos fiunt aut jactantur, idque ob hanc causam, quia aliorum lenitas per suorum hostium iram lædi non potest: Sicut de imaginibus traditur. Itaque ejusmodi reluctatio nulla etiam in imagine existit, sed hæc corporaliter comburitur, ita ut imprecanti cogitationes hæ omnes adimantur. Hæc autem qui ex ipso fundamento intelligi debeant, pleniùs de *Imaginationibus & incantationibus, de impressionibus* traditur. Et fieri hoc etiam potest, ut si vel tantillum cineris corporaliter de ista imagine relinquatur, ægro curæ satis præstitum minimè sit, sed de morbo aliquid adhuc superstes maneat. Quâ causâ sola cera & resina huc conducunt, ceu de imaginibus & impressionibus dilucidiùs docetur. Sed hæc hactenus de curâ Vitistæ ex irâ dictâ sufficiant. Deinceps etiam de Choreâ lasciva & impudicâ disseremus tali ratione.

Per usum ac rerum Magistram experientiam constat, quòd contrarium unum per alterum naturali modo pellatur. Hoc verò cùm modis variis, diversisque fiat, nos hoc loco nostram quoque experientiam proponemus, qui lasciva & intemperata chorea expellatur, & expugnetur, & fit hoc modo. Si choreista, vir, vel fœmina ex uberiore lascivia choream hanc ordiatur, & saltare incipiat (quod fœminis, quàm viris frequentiùs accidit, ut quæ plures æstimationes, & cogitationes habent, & profundiùs, efficaciùsque imaginantur, & facilius à naturæ suæ fortitudine seipsas vincunt & expellunt) nihil magis prodest ac conducit, quàm quod cogitationibus & operibus eorum adversum est. Ipsarum enim cogitationes liberæ & lascivæ sunt, levitatis plenæ, omnis pudoris, timoris ac verecundiæ vacuæ, quas ita expelles. Abstrude eas in locum caliginosum & obscurum, cibentur aliquandiu solo pane, & aqua, nullo misericordiæ affectû in eo loco sordido serventur. Hoc modo fiet, ut per esuriem, & penuriam, aliam naturam ac cogitationes concipiant, ita ut lascivia per eam abstinentiam expugnetur in ipsis, & opera luxuriosa sopiantur, sanguis ferocior residat, spiritusque vitæ leniatur & remittat, corque ex lætitia in mœrorem à captivitate, & loci sorditie conjiciatur, adeoque vetus morbus vanescat, & tristitia recens, nullâ lætitia, nullo risû, saltûve ac clamore comitante, animum occupet ac gubernet. Quibus omnibus præstitis, ex loco obscuro captivæ emittuntur, sensimque ac de die in diem prior diæta laxetur, & cibus paulatim melior præbeatur, carcerque subindè lenior & tolerabilior reddatur; donec ipsâ quoque Melancholiâ consumptâ, ratio vera postliminio redeat. Et hujusmodi regimen tam cogitationes, quàm gestus & opera horum amentium tollit. Mera verò insania est, quod quidam putant hujusmodi choreas expugnari, si saltantibus immittantur & jungantur alii, qui eodem modo tripudient, & ad ægrorum exemplum similiter se gerant, cantentque & subsiliant. Isthâc enim æmulatione ægri plus incitantur, quàm ut reprimantur: licet diversum statuant alii, persuasumque habeant, ægros saltatû exanimatum iri tandem, nisi tali diludio cohibeantur. Id quod horum

merum somnium est. Quinimo hoc multò conducibilius est, ut fustibus probè pulsentur, & comminuantur, & à saltu per vim in carcerem abripiantur, & abstrudantur. Ubi tamen hoc quoque simul notandum est quod vapulantes ii quandoque intra se iram graviorem concipiant, cujus vi prosterni & interimi possint. Et hac cautelâ observatâ omnino opus est. Rarius autem non proficit, si in aquam frigidam insperatò conjiciantur.

Reliquum est ut tertiam quoque curam choreæ naturalis scilicet ex ipsius naturæ principio ortæ, subjungamus, prout in capite de choreâ definivimus, quod malum hoc ex venis risivis oriatur, quarum vi & incitatione ægri ad saliendum compellantur. Hæc autem cura per remediorum genera duo perficitur, nimirum per externa & interna. In externa cura notanda sunt loca exteriora, in quibus morbus sese prodit, & exerit. Interiora verò remedia ex essentia quinta sunt hujusmodi. Aurum potabile, oleum Margaritarum, materia gemmarum, aqua margaritarum, anodynum summum, Quinta essentia Opii, quinta essentia mandragoræ, quinta essentia papaveris, Quinta essentia lolii, aquæ vitæ, cancrorum &c. ex his sunt nonnulla, quæ non intus saltem, sed etiam foris adhiberi possunt, ut summum anodynum, essentia mendragoræ, essentia opii, essentia papaveris, Ess. loliatorum.

Hisce loca & regiones inungi debent. Formula tamen hæc composita nobis usitata sæpius commoditates ingentes præstitit.

℞. Essentiæ quintæ opii ℈j. essent. quintæ mandragoræ gr. vij. essent. quintæ lolii ℈j. essentiæ quintæ papaveris ʒij, essent. quintæ jusquiami ʒiij. auri potabilis ʒiiij. aquæ cordis ℥vi. misceantur omnia. Mixturæ hujus, mane, vesperi, & circa diem mediam, guttas 4. in vino bono aut aqua pura propina, ad finem usque sanationis. Externa verò membra inunge his rebus.

℞. Summi anodyni ʒß. ol. nucis muscatæ ʒj. ol. musci ℈j. misceantur in formam unguenti quò membra titillationis primaria, velut alas, collum, inunges.

Prodest hoc etiam in casû prædicta carcerandi norma ac ratio, severitate tamen lascivis debitâ aliquatenus remissâ. Nam & hic tristitia inducenda, & alteratio corporis per abstinentiam facienda est. Sed hæc de chorearum curâ hactenus sufficiant. *Theophrast. Paracelsus de morbis Ament. tract.* 2.

Puella est Pia ac proba, bene morata & educata: salubriter antehac vixit, nihilque deprehensum, quod corporis offensam argueret: temperaturæ, ut videbatur, calidæ & siccæ, adeoque cholericæ, quæ ad iracundiam levissimè incitatur, fratrem habet epilepticum, & certè ejus ipsa natura, sicut & sororis in idem malum propendere videtur. Ea 7. Julii anni præteriti 1622. cum pridie leves capitis dolores sensisset, mane circa septimam, cùm ad templum se præpararet, subito quasi consternata, concidit, & scamno innixa adhæsit, loquelâ impeditâ incedere, manus pedesque movere ac attollere nequivit. In lectum translata, quadam quasi anhelitus difficultate, ita ut ægre spiritum duceret, & pectus, scapulasque inter respirandum insigniter attollere cogeretur, premi cepit, & interdum clamosa suspiria duxit; rediit autem subinde quasi per paroxysmos hæc difficultas, atque pressura, in qua nil quicquam loqui potuit, reliqui autem sensus, visus & auditus integri manserunt. Paulo post caput hinc inde conjectare cepit, mox tamen rigidam & immobilem cervicem habere visa est, & quod postea in erectione capitis à me animadversum, cum quid sorbicionis vel medicamenti ingerere vellet, capite retrorsum magna vi retracto, manumque attollentis deprimente, opisthotono prehensam judicavi: perterritus autem ægritudinis infrequentiâ & insueto morbi, qualis nunquam occurrit, insultû, cùm diu suspensus hærerem, ea fere adhibui medicamenta, quæ in Epilepticis invasionibus utilia existimavi, Sed durabat affectio, & post leves intermissiones subinde recurrebat, ad horam usque duodecimam, quandò omnia invalescere incipiebant. Tum majoribus suspiriis anhelans, & ejulans spiritum traxit, atque cervicis nervorum rigore continuo detenta, pejus habuit adusque tertiam. Hinc mitigato malo loqui cepit, delirare, cibum poscere, vociferari, indignari ad usque vesperam, ubi tum ab inquietudine hâc languescens extremâ debilitate laboravit, ita ut sensu motûve privata, animam exhalatura videretur: duravit autem languor hic per 2. ferme horas, quibus exactis sensim se recollegit, & ad sese rediit, cibisque refecta per totam noctem placide dormivit. Altero die mediocriter habuit, & medicinam purgantem sumsit. Duodecimâ autem horâ malum reversum est & prioris diei fere formamque modumque servavit, nempe per intervalla tetano correpta, cervicis rigorem, spiritusque difficultatem atque pressuram passa est: inter paroxysmos de tanto capitis dolore conquesta, ut ad clariorem etiam vocem & loquelam quiritaret, alias loqui, imò linguam movere non potuit, nisi forsan ubi mitior invasio, ubi tum lingua titubavit & inexpedite loquuta est. Tertio die sat bene habuit. Quarto post leviorem paroxismum in tantam pedum convulsionem & contractionem incidit, ita ut pedes retracti quasi funibus corpori alligati viderentur, absque tamen omni dolore, tendines autem sub genubus lapideâ ad tactum duritie, & rigiditate continuâ afficerentur. Et quamvis post convenientes inunctiones melius habere videretur, attamen ad quartum usque diem spasmodica hæc & violenta contractio, continuò perseveravit, interim corpore reliquo bene valuit, à prioribus paroxysmis plane immunis: quarto autem die circa vesperam subito distensio hæc remisit, ipsaq. ex improviso è lecto prosiliens in pedes se conjecit, & parentibus accurrens lætabunda liberationem annunciavit: post hæc bene se habuit, sensimq; validior facta est, ita ut penitus restituta crederetur.

At post mensem nempè 6. Aug. cùm pridie magnos capitis, frontis maxime, temporumque dolores passa esset in idem ferme malum, alio tamen invasionis modo, incidit, nam manè sumto jentaculo, cùm corporis titubatione, & vertigine vexari videretur, in lectum redire jussa, profundo quasi somno abrepta est:

in quo tanquam somnians varia loquebatur: subito autem exterrita, quasi cum magna & præcipiti corporis concussione, evigilavit, mox rursus somno se dedit, denuoque terrore concita expergefacta est, & id per integram horam, vel diutius paulo duravit idemque post prandium & cœnam, & posthac sæpius quàm primum aliquid cibi ingessit, evenit, itaut mox super dormire cogeretur, & rerifico tali somno corriperetur, nocte alias placido ac naturali somno semper ferè dormivit, exceptâ tertiâ ab accidenti hoc nocte, quam fere totam deliravit, ita ut omni intellectû orbata videretur; memoria ita defecit etiam ut orationem dominicam ampliùs orare nequiverit: per intervalla tamen mens & memoria reversa, post leve autē momentum iterum extincta. Circa vesperam convulsio invasit nunc hoc, nunc alterum brachium, ita ut extendere ac movere non potuerit, mox pedes quoque eadem contractio corripuit, ita ut tum brachia & pedes convulsi sisterentur, sed paulo post brachia reliquit, hinc etiam pedes, itaut tam brachia quàm pedes movere potuerit. Postremo die maximâ omnium membrorum inquietudine correpta primùm tandem in pedes se conjicere, & in hypocausto discurrere ac saltare cepit: miserabili sane & stupendâ insaniæ specie tentata ac turbata, varios ac turbulentos mores exhibuit. Nam nulla neque vi neque increpatione contineri potuit, quominus hinc inde cursitaret, nulloque modo subsisteret, sed indesinenter inquietudine hâc detenta, in lecto etiam si forsan cohiberetur ex uno loco in alium sese conjecit: imò parietes etiam transcendere, & circa fornacis extremitates discurrere quæsivit: extra lectum dissiliens, scopas vel aliud quid simile apprehendens, pavimentum à sordibus diverrere, omnemque immunditiem conclavis, omnes angulos evolvendo, exquirere, & expurgare nunquam cessavit. Interdum subitaneâ pedum contractione inter discurrendum correptâ, subsistere coacta fuit, mox tamen soluto iterum spasmo, denuo saltare perrexit; imò defatigata, vel alioquin lassa si pigriorem interdum cursum iniret vel subsisteret, pedum affectio spasmodica mox irruebat; solvebatur autem si cursum repeteret, & impetuosius se agitaret. Quin etiam paroxysmo hoc turbulento, interdum repente soluto, substitit, suisque quod stare posset, acclamavit, lectum etiam ingressa, quievit; mox autem iterum prosiliens denuò saltare compulsa fuit, subinde namque per intervalla longiora jamjam breviora inquietudo hæc ipsam, maximè autem à cibo sumpto invasit, non raro ramen inter prandendum aut cænandum subito de mensa surgens, in pedes se conjecit, nec cohiberi potuit, vi autem cohibitâ, pedibus tripudiando, quasi humum indesinenter pulsavit. Quod si ne in pedes se conjiceret, prohiberetur interdum, (quod non raro parentes tentarunt) insigniter affligebatur circa præcordia, maxime juxta orificium stomachi, ubi de validissimâ compressione querebatur, quæ mitescebat si sese saltando jactaret, protinus autem quando subsistebat, denuo iterum dicto loco gravissimas passiones sustinebat, itaut ab iisdem impelleretur indesinenter discurrendo se exercere, languebat etiam plurimùm, ac debilitabatur, & distensionibus membrorum tentabatur, quando nondum finito paroxysmo sese agitare cessabat, aut prohibebatur. Si mitiores fuere invasiones, in lecto, locoque suo manere potuit, nec evagari coacta fuit, attamen tum inquietudo nunc hoc, nunc aliud membrum invasit, ita ut incessanter quassare nempe, brachium hinc inde movere, vel pedem sursum, deorsumque trahere, serie continuata, cogeretur. Sæpe caput solum ut hoc hinc inde indesinenter jactaret malum occupavit, sæpe saltem ejus partem, nempe linguam, unde titubatio, maxillam, unde dentium collisio atque stridor, aures, nasum, buccam, labia, collum, unde earum partium tremor, atque concussio, totam denique faciem, unde ejus fœda distorsio sequuta: inferiores etiam non raro partes vexavit, pectus nempe, ventrem, exteriores musculos, unde palpitationes & distensiones exortæ, imo mirabili varietate nunc hoc, nunc aliud membrum, nunc unam saltem, sæpe plures partes simul invasit, atque afflixit. Semper autem & in omnibus paroxysmis, linguam simul affectam vidimus, ita ut tremeret, vellicaret, balbutiret, & impedite loqueretur, leviter etiam deliraret, ratione aliquantum destituta, licet alio tempore plus, alio minùs, quæ mentis, sermonisque imperfectio & titubatio, manè præsertim cum è lecto surrexisset, animadversa, futuram invasionem semper indicabat, quamvis aliàs in ipsa accessione, dum saltaret atque discurreret, vel membra jactaret, sensus exteriores illæsi ac integri permanserint, quod facile judicare fuit ex eo quod quodvis audire, & ne sese offenderet, sedulo cavere potuit. Interdum loqui omnino non potuit, & ad interrogata nequicquam respondere; sæpè autem quando affectio linguam inquietavit, incessanter garrire, imo canere etiam coacta fuit, & tùm, quò plus loquebatur, vel canebat, eò minus se circa præcordia affici, & immunem à molesta cordis compressione fieri dicebat: quàm primùm autem inquietudo linguam deseruit, ipsaque deblaterare & canere cessavit, membri alterius, aut pedis aut brachii quassatio, & agitatio secuta est. Interdum ratione omnino priuata, interdum mente satis valere visa. Cibum in paroxysmo maximè vehementiori, assiduè flagitavit. Crassum imprimis nempe panem secundarium cum butyro coctum, quem avidissime semper devoravit, quòd si denegabatur, urgentissime poscere non destitit, sæpè cum precibus, lachrimis, & indignatione, si alius quandoque & diversus ab eo, quem petierat, forsan exhiberetur, pro eo tamen, quem postulaverat, cupidè comedit; imo interdum, si non confestim adesset, exacerbata, obvia quævis, ligna, stipulas, linteos, pannos, vel quidvis aliud ori ingessit, dentibusque maxime si malum maxillas prehenderat, laceravit. Et si brachia inquietudo occupavit, illud quo uteretur inter edendum, ad eò hinc inde jactavit, ut difficulter cibum ori admovere potuerit, adeo ut sæpè ingerendo opem ferre necessum fuerit. In omni invasione frontis, temporumque venæ turgescentes & livescentes apparebant: frontis autem dolor, cordis tremor, orificii stomachi compressio, deliri sermones etiam, linguæ item

tremor

tremor, ac vocis titubatio futuram invasionem prænunciabant.

Dysuria etiam accessit non rarò, ita ut sæpe per integrum diem nihil excreverit, quamdiu nempe paroxysmus duravit, eo autem soluto, urinam emisit. Per totam noctem ferè semper dormivit, placideque quievit, quantumvis totum diem inquiete peregerit. In somniis tamen aliquoties turbata est, sicuti & prius, cùm sana adhuc viveret.

Prodigiosum hoc malum per 14. continuos fere dies duravit, ita ut in dies vel membrorum motus concussivi, vel inquietudines jam enumeratæ exortæ sint: postea vero remittere cepit, & non nisi certis dierum intervallis recurrere, eandem autem fermè idæam servavit semper, ita ut vel discurrere, vel membra quassare cogeretur, cujus invasionis principium delirationes, linguæque titubationes tanquam prænuntii indicabant.

Varias adhibui Medicinas, purgantes, roborantes, bezoarticas, internas & externas, fonticulum etiam nuchæ impressi: nihil autem, vel parùm profeci, tandem autem mense Decembri, cùm illa medicamenta, quibus olim Hassiaci Medici in morbo quodam publicè grassante, huic pene simili, usi sunt, quorum descriptionem ab Excellentia tua accepi, exhibuissem, sensim imminui affectio cepit, itaut primùm paroxysmi mitiores facti fuerint, post ipsæ saltationes remiserint, tandem etiam membrorum concussiones mitigatæ. Nec tamen ne nunc malum extirpatum nam quotiescumque ad iracundiam commovetur, uti facile fit in re familiari, in quâ valdè se industriam exhibet, vel quando terretur, uti maximè accidit viso fulgure, & audito tonittu, aut impetuosiore, aut repentino sonitû, denuò ejus rudimenta subito eam apprehendunt, ita ut loqui nesciat, aut balbutire incipiat, sæpe etiam hinc unum, aut alterum membrum, agitare compellatur, nec tamen diutius hæc durant, sed per mediam saltem, sæpe tamen etiam per unam aut duas horas, postea ad se reversa, rectè iterum se habet, optimeque valet, adeo ut nihil adversi in ipsa animadvertere liceat. Plerumque etiam recrudescit affectio, quando Luna superiora signa, nempe arietem atque Taurum, occupat, tum à sumpto cibo mane præsertim, quàm primùm aliquid degustat, tale quippiam quandoque patitur, ita ut delirare, linguaque tremere atque titubare, sæpe etiam hinc inde membrum quoddam agitare incipiat. Quando verò pulveris illius & electuarii bezoartici usum non negligit, sed continuâ adhibitione subsidium sibi subinde comparat, fere à mali invasione servatur. Et hæc ferè est mirabilis illa, & prodigiosa affectio, quæ stuporem omnibus astantibus & videntibus peperit. *Gregor. Horstius Observat. & Epistolar. Medicinal. lib. 2.*

Memini me præcedenti verno tempore cum mulieribus quibusdam loquutum quæ quotannis *Sacellum S. Viti* quod est in finibus ulmensium, non procul à Geislingem propè ditionem Rechbergensem, visitant, ibidemque saltû cum perturbatione mentis eousque sese nocte, dieque exercent, donec Ecstaticorum instar corruant, quâ ratione sibi restitutæ videntur, ut parùm vel nihil sentiant, per annum integrum, usque ad Maii tempus subsequens, ubi membrorum inquietudine eousque sese torqueri referunt, ut vicissim circa *festum S. Viti* ad prædictum locum saltationis gratiâ sese conferre cogantur, quemadmodum una ex ejusmodi mulieribus per viginti & plures, alter per 32. annos ibidem quotannis saltavisse dicebatur. Absque superstitione hoc quicquid est, non est, utpote cùm verisimile videatur exacerbari verno tempore causas convulsivorum motuum in membris naturaliter, quas postea cum singulari vehementiâ animi, spe restitutionis *per sacrificium S. Vito oblatum*, suscepta saltatio fortassis ita dissipat, ut recollectis viribus aliquandiu tales ægrotantes ab invasione liberæ permaneant.

Novi puellam Honestam, Mercatoris filiam in hac Republica, quæ jam per annos aliquot verno tempore, cum aliquâ; sed levi, mentis perturbatione, similem affectum ferè patitur, ut inquieta jam hoc, jam illud membrum movere cogatur, sæpius & lingua, sermonisque operatione interceptâ, de loco ad locum hinc inde commovetur; quod per septimanas aliquot singulis annis, nocte dieque continuat. Valdè vereor, ne tandem gravius aliquid hic etiam expectandum sit. Quanquam verò non ignorem, ex authoribus, quosdam in *Saltû S. Viti* nihil quicquam convulsivi concedere velle, contra alios ex Arabibus; quatenus mens iisdem alienata tantùm videtur, cujus ratione perversus saltandi conatus & appetitus oriatur; nihilominus si fides adhibenda mulieribus illis cum quibus hac de re præcedenti verno tempore sum loquutus, omnino statuo convulsivos hic motus concurrere, præsertim cùm affirmarint, quòd pluribus septimanis, antequàm *Sacellum Sancti Viti* accedant, tensivos omnium artuum dolores, una cum lassitudine spontanea, capitisque gravitate paterentur, in quo statû permanent, eo usque donec accedentes ad consuetum saltationis locum, organum musicum, quod in eorum gratiam pulsatur, audiant, ubi mente magis, magisque perturbatæ (fortassis concurrente simul imaginationis firmioris, spe sanationis, impressione) saltare cogantur, ut accidat ipsis ferè, quod iis, quos à Tarentulæ morsû læsos dicit *Matthiolus. Gregor. Horstius Observat. & Epistolar. Medicinal. lib. 2.*

Tarentulæ morsui affine est malum, quod *Chorea S. Viti* appellatur, de quo refert Gregorius Horstius, secum mulieribus quibusdam locutum, quæ quotannis Sacellum S. Viti quod est in finibus Ulmensium, visitantes, ibidemque saltû cum perturbatione mentis, eousque sese nocte, dieque exercent, donec ecstaticarum instar corruant qua ratione sibi restitutæ videntur, ut parùm vel nihil sentiant, per annum integrum, usque ad Maii tempus subsequens, ubi membrorum inquietudine eousque sese torqueri referunt, ut vicissim circa festum S. Viti ad prædictum locum, saltationis gratia, sese conferre cogantur. Horst. Epist. Med. sect. 7. de admirandis convulsionibus.

Profecto usitatum est (prout sæpiùs observavi) tum viros, tum fœminas, interdum ea membrorum inquietudine, & velut œstro quodam urgeri, ut necesse habuerint; usque ad

lassitudinem ambulare, quin etiam saltare, huc illuc discurrere, ut hac ratione graviores molestias, & lipothymias alioquin invasuras evitare possint. Quorum ratio videtur esse, quod spiritus animales, quatenus in toto nervoso genere à copulâ heterogenea incitati, efferi prorsùs ac effrænes evadunt: quos quidem ita exerceri, atterique opus est tum ut ipsi perdomentur, tum ut copula explosiva excutiatur. *Thom. Willis de morb. convulſ. cap. 7. operum part. 2.*

Tarentulæ ictus, ut inquietudinem, & canis rabidi venenum, aquæ metum, sic inducit, vel perpetuas Choreas, vel indefatigabilem cursum, illa insaniæ species quam Felix Platerus Viti saltum nuncupat, cujus miserrimi morbi specimen licuit nobis aliquando videre propè Cortracum, modicum Flandriæ oppidulum, in homine verè misero.

Qui dies ac noctes cursitabat; subsultû tam pernici, & agitatione tam perenni, ut præ defatigatione defflueret undiquaque sudoribus, neque tamen propterea, vel tantulum quiesceret, homo volaticus, & irrequietæ huic revolutioni, tam stricte addictus, ut nunquam se dederit ulli quieti, nisi quam invito extorqueret, inevitabilis dormiendi necessitas. *Nicol. Tulp. Observ. lib. 1.*

CILIORUM AFFECTUS.
Vid.
PALPEBRARUM AFFECTUS.

CIRSOCELE.
Vid.
HERNIA.

CLAVUS OCULI.
Vid.
OCULI VITIA.

CLAVUS PEDIS.
Vid.
PEDIS CLAVUS.

CÆLIACA PASSIO.
Vid.
LIENTERIA.

COLICA PASSIO.

Hic morbus tam accuratè à Clar. VVillisio describitur ut aliunde nobis non necessarium videatur quod de eo dicendum habemus, mutuari. Sic itaque ille.

QUo jure *hunc morbum* inter *Affectus cerebri, & nervosi generis* referimus, in superiori capite innuitur, nempe tum respectu *symptomatum* præcipuè urgentium, quæ sunt *dolor*, & *motus convulsivi*, tum ratione *causæ* à *Carolo Pisone* in τὸ ἐγκέφαλον (& quidem non improbabiliter) collocatæ.

De *Colica* vocabulo, ab intestino *Colo* (quod in hoc morbo potissimum affici, perperam licèt, vulgò supponitur) non litigabimus. *Affectus* describi potest quod sit, partium quarundum Abdominis insignis vellicatio, unde dolor valde acutus, cui plerunque vomitio, nec non spasmi, & contractiones viscerum ferè omnium totius ventris adjungi solent. Quippe umbilicus, ejusque vicinia modò velut cùm perforatione quadam intus retrahuntur, modò cum inflatione, & velut exilitione magnâ extumescunt; intestina, fibrarum motu inverso, sæpe sursum convelluntur: Quapropter alvus summè astricta, parùm aut nihil reddit, immo, licet ab enematis crebrò solicitetur, contenta sua haud facilè deponit: *Ventriculum* cum *duodeno*, & *vesica fellea* pariter convelli, ex vomitu, & copiosâ bilis, flavæ aut viridis rejectione, liquidò constat: Quandoque etiam *ureteres & vesica urinaria* ita contrahuntur, ut toto paroxysmo urina aut supprimatur, aut parciùs excernatur: Præterea in *capite vertiginosi affectus* frequenter hujus morbi insultus præcedunt, aut sequuntur: Quinimo *Colica* ingravescens, & inveterata non rarò dolores in membris exterioribus accersit, ac demum in *Paralysin* terminatur: Cum itaque partes ab eâ plures laborare solent, inquirendum erit quæ sit primariò affecta, & cujus ratione reliquæ patiuntur, dein quæ sit morbi *causa conjuncta*, in quo loco subsistat, ac unde originem ducat?

Quoad *partem primariò affectam* licet morbo urgente tota ventris regio perturbari solet, attamen ejus sedes primaria collocari debet, ubi *dolor* potissimùm infestat, & pertinaciùs hæret: Hoc autem, ex Medicorum plurimorum consensu, alicubi in *Colo intestino* esse perhibetur. Quare *Celsus* dicit *Colicam intestini majoris Affectum*; quod etiam ratio nonnihil suadere videtur, nam sive materies morbifica in *cavitatibus intestinorum* congeri, sive in *membranis* illorum penitus defigi supponitur, certè in *Coli* plicis, pro receptaculis ejus profundiores extant cellulæ, atque intestini hujus tunicæ crassiores existunt, in quibus humor peccans altiùs impingi queat. Verùm enim vero hæc opinio (cui non facile assentimur) uti & Affectus denominatio, ex eo tantùm Medicorum Scholis increbuisse videtur, quia passim observamus *Intestina* à flatibus, à pharmaco, bile, aliisque forsan humoribus intra cavitates eorum contentis irritata, dolores ac tormina inire; hinc ut obvium sit inferre *dolores colicos* tantummodo ab intestinorum, ac imprimis *coli* contentis acrioribus, & irritativis exoriri. Quod tamen ita si haberet, procul dubio quæ ventrem solvunt, atque flatus, & fæces copiosè educunt, certissimum levamen adferrent; cujus contrarium sæpenumero evenit, nempe à catharsi crebriori, aut violenta, morbum istum intendi.

Quamobrem ut *morbi* hujus *sedes*, & natura rite innotescat, hic imprimis distinguere oportet, de *ventris torminibus*, sive *doloribus* pro *colicis* vulgò habitis: Isti nimirum aut mere *occasionales* à causâ evidenti solitariâ oriuntur, & sine præviâ diathesi hominibus quibusvis, iisque imprimis, qui teneræ constitutionis fibras valdè sensiles, spiritusque citò dissipabiles habent, passim contingunt; ad hunc modum incongrua, vel inassueta epota, vel comesta, item pharmaca, frigoris contractio, pluresque aliæ

circa sex non naturalia alterationes, in visceribus imi ventris perturbationes insignes, cum *doloribus* non raro excitant: Cujusmodi tamen affectio non *morbus*, sed tantum *symptoma*, à causâ manifestâ excitatum, censeri debet.

Attamen præterea, *Colica* ita propriè dicta, non tantùm à *causa accidentali* producta quibusvis contingit, sed homines nonnullos peculiari ritu prædispositos incessens, omnino à *causa procatarctica* sensim maturatâ dependet. *Morbi insultus* graviores plerumque *periodos* suas habent, atque Aeris, & Anni alterationes observant; porrò excitati, remediis non facilè cedunt, neque citò pertranseunt; verum non obstante epithematum usu, aut ventre per enemata aut cathartica copiosè licèt subducto, sæpe per plures dies, ac interdum hebdomadas, cum magnâ ferociâ persistunt. *Dolores* in quolibet paroxysmo, eandem usque partem repetunt, & aliorum symptomatum pari ut plurimùm syndrome stipantur: Cæterùm *dolores colici*, licèt non eandem in omnibus sedem habeant, sed modò sub *ventriculo*, modò circa *umbilicum*, aut *hypochondria*, quandoque in *hypogastrio*, aut *versus lumbos* maximè desæviant; attamen, quoties in eodem Ægrotante repetunt, eundem sæpissime focum observant.

Pro explicanda hujus morbi *Ætiologia*, non satis erit statuere, *intestina* vel ab acrioribus suis contentis vellicari, vel à sanguine, aliisve humoribus iisdem suffusis, ac continuitatem solventibus, irritari. Nam quoad *prius* summè improbabile est, *bilem*, vel *pituitam*, vel *succum pancreaticum*, aliumve quemcumque humorem aut simplicem, aut cum aliis effervescentem, *dolores* adeò atroces, fixos, & diu perseverantes excitare posse: Præterquàm enim quòd intestina propria muccagine oblinita à contentis, licet acrioribus, non facilè pungi, aut exasperari solent, in tantum ut sedes acriores, quæ anum sæpe excoriant, intestinorum ductus parùm aut minimè divexent, insuper *hæc* graviùs irritata, quicquid molesti in ipsorum cavitate continetur, facilè excutiunt, atque sursum vel deorsum propellendo, citò eliminant; prout in *Cholera* morbo, aliisque Affectibus *dysentericis* planè cernitur; neque ulla fere est saburra horum membranas stimulans, inque dolores ciens, quæ una aut altera purgatione foras exterminari non potest. Dein 2. quod spectat ad *sanguinis*, aut *seri* intra intestinorum tunicas suffusiones, à quibus *phlogosis* aut *tumores dolorifici* excitantur, revera ita fieri interdum concedimus, immò αὐτοψίᾳ novimus; exinde verò *passionem*, non *Colicam*, sed *Iliacam* excitatam fuisse observavimus. Quippe cum plures ab *Ileo* defunctos aperuerim, intestini cujusdam *inflammationem* aut *sphacelum* ferè in omnibus & *morbi*, & *mortis* causam fuisse deprehendi: neque mirum hoc, quoniam in membrana tenera, & maximè sensili magna *solutio continui*, spasmos, & corrugationes dolorificas ita continuas, & atroces ciebat, propterea ut *intestini* affecti *motus peristalticus*, quo fæces alvi versùs anum provehuntur, inhibeatur ac prorsus invertatur.

Cùm itaque *morbi Colici*, aliusmodi tum *materies* sive minera, tùm *sedes* & *affluxionis via* perquirendæ sint; jure merito *liquor nerveus*, ejusque recrementa in suspicionem veniunt; eò magis, quòd *passio* istæc cum aliis *Cerebri*, & *nervosi generis affectibus*, intimum adeò consensum habet, prout suprà innuimus. *Carolus Piso* cùm plerosque totius corporis affectus, tum insuper *dolores Colicos* à *colluvie serosa* in *capite aggesta excitari statuit*, morbi hujus sedem, nec in tunicis, nec cavitatibus intestinorum, sed in *Peritonæo* esse, atque *causam* omnino in *cerebro* juxta nervorum origines hærere, contendit. Nimirum supponit ille (quod ex *observatione Anatomica* compertum ait) *serositates in postica cerebri regione depositas*, *nervorum paris vagi capitella obsidere*, *proindéque ipsorum ramos*, *& propagines quasdam ultimas peritonæo insertas*, *in spasmos agere*, *atque ab hujus contractione dolores tum in ipso*, *tum in visceribus substratis atrocissimos*, *ac velut perterebrantes excitari*. In probationem hujus sententiæ exemplum subdit, cujusdam à paroxysmo Colico graviore defuncti, & dissecti, in quo *postica capitis regio juxta cerebellum*, *& nervosas paris vagi origines aqua limpida in tantum perfundebatur*, *ut substantia medullosa instar papyri madidi plurimum humectata appareret*. Sect. 4. c. 2.

Verùm enimvero, ut *colicam* ex humoris cerebrum, & partes nervosas irrigantis vitio oriri concedatur; attamen haud isto modo, quem hic Author designavit, pathemata istæc dolorifica excitari putamus. Quippe nec in *peritonæo morbi sedem*, nec intra ἐγκέφαλον, *causam* ejus primariam subsistere putamus. Nam quoad hunc, etsi materies morbifica, in capite juxta nervorum origines aggesta, quandoque in partibus longè dissitis *motus convulsivos*, *spasmos*, & *stupores*, (uti pluribus instantiis, unà cum affectuum rationibus alibi ostendimus) producat; attamen in *dolore* (qualis solet esse *colicus*) valde atroci multo secus habet. Quippe ad hunc, qui semper à *solutione continui* procedit, excitandum requiritur, ut causa dolorifica sive objectum improportionatum ipsi membro affecto, aut saltem ejus parti, aut portioni cuidam infigatur: Nec enim sufficit dicere *convulsionem* à causa remota, ac inde *dolorem* à *convulsione* procedere: Quippe licet *dolor* sæpe *motus convulsivos*, attamen *hi* istum per se, saltem magnum & diu perseverantem, minimè producunt. Quapropter in *dolore colico*, materies fibras sensiles distrahens, & ab invicem divellens, proindeque in corrugationes dolorificas irritans, haud usque in *cerebro* commorari, verum exinde, per *ductus nerveos* versus intestina descendens, alicubi in eorum vicinia juxta partes dolentes congeri, & subinde vel ob plenitudinem sponte turgescens, vel cum alio humore effervescens morbi istius paroxysmos inferre videtur.

Mineram verò *colicam* à *peritonæo* rejicimus; quia membrana hæc cum admodum tenuis, ac vasis paucioribus & tantum exilibus donata sit, nec magnæ humorum affluxionis capax, neque ipsa, ut convellatur, viscera substrata comprimendo, aut contrahendo in dolores urgere posse videtur. *Materies* autem morbifica à *capite* per *nervos* in ventrem lapsa, nidos maximè idoneos in *mesenterio* reperiet; in quo scil. *nervi* plurimi, & magni, eorumque *plexus* & distributiones valde insignes habentur: Quare, cùm pars hæc valde sensilis, & humorum nervosi generis affluxionibus plurimum obnoxia fuerit, *morbi colici sedes* merito statuatur.

Motuum

Motuum quorundam in Abdomine *convulsivorum*, qui vulgò *Hysterici* dicuntur, causas sæpenumero in *plexibus mesentericis* latere olim ostendimus, porrò in iisdem locis *dolores colicos* interdum nidos suos habere tunc asseruimus, & ex *observatione Anatomica* satis ratum fecimus. Attamen non *eadem*, sed nonnihil *diversa materies* est, quæ utrosque ita dispares affectus, sub eodem lare excitare solet. In *passionibus* dictis *hystericis* spiritus animales *copula elastica* onustos, ab invicem elidi, seu velut explodi, proindeque corpora continentia, in motus irregulares, seu præternaturales invitè rapere, in *priori tractatu* satis fusè declaravimus: In *doloribus* autem *colicis* iidem spiritus propter materiem iis infestam, & improportionatam irritati, proindeque ab invicem divulsi, & distracti fibras sensiles in *corrugationes* valde molestas agunt: Quo ritu in *doloribus colicis* hoc fiat, item quæ morbi istius *causa conjuncta, procatarxis*, & *symptomatum rationes* fuerint, jam paulo explicatiùs dicemus.

Itaque pro *Affectus colici* seminio sive minerâ, humoris nervei recrementa quædam à cerebro per nervos decidua, inque *mesenterium aliosque Abdominis plexus* delapsa, ibidem congeri supponimus; quæ si crassiora, & magis viscosa fuerint, quàm ut per lymphæ ductus excipi, & amandari, aut per vasorum propagines exiles, in cavitates intestinorum exsudare possint, in partibus illis stagnantia & sensim coacervata, tandem in plenitudinem irritativam assurgent; dein materies ista stagnatione plus degener, & magis infesta evadens, occasionaliter, aut sponte turgescens, vel forsan cum *humore salino fixo* è sanguine illuc suffuso effervescens, nervorum propagines, fibrasque nerveas, quibus innumeris *Mesenterium* scatet, corrugationibus valde molestis, & dolorificis torquebit; cujusmodi illorum affectio, haud planè cessat, donec materies effervescens aut discussa, aut in cavitates intestinorum expressa, aut demum subacta fuerit.

Porrò in quantum è *mesenterio* ejusque plexibus propagines fibræque nerveæ in *ventriculi* fundum, *vesicam felleam*, *ductus choledochos*, *intestina* omnia, & quaquaversus in cuncta ferè totius abdominis viscera densissimè protenduntur, idcirco, dum *materies colica* in mineris suis effervescens, tormina, & cruciatus sæpe acerrimos ibidem ciet, unà in partibus plerisque aliis membranosis *spasmi*, & *contractiones convulsivæ* aut *dolorificæ* ubique excitantur. Hinc ob *mesenterium* primariò affectum sub umbilico dolor acerbus, quasi pali affixi, aut terebræ perforantis speciem præ se ferens; dein circumcirca in toto ferè Abdomine, propter *intestina* simul in diversis locis variè diducta, aut retracta, dolores vagi huc illuc excurrunt, atque ob fibrarum motus, tum in his, tum in vasis urinariis perturbatos, aut inversos, alvus ferè semper adstricta est, & urinæ interdum suppressio, aut paucitas succedit: Quin etiam *Duodeno, vesica fellea* cum ductibus, atque *ventriculi fundo* spasmo affectis, eorumque fibris sursum tractis, *vomitio* crebra, cum *bilis flavæ* aut *prasinæ* rejectione copiosâ, durante paroxysmo subindè infestat.

Quod autem nonnulli, ejusmodi *bilem* (quæ nonnumquam instar *viridelli* intensè *prasina* rejicitur) morbi *causam materialem* esse contendunt; ejusque copiam, & in viscera exudationem *dolores colicos* in *intestinis* excitare: Dico humorem istum circa paroxysmi initia, in *cysti fellea* sine offensâ quavis contineri, postea tamen propter viscerum spasmos indè expressum & quasi emulctum, in *ventriculum* vomitu affectum exantlari; ibidem verò humori alteri forsan acido, occurrens, *colorem viridem*, immo quandoque *atrum* (prout olim observatione Anatomica compertum habui) acquirit. Atque hoc quidem ex eo patet, quod qui temperamenti frigidioris *bilem* minùs progignunt dum colicâ laborant, *flavi* aut *viridis* parùm, aut nihil vomitu rejiciunt; attamen doloribus haud minùs acerbis divexari solent.

In *paroxysmo colico*, doloribus *ventris lumbares* atrocissimi, in imo dorso sævientes sæpenumero adjunguntur: qui certè à nullius *intestini* irritatione oriri possunt. Attamen facile erit concipere, eos à causa morbifica in *mesenterio* consita excitari: in quantum scilicet nervi quidam insignes *lumbares mesenterii plexum* nerveum maximum ingrediuntur; hinc ut non tantùm *spasmi dolorifici* per consensum ab una parte, in alteram tradantur; sed probabile insuper sit, etiam *dorsi* & *lumborum* recrementa quædam hoc transitu in *mesenterium* derivari; atque aliquatenus ob hanc rationem, *Scorbuticos* ventris torminibus, & fluori ita plurimùm obnoxios fieri.

Hæc de *morbi Colici natura*, & *sede*, nec non de *causa conjuncta*, & *symptomatis* ab eadem in actu existente oriundis: Quod ad *procatarxin* spectat in *his duobus* ea potissimum consistit, scilicet *primò* quatenus in liquore nerveo recrementa plura congeruntur; & 2. quòd ea potissimùm à nervis, ad viscera imi ventris destinatis excepta, & ad *mesenterium* delata, mineras ibi morbidas constituunt. Primò prius horum plerumque *cerebri* culpa, ac vitio contingit: nempe quatenus *hoc* unà cum *liquore nerveo* particulas heterogeneas, & regimini animali infestas intra fines suos admittit; præterea item quòd hæc, aliaque recrementa ordinaria per idoneas cloacas haud statim amandat: Quapropter materies incongrua, cum aliàs à *cerebro* ablegari nequit, in *nervos paris vagi* maximè patentes facillimè irruit. Atque ob hanc rationem est, quòd *fœminæ* à quavis cerebri inordinatione *diathesin Hystericam* dictam frequenter contrahunt; nempe quatenus recrementa liquoris nervei, sive ex *spasmodica* & *elastica*, sive *dolorifica*, & *irritativa* tantùm fuerint, in *par vagum* deponi aptiora, symptomata *convulsiva* æquè ac *colica* ita passim excitant. Secundò. Quòd materies hæc *nervorum par vagum* incurrens, in *mesenterio*, aut aliis intra Abdomen plexibus deponitur, ratio est, quòd in hos *plexus nerveos* conjugationis istius nervi plures & majores, ferè ultimò terminantur: Quamobrem si humoris nervei recrementa hic quasi in imum subsidentia, nec per vasa quæpiam regeri, nec in cavitates intestinorum transire possunt, necesse erit eadem focos morbidos in hac parte struere.

Causæ evidentes duplicis sunt generis, scilicet *primò* quæ cerebro & generi nervoso injuriæ, materiæ morbificæ proventum majorem fa-

ciunt; vel secundò quæ sanguinem, & humores agitando, mineras aggestas, & priùs quiescentes exuscitant; inque effervescentias dolorificas cient. Tædio hic esset multiplices, ac diversimodas προφάσεις, à quibus dolores colici in prædispositis accientur, examinare; hos enim & mordinationes magnæ in sex non naturalibus, & aeris & Anni mutationes, ac insuper ipsa à (quibus juvamen expectatur) *pharmaca* intempestivè exhibita, crebrò accersunt.

Ex prædictis morbi hujus *differentiæ* facilè innotescunt. Nam *primò* ratione *causarum* ostendimus, *Colicam* aut *accidentalem*, quæ propter intestina à contentis acrioribus irritata infertur; aut *habitualem*, qualis modò describitur, secundò, ratione *loci affecti Colica* modò *superior*, modò *inferior*, modò *lateralis* est, prout materies morbifica aut in mesenterii parte modò hac, modo illâ, vel in aliis Abdominis plexibus defigitur. Tertiò, ratione Ægrotantis *temperamenti*, & valetudinarii status, dicitur *colica biliosa*, *pituitosa* aut *atrabilaria*; item vel *simplex*, vel *scorbutica*; non quòd humores isti imaginarii *colicam* per se excitant, sed juxta corporis affecti dispositiones, symptomata variari faciunt.

Quoad *prognosin* satis vulgò innotescit; *Colicam accidentalem*, scilicet à causâ evidente solitariâ excitatam sæpissime tutam esse, & facili negotio curari; *habitualem* verò & quoad diathesin difficulter admodum eradicari, ita ut paroxysmi non ampliùs redeant; & ipsos quandoque paroxysmos, non obstantibus remediis pertinaces esse, atque per plures dies, immo hebdomadas ac menses interdum persistere.

2. *Dispositio Colica* febribus intermittentibus diuturnis, & continuis malè judicatis frequenter succedit, in quantum scil. liquor nerveus insigniter vitiatus recrementa plura congerit, quæ in Abdominis plexus, quasi receptacula magis patentia altiùs deponuntur. Porrò ob hanc rationem febris epidemica quibusdam Annis increbuit, cui *Colica* velut symptoma pathognomonicum adjungebatur: Hinc pariter *Scorbutus* diuturnus ac ingravescens, quatenus liquorem nerveum pervertit, etiam *Colicam* accersit.

3. Postquam *dolores Colici* aliquandiu in *ventre* desævierunt, sæpenumero *lumbos*, & dein morbo ingravescente, membra, & musculos ferè omnes in toto corpore incessunt, tandemque non rarò in *paralysin* terminantur; quod certè indicio manifesto est, materiem morbificam non per *arterias*, sed *nervos* deferri, ejusque subjectum sive sedem, non intestinorum cavitates, aut tunicas, sed mesenterii plexus nerveos esse; nam quod *dolores lumbares* ventris torminibus superveniunt, præterquam quod nervi utriusque loci communicant, tandem insuper in *causa* est, quòd materies morbifica in capite multùm aucta, non tantum in *par vagum*, sed etiam in spinalem *medullam* illabitur; quam subiens, ac in imum ejus subsidens, primò in *lumbis*, ac postea nervis plerisque aliis, qui à spinâ procedunt, affectis, in membris, & musculis aliis *dolores* exoriri facit; denique nervorum ductibus, à materia morbifica in ipsis ad plenitudinem aggesta, infarctis, *paralysis* infertur.

4. *Colica atrocior*, & plurimum immanis, cujus causa intestini cujusdam *inflammatio*, aut *abscessus est*, *passionem Iliacam* plerumque lethalem inducit.

Methodus Therapeutica, in *Colica*, ut in plerisque morbis intermittentibus, *tres primarias Indicationes* suggerit: Quarum *prima curatoria*, in paroxysmo adhibenda, dolores sedandos, atque morbi accessionem citiùs, ac faciliùs tollendam respicit. *Secunda Præservatoria*, quid extra paroxysmum ad morbi causam tollendam, ne paroxysmi sæpius repetant aut graviùs infestent, agendum sit, edocet. *Tertia Vitalis*, remedia ad vires inter tormina & diros cruciatus conservandas, & spiritus refocillandos suppeditat. Super his singulis paulò explicatiùs ordine dicemus.

1. *Indicationem curatoriam* in *Colicâ accidentali* ferè solam respicimus; etenim causa evidente, quæ intestinorum à contentis acrioribus irritatio est, remota, dolores ut plurimùm sponte cessant, nec recidiva absque simili occasione timetur. Quare ad hunc morbum citò curandum, praxis apud vulgus, imò quosvis e plebe homines satis idonea innotescit, scil. protenus *Enemata emollientia*, *Topica anodyna*, & *narcotica* exhibere; quibus si febris adsit vel metuatur, *phlebotomia* sæpe cum fructu adjungitur. Horum *formulas*, & utendi ordinem in *Therapeiâ colicæ habitualis* modò subdemus.

Itaque pro Affectûs hujus *paroxysmo* sanando, *duæ* sunt præcipuæ intentiones; nempe, & *solutio continui* dolorifica tolli, & fibrarum sive *spirituum* in iis excandescentia compesci debet. Ratione *prioris* enitendum erit, tum ut materies mineræ uni aut pluribus impacta, & effervescens, aut discutiatur, aut subigatur: tum interea ut novæ materiæ affluxus inhibeatur. 2. *Intentio* cui primò, & continuè insistere oportet, per *Anodyna* potissimum & *narcotica* perficitur: Quo ritu, & quibus remediis quæque hæc methodicè peragenda sunt, trademus.

Doloris Colici curatio sæpissime, & satis rectè à clystere incipitur. Hic primò sit tantùm leniens, & emolliens, à quo, velut à *fotu interno*, fibrarum corrugationes compesci, & spiritus excandescentes demulceri poterunt. In hunc finem *lac tepidum*, cum *saccharo*, vel *molosso*, aut *syrupo violaceo*; item *decocta emollientia* ex *Malvâ*, *Altheâ*, *Mercuriali*, *floribus Meliloti*, *Sambuci*, cum *oleo Amygdalarum*, vel *olivarum*; item *decoctum ex capite vervecino*, aut *pedibus vitulinis* conveniunt: Interdum *enema* ex *mero oleo Olivæ*, aut *Lini* præ quibuscumque aliis juvare solet.

Quod si *enemata mitiora* non facilè redduntur, aut ventrem non laxant; quæ magis irritant, atq; humores ab Arteriolarum osculis exprimunt, & quasi emungunt, adhibeantur: In quem finem parentur *decocta carminativa*, aut *amara*; in quibus dissolvantur *electuarium Diacatholicon*, vel *è baccis Lauri*, aut *species Hieræ*. Item liquoribus istis usitatum est addere *infus. croci metallorum* ℥ iij. vel iv. vel *decocti emollientis* ℔ j. *adde Terebinthinæ Ven. solut. cum vitello ovi* ℥ j. *aut* ℥iß.

Vel ♃. *Urinæ sanæ* ℔ j. *Tereb. Ven. sol.* ℥iß. *molossi* ℥j. *misce*, *f. Enema*. Hoc magnum juvamen sæpius contulisse novi; cujus ratio videtur, quòd *Terebinthinæ* particulæ balsamicæ intestina confortant; ac insuper à sanguine venoso acceptæ, & cum eo per totum corpus circulatæ, urinas movent, ita ut lotium à tali clystere sæpe copiosiùs succedat, & semper odorem violaceum reddat. Forsan etiam particulæ *Terebinthinæ* ubique diffusæ

diffusæ, materiam morbificam aut stagnantem movent, aut acetosam, aut aliàs degenerem ad crasin meliorem inclinant.

Dum *intestina clysteribus* colluuntur ita; ac intus quasi foventur; *Epithemata* exteriora etiam Abdomini applicentur.

♃. *Folior. Malvæ utriusque, Mercurialis, Parietariæ, an. m. iv. floribus sambuci, chamomeli, meliloti, an. m j. caput vervecinum discissum.* Coquantur in s.q. aquæ font. colatura usurpetur pro fotu, cum stuphis laneis calidissimè intinctis, & expressis, atq; vicissim applicatis: repetendo quoties dolores intensiùs urgebunt: Circa fotûs intervalla *cataplasma*, aut *linimentum* adhibeatur.

Magmati herbarum contuso adde farinæ Avenaceæ q.s.f. Cataplasma; quod interpassatim insuatur duobus sacculis figuræ quadratæ pro abdomine obtegendo. Horum unus pro vice effervesiat in patina supra prunas ardentes cum oleo lumbricorum, aut Ranarum; imponatur calidè, mutando quamprimum frigescere incipit.

Vel ♃. *Olei Lumbricorum, aut Ranarum q. s. illinatur pars dolens post fotum: & charta emporetica tenuis eò imbuta applicetur, & gestetur.*

Omentum Agninum aut *Pulmones, aliave Brutorum* viscera calentia Abdomini imposita, & subindè mutata, dolores interdum mirè sedant.

Observavi in quibusdam constitutionibus, & temperamentis *Epithemata* ex calidioribus aut calidiùs applicata dolores exacerbasse potiùs, quàm lenivisse: Quare in his casibus ex re fore videtur, fotus ex *solutionibus nitri*, vel *salis Armoniaci*, aut aliis liquoribus chymicis, prout in doloribus Arthriticis, quandoque (uti *Septalius* refert) ex *aqua pura puta frigida* instituere.

Quod si ventris tormina horum usu non remittunt, *hypnoticis* utendum erit; quæ scil. justâ dosi exhibita, inducias sæpe magnas præbent: interim ut vires ac spiritus fatiscentes refici; & contra morbum apparatus adhuc major institui possin.

♃ *Laudani liquidi Tartarisati gr. 16. ad 20. dentur hora somni, in coch. aq. florum chamomeli superbibendo ejusdem coch. 6. Repetatur noctibus alternis, vel tertiis; si dolores graviter urgebunt.*

In constitutione calidiori. ♃. *Aq. flor. chamomeli ℥ iij. syrupi de meconio ℥ ß. aq. mirabilis ℨ ij. f. haustus sumendus hora somni.*

Interea dum hæc aguntur, pro *doloribus sedandis*, atque materiâ focis morbidis impactâ aut discutienda, aut saltem laxanda, *remedia evacuantia* vices suas habeant; nempe tum ut *minera colica* penitus extirpetur; tum ut supplementa sive fomes ejus (ne magis accrescat) præscindantur. In hos fines *vomitio* (ubi convenit) atque *lenis purgatio*; insuper in temperamento calido, ubi febris urget, aut timetur, *phlebotomia* celebrari debent.

♃. *Sulphuris Antimonii gr. 5. ad 7. vel 8. conservæ Boraginis ℨ j. detur mane cum regimine.* In hoc casu juxta Medici præsentis judicium, aut *infusio cruci metallor.* vel *Mercurii vitæ, Tartarus emeticus Mynsichti; expressio foliorum Asari*, ac in constitutionibus tenerioribus, *sal vitrioli & vinum oxymel scilliticum* exhiberi possunt.

Purgantia, ne stomacho laboranti nauseam moveant, in dosi tantum perexiguâ & formâ eleganti exhibeantur.

♃ *Resina Jalapii; scammonii an. gr. 5. cremoris Tartari ℈ j. Cinnamomi pul. gr. 4. f. pulvis, aut redigatur in pilulas vel in Bolum, cum conserva florum Borag. aut Rosar. damascenar.*

♃. *Scammonii sulphurati ℈ ß. crem. Tart. g. 15. Antim. Diaphoret. ℈ j. f. pul. detur eodem modo.*

Si febris non urgeat, exhibeatur dosis *pilular. stomach. cum Gummi*, aut de *Succino* vel per se, vel cum *resina Jalap.*

♃. *Pilular. Rudii gr. 25. vel ℨ ß. Laudani gr. 1. f. pil. 4. sumantur hora somni. Hæ primo somnum accersunt, & mane purgant.*

Vel ♃. *Calomelanos ℈ j. resin. Jalap. gr. 6 scammo. gr. 4. Ammon. q. s. f. pil. 4. sumantur hora somni.* In Colica diuturna, cum remedia quævis alia parum vel nihil juvarunt, sæpius novi medicamentum hoc semel aut bis exhibitum, cum maximo ægrotantis levamine *salivationem* movisse. Etenim si quando materies morbifica, in *plexibus nerveis*, aliisq; circa Abdomen locis uberiùs aggesta, & penitius impacta, per alia medicamenta dimoveri nequit; *particulæ Mercuriales* sese quaquaversus explicantes, eam facilè dissolvunt, in minutias dividunt, easque huc illuc variè dispellunt, & tandem prorsus dissipant: Quamobrem in *Colica diuturna* ac pertinaci, *salivationis* mitioris ergo, nonnunquam feliciter exhiberi possunt.

Balnea & sudorifica in doloribus colicis passim præscribi solent; attamen, quantum nostræ observationi constitit, rariùs cum fausto successu. Quippe hæc *sanguinem & humorem nerveum* exagitando; eos plus adhuc materiæ in mineram colicam deponere, quin & materiam ibi depositam magis effervescere, & ferocire faciunt, eamque perraro integre discutiunt.

Diuretica multo commodius exhiberi solent, à quibus cum sanguis funditur, ejusque serositates copiosè præcipitantur, inde morbi fomes præscinditur; atque massa sanguinea inanita partem materiæ morbificæ excipit, propterea ut reliquiæ ejus faciliùs discutiantur. In hunc finem.

♃. *Sp. Tartari optimè rectificati ℨ ß. detur ℨ ß. bis vel ter in die in cochlear. j. vel ij. Julapii seq. superbibendo ejusdem coch. 5.*

♃. *Aq. folior. Bardanæ, aut Ari, aut Persicariæ ℔ j. aq. flor. Sambuci, Chamomeli an. ℥ iv. aq. Gentianæ compos. Raphani compos. ℥ ij. sacchari ℨ iv. misce.*

Eodem modo ac *spir. Tart.* in justa dosi exhibeantur, modò *Tinct. sal. Tart.* modò *Mixtura simplex*, aut *sp. salis Armoniaci succinati.*

♃. *Millepedum præpar. ℨ ij. flor. sal. Armon. tartarisat. ℨ j. olei nucis moschat. ℈ ß. Terebinth. q. s. f.* massa, formetur in pilul. sumantur 3. vel 4. semel aut bis in die superbibendo dosin Julapii, vel aq. destill. sequentis coch. v. vel vj.

♃. *Millepedum recentium mundatar. ℔ i ß. flaved. 6. Aurant. & 4. Limonior. nuces moschat. num. 6. minutim concisis adde micæ panis albi veteris ℔ j. omnibus simul contusis, & probè mistis affunde lactis recentis ℔ iv. vini Hispani ℔ ij. destillentur s. art. liquor totus misceatur, & edulcoretur cum saccharo, aut syrupo violaceo, ad placitum.*

In *Colica diuturna* ac pertinaci, cui adsunt temperamentum, ac viscera fervidiora, *Acidulæ purgantes*, vel *serum lactis* cum *syrupo violaceo* sæpe cum magno juvamine propinari solet: utrique enim liquores, ubi congruunt, copiosius epoti, stomachum, ac intestina æstuantia refrigerant eaque à *spasmis*, & corrugationibus dolorificis

contracta, aut flatibus convulsivè extensa statim solvunt, & laxant; insuper, unde potissimum (ut opinor) juvant, *particulas salinas*, alterius indolis, mineræ morbificæ insinuantes alias hujus incolas salinas & irritativas edomant; & subigunt, easque per catharsin excitatam sæpe foras educunt.

In hoc morbo siquidem *omnia omnibus* non conveniunt, imò nec *eadem* semper aut aliquamdiu *eidem* personæ, Medici prudentis observatione sedula, & quotidiano consilio opus est; ut per *coindicationes à juvantibus*, & *lædentibus* desumptas medendi methodus rectè institui, & subindè variari possit.

II. *Indicatio vitalis*, *Curatoriæ* adjungi, & subinde intercalari debet. Quippe cum Ægrotantes torturâ, vigiliis, vomitu, & abstinentiâ ferè continuis affecti, in languores sæpe incidunt, ac de vita interdum periclitantur, *remedia* quæ vires sustentent, spiritus reficiant, & contra morbi ferociam inducias quasdam procurent; nempe *Cardiaca* ac *Hypnotica* vices suas habeant.

♃. *Aq. flor. Chamom. Samb. an.* ℥iv. *Cinnam. hordeatæ, citri totius an.* ℥ij. *Margar. pul.* ʒj. *sacchari* ʒiij. *f. Julapium, capiat subinde cochl.* 5. *vel* 6.

♃. *Pul. Margarit. oculor. Cancri, an.* ʒj. *dividatur in* 4. *partes; pars una detur bis, vel ter in die cum Julapio, vel cum Decocto rad. Contrayervæ.*

♃. *Conservæ Cariophyll.* ℥j. *Confect. de Hyacint. Alcher. an.* ʒij. *Margar. pul.* ʒiß. *syrup. è succo citri q. s. f. confect. detur q. nucis Mosch. ter vel quater in die cum Julapio.*

In constitutionibus minùs calidis *sp. C. C. Fuliginis*, *sal. Armon. succin.* item *Tinct. Antim.* aut *Corallii* non raro egregiè prosunt.

Opiata in morbo Colico necessarii sunt usus, sine quibus nec *ægrotis* vivere, nec *Medicis* ac *ministris* quiescere aut otio quovis frui licebit.

♃. *Aq. flor. Paralyseos* ℥iij. *syr. de Meconio* ℥ß. *aq. Mirabilis* ʒij. *mis. f. haust. hora somni sumendus.*

Si *dolores* magis intensi, tali remedio non cedent, *Opii præparata*, & *compositiones* exhibere oportet. *Laudanum Paracelsi aut Londinense*, *pilula de styrace*, aut *Cynoglossa conveniunt*; *Opii solutio tartaris. ad gr.* 16. *vel* 20. mihi præcipuo in usu esse solet. Quod sanè pharmacum, quibusdam ab hoc morbo diu ac miserè divexatis, interdum longo tempore, noctibus modò singulis, modò alternis cum bono successu exhibui.

3. *Indicatio præservatoria*, in paroxysmorum intervallis tantummodo locum habens, morbi *procatarxin*, proinde ut dolorum insultus, raro aut nunquam postea redeant, præsentem tollendam, ac futuram inhibendam molitur: Quorum gratiâ *sanguis* & *liquor nerveus*, ne materiam morbificam gignant, depurari ac in crasi debitâ conservari; atque *cerebrum* & *Abdominis plexus nervei*, ne illum promptè nimis suscipiant, corroborari debent. Propter hos fines victus ratione instituta, *Vere* & *Autumno* solennes Medicinæ cursus, cujusmodi *pro Arthritidis prophylaxi* præscripsimus ineantur.

Vomitio, si congruat, in hoc casu nunquàm omittatur; qua nempe *viscerum emunctoria* inanita sanguinis, & liquoris nervei recrementa, secùs materiam morbificam auctura, uberiùs excipiant; insuper, & plexus nervei, partesque omnes excutiantur adeò, ut nihil in mineram morbi cessurum ibidem stagnare, aut aggeri sinatur.

Purgatio per tres, aut quatuor vices, cum debitis intervallis, item in constitutione calidiori *phlebotomia* celebrentur; insuper *remedia alterantia*, ac imprimis *chalybeata*, quando à *catharsi* vacat, horis medicis quotidie sumantur.

Præ cæteris autem quibuscunque remediis *Acidulæ minerales ferratæ* æstivo tempore per mensem epotæ, juvamen maximum conferre solent: verum cum istæ propinantur, sedulo cavendum est, ut bene, & celeriter per urinam aut sedes reddantur, ne fortè, si in corpore diutius morantur, in *caput* aut *pedes* incurrendo (uti crebro assolet) *vertiginem* aut *Podagram* inducant.

♃. *Tinct. nost. Chalybis* ℥j. *sumantur gt.* 15. *ad* 20. *bis in die in Julapii sequentis coch.* 7.

♃. *Aq. folior. Ari. Bardan. an.* ℔ß. *Lumbr. magist. Gentianæ compos. Pœoniæ compos. an.* ℥ij. *sacch.* ℥ß. *misce.*

Eodem modo *Tinctura Antimonii*, & *succini*, quin & *remedia alterantia* ad *affectus Cephalicos* multa alia superiùs præscripta, etiam in *præservatione à Colica*, cujus nempe *procatarxis* à cerebro procedit, hic meritò locum habet,

Quod autem spectat ad *Caroli Pisonis* observationem, qua probare nititur, *Colici doloris* causam omnino in *cerebro* hærere, eò quòd serosa colluvies in capite cujusdam ab eo morbo defuncti reperta fuerit: Dico serum istud in ἐγκεφάλῳ aggestum, illius morbi *causam remotam* & *antecedentem*, ac minimè *conjunctam* fuisse. Enimvero probabile est, ab istâ primâ scaturigine seri superflui, & acris, portionem quandam ductu nervoso in *Abdominis plexus nerveos* descendisse, ibidemque *affectionis Colicæ* mineras constituisse. Porrò, licet materies morbifica illic prolapsa præ tenuitate partium, & exiguitate nidorum rarò oculis conspiciatur, attamen talem hujus morbi inveterati, & atrocioris facti mineram non ita pridem *fœmina illustris*, cujus alibi facta est cadaver aperiens, in *mesenterio* planè vidi, & palpavi.

Hæc Thomas Willis de morb. ad anim. corpor. pertinentibus tractatu. Iam adducimus Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicas inspectiones ex aliis variis.

Curationes

A dolore sumitur indicatio, cùm adeo vehemens est, ut tantisper neglectâ causâ, curationem ad se pertrahat. Propriè enim symptomata curationem non requirunt, nisi rationem causæ majoris mali habeant. Quare si dolor auctus tantus fuerit, ut secum maximi periculi metum apportet, posthabitâ curandi lege, protinus sedandus est & mitigandus.

Tripliciter autem dolor aufertur. Primò iis, quæ causam doloris tollunt, eiq; contraria sunt. Sic dolor à frigore tollitur, calidis, & contra: Secundo anodynis, quæ paregorica dicta, proprie doloris causam demulcent. Hæc enim gradui nostri caloris similia causam mitigant, concoquunt, & æquabilem reddunt, leviterque rarefaciunt. Tertiò narcoticis dolor aufertur, hæc enim quia sensum partis solent, dolorem non percipi efficiunt, cùm pars sensû privata non doleat. Verùm propriè causam doloris non tollunt, nisi fortè per somnum quem inducunt, ea miti-

mitigetur & concoquatur. Si dolor itaque vehementissime urget, Narcoticum, si non adeò vehementer, anodynum saltem indicat; sive per os, sive per clysterem, & suppositorium sumendum.

In usû verò horum observandum est. Primò nè usum horum differamus, donec vires labescentes prorsus deficiant. Secundò quod commodius & tutius usurpentur in doloribus à causa calida, quàm frigida; Tertiò, quòd tutior sit usus compositorum, quàm simplicium.

Ad morbum ipsum sive doloris causam quod attinet, si sit nuda intemperies, quod tamen in hoc casû rarò vel nunquam usû venit; vel si accidat, non diu tamen sola immaterialis subsistit, per contraria est alteranda: si cum materia, quæ quantitate peccet. evacuetur, ut si sint flatus, discutiantur, si bilis, pituita, vel alius p. n. humor evacuetur.

Hic autem considerandum, an causa doloris essentialiter in colo generationem habeat, an vero aliunde communicetur, & fomentum suum accipiat; sive illud sit intrinsecus, sive extrinsecus, à causis externis ortum, cui prius prospiciendum est.

Et si igitur dolor hic, pro varietate causæ varia & diversa, imò quandoque contraria exposcat præsidia, tamen in genere notandum est, quod semper in hoc casû plurimùm conducat, ut alvus sit aperta: deinde, ut medicamenta potius per clysterem injiciantur, quàm per os exhibeantur: tertio ut nulla medicamentum per os dentur aut extrinsecus adhibeantur antè alui apertionem.

Quando itaque à pituita crassa & viscida ortum ducit, tum prima indicatio est diminuere illum humorem ex parte affectâ leniter purgantibus, idque per locum, quo natura sua maxime vergit humor, por alvum videlicet, quod Hiera simplici vel sola, vel cum Terebinthina commixta, additis paregoricis dictis perficitur vel per vomitum; quod decocto alterato cum anetho, aniso, addito oxymelle vel simplici vel squillitico præstari poterit.

Quo facto, secunda indicatio docet pituitam crassam ac viscidam fundere, eliquare, & hac ratione ad expurgationem præparare, ad flatus denique crassos simul respicere, cavendo, illa, quæ nimium calefaciunt.

Posteà ad validiora purgantia progrediendum, ita tamen, nè vehementium purgantium attractione ad locum affectum, materia morbifica augeatur, præsertim in principio. Quapropter tutius est, ut vicibus mediocriter purgantia propinentur, quàm unâ vice vehementia, cavendo tamen Rhabarbarum & Myrobalanos ob astringentem, quam possident, facultatem. Senam & Cassiam, ob flatulentiam quam gignere solent.

Sunt autem mediocriter purgantia, infusum seu decoctum Agarici, Mechoacanna, Elect. Diaphænicum, Diacarthami, vel Elescoph dissolvenda in decocto accommodato, & additis oleis infundenda, vel sine his per os assumenda, uti & jus galli antiqui cum agarico, sem. Carthami, & seminibus carminativis præparatum.

Expurgatâ materiâ etiam calefacientibus, & attenuantibus, & discutientibus uti possumus, quibus admisceri possunt Chymica, ut spiritus salis nitri spagyricè præparatus, qui omnibus scopis dictis satisfacit, spiritus therebinthinæ extracta quoque & olea, ut vis medicamentorum magis ad intimiores intestini partes penetret, in quem finem etiam propinantur theriaca, Mithridatium, aquæ theriacales, aliæque aquæ compositæ, quibus sudor una etiam elicitur, quem haud inutilem tunc judicamus.

Extrinsecus prosunt fotus calidi & sicci ex furfure & milio, sacculi, inunctiones ex oleo smegmatis ol. anethino, chamomel. quibus penetrationis causâ guttulæ aliquot aliorum destillatorum oleorum admisceri possunt. Solemus etiam lapides interdum quosdam calefactos, & linteo involutos admovere loco affecto: Balneum etiam & insessus ex simplicibus accommodatis tunc temporis utiliter usurpari possunt.

Si ex flatû affectus suboriatur, discutienda imprimis indicantur, tam intus assumenda, quàm exterius applicanda. Inter assumenda sunt rotulæ variæ, ut Diacyminum, Diacalament. Aromaticum rosat. Rotulæ factæ cum oleo succini anisi, & fœniculi, Zedoariæ aq. stillatitia ex cinamomo, vinum hippocraticum dictum: præterea magnæ antidoti, ut theriaca, mithridatium. Extrinsecus paranda sunt fomenta, sacculi &c. ex milio, sale tosto, floribus chamom. seminibus fœnugræci, fol. lauri, rutæ &c. additis gutt. aliquot oleorum stillatitiorum penetrationis causâ.

Valet quoque in hoc casu remedium à Galeno celebratum lib. 12. meth. med. c. ult. materiâ flatuum priùs subtractâ, cucurbitula scilicet magna umbilico imposita, nec spernendum est consilium ejusdem Galeni, ut scilicet in doloribus præsentibus cingulo constringantur partes abdominis.

At si dolor proficiscatur ex biliosis & acribus humoribus, tunc humores illi statim detergendi & expurgandi sunt iis, quæ bilem respiciunt, ut vomitoriis ex aqua hordei cum oleo: dejectoriis per os adhibitis ex Rhabarb. syr. infusion. rosar. aut violar. elect. diaprun. solut. pil. ex aloë, &c. per clysterem; ex decoct. malvæ, violariæ, parietariæ, sem. lini, cum elect. hieræ simpl. elect. diaprun. & diasebestem sine diagridio præparatis. Extrinsecus vero usurpetur oleum rosatum cum mucilagine sem. lini Balneum aquæ dulcis.

Si vero dolor ex phlegmone seu inflammatione fiat, tum, si inflammatio sit supra umbilicum, secanda est vena in cubito: si infra umbilicum, ut urina intercipiatur, ex Paulo secetur vena malleoli. Clysteres, & refrigerantes & laxantes quales commodiss. fiunt ex decocto hordei, lacte, sero cum saccharo rubro & ol. violaceo &c. maxime hic conveniunt. Pariter quæ per os assumuntur sint refrigerantia. Exterius vero in initio locus affectus inungatur oleo rosato completo cum vitello ovi, postea ol. amygdal. dulc. & chamomel. astrictoriis in hoc casû Gal. l. 11. meth. med. c. 16. dicit opus non esse, nisi fortè affectus cum fluxione sit.

Denique si dolor Colicus à duris & diu retentis excrementis suboriatur, primum hæc

emollire oportet, & clysteribus injectis ex oleo, & assumpto mulso, oleo, balneo, item aquæ dulcis cum simplicibus humectantibus eorumque oleis præparato. Postea vero propinandum medicamentum validum quod emollitas jam fœces possit deturbare. Possunt etiam addi, quæ vermes necant, medicamenta, si videlicet illos adesse suspicio sit.

Quòd si hæc valida non proficiant, confugiendum est ad illud auxilium propositum ab Hippocr. lib. 4. de morb. & acceptum ab Amato Lusitano cent. 4. curat. 89. ut folle fabrili inflentur intestina patientis, ut ex hac inflatione separentur fœces ab intestinis: quo facto statim injiciendus est clyster fortis, cui admiscendum salis gemmæ aliquid, quod ut testatur Forestus, peculiari vi dura stercora dissoluit, ægerque in balneum prædictum locandus.

Interim quoque non negligenda sunt medicamenta ea, quæ peculiari proprietate juvare creduntur, qualia sunt intestina lupi præparata, & in vino ad ʒ j. epota. Item stercus ejusdem, quod Gilbertus sæpissime cum successu se probasse testatur, cruribus tantùm aut pectini alligatum, avis galerita quæ (teste Galen. lib. 2. de simpl. med. fac. cap. proprio, & Aëtiol. 9. cap. 31.) pulverisata idem præstat. Cornu cervi præparatum, umbilicus infantis nuper nati, exsiccati & pulverisati, stercus bubulum exsiccatum aut succus illius, aut aqua ejus per alembicum destillata. Verùm his & similibus experimentis ita fidendum esse putamus, ut semper auxiliis illis potiùs utamur, quibus præter experientiam ratio quoque manifestior suffragatur, quale est vinum malvaticum cum aliquot gutt. vel spir. Terebinth. exhibitum ol. nucis moschatæ expressum, amygdalar. dulcium &c.

Quod restat, omnibus his compar victus ratio instituenda est, siquidem hanc negligere, vel perspectam non habere calamitatis plena res est secundum Hippocr. 6. epidem. sect. 8. part. 48.

Tota itaque ad calidum magis & siccum vergat, quàm ad frigidum & humidum, aëris itaque humiditas & frigiditas vitetur.

Cibi sint optimi succi & paucorum superfluitatum. Laudantur itaque volucres omnis generis, præcipue sylvestres, & galeritæ, gallinæ, capones &c. à carnibus bubulis, suillis, anserinis, anatum & omnium palustrium, piscium item summe est cavendum ab omni olerum genere abstinendum, præterquàm à fœniculo, melissa. mentha, salvia petroselino, majorana, quibuscum cibi condiri possunt.

Pro potû, si causæ calidæ (quod etiam in aliis præsupponimus, quia omissis reliquis causis raris, potissimùm diætam, proponimus, quæ in colicâ à pituitâ & flatibus oborta tanquam frequentissima, servanda est) absint, vinum convenit generosum album, absynthite, & Hippocraticum dictum: cerevisia, absynthite, cum calamo aromatico, & Baccis Lauri præparata.

Exercitium corporis valdè ante cibum sumptum prodest, contra vero à cibo nocet.

Animi perturbationes, cujusmodi sint arceat, excretiones alvi quotidie ut respondeant, laborandum esse, ante jam dixi, & quî concitandæ sint monstravi; Quare finem hîc facio, meliora monstrantibus cedere paratissimus. *Joan. Harthm. disput. chymic. Medic. 15. in 4. parte suorum operum.*

Curatio hujus affectus pro varietate causarum varia instituenda est.

Ac primùm flatulentiæ & pituitosæ eadem curatio adhibenda est, quæ incipit à clystere emolliente, cui postmodum succedat carminans & discutiens (qualis in dolore ventriculi à simili causâ descriptus est) qui reiterandus est eadem die bis, ter, quater, donec dolor dispareat: Si tamen uno aut altero clystere alvus non deponat, ut interdum contingit, acri suppositorio sollicitanda est. In uno autem prædictorum, clysterum utiliter admiscentur, aquæ benedictæ ℥ iv Vel colocynthidis ʒ ij. vel iij. in clystere emolliente & carminante decoquuntur. Si clysteres dolorem non solvant, in iis pertinaciter insistendum non est, sed satius est levi aliquo medicamento uti. Observatum est, cùm æger quidam triginta cysteres sine fructû accepisset, alium medicum manniæ ℥ i ß. cum ol. amygd. dulc. ℥ ij. in jusculo gallinæ pingui exhibuisse, & ægrum à dolore liberasse. In dolore tamen qui fit à pituita crassa, fortiora medicamenta exhibenda.

Postea verò fomenta, inunctiones, balnea, emplastra, aliaque remedia, convenient, quæ in dicta doloris ventriculi curatione supra proposita sunt. Quibus addenda sunt specifica nonnulla, huic affectui maximè proficua.

Intestina lupi vino albo abluantur, postea in furno exsiccentur, in vase terreo, donec in pulverem reduci queant. Hujus pulveris capiat æger drac. 1. cum vino albo: subito dolorem sedat.

Aqua simplex bulliat, eique ferventi adde ol. commun. quartam partem & grana aliquot piperis crassiuscule nitri; capiat æger cochl. iij. vel iv. calidè quantum fere poterit, sedatur dolor ferè in momento.

♃. Aloës opt. drach. j. laudani opiati gr. iv. diagrydii gr. vj. Misce formentur pilulæ vj. deaurata, capiat æger horâ commodâ, dolorem post horam sedant, & postea humores noxios evacuant. His etiam pilulis substitui potest medicamentum ex diaphœnico & philonio Romano, in dolore ventriculi descriptum. Hipp. lib. 6. de internis affectibus proponit purgationem ex peplio, & meconio. Olei amygdal. dulci. aut amarar. recentis ℥ vj. exhibitæ dolorem demulcent & materiam intestinis adhærentem per inferiora deturbant. Cum sequentibus etiam mixtum utilissimum est.

♃. Ol. amygdal. dulc. vel alterius pro pauperibus, ℥ iv. vini generosi ℥ j. sem. syrupi de papav. ℥ j. misce fiat potio.

Cum manna etiam exhibitum oleum amygd. dulcium in jusculo pingui, ut supra dictum est, dolorem lenit, & materiam peccantem evacuat.

Semen ameos pulveratum cum vino exhibit. ad ʒ j. urgente dolore eum subito sistit, & secundâ exhibitione morbum plerumque aufert admovendo simul cataplasma ex terebinth. ℥ iij. stuppis exceptum, sinapisatum piperis, & sang. draco. subtiliss. pulverat. an. ʒ j.

Galbanetum Paracelsi humori discutiendo idoneum est, si totus venter eo illinatur, illius descriptio à Cratone talis proponitur.

♃. Gummi Elemi, hederæ, galbani, ol. laurini, ana partes æquales. Distillentur in arena per

per retortam; serventur seorsim, primùm aqua: deinde ol. clarum, tertio ol. crassum instar mellis, quo inprimis utendum est.

℞. Calami Aromat. ℥ j. galangæ ʒ iij. flavedinis exterioris corticis arantior. ʒ iv. cinam. electi, sem. anisi & fœniculi, ana drach. iij. cumini drach. vi. baccar. juniperi recent. ℥ ß. baccar. lauri drach. iij. pulverentur subtilissime, & infundantur in vini malvat. opt. ℔ iij. stent. in infusione in loco calido per vi. dies. Postea distillentur in balneo mariæ. Dosis ℥ j. præmissis evacuationibus.

Ventri admovetur utiliter gummi caragna, & tacamahaca, & prius cucurbitula magna umbicilico affigatur.

Etiamsi emplastra prædicta ventri non admoveantur, omittenda tamen non est cucurbitula umbilico admota, quæ ipso Galeno teste dolorem à flatibus excitatum discutit instar incantamenti.

Si affectus sit diuturnior, decocto guajaci per multos dies continuato faciliter curari poterit, purgando per intervalla, & clysteres frequenter injiciendo. At si cholicus dolor fiat à pituitâ vitrea, decoquatur guajacum cum vino, quemadmodum usurpavit Amat. Lusit. cum fœlici successu *Curat. 32. Cent. 1.*

Sedato dolore apozema pituitam evacuans præscribendum est, quo reliquiæ omnes educantur; vel ejus loco decoctum galli veteris cum incidentibus, attenuantibus, & catharticis compositum. Vel Julepus efficacissimus in colica ventriculi descriptus.

Colica biliosa curatur clysteribus emollientibus, & acrimoniam humorum temperantibus.

Foveatur venter decocto emolliente & anodyno, ant quod melius erit, paretur semicupium ex eodem decocto.

Conveniet etiam cataplasma infimo ventri ex farina hordei, & sem. lini coctis in ol. chamæmel.

Tum etiam epithema refrigerans hepatis regioni admotum, in hunc modum compositum.

℞. Succi endiviæ, & cichorii ana ℔ ß. succi lactucæ, & aceti rosac. ana ℥ ij. misce fiat Epithema.

Julepi exhibeantur ex aquis papav. rhœad. lactucæ, endiviæ, acetosa, cum syrup. violac. de pomis & de limonibus.

Si doloris atrocitas urgeat, ad narcotica confugiendum erit.

Mitigato aliquantulum dolore, expressio Rhei in aquâ cichorii, cum syrupo rosaceo exhibenda erit, & frequenter repetenda, donec tota humorum saburra evacuata fuerit.

Si purgatio ista benignior morbo eradicando non sufficiat, confugiendum est ad mercurium dulcem, qui aliquoties exhibitus cum purgantibus diagrydiatis curationem absolvit. Quibus suspectum est diagrydium, solus exhibeatur mercurius dulcis, in pilulam efformatus, cum conserua rosarum, superhaustâ infusione sennæ, & rhab. additâ mannâ, & syrupo rosaceo.

Postea utiliter usurpantur aquæ acidulæ, & vitriolatæ.

Sæviente dolore ad balneum, & laudanum confugiendum est, cui aliquando purgantia misceri poterunt, sed majori dosi, quia eorum vis retunditur à laudano: Galbanetum Paracelsi, quamvis calidum ad humorem discutiendum idoneum est, si totus venter eo illinatur, illius descriptio supra proposita est.

Phlebotomia in hac colicæ specie aliquando convenit, cùm metus est, ne caloris vehementia sanguis incalescat, febrisque generetur. Si verò febris adfuerit, statim celebranda est.

Urgente admodùm siti, aqua frigida exhibenda est, docente Galen. lib. 12. meth. cap. 7. ejusque usu testatur Amat. Lusit. se talem dolorem subitò, incantamenti instar, sustulisse; eadem se usum feliciter tum sumpta tum admota, testatur Septalius duabus historiis lib. 7. animadversionum practicarum descriptis.

Ad colici doloris, qui in paralysim degenerat, curationem, alvo variis clysteribus solutâ, priusque viis cathartico apertis, demittatur æger in balneum tepidum, ex decocto emollientium paratum, bis, ter, quater, quinquies in die, ut acrimonia humoris temperetur, ac pori membranarum aperiantur. Postero die cathartico accommodato humor ille purgetur. Deinde repetatur balneum. Idque alternis diebus faciendum, si vires ægri ferre queant, donec ex purgatis humoribus, & sedato dolore, æger in tuto sit.

Interim clysteres continuentur; præsertim qui ex lacte parantur, ad dolorem demulcendum utilissimi sunt, quibus cassia ol. violaceum, & liliorum admisceri poterunt.

Venter ol. chamæmel. anethino, amygdal. dulc. lilior. cum butyro freqnenter inungatur.

His seri lactis, & acidularum usus tandem subjiciatur.

Ac denique affectû in longitudinem abeunte, ea quæ in melancholiæ hypochondriacæ curatione relata sunt, hic aptari poterunt.

Neque omittenda est ab ipso morbi initio, phlebotomia, eaque purgationi præmittenda, ac sæpe iteranda, si sanguis pravâ qualitate infectus appareat, aut si dolor rheumatismi particeps esse videatur.

Denique omnia remedia, quæ in colica biliosa proposita sunt, hic etiam aptari poterunt. Quibus non conferentibus, nonnulli Medici confugiunt ad potionem sequentem quam licet sordidam & delicatorum hominum ore indignam exhibent, & dolorem statim mitigare affirmant.

℞. Stercoris Equini ℥ j. minutim dividatur, & infundatur in ℔ j. aquæ papav. rhœad. in qua spiritus vini guttæ viii. vel x. dissolutæ fuerint colentur cum expressione levi, & dividantur in tres doses satis amplas, sumendas horis exacerbationis doloris.

Si vero affectus in paralysin degeneret, lenienda est spina dorsi, & partes paralyticæ balsamo resolvente, & nervos roborante, modo febris absuerit. Si enim adsit, lana succida oleo, aut unguento digerente imbuta, partibus paralyticis alligatur, cavendo diligenter frigus, quo humor partibus impingitur, illiusque difflatio impeditur.

Galbanetum Paracelsi hic præcipuè confert, si partibus prædictis, tum etiam umbilico admoveatur. *Lazar. Riverius Prax. Med. lib. 10.*

Cùm

Cùm singula hujus affectus Phœnomena eum ab acri aliquo sive humore sive habitû è massa sanguinea in intestina excusso, nasci apertè doceant, indicatio curativa primaria mihi hæc est, ut scilicet evacuetur dictus humor, tam antecedens in venis, quàm continens in visceribus conclusus; altera verò ab hac, ut Anodynorum usû & compescatur humorum eo tendentium impetus, & mitigetur immitissimus dolor.

Sanguinem itaque à brachii venis paulo liberalius educi (si nempe id fuerit hactenus intentatum) & post horas 3. vel 4. Anodynum exhiberi curo. Postero die catharticum aliquod lenitivum præscribo, interposito die uno repetendum, ad tertiam etiam nonnunquam vicem, prout humoris reliquiæ plures mihi videntur, aut pauciores. Observandum est autem, quòd si malum hoc, sive fructibus horariis nimis avidè ingestis, sive alii cibo cuicunque δυσπέπτῳ originem suam debeat, unde scilicet succi pravi corruptique primum in sanguinem transmittebantur, atque ex eodem postliminio in viscera, rebus inquam sic stantibus, ventriculus ante omnia eluendus est lacte cerevisiato affatim hausto, & per vomitum rejecto, quo exantlato Anodynum propinandum est, sequenti autem die primùm vena secanda, & in cæteris eo quem jam docuimus ordine, procedendum.

At verò cùm & doloris vehementia, & vomituritio, ob quam intestina ad inversionem quasi feruntur, catharticorum operationi obsistent, intendendæ sunt eorundem vires, neque leo subere excipiendus. Frustra enim mitius catharticum exhibueris, nisi fortè æger alvo sit facilè solubili, quod diligenter inquirendum est: Cùm enim hujusmodi medicamen viàm sibi facere per intestinorum canales non valeat, æger ab eo læditur magis, dùm scilicet ab ejusdem inefficaci agitatione & vomitus & dolor augentur. Potio cathartica lenitiva ex infusione Tamarind. fol. senn. & Rhei in qua dissolvi possunt Manna & syr. Rosaceus, catharticis aliis anteferenda, cùm humores minus exagitet, & commoveat: cùm tamen sive ob ægri aversationem medicamenti formæ liquidioris, sive vomituritionum in ventriculo retineri vix queat, Pilulæ necessario in subsidium vocandæ, inter quas Cochiæ mihi præ cæteris semper placuere, utpotè certissimo pede quàm cœperunt viam insistentes, tum in hoc casû, tum aliis plerisque. Ubi vero tanta est sive ventriculi debilitas, sive etiam vomituritio, ut nec pilulæ possint detineri, ibi remedium primo Anodynum impero, & paucis horis elapsis Catharticum eo temporis spatio interjecto, ut Catharticum à Narcotico tanto distet intervallo, ut ab eo non vincatur, & pereat, eas autem in ventriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam eidem communicandam sufficiant, ut suam demum exerat operationem, cessante altero. Licet Catharticum, modò id possit fieri, diu post Anodynum rectissimè propinatur, cùm etiam ad horas duodecim ab hoc assumpto, alvus isti ægrius respondeat, atque non nisi operosius solvatur.

Cum autem hic, uti in aliis plerisque morbis in quibus indicantur Narcotica, Catharticum semper dolorem intendat (saltem finita jam operatione, quâ quidem urgente mitius nonnunquàm cum ægro agitur) idcirco solenne mihi est Anodynum ingerere, ubi primum expiravit Cathartici ἐνέργεια. Quale quidem manè etiam & serò quotidie hauriendum impero, spatio scilicet omni inter purgationes medio, quo certius dolorem consopiam donec Catharsis debite fuerit celebrata.

Peractâ Catharsi humorum ὀργασμὸν compescere (quod jam solum restat agendum) Anodyno manè & vesperi jugiter exhibito, contendo: quod etiam sæpius aliquando est repetendum: nec unquam mihi contigit, dolores vehementiores sedare posse nisi dosi largiori & reïterata; quæ enim alteri malo debellando par esset, ab hoc vincitur, violentiâ doloris remedii vires frangente. Tutissime autem repetuntur Narcotica urgente hujusmodi dolore, non item ubi ille desierit. Quamobrem doloris indicium secutus Narcoticum repeto, donec vel cessaverit ille vel admodum fuerit mitigatus; eo nihilominus interjecto temporis spatio, ita compertum mihi sit, quid à dosi precedente sperari debeat antequàm alteram superaddam. Plerumque verò, nisi ubi summè viget dolor, Paregoricum manè & serò exhibitum sufficiet. Anodynum mihi familiare Laudanum istud liquidum est supra descriptum, cujus guttæ xvi. in aqua Cardiaca stillatitia solvuntur, vel augetur dosis pro doloris magnitudine.

Simplicissima hæc methodus, quâ primùm humor peccans venæ-sectione, & purgatione evacuatur, deinde Narcoticorum ope conciliatur quies, semper mihi felicissimè cessit præ aliis quæ mihi hactenus innotuere omnibus. Cum enemata carminantia, eo fine injecta ut humores acres exterminent, crabrones irritent tantùm, & concitato humorum tumultû diuturniorem reddant morbum. Hic autem imprimis animadverti volo, quòd licet tam Phlebotomiam quàm catharsin huic sedandi methodo necessario esse præmittendam affirmavero, nonnunquam tamen, re ita postulante, ea utrâque omissâ à Paregoricis ordienda tela est. Exempli gratiâ, ubi ob prægressam ægritudinem aliquam evacuationes copiosiores non ita diù ante colicæ adventum institutæ fuerint, (non raro enim ob viscerum debilitatem, maxime si accedat major caloris gradus à vino, vel spirituoso liquore alio immodice hausto, qui nuper ab alio convaluere morbo in hunc præcipitantur) hoc inquam in casû non modò non necessarium, sed & noxium esse censeo, alia insuper adjiciendo Cathartica novos excitare tumultus atque omnia denuo perturbare; illud jam taceo, quòd in hoc affectû æger ut plurimùm priùs quàm consulatur Medicus, repetito enematum usû intestina satis proluit, ita ut partim hâc de causâ, partim ob diuturniorem morbi moram Narcotica fere sola in usum videantur revocanda.

Mense Augusto 1671. Nobilissimus Dominus Baro Annesly colicâ biliosâ laborans cum cruciatû intolerabili, & frequenti vomituritione jam ab aliquot diebus, ad castellum

de

de Belvoir accersiri me jussit, nullum non enematum genus, atque alia insuper remedia à Medicis Doctissimis, experientissimisque eo locorum degentibus præscripta jam tentaverat. Ego nullis usus ambagibus, repetitum narcoticorum usum ad normam jam traditam suasi, quorum ope prope diem convaluit, & mecum ad urbem sanus rediit.

Quandoquidem autem dolor hic præ cæteris quibusque ex sua naturâ recidivus sit, omnis ei revertendi ansa Anodyno bis quotidie ad aliquot dies exhibito præscindenda est. Quòd si, quoties intermittitur Narcoticum, dolor subinde recrudescat (ut nonnunquam fit) nihil à me hactenus excogitari potuit quod ad persanandum ægrum ita certò faceret atque equitatio vel in curru vectio, quo longiora itinera confici debuere; Anodyno interim manè & sero indesinenter propinato; hujusmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, & sanguis perpetua agitatione comminutus de novo quasi depuratur, ipsaque demùm intestina caloris nativi excitatione haud parùm corroborantur ac refocillantur. Nec pudet fateri, me dicto exercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui, plus semel penitus expulisse. Neque verò illud tentandum est, nisi post evacuationes debitas sufficienter celebratas, neque ab eo nisi post dies aliquammultos desistendum. Pauper quidam mihi vicinus, qui & adhuc est superstes, colica biliosa vehementissima per hos annos liberavit, quàm catharticis, clysteribus, globulisque plumbeis devoratis expugnare diù sed frustra erat conatus: Hic ego ad frequentem Narcoticorum usum confugi, neque pœnitendâ operâ, quamdiu enim ista repeterentur, satis rectè habuit, sed cùm his palliaretur tantùm malum, non extirparetur, (revertebatur enim ut primùm erat exhausta Narcoticorum vis) ego hominis misertus & gravi morbo, & re angusta afflictissimi, equum ex meis commodabam, quo iter dicto jam modo peragendum aggrederetur, eoque ad dies pauculos continuato, viscera eas vires recepere, ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent, & sine Anodynorum præsidio omnino convalesceret.

Et ut quod res est loquar; non in hoc tantùm casu, sed in morbis aliis chronicis quàm pluribus, hoc exercitii genus nunquam non cum uberrimo fructu usurpatum memini, modò quis in illo improbius perseveraret. Si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo disponuntur organa secretiora, hoc maximè exercitio vibrari; eaque succussationibus aliquot mille uno in die exagitari solere, facile credemus, eadem succum quemlibet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitii posse excutere; & (quod majoris adhuc est momenti) validiori ista caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere quod iis mandavit natura in sanguine depurando rectè defungantur.

Diætam si junior fuerit æger, & calidioris temperamenti, refrigerantem atque incrassantem impero, puta hordei cremorem, Panatellam &c. & tertio quoque die si latret adhuc stomachus, pullum teneriorem, merulamve piscem coctum; Potum non alium concedo quàm cerevisiam tenuem, mitemque, vel lac cum aqua coctum: neque ulterius quicquam indulgeo, nisi equitatio ad reintegrandam sanitatem necessaria, pleniorem victum & generosiorem postulet liquorem, quibus rependantur spirituum exercitio exhauriendorum damna.

Quinimò observatione constat, quod ubi hic morbus minùs peritè tractatus diutissime fatigaverit, ita ut viscera elanguescerent, atque æger extremâ jam macie atque debilitate tantùm non esset confectus; in hoc inquam casu, liberalior sive aquæ epidemicæ, sive mirabilis, sive aliûs demum cujuscunque qua sanus maximè delectabatur, usus, hoc tempore eundem ultra spem omnem juverit, hujus enim ope paucissimæ istæ caloris nativi spirituumque reliquiæ excitabantur, & fermentum præternaturale visceribus adhærens, & novis paroxysmis fomitem subinde ministrans, à liquoribus magis spirituosis extinguebatur.

Porrò ut in morbi curatione, ita etiam & eodem jam depulso, diæta illa tenuis, de qua diximus, adhuc aliquamdiu est observanda; cum enim morbus hic recidivam præ aliis omnibus affectet; atque insuper sedem sibi delegerit præcipua coctionis instrumenta (viscera intelligo, jam ab eodem infirmata) vel levissimus hujus generis error malum haud leve confestim apportabit. Quocirca tam in hoc quàm in cæteris omnibus viscerum affectibus cibi δυσπεπτοι cane pejus & angue sunt vitandi, & qui conceduntur εὐπεπτοι, ea tantùm quantitate sumendi, quæ ad vitam sustinendam possit sufficere.

Fœminarum nonnullas vexat affectus hysterici species quædam, colicam biliosam ita ad unguem referens, tam doloris acerbitate, quàm situ, tum etiam humoribus coloris flavi, viridisque vomitu rejectis, ut mihi obiter tractanda veniat, ne à quopiam pro jam dicto morbo hæc habeatur.

Quæ habitu corporis laxo, crudoque sunt mulieres cum hoc malo præ cæteris conflictantur, quæque alio aliquo affectu hysterico jam pridem laboravere; aut (quod sæpenumero fieri solet) quæ à partu difficili ac laborioso ob natum infantem grandiusculum, qui vires & naturam matronas nimis exhausit, vix evasere. Regionem ventriculi, nonnunquam & paulò inferiorem, dolor haud mitior quàm in passione colica, iliacâve primùm obsidet, quem vomitiones sequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc verò flavæ.

His accedit, (quod sæpè observavi) major animi dejectio, desperatioque quàm in morbo alio quocumque. Post diem unum alterumve facessit dolor, qui post paucas septimanas revertitur, nihilo leniùs sæviens quàm antequam solveretur paroxysmus.

Icterum quandoque satis spectabilem, comitem sibi adsciscit, intra dies pauculos sponte evanescentem. Cessantibus jam symptomatis omnibus, ubi ægra sibi satis valere videatur, levissima animi commotio, sive ab ira sive à dolore ea fuerit excitata (quibus hoc in casu promptissimè afficiuntur fœminæ) dolorem ferè revocat, quod etiam & de ambulatione, & de alio exercitio quolibet præmaturè nimis suscepto dicen-

dicendum est: cùm ab hujusmodi causis eleventur vapores in habitû corporis laxo, atque imbecilliori. Vapores cùm vulgo dico, cùm sive istiusmodi sint, sive convulsiones particularum partium, utrovis pariter modo solventur φαινόμενα. Hi vapores sive convulsiones hæ, ubi hanc, illamve corporis regionem invaserint, pariunt symptomata, ei quam invasere parti accommoda; ac proinde licet unum atque eundem ubique morbum faciant, plerosq; tamen quibus miseri cruciantur affabre simulant quod vel ex hoc liquet affectû, qui cum partes *Colo* adjacentes insederit, *Colicam biliosam* ad amussim imitatur. Neque minùs id patet in multis aliis corporis partibus eodem modo tactis; e. g. nonnunquam *Renum* alterum vehementissimo dolore afficit, unde vomitus immanis; atque etiam per ureteris ductum persæpè delatus, calculum simulat, & cùm ab enematis aliisque medicamentis Lithontripticis & calculo exturbando dicatis exasperatur, uno eodemque tenore diutissimè affligit, subinde etiam (præter morem suum, cùm per se omni vacet periculo) ægrum ad plures deducit. Visa insuper & symptomata ab eodem prognata quæ vesicæ calculum omnino referebant. Non ita diu est, à quo noctû excitabar, ut Comitissæ mihi vicinæ, dolore in vesicæ regione admodùm violento, & urinæ suppressione derepente correptæ, consulerem: cùm ego illam affectibus hystericis variis obnoxiam certò scirem, atque ex eo augurarer non isto eam quem putabat, laborare morbo, enemata, quæ parabat ancilla, injici non patiebar, ne ab iis cresceret morbus, at horum loco, atque emollientium verbi gratia Syr. de althæâ &c. quæ adferebat Pharmacopola, Narcoticum exhibui, quod symptoma illud subitò compescuit. Neque sane vel una aliqua pars corporis ab hujusmodi insultibus penitus eximitur, sive interna ea fuerit, sive externa, ut sunt fauces, coxæ, crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem, atque ubi discesserit, teneritudinem quandam quæ tangi recuset, relinquit, perinde ac si carnes multo verbere fuerint emollitæ.

Quemadmodum autem quædam ad colicæ hystericæ historiam pertinentia obiter tradidi, ne scilicet illa pro biliosa falso haberetur, ita & quædam etiam alia ἐν παρόδῳ attingam, ad symptomatis doloris, qui eam comitatur, curationem facientia: Curatio enim radicalis, quæ morbum sublata causa tollit, alterius omnino est, & speculationis, & loci.

Venæ-sectio, & repetitæ purgationes, quæ in colica biliosa incipiente apertissime indicantur, hic locum non habent, nisi in casû infra dicendo. Docet enim experientia & exasperari dolorem, & invalescere symptomata alia omnia, à tumultû, quem ista cient, adjuta, atque adeò plus semel animadverti, enematum, vel lenissimorum repetitionem, continuam symptomatum seriem invexisse. Experientiæ ratio etiam astipulabitur, quæ morbum hunc à spirituum potius ἀταξία atque inordinato motû, quàm humorem vitio aliquo produci dictabit, si expendamus nempe circumstantias illas, quibus ut plurimùm originem suam debet. Hujusmodi sunt magnæ atque indebitæ sanguinis profusiones, motus animi uti etiam & corporis violentiores, & alia id genus. Quæ omnia, remedia illa suadent proscribenda, à quibus major spirituum perturbatio possit excitari, atque eorum loco anodyna esse usurpanda, licet viridis ac pravus materiæ vomitû rejectæ color contrarium indicare videatur: subtilior enim est atque minutior colorum speculatio, quàm ut evacuationibus, quas ipso facto nocentes deprehendimus, authoritatem conciliare valeat. Nullusque dubito, morbum hunc (qui licet acerbissimum dolorem, nullum tamen vitæ discrimen apportat) ob errores hoc nomine commissos lethalem sæpenumero evadere. Adde, quòd si quis emeticum vel fortissimum hodie propinaverit, ut scilicet eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, ægra postero die materiam æque viridem aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Observandum est tamen, eam quandoque sanguinis atque humorum copiam reperiri, quæ narcotici operationi eo usque obsistat, ut quamlibet sæpissime repetatur, orgasmum tamen cohibere nequeat, nisi sectâ prius ægræ venâ, aut alvo subductâ; quod in fœminis temperamenti magis sanguinei atque viraginibus mihi subiit notare. Si ita res se habeat, vel Phlebotomia, vel catharsi, fortè etiam utraque Anodyno via aperienda est. Celebrata enim harum utravis, narcoticum, quod prius summâ licet dosi exhibitum, nihil quicquam profecit, jam etiam in mediocri dosi, effectum obtinebit, cui destinabatur. Raro autem hoc contingit, neque tum reiteranda sunt hæc remedia. Quibus præmissis, ubi opus iis fuerit, in anodynis eâ methodo, quam in colicâ biliosâ proposuimus, exhibendis progrediendum est, quæ crebrius, parciusve sunt ingerenda pro doloris recedentis ratione. Quæ quidem methodus præsens atque instans vehementissimi doloris symptoma tantum respicit, cùm non hic loci illam, quâ morbi causæ occurritur, tractandam in me receperim.

Cùm verò hic morbus tam in hypochondriacis, quàm hystericis (nam utrobique ut alio loco dicetur, par est ratio) sæpissimè in ictero desinere soleat, atque iisdem passibus, quibus hic ingreditur, iste se proripiat, observandum occurrit, quod in hac icteri specie curanda cathartica omnia, vel omninò omittenda, vel si adhibenda fuerint, rhabarbaro solùm, vel leni quovis medicamento utendum. Etenim metuendum, nè à catharsi novi tumultus cieantur, ac proinde symptomata omnia postliminio recurrant. In hoc itaque casû nihil omninò agendum, cùm icterus huic occasioni originem debens, sensim sponte suâ facessat, ac tandem brevi temporis spatio penitus evanescat: sin autem icterus longas moras nectat, atque non nisi ægre discedere videatur, ad remedia confugiendum. Hoc uti soleo.

♃. Rad. rub. tinctor. & curcumæ an. ℥j. chelidon. major. cum toto & summitat. centaur. min. an. M. j. coq. in æqualibus partibus vini Rhenani & aquæ font. ad ℔ ij. colaturâ dissolve syrup. de quinque radicibus ℥ ij. m. f. apozema, capiat ℔ ß. calide mane & sero usque dum convaluerit. At ubi icterus per se invadit, colicâ neutiquam prægressâ, omnino

oportet

oportet, ut præter alterantia jam dicta, etiam cholagoga, i. e. quæ per alvum bilem subducunt, ægro exhibeantur, nempè semel vel bis antequam aggrediatur usum præscripti Apozematis, & posteà semel singulis septimanis durante ejusdem usu; ut

℞. Electuar. è succo rosar. ℥ij. Rhabarb. subtiliss. pulv. ʒß. Cremor. tartari ℈j. cum s.q. Syr. cichor. cum Rheo. f. Bolus. sumat summo manè superbibendo vini Rhenani haustulum. At si vel his diù continuatis morbus adhuc obstiterit, ad aquas ferreas, quales sunt istæ Tunbrigenses abeundum, quæ ex ipso fonte bibendæ sunt singulis matutinis dum convaluerit. *Thom. Sydenham de morbis acutis sect.* 4.

In omni colica quacunque sit servetur alvus aperta semper, quantum fieri potest & hinc Anodynis sedetur dolor.

Observetur 2. si est à materia in intestinis contenta, tunc imprimis est acidum temperandum, viscidum incidendum, & evacuandum, & flatulentum dissipandum.

Observetur 3. sin verò est colica convulsiva propinanda appropriata nervina imprimis salia volatilia opiatis mista, & hinc primarius morbus curandus.

His scopis ut satisfaciamus, dum 1. debet servari alvus aperta.

Observetur quòd in principio Colicæ purgantia non conveniant, quatenus talia, sin verò debent usurpari, sint lenia & opiatis mista.

Cùm enim in colica sæpiùs periculosus adsit vomitus, metus est nè ita purgantibus irrites crabrones & ex colica contumacem Ileum producas.

In progressû verò morbi attenuata viscida materia & temperata ejusdem acrimonia blandè subducentia conveniunt.

Deindè si ex inflammatione est colica, Medicus caveat, nè ullo quantumvis leni medicamento subducente utatur, ex irritatione enim intestinorum, inflammationem auget, & hinc volvuli seu Ilei metum infert.

Observetur 2. Opiata in principio appropriatis mista sunt optima; frequentiùs tamen in usum duci possunt, ubi materia morbifica sit acrior, minus verò ubi eadem sit viscidior.

Nam opiata acrimoniam temperant, viscidæ verò materiæ motum ulteriùs impediunt, quatenùs motum intestinorum inhibent.

Denique si quando opiatis utendum, non sunt differenda eo usque, donec vires vitales jam collabascunt, ægerque non longè sit ab interitû: tali enim in casû non rarò solet vita dormiendo finiri.

Observetur 3. Clysteres in omni dolore colico conveniunt, magis tamen quando malum hæret in intestinis crassis, minus quando in tenuibus.

Deindè ubi non sumus certi materiam peccantem hærere in crassis intestinis, minùs conveniunt purgantia clysteribus admista, propter metum volvuli. Ubi verò sumus certi, quemadmodum in dolore Hypochondriaco communiter hærent in colo, tunc fortioribus purgantibus seu stimulantibus per clysmata eadem evacuare convenit.

Quòd si videmus clysteribus malum non mitigari, iis ulterius insistendum nonest, sed præsumendum vitium hærere in intestinis superioribus.

Hoc ergò in casu quando adest morbi sedes in intestinis superioribus conveniunt potiùs blandissima per os laxantia & abstergentia: quod confirmat experientia D. MOEBII in infante colicâ laborante, cui Medicus quidam aliquot clysteres applicandos curavit, sed sine fructû: tandem Moëbius advocatus laxantia blandissima per os adhibuit, quod ex voto cessit & infans brevi convaluit. *Vide Colleg. Moëbii in synops. cap. de colica.*

Ea quæ propinantur in Colica internè, & quidem ubi materia est in intestinis sunt aromatica. Hæc enim sola satisfaciunt scopo, ratione salis volatilis, temperant acidum, incidunt viscosum, & discutiunt flatulentum.

In colica verò convulsiva conveniunt ea quæ mulieribus in passionibus hystericis propinantur imprimis volatilia salina, item ex Castoreo cum opiatis mista.

Videamus hæc ordine 1. Clysmata in colica stercoraria aut à pituita viscidiore nunquam obliviscatur Medicus salis gemmæ. Nam hoc est expertissimum ad resolvenda stercora & mucilagines crassas. Elegans est de hoc observatio *FOREST.* lib. 21. observ. 5.

Dabo exemplum Clysmatis injiciendi in tali casû, ubi materia hæret in crassis intestinis.

℞. Herb. malv. m. ij. Radic. lilior. alb. ℥ß. Flor. sambuc. Verbasc. ana mß. (sunt anodyni) coqu. in Aqu. simplic. s. q. colat. ℥ viii. add. Electuar. Hieræ picr. ℥ß. ad ʒvi. (stimulat. & est aloëticum) salis gemm. ℈ij. ad ʒj. Vitel. ov. n. ij. Misc. Ubi adsunt flatus loco sal. gem. potiùs ol. destill. addenda, quæ potenter penetrant, & flatus discutiunt. h. m.

℞. Rad. Angel. l. levistic. ʒvi. flor. chamom. roman mß. (aut commun. sunt basis.) Folior. laur. p. iij. sem. quat. calid. minor. ana ʒij. coq. in aq. comm. s. q. colat. ℥x. add. Elect. de bacc. laur. ʒ vi. ol. destill. Angelic. cumin. carui. Lauri. ana gt. iij. l. iv. syrup. papav. ℥ß. vel Theriac. ʒj. ad ʒ ij. Vitell. ovor. n. j. Misc. pro Clysmate

Pro duabus dosibus injiciendo propter flatus, qui impediunt quominùs totus possit injici.

RULANDUS ceu expertum clysma laudat in dolore colico. & Iliaco sequens.

℞. Decoct. Thapsi barbat. flor. chamom. ana ℥vii. ol. chamom. ℥v. Vitell. ov. n. j. salis ʒj. sacchar. rubr. ℥ß. benedict. laxativ. ℥ j. Diagryd. gr. vii. Misc. pro Clysmat. (incondita est compositio.)

Commendat usum hujus Clysteris tanquam sibi sæpiùs expertum.

Quòd si certum sit hærere in intestinis inferioribus malum quod tamen nulli vult cedere remedio; tunc ad infusionem antim. Clysteribus admiscendam felici cum successû accedunt practici. Videatis hâc in parte River qui sæpiùs usurpat Aqu. benedictam, aqu. infusionis croci metallorum in alemb. vitr. paratam & ad ℥ iij. vel iv. miscet has cum clysteribus, nunc cum *emollientibus in cent.* 2. *observat.* 58. & 67. videbitis exempl. It. *Cent.* 2. *observ.* 12. & *cent.* 3. *observ.* 22.

Imitatur hâc in parte RULANDUM, qui ipsi hic est antecessor, qui & ipse solet in Enemate dissolvere aq. benedict. hac forma.

℞. Juris Pisorum ℥ viii. (egregiè abstergit) sacch. ʒß. Aq.benedict. ℥iß. ol. commun. ℥ iv. Misce. Injiciatur calidè quàvis horâ doloris recrudescentis: insigniter commendat hunc clysterem & quidem in contumacissima alvi obstructione, in dolore iliaco & colico. Simile exemplum habet idem in contumacissimâ alia obstructione in puerperâ quæ per 20. dies nihil excreverat, etiam stercora per os exibant, curata hoc clysmate in quo loco aq. bened. addidit extractum esulæ.

℞. Jur. pisor. ℔ j. ol. sem. lini ℥ iv. Extract. esulæ ʒ j. Misc. quo injecto alvique excrementis copiosis rejectis curata fuit ista puerpera.

Superius in dysenteria dedi exempla clysmatum therebinthinatorum, quæ similiter conveniunt in colicis, præprimis ubi adest suspicio affectuum uterinorum vel etiam renalium, aut in alio casu clysteres therebinthinatos admodum laudat DEODATUS in valetud. p. 247. qui etiam in colicâ flatulenta hoc clysma præscribit.

℞. Fol. Mercurial. chamom. Bet. ana m iß. Absinth. Rut. Laur. ana m. ſ. sem. cumin. Baccar. laur. ana ʒiij. Fiat decoctio in aqu com. & vini malvat. ana ℔ß. (ingredientia sunt nimis copiosa pro ℔ß. potest facilè emendari) ol. nucis expressi ℥iv. castorei ʒß. Therebinth. ℥ß. Misc. pro clysm. in affectibus renalibus & uterinis, aliàs etiam clysteres ex lacte tanquam insigniter emollientes injiciuntur. Sunt qui ceu singulare clysma laudantes commendant decoctum veronicæ cum vino & myrrha quibus *B.D. LANGIUS* addit sal. tart. ʒß. ad ʒj. aut tinct. Tartar. ʒ ij.

Clysteres ex fumo Tabaci sunt præstantissimi, id videre potestis in BARTHOL *cent. 6. Epist. pag. 523.* instrumentum verò quo commodè potest sibi applicare unusquisque tale clysma habet *Cent. ultima historiarum anatomicar.*

Ulterius ubi sunt nimii flatus in intestinis, ibi præ cæteris conveniunt clysmata ex urinâ pueri, quæ mira faciunt in affectibus flatulentis. Si scil. recipiatur urina pueri impuberi & ipsi addatur parum fermenti, ipsique postmodùm incoquantur semina anisi, fœniculi, anethi & colatur. ℥ viii. vel ix. additis mellis despumat. ℥j. sicque injiciantur, insigniter confert in affectibus flatulentis.

Quæ alia sunt usitata clysmata carminantia & emollientia, studio prætereo.

Quod attinet interna ea sunt varia, & subindè varianda, usitata tantum proponam.

Herba veronicæ ceu singulare specificum laudatur, cui tamen non cedit chamomilla in specie Romana. Nam chamom. sive aqu. sive decoctum specificè commendatur à Gabelhover *cent. 1. cur. 10.* imprimis ol. saphyrium quod est præsentissimum carminativum, & anodynum. Veronica multùm probatur cùm vino & myrrha decocta & ejus decoctum assumptum. Porrò species est Hormini quam vocant Sclaream, quâ solent adulterare vinum nostrates, ut fiat moscatellinum & odoris penetrantis & tetri, si quid tamen aliud vegetabile, est miraculosum quod facit, in colica virorum & suffocatione mulierum uterina; sive decoctum usurpetur, sive exindè parata essentia aut succus in conveniente vehiculo adhibeatur, mira præstat imprimis in suffocatione uterina mulierum in arcanis habenda.

Radix allii jam à *GALENI* temporibus laudatur. Notum enim est exemplum de rustico esu allii se curante, quod ex *GALENO* habet *SCHENCK. & ZAC. Lusit. de Medic. princip. hist. lib. 2. hist. 95.* Ad hujus imitationem commendatur jusculum ex allio & ol. olivarum (nec sine ratione.) hoc ol. enim laxat intestina, (allium humorum acrimoniam temperat) quæ calidè hauriantur cum parte dimidiâ vini, & hanc misturam ceu sæpiùs expertam commendat *BORELLUS Cent. 4. Observ. 92.*

In corticibus aurantiorum non est vis vulgaris anticolica, & certè essentia cortic. aurantior. legitime parata, aut saltem ejus pulv. usurpatus, aut Eleosacharum ex ol. corticum aurant. sunt egregia remedia in affectibus colicis. Mirum est quàm potenter acida quæcumque temperentur à corticibus aurant. ob id etiam quod obiter moneo in stranguria ab acido conveniunt.

Helenium ejusque radix, absinthium, & similia alia nota.

Helenium cum vino ceu singulare experimentum laudatur. Et postmodum absinthium convenit iis imprimis, qui peregrinationibus dediti, colicis doloribus vexantur, sive decoquatur, sive minutim dissectum cum sacharo misceatur & capiatur. Ob id *MINDERERUS* in Medic. milit. commendat vinum decoctionis absinthii vel radicis Helenii cum corticibus aurant. calidissimè potum addito pauculo Theriacæ vel mithridatii.

Semina quatuor calida minora in vino ebullita & ita hausta rectè dicuntur ab *HELMONTIO* solamen pauperum, virtus consistit in eo, quod nempè corruptionem & aciditatem inhibendo faciunt egregium solamen intestinis *§. 75. in tr. de flatibus.*

Semina hæc decocta in vino & hausta à *STOCKERO* commendantur.

Usitata etiam est aq. flor. chamom. veronicæ, cinamom. menth. aqu. spirituos. compositæ aq. carminativ. *DORNCRELL.* N.B. Aq. theriacalis camphorata, it. syrupus corticum aurantiorum, de papavere, ubi dolor adest. Syrupus de althæa Fernelii, ubi emolliendum, & acrimonia temperanda.

Restant quædam de Materia medica in cura colicæ necessaria, & quidem.

Castoreum est similiter medicamentum admodum egregium in colica, non tantum in ea ubi adsunt flatus, quos potenter discutit, aut ubi adest pituita viscida, acida quam temperat, sed etiam in colica convulsiva, ubi notum est quod sit egregium. In suffocatione uterina quæ revera est colica convulsiva: It. in doloribus scorbuticis convulsivis egregium quoque est Castoreum, sive per se, sive mistum cum aliis in colica convulsiva permiscetur cum salibus volat. in spec. cum sal. volat. succini cui addatur unum l. alterum gr. opii fit egregium medicamentum.

Dabo exemplum in colica convulsiva seu suffocatione uterina.

℞. Castorei ℈ß. sal. vol. succin. ritè præp. gr. v. (nam in succino multa latent arcana contra convulsiones & Epilepsiam) Laudan. opiat. gr. iß. ad 2. Misc. F. pulvis.

Unde *Castoreum* ad ℈ij. propinat JOEL in sua praxi, si colica sit orta, uti dicit à causa frigida: in

in aliis tamen etiam convenit. *Et Solenand.* commendat *Castoreum* clysteribus additum; sc. aliquot gr. ejusdem in vino dissoluta infunduntur loco clysteris in colica. vid. *ejus sect.* 3. *consil.* 28.

Item *Essent. Castorei* hic convenit: quo facit *essent. anonyma B.D. Langii.* facta ex castoreo, & Asa fœtida, cum spir. vini tartarisato, quæ essent. anonym. & in colica & in passionibus histericis, id est, colicis convulsivis, & in stranguriis, & in præcavendis variolis & morbillis est egregia.

Extractum Castorei commiscetur commode cum extract. theriac. quod habet vim opiatam, & sic cum ol. succini fiant pilulæ anticolicæ.

Porrò sulphur ejusque flores valdè commendantur in colica si scil. à ʒß. ad ʒj. propinentur, & sanè expertissimum sunt remedium flores sulphuris: Vidi Romæ effectum egregium in comite, colicâ pertinaci laborante, qui aliis irritis per ʒß flor. sulphur. fuit curatus. Propinantur commode in vino calido.

Permiscentur sulphur & ejus flores convenienter cum *Eleosacharis carminativis* factis ex ol. destill. corticum aurantior, anisi, Zedoariæ & similibus quibus impregnatur Sacharum v. gr.

℞. Flor. sulphur. ℈j. ad ʒß. Eleosach. anisi Zedoar. ana gr. VIII. Laudan. opiat. gr. j. Misc. F. pulv. Dolor sedans flores sulphuris sunt egregii, vobis ergò sint recommendati.

De aromaticis res est nota, quòd eorum sal volat. oleosum insigniter conveniat in colicis torminibus: præ cæteris eminet inter Aromata Galanga alias egregium uterinum, Zedoaria, cinnamomum, nux moschat. & caryophilli, & hinc ex his paratæ species sic dictæ in dispensatoriis: nempè species diacumini, diacalaminthæ, dianisi, diagalangæ, diatrion pipereon, & tandem species diasulphuris *Mynsichti*. Item pulvis factus ex Tenellis cornubus cervi, cum myrrha & pipere, commendatur à Sennerto cap. de colica.

Ut & pulvis ex mandibulis Lucii piscis, oculis 69. & similibus acidum absorbentibus similiter laudatur. Pertinet huc pulvis *Schalleri* ad colicam; compositio hæc est.

℞. Cortic. aurant. pulver. ℥ i ß. dent. inferior. auratæ, oculor. cancr. Dent. Lucii pisc. Succin. præp. Talor. lepor. Zedoar. ana ʒij. Misc. F. pulvis. M. dos. à ʒß. ad ℈ij. Meliorari possit hic pulvis additione flor. sulphur. & irrotatione cum ol. carminantibus.

Porrò essentiæ s. extracta, itidem sunt egregiæ. Nempè essent. s. tinct. Zedoar. Essent. s. tinctur. Corticum aurant. facta imprimis cum spirit. chamomill. Romanæ. Extract. calami aromatici, cortic. aurant. & denique extract. specificum colicum *Mynsicht*. Est elegans compositio (utut quædam adsint ingredientia non multi pretii.)

De Theriaca, Mithridatio res est nota, quòd ad ʒj. in vino propinata, ubi aperta priùs fuerit alvus, sint egregia remedia, idque ratione Laudani opiati: nam laudanum opiatum est generale, & universale remedium & anodynum.

Cæterùm notum est varias esse opii præparationes, è quibus omnibus duas vobis commendo (in praxi enim sæpissimè adhibendum venit opium) quæ semel pro semper notentur.

Est secundum modum *Helmontii*, fermentando cum succo cydoniorum, idque tribus vicibus, postmodum cum spiritu vini, aut in formâ liquidâ, essentia, aut sicca, extractum potest adhiberi, uti didici ab amico, qui hunc modum ab *Helmontio* juniore habuit communicatum. Videri etiam potest hic modus in *Barthol.* cui à *Langelot.* fuit communicatum in *Epist. cent.* 3. *Epist.* 45. *p.* 188. Præparatio est sequens in *Bartholino*.

Vidi id sanè non sine insigni voluptate cum una cum appropriato succo corrigente succo cydoniorum leni calore ad fermentandum exposuissem. Exspirabat primò volatile illud sulphur fætidum, cerebro, cordique adeò infestum, si quis eo propior factus id copiosiùs cum aëre hauserit: Ego sanè cum meo ipsum damno expertus sum, cum primâ vice pararem. Cautior deindè factus elegi locum aëri maximè pervium. Colligitur dein sensim, sensimque reliquum quod inest impurioris substantiæ: atque ea quæ levis spumosaque est superiorem, ea verò quæ crassa & terrestris est, imum occupat locum, utraque in magna quantitate ea tamen imprimis quæ inferiora petit; Mirum quàm puri parùm adsit. Est liquor perlucidus, rubini instar rutilans medio consistens loco, qui à doctis accuratè separatus, balneoque vaporis ad spissioris extracti consistentiam, redactus, circulatur tandem per unum aut alterum mensem cum alcoole vini, ut quod crudi reliquum est, excoqvatur, adque debitam maturitatem deducatur, &c.

Usus ejus est amplissimus, atque extendit se ad omne ferme morborum genus. Exceptis soporosis, vel naturam motu inordinato peccantem sedando, viribus defectam reficiendo, doloribus & vigiliis consumptam placidissimâ quiete refocillando, vel humores nimium effervescentes compescendo, vel spiritus paulò concitatiores ad temperiem reducendo.

Adjungo ut plurimùm appropriata cuique membro remedia, inque magnis ardoribus flores nitri, nitrum perlatum, sal. Ducis Holsatiæ: sequenti tamen compositione familiarissimè utor.

℞. Pulv. diacherm. Aug. *Salæ* ℥ ij. sal. Ducis Holsat. cum aur. par. flor. nitr. ana ℥ß. Essent. opii nostræ gr. 54. Misc. optime. dos. est gr. XV. XVII. XX. pro adulto, quam dimidium tantum granum essentiæ opii ingreditur; raro enim ad gr. j. aut iß. ascendo, & nisi in magnis doloribus & vigiliis, &c.

Hæc sunt verba *D. J. Langelot.* & desumpta ex *Bartholin. Epist. cit. loc.*

Angli in frequenti usû habent istud laudanum opiatum *Helmontianum*. Nec potuerunt mihi satis decantare singularissimas ejus virtutes. Vide *Bartholin. cit. loc.*

Vix inferior priori est correctio opii beneficio salis tartari: Nam sal tartari ut obiter moneam corrigit & omnia purgantia & præ primis etiam corrigit opium: sive addatur insimul vinum; sive quod melius est addatur spir. therebint. & est laudanum multarum virium à quibusdam in secretis habitum. Hæ sunt duæ singularissimæ opii præparationes quas semel pro semper ne prolixus videar, commendo.

Multa sane prostant in Medicina cum opio, adeo ut Sylvius dicat, se malle non esse medicum, quàm carere Laudano opiato.

Porrò Spir. anticolicus est summum *Hartm.* Arcanum & ultimum refugium, quem ipse describit in praxi chymiatrica. Fit ex parte 1. spir. nitr. & part. 3. spirit. vini, omnibus bene rectificatis: & sane hic spiritus est egregius in quocunque flatulento casu adeo ut etiam in Tympanitide suum faciat egregie officium.

Modus præparandi est, si spiritus dicti in quantitate notata misceantur, misti in Balneo digerantur, digesti duabus vel tribus vicibus, cohobentur, donec perfectissimè uniantur, & sic fit Spir. anticolicus à ℥ß. ad ℥j. in appropriato vehiculo propinandus.

Vehiculum appropriatum est imprimis decoctum radicis Helenii, vel decoctum priapi tauri.

Loco spiritus vini vulgaris melius sumitur spir. appropriatus v. g. sp. chamom. per fermentationem paratus, aut idem spir. infusis speciebus carminantibus digestus, & tandem in balneo aliquoties cohobatus, sic enim rapit secum particulas carminantium aromaticas per alembicum, idest salinas volat. oleosas & ita cum spirit. nitr. junctus fit efficacior & melior.

De spiritu carminativo ex nitr. tart. & spir. vini superius locutus sum ubi de cardialgia.

Spiritus Itidem Therebinthinæ commendatur ab *Hartmanno* qui abstergit egregiè intestina, ut nihil remaneat.

Undè quidam commendant hoc remedium ad colicam.

♃. Spirit. therebinth. juniper an. infundantur cum Floribus Hyperic. digere per diem & noctem, exprime & ita cum floribus novis perge, quod erit liquor rubicundus cujus dos. ℈j. in brodio sumptus in colica est expertissimus.

(Unum adhuc observa de perforata, idest, Hyperico, si sc. digeratur in spir. vini per mens. supernatabit ejus ol. in usû chirurgico externo & Medico interno pretiosissimum. Sapienti sat.)

Denique olea destillata carminantia similiter egregiè commendantur: qualia sunt Carui, cumini, anisi, fœniculi, caryophyll. lauri, cortic. aurant. angelic. succini, macis, Zedoariæ, menthæ, quod insigniter commendat *Thonnerus*; cum his oleis possunt fieri Eleosacchara, uti antea monui.

Hinc *Panarollus pentec.* 2. *observ.* 8. ceu sæpiùs expertum remedium ad dolorem ex causa frigida in colica commendat ol. baccar. lauri aut ol. ex corticibus aurant. per expressionem paratum cum vino (potius est succus expressus) quo bibito ægri per breve tempus sedato dolore somnum capientes convaluerunt.

Porro sordes aurium humanarum pro præstantissimo auxilio in colica similiter commendantur.

Pulvis testiculorum Equi ad ʒj. cum pulv. sem. anisi experimentum est Fonsec. anticolicum in lib. 1. consil 57. (fuit archiater Papæ) Qui pulvis testiculorum equinorum in aqu. lilior. convallium cum croco exhibitus; & fuit remedium Polychreston Anticolicum Zvvelferl.

Pudendum s. Priapus tauri experimento egregio comprobatum est à Zac. Lusitan. lib. 2. prax. admirand. Observ. 24. in colica quam curat & præservat. dos. ad ℈j. in vino malvatico.

Similiter commendat Pudendum cervi Bartholin. cent. 6. hist. 50.

Fuligo pulverisata cum acet. destill. mista & bibita calidè, statim dolorem pellere dicitur, similiter etiam spir. fuliginis aliquando felici cum successu fuit propinatus.

Sacharum saturn. in colica à nimio acido remedium est singulare si ad gr. iij. vel iv. cum aliis propinetur.

In sacharo saturn. magna vis medica latet.

Denique stercora animalium sunt remedia aliis omnibus si non anteferenda saltem, tamen æquiparanda.

Præ cæteris stercus equinum recens: hujus succus cum liquore appropriato expressus tantum non præsentaneum est remedium colicæ: habita tamen si fieri potest ratione sexus, ita ut succus ex equo propinetur masculo, ex equa vero fœminæ.

Loco hujus stercus Catti exsiccatum in aëre in vino resolutum & edulcoratum, hinc percolatum aliquando magnatem aulicum restituit.

De stercore lupi res est apud omnes decantata: præ cæteris totus est in commendando, *Panaroll.* pentec. 3. obser. 36. Item *Forest.* lib. 21. observ. 15. Item in observ. River. & tantum non apud omnes autores in magnis laudibus versantur stercus & intestina lupi. Hinc etiam aq. destill. ex stercore Bovis Junioris ad ℥j. propinata laudatur.

In colica ubi metus est Pareseos, in tali casû salia volatilia propinata expectato sudore juvant, certo præ cæteris convenit sal. volat. urinæ quod & præservat, & curat Paresin expectato sudore.

Spir. tart. volat. legitimè paratus (quo volatilior eo melior, variæ sunt ejus præparationes felix est qui optimam habet) est excellens remedium pro curanda Paresi per sudorem. Obiter moneo. Ex fæcibus vini fit volatilior spir. quàm ex ipso tartaro modò rectè destilletur; & super caput mortuum rectificetur.

Deindè necesse est ut alvus clausa etiam per inferiora aperiatur in quo casû raro fortiora Purgantia, quin tantum Lenia aut emollientia, aut abstergentia conveniunt. Sin verò necessum sit propinentur Purgantia paulò fortiora, iis commodè permiscetur Laudanum opiatum.

Veteribus nonnullis in specie Helidæo Paduano hoc fuit usitatum, qui Helidæus propinavit in colicis doloribus Electuar. diaphænicon. à ʒv. ad ʒvi. Philon. Romani. ʒj. quod laxat, doloremque sedat.

Cæterum nostra delicatula rostra non perferunt hos bolos s. Electuaria: propterea conveniunt potius Pilulæ ad imitationem Riverii præscribendæ: qui cent. 2. observat. 1. & cent 1. Obs. 63. has imprimis commendat pilulas.

♃. Aloës optim ʒj. Diagryd. gr. viij. Laudan. opiat. gr. iij. f. v. vel sex pilul. misc. s. l. a. (satis forte non ita præscriberem.)

Similes pilulas cum laudano permistas videbitis apud Porterum cent. 3. cap. 27.

Pertinent huc pilulæ Stockeri, quibus ut ipse scribit cum summo suo honore ducem Tartariæ curavit in colica.

♃. Aloës succotrinæ. Pilular. Aloë. phangignar. ʒj. opii, croci an. gr. ij. (pro croco potest sumi castoreum) misc. F. pilul.

Exhibeantur stomacho jejuno: dolorem enim post horam sedant & postmodum solvunt, ac

ac faciunt uti dicit operationem. Si velis ut potentiùs operentur gr. ij. l. iij. scammon. essent addenda.

Verùm perfecta purgantia non semper in colica conveniunt, quin lenissima plura præstant quàm fortissima. Hinc noto usitatam esse Mannam ab ℥j. ad ℥iß. cum ℥ ij. ol. amygdal. dulcium propinari cum jusculo gallinæ pingui, commendat hanc misturam River. prax. l. 10. c. 1.

Singulare experimentum Cratonis ad solvendam alvum & sedandos dolores colicos est ol. amygd. dulc. cum vino malvatico & ʒß. spermatis ceti.

Plateri potio ad dolorem colicum in principio propinanda ex simili leniente & emolliente procedit; hæc est præscriptio:

℞. Ol. amygdal. dulc. ℥ i ß. Vini malvatic. ℥ß. Sirupi de papav. ℥ß. Misc. F. potio. Vide *Observationes* Plateri. Nam & ol. amygdal. dulcium in jusculo calido propinatum subitò sedat tormina infantum.

In declinatione morbi ubi adhuc hæret pituita viscida ac nitrea commode usurpatur mercur. dulc. qui hanc ipsam potenter abstergit.

Imitandus hac in parte Deodatus qui has præscribere solet pilulas.

℞. Mass. pilul. Cochiar. minor. ℈j. Aquil. albæ dulcis s. Mercur. dulc. gr. xvi. ad xx. ol. anisi gut. ij. Misc. F. pilul. manè deglutiendæ (inepta est compositio possunt assumi aliæ.) Mercur. dulcis est egregium medicamentum; & videbitis *in obs.* River. sæpiùs fieri mentionem Chalomelan Turquenti qui nil aliud est quàm merc. subl. dulc. additis tantùm aliquot granis scammonii in hac proportione v. gr.

℞. Mercur. sublim. dulcis gr. 20. Scammon. gr. x. Fiant cum Mucilagine Tragacanthi. l. a. Pilulæ. Sed hæc obiter. Denique subsequuntur externa, quæ abdomini applicantur ad compescendos dolores colicos iliacos: quæ inter sunt notissima ol. externe inungenda: Ol. aneth. chamomill. rutæ, amygdal. dulcium. Item ol. destill. quæ intus sumuntur, possunt etiam externe applicari.

Oleum laurinum ad ℥ß. cum ℈j. *Castorei* permistum, non est inconveniens umbilico inunctum.

Sacculi & fomenta carminantia sunt nota.

Galbanum præ primis convenit tam in omni colica, quàm imprimis colica convulsiva: unde etiam est egregium Hystericum.

In omni colica in specie convulsiva, in affectibus hystericis applicatur umbilico.

Huc pertinet *Galbanetum* Paracelsi de quo vid. Schrod. quod est elegans & expertissimum in colicâ quâcunque.

Verùm loco hujus etiam ol. Succini umbilico illitum est egregium. Vel *Galbanum* dissolvitur in spirit. vini non adeò dephlegmato, & additur *Castoreum* & ita fit unguentum tenue.

Emplastrum ex gummi Tacamahaca & Caranna est egregium.

Aliàs usitatum etiam est Emplastrum ex baccis lauri Item Emplastrum

De Meliloto cum ol. chamomill. malaxatum; & ita *Stercus suillum* tanquam Emplastrum calidè applicatum laudatur à Rulando.

Cataplasma verò ex stercore equino cum ol. rutaceo experimentum est Joëlis & Amati Lusit.

Paracelsi remedium externum est ol. nuc. moch. & macis cum Zibetho junctum & umbilico inunctum.

Hæc sufficiant de colica, & passionibus colicis. *Michaël Ethmuller. colleg. practici part.* I.

Si excrementa indurata, vel humores crassi, acres, biliosi, fermentantes, agglutinati & pituitosi in causa sunt, per iteratam enematum applicationem, ritè detrahantur.

Ut ℞. Herb. calamenth. rutæ an. m. j. fol. althææ, flor. chamomillæ, summitat. anethi an. M. ß. Bacc. lauri sem. cumini, carui an. ℥ß. lini, fœnugræci an. ʒ iij. coquantur in aqua simplici & colaturæ ℥ xii. adde confect. hamech. ℥ß. ol. anethi, rutacei an. ℥ß. sal. gemmæ ʒj. misc. f. enema. in India.

℞. Herb. calaminth. fol. cinnamom. marrubii, ocymi, rutæ, malv. arboresc. an. M. ß. baccar. cinnamom. sem. anisi Chinensis an. ℥ j. coq. in aqua fol. cinnamom. & colatur. ℥ xiv. adde pulp. cassiæ, sacchar. rubr. an. ℥ ß. sal. commun. nitri an. ʒj. ol. coct. fol. cinnamom. rutæ ana ℥ß. Misc. f. enema.

Purgantia debent esse hujusmodi.

℞. Pulp. prunor. ℥ß. resin. jalapp. gr. xii. crem. tartari gr. v. tinct. succin. ℈ j. ol. aurant. gut. iij. misc. f. bolus.

Vel ℞. Resin. scammon. jalapp. an. gr. vj. mag. succini ℈ j. tartari vitriolati gr. iv. ol. st. myrrhæ gut. iij. Misc. f. pilul. nu. v. vesperi deglutiendæ. Ad dolores simul leniendos.

℞. Resin. jalapp. gr. xii. Mag. succini gr. v. laudan. aromatic. gr. ij. extr. carminativi ʒ ij. Misc. f. bolus.

Vel ℞. Resin. Mechoacann. gr. viii. Extr. agarici ℈ j carminativ. ʒ ij. Tinctur. succin. ℈j. Misc. f. bolus.

Inflammatione causam reddente.

℞. Elect. de succo Rosar. ℥ j. Pulp. Tamarind. ℥ß. Tartari vitriolati nostr. ʒß. salis essent. tartari gr. x. misc. f. conditum.

In India. ℞. Pulp. Tamarindor. Cassiæ Prunor. an. ℥ß. Res. Turbith. gr. xii. salis cinnamom. ℈ß. ol. st. fol. cinnamom. gut. iij. Misc. f. bolus.

Vel ℞. Pulp. Cassiæ ℥ß. Extr. sennæ ʒj. Resin. Turbith. gr. viii. sal. Cinnamom. ℈ ß. ol. cinnamom. gut. ij. Misc. f. Bolus.

Carminativa anodyna & effervescentiam corrigentia medicamenta sint talia.

℞. Extr. Carminativi ʒ ij. Tinct. succin. ℈ j. Aq. carminativæ ℥ ij. Misc.

Vel ℞. Aq. Carminativæ ℥ ij. extr. laudani aromat. gr. 3. Tinct. Tartari, succini an. gut. xv. Misce.

℞. Extr. Carminativi ʒ ij. Tinct. Tartari, succini an. ℈ j. spir. tartari ʒß. Aq. carminativ. ℥ ij. Misc.

Vel ℞. Spir. Carminativ. ʒ ij. Nitri, tartari an. ʒß. Tinctur. succini, Cinnamom. Castor. an. ℈ j. Aqu. aurant. ℥ iij. Misc. detur cochleatim.

In India ℞. Pulv. Carminativi ex fol. cinnam. ʒj. Aq. fol. cinnamom. ℥ ij. Misc. pro una dosi.

Vel ℞. Pulv. Carminativ. ex fol. cinnam. ʒ i ß. Extr. opii tartarisati gr. v. Aq. Carminativæ ℥ ij. Misc. detur cochleatim.

Sudorifera, quæ discutiant flatus, & acres hu-

humores expurgant ac rarefaciunt, ut per sudorem ac urinam eo facilius egrediantur, sunt sequentia.

℞. Rob. sambuci juniperi an. ʒj. Antim. diaphoretic. ℈j. spir. tart. sassafrati gut. xx. Carminativi ʒß. Aq. menth. fœniculi an. ℥j. Misc. f. potio.

Vel ℞. Rob. sambuci ʒij. spir. tartari, Tinct. sulph. Antim. an. ℈j. Antim. Diaphoretic. gr. xv. ocul. Cancr. ℈j. Aq. carminativ. ℥ij. Misc. f. potio.

Seu ℞. Spir. sal. Ammon. Theriacal. succinat. an. gut. xii. tartari gut. x. Antim. diaphoretic. gr. xv. salis ocul. cancr. ℈ß. Rob. juniperi ʒij. Aq. fœnicul. aurantior. an. ℥j. Misc. f. sudoriferum.

In India. ℞. Spir. sal. ammon. aromatic. lign. Ebeni an. ℈j. Essent. lign. colubrin. ℈ß. salis volat. oleos. Rad. Cinnam. sylv. gr. v. Aq. Carminativ. ℥ij. Misc. f. sudoriferum.

Vel ℞. Extr. Alexipharmac. ʒij. spir. lign. Ebeni ʒj. Aq. rad. Cinnamom. sylv. ℥ij. Misc. f. sudoriferum.

Scorbuto una affligente, specifica antiscorbutica admisceantur.

Colicam, quæ adjuncto spasmo, Indiæ incolas torquet, & curata paralysin relinquit, primo libro explicui. Quasdam igitur observationes tantùm hoc loco enarrabo.

De gangræna verò & contractione intestinorum, alii authores videri possunt. *Herm. Nic. Grimm. Compend. Medic. lib. 3.*

Consultationes.

Pro Reverenda Vestali Dolore Colico detenta.

Tametsi dolores, qui fiunt in abdomine varii sint, nihilominus præcipui, ac frequentes sunt stomaticus, intestinalis, nephriticus, & uterinus in mulieribus, quorum aliqui usque adeò difficulter distinguuntur, ut gravissimi viri immò ipsemet Galenus decepti fuerint, nihilominus ego diligenter animadvertens quæ de dolore Reverendæ vestalis scribuntur coactus sum affirmare, ipsum ad intestina tantùm, & inter ipsa solum ad colum attinere, & hoc mihi ipsi ex doloris positu suadeo, nam præcipuè regionem intestini hujus occupat, quia cum intestinum colum à dextris ad fundum ventriculi ascendat & à fundo ventriculi per sinistram abdominis partem usque ad inguen descendat, dolorque præcipuè hanc partem affligat, procul dubio intestini coli est dolor, accedit & in hujus confirmationem alui adstrictio. Verum dolorem non esse totius intestini, sed partis superioris ventriculo hærentis, necnon proximæ infra costas nothas & circa lumbos satis per se constat; quod verò ventriculus non doleat absentia nauseæ, ac vomitus, & utilitas quam ex clysteriorum usu percipit suadent, quod pariter urinæ instrumenta non doleant absentia symptomatum in exitu urinæ, & urinæ omnino à quocumque præter naturam contento immunes demonstrant, tandem uterum intactum esse illud sufficiat argumentum, quod dolor ne minimam quidem particulam regionis illius attingat; dolor autem hic secundum speciem est gravativus cum tensione perenni saltem secundum fundum ventriculi aliquando remissus, & mitis, aliquando intensus, & acerbus, semper locum determinatum occupans, & velut nxus, tametsi etiam vagus fiat quà per varias loci illius partes discurrit, ut modo unam magis, modo alteram affligat.

Cujus doloris generatio est ex objecto improportionato organo tactus, quod illius symmetriam corrumpens sensum præter naturam, atque dolorem infert, & hoc objectum est tum commune, tum proprium, commune est solutio unitatis facta à materia pituitosa, quia dolor est gravans, excreta per alvum sunt succo hoc referta, urinæ crudæ excernuntur, dolor præcipuè ab usu alimentorum pituitosorum intenditur, à calidis juvatur, ac cerebrum, & ventriculus, quæ sunt pituitæ officinæ frigidiora existunt, verum unitatis solutio non fit ab hac materia immediatè, sed ubi in halitus fuerit resoluta tunc enim partium fit distensio, & aucto halitu, illa quoque augetur, hinc dolor aliquando mitis, aliquando acerbus, imò verò & discurrens per locum laborantem affligit, ut non sit mirum etiam, si dolor sit tensivus, ac à flatuum excretione usu carminantium & calorificorum imminuatur. Cæterum cum materia hæc modò in cavitate intestini, modo impacta, modo inter tunicam, & tunicam sit, contumacia doloris, ejusque perseverantia, (nam à tribus annis vexat Reverendam hanc virginem) materiam morbificam esse & impactam, & forsan etiam inter tunicam, ac tunicam, docet; Hujus autem materiæ principia generantia sunt intemperies cerebri, & ventriculi frigida, ac alimenta pituitosa, ut ex dictis liquet, ab illis verò visceribus materia pituitosa genita protruditur ad intestina sua natura excrementa quæcunque recipientia, præcipuè verò ad colum, uti magis capax, ibique à calore alioqui imbecillo in flatum resolvitur, & meritò hujus facta veluti suspensione fœcum, meritò verò pituitæ quadam invisccatione inducta, ac acrimonia bilis expulsioni inservientis remissa alvus adstringitur, & hæc de objecto improportionato communi, est & proprium, nempe intemperies frigida intestini coli cum præsentia materiæ pituitosæ, tum aliunde transmissæ, tum ibidem ob errorem facultatis alteratricis collectæ, meritò cujus intemperiei facultate expultrice libefactata facilè etiam alvus supprimi potest.

Ut autem dolor, ac cætera mala tollantur, Medicus in id incumbat oportet, ut halitus dissipet, quicquid impactum discutiat; quod fluit retrahat, quod fluxurum inhibeat per calorifica generationem pituitæ submoventia, tandemque intestini calorem vivificet, roboretque, ac intemperiem e usdem calorificis deleat, prius tamen toti consulat, ut autem dolor quando induit rationem causæ ac urgentis demulciatur, mitigeturque Medicus totum animum anodynis, imò & amuletis adjicere debet.

Verùm tamen ubique difficultatem inveniet, quoniam ei agendum contra morbum in habitu, & causas valde reluctantes, & rebelles; & materia pituitosa extra locum affectum per alvum esset educenda, cum tamen locus affectus purgationem prohibeat, accedit quod causa prædictæ

dictæ habent localem generationem in visceribus præcipuis, jecore inquam, ac ventriculo, læduntque partes, quæ viscera illa per modum circuli afficiunt, nam intestina ventriculo facilè suas affectiones communicant, ut sæpè non difficultas, sed periculum etiam suboriatur, & mala tolerantia accedat.

Quæ ne eveniant Medicus curans cito præstò esse debet materiis Medicis, inter chirurgicas ergo quæ sanguinis evacuationi destinata est, non videtur ex usu, nisi in maxima doloris sævitie; nam quia tunc imminet sanguinis attractus, ideò ad hoc periculum avertendum sectio venæ, vel saltem ejus vicariæ cucurbitulæ scarificatæ conveniunt, sectio quidem venæ tali sinistri, & cucurbitulæ partibus infernis adhibitæ, pro flatuum discussione magna cucurbitula cum multa flamma applicita loco dolenti est opportuna, sicuti & cauterium in utroque femore, præcipuè verò sinistro; secundum partem domesticam, imò in abdominis nollitudine supra partem dolentem inustum, maximè est consentaneum, nec desunt qui in parte dolenti non cauterium tantum simplex, sed duplicatum, setaceum dictum excitant.

Medicamentum ad materiam, ad dolorem, & ad viscera refero, quæ ad materiam, duplicem habent coordinationem nam vel flatus, vel mineram respiciunt, si flatus, per os præter aquam stillatitiam cinamomi, ac Angelicæ odoratæ, præter oleum distillatum ex feminibus odoratis, atque aromatibus, & electuarium Rasis ex baccis lauri, laudo jus galli antiqui, vel columbi sylvestris cum flatus discutientibus paratum; per injecta in anum ultra clysteres carminantes usitatos, probo qui cum oleo de cherua tantopere à Mesue commendato, & succo, vel decocto rutæ ab Avicenna celebrato, conficiuntur, qui magis proderunt si electuarium vel de baccis lauri, vel Justinum immisceatur. Tandem per ea quæ exterius, inter quæ assiduam loci dolentis irrigationem cum aqua ardenti & succo rutæ, vel elixire vitæ, & fotum per vesicam bubulam oleo de cherua, vel rutacco completo refertam, vel cum patera cineribus calidis repleta, prius injectis seminibus odoratis, deindè vino Cretico superasperso, ac tandem panno lineo superdato, & illinitionem cum oleis ex seminibus odoratis; & rutæ ebullito, vel ex quinque partibus olei anethini, una castorei; omnibus præfero.

Quod si medicamenta mineram respiciant, sunt concoquentia, & evacuantia, in genere concoquentium jus columbi medicatum cum origano orientali, betonica, capillo veneris, cicorio; boragine & melissa, adjecto oxymellite composito, imo vero & hyera simplex cum minori dosi aloës, & diacalaminta mirè conveniunt. Evacuantia si sensibiliter agant, & sint lenientia non recedendum ab usu hyeræ cum majori dosi aloës, & aquæ tettuccianæ cum melle rosato solutivo datæ, ac intervallis quibusdam repetitæ; si vero purgantia sint, abstinendum ab iis quæ vomitum cient, nam vomitus in colica cum alui suppressione non est tutus, quia aliquando ad fœcum vomitum perducit, præterea si cacochimia in toto subsit, ab omnibus purgantibus abstinendum, priusquam materia concoquatur: quocirca ubi purgantia erunt usurpanda, mihi probantur quæ valenter purgant, & bilem ad intestina perducunt, ut magis expultrix excitetur, ac tandem, ut materia non ascendat sed descendat referta sint adstringentibus, ideò præter diaturbit Montagnanæ, diacarthamum Nic. Florentini, diacydonium factum ex dimidia libra conservæ cydoniorum drag. ij. turbit. electi, & drag. ſ. diagridii ab unc. I. ad drag. vi. vel unc. j. datum mihi arridet, nec contra usum horum purgantium illud obstat; nempè non trahendos esse humores ad locum affectum, nam licet hoc facere ad evitandum majus malum; cum igitur in nostro casu impendeat fœcum vomitus, ideo licet uti medicamentis ad intestina attrahentibus, in quem usum præter jam dicta clysteres acres sæpius injecti plurimum prodesse solent.

Medicamenta insensibiliter evacuantia maximè hic conveniunt, quoniam materia est impacta, ideo decoctum columbi turrialis, vel galli antiqui cum guajaco, vel sassafras, china, tartaro albo, cartamo, & similibus paratum; extracta guajaci, & sassafras, trocsicos viperinos, utramque antidotum magnam antiquam nullo modo damno; sed præter hæc habeo ego & alia: Primum est acetum scyllinum infusionis cardui benedicti destillatum, & cum syrupo de corticibus citri simplici datum, alterum est Galeni quod fit ex drag. j. cornu cervi usti, gran. ij. piperis albi, & totidem myrrhæ cum vino exhibitis, vel cum oxymell. simpl. in bolum redactis, tertium est sal aliquod chymicum, inter alia autem salis genera laudo quod ex hisce plantis, nempè parietaria, absynthio, verbasco, pimpinella, levistico, & camomilla conficitur, & eo magis si ex aqua arantiorum detur, quartum est oleum calcanti cum vino. Verùm & per ea quæ alio subducuntur licet materiam discutere, ideo clysteres ex decocto fullorum aliorum, & brassicæ in vino odorato vel aqua salita naturali, vel artificiali coctorum, & oleo irino aut laurino cum nitro, vel ex urina humana, sapa, oleo rutaceo, & fermento acri in lixivio dissoluto in hunc usum parari poterunt. Tandem & per topica idem peragere licet, quapropter oleum ex croco, & de piperibus Mes. Raffanium Tralliani, ceratum diachilon magnum cum gummis & portione sacri, vel diapyrites, insessus ex aqua naturali sulphurea salsa, & nitrosa cocta cum emollientibus ac resolventibus, embroca ex eadem aqua vel oleo communi cum vino Cretico, & baccis juniperi, ac lauri ebullito in duplici vase, cataplasma ex foliis tabaci in oleo amygdalarum amararum coctis, & cum melle exceptis, tandemque synapismus huc referenda sunt.

A quorum omnium usu habenda est consideratio medicamentorum quæ viscera attemperant, pro uentriculo igitur, ac intestinis thermæ porrectanæ novæ bibitæ, & per modum embrocæ (quo nomine & Tettuccianæ optimæ censentur) adhibitæ, ea tamen ratione ut ab embroca ceratum masticinum cum extracto nucis muscatæ, vel balsamo naturali alteratum apponatur, sunt præstantissimæ, tametsi plura ex dictis sint, quæ ad hoc opus conducunt. Pro cerebro assumat hora somni conservas cæphalicas cum Mithridatio, curetque sibi caput

ablui lixivio decoctionis plantarum cephalicarum adhibito agarico loco saponis.

Tandem ad dolorem ubi insævierit, convertenda est curatio per materias remedii anodyni, quo circa intus oleum amygdalarum dulcium, & amararum, vel nucleorum persicorum adjecto pulvere mechiocani, vel melle rosato solutivo non semel, sed pluries datum omnibus, excepta theriaca est præferendum, nam & theriacam, non tamen antiquam summoperè probo, extra verò insessus ex oleo communi, sacculus ex avena torrefacta, item & venter anatis vivæ ventri adhibitus plurimum valet, sicuti & pedum in aqua ferventissima longa detentio, ac stillicidia ex oleis anodynis. Et ut de Amuletis etiam aliquid dicam, corrigia ex dorso lupi cincta, talus leporis ventri alligatus, & coagulum catuli ex vino sumptum conferre solent.

Victus calefaciens, siccans, & attenuans moderatè convenit, ideò carnes facilis coctionis & nullius ferè excrementi concedantur conditæ aromatibus, rore marino, salvia, petroselino, imò allium à Gale. duodecimo Meth. ultimo laudatur, sicuti & Trallianus porra laudat, amygdalatum quoque, & ptysana cum melle, ac pipere minimè inopportuna sunt, nec intinctus, qui cum synapi, nec aliquo sale condita, uti cappares, olivæ, aleces, & aliqui alii pisces minimè duræ, & crassæ substantiæ sunt interdicenda; hinc pisces aliqui friabiliores tamen ex mare capti non sunt denegandi, dummodò potius assi, quàm elixi offerantur. Vinum potius generosum ex Galeno, & Tralliano concedatur quod si antosatum vel enulatum, vel guaiacinum eligatur, magis placebit; pro alvo irritanda sæpè utatur aloë succotrina ad scrup. j. & in principio mensæ comedat panem ex tota farina cum sale, anisis, & passulis paratum, aliquandoque bibat vinum sena medicatum; reliqua ad victus rationem attinentia ad proportionem respondeant. Interim autem Deum Optimum maximum præcor, ut hæc omnia in salutem Reverendæ Virginis cedant. *Jul. Cæs. Claudin. Consultat. libro.*

Vir quadragenarius, gracilis, venosus, cui antehac statutis temporibus hæmorrhoides fluebant, antè annum conqueri cœpit de dolore in medio ventre inferiore, ad dextram partem vergente, cum vomitu, alvique suppressione: cui peindè successit febris cum urinis coloratis, quæ antea erant aquosæ, & excretione materiæ purulentæ per alvum, & quandoque per urinam.

Dolorem itaque illum, qui horam circiter à cibo patientem nostrum excruciat, colicum esse ex sitû facilè colligi potest, & aliis annexis symptomatibus. Refert enim se dolore torqueri in medio ventre inferiori, parum suprà umbilicum, ad dextrum usque latus propè lumbos, tum vomitum succedere, alvum supprimi, & clysterum beneficio excerni compactas feces bubularum instar: quæ nonnisi colicæ passionis indicia esse possunt, in qua vomitus excitatur propter consensum cum ventriculo, per tunicam quam habent communem à peritonæo: supprimitur verò alvus, propter immodicam intestini coli extensionem cujus ratione prohibetur constrictio fibrarum ipsius transversarum.

Nec est difficile conjectare à qua materia colicus dolor excitetur. Nam qualitas doloris, & tempus durationis palam faciunt ipsum fieri à flatibus, cùm sit extensivus, & horam tantum, vel duas duret; flatus autem hi elevantur à materia pituitosâ crassa, viscida, & copiosa in eodem intestino colo sensim & sensim collecta; quâ de causa continue pondus in illa parte & frigiditas molesta sunt. Coäcervatur verò eadem non magis per generationem, quàm per receptionem à ventriculo imperfectè cibos concoquente, propter intemperiem frigidam, & humidam ipsius, cujus indicium est oblectatio illa ex frigidorum & humidorum usû tempore sanitatis, sputum ferè continuum, & languidus cibi & potûs appetitus. Hinc fit, quod urgente dolore evomit non solùm cibum assumptum, sed etiam multam pituitam crassam & viscidam, urinasque albas, crudas & tenues excernit, cruditatis indicia, non tantum in primis viis, sed etiam in venoso genere. Neque mirum quod dolor exacerbetur magis à cibo, tunc enim & cibi calor, & naturalis ad interna recurrens, agensque in materiam pituitosam, multam inde flatuum copiam suscitat, qui postea insigniter extendentes intestinum, dolorem excitant; Passioni autem frigidæ calida & inflammatoria successit. Verùm in qua parte, & quomodo per alvum, & urinam se prodat, acriori eget investigatione. Hic enim est affectus princeps de quo conqueritur & qui ad se potissimum curationem trahit. Nam quòd inflammatio præcesserit, indè colligitur, quod 20. diebus à doloris paroxysmo, urinæ coloratiores redditæ sunt, & feces duriores, quòd successerit sitis, febris continua cum obscuris exacerbationibus, ac tandem apparuerit excretio puris, quod nunquam fit, nisi ab ulcere, vel abscessû. Ulceris verò nulla suspicio, quia nulla præcessit excretio cruenta ulceris incipientis indicium: Abscessus autem supponit inflammationem, de qua dubium in qua parte sedem habuerit, ut ex illo subortum sit ulcus. Dicit enim Hippocrat. 4. Aphor. 75. quòd si *quis sanguinem aut pus meiat, renum aut vesicæ exulcerationem significat.* Verùm nullum est ulcus in renibus, quia nullus ibi dolor: *ubi autem dolor, ibi morbus.* Neque in vesica, quia vesicæ inflammationem subsecuta esset urinæ suppressio, dolor acutissimus, & excretio puris per urinam, non per alvum; fuerit ergò in aliquâ parte ventris inferioris, circa umbilicum scilicet: Ibi enim dolor, & gravitat, quæ invalescunt, dum validius comprimitur pars affecta. Hæc autem alia esse non potest, quàm pancreas, vel mesenterium, quod cùm sit receptaculum sanguinis crassioris, & melancholici, illius potissimùm qui per internas hæmorrhoides solet expurgari, non difficili negotio in patiente nostro potuit inflammari ex continua calidorum applicatione: suppressis præsertim hæmorroidibus per quas expurgabatur hic sanguis statutis temporibus, qui multâ copiâ generatur ob temperamentum jecoris, & totius calidum, & siccum. Est enim gracilis & venosus,

atque

atque ætate consistente 40. annorum: quem posteà per abscessum disruptum expurgari posse per alvum planum est, cùm venæ plurimæ per mesenterium sparsæ, meseraicæ dictæ inserantur in intestina, in quæ hanc materiam evomere possunt. Quod contigisse memini puero illi nobili, qui sex ab hinc mensibus patitur abscessum, & excernit per alvum purulentam materiam modò sinceram, modò fecibus permixtam, majori aliquando vel minori copiâ. Cujus excretionis meminit Fernelius 6. Pathol. 7. Benivenius de abditis morborum causis cap. 33. Dodoneus, & Petrus Forestus lib. 21. Observat. primâ. Neque est difficile determinare cur per urinas excreta sit materia purulenta. Ab eodem enim trunco arteriæ magnæ descendentis emanant propagines ad mesenterium, omentum, & intestina, à quo oriuntur rami ad renes diffusi, arteriæ scilicet emulgentes. Quâ ratione empyema thoracis per arteriam venosam, cor, & arterias emulgentes expurgatur per urinam, teste Galen. licet rarissimè contingat, quia brevior per alvum via est. Verùm cum adest multa materiæ copia, utique non repugnat, ut in casû præsenti: Ideò nunc excernitur materia hæc per alvum, & urinam: quanquam per urinam etiam excerni possit à ramis venæ portæ ad jecur transmissa, & ab ipso ad venas emulgentes: quod tamen rarissimè fit, cùm plurimùm hæc materia per alvum expurgari soleat. Et hæc de essentia & causis horum affectuum.

Qui sane sunt gravissimi, & difficillimæ curationis ob durationem ipsorum, & indicationes contrarias. Habitus enim corporis refrigerantia exigit, dolor verò colicus calefacientia.

Pro horum autem curatione quatuor sunt agenda; detergenda est sanies in mesenterio, & intestinis conclusa; discutiendi flatus, consolidandum ulcus, & contemperanda intemperies frigida ventriculi, & intestinorum per calefacientia, præmissâ primarum viarum expiatione. Quæ præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæreticis.

Inter chirurgica præmittenda est venæ sectio ratione totius, aperiendæ venæ hæmorrhoidales ratione evacuationis suppressæ; inurendus fonticulus dextro interno femori ratione diversionis; & applicanda magna cucurbitula cum multa flamma, quæ instar incantamenti est in discutiendis flatibus ex Galeno.

In Pharmaceuticis præmittenda sunt universalia præparantia, & purgantia, Viro Doctiss. experientiâ probata; atque in iis primas sibi vindicat. Hiera picra Gal. & Rhab. cùm in substantia, cum passulis, tum in infusione cum mell. ros. sol. mox exhibenda aqua Tettutiana quatriduum ad lib. 4. quâlibet vice, cum cremore tartari, vel melle ros. sol. pro detersione ventriculi, intestinorum, & ulceris: in quem usum ex usû erit *mulsa, cum lupinis & siliquis fabarum*, addita *emuls. sem. citri* ratione flatuum, à quibus deveniendum est ad potiones vulnerarias à Paræo descriptas in magna Chirurgia, non omisâ decoctione *sem. fœniculi, cymini, anisi* ad discutiendos flatus. In quam rem præsenti remedio erunt *aquæ Themales Aponitanæ*: ex quibus fieri etiam poterit stillicidium ventriculo, & toti ventri inferiori, munitis dictis partibus *lana succida imbuta oleo rutaceo & laurino* ex quibus oleis frequentes parabuntur clysteres; atque inopia *aquæ Aponitanæ*, stillicidium ex illis fiet.

Addita congruâ victus ratione in rebus omnibus non naturalibus viro doctissimo apprimè notis. *Benedict. Sylvat. Consil. & respons. Medic. Cent. 3.*

Sævissimi dolores per vices excruciantes Illustriss. Comitem in ventre inferiori, cum tensione ventriculi, & hypochondrii dextri, siti, & oris amaritudine, à vomitu frequenter cessantes, & aliquando suborta icteritia remittentes, ut & erumpentibus superiùs & inferiùs flatibus, ut habetur ex historia, excitari quidem possunt in ventriculo, prout à Viro Excell. statutum video, tanquam parte exquisiti sensûs; & intemperie admodùm frigida donatæ, cujus ratione fieri potest corruptio ad acidum, non rarò in ructibus observata. Non abs re tamen dolorem hunc colicum pronuntiaverim, non eo solùm nomine, quòd dolor præsens sit in parte dextra, quæ sola est doloris colici sedes, ex Ludovico Mercato: sed potissimùm, quoniam fit insignis extensio dextri hypochondrii, quæ utique se proderet magis in hypochondrio sinistro, si ventriculus esset pars affecta, ratione fundi ipsius ad sinistra vergentis. Accedit, quòd non rarò suboritur icteritia, succeditque flatuum eruptio superiùs & inferius, atque vomitus superveniens constat materia pituitosa & biliosa, quæ & per alvum dejicitur. Quæ sanè licet doloris ventriculi indicia esse possint, faciliùs tamen consequuntur dolorem intestini coli, in illa parte affecti, ubi desinunt intestina tenuia, & incipiunt crassa, colon in primis, cujus ortus est in hypogastrio dextro, undè sub fundum ventriculi ad sinistram partem diffunditur.

AFFECTIONIS verò ejus causa est, cùm pituita à ventriculo, tum bilis copia à jecore transmissæ, non sine aliqua portione atræ bilis acris valdè, & mordacis, quandoquidem observamus jecur in Illustr. patiente præcalidum. Quod me quoque judice, primas partes obtinet ad producendum affectum præsentem. Quare statuendum est, dolorem hunc provenire ab heterogenea materia, ex qua dum elevantur flatus, distenditur non solùm intestinum Colon, sed etiam duodenum, ex cujus extensione occluditur orificium pori fellei, hincque bilis regurgitatio in jecur, & effusio in totum corpus, tunc potissimùm evanescens, quando Pharmacorum ope evacuetur materia in intestinis contenta; quod sæpiùs in doloribus colicis accidisse observavi. Neque objiciat quis Aphoristicam Hip. Sententiam 5. Aph. 71. *Auriginosi seu icterici non admodùm ventosi.* Gal. item in com. qui addit, flatus ex pituitosa materia generari; cùm præsertim flatulenti à pituitoso & frigido humore, auriginosis sint contrarii, ut potè biliosis. Auriginosi enim fiunt vel ex copia bilis in jecore genitæ, ab ipsius fervore, vel ex angustia pori fellei ipsam transmittentis ad intestina. Si fiunt auriginosi ex bilis copia, non possunt esse ventosi ex pituitæ copia in flatus facessente: verùm si icteritia fiat ex sola meatûs fellei angustia, quæ potissimùm consequitur extensionem intestini duodeni, ut in casu nostro, auriginosi fuerint etiam ventosi: Censuerim

rim tamen dolorem hunc potissimùm fieri à materia acri, & ea quidem cùm biliosa, tum atrabilari in jecore fervido genita, non secùs ac dolor colicus in eodem ægro causam habuit immodicum *Scammonii* usum, quo notho quidem cùm aliquot dies laboraverit, periodicus factus est: quod alteri quadragenariæ contingit ex acri materia intestinis infarcta, fitque æstate potissimùm ob ambitientis caliditatem, ex Gal. 12. Methodi medendi. Quinimò aliquando colicam Epidemicam hinc ortum habuisse refert Paulus Ægineta Lib. 3. de Re Med. Cap. 43. cùm dixit hanc colicam à temerario quodam Italo refrigerantibus medicamentis sanatam fuisse. Quibus suppositis tanquam verissimis, mirum non est, quòd dolores hi sint acutissimi, quibus nonnunquam accedant animi deliquium, dejectiones item biliosæ, & quòd ab immodicè calefacientibus noxam capiat, juvamentum è contrario Comes Illustriss. ab epicerasticis ipsi à Viro præclarissimo præscriptis, *Oleo scil. Amygd. dulcium.* Et hæc de essentia & causis hujus affectûs.

Qui quidem est gravissimus, & quem aliquando in paralysin facessere asseruerunt Græci, Paulus in primis, nosque non semel experientia comperimus. Quinimò in arthritidem aliquando desinit ex Hipp. 4. in 6. Epid. 3. his prope verbis, *cui intestinum in dextra parte, arthriticus factus est & quietior fuit: post curationem dolore magis fatigatus est.* Hoc autem duplicem ob causam provenire posse addit Gal. in Com. aut quia dolor major minorem obscurat: vel quia fiat metastasis, & transmissio materiæ de loco ad locum, ab intestino scil. ad articulos, & ab his ad colon.

Utcunque tamen, insistendum est Medicis præsidiis humorem in intestino hærentem evacuantibus, quà copia peccat, quà verò qualitate, contemperantibus, & epicerasticis, prohibenda est fluxio divertentibus humorem fluentem, & subastringentibus vias, per quas fluit: ac tertiò prohibenda est prædicti humoris generatio jecoris fervorem contemperantibus, præmissâ primarum viarum expiatione. Idque remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgica quod spectat, sedato dolore epicerasticis, sanguis est educendus ex jecoraria dextri brachii, & per vices educendus ad libram circiter. Fonticuli quinetiam utrique interno femori, pro majori revulsione sunt inurendi.

Pharmaceutica universalia lenientia sint fl. cassiæ recens extractæ cum el. lenit. & pulpa tamar. vel syr. rof. cum decoct. pulpæ tamar. vel elect. de sebesten sine scammonio. Præparentur aquis cichorii borrag. hepaticæ, & plantaginis; omissis mellitis, & saccharatis, nè bilescant. Purgentur rhab. & agar. incisis, addito syr. rof. sol. Interim clysteres carminativi præscribentur ad discutiendos flatus, & epicerastica medicamenta, ad demulcendum dolorem, atque in primis oleum amygd. dul. extractum sine igne. Peractâ hâc evacuatione, & mitigatô dolore, duo genera remediorum erunt peropportuna: Primò serum lactis caprini, modò dejectorium cum cremore tartari, modò diureticum, cum syrup. capill. ven. Secundò aquæ Thermales frigidæ; quales erunt B. V. in agro nostro; vel *Villenses* in agro Lucensi, vel etiam *Ficoncellæ* in agro Senensi. Calderianæ namque agri Veronensis impensiùs refrigerant quàm par sit, ratione ventriculi. Pro cujus corroboratione, & subadstrictione emplastrum de crusta panis præsens erit remedium, atque fomentum cum spongia insuccata vino rubro austero, cui incocta fuerint, mentha, absinthium, rosmarinus, rosæ, & balaustia. Tandemque fluxione non cessante, nec dolore remittente, ad opiata deveniendum erit, *Theriacam* nempè recentem & pil. de cynoglossa.

Victu pariter refrigerante, & subastringente præscripto, familiari usû diacydonii sine aromatibus. *Benedict. Sylvat. consil. & respons. Medic. Cent.* 3.

Ex illis quæ diligentissimè & distinctissimè enarrata sunt à Viro per Illustri & Excellentissimo, compertissimum redditur, generosum patientem quinquagenarium dolore colico detineri cum febre, & vigiliis fere continuis; atque dolorem hunc dependere cùm à flatibus crassis ex materia pituitosa elevatis, copiâ genita propter errores in victu, & aliquam imbecillitatem ventriculi catarrhique à capite descensum; cujus magnam copiam excretam vidit vir præclarissimus; tum, & forte magis ab humore bilioso in jecore fervido genito. Dolor enim acutus per vices molestus, febris assidua, vigiliæ, sitis id manifestissime confirmant. Quam ob causam refractarius, & valde molestus est affectus. Humor enim calidus agens in materiam crassam, & viscidam, ab ipsa jugiter flatus & vapores elevat, qui distendentes hypochondrium, dolorem pertinaciorem reddunt: ut propterea statuere possimus dolorem hunc colicum esse ex illis, qui ab Alexandro Tralliano propositi fuerunt, dependentes à materia biliosa, quos proposuit & Galenus. Febris pariter, me quoque judice, ab hujusmodi materia in venis meseraicis conclusa, & putrescente dependet. Quare non sine ratione de agendis consulitur, cùm hujusmodi dolores non raro in paralysim degenerare soleant, prout à Paulo Ægineta proditum. Quos & ego sæpius observavi.

Agendum igitur & insistendum quidem est attenuantibus, & detergentibus, ratione humoris pituitosi, magis tamen refrigerantibus, & humectantibus, cum habeamus ex eodem Ægineta, illos tantùm evasisse, qui à temerario quodam Italo refrigerantibus & humectantibus fuerunt curati.

Quare repetitis lenientibus ex flore cassiæ, cum speciebus hieræ picræ; vel syr. rof. cum tamarindis superbibito sero caprino, evacuandi sunt humores, prius tamen præparati syr. acetos. simplici, & de acetositate citri, cum jusculo alterato cichoraceis, & seminibus citri. Purgentur modica infusione rhabarbari; administratis interim clysteribus, modo detersoriis ex melle rof. sol. cum decoctione mercurialis, betæ, furfurum, & florum chamæmeli, modo & frequentius epicerasticis, puta paratis ex lacte, & saccharo rubro, vel aliquando ex cremore hordei, lacte, & oleo chamæmelino, supersedendo à quibuscunq; adstringentibus, in augmento febris serum caprinum cum emulsione seminum melonum, præmisâ maceratione comæ absinthii exhibebitur ad unc. viij. circiter.

omen-

omentum castrati imbutum oleo violato, & chamæmelino erit ex usu. Magna item cucurbita cum flamma apposita est instar incantamenti, ex Gal. perseverante febre, sanguinis eductio ex venis sedalibus mihi probatur. Supersedendum verò vesicantibus, propter vigilias quarum causa laudanum tuto exhiberi poterit, conferet enim ratione doloris, prout etiam Theriaca recens. Quibus respondeat congrua victus ratio. *Benedict. Sylvat. Consil. & respons. Medic. Cent. 3.*

Dolor ille perforans veluti, quo referunt frequenter torqueri admodùm reuerendam Vestalem in dextra parte abdominis, infra costas mendosas, quanquam censeri possit, non nimis colicus, quam nephriticus, cùm in eadem regione contingere possit renibus male affectis; ut propterea Galenus ipse crediderit se nephritide laborare, dolore perforante excruciatus, cum tamen divexaretur colica, ut refert secundo de locis Affect. 5. Viro tamen clarissimo, & de re medica benè merito accesserim lubens, dolorem nobilis Vestalis colicum esse scribentis, cum præsertim in historia referatur, dolorem percipi non in regione, sed supra regionem dextri renis, in qua parte adnectitur intestinum colon ipsis lumbis. Neque urinarum color albus, & splendor negotium facessent: quia tales etiam conspiciuntur incolica passione. Quod si dolor occupet ampliorem locum, si juvatur à clysterum usu, feces supprimuntur, succedit vomitus, neque desunt & alia colicæ indicia, quæ prætermittuntur, nos tamen de parte affecta certiores reddunt, pronuntiabimus affectum propositum esse colicum.

Qui quidem licet plures agnoscat causas, plurimum tamen provenit à materia frigida, & humida, vel vaporosa, vel ab utraq; ut in præsenti casu siquidem existimamus principem causam hujus doloris esse pituitâ vitream; minus principem esse flatus, vel vapores crassos, quia a vaporibus & flatibus fiunt extensivi dolores, à pituita verò vitrea perforantes, quales sunt religiosissimæ Virginis sacræ; quibus & Galenus ipse conflictatus est, atque liberatus per excretionem humoris vitrei, ex eodem loco citato. Erit igitur affectus hujus patientis tristis sensus intestini coli, dependens a copia pituitæ vitreæ, non sine aliquâ flatuum copia. Neque est difficile reddere rationem, cur flatus ibi colligantur copiosi. Elevantur enim ab humore crudo, & pituitoso in intestinis diutius coacervato, cùm genito ex vitiata coctione; ob labefactatam ipsorum intemperiem à præsentia humoris frigidi, qui eò confluxerit, tum ab aliis partibus transmisso, frigida & humida intemperie affectis, quâ totum corpus laborat à naturæ primordiis, cerebro, & ventriculo non exceptis, adaucta quinetiam ab imminuto calore ætatis decursû, ut ex signis in historia propositis colligere est. Quod si jecoris vasa sint obstructa, refert Vir clarissimus observari duritiem aliquam in dextro hypochondrio, patebit magis causa copiosæ collectionis humorum crudorum in intestinis. Cùm enim à jecore per porum felleum transmittatur bilis ad intestina, ad sollicitandam ipsorum expultricem, contigit, ut propter obstructiones ipsa non transmittatur; quæ etiam pauca copia gignitur, ob jecoris intemperiem frigidam, ut hoc nomine torpeat veluti intestinorum expultrix; cujus ratione sensim & sensim multa pituitæ vitreæ, & alterius generis copia colligitur in ipsis, quæ postea dolores infert frequentissimos. Bilis siquidem non impedit sanguinis distributionem per universum corpus, quia hæc fit à facultate naturali expultrice venarum, & substantiæ jecoris, concurrente etiam attractrice aliarum partium alimento carentium, atque serosa humiditate attenuante sanguinem jam genitum; quo facilius subiens tenuia vasa, possit pervadere omnes corporis partes; sed solum expultricis intestinorum muneri officit: quâ ratione, qui obstructum habent porum felleum, doloribus colicis sunt maximè opportuni.

Quibus sic constitutis de essentia & causis horum affectuum non est difficile colligere curationis hujus difficultatem, cùm quia intemperies naturales jam confirmatæ ad 43. usque annum sunt fere insuperabiles, frigida præsertim ventriculi partis scilicet exanguis, & membranosæ, semper frigidæ, qua propterea difficillime incalescit, tum etiam quia ætas declivis corpus reddit frigidius. Sicut enim in juventute conservatur calor, etiamsi humiditatis aliquid pereat, quæ præteritis ætatibus erat superflua, ita & ætate ad senium vergente, qualis est patientis Adm. Rev. calor languescit, ut propterea augeat curationis difficultatem. Attamen si præsidiis usa fuerit generosis à viro clarissimo præscriptis; & a nobis proponendis rectamque instituerit victus rationem, spero fore, ut à prædicto affectu relevetur.

Quò autem voti compotes fiamus; ventriculus primò, & intestina sunt ab excrementis pituitosis, expurganda: quod ut facilius fiat, sunt incidenda & attenuanda: obstructiones deindè jecoris ab humoribus itidem crassis, viscidis, & lentis sunt reserandæ usu attenuantium, incidentium, & abstergentium; atque ita totum corpus est expurgandum universalibus purgantibus, ratione capitis, errhinis scilicet & masticatoriis. Tandem intemperies ventriculi, cerebri, jecoris, & totius, quantum fieri potest, contemperandæ calorificis, & exsiccantibus. Quod si id consequi in totum non possumus, ut mihi persuadeo, avertenda saltem erit materia jugiter genita ab intestinis ad alias partes: non tamen hæc sunt corroboranda, cum sint convenientia totius corporis, & emunctoria omnium partium. Præsidia verò expromemus ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

Chirurgiam quod attinet; si agatur de sanguinis missione, nullus sane illi est locus, ratione affectus principis propositi: Quià tamen menses sunt imminuti, ut referunt, non abhorrerem à levi aliqua ejus eductione, mensibus imminentibus, cùm hi supressi obruendo calidum innatum, possint augere frigidam partis intemperiem, & præsertim jecoris. Mittetur itaque ex partibus infernis per cucurbitulas alte scarificatas, ad uncias quinque, cùm sit valdè pinguis, exilesque venas habeat. Fonticulos quod spectat, præter illum, quem gestat in coxa, alium curarem inurendum brachio sinistro, quò divertatur materia à capite & ventriculo fluens ad intestina. Quandò enim

enim copiosiùs coacervatur excrementia materia, & in multis partibus, paranda etiam sunt emissaria jugiter eandem expurgantia. Neque metus est à majori refrigeratione. Nunquam enim observatum, refrigerari corpus ex evacuatione materiæ superfluæ, quin potiùs ex accidenti calesit, dum evacuata materia frigida, partes solidæ fiunt ab illa immunes, quarum aliàs augebat intemperiem. Quinimò si hi non sufficerent, & tertium pararem in sinistra coxa, quò copiosiùs manaret indè materia, quæ in hoc corpore valdè exuberat. Quod tamen judicio Viri Excellentissimi committo præfecti curæ nobilis hujus Vestalis. Atque hæc ex Chirurgicis satis.

In Pharmaceuticis alvus cieatur hiera boli formâ, melle rosato solut. superbibito, dissoluto in decoctione seminum citri. Præparentur humores oxymelite, primò simplici, syrupo de mentha, & de corticibus citri ad unciam semis in singulos. Purgantia blanda erunt. Ventriculus enim frigidus validiora non patitur, præter quàm quòd agitando violenter materiam in intestinis hærentem augerent dolores. Ideò placeret repetita hiera simplex cum electuario diacatholico, vel portiuncula etiam diaphænici: atque die postero ab hoc purgante, clysterem pararem ex decoctione carminativa, cum portiuncula utriusque centaurii, addito melle rosato simplici, electuario de benedicta, cum oleo rutaceo, & chamæmelino. Ipsius enim beneficio facilius educetur materia colo intestino impacta, quàm assumptis per os. Quo uterer etiam in accessione ipsa, urgentibus doloribus, tum & clystere ex solo oleo rutaceo, & chamæmelino ad uncias XIV. mox verò, quò magis emundentur ventriculus, & intestina ab hujusmodi materia, propinanda est aqua Tettutiana quatuor dies ad libras quatuor cum unciis duabus mel. ros. sol. quin & aquæ salitæ quandoque portiunculam salis addendam censerem, quo magis detergat. Hæc enim quâ detergendo, quâ flatus digerendo, & calefaciendo summoperè proderit. A quibus jecoris obstructionibus occurrendum est internis, & externis. Et quoad interna syrupus exhibeatur paratus ex uncia semis oxymelitis compositi, syrupo de cichorio cum rhabarbaro, & de betonica composito, additis unciis tribus decoctionis ex mentha, betonica, agrimonia, & radice fæniculi. Quinimò devenirem ad trochiscos de rhabarbaro, & de eupatorio, Pilularum formâ exhibendos singulis diebus statim ante hunc syrupum. Purgandum posteà erit corpus infusione rhabarbari, & agarici in decoctione anisi, schænanthi, dauci & spicæ, addito melle rosato solutivo, & manna. Extrinsecùs inungendum hepar oleo amygdalarum amararum, & de absinthio cum pulvere agrimoniæ, vino albo, portiuncula aceti, & cera; Super addito cerato ex ammoniaco, dissoluto in aceto; misso æsypo, & aliis plus satis laxantibus. Quod si his non cedat obstructio, posset etiam aliquot dies exhiberi portiuncula chalybis potabilis cum vino parati, alterato absinthio, mentha, schænantho, agrimonia, radice filicis & asparagi. Atque dum hæc fiunt, exhiberi possunt pilulæ ex Aloë non lota ad scrup. I. alternis diebus, non longè antè cænam. A quorum usû contemperanda erit intemperies omnium viscerum calorificis, & exsiccantibus; & quidem intrinsecùs conveniet, vel jus galli antiqui, ex præscripto Viri præstantissimi, vel simplex decoctum ex ligno sassafras & china; ita ut quilibet syrupus admittat drach. I. radicis chinæ, unc. I. ligni guaiaci & scrup. I. sassafras, facta infusione consuetâ, atque additis aperientibus & calorificis, ut mentha, absinthio, betonica, & schænantho, quem tempore frigidiore assumet bis in die, sudorem etiam tunc saltem semel in die excitando, cum victû tenui & attenuanti. Sic enim intemperies corrigentur, & superflua humiditas totius & partium absumetur. Quo tempore poterit etiam radice cyclaminis in naribus detenta turundæ formâ caput expurgare, nec non & mastiche cum staphisagria, cera & saccharo, confectis globulis, in ore volvendis, & continuò dentibus atterendis. Atque tunc etiam utetur pilulis de hiera cum agarico, & mastichinis octavo quolibet die 30. dies circiter; non omissa conserva ex absinthio Pontico, & roremarino, cujus assumet unciam quolibet manè ab usû decocti propositi. Horum enim ope affectus præsentes removebuntur, & contemperatis intemperiebus, ab imminentibus præservabitur patiens religiosissima: si tamen rectam victûs rationem à Viro Clarissimo propositam religiosè observaverit. Atque hæc est mea sententia in casû præsenti. Faxit Deus, ut ad vota succedant. *Bened. Silvat. Consil. & Respons. Medic. cent. 3.*

Quemadmodum ex situ partis dolentis compertissimum fit dolorem, de quo conqueritur patiens Illustriss. esse colicum, prout statutum est à Viro praeclariss. ita ex ætate juvenili, temperamento calido & sicco, efflorescentiis pruriginosis præteritis, nunc evanescentibus, variisque ac arduis negotiis, quibus dedit operam, existimandum est dolorem præsentem provenire à bile prædominante, in jecore fervido genita, transmissa cùm ad ventriculum, tum & magis per porum felleum ad intestina, in quibus pituitosa materia crassa, & viscida in ventriculo impensè frigido genita, quod ex intenso appetitû, & tarda concoctione facilè innotescit. Quam ob causam dum invadit affectus, ipsi accedit anxietas ventriculi, ad cardialgiam vergens, hypochondriorum item tensio, dependens à flatuum copia cum pituitosorum, tum melancholicorum ex prædictis humoribus elevatorum ab excedente calore bilis, ratione qualitatis prædominantis. Accedit & alvi adstrictio, & ad vomitum propensio.

Atque ideò præsens affectus summo studio curandus est. Periculum enim imminet, nè in cardiacam passionem facessat, si os ventriculi petat materia morbifica, vel in iliacam passionem & volvulum, si vomitus convalescat, in paralysim quinetiam, prout non rarò contingit, dum à bile prædominante attenuata pituita, facta metastasi, transmittitur ab intestinis ad spinalem medullam, critico quodam ritû, cujus Trallianus & Paulus Ægineta lib. 2. cap. 16. meminere: neque negavit Galen. dolorem colicum à biliosa materia quandoque fieri, ut patet ex 12. Methodi medendi cap. 7.

Quare pro ipsius curatione evacuanda est materia peccans, attenuata prius, & incisa;

contemperandus est fervor jecoris, astringentibus intercipienda est fluvio, alvusque lubrica servanda.

Atque ideo ex Gal. & Pauli Æginetæ consilio Hiera picra. Gal. est exhibenda, ad drach. ij. cum uncia semis floris cass. recens extractæ. Solo namque hieræ usu liber evasit ille, de quo Gal. 12. illo methodi verba fecit. Præparandi sunt humores aqua cichorii, borraginis, betonicæ, seminibus citri, cum syr. de acetositate citri. Purgentur rhab. infuso in aqua cichorii, cum spica, & syr. rос. sol. Mox pro majori primarum viarum expiatione, in usum veniat Aqua Tettutii, cum syr. ros. sol. quæ ex literis Viri clarissimi ad me datis, triduo jam epota feliciter permeavit, & primâ die pellucida fuit excreta, secundâ die utcunque turbata, etiam fecibus permixta, ac tertia vice magnæ bilis, & atræ bilis copiæ; cujus ratione biduo ea adhuc usus fuit, cum non dissimili excretione: quod magis confirmavit bilis prædominium. Exhibita deinde fuit aqua B. Virginis, cum emulsi. seminum melonum & syr. capillorum ven. quò facilius per urinæ vias permearet, diverteret humores, & jecoris fervorem compesceret, prout successit. Facto autem fomento & inunctione ventriculi, ita corroboratus fuit, ut aliquot annos, immunis vixerit ab affectu, quo antea frequente infestabatur. Cæterum posthabitâ victus ratione, publicis que negotiis magis in dies addictus, denuo invasit, à quo tamen non difficili negotio liberatus est, evacuatâ bile iterum congesta; ut proinde sperandum si Excellentiss. Virum convaliturum omnino, sit in sex rebus non naturalibus moderatè se gesserit & præsertim in publicis negotiis curandis. *Benedict. Silvatic. consil. & respons. Medic. Cent.* 3.

Egregius mercator sexagenarius, temperamenti secundum totum & jecur calidi & humidi habitus, obesi sedentariam vitam domi ducens mercium venalium gratia (cùm illi unicus sit filius, & quidem extra urbem mercaturam faciens) crassis & frigidis cibis semper usus, necnon fructibus, & vinis crassæ substantiæ ac recentibus delectatus, tribus abhinc annis vomitibus pituitosis obnoxius fuit, quibus sex abhinc mensibus omnino suppressis, hoc ineunte hyemali tempore ventris doloribus corripi cœpit, à dextero Rene in sinistrum diffusis, adeo ut Zonâ quâdam præcingi sibi videretur, atrocioribus equidem modo cum quodam sensu gravitatis, modo cum distensione & inflatione, ventrisque rugitibus, nausea, vomitu, & alui stypticitate, qui nec remediis plures dies administratis cesserunt, quinimò immani nonnunquam cruciatu invadebant, ut pars veluti terebrâ perforari videretur. Tandem tamen cessarunt, copiosis erumpentibus flatibus, & primò evacuationes fæcum alui innatantium, bubularum consistentia, inde excretione copiosæ pituitæ, crassæ, viscidæ, & glutinis, imò & vitri speciem præ se ferentis. Verum mense elapso rursus dolores iidem recruduerunt, copiosis prægressis eructationibus, ventris murmure pituitæ expuitione & ciborum fastidio, à quibus pariter flatuum & pituitæ ejusdem speciei evacuatione, Clysteribus carminativis, & ex calidis Oleis paratis solicitata liberatus fuit.

At quoniam vires valde labefactæ sunt, & de eorundem recursu gravis metus impendet, ideò Pat. egregius à nobis præservationem, & si dolores recurrerent, curationem exposcit.

Ventris dolores quibus per intervalla divexatus fuit vir iste, propriè colici à parte affecta nuncupandi sunt licet Ilei nomine eosdem plerique complexi sint & præsertim Diocles Caristius apud Celsum, Colon enim ut plurimùm est pars affecta, undè à Celso *Morbus intestini plenioris* fuit nuncupatus. Et quamvis Gal. Medicos reprehendat, ut populares, qui vehementissimos quosque dolores in qualibet parte abdominis Colo adscribunt, nobis tamen summopere placet loquendi formula. Avic. dicentis. *Et in Colo quidem intestino accidit colica, secundum plurimum.* Mox subdit *Et colicâ quidem secundũ veritatẽ habet suam causam in intestinis grossis.*

Quare ut colicus dolor dici mereatur, sat sit, in crassis intestinis excitari, prout iliacus in tenuioribus, licet nostro casu propriè & exactè colicus appellandus sit, cùm in intestino Colo fuerit. Symptoma equidem in actione Animali Tactrice depravatè læsa in quo, quoniam ob dolores intestina in sese contrahuntur, aliud in excretis præter naturam immodice retentis sequitur. Et quidem colicum nobis manifeste demonstrant qualitas doloris terebrantis, & palo infixo similis, nec non sedes ejusdem, Colon scilicet intestinum, a dextrâ parte in sinistram exporrectum, ac protensum. Et licet adeò Nephritico simolis sit ut Gal. in semet ipso fuerit deceptus, lapidem in vretere sibi concludi existimans, cum tamen clystere ex oleo rutaceo injecto vitream Praxagoræ pituitam excreverit, & liberatus fuerit, attamen colicus dolor multò atrocior est nephritico, prout & illius symptomata, nausea scilicet vomitus, & alui stypticitas, sæviora quàm Nephritici. Sequentia quoque colicum dolorem testantur, cùm flatibus erumpentibus & vitrea pituita evacuata cessaverit, prout in nephritico, arenosa in urinis subsidentia, quæ ex eodem Gal. omnem quæstionem dirimit.

De causa non est quòd dubitemus, morbum enim ostendit sanatio. Fuit igitur pituita vitrea copiosis flatibus immista, quorum causa ructus, ptyalismi, pituitæ vomitus, nausea & dolores præcesserunt. Hanc autem semper produxit & fovit victus ratio, pituitæ generandæ opportuna, crassorum nempè ciborum usus, vini crassæ substantiæ potus, vita sedentaria ætas quoque, temperamentum, corporis habitus, & tandem anni tempus, quæ omnia pituitosi etiam humoris præsentiam confirmant. Hinc dolor plurimum gravans, licet ob flatuum cum pituita mistionem, quandoque etiam distendens, & vehementius divellens, cum in flatione, & rugitibus evaderet, prægresso fructuum fugacium usu, & copioso musti potu. Neque de flatibus dubitandum, cum excrementorum flatulentorum innatantium, & copiosæ eorundem evacuationis per alvum certissima habeamus indicia quos tamen flatus, non inter intestinorum tunicas, sed in eorum cavitate concludi credendũ lethalibus ferè alioquin torminibus & cruciatibus futuris. Neq; cũ aliquibus mirari subit, tantã dari in viventi corpore frigiditatem, ut inde vitrea pituita actũ & potentiâ

frigida procreari queat. Etenim cum humor sit maximè crudus, destituitur à natura, atque à proximo resolvente calore, magisque in dies crassescit, donec crassissimus, adeoque caloris non capax, frigidus evadat. Verùm non possibile solum, sed & necessarium omnino, frigidam pituitam colicos dolores excitare, hancque vel ut humidam, vel ut frigidam: non ut humidam, ex ipso Gal. ergo ut frigidam: vehementissimi namque dolores ab activis qualitatibus pendent. Neque quis credat, hujusmodi dolores fieri posse à frigida intestinorum intemperie: non enim tam citò sedarentur: neque pituita per alvum excreta cessaret.

Hinc autem affectus magnus est ratione essentiæ, unde quidam coli dolore vexati, animi deliquio extincti sunt, aut se ipsos interfecerunt, ut narrat. Gal. cui quandoque etiam Iliaca passio supervenire solet; quinimo & Hydrops sicca, & nonnunquam etiam in Paralysin & Arthritidem, si humores tenues fuerint, desinit. Neque in nostro Sene periculo vacat, cùm vires magnopere prosternat, undè facilis sit in Lipothymiam lapsus. Quare ut hanc prævertat, auxilium implorat.

Pro præservatione itaque præmissa accommodata primarum viarum expiatione, totoque venoso genere cruditatibus expedito, frigida & humida ventriculi atque intestinorum intemperies corrigenda eædemque partes roborandæ.

In quem finem efficax fuerit Aqua Tettuciana, quinque vicibus exhibenda. Indè paretur decoctum in jure Galli antiquioris, Medulla Guaj. Ligno lentisc. & Sassafr. alteratum, cui præmittatur bolus ex Mithrid. confect. & Sale Menthæ, quibus 30. diebus assumptis, ad Thermas Aponenses Pat. deducendus, ut sulphureas eas Aqu. 12. aut 15. diebus hauriat, dejectorias potissimùm, quæ tamen postremis diebus etiam diureticæ prodessent. Tandem magna Antidota in usum revocet iterum aut tertio, qualibet hebdomada, obesum enim totum corpus calida & sicca medicamenta facilè tolerat.

At si fortassè, his non sufficientibus, recrudesceret affectio, curatio duplex esse poterit. Coacta scil. & regularis. Coacta locum habet atrocissimis urgentibus doloribus, Anodynis, imò & Narcoticis perficienda, undè Gal. ait, *licet ego omnium maximè ab usû graviter sopientium abhorream, ea tamen in colico vehementissimo exhibeo.* Quod repetit his verbis cogente dolore stupefacientibus necessario utor. Ad quæ tamen deveniendum non est, nisi post alia medicamenta incassum adhibita: *Dolores enim sedant, sed dispositiones non sanant.* Hinc Aëtius considerat stupefacientia calidis humoribus magis conferre, frigidis verò nocere, quia illos cogunt, atque incrassant, & valdè refrigerant. Ita Trall. & Paul. scripserunt, quòd à stupefacientibus humor frigidus crassior & ad motum ineptior evadit, intestinorum tunicæ densiores redduntur, & tandem auctâ dispositione prorogant morbum. Quare nobis Anodynis utendum, missis quoad fieri poterit Narcoticis. Anodyna autem sint interna & externa. Inter interna jus pingue cum gutt. olei Chamæm. habetur pro secreto. Oleum item Amygd. amar. oleum de Lino. Clysteres ex decoct. chamæm. Anethi, Melil. Pariet. addito oleo chamæm. & Vitellis ovorum. Inter externa oleum Amygd. chamæm. Lil. alb. pinguedines, omenta suilla, Vitulina, jam dictis oleis imbuta, & ex Trallian. fomenta magna spongia valdè laxantia.

His non sufficientibus, mitiora quoque Narcotica usurpanda, intrinsecus & extrinsecus. Intrinsecus Ther. rec. Nepenth. Querc. & Phil. Rom. insignis in hoc affectu prærogativæ. Per sedem quoque injici poterit ol. Amygd. in quo Phil. Rom. rec. ad ℥ij. fuerit dissolutum. Posthorum autem usum, jubet Gal. ut noxa calidis emendetur. Quare infundatur clyster vel ex oleo Rutaceo, vel ex vino Cretico aut Hispanico. Extrinsecus Viri celebres secreti loco habent gelidam aquam affatim ventri affusam, quod tamen Hippocrati debent, nam frigida largè affusa corpori inducta dolorem solvit.

Legitima vero atque regularis curatio causæ ablationem spectat. Quare omnium primò occlusio auferenda, alvum molliendo, & fæces laxando. Secundò pituita educenda. Tertiò flatus discutiendi. Quartò intestina calefacienda, & roboranda.

A clysteribus autem medela exordienda, ita paratis.

♃. Decoct. malv. mercurial. flor. Chamæm. Pariet. Betar. ℔ j. mell. ros. ol. Chamæm. an. ℥iij. Vitell. ov. nu. ij. sine sale m. pro clyst. cui si non succedat evacuatio, repetatur alius ex solis oleis, aut Amygd. aut Chamæm. addito butyro rec. quem detineat Pat. tota nocte, aut die, appositis interim extrinsecus aliis emollientibus. Quòd si nulla fæcum evacuatio sequatur, leniens aliquod præbendum; quoniam verò plura lenientia sæpe frustrà exhibita fuisse vidimus; Ideò tutissimum medicamentum, pluries à nobis expertum, Mannam pinguem proponimus, ad ℥v. in jure cinnam. alterato dissolutam, suâ namque pinguedine, humectatione & partium subtilitate, laxat, penetrat, & fæces emolliendo expellit, cui si fortè alvus non cedat, exhibeatur oleum Amygdal. ab ℥viii. usque ad integram libram.

Expedito intestino fæcibus, pituita tenax est præparanda mell. ros. sol. simp. & oxym. addita aqua Vitæ, Anis. aut Juniper. vel etiam Aqua cinnam. Præparata vero evacuetur hiera picra Gal. ad ʒ ij. cum Elect. lenit. rec. Quòd si interim alvus rursùs suppressa fuerit, tale præbeatur medicamentum.

♃. Elect. Diaphæn. ʒß. Spec. hieræ simpl. ʒ ij. Philon. Rom. ʒß. M. F. b sedato namque dolore, meliùs & faciliùs laxantur intestina, & excrementa ejiciuntur. Quòd si persistat affectio, repetenda erit præparatio, hoc modo.

♃. Decoct. Veronicæ à Cratone commendatæ, menthæ virid. ab Aëtio, Rad. Imper t. ℥v. Olei Zedoar. gutt. v. m. pro syrup. Zedoaria, namque adversus vitream pituitam potentissima est. Indè validioribus repetatur purgatio, quicquid dicant magni viri, iis enim uti licet sedato aliquantisper dolore, minorata materia, eâdemque satis præparata. Quare præbeatur essentia Troch Alhand. vel spir. Vitæ aureus Rulandi, quæ si præsto non fuerint.

♃. Elect. Diaphæn. ʒ ij. pilul. Aleph. ʒ j

Trochisc. Alhandal. Castor. an. gr. iij. M. F. b.

Tertia intentio erat flatuum discussio. Sic cucurbitula apud Gal. cum multa flamma umbilico admota; veluti incantamentum flatus discutiens, dolores momento temporis sedavit, quæ tamen efficaciùs operatur, si antequam applicetur, in vinum malvaticum calidum immittatur; vel succo allii crudi intrinsecus illinatur. Per os cuminum commendat Aëtius à ʒj. ad ij. in Vino Cretico, oleum cumini, oleum Croci. Ol. è floribus Chamæm. per destill. è baccis item Junip. aut lauri ad aliquot guttulas in jure. Potentissima est tinctura cort. Aurant. spiritu vini extracta. Allium quoque ab aliquibus commendatur exemplo illius Rustici, qui solius Allii esu, & mero meraciori à colicâ frigida seipsum liberavit, quod propterea à Cœlio Rhodigino Theriaca Rusticorum fuit appellatum, ejusdem efficaciæ in illis, ac in nobis Theriaca.

Tandem ventriculo & intestinis aliquod robur conciliandum usu vini absinth. vel Aq. vitæ Juniper. Valet præterea Zinziber conditum, Amygd. amaræ, rotulæ ex oleo de citro, Anisor. Caryophyl. Extrinsecus, umbilicus inungatur Zibetto cum oleo nucis Mirist. vel Balsamo Galbani Terebinthinato, nec non oleo de Baccis Juniper. A proprietate juvantia non sunt spernenda, præsertim à Viris fide dignis experta. Sic à Gal. commendantur Cicadæ tres cum pipere ana, cui subscripsit quoque Aët. Mirabilis habetur lapis Hystricis, Aqu. chamæm. dissolutus, sed omnibus præcellit stercus lupinum de quo mirabilia refert Gal. hoc enim narrat se vidisse non solùm sanatos, sed colicæ obnoxios præservatos, datur autem potu, in vino albo, & potissimùm in colica frigida, quod extollitur quoque ab Aët. Oribas. atque Trall.

Circa victus rationem Trall. laudat panem cum pipere aut cumino, Paulus allium crudum, & porrum pro agrestibus. Zinziber conditum plurimùm pollet, jejuno ventriculo comansum; quandoque buccella panis Aqua vitæ cum cinnam. madefacta. Vinum alb. meracius probat Trall. cui Sassafras infundere utilissimum fuerit. Abstineat à fructibus, mittat usum ciborum frigidorum, & crassi succi, & corpus in posterùm exerceat. Quæ pro salute, & præservatione egregii viri satis. *Joh. Raym. Fortis Consult. & respons. Medicin. Tom. 1. cent. 2.*

Nob. Juvenis 31. annorum agens, temperamenti totius & Jecoris calidi & sicci, gracilis habitus, longis itineribus assuetus, & venationibus quàm maximè delectatus, quorum causâ comessationibus & compotationibus vini etiam meracioris magnoperè indulsit, cibosque salitos, atque aromatibus conditos in usû habuit, quinque abhinc annis Diarrhæis biliosis æstivo tempore obnoxius fuit, quæ tamen æstate proximè præterita suppressæ (vix enim incipientes statim substiterunt) dolores in imô ventre excitarunt, quibus ingens sitis adjuncta fuit. Quare Pat. ruri degens, absque Medici consilio, cum vini potus sitim & dolorem potius augeret aquam è puteo haustam largius potavit, cujus ope per alvum admodùm biliosa copiosè dejiciens, omni molestia vacavit. Hoc nihilominùs ineunte Autumno, iisdem doloribus correptus me cum Medico domestico, eadem die ad consilium accivit, qui illum inveni de vehementissimis doloribus conquerentem, iisque vellicantibus & lancinantibus cum siti molesta, imò lingua arida, prægressis vigiliis, alvi stypticitate, ac vomitû materiæ crudæ primum, mox amaræ & biliosæ. Obsident autem hi dolores abdomen, transversim sub jecoris regione usque ad lienem protensi, quorum causa habita hujusmodi fuit consultatio.

Non rarò dolores hypochondriaci, præsertim in temperamentis calidis, & siccis, & habitû graciliori, à nobis observantur; colicos æmulantes, quorum Fernelius se primum auctorem prodidit, colicos illegitimos appellans, in Peritonæo, seu membranis sedem habentes, quod tamen cum aliis pluribus callidus deprompsit ab Hipp. qui in Coacis hæc habet. *Quibus dolores hypochondiorum, Hepatis, & partium circumstantium, hi, si sanguis excernatur, sanantur, sinon, moriuntur, quia metus est inflammationis.* Nostro tamen casu hujus conditionis non sunt dolores Nob. hunc Juvenem affligentes, infestant enim Coli intestini regionem, suntque terebrantes, & palo infixo similes, vomitibus & alvi stypticitate stipati, qui propterea dubio procul colici statuendi. Neque Nephritici ullo modo censeri possunt, cum iis vehementiores sint, neque ad inguina unquam oblique protendantur, ut Nephritici, neque ulla alteratio, aut læsio in mictione observetur, quâ Nephritici laborant, ad eam frequentiùs solicitati, & quidem parcioris urinæ, ejusque ab initio valdè tenuis, & ferè aquosæ, in progressû verò crassæ & turbidæ. Multò minùs de Iliacis dubitari potest, quos comitari solet vomitus assiduus & vehemens, potus incontinentia, & tormina in superiori parte, atque Ilei regione.

De causa autem apud vulgares Medicos dubitari posset, falsò credentes, colicos dolores ab humore frigido ferè semper pendere, cùm tamen à calido frequentissimè fiant, ut contra illos Trall. exclamat. Quod observavit quoque Gal. in illo quadragenario, cui prius, tum intrinsecùs, tum extrinsecus adhibita fuerant calida remedia, fomenta nimirum, Cataplasmata, clysteres cum oleo Rutaceo, Castoreum, & mel coctum cum pipere, ex quibus cum deterius semper habuisset Pat. cognovit biliosos & acres humores esse expurgandos, ut sanitati restitueretur, quod spatio dierum succedit. Verùm, quoniam Ars conjecturalis est, experimenti causa, alimentum priùs ægrè concoctionis, & corruptionis exhibuit, quia forsan & ipse Collegas Medicos metuebat, cum aliàs solus ab initio accersitus, illicò tutam & certam conjecturam fecerit de morbi causa calida, & acri, quam etiam Hiera exhibita statim superavit.

Calida itaque causa certò statuenda, primò enim hanc attestantur calidum & siccum Jecoris temperamentum, & habitus gracilis, secundò vita prægressa exercitiis immodicis dedita, comessationibus, compotationibus, vini meracioris, cibis calidis atque aromatibus assueta, tertiò Diarrhææ biliosæ, tot abhinc annis consuetæ, & hoc anno tandem suppressæ, quibus hujusmodi dolores successerunt, denique puteaiis

lis aqua inconsulto epota, quâ illi omninò sedati sunt. Quibus accedunt quoque vomitus biliosus, oris amaritudo, sitis cum linguæ ariditate, atque prægressæ vigiliæ, hoc idem certo indicio confirmantes.

Quare certi ideæ morbi, atque causarum, certa quoque erit salutis spes, statim à Medicis auxiliis petenda, cùm urgeat affectus, neque ferre possit inducias, dolor enim acutissimus est, atque immanis, qui Pat. aliquando præ animi deliquio interemit, aliquando verò ad mortem sibi inferendam compulit. Præterea nostro casû inflammatio, & Iliaca passio pertimescenda non sine metû pariter abscessus, in quem colicam migrasse vidit Gulielmus Fabricius.

Statim itaque cura regularis aggredienda, nisi obstet doloris vehementia, tunc enim *noxa aliqua potius ex Narcoticis medicamentis, quàm mors eligenda, crudelis enim hominis officium facit Medicus ille, qui una cum morbo vitam quoque homini aufert.*

Ideò si dolor aut vires valdè prosternat, aut subeat naturam causæ morbum augentis, aut novi imminentis suspicionem præbeat, Anodynis propriis primò, deindè etiam impropriis Narcoticis scil. utendum. Anodyna propria intrinsecus erunt, Jus Althææ, Malvæ, & Flor. Chamæm. Oleum Amygd. sine igne extractum. Clysteres ex decoct. Malvæ, Melil. Chamæm. cum vitellis ovorum, ex oleis quoque Amygd. & Chamæm. Extrinsecus verò omenta suilla, vitulina jam dictis oleis imbuta, fomenta cum Trall. ex fol. Malv. Chamæm. Anethi, Melil. Rad. Alth. Lil. alb. sem. lini, Fænugr. in aqua communi.

Quibus non sufficientibus, ad Narcotica, audacius in causa calida, quàm in frigida, ex Aëtio progredi possumus, interiùs & exterius. Interna erunt emulsio sem. papav. albi, Syr. de papav. Nepenth. Querc. & Philon. recens, Clyster quoque injici poterit ex decoct. hyoscyami, & papav. addito oleo Nenuph.

Quamprimùm autem ad curam regularem properandum, refrigerando, & biliosos succos evacuando, unde Paulus narrat Medicum quendam Siculum omnes dolores colicos refrigerantibus curasse, fereque omnes sanasse.

Quòd si in fonte Chirurgico, de sanguinis missione verba faciamus, quatuor potissimùm casibus convenire videtur. Primò quidem in affectû inflammatorio. Secundò præsente febre. Tertiò si colicæ icteritia superveniat. Quartò si in contumaci & diuturno dolore copiosum calidorum humorum affluxum metuamus, quæ conditiones cùm absint à nostro Pat. omittenda ideò quælibet sanguinis detractio.

Ex Pharmaceutico fonte depromenda remedia per os assumenda, per sedem injicienda, & extrinsecus applicanda. In hac verò colica calida Aëtius vomitum provocat copiosâ Aquâ tepidâ, nos autem jure Pullæ copioso tepido. Medicamentum deindè per os exhibendum, quod humorum acrimoniam demulcere, & ventrem laxare possit, quod egregiè præstare potest cassia ad ℥ x. vel xii. cui superbibat serum cap. aut Asin. ad ℔ ij. Et licet Gal. Colicam à mordacibus succis statim hiera picra sanaverit, ego tamen hiera uti nunquam ausus fui antè humorum contemperationem. Quare hodie Cassia erit exhibenda, & nocte sequenti clyster injiciendus, ex Lacte, & Flor. Cass. ad humores contemperandos. In quem finem quoque Gal. quendam colicam patientem, æstatis tempore, siticulosum, solo aquæ frigidæ potû sanavit, cui subscripsit quoque Aëtius, quorum exemplo ego quoque Venetiis medicinam faciens, sæpiùs in colicis passionibus felicissimo successu gelidam propinavi. Attemperati humores expurgari poterunt eâdem hierâ picrâ, hoc pacto.

℞. Flor. Cass. rec. ℥j. Hieræ picræ ʒj. M. F. b. à quibus horâ exactâ hauriantur Seri Asin. depur. ℔. ij. aut iij. quod Serum seqentibus quoque diebus, matutinis horis erit exhibendum & Clyst. ex Lacte, Butyro, vel ung. Malv. parati injiciendi.

A doloribus autem Pat. liberato, quod paucis diebus futurum spero, diathesis illa, & prava intestini dispositio erit auferenda, jecorisque calida intemperies corrigenda. Quare statim Aquas acidulas Villenses pluribus diebus, cum vehiculo dejectorio syr. ros. sol. præberem, clysteribus interim ex Flore Cassiæ eadem Aqua Villensi dissoluto injectis.

Extrinsecus quoque refrigerantia, sed laxantia conveniunt, intestinis enim laborantibus, ab adstringentibus abstinendum. Quare illinatur venter Oleo Viol. Nenuph. Amygd. Ung. Malv. & in fine quoque Rosaceo. Nonnulli magni Viri linteum commendant frigida aqua madefactum, & ventri appositum, quod tamen soluta alvo, & fæcibus laxatis, atque evacuatis tutius fieri poterit.

His omnibus aliqua à proprietate juvantia non inutiliter addi possunt. Sic Galerita tosta & comesta dolores sedat, sed & elixa repetita, quam approbat quoque Aëtius, & cujus cinerem ad cochlearia duo exhibet Trall. Lupi quoque intestinum optimum, cum Cornu Cerv. ex Avic. & Rhasi. Ego verò quandoque exhibui cinerem Gammarorum, Astacorum, ad cochlear, & quidem cum juvamento. Extrinsecus extollit Gal. stercus lupinum inguinibus appensum, vinculo facto ex pelle Cervina. Neque hæc, ait ipse Gal. sunt barbara præstigia, sed sunt substanriæ, quas alias operari sum expertus, quod & à Sexto Empirico confirmatur. Avic. verò laudat intestinum Lupi eodem modo alligatum.

Circa victûs rationem, primo vino omnino omisso, Aqua putealis bibenda. Cibus sit Ptisana sine Sale, Lactuca quoque decocta, poma pariter cocta. Ab aceto cum Avic. prorsùs abstinendum, intestinis infesto. Neque inedia Pat. præscribenda, sed parum, & sæpè potius cibus exhibendus, causa namque biliosa est, temperamentum calidum siccum, habitus gracilis, & pluries quotidiè cibis assumendis est assuetus. Quæ pro curatione hujus affectus in confirmationem eorum, quæ à Sapientiss. Viris adducta fuere dicta satis, hoc solùm addito, quod ut prævertatur Diarrhæa biliosa, ad usum sit revocanda semel singulo mense Pilula ex Aloë ad ℈j. sub cibi tempus assumpta. *Johan. Raym. Fortis Consult. & respons. Medicin. Tom. 1. Cent. 2.*

Sere-

Serenissima Matrona annum agens trigesimum secundum, temperamenti totius calidi & sicci, fervidioris jecoris, habitus gracilis, ad operationes promptissima, arthriticis & podagricis doloribus obnoxia, cruditatibus semper scatens; post intermissum ludendi exercitium, necnon viperini juris usum, incidit jam bis in colicos sævissimos dolores, à quibus ratio, quâ præservari possit à te, Vir præstantissime, quæritur.

Si arthriticos seu podagricos dolores Dysenteria superveniens solvit, ut in Prorrhet. testatus est Hipp. qui asseruit & in Epidem. idem contingere à doloribus colicis supervenientibus, pro certo quoque habendum, non à solo capite, ut credidit Fernelius, sed à venoso genere etiam Podagram originem ducere, eamque non tantum à bile & pituita commotis, verùm & à sanguine, à bile, & pituita corrupto, ut distinguebat Hippoc. libro de affectionibus: Et licet effectus hujusmodi per metastasin fieri ab omnibus Medicinæ scriptoribus ac Professoribus creditum fuerit, hoc tamen nonnisi impropriè asseri potest: per deductionem enim sive diversionem propriùs id fieri dicendum existimo; siquidem materia in venoso genere collecta, quæ ad articulos ruere jam inceperat, dum ad intestina motum & impetum sumit, ab articulis ipsis divertitur, jam ad eosdem transmissa resolvitur, sicque dolores podagrici cedunt; non autem cedunt, metastasi facta ejusdem humoris in articulis actu dolores excitantis, quod facilè quoque confirmare potest quandoque humoris paucitas in articulo existentis; copiosa verò ejusdem sarcina per Dysenteriam ipsam excreta, necnon in colicis, medicamentis & clysteribus ab intestinis educta; quod idem contigit in Sereniss. Duce, dum cruditates in ventriculo genitæ, bili à fervido jecore productæ, associatæ, & in venis collectæ, non ampliùs ad articulos transmissæ, sed ad centrum & intestina conversæ, & in iisdem detentæ, crassefactæ, ac magnâ ex parte in halitus conversæ, intestina ipsa, & Colon præsertim distendentes, continui solutionem, & per consequens colicos dolores quandoque excitant.

Ventriculus autem in casu nostro potissimum est accusandus, qui non adeò validus naturaliter existens, imbecillior redditur, & ad perfectam Chylosin magis ignavus, dum à perpetuis applicationibus, & gravioribus curis in benè regendo calor ejusdem ad caput divertitur, unde cruditates: sicut ab animi motibus jecur, natura calidius, magis magisque fervet, undè biliosi humoris proventus; qui humores antehac ad manus advocabantur, mediante illarum frequenti motû, quo intermisso, ad intestina tanquam ad locum ignobiliorem, magisque conferentem transmissi, neque excreti, colicos dolores, modo jam dicto, & forsan acutiores ob bilis mistionem, nonnunquam produxerunt.

Quibus ita se habentibus, in promptû est præservationis ratio: curandum enim nè hujusmodi excrementa regenerentur. Secundò, ut genita citò & frequenter per alvum ejiciantur; quæ præstanda erunt, Ventriculum roborando; Jecoris fervorem quodammodo contemperando; Juges cruditates frequenter evacuando; & venosum genus, si opus fuerit, purificando: ita enim Serenissimam & à colicis, & ab arthriticis doloribus præservari posse sperandum, absque eo quod peccantes humores ab hac vel illa parte divertantur.

Et quoniam venosi generis status jam ab Excellentissimo Viro fuit Saphænæ sectione exploratus, non valdè pravus, ideò si libuerit, intermedio inter utramque menstruam purgationem tempore vena superior dexteri brachii magis apparens aperiri poterit, parcè tamen, & nonnisi ad uncias quatuor sanguinem mittendo, ut major adhuc certitudo de qualitate sanguinis habeatur, siquidem medicamentorum purgantium administrandorum norma esse debet. Et si manus articuli non adeò expedite moveantur, optima erit frequens lotio & immersio in lixivio dulci radicibus althææ alterato.

Quod si Pharmaceutica remedia considerentur, cum jam primæ viæ, ut ex relatione habeo, fuerint expeditæ, aquas Tettucianas propositas approbo, cautissimè tamen cum vehiculo dejectorio administrandas, & dimetiendas, nè portio earundem vel minima ad urinæ vias deferatur. Indè ad aliquod electivè purgans deveniri poterit, præmissâ tamen aliquâ præparatione & viarum dispositione; in quem finem Julapij acet. usus, corticibus citri aromatiz. cui succedat potus aquæ stillat. cichor. & agrim. proderit; imò si aliqua observetur in hypochondriis obstructio, eidem aquæ grana Tartari vitriol. addi poterunt. Purgans autem erit pilula de tribus & aggregat. simul mista, addito Flore Cassiæ ad pilul. calorem contemperandum, quibus post horam superbibat quoque cyathum aquæ Nocerianæ aut hordeaceæ, & tribus horis ab assumpta aqua prandeat; quod repeti poterit, habitâ sanguinis jam educti ratione, & in progressû aqua stillat. cichor. endiu. aut borag. vice agrimoniæ, addenda fuerit.

Quoniam verò melius est medicamentum expertum non experto, ut monebat Avic. ideò ad jus pulli, viperis nutriti, duci poterit Sereniss. Dux, quod proficuum magis erit, si optimæ chinæ portio eidem addatur. Verùm quia Æstate & Hyeme jam dicta extrementa colligi solent, sicut Vere & Autumno moventur, ut observabat Hipp. ideò ineunte Vere & in Æstatis fine, vinum medicatum solutivum, xxx. saltem diebus assumendum consulo, ut dolores utriusque generis arceantur, cujus descriptio Serenissimæ adaptata talis erit.

♃. Chinæ opt. inc. ℥ ij. radic. caryophillatæ ℥ß. baccarum juniperi manip. ß. lentisci è chio ℥ j. hermodactylorum ℥ i. turbith. elect. ℥ j. fol. senæ rec. mund. ℥ iv. Rad. polypodii ℥ iij. cinnam. integri ʒ iij. cortic. citri rec. pug. j. vini nigri pro mensa consueti syclum, sive situlam unam, reponantur omnia in vase ligneo, & transacta hebdomoda potari incipiatur, sitque primus cyathus in mensa, tum in cæna. Hujus autem usum præcedere debet tantum unica potio ex man. clarif. citra ullam aliam viarum aut corporis expiationem.

Nec interim vinum medicatum alterans reliquo tempore improbo, china, santalo, &

lentisco, sive ligno roris marini parandum. Ventriculo robur quoque addere poterunt duo aut tria grana mastiches, statim ab assumpto cibo integra devorata.

Jam dictis omnibus cautior erit addenda vivendi ratio, & præsertim in applicationibus, quarum urgentiores & majoris momenti mane jejuno ventriculo sunt exercendæ; reliqua vero ad hunc fontem attinentia, à viro Excellentiss. Adstanti relinquo præscribenda, dum sanitatem inculpatam à Deo Serenissimæ ac prudentissimæ Duci ex corde precor. *Joh. Raymun. Fortis consult. & respons. Medecin. Tom. 2. Cent. 3.*

Nephriticis dolororibus jam diu torqueri Com. Illustrissimum asserunt in relatione Præclarissimi viri, quibus & ego subscribo, quoniam ex Gal. & Hipp. *si in urinis arenosa subsideant, tollitur omnis quæstio.* Minor tamen quod in repetitis hujuscemodi doloribus nunquam calculus ejectus fuerit observatus. Colicis item passionibus obnoxiam fuisse à viris iisdem recipio, quoniam excrementa pituitosa & crassa, & viscida non semel excreta visa fuere. Verum tamen est quod inter colicos & nephriticos dolores tanta intercedit similitudo, & affinitas, ut exercitatos quoque viros sæpè decipiat, & Galenum in semetipso semel decepit. Iliaci quoque superadditi fuere cruciatus, & non semel sed pluries, un continetur in relatione, utque & situs, & doloris qualitas, & facilis ventriculi consensus, cum actionibus læsis atrestari potuerant, & isti tamen sine evidenti vitæ consueto discrimine. Quamvis autem omnibus jam recensitis affectibus omnia jam dicta symptomata communia esse soleant: quia tamen aliquod peculiare, & pathognomonicum unusquisque sibi habere consuevit, quod a viris Præstantissimis observatum certo fuerit, idcirco iisdem de omnibus plena fides habetur; sicut plenissima de jecoris præsertim & reliquorum viscerum obstructionibus, quamvis hucusque totius corporis nutritio illæsa servata fuerit.

Horum verò omnium causa materialis, cruditates fuerunt, non tantum à viscerum dyscrasia & imbecillitate, verum multo magis ab improportionatis objectis generatæ, quæ in vasis partium stagnantes obstructiones produxerunt, à jecoris & aliarum partium calore ex clausuris adaucto facilè exsiccatæ, quæ ideo medicamentis non adeo facilè cesserunt, eoque difficilius, si à vasis, in hepatis etiam carnem aliqua ex parte sese insinuaverint, ut facilius credi potest, si durities & pondus cum aliis symptomatibus considerentur. Nec mirum, si tam diu adeo atrociter perseverantibus malis, & in ventriculo & in intestinis, & in jecore, (ut scriptum fuit) intemperies & imbecillitates introductæ fuerint, naturalis æconomia fuerit subversa, & juges cruditates necessario emergant, à quibus partim in flatus conversis dolores exacerbantur, partim vero fermentatis, & calorem præter naturam adeptis, febres modò accedentes, modò recedentes excitentur.

Ab hoc statû morboso prorsus vindicari posse Comit. Illustriss. in sexagenaria ætate constitutum, non adeo facilè video; intemperies enim corrigere & visceribus pristinum tonum restituere ac robur addere non licet nisi prius organico morbo ablato, & interim Quibus circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque aliter solvuntur, in hydropem siccum firmantur, eoque facilius, cum multo abhinc tempore hypochondriaca fuerit, ex quo cum Gal. intemperies habituales colligere licet. Attamen quoniam hucusque coacta potius, quàm regularis curatio præstita fuit: ideo novissime propositæ à præclariss. Viris, magnopere fidere possumus, cui ego quid addam, aut parum, aut nihil habeo, dum & ego propositis intentionibus rectæ ordine satisfaciendum esse existimo, primas vias expiando, mesenterii & cavæ jecoris partis, deinde gibbæ obstructiones aperiendo: mox renes & vasa urinaria mundando, atque subinde intemperies corrigendo, & tandem visceribus robur addendo,

Quibus vt satisfaciamus, aliquam sanguinis eductionem non omitterem, prius tamen primis viis expeditis, & obstructionibus quoquo pacto immmutis, soluta jecoraria dextra, ad caloris eventilationem, & sanguinis qualitatem explorandam, quo fine parca, & non sine Medici præsentia erit facienda ejusdem sanguinis missio; clysteres quoque modo evacuantes modo epicerastici non omittendi, nec pedum lotiones, aut frictiones prorsus deserendæ.

A fonte Pharmaceutico reliqua depromenda: sic Leniens primum esse poterit ex manna clarif. cum cremore tartari; secunda quoque vice, post prima præparantia repetenda; quæ adhuc à Viris Excellentiss. utiliter exhibita fuit. Inde oxymel, cortic. citri aromatizatum, parandum erit, & ad ℥ij. exhibendum, totidem aquæ flor. citri simul mixtis. Indè ad secundam præparationem & ad obstructionum reserationem devenirem, & à valde calorificis abstinerem, succisque uterer depuratis & per arenam trajectis, end. cich. & borag. in jure pullæ cichoraceis alterato, in quo dissolvantur quoque grana decem tartari vitriolati: Ita transactis septem diebus, medicamentum ex cassia, lenit. & pil. de tribus, compositum exhiberem, superbibendo jus tenue maluis alteratum. Inde aqua Tettuciana tuto propinari poterit cum vehiculo mannæ clarificatæ, & mellis rosati solutivi, quæ tribus, quatuor, & quinque quoque vicibus erit repetenda, incipiendo à lib. v. usque ad vi. sat enim erunt expeditæ viæ prò ejusdem aquæ transitû, cum perpendiculariter à ventriculo per intestina procul à jecore ad aluum ducantur. Observandus tamen diligenter earum transitus per aluum; sicuti & eodem tempore observandæ urinæ: namque si aquæ portio in urina observetur, ab exhibitione desistendum, vel sequenti vice vehiculum adaugendum. Indè ad jecoris cavam aperiendam devenendum, quam rite præstare poterit rhabarbari usus, ut quod aperire, visceribus amicum, roborare valeat. Hoc autem in substantia, primis vicibus, prò cava, in progressu verò, in infusione pro gibba parte reseranda exhiberi solet. Præbeatur igitur ad semidrachmam cum pass. aut flor. cass. drachmis duabus immistum, cui superbibat jus pullæ endivia & malua alteratum, in cujus usû octo aut decem diebus insistat, mox

medi-

medicamentum repetat ex cassia; lenit. & pilulis de tribus confatum.

Post hæc gibba ejusdem jecoris aperientibus respicienda, in quem finem arrisit mihi semper syrupus Ferneliano modo paratus; cujus dosis erit ad ℥ij. in exiguo vino albo dissolutus, absente febre; quâ presente dissolvatur in jure endivia alterato; præbeatur autem alternis diebus decem aut duodecim vicibus; & diebus intermediis offeratur cyathus aquæ stillat. cich. & agrim. in qua dissoluta fuerint grana xij. salis tartari volatiliz. & præmittatur bolus ex semiscrupulo extracti rhabarb. tart. vitriolati, & salis viperini. Descriptio syrupi Ferneliani talis erit.

℞. Radic. cich. petroselini, fœniculi, capparum, polypodii querc. sem. cartami an. ℥ß. foliorum hyssopi, prassii albi, origani, agrimoniæ, ceterach, cuscutæ, adianti an. m. j. semin. anis. fœniculi an. ʒij. endiv. melonum an. unc. ß. aquæ agrim. ℔ iij. m. bulliant ad consumptionem tertiæ; in colatura postea infunde per horas xij. folior senæ mundat. ℥iv. agarici albi ʒij. epityhmi ℥ß. gingiberis ʒij. postea bulliant parum, & expressioni adde sacchari albi ℔ j. bull. ad syr. consistentiam, deinde adde Rhab. in petia alligati ℥ß. & servetur ad usum.

Quod si fortasse hypochondriorum calor non adeo facilè syrupi Fernel. usum tolerare potuerit, tunc hora transacta, superbibenda præbeatur, post assumptum syrupum, seri caprini destill. ℔ j.

Quibus peractis, de ventriculi & jecoris roboratione, & nativi caloris refectione cogitari poterit; & ad hæc præstanda opportunissimum erit jus chinæ à Viris Præstantiss. propositum, cui addi poterit portio ligni nephritici, & portiuncula ligni sassafras, cum palumba turricola, aut perdice parandum, eidem præmittendo bolum ex terebinthina nostra ad semi drachmam cum semiscrupulo salis absinthii & tartari vitriolati: ita namque una cum viscerum roboratione, renum quoque abstersioni, & ductuum mundificationi providebimus, si quis forsan adesset retentus calculus, quod Deus avertat.

Pro sedandis tandem doloribus, præter inunctiones, illinitiones, omentorum animalium oleis imbutorum appositiones: præter levium Narcoticorum usum, decoctionem scil. papaveris, syrup. de papavere, Laudanum Nep. Quercetani magnopere conferre, & in usum impune duci poterit clyster ex lacte vaccino, vel ex oleo amygdalino, in quibus dissoluta fuerit drachma philonii Romani recentis, duarum enim horarum spatio prorsus sedabuntur dolores, & conciliabitur somnus, quem tamen clysterem præterito jam dicto tempore excernere debet Illustriss. Patiens, ne ab illo diu detento caput nimis gravetur.

Quibus omnibus addatur congrua victus ratio à Viris sapientibus præscribenda; sicut reliqua quoque omnia pro vera & legitima curatione Patientis Illustriss. ab iisdem proposita, & à me confirmata fuere *Johan. Raym. Fortis consult. & Respons. Med. T. 2.*

Gothofredus Hildesheimius Francisci Hildesheimii Medici olim celeberrimi ex filio Nepos, supremus rerum capitalium in exercitu Imperatorio Præfectus, otio & crapulæ deditus, immani dolore ventris maximè sub umbilico, pali infixi speciem exhibente affligebatur; aluus obserata nihil excernebat; per os quidem pituitosa vomebat; sed sine juvamento.

Passionem colicam à pituita natam ipse dolor & vomitiones pituitosæ indicant.

Dolor pali infixi speciem exhibet, ob violentam tunicarum distensionem.

Aluus obstructa est, ob impeditam facultatem in excretione, propter viarum angustiam à copia pituitæ viscidæ factam.

Adsunt vomitus, ventriculo per consensum ob communionem membranarum affecto.

Sine juvamento, quia materia viscida in intestino colo & tunicis pertinacius hærens, per vomitum, nec facilè nec tota rejicitur.

Dolor itaque tamquam principale urgens mitigandus, & causa continuum solvens & dolorem excitans, amovenda.

Ad utrumque scopum consequendum præscripsi clysterem ex emollientibus, laxantibus & dolorem lenientibus.

℞. Fol. rut. branc. ursin. mercurial. Pariettar. malv. c. toto an. m. ß. Flor. chamæm. mj. melilot. summit. aneth. an. m ß. Rad. altheæ ℥ß. sem. anet. carvi, bacc. laur. ana ʒij. coq. ex aq. simpl.

℞. Colatur. ℥x. elect. diacath. bened. laxativ. ana ℥ß. hier. simpl. ʒij. ol. aneth. rutac. ana ℥ß. sal. gemm. ʒj. M. F. Enema.

Ventrem oleo anethino, chamæmelino & rutaceo sæpius inungendum præcepi.

Rejecto clystere jusculum ex cremore ptisanæ avenaceæ cum pauco saccharo, abstersionis gratiâ, exhibui. Quievit paululum à somno recruduere dolores, repetivi itaque innunctiones & clysterem.

Cum nihilominus perseveraret dolor, balneum aquæ calidæ in hunc modum adornatum, commendavi.

℞. Herb. origan. calaminthæ, rutæ ana m. ij. Flor. chamæmel. m. iij. malv. c. toto m iß. melilot. m j. summit. aneth. m. ij. sem. lini ʒij. fœn. græc. ℥j. aneth. ℥ iß. Baccar. Juniper. ℥iiij. incisa, & conquassata coq. ex s. q. aquæ simplicis, pro balneo.

Ante insessum exhibui Theriacam cum pulvere meo anti colico.

Hinc dolor sensim remisit: interea de virium languore conquerebatur æger, quarum instaurationi inter cætera optimè profuit malvaticum cum mica panis albi.

Ex intervallo trium, quatuorve dierum, ubi dolor ex toto sublatus esset, viresque recuperatæ, ad pleniorem & perfectam humoris pituitosi evacuationem præscripsi pilulas phlegmagogas Quercetani, quarum usu ingentem pituitæ copiam rejecit, & sic pristinæ sanitati restitutus est.

Cæterum cum recidivam metueret, suasi decocto ligni Guaiaci ad absumendas reliquias & corrigendam intemperiem frigidam, ad tempus uteretur; observatâ convenienti & frugali diætâ. Crapulam ante omnia & vitam desidem ac sedentariam fugeret, corpus quotidie ante prandium & cœnam, deambulando, equitando, vel alio quovis exercitio, moderatè moveret,

& nè vitiosi humores iterum cumularentur, interdum pilulas benedictas, vel phlegmagogas Cratonis, vel aliud scopo huic conveniens medicamentum assumeret. *Baldassar Timæus Respons. Medic. lib. 3.*

Illustrissimus Princeps ac Dominus D. Franciscus Albertus, Dux Saxoniæ, Angriæ, & Westphaliæ, ætatis consistentis, temperamenti calidi & sicci, Anno M. DC. XXIX. Mense Julio in acutissimos ventris dolores circa coli regionem subsistentes, incidit, cum totius corporis æstu, siti, nausea, vomitionibus biliosis, inquietudine & vigiliis.

Morbum intestini plenioris, quem colicam passionem dicimus, non tantum ab humoribus frigidis, pituitosis, flatulentis, sed etiam calidis, biliosis & acribus excitari, vulgò notum est & constat hoc ipsum cùm aliorum, tum Illustrissimi Principis exemplo. Is naturâ calidus & siccus ad acrium & biliosorum humorum productionem cùm esset aptissimus, collectâ & mota eorundem per tunicas & vasa intestini grandioris copiâ, facile dolores colicos incurrere potuit, adjuvante imprimis & ebullitionem promovente aëre externo calido & vini potentioris, cui assueverat, largiore potu.

Totum corpus æstuat ab humorum biliosorum effervescentia, quæ non tantum dolorem in parte affectâ, sed & calorem in toto parit.

Sitis urget, ob humidi, quod calor absumit, in ventriculo defectum.

Nausea & vomitus biliosi, à concitatâ, & in ventriculum ex vesiculâ fellis & duodeno intestino effusâ bile proveniunt.

Vigilias dolor inducit, quatenùs in sensum tactus vehementer agendo sensum quoque communem excitat, quo commoto etiam reliqui sensus excitantur, accidentibus & exhalationibus biliosis, somnum impedientibus.

Curatio in doloris lenitione & causæ amotione consistit.

Duos hosce parietes, ut unâ quod dicitur fideliâ dealbarem, ordinavi Enema ex anodynis & biliosos acresque humores evacuantibus.

♃. Herb. Endiv. pariet. Malv. è toto violar. lactuc. ana m. ß. Flor. Chamæm. m j. sambuc. p.j. summitat. melilot. anethi ana m ß. Rad. liquirit. rasæ ℥ß Altheæ ℥vi. Sem. lini ℨiij. fœnicul. ℈iß. Coq. ex s. q. aq. simpl. R. colatur. ℥x. Cass. pro Clyster. ℥j. Electuar. diacatholic. ℨiij. Ol. olivar. ℥ij. Chamæm. ℥j. Sal. gemm. ℨj. M. F. Enema.

Ventrem oleo violarum & amygdalino dulci repetitim inunxi.

Cum nihilominus continuaret dolor, alium clysterem magis anodynum & abstergentem præscripsi. R. Flor. Chamæm. mj. Sambuc. viol. ana p.j. pap. Rhead. m. ß. Rad. altheæ, liquirit. ana ℥ß. Sem. aneth. malvæ ana ℨ ij. Summitat. aneth. p.j. Coq. ex l. ct. dulc. q. s.

♃. Colatur. ℔j. Sacch. Thom. ℥j. Vitell. ovnum. 1. M.

Ab usu clysteris exhibui oleum amygdalarum dulcium recentissimè expressum cum jure pulli.

Postquàm semel atque iterum per alvum biliosa excrevisset, dolores magnâ ex parte remittere videbantur. Quare ut cumulati circa primas vias biliosi humores ulteriùs & plenè evacuarentur, commendavi vinum passulatum laxativum, singulis vel alternis diebus, pro tolerantia bibendum, cujus usus Illustrissimo Principi adeò salutaris fuit, ut non tantùm ab acutissimis doloribus, sed & aliis symptomatibus, ardore scilicet ventriculi, oris perpetuâ siccitate, & siti, quibuscum antehac subindè conflictatus fuerat, perfecte liberaretur. *Baldassar Timæus Respons. Medic. lib. 3.*

Vir triginta circiter annorum, temperamento calido & sicco præditus, macilentus, & staturæ oblongioris, leg s Diætæ non adeo observare solitus, sed potius appetitui indulgens, cibis delectabatur partim calidis, bilemque adaugentibus, partim quoque flatulentis, sæpiusque cerevisiam minus defæcatam, vinumque paulò liberaliùs ingurgitabat. Hinc quandoque adstringi alvus ita cæperat, ut per aliquot dies obserata nihil quicquam excerneret. Æger verò naturæ robori & bonitati, quâ aliàs gaudebat, hæc committens, de remediis parum cogitarat, hinc permanente adhuc alvi adstrictione, ventris dolores, maxime circa hypochondrium dextrum, & versus umbilicum, oborti, insignem perforationis cujusdam sensum & molestiam excitarunt, quibus quandoque murmura, & borborygmi, cum ventris inflatione, siti, nausea, & vomitu humoris subamari & viscidi per intervalla superveniunt. Doloris itaque acerbitate, metuque mali gravioris inductus Æger Medicum expetit consilium.

Affectus, quô æger præsens laborat, colica est passio, vel dolor colicus, adeoque ex illorum numero, qui nomen à symptomate & parte affectâ habent, monente *Galen. lib. 2. m. cap. 2.* Dolet enim Colon, intestinum crassum, quod ἀπὸ τοῦ κολάζειν, à contorquendo & castigando, eo quod doloribus sit maxime obnoxium derivari solet, recensente *Bartholin. Anatom. Reformat. p. 68.* quamquàm aliis magis arrideat derivatio ἀπὸ τοῦ κωλύειν, quod retardare, removere, prohibere significat, siquidem in hujus intestini cellulis fœces alvinæ retardantur aliquamdiu atque detinentur. Sed mittemus hæc ad Etymologiam pertinentia, remque ipsam potiùs intuebimur.

Describi potest hæc passio: quod sit tristis sensatio, sive aucta p.n. tactus in intestinis, præsertim colô, variaque perceptio, à membranarum & partium nervosarum, in dicto præsertim intestino, continui solutione proveniens. Patet hinc colicum dolorem ad symptomata primæ classis h. e. actionis læsæ pertinere. Nolumus autem eam litem nunc nostram facere, qua alias, num per actionem depravatam an auctam potiùs, hæc læsio explicari debeat? Controvertitur: cùm quicquid statuatur, defendi, si rectè explicetur, possit, & cæteroquin parum momenti afferre ad curationem videatur.

Esse autem hunc & non alium Affectum, quô noster excruciatur æger, ea quæ in Historiâ recensentur, haud obscure indicant. Nam 1. ipsa adsunt *essentialiter inhærentia*, sensatio scil. tristis, sive aucta p. n. variaque in intestinis, & præsertim colo tactus perceptio; quæ duo hujus symptomatis naturam & essentiam potissimùm absolvunt. Adsunt 2. *essentialiter consequentia*, siquidem Historia refert, præter alvi adstrictionem, etiam ventris murmura & inflationem percipi,

cipi, nauseamque & sitim cum vomitu humoris subamari & viscidi accessisse. Quod si 3. prægressas examinemus causas tales sane extiterunt, ut ejusmodi passionem haud difficulter producere potuerint, prout postea circa causarum investigationem pluribus ostendetur.

Subjectum nunc, partem affectam quod attinet, partim Ventris in genere fit mentio, partim vero & præsertim Hypochondrii dextri, & umbilici regio, in casu nostro denominatur, ut proinde non obscure pateat, si de parte principaliter affecta sermo instituatur, colon esse, ceu superius quoque innuimus; hinc quamvis Colica passio latè sumta omnem intestinorum dolorem significet, nostrum tamen ægrum Colico dolore stricte accepto affligi ipsa regio, quam cruciatus hic maximopere occupat & quæ coli dicitur, ostendere potest. Est enim Colon crassorum intestinorum secundum, cæteris multo amplius & latius undè κοῖλον, quasi, seu cavum aliis dici videtur. Incipit, ut verbis Diemerbrockii dicam, circa os ilium dextrum, proximo ibidem Reni se jungens, hinc sursum assurgit, & facto sub jecore flexu transversim sub fundo ventriculi (cui mediante omento annectitur) pergit & à sinistris Lieni Renique sinistro tenuibus membranis adhæret, usque circa os ilium sinistrum, facto flexu, Recti intestini principium orditur.

Quæ situs & conformationis variis distinctæ cellulis ratio in hunc abit usum ut dicto in intestino fæces alvinæ coacerventur, & usque ad excretionis tempus detineantur. Reliqua, quæ modo recensitis addi possent, apud Anatomicos videantur.

Undenam verò Æger hoc mali genus patiatur inquirere jam inprimis convenit, cum effectus nonnisi remotâ causâ cessare soleat. Ordine ut progrediamur & primò de causa proxima dicamus solutionem continui in membranis, partibusque intestini potissimum coli nervosis non tam factam, quàm fientem, superius allata Affectus hujus definitio accusat. Hinc enim augetur p. n. vel depravatur in partibus maxime sensibilibus, illa tactus perceptio, spiritusque in partibus istis hospitantes in varias ἀταξίας vel inordinationes adiguntur.

Hanc continui solutionem sub improportionati objecti schemate produxerunt causæ mediatæ, quarum proximiores in *Humores & flatus* rejiciendæ hoc quidem in casu videntur; siquidem non solum bilis sed etiam Pituita glutinosa sed viscida illi permista symbolum satis evidens conferunt; quam humorum misceliam, Flatuum quoq; haud infrequentem causam esse statuit Sylv. l. 2. c. 21. §. q. ipsaque id ratio & experientia confirmant. Hinc quamvis chylificationis in ventriculo vitium primas quasi turbas moveat, Bilis tamen aliique humores excrementii ad intestina transmissi potissimum accusandi, quippe qui p. n. intestinis subsistentes, & coacervati particulis suis salino acidis atque glutinosis nervosas intestinorum partes insigni cum cruciatû vellicant; exituque denegato in flatus resoluti adeo quandoque colon distendunt, ut etiam brachii amplitudinem cavitate suâ adæquasse observatum fuerit, prout exempla apud *Schenck. l. 3. Obs. de Intest. p. 1. 4. Plater l. 3. Obs. p. 656 occurrentia testantur.*

Quòd si jam porrò causarum remotiorum instituimus examen, & eos juxta duplicem *rerum naturalium, non naturalium, & p. n.* classem consideramus, non parum in lata sententia confirmamur. Nam inter *res naturales* ipsa nobis Historia *Temperamentum* Ægri calidum & siccum s. cholericum ostendit, quod ad evidentem particularum sulphureo salinarum productionem maximè aptum, atque dispositum esse indies experimur. Ut nè jam dicamus, *habitum corporis* macilentiorem tali temperamento multùm debere, præterquàm quod *sexus Virilis*, præ muliebri, plerumque hoc malo magis & frequentiùs infestari solet. *Res non naturales* quod attinet, patet ex historia affectus, ægrum de legitimâ *victus ratione* parum fuisse sollicitum quin potius genio suo indulsisse, & cibis bilem ac pituitam adaugentibus flatusque generantibus delectatum, *Libero* quoque & *Cereri* strenue litasse jam vero constat, quas Vinum, præsertim recens, & cerevisia minus defæcata excitare turbas & possint & soleant. Flatuosum omne est multum, ut *Galen. l. 2. de Aliment. facultat. c. 9.* neque insolita res est cerevisiam nimis recentem ventrem inflare, turbare alvum, atque intestinorum creare dolores, Vide *Sebiz. l. 4. de aliment. facultat. c. 4. p* 1154. Possemus hæc prolixius deducere, si in Historia morbi observata hactenus diætæ ratio paulò specialius descripta fuisset. Sed plerumque ægri, quid rei gesserint, Medicum celant; semetipsos potius quàm illum decipientes, dumque sanis omnia sana putant, eo facilius mediocritatis, naturæ suæ convenientis leges transgrediuntur. Ad tertiam classem, quæ *res p. n.* comprehendit, accedentes, equidem quibus æger obnoxius morbis fuerit, aut etiam laboraverit, historia non recenset nisi quis forsan illam *alvi adstrictionem* quam interdum passus est, eò referre velit, quippe quæ alias sanis non æque accidere solet. Hanc si excipiamus, robur naturæ, quo hactenus usum fuisse ægrum perhibetur, innuere videtur, satis eum bellè, adeoque à morbis, præsertim iis quæ intestinis insidias struunt, plerumque immunem hactenus vixisse. Silente vero historia, non est ut extra oleas vagemur.

Non destituimur autem propterea rationibus, quibus, deducto nunc causarum examine, symptomata quæ dictus dolor secum traxit, & quorum in casu nostro facta mentio est illustremus. 1. enim illa ipsa alvi adstrictio & constipatio vix aliunde, quàm à viscerum siccitate & materia glutinosa parietibus intestini coli adhærente, commodius deducetur, quandoquidem ipsa ratio dictitat, cibos calidos
sicciores, imo & crassiores, sicuti coctionem primam valdè turbant, ita in secunda non fieri meliores, sed bilis & pituitæ viscidæ proventum ubique deponere, hincque ad fæcum alvinarum duritiem plurimum conferre, præsertim si quis sui curam negligentius gesserit, quod ægrum fecisse ex historia patet. Hinc 2. Dolores ventris præsertim circa coli regionem sunt oborti, eò quòd hoc intestinum, ceu supra ostendimus, subjecti rationem subeat, hujusque tunicas & membranam interiorem humores biliosi & acres lancinent, ac pituitosi & viscidi in flatus resoluti distendant, sicque sol-

solvendo continuitatem cruciatus insignes caussentur. *Murmura* interim 3. una percipiuntur, certa flatuum indicia; siquidem in amplo satis coli spatio modò dicta materia pituitosa glutinosa cum bile juncta, tanto facilius in flatus resolvi, & vagos ventris dolores, quin certâ etiam ratione alicubi fixos & terebrantes excitare potest. Subsecuta tamen 4. *Ventris inflatio*, ab excrementorum, quæ excerni debebant, durante per aliquot dies retentione; hinc enim flatus ab exitu prohibiti, amplius spatium cum tempore quærentes, Coli cavum non sine molestia distenderunt, & propter hujus intestini ambitum, magnam abdominis regionem inflarunt. Neque ibi turbæ hæ solùm excitatæ, sed 5. etiam *sitis* cum *nausea* & subsequente materiæ subamaræ & viscidæ *vomitu* supervenerunt, eò quòd talis saburra, in ventriculo æquè ac intestino Colo contenta, stomachum quoque irritarit, & præter inductam siccitatem, sitis caussam, per consensum excommunione Nervorum à sexto pari prodeuntium, ventriculumque & intestina amplectentium, affecto colo, in motûs ἀντιπέριστασιν una rapuerit.

Quibus ita perpensis juxtà ac expositis, quid spei ægro, sanitatem quasi anhelanti superfit, & quale prognosticum, ratione eventus, hinc colligere liceat, proximum est ut edisseramus. Patet autem ex proœmio nostro, quàm periculi non minùs, ac dolorum plenissimus affectus sit dolor Colicus, quippe cujus tanta quandoque ingruit violentia, ut rectè dixerit *Trallianus l.10. cap.1.* ita laborantes mori sæpius, quàm diutius hoc cum affectû conflictari malle; imò nonnulli hos dolores perferre non valentes sibi necem intulerunt, uti testatur *Gal. l.2. de compos. med. sec. loc. cap.1.* Interea tamen cùm præsenti in casû mali causa non adeò sit vehemens, neque tam altas egerit radices, & symptomata, quæ supervenerunt, paulò remissius agere videantur, tantum abest, ut quandam malignitatem præ se ferant, ipseque Æger valida alioquin corporis constitutione gaudeat, spes bona illucessit, fore, ut modò fœces induratæ dissolvantur & excernantur, sicque humoribus, hincque oriundis flatibus exitus concedatur, sopito dolore pristinam ille sanitatem brevi recuperet. Quam ut obtineat Æger, maturanda est curatio, neque enim hic affectus patitur moram, quin potius illius symptomata festinationem urgent. Nè verò sine methodo progrediamur, ea, quibus indicationes opus esse ostendent, ita peragere conabimur, ut præsertim urgentiori occurramus. Urget autem doloris vehementia à solutione continui proveniens, objectum itaque solvens, quò commodiùs removeatur, præter Anodynorum usum tempestivè & cautè adhibendum, ante omnia fœces duriores emolliendæ pariter atque educendæ erunt. Hisce peractis & jam sopitâ fractâque doloris vi, primæ viæ ulteriùs ab humoribus peccantibus eluendæ atque liberandæ. Flatusque discutiendi ventriculoque prospiciendum habitâ ubique Virium ratione.

Præsidiorum materiam nobis Fontes usitati subministrabunt ubi quidem, ad chirurgicum quod attinet, venæsectioni nullus hic esse locus videtur, cum neque plethora in Ægro observetur, neque febris adsit; Cucurbitulam magnam cum flamma copiosâ circa umbilicum abdomini applicandam nonnulli laudant; (*V. River. in obs. communicat. p.665.*) nostro tamen Ægro, ob causæ diversitatem, hoc auxilii genus nec necessarium, neque utile arbitramur.

Major interim levaminis spes in iis sita est remediis, quæ Fons Pharmaceuticus pollicetur; ut potè quorum beneficio excrementa evacuare, flatus discutere, sicque doloris obtinere mitigationem propiùs licebit. Nulla autem auxiliorum genera id æque citò, tutoque, quàm clysteres & quidem emollientes efficient, quos ipsa etiam fœcum diuturnior retentio & durities accelerare jubent. Tale igitur Enema, quàm primum fuerit paratum, injiciatur.

♃. Rad. alth. malv. lil. alb. ana ℥ß. Herb. 4. emoll. ana mj. Flor. Verbasc. Chamomill. Sambuc. ana m ß. Prunor. dulc. exossat. n.9. Coque in s. q. aq. comm. ad ℥.

Colat. ♃. ℥x. add. unguent. pro clyst. nat. ℥j. Elect. lenitiv. Florenzol. ℥ß. ol. chamomill. aneth. ana ℥j. Vitell. ov. n.1. sal. parum M. F. clyster.

Interea quoque venter ol. amygd. dulc. & chamomill. vel unguent. clysmat. & anodyn. inungi poterit. Quod si nihilominùs dolor continuet, Enema magis anodynum & abstergens injiciatur.

♃. Rad. alth. ℥ß. liquirit. ʒ ij. Helen. ʒ j. Herb. chamomill. c. flor. verbasc. c. flor. ana m iß. Flor. sambuc. p.j. violar. papav. errat. ana p.ij. summittat. aneth. p.ij. Coq. in s.q. lact. dulc. ad ℥.

Colat. ♃. ℥x. Dissolv. sacchar. Thom. ℥iß. Vitell. ov. n.1. F. Enema.

Commendant nonnulli quoque purgantia, eò quòd experientia docuerit, unico sæpe purgante dolores contumacissimos & vel triginta enemata eludentes, fuisse devictos, vid. *River. in prax. lib.10. cap.1.* Nostro interim Ægro potius ab usû clysteris exhibendum ducerem ol. amygdal. dulc. rec. express. ℥ ij ß. cum juscul. carn. gallin. & si non responderit effectus expectationi, ad alia interna pariter atque externa Anodyna accedendum erit. Internè seq. mixturam propinarem.

♃. Aqu. carminativ. Dorner. ℥ ij ß. physogon. Cordial. frigid. B. Tim. à Guldenkl. ana ℥ß. Pulv. intestin. lup. præp. ʒß. Syr. de Cortic. aurant. ʒ iij. Vel sumat. cum juscul. pull. gtt. xx. l. xxv. seq. Essent.

♃. Essent. aurant. ʒ i ß. Anodyn. Zwelff. ʒß. spirit. anticolic. D. Mich. ℈ j.

Non ignoro circa Narcoticorum usum Practicos dissentire, & certum est haud promiscuè illis esse utendum, præsertim si colica à causa frigida ortum duxerit; quandoquidem verò dolor, quem noster patitur, non minùs à bile, quàm à pituita provenit, ipseque æger cholericus est, parere puto, haud ἀκαίρως narcotica, ipsumque adeò laudan. opiat. si cruciatus nimis urgeant, in usum vocari; quæ tamen ut nè nimis citò, neque nimis tardè adhibeantur, cavendum esse reor. Vid. Sennert. *l.3. prax. P.2. l.2. cap.6. p.259.* Quare modò laudata præmittenda duxi, quibus etiam externa in subsidium adjungere seqq. conveniet.

♃. Ol. Chamomill. ʒß. stillatit. aneth. ℈ß. carv. fœnicul. ana gtt. v. vel umbilico inungatur

gatur parum Balsam. fænicul. Horst. cui ol. stillat. modò laudata permisceri poterunt.

Vel ℞. Emplastr. de crust. pan. bacc. laur. ana ℥ß. Malax ol. menth. & aneth. q.s. add. ol. stillatit. chamomill. ℈ß. Vel sacculi ex avena vel sale calefactis aut Herb. absinth. menth. meliss. abrotan. fol. laur. flor. chamomill. sem. cumin. in aqu. vel vino coctis abdomini calide imponantur. Quæ domestica licet & in vulgus nota auxilia, si dextre & methodice adhibeantur, singulare sæpiùs levamen afferre solent. Remittentibus (ceu superius jam innui) doloribus, danda erit opera, ut cumulati circa vias primas humores peccantes ulteriùs & plenè evacuentur. Ubi quidem optimè conferet. Vinum passulatum lax.tivum, ex rad. cichor. helen. liquirit. herb. meliss. scord. veronic. card. benedict. absinth. flor. centaur. cichor. passul. min. fol. senn. rhabarbar. agaric. Tart. crud. cortic. aurant. & ad imitationem. *Dom. Horst. Tom.2. p.170. aliorumque Practicorum* paratum, à cujus usû postmodum stomachica e. gr. Elixir. polychrest. c.spir.menth. l. sal. dulc. & aliquamdiù usurpanda ducerem.

Quibus tamen omnibus Diætæ ratio colophonem addere debet; cùm alioquin, monente *Galeno*, medicamenta parùm efficere queant, eaque præscribere supervacaneum sit. Eligatur itaque aër temperatus, vitentur cibi acres, calidiores, difficilis coctionis, & flatus generantes, castaneæ, mespila & abstineat Æger à multo, & cerevisia recente, bibat potiùs moderatè vinum, non nimis tamen generosum, & cerevisiam probè defæcatam, cui rad. helen. cichor. & caryophyllat. parum cum cortic. aurant. infundi poterit, alvus servetur lubrica, cibis emollientibus in usum vocatis, vel ubi opus, Elect. de Tamarind. c. fol. senn. sollicitetur. Animi pathemata, præsertim ira, rationis freno moderentur. *Joh. Michaëlis Prax. clyn. spec. Cas.* 14.

Vir quadraginta annorum, otio deditus, pituitosus incidit subito in vehementissimum totius ventris dolorem, qui subindè in varias abdominis partes divagatur. Adest nausea, & sæpè etiam pituitosorum vomitus, qui dolorem tamen hactenùs non levavit.

Afficiuntur in hoc ægro ventriculus & intestina: ut ex nausea, vomitû, & doloribus abdominis vagis, est manifestum.

Morbus quo æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum pituitosa acris & flatulenta; quæ nauseam, vomitum, & vehementem illum abdominis dolorem vagum excitans, dolor colicus, pituitosus, acris & flatulentus appellari consuevit.

Causa prima hujus morbi est otium, & temperamentum pituitosum nostri ægri. Hinc multa pituita in corpore ejus genita, & cum sanguine mixta, ac in intestinis existens, antecedentem huic morbo præbet causam. In intestinorum, ventriculi & præcipuè in coli tunicas & cavitatem effusa, ibique in flatus conversa, eaque acrimoniâ suâ pungens, & rarefactione distendens, & varie per illa discurrens, vomitûs, nauseæ, & doloris istius vehementis & vagi, continens existit causa.

Periculum est, nè hic morbus suâ doloris vehementiâ convulsionem, syncopen, vel intestinorum inflammationem inducat.

Curatio itaque therapeutica circumspectè mox adhibenda.

Eaque consistet in humorum pituitosorum evacuatione, flatuum expulsione & discussione, ac intemperiei per contraria correctione. Mox itaque injiciatur talis clyster.

℞. Herb. malvæ, betæ, mercurialis an. m. j. Rad. althææ, ℥j. flor. chamomillor. p. j. furfuris m. ß. sem. anisi, carui, ammi ana ʒiß. fæniculi ʒj. Decoque in aqu. com. ad lib. 1. in colatura dissolve elect. de hiera picra. diaphœnici ana ℥ß. Sacchari rubri, ol. camomil. anethini ana ℥vi. salis com. ℥j. m. f. clyster, mox injiciendus. Et oblinatur venter calide hoc oleo.

℞. Ol. anethini camomillor. lilior. an. ℥ß.

Si æger clystere purgatus, à dolore non levetur, exhibeatur ipsi hic haustus.

℞. Pulv. intestinorum lupi, vel testicul. equi ʒj. Vini albi ℥iij. Misce F. Haustus.

Si dolor nihilominus perseveret; vel revertatur, in decocto prioris clysteris dissolvi poterunt aquæ benedictæ Rulandi ℥iv. cum diaphœnici ℥j. atque ita injici per anum.

Posteà si etiamnum perseveret vel revertatur dolor, exhibeatur pilula facta ex gr. v. laudani opiati.

In victûs ratione aër sit temperatè calidus, & abdomen, calidis tegumentis benè muniatur. *Cibus* sit facilis digestionis, liquidus, minimè flatuosus, ex carnibus vervecinis, pullis gallinaceis, elixis potiùs, quam assis. Conveniunt hic juscula caponum & pullorum, præsertim in quibus thymus, rosmarinus, hyssopus, origanum, apium, similiaque sunt cocta. Prandium sit parcum, cæna parcior. Potus sit cerevisia & vinum generosum. Ante cibum sumptum se exerceat; à cibo quiescat. Somnus sit longior solito. Alvus respondeat arte vel natura. Animi pathemata tristia vitentur.

Juvenis 26. annorum, biliosus alimentis calidioribus aliquamdiù usus, incidit in vehementissimum ventris dolorem, ab umbilicali regione versùs inguen sinistrum præcipuè vergentem, eundemque locum servantem. Cumque ipsi vinum cum aromatibus quibusdam à mulierculis esset exhibitum, doloris cruciatus in universum fuit auctus. Jamque interna lancinari, morde, & exuri videntur. Adest sitis, linguæ ariditas, insomnia, atque etiam urinæ in excernendo acrimonia, item nausea & biliosorum vomitus.

Afficitur in hoc ægro venter infimus, & in eo potissimum, intestinum colon, idque ex ingenti illo dolore ventris, ab umbilicali regione, ubi colon angustius creditur, & quo potissimum vergit, versùs inguen sinistrum præcipuè inclinante, est manifestum.

Morbus quo hic æger affligitur, est intemperies intestinorum, ac præcipuè coli, biliosa, sive calida & acris, vehementissimum dolorem in illis partibus vehementissimo suo motû excitans; Eaque idcircò dolor colicus biliosus, à symptomate, parte affecta, & causa efficiente proxima, appellari potest. Idque ex symptomatis, in historia commemoratis, innotescit.

Causa Procatarctica hujus morbi est diuturnus calidiorum alimentorum usus calidique indè in ægri corpore geniti humores antecedentem hujus morbi constituunt causam.

Pars verò eorum in intestina, ac præcipuè in colon propulsa abeoque inhibita, ibique ab aromatibus cum vino exhibitis exagitata, ac illas partes vehementicis vellicans, humoresque ac spiritus in toto corpore perturbans, intemperiei hujus calidæ & acris intestini coli, vehementissimique istius colici doloris, interna lancinantis mordentis, & exurentis; necnon omnium reliquorum symptomatum, ægrum hunc affligentium, quæque satis facilè ex iis, quæ jam diximus, explicari possunt, continens est causa.

Pars enim perturbatorum humorum & spirituum ad os & æsophagum delata, & partes illas exsiccans inducit sitim & oris ariditatem; ad cerebri verò ventriculos devecta, eosque vehementi spirituum animalium dilatatione, & copiosa in ventriculos cerebri impulsione, nimis diu & vehementer distendens, & expandens producit insomniam; vesicam verò cùm urinis perveniens, & urethram mordicans, gignit acrimoniæ in urinæ excretione sensum; in ventriculum verò effusa, eumque sua quantitate & qualitate acri & calida ita vellicans, ut fiat influxus vehementior spirituum animalium in fibras ventriculi oblique ascendentes excretionique per superiora intervientes, parit nauseam, & biliosorum vomitum.

Periculum est, ne hic morbus, doloris sui vehementia, syncopen, convulsionem, vel intestinorum inflammationem inducat.

Curatione consistet in humorum biliosorum expulsione, intemperiei biliosæ correctione & doloris ablatione. Mox itaque injiciatur talis clyster.

℞. Rad. althææ, malvæ an. ℥j. fol. malvæ, althææ, violariæ, lactucæ Betæ, mercurialis an. m.j.fl.camomill. p.j.sem.lini fœnugræci an. ʒiß. M. F. clyster.

Per os etiam capiat talem haustum, acres humores temperantem.

℞. Syr. ex infusione rosar. pallidarum ℥ij. seri lactis ℥iij. M. F. Haustus.

Postea adhibeantur purgantia, quæ bilem evacuant, quale hoc sequens.

℞. Fol. sennæ mund. ʒiij. Rhabarb. ʒj. sem. anisi ℈iv. Infundantur in aq. decoctionis hordei q. s. colaturæ fortiter expressæ adde syr. de cichorio cum Rhabarbar. ℥j. M. F. Haustus. Ad ventris inunctionem adhibeatur tale linimentū.

℞. Ol. rosac. camomill. ℥vi. Butyri vulgaris ℥ß. Misce.

In magna doloris perseverantis contumaciâ exhibeatur pilulæ laudani opiati gr. iij. vel iv. cum vel sine lacte amygdalato.

Balnea hic etiam conveniunt, ex decocto malvæ & violariæ, cum floribus camomeli.

Victus ratio sit frigida & humida. Cremor hordei hic est utilis, & lactuca sive cruda sive cocta, & alia ejus generis. Laudantur hic pedes, & extremæ partes vitulorum & ovium. Potus sit cerevisia tenuissima. *Henric. Regius apud Theod. Craanen. Medicat. lib. 3.*

Sæpius jam decantatum fuit, ob stationes, tanto tempore quotidie fere mutatas, diversissimis potuum generibus, vinis præsertim, modo crassis, turbidis, pendulis & feculentis, modo vitriolum sapore referente, acredine austeris, acidis & ingratis, summos & imos vivere coactos fuisse. Hinc autem Colicos & Iliacos dolores, & passiones atrocissimas, commotas fuisse quis est, qui non videat? Immaniter n. hæ apud plures grassabantur: ita ut inter equites ad centum fere, simul & semel, acerbissimis hisce doloribus, excarnificarentur: pedite non usque adeo tali lue correpto. Ascribebam hoc duplici causæ: cum quod pedes potius fontibus & scaturiginibus, quæ in Ungaria superiore, mineralibus exceptis, saluberrimæ, sitim restinxisset: tum quod non æque violento motu, qualis nunquam non equestris, vagabundi milites viderentur concussi. Diarrhææ tamen his & alvi profluvia, pravis nempe succis facile, & quidem in copia collectis familiares erant: illos constipationes plurium dierum, & hinc cruciatus Colici summe atroces lancinabant, Ex pluribus autem, tunc non tam decumbentibus, quam ob violentos dolores circumcursitantibus, unum & alterum exemplum in medium adducam. In his primas sibi vendicat Strenuissimus Dominus Signifer Nobilissimus a Nostvvitz, &c. Qui satis felici sidere me mature vocans, vix injecto clystere, de quo in Scholio satis prolixe, non modò dolorum qui maxime desæviebant, mitigationem, sed totius morbi rabiem, prorsus consopitam cum sensisset, ad hoc medelæ genus plures, qui alias vix ipsa morte adduci potuissent, tanquam ad præsentissimum remedium (& vere quidem) est exhortatus. Cum enim sub Erigones influxu Silesia sita sit, recte ut Curæus annotavit, subrusticus quidam pudor alumnos ejusdem exercet: qui nonnunquam, reclamante sanitate & salute, nimium rigide observatur. Multos tamen acerbitas dolorum perennis, & atrocissima, tandem ut clysteres admitterent, coëgit: cum præsertim ex eventu secundiore, qui prima statim fronte, alma Hygiæa astipulante, satis auspicato de meliore fato convincerentur. Accedebat ad ægrotorum felicitatem: quod clysteres ad hos usus paratos, & mecum in castra cum pharmacopolis in arte exercitatis delatos, in promptu haberem: sicut singulis horis sex, septem, plus minusve ægris applicari possent. Nec enim unicum, toto istius expeditionis tempore in castris, juxta Strigonium semper hærentibus, colicis doloribus correptum videram: quod nos vix non otiose stertentes ex potu, secundo flumine minus turbato, & sic satis jucundo consecutos credo: utriusque hujus rei excessu copiis Silesiacis, ut ante dictum, plus satis attritis. Superveniebat his glandium Sardianarum, quas Castaneas vocant, utpote quarum saltubus, sicut & prunorum, Ungaria passim convestitur, intempestivior usus: qui tamen solus ad passiones Colicas invehendas satis esse potuisset, Quod enim viscosiore humido folliculo poris non pervio, in sartagine tostæ, cum stridore disruptæ, exsiliant, vel cuivis cum notum sit, quis dubitet, crudas à famelicis latranti ferventique stomacho infarctas, corpore præsertim duriore non minus, tumultuaturas; Hic autem nobilissimus Eques ex honoris & oneris sui molestiis, cum Signifer esset, hoc malum paulatim mutuatus fuerat: quod diutius fere semper equo adhærens, & in mediis turmis oberrans, naturæ sæpius urgenti vim facere coactus fuerit, flatibus cum excrementis diutius reten-

retentis. Nam & hoc infelix militia in se habet: quod sub dio & in luce hominum versantibus verecundia plus nonnunquam negotii facessat, quàm Turca ipse: quod secessus secretiores ipsa castrorum conditio penitus repudiat. Videas igitur nonnunquam liberaliter educatos viros primarios, equis adornatis, longissime se ex conspectu hominum proripuisse: pedites quoque non prorsus caudices longe recessisse: quod tamen quanto cum naturæ detrimento fiat, satis constat. Eadem vis cum sæpius à Domino nostro patiente naturæ illata fuisset: tandem coorta diuturniore constipatione, fecibus induratis, Colica, flatulenta quidem, sed permolesta, ad triduum correptus fuit: quæ tamen errore externo quodammodo irritata fuit. Avenam in aqua ebullientem cum linteis duplicatis ventri imposuisset, & æger aëri semet exponens ob dolores infestiores refrigeratam massam nocte concubia sibi reinjecisset, torminibus longe vehementioribus exagitatus fuit. Cum tamen summo diluculo Clysterem anodynum admisisset, obstructione reclusa, discussisque ventositatibus ipso momento melius se habuit: & post meridiem altero enemate infuso, perque tres horas priusquam erumperet, moras nectente ventre, salubriter emollito, cum circa umbilicum ol. nostro laurino inunctus fuisset, belle convaluit: reliquos iisdem morbis correptos ad æque profutura media exhortando.

SCHOLIA.

Quæcunque præter & contra naturam intestinis accidere possunt: Causæ, Morbi & Symptomata: illis omnibus castra necessario succumbunt. In his autem, qui Epidemice quasi grassantur, sunt alvi fluxus omnis generis, & horum plerumq; prodromi colicæ, de quibus nunc, de illis in sequentibus. His autem semper vehementissimis nulla re dexterius, citius, tutius & jucundius, in castris præsertim aciem obvertes, quam clysteribus, sed illis ad hos usus promptis & expeditis, moxque, quod semper ferè ob dolorum acerbitatem flagitatur, dolorem sedaturis. Hoc ut consequare, diu ante ratione modoque, quem subjungemus instructus, ea tecum deportes: quæ, necessitate urgente, nunquam satis citò parari, interdum verò nullo modo comparari, malisque urgentibus opponi, possunt. Et primo quidem non sine gravi consilio in tormentis colicis clysteres, ex decoctionibus, & electuariis purgantibus, castris exturbandos suadeo: quicquid ob dolorum vehementiam ægroti occlament. Hi enim nimis interdum molles fractique, interdum doloribus evicti vel cicutam plenis buccis devorarent: dummodo ad breve tempus à tantis Furiis respirare possent. Horum lamentis ne nimium commovearis: ut opij incorrectis massis, vel Philoniis, & requiebus dolores stupore inducendo compescere festines, moneo. Qui enim tunc morbo sæviente pugionibus se confodi, sclopetisque se trajici flagitaverint, brevi post, mente prorsus mutata, necem tibi comminari, dirasq; precari audies: si paulum pharmacis sanitatem læsam offensamq; animadverterint. Plures enim, qui rectè ob nervos tendinesque exarescentes & corrugatos, manibus pedibusque absque ullo motu flaccescentibus contracti vocantur, cùm in regionibus viniferis obviam habeant, qui prægressis cruciatibus Colicis primo labem assignant, non immerito de subsecutura contractione sibi cavere volunt. Et sane, si per plures continuasque injectiones & clysmata, intestina sæpiùs eluantur, sic ut marcorem quendam induant, nativumque, & natura solertissime dispositum mucorem, viscididatemque toties abrasam tandem amittant, decoctiones verò ex herbis diversis exhalationes subtilioribus vasis, quę humoribus occlusa essent, immittant: evenit utique, ut vel ex hoc solo calamitosæ, diuque duraturæ paralyses subsequantur. Videas igitur passim in ipso ætatis flore utriusque sexus homines resolutos contractosque: quos omnes intolerantia paulo delicatior, quod mori maluerint, quam ad breve momentum dolores mitigandos perferre, in tantas miserias conjecit: ut alienis manibus & pedibus vitam ducere cogantur. Has autem Syrtes sæpiùs effugerent, nisi Medicos interdum nolentes ad dolores tollendos & prorsus eliminandos, summe semper noxiis e utatibus, vi cogerent. Sunt sane dolores Colici immanissimi; longe tamen, secundum majus & minus, inter se dissidentes. Nollem igitur quibusvis decoctionibus carminativis, dolores mitigantibus, purgantibus denique & quidem salsugine nonnunquam nimia, alvum irritantibus, ac intestina excoriantibus, passiones colicas consopiri: cum tutioribus, & contractiones non introducturis remediis, malo commodius obviam iri possit. In tutissimis autem agnosco clysteres, ex puris putis oleis nulla humiditate prorsus admixta constantibus, & ad usum castrensem hoc modo paratis. Sesquicentum libras olei communis & laurini, partibus æquis recipiebamus: in his mense Junio, quo florentissima Austria præ reliquis cis Alpinis terris cunctis ferè simplicibus viret, vigetque, herbarum aperientium, emollientium, laxantium, abstergentium, deoppilantium, & flatus discutientium manipulos virides tamdiu decoquebamus: donec omni prorsus consumpta humiditate oleum solum remanebat. Conquisierat hoc ex herbis simul ebullientibus aromaticum quendam odorem: consistentiam paulo crassiorem: sic, ut exterius jucunde in cunctis passionibus colicis pro unguento anodyno uti possem. Hoc vasis cypriis, stanno obductis exceptum tanta commoditate deferri, inque miserorum ægrorum salutem erogari potest (in cunctis ferè ventris inferioris morbis) ut nihil ferè supra. Quoties enim ad hanc aram confugiendum est, illico libram plus vel minus hujus Panacææ modico Vulcano tepefaciendam, syphone injicere poteris: è vestigio miras & suaves illius operationes experturus. Foris verò circa umbilicum eodem calido admoto, cuivis Æsculapio æquabere: cum ventositates, murmura, tormenta & contorsiones intestinorum, modo alvus tepide foveatur, quasi silentio injuncto, apud plerosque conticescere soleant. Quinimò sola vesica, cui clystere injiciendum inclusum fuerat, ob doloris atrocitatem, umbilico satis calide impositum, apud nobilem quendam, dolores omnes colicos ita mitigasse vidi; ut, alvo relaxata, per se erumpentibus flatibus, illius injectioni supersederemus. Imò cum ob nimium infestos dolores qui-

dam cerevisiam calidam, loco butyri, tanquam unguento potabili viridi, condivisset, & illam satis forti haustu absorpsisset, alvo lenita, plures quam viginti vermes maximos per inferiora rejecit. Oleum enim laurinum tam illitum, quam assumptum, peculiari quadam vi vermibus resistere nemini non notum est. Hic autem vermibus, intestina lancinantibus rejectis, confestim quoque ex doloribus (quos, sed falso, iliacos esse putarat) reconvaluit: nec ab illo usque tempore, cum mense Majo Anno 1601. idem non longe à Sopronio hæmorrhagia interiret, de torsionibus aut passionibus ullis, quæ prius ob vermes, quotidianæ erant, est conquestus.

Inter omnes, qui atrocissimis Colicis cruciatibus excarnificabantur, omnium maxime, Strenuissimus Locum tenens Equitum nobilis à Tschirnhauss, &c. cujus memoria sit in benedictione, torquebatur. Tam enim atrociter desæviebant: ut ex vitrea pituita, omnium frigidissima, illos exaggerari statuerem. Nec enim ad breve momentum dolores remittebant: Domino Patiente continuis vigiliis & torsionibus vix non ad mentis abalienationem deducto. Huic quamprimum sesquilibram oleorum, cum procerioris staturæ habitusque corpulenti esset, infundi jubebam, actu, quantum fieri potuit, satis calentem: quod frigidissimum phlegma nulla re magis, quam calore actualiter infrigus agente, frenari coërcerique possit. Foris quoq; venter imus, præsertim circa umbilicum, anodyno nostro inungebatur: stragulisque injectus quamdiu fieri poterat, clyster retinebatur. Interno autem externoque calore coingruentibus madore commode superveniente, cum per plures noctes pervigiliis defatigatus fuisset, paulò plus placide obdormivit, sic ut expergefactus, clystere tandem reddito, doloribus omnibus prorsus consopitis, ab inferorum portis ad vitam quasi revocatus videretur. Abraserat autem Enema diuturniore mora phlegmatis vitrei magnam vim: qua penitus abrasa, dolores omnes (sublata caussa materiali & efficiente) licet alias summe efferos lethalesq; tam subito disparuisse minime mirandum est. Cum autem etiam hereditario quasi jure colicis doloribus facile succumberet, ut deindè quantum fieri posset, ab omnibus pituitæ vitreæ materiam surrogantibus abstineret, eundem exhortabar. Hoc cum per biennium ex præscripto nostro pro virili observasset: tandem tamen Anno 1602. in motibus illis Transylvanicis compescendis occupatus, cum ob errores in diæta, multis præsertim peponibus comestis, alvo duriore in acerbissimas passiones colicas reincidisset, brevibus sed continuis & infestissimis doloribus prostratis viribus ita exhaustus est, ut septimo die sacris prius Christiano more expiatus, fatis concesserit, apud plures ob varias corporis & animi dotes flagrans sui desiderium relinquendo. A primo autem morbi fatalis funestique limine ad ultimum agonem usque, suspiriis ex imò corde ductis, cum remedia omnia, nec morbum, nec sævissima symptomata, vel minimum mitigarent, ad has sibi tam salutares, & ipso momento juvantes, medelas, quibus hoc 1599. anno curatus fuerat respexerat: seque certò, si modo illarum denuo compos fieri posset, sanitatem recuperaturum confirmarat. Hoc autem licet non perpetuo verum velim, tamen his ipsis clysteribus eo, quo supra dictum fuit, modo paratis, in colicis, & omnibus fere intestinorum malis, in castris & Ungaria præsertim, primas semper, ipsa nobis experientia liquido suffragante, defero: Cum & hoc utilitatis secum ferant: quod tuto applicari, citò parari, jucunde verò morari & munus suum præstare possint & soleant. Ad peponum esum quod attinet, quibus piæ memoriæ à Tschirnhauss, &c. Semet intoxicaverat, mallem non assuetos ab ejusmodi delitiarum frequentiore esu sibi temperare. Palato quidem apprime blandiuntur, & meraciore defecatoque potu superfuso jucunde refrigerant & humectant: quod utraque frigiditatis & humiditatis summæ qualitate plurimum excellant. Hac autem diarrhæas, ubi laxiores alvos, illa passiones colicas, ubi constipatas adeptæ fuerint, prompte excitari posse satis constat. Hinc minus mirum, si ex unius etiam peponis, vel parum, aut nimium maturi (uterque enim æque insalubris, cum ille crudus, hic flaccidus, & ad putredinem dispositus sit) comestione pro dispositione assumentis, modo obstructiones, modo ventris turbationes, excitentur. His enim, inter multos alios, magno Reipub. Christianæ damno diarrhæis è medio sublatus, Illustrissimus Carolus Mansfeldius intempestive succubuit: cum post felicem cum Turcis conflictum, exæstuanti hepati fortiorem haustum, stomacho languenti peponem permaturum, sacharo, ut moris est, conspersum obtrusisset. Nam his inter se concurrentibus ἀσυμμετρίοις facilè effectum est, ut humoribus, diversimode commotis, hepatis parenchymate vix non prorsus dissoluto, lethales alvi commotiones, ad finem usque vitæ, desævierint. Restat ut de stercore lupino, cui alias in doloribus Colicis compescendis magna vis ascribitur, brevibus submoneam: Illud non nisi corpore per Enemata secluso in usum admittendum. Cum enim inter plures alios etiam hic Dominus Tschirnhauss noster in vino generoso sesquidrachmam illius, ventre prorsus constipato, epotasset, non modo non melius, sed longe pejus deinde se habuit: quod apud plures alios usu venisse sum expertus. Subscribendum igitur ejusmodi medicamentis semper cum ratione methodica medendi summè consultum puto: quod natura morborum & symptomatum tyrannides etiam expertissima sæpiùs alias in similibus morbis remedia non sine causa fastidiant.

SCHOLIA.

Ut omnibus morbis Ungariæ castrorumque importunitas iniquissima est: sic præsertim passionibus imi ventris invisissima, imò sæpius exitialiter lethalis esse solet. Væ igitur illis, qui colicis iliacisque doloribus aut profluviis diversissimis & vulgatissimis, correpti fuerint, si non duplici ratione se tueri conabuntur. Harum prima est: ut sedulo semetipsos respicientes omnes eo nervos intendant, ne quid temere committatur: quod deinde nulla ratione corrigi possit. Altera est, ut quisque de fido Achate & circumstantibus, in ejusmodi malis, summopere desideratis, mature sibi prospiciat. Quot n. hominum millia duobus his lustris morbis

bis è medio sublata scio, inter illos homines, qui nisi omni ope humana, interdum etiam minima, destituti fuissent, facile evadere potuissent. Non est igitur, ut tantum cœlo soloque hostili, quod cum reliquis Europæ terris plurima communia habet, funestiores expeditionum eventus asscribantur: cum homo homini Sathan ubique locorum esse possit. Sunt sane hac in parte mancipia Mahometica, nobis Christianis longe sibi fideliora, & magis devincta: cum non modo in decurias descripti, tam scite dispositis officiis alter ad alterius placitum se accommodent; ut sanitatem facile tueantur, sed morbis quam minimis correptos, summa fide & plus quam fraterna benevolentia complectantur. Dum n. hic tentorium solo affigit; alter aquatum, tertius lignatum, quartus pabulatum tendit: quintus penum instruit: sextus coquum agit: reliqui imperando & faciendo sunt occupati: summa frugalitate simul comessantes hoc assequantur: ut aut injurias morborum facile à se repellant: aut eosdem obrepentes partim abstinentia, partim mutuis officiis citius evincant. Ut igitur Turcæ nullis fere intestinorum torsionibus vel profluviis obnoxij esse solent: sic nostrates à summo vertice ad imos talos usque (ut dicitur) inter se dissidentes, ejusmodi Furiis Epidemice quasi succumbere & occumbere coguntur. Mespila enim, castaneæ, avellanæ, vuæ, pepones, poma & pyra, pruna, fructus denique fugaces omnes, cum miles noster in delitiis agnoscat, & illos vesana prorsus incontinentia ingurgitet: quis mirabitur, corporibus pravorum, acrium, mordacium & impurorum succorum sentina coinquinatis, ingluviei helluones pœnas summe meritas dare. Mespila quidem quod etiam ad quasvis diarrhæas faciant, modo cum ratione fuerint comesta, dudum diximus: quod vero sedibus naturalibus impeditis Colicas, imò iliacas passiones, si præsertim ciborum potius ad sanitatem, quam bellariorum ad voluptatem ratione, devorata fuerint, excitare possint, cuivis est in confesso. Nocentiores his Castaneas proclamamus: cum vel solæ flatulentæ suæ viscositatis procellis spatiosos coli anfractus distendere & distorquere possint, crassioris suæ substantię saburra graciliores meatus infarciendo, Avellanas autem fruticetis colurnis passim obvias familiare quasi dysenteriis & lienteriis fomentum præbere, nemo nescit. Uvas autem, & illas aut subausteras, aut permaturas, has diarrhæas, illas tormina & intestinorum erosiones inducere, per se liquet. De peponibus tamen, in Austria *Plötzer* dictis, in Ungaria longe humidioribus & vix non maligniore qualitate imbutis, paulo disquiramus: cum sæpius incautiores, & qui tam suspectas cupedias potius ex inescamento gulæ, quam ex damno subsecuturo metiuntur, ejusmodi delitiis, priusquam animadvertant, circumveniantur. Alit Ungaria, & quidem in copia profert pepones, ingentis aliquando molis: qui mense præsertim Augusto à summæ & imæ conditionis militibus maxime expetuntur. Et est sane singularis munificentiæ Dei paternæq; providentiæ exemplum: quod vinis, præsertim sub Sirio nimium effervescentibus hæc humiditatis & frigiditatis jucundæ, licet in excessu contemperatę delitiæ ex diametro opponantur, sic ut apud assuetos & cum calida, siccaque intemperie colluctantes, peponum usum minime redarguerim, imo commendaverim, modo non sub melle venena delitescant. Vocabar n. Anno 97. sub Illustri Domino D. Comite de Hollach, &c. ad præfectum quendam selectissimæ turmæ Norimbergen. qui cum post meridiem satis magnum peponem comedisset, & haustum vini dilutioris Rhenensis, cui semper ob longinquius iter cum Neptuno res est, superbibisset, syncope correptus illico obmutuerat: sic ut extreme refrigeratus, & sudore frigido erumpente, animam agere videretur. Cum n. ob maximam cognationem, quam os ventriculi præ reliquis omnibus humani corporis partibus cum corde obtinet, frigidus humor, stomacho impactus, & haustui, forti quidem, sed aquoso supernatans, ob vicinitatem cor violenter afflasset, tam gravia symptomata insecuta fuerant. Astantes autem licet de toxico exhibito tumultuarentur quod nudiustertius hostili cœnæ interfuisset: tamen cum belle se antea habuisset, ut ex rejectis corticibus, caute quid factum esset, subodorarer, tribus guttis extracti croci, Aloës & myrrhæ in cochleari vini, cum paulum post frictiones se recollegisset, exhibitis, enormis vomitus simul cum frustis integre fere ob lubricitatem deglutiti peponis erupit, quo vix cessante recte se deinde habuit: cum Elixir illud, quod vocant, Proprietatis, etiamsi venenati quid obtrusum fuisset, Lernam tamen omnem commovisset. Post cœnam, satis frugalem, quod ventriculum vomitu vehementiore conturbatum distendi nollem, cum prolixe, peponem tantum & vinum dilutius syncopen induxisse contestaremur, contra hoc protestabatur: quod Norimbergæ ex tribus & quatuor etiam, urgente siti, peponibus comestis, & nullo, quam Rhenano, nonnunquam Neccareo vino superhausto, nihil unquam damni sensisset, multo minus lipothymias: quas non aliunde, quam ex deleterio, clam propinato inductas fuisse suspicabatur. Postquam autem concessisset, Rhenana & Neccarea vina, quæ in Ungaria vappam potius, quam merum sapiunt, in inclyta Norimberga multo generosiora, reliquos quoque calculos facile exemi. Demonstrabam enim pepones Noricos Pannonicos longe post se relinquere: quod illi solerti cultura in apricis, & mediocriter arenosis, glareis succrescant: & ad maturitatem deducantur: isti verò, humi tantum repentes, nullo verò studio sponte sua plus ab umbrosis locis humiditatis & molis, quam à perviis radiis solaribus suavitatis & maturitatis mutuentur. Maxima enim copia peponum ex Congestis (quæ trinis Danubii alveis in plures insulas sejunguntur) ad castra deportatur: qui ob superabundantem humiditatem nunquam non suspecti fuerint. Accedit, quod ex semiputribus glebis noxium quid & virulens, tuberum instar exsugant: quod deinde non sine gravi damno vescentibus infundunt. Quinimò ipsemet cum in pago non longe infra Pisonium in iisdem Congestis de pepone vix parum gustassem, strangulationem vix evitassem: nisi forti verè Ungarici vini haustu cicutam diluissem: quod tamen factum fuisse non mirabar: postquam mihi poscenti locum, quem peponibus designarat, monstravisset. Altissimis n. arboribus opacus, data quasi opera sole exclusus ad nullam minus quã pe-

peponũ sementem commodus erat: ita quidem, ut solo sapore, qui gratior videbatur, fungis & tuberibus præferendi crederentur, ab hortulano plus satis ignavo & imperito terris extracti. Tales autem nævi in diæta castrensi cum quotidie enormiter committantur, Physicus prudens ut lyncea mentis indagine tam repentinis quod sæpe fit casibus coingruentibus circumspectet, magnopere invigilandum erit: cum nonnunquam ex unico verbulo, fortuito casu prolato, plus honoris & emolumenti, quam si summis animi & corporis contentionibus integram legionem morbis eripuisset, sit relaturus. *Thobias Coberus Observ. Medic. Decad.* ij.

Observationes.

Rondeletius Nobilem Matronam curavit, cum gravissimo dolore coli detineretur ex pituita, & nihil ad manum esset, solo vino hippocratico injecto, eodem modo, & rusticus quidam curatus fuit. *Petrus Forestus in Schol. obs.7. lib.21.*

Frigidâ aquâ usus sum in iis quorum vires robustas & partes principes illæsas deprehendi: ac scio me levasse omninò dolorem, & totum morbum nè reverteretur ampliùs, prohibuisse.

Amatus cent. 1. curat. 2. Historiam habet de muliere colicâ ex calidâ causâ laborante, quæ ex potũ aquæ frigidæ, subitò incantamenti instar dolore levata est, non ampliùs redeunte.

Idem quoque in filio Falconis colica à causa calida laborante, gelidam dedit, & insuper pannum lineum frigidâ aquâ immersum, ac manũ pressum umbilico admoveri jussit: necnon die papav. in rotulis dabat, ac desuper aquam Endiviæ, quibus paucis intrà triduum sanus factus est, non sine multorum admiratione, & artis medicæ decore. *Petrus Forestus Schol. Obs.12. lib.21.*

Religiosus quidam obnoxius erat colicæ biliosæ diuturnæ & contumaci, quæ sæpe recurrebat cujusdam consilio, sumpsit manè frustum butyri recentis, superbibendo parùm vini, hoc remedio per longum tempus continuato, ab affectũ liber & immunis evasit. *Laz. Riverius observ.71. cent.2.*

Jacobus Finkius avunculus meus suspiciendus, dolore colico torquebatur, canis milesius ventri impositus, qui cùm incaluisset, urgebat exitum, vomuit vehementer, & tormina avunculi remiserunt.

Ancilla ejusdem in dolore dentium, eundem canem genis apposuit, sensitque levamen, sed canis dolorum impatientia hinc indè cursitare & latrare cæpit. *Thomas Bartholinus hist.53.cent.6.*

Adolescens biliosissimus vigente hyeme in colicum dolorem incidit ita atrocem, ut ingenti dolore sitique oppressus velut amens, tres dies insomnis duceret, vocatus usus sum sectione venæ, refrigerantibus clysmis, frigidis Julapiis, & aliis quæ furentem & acrem bilem mulcerent, ac lenirent; sed cùm dolor ingravesceret, sitis urgeret, ex nive Emplastrum parti dolenti impono, & gelidissimam cum saccharo ad satietatem bibendam offero; non transierat hora, quin se sanum repentè exclamaret, ita ut eodem victũ frigido nutritus, à dolore securus evaserit. *Zacutus Lusitanus observ.25. lib.2. Prax. admirand.*

Aulicus quidam incidit in dolorem colicum gravissimum: ad cujus sublationem, primò injectus est clyster emolliens & purgans, posteà carminans & evacuans, cum terebinthina à quo levatus est, sed brevi dolor rediit tandem in decocto carminante dissolvi jubeo aq. benedic. ℥iv. Diaphæn. ℥j. à quo quater dejecit pituitosa multa & omninò liberatus est.

Eodem clystere & alter à simili dolore sanus evasit *Lazarus Riverius observ.67. cent.1.*

Vir quidam quadragenarius gravissimo dolore colico correptus est, qui neque clysteribus laxantibus, & carminantibus, etiam cum aqu. benedicta, neque fomentis ac semicupiis intrà 24. horas usurpatis sedari potuit: eoque continuò sæviente sequentes pilulas præscripsi.

℞. Aloës opt. ℨj. diagrid. gr. viii. laudan. opiat. gr.v. F. pil.vi. deauratæ, has sumpsit media nocte, manè horâ quartâ dolor protinùs quievit, & per diei decursum purgatus est quinquies, sicque omninò liberatus. *Lazarus Riverius observ.1. cent.2.*

Juvenem quendam 18. annos natum colico dolore acerbissimo laborantem invisens, statim præscribo ad inmanem dolorem coërcendum, quem vix sustinere poterat, laudan. opiat. gr. vi. quibus intrà duas horas dolor omninò sedatus est nec in posterum rediit. *Lazarus Riverius observ.12. cent.1.*

Mulier quædam subitò correpta est doloribus vehementissimis ventriculi & lienis regionem occupantibus, qui neque fomentis, neque pergatione, sedari potuerunt: sed phlebotomia celebrata satis larga manu è brachio sinistro statim evanuerunt. *Lazarus Riverius obs.44. cent. 1.*

Mulier quædam sexagenaria doloribus colicis acerbissimis conflictata, post duos clysteres frustrà injectos. sumsit intestini lupi pulverat. ℨj. cum vino & statim dolor evanuit. Post 10. vel 12. dies, licet per Apozemata purgata fuisset, dolor rediit acerbior quàm anteà, ac licet in clystere philonii ℨij. dissolutæ fuissent, dolor non quievit, prædictus pulvis iterùm fuit exhibitus, & dolor imminutus est, ac post trium horarum spatium omninò ferè sublatus. Sed postridiè rediit acerbior quàm anteà; exhibita fuerunt Laudan. gr.v. & dolor omninò sublatus est, nec ampliùs rediit. *Lazarus Riverius obs. 86. cent. 1.*

Filiolus meus *Carolus* in ætate 4. mensium correptus fuit dolore colico sævissimo, qui clamores & ejulatus continuos ab eo extorquebat. Exhibui pulv. el. diamosch. d. ℈ß. cum lacte, quo dolor quievit per horæ quadrantem, & iterum rediit cum pari sævitia; injectus fuit clyster ex decocto anisi & chamæmi. cum vitello ovi, & saccharo, eoque dolor omninò sublatus est.

Post octiduum eodem dolore affectus est, ita acerbo, ut priori deterior appareret. Sumpsit pulverem sed frustrà: Injectus fuit clyster prædictus etiam frustrà, tandem admoveo fotum toti ventri ex decocto anisi & Chamæm. in aq. vitæ, prima applicatione dolor omninò desiit, sequenti iterùm rediit dolor, eoque aliquantulum prædictis remediis mitigato, postero die manè exhibita fuit syr. rosَ. ℥j. quem assumendo, vomuit pituitam instar albuminis ovi, sed nihil ferè dejecit, tormina recurrebant. Iteratus syrupus cum ℨj. infus. Senæ, etiam parùm

præ-

præstitit. Tandem exhibui pulverem comitis ad ℈ß. cum lacte, eoque blandè ac copiosè purgatus est, & ab hoc affectu omninò liberatur. *Lazarus Riverius observ.27. cent.2.*

Quidam gravissimo colicô dolore excarnificatus triduum integrum, cùm nullis anodynis levaretur, sumpta ʒj. pulv. intestini lupi cum pauco vino generoso, incantamenti instar in pristinam valetudinem erectus fuit. Mille alios colica laborantes hoc unico medicamento restitui, nullo injecto clystere, aut cathartico sumpto; quod admirationem fovet. *Petrus Pachequus observ.2.*

Quidam retulit mihi se colico dolori obnoxium fuisse per multos annos; quo frequenter affligi solebat, ab eoque liberatum sequenti remedio, unâ tantùm vice assumpto; ita ut nunquàm deinceps in eum inciderit, & plurimos alios, quibus idem remedium communicavit, fuisse etiam liberatos.

Hoc remedium est dolij obturamentum, ex subere confectum, quod per plures annos huic usui inservierit, atque adeò probè vino imbutum sit, illud autem suber igne comburendum est, ejusque cinis exhibendus cum vino albo ʒj. pondere, urgente dolore; *Observ.7. observationum à Riverio hinc inde decerptarum.*

Nobilis quidam 40. annorum tam sævissimis coli & Ilei intestinorum doloribus torquebatur, ut mortem sibi ipsi consciscendi omnem captaret occasionem. Ego accitus dolorem hunc immanem multis ritè adhibitis pharmacis demulcere sedulò dedi operam, sed frustrà, tandem tale decerno Enema.

℞. Juris pisorum ℥viii. aq. nostræ benedict. ℥iiß. Sacch. ʒß. ol. communis ℥iv. M. simul. S. A. & injiciatur quâvis horâ recrudescentiæ doloris calidè. Ex hujus clysteris repetitione miraculosè omni sopito dolore, & causa doloris noxia exclusa convaluit. *Martinus Rulandus curat.22. cent.6.*

Vir quidam coli dolore infestè cruciatus, liber & sanus illicò evasit per sequens infusum catharticum.

℞. Trochisc. alhand. pulv. ʒj. seri lactis. ℥x. Macerentur per noctem in loco calido, fiatque infusio: de qua colata bibit calidè ℥v. sedens in balneo aquæ dulcis tantundem bibit & fecit sequenti die; & statim sanatus est *Martinus Rulandus curat.61. cent.10.*

Vir quidam patiebatur sævissimum & crudelissimum dolorem colicum, cum cibi potusque vomitu, hunc ita sanabam.

℞. Spiritus vitæ aurei ℥j. hoc valdè est expurgatus, atque indè quievit dolor. *Martinus Rulandus curat.5. cent.3.*

Studiosus quidam 18. annorum affligitur colico dolore, sanatur à me unico die hoc modo.

℞. Extract. Esulæ ʒß. aqu. font. claræ ℥iv. M. Fiat. Haustus colandus. Colaturam bibit calidam, qua probè expurgatus est cum colici doloris remissione, altero die iteravit hunc haustum, & integram obtinuit sanitatem. *Martinus Rulandus curat.45. cent.7.*

Aurifaber quidam colica & diarrhæa subindè corripi solitus, hoc facili remedio illicò se curat, sedendo nimirùm per satis longum tempus super incudem probè calidam. *Honoratiss. D. Robertus Boyle libro de utilitate naturalis Philosoph. Part.2. sect.5. cap.14.*

℞. Jusculum cum allio & oleo olivarum, & calidè hauriatur cum vini optimi dimidia parte. Sæpè enim expertum est. *Petrus Borellus Observ.92. cent.4.*

Multos qui colicâ graviter affecti essent curabat medicus quidam experientissimus facillimo hoc remedio. Stercoris suilli globulos VI. VII. aut IX. solvebat in vino opt. colabat, & fortiter expressum infusum propinabat. Quibusdam præterea exhibebat magno emolumento pulv. compositum ex part. ij. rasuræ ossium dactylorum & part. j. pulv. ovorum ex quibus pulli fuerint exclusi. *Hieronymus Reusnerus observ.178.*

Syrupus ex aqua vitæ paratus cum Saccharo in crudis humoribus tormina excitantibus mirificè contulit. In colico dolore præsertim circa ventriculum vexante, conferre dicunt jusculum ex succo Amygd. d. cum granis aliquot piperis longi ex vino Hippocratico pauco.

An in colicis doloribus sectio venæ? imò præsens remedium si à bile esse videtur cavendum à medicamentis validis, & usu linteorum impensè calidorum. Tepore juvantur, & thermasmate. Syrupus violatus confert imò & usus lactis recens mulcti aut calidi *Guil. Ballonius lib.1. Epid. & Ephemer.*

Vidimus cuidam acerbitate doloris colici detento placatos esse dolores adhibito umbilico modico Emplastro caustico, & veluti escharam faciente, & intus foras evocante quomodò etiam in doloribus dentium de foris extremo maxillæ inferioris Escharoticon miro profectu applicant quidam. Pericula ista nos debent cautiores & scientiores reddere ad excogitanda affinia remedia, sed illis aliquantò tutiora. *Idem ibidem.*

Efficax ad colicam est oleum Saponis. Quod sic paratur.

℞. Saponis Hispan. part. j. calcis vivæ part. ij. distillentur per alembicum vel retortam, oleum ab aqua separetur, cujus guttæ VI. vel VII. umbilico cum Gossipio imponantur. *Sennertus Pract. lib.3. part.2. sect.2. cap.2. & instit. lib.5. part.3. sect.3. cap.6.*

Superato Catarrho quidam Colicam passus est satis molestam, quæ circa vesperam incrementum sumpsit: ante invasionem ab assumpto cibo per vomitum aliquot libras rejecit aquæ limpidæ, sine chyli crassioris admixtione: Causa colici doloris mihi visa est chyli crassities, quæ liquidi seri defectû, quum libero cursû per intestina ferri non posset, tormina concitavit. Presbyterum novi colicis doloribus divexatum, qui superveniente vomitû aqueæ materiæ sanatus fuit: unde hydragogorum usus non rarò advocandus in colicis torminibus, quorum beneficio sæpè per alvum liberavi ægros. *Bartholinus cent.5. observ.58.*

Puella bimula ordinatis doloribus torquebatur circa inguina, ut nec cubans, nec sedens, nec stans, nec ulnis gestata dolorum requiem sentiret: redibat iste dolor statis vicibus à decima vespertina ad XII. interjecto tempore diurno, nocturnoque sana erat, tertio paroxysmo finito, nulla manifesta crisi apparente, posteà immunis vixit: vermium nulla fuere indicia. Flatulentam igitur colicam fuisse nullus dubitavi, in musculis potiùs abdominis delitescentem quàm in colo, alvus enim ex voto re-

respondit: Inunctione abdominis ex oleo absinthi & cumini destillato, & exhibita theriaca in aqua cornic cervini, sublevavi ægram. *Idem Histor.* 59.

Balneator Viennæ postquàm tribus annis quadrantibus gravissimâ discruciatus fuisset colicâ, plurimaque perperam adhibuisset, malumque acidulatum usû exasperari videretur, imò ejusdem uxor juvenis etiamnum eodem affatû nuper defuncta fuisset, idem fatum horrens me accersit, Hic toto corpore convelli cœpit, ita ut ominarer materiam ad nervosum genus translatam Paralysin inducturam, hoc nobis mali facessere; Convulsionibus per medicamenta sedatis, vinum Guajaci, ex *Amati cent. curat.* 32. præcepto, pro eliciendo sudore, per quinque dies ordinavi, & ex toto restitutus fuit: sine dubio colica fuit à pituitosis humoribus flatuum seminariis, intestina occupantibus, qui civino isto diaphoretico liquefacti, & per sudores resoluti sunt. Intejiciebantur quandoque laxativa. *P. de Sorbait. Ephem. German. anni* 3. *pag.* 487.

Pharmacopæus annos 40. natus retulit mihi se per multos annos colico dolore vexatum, nullum aliud remedium inveni se præter hydroposiam, & quamdiù in ea perseverabat, prorsùs incolumem permanere, quoties verò ad vini usum redire voluerit, intra biduum eodem affectû correptum esse: Meo judicio non à bile simpliciter colicus dolor excitabatur, sed majori parte ab humore melancholico, humori bilioso permixto, cùm dictus Pharmac. temperamento melancholico à prædominio præditus sit: Cùm autem melancholia jugiter à liene in ventriculum effundatur, aciditate suâ vinum assumptum inficit, & ita vinum confestim in ventriculo acescit, ac morbi causam auget: si verò humor biliosus morbi causa existeret, ab aquæ potû quidam corrigeretur, sed vini usû tam citò affectum non suscitaret, quia vinum bilis qualitates tam citò non inducit sicut melancholia, quatenus facilè acescit, non amarescit. Conjecturam auget, quòd dictus Pharmac. cum paroxysmo collicæ corripitur, acida per vomitum rejecit, non autem amara. *Riverius cent.* 4. *observ.* 49.

Testari possum me sæpiùs observasse iis quibus cibi in ventriculo acescunt, omnia remedia irrita fuisse quamdiù vinum potarent, eo autem dimisso è vestigio sanatos fuisse; Et vice versâ, quibus os amarescit, aquam admodum inutilem inveni, & nihil magis eis contulisse quàm merum in paucâ quantitate assumptum. *Martianus comm. in v.* 434. *lib. de vet. Medicina.*

Generosus Dominus Starckenburch, Legionis Groenin gensis Præfectus, vir quadragenarius, mediocriter fortis, temperamento frigidiore ac pituitoso præditus, mense Septembri vehementi colicâ passione correptus fuit. Habebat ventrem à flatibus valdè turgidum, quos tamen neque sursùm, neque deorsum emittebat: maximi dolores intestina dilacerare videbantur. Conquerebatur etiam dè summa cordis anxietate, quâ tantoperè premebatur, ut sudore frigido totus perflueret. Quia autem æger à flatibus penè disrumpi videbatur, ac citissimo subsidio opus habebat, sequens enema præscripsi, quod vesperi horâ undecimâ (quo tempore vocabar) injectum fuit.

♃. Decocti emollientis lib. 1. Elect. diaphænici, hieræ picræ, ana unc. j. s. olei anethini, chamæmelini, ana unc. j. salis communis drach. j. Misce, fiat clyster.

Hoc enema post horæ quadrantem absque ullo fructu rursùs dejecit, nullis nec flatibus nec fæcibus subsequentibus: quapropter illud paulo post de novo injectum, atque ut ante sine utilitate emissum fuit. Eo tempore æger nauseabundus aliquantùm bilis cùm tenaci pituitâ evomuit. Circà horam sextam matutinam aliud enema hoc modo præscripsi.

♃. Herbarum Emollientium, centaurij minor. absinthij, ruthæ, florum chamomillæ, anethi, ana m. s. sem. anisi, levistici, ana drach. ij. Cumini, baccorum lauri, ana drachm. j. s. coquantur in aq. communis q. s. ad lib. 1. in colatura leviter ebulliant foliorum senæ unc. j. deinde exprimantur, & addendo, Elect. hieræ picræ, diacatholici, ana unc. j. s. olei chamæmelini anethini, ana unc. j. salis communis drachm. ij. fiat Enema.

Hoc injecto multa excrementa cum plurimis flatibus subsecuta sunt. Posteà rursus nauseabundus fuit, & multùm bilis ac pituitæ tenacis cum levamine evomuit. Bis eâ die jusculum pulli cum hordeo mundato, corticibus citri & arantiorum coctum, sumpsit, & modò ptisanam, modò cervisiam tenuam pro potu bibit. Vesperi hic bolus exhibitus est, à quò sequenti nocte nonnihil dormivit, & dolores egregiè sedati sunt, ac postridiè alvus ter cum levamine exonerata fuit.

♃. Electuarij nostri anticolici drachm. j. Aloës lucidæ scrup. j. Misce, fiat bolus.

Hic Bolus posteà adhuc ter alternis diebus reiteratur fuit. 7. Octobris, cum alvus per triduum rursùs constitisset (intermisso usû dicti boli) dolores colici de novo increverunt, tunc, quia æger à clysteribus aliquantùm abhorrebat, haustum leniter purgantem exhibui, à quo multùm bilis & pituitæ sursum deorsumque exoneravit. 10. Octobris, alvo rursùs nimiùm constipatâ, enema injectum est. 13. Octobris etiam advocatus fuit. Dom. Harscampius, Medicus peritissimus, atque tunc communi consilio, ad sedandam nauseam exhibuimus bis aquæ cinnamomi cochleare unum, cum olei cinnamomi gutt. ij. atque hoc sequens linimentum ventriculi regioni illinendum præscripsimus.

♃. Olei nucis moschatæ expressi, laurini, ana drach. j. anethini, fœniculo distillati, ana scrup. j. Anisi gutt. iv. Misce, fiat linimentum.

Vesperi assumpsit bolum anteà præscriptum 16. Octobris rursùs enema injectum est, à quo tres secessus habuit cum magno levamine 20. Octobris ad alvum subindè leviter solvendam præscripsimus pilulas ex sola Aloë lucida confectas, dè quibus tantum duas tresvè alternis vel singulis tribus diebus deglutit, quæ pilulæ tantoperè profluerunt, ut posteà aliis purgantibus opus non habuerit. 26. Octobris dedi ægro electuarij nostri anticolici unc. j. s. cui admisceveram Aloës lucidæ drachm. j. s. cujus subindè manè aut vesperi assumpsit drachm. sem. vel scrup. ij. cum summo commodo, nam stomachum corroborabat, flatus discutiebat, & pituitam simul ac bilem detergebat. Hoc electua-

ctuario postea utebatur pro præservativo, intermediis diebus subinde sumens pilulas ex Aloë atque ita tandem pristinæ sanitati restitutus fuit. *Isbrand de Diemerbroëk. Curat. & observat. Medicin.* 49.

Spectabilis quidam (Septuagenario major, sed adhuc vegetus) Veteris Civitatis Scabinus, & Aromatarius opulentus, vendens cuidam Nobili Polono nonnulla aromata, flatus alvinos cum fecibus diutius retinuit, ex quâ retentione in constipationem alui incidit, quam colici dolores exquisitissimi consecuti sunt; quorum neque hi vel anodynis vel carminativis, tam internè quàm externe adhibitis sedari; neque illa purgantibus aliquoties in diversa forma assumptis, enematibusque fortissimis solvi potuerunt, donec tandem sequens potiuncula amara & constipationem & dolores unà sustulit, quæ talis fuit.

♃. Pulpæ Colocynthid. in petia ligat. ℈ ß. Flor. Chamæm. nostr. Centaur. min. Veronic. ana p j. capit. papav. num. 1. Cinnamomi el. ʒ iß. Sem. anisi ʒ ß. f. Decoctio in s.q. aquæ chamæm. Colat. ℥ ii ß. admisce olei amygd. d. sine igne recens expressi ℥ j. mannæ calab. ʒ ß. M. F. Potio. Tum ille post liberationem a dolore, & constipatione pertinaci, ejusmodi naturæ negotia se nunquam amplius dilaturum spopondit. *Simonis Schultzii.*

Vere sanè Experientissimus Scorbuti Indagator, sedulusque ejus observator, *Doctissimus Eugalenus* libro de Scorbuto, *Observ.* 50. ita scribit: Tam varij sunt affectum quos hic morbus edit, ut minimas omnium differentias numero comprehendere non magis possibile sit, quàm arenam maris numerare. Numerosa scilicet est symptomatum in Scorbuto collectio, quæ tamen non omnia in omnibus, sed hæc in isto, illa in alio subjecto se offerunt. Modo enim plura & graviora, modò pauciora & remissiora observantur: Scilicet pro peccantis materiæ quantitate, qualitate & loco, quem occupat. Quo etiam diutius duravit Scorbutus, eò pluribus & vehementioribus est stipatus symptomatibus: quanquam *Johe Petr. Lotichius* Medicus, Philologus, & Poeta insignis observ. propr. lib. 4. c. 6. Observ. 6. Signa Scorbuti Pathognomonica nimis angustis canulis coarctare videtur. Nos inter alia ejusmodi, in Scorbuto etiam gravissimos dolores colicos apud ægros sæpè observavimus, qui neque selectissimis anodydinis sedari potuerunt, præsertim in optimo Viro Casparo Wendland, cive Elbingensi & Pharmacopæo Regio Expertissimo, quem ferè ad finem vitæ vehementer torserunt: tum & virgine quâdam lectissima, quæ tandem ex Colica Scorbutica paralytica facta est, sed per Dei gratiam, post usum remediorum idoneorum, tam è Scorbuto, quam paresi liberata fuit. Denique in Doctissimo quodam viro adhuc vivente, qui sæpissimè ejusmodi doloribus affligitur: qui tamen partim medicamentis, carminativis, lenientibus, & laxantibus, partim anti-scorbuticis facilè tolluntur, iterumque revertuntur, de quibus verendum, nè ingravescente ætate in dies magis ingravescant.

Monachus quidam ructibus ventriculi, ciborum fastidio, doloribus hypochondriacis flatuentis, itemque ventris constipatione ad multos dies sæpiùs infestatus, inordinatâ diætâ ut plurimum vivens, ac casei veterati & semiputridi valdè avidus, demùm ex usu lenientium & emollientium globulos tophaceos & caseum olentes per plures alvo dejecit ac meliùs se habuit. *Helvigius in Miscell. Curios.*

Desperatæ valetudinis senem pluribus annis post modica corpori, exercitia atroci intestinorum dolore cruciatum, & variis ad colicam facientibus remediis defatigatum. Colica non humerali, neque flatulenta, ut plures opinati, ait, autoritate *Julii Cæsaris Scaligeri, Guainerii ac Benivenii de abdit. Morb. causis.* Pseudo colica à calculis anfractibus intestinorum inhærentibus, laborare conjecturatus, communioribusvè nihil proficientibus, *emulsione Therebinthinata* cum decocto Foresti parata, & succo citri acuata, ac clysteribus ex sagapeno & bdellio in decocto emolliente dissolutis, quatuordecim, avellanam mediocrem adæquantes, muco viscoso oblitos, eliminavi calculos, bonumque senem à diris cruciatibus liberavi. Calculæ illos in intestinis genitos esse, quia colore, pondere, & figura à Choledochi lapillis distincti, arbitratus sum. Et enim cùm ab *Aristotele* Philos. parente, *Hippocrate, Galeno, Avenzoor, Marcello Donato, Zacuto Lusitano, Capivaccio, Foresto, Fernelio, Platero, Paræo, Schenckio, Sennerto, Bartholino,* aliisve nostri temporis, in cerebro, aspera arteria, pectore, stomacho, hepate, liene, mesenterio, utero ac articulis æquè benè ac in venibus & vesica calculi observati: Idcircò nullam, cur, positâ viscosâ, quâ intestina abundant pituitâ, veluti causâ materiali, à calore, eorundem tam innato, quàm adscititio ut efficiente, vel secundum Neotericos mucilaginoso, quo referta, accedente spiritu lapidifico, calculi in anfractibus intestinorum generari nequeant, adesse video implicantiam. *Nic. Gulielmi Beckers. in Miscell. Curios.*

Vixit in urbe vicina Vir Consularis, valetudinis adhuc satis vegetæ, etiamsi ætas tum excederet annos 78. Huic antè 20. annos & quod excurrit, subortum est tuberculum instar juglandis in interiore femoris dextri parte, paulò supra genu. Tædiosum fuit hoc non tam ratione doloris, qui erat exiguus, nisi comprimeretur, sed potius equitationis, quæ impediebatur. Consuluit Medicus apertionem, sed recusavit hanc Dn. Patiens, quod non ita pridem viderit à tumore ejusmodi capitis aperto Epilepsiam & mortem.

Contigit tandem ut dolore tuberculi per liberaliorem vini potum apud Svvidnicenses sepulto, animosior, equo domum festinaret, ita ut iter duorum milliarium, intra quinque horæ quadrantes confuerit. Domum recursus ex humoris serosi efluxu sensit apertionem. Chirurgus vocatus post mundificationem & subsidentiam tuberculi tandem consolidationem meditabatur, sed Dn. Patiens, cùm animadvertisset præter lenem eructari calculos & arenulas, prudenter neglexit consolidationem & fonticulum pisis pro more injectis tum ultra 20. annos aluit, nullis molestiis stipatum, sed & deligationi aptissimum. Cruciatus est ante hunc fonticulum crebris & atrocibus coli doloribus. Ex eo se, dum gestasset hunc, immunem fuisse mihi asseveravit. Moliri quidem subindè cacochymiam tar-

tartaream sibi periodicas afflictiones, sed sine violentia durante, mox enim solito copiosiùs exsudare è fonticulo calculos friabiles & arenulas rubras cum sero cruento. Collegit quantitatem non exiguam materiæ hujus tartareæ in veritatis fidem.

Mira crisis hæc, sed non inaudita. Lithogenesias hujusmodi exempla in partibus externis recenset. *Bartholinus cent.5. hist.anat.91.* Admiratu dignior est sudor arenularum criticus *cent.1. hist.34. Illustris quidam Vir Regius in Selandia Præfectus, calculo & arthritide, domesticis hospitibus, sæpè obnoxius, subindè in largissimum sudorem solvitur, quo non serum exsudat aut sueti per poros liquores, sed quod mireris, manipuli arenularum quas inducta manu abstergit.*

Fonticulos artificiales, ut inutiles abominatur Helmontius, sed historia hæc egregiè commendat eorum efficaciam, & credendum est, Archeum exulcerationibus spontaneis expurgando impuritates tartareas, semper intendere conservationem individui, sed ut plurimùm in locis minùs convenientibus & dolorificis, in quibus casibus ad faciliorem & securiorem consolidationem supra loca exulcerata fonticuli intercipientes suadentur. Hujus interceptionis valorem confirmat apostema spontaneum & quasi fonticulus naturalis suprà fracturam, pedis fracturæ periculosissimæ salutaris. Vide apud Bartholinum cent. 1. observ. 84. *Sigismundi Grassii in Miscell. Curios.*

Memini me quondam ex Clar. *Sylvio*, cùm in Nosocomio Lugdunensi ægroti passione colica decumbentis rationem haberet, audire, hoc malum cujusvis medicaminis nonnunquam vires eludere, difficilisque medelæ causam consistere in copia bullarum ex pituita valdè glutinosa conflatarum flatus intùs habentium: Bilem autem tum temporis sale lixivo acuatam phlegma rarefacere nimis, quò rarefacto hujus latera magis distensa, flatusque recipientia dictas bullas producere: non secùs quàm aquam smegmatis beneficio glutinosiorem redditam pueri in sphæricas bullas conflare atque formare solent: Quicquid enim ibi præstat smegma, illud in corpore humano efficere pituitam; & sicuti à spiritû calido smegma rarefactum in bullas effertur, ita bilem tanquam humorem calidum in pituitam agentem hoc munere defungi censebat. Quæ omnia, uti non à recta ratione aliena omnimodè censenda, ita quoque dictis experientia fidem fecit. Anno 1677. accersitus ad hujus civitatis incolam, qui per 5. dies cum passione colica conflictatus erat, ipsius abdomem mirum in modum distensum deprehendi: Quibuslibet medicamentis frustrà exhibitis incassum diu sudavi, incertusque fui, qui fieret, quod probatissimis pharmacis hocce malum non cederet. Cùm autem in usû clysmatum diligenter persisterem, ægrotus post aliquot dies horum auxilio excrevit massam ex multis vesiculis contextam, quarum majores juglandium, minores nucum avellanarum magnitudinem excedebant. Hæ vesiculæ tam tenaciter sibi adhærebant, ut nullâ operâ divelli possent, quin potiùs disrumperentur, mephitimque flatulentam cum fætore adstantibus valdè molestô emitterent. Hocce spectaculum quamvis sordidum non tamen sine animi voluptate diù intuitus sum, omnemque mihi evulsit hæc observatio admirationem, quare tam infelici Marte Contrà tympanitidem, colicam flatulentam (quam meritò à colica convulsiva solis humoribus acribus adscribenda distinguo) bella geramus, cùm de verò remedio dictarum vesicularum rupturam promovente adhuc simus incerti. Sanatus hoc modo noster ægrotus valet adhuc pancraticè, liber suis ex passione colica cruciatibus, cum quibus anteà tam frequenter ipsi confligendum erat. Simili modo fabri cujusdam ferrarii uxori 66. annos habenti, consilio meo quondam præfui, quæ à longo tempore astmatica & anhelosa suffocationis periculum incurrebat. Hinc perterrita omnes nervos intendebat, ut per tussim obstacula liberum aëri transitum denegantia removeret, & hâc ratione, post conatus Herculeos, laboresque incredibiles, ejecit interdum vesicam magnitudine pomi Borstorffiani flatu plenam, quæ tamen vesica propter summam glutinositatem rupturam difficulter admittente evocari vix poterat. Hoc peracto aliquot horas libero fruebatur spiritû, donec præterlapsis illis regenerata nova vesica novi laboris faces incenderet, quibus tamen cum ægrota in dies magis defatigaretur, factum est, ut exhaustis consumptisque illius viribus brevi post naturæ satisfaciens somno consopiretur æterno.

Est apud nos Huxariæ ad Visurgium civis, omnibus benè notus, quoties colica, aut ejusmodi ventris tormenta eum cruciant, subitò pulverem lapidis coctilis, in calida cerevisia aut spir. vini sumit, sudat, sicque omnes dolores feliciter debellat. Sciendum, sed non imitandum. *Christ. Franc. Paulini in Miscell. Curios.*

Georgius Sperling mercator apud nos mense circiter Novembri, ex esû flatulentorum in colicam incidit passionem, quæ per totam noctem miserum vix non ad desperationem torquebat. Ex lecto prosiliens abdomen fortiter comprimit, *ἐνκλύσιον* ei à conjuge exhibentur calida plurima, ventri sacculi imponuntur, oleis destillatis abdomen inungitur: quæ cùm omnia subitam ferre opem non possent, calefactæ fornaci fortiter abdomen admovet, calore ejus opem sibi laturus: interim me advocari jubet; accedo circa sextam matutinam, & in indusio stantem & fornaci aqualiculum applicantem invenio: monet ægrum de adventu meo uxor, & ut in lectum sese componeret, orat: ipse invertens corpus indusium circà ventris regionem totum combustum, ut flamma etiam hinc indè serperet, animadvertit: perterritus ignem manû in indusio extinguit, & in lectum sese componit. Colica passio ab injecto enemate brevi sopiebatur, adhibitis flatus discutientibus, & aliis remediis internis; sed abdomen totum ita combustum erat, ut undique vesiculis refertissimum esset, quæ Chirurgi manû per quinque septimanas tractabantur, & ægrum vix non in rabiem agebant, nam plurimis in locis suppurabatur materia, quæ ulcera præbebat dolorifica. Patet hinc, quod uti lumen majus minus obfuscat, ità & dolorem minorem præ majore non percipi: nam ubi leviter tantum pars corporis aliqua comburitur, vel potentiali vel actuali igne, molestissimus sentitur dolor; Ast hîc totum abdomen combustum non per-

percipiebatur præ intestinorum doloribus intolerabilibus. *Joan. Schmidt. in Misc. Cur.*

Anno 1683. Juvenis Rusticus 20. circiter annorum, cùm tempore messis, fervente solis æstu, siti urgentiori, intempestivo frigidæ potu, satisfacere studeret, dolores tandem lancinantes & rodentes, hic illic in hypochondriis persensit sed vagos ac iterum dispereuntes, unde iis spretis, operæ ordinariæ ulterius incubuit, sitimque ut prius frigidâ denuò sedavit, usquedum dolores atrocius sævierint; & appetitus prosterni, alvus pertinaciter supprimi, abdomen que mirum in modum distendi cœperint: vocati d. 1. morbi, bol. ex Elect. diascord. cum cinnab. antim. & laudan. op. præscripsimus in antecessum: accedentibus vero retulerunt, aquam quam pridie æger biberat, per os regurgitasse: Cætera abdomen instar tympani tensum deprehendimus, nec vel leviorem hujus contactum ferre poterat, pulsus naturali paulò frequentior; alvus respondit: Suasimus mixtur. ex aq. fl. chamom. fœnic. tinct. Castor. &c. cum pulv. ex bol. ebor. & cinnab. antim. Postridie melius habuit, dormivit, sitis remissior fuit: sub vesperam autem ingruentibus doloribus, ol. amygd. dulc. cum essent. croc. aliisque antispasmodicis propinari curavimus, à quorum usu dejecit æger, doloresque multùm remiserunt, abdomine in priore statu nihilominus permanente; perrectum in similibus & juxta usurpata tinct. antim. D. 8. morbi affinis ægroti nunciavit, ipsum modicè habere, cessasse dolores, neque abdomen ampliùs distendi: inde pulver. ex aperient. nervinum commendavimus, cujus basin constituit diaphor. mart. cum cinnab. antim. & ocul. cancr. non neglectis externè illinendis: Injectus quoque fuit per intervalla clyst. ex infus. stercor. equin. Eo singula cum successu ut ad pristinam sanitatem rediisse visus sit: abdomine prorsus detumescente; & appetitu viribusque una redeuntibus; factum autem est aliquot septimanis post, cùm appetitui, nimis indulgeret, & cibis horariis, caseo præprimis se oblectaret, ut lienteriam funestam incurrerit, cum appetitu aucto; adeò ut continuò cibos ingerere necesse habuerit; quos tamen indigestos mox dejecit, usquedum totus contabescens, diem suum parvo post tempore obierit. *Joan. Jac. Harderus in Apiario.*

Rogatus olim ut saluti consulerem Senis Reverendi morbo colico à multis annis gravissimè obnoxii, eam medendi methodum, ac remedia quæ, jam describuntur, adhibui: quorum usu sedulo post mensem unum aut alterum melius habuit atque intra sesqui annum perfectè sanari visus est, ut postea dolorum paroxysmis prorsùs immunis degeret: veruntamen Diathesis colica haud diu cessarat, & solennem medicinæ cursum ipse omiserat, quin circa gulam in musculis deglutitioni inservientibus; resolutionem crebrâ vice infestantem passus est, ut sæpenumero ab alimentis ac præcipue liquidis, illic loci hærentibus suffocationis periculum incurreret. Contra hoc malum per remedia antiparalytica juvamen recipiens per 6. aut 7. deinceps annos valetudine mediocri potitus est; ac ultimò in medio itinere, Apoplexia tunc primò correptus, mortem obivit. Satis obvium est, in hoc casû liquoris nervei recrementa circa abdominis plexus nerveos deponi solita; primò affectionem colicam excitasse, dein eadem ab ea parte exclusa, aliumque sibi nidum circa gulæ nervos, plexusque ganglioformes consciscentia, oesophagi resolutionem, sive Paralysin breviorem intulisse; & denique propter eandem materiam uberi nimis copia in cerebri meditullio restagnantem, aphoniam lethalem successisse.

Legulejus quidam callidus & vafer, quinquagenarius à multis annis cephalalgia periodica cum sensuum stupore & capitis gravitate insigni molestari solitus; circa mediam æstatem prædictis affectibus valde laborans, à remediis topicis applicatis derepente levamen percepit; attamen paulò postea colica immani tunc primò corripiebatur; cujus insultus cùm tanta ferocia eum incessit, ut viribus subito fatiscentibus, crebra animi deliquia cum sudore frigido subiret; qui tamen Paroxysmus intra 24. horas, sine flatuum eruptione; aut ventris solutione, sensim evanuit. Deinceps vero huic morbo obnoxius accessiones ejus frequentes passus est, quas omnes (uti sedulo advertebam) plerumque capitis dolor cum vertigine & stupore præcedebat, hinc ut dolores colicos brevi postea insecuturos præsagire soleret. In quodam Paroxysmo, qui per duodecim dies cum insigni ferocia perstitit, ipsemet ægrotans observavit, & mihi retulit, sese affectu circa abdomen urgente, nihil molestiæ in capite persensisse, passione autem colica remittente, illico vertiginem cum cephalalgia rediisse; ex qua reciproca symptomatum istorum à capite in ventrem; ac viceversâ metastasi; arguere licebit eandem materiam morbificam, in nervosis ductibus scatentem, modò inferius delapsam passionem colicam, modò superius restagnantem pathemata istæc cephalica intulisse. Huc referri debent, quæ Carolus Piso de seipso affectibus cephalicis, & doloribus colicis vicissim, & cum mutua dependentia affici solito accuratissimè observavit. Sect. 4. c. 2. p. 355.

Non ita pridem Juvenis quidam Illustris, studiosus, & vitam sedentariam agens, queri cepit de magno sensuum torpore, ac hebetudine, nec non de capitis gravitate, & somnolentia ferè continua; porrò ventriculus adeò segnis, & stupidus evaserat, ut appetitu prorsus omni destitueretur. Dum contra malam hanc diathesin per remedia, quæ spiritus exuscitant, eorumque sarcinas excutiunt, curatio instituitur, vir egregius in passionem colicam (cui nunquam antea fuit obnoxius) atrocissimam incidit, à qua dolor immanis ac velut perterebrans, medium Abdomen umbilico intùs retracto occupabat, atque non obstante remediorum cujuscunque generis quotidiano usu per tres hebdomadas, cum atrocitate insigni perstitit; ut nec somnum interim nisi à Narcoticis assumptis inire, nec doloris sedationem ullam nisi à fotu calidissimo recipere potuerit. Certè in hoc casû unicuique obvium est advertere, liquoris nervei impuritates ad plenitudinem quandam aggestas, totius ægritudinis causam immediatam sive conjunctam fuisse; quæ scilicet materies primò in capite subsistens; cerebri torporem insignem & functionis Animalis oppressionem; deinde nervorum ductû in Abdominis

minis plexus nerveos prolapsa, colicam ita immanem, ac diuturnam intulit. *Thom. Willis de anim. brut. lib. 2.*

Prætor quidam in provincia Columbæ, misero intestinorum cruciatû, non raro laboravit, hoc autem saccharo semper convaluit.

℞. Mag. Succini ʒ ß. Cortic. Aurant. ʒ j. Nuc. moschat. ʒ ß. ol. Cinnamom. gut. vj. Anisi ℈j. Sacchar. Candidi ℥ j. Misc. f. pulvis Dosis ʒ j:

Capitaneus quidam navalis, per 14. dies colicâ afflictus, insuper Nephritidem habebat. Sub costis spuriis dextri lateris, gravissimum dolorem sentiebat. Debilis aderat pulsus, & sudor frigidus, atque suffocationes, flatibus sursum ascendentibus, urgebant. Sequens autem mistura, unius cochlearis quantitate singulis vicibus usurpata, secundâ adventûs mei die, dolorem penitùs repulit.

℞. Aq. Carminativæ ℥ iij. Spir. Nitri ℈ j. Extract. Laudan. aromatic. gr. 6. Syr. Cinnamomi ℥ ß. misce.

Sequens quoque laxativum deinceps ex optato operatum est.

℞. Elect. de succo Rosarum ʒ vj. Pulp. Tamarindor. ℥ ß. Tartari vitriolati nostri ʒ ß. Tinct. Succini gut. 6. misce f. conditum.

Diebus abhinc quatuordecim redibant tormina, & eâpem misturâ annihilabantur. Tertiâ, post secundam curationem, septimanâ, symptomata hæc ultimo accesserunt, & illis denuò, per prædictam misturam sanatis, æger calculum fabæ majoris magnitudine emisit, quo facto, optima tandem valetudo huic viro permansit.

Vexilliferi cujusdam uxor, columbæ, laxâ alvo, biliosa excrementa ejiciens, per dies aliquot, crudelissimos intestinorum dolores passa est. Hanc sequens mistura restituit.

℞. Spir. tartari, Tinct. Succini an. ʒ ß. Laudan. aromatic. gr. 6. Aq. Cinnamom. Nuc. Moschat. ana ℥ i ß. Misce bibatur cochleatim.

Ego ipse, in prima apud Hollandos navigatione, sæpiûs colicâ cum vomitû, frigidoque sudore, miserrimè laboravi. Omnia medicamenta, quæ proficua judicavi, inutiliter tum adhibui, donec Tincturam Succini præparaverim, cujus usû non solùm sanatus, sed & sic confortatus fui, ut, Dei gratiâ, octodecim annorum spatio recidivam haud senserim, medicamenta externa.

℞. Ol. Laurin. Anethini, Chamomillæ ana ℥ j. st. carui, Fœnicul. Cumini an. ℈ j. Succin. fœtid. ʒ i ß. C. C. ʒ ß. misce f. linimentum. *Herm. Nicol. Grim. Comp. Med. Chimic. lib. 3.*

Anatomicæ Inspectiones.

In Germania & præcipuè in Franconia ac in Norinbergico tractû frequentissimum hoc malum est. Quo vero modo & quibus de causis contingat, ex subsequenti historia intelliges; Secui Juvenem mulierem quæ primò ex epatis & vesicæ bilis obstructione in Tertianam notham, deinde in colicam passionem incidit, paulò post Paralytica reddita integrum annum vixit: quæ tamen usû thermarum aliqua ex parte sublevata ad extremum delirio ac Epilepsia correpta occubuit: Paralysis à principio occupavit brachiorum superiores partes, sensim ad extremitates manuum, ultimo ad crura descendit: ægra atrophia contabescebat de ventriculi ardore, siti, appetitus edendi prostratione, alvi difficultate & dolore ilii sinistri tensivo, gravique (sentire enim sese inquiebat in illo loco pondus aliquod grave, tanquam plumbi massam) conquerebatur.

Hanc mulierem aperui, & reperi jecur pro corporis ratione nimis magnum obstructioneque minimè vacans: Vesicam bilis bile crassâ ac nigrâ turgidam; Ventriculum humore plenum viridi, atque extensum: Ulterius descendens, inveni colon malè atque p. n. conformatum. Siquidem ubi sacculus, sive monoculus situs est, & ubi colon ventriculo annexum est, colon fuit valdè laxum, flatibusque expansum, reliquis in locis ad crassum intestinum usque angustum, fæcibus crassis, durisque in globulos concretos infarctum: Eodem modo conformatum vidi colon in multis fœminis. Reliqua viscera, tam naturalia, quàm spiritualia, erant illæsa ac integra. Ex cerebri substantia inter dissecandum effluxit aqua tenuis, & colore subrubicundo, quod venarum arteriarumque incisioni adscribendum est: nam aqua, quâ omnes ventriculi scatebant, fuit tum tenuissima, tum limpidissima ac pura, nihil vero pituitæ in ventriculis cerebri vidi: Totum spatium quod in sacra fistula, inter tenuem ac duram membranam est, & ubi nervorum funiculi nervos constricturi à spinali medullâ recedunt, simili aqua plenum extitit. *V. Coiter lib. Observat. Anatom. & Chirurg.*

Matthæus Rumplerus Judicii Suburbani assessor vi probus & pius, constitutionis calidæ & siccæ, doloribus vagis in abdomine sæpe corripiebatur, quos tamen Enemate sibi familiari atque à beato Meisnero nostro in simili casû olim jam ei ordinato dissipare consueverat. Idem hoc anno 1671. quem ætatis suæ septuagesimum numeraverat, postquàm per aliquot dies de doloribus infimi ventris, non tamen adeò gravibus, ut decumberet, conquestus esset, tandem die 27. April. è horto suo domum rediens, circa vesperam hora post quintam media, tam enormes passus est dolores, ut lecto suo se committere coactus fuerit. Adhibuit mox in subsidium enema consuetum, quod cùm nihil levaminis ei attulisset, iterare jussit, Dum vero Pharmacopæus ejus præparationem molitur, urgentibus doloribus, iisque atrocissimis me ad se invitat. Adsum, & ægrum, cujus extremitates omninò frigebant, & qui totus copioso sudore frigido fere diffluebat, de infixis in hypogastrio doloribus misere conquerentem audio, simul quoque arteriæ motum justo celeriorem deprehendo. Repetitur enema, ex anodynis imprimis paratum injicere jubeo. Simul quoque varia interna atque externa adhibeo. Sic quidem interdum per aliquot intervalla remittere videbantur dolores, qui tamen posteà atrociores rediere. Et licet tandem ad ipsa quoque Narcotica descenderim, eaque in desperato hoc malo satis copiosè exhibuerim, simul quoque quartum enema applicare jusserim, ne tantilli tamen temporis inducias obtinere licuit. Unde viribus planè prostratis, postquàm ultimâ ante mortem horâ, primùm

mùm quidem sub viridia, mox atra, vomitû rejecit, tandem die 28. Aprilis circa horam quartam matutinam placidè obdormivit. Quamvis autem colica biliosa eum extinctum fuisse pronunciaverim, attamen quia mox post mortem abdomen, aliàs attenuatum in immensum crevit, suspicio apud consanguineos de veneno assumpto fuit orta, quæ nobis licentiam viscera scrutandi ultro concessit. Vocatur igitur Chirurgus Antonius, qui ubi primum cæpit incidere abdomen; gravis erumpens fœtor magnam adesse corruptionem indicavit. Et meritò. Nam Peritonæum cum omento adeò erant corrupta, ut ad levissimum tactum rumperent. Intestina, præsertim tenuia cum colo nigerrima apparebant: Quorum istud flatibus, illa materia quadam sublutea, eaque crassioris consistentiæ, repleta erant. Pancreas totum ulceribus nigrioribus obsitum fuit. Hepatis ima pars nigricans, gibbæ pallida visa; quarum ista steatoma, sesqui pugni magnitudinem excedens, continebat. Vesica bilaria liquore flavo turgebat. Lien pallidus, quâ parte omento annectitur, plurima fovebat ulcera nigricantia. Ventriculus cum vesica urinaria & ureteribus vacua & sanis similia observata. Renes sani nihil monstri alebant. Reliquas partes molestissimus fœtor lustrare prohibuit. *Georgii Segeri in Misc. Curios.*

Virgo quatuordecim annorum, colico dolore atroci laborans cum ventris intumescentia. Dolor iste intra viginti dies eam de medio tollit. Per biduum ante mortem, multum sanguinis nigerrimi per anum deposuit.

Intestina multo humore viscido erant exterius perfusa, in eoque frustula casei instar ac varia magnitudine dispersa. Intestina quoque sanguine nigro turgebant. In venis & corde nullus sanguis.

Ex humoribus acribus ac viscidis, diu in intestinis hærentibus, sæpe oritur dolor vehemens, qui ab intestino colo, nomen derivat, vocaturque dolor colicus. Si humores, ex glandulis intestinalibus manantes, nimiam viscididitatem & acrimoniam sibi ex sanguine adsciscant, istas glandulas obstruunt, liquoresque exstillantes acorem contrahunt, intestinorumque membranas vellicant, doloremque inferunt, & hinc illæ lachrymæ.

Credo vasa lactea rupisse, candidumque lac per intestina erupisse, ibique ex diutina mora in coagulum mutasse, unde frustula Casei. Serum interim à coagulo segregatum aciditatem induit, qua intestina magnopere lædebantur: Hinc non tantum mucus, sed & convulsiones, quæ omnia viscera, totumque abdomen intendebant, ut in tympanitide fit. Imò ob vehementes convulsiones, vasa sanguinea, ad rupturam usque ita convellebantur, ut ipse sanguis per ea liberè currere haud potuerit, unde sanguinis turgescentia, & ob eruptionem, ejusdem ante obitum excretio. *Steph. Blancard. in Anat. Pract.*

COLUMELLÆ INFLAMMATIO. RELAXATIO &c.
Vid.
GURGULIONIS MORBI.

COMA.
Vid.
CARUS &c.

COMBUSTIO.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones ex variis.

Curationes.

Ambustio tametsi affectus sit omnibus notissimus, clarioris tamen doctrinæ gratiâ eum sic describemus: *Ambustio continui solutio est, cuticulæ & cutis ut plurimùm, nonnunquam & carnis musculosæ, venarum, arteriarum, nervorum, & cæterarum partium subjectarum, vi ignis impressa.* Hanc autem Ambustionem sequuntur mox dolor acerbissimus, inflammatio, pustulæ, & si combustio profundior, corpusque cacochymicum fuerit, in sordidum ac difficulter sanabile ulcus non rarò degenerat. Etenim in leviore combustione, particulæ igneæ cuticulam absque continui solutione penetrantes, cutem ipsam, ubi venarum, arteriarum, nervorum, ac lymphæductuum extremitates terminantur, subeunt; ibidemque has à positione sua alterantes, variè contorquent, & totius texturæ cutaneæ conformationem pervertunt: in tantum ut è vasis omnibus summè irritatis, humor aqueus igneis particulis imbutus in magna copia expuatur: Lympha istæc, quia cuticulam pertransire nequit, eam à cute separat, atque in pustulas vesiculares attollit; è quibus demum sponte, aut occasionaliter disruptis effluit. Sed gravior si sit combustio; particulæ igneæ altius penetrantes cutem non tantum, sed & ejusdem vasa, eique subjectas partes corrugari ac constringi faciunt, atque escaram inducunt; sicut sanguis, aliique continuò affluentes humores retineantur; & sub cute illa indurata quasi incarcerentur: hinc magis incalescant, effervescant, tandemque suâ acrimoniâ locum affectum erodant, & magnum ulcus efficiant.

Notandum autem, multiplices & diversas occurrere materias, quibus vim & qualitatem suam ignis imprimit; quæ ut substantiâ differunt, sic etiam una multò vehementius erit, quàm altera, sed quamvis combustio à diversis fiat materiis, nihil tamen, vel parum ad curationem id facit. Atque adeò nulla desumenda est indicatio curativa à materia ignita, sed potius ab effectu, quem communicavit. Ut verò curatio ritè instituatur, omnes ambustiones, à quacunque fuerint factæ materia ignita, distribuemus in tres gradus, seu species; viz. in levissimam, mediocrem, insignem.

Enimvero materia quæ urit si non diu adhæserit corpori, & levis fuerit, ut stramen, linum, stupæ, aut leve aliquod lignum, vel aqua quæ citò defluit, solummodo pustulæ seu parvæ vesiculæ elevantur; estq; hic primus gradus seu species; cujus idcircò indicia sunt, cutis rubicunda

cunda, dolor pungitivus & nisi statim remedia adhibeantur, cuticulæ à verâ cute separatio, cum vesicularum eruptione, in quibus limpida aqua continetur.

Secunda Ambustionis species censetur, si materia urens diutiùs corpori adhæserit, aut violentiore calore imbuta fuerit, quemadmodum ferrum ignitum, aut liquefactum aliquod metallum, lignum durissimum, pix, oleum, cera vel simile: tunc enim non solùm elevantur pustulæ, verùm & cutis ipsa aduritur, exsiccatur, contrahitur, nondum tamen facta est crusta vel escara.

Tertius gradus excitatur, si res ignita diutissimè adhæserit, & violentissimum in se continuerit calorem: tunc enim non solùm cutis, verùm & caro, venæ, arteriæ, nervi, & cæteræ partes subjectæ, comburuntur, contrahuntur, & in escharam siccantur. Hujus signum est, si subjecta cutis nigra vel saltem livida conspiciatur, & quum scalpello pungatur obtusè sentiat, durâ nimirum, & exsiccatâ existente crustâ, quam demum deciduam ulcus excipit profundum, putridum.

Cæterum levis combustio, ubi solummodo cutis læsa est, quamvis dolorifica, facilè tamen & brevi sanatur, vixque cicatrix apparebit, modò recta & methodica instituta fuerit curatio. E contrario insignis Ambustio difficulter sanatur, imprimis quæ, ob cutis contractionem & deperditionem, rugosam reliquit cicatricem.

Combustiones capitis & faciei, si magnæ & profundæ fuerint, glabras relinquunt cicatrices, quandoquidem adeò arefacta, & contracta ab igne cutis est, porique ita sunt occlusi, ut dehinc pili erumpere nequeant.

Oculorum combustio, in primis Ciliorum, ac Tunicarum Adnatæ & Corneæ quantumvis levissima sit, periculosa tamen est, facillimeque visûs depravatio, aut saltem imbecillitas sequitur, palpebræque invertuntur.

Periculosæ item sunt Combustiones inguinum atque Abdominis, & difficulter sanantur. Periculosa quoque est Ambustio à fulmine, & plerumque lethalis.

Ad vasa majora quæ penetrat Ambustio periculosa est, profunda in primis si fuerit, atque gangrænam non rarò accersit.

Quoad *Curandi Methodum*: quamvis passim infinita ad ambustiones in usû sunt remedia, omnia ad hunc finem tendentia, ut empyreuma sive particulas igneas in parte combusta relictas aut suffocent, aut resolvant, dissipentque: docet tamen Praxis, frigida ambustiones non curare; sed iisdem, ignis particulis intro retrusis, dolorem summopere augeri, nec non inflammationem, gangrænam, imò & sphacelum quandoque excitari: calida verò, quæ empyreuma evocant, solummodò prodesse; unde & Plebeis æque ac Practicis haud ignotum est, partes combustas non frigidæ immergendas, sed potius igni admovendas esse.

Ut igitur methodica instituatur Ambustionis curatio, diligenter examinandi & inspiciendi sunt omnes ejus effectus & accidentia, ut remedia pro re natâ applicentur & mutentur. In primis autem, si nondum elevatæ fuerint pustulæ, evocetur empyreuma, hoc est, igneæ in parte affectâ relictæ particulæ resolvantur, dissipentur, parte læsâ igni admotâ, vel calidæ aquæ immersâ, aut si fieri id nequeat, intingatur spongia aut linteum reduplicatum aquæ calidæ, & loco ambusto applicetur; vel imponatur Sapo vulgaris seu flores cerevisiæ admoveantur; Cepæ quoque in mortario cum Sale contusæ, & loco combusto applicatæ, igneas particulas educunt, nec sinunt ut pustulæ eleventur: Enimvero si præcaveri possit, ne pustulæ oriantur, non est quod Patiens deinceps ullam molestiam vereatur.

Eundem in finem Hildanus lib. de combust. cap. 6. hoc laudat unguentum.

♃. Ceparum ℥ i ß. Salis, Saponis Veneti an. ℥ j. simul in mortario contundantur, & addito oleo Rosaceo & Amygdalarum dulcium, fiat unguentum.

Laudibus suis quoque merentur sequentia.

♃. Saponis Veneti ℥ iij. ceparum ℥ i ß Salis ʒ vj. Olei ovorum ℥ ß. Rosarum, Amygdal. Dulc. an. ℥ i ß. Mucilag. Seminis Cydoniorum ℥ j. M. F. unguentum.

♃ Ceræ citrinæ, Resinæ, Adipis Ovilli, Olei Raparum an. ℥ j. misceantur. S. A. pro unguento.

Barbette ad omnis generis Ambustiones valde extollit sequens unguentum, si liquefactum parti combustæ sæpius illinatur, dehinc recens Folium Brassicæ, Betæ, aut Plantaginis superimponatur.

♃. Fol. Salviæ rec. M. j. Plantaginis M. ij. Butyri recentis insulsi ʒ vj. stercoris gallinæ rec. albiss. ℥ iij. frixentur per horæ quadrantem, & expressio servetur usui.

Paræus in Xenodochio Parisiensi hoc feliciter usurpari scribit.

♃. Lardi concisi ℔ j. liquefiat in aqua Rosacea, & coletur per linteum rarum, hinc quater aquâ Plantaginis lavetur, tandem add. Vitellos trium ovorum M. F. linimentum. Alii istud commendant.

♃. Tincturæ Saturni, olei Rosarum an. ℥ i ß. agitentur probè pro linimento.

De omnibus tamen unguentis hoc notandum, ita comparata esse debere, ut tenaciter parti combustæ non adhæreant, sed facile abstergi & removeri possint. Neque enim ulcera hæc ferunt, ut fortiter abstergantur; at ferè linteo subtilissimo parti admoto à pure mundari debent.

Notandum quoque pleraque hæc non convenire Ambustioni oculorum neque iis esse adhibenda; quin prius imponendum Collyrium, ex aqua Rosarum & Plantaginis cum mucilagine seminis cydoniorum, fœnigræci &c.

Vesiculæ aut Pustulæ si adfuerint, nec malum idcirco sit gravius non statim aperiendæ. Si enim mox aperiantur, ob denudatam cutem dolor excitatur, & tardius curatio absolvitur. Verum tertio circiter die ubi cuticula jam regenerari incipit, aperiendæ: quin & diutius apertio non protrahenda, ne contentus humor acrior fiat, cutemque porrò erodat, exedat.

Cæterum ad primum hunc Ambustionis gradum pertinet ea, quæ à pulvere tormentario fit, de qua lib. 2. cap. 14. dictum fuit.

Atqui Ambustio si tam altè penetraverit, ut non

non solùm pustulæ eleventur, verùm & cutis combusta siccata & contracta fuerit, tuncque Cepæ, Sapo, Sal & quæ sunt hujus generis medicamenta sunt applicanda sed imponantur ea, quæ combustam & corrugatam cutem emollire ac lubricam reddere queant, quæque humida & temperatè calida sint.

Igitur Pustulæ omnes forficibus in primis incidantur, quò lympha particulis ignis imbuta effluere possit. Cuticula quoque, ubicunque separata est, à vera cute abstrahatur, nè saniosa materies sub ipsa colligatur. Dehinc parti combustæ imponatur nunc laudatum unguentum ex oleo Raparum, Resina, cera citrina, & Adipe Ovillo.

Vel ♃. Olei Rosacei, Liliorum alborum an. ℥ß. unguenti Basiliconis ℥ j. Vitellos duorum ovorum. M. F. unguentum.

♃. Butyri rec. insulsi, Pinqued. Gallinæ rec. an. ℥ j. Ceræ citrinæ, olei liliorum alborum an. ℥iß. simul liquefiant, & in mortario admisceantur Croci pulv. ℈ j. mucilag. sem. Cydoniorum ℥ j. pro unguento.

Hildanus hoc laudat unguentum emolliens, dolorem leniens, & paulatim cicatricem inducens.

♃. Butyri rec. & loti aquâ rosaceâ ℥ iij. olei violarum, ovorum, amygdal. Dulc. an. ℥ß. Farinæ Hordei ℥ j ß. Pulveris Croci ℈j. Mucilag. sem. Cydoniorum ℥j. Ceræ q. s. Misceantur S. A. in mortario pro unguento.

Proderit it. imposito uno ex præscriptis unguentis cum reduplicatis linteaminibus desuper applicare Muriam. in qua Mala limonia conservantur modicè calefactam, quæ mirum in modum empyreumati adversatur. In facie tamen hujusmodi medicamenta, quæ acetum aut sal recipiunt, propter oculos, non sunt applicanda.

Emollitâ & satis lubricâ factâ cute combusta, doloreque mitigato, nonnulli medicamentis exsiccantibus, veluti unguento de Tutia, Diapompholige, similibusve, cicatricem inducendam esse volunt. Sed utut fatear, quoniam hujusmodi exsiccantia cutem contrahunt, hinc & turpes non rarò efficiunt cicatrices, horum usus semper tutus non est. Præsertim quum suprascriptis emollientibus, ad finem usque curationis usurpatis, voti sui compos plerumque fieri soleat Cheirurgus.

Interim quia ambustiones præsertim quæ in cutis sunt superficie, ut plurimùm vehementer dolent, observent Cheirurgi, ut blandè ulcera hæc abstergant. Hildanus, nè abstergendo ulcera excitet dolores, telâ subtilissimâ, qualis est Cambriacensis, aut syndone cooperire solet totam partem ambustam, nec illam removet, donec ulcera sint sanata, testaturque, per hanc telam pus facillime effluere, & virtutem medicamentorum adulcera satis pervenire posse.

Sed periculosior est Tertius Ambustionis gradus, propterea quod in gangrænam & sphacelum nonnunquam soleat degenerare. Enimvero graviore illâ combustione cutis vasa, partesque ei subjectæ corrugantur; ac ita constringuntur, ut tum sanguis affluens, tum spiritus influentes liberè permeare, atque per partem ambustam radiare, eamque vivificare amplius nequeant: hinc suffocato extinctoque nativo calore, pars emoritur, corrumpitur.

In hac ambustionis specie pustulæ omnes vesiculares primum sunt incidendæ, ut acre, urensque serum effluere possit. Deinceps escara leviter est separanda, aut saltem diversis in locis ad sanam usque carnem incidenda, quò acris sub crusta retenta lympha effluere, medicamentum penetrare, & quicquid â combustione induratum est emolliri possit.

Hæc autem escaræ separatio primo aut secundo die fieri debet, priusquàm affecta pars infletur; estque hoc quoque unguentum statim ab initio adhibendum.

♃. Butyri rec. insulsi ℥ iij. unguenti basiliconis ℥ i ß. olei Liliorum alborum, amygdalar. Dulc. an. ℥ß. vitellum unius ovi M. F. unguentum.

Dehinc linteum reduplicatum sequenti emulsione imbutum, tepidè ut applicetur suadet Hildanus.

♃. Sem. Cucurbitæ ℥ ij. Cydoniorum ʒ ij. fœnugræci ʒ j. Contund. in mortario & emulg. cum aquæ puræ ℔ vj. in colatura solvatur Saponis Veneti ℥ ß.

Sed in facie si fuerit ambustio, Sapo minimè est addendus, propter oculos; sed ejus loco admisceatur aqua rosarum & plantaginis.

Vel loco emulsionis ad mitigandum dolorem, cutem emolliendam, & digestionem promovendam imponatur fomentum.

V. g. ♃. Rad. althææ ℥ i ß. sem. Cydoniorum, Fœnigræci an. ℥ß. Fol. Malvæ, Althææ. flor. Camomillæ, Meliloti an. M. j. coquantur in aqua pura, aut, si dolor vehemens fuerit, in lacte Dulci, & Colatura sit pro fotû.

Ubi escara, & quod combustum est separatum fuerit, ulcus mundificandum, carne implendum, & cicatrice occludendum. Verùm cicatrisantia non minus sicca sint, nè turpis & Rugosa fiat cicatrix. Atque ideo hic ab Hildano hoc laudatur emplastrum.

♃. Emplastri Diapalmæi ℥ ij. gallinæ Anseris an. ℥ß. liquefiant simul, hinc admisceantur aluminis usti, Plumbi Calcinati, Lythargiri, Lapidis Calaminaris an. ʒj. Agitentur in mortario plumbeo, & addendo mucilag. sem. cydoniorum & fænigræci q. s. Fiat S. A. unguentum.

At si adeò magna fuerit combustio, ut in gangrænam & sphacelum commutetur, curetur eo modo, ut lib. 1. cap. 17. docuimus.

Si vero ad supercilia, labia, aut in Digitis facta fuerit combustio, diligenter ea curetur, neque partes hæ contrahantur, & ad invicem conglutinentur; quin potius linteamina, filamenta, aut laminæ plumbeæ tenuissimæ partibus, ubi conglutinationis periculum est, interponantur. Oculi si in ambustione læsi sint, statim instilletur lac muliebre vel Vaccinum recens ac tepidum; idque vel solum vel mixtum cum aqua rosacea. in qua parum Croci integri, maceratum fuerit. Linteum item reduplicatum, & hoc lacte imbutum oculis tepidè imponatur, & quotiescunq; siccum fuerit renovetur. Aut loco lactis usurpetur collyrium: v. g.

♃. Aquæ Rosarum ℥ iij. Plantaginis ℥j. sem. Cydoniorum, Fœnigræci an. ʒ ß. croci integri ℈j. macerentur quatuor horas, & Colatura sit pro Collyrio, cui lac muliebre vel Vacci-

num recens admisceri possit.

Dehinc inter duo tenuia linteamina calidè applicetur Cataplasma.

℞. Pulpæ Pomorum repurg. ℥ iv. Coctæ in Aqua Rosacea & Fœniculi ad mollitiem & minutim contritæ add. Mucilag. sem. Fænigræci ℥ i ß. Pulv. Croci gr. xii. Albumen unius ovi Lactis dulcis rec. q. s. M. F. Cataplasma.

Atque horum medicamentorum usui est insistendum, donec ab inflammatione & dolore immunis sit oculus. Tunc enim applicetur Collyrium magis exsiccans & visum roborans.

℞. Aquæ Rosarum, Plantaginis, Fœniculi ana ℥ i ß. Troch. Albor. Rhasis subt. pulv. ʒj. Tutiæ præp. ℈ij. Sacchari Saturni gr. 5. Misceantur pro Collyrio.

Curandum quoque diligenter, nè Palpebræ retrahantur: id enim maximam adfert deformitatem. Hoc tamen si contigerit, sique cutis propè oculos indurata fuerit, emolliente aliquo unguento affecta pars inungatur, vel illinatur identidem loco combusto *Pinguedo Anguillæ assata*, ut indurata ac retracta, cutis ita emolliatur, & lubrica reddatur.

Inguina si comburantur, quum sint loca humida, laxa, adeoque humorum affluxui obnoxia, remedia usurpentur magis siccantia, quàm in partium aliarum ambustionibus. Atque ideò si pustulæ nullæ eruperint, medicamenta ex *Sapone*, *Cepis*, similibusque parata utilia sunt. Quòd si elevatæ sint pustulæ, statim aperiantur, ut acris effluere possit humor. Dein applicetur unguentum v. gr.

℞. Unguenti Rosacei ℥j. Basiliconis ʒ vi. Olei ovorum, Amygdalarum dulc. an. ℥ß. liquefactis admisceantur, Pulv. Aloës, Myrrhæ an. ʒj. Pro unguento, cum tenuibus filamentis applicando.

Insuper totam partem affectam Hildanus coöperit hoc Cataplasmate.

℞. Farinæ Hordei, fabarum an. ℥ ij. Pulv. Rosarum Rubrarum ℥ß. fiat ex his cum s. q. Oxymellis. S. A. Cataplasma, quod calidè applicetur.

Sed verò articuli seu juncturæ si comburantur, cum partes sint excarnes nervosæ, ac magno sensû præditæ, nè humorum affluxus fiat, hinc & gravius malum excitetur, medicamenta ex *Sapone*, *Cepis* & hujusmodi acrioribus (nisi combustio levis fuerit) minimè sunt applicanda, sed emollientibus, lenientibus & Anodynis affecta pars est tractanda. Atqui diligenter, præcavendum in magnis Juncturarum Ambustionibus, nè tendines, articulorumque ligamenta retrahantur, & juncturæ incurventur: Quamobrem totum membrum sæpius inungendum Oleo Lumbricorum, Anethino, Liliorum alborum, Axungia gallinarum, Caponum, Unguento althææ, similibusque; ut quæcunque indurata sint lubrica reddantur, & ita serventur. Interim quoque Ferulæ, aliaque ex ligno vel papyro crassiore facta instrumenta, circum Juncturas sunt ponenda, ut tendinum retractio impediatur. Blandè tamen omnia agenda, nè dolor excitetur. Qui si supervenerit, protinùs secandus est, imposito Cataplasmate v. g.

℞. Micæ Panis Albi ℔ ß. Coctæ in Lacte Vaccino ad formam pultis add. Butyri Recentis, olei Amygd. dulc. an. ℥j. Ovorum ℥ß. Pulv. Croci ℈j. Vitellum unius Ovi M. F. Cataplasma, calidè applicandum, & identidem renovandum.

Verum in principio si satis diligens non fuerit Cheirurgus, nec ferulas, aliave convenientia instrumenta adhibuerit, sic ut juncturarum combustarum tendines, partesque nervosæ retrahantur; hinc & articulationes incurventur, pars affecta foveatur. Decocto Emolliente, ex Radice Althææ, Bryoniæ, Liliorum alborum, foliis althææ, Malvæ, Chamæpitheos, Floribus Camomillæ, hyperici, semine fænigræci, Lini & atque deinceps inungatur Unguento Althææ, Pinguedine Gallinæ, Anseris, &c. Tandem applicetur Emplastrum de Mucilaginibus in corio extensum. Tendinibus autem & ligamentis articuli sic satis emollitis ad extensionem accedendum est: quæ sine dolore & periculo satis commodè fieri potest instrumentis ad hoc negotium accommodatis.

Denique post Graves Ambustiones ob nimiam cutis ab igne contractionem & indurationem, turpes non rarò relinquuntur Cicatrices præsertim si sicca nimis cicatrisantia usurpata fuere. Hæ ut tollantur, in primis durities cicatricum est emollienda, & lubrica facienda Litû ex Pinguedine assatæ Anguillæ, Caponum, Gallinarum, oleo Liliorum alborum ovorum.

At in facie si fuerit cicatrix, atque ita elevata, contracta & indurata, ut maxima indè turpitudo & deformitas sit, ea tolli nequit nisi per excisionem. Hildanus lib. de Combust. c. 14. *Joh. Munniks Prax. Chirurg. lib. 3.*

De Fulminis, & quomodo eis qui ab eo læsi, sit succurrendum.

Quia ignis cœlestis omnium vehementissimus & periculosissimus, ac in se contineat quasdam facultates supernaturales, quibus homo protinus extinguitur, cunctandum non est, quid faciendum sit. Hanc ob causam, in gratiam tyronum, Chirurgorum castra sequentium, breviter declarare placuit, quomodo eis, qui à fulmite læsi, occurrendum sit; omnibus tamen Chirurgis ad hujusmodi ægrotos accersitis, suadeo, ut operam dent, quò possint sibi adjunctum habere Medicum.

Quamvis autem ignis ille cœlestis, ut experientia docet in se facultates quasdam supernaturales, & hominis ingenio planè abditas, contineat, id tamen perspicuum est, ignem illum adjunctam habere qualitatem, & materiam mirum in modum malignam, atque venenosam, idque satis denotat teter ille & pestiferus odor, qui tum ex hominibus, tum animalibus, arboribusque à fulmine ictis erumpit. Hinc fit, ut ursi, vulpes, cuniculi, aliaque animalia, iis in locis fulmine ictis, degentia (ut viri nonnulli docti testantur) propter hujus odoris sævitiam, in eorum speluncis morari non possint. Canes item de carne animalium à fulmine interfectorum non gustant. Ex his perspicuum fit, quàm periculosum sit, uti herbis iis in locis collectis: Conspicitur enim quandoque, ut Olaus Magnus Hist. Septentrionalium lib. 1. cap. 12. testatur, terra quasi sulphure conspersa. Mirum igitur nemini videri debet, aliquando homines subitò, & sine manifesta causa mori.

Est

Est autem ignis ille, quemadmodum Seneca testatur, triplex. Primùm enim subtilissimus est; hinc fit, ut inanimata, veluti arbores & similia illæsa pervolet. Secundò præter subtilitatem illam, materiam quandam continet siccissimam, & magis terrestrem; hinc fit, ut partes corporis molles, illæsas penetret, duriora verò, quemadmodum ossa rumpat; id verò non solùm animatis, verum etiam in inanimatis accidere observavi. Superiori anno 1604. cùm ligna pro usu culinæ advehenda curassem, occurrit ingens quercus, quæ ante annos aliquot à fulmine icta fuerat, quod quidem ex fissura, quæ in exteriori parte corticis à summitate ad radicem usque conspiciebatur, manifestum erat. Extrinsecùs tamen pulchra & virescens erat quercus illa. Fisso trunco inventa est medulla, quæ in querceis arboribus durissima, à summitate usque ad radicem planè cariosa. Tertiò materiam habet adhuc magis terrestrem & crassam, quamobrem non usque adeò penetrat, uti dè aliis diximus, sed incendit ea, quæ primùm obvia veniunt, quemadmodum videmus civitates, templa, aliaque ædificia à fulmine incendi, & in cineres redigi.

Id autem fit partim propter ignis vehementiam, partim quoque, quòd humores ut plurimum ad defensionem & extinctionem ignis negligentes sint, ac tardi. Communis enim opinio est, ædificia fulgure incensa, non posse aquâ restingui. Mihi verò contrarium videre contigit. Anno enim 1591. Hildenæ in patria, turrim templi, altam satis & lapidibus tectam, fulminis ictu adeò incensam vidi, ut ex una parte flagrare cœperit, trabesque nonnullæ ingentes ab ictu illo fissæ fuerint, quod tandem incendium postmodum aquâ restinctum fuerat. Sic etiam inurit hæc species ignis corpus humanum, ac post se relinquit vestigia satis manifesta, quemadmodum pustulas, maculas nigras, & fractiones ossium. Subtilis autem & abdita illa penetrabilis qualitas prioris ignis, venenum illicò secum ducit ad cor & cerebrum, moriturque animal ipso momento. Secunda quoque hujus ignis species, quia subtilis est, statim officit partibus nobilibus, sed quia conjunctam secum habet materiam magis terrestrem, quemadmodum dixi, ossa etiam & vasa abrumpit, atque protinùs extinguit animal, aut ipso momento, aut paulò post. Tertia verò species, quia (ut dixi) ipsius materia terrestris est, & crassa, minùs erit periculosa. Ex his facilè apparet, qualisnam methodus curandi sit instituenda. Illa enim in hoc consistit, ut cor partesque nobiles corroborentur & à vaporibus malignis & venenosis defendantur. Ideoque illicò exuendæ & abjiciendæ sunt vestes, non solùm, ut inspirationi & expirationi pulmonis consulatur, verum etiam nè malignus ille vapor fulminis, qui vestibus inhæret, partes nobiles planè suffocet. Exutis suffumigata baccis Juniperinis, radicibus Angelicæ, foliis lauri & rutæ, exhibenda illi sunt lapidis Bezoardici in subtilissimum pulverem redacti grana 6. aut 8. cum aqua buglossæ, Cardui benedicti aut Melissæ dissolutæ, provocandusque est sudor, quò natura venenum ad exteriora propellere possit. Si lapis ille in promptû non fuerit, exhibenda est theriaca ad ℈j. plus aut minùs, prout ætas fuerit. Labia, lingua, nares, tempora, frons & arteriæ ad carpum inungendæ sunt vino malvatico, in quo theriaca sit dissoluta. Cordi applicetur sequens Epithema.

℞. Aquarum buglossæ & Melissæ an. ℥ ij. Vini malvatici ℥j. ß. Aquæ cinamomi ℥j. Electuar. de gemmis ʒj. Conf. Alkermes ʒß. Coci ℈j. Mixtis omnibus cordi tepidè applicetur.

Brachia & crura fortiter sunt liganda; linteisque asperis & calidis fricanda; ut venenum ad exteriora attrahatur. Si pustulæ, vulnera, aut maculæ adsint, applicentur protinùs cœpæ cum sale, foliis rutæ & theriaca, quassatæ, applicenturque cucurbitulæ, hirudines, incisis priùs vesicis. Putrefacientia & Escharam relaxantia hic locum non habent. Excidatur igitur Eschara Scalpello, & forficibus, posteà ulcera sequenti unguento sunt mundificanda.

℞. Mellis rosacei ℥ij. Pulveris radic. Vincetoxici & Angelicæ ana ℥ß. fol. rutæ cum pulveribus quassator. p. ij. Theriacæ ʒ ij. Aquæ vitæ ℥ß. Misce.

Fiat Mundificativum. Mundificatis ulceribus, inspergendus est sequens pulvis Sarcoticus.

℞. Pulveris radicum Vincetoxici & Angelicæ ana ℥j. Myrrhæ, Masticis, Olibani, Fol. Scordij ana ʒ v.

Fiat omnium tenuissimus pulvis, ex quo cum sufficiente quantitate succi Nicotianæ, Saniculæ vel pyrolæ fiant trochisci, qui in umbra exiccentur, iterumque in pulverem redigantur. Is pulvis pretiosissimus est, & in hujusmodi, aliisque ulceribus putridis & venenosis, veluti in Anthrace, Gangræna, & Cancro: Mundificat enim, & putredini adversatur: admixto parùm aluminis usti, cicatricem quoque inducit. Si qua ossa fracta fuerint, reponenda sunt, sed prospiciat Chirurgus, ne Emplastica astringentia & refrigerantia, ut in fracturis fieri solet, applicet, his etenim expiratio & evaporatio veneni impeditur; applicetur ita sequens cataplasma.

℞. Farinæ fabar. Lupinor. ana ℥j. ß. Pulv. radicum Vincetoxici & Angelicæ ana ℥ß. Fol. Rutæ M ʒ.

Coquantur cum oxymelite ad formam cataplasmatis. Posteà admisceatur theriacæ, aut Mithridatij ℥j. Fractura singulis diebus semel deliganda, & cataplasma renovandum est, membro prius vino, in quo radices Vincetoxici & Angelicæ coxerint, & theriaca parumque, aceti rosacei dissoluta fuerit, abluto. Idque tantisper, dum metus veneni adest, faciendum. Defensivum ad latitudinem palmi minoris supra fracturam applicetur, ut elevatio veneni ad partes nobiles impediatur.

Interim autem dum externa, uti dixi, adhibentur. Cor, partesque nobiles roborandæ sunt, non tantum suprascripto Epithemate, verum etiam conservis & Electuariis, veluti conservâ florum Buglossæ, calendulæ, rosmarini, melissæ, corticum citronum. Diamargarito frigido, Lætificante Galeni, Confectione Alkermes, aquâ cinamomi & similibus.

Utatur jusculis carnium recentium, in quibus borrago, buglossum, calendula, acetosa, rosmarinus, majorana, macis, crocus, cinamomum, & similia coxerint. Ab omnibus, quæ difficilis sunt digestionis, abstineat. Prospicien-

ciendum est quoque, ut alvus semper sit lubrica, idque si naturaliter nequeat, fiat suppositoriis aut Enematibus lenitivis. A purgantibus & venæsectione abstinendum est, nisi aliqua adfuerit occasio particularis, ubi consulendus est Medicus. *Guilielm. Fabric. Hildan. libr. de Combustion.*

Combustionis à fulmine curatio.

Pertinet huc & ambustio quæ fit à fulmine. Cùm verò fulmen malignam & venenetam qualitatem conjunctam habeat, id quod ex tetro odore & summa vi nocendi & interficiendi patet ut & ex eo, quod canes animalium fulmine occisorum carnes non attingunt: statim homini à fulmine tacti pulv. aliquis Bezoardic. vel theriaca, vel aqua Bezoardica, exhibenda, sudorque provocandus. Arteriæ quoque, Labia, Lingua, nares inungendæ vino in quo theriaca dissoluta sit, & carpis ac cordi epithema cordiale imponendum: loco verò ambusto applicanda unguenta ex cœpis, foliis rutæ & theriaca. Exhibendi etiam sunt syrupi, conservæ, & pulveres cordiales.

Si eschara inducta sit, ea scalpello maturè removenda, & tale unguentum adhibendum.

♃. Pulv. rad. Vincetoxici, Angelicæ ana unc. ß. fol. rutæ, scordij ana drach.j. Theriacæ drach.ij. spirit. theriacalis drach.iij. Mell. ros. unc.ij. Misc.

Ulcere mundato pulvis hic sarcoticus inspergendus.

♃. Rad. Angelicæ Vincetoxici ana unc.j. Myrrhæ, mastich. thuris, folior. scordij ana unc. ß. Aloës succotrinæ. drach.ij. F. pulv. qui irroretur succo Nicotianæ veræ & saniculæ, & F. Trochisci, qui in umbra siccentur, atque ubi opus, iterum in pulverem redigantur.

Si qua ossa etiam fracta sint, non illa vulgata cataplasmata adstringentia usurpanda, nè veneni evaporatio impediatur, sed aliud ex farina fabar. hordei, lupinor. rad. Angelicæ, Vincetoxici, fol. rutæ, scordij theriaca. Idque singulis diebus renovandum, donec veneni vis victa & discussa sit. Supra verò locum defensivum apponendum, nè vapores venenati per vasa sursum ad cor ascendant. *Daniel Sennert. Pract. lib.5. part.2. cap.18. operum T.3.*

Combustiones omnes seu à pyrio pulvere incenso, seu à fervente oleo, aqua, metallo aut aliis quibusvis rebus fiant, solâ inter se magnitudine differunt. Hæ primò quoque tempore dolorem parti inferunt, & calorem præter naturam imprimunt, qui ignis naturam redolens impressionem illam relinquit quam græci ἐμπύρευμα nominant, impressionis illius magis, minusvè expressa cernuntur vestigia, pro rei comburentis efficacia, suscipientis, seu patientis partis conditione, & in eadem mora. Si superficiaria sit combustio in pustulas & vesiculas cutis exurgit, nisi mature fuerit provisum. Si ima & profundior extiterit scarrha, seu crusta inducitur, ambusta carne vi ignis in crustaceam illam duritiem abeunte. Ignis in quamcunque partem inciderit, vis adurens intemperiem in ipsa relinquit calidam, cutem condensat, contrahit & inspissat, unde dolor: à dolore humorem ex partibus vicinis & remotis attractio: humores illi in aquosos & serosos humores mox versi, dum exitum quærunt, sibi ab inspissata cute ignis actione præclusum, ipsam altiùs attollunt, & vesicas quas cernimus, excitant. Hinc variæ indicationes ducuntur, undè remediorum ad ambusta varietas. Alia enim empyreuma, idest, impressum igniti caloris in partem vestigium delent, atque dolorem demulcent; alia vesicularum generationem intercipiunt: alia ulceri curando dicata sunt, procurato Scharrhæ ante omnia lapsu, detergendo carnem, & cicatricem inducendo. Tollendo dolori, & ignito calori, comparata remedia duorum sunt generum: alia enim vi refrigerante id faciunt, quâ nempè, calorem præter naturam extinguunt, sanguinemque & humores qui in partem vi caloris & doloris influebant reprimunt. Alia viribus contrariis prædita calida sunt & attrahentia: quæ nempè cutem relaxando & poros reserando, resolvunt & dissipant serosos humores, qui pustulis ortum & materiam præbent, sicque per accidens dolorem & ardorem sedant.

Refrigerantia sunt aqua simplex, plantag. rosarum, solani, hyosciami, cicutæ succi herbarum refrigerantium, unguentum album, caphuratum, nutritum, rosatum, populeum, recenter parata. Hæc & similia subinde renovabuntur per initia præsertim quousque dolor & calor evanuerint. Cæterùm eadem illa remedia tepida sunt applicanda: nam si actû frigida apponerentur, dolorem excitarent adeoque fluxionem: adde quod eorum vires in partem ipsam subire & pervadere non possent, & de potentia in actum educi: profectò sic apposita dolorem sedant, inflammationemque & vesicarum exortum prohibent.

Inter calida & attrahentia, qua rarefaciendo & foras attrahendo atque dissolvendo, dolorem, ardoremque ambustorum leniunt, primum obtinet locum ignis, cum adustio levicula fuerit, attractionem enim facit similitudo. Itaque ignis extrinsecus intrinsecum & inustum ad se ignem dum foras evocat, mali quod intulerat & creaverat alexiterium est. Paratû etiam facile & expertum remedium est, si quis statim à combustione cepas crudas & cum sale intritas dolenti parti apponat. Notandum tamen quod remedio huic locus non est, si jam in ulcus abierit malum: dolorem enim exacerbaret, & inflammationem augeret: à cute adhuc integra, ac non excoriata, si apponatur nihil tale facit, sed pustularum & vesicularum exortum prohibet eam ob causam hoc etiam remedij genere utitur Hippocr. in Scharræ lapsû procurando.

Si quis ejus remedij usum ex principio medico, quod contraria contrariis curari dicunt, refellere contendat, atque ideò Cepas Galeni authoritate in quarto gradû calidas ad ambusta non esse utiles asseveret, is intelligat, potestate quidem cepas esse calidas, & actû humidas: itaque temperie calida rarefacere, humiditate autem activa remollire cutem: quo fit, ut attrahant & foras evocent, dissipentque inustum calorem, sicque pustularum generationem intercipiant. Denique ignis ut initio notavimus, igni remedio est. Nec verò Gal. sententia, morbi semper contrariis sanantur, sed aliquando similibus & si omnis sanitas à contrario sit

sit ut legitur lib. 5. simpl. contrarii nomine latiùs sumpto, ita enim & phlegmone sæpè curatur resolventibus medicamentis, quæ nempè vacuata phlegmones materia, ipsam phlegmonem sanant. Ergò combustis partibus, nondum quidem exulceratis aut excoriatis est utilis ceparum usus. Sunt verò & alia pleraque remedia vesicularum generationi prohibendæ utilia, cujusmodi est fimus equinus recens, in oleo nucum aut rosaceo defrictus, & parti impositus: ad idem valet acetum, succus uvarum immaturarum vulgo verius, atramentum.

Item sambuci aut ebuli folia in ol. nucum cocta & addito pauco sale intrita.

Item calx extincta in pulverem redacta, & cum unguento rosaceo incorporata.

Item jarri & salicis folia cum paulo sale contrita. Prodest etiam ad ambusta fabrile glutinum in aqua ex vase duplici liquatum, & penna parti ambustæ oblitum.

Item crassior vernix, quo politores seu ensium fabri utuntur. Cæterùm si dolor acerbius urgeat, ter quaterve in die ac nocte, hæc erunt renovanda remedia, ut illa demulceatur doloris acerbitas. Quod si his remediis impedire non possimus pustularum generationem, primùm atque subortæ erunt, excidendæ venient, quòd humor conclusus exitū prohibitus acrimoniam acquirit, quæ carnem subjectam erodit, undè emergunt, ulcera cava; sic causarum multiplicatione, & materiæ incremento, augetur inflammatio non per novem modò dies, ut vulgus dictitat, sed per longè plures, nonnunquam etiam per pauciores, si corpus neque cacochymum, neque plethoricum extiterit, & dolori, atque ardori, maturè opportunis remediis occursum fuerit. Cùm combustio tanta fuerit ut scarrham induxerit, ejus lapsus est procurandus remollientivm & humectantium medicamentorum usū, ut axungiarum, oleor. butyri cum pauco basilico, vel ungenti sequentis.

℞. Mucillag. sem. psyll. & cydonior. an. ℥iv. Gumm. tragac. ℥ij. extrahantur cum aqua pariet. Olei Lilior. ℥ij. ß. ceræ novæ q. s. fiat unguentum molle.

Ulceribus atque excoriationibus remedia convenientia apponentur: quæ nempè nullam habent acrimoniam; cujusmodi est unguenrum album Rhasis camphoratum desiccativum rubrum, rosatum & nutritum sine aceto concinnatum, vel oleum ovorum in mortario agitatum, itemque calcem vivam novies lotam, & cum unguento rosac. vel butyro recenti salisque experte, & aliquot ovorum vitellis induratis mixtam, Vel

℞. Butyri recentis sine sale ustulat. & colati ℥vi. Vitellos ov. n. iv. cerusæ lotæ in aqua plant. vel rosar. ℥ß. tuthiæ similiter lotæ ʒiij. Plumbi usti & loti ℥ij. Misceantur simul & fiat linimentum, Vel

℞. Cortic. Sambuc. viridis & olei rosat. an. ℔j. Bulliant simul lento igne, posteà colentur & adde olei ovorum ℥iv. Pulv. cervi & tuthiæ præpar. an. ℥j. ceræ albæ q. s. fiat unguentum molle.

Cæterùm siccantium remediorum quantitas semper augeatur, vel minuatur, prout ulceris conditio postulare videbitur. Dolori demulcendo sequentia conveniunt, nempè muccagines sem. lini, psyllij, & cydonior. extractæ in aqua rosarum vel communi, & paucâ camphorâ additâ; ac citiùs quàm par est resiccetur id remedium addendo oleum rosaceum. Ovorum etiam vitelli quinque vel sex cum mucillaginibus seminis lini, psylli, & cydoniorum mixti & sæpiùs renovati dolori sedando valdè conferunt, Vel

℞. Laridi veteris per frusta concisi ℔j. liquefiat in aqua Rosar. deindè coletur per rarum linteum & frigidum, lavetur quater cum aqua hyosciami, vel alterius generis ejusdem, deindè incorporentur vitelli ovorum recent. num. 8. fiat unguentum. Si acris est dolor, ut in hoc ulcerum genere esse solet, byssina tela erunt velanda ulcera, ne cum detergentur asperiore lintei consistentiâ irritentur. Sic enim per byssi raritatem liber saniei exitus, & medicamentis ingressus atque contactus extiterit. Cavendum etiam, cùm ambustæ fuerint palpebræ, labra, digitorum latera, jugulum, axillæ, poplites, cubiti flexus, ne sibi invicem ullius rei interventū committantur, alioqui tandem mutuo contactū sibi adhærebunt. Itaque illi rei providebitur apta membri collocatione ex lintei mollis interjectione. Adnotandum verò venit quod profundiores combustiones, quæque densiorem scharram faciunt superficiariis minùs dolorificæ sunt. Cujus rei veritas eorum exemplo intelligitur qui sectis artubus candente ferro inuruntur, nam mox a combustione exiguum dolorem sentiunt. Ingens enim illa combustio sensum adimit, sensorii vehementia sentientibus partibus sensum adimente, quemadmodum suprà cùm de nervorum vulneribus & doloribus ageremus notatum à nobis est. Ejusmodi scharræ lapsus procurabitur profundiore scarificatū qui ad vivum usque penetret, ut sic perspiratū liberiori, subjecti & conclusi humores gaudeant, sitque remollientibus medicamentis patentior ingressus ut perfundere possit scharram, atque sic emollire, ut tandem decidat. Reliquum curationis detergentibus medicamentis & sarcoticis perficietur, additis suprà dictis unguentis pulvisculis metallicis, cùm præsens necessitas videbitur postulare. Quâ verò quantitate miscere singula hæc debeant, dici nequit propter eam, quæ in corporum temperie & consistentia est varietatem, morborumq; contumaciam aut facilitatem. A combustione cicatrix ferè aspera, hiulca & fœda visū relinqui solet. Itaque illa arte complanari ac molliri debet: Non est verò omittendum, hoc loco, quòd pulvis pyrius ignescens sæpè in carnem penetrat, haud ulcerata vel excoriata cute: itaque tenuitate sua sic in carnes se insinuat & penitus infigit, ut nullis remediis, nec phænigmis, nec vesicatoriis, nec scarificatū, cucurbitulis, aut cerniculis eximi & indè elici queat. Adeò ut semper impressa maneant vestigia: haud aliter quàm barbaris servis inusta semel stygmata, nulla posteà arte deleri & obliterari possunt. *Joh. Vigierius Chirurg. lib. 3.*

Præservatoria indicatio est. *Procul ab igne:* apud veteres ratione fulminis se muniverunt vel lauro quam in capite gestarunt, qualem coronam ex lauro concinnatam turpissimus Imperatorum Tiberius Nero ob id gestasse dicitur,

teſte *Suetonio in ejus vita cap. c.69.* ſed fabuloſum puto. Alij pavidi vituli marini pellem ſuper caput ponunt, alii aquilam ob Jovis armigerum ſervant, ejuſque lapidem, ſed omnia fabuloſa, ſuperſtitioſa, imò irrita eſſe adverſus altitonantis Dei iram credimus, juxta Pſalmiſtam *Pſam.139. v.7.* quo ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, ibi es, & ſi ſtratum fecero in inferno, Ecce tu ades, ſi aſſumam alas auroræ, & habitem in noviſſimo maris, etiam illuc manus tua deducet, & apprehendet me dextera tua.

Miſſa quoque facimus iſtorum Impoſtorum ignem devorantium arcana atque experimenta, quibus ſe muniunt, ut ſine damno poſſint tractare ac devorare ignem, utut modum nobis tradat. Plin. l. 29. c. 3.

Majoris verò momenti eſt indicatio curatoria, quæ conſiſtit in hoc, ut fibræ aliæque partes combuſtæ ac dilaceratæ non in tantas concinnationes tranſeant, & ſtatim applica ſequens epithema, cum ſubtili & duplicato lineo loco ambuſto, ſicque veſiculæ impedientur.

♃. Aquæ, Calcis vivæ ℥v. ſpir. vini Camph. ℥ij. M.

Vel ♃. Spir. vini vel aq. Regin. Hungar. ℥iv. Camphor. ʒij. aq. ad ambuſt. Qu. ℥iß. Balſam. nervin. m. d. ℈j. vel elixir. vitæ ʒß. M.

Sunt alii, qui ad veſiculas impediendas apponunt liquorem ſalſum in doliolis butyri ſaliti reperibilem, ut & aquam marinam vel ſalſam, alii ſaponem nigrum, mel, butyrum, decoctum raparum, muriam Harengorum, aut muriam Braſſicæ, præprimis ſi conquaſſentur cum oleo lini vel raparum applicant. Alii albumen ovi tanquam volatile conſtans ex animalibus partibus volatilibus ambuſtis applicatum pro arcano venditant. A Clariſſimo Dn. Muys laudatur creta cum ſpiritû vini camph. impoſita cum arctâ ligaturâ.

Linimentum ſequens ad ambuſta optimum effectum nobis præſtitit, imprimis ſi combuſtio à pulvere pyrio fuerit producta.

♃. Ceruſſæ pulp. rad. conſol. maj. ana ℔ß. Lithargyr. lap. calaminar. minii ana ʒij ß. camphor. ʒß. ol. rapar. M. f. l. a. unguentum.

Hoc tamen fateri debemus, liquida, ut decoct. calc. vel ejus aqua cum ſpiritû vini camph. vel Matrical. plus nobis præſtitiſſe, quàm unguenta ac linimenta: Mixturis enim his continuò calidè partes combuſtæ laventur & iis madefacta lintea imponantur.

Si tantùm cutis externa fuerit ambuſta, mulieres noſtrates propriam inungunt ſalivam ſale volatili conſtantem, aliæ cepas cum ſapone in forma cataplaſmatis parant, imponuntque. Plures pro experto exclamant remedio calcem vivam cum oleo raparum commixtam, & calide ambuſtis partibus impoſitam. Alii utuntur oleo raparum cum creta. Ruſtici ſtercus gallinæ cum butyro & fuligine, additis herbis Salv. cort. ſambuc. miſc. & ad formam unguenti coquunt applicantque non abſque levamine.

Aliquando ad generoſiora tranſeundum eſt, ubi enim deſinit anicula, ibi ſæpè incipit Medicus in curandis ſcilicet morbis, in ambuſtis ergo profundioribus ſequentia eligere ſolemus.

♃. Ungu. Baſil. ℥j. ol. Juniperi ʒiij. Terebinth. Ven. ℥j. ol. aniſi ʒvj. macis ʒß. ceræ ʒiij. croci ʒj. ſtyrac. liquid. ℥j. gumm. galban. ℥ß. M. f. l. a. unguentum.

Quò etiam referri poteſt unguentum ad ambuſta ſeq.

♃. Cort. med. ſambuc. ℥ij. infund. & coq. in olei rapar. ℔. colato oleo add. axung. ovillæ, ceræ flavæ ana ℥iij.

Liquefactis inſperge continuò agitando, pulv. ceruſſ. minii ana ℥ij ß. & ſi parum refrixerint immiſc. Camphoræ tritæ ʒij. M. f. l. a. unguentum. In gradu ſecundo, ubi cutis nimis fuerit contracta, ad fortiora tranſeundum eſt, & ſequens calide apponi poteſt.

♃. Sp. Matrical. ℥ij. Tinct. galban. ℥ß. aq. ad ambuſt. vel calc. ℥iß. camphor. ʒj. aq. Regin. Hungar. ℥iß. Balſam. nervin. Tinct. Caſtor. ana ʒß. M.

Urgente etiam neceſſitate ſuperponi poteſt ad calorem partis conſervandum ſequens cataplaſma.

♃. Herb. ſcord. rutæ ana M. ß. rapiſtr. M.j. melilot. P. j. malv. P. ij. N. M. Caryophyll. an. ℥ß. ſal. commun. Tartar. ſal. armoniaci ana ʒj. cum mulſ. & urin. fœtid. q. ſ. f. adjectâ farinâ fabarum cataplaſma.

Si verò gangræna ac ſphacelus parti combuſtæ immineat, confugiendum eſt ad ſequens cataplaſma calide applicandum, quamvis hoc in caſû etiam conducat aqua calc. cum ſpiritû vini Camphor.

♃. Herb. ſalv. rutæ ſcordii ana M.j. cep. crud. rec. ℥iij. Sapon. liq. nigr. ℥ß. myrrh. aloës an. ℥iij. Croc. op. ʒij. aq. Tartar. ſal. armoniaci ana ʒiß. l. a. c. vin. & mulſ. f. cataplaſma.

Et ſi malum fuerit intenſius, ut cutis planè fuerit contracta, cataplaſmati prædicto addi poteſt unguentum Baſilic. ſtyrac. liquid. ana ℥v. gumm. elemi ʒvj. Galban. ʒij. olei ceræ ʒiij. M.

Oleum Philoſophorum etiam externè illitum egregiam ſæpe navat operam, ut & omnia ſalia volatilia, quæ liberum ac convenientem ſuccis motum reſtituere, meatus obſtructos reſerare & acredinem illius obtundere valent, hic adhibenda ſunt. Omnia enim hactenus recenſita remedia ex particulis volatilibus conſtant, quæ à materia ſubtili facili marte commoventur ac agitantur, hinc ſimilem motum communicant carni combuſtæ ac emortuæ. In graviori ambuſtione fæces cereviſiæ cum pane applicatæ optimum præſtiterunt effectum, ut & allium, lentes paluſtres, empl. diaſaturni Mynſ. mucilag. ſem. cydon. cum aqua ſperm. ranar. extract. additis camphora & ſaccharo Saturni quod elegans eſt remedium tepide applicatum.

Momordica in oleo lini infuſa & ei addit. ol. Saturni citra inflammationem Ambuſtiones ſanat, oleum apum cum pauco olei ovorum vel ſcorpionum ſæpè juvat.

Vel ♃. Calc. viv. lotæ ℥j. ſulphur viv. ʒj. ol. lini rapar. an. q. ſ. m. pro linimento.

Sunt quoque, qui in Ambuſtione commendant oleum Nucum cum ovorum luteis mixtum.

Si combuſtio per prædicta remedia ſublata fuerit ad cutem deleniendam & dolores ſedandos ſequenti utere.

♃. Ol.

℞. Ol. lini ℥ ß. N. M. dest. ℈ß. ungu. Basil. ℥ j. gumm. Elemi. galban. ana ʒ ij. Camphor. ʒ ß aq. Regin. Hungar. ʒ ij. croci ʒ j. M. f. l. a. unguentum.

Omni enim ope à combustione gangræna arcenda est, hinc varia cataplasmata ceu jam dicta ex volatilibus & spirituosis paranda, & calide applicanda sunt, spirituosæ enim obstructiones tollunt, tenacem mucum resolvunt, imprimis si camphorata fuerint simul mixta, hinc sæpè sufficit Spir. vini camph. C. aq. calc. Tinct. castor. spir. cœpar. Matrical. Bals. Nervin. Tinct. Galban. quæ omnia compactas particulas valdè resolvunt & fluidiores reddunt: sic etiam salia volatilia oleosa adhuc sunt fortiora, quia eorum particulæ melius penetrant, & solidiores ac firmiores sunt, & omnia optimè resolvunt.

Hic Chirurgos moneo, ut omnia medicamenta in combustione calidè applicent: quia actualis calor ipsam sæpe sanat combustionem; succi enim coagulati per externum frigus à calore iterum resolvuntur ac attenuantur. Cæpæ etiam locis ambustis applicatæ magnum afferunt solamen, quoniam in se continent sal volatile, cujus ope visciditates resolvuntur, hinc, ceu diximus, omnia salia volatilia, tum internè, tum externè in combustionibus conveniunt.

Sapo Venetus est in combustione egregium remedium, quia constat ex penetranti sale volatili & acri, cujus ope visciditates facilè resolvuntur, item ex oleosis particulis, per quas cutis fibræ demulcentur, & acidæ salsæque particulæ temperantur.

Aqua forti si quis combustus sit, non inconveniens erit imponi externum epithema ex aqua sperm. ranar. cum Butyro Saturni. *Mindererus in Med. Militar.* curavit Chymistam ab aqua forti combustum solo oleo lini atque cremore lactis, sic etiam empyreuma vulgo dictum evocatur. Si in levi combustione membrum admoveamus igni, particulæ antea impulsæ & continuum solventes ab aliis ingredientibus retropelluntur, atque simul empyreuma. Malè faciunt qui admovent combustis partibus caustica, quia magis discindunt fibras. Cavendum quoque nè applicentur frigida, quæ malum potius augent, quàm imminuunt, omnia enim tepide applicentur.

Crusta vel eschara si adsit, illa incidenda ac leniter separanda est, si non potest fieri in tota parte, fiat diversis in locis, ut ita ichor, devorans fibrillans, subtus contentus queat effluere. Si verò ad nervos usque pertingat, summâ cautione opus est in removenda eschara, & prius applicanda sunt nervina & demulcentia.

Si in oculo est ambustio, ratio præsertim habenda est doloris, in quem finem conducet lac muliebre sæpius tamen mutatum, quoniam facilè acescit, reliqua etiam ophthalmica, aqua nempe rosar. mucilag. sem. cydon. fœnigræc. croc. aq. euphras. hic verò apprimè convenit arcanum. Timæi à guldenklee seq.

℞. Pomor. d. num. 2. coq. in aq. Euphras. rosar. ana q. s. ad mollitiem, trajiciantur per setaceum: add. Sacchar. alb. ʒ ij. camphor. gr. xv. Croci gr. v. M. & applicetur calidè.

Si combustio in juncturis circa tendines & ligamenta observetur, statim ad laudata Epithemata & cataplasmata confugiendum est. Conducet etiam in hac combustione ol. septem florum Myns. cum album. ovi & mucilag. sem. cydon. Quando ossa simul sunt ambusta eximantur frustula forcipe, si verò tota pars fuerit adusta, ense recidenda est.

Cùm à pulvere pyrio pars quædam corporis fuerit combusta, & grana remaneant cuti infixa, non statim ea acù vel alio instrumento eximenda sunt, sed potiùs suppurationi relinquenda, quæ dein in conspectum veniunt, si enim grana pulveris pyrij in frustula fregeris, tantum se magis cuti implicant, & difficilius aut nunquam eximuntur.

Quandò verò prælaudata applicaveris medicamenta, grana illa pulveris è cute ab effervescente lympha facili marte propelluntur, quod etiam confirmat *Clariss. Muys. dicens in Podalirio suo rediviv. pag. m. 39.* Grana pulveris tormentarij relicta in facie quidam ope acus chalybeæ eruere conantur, sed supervacaneum est, quandoquidem fibrillas per emollientia in tantùm flexiles reddere possumus ut grana sponte prolabantur. Ut etiam paucis interna remedia in combustione proficua attingamus, sciendum est, si cacochymia conjuncta est, & succus nutritius nimis acris sit, ut consolidari nequeat Ambustio, conveniunt omnia ea interna, quæ sequenti capite de vulneribus præscribimus, imprimis hic commendamus diaphoretica ex Antimonio & Mercurio dulci parata. Antihect. Poterij, oculos cancri, Sacch. Saturni, item sulphurata, camphorata, myrrhata, & semper interponenda sunt volatilia, quæ visciditates resolvunt, in quem finem etiam Chirurgi cum commodo uti solent, decocto lignorum cum Theâ; cùm Sarcosis & agglutinatio partium dependeat à chylo, & neutiquam à vulgò dictis Sarcoticis emplastris, aliisque Chirurgorum medicamentis; hoc Chirurgis porrò notandum est, ut fugiant in combustione adstringentia & poros obstruentia medicamenta, tum interna, tum externa, quia his combustio magis exasperatur, visciditates cumulantur, & particulæ inclusæ & infixæ marcent partibus combustis.

Si combustio abeat in fistulam & Medicus nimis serò advocatus fuerit, sunt qui in hunc finem commendant Butyrum Antimonij rubr. vel lini destillat. ex capit. Mort. Vitrioli, sed nos commendamus potiùs Balsamum nostrum divinum, raro in fistulis fallens remedium.

In quibuscunque Ambustionibus Agricola extollit sequens.

℞. Sacchar. Saturni q. s. add. ol. rosar. M. F. Linimentum, quo locus ambustus calidè inungendus est. Oleum Hyperici n. d. etiam egregium est sæpiùs applicatum: imò sexcenta alia possunt proferri, sed si hæc non satisfaciunt, alia certè etiam vix præstabunt: meliora enim & approbata junioribus communicamus Medicis ac Chirurgis, quibus in praxi consummati non opus habent. *Joh. Dolæus Encycloped. Chirurg. rational. lib. 6.*

In cura combustionis interdum simul cum externis primariis usurpantur interna, eaque nitrata quæ febrim ambustioni supervenientem interdum optimè compescunt: Hinc nitrum fixum nitr. antimoniatum pulvis pyrius & simi-

lia internè sunt optima, quibus celeberrima ex oculis cancrorum parata Chirurgica aut solum ipsi oculi cancrorum simul commodè subjungi possunt.

Externè quod attinet, quoad eorum usum studiosè observandi sunt ambustionis gradus.

Nam in primo gradû remedia ordinaria Empyreuma & indè ortum nutrimenti in parte alterationem tollentia, & ad ambusta dicta applicanda sunt, qualia primario ferè sunt ex cepis, ex calce viva, ex stercoribus animalium, ex succo cancrorum & similibus v.g. ex calc. viva usitatissimè fiunt unguenta ad ambusta: sivè applicetur mox aqua calc. vivæ imprimis si paretur C. decocto raparum; recipiendo nempè decoctum raparum, in quo colato calx viva extinguatur. Hæc aqua calc. vivæ c. linteis duplicatis calidè aliquoties imposita, mirè curant ambusta.

Aliàs usitatum est, ut recipiatur calx viva lota sæpius & ab omni acri sale probè temperata cum quocunque alio permisceatur ingrediente v. gr. Recipienda calx viva aliquoties lota eaque probè subigenda est cum butyro majali non salito in mortario plumbeo ut fiat unguentum, quod ipsum applicandum est, idque liquidum, loco ambusto.

Melius est unguentum quod fit ex calc. viva p.ij. cremor. lactis: mellis despumat. ana p.j.

Hæc omnia probè mista in consistentiam unguenti liquidioris s. linimenti optimè conveniunt ad tollenda ambusta.

Melius est si recipiatur calx viva eaque in aquam simplicem projiciatur, ita ut aqua aliquot digitos 4. vel 5. superemineat, & ubi per se efferbuerint, infundatur ol. Rosarum; sic enim subito gelascent in consistentiam Butyri, quæ ipsa loco ambusto miro cum successu possunt illiniri.

Hinc succus allii aut cepar. illitus recenti combustioni ratione sal. vol. acris præcavet omnem acorem in locis ambustis exulcerationem inferentem, aut ex his fiat tale unguentum insignis commendationis.

♃. Ceparum crudarum ℥ i ß. Salis. Sapon. Venet. ana ℥ß. M. in mortario affundendo ol. Rosarum q. s. F. unguentum. Egregium in ambustis.

Optimum est linimentum si cum aceto solvatur minium aut lithargyr. solutioni filtratæ addatur ol. raparum rec. expr. q. s. ut coëant in consistentiam linimenti liquidi, quæ aliquandiu ducantur in mortario plumbeo, donec fiat gryseum, & asserva pro usû.

De cancris it. dixi quod mirabile suppeditant remedium contra ambustiones: id quod fit si cancri fluv. vivi contundantur in mortario, & succo inde expresso calidè fomentatur pars.

Vel cancri contus. misceantur cum Butyro Maiali non salito fervefiant commodè & despumentur, donec fiat unguentum subruffum, quod transcolandum est, & experiemini usum efficacissimum contra ambusta.

Nam etiam ex cancris composita remedia conducunt insigniter, si ex pulvere pyrio orta sit ambustio; contundendo scilicet cancros fluv. c. aqua Rosarum, aut quod melius c. aqua spermatis ranarum ex contusis, mucago crassior aquæ permista separetur, eaque pars s. membrum pulvere pyrio ambustum fomentetur & illinatur. Nam hæc sunt egregia in tali casû.

Notum aliàs est quod etiam mucilagines sem. Psyllii, aut quod melius mucilag. sem. Cydoniorum parata C. spermat. Ranarum & cui parùm sacchari Saturni sit permistum illita C. pluma parti ambustæ optimè conducat ad tollendam ambustionem.

Vulgare est & primâ fronte vilissimum remedium compositum ex p. j. ol. olivarum mista C. album, ovi p.ij. quæ duo conquassentur & exactè misceantur: & nihilominus hoc ipsum applicatum verè est unguentum singularissimi effectûs; Cui tamen adhuc præferendum est similiter prima fronte vile apparens, quod fit ex ol. lini C. aqua rosarum lot. ℥ ß. Vitell. ovorum an. iv. quæ probe subacta applicantur calidè parti ambustæ idque egregio cum successû.

In graviori combustione talia etiam, sed tamen paulo fortiora applicanda sunt remedia nempe ubi pustulæ jam sunt excitatæ, citra hoc ut cutis subjecta sit reddita corrugata, relinquendæ hæ sunt ad diem tertium, quo tempore nisi sponte rumpantur aperiendæ sunt, & modò dictis unguentis pars ulterius curanda.

Sin v. à graviori ambustione c. subitaneis pustulis ipsa cutis sit combusta, subito pustulæ sunt aperiendæ, & subito apertis pustulis modo dicta remedia applicanda; aut in apertis vesiculis imponendum est unguentum quod fit ex stercore gallinæ cocto c. Butyro non salito, quæ duo imposita optime talia curant empyreumata.

Potentius adhuc est si Recipiatur fol. salv. recent. M. j. plantag. M. ij. Butyr. recent. non salit. ℥ vj. sterc. Gall. recent. & quantum fieri potest albissimi ℥ iij. frixantur mutuo per horæ quadrantem, & inde factâ expressione servetur usui.

Notetur hoc, quia bonum aut.

♃. Pulp. pomorum dulcium sub cineribus coct. ℥ ij. far. Hordei, fœnugr. ana ℥ ß. Croci ℈ ß. M. f. linimentum, vel cataplasma molle, quod illitum & dolores sistit, & cutem corrugatam planam & mollem reddit.

Quod si v. in Tertio gradu ex cute omnino combusta facta sit crusta, & eschara, tunc mox apertis omnibus pustulis opera danda est, ut primis duobus diebus separetur eschara, applicando scilicet desuper linimenta præter empyreuma corrigentia imprimis emollientia & laxantiâ quæ inter mmcilago sem. Cydoniorum C. spermat. ranarum extracta, addito butyro non salito ol. lil. alborum & vitello ovi, non ultimum meretur locum. Quin & commodè applicatur linimentum paratum ex butyro recenti bene agitato in mortario plumbeo C. decocto Malvæ; hoc n. tq. linimentum illitum applicando desuper folia Brassicæ tepida subito separat escharam.

Quod si durior & contumacior non separetur eschara, tum hæc ipso ferro, aliquot incisurls est incidenda, & sordes ac Ichores subtus ac latentes evacuandæ, nè harum acore ulcus profundum putridumque generetur.

Factâ humoris evacuatione modo memorata emollientia applicanda; donec separetur eschara: quâ separatâ digestivis & mundificantibus

bus relictum ulcus est consolidandum: in quo casu m. unguenta ex calce viva tota cum ol. rosar. & vitello ovi. unguentum album: unguentum album camphoratum: it. unguentum Alabastrinum convenienter possunt usurpari & imponi. *Michaël Ettmullerus in Chirurg. Med.*

Consultationes.

Ancilla 20. annorum, dum imprudentius circa culinæ focum versabatur, evertit vas, aquæ ferventis plenum, in suum crus, ita ut tibia sinistra, ad genu usque, & supra illud, mirum in modum aquâ adureretur. Accessit mox ingens dolor, cujus vehementiâ totum crus ad imam usque plantam valdè intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea spiritû vini madefacta, ex quorum usû tumor quidem nonnihil subsedit: verum cum ægra sequentibus diebus à locis frigidis sibi non temperaret, factum est, ut dolor, inflammatio, aliaque symptomata, in dies magnum incrementum sumserint: Adest jam febris & magna inquietudo. crusque rursus valde intumuit.

Pars affecta est crus sinistrum: quod ad oculum, & ex quærela ægræ patet.

Morbus qui eam affligit est intemperies calida & serosa sinistri cruris cum tumore conjuncta; quæ, ab illapsu aquæ fervidæ excitata, combustio cruris vulgo appellari solet.

Causa hujus morbi externa fuit aquæ istius ferventis in crus ancillæ illapsus, illa enim suo fervoris motû insensibiles particulas cutis & vicinarum partium ita disposuit, ut subtilis materia sive æther; qui in iis existebat, vehementius se & particulas istarum partium posset agitare; atque ita ustionem in crure produxit. Ustæ autem cutis partes vehementi suo motû nervos vicinos agitando, agitationemque illam ad cerebrum & ibidem ad mentem deferendo, ingentem illum cruris pepererunt dolorem; qui spiritus in ventriculis cerebri existentes ita determinavit, ut illi copiosius in partes affectas fluentes, poros vasorum in iis existentium multos aperuerint, quo humores biliosi & serosi ibi à reliquo sanguine separati, & in partes affectas per poros illos nimis apertos copiosè ruentes, totum crus ad imam usque plantam, in magnum humorem distenderunt, intemperieque calida & serosa perfuderunt.

Tumor autem ille intemperiesque cruris, ex adhibito cum linteis vini spiritû, valdè fuerunt imminuta; spiritus enim vini primum calore & humiditate sua, poros partium combustarum aperiendo, serosos mordacesque vapores & humores foras eduxit; & deinde quamvis spiritus vini in aliis partibus excitet calorem, is tamen partibus ambustis hic profundius sese insinuando, tales ibi fecit poros, ut subtilis sive ætherea materia sese vehementius in iis movere non posset, atque ita aliquam refrigerationem induxit.

Cùm verò ægra hæc deinde sibi à locis frigidis non caveret, factum est ut frigus aëris poros in partibus ambustis nimium clauderet, atque ita acres mordaces & calidos vapores & humores, alioquin, exhalaturos, in iis retineret. Hi autem retenti moverunt ita partes ambustas, ut inde dolor, inflammatio, aliaque symptomata in dies magnum incrementum, per partium pravam dispositionem à vaporibus istis retentis orientem, sumpserint, febrisque, inquietudo, & tumor totius cruris accesserint.

Morbus hic, propter magnum suum à naturali statu recessum, gravaque quæ adsunt, symptomata, periculosus est; metus enim est, nè si non satis benè curetur, turpetem, gangrænam, vel alium gravem affectum inducat.

Curatio itaque recta mox adhibenda; eaque consistat in intemperiei, tumoris, doloris, reliquorumque symptomatum, per peculiaria ambustis contraria ablatione.

Mox itaque ubicumque epidermis nondum separata est, applicetur sequens unguentum.

♃ Cæparum crudarum ℥iß. salis saponis Veneti alb. an. ℥j. misceantur in mortario, addendo ol. ros. & amigdal. dulc. q.s. ut fiat unguent.

Deinde toti cruri, pedi, & genu, hoc adhibeatur cataplasma, quotidie usurpandum, ad finem curationis usque.

♃ Farin. hordei, fabar. an. ℥ vj. sem. fœnug. ℥j. cydoniorum ℥ß. herb. malvæ, althææ, cum rad. pulveris. an. ℥iß. Rad. curcumæ pulveris. ℥ß. butyri recent. ℥iv. croci ʒj. Pulveres sem. fœnigræci & cydoniorum primò aquâ parùm coquantur, quæ cùm refrigerata iterum fuerint, reliquæ farinæ & pulveres, una cum butyro adjiciantur, coquanturque in lactis vaccini q.s. ad consistentiam Cataplasmatis, cui admisceantur vitelli ovorum num. 2. applicetur que calidè.

Sub vesperam sumat hunc haustum anodynum, subinde reiterandum.

♃ Lactis amigdalati ℥iv. Syr. de papavere ℥ iij. misce.

Postridie sumat talem bolum, subinde repetendum.

♃ Electuar. diapruni sol. ʒij. scammo. crem. tart. an ℈ß. syr. rosol. q.s. M. pro Bolo.

Dum Cataplasma adhibebitur, humores illapsi in pus convertentur, quod forsan per poros insensibiles cutis foras expelletur.

Continuandus horum usus ad finem usque: in nonnullis tamen locis magis humidis circa finem curationis adhibeantur linimenta exsiccantia, ut unguentum de cerussa, de minio & similia.

Diæta sit tenuis & refrigerans; abstineat à vino; utatur cerevisia tenui & decocto hordei, in quo agrimonia & veronica sunt coctæ. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib.* 4.

Filiolus molitoris cujusdam quinque circiter annorum puer, in ignem culinarium pronus incidens, subuculâ, qua solâ amictus erat, flammam concipiente, toto corpore, maximè verò in abdomine, manibus & facie adeò ambustus erat, ut ipsa cutis & in quibusdam partibus etiam subjecta caro adusta videretur; dolor aderat immanis & hinc vigiliæ perpetuæ cum extremâ virium imbecillitate.

Ambustionem hanc curatû quidem fore difficilem prædixi, quatenus profunda pluresque partes ambustæ imprimis abdomen, cujus musculi ob varios motus varie extenduntur & contrahuntur, nihilominus tamen tentandam, idque non frigidis, ut vulgi est opinio, sed calidis quæ peculiarem empyreuma evocandi vim habent. Quemadmodum enim partium refrigerata-

tarum frigus optimè frigidis, nive ſcilicet aut aquâ frigidâ, extrahitur, ſic empyreuma non niſi calidis evocatur, ratione ſimilitudinis. Præſcripſi hoc nomine decantatum illud ambuſtionis remedium, quod ex olei olivarum parte unâ & album. ovorum partibus duabus componitur, nec inefficax, præſertim in facie deprehendi; Verùm in abdomine, ubi profundior & cutem penetrans erat ambuſtio exſpectationi noſtræ parùm ſatisfacere videbatur, quapropter inciſis puſtulis loco affecto non ſolum ea quæ empyreuma extrahunt, ſed & cutim exiccatam emolliunt, impoſui.

♃. Alburnor. in profluente recente captor. ℔ j. frigantur in ſartagine cum butyri Majalis ſ. q. pinguedo fundatur ſuper aq. frigidiſſimam, coagulata ſeparetur, hinc add. Unguent. baſilic. ℥j. Ol. Lil. albor. roſar. amygdal. dulc. ana ℥ß. vitell. ovor. num. ij. Croci ℈j. M. Fiat. Unguentum.

Manibus idem unguentum applicuimus, interpoſitis digitorum ſpatiis, nè fortè coaleſcerent, linamentis ſiccis: Tandem ſeparatis eſcharis ulcera mundavimus, & ſarcotica cicatricesque inducentia applicuimus, quæ nè turpes & rugoſæ præſertim in facie fierent, devitatis valdè ſiccantibus, emollientia ſubindè adhibuimus, qualia recipit ſequens linimentum.

♃. Pingued. Capon. hominis, piſcis tithymali ana ʒ iij. Ol. myrrh. ʒß. Lil. albor. ovor. ana ℥ß. Succi lumbric. ʒv. M. F. Linimentum.

Interea dum hæc fierent, etiam virium imbecillitati proſpeximus, exhibendo ſæpiùs cochlear unum atque alterum mixturæ cordialis.

♃. Aqu. cordial. frigid. ℥iij. Flor. borrag. bugloſſ. ana ℥j. Cinam. abſque vin. deſtill. ℥ ij. Carbuncul. ʒj. Confect. Alkerm. ʒij. Spir. roſar. rub. Idæi ana gt. xv. Rotul. man. Chriſt. perl. ʒij. M. ad arcendas vigilias & conciliandum ſomnum doloremque qui admodum urgebat ſopiendum per intervalla dedi pulviſculum meum anodynum ex ſyrupo flor. Rhæados & aquâ hypnoticâ.

♃. Pulv. med. anodyni ℈j. Laudan. opiat. g. 1. M. in mortario marmoreo F. pulv. *Baldaſſ. Timæus Caſuum Medicin. lib. 6.*

Obſervationes.

Viggerdus Simonis, ſuper luculentum ignem in cacabo bonam reſinæ quantitatem liquefaciebat, eaque, cùm nimis efferveſceret, fortè flammam concepit: hanc extinguere, & pulvinari cacabum obturare volens, improvidus nimis ambas manus reſinæ liquefactæ bullienti & jam incenſæ totas immerſit, eaſque vehementer concuſſit: illud ipſum uxori, eandem flammam etiam extinguere volenti evenit: tandem flammâ extinctâ, de immenſo manuum ex ambuſtione dolore uterque graviter conquerebatur. Præſentaneum hic remedium neceſſarium erat, cumque nihil ad manus haberemus, fortè venit mihi in mentem atramenti ſcriptorij, quod paulò ante ad meos uſus ipſemet confeceram, cujus integrum cantharum plenum in muſæo habebam: illud in ollam effudi, eique manus ſuas ambo immergebant, atque ita aliquamdiù lavabant & fovebant; quod cùm per ſemihoræ ſpatium feciſſent, omnino ceſſarunt ardor & dolor, nullis veſiculis prodeuntibus, nec ullum ex tam vehementi ambuſtione incommodum retinuerunt.

Petrus Abſtee Muskettam explodere volens, fortè poſterius diſrupta fuit machina, & quamvis à ferri fruſtis illæſus, totâ tamen facie pyrii pulveris flammâ graviter combuſtus fuit, plurimaque pulveris grana ipſi cuti impacta remanſerunt. His granis citò exemptis, ſtatim oculis parva lintea duplicata butyro benè ſalito iuuncta impoſuimus, toti autem faciei cœpas crudas cum ſale in mortario contuſas applicavimus, quas ter prima die, & ſemel ſequenti nocte renovavimus: quo cataplaſmate totum empyreuma inſigniter extractum fuit, etiam in ipſis oculorum palpebris (quas ad oculorum defenſionem butyro præmunieramus) nullæ veſiculæ excitatæ fuerunt, ita ut poſteà unâ aut alterâ inunctione ex unguento roſaceo & pomato, prorsùs ſanatus fuerit.

In combuſtione ſtatim omni ſtudio enitendum eſt ut empyreuma extrahatur, & puſtularum ac veſicularum exortus impediatur. Ad hoc efficiendum multa variaque commendantur. In leviore combuſtione, illud parte læſa igni admotâ, vel in aquam calidam immiſsâ, atque in ea, quàm calidiſſimè fieri poteſt detentâ, facilè perficitur. In graviore verò, efficaciſſimum remedium ſunt cœpæ crudæ cum ſale contritæ, quibus in graviſſimis ambuſtionibus multoties egregia præſtiti. De his audiatur Paræus lib. 2. cap. 9. *Experiuntur* (inquit) *plebei homines, ambuſtæ leviter partis ardorem vaneſcere & dolorem levari, ſi partem ipſam ardentis candelæ, vel accenſarum prunarum ardori aliquamdiu admoverint, attractionem enim facit ſimilitudo: itaque ignis extrinſecus intrinſecum & inuſtum à ſe parti ignem dum foras evocat, mali, quod intulerat & creaverat alexiterium eſt. Paratū etiam facile & expertum remedium eſt, ſi quis ſtatim à combuſtione cœpas crudas & cum ſale contritas dolenti parti apponat, &c.*

Hildanus tamen libro de combuſt. cap. 6. cœpas in faciei combuſtionibus minimè convenire, eaſque oculis damnum & jacturam haud exiguam inferre ſcribit. Quod verum foret, ſi cœpæ ipſis oculis imponerentur, aut ſi oculi ante cæparum applicationem primò aliis rebus non præmunirentur, quod nos linteis duplicatis, vel triplicatis, & butyro benè ſalito inunctis optimè fieri arbitramur; eò quòd butyrum ſalitum empyreuma extrahat ratione ſalis, & pinguedine ſua palpebras leniat ac defendat: minus autem conveniunt aquæ diſtillatæ, lac muliebre, ovorum albumina, aliaque ſimilia, quæ ſtatim exſiccantur, & parti adeò firmiter agglutinantur, ut vix abſque excoriatione detrahi poſſint. In faciei combuſtionibus Hildanus potiùs utitur hoc unguento.

♃. Saponis Veneti, unc. j. olei amygdalarum dulc. roſarum ana unc. ſ. mucilaginis ſem. cydonior. cum aqua roſar. extractæ parùm miſce fiat unguentum.

In aliis autem partibus ſcribit ſequens unguentum empyreuma potenter extrahere.

♃. Cœpæ crudæ, unc. j. ſ. ſalis, Saponis Veneti, ana unc. ſ. miſceantur in mortario, fiatque unguentum cum oleo roſarum & amygdalarum dulcium.

Præter

Præter hæc multa alia sunt quæ empyreumta potenter extrahunt. Sic atramento scriptorio illud feliciter peractum fuisse, exemplo docuimus antè observatione quintâ. Sola muria linteis eâ intinctis, ut & aqua calcis, idem faciunt. De muria sic ait Lev. Lemnius lib. 5. occult. nat. cap. 9. *Muria aut salsilago præsentanea vi ambustis vim igneam, atque urentem fervorem extrahit, doloresque intensissimos placat ac mitigat, vel ex pulvere bombardico, vel oleo, pice, aquâ fervidâ, prunisque accensis, præsertim si tenui peplo salsilagine imbuto perustæ partes foveantur; hujusmodi enim irrigatione ignea vis eluitur, atque acerrimi cruciatus consopiuntur.* Idem de muria quoque testatur Matthias Pactzerus lib. d. Sale cap. 26. Butyrum quoque multo sale pulverisato mixtum, linteis inunctum, & sic impositum, egregia præstat. Verùm hæc omnia in ipso principio admovenda sunt, ante quàm pustulæ aut vesiculæ excitentur & excoriatio fiat, tunc enim hæc minus conveniunt, sed curatio alio modo instituenda est. *Isbrand de Diemerbroëck in obs. & Curation. Medicin.*

Puella quædam aquâ ebulliente super ventrem ad umbilicum excocta fuit, undè vesiculæ ortæ sunt, & tanquam mortua jacebat, ad eam vocatus, unguento populneo totum ejus ventrem illiniri feci, & vitis folia superaddere, quo remedio intrà 4. horas, puella ad se rediit, & paucis posteà diebus, ex toto sana evasit. Quòd vero intùs intestina, ex aquæ ingenti caliditate, tumuerint, undè symptomata prædicta ortum traxerunt, pro certo crediderim. Ulcera tamen posteà ex unguento, à calce sæpè lotâ, parato, sana sunt reddita. *Amatus Lusitanus, curat. 34. cent. 4.*

Mulieres Delphenses in famulis cerevisiariorum, applicant folia hederæ arboreæ cocta in aqua, & sic curant eos, quando ab igne vel aqua calente, quod sæpe fit, adusti sunt. Mulieri consului, ut cruri combusto folia hederæ decocta in cerevisia apponeret, & illicò optimè fuit curata. *Petrus Forestus observ. 18. lib. 2. obs. Chirurg.*

Apud fabros ferrarios, ex manubrio isto ligneo in malleo, si ferro candenti adhibeatur, scaturiet oleum quo loca ambusta felicissimè inunguntur, ceu nuper vidi in Nobiliss. à Greisla Juniore, cujus facies valdè pulvere pyrio comburebatur, qui tamen intra paucos reconvaluit dies. Aliique plures certam hujus mihi experientiam faciunt. *Georgii Franci in Miscell. Curios.*

Lectissima virgo ex oppido Viburgensi, dum matri in evocando per vesicam æneam spiritû frumenti socias jungit operas, administrato per incuriam calore violentiori ansam præbet infortunio, alembicus enim excutitur, ebullit ferociter magma, & misellæ dorsum quaquaversus ardentissimo liquore perfundit: undè non cutis tantum ustulata mille locis contrahitur, sed & illa tandem à reliquo corpore per summos dolores separata, carneum dorsi æquor in nodos & tubera asperatur, ex quibus alia pugnum magnitudine æquabant, quædam etiam ampliora, minutiora nonnulla. Dixisses tergum universum aliud nihil esse, quàm glandularum eminentium congeriem: quam Chirurgus licet sæpè aquis causticis depasceretur, perpetua tamen recidiva increscebat rursum, & quotannis ferè mole auctiori. *Olai Borrichii in Act. Barthol.*

Miserandum spectaculum pulveris pyrii mola urbi dedit. Vix ingressi illam Dominus Præfectus, servi, pueri, cum ictu mallei ad clavum in assere latentem impulso, scintilla excitata materiam pulveri pyrio destinatam, carbones nempe & sulfur, accenderet, & dictum factum astantes combureret, quorum unus sulfure in faucibus flagrante statim extinctus, cæteri combusti, ut velut assæ carnes in verubus comparerent, magnis cruciatibus vel superstites vel brevi defuncti. Vidi Chirothecam unius nativam, quæ ex combusta manu exciderat, cute separata à carne tosta accuratissimè cum unguibus semicombustis, doluique viri boni acerbum casum, inventi authorem detestatus, præsertim cum is Cimber esse perhibeatur, & re & nomine Niger Monachus, primus pulveris pyrii inventor, quanquam Hispani eam prærogativam sibi sumant. Nam si credimus *Garciæ de Sylva* in Brevior. Hist. Hisp. p. 114. in obsidione Algezirarum 1344. ab Hispaniensibus Arabibus bombardorum tormentum primum inventum, biennio antequam Angli ad Cresciacum A.C. 1346. in memorabili pugna, qua profligatus Philippus Valesius Francorum Rex, & 36. annis antequam apud Clodiam fossam A.C. 1380. Veneti etiam primum usi, à Genuensibus cruentam victoriam obtinuissent. Pulverem pyrium Venenatam qualitatem spirare & ita inficere læsos docet *Fr. Plazzonus c. 8.* de vuln. Sclopetorum, sua scilicet evaporatione. In nostris verò ambustis manifesta fuit causa, assatis nempè & constrictis vasis circulationem impedientibus, & dolore enecante. *Thom. Bartholini.*

S. F. Zollicensis mulier 18. annorum, pedem sinistrum aqua fervida combussit, à Chirurgo primis diebus neglecta, dein acribus medicamentis tentata per quinque menses miserrimè doloribus vexata est, & affluxus humorum ad affectam partem causatus, ut me convenire coacti fuerint. Re perpensâ, Judicavi, & à curante Chirurgo & ab ægra peccatum fuisse; ille enim corrosiva supra tendinem pollicis pedis motorem ad exedendam carnem spongiosam medicamenta imposuit; hæc intemperantem sese gessit, convulsivis motibus obnoxia, vinoque dedita: Ægræ vomitum concitavi cum tartaro solubili emetico; & infusa vulneraria exhibui, manè vesperique tepidè exhibenda: Pro potu ordinario exhibui Tinct. Rosar. Diætam imperavi; pedem oleo Philosoph. excalefeci, blandisque digestivis atque anodynis deligari jussi, quibus intra duas hebdomadas feliciter curata est.

SCHOLION.

Aqua fervens dum calore immodico non tantum cutem, vel ejus glandulas, meatus ac fibrillas violenter invadit, exagitat & constringit, sed & sanguinem cum sero in concitatiorem motum impellit, & igneis spiculis instruit, eo ipso etiam in meatibus exilibus, cùm tam promptè in venas recipi, aut alias expelli nequeat, stagnare facit: undè acrior ille humor redditus, & præcipuè diæta remedisque incongruis efferatus symptomatum variorum author evadit; hinc quæ liberum atque naturæ convenientem humori motum restituere, meatus obstructos reserare, & acredinem illius obtundere

dere valent, his esse adhibenda concluditur. *D. Joan. de Muralto in Misc. Curios.*

De Fulmine tactæ curatione.

Idibus Junii anni præcedentis 1671. accidit, ut Cœlum, quod sudum erat, subitò nubibus atris tegeretur; flabat ex austro turbo vehemens, qui & aves violenter ex aëre in terras & ædium tecta dejiciebat. Inter hæc sonus auditur quasi minæ alicujus sive cuniculi, pulvere pyrio repleti crepantis, tanto cum fulgore, ut totum oppidulum ignem cepisse videretur, quem fumus densus tetrum & tartarum accensum olens sequebatur, fumus autem hicce domum viduæ alicujus honestæ adeò repleverat, ut domestici sese invicem discernere non possent. Ædes hæ quatuor in locis à cœlo tactæ erant sibi oppositis: notabile erat, lignum alicubi fissum, alicubi terebra quasi perforatum extitisse, nullum tamen combustionis vestigium notari poterat. Interim puella quindecim annorum, viduæ dictæ filia, intra hypocaustum quasi attonita concidit, inque eo statû non observata per sesqui horam manet. Domestici cum hoc notarent, statim accurrunt, eamque mortuam tractant. Thoracis indumenta, vulgò cæruleo pallidiori colore, quem galli *Bleu mourant* appellant, tincta fuerant, sed tum temporis quibusdam in locis fuscum dilutiorem colorem, quam coloris speciem galli *feuille morte* appellant, contraxerant. In lectum cùm collocata esset, ipsam visito, & corpore denudato læsionem accuratius considero, quam talem inveni.

Primò mamma tota cum aliqua intermista nigredine rubebat, ac si pulvere pyrio combustio facta fuisset: sub manna striæ subfuscæ in longitudine se acuminantes per transversum ventrem ad pubem usque penetrant, quæ itidem pilis privata & excoriata erat. Hinc striæ aliquæ digiti latitudine per crus sinistrum ad pedes usque progrediebantur, & in calcaneo sinistri pedis desinebant Ad manum erat aqua aliqua apoplectica, cujus cochlearia duo puellæ infundi jubeo, ex quo statim ad se redibat, ad interrogata benè respondebat, nec comprehendebam hic verum esse, quod Alexander lib. 1. probl. 88. asserit, fulmine percussos si non intereant, tamen vel ad aliquod tempus, vel per totam vitam infatuari. Etenim hæc puella optimè ratiocinabatur, nec de alio conquerebatur, quàm de insigni ardore faucium & dolore in parte læsa. Exhibitus statim fuit pulvis bezoarticus Anglicus ad drachmam semis in aqua chærefolii, ex quo benè sudavit, & æstus in faucibus diminutus fuit. Hinc parti læsæ applicabatur unguentum ex cremore lactis & cerussa sæpius reiterandum; ex quo itidem insigne dolorum levamen. Cùm autem febricula persisteret, jubeo ut emulsio ad ℥viii. fieret ex sem. papav. albi, aquilegiæ, milii & cardui benedicti, huicque emulsioni ʒ ij. pulveris bezoartici Anglici admiscerentur. Optimè hinc habuit & febris cessavit, nec quippiam supererat, quam ut mammæ excoriatæ cuticula sua emplastro diasaturni meo restitueretur. Imposterum etiam nihil sensit incommodi, nisi quod cum tempestas aliqua cum fulminibus immineat, insignes dolores & motus convulsivos sinistro in pede experiatur. Pudendum tamen debile manet. Hicce casus mihi in memoriam revocat, alium mirabilem fulminis effectum ante tres præter propter annos, qui Danembergæ contigit, ibi turris castri fulmine tangitur, sine tamen ulla noxa notabili, solummodo excubitoris uxori nummus argenteus in pera exili foramine perforatur. *Alardi, Hermanni Cummeni. in Misc. lib. 1.*

Fulmine icti.

Anno 1637. 24. Augusti, paulò post meridiem, magna subitò ingruit tempestas, cum fulmine ac tonitru horribili. Tunc temporis Noviomagi ante urbem in monte Gallinaceo, fortè rustici cujusdam famulus frumenta colligebat, secum habens ancillam, & anum quandam cum infante, ut & currum, qui ab unico robusto equo trahebatur. Ipsi hac horribili tempestate perterrefacti, fugam parant, anus cum infante sub carrum ob pluviam confugit, interea dum famulus cum ancilla equo frenum injicere studet. Dum hæc agunt, validum fulmen ab æthere descendens, famulum, ancillam, equum & carrum feriit, anu & infante intactis. Temo carri, qui ex valido ligno confectus erat, in varia frusta comminuebatur. Equus ipso momento mortuus concidit, nec tamen in toto corpore ulla læsio percipi potuit. Fulmen ancillæ femur & crus dextrum percusserat, quæ partes omnino lividæ & purpureæ erant, præterea partem tunicæ & indusii in mille filamenta dissecuerat: ipsa statim ab ictu in terram corruit, ac circiter duabus horis sine loquela prostrata jacuit. Famulus toto corpore percussus erat, præcipua verò ictûs violentia in latus maximè dextrum sæviit, à quo latere thorax, bracca, caliga, indusium laneum, & ipsum etiam lineum indusium, non simpliciter dilacerata, sed quasi discissa & in tenuia filamenta discerpta fuerunt, & simul ingentem combustionis fœtorem retinebant, ac si paulisper in igne jacuissent. Calceus dexter, ex fortissimo corio confectus, quasi miraculosè in tenuia longa filamenta (qualia ne studio quidem quispiam conscindere posset) discerptus, & triginta passuum longitudine à pede projectus fuit. A tanto ictu in terram prostratus fortis ille juvenis in syncopen incidit, atque sic pro mortuo domum delatus fuit. Duravit hic animi defectus circiter per tres horas, deinde paulatim ad se rediit. Invisi hominem, ac totum corpus inspexi: totum latus dextrum à pede usque ad caput colorem ex nigro purpurascentem habebat, eique cuticula plurimis in locis abrasa erat, haud aliter atque ab ictu baculi inæqualis fieri solet; magna quoque aderat contusio, cui & ardentem combustionem conjunctam esse manifestissimè apparebat. Æger parum loquebatur, & de maximo totius dextri lateris dolore, ut & de summo cordis ardore (cui tamen febris non erat adjuncta) ac pectoris compressione, atque hinc impedito anhelitu conquerebatur: artus dextri lateris omnino commovere non poterat, atque ita sui impotens per duos menses remansit, & postea paulatim pristinæ sanitati resti-

restitutus est. Interrogatus quomodo se habuisset ingruente malo, dicebat sibi nihil aliud inde constare, quàm quòd ipso momento, quo fulmen percussit, sibi cor candenti ferro uri visum fuisset, atque anhelitum quoque trahere non potuisset, & sic statim suffocatus concidisset. Varia ipsi exhibui, varia etiam topica medicamenta partibus percussis adhibui, sed omnia hæc ad ignem istum æthereum nihil vel parum profuerunt, tandem æger sponte sine medicamentis Divino auxilio sanatus fuit, ut & ancilla, quæ sibi nulla medicamenta adhiberi permisit. Anus illa quæ cum infante sub carro latuerat & intacta remanserat, narrabat cum ingenti illo fulminis ictu pessimum simul ingruisse fœtorem, cum maximo ardore, quem haud aliter se sensiisse dicebat, quàm si caput in furnum pistoris ignitum ad momentum immisisset, ita ut ob brevem istum ardorem etiam ipsa anhelitum trahere vix potuisset. Sed cum fulmen corpora solidiora imprimis ferire soleat, mirum est nec in ancilla, nec in equo ullum os confractum fuisse.

Annotatio.

Quanta vi & quàm mirabiliter fulmina res inferiores interdum feriant, tam Veterum quàm Recentiorum testimoniis satis constat, quod etiam nos ipsimet aliquoties vidimus. Anno 1629. octiduo ante festum Paschatis, subita ingruit tempestas cum fulmine & tonitru horribili, quâ unico fulminis ictu in Blocklandia prope Montfurtum quatuor domus & sex horrea penitus eversa sunt, & arborum plus quàm tria millia non solùm confracta, sed penitus eradicata, & cum totis radicibus longè è suis alveis ejecta fuerunt, hominibus tamen & bestiis omnibus illæsis. Anno 1628. prope pagum Bodegravum rusticus quidam in campis fulminis ictu occisus fuit, in cujus corpore pleraque ossa minutim confracta erant, cute cum carne planè illæsa. Vidimus in Gallia Pictavii in turri quadam fulmen illæso plumbo subjectas tabulas incendisse, quæ flamma non sine summa molestia extincta fuit: quod ipsum quoque nostra ætate semel atque iterum evenisse visum fuit Ultrajecti in turri Dominicali. Anno 1638. mense Junio, Noviomagi, in deambulacro illo, quod Sylvam vitulorum appellant, plus quàm mille aviculæ à fulmine simul occisæ fuerunt: eædemque illa tempestate etiam boves aliquot in pratis à fulmine percussi & ossibus confractis occisi sunt, & variæ arbores dejectæ ac confractæ fuerunt, quarum folia corrugata, & quasi flammâ ignis ustulata erant. Cardanus de rerum variet. lib. 14. cap. 70. refert anno 1521. arcem Mediolanensem vehementi fulmine penitus dejectam, in eaque 113. homines occisos fuisse. Hildanus cent. 3. observ. 26. valde mirabilem refert historiam, de nobili quodam, qui fulmine graviter percussus concidit, ejusque equus, ut & famulus cum altero equo statim enecati sunt: à fulmine præterea nobilis vestes diffractæ erant, & gladius, illæsâ vaginâ, circa cuspidem haud aliter liquefactus, ac si ex plumbo fuisset, imò & extremum vaginæ ferrum eodem modo liquefactum conspiciebatur. Cardanus de Subtil. lib. 2. harum mirabilium operationum causas inquirens, sic inquit: *Verum motus non solum penetrare magis cogit, sed & calorem ipsum accendit, atque ignem igne calidiorem reddit. Nihil mirum igitur est, fulmini tantam inesse vim, ac ignem illum, quasi ab aliorum ignium natura alienum, miracula quædam efficere: namque ob motum celerem non solùm magis penetrat, sed ignis ille multò calidior reliquo omni igne existit, &c. Quis verò est alius ignis qui solo contactu occidat? hoc igitur ei proprium est, quòd calidissimus sit calidissimorum, atque, ut ita dicere liceat, ignis ignium. Itaque illæsâ quandoque crumenâ, pecunias colliquat, &c. Isbr. de Diemerbr. in Observat. & Curat. Medic.*

Fulmine percussorum cura.

Inter saxa & ignes æthereos, ætheris nos summa nuper servavit clementia ac bonitas: Cum enim dies 14. mensis Augusti anno 1669. horam attigisset ferè quintam pomeridianam, copiosissimas inter pluvias horribili derepente exorto nubium fragore cum fulgure satis terrifico, quasi cœlum terra miscere vellet summus Jova, in prædio consularis Viri, civitati Bergæ confini, fulgur ignis ille ignium celerrimo ac tenuissimo suo motu, unoque ictû quatuor penetravit conclavia, una cum cella cerevisiaria, quo factum ut respirationis impedimento, vasa figulina cum fenestris januisque impetuoso fragore ejecerit; Vasa autem stannea ac ferrea (cum fulgur ipso aëre sit tenuius) præstantissima suâ vi tum impetu hinc inde colliquaverit, fuderitque partim, maculis partim inusserit nigerrimis, dolia, ubi cellam intravit, à loco suo planè dimoverit, ubi exivit, epistomium vacillans reliquerit. Uno in conclavi Bibliorum Sacrorum ligaturam à parte posteriori discussit omninò, marginemque à scriptura, illæsis omnibus planè literis tam accurate separavit, ac si cultro fuisset resectus, incipiendo, ab apocalypsi S. Joannis usque ad cap. 1. Corinth. 12. quæ tum Epistola in sequenti die Dominica in Sacra Ecclesia explicanda populo veniebat. Eodem in hypocausto repleto nebula ac sulphuris odore gravissimo, ut respirandi licentia vix ulli data fuerit, sex mulierculas puerperam visitantes; lectoq; assidentes ad terram dejecit, peripetasmata combussit. Sed mirum dictû! puerperæ istius matrem, uxorem honesti civis, nullo ad resurgendum ferè nisû in terram quasi penitùs exanimem prostravit, ut cum Persio exclamasses.

Triste jaces lucis evitandumque bidental.

Mox verò recollectis parumper sensibus, animadvertunt adstantes in hac sola muliere peplam quasi pulvere tormentario esse conflagratam, in amiculo catenulam argenteam igne illo subtilissimo fusam, ac in quinque partes divisam, examinant totum corpus illæso indusio reliquisque vestibus, illud infra mamillas usque ad umbilicum palmi unius circumferentia valdè combustum ostendunt, quo cum stupore viso, nullum ad curandum hunc affectum præstantius haberi posse medicamentum Lacte muliebri uno ore asserunt omnes. Annuit illa dolorum acerbitate permota; illæ lac intinctis in

illud linteolis superimponunt. Verùm protuberantibus vesicis, & lacte iterum emollitis, inflammatio ac dolor dolore adaugebatur, ut die sexto me vocare fuerint coacti: ego bis in die cum levi penna seq. unguento locum satis sensibilem inungere jussi.

℞. Mucilag. sem. cydonior. c. aq. malv. extract. ℥ß. Succ. plantag. rec. ℥iß. Litharg. aur. subt. pert. ʒß. m. ad fict.

Post tres dies sedata jam optimè inflammatione, crusta inductus fuit locus, sublitescente quidem pure, sed valdè laudabili. Qua de causa d. 25. Aug. ad majorem mundificationem ac incarnationem seq. præscripsi Liniment.

℞. Mell. rosat. ℥j. Succ. plantag. rec. absinth. ana ℥ iij. per Sarcocoll. Myrrh. ana ʒß. m. pro Linim. D. 28. August. crusta fuit separata, itaque usque ad 3. sept. suprascripto Linimento satis superque locum mundificare, mundificato per dies 8. Empl. Spermat. Ranar. c. Mastich. Oliban. Sacch. Saturni ceruss. &c. paratum adplicare jussi, & sic ad cicatricem parvo temporis spatio feliciter vulnus perduxi.

Ut jam præconceptum huic mulieri terrorem excuterem penitùs penitusque feliciorem illi prædixi vitæ ac annorum Seriem, cùm ideò magis Plutarchus fulmen vocaverit divinum, quod corpora divinitùs eo afflata ἄσηπτα imputrida, multo tempore perdurent. *Lang. lib. 2. Epist. 32.* cujus rei, cur scilicet animalia fulmine tacta omninò liberentur à veneno, pleniorem, aliqua tamen sub dubitationis nota, adducit *Hier. Mercurial. de ven. ac morb. venenos. cap. 14.* Quòd fulmine tacti evadant paucissimi, diversa passim testantur Doctorum scripta. Evasisse *Johan. Mariam Cardanum* & raro supervixisse miraculo *Hier. Cardan. l. 2. subtil.* curiosè notavit. De homine quodam fulmine tacto, sed illæso similem refert historiam, ut & de milite Romæ ædem sacram custodiente. *Plutarch. lib. 4. quæst. conviv. quæst. 2.* pariter *Plin. lib. 2. cap. 51.* Marciam Principem Romanam *Cardan.* de Rev. Var. *l. 8. c. 43.* Scopelianum Pontificis Asiæ filium, & *Gilbert. Cognatus lib. 8. narrat.* Cauponem quendam nomine Croës in rarissimum hoc admirationis producit theatrum. *Dom. Treublerus è Bergis Norvv. eg. in Litt. ad D. Barthol. & exindè uratislav. ad D. Sachsium.*

Scholion.) Vulgata opinio fuit materiam fulminis esse exhalationem calidam & siccam vi caloris à terra in nubes sublatam, quæ accensa Coruscationem, & si majore vi è nube erumpat, fulmen, sin minùs virium habent, fulgur pariat. Sed *Excell. Joh. Marc. Marci à Kronland in Philosoph. vet. Restitut. part. 2. sect. 5. sub sect. 1. pag. 148.* aliam fovet sententiam, nimirum ea, quæ à terra sublimantur, materiam ignitis meteoris non posse præstare, sed eadem ipso in aëre contineri, ut sint veluti plantæ aëreæ ex invisibili principio in eam speciem nascentes, sicut in æthere quandoque novæ stellæ sint exortæ, unde in aëre crasso minusque simplici, quàm æther, multarum rerum semina contineri, quæ in suos ortus statis temporibus maturentur. Necesse verò partem aëris, ex qua meteora segreganda, priùs dissolvi in sua principia, Mercurium, Salem, & Sulphur, ex hujus dissolutione pro ratione fermenti varia enasci; Mercurium in ventos & procellas abire, aut cum Sale in pluvias liquescere: Sulphur Meteora ignita producere: hoc, cùm tardioris quàm reliqua segregationis, minus quoque frequentia, quæ ex illo ortum habeant. Si Sulphur purum & defæcatum accendi contingat, fulgura & coruscationes absque tonitru fieri; quod si Mercurius sit admixtus, quia hic ignem effugere festinat, ignis verò eundem cum sulphure una sequatur, ex vehementis aëris distractione fieri fragorem illum horrendum Tonitru dictum. Edidit 1669. *Cracoviæ R. P. Adalbertus Tylkovvski è Soc. Jesu & in Colleg. Warsav. Philos. Prof. Meteorologiam curiosam dictam, ubi part. 1. c. 10. p. m. 23.* definit fulmen esse exhalationem mixtam metallari materiæ, quæ conglutinentur instar farinæ lenis & siccæ, & conetur in secundam regionem evadere, sed ab obstante nube repellatur, sic agitetur & tandem accendatur. Ferri deorsum ex materiæ proprietate eo rapientis ignem, quod pateat ex Auro fulminante & Marte, fulm. flammam ignis fulminei esse coloratam ob alimoniam, à qua ignis colorem assumpsit, eadem ratione si materiæ exurendæ adjiciatur camphora, fieri flammam pallidam lacteam, si pix Græca, fieri flammam rubeam, si sulphur, cæruleam, si Sal. ammon. viridem, si Mars crudum, buxeam, si pis navalis atram. Flammam ignis fulminei pertinaciter aquis resistere ob mixturam materiæ, quales artificiales quoque ibidem adducit, quæ pariter ubi incendium conceperint, aquis non cedant: ignem fulmineum subindè excæcare ob admixtum exhalationi venenum: obscurum inducere fumum, ob antimonio crudo analogam mixturam: non omnibus æquè nocere halitum fulmineum pariter ut non omnibus noceant venena & pestis. Idem Tylcovvski *ibid. §. 6. p. 32.* plura effecta recenset fulminis, qualia sunt 1. Omnia sulphureo odore implere, quod exhalatio tartarea illis se imprimat: 2. Alta petere, quia è nubibus una perpendicularis linea ducitur, infinitæ ad latera, & turris alta pluribus, casa humilis uni fulminis viæ occurrit: 3. Exusto dolio vinum conservari, quia viscosa exhalatio inducit tenuem vino pelliculam: 4. Vulnera à fulmine facta frigidiora cætero corpore, quod à metu & veneno infuso provenit: 5. Fulmen venenata animalia percutiendo veneno exuit, quia ignis plerumque tollit venena & pestilens aër igne purgatur. 6. Lædit quandoque fœtum illæsa matre, quod infanti ex metû matris evenit, unde sanguis & humores alterati valdè concutiuntur: 7. Dormientem si tangit ejus oculos aperit, vigilantis claudit, quia hujus perstringit fulgore, illum expergefacit. *Idem §. 8. pag. 36.* Ignis fulmineus denigrat carnes, partim ob adustionem, partim obvenienti affusionem. Solvit Metalla fulmen ob sal. ammon. & nitrum: Metalla frigida reddit ob Mercur. Lacte citius extinguitur, quia lac sua glutinositate se affigit rei accensæ ac intra poros ignem suffocat: aqua verò præ vehementia caloris ab ea in vaporem, undè vapore in altum sublato parum aut nihil aquæ ad ignem pertingit. De remediis contra fulmina idem videri potest. *L. a. §. 7. pag. 34. 35.* Quod Canes & feles præ aliis animalibus magis fulmine petantur, causam cum *Cl. Bartholin.* conjicit *Excell. Dom. Joh. Jonston. Philosof. & Medicus incomparabilis Thaumato-*

matograph. sect. 3. cap. 5. pag. 118. In halitus ex animalium horum corporibus exhalantes, quos tanquam materiam cognatam & nutrimentum aliquod fulminis spiritus (foras præsertim si pateant, ut libere in aërem ferantur) sequuntur: Quare vina in cella fulmine moveantur, disquirit Dighæus in de Nat. Corpor. *T.* 1. *c.* 17. *§.* 186. Quod dormientes magis securi sint ab ictû fulminis putat. Excell. Marcus Marci *lib.* 4. *Philos. Rest. pag.* 148. indè præstari securitatem somno sopitis, quod in iisdem sit carentia metus, qui vigilantibus obversatur: consternatio siquidem illa cum imaginatione forti velut magnes ferrum ad se trahat. De fulmine ictis & undè cognoscantur tales mortui inventi *Paul. Zacchias in quæst. Medic. Legal. L. V.* 1. 2. *q.* 11. *§.* 7. *& seq.* Item historia relata à *Jacobo Javello* in sua quadam *Epistola* ad *Ferdin. Angelum Fargas*, quæ impressa est post ejusdem Medicinæ compendium, digna est consideratione, ubi traditur citra eorum quos fulmen percusserit, eorum curam quoque Hildan. tr. de combustion. *cap.* 18. *Obs. f.* 934. & Jos. Schmidt. in Exam. Chirurg. *f.* 310. exponit, quam absolvit meritissimis Alexipharmacis, quæ aliàs pesti debentur.

Brevem quoque curam fulmine percussorum *D. Beza* Medicus Argentoratensis olim communicavit sequentem, dum Argentorati viverem. Statim porrigo Fulmine percussis cordialia sanguinem non detraho nisi summa sit sanguinis abundantia: spiritus namque sunt resoluti à calore & fulminis siccitate, itaque siccatus sanguis indicat humectationem; intemperies verò sicca & calida, quæ impressa est partibus à fulmine, refrigerationem & humectationem indicat; dolor anodyna loca ambusta & exsiccata emollitionem & relaxationem poscunt. Lardum destillatum probatur in aqua ros. cum succo cort. mediani, sambuci & succo sempervivi ac vitell. ovor. inungendi partes ol. rosac. violac. simul mistis & prius lotis decocto chamom. & hord. fomenta item ex althæa, balneum aqu. dulc. in quo ebullierit malv. lactuca, folia vitis & hederæ, quia modice laxat & humectat. *J. Friderici Treubleri.*

De Fulmine ictis Renunciatio.

Perquiruntur aliquando signa fulminis in eo, qui mortuus in aliquo solitario loco extra habitata loca, & urbes reperitur, neque ullum vestigium vulnerum, aut strangulationis, aut alterius mortis generis aliàs consueti servat, præsumiturque hunc fuisse à fulmine ictum, & tunc nonnulla signa ad id cognoscendum afferuntur à Paræo *ubi alias*; & à Fortunato *lib.* 4. *cap.* 6. quorum duo priora cuilibet fulmini communia sunt admonente Fortunato. Primum ergo ac maximè quidem evidens signum est odor, quem spirat Cadaver, qui gravis profectò est ac sulphureus, ex quo fit, inquit, Paræus, ut hujuscemodi cadavera neque à feris neque ab avibus degustentur: relinquitur autem hujusmodi gravis, ac sulphureus odor non modò in cadaveribus, sed quibuscunque rebus à fulmine ictis, Seneca testante *lib.* 2. *Nat. qu.* 53. Persensi cùm per æstatum animi causa Viterbii adhuc adolescens commorarer cum avunculo meo, cujus memoria in benedictione sit, ejusmodi odorem ex fulmine, quod nostras tetigit ædes prope arcem ante Ecclesiam D. Faustini, qui tam gravis fuit, ut facile mihi gravem capitis dolorem excitasset, nisi mihi metipsi prospexissem, itaque odorem hunc, ut dixi, non solùm ex cadavere exspirare comperiemus, sed etiam ex vestimentis, & ex ipsa quoque circumstante terra, & quibusque rebus prope adstantibus. Secundum signum color ipsius cadaveris est, contrahunt enim quæcunque cadavera fulmine icta fuscum quemdam colorem ea præcipue in parte, quam fulmen percusserit. Hæc ipsa duo signa conspicua fuerunt in historia relata à Jacobo Javello *in sua quadam epistola ad Ferd. Angel. Farg.* quæ impressa est post ejusdem Medicinæ compendium, & digna est consideratione, ubi traditur brevis cura eorum, quos fulmen percusserit.

Tertio dicit Paræus aliquandò nullum Vulneris vestigium in cadavere apparere, sed tamen si diligenter introspiciatur ossa comminuta, ac confracta in eâ parte, quæ icta est, animadvertentur. Adnotandum tamen est, non omnes perire ab ictû ipsius fulminis, sed aliquos à solo pavore extingui. Proth. Casul. Æthiol. *lib.* 1. *num.* 11. in his autem hæc inquisitio superflua est, sicuti etiam & ea, quæ ex immutato coloris cadavere desumitur; relinquitur autem solus odor gravis, & sulphureus de quo diximus. Si tamen in percussis aliqua pars vulnerata appareat, eam ex Plinii Sententia reliquo corpore longè frigidiorem persentiri dicit Paræus; quod etiam ex eodem Plinio refert Maiol. *Dier. Canicul. colloq.* 1. *par.* 1. & Petr. Crinit. de *honest. discipl. lib.* 9. *cap.* 12. ejus rei causam quærit, ac reddit idem Proth. Casul. *ubi supra, num.* 151. absumique, inquit, spiritus à fulmine maximè in ea parte, quæ icitur, unde ea quasi incineratur. Non tamen admittit Fortunatus, quod in cadaveribus fulmine percussis contusio aliqua, aut ossium semper comminutio fiat, cùm fulmen solidum quid non sit, sed spiritus quidam, vel tenuis & clarus, & ob id non adurens, vel spissus, & fumidus, & ob id incendio absumens, contundere itaque ossa, aut frangere, aut comminuere non potest; quod consonare videtur cum opinione Casulani.

Quartò, homo à fulmine percussus cadit super partem, quæ icta est, & convertitur in partem, unde fulmen venit, quod tamen nequaquam verificatur in historia relata per Cardan. *lib.* 8. *de variet. cap.* 43. nam cum in Lemno Insula, ubi Insulæ cornu dividitur, octo messores sub quercu cænarent, à fulmine percussi, atque exanimati manserunt sub ea specie, quâ discubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere, cumque nigri omnes essent, imaginem totidem statuarum repræsentabant; illud etiam observatum esse, ajunt, quod si dormiens homo ictus sit, oculis apertis reperiatur, si vigilans clausis; at unde hoc? dormiens ad fragorem expergiscitur, oculosque aperit, vigilans ad terrorem concutitur, oculosque claudit ob timorem præsentis mali. Putant autem nonnulli dormientes fulmine non percuti,

cuti, ejusque rei causam assignat Proth. Casul. *ubi supra*, *num.9.* quod tamen an veritatem habeat prorsus ignoro.

Addebat insuper Paræus ex Philippo Cominio, cadavera fulmine extincta non esse reliquorum instar putrefactioni obnoxia, quod etiam admittunt Proth. Casul. *ubi suprà num.8.* & Jun. Paul. Crass. *quæst. Nat. & Medic. num.34.* qui idcircò damnari dicit Euripidis Poetæ Clymenem, quæ Phaëtontem de Cœlo tactum in vallibus putrescere cecinerit. Seneca tamen lib. 2. Nat. quæst. cap. 31. ex quo etiam Fortunatus ibidem ea verminationem intra paucos dies pati affirmavit; quid experientia doceat adhuc ignoro: si contendendum ratione sit cum priore opinione, sentirem ob sulphuris vim cadaveribus communicatam, & exiccationem à fulmine conciliatam; quæ opinio Casulano quoque ubi supra, & Junio Paulo Crasso accepta est, quod si hæc veritatem habent, inter alia hoc erit signum evidentissimum, quod is, cujus cadaver est, fulmine fuerit peremptus, non vero alio mortis genere.

Est Ultimò loco aliud signum à Fortunato allatum, quod hujusmodi cadavera levia evadant, ob humorum consumptionem à fulmine factam; quod signum in hoc casû videtur magni faciendum, cùm alias cadavera se ipsis graviora evadant, ut notum est. Volunt nonnulli absûmi in his interiora omnia viscera, quod observatum aliquando experientia esse oculatos testes habeo, in omni tamen fulmine idem evenire omninò à vero alienum est; notum tamen alia ex parte est, fulmina nonnulla interna absûmere, externis intactis, & infantem in utero perimere salva matre, & hæc de vulneribus dicta sint. *Paulus Zacchias Quæst. medico-legal. lib.5.*

Anatomica inspectio fulmine extincti.

Vix ausus fuissem molestiam creare statim repetita vice alia epistola, nisi me moveret casus ille qui hic accidit die 10. Maij. A meridie illius diei circa horam quartam percepi tonitru remotius. Circa horam quartam tonitru nobis propius accedente, pluvia effundebatur, & mox (pluvia magis in imbrem & nimbum condensata,) tonitru magis intonabat, & frequentius crebro, diuquè crepitante fragore, (quanquan non semper æquante ictu fragoris, quem vel aliàs audivi, sonitum:) & fulgur seu fulgetrum clarissimis (non obstante clara diei luce) & creberrimis, (cùm vix minutum unum completum intercederet duo fulmina, concitatissima fulminum persecutione; aliquando vel antè id temporis secundo fulmine prioris tonitrus fragorem occupante,) radiis seu fulminibus erat conspicuum; tonitrus sonitus ut plurimum percipiebatur octo vel 10. minutis secundis à fulmine elapsis; uti magnam temporis partem ipse ope minutologii observavi; sed semel aut bis observavi immediatè (quodammodo) fulminationem insecutum tonitru, quasi eodem momento; fulgure rubicundo & igneo. Non soleo aliàs multùm terreri tonitru & fulgure, illo tamen tempore (nec satis scio, quare?) maximè perterritus eram horrore inusitato, metuens ne damnum inferret, mihi enim videbatur valde humile & propinquum (adeò ut metirer etiam distantiam fulminis crepitu) & frequentissimum ac summè lucidum, ita ut maximè terribile fuisset, si noctu accidisset. Et quamquam haud excessi domo sensibiliter tamen odoratus sum odorem fœtidum sulphureum, quo Aër erat infectus. Hora 7. finiit tempestatem, ante quod tempus nunciatus mihi fuerat casus deplorandus, qui accidit Medleii, quod hinc uno milliari vel paulò amplius abest. Duo scholares collegii Wadhamensis, qui soli fuerant in scapha quadam (sine nauta,) à littore non pridem remota, Medleii, ad redeundum domum, positi in capite scaphæ infelici ictu tonitrus aut fulguris statim ex scapha in aquam excussi sunt. Alter eorum ita ictus est ut planè rigidus moreretur, & ex aqua post vix unius minuti moram [uti ex relatu acceptum) extractus, nullum vel vitæ vel sensus motusve indicium proderet.

Alter infixus erat limo (pedes deorsum, & partes superiores supra aquam) ad modum pali, neque sibi ipsi auxilium ferre valebat; vivus quidem adhuc deprehendebatur, adeò tamen omnem sensum territo penitus casus excusserat ut immotus maneret, quasi in illo loco palo affixus fuisset. Cæterum nullum in toto corpore apparebat vulnus, sed omne malum ei hoc infortunio inflictum erat, quod ita stupefactus maneret, & quasi extra semetipsum rapti mentem non subibat recordatio, quomodo præcipitatus fuerit in aquam, nec utrum tonitrus, an verò fulgur casus ejus causa fuerit, multumque infirmus erat; constitutio illa hominis duravit noctem adhuc sequentem, (quanquam statim lecto calido impositus erat) nec compertum mihi est quid ei postea acciderit.

Alii in alia scapha 10. vel 20. orgyiis circiter ab illa distante (prout ego ex ipsorum descriptione æstimo) senserunt disturbationem & commotionem in navi sua, sub quorum uno sella ejus excussa super ipsum impetu ferebatur, alias damni omnis expertem. Hi nulla mora aliis appropinquantes (quidam exsilientes in aquam ad eos) extemplo trahebant eos, vel in scapham, velad littus; nemo tamen illorum vidit hos duos precipites ruere in aquam [cùm non illuc visum dirigerent) sed audivit eorum alterum clamore opem implorantem statim post ictum, & odorabantur fœtorem valde sensibilem in Aëre; qui, de genere fœtoris à me interrogatus, respondit similem fuisse fœtori percepto ex mutua collisione silicum.

At simul atque ex aqua mortuus fuit extractus, nihil remediorum inexpertum relictum est, (imposito enim in lectum calidum, frictoque, immisimus ori aquas distillatas, &c. Quo vitæ restitueretur,) sed frustra erant omnia. Quamobrem postridie ejus diei manè in urbem sepulturæ causa delatus est. Ubi inter plurimos Doctor Willius, Doctor Mellingtonus, Doctor Louverus & ego accessimus avidi lustrandi corpus mortuum, si fortè in eo particularia non nulla observanda venirent. In universa ipsius cute nullum apparebat vulneris vestigium.

stigium. Facies & collum nigra erant & livida, sed non in majore gradu, quàm solet procedere ex sanguinis sedimento, in dextra colli parte macula quædam parva nigricans, digitum unum longa, quartam vero digiti partem lata, ad summum, notæ ferro candenti inultæ haud absimilis conspiciebatur. Habebat & aliam paulò majorem, ut memini, in altera, i.e. sinistra colli parte, infra aurem. Directè infra in latere pectoris sinistro, locus erat novem circiter digitos longus, & duos digitos latus, hic amplius, ibi minus, qui erat adustus, & durus ut corium igni duratum, colore rubro valde sensibili, in nigrum vergente, cuti porcelli assati similis. In parte anteriore humeri sinistri aliam habebat similem maculam unius circiter solidi magnitudine, quæ tamen tam nigra & notabilis haud erat quàm illa quæ in collo apparebat. A vertice humeri dextri deorsum versus dictam pectoris partem erat tenuis linea similis cuti adustæ; quasi aliquid in eam juxta collum intrasset, & ad finem callis ampliorem campum aperuisset.

Maxima pars globulorum thoracis ejus ablata fuit, quod opinabantur quidam abruptos ictu tonitrus, impulso juxta collum, & suo loco erumpente: cui conjecturæ maximam ansam (mihi) præbebat, quod præter 4. & 5. globulos dencientes ad basin thoracis sex circiter penitus aberant à basi collaris deorsum, neque, quantum memini, videbantur residui prope detriti, sed fere novi. Collare Thoracis ejus præcipuè in parte anteriore humeri sinistri fecit disruptum, pannusque unà cum materia durante, (cujus generis illo loco solet esse os balænæ,) directè deorsum discerptus, quasi dissectus fuisset instrumento obtuso; linteum tantum interius, sive gossipium subductitium integrum erat, ex quo & visitatione asperarum & inæqualium extremitatum, mihi manifestum videbatur, ictum accidisse introrsum (ab extra) non extrorsum ab intra.

Pileus ipsius mirè erat laceratus, non quidem exactè per cacumen, sed per latera pilei & extrema.

A latere ejus erat foramen majus pugno; quædam ejus partes omnino abruptæ, & inde undique hiatus sparsi erant, quasi pileus fuisset dissectus aut laceratus instrumento obtuso, aliqui etiam eorum erant satis longi, fere contingentes marginis extremum. Et præter illos una aut duæ fissuræ aliæ erant, quæ non committebantur foramini in latere.

Illud etiam arbitrabar dei accidisse ictu introrsum vergente; non tam ex visitatione extremitatum illarum fissurarum, (ex quibus vix quicquam judicari poterat de ictus motu) sed quia materia subductitia haud erat lacerata, sed tantum resuta extremitate pilei, [cui fuerat assuta) à latere foraminis. Sed cùm pileus ejus non fuerit repertus super capite ejus, sed aliquanto longiùs distans ab eo, liquere non poterat è regione cujus partis capitis foramen illud fuisset factum. In reliquo vestimento nullum casus istius vestigium cernere licuit, cujus rei causa fuerit, partim quod jam temporis nonnihil post casum elapsum esset, partim quod vestimenta statim aquam hauserint in quam inciderat homo sequente nocte, tres Doctores supra memorati, & ego cum quibusdam chirurgis (præter plures alios) convenimus & capitis aperturam fecimus, ut animadverteremus, si quid in eo observandum veniret: Sed nullum contusionis indicium apparuit. Cerebrum erat integrum & optimè constitutum, nervi quoque erant integri & nullo malo læsi, vasa cerebri plena & benè disposita, sic ut nihil in iis extraordinarium oculis nostris subjiceretur.

Negandum quidem haud est, aperturam illam factam ad lumen candelæ, neque examinari potuisse pro votis, quamvis partem satis accuratè ob brevitatem temporis, (mox enim humandum erat cadaver,) & nimiam congregatam turbæ multitudinem, quæ magis impedimento fuit. Nihilominus tamen, si defectus aliquis extraordinarius adfuisset, in tanto spectatorum numero vix fieri potuisse arbitror quin ille protinus animadversus fuisset. Sunt qui vidisse opinantur fissuram quandam in cranio exiguam, quique illud tenuerunt, dum serra dissecabatur, asserunt se quandam ibi percepisse rupturam, seu dissonantiam in manibus, apparebatque in oculis simile quid, verùm tantillum id fuit, ut perfectè ad lumen candelæ ab omnibus dignosci haud potuerit. Ad tempus dextrum capilli manifestè erant adusti; & inferior pars dextræ auris paulò nigrior partibus circumsitis; sed mollis; & fortassis illius causa tantum fuit sanguinis sedimentum. Pars superior humeri sinistri, & sinistra colli facies etiam aliquando nigriores apparebant reliquis partibus corporis sed an illud evenerit ex ictu rumpente collare & inurente ei rotundam rubram maculam, aut tantùm ex sanguinis sedimento, non satis compertum habeo; attamen puto, maximè fieri potuisse ut tam caput, quàm partem illam colli læserit prægrandis ictus; cum contusione insequente, (videturque ita accidisse ex dilaceratione pilei & disruptione collaris, & fortassis ex fissura cranii) nullo tamen existente signo contusionis, quia per immediatè sequentem necem non licuerit sanguini ad illam partem congregari, ibidemque subsidere, (quod in contusionibus est causa nigredinis) ita ut non secus esset ac si corpori recens mortuo talis ictus inflictus esset, ubi non solet accidere tale symptoma contusionis, postquam sanguinis circulatio desiit.

Examinato itaque capite, pectus quoque apertum est, & inventa adustio transiisse penitus totam cutem, quæ in locis illis adustis dura erat & quasi cornea, ac contracta sic ut non esset tam crassa atque tenera seu mollis cutis quæ circa istam erat: interim tamen sub cute nullum ejus rei erat vestigium. Musculi erant in situ suo naturali, neque quidquam ordinarii coloris amiserant, (fortassis ob rationem jam jam memoratam de capite, collo & humero. Tum sublato sterno, pulmones & cor coloris soliti nihil remiserant, neque quidquam alterationis prodebant. Hæc igitur sunt quæ imprimis illo in casu sunt observata, quibus & hoc addo, noctu corpus multò magis tumidum fuisse, quàm mane, odoremque sparsisse penetrabilem & fœtidum: id quod forte tribuendum æstui tempestatis, & calori, quem multitudo in conclave effusa concitaverat. *Ex Actis Philos. Anglicis.*

COMITIALIS MORBUS.
Vid.
EPILEPSIA.
CONTABESCENTIA
Vid.
MARASMUS.
CONCEPTUS VITIOSUS
Vid.
MOLA.

CONCUSSIO ET COMMOTIO CEREBRI.

De iis jam vide plura supra titulo casus ab alto. Hic tantum paucissima ex Fabricio Hildano observat. Chirurgic. Cent.1. Commotio cerebri in principio neglecta, postmodum gravissimorum symptomatum causa fuit.

Filius Domini Bernardi ab Hatzvelt, Domini in Wildenberg, decennis ex alto cecidit: mox vomuit, sanguinemque per nares & aures egessit: Verùm neque loquelam, neque sensum aut motum amisit. Quum autem nec vulnus, nec contusio aliqua extima appareret, nec febricitaret ipse, morbus planè neglectus est, nec ullum initio adhibitum remedium, capite alioqui perpetuò dolente. Post menses quinque aut sex collum relaxatum est, adeò ut nullo modo caput erigere, aut erectum, nisi beneficio numellæ ex pelle & xylo contextæ, continere posset. Postmodum asthmaticus factus est, & relaxatis ligamentis 10. 11. 12. vertebrarum metaphreni gibbosus factus est. Coxam quoque dextram imbecillius movebat: sub claviculis ex utraque sterni parte atheromata conspiciebantur. Quum circiter biennium ita cruciatus fuisset, & symptomata in pejus evaderent, parentes ipsum Coloniam ad Clarissimum Dn. Henricum Botterum, Illustr. Hassiæ Landgravii Archiatrum adduxerunt, qui variis adhibitis remediis, collum in integrum, vocemque & loquelam ex parte restituit. Deinde exortus est ipsi tumor ad sinistram aurem, inter jugulares venas & arteriam asperam, qui sensim in maximum abscessum auctus, quum esset incidendus, aliaque Chirurgica peragenda accersitus fui. Primo, 2. & 3. diebus ultra libras sex materiæ ejecit, extillavitque ea quotidie copia satis magna. Hujus evacuationis beneficio dolor capitis, omniaque ferè symptomata ex parte lenita sunt: at vires in dies imminutæ. Circa 28. mensis Martii novus incidit catharrus, qui in pulmonem & stomachum influens, tussim, nauseam, & vomitum provocavit, sinistrum latus resolutum fuit. Nonnulli quoque paroxysmi epileptici acciderunt, & ulcus in collo penitùs exiccatum est: ita ut 6. Aprilis 1593. decesserit.

Præsentibus clarissimis viris Johanne Slotano, & Henrico Pallantio, Medicinæ Doctoribus.

Cadavere inciso, viscera sic affecta comperimus:

Incisa cute in tumoribus sub claviculis reperta est copia satis magna puris, instar pultis, quæ costis & sterno cariem contraxerat.

Cystis fellis prægrandis, & intestinum duodenum ubique humore bilioso refertum.

Hepar Scirrhosum & obstructum.

Pulmo ubique pituitosis & viscidis humoribus oppletus.

Lapides quàm plurimi ex gypsea materia concreti, & cysti inclusi proxime cor, nimirum in eâ parte, qua arteria aorta ex corde prodit, & ramos suos versùs jugulum mittit: quorum unus magnitudinem nucis superabat: reliqui parvi. Adhærebant autem non tantum arteriæ aortæ & ipsius ramis, qui jugulum petunt, verum etiam asperæ arteriæ, & sinistro recurrenti nervo. Ex quibus facilè colligitur, quibus causis vocem & loquelam ex parte amisisset.

Capite aperto, lapidem ex simili materia concretum & membrana inclusum, in posteriore parte capitis sub sutura Lambdoide, inter duram & piam matrem invenimus, adeò adhærentem duræ matri, ut nonnisi violenter avelli posset.

In tribus cerebri ventriculis, hoc est, in duobus anticis & medio, ultra libras duas aquæ limpidæ reperimus.

Ulcus in collo tum ad asperam arteriam, tum etiam ad os basilare, & foramen quo spinalis medulla vertebras ingreditur, penetrabat: ita ut materia ex ulcere manans, tum ex pectore, tum ex capite confluxisse intelligeretur. Verùm propter angustias viarum subtilior pars effluxerat: crassa autem in lapides concreta erat, quales propè cor visebantur.

Cerebri concussiones & quidem gravissimæ curatæ.

Commotio cerebri rectè in morbis acutis numeratur. Verùm initio adhibitis idoneis remediis multoties curata, tum ex Doctorum virorum scriptis, tum ex sequentibus intelligitur exemplis.

Exemplum. I.

Equiso, Generosi Viri Domini Herft, Satrapæ in Lunsdorf Dusseldorpiæ, ad dextram partem capitis percussus in terram concidit, evomuit, mox loquelam amisit, & cruorem per nares & aures ejecit. Eum in diversorium delatum Cosm. Slotanus, Illustrissimi Juliacensium, Elivensium &c. Principis Archichirurgus adhibitus, variis remediis sanavit. loquela quoque & mens amissa paucis post diebus illi rediit.

Exemplum. II.

Herman Kikup, venator Generosi Domini à Velbruchin Harrad, ex arbore in congelatam terram lapsus mox evomuit, & sanguinem per nares, aures, & palatum ejecit, loquelam amisit: fuitque ad undecimum ferè diem sine sensû & motû, quasi apoplecticus, febricitans vehementer. Vocatus crines abrasi, & caput oleo rosaceo & myrtillorum unxi, venam brachii secui: Clysteres acres injeci, aliaque quàm plurima remedia adhibui, quæ hic brevitati studens omitto. Tandem divino favore & mea diligentiâ, stupentibus spectatoribus, convaluit.

Exem-

Exemplum. III.

Puerum gravissima cerebri concussione laborantem cum peritissimo Chirurgo Johanne Criffonio curavi. Variis remediis capiti additis exortus est tandem tumor insignis sub aure, quo inciso maxima puris & sanguinis coagulati copia effluxit: atque sic puer convaluit.

CONDYLOMA.

Est carnis excrescentia callosa, in digitis manuum ac pedum, præsertim verò circa anum & pudenda muliebria occurrens, sic dictum, quòd promineat in modum articuli, quem κόνδυλον appellant. In ano autem facilè oritur, quia quum sinuosus sit, rugasque coagmentatas habeat, si intumuerit aliqua ex illis rugis propter glandularum per ipsas disseminatarum à sero retento & coagulato turgescentiam, nascitur condyloma, quod aliquando citra inflammationem fit, & molle est, quandoque cum inflammatione, tumque durum est & dolorificum. De hujus in ano & pudendo excrescentis, curatione jam pauca ex Platero:

Condylomata, si ab impuro congressu aut contagio alio circa luem veneream nascantur; tunc evacuato corpore, per venam sectam, purgationem, sudores, eodem modo, ut in aliis vitiis à malignis humoribus progressis, topica loco affecto, quæ ea absumant, adhibentur. Quod si verò à lue venerea infectis erumpant, tunc eâdem curâ, quæ huic lui accommodata, per purgationes sudoresque institutâ, sicuti in illius cura dicetur, simul plerumque tolluntur, quòd si remaneant, integrè nondum morbum curatum esse denuntiant, ob id cura repetitur, atque interim topica loco affecto, ut supra dictum, quæ ea absumant, additis etiam illis, quæ hanc luem respiciunt, admoventur, donec penitus evanescant.

Topica verò quæ adhibentur, ut Condylomata absumant, cùm digerendo, siccandoque, ut in tumescentibus hæmorrhoidibus, id quoque præstent, eadem ferè quæ illic exposita sunt, hic quoque competunt. Imprimisque fortiora illic descripta hic præcipuè usurpari possunt, cùm contumax admodum hæc sit extuberantia, quæ levioribus non ita facilè cedit, dolorque hic non adeò vehemens, ut in hæmorrhoide, in qua interdum major dolor illa ferre non potest, illorum usum non impediat, atque etiam illis adhuc potentiora cathæretica medicamenta, nonnunquam adduntur.

Cataplasmata proin illic exposita, & insessus, fotus ex iisdem simplicibus, bulbis, parata, hic quoque proderunt. Confertque ad hæc præ cæteris hic quoque Scrophularia, Thapsus barbatus, Plantago, Rubi folia, & præter hæc Parietaria, Mercurialis, Barbarea, Sabina, Ballote Capillus ven. Libanotis, Thymus, Thymbra, Ruta, recentia tusa vel cocta vel subacta, uti illic dictum, administrata: maximè ut efficaciora sint, in Vino rubro cum Aqua ferrata, vel Aceto & aqua, aut Lixivio cocta, & in fotu cum spongia vel Sacculo applicata. Confert & radic. Quinque folii & Aristot. rot. decoctum, cui baccæ Lauri addi possunt, aliave potenter siccantia & astringentia, illic quoque descripta. Quibus Sal & Nitrum quoque addi possunt. Cotonea cruda ejusmodi cataplasmatibus addere jubet Dioscorides.

Stercus Ovillum vel gallinæ cum Sapone vel Aceto subactum & appositum prodest: cui & Fel capræ addi potest.

Vel Pix liquida & Ammoniacum in Aceto forti dissolvantur & applicentur.

Unctiones variæ in hæmorrhoide dolente traditæ, hic quoque convenient; si efficaciora præsertim ex illis eligantur, hicque imprimis unguentis illis, cathæretica illic exposita, addi possunt.

Quibus & sequentia admiscere licet.

℞. Succi Barbareæ, Apii veri seu Petroselini ana ℥. j. ß. ol. de Lateribus ℥. ij. Boli ʒ j. Terebinth. q. s. fiat instar nutriti.

Vel ℞. Olei de Tartaro ℥. ß. lap. Calaminaris vel Hæmatitis, vel Minii, ʒ. ij. misce: Ungatur.

Item ℞. Cineres Sarmentorum vitium vinaceorum & cineres Anethi cremati, & Piscium salitorum cineres, pulveremitem Sabinæ: cum Aceto, subigantur: & inungantur.

Aliud: ℞. Aloës, Thuris, Sandarachæ, ana ʒ. j. ß. gummi Ammon. dissoluti in Aceto ʒ. j. Aluminis ʒ. ij. lap. Hæmatitis vel minii ʒ. j. Gallarum ʒ. ß. Croci ℈ j. Ovi vitellum assum vel ustum num. j. Terebinth. ʒ. j. olei Rosacei & Ceræ q. s. fiat unguentum.

Efficacissimum hoc erit: ℞. Mercurii ʒ. ij. dissoluatur, cum Terebinthinæ ℥. j. Olei Nucum ℥. ij. minii ʒ. ij. Aluminis, Vitrioli ana ʒ i. æruginis æris ʒ. ß. Ceræ parùm, fiat linimentum. Cui tantillum sublimati additum illud efficacius reddit.

Pulvis hic subtilissimè tritus, si huic carni laxæ inspergatur, eam admodum exiccat & absumit.

℞. Rad. Aristoloch. rot. ʒ. j. Sabinæ fol. exicc. ʒ. ij. cinerum ossium Myrobalan. & Hermodactyl. ustorum ana ʒ. j. ß. Aluminis ʒ. j. Chalcitidis ʒ. ß. Auripigm. rubr. ℈ j. fiat pulvis, cui opium addi potest, vel radic. Mandragoræ.

Sublimatum in aqua coctum, aliovè modo appositum, ut in anthrace dictum eas aufert. Oleum Vitrioli: & de Antimonio idem facit.

In *Condylomatibus* absumendis, cùm magno fructu adhiberi potest oleum causticum, quod & fistulas, scrophulos, & excrescentias Carnis, sine sensibili dolore comburit: hoc ita paratur.

℞. Olei laterum optimi, Mastiches electæ, gummi Arabici pellucidi, Terebinthinæ claræ ana ℥. iij. pulverizata misceantur, destillentur per alembicum vitreum, quod exstillat incorporetur cum cineribus Hederæ, reiteretur destillatio, oleum prodiens servetur ad usum.

Fumi siccantes ad Podicem admissi, Condylomata admodum siccant & auferunt: Quales in narium ulceribus expositi sunt. Imprimis si ex Cinnabari fiant. Cujusmodi in lue venerea, si præsertim indè fiant expositi sunt.

Abscinduntur interdum Condylomata, si dura sint verrucarum instar, vel si propen-

deant, setis ligantur aut filo, ut sic marcessant. *Felix Plater. Prax. Medic. T. 2.*

CONGESTIO HUMORUM.

Vid.

ABSESSUS, TUMOR,

aliique morbi ab illa enati.

CONVOLVULUS.

Vid.

ILIACA PASSIO.

CONTRACTURA.

Vid. capita de

CONVULSIONE. EPILEPSIA SCORBUTO COMBUSTIONIBUS &c. *unde oritur.*

CONTRAFISSURA & CONTRAFRACTURA.

Vid.

CRANII VULNERA.

CONTUSIO.

HIc dicitur de morbo qui solutionis continui species est, dum scil. grave aliquid supra corpus incidit, ac id ipsum collidit & continuitatem solvit, citrà deperditionem manifestam substantiæ, aut externam rupturam; ubi plerumque in parte carnea cruor sub cute colligitur, & suggillatio, ἐκχύμωμα sive effusio dicitur, quia venæ exiguæ sub cute rumpuntur. In specie quoque Contusio dicitur Cranii vel Calvariæ recessus & incurvatio à violenta illisione absque fractura; (& in junioribus, item iis quorum ossa sunt molliora quandoque contingit) quale quid stanneis ac plumbeis vasis si foris illidantur advenire videmus. De hac ultima vide in sequentibus ubi de Fracturis Cranii. Hic jam tantùm de aliis omissis tamen que de vulnere contuso, item de ulcere contuso capitibus de vulneribus & ulceribus dicenda veniunt.

Curationes.

Tumor ex contusione sine vulnere manifesto aut magno (nam de vulnere contuso in vulneribus agemus, uti & si per contusionem aliquid frangatur intrinsecus) si levis sit, vel sponte, vel discutientibus adhibitis iterum residet, lividitasque tandem evanescit. Quòd si verò major sit, inflammatioque metuatur, vel illa superveniat, primùm repellentibus, mox discutientibus remediis, non eodem penitus, ut in phlegmone, sed propter contusam carnem & sanguinem qui coagulatur, nonnihil variante modo in curatione procedimus: Et si discuti nequeat, sed supuratio sequatur, tunc maturantibus, ut in abscessû dicetur, eam promovemus, & quando in ulcus convertitur, ut ulcus curamus. Ad influxum autem sanguinis mox à principio arcendum, præmissâ, si opus sit, venæsectione, aliisque quæ illum revellant, ut in phlegmone dictum, Repellentia quæ adhibentur, si caro subjecta admodum contusa, sanguinem copiosum contineat, non adeò in alia phlegmone refrigerare tantopereque astringere, vel illa in ambitû potiùs loci contusi, quam suprà illum collocari debent, nè sanguis horum causâ coagulatus retentusque putrescat. Et proin quæ loco affecto adhibentur, & vim repellendi discutiendique nonnihil simul habere debent: qualia in progressu inflammationum usurpari solent, illicque describuntur. Usitatumque admodum est ad hoc præstandum, oleo Rosaceo, Myrtillorum cum albumine ovi, vel mucilagine Psyllii, aliove agitato, locum contusum illinere, pulveresque astringentes & siccantes, ut Myrtillorum, florum Rosarum, flor. Granatorum, rad. Bistortæ, Tormentillæ, Sanguinis draconis, Mastiches, Boli, &c. inspergere.

Vel sic, si pars admodum uti & caput percussum fuerit:

℞. Lentium ℥ ij. Seminis Myrtill. Balaust. an. ʒ ij. flor. Rof. fol. Sumach, & Tamaricis, ana ʒj. Acaciæ, Mastiches ana ʒj. Olei Rosac. Terebinthin. & Ceræ q. s. pro Emplastro vel Linimento.

Quibus in inflammatione præmissis, vel etiam omissis, si nulla timeatur inflammatio ac discurrentia sanguinem affluxum, vel illic coagulatum mox accedemus, illisque etiam nullo tumore vel indicio ex contusione apparente, sed dolore tantum punctorio vel lancinante ex contusione in parte aliqua urgente, cùm in profundo magis materiam latere tunc cognoscamus, utimur: Propinatis simul potionibus quibusdam, si de ruptura aliqua intrinsecus & præsertim de sanguine affatim fluente in cavitates corporis, vel etiam ad locum contusum, & de illius coagulatione suspicio sit. Quæ & solæ potiones circà externorum remediorum usum, si dolor ex contusione vel casû natus, nullo apparente foris indicio, vel levi, uti dictum, oriatur, ad curationem, tunc, si bibantur frequenter sufficiunt. Quarum descriptiones, cùm &, si ex contusione vulnus infligatur, ad vulnus quoque hoc sanandum, uti cæteræ vulnerariæ potiones opitulentur, unà cùm reliquis ejusmodi potionibus proponemus. Cæterùm quòd externa discutientia remedia attinet, sequentia imprimis usurpantur.

Cataplasmata seu emplastra, fiunt ex absinthio floribus chamomill. vel Meliloti, Rosis, in oleo & vino coctis, addendo benè contusis farinam fabaceam, interdum & Mumiæ, Sanguinis draconis ana ʒj. ad ℔j. Emplastri.

Si caput contusum sit, Betonica aliavè capiti appropriata addi possunt, non tamen nimis calida, si dolor inflammationem præsagiat.

Absinthii pulvis cum albumine ovi subactus, profuit in multis.

Furfur cum pulvere Absinthii & Aceto coctum appositum: addito interdum oleo Rosaceo & Chamæmelino.

Liliorum radix & Dracunculi, cum Melle contusa, addito Stercore caprino.

Farina fabarum cocta cum oxymelite, cui si nervi simul contusi sint, Pix liquida additur. Potest & farina orobi addi.

Cochlearum caro cum farina sem. Fænigræc. vel Fabarum contusa.

Ster-

Stercus bubulum applicatur, addito interdum oleo Rosaceo. Excellens in contusionibus, lividitates quoque tollens, cataplasma fit ex rad. symphyti major, pulverisata, decocta in Hydromelite, addenda ad ℔ j. succi rutæ & Absinthii ana ℥ i ß. sem. Cymini ℥ ij. misce.

Vel ℞. Radic. consolid. pulverisat. ℔ j. pulverum flor. chamomill. meliloti, Absinthii ana ℥j. farinæ fabarum, & Fænigræc. ana ℥ iij. Butyri vel oleorum prædictorum ℥ ij. croci ʒß. fiat cataplasma: cui & succi, & Cyminum etiam addi possunt; admodum resolvit carnem ex contusione contritam seu mortificatam, ut vocant.

Inunctiones ex oleis calidis discutientibus, ut chamæmelino, Anethino, Liliorum, Sambucino, Ebulino, vel simul repellentibus, ut Myrtillorum fiunt.

Vel ℞. Axungiæ, caponis vel gallinæ, Terebinth. dilol. in melle & aqua vitæ: & inungatur.

Unguento Anseris in podagra descripto, si Cymini & Absinthii pulveris portiuncula addatur, in contusionibus etiam convenit.

Unguentum dialthææ per se inunctum vel addito oleo Violaceo, Lumbricorum, Rutaceo Chamæmelino, pinguedine Anseris, Butyro, addita aliquando Mumiâ: efficacissimum erit, Si inunctioni sem. cymini inspergatur unguentum de Alabastro, Agrippæ, de Cerussa, oxycroceum in usu sunt.

Lixivium ex cinere sarmentitio Vitium vel vinaceorum cum Aceto, Sale & Melle prodest.

Probatur & cinis Vinaceorum cum Aceto, emplastri modo impositus.

Urina abluatur locus contusus, vel foveatur. Lineus pannus Aqua vitæ irroratus, parti contusæ, tepide, subitò, admotus, tumorem impedit, sanguinem dissipat & discutit.

Fomentari vel immergi circa finem, ut resolvatur materia, membrum contusum potest, ex decocto radicum ebuli, osmundæ, Sanamundæ, Absinthio, Pulegio, Artemisia, fl. chamomillæ, meliloti, sambuci vel ebuli Rosatum &c.

Involvantur in Corio arietis modò mactati dum calet, quibus totum corpus ex casû conquassatum est: Alii bubulo utuntur vel alio: Alii in fimo eos sepeliunt.

In aurium contusione, Dioscorides Sulphur cum Melle & Vino illinit. Et Bulbos cum Polenta imponit.

Si glandulæ ex contusione intumescant, vel inflammentur, uti & testes quid faciendum, in ipsorum tumoribus fuit expositum. *Felix Plater. Prax. Medic. tom. 2.*

Contusionis capitis curatio.

Initio statim repellentia & adstringentia sunt adhibenda, eaque sæpiùs, ne incalescant, removenda. Ac proindè statim capillis, si in loco capillato contusio sit, priùs abrasis, adstringentia, supra, cap. 1. & cap. 8. proposita applicanda, & oleo rosaceo locus inungendus; deinde ovi albumen bene conquassatum, vel solum, vel aquâ rosaceâ & aceto mistum, & stuppâ exceptum imponendum. Vel tale repellens applicetur.

℞. Olei rosacei ℥ iij. album. ovor. ℥ij. pulv. nuc. cupressi, balaustiorum, alum. rochæ, rosarum rubrarum, an. Drach. j. misce, & imponatur.

Vel ℞. Farinæ hordei, fabarum, an. ℥vj. olei rosacei ℥ iij. q. s. f. Cataplasma.

Locus ipse paulò arctius ligetur, sitque ligaturæ initium in loco affecto, & desinat eo loco, è quo fluxum imminere metus est. Ligatura enim arcta fluxiones arcet. Medicamenta autem talia sæpius renoventur.

Secundo die vinum austerum, in quo rosæ, myrtus betonica, & aliquid florum chamæmel. cocta sint, tepidum imponatur, & si dolor aliquis appareat, medicamentum bis de die mutetur, & locus oleo rosaceo tepido foveatur.

Si contusio major sit, & ob dolorem affluxus major metuatur, vena statim aperienda, & si corpus impurum sit, medicamentum bilem purgans exhibendum, vel etiam clyster injiciendus, & tenuis victus imperandus.

Et si dolor vehementior sit, lanâ oleo rosaceo & chamæmelino madidâ locus fovendus, vel decocto, rosarum, radicis altheæ, lini fœnugræci, betonicæ, vel unguento Alabastrino inungendus.

Ubi jam dolor sedatus, & de affluxû amplius non metus est, danda opera, ut sanguis extra vasa effusus evacuetur: quod fit vel insensibiliter, per ἄδηλον διαπνοήν, vel sensibiliter, materiâ in pus conversa, & tumore aperto.

Tutius verò longè est materiam insensibiliter discutere, quàm permittere, ut in pus vertatur. Quapropter paretur tale cataplasma.

℞ Sum. Absinthii M i ß. rosar. rubrar. flor. chamæmel. betonicæ, sertulæ campanæ ana M. ß.

Coquantur in vino ad mollitiem. Postea contundantur, & addatur Farinæ hordei, fabarum, an. ℥ i ß. pulv. sem. cumin. Drach. ij. olei rosar. q. s. f. cataplasma.

Vel imponatur emplastrum, quod capite præcedente ex Alexandro Benedicto recensuimus; aut emplastrum de betonica, aut de gummi elemi, aut ceratum Isidis, descriptum à Galeno 5. Κατὰ γένη cap. 2. ceratum de matrisylvia, emplastrum de Janua Fernelii, emplastrum de gratia Dei Fernel. lib. 7. method.

Vel ℞. Emplastr. diachyl. ℥ij. oxycrocei, de meliloto, an. ℥ j. olei chamæmel. anethini, an. ʒß. malaxentur F. emplastrum.

Vel usurpetur, cerotum Vigonis de minio, quod emollit & discutit, & ita paretur.

℞. Olei chamæmel. lilior. albor. an. ℥ x. mastichini ℥ ij. pingued. vervecis ℔ i ß. lithargyri auri ℥ viii. minii ℥ ij. vini boni cyathum i.

Bulliant omnia simul agitando, primùm lento, hinc fortiore igne, donec massa colorem subnigrum contraxerit, tum adde terebinthinæ ℔ iij. pulv. mastiches ℥ iij. gummi elemi ℥ j. ceræ q. s. iterum coquantur. F. emplastrum vel fomentum tale paretur.

℞. Nuc. cupressi contusar. num. x. myrtill ℥ j. rosar. rubr. absinthii fol. salv. majoranæ, stœchad. flor. chamæmel. an. M. ß. aluminis rochæ, rad. cyperi, calam. aromat. an. ʒ3. Coquantur in vini rubri ℔ iv. lixivii communis ℔ ij.

Decocto caput foveatur, & post fomentationem

tionem exsiccetur, & emplastrum aliquod imponatur. Forestus lib. 9. observ. 32. hoc emplastrum Helidæi, quòd mirum in modum humiditatem in contusionibus discutiat, commendat.

℞. Flor. rosar. rubrar. chamæmeli, absinthii, betonicæ, an. M.j. concoquantur ad mollitiem, & contundantur adde farin. fabar. ℥iij. ol. rosac. vini nigr. styptici, an. q. s. Fiat Emplastrum, seu potius cataplasma.

Si verò ob humoris effusi copiam is totus discuti nequeat, & suppuratio impediri non possit, medicamentis maturantibus suppuratio promovenda, ut oleo dulci tepido, vel decocto malvæ, altheæ, caricarum; vel parando ex his cataplasma, cum farina hordei, adipe gallinæ, oleo communi; vel imponendo emplastrum triapharmacum, quod fit olei dulcis parte una, aquæ communis partibus duabus, & triticeæ farinæ s. q. quibus vitellum ovi addere licet.

Ubi ex dolore & loci mollitie materiam in pus conversam esse cognitum fuerit, extrahenda ea; idque ocyus faciendum, nè pericranium, & quæ ei connectitur, duram matrem corrumpat. Quod fit sectione factâ in loco decliviore, & ad materiæ evacuationem commodiore. Si temporalis musculus est contusus, sectio non in ipso musculo, sed in loco propinquo instituenda; aut si in ipso musculo sectionem instituere libeat, secundum longitudinem fibrarum fiat; ferrum tamen non nimis altè alligetur; Vitandique musculi caput moventes.

Abscessû aperto, & materiâ evacuatâ, ulcus detergendum tali, vel simili medicamento:

℞. Syr. de absinth. simpl. rosarum, an. ℥j, terebinth. ℥ i ß. pulv. ireos, aloës mastiches. myrrhæ, farinæ hordei, an. Drach. sem.

Ulcere mundato cavitas implenda, & cicatrix inducenda, carnis tamen excrescentia seu ὑπερσαρκώσις quæ in hisce contusionibus frequenter suppullulat, depascenda pulveribus καταιρετικοῖς, aut liquore illo viridi, qui in ὑπερσαρκώσει quacunque utiliter, & sine omni dolore, adhibetur; qui institut. lib. 5. part. 1. sect. 2. cap. 13. describitur.

De contusione Capitum Puerorum.

Quia verò inprimis pueri & infantes, propter capitis molem, tibiarumque imbecillitatem sæpius labuntur, caputque graviter offendunt, & contundunt, sanguisque ex contusione collectus sub cute tumorem excitat; de hac in puerorum capitibus contusione in specie aliquid addemus ex Julio Cæsare Arantio, qui in fine comment. l. Hippocr. de vulneribus cap. scribit, se juniorem, minusque exercitatum, metuisse, ne sanguis sub cutem effusus ibi putresceret, & ad membranam descenderet, & idcircò sectionem cuti adhibuisse ut sanguis educeretur: sed hoc modo in maximum discrimen infantes adduxisse: cùm & ob sanguinem affluentem vires resolverentur, & dolore, ac clamore & ejulatû infantum, fluxio, & tandem inflammatio excitaretur: ideoque longo rerum usû se oculatiorem factum, tandem à sectione planè abstinuisse, ac sequenti curandi modo graves etiam contusiones feliciter curasse.

Ab accepta contusione protinus, ubi opus, abraso, aut, si rasio ob dolorem fieri non possit, forfice detonso capillo, linteum, vel Stuppa, ovi albumine, & aceto rosaceo madida, imponenda, & deligatione factâ, integro die naturali linteum extrinsecus iisdem madefaciendum, nè exsiccetur; ita enim humorum confluentium impetus prohibetur, & aliqua pars resolvitur.

Sequenti die sequens Cataplasma imponendum.

℞. Pulv. rosar. rubrar. fol. & baccar. myrti, an. ℥ ij. farinæ fabarum, hordei, an. ℥ j. absinthii, betonicæ an. ℥ß. sem. cumini Drach. j. mellis albi ℥ ij. cùm vino nigro austero F. Cataplasma, cui adde olei rosar. chamæmel. ana unc. j.

Hoc medicamentum, quod appellat Benedictum, bis singulis diebus tepidè imponendum est, ut non solùm contusam partem, sed & circircumsitas complectatur; sitque ejus quantitas, quæ unâ vice adhibetur: mediocris. Si enim sit exigua, parum habet virium, & à partis calore facilè exsiccatur: si nimia, locus affectus comprimitur. Atque in istius medicamenti usû, ad diem usque nonum vel decimum perseverandum est. In dies enim partem detumescere, & collectum sanguinem resolvi, ac per poros cutis evaporare animadvertetur, ac si calvaria etiam contusa sit, ad pristinum statum reducetur.

Cùm verò dies undecimus præterierit, *Emplastrum diapalma Galeni*, corio tenuissimo illitum, imponendum, & tertio quoque die immutandum.

Post vigesimum diem ad reliquias humorum absumendas, & collisam calvariam in suum naturalem statum reducendam, *emplastrum Barbarum* corio illitum applicandum. Et quamvis curatio protrahatur, & collecti, & effusi sub cutem humores tardius dissipentur, tamen curatio hoc modo felicicer expeditur.

Forestus ad tumores, qui pueris ex lapsû in capite oboriuntur, oleum anisi commendat, si eo tumor illinatur. Victus interim ætati sit sufficiens, non nimis tenuis.

Eadem curatio adhiberi potest, si infanti recens nato in partu difficili, caput contusum, & tumidum, ob sanguinem effusum, fit: sed simplicior. Solum enim diaphænicum ex rosaceo confectum tumores hos discutit. *Daniel Sennert. Medicin. Practic. lib. 1. part. 1. cap. 21.*

In contusione semen cumini cum caryophyllis & rad. Sigill. Mariæ applicatum egregiè conducit, vel absinthium in vino tostum & applicatum adhibent nostrates. Alii solo spiritu vini in quo Caryophyll. & N. M. fuerint infusa, ad illinendum vel applicandum utuntur. Omnia enim hic conferunt salia aromatica vegetabilia, quoniam eorum spiritus, salia volatilia, & olea operari, & externè apposita sanguinem resolvere debent, sequens ergo erit egregium.

℞. Elix. vitæ ℥ iij. spir. sal. armoniaci caryophyll. ℥ß. Matrical. ℥ i ß. aq. flor. sambuc. ℥ ij. Camphor. ℨ iij. M. quod remedium omnibus contusionibus & sugillationibus applicari potest. Sequens nuper in oculi contusione & inde nata Ecchymosi oculo instillatum juvit.

℞. Spir.

℞. Spir. Sal. armoniaci volat. ℥ß. Matrical. ʒiß. Sal. commun. Saturni gr. iv. Camphor. ℈ß. Croci opt. gr. xv. Aqu. Fæniculi euphras. ana ℥j. M.

In quacunque sugillatione sequens proderit Cataplasma.

℞. Rad. sigill. M. ireos fl. sem. cumin. fænicul. herb. Salv. ana ℥ß. caryophyll. Macis ana ʒiij. Coq. in Vin. Gall. & add. Panis bis coct. q. s. ut fiat Cataplasma, quod calidè parti imponatur sugillatæ.

Si sugillatio fuerit ex contusione fortiori, ex qua fit sanguinis è vasis suis effusio, debet discuti & consumi per sacculos discutientes ex absinthio, malva, ruta, semperviv. fl. Chamom. Sambuc. Sal. commun. Tartar. Sal. Armoniaci &c. paratos.

In magis sæpè contusionibus & plagis metuenda est gangræna, vel exulceratio, vel inflammatio, vel abscessus, in quem finem ad hæc symptomata impedienda nullum præstantius offendi remedium quàm sequens, nunquam me nec in desperatis ferè casibus deserens, quod junioribus Medicis communicare libet.

℞. Summ. absinth. m j. Scordii Marrub. abrotan. ana M. ß. fl. chamæm. Melilot. Sambuc. ana. P ij. Concis. coq. ex decocto earundem herbarum ut consistent. Cataplasm. acquirat. add. Farin. Hordei lini q. s. Dein add. Sal. commun. Sal. Armoniaci, de parat. ℥ß. Spirit. Vini camphor. ℥ij.

Cataplasma hoc tepidè applicetur, & effectus mirandos in inflammationibus malignis, Punctura nervorum, Gangræna & Sugillatione percipies.

Sunt Ægri qui sæpè Emplastra exoptant, inter quæ aliis palmam præripiunt Empl. nostrum Cinnabarinum de Labdano, de Cumino, de Spermate Ceti, de Bryonia, Diachyl. s. & plura alia alibi dicenda: Sæpè etiam sanguinem evasatum scarificatione facta eximunt, & cutem defædatam illinunt oleo Talei. *Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. ration. lib. 5. cap. 5.*

Observationes.

Divi Antonii festo, fenestra lignea satis gravis ex alto decidit in Bregma cujusdam juvenis, cute tamen non scissâ. Sed graviter contusa, ex quo casu in terram prolapsus æger, sine sensû, & motû, cum privatione omnium facultatum principum, horæ spatio; ad quem Medicus magni nominis, simul cum quodam Chirurgo vocatus à principio, applicuerunt medicamenta consueta, ovi nempè albumen, oleum rosaceum, & similia; ego verò accersitus secunda die, statim ad cutis sectionem, & cranii perforationem deveniendum censui, renuentibus Chirurgis me senioribus, nec non patre ipsius Ægri Varisco; Verùm tantummodo præscribentibus cataplasmata, inunctiones, & alia externa remedia. Quindecim verò, aut sexdecim post diebus, denuo accitus, cum viderem tumorem in parte læsa satis magnum, atque sub digitis perciperem pus fluctuans, nedum tamen permiserunt ossis excisionem; at iterum post vigesimam vocatus, annuentibus tandem omnibus, sectionem cruciatim administravi, ex qua maxima copia puris affluxit, cujus ratione summi illi viri terebrationem reprobarunt, nisi post quadragesimam diem, hâc observatione adducti; quod natura per porositates ossis cranii purulentam materiam supra membranas, & cerebrum hærentem transmittebat, quod anteà certe nunquam vidi; materia siquidem effluebat per poros, ad unciam unam quolibet die: quapropter ægrum cum terebrassem, ex foramine quotidie copiosum pus emanabat, ipso tamen ægro sexagesima extincto. Huic similem etiam casum in cive quodam Patavino Merio, pila ferrea contuso in capite, observavi, cum effluxû saniosæ materiæ per foraminula, & poros Calvariæ; ad quem tertiò tantum invisi, aliis Medicis ad ejus curam vocatis, qui à principio prætermissa terebratione, illi mortis autores fuerunt, quod moneo, nè in istos incidatis errores, si quando præ manibus habueritis hujusmodi vulneratos, cum symptomatibus, quæ nobis demonstrant partes internas læsas. *Petrus de Marchett. in observat. Medico-Chirurg.*

Contusio nasi gravis, cum fractura, & comminutione ossium ejusdem, felici successû sanata.

Percussus fuit mercator quidam Patavinus gravi ligno suprà regionem osseam nasi, à quo vulnere non solum ex altero oculo statim humores effluxerunt, cum visionis abolitione, sed & sensuum, & motûs, horæ dimidiæ spatio; quinimò os nasi comminutum fuit instar granorum milii. Vocatus, recepto motû & sensû, statim imposui lignum accommodatum nasi meatibus, digitisque fracturam composui, & formam naturalem ipsi reddidi; postmodum ligno educto, turundam ex linteolo, ovi albumine, & bolo armena imbuto indidi, applicito exteriùs albumine, ovi cum aqua rosarum, & portiuncula olei rosacei conquassato, ac suprà oculum pulpis pomorum sub prunis coctorum, cum cassia noviter extracta simul mistis. Interim omnia administrata inhibendæ fluxioni, sanguinis scilicet missio, ac medicamenta lenientia, alterantia, & purgantia, ex lege exhibita, prout in aliis vulneribus, & contusionibus fieri consuetum; postero die parti affectæ, turundarum vice, immisi pennam anserinam, obvolutam telâ tenuissimâ, imbuta medicamento jam dicto, atque parti externæ applicui prædictum medicamentum, eodem ordine servato, usque ad decimam quartam, inflammatione, & tumore ex contusione cessantibus; postmodum cum partes etiam internæ nasi læsæ essent, quò cicatrix callosa illis induceretur, imposui cannulam plumbeam illitam unguento ex tuthia, atque inspersam pulveribus ex cornu cervi usto, terra sigillata, ac rosis rubris, quibus cicatrix inducta in iisdem nasi meatibus; partibus verò externis applicui ceratum Diachalciteos, mistum cum pulveribus boli armenæ orientalis; quorum usû spatio quadraginta dierum æger omninò fuit sanatus, eadem naturali & concinna forma nasi illi restituta. Tandem oculo, cessante inflammatione, aquam rosaceam, cum pulvere tuthiæ præparatæ adhibui, ipsumque sanavi, non citrà tamen visûs abolitionem, ægro adhuc num in vivis agente. *Petrus de Marchett. in observat. Medico-chirurg.*

Quòd

Quòd si verum sit Hippocratis effatum, experientiam nimirum esse fallacem, eò magis verum esse dixerim, fallacissimam esse praxin sine experientia. Mulier quædam è currû cecidit in terram gelu induratam, undè frons tam vehementer fuit contusa, ut ingens statim ibidem elevaretur tumor. Chirurgus Suburbanus tumore explorato, & ægrotam aliquoties vomuisse intelligens, cranium esse impressum & fissum, nec sine cruciali incisione & ossis elevatione posse curari, judicavit. Hisce propositis, adstantes me vocari jusserunt, quando ego hanc propositam encheiresin renuebam, nulla quippe cranii fissi signa præstò esse asseverans. Ad hæc respondit audaculus ille incisor, sese digitis impressionem sentire, nullam verò esse impressionem sine fissura. Revera nisi ejusmodi tumores sæpiùs in capite digitis explorassem, perque experientiam de eorum vera natura edoctus fuissem, dixissem & ego ipse cranium esse impressum: Ita enim tumores capitis post graviorem contusionem sæpissimè palpantibus sese offerunt. Quando namque locus inter tumorem & partem sanam digito comprimitur, cranium sæpè videtur impressum, sicque junioribus facilè imponit. Proindè cauti hi esse debent, nè in similem incidant errorem. Itaque loco crucialis incisionis fomentum ex optimis cephalicis applicitum est, ceu videtis infra scriptum, cujus beneficio tumor intra duos tres vel dies evanescere cœpit, atque ægra nostra brevi convaluit, sine ulteriori magno remedio externo. Non solum autem in hoc casu, verum etiam in cranii vera fractura, in qua symptomata non augentur, haud statim ad incisionem & terebrationem esse confugiendum, existimo. Præstat post venæ sectionem ejusmodi adhibere fomenta cephalica, quæ non parcè, nec linteis exiguis, sed latioribus pannis laneis, calidè sunt applicanda, totumque caput iisdem obvolvendum. Sic non rarò felicissimè opem tuli iis, quorum capitibus jam scalpellum incisorium imminebat.

Fomentum cephalicum suprascriptum.

♃. Herb. Betonicæ Majoranæ ana m. ij. Salviæ. Rutæ ana m. j. ſ. Flor. Stæchados Lavendulæ ana m. ſ. Rosarum rub. m. j. coq. s. a. ex s. q. Vini alb. ad ℔ iij. Col. detur usui. *Fredericus Ruyschius in observ. anatomico chirurgic. centuria.*

Vir annum agens trigesimum in sphæristerio pilam à reticulo summa vi impulsam accepit circa oculum dextrum, unde statim dolor exortus est atrocissimus.

Patiens in memoriam sibi revocans alios, quos antea eodem modo læsos è vestigio vidit sanari solâ aquâ frigidâ mox ab ictû continuo admotâ, statim applicuit parti contusæ sudariolum suum aquâ frigidâ madefactum, illudque, quàm primum intepescebat, nova aqua frigida iterum imbuebat.

Postero die ictum subsequente amici, qui hoc infortunium accidisse intellexerant, ægrotum invisebant, sed utrumque oculum sanum ac belle habentem conspicientes prorsùs obstupescebant, quandoquidem firmiter sibi persuadebant oculum, qui ictum adeò vehementem acceperat, egregiè debere livescere ac dolere.

Verum quid hoc sibi vult? an aqua frigida jam proderit in contusione? illa nocere potiùs videtur, quia sanguinem extra vasa profusum incrassat, coagulat ac stagnare facit; nonne spiritus vini, aliaque medicamenta, quæ sanguinis motum adaugent, hoc in casû potiùs convenissent?

Ut hujus difficultatis solutionem clarè concipias, scire oportet, in partibus à pila valdè adactâ læsis vascula quædam sanguifera valde parva fuisse aperta, quæ si jam sanguinem in tubulos partium læsarum profudissent, tunc aqua frigida nocuisset; Verum enim verò hæc aqua frigida adhibita fuit, antequàm sanguis exiisset, & sic non tantum hæc vascula valdè exigua suo frigore iterùm occlusit, sed præterea in causa fuit, quominus novus sanguis hæc vascula intraret per aliquod temporis intervallum; sic faciem nostram, rubentem non alia de causa, quàm quia per ejusdem cutim dispersa jacent multa vascula exilia sanguine plena, pallescere cernimus à frigore aquæ, aëris, aliarumque rerum, quia illud pro tempore prohibet, nè sanguis hæc exigua faciei vascula ingrediatur, sic jucundum ac juvenes ad basia stimulantem labiorum in formosâ Virgine ruborem mutari cernimus in pallidum colorem ab aceto sanguinem à vasculis per labiorum superficiem disseminatis arcente.

Atqui talia tentare velle, ubi tubuli partium contusarum jam sanguine extra vasa prolapso repleti sunt, extrema dementia mihi videtur, ac non rarò gangrænam in parte contusa exortam novi à frigidis & astringentibus intempestivè usurpatis. *Johan. Muys observat. chirurgic. decade iij.*

CONVULSIO.

Convulsio vel Spasmus est musculorum suam originem versus præter voluntatem contractio, per quam membra aut partes variè flectuntur, extenduntur, aut in unum alterumque latus contorquentur.

Partem affectam, seu musculum ipsum, seu fibras motrices, seu nervos spirituum vectores dixeris, eodem propemodum res redit. Interim minimè dubitandum quin in convulsionibus universalibus, aut saltem quæ plures corporis partes occupant, particulæ heterogeneæ & explosivæ è sanguine unà (ut vult Clar. Willisius) cum succo nervoso instillentur, quæ postea in nervosum genus detrusæ, inibi spiritibus accrescant, iisque diathesin convulsivam inferant.

Convulsio autem est vel *universalis*, vel *particularis*. Universalis tres sunt species; *Tetanos*, ubi totum corpus rigidum, & in neutram partem flexile manet: *Emprosthotonos*, quando antrorsum; *Opisthotonos*, quando retrorsum, cervix, spina dorsi, & reliquæ partes incurvantur. Particularis est cùm partes quædam, aut membra, ut oculus, os, brachium, pes, seorsim convelluntur. Oris spasmus peculiaria sortitur nomina, & si ab una tantùm parte contrahitur, *spasmus cynicus*; si ab utraque, *risus sardonicus*; si mandibulæ quoque convellantur, & dentes invitè concutiantur, *trismos* dicitur. Convulsio præterea alia est dolorosica, alia sine dolore.

Di-

Distinguere etiam solent Practici *Convulsionem* à *Motu Convulsivo*; aiuntque in vera convulsione retractionem musculorum esse perpetuam, seu continuam & indesinentem, in motu verò convulsivo esse interpolatam: præterea in vera convulsione membrum esse immobile, in motu convulsivo variè agitari: ut patet in Epilepsia quæ inter motus convulsivos principem locum obtinet. Deinde in vera convulsione sensus omnes plerumque integros esse, in motu convulsivo sæpè lædi. Alias itidem distinctiones è causis petitas afferunt, convulsionemque à *repletione* & *inanitione*, motum verò convulsivum ab *irritatione* fieri volunt. Verùm inanitio & repletio jam dudum explosæ sunt. Ad cæteras distinctiones quod attinet, non ita magni ad Praxim momenti esse videntur, quin uterque affectus à Celebrioribus Practicis sæpissimè confundatur.

Causa proxima est irritatio partium nervosarum, quæ in convulsione propriè sic dicta, continua, in motu convulsivo alternans est. Clariss. Willis particulis heterogeneis & valde explosivis, spiritibus animalibus quæ in hac aut illa corporis regione degunt, accrescentibus, atque particularum mineralium iniquas combinationes, explosionesque violentas imitantibus, convulsiones acceptas refert. Quandoquidem, *inquit ille*, in motu regulari & ordinario, musculi impetum motivum & vim elasticam concipere nequimus, nisi spirituum animalium explosio quædam supponatur; certè multò magis, pro insultibus saltem epilepticis, aliisque convulsionibus admirandis quæ passim eveniunt, excitandis, eorundem spirituum cum aliis particulis valde efferis complicationes, atque ab invicem elisiones vehementes requiri, asserere licebit. Pro hujusce sententiæ clariori intelligentia, consulenda dissertatio de Motu Musculari ab ipso conscripta, cui tanquam hypothesi innititur. Alii Archæi, seu systematis nervosi Præsidis excandescentiæ id tribuunt. Verùm θεὸν ἀπὸ μηχανῆς sine necessitate accersere videntur; positis enim, sive materia irritante sola, salino scil. acri; sive Willisii explosionibus, ab ejusdem materiæ combinationibus ortis; posita præterea spirituum animalium, tum mobilitate, tum motu per nervos reciproco, nullas videmus insolubiles super hac re difficultates.

Causæ mediatæ Sylvio sunt humor, halitusve acidus, aut aëris ad spinalis medullæ exortum, in convulsione universali; ad nervum aut musculum quempiam peculiarem, in particulari, delatus. De halitibus, vide quæ Cap. de Epilepsia annotamus. Humores quod spectat; succos acidos, aut acres & salino-sulphureos, bilem adustam, pituitam acescentem, & melancoliam, hujusmodi affectum producere posse, nemo negaverit. Huc etiam referenda venena omnia, & ipsa fortiora cathartica, morsus animalium venenatorum, aut iratorum, vulnera, ictus, puncturæ, & inflammationes musculorum, aut fibrarum nervosarum.

Affectus hic facilè dignoscitur, nam musculi præter voluntatem contractio signum ejus est pathognomonicum.

A superpurgatione, aut immodico sanguinis profluvio convulsio malum Hippocr. Aphor. 3. & 4. sect. 5. A Phrenitide convulsio lethalis. Imò in omnibus febribus ardentibus perniciosissimæ sunt convulsiones; quapropter ex Hippocrat. præstat febrem convulsioni, quàm convulsionem febri supervenire. Quæ à veneno assumpto, aut venenati animalis morsu, aut punctura, pessimi semper sunt ominis. Datur autem casus in quo boni ominis sunt convulsiones: Scilicet dum iis, quantumcunque etiam validis, torquentur infantes quibus variolæ mox sunt erupturæ, certò enim significant illas melioris notæ & de genere discretarum fore; quod non tantùm observavit accuratissimus Sydenham, sed & alii cum eo Practici, passimque nos ipsi videmus.

Indicationes quod spectat; præter illas quæ venenis assumptis, veneri immodicæ, aliisque sive morbis prægressis, sive causis evidentibus, unde sæpissime enascuntur convulsiones, debentur: in specie requiritur materiæ heterogeneæ evacuatio & eradicatio, & spirituum animalium in motus efferos & inordinatos actorum, ad tranquillitatem, motibus naturaliter peragendis necessariam, reductio.

Hisce duabus indicationibus satisfieri debet per remedia, tum universalia, tum particularia. Inter universalia sunt clysteres acriores; venæsectio, (si nihil contra indicet,) qua spiritibus multa conciliatur quies; purgantia paulo fortiora. Particularia sunt volatilia omnia, castoreum, &c. Narcoticis etiam cum cautionibus necessariis maritata, balneum frigidum ex Hippocrate; illaque tandem omnia de quibus in Epilepsiæ curatione fusè agitur; illuc itaque Lectorem remittentes; jam *Curationes*, *Consultationes*, *Observationes* atque *Anatomicas inspectiones* è variis Autoribus petitas adducemus; præmissa Doctissima de iis Laurent. Bellini Dissertatione.

CONVULSIO.

Seu ut Celso distensio, σπασμὸς Græcis σπᾶν enim contrahi est (σπάσμα autem est solutio unitatis in partibus nervosis, vel villis musculorum sine vulnere, ut per validiorem contractionem: ῥῆγμα autem est eadem divulsio sine vulnere, sed in carne, & motus convulsivi.

Antecedentia.

Antecedentia prius desumemus ex variis locis Hippocratis, ut sententia ejus à Galeno, & aliis deinde Medicis partim perversa, partim repudiata clariùs pateat. Itaque

Convulsio vel à repletione fit, vel ab inanitione; ita verò & singultus.

A copioso sanguinis fluxu singultus, aut convulsio mala.

A sanguinis profluvio desipientia, aut etiam convulsio malum.

A purgatione immodica convulsio, aut singultus superveniens malum.

Convulsio ab helleboro lethalis.

A medicamenti purgantis potione mortifera.

Ab ileo vomitus, vel singultus, vel convulsio, vel delirium malum.

Propter vigiliam convulsio, aut desipientia malum.

Convulsio vulneri superveniens lethalis.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.

Si muliebri profluvio convulsio, & animi defectus superveniat, malo est.

Spasmo, aut tetano vexato febris si accesserit, morbum solvit.

Qui quartana corripiuntur, non admodùm convulsionibus tentantur; si verò prius tentati fuerint, superveniente quartana liberantur.

In acutis febribus convulsiones, & circa viscera vehementes dolores malum.

Convulsiones cum febre acuta perniciem denunciant.

In febribus spiritus offendens (hoc est, subsistens, ut Galenus explicat, quasi impedimento illidens) *malo est; convulsionem enim significat.*

Quibus sunt cum ulceribus tumores conspicui, ii non admodùm convelluntur, aut insaniunt; his verò repentè evanescentibus, siquidem postica parte factum sit, convulsiones, & tetani accidunt, si verò à fronte, insaniæ, aut lateris dolores acuti, aut empiema, aut dysenteria, si rubicundi fuerunt tumores.

In febre convulsio, manuumque, ac pedum dolores malignum quiddam prænunciant.

Fiunt etiam convulsiones ex laboribus, ex casibus, ex plaga, & si quis onus majus tollat, & excursibus, & lucta, & omnibus id genus (loquitur ibi de convulsionibus venarum, quæ convulsæ varici fiunt similes, & earum convulsionem fieri per vim & contentionem ibidem asserit)

Ex vulnere convulsio lethalis.

Convulsio febri succedens periculum denunciat, minimum verò pueris.

Convulsionem solvit febris acuta, quæ prius non aderat, aut si prius adfuit ingravescens: confert autem & urina vitrea copiosus pertransitus, & alui fluxio, & somnus: convulsiones autem derepente ortas febris solvit, & alui fluxus.

Quod si convulsio in vena facta sit, hæc quidem per exordia dolorem excitat, & pulsat, progressu verò temporis sanguinem ad carnem transmittit, qui in carne putrescens in pus vertitur (an convulsio aneurisma est?)

Nervus præcisus convulsionem facit, & ut minimè coalescit, ita vehementer inflammatur.

Posidocreon quoque tertio die convulsione correptus est, calor non relinquebat, decimooctavo mortuus est.

Vehementes faucium dolores aurium tubercula, & convulsiones excitant, itemque cervicis, & colli dolores.

Quibus cum dentes erumpunt, alvus crebriùs demittit, minus convulsione tentantur, quam quibus sic raro alvus subducitur: quibus in dentitione febris acuta accedit, ii rarò convulsionibus tentantur: qui cum dentitione bene habito corpore permanent, gravi somno premuntur, periculum est, ne eos convulsio prahendat.

Convulsiones autem ideò intus afferunt (concussiones corporis, de quibus antea dixerat, hoc est, convulsiones ideò à concussionibus producuntur) *quod calefactum corpus autem vehementer tenuat: carnem verò minus cogunt, quàm cursus, qui in orbem obeuntur, eandemque humore vacuant.*

Pueris convulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, venter non dejiciat, si vigilent, perterreantur, plorent assiduè, & color immutetur, & ex viridi pallidus, aut lividus, aut rubor contrahatur: hæc autem pueris quidem recens natis ad septimum usque annum promptissimè eveniunt; at grandiores pueri, & viri non adeò per febres convulsionibus præhenduntur, nisi vehementissimum, & pessimum quoddam signum ex his, quæ in phrenitide fieri solent, adfuerit.

Convulsione, aut corporis distentione vexato, si febris superveniat, morbum soluit: si febre detentum convulsio præhenderit, febris eodem die, aut postero, aut tertio desinit.

Et hæc sola aliis plurimis locis Hippocratis seligimus, ne res in immensum excrescat. Convulsionem autem antecedunt etiam punctio nervi: situs partis per longiusculum tempus incommodus, quo fit convulsio, quæ dicitur Græcis σπασμὸς φυσώδης, seu spasmus flatuosus, nobis *granchio*. Pulsus similis chordæ tensæ agitatæ, ac vibratæ, cujusmodi pulsus dicitur Galeno chordosus, & jectigatio, ita fieri ipsi creditus, quia arteriæ sunt juxta nervos.

Conjuncta.

Constans immobilitas ossium ad articulationes, ita ut dimoveri difficilè possint etiam valida adstantium opera, nec similiter possint dimoveri à laborante per imperium voluntatis: nulla mentis, aut sensuum læsio. In motibus autem convulsivis alterna ossium dimotio, & immobilitas non rarò cum læsione mentis, aut sensuûm. In utrisque dolor non tamen semper, febres aliquando, & alia singula, quæ mox accidunt quandoque, non semper: modò calent, modò refrigerantur: facies pallescit, rubet, turget: urina laudabilis, modò cruda, copia ingens supprimitur, vel retinetur. Tremor in unam situs differentiam, & semper eandem, motus convulsivi nullo ordine, hi sine voluntate, ille cum arbitrii concursu. *In convulsione nervi, & tendines rigidi ad tactum percipiuntur* (ait Sennertus, sed quomodo tactu percipit nervos?)

Succedentia.

Qui tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt: si verò hos superaverint, incolumes evadunt. Et idem Hipp. *In nervorum distensionibus, & iis, quæ in posteriorem partem sunt dissolutæ maxillæ, mortem afferunt: quin etiam lethale est in posteriorum partium distensione sudare, & corpus dissolui, & in eodem malo per nares revomere, aut ubi per initia vox defecta fuit, clamare, & nugari; postridie enim adfuturam mortem significat.* Quod ipsum confirmat Hipp. primo Prædictorum textu 118. *Quæ ex lumbis in cervicem, & caput redundant, & levis syderationis more resolutionis sensum inducunt, convulsionem, ac mentis emotionem minantur, videndumque est, num talia convulsione solvantur. Qui hujusmodì conflictantur, variè morbum trahunt, atque eadem diutiùs perseverant.* (Quo super Galenus & à se visum asserit, qui alternè paralyticus fieret, & convulsus, & Petrus Salius Diversus id ipsum vidit)

Hoc

Hoc ipsum rursùs asseritur in Coacis paulò diversis extremis verbis hunc in modum. *Quæ ex lumbis in cervicem, & caput redundantia levis syderationis more resolutionis sensum inducunt, convulsionem, ac mentis emotionem minantur, videndumque est, num talia convulsionibus solvantur, aut in hujusmodi habentibus alvi male habeant, atque eadem diutiùs perseverent.*

Quod sit implicata difficultatibus convulsionis explicatio, nemo est, qui non noverit, dummodò medicorum monumenta perquisiverit, quibus occasionem præbuit Aphorismus Hippocratis minùs aptè, atque perspicuè ad ipsius Hippocratis mentem expositus, & doctrinæ, quam eo super Galenus tradidit, minus exacta perceptio. Ille est trigesimus nonus sextæ sectionis: *Convulsio vel à repletione fit, vel ab inanitione, ita verò & singultus.* Exposuit id Galenus tanquam pronunciatum ab Hippocrate de inanitione, & repletione immediata nervorum, quasi nempe non de remota etiam, & universali intellexerit Hippocrates, ex qua necessariò pendeat particularis, & proxima nervorum, atque insuper quasi soli nervi exhausti, vel infarti convulsionem, nulla autem alia causa producat. Hanc verò talem inanitionem, & repletionem nervorum ut exponat Galenus, remotiorem causam proponit, exsiccationem nempe nervorum, & humefactionem; utroque enim modò breviores fieri asserit, ut chordæ musicæ humido aëre divelluntur, & breviores fiunt, vel eædem igni admotæ extenuantur, hoc est, humido inaniuntur, & similiter fiunt breviores: hanc brevitatem, dum fit, sequuntur necessariò appensi musculi, ait Galenus, unde convulsio: quæ sanè vera sunt omnia, licet posteriores Medici vix excusari posse Galenum censeant, & se mille labyrinthis implicent propter inscitiam. Nos itaque ex eodem Hippocrate ostendemus inanitionem illam, & repletionem non esse particularem, & proximam nervorum, sed vasorum sanguinis, seu universi corporis, unde inanitio, vel repletio nervorum necessariò pendet, atque ex hac oriri omne genus causæ convulsionem producentis, adeòque etiam exsiccationem, & humefactionem, & vera esse, quæ de iis exposuit Galenus. Stimulum etiam notum fuisse Hippocrati, & annumeratum convulsionis causis, ac demum inanitionem, & repletionem non ad nervos solum, sed ad arterias, & musculos etiam pertinere, & hæc necessariò deduci ex doctrina Hippocratis posita inanitione, & evacuatione universali. Manifestum igitur est ex locis expositis Hippocratis, quoties ipse convulsionem commemorat, aliquid exponere, quod vel inanitionem, vel repletionem totius corporis arguit: sic in Aphorismis superiùs memoratis. *A copioso sanguinis fluxu singultus, aut convulsio mala.* En evacuationem sanguinis, seu inanitionem. *A sanguinis profluvio desipientia, aut convulsio malum.* Rursùs. *A purgatione immodica convulsio, aut singultus superveniens malum.* Similiter. *Convulsio ab helleboro lethalis.* Id ipsum. *A medicamento poto convulsio mortifera.* Quæ sanè singula inanitionem corporis, aut vasorum sanguinis, seu universalem indicant. Idem etiam arguit, sed etiam magis nervos. *Propter vigiliam convulsio, aut desipientia malum*; absumptio enim ingens spirituum, & siccitas nervorum singularis, sicut etiam partium omnium in nimia vigilia fit. Ulteriùs. *Si muliebri profluvio convulsio, & animi defectus superveniat, malo est.* Quin & Coacarum trigesimus inanitionem potest arguere; ait enim. *In febre convulsio, manuumque, ac pedum dolores malignum quiddam prænunciant.* Dolores illi in summis partibus nervosis, & articulorum plenis acre quid, & liberum, absumpto nempe humido, possunt arguere, quanquam & oppositum possit indicari, ut inferiùs. Sed multo clariùs in Coacis. *Convulsio febri succedens periculum denunciat, minimum verò pueris.* Quoniam enim absumpto humido superest calor, & quicquid mobile est, & acre liberum, & sui juris; in iis igitur corporibus minimum periculum afferet earum partium libertas, in quibus naturaliter plurimum humidi continetur, cujusmodi sunt pueri, eritque hujus loci convulsio producta a siccitate &c. humido absumpto per febrim, quod tantum non evidenter arguit succedens textus. *Adultiores, & qui septimum annum excesserunt convulsione in febre non præhenduntur, alioqui periculum denunciatur,* quod explicari potest eo, quòd calor sit fixior. Sed uterque hic textus potest etiam ad repletionem pertinere, & in pueris quidem minoris erit periculi convulsio febri succedens, si fiat illa ab humidi copia pueris naturali, adeoque non præter naturam cumulata, quod secus accidet in adultioribus, & septimum annum excedentibus. Hoc manifestius. *Posydocreon quoque tertio die convulsione correptus est, calor non relinquebat, decimo octavo mortuus. Calor,* inquit, *non relinquebat*, hinc siccitas, seu inanitio. Convulsiones cum febre acuta perniciem denunciant, & hoc nimii caloris, & siccitatis opus esse potest. Rursùs perspicuum illud. *Convulsiones autem ideò intùs afferunt, quòd calefactum corpus cutem vehementer tenuat, carnem verò minus cogunt, quàm cursus, qui in orbem obeuntur, eandemque humore vacuant.* Pariter ad inanitionem. *In febribus spiritus offendens malo est; convulsionem enim significat.* Quia tamen spiritus potest subsistere quasi impingens statim, ac musculi convelluntur, potest ejusmodi dictum referri etiam ad repletionem. Sed repletionem ipsam universalem arguunt clariùs. *Ab ileo vomitus, vel singultus, vel convulsio, vel delirium malum*; indicabit enim, materiam ilei vasa subire, & infarcire, vel si sit acrior, in motum agere spiritus, & convulsionem producere, qualem secundo loco in Comate vigili exposuimus. Nùm tamen & hic textus ad inanitionem, si in ileo dolor adsit, aut inflammatio nimis exsiccans, atque absumens sanguinem, ac spiritus? *Febrem convulsioni supervenire melius est, quàm febri convulsionem*; si enim illa fiat à repletione, per motum febris curabitur solvendo: si verò febri convulsio succedat, res erit incerta, an à decubitu, an ex abundantia, an ab acrimonia, & vi proximè expositæ naturæ in præcedenti textu. Hujus aphorismi pars, & species sunt frequentes. *Spasmo, aut tetano vexato febris si accesserit, morbum solvit. Qui quartana corripiuntur non admodum convulsionibus tentantur: si verò prius tentati fuerint, superveniente quartana liberantur. In febre convul-*

sio, manuumque, ac pedum dolores malignum quiddam prænunciant. Ait insuper Hippocrates. *Si convulsio in vena facta sit, hæc quidem per exordia dolorem excitat, & pulsat: progressu verò temporis sanguinem ad carnem transmittit, qui in carne putrescens in pus vertitur.* Et inferiùs de venæ convulsione loquens asserit venas convulsas fieri varici similes, & concludit de ejusmodi convulsionibus: *Fiunt etiam convulsiones ex laboribus, ex casibus, ex plaga, & si quis onus majus tollat, & ex cursibus, ac lucta, & omnibus id genus.* Quibus positis patet primò, hujusmodi convulsiones nihil aliud esse, quam aneurismata: secundò etiam in partibus moventibus fieri posse eodem modo, & iisdem de causis convulsionem, dummodò possint sinuli intra villos earum contenti in totidem velut aneurismata à materia replente trudi. Sed & hoc evidens. *Convulsionem solvit febris acuta, quæ priùs non aderat, aut si priùs adfuit, ingravescens: confert autem & urinæ vitreæ copiosus pertransitus, & alvi fluxio, & somnus: convulsiones autem derepente ortas febris solvit & alvi fluxus.* Vides omnia comparata ad evacuationem, vel resolutionem, ut convulsi convalescant. *Vehementes faucium dolores, aurium tubercula, & convulsiones excitant, itemque cervicis, & faucium dolores.* In tuberculis materia, unde convulsio cum materia, seu repletione, sed an non veriùs ad inanitionem per dolores absumentes, & exsiccantes; *Quibus cum dentes erumpunt, alvus crebriùs demittit, minus convulsione tentantur, quam quibus sic raro alvus subducitur: quibus in dentitione febris acuta accedit, ii rarò convulsionibus tentantur: qui cum dentitione bene habito corpore permanent, gravi somno premuntur, periculum est, ne eos convulsio præhendat.* En pleni pueri humiditatum, quas febris motu, & calore minuit, & subductio alui: bona habitudo corporis, & somnus easdem augens. *Pueris convulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, venter non dejiciat, si vigilent, perterreantur, plorent assiduè, & color immutetur, & ex viridi pallidus, aut lividus, aut rubor contrahatur: hæc autem pueris quidem recens natis ad septimum usque annum promptissime eveniunt, at grandiores pueri, & viri non adeo per febres convulsionibus præhenduntur, nisi vehementissimum, & pessimum quoddam signum ex his, quæ in phrenitide fieri solent, adfuerit.* Hunc textum conjunge cum superioribus duobus 356. & 357. Coacarum. Ad hæc Hippocrates. *In nervorum distensionibus. & iis, quæ in posteriorem partem sunt dissolutæ maxillæ, mortem afferunt, quin etiam lethale est in posteriorum partium distensione sudare, & corpus dissolvi, ac in eodem malo per nares revomere, aut ubi per initia vox defecta fuit, clamare, & nugari; postridie enim adfuturam mortem significat.* Et ad hunc textum reduces eos alios, quos in succedentibus notabimus, nempe in primo Prædictorum textu 118. & in Coacis 313. ubi similiter plenitudo, aut inanitas. *Convulsione, aut corporis distensione vexato si febris superveniat, morbum solvit: similiterque si febre detentum convulsio præhenderit, febris eodem die, aut postero, aut tertio desinit,* quod contingit ob materiæ febrificæ decubitum ad partes convulsas. Vides igitur, ubicunque convulsio per Hippocratem, ibi inanitionem, aut repletionem corporis, & vasorum sanguinis; sed ab his pendet inanitio, & repletio nervorum, & musculorum; igitur illa posita nervi, & musculi inaniantur, vel repleantur oportet, videsque nullibi ab Hippocrate sermonem habitum aut de inanitione, & repletione solius generis nervosi, aut de inanitione, & repletione tanquam causa proxima convulsionis. Insuper ex locis ad singultum pertinentibus vides, ipsum loqui de singultu, qui fit per inanitionem, & repletionem, non qui per stimulum, & de illo proinde loquitur aphorismo 39. sect. 6. Notam tamen fuisse Hippocrati causam convulsionis à stimulo petitam, deduci posset verosimiliter ex Aphor. *Convulsio vulneri superveniens lethalis:* quod idem repetitur in Coacis. *A vulnere convulsio lethalis.* Stimulus enim vulneris majorem copiam liquidi per nervos deducit, quæ potest esse tanta, ut musculum in continua contractione detineat. Quin adhuc clariùs. *Nervus præcisus convulsionem facit, & ut minime coalescit, ita vehementer inflammatur.* Inflammatio acer est stimulus, unde in nervos prodeuntes à superiori parte nervi præcisi derivari potest maxima copia spirituum convulsionem producentium in partibus superioribus; in inferioribus verò convelli membrum poterit ad partes oppositas, ut inferiùs. Ex his igitur satis verosimiliter arguere possumus, stimulum etiam Hippocrati ut causam convulsionis notum fuisse, nec esse quod Galenus allaboret adjiciendam tertiam causam convulsionis ab Hippocrate omissam, nempe stimulum, quo singultus etiam fit; de quo enim singultu ille locutus sit, patet superiùs & stimulum ipsi fuisse notum; licet autem nec stimulum agnovisset Hippocrates, assero tamen, stimulum, qua stimulus est, non constituere tertiam causam proximam convulsionis diversam à duabus aliis, sed stimulum esse causam remotam, qua producitur repletio in parte, vel partibus, quæ convelluntur, quod ex nostra doctrina stimulorum est evidens; stimulus enim facit, ut ad partem stimulatam derivetur copia liquidi naturali major, seu ut fiat repletio; quare stimulus in productione convulsionis ad repletionem redigendus est, atque ex his omnibus abundè constat Hippocratis mens. Cum autem ab inanitione, & repletione universali inanitiones, & repletiones nervorum, & musculorum succedere necessariò debeant, & diversis modis diversas affectiones in iis partibus producere, exponamus jam oportet, quid iis inanitionibus, & repletionibus insit ad convulsionem faciens, & primò ostendemus, verissimum esse, quod Galenus asserit, ac posse per calorem, & siccitatem quamlibet, per quamlibet humiditatem nervos breviores fieri, & cum id contingit, appensos musculos nervis cessuros, & convulsionem producendam. Sint enim ossa quælibet ad articulationem in æquilibrio posita; musculi igitur contranitentes ex æquo in contractionem nitentur, adeoque quantulacunque vis alterutri ipsorum adjiciatur, ossa cedent ad ejus musculi partes, cui vis quantumvis minima additur. Intelligatur itaque nervus in alterutrum musculorum abiens quacunque de causa fieri siccior; fiet igitur etiam brevior, adeoque secum ducet appensum musculum minimæ cuilibet facultati cedentem, cum sit in æquilibrio con-

constitutus cum opposito: & siquidem per infartum humiditatis nervi contrahuntur ut funiculi, id ipsum debere contingere, manifestum est; si vero laxantur; igitur laxato nervo alterutrius musculi contranitentes musculus, cujus nervus laxatur, minus nitetur in articulationem adeoque musculus oppositus contrahetur, seu convelletur; cum autem nervus fit siccior, inanitur humido: cum humescit, impletur liquido; convulsio igitur à siccitate, & humiditate à Galeno exposita possibilis est. Assero jam insuper, hanc ipsam convulsionem in repletione, aut inanitione aliqua totius corporis necessariam esse. Primò etenim ita exhauriatur corpus liquido, ut intra vasa sanguinis pars siccior sola supersit: exsiccabuntur sanè partes, & spiritus animales sicciores producentur, unde & ipsi siccitatem suorum canalium augebunt, qui proindè sicciores facti breviores etiam fient, & convulsio succedet, quòd si cum siccitate sit conjunctus calor, validior erit siccitatis effectus, unde nervi contractio vehementior, & convulsio validior. Et talis convulsio fortè illa est, quæ nimiæ evacuationi per hæmorrhagiam, aut medicamentum potum succedit: quanquam per utrumque fieri potest, & per hæmorrhagiam præcipuè, ut convulsio fiat à frigore sublato per ablationem sanguinis, vel per alvum calore omni, & motu, unde frigus, quod coagulando quicquid humoris inter villos musculorum, & membranarum continetur, adeò rigidas easdem partes reddere potest, ut cuicunque etiam validæ facultati flexionem molienti difficillimè pareant. Notum id quibuscunque versatis in cadaverum tractatione, postquam à morte per longiusculum tempus diriguerunt; eorum enim partes depræhenduntur inflexiles, & quicquid humidi continetur inter fibras coagulatum occurrit in liquidum viscidius, cujusmodi coagulationem ne saliva quidem, & mucus narium effugere possunt, cum & utraque hæc liquida à frigore mortis concrescant, & vel intra canales suos, vel extra ipsos ad emissaria ita coagulata reperiantur. Verùm convulsionem à siccitate per evacuationes provenire posse arguit vel sitis ingens, & ariditas faucium, & partium omnium, quæ à copiosioribus evacuationibus succedit, quæ sane in nervis etiam habeatur oportet, unde contrahentur, & fiet convulsio per siccitatem. Sine evacuationibus autem cui non totum in morbis plurimis, linguam, & fauces ita siccari, ut æger ne loqui quidem possit, linguam introrsùm retrahi, & videri quid torrefactum? Si igitur quod in lingua non raro contingit, contingat in aliquo, vel omnibus nervis absumpta circa eos, vel non perducta humiditate, idipsum debebit accidere, nempe convulsio: & sæpissimè in cadaveribus hominum morbo aliquo confectorum occurrunt pulmones, quorum membranæ internæ, vel externæ, vel utræque adeò siccæ sunt, ut cum divelluntur, aut secantur, sonent non secus, ac exsiccatæ pelles; quemadmodum igitur pulmones aliquandò tali siccitate laborant, laborare etiam eadem poterunt omnes, aut aliqui nervi, & convulsionem eo pacto producere. Et ridiculum propè est, quod urgent, tabe, marasmo, hectica laborantes tanta siccitate non affici, ut convelli possint, quanquam illa eorum siccitas sit summa; in ejusmodi enim morbis illa habitudo corporis extenuatio est, non siccitas, proveniens à dissolutione partium omnium, quam necessariò sequitur diminutio molis, quod nemo sanæ mentis non videt: & quod arguunt, nunquam reperiri tantam siccitatem in corpore, ut retrahere possit nervum cum appensis partibus, videant, quanti momenti sit in partibus æquilibratis, atque insuper quantæ sit siccitatis lingua, & fauces in aliquibus morbis, & in aliis pulmones, ut exposuimus. Similiter convulsionem à frigore per nimiam evacuationem fieri posse, illud arguit, quod nimis evacuati languescunt, viribus deficiunt, pallent diluto pallore quasi cadavera, frigent, quæ omnia indicant defectum caloris, & motus, & vim frigoris superantem. Contra contineatur in vasis sanguinis copia naturali major cujuscunque liquidi, quod intrudere se possit inter utramque particulam fibrillarum nervos componentium. Cum igitur liquidum hoc sit naturali quantitate majus, in majori etiam copia sive per externam, sive per internam superficiem, sive per utramque se insinuabit, adeoque nervum laxabit, vel contrahet, adeoque vel secum feret appensum musculum, vel contranitentem contrahi permittet, & convulsio per repletionem fiet juxta Galeni modum. Neque hinc orietur paralysis, ut plurimi dubitant; permittetur enim interim influxus liquidi per nervos, & sanguinis, & villi erunt adhuc minus laxi, nedum sphacelo corrupti, unde deinde, ac postremò paralysis, quæ convulsioni succedet, ut Hippocrates, & Galenus, & Petrus Salius Diversus viderunt aliquandò. Dolor similiter in his omnibus casibus poterit contingere, prout erit siccitas major, aut infartus humidi copiosior, & magis divellens, ut patet. Neque est quod dubites, musculum oppositum per imperium voluntatis debere impedire contractionem nervi statim, ac animal animadvertit se in convulsionem venire, licet enim possit per assuetudinem in musculum contranitentem tanta copia liquidi derivari, ut sua vi superet quantumvis maximam vim contractionis in nervo: quia tamen illa contractio haberi non potest, quin nervus, qui contrahi supponitur, extendatur in longitudinem eodem tempore, quo contrahitur, seu sit brevior, inde necessariò fieret, ut idem nervus à duabus oppositis partibus validè traheretur, nempe à vi musculi deorsùm, à vi nervum contrahente sursùm, unde vehementer divelleretur, & acerrimus excitaretur doloris sensus, quem sane vitare, quantum poterit, studebit Animal, & convelli potius, quàm divelli cum tanto dolore nervum permittet. Ex his igitur patet, quàm apte de convulsione senserit Galenus ratione causæ ab evacuatione, vel repletione pendentis, si unicum excipias animadversione maximè dignum, nempe num per modos hactenùs expositos, licet haberi possit dimotio partium ab æquilibrio, & permansio earundem in aliquo situ post dimotionem, sit talis permansio cum tanta illa resistentia ad flexionem, quæ tanquam essentialis supponitur in convulsione, cum ossa in hoc morbo tam immobiliter ad articulationes hærere debeant, ut

ut difficillimè, & vix valida adstantium opera dimoveri possint. Sed hoc alii viderint; quicquid enim ea de re sit, illud certè Galenus nimis jejunè existimavit, convulsionem omnem non nisi à nervo proficisci posse, & per unicum hunc ipsum modum siccitatis, & humiditatis. His igitur jam expositis, quot aliis de causis, & in quibus aliis instrumentis operari possit convulsionis causa exponamus. Frigus jam superiùs explanatum, ex quo vera convulsio, constans nempe contractio: in hoc tamen casu non est vera musculorum contractio, aut aliarum partium, sed vera partium immobilitas per congelationem humidi. Sit autem non naturalis calor in corpore, vel absumpto liquido per labores, curas, medicamenta &c. vel naturaliter cumulatus per victus rationem, ætatem, anni tempus, regionem &c. non hic urgeo siccitatem, de qua superiùs agendum, sed illud animadverto, spiritus animales eo futuros vividiores, vel etiam simul copiosiores, unde impetus eorum major, & contractio musculorum perpetua per subitam irruptionem intra villos, antequam iidem prorsus restituantur, ut in Co nate vigili exposuimus, eritque convulsio ab impetu spirituum. Simili de causa poterit, ac debebit produci convulsio à siccitate musculi ibidem exposita, si ejusdem musculi villi nimis exaruerint, & etiamsi spiritus sint naturales, post aliquot flexiones, & restitutiones demùm ab ultima contractione restitui non possint. Quælibet ex his convulsionibus erit inanitio. Sit insuper sanguis ita vitiatus, ut humores quoslibet producat acriores, licet naturalem copiam humidi contineat, spiritus tum similiter acriores producentur, tenuiores, mobiliores, impetus, & nisus majoris in emissaria nervorum intra villos, adeoque, ut mox expositum, in perpetua contractione eosdem detinebunt, unde alio de nomine convulsio. Contra vigeant in sanguine humores lenti, crassi, frigidi, qualis pituita, & viscida quælibet; spiritus igitur crassiores, minorisque impetus producentur, adeoque faciliùs subsistent intra nervos, eosdemque proinde magis extrorsùm urgebunt, & in contractionem aliquam deducent, & saltem principium convulsionis per contractionem nervi parient. At verò deducti in musculos, sicut etiam sanguis crassior rarescent quidem, aut se subitò effundent quaquaversum cum impetu, sed propter crassitiem partium, ex quibus componuntur, aut continentur, non poterit universa earum moles extirpare per poros villorum, immò portio crassior intra eosdem villos subsistet, unde ex toto restitui non poterunt; & musculus in aliquo gradu contractionis persistet. Fiat jam secunda contractio per confluxum, & effusionem eorundem liquidorum; pars igitur subtilior expirabit, reliquum crassius intra villos subsistet, unde minus, quàm in prima contractione, restituentur, & persistet musculus in majori contractionis gradu, & repetitis pluribus contractionibus cum restitutione magis, ac magis semper imminuta fiet demum, ut nihil spiritus, & sanguinis possit ulteriùs influere, quo in casu erit musculus in contractione perfecta, quæ pendebit ab infartu humoris crassi intra musculos eò derivati per nervos, & arterias: & idem infartus fieri poterit, non solum per successivas contractiones, ut expositum est, verum etiam si sint humores crassiores, & frigidiores absque spiritibus, vel si spiritus sint iisdem humoribus nimis implicati, & fixi, iique humores influant, & coacerventur intra villos absque ulla contractione antecedente, aut spirituum expansione. Hujus autem generis convulsio, si diutiùs protrahatur, facilè poterit in paralysim facessere dissoluto demùm villo per coacervationem illius humoris, eoque faciliùs, quòd tanta humorum crassorum colluvies erit etiam conjuncta cum infartu membranarum ab iisdem humoribus, unde facilitas in paralysim major. Hæ convulsiones erunt similiter repletiones, ut patet, atque in his salutares erunt supervenientes febres, dejectiones alvi, urinæ &c. quæ in textibus Hippocratis proponuntur, sicut etiam exitialia, quæ inibi exposita sunt, & ultrò ex his patent. Insuper sint spiritus, sit sanguis naturalis constitutionis, sed villi musculorum quacunque de causa callo, vulnere, pressione, mala conformatione, & hujusmodi sint duriores, ac densioris texturæ; illi igitur difficiliùs flecti poterunt, & difficiliùs expirare partes resolutæ per rarefactionem, unde intra villos colligentur, ac demum producent convulsionem irreparabilem, nisi tollatur illa durities, & densitas. & hæc erit similiter convulsio à repletione sinuum à materia subsistente, & inanitione, aut repletione membranarum à materia duritiem, & densitatem producente. Ulteriùs animadvertendum est, ne quod convulsionem aliquandò existimamus, sit quidem tale quiddam, quatenus conjunctum est cum constanti, & valida immobilitate partis, non tamen vera convulsio, sed paralysis oppositi musculi, quo non contranitente musculus alter in suam contractionem veniat, partesque in perpetua immobilitate detineat, vel quia tam frequenter contrahatur, ut vices ipsius sensu percipi non possint, vel quia re vera in perpetua contractione persistat. Frequentiùs autem contrahi, vel in perpetua contractione persistere poterit etiam naturaliter se habentibus reliquis omnibus, si paralysis musculi contranitentis pendeat ab obstructione nervi in ipsum abeuntis, ita ut universum ipsius liquidum in musculum oppositum derivetur, tunc enim aucta quantitas majoris e it nisus ad emissarium, & influet in musculum, antequam restituatur, unde ipsius perpetua contractio. Quoniam autem hæc singula contingant oportet sine læsione sensuum internorum, & externorum; neque enim habent hæc quicquam necessariæ connexionis cum qualibet offensione cerebri, hinc in vera convulsione nulla sensuum, & mentis læsio. Cum vero vasis sanguinis magis infartis oporteat, ut arteriæ cerebri magis infarciantur, & cerebrum proinde magis prematur, dari poterit convulsio præcipuè ab infartu, quæ promoveatur à pressione cerebri, quatenùs per hanc truditur in musculos copia major crassorum spirituum infarcientium eorum sinus: in hoc autem genere convulsionum vix fieri poterit, ut non adsit quædam minor vividitas in sensibus, motibus, & mente, & veluti quidam torpor, aut torporis rudimentum, ut ex doctrina motuum, & sensuum patet. Pro diversitate autem convulsionum, & solutio-

tionum in humoribus, qui in eadem convulsione contingunt, & motu materiæ ex nervis, & musculis in vasa sanguinis, vel ex his in eas partes, vel ejusdem quiete in utrisque, aut alterutris fient mutationes colorum, calores, refrigerationes, urinæ laudabiles, crudæ, suppressæ, detentæ, nullæ, paucæ &c. cum aliis superiùs propositis, quæ explicatu facillima sunt. Nemo est, qui spasmum physodem in se ipso non sit expertus: nos enim singuli, si diutiùs crura exempli gratia in situ aliquo minus apto, ac naturali immobilia detineantur, moveri minimè possumus, cum mox necessitas, aut voluntas exigit, ut moveamur, ac tum facile ad motus potentiam reducimur, si pes validè solo illidatur, quod dum fit, per cruris longitudinem excurrere quiddam sentimus frigidum, immò frigidissimum aliquandò, atque per tenuissimum quasi filum dilabens quasi rependo, aliquandò quid simile calidiusculum, aut calidius, aliquandò modò frigidum, mox calidum, & è converso. Quoniam itaque canales sanguinis, & nervorum aptè patent, cum in naturali positu detinentur; partibus igitur non naturaliter complicatis, superimpositis, detortè nimis inflexis, & hujusmodi, iidem canales aut penitus, aut ex parte occludentur, unde in musculos liquida non derivabuntur, sed subsistent ad locum occlusionis, ubi magis trudendo extrorsum canalis latera validiorem occlusionem reddent, & quò diutiùs persistet pars in eo naturali positu, eò major fiet occlusio, ac validior, & depositio copiosior. Partes itaque suis humoribus destitutæ in torporem, aut stuporem venient, non autem in convulsionem, qui stupor tolletur derivando liquida ad partes, hoc est, discludendo canales. Cum igitur hi validiùs occlusi supponantur, discludi non poterunt, nisi vis aliqua major adhibeatur, iisque disclusis quæ substiterant deorsum fluent, & prout plus minus substiterant, & plus minus refrigerata fuerant, & prout partes frigidiores, aut tepidiores primò excurrunt, excitabitur sensus frigoris, caloris, aut utriusque per vices quasi intime per crus repentis, unde adacto violentiùs in terram pede, conciliari tantum in petus poterit liquidis subsistentibus, ut ipsa possint concepto impetu superare resistentiam occlusionis, adeoque canales discludere, & per eos se se agere, & sensum caloris, aut frigoris, aut utriusque per vices parere: sic liquida in angustissimis canaliculis subsistentia sola eorundem canaliculorum succussione valida in fluxum agimus, & ad usque emissaria eorundem perducimus. Et sanè spasmum physodem non esse convulsionem, vel ex hoc ipso patet, quod pedem movere, immò validiùs solo allidere possumus ad arbitrium, quod convulsioni repugnat. Quia verò arteriæ impetu instructæ sunt, adeoque difficiliùs premi ad usque occlusionem poterunt à distorsione partium, nervi autem ex molli substantia, & nullius impetus facilè comprimuntur; in his igitur pressionem excipi verosimilius videtur, unde iisdem disclusis tenuis ille quasi per filum excursus rei frigidæ, vel calidæ per longitudinem cruris respondens exilitati nervorum. Torpor igitur, & stupor est spasmus physodes non convulsio, & inane commentum est flatus, à quo flatulenta convulsio hic spasmus dicitur.

Postremò quoniam vulnus, contusio, præcisio nervi, inflammatio, & si quæ sunt hujusmodi convulsionem producentia, cum dolore etiam necessariò conjuncta sunt, dolor autem est stimulus quidam, & quidem vehemens, per stimulos verò fit refluxus vividus, & celer, adeoque copiosus liquidi per nervos, ex copia autem perpetua contractio; ab iis igitur singulis proveniens convulsio fieri necessariò debet ratione solius stimuli: inflammatio autem illud insuper habebit adjunctum, calorem nempe vividum, quæ proinde si proxima sit nervo, vel ad contactum ejus, vel in ipso (ut in præcisione ex Hippocrate) calefaciet spiritus refluentes, eosque magis mobiles, ac citiùs influentes reddet, atque insuper absumet humidum, unde saltem nervum exsiccabit, & producetur convulsio gravior à stimulo, calore spirituum, & siccitate nervorum simul proveniens. Hoc ipsum de punctione nervi dicendum esse patet. Quæ sunt summa, & præcipua capita causarum convulsiones producentium, ex quibus locorum omnium Hippocratis facillima explicatio patet, atque insuper patet, convulsiones dari posse, quæ à pluribus ex his causis simul pendeant, easque esse graviores, periculosiores, & magis contumaces. Est itaque convulsio constans immobilitas partium salva mente, & sensibus à calore, frigore, &c. proveniens, quæ siccet spiritus, nervos, aut musculos calefaciat, infarciat, stimulet &c. cum iis omnibus, quæ superiùs exposuimus. Quæ si contingat in musculis collum, caput, & crura, & brachia ad anteriora moventibus, & flectentibus, ita ut animal cogatur ad anteriora se ipsum intorquere capite ad pectus delato, & cruribus eorsùm adductis, quales dormientes canes, aut feles, dicitur Emprostotonos: si verò in musculis retrorsùm easdem partes moventibus, Opistotonos: si in utrisque Tetanos, in quo neutram in partem movere se potest animal, quasi rigidum esset, atque ex solido & unico osse: qui sane Tetanus etsi produci potest singulis de causis superiùs expositis, non tamen omittendum est, oriri etiam posse à validiore compressione, & æquabili per totum cerebrum, ac spinalem medullam diffusa, qua fiat, ut in nervos omnes liquidum naturali quantitate majus, sed ipsi proportione respondens derivetur, unde majori nisu urgeat emissaria, & prius influat, quàm villi restituantur, unde contractio perpetua. Hoc ipsum accidere poterit si spiritus generentur natura vividiores, & juxta naturæ leges per omnes nervos effundantur. Atque ita quidem nuncupantur convulsiones magis universales, & ipsa corpus universum affligens Tetanus, sed & particulares aliquot suis nominibus distinguuntur. In musculis oculorum motoribus Strabismus: mandibularum, & temporum Trismus: labiorum ad alterutram solum partem spasmus cynicus, convulsio canina, & oris tortura: ad utramque partem risus Sardonicus; musculorum penis satyriasis, vel priapismus. Nec aliæ sunt in usu appellationes, quibus aliorum musculorum particulares convulsiones, seu perpetuæ contractiones, & immobilitates in singulis partibus exprimantur.

Quoniam vero motus convulsivus nihil aliud est, quàm involuntaria musculorum contractio:

immò verò quæ ne per voluntatem quidem cohiberi possit, & est non rarò sine mentis, & sensuum læsione; in his igitur affectionibus motus convulsivi cum vera convulsione convenient, & propterea, nisi obstet aliquid aliud ab iisdem causis, à quibus vera convulsio, provenient. Cum verò convulsio à convulsivis motibus in eo differat, quod illa perpetua, & nunquam cessans musculorum contractio est, hi verò contractiones alternæ, patet, convulsivos motus ab iisdem convulsionis causis debere proficisci hoc solùm discrimine, quod in convulsione causa sit constans, & nunquam ab effectu desistens, in convulsivis autem motibus ab effectu desistens, alternè, seu vigens, & operans solum per vices: nec captu, aut explicatu difficile est, quomodò hæc alternatio haberi possit, cum affluxus materiæ, vel ejusdem expulsio alterna esse possit per majora, aut minora temporis intervalla, prout illa est magis copiosa, aut minus crassa, tenuis, villi fortiores &c. Non igitur motus convulsivi semper à stimulo, humoribus nempe acribus vellicantibus, & hujusmodi, sed etiam ab humoribus frigidis, torpidis, crassis &c. per intervalla in instrumenta motuum decumbentibus, ac tum quidem salva esse poterit mentis, & sensuum vis, nisi humores ejusmodi quacunque de causa à cerebro proveniant. Quia tamen plerunque in his motibus illa læditur, frequentior causa motuum convulsivorum erit, quæ sensus, & mentem lædere potest. Læduntur autem hæ facultates vel in stuporem, vel in actus vividiores redactæ: stupor à valida pressione cerebri, crassitie spirituum, humefactione partium, nempe ab humoribus frigidis, & crassis: actus vividiores à spiritibus mobilioribus, solutis, incerti motus, quaquaversùm divagantibus, incerto, & majori cum impetu, nempè ab humoribus acribus, calidis, vellicantibus, stimulantibus. Utraque hæc, tam frigida scilicet, quam calida vel sunt intra nervos, vel exteriùs eosdem tangunt, & perinde se res habebit, quomodocunque sit, nisi quòd calida, & vellicantia ad nervos extrinsece perducta mentem turbant in refluxum agendo spiritus cæteroquin naturales, & Animal in motus convulsivos venit partim necessitate refluxus ex stimulo, partim voluntate, & nisu molestum illud stimulans expellendi. Cum verò eadem sunt intra nervos, ex se ipsis per copiam, vel impetum etiam absque refluxu, & voluntate animalis, immò etiam ipso repugnante, & nihil stimuli percipiente motus convulsivos producent. Ex quibus patet, nec benè communiter asseri motus convulsivos semper à stimulo pendere, primò cum dentur per frigida, & hebetissima: secundò cum motus convulsivi etiam violentissimi dari possint, ac debeant absque sensu vellicationis: ac demùm quoniam hæc ipsa vellicatio habere potest originem ab iisdem spiritibus, non verò ab aliquo extrinsecè stimulante, quod unicum communiter supponitur, cum tamen ab ipso non tanquam ab unica causa pendeant convulsivi motus, sed per extrinsecum illud stimulans sit singularis quidam, ac certus modus eosdem producendi. Ex his autem omnibus patet, cur inter præcedentia aut convulsionis, aut motuum convulsivorum sit pulsus chordosus, seu jectigatio, qui sane pulsus non est, ut Galenus asserit, tensio quædam, ac vibratio propter viciniam nervi mox in convulsionem venturi, quasi ipsius tensio, & vibratio etiam arteriæ ad contactum positæ communicetur, sed ut patet ejusmodi pulsus observantibus, in uno digiti loco percipitur pulsus, in alio satis remoto jectigatio, quæ manifestè dignoscitur, ut motus convulsivus debilior, seu convulsionis initium: qui sanè motus satis erit periculosus, nisi indicet convulsionem, aut motum convulsivum musculi solùm circa carpum casu aliquo contingere; secus enim erit indicio, musculos omnes convulsione corripiendos, vel motibus convulsivis tentandos. Reliqua ex Hippocrate proposita ex nostra hac convulsionis expositione abundè patent, nisi quòd quæ desiderari possent ad singultum pertinentia, repetenda sunt ex propositione decima secundæ partis nostræ Respirationis, in qua singultus distinctè explicatur, & ipsum esse motum convulsivum musculi succingentis ventriculum, ostendimus.

Datur ulterius quædam motuum convulsivorum species in universo corpore & in morbis, & in statu sanitatis, quæ nihil aliud sunt, quàm leviores, aut graviores musculorum omnium concussiones, vel eorundem rarior, frequentior, debilior, validior tremor. Hæ in febribus præcipuè intermittentibus ad earum potissimùm paroxismos contingunt, sicut etiam ad quodlibet frigus intensius, aliisque diversis, ut inferiùs, & nomine horroris, (qui idem etiam horripilatio dicitur Apuleio) vel rigoris veniunt, & horror minus vehemens tremor est, rigor autem concussio major. Quia verò etsi apud Medicos multa super his verba infarciuntur, nemo tamen est, qui rationem, ac necessarium earum concussionum modum explicet, & res est cæteroqui momenti maximi, & secum habet conjuncta mille sanè prodigiosa, seorsim de his agemus aliquantò distinctiùs, ut res ex sua necessitate plane pateat, de frigore priùs aliqua explicantes, quæ ad eosdem motus pertinent.

Horror, & Rigor.

Prodigiosa sanè videri possunt quæ in horrore, & rigore contingunt; motus enim ejusmodi excitantur in musculis à sensu rei impensè frigidæ, sed è contra eædem concussiones cum sensu frigoris excitantur non rarò per speciem rei nihil cum frigore communionis habentis. Sic in febribus cum frigore paroxismi, & perfrigeratione corporis conjungitur concussio cum sensu frigoris intensi, ac molesti, in quibus tamen non rarò concussio præcedit summum gradum frigoris, ad quem sensim provehitur. Sic affusa frigida præcipuè nihil tale expectantibus sensum quendam frigoris per varias partes vagum cum majori, aut minori corporis totius, aut earundem partium concussione producit, sed hanc ipsam cum eodem sensu vagantis refrigerii, immò rigoris excitant immatura quælibet, dum manduntur, præcipuè verò magis stiptica, & austera, sorba, mespila, pruna sylvestria, acria etiam, & quæ stuporem dentium producunt. Ac tam affusio frigidæ, quam horum sapor sensum illum, & concussionem movent in

puncto

puncto temporis, & pariter in puncto temporis producitur similis sensus, similisque concussio sæpissimè, postquam urinam reddidimus, imò etiam cum illa exitum tentans vi supprimittur, neque effluere permittitur, in utroque enim casu, & in primo quidem ad foramen summi penis extra corpus patens post mictum percipitur quidam acer stimulus, post quem subitò corpus totum concutitur cum subitò rigoris sensu per ipsum: in secundo verò idem acer stimulus percipitur ad radicem penis, post quem statim affectiones eædem corripiunt. Sed illud etiam magis admirabile audito sono æris, vel orichalchi, quem edunt, dum torno poliuntur, & sub scalpro acutè strident, vel duorum quorumlibet metallicorum, quorum alterum in aciem desinens ad alterius superficiem validè, & celerrimè agitatum sit, stupent dentes non minus, quàm cùm immatura illa manduntur, & succedit concussio similis cum perceptione rigoris. Hæc autem ut in puncto temporis producuntur, sic brevissimo temporis spatio persistunt, & ex se ipsis evanescunt. Denique nemini ignotum, per frigus vehementius hyemis, nivis, aut glaciei tremere unumquenque nostrum, & validè, ac diu concuti, quousque urget frigoris vis. Et minus admirabilis videri posset concussio à frigore hyemis, & sensus acrioris frigoris, quo tempore concutimur, sicut eadem in febrium paroxismis; fiunt enim illa paulatim, ac per longum tempus protrahuntur, quasi sensim vincatur calor corporis, ac demum ex toto superetur: at paulum frigidæ affusum cuti vigente motu sanguinis calore vivido vividum sensum frigoris producere cum concussione per corpus, atque illud in puncto temporis, quàm difficile captu est? Sed quanto difficilius à saporibus in puncto similiter temporis in ipso vegeto caloris statu eadem excitari, quàm admirabile à sonis, quàm incredibile ab exclusione, vel suppressione urinarum! Neque enim admirationem movet solum subita excitatio, aut sensus frigoris à minimè frigidis, imò toto Cœlo à frigore diversis, ut soni, ut sapores, ut urina sunt, sed quod præsente calore, neque præsente solum, sed incurrente in nervos, sed nitente in eosdem, & nitente, quanto majori impetu potest, excitetur ille sensus, atque illa concussio, quo tempore nervi tremere debere viderentur tremore calidi urgentis, cum tamen res contraria planè ratione contingat, & sensus frigoris in medio calore percipiatur. Et sanè nemo rem prodigio similem satis admirabitur. Itaque ut rei singularis causa, quantum per nos licet, necessariò deducatur, ad fluxus, & refluxus liquidi intra nervos confugiendum est, ex quibus pendent hæc omnia, & ad quasdam certissimas affectiones à natura frigoris provenientes. Hinc igitur exordiamur oportet. Frigore constringi quà liquida, quà solida nostri corporis, satis cuique notum est, & nos superiùs convulsionem à frigore deduximus per coagulationem liquidorum, & rigorem villorum, & ulteriùs res confirmari ex eo potest, quòd diutiùs glacie, aut nive tractata intumescit manus, & vividè calesit non sine sensu doloris extendentis: rubet primò, inde livescit, argumento certissimo, vi frigoris constrictas venas, atque inde probiberi refluxum sanguinis, qui cum coagulari non possit propter continuum affluxum novi sanguinis ex arteriis, partes calidæ implicari, & cohiberi intra gelu nequeunt, neque subito expirare per densitatem pellium, & summæ crustæ sanguinis prope cutem, unde calor cum dolore extendente, tumor, rubor, ac livor, postquam plurimum sanguinis contraxit. Ex quo facto vides insuper, rei superiùs propositæ difficultatem augeri, cum in hoc casu non solum in medio calore non excitetur frigoris sensus, sed è contra in medio, & intenso frigore à præsente, sed quasi immobili sanguine calor insignis percipiatur. Esto igitur frigus quodlibet, atque illud intensius ad aliquem nervum sive per hyemem, sive per viciniam nivis aut glaciei, sive per affusionem frigidæ, sive per vim febris corripientis; constringetur igitur ille nervus, fietque durior, ac densior, tenuis, & crassior. Erit igitur velut inflexilis, & undis concipiendis à quolibet impetu ineptus, unde si vis frigoris sit tanta, ut major sit tensio, ac durities ab eadem in nervo proveniens, quamvis à quantolibet circumposito, & quantumvis in nervum nitente calido, nullus caloris sensus, sed frigoris, & quidem subitus, & cujuscunque gradus producetur. Admirabile dictu prima fronte, sed si ad deliria respicias, ad profundas meditationes, ad aberrationes mentis, in quibus etsi mille vividissima sensibus, atque animo obversantur, quia tamen nervi velut obduruerunt in unicam flexionem delirii, meditationis profundæ, &c. Nervi inflecti à nullis aliis speciebus possunt, sed per lubricum singulæ quælibet dilabuntur ad usque flexionem permanentem, & nihil est, quod non idem videatur deliro cogitanti, &c. Cùm igitur hoc ipsum contingere debeat in quocunque casu fiat, ut nervus vel unico, sed vividissimo tremore tremat, vel nullo tremore tremere possit; si igitur supponatur nervus vel unico frigoris, eoque vidissimo tremore tremere, si frigus velis positivum quid, vel nullo tremat, & nullo tremere possit, si sensum frigoris privationem tremoris velis, manifestum est, calorem sentiri non posse, etiam si idem calor nervum ita afficiat, quoties ejusdem nervi constrictio à frigore proveniens nervum reddit inflexilem. Supponnatur itaq; intensum illud frigus ad summum aliquem digitum; ibi igitur fiet constrictio valida nervi, adeoq; introrsum movebitur cum impetu, & contentum liquidū extrudet sursùm deorsùm, seu in refluxum âget quaquaversum, unde excitabitur sensus frigoris in summo digito, atque ad eandem partem etiam liquidum nervorum evadet aliquanto crassius, constrictum similiter à frigore, sed propter motum refluxus coagulari planè non poterit: semiconcreta tamen pars frigus suum communicabit proximæ, atque ita deinceps ex ordine, sicut etiam prima pars nervi frigidam reddet succedentem, eoque faciliùs, quod liquidum contentum in succedenti frigidum est, & semiconcrescit, & id ipsum fiet in omnibus ex ordine succedentibus partibus nervi per totam longitudinem ejus ad usque cerebrum, adeòque ad singulas nervi sectiones orietur tremor novi, ac succedentis frigoris per totam nervi longitudinem, seu singulas ejus ex ordine succedentes partes, quas cum per assuetudinem benè distinguere noverimus, nempe quæ sint primæ, quæ mediæ, quæ summæ, atque inter has

has comprænhensæ quælibet, & successivè ad earum singulas novus, & successivus frigoris tremor producatur, pronunciabimus, atque ita sane se res habebit, frigus per totam partis, aut nervi longitudinem ascendere ad usque caput aquæ frigidæ allabentis, vel auræ frigidioris ascendentis instar, quæ etiam huc illuc divagabitur, prout major ille nervus, huc illuc ad partes varias sese diffundit. Quia verò hæc tremorum successio fit tantùm non in puncto temporis, in puncto pariter temporis sensus ille continget. Postquam autem nervus totus constrictus fuerit ad usque cerebrum, vis frigoris sese exeret ulteriùs per cerebrum ipsum, ac spiritus in ipso contentos, unde cerebrum totum constringetur, & spiritus, seu potiùs lympha eorum vehiculum crassescet: & quia interim spiritus per nervum frigore affectum refluunt in cerebrum toto impetu constrictionis nervi, & cerebrum ipsum pariter contractius est, nempe validiùs nititur in spiritus; tam igitur spiritus refluentes, quàm effluxuri è cerebro à duabus velut oppositis facultatibus prementur validè, adeoque nulla lege huc illuc derivabuntur in nervos reliquos universi corporis, per quod proindè totum excitabunt intensi frigoris sensum, & nullo ordine musculos contrahent, & cum liquidum nervorum factum sit crassius; igitur ex ipso pauciores exprimentur spiritus, unde musculorum motus, aut nisus debiliores quidem, sed in impeditis à motu frequentioris nisus, in non impeditis frequentioris contractionis propter vim validam, qua à cerebro exprimuntur. Quia insuper etiam cerebrum tensum est, neç nisi tremore frigoris tremere valens; per eum igitur diffluxum spirituum perturbatum nulla species excitabitur apta moderandis motibus musculorum, aut sistendis: quarè ii movebuntur, ut fert necessitas illius derivationis, cum arbitrium,aut assuetudo non valeat novum impetum conciliare, vel alio divertere nervorum liquidum ipsis nervis rigentibus. Assero igitur, jam in hoc casu refluxuros spiritus, seu derivandos in musculos natura faciliùs mobiles, & quibus movendis sæpiùs assuevimus, & qui sæpiùs, ac faciliùs in usum veniunt, quod evidens est; in hos enim musculos abeuntes nervi patentiores sint oportet, & trajiciendis spiritibus ferè per quamcunque inclinationem dispositi, cum per mille differentes species eosdem moveamus, hoc est, per mille inclinationes liquidum derivemus, unde majorem copiam liquidi in dato tempore per ipsos, quàm per reliquos trajiciemus, ex quo fit amplitudo immissarii major, seu major derivationis facilitas. Ex his autem assero secundò, fieri, ut Animal moveri debeat motu concussivo, seu tremulo musculorum, & in easdem semper partes, ad quas facilior est motus vel per naturam, vel per assuetudinem, & quia omnes assuescimus facilè, ac subito iis motibus, qui natura sunt faciliores sunt antrorsùm, ac retrorsùm, non ad latera; hinc alternè contrahendos illos præcipuè musculos, qui artus movent sursùm, ac deorsùm, non qui ad latera, multo minus qui circumagunt. Et primò quoniam universa moles femoris, & brachii nititur in suam articulationem, nempè introrsum, seu versus centrum gravitatis totius corporis: ex mechanicis igitur utræque illæ partes iis motibus minus resistent, per quos ab eodem centro, vel linea directionis ejus minus removentur, minus autem removentur ab illa linea, cum antrorsùm, aut retrorsùm ducuntur, quàm cum extrorsum ad latera, ut patet; illæ igitur partes in motum antrorsùm, ac retrorsùm faciliùs natura venient, quàm in motus extrorsum, & ad latera. Itaque motus ille sursùm, ac deorsùm facilior tam in manu, quam in brachio. Non multùm dispar ratio est de capite, ac spina, quarum utraque quàm difficilè movetur per latera, ossium articulatione prohibente, quam facile antrorsum, ac retrorsum. Maxilla inferior & pondere, & assuetudine, & usu continuo, ac necessitate diductionis oris in cibo assumendo, in locutione, in respiratione deorsùm, ac sursùm agitur potius, quàm per latera, quibus etiam adde articulationis modum hæc ipsa exigentem. Adde his, quòd cum brachium, & femur possint quidem vi quacunque extrorsùm per latus agi, non tamen eadem restitui introrsùm, ne validè impingant in pectus, aut femur oppositum difficulter, & magna attentione moderandum illum impetum restitutionis, quod in perturbato refluxu spirituum, & nulla vigente specie regiminis in intenso frigore contingere non potest. Igitur si quidem ostenderimus, per ejusmodi derivationem non motum tonicum debere succedere, sed motum alternum etiam musculorum contranitentium, rem ex toto confecerimus. Quoniam igitur est refluxus perturbatus sine ullius speciei regimine; igitur non in apta ad motum tonicum, seu æqualem contranisum quantitate in nervos musculorum contranitentium derivabitur, & derivatur alterne; igitur ille musculus contrahetur validiùs, in quem copia major liquidi derivatur, nec alter contranitens contrahetur, quousque ille restitutus sit, unde tremor: cum verò cerebri constrictio perseveret eadem postquam eadem derivatio semel, aut iterum, aut pluries peracta fuerit, efformabitur veluti quædam assuetudo, per quam semper eodem modo ducetur derivatio illa cæteroquin perturbata, & tremor idem persistet. Non tamen inde credas, nihil derivari etiam in musculos per latera moventes, imò derivari potest quantumvis copiosum, quod tamen tremorem antrorsùm, ac retrorsùm non permutabit, sed aliquantum obliquum reddet. Quoniam enim & ejusmodi musculorum nervi patent, & diffluxus fit quaquaversum; etiam igitur in ipsos liquidum derivabitur, sed in minori quantitate, unde contrahentur musculi, ut poterunt, trahendo ossa per latera: trahuntur autem interim validiùs antrorsùm, aut retrorsum; igitur idem os à duabus facultatibus non oppositis, sed ad rectum angulum per suas directiones concurrentibus trahitur eodem tempore, quarè movebitur per lineam, quæ sit inter utramque directionem media, & directioni validioris facultatis magis proxima, nempe ad anteriora, aut posteriora aliquantùm obliquè. Ita autem constituto cerebro, & nervis minor etiam quantitas spirituum ad cor derivabitur, unde pulsus ejus minor, vis sanguinis per arterias minor, adeoque lentus motus, sed & ad piam matrem per frigus cerebri quasi concrescit in tenuissimis filamentis

tis arteriolarum; igitur minor derivatio materiæ pro spiritibus, unde successive minor generatio, & pulsus cordis, & fluxus sanguinis magis lentus, adeoque non fiet intrusio novi sanguinis, qualis in manu tractata nive, vel inflammatione sistrophica, erysipelatode, vel phlogosi, sed dabitur quies sanguinis ferè sine novo affluxu, & frigus ejusdem cum colore fusco, ut in contusionum, vel percussionum vibicibus, in quibus sanguis stagnans sine novi sanguinis affluxu livescit, nec calet. Cum autem decumbimus, ipse lecti contactus motum per latera multo difficiliorem reddit; superanda enim est ejus contactus resistentia per totam illam quamvis exiguam amplitudinem, per quam ad contactum lecti duceretur, ac reduceretur pars in tremore, cum è contra sursum, ac deorsùm non solum non sit eadem superanda, sed adjumento sit, ut vim majorem exerat ad alterutram partem propter eandem resistentiam, quemadmodum pulvis in tormentis bellicis vim maximam per emissarium exerit ab obice resistentis fundi, ut patet. Ex his vides, cur per voluntatem sistere nequeamus hujusmodi concussiones, & facilè patent quæ ad horrorem, ac rigorem febrium pertinent. Sed de his etiam suo loco speciatim. Si verò circa, vel intra musculos sita sit facultas aliqua quemlibet sensum excitare apta, quæ si non in tremorem agere nervos, saltem suo appulsu validiùs introrsùm trudat nervum jam eò nitentem per constrictionem à frigore, tum sensus frigoris fiet acrior cum quodam sensu, quem explicare nescienius, nisi per quid irritans, dolens, pungens, stimulans, vel quid simile: nervo autem magis introrsum acto fit derivatio in eundem musculum copiosior, & crebrior; tum igitur dabitur crebrior tremor, & vehementior & per frigus, & per quid irritans, quæ ad febres etiam faciunt.

Esto jam sive sapor, sive sonus, sive urina, seu quidvis aliud nervos non quidem constringens, densans, aut crassiores, & duriores faciens, sed in tremorem tam vividum ipsos agens, ut caloris impetum eludant, & quasi dixerim, ipsum excutiant, erit jam hæc nervorum constitutio planè eadem, ac in delirantibus, & esset delirium planè, si per diuturnum tempus produceretur, & semper eadem conservaretur, & erit tremor ille compositus ex tremore soni acutè stridentis, vel saporis stiptici, vel cæterorum, & privatione tremoris à calore provenientis, seu conjunctus cum sensu frigoris, & fiet in puncto temporis, in puncto temporis evanescet, nisi tremor conservetur ab externa specie rursùs impressa: erunt refluxus vividi, derivationes proindè perturbatæ &c. quæ superiùs. Non tamen pulsus parvus, nec debilis tremor, immò cum non constringatur cerebrum, nec coaguletur liquidum, vis erit insignis, & pulsus validus, & cum species sit recens, & in motu consistat, non autem in inflexilitate, & duritie nervi, ut in frigore, erit locus aliquis assuetudini ad excitandas species vividiores, ut saltem nitantur cohibere vim concussionis: erunt proindè vagæ per corpus affectiones etiam caloris, & cessante externa specie, vel remittente ipsius impetu colligentur animi, & nitemur in motus validos clamando, fugiendo, saltando, in quæ similiter venire poterimus per ipsam trementem speciem, cum in eos validiores motus venire assueverimus per species similium validiorum dolorem acerrimum inferentium, unde liquidum derivandum paratam, ac perviam inveniet viam, ut de facilitate superius dictum est. Quæ sanè comparata cum expositione concussionis per frigus rem totam profectò admiratione dignissimam satis perspicuè demonstrant. Cur autem orichalchum sub torni scalpro acutè stridens stupefaciat dentes, eadem ratio est, ac cur acida, stiptica, immatura eandem noxam dentibus inferant, quæ non alia esse videtur, quàm talis nervorum motio, ut ferè divellantur, unde difficultas illa, & repugnantia ad excipiendam pressionem in dentibus quasi laxatis per laxationem membranæ ipsos succingentis, vel quæcunque est alia necessitas ab hoc sanè non multùm remota. Atque de his quidem hactenùs. Sed & convulsivis motibus annumeratur.

Tremor.

Hujus nomine intelligunt Medici alternam eorundem musculorũ contra nitentium contractionem à debilitate provenientem, & luctari, ajunt, pondus partis cum facultate, quę ut debilis modo superat, modò superatur; res autem ita se habet. Quoniam musculi alternè contrahuntur, & cum sustinendum est pondus per temporis spatium longius, quàm unica naturalis contractio fert, oportet, ut multæ, sed frequentissimæ contractiones repetantur, vel ut continuè contrahatur musculus, per quantum temporis spatium requiritur, hoc est, ut continuè per illud spatium temporis spiritus deriventur in musculos; igitur qui paucis spiritibus donantur, non solum apta ad frequentissimas, & multas contractiones, vel una producta per longum tempus quantitate spirituum destituentur, verùm fieri poterit, prout magis, ac magis deficiunt spiritus, ut musculi contrahantur rariùs, quàm in naturali statu, unde elevabitur, ac demittetur alterne pondus rariùs, frequentiùs, prout major, aut minor copia spirituum viget, seu in iisdem dabitur tremor crebrior, rarior. Hinc in senibus, in imbecillibus, in sui ipsius diffidentibus, qui nempe dubitant, num iis viribus polleant, quæ sufficiant substinendo oneri, contingit tremor; per ejusmodi enim suspicionem jam excitatur tremoris species, imò verò ipsa suspicio vigens nihil aliud est, quàm ipsa tremoris species jam excitata: hinc etiam validi in tremorem venimus, cum calicem vino nimis plenum tenere, & admovere ori cogimur; statim enim dubitamus, num tanti simus ad traducendum calicem absque eo, quod vinum defluat, cum opus sit contractione maximè æquabili, atque continua, ejusmodi autem dubium nihil aliud est, quàm species tremoris, qua actu vigente fiat tremor oportet. Et si quæ sunt hujusmodi ex dictis obvia, & non minus scitu, quàm visu jucunda, quibus immorari non libet.

Curationes.

Curatio hujus affectus varia est pro varietate causarum, quæ ab inanitione fit, rarissimè contingit,

tingit, & incurabilis est, ideo illius therapiæ non immorandum. Authores humectantia omnis generis præscribunt & inunctiones ex oleis chalasticis. Ea verò quæ fit ab irritatione, ab aliis morbis dependet, & illorum curationi subjicitur. Superest igitur ut convulsionis à repletione curationem proponamus, quæ cum à pituita & flatû potissimum dependeat, ad illorum sublationem dirigenda est. Eaque primùm à venæ sectione auspicanda, si sanguis abundet, & vires sint validæ. In qua tamen evacuatione satius est peccare in defectû, quàm in excessû; cùm illa causæ principali, quæ pituita est, contraria sit.

Post venæ sectionem, aut eâ omissâ, si conveniens non sit, purgatio instituenda est per pilulas, quæ satis potenter evacuent (habita tamen virium ratione) juxta formulas, in frigida cerebri intemperie descriptas. His verò adjungenda sunt castorei gr. iij.

Si pilulas fastidiat Æger, potionis, pulveris aut alterius medicamenti forma usurpari poterit, prout dicto capite habetur.

Post purgationem admoveantur cucurbitulæ cum scarificatione, si sanguis non fuerit detractus, alioqui siccæ: primò quidem partibus remotioribus, posteà affectæ parti vicinis. At si crura sint convulsa, natibus & lumbis applicentur: si brachia, collo, & scapulis. Hoc in omnibus observando, ut fluxio versùs originem retrahatur.

Vesicatorium etiam partibus affectæ oppositis utiliter admovebitur. Interim post primam purgationem, materia præparanda est apozemate descripto in curatione intemperiei frigidæ. Purgante quidem, si vires & reliqua consentiant: sin minùs detractis purgantibus.

Finito Apozemate iterum Pilulæ exhibendæ, castoreum illis, & omnibus purgantibus adjiciendo.

Si apozema tantum alterans usurpetur, per illius usum clysteres acres frequenter injiciendi, quales in soporosis affectibus fuerunt propositi.

Fiant etiam inunctiones suprà partem affectam linimento convenienti.

♃. Unguenti de althææ ℥vi. Ol. Terebinth. & chamæmel. ana ℥i. Ol. lavendulæ ʒiij. Ol. vulpini ℥ß. Styracis liquidæ ℥ij. Fiat linimentum, quo inungatur pars affecta calidè frequenter, & spina dorsi. Vel

♃. Ol. anethini & chamæm. ana ℥j. Unguenti martiati. ℥ß. Ol. petrolei & de spica, ana ʒj. Spiritus vini ʒiij. Misce.

Maximè laudatur axungia anatis, in sequentem modum parata.

♃. Anserem pinguem deplumatum, & exenteratum, quem reple materia sequenti.

♃. Fol. Salviæ majoranæ, & stæcad. ana m. j. Gummi ammoniaci & bdellii, ana ℥j. Calami aromat. nucis moschat. macis, caryophill. ana ℥ß. Contundantur in mortario, & malaxentur cum ol. Lumbricorum, posteà includantur ventri anseris, qui benè consuatur, nè quid effluat, in veru assetur. Pinguedo extillans excipiatur vase aceto semipleno, eâque illinantur partes affectæ.

Efficaciùs operabitur, si usurpetur in sequentem modum.

♃. Pinguedinis prædictæ ℥vi. Oleor. ceræ, nucis moschat. & salviæ arte chymica extractorum, ana ʒij. Misce, fiat linimentum.

Post inunctionem partes convulsæ contegantur pelle arietis adhuc calente: & cùm refrixerit, si novarum non sit copia, recalescat Oleo anethino, aut simili valdè calente.

Utiliter etiam parti convulsæ adhibentur pulmones vervecini calentes, tum etiam pulli columbini, catuli, galli, gallinæ per medium sectæ.

Pars etiam affecta in intima bovis aut vervecis aut majoris alius animalis, recens cæsorum immittitur & ibi tamdiù detinetur, quamdiù animal calet.

Balnea ex decocto herbarum cephalicarum etiam conveniunt addita olei tertiâ parte, vel inunctis mox à balneo partibus convulsis.

Alii hoc Emplastrum commendant.

♃. Colophoniæ ℥ij. Resinæ, picis navalis, ana ℥j. Thuris, mastiches, cerussæ, ana ℥ß. Sanguinis draconis, salis communis, salis Ammoniaci, Terebinth. ana ʒij. Ceræ novæ ℥ij. Vitrioli albi ʒij. Matris perlarum ℥i. Lapidis magnetis ʒß. Succini flavi. ʒiß. Ol. ovor. rosana ʒij. Fiat secundùm artem Emplastrum, quod alutæ inductum imponatur.

Præstantissima verò sunt balnea sulphurea, in diuturnis præcipuè convulsionibus. Conveniunt etiam balnea sicca seu vaporosa ex decocto Salviæ, rorismar. stæcados, chamæp. origani & similium cum vino albo lapidibus ignitis, aut scoriis ferri ignitis infuso.

Optimum etiam est fovere occiput & cervicem aqua vitæ calente.

Penotus sequens linimentum mirè prædicat, ad convulsionem brevi tempore dissolvendam.

♃. Ol. terebinth. ℥. ß. ol. caryophill. gutt. vj. mucaginis bryoniæ q. s. ad consistentiam linimenti. Misce, inunge locum affectum cum radice sui nervi.

Alii oleum seu spiritum salis cum oleo terebinthinæ ceræ, chamæmeli & similium commixtum, membra convulsa citò restituere asserunt.

Linimentum sequens eximiæ est efficaciæ.

♃. Butyri rancidi, & laridi veteris, ana quart. i. bdellii, ammoniaci, ana ℥. j. myrrhæ, castorei. an. ʒ. ij. flor. stæchad. & anthos, an. P. i. nucis moschat. & garyophyl. an. ʒ. i. catum parvum exenteratum, excoriatum, & in frusta divisum. His inferciatur Anser, & consuatur, ac torreatur in veru. Primus qui stillabit succus magis aqueus abjiciatur; secundus verò pinguior, colligatur in vase aqueo semipleno, eoque illiniantur partes convulsæ & tota dorsi spina.

Interdum verò dolor ita intolerabilis sentitur, ut ad eum priùs cura dirigenda sit, illi igitur convenit sequens linimentum.

♃. Olei Violacei, lilior. & chamæmeli. an. ℥. i. ß. olei amygdalarum dulcium, mastiches, & rosac. an. ℥. Misce inungatur pars affecta. Si potentiùs agendum sit, paretur sequens Balneum.

♃. Rad. altheæ, & liliorum, an. ℔ß. fol. malvæ, violariæ, origani, salviæ, absinthii, an. M. ij. sem. lini & fœnugr. an. ℔.j. Decoquantur

quantur prò balneo, in quo diù non immoretur æger. Sed dolore sedato confestim egrediatur; sufficiet autem partes convulsas tantùm immergere.

Alii parant balneum ex oleo puro, & si æger sit dives, in eo decoquunt Vulpem unam, aut alteram.

Dum hæc fiunt, cerebri expurgationi incumbendum est, apophlegmatismis & errhinis, suis capitibus descriptis.

Tum etiam eadem pars roboranda est opiatâ cephalicâ, aqua apoplectica, theriacali, aut alia earundem virium.

Rondeletius de aqua sua hirundinum hæc habet. Aqua ex hirundinibus & castoreo parata, exhibita convulsionem à repletione subitò cessare facit. Ejus descriptio est in cap. de Epilepsia apud Authorem dictum.

Lazar. River. Praxeos Medic. libr. 1. p. 17.

Quod spectat ad curationem, ejusmodi affectionum spasmodicarum, quæ in fœminis, aut viris à causa morbifica nervorum origines obsidente, procedunt. *Prima indicatio* erit morbi fomitem subtrahere, scil. impedire, quominus sanguis particulas heterogeneas, aut in se genitas, aut aliundè à visceribus acceptas, capiti affigat. In hanc rem evacuatio & per catharsin & per phlebotomiam nisi aliquid contra indicat, instituta, commodè adhiberi solet.

Vomitio sæpissimè juvamen præstat, quare emetica ex infusione croci metallorum, vel ex sale vitrioli aut vino scillitico ab initio propinentur. Dein propediem sanguinis detractio aut phlebotomia in brachio, aut hirudinum suctu è venis sedalibus celebretur, dein posteà lenis purgatio aut pilulis, aut apozemate solutivo instituatur, & tempestivè repetatur.

♃. Pilul. è succino Cratonis vel Tartarearum Bontii ʒij. resin. Jalap. gr. xvi. Castorei ℈j. Olei rorismarini vel succini, ℈ß. Gummi Ammoniaci solut. in aq. hystericæ q. s. f. Pilulæ 16. sumantur quatuor die quolibet sexto aut septimo.

♃. Rad. Polypodii qu. Lapathi acut. præp. Cherefolii ana ʒvi. Pæoniæ maris ʒiij. Fol. Betonicæ, chamædryos, chamæpityos, verbenæ, Veronicæ maris an. M. j. Sem. carthami, bardanæ an. ʒ ij. Coquantur in aqu. fontan. ℔ iv. ad medietatem, adde vini albi ℔ j. Coletur in matracium, cui imponatur folior. Sennæ opt. ℥j. Rhabarbari ʒ vi. Turbith. Gummosi ℥ß. Epithymi, santal. citrini an. ʒ ij. Salis absinthii, cochleariæ an. ʒj. Flavedinis cortic. Aurantii ʒ ij. Digerantur clausæ, in calore arenæ per horas 12. Colatura usui servetur: edulcoretur (si opus sit) cum s. q. Syrupi Augustani, vel è cichoreo cum Rhabarbaro. Dosis ℥ vi. Semel aut bis in hebdomade.

Singulis diebus quibus à purgatione vacat, remedia cerebrum corroborantia, quin & spiritus animales, à copula heterogenea suscipienda, aut ab explosionibus ineundis, vindicantia, exhibeantur. De quibus tamen juxta ægrotantis temperamentum, corporis habitum, & constitutionem delectus quidam instituatur: nam gracili corporis habitû, & sanguini fervidiori præditis medicamenta minùs calida, quæque sanguinem haud suprà modum exagitent, propinari debent: è contra phlegmaticis, obesis, quorum urina tenuis & aquosa est, atque sanguis hebetiùs circulatur, visceraque infarciuntur; remedia calidiora, & humores insigniter fermentare apta designentur. In priori casu ad hunc modum præscribatur.

♃. Conservæ flor. Betonicæ, Tamarisci, pæoniæ maris an. ℥ j. spec. diamargarit. frigid. ʒiß. Pulv. rad. pæoniæ, & seminis ejusdem ana ℥ j. Corallii rubr. præpar. ʒ ij. Vitrioli Martis ℈ ij. Salis absinthii ʒ ij. cum s. q. Succi Aurantior. f. Electuar. Capiat bis vel ter in die, superbibendo haustulum Julapii infrà præscripti.

♃. Corallii rubri cum Succo Aurantiorum in marmore, aut mortario vitreo triti, & exsiccati ℥ß. Pulv. visci q. rad. pæoniæ maris an. ʒ ij. Sacchari perlat. ʒ iij. F. Pulvis Dosis ℈j. ad ʒß. bis vel ter in die.

♃. Specier. diamargarit. frigid. ʒ ij. Salis absinthii ʒ iij. Rad. Aronis pulv. ʒj. Misce, f. pulvis, dividatur in viginti partes, sumatur dosis manè & hora quarta.

♃. Pulv. rad. Petasitidos ℥j. dos. ʒß. ad ʒj. bis in die.

♃. Folior. bardanæ, ari an. M. vi. incisa, & simul mista destillentur. Dosis ℥ij. ad iij. bis vel ter in die post dosin Electuarii, aut pulveris.

♃. Hujus aquæ destillatæ ℔ ij. Chalybis nostri præparat. ʒ ij. Misce in phiala, sumantur eodem modo.

♃. Aq. Jugland. simplicis, Cerasorum nigr. an. ℔ß. Limacum ʒ vi. Syr. flor. Pæoniæ maris ℥ ij. dosis ℥iß. ad ij. eodem modo.

♃. Rasur. Eboris, C. Cervi an. ʒ iij. Rad. Cherefolij, bardanæ, valerianæ an. ℥ß. Folior. Betonicæ, chamæpityos, scolopendrij, summitat. Tamarisci, an. M. j. corticum Tamarisci solani lignosi an. ℥ß. Coquantur in aq. fontanæ ℔ iv. ad tertiæ partis consumptionem, adde vini albi ℥ viii. Coletur in lagenam, cui imponatur folior. Beccabungæ, cardamines an. M. j. f. infusio tepida, & clausa per horas quatuor, colatura servetur in vitris occlusis. Dosis ℥ vi. bis in die, post dosin medicamenti solidi. Interdum tali Apozemati infundantur chalybis nostri ʒij. & sumantur eodem modo.

Tempore æstivo aquar. acidularum usus convenit; in earum defectû nostræ artificiales substituantur.

Quod si ob rationes suprà citatas, medicamenta calidiora indicantur, juxta methodum sequentem procedere licebit.

♃. Conservæ anthos, flavedinis aurantij, Limonij, an. ℥ij. nucum Jugland. & Myrobalanor. condit. an. n. ij. Ligni Aloës, Santali citrini, rad. serpentariæ, contrayervæ, Angelicæ, ari an. ʒj. cum s. q. Condituræ nucum Juglandum f. Electuarium, sumatur bis in die q. Nucis moschat. superbibendo dosin liquoris appropriati.

♃. Rad. Pæoniæ maris, Angelicæ, Corallij rubri præpar. an. ʒij. Sacchari solut. in aqu. limacum, & ad tabulatum cocti ℥ vi. Olei succini rectificatissimi ʒß. S. a. f. Tabulæ, singulæ pendant circiter ʒß. una aut altera sumatur bis vel ter in die, superbibendo dosin liquoris appropriati.

♃. Rad. Serpentariæ Virginianæ, contrayervæ, Valerianæ an. ʒ ij. Corallij rubr. præpar. Margarit. an. ʒj. Cort. Winteran. rad. dictamni

Critici an. ℈j. Vitrioli Martis, salis absinthii an. ℈j ß. Extract. Centaurij ℈ ij. Ammoniaci solut. in aq. hystericæ q.s. f. massa pilularis. Sumantur quatuor pilulæ manè & hora quarta p. m.

℞. Spir. C. Cervi, aut fuliginis, vel sanguinis humani, vel salis Ammoniaci q. s. Sumantur gutt. 10. ad 12. mane, & vesperi in cochleari Julapij, superbibendo haustulum ejusdem.

℞. Folior. Betonicæ, verbenæ, salviæ, cardaminæ, ari, bardanæ an. M.ij. Jugland. viridium n. 10. cortices 6. aurantiorum & quatuor Limonum, cardamom. cubebar. an. ℥j. concisis; & contusis affunde seri lactis è pomaceo, aut vino albo facti ℔vi. destillentur s. a. dosis ℥ij. vel iij. bis in die post dosin medicamenti solidi. Hujus ℔ ij. adde Chalybis nostri ℈ ij.

℞. Aqu. Lumbricor. limacum an. ℥vi. Jugland. simplicis ℥iv. Raphani composit. ℥ij. Sacchari albissimi ℥ij. f. Julapium. Dosis cochlearia 4. vel 6. bis in die post dosin medicamenti solidi.

℞. Millepædum mundator. ℔j. Caryophyll. concis. ℥ß. Superaffunde vini albi ℔ij. destillentur in cucurbita vitrea, dosis ℥iß. bis in die.

Pauperioribus, per remedia faciliùs parabilia ad hunc modum consulatur.

℞. Conservæ folior. rutæ cum æq. p. Sacchari factæ ℥vi. Sumatur quantitas nucis moschat. bis in die superbibendo decoct. sem. & rad. bardanæ in sero lactis cum vino albo parat.

Vel paretur conserva ex foliis Arboris vitæ cum æquali parte sacchari, dosis ℥ß. ad ℈j. bis in die.

℞. Pulveris Millepedum præpar. ℈ iij. Sem. ameos ℈j. f. pulvis, dividatur in 10. partes, sumatur dosis bis in die, vel asellis 12. contusis cum vino albo affuso, exprimatur succus, f. haustus, sumatur bis in die.

Intereà dum hæc remedia intus sumuntur, convenit interdum vesicatoriis in nucha, & pone aures applicatis ulcuscula excitare; ita namque serosi & acres humores à capite plurimum emulgentur: porro sternutatoria & apophlegmatismi non rarò juvamen insigne præstant. Sanguinis detractio è venis sedalibus aut è pede aliquoties iterari debet, quin & urgente affectû, Emplastra, vel Cataplasmata plantis pedum utiliter adhibentur. Juvat etiam circa suras & femora epispastica admovere. *Thom. Willis. de morb. convuls. cap. 5.*

Spasmus, seu Contractio, & Convulsio, Celso Nervorum distensio dicitur; intelligiturque morbus ille quo membra, præsertim musculosa, & nervis referta, contracta simul, rigida, & immobilia observantur. Differt autem convulsio à depravatis illis motibus, qui plerumque Epilepsiam comitantur ut propterea *Epileptici* dici soleant, aliis *Spasmodici*, & *Convulsivi*; quoniam in his dum membra retrahuntur, variè contorquentur, & concutiuntur; Quamobrem differunt à Tremore, in quo motus membri spontis suæ est, fitque semper uniformis sursùm, deorsùm; secùs, qui motus convulsivi dicuntur, sunt dispares, inæquales, inordinati, & varii.

Spasmus, alter Universalis, toti corpori contingens; alter Particularis, alicui tantùm membro. Sub universali, comprehenduntur Tetanos, Emprosthotonos, & Opisthotonos, in quibus scilicet corpus adeò arctè occupatur, ut flecti haud possit. In Tetano autem æquali robore in utramque partem anteriorem, & posteriorem intenditur. In Emprosthotono solùm in anteriora curvatur. In Opisthotono demùm ad posteriora tantùm. Has omnes Convulsiones Celsus Rigores appellavit. Particularis adhuc multiplex est, pro partium contractarum diversitate. Unde Spasmus Cynicus, faciei: Strabismus, oculorum: Trismus, musculorum mandibularium: Risus sardonius, labiorum: Satyriasis, penis, Convulsiones appellantur. Huc reducitur spasmus ille, quem Græci σπασμὸν φυσώδη, & Itali *Cramfum* dicunt, vulgò Neapoli *Granco*, contingens plerumque tibiis, earumque suris cum maximo dolore; cumque à flatibus oriri putetur, idcircò Medicorum plurimi *Flatulentum* illum nuncupant.

Creditum est Antiquis cujuscumque spasmi causam, vel ad Repletionem, vel ad Inanitionem pertinere, authoritate Hippocratis 6. *Aph.* 39. dicentis *Convulsio fit vel ex repletione, vel ex inanitione*: Cujus sententiam sequutus Galenus *in Comm.* tradit exemplum à chordis, lorisque petitum, quæ tùm in humidiori, tùm in sicciori aëris constitutione adducuntur, & contrahuntur. Quod etiam confirmat 5. *Aph.* 1. *Sicut enim*, inquit, *foris videmus lora, & chordas tendi, ubi vehementiùs exiccantur, aut multa madent humiditate; sic & in corporibus animalium, par est fieri non rarò convulsionem.* Quamquam hoc loco meminit Galenus alterius causæ, quam ad vellicationem, & morsum oris ventriculi, nervis plurimis referti, retulit. Et 12. *meth. cap. ultim.* aliam causam addidit, videlicet intensum frigus, quale glaciei.

At pluribus, hasce causas convellere nititur Thomas Erastus *disput. de Convulsione*; & fusa etiam oratione prosequitur Sennertus *in Institutionibus Medicis*, ubi omnes Veterum de hac re opiniones, refert, & exagitat. Ipse verò Erastus neque musculos, neque nervos convulsionis causam subire existimans, tandem concludit in hoc affectu cerebrum principaliter affici à re aliqua mordaci, & vellicante, modo nondùm satis perspecto. Et Sennertus depravatos musculorum motus convulsivos dictos fieri quidem à vapore, vel humore tenui, seroso pravo, & maligno, nunc hujus, nunc illius nervi principia vellicante; Convulsionem verò ipsam, nonnisi ab humore in cerebri meditullio nervorum origine pertinaciùs hærente, hancque continenter stimulante opinatur.

Quandoquidem inter plurima, quæ obstare videntur Hippocratis doctrinæ, speciale illud afferri solet non commodè distingui posse à Paralysi convulsionem, si ab humore replente, ac obstruente, hæc pariter oriretur; propterea Riverius huic se putans difficultati satisfacturum, inquit, Paralysim fieri ab humore pituitoso puro, & impermisto, qui partes potiùs relaxet, quàm distendat; Convulsionem verò, ab eodem humore, at pluribus flatibus consociato, à quibus nervi, & musculi tendantur, ac versus suam originem contrahantur.

Paracelsus, & Helmontius peculiarem vitam musculis attribuunt, eo quòd post mortem aliquis adhuc in ipsis motus remaneat, sicuti in caudis, & partibus insectorum resectis experimur. Hinc convulsionem quamcumque putat Hel-

Helmontius ex naturali sensu, motuque eorundem musculorum, etiam aliquandiù post interitum superstite, procedere, concitato tamen illorum spiritu. Quamobrem *de lithiasi c.9. n.128.* concludit: *omnem spasmum esse Blas vitale musculorum ex Archeo innato suscitatum, cujus occasio est malignum aliquod irruens in Archeum, musculorum vitæ insidians.* At verò Hermeticorum alii Mercurium sale acido imbutum, hujus morbi causam assignant.

Musculorum cum Tendinibus inflationem, amplificationemque inductam à flatu, à spiritibus, vel ab humoribus, convulsionis causam existimat Gerardus Blasius *in sua Therap. speciali.*

Willisius licet partium nervosarum irritationes, leviores spasmos afferre posse concedat; graviorum tamen originem constituit, crebras, vehementesque explosiones spirituum, animalium à particulis diversi generis maximè activis, atque nitro sulphureis, potissimùm è succo nerveo suggestis, in nervos adjunctosque musculos; unde pari ratione id accidere arbitratur, ac ex accenso pyrio pulvere in bellicis Machinis, eosque ideò vehementer violenterque expandi, contrahi, & exagitari.

Denique Sylvius Leboë in ea persistit sententia, ut putet unicam convulsionis causam esse humorum acrimoniam, quæ membranaceas cerebri, cerebelli, & spinalis medullæ, nervorumque omnium partes ità vellicet, & malè afficiat, ut subindè consequatur impetus spirituum animalium in musculorum fibras, adeoque spasmus, seu convulsio. In cujus opinionis argumentum multa affert, quæ idipsum suadere videntur, sed potissimùm historiam memorat Caroli IX. Galliarum Regis à Paræo relatam, atque alteram cujusdam Chirurgi Amstelodamensis, qui ex punctis nervis convulsiones gravissimas passi sunt.

Illud autem animadvertendum occurrit, haudquaquàm perpetuò cerebrum, cerebellum, spinam, & nervos affici oportere, ut membra convellantur; cùm aliquandò absque proxima cerebri, & nervorum læsione convulsiones accidant, ut accuratissimè notat Helmontius, sed satis est si musculi, illorumque fibræ carneæ afficiantur. Neque insuper cùm nervi punguntur aut aliter læduntur, spiritus animales (quos fingere non est necesse) in vehementem, ac tumultuarium motum credendum concitari; cùm hæc, & alia quæ his affectibus accidunt symptomata, à sola fibrarum contractione, & liquoris nervorum depravatione oriri possint; undè est ut nervi puncti convellantur, cæsi verò minimè; quia ex punctione aliæ ab aliis fibræ inæqualiter flectuntur, retrahunturque; in cæsura verò æquè complicantur, laxantur, aut retorquentur.

Quæ ex Anatome hactenùs licuit observare, cerebrum, ejusque meninges, plexus, spinalem medullam, nervos, diaphragma, ventriculum, intestina, renes, ureteres, aliavè viscera affecta in hac ægritudine designarunt, à sero acri, sanie, pure, abscessu, ulcere, inflammatione, veneno, vermibus, calculis, lotio diutiùs retento, lochiis suppressis cum placenta uterina, aliisque similibus; ut meritò existimet Helmontius omnem, & quamcumque corporis partem sensu præditam, posse convulsiones subire, si nimirùm à re vellicanti, & acri stimuletur. Sic pariter ab usu Hellebori, aliusve cathartici, à frigore nimio, à caustico medicamento, à vulnere capiti inflicto, à punctura nervi, ab acuto odore, luxatione, subito terrore, vehementi animi passione, ictu venenato, aliisque innumeris, convulsiones, motusque depravatos esse passim testantur historiæ.

Quamvis autem abstrusa nimis sit causæ hujus investigatio, ut illam omninò desperaverit Averroës, nullo tamen planè negotio Morbus ipse cognoscitur, atque à cæteris distinguitur: etenim eo partes primùm irregulariter moventur, & contrahuntur; mox verò obrigescunt, & nec flecti, nec extendi possunt; dolor tamen plerumque illas excruciat: quare facilè à Paralysi, seu Resolutione internoscetur. Cæterùm tetanus, emprosthotonus, & opisthotonus ex supradictis facilè dignoscuntur; sicut etiam spasmus cynicus, strabismus, & reliqui, de quibus infrà.

Periculosa est, & lethalis hæc affectio, eoque magis, quò plures, vel omnes simul partes convelluntur à cerebri vitio. Hippocrates 5. *Aph.* 1. Convulsionem ex helleboro lethalem esse scribit; sicut pariter ex vulnere *text.* 2. atque à sanguinis profluvio *text.* 3. & 7. *Aph.* 9. itemque ex nimia purgatione, atque ex ebrietate *eodem* 5. *Aph. text.* 4. & 5. & 7. *Aph.* 25. Similiter *ab Ileo vomitus, singultus, convulsio, aut delirium, malum* dicitur 7. *Aph.* 10. Malum quoque in fluxu muliebri, *si convulsio, & animi defectus adveniat*, 5. *Aph.* 56. Atque etiam *si in acutis febribus convulsiones, & circa viscera dolores vehementes* fiant, 4. *Aph.* 66. necnon ex somnis timores & convulsiones *text.* 67. Si præterea diuturnam vigiliam consequatur 7. *Aph.* 18. Et æstum immodicum *text.* 13. In febre verò non intermittente. *Si labrum, palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel nasus pervertatur, vel non videat, vel non audeat, jam debili existente corpore, mors proxima est.* At de Tetano speciatim adnotat, intra quatriduum interimere, post hoc tempus verò incolumes ægrotantes evadere 5. *Aph.* 6. & *lib. de judicat.* Mulieri autem utero gerenti, si Tetanus superveniat, facit abortum 7. *Aph.* 27. Convulsio demùm, quæ phrenitidem sequitur, lethalis dicitur Aëtio *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 131.

At contrà melius sperandum si convulsioni febris superveniat 2. *Aph.* 26. Nam *qui à convulsione aut distentione nervorum tenetur, febre superveniente, liberatur* 4. *Aph.* 57. *A quartana capti non admodum convulsionibus corripiuntur* 5. *Aph.* 70. *Si verò priùs capiantur, & quartana superveniat, liberantur.* Et *lib. de judicationibus in fine. A convulsione, aut distentione nervorum vexato, febris accedens, solvit morbum; & si à febre detentum convulsio corripiat, sedatur febris eadem die, aut postridè, aut tertia die.* In ulceribus autem, *si tumores appareant, non admodùm ægroti convelluntur, neque insaniunt. Verùm his repente evanescentibus, illis quidem, quibus à tergo convulsiones, & tetani fiunt: quibus autem à fronte, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi* 5. *Aph.* 65.

Quæ adversus hunc morbum à Medicis commendantur, plurima sunt. Hippocrates *lib.* 3. *de Morbis* in Tetani medelam hæc commemorat: *Catapotia ex pipere, & verato nigro devoranda dato, & jusculum volucrium pingue calidum: inducenda*

cendæ sunt etiam multæ sternutationes, & fomenta adhibenda; & partes dolentes calido oleo, & multo, & sæpè illinantur. In Opisthotono verò specialiter aquam frigidam plurimam superinfundi docet, contectis posteà partibus vestimentis tenuibus, puris, & calidis: quod remedium etiam in Tetano convenire subdit; unde *Aph.* 21. *lib.* 5. scribit: *In Tetano sine ulceratione, juvene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem revocat: calor autem Morbum solvit.* Insuper *lib. de Internis affectionibus in fine* Linimenta calida instituit, & ad sudorem patientis corpus disponendum monet; intereà verò mulsam tepidam, & vinum album quàm jucundissimum, multum bibendum esse.

Quoniam verò à plerisque putatur spasmus quilibet, vel à Repletione vel ab Inanitione progigni; propterea quem ex Repletione, & præsertim à crassis succis ortum credunt, evacuantibus, & attenuantibus medicamentis curandum aggrediuntur; at ex inanitione, per febrim ardentem, aut hecticam, immodicas evacuationes, & similes; humectantibus impinguantibus & nutrientibus.

Ab his, qui convulsionem opinantur à pravo, & irritante humore excitari, Medicamenta ad illius remotionem correctionemque diriguntur. Et Sennertus quidem Idiopathicam convulsionem tollere conatur missione sanguinis, si is fortassè abundare videatur; Sin minus, cucurbitulis cum scarificatu, authoritate Æginetæ: mox purgante medicamento utitur, & clysteribus acrioribus; Tandem ad Topica devenit per lituras ex pinguedine animalium, oleo philosophorum, juniper. laur. rut. terebinth. lumbric. terrestr. Adhibet quoque balnea etiam vaporifera, & sulphurea. Interea tamen intrinsecus assumenda commendat castoreum cum mulsa, vel ejusdem castorei essentiam in aqua salviæ, & aquam hirundinum compositam, præter alia, quæ apud eundem legi possunt. In sympathica verò, si ex consensu ventriculi, neglecto vomitu à Galeno commendato, nisi ab æruginosa bile fiat, potiùs utitur pilulis per alvum subducentibus, aut clystere acri. Si ab utero, remediis eundem repurgantibus, memoratis à Galeno 6. *de loc. aff. cap.* 5. Si ab ictu venenato, Alexipharmacis. Si à vulnere, vel punctione nervorum, quibus phlegmone præcavetur, & vulnus consolidatur, abstersa sanie, sedatoque dolore; & si opus sit, secto adhuc nervo, terebratoque cranio, si meninges malum invaserit. Si postremò fiat à flatibus, illos discutientia affectæ parti adhibet. Huic methodo inhæret quoque Gerardus Blasius.

Apud Paracelsum, & Helmontium nihil peculiare est, quod ad spasmi curationem pertineat; nisi quod oleum Terebinthinæ calidum commendant, cùm ille vulnera consequitur. Verùm Petrus Jo. Faber sententiam eandem sequutus, huic morbo occurrit, cathartico antim. deinde partem convulsam illinit essentia salviæ, oleo ceræ permista, iterato etiam, si opus sit, eodem cathartico.

Sicut à Willisio varius fomes proponitur, undè convulsiones, & convulsivi motus oriantur; ita in illius substractionem plurima admittuntur, sed præcipuè, Phlebotomiæ, cathartica, emetica, cæteraque in Epilepsia memorata. Quoniam verò ad hos affectus revocat Hystericam, & scorbuticam affectionem, extremam saltationem à morsu (ut creditur) araneæ Tarentinæ, Choream S. Viti, aliasque ægritudines; his quoque speciatim occurrere adnititur medicamentis antihystericis, & antiscorbuticis dictis, quæ fusè idem Auctor commemorat.

Postremò Sylvius Leboë pro varietate causarum, quas spasmum inferre posse suspicatur, variam quoque exhibet medendi rationem. Primùm autem fusa oratione prosequitur historiam & curationem institutam à Paræo in Carolo IX. Galliarum Rege ex nervi punctione; mox huic medendum subdit oleo terebinthinæ calenti cum spiritu vini, Et si his nec dolor, nec convulsio desinat, omninò rescindendum esse nervum suadet. Ex contusione, & fractura Cranii, Terebræ usum adhortatur, superimposito deindè oleo Terebinthinæ cum spiritu vini. A combustione, commendat oleum expressum è nucibus juglandibus, & seminibus Rapæ; itemque Cerusam, aut minium in aceto stillatitio solutum, atque instar linimenti cum oleo redactum. Ab acrimonia demùm humorum conferre existimat Thermas sulphureas, vel balnea arte parata ex sale tartari in calcem redacti, cum sulphure ritè permisto, & in congruenti quantitate aquæ diluto. Prodesse etiam putat olea, & axungias præsertim humanas, & anguillarum, quibus affectæ partes liniantur; necnon fomenta, emplastra, & cataplasmata ex herbis calefacientibus, sale volatili, & oleo abundantibus. Intrinsecùs verò sudorifera sale etiam volatili prædita, maximéque spiritum Tartari cum aqua theriacali, aut vini spiritu purissimo permistum; omissis acidis, quæ convulsis nocua omninò dicuntur.

Propria demùm in his affectibus medicamenta recensentur, præter antiepileptica superiùs memorata, Plantæ omnes in aquis crescentes ex Petræo; præsertim autem Nymphæa, itémque Mandragora, Napellum, faba inversa; Ægineta Acanthi radicem, & spinæ albæ semen magnifacit. At præstat uti castoreo, ejusque essentiâ cum aqua salviæ. Thomas Willisius præter alia plurima, hæc faciliùs parabilia usu approbat; Nempe *pulv. millep. præpar.* ℥ iij. & *sem. ameos* ℥ j. *divid. in* 10. *partes*; & binas exhibet in singulos dies.

Itemque *Asell. xii. contund. ac ex vino albo effuso exprim. succ. & f. haust. bis in die.*

Externè verò contulisse visa sunt olea, & linimenta ex adipe vulpis, catellorum, mustelæ; sicut etiam ex lumbricis, terebinthina, castoreo, galbano, ammoniaco, anetho, liliis. Horstius affirmat nervosas, & musculosas partes emplastro oxycroceo roborari. Et Davissonius laudat oleum Terebinthinæ, succini & ex lateribus elicitum: ex quibus sequens linimentum componit Rolfinchius spinæ admovendum. *Unguent. Martiat.* ℥ j. *Aregon.* ℥ ij. *ol. vulp. & terebinth. singul.* ʒ ß. *stillat. succin.* ℈ j. *rorismar.* ℈ ß.

Apud Riverium in Observationibus communicatis testatur Pachequus hoc alio juvenem toto corpore convulsum statim expeditè ambulasse, esseque remedium divinum; idque habet *butyr. rancid. & larid. veter. singul. quart. j. bdell.*

bdell. & ammoniac. singul. ℥ j. myrrhæ, & Castor. singul. ʒ iij. flor. stæchad. & anth. singul. p. j. nuc. myristicæ, & caryophyll. singul. ʒ j. catum parvum exenteratum, excoriatum, & in frusta concisum. His infarciatur anser, & consuatur, ac torreatur in veru. Primus qui defluet succus, abjicitur, secundus colligitur in vase aceto semipleno, quo liniatur spina cum partibus convulsis.

Simile huic est aliud, quod describitur à Foresto. Anser pinguis evisceratur, atque in eo minutim incisus imponatur telis cum larido, myrrha, & thure consutus, inque veru torreatur, vase aceto pleno supposito; prima pinguedo destillans abjicitur, sed quæ paulò post extillat usui reservetur. Posteà Anser bulliat in eodem aceto, & pinguedo supernatans separetur, & cum prima commisceatur, quâ convulsa membra inunguntur. Eâ Gatinariam quendam curasse refert, cui pedes convellebantur, neque dissimili successu in aliis usum. Addit insuper se vidisse quosdam à dolore liberatos solo balneo olei communis cum decocto vermium terrestrium.

Laudat & aliud Penotus; quod habet *ol. Terebinth. vel olei alb. bass. ℥ß. ol. caryophyll. gutt. vj. mucilagin. bryoniæ q. satis ut fiat consistens linimentum, quo calido partes inungantur.*

P. Bayrus in filio Ducis Sabaudiæ usus aliquando fuit ol. viol. decenter calido supra cervicem instillato.

Quod si convulsio sit ex vulnere efficacissimum est oleum lavendulæ stillatitium, tàm interne ad guttas aliquot, quàm externè parti vulneratæ, vel nervo puncto adhibitum. Extollit etiam Mynsicht suum balsamum polycrestum itemque balsamum, & unguentum spasmaticum, si his membra affecta, & spina foveantur. At ex veneno, vel ictu venenato, refert Petræus mirificè illius vim infringere scabiosam ustam cum vitello ovi, & pauxillo theriacæ mistam, & superpositam.

Convulsiones epilepticas à malignitate humorum creditas curavit Riverius in puero decennali, promoto primùm vomitu, & alvi dejectione, mox verò exhibito oleo succini, & spiritu vitrioli singul. ad gutt. v. in aqua betonicæ; ac postremò potione alexipharmaca roborante cum bezoardico joviali. A cæteris causis inductas, remotione, correctioneque earundem, prudens Medicus pro re nata moderabitur.

Pro Coronide addendum Tincturam florum hyperici Tremori manuum, aliarumque corporis partium specialiter conferre ex Francisc. Deckers. Capitis Tremores in senibus curari scribit Borellus fimo Pavonis ad ʒ j. in suff. quantitate aquæ vitæ soluto, & ter matutinis horis assumpto. Platerus singulare remedium habet electarium *Orvietanum* dictum. Testaturque Forestus sibi à fide digno Pharmacopæo communicatum esu cerebri Leporis assati Aurificem quendam Bruxellensem à Tremore incolumem evasisse. Et Bayrus mirabiles prædicat has pilulas, in quibus sunt: *Castor. pyrethri, & cinnam. singul. ʒ iij. pulp. colocynth. & serap. singul. ʒ iv. hieræ picræ ʒ v. hæc liquore convenienti excepta rediguntur in massam.* Dosis *ʒ j. vel ℈ iv.*

Intereà tamen vult assumi bolum ad magnitudinem nucis ex his pulveribus concinnatum, singulo mane: certò enim convaliturum ægrum, inquit. *Myrobal. nigr. ʒ vj. sab. ʒ ij. olib. ʒ iv. Cyper. cost. & calam. arom. singul. ℈ iv.* omnia in pulverem redacta cum passulis commiscet.

Extrinsecùs vero plurimùm conferre monet idem Forestus lotionem sæpiùs iteratam ex urina pueri, vel propria. Si ex Mercurio tremor accidat, salutare dicitur decoctum radicis enulæ epotum, & sulphur solare antimonii, vel cinnabaris ejusdem; externè verò unguentum pretiosum ex Auro Zacuti, atque aurum ipsum ex observatione Riverii, & Thom. Bartholini. Cæterùm ad Tremorem ob languorem Nervorum, & succi nervei resolutionem commendatur essentia florum anthos, & ambræ griseæ, Aqua vitæ Matthioli, tinctura alchermes, oleum cinnamomi, spiritus formicarum, seu elixir magnanimitatis: atque externè oleum stillatitium ex baccis juniperi, essentia lavendulæ, oleum balsami, & balsamum rubicundum Mynsichti.

Quod autem dicitur, Tremoris causam esse improportionem potentiæ moventis ad membrum motum, quod scilicet nequeat sustineri à debili virtute: non levem difficultatem patitur, cùm comperérim juvenes cæteroqui robustissimos in quibusdam motibus tremulas manus habere; & iratos toto corpore contremiscere. Quidam solius capitis tremore laborant, aut etiam solius manus dextræ, vel sinistræ. Unde crediderim affici potiùs in his nervorum fibras, & motrices musculorum, inæqualiter concitatas à vapore acido, vel acri ex sanguine, vel succo nerveo procedente, valde simili ei, qui provenit ex perturbato sanguine in subito timore, vel furore. Possunt etiam motrices fibræ musculorum inæqualiter concitari & adeò velociter, ut inter sese non congruant, nec motus unius alterius motui conveniat: Quâ ratione putarim tremorem exurgere in iratis, & violentoribus, ad eum fermè modum, quo lingua in his qui memoriâ aliquid recitant, titubare solet. *Lucas Tozzi. Medic. Pract. lib. 1.*

In Spasmo & Convulsione.

♃. Bezo. rd. C. C. ʒß. Essent. vulner. ʒ iß. Tinct. Castor. Croci ana gt. xii. Salm. ocul. cancri ℈ j. aq. centaur. Hyperic. ana ℥ j. Misce. f. sudoriferum, seu.

♃. Bezoardic. C. & ungul. Alcis ʒi. Antimonii diaphoretic. ℈j. Sal. ocul. cancr. ℈ß. Tinct. castor. Essent. succini ana. gt. xv. Vulnerar. ʒj. Aq. Lavendul. Centaur. ana. ℥j. Misce f. sudoriferum.

Si malignæ associati sunt febri.

♃. Bezoardic. corn. cervi, Tinct. Bezoardic. ana ʒß. Sal. ocul. Cancr. ℈i. Extr. croci gr iij. Rob. sambuci, Juniperi ana ʒj. Aq. Alexipharmac. ℥ij. Misc. f. sudoriferum.

♃. Bezoardici Viperini ʒj. Extr. gentian. Angelic. Zedoariæ ana ʒß. Tinct. Castor. Essent succin. ana gt. xv. Aq. Alexipharmac. ℥ij. Misce. f. sudoriferum.

Convulsione ex canis rabidi, aliorumque venenatorum animalium morsû orta.

♃. Bezoardic. Viperin. ʒj. Tinct. Bezoardicæ ℈iß. Lap. Bezoar. ʒß. Rob. Juniperi ℥ij. Aq. alexipharmac. ℥ij. Misce f. sudoriferum.

In India.

℞. Bezoardic. corn. Rhinocerot. Corn. Alcis ana ʒß. Tinct. Bezoartic. ℈ij. Sal. Volatil. oleosi Zerumbeth ℈ß. Rob. Sambuci Indic. ʒj. Aq. camphor. Zerumbeth ana ℥j. Misce. f. sudoriferum. Aut.

℞. Bezoardic C.C. Viperin. ana ʒß. Ess. ligni colubrin. gt. xxii. Sal. Volatil. Zerumbeth ℈ß. Rob. Sambuci Indic. ʒj. Aq. Zedoariæ, Rad. cinnam. sylv. ana ℥i. Misce. f. sudoriferum sive.

℞. Theriac. Ceylonic. ʒij. Aq. Zerumbeth. Camphoræ ana ℥i. Misce f. sudoriferum.

Si in Hysterica passione membra convelluntur.

℞. Bezoardic. C.C.C. Alcis ana ʒß. Tinct. castor. ℈ß. Solutionis asæ fœtidæ, galbani ana gt. v. spir. Tartari, fuliginis cinnamomi ana gt. v. Aq. Pulegii, Naphæ ana ℥j. Syr. Artemisiæ ℥ß. misce f. sudoriferum.

Cùm verminatio spasmum causatur.

℞. Bezoardici C.C. ʒß. Tinct. castorei gt. vi. aq. Tenellor. cervi ℥j. Misce f. sudoriferum. seu.

℞. Bezoartic. C. Rhinocerotis ʒß. Tinct. Corall. ℈ß. Castor. gt. v. Aq. Tenellor. cervi ℥j. Misc. f. potio.

℞. Bezoartic. C. Rhinocerotis ʒß. Tinct. succini. Castor. ana gt. vi. Syr. perlarum ʒij. Aq. Rorismarin. absinthii. ana ℥ß. Misce. f. potio.

Pulvis.

℞. Cran. human. ʒj. Sal. Cran. human. Aromatic. Succini volatil. ana gr. v. Butyr. perlarum ℈ß. Extr. Croci gr. iij. Sacchar. perlati ʒij. Misce f. pulvis, prò 3. dosibus.

Adultis, tam antecedentia, quàm consequentia in majori exhibeantur Dosi.

Evacuantia.

℞. Sulphuris antimonii gr. iij. Mercurii dulcis gr. x. Resin. Jalapp. gr. iij. Conserv. violarum ʒij. Misc. fiat bolus.

℞. Extr. Rhei ℈ij. Mercur. dulc. gr. xii. Resin. scammom. gr. iiij. Sem. Zedoariæ gr. xv. Cons. Rosarum ʒij. Misce f. Bolus vel.

℞. Extr. Rhei ʒß. Resin. Jalapp. gr. iij. mercur. dulc. ℈ß. Conserv. Rosar. ʒi. Misc. f. bolus. Sivè.

℞. Syr. Cichor. cum Rheo ℥j. Chalybeati. ℥ß. Misce. *Herm. Nicol. Grimm. compend. Med. chim. lib. 1.*

Consultationes.

Mercator egregius, quinquagenarius, temperamenti totius calidi & humidi, carnosi habitûs, capitis humidioris, cum mense Decembri à Nundinis Germanicis, Patriam repetens, nebuloso atque pluvio cœlo, imbribus cum vento ingruentibus non procul ab urbe propria, itinere non intermisso, capite & tergo madesceret, tandem domum perveniens à domesticis expoliatus, linteisque calidis detersus & excalefactus, cum alacriter cænasset merumque potasset largius, cubitum concedens somno se tradidit. Tunc verò sub noctem mediam de occipitis dolore conqueri cœpit, ad spatulas protenso, itaut non amplius supinus cubare posset, capite ad posteriora converso, quo affectu cum dolore, magis magisque celeriter ingravescente, summo mane cum Medico domestico accitus ego, ut de agendis simul ambo consuleremus, inveni Patientem capite ad posteriora retracto convulsum cum dolore & sine febre.

Motus capitis ad posteriora, quanquam naturalis possit esse si voluntarius sit, quoniam naturaliter quilibet musculus ad proprium principium movetur, quia tamen in nostro Patiente id citrà voluntatem, violenter, & cum dolore fieri videmus, ideò motum hunc depravatum, & Convulsionem nuncupandum esse omninò asserendum, quæ quoniam ad posteriora fit, Opisthonos, sicut ad interiora, Emprosthotonos, & ad utramque partem, Tetanos vocanda foret. *Si enim anteriores tantum musculi, dexter & sinister tendantur, tota cervix annuit, sin posteriores, renuit, si omnes quatuor, recta permanet.* Est itaque symptoma facultatis motricis depravatè læsæ: depravatur enim primò, quia motus est violentus, secundò, quia præter voluntatem, tertiò, quia cum dolore. Cum autem voluntarii motus proprium instrumentum sit musculus, musculi Trapezii, sive Cucullares, & forsan etiam Splenii, atque complexi erunt pars affecta, unde singultum convulsionem esse negavit ipse Gal. quia ventriculus musculus non est, convulsio autem solis musculis accidit. Ideò concludit, quod ventriculus, sicut & uterus, convulsivo modo moventur, adeò ut contrahi, at non convelli dicantur. Et licet nervi motricem facultatem ad musculos devehant, instrumentum tamen motus immediatum musculus est, prout Auditus & Gustus, non solus nervus, sed auris & lingua sunt propria instrumenta.

At quoniam musculus est pars organica, in convulsione læditur quidem, sed ad nervorum læsionem; non enim puncto musculo sequitur convulsio, ut necessario puncto nervo illico motus convulsivus, quo perdurante vera convulsio accidit, quæ licet succedat quoque puncto tendine, nervi & ligamenti substantia componitur, fit tamen ratione nervosæ substantiæ. Ideò dicebat Gal. quod *tendo minus convulsionem patitur quàm ipse nervus.*

Causa hujus affectus in casu nostro, non potest non esse alterutra harum, cum Hippocrat. repletio nimirum, aut inanitio, siquidem in convulsione tertiam nunquam observare potuit Gal. Et licet Avic. tertiam causam invenerit, spasmi scilicet proportionati ad materiam, dicens, *& quando fit spasmus qui ad materiam non proportionatur, eveniens causa rei, à qua nervi fugiunt & congregantur ad expellendam ipsam, &c.* Causa tamen hujusmodi est motus convulsivi, non convulsionis, cujusmodi sunt in Epilepsia, quam ideò Gal. appellabat convulsionem non perpetuam. Repletio autem, non inanitio est causa præsentis affectûs, non quidem à flatulenta materia, ut Cæsalpino, necnon Fern. placuit, ab hac enim potiùs spasmus flatulentus, Granfo dictus, citò evanescens enasci solet, sed ab immodica humiditate imbrium in capite adaucta, & externa frigiditate densata, quæ à largiori vini meracioris potu liquata, ad nervorum substan-

stantiam præfatorum musculorum sese insinuavit, & eosdem replevit, unde Lyræ chordæ instar intumescentes, breviores facti, & ad suum principium contracti convulsionem excitarunt.

Neque credo, frigiditatem ad convulsionem hanc efficiendam concurrere, ut causam exprimentem, & inanitionem inducentem, curationem enim diversam postularet, sed potius quatenus cogit & cohibet materiam ipsam, quod expressis verbis Gal. explicuit dicens. *Algor autem & frigiditas omnis, eo quod omnia nervosa corpora efficiunt ad difflandum difficilia, sunt causa ut hæc repleantur.* Addo ego, & si exprimunt, materiam potiùs ad nervos, non à nervis exprimunt, sicque repletionem, non inanitionem adjuvant.

Affectum hunc superari posse confido, quia Patiens robustus est, nec malum ulteriùs propagatur, multò namque difficilior esset, si ad partes quoque inferiores serperet, prout difficillimus, imò plerumque lethalis foret Tetanos; Distensio dictus; *Quatuor enim dierum spatio interficit*; quoniam ait Gal. in Com. *ultrà natura tantum laborem tolerare non potest.* Diuturnus tamen esse posset, juxta materiæ conditionem, partis enim laborantis natura, nervosa scilicet, cum densa sit, materiam imbibitam non adeò facilè elidi permittit, aut resolvi, quam difficultatem auget anni tempus frigidum.

Statim igitur ineunda curatio, Evacuantibus, attenuantibus, Resolventibus, & Roborantibus.

Quibus ordine executivo satisfaciendum. Quare omnium primò Clyster injiciatur acris, hac formulâ.

℞. Decoct. Mercur. Betæ, Pariet. Chamæmel. utriusque Centaur. ℔ j. Mel. Ros. fol. Ol. Chamæm. an. ℥ iij. Elect. Diaph. ℥ß. Vitel. ovi m. pro clyst. inde præbeatur hoc leniens.

℞. Mel. Ros. salpet. ex man. clarif. an. ℥ iij. Aq. Cinnam. parum m. f. p. Primum præparans sit hujusmodi.

℞. Mel. Ros. simpl. oxym. simpl. an. ℥ iß. Aq. Cinnam. ℥ß. m. pro Syr. & ita pro v. aliis. A quibus.

℞. Pot. ex man. clarif. ℥ vi. addendo infus. colat. Agar. troch. ℥ß. & Aq. Cinnam. ℥ß. m. cui superbibat multam dilutam ad ℔ ij. Præparans alterum ita parabitur.

℞. Decoct. Cich. Borrag. Melis. Beton. Ivæ, salv. rorism. Major. Prim. Veris ℥ vi. Syr. de Beton. oxymel. simpl. an. ℥ j. Aq. Cinnam. cochlear. m. pro Syr. & sic pro aliis decem, & quinque transactis diebus, assumat hujusmodi pil.

℞. Pil. de hiera cum Agar. Aggreg. Coch. præpar. an. ℥ß. m. ref. Pil. & aur. sub finem verò Syr. has assumat.

℞. Pil. fætid. coch. præparat an. ℈ ij. Mast. ℈ j. m. ref. pil. & aur. Pilulæ namque fœtidæ aptissimæ sunt, ut considerabat Cæsalp. ut potè quæ & Castoreum, & succos ferulaceos contineant, nervoso generi amicos.

Inde ad Topica, tum interna tum externa est deveniendum. Inter interna Theriaca commendatur à Gal. sicut extollitur quoque Castoreum. Confect. Anacard. à Rhasi, ut quæ & sudorem provocare, & febrem excitare possit, convulsioni utilissimam. Succum Cyrenaicum commendant Paulus, & Ætius. Interim sternutatoria quoque exhibet Hipp. ad movendam & discutiendam materiam, quæ & in casu nostro convenire poterunt, nisi forte à vehementia doloris prohibeantur.

Inter externa in usum veniunt inunctiones, Illitus & potissimùm balnea. Inunctiones, à Nucha per Spinam, ex oleo chamæm. lil. alb. cum arom. Vulp. & de Cast. quas tamen præcedant spinæ frictiones, factæ squilla per medium incisa. Illitus fiant ol. nucis moschat. per express. extracto, vel paretur efficacissimus ita.

℞. Felem exenteratum, & in frustula minuta concisum, indatur in ventrem Anseris, addendo Thuris, myrrhæ, an. ℥ iij. Stirac. calam. cast. an. ℥ ij. Rorism. major. flor. lavend. Anethi an. p. j. consuatur anser, & ad ignem, de more, assetur, subjiciendo sartaginem Acet. ros. semiplenam, in aqua liquor emanans colligatur pro quotidiano illitû.

Quibus non sufficientibus, in Balneum descendat Patiens, & primò quidem ex oleo paratum, ut monet Celsus, & Paulus, tum ad dolores demulcendos, tum ad nervosam substantiam emolliendam, & resolventibus viam aperiendam. Oleum autem sit commune, sed subjecta decoctione emolliente & aperiente, ex flor. Chamæm. Melil. Pulegii, Calamen. Abrotani, Salviæ, Hyper. radicibus lilior. alb. althææ. Cui succedat resolvens ex aquis sulphureis paratum, quales sunt Aponitanæ nostræ, in quo parum etiam sudare poterit Patiens. Tandem corroborantia aliqua in usum ducenda, ut quinta essentia rorism. rotularum forma, Cons. è flor. Salviæ, rorism. Beton.

Congrua tandem vivendi ratio adjicienda, attenuans, & mediocris inter tenuem & crassam. Vinum vetus paucum concedit Avic. multum enim ut causa procatarctica, convulsiones excitat, concedatur itaque album sassafras medicatum, à Coturnicum esû omninò abstineat. Capitis motum ad anteriora vi aliqua convertat & salutis futuræ certus alacri animo vivat. *Raym. Joh. Fortis Consult. T. 1. Cent. 1.*

Sereniss. Dux 7. annum agens, temperamenti totius & jecoris calidioris, habitus potius gracilis, atque adeo ad actiones tum animi tum corporis promptissimus & aptissimus, Patre Sereniss. defluxionibus arthriticis atque podagricis obnoxio natus, tribus abhinc annis, præter pustulas plures corporis partes obsidentes, fluxionem quoque ad aurem passus surdaster cum evasisset, iisdem cauterio brachio inusto evanescentibus, auditum perfectè, ut anteà recepit. Hoc autem tempore ab assidentibus observati fuere motus quidam convulsivi, modò unius, modò alterius brachii, quos tandem sensit quoque Sereniss. ipse in occipite, adeò ut quandoque ad posteriora caput convertere cogatur, qui ingravescunt inclinante æstate & ineunte autumno, & gravius quidem ab ambiente frigidiori. Sub idem verò tempus passus est quoque apostema in gingivis, & sæpè ad genas fluxionem, quæ semel tantum ad manum quoque descendit, sensus tamen & motus, sicut & functiones omnes principes, semper illæsæ ac vegetæ fuere. Modo hoc autumnali tempore quid facto sit opus à te, Prudentiss. Vir quærimus, ut qui, sicut aliàs præsentia, ita modò scriptis

scriptis præstò sis in Serenissimi atque Clementissimi Ducis Auxilium. N. N.

Præstantissime Vir. Dum pro Sereniss. Pueri salute solam præservativam Medicinæ partem, non verò curativam administrare animus est, res pro voto succedit, quod summa prudentia, qua polles, futura longe prospicere & prævertere potueris, non vero præverti. Itaque ego tecum perpendens symptoma in actione motrice depravatè læsa, tribus ab hinc annis per intervalla Sereniss. Puerum infestans, motum convulsivum tum brachiorum, tum occipitis, potiùs quàm convulsionem jure nuncupandum censeo, quem ad differentiam veræ convulsionis, convulsionem non perpetuam appellabat ipse Galen. ut propterea causam immediatam, non inanitionem, aut repletionem, ut convulsio, sed irritamentum cognoscat, quos quidem motus convulsivos aliam sibi adjunctam habere affectionem nullo modo existimandum, cùm expressè scripserit Gal. *Motus convulsivos, sine principum actionum læsione, epilepticos non esse.*

Pars affecta, licet videatur musculosum genus, utpotè voluntarii motus proprium instrumentum, immediata tamen est genus nervosum, ex læsione capitis, quod quidem intemperie humida, non sine aliqua caliditatis exuperantia essentialiter affectum observatur, unde primò auditus gravis, mox veris tempore ad dentes repullulans apostema, & ad genas defluxiones, & ad manum semel. Verum ad hujusmodi motum convulsivum producendum, caput sympathicè potius quàm idiopathicè conspirare puto, ex præteritis pustulis, sanguinis biliosioris & jecoris fervidioris sobole, quas medicis auxiliis evanuisse quidem, sed tamen per universalem diaphorosin, tenuiores adhucnum ichores quotidie insensibiliter resolvi proculdubio est, qua abambiente autumnali omni, magisq; hyemali, impedita, à toto venoso genere in caput, si non ichores calidi & acres, halitus saltem ejusdem naturæ efferuntur, quorum per ambitum difflationem ac resolutionem prohibet ambientis frigiditas. Ac tandem hoc ipsum confirmare valet affectus convulsivus, trium annorum spatio, non ultra progressus: etenim si essentialiter caput affectum fuisset, adeo ut causa irritans primam in capite suo originem & productionem habuisset, ad cerebri ventriculos hucusque sese insinuasset, & affectus epilepticos induxisset, tanta enim intercedit affinitas inter convulsiones & epilepticos motus, ut Gal. *Epilepsiam definierit, quod sit convulsio non perpetua omnium partium corporis, cum principum actionum læsione.* E diverticulo igitur ad viam redeuntes, dicamus motus hujuscemodi convulsivos, in Sereniss. Duce, fieri ab irritamento facultatis expultricis nervorum, excitato à materia acri, vaporosa potiùs quàm humorali, quia citò fiunt, & citò desinunt, eaque non in capite genita, sed à toto venoso genere transmissa, ipsius jecoris vitio, justo calidioris, quæ vaporosa materia detrusa à facultate expultrice per occiput ad quintam & sextam vertebram spinalis medullæ, ibique firmata, resolvitur quidem, sed interim membranosam nervorum substantiam vellicans atque pungens, eorundem, ac proindè musculorum contractionem excitat, licet pars convulsa pristinum situm statim recipiat, discussa scilicet materia, quæ, si quandoque vel vaporosa nimis, vel nimis crassa fuerit, atque adeo in nervorum principio, nimirum occipite firmetur, totam posticam partem convelli sibi percipit Sereniss. ipse non tamen convulsione vera, ut potè à causa acri qualitate irritante quidem ut copia nervos minimè replente, producta.

Quibus ita se habentibus, affectus hic, sicut magni faciendus non est, ita neque negligendus, partes enim nervosæ afficiuntur, quæ sicut ægrè humores admittunt, ita tandem ægerrimè eosdem excutiunt, cum præterea vaporosa materia, processu temporis, humorali vehiculum præbere possit, non sine graviorum malorum periculo, caputque natura non adeò firmum, diuturno humorum & vaporum affluxu, infirmiùs quotidiè reddi possit.

Quare aliqua sunt agenda, quæ quidem affectionem remittere, verùm tenellum corpus ac molle, nec turbare neque agitare possint. Primò quidem serositates biliosas à toto educendo. Secundò earundem acrimoniam contemperando. Tertiò vaporum affluxum revellendo ac divertendo. Et tandem caput atque nervosum genus roborando.

Quibus intentionibus explendis ordinem executivum proponam, adeo ut primò ventriculus & primæ viæ expientur, vel cass. cum tart. vel Syr. ros. aur. aut pot. ex manna clarif. humores præparando simpl. julap. acet. quinque diebus exhibito, & ab eo, leniente eodem repetito. In usum postmodum erit ducendum Magist. Mechoac. ter aut quater qu rto, aut quinto quoque die, ad gr. x. vel xii. cum elect. lenit. ad ℥ij. Vel hujus loco, elect. de succo rosar. ad ℥ij. cum ℥ij. flor. cass. quibus superbibat Aquam Nocerianam. Diebus verò intermediis hu orum acrimonia demulcenda venit decoct. Malv. violar. end. & hepaticæ, seu portulacæ, in jure pullæ parata, vel emulsione diluta ex quatuor sem. frigid. in aqua stillat. end. aut cucurbitæ paranda, addità portione sacchari fini, ad libitum, vel exhibeatur cyathus aquæ stillat. cich. & anguriæ, addita conserva de acido citri, ut tandem ad Balneum aquæ dulcis tepidæ ducatur Sereniss. Puer, ut universo corpore transpirent humores tenuiores, & halitus acres caput petentes, ac nervosum genus lancinantes. Nec obstet anni tempus non adeò calidum & minùs accommodatum Balnei administrationi, quoniam ambiens cubiculi potest ad libitum calefieri, Serenissimo absente, igne foras exportato antè ejusdem ingressum, neque enim validius aut tutius remedium excogitare possum, quod humores & vapores à capite divertere, atque eorundem acrem & acidam qualitatem contemperare, & nervoso generi irritato opitulari possit. Quo remedio omisso, illi substituatur totius corporis, articulis exceptis, frictio quotidiana, manibus inunctis ol. amygd. in quo portio vini malvatici ebullierit.

Tandem Capiti quoque, licet non essentialiter in hoc affectu laboranti, aliqua roboratio debetur, in quem finem sub ingressum lecti, conserva aliqua capitalis erit in usu habenda, modò è floribus Beton. modò salviæ, modò lilior. convallium, modò pæoniæ vel Tiliæ. Extrinsecus quoque illini poterit occiput & nucha sinn-

summo digito, quintâ essentia rorismarini, aut oleo ligni heraclei, intincto, ad vapores dissolvendos, & ad caput nervosumque genus roborandum. Collo præterea appendatur smaragdus aut magna portio radic. pœoniæ recentis.

Atque jam dictis omnibus congrua addatur vivendi ratio à te præscribenda, circa quam præcipua adnotabo. Primò igitur diligenter caput ab injuriis externis, nimio scilicet calore, frigore & humiditate tutum custodiatur, & totum corpus interdiu optime vestibus, noctû verò culcitris munitum habeatur. Secundo abstineat omninò, inter omnes, ab hædina, à coturnicibus aquaticis, palustribus volatilibus, ab omnibus leguminibus, oriza & hordeo exceptis. Cavendum quinetiam quàm maxime à piscibus omnibus carnosis, pariter ab ostreaceis, & ab illis qui squamis carent; Inter herbas verô, omninò ab apio, à condimento cæparum & allii. Inter fructus, conceduntur uva pensilis, ficus, pyra cocta, vinum ad mensam sit album tenue, ut quod caput non tentat. Somnus valdè confert nocturnus. Ita & exercitium, sed antè prandium vel sub cœnam moderatum. Ab applicationibus, nec non à religiosis ac piis meditationibus, ab ætate alienis divertatur, nè Senex in juventute evadat, & alacri animo degere permittatur. Quæ omnia dum à D. O. M. Serenissimo Duci salutaria enixè præcor, tuæ interim sapientissimæ directioni committo. *Joan. Raym. Fortis Consultat. tom. 1. cent. 1.*

Viro 30. annorum vulnus inflictum fuit in brachio dextro, quo nervus denudatus est, sed illæsus tamen remansit, decumbit loco frigido, neque, ob paupertatem, adversùs aëris injurias satis munitus habitat; Imperitus Chirurgus, subsistente hæmorrhagia, imposuit vulneri petiam unguento Apostolorum & Ægyptiaco inunctam, unde convulsio vehemens & dolorosa vulneratum brachium corripuit, quàm paulò post cruris ejusdem lateris, deinde & in altero latere brachii ac cruris convulsio subsecuta est, interdum ad semiquadrantem horæ, interdum ad quadrantem aut paulò diutiùs perdurans, atque sic per intervalla modò intermittens, modò rediens. Æger præ summo dolore adeò turbatus est, ut subinde etiam deliret.

1. Afficiuntur in hoc ægro nervi & musculi, quod ex motû involuntario nimisque aucto; & subindè etiam cerebrum, quod ex delirio satis patet.

2. Symptoma hoc, Convulsio appellatur, quæ est nervorum musculorumque suum principium versùs perpetua & involuntaria contractio. Perpetua autem dicitur, quia diutiùs durat.

3. Causa remota est inflictio vulneris nervum denudantis: proxima verò causa est irritatio molesta ab unguento acri & mordicante, nec non aëre frigido, nervo illata, eumque vellicante.

4. Ubi enim molestia huic nervo illata cerebro est communicata, & à mente percepta, mox, ut ille hostis excluderetur, eique ingressus denegaretur, spiritus copiosiores è cerebro ad locum affectum determinati fuêre, à quorum copia nervus, & musculus ille cui nervus inseritur, secundum latitudinem magno cum dolore distensus, secundùm longitudinem verò contractus est. Postea à maximo isto dolore per nervi vellicationem & dictæ partis contractionem violentam illato turbatum fuit cerebrum, quod ea de causâ spiritus animales inordinatè ad has illæsvè partes inferiores copiosè dimittens, alias quoque partes eodem modo contrahit, sicque convulsio non solum in parte vulnerata, sed in aliis etiam partibus contingit: & à magna illa cerebri spirituumque animalium turbatione delirium quoque subinde accedit.

5. Periculosum est hoc malum, quia præter nervos & musculos, nobile quoque viscus cerebrum afficitur. Et semper, teste Hippocrate 5. Aphorism. 2. Convulsio vulneri superveniens lethalis, id est, valdè periculosa. Quia tamen æger hic juvenis ac fortis est, & hæc convulsio oboritur à causa externa, quæ facilè removeri potest, magna recuperandæ sanitatis spes affulget, si convenientia remedia adhibeantur.

6. Curatio igitur quàm citissime instituenda, & ante omnia æger loco calido deponendus, ab aërisque injuriis defendendus est. Deinde statim à vulnere removendum est unguentum illud acre & mordicans, ac vulnus eluendum aquâ hordei cum pauxillo hyssopi coctâ, in qua parùm mellis solutum sit, eique immittenda petia hoc unguento inuncta.

♃. Vitellum ovi num. 1. mellis, terebinthinæ, ana drach. iij. spirit. vini drach. ij. misce, fiat unguentum.

Denique emplastrum de Betonica vel meliloto imponendum.

7. Fomentari poterunt partes convulsæ, & imprimis brachium vulneratum tali fomento.

♃. Herb. majoranæ, rosmarini, betonicæ, calamenthæ, hyssopi, origani, an. m. j. flor. anethi, m. ij. chamom. meliloti, an. m. j. ß. sem. cumini ℥ j. levistici dr. iij. sem. anethi, ℥ ß. vini albi q. s. coquantur ad ℔ iij. pro fomento.

8. Post fomentationem, cum forti frictione calide inungantur partes convulsæ hoc linimento.

9. Interea præmisso clystere, interdum dabitur haustus apozematis cerebrum, nervosque corroborantis.

♃. Radic. acori, fœniculi, pœoniæ maris, ana drach. vj. herb. majoranæ, rutæ, betonicæ, rosmarini, melissæ, origani, calamenthæ, an. m. j. flor. stœchados, m. ß. sem. fœniculi drach. ij. passularum mundat. ℥ ij. aquæ q. s. coquantur s. art. & fiat apozema ad ℔ j. s. cui admisce aquæ florum tiliæ, syrupi de stœchade an. ℥ iij.

10. Subinde etiam exhibeatur particula hujus conditi.

♃. Specier. diambræ scrup. iv. rad. acori condit. conservæ flor. salviæ, betonicæ, anthos, an. ℥ ß. syrupi de stœchade q. s. misce fiat conditum.

11. In eundem finem etiam tale capitium capiti imponatur.

♃. Fol. majoranæ m. ß. rosmarini betonicæ, flor. anethi, meliloti, ana p. ij. nucis moscatæ drach. j. benzoini drach. ß. fiat pulvis grossus pro capitio vel cucupha.

12. Cessante convulsione corpus clementer expurgetur cum infusione foliorum senæ, rhabarbari

barbari, agarici &c. vel cum Pilulis cochiis aureis, electuario diaphœnico, diaturbith cum rheo, &c. Post purgationem redeat ad usum ante dicti apozematis & conditi.

13. In diæta sit aër calidior. Cibi sint euchymi & eupepti, conditi cum majorana, hyssopo, rosmarino, betonica, salvia, semine anisi, fœniculi, aliisve similibus. Potus sit ptisana, melicratum, vel cerevisia mediocris notæ, benè fermentata. Somnus longus sit, magnaque corporis quies. Excreta naturalia bene procedant, & fugiantur animi pathemata. *Isbrand. de Diemerbr. Medicat. lib. 1.*

Observationes.

Matrona quædam convulsionibus brachii sinistri cum maximis doloribus correpta fuit, & per dies aliquot laboravit. Ego tandem vocatus brachium & nucham sequentibus oleis inunxi.

℞. Ol. lumbric. vulpin. lilior. an. ℥ ij. ol. philosoph. & terebinth. an. ℥ ß. pingued. human. ℥ j. M. circa carpum cingulum, ex corio humano applicui, his convulsiones cessarunt. *Fabrit. Hildan. Observ. 9. cent. 3.*

Si ex repletione fuerit convulsio, evacuationem requirit, quapropter victus tenuis instituendus, corpus expurgandum, & vena secanda, parsque affecta, totaque spina dorsi sequenti linimento inungenda est.

℞. Ol. lumbric. vulpin. an. ℥ij. ol. terebinth. ceræ de castoreo. an. ℥ß. axung. human. ℥iij. succi lumbricor. ℥j. M. applicetur calidè. *Guil. Fabrit. Hildanus lib. de gangræna cap. 26.*

Juvenis toto corpore convulsus erat, ita ut spina dorsi non potest inflecti. Sequenti remedio statim expeditè ambulavit.

℞. Butyri rancidi, laridi veteris, an. ℥ iij. bdellii, ammoniac. an. ℥ j. myrrh. castor. an. ʒiij. flor. stœch. anthos. an. p. j. nuc. mosch. caryophyll. an. ʒ j. catum parvum exenteratum, excoriatum & in frusta concisum. His infarciatur anser, & consuatur, & torreatur in veru, primus qui defluet succus abjiciatur. Secundus colligatur in vase aceto semipleno, pro litu spinæ convulsæ. Remedium est divinum. *Petrus Pachequus. Observ. 8.*

Ab inanitione cum Nobilis Vir acerbissimis doloribus, à convulsionis vi natis, ferè necaretur. D. Guillandinus eum jussit totum cado olei immergi, unde præclare recreatus fuit. Corallum proprietate juvat convulsionem ab inanitione. *Joan. Heurnius ad Hippocr. aphor. 26. sect. 2.*

In convulsione à repletione, utiliter calida & sicca in usum duces, ut decoctum pœoniæ, ligni guajacini, sarsaparillæ, lign. sassafras, theriacam, mithridatium, castoreum, & talia cætera. *Jo. Heurnius ad aphor. 53. sect. 4.*

Ubi à plethora nata est convulsio, venæ-sectio solatio est: ubi ab exhaustû balneum tepidi olei convenit. *Jo. Heurnius ad aphor. 39. sect. 6.*

Puerum quendam 15. menses natum convulsione opisthotano laborantem tribus auxiliis brevi sanavi; abstinentia à carnibus, vino & ovis, linteis in oleo chamæm. & liliaceo madefactis perpetuò impositis cervici, partibusque quæ contrahebantur; & medicamento, quod constabat ex mithridatio, triplo sacchar. rosaceo, & electuario de moscho cum margaritis, hyacinthis, smaragdisque Orientalibus. *Hieronym. Cardanus. Curat. 15. De admirand. curationibus.*

Nullum remedium utilius est, quàm embrocatio partis posterioris capitis, nuchæ, & colli, cum oleo violac. decenter calido; sicut ego feci, dum essem in servitiis Illustriss. Domini mei, Domini Caroli II. Sabaudiæ Ducis, in Illustrissimo Ludovico Principe Pedemonti, Illustriss. Ducis Filio, qui dum esset in cunabulis passus est Erysipelas in tota tibia cum bubone in coxa, & febre valdè intensa, à quibus cum convaluisset, incurrit statim in spasmum à siccitate causa tum, cum continuis maximisque clamoribus, torquendo caput ad posteriora, & nullo modo poterat sugere lac. Ego igitur perfudi nucham, & totam partem capitis posteriorem & collum cum oleo violato decenter calido, permittendo cadere oleum ab alto, manu exprimente petiam in eo infusam, per spatium quartæ partis hujus horæ, & sic embrocando dormire cepit. Mox pannis decenter calidis abstersi caput leviter fricando, & eum dormire permisi, qui post tres aut quatuor horas per se excitatus, sugit lac absque difficultate redeuntibus iisdem symptomatibus semel aut bis, eodemmet remedio iterato, cum gratia Dei sanus factus est. *Petrus Bayrus practic. libro secundo cap. 20.*

Cùm medicinam discebam Patavii vidi adolescentem, cujus intestina totumque abdomen convellebantur, testes & vasa spermatica sub osse pubis abscondebantur, rugitus aderat, & tensio hypocondriorum. Frigida huic erat temperies, & ventriculus frigidus cum madore anhelosus erat oppresso à diaphragmate, ac mente in paroxysmo exuebatur. Præceptores mei adhibebant flatus discutientia & attenuantia ac ea quæ evincere possunt materiam frigidam coquendo ac purgando, & roborabant tandem intestina. Primum injectus clyster ex decocto anethi, cum hiera, melle rosac. & ol. chamæmeli. Dein decocto agrimoniæ, petrosel. præparabatur. Posteà pilulis aureis ac alephanginis purgabatur. Alternis diebus clyster repetebatur: foris oleo rutæ & castor. ungebatur. Interdum accipiebat unam pilulam ex castoreo cum syr. beton. hæc inaurata erat. Bibebat vinum Salviatum & ex betonica, dianisum illi in deliciis erat, fricabantur crura. *Joan. Heurnius cap. 26. de morbis capitis.*

Quædam mulier passa dolores brachiorum, humerorum, genuum cum contractione, cum non posset ullis remediis sanari; tandem vetula asperso malvatico ignito lateri, & adjectis foliis lauri, nepitæ, stœchad. majoran. rorismarin. origan. salv. jubebat exciperet fumum; & excitato sudore, convaluit, *Solenander Consil. 15. Sect. 5.*

Vir quidam militaris ex ictû tormenti bellici vulnus accepit in brachio dextro, quo totum brachium abscissum est, superstite tantum parte, quæ humero vicina est, ad 4. transversorum digitorum longitudinem. Curato brachio & vulnere optimè consolidato, quâdam convulsionis specie correptus est, qua retrahebatur caput versus partem dextram, & mandibulas fre-

frequenter agitabat. Medici & Chirurgi convocati, uno ore censuerunt in extremitate ossis à tormento bellico præcisi, aliquam eminentiam acutam adesse, quæ nervum aliquem feriendo, talem convulsionem produceret, & ideò rescindendam iterum esse ossis extremitatem, ac diligenter adæquandam. Hæc operatio, sedulò celebrata, nihil tamen profuit. Forte fortuna cum ei occurrissem, & ille incommoda sua mihi enarraret, in mentem venit, aliquod virus venereum intus latens hunc affectum forsan posse producere. Et illico ab eo quæsivi num morbum aliquem venereum unquam anteà passus esset; respondit se per aliquod tempus antequam vulneratus esset gravem passum esse gonorrhæam, quæ tamen curata prorsùs fuerat. Hoc meam conjecturam auxit, ita ut ægro consuluerim remedia luis venereæ experiri, quibus ille hujus morbi curandi cupidissimus, se lubenter submisit. Præmissis igitur purgatione universali & diæta sudorifera, frictiones ex unguento mercuriali celebravi, à quibus ptyalismus provocatus est, & post tertium diem ptyalismi convulsiones illæ desierunt, neque ab eo malo amplius ullo modo æger conflictatus est. *Ozias Aimar. Chirurgus celeberrimus observ.* 10.

Motus convulsivi amuleto sopiti.

Anno 1654. Inquilina mea à multis annis Hysterica & sterilis, ex tristitia simul & indignatione, quod marito, qui ipsam primò deservit & castra secutus, mox ex his aufugit, sed deprehenso abscissæ fuerint aures, in gravissimum incidit paroxysmum convulsivum non adeò semper obvium, mens constabat, loquebatur interruptis quidem verbis, sed appositè, de nullo dolore queritans, omnibus tamen corporis partibus miros in omnes dimensiones motus patiens convulsivos. Hujus carpo alligavi uxoris meæ primæ amuletum, quod illa ob sterilitatem in primo conjugio Epilepsia laborans Hysterica, sibi comparaverat non exili pretio, frustraneo in semet affectû, ecce statim cessant omnes convulsivi motus, sola respiratione remanente intercisa, amoto amuleto iterum recrudescunt iidem, alligato remittunt, sicque ad remotionem & alligationem illius recedunt redeuntque paroxysmi, ita ut tum demum amuletis aliquam efficaciam adscribere fuerim coactus. Credo autem illud saltem fuisse veram ungulam Alcis, quam omnimodè referebat. Quod aliquando mutuo datum ad arcendum paroxysmum Epilepticum ad me amplius non rediit, auro quod fuisset circumdatum, cujus sacra fames mihi illud eripuit. *Paulus Spindler. apud Carol. Rayger. in observat. Medicin.*

Virgini quindecim annorum, divexatæ frequenter, à vulva, intervenit tandem, admirabilis quædam nervorum contractio: invadens ipsam, non nisi sedentem. Stanti quippè, & ambulanti nihil peperit unquam negotii; quocirca libuit, illam vocare, convulsionem sedentariam: non secus ac Plautus sedentarios appellavit, calceolarios, sutores, ac sartores; & Titus Livius sellularios, qui in sellulis opera sua peragunt.

Causa, insuetati hujus morbi, insedit procul dubio, cum lumbis, tum ligamentis, vulvam ilei ossibus, utrimque adnectentibus. Motis enim lumbis, & femore, versus sedile inclinato, movebatur evidenter, noxia materia, illic loci stabulans: ex cujus acri vapore, verisimile est, lacessitos fuisse nervos, à spinali medullâ, lumbis concessos: & ex eorum, cum cerebro, consortio, expressam sedentariam hanc convulsionem.

Quam conjecturam confirmavit deinceps curatio. Sustulit namque hanc nervorum distentionem, vehemens exercitium: inducens pernici suo incessû, tantum caloris, exagitatis lumbis: ut discussâ lentâ pituitâ, illic hærente, licuerit virgini domum reversæ, non modò sedere securè, verùm etiam molliter decumbere; sine ulla noxa, ullâve nervorum contractione, à qua in posterum, integrè quoque ipsam asseruit, defatigans hæc lassitudo, quæ etiam summoperè semper proderit iis, qui à lumbagine (quam nostrates *het. spit.* vocant,) infestantur. *Nicol. Tulp. observ. Medicar. lib.* 1.

Raro contrahuntur homini abdominis nervi. Attamen frequentiùs, quàm animadvertant Medici nonnulli: confisi, nescio quâ imprudentiâ, quemcunque ventris dolorem, vel fieri à bile acri; Vel ob spiritum, intendentem intestinum colon. Verùm inæqualis ventris distentio, & abstricta rigidorum musculorum contractio, arguunt satis perspicuè, nervos magis quàm intestina pati. Aliàs non contraheretur venter tam inæqualiter: neque latera apparerent tam obliqua: Vel musculi recti adeò rectà introrsum incurvati. Uti luce clarius videre est, in hac, de qua hic loquimur, convulsione.

Matronæ locupleti, coacervavit frigidus ac humidus ventriculus, tantum crudioris pituitæ: ut saliva ex ore decidua, repleret quotidiè peluim satis capacem. Sed eo fluxû ad intestina converso, vidimus illa protinùs adeò flaccida: ut levissimo medicamenti stimulo irritata, excreverint subindè effusissimè. Imò interdum vicies, ex quinis granis radicis mechoacanæ. Quæ tamen redundantis humoris copia, (nisi illam interdum exhaurirent medicamenta:) insinuabat sese sensim, in sensiles illos nervos, quos spinalis medulla dispergit cùm per membranam ventrem succingentem; tum per musculos illi proximè incumbentes.

Quibus, à cruda hac materia, obsessis, excarnificabat ipsam subindè tanta abdominis convulsio, quanta potuit esse maxima. Imò interdum ita effera, ac ferox: ut venter videretur, præ cruciatû, quasi disrumpi. Præsertim si foret gravida. Sed noctu semper acerbiùs quàm interdiù. Qui tamen urgens dolor vix unquam ipsam deservit, nisi expurgatâ ritè causâ, per radicem mechoacanam: vel discusso acri ipsius vapore, utique & spiritû præcordia distendente, sive per mithridatium, sub noctem potui datum: sive per clysterem, ante tormentum hoc, maturè infusum.

Quæ curandi ratio evincit certè evidentissimè, insuetatam hanc abdominis convulsionem, originem sumere ex cruda, ac flatulenta pituita. Ex qua eundem affectum utique derivat Philippus Heghsterus, qui ipsum latissimè descripsit observatione primâ, decadis quintæ. Idem lib. 3.

Filiolus Joannis ab Udem, infans septimestris,

stris, epilepticis convulsionibus (quas nostrates *Stuypkens* appellant) ferè sine ulla intermissione per biduum convellebatur, ita ut nihil aliud, quàm certa mors singulis momentis expectaretur. Tandem meum consilium imploratum fuit tertiâ die, rebus jam pene desperatis, cùm nullum medicamentum exhiberi posset. Ego in miserabili hoc infantis statû, sequentem cucupham parari & capiti imponi jussi.

℞. Folior. majoranæ, verbenæ, rosmarini, florum meliloti, ana p.j. nucis moschatæ scrup.j. ſ. Gariophyllorum scrup. j. fiat pulvis grossus, è quo in serico rubro conficiatur s.art. cucupha.

Hæc cùm per quatuor vel quinque horas capiti inhæsisset, cœperunt paulatim cessare illæ convulsiones, atque intra duodecim horas prorsùs evanuerunt, ita ut non sine admiratione à tanto malo citissimè in totum liberatus fuerit æger.

Cum cerebrum in infantibus sit humidissimum, indeq; plurimi vapores aquosi ac pituitosi eleventur, natura ad faciliorem horum vaporum evacuationem, cranium eorum in vertice ad aliquod tempus apertum relinquit. Sed quemadmodum per hanc viam facilis datur vaporum exitus, ita etiam, si in capite benè tegendo, non satis diligens habeatur ratio, per eandem facilis datur frigoris externi introitus, à quo tunc occlusis poris & refrigerato ac debilitato cerebro, vapores intùs retinentur, atque in cerebri ventriculis in tenacem mucum coëunt; quo onere gravata cùm se ab illo expedire nititur, & tamen non possit, ex illo motû oriuntur istæ epilepticæ convulsiones, quæ in infantibus valde periculosæ sunt, & cum quibus multi commoriuntur; qui verò cum illis evadunt, si malum vehemens fuit, sæpè vel mentis aliquod vitium, vel membrum aliquod paralyticum aut distortum, vel oculos luscos, aliudvè malum toto vitæ tempore inde retinent. Differt hic morbus à vera epilepsia, quòd convulsiones in eo sint minùs vehementes, sæpè tamen frequentiores, ac diuturniores quàm in Epilepsiâ verâ: præterea quòd hæ convulsiones ab humorum copia & cerebri in eorundem coctione & expulsione debilitate, epilepsia verò ab humorum malignitâte & certa venenositate inducatur. Interdum tamen factum fuisse visum est, ut illi in cerebro taliter coacervati humores, malo diuturniore existente, paulatim malignam qualitatem acquisiverint, & cerebro vel meningibus pravam aliquam qualitatem aut corruptionem infixerint, atque ita morbus hic in veram & omnium gravissimam epilepsiam transierit. Curatio hujus mali in eo præcipuè consistit, ut cerebrum refrigeratum rursùs calefiat & corroboretur, simulque pori aperiantur atque ita vaporibus sursum exitus detur: his duobus satis benè & tempestivè administratis, plerosque hoc morbo correptos feliciter evadere animadverti. Nonnulli oleo succini, rosmarini, aliovè simili, cum pluma in nares immisso, pituitæ per nares & palatum evacuationem moliri nituntur; sed cùm cerebrum à nimia pituitæ copia adeò obrutum & debilitatum sit, ut se ad expulsionem liberè contrahere nequeat; sæpè curatio vix quicquam prodest, imò interdum cerebrum hoc onere gravatum & debilitatum ad fortiorem, quæ impedita est, expulsionem incitans, majores convulsiones inducit. Ita ut longè præstabilius sit, antè omnia cerebrum calefacere ac corroborare, atque ita humorum crudorum coctionem promovere, & vaporum magnam partem per inconsolidatum cranium evacuare: hoc enim facto, reliquum pituitæ vel muci, quod ventriculis inhæret, cerebrum deindè satis coquit, dissipat, & per huic evacuationi dicatos meatus spontè expellit. In hujusmodi casû cucupham aliquam cephalicam vertici impositam plurimùm prodesse multoties comperi: hæc enim omnibus intentionibus satisfacit, cerebrum calefacit, corroborat, poros aperit, & humorum crudorum concoctionem ac dissipationem potenter promovet. Hac sola cum magno meo honore innumeros curavi. Interdum etiam guttulam unam aut alteram olei majoranæ vertici primò inungi, ac tunc cucupham suprà poni jubeo: interdum etiam, si aliquid assumere possit, exhibere soleo cochleare unum aut alterum ex aquæ florum liliorum convallium, vel tiliæ, partibus duabus, & syrupi de Stæchade parte una: atque his & similibus potissimum utor remediis. Animadverti etiam si infantes hujusmodi cucuphas gestent usque ad firmam cranii consolidationem, ipsos non solùm ab hoc morbo, verùm etiam ab innumeris aliis frigidis cerebri affectibus certissimè præservari. Ad puerorum Epilepsiam, Nicolaus Fontanus comm. ad cap.10. lib. de morb. puer. Sebastiani Austrii, magnoperè laudat urinam puerorum, atque ibidem refert historiam talis ægri, cui cum felicissimo successu injecit tria clysmata ex herbis convenientibus in urina coctis, atque etiam syrupum ex urina pueri cum variis cephalicis confectum exhibuit, quorum descriptiones citato loco videri possunt. *Isbrand. Diemerbr. in observ. & Curat. Medic.*

Anno 1643. Vocatus fui ad puellam fusci coloris, capillitii omninò nigri, ac temperamenti melancholici decem undecimvè annos natam, hic Hagæ habitantem, cui brachium, nec non crus sinistrum, nullo tamen dolore accedente, huc illuc valdè commovebatur, fueratque in causa ingens quidam timor. Illa tamen puella, satis præparato convenientibus remediis corpore, per me Castorii maximè usû priori valetudini restituta est. *Cornel. Stalpart. observat. rarior. Cent.1.*

Quàm incautè puerperæ quædam nonnunquam frigido sese exponant aëri, nec leve incurrant morborum periculum, sæpiusque in eosdem incidant, experientia satis monstrat. Exemplo nobis erit uxor *N. Verboom* Sutoris Hagiensis. Hæc decimo quarto puerperii die, quamquam temerè admodum, & imprudenter, initio Decembris 1683. ad templum sese contulit Deo propter felicem partum gratias actura: Verum brevi post spasmo corripiebatur oris à sinistra parte versùs dextram, ita ut (vitium namque erat valdè molestum) me illicò ea de re consulverit; ego itaque omnibus ritè perpensis, tertiâ à puerperio hebdomadâ lene quoddam præscripsi purgans, partemque affectam unguento nervino ungi jussi: cucurbitulas etiam cervici, emplastrumque phagedænicum pone aurem sinistram admoveri præcepi: addidi & sternutatoria, decoctumque ex ligno guajaci, salsa parilla, & sassafras: cui sub finem decoct.

coct. addebantur herb. chamæp. prim. veris, & Beton. ac denique sequenti usa fuit remedio.

℞. Fol. lauri: rutæ: rorism. majoran. ana M. j. ß. Flor. Stæchad. Salviæ lavendi ana M. j. Coq. ex aq. comm. s. a. ad ℔ iij.

Hoc gargarismate usa est, partemq; affectam fovit. Ad cerebrum autem cum nervis corroborandum sequens datum fuit Electuarium.

℞. Conserv. flor. rosmar. Salviæ ana ℥ i ß. Nuc. Mosch. conditæ ℥ j. Syr. dè Stæchade q. s. M.F. Electuarium.

Sicque hac Methodo, Divinâ favente gratiâ, intra tres hebdomadas isto incommodo fuit liberata. Idem. Cent. ij.

Fœmina perillustris 30. circiter annos nata, constitutione tenera, & gracili corporis habitu prædita, quavis hyeme *catarrho* in *tracheam* & *pulmones* exudante, cum *tussi, raucedine,* & *sputatione copiosa* graviter affligi solebat: novissimo tamen anno, cura, & cautione diligenti usa istud malum evitavit: at vero post solstitium Brumale à frigore suscepto immani *capitis dolore, aurium tinnitu, vertigine,* cum *ingenti coryza* afficiebatur, ut facilè constaret seri colluviem, antehac in pectus exudare solitam, tunc temporis intra caput & cerebrum omnino deponi: cujus insuper effectus erat, quod *passionibus* quasi *hystericis,* quibus nunquam prius obnoxia fuerat, quoties dormire inciperet valde infestaretur: Si quando enim somnum initura oculos clauderet, illico in abdomine molis ascensus, in gutture præfocatio, circa præcordia tremores, & subsultus excitabantur; quæ tamen affectiones, cum perfecte evigilaret, protinus cessabant, ita ut ægrotans necesse habuerit per plures dies & noctes somno fere & in totum abstinere.

Ad hanc Dominam, postquam plures dies ægrotans valde imbecillis evaserat, accersitus, medicamentis tantum blandis uti cogebar: Itaque *sanguinem* ex pede ad ℥ iv. protinus detrahendum, & quolibet die *clysterem* è lacte saccharato injiciendum curavi, à quo ter, aut quater alvum dejicere solebat: porro octava qualibet hora dosin *sp.C.Cervi* in cochleari sequentis Julapii exhibui.

℞. Aq. Pulegii, juglandum, Cerasorum nigr. an. ℥ iij. Aq. hystericæ ℥ ij. Syr. Caryophill. ℥ i ß. Castorei nodulo ligat. & in vitro suspensi ʒ ß. Margaritæ pulv. ℈ j. Misce. Vesicatoria pone aures, & cataplasmata ex foliis Rutæ & Aronis cum rad. Bryoniæ, sale marino, & sapone nigro plantis pedum cum fructu admovi. Interdum vesperi in haustulo Julapii præscripti, Diacodii ʒ ß. exhibui, cui somnus moderatus, absque solita spasmorum consequentia succedebat; cujusmodi effectum ab opiatis in tali casu exhibitis sæpius expertus sum. Pro siti restinguenda ptisanam cum ingredientibus diureticis incoctis propinavi: horum usu intra breve tempus plurimum alleviata fuit. Attamen, quod maximo emolumento cessit, *abscessus in aure sinistra sponte disruptus* primo saniem flavam, ac postea per multos dies ichoris tenuis copiam ingentem profudit, à qua evacuatione, viscerum & præcordiorum spasmis in totum cessantibus, morbus perfectè judicatus fuit.

Quod spectat ad prædictæ ægritudinis *Ætiologiam,* extra dubium videtur, affectus istos à *colluvie serosa* περὶ τ̃ ἐγκεφάλ. deposita excitatos fuisse; nam & istius humoris in *caput translatio* morbum primo intulit, ejusque per *auris emunctorium* ἔκκρισις symptomata quævis sustulit: porro cum materies morbifica spiritibus circa nervorum principia consitis *diathesin* aliquatenus *explosivam* intulisset, isti, licet tanquam œstro perciti ferè continuo agitarentur, quamdiu tamen versus cerebrum resilientes spatium in quo possent liberius expandi obtinerent, phantasiam quidem illi solum vehementius exercebant, & absque ulterioris incommodo *vigilias* tantum induxere. At vero cum somno interdum obrepente spirituum irrequietorum excursus versus cerebrum cohiberetur (quod quidem necessario evenit quando obdormiscimus, liquore nervoso intra cerebri poros tunc temporis uberius admisso) *nervorum paris vagi & intercostalis* capita iidem tumultuariè irruentes, spirituum intra nervorum istorum ductus scatentium totas series perturbaverunt, adeoque prædictos circa *præcordia, viscera,* & *gulæ musculos spasmos* intulere. Plures hoc ritu tum viros, tum fœminas ægrotantes novi, qui cum *cephalalgia, occipitis gravitate,* aut *vertigine* laborarent, inter edormiscendum illico in *præcordiis,* aut *visceribus,* aut simul in utrisque *perturbationes* quasi *spasmodicas* sensere, quod quidem contingit à spirituum tumultuantium ῥοπῇ à *cerebro in nervorum origines* reflexa: Quod autem huic ægrotæ *opiatarum* usus somnum placidum, absque solita spasmorum consequentia accersivit, ratio erat, quia spiritus animales, utut irrequieti & furentes, *particularum* tamen *narcoticarum* implexu, velut catenis injectis ligabantur, ut dein sine resistentia quavis somno obruerentur. Enimvero graves *convulsionum paroxysmos* tum *Asthmaticos,* tum quasi *hystericos opiatis* exhibitis, non raro feliciter curavi.

Mulier honesta M. G. 67. anno ætatis, vultu adhuc florido, & habitu corporis obeso; cum prius faciei intumescentiæ, & gravioribus cephalalgiæ paroxysmis dudum obnoxia degisset, intenso Brumæ frigore in vertiginem valde molestam, cum tremore cordis, spirituum deliquio, & crebro, vomendi nixu incidit: lecto imposita si oculos aperiret, aut è latere in latus converteretur, statim insigni *scotomia, leipothymias metu,* & insuper *vomitu inani* afficiebatur. Hanc invisens minimè dubitabam, quin ægritudinis causa foret *materies spasmodica* ab *exteriori capitis regione,* ad *intimos* τ̃ ἐγκεφάλε recessus trãslata; cujus afflatu, sive copula heterogenea spiritus animales tacti, dum inordinatè versus cerebrum exsilirent, affectus vertiginosos; dumque isti in nervorum capita tumultuariè irruerent, scotomiam, præcordiorum ἀταξίας, & vomendi nixum excitabant. Hujus curationem *vesicatoria larga* nuchæ, & pone aures applicata, *enemata* quotidie injecta: item *frequens sp. C. Cervi,* & *Julapii cephalici usus* intra paucos dies perfecerunt.

Vir egregius 34. circiter annos natus, cum ex longo tempore tussi, cum sputo copioso, & crasso obnoxius egerat, insuper cutis poros valde apertos habens, continuo madere, & qualibet ferè nocte sudore multo perfundi solebat: sub initium veris evacuationes istas solennes parcius evenire persensit: interim conquestus est de manuum & pedum plenitudine, ac

velut intumescentia quadam, ita ut *hydropen* ingruentem vereretur; cæterum & in capite *scotomia*, & *vertigine* crebra afficiebatur: Brevi postea hoc malo ingravescente, circa labia, aliasque oris ac faciei partes leves contracturæ, & subiti spasmi passim excitabantur, subinde etiam (materia morbifica, uti videtur, nervorum paris vagi & intercostalis origines influente) cordis tremorem & subsultus, cum crebris spirituum vitalium deliquiis, quasi *leipothymia* jamjam imminente, perpessus est.

Scio plurimos, pathemata hæc convulsiva, præcordia ita graviter infestantia, *vaporibus à liene elevatis* ascribere: attamen ratio longè potior videtur, eadem à materia spasmodica intra cerebrum aggesta, & in nervorum principia irruente deducere; quia scil. excrementi cujusdam à partibus aliis in caput metastasis præcessit, ipsumque adeo περὶ τὸν ἐγκέφαλον deponi, affectus vertiginosus ferè continuus, istique partium oris ac faciei spasmi planè testantur: quare huic remedia juxta methodum interius traditam præscribere visum est.

Possem hic plurimas hujusmodi observationes proponere, in quibus *materia morbifica* prope *nervorum origines* subsistens, cum *vertigine, leviores* tantum *viscerum*, aut *membrorum spasmos* ciet. Cæterum quia istius materiæ portio quædam à capite descendens nervorum ductus sæpe altius subit, adeoque circa medios, ultimosque eorum processus, & plexus, *seminii explosivi*, quasi *pulveris pyrii* fomitem struit; ex re fore videtur hujusmodi casuum exempla quædam subjicere.

Puella quædam E. L. procera, & venusta, parentibus sanis orta, ipsaque constitutionis (prout videbatur) originaliter sanæ; postquam Hero longa invaletudine detento diu & ferè continuo ministrasset, atque hinc sæpius totas noctes evigilare, aliisque temporibus crebro expergisci cogeretur, ut nunquam somnus, nisi brevis & interruptus, capesseretur, tandem de *capitis hebetudine* cum *crebra vertigine* queri cœpit: intra brevem exinde temporis tractum, affectu indies ingravescente, *tremores* sensit in toto corpore, cum levi membrorum succussu, quibusdam vicibus, licet vagis & incertis, ingruentes: postea dein paroxysmos planè convulsivos, eosque horrendos & crebro infestantes perpessa erat: paulo ante morbi insultum *Scotomia* brevi afficiebatur, mox *pectoris angustiam & oppressionem* magnam, qua præcordia simul omnia strictim contrahebantur, persensit; tum illico stridorem ingentem, cum forti ejulatu edens, in terram concidere solebat: interim animo constabat; at maxima cordis oppressione laborans, donec ista pectoris constrictio relaxaretur, se nullo modo relevare potuit: postea cum paroxysmus pertransierat, insigni *cordis palpitatione*, *sensuum torpore*, & functionis animalis debilitate magna adhuc aliquandiu afficiebatur. Postquam hæc ægrotans per quatuordecim circiter menses ejusmodi paroxysmis crebra vice repetentibus obnoxia degisset, demum *epileptica* evasit, ut quoties mali insultus rediret, in terram prostrata, ἀναισθησία cum spuma oris, aliisque pathognomonicis *caduci* symptomatis corriperetur. Neque hîc affectus iste gradum sistebat, quin vix elapso anni spatio, in *maniam* degenerabat, ut denique ægrotans, amisso rationis usu, modo cum *furore* insaniret, modo cum *stupore* planè desiperet.

Ex morbi hujus *initio, progressu*, & *crebra metamorphosi* liquido patet eum primo in capite prope nervorum origines & *causam*, & *sedem* habuisse, & exinde fines suos & in *cerebrum* & in *systema nervosum* quotidie latius explicuisse: nam ab initio materies morbifica juxta nervorum principia consistens, *viscerum* & *membrorum* leviores tantum spasmos, & succussiones cum *Vertigine* intulit; postea ejus portio in *nervos pneumonicos*, eorumque *plexus* delapsa, gravissimas *præcordiorum*, *diaphragmatis* & *ventriculi* convulsiones produxit; quin & ejusdem materiæ portio altera cerebrum ejusque meditullia invadens, ἀναισθησίας, ac dein caduci paroxysmos inferebat; atque demum spirituum textura in totum vitiata, eorumque latice in liquorem acerrimum, ac velut stygium degeneri, *affectiones spasmodicæ* in *maniam* transibant.

Quod itaque spectat ad particulares tum *morbi* tum *symptomatum rationes*; videtur quod prædicta virgo ex vita sedentaria (omni corporis exercitatione & auræ liberioris usu penitus ademptis) præsertim verò ex vigiliis nocturnis, & somno frequenter interrupto, vitiosam *sanguinis* & humorum diathesin, simulque pravam & debilem *cerebri*, & *nervosi generis* constitutionem contraxerat: quibus accessit, quod illa hero suo gravissimis convulsionum affectibus laboranti perpetuo ministraret, atque ex eo forte contagium aliquod, sive miasmata spasmodica susceperat: Et primo quidem particulæ heterogeneæ una cum succo nervoso in *cerebrum* & *cerebellum* suffusæ, ibidemque spiritibus accrescentes, præliminari *Scotomia*, & *vertiginoso* affectu quasi velitabantur; dein materies spasmodica *nervorum paris vagi* & *intercostalis*, atque *medullæ spinalis* principia obsidens, una cum *vertigine viscerum* & *musculorum subsultus*, & *succussiones* leviores intulit: postea cum eadem *nervorum ductus* altius subiens, in *plexus cervicales*, *cardiacos*, & forsan *intercostales*, aliosque deferretur, atque spiritus *respirationis*, & *pulsus* munia exequentes, copula explosiva imbueret; illi crebra vice ob *plenitudinem*, vel propter *irritationem*, una cum superioribus nervosæ originis incolis in explosiones adacti, partium respectivarum *spasmos horrendos* excitabant: Enimvero urgente paroxysmo, à *nervis pneumonicis* constrictis, derepente thoracis systole inordinata ciebatur; deinde statim diaphragmate subito & vehementer retracto, ejulatus iste obstrepens succedebat: porro cum ob istam thoracis systolen diutius continuatam, sanguis ne moveri possit impeditus, omnino in præcordiis stagnaret, idcirco durante paroxysmo, cordis oppressio magna, cum ἀφωνία & ἀκινησία laborantem urgebat: interim vero, cum adhuc cerebri regio à spirituum explosionibus libera ac immunis perstaret, ægrotans animo constabat; postea vero cum materies spasmodica indies adaucta, etiam in cerebri debilitati & præfracti meditullia explicaretur, prioribus circa præcordia pathematis ἀναισθησία, dein *Epilepsia*, ac ultimo *mania*, propter rationes modo citatas supervenerunt. Huic ægrotanti medicamenta plurima, & varii generis, à multis tum medicis, tum empiricis, con-

confuse tamen, methodoque incerta, & subinde mutata, præscripta ne hilum profuere.

Mulier quædam venusta εὔχροος & εὔσαρκος, à diutino mœrore in diathesin invaletudinariam incidit; circa meridiem, & horas vespertinas plerunque mediocriter habuit: mane autem cum somno satis, & sæpe plus nimio indulserat, usque magis somnolenta, & torpida evasit: expergefacta, statim queri solebat *de gravitate*, ac velut *stupore* in toto capite, cum *vertigine* ad quemvis motum, aut capitis circumactionem; paulo postea *paroxysmum convulsivum*, aut ἀναισθησίαν fere constanter expectabant, eamque modo hæc, modo iste infestare solebat: quippe post vertiginem, quasi velitatio velitationem præviam, plerunque in *ventriculo*, & *latere sinistro* dolorem gravativum huc illuc transcurrentem sensit; hinc rugitus, vomendi nixus, flatuum eruptiones, necnon abdominis, & hypochondriorum distensiones miræ insequebantur, & plurimis interdum horis hanc misere exercebant: interdum vero hæc symptomata abesse contigit, & tunc in *cerebro* affectio immanior successit: namque in crebras ἀναισθησίας incidens, aliquandiu immota, & clausis oculis, sine sensu, aut intellectu perstare solebat; cumque famulæ ejus *frictionibus*, & *nicotianæ* fumigatione ipsam excitarent, mox animo constabat, at denuo statim revolvitur in similem ἀναισθησίαν atque ita quatuor, aut quinque vices ejus subit, priusquam ad se perfecte, & sine recidiva mox expectanda rediit: Tandem peracta tragœdia, etiamnum *capitis gravitate* & *torpore* aliquantulum afficiebatur: circa meridiem vero, nebulis omnino discussis, sudum, & serenum πάντα τ' ἐγκεφάλου obtinere solebant; donec proximo mane rursus eadem symptomata reverterentur.

Qui symptomata hæc rite perpendit, non habebit necesse vapores ab *utero*, aut *liene* elevatos supponere, atque in istis causam morbificam frustra quærere, nempe quam multo certius poterit in ipso capite collocare: Videtur enim quod huic ab initio, propter ingentem mœrorem (prout in fœminis crebro assolet) *cerebro* & *nervoso generi* magna *debilitas*, simulque *vitiosa labes* imprimerentur; ita quidem ut spiritus animales in cerebrum & cerebellum derivati, secum particulas heterogeneas mixti generis, scil. partim *narcoticas*, & partim *explosivas* afferrent: cujusmodi copulam cum illi à somnis uberiorem conciperent, mera plenitudine ad ipsam excutiendam ciebantur: quamprimum igitur expergefieret mulier, iidem spiritus commoti, vel ῥοπῇ *inferius* facta, in *nervorum origines* deprimebantur, ibidemque explosi viscerum spasmos excitabant, aut versus *cerebri meditullium* resilientes, ibidemque elisi, *crebras* & *terribiles* ἀναισθησίας intulere. Revera hæc affectio Epilepsiæ aliquantulum affinis erat, nisi quod materies morbifica nondum intra regale cerebri palatium, sive meditullium ejus ita commorabatur, ut spiritus illic intra primos ipsorum fontes inficeret; iisdem tamen inferius dissociatis, & juxta nervorum origines sese in varios, minoresque rivulos dividentibus, eadem copula heterogenea arctius adhærebat. Interea spiritus, quo istam materiam excuterent, crebrius explosi, cum *versus cerebri arcem* tumultuose raperentur, *stuporem* & ἀναισθησίαν; sin alio vergentes in *nervorum principia* irruerent, propterea istos *viscerum spasmos* intulere: Quod autem paroxysmi tantum *horis matutinis* post somnum pleniorem ingruebant, ratio erat, quia spirituum copula heterogenea iis cum succo nervoso adveniens, eo tempore ad plenitudinem explosionibus aptam congerebatur; quæ si quidem tunc integre discuteretur, reliquo die ægrotans ab affectu immunis perstitit, donec postridie, cum *somnus nocturnus* novum materiæ morbificæ supplementum capiti intulerat, mane similis paroxysmus redibat; qui forsan prout somnus brevior aut protractior fuerat, modo intra *cerebrum*, modo juxta *originem nervosam* peragebatur.

Nec tantum in *sexu fœmineo*, utpote debiliori & magis patibili, *spasmi* ab *origine nervosa* principaliter affecta oriuntur; verum ejusmodi affectiones aliquando in *viris*, à simili procatarxi excitatas observare licet. Ante aliquot annos festinanter accersitus ad hospitem quendam in hac urbe diversantem, ipsum primo intuitu revera dæmoniacum suspicabar, eique *exorcismis* potius quam *pharmacis* opus fuisse rebar. Erat is quadragenarius, qui jam per tres annos statis quibusdam temporibus *motibus convulsivis* tentari solitus est; *hujusce* ægritudinis, dum hic paucos dies fortuito hospitaretur, occasione ingentis mœstitiæ insultum solito majorem perpessus erat: morbi accessionem per duos aut tres dies præsentiscere solebat; nempe ex magna intra *sinciput commotione*, continua fere *vertigine*, & *crebra oculorum obfuscatione*; ingruente autem paroxysmo, primo oculi varie contorquebantur, invertebanturque, dein moles quædam instar vivi animalis, ab imo ventre sursum versus cor & thoracem, & exinde in caput obrepere videbatur: hujusmodi motum egomet manu ventrem ejus comprimens planè persensi, & quamdiu palmis totis viribus obtentis istius globi ascensum inhiberem, se mediocriter habuit; quamprimum vero intumescentia istæc sensim superius obrepens ad caput pertigerit, illico membra totius corporis immaniter convellebantur, ut tanquam *spiritu malo* obsessus se ad parietes & postes illideret: à quatuor robustis viris vix summa vi detineri, & coërceri potuit, quin exsiliret, & brachia, & pedes, & caput motibus diversimodis huc illuc jactaret: quando ab exsilitione cessaret, membra fuerunt robustissimè extenta, & musculi rigidi, & velut *tetano* affecti: Talis paroxysmus circiter horæ quadrantem durabat; dein ad se rediens sobrie loquutus est, in cubiculo obambulavit, qualia passus erat conscivit, & veniam ab astantibus petiit; brevi postea oculos invertere, & ocissime volutare cœpit; dein statim affectus spasmodes repetens, similem uti prius excitabat tragœdiam: atque isto ritu intra tres horas quinq; aut sex paroxysmos ejusmodi convulsivos sustinuit: in medio quodam paroxysmo, vena in brachio pertusa, factoque orificio satis largo, sanguis lente effluebat & statim congelari visus est: ita quidem ut in pelvim exceptus, haud liquidorum more in superficiem planam & æquabilem difflueret; at instar sevi liquefacti & in vas frigidum instillati, gutta super guttam accumulata in molem accresceret.

Si affectio hæc stupenda mulieri contigisset, obvium esset, eam *hystericam* dicere, ejusque causam in *uteri* vitium conjicere; eo magis, quia tanquam molis cujusdam ab imo ventre ascensus

paroxysmum inchoavit: attamen cum vulgaris ista solutio, quæ sæpissime merum ignorantiæ subterfugium est, in hoc casu admitti nequit; rationi maxime congruum videtur, omnia istæc symptomata in malas *cerebri* & *nervosi generis* affectiones referre. Enimvero morbi causam in ipso capite, latere, ex symptomatis paroxysmum præcedentibus, quæ spirituum intra ἐγκέφαλον scatentium agitationem insignem denotabant, plane colligitur: ista *cerebri inflatio*, graves *Scotomiæ*, quæque insultu jamjam ingruente constanter evenerunt, *oculorum contorsiones*, manifestò arguunt particulas heterogeneas, & explosivas spiritibus intra ἐγκέφαλον juxta nervorum principia degentibus accrevisse. Adeo ut hic casus etiam ad *Epilepsiæ* naturam prope accederet, excepto tamen quod intra *cerebri meditullium* spiritus nec copulam heterogeneam admitterent, nec alibi explosi, illic tumultuarie perrumperent; durante enim paroxysmo ægrotans usque animo constabat: at vero materies morbifica in capite uberius congesta, cum illinc in nervorum tum interiorum ductus altius prolaberetur, in visceribus tum imi, tum medii ventris, etiam in membris exterioribus, seminii explosivi mineras valde diffusas posuerat; adeo ut cum spiritus animales juxta *nervorum origines* explodi inciperent, illico statim alii *plexus mesentericos*, & deinceps alii *alios plexus nerveos* à meta extima usque ad caput interjectos incolentes, ordine explosi, spasmos à parte in partem usque continuabant, donec ad ἐγκέφαλον perveniretur: exinde vero explosione statim ad spiritus *spinalis medullæ*, & *nervorum appendicum* hospites translata, musculorum, & membrorum totivs corporis convulsiones validissimæ insequutæ sunt: Quod autem ille velut *molis ascensus*, qui sæpenumero in imo ventre, circa convulsionum initia percipitur, à spiritibus intra *plexus mesentericos* in explosiones adactis procedat, inferius cum de *passionibus hystericis* dicemus, fuse declarabitur.

Virgo lectissima circa 16. ætatis suæ annum ab equo decidens, & saxo protuberanti allisa, mammam sinistram graviter læsit, unde tumor cum dolore exortus est; quæ tamen symptomata ab initio remediorum usu mitigari, & deinceps ad longum tempus mediocriter habere visa sunt; post triennium vero à frigore suscepto, ac pessima victus ratione adhibita, omnia exacerbari cœperunt: pars læsa in majorem molem intumescens dolore peracuto, & fere constanti afficiebatur, ut ægrotans præ insigni cruciatu dies & noctes plerasque insomnes degerit, mammæque glandulas tumidiores tunc factas nec tangi, nec pertractari, imo ne strepitum quemvis, aut concussionem in cubiculo factam sufferre potuerit.

Cum huic tumori versus cancrosum degeneri, fotus & cataplasmata ex *cicuta*, & *mandragora*, aliisque stupefacientibus, & repercussivis applicarentur, perillustris Domina affectiones quasdam spasmodicas crebra vice infestantes pati cœpit: imprimis quoties in mamma dolor atrocius urgeret, illic loci punctiones, necnon spasmos ac contracturas huc illuc excurrentes persensit: deinde statim ventriculus ac hypochondria, & non raro totum abdomen cum rugitu & vomendi nixu inflari, ac plurimum distendi solebant; mox idem affectus sensim ad superiora translatus ἀναισθησίαν excitabat, cui brevi postea motus convulsivi in toto corpore adeo validi succedebant, ut ægrotans vix à tribus aut quatuor robustis viris contineri potuerit.

Hujusmodi paroxysmi primò erant vagi, & occasionaliter tantum excitati; nempe succedebant quoties dolor pectoris à causa quadam evidenti intenderetur: postea convulsiones istæ crebrius infestabant: ac demum periodicæ, ac habituales factæ, bis in die, nempe totidem statis horis à pastu constanter repetere solebant. Cumque ad hunc modum per sex menses ægrotans miserrime affligeretur, tandem *vertiginoso capitis affectu*, eam fere continuo exercente molestari cœpit; cui malo cum fotus ex herbis aromaticis & cephalicis capiti aliquàdiu adhiberetur, quoad *vertiginem* melius habuit; verum exinde novo & plane admirando symptomate, *tussi* scilicet *inani* absque sputo dies & noctes, nisi cum somno obrueretur, perpetuo infestabatur: postquam clarissima hæc virgo diversimoda remedia à variis medicis præscripta absque multo commodo tentaverat, demum *thermis temperatis* apud *Bathoniam* usa juvabatur, deinde statim nupta, à *conceptu* ac *puerperio* sensim convaluit.

Si totius morbi ejusque accidentium rationes inquirantur, extra dubium est, affectionem convulsivam à *mammæ tumore*, sive loco dolente primo excitatam fuisse; cujus causa partim fuit acutissimus doloris sensus, à fibris ac nervis istius partis impressus, partim autem *copula heterogenea* spiritibus istarum fibrarum nervorumque incolis affixa; enimvero suspicari licet humorem acerrimum tumori impactum, qui forsan aliquatenus nervorum ductibus illuc confluxerat, Topicorum usu repercussum, fibras & filamenta nervea per totam viciniam disposita subiisse, proindeque copulam heterogeneam & explosivam spiritibus accrevisse; ad quam elidendam, quoties à dolore incitabantur, explosiones spasmodicas inibant, simulque spiritus alii intra nervos affines scatentes priorum consensu (uti crebro assolet) pari ritu explodebantur: dein affectio spasmodica nervorum extremitatibus ubi primo inceperat, per eorundem ductus usque ad ἐγκέφαλον continuata, ἀναισθησίαν, & exinde in totum systema nervosum resiliens, artuum & membrorum omnium motus convulsivos inferre solebat: circa ægritudinis initium paroxysmi ad hunc modum à parte affecta propter dolorem excitari, ad cerebrum & appendicem ejus secundario traducebantur: postea vero cum spiritus horum incolæ per sympathiam crebro explosi, partium continentium poros ita laxarant & debilitaverant, ut intra eosdem, una cum succo nervoso, particulis quibusvis heterogeneis aditus patesceret, *procatarxis spasmodica* etiam in *capite* succrescebat, atque spiritus ἐγκέφαλον incolentes, copula heterogenea infecti, paroxysmum spasmodicum ipsi inchoabant, aut saltem insultibus ejus primos instinctus præbuere, qui utplurimum à pastu totidem statis horis redibant; quia sc. materies morbifica unà cum succo nervoso æquali fere dimenso inferebatur: revera in ejusmodi casibus ubi convulsio generalis ferè omnes totjus systematis

nervosi

nervosi partes successive occupat, suspicari licet spiritus animales in toto genere nervoso copulam heterogeneam & explosivam contraxisse, quæ cum stato tempore ad plenitudinem assurgat, ipsos spiritus pariter hora condicta ad explosionem incitat: eademque explosio alicubi inchoata, fomitis ignarii ritu, in omnes ordine propagatur.

Quod spectat ad *tussim* istam *inanem*, quæ capitis fomentationi succedens, ægrotantem istam per plures menses fere incessanter exercuit, videtur quod symptoma istud omnino ab *origine nervosa affecta*, & nequaquam à *pulmonum infarctu* penderet, nihil enim tussi excernebat, & si quando istum tussiendi impetum violenter inhiberet, statim in gutture præfocationis sensu afficiebatur: adeo ut verisimilius sit materiem morbificam prope originem nervosam depositam, à fotu rarefactam, & commotam, nervorum pulmonibus dicatorum capita altius subiisse, atque in fibris, & filamentis eorum spasmos perpetuos irritasse: simili quodam ritu ac cum succus nervosus qui musculorum fibras & tendines irrigat, acris, ac degener factus, partibus iis subsultus, ac contracturas continuas inducit. Hinc quando spasmus in aliquibus nervorum affectorum surculis sisteretur, ita ut tussire non liceret, statim motus convulsivus in surculos alios ejusdem, aut affinis nervi incurrens, præfocationem in gutture excitabat. Libet hic exemplum aliud spasmi è nervorum extremitatibus affectis oriundi proponere.

Clarissima Matrona quinquagenaria postquam ei menstrua per sesquiannum fluere desierant, primo de *dolore pungitivo* in *mamma* sinistra queri cœpit; dein postea illo affectu cessante, circa *ventriculum* male habuit; illic nimirum *tumor durus*, & velut *scirrhosus* cum dolore gravativo subortus est: huic stomachi inflatio cum respiratione difficili, nausea, & vomitione crebra supervenit: dein morbo ingravescente, dolore magis acuto, & huc illuc quaquaversus excurrente, in affectiones ventriculi convulsivas incidit: nempe illic loci spasmis varie excurrentibus, haud secus ac si ventriculus multifariam distraheretur, fere continuo molestabatur: porro cum *siti* & *vigiliis*, constans animi perturbatio, & crebra spirituum deliquia, quasi jamjam moribunda esset, Dominam ægrotantem exercebant: quæ tamen omnia symptomata ex isto ventriculi tumore semper oriri, eadem plane persensit: Huic medicamina quævis vomitoria, cathartica, antiscorbutica, & hysterica, absque ullo levamine, molestiæ potius & nocumento fuisse videbantur: à sanguinis missione per hirudines, & lactis asinini usu nonnihil commodi recepit, & postea ab acidulis diu epotis plurimum alleviabatur.

Prædicta symptomata, quæ vulgo *passioni hystericæ*, & *vaporibus uterinis* ascriberentur, palam est à tumore circa ventriculi fundum excitato processisse: quippe sanguis Dominæ isti valde fervidus & atrabilarius existens, cum non amplius catameniorum fluxu purgaretur, recrementa sua & fæculentias adustas primo in *mamma*, & deinde novo incœpto, in *stomachi membranis* deposuit: à tumore ibidem facto particulæ acres & heterogeneæ perpetim decedentes, *fibras*, & *nervos* circumcirca consitos subierant; quæ spiritibus earum partium *insitis*, *influisque* continuo accrescentes, ipsos ad crebras explosiones, adeoque affectiones spasmodicas in tota vicinia excitabant: quandoquidem vero motus convulsivi illic loci habiti leviores fuerint, hinc apparet totum nervosum genus, ipsumque ἐγκέφαλον (prout in spasmis majoribus assolet) in eundem affectum nondum consensisse: attamen spirituum inordinatio circa partes affectas exorsa, & illinc minori undulatione ad caput traducta, ejusque adeo spiritus incolas leviter tantum afficiens, vigilias cum ingenti æstu, & phantasiæ perturbatione inducebat. Quæ hactenus de spasmis à causa morbifica alterutrum systematis nervosi obsidente disseruimus, clarius elucescent, cum postea de præcipuis convulsionum speciebus, de *passionibus scilicet hystericis, hypochondriacis*, aliisque particulatim agemus: Interea huic, de *spasmis* propter *nervorum extremitates* affectas oriundis, hypothesi *methodum therapeuticam* non opus erit adjicere, quoniam *medendi rationes* hujusmodi pathematis postea speciatim tradendis melius accommodari possunt: Inpræsentiarum vero procedere oportet ad explicandas *passiones spasmodicas*, quarum *causa*, sive *materies morbifica* intra *plexus nerveos* subsistere videtur.

De plexibus nerveis alibi satis fuse disseruimus, atque ex illorum *descriptione & usu* verisimillimum esse ostendimus *motuum convulsivorum* paroxysmos graviores intra hasce partes sæpenumero incipientes, exinde quaquaversus in viciniam, & non raro in longinquum propagari: saltem multo probabilius videri, particulas heterogeneas & explosivas, postquam τῦ ἐγκεφάλȣ ejusque appendicis medullaris tractus superaverint, inque nervorum canales, eorumque ductus, una cum succo ipsos irrigante altius prolapsas, intra *plexus nerveos*, velut *compita*, sive *diverticula*, copias explicare, ibidemque aliquandiu *stativa* habere, donec tandem uberius aggestæ, quasi collectis viribus affectionis spasmώδȣς immaniores producant: hoc, inquam, longe probabilius apparet, quam (quod vulgo fit) ex *utero, liene, ventriculo, aliove viscere vapores elevatos* supponere, in quos omnis culpa ex facili conjiciatur: Nam intra *hosce plexus* pro mineris morbificis spatia satis idonea conceduntur, ut materies illic sensim *deponi* possit, & *manere*, donec ad plenitudinem congeratur: deinde vero quia *spirituum copias ingentes*, supra quam in aliis quibuscunque cellulis, illic hospitari credimus, *copula heterogenea* iis accrescens in *explosiones graviores* quasi *fomitem* struit; adeo ut spiritus intra hæc corpora explosi ea non modo inflent, & dilatent, verum de *situ elevent*, & *attollant*; (velut cum ædificium à *pulvere pyrio* subvertitur) quare partes supra jacentes subito in tumorem efferuntur, atque appensæ huc illuc violenter contrahuntur. Ad hunc modum atrociores circa præcordia & viscera convulsionum paroxysmos sæpenumero excitari, præter argumenta ex ratione petita; non ita pridem αὐτοψίᾳ comprobatum habui: Cum enim fœminæ illustrissimæ paulo ante obitum *affectibus* (quos dicunt) *hystericis* gravissime laborantis cadaver aperirem, uterum quidem prorsus insontem reperi: verum juxta *mesenterii plexus nerveos* (ut videbatur) in molem attolli, & elevari solitos,

visceris istius *membranas ab invicem divulsas* & *solutas*, ut circumquaque *tumida* & laxæ, *quasi in bullulas*, sive *vesiculas inflata* apparerent.

Profecto plura sunt *rationum solidarum* momenta, quibus adducimur ut credamus *pathemata dicta hysterica* sæpissime à materia spasmodica intra *plexus mesentericos* aggesta, & per vices explosa oriri: quod quidem ubi de morbis istis speciatim agemus, clarius patebit: sed neq; minus probabile est, *dolores colicos* à materia acriori, & irritativa, *iisdem plexibus* contenta non raro procedere. Cæterum quoties *paroxysmi convulsivi* à *liene*, aut *ventriculo* incipere videntur, utpote quorum initia sunt partium istarum inflationes, & perturbationes insignes, verisimile est materiæ spasmodicæ nidum intra *plexus nerveos* ad *lienem*, aut *ventriculum* pertinentes reconditum fuisse: Quinetiam ejusmodi materies, intra *plexus cardiacos* gravissimos *cordis tremores* & *passiones*, intra *plexus pneumonicos*, aut *cervicales*, terribiles *asthmatis insultus* excitare videtur. In Neurologia nostra casum insignem perillustris fœminæ retulimus, cui materies serosa è *syncipite per narem* sinistram exstillari solita, pone *aurem* decubuerat: ubi cum dolor atrocissimus infestaret, *spasmi* insuper & *contractiones admirandæ* succedebant: quibus scilicet modo *cerebri* & *totius* ἐγκεφάλου compages *deorsum*, modo *guttur*, *præcordia*, & *viscera sursum* convelli viderentur: cujusmodi convulsiones partes ita oppositas, & longe dissitas per vices afficientes, cum ab una eademque morbi sede in medio consita procederent; obvium erit concipere, locum dolentem, uti & affectionis utriusque spasmodicæ originem, fuisse *plexum ganglioformem*, juxta *parotidas* situm: in quem scilicet nervi tum paris vagi è *capite descendentes* ingrediuntur, & è quo *propagines* in *gutturis musculos*, atque rami in præcordia & viscera protenduntur. Porro ab eadem causa, scilicet materia σπασμώδει intra *plexus ganglioformes* aggesta & per vices explosa, istum in *gutture præfocationis sensum* in paroxysmis convulsivis tam crebro excitatum procedere (nec immerito) arbitramur.

Virgo lectissima & piissima, procera & gracilis, patre valetudinario, scilicet gravissimis nervosi generis affectibus, obnoxio genita, circa vicesimum ætatis suæ annum cephalalgiâ valde atroci & periodica, per plures dies affligebatur; instante demùm solsticio brumali 1656. dolor capitis remisit, sed in vicem ejus ingens catarrhus, cum sputo tenui & copioso, nec non ulcerosa, narium, oris, & gulæ affectione successit; cùm hujus molestiam aliquandiu pertulisset, tandem ex mulieris cujusdam præscripto, fumum succini per tubulum ore excipiens, derepente sanata est; catarrhus nempe subitò sistebatur, subinde verò conquesta erat de vertigine insigni cum capitis dolore & aurium tinnitu; die tertio cervicis tendines convellebantur, ut caput, modò antrorsum, modò retrorsum, modò ad latus deflecteretur, modò immotus & rigidus perstaret. Brevi post hæc totius corporis membra exteriora, & artus ejusmodi affectio spasmodica invasit. Brachia & manus mirè contorquebantur, ut eorum flexiones & convolutiones haud quispiam agyrta aut gesticulator imitari potuerit; crura & pedes huc illuc divaricare, mutuò concutere, & alternatim transponere necesse habuit: ad hunc modum aut in cathedra sedens, aut lecto commissa, nisi à somno obrueretur, motibus convulsivis perpetuò afficiebatur: cùm que summo musculorum nixu membra paululum cohiberet, statim respiratione difficili & anhelosa, cum præfocationis sensu corripiebatur; interim verò oculi, fauces, os, & viscera interiora spasmo quovis immunia perstabant; nec vomitu, rugitu, neque ventris hypochondriorum inflatione tentabatur. Porrò animô usque constitit; memoriæ, intellectus, & phantasiæ munia ritè obivit, nihil delirè, aut insipienter loquuta est, aut egit; quin inter stupenda hæc mala verbis usque piis, & probis fortitudinis & patientiæ Christianæ specimen admirandum exhibuit: appetitus citò dejiciebatur, ut cibos & alimenta quævis valde aversaretur; sitis autem continuo urgebat: vires admodum debiles fuerunt, ut nec stare, nedum pedibus incedere potuerit: urina erat coloris citrini, salsedine plurimum saturata, in cujus superficie pellicula tartarea concrescebat.

Cum *sexto* ægrotationis *die* ad hanc *Dominam* accerserer, admirandi istius affectus hujusmodi *Ætiologiam* instituebam: Etenim ne cum multis aliis statim omnia ad *sagarum præstigias* referrem, patris ejus consideratio effecerat, qui in eadem domo passionibus spasmodicis tunc temporis gravissimè laborabat: quapropter ut symptomatum istorum causas naturales investigarem, imprimis obvium erat, suspicari *dominam* illam *hæreditaria* affectionum convulsivarum seminia contraxisse, quæ tandem circa ætatis suæ ἀκμὴν in ejusmodi fructus eruperunt: cum enim sanguis particulis heterogeneis & explosivis plurimum imbueretur, istæ demum (prout in tali diathesi assolet) in caput suffundi, ibidemque affigi cœperunt; primo igitur in *meningas* depositæ *cephalalgiam* immanem & periodicam induxerunt; dein postea eadem materies, metastasi accidentaliter facta, in *gulæ* ac *oris* emunctoria decumbens, *cephalalgiam* in *catarrhum* commutavit; cum denique intempestivo remedii adhibiti usu *defluxio* sisteretur, materies morbifica in *cerebrum* regurgitans, *vertiginem* intulit, & exinde in *nervosum genus* detrusa, prædictas affectiones σπασμώδεις excitavit.

Quod vero spectat ad *rationem formalem* seu generationis modum, quo materies spasmodica in nervosum genus decumbens symptomata isthæc admiranda produxisse videatur: opinari fas sit, quod eadem ab ἐγκεφάλῳ, utpote firmioris, confinio in *medullam spinalem* ejusque appendicem detrusa, ac instar fermenti maligni habens, imprimis succi has partes irrigantis massam integram particulis heterogeneis & summè explosivis infecerat; quæ spiritibus per totas eorum series ubique dispositis accrescentes, ipsosque velut œstro quodam agitantes in explosiones continuas irritabant: revera cum *succus nervosus*, uti dictum est, à materiæ spasmodicæ influxu ita fermentatur, qui partes continentes alioqui blando allapsu irrigaret, atque spiritus animales cum expansione æquabili per easdem

traji-

trajiceret, nunc idem fibras nerveas in varias contractiones, & corrugationes torquebat, atque spiritus tum influos, copula nimirum heterogenea onustos, à debita irradiatione inhibebat; tum partis cujusque *insitos* variè exagitans, *afflatu* velut *diabolico* incitabat, adeò ut appetitus imperio minimè obsequentes, motus inordinatos iniverint, eosque huc illuc rapide translatos, reciprocatione perpetua iterarint.

Quamvis autem particulæ heterogeneæ è sanguine in cerebrum suffusæ, indéque in *genus nervosum* protrusæ, haud ex æquo nervorum omnium origines, sed *spinalem medullam*, ejusque propagines nerveas præcipuè, ac ferè tantum subiere; ita ut *viscera* interna, insuper *oculi, oris, & faciei* partes spasmo quovis immunes perstarent; iste tamen impetus explosivus, quo minus à membris exterioribus obiretur, vi quadam inhibitus, illico velut *ignis missilis*, qua data via, in *præcordia*, ac imi ventris *viscera* incurrere solebat: quia scil. *spiritus influi* œstro quodam perciti, & spatium amplius in quo baccharentur exigentes, ab uno loco exclusi, mox alium alicubi patentem subeunt, quapropter *œstrum* illud, si tum à membris, tum à visceribus fuisset repulsum, non dubito quin in *cerebrum* regurgitasset, *furorem* ibi aut *ἀπωμανιακόν* quasi *epilepticam* illaturum. Quæ quidem sympto nata abesse contigit, eo quod Dominæ hujus ingeniosissimæ cerebrum constitutione firmiore præditum, è liquore nervoso recens instillato quicquid congruum & spirituosum fuerat, in penum propriam arripiebat, eoque fruebatur: interim particulas quasque morbificas in *spinalem medullam* deprimebat, à quibus membrorum motus involuntarii, eo quo dictum est modo excitabantur.

Præclaræ hujus virginis *curationem* moliri rogatus, facta imprimis levi corporis præparatione, *potionem solutivam* ex infusione *sennæ & rhabarbari*, adjectis *santalo citrino*, & *sale absinthii*, propinabam, qua duodecies cum magno levamine purgata fuit; die sequenti è brachio sinistro sanguinem ad ℥ viii. detraxi, quovis vesperi opiatam ex *aqua & syrupo florum verbasculi* cum *pulvere margaritarum* exhibui: insuper semel intra sex horas dosin *spiritus C. Cervi*, cum haustulo *Julapii* sequentis sumendam præscripsi.

℞. Aqu. cerasorum nigrorum, juglandum, florum pæoniæ, an. ℥ iij. Antiepilept. Langii ℥ ij. Syrupi è floribus pæoniæ maris ℥ ij. Margarit. pulv. ℈j. Misc. f. Julapium: quia *purgationem* multam ferre nequibat, *enemata* ex *lacte saccharato* erant crebro in usu: præter *linimenta antispasmodica cervici & spinæ* applicata, *frictiones* membrorum affectorum cum pannis laneis oleo appropriato madefactis, & excalefactis frequentes instituimus.

Horum usu intra sex dies *ægrotans* plurimum alleviari visa fuerat; nam motus convulsivi ferè in totum cessabant, membra in debito situ, & quiete continere potuit, solummodo *caput* contractione leviori interdum huc illuc leniter deflectere cogebatur; porro cathedra exurgere, & parum incedere valuit; sed dum gressum faceret, non recta, sed *in latus* oblique procedebat: Hoc tempore discedens, eam multo melius habere visam in manifesto convalescentiæ statu reliqui: post alteram vero septimanam, cum *Boreas* inclementior nocturno tempore exortus, fenestra haud firmiter occlusa ægrotanti lecto commissæ vehementius afflaret, illa statim à frigore suscepto ejusmodi *recidivam* passa fuit, ut non modo *pathematis spasmodicis*, verum & *paralysi universali periodica* obnoxia evaserit: nam deinceps à *mane* usque ad *vesperam capiti & membris* (uti prius) huc illuc vicissim flexis atque jactatis, *artus* successivè omnes circumagere, deflectere, ac variè detorquere coacta est; donec sub *noctem*, motibus ejusmodi prorsus sedatis, *membrorum resolutio*, sive *paralysis* succederet, ita ut nec manus, aut pedes, neque ullam præterea partem movere, aut corporis nixu in quemvis motivum exercere potuerit, intra lectum instar saxi ferè *immobilis* jacens; at aliquanto somno refecta, circa *mane* prout *facultatis motivæ regularis* virtutem quandam, scilicet brachiis & cruribus huc illuc, imbecillius licet, deflectendis parem recuperavit, sic etiam *motus convulsivi & involuntarii*, per totum exinde diem perdurantes constanter redibant, qui *vesperi* rursus in *artuum resolutiones* commutabantur.

Ex his liquido constet, *Dominam ægrotantem*, & duplici morbo, scil. *paralysi* ac *spasmo* laborasse, & utriusque *causam materialem* aliquatenus *distinctam* fuisse: videtur enim, quod *spiritus animales* ubique scatentes, à particulis *narcoticis* onusti ferè continuo ligarentur: præterquam quod inter dormiendum, unà cum succo nervoso, *particulæ spasmodicæ* uberti in influentes, etiam spiritibus accrescerent, quarum *explosionibus* spiritus incitati motus involuntarios produxerunt; quin & *copula narcotica* eo tempore aliquatenus excussa, etiam voluntarios, seu regulares quadantenus perficere valuerunt. Præter remedia modo citata, alia quamplurima cujusque ferè generis, scilicet *antiscorbutica, antiparalytica, decocta, sudorifica, aquæ destillatæ spiritus, elixires, tincturæ, balnea, linimenta* cum multis aliis sedulo adhibebantur; quorum usu symptomata nonnihil remittebant; haud tamen morbus integre sanabatur: *paralysis universalis* brevi cessabat, ita ut omni tempore artus movere, & huc illuc deflectere potuerit; quin & membrorum *motus involuntarii* eam rarius molestabant; usque tamen *languida & imbellis* perstitit. Cumque illa constitutionis tenerioris ac in tabem proclivis, & nunc quidem nulli exercitio habilis esset, ob transpirationem impeditam sanguinis recrementa in *pulmones* deposita *tussim* inserebant, quâ indies ingravescente, demum *phthisica* interibat.

Ante plures annos accersebar ad *virginem nobilem*, simili ferè ritu & aliquanto gravius ægrotantem: Hæc enim *capitis & membrorum motus involuntarios*, nempe aut *succussiones*, aut huc illuc *deflexiones*, vel *circumactiones* ferè perpetua vice redeuntes perpessa fuerat: insuper *diaphragmatis, & musculorum respirationi* inservientium *spasmo* admodum molesto, & plane stupendo afficiebatur: Etenim quovis horæ minuto, & sæpius, *spina dorsi* circa medietatem ejus subito incurvabatur, simulque *pectore* antrorsum exsiliente, & *hypochondriis* introrsum *contractis, singultus* valde sonorus, idemque *duplicatus*, modo *triplicatus*, minus tamen, & usque minus stridulus edebatur: per plures horas hujusmodi *motus*, & *stri-*

doris reciprocationes obire solebat, ut per totas ædes exaudiretur: si quando breve hujus interstitium contigit, illico *brachia* & *manus*, modo *crura* & *pedes* valde concutere, aut contorquere, quin etiam *caput* modo rapidissime conjectare, mox cervicem quasi rigidam, & immobilem tenere cogebatur: quandoque inter loquendum *lingua* eo ritu corripiebatur, ut idem verbum sæpius imò aliquando vicies ut minimum repeteret: Cum in membris exterioribus motus convulsivi fortius urgerent, ab affectu isto *stridulo*, & *singultuoso* aliquantulum vacabat, atque hoc spatium intermissionis, & levaminis sui tempus dicebat, licet interea caput ac membra motibus violentis huc illuc proriperentur: si quando in latus sinistrum decumberet, statim dextri hypochondrii introrsum contractio, cum singultu ciebatur; Intra paucos dies hujusmodi pathematum assiduitate viribus plurimum dejectis, tantam in *lumbis* & *crurum artubus* imbecillitatem contraxit, ut nec stare, nedum pedibus incedere potuerit: *ventriculus* sive *languore*, sive *spasmo* affectus, quidvis ingestum vomitu reddebat.

In *hoc casu*, sicuti in *priori* plane constat, *spiritus animales*, non modo huic aut isti parti vel regioni *insitos* copulam heterogeneam per vices quasdam elidendam contraxisse, sed & *spiritus* nervorum quorundam *influos*, particulis explosivis imbutos, motus convulsivos perpetuos & vagos intulisse. Cumque ab initio contigit *spiritus* ita affectos, non omnes simul *nervos*, nec quosvis indifferenter, verum *spinalis medullæ* appendices, atque ad *diaphragma* pertinentes, ferè tantum subiisse, ita ut intra horum spatia, spirituum continuo explosorum debacchatio limitaretur, propterea quidem accidit, *affectiones spasmodicas*, in una qualibet istarum parte cohibitas, in alia statim ferocius erupisse; cumque ex proprio instinctu, illorum impetus motivus in una regione intenderetur, in altera idem interea remitti solebat. Porrò in hac ægrotante *materies morbifica*, particulis tum *narcoticis*, tum *spasmodicis* constans, affectionem una *paralyticam* ac *convulsivam* inferebat.

Die quarto adveniens pharmacum *emeticum* propinabam, à quo septies evomuit pituitam viscidam, cum bile flava copiosa, sine quovis tamen levamine: die postero *sanguinem* è brachio detrahebam ad ℥vi. exinde statim sanguine versus caput impetuosius rapto, de *cephalalgia*, & *vertigine* plurimum conquesta erat: intra triduum vero *phlebotomia* in *pede* celebrata, se melius habuit: sumpsit postea remedia nervorum affectibus dicata, scilicet *spiritum C. Cervi*, & *sanguinis*, *pulveres testaceos*, & *bezoarticos*, *julapia*, & *electuaria antispasmodea*: Horum usu symptomata nonnihil remittere visa, usque tamen aliquatenus, juxta typos modo descriptos, perdurabant: Post duas septimanas, ex præscripto mulieris cujusdam rusticæ, cepit sanguinis ex *aure asini* detracti cochlearia sex in haustu cerevisiæ, à quo derepente sanari videbatur: nam motus convulsivi illico omnes cessabant, iisque per 24. horas immunis degebat; attamen morbus cum solita ferocia propediem revertens, neutiquam isti remedio, nec quidem facile aliis quibusvis cedebat: Itaque in posterum cepit *medicamenta methodice* præscripta: semel intra sex dies blande purgabatur; præterea sumebat *pulverem* ex *bezoar*, *margaritis*, & *coralliis* cum *rad. & sem. pæoniæ* compositum; item *electuarium* ab *Horstio ad convulsiones* hujusmodi *admirandas præscriptum*; insuper *julapia*, & *decocta in affectibus spasmodicis appropriata*: *Enemata* erant crebro in usu, *frictiones*, *vesicatoria*, & *linimenta* cum fructu adhibebantur: Intra alteram hebdomadam *affectio singultuosa* prorsus cessabat, quin & reliqui motus convulsivi, sensim mitiores facti plurimum remittebant: ab istis verò *pathematis* convalescens, *catarrho* in *fauces decumbente*, in tantum molestabatur, ut *salivam acrem*, & velut corrosivam fere continuo exspueret, ac si ab assumpto *Mercurio salivatio* induceretur: quod equidem remedii genus in hoc casu peridoneum fuisse eventus comprobavit: ab eo tamen adhibendo, quia cum ægrotantis, & amicorum ejus venia minime licebat, prorsus abstinebam.

Postquam *sputatio* isthæc copiosa, & valde molesta per plures dies perstitisset, morbus ferè in totum sanari videbatur: adeo ut *Domina Illustris* motibus convulsivis libera, foras incederet, & viribus, & stomacho valeret: solummodo querebatur quòd aliquoties in die, subito totius corporis *horrore* circiter horæ minutum afficeretur; qualis etiam affectus quandoque noctu superveniens somnum abrumpebat. Intra mensis spatium, hoc etiam *symptoma*, ac insuper *catarrhus* prorsus cessabant: deinceps vero illa interdum *summo acore in ventriculo* & *œsophagi ductu*, quandoque etiam in faucibus & *Palato* affligebatur, ut vereretur ne partes istæ cute interiori detrita, diathesin ulcerosam contraherent; porro sæpius in somnis, aliquando etiam evigilans *incubo* tentari solebat. Huic, *vere* & *autumno* blandam *catharsin* cum remediorum *antiscorbuticorum*, & nonnunquam *chalybeatorum* usu adhibendam præscripsi: Cujusmodi methodum tanto suo commodo observavit, ut per plures annos satis rectè valuerit, & etiamnum valeat.

Inter multa remedia, quæ contra istum *palati & œsophagi acorem*, & diathesin quasi ulcerosam sumebantur, præscripsi ut quolibet mane *propriam urinam* recens excretam ebiberet; hæc utplurimum valde salsuginea, levamen ingens conferre solebat: quibusdam vero temporibus *urina* tenuis & copiosa, quæ tamen minime salsa, verum instar *aceti* plane *acida* effluxit, à cujus potu parum aut nihil commodi recepit.

Casus modo descripti *Ætiologia*, priori non multum absimilis videtur, nisi quod in hac ægrotante *particulæ explosivæ*, plurium nervorum ductus, scilicet præter istos *medullæ spinalis* appendices, quosdam insuper *respirationis* muneri, ac per vices quasdam *linguæ* motui dicatos subierint, atque spiritus in ipsis scatentes *œstro* fere perpetuo affecerint.

Quod autem *morbi hujus solutio* per *humoris acerrimi* in *oris* & *gulæ emunctoria decubitum* contigerit, hinc colligere licet, hujus *causam materialem* fuisse *particulas heterogeneas*, & quasi *nitrosas* in sanguine progenitas; quæ cum exinde, *cerebro trajecto*, in *nervosum genus* deferrentur, *pathemata prædicta* intulerant: quamprimum verò remediorum ope uberior istius materiæ proventus inhiberetur, atque particulæ morbificæ

ficæ jamjam productæ, tum à *sanguine*, tum à *cerebro* & *succo nervoso* in ista *capitis emunctoria* derivarentur affectio convulsiva statim remisit, atque intra breve tempus, tali ἐκκρίσει usque perdurante, *morbi solutio* perfecta sequebatur.

Quandoquidem *urina*, ex se plurimum *salsa* & quasi *lixivialis*, per vices quasdam *acetosa* evasit, quæ contra *gulæ acorem*, non uti prior, juvamen præstitit: hinc colligere datur, *sanguinis* & *humorum* particulas salinas per urinam decedentem *duplicem statum*, nempe *fixitatis*, & *fluoris*, subiisse; quare *serum* iis imbutum, modo *hujus*, modo *istius indolis* extitit: videtur enim quod particulæ salinæ intra massam sanguineam degeneres, *fixiores* manent, & *urinam* plerunque *lixivialem* reddunt: quæ tamen extra sanguinem in *succo nervoso* scatent, aut circa *partes solidas deponuntur*, in *fluorem*, sive *acetositatem* degenerant. Itaque ab *his* in *oris emunctoria* derivatis, insignis iste *oris* & *œsophagi* acor procedebat: porro cum ejusmodi particulæ in *succo nervoso* ac *partibus solidis* ad plenitudinem aggestæ turgescerent, ac fluxione oborta in *sanguinem* ebullierint: hæ statim exinde confertim per *renes* amandatæ, *urinam* quantitate auctam *acetosam* reddebant. In quantum vero *particulæ salinæ*, diversi status, ac minime quæ sunt ejusdem, invicem commissæ, in se mutuo agunt, & vires suas refringunt, idcirco *urina salsa* ac neutiquam *acetosa gulæ acorem* sanabat. Experimento satis vulgari constat *spiritum vitrioli acerrimum*, *salis tartari aut cujusvis alius lixivialis mixtura plurimum mitescere*: quinimò & *humorem acidum* in Dominæ hujus oris & gulæ partes exudatum, propè ad *aceti calcanthini* indolem accessisse inde constat, quia *nicotianæ fumus* ægrotantis ore acceptus mire *dulcescebat*, prout nimirum in quibusvis à *vitriolo prægustato* assolet.

Quoniam hic de *convulsionibus admirandis*, quæ non passim eveniunt, & quarum *natura* & *causæ* in abstruso latent, agimus; pro meliori ejusmodi affectuum illustratione, libet hic *casum* adhuc *unum* & *alterum*, & prioribus haud minus stupendos proponere.

Decem abhinc annis, *nobilis* cujusdam *filiam* ad motus *convulsivos* eo ritu incitatam, ut nonnulli eam à spiritu malo obsessam putaverint, invisebam, *Virgo* hæc 16. circiter annos nata, pulchra & εὔσαρκος, patre tamen paralytico progenita, sine causa evidenti, circa *brumæ solstitium* male habere cœpit: primo per aliquot dies *cephalalgia* & *vertigine*, haud gravi tamen modo afficiebatur; deinde in brachio uno, & mox in altero *tremorem*, & subitam *contractionem* persensit; cujusmodi spasmi isto die sæpius repetentes, vix punctum temporis durabant; postridie juxta sororem suam in cathedra sedens, subito exsiliens, saltum unum & alterum, multosque alios successive ad distantiam plurium pedum mira agilitate perficiebat; dein cum cameræ extremum limitem attigit, aliquandiu in eodem loco, & qualibet vice ad miram altitudinem saliens præstabat; cum saltationi ulteriori crura deficerent, in terram concidit ac statim caput cum mira violentia huc illuc conjecit, quasi illud collo excuteret: quamprimum ab hoc motu præ lassitudine cessaret, statim manus, & pedes idem furor invasit, ut necesse haberet membra hæc parietes, aut postes percutiendo, vel pavimentum contundendo validissime exercere: Quando ob pudorem, aut verecundiam amicis aut astantibus debitam, se magna vi ab his motionibus cohiberet, (usque enim animo constabat, & sobrie loquuta erat) statim affectu interius transmisso, insigni cordis oppressione, cum gemitu, & singultu valde stridulo plurimum infestabatur; dein cum se relaxaret, statim œstro ad artuum exteriorum musculos transmisso, aut saltare, aut caput, vel brachia immaniter huc illuc conjicere, aut etiam in camera rapidissime cursitare, vel humum pedibus contundere cogebatur; quippe hujusmodi vehementes *artuum*, aut *viscerum commotiones*, affectus *tragœdia* velut in orbem revertente, se mutuo excipiebant.

Die quinto à quo hæc *domina* primo ægrotaverat adveniens, *vomitorium* ex *infusione croci metallor. vino scillitico*, & *sale vitrioli* propinabam, à quo septies evomuit bilem æruginosam in magna copia, cum admistione humoris acerrimi, & quasi vitriolici: postridie *sanguis* è vena saphœna ad ℥x. detrahebatur; præterea sumebat bis in die *antidota* ex *pulveribus lapidum pretiosorum, cranii humani*, & *rad. pæoniæ maris*. Horum usu intra septimanam sanari visa, per plures exinde dies affectionibus prædictis immunis degebat: Attamen post binas hebdomadas, instanti plenilunio, ejusdem morbi recidivam solito atrociorem patiebatur; nam præter *saltus admirandos*, *capitis & membrorum contorsiones, convolutionesque* vehementes, insuper intra cubilis spatia *cursum huc illuc rapidissimum* iterare cogebatur. Cepit hoc tempore, ex aliorum præscriptis, *remedia antihysterica*, & statis quibusdam intervallis *purgantia*, sine quovis tamen juvamine: Denuo accersitus, siquidem robusto corporis habitu, & spirituum efferatione insigni prædita videbatur, *emeticum fortius* propinabam, à quo decies evomuit bilem instar æruginis viridescentem, cum pituita instar aquæ stygiæ acerrima, & subito alleviabatur: Exhibui posthæc quovis mane, *haustum vini albi cum aqua cerasorum nigrorum* dilutum, *asellis contusis* superaffusum, & fortiter expressum: Horum usu statim curari visa, per mensem & amplius integrè valebat: Cumque postea affectus redituri quævis præludia unquam persensit, mox *vomitorii* & ejusdem *millepedum expressionis usu* morbi insultum avertebat: Intra tres menses sanitatem pristinam ita recuperabat, ut plures nunc annos affectionibus ejusmodi spasmodicis immunis degeret: attamen à quo tempore pathemata convulsiva prorsus cessarunt, quandoque circa *oris* & *gulæ* partes *humoris acidissimi* ac instar *stagmatis vitriolici* defluxione afficiebatur: Insuper interdum *malaciæ* & *picæ*, aliquando etiam *tussi*, cum *sputo decolori phthisin* minante obnoxia fuit, quæ tamen remediis in ejusmodi casibus usitatis facilè sanabatur.

Quod spectat ad prædicti casus *Ætiologiam*, non est cur vereamur hujus morbi, & symptomatum causas, ad *particulas explosivas* è *sanguine* (*cerebro* usque impune trajecto) in *genus nervosum* continuo suppeditatas referre: quæ siquidem copia ingenti suffusæ, intra privatas mineras tantum per vices elidendæ, minimè coërcentur, *spiritibus* ubique tum *influis*, tum *insitis* accrescentes eos, velut œstro afflatos perpetim ex-

explodi, & per manipulos huc illuc inordinatè efferri cogebant: ita nimirum ut intra partes continentes paulatim regulari nequirent; quia eos impetuosè tumultuantes, & hic illic, turbinis instar, corripi aptos, exercitio valido, ac admodum violento subigi, & perdomari opus fuit: Revera in hac ægrotante non aliter res se habuit, quàm in *organis musicis*, quæ si vento nimis insufflato suprà modum impleantur, ni statim plures fistularum aperturæ recludantur, brevi totius machinæ compages concutitur, ac in partes dissilire periclitatur: pariter in hac domina cum spiritus animales nervorum quorundam ductus, & fibras appendices actuantes, ultra debitum tenorem exagitarentur, necesse erat eorum impetus, dum corpora nervosa supra modum inflarent, in motus locales una plures & vehementiores impendi: quapropter cum eorum rabies ab una parte cohiberetur, mox uti ventus occlusus alio se proripiens, in quadam alia parte violentius erupit.

In hac ægrotante *vomitorii* usus semel, atque iterum juvamen præstitit, eo quod *cysti fellea*, quin & *glandulis* & *emunctoriis*, quæ circa coctionis viscera consita sunt, hoc modo inanitis, *sanguinis* & *succi nervosi* purgamenta in eadem copiosius allicerentur: propterea quidem, ut spiritus animales intra ductus nerveos affectos scatentes, ab iis minus inficerentur: Hac ratione etiam *succus asellorum* profuit, quatenus materiam morbificam è *nervoso genere* ad *vias urinarias* derivarit: Præter hæc remedia materiæ morbificæ *radicem* & *ramos* magna ex parte amputantia, cum & alia velut *antidota*, ejus *vegetationem* ubique impedientia sedulo adhiberentur, quicquid ejus reliquum fuit, natura demum superior facta (solita in his casibus ἐκκρίσει) ad *oris* & *gulæ* emunctoria ablegabat.

Dum hæc scriberem, *virginem* illustrem invisebam, quæ aliusmodi motibus convulsivis, iisque universalibus, & non minus admirandis afficiebatur: Hæc circiter annum ætatis 18. εὔχροος, venusta, & antehac sana, cum grassante in hac vicinia *pestilentia* ejus contagii periculum incautè subiret, in *terrorem* panicum, cum crebra *leipothymia* incidit: sequenti nocte, tanta spirituum deliquia, & ἀψυχίας passa erat, ut planè moribunda videretur: isto tamen malo ægrè eluctata, deinceps quolibet die *paroxysmos convulsivos*, horis tamen primo incertis, & sub specie multiformi redeuntes habuit: verum intra breve tempus morbi accessiones regulares factæ, *bis* in *die*, scilicet *hora undecima* ante, & *quinta* post meridiem, constanter repetebant, ut nulla febris intermittens periodos suas exactius servaverit; quin & singula *paroxysmi* accidentia simili ritu quotidie obtingebant.

Cum per tres septimanas hoc modo laborasset, quodam die accersor ut symptomata quævis ac integrum *morbi typum* advertere possem: Hora decima matutina lecto excitata rectè valuit; vultu, incessu, colloquio optimè se gessit, ut nullus eam quoquo modo ægrotare suspicaretur: hora undecima de ἐγκεφάλου *plenitudine* & *spirituum torpore*, cum *levi scotomia* queri cœpit; mox in *hypochondrio sinistro pulsationem* insignem, & quasi vivi animalis exsilitionem persensit: hunc motum lateri manum meam admovens plane percepi; dein *pandiculatio* & *rugitus* succedebant; quo facto, illico ad lectum ducebatur, & ancillæ super pulvinar sedenti tenenda tradita est: Hæc ægrotantem in gremio suo, brachiis circa medium corpus ejus complicatis, durante paroxysmo arctissime constringit: insuper præsto sunt ministræ, affinesque adstantes, quæ modo ejus *brachia* & *manus* cohibent, modo *ventrem* & *hypochondria* in molem ingentem elevata, & sursum nitentia comprimunt. Præcipua morbi symptomata, quæ vicissim excitata, ferè totum paroxysmum dividebant, erant hæc duo, scilicet modo *immanes viscerum spasmi* infestabant, ita ut abdomen in molem ingentem assurgens obtentis astantium manibus contraniteretur, ut vix, ac ne vix comprimi potuerit; simulque *præcordiis* sursum contractis, cordis & sanguinis motus pene sisterentur: quo temporis spatio virgo hæc caput reclinans, cum pulsu diminuto, & ferè nullo ἄφωνος, & ferè insensilis jacet; post duo aut tria horæ minuta hi spasmi cessant; & dein ægrotans sese erigens, alacriter circumspicit, & aliquandiu morbi impetum in *colloquia* & *cantilenas* convertit, quorum utraque lepidissima, & supra propriam indolem elegantissima indesinenter effundit: ejusmodi effatis, & dicteriis adstantes quosvis prosequitur, ut nihil uspiam in *comœdia* facetius occurrat, dein *harmoniæ modulos* suavissimos, & jucundiores quam aut alius quispiam potest, aut ipsamet alio tempore profert: postquam ita jocando, canendoque circiter sex aut septem horæ minuta transegit, denuo viscerum & præcordiorum spasmos, & ἀφωνίαν, uti prius incurrit: atque his brevi remittentibus, spirituum ὁρμὴ à nervis inferioribus in cerebrum resiliens, denuo *loquelæ cantusque* facetiis impenditur; quoties cum adstantibus colloquitur, si quid ab his acerbius aut ignominiosum reponitur, illa viscerum spasmos graviores & diuturniores subit: Ad hunc modum, scilicet alterna *viscerum* & *cerebri* affectione circiter horæ unius spatium molestari solet; dein paroxysmo versus finem vergente, viscerum spasmi leviores facti ter aut quater cum minima intermissione repetunt: dein his in totum cessantibus, morbi impetus, in membra exteriora erumpit, unde statim penitus evanescit; nam brachia & crura per horæ minutum contracturas, subsultusque patiuntur: illico dein ægrotans excitata, è lecto descendit, omni spasmo, usquedum novus redit paroxysmus, immunis, quin & viribus mediocriter valens, circa ædes obambulat, & durante affectus interstitio consueta vitæ munia alacriter obit, excepto tamen quod stomachus languescens toto die alimenta fastidit, vesperi post secundum morbi paroxysmum modicè cœnat.

Hic præsens *morbi status est*; in cujus paroxysmis quarundam facultatum *usus illustrior*, aliarum *anomalias* quadantenus compensare videtur: Verùm circa ægrotationis initia paulo secus habuit; quippe viscerum spasmi longe graviores fuerunt, iisque ἀναισθησία adjungebatur: illorum insuper interstitia, *fabulatio absurda*, *cantus inconcinni*, quin & *risus*, aut *fletus*, ratione haud conscia erumpentes, excipere solebant: nunc autem spiritus animales in explosiones diuturnas coacti, eas tam regulariter modo hac, modo illac, qua data via commodior, peragunt,

gunt, ut quodam modo *rationis* & *voluntatis* imperio fieri videantur.

Itaque ut juxta nostram *hypothesin* hujusce affectionis *Ætiologiam* instituamus, videtur imprimis quod *timor vehemens*, spiritus *cerebri* & *præcordiorum* incolas in magnas ἀταξίας adegerit; ita ut istis extra ordines suos perturbatis, & amentia quædam, & leipothymiæ crebræ succederent. Porrò suspicari licet ab eadem impressione *cerebro* ipsi noxam illatam fuisse, ita ut conformatione ejus nonnihil vitiata, particulæ heterogeneæ & morbificæ, unà cum succo nervoso admitterentur: dein licet spiritus ab initio confusi atque perturbati, post breves inordinationes sese denuo recuperarent & functionis tum animalis, tum vitalis solita munia exequerentur: attamen ob labem *cerebro* impressam particulæ heterogeneæ constanter admissæ spiritibus accrescentes, δυνάμεις explosivas inducebant; quamprimum enim spiritus copula extranea ad plenitudinem saturantur, ad ipsam excutiendam, sive elidendam irritati, explosiones spasmώδεις inibant.

Circa *morbi principia*, cum & *cerebri*, & *spirituum* incolarum diathesis à noxa recens suscepta magis perversa & vitiosa esset, copulæ heterogeneæ plenitudo citius contigit, proindeque explosio ejus crebrius & inordinatius succedens, cum majori tumultu peragebatur; postea vero cùm regiminis animalis noxa remittente, istius *copulæ*, non secus ac *liquoris nervosi* supplementa æquali dimenso quotidie ingerebantur, spirituum explosiones regulares mitioresque factæ, justas observabant periodos.

Quod ingruente paroxysmo in *capite plenitudinem*, ac velut *inflationem*, cum spirituum *torpore* & *scotomia* ægrotans persensit: ratio est, quoniam hoc tempore spiritus cerebri incolæ, jamjam in explosiones parati, primo exagitari, & velut turgescere solent; dein pulsatio ista in sinistro hypochondrio successit, in quantum spiritus *plexus fibrasque nerveas* circa *lienem* densissimè consitas incolentes explodi incipiunt: postea cum spiritus intra *plexus* tum *mesentericos*, tum *cardiacos* scatentes, una exploduntur, istæ *abdominis* & *thoracis* elevationes, & quasi *subsultus* inducuntur: cumque in hac affectione *cordis* & *sanguinis* motus ferè in totum sistuntur, ideo *pulsus diminutus* & ferè *nullus*, cum ἀφωνίᾳ & aliquali ἀναισθησίᾳ evadit.

Remittente *viscerum* & *præcordiorum spasmo*, *garrulitas* & *cantus* succedunt, quia spirituum adhuc explosorum ῥοπὴ è *nervoso genere* in *cerebrum* facta, *spasmos in phantasiæ exaltationem*, & promptiora phantasmatum exercitia commutat. Quamdiu spiritus intra *cerebri meditullium* regulariter ac ordinatè exploduntur, facultatum & habituum actus tantum nobiliores, & quasi suprà naturæ vires & tenorem eduntur, prout in hac ægrotante: è contra autem, cum in ista regione spirituum explosiones inordinatæ contingunt, utplurimum *amentia*, aut saltem potentiarum istarum exercitia incongrua, ac absurda peraguntur.

Viscerum spasmi & *actiones phantasticæ* sese mutuo & alternatim excipiunt; quia scilicet spirituum copiæ ad explodendum dispositæ, velut undulatione *directa* & *reflexa*, tendentiam suam modo in hanc partem, modo in istam vicissim faciunt: dein ultimo, cum ferè omnes exploduntur, *viscerum spasmi* crebriores excitantur: cumque explodendorum manipulus tantum exiguus superest, iste denuo tum à *capite*, tum à *visceribus* exclusus, in *spinalem medullam* excurrit, ultimosque morbi impetus in *brachiorum* & *crurum* convulsiones impendit.

In *hoc casu* difficultas adhuc insignis restat, quare morbi hujus *paroxysmi*, cum statis semper horis exacte repetant, *periodos* tamen adeo *inæquales* habent; nimirum ut *accessio prima* tantum sex horas antecedat secundam, & dein secundæ reditus ad primam non nisi 18. horarum spatio contingat. Propter hujus solutionem supponendum erit paroxysmos istos pendere à *liquore nervoso* particulis heterogeneis ad plenitudinem referto; quæ particulæ huic è *massa sanguinea* omnino convehuntur, atque *sanguis* easdem e *succo nutritio* à visceribus suppeditato imbibit. His ita suppositis, considerare oportebit quo temporis spatio *massa sanguinea* particulis istis morbificis saturatur, & dein quali dimenso eas in *liquorem nervosum* suffundit. Super his, in ægrotantis hujusce casu, ut melius constet quo ritu habet, sciendum est, eam in toto nycthemero unica tantum vice victum plenum assumere: nempe paroxysmo secundo finito circa horam septimam mediocriter cœnat, reliquo die appetitu carens, vix quidquam alimenti ingerit; itaque probabile est *materiem morbificam*, una cum *penu nutritia*, potissimum tempore nocturno in *massam sanguineam* suffundi; idque uberius quam ut totum exinde statim in *liquorem nervosum* derivari possit: particulæ heterogeneæ, quæ primo è *sanguine* recens saturato in *liquorem nervosum* convehuntur, ad plenitudinem aggestæ paroxysmum primum excitant; cujus accessio ideo diutius protelatur, quoniam & spatium unum requiritur, quo *sanguis*, & dein aliud quo *cerebrum* & *nervi* impleantur: post exactum hunc paroxysmum, quia sanguis adhuc satur, plures alias ejusmodi particulas in se continens, eas succo nervoso è vestigio suffundit, idcirco paroxysmus alter sub triplo istius spatii quo prior, inducitur: hoc autem finito, quia tum *massa sanguinea*, tum *succus nervosus* sarcina sua prosus liberantur, ægrotans melius quàm alio quovis tempore se habens, alimenta satis avide capessit; deinceps vero, cum ad paroxysmum proxime sequentem primo *massa sanguinea*, & tunc *succus nervosus* materia morbifica saturari debent; ideo *gemino huic penso horæ octodecim* requiruntur; siquidem vero ad secundum paroxysmum tantum opus est particulas alias è *massa sanguinea* adhuc plena, in *liquorem nervosum* derivari, ideo huic effectui spatium longe minus, sex scilicet horarum sufficiat.

Postquam *hanc Dominam* per plures septimanas ejusmodi paroxysmis periodicis laborantem, denuo inviseram, præcepi ut tres horas ante secundum paroxysmum, *sanguis è vena pedis ad ℥x.* detraheretur, quo facto accessio vesperi expectata, prorsus eam deseruit, neque unquam postea repetebat; alter vero paroxysmus pristinam vicem observans quotidie redibat, donec phlebotomia paulo ante accessum ejus celebrata, patiens isto die morbo immunis perstitit, qui tamen postridie rediens, juxta eundem typum eam per plures menses exercuit: interim illa,

illa, quia brumæ frigus gravissimè urgebat, remediorum usum aliquandiu distulit: attamen ineunte vere, Illustrissima *Domina Oxonium* adducta sequenti methodo sanabatur.

Imprimis hoc *catharticum* exhibui, atque sexta aut septima qualibet die idem repetendum curavi.

℞. Sulphuris Antimonii gr. vi. Mercurii dul. ℈j. Resin. Jalap. gr. iv. Zinziberis gr. vi. simul terantur in marmore, dein addendo conservæ violar. ʒj. f. bolus: bis aut ter vomitum, atque tres aut quatuor sedes provocare solebat. *Catameniorum fluxus* ei statis temporibus in magna copia constanter eveniebat: quare cum sanguis valde copiosus, & calidus videretur, medio inter periodos menstruas tempore *phlebotomiam* bis aut ter instituebam: porrò singulis, quibus à *purgatione* vacabat, diebus cœpit bis in die quatuor *pilulas massæ* sequentis, superbibendo haustulum *Julapii* infra præscripti.

℞. Radicum pæoniæ maris ℥ß. Serpentariæ virginianæ, contrayervæ, dictamni cretici, an. ʒij. Cranii humani præpar. ʒiß. Ungulæ alcis ʒj. Corallii rubr. præpar. Margarit. pulv. an. ʒj. Salis absinth. ʒij. Salis corallii ʒj. cum s.q. Syrupi de floribus pæoniæ maris, f. massa.

℞. Aqu. florum pæoniæ maris, cerasorum nigrorum, juglandum, an. ℥iv. Aqu. Antiepilepticæ Langii ℥ij. Syrupi de floribus pæoniæ ℥iß. Castorei nodulo ligati & in vitro suspensi ʒj. Misc. f. Julapium.

Quando pilulas fastidire cœpit, iis omissis sumpsit bis in die, scilicet primo mane, & sero vesperi circiter ℈j. Pulveris sequentis in cochleari Julapii, superbibendo 4. aut 5. cochlearia ejusdem.

℞. Lapidis Bezoar, utriusque succini albi, Margaritarum præparat. Corallii rubr. an. ℈j. Cranii humani ℈ij. Rad. serpentariæ virginianæ, sem. rutæ, an. ʒß. Misc. f. pulvis, capiat ℈j. Mane & vesperi cum dosi Julapii supra præscripti.

Dein cum & hoc medicamentum tædio esse cœpisset, Pilular. aut etiam *elixiris proprietatis*, quandoque etiam per plures dies *sp. C. C.* usus succedebat. Postea demum ab *isto pulvere* aliquanto spatio quotidie assumpto juvari cœpit.

Interea dum hæc *medendi methodus* instituitur, *capillitio deraso*, caput tenui solum amictu cooperiebatur. *Emplastrum hystericum*, cum *Galbano admixto* super abdomen gestavit; pro potu ordinario *bochetum ex sarsa & china, rad. pæoniæ maris*, aliisque appropriatis in aq. fontana infusis, & decoctis bibebat. Intra mensem paroxysmi aliquantulum remittebantur, dein mitiores sensim minoresque facti tandem ferè in totum cessabant: nisi quod instante *catameniorum fluxu* ejusdem morbi insultu uno aut altero affici solebat, porrò *vertigine* ferè constanti & *anorexia* laborabat. *Media æstate* bibit *acidulas Astropenses* per sesqui mensem, & perfectè convaluit.

Quod vero spectat ad *Therapias* rationem in genere pro convulsionibus ejusmodi admirandis adhibendam, non facilè erit aut *remedia morbo huic Herculeis* paria, aut *curationis methodum* certam & crebris experimentis comprobatam assignare: præterquam enim quod casus isti similes raro occurrunt, insuper observare est, quod eadem medicamenta, quæ huic ægrotanti hoc tempore profuerunt, alteri, aut eidem alio tempore adhibita, ne hilum juvarent: cujus ratio videtur esse, quod morbi causa in *succi nutritii dyscrasia* consistat, qui liquor non uno semper eodemque modo pervertitur; verum à multiplici *salium* ac *sulphurum* combinatione indolem varii moris, ac generis morbidam adipiscitur, eamque subinde commutat: quapropter in gravissimis ejusmodi affectibus, *medicamenta* haud *vulgaria* & ex *pharmacopeia* deprompta, sed *magistralia*, & pro re nata, juxta symptomatum admirandorum apparentias præscribantur. *Vomitio lenis, purgatio, & phlebotomia* imprimis celebrari, ac aliquoties prout opportunum videbitur, iterari debent. Quoad *medicamenta* autem *specifica* ac in casibus istis appropriata, cum præcipua indicatio fuerit, *succi nervosi* crasin emendare, plurima tentare, & ab effectu eorum virtutes rimari liceat: itaque experiri fas sit, quid remedia *sale volatili* aut *armoniaco* prædita efficiant. In hanc rem *sp. & sales C. Cervi, sanguinis, fuliginis, flores & spiritus salis armoniaci* assumantur: His nihil juvantibus ad *chalybeata* deveniendum est, *tincturæ & solutiones corallii*, ac *antimonii* præbeantur; cujusmodi medicamenta in tali dosi & forma, & tam crebra vice exhibeantur, ut ex iis *alteratio* quædam toti *sanguini* & *succo nervoso* inducatur: porrò si talibus deerit successus, ad *alexipharmaca*, quæ contra *venena & malignitatem* humoribus impressam juvant, procedere oportebit; scilicet ex his *vegetabilium decocta, destillata, pulveres, conservas, aliaque præparata* instituere, & alia cum aliis varie componere, & diversimode administrare. Verisimile est, quod ejusmodi medicamina, quæ *demorsis à vipera*, aut *cane rabido*, etiam quæ contra *aconita & toxica* ore assumpta prodesse solent, etiam in *convulsionibus* supradictis ex usu esse possunt. Licebit hic, juxta exemplum *Gregor. Horstii* in tractatibus suis *de morbo convulsivo maligno*, item de *convulsionibus admirandis, remedia magistralia* sub forma *electuarii purgantis*, item *pulveris & antidoti convulsivi* præscribere, eademque ex *simplicibus* partim *alexipharmacis*, partimque *antiepileticul* varie componere. *Thom. Willis. de morb. convuls.*

Filiolus quidam ferè quadrimus 11. Junii 1673. conqueritur de tumore circa colli vertebras, qui in dies augebatur, variis cum symptomatibus, calore summo, siti, vigiliis, anorexia, alui constipatione atque inquietudine, 13. Junii hora 4. pomeridiana. Convulsionibus corripitur, ut ut generosa adhibuerimus medicamenta; rediere tamen istæ horis 8. & 12. nocturnis, quartaque matutina (adeò certas servabant Periodos singulis 4. horis) postremæ omnium erant sævissimæ, ut in illa lucta naturæ, cum malo disrumperetur sponte sua maturum & virulentum apostema, è quo fœdissima effluxit sanies, quo facto statim cessarunt convulsiones, Deoque propitio, cui laudes, puer rectè convaluit hactenùs satis vegetus.

Scholion) Observatio hæc stabilitur ratione & verbis *Cl. Willis de morbis convulsivis cap. 1. p. m. 11.* ubi convulsionis causam tribuit sanguini, impuritatem aliundè accipienti, inquientis: Ita in magnis viscerum impuritatibus, ac præcipuè cum partes aliquæ abscessu aut ulcere virulento

vel

vel fermento noxio afficiuntur, è talibus enim μιασμάτων νοστρῶν mineris particulæ noxiæ in sanguinem ebulliunt, ejusque commeatu postea in cerebrum deponuntur. *Idem ibidem p. m. ij.* scripserat; *Novi quibus à tumore vel ulcere in mesenterio, utero, aliisque visceribus exsistente convulsiones cùm in parte affecta, tum circum circa eam increbescere solebant: cujus ratio non videtur aliunde petenda quàm à particulis heterogeneis in loco affecto uberius congestis, quæque simul in fibras nerveas per totam viciniam consitas irrepentes*, in *motuum convulsivorum, veluti pulveris pyrii igniendi fomitem suppeditant: At verò spasmi ob tales* προφάσεις *oriundi haud sese solent longe latèque diffundere, neque semper ad caput adscendere.* Qui *ibid. pag. 7.* meminit ab ulcere in cujusdam brachio excitato musculi tendinem prorsus nudatum fuisse; qui cum specillo Chirurgico tangeretur patientem rigore quodam in toto corpore & concussione illicò oborta, aliquamdiu inhorruisse. Nec admodum abludit πολλῶν ἀντάξιο ἄλλων *Clar. Sennertus* noster, quando *Prax. l.1. p.2. c.11.* docet, ex vulnere, capitis fieri convulsiones: ubi præcipuè hanc addit causam: *quia*, inquiens, *à sanie collecta membranæ & nervi vellicantur.* Quod antè 5. annos observavi in Rustico Rosbacensi 26. annos nato, qui ab amico per imprudentiam in sinistris temporibus sclopeti globulo vulnerabatur, ubi pars globuli cum aliquot cranii particulis, posticæ cerebri parti infigebatur: Inde homo 17. die post inflictum vulnus spasmo maxillæ inferioris corripiebatur 19. verò die convulsionibus obiit, in cujus apertione materia purulenta in loco affecto cum dictis cranii & globuli particulis inveniebatur. Curationem convulsionis ab apostemate proponit *Forestus 60. observat.120.* in Schol. hisce. *Curetur apostema, & præ omnibus dolor sedetur unctionibus, emplastris anodynis & membrum ponendo in oleo tepido communi, vel huic rei apto. Et oportet magnam rationem habere originis nervorum, iisque oppositis temperatè calefacientibus & humectantibus, & ægrum in tinam olei communis tepidi immittere poteris, si commodum videatur; & febres, si adfuerint, admittant*, &c.

De morbi causa accuratè ut omnia Oculatissimus noster *Argus*, sed de periodorum stabilitate addendum videtur, Naturæ frequentissimum esse, morbi modum moresque in quarto prodere, 2. *Aphor. Hippoc.29.* præsertim in convulsionibus, quod passim constat, & illustri exemplo confirmatur in *Scorzonera mea p.95.* sic variolæ, sic morbilli & petechiæ quarto plerumque proderunt, & ut breviter totius historiæ summam, præsertim in variolis ostendam, tribus quatriduis aut 4. triduis plerumque absolvitur eorum periodus, in primo maxima humorum malignorum invalescit effervescentia, & emulsionibus est temperanda, in secundo pustularum efflorescit intumescentia, quæ blandis diaphoreticis promovenda, suppurascentia autem, quæ in tertium quatriduum incidit, Naturæ committenda & providis adstantibus, ne quid impedimenti naturæ benè agenti afferatur. Quarto judicantur peracuti, nec quartus est index septimi, quod dicti aphorismi interpretes quidam cum Galeno autumant, sed τῶν ἑπτὰ ex septem diebus, vel cujuslibet septimanæ quartus qualis ex mente *Hippocrat.* est etiam 11. manifestis signis futuram morbi historiam vel longam vel brevem denuntiat; Sanguinis stillæ in quarto sunt funestæ, & febres ac vomitus vulneribus capitis in quarto supervenientes; quarto febris puerperarum lactaria oritur, 4. quaque septimana menses prodeunt, quarto mense Embryo movetur, quarto trimestri in lucem editur, vel septem quadragenariis i.e. diebus 280. &c. Oculatioribus causam hujus rei intimiùs eruendam propono. *Georgii Franci.*

Dixit equidem Artis nostræ Atlas maximus, *Cous V. Aph. 2.* ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος θανάσιμον. Verùm non adeò juremus in magistri verba, uti quidem videri possit doctissimus *Bernh. Languedelius in Hippocr. defensione*: nec adeò illum rejicimus, uti *Clar. Georg. Fridericus Laurentius in Exercit.* (quorsum enim ista litigia & scommata:) sed credimus sapientissimum senem locutum ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον: nulla enim sine exceptione regula *Joh. Valent. Eblin.* Ann. 22. von *Westhofen* in Palat. inferiore 1675. ipsa æstate (dum inter imperium Germ. & Gallicum gliscebat Bellum) à Gallo quodam perfido, cui hodogetæ officium præbebat, fraudulenter minoris Sclopeti globulo pone tempora dextra tribus transversis digitis suprà aurem trajicitur, ut octo vel decem ossicula fracta indè fuerint exempta à perito nostro Chirurgo *M. J. P. Weislero.* Homo accepta plaga ab equo cecidit, pro mortuo spoliatus relinquebatur ab interfectore. Verùm semi-animis dein inventus, refectus atque (quæ Dei singularis fuit Clementia) curatus fuit feliciter à laudato Chirurgo, cui præerat Nobiliss. *D. D. Steigerus Medic. ordin. Elect. Nosodoch. & Poliater. Heidelberg.* Amicus Suavissimus: utut æger magnas easque repetitas passus fuerit convulsiones, cum aphonia 8. dierum, & notabili deperditione ipsius substantiæ cerebri; adeò ut ex eodem extraxerit reliquias globuli cum adhærente theca papyracea (*von der Patrone*) Chirurgus noster. Homo vivit adhuc cætera sanus; nisi quòd à potû generosiore citius ac alii deliret, ac ebrius reddatur.

Scholium.) Similia vulnerati cerebri cum particulæ ejusdem deperditione & convulsione exempla, præter aliorum à *Schenkio lib.1. observ. Medic.* citatorum, etiam habent *Sachsius noster Ephem. N. C. ann.11. observ. 119. Timæus lib.6. cas. Med.37.* & *Cabrolius observ.161.* Hinc, si *Hippocratem* salvum velimus, idem quod paulò supra ex *Galeno* notatum fuit, hic repetere tenemur, ipsum nempè *sect.6. aph.18.* Vulnerum lethalitatem non solùm de iis prædicare quæ necessariò, suapte natura, & semper, sed etiam quæ magna ex parte lethalia sunt; idque de cerebri vulneribus, *lib.1. de morb.* inter lethalia primo loco positis, non obscurè edixit *Coac. prænot.* ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα, &c. *Ex vulnere ferè mors contingit, si cui vulneratum fuerit cerebrum*, & vertente sic *Foesio*, & clariùs *Prorrhet.* 2. inter τρώματα θανάτω δίκεια, *quæ magis lethalia sunt*, sive uti *idem Foësius* interpretatur, *fere mortem adferunt*, illa quoque recenset, quæ cerebrum læserunt, addens, *quæ sanè magnam quidem perniciem afferunt, non eam tamen ut* (*quod quidam existimant*) nemo *ex his servari possit.* Id quod etiam de convulsione vulneribus superveniente *Galenus comm. sect.5. aph.2.* edixerat, τὸ θανάσιμον idem esse scribens ac *periculosum*, ita ut convulsio ista ad mortem sæ-

sæpius terminetur, non tanquam ex necessitate ac semper mortem afferens, sed tanquam admodum crebro. *Georgii Franci.*

Mensis nunc est, à quo mulier Holschamindensis ex Ducatû Guelferbytano puellum fere septennem mihi sistebat non uno malo miserum. Nec ambulare nec stare poterat, brachia veluti trunci pendebant immota, rigebant digiti, venter immensum distentus, facies cadaverosa, pedes inflati, manus fœdissima scabie obductæ. Subitò mihi oriebatur suspicio de vermibus. Pauperculæ itaque pulv. ex mercur. dulc. C. C. crud. rasp. &c. largior. Hoc solo cum lacte dato 72. Vermes expuli, quos deinde in scatula collectos non sine gaudio monstrabat. Deo mihique summas agens gratias pro obtenta filioli sanitate. *Christiani Francisci Paulini.*

Filiam 8. annorum consilii conferendi gratia ad me adducit mater, cujus caput, brachia & crura in continuo erant motu, & quidem caput à dextro in sinistrum & contra; brachia & crura sursum deorsum ipsa invita agitabantur, adeo ut neuter pes ullibi permanserit fixus. Cui malum hoc originem debeat, dubius primum fui. Ad convulsivos autem motus referre non dubitavi. Nulla præter motum istum inordinatum offensæ valetudinis aderat nota: omnia sua debite fungi munere videbantur: urina tantum pallida & fermè aquosa viriditatis leve dabat indicium. Omnibus in ægra bene ponderatis, vermes hanc convulsionis speciem producere conjeci, licet evidentia illorum signa alia non adessent. Ea enim, fatente *Foresto l. 21. obs. 28. schol.* nonnunquam adeò obscura & symptomata adeò multa & cum aliis morbis communia sunt, ut doctissimos aliquando Medicos fallant. Succurrit tum observatio apud *D. Thonerum lib. 2. pag. 49.* quam sibi quoque communicatam tradit *D. Greg. Horstius Epist. Med. Sect. 7.* de filia 14. annorum, quæ à vermibus non tantum ingentem colli constrictionem, quasi laqueo injecto fauces præcludente, cum imminenti suffocationis periculo, sed utriusque insuper tum brachii, tum cruris motum convulsionum passa, ita ut crus modo dextrum, modo sinistrum ad nates usque invitâ ægrâ, quasi funiculis agitata, alternatim fuerit flexum. Nostram ægram mitius quidem animata colluvies, ut ex dictis videre est, tractavit, gravem tamen sibi remediorum omnium apparatum primùm respuit, respuere autem desiit & tandem emigravit, oblato aliquoties haustû aquæ stillatitiæ raphani rusticani, aliis aquis ob acrimoniam temperatæ; quam etiam commendat *D. Sebizius lib. 2. de alim. facult. p. 400.* ubi hoc condimento, esû sed raphani illius rasi fœminam quandam aliis remediis frustra usurpatis plurimos ejecisse vermes notat. Vermibus XI. è puella nostra aquæ dictæ usû ejectis, convulsivi motus brevi cessarunt. *Joan. Christiani Frommanni.*

Cum anno 1667. Zittaviæ degerem, curæ meæ committebatur Puer quinque annorum, qui ad quartum usque annum bona valetudine erat usus. Circa initium quinti anni male se habere cœpit; cùm virium & caloris nativi jactura. Tandem febris lenta & ventris tumor eum invasit, quibus subsecuta brachiorum, præprimis autem pedum contractura, ita, ut neque stare, neque ambulare amplius posset. Causam hujus metamorphoseos lumbricos esse ratus, curam, præeunte experientissimo Riverio Cent. 1. observat. 16. p. 13. ad debellandos eos instituendam duxi, quod & felicissimo successû præstiti; & una vice fermè triginta, sequentibus vero diebus, partitis tamen vicibus, supra quadraginta expuli, partim vivos, partim mortuos, tali cum fructû, ut puer brevi tempore, reliquis ad rem facientibus non omissis, iterum stare & ambulare inciperet. Vermes dejecti omnes erant cornuti instar cochlearum, cum rostello acuto, formæ, longitudinis & latitudinis hic exhibitæ. *Melchioris Fribe.*

Anno 1642. Pastor quidam Parœciæ Ringerum, in Ostrogothia, duobus milliaribus Sudor copia distantis, opem meam implorabat, quem miris convulsionibus, per sesquiannum adeo diuexatum, ut toto illo tempore vix dormire aut cibum capere potuisset, domestici referebant.

Ad ægrum verò accedens inveniebam eum dextri lateris paralysi affectum, resupinum, seminudum (intimum enim ventrem lodice saltem texerat) pedibus elevatis, & lecti assamentis firmiter applicitis, sine intermissione ferè, & tam miserabiliter afflictum, ut cœnare in ejus præsentia, nam è regione cubilis mensam straverant, prorsùs nequirem. Tanta enim vehementia omnes articuli successivè, ter dextrosum; totiesque inde sinistrorsum, circumgyrabantur, ut sani brachii fragorem in proximo conclavi, ante cubiculi januam, decem ad minimum pedes ab ægro remotus, non obscure interdum perciperem.

Imminentis paroxysmi prænuncius erat sanæ manus index, is enim, elevato brachio, convellendam sinistri hypochondrii partem, inter superius ventriculi orificium & lienem, bis tribus vicibus apice suo fortiter pulsando, luctæ locum designabat, ac sine mora subjecta viscera ter dextram, totiesque sinistram versùs, reciprocè circumagi, illisque liberatis; quantocyùs se in thorace similiter inquietari, licet astantium visum hæc fugerent, patiens referebat. Posteà omnes brachii articuli ab humero, ad ultimum usque indicis condylum: deinceps cervix & oculi, eodem modo rotabantur. Imò circa verticem quoque ac in resoluti lateris partibus omnibus, ab humero, ad pedis usque pollicem, similem prorsùs motum, quamvis à nobis observari id nequiret, se sentire asseverabat.

Eo vero cessante, alter pollex, omnesque insequenter sani pedis & lateris articuli, idem patiebantur, donec in loco, ab indice prænotato, desineret, & furiis his agitato, delassatoque ægro aliqualis redderetur quies, quæ tamen levis admodum erat, & adeò brevis, ut vix centum verba inter hanc & novam similis mali invasionem, profari quis potuisset.

Sciscitanti, quamdiu hanc sustinuisset pugnam, & quænam ejus fuissent præludia narrabat? se ante biennium è pago vicino, ubi infantem sacro baptismatis fonte abluerat, equo domum revectum, non procul ab ædibus suis, hemiplexia, in dextri lateris paralysin postea desinente, correptum, &, à suis cubiculo illatum, ab usu calidiorum aliquot antapoplecticorum medicaminum, à Sacerdote vicino, &

Gallico

Gallico Chirurgo subministratorum, in ingentem ventris humorem repentè incidisse, & instar pilæ majoris, aëre distentæ, inflatum esse, nec ullo artificio, nisi sæpius & fortiter contentum in eo spiritum efflando, alleviari potuisse, semper tamen aliquoties labore isto repetito, ventrem subsedisse, & ad naturalem statum rediisse.

Tandem verò, crebrò ab empiricis illis, exhibitis oleis carminantibus, tumorem quidem omnino desiisse, sed motum hunc convulsivum & membrorum agitationem, eidem successisse.

Rogabant amici, ut auxiliares ipsi manus porrigerem, cùm autem, omnibus rationis trutina exactè ponderatis, morbum ejus non ex causis merè naturalibus, sed magica sagæ cujusdam incantatione potissimùm oriundum, me statuere, sicque naturalibus mediis non cessurum regererem, facilè quidem assentiebatur æger, ante biennium æditui sui, veneficii insimulatam, & baculo à se percussam uxorem, se non inultam id laturam interminatam sibi esse, recordando, instabant tamen ut, flebilis ejus conditionis misertus, appropriata nihilominus quædam remedia præscriberem, fore dicentes, ut, si non omnino virtute eorum convalesceret, mitius tamen forsan deinceps affligeretur.

Quod cum denegare illis nequirem, generosa & selecta nonnulla medicamina hic fieri jubebam, utendique modum & seriem astantes docebam. A quorum usû etiamsi indomitus affectus non in totum cederet, multùm tamen à ferocia sua illum remisisse & longiores inducias concessisse, ipse æger lætabundus fatebatur.

Cum vero remedia ista munificentia viri cujusdam primarii nactus esset, & deinceps, ipse pauper & inops, plura id genus obtinere non posset, reliquam spem morbo, recrudescente, majoresque vires acquirente in sola Numinis misericordia collocans, & per dimidium fermè annum supplicationibus & precibus publicis in omnibus provinciæ templis, pro benigna ejus dimissione, ad Deum fusis, placidè expirans, miseram hanc cum feliciore vita commutabat.

Et hæc est, Vir Excellentissime, quam in chartam conjicere me volebas, de mira illa membrorum omnium circumgyratione, in cultiore quidem stylo exarata observatio, quam pro accuratissimo tuo judicio lucem videre publicam, vel oblivione obliterari sinas. *Bernardus Belovv.*

Virguncula decennis à fulgure & tempestate conterrita, tam vehementibus brachii ac cruris sinistri correpta est convulsionibus, ut neutiquam ab assistentibus contineri posset, sed mentis compos alteri innixa cruri cubiculi penes parietes discurrere cogeretur: per venæ-sectionem autem aliaque anti-convulsoria ab iisdem vindicata est. Quod concitatori gresû per cubiculum discurrerit, nemini mirum videatur, nam sicuti *Avicen. Sententia Prim. 3. tract. 5. cap. 8.* ubi ait impossibile esse hominem Epilepsia detentum erecto posse permanere corpore, verissima est: ita illa *Galeni 1. de sympt. caus.* ubi nullum in convulsione functionum principum fieri nocumentum docet, intaminata manet atque stabilita, per Marcellum Donatum, qui convulsum non cadentem, Benivenium, qui stantem; Dodonæum qui sedentem; & Erastum qui cursitantem observavit. *Nicolai Guilielmi Beckers.*

Rusticus, incola pagi Hettlingen, ditionis Vitoduranæ, in agro Tigurino, horæ unius itinere à Vitodurano distantis, nomine Franciscus Muller, pater sex puellarum est, & unius filii. Hujus filiæ natû majores, secunda & tertia videlicet, Magdalena & Anna, illa nono ætatis anno, hæc septimo, mense Maio, Anni 1672. cum aliis puellarum more ludentes, prope ædes Sub-præfecti illius loci recens extruendas, lignorum segmenta ab opificibus rejecta tractantes, & convivia ficta nuptialia instituentes, precibus fusis, se eorum nonnulla devorare simularunt, imò quibusdam ea devorasse creduntur, ipsæ vero puellæ rei sunt incertæ, nec bene memores: hæc vero deglutitio penes nos fidem vix meruit. Ab eo tempore nil sinistri fuere conquestæ, exceptis subinde abdominis doloribus, qui sensim increscentes, compressivi, lancinantes, pungitivi, stomacho, cibo distento, & abdomini Magdalenæ inprimis, negotium facesserunt, præcipue in cursû concitatiore, in quo impedita à sociis facile vincebatur; cibo quoque cito satiabatur, ab eoque sudabat, cæteræ sanæ.

Die 17. Decembr. St. V. Anni 1673. istæ duæ, Magdalena & Anna, decumbere cœperunt, accusantes punctorios ventris dolores, salvo tamen appetitu, somno, alvique officio. Magdalena manè & vesperi convulsivis fuit agitata motibus, convulsiones singulis diebus rediere, excepto unico die secundo, videlicet Januarii, Anni 1674. (paroxysmus sæpè per tres horas duravit.) Quum per quatuordecim dies decubuere, die Lunæ, quinto Januarii, Parens consuluit, oblatâ urinâ, anum medicastram in *Wisendangen*, quæ, pro more, somniabat, Magdalenam laborare morbo, quem *der Nick* appellavit, & alia futilia edicebat, rationi neutiquam consentanea, dabatque herbas quasdam in aqua decoquendas, cujus decocti sumeret manè & vesperi haustum per quatuor dies, videlicet Martis, Mercurii, Jovis, & Veneris,

Die Saturni 10. Januarii, sumpsit ejusdem suasû & præscriptione potionem purgantem, (infusionem vitri antimonii) quæ validissimos excitavit vomitus, nulla tamen segmenta extrusit. Diebus novem sequentibus, singulis diebus semel saltem bibit decoctum dictum. Die lunæ vero, 19. Januarii ultima vice id sumpsit, die Martis, 20. Jan. sub vesperam Magdalenæ primò prodiit ex ore paruulum segmentum: die Mercurii, 21. Jan. plura & majora eructavit segmenta, per totum diem usque ad decimam noctis horam; nec non & sequentibus diebus semel atque iterum, præsentibus loci sub-præfecto & senioribus.

Segmenta illa lignorum, multis foraminulis peresa, velûti annosa, fuerunt parva, magna, longa, curta, lata, angusta (uti superstites portiones testantur) idest, quædam digiti, quædam duorum, unius vel dimidii articuli longitudine, nonnulla dimidiæ unciæ, nonnulla quartæ, sextæ, vel octavæ unciæ partis latitudine, quædam instar spinæ acuta; nunc pauciora, nunc plura: aliquando una vice undecim, sæpiùs

tria, quatuor, quinque vel sex ejecit, magno semper nisu convulsivo, nunquam cum vomitû, at cum labore ingenti ac dolore; restitarunt namque subinde in gulæ medio circà thymum fixa cum dolore, vellicatione, angore & asthmate; interdum ventriculum repetierunt. Hæsere verò nonnunquam in gula per totam noctem, nihilominùs, dormivit puella: manè convulsivo motû illa rejecit, nunc citiùs, nunc tardiùs, nunc majori, nunc minori nisû: decumbens nulla excrevit, omnia sedens vel erecto corpore. Intrà 18. dies trecenta hujusmodi segmenta extrusisse dicitur, (quæ ferè omnia, apud plures licet, supersunt, & maxima eorum pars in Bibliotheca nostra civica, cum teredine asservatur,) cum levamine, salvo appetitû, sine siti, cum somno naturali; at convulsionibus perseverantibus.

Anna quoque singulis diebus fuit convulsa, sub vesperam diei Saturni 24. Jan. St.V. tria segmenta pari modo, uti *Magdalena*, ab ore dedit, die sequente Solis quartum: præterea nulla.

Die Lunæ, 26. Jan. Pater denuò vetulæ consilium poscit, monstrans urinas 4. puellarum, quæ convulsionibus agitabantur, videlicet *Magdalenæ*, nunc undecim annorum, *Annæ* novem, *Ursulæ* 7. & *Elisabetæ* 5. an. 6. m. Vetula præter morem aperte confessa, se affectum *Magdalenæ* non intelligere; jussit saltem oleo olivarum gulam perungere, ut facilitaretur segmentorum exitus: *Ursulæ* dedit potionem emeticam, aiebat enim laborare chlorosi, quod falsum & absonum. Reliquæ relictæ sine auxiliis. Die 6. Febr. *Magdalena* ultima vice elidit lignea segmenta, ab hoc tempore per mensem nulla prorsus: singulis nihilominus diebus acriter convellebatur.

Die Veneris 13. Febr. *Magdalena* per totum diem fuit debilis; Vesperi inter octavam & nonam sæpè sputum eructavit spumosum; tandem caput viperæ ad digiti longitudinem prodiit, quæ à Matre tum præsente & ipsa puella obscurè & attonitè fuit observata, quæque hinc indè circumspiciens, rotato capite, mox iterum in fauces & stomachum se recepit, cum sensû frigoris; instar lactis coagulati. Noctû dormivit puella, nil de angue percipiens.

Die Saturni 14. Febr. horâ quintâ vespertinâ excrevit ab ore teredinem, unciæ ferè unius longitudine, vivam, cum pauco sanguine, sine dolore, tussi & vomitû: teredo vixit in diem Martis usque. Eodem hoc die Saturni, post horæ quadrantem dolorem sensit pungitivum, tunc ambabus apprehendit manibus totum pectus, quo valdè commoto, subitò anguis ascendit; ac aliis sororculis Deum invocantibus & ipsa orare cœpit. *Psalm.* 23. sed desistere coacta fuit ob anguem magis magisque ascendentem, Anna sola ipsi propiùs adstans, reliquis longiùs dissitis, ponè fornacem in obscuro versantibus, vidit *Magdalenæ* quidpiam in os exurgere, & extra os, spithamæ ferè longitudine, propendere, ac illicò regredi. *Anna* asserit fuisse animal in dorso nigricans, & in ventre variis coloribus variegatum, plura non observavit, quoniam præ timore in convulsiones incidit: Magdalena verò id ambabus apprehensura manibus, ab eo in monticulo digiti indicis manus dextræ fuit demorsa, cum levi dolore, sine alio subsecuto deteriore symptomate: cujus puncturæ vestigium nobis tandem accersitis monstravit. Post quartam horæ partem vipera rediit, ostentans se digiti longitudine, moxque refugit. Noctû iterum bene dormivit.

Die solis 15. Febr. bestia sæpiùs in os ascendit, atque denuò in stomachum descendit, in ore suxit ac stridit, ut ab adstantibus suctus & stridor facilè perciperetur. Puella hoc die suasû rusticorum comedit *carnem salitam*, haustumque jusculum sensit viperam sitientem avidè arripere. Idem accidit die Lunæ continuantibus convulsionibus.

Die Martis, 16. Febr. demum advocatus ego inveni istam puellam convulsionibus gravibus, frequentibus & universalibus distorqueri; serpentem sæpiùs & facilè, illitis labiis vel lingua melle vel lacte, vel ejus calentis odore saltem percepto, in os ascendere, sugere, stridere. Sugente verò & os opplente serpente, puellæ dentes convulsivo motu adeò stringebantur, ut eos à se invicem vel exquisitissimo instrumento nec Ego, nec Chirurgus nostras minimum diducere, & os aperire, valuerimus. Retrogradiente verò vipera puella os aperuit, & apposite omnia explicuit; (id quod facilè admoto ori pane vel vino procuratum) hiante ore nunquam plenè & perfectè in os ascendit vipera; quamdiù autem in ore præsens erat, os aperire nequit; ac simul ac recessit aperuit os, ut semper. Testatur puella se subindè rosiones, morsus & motus inordinatos frigoris, ceu anguis, in stomacho persentiscere. Exhibui hoc die. Aqu. perlarum cum pulv. march. ut & Aq. Antepilept. Noctû quieta fuit, nec anguis motum sensit. Soror ipsius *Anna* ob convulsiones hodiè à Syrupo, meo emetico egregiè vomuit.

Hoc die rem notam facio Nobiliss. atque Excellentiss. *Dn. Christophoro Hardeo*, Medicinæ Doctori celeberrimo, ac Physico Scaphusano felicissimo, Fautori ac Patrono meo summo, & in pluribus casibus probatissimo, per puellarum patrem, qui adventum promittit in diem Jovis.

Die Mercurii, 17. Febr. refecta fuit eadem Aq. perlar. cum pulv. march. & Aq. Antepilept. Hora 10. antemeridiana anguis in os exurgit, edens vocem instar pullorum columbarum, retrocedens in stomachum, eum punxit à meridie sæpiùs in os rediit. Accessit non vocatus circumforaneus quidam nefandæ famæ, puellæ anguis formam in mensa creta adumbrans, ac fasciam sericeam rubram à collari suo abreptam, odorandam offerens, nam colore rubro serpentes valdè delectari, illumque sequi referebat: à domesticis abactus, ac procul ire jussus in diversorio varia artis suæ jactabundus promulgavit dogmata, ejus pretii atque præmii, ut jussû Magistratus in carcerem fuerit conjectus.

Circa quartam vespertinam *Magdalena* diu angebatur, tandem ex cætu hominum se subducens, & ex hypocausto in pratulum excurrens anguem in præterfluentem rivulum, ad quem alvum (salva venia) exoneratura sedebat, ut ipsa narrabat, projecisse dicitur, quæ saltû magno decem circiter pedes alto, peracto, in rivulum iterum decidens, ampliùs visa non fuit, quonam se absconderit, incertum: terra enim tunc gelu erat indurata, atque propè rivulum dumeta,

dumeta, ut facilè se abscondere potuerit, neque investigari. Dicitur quoque anguis, antequàm se rivulo immitteret, insectari voluisse puellam cum clamore fugientem, ac nè hospes tam dirus antiquum hospitium repeteret, metuentem, quæ à Patruo abrepta in hypocaustum reportata fuit. Anguem istam nemo vidit, quàm puella ipsa & ejus pater, per foramen muri domus actum hunc observans. Hinc læta puella optimè habuit, nec quicquam conquerens, comedit, dormivit optimè.

Die jovis, 18. Febr. hora 10. antemeridiana iterum atrocissimis fuit occupata motibus convulsivis totius corporis per integram horam, qui nunc opisthotonon, nunc emprosthotonon, nunc alias figuras referebant. Hoc tempore nulla aderant indicia anguis præsentis.

Hora undecima antemeridiana accedens Excellentiss. *D. D. Harderus*, cum filio Dn. Joanne Jacobo, φιλιάτρῳ, rerum rariorum ac curiosarum studiosissimo, invenit puellam convulsionibus quidem liberam, at parum articulatè adhuc loquentem, ob perpessas convulsiones, sensim vox restituta. Ad excrementa anguis & corruptos in stomacho humores exturbandos *Magdalenæ* dedimus syrup. mei emetici dosin, purgata benè cum tolerantia, tandem denuò atroces sustinuit convulsiones, & frequentes, nullo anguis indicio. Annæ dedimus iterum dictum syr. emet. nulla subsecuta operatio: *Ursulæ & Elisabetæ* itidem; hæ fuere evacuatæ cum εὐφορία. Nam & hæ, in primis *Elisabeta*, sæpiùs in die convulsione, in primis opisthotono lacessebantur, ut & filia triennis, *Susanna*.

Sub vesperam ipsa quoque Mater iisdem, & primâ nunc vice, tentatur convulsionibus, ab exhibito tartaro emetico planè non vomuit: convulsiones itentidem rediere; ori infudimus pulv. antepilept. cum Aq. antepileptica: naribus obtulimus massam pilæ hystericæ, rutam tusam. *Magdalenæ & Elisabethæ* dedimus pulv. antepilept. & gemmatum: à cœna Matri exhibuimus pulv. march. cum laud. opiat. *Elisabetæ* verò ob frequentissimos paroxysmos pulv. march. cum pauxillo laud. opiato.

Die Veneris, 19. Febr. alius apud *Magdalenam* comparuit serpens motû per collum in os; suctû & stridore, necnon convulsivo maxillarum motû sese manifestans: Varia cum lacte, saccharo & melle tentavimus, at incassum. Ab hora nona antemeridiana ad 12. perpetuis ferè & horrendis fuit divexata convulsionibus. Nunc & potissimum, opisthotonus ipsam tenebat, nunc oculos ipsi distortos fingebat Spasmus, nunc convellebatur panniculus carnosus capitis, nunc totum corpus circumgyrabatur, nunc serpebat humi instar serpentis, nunc digitos vel manuum vel pedum, alternativè vel extendebat singulos ordine, vel omnes simul, nunc hos vel illos complicabat, diaphragma sæpiùs convulsivo motû partes inferioris & medii ventris horrendo adspectû quatiebat: ventrem seu abdomen sæpiùs in altum elevabant instar arcus, subitoque in dorsum cum sonitû recidebant, in primis *Magdalena* & *Elisabeta*: in ipsa vel sævissima convulsione sæpiùs perstiterunt mentis compotes, audiebant, nonnunquam videbant omnia, atque spasmo solutæ distinctè acta omnia enarrare sciebant. Finitis convulsionibus, ut ante, dedimus *Magdalenæ* carnes valdè salitas, ad irritandum anguem. Annisi quoque fuimus eundem prolectare melle, saccharo, lacte dulci, sed eodem, quo priùs effectû, videlicet nullo: simul ac enim vipera os conscendit, suxit, suctuque dentes validissimè constrinxit: nec in tubulum; nec in vesicam, nec in præterfluentem rivulum, nec in vas latum aqua vel lacte repletum, allici potuit. Stomacho applicuimus cataplasma ex theriaca; umbilico sacculum ruta & absinthio infarctum; vino & aceto incoctum: Internè quoque dedimus theriacam vino dilutam, iterum carnes salsas, tandem lac, cui allia incoxerunt; omnia per intervalla & successivè: Anguis quidem hinc irritabatur, convulsiones excitabat, os petebat, at valido suo suctu dentes stringebat, adeò, ut exitus omnis præcluderetur. Tubulum verò & vesicam (licet ex illo mel omne avidè hauriret) anguis ut intraret, obtinere neutiquam potuimus; nec eo usque caput exeruit, ut forcipibus apprehendi à nobis sedulo ipsam anhelantibus valuisset. Sub vesperam planè quievit serpens. Et puella superatis convulsionibus à Solis occasû meliùs habuit, fuitque instar sanissimæ, læta, jocosa, in primis per octiduum; abhorruit hypocaustum ingredientes capite pileo tecto, & quorum colla martes cingebant, (eandem aversionem & *Anna* passa est) at parùm comedit, saturata prius carne salita, ut dictum, & lacte. Hora 10. noctis dedimus puellæ devorandas pilulas ad anguem enecandum ex Mercur. dulc. M. P. de Aloë cum Rhab. omnes expedite deglutiit cum decoct. pot. ordin. per totam noctem benè dormivit.

Hoc veneris die Matri ob convulsiones, anxietates circà præcordia, oris amarorem, ac insuavitatem, inprimis, quoniam heri planè non ab exhibito vomitorio fuit purgata, dedimus pulverem è tartar. emet. & crem. tartar. qui tardè, at egregiè eam evacuavit.

Elisabetæ propinavimus de pulv. march. quæ sæpiùs ultra 20. per diem horrendas, ast breviores, quàm anteà, pertulit convulsiones. Ut omnibus convulsis, Matri, & filiabus quinque decenter succurreretur, pro nècessitate repetito usû medicamenti minùs pretiosi præscripsimus pulv. ex rad. pæon. valer. sylv. aron. opt. visc. querc. gran. pæon. exc. C. C. ust. præpar. & sacch. alb. paratum. Loco potûs ordinarii bibebant omnes decoctum C. C. usti, cui calenti adhuc dum immergeretur nodulus ex rad. pæon. cinnam. & anis. compositus. Sub vesperam dedimus Matri prædicti pulveris dosin, cum decoct. pot. ordin. item *Annæ & Elisabetæ*, pro ætate; Susannæ verò exhibuimus manè syr. emet. unde sat purgabatur. *Anna* hodiè bis saltem fuit convulsa.

Die Saturni, 21. Febr. summo manè *Magdalena* quater ἄνω ϰ κάτω fuit purgata; per superiora excrevit aquam spumosam; per inferiora excrementa viscida, A carne salsa comesta sensit motum anguis circà præcordia, hinc convulsiones abominandæ: à melle anguis in os prolecta arripi non potest, nec vesicam vel brevioris colli seu tubuli intrat. Convulsiones identidem rediere, tandem puella nobis alacris relicta.

Mater & *Elisabeta* iterum sumpserunt pulveris dicti

dicti ant-Epileptici portionem, idem faciunt sequentibus diebus manè & vesperi: in hunc finem ponderatæ aliquot doses, & marito traditæ. Elisabeta quater vel quinquies passa est convulsiones ex improviso ipsam adorientes, cum opisthotono semper incipientes, atque distortis oculis sat atroces, at breviores, cum summa abdominis elevatione, ac tandem violento, repentinoque ejusdem relapsu, quibus finitis visit, comedit, hinc inde cucurrit, conquerens saltem de dolore quodam dorsi, capitis & cordis suspicamur & hanc uenenati quid alere, abdomen enim & diaphragma quovis fere paroxysmo mirum in modum convelluntur ac quatiuntur.

Die Solis 22. Febr. Magdalena hora 3. matutina excrevit tres lumbricos per inferiora cum fœcibus mucosis, albis & flavis, & cum impetû maximo evomuit materiam quandam aqueam: hora 7. matutina sumpsit bolum ex mercur. dulci, à quo aliquoties alvum soluit, unde vires defecerunt, cum appetitû dejecto: refecta *aqua* cardiaca melius habuit; convulsionibus hodie ter prehensa.

Elisabeta nil mota à bolo ex mercur. dulc. hodie devorato, ultra 20. convulsiones passa. Pater conquerens de ventriculi & capitis dolore sumpsit emeticum cum ἀφοεία.

Die Lunæ, 23. Feb. Magdalena septem longis iisque atrocissimis convulsivis agitatur motibus cum linguæ prominentia & intumescentia: conqueritur subinde de morsû & rosione circa cordis regionem, unde mox aderat hæmoptysis. Anna 10. convulsivos passa paroxysmos, at breviores ac mitiores. Elisabeta 24. habuit insultus convulsivos, leves, breves; sumpsit hora quarta vespertina pil. de extr. cathol. & mercur. dulc. Susanna hodie ter fuit convulsa.

Die Martis, 24. Febr. Magdalena hoc mane sumpsit pulv. de guttet. cum aq. pæon. hoc die sexies fuit convulsionibus distenta. Anna itidem sumpsit hodie istum pulverem, atque itidem sexies convulsiones perpessa. Elisabeta sumpsit quoque eundem pulverem, & 26. paroxysmos innoxiè pertulit. Susanna deglutito eodem pulvere quinquies convulsionibus vellicata.

Die Mercurii, 25. Febr. Magdalena sumpsit pulv. diagrydiat. cum Mercur. dulc. Hinc quater purgata. & hora quarta vespertina tres excrevit lumbricos; quinquies fuit convulsa: sub vesperam accepit pulv. de guttet. dein conqueritur de morsû cordis, hinc hæmoptysis rediit.

Auna hausit quoque pulv. diagrydiatum cum mercur. dulci, à quo sæpissimè excrevit materiam albam, mucosam, cum 2. lumbricis: quinquies exercita convulsionibus; sub vesperam accepit pulverem de *guttet*.

Elisabeta absorbsit quoque diagrydiatum pulverem cum mercur. dulci excrevit materiam copiosissimam, tenacem, viscidam, spermatis ranarum instar, cum capillorum flocco conglutinato: sub vesperam exhibitus pulv. de guttet, quoniam 24. vices convulsionibus lancinata. Susanna verò iisdem ter correpta.

Siquidem haud vana suspicio puellas istas pluribus scatere vermibus, præscripsi medicamentum ex pulv. contra vermes, de guttet merc. & troch. alhand. compositum; & singulis fuit dosis exhibita manè & vesperi, cum decocto potus ordin.

Die jovis. 26. Febr. Magdalena duos ejecit lumbricos, vesperi sumpsit dosin unam pulv. contra verm. præscripti: novies convulsa Anna septies, at mirè convulsa, accepit dosin pulv, contra vermes.

Elisabeta tres excrevit lumbricos, deglutiit dosin ejusdem pulveris; ad 24. vices itidem convulsionibus agitata.

Susanna sex convulsivos sustinuit paroxysmos, & blandos, devorat conf. sem. cinæ.

Die Veneris, 27. Febr. Magdalena novem atroces convulsionum sustinuit paroxysmos, varie figuratos: propinata manè & vesperi pulv. contr. verm. dosis.

Ursula nullis fatigatur convulsionibus; hodie excrevit lumbricum sine usû medicamenti.

Anna hora 8. matutina egessit 6. lumbricos, cum materia viscida, mucosa, bis fuit convulsa, accepit etiam manè & vesperi dosin pulv. ad verm.

Elisabeta propinatis itidem dosibus 2. pulv. ad verm. excrevit hora quarta vespertina una vice 24. vermes, & quinquies convulsionibus exercita. Susanna similiter quinquies convulsionibus afflicta.

Die Saturni 28. Febr. Magdalena circa meridiem sumpsit diascord. Fr. vino solut. manè injectus clyster. ex lacte & melle: sub vesperam alius laxans, unde secutus lumbricus: quinquies convulsionibus conflictata.

Annæ injectum enema laxans, quod evacuavit materiam flavam, nunquam sensit convulsiones.

Elisabetæ ante meridiem injectum ex lacte & melle: sub vesperam verò laxans, quod extraxit materiam viscidam, & ter convulsionibus, at brevissimis fuit agitata. Susanna vero bis iisdem molestata.

Die Solis, 1. Martii Magdalenæ pulvis purgans quinquies alvum subduxit, excretâ materiâ flavâ, 12. convulsiones passa: durantibus convulsionibus conquesta de cordis rosione, quam finito paroxysmo secuta hæmoptysis, binâ vice sumpsit diasc. Fr. vino dilut. Anguis nec motû per collum, nec suctû se amplius prodit.

Anna à pulvere purgante excrevit planè naturali, colore & consistentia; bis saltem leves convulsiones in oculis animadversæ.

Ursula sumpsit similem pulverem purgantem, octies hinc fuit evacuata, egérendo duos lumbricos.

Elisabeta à simili pulvere egessit quinquies materiam viscidam cum lumbrico unicum convulsivum vidit insultum. Susanna omnia respuens, octo at levissimos accessus pertulit.

Die lunæ, 3. Martii Magdalena duodecies horrendis & diuturnis fuit conflictata convulsionibus. Angues iterum comparuere, & ut ægra refert, numero tres, ast minores, ordine collum & os conscendentes, vocem edentes instar pullorum vel murium, dentes, ut pridem, motû stringentes convulsivo. Clauso puellæ ore, ego cum adstantibus sibilum, viperarum more, manifestè audivi; eo verò aperto, nil soni quispiam percepit; at puella illorum in collo perseverantiam conspicuè sensit. Post cordis morsum,

sum, puella (ut mater retulit) expuit ad uncias tres sanguinis clari, boni: sumpsit mane & vesperi diascord. Fr.

Anna hodie semel convellebatur; usa sem. cinæ; ut & Ursula & Elisabeta, quæ bis convulsionibus mota.

Die Martis, 3. Martii Magdalenæ eadem rediere symptomata cum 15. convulsionum insultibus; vesperi κάτω decem rejecit lumbricos.

Anna bino insultu adorta in longiori paroxysmo sibilus obauditus; hinc adstantes viperam adesse pronunciarunt, & collum ascendere: κάτω eliminavit lumbricum.

Ursula 13. excrevit lumbricos. Elisabeta trino insultu defatigata, manè 4. vesperi 5. ab esu sem. cinæ expulit lumbricos. Susanna bis convulsionibus distenta exoravit lumbricum.

Die Mercurii, 4. Martii, Magdalena hora septimana matutina ab usu sem. cinæ 7. ejecit lumbricos: hora 10. ob virium defectum exhibui lap. bezoar; & recollectis viribus, hora 11. injectum clysma laxans; hinc 4. alii secuti lumbrici, cum materia nigricante, viscida, tenaci, summum & horrendum fœtorem exhalante. Vesperi locum habuit enema ex solo lacte. sensit angues in ventriculo hinc inde vagantes, versus superiora denuò scandentes, à quibus ad duodecimam noctis horam admodum fuit inquietata: sæpissime enim in os exurgebant cum suffocationis periculo & metu; undecim insultus abominabiles convulsionum sustinuit. Plurima quoque tentavi hic, at frustrà.

Cœteræ satis benè se habent, utuntur quotidiè sem. cinæ; unde complures exturbant lumbricos. Excepta Elisabeta, quæ die Jovis quinquies, die Veneris 14. die Saturni 10. die solis 12. convulsionum insultus toleravit.

Die Jovis, 5. Martii, præscripsi Magdalenæ pulv. ex rad. Zedoar. dictam. sem. citr. in tres dies. Patruus jussu meo, præsente puella, hausit fumum tabaci; tandem & illa circa vesperam arripuit fistulam, hausitque tabaci fumum, à quo ἄνω ϗ κάτω mota, per totam noctem optime quievit, duodecies convulsionibus irritata.

Die Veneris, 6. Martii, sumpsit bolum ex mercur. dulc. troch. alhand. & conss. ros. paratum, à quo copiosa & flava secuta materia. Eodem die etiam segmenta aliquot lignea, præsentibus & mirantibus Dom. Pastoribus loci & excrevit. Nocte sequente tota fuit inquietata ad tertiam matutinam, & 23. vicibus convulsione lacessita.

Die Saturni, 7. hujus, me præsente denuò tabaci fumo usa, quem angues perferre nullo modo possunt, sed quàm primum ascendunt, statim abiguntur, & fugantur hinc, convulsionesque statim cessant.

Hoc ipso die præsentes erant viri cives Vitodurani, omnis ordinis plures, puellas vexatissimas visuri, qui ipsi summam inter anguem & tabacum antipathiam experiri tentabant, atque experti maxime admirabantur. Si enim anguis sucturus linguam Magdalenæ ascendebat, admotis vel minimis dissecti tabaci, vel naso, vel ori particulis, quàm citissimè, atque ad ictum oculi se proripuit: multotiesque hoc tentatum. Si anguis ascendens ab initio statim tabaco excipiebatur, absque omni molestia atque læsa puella resiliebat: si verò suctioni ejus in ore mora concedebatur, convulsiones puellam sensim infestare incipiebant, ut languesceret, caput dorsum versus inclinaret, atque oculos distorqueret: sed tabacum admotum illico hostem fugavit atque puellam restituit. Moram aliquando longiorem sugentem anguem trahere patiebantur præsentes; quam tam horrendus convulsionum paroxysmus insecutus, ut puella à mensa, cui assidebat, aliàs hilaris, in lectulum deportata omnes fermè attonitos redderet; modo in os ascendit anguis, quàm avidissimè sugens, modò in ventriculum rediit, tam inquietè se movens, atque tali cum sono, ac si piscis in vase aqua pleno vehementissimè se volutaret. Iterum igitur illi tabaci virtutem experturi fistula assumpta fumum ejus ori & naso puellæ immiserunt, nec defuit effectus, statim enim & anguis sedatus & convulsiones, atque puella, quamvis ad tempus languidior ad se rediit. Sæpius postea anguis irritatus in os ascendit, at ne misella paroxysmo tam gravi iterum affligeretur, tabaci segmentis admotis absque mora abactus.

Non omittendum hic, quod de carne salita observatum. Collatis consiliis Magd[illegible]æ caro salita semel atque iterum ingesta, qu[illegible] angui, gustata illa sitis excitaretur, ad quam sedandam in vasa aquis plena apposita provocaretur. Carnem verò salitam anguis tolerare in ore puellæ non potuit, & vel digitis illam iterum iterumque ingestam, in os ascendens repulit, conatum ita nostrum plus semel eludens.

Hora duodecima ipse propriis manibus extraxi ex ore puellæ segmenta duo lignea, quæ adhucdum sputo madida. Amplissimo Dn. Prætori, Hegnero, Reverendo ac Clarissimo Dn. Rectori Meiero, & dictis jam plurimis urbis nostræ civibus (qui paulò ante ab ægrotantium ædibus discesserunt) tum in Subpræfecti domo degentibus monstravi, aliàs fuissent αὐτόπται, quod unicè expetiissem. Viginti excrevit lumbricos, & duodecies convulsionibus agitata. Tabaci fumum nunc perfert sine incommodo, sine vomitu & successu; imo hinc quietiores noctes acquirit. Nobiliss. D.D. Redi in tractatu suo de Viperis Italice conscripto, qui mihi ex dono ejus, ad manus, asserit, oleo tabaci & olivarum posse viperas interfici (nam lumbrici & alia animalia, quæ perspiratione vivunt, unctuosis, prohibita perspiratione extinguuntur,) ideo oleum olivarum per 15. dies usurpavit.

Die Solis, 8. Martii Magdalena usa fumo tabaci, 17. vicibus convulsiones passa unicum egessit lumbricum.

Die Lunæ, 9. Martii, itidem hausit tabaci fumum duos vermes excrevit, duodecies convulsionibus.

Die Martis, 10. Martii, ante meridiem continuis fermè lacessita convulsionibus; circa duodecimam injectum enema, excreta materia viscida & flava: circa nonam vespertinam serpens exerto semel capite sese denuò prodidit, referente ita sartore Juvene, & Patrui conjuge; hinc puella per totam noctem adeò inquieta, ut serpentem jamjam proditurum expectarent. Infusum mensæ lac puella admoto ore, avidè petiit, instar canis famelici & planè absorbsit.

Die Mercurii, 11. Martis manè ob prægressam

noctem inquietissimam una cum Chirurgis vocor, ut angui egressuro opem ferremus, ubi variis technis per aliquot horas anguis exitum procurare moliebamur, at frustrà: admotum lac avidissima puella quam primum petiit, convulsionibus atrocissimis fuit correpta: corpus enim mirum in modum tendebatur, & ad oblatum lac violento quodam impetû rapiebatur, quod horrendo aspectû quàm citissimè de mensa sugebat: & cum puella de mensa ad lectum, qui repositoriis atque scamnis lecti destinatis proxime erat substratus, deportaretur, erecta & convulsionibus quasi rigida scamna illa petebat, atque summum lactis sugendi desiderium præ se ferebat: remoto lacte convulsiones cessarunt. Ad præterfluentem rivulum asportata puella, angue cunctante, nec egrediente, subridens edixit: annon nobis serpens imponit, illuditque? Hodie accepit pulv. viperarum & enema.

Die Jovis, 12. Martii, quater convulsionibus, & iisdem ferè fuit exercita symptomatibus.

Die Veneris, 13. Martii, sæpius convulsionibus irritabatur, inprimis odore lactis percepto.

Die Saturni, 14. Martii in Xenodochium nostrum fuit deducta, in via autem sæpiùs convulsionibus præpedita. In Xenodochio hora octava appellens à convulsionibus fuit libera usque ad nonam noctis, dein reliqua nocte benè dormivit.

Die Solis, 15. Martii, quater convulsionibus lacessita sumpsit manè & vesperi dosin pulv. de guttet. cum pulv. viperarum.

Die Lunæ, 16. Martii, ab hora tertia pomeridiana à convulsionibus fuit libera, usque ad horam octavam vespertinam sequentis diei. In Xenodochio convulsiones fuerunt mitiores & rariores, at diuturniores.

Die Mercurii, 18. Martii, quinquies in convulsiones prolapsa: oblato lacte anguis proritatus, denuò os conscendit, suxit, & dentes pro more constrinxit. Puella asserit se nunc unicum anguem percipere.

Die Jovis, 19. Martii, nullæ interdiù aderant convulsiones, at vesperi, idque cum suctû.

Die Veneris, 20. hujus, admoto lacte fuit convulsa, at per breve spatium: adhibitus pulv. viperarum.

Die Saturni 21. Martii, jacuit quasi per sesqui horam quasi in ecstasi.

Die Solis, 22. Mart. continuatus pulvis viperarum: quater convulsionibus tentata.

Die Lunæ, 23. Mart. manè & vesperi pulv. viperarum datus: hora octava matutina patitur convulsiones, non motus convulsivos, reliquo tempore fuit libera.

Die Martis, 24. Mart. sub vesperam per bihorium fuit inquietissima, & sæpius hinc inde, furiosæ adinstar, cucurrit, adstantes adscripserunt vino largiter ingesto, manè enim conquesta fuit de capitis dolore.

Die Mercurii quinquies: die Jovis semel fuit convulsa: sub vesperam sese ostentavit vipera, vocem edens instar pullorum. Die veneris tumuit venter, hora demum noctis nona semel fuit convulsa; ut & die Saturni semel.

Die Solis bis, at mitissimas passa convulsiones, abdomen adhuc tumet, Jussû Magistratus aliquandiu medicamentis supersedit, ut viderent omnes qualis subsecuturus sit eventus. Visitur ab Ecclesiæ ministris, cum ea preces privatæ funduntur, & pro ea publicæ instituuntur.

Die 30. 31. Martii & 1. April. videlicet die Lunæ, Martis, & Mercurii optimè habuit. Die Jovis, 2. videlicet April. correpta febri cum rigore, capitis dolore, sudore copiosissimo, oris amarore, abdominis, cordis, capitisque dolore; hora nona vespertina vomitû rejecit materiam viscidam, ac sanguinem grumosum; nil comedit: per totam noctem fuit inquieta cum vociferatione, sine convulsionibus; abdomen subsedit.

Die Veneris, 3. April. dormivit, sudavit, & quoniam de iisdem conqueritur symptomatibus, injectus clyster, undè excretis alvi fæcibus duris, statim sensit levamen; sub vesperam sumpsit syr. emet. unde iterum rejecit materiam viscidam cum sanguine grumoso.

Die Saturni, 4. April. passa capitis dolores atroces, & quasi intolerabiles cum frequenti oscitatione, bis per vomitum spontaneum excrevit materiam aqueam: vesperi injectum clysterem non diù retinuit. Frontale dolores lenivit. Sub decimam noctis alvum irritavit suppositorio: totam noctem dormiendo transegit; progresso die nil ciborum sumpsit: per istam septimanam convulsionibus fuit libera; nunc optimè habet.

Per 14. dies febri tertiana intermittente laboravit, imò & diætam morbis suis convenientem respuens, clanculum patriam suam repetiit, malens vivere vitam rusticam, quàm Medicorum regulas observare. (Quæstio incidit de usurpanda *Sideritide* à *Schrædero*, aliisque in incantationibus decantata.)

Magdalena domi vitioso utens victû, in primis *lacte & lacticiniis*, febri tertiana adhuc dum divexatur.

Die Veneris 15. Maii, plurimas per inferiora & minimas, cum materia mucosa, excrevit hirudines, quarum exsiccata corpora penes nos Medicos residua; in primis unam, quam die Saturni, 16. Maii, cum paucissimis alvi fæcibus reddidit, quæ diu in urina natavit, sed in aquam immersa frigidam statim se constrinxit, & mortua cecidit. Conqueritur puella de dolore Stomachi compressivo, vomendi conatû & nausea, ideò die 18. Maii præscripsi syr. emet. at simul ac sumpsit, vomitû rejecit; itaque frustraneum medicamentum.

Die Mercurii, 20. Maii, per inferiora absque alvi fæcibus vermem, vel potius teredinem excrevit (quem Excell. D. D. *Hardero* transmisi) vivum, quique per septem dies vitam protulit.

Die Veneris 22. Maii, sumpsit potionem ex resina Jalappæ, syr. emet. & elix. vit. M. quæ ἄνω & κάτω ipsam purgavit egregiè, materiamque biliosam in maxima eduxit copia, à qua meliùs habuit, & licet fuerit dies paroxysmi, ἀπύρετος tamen illum traduxit. Die Solis ipsa me accessit, nec tum caloris febrilis quicquam sensit. Die ascensionis, 28. Maii sacris interfuit.

Die Veneris, 29. Maii & Solis, febris recidivam habuit, ideoque denuò exhibui syr. emet. undè sursum deorsumque insigniter evacuata. Hinc febris ipsam deservit.

Die Solis, 14. Junii, Pater cum filia me convenit,

venit, referens filiam hora quinta matutina, in lecto alta exclamasse voce: & quasi vi quâdam quippiam deglutire conatam fuisse; Patrem tunc statim ab illa petiisse, quid hoc sibi velit? Filiam verò respondisse, se nulla protulisse verba, nec quicquam sensisse. Idemque coram me asservit, nec de quoquam symptomate conquesta est.

Die Lunæ, 15. Junii, *Magdalena* per tempus segmenta domum apportavit lignea, & quadantenus defatigata, per horæ spatium passa convulsiones, sine omni motu tamen, & finitis illis de capitis, & circa cordis, regionem conquesta est dolore.

Die Saturni, 20. Junii, cum sororibus collegit spicas, & ita commota sine motû fuit convulsa.

Die Mercurii, 24. Jun. ab arbore satis largiter comedit cerasa, & non cœnata se cubitum contulit, ista questa de capitis & cordis dolore, item nausea, vomendi conatû, vertigine.

Die Jovis expergefacta eadem accusavit symptomata, ideò ordinavi syrup. emet. à quo egregiè ἄνω purgata, optimè habuit. Interim tamen semper terrores patitur nocturnos, & solis radios perferre nullo modo potest.

Die 10. Augusti, *Magdalena* interdum adhuc patitur convulsiones, manuum præsertim contracturas, ita ut mensæ accumbens sæpè cochlear prehendere non possit; inter ambulandum oportet interdum, ut sedeat subitò, sine convulsionibus tamen, sed oculis illacrymantibus, antè octiduum pedum & manuum digiti per tres dies adeò fuere contracti, ut Parens illos vi distendere neutiquam potuerit, quo tempore etiam inarticulatè omnia protulit, timore fuit plena: quoties parum largiter, vel etiam consueto more cœnat, inquietè transigit noctem, propterea sæpè cœnam prorsus intermittit. Interim semper conqueritur de dolore circa cordis regionem compressivo, ventriculi ardore, vertigine & lassitudine spontanea.

Die 17. Augusti & 6. Septembris, ipsa una cum Matre me accessit, referens se nil sævioris pati, nisi digitorum manuum & pedum frequentes contracturas, in primis quoties frigida manus abluit: lotis verò vino contractura disparet. Parentes autumant, filiam esurientem potius & finita coctione convulsionibus corripi: cætera benè se habet. Offensa aliquando propè rivulum à Sub-præfecti filio est, allocuta nullum dedit responsum, stans fixa instar statuæ.

Die Mercurii, 9. Septemb. & seq. diebus, exceptis 14. 23. 24. 25. hujus mensis, quibus sudavit, singulis manè vel à septima usque ad octavam, vel ab octava usque ad nonam, interdum dimidiam decimam, jacuit in lecto sine omni sensû & motû, oculis tamen apertis, tandem se recolligens conquesta fuit de capitis, laterisque sinistri dolore, cum horrore quodam. In principio paroxysmi observat in pedibus obtusum quendam dolorem, cum sensû formicationis, qui sensim ascendens perreptat, & superiora petit, cum cordis dolore, qui caput invadens è vestigio malum hoc ciere & spiritus figere solet.

Similes ecstaticas corporis fixationes cum oculorum circumgyratione singulis manè eadem semper hora passa est, ab 28. Sept. usque ad 12. Octobr. quo sumpsit syrup. emet. & egregiè evacuata ἄνω & κάτω a convulsione ista immunis perstitit, per mensem ferè, quo semel tantùm vel bis in eadem fuit detenta; interim munia sua obiit domestica, inprimis fila ducendo. Hactenus nullæ comparuere viperæ, vel simile quid.

Tandem spasmus iste rediit singulis fermè diebus, eadem circiter hora, eodem plane modo, cum valida digitorum contractione, adeò ut expliciti vi statim iterum contrahantur, nec levamen nunc sentit, ut pridem, a lotione vini; in usum acceptus pulv. epilept. manè & vesperi, cujus operationem se sentire asserit in manibus ac pedibus, ac si quid exitum quæreret: convulsiones hinc imminuuntur; quoties verò istum pulverem negligit, convulsio eo die rediit.

Die Solis 8. Nov. in templo quasi catalepsi prehensa, Matrem alta voce bis acclamavit.

Die Lunæ, 9. Nov. tempore cœnæ vel comate, vel catalepsi correpta per horam integram, ut sedens instar dormientis capite nectaverit, oculis clausis; ast interrogata respondit, oculos aperuit, verùm mox iterum clausit. Hoc paroxysmo manus valdè sudarunt; ab usû pulv. antepileptici isti paroxysmi mitescunt, evanescunt, ea propter 12. Nov. fuit reiteratus.

Die Saturni, 21. Nov. convulsiones rediere, quoniam manè à sororibus ex profundo somno excitabatur.

Die Mercurii, 25. Nov. excrevit per inferiora lumbricum, ideò repetitus pulv. mercurialis cum diagryd. qui sexies alvum movit sine ullius vermis dejectione.

Die Lunæ, 30. Novemb. noctû sensit dolorem pungitivum circa umbilicum, tandem lumbricum excrevit magnum.

Mense Decembri, subinde sensit convulsiones & digitorum contracturas, inprimis; quoties pulv. antepilepticum omitteret; quibus non rarò accesserunt ventris tormina sæva. Ab esû Sem. cinæ maximam lumbricorum copiam per vices exturbavit, cum capitis dolore, & virium imbecillitate.

Anno 1675. Mense Jan. phlegmone in brachio dextro oborta, ad suppurationem perducta & aperta multum puris fudit.

Mense Febr. cibos vomitû rejecit, conqueritur de compressivo ventriculi dolore, syr. emetico & oleis adstringentibus externis fuit percurata.

Interdum patitur manuum tremores, nonnunquam convulsiones.

Mense Majo gliscentibus convulsionibus sumpsit tartar. emeticum, hinc eximiè evacuata, nil porro convulsionum passa est in hunc usque diem, & sana vivit cum cæteris sororibus, excepta *Elisabeta*, quæ febri correpta, & neglectis remediis die 7. Martii, Anni 1676. obiit. *J. Henrici Hegneri.*

Notum est *Coi* elogium 5. *Aph.* 1. spasmum ab Helleboro lethalem, & 6. *Aph.* 39. convulsionem ab inanitione & repletione oriri, quorum altero generalius, altero speciali exemplo exprimit, fieri ab evacuatione nimia spasmodicos affectus. Utut verò Hellebori virulentiam simul accusent interpretes, albi scilicet, quem intelligi Pergamenus in commento arguit, putaverim tamen injuriam fieri Helleboro utrique, quod

quod solus tam infamis sit, tam δραςικὸν. μοχλικὸν, ἐλατήριον, medicamentum, ut convulsiones post se excludat, unde & magis exspirasse ejus usus videtur, præcipuè cùm & suppositum eundem eadem symptomata inducere scribatur, ac assumptum. Vid. Spigel. l. 6. c. 4. de H. C. F. Quis verò Mœn rdum hodie sequeretur, qui crebro se exhibuisse scribit hellebori nigri integram draghmam, adjectis etiam diagrydii gr. iij. citra vel molestam, vel majorem plus debito sequentem purgationem l. 3. ep. 3. Mitiora dantur, longè optima, & inter hæc præcipua & laudatissima gialapa. Nihilominus dicere ausim, à quovis purgante hypercatharsin, & consequenter spasmum excitari posse, non tam ab inanitione, quàm subsequente acrimonia, plus justo evacuata ex glandulis intestinalibus lympha: quam in rem legi merentur quæ *Prosper Martianus in 6. Aphor. 39.* commentatus est. Notabile verò visum fuit exemplum consequentis inde spasmi flatulenti, dignumque ut insereretur analectis curiosis. Vir eruditus, scholæ collega, 50. annorum, die 10. Februar. 1678. ad evacuandam cacochymicam saburram assumit pulverem purgantem ex radicis gialapæ scrupulo, cum granis aliquot cremoris tartari, quam dosin & alias jam assumpserat cum successu, inde verò cum plusquam trigesies purgatus esset, remedio sistere fluxum negligens, sed potius more vulgi ex copia dejectionum medicamenti æstimans effectum, vespera illius diei, & biduo sequente spasmo flatulento utriusque pedis dolorifico & permolesto per vices cruciatur, ubi consultus exprobravi negligentiam, & dato pulvere cinnabarino cum anodyno brevi abegi molestum symptoma. *Georg. Wolfangi Wedelii.*

Veteres duas saltem admiserunt spasmi causas, scil. repletionem, & inanitionem, & quidem authoritate *Hipp. l. 6. Aph. 39.* Sed ipse *Sennertus* l. 1. p. 2. c. 28. qu. 1. prax. p. 586. tertiam addere haud dubitat, scil. irritationem, adducens authoritatem Hipp. *Aph.* 1. l. 5. Impugnat hanc doctrinam de repletione & inanitione. *Clar. Willis, Path. cerebr. p. 6. & seq.* Et quia in anasarca & tabe convulsiones non excitantur, rejicere conatur hasce causas; nec, irritatione contentus, altiores causas indagare satagit. Spasmi sequentis causam ad inanitionem referri posse, facilè concedo. Si verò alicui placuerit eam ad irritationem ab acredine & salsedine seri reducere, nec cum illo litigabo. Observatio talis est.

Anno 1667. vocatus sum ad acicularum fabricatorem, adveniens inveni hominem ambulantem celeri gradu per hypocaustum, spasmo pedes, manus imò cervicem convellente, ita ut propter doloris acerbitatem jacere vel sedere non potuerit, nervi in cruribus retrahebantur, ut foveæ fierent pugni profunditate. De causa sollicitus, inquirenti dixit se diarrhœa laborare & sæpissimè alvum exonerasse, materia excreta erat serum biliosum, ultimo sanguine tinctum. Ego *Aphor.* 4. *sect.* 5. considerans, & Epilepsiam metuens, cum periculum in mora erat, neglectis abstergentibus ad constipantia & confortantia properans, sequens præscripsi.

℞. Cons. ros. antiq. ℥ j. torment. ℥ß. primul. ver. lil. conv. an. ʒ ij. cort. aur. citr. cond. an. ʒ. nuc. mosch. cond. ʒß. carn. cydon. cond. ʒj. decoct. ras. C. C. q. s. F. l. a. contusum. col. add. conf. alkerm. de hyacinth. an. ℈ j. corall. v. præp. ʒß. terr. sig. bol. armen. præp. ana ℈ j. mastich. menth. corall. an. ℥ ß. M. dos. ʒ ij. & quidem sæpius. Hisce usurpatis hac ipsâ die à spasmo immunis evadebat. Sed vires valde labefactatæ erant, cum diarrhœa non totaliter sublata esset. Itaque sequens ordinavi.

℞. Cons. ros. antiq. torment. an. ℥ j. rad. symphyt. maj. cond. cort. aur. citr. cond. an. ʒ iij. terr. sig. præp. corallor. præp. bol. arm. præpar. an. ℈ j. cum sir. cydon. q. s. F. l. a. elect. Cum verò artus valde dolerent, nervis scil. à spasmo distensis, hoc oleum ordinavi.

℞. Ol. lumbr. terr. vulpin. lil. alb. an. ʒ ß. castor. ℈ß. M. illinantur nervi ubique. Pro viribus refocillandis dedi sæpius cochlear unum vel alterum sequentis aquæ.

℞. Aq. cord. citr. cord. cerv. fr. an. ℥ ij. cinam. cyd. ℥ß. spir. ceras. n. ʒ iij. M. Cum tandem attritione ventriculi laboraret; hæc mistura profuit.

℞. Aq. memb. ℥ i ß. Zedoar. ℥ ß. galang. cubeb. an. ʒ ij. sp. absinth. ℈ j. mit. f. ℈ß. elæosach. anis. fœnic. an. ʒj. M. Et sequenti oleo ventriculi regio inuncta.

℞. Ol. nardin. ʒj. mastich. menth. ana ʒ ß. absinth. dest. g. v. M. Et sic præter spem multorum convaluit *Georg. Wolfangi Wedelii.*

Puer 14 annorum, An. 1679. Mens. Februar. diarrhœa serosâ atroci vexatus; quam dolor ventriculi, appetitus prostratus, vomitus & artuum lassitudo, hincque etiam dysenteria levior comitabantur, nostram imploravit medelam. Pulsû æquali & blando existente, humorum acrimoniæ bolo ex elect. diascord. &c. prospeximus, additis pulveribus absorbentibus & nervin. demulcentibus: inde etiam pilulis ex extract. rhabarb. quod superesse poterat, eliminare studuimus: Quibus cùm bene haberet, diebus proximis, tempestate humida admodum ac pluviosâ, signifer per urbem cum commilitonibus (more circa Bacchanalium festum recepto) circumvagabatur, diætæ parùm studiosus, quin pomis crudis & aquæ frigidæ potû mane & noctû gulam frequentius oblectaret, unde & molestam scabiem à multo tempore sibi contraxerat: sub finem circiter dicti mensis, deterius habere cepit: facies cum artub⁹ intumuit, inferioribus præprimis, quibus spretis æger sub dio solisque radiis adhuc obambulavit: appetitû inde dejici incipiente, & urgente nauseâ ac vomitû materiæ acris, serosæ, denuò accersiti sumus: A præscripto Diaphoretico, tantisper sudavit, julepum vero vespertinum ilico revomuit: sudor tamen ex parte evanuit: sub vesperam reduces, dolor capitis miserum torquebat, & materiæ biliosæ evomitio, pulsû juxta naturali persistente: Ventric. regio ol. balsa. & nervin. inuncta, & epithem. fronti applicatum: juxta bolus roborans exhibitus ex confect. de hyacintho, circa decimam noctis: Cùm jam inducias expectarent adstantes, sub mediam noctem motus convulsivi invadunt ilico, qui circa sinistrum hypochondrium incipientes, mox femur proximum, & hinc brachium, cum reliquo latere aggrediebantur sensim ingravescentes salvo manente dextro: Præscripta pulveris antepileptici dosi, cum julepo tali per cochlea-

cochlearia sumendo, mane injectus fuit clyster, & myxtura cum cinnab. antimonii iterata: Quibus cùm ad se redire videretur, convulsionibus non ita crebro affligentibus, insisti jussimus, addit. tinct. Castor. cum spir. urin. naribus admovendo, ubi res postulaverit, sacculo item ex carminativ. vino incoctis abdomini, hypochondrio præsertim sinistro applicando. Somno hinc blando ægrotus capiebatur, hostisque remittebat, unde in præscriptis sub vesperam pergi curavimus addito decoct. ex Mercur. vivo, si quid fortè verminosi, quod fœtor oris præsagiebat, juxta subesset. Postridie melius habuit, noctem quietam transegit, sed jam pulsus celer & frequens, sitis intensa, urinæ tinctæ, cum sedimento crasso: V. S. hinc indicta ad sanguinis ventilationem, & julepis certatum, addit. bland. diaphoret. Vesperi febre remittente, trageam ex absorbentibus & antepilept. præscripsimus, d. seq. urinis turbidis ac crassis etiamnum existentibus, cum pulsû frequentiore, julepo ex alterant. præparante perrectum est, in crastinum vero purgans ex syr. rosʃ. sol. compos. &c. paratum, quo aliquot diebus post iterato, cùm copiosè dejecisset, urinæ sensim clarescere cœperunt, cum sedimento utcunque laudabili: accidit autem ut clarescentes sanguinolentæ evaderent, citra doloris vel in renibus aut perinæo indicia, cui adstringentibus, fibrasque hinc roborantibus, pilul. præprimis ex terebinth. rhabarb. & sanguin. dracon. parat. subvenimus, ægrumque favente Deo pristinæ sanitati restituimus. *Joan. Jacob. Harderus Apiar. Observ. 37.*

Filia sedecim annorum, à prima nativitate muta, menstruisque hactenus orba, carnosa quamvis & bene habita, primo Februarii 1683. de qualicunque horrore, cum subsequente calore acri anxietate circa præcordia & inquietudine tacitè conquesta est, cùm aliquot menses ante dolore circa lumbos se affligi gestibus monstrasset: Vocati die quarto, crus utrumque cum femore vehementer intumuisse notavimus: Tumore existente pellucido & doloroso, suique indicia ex sinistro latere ad eandem mammam usque, multo cum ægræ cruciatû prodente: abhinc tamen anxietas & inquietudo cessarunt: pulsus celer & frequens, cum siti utcunque intensa; præscriptis diaphoreticis volatilibus, ad seri discussionem, viarumque, sicubi natura vellet, reserationem, id impetrasse videbamur, ut tumor crurum satis fuerit imminutus: Noctû interim convulsionum insultus, quamvis breviores, ægra bis experta fuit, unde ad volatilia antepileptica postridie confugimus, vesperique symptomatibus pari vi pergentibus, iisdem fortiùs decertavimus: in sequentibus diebus cùm motus isti frequenter ingruerent, mirari subiit medicamentorum inertiam; retulit verò mater, jam à primo ortû convulsivi quid misellam per intervalla perpeti, d. 7. ad sanguinis ventilationem, particularumque acrium distractionem ac subactionem V. S. in brachio dextro imperavimus, quæ feliciter cessit, citra paroxysmi vel antè vel post meridiem invasionem: postridie autem eodem denuò ingruente, tinct. antim. in usum vocavimus, ad gutt. x. vel xii. manè & vesperi in idoneo vehiculo sumendam: atque hâc aliquandiu usurpatâ, paroxysmi manifestè remiserunt, ægraque à frequenti horum impetu, sanguinisque febrili agitatione liberata fuit. *Joan. Jacob. Harderus apiar. observ. 38.*

Die 11. Januar. Anno 1686. auxilium nostrum efflagitavit, fœmina primipara viginti circiter annorum, 14. à partû diebus, conquesta de dolore pungitivo & lancinante circa lumbos & inguen dextrum, qui in crus & pedem imum ejusdem lateris atrociter sæviebat. In isto tumor aliquis subdurus & renitens observabatur, citra ullum ruborem, ægraque pedem nec flectere nec movere, nec eidem insistere potuit: Rogata num ante partum dolorem similem persenterit, annuit, & quidem ita, ut incedere interdum inde prohibita fuerit: ingruentibus doloribus partus, crus idem maximè affectum fuit, in convenienti, ceu debuisset, sitû non positum: jam lochia fluere desinebant, sitis intendit, & appetitus prosterni cepit, pulsus celer erat & frequens lumbis & femori ol. lumbric. hyperic. &c. cum liq. C. C. succin. suræ verò & pedi fomento ex herb. salv. fl. chamom. sambuc. &c. in vino decoct. additâ camphorâ & croco prospeximus; juxta pro emendando acri in massa humorali stabulante tragæma ex Diaphor. Martiali ocul. cancr. corall. &c. cum sacch. paravimus. Sub vesperam dolor idem urgebat, simulque femur petebat: suasimus ut dict. liquor. cum tinctur. croc. & aliis illud blandè lavaretur & fricaretur, additâ mixturâ diaphor. ex aq. card. ben. veron. C. C. philos. præparat. &c. D. sequ. retulit se noctem utcunque quietam transegisse; doloris ex femore in pedem insultum non ita crebrum nec atrocem esse, rigor tamen in partibus musculosis maximè sub genu, dolorosus admodum perstitit, cujusmodi etiam in femore animadvertimus, & alvi fluxus aliqualis ægram invasit: à sumptâ mixtura parùm sudavit, pulsus tamen hesterno melior, plenus nec ita frequens: perrectum est in præscriptis, circa tertiam verò pomeridianam bolum ex elect. diascord. corall. &c. exhibuimus, quem mox evomuit, quod ad medicamenta difficilis erat: sub vesperam dolores in inguine recruduerunt crure universim, cum pede obrigescente: jussimus illi fotum applicare, & suræ cataplasma, ex farin. rad. alth. flor. sambuc. chamom. semin. lin. carv. addit. axung. can. mur. Alp. camphor. croc. ol. lumbric. &c. Postero manè reducens, dolorem multò mitiorem esse audivimus, tetano quamvis adhuc subsistente, sumsit hoc mane de tragæa & in cæteris perrexit. Vesperi dolor punctorius rediit atrociter, pes tumebat supra modum, & renitebatur cum fragore, qualem ubi tantisper in alium locum movebatur cum sonitû edidit: pulsus celer & parvus: cataplasmati additæ ℥. aliquot fimi caballini: in fomento & oleis perrectum, juxta paratus sacculus ex radic. bryon. lilior. alb. herb. bryon. flor. sambuc. &c. cum croc. lacti incoquendus & inguini calidè applicandus: internè verò propinavimus julep. blandè diaphoret. in 2. dos. Postridie ex sacculi usû dolor remisit redux ad tantillum motum, pes verò nec ita renitebatur, nec tanto cum fragore: perstitimus in externis, internè autem julepus similis rursum exhibitus; & quia diarrhæa denuò miseram vexabat, emplastr. ex gumm. tacamahac. Bals. Peruv. ol. dist. menth.

&

& pice stomachi regioni applicuimus. Vesperi ægra pedem aliquantum movere poterat, sed non extendere; dolor urgebat præcipuè infra genu: in inguine verò nonnisi per intervalla affligebat, in medium femur usque pergens: siquidem in pede imò tensio remiserat, in externis nil immutatum fuit, horâ verò somni Julepi dosin dimidiam propinari jussimus. D. seq. symptomata ferè eadem, nisi quòd pes minùs tumeret, tensusque esset: jam cataplasma femori applicuimus: suræ vero & pedi imò fumus adhibitus ex flor. Sambuc. sem. aneth. oliban. mastiche, thure, &c. juxta præscripta emulsio in duas doses ex amygd. d. sem. nasturt. cardbened. &c. addit. jul. rosac. Diarrhæa remiserat, urinæ tantisper lixivæ, nec ita crassæ ut præcedentibus diebus, die postero tensio & dolor in sura paulum ingravuerant: unde ad cataplasma rediimus, auctâ dosi fimi caballini, additoque sale volat. C. C. iterata quoque fuit emulsio ex semin. sal. volat. imprægnatis: seq. manè retulit ægra se noctem satis quietè transegisse, remisisse dolorem in pede, adeò ut digitos flectere possit, etiam in sura & femore, nec nisi sub genu aliquid ejus superesse, pulsus erat melior, nec urinæ ita Saturatæ, appetitus magis constans: perrectum fuit in externis addit. ol. ovorum Tinct. croc. &c. In crastinum verò jussa est lenem Sudatiunculam pane recèns ex furno extracto experiri: cùm rediremus d. proximâ, non sudârat, sura & pes imus multùm detumuerant, pedemque in lecto facilè movebat, ipsi tamen ob musculos extensores etiamnum spasmodicè affectos, insistere non potuit: Sudor quoque de reliquo corpore per intervalla fluebat, cæteraque benè habebat, jussimus subsisteret in ordinariis, à quibus illud per Dei gratiam levaminis sensit, ut in seq. diebus genu flectere, commodumque obambulare potuerit.

Die 23. Januar. ægrota levi de causâ ad iram commotâ, dolor vehemens inguen sinistrum invasit, citrà tamen femoris vel imi pedis spasmum, qui succedentibus diebus utrumque horum invasit, accessit febricula, ob quam V. S. parca imperata fuit: sanguis eductus viscidus omninò fuit & corruptus, appetitus prosternebatur, sitis ingruit. Propinati hunc in finem, Julep. & emulsiones ex blandè sudorem cientibus, juxtaque Diaphor. Mart. pluribus vicibus exhibitum: Externa verò eadem in usum vocata fuerunt, provocato sub finem sudore ope herb. bryon. flor. Sambuc. rad. bryon. &c. in aq. fervent. coct. atque his per aliquot dies iteratis, sura & pes emolliri, tumorque aquosus, qui comparuit ultimis diebus, discuti cepit, Ægrotâ in hunc diem vegetâ superstite. *Johan. Jacob. Harderus Apiar. observ. 39.*

Anno 1625. Mense Majo Matrona quædam Bernensis juvenis, convulsionibus horribilibus cum desipientia per dies aliquot laborabat. Tam impetuosè autem corpus ex una in alteram partem concutiebatur, ut duo viri quamvis robustissimi, ipsam vix continere possent. In istis motibus convulsivis autem corpus non aliter agitabat, ac si cum marito suo coivisset. Id cum probè observassem, & medicamenta omnia ipsam respuere vidissem, suasi, ut maritus qui per menses aliquot abfuerat, accerseretur, alioquin de ipsa actum esse. Sequente die adveniente marito, brevi restituta fuit & ad se rediit. Membra tamen ab ipsis convulsionibus concussa & labefactata, per dies aliquot sequente linimento inunxit.

♃. Ol. ex floribus Slotani ℥j. Lumbricorum, Vulpin. Chamomelin. Lilior. alb. Rosac. an. ℥ß. Misce.

Ab eo tempore degentem vitam cum suo Medico jugali, nunquam nec convulsionibus, neque aliis morbis ipsam correptam fuisse scio. *Guil. Fabric. Hildanus observ. Chirurgic. Cent. 6.*

Mirabilem illam, de qua sæpe coram, affectionem, Virginis puellæ, 12. annum agentis, describere, totamque varimodè succrescentis, & variis ac stupendis accidentibus subindè efflorescentis, historiam integram, & secundum symptomatum varietatem, concursum ac seriem perfectam calamo concipere ferè mihi impossibile est, citius namque verba, conatusque scribendi defectura sunt, quàm ut omnia exactè secundum omnes circumstantias exprimere valeam. Attamen *præcipuorum accidentium formam, diversitatem, impetum, accursum & recursum, & admirabilem eorum varietatem* breviter enarrare, & ex iis morbi speciem exhibere, quantum possum, quantumque memoria adhuc teneo, enixe laborabo.

Puella est pia ac proba, benè morata & educata: salubriter antehac vixit, nihilque deprehensum, quod corporis offensam argueret: temperaturæ, ut videbatur calidæ & siccæ, adeoque cholericæ, quæ ad iracundiam levissimè incitatur, fratrem habet Epilepticum, & certè ejus ipsa natura, sicut & Sororis, in idem malum propendere videtur. Ea 7. Julii, anni præteriti 1622. cum pridie leves capitis dolores sensisset, manè circa septimam, cùm ad templum se præpararet, subitò quasi consternata, concidit, & scamno innixa adhæsit, loquelâ impeditâ, incedere, manus pedesque movere ac attollere nequivit: in lectum translata, quâdam quasi anhelitûs difficultate, ita ut ægrè spiritum duceret, & pectus scapulasque inter respirandum insigniter attollere cogeretur, premi cepit, & interdum clamosa suspiria duxit: rediit autem subindè, quasi per paroxysmos, hæc difficultas, atque pressura, in qua nil quicquam loqui potuit; reliqui autem sensus, visus, & auditus, integri manserunt. Paulò post caput hinc inde conjectare cepit. Mox tamen rigidam & immobilem cervicem habere visa est, & quòd posteà in erectione capitis à me animadversum, cum quid Sorbitionis vel medicamenti ingerere vellet, capite retrorsum magnâ vi retracto, manumque attollentis deprimente, opisthotono prehensam judicavi: perterritus autem ægritudinis infrequentia, & insueto morbi, qualis nunquam occurrit, insultû, cum diu suspensus hærerem, ea ferè adhibui medicamenta, quæ in Epilepticis invasionibus, utilia existimavi. Sed durabat affectio, & post leves intermissiones subindè recurrebat, ad horam usque duodecimam, quando omnia invalescere incipiebant. Tum majoribus suspiriis anhelans, & ejulans, spiritum traxit, atque cervicis nervorum rigore continuo detenta, pejus habuit ad usque tertiam. Hinc mitigato malo, loqui cepit, delirare, cibum poscere, vociferari, indignari ad usque vesperam, ubi tum ab inquietudine

dine hac languescens extrema debilitate laboravit, ita ut sensû, motûvè privata, animam exhalatura videretur: duravit autem languor hic per 2. fermè horas, quibus exactis sensim se recollegit, & ad sese rediit, cibisque refecta per totam noctem placidè dormivit. Altero die mediocriter habuit, & medicinam purgantem sumpsit: duodecimâ autem horâ malum reversum est, & prioris diei ferè formamque, modumque servavit, nempè per intervalla tetano correpta, cervicis rigorem, spiritusque difficultatem, atque pressuram passa est: inter paroxysmos de tanto capitis dolore conquesta, ut ad clariorem etiam vocem & loquelam quiritaret: aliàs loqui, imò linguam movere non potuit, nisi forsan ubi mitior invasio, ubi tum lingua titubavit, & inexpedite locuta est: Tertiò die sat benè habuit: Quarto post leviorem paroxysmum in tantam pedum convulsionem & contractionem incidit, ita ut pedes retracti quasi funibus corpori alligati viderentur, absque tamen omni dolore, tendines a. sub genubus lapidea ad tactum duritie & rigiditate continuâ afficerentur. Et quamvis post convenientes inunctiones melius habere videretur, attamen ad quartum usque diem spasmodica hæc, & violenta contractio, continuò perseveravit, interim corpore reliquo benè valuit, à prioribus paroxysmis planè immunis: quarto autē die circà vesperam subitò distensio hæc remisit, ipsaque ex improviso è lecto prosiliens in pedes se conjecit, & parentibus accurrens lætabunda liberationem annunciavit: post hæc benè se habuit, sensimque validior facta est, ita ut penitùs restituta crederetur.

At post mensem, nempè 6. aug. cum pridie magnos capitis, frontis maxime, temporumque dolores passa esset, in idem ferme malum, alio tamen invasionis modo, incidit: nam manè sumpto jentaculo, cum corporis titubatione, & vertigine vexari videretur, in lectum redire jussa, profundo quasi somno abrepta est: in quo tanquam somnians varia loquebatur: subitò autem exterrita, quasi cum magna & præcipiti corporis concussione, evigilavit, mox rursus somno se dedit, denuoque terrore concita expergefacta est, & id per integram horam, vel diutiùs paulò, duravit, idemque post prandium & cœnam, & posthac sæpius, quàm primum aliquid cibi ingessit, evenit, ita ut mox superdormire cogeretur, & terrifico tali somno corriperetur, nocte aliàs placido ac naturali somno semper fermè dormivit, exceptâ tertia ab accidenti hoc nocte, quam ferè totam deliravit, ita ut omni intellectû orbata videretur; memoria ita defecit etiam, ut orationem dominicam orare amplius nequiverit: per intervalla tamen mens & memoria reversa, post leve autem momentum iterum extincta. Circa vesperam convulsio invasit nunc hoc, nunc alterum brachium, ita ut extendere ac movere non potuerit: mox pedes quoque eadem contractio corripuit, ita ut jam brachia & pedes convulsi sisterentur, sed paulò post brachia reliquit, hinc etiam pedes, ita ut tam brachia, quàm pedes movere potuerit. Postremo die maxima omnium membrorum inquietudine correpta primùm tandem in pedes se conjicere, & in hypocausto discurrere ac saltare cepit: miserabili sanè & stupenda insaniæ specie tentata ac turbata, varios ac turbulentos mores exhibuit. Nam nulla neque vi, neque increpatione contineri potuit, quominus hinc inde cursitaret, nulloque modo subsisteret, sed indesinenter inquietudine hac detenta: in lecto etiam, si forsan cohiberetur, ex uno loco in alium sese conjecit: imò parietes etiam transcendere, & circa fornacis extremitates discurrere quæsivit: Extra lectum dissiliens, scopas, vel aliud quid simile apprehendens, pavimentum à sordibus diverrere, omnemque immunditiem conclavis, omnes angulos evolvendo, exquirere & expurgare nunquam cessavit. Interdum, subitaneâ pedum contractione inter discurrendum correpta, subsistere coacta fuit, mox tamen, soluto iterum spasmo, denuò saltare perrexit: imò defatigata, vel alioquin lassa, si pigriorem interdum cursum iniret, vel subsisteret, pedum affectio spasmodica mox irruebat: solvebatur autem si cursum repeteret, & impetuosius se agitaret. Quinetiam paroxysmo hoc turbulento interdum repentè soluto, substitit, suisque quod stare posset, acclamavit, lectum etiam ingressa, quievit: mox autem iterum prosiliens, denuò saltare compulsa fuit, subinde nunque per intervalla longiora, jam jam breviora inquietudo hæc ipsam, maxime autem à sumpto cibo, invasit, non raro tamen inter prandendum aut cænandum subitò de mensa surgens, in pedes se conjecit, nec cohiberi potuit; vi autem cohibita, pedibus tripudiando quasi, humum indesinenter pulsavit. Quod si, nè in pedes se conjiceret, prohiberetur interdum, (quod non rarò parentes tentarunt) insigniter affligebatur circa præcordia, maxime juxta orificium stomachi; ubi de validissima compressione querebatur, quæ mitescebat, si sese saltando jactaret: protinus autem quando subsistebat, denuò iterum dicto loco gravissimas passiones sustinebat, ita ut ab iisdem impelleretur, indesinenter discurrendo se exercere: languebat etiam plurimum, ac debilitabatur, & distensionibus membrorum tentabatur, quando nondum finito paroxysmo sese agitare cessabat, aut prohibebatur. Si mitiores fuere invasiones, in lecto locoque suo manere potuit, nec evagari coacta fuit; Attamen tum inquietudo nunc hoc, nunc aliud membrum invasit, ita ut incessanter quassare, nempè brachium hinc inde movere, vel pedem sursum, deorsumque trahere, continuatâ serie, cogeretur. Sæpè caput solum, ut hoc hinc inde indesinenter jactaret, malum occupavit, sæpè saltem ejus partem, nempe linguam, unde titubatio, maxillam, unde dentium collisio atque stridor; aures, nasum, buccam, labia, collum, unde earum partium tremor, atque concussio, totam denique faciem, unde ejus fœda distorsio sequuta: Inferiores etiam non rarò partes vexavit, pectus nempè ventrem exteriores musculos, unde palpitationes, & distensiones exortæ, imò mirabili varietate nunc hoc, nunc aliud membrum, nunc unam saltem, sæpè plures partes simul invasit, atque afflixit. Semper autem & in omnibus paroxysmis, linguam simul affectam vidimus, ita ut tremeret, vacillaret, balbutiret & impedite loqueretur, leviter etiam deliraret, ratione aliquantum destituta, licet

alio tempore plus, alio minus, quæ mentis, sermonisque imperfectio & titubatio, mane præsertim cum è lecto surrexisset animadversa, futuram invasionem semper indicabat, quamvis aliàs in ipsa accessione, dum saltaret, atque discurreret, vel membra jactaret, sensus exteriores illæsi ac integri permanserint, quod facile judicare fuit ex eo, quod quodvis audire, & ne sese offenderet, sedulo carere potuit. Interdum loqui omnino non potuit, & ad interrogata nequicquam respondere: sæpè autem quando affectio linguam inquietavit, incessanter garrire, imò canere etiam coacta fuit, & tum quò plus loquebatur vel canebat, eò minus se circa præcordia affici, & immunem à molestâ cordis compressione fieri dicebat: quàm primum autem inquietudo linguam deservit, ipsaque deblaterare & canere cessavit, membri alterius, aut pedis aut brachii quassatio & agitatio secuta est. Interdum ratione omnino privatâ, interdum mente satis valere visa. Cibum in paroxysmo, maxime vehementiori, assiduè flagitavit, crassum imprimis, nempè panem secundarium cum butyro coctum, quem avidissime semper devoravit: quod si denegabatur, urgentissime poscere non distitit, sæpè cum precibus, lachrimis & indignatione; si alius quandoque & diversus ab eo, quem petierat, forsan exhiberetur, pro eo tamen, quem, postulaverat, cupidè comedit: imò interdum, si non confestim adesset, exacerbata, obvia quævis, ligna, stipulas, linteos pannos, vel quidvis aliud ori ingessit, dentibusque maxime si malum maxillas prehenderat, laceravit. Et si brachia inquietudo occupavit, illud, quo uteretur inter edendum, adeò hinc inde jactavit, ut difficulter cibum ori admovere potuerit, adeò ut sæpè ingerendo opem ferre necessum fuerit. In omni invasione frontis, temporumque venæ turgescentes & livescentes apparebant. Frontis autem dolor, cordis tremor, orificii stomachi compressio, deliri sermones etiam, linguæ item tremor, ac vocis titubatio futuram invasionem prænunciabant.

Dysuria etiam accessit non raró, ita ut sæpè per integrum diem nihil excreverit, quamdiu nempe paroxysmus duravit; eo autem soluto, urinam emisit. Per totam noctem semper ferè dormivit, placideque quievit, quantumvis totum diem inquietè peregerit. In somniis tamen aliquoties turbata est, sicuti & prius, cum sana adhuc viveret.

Prodigiosum hoc malum per 14. continuos ferè dies duravit, ita ut in dies, vel membrorum motus convulsivi, vel inquietudines jam enumeratæ exortæ sint: Posteà verò remittere cepit, & non nisi certis dierum intervallis recurrere; eandem autem ferme ideam servavit semper, ita ut vel discurrere vel membra quassare cogeretur, cujus invasionis principium delirationes, linguæque titubationes, tanquam prænuntii indicabant.

Varias adhibui medicinas, purgantes, roborantes, bezoarticas, internas & externas, fonticulum etiam nuchæ impressi: nihil autem, vel parum profeci: tandem autem mense Decembri, cum illa medicamenta, quibus olim Hassiaci Medici, in morbo quodam publicè grassante, huic penè simili, usi sunt, quorum descriptionem ab Excellentia tua accepi, exhibuissem, sensim imminui affectio cepit, ita ut primùm paroxysmi mitiores facti fuerint, post ipsæ saltationes remiserint, tandem etiam membrorum concussiones mitigatæ. Nec tamen ne nunc malum extirpatum, nam quotiescunque ad iracundiam commovetur, uti facilè fit in re familiari, in quo valdè se industriam exhibet, vel quando terretur, uti maximè accidit viso fulgure, & audito tonitru, aut impetuosiore, aut repentino sonitu, denuò ejus rudimenta subito eam apprehendunt, ita ut loqui nesciat, aut balbutire incipiat, sæpè etiam nunc unum aut alterum membrum agitare compellatur: nec tamen diutiùs hæc durant, sed per mediam saltem, sæpè tamen etiam per unam aut duas horas: postea ad se reversa, rectè iterum se habet optimeque valet, adeò ut nihil adversi in ipsa animadvertere liceat. Plerumque etiam recrudescit affectio, quando Luna superiora signa, nempè Arietem atque Taurum, occupat, tum à sumpto cibo mane præsertim, quamprimum aliquid degustat, tale quippiam quandoque patitur, ita ut delirare, linguaque tremere, atque titubare, sæpè etiam hinc inde membrum quoddam agitare incipiat. Quando verò pulveris illius, & electuarii bezoartici usum non negligit, sed continua adhibitione subsidium sibi subinde comparat, ferè à mali invasione servatur. Et hæc ferè est mirabilis illa & prodigiosa affectio, quæ stuporem omnibus astantibus & videntibus peperit.

Cujus naturam & causas veras inquirere & indagare quamvis difficile sit, nihilominus tamen, cum nonnisi ad convulsorii affectus speciem referri posse existimem, generalia quædam de convulsione hic proponere, ejusque naturam rimari, causasque indagare, non abs re duxi.

Convulsionem, quæ consideratur tanquam symptoma depravati motus, aliam esse in neri, quando nempe repetitis vicibus musculi contrahuntur, & convelluntur, uti in Epilepsia: aliam verò in facto quando ii contracti servantur, nec motus interrumpuntur, ut in tetano apparet, per se manifestum est.

In hoc verò casu, cum primum Opisthotono prehensa, immobilem cervicem haberet, postmodum in varias partes diffuso affectu, variæ convulsionum formæ, ex motuum convulsoriorum varietate exortæ sunt: nunc verò non cervicis tantum, sed & pedum, uti & brachiorum musculos distentos, & immobiles vidimus, mox verò eosdem varia contractionis specie hinc inde agitari & præter voluntatem, iteratâ & continuatâ commotione, totum etiam corpus concitari observavimus.

Ex natura autem arbitrarii motus, qui non est nisi contractio musculorum ad propria principia, capita nempè, à voluntate excitata, convulsivi & symptomatici motus natura & conditio perspicitur & investigatur, ut qui est motus depravatus, vel contractio musculorum ad sua principia, præter voluntatem à causa præternaturali suscitata.

Causa hæc, ut exactiùs cognoscatur, primò locus affectus seu πρῶτον δεκτικὸν hujus παθήματος disquirendum est. Hoc triplex communiter Medici cum Galeno statuunt, nempe 1. *Cerebrum.* 2. *spinalis medullæ principium*, & 3. *particularem*

larem etiam nervum vel musculum, Carolus Piso, in observationibus suis de colluvie & illuvie serosâ, argutè satis & eruditè de affecta convulsionis sede, cerebro nempe, spinalis medullæ principio, disserit, quod nempe nervi tanquam funiculi quidam ita continui sint cerebro, ut ejus membranis, tanquam principio nervorum, præter naturam contractis, concussisque, aut rigidis factis, necesse sit nervorum genus appensum, sive totum, sive magna ex parte, contrahi pariter, concutique aut rigescere: membrorum autem contractionem sæpius repetitam, ita & constantem rigorem inferri à corpore alieno sua plenitudine replente nervorum principium ejusque latitudinem seu cavitatem distendente, nempe dum cerebrum corrugatur, seseque ipso brevius efficitur, secum trahere omnia adnata, appendicem scilicet, nervosum genus, adeoque fieri totius corporis convulsionem non proportionatam materiæ, &c. Sed, quod pace tanti viri dixerim, ejus sententia parum firmis rationibus fulcitur. Nam cum anatomicorum teste, cerebrum corpus fibrosum non sit, nec motû voluntario agitetur, certè subjectum etiam convulsionis, quæ non nisi in membrum voluntario aliàs motû præditum cadere potest, per se nequaquam erit, sed per accidens saltem nempè propter effusionem materiæ spasmum efficientis, in capitis, vel totius etiam corporis musculos. Principium autem nervorum, quod est juxta primas spinalis medullæ partes, etsi fibrosum nonnihil sit, & hinc in substantia sua exiliter contrahi & dilatari possit, quia tamen mollissimum est, & carnis omninò expers, tantum roboris, viriumque habere non poterit, ut convulsorios motus, si ab opplente corpore contrahatur & distendatur, per se excitare queat, cum nec pro arbitrio nostro, vel unum membrum, nedum totum corpus simul contractione sua movere possit. Et qui, quæso, imaginari nobis possumus, nervorum originem aut cerebrum sic impelli posse, aut tam violenter distendi ac contrahi, ut contractione sua ob longitudinis decessionem se cum sursum trahat nervorum, qui ab ipso procedunt, surculos?

Nervi sanè in musculos absumpti, nequaquam tanquam funes eos, & ex consequenti, artus, quibus ii inserti sunt, movent: nam minutissimi sunt nervuli, qui in eos inseruntur, ita ut contractione sua nequaquam partem movere possint: imò si Vesalio credimus lib.4. Anatomiæ, quibusdam nulli prorsùs distribuuntur: sin verò distribuuntur, in tota tamen eorum corpora nequaquam sparguntur, sed nunc in ventres tantum, nunc in capita, aliàs in tendines eorum ramuli disseminantur, ita ut, & si contrahuntur, totos tamen musculos majores simul contrahere nequaquam possint. Imò ferè obliqua est, & flexuosa eorum insertio, quæ contractionem, tracturo organo necessariam, moliri non potest; qui ergò contractiores effecti, musculos, quibus inserti sunt, ad se pertrahere possunt? Et sanè si in corporibus mortuis manibus nostris trahuntur, non tamen musculos ad se attrahere percipimus, sicut hos, aut tendines eorum tractos, ossa videmus attrahere.

Nervi ergo nequaquam principalia & immediata motus arbitrarii organa sunt: Nam non ideò contrahuntur musculi, contractioneque sua membra movent, quia ab iis, nervis nempè contractis, versus originem suam, trahuntur; nam ipsi contracti, musculos tamen secum trahere, uti jam probatum, nequaquam possunt? Sed id à natura destinati sunt, ut animalem duntaxat facultatem cum spiritu, adeoque imperium à cerebro ad musculos deferant, qui ipsi musculi, & potissimùm fibrosa eorum caro, omnium Anatomicorum teste, primum & per se instrumentum sunt voluntarii motus. Si instrumentum, ergo etiam subjectum. Et si subjectum motûs voluntarii, etiam involuntarii, adeoque convulsorii motus δεκτικὸν erunt: nam voluntarium & involuntarium sunt contraria, quæ idem subjectum alterius occupant, ut de aliis quoque contrariis dicitur.

Nervi autem, quamvis moveantur toto moto musculo, non tamen motio ab ipsorum tractione provenit, sed ipsi tanquam eorum partes simul moventur, adeoque ut per accidens motus voluntarii, ita etiam involuntarii, nempè convulsionis subjectum sunt, licet aliàs ipsi sensuum, motuumque causæ, propter spiritum nempè, quem musculis & partibus sentientibus communicant, & distribuunt, rectè vocari possint.

Cum ergo neque in cerebrum, neque spinalis medullæ principium, talis & tam violenta distensio, & contractio cadere possit, ita ut appensum nervosum genus ob longitudinis decessionem, quæ ad latitudinis augmentum & extensionem aliàs sequi solet, sursum trahi necesset sit: ipsi etiam nervi, quantumvis contracti ob causas supra dictas, musculos tamen secum trahere nunquam possint, profectò communem illam Medicorum de convulsionum primo subjecto opinionem rejicere cogemur.

Quamvis namque aliàs omnia corpora laxa atque ductilia nempè membranæ, corrigia, lora, vel funiculi, seu chordæ, ex intestinis, fibrosisque animalium partibus concinnatæ, si vel aqua madefiant, vel uvido aëre turgeant, tantundem in sese contrahantur sponte, & de longitudine deperdant, quantum alienus humor, occultos poros subiens ac replens, latitudini augmentum dedit, & è contrà, si eadem exiccentur nimium, aut evacuentur, mox tum quoque incurventur atque attrahantur: non tamen hoc ad nervos accommodari, & inde convulsionis generatio per similitudinem hinc declarare potest: quia nervi humorum, vel redundantia, vel defectû contracti, tales maturent, nec rursus dilatarentur, & postea iterùm repetitis aliquot vicibus, ut in convulsionibus evenit, contraherentur, quemadmodum etiam chordæ, vel alia corpora laxa à nimia humiditate & siccitate contracta, contracta etiam manent, nec modo contrahuntur, modo dilatantur iterum, repetitis vicibus nisi in alium transferantur aërem. Insuper, si humor quidam convulsionem faceret, partes convulsæ facilè in suum naturalem situm torqueri, flecti, aut extendi iterum possent, nec tam fortiter distorquerentur, nec aliquandiu distortæ manerent ac vigentes: Nam humor mobilis est, omnique violentiæ cedit, nulla per se ad resistendum vi præditus: Cujus concretio & congelatio in nervis aut musculis immedicabilem rigorem, non solitam convulsionem, indicaret. Et quæro, si

si humoris exuperantia convulsionem progigneret, quo pacto paroxysmi, quantumvis vehementes: interdum, tam citò, uti aliàs celerrimam convulsorios motus generationem & solutionem habere videmus, solvi possunt? Exuperans certè humor tam citò discuti ac absumi nequit, tam citò etiam non procreari, vel de novo rursùs impelli ac irruere: Imò, si copiosior subinde irrueret, & sic magis magisque impleret, distendendoque longitudinem imminueret, membrorum rigiditatem & distensionem nervorum continuam & constantem, nec contractionem sæpè repetitam, & concussionem talem nervorum efficeret. Deficiens autem humor, sive nervorum exiccatio, multò minus convulsiorios motus gignere potest. Nam tam subitò is restitui ac reparari non potest, iterumque exiccari, ut tam iteratæ concussiones exoriri, tamque celeris solutio, atque etiam generatio locum habere possit: quin & in vivo hominis corpore nervi eò usque exiccari non possunt, ut intendantur, quemadmodum chordæ in instrumentis musicis, quæ sic habiles sunt, ut pro conditione aëris humidioris aut siccioris, cui exponuntur, contrahi & extendi possint. Nervorum autem, qui ex seminali materia constant, ea natura & conditio non est, ut per se contrahi & extendi possint; & quamvis intendantur & contrahantur, per accidens tamen hoc saltem fit, nempe musculis intensis aut relaxatis, quorum ipsi partes sunt: nec etiam in corporibus nervi ita tensi ac sicci, ut in fidibus chordæ, apparent, sed laxi sunt & tanquam pusilli ad musculos accedunt ita ut animo concipere impossibile sit, quomodo sic propter repletionem dilatentur, aut ob exiccationem distendantur, ut manifestè breviores fiant, & hinc sequatur convulsio.

Ex hactenus dictis patet, quod uti convulsionis subjectum, neque cerebro, neque nervorum principio, nec ipsis nervis assignari, sic humoribus illuc irruentibus & oppletione suâ distendentibus ac contrahentibus, efficiens causa proxima & conjuncta rectè adscribi non possit. Humores namque, sive crassi ii sint, sive serosi, & tenues, si in cerebrum & spinalis medullæ principium, & hinc etiam, in nervos irruunt & obstructiones faciunt, alios affectus, nempe apoplexiam, carum, Paralysin &c. inducunt: nec ulla firma ratio adferri potest, cur serositates, si principium nervorum subeant, ibi subsistant, nec secundum nervos decumbant, atque paralysin progenerent.

Et quamvis Piso effervescentiæ & ebullitioni materiæ causam adscribat, ex qua sursùm potius moveatur, quàm ad locum declivem delabatur, nihilominus tamen, cur non etiam pars ad nervos transmittatur, eosque affligat, vel si fervor remisit, non ad ipsos decumbat, vel vincente expultrice cerebri virtute eò propellatur, adeoque paralysin gignat, sicut in apoplexia hoc fit, ratio dari nulla potest: nam materia tam cito, ac penitus resolvi nequit: tam copiosa enim est, ut oppletione suâ, secundum ipsius sententiam, spinalis medullæ principium distendere atque contrahere sufficiens sit. Nec soluto paroxysmo per palatum, vel alias vias eam excerni observamus: quamvis enim quandoque excretam materiam ipse observarit, non tamen, nisi paroxysmi violentiâ, eam, quæ forsan in capite delituit, commotam, probabile est: sanè hic nihil tale observare licuit. Etsi autem quandoque Epilepticis convulsionibus paralysis vel apoplexia superveniat, non tamen hoc accidit, ob eam materiæ copiam & plenitudinem, quæ plus magis aucta, vehementiores & alios graviores affectus jam inducit, sed per accidens hoc saltem fit, nempe ratione convulsivorum motuum per quos humores, antea quieti, nunc extimulantur & agitantur, & sic in iis corporibus hoc evenit, quibus debile caput & pituitosis humoribus oppletum adeoque ad apoplexiam & paralysin per se dispositum est.

Causa ergo continens convulsionum ac depravatorum motuum alia inquirenda erit, quæ quidem ex voluntarii motus natura & actione exactius investigari poterit.

Nam idem debet esse substantia & specie, quod utrumque motum voluntarium, ac involuntarium naturalem ac depravatum excitat, hoc tantùm servato discrimine, quod si illa substantia secundum naturam se habeat, voluntarius, si autem præter naturam sit, involuntarius, & sic convulsorius excitetur motus.

Cum autem motus voluntarius ab animali spiritu qui per nervos deducitur, ac in musculos excidit, eorumque fibras ἕλξει καὶ ὤσει movet atque pellit, excitatur, consentaneum profecto est, motum depravatum, & convulsorium non minùs à spirituosâ substantia, utpote flatu, aut flatulento vapore, musculorum fibris præter naturam sese insinuante, & pulsû, tractûque illos ad suum principium contrahente, progigni & excitari. Ubi tamen quàm maximè observanda diversitas utriusque causæ efficientis. Nam animalis spiritus ab appetitû pulsus, motusque, siquidem si secundum naturam affectus est definitè musculorum fibras, agentium quidem intendendo, oppositorum autem laxando, movet, & sic contractionem ad sua principia voluntariam, quam postea totius membri vel inflectio sequitur, vel extensio, qui motus naturalis est & voluntatius, efficit. Præter naturam autem affectus spiritus, & vel admixtione flatuum inutilium adulteratus, vel alienâ & infestâ qualitate depravatus, temerè & indefinitè undiquaque subiens, vel propter impetum ac copiam, musculorum fibras plus æquo replet, atque distendit, vel propter malignam, sibique infensam, qualitatem exagitatus atque disturbatus, musculos quoque variè impellit atque exagitat, adeoque depravatos & convulsorios motus excitat.

Spiritus sanè flatulentus, vel teter vapor animalibus spiritibus admixtus, musculisque inclusus, quam maximam vim habet, invitis nobis violenter movendi, variasque spasmorum species excitandi: nam si vel unius musculi fibras præter naturam nimium intendit, vel oppositorum copia sua replet, varias convulsiones modò compositas, secundum vel unam saltem, vel duas etiam, aut tres loci differentias gignit: Tot enim cuivis membro convulsorii motus accidere possunt, quot modis juxta discrepantes loci differentias membrum illud à voluntate aliàs naturâ & arbitrio moveri potest. Qualitas autem aliena & substantiæ nervorum ac spirituum

tuum infesta, si & ipsa per nervos in musculos diffundatur, sopitos in musculis spiritus excitare & turbare potest, ut musculos convellat, non aliter atque appetibilium rerum species spiritus secundum naturam impellunt: & quò quidem talis qualitatis violentia major est, quàm naturalium impressionum appetitus, tanto quoque naturali ac voluntario violentior excitatur motus: quin & eadem pituitosa qualitas crudos halitus, vaporesque in partibus delitescentes transitu suo exagitare, & ad musculos secum quasi rapiendo deferre, adeoque motus præter naturam, & convulsiones excitare potest.

Causæ hujus efficientis assertio verificatur, quod spiritus ad movendum, quàm maximè valent, id quod aliæ etiam res, ut terræ motus, tonitrua, & bombardarum fragor testantur: infesta autem naturæ qualitas spiritus perturbare atque cogitare, naturalem eorum vim, pulsum atque motum qui alias à spiritibus sanis appetitu naturaliter motis definitè excitatur, pervertere & ad summam violentiam pertrahere potest.

Imò convulsoriorum motuum celerior solutio, subita generatio, & repentinus recursus satis declarant, talem ipsorum esse causam, quæ discussionem & regenerationem etiam celeriorem recipere potest: tales autem sunt spiritus, utpotè, qui confestim absumi & expelli, iterumque generari, aliena autem qualitas statim à natura superari & evinci, mox autem iterum ex foco suo diffundi potest.

Quin etiam momentanea spirituum per corpus translatio & celerrima quoque qualitatum, continuitatis alteratione, diffusio; ita ut hinc etiam manifestum satis sit & perspicuum, convulsorios motus, nonnisi ab his causis efficientibus conjunctis & immediatis excitati.

Verum causa hæc convulsionum efficiens alias in ipsis partibus musculosis generatur, quando nempe ibi flatuosi vapores coacervantur & colliguntur, & ex suppressa aliquâ evacuatione, humore eò translato, inde evocantur, qui in fibras musculorum penetrantes convulsionem excitant: alias autem aliunde ad ipsas defertur, sicuti hoc fit, cum à cerebro; vel spinalis medullæ principio vapor aliquis, vel infesta qualitas ibidem excitata, vel ab aliis partibus, ut stomacho, utero &c. eò transmissa, transfunditur, ut in Epilepticis affectionibus hoc evenire solet.

In his enim pro materiæ copia, alienorumque vaporum multitudine, potio vel in capitis, ejusque partium, vel in reliqui etiam corporis, ut manuum aut pedum musculus, per nervos distributa, & effuta, convulsiones, distensiones, palpitationes, tremores, aliosque consimiles, præter naturam, motus ciet, & excitat. Sic quando musculis, capitis aut cervicis motibus destinatis, flatuosi vapores communicantur & insinuantur, & ab iis æqualiter ipsorum partes tenduntur, convulsis ad principium suum utrisque musculis, tum inclinantibus & erigentibus, tum flectentibus & tendentibus, ut nullam in partem inflecti queat, tetanus sive rigor exoritur: Si verò in anteriora tensio fit, è convulsione flectentium ἐμπροσθότονος. si verò in posteriora, è convulsione tendentium ὀπισθότονος generatur. Quando verò iidem vapores ad alias partes distribuuntur, quatenùs diversimodè earum musculis sese insinuant, alias etiam convulsionum species adferunt: Sic alia convulsio solitaria est, alia conjuncta cum rigore, tremore aut palpitatione, alia plures habet motuum repetitiones, alia pauciores, alia plures membri partes occupat, alia pauciores, vel unam tantum infestat. Imo ex ipsorum vaporum naturâ & conditione variæ species producuntur: nam flatuosi si sint, & crassi admodum, cum magna distensione convellent, si malâ qualitate prædicti, vario modò spiritus animales exagitant, & quemadmodum in ipso cerebro eos ita alterant & perturbant, ut inhabiles fiant, quominus amplius principalium, & αἰσθητικῶν ἐνεργειῶν instrumentum esse possint: ita per nervos ad musculos depulsi, eosdem spiritus ibi contentos ita præter naturam afficiunt ac labefactant, ut naturalis & voluntarii motus opifices amplius esse nequeant, sed violenter exagitati, violentos & præter naturales motus excitent. Et hoc quàm maximè fieri potest, si tali qualitate vapores infecti sunt, ut cerebri ἐνεργείας non penitus tollant & extinguant, uti alias in epilepsia fieri solet, sed labefactent saltem & depravent, ubi tum iidem in musculosas corporis partes, cum animalibus spiritus, delati atque depulsi, depravatos quoque motus varios ac insolentes creare & ferè tot modis musculos ac membra, præter naturam & voluntatem, exercere & exagitare possunt, quot modis aliàs à spiritibus secundum naturam se habentibus, ab appetitû sano ac integro pulsis atque motis, membra naturaliter moveri possunt. Quod sanè in præsenti hoc casû manifestum est, in quo varias illas convulsionum & perversarum motionum formas, nonnisi à flatulento vapore, malâ qualitate prædito, qui spiritus animales in ipso cerebro, quin etiam in nervis & musculis variè afflixit, atque exagitavit, suscitatas esse, paroxysmorum invasiones & solutiones veloces, recursus repentini, insultus subiti, afflictiones mirabiles, quæ diversimodè & per quævis temporum momenta, nunc hanc, nunc aliam corporis partem, nunc superiores, nunc inferiores, modò dextras, modò sinistras, nunc unam vel plures, nunc omnes simul, nunc mentem, nunc corpus, infestarunt, ac corporis ἐνεργείας motum, imprimis naturalem, depravarũt abunde demonstrant. Ubi autem, & in qua parte materia illa, ex qua præfati vapores mali suscitantur delitescat, vel ubi focus ille resideat, quæ pars fomenta assidua det, obscurum omnino est, cùm nulla fere pars, suæ vel infirmitatis, vel alterius cujusdam affectus indicia exhibeat. Capitis quidem dolores paroxysmum præcedentes, aliaque signa etiam, cerebrum affectum, alia verò ex inferiori corpore elevari commonstrant. Utut sit vapores sanè mali, vel in ipso capite, vel inferiori corporis parte suscitati, modo ad ipsum cerebrum, modo nervorum principium, primasque spinalis medullæ partes delati, animales spiritus perturbant atque labefactant, adeo ut principium ἐνεργειῶν depravationes, mentis & memoriæ læsiones ac delirationes sequantur. Ex cerebro autem in origines nervorum & spinalis medullæ distributi, & inde per nervos in musculos dispersi & dissecti,

eos ita replent & intendunt, ut variæ spasmorum vicissitudines, & tam violentæ pedum & brachiorum distensiones, oriantur. Spiritus autem in nervis & musculis contentos ita exagitat, ut indefinitæ membrorum concussiones, & inquietudines perpetuæ suscitentur. Ad quoscunque autem nervos ex cerebro vapores hi deferuntur, easdem illi partes, ad quas ii excurrunt, affligunt, sicuti plerumque per sextæ & septimæ conjugationis nervos hactenus delapsi, linguæ & stomachi orificio maximum negotium & difficultatem attulerunt.

Sed nolui hic exactè omnium symptomatum accidentium rationem, generationisque modum describere, sed hæc saltem generatim de causis convulsionum, & præsentis affectionis proponere, & absque omni aliorum injuriâ, & contumeliâ in medium proferre lubuit.

Tibi autem, Vir Clarissime & Doctissime, hæc penitus examinanda, & discutienda remitto, omniaque judicio tuo submitto. Vale & mihi favere perge. Dat. Memmingæ 10. Julii anno 1623.

S. Grata mihi fuit observatio tua singularis, de mirabili morbo convulsivo, Vir Clariss. & Excellentiss. Fautor & amice pl. colende: digna profectò, quæ posteritati relinquatur, quam ob causam eandem cum aliis meis, si pace T. Excell. fieri poterit, publici juris facere conabor.

Complicatos hic cerebri, nervosique generis affectus concurrere video, primò quidem præcedentibus animalis facultatis, tam quoad sensum, quàm etiam quoad motum læsionibus diversis, opisthotono laborantem puellam affectam dicis, quem tandem vehemens & perseverans pedum convulsio subsecuta fuit, ad quartum usque diem juxta progn. Hipp. perdurans, quâ subitò desinente per menstruum spatium optimè habuit ægra.

Cùm autem sub initium Aug. præcedentis anni 1622. capitis dolores ingentes præcessissent, titubatione vertigineque præeunte, prædictam puellam in coma quasi vigilans incidisse refert, cum repetita corporis concussione, memoria interim & intellectu quoque deficientibus mox, mox etiam redeuntibus, donec tandem partitis vicibus, jam brachia, jam pedes, præter voluntatem hinc inde convellerentur. Hac particulari convulsione conquiescente, membrorum inquietudo, tandemque miserabilis insaniæ species, quam saltationem S. Viti nominare consueverunt, ut scribis, successit, cum aliis accidentibus variis, ob varias nervosi generis læsiones in diversis partibus obortis, quemadmodum diligenter & graphicè illa omnia depinguntur. Hujus affectus rari, multumq; complicati memini inter alias amicas conversationes, quas de re medica coram habuimus, factam fuisse mentionem, ubi succurrebat memoriæ morbus convulsivus epidemicus, qui quondam inferiorem Hassiam, & vicinas regiones graviter afflixit, cum quo similitudinem quandam prædictum affectum habere putabam, quod etiamnum verisimile redditur, cum addas; appropriatis istis medicamentis, quibus olim Hassiaci medici convulsivum morbum expugnare conati sunt, sensim affectum imminutum, ipsasque convulsiones, jectigationes ac saltationes mitigatas fuisse. Sanè dignus est hic morbus, in cujus causas penitius inquiratur, quamobrem ea quæ de natura convulsionis subjicis, libenter legi, præsertim cum videam, te potius rei veritatem, quàm aliorum authoritatem, fundamenti loco ponere. Rectissime enim depravati motus causam determinabimus, quando, qui secundum naturam animalis corporis nostri motus perficiatur, exactè satis intelligimus, quemadmodum rectè statuis. Hic tecum præcipuum motus arbitrarii instrumentum, musculum statuo: non enim sufficit, ut objectum, tanquam immobile movens ab intellectû vel phantasiâ cognitum, appetibilem facultatem excitet sed necessum est, ut isto appetitû locomotiva, partibus motui destinatis inhærens, incitetur, quæ tum demum aget, & motum localem absolvet, quando proportionatum motus instrumentum nanciscetur, cujus beneficio commune facultatis animalis organum, spiritus videlicet animalis affluens, commode recipi possit. Hæc spiritus animalis ἀθρόως facta receptio jam hoc, jam illo musculo, motum ex intentione jam hunc, jam illum producit, idque sensibili musculorum agentium contractione, quàm sensualis eorundem in latum extensio, & per consequens induratio quasi, satis confirmat, quemadmodum pluribus in exerc. de motû voluntario demonstravimus. Quòd si motus jam impediatur, necessario musculus præter naturam sese habebit: idque vel per se, quatenus ipsius substantia minus ad spiritus animalis cursum, atque recursum momentaneum recipiendum, propter alienum quid, inhabilis est; vel ex accidenti, quatenus communicatio spiritus animalis, tam qualitate, quàm quantitate peccans esse potest. Ita per se motus omnino tollitur, musculi ratione, in paralysi confirmata post colicos dolores, ubi peccans materia per μετάστασιν ad habitum musculosum translata impedit, quominus affluens spiritus recipiatur: Sic morbosa musculorum dispositio, vel ob virium dissolutionem, vel ob eorundem oppressionem, concurrente facultate motrice, tremorem producit. Per accidens autem musculus ad movendum inhabilis redditur in paralysi proprie dicta, quando spiritus animalis obstructis nervis penitus non influit: vel ubi communicatur quidem, sed imperfectè, quod fit in epilepsia, quæ motum convulsivum habet conjunctum à musculorum læsione, non per se, sed ex accidente provenientem, quatenus cerebrum & potissimum nervorum principium in hoc morbo, qualitate noxia potius in vaporosa, quàm crassa materia subsistente vellicatur, ita ut in surgendo contra malignitatem ejus expellendam, facultas animalis, ob influxum animalis spiritus impeditum, totum nervosum genus concutiat. Jam quod convulsionem propè dictam attinet, rectè deducis ex accidenti musculum hic non laborare motû tensionis & contractionis præter voluntatem, idque non principaliter cerebro laborante, nec etiam nervo, vel repletione, vel inanitione præter naturam. Juxta communem assertionem, affecto, præsertim cum experientia confirmat, cerebro sæpius integro, nec quicquam præter naturam affecto, quod persistens ejus operationes testantur, nihilominus gravissimas con-

convulsiones jam hanc, jam illam partem torquere posse, sicuti non tantum in morbo convulsivo, Hassiæ olim epidemico, sæpius, sed etiam in Illustrissima quâdam Puellâ, propter imperfectam variolarum expulsionem diversarum partium miserabiles convulsiones patiente, ante decennium circiter vidi, quemadmodum pluribus in meis observationibus idipsum deducitur.

Nervorum enim repletionem vel inanitionem rectè contra communem insufficientem statuis, in quo Erasto, Sennerto, & aliis subscribis, quorum assertio mihi quoque verisimilior videtur. Miror autem, cur non tantum veteres, sed etiam recentiores ita se torqueant in demonstrando convulsionis modo per inanitionem & repletionem nervorum obortæ, cum tamen quibusdam hujus affectus exemplis, coacti tertiam causam, nimirum irritationem, ab aliena qualitate provenientem in musculosis partibus agnoscere cogantur, quemadmodum alicubi apud Galenum, Avicennam, & reliquos videre licet; & unius effectus causæ proximiores toto genere differentes, salvâ philosophicâ veritate, quomodo statuentur. Necessum igitur erit in omni convulsione proprie dicta (convulsivos enim motus per consensum irritatione principii nervorum factos excipio) qualitatem aliquam fibris musculosis inimicam musculis offerri, cujus ratione facultas naturalis ad expellendum irritetur, quam agentem animalis facultas in consensum tracta juvet, ut eo promtius agat, unde motus depravatus oritur, musculis præter voluntatem contractis & extensis. Hanc inimicam qualitatem non crassæ cuidam materiæ, sed vaporosæ potius substantiæ rectè tribuis, idque non solum generationis, sed etiam resolutionis modus satis confirmat, quemadmodum illud pluribus à te confirmatur. Hoc non tantum sensus testatur in partibus convulsis, ubi subitò contractos musculos intumescentes, & induratos deprehendimus, sed confirmant idipsum quoque media flatuosam & vaporosam materiam discutientia, quâ ratione subito theriacalibus aquis, ita destillato hirudinum cum castoreo & similibus, externa frictione & fomentatione adhibitis, ad miraculum usque tensionem partium dolorificam remissam atque lenitam fuisse vidi, tamdiu, donec de novo concitata, vel exacerbata vicissim peccans ejusmodi vaporosa substantia facultatem expultricem irritaret, sive in ipso habitu musculoso prædicta causa radicetur, quod in observatione nostræ puellæ Illustrissimæ, propter imperfectam variolarum expulsionem, ejusmodi convulsionibus graviter affectæ, patebat, sive etiam aliunde nervosis musculosis partibus confertim communicetur, quod fortassis in tua quoque puella factum fuit, utpote quæ remediis illis, contra morbum convulsivum viscerum olim obortum, præscriptis bene habuit. Quod tamen his remediis in talibus casibus plurimum tribuendum sit, ipsemet confiteri cogor. In probl. meis Med. Dec. 10. quæst. 7. mentio fit puellæ cujusdam, quæ Giessæ, anno 1609. recidivam morbi convulsivi patiebatur, cui per prædicta quoque remedia pristina sanitas, Dei benignitate, restituebatur, ita ut ad discessum usque meum per annos multos, nihil amplius de hoc malo conquesta fuerit. Fratrem habet eadem, qui in pueritia similem passus est affectum, cui Clariss. Medic. Dom. D. Henricus Ellenbergerus, tunc temporis Professor Marpurgensis, jam verò Brandeburgicus Halæ Saxonum Archiater, quem honoris causâ nomino, iisdem quoque remediis succurrit, idque modo singulari puerulis accommodato, quemadmodum ex addita ejusdem epistola ad prædictorum liberorum parentem, Clariss. Dom. D. Petrum Hermannum Nigidium, Professor. Marpurgensem tunc temporis perscripta, num. 1. colligere poteris. Imò sæpius etiam ubi suspicio tantum vel similitudo quædam hujus affectus adesse videtur, præsentaneum adjumentum præstitisse, prædicta remedia testari possunt, quod sequens historia confirmat. Vivit etiamnum Vir Reverendus & Doctus Dom. Christophorus Schellenbergerus, Parochus in Schlitz, Ditionis Fuldensis, qui Anno 1614. 4. Maii, gravativos circa collum atque scapulas dolores patiebatur, qui tandem genu sinistrum admodum excruciabant, una cum superveniente tumore, mox locum hunc relinquentes genu dextrum etiam occupabant, imò & brachia, manus atque pedes alternatim vagabundis ejusmodi doloribus intumescebant, absente interim omni viscerum intemperie ciborum appetitû naturaliter se habente. Cum autem, me tunc temporis absentem Clariss. Viri Dom. D. Cornelii Thaureri, Medici Hirschfeldensis, opem imploraret præmissâ primùm evacuatione conveniente, potum quotidianum sequentem ordinavit, nimirum vinum medicatum quod

℞. Rad. cichorei ℥ j. Vincetox: garyophyllatæ an. ℥ ß. succisæ, pœon. an. ʒ ij. herb. betonicæ capill. veneris ivæ arthrit. primulæ veris cum toto. an. M j. Fl. anthos salviæ. Thymi an. M ß. fol. card. ben. M j. incidantur grosso modo pro vino medicato.

Insuper addidit usum quotidianum pulveris convulsivi quem hoc modo præscripserat.

℞. Pul. rad. vincetox. sarsaparill, succisæ garyophyllatæ an. ʒ ij. pœon. bacc. lauri an. ʒ j. pul. rosmarini salviæ thymi ana ʒ ß. sp. plires archont. diamosch. amar. dianth. ana ℈ j. f. pulvis.

Hoc pulvere singulis diebus matutino tempore quantitate ʒ j. assumpto, simulque sæpius sudore provocato, & per septimanam unam atque alteram continuato, gravissimi dolores & partium externarum tumores ita discussi fuerunt, ut postea paucis remediis corroborantibus pedetentim pristinæ sanitatis vigori patiens restitutus fuerit. Quanquam verò hoc loco potius arthritis aliqua vaga, quam convulsivis morbus adfuerit, nihilominus absque ratione prædicta remedia non fuerunt adhibita, propter materiæ peccantis convenientiam, quæ proculdubio convulsionem produxisset, nisi crassior & serosior, minusque vaporosa fuisset, unde dolorem mox intumescentia partium subsecuta fuit. Sic in Scholæ ministro præcedentibus mensibus hic gravissimam arthritidem vagam, dysenteriam invadentem habuimus, ubi dolores jam hoc jam illud

membrum, cum subsequentibus tumoribus graviter affligebant, sæpè simul convulsis etiam partibus quibusdam, inprimis lingua præter voluntatem tremescente, cui non aliter tandem quam per chinæ & sassafras decoctum succurri potuit, qui proculdubio citius restitutus fuisset, si prædictis etiam appropriatis remediis uti potuisset. Mirandum vero quod addis, convulsiones illas *Saltationem, S. Viti*, symptoma rarum & paucis visum, introduxisse. Memini me præcedenti verno tempore cum mulieribus quibusdam locutum quæ quotannis *Sacellum S. Viti*, quod est in finibus Ulmensium, non procul à Geislingem, ditionis Kechbergensis, visitant, ibidemque saltu cum perturbatione mentis, eò usque sese nocte, dieque exercent, donec Ecstaticorum instar corruant, quâ ratione sibi restitutæ videntur, ut parùm vel nihil sentiant, per annum integrum, usque ad Maii tempus subsequens, ubi membrorum inquietudine eò usque sese torqueri referunt, ut vicissim circa *festum S. Viti* ad prædictum locum saltationis gratiâ sese conferre cogantur, quemadmodum una ex ejusmodi mulieribus per viginti & plures, alter per 32. annos ibidem quotannis saltavisse dicebatur. Absque superstitione hoc, quicquid est, non est, utpotè cum verisimile videatur exacerbari verno tempore causas convulsivorum motuum in membris naturaliter, quas posteà cum singulari vehementiâ animi, spe restitutionis, *per sacrificium S. Vito oblatum*, suscepta saltatio fortassis ita dissipat, ut recollectis viribus aliquandiu tales ægrotantes ab invasione liberæ permaneant.

Novi puellam honestam, Mercatoris filiam in hâc Republica, quæ jam per annos aliquot verno tempore, cum aliqua, sed levi, mentis perturbatione, similem affectum ferè patitur, ut inquieta jam hoc, jam illud membrum movere cogatur, sæpiùs & linguâ sermonisque operatione interceptâ, de loco ad locum hinc indè commovetur, quod per septimanas aliquot singulis annis, nocte dieque continuat: Valdè vereor, nè tandem gravius aliquid hic etiam expectandum sit. Quanquam verò non ignorem, ex authoribus, quosdam in *Saltû S. Viti* nihil quicquam convulsivi concedere velle, contra alios ex Arabibus, quatenus mens iisdem alienata tantum videtur, cujus ratione perversus saltandi conatus & appetitus oriatur: nihilominus si fides adhibenda mulieribus illis, cum quibus hac de re præcedenti verno tempore sum locutus, omnino statuo, convulsivos hîc motus concurrere, præsertim cùm affirmarint quod pluribus septimanis, antequàm *Sacellum S. Viti* accedant, tensivos omnium artuum dolores, unà cum lassitudine spontanea, capitisque gravitate paterentur, in quo statu permanent, eò usque, donec accedentes ad consuetum saltationis locum, organum Musicum, quod in earum gratiam pulsatur, audiant, ubi mente magis, magisque perturbatæ (fortassis concurrente simul imaginationis firmioris, spe sanationis, impressione) saltare cogantur, ut accidat ipsis ferè, quod iis, quos à Tarentulæ morsû læsos dicit *Matthiolus*. Imò tua quoque puella satis hoc ipsum confirmat, quæ non tantum antecedentes & in ejusmodi saltationem degenerantes passa fuit convulsiones, sed impedita quoque convulsivum, quid in præcordiis protinùs sentire fuit visa, quâ de causa frequens ista saltationis commotio causam convulsionum in ipsis mitigare videtur. Cæterùm ubi focus antecedentis causæ latuerit in puellâ tuâ, non facilè patet. Ex vermibus latentibus, & certis temporibus virus malignum expirantibus convulsivos motus interdum excitatos fuisse constat experientiâ, quemadmodum etiam casus, occasione historiæ tuæ communicatæ per Clariss. Virum *Dn. D. Augustinum Thomerum, Collegam meum colendum*, ad me perscriptus n. i. idipsum confirmat. At verò cum diuturnus affectus maxime radicatam mineram innuat, potius in collectione corrupta circa venas splenicas & meseraicas, causam antecedentem residere putarem, quemadmodum in honesta quoque fœmina, superiori Anno, similem convulsivum affectum per excretionem copiosam materiæ peccantis, per alvum rejectæ, præeuntibus variis digestivis, maxime mitigatum fuisse memini, sicuti pluribus in lib. 2. observat. mearum patet. Verùm cùm de occultis & latentibus morborum causis, quod hoc, vel illud individuum attinet, anceps sæpius judicium sit, hîc etiam subsisto, tibique pro communicatione singularis hujus casus gratias maximas ago. Vale Vir Clariss. & Excellentissime, meque posthac etiam amare perge. Dabam Ulmæ pridie Calend. Decembr. 1623.

Clarissime Vir, amice & Collega honorande; quod heri promiseram, me cogitaturum, quomodo filioli tui, difficili sanè & afflictæ valetudini succurratur, uti debui, feci sedulò. Neque causam video, quare sententiam meam de usû pulveris istius mutem: nempe decoquendum potius leniter esse in sero lactis caprini, vel etiam ipso lacte, & hac ratione propinandum. Vitabitur ea ratione difficilis ejus transvoratio, & calor puelli imbecillus commodiùs medicamento utetur. Capias igitur licebit pulveris istius convulsivi, uti vocant, duas drachmas, & conservæ Betonicæ & florum pæoniæ, singulorum unam unciam, eaque simul linteolo includas, lacte ad levem ignem incoquito eique frequenter instillato. Ita vires aliquantulum instaurabis, & morbi vehementiam lenies. Illinire etiam dorsi spinam bis, tervè, de die cum oleo, cujus heri usum commendavi, non poterit non prodesse.

Deus opt. max. suâ benignitate misero puello opem ferat, teque Solicitudine clementer levet rogo. Dabo operam, si vixero, ut crastino die te invisam. Vale tuus Ellenberger, D.

S. Clarissime & Excellentissime Vir, fautor & Collega plurimum colende. Quoad casum puellæ convulsorium, à *Dn. D. Eckoldo*, literis consignatum, & mihi communicatum, quin symptomata illa à vaporosa & venenosa materia, fuerint pronata, haud ambigo: cum, prout subitam habuere γένεσιν ita & διάλυσιν. A qua minera verò vapores illi sublati, qui fons atque scaturigo, qui locus primario affectus, certi quippiam statuere haud obvium nec expeditum, nec libet ea pro tempore scrupulosius investigare. At non abs re fore duxi, non absimilem convulsorium affectum, à vermibus concitatum, delineare, qui mihi ante annos 16. in Urbe Imperiali Isnensi praxin tum Medicam exercenti,

curandus obtigit. Est etiamnum in vivis Dominus David Wolff, Vir oppido bonus, mercator opulentus, & illius Reipub. Consul, cujus filia 14. annorum, cum hyberno tempore, mediâ nocte sævissimis symptomatibus tentaretur, & ego; ut præsidia adhiberem medica accersitus, thalamum ingressus, offendi ægram in lecto sedentem, recta cervice spiritum ægrè ducentem, ingentem colli constrictionem sustinentem, quasi laqueo injecto ita fauces præcludente, ut præsentaneum immineret suffocationis discrimen, ni subitaneæ auxiliares manus præstò fuissent. Primo aditû ac contuitu attonitus ac dubius, quidnam de morbi genere pronunciandum, necnon anxius & sollicitus, quibus remediis succurrendum. Superis cogitationes meas dirigentibus, ilicò aquam cordialem Bezoart. ordinavi: vix unius atque alterius cochlearis dosi assumptâ, colli coarctatio protinus, haud sine stupore adstantium, & meo remisit: at quadrantis horæ spacio post rediit: ab usu istius aquæ denuo recessit. Cum id observassem, mulierculárum catervę tum adstanti referebam, me suspicari, πάθος illud à vermibus causari, qui dulcedine ac suavitate aquæ Cordialis illecti ac sopiti conquiescant, symptomati illi inducias concedentes: at cuidam Medicatrici, eo loci primariæ, illud meum effatum absonum videbatur, dum rei eventus vaticinium comprobasset. Ab usu illius aquæ constrictio colli omnino abiit, ut ægra quasi è faucibus mortis erepta crederetur. Interim tamen supervenêre convulsiones utriusque brachii, & utriusque pedis, per intervalla repetentes. Modò dextrum, modò sinistrum ad pectus: jam dexter pes, modò sinister, ad nates usque invita ægra, magna violentia alternatim reflectebantur, & quasi funiculis alligata retrahebatur. Tam miserabile spectaculum mihi haud obvenit per totam vitam. Ad malum illud eliminandum præscripsi hydromel laxativum, scopo in vermes directo, primo haustû absorbto, circa vesperam, cum colluvie pravorum humorum etiam excretus vermis oblongus, & tardius prædictarum partium convulsiones rediêre, aliquot horarum intervallo conquiescentes. Postea matutina altera dosi assumpta, duo itidem, oblongi & sat crassi vermes rejecti. Tertiò diluculo tertio cyatho oblato, unicus adhuc vermis expulsus, & exin juvencula illa ex toto in integrum restituta, ab omnibus illis symptomatis libera, ac immunis evasit. Et sic αὐτοψία & ἐμπειρία luculento erat testimonio, præcitata symptomata, prout meum augurium, à vermibus pronata. Num autem in virgine illa, cujus *D. Eckoldus* mentionem fecit, vermium seminarium delitescat, & symptomata illa sæva invehat, aliis speculandum relinquo: mea cymba littus legit. Valeas athleticè: Ex Museo, Ulmæ 3. Decembr. Anno 1625. *Gregor. Horstius observat. & Epistolar. Medicin. lib. 2.*

Anatomicæ Inspectiones.

Quidam per biennium conquestus fuerat de dolore in occipite, tandem Phrenitide ac Convulsivis motibus correptus subitò interiit. Huic crassa cerebri membrana aliquot locis exesa erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi & cum coronali jungitur: Ex iis foraminulis effluebat, & per membranam dictam effusus erat sanguis fermè concretus, ater ac adustus, admodum fætens: Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassæ meningis superficiem discurrentia, quin & ea quæ numerosa per tenuem disseminata sunt: Huic intra cerebellum abscessus humore non naturali scatens, repertus fuit: Erat is humor colore ex citrino ad pallorem vergens, pallida bilis nimirum: Ipsa Cerebelli substantia flaccida omnino, mollior que multò quàm cerebri substantia *P. Pavius observ. 8.*

Miles quidam cùm per integram noctem ebrius in solo decubuisset, evigilans tam repente spasmo correptus est, flexo in posteriorem partem corpore, ut omnino rigidus ac incurvus permaneret, ipse nostræ curæ mandatus est: nihil deglutire poterat, & turbidè loquebatur, tanquam ex loco subterraneo vocem emittens, truculenter nos intuebatur: at etsi omnia adhibita, intra quatuor dies interiit.

Cadavere aperto Vitalia & naturalia integra invenimus: cerebrum autem ad ventriculos usque dissecuimus, quos repletos invenimus materia quadam viscida ac glutinosa, colore luteo, vitello ovorum perquam simili, sed fœtida admodum: hæc incumbens principio nervorum, tam sæva symptomata in subjectis partibus excitarat: Venæ intercurrentes utramque cerebri meningem, admodum turgidæ erant bilioso sanguine.

Eadem modo pauco post tempore affectus fuit signifer: Sed hic præter prædicta symptomata spasmo cynico in dextra maxilla torquebatur, ita ut loqui planè durante isto paroxysmo non posset, & intra 24. horas è vivis excessit. *Jacobus Bontius in Medicina Indor.*

Nobiliss. puerulus bimulus, Generos. D. Dive, Equitis aurati, filiolus, formosus atque optimo corporis habitû præditus, cùm per duos tresve dies minus benè haberet, & tussi sicca laboraret, cum inquietudine, nocturno præsertim tempore, & crebris ejulatibus, nutrix eum dentibus laborare putabat, donec tandem in gravissimos & continuos motus convulsivos incideret: quibus pacandis duo mecum Medici in consilium adhibiti; Varia ad eos sedandos exhibita sunt, sed frustrà omnia, Nobili puerulo tertio convulsionum die naturæ debitum solvente.

Aperto corpore, diligenti scrutinio nihil invenimus quod lethum accelerare potuisset, donec ad intestina deventum, quibus examinatis, duodenum à terete lumbrico perforatum & exesum invenimus, quem adhuc vivum inde extraximus. *Frid. Lossius lib. 2. observ. 33.*

In Stabulo Regio dissectus fuit à Chirurgis Regiis equus generosus, cujus affectus fuerat quod subito os obriguerit clausumque fuerit, ut pabulo vesci nequiverit, unde sensim contabuit: In cujus affectus causam inquisituri, sequentia in sectione strangulati animalis invenerunt, quæ annotavit D. Simon Paulli.

1. Statim jugulato equo, musculi colli & dorsi (qui vivente animali tensi & duri erant) flaccidi evaserunt. 2. In apertione abdominis, inter peritonæum & musculos abdominis, ichor quidam flavescens observatus, ad os pubis usque

que protensus. 3. Inter intestina & peritonæum multi vermiculi candidi, longitudine digiti, crassitie fili mediocris, partim mortui, partim viventes reperti. 4. Omentum pravi coloris, exile & contractum. 5. Lien colore p. n. in limbis contusus, quasi ut friari potuerit, colore quàm reliquum lienis corpus rubicundiori. 6. Epar valdè magnum, concava parte plumbeo colore, convexa sanius, sine vesicula fellis, sanguine, qui in vasis erat, nigro & adusto. 7. In ventriculo satis parvo, magna copia vermes singulares reptabant, rotundi, crassi, nigri, grisei: aliquot cochlearia plena quoque aquosæ, flavæ & nigrescentis humiditatis. 8. Pylorus ferè cartilaginosus. 9. Cor insolitæ magnitudinis, in sinistro latere durum quidem tactû, sed secari tamen aptum: In ventriculis Polypus 1. quadrantes longus, pollicem crassus. 10. Pulmones exiles, duri, colore p.n. præditi, nempe pallidiores præter morem aliorum animalium, immisso siphone immobiles. 11. Musculis colli digito separatis, utrinque ad latus asperæ arteriæ, præsertim ad latus sinistrum, pellucida, flavescens lympha, inter musculos adhuc membrana sua involutos reperta. 12. Glandulæ ponè aures & infra maxillam inferiorem, solito copiosiores, magnæ pariter & exiguæ, quarum minores digitis facillime, majores minime friabiles erant. 13. Caput à vertebra colli prima resectum nihil insoliti monstravit. 14. Separatis musculis maxillam inferiorem moventibus, penitusque abscissis, & carne ossis palati resecta, maxilla tamen immobilis mansit in articulatione cum superiori, ut manibus fortissimis separari aut aperiri non potuerit. 15. In cerebro nihil p.n. notatum, licet solito fuerit siccius. In cranio os singulare, inter cerebrum & cerebellum observatum, quale in canibus solet. *Observatio Simonis Pauli Regis Daniæ Archiatri.*

Quæstionem sibi in aula propositam, quæ causa fuerit. *Quod Equo nobili subito & insperato maxillæ contractæ fuerint, ut cibum capere nequiverit, & spina dorsi obriguerit*, erudite solvit D. Simon Paulli, & publico scripto Lingua Germanica edidit Hafniæ: Neque ea cura infrà dignitatem ejus æstimanda; A Medicina enim, si credimus Vegetio, præfat. Artis Veterinariæ, non adeò in multis discrepat Veterinaria: Imò Joh. Philippus Ingrassias, Quæst. de Veter. cap. 13. Veterinarios Protomedicorum examini subjiciendos volvit: Hic per compendium repetam libelli laudati præcipua momenta, rationes prægnantiores & observationes Medicas notatû dignas. Respondet igitur Anatomicus expertus. 1. Sanguinem omnem totâ substantiâ corruptum, unde polypo cordis nata occasio, quem ante cum Chirurgo in humano corde, repentina morte extincto, cum venenati oblati suspicione Hafniæ viderat. 2. Notandum inter musculos abdominis ichorem insolitum, uti & inter musculos colli ad latus utrumque arteriæ asperæ collectum fuisse. 3. In quodam cum Hafniæ ex gangræna os humeri resectum esset, successisse post paulo maxillæ inferioris immobilitatem, ut liquida per dentium rimas hauriret & per easdem verba proferret. 4. Eidem 24. horis antequam exspiraret postremum, præter convulsionem colli prædictam, etiam Tetano universum corpus, brachia, pedes & dorsum obriguisse, ut integro intellectû, neque ipse, neque aliorum auxilio se membraque sua movere potuerit, sed trunci instar ad fatalem usque horam decubuerit. 5. Viduam N. post cholerum morbum, simili Tetano comprehensam ex esu limonii, quod febricitans alia ægra diu manibus versaverat. 6. Ex suppresso igitur sudore in his exemplis, & in equo regio Tetanum oriri posse. In cujus rei confirmationem duo exempla recenset, Primum de puero 14. annor. cui ex suppresso sudore in paroxysmo febrili tertio, Spasmus levis 14. post diem, successit oris, colli & aliarum partium, moxque tetanus earundem partium & nonnullarum paralysis, ut integris sensibus internis, non tantum mutus fieret, sed oculis solis nutu animi sui sensum exprimere potuerit: hæc symptomata superveniens febris maligna curavit, qua rursum ex methodo extincta, paronychiæ digitorum excreverunt: Alterum, Nobilis quidem in choreis velata facie, larva intus argento foliato obducta submistrat, qui cum sudorem extra laruam collectum abstergere non posset, musculis oris convulsis, spasmum cynicum passus est. Ex his observationibus & hypothesibus de circulatione & vasis lymphaticis, ad Equi regii morbum devolvitur Author, sanguinemque corruptum vellicasse musculos, & lympham extra vasa sua magis quàm sanguis malignam suspicatus. Ex intempestivis verò habenis, nimisque arctis, circa collum compressis glandulis, & cursu exercitiisve calefacto, & maturius ad aquæ potum adducto, forsan sudorem repressum, Tetanum aliaque equorum mala induxisse: in rusticorum Equis affectum illum Capitis vulgo *Ftebel* Gallis, *les Avives*, provenire partim ex crassioribus habenis caput constringentibus, partim quod in pratis humidis frigidisque gramen mordicantes, infrigidentur pedes: magnum autem consensum pedum & cordis esse, circulationis beneficio, experimentis duobus demonstrat. 1. Juris quidam Doctor Hafniæ, ex sphæristerio reversus in hospitium, pedes frigidæ immergens, post paulo in leipothymiam & cordis palpitationes incidit, ut ferè obmutuerit pulsû deperdito: Evocavit istum ab orci faucibus calido vini spiritû, quo lavit pedes, & vino Gallico albo, cui calidissimo Immersit pedes. 2. Similia passam fœminam mensium tempore inordinate viventem, curavit immisso brachio cubitum tenus, in amphoram vino Gallico calido repletam. *Thom. Bartholinus observ.* 11. *&* 12. *Actorum Medic. Ann.* 1671. *&* 1672.

Juvenis annorum decem, *Calcearii Furthensis, Adami Bös filius*, jam tertio ætatis anno Epilepticis insultibus vexari cœpit, iique annis labentibus adeò indies increverunt, ut aliquot ante obitum mensibus brachia cum pedibus illis convulsionibus penitùs in gyrum agerentur, ipsaque ossa tam humeri quàm tibiæ sinistræ partis confringerentur, quibus ejus loco Chirurgus, *Lorenzius Gabriel Will.* restituendis & aptè devinciendis, sedulam quidem navavit operam, humorumque juxta cum tibia spleniis & ferulis ritè colligavit, sed reversus convulsivus ille impetus, nil conferentibus qualibuscunque ligaturis, extrorsum denuò ita emovit, circumrotavit, & effregit modò vix dum commissa ista ossa, ut nullo amplius ingenio composita

posita servari potuerint, Unde factum ut misellus hic homo, misera sic transacta ætate, ac tanto amplius sufferendo morbo impar, viribus scilicet paulatim exhaustis, ob repetitos frequentiores crudelis hujus sui hostis insultus, vehementissima tandem convulsione aliqua, & quæ os humeri fractum, eâ parte qua cubitum attingit, per cutem transegit, mortuus sit. In tanta tamen miseria de nullo dolore conquestus æger, nec vel minimum vociferatus est, adeò ut sensû quasi omni orbatus, ac mense sibi non satis constare visus sit, præsertim cum toto morbi decursû nihil quidem cibi petierit, nec tamen oblatum respuerit, sed assumpserit.

Defuncti cadaver sequenti post obitum die 30. April. hujus anni 71. Furthæ dissectum fuit, omnia viscera inculpata apparuere, & magna bilis vesica, viridi suo colore vicinia stomacho intestina infecit. Aperto brachio sinistro, conspectum id os humeri fuit effractum, & sinistrorsum ex cute prominens. Os femoris ejusdem regionis extrorsum violenter à suo capite divulsum trochanterem acutum, suaque cuspide cutem perforantem habuit: Appendix inferior femoris sinistri, atque interior, qua genu efformat, vasto se satis tubere manifestavit. Tibia tandem introrsum reflexa & curvata cum fibula sua in medio violenter fracta visa fuit, atque illius ossis cavitas omninò ita obliterata, ut nec medullæ, aliàs in ea continere solitæ, vestigium animadverteretur. Sectioni manus cum Willio accommodavit in Chirurgia utraque exercitatus juvenis, *Georgius Brotmannus*, præsentibus inter cæteros *Bambergensis Præfecti, Domini Maieri* filio & *Theodorico Dauchvvits. Pharmacopæo Furtensi. Joan. Georgii Volcameri.*

Puella decem annos nata, parentibus sanis similibus orta, ab infantia ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cœciliarum, imò & serpentum, omnisque insectorum generis comestione mirè delectabatur, ut quæcunque etiam occurrerent avide deglutiret. Annum ætatis circiter quintum agens de doloribus ventris & capitis balbutiendo conquerebatur, cum per totum vitæ curriculum pronunciare nec verbum valeret. Emaciabatur sensim misera, dolores perseverabant, tanta interdum atrocia affligentes, ut bestialiter debaccharetur, humique ventre serperet. Varia à variis agyrtis, carnificibus &c. adhibuere parentes remedia, ægrè verò his doloribus eluctata (puella) quolibet die paroxismos convulsivos, horis incertis, & sub specie multiformi redeuntes habuit, maximè tamen manè & sub vesperam ventriculo jejuno existente invadentes: redibant hi trium annorum spatio singulis diebus, ultimis tandem annis typum & naturam mutantes, capitis hic ibi allisione & succussione, per hypocaustum veloci cursitatione, atrocique stipati ejulatû redeuntes; per plures sæpe horas hujusmodi motus, stridoris dentium &c. reciprocationes obire solebat, per totas interdum ædes cursitans, caput parietibus allidens, eique simul insistens. Agyrtarum medicamentis parùm valentibus tædio affecti, barbitonsoris cujusdam opem implorarunt parentes, qui partim per superiora, partim per inferiora emeticis aliis catharticis adhibitis lumbricos diversæ magnitudinis diverso tempore ad quadraginta expulit; succedebant à fortiore dato emetico duo serpentes aquaticis similes, longitudinem dimidiæ ulnæ habentes digitum parvum crassi; Vivaces valde erant, nec bene contineri poterant, asservabat eos barbitonsor in vasculo luteo leviore operculo tecto, unde ea nocte exsilientes proculdubio, manè nec vestigia amplius apparebant, nullibique nec videri nec deprehendi poterant, sed cum vasculum extra fenestram fuerit positum, facillimè in subjecta prata recipere se poterant: unde tamen infandus in vulgo rumor obortus, puellam dæmone obsessam vivos duos evomuisse dæmones, qui statim nullibi deinceps visi seu reperti, evanuerint. Mitigatæ post hinc convulsiones sensim remisere nec ad finem usque rediere; sed ventriculus spasmo affectus assumpta nunquam retinebat, verùm quævis ingesta vomitu reddebat: barbitonsor ab hoc malo liberaturus, miseræ tres venas secabat, ab hinc indies viribus & corpore deficiens, inclementè hoc fato abrepta animam luit, Quantum licebat, ex morte ejus in prædicti morbi diagnosin, omni parentes pejoris suspicione liberaturus, inquirere satagebam: proinde à Reverendissimo Abbate cadaveris dissecandi venia impetrata, symptomatum in hoc affectû præcipue urgentium rationes & vestigia clarius patebant. Cutis per totum erat discolor, in hac parte livida, in illa flava, in ista subnigra apparebat: musculis ejus in membranas penè emaciatis detractis, idque apertum, tetrum spirabat odorem; omentum consumptum fere erat, glandulæ Mesenterii induratæ erant. Ventriculus & intestina bene colorata, facie externâ satis bene habebant. Sed ventriculus valdè inflans, apertus materiam liquidam cineritiam, plumas compactas, fila, continebat, ejusque tunica interior absque plicis aut rugis plana evaserat: Intestina tenuia maximam partem erant inanita, flatibus solùm distenta, utpote quæ in perpetuas ferè evacuationes sollicitata fuerint, quæ etiam pluribus in locis mutuo involvebantur parte unius superficie convexa in alterius concavum intrusa intestina crassa fecibus substantiæ tenuis impensè ex rubro flavescentibus penitus oppleta conspiciebantur, & quod mirum; nec ulla, vel in ventriculo vel toto intestinorum tractû, semina, quæque vel augurari liceret, etiam sedulo investiganti prodiere. Hepar à sana constitutione plurimùm desciverat, fuit namque tumidum & subdurum, per totam substantiam merè ochraceum, exsangue prorsus & exsuccum, in unicum continuum lobum concretum; vesicula fellea ei adnata bilem prorsùs viridem continebat. Sanguis in vasis inferioris regionis contentus colore cum hepate conveniebat; Lien qui histrionibus pessime semper audierat, fuerat prorsùs insons, & quavis culpa immunis apparebat, prout in maximè sanis observamus, fuit subatri coloris, mollis & superficiei æqualis, è compage ejus dissecta sanguis copiosus rubicundus effluxit: Renes culpa non omni carebant, quos duriores multò membranarum contextui penè involutos reperimus; alter eorum inusitatæ erat figuræ, in plures scilicet lobos findebatur. Pulmones colorem monstrabant lividum & ichore spumoso tenui penitus infarcti videbantur. Ex utriusque cordis ventriculo polypos exemimus

mus, sanguis in substantiam nempe solidam flavescentem concreverat, quæ juxta cordis & vasorum in pulmones ascendentium cavitates effigiata omnes meatus pertransiit. Nec minus clara morbi hujus vestigia in capite deteximus, nam calvariæ olla cum difficultate detecta (dura enim mater suturis firmissimè inhæsit) statim vasa meninges perreptantia sanguine plurimum turgescere conspiciebantur, quasi major cruoris massa in capite aggereretur, venis namque imi ac medii ventris sectis aut ruptis parum sanguinis effluxit. Pars cerebri corticalis & ejus anfractus undique gelatinæ simili humore referti fuere. Integumentis cerebri substantia prorsus madida & humore seroso supra modum irrigata videbatur, qualis tamen nulla colluvies ventriculos inundabat; acriter hic humor linguã mordebat, ingrati saporis existens. Plexus chorioideus grandior, subdurus & nigricans existens plurimùm à naturali deflectebat: Conspeximus glandulæ pinealis insignia crura medullaria; Pituitaria verò glandula liquata quasi & dissoluta à viscosiore lympha, quæ omnes ferè partes irrigabat, vix discerni poterat, digitis contrita instar grandiorum arenularum ossicula plura, ipsi adjuncta obveniebant; Paria nervorum ad sensus facientium grandia duodecim monstrabamus: quas raras etiam demonstrationes adstantibus dedi, eas huc addere supervacaneum censeo: sæpius rariora etiam examinanda mihi occurrunt, quæ in aliud tempus differam. *Sylv. Sam. Antonii.*

Die 15. April. 1682. cultrum injecimus infantulo 7. mensium, matre hypochondriaca pronato, quæ tempore gestationis præcipuè, animi pathematis vehementioribus sæpius se vexari passa est: misellus hic cum primis mensibus bene haberet, parentibus haud parvam sollicitudinem creavit, quod signo masculo in scroto caruit, inde deterius habere incipiens, respiratione anhela, voce clangosa, & abdominis intumescentia subita, quam flatus sonori erumpentes quandoque præcesserunt, matri gravioris doloris causa extitit, usq; quaq; tamen diu non isthæc durabant, licet in die sæpius interdum, interdum rarius redierint: Causa mali humori acri, irritanti per vices fuit attributa, stagnanti circa ventriculum præcipuè & intestina, atq; ad hanc medicamenta præcipuè fuere directa: ægrotulo ad se redeunte, alimentum porrectum gratum fuit, ad ultimos fere dies usque, quibus symptomatibus istis mirè reiterari incipientibus corpusculum magis in dies delassatum fuit, tandemque penitus succubuit. Abdomine quod faciem externam tumidam & lividam ostendit aperto, ichor modicus fœtidus prorupit. Hepar grandiusculum satis erat in superficie nigricans, reliquaque parte cava admodum corruptum. Vesicula fellis cum ductũ hepatico, bile ex atro viridescente plena fuit: Intestina tenuia variis in locis ab humorum acrimonia inflammationem passa fuerunt, citra gangrænosim tamen. In cœco nihil delituit vel humoris acris vel p.n. Mesenterium glandulas rutilas hic illic ostendit, lieni itidem corrupto; adjacebat glandula ovalis minuta: pancreas laudabiliter habebat. Renes quasi ex pluribus lobulis conflati, quorum alterum etiamnum in sp. vin. custodimus. Testiculi inguina non egrediebantur, quin his adnati hærebant. Unde etiam in scroto illos animadvertere nusquam licuit: Pulmonum lobus sinister, inferior à sanguine stagnante corruptelam evidentem contraxerat. Corculum satis magnum pro ætate, auricula dextra sanguine grumoso turguit, & in ventriculo dextro polypus majusculus hæsit. *Joan. Jacob. Harderus apiar. observ.* 100.

Vir Illustriss. Parentibus, Proavisque aut cerebri, aut nervorum dispositioni aliàs morbidæ obnoxiis, oriundus, circa ætatis suæ παρακμὴν primò artuum debilitate, stupore & spasmis levioribus tentari solebat, cujusmodi affectibus cum diu laborasset, demum curationis gratia *Bathoniam* adiens, *thermis* calidioribus nimis crebro usus, vice remedii tantam morbi exacerbationem retulit, ut ab isto tempore prædicta symptomata non amplius per vices, sed fere constanter urgerent; nimirum singulos artus, imo quamvis partem corporis motus convulsivi, & tensiones dolorificæ incessanter exercebant, ita ut musculi simul omnes subsultibus repetitis perpetuo convellerentur, idque non sine insigni cruciatu; cujus unica sedandi ratio in hoc sita erat, ut corpus modo totum, modo aliqua ejus *membra* motu locali perpetim exercerentur: quamdiu enim evigilabat, in lecto vel sedili agitari, aut in curru vehi, aut membra comprimi vel fricari necesse habuit; in quem finè illi parabantur cathedræ & lecti cum basi arcuata, uti sunt puerorum incunabula, in quib. cum decumberet, vel erectus sederet, huc illuc, motu versatili, continuo agitaretur; quod ni fieret, immani dolore, & musculorum tensionib. atrociorib. infestabatur: Hujusmodi *diurnam* affectionis spasmodicæ molestiam tempore *nocturno*, & statim à *somno* symptomata longe graviora excepere: nam recens expergefacto, illico totum corpus horrescere, musculi tensionibus dolorificis plurimum exerceri, singuli artus, velut instanti mortis agone, sudore squalido perfundi solebant; qui in tantum corrosivus erat, ut instar *aq. fortis*, lintea, ni statim abluerentur, cito exederet, & corrumperet. Æger durante hoc conflictu sudores inter & horrores per plures horas torquebatur, donec penitus defatigato somnus obrepens levamen aliquod afferret; quod si paroxysmo ingruente protinus è lecto excitaretur, melius habuit, adeoque solitam affectus ferociam præcavebat: idcirco quamprimum à somno expergisceretur, licet hoc intra horæ semissem contingeret, illico ut torturam evaderet, domesticis ascitis, statim lecto eximebatur: quantum ad appetitum satis valens, absque nausea comedebat, neque à comestis stomachus turbabatur; sæpe tamen de *cardialgia* querebatur, ac interdum *sputatio molesta*, cum *fœtore oris*, velut ab assumpto *mercurio*, per plures dies eum exercuit. Calidiora quævis, tum alimenta, tum pharmaca constitutioni ejus minime congruebant; vinum, aut cerevisiam generosiorem ne pitissare audebat. Primis ægrotationis suæ annis ad conspectum ignis horrescebat, postea imbecillior factus, licet urgente bruma, prope focum sedere renuebat. Urina semper fuit citrini coloris, quæ si in vase fictili supra prunas evaporaretur, fæculentiæ salinæ, supra dimidium liquoris, in fundo residebant; alvus continuo astricta, nisi à pharmaco, aut enemate irritata, sarcinam nunquam deposuit. Quinimo præter motus convulsivos *paralysis spuria* totius corporis membra quævis occupabat; nec enim manus

attollere, aut pedes gressui accingere potuit: lingua vacillans verba non nisi imperfecta protulit, interdum verò cum ex occasione gaudio repentino gestiret animus, spiritibus, & robore mire exsuscitatis, è cathedra subito surgere, & sine alterius ope recta incedere, & salire valebat; quod tamen intervallum vix horæ minutum durabat, quin membra denuo vacillarent, & solito languore & tremore afficerentur. Cum supra duodecim annos Dominus insignis ad hunc modum ægrotabat, Medicorum in tota Anglia maxime celebrium consilia adhibuit, & remedia quamplurima, ac ferè nullius non generis tentavit, scilicet *antiparalytica, antiscorbutica, diætas exsiccantes, sudoriferas, purgantia, cauteria, balnea, linimenta*, quin & *salivationem* bis expertus est: verùm nulla ejusmodi medendi methodo sanari potuit, quare dimissa penitus curationis spe, per septem posteriores vitæ suæ annos tantum remedia quædam symptomata præcipua respicientia usurpavit; scilicet ter in septimana medicamentum solutivum, ex *senna* & *rhabarbaro*, cum correctivis, in forma modo *syrupi*, modo *extracti* cepit; *opiata* ex conservis & speciebus temperatis dosin qualibet nocte sumere solebat: porrò *Julapium* pro data occasione, cum spiritus fatiscerent, sumendum præsto habuit, insuper *cerevisiam avenaceam*, herbis temperatis & diureticis alteratam continuo bibebat. Horum usu septem ut minus annos, sine magna in pejus alteratione transegit; tandem ingravescente *senio*, simul ac *morbo*, spasmorum paroxysmi atrociores, non uti prius, somno peracto, sed quamprimum lecto incalesceret, ipsum invaserunt, ut necesse habuerit lecto suo omnino abstinere, atque vestimenta rarò, nisi ut lintea mutarentur, exuere: hinc transpiratione impedita, recrementa serosa, aliaque evaporari solita, in *pulmones* defigebantur, quæ primo *respirationem crebram*, postea *affectionem asthmaticam*, ac denique *tabem lethalem* intulere.

Si prædictorum *affectuum rationes* inquirantur, obvium erit, universa hæc mala à *prava cerebri*, & *nervosi generis constitutione*, ac immediatius *succi* istas partes irrigantis *dyscrasia*, ac vitio deducere. Nam cum liquor iste, in quo spiritus animales scaturiunt, quoad *temperiem* summe acris, & instar *aquæ stygiæ* corrosivus esset, & quoad *mixtionem* particulis tum *narcoticis*, tum *explosivis* referciebatur: haud mirum est, propterea *spiritus* plurimum onustos, proindeque à debita expansione cohibitos, ubique in minutas *explosiones*, seu velut *crepitus* urgeri, & *corpora continentia* à debita tensitate, & robore exsoluta, etiam in corrugationes dolorificas continuo irritari.

Affectiones istæ *spasmodicæ* mox à somno acrius infestabant, quoniam calor lecti heterogeneas *succi nervosi* particulas exsuscitat, easque rarefaciens velut in explosiones adigit; tum etiam quia *partes nervosæ* in somno *succum suum*, ac cum eo simul allatæ materiæ morbificæ penum uberiorem imbibunt; quibus ad plenitudinem saturæ, primo evigilationis instanti, protinus quod molestum est excutere nituntur. Propter hanc rationem observare est *scorbuticorum* dolores, & *asthmaticorum* paroxysmos à lecti calore, atque à somno plurimum ingravescere; ideò statim lecto eximi, ut his, ita ægroto nostro levamen conferre solebat. Quod autem molestia à continuis musculorum subsultibus, & tensionibus dolorificis excitata, corporis, aut membrorum motu locali aliquatenus sedaretur, ratio est quia spiritus animales, dummodo in actiones diversas ab extra coguntur, inordinationes quasvis ab intra suscitatas remittunt: etenim ut in *dolore* & *pruritu*, qui leviores sunt spasmi, partem affectam comprimere, fricare, aut scalpere juvat; ita musculorum, ac tendinum motus convulsivi, à totius corporis, aut membrorum agitatione inordinata aliquatenus placantur.

Quod spectat ad *ptyalismum*, sive copiosam *oris sputationem*, cum fœtore anhelitus, quæ incertis intervallis redire solita est; suspicari est, eam forte à *Mercurio* clanculum aliquando exhibito processisse; quanquam & multos viderim affectibus tum convulsivis, tum scorbuticis laborantes, quibus hujusmodi perpetua sputi ex ore defluxio, citra omnem Mercurii suspicionem molesta fuit; nonnullos etiam (uti mox infra dicetur) quibus salivatio superveniens (materia explosiva ad huc modum critice evacuata) morbum solvit: porrò verisimile est, hunc affectum à meris succi nervosi recrementis productum fuisse; *ductusque salivales*, cum plures & satis patentes fuerint, superfluitates à *nervis*, æque ac *arteriis* in glandulis copiose depositas excipere, & foras convehere.

Quoad *lucida intervalla* quibus æger inducias quasdam, licet breves, mitigata quasi morbi ferocia, obtinere solebat; ut quem modo ægritudo cathedræ alligabat, derepente exsilire, & circumcirca deambulare potuerit; insperato tamen atque evanido hoc robore, mox iterum in pristinum languorem desinente: Dico ejusmodi motus naturæ laborantis, & sub gravi onere prostratæ, fortiores quosdam nixus, & ultimos conatus esse, quibus scilicet ad momentum temporis se recolligit, & quasi morbi jugum excutere tentat; verum quia huic certamini diu sustinendo impar sit, denuo statim relabitur, & pristinæ succumbit sarcinæ. Profecto mirum est quantum supra naturæ vires, *ira* ac *timor*, aliæque animi passiones quædam nervosum genus intendant, atque impetus plane stupendos edere cogant: sunt verò exiguæ tantum durationis hæc *conatuum prodigia*.

Designata ad hunc modum *morbi* prædicti *causa conjuncta*, & *symptomatum* præcipue urgentium *rationibus* ostensis; adhuc inquirendum restat, circa causam προηγουμένην, nempe ob quas προφάσεις *succus nervosus* ita degener factus, primo *paralysin*, ac deinde *musculorum* omnium *subsultus*, sive *spasmos* intestinos intulerit: porrò explicare oportet, quamobrem morbi hujus fructus paulatim accrescentes, *thermarum* usu tam cito ad maturitatem pervenerint: item quare *ægritudo* ista nullis remediis cedens, *incurabilis* extiterat.

Quoad *prius*, dicendum esse videtur, quod ægrotans parentibus, qui morbis cephalicis graviter obnoxii fuerunt, oriundus, malam *cerebri* & *nervosi generis* constitutionem originaliter contraxerat, adeò ut intra sextum ætatis suæ lustrum *paralysi spuria* laborare inceperit; dein cum *procatarxi* huic *hæreditariæ causæ evidentes* sanguini, & humoribus majorem indies

a bem affigentes accederent (erant enim varii casus atque infortunia quæ viro eximio mœstitiam & melancholiam continuo intulere) propterea quidem *liquor nervosus sale fixo*, & *scorbutico* supra modum imbutus, instar *aquæ fortis*, aut *stagmatis vitriolici*, summe *acris*, & *irritativus* evasit; proindeque spiritus, & corpora eos continentia, non secus ac prædicti liquores lumbricis suffusi, in corrugationes, & contracturas spasmodicas continuo incitaverit.

Quod autem hic *morbus*, primo sensim accrescens, *thermarum calidiorum* usu in statum longe deteriorem cito evehebatur, ratio facile patet: experientia enim constat *balnea calida*, & *sulphurea* in corpore humano *salinas*, aliasque *morbidas*, quæ intra viscera, aut humores scatent, *particulas* plurimum exaltare, & cito ad ἀκρότητας perducere; eas scilicet exagitando efferatiores reddere, è primis viis in sanguinem, & exinde in cerebrum & nervosum genus urgere, quinimò prius secretas & otiosas conjungere, ac in ζύμωσιν quandam incitare: quare qui aut *arthritidi*, aut *calculo* hæreditario obnoxii, istorum affectuum paroxysmos nondum perpessi fuerunt, à *thermarum* usu sæpissime alterutrius morbi fructus in se statim maturari sentiunt. Cum itaque in hoc ægrotante & *sanguis*, & *liquor cerebrum nervosum* irrigans particulis tum *narcoticis*, tum *spasmodicis* imbuerentur: quin & à *crasi dulci*, & *balsamica iste* versus *salsum*, atque *hic* in *acetosum*, & *stagmatis vitriolici* æmulum degenerarent, tantum abfuit *aquarum calidarum mineralium* usus ab auxilio ferendo contra hæc mala, ut propterea statim omnia plurimum exacerbarentur: atque *morbus* ab humoribus, quoad *temperiem* & *mixturam* ita depravatis procedens, nullis uspiam remediis curari potuerit; nihilo facilius scilicet quàm *acetum* in *vinum reducatur*.

Cum *Illustrissimi* hujus *viri* à *phthisi* demum extincti *cadaver* aperuissem, pauca admodum ejusmodi gravissimorum pathematum *vestigia* detegere licebat. Hinc ut constet, *paralysin* & *spasmum* non tam à crassa & copiosa materia, alicubi in *mineris* congesta, quàm à mala spirituum animalium, qui subtilissimi ac invisibiles sunt, affectione pendere. Quæ circa hujus *anatomen* notatu digna occurrebant, paucis exponam.

Abdomine aperto omentum (prout in plerisque à *tabe*, aliisque morbis chronicis interemptis assolet) putridum erat, & ferè consumptum. Interim *ventriculus*, *intestina*, *pancreas*, & *mesenterium* satis recte habuerunt; scilicet *membranæ* erant firmæ, bene coloratæ, & abscessu quovis aut *tumore scirrhoso* liberæ: *intestinis* majoribus *excrescentiæ* quædam *carneæ* instar *auricularum muris*, adnascebantur; hujusmodi cum plurimæ fuerint, ex utroque *intestinorum coli*, & *recti* latere, ad certa quasi stadia, instar ramorum arboris, gemellæ prodibant: Simile quiddam in *tabido* olim reperi: Hujus ratio videtur esse, quod in *phthisicis nutritio* (licet circa partes solidiores & exteriores deficiat, aliquando tamen) interius propè succi nutritii fontes plus debito perficitur, proinde ut *epiphyses nonnaturales*, & superfluæ excrescant.

Lien, qui semper pessime audierat, & à plerisque medicis, velut *scorbuti*, & cæterorum omnium affectuum *causa principalis* damnatus fuerat, prorsus insons, & quavis culpa immunis apparebat: nam prout in maxime sanis observamus, fuit *subatri coloris*, *mollis*, & *superficiei æqualis*, *obstructione*, aut *scirrho* quovis liber, *fibris*, & *vasis* satis *distinctis*, & *firmis* præditus: e compage ejus dissecta sanguis nigricans effluxit.

Hepar (quod equidem mirari subest) mediocriter se habuit, nec à tam gravi & diuturna ægrotatione solito durius, aut scirrhosum, aut tuberculis obsitum evaserat: erat tantum grandius, & coloris nonnihil obfusci.

Renes, licet *calculo* ac *ulcere* quovis immunes, tamen culpa non vacabant: nam in medio dextri renis *cavitas* ingens à *pelvi* distincta, eoque multo amplior, aqua limpida impleta conspiciebatur: talem in *hydropicis* sæpenumero comperi: atque hæc quidem fortasse ex sero in renem istum deposito, quod haud facile per meatus, & poros ejus percolaretur, orta est; quippe serum inibi subsistens, ab initio specum sibi exiguam procuderat, quæ sensim postea dilatabatur: cumque ob hanc rationem seri secretio, & per ureterem exitus aliquatenus præpedirentur, latex ejus in sanguinem restagnans capiti noxam graviorem intulit, quod quidem eo magis suspicari fas erat, quia *ren* etiam *sinister*, valde extenuatus, & absumptus, plures *hydatidas*, & cavitates aqua limpida repletas continebat.

Pulmones sterno, & *costis*, & *diaphragmati* undequaque adnati, sine ulla ferè distinctione loborum, unà tantum compages carnis spongiosæ, putridæ, & materia ichorosa per totum infarctæ videbantur. Proculdubio *ægrotans* hoc malum non ita pridem contraxerat, scilicet cum nullo corporis exercitio defungi, nec intra lectum, ut liberius perspiraret, commorari potuerit, sanguinis fæculentiæ, & recrementa, quæ per cutim evaporare solita sunt, in *pulmones* deposita, in causa erant quod hi & inter se, & cum aliis partibus concrescerent, eorumque *tonum* & *conformationem* prorsus vitiarunt, ita *phthisis* demum exorta cæterorum affectuum, quibus diu ac misere affligebatur, *effectus*, & *productum*, ac minimè *causa* fuerit.

In *utroque cordis ventriculo* sanguis in substantiam solidam, albidam, & carnis coctæ æmulam concreverat, quæ juxta *cordis*, & *vasorum* cavitates, & processus effigiata, *serpentis*, cum *cauda multiplici* & *divisa*, figuram nonnihil referebat; quo quidem in multis post longam invaletudinem defunctis, nihil usitatius occurrit: Cujus ratio est, quod sanguis à longa ægrotatione effœtus, atque hinc circa præcordia pigre circulatus, in corde & vasis appensis *stagnare* incipit, proindéque in *concreta* ejusmodi *carnea* sensim congelatur.

Dum *cranio aperto* præcipuam morbi causam inter contenta ejus perquirimus: primo occurrebat, *cerebri molem* justo minorem, & *gyris paucioribus* instructam fuisse, unde spiritus animales non satis copiosè productos suspicati fuimus: porrò universa τ' ἐγκεφάλε compages justo humidior, latice aquoso madida & prorsus immersa videbatur; ut integumenta ejus, scilicet *meninges integræ* divellerentur, atque *anfractus* & *ventriculi* omnes aqua limpida mundarentur. Probabile est hoc *cerebri diluvium* nuper accidisse

disse, nempe quatenus ob διαπνοὴν impeditam, & *lotii secretionem* parcius habitam, *serositates* in massa sanguinea aggestæ capiti traderentur: ideoque *cerebri substantia*, & imprimis *corpora striata* uliginosa prorsus & tam madida erant, ut discissa eorum substantia vix compacta maneret, quin, liquidorum inspissatorum, more aliquatenus difflueret: intra *sinus cerebro* ejusque *appendici superstratos* ac *insertos*, atque *vasa* ex iis prodeuntia, sanguis in *glomeres* duriusculos, ac velut carneos, non secus ac intra *cordis ventriculos*, & vasa iis appensa concreverat; quod etiam nuperrime cum sanguis pigre circularetur, propter eandem rationem, qua sanguis intra præcordia coagulabatur, accidisse putamus.

Spinalis medullæ truncus aquæ limpidæ immersus valdè extenuabatur, ut vix dimidium osseæ cavitatis impleverit: quod equidem à *seri salsi*, cui velut incoquebatur, colluvie effectum censemus. *Thom. Willis de Morb. Convuls.*

Puella quædam nostras honestissimis parentibus oriunda, per duos annos integros miris agitabatur convulsionibus, quibus non solùm totum corpus contractum fuit, sed etiam sensuum primariorum organa ita læsa, ut per octodecim menses oculis suis orba degeret, nulla tamen opacitate, aut in tunicis, aut in humoribus apparente: Præterea per aliquot menses, eosque non continuos, at per intervalla longiora, vel breviora, interruptos, surda prorsus viveret, imò identidem loquelam amitteret; perstantibus interim doloribus atrocibus iisque perpetuis ac indesinentibus, quorum conditionem & naturam vix subinde explicare poterat, cùm tamen mens omnino sana ac immota per totum morbi decursum permaneret. Omnis generis sunt adhibita remedia pro tam crudeli debellando hoste, sed omnia incassum; unde etiam superstitiosi quidam, quibus quicquid propriæ non subjacet conceptioni, naturæ limites transgredi videtur, suspicabantur diabolicum quid hic subesse. Verùm ineunte mense Novembri anni præsentis 1692. ægræ nostræ corpus sensim se expandere, viresque deperditas ita resumere cœpit, ut per urbem lento passu ambulare, quamvis non perfectè erecta spina, imò sacrum cætum frequentare, bis aut ter potuerit, sicque Parentes spe integræ convalescentiæ non parum lactaverit, cùm præcipuè viderent, & dolores, & oculorum, & aurium atque organorum voci dicatorum affectus, tum temporis etiam valedixisse. Interim brevis admodum fuit triumphus quem de victoria contra morbum, imò (ut etiam ipsi vulgi erroribus & deliriis, non satis liberi, aliquatenus credebant,) contra diabolum parta, celebrabant, siquidem medio circiter Decembri prædicti anni dolores recruduerunt, comitesque habuerunt spasmos tam atroces ut sexta post sui recursum die misellulam hanc enecarent anno suæ ætatis duodecimo. Sic nobis occasio data morbi tam abstrusi causas intimiùs rimari, quare cadaver cultro nostro subjectum die vicesima 1. Decembris, quò sectionem à capite orsi in eo sanè nihil cui affectum referremus, apparuit, nam neque in cranio, neque in dura aut pia matre, illiusque sinibus, neque in substantia cerebri glandulosa, corticali dicta, fibrosaque, seu potius tubulosa, callosa vocitata, neque in ventriculis, ac plexu choroide, neque juxta nervorum quæ creduntur origines, ac præcipuè juxta eorundem è cerebro egressum, aliquid extranei se manifestavit, præterquàm seri parum inter cerebrum & duram menyngem effusum, quodque ejusdem portiuncula in filamenta congelata ac polyposum quid efformans, in sinu falconato cerneretur. Observavimus autem in hac juvenili ætate quòd cerebrum foret solito compactius & firmius, glandula pinealis pellucidior, omnesque protuberantiæ, quibus nomina dantur tum natum, tum testium, tum protuberantiæ annularis, tum illæ quæ secundùm Willisium faciunt corpora striata, thalamosque nervorum opticorum, &c. distinctiores ac magis quàm in aliis cerebris elevatæ, viderentur. Propterea tam liber erat spirituum in hoc viscere commeatus, ut ratio ac memoria expeditior & promptior in hac puella fuerit, quàm in aliis ejusdem ætatis familiare sit.

Thorace postea reserato, reperiebam pulmones justo crassiores, &, si ita loqui liceat, de corpore vere vesiculari, carnosiores, per sui partem superiorem duorum digitorum transversorum longitudine pleuræ quàm firmissimè adnatos. Cor parvulum, sed aliàs bene constitutum in tota substantia, ventriculis, valvulis, earundemque columnis; nec minus bene se habebant auriculæ, nisi quòd dextra tumidior, in se complecteretur ad integram plenitudinem serum congelatum, quò conficiebatur unum ex iis corporibus quæ polyposa dicunt, magnitudine nucis juglandis mediocris.

Recluso tandem Abdomine in eo veram morbi originem reperiebamus: sed de omnibus suo ordine. Hepar erat grandius, & per totam sui partem gibbam ad extremas propè oras, tum diaphragmati, tum peritonæo ita adhærens, ut ab illis sine laceratione divelli nequiverit; substantia tamen ipsius integra ac intemerata. Glandulæ mesentericæ non tantùm multò grandiores, numerum etiam ordinarium non parum excedebant, & materia sebacea ad absolutam turgescentiam replebantur, ac pluribus in locis rete quodam e vasculis varicosis confecto circumcingebantur, quibus vasis sanguis grumosus, ac quasi tostus continebatur. Quod verò nostram præcipuè meruit attentionem, fuit corpus aliquod glandulosum, & pluribus sui partibus prope cartilaginosum, lumborum omnibus vertebris ita firmiter connexum, ut ab ipsis nulla vi, sine totali laceratione divelli potuerit. Erat autem è pluribus corpusculis ovalibus, rotundis ac angularibus, racematim dispositis, solidiori ac asperiori unica conclusis, contextum, duos pollices crassum, quinque latum, sicque ad dextras ac sinistras, prædictas omnes vertebras firmiter cingens. Eò autem attentionem nostram meruit, quod in illo videremus veram causam omnium symptomatum quæ puellam hanc miserè excruciaverat. Corpus enim illud, primò proprio pondere, ac etiam durioribus tuberculis iisque angulosis quibus ex parte conficiebatur, lædebat plexus aliquos mesentericos, quam graviusque comprimebat nervulos illos qui è vertebris lumbaribus emanantes, obviam eunt ramificationi-

bus quibusdam prædictorum plexuum, quibuscum coeuntes, cum iis postea distribuuntur in varia abdominis viscera; sicque procreabat ex parte irritationem illam spasmodicam tum totius corporis trunci, tum illam in specie quæ & oculos, & aures, & organa vocis, affligebat. Secundò acrior humor qui è tam maligno fico necessariò & continuò exudabat non parum vellicationem hanc convulsivam augebat. Sic autem mens non minùs immota peritabat, ut neque minus manet immota in pluribus ex iis convulsionibus quæ à punctione in aliqua corporis parte extra cerebrum posita eveniunt. Eo autem tempore quo corpus se expandere & postea lentè ambulare ægra cœpit, spinam perfectè erigere non valuit, quia vincula per tumorem descriptum vertebris lumbaribus injecta non permittebant ipsarum liberam extensionem, etiam si per excussionem factam pro tempore materiæ spasmodeos, propter rationes nobis incognitas, cæteræ partes tum liberæ forent.

CORDIS PALPITATIO TREMOR atque ad illud ipsum pertinens PULSUS INTERMISSIO.

De Palpitatione ac Tremore Cordis, ut & Pulsu Intermittente, tanquam præcipuis hac in parte materiis acturi, non est sanè quòd alio exquiramus unde Lectori abundè satisfiat quàm ex iis quæ de Passionibus Cardiacis accuratè pro more disserit Thomas Willisius, cujus propria hæc sunt verba.

Post Pharmaciam Cardiacam, ita vulgo licet improprie, dictam, modo tractandum sequitur de Passione cardiaca; in qua nempè cor revera laborabat, proindeque remedia verè cordialia postulat. Sub isto verò nomine duo affectus, inter se nonnihil diversi, communiter denotari solent; nempè Tremor cordis, & Palpitatio ejus: in utroque pathemate cordis motus, sive pulsus inordinatus, & quodammodo convulsivus esse videtur: attamen prioris inordinatio in Vibrationum ejus crebritate, ac alterius in earundem vehementia consistit. In posterioris hujus Ætiologiam primo inquiremus, & deinde alterius etiam Theoriam, & tandem utriusque curationem tradere nitemur.

Cordis Palpitatio adeò vehemens, & immanis interdum existit, ut non solum tactu manifestius percipi, verum & oculis conspici, imò interdum ad distans quoddam audiri possit. Porrò ab Auctoribus fide dignis narratur, à vehementiore cordis vibratione, & costarum percussione, eas interdum effringi, aut in junioribus foras propelli, protuberantesque manere.

At verò hic motus quamvis ad Sensum ita multiplicem perceptibilis sit, attamen rationi nondum constat, quæ pars ita moveatur, ut quovis pulsu suo pectoris latus sinistrum exilire faciat. Credo omnes tum doctos, tum imperitos, uno ore profiteri partem ita motam, & fortiter evibratam, ipsummet cor esse; sed interrogo utrum cordis tota compages, aut aliqua ejus pars ita exiliat, & solitam vibrationis suæ sphæram transgrediatur? si dicatur corpus ejus totum, ita efferri, assignent vellem, an hoc in Systole ejus, aut Diastole fiat: certè non prius, quia dum cor contrahitur, αὐτοψίᾳ patet, molem ejus quoad omnes suas partes minui; nec magis in Diastole dicatur, quoniam in eo statu cor ad situm, & magnitudinem tantummodo naturalem, & ordinariam redit, inque eo aliquantulum manet. Hinc siquidem cor juxta vibrationis suæ, quantumlibet auctæ, aut intensæ, leges, adeò palpitare, & exilire nequit; (Quod etiam amplius constat, quoniam in paroxysmo febrili, ubi vehementissime pulsat, non extra salit, & costas percutit) olim suspicatus fui ipsum durante affectu illo, motum convulsivum, & ordinario plane diversum obtinere; quo nempè, velut membrum spasmodice agitatum, cor prorsus totum elevetur, & è loco suo moveatur. Attamen neurologia plenius intellecta, ab hac sententia statim recessi, quia certum est, cor à nullo alio musculo, præter suas ipsius fibras motrices, quaquam attolli aut efferri posse. Quapropter super hac re serio magis cogitanti, demum animo occurrit, quod dum cor ad sanguinem, è sinubus suis excludendum contrahitur, atque mucro, & latera undique concidunt, & propius adducuntur; si tamen sanguis illico totus quaque systole penitus ejici, & eliminari nequeat, necesse erit vasorum radices ad summum impletas, & plurimum intensas cum impetu quodam exilire, dein, propter reverberationem hic factam, totam cordis compagem valde concuti.

Profecto à tali interdum causa, Affectum istum oriri, ex observatione Anatomica nuper confirmatum vidi. Theologus insignis, & pius, postquam palpitationi cordis per crebras vices modo sponte, modo occasionaliter obnoxius degisset, tandem ea continue dies, & noctes, cum gravi dyspnoea affligi cœpit; & deinde intra paucos menses, à morbi molestissimi assiduitate atritus, fatum obibat. Cadavere aperto, Cordis sinus dexter mox sanguine concreto tumidus apparuit; cujus item auricula, in immensum aucta, & extensa, cruoris grumosi copiam ingentem continebat. Contentorum horum ratio statim apparebat, viz. quia pulmones summe obstructi, & cruore atro extravasato, & ubique stagnante infarcti, sanguinem, è ventriculo isto jugiter explodendum, haud totum admittere potuerint: quapropter dum cor, exclusioni ejus totali summe adlaborans, unaquaque systole juxta conum, & medietatem intus contrahitur, & quoad magnitudinem diminuitur; Basis ejus ob sanguinem ibi coacervatum, ac in transitu hærentem, aut reverberatum, valde impleta extuberat, atque propter Auriculæ molem magis tumida amplius evibrat, & latus attollit.

Verùm enimvero, haud solummodo ab hac causa, cor palpitare constat; quia morbus iste, non semper constans, & perpetuus est, sed plerumque vagus, ac incertus per vices quasdam infestat, & deinde sponte, aut remediorum usu cessat. Porrò nonnullos, quorum pulmones satis sani & tabe quavis immunes sunt, passim incessit.

Utcumque tamen licet morbus iste à causis diversis exoriri possit, in iis tamen omnibus eam-

eandem usque afficiendi rationem esse judicamus. Videtur enim quod cor solummodo palpitat, quatenus in systole ejus, dum conus, & latera simul contracta angustantur, basis cum vasorum radicibus, ob sanguinem illic aggestum, & non nihil hærentem, aut repercussum, ampliata extumescat. Revera sanguinis cursum hic loci nonnihil præpediri, aut repercuti inde constat, quia dum cor in latere vehementer, & fortissime vibrat, arteria in carpo plerumque languide, & debiliter pulsat, utpote sanguinis rivum non nisi exilem convehens. Cum itaque morbi, istius causa conjuncta, sive ratio formalis omnino in sanguinis circa basin cordis, & vasorum radices remora, & aggestione consistat, inquirendum sequitur, quot modis, & ob quas alias causas, ejusmodi affectio produci soleat.

Super his, ut cordis carnes, sive fibras proprias motrices non multum culpemus, vitium hoc potissimum, & maxima ex parte, aut sanguini aut vasis cordis appensis imputandum videtur. Prioris ratio satis constat, inquantum sanguine aquoso, atque ad effervescentiam aut accensionem minus apto præditi, uti virgines χλωρώσει laborantes, atque viri, aut mulieres, cachectici, huic morbo plerumque obnoxii reperiuntur, & insultum ejus à corporis motu quovis citatiore fere constanter pati solent. Cujus causa est, quod cruor, siquidem particulis segnioribus, & non satis activis constans, è cordis sinubus non libere & expedite ejicitur, sed partim in iis sæpe residet, & facile stagnat: idcirco quoties à corporis motu iisdem uberius infertur, ut penus ejus totus quaque systole eliminari nequeat, cor summo nisu laborans, in basin suam & vasorum radices, & vix ultra propellit; ubi cum aggeritur, & paululum subsistens partes continentes extumescere facit, passionem cardiacam una cum dyspnoea infert.

Præterea tamen affectio istæc cardiaca quosdam sanguine præfervido, & prompte satis accendi aut fermentescere apto, prædictos sæpenumero infestat. Plerisque enim passioni hypochondriacæ, Hystericæ, aut alias spasmodicæ multum obnoxiis, hoc malum frequens, & familiare est: quapropter in his casibus, Arterias cordi appensas in culpa habendas merito suspicemur. Quo pacto harum obstructio, sanguinis è corde effluxum liberum impediens, cordis palpitationem inducat, historia modo citata manifesto declarat: porro vasorum istorum occlusiones, & infarctiones aliis modis excitatæ, eundem effectum producere possunt. Novi senem Cervisiæ fortioris ac vetustæ, nec non vinorum potui crebro à multis annis assuetum, prædicti morbi insultus crebros pati solitum; cujus postea, à stomachi sphacelo, cum vomitu quotidiano, spirituum languore, aliisque symptomatis defuncti, cum cadaver aperirem, deprehendi arteriæ magnæ truncum mox à cordis egressu plane osseum, seu potius saxeum, ejusque latera valde compressa fuisse, ut rima tantum relicta sanguis vix per dimidium, quo debebat torrentem, effluere potuerit. Proinde ut huic causæ palpitationem cordiacam, ei sæpius molestam, merito ascriberem. Cæterum probabile est pathema istud à sanguine, intra cordis sinus, & vasa appensa grumescente, ac in frusta quasi carnea concreto, interdum procedere.

Verum insuper his, siquidem palpitatio cardiaca affectus alios spasmodicos, prout modo innuimus, sæpenumero comitari solet, etiam suspicari licet; illius causam quandoque mere convulsivam esse. Olim in neurologia nostra ex observationibus Anatomicis ostendimus, nervos, & propagines nerveas fere innumeras, in pluribus locis, ac præcipue juxta basin cordis, arteriarum truncos complecti, & circumligare; quorum usus, & actiones ejusmodi fuisse putabamus, ut diversimodi sanguinis æstus, fluxus, & refluxus immo interdum stagnationes propter vehementes iræ, timoris, gaudii, tristitiæ, aliosque affectus, excitari solitæ, propterea contingant, quatenus funiculi isti nervei vasa hæc sanguifera varie stringunt, comprimunt, aut forsan aliquando penitus occludunt. Porro haud multum improbabile est, ob vasa ista spasmodice affecta, & paulo diutius constricta, ita ut sanguis è corde exilitionem liberam præpediant, palpitationis cardiacæ insultus nonnunquam exoriri. Profecto tum hanc, tum alteras istas cordis passiones, tali causæ merito imputamus; Verum efficiendi rationem à sententia ista paululum recedere visum est. Postquam enim nervorum actiones, & usus exactius perpenderam, deprehendi tandem ipsos, eorumve propagines nihil omnino trahere, aut constringere, sed totum hoc negotium omnino à fibris carneis perfici, atque nervos solummodo, in has partes motrices, novas subinde spirituum copias, insuper & motuum obeundorum instinctus convehere: quale pariter munus erga fibras membranaceas pro sensionibus peragendis exequuntur.

Dum itaque serio perquirerem, quibus usibus totidem nervi per vasorum tunicas disseminati inserviant; demum reperi, Arterias istas proprio marte, pariter ac alia præcordia se contrahere, & dilatare, atque pro motibus illarum tum naturaliter, tum pathetice obeundis, & spirituum copias, & instinctuum rationes, per nervos istos deferri. Enimvero ex observatione Anatomica plane constat, Arteriæ cujusque tunicam mediam esse plane muscularem, atque fibris carneis (cujusmodi sunt ventriculi, intestinorum, & quorundam aliorum viscerum) per totum constare. Quæ fibræ annulares densa velut capillamentorum serie; Arteriæ ductum, sive Tubum ubique cingentes, proculdubio systolas suas proprias, & Diastolas, æque ac cor ipsum, obtinent. Quapropter imprimis, dum fibræ cardiacæ, & dein hæ Arteriosæ successive, & seriatim contrahuntur, necesse erit sanguinem è meta una ad alteram rapidissime propelli. Quare haud prorsus de nihilo est, quod medici quidam etiam Arteriis facultatem pulsificam attribuerunt: quippe multum improbabile est, mero cordis tanquam Emboli impulsu, sanguinis circuitum peragi. Quinto verisimilius est, Arteriam in toto ductu suo, à fluctus cujusque sanguinei tergo aliquatenus contractam, ipsum usque prorsum per rivulos, licet minores, & spatia magis angustata, urgere. Juxta hunc ritum ordinarium, sanguine æquabiliter circumpellendo, Arteriæ constantes systolῶν & diastolῶν vices habere videntur. Quæ licet celeres ad-

modum, & ictu oculi citius, successivè tamen per omnes tubi arteriosi partes peraguntur. Cæterum vero cum advertamus æquabilem sanguinis cursum, juxta passionum impetus diversimode interrumpi, & perturbari, necesse erit tantummodo ita fieri, quatenus Arteriæ (propter instinctum per nervos ad fibras motrices datum) variis in locis subito constrictæ, fluentum sanguineum aut sistunt, aut reprimunt, aut prorsum impetuosius adigunt. In timore, tristitia subita, pudore, amore, aliisque pathematis, Animi consternationem, aut confusionem magnam inducentibus, probabile est Aortæ truncum, à fibris istis subito, & diutius constrictis, adeo contrahi, & coarctari, ut sanguis ægre tantum, & non nisi per minutas portiones è cordis sinubus exiliat. Quamobrem ab illo ibidem aggesto, & stagnante gravamen ingens, & oppressio magna statim sentiuntur: deinde si huic sanguinis Remoræ, cordis ad sanguinem ejiciendum pulsatio fortis, & vehemens superveniat, necesse erit, ob cruorem quaque systole in cordis basin ejectum, ibique repercussum, partes eas plurimum distendi, proindéque palpitationem cardiacam inferri.

Quemadmodum autem vehementes Animi passiones, affectum istum fere quibusvis accersunt; ita Hypochondriaci, & spasmodice dispositi insultus ejus de levi qualibet occasione, immo interdum sine ulla causa manifesta subeunt. Enimvero in quibus nervi sphlanchnici, & cardiaci materia morbifica sæpius obsideri solent; proinde ut illa, ob plenitudinem aut irritationem commota, spiritus istarum partium, & vicinarum incolas frequenter in spasmos, & contractiones inordinatos adigat; passim accidit propter nervos Arteriarum Cardiacarum radicibus insertos, à tali causa affectos, etiam vasorum horum fibras spasmodice affectas, & contractas eo, quo dictum est modo palpitationem cardiacam excitare. Quo ritu nervi cardiaci à causa propinqua, aut remota, à materie morbifica, aut in capite juxta originem nervosam, aut citra præcordia, aut hypochondria subsistente irritantur, inque, spasmos varii generis aguntur, alibi à nobis ostensum est; unde palpitationis cardiacæ, quoties eadem etiam spasmodica fuerit, causæ deduci possunt.

Quod spectat ad affectus hujus Therapiam, siquidem causæ ejus variæ, & multiplices existunt, etiam curatio diversimoda institui debet. Nam quod nonnulli statuunt, ejusmodi remedia, quæ cardiaca vulgò dicta, cor refocillare, eique laboranti suppetias præbere creduntur, in quibusque his casibus convenire, tum rationi, tum experientiæ communi refragatur. Cum itaque supra declaraverimus; Cordis palpitationem, vel à sanguinis, vel ab Arteriarum cordi appensarum vitio, procedere, & utrasque horum varias afficiendi rationes innuerimus, modo restat, unicuique morbi istius speciei aptam medendi methodum, una cum selectis remediorum formulis accommodare.

1. Primo igitur siquando morbus hic à sanguinis vitio procedat, Intentio Therapeutica primaria erit sanguinem nimis aquosum, & accendi, & fermentescere inhabilem, ad meliorem crasin exaltare, ejusque principia activa depressa, aut diminuta evehere, aut augere; in quem finem medicamenta spirituosa, item salina cujusque generis, sulphurea, & imprimis chalybeata conducunt. Quinimo huc referri possint, quæ in Pica, leucophlegmatia, & scorbuto frigidiore, præscribi solent.

♃. Conserv. Absynt. pontici, flaved. Aurantii, & limonii, an. ℥ ij. Cort. Winteran. pul. ʒ ij. specierum Diacurcumæ ʒ j. chalybis præp. cum sulphure ʒ iij. salis absynth. ʒ i ß. cum q. s. syrupi e cort. citri, f. electuarium: Dosis qu. nucis Moschat. mane, & hora quinta pomerid. superbibendo Julapii sequentis ℥ iij. & deambulando.

♃. Aq. fol. Ari ℔ j. Pulegii, Hyssopi, ana ℥ iv. Aq. Lumbr. Limacum, Mirabilis, an. ℥ j. sacchari ℥ j. misce, f. Julap.

♃. Tinct. Antimon. ℥ j. Dosis gut. 20. ad 25. bis in die cum eodem Julapio. Porro huc Tinctura chalybis, aut syrupus ejusdem, item elixir proprietatis cum multis aliis accenseri possunt.

Secundo Cordis palpitatio, & crebrior, & multo immanior ab Arteriis cardiacis in vitio habentibus exoritur: & tunc illarum culpa, aut Obstructio est, aut Affectio spasmodica.

Prior iste morbus plerumque continuus, & non raro incurabilis existit; præsertim vero, si à pulmonibus tabidis, aut Arteriarum radicibus propter Tuberculum, aut excrescentiam osseam semioppletis, aut compressis excitatur. Cujusmodi causæ si quando subsint, & perfecte dignosci possint, frustra esset earum sublationes moliri; quin potius id unice agatur, ut levamine quodam per hypnotica subinde procurato, ægrotantium vita, etsi misera paulo diutius protrahatur.

Cæterum vero non improbabile est (prout modo innuimus) Arterias interdum à concretionibus polyposis ibidem, ac interdum intra cordis sinus, progigni solitis, magna ex parte impleri, proindeque sanguinis exilitionem liberam, & totalem impediri. Hujus vero uti diagnosin valde difficilem, ita curationem non minus raram putamus: quando illius suspicio est, maxime ex usu fore videntur medicamenta salina; & ex iis sale volatili aut Acido prædita exhibenda: eadem vero non simul, sed quodam temporis spatio hæc, (quibus non juvantibus) dein istæc altera experiri oportet.

♃ Sp. salis Armoniaci compos. viz. cum millepedis, vel cum aliis Antasthmaticis destil. ℥ iij. Dosis gut. 15. ad 20. ter in die, cum Julap. vel aq. destil. appropriata: eodem modo spir. C. C. fulig. sang. Cranii defossi tentari possunt.

♃ Sp. salis marini, aut vitrioli cum sp. vini herbis pneumonicis impregnati, destil. & sæpius cohobati ʒ iij. Dosis gut. 15. ad 20. eodem modo. In hos usus sp. Tartari, ligni Guajaci, aut Buxi usurpari solent.

3. Palpitatio Cordis, sæpissime affectio convulsiva est, & à simili causa, & afficiendi ratione, qua pathemata alia hypochondriaca, vel asthmatica produci solet. Cujus item curatio per remedia antispasmodica pariter tentari debet: quorum vero delectus, sub discrimine quodam, juxta quod morbus in temperamento aut calido, aut frigido contingit, instituatur.

1. Respectu prioris sequentia præscribantur.

♃ Sp.

♃ Sp. succini Ammoniaci ℥ iij. Dosis gut. 15. ad 20. bis in die cum Julap. vel aq. dest. appropriata; eodem modo Tinct. Tart. Chalybis, vel Antimonii per vices exhiberi possunt.

De Cordis Tremore.

Tremor cordis (qui etiam sub nomine passionis cardiacæ vulgo cedit) affectus à palpitatione ejus distinctus, immo diversus existit. In eo namque ipsius fibræ carneæ, sive motrices per se affici, nec, prout in altero isto pathemate, causa morbifica in sanguine, aut in Arteriis cardiacis subsistere videtur.

Cordis tremor optime describi potest, quod sit, carnium ejus convulsio spasmodica seu potius trepidatio; qua nempe fibræ motrices celerrime, at tantum semicontractæ, systolῶν & diastolῶν vices ocissimas, verum abruptas, & quasi dimidiatas efficiunt; proinde ut sanguis per minutissimas tantum portiones, tum cordis sinubus inferri, tum ex iis efferri possit.

Quandoquidem hæc affectio sit musculi cujusdam, scil. cordis motus convulsivus, ad pleniorem ejus notitiam huc referri deberent, quæ alibi de motu musculari; item quæ de pathematis convulsivis disseruimus. Ne plura repetendo tœdio fuerim, verbo tantum adnotetur, unumquemque musculum, duobus tendinibus, & ventre carneo constare; atque contractionem inde peragi, quatenus spiritus animales, è fibris utriusque tendinosis, in carneas prosiliunt, quas dum inflant, & intumefaciunt, propterea decurtant, & contractivas reddunt; motu autem finito spiritus in tendines redeunt, & fibræ carneæ relaxantur.

Cum functio motiva sit duplex, sc. spontanea, & mere naturalis; in priore advertimus spiritus è tendinibus in fibras carneas, per appetitus imperium evocari, atque intra has, in actione manere, donec illius nutu dimittuntur; deinde vero in tendines reversos quiescere, donec rursus foras jubentur, hinc ut illorum motus, & quietis tempora, sint inæqualia, incerta, & pro libitu nostro varie determinanda.

In functione mere naturali, multo secus habet; quippe Spiritus animales, è tendinibus in carnes, perpetua vice sive constanti reciprocatione, efferuntur, & contractione brevi facta, mox ex his in illos resiliunt, ac ita vicissim; ad quem modum cor ipsum, arteriæ, & respirationis organa, quinimo ventriculi, & intestinorum fibræ carneæ, nisi propter objecta sua alias determinentur, per systolas & diastolas perennes agitantur.

Juxta hos ritus ordinarios, functionis utriusque motivæ munia peraguntur. Quæ tamen juxta quod spiritus Animales, motuum istorum excutores, varie afficiuntur diversimode perverti, aut perturbari solent. Enimvero satis manifesto liquet, motus cujusque contractivi, à quocunque musculo obeundi, instinctum, cerebro, aut cerebello, juxta appetitus jussum, aut naturæ indigentiam per nervos convehi; viz. Spiritus Animales intra horum ductus scatentes, juxta impressionem à capite traditam exciti, ac in tota serie commoti, mox alios tendinum incolas exuscitant, inque motus analogos cient: pari fere modo ac si quisquam pulveris pyrii acervos, per funem ignarium ad distans accenderet. Quamdiu igitur spiritus isti tum in principio, viz. intra ἐγκέφαλον, tum in via, sc. ductibus nerveis, tum in fine, viz. intra tendines consiti, recte ac ordinatim habent, motus cujusque ab Anima aut natura requisiti instinctum illi formant, isti convehunt, atque hi demum exequuntur: sin vero spiritus ad functionem motivam destinati, intra quamvis ditionem præternaturaliter affecti; in ἀταξίας adigantur, propterea statim in membris, aut musculis respectivis motus convulsivi excitantur. Quo ritu ob causam morbificam, juxta originem nervosam in capite, quo item, propter eam alibi intra ductus nerveos consitam, membrorum aut viscerum aut præcordiorum affectiones spasmodicæ exoriri solent, alibi satis fuse declaravimus; viz. in quantum spiritus intra nervos scatentes, à causa quadam præternaturali, & vehementi irritati, ac velut œstro quodam perciti, dum in has aut illas partes ruunt, motuum ciendorum signa injusta, & falsa deferunt, necesse erit in his, vel illis musculis, aut membranis, contractiones aut distentiones violentas, ac convulsivas accieri. Varias hujusmodi affectuum species, & rationes formales in Spasmologia clare designavimus; at vero, quod illic prætermissum, atque ad rem propositam spectat, nunc insuper advertimus, dari alia spasmorum genera, quæ sine præsenti aut magno τοῦ ἐγκεφάλου aut nervorum vitio, ob spiritus Animales ipsorum tendinum incolas potissimum, ac fere tantum in culpa existentes oriuntur.

Affectionis hujusmodi singularis, & velut privatæ, duæ species observandæ occurrunt: una satis vulgo nota est, in qua spiritus injussi sæpe è tendinibus prosiliunt, atque fibras carneas valide atque moleste inflantes, non statim, aut facile recedunt. Alterea, licet minus notabilis, tamen frequenter occurrit; in qua scilicet spiritus musculares, neque intra tendines, neque intra carnes diu permanere possunt, verum summe irrequieti, ex his in illos, & vice versa appetitu vel natura invitis excursus, recursusque suos valde crebros, sed debiles usque & inordinatos faciunt. Super his affectibus spasmodicis (quoniam à plerisque adhuc medicis fere intacti manent, eorumque notitia ad passionis cardiacæ naturam, & causas rite explicandas plurimum facit) operæ pretium hic duco, quamvis extra rem propositam, & quasi in diverticulo, pauca tamen subjungere.

Prior iste affectus qui proprie τέτανος (atque Idiomate tum nostro, tum Gallico, *le cramp* appellari solet) plerumque exoritur, in quantum spiritus animales injussi, è tendinibus scilicet aut uno, aut simul utroque in musculi ventrem sponte prosiliunt, unde pro more solito mox regredi nolunt, verum diutius intra carnes manentes, eas valde inflant, & summe contractivas reddunt; dein siquidem alii musculis hisce neque cedunt, neque in contractione conspirant, pars rigida, & cum summo dolore tensa evadit. Hujus causa est, materies quædam heterogenea, & φυσώδης quæ per ductus nerveos, una cum succo eorum in musculos descendens, & spiritibus cohærens, eosdem elasticos, simulque obstinatos reddit; proinde ut intra

fibras tendineas contineri nequeant, sed spatia ampliora desiderantes, in carnes excurrant, ibidemque, donec deferbuit eorum tumor, permaneant.

2. Ad posteriorem istam motus convulsivi speciem proprie spectat Passio, sive tremor cordis. Porro ad hunc censum referri debet Affectus satis vulgo notus, & plerisque familiaris; nempe, ut interdum musculi cujusdam privati, puta, in labro, gena, in oculis, aliisve membris subsultus, sive trepidationes valde crebras, & æquales patiantur; quæ postquam per duo forsan aut tria minuta perduraverint, sponte, cessant. Non ita pridem per literas è Gallia huc missas consulebar pro viro quodam Illustri cujus musculos omnes, in toto corpore ejusmodi subsultus, seu velut trepidationes fere perpetim exercebant; adeo ut carnes exteriores, ubique exilientes, ipsius cordis vibrationes, sive pulsus, ad amussim æmularentur.

Hujusmodi Affectuum, uti & Tremoris Cardiaci, ratio formalis in eo consistere videtur, quod spiritus Animales ad musculos quosdam pertinentes irrequieti, ac velut œstro perciti, è tendinibus continue in carnes prosiliant, redeantque, adeoque perpetua vice excursus suos recursusque iterent; interea cum exiguis tantum copiis efferuntur, ut fibras carneas haud plene inflent, in iisque minimo tantum spatio morentur, nixus motivos, creberrimos licet, tantum non nisi debiles, & valde minutos edunt; in tantum sc. ut membra, & artus à musculis ita perpetuo agitatis, haud loco moveantur, & cor, durante tremore ejus, utut celeriter concussum, tamen vix, & ne vix sanguinem circumpellere valeat; uti plane constat ex pulsu parvo, ac velut tremulo, atque virium omnium fatiscentia.

Quod spectat ad pathematum istorum causas, viz. conjunctam, & procatarcticam, à quibus nempe spiritus musculares ita instabiles fiunt, sive vim istam desultoriam acquirunt; videtur, quod materies quædam heterogenea, & elastica, cerebrum & ductus nerveos transgressa, demum in musculos, eorumque fines tendinosos defertur; ubi spiritus subinde accrescens, eos irritet valde, ac velut œstro quodam afficiat, proinde ut nullibi consistant; verum huc, illuc continue discurrant, atque interim pensa debita aut omittant, aut non strenue præstent.

Tremoris Cardiaci causa communiter in lienem rejicitur, etenim vulgo supponitur, ab hoc viscere obstructo, aut alias perperam habente, vapores tetros ad cor elevari; qui ipsum ferientes, adeo concuti, & trepidare cogunt, immo quodam velut rigore afficiunt. Opinioni huic fides, aut saltem probabilitas inde astruitur, quod hypochondriaci (seu quod idem fere sonat, splenici) huic passioni cardiacæ plurimum obnoxii reperiuntur. Qualis, & quanta Lienis in præcordia sit influentia, olim sat fuse declaravimus. Ex istis partimque ex modo dictis, satis liquet, sententiam istam, receptissimam licet, de corde à vaporibus affecto, futilem prorsus, ac erroneam esse. Quod autem pro Lienosis, etiamque Hystericis vulgò habiti, Tremore cordis ita passim infestantur, in causa est, magna ista affinitas, ac intima communicatio, quam nervi sphlanchnici cum cardiacis habent, adeo ut non solum partis unius affectio alteram facile in consensum trahat, verum si quando materies spasmodica nervorum ramos, ad lienem, aut viscera imi ventris pertinentes, insederit, raro abest, quin eadem pariter nervos ad præcordia spectes occuparit.

Quod spectat ad Therapias rationem, in tremore cordis adhibendam, quandoquidem hæc affectio sit mere spasmodica, idcirco remedia non cardiaca, quin potius cephalica, aut [illegible] indicantur; quæ tamen juxta temperamentum, & constitutionem patientis, aut calidiora, aut moderata, aut modo hujus, modo illius naturæ esse debent. Ut rem paucis comprehendam, cum in morbo isto tria remediorum genera maximè proficua esse soleant, viz. testacea, chalybeata, & sale volatili prædita, cujusque illorum formulas quasdam, & usus hic breviter designabimus. Itaque imprimis, factâ per evacuantia totius provisione, & pharmaciæ, quæ magis usui fore videtur, delectu habito, juxta modos præscribatur.

♃ Corallii pr. Marg. an. ʒij. Bexoar. utriusque an. ʒß. succini albis. ℈ ij. Ambræ gris. ℈ j. f. pul. Dos. ʒß. bis, vel ter in die, cum aq. destil. aut Julap. appropriato.

♃ Pul. è chelis compos. ʒij. pulv. rad. Pæoniæ maris, Cranii humani præpar. an. ʒj. flor. Pæoniæ maris, Lilior. conval. an. ʒß. f. pul. sumend. eodem modo.

♃ Ebor. Coral. rub. pul. an. ʒiij. spec. diamb. ʒj. sacchari albis. in s. q. Aq. Naphæ, solut. & ad Tabul. coct. ℥vij. f. s. a. Tabulæ pond. ʒß. comedat. j. vel ij. sæpius in die ad libitum.

♃ Conser. flor. lilior. conval. ℥ vj. pul. corallii præpar. Marg. eboris, ocul. Can. an. ʒß. vitrioli martis ʒ j. q. s. syrupi è coralliis f. elect. Dosis ʒ j. ad ℥ ij. bis in die, superbibendo haustum Julapii seq.

♃ Aq. Naphæ, Citri totius, an. ℥vj. è cort. aurant. cum vino destil. ℥ ij. sacchari ℥ ß. f. Julap.

♃ Syrupi nostri de chalybe ℥vj. Dosis cochl. j. mane, & hora quinta pomerid. cum ℥ ij. Julapii præscript. sine saccharo, vel cum aq. destil.

♃ Pul. eboris, corallii, an. ʒij ß. specierum diambræ ʒ j. salis chalibis ʒ ij. sacchari ℥ viii. Ambræ gris. solut. ℈ß. f. Tabul. pond. ʒß. Dosis ʒ iij. vel iv. bis in die.

♃ Fragorum recent. ℔ viii. cortic. exteriores 12. Aurant. limaturæ ferri recentis ℔ ß. simul contusis affunde vini albi ℔ viii. fermentari sinantur in olla clausa, per 24. horas, dein destil. organis communibus.

♃ Sp. C. C. aut sang. aut similium ʒ iij Dosis gut. 20. bis in die cum vehiculo idoneo.

♃ Forum salis Armoniaci, Corallii præpa. n. ʒ ij. Dosis ℈j. bis in die.

♃ Chryst. mineral. ʒ ij. salis succini ʒj. salis C. C. ℈ j. misce Dosis gr. 15. ad 20. bis in die cum aq. destillata.

De pulsu intermittente.

Passionibus cardiacis porro accenseri debet pulsus intermittens, & quidem merito; quoniam in hoc Affectu, aut saltem in quadam specie ejus, cor

cor ipsum laborat; tamen more nonnihil diverso, quam in palpitatione, aut tremore ejus: quippe in his, quoad motum suum, in isto vero quoad quietem, perperam & irregulariter habet; hæc nempè interdum duplo longior est, quam juxta ritum ordinarium assolet.

De Pathemate hoc imprimis distinguere oportet, cujus (ni valde fallor) duæ sunt distinctæ fiendi rationes. Nam licet quandoque pulsus intermittat, quoniam cor pro eo tempore à motu cessat; attamen præterea tactu indice pulsus nonnunquam in carpo intermittere videtur, dum cor in pectore celerrime ac incessanter (uti fit in tremore ejus) vibrare sentitur: cujus causam esse suspicor, quod urgente ista cordis passione, sanguinis portio tantum perexigua quaque systole in Aortam projicitur. Quare hæc inanita, & flaccescens, atque sarcina promovenda carens, ne frustra sæpius agat, contractionem suam quandoque intermittit. Pariter hoc fieri videtur, ac circa navem exonerandam, viz. quo tempore merces difficilius, & impedite admodum depromuntur, bajulatores exportaturi ituum, & redituum vices quasdam prætereunt. Porrò in febribus malignis, aut funestis, si quando pulsus creber, & debilis sit, etiam is subinde intermittit; cujus ratio est non quod cor à motu interdum cessat, (hoc enim tunc imprimis indesinenter laborat) sed quatenus sanguis non uberi satis penu, quaque systole in Aortam profertur; quare hæc, operæ satis agendo carens, nonnunquam oriatur.

Verùm insuper pulsus quandoque intermittit, quia cordis ipsius contractio, pro vice quadam suspenditur, sive pausa ejus duplo longior existit; quod quidem manu pectori admota quispiam in seipso, aut alio facile deprehendat, imò laborantes per gravamen pectoris, & oppressionem, planè in se persentiunt, quoties cor à motu cessat. Porrò hæc affectio non tam languidos, moribundos, aut periculose ægrotantes, quàm satis validos, & quoad plurima rectè habentes passim incessit: quare non semper juxta vulgi opinionem pro morbo, aut signo pernicioso admodū, aut valde sontico sumi debet. Huic obnoxii plerumque etiam vertigine, cephalalgia, aut pathematis spasmodicis molestari solent. Cæterùm iste cordis defectus quoad typum varius est; nam intermissionum periodi modo sunt certæ, & ad pulsus vicem quandam, puta, tertiam, quartam, quintam, aliamve aut crebriorem aut rariorem, determinatæ; modo incertæ sunt, ac vagæ, ut necessario post pulsus jam pauciores mox plures contingat. Arteriæ vibrationes, dum continuantur, satis validæ sive fortes existunt, & plerumque sunt æquales: quandoque tamen pulsatio prima post intermissionem maxima est, quæ succedit paulò minor, ac ita sensim minuuntur, donec intermissio repetat; dein postea pulsus magnus incipiens, quasi per scalam rursus ad ἀσφυξίαν descendit.

Novi quosdam pulsu intermittente (quantum observationi nostræ res constare potuit) semper præditos, ut nullo non tempore arteriam tangens, ita habuisse deprehenderem; interim ut illi satis sani visi, de nulla alia ægritudine quererentur; attamen quosdam alios adverti tantummodo cùm adesset, vel immineret, cephalalgia immanis, aut capitis affectio quæpiam gravior, etiam pulsum solito tardiorem, & intermittentem habuisse.

Ex his constare arbitror pathematis mox descripti causam, sive rationem formalem, non à sanguinis mistione aut crasi, sed tantùm ab irregulari spirituum animalium, è cerebello in nervos cardiacos, indeque in tendines cordis dispensatione pendere. Enimverò suspicari fas sit, propter nervos istos nonnihil obstructos, spiritus animales, haud pleno satis alveo, aut influxu, ad musculi hujus tendines descendere; quare cùm penus eorum nonnihil deficit, cordis motus pro unico pulsu subinde cessat, donec spirituum copiis mox denuò instauratis, actio ejus redintegrari possit: ita vidimus molendinum à rivo perexiguo circumactum, lympha interdum subsidente, & pene exhausta, paulò subsistere; & deinde mox cùm assurgeret aquarum cumulus, circuitus suos repetere.

Quorum pulsus ex se magnus & satis fortis, intermittere solet, illi non tantùm cephalalgiis, & affectionibus vertiginosis, sed plerumque etiam incubo, & non rarò apoplexiæ, obnoxii degunt: nam si contigerit, nervos cardiacos, priùs non satis apertos, & expeditos, postea in totum obstrui, propterea necesse erit, corde (quod primus Elater est) immobili facto, corporis animati machinam mox totam à motu, & consequenter à vita, cessare.

Quamvis affectio hæc præsente incommodo, aut periculo sæpissime carens, curationem præproperam non exigat, attamen præservationis gratia, ne morbi graviores insequantur, remedia, & methodus quædam therapeutica, adhiberi debent, saltem in tota, quæ supererit vita, ratio victus quoad omnia ritè ordinetur: quinimò medicinæ cursus quidam levis, vere & autumno, solenniter observandus instituatur; videlicet ut quantum fieri possit, morbida quævis seminari, intra ἐγκέφαλον jacta, aut ibidem progigni apta, tollantur, & præcaveantur. In hunc finem huc referimus methodum, cum medicamento contra Apoplexiæ insultus, prophylacticam, alibi à nobis descriptam.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

In palpitatione cordis à quacunque causa profecta memorabilis est Lapis Bezoar genuinus non adulterinus ejus gr. ij. vel iij. cum magisterio perlarum & corallorum an. gr. vi. quotidie, usque ad remissionem morbi, exhibeantur in aqua Cinnamomi vel aqua cordiali composita.

Externè applicentur inunctiones ex balsamis cordialibus. Item Epithemata tum calida tum frigida.

Nota: Palpitationem cordis inveteratam penitus aufert Mumia hominis sani, aliquoties in aqua Cinnamomi exhibita: aqua theriacalis Crollii. Item aqua theriacalis Camphorata Crollii, quæ ingreditur compositionem mixturæ simplicis. Item liquor margaritarum cum spiritu Guajaci præparatus mirificè proficiunt, si suis dosibus intrò dentur.

Usus

Usus Olei Cinnamomi in rotulis multum prodest.

Subnasci in corde vel sub capsula Cordis vermiculos extra dubium est, (morbus hic virginibus familiaris.) Morbi dignotio sumitur 1. à puncturis & doloribus cordis. 2. Lumbricis excretis vel non excretis. 3. Signum pathognomoni cum est convulsio.

Cordialia, seu calida, seu frigida, seu etiam specifica (nisi quòd Lapis Bezoar ab initio, antequam convulsiones subsequantur, cum sale Tanaceti vel Diptamni cretici aut vulgaris sumptus, dos. gr. 4. 5. 6. & 8. interdum aliquid proficiat) parum aut omnino nihil efficiunt.

Cura specifica est talis. 1. Expurgantur Lumbrici per Mercurium in conserva rosarum exhibitum hoc modo.

℞. Mercurii vivi purgati, verbi gratia usque ad ℈j. distempera vel mortifica (Mercurius non mortificatur propriè) cum Saliva jejuni, vel cum Succo Limonum: Misce cum conservæ rosarum ℥ß. adde benzoes pulverisat gr.ij. aut si Mercurius crudus reformidetur, tantum ejus ʒj. vel ij. infusione in aquæ frigidæ haustum per noctem facta tandem exhibeatur sine Mercurio (qui non attrahitur quidem ab aqua, sed odore suo eam efficit) aut aqua destillata ex cœpis vel allio quantitate ℥ij. vel iij. propinetur. Lumbrici certò emoriuntur aut expelluntur.

2. Lumbricis quidem excretis, sed convulsionibus & paroxysmis recurrentibus, unde certissimum signum vermiculi cordialis deprehenditur, specifica extracta allii, raphani sylvestris & nasturtii aquatici exhibeantur dos. ℈j. an. in brodio vel jusculo, ubi raphanus sylvestris maceratus fuerit.

Ab hac cura citissime curantur.

Nota: In defectu extracti sufficiunt succi an. cochl. 1. 2. 3. in hoc salia prædictorum simplicium dextre parata idem præstant. *Johan. Hartmann. In prax. Chymiatr.*

Ut in syncope motus cordis imminutus, sic in palpitatione est depravatus. Malè à quibusdam tremor cordis nominatur, cum tremor sit passio motus animalis & voluntarii, & nonnisi partibus voluntario motu præditis competat.

Curatio palpitationis cordis varia esse debet pro varietate affectuum, à quibus dependet, ac primum ea quæ à peculiari affectu cordis aut pericardii curationem non recipit, ideò tota practicorum curatio ad sympathicam dirigitur, quæ à variis partium inferiorum affectibus dependet, quorum curatio è propriis locis depromenda est.

At præter illa remedia, quæ causæ sublationem respiciunt; usurpanda etiam sunt, quæ symptomatis sedationi, aut lenitioni conferunt, cor reficiendo roborandoque, nec non flatus & vapores, ex humoribus melancholicis, aut crudis, & pituitosis elevatos discutiendo. Qualia sunt Julepi, cardiaci, opiatæ, epithemata, & odoramenta in virium imbecillitatis curatione describenda, tum etiam sequentia.

℞. Conservæ melissæ, anthos flor. borrag. & caryophylli nostratis, ana ℥j. confect. alkerm. & theriacæ vet. ana ʒj. pulv. elect. diambræ, & diamoschi dulcis, ana ℈j. Cum syrup. de cortice citri, fiat opiata, qua utatur frequenter.

℞. Aquar. buglossi, rosar. & flor. arantiorum, ana ℥ij. Syrup. Caryoph. nostr. ℥iß. aquæ cinamomi ℥ß. Spiritus rosar. ʒij. Confect. Alkerm. ʒj. Misce, dentur cochlear. ij. per intervalla. Liquor sequens ad imitationem succi ex cordibus sequenti cap. describendi, erit utilissimus.

℞. Corda porci, aut vervecis num. 3. cinnam. & caryoph. ana ʒj. Sem. acetosæ, & lactucæ, ana ʒj. Sem. vini albi unc. ij. aquar. borrag. Scabios. & rosar. ana unc. j. Sem. Alkerm. ʒj. Bulliant omnia inter duo vasa. De hoc liquore capiat cochl. ij. mane & vesperi.

℞. Rosar. rubr. & flor. rorism. ana ʒij. flor. lavendulæ drach. j. Sem. Angelicæ, cortic. citri, Caryophyll. cinamom. macis ana ʒß. Croci scrup. j. Moschi, ambræ, ana gr. vi. Cum sindone rubra fiat sacculus qui irroretur vino albo, & aqua rosar. & applicetur tepidè regioni cordis.

℞. Unguenti rosac. ℥ß. Olei cinam. & caryophyll. ana gutt. vi. Moschi, ambræ, ana gr. iv. Misce fiat linimentum, quo illinatur regio cordis.

Clysteres purgantes, & carminantes frequenter injecti flatuosam materiam potenter evacuant, & discutiunt.

Sed venæ sectio omnibus remediis præstat, in hoc affectu, urgente paroxysmo. Et Gal. testatur 5. de locis affectis, cap. 2. Se nunquam inutiliter venam secuisse in palpitatione cordis.

Quidam Practici admovent thoraci cucurbitulas sine scarificatione, quibus magnam vim tribuunt discutiendis ac digerendis flatuosis spiritibus qui in partibus internis inclusi continentur. Alii hypochondriis admovent, quando in iis mali minera residet.

At Zacutus Lusitanus cucurbitulam scarificatam regioni cordis admovit cum miro successu, ut videre est in historia ab eo descripta in Praxi Medica admiranda, observ. 133. lib. 1.

Alii verò commendant rhaponticum verum ad ℈ij. cum vino exhibitum, aut vinum in quo eadem radix macerata fuerit. *Lazar. River. Prax. Medic. lib.* 8.

Convenit in Palpitatione Cordis & Syncope omnium optimè aq. de corde cervi, tinct. corall. spir. C.C. Essent. & spir. melissæ cum vino, aq. cinamom. borrag. cord. Saxoniæ, vitæ. Externè verò oleum meliss. carb. & citri: Ex his tribus fit balsamus optimus cardiacus. Confectio Hyacinthos de corde cervi. Cor suillum valde commendatur ab Authoribus, & in defectu cordis cervini ex eò potest aqua destillari. Liquor cordialis, perlarum, C.C. solar. tinct. solis cum oleo cinamomi.

Si adest simul malignitas, misceatur balsamo cordiali alexicacus.

Si oritur palpitatio cordis ex morbo virgineo ß. ex utero non conveniunt, tunc cordialia tantum sed & chalybeata & vina medicata c. lim. *Mart.*

Si à vermibus, conveniunt medicamenta ex nasturtia aquatico, & cordialibus miscenda sunt specifica contra vermes.

Si à causa maligna, prodest theriaca, Smaragdina, Confectio de Hyacintho.

Si à terrore, prodest V.S. ut scil. sanguis ad cor retrocessus, revocetur ad habitum corporis, nam quosdam à terrore suffocatos esse experientia docet.

In

In animi deliquio convenit balsamus citri apoplecticus & oleum carbunc. aq. cinamom. melissæ cum vino, vitæ cord. sax.

Medicamentis suave olentibus in mulieribus misceatur essentia castorei vel aq. hirundinum cum castoreo ne ex suave olentibus illæ lædantur. Inunctio theriacæ, mitridat. oleum melissæ: Confect. Alkermes etiam addi potest remediis aliis.

In Lipothymia à nimia V.S. nihil magis convenit, quàm sal ori inditum linguaque eò fricetur Authore Horstio.

Si quis incidat in deliquium animi ex hypercatharsi aliisque evacuationibus nimiis, optima sunt restaurantia ex theriaca & aq. cinamomi: vel theriaca externè emplastri modo ventriculo imponatur vid. notas in Morellum p. 130. Hartmannus in Praxi p. 176. Grulingius Cent. 1. observ. 4. B. Tim. Præstat, aq. cinamomi Authore Grulingio d. l. *Joh. Michaël. Praxeos Clyn. general. part. 1.*

Si in gravidis Palpitatio Cordis aut Lipothymia à sanguinis copie mediis gestationis mensibus proveniat, quæ sæpe futuri abortus in plethoricis, sunt indicium, certissimum & tutissimum est venam aperire & sanguinem moderatè emittere; quô modô prægnantes, & ab his, & ab aliis symptomatibus, instanteque abortus periculo liberatas fuisse sæpius observatum est. Aliàs usu rhabarbari cum conserva rosar. humores leniter expurgare conducit.

Quòd si verò à flatibus, aut vaporibus Syncope, vel Cordis Palpitatio oritur, assumenda medicamenta cordialia, tetrosque vapores pellentia; ubi prosunt bezoardica cum conserva rosar. rad. scorson. cond. spir. lilior. convall. scord. aq. cinnam. borrag. meliss. cum vino, sicut & bals. ex oleo meliss. & carbunculi. Confect. Alkerm. (in iis scil. quæ eandem ferre possunt) Confect. de Hyacintho.

Externè prodest unctio olei Scorpion. Matthiol. cinnam. cum theriaca, oleum meliss. citri. Sacculi cordial. repleti pulvere sem. allii, C. C. carlin. santal. spec. diambr. diamoscha, angel. & flor. cordial. &c. Item Epithema ex mica panis cum malvatico, vel aq. borrag. meliss. succ. citri pauco aceto rutæ, lavend. rub. idæi, bezoard. &c. Vel ex croco cum panno scarlatino, adhibitum calidè. *Idem ibidem.*

In Palpitatione & Tremore Cordis, quando debilis & intermittens pulsus reperitur.

♃. Sp. C. C. gtt. xx. Tinct. cinnam. gtt. xii. Tinct. croci gtt. viii. Syr. corall. ℥ß. Aq. meliss. menth. ana ℥j. M. detur cochleatim.

Vel, ♃. Spir. sanguin. cervi gtt. xx. Essent. cinnam. gtt. viii. Tinct. tart. ℈ß. Tinct. croci, gtt. vi. Syr. perlar. ℥j. Aq. naphæ, lavendul. ana ℥iß. M. detur cochleatim.

Seu, ♃. Spir. sal. armon. gtt. xxv. Tinct. cinnam. & succin. ana gtt. x. Essent. ambr. grys. gtt. viii. Syr. perlar. ℥ß. Aq. aurant. ℥ij. M. dosis anteriori similis.

In India. ♃. Spir. ex ebore gtt. xv. Essent. cinnam. gtt. v. Essent. ambr. grys. gtt. vii. Essent. rorismar. ℈ß. Syr. perlar. ℥ß. Aqu. flor. cardamomi sylvestr. ℥ij. M. pro duabus dosibus.

Vel, ♃. Spir. C. Rinocerot. gtt. xv. Tinct. cinnam. & ligni Aloës ana gtt. x. Syr. corall. ℥ß. Aq. menth. & cinnam. ana ℥j. M. pro duabus dosibus.

Seu, ♃. Bezoardici C. C. ʒj. Aq. cinnam. aurant. ana ℥j. Sal. perlar. ℈ß. M. pro una dosi.

Vel, ♃. Specier. diasolis ʒj. Syr. corall. ʒij. Aq. cinnam. ʒß. Rosar. ℥j. M. pro una dosi.

Bezoardicum C. Rinocerotis, hic eodem quoque modo usurpari potest. Pulsu autem tardô sed forti; sequentia, propter majorem præcipitandi vim, meliora erunt.

♃. Bezoardici C. C. ʒj. Syr. corall. ℥ß. Aq. citri totius ℥ij. M. pro una dosi.

Vel, ♃. Decoct. hordei & C. C. ℥iv. C. C. usti præparat. ʒij. Philos. præp. ʒij. Sal. perlar. corall. ana ℈j. Syr. acetosit. citri ℥ij. M. detur cochleatim.

Sive, ♃. Decoct. hordei & C. C. ℥iij. C. C. Philos. præp. ʒj. Sal. perlar. ℈j. nitri vitriol. ℈j. Syrup. corall. ℥j. M. dosis præcedenti similis. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medic. chymic. lib. 2.*

Cordis Palpitatio symptoma aliquando est *periodicum*, incertis invadens recurrensque intervallis, ex abrupto incipiens & desinens; aliquando *continuum*.

Ab hypochondriis sæpissimè *origo mali*; naturalium viscerum adest κακοπραγία, sed etiam vitalibus partibus inusta labes. Dyspnœam utplurimum conjunctam habet.

Notandum eos qui diu partium spiritalium, pulmonum, *&c.* Vitiis laborant, utplurimum incidere in hydropem thoracis, & tandem post ingentes angustias & recurrentes respirationis difficultates suffocari.

Obstructiones viscerum potenter aperi: subinde humores & crassos & tenues evacua habitâ virium ratione: flatus discute: naturalia viscera corrobora: à vitalibus revelle, deriva: cor refocilla, ac constringe cardiacis refrigerantibus, vel additis stypticis cum iis quæ penetrandi vi pollent. Considerationem scorbuti noli prætermittere.

Ad obstructiones aperiendas, malignitatem humoris melancholici retundendam, vapores dissipandos, &c. magna inest vis *chalybi*, quem vel in substantia sumere potest æger; vel capiat sal sive vitriolum Martis, vel Martem potabilem.

♃. Rad. vincetox. cochlear. Batav. sicc. ana ℥ij. Rad. raphan. rustican. sicc. sem. nasturt. aquat. ana ℥j. Rad. enul. calam. aromat. ireos Florent. ana ℥ß. Cortic. rad. sassafr. lign. Aloës, lign. Winteran. flaved. arantior. & citr. ana ʒiij. Herb. siccar. absinth. vulgar. menth. meliss. costi hortens. agerati, rutæ, chamædr. hyperic. centaur. min. salviæ rubr. majoran. rorismar. flor. lavend. ana ʒij. Sem. Angelic. sativ. anis. fœnicul. pastinac. cardam. macis ana ℈v. Mastich. terebinth. Cypr. coctura indurat. ana ʒiij. Cremor. tartar. utriusque ana ʒv. Magister. corall. perlar. oculor. cancr. C. C. præp. ana ʒijß. cum syr. ex vino Canarino per solam sacchari dissolutionem præparat. f. *Electuarium*, cui adde pro singul. ℥xvi. Ol. cinam. & succin. rectificat. ana ʒß. Omnia exactissimè permisceantur.

♃. Hujus Elect. ℥ß. Vitriol. Martis vel animæ hepatis nostr. gr. x. mſ. ascendendo paulatim usque ad ℈j. & ultra usque ad ʒß. Cap. quotidie manè per dies 30.

Alternis autem diebus immediatè ante cœnam

nam sum. ℈j. Pil. Ruff. vel istiusmodi ad alvi astrictionem præcavendam.

Vel loco istius Elect. sumat æger dosin pil. seq.

℞. Gumm. guajac. Aloës ana part. æqual. f. Pulvis subtilissim. excipiend. s. q. Balsam. Peruvian. nigr. f. Massa pilular. de qua cap. ℈j. Vitriol. Martis gr. x. ms. formentur pil. n. 5. de aurat. additâ guttâ unâ ol. cinamomi, exhib. mane horis quatuor ante prandium per dies 30. vel plures, si opus fuerit, augendo quantitatem Martis, & pro re nata addendo gr. j. vel alterum extract. Alhandal.

Ad dissipationem vaporum melancholicorum.

℞. Terebinth. Cypr. mastich. puriss. ana ʒij. Gumm. guajac. benzoin. ana ʒj. Ambr. gris. ʒß. Moschi ℈j. Sal. absinth. ℈ij. Balsam. Peruvian. q. s. ms. f. massa pilular. Dosis ʒj. per dies 8. vel 10. manè. Vel dentur gutt. ij. vel iij. Ol. succin. rectificat. in pane format. in pilulas.

Ad palpitationem cordis *pilulæ* hæ multùm valent.

℞. Magist. perlar. corall. ocul. canc. ana ʒj. Lap. contrayerv. viperin. Virgin. ana ʒß. ultramarin. ʒij. Lap. gagat. præp. ʒj. Ambr. gris. ʒß. Mosc. ℈j. cum extracto hyperic. f. massa pilular. Dosis ʒß. per dies 20. aut plures, superbibend. vini Viperini momentum, quod ipsum est remedium haud contemnendum.

Item *Tabellæ* hæ: ℞. Ceruss. antimon. ʒß. Magist. corall. perl. ocul. cancr. corn. cervi ad albedinem calcinat. ana ℈ß. Confect. Alkerm. ℈j. Sacchar. crystall. ʒj. Optimè misceantur & excipiantur s. q. mucilag. gumm. tragacanth. f. pasta ex qua tabell. lento calore siccand. Tales tabellæ præparentur n. xx. Sumantur manè vel per se, vel cum liquore aliquo convenienti ad faciliorem deglutitionem.

Si *hepati* malè sit, tactuique istud *durum* appareat, eidem applicetur *Emplastrum pro hepate nostrum*. At ne confirmetur durities in scirrhum, & ut unâ operâ emolliendo aperiamus, & per urinas ducamus, *pilulæ* seq. efficacissimæ sunt.

℞. Rad. ari præp. terebinth. Venet. cocturâ indurat. Gumm. guajac. natural. ana ʒij. Mastich. ʒiij. Extract. absinth. solid. ℥ß. Salium absinth. cardui benedicti, corall. ocul. canc. ana ℈ij. Gumm. ammon. in succis depuratis meliss. & cochleariæ Batavæ dissolut. & inspissat. ad pondus omnium. Ms. & cum s. q. Balsami Peruv. f. massa pilular. de qua capiat. æger per plures dies consequentes (30. 40.) ʒj. quotidie manè, superhausto cerevisiæ antiscorbuticæ momento, horis, 4. ante prandium.

Extractum absinthii. ℞. Absinth. vulgar. m. iij. Rad. chelidon. major. ℥ij. Rad. asari ℥j. fol. siccor. chamædr. chamæpit. menth. meliss. rutæ ana m. j. coq. in vino Canarino, exprime, coagula. *Theod. de Mayerne in Praxi Consult.*

Consultationes.

Pro Illustrissimo Comite Julio Tassonio Ferrariensi febre putrida, hectica primi gradus, macie totius insolita, ptyelismo, lienis scirro quasi consumato, ac demum cordis palpitatione per intervalla laborante.

Inter vitia, quibus Illustrissimus Comes detinetur, primum est febricula quædam, quam esse de genere putridarum unicuique satis perspectum esse confido, atque in harum serie tum continuam, quia singulis diebus absque frigore, & rigore exacerbatur, tum biliosam esse, ut suadet Illustrissimi patientis temperies, nemo in dubium revocabit; Cæterum propter morbi longitudinem, ac propter ætatem illius inclinantem, ventriculumque frigidiorem, bili pituitam admisceri non dubito, quinimò & propter lienem malè affectum succum melancholicum illis duobus adjungi pro certo habeo, ut ex his febris prædicta notha existat. Verùm tamen an aliud genus febris, hectica inquam huic adnectatur, tum propter passi habilitatem, tum verò maximè ob febrem putridam à multis diebus Illustrissimum virum vexantem aliquis non immeritò suspicari posset; Atque ut ego verum fatear, hecticam saltem primi gradus, qui est difficilis cognitionis, & facilis curationis adnecti ob rationes nunc adductas existimo. Alterum vitium, quod in patiente nobilissimo observatur, est macies totius insolita; 3. est ptyelismus quidam jugis, à Cælio Aureliano Saliciatio vocatus; 4. est lienis scirrus, quasi exquisitus, cum ab omni sensu ferè immunis existat, cui etiam & illud attestatur, quod hujusmodi tumor citra aliquod levamen ipsius ægrotantis medicamentis fuit pertractatus; Postremum tandem vitium est cordis per longa intervalla palpitatio, quæ aliàs majori etiam cum periculo Illustrem virum vexavit; Consultò autem sub scapula dextra tumorem omitto, tanquam eum, qui nunc operam medicam haud exigere videtur.

Et ideò ad modum generationis aliorum malorum animum attentè convertens illorum tum principalem, tum communem causam unicam à capite destillationem esse constituo, quamvis illa ipsa ex se invicem aliquo modo fieri non ignorem.

Destillatio igitur prædicta sicuti est crassum excrementum præter naturam in cerebro genitum ob vitium facultatis concoctricis dependens ab intemperie frigida ejusdem cerebri (quemadmodum materia minimè sapida per sputum excreta suadet, ad quod etiam conducit & id, quòd ab ineunte ætate destillatione hac nobilissimus patiens correptus fuit) ita & istud ipsum in subjectas partes decumbens, non solum affectus enumeratos, sed etiam longè plures, longeque majores parere potest, nam in ventriculum, & jecur descendens alimentum impurum reddit, unde macies, cui & calorem febrilem humidum substantificum absumentem non parum favere credo; Pariter prædicta destillatio in eadem viscera decumbens coctionem in illis fieri solitam perturbat, ac inde succorum pravorum generationi, obstructionibus in omnibus visceribus naturalibus occasio præbetur; Ventriculus etenim ad generandum humorem pituitosum præparatur, qui à jecore fervidiori attractus insignes in eo parit obstructiones, undè succi biliosi, & melancholici proventus arripit occasionem, atque sic pituitoso permixtus, & in liene receptus, secundum vasa obstructiones efficit, secundum verò parenchyma replendo propter copiam, & quasi concretionem propter frigiditatem inducendo, scirrum ex-

excitat; At biliosus humor per venas lienis, atque meseraicas omnes propagatus, putredinem nactus in cor effumat, ac ita febrem accendit, cujus exacerbationes circa antepositionem, & postpositionem ordinem non servant, propter diversum statum Illustrissimi patientis, ac forsan etiam propter diversam ejusdem vivendi rationem; Ad hæc succi pituitosus, & melancholicus in vapores resoluti Cordis motum vitiant, ea ratione qua vapores hi cavas cordis partes ingrediuntur, ac exitum querendo omnis agitationis præstant occasionem: Postremò eadem destillatio in palatum incidens, ptyelismum illum efficit, quin etiam & humiditas excrementitia à ventriculo ascendens eundemmet auget, & fovet.

Quibus ita constitutis, oporteret, ut medicus ratione febris refrigeraret, obstructionesque attenuantibus ac detergentibus auferret, ratione autem emaciationis humiditates excrementitias absumendo, sanguinem depuraret, & quod jam est absumptum humiditatis substantificæ repararet, ratione vero scirri emolliret, & discuteret, Vapores qui Cor adire solent retraheret, ac dissiparet, destillationem illam per alterantia cerebrum ad calidum & siccum finiret, Ventriculum calefaceret, & Jecur moderatè refrigeraret, prius tamen habita de toto providentia, à qua ex vi methodi dogmaticæ medicus primum in destillationem incumbere tenetur.

Verùm enim verò, quoniam plura mala simul complicantur, & hæc ipsa cum maximo lapsu à statu naturali conjuncta, atque sine aliquo fructu varia jam fuere tentata remedia, ad huc & causæ morbificæ insignis activitatis existunt, a quibus potius graviora mala, hectica nempe progressa hydropica passio, quinimò & ultimum terribilium imminet, contrariæque occurrunt indicationes, medicum suum opus haud perficere posse suspicior, atque hoc eo magis, quoniam omnia viscera principalia, atque plura his ipsis inservientia laborant, itemque facultas regitiva totius in dies languidior observatur. Quocirca præservationi solum studendum.

Et quantum ad materias medicas attinet, & primum ad chirurgicas præter sanguinis missionem per salvatelam sinistram sectam, ac per venas podicis hyrudinibus apertas, setaceum in cervice, ac mustiones ad hypochondrium sinistrum factas propono. Ac si destillatio subitum periculum minaretur, à vesicantibus adhibitis capiti non abhorreo: De fonticulis autem, quos nunc habet, ita decerno, ut post aliquot dies alter sanetur ne à duobus macies in dies magis, ac magis augeatur, & qui gestabitur, si in sinistro femore esset inustus magis etiam mihi probaretur.

Pharmaca ad evacuantia, & alterantia reduco, Evacuantia si respiciant totum, atque sensibiliter agant sunt tum lenientia, tum purgantia, in genere priorum conveniunt mel rolatum solutivum completum, de succis vocatum, necnon syrupus de polypodio magistralis. In genere posteriorum probatur infusum Rhabarbari, agarici, senæ, atque etiam Hellebori nigri, adjecto melle ros. sol. probantur & Catapocia de tribus cum Rhabarbaro, vel de hiera cum agarico, dummodo tamen ab istis apozema ex syrupo de polypodio propinetur, quinimò & aliquibus intervallis Catapociorum de tribus dictorum usus adjecto Helleboro nigro præparato mihi non parum arridet.

Quod si evacuantia hæc agant insensibiliter, jus columbi, vel Galli antiqui cum china, ac guajaci modico, vel sassafras adjectis simplicibus aliis opportunis medicatum maximi censetur usus.

At si eadem evacuantia respiciant, potissimum caput, & sensibiliter agant, herrina medicamenta tum liquida, tum solida conveniunt, si insensibiliter, Ceratum Montagnanæ sincipiti adhibitum, ac Antidotus magna cum pulvere spicæ nardi, & boli Armenæ hora somni devorata non improbantur.

Alterantia medicamenta præparant humores, obstructiones auferunt, & viscera in contrarium statum adducunt.

Præparantia itaque seligantur, quæ ex cicorio, agrimonio, boragine, capillo veneris, scolopendrio, lingua cervina, & betonica fiunt, eo semper constituto, ut à valdè dilutis, & copiosis ad modum abstineatur, quando hæc male lienem affectum implere multum soleant; idcircò omnibus ego præferrem syrupum acetosum ex prædictis paratum.

In genere deobstruentium mihi probantur gummi nempè ammoniacum, succus absinthii, & Eupatorii concretus, trochisci de Capparibus, de agno casto, & de Eupatorio; huc pertinet oxymel ex arte paratum cum decocto radicum filicis maris, liquiritiæ, alteæ, corticum capparorum, tamarisci, ac simplicium jam dictorum, medicamentum etiam calybeatum maximè opportunum existimatur. Atque ad lienis proprietatem servandam mirum in modum proderit, si hisce omnibus medicamentis plantæ spleneticæ, præcipuæ verò pulvis ex equuli liene exiccato adjungantur.

Cæterùm & medicamenta hujus generis exterius poterunt adhiberi, Ideò præter communia, pro liene laudo fotum factum cum spongiis madefactis in aceto decoctionis radicum filicis, in quo lapis pirites ignitus fuerit extinctus, & à fotu linimentum factum ex butyro recenti, oleo nardino, & succis tum senecii, tum radicis cyclaminis, facta decoctione in duplici vase ad consumptionem succorum, ac tandem adjecta cera admovere expediet.

Stillicidia etiam primum emollientia tantum, deindè emollientia, atque discutientia simul aliàs adhibita, nunc repetita summoperè placeant, à quibus cerata ejusdem prorsus facultatis adhibenda, inter quæ maximè laudo quæ succo tabacci referuntur.

Postremo in genere alterantium pro capite faciunt lotiones, tum siccæ factæ ex furfuribus calefactis, tum humidæ cum lixivio decoctionis simplicium cephalicorum siccantium valdè, at moderatè calefacientium paratæ, Embrocæ quoque sive ex thermis, sive ex decocto secundum artem parato fiant, mirificè prodesse solent, cucufæ adhuc, & suffumigia accommodata conveniunt, & præter hæc conservæ capitales, Mithridaticaque confectio hora somni devorata probantur.

Pro corde conservæ cordiales cum confectione Alchermes, adjecto pulvere cordis lupi, vel

vel Accipitris plurimùm utilitatis afferunt, quemadmodum & extractum croci, ac liquor stillatitius, qui ex succo boraginis conficitur, in quo tamen succo prius crocus fuerit immaceratus. Exterius autem & confectio prædicta, vel theriaca cum croco, & oleum florum citri cum gallia moschata pariter illitum arrident, quinimò & sacculus sericus repletus cotô, cum quo aliquot grana musci sint involuta super cor gestatus non parum proderit.

Pro jecore succus cicorii tum assumptus, tum admotus propriè convenit, sicuti pro ventriculo radix Zinziberis, & nux moschata condita assumpta, & stillicidium ex stomasticis calefacientibus paratum maximè efficacia censentur, pro liene verò illa eadem, quæ obstructiones auferunt, ac intemperiem emendant, meo judicio sunt opportunissima.

Hisce omnibus adjiciatur demum accommodatus vivendi modus, qualis jam præscriptus fuit, atque etiam iterum, si oportebit ab Excellentissimo curante præscribetur, solum de vino illud animadverto, ut seligatur quod album, tenue, non dulce, non austerum existit, quod magis proderit, si cum radice buglossi, ac plantis spleneticis alteretur, & ad alvum subducendam cum sena poterit aliquando alterari, quibus omnibus Deo favente, spero mala Illustriss. & Nobilissimi viri pro aliqua saltem parte imminui debere. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus.*

Pro perillustri, & Nobilissima Matrona tumore duro uteri secundum partem dextram, hæmorrhagia ejusdem, cordis tremore, vigiliis, somnis turbatis, rugitu imi ventris cum timore, & mœstitia, necnon febre putrida quotidiana laborante.

Fœminæ præter calamitates utrique sexui communes, quibusdam propriis ratione mammarum, ac uteri potissimum subjiciuntur, ut non sit mirum, si Nobilissima Fœmina nonum supra quadragesimum annum agens præter melancholicam hypochondriacam ex timore, & mœstitia, cum rugitu imi ventris, & alui stipticitate, vigiliis, ac somnis turbatis cognitam, præter cordis tremorem sæpius, ac præcipuè noctu recurrentem, & quemlibet sexum vexantem, de quibusdam affectibus uteri peculiaribus conqueratur, qui numero duo præsertim existunt, Tumor inquam in parte uteri dextra, durus, ac ferè indolens, qui aliquando augetur, decrescit aliquando; necnon hæmorrhagia, quæ sapit interdum naturam sanguinis melancholici, deinde biliosi, ac tandem ejus, qui loturæ carnis redolet naturam. Cæterùm cum tumor ille, ut de se patet, durus existat, est sine dubio de genere scirrorum: at quia indolens, est de genere scirrorum legitimorum; quia verò modo augetur, modo imminuitur, est de scirrorum genere, qui admixtam habent inflationem, nam tumores ob aliam causam affatim non augentur, & diminuuntur, nisi ob flatus ipsos, à quibus tumor, qui communiter inflatio dicitur, ortum habet, ut potius scirrus hic spurius, & non legitimus ob inflationem adjunctam dici mereatur.

Sed illud est dubitandum, num febricula singulis diebus post meridiem invadens sit morbus an Symptoma; Dico quod postquam febris hæc typum aliquem habet, invadit enim cum extremorum perfrigeratione, sum in ea sententia, ut sit morbus, & sit ex coordinatione febrium putridarum, quotidianarum.

Nam mulier nobilissima in somnum est valdè propensa, vix sitit, urinas pituitosas excernit, & febris calore fumoso, ac parum mordenti, qualis est qui in lignis viridibus accenditur continetur, in cujus rei certiorem adhuc notitiam faciunt excrementa omnia succo pituitoso redundantia, & habitus corporis subpituitosus.

Verùm tamen febrem esse de genere intermittentium patet ex frigore extremorum quod paulatim serpit in totum, cui potius quidam horror, quam rigor accedit, quem tandem intervallum obscurum valdè subsequitur.

Verùm, & adhuc dubitandum occurrit, quomodo ab utero in tumorem elevato possit prodire sanguis, nisi subsit Ulcus, vix enim fieri potest, ut à tumescente parte sanguis prodeat ubi prius illa non fuerit erosa.

Responderem in hac, Nobilissima Matrona uterum secundum partem dextram tantum tumore corripi, ut propterea sanguis ab ejusdem parte sinistra, aut cervice saltem prodire possit.

Rursus dubitabit aliquis, num alui adstrictio inter proprietates affectionis hypochondriacæ, ut videor ego superius asseruisse, sit reponenda.

Cui respondeo ferè nunquam hypochondriacam ægritudinem ab alui stipticitate separari propter multas rationes.

Prima est, quoniam in hoc affectu insignis fervor subest præcordiorum, meritô cujus stercus valdè exiccatum expulsioni admodum reluctatur.

Secunda est quoniam laborantes hoc malo, ut de se constat, pluribus cruditatibus scatere necesse est, quæ tum fœces inviscando, tum etiam bilis acrimoniam expultrici intestinorum destinatam placando, sunt in causa, ut fœces retineantur.

Quibus tertiam addo, qua calor nativus, sine quo intestinorum expultrix nihil molitur unquam, in hypochondriacis valdè languet, ut ex indè necessariò fœces haud expellantur. Quòd autem calor nativus langueat, ex eo facilè est intelligere, quod calor extraneus, ut unicuique satis est perspectum, plurimum redundat.

Horum autem malorum productionem in obstructiones vasorum chili, uteri, ac jecoris referre non hæreo, quæ sicuti extensionibus, ac aliis Symptomatibus ad infimum ventrem attinentibus dignoscuntur, ita non à sanguinis copia, sed ab humoribus fœculentis, & viscidis oriri nemo esset statum hujus Nobilissimæ Fœminæ perpendens, qui dubitaret, est enim in ætate jam inclinanti, & habitus subpituitosi, antequè plurimum frigidæ potavit, quæ omnia in prædictorum succorum generationem conspirant.

Verum cùm humores iidem sint opus præter naturam, quod necessariò actionem læsam alicujus visceris subsequitur, videre oportet quodnam viscus in casu nostro sit illorum occasio constituendum; Respectu igitur humoris fœculenti, ac terrei jecur ob obstructiones in dies ma-

magis, ac magis adauctas fervidius constituerem, ventriculum vero respectu succi viscidi, & lenti frigidiorem redditum cum ob multas causas, tum verò maximè ob jecoris æstum, & frigidæ potum; cui postmodum uteri hæmorrhagia plurimum favit.

Sed interim qua ratione affectus ii omnes ab hisce obstructionibus nascantur examinandum occurrit, sic etenim principium generationis omnibus commune, contractum fiet proprium quod ad curationem instituendam maximum momentum habet.

Suppositis itaque prædictis obstructionibus, in mesero, & fundo ventriculi potissimum calor, veluti inflammatorius accenditur, qui fervor in iisdem locis veluti exurens in cor, & cerebrum fumos emittit, hinc affectus melancholicus, ut de se patet, hinc affectus ille cordis, tremor dictus, qua fumi illi cum flatibus à ventriculo languidiori productis immixti, & per vasa cordis propagati exitum quærunt, quem non assequuti concitato motu, veluti ad invicem inita pugna moventur, atque cor motu illo depravato movent, ac potissimum noctu, quia tunc temporis calore retracto, sicuti major copia vaporum gignitur, ita non discutitur.

Pariter eædem obstructiones in vasis prædictis transpiratum impedientes putredinem quandam succis, pituitosis, quibus maximè scatent, necessariò inferunt, hinc fumus exustus elevatus cordi per venas, & arterias communicatus febris est causa.

Ad hæc & mala uteri ab iisdem obstructionibus nascuntur, quia si scirrum perpendo nemini dubium est, quod vasa illius prius obstructa tensionem in eo pepererant, à qua materia obstruente parenchimati uteri communicata scirrus est subsequutus; Materia autem illa est tum melancholica, tum pituitosa, crassa, lenta, necnon flatuosa in aliis visceribus naturalibus genita, ut ex dictis liquet, ac in uterum imbecillum ex propria natura, & nunc ex accidenti imbecilliorem redditum transmissa, quamquam ob calors uteri languorem, non bene proprium alimentum confici, sed tumorem à materia cruda, & flatulenta in eodem utero genita foveri, & augeri sentiam.

A quo veluti causa principali melancholicam propositam pendere jurassem, nisi Matronam propositam ante hunc uteri affectum hoc vitio detineri cognovissem.

At qua ratione scirrus hic ex prædictis materiis ortum duxerit, non est difficilè ex dictis intelligere, nam illud certissimum existit, corpus hoc succo pituitoso admodum scatere, id etiam observatur, uterum valdè refrigeratum esse, & nullam causam siccitatem inferentem præcessisse, ergo fateri est necessarium per repletionem à copia, & per concretionem à frigido, non autem siccationem hunc scirrum factum fuisse.

Sed & hæmorrhagiam ab illis ipsis obstructionibus pendere, duplici ratione existimo, una quidem, qua in jecore obstructo sanguis vitiosus generatur, qui ad uterum transmissus secundum sui portionem crassiorem, in parte uteri obstructa retinetur, secundum verò tenuiorem portionem exit, hæmorrhagiamque facit.

Qua ratione autem id contingat melius intelligere necesse est; Quocirca cum sanguis hic præter naturam exiens Symptoma sit secundarium, in retentionem uteri læsam referatur oportet, quæ cum lædatur, vel læsa facultate, vel ob errorem externum, in casu nostro læditur primum facultas ob morbum, non quidem in soluta unitate per erosionem quia calor, morsus, & dolor à patiente non persentiuntur; non in soluta unitate per fractionem, quoniam nec saltus, nec percussio, vel aliquid simile præcessit, non à morbo in mala compositione per esudationem, quoniam sanguis nec paucus, nec serosus exit, relinquitur ergo, ut per Anastomosim, ac uteri venarum apertionem prodeat, quæ cum fiat tum à copia, tum ab acredine sanguinis, & hæc sit excludenda, quoniam (ut dictum est) nullus calor, ac morsus persentitur, à copia sanguinis hanc Anastomosim fieri concludendum.

Et si quis objiceret, in hac nobilissima ægrotante, ut dictum fuit, sanguinem minimè redundare. Dicerem id verum esse in toto, non tamen in utero, qui cum præsertim laboret, ad eundem etiam sanguinem una cum succis excrementitiis confluere puto, quò perventus ob obstructiones contumaces, ob acredinis carentiam non ita subitò, sed in ea copia collectus, quæ ab expultrice non possit sustineri, hanc ipsam irritat, ac irritando est in causa, ut retentio ex accidenti læsa sanguinis fluxum admittat, quamquam etiam nunc suspicer ob intemperiem humidam uteri, quam ex jugi ferè emanatione humiditatum excrementitiarum elicio vasa ejusdem relaxari, ac per se retentionem quodammodo lædi.

In tanta igitur morborum colluvie, quid sit agendum unicuique perspectum esse confido, sed quoniam ordine procedendum sit, non ita meo judicio unicuique perspectum existit.

Certum profectò est morbos hosce omnes (sicuti & alios quoscunque) haud posse sanari, nisi illorum causa communis abscindatur, quæ est obstructio, meritò cujus oportet attenuare, ac detergere, habita prius totius providentia, & ne de novo fiat obstructio, succos crassos, & viscidos jam genitos extra locum obstructionis existentes evacuare, ac novam illorum generationem per alterantia membra generantia prohibere necessarium agnosco, Tumor etiam uteri post hæc erit calefacientibus, ac discutientibus tractandus. Verùm quoniam hæmorrhagia tanquam impedimentum occurrit, huic sine dubio per retrahentia præsidia, motumque sanguinis compescentia erit satisfaciendum, atque primum, & ante omnia, quoniam ut dictum fuit, est veluti impedimentum à quo in morborum complicatione, ex Galeni sententia, quælibet est auspicanda curatio.

Sed an liceat intentum obtinere, ego valdè suspicor, quia plura mala, ac penè contraria simul complicantur, itemque sic progressa, ut ferè totum naturalem statum corporis perillustris patientis jam perverterint, & graviora longè mala immineant, hydropicæ nimirum passiones, affectus somnolenti, atque alii quicunque frigidi sint, immineat etiam uteri exulceratio, sæpius enim contingit, ut materia morbifica, quæ in hujusmodi fluoribus ab utero prodit, tametsi non sit acris, nihilominus occa-

sione putredinis talis evadat, ac exulceret. Præterea video omnia membra principalia, quinimò totum ipsum (ut ex malo, & fœdo colore dignoscitur) esse labefactata, adhuc & mala, difficilisque tolerantia præsens est, sicuti ex virium dejectione facile possum intelligere, ut quasi hisce omnibus argumentis adductus mala jam dicta ferè incurabilia judicem; Poterit attamen Nobilissima Fœmina ad aliquod temporis spatium præservari, quod ut saltem assequatur, medicus illi præsto sit materiis medicis oportet.

Inter quas, Chirurgicas ego animadvertens statuo convenire, & quæ sensibiliter, & quæ insensibiliter evacuant. Priores in casu nostro binæ probantur hyrudines, primum naribus, deinde venis podicis applicitæ, neque non cauteria, unum quidem in brachio sinistro, aliud in femore dextro; Posteriores verò sunt frictiones juges, ac deligationes partium supernarum, itemque cucurbitulæ cum multa flamma citra scarificationem subtus mammas appositæ.

Post materias Chirurgicas perpendendæ pharmaceuticæ, quarum aliæ respiciunt materiam peccantem, aliæ viscera; si materiam, vel sanguinem, vel succum diversum à sanguine, sanguis ergo quoniam peccat qualitate, quia pituitosus est, ac tenuis, idcircò medicamenta primum eundem mundificantia, deinde coctionem juvantia erunt necessaria. Quocirca in genere priorum laudo pulverem radicis mechiocani cum decocto myrobolanorum chebulorum, cui immaceratus fuerit agaricus trochiscatus; In genere autem concoquentium conveniunt trochisci de Eupatorio, de Rhabarbaro, Cyphei non solum devorati, verum etiam & hypochondrio dextro cum oleo nardino vel absinthino, & modico rosati completi, ac cera excepti.

At si motum sanguinis respicio, moderatè incrassantia sunt opportuna, idcircò præter electuarium de scoria ferri, pilulas de Bdelio, ac tripheram minorem ex arte Phœnonis summis laudibus extollo, antidotum etiam magnam mediæ ætatis, ut quæ pro sistendo sanguine, & roborando calore innato maximè valeat.

Exterius autem duo lumbis, & pelvi applicita mihi arrident, unum est lutum factum ex creta, bolo armena, terra sigillata, & sanguine draconis cum aceto, & albumine ovi exceptis. Alterum est quod ex Pini resina, ac sanguine draconis pariter paratur.

Sanguine suppresso, ad alia est deveniendum medicamenta, quæ ad materiam peccantem diriguntur, primum extra uterum, deinde in utero existentem.

Si extra, primum est lenienda alvus mel. ros. sol. ex succis parato, atque syrupo de polypodio magistrali, postea præparandi sunt humores decocto betonicæ, boraginis, lupulorum, fumariæ, sem. citri, sonchi, adjectis syrupis accommodatis; tandemque purgatio infuso agarici trochiscati, Epitimi adjectis mel. ros. & syrupo de polypodio solventibus erit opportuna.

Et quoniam insensibiliter evacuantibus erit agendum, ideò jus pulli, in cujus ventre incocta sit china cum tantillo sassafras, additis simplicibus præparantibus nuper dictis, necnon ad materiæ obstruentis attenuationem, & detersionem capillo ven. scolopendrio, agrimonio, radice apii rec. passulis, & coriandris præparatis, quibus omnibus vigente adhuc hæmorrhagia adderem equisetum, vel ophioglossum, vel sandalum rubrum.

Pro discussione verò materiæ vaporosæ in corde existentis theriaca mediæ ætatis erit opportuna, quemadmodum & aqua stillatitia ex succo boraginis infusionis croci cum syrupo de corticibus citri simplici data, & item, & sal theriacale cum conservis cardiacis, & corticum citri exhibitum. Quo in casu Epithema etiam ex aquis boraginis, buglossi, melissæ, & florum citri ex croco, & speciebus cordialibus temperatis pro Epithemate vino Cretico, ac aceto rosato paratum, est maximi usus; & eo magis, si ab ipso regio cordis oleo jasmino, vel florum citri, aut cariophylorum, adjecto eodem croco illiniatur, quinimò & ipsummet oleum croci chimicè paratum mirificè prodesse solet.

Verùm si prætermissa materiæ extra uterum etiam existentis copia, qualitas illius, crassities inquam, & visciditas animadvertatur, occurrit statim usus medicamenti calybeati, quod mihi maximè arridebit, si ex calybe de more præparato, speciebus aromatici rosati sine musco, & ambra, & conserva rosarum, itemque boraginis paretur.

Post hæc omne studium, si tamen permitteretur, ad uteri tumorem erit convertendum; ideò præter chinæ decoctum superius propositum adjectis simplicibus matricariis, usum gummi ammoniaci cum succo Artemisiæ, vel matricariæ concreto dati omnibus præferendum censeo. Huc usus calybis hunc in modum exhibiti est referendus.

Paratur primum decoctum in jure pulli ex altea, malvis, dactilis, Artemisia, matricaria, radicibus ireos, lignoque sassafras, & in colato per noctem portio calybis præparati maceratur cum tantillo pulveris cariophylorum, atque manè colati, & expressi unc. viii. vel x. cum syrupo de Artemisia exhibeantur.

Extra verò præter fotum factum cum spongia, vel involucro fili lini crudi, seu lana non lota calefactis cum decocto alteæ, malvarum sem. lini, fœni Græci, radicum cucumeris agrestis, peucedani, ireos, diptami Cretici, præter illinitionem ex oleo amygdalino dulci, seminum lini, liliorum alborum, irino, laurino, præter unguentum ex altea, & Aragon, & martiatum, præter emplastrum filii Zaccariæ cum tertia parte emplastri de baccis lauri, seligo potissimum embrocam factam cum aqua lanarum, vel cum oleo amygdalino dulci, seminum lini, in progressu adjectis oleo irino, & laurino: Ab embroca verò Ceratum Diachilon gummatum cum portione cerati sacri erit admovendum.

Tandemque ad viscerum, primum autem jecoris alterationem succus cicoraceorum tum assumptus, tum hypochondrio dextro cum aceto perfusus omnibus est præferendus, quò spectat conserva violacea, & rosacea, confectioque ex tribus sandalis.

Ad ventriculum autem alterandum nux myristica condita, radix Zinziberis viridis pariter condita, cydoniatum cum pipere albo, crasso modo contuso paratum assumpta proderunt; Exterius verò stillicidium ex aqua Tettuciana,

vel

vel alia simili, sicuti & ceratum infrascriptum admotum erunt valde proficua.

℞. Nucis muscatæ
Cariophylorum
Cinnamomi } an. unc. j.
Absynthii
Mentæ
Majoranæ
Calamenti montani
Rosarum rubearum } an. m. j.
Cyperi orientalis unc. ß.
Aquæ ardentis ℔ j.

M. Infundantur per 24. horas, deinde f. colatura cum f. e. adde.

Mastices
Mirræ
Laudani
Stiracis calamitæ
Benzoini
Ammoniaci ℔ ß.
Musci drag. 1. } an. unc. iij.

Iterum infundantur per duos dies, deinde extrahatur liquor per balneum mariæ, fœcibus adde resinæ pini claræ ℥ iv. & cum cera f. Ceratum.

Materia Dietetica hujus census tempore hæmorrhagiæ sit oportet, ut nobilissima nempè matrona vescatur cibis aliquo modo inviscantibus, uti sunt extremitates animalium, fercula ex milio, oriza, panico, & farre, necnon & ovo integro, jureque carnium optimarum cum extremitatibus dictis in aqua calybeata parata, & cum gummi arabico, cum equiseto, & ophioglosso alterata; quo etiam tempore vinum nigrum subausterum aqua calybeata dilutum offerri poterit.

Citra verò tempus hæmorrhagiæ victus conveniat aliqua ex parte attenuans, boni succi, & affectui melancholico contrarius; Quam ob rem ova, Carnes optimæ, & laudatæ, uti avium parvarum in Montibus degentium, phasiani, perdicis, pulli, caponis, vituli, vervecis pro majori parte assæ probantur, quo in casu etiam borago, buglossum, melissa, petroselinum, fœniculum, passulæ, pistachia, amygdalæ dulces non improbantur. Potus sit vini fulvi, tenuis cum radice buglossi, floribus cordialibus, china, & ligno sassafras medicati. Somnus fiat primum in latus dextrum deinde in sinistrum, elevato tamen capite, cruribus retractis ex Oribasio. Corpus, quemadmodum tempore hæmorrhagiæ quietum est detinendum, ita citra tale tempus ambulationibus, gestationibus, aut etiam frictionibus exerceatur. Alvus lubrica reddatur usu passularum præparatarum, vel conservæ comarum rosarum communium cum manna conditarum, seu mixto ex aquis portionibus pulpæ cartami, & caricarum parato, vel tandem prunis hunc in modum præparatis.

℞ Infusionis senæ factæ cum ℥ iv. seminum Cartami ℔ j. ß. mannæ electæ ℥ iv. M. & adde prunorum dulcium siccatorum ℔ j.

Ponantur ad cineres calidos, quousque totus liquor absorbeatur.

Læto denique, & constanti animo perillustris, & nobilissima Matrona vivat, si modò fieri poterit, Deusque Opt. Max. ille sit, qui hæc omnia à me ex animo in gratiam melioris vitæ hujus meritissimæ fœminæ proposita secundet, atque fœlicitet. *Idem ibidem.*

De Vertigine, Palpitatione cordis, & Hypochondriaca. *Pro Illustriss. Madruzzia.*

Quamquam de variis morbosis affectionibus conqueratur Illustriss. Matrona diligentissimè desciptis à Viro doctissimo & Præclarissimo: tres tamen sunt præcipuæ, Vertigo scilicet tenebricosa, Cordis palpitatio, & Melancholia hypochondriaca. Has inappetentia consequitur, anxietas, talisque ac tanta corporis lassitudo, ut non rarò decumbere cogatur ob virium imbecillitatem.

Horum omnium causa licet multiplex in medium adduci possit; Sterilitas enim, ætas decrescens, mœrores, jejunia, diuturnæ meditationes, & vigiliæ, ita labefactant calidum innatum cordis, & cerebri, ut quibuscumque supervenientibus injuriis facillimè opportuna fiant: præcipua tamen causa est heterogenea materia, eaque cùm melancholica in jecore fervido, tùm pituitosa in frigido ventriculo genita, nec præ su. crassitie liberè uterum purgata. Etenim hæc majore quam conveniat copia in venis mesaraei acervata, nec liberè ventilata, ab extraneo calore in flatus, & vapores crassos, & opacos conversa, cor petens, anxietatem facit, & palpitationem; ad cerebrum elevata, cùm mœronem inducit, dum mentem afficit; tum vertiginem tenebricosam, dum inordinatè mota per anteriores cerebri ventriculos circulariter movet spiritus animales, tum maximam totius corporis lassitudinem, dum rectum eorumdem spirituum transitum ad principium spinalis medullæ intercipit: ita ut cum Hippocrate dicere possimus, quod sicuti mensibus fluentibus morbi fieri possunt; sic non fluentibus, vel imperfectè fluentibus morbi fiunt ab utero.

Affectus equidem gravissimi, longè quinetiam graviora mala portendentes. Hinc enim apoplexiam, vel epilepsiam minantur, cujus prænuncia est tenebricosa vertigo; hinc repentinum interitum. *Quicumque enim fortiter, frequenter, & absque causa manifesta exsolvuntur, derepente moriuntur;* ex Hippocr. 2. Aph. 41. Ideoque & de palpitatione peculiariter locutus Galenus 5. de locis Aff. asseruit, palpitatione laborantes non transcendere quinquagesimum ætatis annum. Quod magis in præsentia metuendum, cùm habeamus morbos antiquos, confirmatos, contraria remedia expostulantes, nec de mensium revocatione in hac ætate decrescente sperandum sit. Non tamen propterea est omnino de salute desperandum, cùm vigeant adhuc vires, generosaque remedia præscripta sint à Viro doctissimo, & in arte versatissimo.

Quare agendum, & totum corpus diligentissimè purgandum, obstructiones hypochondriorum reserandæ, peccantes humores evacuandi eorumdemque regenerationem, quod forsitan primas partes tenet, ventriculo in consensum tracto, cùm Illustrissima patiens sit moderatè carnosa, & hilaris à naturæ primordiis, juvamentumque susceperit ab opportuno refrigerantium usu. Roborandum cor, & cerebrum: &

si qua similis materia regenerabitur, ad ignobiliora loca divertenda. Quæ omnia perficientur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & omnium maximè congrua victus ratione.

Inter Chirurgica, cæteris omnibus præferenda est sanguinis missio; primò quidem ex saphena sinistri pedis, mensibus imperfectè fluentibus; secundò ex jecoraria dextri brachii intermedio tempore; tertiò ex hæmorrhoidibus, dum adventabunt novi menses; quo tempore singulis mensibus easdem venas sedales aperiendas censeo, ut natura saltem assuescat huic evacuationi, posteaquam imperfectè purgatur ex utero, & jamjam imminet tempus naturalis mensium suppressionis, & sanè hoc remedio ego quàm maximè considerem. Fonticulos, quod spectat duos inurendos censeo infernis partibus, nec de superioribus cogitarem: quoniam, licet caput affici possit essentialiter in morbo diuturno, & pertinaci, credo tamen ipsum ita affici per consensum, ut si removeatur consensus, facilè cessatura sit etiam idiopathica affectio; hancq; ob causam removerem etiam fonticulum inustum brachio, quando per inferiores materia fluere cœperit: ut propterea nec omittenda sint alia leviora remedia revellentia, & ad infernas partes trahentia: imò urgente vertiginosa passione, ut & palpitatione, duo vesicantia internis coxis applicanda censeo, antequam fiant fonticuli, ulcusque aliquamdiu apertum conservandum. Sic enim periculum fiet, utrum fonticuli sint profuturi, nec ne. Et hæc de Chirurgicis.

Pharmaceutica remedia sunt exactissimè proposita à Viro præclarissimo. Ideo superfluum judicans singillatim omnia repetere, seligam potiora tum universalia, tum particularia. Quoad universalia præparantia, probantur quàm maximè *syrup. de pomis, & de corticib. citri*, unà cum aliis præscriptis: ita tamen ut post syrupos simplices deveniamus ad compositos. Quoad purgantia, mirificè proderit *extractum ex helleboro nigro*; nec inconveniens censeo, si aliquando, utamur *pilulis ex lapide lazuli, & cocciis præparatis cum helleboro*: vel si per noctem infundatur drach. j. *radic. helleb. nigri* in ℥ iv. vini albi subdulcis; ac deinde imponatur idem vinum expressum in *colocynthide* diligenter à seminibus & interna pulpa mundata, ibique per diem naturalem conservetur super cineres calidos; ac deinde dulcoratum cum portiuncula sacchari propinetur. Hoc enim crassiores humores deturbare valebit. Quod si aliquando vomitus provocetur blandioribus vomitoriis; à cibo id fiat, dummodo tamen Patiens Illustrissima sit ad illum facilis; alioquin enim suspectum censeo, cùm propter vertiginem, trm propter cordis Palpitationem. Clysteres quinetiam acres, & carminativi familiares esse debent; & in secunda humorum præparatione possumus alternis diebus uti ℥ iv. decoctionis *Epithymi Mesuæ*. loco decoctionis ordinariæ pro diligentiori expiatione crassioris & tartareæ hujus materiæ. Quod si vires non videntur sufficere, intercedat aliqua quies, & partitis vicibus solicitentur evacuationes propositæ; & semper post horum medicamentorum exhibitionem porrigatur ptisana hordeacea colata cum carne cocta: hæc etenim detergebit residuum materiæ medicamenti purgantis, & compescet fervorem ab eo impressum. Hanc universalem purgationem absolverem cum aqua Thettutiana per triduum exhibita ad ℔ iv. singulis diebus, unà cum ℥ iv. mellis ros. solut. in 1. cyatho: quod fiet vel continuatis diebus, vel 3. quoque die, si vires erunt imbecilles. His peractis duo potissimum remedia ex usu futura censeo: primum est jusculum galli bimnli ex descriptione Viri Exc. paratum unà cum drach. ij. elect. Saxoniani de chalybe: hoc enim si viginti circiter dies utetur, quam maximè proficiet. Aliud est aqua B. Virginis, modò non absit morbosa ventriculi, & intestinorum siccitas; quod non spero, cùm Illustriss. Matrona non sit admodum exsiccata, licet sit minùs carnosa, quàm fuerit præteritis mensibus, & annis. Sed quia æstus longe absunt, ideo laudarem ut post universalem purgationem præscriptam, roboraretur primò ventriculus internis levioribus, & externis remediis; ac deinde sumeret aquam B. Virgin. Inter interna placida placet vinum absynthite ad ℥ij. mane quotidie sumptum, præmissa rotula parata ex portiuncula sassaf. oleo destil. anisor. spec. diarrhod. Abb. & trochisc. de Gall. mosc. cum aq. ex flor. citri, & saccharo. Extrinsecus probatur magis stillicidium ex oleis, quàm ex aquis: ita tamen, ut aromata vel prorsus omittantur, vel imponantur in pauca quantitate, & loco cerati supraponendi utatur summitate purpuræ imbuta oleo nardin. mastic. & absynt. idque fiat per quindecim dies. Quod si Patavium se contulisset, ventriculum roborassemus lutis thermalibus partim emollientibus, & partim digerentibus, quæ flatus quoque dissolvere potuissent, obstructiones reserare, & totum ventrem inferiorem corroborare: nec unquam inveni remedium placidius, & efficacius in hypochondriaca debellanda; ut propterea, si per vires licuerit, suadendum sit Illustr. Matronæ, ut post universalem purgationem Patavium se transferat: quod fieri poterit etiam sub finem mensis Junii, Adventante postea Autumno præscribetur jus Galli cum elect. ex chalybe jam descripto, quo tempore vinum quoque dilutum, & medicatum parari poterit cum meliss. buglos. rore mar. tam..r. scolopend. & lentisc. quo per totam hyemem utatur.

Interim placent topica cerebro, & cordi applicata. Ratione cordis conservæ, Epithemata, & sacculi præscripti sunt opportunissimi. Placet quinetiam confect. alchermes præscripta: julep. illud gemmatum M.gni Ducis Hetruriæ est jucundissimum, & spiritus ipsos recreat celerrimè. Ratione cerebri, post peculiarem capitis expurgationem per masticatoria blanda, placent odoramenta ex *rosis, santalis, & aceto*; linimenta temporum, & venarum post aures cum succo betæ nigræ; vel cum oleo de buxo chymicè extracto, cons. de ruta capr. cum seminib. pæoniæ, & sacch. ros. pulveres capitales præscripti: lotiones aliquando capitis facie supina factæ cum lixivio non valde calido parato cum agar. rore mar. calend. rosis, & radice chinæ, Hæcque de remediis Pharmaceuticis: inter quæ laudo etiam balneum aquæ dulcis toti corpori hoc æstivo tempore post ventriculi corroborationem.

Sed præ cæteris omnibus utatur congrua victus ratione, in usu habeat cibos facilis digestionis, & boni alimenti: ut sunt pulli juniores, vitulina caro, perdices, aviculæ montanæ. Concedantur

tur melones, præsertim melopepones, fraga, ficus, pruna, amygdalę dulces; à cæteris abstinendo, necnon à lacticiniis, piscibus, placentis, acetariis, & à vinis admodum generosis. Surgat aliquando è lecto, vel etiam domo excedat in curru non impetuosè moto. Non decumbat intra horam à cibo, semperque sumat à cibo quidpiam subadstringens. Arceantur animi perturbationes, solitudines, nimiæ vigiliæ: aluumq; lubricam servet remediis à Viro Excell. propositis. Sic enim spero fore, ut perfectam sanitatem recuperet, quam Deus Optimus Maximus Illust. Matronæ largiri non dedignetur, enixè precor. *Bened. Sylvatic. Consil. & Resp. Medic. Cent. 1.*

Cordis Palpitatio.

Exactissima morbi historia à te, Vir Præstantiss. delineata, & ad nos missa, Illustriss. Patientis statum apprimè repræsentat, qui scil. annum agens 45. temperamenti totius & jecoris ad calidum & siccum vergentis mediocris habitus, multis abhinc annis hypochondriaca affectione obsessus, vitæ otiosæ, ventri gulæque deditus, anno elapso Cordis Palpitatione corripi cœperit, non diù tamen perdurante, & solùm invadente postquam in cibo & potu multùm deliquerit, & Hypochondriaca affectio magis eum afflixerit, quo tempore & pulsus inæqualitas atque interceptio, brevis tamen etiam observabatur.

Verùm quoniam, licet de statu proprio Medicos consuluerit, nunquam tamen remediis usus est, ideo palpitatio antehac rara, & nonnisi ab externo errore, repletione scilicet, invadens sex abhinc mensibus, proximo nimirum Autumno, crebrius, & nulla externa occasione præcedente, Pat. invadit, diutius perdurans, tanta quidem vehementia ut non solum manu pectori admota deprehendatur, sed evidentior facta. Pat. in lecto decumbente stragula ipsa leviter elevet, quibus accedit difficilis spiritus, pulsus pariter inæqualitas & interceptio diuturnior. Interim decolor Pat. Illustriss. redditus est, viresque totius non parum imminutæ. Quare tandem ad opem medicam confugere coactus fuit, quam pro tua summa prudentia, cùm solus præstare recuses, nostrum quoque advocari consilium curasti.

Affectus itaque, quem præ manibus habemus manifestus adeò est ut vel ab ipso Pat. nomine Palpitationis cordis exprimatur, quæ mirum non est si non tactu solum sed visu etiam cognoscatur, cùm accidat nonnunquam ut ad aures etiam pertingat, unde observavevit Fernel. costas aliquando distringi, vel loco dimoveri. Præsentem autem Palpitationem legitimam esse arbitramur, quoniam à distensione fit, & subsidentia præter naturam, ob crassam & vaporosam materiam, tentatum exitum facilè non invenientem. Symptoma itaque est in motu depravato Cordis, quod commodum duas conditiones habet, ad Palpitationem requisitas, cùm sit pars concava, ut flatibus impleri, & mollis, ut dilatari possit. Hoc tamen, licet immediatè & principaliter sit solius morbi opus, mediatè tamen & secundariò est quoque facultatis irritatæ, quamvis enim distensio fiat ab impetu flatulento, difficilè erumpente, impetus tamen ille ab expultrice etiam à flatulenta materia irritata dependet, quæ eandem, vel sola quantitate nonnunquam distendentem, hoc tamen casu qualitate quinetiam irritantem, ad expulsionem solicitet, unde impetus ille augeatur, in quo Palpitatio cordis sita est: non enim satis intelligimus, quomodo flatulenta materia sola sua levitate tantum impetum facere possit, neque alium motorem præter facultatem expultricem invenimus.

Palpitatio autem hæc, sicut ab initio per consensum ab hypochondriis excitata est, & à Liene potissimum (hypochondriaci namque flatibus abundant, quia ex Hipp. caloris imbecillitate quam maximè laborant) ideòque & rarius invadebat & celerius recedebat, ita in præsens, quoniam nullum medicum auxilium adhibitum fuit, Corde à gravi adeo affectione, & motu, præter naturam diutius conflictato, & imbecilli reddito, tandem essentialis facta est, unde sicut antea nonnisi post errorem externum Patient. invadebat, ita nunc absque externa occasione, nullaque præcedente hypochondriorum querela, insurgit diutiusque perdurat, cum respiratione difficili, & pulsus inæqualitate ac interceptione, quæ primo quidem, cùm in sola hypochondriaca affectione ob flatulentam materiam læves arterias comprimentem, se proderet, brevi cessabat, at modo diutius durat eadem materia non solùm comprimente veram & ob copiam læves arterias facilè obstruente, quod non alia ratione accidit, nisi quia flatulenta eadem materia ab Hypochondriis non solum elevatur, sed in ipso corde excitatur, unde ob congestum spiritum à frigido Corde palpitationem suboriri asseruit Gal.

Neque de flatu dubitandum. *Non enim à succo quopiam, sive humore, vera & legitima Palpitatio fieri posset, illico namque non fieret, neque statim desineret, quinimò flatulenta hujusmodi materia debet esse crassarum partium, & copiosa, nam si exigua & subtilis esset, facilè per corpus transflueret;* scribit ipse Gal. subdens. *Si spiritus tenuis & purus esset, neque repleret, neque vacuaret partes concavas distensione & subsidentia, sed citra impedimentum transiret. Spiritus igitur crassus turbidus, aut caliginosus, aut flatulentus, aut quomodocunque nominare volueris, palpitationis causa efficitur.*

Spiritus autem hic frigidus est; & ideo loco cit. Gal. dicebat, quod *Palpitationis hujusmodi generatio ex frigido est.* Quare nostro casu, vitæ otiosæ, repletionibus & cruditatibus palpitatio successit, Autumno præterito totaque hyeme adaucta. Et licet ab initio flatus hypochondriacos, causam agnoverit, ab exusta minera elevatos, frigidi tamen & ipsi sunt post adustionem, quamvis ex eadem geniti, quod confirmavit quoque Avicen. dicens. *Palpitatio fit ex ventositate inflativa, grossa, cujus significationes sunt velocitas resolutionis, & quod non est nisi in corporibus frigidis, cum potibus rerum frigidarum.* Unde Galen. spiritum appellabat caliginosum, aut flatulentum, sed semper frigidum. Hinc facilè elici potest, Cordis palpitationes ob sanguinis copiam & fervorem, cum Paulo & ex humoribus pariter biliosis, cum Actuario cordis verò motum depravatum, ex Aqua in Pericardio, cum Galen. quinimò palpitationes à causa calida in febribus, cum Hippocrat. in Sileno, & Adolescente Meliboeæ, non fuisse veras & legi-

timas, sed motus quosdam palpitationis æmulos.

Palpitatio quælibet semper magni facienda, ratione partis præstantissimæ affectæ, læditur enim Cor. vitæ principium. Periculosior autem præsens est, cùm sit facta essentialis & frequens; in Syncopen enim & mortem desinere potest, prout in illo, qui dum exolvebatur fortiter palpitans, repente mortuus est, quoniam ob motus vehementiam, dissipatur calidum innatum, eadem ratione qua flamma extinguitur à nimio motu. Quare, *Qui frequenter palpitatione corripiuntur, Senectutem non attingunt, sed inter 40. & 50. annum moriuntur, aut febre acuta, aut Syncope intercepti.* Neque credendum duos illos à Cratone memoratos, legitima palpitatione laborasse, sed spuria, qui propterea 55. annum attigerunt. Neque Antipatri casus, qui ad 60. vitam protraxit, hic locum habet, obstructæ enim illi erant læves arteriæ, à quibus tandem, accedente cordis palpitatione, quam nunquam antea passus fuerat, resolutus obiit. Nec D. Philippus Nerius, frequenti palpitationi obnoxius, ad 80. annum pervenisset, nisi duæ ex mendosis costis sinistri lateris disruptæ fuissent, quæ in accessionibus, follis instar elevabantur & deprimebantur, sicque suffocationem arceb. nt, ope quidem naturali, non tamen sine divini miraculi concursu.

Medela itaque præservativa potissimum statim Pat. Illustrissimo afferenda, curativa tamen non neglecta. Ideo omnium primò materia, flatuum minera evacuanda. Secundo obstructiones minuendæ. Tertiò intemperies, tum frigida Ventriculi, tum calida Jecoris corrigendæ. Quarto cor roborandum, & calidi innati conservatio curanda. Quibus ut satisfiat.

In Chirurgico fonte in primis convenit Sanguinis missio, etenim *Adolescentes, & adultos omnes sanguinis detractio juvit, imò liberati sunt, qui post sanguinis missionem usi sunt victu & medicamentis attenuantibus.* Et licet non semper conveniat ratione causæ, quando scilicet provenit à cruda & pituitosa minera, ab Aqua in Pericardio, ab Aura venefica, Vermibus, Cordis imbecillitate, semper tamen convenit ratione effectus, ad arcendam nimirum suffocationem, & ut Pat. facilius calida ferat remedia. Nostro autem casu, ratione etiam causæ necessaria est, cùm minera, à qua fovetur affectio melancholica & exusta potius sit, quàm pituitosa. Educatur itaque per venam sectam, & repetatur per venas sedales. Cauterium quoque coxæ dexteræ inuratur.

A Pharmaceutico fonte desumenda Lenientia Præparantia, Purgantia, Aperientia, Intemperies Auferentia, Flatus Discutientia, Cor Roborantia, & calidum innatum Conservantia. Leniens sit Elect. lenit cum Hiera picra, & Crem. Tart. vel Mel. Rof. sol. cum Man. clarif. addita Aq. Fl. Cit. Primum præparans sit Mel. Rof. & Oxym. addita Aq. Cinnam. uncia. Inde quinque aut sex post diebus repetenda hiera cum Lenit. ut supra, à qua duabus post horis bibat Mulsæ dilutæ ℔ j. ß. Secunda præparatio obeunda Syr. de Cort. Cit. Julap. acet. & Syr. de Pom. in decoct. Cich. Borrag. Melissæ, Buglos. Fl. & Cort. Citri, & septem post diebus præbeatur Elect. Diacath. & Diaph. cum Hieræ ℈ j. vel p. retur infus. Agar. Rhab. & Sennæ addito Syr. Rof. & de Polyp. à quibus bibat Aq. hordei ℔ ij. & si in excretis cruditates observentur, præberi poterit Aq. Tectutiana, cum vehiculo Mel. Rof. sol.

Postmodum obstructiones reserandæ, quæ quoniam, utpote ex materia sicca, rebelles supponuntur, cum inveteratus jam hypochondriacus sit Pat. ideo humectantibus utendum. Quare paretur hujusmodi potio aperiens.

℞. Succi depurati Borrag. ℥ ij. Cich. Lim. an. ℥ j. Decoct. Cich. End. Malv. Agrim. Petrosel. ℥ v. m. sequenti vero mane præbeatur eadem decoctio sine succis, cui præmittantur boli ita parati.

℞. Rhab. opt. ʒ ß. Fl. Cass. ʒ j. m. ref. bol ij. & ita peragendum ad 1.. dies mox præbeatur medicamentum hujusmodi.

℞. Fl. Cas. rec. extr. Elect. lenit. an. ℥ ß. Pilul. de tribus cum Rhab. ʒ j. m. f. b. à quibus bibat. Aq. hord. ℔ ij.

His peractis, ad corrigendas frigidas tum Cordis tum Ventriculi intemperies, Jus Galli ab omnibus celebratum locum habebit, caute tamen casu nostro ita parandum.

℞. Ligni Rorism. ℥ j. Guajaci ping. ℥ ß. Sassafras incisi ʒ ij. Fol. Melis. rec. Fl. Cit. an. pug. j. Aq. com. ℔ iv. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem Galli mediæ ætatis & bulliant ad consumpt. dimidii, factæque colat. servetur pro tribus dosibus matutino tempore, cui infundantur gutt. x. Julap. Gem. M. Ducis, in cujus usu persistat 30. saltem dies. Interim Jecore & hypochondriis æstuantibus, parari poterit prædictum Jus in Aq. stillat. Cich. & Borrag. cui præterea addi poterit succus Cich. depur. & per arenam percolatus.

Flatuum autem resolutio, licet ad curativam potius quàm præservativam partem attineat, nunquam tamen deserenda, idoneo in usum ducat Confec. in Rotulis, ex Ol. de Cort. Cit. vel ex quinta essentia Rorismar. & præ omnibus ex Ol. legit. Cinnam. dissoluto Saccharo cum Aq. ejusdem. Spiritus autem vitalis vivificari & instaurari potest usu Aq. Fl. Cit. cum Spiritu Salis Corallino, usque ad gutt. vi. vii. & viii. Illinenda quoque cordis regio balsami veri liquore, vel Ol. de Scorp. Matth. succo Cit. vel Vino Malv. dissoluto.

Quibus omnibus victus ratio addatur quodammodo attenuans. Vinum ad mensam paretur medicatum ligno Sassafras, aut saltem Rorismar. Arceantur cruditates, & alacri animo vivat. Hæcque extra accessionem.

Restat ut de parte curativa aliqua dicamus. Quoniam autem unica est Palpitationis causa, ideo unica curatio, nempe Flatuum resolutio, cum qua tamen & Spiritus fovendi, & cor roborandum, ne in Syncopen incidat.

Omnium itaque primò locum habebit Sanguinis missio, si vehemens ac pertinax fuerit ipsa Palpitatio, parca tamen sit, ex jecoraria aut mediana. Secundum locum obtinent Cucurbitulæ siccæ, quarum altera anterius, posterius altera, juxta cordis regionem apponenda. Præsens quoque remedium sunt Sinapismi, infernis partibus appliciti, ex æquali portione Caricar. & Sinap. parati. Clysteres etiam carminativi maximè con-

conferunt, flatus discutiendo, & à corde derivando atque revellendo.

Inter flatus discutientia efficax est Aq. vitæ Juniperina, efficacissima quoq; Aq. Theriacalis, præsentissimum item remedium Theriaca, quo præstantius nullum unquam expertus fuit Maximilianus Imperator, Palpitationibus obnoxius quanquam præservativum forsan potius quàm curativum remedium haberi possit. Tria præterea extant validissima remedia. Primum est Aqua Theriacalis camphorata Crollii. Secundum Extr. Croci Paracelsi, ad gutt. j. in cochleari Aquæ vitæ. Tertium Aqua vitæ celebratissima, à nobis experta, ita paranda.

♃. Sem. Ocymi, Caryoph. an. ℥ ß. Cort. Cit. rec. Fol. Melis. an. pug. j. Macis ʒ ij. Cinnam. integ. ℥ ß. Spicæ ℈ ß. Vini albi opt. ℔ ij. m. macerentur omnia per diem naturalem, & destillatione fiat spiritus vini, in quo infundatur Moschus, ad gr. vj. ex qua sumat Pat. ad cochlearia. Extrinsecus quoque discutientibus utendum. Sic regio cordis illinatur Ol. de Cort. Cit. quinta essentia Cinnam. ex Matth. vel Rorismarin. ex Libavio.

Secunda medica intentio fuit, spiritus vitales fovere, cui explendæ conveniunt quidem odorata, sed parce, acutiores namque odores spiritus dissolvunt. Sic intrinsecus confect. Alchermes cum Aq. tot. Cit. vel Cord. Sax. optima erit. Olei pariter Cinnam. guttula in Aq. Scorzoneræ ebibita celeriter spiritus recreat. Extrinsecus paretur Epithema hac formula.

♃. Aq. Melis. ℔ j. Flor. Cit. Rof. an. ℔ ß. Spec. cord. temp. ʒ ij. Diambræ, Diamoschi an. ʒ j. Succi Cit. ℥ iij. Acet. Rof. ℥ j. Vini albi ℔ ß. m. pro Epith. quam ocyssimè spiritus vitales reficiente.

Tertia intentio fuit corroborare, pro qua notandum cum Avic. & ante illum cum Gal. quod evitanda vehementer calefacientia, quia vires dissolvunt, prout & vehementer refrigerantia, quia calorem labefactant, necnon validiora, adstringentia, quia fuliginosa excrementa cohibent. Sic intrinsecus potens est Bezoar, à gr. iv. ad viii. Magist. Perlar. aut Corall. in Aq. cord. Sax. tanquam mirabile remedium proponitur ab Hartmanno. Efficacissima, tanquam à proprietate quoque juvantia, Corda animalium.

Ut ♃. Cord. Cervi, Turturis vel Bovis nu. i. Melis. rec. m. j. Fl. Cord. m. ß. Cort. Cit. rec. ℥ ß. Sem. Ocymi ʒ ij. Caryoph. Cinnam. Sant. Cit. an. ʒ j. Spec. Diambræ, Diamosc. an. ʒ ß. quibus addatur Sacch. fin. q. s. B. M. destillentur, & Aq. exhibeatur ab ℥ j. ad ℥ ij. vel sola, Aq. Melis. mista Extrinsecus Epithema jam præscriptum efficacissimum quinetiam fuerit.

Quibus omnibus victus ratio respondeat, attenuans, ut jubet Gal. qui post Sanguinis missionem præcipit medicamenta, & victus rationem attenuantem, non tamen adeo tenuem. Hisque tum pro præservatione, tum pro curatione propositis D. O. M. annuat, & adsit. *Raym. Joan. Fortis Consult. & resp. Medic. tom. 1. Cent. 2.*

Motus tremulus Cordis, sive illegitima Palpitatio,

Nobilis Vir sexagenarius, temperamenti calidi & humidi, mediocris habitus, deliciis semper vitam ducens, immodicis potibus indulgens, cyathis oris inversi usus, duobus abhinc annis sentire cæpit pondus quoddam in pectore, ascensu potissimum locorum acclivium ingravescens; ac paulo post spiritus quodammodo difficilis sibi visus est, licet nulla observaretur in respiratione difficultas; cui molestiæ in dies graviori factæ, aliquot abhinc mensibus motus quidam Cordis tremulus & inordinatus, palpitationi non absimilis, licet non adeò evidens accessit; qui tandem in præsens continuus evasit, Corde veluti Aquæ innatante, ut Pat. refert. Pulsus consueto mollior, corpus paulatim gracilius, floridus faciei color pallore infectus est. Anxius itaque Pat. Patavium petiit, ut nos proprii status certiores faceret, nostrumque consilium scriptis impetraret, quod in hanc sententiam exaravimus.

Regionem spiritalem medium scil. ventrem, in hoc Nobiliss. Sene, læsum esse non est quod dubitemus; prout enim ubi dolor ibi morbus; ita hoc casu, ubi pondus ibi spiritus ipsius coarctatio, suffocationis quodammodo æmula. Quoniam tamen hæc nullo modo respirationi incommoda, Septum ideo & pulmones à qualibet læsione immunes censendi, eaque cordi potius adscribenda, cujus motum turbari depravarique manifestum est, dum spiritus coarctationem tremulus ille consequitur, referente Patiente, se Cor sentire veluti aquæ innatans, cujus pulsus mollior à naturali statu recedit; sicut præstantissimæ insuper partis noxam sat nobis significat diminuta ac depravata totius nutritio, nulla præsente spirandi difficultate. Neq; obstat, quod Tremor cordi competere non videatur; cùm symptoma sit Facultatis Animalis, illud vero à naturali moveatur; minus, quod Tremor sit motus sursum ac deorsum, in quo mobile locum mutat; motus verò cordis distensione ac subsidentia, absque loci mutatione constet: hæc enim de vero atque legitimo Tremore habenda; non autem de motu tremulo, cui proprium caput assignarunt Avic. Rhasis & Ætius; quinimò & ipse Gal. qui pulsus trementis mentionem fecit, tremuli scilicet motus, Palpitationi similis, quem aliqui saltum Cordis, aliqui Cordis Jectigationem appellarunt.

Cor autem lædi potest, tum essentialiter, tum per consensum, prout sæpe in Hypochondriacis à pauco flatu, nec valdè crasso in ipsum se insinuante, qui motum quidem tremulum, non vero palpitationem inducere potest. Sic & à lævibus arteriis, quo casu pulsus intermittens observatur; necnon à toto venoso genere calida, & pravæ conditionis aura ad idem elevata; quam ob causam Adolescenti Melibϙæ perpetuo cor palpitabat. Essentialiter autem afficitur cor à materia, nonnunquam flatulenta, quandoque aquosa, ut in casu præsenti, quo continuus est affectus, qui proptea à flatibus pendere nullo modo potest. Aquosa autem hæc materia in pericardio, dubio procul, collecta est; unde Pat. Cor veluti aquæ immersum se sentire profitetur. Neque Gal. latuit hic affectus ab hujusmodi causa, qui proinde motum hunc à vera palpitatione distinguens, ait. *Est & alius affectus. Palpitatio videlicet cordis, aut per se eveniens, aut cum significatione quadam; eo quod in humore cor ipsum moveatur; neq; enim*

enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipsum, ne attollatur, impediri possit; quippe in Animalibus dissectis vidimus plerumque plurimum humoris urinæ speciem referentis, in eo, qui ipsum involvit, panniculo contineri; ita & in Simia quadam à nobis post mortem dissecta, inventus est in ambiente cor tunica tumor præter naturam, humorem in se continens, qualem Hydatides emittere solent. Et licet Aqua hujusmodi naturaliter in pericardio contineatur, quæ à Columbo, Vesalio, Spigelio in Canibus nuper dissectis sæpius inventa fuit, reclamantibus licet Matthæo de Gradibus, Curtio, Lupejo, & Vega; in nostro tamen Pat. justo copiosior adest, ob potus immodicum usum, præsertim ex vasis oris inversi, cùm habeamus ex Hipp. quod, *Pericardii humor est particula illa potus, quæ non obstante Epiglottidis operculo, dum bibimus per asperam arteriam deducitur, quam postea cor per laves arterias trahit; cujus usus est ut cordi calido & æstuanti præstet auxilium.* Atque Hipp. subscripsit quoque Gal. his verbis. *Perspicuum quoque inde esse potest aliquam potionis particulam ad pulmones deferri; quod si quodcunque libuerit Animal ad eam sitim redegeris, ut coloratam Aquam haurire patiatur, & mox jugulatum ipsum dissecueris, colore eodem infectos pulmones habere deprehendes.* Neque obstat quod tussis necessario excitanda foret; namque ex eodem Gal. *Percolatur perpetuò per asperam arteriam in pulmones, ipsius potus tam exile quidpiam, ut protinus ab instrumentis raptum, per quam facilè quocunque distribuatur, absque eo quod spiritus vias exacerbet, & Animal ad tussim irritet; discendit enim per rimam tanquam per parietem.* Unde jure idem Gal. asservit quod, *Non solus Ventriculus sitibundos & minimè sitientes facit; sed viscera quoque in thorace contenta, nimirum Cor & Pulmo.* Facilius autem in nostro Pat. potuit in tracheam potus penetrare, ob inversa calycum ora; Lambitivorum enim ritu potius descendit, unde facilis in asperam arteriam illi aditus patet. Hinc copiosa in pericardio aqua collecta, nil mirum si cordis Jectigationes, pulsusque mollities & lenitas contingant, ut observavit Avic. prout & quædam spiritus coarctatio, intercepto libero Cordis motu; unde nativo ejusdem calore labefactato atque imminuto, ac proinde debili influente ad naturalia, imminuta depravataque secuta fuerit nutritio; ita enim & Simiæ à Gal. dissectæ, ex aquoso tumore, sicuti & Gallo, ex Scirrhoso macies paulatim succrevit.

Affectus hic vix certè sanabilis; cùm difficillimum sit copiosam aquam Pericardii, penitioris scil. nobiliorisque partis, exsiccare atque resolvere, hac potissimum senili ætate, atque habitu corporis à consueto laudabili declinante, nativi caloris cordis imbecillitatis indicio. Nihilominus non est deserenda curatio, cùm vires adhuc validæ sint, Patiensque Medicis præceptis obtemperans.

Prima itaque intentio sit, Aquam exsiccare. Secunda, flatus discutere. Tertia, spiritus vitales fovere & Corroborare; præmissa primarum viarum & totius expurgatione.

Atque à fonte Chirurgico parcissima sanguinis missio depromenda, ut Cordis æstus ventiletur, & totum corpus ad calidorum medicamentorum usum facilius disponatur. Cucurbitula etiam magna mammæ sinistræ sine scarificatione affixa proderit, cutis meatus patefaciendo, aquositatem ad superficiem attrahendo, eamque ad resolutionem disponendo; in quem finem rubificantia etiam in progressu applicanda.

Ex Pharmaceutico præcipua desumenda remedia, Lenientia scilicet, Præparantia, Purgantia, Aquam Educentia atque Resolventia, Flatus Discutientia, & Cor Roborantia.

Quoniam autem Pat. Nobiliss. medicamenta omnia sigillatim descripta desiderat; ideo Leniens sit.

℞. Elect. lenit. ʒ vii. Crem. Tart. ℥ s. spec. hieræ s. ℈ j. m. f. b.

Vel ℞. Pot ex Man. clarif. ℥ vi. Aq. Cinnam. ℥ s. m. f. p.

Præparans erit ℞. Oxymel. s. mel. ros. s. an. ℥ j. s. Aquæ Cinnam. ℥ s. m. pro syr. & sic pro aliis quinque. Inde purgans sit hujusmodi.

℞. Elect. lenit. ʒ vi. Magist. mechoac. ℈ s. Magist. Julap. gr. vi. spec. hieræ s. ʒ s. m. f. b.

Vel ℞. Pot. ex man. clarif. ℥ vi. addita inf. consuetæ rad. Ireos, sambuci ana ℥ j.

Inde, licet materia evacuanda aquosa sit, nova præparatio non omittenda, & quidem ratione causæ antecedentis.

Quare ℞. Oxymel. comp. syr. de Hyssopo, de Prassio an. ℥ s. decoct. cich. hyssopi, prassii, farf. meliss. Botrid. ℥ v. m. pro syr. & sic pro aliis; quarto tamen quoque die, aliquod Hydragogum præbendum levius, atque suavius, ut pluries repeti possit, absque virium & nativi caloris offensa; quale erit succus rad. samb. ad ℥ j. in vino albo, vel decoctio ejusdem pariter in vino albo; vel Aqua ex eadem rad. destill. ad ℥ ij. vel iij. in vino albo generoso; sic Magist. mechoac. ad ℈ j. Ref. bol. cum lenit. placidè namque purgat, & absque ulla ventriculi læsione. Post autem hujus repetitum usum, ad aliquod validius semel exhibendum deveniatur, ut

℞. Extract. Esulæ ʒ s. Magist. Mech ℈ s. Pil. Aleph. ℈ j. m. ref. & exhibeatur quatuor horis ante cibum; sequenti verò die, Theriaca mediæ ætatis, ad cordis roborationem.

Inter aquam resolventia atque educentia, primum locum obtinet decoctum exsiccans, sed cum sudore, ut sensibiliter & insensibiliter Aqua in pericardio exhauriatur; erit autem hujusmodi.

℞. Ligni Guajaci cum cortice, Ligni rorism. rad. Enulæ an. ℥ j. Ligni sassafras ℥ s. Aq. meliss. ℔ ij. borrag. farf. an. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimidii, & colatura servetur po tribus vicibus, matutino tempore, hora una ante sudorem exhibenda, cui præmittatur pulvis viper. ad gr. xv. vel xx. Sudor autem proliciatur in hypocausto paulatim, ut sit cum tolerantia, cui insistendum 40. diebus.

Si his res benè succedat, pergat Pat. 20. adhuc diebus in usu pulv. vip. in Aq. Card. Sancti; secus verò, sudore non juvante, confugiat ad Aq. Aponitanas sulphureas, primis diebus dejectorias, postea diureticas; quæ licet profuerint, non tamen his absolvenda curatio, sed diureticis insistendum. Quare inscio Pat. præbeatur quotidie Urina pueri destill. ad ℥ vi. vel vii. cum gutt. xv. spir. Tart. rectif. cui præmittatur bolus ex tereb. Cypr. lota in Aqua Capill.

Ven.

Ven. ut efficacius, & pectorale evadat medicamentum. Quibus nisi cedat affectus, jure insanabilis judicandus, naturæque quies concedenda; repetitis tamen alio tempore jam antea usurpatis.

Interim flatus discutientia adhibenda, ut rotulæ ex ol. cinnam. vel quinta essentia Rorismar. quæ præstantissimæ. Item Cor roborantia interna, ut Diambra, Diamosc. Theriaca, Mithrid. confect. & à proprietate Cor Simiæ assatum & pulveriz, ex Rhasi, in Aqua Cord. Sax. Externa verò, ut Ther. antiqua aceto & succo Cic. dissoluta, panno purpureo illita, & cordis regioni admota. Ol. succini Cordi illitum, præsertim verò oleo de Scorp. mistum.

Quibus accedat victus ratio, attenuans quidem, sed non tenuis, habita ratione, & morbi diuturni, & virium, ætatisque Pat. cui integram valetudinem precor. *Idem ibidem.*

Cordis Palpitatio.

Distensionem & subsidentiam p. n. in corde, Puerum hunc per intervalla affligentem, vera quin sit cordis palpitatio, haud dubitamus. Et licet motus quoque tremulus, palpitationi similis cordi competat; ille tamen à vera palpitatione excluditur, utpote à pauco tenuique spiritu proveniens, vel ab aqua in pericardio, quæ nusquam à Gal. legitimæ palpitationis causa admittitur, quidquid dicant Paul. & Actuarius. De Puero itaque hoc verba facturi credimus, non per Idiopathiam, sed per sympathiam à ventriculo, & forsan etiam à liene palpitationem fieri; dum ex quotidianis repletionibus vapor crassus, turbidus & flatulentus à cruditatibus, per arterias ad cor elevatur, partes concavas ejusdem replet, difficulterque difflatur, & resolvitur; unde palpitatio, quæ non ita citò fieret & evanesceret, producta à quolibet succo, nec fieri posset à pauco & tenui flatu; quia facilè per corpus transflueret. A crasso itaque, & multo flatu excitatur; unde calefacientia, & spiritus attenuantia palpitationes tollunt, quia cujuscunque ortus ex frigido est.

Affectus autem hujusmodi quantò celerior, tantò tutior erit curatio, antequam scilicet cor imbecillius reddatur, metu ne essentialis evadat, aut sanatus, declinante ætate, denuo invadat; tunc enim omnes intra 40. & 50. annum pereunt, aut acuta febre, aut syncope extincti, vel ad summum Antipatri annos attingunt.

Certè itaque sanabitur, si congrua præscripta & servata victus ratione, materia in partibus naturalibus hærens evacuetur. Ventriculi intemperies frigida alteretur, flatus discutiantur, & revellantur; tandemque cor roboretur.

Adolescentes autem & adultos, sanguinis detractione non solùm se præservasse, sed & liberasse gloriatus est Gal. quoniam evacuato sanguine pituitoso & melancholico, minera veluti flatulentæ materiæ, cor præservari, ac promptius ventilari contingebat.

Dubium verò, an ob ætatem, habitus gracilitatem, & forsan etiam raritatem, liceat ad generosum adeò auxilium accedere. Quo casu nos tutius procedentes, venas sedales aperiendas censemus, & sanguinem ad semilibram extrahendum, cùm potissimum tumeat lien; idque solùm peracta prima præparatione & expurgatione. Si verò contumax, quod non speramus, perstiterit affectus, Cauterium coxæ sinistræ inurendum foret. In accessionibus cucurbitulas laudamus, cum Avic. coxis, imò & visceribus naturalibus, potissimum lieni applicitas, prout non placent dorso, ut Rhasi, nec regioni Cordis, ut Gal. & Zacuto, nisi in essentiali sola. Conferunt quoque ligaturæ, lotiones calidæ, clysteres, & hujusmodi alia.

Evacuabunt lenit. cum hiera, vel mel. ros. sol. cum manna, & decoct. sem. citri. Præparabunt syrup. de cortic. citri, Julap. acet. vel oxymel. cum aqua cinnam. absque diluto. Purgabunt verò hiera cum diacath. vel inf. Agar. Rhab. & sennæ, cum melle ros. sol. Repetatur postea præparatio visceri obstructo accommodata, ut & purgatio. Solent præterea conferre pil. mastich. alephang. & aggreg. Et quia Puer est, facilè usurpari poterit extractum sennæ, polyp. mastic. correct. Purgatione peracta, si fuerit obsequens Puer, aqua Tettuciana, quatuor aut quinque vicibus, alternis diebus exhibita, ex usu erit, cum vehiculo mannæ. Omnino autem assumat per mensem jus columbæ alteratum china, sassafras, ligno tamarisci, melissa, & fl. citri.

Dum hæc omnia fiunt, discutientia flatus semper proderunt, ut confectiones ex troch. de gallia mosch. ol. anisor. vel citri, vel cinnam. Sic Diambra, Diamoschum, cochlear. aq. cinnam. vel aq. vitæ juniper. Et tandem roborando cordi placet Matth. quinta essentia rorismarini, aut cinnamomi. Serapio verò & Avic. usum melissophylli ad sidera extollunt. Paracelsus gutt. j. extract. croci, cùm cochleari aquæ vitæ; vel ol. succini ad gutt. ij. in aqua flor. citri. Nos verò sæpè usi sumus semicyatho aquæ melissophylli, vel borrag. in qua crocus fuerit maceratus, mane frequenter sumpto; & extrinsecus illinimus regionem cordis balsamo, aut ol. de scorp. Matth. Quæ omnia frustra administrabuntur, nisi congruæ innitantur victus rationi, ex præscripto Excell. Adstantis. Quibus ut Deus adsit, & faveat, enixè precamur. *Idem ibidem.*

Cordis Palpitatio, cum Melancholia.

Virginem Nobilissimam, 18. annorum ab Excellent. Viro descriptam, jamdiù, imò ab ineunte ætate melancholicam fuisse, mœrores tandem cum lacrymis confirmarunt. Hujusmodi verò melancholiam, sicut in hypochondriis delitescere non ambigo, ob frequentes vomitus aquosæ & viscidæ pituitæ, cum levamine à vomitu, & forsan cum copiosis rugitibus; ita progressu temporis mineram quoque in toto & utero coacervasse credendum; prout ex fusco colore, & mensium imminutione secuta facilè conjicere est. Cordis autem palpitatio eandem itidem jamdiù fatigans, an motus sit completus ex distensione & subsidentia, an potius tremor, ac sola trepidatio cordis, valdè dubito; vera namque palpitatio non adeò forsan carnosam Nobilem hanc Virginem hucusque afflixisset. Melancholicam verò passionem ex obstructionibus hypochondriorum ortum duxisse certò exi-

existimandum, & potissimum sinistri, quod cùm plurimis constet arteriis, ad crassi & melancholici sanguinis attenuationem perficiendam, per easdem quoque facilem aditum fumosi, crassi & melancholici vaporis ad cor colligere possumus, qui exitum tentans, nec adeò facilè inveniens, cordis veram, aut spuriam palpitationem inducit; non enim ab ullo humore, aut tenui spiritu fieri unquam potest, ut considerat Gal. A fumis autem & halitibus ejusdem crassæ materiæ capitis dolorem fere continuum, sicut à sanguinis crassitie mensium diminutionem pendere nulli dubium, prout febres à crudis humoribus, in cavis viscerum aliqua bilis portione mistis, putrescentibus fuisse excitatas.

Sunt equidem affectus non adeò facilis sanationis, cùm altas, imò naturales radices fixas habeant, nec menstruis erumpentibus cesserint; attamen salus non desperanda, tum quia imminutas purgationes modo medicamentorum ope speramus processuras, cùm sanguis ille resiliens in cor, fatuum illud reddens, melancholias augere soleat, ac proinde cordis & capitis affectus; tum quia non exiguam, ex Hippocrate spem nobis facit futurum connubium, atque concubitus.

Medici interim munus fuerit, melancholicam mineram, tum in hypochondrio potissimum sinistro, tum in toto hærentem exhaurire, menstruis vias patefacere, in accessionibus flatus discutere, & Cor roborare.

Tempore itaque medio inter menstruas purgationes, sanguis à mediana sinistri brachii educendus; mox sub finem consuetæ purgationis (si imminuta fuerit) saphena aperienda; non enim alio tempore & adolescentes, & adultas missio sanguinis semper juvit, Gal. observatione, qui hac sola multas quinetiam præservatas fatetur. Frequentes adhibeantur pedum lotiones, simplici aqua calente. Fonticulus coxæ sinistræ inuratur, occluso, qui in dextera est.

Præter jam administrata, insistendum primò aperientibus & contemperantibus, quibus tamen libenter præmitterem aquam Tettucianam, cum vehiculo de more sumptam; mox probatur usus succi cichorii depurati ad ℥iv. in decoctione cichoraceorum, additis cyclamine, tamarisco, agrimonia, capil. Vener. recen. aut artemisia; cui si addatur etiam fumariæ succus depuratus, efficacior foret ad massam sanguinis depurandam, & lienem deobstruendum. Præsentis usus etiam fuerit ʒj. Rhabarb. maturi, infusa in prædicto jure alterato, alternis diebus exhibenda, ita ut xv. aut xx. dies alternatim, succi, & rhabarbarum infusum assumantur.

In accessione etiam palpitationis, & extra eandem quoque, ob affectum melancholicum, domi præstò sint aliqua suaviora cardiaca discutientia, ut aqua cinnamomi, vel aqua totius citri, cum guttulis olei de citro, aut caryophillorum, vel cum portiuncula aquæ theriacalis: aqua item Scorzoneræ, cum elixir vitæ. Juvat à proprietate aqua succini, cum Marcello. Sicut extrinsecus ex Andernaco plurimùm pollet camphora supra cordis regionem continuo gestata. Vinum ligno viridi rorismarini, & recentibus foliis melissæ medicatum, utile fuerit ad mensam.

His omnibus congrua victus ratio addatur, ut optata salute potiatur, quam illi à D. O. M. precibus efflagitamus. *Idem ibidem.*

Syncope.

Illustriss. Vir 35. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & humidi, plethorici habitus, liberalius vivens, & copiosiori vini potui potissimum indulgens, ventriculum à naturæ primordiis exquisito adeò sensu præditum sortitus fuit, ut à teneris annis, dum eduliis vel acrioribus, vel calidioribus uteretur, in ejusdem dolorem incideret, & quidem frequentius usque ad exolutionem, animi deliquium, nonnunquam etiam ad Syncopen usque; quod tamen adhucnum accidit ex acribus & valdè calidis assumptis. Cùm autem multis jam annis frequenti narium hæmorrhagiæ assuetus fuisset non sine luculento juvamine, eadem hoc anno omnino suppressa, paucis abhinc mensibus, citra ullam quinetiam causam externam, derepentè exolutus est, cum Asphyxia, extremarum partium refrigeratione, & sudoribus frigidis, crassis & oleagineis. Facies initio quidem rubet, venæque oculorum sanguine turgent, cum aliqua spirandi difficultate; mox tamen pallescit, plumbeumque colorem induit, cum præcipiti virium omnium lapsu. Restitutus verò, auxiliis facultatem excitantibus ab Assidentibus administratis, de virium oppressione, cum quadam spiritus suffocatione conqueritur, adeò ut ægrè incedere, minusque acclivia loca conscendere possit. Quare Medici familiares acciti, nos quoque quid facto opus consulunt.

Affectus, quo corripitur Nobiliss. iste Vir, Syncope, propriè dicendus est, cùm præceps fiat virium omnium lapsus; cujus nullum hic desideratur signum, cùm non sensus solum & motus perturbentur, ut in Exolutione, nec aboleantur solùm, ut in animi Deliquio; sed statim concidant totius corporis vires, tum Animales tum Vitales, cum asphyxia & abolitione pulsus, insigniter læso corde, & extremarum partium perfrigeratione, atque pallido, imò plumbeo corporis colore, recurrentibus spiritibus cum sanguine ad interiora, & manantibus sudoribus frigidis, crassis atque oleaginosis, Syncopticis dictis ex propria substantifica partium humiditate resoluta provenientibus, ad differentiam sudoris Diaphoretici, qui à colliquatione humorum procedit. Atque idem prorsus affectus ab ineunte ætate Pat. post acria assumpta invasit, licet à diversis causis; quamvis enim Cor semper in Syncope lædi necesse sit, quod non accidit in exolutione, & animi deliquio, quibus pulsus nihil immutatur, à qualibet offensa prorsus immunis; attamen lædi potest, vel essentialiter, vel per consensum, & quidem, præsenti casu, per consensum lædi, & jam læsum fuisse censemus olim à ventriculo. *Nulla enim pars nostri corporis adeo exquisitum sensum habet, nec adeò facilè in consensum trahit utrunque principium, nimirum Cor & Cerebrum, ac os Ventriculi*; præsertim verò in hoc Pat. qui ejusdem exquisitissimo sensu à natura donatus est, unde facilè quoque ab acrium & calidorum usu dolore, animi deliquio & Syncope eundem affici contigit. In præsens autem consensum à toto venoso genere suscipere credimus, à sanguine

guine nimirum multo & crasso, venarum & arteriarum interceptionis atque occlusionis causa; de qua Gal. cum Hipp. *Quod autem quis repentè obmutescat, id venarum interceptiones occlusionesque faciunt; oriuntur siquidem Epilepsiæ, Apoplexiæ, Syncopes Cardiacæ, Aphoniæ & Asphyxiæ. Cùm enim spiritus jam in corde geniti per corpus diffundi non possint, simul in corde cum facultate vitali suffocentur*; ipsos nimirum intercipiente copioso & crasso sanguine in corde, non adeò expeditè suum motum circularem ibi peragente. Neque hæc signis confirmari opus est, plethoricum enim, plurimoque sanguine redundat totum corpus, cujus causa rubet faciei color, & turgidæ oculorum venæ apparent, necnon oppressa, & ferè suffocata natura, etiam extra accessionem vires imbecilles observantur.

Copiosum autem sanguinis proventum semper fovit vitæ liberalis ratio, & potus copiosioris usus; sicut, & multo magis, suppressa multis abhinc mensibus frequens & copiosa consueta narium hæmorrhagia, quæ hucusque Pat. Illustriss. à Syncope aliisve affectibus vindicavit.

Syncope autem est acutissimus morbus; cùm sit mortis imago, quinimò morti quam proximus; unde, *Qui frequenter, atque fortiter, absque causa manifesta exolvuntur, derepentè moriuntur.* Attamen quoniam tunc loquitur Hippocr. de Syncope essentiali, ideò dictorum reddens rationem Gal. dixit, *Quia adest virtutis vitalis imbecillitas.* De qua & Paulus quoq; hæc habet, *Cor primaria affectione affectum medicorum auxilium non admittit*; citam enim mortem inducit, ideo non adeò desperanda salus, si protinus Pat. Illustri propria medica auxilia præsto fuerint. Hinc Aretæus sedulò agendum esse consulebat, natura enim resoluta instaurabilis est; & mortis periculum in unaquaque accessione imminet.

Quare præservationi statim incumbendum, causis occurrendo, quarum sicut immediata semper est spirituum defectus; ita mediatæ possunt esse defectus productionis, dissolutio, corruptio, vel suffocatio; quam postremam, tanquam magis urgentem, primò expugnandam suscipimus, dissolutione postmodum ob exquisitum sensum ventriculi, à nobis præcavenda & inhibenda.

Et quoniam suffocatio à copioso sanguine crasso, venas replente & naturam ipsam opprimente procedit; ideo statim, injecto clystere, sanguis est ex jecoraria vel mediana copiosè educendus, quod & ipsa vigente Syncope præcipit Hipp. ipse. Neque unica missio sat fuerit, sequenti die propterea repetenda. *Habitus enim cùm ad extremum bonitatis devenerint, statim solvere expedit.* Quinimò singulo mense repetenda hæc fuerit, ut suppressam hæmorrhagiam suppleamus, & eadem opera Cardiacas affectiones arceamus.

Et quia Hipp. cum Gal. Sanguis crassi ratione habita, calida fomenta adhibuit ad eundem fundendum atque liquandum; ideo aliqua interna ejusdem facultatis & à nobis exhibenda. Præbeatur itaque, post sanguinis eductionem, mulsa acetosa quodie summo mane, vel per aliquot dies ad mensam; mane verò exhibeatur oxymel. aqua hordei dissolutum, & quolibet quarto aut quinto die Crem. Tart. uncia in jure Cort. Cit. alterato præbeatur; quibus ab accessione præservari poterit Illustr. Pat. & quidem facilius, si Cordi quoque aliquam corroborationem addamus, quibusdam suavioribus, cujusmodi sunt Aqua Buglossi ad cyathum, mane sumpta, & Julapium ita paratum.

℞. Vini albi dulcis ℔ j. Aq. Ros. ℥ iij. Cinnam. contusi ʒ ij. Myrob. Citr. ʒ j. m. includantur linteo, & bulliant, additis Sacch fin. ℥ iv. ad Julap. consistentiam, cujus duo cochlearia mane & serò assumenda.

Ventriculo quoque opitulandum, nimium sensum ejusdem obtundendo, & eundem roborando. Primum præstabunt remedia calorem nativum minimè labefactantia, & potissimum, cùm præservatio in manu Pat. posita sit, ab acribus & valdè calidis abstinendo. Sufficiat igitur nonnunquam potus, summo mane Aquæ Lactucæ, vel Juris Lactuca alterati, in quo duæ, aut tres Diacodii Rotulæ fuerint dissolutæ; sub ingressum verò lecti Lactuca condita abundè proderit; sicut quandoque eidem roborando Conserva Rosar. cum Diarrhod. Abbatis, in comessationibus prima mensa hausto cyatho Aq. frigidæ. Quæ pro præservatione, satis.

Quod si jam dictis frustra adhibitis, recrudescat accessio, spiritus fovendi; virtus excitanda; & spiritus suffocati foras revocandi.

Prima intentio citissimam instaurationem requirit; quia præceps est virium casus. Inter alimenta autem celerrimè nutrientia est vinum odoriferum; unde Aretæus in solo vino, refrigeratis spem vitæ positam asserebat. Præbeatur itaque Aqua frigida dilutum; spiritus enim resolvi prohibet, cogit humores, & eorum dissolutionem arcet, roboratque ventriculum, cùm meracum vires imbecilles feriat. Vino autem succedat aqua carnium Cinnam. aromatizata, jus pulli instaurans, & hujusmodi. Verùm quoniam & odoribus spiritus refocillantur; ideo naribus odorata admovenda, ut Aq. Ros. cum Cort. Cit. Aqua flor. Citri, Acet. cum Caryoph. Aqua Cinnam. Moschus Ambra, & similia, quibus facies ubertim irroranda & tempora illinenda.

Secundò Facultas Vitalis & Animalis excitandæ, sanguinem & spiritus ad partes externas attrahendo; quod præstari poterit cucurbitulis, extremis partibus appositis siccis, & repetitis frictionibus asperis, totius corporis concussionibus, acclamationibus, vociferationibus, pilorum evulsionibus, & picationibus infernarum partium.

Tertiò quia à suffocatione Syncope dependet, spiritus foras, revocandi, iisdem mox propositis remediis, additis aliis internis & externis. Inter interna Aquæ Theriac. Aq. tot. Cit. mistæ cochlearia infundantur. Sic Aqua Cord. prima præclariss. Saxoniæ. Oleum Cinnam. ad gutt. ij. in Aq. Melissæ; vel Quinta essentia Rorismar. Extrinsecus cucurbitulæ siccæ. Frictiones extremorum, Madefactiones Vino malvatico, vel Spir. Vini caryophyllati. Cordis inunctiones, Oleo de Scorp. Matth. cum Trochiscis de Gallia Mosch. succo Cit. dissolutis.

Animadvertendum tamen, quod quando Syncope ab offensa ventriculi procedit, non conveniunt spiritus evocantia, sed eosdem potius ad Cor propellentia, ut aspensio Aquæ fri-

gidæ in faciem, vel Rosaceæ, vel etiam vini albi austeri.

Quibus aliqua circa victus rationem potissima addenda. Caveat igitur ab usu, & potu acrium & calidorum. Secundò compotationes fugiat, & parcius in mensa bibat. Tertiò alimentis plurimum sanguinem gignentibus, & valdè nutrientibus rarò vescatur. Præterea corpus exerceat, imò fatiget. Vigiliæ potius quàm diuturno somno indulgeat. Sanguinem, ut dictum est, frequenter sibi detrahi permittat. A negotiis nec nimis abstineat, nec nimis incumbat. Quæ omnia Sapientissimæ directioni Excell. Virorum libenter committimus. *Idem ibidem.*

Pulsus Intermittens.

Quinquagenarius Vir, temperamenti totius calidi & sicci, gracilis habitus, frigidis potibus assuetus, & cibis pariter frigidis, humidis ac lenti succi usus, cum post febrem diuturnam biliosam spuriam, omnino liberæ vivendi rationi se tradidisset, quindecim abhinc diebus pulsus intermissionem passus est, & quidem unius pulsationis, modo post quinque, modo post septem; quæ superioribus hisce diebus adaucta est; siquidem & in unica pulsatione aliqua inæqualitas observatur, licet pulsus magnus, satisque validus, & vehemens sit. Nulla adest spirandi difficultas, nullus stertor, nec fluctuationes aut borborygmi in abdomine percipiuntur; sed solùm in pectore inæquales quædam pulsationes, cùm obscuro spiritus defectu, & brevi lipothymia. Et licet affectus hic ipsius vitæ in præsens incommodare non videatur; ejus tamen causam sciscitatur à nobis Pat. opem, si opus fuerit, imploraturus.

Affectus, qui Virum Patientem detinet, est pulsus inæqualitas, cum intermissione, quæ non solùm systematica est, sive composita, quòd scil. acervatim, & post multas pulsationes observetur; verùm & in una eademque pulsatione percipitur. Symptoma in actione pulsifica, sive Vitali imminutè læsa, dependens non ab imbecilli & dissoluta Facultate; quoniam pulsus magni & vehementes sunt, sed à morbo in via; cùm proxima & immediata causa sit angustia lævium arteriarum, vel ab inflammatione, vel à viscido & lento humore, vel à tuberculi præsentia. In casu autem nostro, ab inflammatione fieri non potest, quia omnino febre vacat; non à frigidis & lentis humoribus; quia non ordinata, nec semper eadem foret pulsus intermissio; prout non semper eadem perdurat pituitosorum humorum copia atque qualitas; cùm pulsus magnus, validus satis, atque vehemens vigeat. Flatus quoque hypochondriacos læves arterias comprimentes excludimus, ut melancholicis hypochondriacis nonnunquam evenire solet; quoniam in hoc Patiente flatus in abdomine, & murmura, nec antea, nec in præsentiarum observata sunt. Quare reliquum est, ut tuberculum causam angustiæ necessario constituamus, à sanguine crudo atque glutinoso succo referto, ob pravam vivendi rationem, & à caliditate totius & jecoris incrassato, obdurato, & à gelido potu concreto; quod quia in dies semper majus incrementum suscepit; ideo & major evasit inæqualitas. Nulla autem adest respirationis læsio, nullusque stertor; quoniam cum per asperam arteriam potissimum, & ejus ramos fiat respiratio, arteria autem venosa nunquam sit vacua, sed sanguine redundans, respirationem impedire non potest, nisi adeò obstructa fuerit, ut compressione, asperæ arteriæ affectum impertiatur. Sic Antipatro Medico, nonnisi sex mensibus elapsis levis quædam spirandi difficultas suborta est, quia paulatim adaucta, & decimoquinto die difficillima reddita resolutus statim obiit, quia tuberculum, in amplam molem elevatum, asperam quoque arteriam comprimere potuit, tantamque angustiam inferre, ut aëri intercluso aditu, eundem suffocaverit.

Inter pulsus inæqualitates intermissio est omnium periculosissima, quæ fit cùm distensionem interpellat quies; ut propterea pulsus abolitus tunc sit, adinstar Veterni, aut Apoplexiæ cujusdam; quod enim cerebro, idem propemodum & cordi contingit; atque, sicut *Solvere Apoplexiam fortem impossibile; debilem verò non facile*; ita quietem pulsuum diuturnam tollere impossibile fuerit, brevem verò non citra negotium. Diuturna autem est, quæ excedit duorum pulsuum spatium; brevis verò, quæ intra duos pulsus manet; omnium incommodissima, quæ in uno pulsu contingit, & qua pulsus parvus, & languidus est. Quare hoc casu, cùm inæqualitas quæ ab initio Systematica fuit, etiam in uno ictu tandem apparere cæperit, gravis est affectus, in dies quinetiam semper ingravescens. Nec obstat, quod scribit Gal. *Juvenes magis, minus pueros, minimè senes in periculum adduci*; cùm in hoc Viro tuberculum causa censeatur, difficillimè superandum, imò ut plurimùm insanabile. Intereunt autem suffocati, aut suppuratione, aut citra eandem, & citius cum tussi quàm absque eadem, quia citius suppurant. Quare verendum ne patiens iste, Antipatri exemplo, pereat.

Agendum itaque omni conatu, ut totius habita providentia, tuberculum per attenuantia & exsiccantia absumatur.

Et in Chirurgico fonte, duobus casibus convenire posse videtur sanguinis missio. Primò ad inhibendam tuberculi suppurationem. Secundò ratione causæ antecedentis, dum totum sanguine abundat; præsenti tamen casu, admitti tantummodo posset aliqua parca ex venis sedalibus evacuatio, ut quæ magnum cum pectore habeant consensum. Cauteria locum non habent, cùm sit remedium præservativum.

Ex Fonte Pharmaceutico desumenda remedia Lenientia, Præparantia, Purgantia, & tuberculum Exsiccantia. Leniens tale esse poterit.

♃. Spec. hieræ simpl. ʒ j. Elect. lenit. ℥ j. m. f. b.

Vel ♃. Syrup. rosl. mell. rosl. sol. an. ℥ iij. Elect. lenit. ℥ ſ. Aquæ melissæ q. ſ. m. f. p.

Prima præparatio erit hæc. ♃. Oxym. simpl. ℥ j. Syr. de hyssop. de prassio an. ℥ ſ. Decoct. farf. urticæ, porri, iridis, brassicæ, helenii, ℥ v. m. pro syrup. & sic pro aliis. Præparati humores ita purgentur.

♃. Elect. lenit. diacath. diaphœn. an. ʒ iij. specierum hieræ Gal. ʒ j. m. f. b.

Vel ♃. Agarich. troch. ʒ ſ. fol. sen. recen. ʒ ij. Cinnam. integri ʒ j. Aquæ farfar. q. ſ. m. f. Infus. per noctem; & expressioni adde syr. rosl. sol.

sol. mell. rof. fol. an. ℥iij. m. f. p. & tribus post horis, præbeatur mulsa bibenda ad ℔j. f. & duabus horis ab ea prandeat.

Secunda præparatio sit instituenda, ℞. Oxymel. squil. ʒj. Syr. de prasio, de helenio an. ℥ſ. Decoct. prasii, hyssopi, sem. urticæ, tabaci, Ari. ℥v. m. pro syr. & sic pro aliis. A quibus hæc præscribatur purgatio.

℞. Elect. lenit. ʒv. Elect. diaph. ʒij. Pilul. de hiera cum agaric. ʒj. m. f. b.

Vel ℞. Agaric. troch. ℥ſ. Cinnam. integr. ʒj. Aquæ pulmon. q. ſ. m. f. Infuſ. per horas xii. deinde fiat colatura, & expressioni adde syrup. rof. solut. decoct. epith. Meſ. an. ℥iij. m. f. p. à qua præbeatur mulsa; ut supra.

Dum hæc omnia fiunt, prima mensa prandio, & cœna, sumat Patiens hujusmodi pilulam attenuantem & exſiccantem.

℞. Ammoniac. ℈. flor. sulph. ℈ſ. m. reformetur pilula cum spir. vini.

His peractis, aliquod valdè attenuans & resolvens in usum ducendum, quale esse poterit jus galli antiqui, flagellati, exenterati, vino malvatico loti, & modicè saliti, ita parandum.

℞. Ligni guajac. cum cortice, salsæ elect. ℥j. Sassafras ℥ſ. Aquæ betonicæ, farfaræ an. ℔ij. m. f. Infuſ. per horas 24. deinde adde quartam partem jam dicti galli, rad. helenii ℥j. prassii pulegii, calament. an. p. i. m. bulliant ad consumptionem dimidii, & colatura servetur pro tribus vicibus; matutino temporo præbenda; cui præmittatur bolus hujusmodi.

℞. Terebinth. Cypriæ lotæ in aqua farfaræ ℈ij. butyri sulsph. Iridis Florent. an. ℈ſ. m. cum oxymel. squillit. q. ſ. refor. bol. ij. & aur. in cujus usu persistendum ad 30. vel 40. dies, qualibet hebdomada præscribendo pilul. de hiera cum agaric. & flor. sulph.

Huic præstantissimo remedio succedit alterum, non minoris efficaciæ, valdè attenuans atque resolvens: Aquæ nimirum Aponit. sulphureæ, primis diebus cum vehiculo dejectorio, postremis vero diuretico, per xii. dies assumendæ; atque in horum usu, non omittenda lambitiva, nec suffumigia ejusdem facultatis. Lambit. sit oxym cum gutt. olei sulphur. Vel oxym. squil. si tolerari possit. Parentur pariter totulæ Diaireos cum oleo anisorum, ore detinendæ. Suffumigia verò præscribantur ex styrace, benjuino, myrrha, thure.

A proprietate verò juvare dicuntur Troch. de Vipera ad omnes occultos abscessus, cum aqua scabiosæ, & potissimum ad tuberculum. Sic & aqua ex succo bryoniæ parata, cum spir. vitrioli, vel ol. sulph. ad cochlearia.

Victus rationem quod spectat. Aëris mutatio convenientissima, maximè ad siccum, & ad sulphureos halitus inspirandos. Cibus pariter sit exſiccans, & potus parcus Vini tenuis substantiæ, sassafras alterati. Somnus sit moderatus; vigiliæ namque exſiccant & digerunt, unde vigilia vorax. Corpus exerceatur, & frequenter assumat pilul. de agaric. cum Iride & sulphure; atque alacri & constanti animo degat. *Idem ibidem.*

Pulsus interceptio cum difficultate spirandi in Hypochondriaco.

Vir Præstantissime. Patiens Reverendissimus annorum sex. ginta septem, staturæ mediocris corporis habitus plethorici, valde carnosi, potius obesi, temperamenti cùm totius, tum jecoris calidioris, excrementis capitis, sudori copioso obnoxius atque expurgationi per nares mucosæ materiæ, quæ hoc anno valde imminuta sunt: pluribus pro temporum varietate ægritudinibus subditus fuit, hypochondriacis nempè ac nephriticis cum arenularum ac sabuli rufi perenni excretione, à quibus si non sanatus, saltem levatus est, aqua inprimis Tettuciana pro priori affectu exhibita, ac familiari usu succi limonis. His affectionibus quibus in viridiori ætate torqueri cœpit, tertia adjuncta est, videlicet febricula quæ Patientem quinquagenarium aggressa est, ex indolenti mesenterii abscessu dependens, quo dirupto copiosaque purulenta materia excreta, convaluit. Sed interim aliquot abhinc annis singula Æstate de quadam coxæ crurisque dexteri stupiditate, ac genu pedisque intumescentia cum dexteri, tum sinistri lamentabatur, quæ tamen incipiente Hyeme evanescebat. Præterita Æstate parum vel nihil hujuscemodi fluxiones Patientem torsere. Demum labente Autumno, ex immodico exercitio atque insolatu incalescens, postea frigescens, in rheuma molestum incidit, ex quo copiosæ excreationes, ut plurimum liquidiores, raro crassæ, cum manifesto sensu decurrentis fluxionis per faciei musculos & verticem capitis, quibus statim anhelitus difficultas successit ultra naturalem morem, quæ quidem in dies invalescit, sine stertore tamen, cum ambulandi impotentia, præsertim per acclivia. Quæ considerans Patiens Reverendissimus Medicum quendam consuluit, ut sibi prospiceret, ex cujus mandato potionem ex manna ac melle rosato solutivo sumpsit, inunctiones etiam & julapia, sed frustra: pannis quinimò lineis calefactis pectori applicitis morbum depellere tentavit, sed potius adauxit; quamobrem me accersivit, ut ipsi opem ferrem, in consilium quinetiam accito Præstantissimo Collega. Interim observavi Virum alioquin prudentissimum, mœstum, timentem, quandoque plorantem de frequenti evaporatione conqueri, quam è dextero elevari hypochondrio ad pectus persentit, ibique expandi & musculos perstringere, quod tamdiu, quàm noctu contingit: vigiles ducit noctes, facile enim in somnum incidit, sed illico ab evaporationibus quas ascendere sentit ad fauces, excitatur; unde de quadam oris siccitate sæpius conqueritur. Facilius erectus spirat: super latus dexterum difficilius decumbit: alternis noctibus magis torquetur. Quamobrem sæpesæpius è lecto surgere cogitur: rugitus in abdomine patitur, ructus per superiora, per inferiora crepitus: palpitationem cordis quandoque perpessus est: non febricitat, febrientium tamen similes pulsus obtinet, celeres, frequentes, vibratos, intermittentes, inæquales, non in unica tantum pulsatione, sed systematice & quoquo pacto duriusculos: non tussit: aliquando magna vi è pectore materiam educit ad instar grandinis albescentis: faciem habet optime coloratam: parum vel nihil expuit: cauterium gestat in sinistro brachio satis floridum: parum mingit; urinæ sunt sabulosæ & rufæ: fæces biliosæ; sanguis ad nigrum vergit, fibrosus

sus est, nec multum serosus. Talis est Patientis status.

Responsum. Ex accuratissima relatione à Viris Excellentissimis mihi transmissa facile deducere possum, Patrem Reverendissimum olim hypochondriacum, in præsens melancholicum quoque redditum esse, ad summum præterea eadem affectione hypochondriaca evecta, ut sat superque demonstrant copiosiores rugitus, erumpentes flatuositates, diaphragmatis compressiones, cordis palpitationes, in caput evaporationes, timores & mœrores insoliti cum fletu. Verum non adeo facilis mihi, sicut nec Viris istis Excellentissimis evadit cognitio alterius symptomatis, difficilis nimirum respirationis ejusque causæ: etenim & ego cum iisdem Sapientissimis Viris haud facile ducor ad credendum spirandi difficultatem asthmaticam, minusque orthopnoicam esse, ab angustia asperæ arteriæ provenientem, cum de stertore qui in bronchiis excitari solet, nulla mentio fiat: præterea cum sputa viscida & lenta per tussim non excernantur, sed tantum aliquando crassa ad similitudinem grandinis, nec tamen copiosa. Et quamvis ab initio intumescentiæ musculorum, faciei, & inde in pectus destillationes observatæ fuerint, quæ tunc temporis aliquam quoque spirandi difficultatem excitare potuerint, hanc tamen cessisse credendum, dum quoque cessarunt catarrhalis ejusdem materiæ præsentis indicia; quare difficilem spiritum potius, quàm respirationem, ad differentiam Orthopnœæ & Asthmatis, intelligentiæ & Curationis gratia, licebit nobis cum Hippocr. affectionem hanc appellare, cujus causa non in asperis, sed in lævibus arteriis reponenda erit; hujus autem sufficientissimum indicium esse potest pulsus non in una tantum pulsatione, sed systematice quoque inæqualis, ut observabatur à Galeno in Antipatro Medico, cui spiritus quidem offendebatur, sed nonnisi sub finem vitæ suæ & prope interitum levis quædam oborta fuit difficilis respiratio, ut ait Galenus, & obiit. Sed adhuc in dubium revocatur causa hujus angustiæ in lævibus arteriis: etenim sicut & ego tuberculum ab hoc casu excludo, ut quod paulatim fiat & augeatur, ita facilius crassos atque pituitosos humores admitto, de quibus certiores essemus, nisi adesset hypochondriaca & flatuosa affectio, & ad summum redacta, quæ læves arterias & obstruendo & comprimendo, frequentissime inæqualitatem hujusmodi in pulsibus, in corde palpitationem & in spiritu difficultatem oppressioni non absimilem excitare consuevit, adeo ut plurimos pulsus inæqualitate ex flatuosa materia laborantes, paucissimos vero ex viscida & crassa materia obstruente, & nullum forsan ex tuberculo in praxi observaverim. In hoc autem Reverendissimo P. summa cum ratione de materiæ præsentia dubitatum fuit, cum fere toto suæ vitæ cursu totum corpus excrementosum habuerit, partes principaliores intemperatæ observatæ fuerint, & modo eidem senescenti consuetæ per varias partes excrementorum evacuationes suppressæ, quæ omnia non minorem hydropis pulmonum suspicionem afferre valent.

In quo rerum statu periculi pleno, ut Reverendissimo P. quantum fieri potest, succurramus, primò hypochondriacæ affectioni, utpote origine & cognitione priori incumbendum, deobstruendo, & fervorem jecoris & hypochondriorum contemperando, statusque caute discutiendo; postea observandum, si Curatio processerit, quo casu in eadem erit insistendum, sin minus; ad efficaciora & ulteriora tum attenuantia & incidentia, tum purgantia medicamenta audacius & tutius deveniendum erit; imò tandem ad exiccantia & resolventia; interim nunquam omittendo expectorantia, a pectore destillationem divertentia, & Cardiaca spiritus roborantia ac reficientia.

Cum autem sat fuerint viæ primæ expeditæ, aliaque medicamenta exhibita, ad majora deobstruentia & viscera totumque venosum genus expurgantia deveniri posse nobis videtur, prius tamen inuratur Cauterium alterum coxæ dexteræ ad revulsionem vaporum superiores partes petentium, & ad diversionem catarrhalis materiæ à capite in pectus delabentis. Aperiens autem validum & evacuans esse poterit syrupus Fernel. nostra descriptione cum rhab. paratus, qui XII. aut XV. vicibus alternis diebus erit exhibendus ad ℥ij. in jure malua & endiu. alterato: intermediis vero diebus præberi poterit cyathus aq. stillat. de succo cicho. & agrim. cum gutt. XV. ut XX. spiritus tartari ter rectif. qui cum in se sal volatile contineat, est Aperiens validissimum, & si fortasse hypochondriorum æstus ægre toleret syrupi Ferneliani usum, præberi poterit in sero capr. destill to, aut in aqu. de succo cichorii: quinimò in hujusmodi casu post horam ab assumpto syrupo, seri quoque aut aquæ hordeaceæ libram superbibendam permitto, & tribus horis ab assumpto sero prandium.

Absoluto syrupi usu, sicut suspectam habeo aquam Tettucianam, ita libentius tribus aut quatuor diebus serum copiosum propinari posse credo, nimirum ad lib. 4. vel 5. singulo mane cum vehiculo syrup. rof. solut. aut portionis mannæ clarificatæ: mox lac sive Emulsio arte parabitur, nimirum ex ℥j. semin. melon. mundat. & semiuncia semin. cucurb. & anguriæ XII. aut XV. amygdalis dulcibus additis, cum sacchari albi cochleari, quæ Emulsio extrahi poterit jure tenuimalua alterato, vel aqua maluæ stillatitia. Interim inter flatus discutientia validissimum & suavissimum est oleum cinnam. si haberi possit legitime paratum, ex ipso rotulas efformando cum saccharo aqua cinnam. dissoluto: guttulæ quoque ejusdem aquæ cinnam. adduntur, ut cochlearia per intervalla assumantur: flatus enim egregie discutit, & ventriculo qui magnopere aromatizatione gaudet, ut dicebat Avicennas, est valde amicum. Est quoque discutiens simulque cordiale oleum de corticibus citri eodem modo præscribendum: sicut haustus aquarum cordialium cum Julapiis perlatis, aut etiam gemmatis. Inter Expectorantia in his casibus oleum sacchari commendamus ut expertum, ad attenuandam materiam viscidam & lentam in penitioribus partibus stabulantem, necnon ad flatuositates discutiendas, cui, si placeat, aliquod Julapium commisceri poterit. Proderit quoque pectori illinitio externa ex adipe anserino, pulvere iridis Florentinæ, & oleo lil. alb. reformato.

Jam

Jam dictis autem pro voto non succedentibus, sive satis non proficientibus, parata jam erunt hypochondria ad Decoctum à Viris Excellent. præscriptum, ex salsa nimirum & aliqua ligni sassafras drachma in aquis stillat. leviter ferendum & tolerandum, præmissa ipsi decocto terebinthina nostra aqua capillorum Ven. aut farfaræ lota: imò & in ipso decocto gr. butyri sulphuris dissolvi poterunt. Conferre quoque posse credo aquam spagiricam stibiatam, cujus descriptio & exhibendi modus Viris Excellent. notissimus erit. Interea majora lumina quotidie magis relucebunt: etenim si hydrops pulmonum, quam Deus amoveat, manifestaretur, de aquis sulphureis opportuno tempore per os exhibendis cogitandum erit. Hæc sunt quæ potui, solidis fundamentis ab Excellent. Viris adductis innixus, prudentissimæ eorundem considerationi proponere, quibus una cum congrua victus ratione omnia melius dirigenda libenter remitto. *Joh. Raym. Fortis Consult. & resp. Medic. Cent. 2.*

Pulsus inæqualis & intermittens.

Eminentissimus atque Reverendiss. S. R. E. Cardinalis quinquagesimum octavum annum agens, temperamenti totius, & maxime jecoris calidi & sicci, mediocris habitus, ad operationes promptissimus, negotiis gravissimis implicitus, & ad animi alterationes valde pronus, propria prudentia tamen cohibitas, septem abhinc annis conqueri cœpit de cordis affectu cum pulsu vitiato, ut infra dicetur, postquam multo antea pluries repetita salsæ decocta assumpserit à Medicis præscripta, facile, ut supponi debet, ad tollendas viscerum naturalium obstructiones: quibus tamen persistentibus, accesserunt cordis & pulsus affectus hunc in modum; Primò namque cordis saltus sive illegitimam palpitationem summo mane, dum in sinistrum latus decumbebat, percipere cœpit, cum pulsus tanta vehementia, ut ipsi visui pulsationes manifestæ apparerent, & tactui vibratio atque insignis durities, cum alicujus pulsationis intermittentia, præsertim summo mane; quibus addebatur linguæ & oris fere fuliginosa siccitas. Quæ omnia mensium progressu adeo adaucta fuere, ut undequaque pulsu inæquali & intermittente reddito, animi deliquia successerint, tuncque seri caprini repetito usu curatus fuit, sed non sanatus: siquidem summo mane parumper corripi solebat, non quidem animi deliquiis, sed pulsus intermittentiis, quæ ante prandium quoque per horas revertebantur, & interdum tanto cum impetu atque vehementia, ut cor ipsum deorsum trahi, & veluti funiculo quodam ad aurem usque sese extendente, aurem quoque secum ducere & deorsum trahere videretur. Intermittentias autem Eminentissimus ipse percipiebat in corde, absque eo quod sibimetipsi pulsum tangeret, quinimò quandoque veluti aquæ guttulas super cor ipsum cadere sentiebat; tuncque pulsationes non intermittebant, sed multiplicabantur. His verò omnibus accesserunt quoque vigiliæ: somni namque non adeò diuturni & quieti ut antea erant, præsertim dum summo mane accessio vehementior futura erat, quæ intensius invadebat, si forte in somno quandoque pollutio contigerat, magisque molestare solebat etiam post prandium paulo uberius sumptum, & præsertim ciborum aut potuum calidiorum. Exacerbari quoque fuit observatus affectus post usum diuturnum Emulsionis hordeaceæ: iterum post usum rhabarbari, & magis magisque post chalybem potabilem multis diebus assumptum, qui febrem quoque accendere potuit. Tandem spirandi difficultas, præsertim in motu accessit, quæ difficilem etiam decubitum ipsi reddebat in latus sinistrum, accedente exiguæ catarrhalis atque viscidæ materiæ portione, quæ difficili screatu excernebatur: usu vero olei amygdalini & julapii terebinthinati facilior respiratio reddita fuit. Ab usu seri nonnihil levatus fuit: sed multo magis à mora per duos menses in fluvio currenti, pectore adversus impetum aquæ quotidie per horam exposito: namque pulsus intermittentia prorsus cessaverat, & vibratio atque durities valde remiserat; sed relicta Balneo, rursus affectio paulatim in pristinum reversa est. Verùm tamen est quod omissa cœna, & ptisana hordeacea tantummodo vespere epota, spatio unius anni cum dimidio affectus ipse valde remissus est observatus. Cum autem Vere præsenti Eminentissimus P. Patavium se contulerit, ut curaretur, pulsum vibrantem, durum, raro intermittentem, frequentius intercurrentem observavi, naturaliaque viscera tactu explorans, obstructiones in jecoris gibba parte, majores in mesenterio, & evidentiores atque duriores in pancreate inveni, cum arteriæ magnæ insigni pulsatione. Quare pro ejusdem affectus remissione sequentem Consultationem exarare & executioni mandare decrevi.

Quamvis pulsifica facultas sit cordis propria operatio, quæ læsa, cordis etiam læsionem ostendit, nihilominus cum alia quoque instrumenta cordi inserviant, ut eadem pulsifica facultas ad universum corpus deferatur, genus videlicet arteriosum; idcirco sæpissime contingit ut vitium tactu in ipso pulsu deprehendatur, sine ulla essentiali cordis læsione, ut Antipatro primis mensibus contigit. At si vitiatæ pulsificæ facultati palpitatio quoque, aut saltus cordis accedat, id citra ipsius cordis læsionem fieri nequit, cùm affectus hujusmodi sit propria cordis passio: ut propterea censendum sit in Eminentiss. Cardinali, cum non sola vitiata observata fuerit & observetur pulsifica facultas cum cordis illegitimo & depravato motu, non modo tactui, sed visui quoque manifesto, non tantum arterias læves, sed & cor ipsum quodammodo laborare. Verum tamen est quod nec arteriæ neque cor essentialiter afficiuntur, sed per consensum ab aliis partibus: non enim in arteriis lævibus obstructio reperitur à crassis humoribus, minusque à crudo tuberculo; non à crassis humoribus, quoniam tamdiu vivere non potuisset: crassiores enim à calore, & copiosiores exiguo tempore redditi, asperis quoque arteriis communicari, suffocationem ante annum induxissent: sicut tuberculum adhuc citius mortem intulisset, ut sex mensium spatio Antipatro contigit, de quo miratus fuit Galenus, eo quod tamdiu vitam protraxerit, & causam retulit in servatam in omnibus rectam vivendi ratio-

rationem. Sed præterea tuberculi signum inseparabile est pulsus inæqualitas & intermittentia, semper eundem ordinem atque rhythmum servans; quæ conditiones omnes absunt à casu nostro. Sed neque cor essentialiter læsum fuisse significat nobis palpitationis raritas atque brevitas, imo & ejusdem fere omnimoda remissio sine ullo generoso adhibito medico auxilio. Et præterea cor ipsum essentialiter læsum ex Aristotele tamdiu affectionem sustinere non potuisset sine sui ipsius evidenti imbecillitate, qua præsente, pulsus fiunt parui, tardi & languidi, cum tamen in Eminentia Sua sint omnino magni, vehementes, veloces, validæ facultatis indicium; & ideo conclusum restat, neque cor neque arterias essentialiter sed per consensum affici, quem consensum suscipiunt ab hypochondriis obstructionibus refertis, & intemperie calida affectis, quæ quidem radices sunt, à quibus hypochondriaca affectio germinare solet, in qua cum copiosi flatus observentur, ideo per antonomasiam affectio flatuosa à Galeno nuncupata fuit; cujus signa subdens idem Galenus, ait, quod lædantur à calidis, juvantur à frigidis, ut Eminentissimo Domino contigit, dum decoctis assumptis pejus, ex mora vero adversus impetum aquæ frigidæ, necnon ab usu seri melius habuit. Sed præterea tactus ipse judex esse potest, cum obstructiones sicciores atque duriores in mesenterio, jecore, & præsertim pancreate manifestissime percipiantur, à quibus siccioribus redditis, fuliginosi vapores sive potius exhalationes elevantur, & per venam cavam ad cor pervenientes, & cor ipsum distendentes palpitationem inducebant, dum sequuta subsidentia exhalationes ipsæ exprimebantur & dissolvebantur; nil aliud enim est palpitatio quam cordis elevatio & subsidentia præter naturam, quæ rara & brevis fuit & est, quoniam cor ipsum per consensum, non essentialiter affectum fuit. Quoniam vero fuliginosi vapores ubi ad cor pervenerint, per carotidas arterias ad caput quoque elevantur, hinc fit ut spiritus agitando, noctes inquietas & somnos turbatos reddant, & ipsius affectus exacerbationem prænuncient. Pariter neque essentialiter afficiuntur arteriæ læves, sed per consensum quandoque ab iisdem fuliginosis evaporationibus, arterias ipsas, præsertim carotidas obstruentibus, ad quarum obstructionem retrocedit in cor sanguis spirituosus, tuncque non solum pulsus fit intercurrens, sed cum violentia ipsæ carotidæ nonnunquam cum aure ipsa deorsum trahi Eminentissimo Pat. visæ fuere, quod facilius apparet, cum glandulæ prope aures arteriarum ramis refertæ sint. Frequentius autem contigit pulsus inæqualitas & interceptio à compressione magnæ arteriæ facta ab obstructionibus tum in mesenterio, tum maximè in pancreate existentibus; quam compressionem vidit quoque & observavit Galenus: etenim dum spiritus una cum sanguine magnam arteriam pervadere intendit, eadem arteria magna compressa spirituoso sanguini transitum impedit, qui cum pro vitæ necessitate circulare debeat, impetum facit, & conatur sibimetipsi vias patefacere, quo conatu pulsationes ipsas vehementiores atque vibrantes reddit, dum facultas valens ad repellenda ea quæ molestant, majores sæpe & vehementiores edit pulsus. Sed interim quoniam quandoque remoratur ipsi sanguini transitus, deficit quoque in pulsu diastole, & sanguis resilit in cor, ita ut intensiori reddita in corde systole, in supplementum præteritæ deficientis diastoles, etiam pulsus ipse inæqualis reddatur, cum sensu vehementioris motus in corde; & ideo inæqualitas non systematica tantum, sed in una quoque pulsatione quandoque observari videtur. Excludenda tamen non est caloris intensio in ipso sanguine, quæ impetum auget & appulsum vehementiorem reddit: imo & spiritus vitales dissolvendo, lipothymias olim afferebat. Uniformitas autem semper eadem non est: alteratur enim ante cibum ab otiante calore, & post cibum usque ad chyli distributionem ab adaucta compressione; sed præterea mutatur quoque à flatuositatibus, modo præsentibus, modo absentibus, modo densioribus, modo tenuioribus, quarum causa modo facilior modo difficilior observatur decubitus in latus sinistrum, qui semper idem esset, si fixa & stabilis esset causa ipsa.

Pulsus intermittentia multos decepit Medicos exemplo Antipatri perterritos, causas necnon pulsus conditiones non adeo rectè considerantes seu non cognoscentes: tunc enim lethalis esse solet, si vel à tuberculo, vel à crassis, copiosis & viscidis humoribus, in lævibus arteriis firmatis atque stagnantibus procedat, vel si à languore facultatis vitalis pendeat. Præterea periculo non vacat, si non unica, sed plures, una post aliam pulsationes deficiant. At si plures, ut in casu nostro, & fere innumerabiles pulsationes æquales intercedant inter unam & alteram intermittentiam: si prætereà non ab obstructione nisi flatuosa proveniant, sed à compressione: insuper si arteria spiritu repleta, pulsus vehemens atque vibrans considerentur, in Patiente hypochondriaco, curis & gravibus negotiis implicito, non erit in Arte versatus qui mortis periculum, hujus affectus ratione, non excludat: eoque magis cum inæqualitas potius, quàm totalis intermissio à me hoc tempore observata fuerit: licet enim diastole sub digito deficiat, non deficit systole in corde, imo consueto intensior ab Eminentissimo observata fuit; in præsens vero remissior observatur, hæcque systematica & collectiva, multo minus periculosa: sicut periculosior fuit illa quæ contigit Argenterio ex nimiis studiis atque applicationibus cum virium imbecillitate, à qua tamen, omissis studiis, congrua vivendi ratione & Cardiacis adhibitis, spatio unius anni seipsum liberavit; ita & à Victore Trincavella celebri Medico olim liberatus fuit Marinus de Caballis Patritius Venetus, qui cum à Serenissima Republica ad Regem Christianissimum Legatus Missus fuerit, ob intensas applicationes in affectum melancholicum incidit cum pulsus intermittentia & inæqualitate quæ Gallos illos Medicos decepit. Mortem enim extemporaneam eidem prænunciarunt, ob idque veniam petiit, & Venetias reversus, curatus & sanatus fuit. Quod idem, sed non brevi tempore Eminentissimo quoque Domino concedi posse speran-

randum. Dixi, non adeo brevi, propter antiquas & contumaces obstructiones viscera naturalia obsidentes, una cum calida exuberanti intemperie naturalem calorem labefactante & humores colliquante, ideoque Cachexiam potius minantes.

In hunc igitur finem repetitæ necessariæ erunt Purgationes, primas vias expiando. Secundò Mesenterii obstructiones aperiendo. Tertiò Obstructiones jecoris reserando. Quartò Pancreas à sanguine crasso & crudo stagnante vindicando. Quintò Calidam intemperiem hypochondriorum, jecoris & sanguinis corrigendo, atque tandem aliqua Cardiaca, temperata tamen in usum ducendo, quæ flatus etiam discutiendi facultatem obtineant, addita jam dictis omnibus congrua vivendi ratione.

Primæ intentioni satisfaciendum Leniente ita parato.

♃. Floris cassiæ rec. extractæ, elect. lenit. an. ℥ ß. crem. tart. ʒ ij. m. f. boli. Præparans autem quinque diebus summo mane exhibendum, sit.

♃. Julapii acet. ℥ ij. aq. florum citri ℥ j. m. pro una vice, & sic pro aliis; quod subsequatur alterum Leniens hujusmodi.

♃. Floris cass. rec. extr. elect. lenit. an. ℥ ß. m. f. boli quibus post horam superbibat seri caprini depur. ℔ i ß.

Pro secunda intentione explenda, humores præparandi potius succis depuratis, quàm syrupis saccharatis, Hypochondriacis non valde amicis; & ideo.

♃. Succi depur. cich. borag. melissæ, pomorum dulc. an. ℥ j. decoct. cich. borag. endiv. lupulorum, agrim. ℥ iv. salis tart. fixi gr. x. m. pro syrupo, & sic pro quinque aliis; quibus succedat talis Purgatio.

♃. Floris cass. rec. extr. ʒ vj. elect. de succo rosarum ʒ j. Extracti rhabarb. senæ an. ʒ ß. m. f. boli, quibus superbibat seri capr. depur. ℔ ij. & tribus horis ab epoto sero prandeat. Interim prima aut secunda die Præparantium aperiatur Jecoraria dextra, & sanguis ad ℥ vii. aut viii. educatur.

Tertiæ intentioni satisfaciendum Aperientibus hepaticis.

Ut ♃. Succi depur. cich. borag. agrim. an. ℥ j. tart. vitriol. gr. x. decoct. endiv. sonchi, malv. violarum, lupulorum ℥ iv. m. pro syr. & sic pro aliis, in usu quorum 20. diebus insistendum; & quinto quoque die præscriptum nuper minorativum Purgans cum sero eodem modo sumendum. Sed interim primis diebus repetenda erit ex interna sinistri brachii vena sanguinis missio.

Quartæ intentioni satisfaciendum erit ita.

♃. Aq. stillat. cich. agrim. an. ℥ vii. tart. vitriol. gr. x. m. pro syrupo matutino. Sequenti vero die.

♃. Floris cass. rec. extr. ʒ ij. rhabarb. maturt. ℈ j. m. f. boli num. 3. quibus post horam superbibat seri caprini destillati ℥ viii. In quorum usu alternatim decem diebus perseverandum; deinde ita purgandum.

♃. Floris cass. rec. extr. ʒ vii. pilul. de trib. cum rhabarb. ʒ j. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. depur. ℔ ij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Et quoniam infusiones facilius ad penitiores viscerum partes pervadere valent; idcirco talis instituatur.

♃. Aq. stillat. cich. agrim. an. ℥ iv. succi limod. ℥ ß. rhabar. opt. mat. ʒ j. m. f. inf. per noctem, & colatura præbeatur summo mane. Die vero sequenti.

Aq. stillat. cichor. agrim. an. ℥ iv. spirit. tart. alchaliz. gut. x. m. pro potu matutino; & in horum alternato usu xv. diebus perseveret. Inde sequatur magis minorativa hujusmodi infusio.

♃. Fol. senæ Orient. rhab. el. an. ʒ j. cinnam. integri ʒ ß. aq. stillat. cich. agrim. an. ℥ iv. succi limon. ℥ ß. m. f. infus. per noctem, & colatura offeratur summo mane. Sequenti vero die.

♃. Succi depur. cich. borag. agrim. an. ℥ j. decoct. in jure pullæ paratæ cich. malvæ, melissæ fumar. capill. Ven. Cetrach. ℥ iv. tart. vitriol. gr. x. m. pro syr. matutino; & in horum alternato usu pergat Eminentissimus Dominus ad vigesimum usque diem. Sed interim quotidie summo mane admoveatur fomentum hujusmodi.

♃. Fol. malvarum, meliloti, graminis, absinthii an. m. j. radic. althææ, sem. fœnugræci an. ℥ j. aq. fabror. ℔ vj. m. bull. ad consumpt. tertiæ, colaturæ vero adde succi limon. ℥ ij. & spongia madefacta, mox expressa, tepida hypochondriorum epigastricæ parti apponatur. Facta vero fomentatione & abstersione, illiniatur totum abdomen hujusmodi linimento.

♃. Unguent. ros. Mes. ℥ ij. malvini, medullæ crurum vituli an. ℥ j. ol. de Ben, amygdal. dulcium an. ℥ ß. ol. de absinthio gutt. x. m. quæ illinitio repetenda erit etiam vespere ante cœnam, sed sine fomento. Quibus transactis diebus, Purgans erit exhibendum hujusmodi.

♃. Floris cass. rec. extr. ʒ vj. elect. de succo rosar. ʒ j. pil. de trib. ʒ ß. magist. mechoac. gr. x. m. f. b. quibus post horam superbibat jus malva aut hordeo alteratum, & duabus horis ab assumpto jure prandeat.

Hanc ad quintam intentionem explendam erit deveniendum, pro qua tria erunt administranda selectoria remedia, usus aquæ, lactis, & Balnei; & primò aqua debet quidem refrigerare & humectare, non autem exiccare: ut propterea minerales omnes sint excludendæ, & Noceriana eligenda, dummodo ab hepate eidem transitus admittatur; quæ tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio syrupi ros. solut. aut potionis ex man. clarificata propinanda erit: sequentibus vero xii. cum vehiculo diuretico spiritus tart. rectificati. ad ʒ j. in tribus primis cyathis dividendam, addito etiam cochleari syrupi de succo limonum ad suavitatem. Incipiendum autem à ℔ vi. ascendendo paulatim usque ad x. & mox paulatim dosim minuendo. Quo tempore ab re non erit aliquod ventriculo robur addere, præbendo statim à cibo pilulam unius scrup. succi absinth. condensati, vel salis ejusdem absinthii scrupulum in exiguo vino dissoluti. Inde ad lactis asinini usum erit deveniendum, ut quod ex Galen. sicciores atque duriores obstructiones relictas emollire

atque solvere valeat, incipiendo ab ℥ v. cum semicochleari sacch. albi, & ascendendo usque ad ℥ x. cum integro cochleari sacchari. Assumatur autem ad 40. dies, sed statim mulctum cum suo naturali tempore, quoniam ut dicebat Galen. veluti genitale semen illico facultatem amittit. Neque eidem assumpto superdormiendum, nisi urgeant vigiliæ, quoniam caput replere solet. Interim vespertinis horis in Balneum tepidum erit descendendum aquæ dulcis, foliis malvarum, violarum, brancæ Ursinæ, vitis & salicis alteratæ, in quo moretur primis diebus per horæ dim. reliquis vero per integram horam; & in hujus usu 20. saltem diebus perseveret. Statim à Balneo, totius inunctio oleo amygdal. præcipi solet; verum quoniam non adeo emaciatum est corpus, & olei illinitio obstruendo potest Balnei penetrationem impedire, consulto ut omittatur, & potius absoluto Balneo per aliquot dies in usum ducatur.

Postremæ intentioni caute satisfaciendum Cardiacis, flatus quidem discutientibus, sed non valde calorificis. Quare præsto habeat Eminentissimus Dominus paratas compositiones hujusmodi.

♃. Aq. totius citri ℥ ij. ol. de cortic. citri gut. x. m.

Item ♃. Aq. stillat. cinnam. ℥ ij. olei legitimi cinnam. gut. v. m.

Item ♃. Aq. scorzoneræ ℥ iij. julapii gemmati M. D. perlati an. gut. x. m. & modo unius, modo alterius per intervalla quacunque hora cochlear aliquod assumat. Quod si fortasse cordis aliqua pulsatio revertatur, prodesse poterit quandoque summo digito medio illinire regionem cordis tali linimento.

♃. Ol. de scorp. Matth. ʒ j. succi limonum parum, m. dissolvatur pro illinitione.

Vel ♃. Succi citri ℥ j. trochic. de gallina mosch. ℈ j. m. dissolvatur.

Jam dictis omnibus congrua vivendi ratio erit omnino addenda; quæ quoniam non in solo recto cibi & potius usu consistit, ideo uberius est præscribenda. Et primò aër nebulosus, ventosus erit fugiendus; nec unquam paludosus incolendus. Secundò Cœna sit parca, & novem aut decem horis distet à prandio. Prima mensa toto anno in usum ducat jus tenue alteratum Æstate foliis acetosæ: Autumno boraginis: Hyeme endiviæ: Vere cichorii. Inter carnes, nunquam comedat suillam; raro vero bubulam & leporinam: sicut rarissime avium palustrium. Inter pisces, abstineat à conchyliis, ostreaceis, paludosis atque lutosis, glutinosis, ut à tinca, anguilla, & hujusmodi. Inter lactaria, rarus sit casei usus, & cætera comedat. Inter legumina, admittitur tantum hordeum & oriza. Evitet edulia ex pasta crassiori parata, delicatioribus exceptis, ut vermiculis Apulien. & hujusmodi. Inter olera, abstineat ab usu selini, fœniculi, cardui, fungorum & terræ tuberum. Inter fructus, conceduntur fraga, melopepones, mala persica matura, pruna matura, verdacia dicta, & mala ac pyra cocta. Inter condimenta, vitentur aromata, exiguo cinnam. & pipere ruditer contuso exceptis: item frequens acidorum usus, ita & allii & cæparum. Potus sit vinum tenuis substantiæ, non dulce, non acerbum, non valde generosum, sed in his mediocritatem servans. Tertio Somnus potius diuturnus proderit, sed nocturnus, raro diurnus, sed brevis. Quartò Exercitium quoque conducere poterit, sed jejuno ventriculo, horis nimirum matutinis aut vespertinis. Quinto Alvi dejectio quotidiana esse debet, alioquin solicitanda prunis Damascenis vel Gallicis in vino tenui subdulci decoctis, saccharo mox aspersis, & prima mensa comansis, quibus superbibat jus jam præscriptum, aut malvæ comis alteratum. Sed præter hæc, semel saltem in mense non parum juvare poterit minorativa evacuatio arte procurata, assumendo unciam unam Elect. lenitivi duabus horis ante prandium, addita semidrach. pilul. de tribus, cui post horam superbibat jus tenue malva aut hordeo alteratum. Tandem animi passiones atque perturbationes, quantum fieri potest, arcendæ, & inteusæ applicationes omnino corrigendæ, quæ sicut majorem partem obtinuerunt ad hujus mali productionem, ita hoc idem fovere & conservare poterunt; quare geniales conversationes sunt procurandæ, alacriter vivendum juxta illud

Interpone tuis interdum gaudia curis,

ut pristina & perfecta salus redimi, moxque conservari possit, quam ego à summo Deo diuturnam Eminentissimo Domino meo enixè precor. *Idem ibidem.*

Palpitatio cordis illegitima.

Illustrissimus Judex annum agens quadragesimum septimum, temperamenti totius & jecoris ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitus, nimiis studiis & continuis applicationibus deditus, arduisque negotiis implicitus, superioribus annis abscessum in ani regione passus, sex abhinc annis, præsertim Veris tempore, cordis Palpitatione corripitur, quæ progressu invaluit, ita ut toto anni tempore, modo magis, modo minus infestet, cum suffocationis sensu, & interdum cum impotentia ad deambulandum, imo ad seipsum movendum, cum pulsu inæquali & intermittente. Vere proxime præterito, cum integro mense longum iter peregisset per loca, modo frigida & nivosa, modo calida, caput eidem adeo alteratum fuit, ut Vir Illustrissimus in tussim molestam cum asthmatica respiratione inciderit, & cum excretione catarrhalis materiæ crassæ, flavæ, viridis & diversi coloris: qua pluribus diebus expurgata, recessit tussis una cum difficili respiratione; non tamen cessavit cordis palpitatio, quæ frequenter & ex levi causa exasperatur, cum pulsus intermittentia, inæqualitate & parvitate, quamvis non cum tanta ad motum progressivum difficultate. Accesserunt tandem frequentes evaporationes calidissimæ in caput, diu perdurantes, præsertim post studia aut intensas applicationes; quæ evaporationes tantum capiti fervorem inducunt, ut Virum Illustriss. fere ad animi deliquium deducant. Modo ad Oracula Patavina confugit, ut à tanto malo reddatur immunis.

Cor-

Cordis motus violentus & irregularis qui intrinsecus à Nobil. Patiente percipitur, & extrinsecus manu quoque admota observatur, palpitatio cordis, quæ dilatatione & subsidentia perficitur appellari potest, ad differentiam tremoris qui intrinsecus tantum sine violentia à Patiente percipi solet, sicut etiam ad differentiam saltus sive jectigationis ejusdem cordis, quam perpetuam esse observavimus; quem motum depravatum comitatur quoque pulsus inæqualitas, imo interceptio. Et quamvis aliquam spirandi difficultatem secum ducere videatur jam dicta affectio, eam tamen non ab angustia asperarum, sed lævium arteriarum pendere statuendum, & propterea difficilem spiritum proprius, quàm respirationem nobis appellare licebit: sicut proprie difficilem respirationem non solam ad Dyspnœam, sed & ad Asthma, imo ut decubitum impedientem, ad Orthopnœam pervenire censendum sit. Palpitationis causa immediata est procul dubio flatuosa materia crassa & fuliginosa, quæ cordis ventriculos replens, distentionem & dilatationem violentam, sicut cedens subsidentiam & constructionem excitat. Nec tenuis & halituosa esse potest, ut considerabat Galen. quoniam à cordis calore dissiparetur, antequam ventriculos impleret & extenderet: Neque crassior esse potest, ut humorosa, quoniam non adeo mobilis esset, ut cor tam prompte extendere valeret, nec tam cito dissolveretur: & idcirco crassam, turbidam, caliginosam & flatulentam esse debere palpitationis causam, determinavit idem Galenus, Asthmaticæ vero affectionis immediata causa fuit angustia asperæ arteriæ, in ejusdem scilicet bronchiis, à materia catarrhali non in iisdem genita, sed à capite calido & humido & destillationibus obnoxio descendente, occasione præsertim evidentis erroris externi. Non autem adeo facile decerni potest, num primario, an secundario cor ipsum laboret; num scilicet cor ipsum licet manifeste afficiatur à flatuosa jam dicta materia, ejusdem origo in corde sit, an vero in aliqua alia parte generetur, sicque aliunde ad cor transmittatur. Et quamvis affectus diuturnitas & permanentia, cor ipsum materiam lædentem sibimetipsi fabricare, nobis indicare videatur: nihilominus si Nob. Patientis temperamentum & ætatem spectemus: si vitam anteactam, curis solicitudinibus, intensis applicationibus deditam consideremus, in hypochondriis fontem mali latitare, obstructiones scilic. cum jecoris fervida intemperie reperiri suspicionem nobis præbent, adeo ut minera hujus flatuosæ, turbulentæ atque fuliginosæ materiæ in visceribus naturalibus facile reperiri possit; probabile namque nimis est, quod ex intensis & diuturnis applicationibus, labefactato & alio converso calore, juges cruditates in ventriculo olim genitæ fuerint, quæ in mesenterio aut liene stabulantes, & à calore præsertim jecoris exiccatæ, terreæ, & melancholicæ redditæ, exhalationes emittant, quæ per vasa cor ipsum petentes, & ejusdem ventriculos replentes, dilatationem præter naturam excitent; sicut ab eximio calore cordis statim consumptis constrictio illico succedat, ex quibus duobus motibus palpitatio componitur. Et quoniam ab hujusmodi illegitimo motu cordis, legitimus quoque perturbatur, idcirco inæqualitas quoque in pulsibus observatur: quinimo dum aliqua crassæ & vaporosæ jam dictæ materiæ portio læves arterias ingreditur, ejusdem pulsus interceptiones quoque contingunt diu non perseverantes, ut in Antipatro Medico in quo læves obstruebantur arteriæ, non à flatuosa, sed ab humorosa & crassa materia.

Ex duobus jam dictis malis, urgentiori & principaliori est incumbendum, altero non neglecto: palpitatio namque cum sex abhinc annis semper frequentior evadat, verendum ne continuo tandem affligat, corde nimirum primaria affectione laborante, tuncque ante senectutem interficit, aut febre ardente superveniente, aut syncope ingruente; ita narrat Gal. quendam qui singulo Vere palpitatione corripiebatur, sanguinis missione pluries liberatum & præservatum fuisse; verum quoniam radix ipsius affectus nunqu.m extirpata fuit, ideo ante senectutem interiit; nec mirum, cum vitæ principium in hoc affectu lædatur. Nos autem quoniam cor secundario affectum credimus, vitæ periculum ideo abesse quoque censemus, & ab interitu Nobiliss. hunc Pat. præservari posse credimus, congruis adhibitis & repetitis remediis, quæ nonnihil etiam capitis destillationi prodesse poterunt. At vera & legitima ejusdem Curatio in aliud tempus erit differenda, si rursus & frequenter ingruant asthmatici insultus.

Curatio igitur eradicativa præservativam partem respiciet, primas vias mundando; exiccatas obstructiones viscerum naturalium reserando; Jecoris intemperiem calidam corrigendo; materiam flatuosam cor petentem revellendo & discutiendo, atque tandem cor ipsum roborando.

Pro prima intentione primum Leniens esse poterit syrup. rof. solut. & de polypod. aut elect. lenit. cum tartaro. Præparans autem tale esse poterit.

℞. Julap. acet. ℥ iij. aqu. flor. citri ℥ j. aq. cinnamom. ℥ ß. misce, pro syrup. & sic pro quinque, quos subsequatur idem leniens, ut supra.

Pro secunda intentione mellita omnia & saccharata, utpote flatus moventia, sunt vitanda, & succi depurati herbarum eligendi hunc in modum.

℞. Succi depur. cichor. borag. sonchi an. ℥ j. salis prunellæ ʒ ß. decoct. in jure pulli malv. violarum, melissæ, agrimon. pentaphylli ℥ v. misc. pro syrup. & sic pro aliis. Secunda die horum succorum aperiatur vena mediana brachii dexteri, educendo sanguinem ad septem uncias circiter. Transacta hebdomada horum succorum, præscribatur hujusmodi Purgans.

℞. Elect. lenit. flor. cassiæ an. ℥ ß. pil. de tribus ʒ ß. m. f. b. tribus horis ante prandium assumendi, quibus post horam superbibat seri depur. ℔ i ß. Deinde repetatur succorum usus, ut exiccata minera emolliri, dissolvi, & tandem expelli possit.

℞. Succi depur. cich. borag. melissæ an. ℥ j. tart. vitriol. gr. x. decoct. in jure paratæ malvarum, endiviæ, sonchi, card. sancti ℥ v. m. pro syr.

syr. & sic pro aliis. Secunda die syruporum, rursus educatur sanguis ex altero brachio; ait enim Gal. quod sanguinis detractio & adolescentes & adultos semper juvit, imo quandoque liberavit. Terminata horum succorum hebdomada, præbeatur tale Purgans.

℞. Flor. cass. rec. extr. elect. lenit. an. ℥ß. extracti senæ, extracti rhab. an. ʒß. m. f. b. quibus transacta hora superbibat seri capr. depur. ℔ij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat.

Tertiæ intentioni satisfaciendum erit lactis asinini diuturno usu; sed quoniam adhuc verendum ne à jecoris & hypochondriorum calore in ventriculo corrumpatur: idcirco tribus saltem diebus summo mane præmittendum erit serum capr. depur. ad ℔ iv. vel v. cum vehiculo dejectorio syr. rof. sol. deinde tutior evadet lactis usus, illud de more quatuor aut quinque horis ante prandium, statim mulctum exhibendo, cui minime superdormiat, incipiendo ab ℥ iv. vel v. cum semiuncia sacchari albi, & dosim paulatim augendo usque ad ℥ x. cum integra ℥. ejusdem sacchari, perseverando ad dies 40. vel 50. Nec formidandus refrigerantium usus, eo quod palpitatio à flatuosa materia proveniat: etenim non vaporis humidi, sed siccæ exhalationis naturam obtinet, ut ex Gal. verbis satis elicere licet, dum ait Palpitationem fieri à spiritu crasso, turbido & caliginoso, nimirum à sanguinis exustione aut aliis humoribus exustis elevato; quod magis expressit quoque Aet. dicens, Frequentissime palpitationem fieri à vapore bilioso aut melancholico ad cor elevato. Nihilominus palpitatione actuali existente, quartæ intentioni satisfacere opus erit discutientibus internis & externis; aeream enim, licet crassam substantiam in se continent ipsi flatus; sic intrinsecus confectiones parari poterunt ex speciebus diambræ, item aromatici rosati; efficaces quoque & non adeo calefacientes erunt rotulæ ex ol. de cortic. citri cum saccharo aqua cinnam. dissoluto paratæ; sed efficacissimæ erunt rotulæ ex ol. vero & legitimo cinnam. ut supra confectæ, quod oleum legitimum invenire non adeo facile. Extrinsecus illinienda erit regio cordis oleo de scorpionibus Matth. vino malvatico dissoluto.

Tandem cor in hoc affectu roborat aqua melissæ frequenter ad semicyathum epota, quam ita simplicem præbebat Avicen. sed efficacior evadet, si globulus croci per noctem in eadem fuerit infusus, vel ejusdem croci quinta essentia ad granum unum vel alterum addatur; Libavius autem addebat guttulas quintæ essentiæ roris marini. A proprietate juvat os de corde cervi pulverizatum, & cum aqua cordiali ebibitum, quo uti solebat Rhasis; sicut ex eodem à proprietate quoque juvat cor Simiæ assatum & pulverisatum; nec spernenda sunt hujusmodi medicamenta occulta qualitate juvantia, à magnis Viris fide dignis proposita, & à me quoque non inutiliter experta.

His omnibus congrua vivendi ratio est addenda; & primò aerem purum incolat, nullo modo crassum atque paludosum. Ex cibis, inter carnes vitanda suilla, bubula, agnina, leporina, volatilium in aquis degentium. Ex piscibus, vitandi lutosi, palustres. Ex lactariis vitetur caseus. Ex leguminibus, admittitur hordeum, sicut & oriza. Ex Pastillis, tenuiores tantum, ut vermiculi Apulienses & hujusmodi. Olera permittuntur decocta & optime condita; damnantur fungi, tubera terræ, carduus & apium. Ex fructibus damnantur acerbi & acidi, necnon nimis dulces: admittuntur fraga, pepones, persica matura, cæteri damnantur. Ex condimentis, damnatur pinguedo suilla, nimius usus caryophyllorum, nucis moschatæ & piperis pulverizati. Vinum sit mediocris conditionis, nec valde generosum, nec valde aquosum, non dulce, non austerum, sed maturum & odorum, sive album, sive nigrum, æstate moderate frigidum, non tamen nive aut glacie refrigeratum. Somnus nocturnus sit diuturnus, pomeridianus brevis, si consuetus. Exercitia quoque, sed moderata juvabunt, at ventriculo vacuo. Venus magnopere lædit. Alvus lubrica servanda passulis & prunis decoctis cum saccharo prima mensa sumendis, nisi sponte respondeat. Atque tandem animi applicationes moderatæ sint, & studiis opportune incumbendum, nimirum jejuno ventriculo. Quæ omnia Nobiliss. Patienti, salutaria precor.

Idem ibidem.

Juvenis 2. annorum biliosus, dum æstivo tempore se vehementius exercebat, incidit in vehementissimum & ordinatum cordis arteriarumque motum, qui ipsum adeo torquebat, ut pene in syncopen incideret. Postea ex levi excandescentia, vel alio vehementiore animi motu, eodem affectu sæpius correptus fuit; & jam novum patitur paroxysmum.

Afficiuntur in hoc ægro cor & arteriæ; quod ex vehemente & inordinato eorum motu, & syncopes periculo patet.

Morbus qui ægrum torquet, est intemperies biliosa & acris sanguinis, quæ in corde & arteriis vehementem & inordinatum motum intumescentiæ & detumescentiæ, sive diastoles & systoles, efficiens, Palpitatio cordis appellari solet.

Procatarctica hujus morbi causa est ætas juvenilis, & intemperies biliosa nostri ægri. Hinc enim multi biliosi & acres in ipsius corpore fuerunt geniti humores, qui antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, primo vehementioribus illis exercitiis ab ægro nostro, tempore æstivo, factis, & deinde etiam vehementioribus animi pathematis, à reliquo sanguine separata, vel ex loco aliquo, in quo extra vasa antea existebat, in venas propulsa, sanguinique commista, & postea ad cor delata, illudque vellicans & effervescentiam pravam ibi efficiens, continens hujus morbi & symptomatum est causa.

Ex vellicatione enim ista, à biliosis & acribus humoribus corde facta, defertur iste motus pravus per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum, cerebrique spiritus; quo pori cerebri ita aperiuntur, ut spiritus, in cordis fibras vehementius inordinatusque fluentes, inordinatum vehementemque illum motum, qui palpitationis cordis nomine vulgò indigitatur, inducant.

Quia autem per vehementem inordinatumque

que illum motum spiritus, & utiles sanguinis partes valdè dissipantur, sanguisque reliquus ad dilatandum ineptus evadit, hinc parum abfuit, quin in syncopem noster æger incideret.

Morbus hic periculosissimus est, quia, cor, omnium partium pars nobilissima, adeò graviter afficitur, ut lethalis syncope inde sit metuenda.

Curatio itaque diligenter est instituenda, eaque in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, & intemperiei ablatione, consistet. Primò itaque per triduum tali utatur medicamento.

♃ Syr. de succo acetos. de acetosit. citri, de ribes an. ℥ j. aq. cichor. borrag. bugloss. an. ℥ iij. M. F. Julapium quod sumat quotidie jejunus per triduum.

Postea tali purgetur potione.

♃ Rhabarb. select. ʒ i ß. spic. ℈ ß. aq. cichor. ℥ iv. post levem ebullitionem infundantur per noctem. Colat. adde diaprun. ℥ iij. syr. ros. sol. ℥ j. M. F. potio.

Evacuato corpore, matutino tempore quotidie utatur tali electuario, tribus horis ante pastum, magnitudine castaneæ majoris.

♃. Conserv. rosar. violar. bugloss. an. ℥ß. meliss. ʒiij. specier. diarrhod. abbatis, diatriunsant. diamargar. frigid. an. ʒ ij. oss. de C. C. sem. citri an. ℈ j. corall. rubr. præp. ʒ ß. cum syr. de limon. q. s. F. Electuarium.

Et hoc epithema cordi mane, & vesperi admoveatur tepidum.

♃. Corall. rubr. & alb. sant., omnium, specier. diamarg. frigidi an. ʒj. croci ℈j. camphor. gr. iij. aq. rosar. ℔ ß. borrag. bugloss. an. ℥ ij. aceti vini optimi parùm. M. F. Epithema.

Post usum epithematis talem sacculum regioni cordis admoveat.

♃. Flor. ros. rubr. exsiccat. bugl. borrag. sicc. an. ℥ j. fol. meliss. exsiccat. ʒ j. sant. omnium an. ʒ i ß. ossis de corde cervi pulver. corall. rubr. pulver. an. ʒj. behen alb. & rubr. an. ʒß. Omnia in pulverem redacta includantur sacculo serico, multis locis intersuendo, qui aqua rosarum irroratus, & in olla munda calefactus applicetur regioni cordis.

In victus ratione aër sit temperatus. Cibus eupeptus, elixus potius, quàm assus, succo limonum conditus. Potus sit cerevisia, & vinum mediocre. Fugiat vehementiorem corporis motum, & vehementiora animi pathemata. Somnus sit mediocris. Alvus respondeat naturâ vel arte. *Henr. Regius apud Theod. Craanen Medicat. lib. 2.*

Vir triginta quatuor annorum, fortis, sed melancholicus, & simul nonnihil scorbuticus, cibis salsis, fumo siccatis, aceto conditis & servatis, aliisque duræ digestionis à longo tempore assuetus, antehac multoties de aliqua ponderosa sinistri hypochondrii molestia conquestus est; jam verò aliud quid accessit, nam sæpe tribus quatuorve horis post pastum, magnam cordis palpitationem persentit, quam pulsus fortior, admodum inæqualis, & nonnunquam spatio unius aut duorum ictuum intermittens, comitatur, quo tempore magna anxietate premitur. Durat hæc vehemens palpitatio per semihoram, aut paulò longiùs, postea rursus cessat redeuntibus subinde levibus quidem, sed brevibus palpitationibus. Cùm æger cursu aliove exercitio corpus plus solito movet, mox palpitationes molestissimæ redeunt, eædemque per quietem rursus sedantur. Appetitus satis constat, & ventriculus bene digerit. Somnus etiam sufficiens est, excepto quòd propter terriculosa insomnia multoties turbatur.

Præter alias partes, omnium manifestissimè in hoc ægro afficitur cor, hæcque dicta ejus affectio, Medicis appellatur Palpitatio cordis, quæ est inordinatus & nimis vehemens cordis motus.

Causa proxima est humor salsus & acris sanguini permixtus, qui chylo ex salsis acribusque cibis confecto, tribus quatuorve post pastum horis, in venam cavam effuso, permixtus, cum eoque in cor illapsus, inordinatæ & vehementis in chylo sanguificando fermentationis causa est, propterea quòd acres salsæque chyli particulæ, unà cum sanguine venoso, acri isto humore imprægnato, in cor delapsæ, fermentationem nimis augeant: unde tunc illa nimis vehemens & inordinata cordis præter modum dilatati & contracti concussio procedit, quam fortis & inæqualis arteriarum pulsus necessariò sequitur.

Quia in illo salso & acri humore particulis tenuioribus hic illi admiscentur particulæ multæ crassiores, magis fixæ, & ægre dissolubiles, quæ in corde tam citò dissolvi & attenuari nequeunt, hinc fit, quòd dum cor in earum dissolutione & dilatatione opus habet longiore tempore, illis in ventriculos illabentibus, pulsus ad tempus unius aut duorum ictuum intermittat, unde etiam tunc anxietas oritur, nam quo tempore pulsus intermittit nulli spiritus ad partes propelluntur.

Durat hæc vehemens palpitatio per semihoram, aut paulò longiùs; quia isto intervallo totus chylus uno pastu confectus, aut maxima ejus pars sanguini cavæ permixta, per cor transit, & prout postmodum aliquæ pauciores residuæ ejus partes adhuc transeunt, ita nonnullæ leves & breves palpitationes postea oboriuntur.

Quòd verò acris ille humor, continuè ad cor cum sanguine venoso profluens, nonfaciat continuam palpitationem, ex eo fit, quòd sanguinis, illiusque acris humoris jam multoties in corde fermentati & dilatati particulæ sint æqualiores, multum mitigatæ & minùs acres, atque hinc in eo tam vehementes effervescentiæ in corde excitari nequeant, si modò quantitate mediocri & paulatim in ventriculos illabatur. Quòd si verò cursu, aliove gravi exercitio corpus admodum moveatur & incalescat, hincque sanguis copiosior, cum suis acribus immixtis particulis, rapidè per cor transeat, mox cùm ab aucto calore, tum ab acrium particularum in cor illabentium majore copia, nimis increscit dicta effervescentia, hinc cordis palpitatio exoritur, eaque per quietem rursus imminuitur & cessat, imminuto scilicet calore & nimio sanguinis motu, copiosoque transitu per cor.

Hic autem salsus & acris humor peculiari vitio lienis generatur, ex eoque per ramum splenicum in hepar effunditur, in quo cum sulphureo succo in chymum excoquitur, atque in cava san-

sanguini ad cor fluenti admiscetur. Vitium illud lienis, est quædam prava salsaque ejus intemperies, cum aliqua obstructione, ponderosam molestiam inducente, conjuncta.

Ventriculus satis famelicus est, beneque alimenta assumpta digerit; quia primariò non laborat, & acres succi sanguini immixti per arterias ad ejus tunicas cum sanguine delatis, fermentationem in eo faciunt.

Somnus sufficiens, sed terriculosus est, quia satis copiosi quidem, sed nonnihil acres vapores ad cerebrum feruntur, qui somnum quidem provocant, sed membranas cerebri & principia nervorum subinde nonnihil vellicantes, sicque phantasiam præter ordinem excitantes, terriculosa insomnia procreant.

Affectus hic licet ægrum non repente prosternat, tamen periculo non omnino vacat; partim quia afficitur princeps viscus cor, partim quia lienis illa prava dispositio non tam citò & facilè tolli poterit; ægri tamen robur, & morbus non admodum inveteratus sanationis spem faciunt.

In Curatione ad tres scopos collimandum est, 1. ut lienis vitium corrigatur. 2. ut salsi aëresque humores in sanguine redundantes, partim attenuentur, & meliùs coquantur. 3. ut cor omni modo corroboretur.

Ut his tribus indicationibus satisfiat, primò bis terve medicamentis melanagogis & phlegmagogis humores crudi, salsi & acres è corpore sunt evacuandi, ut pilulis cochiis, de hiera, aureis, electuario diaphœnico, hiera picra, confectione hamech, infusione fol. senæ, agar. &c.

Postea hujusmodi apozema præscribendum.

♃. Rad. helen. fænic. an. ℥ j. cappar. tamarisc. an. ℥ß. herb. chamædr. cuscut. fumar. borrag. cardiac. trifol. palustr. an. m j. meliss. m ij. cortic. citri, baccar. juniperi an. ʒ v. sem. fœnic. ʒ iij. passul. corinth. ℥ ij. aquæ & vini partes æquales, coquant. s. a. & F. Apozema ad ℔ i ß.

Hoc assumpto bibat æger singulis matutinis haustum hujus vini medicati.

♃. Rad. acor. helen. an. ℥ß. cappar. tamar. an. ʒ ij. herbar. chamædr. trifol. palustr. an. m. ß. cortic. aurant. ℥ ß. baccar. junip. ʒ vj. cinnam. elect. ʒ i ß. garyophyll. ℈ j. sem. fœnic. ʒ ij. aloës lucid. & agar. albiss. an. ℈ iv. F. ex his puppa.

Post meridiem utatur bis terve hujus conditi particula.

♃. Specier. diambr. diamosch. dulc. an. ʒ j. cortic. aurantior. & rad. helenii cond. conserv. anthos, flor. salv. meliss. an. ℥ß. syr. helen. q. s. M. F. conditum.

Imprimis autem necesse est ut æger convenientem victus rationem instituat. In aëre versetur calidiusculo. A cibis abstineat salsis, antiquis, rancidis, acidis, fumo siccatis, aliisque quibusvis duræ digestionis & acribus. Item à brassicis & quibusvis leguminibus, à lactucis, cucumeribus, melonibus, multisque fructibus horariis, aliisve pravi nutrimenti. Cibi sint euchymi & facilis digestionis, ut carnes vitulinæ, vervecinæ, agninæ, gallinarum, cuniculorum, perdicum, &c. quarum juscula præparentur cum rosmarino, borragine, melissa, betonica, hyssopo, calamentha, serpillo, foliis lauri, rad. raphani sylvestris, corticibus citri & aurantiorum, seminibus anisi & fæniculi, passulis, nuce moschata, cinnamomo, garyophyllis, zinzibere, &c. Item pisces saxatiles, rapæ, ova recentia. Potus sit cerevisia mediocris notæ, non antiqua, vel acida. In pastu etiam vinum album bene maturum. Somnus & corporis exercitia mediocria sint. Excreta naturalia curandum ut bene procedant. Fugienda ira, terror, curæ, omniaque tristia animi pathemata. *Isbrand. de Diemerbr. Medicat. libro secundo.*

Observationes.

Juvenis quidam vulneratus fuit in dorso sub scapula sinistra, vulnere thoracem transeunte; qui mox febre valida continua, acuta correptus est, & in cordis palpitationem adeò vehementem & violentam incidit, ut etiam extra domum, in qua æger decumbebat, à transeuntibus palpitatio cordis exaudiretur, ut in vita similem casum neque audierim, neque viderim, neque à præceptoribus meis observatum compererim. Ad hunc juvenem cùm ingressus essem, hanc gravem palpitationem animadverti ortum habere ex sanguine intus remanente, vel ibidem concreto. Venam sinistri brachii statim tundere feci, & ilico à detractione sanguinis, inscio Chirurgo, melissam viridem & borragine accepi, contrivi herbas, ne ab adstantibus cognoscerentur, easque supra tegulam mundam ignitam posui aqua rosacea & aceti momento irroratas; quas cùm cordis regioni admovissem, miraculi, seu incantamenti modò ilico cessavit cordis palpitatio, omnibus admirantibus. Hoc autem arcano, nulli nisi verè Pythagorico revelando, aliquando uti videram præceptorem meum Elidæum Paduanum in Nosocomio Bononiæ. Verùm is solo melissophyllo utebatur, nos borraginem adjecimus. *Petr. Forest. de Cord. & mammill. affect.*

Juvenis quidam multo sanguine abundans, cùm subitò in cordis palpitationem incidisset; statim venam secari jussi, in mentem enim venit illud Galeni dictum lib. 5. de loc. affect. cap. 2. quòd palpitatio cordis, pluribus in integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subitò sine alio accidente manifesto evenire visa est, atque eos omnes sanguinis detractio juvit, leniente dein medicamento corpus purgavi; postremò theriacam dedi ad ℈ i ß. superbibendo parum aquæ melissæ. Exteriùs etiam hoc epithema cordi apposui.

♃. Aq. meliss. & borrag. an. ℔ ß. aq. rosar. ℥ ij. garyophyll. cinnam. lign. aloës, cortic. citri an. ʒ ß. sem. ocymi ℈ j. croci gr. v. vini odoriferi ℥ iij. ambr. mosch. an. gr. 3. F. Epithema cordiale. Quibus remediis, vel his similibus, non solùm hic juvenis, sed alii multi convaluere. *Idem ibidem.*

Exteriùs admotum hyacinthum gemmam, regioni cordis, tum etiam corollam ex rubro corallio, sinistro brachio supra manum aliquoties circumvolutam, continuò gestatam, manifesto experimento comperimus eos juvisse quibus cor tremit & palpitat. Unguentum etiam hic addam quô aliàs olim præscribente Antonio Guainerio insigni Medico, ad cordis angustias,

ego

ego fæliciter sum usus in cordis palpitatione.

♃. Olei è flor. nymph. luteæ ℥ i ß. flor. nymph. luteæ ʒj. Corall. rubr. santal. citrin. sem. acet. ana ℈ß. Margar. præp. lign. Aloës odori, ossis è corde cervi ana gr. vii. camphor. gr. iij. F. omnium pulvis M. & cum cera alba lota in aqu. nymph. q. s. F. s. a. Unguentum cordiale quo illinatur cordis regio. *Reynerus Solenander Cons.* 10. *sect.* 3.

Maximilianus 2. Imperator nullum expertus est præstantius remedium in cordis palpitatione, quàm theriacam extra adhibitam. Negari certè non potest medicamenta externa, ut sunt unguenta, balsama, epithemata, arteriis & cordi applicata multum prodesse ægrotis morbi gravitate & diuturnitate debilitatis. Sed advertendum talia medicamenta cordialia, & si cor in medio situm est, meliùs applicaris non in medio pectoris, quod cartilaginosum est, sed paulò infra mamillam sinistram, quò vergit cordis mucro. *Wolfgangus Hæferus Hercul. Medic. lib.* 2. *cap.* 1.

Cordis palpitatio, non unam ut agnoscit causam: sic fit quoque vel à vulvæ, vel à lienis vitio. Quarum partium vapores, turbant nonnunquam tam potenter cor: ut exsuscitata vi sua pulsifica, nihil non moliatur, quo expellat fuligines sibi summè inimicas. Quam reciprocam acceleratorum ictuum, frequentiam, palpitationem vocant medici. Cujus licet variæ sint caussæ; fit tamen illa, quam producit lien, potissimùm, ex præassata atra bile: cujus vapor inducit vehementissimum hunc morbum: uti clarè docet, Vir jurè Magnus Victor Trincavellius lib. 6. part. affect. cap. 12.

Adriano Röestio præfecto marino, excitabat induratus lien, tam algidum malæ sinistræ torporem: ut nullis remediis potuerit calor, iterum in cutem evocari. Unde paulatim obsideri cor; & à tetro malignæ bilis halitu, tam frequentes produci palpitationes, visæ sint; ut æger tandem inciderit in lethalem gangrænam. Sed vix accessere unquam palpitationes; quin triduo ante potuit illas præsagire: ex crudo ac tenui, quod id temporis reddebatur, lotio. Non secus ac Hippocr. ex pellucida, ac alba urina, urgens phrenitidis periculum: ob bilem, uti interpretatur Galenus, sursum raptam lib. 4. Aphor. 72. *Nicol. Tulp. Observ. Medic. lib.* 2.

Novi Nobilem Matronam hypochondriacam, quæ quoties cinnamomo tum in cibo, tum in condimento utitur, palpitationem cordis incurrit. Hæc aliquando tantùm invaluit, ut meum consilium implorare cogeretur. In cura volatilia & aromatica nihil faciebant. Ab acidis tamen insigne sentiebat levamen, præcipuè à spir. pro acidulis, & spir. nitri dulci. *Alardi Hermanni Cummeni.*

Nobilissima quædam p. m. virgo, cùm ei ante aliquot (dum viveret) annos cum ferculo venenum propinaretur, illaque partim naturæ robore per spontaneas easque plurimas dejectiones ἄνω ϰ̀ κάτω factas, partim etiam ope præstantissimorum alexipharmacorum, adjuvante divina gratia, ab ejus nociva vi liberaretur; accidit, ut quotannis ipsa assumpti intoxicati cibi die, nempe sexta Maii, per plures annos, usque ad ultimum vitæ terminum, memorabile symptoma semper recurreret, scilicet anxietas cordis cum Lipothymia gravissima, quæ tamen acceptò aliquò cordiali pharmaco, largissimo sudore solvebatur. *Simonis Schultzii.*

Virum quendam illustris nominis in India nostra, crebram cordis palpitationem, cui pulsus intermittens semper aderat, patientem, quovis tempore semper restituit mistura sequens.

♃. Spir. sal. ammon. aromat. ʒß. C. C. ℈j. Syr. cinnam. corall. perlar. ana ℥ß. Aq. menthæ, fænicul. ana ℥ ij ß. M.

Mercatoris uxor Bataviensis, cachexia ac suffocatione hypochondriaca interdum laborans, maximâ simul cordis palpitatione oppugnabatur. Hanc subitò talis mixtura sanavit.

♃. Spir. sal. ammon. aromat. ʒß. succinati, C. C. ana ℈j. tinctur. Castor. croci ana gutt. x. Essent. cinnam. gtt. vi. Syr. perlar. corall. ana ℥ß. Aq. menth. fænic. aurant. ana ℥ ij. M. detur cochleatim. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medic. Chym. lib.* 2.

Anatomicæ Inspectiones.

Excitari potest cordis Palpitatio à tuberculo, abscessu, intemperie calida, sanguine multo obstructionem faciente, vermibus, subitâ vacuatione, impraegnatione, inflammatione, aqua tunica inclusa, ac humore putri & malè olente plena, lapillis, venenosa qualitate, spirituoso halitu sive ab internis, sive ab externis: Ventriculis cordis, sive in substantia, sive in pericardio, sive arteriis causa consistat: Sive accidat extrinsecùs, ut utero, hepate, liene, ventriculo. E quibus caussis nonnullas in dissectis corporibus hoc morbo peremptis exploratas habuimus. In cujusdam pericardio aqua visa; in alio abscessus in vena arteriosa; in aliis pericardium flatu distentum, qui tandem solet in aquam concrescere, nisi cordis calore dissolvatur. *Scoliographus in Holler. cap.* 29. *de morbis intern.*

Nos in cordis membrana in Palpitationi subjectis ægris observavimus hydatidas. *Guerner. Rolfink. Epithom. meth. cogn. & cur. lib.* 2. *p.* 2. *c.* 1.

Archidiaconi cordis Palpitatione interempti corpore dissecto, abscessus in cordis substantia inventus. *Forest. lib.* 17. *observ.* 1.

Nuper in N. corde qui Palpitatione frequenter corripi solitus erat, veluti lapillus quidam niger repertus fuit. *Thom. Erastus in consil. Scholtzii.*

Quidam audacissimus latro palpitatione cordis frequenter corripi solitus, rotæ fu itaffixus. Nos hujus cordis visendi cupidi, pulsans adhuc incidimus, ac in ventriculo ejus dextro tres reperti lapilli, ciceris magnitudine, coloris cineritii, oblongi, pondo unius drachmæ, &c. *Zacutus Prax. admir. lib.* 2.

In Imperatoris Maximiliani secundi corde secto, inventi sunt tres lapilli quantitate pisorum, unus interim major altero, colore rubiginео. Frequenter verò cordis Palpitatione gravi afficiebatur dum viveret. *Wierus de Præstigiis Dæmonum lib.* 4. *cap.* 16.

Henrici Schrasseri Belgæ annorum 50. cadaver Hamburgi à M. Kirstenio Anatomico & Medico insigni apertum anno 1651. in quo sequentia notabantur publico dignissima. In dextro cordis ventriculo repertum est concremen-

mentum, seu Polypus ingens, qui annatus erat dextræ auriculæ in parte superiore versus cor, & extendebatur sinuato ductu in ipsam capacitatem dextri ventriculi, ubi pariter adhærebat parieti inferiori, implicitus valvularum cuspidibus. Porrò progrediebatur sursum & exibat per venam arteriosam, in cujus truncum & deinde ramos tripartitus, sive distinctus in tres ramos porrigebatur. Rami illi rursum in alios multos surculos, & tandem filamenta desinebant. Circa exortum duos propè digitos erat lata hæc excrescentia, longa spithamam unam & tres circiter digitos. In auricula sinistra inerat alia excrescentia, sed vel nullo modo, vel planè leviter adhærens. In cavitate auriculæ pars erat latior, referens concretum sanguinem, protendebatur autem in arteriam venosam, ubi candicabat, distributa scilicet in aliquot ramos, inter quos erant tres potiores (qui rursum in alios minimos dividebantur) inserti in ramos minores arteriæ venosæ. In aorta reperiebatur alius polypus ejusmodi insignis, cujus pars lata, sive basis, sita erat in divaricatione trunci, ubi etiam adhærebat firmiter, ibique peculiaris quidam sinus instar sphæræ dimidiæ, vel vesicæ effictus fuerat, in quem una & major ejusdem extuberantia inserebatur. Hic appensæ erant duæ quasi radices, quarum una in arteriam dextram immittebatur, altera, eaque bifida, in carotidem sinistram. Basis erat subrotunda instar cucurbitulæ balneatorum, & in longum extendebatur versus cor, ita ut illud non ingrederetur, sed ingressum aortæ in cor attingeret. In fine erat appendicula. Longitudo totius quasi quinque digitorum. Omnia vasa cordis, ut & auriculæ, erant ampliata, mireque dilatata, imprimis caudex arteriæ aortæ. Præterea in vasis iliacis ejusmodi vitia sunt reperta, ut in sinu cerebri falcato, ubi per totam prope longitudinem effusa videbatur concrescentia alia, quæ, imprimis versus posteriora, in duos ramos dividebatur, in plurimos surculos similiter & multas appendiculas distinctas. *Joëlis Langelotti.*

Puer 13. annorum temperamenti sanguineo biliosi, passus est post magnum haustum frigidæ in calore, continuam cordis palpitationem per aliquot annos: accessit Phthisis & Hectica.

Mortuô apertô, non tantùm pulmones accretos, ulcerosos, purulentos reperi, sed etiam cor stupendæ magnitudinis conspiciebatur, plenum & extensum sanguine atro & nigerrimo. Et ut istam sanguinis copiam bene perpenderem, incepi à vasis versus cor progrediendo, ejus apertionem, ubi in arteria magna, ad longitudinem unius digiti, à cordis sinistro ventriculo, in sanguine jam jam à corde extruso, particulam quandam albam, instar unguis minimi digiti inveni, quam tanquam ibi planè præternaturalem cùm acceperim, erat friabilis instar arenæ, & cùm ulteriùs versus cor progrederer, in ortu arteriæ inveni mediam valvulam lunarem, usque ad substantiam arteriæ planè consumptam & deperditam, & illam partem, ubi arteriæ adhærebat, etiam friabilem in similem arenam, sicut alteram particulam arteriæ sanguine refertam, nullum verò pus. *Ex Observ. J. G. Greiselii Medic. Viennens.*

Dom. de Becherar initio mensis Nov. 1646. ad me venit, & de Palpitatione cordis ab aliquot diebus ipsum infestante conquestus est. Pulsum illius contrectans, illum inæqualem invenio omni genere inæqualitatis, ita ut statim in memoriam mihi revocaverit historiam Antipatri apud Galenum, quem ipse censuit habere obstructiones in lævibus arteriis, vel tuberculum crudum. Nulla erat tunc temporis respirandi difficultas, & æger munia consueta obibat, neque ulla remedia nisi diebus festis usurpare volebat: præscripsi statim venæ sectionem iteratam, ac postmodum purgationem, à quibus meliusculè habuit. Post x. vel xii. dies iterum questus est de eodem affectu. Varia præscripsi remedia attenuantia & incidentia citra calfactionem, quibus tamen non usus est variis districtus negotiis. Tandem initio mensis Decembr. decubuit, cùm difficultate spirandi laborare inciperet & tibiæ inflatæ apparerent, & tum temporis remedia præscripta usurpavit cum iterata V. S. quæ cùm per dies xii. continuata nihil opis attulissent, sed malum perpetuò in pejus rueret, convocatum est consilium aliorum Medicorum, quorum sententia fuit esse affectum similem illi qui recensetur à Galen. 4. de Loc. cap. 8. Et ita incidentibus & attenuantibus remediis esse oppugnandum. Variæ remediorum formulæ in hunc finem præscriptæ, sed æger perpetuò in pejus ruebat, summa difficultate spirandi laborabat, & pulsus nullus apparebat in carpo: Admotâ tamen manu supra regionem cordis, palpitatio sentiebatur frequentissima, debilissima & inæqualissima: aucta etiam erat tibiarum inflatio, ut jam etiam crura invaderet. Remedia præscripta fuere prioribus similia, quibus addita sunt cardiaca interna & externa. Biduo post æger ad extrema redactus videbatur: Suffocatio ingens aderat, & pulsus in brachio nullo modo, in corde vix percipiebatur. Eadem die moriturus putabatur: cucurbitulam apponi jubeo regioni cordis cum scarificatione, cujus beneficio Zacutus Prax. Admir. Observ. 133. lib. 1. quendam ægrum à desperata cordis palpitatione liberasse se testatur. Meliusculè habuit, & nocte insequente cœpi excernere per sputum sanguinem nigerrimum, crassum & glomeratum, cum tussi molesta, unde levior respiratio fieri cœpit. Ad expectorationem juvandam utebatur frequenter syr. de tussilagine, cum quarta parte oxymel. simpl. & jusculum galli veteris cum pectoralibus. His remediis per quatriduum continuatis, æger in eodem statu permanebat, sanguinem continuò nigrum & crassum excernens. 5. die à sanguinis sputo 4. Januar. 1647. exhibui elixyr propriet. ad gtt. xii. cum tantillo vini generosi, à quo levamen percepit æger, & tota nocte facilior fuit anacatharsis. Die 6. literatum est elixyr, & jusculum galli veteris, verùm inde non meliùs habuit, sed auctâ in dies spirandi difficultate, & sanguinis sputô etiam plurimùm auctô, die 8. interiit.

Apertô cadavere, inventus fuit cordis ventriculus uterque sanguine concreto repletus ac distentus, tum etiam totus pulmo sanguine multo refertus visus est, unde caloris nativi suffocatio contigit. Præterea in sinistro cordis ventriculo inventæ sunt carunculæ rotundæ, substantiam pulmonis æmulantes, quarum major ad avellanæ molem accedebat, & arteriæ

aortæ

aortæ ostium præcludebat, unde pulsationis defectum in arteriis contigisse puto. *Lazar. River. Centur.* 4. *Observ.* 21.

Puella annorum sex toto vitæ tempore morbis fuit obnoxia, dein Palpitationi cordis & Asthmati, tandem Atrophia periit.

Huic inventa auricula cordis dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba, membranosa, crassa, oblonga. In ipso cordis ventriculo dextro materia pinguedini similis. *Gaspar. Bauhin.*

Vir annorum 27. gracilis corporis habitus, temperamenti calidi & sicci, quatuor annis laboravit cordis continua Palpitatione, cujus unicum remedium fuit sanguinis missio. Verùm symptomate recrudescente, tandem syncope correptus interiit, corde palpitante non in loco proprio, sed circa diaphragma lateris sinistri valde demisso.

Aperto cadavere, cor maximum apparuit, solùm unam continens cavitatem seu ventriculum, in quo ℥ xvi. Sanguinis nigerrimi adnumeratæ sunt. Cordis corpus totum erat emaciatum, arteriæ præ pondere elongatæ & conniventes, ita ut sanguis spirituosus motu cordis non potuerit ampliùs expelli ad arterias. Loco dextri ventriculi vena cava ascendens in ingentem elevata tumorem. Dicite jam, si ambo ventriculi cordis necessarii sunt, an in uno præparentur & in alio perficiantur spiritus? *Anton. de Pozzis, Observ.* 40. *Miscell. Curios. Ann.* 4.

In ventriculis cordis interdum varia p. n. generantur, sanitatis haud parva impedimenta, quæ tamen in ægrotantibus à Medico vix sciri aut agnosci queunt. Frustula adiposa, ac quasi caruncula molles & albicantes, magnitudinis circiter semi ovi, interdum majoris, non semel in iis invenimus & spectatoribus demonstravimus, scilicet in morbo sublatis cadaveribus. Inter alia mense Octobr. 1665. Secuimus & demonstravimus cadaver juvenculæ circiter 25. annorum, quæ vivens diu conquesta fuerat, de summa cordis anxietate & palpitatione, ac leipothymias sæpe passa, sicque tandem extincta fuerat; in quo cadavere etiam tale frustum adiposum, dextrum ventriculum fere replens, & aliud parvum in sinistro ventriculo invenimus, atque diligentiori examine instituto, animadvertimus non fuisse corpus aliquod ex sanguinis coagulatione genitum, sed revera corpus adiposum atque firmum, quod digitorum frictione non dissolvebatur: Hicque mortis caussam fuisse judicavimus, nullam enim aliam in toto corpore invenire potuimus: nec illa vivens de ullo alio malo quàm de prædicta maxima cordis anxietate & palpitationibus ac leipothymiis sæpe recurrentibus conquesta fuerat: quam ob caussam imperiti domestici illam sæpe levi epilepsia sine convulsionibus, vel hysterica passione laborare judicaverant.

Mense Decembr. 1668. in alia juvencula ejusdem ætatis, simile adiposum corpus satis firmum, magnitudinis semi ovi gallinacei, in dextro ventriculo invenimus. *Isbrand. de Diemerbr. Anat. lib.* 2. *cap.* 6.

In Mercatoris cujusdam dissecto cadavere, vidi dextrum cordis sinum, cui vena cava inseritur, interiore sui parte durum, exasperatum undique & quodammodo squamosum, ut inserta manus mea squamarum scabritie offenderetur: Quo in loco continebatur frustum condensati humoris pituitosi, lenti, albicantis, longitudine digiti medii, crassitie pollicis, aut ampliùs, sanguini immersum, quod medullam cruris bovilli calfactam substantiâ & formâ referebat. Laborarat Palpitatione cordis diuturna, ex qua & mortuum narrabat ejus medicus qui me ad sectionem adduxerat. *H. Smetius Miscell. lib.* 10.

Carnosas excrescentias in cordis ventriculo dextro vel sinistro repertas fuisse, in iis qui dolorem cordis & syncopen & passi fuerunt, & pulsum intermittentem habuerunt, refert *Vesalius Anat. lib.* 2. *cap.* 5.

Nicolaus à Sonnevelt circa 12. ætatis annum ex febre quadam acuta evadens, aliquandiu valetudinarius vixit: nam exinde fere per sexennium diversis malis obnoxius vixit, diuturnæ lienis obstructioni, crebris ex naribus hæmorrhagiis, cephalalgiæ, multis catarrhis & tumoribus strumosis in collo. Ad 18. ætatis annum cœpit bene valere, sed morosus valde manebat, qualis in adversa valetudine semper fuerat. Circa 20. annum, crescente robore, a patruo ipsius, qui pannis præparandis operam navabat, ad idem opificium delegatur: ubi mox à suis commilitonibus ad crebras compotationes invitantibus cœpit rursus malè habere. Primò in crebras cordis anxietates incidit; postea in leipothymias & deinde cordis Palpitationes. Cibi potusque erat avidissimus, sed comestum sæpe regerebat, unde debilitas sequuta ipsum decumbere jussit. Tum prædicta mala quotidie augescere, atque Palpitatio tanta suborta fuit, ut in vehementiori animi commotione ab adstantibus audiri posset; quod ipsi tum valde dolorificum erat. 20. Decembr. 1641. è vita decessit & cadaver apertum fuit. In abdomine quidem omnia naturali modo constituta repetiebantur: Sed thorace aperto, inventum fuit cor bovino non multò minus, quippe communem magnitudinem quater circiter excedebat. Increverat autem æqualiter fere circa substantiam & cavitates, ipsaque substantia naturali erat solidior: sed in villis septi intermedii, tres calculi reperiebantur, pisi circiter magnitudine, non admodum solidi, sed arenacei & novaculæ cedentes. Pulmones satis bene habiti, sed utrique lateri paullum fibrillis quibusdam adhærentes, quod ob angustiam pectoris à cordis incremento, ita contigisse videtur. *Otho Heurnius Observ.* 28.

Ventre Comitis Belcarrensis, Palpitatione cordis dum viveret laborante, dissecto, compertum fuit omentum esse macrum & parvum. Hepar valde magnum: splen etiam magnus fuit, repletus nigro spissoque humore. Stomachus ejus & viscera omnia vacua, coloris crocei, distenta solo vento. Vesica fellis tumida humore nigro. Renes repleti specie sanguinis grumosi. In Thorace lobi, idest extremæ partes pulmonum, erant integri, sed malo colore, in sinistra parte nigricantes & cærulei, in dextra albicantes, cum tubere subflavo sub uno loborum. Pericardio dissecto nil aquæ istius apparebat cui cor solitum est innatare; ejusque exterior superficies, à basi usque ad verticem, non erat plana sed asperrima: cùm seorsim dissectum est quantitas albi inspissatique liquoris effluebat,

& infra basin, inter dextrum & sinistrum ventriculum, duo lapides reperiebantur, quorum alter magnitudine æqualis erat amygdalo, alter erat duos digitos longus & unum latus, habens tres auriculas vel crispos angulos: Et in orificio dextri ventriculi erat materia carnosa pinguis. Totum corpus erat sanguine destitutum, tenue & emaciatum, colore nigro & subcæruleo. Cranio aperto tam cerebrum quàm cerebellum erant secundùm proportionem corporis magna, & ex eo plus sanguinis effluebat quàm in ambabus aliis regionibus visum fuerat. *Ex Act. Philosoph. Societ. Angl. Ann.* 1665.

Cordis involucrum pericardium vocatum, continet unum aut alterum viscidæ aut rubicundæ alicujus aquæ cochlear; cùm ad faciliorem motum visceris nunquam quiescentis, tum ne præ nimio æstu facilè excandescat fons caloris, qui instar Solis vitam impertitur corpori universo: Aqua autem vel copia nimiùm exuberante, vel calore à statu naturali decidente, exoritur protinus vehemens cordis Palpitatio, cujus indefatigabili motu satagit nobile hoc viscus excutere quod quacunque ratione sibi molestum est, cujus voti nisi reddatur compos, & se & corpus perdit universum. Stephanum Jonam juvenem vegeti corporis, defatigatum impensè ex pedestri itinere, corripuit inopinato quasi insultu acutissimus lateris sinistri dolor cum spiritu difficili, ac summa cordis Palpitatione: Quorum symptomatum impetum, cùm nec sanguinis detractio, nec roborantia ulla infringerent medicamenta, actum fuit de ipsius salute, succubuitque sub pondere viribus nimis gravi, contracta, non tantùm febre hectica, verùm etiam hydrope, abdomen usque eò extendente, ut necesse habuerit tandem sub sudore frigido, vitam cum morte commutare.

Quorum symptomatum gravissimorum ergò, ubi dissecaretur cadaver, invenimus cor flaccidum, ac justo majus; aquam verò pericardii exuberantem ad 15. cochlearia: quæ ipsius copia produxit proculdubio palpitationem cordis. Pulmo totus erat vitiatus, costisque accretus. Venæ ubique tumidæ. Omentum putredine infectum; uti venter cum cruribus aquâ citrinâ repletus. Cavendum itaque obnixè à nimia defatigatione, quæ tantum mali corpori dat. *Nicol. Tulpius Observat. Medic. lib.* 4.

In corpore cujusdam Gorzensis oppidi incolæ, Jacobi Loret, jampridem Palpitatione laborantis & spirandi difficultate, repertum Pericardium immanem in tumorem elatum, pluribus libris aquæ distentum. *Carol. Piso de Illuvie Serosa sect* 3. *cap.* 11.

Contingit aliquando circa Pericardium tumores & inflammationes fieri; si crudus tumor, vel tuberculum fuerit, palpitationem, vel tussiculam facit: si verò inflammatio, eadem symptomata erunt quæ in peripneumonia, & hac nota discernuntur, quòd minori anhelandi difficultate laborent, & minùs levantur frequenti & multa expuitione: Æstus maximus & febris maxima in tali affectione esse solet. Nos hanc affectionem deprehendimus in Nobil. & Generoso viro, cujus cor erat obductum seroso humore verso in saniem quandam ob partis illius inflammationem. Et ne decipiaris, sentiunt quoque dolorem in lateribus membranæ hypezocotæ consentienti. Ipsi pericardio rarissimus est hic affectus, à quo pauci evadunt, quem nemo, adhuc quod sciam, annotavit. *Rondeletius de dignoscend. morb. cap.* 10.

Calculum ubivis locorum in homine reperiri certum est, sed in arteriis qui invenerit, hactenus quidem inveni neminem; ac proinde operæ pretium facturus videor si ejus exemplum hic inservero. Joh. Arminius Pharmacopolæ minister, ob adversam valetudinem frequentibus medicamentis à puero magis imbutus quàm adjutus, devenit tandem in tam vehementem cordis Palpitationem, & irrequietum agitati visceris impetum, ut verberantis ictus distinctè nonnunquam audirentur præ foribus conclavis, in quo id temporis decumberet. Quibus accessere frequens animi deliquium; præcordiorum angustia, spiritus difficultas, pulsus intermittens, urina nunc flava modò nigra, modò cruenta, vel muco aut arenulis perfusa: Sed ulterius proserpente morbo incidit quoque in anorexiam ventriculi, cum crebro vomitu, jecinore indurato, abdomine intento, cruribus tumidis, & tanta aquæ copia, ut necesse habuerit ultimum obire diem.

Quorum symptomatum ergò ubi dissecaretur cadaver, inventum omentum putridum ac cruentum, sed jecur magnum & plurima pituita refertum; at reliqua viscera ita parva, ut lien vix dimidiatam manum, ventriculus vix intestini jejuni, & vesicula fellis vix articuli digiti æquaret magnitudinem. Vesica urinaria erat admodum corrugata, & præ torrido æstu planè nigra: In pancreate verò omnia dura; at in pulmone nihil non aridum ac maculosum: Cor contrà magnum & amplum, sed sine pericardio ullove vel minimo illius vestigio: Intestina verò innatabant aquis, ut pulmo bili flavæ. In rene dextro latitabant plures calculi, partim rubri, partim nigri, quos inter unus, cæteris major, obturabat integrè ureteris principium. At prope renem sinistrum dedit se nobis in conspectum inauditum illud calculi genus, quod à loco cui adhæsit, lubet vocare arteriale: insidebat quippe firmiter illi arteriæ aortæ ramo, qui vergit ad glandulam Eustachii sinistro reni impositam. Disruperat autem caput ipsius (ita appellamus rotundam excrescentiam illius calculi, quæ cum angustiore collo haud malè refert caput implumis pipionis) arteriæ tunicam, latitante reliquo corpore in dilatata ipsius fistula: sed ita ut vulneris oræ minimè hiarent, verùm contraherentur tam arctè circa ipsius collum, ut vix guttula sanguinis potuerit illinc effluere. At verò protuberans hæc pars, quam caput vocamus, ut reliquo calculi corpore fuit durior, sic discrepavit quoque parum à silice, sed quod delituit in arteria erat molle: foris quidem ob adusti succi melancholici miscellam, nigrum, sed intus albicans ac concretæ pituitæ simile: at capitis color fuit ex flavo cinereus, ad instar lapidis bezoar occidentalis: totus autem lapis referebat ad amussim implumem aviculam, sed lanci impositus ponderabat drachmas duas. *Nicol. Tulp. Observat. Medic. lib.* 2.

In fœmina asthmatica & cordis Palpitatione laborante, corpora pituitosa ulnæ longitudinem su-

superantia ex aorta extraxi. *Johan. Jac. Wepfer. Exercit. de Apoplex. p.197.*

Callum cuidam in arteria magna loco cordi proximo, natum observavimus. Multis hic annis cordis Palpitationi obnoxius crebro fuerat: Sex verò ante mortem mensibus, in sinistro carpo pulsum tam exiguum habuit, ut nullus sæpe apparuerit, ac sæpe sentiri non potuerit. Fuit palpitante corde: Difficile fuit admodum potum admittere, si ut vix unciam simul bibere potuerit. In pectoris spatio sublutei coloris humor collectus quoque fuerat. *Dodonæus Annot. in cap.3. Benivenii.*

Reverendus N. jugi rerum cælestium contemplationi addictissimus, statim à primis unguiculis perpetua, sed quæ in dies, prout ætate proficiebat, cresceret, palpitatione laborabat; cumque 42. annos natus esset, multaque medicamenta frustrà admovisset, morbi longitudine & fastidio, vel potius impatientia victus, se tandem veneficæ mulierculæ curandum, vel potius enecandum tradidit; nam sumptis 3. aut 4. potionibus, nihil tamen proficientibus, ad colocynthid. ellebor. nigr. cataput. seminis decoctum devenit, unde subortæ convulsiones quæ ad mortem comitatæ sunt.

Cadavere aperto singula intestina intus & extra observavi, maximè verò ipsum ventriculum valde magnum; namque in eo crudi humores, plurima & copiosissima pituita vitrea fuit reperta, & medicamento paulo ante assumpto commixta & confusa. Apertò autem thorace, pulmones turgidos & flatibus plenos inveni, quibus per mediam membranam separatis, cor ipsum valdè magnum neque naturaliter formatum apprehendi: atque pericardio dissecto, ecce inter arteriæ magnæ caudicem, & venæ arterialis radicem, in cordis basi, talem excrescentiam reperi carnis, quæ unciam unam, cum sex drachmis libraret, & aliud corculum repræsentaret: adeo ut unica fuerit perpetuæ Palpitationis causa, mortem tamen non tulit, sed potius ejusmodi potionum assumptio. Eam autem excrescentiam summa qua potui diligentia liberavi, vino lotam & mundatam exsiccavi, quam adhuc reservo. *G. Garnerius Einshemiens. in Observat.*

Filius Parei Typographi adolescens, cùm frequenter utraque manu terræ innixus, uti pueri lusus caussa facere consueverunt, corpus in altum erigendo rotaret, cœpit cordis palpitationem & pulsationem vehementem in sinistro latere, circa ventriculi ferè regionem, sentire, quam à corde eò usque propendente proficisci, sectio post mortem; sed & quod capiti innixus, cor denuò ad superiora ducebatur, satis declarabant. Nam asciticus factus, cùm mortuum eum aperirem; Cor, relaxatis involucris & vasis illius, quibus suspenditur, subsedisse, & mucrone suo, succingenti tunicæ, circa septi regionem, deprehendi affixum. Dein & præter reliqua, hepatis, lienis, renumque vitia, asciticis consueta, etiam in medio cordis dissecto, os tribus articulis constans, cavumque & arenosa quadam materia repletum inveni. *Felix Plater. Observat. lib.3.*

Princeps quidam valetudinarius cùm ex cordis causationibus multo tempore gravissimè, affligeretur, à Medicis suo pertinaci malo remedium quærit: qui variis lectissimisque medicamentis frustrà subsidium quærebant: accidit ut & Medicus tyro quidam, qui Principis Medico familiariùs innotuerat, eodem casu cognito, inter alia quoque referret, comperisse sese superioris ætatis conscriptorum consiliorum medicinalium lectione, vermis quoddam genus cordi nonnunquam innasci, quod nullis remediis, præterquam unius allii, ejusdemque mane sumpti, usu cederet atque necaretur: Quod remedium, quia vulgare, atque ob id Principi viro, cui pretiosa & exotica potius expetebantur, neglectum est. Principe igitur morbi diuturnitate & sævitia tandem devicto & mortuo, mortis causa abdita investiganda fuit. Dissecto cadavere, deprehensus est vermis albus, præacuto rostello, eoque corneo præditus, cordi adhærescere: quem Medici vivum ex allii succo in mensa figuratum conjiciunt circulum, fera circumquaque rependo mirificè se contorquet, & ne circulum contingat c. vet; tandem vero allii vi & nidore victa concidens, circulo adhuc conclusa moritur, unde non tam morbi causa legitima, quàm certa & indubitata remedii vis manifestè innotuit. *Johan. Hebenstree libell. de Peste.*

Cognitum habemus Treveri virginem diu multumque de cordis, tum dolore, tum tremore, conquestam, & mirum in modum tortam & excruciatam fuisse; remediis, quæ ad robur cordis aliàs sunt, frustrà tentatis, tandem ægra moritur. Sectò ad veri indagationem corpore, vermiculi in corde, mali hujus tam funesti, causæ deprehensi sunt. *Ex M. E. Stakeri.*

Excitari potest cordis Palpitatio à plurimis causis. In quodam vidi genitam ab abscessu in vena arteriosa. *Scholiogr. Holler. ad cap.29. lib.1.*

Repertum est Romæ nuper in Beato Philippo Nerio Sacerdote, qui sæpius in cordis Palpitationem incidebat ex vehementi extasi, cor valde amplum, & arteria quæ ducit in pulmonem duplo latior naturali: Eidem duæ costæ mendosæ in latere sinistro abruptæ a suis cartilaginibus, follis instar elevabantur & deprimebantur dum palpitationem pateretur: quo remedio divinitus servatus est ne extingueretur, usque ad annum octuagesimum. *Andr. Cæsalpin. Catopri artis Medic. lib.6. cap.20.*

Vidimus palpitantem affectum ob aneurisma in Liene. Quòd si in corde ipso aneurisma sit, lethalis est affectus. *Ballon. lib.1. Consil.29.*

Non vulgariter nos mirari coëgit Nobil. viri Cor, in cujus sinistro ventriculo glandulosæ, sed nigricantis interim carnis libras duas reperimus, corde instar uteri ad hujus carnis molem extenso, & homine ante mortem, habitu utcunque melancholico, & ad morbum vigili, & pulsu prædito miris sanè modis inæquali & vario, quique arteriæ contractionem manifestè ostendebat: Ita enim multis mensibus ante mortem (cùm tamen ante mortem veluti sanus obambularet) pulsus aut arteria contrahi visa fuit, ut trium aut quatuor pulsationum ictuumque intervallo contracta maneret, velutque expulsionem moliretur: Imò postremis vitæ septimanis, ex novem ictuum intervallo, tres tantùm, aut duæ dilatationes arteriæ, tactui subinde occurrerunt: Deinde animalis facultas cum principis animæ functionibus, ad

mortem usque satis constabat, quæ non tam ex cordis vitio proximè obvenit, atque ex sinistri cruris gangræna, quæ ab impedito arteriæ pulsu occasionem perinde duxit, ac si intermissi illi ex cordis vitio pulsus cruris illius nativum calorem aptè eventilassent: Potissimùm cùm ex Sclopeti ictu, ante aliquot annos, ipsi vitiata esset arteria quæ fibulam petit. *Vesal. lib. 1. cap. 5. de human. corpor. fabrica.*

Quidam ætatis anno 30. circiter ex renum ulcere laborans, integro die ante obitum sine pulsu jacebat. Dissecto cadavere, uterque cordis ventriculus duabus quasi turundis oblongis, adipis concreti obstructus est. *Velschius Episagm. Observat. 34.*

Quæ in partibus internis contingunt aneurismata, sunt incurabilia, qualia frequenter accidunt his qui litus & sudores ad curationem luis venereæ multoties pertulere, quòd sanguis attenuatus, & nimium inde incalescens, nec jam arteriæ conceptaculis contineri potis, ipsam in eam distendat amplitudinem, ut manum in pugnum complicatam capere possit: Quod ego animadverti in corde vestiarii cujusdam, qui ex aneurismate arteriæ venosæ, repentè, dum pila palmaria luderet, rupto vase, corruit. Ille dum viveret micantium impetu arteriarum omnium pulsum, ingentemque toto corpore calorem se percipere dicebat, cujus rei occasione sæpe animo linquebatur. Dom. Sylvius interdixit illi vino, aquam coctam pro potu, & pro cibo lac pressum, caseosque recentes esse, atque cataplasmatis forma imponi dolenti & tumenti loco voluit. Vesperi ptisana ex farina hordei & semine papaveris utebatur, clystere verò ex refrigerantibus & emollientibus, aut cassia sola per intervalla utebatur, quibus remediis multò meliùs sibi esse dicebat.

Dissecto cadavere, magnam sanguinis copiam in thoracis capacitatem effusam inveni, arteriæ verò corpus, in eam quam dixi amplitudinem dilatatam, internamque ipsius tunicam osseam, quô ego, nomine ejus, paulò post, cum magna admiratione, copiam in Scholis Medicorum feci, dum cadaver publicè dissecarem. *Paræus lib. 6. cap. 28.*

Anno 1654. in Principis cujusdam filiolo octo dierum observavi casum satis rarum. Toto vitæ vix cœptæ tempore submissè nec clarè vagiebat, non aliter ac si hypochondria essent inflata, lac sugere recusabat, alvus erat difficilis, excreta dura. Mox & inopinatô paroxysmô quodam corripitur, primò, ut putabatur, Epileptico, qui tamen cessavit, paulò post iterum rediens. Facies tota, ut & corpus totum, rubicundum primò, mox ad puniceum colorem vergebat, respiratio intercipiebatur oculis planè immotis, pedibus manibusque parum saltem calcitrantibus, pulsus nec in carpo nec in cordis regione observatus ullus. Ita decubuit pro mortuo sæpius habitus per quadraginta octo horas, intra quod temporis spatium centenis ejusmodi paroxysmis ex intervallo primùm minoribus ad finem verò tendente vita majoribus divexatus, remediis omnibus irritis. Post mortem autem D.D. Wernero Imperatricis Leonoræ viduæ Medico adminiculante me aperto cadavere, nutritioni dicata viscera omnia optimè constituta reperta, aqua saltem citrina in cavitate abdominis cochlearis mensura stagnante. Circa superiores autem utriusque lobi pulmonum partes acuminata duo tubercula conspiciebantur, variegati coloris ex rubro punicei, quô ferè totus pulmo conspiciendus erat, quæ aperta vomicas referebant, amurca instar materiæ meliceritidis ex albo nigricante plenas. Quæ vomicæ proculdubio hujus asphyxiæ causa extitere, denegata circulatione ex dextro in sinistrum cordis ventriculum, quam primis vitæ diebus, anastomosis venæ cavæ & arteriæ venosæ in Embryonibus conspicienda supplere potuit, ea autem pedetentim coalescente, defecit sanguinis motus, & orta ista asphyxia. D. D. Werner causam flatibus ex ventriculo & mesenterio elevatis ob materiam fermentantem adscripsit, anxiéque in viscera, ut sententiam contra me, qui pro pulmonum affectu quodam, sub quo τὸ θεῖον subsit, habui, tutaretur suam inquisivit, exiguum quod in plicis ventriculi hærebat, phlegma tenaciter, antequam pulmones inspexeramus, tanquam flatuum causam accusans, postmodum facillimè in aliam sententiam prolapsus. Renes solito majores reperti & rubicundi. Hepar sat magnum saturata rubedine. Lien nigrioris paulò, quàm in infantulis solet, coloris, substantia aliàs & figura naturalis. *Paul. Spindlerus observ. Medic. centur. à Carol. Raygero edita.*

Latro quidam è patibulo quò suspensus fuerat, veluti jam mortuus, sed qui tamen adhuc viveret, depositus atque curatus convaluit; verùm ut erat homo ingenio malo pravoque, ad eadem statim scelera revolutus, pro quibus antea extremum promeruerat supplicium, iterum capitur atque suspenditur. Hominis admirati nequitiam, mortui cadaver incidendum curavimus, & inventum est cor ejus undique pilis refertum. Hoc idem inventum est in corde Aristomenis Græci, qui solus perhibetur integras acies pugnando in fugam vertisse. Est ergo non tantùm scelesti ingenii signum, sed quandoque etiam raræ fortitudinis. *Anton. Benivenius de abdit. morbor. & sanat. libro, cap. 38.*

Annorum circiter 20. homo, corpore gracili ac teneri, per aliquot annos cordis palpitationem passus est, quæ adeò violenta fuit ut costæ extra locum protruderentur, imò tumor à vehementi palpitatione in sinistro pectoris latere manifestè videbatur. In carpis pulsus remissus satis. Se quietum tenere cogebatur, nam ad quemvis motum paulò celeriorem anhelus fiebat, & cum animi deliquio palpitatio augebatur. Tandem post crebras Lipothymias, ac paroxysmi exacerbationes vehementiores; cum manuum ac pedum infrigidatione, mors, quâ nihil exorabilius, colophonem imposuit.

Dissecto Thorace, Cor tumefactum erat, præsertim dextra cavitas, quæ & sanguine coagulato non tantùm tumuit, ast carnosum latus magis carnosum & crassum, quàm solet, fuit. Arteria & vena pulmonalis coagulato cruore distendebantur, vena autem sinistrum cordis ventriculum ingressura interiùs cartilaginosa substantia ferè claudebatur, adeò ut vix aciculam crassam admittebat.

Causa hujus Palpitationis manifesta est, omne enim malum ab occlusione venæ pulmonalis dependebat. Cùm enim sanguini per sinistram

ſtram cordis cavitatem liber tranſitus non pateſcit, in cordis ventriculo dextro, ac pulmonibus, eorumque vaſis certe ſtagnare cogitur; & per conſequens novimus ſanguinem ſtagnantem coagulari; hinc ſanguis grumoſus & coagulatus ortum habuit, imo & cordis vaſorumque pulmonalium intumefactio, præſertim dextri ventriculi; qui & magis muſculare, craſſum & robuſtum erat, quia occludente vena pulmonali, fibræ cavitatis dextræ ea fortiùs ſanguinem in pulmones propellere debuerint; hinc vis iſtarum fibrarum aucta fuit, & fibræ magis magiſque diſtentæ; ut illi qui à juventute continuis laboribus aſſueſcunt, robuſtiores & magis toroſi fiunt, quàm qui delicatiori vitâ fruuntur.

Facilè quoque percipimus, quare cor tam vehementer coſtis allidebatur, ac coſtæ extrorſum protruderentur, hoc quippe factum fuit à motu cordis fortiſſimo, nam cùm ſanguis venam pulmonalem ſubire non poterat, motus quaſi duplicabatur, quia ſanguis ſe reflectere cogebatur.

Ad quemvis motum concitatiorem anhelus fiebat, ex eo quòd ſanguis tunc celeriori motu per pulmones concitatus, ibidem gradum progreſſionis ſiſtebat: atqui hoc modo impletis à ſanguine ſtagnante pulmonibus aëris introitus excludebatur, & anhelus fieri coactus fuit.

Arteriarum pulſatio in manuum carpis admodum remiſſa fuit, non mirum nam ex cordis ſiniſtro thalamo paucum ſanguinis exibat, unde & ſucci cerebrales pauca in quantitate in cerebri glanduloſa parte ſegregabantur, qui & elater pulſuum, omniumque actionum humano corpore ſunt.

Morte tandem appropinquante, ſanguis ferè in pulmonibus fixus ſtagnabat, quare & partium externarum frigus oriebatur, nec non lipothymia crebræ. *Stephan. Blancard. in Anatomia Practica.*

Similem ferè obſervationem anno 1683. medio Decembr. hic Amſtelodami, præſentibus Freder. Ruiſch, van Seil, van Tongeren, aliiſque Doctoribus & Philanatomicis, habuimus.

Vir, niſi fallor, 30. annorum, cùm vivebat quotidie de tuſſi cum anhelatione pectoris, ac gravitate circa hepatis regionem querebatur: ac à motu corporis celeri in cordis Palpitationem incidebat, quæ poſtea ſenſim ceſſabat. Aliquot diebus ante obitum crebras lipothymias patiebatur.

Thorace diſſecto, aliquot libris lymphæ, recenter ex vaſculis lymphaticis effuſæ, pectoris cavitas repleta erat. Cor duplo majus quàm ſolet. Arteria magna unà cum valvulis circa cor, oſſeam, ſeu potiùs petroſam duritiem acquiſiverat, & tam arctè occluſa, ut vix craſſiuſculæ aciculæ glandem admitteret. Hepar planè ſchirroſum fuit.

Per anguſtatam & penitus fere concretam arteriam, tanta ſanguinis copia eam pertranſire nequibat, quàm quidem decuit: ideoque in ipſo corde ſtagnare, ac motu ſuo reflecti cogebatur, unde jugis cordis palpitatio, ejuſque laterum dilatatio, & magnitudo ſolitam peripheriam ſuperans. Cùm porrò ſanguis nec pulmones liberè pertranſire poterat, lymphatica vaſcula adeò premebantur & coarctabantur, aut ruptis vaſculis lympha in pectoris cavitatem efflueret.

Sanguis interim & cor & pulmones ſubire impotens factus, in ipſo hepate, à quo ad cor magna quantitate ſolet aſcendere, morari nimis coactus fuit, ac interim ex mora diuturna in eodem coagulatus fuit & corruptus, unde circa cordis regionem dolor gravativus. Cætera viſcera ſatis ſana erant, quia à ſanguine minùs lædi poterant. *Idem ibidem.*

Civis quidam quinquagenarius de dolore continuo capitis & circa ſcapulæ dextræ regionem queritur, imò de tuſſi Palpitatione cordis, atque his aliquot menſibus vexatus fuit.

Aperto cadavere, hepar erat ſchirrhoſum, lien ex obſtructione ſolito major Pectus humore lymphatico plenum fuit: pulmonis dextra pars ferè abſumpta & ſiniſtra magnopere inflammata. Pericardium haud mediocriter dilatatum puris & ſanioſi ſanguinis ultra quatuor libras continebat. Cor læſum non erat niſi ſuperficie tenus.

Ex hepatis ſchirrho & lienis intumeſcentia, pulmoniſque dextri conſumptione, liquet, liquores per univerſum corpus circulari ductu liberè vehi impotentes, in iis viſceribus moram contraxiſſe: ex mora corruptio, inflammatio, dolor, tuſſis, cæteraque ſymptomata. Prima humanæ ſapientiæ laus eſt valde ſimilia poſſe diſtinguere. Quis Apollo Hydrocardiam divinaret? Eſt procul à nobis ſæpe præſentia veri.

Poſt mortui cadaveris ἐπίσκεψιν pectus & pericardium, ex ruptis ab obſtructione lymphaticis, lympha corrupta plenum. Æger, cùm in vivis eſſet, de deſtillatione frigida ad latera colli in pectus querebatur. Num ex cerebro, de cujus dolore moleſtabatur, per membranarum intercapedines, liquor ibi reſtitans in pulmones & pericardium deſcenderit, nec ne, dubium, cùm viæ non patebant? Fortaſſe leves nervorum convulſiones fuerunt.

Humores in Pericardio collecti, ſuâ acrimoniâ ipſum cor affecerunt, unde ſæpe in Palpitationem incidit; imò ob copiam collecti in Pericardio humoris, cordis latera adeò compreſſa, ſanguinem dimittere non potuerunt, quod ſæpe fit, cùm ſanguini liber tranſitus per cordis thalamos denegatur. Nunquam quis in Palpitationem incidit, niſi in corde, vel circa ipſum, obſtaculum ſit; quod ex inſpectis cadaveribus ſemper manifeſtum eſt, *Idem ibidem.*

Vir nobilis poſt naufragii terrorem queritur de Palpitatione cordis, ipſum ab aliquot diebus infeſtante: pulſus ei continuò inæqualis. Cùm hoc ſymptoma diu perſeveraverat in difficultatem ſpirandi incidit. Poſtea omnibus in peius ruentibus, pulſus in carpo nullus; aſt ſupra regionem cordis frequens, debilis admodum & inæqualis. Crura & pedes inflati. Ante mortem ſanguinem nigerrimum & craſſum ac glomeratum exercebat. Æger, ad extrema redactus moritur.

Viſceribus perſcrutatis, cordis uterque thalamus concreto ſanguine diſtentus, imò ipſi pulmones plurimo ſanguine referti. In ſiniſtra cordis cavitate, carunculæ ſatis magnæ inventæ ſubſtantiam pulmonum æmulantes, quæ arte-

riam magnam obstruebant.

Post terrorem sæpe coagulatur sanguis, qui in pulmonibus & corde hærens ejusmodi symptomata concitat. *Idem ibidem.*

Quidam à tribus annis in Palpitationem cordis incidit, quæ, cùm nimium laborando fatigasset, magis exacerbatur.

Post obitum in aorta supra valvulas semilunares tria corpuscula membranis tecta, invicemque unita; inventa, quibus sanguinis exitus præcludebatur. Ad ejusdem arteriæ ex corde exitum osseum quid longitudine transversi digiti repertum. *Idem ibidem.*

In Virgine præter propter quinquagenaria post absolutam vigintiquatuor horarum ἀσφυξίαν extincta, polypos grandiores in corde multo ampliore, quàm illud quod tanquam stupendæ magnitudinis depingit Kerkringius in Spicileg. sui Anatom. observ. 16. invenimus. Polyporum autem illorum alter auriculam cordis dextram lato & crasso principio propè opplens, contractior sensim factus in ventriculum dextrum descendebat, ejusque infimæ parti per sui extremitatem affigebatur, unde quasi revolutus in amplum abibat corpus, quod polypi velut alter truncus, postquam totam prædicti ventriculi longitudinem decurrisset, per varias venæ arteriosæ ramificationes aliquantulum divagabatur. Alter polypus è pluribus radicibus, in ventriculi cordis sinistri, tum fundo, tum parietibus, positis, ortus, duos propè digitos eâ sui parte quâ ventriculum occupabat, latus, dimidium crassus, circa prædicti ventriculi exitum multum contrahebatur, & in aortam ascendebat. Prioris substantia firmior glandulosum quid, fibris variis quasi nerveis intertextum exhibebat; in cujus medio per totam longitudinem vas sanguineum visebatur. Posterioris verò substantia è fibris quasi sanguineis glutine quopiam albo infarctis, compaginata erat. De his, ut & de Polyporum generatione plura vide in *Bibliothecæ nostr. Anatom. Parte 2.*

CORNEÆ TUNICÆ MORBI.

Curationes, Consultationes, & Observationes ex variis.

Curationes.

Tunica Sclerotica seu dura dicta, à dura matre oritur, estque crassa & posteriùs opaca, hinc ejus partem anteriorem nuncupant tunicam Corneam, quia est sicut cornu politum & pellucidum; cui tunicæ plures contingere solent affectus, & primò ipsi accidit *Crassities* quædam & nihil aliud est quàm obstructio pororum tunicæ hujus Corneæ; inde ægri hoc affectu infestati quasi per fumum videre coguntur, & ipsis nebula quasi in superficie apparet.

Nebula verò est color Corneæ parum mutatus ab humore subtiliori illapso ita factus.

Albugo aliis dicitur & *Leucoma*, estque macula alba Corneam nostram tunicam ita densam reddens, ut radiis transitus denegetur. Describi potest, quòd sit macula quædam Corneæ tunicæ, ex condensatione humoris impacti, vel propter cicatricem vulveris ulcerisque, vel propter obstructionem à viscido crudoque humore inductam oborta, visionem lædens.

Differt à Nubecula (νεφελίω) durâ crassitie. Generaliter utraque species cicatricum ἐλῶ nomine venit: nemo Medicorum vix has species discernere potest.

Pustulæ super Corneam tunicam sunt tumores à vi externa, & continui solutione ut plurimum exortæ.

Hypopyon, nonnullis *Pyosis*, aliis *Lunella* audiens, est puris quædam sub tunica Cornea (*seu potius inter lamellas è quibus compaginatur*) collectio, aliquando post Ophthalmiam malè curatam, interdum etiam post sugillationem, materia in pus transmutatâ, oboriens.

Ulcera huic membranæ & sæpe accidunt ab acri acido, lympham ex glandulis oculi emanantem ita corrumpente exorta: ut & *Vulnera*, facilè enim fieri potest ut à re externa violenta Cornea hæc membrana rumpatur & humor aqueus effluat. Sic & erosa & rupta Cornea tunica oritur tumor qui Græcis *Staphyloma* dicitur.

Pars affecta est tunica Cornea dicta, quæ involvit totum oculum anteriorem, & sub se humorem continet aqueum.

Affectus hi faciles sunt cognitu, & ipsos nostros feriunt oculos. Cognoscitur *Crassities* & *Nebula* exinde, quòd nebula quasi in superficie appareat, & ægri quasi per fumum videant. Sic & *Pustulæ* quæ sunt tubercula & ipso visu cognoscuntur, magnitudine granum milii æquant. *Nonnullæ* sunt cum inflammatione, plures absque hac; aliæ sunt superficiariæ, aliæ profundiores, albæ magis videntur, & facilè totam carneam corrodere possunt.

Hypopyon verò ex eo cognoscitur, quòd pus, vel nigrum totum oculi occupet, vel iridem adimpleat, & per tunicam corneam pelluceat, maximè commotô oculô, vel portio ejus haud ita magna in cornea unguem resectam, vel lunam decrescentem seu falcatam præsentet, unde etiam nomen adipiscitur *Lunellæ*.

Ulcera & Vulnera nullis peculiaribus indigent signis, & facilè à perito Chirurgo solo adspectu, & relatione ægri dignosci possunt.

Causa *Crassitiei & Nebulæ* consistit meo judicio in obstructione pororum tunicæ Corneæ à particulis humoris viscidioribus: dictæ enim particulæ facilè ei agglutinantur, & crassitiem inducunt, atque vel ex massa sanguinea, vel ex lympha è glandulis exudante sufficiuntur; Plerumque verò hic morbus fit ab acidorum ac frigidorum applicatione, unde tubuli facili negotio obstruuntur.

Albugo seu macula alba, oritur à crassa & viscida materia, circa has partes se coagulante; sic quoque à cicatrice post vulnus vel ulcus facta. Particulæ enim viscidæ tunicæ Corneæ poris intrò foràs spectantibus, adeò sæpe infarciuntur ut corpus aliquod membranaceum repræsentent, unde necesse est ut suam amittat perspicuitatem ac crassior evadat, quod in senibus non rarò contingit, ob fibrarum duritiem ac rigiditatem nimiam, quod irreparabile inducit damnum. Idem ferè contingit à cicatrice

trice ex ulcere relicta, cujus occasione densior reddita Cornea *Leucoma* contrahit, cujus magnitudo variare solet.

Pustulæ hujus Corneæ oriuntur, vel à solutione continui ab externa injuria facta; vel humor partis coacervatus ac collectus stagnationem & obstructionem facit unde pustulæ enascuntur, aut propter frigus fit tubulorum constrictio, aut per acidum humores coagulans, aut per remedium externum malè adhibitum eos incrassans, unde illorum præcipuè particulæ salinæ malè figuratæ, tubulos prædictos transire nequeunt, ac propterea tam densè agglomerantur, ut circa tubulos corneæ restitent, ac hasce pustulas inferant.

Hypopyi causa proxima est puris collectio in Cornea. Pus autem exinde oritur, quòd ipsi succi in graviori Ophthalmia, aut contusione, vel sugillatione extra vasa diutiùs constituti corrumpantur, & acescere incipiant, sicque multas particulas acidas inter fibras hujus tunicæ transmittant, quæ tubulos earum obstruentes, & pristinas transmutantes figuras, materiæ subtili consuetum denegant transitum, hinc illa fibras impetuosiùs agitat, unde fibræ irritatæ ad sistendum illum in regionibus suis excitatum tumultum, omnes concutiunt canales, qui tum inordinatè suos effundunt succos, quò impetus ille materiæ subtilis vi contraria sedetur. At varia & intemperata sic confluit diversorum humorum, etiam chyli crudioris, miscela, quæ peculiarem sibi efformat fossam, modò in medio Corneæ majorem, & *Hypopyon* cernitur, modò in ejus fine sub initium Uveæ, unde figuræ hujus tunicæ se accommodare tenetur, & figuram unguis resecti, seu lunæ falcatæ præsentat, & propterea nomen *Lunellæ* nancíscitur.

Vulnerum in hac parte, ut & in omnibus aliis, causa est continui solutio & divisio facta à vi externa. In his vulneribus sæpæ particulæ ramosæ extra tubulos prolapsæ, sibi invicem implicantur, & concrescunt in materiam quandam fibrosam ac candicantem, non dissimilem illi materiæ quæ conspicitur sæpe in aqua, quæ ex V. S. profluxit, & etiam igni imposita inspissatur. Sæpe etiam ex contusione, vascula sanguifera disrumpuntur, è quibus sanguis sub ratione sanguinis emanans stagnat, ac livore inficit partes sibi vicinas. Sic & rarò vulnus in nobili hac parte fit, quin fibrillæ plures simul disrumpantur, & disruptæ resiliant in cincinnos, atque ita tubulos multos obstruant, in quibus humores circulantes accumulati premunt vasa sanguifera vicina, sic ut sanguis stagnet, unde etiam comites tumor & rubor in toto fermè oculo oboriri solent. Dolor verò & ardor oritur quando sanguis in vasis suis capillaribus stagnans & evasatus brevi acescere incipit, hincque particulis suis pungentibus secantibusque fibrillas vicinas solitò citiùs & impetuosiùs commovet. Lachrymæ quoque sæpe emittuntur, & hoc fit, quando particulæ acidæ ejusdem sanguinis stagnantis & coagulati irritatione sua leves quasdam concussiones inducunt in glandulis oculi, unde contentus liquor excutitur, adsunt enim octo vel novem ductus novi, ab Anatomicis hactenus non observati, qui è glandulis in oculum stillant lachrymas, & à quibus oculi irrigantur.

Ulcus Corneæ est solutio unitatis ab acredine corrodente, seu acido corrosivo producta, hic enim pervertitur alimentum Corneæ proprium in excrementum acre, & in saniem transmutatur. Ulcera hæc seu dictum, oriuntur ut plurimùm ab aciditate hac peregrina, in sanguine vel lympha quacunque occasione oborta, & sibi imperium rapiente circa hanc tunicam corneam, & tyrannidem suam, lacerando, urendo, dividendo, & absumendo exercente. Sic quoque post vulnus factum facilè acido exuperante in ulcus fit transitus, cùm vasa plura rumpentes plures succi evasantur.

Omnes hi affectus cùm partem nobilem occupent, periculosi & curatu difficiles sunt, & cùm in Crassitie, Nebula & Albugine acribus medicamentis opus sit, facilè malum his augeri potest. Si Albugo fuerit orta à cicatrice, tum curatio est difficilis, in junioribus, & in senibus nulla. Hæc quæ est à viscida materia coagulata ab acido, faciliùs curatur.

Pustulæ verò si sunt in annata tunica, faciliùs, si sunt juxta pupillam, difficiliùs; si Cornea in partem internam rumpitur, nulla ratione curari possunt, tunc enim transit in ulcus. Superficiariæ etiam profundioribus faciliùs curantur.

Hypopyon non caret periculo, etenim si materia diutius hæreat sub Cornea, & majorem induat acrimoniam, quod dolor vehemens subinnuit, fieri potest ut propter spirituum nimiam coagulationem subsequatur gangræna, cùm aliàs semper difficilis sit curationis, pus enim jam maturum apertionem tunicæ postulat, & sui exemptionem, at tunica non sine noxa instrumento pungitur, & foramen minusculum non satis commodè puris egressum permittit, eo autem existente majore humor aqueus facilè simul effundi potest, & visus debilitari, quem cicatrix etiam relicta hebetare solet, ob incrassationem tunicæ ea in parte in qua remanet.

Si Vulnera non totam dilaceraverint tunicam, hoc est si non tam altè penetraverint, apparet aliqua spes curationis, si verò Cornea fuerit rupta, & humor aqueus effluxerit, quod in Ulceribus accidere solet, omnis curandi spes evanuit. Tum si vulnus sit angustum minus periculi habet, si ad uveam verò procedit incurabile est. Sic etiam quò ulcus sordidius & profundius latiusque est, eò curatu difficilius existit, quia in his partibus membranosis ichor, seu sanies tenuis, acris & minus albicans emanare solet, quod maximè impedit partis curationem.

Quoad Diætam generatim fugienda quæ sanguini & lymphæ acorem conciliant, eorumque circulationem ac motum impediunt; è contra verò usurpanda quæ acorem temperant, corrigunt & succis celeriorem motum impertiunt, inprimis in vulneribus oculorum lumen fugiendum, & ægri in obscuro detinendi sunt. In specie potus Thee commendatur.

In Curatione certè Chirurgia nobilia nobis exhibet præsidia, conducunt enim fonticuli, vesicatoria, & setacea.

Ex Pharmaceutico fonte in Crassitie Corneæ, Nebula, & Albugine, conveniunt interna remedia, & præ omnibus saburram quocunque in loco

in loco latentem eliminantia; quod obtineri potest per pilulas Cephalicas sive Ophthalmicas meas sequentes decrescente luna exhibendas.

℞. Extract. marocost. ℨß. pilular. lucis maj. ℨj. de succin. Craton. ℈j. Diagrid. sulph. gr. xv. sal. euphras. gr. x. succin. volat. gr. viii. Olei fœnicul. still. gtt. iv. F. Massa. Dentur vesperi cubitum ituro 5. & subsequente mane adhuc 6. vel 7. & dein danda sunt stomachica & cephalica, v. g. salv. euphras. anthos. thee, lavend. beton. cent. min. trifol. aquat. rad. calam. arom. ex his parari possunt infusa, (uti cum Thee facere solemus) decocta, essentiæ, tincturæ, extracta, conservæ, &c. Sic & vinum medicatum conducit sequens:

℞. Rad. caryophyll. calam. arom. ana ℨiß. Cort. rad. cappar. sassafr. tamar. mediani frang. ana ℨij. Herb. euphras. mj. beton. fol. rorism. ana p. ij. flor. cent. min. anthos, ros. ana p. j. Cort. citri, aurant. sem. anisi, fœnic. cinnam. ana ℨiß. M. f. nodulus in 5. vel 6. mensuris vini infundendus, de quo in prandio & cœna primus haustus sumendus. Præsertim hic pro usu continuo sal. vol. C. C. quod hodie in cœna cum vino assumere solent plures, & non absque emolumento; sed ne quid nimis.

Hic quoque topica magnum afferunt sæpe solamen, eò enim incumbendum ut pori obstructi reserentur, & acidum coagulans & nervis inimicum, corrigatur; specificè in crassitie, nebula & albugine, prodesse dicunt aquam anagallidis ex succo destillatam, quod euporiston erit remedium, si vel vitr. alb. vel sal. vol. C. C. vel succini parum acuatur, ad obstructionem tubulorum eò meliùs reserandam & spiritus animales alliciendos, qui quasi freno injecto torpidi in cerebro detinentur, item axungia leporina illita proderit. Imprimis hic prodest aqua Reginæ Hungariæ ad gtt. 2. oculo instillata, mira enim hac præstiti aqua.

Hæc tamen remedia commodum aliquod præstare poterunt, si vitium sit ab humorum crassitie vel impuritate, sin à filamento quodam processus ciliaris à membrana sua libero, & humori aqueo innatante, quod obscuritate & nigredine sua radiorum lucis transitum impediat & nebulosam præstet visionem, neque hæc, neque alia remedia quicquam præstare posse judico, & optimum in hoc affectu remedium erit, vel neglectus remediorum, vel quies & locus non ita luminosus, ne spiritus animales copiosiùs allecti filamentum illud fortius agitent & plurium resolutionem intendant. Optimè & hic conducunt vesicatoria, setacea, ac frustulum radic. thymeleæ apici auris intrusum, Sequens verò collyrium erit egregii usus in albugine.

℞. Decoct. fænigr. & cydon. in aq. rorism. fact. ℥ij. Lapid. calamin. ℈j. Sacch. Saturn. myrrhæ, croci orient. ana ℈ß. Æris usti ℨß. F. collyrium. Aqua verò sequens ad oculorum affectus egregia est, roborat enim visum, tollit nebulas, inflammationem, sordes, &c. Paucis guttis in oculum inditis ter de die.

℞. Vin. alb. ℔ij. Aq. rosar. ℔ß. Chelid. fœnic. euphras. rutæ ana ℥ij. Tutiæ præparat. caryophyll. sacch. canth. ana ℥j. Caphura, Aloës ana ℨiß. Digerantur per plures hebdomadas.

Cicatrix difficillimè curatur; notum tamen nobis est exemplum illud à Platero in obser. ... relatum de cicatrice casu per pulverem sublimati loco sacchari canthi oculo inspersum curatâ, quamvis in principio tanta insequuta fuerit inflammatio, ut de oculo periculum attuerit, quare istiusmodi casus non semper adeò promptè imitari licebit.

Pustulæ curantur ferè ut inflammationes, in primis prodest sequens;

℞. Aq. euphras. ℥ij. Sacch. Saturn. ℈j. M. Ubi verò animus est exsiccare magis, tunc tutia & lapis calaminar, reliquis addantur.

Quando post graviorem contusionem aut inflammationem oculi sanguis evasatus & corruptus discuti nequit, ideoque suppurari, & Hypopyon fieri incipit, ipsa illa materia purulenta omni studio discutienda erit, ne ulterius sibi sumat incrementum; quare oculus abluendus erit spiritu vini camphorato, cui succus chelid. maj. & cent. min. immisti fuerint, vel fotus instituatur ex decocto rad. valerian. raphan. herb. euphras. chelid. maj. flor. melil. chamom. lil. alb. pal. avenæ, vel si ne sic quidem discuti possit, imponatur cataplasma ex pulpa pomi putridi ex passul. cum mucilag. sem. fænigr. lini, altheæ, & pauco stercore columb. Hac etiam de causa illinatur sæpe oculus specifico illo ophthalmico Hartmanni, ex fellib. gall. anser. cum pauco melle in vitro in linimentum redactis. Materia autem purulenta tam copiosa existente ut omnino discuti nequeat, instituenda est punctura, & foramen ea magnitudine formandum est, ut pus illud commodè eximatur, & quidem punctio hæc ea in parte corneæ instituatur in qua tunicæ omnes concurrunt & terminantur, ad iridem videlicet, ubi tutiùs pungere licet. Prospiciendum quoque est ut pus omne eximatur, ne quid residuum maneat humores & succos facilè inficiens, & novæ puris collectioni ansam præbens, qu. propter si nec sponte, nec levi pressione emanabit, siphunculus quidam foramini commodè est intrudendus, quò pus à famulo exsugatur, qui affabrè ita aptandus est, ut in medio ventrem quendam contineat in quem pus exsuctum adinfluat, nec sugentis os cum nausea subintret, & ab ulteriore suctione molestia illa abarceatur. Pure tandem egresso, fiat ablutio vel aqua hordei cum melle rosaceo, vel sequente collyrio.

℞. Aq. verben. ℥j. Chelidon. maj. ℨiij. Succi cent. min. ℨj. Thur. tutiæ præparat. ana ℈j. Myrrh. gr. vi. Vitriol. alb. gr. iv. M. Consolidatio sollicitè instituatur, ne cicatrix adeò magna relinquatur, & adhiberi eadem hic possunt quæ jam in curatione vulnerum & ulcerum sumus propostituri.

Vulnus Corneæ admodum providè debet tractari, quia est pars nervea, maximè proinde eò incumbendum est ut circulus sanguinis & reliquorum succorum restituatur, atque acidum temperetur, & cum vulneris hujus curatio consistat in unione partis membranosæ, soli naturæ, cujus id opus est, ea committenda, si enim succus nutritius, lympha & sanguis bene constitutus sit, tanquam balsamus easdem partes divisas reunit; convenit ergo decoctum vulnerarium. Chirurgus tantùm hic applicet remedia membranosas partes consolidantia, earun-

earundemque corruptionem ab acido inductam impedientia, qualia sunt vulneraria & balsamica, & hic, ut in aliis vulneribus, aër externus & peregrinus ante omnia arcendus est, nihil enim magis lædit quàm aër & lumen, acidum enim inest aëri quod vulneribus maximè est infensum, & acor semper est intensior in partibus nerveis, quàm in aliis. Ad balsami ergo nutritivi & quasi glutinosi aciditatem impediendam, & jam factam tollendam, & motum succorum conservandum, conducunt salia volatilia oleosa temperata, talia enim acidum corrigunt, ut sunt balsam. Peruvianus, balsam. sulphur. oleum hyper. terebinth. e.g.

℞. Aq. veron. euphras. plantag. ana ℥ij. ocul. cancr. præparat. corall. præparat. ana ʒj. Sacch. Sat. ʒß. Tutiæ præpar. ℈ij. F. collyrium. Sacculi quoque imponendi sunt ex fænogr. hyssop. flor. chamom. euphras. lavend. in vino cocti. Temperata debent applicari, non acria, non acida, non urinosa, quia nervosis partibus sunt inimica, & magis acidum augent quàm minuunt, nec applicentur acria volatilia, detergentia, aut mundificantia dicta. Hic & laudantur Saturnina, inprimis oleum Saturni rubrum, si enim destillatur Sacch. Sat. prodit spir. oleum flav. & rubr. quod Chirurgis secretissimum est, vel instilletur sequens.

℞. Olei destill. terebinth. ʒj. spir. vini ℈j. Camph. gr. vi. M. Cnöffelii experimentum ad dolores compescendos in oculorum vulneribus est sequens.

℞. Pomor. dulc. num. 3. coq. in s.q. Aq. euphras. & rosar. ad mollitiem, trajiciantur per setaceum, pulpæ trajectæ adde sacch. ʒij. camph. gr.v. M. applicentur. Aqua album. ovor. Hartmanni, vel cum aq. veron. & cherefol. laudatur, item succus in vesiculis ulmi collectus, de quo videatur. *Henric. ab Heers in Observ.* Laudat & Burrhus, Romæ non ita pridem mortuus aquam vitrioli mart. mysteriosè paratam; alii aq. chelidon. cum camphora, ridiculâ hac ratione, quòd hirundines occæcatis pullis visum restituant sua chelidonia, quod tamen potius figmentum censemus.

Ubi simul aliquid in oculum illapsum fuerit, sive pulvis, sive festuca, sive musca, hæc manu Chirurgi ope instrumenti eximantur, & dein applicentur acidum absorbentia & demulcentia, ut sunt mucilag. sem. cydon. psyll. cum aq. appropriat. Sic D. Mutillet Chirurg. Aulicus noster experientissimus, ex puellæ rusticæ 17. annorum, oculo sinistro festucam sub tunica cornea super pupilla infixam, forcipula feliciter exemit, & dein appositis collyriis & cataplasmatibus demulcentibus & traumaticis intra breve temporis spatium ægram curavit. Exemplum quoque novimus insignis vulneris oculi curati ope unguenti Angeli Salæ, de cerussa antimon. & sequent. collyrij.

℞. Sief alb. sine opio ʒß. Tutiæ præpar. ʒß. Thur. subtilissimè pulver. ℈j. Camph. ℈ß. Croci gr.iij. Aq. plantag. rosar. ana ℥ij. M. In vulnere corneæ ubi aliquid humoris aquei effluxerit, applicatur corneæ jam flaccidæ sequens.

℞. Album. ovor. num. 3. conquass. addendo aq. plantag. ℥iij. rosar. ℥j. Bol. armen. terr. Japon. ana ℈ß. Camph. gr. ij. M. Per intervalla applicetur hæc mixtura, & patiens in loco obscuro detineatur. Humor aqueus ab ipso succorum motu restituitur, quia hic humor ex propria glandula, per proprium ductum ad oculum mittitur. Vide de his celeberr. anatomic. Hagiensem Nuek, nunc Professorem Leidensem. Oculos vulneratos salivâ jejunâ illitâ curatos fuisse testantur Misc. Medic. Phys. Observ. 92. ann. 3. ubi recensetur adolescentuli cujusdam 12. annorum, cuspide cultelli tunicam corneam uveamque ita vulneratam fuisse, ut notabilis quantitas humoris effluxerit, inflictum vulnus, nullo alio quàm matris saliva curabatur; mater enim diductis palpebris linguam salivâ madidam vulneri admovebat, quò sensim ad curam perduxit, remanente tantùm exigua cicatrice cum pupilla angustiore. Sic & Hagendhorn Misc. Med. Phys. ann. 9. sequentem historiam habet. Ancilla, inquit, casu quodam rupturam oculi experitur, quâ humor oculi aqueus tam copiosè effluxit, ut oculi figura, quæ antea globosa, jam collapsa appareat, cum hæmorrhagia, partium vicinarum tumore & intolerabili dolore. Accersitus Chirurgus varia frustrà applicuit, tandem verò Hagendhorn pulvisculum immisit ex cathecu, myrrh. & sacch. canth. quo immisso, & dein aquis ophthalmicis juncto, & calidè in oculum instillato, oculus pristinam recuperavit figuram, & patiens curata fuit.

Ut corneæ ulcerosæ erosio tollatur, applicentur acidum corrigentia, consistit enim tota cura in hujus acidi mortificatione, in quem finem conveniunt Saturnina, tutia, pompholyx, caput mort. vitriol. & hic quoque detergentia & mundificantia non acria, sed temperata eligenda sunt, ut balsam. Peruv. Esto formula una atque altera.

℞. Aq. Samb. ℥j. Spir. sal. armon. ʒj. Tutiæ præpar. ℈ß. Antim. diaph. ℈j. Myrrh. camph. ana ʒj. Immittantur guttulæ quædam oculo hujus misturæ.

℞. Aq. plantag. pomor. redol. euphras. ana ℥j. Sacch. Sat. ℈ß. Mercur. dulc. gr.xv. camph. gr.j. F. mixtura vulneri applicanda. Vel.

℞. Spir. vin. camph. ℥j. Bals. Peruv. ʒß. M. His præmissis, tandem ad vulneraria balsamica, sarcotica & epulotica dicta accedendum est. Hic conveniunt temperata & balsamica, de quibus mox in vulneribus; Infusum flor. balaust. instilletur oculis variolis laborantium ad exulcerationem eorum impediendam.

Ad aqueum humorem restituendum nihil aliud usurpandum, quàm superiùs dictum modicè adstringens, nam non aliud medicaminis genus hic necessarium, quàm quod muccagine quadam labia vulneris obliniat, & viam elabenti humori aqueo quodammodo præcludat, ne aqua de novo progenita per vulnus elabatur; dein inflammatio arceri debet, & levi adstrictione extrema vasorum apertura claudatur, quibus indicationibus jam dictum remedium absolutissimè respondet: totius rei cardo in eo vertitur, ut aër arceatur à vulnere, aër enim incrassat succos circulantes, hinc non facilè coït vulnus. Internè etiam nonnulla adhibenda sunt ad promovendam curam externam: Præmissis ergo universalibus, præsertim Mercur. dulc. & antimonialibus, ut & tinct. Antim. in usum ducta, semper interponendi sunt oculi cancr. cum myrrh. corall. & quando-

que

que cum aceto destill. propinati. Sic & conducunt omnia viperina, spir. viperar. & earundem essentia, uti & omnia remedia ex lignis conveniunt, in primis decoctum lignorum. *Joa. Dolæus Encyclop. Chirurg. lib.* 1.

In albugine & nebula, præter illa communia cuivis nota, egregiè valet pinguedo ex hepate mustelæ Germ. *quappen Anatrauppen*. Lava ex vino, & statim ita implantetur vitro, ne fundum & parietes ipsius vitri tangat, sed libere in eodem pendeat; vitrum optimè claudatur & exponatur soli aliquandiu, & hepar fermè totum in pinguedinem flavam destillat, quam collectam serva. Usus ejus est externus tantùm, inungendo palpebras eundo cubitum. Fortiùs Operatur si intrò in cibis aliquoties exhibeatur pulvis ille de carduis minorib. pratorum *Heydedistel*. In phlycteris valet aq. vitr. albi. In ulcusculis hinc (ex phlycteris scilicet natis) valet aqua ex albumine ovor. Infra de ungue, nebulaque oculorum.

Ad phlycteras, pustulas & maculas oculorum.

♃. Fel Anserinum, gallinarum & piscium an. part. æq. vitro inde, adde mellis modicum F. linimentum quô oculi inungantur.

Ad ungues, nebulas, pterygia oculorum feliciter adhibetur specificum lucii piscis.

♃. Fellis luciorum q. v. destilla in cucurbita usque ad crassitiem in aqua destillata solve aliquid camphoræ & postea serva. Crassitiem relictam extrahe cum sp. vini & sp. v. vicissim ab extracto per destillationem separa hujus extracti & sal. saturn. an. gut. 1. dissolve in prioris aquæ gut. 3. vel 4. ac cum pluma in oculum manè & vesperi immitte, videbis felicem progressum.

Alia aqua ex albumine ovorum præstantissima præparatur, quæ qualiacumque vulnera citra aliquam cicatricem consolidat, estque magnarum Virium; coquantur ova ad duritiem, dein per medium dissectis (ungeschelet) ovis eximantur vitelli, posteà cum quibusdam albuminibus ad duritiem coctis & tenuiter quasi in pultem cum cultello sectis cavernas reliquorum ovorum comple, partibusque debitè conjunctis & filo colligatis in cucurbita præcisè in medium ex filo suspende, ne spondilia ab iis tangantur. Obstructô orificiô cucurbita in M.B. collocetur & coquantur, videbis albumina secta paulatim in liquorem destillare, quem probè ex fundo cucurbitæ collectum (est nimirum satis exiguus) ad vulnera oculorum recentia cum pennæ pluma sæpius applica.

Experimentum meum indubiæ operationis.

♃. Ludum seu fœtentem tartarum matulis adhærentem; exsicca & tere subtilissimè, fiat cum aqua rosar. aut euphrasiæ collyrium, cum pennæ pluma sæpius applicandum.)

Ad reliqua quoque attende, quæ ab inflammationibus externis oculos muniunt: non dubium est, quin quævis oculorum vulnera violenter impressa, præsertim si solutio continui adfuerit [modò crystallinus humor cum retina tunica non læsus fuerit) citra visus perditionem sanari possunt. *Joan. Hartmannus in praxi Chymiatrica.*

Corneæ tunicæ superveniunt ulcera quæ quia sunt incurabilia, ea non attingam: humor enim albugineus, per ulcus exit, & totus diffluit. Galenus tamen asserit se vidisse ulcus in cornea curatum: Verùm id in puerulo, partes autem infantium spermaticæ refici & reparari possunt, atque etiam ulcus illud, vulneri ab erosione humorum interna minimè genito successerat. Verùm cùm ejusmodi ulcera adultioribus, & à causa interna accidunt, incurabilia sunt, & in tunica conjunctiva difficilia sunt curatu.

Procidentia tunicæ uveæ accidit cùm tunica cornea erosa raptaque fuit. Eam Græci ῥῆξιν, πρόπτωσιν nominant, cujus tres species constituuntur, ratione varietatum, formarum, licet inter se non nisi magis aut minùs differant, ut Paulus & Avicenna scribunt: nam si ea exigua & muscæ capiti similis appareat, Græci μυοκέφαλον, & Arabes formicam nominant. Cùm verò ampliùs, & eo usque succreverit, ut acinum uvæ representet, σταφυλώμα quasi uvatio dicitur: si plurima facta est accessio ut palpebras transiliat, μῆλον hoc est malum; si verò obcalluerit ἧλος id est clavus tunc dicitur.

Causæ illarum omnium sunt internæ, vel externæ; ut vulnus, vel erosio, quùm corneæ ῥῆξις ingens est, & uvea per eam procidit nullus remediis locus est. Minores curabiles sunt, & si cicatrices, & vestigia relinquant.

Præmissis generalibus remediis, tum vacuantibus, derivantibus, tùm revellentibus applicabitur parti emplastrum ex cydoniis coctis in cataplasmatis formam, ex acacia sanguine draconis, & bolo arm. simul mixtis. oculus etiam fovebitur cum aqua vel decocto plantag. rosar. rubr. bursa pastor. vel collyrio sequenti.

♃. Myrrhæ ʒ ij. sacch. candi ʒ j. aloës ʒ ß. aquæ fœnic. ℥ iij. fiat collyrium, instilletur in oculum frequenter vel,

♃. Sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris ʒ ij. myrr. & thur. an. ʒ j. sang. drac. ʒ ß. fiat pulvis subtilissimus in formam alcool, & mittatur in oculum vel.

♃. Antimonii usti & loti, cerusæ lotæ, cadmiæ ustæ, & lotæ an. ℈ ij. spicæ nardi, aloës, tuth. præparatæ, & sarcocollæ nutritæ an. gr. vi. cum mucilagine tragac. & gummi Arabici, fiat collyrium; vel fovebitur oculus cum vino austero; vel collyrio è lapide hæmatite quod tale est.

♃. Lapid. hæmatit. loti & præp. ʒ ij. cerusæ lotæ, cadmiæ, licii an. ʒ j. amyli, antimon. æris ustorum & lotorum, gummi arabici, & opii an. ʒ ß. cum succo folior. olivæ, fiat collyrium; vel.

♃. Ostrearum ustar. & hæmatit. an. ʒ ij. fiat pulvis subtilissimus & insuffletur in oculum; vel.

♃. Ostrearum, antimon. cerusæ lotorum, & siccatorum an. ʒ j. hæmatit. ʒ i ß. sarcocollæ nutritæ, tuthiæ præpar. acaciæ aloës succotr. & spicæ nardi an. ℈ j. cum foliorum olivæ vel caprifolii succo fiat collyrium.

Si ruptura sit ingens, & uvea tunica procidat, & in modum uvæ acini promineat, eam intus repones, imperando ut ægrotus supinus decumbat, & remedia repellentia appones, & supra eminentiam laminam plumbeam oculo fortiter alligatam adaptabis.

Sunt qui eam serico filo alligant, sensim & paula-

paulatim quotidie eam constringendo donec ipsa decidat, deinde oculum remediis supra scriptis roborant. Alii verò eam ob deformitatem incidunt. Verùm Avicenna & Gordonius id maximè reprobant, quia per incisionem, humores dilabuntur, & æger visum amittit, quòd certè peius est. Quàm si luscus & lumine brevis permaneat. In Leucomate specificè prodest aq. anagallidis cum succô destillata; item temporibus applicetur tacamahaca, ejusque emplastrum, sive per se, sive cum aliis, ut ceratô cephalicô, permixtum.

Albugo hæc, quæ à pituita fit & humore crassô ex ophthalmiâ relictô, satis facilè curatur, præsertim si non fuerit inveterata: quæ verò à cicatrice relicta, difficillimè, quandoquidem in parte exquisitô sensu prædita remedia acriora, conterendæ cicatrici idonea, vix tolerari possunt.

Si ab humore pituitoso in carneâ concretô albugo sit producta, præmissis universalibus revulsiones & derivationes prosunt: deinde materia fotu ex decoctô fænugræci, fœniculi, meliloti, chelidonii &c. emollienda. Maximè autem discutientia adhibenda, ubi præstat aq. mellis destillata, saccharum candum in aq. euphrasiæ seu fœniculi solutum.

Amatus Lusitanus nubeculas crassas in puellâ 12. annorum se curasse refert, post decoctum sarsæparillæ exhibendo per 20. dies seq. collyrium.

℞. Mellis in ipsô favô ℔ ij. summit. fœnicul. flor. sambuc. euphragiæ an. p. ij. sacchari candi ℥ iv. destillentur in M. B. & aq. instilletur oculis.

Si à cicatrice, præmissis præmittendis conferunt fella piscium, ut lucii. it. Succus chelidonii majoris, centaurii, anagallidis, quorum mordacitas, si tolerari non possit, inspissari poterunt mucilagine tragacanthi, psyllii vel cydoniorum extracta cum aq. fœniculi, euphrasiæ &c.

℞. Succor, fœnic. cent. min. anagallid. an. ℥ iij. mellis albi ℥ ß. M. F. linimentum. Plura vid. apud Riverium.

In dolore oculi & vulnere Corneæ tunicæ prodest aq. album. ovorum cum succino destillata. Vid. Henricus ab Heers obs. 12. de vuln. ocul. Mira quoque faciunt antimon. vel saccharum saturn. rubeum si destillatur saccharum sat. prodit spir. & oleum flavum & rubrum, quod Chirurgorum secretum est.

In dolore oculorum arcanissimum est pulpa pomorum assata cum saccharô additâ camphora, & imprimis mica panis humectata lacte muliebri, cum paulô crocô, in crocô enim latitat vis narcotica, ut testantur quidam qui dormiêre super croci copiam cum periculô vitæ. Ovum ad duritiem coctum calorem ex oculis ad miraculum educit, sed albumen tantum apponitur. Huc symphitum vid. suprà.

Nota si aliquando post V. S. brachium sanguine congrumato afficitur, applicetur tantùm decoctum symphiti & mira videbis.

℞. Album. ovi num. 1. agita & tantumdem aq. rof. & lact. muliebris adde.

℞. Sem. fœnugræci ℥ ß. papav. albi ʒ ij. coque in aq. rosarum & decocto album. ovi permisce.

℞. Flor. chamomill. meliloti an. p. j. semin. fœnugræci ℥ j. coq. & in colat. decoq. micæ panis ℥ iij. vitell. ovorum nu. 2. croci ℈ j. lactis parum. F. Cataplasma.

℞. Succ. meliloti, chamomillæ an. ℥ ß. ad ℥ j. lactis muliebris, album. ovor. an. ℥ ij. aq. rosar. ℥ j. Agitentur simul & panni madefacti oculo applicentur.

℞. Medull. pan. albi ℥ ij. pulp. pom. dulc. ℥ ij. lactis muliebris ℥ j. olei rosac. q. s. M. & adde parum croci F. cataplasma.

℞. Decoct. sem. fœnugræci ℥ 1 ß. Mucilag. sem. lini ℥ j. sacchari candi ʒ ß. croci ℈ ß. M. *Joan. Michael. Prax. Clynic. Gener. part. 1. lib. 2.*

Curatio albuginis ab humore pituitoso in cornea concreto productæ, emollientibus, attenuantibus & discutientibus remediis perficitur, præmissis tamen universalibus, quæ causæ antecedentis sublationem respiciunt, & novum humorum influxum ad oculos prohibent, qui facilè proritari posset à topicis remediis, præcipuè iis quæ acrimonia quadam, aut calefaciendi vi prædita sunt nisi illius materia prius submoveretur.

Itaque primùm universales evacuationes usurpandæ sunt, tum etiam revulsiones & derivationes, quæ in cura suffusionis & guttæ serenæ traditæ sunt; postmodùm verò ad materiam concretam emolliendam, fotus admovendus est, cum spongiis mollioribus ex decocto fœnugræci, meliloti, chelidoniæ & fœniculi paratus.

Vel ejusdem decocti vapor oculis excipiatur, & in hunc finem sequens etiam decoctum parari poterit.

℞. Rad. alth. ℥ j. fol. malvæ, euphras. chelid. maj. an. M. j. semin. lini & fœnugr. an. ʒ iij. flor. melilot. p. j. fiat decoctio in aqua fontis, cujus vapor recipiatur in oculum manè & serò.

Mox discutientia remedia usurpanda sunt, qualia in suffusionis curatione descripta fuerunt: illa enim hic etiam plurimùm conferre poterunt, atque ita collyria attenuantia, & humorem oculo impactum resolventia, inde erunt desumenda, & præcipuè ea qua ex melle cum oxydorcicis remediis distillata componuntur. Aqua enim mellis distillata, etiam sola usurpata, multum præstat ad omnes oculorum maculas extergendas, si illius usus diù continuetur.

Ad idem præstat saccharum candum, in aqua euphrasiæ, chelidoniæ, aut fœniculi dissolutum.

Tum etiam valdè conferet, si oculus linguâ pueri vel puellæ quæ fœniculum masticaverit, frequenter lambatur.

Amatus lusitanus nubeculas crassas in puella duodecim annos nata, se curasse refert, post decocti salsæparillæ exhibitionem per viginti dies, sequenti collyrio.

℞. Mellis in ipso favo ℔ ij. summitatum fœniculi, flor. sambuci, euphras. an. p. ij. sacchari candi ℥ iv. destillentur in B. M. & aqua instilletur in oculos.

Semen hormini oculo impositum horâ somni purgat oculum à sordibus, eumque abstergit, sicque albuginis curationi conducit.

Potenter etiam albuginem discutit succus fœniculi recenter extractus, cui balsami Peruviani gutta una admista sit.

Idem præstat oleum ex linteis combustis,

cum saliva pueri mixtum, & penna illitum elicitur hoc oleum, lintea accendendo, & inter duas patinas suffocando, materiâ refrigeratâ, guttæ illius olei patinæ adhærentes inveniuntur.

Albugo verò à cicatrice producta, curatur iis remediis, quæ cicatricem emollire, attenuare ac dissolvere possunt; cùm autem ea quæ cicatricem conterunt, acrimoniâ non careant, majori cura universales evacuationes ac revulsiones præmittendæ sunt, ne fluxio humorum attrahatur ad partem. Illis igitur, ut supra dictum est usurpatis; primum fotus emollientes, aut suffumigia adhibere convenit, quæ suprà proposita sunt deinde abstergentia & discutientia remedia admovenda sunt. Primò leniora, qualia sunt suprà proposita, præsertim aqua mellis composita. Postea verò ad fortiora veniendum est, qualia sunt fella piscium, ut uranoscopi, pastinacæ, lucii, tunc etiam aliorum animalium, ut perdicis, galli, anseris, bovis & aliorum. Eodem modo usurpari poterunt succi chelidon. maj. centaur. minor. anagallidis & similium, quæ melli permiscenda sunt. Tum quod mel abstergendi & discutiendi vi præditum est; tum etiam quia liquores in oculum infusi, diffluunt ad canthos, nec in pupilla morantur, in qua eorum actio desideratur, sed cum melle inspissati facilè pupillæ adhærent. Si tamen eorum mordacitas tolerari nequeat, dicti succi aut fella inspissari poterunt mucilagine gummi tragacanthi, psyllii aut cydoniorum, extractâ cum aqua fœniculi, euphras. aut alia ophthalmica; formula collyrii ex succis talis esse poterit.

℞. Succi fœniculi, chelidon. & anagallidis, an. ℨ iij. succi centaur. min. ℥ß. mellis albi ℥ j. M. instar linimenti. Si cum albugine adsit oculorum rubor, utile erit collyrium ex vino albo, sale & tritico paratum in ophthalmia descriptum. Vel sequens.

℞. Aloës & agarici ana ℈ j. pulverentur, & includantur nodulo, qui maceretur in aqua euphrasiæ vel fœniculi, & confricentur oculi manè & serò. Aloë abstergit, roborat & fluxionem sistit, agaricus potenter abstergit.

Sugillatio, seu color oculi rubeus ex sanguine in eum effuso productus, si recens adhuc fuerit, optimè curatur sanguine columbino in eum instillato. In illius verò defectu lac muliebre instillari poterit cum pauco thure & croco, vel ovi vitellus cum vino admovebitur, quod remedium à Gal. laudatur 4. de comp. med. sec. loc. cap. 8. Si verò contumax fuerit affectus fovendus erit oculus decocto fœnugr. althææ, fœniculi, rutæ, chelidon. vel illius decocti fumus oculo excipiendus est. Ac denique ea omnia, quæ pro suffusione descripta sunt, ad hujus affectus curationem poterunt esse idonea. Speciatim verò, in malo inveterato, quando rubor ad negredinem declinat à Gal. commendatur hyssopi coma trita, linteo inclusa, in aquam ferventem demersa, & oculo admota. Et docet experientia, hoc remedium tantæ esse efficaciæ, ut cruor sensibiliter attrahatur, & linteo adhæreat.

Ac denique color flavus ictericorum, qui in oculis maximè apparet, curato morbo sponte discutitur. Si tamen illius dissipationem accelerare lubeat, suffitu aceti oculis excepto, id præstari poterit.

Ad curationem Hypopyi præmissis universalibus remediis, si inflammationis reliquiæ supersint, auferendæ sunt remediis in ophthalmia descriptis. Postmodùm leniter discutientia admovenda sunt emollientibus permista, ne tenuiori parte resolutâ, crassior materia fiat, & resolutioni minimè idonea· Fiant igitur fomenta ex decocto florum chamomil. meliloti, semin. psyllii, & fœnugr. cum pannis lineis, vel sacculis applicanda. In progressu verò addi poterunt decocto folia euphras. chelidon. & semin. fœniculi: vel sequens collyrium usurpari poterit.

℞. Aquar. verbenæ, rutæ, chelidon. rosar. & fœniculi, an. ℥ß. aloës opt. tuthiæ præparatæ, an. ʒß. sacchari candi ʒ j. pulverisentur & misceantur, addendo lactis muliebris tantillum; & fiat collyrium; de quo bis terve in die guttæ aliquot oculis instillentur.

Sequens erit valdè efficax.

℞. Croci, aloës, myrrhæ, an. ʒ j. vini ʒ iij. mellis ʒ vj. dissolvatur crocus in vino. Deinde cum aloë & myrrha misceantur, tandem mel addatur. Hoc remedio oculi illinantur.

Denique ea remedia, quæ in declinatione opthalmiæ, in oculorum maculis, & suffusione præscripta sunt, hic etiam conveniunt.

Si resolventibus medicamentis materia discuti nequeat, ad alia remedia confugiendum est. Gal. 34. meth. refert, ocularium quemdam sui temporis Medicum, cui Justus nomen erat, concussione capitis multos hypopyos sanavisse. Collocans enim eos in sella rectos, ac capita eorum utrinque à lateribus apprehendens, mox quatiebat, adeò ut manifestè descendere pus ipsi videretur.

Si neque hac ratione pus visum impediens dimoveri valeat, Galenus loco cit. ad Chirurgiam confugit, quem sequitur Aëtius & alii quamplurimi, quæ oculi punctione perficitur, qualis in suffusione fieri consuevit, quæ quidem operatio ut parum nostris temporibus usitata est, sic peritissimi Chirurgi manum desiderat, & verendum maximè est ne apertâ corneâ, cum pure humor aqueus effluat.

In cornea & adnata tunica, quemadmodum in reliquis corporis partibus, generari solent vesicæ parvæ, aqua repletæ, bullis seu vesiculis similes, quæ à combustione aquæ ferventis excitantur, φλύκταιναι Græcis, Arabibus *Bothor* nominantur. Suntque tumores quidam parui instar granorum milii. Ab acri quodam aut seroso humore oriundi.

Harum pustularum cognitio facillima est, cùm sensibus pateant. Quæ in adnata oriuntur, rubrum colorem referunt: quæ autem in cornea, subnigrum, si in illius superficie consistant; album verò, si in parte corneæ profundiore sitæ sint.

Quod ad prognosim spectat, phlyctænæ in adnata minùs periculosæ sunt, quam in cornea superficiariæ pustulæ, minùs periculosæ, profundiores verò magis: metuendum enim est ne tota corneæ densitas erodatur, & vel humor aqueus effluat, vel uveæ procidentia contingat.

Curatio in materiæ conjunctæ resolutione tota versatur, & causæ antecedentis aversione.

Et omnimodo pustularum suppuratio prohibenda est; quæ in ulcus degenerat.

Universales igitur evacuationes, revulsiones, ac derivationes; quæ in ophthalmiæ curatione propositæ fuerunt, hic etiam celebrandæ sunt. Postmodum topica administranda; quæ leviter repellant in principio; tum etiam discutiant; qualia in ophthalmiæ augmento proposita sunt, quæ magis convenient; quando inflammatio pustulas comitatur; quod plerumque fieri consuevit.

In progressu verò, magis exsiccantia & resolventia erunt usurpanda; qualia in statu & declinatione ophthalmiæ descripta sunt: ac præsertim unguenta ibidem proposita; quæ pustulis illis discutiendis & exsiccandis aptissima sint.

Ophthalmiæ succedere solent ulcera in cornea tunica & adnata, quando in supputationem versa est. Succedunt etiam phlyctænis; seu pustulis; in cornea oriundis; iisque disruptis. Fieri etiam solent ab humoribus acribus & erodentibus in oculos confluentibus.

Variæ eorum differentiæ ab auctoribus proponuntur, ex variis circumstantiis desumptæ: prout scilicet vel superficialia sunt; vel profunda; lata; vel angusta, varias figuras habentia; & alia hujusmodi. Sic ulcus cavum, angustum, & durum βόθριον, fossula nominatur latum & minùs profundum κοίλωμα dicitur. Quod in iridis circulo situm est ἄργεμον appellatur; & à nonnullis ulcus coronale. Quod denique profundum, solidius, asperum; & quasi crustosum est, ἐπίκαυμα & ἔγκαυμα vocatur.

Cognitio ulcerum non est difficilis; cùm per se oculis pateant. Si ulcus sit in cornea, ulcusculum album apparet in nigro oculi; si in tunica adnata, punctum veluti rubicundum in albo oculi conspicitur; ob illius tunicæ venas sanguine refertas.

Ulcera oculorum curatu difficilia & periculosa sunt; multò magis tamen in cornea, quam in adnata. Ulcus quod è regione pupillæ situm est, magis periculosum; quia in eo sanato relinquitur cicatrix; quæ corneæ diphaneitatem aufert; sicque visionem lædit; & si tota tunica erodatur, fit effluxus humoris aquei; & uveæ procidentia.

Curatio hujus affectus quemadmodum & reliquorum ulcerum; detergentibus & exiccantibus perficitur; quæ tamen mitissima esse debent; propter partis mollitiem; & exquisitum sensum præmittenda tamen ea; quæ fluxionem ab oculis revellunt; eamque reprimunt; qualia in ophthalmia; tum recenti; tum antiqua fuere proposita. Et si inflammatio ulceri conjuncta sit, remedia; illam respicientia cum prædictis erunt permiscenda. Quibus etiam dolorem lenientia addere conveniet; quoties ille partem infestaverit.

Detergentia & exsiccantia moderata; sunt saccharum, mel, crocus, myrrha; thus, aloës, sarcocolla, tuthia, & cerussa, ex quibus formulæ sequentes componi poterunt.

♃. Decocti hordei & fœnugr. ℥ iv. mellis optimi ℥ß. vel syrupi de rosis sicc. ℥j. Fiat collyrium, quo oculi sæpe abluantur. Vel

♃. Aquar. verbenæ, & plantag. ana ℥ ij. Sacchari Candi ℥ß. Misce pro collyrio. Vel

♃. Aquæ mellis in B.M. destillatæ, & aquæ rosar. ana partes æquales. Vel

♃. Ovum coctione induratum & à putamine mundatum. Dividatur in duas partes; & detracto vitello repleatur fovea sacchara cando pulverato. Optime ligetur & ponatur in cella vinaria. Extillabit liquor, qui detergendis ulceribus sine morsu valdè idoneus est. Et si potentius remedium desideres, myrrha pulverata cum saccharo cando admiscenda est.

Montanus pulverem sequentem valdè commendat.

♃. Albumina ovorum recentium num. xx. ponantur in vase stanneo ad solem, donec exsiccentur; postea pulverentur subtilissimè cum æquali pondere sacchari, & pulvis immittatur in oculos; qui sine erosione plurimum adjuvat.

In progressu morbi si potentiùs detergendum sit & exsiccandum; adde collyriis prædictis trochiscos albos Rhasis, thus; aloën, myrrham; sarcocollam & alia hujusmodi; in parva tamen dosi, ne oculos exasperent, & iis etiam lac, albumen ovi, mucilagines; aliaque anodyna addi poterunt.

Tuthia præ cæteris valet; quia minimè dolorifica est, & sine morsu siccat, ac cicatricem inducit. Ideò collyria & unguenta ex ea parata utilissima sunt. Et præ cæteris unguentum in ophthalmiæ curatione descriptum; quod magnam tuthiæ quantitatem recipit; erit utilissimum.

Collyrii valdè detergentis & exsiccantis; ac cicatricem inducentis formula talis esse poterit.

♃. Sarcocollæ nutritæ in aqua rosar. cerussæ & aloës lotæ, myrrhæ, tuthiæ præparatæ; ana ʒß. Sacchari candi ʒj. cum mucilagine gummi tragacanthi extracta in aqua rosar. Fiat collyrium, quo palpebræ illinantur.

Ut singulis corporis partibus cancer solet accidere, sic etiam in oculis aliquando contingit. Et cùm ea quæ communem cancri theoriam & praxim respiciunt; è morborum externorum tractatibus desumenda sint, nos hic tantum ea; quæ ad oculum peculiariter tali morbo affectum pertinent, paucis attingemus.

Cancer vel occultus est, vel ulceratus. Occultus ad tumorum genera refertur; & in oculo tumor cancrosus; seu cancer oculi nominatur. Ulceratus verò, ulcus cancrosum oculi dicitur.

In utroque tamen adest durities inæqualis & renitentia; color plumbeus & livescens; dolor intensus & pungitivus; caput & tempora præsertim occupans, venæ lividæ & varicosæ in tumore & partibus vicinis apparent. Sanguis acerrimus & adustus à parte affecta non rarò effluit; quando cancer ulceratus est. Ac denique à medicamentis tantillùm calefacientibus dolor admodum exasperatur.

Incurabilis est affectus, in oculo, quemadmodum in reliquis corporis partibus, quando jam radices egit nisi operatione Chirurgica radicitùs extirpetur.

Curatio duplex ab auctoribus proponitur, vera scilicet & palliativa. Vera, ut dictum est, in cancro jam genito, & parti valdè radicato, non potest obtineri nisi Chirurgia. Recens tamen cancer ac ferè incipiens, curari potest frequentibus evacuationibus humoris atrabilarii, præmissâ venæ sectione convenienti, ut docet Gal. 2. ad Glauconem c. 10. ubi gloriatur se

hunc morbum per initia sæpe sanasse adjungendo remediis prædictis optimam victus rationem.

Curatio palliativa, quæ ad simptomatum mitigationem dirigitur, non solùm per dictas evacuationes, sed etiam topica convenientia perficitur.

Primùm igitur victus ratio refrigerans & humectans, qualis humori atrabilario debetur, instituenda est.

Postea sanguis detrahatur è directo oculi affecti, hirudines ponè aurem ejusdem lateris applicentur, tum etiam hæmorrhoidibus si aliquantulum tumeant. Cucurbitulæ scapulis admoveantur, & reliqua revulsionum genera celebrentur.

Purgationes & præparationes humoris atrabilarii, fient per potiones, apozemata, juscula medicata, syrupos magistrales, & alia hujusmodi. Sed præ cæteris multùm confert ad humorem atrabilarium evacuandum Helleborus niger rite præparatus: ejusque extracto bis aut ter exhibito, cancer incipiens aliquando à nobis sanatus est.

Hæc remedia humoris affluxum ad oculos, dolores & reliqua symptomata vehementia valdè imminuunt. Ad id tamen non parum etiam conferunt topica remedia, qualia sunt in ophthalmia, ad dolorem leniendum descripta; præcipuè autem collyria sunt ex mucilaginibus, trochiscis albi Rhasis & tuthia præparata, cum aqua rosarum, solani & plantaginis.

Aqua sequens pro collyrio & oculi ablutione erit præstantissima.

℞. Rad. scrophulariæ maj. & Geranii. Robertiani, ana M. ij. arnoglossæ; borragin. buglos. portul. euphras. beton. ana M. j. ranarum viridium & albuminum ovorum ana num. 12. sem fœnugr. & cydonior. ana ℥j. radices & semina contundantur, & folia incidantur. Deinde affunde aquæ rosar. & euphras. ana ℔ j. Misceantur omnia & distillentur in alembico plumbeo.

Pullorum caro ad doloris sedationem plurimum potest, & morbum ipsum aliquando hoc solo remedio curatum fuisse à nonnullis creditur. Sic Mauritius Cordeus, comment. 7. in lib. 1. Hippocr. de morbis mulierum, refert historiam nobilis cujusdam fœminæ, cui tota pars dextra faciei cancro, eoque ulceroso obsessa fuit diutissimè, quæ cum variis auxilis, à Medicis Italis, Gallis, Germanis, Hispanis, petitis usa est, tandem vulgari hoc barbitonsonris remedio sanata est. Pullos gallinaceos in partes tenues & latas concidebat, quas sæpiusculè commutando interdiu admovebat parti affectæ. Alii admovent carnes pullorum Columbinorum, lectas & adhuc tepidas.

Denique curatio vera cancri confirmati, sola extirpatione obtineri potest, quæ fit omnimodâ oculi extractione: quàm tuto & salutariter fieri posse docet Fabricius Hildanus, & extractionis modum omnesque illius circumstantias fusissimè describit observ. 1. cent. 1. ut ea hic frustra repetere non opus sit.

Cornea tunica tantam aliquando patitur continui solutionem, ut humor aqueus, interdum tunica uvea egrediatur, & illa solutio ruptura corneæ ab auctoribus nominatur.

Hujus causa est ulcus, aut vulnus illius membranæ, aut magnus humorum affluxus, à quo dicta membrana ita distenditur, ut media crepet, & contenti humores effundantur: ut in muliere quadam Parisiensi contigisse, refert Pareus, lib. 16. cap. 13.

Incurabilis est plerumque hæc affectio, & visus privationem relinquit, quandoquidem humores oculi effusi regenerari nequeunt. Si tamen vulnus sit exiguum, ex quo portio tantùm humoris aquei effluat, curationem suscipere potest: quandoquidem aqueus humor interdum regenerari potest, ut docuit Gal. 4. de sympt. caus. c. 2.

Curatio hujus affectûs glutinantibus remediis tentanda est. Et præmissis universalibus evacuationibus; venæ sectione scilicet, & purgatione, si eæ necessariæ sint, astringentia, & glutinantia oculo admoveantur & in oculum instilletur albumen ovi, cui trochisci albi Rhasis admisceantur.

Eadem pars foveatur decocto rosar. rubr. fol. polygoni, rubi, bursæ pastoris, & plantag. in vino astringente parato, si non adsit inflammatio, alioqui in aq. simplici. Vel

℞. Carnis cydonior. ℔ ß. rosar. rubr. p. 3. acaciæ ʒ ij. croci ℈ j. decoquantur in vino astringente, & fiat cataplasma parti applicandum.

Ad integram consolidationem sequens collyrium adhibeatur.

℞. Aloës lotæ, tuthiæ præparatæ, & sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri, ana ℈ ß. croci gr. v. Cum mucilagine gummi tragacanthi, fiat collyrium. *Lazarus Riverius praxeos Medica lib. 11.*

Pars corneæ perspicua pupillæ foramini obtrusa visum obscurat, quando crassescit aut vitiosum colorem contrahit, qui color vel crassities, aut impedit radios aut vitiose statim coloratos transmittit.

Fit hoc vitium 1. quando in nutritione corneæ perspicuæ vitiatâ alimentum nonnihil crassius & viscidius suggeritur: Unde fit ut obscurata nonnihil cornea ægris omnia obscura & quasi per nubeculam appareant, quod vitium etiam tunc nubecula oculi appellatur.

Fit hoc 2. quando cicatricula ab erosione tunicæ corneæ, v. gr. in variolis, aut in ejus ulcusculis, aut post ejus vulnusculum remanet. Talis enim cicatricula non secus ac reliquæ omnes cicatrices, cum crassior sit ac spissior reliqua corneæ parte, albedinem repræsentat, & tunc albugo seu leucoma specialiter appellatur.

Fit hoc 3. quando post ictum vel casum, item post plagas oculo illatas sanguis effusus & congrumatus in albo oculi & etiam in cornea hæret, & ita vitiosos colores rubrum, cœruleum, lividum, &c. inducit in vitio, quod suggillatio oculorum vocatur.

Signa hujus mali non secus atque antecedens malum oculis patent. Nam cicatrix instar maculæ cujusdam albæ apparere solet: (unde etiam vocatur macula) in nubecula verò cornea nonnihil albicans & spissa cernitur, & in suggillatione color cœruleus, lividus, &c. etiam sponte patent.

Causæ antecedentes, item contusiones, plagæ, &c. ex relatione ægri patescunt.

Quod attinet prognosin. Vitium hoc est difficilli-

ficillimum curatu propter summam subtilitatem & simul exquisitissimum sensum corneæ oculi tunicæ: idque eò magis, quo crassior vel diuturnior fuerit vel nubecula vel cicatricula.

Suggillatio verò facilè removeri potest. In pueris tenellis adhuc faciliùs potest abstergi macula & ipsa tenuis quam in ætate consistente, ubi spissior & contumacior esse solet. Post variolas oculos infestantes imprimis observetur, ut insequens cicatricula vel macula citò amoveatur, antequam in perfectam abeat spissitudinem.

Quod attinet curam. In nubecula materia crassa attenuanda & discutienda. In leucomate macula & cicatricula abstergenda. In suggillatione sanguis congrumatus revolvendus & discutiendus.

Faciunt huc remedia sequentia. Semen Hormini Sylvestris impositum oculo: hoc enim semem maculas & albugines abstergere solet: Vid. de hoc Riverius in praxi & etiam in observationibus: unde etiam Poterius folia Hormini Sylvestris in oculorum fomentis præscribit.

Albuginem potenter discutit succus fœniculi recenter extractus, cui una alterave gutta balsami Peruviani sit admista. Item convenit huc aqua fœniculi saccharata, de qua locutus sum sub ophthalmia, quæ colligitur ex sacchara caulibus fœniculi excavatis indito & relicto ut liquescat. Item convenit ol. panni sive linteorum combustorum cum aqua appropriata mistum & cum penna illitum. Aqu. mellis ad delendas maculas oculorum & cicatrices imprimis commendatur. Hinc convenit aqu. mellis composita Amati Lusitani cent. 6. cur. 53.

℞. Mellis qui in ipso favo ℔ ij. summitatum florum sambuci, Euphrasiæ, fœniculi ana p. . sacchari candi ℥ iv.

Destillentur in balneo M. & aqu. oculis instilletur. Succus anagallidis flore cœruleo imprimis floris ejus expressus, & vel solus oculo instillatus, vel cum melle rosaceo mistus & applicatus, laudatur ad tollendas maculas; Unde & hic commendari solet aqu. Anagallidis cœruleæ destillata non minus quàm aqu. Leucoij bulbosi destillata (hoc enim gerit signaturam oculi) experimentum etiam est aqu. Sapphirea Chirurgorum, sed omissa calce viva, qualiter solet eam præscribere Riverius cent. 3. obs. 45.

Detur aqua appropriata, in qua dissolvitur sal. ammoniaci tantillum; ut lenissimè linguam feriat. Hæc aqua retineatur per biduum vel triduum in pelvi ænea vel vase orichalceo donec cœruleum acquirat colorem: Hac enim sublatæ sunt maculæ densissimæ in oculo ex diuturna ophthalmia progenitæ. Aliàs succus rutæ & ipse instillatus maculam corneæ blandè detergit.

Porrò experimentum Plateri, quo omnes albugines curat, est sequens cataplasma, quod fit ex pulpa pomi cocti, mista cum mucilagine fœnugræci, lapide Hæmatite & corticibus granatorum. Hoc ipsum cataplasma etiam feliciter adhibet. Horstius ad maculas post variolas relictas applicatis simul in tali casu vesicatoriis in nucha: Vid. Horstius lib. 2. observ. 39. Ubi habet integram compositionem. Liquor ex flor. cichorei cœruleis per deliquium sive colliquationem in furno pistorio paratus (descriptio vid. in Sennerto cap. de ophthalmia) similiter specificus, est ad detergendas maculas & albugines: Porrò curavit aliquando Forestus puerum, qui ex variolis in phlyctenas incidit, quæ exulceratæ in oculorum cicatrices abierunt, cum collyrio ex aqua fœniculi adjecto felle anguillæ vel pauco saccharo. Denique pulvis ex cruviis serpentum pulverisatis cum oculis cancrorum vel cum melle illitus, vel cum aqua appropriata applicatus etiam delet maculas & albugines: sicuti aliàs hic pulvis experimentum est singulare in vulneribus & ulceribus, item in cancro oculorum. In quibus oculorum vulneribus etiam experta est aqua Chelidonij cum cancro destillata secundum methodum Mynsichti. Aqua superius allegata cùm Mercurio sublimato & ipsa applicata prodest in macula & Leucomate: Casu fuit hoc inventum. Platerus enim lib. 1. observ. refert, cicatricem in corneæ medio obortam omninò impedientem visam curatam casu per Mercurium sublimatum loco sacchari in oculum insufflatum: Oborta quidem est inflammatio, nihilominus tamen hac sopita macula reperta fuit deleta; unde legitimè applicatus omninò erit proficuus.

In infantibus tenellis, in quibus apparet macula & nubecula: is efficax remedium est, si mater vel nutrix fœniculum masticet, & mox halitum in oculos infantis inspiret: fortius erit si post masticationem etiam lingua tangat. albuginem, aut ipsa saliva fœniculo tincta glande inungat eandem.

Sin verò fuerit sanguis congrumatus sive suggillatio: Tunc optimus est fotus cum aqua Chærefolii & cum aqua flor. Cyani. Hic enim oculis instillatus & etiam cum linteis duplicatis admotus mirè sanguinem congrumatum resolvit. Aqu. flor. Cyani, aqu. Chærefolii, aqu. hyssopi & similes sunt expertissimæ; item cuminum teratur intra dentes & probè masticetur, & hinc halitus oris in oculum immittatur suggillatum, mirè confert, & est remedium Burrhicit. loco videndum. In pertinaciori malo sumatur coma hyssopi, eaque contusa coquatur & ebulliat in aqu. calida & fotu isto postmodum tepidè foveatur oculus. Nam apertè sanguinem extrahere congrumatum asserunt, & confirmat hoc Riolanus in tract. de affectibus oculorum. Decoctum radicis symphiti cum dimidio radicis sigilli Salomonis, certissimum est remedium in suggillationibus oculorum tollendis. *Mich. Ettmullerus in Collegio Practico.*

De Hypopyo.

Ab oculorum inflammationibus non per resolutionem terminantibus, at in suppurationem abeuntibus (item à contusionibus, *&c.*) pus aliquando sub Cornea colligitur, qui affectus dicitur ὑπόπυον, aliquando etiam *Unguis*, viz. cùm pus iridis circuitum amplectitur, & unguis resecti figuram refert.

Ad affectum hunc curandum, præmissis universalibus qualia in cap. de Gutta Seren, *&c.* præscripta sunt, discutientia (emollientibus permista) principem opem conferunt.

Foveantur ergo oculi *fotibus* in dicto capite laudatis.

Item *Collyrium* seq. tepidè oculo instilletur.

℞. Sacch. cand. ʒj. myrrh. ʒß. camph. gr. ij. Indantur duorum ovorum albuminibus, quæ in panno stamineo pinsantur ut artis est, & f. liquoris expressio, cui add. solutionis aloës in aq. extinctionis lapid. calaminaris & ebullitionis tutiæ præp. factæ ℥ß. croci nodulo sæpius exprimendo inclus. gr. ij. misce f. collyrium. *N. B.* Proportio aloës est ʒ j. ad ℥j. liquoris. Leviusculum tantum dolorem excitat, non est inflammans.

℞. Aq. verben. rut. chelidon. rof. fœnicul. consolid. ana ℥ vj. calc. viv. ℥ iij. Infund. in aq. supradictis per 24. hor. Colaturæ add. *; sacchar. cand. ana ℥ ij. Ponantur in vase cupreo dum *aqua* colorem cæruleum acceperit. Pone guttatim in ocul. bis in die.

Si medicamentis istiusmodi pus resolvi & discuti nequeat, quære annon tentanda sit talis operatio qualis in cap. præcedenti laudatur ad suffusionem non-consummatam curandam, *viz.* Corneæ punctura, ita ut pus cum humore aqueo effluat? *Theod. de Mayerne in Prax. Medic.*

In Hypopyo operatio Chirurgica

Hypopium est collectio puris in pupilla oculi. Hoc pus quandoque ita ebullit, ut pupillam totam occupet. Causa duplex est interna & externa.

Causa externa originem sumit à violento motû, ut casû, saltû, ictû, tussione, vociferatione, elevatione vel ab aliis corporis exercitiis, per quæ venulæ, vel in processibus ciliaribus, quibus continetur humor crystallinus, vel in membrana uvea, nimis aperiuntur aut rumpuntur, ubi instillatus & extravasatus sanguis in pus immutatur.

Interna causa varia est, ut febris, inflammationes meningum, cephaleæ, animi pathemata, quæ omnia humores possunt in internam oculorum substantiam ex arteriis propellere, & effundere.

Si hic oculorum affectus generalibus, ut venæ-sectione, cucurbiculis, purgationibus, vesicatoris, topicis, exsiccantibus, aut digerentibus collyriis, cataplasmatibus, hisque similibus non mitigetur, Medicus ad Chirurgiam urgetur, quia non est exspectandum; ut pus membranam corneam; sed & uveam & processus perforet, unde non solum Patiens usu oculi sed & ornatû privatus foret.

Galenus memorat, suis temporibus expertum ophthalmiatrum, nomine Justum ægros imposuisse sedi, & manus alligasse lateribus capitis, qui tam diu illud concutiebat, donec abscessu rupto pus descenderet, discusso pure applicabat topica discutientia, sed providus *Galenus* hanc methodum improbat, & suadet incisionem iridis, ut collectum pus extrahatur, ad quam operationem perficiendam aptum foret instrumentum, quod epistolæ *Burrhi* depinxerunt; quod describetur, pus per incisionem exsugendi gratiâ.

Ut hæc operatio ad felicem perducatur exitum, æger imponitur sedi, opponitur autem luci, oculo incolumi ligato linteo, caput pectori servi imponitur, illudque manibus servi apprehenditur.

Postquàm Chirurgus sinistra manû palpebras deduxerit instrumento apto, intrepide membranam corneam terebrat, quâ re peracta mox pus effluit.

His peractis linum quadruplicatum imbutum hoc aut simili fomento imponitur & applicatur.

℞. Aq. Plantag. ℥ iv. Rosar. ℥ ij. liquor. album. ovi ℥ ij. troch. alb. rhas. sine opio ʒ ij. mucilag. sem. cydon. & psyll. aq. Euphrag. extr. an. ʒ j. M. F. Epithema.

Hoc repellente & anodyno collyrio duobus aut tribus utitur diebus; donec dolor & inflammatio mitigetur, tunc ad abstergentia & consolidantia deveniendum.

℞. Aq. rosar. fœnicul euphorag. plantag. an. ℥ j. syr. de absinth. ʒ vi. aloës, myrrh. an. ʒß. sal. saturn. ℈ j. M. F. Collyrium.

Hoc calefacto, pluma, aut penicillo oculus quater aut quinquies illinitur.

Mundato vulnere oculi præscriptis, utendum stipticis & cicatricantibus remediis.

℞. Aq. Plantag. ℥ iv. rosar. ℥ j. tut. ʒ j. lap. calamin. ʒß. vitriol. alb. gr. v. sacch. cand. albiss. ʒ ij. M. F. Collyrium.

His bene adhibitis remediis sequitur perfecta cura, modo æger sæpius hoc Mesues collyrium de die adhibeat.

℞. Ceruss. ℥ j. Opii, gr. x. sarcocoll. lact. nutrit. ʒ x. ammoniac. thur. an. ʒ j. tragac. gum. arab. an. ℥ß. aq. pluvial. q. s. f. sief. *Joan. Bapt. à Lanzvverde in Append. ad Armament. Chirurg. Sculteti.*

Hypopyum seu oculi purulentia, collectio est puris in interno oculi, mobilis tamen ad pupillam, tanta sæpe, ut integram eam occupet.

Causæ hujus morbi duplices, Externæ scil. & Internæ. *Externè* huc faciunt Casus, saltus, ictus, vociferatio, imò exercitia atque labores excedentes, undè vasorum subtilium in processu ciliari, cristallini humoris fundamento, aut etiam tunicâ oculi uveâ, ruptura, quam sequitur sanguinis extravasatio, qui facilè hinc in pus mutatur.

Interna causa potest esse Capitis dolor gravis, membranarumque internarum inflammatio, undè humorum in oculi interiora per arterias propulsio, quo pars affecta iis liberetur.

Varia in hoc affectu in usum duci solent, & possunt, evacuationes imprimis spectantia, venæsectiones, scarificationes cum cucurbitulis, purgationes, Topica exsiccantia, resolventia formâ fotus adhibita.

Mediis dictis quod si nihil efficiamus necessarium omnino ad operationem Chirurgicam devenire, quæ primo tempore instituenda, ne alias materia purulenta oculo contenta tunicam Corneam variis ex pelliculis, quatuor ad minimum, compositam perforet vi suâ corrosivâ, imò tunicas reliquas tenerioris quæ sunt conditionis, uveam scilicet, ciliaresque dictos processus, exedendo consumat, undè in oculo omnium confusio expectanda, imò ipsius visus, sensuum externorum nobilissimi, ablatio.

Tempore *Galeni* referente *Paulo Ægineta l. 5. cap. 20.* Oculista quidam fuit, Justus vocatus, cujus etiam meminit *parte 1. operat. Chirurg. Fabrit. ab Aquapendente*, qui ægrotantem, hypopio laborantem, imponebat sedili, hinc utraque manu caput patientis apprehendebat, idque

tandiu agitabat, usque dum purulenta collectio separabatur, fundumque petebat, hoc ex voto succedente, oculo ipsi medicamenta applicabat resolventia. Non semel simili via procedere nobis placuit, ast nihil unquam efficere licuit, adeò ut operationis hunc modum postea iterum tentare neutiquam libuerit. Consultum eapropter magis visum, *Galeni* methodo quam *lib. meth. med. cap. ult.* proponit, procedere. Perforat hic instrumento accommodato tunicam Oculi corneam proximè ad tunicarum eum concursum, qui *Corona* & *iris* appellari consuevit, sicque materiam purulentam per foramen factum effluere permittit. Hac methodo, sexies, imò octies, bono cum successu, malum dictum curavimus.

Operatio hæc & facilis est, & periculi omni caret; Instituit eam, referente *Jacobo Guilemeau*, dexteritate singulari, ætatis anno septuagesimo secundo, Chirurgorum regiorum Galliæ primus *Ambrosius Paræus*. Imo ipse *Guilemeau* in duobus subjectis feliciter hâc via processit. Legi hic possunt quæ habentur apud *Paræum lib. 17. cap. 17.* & *Guilemeau part. 4. Tract. de Ocul. cap. 12.*

Ultimus eorum in quibus Operationem hanc instituere nobis concessum faber fuit lignarius ex ordine eorum qui navibus ædificandis inserviunt; Penultima curationi nostræ subjecta Uxor erat *Justi Bulzing*, Mercatoris hujus loci, in qua ad hunc modum, præsentibus *Domino Theodoro Wynants*, Medico ordinario, & *D. Petro Swveers*, Chirurgo, processimus: Sellæ imponebamus ægram, sic ut luci clariori esset obversa, hinc Oculum sanum regebamus linteo complicato, mox caput ejus manu utraque prehensum, & manibus & pectore servi nostri sustineretur, effecimus. Hisce sic prægressis, manu dextra apprehensum instrumentum, accommodatum, oculi parti superiori applicavimus; loco qui proximus Tunicarum conjunctioni, mox sinistræ manus ope dilatatis palpebris, quo certior foret operatio, intrepido animo corneam perforavimus, & illicò materia purulenta exitum invenit:

Perforatione peractâ *Emplastrum defensivum Vigonis* parti vulneratæ imposuimus, imo etiam, ope lintei quadruplicati, fomentum sequens:

℞. Aq. Plantag. ℥ iv. Fœnic. ℥ ij. Sief Alb. Ras. ʒ ij. Sem. Cydon. Psillii an. ℥ ij. F. Epithema, calidè applicandum.

Ephithemate, Emplastroque ad dies duos tresvè usurpatis, quorum ope & dolor, & inflammatio remiserunt, Mundificantia media applicavimus v. g.

℞. Aq. Plantag. Eufras. an. ℥ iv. Syr. Absinth. ℥ ß. Aloës, Myrrh. an. ʒ j. M. F. Collyrium.

Penicilli ope quater quinquiesvè hoc oculo calidè illinire placuit singulis diebus, & quidem per dies quinque aut sex; coacti enim ea quæ cicatricem inducere, oculumque roborare valerent, assumere, hujus conditionis mixtura hæc:

℞. Aq. Plantag. ℥ iv. Tutiæ præp. ʒ j. Lap. Calam. præp. ℈ j. Vitriol. Alb. gr. 3. Sacch. Candi ʒ ij. M. f. Collyrium.

Et horum usu affectus dictus perfectè sine ulla visus imminutione curatus est.

Sequenti medicamento uti soliti sumus, quoties materia purulenta in oculo se primum manifestare incepit. Descriptio ejus habetur in *subsid. Med. Duranti Schachi cap. 20.* qui eam ex *Mesue* desumpsit.

℞. Cerussæ ʒ j. Opii, Sarcocollæ lacte nutritæ an. ʒ iij. Ammoniaci, Croci Thuris an. ʒ j. Gumm. Tragacanth. Arabic. an. ℈ ß. F. Sief cum aqua pluvial. aut cum mucilagine fænigræci. *Joan. à Meekren in observat. Chyrurg.*

De depositione Pterygii seu ungulæ.

Pterygium seu ungula est membranula nervosa ab interno oculi angulo pronascens, & per oculum se obtendens, & usque ad totam pupillam aliquando proveniens, visum atque ipsius oculi motum impediens. Et si autem ungula ut plurimum ab interno oculi angulo oriatur, oritur tamen etiam interdum ab externo, aliquando à parte superiore, aliquando ab inferiore.

Ungularum variæ sunt differentiæ, aliæ desumuntur à colore; & sunt rubri, albi, citrini, aut fusci coloris: Aliæ sumuntur à substantia, quarum consideratio magis ad praxin est necessaria; & sic alia ungula est nervosa, adiposa alia. Aliæ desumuntur à tempore durationis; sic alia est recens & levis, quæ velociter removetur, qualibet suspensione, alia inveterata & dura, quæ difficilius.

Præcipuum signum ungulæ est à sensu, visu facile cognoscitur. Aliud tamen etiam signum est, quod qui eam habeat videatur sibi sabulum in oculo habere, cum ungula jam est indurata & solida facta, tunc oculus non potest moveri, versus latus ungulæ oppositum.

Hæc ungula curatur Chyrurgia, in ejus depositione duo sunt pericula; primum ne cornea lædatur, cui ipsa uno suo extremo adhæret: Secundum est, ne dum ea perscinditur circa angulum oculi vulneretur caruncula lacrymalis: Nam si cornea lædatur, fit in ea inæqualitas, & exinde opacitas; & consequenter visus hebetudo, vel cœcitas; Si caruncula lacrymalis læderetur, sequeretur quædam incontinentia lacrymarum & perpetua lacrymatio, & in ipso actu Chyrurgico sequeretur quidam fluxus sanguinis. Itaque agendum est, ut potius aliqua ipsius ungulæ particula supersit, quàm ut exactè tota præscindatur, & quod ejus remanet per abstergentia seu erodentia medicamenta removeatur.

Chyrurgiæ plures modi sunt. Primus est iste: Æger jejuno stomacho in sedili contra medicum collocetur, vel in sinu medici caput resupinum ponat; si in sinistro oculo autem vitium sit, melius est ægrum adversum in sedili sedere; si in dextro præstat resupinum in gremio medici jacere. Tunc altera palpebra à ministro diducatur; altera à medico. Medicus hamulo argenteo seu unco modicè inflexo, circa medium ungulæ inflexo illam leviter elevet, ne cornea tunica trahatur, quod inflammationem pareret: Dum autem sic elevatur, continetur penna anserina plana, ut illa est qua cythara pulsatur, vel aliquantulum majore obtusa cuspide, vel instrumento argenteo cuspidem habente ad similitudinem rosmarini, & à lateribus obtuso

paulatim excorietur, primo versus angulum lacrymalem, deinde leviter removeatur à cornea; & iterum juxta lacrymalem progrediendo caute apud eum forficibus præscindatur.

Secundus modus est iste: Situato patiente ut supra, medicus accipiat acum argenteam longitudinis quatuor digitorum, quæ undique ad ipsius libitum flecti possit; & illa in foramine habeat filum ex serico, & pilum ex cauda equi, vel loco pili imponatur cordula testudinis & adæquatis pilo & filo, & sputo lenitis acus immittatur, & tota ungula apprehendatur. Si acus commode ingredi non potest, primum ungula hamulo attollatur, & acus tum imponatur, deinde filo serico constringatur, & alligetur ungula, & à ministro suspendatur. Tum medicus pilo aut chordula testudinis blande hinc inde excoriando, ambabus manibus filum sursum ac deorsum trahendo ad modum serræ ungulum ab oculo separet, usque ad angulum lacrymalem. Ungula forficibus præscindatur.

Albucasis lib. 2. c. 16. describit tertium modum, sed is valet quidem in ungula fragili & adiposa, sed non in nervosa.

Post operationem super oculum applicentur, quæ inflammationem impediant, ut sunt illa, quæ in tractatu de cataracta posuimus: postea abstergentia adhibenda. *Thom Fienus de præcip. Art. Chirurg. Controvers. tract. 3.*

Consultationes.

Pro Illustri, & Nobili Bergomensi Maculam oculi habente.

Illustrem, & Nobilem Virum non detineri ea specie albuginis secundum utrumque oculum, quod ex cicatrice post sanatum ulcus in tunica Cornea orta legitima dicitur, sed quæ spuria, & notha nuncupatur, facta non à scirro, sed à pituita crassefacta unicuique satis perspectum esse non dubito, qui quidem affectus est, qui ab Auctore libri de oculis Pannus, non autem qui ab Arabibus Sebel, à plerisque panniculus vocatur, nam Sebel ex Rase est panniculus venosus qui ut pterigium sibi curationem expostulat. Cœterum quoniam visio fere ex toto est ablata, aufertur autem non solum partium famulantium (inter quas tunica Cornea numeratur) verum etiam vitio facultatis, ac partis, cui primo debetur actio videndi, jure quis quærere posset, an vitio Corneæ conjungatur aliquid aliud ex jam dictis, cui statim respondeo præter dilatationem pupillæ, quæ oculis ipsis patientis nostri oculos intuentibus conspicitur, de aliis nil certè statui posse, nam si præteritorum ratio habeatur, cum Illustris Patiens occasione destillationis ante multos annos inciderit in Ortopnœam, & ab hac materia ad oculos conversa affectum nunc propositum incurrerit, facilè quis suspicari poterit nervos visorios non parum passos fuisse; Adhæc, quoniam antea ferè se totum Vir Nobilis Veneri tradidit, ac malorum, quibus diu fuit afflictatus, occasione, pluribus remediis evacuantibus atque calorem, spirituumque innatum multum dissipantibus usus fuit, nullus est, qui non arguat, propter hæc omnia coadjuvante etiam ætate senili spiritus ipsos deficere. At quoniam densata, ac veluti indurata tunica Cornea, species visibiles non recipiuntur, hinc de hisce propositis certum judicium ut dictum fuit minime fieri potest.

Sed jam principia generationis horum vitiorum afferenda, quæ omnia in insignem pituitæ proventum refero, quæ intra laminas tunicæ corneæ concreta albuginem, in substantia tunicæ uveæ imbuta mydriasim parit; Proventus autem hic pituitosus primaria quadam ratione ex fluxione suscipit occasionem, coadjuvat tamen, & facultas alteratrix oculorum à proprio scopo [quia non benè conficit alimentum] aberrans, sicuti in morbis longis, & in ætate senili contingere solet: Pituitam confluere docet color ejusdem panni, fluere autem per modum transmissionis, partis imbecillitas ex moorbo longo contracta persuadet, quanquam succum hunc pituitosum antea propter inflammationem oculorum attractum, ac dissipatis partibus tenuioribus ob calorem inflammatorium crassefactum fuisse non hæsitem.

Quamobrem si affectus ii curandi essent, Medicus omne studium eo dirigere deberet, ut humorem jam impactum discuteret, fluentem ad oculos derivaret, atq; revelleret, ejusdem generationem per alterationem tum cerebri, tum ventriculi ad calidum prohiberet, tandemque, & oculorum proportionem remediis ocularibus conservaret.

Quas medicas intentiones explere, nemo est ex medicis, qui non videat provinciam penitus impossibilem, nam ubi visio ob affectus præter naturam in habitu, qui pluribus, & efficacibus materis medicis sine fructu non semel à Viris Excellentissimis tractati fuerunt, aufertur, ubi plures oculorum partes affectæ sunt, nullam salutis spem remanere quis est qui non videat? Quoniam ablatam visionem sic restituere est opus divinum, non humanum, quia tamen medicina est donum ipsius Dei, ac instrumenta medica, veluti manus ejusdem solent interdum esse proficua (cum sæpius ipse, & natura ab imminenti etiam morte vindicaverit) ideo à materiis medicis in hoc quoque casu non est desistendum, quin inquam hæc tum ego proponam, tum Patiens diligentia, & studio Excellentissimi curantis ad usum deducat.

Et propterea (quantum attinet ad chirurgicam) præter vesicantia capiti adhibenda, Cauterium ad aliquot dies in sincipite gestatum summoperè laudo, & cauterium, atque setaceum in cervice, tanquam ea remedia, quæ citra aliquem fructum pluries tentata fuisse non propono, sed præter hæc proposita & aurium perforationem, itemque scarificationem cartilaginum eorumdem non improbo. De venæ-sectione, sicuti de remedio, quod sæpius fuit adhibitum, atque ipsius nunc nulla sese offert necessitas, nihil dico; cucurbitulas autem, modo siccas, modo humidas, frictiones, ligaturasque partium extremarum proficuas admodum esse posse fateor.

Quantum verò nunc ad medicamenta attineat, mihi videtur opportunum, ut neglectis interim communibus, ac aliis, quæ sæpius gratia totius fuerunt usurpata prosequatur Patiens in usu decocti chinæ, & medicamenti ex viperis,

ea

ea tamen ratione, ut quibusdam intervallis constitutis non solum tempore usus hujus decocti, verum etiam extra hanc occasionem utatur pilulis lucis tantum, aut etiam admixtis cochiis. Gratia autem capitis peculiariter ad evacuandum masticatoria, ad alterandum embrocam seu lotionem calefacientem, atque siccantem omnibus præfero.

Et quantum attinet ad topica, quæ detergentia, & discussoria esse debent plura sese offerunt medicamenta, inter quæ primum probo aquam fragorum instillatam, secundo sanguinem galli antiqui eodem modo usurpatum; huc pertinet mulsa cum succo fœniculi adhibita, oleum balsami, liquor qui extrahitur ex arundine fœniculi in horto ipso de nodo ad nodum perforata, sale minerali, saccharo, pulvereque Eufragiæ repleta, ac cera per noctem obturata. Sed collyrium ex ovo medicato cum viridi ære, & aloë lotis, atque sarcocola nutrita, tanquam efficax medicamentum, usu experientiaque mihi non semel comprobatum propono, sicuti & illud, quod fit ex mica panis nuper è clibano extracta, in mulsa macerata, ac sanguine columbino perfusa, Vapores enim qui ab hujusmodi mixto intra duo vasa stannea concluso exhalant, in aquam convertuntur, quæ in oculos instillata mirificè valet ad usum dictum, quo pertinet & collyrium Rasis ex fellibus. Verum ante horum omnium medicamentorum usum maxime proderit, si oculi foveantur spongia molli madefacta in decocto alteæ, malvarum, fœnugræci, seminum lini, ac hujusmodi aliorum emollientium. Ad proportionem autem oculorum flos nucis muscatæ cum conserva Eufragiæ probatur.

Atque demum inter ea, quæ victus rationem attinent, illud noto, ut omnia illius cibaria condiantur pulvere Eufragiæ, verbenæ, seminum fœniculi, rutæ, & sacchari, Vinumque cum Guajaco, salsa, & simplicibus ocularibus jam dictis alteretur. Reliqua verò huc spectantia, sicuti & pleraque alia tanquam Excellentissimo curanti notissima consulto prætermitto. Faxit autem D. O. M. ut hæc omnia Illustri, & Nobili Patienti salutaria reddantur. *Julius Cæsar Claudinus in Consultation. Medicis.*

Pro Perillustri, ac Nobilissimo adolescentulo Flandro Albugine secundum oculum dextram, diminutaque visione secundum utrumque oculum affecto.

Nobilissimum Adolescentulum superioribus diebus ophtalmia secundum oculum utrumque detentum, nunc macula, seu albugine in dextro oculo tantum, membranæ corneæ affectu, detineri, præter id, quod sensus attestatur, manifeste, ex his etiam colligere possum quod hujus affectus proprium est tum objectum, veluti per velamen, & per rete visibile reddere (idque patienti nostro contingit) tum ophtalmiam, vel facile subsequi (hæcque pariter præcessit) ex quo Albuginem hanc impropriam esse sequitur, quandoquidem propria factam in oculis ulceris occasione cicatricem subsequitur. Verum quoniam adhuc adolescentulus noster difficulter sibi remota valet videre, præter dictam maculam imminuta quoque visione (quod & ad oculum dextrum spectat) sine dubio laborabit; A quibus non solum ut interim liberetur expostulat, sed etiam ut ab inflammatione jam prægressa tueatur, ac imposterum præservetur exoptat.

Quæ uti ipsi tutius succedant, mihi circa modum generationis affectuum præsentium, & causas eorundem prius, breviter tamen digrediendum. Et profectò immediatam causam illius albuginis densationem corniformis tunicæ ab humore crassiori occasione ophtalmiæ in membrana illa derelicto poros ejusdem obstruente productam affirmo, ex quo ne rerum visibilium simulacra ad chrystallinum humorem usq; præcipuum visionis instrumentum liberè permeare possint, impediuntur, sicque objecta per nebulam veluti à patiente conspiciuntur, qui quidem humor pituitosus existens (ut ex Albedine conjicitur) suæ generationis ortum habuit ob errores potius externos, quam quod in vitia facultatum capitis, ventriculi, ac hepatis referendus existat, quamquam & ipsa aliqua ratione concurrisse crediderim; caput scilicet aliquali humiditate, ventriculum vix frigiditate, & hepar proprio fervore.

Cœterum quæ causæ prædictam visionis diminutionem efficiant, non ita facile dignosci potest, cum etenim, commodius propinqua videre, quam in debita distantia locata ut plurimum illis accidat, qui aut spirituum visioni deservientium defectum, vel impuritatem patiuntur, cumque perillustrem hunc adolescentulum ab his immunem esse Dei beneficio colligatur ex his, quod in ea est ætate florida constitutus, quæ pluribus donata est spiritibus visoriis, nullusque præcessit affectus, qui illos dissipare potuerit, quod secundum oculum sinistrum remota quoque, convenienter tamen distantia, bene videt, idcircò aliundè mihi causa est exploranda, quam dilatationem ob foramen Ragoidis ab humiditate distensum, quatenus per hanc aliqualis spirituum disgregatio succedit, immediatam causam hujus imminutæ visionis constituo, dilatatio oculis sese offert intuentibus, reliquæ verò causæ humorem prædictum foramen dilatantem producentes ex dictis innotescunt.

Quidnam autem causæ sit, cur oculi præsertim in hoc nobilissimo puero passi fuerint, & prædictis affectibus nunc dexter detineatur, cum excrementa in corpore quantitate; qualitateque excedant hæc declarant nimirum partium reliquarum robur ad expellendum potens oculorum naturalis imbecillitas ad recipiendum apta, eorundem ad prædictos patiendos affectus hæreditaria ex parte matris dispositio, inflammatio prægressa occasione doloris, & caloris ad attrahendum apta.

Quibus ita de modo generationis, necnon causis horum affectuum constitutis, jam Medici munus erit tum humorem in cornea imbibitum, & illam obstruendo densantem; tum illum in ragoidis infarctum, & illius foramen distendendo dilatantem, præsidiis discutientibus resolvere, oculorum proportione servata; sed quoniam hæc per medicamenta localia consequi oportet, eaque totius providentiam utique supponunt, idcircò ad totius corporis morbosum apparatum, omnem operam Medicus convertere oportet, quod quidem summoperè ad præservationem

vationem quam tantopere patiens exquirit, conducet, quod tutius assequetur, si caput demum, & hepar illud potissimum ad siccum, hoc autem ad frigidum alterabit.

Quæ omnia quamvis ob dispositionem matris hæreditariam, & ob suffusionis propè imminentis suspicionem aliquam difficultatem præse ferant, hanc tamen posse superari primum Dei beneficio suffultus, mox ætatis vigore, ac anni tempore verno, in quo sumus, vel facilè arbitror, & quæ hujus rei certissimum præstant argumentum, duo sunt, quorum alterum illud est, quod etiam in oculo sinistro post sanatam ophthalmiam albugo, quædam similis visa est superstes, quæ tandem solo beneficio naturæ fuit resoluta: Alterum est quod patiens perillustris prædictos incurrerit affectus propter errores potius externos, quam ob internas viscerum discrasias.

Materias itaque præsidiorum aggrediens primum ex Chirurgica (ut præservationi etiam incumbendo tutius oculo nunc affecto topica admoveantur) cucurbitulæ partibus infernis applicitæ, & scarificatæ maximi erunt usus, sicuti, & postulante occasione, venæ basilicæ cephalicæ, aut demum salvatellæ sectionem haud improbo; cucurbitula quoque cervici, vel etiam parti capitis posteriori è directo oculum affectum prospicienti admota, & scarificata, si necesse fuerit, summoperè proderit: At reviviscente morbo (quod avertat Deus) ad materiæ interceptionem setaceum in cervice mirificè conferret; interim tamen omninò cauterium brachio dextro infingendum esse censerem, quod quantum valebit ad præservationem præsentium affectuum, ac ophthalmiæ in dies adolescentulus experietur.

Medicamenta ex pharmaceutica Medicinæ parte petita varia sint oportet, & primum quæ rationem totius habebunt, erunt mel rosatum solutivum & syrupus rosatus pariter sol. vel cassia, una cum speciebus hieræ Galeni. Secundo humores præparabuntur cicorii, endiviæ, betonicæ, eufragiæ, & chelidoniæ decocto, adjectis syrupis accommodatis; post quæ purgans aliquod medicamentum præscribi poterit, sicuti quod ex infuso agarici trociscati, & Rhabarbaro addito syrupo rosato solutivo conficitur, in quem finem etiam radice mechiocani uti conveniens erit, aut (si fortioribus) pilulis lucis, sine quibus, & assaiaret Avicennæ omninò insistendum. A totius expurgatione deveniendum esset ad partium alterationem, nisi adhuc aliqua impedimenta remanerent tum ratione totius, tum ratione capitis; Et quidem quæ adhuc totum respiciunt, sunt aliquæ excrementorum reliquiæ, quæ commodè per medicamentum insensibiliter evacuans consumi, absumique poterunt, hoc autem erit chinæ decoctum una cum modico salsæ, nisi ventriculus obstet, aut etiam cum tantillo, si opus fuerit, ligni guaiaci, cicoreaceis tamen castigati, betonica, & ocularibus simplicibus adjunctis: Verum & sensibiliter caput masticatoriis expurgari potest, quo in casu solo mastiche, solove papyro contentus essem.

Ac interea medicamenta discutientia oculo sunt admovenda, quæ simul oculi proportionem respicere debent, sed à mitioribus inchoandum, inter quæ sunt sanguis columbinus, turturis, aqua fragrorum, chelidoniæ, eufragiæ, Urina pueri per se sola, vel una cum melle distillata, & oculo instillata; vel si patientis oculus lingua ejus, qui fœniculum masticasset lamberetur, plurimum prodesset.

Quibus non conferentibus ad fortiora deveniendum, ad omnia scilicet fellium genera, perdicis autem potissimum, ad capita similiter hyrudinum detracta in olla exusta contrita, ac tandem pulverata; At quod mirum in modum valet, ut experientia non semel mihi comprobavit, est aqua stillatitia, quæ ex mica panis nuper è clibano extracti aqua mellis macerata, & postmodum sanguine columbino superaspersa, tantillo pulveris calcanti addito in duplici vase destillatur.

Quibus omnibus expeditis, pro capitis alteratione conservæ capitales, saccharum rosatum cum pulvere boli Armeni hora somni devorata, exterius verò lotio ejusdem capitis ex decocto camomeli, rosarum, betonicæ, & eufragiæ erunt accommodatissima.

Pro jecore autem succus cicorii, vel per se assumptus, vel cum sero depurato, & succo acetosæ, vel extra sub forma perfusionis cum speciebus cerati sandalini, & aceto adhibitus hypochondrio dextro, omnibus præferendus; quibus minimè conferentibus ad balneum aquæ dulcis, & Lucenses aquas, Villenses inquam, nunquam satis laudatas, illud de foris administrandum, has verò de more bibendas se transferat perillustris patiens necesse erit.

At quod ipsum summoperè juvabit, conveniens est vivendi ratio, quæ ea sit oportet ut in aëre in activis temperato, in passivis ad siccum vergente vitam degat, ut hac de causa aërem Venetum maximè proprium dixerim; Cibi erunt carnes gallinarum, perdicum, caponum, turturis, vituli, & hujusmodi probi succi, ova recentia, pisces saxatiles: Ab omni abstineat repletione, ab oleribus excrementitiis, caveat ab iis, quæ in caput effumant, ab aromatibus, ut propterea ipsi saccharum rosatum, vel coriandra semicooperta, vel cydoniatum à mensa sint assumenda. Potus vinum sit cum china alteratum, una cum simplicibus ocularibus, exercitium fiat moderatum, somnus existat brevior consueto, alvus quotidiè secedat, quod si hoc sponte non accidat, pane utatur nobilissimus adolescentulus ex tota farina subacto, adjectis anisis, passulis, ac sale, vel clysteribus levioribus utatur. Animi passiones, quæ lacrymas præsertim ciere solent, aufugiat. Et hæc sunt, quæ ad curationem præsentium, & præservationem ab ophthalmia in gratiam nostri patientis perillustris volui dixisse, faxit modo Deus, ut in actum secundum deducta optatum sortiantur finem. *Idem ibidem.*

Ophthalmia cum visionis imminutione ex Albugine.

Illustrissimus Comes Adolescens annorum septemdecim, temperamenti biliosi, hepatis calidi, capitis præhumidi; elapsis Bacchanalibus diebus correptus fuit Ophthalmia in oculo sinistro, cum fluxione materiæ acris in principio, cum dolore, levi tamen. Verùm ob neglecta

glecta remedia in principio, & ob errata in iis præcipuè, quæ ad victum & aërem spectant, usurpatis spatio quindecim dierum circiter solum collyriis ab amicis exhibitis, sævior factus fuit morbus, & perenni affluente materia, visio incepit imminui, unde ab adveniente Medico inventa fuit albugo totam Iridem & crystallinum occupans, parum reliquo oculi rubente. Illico missus fuit sanguis ex brachio, exhibitum fuit deinde Leniens ex manna, & syr. de rosis, cum superbibitione aquæ hordeaceæ; postea sanguis missus fuit ex hæmorrhoidibus & per cucurbitulas dorso summo & imo, quæ fuere tum siccæ, tum scarificatæ, non omissa circa nucham incisione. Clysteres fuere in usum revocati, Phœnigmi scapulis, brachiis summis, retro aures etiam fuere appositi, cui loco prius admotæ fuerant hirudines, & ultimo Cauteria brachiis inusta. Remedia ex Pharmacia, post primarum viarum expiationem hausit Nobilissimus Co. infusiones ex sena, agarico & rhabar. cum additione mannæ, syr. rosl. solut. cum superbibitione modo seri, modo aquæ hordeaceæ, interpositis Alterantibus pro moderanda intemperie hepatis sanguinisque, & cæterorum humorum peccantium. Collyria à Medicis præscripta fuere, ex quibus incepit albugo tolli, ita ut supra dimidium fuerit ablata, superstite tamen in præsens ejus portione in oculi medio cooperiente pupillam. Decem dies sunt, ex quo cessante ad hunc oculum affluxu, eodem ordine ad dexterum quoque delapsi fuere humores, unde primò rubor, dolor levis, postea magis affligens, non tamen continuo, ita ut visio parumper fuerit imminuta, & objecta nunc indistincte videat, & in dies depereat visus. Nebula quæ in hoc observatur, est veluti velamen decuplo minus crassum, quàm alterum; dolor est potius gravis. Materia catarrhalis tenuis erumpit per nares, per palatum, & ex oculo lacrymæ manant, non tamen continuo, ubi ex alterato cessarunt. Quotidie frictiones, cucurbitulæ modo siccæ usurpantur. Collyria in principio huic oculo repellentia immittebantur, nunc additur parum aquæ fœniculi. Ex consilio inito progrediendum in expurgantibus corpus, deinde caput, non prætermissis Alterantibus, ut si morbus contumax observaretur ad decoctum exiccans sit confugiendum. Setaceum renuit Nobilissimus Ægrotans. Hæc in compendio sufficiant viris sapientissimis à quibus consilium in re tanta exoramus.

In Ophthalmiam incidisse Adolescentem Illustrissimum hac tempestate hyemali frigida & humida mirum non est, cum & Hipp. in hac eadem lippitudines viguisse observaverit, eoque facilius in calido & humido capite contingunt, nisi oculi prævalidi fuerint, ut notavit Gal. addita quoque vivendi libertate. Verum cum Ophthalmia sit inflammatio tunicæ adnatæ totum oculum ambientis, & ideo externæ, quæri potest cur & quomodo alium atque diversum oculorum affectum secum duxerit, & num albugo, an vero suffusio, consecutus affectus dicendus sit; & ad primum quod attinet, occasione caloris atque doloris, quæ sunt duæ potissimum causæ attrahentes, per alia vasa ad oculum humores attractos fuisse credo, sed ad quam partem ambigo, num scilicet ad corneam tunicam intrinsecus, vel extrinsecus, & ita albugo Ophthalmiæ successerit, vel potius aqueus humor oculis proprius pituitosum excrementum in intercapedine inter corneam & crystallinum existente exceperit, & suffusionem excitaverit. Quod tamen indeterminatum relinquere, nihil universali Curationi, & parum particulari obesse, sed tantum prognosticum alterare potest. Illud interim pro certo habendum, Ophthalmiam humidam esse & non legitimam, sed spuriam, ut ex qualitate doloris, lacryma non adeo acri, & tandem ex affluente pituitoso humore facile elici potest: caput vero non tantum essentialiter affectum esse, sed & à jecore, & à toto venoso genere fomitem suscipere.

Ut propterea contra oculares Medicos Galenus, Topicis omissis, solis Purgationibus, aut sanguinis missione Ophthalmicos se liberasse glorietur; ut nobis innuat non adeo facile & cito ad collyria & ophthalmica remedia Topica confugiendum esse, ut perperam fecit ante accersitum Medicum Illustrissimus iste Adolescens, toto namque & capite repletis, facillime redundantes humores à medicamentis ocularibus ad oculos ipsos attracti fuere.

Idcirco ex Platonis sententia oculos curare ante caput, & caput ante totum corpus non licere docuit Gal. quod observasse audio Viros Excellentissimos Adstantes, dum evacuantibus, revellentibus, alterantibus, divertentibus & repellentibus primò, progressu vero etiam digerentibus, omnibus tamen anodynis usi fuerunt.

Quibus quidpiam aliud vix addi posse video; etenim revellentia nullo modo deserenda, quotidianæ nempe pedum lotiones & dorsi frictiones; & perseverante fluxione vesicantia quoque, vel scapulis & occipiti, vel saltem brachiorum superiori parti circa musculum Deltoidem ubi Cauteria figuntur, nisi Cauterium impediat, tum ratione revulsionis, tum diversionis & à capite derivationis. Restat considerandum in occipite setaceum, quod sicut capite essentialiter tantum affecto mirabile auxilium afferre solet, ita consentiente toto, infaustum eventum sæpe vidi, & ideo caute valde, & nonnisi cæteris omnibus frustra tentatis affigendum. Inter evacuantia, efficacissime à capite & à toto purgant pilulæ capit. Paracelsi, ad semidrachmam exhibitæ circa noctis dimidium à primo somno; continent enim extractum colocynth. elleb. nigri & Diagrydij, diebus Canicularibus paratæ; quæ quoniam Patavij inveniuntur, Veronæ autem præsto non erunt, ideo drachmam unam pro duabus vicibus ex ipsis transmitto; cum enim exigua sit dosis, facile forsan ab Illustrissimo Pat. assumi poterit, & si opus fuerit, iterum atque iterum erunt repetendæ.

Alterantia humorum acrimoniam demulceant, & Præparantia redundantiam respiciant.

Ita Topica medicamenta ophthalmica caute sunt in usum ducenda eo ordine, ut primo Ophthalmiam, mox consecutum affectum secundo loco respiciant; inflammatio enim impedit crassioris materiæ resolutionem, ita tamen Ophthalmiæ incumbendum, ut nimio repellentium usu, suffusionis aut albuginis resolutio non prohibeatur. Fœnugræci Decoctum Ophthalmiæ spuriæ quam maxime prodesse, nec suffusioni ob-

obesse voluit Galenus. Albugini externæ linctus à puella aut puero jejuno ventriculo, post fœniculi masticationem certissimum est remedium. Albugini vero internæ potens erit aqua stillatitia ex succis fœniculi, chelidoniæ & prassij, à Gal. marrubij dicti, simul mistis, additis fellibus & melle optimo. Suffusioni tandem ut præstantissimum Ophthalmicum à Quercetano proponitur crocus metallorum in aqua chelidoniæ, quod tamen remedium à me frustratorium & prorsus inutile semper in praxi observatum fuit: & ideo tincturam ab eodem croco metallorum extrahendam curavi, & parata habetur Venetiis apud Hieronymum Rizzetum Pharmacopolam ad signum Sanctæ Margaritæ, quæ tinctura guttatim oculis infunditur, quotidie tribus aut quatuor vicibus. Meliora in præsens mihi non suppetunt, neque ad majora devenire audeo, nisi de statu Co: Illustrissimi certior factus.

Congrua interim à Viris Excellentissimis erit addenda victus ratio, ita ut præter cætera prorsus abstineat à vino, parcum sit prandium & parcissima cœna, & uno verbo, sedata Ophthalmia, victus debeat esse tenuis & attenuans, ut Excellentissimis Medicis Adstantibus magis opportunum visum fuerit. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

De læsa visione ex Albugine gravi auditu, & semiparalysi. Pro adolescente Polono.

De tribus affectibus præter naturam conqueritur in præsentia Perillustris adolescens annorum 18. videlicet de visione partim imminuta, partim depravata oculi dextri. Videt enim diminutè, & conspicit objecta veluti per velum, seu nebulam: de gravitate auditus in aure dextra: & de imbecillitate ejusdem brachij, ratione cujus vix potest elevare quidpiam ponderosum, vel saltem non diutius tenere: qualis imbecillitas est etiam in sinistro brachio, non tamen adeò gravis, & cum levi quodam dolore scapularum. Has affectiones, plures & graviores præcesserunt, videlicet apoplexia, 15. ætatis anno, cùm octo horas immobilis, & sine sensu jacuerit, cum detentione operationum principum, quæ postea migravit in paralysim infernarum partium, crurum scil. Post aliquot menses supervenerunt variolæ, quibus successit tumor insignis in gutture, cum levi dolore, qui deglutitionem aliquantisper impediebat, inde tumor, & erosio in palato, cum exulceratione columellæ, quæ tamen vel parum, vel nihil est imminuta. Quartò tumor subortus in utroque genu foveam relinquens dum comprimebatur, cum impedimento, & dolore in incessu. Ac quintò confluxus accessit ad sinistrum oculum ejusdem materiæ, quam nunc in dextro videmus, cum majori visionis offensa: ac tandem inflammatio sinistri oculi, & insignis rubedo. Hæ sunt præteritæ, hæ præsentes affectiones. Sed quia graves, illæ non egent consultatione, idcirco ipsarum commemoratio præsentium tantum affectuum cognitioni usui erit. Ex præsentibus verò, cùm oculi vitium majus facessat negotium, ab ipso initium facientes, videbimus qualisnam sit affectus, in qua parte, & à qua causa fiat.

Quantum ad essentiam, aliud sanè non est hoc vitium, quàm albugo vel nebula in cornea genita, siquidem est materia alba crassa, & adhærens; non tamen est vera albugo à Paulo descripta 3. de Re Medica 22. quæ est macula ab hujus tunicæ cicatrice inusta: neque est albugo scirrhosa inflammationi succedens. Licet enim inflammationem passus fuerit, ea tamen non fuit, à qua ejusmodi macula, vel tumor induci potuerit. Sed est albugo spuria, dependens à materiæ fluxione ad illam partem, quæ & nebula dici potest. Habemus enim ex Avic. quod si materia est superficialis, potius nebula, si profunda, potius albugo vocanda est. At in præsentia censeo materiam partim esse superficialem, quia si intueamur oculum, apparet inæqualitas in illa parte; partim profundiorem: cùm enim cornea tunica ex quatuor laminis sit composita, ut patet ipsam diligenter separanti, materia hæc non solum superficiali laminæ adhæret, sed etiam ad alias hujus tunicæ laminas pertingit.

Ideo patet ex his, partem affectam esse tunicam corneam, affectum esse morbum in numero, præsentiam scil. materiæ superfluæ, quæ alia non est, quàm pituita, ut ex colore, crassitie, & visciditate ipsius colligitur, à qua læditur visio; quia talis materia occupat etiam illam corneæ partem, quæ pupillam tegit, licet hanc minus, quam alias partes. Confluit autem hæc materia à capite humidissimo, & fonte omnium malorum præteritorum, cum aliqua caliditate, quam intemperiem hæreditariam patitur æger nobilissimus; quandoquidem Illustr. ejus parens sexcentas morborum species passus est, ob hanc cerebri intemperiem. Neque est quod pluribus hoc probemus, quin potius dubitandum, an materia hæc à cerebro confluens, aliqua sui portione contineatur in nervo optico, & obstruat cavitatem ipsius. Ego enim cùm oculum sanum clauserim, & inspiciens affectum oculum, viderim pupillam ipsam parum dilatari, suspicor adesse levem aliquam angustiam etiam in nervo optico; non quidem talem, quæ prohibeat omninò spirituum confluxum, quia non fieret visio, sed quæ saltem uberiorem impediat, à quo fit pupillæ dilatatio.

Huic affectioni accedit gravitas auditus, quia & nervus tertiæ conjugationis ad aurem perveniens est utcunque coarctatus, vel saltem humectatum est tympanum, quod propterea ab aëre externo percussum parum resonat. Adest quinetiam brachiorum imbecillitas, cum dolore scapularum: quia portio hujus materiæ confluit ad musculos, & nervos illarum partium, & prohibet perfectam irradiationem facultatis animalis, solvitque continuitatem partium sensitivarum. Hæ ergo sunt affectiones, partes affectæ, & causæ effectrices manifestæ, quibus cùm aliud accedat fovens prædictas affectiones, oculorum scilicet caliditas, quæ se prodit ex venis apparentibus in conjunctiva, & ex facili rubedine oculorum ab applicatione remediorum utcunque calidorum. Dubium præterea est, an duxerit aliquod inquinamentum Gallicum ex lacte, quod aiunt ab infecta nutrice suxisse: si enim hæc quoque causa accederet, contumacior esset morbus. Verum non credo causam hanc habere locum, cùm quia non adsunt certa indicia infectæ nutricis, tum etiam, quia patiens

tiens nobilissimus non prius male habere cœpit, quam anno 13. ætatis. Si enim ab infecta muliere tale inquinamentum suscepisset, etiam ante illam ætatem de quibusdam morbosis vitiis querelæ non defuissent.

Utcunque tamen sit, non possumus non determinare, graves & contumaces fore prædictos affectus, cùm dependeant à catarrho hæreditario exuberante: in primis verò illa oculi nebula, cùm sit quinque annorum, ac proinde materia sit impacta, & firmata. Accedit, quod generosis præsidiis hactenus tentata fuit hæc curatio, incassum tamen. Nihilominus non censeo curam omnino prætermittendam; quia si planè non tollantur, imminuentur saltem, & perfectior visio reddetur, intemperiesque aliquatenus corrigentur.

Quare materia pituitosa, quæ ad oculum, aurem, & scapulas, nervosque motorios confluxit, erit attenuanda, & digerenda: prius tamen novæ materiæ confluxus est prohibendus, caput diligenter purgandum, & intemperies humida corrigenda erit exsiccantibus, necnon & jecur refrigerandum. At quia impossibile est confirmatam intemperiem ad naturalem statum reducere, ut propterea possit omnino prohiberi materiæ regeneratio, ea saltem ad alias partes est divertenda, revellentibus, & derivantibus: oculique, & aliæ partes affectæ sunt corroborandæ. Quæ facilius consequemur habita ratione totius corporis. Quare ab eo quod ultimò inventum est curatio est auspicanda, & totum corpus, & caput est diligentissimè purgandum; materia fluens est divertenda, fluxa digerenda; intemperies corrigendæ; & partes affectæ roborandæ. Quæ præstabuntur Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Quod spectat ad Chirurgiam, sanguis in casu præsenti necessariò mittendus est è vena communi dextri brachii, non ex hæmorrhoidibus: ac tertio ex vena frontis, vel venis in angulo oculi affecti. Gestat fonticulum in brachio dextro: qui locus videtur suspectus, propter partis imbecillitatem. Sed cùm majus sit emolumentum, quod ex hac evacuatione suscipit, ob rectitudinem cum parte affecta, quàm noxa propter imbecillitatem brachii, illum servarem. Ne verò tanta materiæ copia conflueret ad illam partem, alium pararem in interna parte coxæ dextræ, quò revellamus à jecore. Quod si tertium admitteret in sinistro brachio, summopere prodesset: in tanta enim fluxione multis opus est emissariis. Non defuerunt, qui Chirurgico præsidio receperunt affectionem oculi sanare. Sed, ut credo, errarunt in cognitione affectus. Nebulam enim habuerunt pro ungui, qui est membrana quædam ab angulis originem habens, & expansa supra conjunctivam, & aliquando supra corneam. Quæ curatio Chirurgicis præsidiis perfici potest: quia materia hæc est impacta in laminis corneæ, neque est in membranam conversa. Quare ad Pharmaciam devenio.

Alvus itaque leniatur *mell. ros. sol. & manna:* Præparentur humores *syr. de beton. de cichorio, & oxymel. simpl.* cum decoct. proportionata. Purgentur *agarico, & rhabarb. cum mel. ros. ac syr. de polypod. compos.* Deinde validioribus attenuantibus præparentur humores, videlicet *syr. de beton. compos. de cichorio compos. & oxymel. compos.* cum portiuncula *syr. de stœchade.* & decoctione *betonicæ, euphragiæ, verbenæ, & cichorii, stœchadis:* & validius purgetur corpus, *pilulis* nempe *aggregat. & fœtidis, vel pilulis de hermodactylis, cum pilulis lucis:* quales debent esse in frequenti usu in tota curatione: Purgetur caput cùm masticatoriis, tum errhinis, & deinde ad localia fiat transitus. Intrinsecus autem omnium maximè mihi probatur *decoctum ligni guajaci, & salsæ;* sed temperamenti habita ratione, & ætatis, cum sudore bis in die, & victu tenui, & attenuante, non tamen tenui valde; additis decocto *herbis capitalibus, ocularibus, & cichoraceis,* præmisso bolo *ex Terebinthina Veneta,* lota aqua *euphragiæ,* vel simili. Quo tempore localia extrinsecus partibus affectis erunt in usu. Oculo autem convenient attenuantia, digerentia, & utcùnque emollientia, cùm aliqua corroboratione, ob laxitatem venarum. Quare parabuntur pulveres *ex sepia, combusto pumice, cornu cervi,* cum portiuncula *fœniculi, & plantaginis* pulverizatorum. Parabitur decoctum *ex fœnugræco, & meliloto, cum fœniculo, euphragia, malva, althæa, & plantagine:* vel aquæ jam propositæ, cùm portiuncula *aceti, & croci:* ad penetrationem: deinde validiora erunt accommodata, qualia erunt decoctum *sabinæ, scabiosæ, salsæ,* incisæ, cum portiuncula *plantaginis;* & pulvis *ex sepia, & sale armoniaco* æquis portionibus, vel etiam *pulvis thuris, sarcocollæ* & similium. Commendatur quinetiam *sief de fellibus.*

Auri verò alia conveniunt, instillatio nempè *olei de fœniculo, de aniso;* sed omnium maximè *suffumigium ex decocto fœniculi, fœnugræci, sabinæ, salsæ, ac bryoniæ, cum lapide pyrite.* Brachiis autem inunctio facta *oleo vulpino, de castoreo, de lumbricis,* & similibus. A decocto verò stillicidium, cùm supra suturam coronalem, tùm supra nucham erit ex usu, *ex aqua Lastrensi:* & luta digerentia *Divi Petri* pro utroque brachio.

Quibus jungenda est congrua victus ratio, quam ut optimè notam brevitatis gratia prætermittendam censeo. Intrinsecus juvabunt conservæ cephalicæ, de betonica, de flor. Salviæ, rorismar. cum Euphrag. conveniunt aq. Divi Petri & vesicans in occipitio; ac tandem repetatur decoctum in Autumno, utaturque vino medicato. *Bened. Silvat. Consil. & Resp. Medic. Cent. 2.*

Pro mercatore Bergomensi Pterigio, seu ungue oculi sinistri detento.

Est res mira, quod oculus ea pars nobilis existat, de qua Galenus ausus fuerit affirmare, caput ejusdem gratia factum fuisse, & nihilominus tot malis misertimè subjiciatur, inter quos post morbos attinentes ad partes, quæ eundem oculum movent, primum occurrunt morbi adnatæ, & corneæ tunicæ, qui cum varij sint, qui nunc occurrit in egregio Bergomensi, pertinet ad magnitudinem auctam, ac tumor dicitur, qui cum in hisce tunicis multiplex esse possit, Pterigium inquam Myrceph, Staphiloma, & Melon, tumor præsens est Pterigium, seu unguis, sicuti oculis ipsis deprehenditur, nam solet morbus hic in adnata tunica nasci ex altero angulo, vel ex altera palpebra adnasci, cum ea tamen differentia, ut rarissimè ex palpebris,

rarò ex angulo externo, frequenter ex interno prodeat. Cum igitur tumor noster suum initium in adnata tunica ex angulo majori suscipit, jure unguis vocari debet, quod cum adhuc vel persistere possit in prædicta tunica, vel eandem egredi, & modo corneam solum, modo pupillam attingere, tumor propositus erit de numero eorum, quæ corneam ea in parte obsident, quæ est è regione ipsi pupillæ, quia impeditur visio.

Amplius quoniam, ex Principe, alia est ungula carnosa, alia membranosa, alia adiposa, & membranosa, alia alba, alia nigra, hæc partim est carnosa, ut potissimum in apice color docet, partim membranosa albicans, ut in basi.

Causa immediata hujus vitii est substantia carnea, & membranea, quarum utraque fit ab alteratrice residente in carne anguli mediante calore innato per auctricem facultatem, coegit tamen ex Aëtio scabrities in oculo derelicta ophtalmiam sæpius perpesso, agitur enim 20. annus, ex quo oculus hic laborat, ut refertur.

Causa vero materialis respectu substantiæ carnosæ sanguis existit, respectu membraneæ pituita, qui humores sicuti ex colore liquent, ita partim per congestionem, partim per defluxionem collecti fuerunt; per congestionem quidem, quoniam tuberculum hoc sensim extuberavit, excrevitque, per fluxionem, quoniam sanguis non in oculo, sed in hepate generatur, ac genitus in prima hujus vitii generatione copiosius, quam par sit occasione ophtalmiæ fuit attractus, nunc verò propter imbecillitatem partis copiosius pariter quam conveniat, transmittitur, ac per venas adnatæ tunicæ, pro nutritione, accretioneque tuberculi suggeritur; Quæ omnia, & de pituita affirmari possunt, quando primum à cerebro ad hanc partem attracta fuerit, & nunc ab eodem in illam met transmittatur ob causas jam dictas, sed & pituitam ibidem aliqua ex parte congestam esse supra tactum fuit.

Ut ergo æger ab hoc malo liberetur, tuberculum est admendum, & procurandum ne reviviscat, quod fiet, aut si prædicti humores alio deflectantur, aut eorundem generatio per alterationem capitis, & ventriculi cohibeatur, ante quæ omnia prius totius (ut dicunt) providentia est habenda.

Et quoniam hoc morbi genus, tanquam illud quod facilè materiis medicis cedit, facilè vincitur, quod potissimum contingit, quia superficiei adnatæ tunicæ solum adhæret, ideo medicus curans proprio fine absque dubio potiri poterit, non negarem tamen aliquam difficultatem esse occursuram, quoniam affectus est in habitu, ac pupillæ regionem attingit.

Quare deveniens ad materias medicas, & primo ad chirurgicas statuo, hasce ad tria capita reduci, ad disponentia inquam curantia, & præservantia; In genere disponentium est sectio venæ brachii, tum internæ, tum externæ ejusdem lateris, nam patiens quamquam sit ætatis inclinantis, est tamen habitus plethorici, quando subdominium sanguinis dominio melancholiæ inungatur, disponent etiam ad curationem apertio venarum ani, cucurbitulæ scarificatæ, primum dorso, deinde occipiti adhibitæ, item & hyrudines post aures appositæ.

Materiæ chirurgicæ curantes hunc affectum, & ipsæ in casu nostro locum habent, quoniam est absolutus, & consummatus, initiatus enim secundum antiquos detergentibus medicamentis curatur, Verum quia pterigium consummatum, vel est mite, vel contumax, si mite, apprehenditur volsella, deinceps ferro incisorio abscinditur, quod si sit contumax, Albuchasis, & Aëtius docent modum pulcherrimum, qui est hamulo perforare tuberculum ad basim, deinde filum lineum duplicatum acu trajicere, utrinque ad basim arcte deligare, atq; sic tuberculum illis illis deligatum, & apprehensum incisorio instrumento abscindere, quod opus nec Vere, nec Æstate, quibus temporibus humores fluxibiles exsiliunt, ex Celso peragi debet; factaque incisione linteamen imbutum aqua rosacea, ac albumine ovi est apponendum, tum ut palpebræ non coeant, hæreantque, tum ut dolor sedetur, ac fluxus reprimatur, tandemque applicanda sunt medicamenta siccantia de quibus infra.

Materias chirurgicas præservatorias refero in cauterium cervicis, & brachii ejusdem lateris.

Medicamenta disponentia sunt primum lenientia, sicuti mel. rosl. sol. 2. præparantia, uti decoctum betonicæ, cicorii, boraginis, Verbenæ cum syrupis appropriatis, 3. purgantia, ut medicamentum ex Agarico trociscato, sena, cum manna, Et repetenda meo judicio erit præparatio, deinde purgatio cum pilulis cochiis, & lucis reiteranda.

Medicamenta Curantia, quæ detergentia fuissent, non propono, quia ut dictum fuit, hic non habent locum, solum igitur siccantia adduco, quæ post incisionem conveniunt, hæc itaque parantur ex collyrio de plumbo, de thure Rasis, huc pertinet aqua stillaticia salis ammoniaci, & quæ ex ipso calcinato, si in loco humido reponatur sponte prodit.

Medicamenta præservantia sunt quæ corpus, & caput præsertim à succis excrementitiis expurgant, atque idem caput, & oculum affectum corroborant, priora sunt pilulæ lucis, sine quibus, decoctum guajaci, salsæ, & chinæ cum simplicibus capitalibus, & ocularibus, masticatoria, lotio capitis cum lixivio exiccante; Posteriora sunt, veluti vinum medicatum cum eisdem simplicibus capitalibus, & ocularibus itemque lotio oculi cum aqua stillaticia ex conserva Eufragiæ in succo rosarum macerata.

Quibus omnibus addenda est compar victus ratio, extenuans inquam, & siccans quæ sicuti & alia præsidia proposita utinam proficua valdè in gratiam nostri patientis evadant. *Jul. Cæs. Claudin. in Consultat. Medic.*

De Visione læsa. *Pro Nobili Raguseo.*

Agitur nunc annus, cùm patiens Illustrissimus conqueritur de visione utriusque oculi sensibiliter læsa, magis tamen sinistri, tantum non prorsus obcæcati. Utrum vero sit imminuta tantum visio, ita ut imperfectè videat, quemadmodum refert Vir Excellentiss. in consultatione ad nos missa, vel etiam depravata, possumus ambigere. Si enim videret veluti atomos, sicuti relatum in appendice quadam, alien a manu addita Epistolæ Excellentiss. Crassi, depravata quinetiam

esset visio, ratione atomorum, atque ita præsens affectus non pterygion simplex esset, sed potius principium suffusionis, vel legitimæ, vel spuriæ, pro diversa ratione atomorum apparentium: in quam sententiam feror, cum alias ante 20. annos offuscationem passus fuerit, oculosque habeat hæreditaria constitutione debiles, & prominentes.

Utriusque tamen unicum principium agnoscimus, fluxionem scilicet materiæ cùm vaporosæ, tum humidæ à capite ad oculos à naturæ primordiis admodum laxos; & quidem vaporosa in corneam se insinuans per internos ductus, atomos repræsentat, aut firmas, si vapores sunt crassiores, & quasi in humores conversi, aut volitantes, si tenuiores fuerint; humida verò, sanguis scilicet crudus, & crassus, ad angulos oculorum sensim & sensim confluens, & forsitan ad internos: nihil enim hac de re ex consultatione transmissa colligere possumus: inde in externa tunica membranosa illa substantia carnosæ similis expanditur, quæ in dies magis adaucta, & locum occupans ampliorem, non conjunctivam tantùm, verùm etiam corneam obducit, atque ita visionem impedit. Ideò verò talis materia redundat in capite, quia cùm ratione humiditatis excedentis obruto calore nativo, congerit excrementa, tum ratione caliditatis, allicit à jecore fervido, & forsitan à toto corpore calidos vapores, & serosas humiditates biliosas, quæ mixtæ cum pituita, salsedinem inducunt, ob quam aliàs passus fuit pruritum insignem circa palpebras.

Quod si hi sunt affectus, quibus affligitur patiens, eventus prædictio non est difficilis; siquidem pterygion jam confirmatum nullo præsidiorum genere poterit ita removeri, ut pristinam visionem recuperet. Quanquam enim experto chirurgo sese committeret, qualem non habemus, qui carnis illius tentaret avulsionem: quod difficillimum quinetiam est, propter continuum oculi motum; cicatrix tamen inde obducetur, quæ visionem pariter turbabit, ut propterea perfectam sanitatem polliceri non possimus; sed meliorem saltem statum, atomorum scilicet remotionem, atque præservationem à majori labe utrique oculo impendente.

Quod ut fiat, flatus sunt discutiendi; fluxio prohibenda; materia impacta, & in carneam substantiam conversa partim emollienda, partim attenuanda, & insensibiliter digerenda; corroborandi sunt oculi; & corrigenda principalium viscerum intemperies, capitis quidem, exsiccantibus, in activis temperatis, jecoris verò refrigerantibus, præmissa totius evacuatione, & particulari capitis expurgatione.

Caput peculiariter est expurgandum masticatoriis ex mastiche, fœniculo, zingibere, confectis cum *cera & saccharo*; Errhinis quinetiam levioribus; ut enim validiora trahunt à capite, ita leviora ab oculis, ex Hippoc. sententia de Locis in Homine. Hæc autem erunt succi fœniculi, majoranæ, chelidoniæ, & betæ depurati, & per nares attracti. Hisque administratis præscribendum est decoctum ex sassafras, & visco quercino paratum, addito fœniculo, euphragia, & chelidonia, cum columba turricola præmisso bolo confecto ex zingibere condito, & trochiscis viperinis: quod etiam validius reddetur, si loco columbæ decoquantur duæ viperæ, amputatis capite & cauda: quarum carnem si comederit, summo erit juvamento, usurpatis familiariter pil. lucis, cùm alephanginis. Pulveres quoque parari poterunt ex semine fœniculi, cardamomo, silere montano, galanga, & pipere albo, cum cibis assumendo.

Inter cibaria autem à proprietate juvantia, sunt passeres, aves rapaces, caro viperæ, cum fœniculo, ruta, chelidonia; vinumque sit oligophorum. Rapas spiritum visivum valde luminosum reddere scribit Averroes. Collyria interim non omittantur, parata ex melle destillato cum croco, myrrha, & camphora. Inter cætera à proprietate juvantia, laudatur hepar caprillum exsiccatum, & in subtilissimum pulverem redactum, oculisque insufflatum. Et hæc in casu præsenti, ausim dicere incurabili, proponenda duxi, quæ Deum Optimum Maximum ut usui sint, obnixè precor. *Benedict. Sylvatic. Consil. & Respons. Medicin. Centur. 2.*

Puer octo annorum, post variolas, nondum satis rectè exsiccatas, cum sese aëri nebuloso & venoso exposuisset, incidit in oculi dextri inflammationem, qua per collyria adhibita curata apparuit in eodem oculo membranula densa & alba, per tunicam conjunctivam & corneam, usque ad mediam iridem, sese extendens, eaque visum aliquantum imminuit.

Afficitur in hoc puero oculus dexter, secundum tunicam adnatam & corneam, quod ex alba tunica in iis excrescente & conspicua patet.

Morbus, qui illum affligit, est dextri oculi pterygium; sive excrescentia quædam membranea alba & densa tunicæ adnatæ & corneæ dextri oculi adnascens, & ad mediam pupillam sese ibi extendens, visumque in illo oculo imminuens.

Causa procatarctica, unde hic morbus principium cepit, est aër nebulosus & ventosus, cui hic puer ante justam variolarum exsiccationem sese exposuit. Inde enim pori corporis & præsertim faciei & oculorum clausi, halitus acres & calidos, liberè exhalare solitos, in corpore facie & oculo dextro retinuerunt: iique in istis partibus retenti, constituerunt hujus morbi causam antecedentem. Pars verò eorum calidior in tunicam adnatam dextri oculi, per poros ibi nimis apertos delata, ibique vehementius incalescens, vellicandoque eam suo calore & acrimonia majorem ad eam humorum calidorum affluxum faciens, induxit, tanquam causa continens, primum oculi dextri inflammationem, quæ per adhibitionem convenientem collyriorum fuit quidem sublata; sed quoniam pars allapsorum humorum circa superficiem tunicæ adnatæ, ob tenacitatem suam, & pororum vicinorum nimiam angustiam ibi fuit retenta, & in membranæ albæ rudimentum, secundum particulas suas insensibiles disposita & formata. Hinc dum copiosiores humores in illud rudimentum magis magisque affluebant, factum est, ut primum in tunica adnata membrana alba & opaca fuerit nata; eaque deinde majus incrementum paulatim sumens, & pedetentim per tunicæ corneæ superficiem prorepens, partemque iridis & pupillæ tegens, jam aliquantum sua

opacitate, justum radiorum ingressum impediente, inducit visus imminutionem.

Quoniam hoc malum acria remedia desiderat, quæ ab oculis ægrè feruntur, ideoque difficilis ejus curatio est; quæ sæpè non satis feliciter succedit.

Ea tamen in hoc puero, cum morbus non sit antiquus, per membranæ istius ablationem tentanda.

Primo itaque purgetur hic puer tali medicamento purgante.

♃. Syr. de passulis laxativi ℥j. scammonii gr. iv. aq. decoct. hordei ℥ i ß. misce F. haustulus brevis aliquoties reiterandus.

Deinde adhibeatur oculo bis terve in die tale Collyrium.

♃. Aq. rosarum ℥ iv. Salis ammoniaci q. s. ad levem acrimoniam linguâ percipiendam, eaque mixta indantur pelui æneæ barbitonsorum, & in ea relinquantur per biduum vel triduum, donec colorem viridem acquirant.

Hoc remedium si non suffecerit, ad acriora erit procedendum, quale hoc est.

♃. Lap. hæmatit. ʒ ij. vitrioli alb. usti, virid. æris usti an. ℈iij. myrrhæ, croci an. ʒ j. piperis longi ℈ß. Sacchari candi ℥ ß. M. Pulverisentur subtilissimè.

Hujus pulveris ℈j. misceatur cum aq. raphani ʒ ij. & applicetur bis terve in die, prout puer ferre poterit.

Ante & post horum usum, ad dolorem leniendum, oculus fovendus erit decocto emolliente malvæ, althææ, flor. camomill. meliloti, sem. cydon. fœnigræci, papaveris.

Si his localibus medicamentis pterygium tolli nequeat, ad Chirurgiam; quam Celsus; Paulus, Aëtius, Aquapendens, aliique scribunt si placuerit, erit deveniendum.

Victus sit attenuans & incidens. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicat. lib. 1.*

Observationes.

Pro Albugine.

Puellæ cujusdam sinister oculus admodum rubebat, pruriebatque, lachrymæque continuò ex illo fluebant, & quia jam diu hic affectus duraverat, albugo in oculo nata, mediam ferè iridis partem obtexit, ita ut de visus amissione, esset periculum, jussi cucurbitulas cervicis regioni aliquoties applicare, & cataplasma sequens oculo clauso imponere, continuoque gestare, & bis in die renovare.

♃. Pulp. pomorum odor. acidulorum quart. i ß. incid. minutim, & in aq. rosf. & fœnicul. coq. donec in pultem redigatur cui contusæ, adde mucilag. sem. fœnugr. ℥ ij. album. ovorum nu. 3. cortic. granat. pulv. ℈j. lapid. hæmatit. exactè triti ℈ß. ol. rosac. parum M. F. cataplasma.

Hujus remedii per dies 5. usu, oculus ad colorem statumque naturalem rediit, albugoque & macula penitus sublata sunt. *Fælix Platerus, observ. lib. 1. pag. 113.*

De oculi cicatrice in pupilla visionem impediente casu deleta.

Puellæ cum ex cicatrice in corneæ media sede nata, visus impediretur, Chirurgus sacch. cand pulverem oculo inspergere volens, ad eam extergendam, errore quodam pixidem eam arripuit, in qua sublimati pulvis continebatur, quem cum imprudens oculo inspergeret, tanta suborta est inflammatio ut periculum esset de oculo: tamen sanata, tantùm abfuit ut quid obfuerit, ut potius multùm profuerit: nam cicatrice pene universa detersa, remanente levi duntaxat macula, visum recuperavit: quod indicio est, globum oculi, fortia quoque perferre posse medicamenta cum cornea ipsius tunica sit durissima & insensibilis. *Felix Platerus. Obs. lib. 1. pag. 113.*

Pro Oculo perforato.

Quatuor annos natam puellam vidimus, cui dum nodum in panno solvere acuto gladio niteretur, resiliens mucro oculum dextrum percussit: quo perforata ipsius oculi tunica, plurimus statim inde fluxit humor: quare etsi visum prorsus amiserit, ipsum tamen haud multò post ritè curata recepit, tanta enim inest vis tenellæ illi ætati, ut hunc ipsum oculi humorem (quod sæpè accidit] in integrum reficere possit. *Ant. Beneven. c. 74. lib. de abditis Morbor. & Sanationum causis.*

Quindecim annor. adolescentem cum *Dom. Joan. Griffonio* Chirurgo præstantissimo curavi, cui acus sutoria perforaverat adnatam membranam prope iridem: hinc factum, ut humor aqueus statim effluxerit, & adolescens illico visum planè amiserit. Oculo imposuimus in primo apparatu album. ovi cum aq. rosac. & nonnihil croci: fronti autem defensivum ex bol. arm. terra sigill. cum ol. rosf. paucaq; cera & aceto in formam ungu. redactum atq; injecimus statim enema. Sequenti die catharticum exhibuimus, & anodynis ad septimum usque & amplius vulnus tractavimus. Deinde collyrio ex aq. euphras. sacch. & tutia præp. cicatricem induximus, hic curatus fuit nullo superveniente symptomate: haud multò post curationem visum quoque recepit. Curavi etiam puerum cui infixa sagitta perforata fuit cornea, quia parte conspicitur iris; effluxit nonnihil humoris aquei, unde contracta est cornea; & puer protinus visum amisit. Vulnus curavi ad modum supra dictum: puer hic quoq; non multò post visum recepit. Omnino his ægrotis crystallinus humor compunctus non fuit: est enim ille humor præcipuum visus instrumentum, ac sua propria continetur membrana arachnoide; qua dilacerata, amplius humor crystallinus officium facere nequit, effluxit autem in his aqueus tantum humor, qui cum sit excrementum aliquando renascitur, præcipuè in pueris. Id autem hic notandum, vulnerata pupilla visum recipi non posse, quamvis humor crystallinus sit illæsus, & aqueus renascatur; inevitabilis enim cicatrix impedit, quo minus radii eorum quæ visui objiciuntur, ad humorem crystallinum perveniant. *Guil. Fabrit. Hildan. obs. 26. cent. 1.*

Franciscus Plazzonus 12. annor. puero medebatur cui cornea pertusa, humor aqueus òculi totus effluxerat. Sed intra binos menses spontè sic preparatus fuit, ut oculi usus ipsi omnino fuerit redditus, ob reliquarum partium constitutionem humidam. Idem *Gal. lib. 1. de Sympt. Causis, c. 2.* annotavit. *Jo. Rhodius obs. 82. cent. 1.*

Pro Oculi tumore carneo.

In muliere vetula paupere, tumor in oculi sinistri

nistri latere juxta pupillam ante biennium exortus; cum oculi immenso ardore & dolore; adeo accrevit ut medium ferè occuparet oculum, prominebatq; ad avellanæ majoris magnitudinem, carnem ex rubro nigricantem repræsentans, adeo deformi colore, ut pavorem inspicientibus incuteret, tandem suppuratione facta per dies quatuordecim, ater ex eo effluxit sanguis, remanente nihilominus carne illa ex atro rubente & nunc virescente. Ad me consilii gratia veniens, jussi ut pomum putridum applicaret exiguam spem sanationis habens, verùm cum non proficeret, jussi ut sumeret cortic. gran. pulverizaretque & adderet fol. plant. rec. eaque simul in aq. fabrorum ferrata decoqueret, addendo albumen ovi, simulque decoquendo, & sub finem pulv. vitrioli albi ea quantitate, quam oculus perferre posset, hocque cataplasma noctu oculo imponeret, illiusque usum continuaret. Post duos menses reversa, vidi tumorem media ex parte absumptum, quapropter in hujus applicationis usu, pergendum esse consului: quod cum adhuc mensibus duob. fecisset, tumor omnis præter omnem spem evanuit. *Felix Platerus obs. lib. 2. pag. 387.*

Pro Oculi vulnere.

Lithuanus quidam qui ab omnibus medicis, agyrtis, anubus, veneficis, chymicis, in tota quam obierat *Europa* & *Asia*, secreta ut vocabat prece vel pretio, vel permutatione, plurima collegerat; inter alia gallum gallinaceum, utraque illum manu tenens, mihi obtulit, jussitque me oculum sæpius acutissimo scalpello punctum interq; digitos pressum, orbitæ cranii reponere: affudit illi liquoris guttas duas, obligatoq; capite cistæ inclusit, è qua post horas octo eduxit utroq; oculo ita sibi simili, ut nec ego qui secueram, nec adstantium ullus, sectum oculum à sano posset distinguere Succus ille erat is, ut mihi fatebatur, qui in vesicis ulmorum Majo mense invenitur, quique nisi tum colligatur, in granula quædam rubra vermiformia mutatur. Hanc ego artem ludicram nullique tanquam profuturam dicens, cum scire non possemus, an cum oculi externa pulchritudine visus servaretur: Cum tamen aliquot annis succum hunc colligi curassem, est enim vulnerib. sanandis commodus; casu duabus sororibus à prandio colludentibus, junior adultioris linteum suentis brachium vi elevans, acum in mediam pupillam altè adigit, extemplò, à patre principis consiliario accitus, observo aqueum humorem, & partem vitrei effluxisse: applico oculo tumenti vesicarium ulmi succum sub quartam pomeridianam; jubeo sub mediam noctem linteum admotum novo liquore imbui, quem Othonnam certiùs, quam tot ignoratum herbarum succos nominarent Botanici. Manè testor Deum & Fidem externa sanam offendi, sed illius oculi lumine captam, etiam nunc vigesimo ferè post anno, nullus excæcatum oculum à vidente, etiam si curiosè indaget, discriminare potest, imò multis annis cum marito orbitatis ejus inscio vixit. *Henricus ab Heers obs. 4. lib. 2.*

Ad Oculorum vulnera Beryllum aliqui celebrant, sive illa pupillæ, sive alteri parti inflicta fuerint. Reducitur Beryllus contusus & tritus in pollinem exactissimè ut impalpabilis sit. Deinde lentis quantitate pulvis quotidie manè, supino jacente ægro, in oculum donec sanetur, infunditur, ac præcipitur ut æger immotus aliquandiu supinus permaneat. Si pupilla vulnerata fuerit, etsi commode sanari non possit, tamen ita emendatur, ut oculus deformis non fiat. Si læsio extra pupillam fuerit, præclare sanat beryllus, quemadmodum etiam omnes oculorum contusiones. Suaderem ad contusiones & sugillata, ut infusio fieret aquæ verbasci. Si adjuncta esset inflammatio, aq. rosar. plant. euphras. vel Simili. Si vulnus esset, aq. beton. tormentill. vel plant. *Anselmus Boetius lib. 2. De Lap. & Gemmis, cap. 71.*

Pro Cornea male affecta à Scoria Chalybis.

Rusticus quidam cum Chalybem emeret, optimumq; eligere vellet, & proinde ut fieri solet, frustum contra frustum allideret; Scintilla ipsi in illam corneæ partem, ubi iris conspicitur, prosiliit, ibidemque membranæ firmiter inhæsit, idq; non sine dolore maximo, cum frustra per plures dies adhibita fuissent remedia, en uxor mea remedium longè aptissimum excogitat. Interim enim dum ego ambabus manibus palpebras aperio, illa magnetem oculo quam proximè æger id sufferre potuit admovet, id cum aliquoties & quidem repetitis vicibus fecissemus (non diu enim lucem qua tamen hac in re summoperè opus fuit, sufferre potuit tandem Scoria ex oculo nobis omnibus videntibus ad lapidem prosiliit. Postea applicato collyrio anodyno brevi convaluit, fuit hæc quidem curatio ingeniosa satis. *Guil. Fabrit. Hildanus. Obs. 21. cent. 5.*

Quædam mulier infimæ sortis maculam habebat in oculo cui consilium dedi, ut bis in die succi rutæ guttam unicam in oculum instillaret, quod cum satis diu continuasset macula prorsus absumpta est. *Samuel Fornius. obs. 28.*

Vulnus Tunicæ Corneæ, cicatrice obductum.

Anno 1654. mense Decembri, fœmina pagana adduxit ad me Filium quasi octennem, cui oculi cornea prope Iridem cuspide cultri usque ad Uveam pertusa erat: & humoris aquei particula cum Uvea illæsa, extra Oculi vulnus ad lentis magnitudinem protuberabat: Illi poscenti auxilium consilium dedi ne quicquam remedii læso adhiberet Oculo; alias enim facilè fieri posse ut Uveæ protuberans particula medicamentis præsertim acrioribus adhibitis, corroderetur, & Aqueus humor omnis efflueret, atque adeo Oculus perderetur; Futurum enim esse ut ipsa Natura vulnus coalescere faciat, atque prominentem Uveæ folliculum, obducta cicatrice, sine effusionis periculo dirumpat; id quod postea accidit, Reversus enim ad me puer sequenti anno, quinque hebdomadum intervallo, oculum monstrabat, id quod cicatrix perfectè coaluerat, & ruptæ Uveæ quædam laciniolæ extra propendebant, pupilla vix ad sensum in ellipsim distorta, visu integro: Præcepi puero ut oculo à contusionibus caveret, nam alioquin, rupta denuo cicatrice, nullum contra oculi effluxum superfore auxilium. *Stephani Splessii:*

Vulnus Oculi & coalitus humoris Crystallini:

Juvenis 20. annorum in pueritia, ex illisa ve-

hementiori manubrioli cultelli æneo nodulo instructi corneam cum profusione humoris aquei, tum & pupillam disrumpens, omnique inde actione visus orbatus, oculo affecto, qui sinister erat, indies ad deformationem usque excrescente; hunc suasu Medici cujusdam Illustris corrigere attentavit. Convocato itaque Chirurgo, ac præparato prius corpore, consultum, ut evacuatis per incisionem corneæ oculi humoribus oculus detumesceret, ac sano multo minor evaderet, sicque daretur locus impositioni corticis vitreæ, ad figuram oculi sani affabre efficta, uti Venetiis, & Lutetiis Parisiorum frequenter fieri assolet. Dictum factum: consentit Patiens, Chirurgusque operationi (collocato ægro in sedili humiliori in loco lucido, obfirmato oculo sano, ac affecto per speculum immoto detento) sese accingit: Incisio fit transversim per Corneam absque ullo ægri dolore. Prorupit proximus cum impetu ad notabilem distantiam humor aqueus cum portione vitrei, crystallino ad labia vulneratæ corneæ adhærescente, quo conspecto Chirurgus humorem illum specillo argenteo immisso propellere conabatur, sed irrito conatu: firmissime enim coaluerat, cum cornea lens illa Crystallina, tum quod & æger, cui imminebat animi deliquium ob profundius immissum specillum & commotionem fibrillarum retinæ ulteriorem tentationem renueret. Inde subsecuta inflammatio oculi affecti cum hæmorrhagia levi propter læsas venas, quæ varicosæ usque ad confinia corneæ protendebantur, dolore insigni, hemicrania & sibilo auris sinistræ, quo necdum, elapso ferè sexennio, adhuc liber est Patiens. Coaluit vulnus corneæ spatio fermè decem dierum nullo alio adhibito medicamento externo præter cataplasma molle, confectum ex sedo majori, farin. fœnugræc. pulvere Euphrasiæ, mucilag. sem. cydon. c. aqu. rosar. & plantag. extracta. Perseveravit dolor & tumor oculi fermè per hebdomadas quinque tracto etiam in consensum oculo sano: abhinc per intervalla repetiit dolor, usque dum totaliter intermitteret, oculus detumuit & in hodiernum usque diem tabescit. Coalitum humoris Crystallini, qui etiamnum in oculo est patientis, inde deducendum putat patiens, in Medicina non adeò hospes, quod disrupta ex vehementiori illisu pupilla pressisque omnibus humoribus oculi: humor Crystallinus non impediente amplius pupilla antrorsum proruperit ad corneam, illique arctius accumbens & propter aliqualem contusionem quasi adhærescens, tandem adhibitis medicamentis corrosivis ac potenter exsiccantibus, quasi cum cornea induruerit. Patet etiam ex hoc casu insensibilitas corneæ, & periculum quod sano oculo ex talibus operationibus imminet. *Laurentii Wolfstrigel.*

Oculi vulnus scalpello inflictum feliciter curatum.

Puellus biennis, Filius Tabellionis Neocomensis infelici sidere natus, lotium enim non emittebat statim natus, quia urethræ extremum obtegebat membranula tenuis, quam scalpello pertudit meo jussu Simon Puri Chirurgus, indita postmodum cannula plumbea, hinc libere profluente lotio: Hic ipsa prima die qua libertas incedendi per cubiculum absque manuductione concessa est, obvium Patris Scalpellum, cujus manubrium osseum erat, mucronatum arripit, & post aliquot gressus cadit, impacto manubrio remanente vola manus dextræ, Scalpelli autem cuspide penetrante plano parte membrana à cantho oculi externo, ad internum, adeo ut duplici vulnere transfixæ essent membranæ lamina scalpelli maxima ex parte sub iis delitescente: Hic sagacitas matris emicuit; quæ tam dextera manu primo manubrium alte infixum eduxit, postea scalpelli aciem oculo impactam, ut hic salvus remanserit. Pupilla enim subditiq; humores illæsi fuerint. Præcipit defensius fronti & oculo admovendum, vix jam conspicua cicatrice: Hæc contigerunt anno 1659. *Th. Boneti.*

Usus Catechu in Vulneribus oculorum.

Ancilla quædam in servitiis cognatæ meæ, antehac visu oculi dextri orbata, remanente tamen ejusdem figura debita, iterum casu quodam ex improviso rupturam istius experitur oculi. Humor inde aqueus tanta effluit copia, ut volam manus tantum-non adimpleret, subsidente statim globosa oculi figura, cum hæmorrhagia non vulgari, dolore intolerabili, tumoréq; vicinarum partium singulari. Accersitus actutum Chirurgus collyrium immittit, ex aq. rof. alb. ov. & bol. armena: externè applicat epith. ex tutia, bol. arm. camph. croco, cum aq. fœnic. euphrag. rosar. &c. paratum: verum exiguo cum juvamine. Hinc ego in consilium unà vocatus, jussi pulvisculum ex catechu ritè præpar. myrrh. sacch. cand. &c. concinnatum per vices in oculum immittere, unde, elapso paucarum horarum spatio, sanguinis humorisq; aquei fluxus cessavit. Cujus tamen usum ob metum recidivæ alicujus reiterare jussi, ita tamen, ut, cum ob dolores formam pulveris ægrè ferret, pulvis iste cum aquis quibusdam ophthalmicis jungeretur, tepideque in oculum instillaretur. Sic oculus pristinam, sanato vulnere recuperavit figuram, præterquam, quod per vulnus ita bis inflictum visus planè fuerit amissus. *D. Ehrenfridi Hagendornii.*

Oculi vulnus curatum: Humor Aqueus restitutus.

Anno 1660. die 30. Junii, Vitrarii aulici filius, eidem opificio addictus, fenestram reparans, ab alio puero ex nequitia fragmento vitri, longitudine digiti minimi, latitudine dimidii transversi digiti, vulneratur punctim in oculo sinistro, & quidem in tunica uvea, ita ut transsecta esset tertia pupillæ pars versus exteriorem & minorem oculi angulum, effluxit materia albicans instar Margaritarum, (ut referebat) quæ nihil aliud, quàm humor aqueus fuit. Corrugata erat tam adnata, quàm cornea tunica. Principio statim repellens, sequens præscripsi.

♃. Album Ov. aq. rof. an. ℥ij. Agitentur & conquassentur probè, adde bol. arm. præp. ʒß. M. imponatur frigide. Crastino die cum nulla inflammatio adesset, sed omnia tranquilla & sedata, sequens ordinavi.

♃. Sief alb. Rhaf. sin. op. ʒiß. Thut. præp. ʒß. Camph. ℈ß. aq. rof. ℥iij. M. pro Collyrio. Quod optimè contulit. Cum vero è corpore impuro Symptomata metum incuterent, die 2. Julii purgationem institui hoc pulvere.

℞. Sp.

℞. Spir. Bened. Lax. Diat. c. rhab. ana ℈j. Crystal. Tartar. ℈ß. Diagryd. gr. j. M. F. Pulv. Dejecit 12. cum Euphoria. Interim collyrio præscripto usus est usque ad 6. Julii, ubi sequens magis exsiccans & conglutinans præscripsi:

℞. Myrrh. Sarcocoll. lact. nutr. Boli armen. Thut. præpar. & aq. plantag. probè lot. ʒj. Pulv. Osteocoll. gr. vi. Mell. ros. q. s. F. instar Linim. Quo per spatium 10. dierum usurpato, vulnus egregiè coaluit, imò *regeneratus* fuit aliqua ex parte *humor aqueus*, cujus testimonium exhibebat tunica oculi repletior, & non ita corrugata, ut antea. Cùm sic curationi Colophonem impositum putassem, ipsi Diætam optimam commendans, ille hoc negligens, se cerevisia nimium quantum ingurgitavit, & ita temulentus præceps cecidit (salv. ven.) in cloacam, non quidem profundam, tamen straminibus multis refertam, ita ut vulnus de novo apertum esset punctura culmi, vel, ut ille dicebat, festucæ Ligneæ acutæ. Inflammatio statim, ac major quàm in principio subsecuta, quod non tantùm oculus sed & partes circumjacentes valdè intumuerint, imò metus suppurationis adesset. Priora remedia repetii, sed non tanto successu, ut antea. Mihi inter peregrè abeundum erat ad Nobilem quendam ægrotantem, domum rediens omnia exasperata inveni: præscripsi unguentum Angeli Salæ de cerussa ℥ij. Non possum satis deprædicare ejus vires, nam saltem circumferentia oculi secundum Authoris monitum sæpius illinita, & dolor & inflammatio sedatus, oculusque ad pristinam figuram redactus. Tamen ad revulsionem materiæ purgationem priorem exhibui, qua septies dejecit, & sequens Collyrium applicui:

℞. Sief. alb. Rhas. s. o. ʒ I ß. Thut. præpar. ʒß. Thur. subtiliss. pulveris. ℈j. Camph. ℈ß. Croc. gr. iij. Aq. plantag. ros. ana ℥ ij. M. Quo vulnus iterum coaluit, ita ut eum rursus dimiserim. Sed die 5. August. nescio qua de causa Erysipelate illa parte faciei, ubi erat oculus affectus, laborare cœpit; quod etiam oculus simul intumesceret, & vulnus iterum dehisceret. Dedi statim sudoriferum ad discussionem materiæ, ultimumque Collyrium rursus adhibui, cujus usu tandem perfectè sanatus est, ut saltem ab illa parte, ubi cicatrix erat; quæ tamen admodum exigua, visus impediretur.

CORNUA.

De Cornuum morbosâ vegetatione impræsentiarum acturi, rem propriis Illustriss. Malpighii verbis conficiemus, ille siquidem in hoc argumento Dissertationem Epistolam ad Clar. Jacobum Sponium conscripsit, quam nos ex utriusque communicatione jam ab aliquot annis in Bibliothecæ Anatomicæ parte prima, primùm evulgavimus. Sic autem ille.

Inter reliqua quæ de externo tactus organo aliàs habui; nonnulla de ungulæ natura & generatione indicavi, quæ ut ulteriori fruantur luce, anatomica observatione firmanda veniunt. Duodecimus jam excurrit annus, quò mactandum bovem lustravi cum præclarissimis viris duo. Carolo Fracassato, & Domino Sylvestro Bonfiliolo, à cujus collo in dextris, ubi jugum apponitur insigne pendebat cornu: hujus longitudo decem & sex digitorum crassitiem æquabat; non longè à basi, ubi latius erat, octo digitorum latitudinem explebat. Ejus forma conica erat, & in obtusum deducta apicem non parum versùs finem curvabatur; in basi tamen, ubi collo nectebatur, arctius erat. Color circa extremitatem subniger, lucidusque erat & persimilis ei qui in ungula bubula passim observatur. Exterior superficies aspera erat præcipuè à basi usque ad medium; etenim cuticula, & subjectum reticulare corpus cum contentis papillis (quæ in aliis partibus perpendiculariter attolli solent, & tactus organum constituunt) sensim produci inclinarique incipiebant, non dispari specie ac in nostrorum digitorum extremitate quilibet propè unguium radicem observare potest. Papillæ igitur laciniatâ cuticulâ, & reticulari corpore circumdatæ, majorem longitudinem sortitæ, ita inclinabantur, & invicem hærebant, & ferruminabantur, & extremis finibus, ut squamosum piscium integumentum æmularentur. Circa basim squamosa hæc corpora brevia erant, sensim verò producebantur, & prope collum longissima reddebantur. Varius quoque erat substantiæ modus, nam in basi mutuò connexa conglutinabantur; sed solutis ipsorum finibus laciniatum, & asperum excitabantur corpus; ultra tamen medietatem densiori donabantur compage, unde & lucida, & lævia videbantur. Interius expositum cornu concavum erat, ita ut crassities ipsius in basi nativam corii altitudinem parum excederet, gracilescente cute, & attenuato corio, ad naturam quasi membranæ intus ambiebatur, quod sanguinea vasa irrigabant, hocque detracto solidum & læve corpus occurrebat. Tota concavitas referta erat subflavo, turbidoque sero, quod igni appositum totum ferè in naturam albuminis ovi concrescebat, sub basi glandulæ conglobatæ, depressæ tamen, insigniter luxuriabant. Hoc itaque famigeratissimi Aldrovandi musæo dono dedi, ut exterorum præcipuè curiositati præstò esset. Ex hujus igitur diligenti inspectione patet, papillas, (quas non incongruè externi tactûs organa credidi) cuticulâ, & reticulari corpore custoditas, ubicumque plus justo producuntur, & invicem intimè unitæ ferruminantur, in solidum desinere corpus: quod commune est ungulis & cornibus, quæ sola exteriori configuratione, & majori minorive partium densitate donata, ab invicem discriminantur, unde veluti sensorii additamentum, censenda veniunt, & tactui quoque non parum conducentia. Cornuum è carnio erumpentium observata productio his multùm lucis confert. Hanc itaque vegetationem in bove deprehensam in Physicæ additamentum audire ne graveris. In fœtu igitur adhuc in utero contento, cranii os in situ cornuum ferè cartilagineum est, & postremò osseam naturam acquirit. Pili ibidem primò erumpunt glabro existente corio præter labia, quæ quibusdam pilis ornantur. Hic taliter locantur, ut ipsorum ordines à circumferentia versùs centrum situati & inclinati minimum quasi corium efforment. Postremis quoque mensibus in fœtu adhuc concluso, osseæ lamellæ (quibus cranium compaginatur) obliquari in-

incipiunt, & fractâ directione extra eminent, excitatis intro subrotundis spatiolis, unde supra cranium osseus tumor primò emergit, lenticulare corpus præseferens. Hoc extenso corio cooperitur, quod præ reliquis crassum est, & turgentes exhibet glandulas. Inter osseum corpus & corium periostion, seu osseæ substantiæ inchoamenta locantur, quæ paulatim manifestantur. Extra uterum sensim osseus tumor lenticularis parùm assurgit, turgentibus osseis lamellis. Supra os crassum luxuriat periostion, seu futuri ossis inchoamentum. Corium quoque obducitur, à quo tactûs papillæ assurgentes reticulari, & cinereo corpore ambiuntur. Altero elabente mense ossea substantia, laminulis & spatiolis contexta extuberat, ita ut cornu rudimentum emergat, dimidiam digiti crassitiem æquans, & conoidem parabolicum repræsentans. Hujus exterior superficies lævis, & glabra sensim redditur, nigroque inficitur colore. Corium crassum de more extenditur, à quo tactûs papillæ erumpentes, superato reticulari involucro, quod cinereum est, elungantur, & nigro ambiente succo conglutinantur. Hæ circa cornuum basim inclinatæ versùs apicem diriguntur; reliquæ verò ab apice exortæ perpendiculares quasi assurgunt, & reticulari corpore custodiuntur, earum longitudo vix serici villosi longitudinem æquat. Interea inclusa ossea appendix augmentum capit, & interiùs variè configuratur; etenim ut plurimùm radix fistulosâ excitatur substantiâ, quæ osseis fibris reticulariter implicitis componitur; reliquum verò usque ad apicem spongioso constat corpore sanguinea vasa intercurrunt, & apex perpetuò submollis firma partium compage non gaudet. Corium quoque; extensum osseam substantiam investit, & in basi crassius est; Ab hoc itaque; emergentes tactûs papillæ, ita proceræ redduntur ut inclinatæ versùs apicem, simulque reticulari corpore unitæ, tot conica corpora concava efficiant, & ex horum unione (quasi tot lamellis, cæparum instar, intra se positis) solidum cornu corpus efficiatur. Papillarum ordines in basi erumpentes, licèt non omnes apicem attingant, ut plurimùm tamen rectâ deducuntur, & ferè cornu ambiunt, aliæ quoque sub diversis planis à producto corio propagantur, quæ longiores redditæ, breviores cooperiunt & includunt: unde secto per longum cornu, non solum ossea substantia occurrit sed etiam corium, à quo molles papillæ emanant, quæ in cornuum substantiam immutatæ solidescunt, & nigrescunt; avulsoque osse cum ambiente corio, fistulæ in cornu à reticulari opere excitatæ patent. Occurrunt quoque papillarum tactus varii exortus & plana, ipsarumque productio ad apicem; unde cùm diversa plana extremum corium constituant, hinc est quòd apicis substantia crassitiem ferè digiti æquat. Exaratæ papillæ basim cornuum excitantes molles adhuc sunt, & de facili lacerantur, vel in furfures abeunt; circa finem verò & apicem ita addensantur, & reticulari corpore ferruminantur, ut solidæ factæ nigro, lucidoque; inficiantur colore. Horum progressus evidens est: nam tot quasi filamentis per longum ductis coagmentari videntur. Procerioribus redditis cornibus, ita ut duodecim digitorum crassitiem æquent, inclusa appendix ossea longior redditur, & ubi continuo & pleno osse non coagmentatur, variis cellulis concameratur, & exacavatur, secto autem per longum cornu singula dilucidiùs patent. Primò enim frequenter exarata appendix ossea lamina componitur, ita ut tubus efficiatur, portiones tamen osseæ obliquè per transversum ductæ interseruntur; unde relictæ areæ concavitates oblongas, inæqualis tamen longitudinis & figuræ efficiunt, in quibus aliæ quoque ab assurgentibus parùm osseis parietibus designantur. Omnes hæ concamerationes membranâ tenui obducuntur, sub qua sanguinea vasa in miras propagines diramata custodiuntur. Versùs apicem ossea substantia spongiosa est nullis cellulis excavata, unde impensè rubet ex innumeris vasculis, quibus irrigatur. Expositam appendicem osseam extenuatum corium ambit, à quo molles de more tactûs papillæ emanant, quæ reticulari corpore custoditæ, simulque; ferruminatæ, versùs apicem deductæ cornu componunt, ita ut cornuum parietes in basi graciles sensim ex papillarum additione crassiores reddantur, & tandem in apice ex omnium unione, duorum digitorum crassitiem æquent, horum interior superficies nigra est & fistulosis foraminulis versùs apicem directis exasperatur, quibus papillæ admittuntur. Exterius apex acuminatus, solidus, lucidus & ater est, versùs medium tamen subalbescit cornu, & circa basim parum nigrescit, & de facili in squamas solvitur. Ulterius tandem augmentum sortiuntur cornua, ita ut urgente interiori ossea appendice primi papillarum ordines à basi erumpentes avulsi à corio separentur, & ita diversi fines & papillarum limbi appareant, non dispari ritu ac in conchis marinis conspicimus, quarum compositio diversis testulis superpositis inæqualibus tamen, coagmentatur, ita ut extremi fines quarumcumque; testularum, minimum elegansque; exhibeant planum. Hæc eadem structura evidenter quoque in Dorcadis cornibus elucescit, unde à radicibus usque ad medium asperitates quasi nodi observantur, quæ à diversis papillarum lamellis vario tempore à corio avulsis, & sursum retractis exoriuntur, quæ omnia diligenti microscopii lustratione patent. Postremò tandem cornua ultimum sortita incrementum non parùm immutantur; nam exteriùs ipsorum color varius efficitur; substantia quoque solidior reddita, diaphana ferè evadit, & continuo usu lævigatur. Interiùs ossea appendix obtuso terminatur fine, totaque ipsius longitudo gracilescente corio adhuc tegitur. Ab hac emergentes olim tactûs papillæ obliterantur præterquam in apice; Interior nimirum cornuum superficies, evanescentibus vaginulis, seu reticularis corporis finibus, ex ferruminantis succi exundante copia, tota ferè circa basim lævis & perpolita redditur, ita ut papillarum productiones quasi obscurentur. Analogam quoque generationem in Gallorum calcaribus observamus, quæ ex cuticula & subjectis papillis reticulari corpore conditis, conflantur, ita ut turgente intùs ossea appendice, exteriùs quoque corium multiplicibus cuticulæ involucris obductum rapiatur, & novum quasi cornu, licèt minimum, erumpat.

Ex his igitur conjectari licet monstruosum cornu in bove ortum traxisse, non tam ex ulteriori papillarum corii & reticularis corporis productione, sed ex conatu interioris tumoris, & ex compressione facta in cervice à proximo jugo. In naturali namque cornuum eruptione emergens ossea appendix, extensam sibi corii portionem sensim urget secumque rapit, ita ut papillæ versùs apicem inclinatæ elõgentur. Prociores autem redditæ sunt in monstruoso cornu tactûs papillæ ex copioso fortasse succo per filamentorum reticularem contexturam, qua corium componitur, excurrente, vel elabente in constimiatas papillas, & in mucosum, reticulareque corpus, ut in ungularum vegetatione contingit, quæ cùm extremis papillarum finibus excitentur, in deformem producerentur longitudinem, nisi vel arte vel attritu mutilarentur. Probabile quoque est ex urgente assiduè jugo proximam cervicis partem compressam, & inde callosam redditam fuisse; sanguinis namque motus non ita feliciter celebratus est; & ichoris quoque ac lenti humoris per exaratam corii contexturam ulterior fluxus impeditus est; & sudoris halitusque effluvia, per propria sudoris vascula suppressa sunt, unde corii papillæ ultra augmentum, in novum situm & compagem adaptatæ sunt, & reticulare corpus, quod aliàs mucosum est, penè osseam nactum est consistentiam. Hæc autem ferruminatio probabiliter contingit ex vitriolato humore per excretiora sudoris vasa effluente, vel saltem ab acidis effluviis coërcitis & fixatis, dum interim evaporantibus alcalibus & aquosis particulis, sanguinei instar seri, solidum, lucidumque penè corpus excitatum est.

Franciscus Trouillou nomine, homo staturæ mediocris, corpore satis obesus ac repletus, calvus (occipitio excepto, quod capillis aliquantum investiebatur) aliàs morosus admodum, moribus ac gestibus rusticis planè prædītus, ac pelle vulpina vestitus, adeo ut aspectû horridus omninò esset: natus in viculo quodam, Gallicè les Mesieres indigitato, qui ad D. Laverdinum, Regis Galliarum Polemarchum spectat. Huic à teneris in locis sylvestribus à carbonariis educato, ad annum septimum usque ætatis suæ nullum adhuc alicujus cornu indicium apparebat, quo tamen tempore è fronte primum extuberare cœpit, adeo ut circa annum 17. ætatis suæ ad instar apicis alicujus digiti magnitudinem promineret. Quod postmodum progressu temporis paulatim ejusmodi incrementum accepit, donec tandem circa annum ætatis suæ 35. tam magnitudine quàm formâ cornu arietis prorsus referret atque adæquaret.

Cornu hocce è medio frontis enatum, supernè ad verticem, suturam coronalem usque retortum, progrediebatur, ut cutim eo loci omninò fermè attingeret, quod etiam (ipsomet id referente) jam semel antehac firmiter adeò cuti inhæserat, ut doloris evitandi gratiâ, idipsum necesse fuerit aliquantum resecare atque rescindere. Quoties cornu illud palpabatur, vacillabat, cornu tum verò inde dolorem maximum persentiebat, ita ut tandem ab adstantibus vix amplius sibi istud palpari passus fuerit. Hoc autem an in ipso frontis osse, vel cute solummodò radices suas fixas habuerit, usque adeò mihi non constat: credibile tamen, quia cornu tam amplum atque ponderosum, radices omninò in cranio ipso egisse. An item cornutus ille dentibus molaribus præditus fuerit, non observavi. Quâ autem ratione & ex quâ materia cornu istud in hoc homine generari potuerit, id omne tibi perpendendum relinquo.

Tandem cum cornutus ille per duos menses Parisiis conspiciendus, expositus fuisset, Aureliam versus conductus fuit. Quo loci quum pervenisset, paulò post diem suum obiisse, intellexi. *Guilielm. Fabric. Hildan. Observ. Chirurgic. cent. 2. Ex communicatione Emanuelis Urstisii.*

Hujus viri cornuti & monstrosi meminit quoque Jacob. Augustus Thuanus, Tomo quinto, lib. 125. pag. mihi 874. qui & ipsum Lutetiæ vidit anno 1599.

Delineatio cornu non omninò cum descriptione Thuani convenit: scribit enim, cornu non spiralibus lineis, sed porrectis striatum fuisse, sed hæc non usque adeo magni sunt momenti.

Porrò de cornibus natis cùm pueris, aut ex adultis excrescentibus, plura vide apud Dn. D. Schenkium, observat. Medicinalium lib. 1. de cute capitis, mihi pag. 732. Singulare quoque exemplum lector apud Barthol. Cabrollium, Chirurgum longè celeberrimum observ. 2. videre poterit: qui & methodum quomodo abscindenda sint, proponit: dummodò universalia neglecta non fuerint.

Anno 1612. puellam octodecim circiter annorum, ex pago quodam Bernam adductam, ibidemque Nobili ac Doctissimo viro Dn. Paulo Lentulo, pro tempore D. Medico ordinario, à Magistratû Amplissimo, curandam commissam fuisse memini. Hujus puellæ dorsum, brachia & crura, cornibus scatebant: eorum nonnulla duos transversos digitos erant longa, nonnulla incurvata, sed major pars recta, & fusci coloris erant. Ego cùm 28. Novembr. ex Belgio reversus essem Bernam, puellam hancce in Nosocomio sanam vidi, cicatrices quinetiam, & vestigia cornuum palpavi, omniaque quæ acciderant à D. Lentulo mihi relata fuerunt.

Methodus autem, quâ D. Lentulus ipsam curavit hæc est. Præscriptâ optimâ victûs ratione, apozematibus, & julapiis humorem atrabilarium præparavit, & Melanagogis aliquoties expurgavit, mensesque provocavit. Postea apozemata, julapia, Melanagoga iteravit. Sic satis expurgato corpore, tandem ipsam ad Thermas, hic in vicinia sitas, misit: quibus cum per dies aliquot usa fuisset, cornua per se deciderunt, & sana ad Nosocomium rediit, ubi mihi, à D. Lentulo, ut dixi, monstrata, omniaque quæ acciderant, relata fuerunt. Post usum Thermarum, refocillatis viribus ac iterum expurgato corpore, ad suos ipsam remisit Dom. Lentulus.

Cornua autem non ossibus, sed cute & carne saltem adhæserant; Ideoque à Thermis emollita, facilè deciderunt. Sanam & incolumem ipsam per annum circiter vixisse, Clarissimus & Doctissimus D. D. Barthol. Dunus, qui mortuo D. Lentulo in Medicum ordinarium receptus fuit, aliquoties mihi asseruit. Quum verò propter egestatem, præscriptam victûs rationem obser-

observare non possit: purgantia quin etiam (quia à Medicis remota erat) intermisisset, cornua recrevisse, retulit Dn. D. Dunus, sed non tanta in copia, ut antea. Interim tamen cùm sine dolore vix stare, multò minùs ambulare, sedere aut supina cubare non posset & à Medicis remota esset, tandem exhaustis viribus, piè obdormivit.

Aqua autem prædictarum Thermarum in loco paludoso erumpit, & per tubulos ad proximum diversorium publicum ducitur, ubi in alieno magno calefacta in diversa lavacra distribuitur. Constat ex sulphure & alumine. Thermæ hæ nervos partesque nervosas emolliunt, dolorem leniunt, ulcera inveterata, scabiem, aliaque vitia cutis sanant: mirum in modum enim mundificant & exsiccant, præsertim si limus qui tubulis & canaliculis adhæret, exsiccatus, & in pollinem redactus, ulceribus inspersus fuerit. Articulorum doloribus & eorum tumoribus, ex causa frigidâ ortis, conveniunt, & lassitudines membrorum tollunt. *Guilielm. Fabric. Hildan. observat. Chirurg. cent. 2.*

Mulierem quandam tabidam, unguibus pedum non tantùm, ut in his morbis usu venit, aduncis & incurvis, sed etiam ad speciem cornu arietini contortis, duobus ferè digitis longis armatam vidimus. Novissimè præterea die 16. Novembr. ann. 1683. Virginem pauperculam 30. circiter annos natam invisimus: Ea ante 14. annos scabie totum corpus occupante infestata fuerat; quæ cùm ad apices usque digitorum, tum manuum tum pedum serperet, ab extremis unguibus proficisci, iisque continuari videbatur: donec tandem ipsi ungues non prolongari tantùm, sed in cornuum speciem facescere cœperunt. Cornua illa, quo tempore ea vidimus, digiti è quo nascebantur longitudinem ferè æquabant, at multò longiora per vices fuisse asserebat. Teretia in manibus erant, in pedibus figuræ admodum inæqualis, intus concava, in apice obtusa, quædam grisea, quædam nigricantia, sensus eorum exquisitissimus, nec sine dolore, vel leviter attingi poterant. Incerto intervallo, sæpius annuo, decidere aïebat; tuncque ex eorum cavitate productionem quampiam nerveam, transversum digitum longam, pulpæ quæ è chelis cancrorum fluviatilium, dum comeduntur, extrahitur, non absimilem prodire. Ipsam cùm invisimus ceciderat non ita pridem unum ex his cornubus unà cum ungue annexo. Locum vacuum vidimus, at productio nervea se se jam maxima ex parte contraxerat. Pars horum cornuum tantùm ungulæ continua videtur, pars verò ipsum apicem, non secus ac surculi cortex truncum in quo insitus est, obtegit. Illa aquæ tepidæ immersa, & emollita frustillatim quandoque non tamen sine dolore resecantur. At cùm Chirurgus quidam nostrâs ea evellere aliquando tentasset, in convulsiones & syncopen incidit, nec sanguis, qui larga satis manu stillaverat, impedivit quò minùs iterum pullulaverint, & pristinam penè longitudinem intra octiduum, recuperarint. Fera insuper scabies miseram malè mulctat: Volæ manuum, plantæ pedum & calcanei pustulis duris, & veluti corneis, per intervalla etiam deciduis, obsidentur. Unde salibus acidis, qualia in scabie maligna, seu psora affectorum sanguine luxuriare verisimile est, eò quòd facilè concrescant, & ad succorum coagulationem ac ferruminationem non parum conducant; Salibus, inquam, illis cornuum memoratorum primordia, vegetationem & augmentum, attribui meritò posse, existimavimus. Bibit tamen, comedit, &, qu. nquam ægrè, ambulat; menstrua statis temporibus patitur, nec adeò tristis aut melancholica apparet, quin dum ejus manus & pedes depingi curabamus, minima data occasione subinde ridebat & jocabatur. Hæc ex *Bibliotheca nostra Anatomica parte primâ*, quibus in ulteriorem affectum horumce cornutorum illustrationem adjiciemus illa quæ Dominus Dionisius Parisiensis Medicus, in suis affert Ephemeridibus Medico-Philosophicis. Sic autem ille: Vivit impræsentiarum Florentiæ rusticus quidam septuaginta annos natus, vultum gerens caprinum, corpusque aridum, & exsuccum, in cujus poplite dextro natum est cornu à vulnere per tres annos neglecto. E vulnere scilicet effectum ulcus primò crusta crassiori operiebatur, quæ in dies augmenta sumsit; donec è materia ad instar glutinis stillante efformaretur cornu palmum longum, & ad basim duorum pollicum diametrum habens, quod cornu sensim à basi ad extremitatem minuitur, & tandem è nodo proximè ad apicem elevato ad inferiora contorquetur. Coloris est subcinerei flavo admixti. Substantia est firma & dura, fœtorem intolerabilem de se emittens. Superficies non est lævis ac polita, sed pluribus concavitatibus à superioribus ad inferiora descendentibus sinuata. Basis quæ ossi adnascitur, excrescentia carnea ad instar coronæ, cingitur. Hoc cornu cùm post duos à nativitate annos evulsum fuisset, citò repullulavit multoque majus factum est. Rursus à paucis diebus resectum est, & igne illius reliquias consumere sibi proponunt. Quis demum hujus operationis, futurus sit eventus expectabimus. Schenckius historiam etiam penè similem refert, inquit enim; Vidimus in Creta vulnerato genu sagitta, cornu nigrum prodiisse; & materia quæ in ossis substantiam debuerat converti, aëris afflatu in corneam naturam conversa est. Quibus historiis non incongruum fuerit addere aliam quæ Nobilem quendam Florentinum spectat. Is ab aliquot mensibus excrescentia ungularum, tum manuum, tum pedum, ad instar avium quarundam rapacium, falcularum, contortarum, affligitur. Unde ipsi non licet nisi cum maximo dolore, ambulare. Si autem eas resecet inde ulterius sumunt augmentum.

CORPULENTIA NIMIA.

Dissertatio de *Corpulentiæ nimiæ* causis commodè perfici potest per oppositionem ad ea quæ suprà ubi de *Atrophia* attulimus; illuc itaque Lectorem remittimus; & quandoquidem, & de morbi definitione, parte in eodem affecta, differentiis & diagnosi, quæ satis sunt nota, non opus est aliquid addamus; reliqua, scilicet prognosis; indicationes, & cura insequentibus videri possunt. Ubi,

Cura-

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis Autoribus.

In corpulentia nimia *Borellus lib. 2. Observ. 2.* sola masticatione foliorum tabaci viridium hominem enormiter pinguem pristino restitutum esse statui scribit. Folia lauri linguæ imposita aquas multas educunt.

Conveniunt autem maximè purgantia, quæ habent vim exsiccandi, v. g. Aloetica, myrrha, polypodium; *Vid. Zacutus Lusitanus lib. 3. Observat. 102. Prax. Admir. Epiphanius Ferdinandus Hist. Med. pag. 273.*

Incisionem abdominis ad educendam pinguedinem non suadeo, cum sit modus periculosissimus.

Prosunt herbæ absinthii, cent. min nasturtii, menthæ, sarsaparilla, gentian. bistort. aristol. rotund. polypod. lign. sanct. lentiscin. allium, oleum amygd. amar. fructus anacard. Aloës, myrrha, sandaraca, Nitrum, lumen de quo *vid. Forest.* Tartar. spir. vitriol. coagul. Sal. Tartar. It. Medicamenta ex viperis; balnea naturalia & artificialia cum Nitri & sulph. acetum squilliticum, rutaceum. Item Cuminum sæpius sumtum, elix. propriet. tis, essent. absinth. myrrha, crem. & crystalli Tartar. species dialaceæ, diacumini, diapoliticum Galeni, (hoc Dn. Langius pro arcanissimo habet propter Nitrum,) pilulæ de hiera, de sandar. Myns. p. 154 (quas in arcanis habet Dn. Osvvaldus) it. elect. antipod. majus & minus Epiph. Histor. 81. p. 254.

Externè decoctum nucis cypressi Mynsichti.

♃. M. P. de Sandar. Myns. ℥ ij. Sal. vol. viper. ℈ ij. Elix. propr. q. s. pro forma. Pilularum instar pisorum minorum S. *Sonderliche Pillen* Dos. ℈ j. vel ʒ j.

♃. Sandarach. ʒ ij. Extract. Aloës, myrrhæ, absinthii, ligni sancti ana ℈ j. Spir. vitriol. coagul. ʒß. F. l. a Pilulæ Dos. ℈ j.

♃. Spect. diapolit. Galen. ʒ iij. flor. sulph. ʒ j. M. S. *Sonderlich pulver.* Dos. ʒß. ad ʒ j.

♃. Loch. de squilla ℥ iv. Syr. de 5. rad. acetosæ simp. ana ℥ j. M. S. *Saffi auf etlich mal.* Dos. 2. *Leffel voll.*

♃. Essent. absinth. lignor. ana ʒß. S. *Sonderliche Essent.* Dos. 40. *Tropffen.*

Ex foliis rutæ, Nitr. pipere, &c. potest fieri pulvis in mensa usurpandus: potest quoque addi sal. absinthii. *Joh. Michaëlis Prax. Clyn. Gener. Part. 2.*

In cura corpulentiæ nimiæ 1. Impediendus est copiosus alimenti laudabilis proventus. 2. Alimentum jam genitum removendum est antequàm partibus sese uniat. 3. Unitum jam partibus alimentum est resolvendum ac liquefaciendum, ut sero abluenti imbibitum foras amandetur. Serum enim uti primò est vehiculum alimentorum ita postmodum vehiculum est excernendorum.

Dubium videri possit an corpulentia jam facta resolvendo semel assimilatum nutrimentum possit tolli: Affirmari facilè potest: Videmus enim crassos & obesos sub *febrium ardentium* ardore insigniter emaciari: præterea *Scorbutus* confirmatus corpus etiam ad atrophiam perducit unde atrophia scorbutica. Ad hæc *viscerum ulcera* dum Hecticam inferunt, ita massam sanguineam inficiendo phthisicos & macros reddunt. Denique *excretio copiosa lymphæ* absumendo nutritium rorem corpus emaciat. Præ cæteris tamen *urinæ copiosæ & confertim facta evacuatio* corpus emaciare solet. *Vid. Herm. Tr. jus duumviratus & Tr. latex. humor neglectus*, ubi refert exempla insigniter obesorum per potiones diureticas subitò emaciatorum. Talia exempla habet etiam Schenck. *in observ.* ubi de Diabete, ibi enim refert multos Diabete affectos per copiosum urinæ profluvium subitò fuisse extenuatos. Nec minus efficax etiam est *copiosa salivæ excretio*: notum enim est quod lue venerea ditati, curati per inunctiones Mercuriales Gallis frequentes, ubi continuam ac copiosam excernunt salivam, quod exinde admodum attenuentur. Item refert *Borell. cent. 2. Observ. 2.* Nimiam corporis crassitiem & pinguedinem *continuâ masticatione foliorum Tabaci* fuisse curatam. Jam notum est quod tabacum sit egregium masticatorium dum elicit copiosam salivam: id quod etiam de *foliis Lauri* dicitur si masticentur: Salivam enim eliciendo corpus emaciant. Hæc & similia persuadent quod *corpora pinguefacta* post resolutionem jam assimilati nutrimenti à latice aquoso partes ambiente imbibiti, & *sub forma urinæ* copiose & ubertim evacuati *aut* etiam *salivæ* emacientur. Hæc inter ergò quæ huc faciunt ut corpus denuò emacietur primatum obtinet *acetum & omnia ex aceto vini* filio degeneri parata remedia: Vid. *Cart. cit. loc.* ubi refert. Exemplum viri admodum obesi, qui loco vini aceto utens in potu ita rursùs extenuatus fuit ut 87. ℔. pondere decreverit. Id quod confirmat *Stephanus in operibus Medicis tr. Cosmetica*, ad obesitatem tollendum nihil melius esse quàm *acetum Scylliticum jejuno stomacho* haustum.

Item *acetum rutaceum*, aut etiam *potus ordinarius ex aqua chalybeata aceto temperata*: Item *acetum Scylliticum* in quo *Absinthium* est maceratum. Ratio hujus est quod acetum stimulat fermentum stomachicum adeoque alimenta potenter dissolvit & incidit eademque in chylum tenuem & admodum aquosum colliquefacit; qui accedente in duodeno bilis attactu transmutetur in salsum diureticum quæ diuretica salsedo non tantum chylum aquosum potenter exhaurit, sed præterea quoque nutritium rorem dissolvit ut per urinas excernatur. *Acetum* ergò si *cohobetur aliquoties super nitrum*, eò magis evadit *diureticum* & eò magis emaciat antea crassos.

Faciunt huc etiam *Purgantia* quæ promptè corpus emaciant. Hinc etiam *Celsus* inquit crebris purgationibus adsuescere est corpus non nutrire. Nam purgantia etiam nutritium succum putrilagine afficiunt, & sub forma stercorum exhauriunt: Verùm cum purgantia fortiora ceu venenata non semper tutò in usum vocari possunt propterea *Aloëtica & abstergentibus mista* conducunt imprimis. Hinc *Fernelius Consil. 15.* inquit quod corpora obesa optimè curentur *per pilulas ex rhabarbaro aloë, & agarico* paratas.

Hinc etiam *Elixir proprietatis* sæpius sumptum corpus nihil emaciat, uti etiam omnia insigniter

ter amaricantia, v. gr. Myrrha, aloë, pilulæ de tribus s. Pestilentiales, pilulæ de hiera, absinthium & ejus essent. Essent. myrrhæ gentianæ, centaur. minus, mentha, nasturtium & similia quæ omnia amara attenuant & resolvunt rorem nutritium ac sero involvunt, qui interdum excernitur sub forma urinæ interdum sudoris. Præ cæteris tamen omnibus eminent Diuretica fortiora: quæ inter eminet Radix asparagi (quæ & ipso urina fœtido odore corripit) radix fœniculi, petroselini; item alliata ac cœpacea omnia. Syrupi dicti de duobus, item de quinque radicibus, qui diuretici sunt. Decoctum Cicerum rubrorum; item Cappares, olivæ, Amygdalæ amaræ, & similia condimenta diuretica.

In specie huc facit Tartarus remedium vino ipso nobilius cujus volat. aciditas potenter abstersiva ac attenuativa simul blandè interdum copiosè urinam movet. Sic refert Forestus lib. 31. obs. 12. de Aurifabro adeo crasso ut ferè expiraret qui tamen fuit curatus hoc pulvere.

℞. Tartari ℥ ij. cinamom. ʒ iij. (potius ℈iij.) zingiber. ℥ j. sacchar. ℥ iv. misc. & subindè absumpsit.

Sic etiam Epiphanius Ferdinandus cons. 8. in specie commendat Tartarum in pulverem redactum contra nimiam pinguedinem.

Aliis secretus est Pulvis contra nimiam corpulentiam paratus ex Tartaro & Cymis s. Julii corylian. mistis & pulverisatis. Hujus pulveris mane jejuno stomacho & vesperi sub introrsum lecti ℈j. aceto destillato irroratus est assumendus, idque continuò donec corpus egregiè emacietur; (quæ dico de tartaro simplici etiam intelligenda de sal. volat. & nobilioribus præparatis quod præsuppono. Pertinet huc etiam Tartarus vitriolatus & ipse ad emaciandum aptus.

Deinde post tartarum est nitrum & ipsum diurericum ac specificum admodum proprium contra pinguedinem nimiam. Nitrum vitriolatum s. arcanum duplicat. Mynsichti specificè etiam contra obesitatem commendetur.

D. Langius ceu singulare habuit arcanum Diospoliticon Galeni ex Nitro & Cumino quod sæpius usurpatum per urinam corpus maciat. Pertinet huc Tartarus nitratus Bartholeti ex sal. tartar. & spiritû nitri invicem mistis paratum, egregium sanè appropriatum contra nimiam corpulentiam.

Facit huc etiam Juniperinum gummi aliàs dictum Sandaracha Arabum; (Græcorum Sandaracha est auripigmentum.) Unde elegantes sunt pilulæ Mynsichti ex Sandaracha s. gummi juniperi contra obesitatem quarum dosis est ℈j. singulis manè jejuno stomacho assumenda: D. Osvvald. est author qui primus composuit has pilulas contra obesitatem à quo habuit has Mynsicht.

Semen fraxini seu lingua avis ad ʒ j. manè in haustu vini propinatum insigniter commendatur ad evacuandam urinam, ratione cujus & hydropicos curat & emaciat crassos.

Secretum D. Eberbenii est semen esulæ pulverisatum & omni manè quantum cultelli cuspide capitur usurpatum & continuatum: Hoc enim dicitur expertum remedium.

Nec omittenda Terebinthina ratione virtutis diureticæ, refert Forestus cit. loco de viro valdè crasso, qui insigniter extenuabatur, per pilulas ex terebinthina cum sacharo paratas assumendo earum majuscularum v. aut vii. per 2. horas ante prandium. Denique sudorifera sunt quæ & ipsa corpus emaciant, unde omnia lignorum decocta in specie Guajaci & ligni sancti dicta sudorifera propinata corpus emaciant. Alii salia vegetabilium fixa sal. absinthii, Card. benedicti, item salia theriacalia propinant, quæ corpus insigniter macrum reddere dicuntur. Aliis salia viperina vol. sunt commendata, item alia remedia viperina sunt commendata, quæ & ipsa corpus extenuare & pinguedinem resolvere dicunt.

Denique ex fonte Chirurgico sunt ven. sect. & Fonticuli. Venæ sect. enim cum sanguine simul nutrimentum exhaurit: unde subtracto nutrimento emaciat. Fonticuli verò uti successive partis cui inflicti sunt nutrimentum resolutum exhauriunt, ita etiam mass. sang. depravant & corpus necessario emaciant. *Michaël Ethmull. Collegii Medic. part. 2.*

Consultationes.

De insigni obesitate corporis.

Historiam morbi scribente D. Melino ad D. Fernelium: pro D. de Boisdauphin.

Claudius Lavallensis tibi notus, nonum jam mensem agit hic legatum Regis Christianissimi, atq; tandem incidit in affectum, quem corporis gravitatem appellat ipse; ego verò plenitudinem vires prementem. Præterea ventrem inferiorem natura jam bis laxavit, ex quo ea ejecisse, quibus premebatur, credibile est: quandoquidem facile toleravit dies aliquot, & melius habuit. Erant autem quæ sponte naturæ exierunt fusca, utplurimum, & graveolentia, & inæqualia, & intus pituitosa pauca, viscida. Alvum sponte fluentem juvit ʒ j. sennæ in jure prunorum macerata & expressa. Ergo cùm jam intelligat vacuatione opus esse; mihi autem, atque his, qui hic medicinam factitant, non satis fidat; rem totam ad te, cui plurimùm fidit, tuamque auctoritatem, defert. Plenitudinem ad vires duo potissimum arguunt, corporis gravitas, & quòd levibus ex intervallo repetitis vacuationibus feliciter utitur.

Responsum Fernelii ad literas Melini.

Sic summa fide & diligentia literis expressam video Domini tui Boisdelphini valetudinem, ut eam mihi quasi ob oculos proponas, & in memoriam revoces, quàm sæpe coram animadverti. Obesus corporis habitus, vastaque moles, quia non nisi pleno liberalique victu sustineri potest, magnum facit excrementorum proventum, nunc maximè ætate inclinante, deside vita, cœlo frigido, & humido solo. Atque licet D. Legatus frigida, pituitosaque illuvie plurimùm scatere videatur, non pauca tamen bile exæstuat, quam memini interdum sponte illi ab alvo impetu prorupisse, & quotidie ter saltem alvum movere, eamque semper quam tenerrimam

mam servare. Jam si supervacuorum humorum exuperantia præter naturam & consuetudinem succrevit, quid mirum videri debet, si eorum mole pressum corpus ingravescit, minimeque sit ad consueta munia comparatum.

Ne quid autem posthac gravioris mali contingat tentandum, ut quam exuperantiam victus parcior ac tenuior prorsùs absorbere non potuit medicina subtrahat: quandoquidem observatum est, alvum sive sponte, sive arte solutam emolumenti non parum contulisse: id autem sensim ac lentè præstandum, quòd alvus lenissimis illis proritetur, quòdque minime tutum sit tantam illuviem vi & impetu concutere, ne universa corruat: itaque accommodatissima purgatio fuerit per catapotia ex rhabarbaro & aloë, an. ℈ij. agarici ʒ j. cinnamomi, & santali citrini, an. drach. ſ. quæ concinnentur cum syrup. de cichorio. Hac autem lege utendum, ut primùm quidem ℈ j. offeratur mane, hora una aut sesquihora antepastum.

Duobus tribusve diebus interjectis ʒß. aut ℈ ij. dentur horis duabus ante cibum. Sic sæpè repetenda erit purgatio ex intervallis brevioribus, sensimque vis illi augenda & continuanda, dum omnem videatur cacochymiam sustulisse, pristinumque corporis robur & integram valetudinem reduxisse. *Joan. Fernel. Consilior. Medicor.* 15.

De Obesitate præter Naturam. Pro Eminentiss. Cardinalis Hippolito Aldobrandino.

Cum moderata corporis constitutio omnium sit perfectissima, & optatissima; amplior vicissim ejus moles, ut & nimia gracilitas pro virili sunt curandæ; non solum quod indecoræ, sed & actionibus sint incommodæ; & quæ vitam breviorem efficiunt, cùm suffocato derepentè calore nativo à nimia mole, tum eodem extincto pabuli inopia. Quamobrem Eminentissimus Cardinalis æquo corpulentior, veritus ne corporis moles, qua laborat, ingravescat in dies, & operationibus animalibus, quas in præsenti leviter tantum afficit, tandem noxia evadat, cùm potissimum sit ipsi innata, non immeritò ad nostram confugit opem; quò nimia obesitas coerceatur, qua laborasse antehac fratrum natu majorem duos, conscius est; alterum quidem Eminentiss. Cardinalem, alterum verò Illustriss. & Excellentiss. Principem.

Nos itaque Eminentissimi Viri mandatis morem gerentes, præservativa remedia tunc præscribenda censemus, cùm crassitiei hujus causas brevibus in medium adduxerimus. Quæ copiam pinguis, & carnosæ substantiæ consequitur, sumpto indicio ex totius ampla mole: pinguedo tamen substantiam carnosam copiâ superat, cujus causâ cæterarum partium crassities ventris inferioris amplitudini cedit, qui secundum naturæ leges pinguedine infarctus esse solet; ut propterea ad obesitatem hanc producendam duo potissimum concurrere sit necesse, primò quidem copiam sanguinis alimentalis tenuioris, fluidi, & oleosi, ut causam materialem, tum remissum calorem partium corporis, à quo hic concrescit, & in pinguedinem cogitur, tanquam effectricem, accedente quineiam corporis densitate, materiæ effluxum intercipiente. Neque novum videri debet, quod in Emmentissimo Cardinali hic sanguis redundet, atque in pinguedinem copiosam adeò concrescat, cùm ejus ventriculi frigida, & humida intemperies invalescat in dies familiari usu vini aqua diluti, necnon cibi, & potus nive & glacie impensè refrigeratorum, quæ causa est frequentis pituitæ vomitus, & flatuũ copiosorum, non sine periculo umbilicalis herniæ. Jecoris insuper est humidioris æquo, cum aliqua caliditate, non tamen exsuperante; cui etiam respondet totius corporis temperies; atque hinc fit, ut ex chylo in frigido ventriculo non perfectè elaborato sanguinis copiosi in jecore fit proventus, non quidem exusti, sed plurimùm tenuis, oleosi, & pinguis; qui in venas permeans, à musculis allicitur, & in carnosam substantiam concrescit, atque affusus parte magis oleosa membranis exsanguibus; & densis, in his crassitiem quandam adeptus in pinguedinem cogitur: quam auget in dies nova ejusdem sanguinis generatio, & attractio, concurrente potissimum densitate habitus corporis, illius exhalationem, & dissipationem inhibente. Cujus præbent indicia difficilis sudor, atque ex levi qualibet ambientis frigiditate cutis densitas, & febris, cum insigni corporis lassitudine, rigore, & aliarum partium dolore, cessante plerumque frictionum usu, & sudoribus toto corpore erumpentibus. A qua corporis densitate caloris ventilationem prohibente, calorem in internis partibus acriorem fieri vero consentaneum est; atque sanguinem in venis conclusum loco calidiori assari; tenuiorem scil. oleosam magis ejus partem, quæ in pinguedinem concrescit; atque in bilem facessere, quæ in excretis copiosissima ferè semper se prodit; crassiorem verò in sanguinem melancholicum, nigrum, & crassum converti, qui secta vena plurimùm effluit: quam ob causam corpus hoc remissiori calore præditum, ac proinde bilis minus ferax, hac tamen abundat maximè, potissimum in primis viis, ob crassitiem corporis, liberam caloris ventilationem intercipientem: quæ fortasse causa fuerit frequentis illius æstus, & ruboris in capite, & facie.

Crassities itaque hæc tenuanda, vel saltem coercenda. Quod consequetur in primis Eminentiss. accurata victus norma: cibo videlicet, & potu; somno, & vigilia; motu, & quiete; excretis, & retentis; atque aere. Cibus autem sit parcus, in cœna potissimum; pauci nutrimenti, ac facultatis attenuantis, & exsiccantis; carnes scil. & pisces saliti, assati potiùs, quàm elixi, conditi aceto, vel fructibus acidis, inspersis pulveribus exsiccantibus coriandri, anisi, cum petroselino, & apio, nenon sal ex viperis combustis, ficus, olivæ, asparagi, & hujusmodi ex tempore parata. A ferculis, placentis, lactariis, melonibus, uvis, cerasis, passulis, pro virili abstineat. Parce bibat, & quidem vinum modicè generosum, album, antiquum: quinimò familiaris usus ℥ j. aceti scyllitici, in quo maceratum fuerit absinthium, summoperè ex usu foret. Somnum fugiat diurnum; nisi à valido exercitio quotidie per duas saltem horas, vacuo stomacho, & quidem parvæ pilæ lusu; neque ad nocturnum se componat, nisi altera hora à cœna; otium vitet, quo humores in corpore suc-

crescunt; ut & exercitio moderato, quo dum exsuscitatur calor innatus coctionis autor, corporis excrescit moles. Quod si ab exercitio adhibeantur frictiones validæ, pannis asperis, vel pulvere corticum fabarum, lupinorum, amygdalarum amararum, & sale, ab his corpus magis attenuabitur. In quam rem commendantur summoperè balnea ex Aquis nitrosis, salitis, sulphureis, & aliis medicatis; non tamen aluminosis, vel quibuslibet aliis adstringentibus. Alvus continuò sollicitetur vel usu panis ex furfuribus medianis, cum caricis, & fœniculo, semihora ante cibum; vel sex, aut octo ficubus, cùm siccis, tum recentibus, per semihoram pariter ante cibum assumptis; vel etiam aliquando, usu pilular. ex aloë lota cum succo rosf. ad ℈ j. statim ante cœnam; vel pilular. de tribus Rufi; quæ omnium maximè exsiccant, ut eas Rufus ad arcendam pestem validissimas censuerit: non omissis interim diureticis, in quibus potissima erunt semina fœniculi, anisi, petroselini, & rutæ sylvestris. necnon sal viperinus, species dialaccæ magnæ Mesues, species diacurcumæ, sal theriacale, & hujusmodi. *Bened. Silvatic. Cons. & Resp. Medic. Cent.* 4.

Observationes.

Pro obæsitate.

Nobilissimæ Dominæ adeo obæsæ ut vix incedere posset à medicis consultum est, ut iter unius miliaris subinde jejuna pedestri itinere absolveret, sed cum præ asthmate ambulare amplius non posset, magis ei profuit purgatio frequentior: aurifaber quidam cum extremè obæsus foret, ita ut proximus suffocationi videretur, huic sequens pulvis etiam in cibo datus est, & ita liberatus fuit.

℞. Tartar. ℥ij. cinnam. ℥iij. zinzib. ʒ j. sacch. ℥ iv. F. pulvis Gilbertus Horstius hoc sequenti pulvere, modo per se, modò in conditis, in obæsis commodè usus est.

℞. Tartar. vini albi aut rubri ℥ ij. cinnam. ℈ iv. zinzib. ʒß. sacch. ℥ iv. M. hæc etiam subsequentia maximè extenuare obæsos expertus erat; cepe, allium nasturtium, porrum, semen rutæ & potissimùm acetum scyllinum: utantur larga ventris solutione, utinam ac sudorem provocent labore multo tum veloci utantur antequam comedant; famem tolerent, diu vigilent, sitim patiantur in balneo aëreo sudent, dormiant parum, & in lecto duro, multùm coëant, & morentur sub sole: hæc omnia corpus pingue macrescere faciunt. *Petrus Forestus, obs.* 10. *& Schol. lib.* 31. *de fucis.*

Purgatio corpore, quoniam præcipuus scopus propositus est, ut caro & pinguedo deterantur, simulque continuò perspirationi & exinanitioni via paretur, ad eos absolvendos conducturum id remedium esse confido, quod hæc faciendi insignem potestatem habet; cujusmodi est ligni guajaci & sarsæ decoctum pluribus diebus cum tenui & exsiccanti diæta, sudorisque provocatione assumptum: hoc enim (si modo prudenter administretur) minimè dubitare oportet, quin blandè exsiccet, sudoremque provocando cutis meatus aperiat, & consequenter faciendæ insensibili transpirationi magnopere auxilietur: post cujus usum non parùm mihi arridet eorum consilium, qui diureticis utendum esse commendant, ut asparago, apio, fœniculo, porro: similiter quoque facere non possum, quin laudem usum ejus lavacri, quod vim habeat exsiccandi, quale est aqua marina, qua tepida utatur *Hier. Mercurialis tom.* 3. *consult.* 122.

Abstineat à potatione inter prandium & cœnam, nam talis corpora multum pinguefacit: laudant aliqui maximè in æstate per plures dies cyathum unum aceti manè, nam potenter corpora siccat & emaciat; sit ejus ergò assiduus maximè in condimentis & acetariis: verum hoc fugiant qui imbecillos habent articulos nec non & uterum: hyeme ut ejus nimia acredo refrangatur, immiscendæ sunt uvæ passæ: sint in assiduo usu cappares cum aceto conditi, & olivæ: cauteria maximè probantur, præsertim in tibiis, cum sensim evacuent totùm corpus, frictiones etiam commendantur asperæ pannis asperis donec cutis rubeat: sit assiduus usus linguæ ovis 1. seminis fraxini ad ʒ j. cum vino exhibit. Ex Plinio hydropicos curat. & corpore obæsos ad maciem reducit Arabibus etiam maximè commendatur. *Epiphanius Ferdinandus histor,* 81.

Pro Obæsitate.

Nobilem virum adeo pinguem vidi, ut equo insistere nequiret, quin statim sopiretur, nec loco ferè moveri posset: ille tamen nunc huc & illuc vadit, mole illa deperdita, & pristinum habitum recuperavit, quod sola masticatione fol. tabaci peractum fuit, ut ipse mihi asseveravit, pituitosis enim & frigidis corporibus utile est: folium lauri linguæ impositum aquas multas etiam educit. *Petrus Borellus. Observ.* 17. *Cent.* 2.

Rara corpulentiæ incommodæ curatio.

Notissimus hic tribunus militaris jam sexagenario major, sed vivax, & vegetus, ita ferè quinto quoque anno abdomine tardus evadit, & pinguedine nimia distentus, ut aliis gravis, sibi invisus sit; cui malo cum varia quæsierit remedia, inediam, acida, exercitia, frustrante exspectationem ingrato eventu, novissimè in Mercurio dulci opem sollicitavit, & invenit. Progreditur enim pilulis Mercurialibus ad eam paulatim dosin, ut apertis gingivarum laxitatibus ptyelismus consequatur, nec is perfunctorius, sed qualem in adustis Veneris nepotulis efflagitant Medentes, ut fœdam luem exspuant. Per has vias omasum sese exonerat, & lætum, alacremque tribunum ad munia sueta reddit expeditiorem Ex eo triennium integrum exigit ab infesto aqualiculi pondere liberum. Tandem redit sensim malum, & quinto post anno novam curam deposcit. Igitur ille iterum supplicat Mercurio, iterum in palæstram redit promptior. Jamque ter quaterve iterato eodem æquore, vivido faciei colore, toris robustis, corpore alacri ad negotia sua consurrexit. Exploratum hactenus fuit, fœdam pituitam per glandulas salivares excludi, hoc novum, nimiæ pinguedinis causam per eosdem ductus foras posse amandari. *Olai Borrichii, in Act. Barthol.*

Anatomicæ Inspectiones.

Pinguedo anomala.

Pinguedo, quæ musculis insternitur & inæqualia habitus intervalla elegánter rotundat, tam copiosè sæpe luxuriat, ut corporis formam, quam ornare debebat, mirificè defœdet. Requiritur ad justam gratamque corporis proportionem æqualis partium omnium pro ratâ accretio; quod si pinguedo copiosior sit & molem cæterarum partium vincat, jam gravis est eam habenti; namque subjectos musculorum ventres pondere suo reprimit, & prohibet ne facile intentur, & inflati perdurent. Vocantur hi Græcis γυναικομαστοι, homines abdomine graves. Inter hos reperias, qui monstro quàm homini similiores corpus circumferant, non crassum duntaxat aut adiposum, verùm etiam inconcinnum & difforme. Nobilis quidam staturâ & protenso aqualiculo magnus varia agitabat consilia, quibus à molestâ & inficetâ pinguedine liberaretur. Sed cum pleraque in corpore scorbutico & segnitie corrupto vana essent, contentus erat abdominis molem, in hanc enim imprimis omnis pinguedo conjurasse videbatur, fasciis sustinere eventumque fatis committere hac quidem compendiariâ, ut succincto ventre obambulare nonnihil in domo, deque uno membro in aliud transferre se posset. Sed postquam unum alterumque annum sic vitam tolerasset, morbus intervenit isque internecinus, quippe compressæ à nimia pinguedine venæ sanguini motum & spiritum elisere. Vivus roganti mihi ægrè concesserat ventris conspectum atque contrectationem; ibi ego præter omnem opinionem abdomen reperi totum inæquale, glandibusque duriusculis & magnis, velut colliculis, distinctum, inguinis verò limbum, jam ferè ad genua prolapsum, in plurimos lobos fimbriatosque duriorum glandularum processus evagantem, citri videbantur aut laciniæ ventris penduli. Hæc moles corpus, æstate imprimis, multâ intertrigine excruciabat; quare etiam interpositis linamentis ei occurrendum fuit, sed exiguo cum fructu. Pinguedo autem illa tam anomala atque inæqualis non in alio, quam vitiato glandularum adiposarum contextu, sita esse videbatur; ut quæ in scirrum aut steatoma duratæ, collecta pingui amurcâ, corporis habitum tam misere fœdaverint. *Nicol. Pechlinus in observat. Phis. Medic.*

Pueri præ pinguedine nimia extincti Anatomia.

Macie confectum vidimus & examinavimus puerum biennalem; examinemus nunc pinguiculum & crassiusculum medio anno seniorem, qui oblatus fuit 25. Novembris ejusdem anni, & nescio an alio morbo, quàm nimiâ pinguedinis abundantiâ obierat. Vidi candelam non rarò nimiâ suâ pinguedine extingui, præsertim dum flamma ellychnii exigua debilior erat, quàm ut affluentis sevi absumeret copiam: idem hic factum, si affirmem; omnes corporis partes sanæ & integræ, sed pinguedine undique obrutæ, meæ suffragabuntur sententiæ; si enim pueri exterius pellem tangeres, indicem usque ad primi articuli finem imprimebas: interiùs autem exiles musculos pinguedo copiosa circumdabat & abscondebat. Aperto thorace, cor abesse sacerdotum veterum quispiam, qui eâ ratione populo imponebant, exclamasset: latebat enim ita pinguedine obvolutum, ut non appareret, hodieque à me servatum sub eadem pinguedine delitescit, uti & pericardium, cujus membrana vix conspiciebatur. Inferior venter viscera omnia sana, sed omnia vix semestris pueri magnitudinem exæquantia dabat, ita erant omnia una pinguedo; omentum & mesenterium adeps pura. Cum cerebro autem flaccido ventriculis inclusa erat aqua insipida; plexus choroides obsessus hydatidibus, quarum una ad nucis avellanæ excreverat magnitudinem. Ossium tota compages nec forma, nec magnitudine usquam descisсit à pueri perfectissime sani, minimeque monstrosi ossibus. *Theod. Kerkring. in Spicileg. Anatom.*

CORYZA.

Vid.

CATARRHUS.

CRAPULA

Vid.

EBRIETAS.

CRANII FRACTURÆ.

FRacturarum quæcunq; corpori obvenire possunt, periculosiores, difficiliorisque curationis nullas reperire licet iis quæ Cranii sunt.

Numerus earum insignis admodum, ast symptomatum subsequentium infinitus.

Paulus lib.6. cap.7. Quinque recenset species, quibus in infantibus addit sextam.

Hippocrates lib. de vulner. capitis à Paulo adductis aliam addit.

Placet nobis, quo curatio certa, quantum possibile, exerceri queat, ex fundamentis certioribus, diversas species, earumque appellationes adducere, nulla habita ratione controversiarum quæ circa varium vocabulorum usum etiam hic proponi possunt, & solent, cùm inutiles omninò sint, convenientiusque sit ad res ipsas veramque medendi methodum respicere, quam vocum varietatem variam.

Inter species omnes Cranio obvenientium fracturarum *primo* nobis loco occurrit Fissio, quæ *continui solutio est Tabellarum Cranium constituentium, vel primam seu exteriorem solam, vel insuper & alteram seu intimam, in totum, vel ex parte, dividens*, observabilis sæpè, non rarò obscura adeò, ut vix notari queat.

Fracturæ huic Vasorum sanguiferorum ruptura accedit, venarum imprimis, modò earum quæ Cerebri corticem perreptant, quandoque quæ medullam, non rarò & illarum, quæ duram matrem s. crassam cerebri meningem. Prior rupturæ vasorum dictorum species lethalis licet habeatur, ultima tamen Cornelium Celsum valdè reddit sollicitum, adeò vel etiam Cranium trepano hic perforari velit primo tempore, ne materia purulenta, ex sanguine extravasato genita, meningem tenuem accedat, eandemque premat, *Sanguis enim hic* (verba ejus sunt *lib.8. cap.4.*) *corruptus atque inflammatus partes vicinas lædit, unde deliria, febres, convulsiones, tandem mors ipsa.*

Dicta considerantes haud videbimur inutilia proponere, siquidem exemplo quodam singulari quam verè beneque sollicitus Celsus, minus sæpè debito sollicitos Chirurgiæ cultores doceamus.

Tempore eo, quo Maria Medicea, Regis Galliæ Ludovici XIII. mater, urbem nostram Amstelodamensem intrabat, puer v. vel vi. annorum, cujus nomen Riikardt Karseboom, reginam, quaque in honorem ejus extructa, videndi animo, fenestræ alicujus domus insidens, procidit in terram, eoque casu, præter vulnus cutaneum satis insigne, Fissuram contraxit parte supremâ ossis parietalis dextri.

Signis fracturæ notis bene perspectis, quo enarrata tollerentur mala, non obstante quod somnus jam adesset inquietior, febris continua, vomitus continuus, sanguinisque per nares & aures fluxus gravis, vulnus cutis, horis matutinis diei secundi, cruciali sectione duplex quasi effecimus, adeoque sic constitutionem Cranii obvii magis, certiùs cognoscere licuit, digitis enim non solum fissuram ejus, sed & ossis fracti ex unâ parte elevationem, explorare concedebatur. Plumaceolis hinc vulnus replere hoc tempore, circa vesperam verò Cranium trepano perforare necessarium duximus.

Trepanum ubi ad Diploen pervenit, medium scil. tabularum duarum cranium constituentium, impetu sanguinis notabilem quantitatem prodire observatum, notabilior hæc, ubi, absoluta trepanisatione foramen patens.

Foramini huic, adeoque, ejus ope, ipsi meningi crassæ, lintei tenuioris quadruplicati in spiritu vini, cujus parti uni duæ partes mellis rosarum mixtæ, madefacti, quantum loci conditio permittebat, imposuimus. Sequenti die mentem vulnerato constare, linguæque usum concessum, observavimus, febrem etiam, somnum, vomitum, hæmorrhagiamque vale dixisse; curationi quapropter nos accinximus, labia vulneris, secundum monitum Jacobi Carpi, cranio ipsi imponentes, brevi hæc absoluta, satisque feliciter, fragmentis quibusdam squammiformibus, iisque valdè exiguis, separatis.

Secunda Fracturarum cranii species Excisio est, *continui solutio in cranio ab externo instrumento secante producta*; fissuræ hic nonnunquam signa adsunt certa, quandoque nulla; quod si excisioni fissura jungatur, utriusque ubi illa tabulæ est periculosæ valdè conditionis, ad ipsam usque duram meningem penetrare potest.

Squammæ nonnunquam etiam in Tabulâ separantur primâ, nec tamen lethalis semper hæc separatio, quod verum observavimus in quonam Joachimo Ulrico Magistratus nostri jussu à nobis curato. Percussus hic à milite quodam ebrio, ense lato, in sinistrâ ossium parietalium parte, proximâ suturæ sagittali, graviter adeò, ut ex exciso cranii osse dicto, & quidem tabulâ ejus exteriore, particulam ossis satis magnam separatam, solutamque, forcipis ope extrahere licuerit, qua ablatâ, adhibitis medicamentis convenientibus integrè sanitati æger restitutus.

Hujus conditionis fragmenta varia, (quæ Cranii tabula prima, l. extima exhibuit, ubi Excisio aderat) ast obliquè magis separata, forcipe commoda auferre mihi concessum in Cranio fracto filiolæ natu minimæ Joannis van Os, contusam cutem ubi cultro aperuimus. Occurrebant hæc parte inferiore ossis parietalis sinistri, casu gravi in objectum acutum dicto modo læsi. Auferre particulas has licuit nobis die à casu 10. & 11. præmissâ, ut dictum, apertione cutis, integumentorumvè reliquorum commodâ, ast non sine insigni purulentæ materiæ effluxione. Et hac institutâ curâ integrè restituta puellula, brevissimo temporis spatio, hoc quo hæc scribimus optimè valens.

Fragmenta hæc Cranii ossium antequam deseramus, observationem aliquam Artis Chirurgicæ studiosis exhibere, utile ducimus, quam vir Theologus, Dn. Engebertus Sloot, verbi divini in Slooterdük præco, à Dn. Joan. Kraanvvinkel, apud eos qui Christo nomen dederunt in Moscoviâ Evangelistâ, accepit, declaratur ea quomodo in nobili quodam Cranii particula ense ablata, alia verò ex canino capite desumpta ejus in locum reposita, quæ etiam reliquis cranii ossibus firmiter unita. Accipite ergò quædam eorum, quæ Epistola dicta fabulis annumeranda proponit. *Occurrit hoc tempore, Tibi communicanda excommunicatio admiranda, imò risu digna, quam Theologi Russi exercuerunt in nobilem quendam, cujus nomen* Butterliin. *Tartarus quidam caput hujus graviter adeò ense vulneraverat, ut, præter integumenta te cutem nempè pilosam, aliaque, ossis cranii etiam particula quædam ablata, adeò ut caput inspicienti denudatum non solum, sed & vulneratum, occurreret cranium. Chirurgus locum apertum quo repleret, occisi canis ex cranio particulam desumpsit, figurâ & magnitudine ei quæ ense ex capite nobilis ablata respondentem, eamque loco læso adaptavit; & hâc methodo integrè sanitati redditus nobilis. Hic miraculosè restitutus, rem gestam, gaudio exultans, amicorum notorumvè variis, enarravit, qui eandem Theologis, & per hos Metropolitano communicarunt, sicque effecerunt, quod, excommunicatione institutâ, ad loca ea quibus conveniebant Christiani, per totam Russiam, accessus Nobili dicto denegatus fuerit, usque dum ossis capitis canini particula indicata unita maneret ossibus capitis christiani hominis. Nobilis Ecclesiæ membris annumerari mallens, quam, ad veram curationem, quævis non perferre, Chirurgum ossis canini fragmentum auferre jussit, sicque, curatione aliâ adhibitâ, excommunicationis vim effugit.*

Tertia Fracturarum Cranii species *Paulo* habetur Expressio, *quæ contingit quoties cranium per casum, ictum, percussionemvè in partes varias dividitur, sic ut etiam fragmenta quædam eo usque se ad inferiora dimittant, ut non solum membranam Cerebri deprimant, dividantque, sed & Cerebro ipsi continui solutionem inferant, quorum quædam ad ventriculos ipsos quandoque descenderunt*, quod artis Chirurgicæ cultorum in gratiam, doctrinæ gratia observatione sequente illustrare confirmareque possumus.

Bernardus Diderici Weghuysen, Sartor, gravi læditur ictu dextro osse parietali, sic ut fragmenta varia cranii vulnerati non solùm meningem duram, tenuemq; læderent, sed & ad ipsas usq; ventriculorum cerebri cavitates se dimitterent, & quidem vehementia summa, uti in aperto post

post mortem cadavere spectatoribus notare licuit.

Vulneratus domum petit, nullius auxilium implorans, jussu amplissimi Magistratus civitatis nostræ, rogatuve hospitis, eum accessi, cujus ex cerebri interioribus incredibilis magnitudinis particulam à cranio læso separatam, præter fragmenta alia minora: instrumenti commodi beneficio extraximus.

Die vigesimotertio Februarii curæ nostræ commissus æger prædictus qui nono Martii obiit. Consideratione nostrâ dignum quam maximè in hoc ægrotante, quod singulis diebus, à tempore eo quo ipsum accessimus, usque ad diem mortem penultimo præcedentem substantiæ Cerebri quantum cochleari contineri poterat per Vulneratum locum effluxerit, loquelâ, ingenio, judicio, integrè se habentibus. Ast instante, ut diximus morte, febris, delirium, hemiplegia, inter alia symptomata, superveniebant.

Materiæ huic, quæ Expressionis historiam, variaque symptomata, exhibet, antequam finem imponamus, consultum omninò censemus exemplum priori simile, ast cujus terminus longè felicior, hîc proponere. Chirurgus hujus loci eximius Bernardus Heems, cujus curæ commissus æger, quinque mediorum convenientium opera pristinæ valetudini eum restituit, ejus nobis copiam fecit, literis ea de re scriptis, inscriptisque nobis.

AMICISSIME.

Cum constet, rerum variarum, rarius occurrentium, perscrutatorem Te esse, arctaque jam à multis annis nos junxerit necessitudo, intermittere haud potui, quin singulare singularis fracturæ cranii in puero 10. aut 11. annorum, ex casu gravi, inductæ, tibi communicem. Frontis hîc os, aliis coronale dictum, læsum adeo, ut particula quædam separata, quæ & Meninges vulnerabat & Cerebrum ipsum, præterquam quod externa capitis integumenta vulnus exhiberent insigniter amplum. Locus læsus substantiæ Cerebri notabilem quotidie exhibebat quantitatem, quam vel ipse, præter Chirurgos alios, non semel inspexisti. Nec vomitus, nec delirium, nec sanguinis per nares, aures, aliavè loca fluxus in ægrotante hoc unquam observabantur, insignis licet amplitudinis apertura, restitutus brevi æger. Considerabilem hunc casum tibi publicoque haud invidere placuit. Vale.

BERNARDUS HEEMS.

Quarta Fracturarum cranii species Decessio est, *ubi os læsum versus inferiora procidit, sicque meninges Cerebri deprimuntur.*

Lethalis sæpe affectus hic, quo sic humores ad meninges ipsas defluunt, nullâ datâ evaporatione, quod inhibere valdè arduum est. Observavimus hoc in Capite textoris alicujus, cujus nomen Simon Joannis, qui à textore alio graviter cantharo stanneo percussus, sic tamen ut exterius vix aliqua solutio occurreret; in osse frontis circa suturam coronalem, os reperire nobis licuit, teretis omnino figuræ, Vulneratus, nullius considerationis vulnus inflictum æstimans, per tres septimanas oleum rasarum loco læso inunxerat, & tamen erysipelas faciem universam occupans, febris, convulsio gravis, fracturæ supervenientia è medio eum sustulerunt.

Viâ longè aliâ processimus cum Francisco Henrici à West-Reenem, qui ex loco satis alto procidit in saxum, sicque præter vulnus cutaneum, ad ossis frontis suturam coronalem, à parte sinistrâ, Desessionem ossis dicti contraxit. Ægrum hunc accedentes vulneri ad sanguinis fluxum inhibendum, labiorumque separationem justam promovendam, plumaceoli quantum necessitas exigebat imposuimus, non neglecto Emplastro Defensivo. Nec inconsultum visum fuit eodem hoc die, quo prima instituta visitatio, venæ-sectionis ope sanguinis aliquam auferre quantitatem, fuit hæc ferè integræ libræ; aperta autem vena in brachio corporis sinistro. Quin & suppositorium ex sale, hierâ picrâ & melle eidem applicari, antequam discederemus, curavimus, undè semel largiter dejecit.

Altero die stupiditatis se exhibebant indicia, febrisque, nullus aderat vomitus, licet sitis gravis, cordisque anxietas considerabilis, nocte prægressa valde fuerint molestæ. Vulnus ipsum fragmentum ossis dicti exhibebat, & quidem utriusque Tabulæ, quod ad ipsam matrem duram descenderat, elevatoriique operâ à nobis extrahebatur.

Fragmento hoc ablato, sanguinis extravasati, præter naturam hîc collecti, insignis quantitas, pulsu, quasi continuo, per vulnus effluebat. Procedebatur hinc methodo curandi ea, quæ adhiberi solet in trepano perforatis craniis, quâ etiam paucorum dierum spatio sanitati pristinæ redditus æger.

Quinta fracturarum Calvariæ species Cameratio est, quæ *divisio dicti ossis est, in quâ pars affecta cameræ modo exaltata relinquitur*, ut Galenus tradit, *ac intro à sanis fracturæ partibus ossa magis recedunt, membranisque Cerebri innituntur, quas contactu suo premunt.*

Hujus conditionis fracturam nobis non nisi semel toto praxeos tempore notare licuit, in puero 14. annorum, qui, ex casu gravi, & Cranii fracturam contraxit, & utriusque brachii circa ligamentum annulare, sic ut cubiti utrumque os notabiliter loco fracto promineret. Ossa hæc brachii reponere impossibile nobis, quamcunque etiam adhibebamus diligentiam, forsan quod musculi versus suum principium violentius traherentur. Ne ergò in casu dolorifico, desperato, frustra laboraremus, maximè cum vomitus continuus, febris, narium auriumque hæmorrhagia, valdè molestarent, sine sensu itidem, loquelaque decumberet æger, Naturæ negotium in totum commisimus, quæ, arte nullâ adjuta, symptomata enarrata tollere haud valuit, undè factum, quod nox sequens lethalis ipsi fuerit.

Materiam hanc antequam deseramus, è re Chirurgorum fore censemus, siquidem quæ de fracturarum Cranii specie hâc, Cameratio quæ appellatur, à veteribus proponuntur; minus arridere dicamus, quod enim inferiora versus cranium hîc deprimi tradatur, sicque foveas, quas fornices repræsentare volunt, constituere, unde meningum ab incumbente osse

pressio, parum certitudinis habet. Notasse nos in defuncti nostri osse parietali arcum unum alterumvè, sursum tendentem, negare nolumus, imò plures se exhibuisse inferiora petentes, certum quoque, ast quo jure fornicum s. testudinum nomen tribui hisce queat non video, cùm omnes ex loco inferiore versus superiorem se extendant, neutiquam à superiori ad inferiorem descendant. Antiquitati hic multum debemus, cui nomen dictum fracturæ huic imponere placuit, modo inversam camerationem à nobis vocari, concedant.

Ultima fracturarum Cranii Paulo Collisio est, hanc in infantibus solis locum habere tradit, quod tamen falsum, cùm etiam in adultis, senibusque eam notare licuerit, describitur ab ipso, *quod Calvariæ divisio non sit, eoque nec fractura rectè dici queat* ejusmodi affectio. Quibusdam, imprimis in infantibus Contusio appellatur, sic tradente Hippocrate *lib. de vuln. cap.* Mulieribus atque infantibus propria magis affectio habetur, quod ossa calvariæ molliora, tenuiora, adeoque flexilia magis possideant.

Hic ossis calvæ in interiorem partem impulsio est aut inflexio, concavitatem integra existente calva continuitate tantum efficiens, ut licet in cantharis aliisque vasculis ex plumbo, stanno, aut cupro confectis, si foris percutiantur, conspici. Continui solutio vera licet nulla hìc, undè fracturis annumerari nequit, symptomata tamen varia, eaque haud levis, non rarò ipsi uncta.

Anno 1656. decimosexto Augusti, ex mandato Ampliss. hujus loci Magistratûs accessi mulierem, *Alidam, Wilhelmi filiam*, in qua præter vulnus satis magnum, proximè ad oram musculi temporalis sinistri, Contusionem reperi insignem in osse parietali.

Per octiduum & vigiliæ, & vomitus graves valdè, sine tamen febre notabili; ast die nono somnus invasit cum stupiditate quadam, laterisque sinistri paralysi; depressum os, quod tabulæ utriusque credebamus esse, beneficio instrumenti quod jam ante accuratè à Scheelhanssio, Chirurgo celebri, nuperrimè à Joanne Schulteto accuratissimè depictum, & Triploides vocatur, levi manu elevare allaboravimus, quo facto illicò & Paralysis & somnolentia remittere ceperunt, ægraque sic sanitati reddita.

Contingit nonnunquam Cranii impressiones exiguas, casu, ictu, percussione, similivè violentiâ externâ, obvenire, imprimis junioribus, nullo præsente Capitis integumentorum vulnere; fracturæ, fissuræve quod si his nullæ accedant, saltem quæ à Chirurgo notari instrumentis digitisvè queant, symptomatum verò graviorum authores sunt, imò, impressione permanente, si quæ superveniant, ferè tolli solent.

Veritatem dictorum in infantibus puerisvè variis notavimus, inter omnes in filio Abelis ter Laan, cujus ossi frontis plumbeo instrumento Impressionem inflixerat puer alius; toto vitæ tempore in filio dicto observabilis ea fuit, neutiquam tamen molesta ipsi vel ulla fuerunt symptomata.

Prægressio fracturis Cranii Paulus Ægineta loco citato aliam addit, quam Capillationem dicit, sensum hæc plerumque fallit, ferè latens, quia non facilè se ostendit, mortis causam sæpe adfert.

Capillationem hanc notari nobis datum in defuncti alicujus viri, ab alio variâ commotione in pavimentum lapideum adacto. Dolor hic in principio obtusus admodum, parte capitis interiore, latere dextro, hinc intolerabilis, cum hæmorrhagia dextri nasi continua. Duodecimo die sopor ægrotantem invasit, sine febre, sicque brevi obiit.

Præsente in arte medicâ celeberrimo Viro Dn. Samuele Costero, Nosocomii publici Medico ordinario, separatis integumentis Capitis mollioribus, Calvariæ pàrtem superiorem qua fieri potuit curiositate abstulimus, huius in basi, circa meatum auditorio nervo destinatum, latere dextro, Capillatio occurrebat, subtilis valdè, sub osse petroso ad basilare se extendens, cui cruoris, fœtidique humoris exigua jungebatur quantitas.

Meningibus sanguis nullus incumbebat, imò ne quidem ipso in Cerebro aliquis reperiebatur; nisi loco modò indicato, qui inter cranium & meningem duram per fissuram dictam hùc erat delatus, ubi spiritus Animales incalefacti, suffocatique, sicque mors inducta.

Missis Fracturarum Cranii speciebus, quæ Paulus Ægineta de fracturis Cranii proponit, accedemus examen illius quam Celsus, Hippoc. aliique varii describunt, singularisque considerationis habent, imò omnium ferè fracturarum periculosissimam, eò quod etiamsi externo adspectu, & quantum Chirurgica manus præstare valet, post fracturas omnes, quæ oculis notari queunt, & tamen curabiles reperiuntur, curabiles sint, nihilominus Chirurgum sæpius ab incepto desistere faciant opere.

Fractura hæc Hippocrati ἔσφλασις, Contrusio Galeno dicitur, *Os hic medium desidit, intraque recedit, quoties violentia quadam externa, ictus, casus, simileque infortunium præcessit*, simili omninò ratione, ac glaciem vi externâ frangi, ejusque particulam reliquo quod integrum est supponi facimus; quod enim medium desidit (verba sunt Hippocratis lib. de vulner. capitis) ab alio osse naturaliter se habente abruptum fractumque introcedit, adeoque necessariò rima adest.

Sollicitos valdè veteres Fractura hæc fecit, quod ex Hippocrate loco citato colligere licet, quem consulere non sine fructu Artis Chirurgicæ cultores poterunt; & sanè, non semel nobis occurrit, fractam Cranii particulam profunde adeò, sub osse cranii integro. fuisse protrusam, ut etiamsi terebrationes variæ, variæque ossis sani separationes, accesserint, neutiquam tamen vel ulla arte, ex loco eo quem occupabat alienum, auferri potuerit, quin ferè Chirurgi industria, laboresque summi, frustra adhibiti, sicque interierit æger.

Rei difficultatem, quodque ipsi supervenire potest periculum non video quomodo, meo judicio, accuratius describi possit, quam quidem factum legimus ab Ampliss. Reipubl. hujus Consule *D. Nicolao Tulpio*, dum *lib. 1. observat. cap. 1.* hæc proponit verba: *Cranium uti supereminet omnibus corporis nostri partibus, ita omnes fracturas ejus longè superat ea quæ Hippocrati ἔσφλάσις dicitur,*

tur, difficillimæ curationis. Exemplum ejus rei Magnif. Consul loco citato proponit, addemus nos aliud.

Jacobus Cornelii graviter ligno duriore vulneratur parte Capitis dextra, ad os bregmatis, proximè ad marginem musculi temporalis; ita sæpius inter milites, nautasve à verbis ad verbera itur. Per octiduum *Daniel à Suvieten* Chirurgus vulneris curationi præfuit, accessimus nos cum *Georg à Loon* Chirurgo alio, pulsus hic moderatus, sic ut febris indicia nulla, mens constans, quantum ex verbis colligere licuit, in vulnere ipso fragmentum cranii sat notabile desiderabatur, quod ab osse reliquo integro, cui subjacebat, tegebatur; imò & fissura, ad os petrosum se extendens, hic occurrebat.

Vir erat vulneratus vitæ dissolutæ, ad ea quæ de periculoso ipsius statu proponebantur, neutiquam attendens, quin potius maledictis atque blasphemiis Deo ipsi se opponens. Nostrum fuit in re gravi nulla negligere tempora; decimo adeoque die à tempore inflictionis Trepanisationem Cranii aggressi sumus, ad modum mox declarandum, quo sic particulam ossis fracti, firmiter admodum sub eo quod integrum adhuc hærentem, auferre, imò & sanguini extravasato sicque loco alieno detento exclusionis locum commodum concedere, liceret, sicuti hâc in re Magni *Hippocratis* inter alios doctrinam, qua primâ occasione Cranium perforari debere tradit, antequam vel febris, vel alia symptomata, sese manifestant, quo sic facilius, in commodum æquè Chirurgi ac ægrotantis, os absconditum in conspectum veniat, imò extrahi queat.

Trepanisatio antequam institueretur, necessarium duximus sectione triangulari locum eum ubi trepanum applicandum præparare, latus infimum hujus trianguli musculi temporalis in margine, quod tamen displicet *Vesalio*, *Fallopio*, aliisque Anatomicis, qui musculi hujus circumferentiam ferro ullo lædi, admittere nullo modo volunt. Arridebat quam maximè Chirurgica hæc operatio, in ipsâ musculi dicti circumferentiâ instituta, utpotè quam fructuosam sæpius, nunquam exitialem, reprehendimus.

Die Trepanisationem sequente fragmentum profundè submersum, cranioque arctissime adhærens, qua fieri potuit dexteritate, Triploides ope eximere allaboravimus, ast inexspectatus, isque valdè notabilis, sanguinis fluxus, ab opere incepto desisteremus, fecit. Fluxu nihilominus hoc usu Fungi (neutiquam pulveris styptici) sedato, ossis fracti labia inæqualia, asperitatem maximam adferentia, quo fragmento ipsis exitus commodior concederetur, auferre die altero studuimus.

Die decimo tertio repetere placuit fragmenti dicti ablationem, instrumenti modò indicati beneficio perficiendam, ast irritum omne conamen, qua enim & dexteritate, & circumspectione procederemus, impedire minimè potuimus, quin sanguis impetu summo, rivulosè admodum, prodiret, undè subitanea exspectanda mors. Ab opere adeoque ipso desistere coacti, nulla præsente febre, vulneris habendam quam maximè rationem consultum duximus, quo puris boni proventus promoveretur, & sic Deo atque naturæ negotium totum commissum.

Successit curatio ad diem usque vigesimum octavum, quo tempore nil nisi mel rosarum cum spiritu vini vulnerato ossi applicatum, Emplastro de Betonicâ super imposito, ast post dictum diem omnia in pejus ruere videbantur; vomitus etenim graves, alvi fluxiones largæ, febres continuæ, convulsiones considerabiles, valdè affligebant ægrum, imò quæ circa vulneris labia, purisque constitutionem alias exitum salutarem morbi prædixerant, mortem instare jam, præter naturam constituta, indicabant, quæ etiam brevi secuta.

Consideratis fracturarum speciebus iis, quæ manifestæ magis sunt, aut saltem hactenus notæ, eam etiam proponamus necessarium omninò, quæ occulta magis, eo quod conjecturâ potius quam sensibus adesse constet: statum eâ laborantium his verbis deplorat magnus *Hippocrates*. *Certè infelices omnes, ad quorum occultos morbos, nec oculis, nec judicium pertingere potest.*

Morbus hic occultus Chirurgis Contrafissura dicitur; *Est enim Fissura infortunio, casu scilicet ictu, percussione in parte cranii eâ quæ læsæ aut vulneratæ opposita, producta*, ad eum modum, quo ollam ea parte quam duriore quodam corpore percussimus minimè lædi notamus, at verò eâ quæ opposita est frangi.

Haud crediderim existere Chirurgorum ullum, quem lateat Contrafissura hæc, si modò Cranii fracturas omnes ritè cognoverit, frequentius occurrere quotidiana experientia tradit, quam varii sibi persuadent; legi hâc de re possunt quæ *observ. Med. 2. l. 1.* proponit *Cl. Nic. Tulpius.*

Experientiæ dictæ, omniumque ferè Chirurgorum placitis loc. cit. sese opponit *Paulus Ægineta*, seipsos se decipere omnes eos docens qui Cranium unâ parte lædi, oppositâ verò frangi, vasis adinstar vitrei, sibi persuadent. Ratio ipsius à suturarum multitudine desumpta est.

Quid opponere hîc licebit? non nisi experientiam, sæpius etenim Contrafissuræ nobis occurrerunt. Tot auxilia medica suppeditari vellem, quibus ad curationem Contrafissurarum cum fructu uti liceret, quot se rationes exhibent quibus errores eorum, qui *Paulum* hic sequuntur refutare concessum.

Cum ergò mediorum medicorum in hoc casu penuria adsit, imò partem læsam certò cognoscere haut liceat, certi etiam aliquid quoad curationem hactenus constitui non potuit; placet tamen Contrafissuræ hujus, cujus exempla varia occurrerunt, unicum hîc loci exemplum proponere, ne revera eam dari, dubitare, negarevè pergant varii.

Fredericus Hermannides sutor, ebrius, mediâ nocte obviam venit virorum eorum quibus excubiæ nocturnæ hîc loci demandatæ aliquibus, indicetur hora noctis exigit, displicet responsio, subortæ altercationes, has excipiunt verbera, unus enim excubitorum hastâ, quâ erat armatus, capitis sutoris partem dextram, ad aurem, ubi os se exhibet bregmatis, graviter adeò percussit, ut coactus fuerit, aphoniâ vertigineque correptus, in terram procidere. Sopor illicò supervenit, & hemeplegia, ast haud diu vulnerato molesta fuerunt symptomata hæc, non minimum terroris & reo & consanguineis vulne-

rati adferentia, priusquam enim duodecim transirent horæ vivis annumerari desiit.

Caput jussu Amplissimi Magistratus aperuimus, præsentibus Scabinis variis, loco dextro, qui hastæ impetum sustinuerat, contusio cutis levis occurrebat, pericranium aliquomodo sanguinolentum, in Cranio verò ipso nec rima, nec fissura, nec fractura ulla; imò sanguinis nihil omninò vel in substantia Cerebri, vel inter Cranium & Meningem duram, at verò in latere opposito sinistro, circa inferiora ossis bregmatis, proximè ad ossa auditus non solùm sanguinis observabatur notabilis quantitas, Meningem molestam, sed & in ipso cranio fissura duplex.

De abscessu hepatis fracturam Cranii secuto.

Innumerabiles affectus quibus obnoxium caput, exterius sivè spectetur, sivè interius, varii & illi quos communicat partibus aliis. Capiti obvenientia vulnera, levia licet quandoque habeantur, periculosa tamen ut plurimum, symptomatibus variis stipata, quorum præcipua cœcitas, surditas, aphonia, delirium, fatuitas, paralysis, epilepsia, convulsio, suppuratio partium internarum, & centum alia.

Abscessum secutum partium internarum Cranii fracturam non uno confirmatur exemplo; Nosocomium hujus loci publicum exhibuit & nobis & aliis considerabile. Rarius talia cum obveniant, utile omninò duximus, qua de causâ certi aliquid constet, Medicis nonnullis quæstionem hanc proponere.

Cùm non rarò vulnus Cranii & Cerebri sequatur suppuratio hepatis, quæritur per quas vias Purulenta materia ex Cerebro deferatur ad hepar?

Quæstionem hanc proponere placuit hujus loci Medico celeberrimo *Paulo Barbette*, his verbis:

Vir Celeberrime.

Quo penitius Chirurgiæ penetralia pervestigamus, eo magis quæ in eâ occurrunt difficultates nos confundunt. Hîc hæremus; Chirurgi Regii Ambrosius Paræus lib.10. cap.12. & Petrus Pigræus lib.4. cap.8. mentionem faciunt abscessuum, qui in hepate, ventriculo, mesenterio, aliisque ventris imi visceribus superveniunt Cranii fracturis. Exemplum nobis exhibuit in Nosocomio nostro decumbens Otto Reynerson Oldeburgensis; *vulnera hujus capiti inflixerat triplicia socius, quorum præcipuum occipite occurrebat, ad suturam lambdoideam, fractura Cranii quæ* ἐγφλάσις Hippocrati *vocatur, ubi nempè fragmentum se dimittit ad inferiora, sic ut sub osse integro abscondatur, stipatum. Ad remotionem fragmenti dicti Trepanisationem instituere consultum duximus, quod etiam successit. Ad diem usque 20. liber omninò æger ab omni febre, convulsione, paralysi, sopore, vigiliis, vomitu, imò symptomatibus omnibus, quæ fracturis Cranii supervenire solent. At paucis diebus antequam moreretur, de dolore gravi circa hepatis, ventriculique regionem conquestus est.*

Querelas inter purulentia in vulnere existens, quæ copiosa valdè, imminuebatur admodum labiorumque vulneris, similiter ac fundi ejus, insignis notabatur siccitas; accedebat febris gravis, cum delirio, & sic vigesimo octavo die obiit.

Eodem die ex mandato Amplis. Magistratûs, præsentibus Samuele Costero *&* Henrico Lons, Medicis, *Caput defuncti aperuimus, in quo fractura occurrit, cujus conditionem suo tempore ex diario meo Tibi prælegam, ast ad ventrem imum, cujus dolor valdè fuerat molestus, ubi pervenimus, Hepar invenimus valdè tumidum, abscessu notabili correptum, ex eo enim aperto puris ea effluxit quantitas, quam pinta dimidia vix continere poterat.*

Ex capite hanc materiam eo defluxisse probabile valdè, ast per quam viam hoc factum, ignotum nobis. Tu quæso, Vir Doctissime eruditâ tuâ pennâ eam indica, quo non solùm eruditiores evadamus, sed & quantam possibile & proficuum, in commodum ægrotantium, vias tales tollere, corrigerevè queamus; cedet hoc in nominis tui gloriam, proximique salutem. Vale, Vir Optime, responsorias primo tempore expectamus. Fuerunt hæ sequentes.

Chirurge celeberrime.

Monarcha perfectus similis neutiquam imperfecto Alexandro Magno; metuit hic ni novus crearetur orbis, aliquid restare, cujus se victorem dicat, ille in antiquo novam indies suggerit materiam, quo diligentiæ atque curiositati nostræ semper aliquid occurrat, quod melioris notæ iis, quæ ante hac inventa cognitaque fuerunt, nulla artis nostræ pars, in qua non jam ab aliquo tempore vera hæc esse experti sumus, nec licet nobis, nisi ingratis, excellentiorem eam profiteri eâ quæ ante annos centum excultâ. Constabit hoc, inter alia, ut spero, ex iis, quæ ad quæstionem à te propositam ex veterum fundamentis respondere licebit. Est hæc: cùm vulnus cerebri sæpius sequatur suppuratio Hepatis; quæritur per quas vias purulenta materia à cerebro ad Hepar deferatur?

Consensus qui totius est partiumque omnium in specie spectatarum, magnus valdè, atque diversus, ob spirituum, vasorum sanguiferorum, nervorum, &c. Multitudinem atque diversitatem, quorum totum corpus pererrantium beneficio quoties vel abjectissima pars corporis malè constituta, illicò status præternaturalis communicatur cerebro, imò toti microcosmo; Constat tamen, nec inficiari licet, notabiliorem esse consensum, qui est partium triplici corporis ventre contentarum, eo qui est partium his inclusarum ipsorumque artuum. Ratio hæc quæ proponimus confirmat, confirmat & experientia; imò authoritas virorum Doctorum suum huc contribuit. Perpende quæ magnus noster præceptor Cous hac de materia habet, Vir sanè, quem majoris æstimamus in arte nostrâ, quam olim Poëta Bartasius 2. jour de la 2. semaine, *in arte sua popularem, hæc proponendo.*

Marot que je revére ainsi qu'un Colisée
Noirci, brisé, mouſſu; une medaille uſée,
Un écorné tombeau non tant pour leur beauté,
Que pour le saint respect de leur antiquité.

Artifex noster post tot secula idem sapientibus nostri ævi, felices omnes quibus volupe fuit tempora sua scriptorum ejus lectione consumpsisse; Accipe artis nostræ cultor variis locis ab eo proposita consensum viscerum internorum clarè declarantia.

Coac. Prænot. cap.4. §.1.

Capitis dolor vehemens cum febre acuta & alio signo maligno lethalis est: cæterum sine signo malo, viginti diebus transactis, sanguinis fluxum aut pus è naribus, aut abscessus ad infernas partes significat, &c.

Ibid. §.28.

Affectiones soporem, fatuitatem & catochen inducentes, variantia hypochondria, & ventrem tumidum

midum habentes, cibum fastidientes, alvo suppressa exsudantes, num his turbidus spiritus, & genituræ simile quid prodiens singultum significat? nam & alvus biliosa insuper egerit? spumosus in his mictus prodest; ventres quoque his insuper turbantur.

Libro de aëre, aquis & locis.

Sectio venarum pone aures (nobis nunc tam inusitata quàm incognita) infœcundos facit.

Aphorism. lib. 6. Aph. 50.

Quibus præciditur cerebrum, his febrem, & biliosum vomitum supervenire est necessum.

Galenus, Erasistratus, Macrobius, *aliique, ob diligentiam summam, judiciumque singulare à multis minus justo, ob errores plus debito, laudati, non solùm confirmant ea quæ Antecessor allegatis locis docuerat, sed & rationes addunt varias, à distributione varia Nervorum, sextæ imprimis conjugationis, quorum ingens in ventre medio & infimo datur copia, maximè in Ventriculi orificio superiore s. sinistro, desumptas.*

Haud displicuisset, si Meninges cerebri prægressis addere placuisset, eo quod pectoris, imique ventris interiora tegant, mutuique consensus eorum vel maxima causa sint, uti in sternutatione, tussi, vomitu, &c. evidentissimè patet.

Hic via ferè detecta quæ manifestior foret, siquidem cum Glissonio *nutrimentum partium nervosarum per nervos adduci, statuere liberet, nervorum par sextum, vagum antiquis dictum, facillimo negotio purulentam materiam ex cerebro ad hepar deferret, ast cùm minus hoc placere curiosis sciamus, alia nobis quærenda via, eaque commodior.*

Primò, cerebri vulneri supervenire hepatis abscessum, certum judicamus, observationem tuam, accuratè satis notatam, testimonia variorum in arte nostrâ exercitatorum, Medicorum æquè ac Chirurgorum, imprimis Ballonii, Paræi, Pigræi, *&c. confirmant adeo, ut de certitudine ejus dubitare nec queamus, nec debeamus.*

Secundò pus idem, numero & specie, à cerebro ad hepar deferri, (contra ac Te judicare scimus) minimè admittimus, at hìc collectum pus aliam omnino agnoscere causam, mox declarandam, quam quæ est puris in cerebro.

Tertiò sollicitum me neutiquam declaro, qui inquiram in rationem, cur veteres solliciti adeo fuerint, ut, quæ affectus hujus duplicis causa, constaret, certam etenim eam exhibere neutiquam iis datum, doctrina circulari de sanguinis fluxu (quam magno Hippocrati *notam fuisse vane admodum plurimi contendunt) eaque sola lucis plurimum huic negotio conferet; nec crediderim, rationem quæ satisfacere veritatis cultori queat dari posse quæ eidem haud insistat.*

Sit ergo hæc ad quæstionem tuam responsio. Cerebro vulnerato vasa sanguifera arteriosa similiter læsa, cerebri ipsius sive sint, sive membranarum ejus, sanguini contento, uberiùs, parciusvè exitum concedunt, hic calore spirituque privatus sensim putrescere incipit, veramque in materiam purulentam converti; Accedit, quod sanguis nutrititius circa vulnus ex debito mutari nequeat, undè facilè in pus convertitur; & hac ratione suppurationis datur incrementum, nisi natura vel ars inhibeat. Circularem suum motum interim absolvit sanguis, mutationis plurimum non solùm in corde, sed & partibus principibus aliis, assumens. Corporis sic partes omnes pererrans sanguis, ipsumque adeo cerebrum malè constitutum, non potest non pravam contrahere dispositionem; pravè hìc dispositus per arteriarum carotidum ramulos cerebri substantiam percurrentes, Meningis duræ exhibetur sinibus, qui receptum deferunt in Venas jugulares, & per has in ipsam venam cavam, sicque in ventriculum cordis dextrum, ex quo, postquam in sinistrum deductus, facilis ad hepar descensus; in hepate, nobili satis parte, sanguinis ulterior coctio, à bile itidem aliisque excrementis separatio perficitur. Difficultatis adeoque quid subest, quo minus sanguis, impurus adeo, hepar accedens, suppurationi ejus ansam materiamque præbere queat.

Via hæc patens adeo, ut nullus dubitare queam, quin mecum eam inire haud recuses. At instabis; cum sanguis corporis partes omnes pererret, cor, pulmones, lienem, renes, &c. quid causæ subest; quod solùm hìc afficiatur hepar? Ad quæstionem hanc respondeo, Cor substantiâ constare solidâ, compactâ, caloreque insito vegeto, hinc paucis subjectum esse morbis, hostem suum vi singulari expellens; Idem quoque Lienem præstare, reticulari nervorum ex plexu compositum, hâcque sua structurâ non solùm ab aliis partibus plurimùm differre, sed & quod rarissimè in cadaveribus malè constitutus reperiatur, efficere; Pulmonem ob substantiæ raritatem, vasorumque amplitudinem haud adeo facilè affici posse; Renes impuritates suas sero communicare, sicque per urinam evacuari permittere at longè aliter cum Hepate constitutū esse; eo quod per venam portæ sanguis illi offeratur multò crassior, fœculentiorque eo qui per venam Cavam, quod & color diversus, & consistentia varia clarè, satis indicant; ductuum lympham ad chyli glandulas receptaculaque vehentium numerus adsit insignis, in quibus ob summam subtilitatem, parvitatemque facillimum humorem subsistere; sanguinis purificationi coctionique continuo inserviat, præter vasorum, bilariorum, sanguiferorumque; maximam copiam, miramque complicationem, vix aliud, ut substantiam componentem, agnoscens quam sanguinem concretum, undè & parenchyma jam à longo tempore dictum, quæ quidem soliditatis aliquid habet, ast fibras possidet firmas minus iis quæ sunt cordis, renumque; quibus accedit; quod arteriis gaudeat paucis, iisque exiguis admodum, respectu nempè aliarum partium, hinc spirituum vitalium quantitate minore, undè est quod hostium impetui resistere minus queat, sicque morborum plurimorum nutricula. Scriptis his quæ desunt, ad pleniorem explicationem data occasione, verbis addemus.

BARBETTE.

Litteræ hæ quod si Chirurgiæ cultoribus haud satisfecerint; non scio quid adferri queat, ad id ut, quo modo, quave via materia purulenta ex Cerebro vulnerato ad hepar deferri possit, declaretur; in gratiam juniorum ea quæ Medicus eximius *Nicolaus Zassius* ad Epistolam nostram ea de materia ipsi missam respondit, prægressis addemus.

Celeberrime, Doctissimeque Vir.

Quæstionem Medicis aliis propositam ne quæso ægrè feras, quod & polito tuo judicio, experientiæque singulari offerre ausus fuerim, est ea: cum vulnus cerebri sæpius sequatur Hepatis suppuratio,

Per quas vias materia purulenta à cerebro ad hepar deferatur?

Ad hanc certius ut respondere queas necessarium omninò ducimus casum eum proponere qui nobis occasionem suggessit eam instituendi.

12. *Mensis, Junii in Nosocomio publico Amstelodamensi curæ nostræ subjectus juvenis viginti præter propter annorum, melancholicæ temperiei, staturæ mediæ, tribus locis in capite vulneratus; vulnus gravissimum in occipitis occurrebat decliviore parte, proximè ad suturam lambdoidæam, cui jungebatur fissura, similiter ac fractura ad meningem penetrans duram; fracturæ inhærebat fragmentum ossis deorsum dimissum ad spatium quod est inter duram matrem & cranium ipsum, sicque*

fracturæ

fracturæ eam constituens speciem, quæ Hippocrati *ἐσφλασις appellatur.*

Fragmentum hoc, molestum valdè vulnerato, doloris gravioris causam, impedimentum singulare evacuationis materiæ purulentæ fragmento dicto succumbentis, quo tolleretur, instrumenta varia adhibita, elevatoria imprimis, ast frustraneus omnis labor, Trepano cranium perforare necessarium fuit.

Primo à tempore ad diem 20. *immunis æger fuit à febre, siti, vigiliis, sopore, vomitu (nisi quod lumbricum evomuerit) delirio, convulsionibus, ast à die dicto puris per vulnus effluere soliti, sub cranio collecti, copia imminui cœpit, accedente febre, doloreque hypochondrii dextri summo; Tertio ante mortem die febris, ast ultimo delirium, valdè augebatur, dolor contra hypochondriacus imminuebatur,* 28. *mensis dicti obiit.*

Defuncti & Caput, & ventrem imum aperiri placuit Amplissimo Magistratui, tum quod ventris dolore gravi circa hypochondrium dextrum laborasset defunctus ante obitum, tum quod ad vulnus Cerebri non rarò abscessum hepatis sequi, ex nobis percepisset Magistratus dictus; pro me adducebam authoritatem Ballonii lib. de morb. Epid. Paræi lib. 10. cap. 12. *&* Pigræi lib. 4. cap. 8.

Calvariâ ablatâ puris exigua valdè quantitas sub loco vulnerato reperiebatur, eaque duræ incumbebat matri; circa os occipitis, ubi fissura aderat cujus supra mentionem fecimus, Trepano facta perforatio, fragmentumque elevatorio remotum, puris nihil omninò invenire licuit, ast omnia hîc, mater imprimis dura, laxa admodum, madoreque perfusa.

Ad foramen ossis occipitis, per quod spinalis medulla ad vertebras spinæ descendit, ubi devenimus, omnia, membranas imprimis medullam investientes, musculosque cervicis caput retrorsum moventes, sero scatere reprehendimus, quæ tamen humiditatis collectio gravis nunquam ægrotanti fuerat.

Relicto capite anatomen aggressi sumus Abdominis, ubi primo nobis occurrit Hepar, & in eo abscessus, pilæ magnitudine respondens, puris libram semis exhibens.

Finem hic imponimus observationi nostræ, quam nudam adeò proponere placuit, quo quæ illustrationis loco exhibere Tibi Viro literato animus pleniori stylo nobis offerantur; sententiarum nostros inter Medicos Chirurgosvè mira varietas; sunt qui volunt puris collectionem hepatis constitutioni morbosæ adscribi debere, adeoque ex cerebro minimè defluxisse; Placet aliis, quorum numerus insignis, purulentam materiam à cerebro per vias occultas ad hepar defluxisse, & hujus dicti rationem inde imprimis deducunt, quod notatum fuerit, quoties in cerebri vulnere puris imminutio, toties in hypochondrio dolorem augmentum sumpsisse. Lympha tua lucis plurimum commodiori huic deductioni puris ex capite ad hepar adferet; Galenus lib. 6. de locis affect. cap. 4. *Pus sincerum ex Pulmone deferri posse scribit per arteriam venosam in ventriculum cordis sinistrum, ex hoc in arteriam aortam, hinc in emulgentia vasa, sicque ex renibus per ureteres ad vesicam, quo cum urinâ evacuetur.*

Ambros. Paræus lib. 17. cap. 51. *in Secretario* Sarfet, *quoties brachium vulneratum parum exhiberet puris, toties urinæ alvique fæcibus multum ejus permixtum fuisse, testatur.*

Ampliss. D. Consul. Nicolaus Tulpius obs. Med. lib. 2. cap. 6. & cap. 27. *Historiam nobis proponit, ubi purulentia pectoris in sponsâ quadam per umbilicum via sibi elegit, imò hepate collectum pus per os & alvum evacuari posse notatum.*

Clar. Medicus Guilielmus Piso, *Brasiliæ praxin exercens in servo cujus Cranium fractum, casum similem observavit, & hæc observatio occasionem ipsi dedit, ex me, aliisque, etiam me parario, ex Te, quibus viis materiæ dictæ translatio perfici queat, inquirendi.*

Vale Vir summe, brevique quæ habes hîc facientia communica, nihil unquam, considerationis alicujus, hîc occurret, cujus te non primo tempore participem faciam, interim.

Officia mea & hîc & ubique
Tibi offero

JOB. à MEEKREN.

Responsoriæ hæ sunt.

Vir curiosissime, Chirurge expertissime.

Ad solutionem quæstionis propositæ respondeo, abscessum eum quem in casu proposito hepati innatum scribis, ad instar pilæ lusoriæ, materiæ purulentæ non exiguam copiam exhibentem, visceris illius contusioni, aut læsioni cuicunque adscribendum esse, undè putrefactio secuta.

Sententiam meam confirmant abscessus circumscriptio, extensio quæque eo faciunt, pilæ etenim figuram formamque habebat in hepatis parte convexa notabilis.

Querelas quas dolores hypochondriaci causant Hippocrates defendit in aphorismis, dum dicit: dum pus fit dolores & febres augentur at eo facto imminuuntur, imò desinunt.

Sequi nihilominus quandoque abscessus hepatis, & mesenterii capitis vulnera libens concedo, sola authoritate Petri Pigræi *motus, cujus* cap. 12. lib. 4. *videri potest. Placet ipsi abscessum Hepatis & Mesenterii originem ducere ex consensu partium, qui nervorum recurrentium distributioni variæ debetur. At hoc in hepate locum non invenit, cum Nervi dicti à sexto pari provenientes hîc non inveniantur, Placent nihilominus quæ proponit Vir citatus, cum certum mihi sit (concedantur pro libertate animi sensum proponere) similiter ac nervi nihil aliud sunt quàm cerebrum expansum, membranas etiam nil nisi nervos extensos & ampliatos esse, adeoque consensum partium æquè membranarum quam nervorum ope perfici.*

Vias ubique exactas eligere mathematici est, in cerebro nostro tales fingere licet, ast reipsa invenire impossibile.

Ipsa per ossa purulentam materiam natura trajicere novit, Hippocrate *teste, quid obstabit, quo minus, faciliori etiam negotio, per arterias, vel etiam ligamenta ipsa, quorum beneficio hepar toti cohæret, eadem efficiat, corpus ut enim totum perspirabile est, sic & fluxile.*

Imò ex sententia Galeni lib. de loc. affect. 6. cap. 4. *(si benè memini) pus omne, per arterias, venasque totius corporis variè agitato sanguini jungitur, sicque minimè eidem mixtum, ad renes deductum, cum urinâ excernitur, quæ omnia epistolio tuo proponere nobis placuit. Hæc similiaque naturæ alicui proprietati, quæ chymicis archeus, faber, artifex, & M. dicus naturæ, vocatur, adscribuntur; opus hæc suum perficit non ratione vel judicio, sed vi sola atque virtute facultatis secreticis atque expultricis, uti in scholis loqui solent, vias sibi eligens occultas. Serosus liquor, æquè in vasis ac extra ea detentus, vias fæculentarum impuritatum accessu sæpius impervias an disponat, adeò ut puri ad hepar facilis concedatur aditus, considerari meretur.*

Serosam quod spectat humiditatem, quam copiosam repertam fuisse scribis circa integumenta spinalis medullæ, de quarum tamen partium læsione nunquam conquestus fuerat æger, lympham eam credimus fuisse, innoxiam corpori, eo à naturâ ablegatam, quo à periculis præservarentur partes.

Hæ

Hæc ad propositum tuum. Vale, salutem meo nomine indices Clar. Guilielmo Pisoni, *cujus labores in describendis Brasiliæ fructibus, herbisque valdè probamus.*

NIC. ZAS.

De Fracturis iisdem.

Ad quæstionem propositam quæ responderunt Medici adducti, Artis nostræ cultoribus satisfacere posse credimus; nihilominus cùm plurimi reperiantur, quibus ea displiceant, imò observata nostra æquè ac sententiæ diversorum Authorum fabulis annumeranda habeantur, ex eo, quod, si quando abscessus in viscerum internis reperirentur, haud adeò fracturis Cranii adscribi debeant, quam quidem morbis eorum variis, placet observationem aliam prægressis jungere.

Die 7. mensis Junii curæ nostræ subjectus *Henricus Henrici Osnabrugensis*, in quo ex ictu os frontis fractum, depressumque notabatur; duodecimo ab hoc tempore die obiit æger.

In hoc, æquè ac in aliis decumbentibus, de dolore lateris dextri, puris in vulnere imminutione, denique febre, atque delirio, querelæ fiebant.

Calvariâ ablata pituitosa occurrebat, eaque corrupta materia, non solum in latere capitis dextro circa piam matrem, sed & in sinistro (eò quod ex concussione Cerebri arteriæ laceratæ) circa sinus.

Relicto capite, quod de dolore hypochondrii dextri, dum in vivis æger, valdè conquestus, purisque in loco affecto imminutio considerabilis, Ventris inferioris viscera accipimus; ad hepar ubi devenimus palmæ ferè magnitudini accedentem inflammationem in eo reperimus, quæ sine dubio purulentæ collectioni ansam dedisset, siquidem diutius in vivis fuisset jam defunctus.

Observata hæc nostra ultima quibus satisfacere nequeunt legant, quæ simili de materia habet *Petrus Marchette obs. Medic. sylog. obs.* 14. Quintò inquit observavi sæpissimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potissimum postica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cum pulmones, tum pleuram, aliquas nempè ipsorum partes, erodit, ex quibus multa sanies emanat, quæ postmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias pustulas excitat, quibus disruptis perindè ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit; quanquam hujus observationis ignari, existiment, abscessus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quòd ex capite copiosum pus, posse ad inferna viscera delabi, non sibi persuadeant: prout in plerisque observavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuisse refertam. Quam observationem multis tum in Theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Francisci demonstravi. *Job. à Meekren in observ. Chirug.*

De Trepano, tanquam ad Fracturas Cranii pertinente.

Trepanum est apertio cranii, ut aliquid sub cranio contentum per illam educatur. Illa apertio fit ferreo instrumento terebrante, quod eodem etiam trepani nomine vocatur: itaque trepani verbum habet duplicem significationem, vel enim significat ipsum remedium, seu capitis apertionem, vel ipsum instrumentum quo apertio fit, modò in unâ, modò in aliâ significatione medicè sumitur. Primò dicemus de eo, ut significat instrumentum, ab aliis ipsum instrumentis destinguentes. In medicina sæpè contingit ossa debere perforari, instrumenta quæ hoc præstant generali nomine vocantur terebra. Ossa quæ perforantur sunt quadruplicia, vel enim calvaria perforatur, sternum, vel costæ, vel ossa artuum. Calvaria perforatur, ut aliquid sub ea præter naturam contentum evacuetur. Aperitur calvaria variis modis, vel ustione seu cauterio, vel scalpturâ, vel serratione: cum aperitur scalpturâ, tunc potest aperiri, vel solâ scalpri abrasione, vel cum prævia simul terebratione communi terebro factâ, sed tunc non aperitur trepano, nam nec scalprum, nec commune illud terebrum verè est trepanũ. Interdum aperitur serratione cum instrumento rotundo in orbẽ serrante & ossis rotundas particulas exscindente, & illud instrumentum vocatur trepanum, & cum sic aperitur, tum verè trepano aperitur. Costæ & sternum aliquando perforantur, ut aqua è thorace effluat, ut post audiemus. Ossa artuum terebrantur, ut caries ex iis auferatur caustico per foramina infuso. Illud trepanum est quoddam terebrum & species ejus, terebra enim sunt diversa, alia enim sunt triangularia, alia torculata, alia lata, alia cannulata & serrata, terebrum cannulatum & serratum vocatur trepanum, reliqua terebra à trepano sunt diversa, itaque terebrum est genus, trepanum est species, & sic omne trepanum est terebrum, at non contrà. Trepanum ergo propriè dictum est instrumentum seu terebrum ferreum rotundum, cannulatum, dentatum, acutum, quo in orbem ducto serratim ossa, ac præcipuè calvaria perforantur ita, ut ejus frustum integrum exscindatur. Per hanc definitionem à trepano excluduntur omnia alia terebra, quibus aliquando caput aperitur: excluduntur etiam cauteria & scalpra, quibus etiam caput potest aperiri, & cyclisci, de quibus mentionem facit Hipp. & Gal. Trepanum vocatur etiam Chœnix, Græcè, & Latinè à Celso modiolus, propterea quod instar mensuræ modii dictæ sit rotundum. Hipp. mentionem facit cujusdam instrumenti, quod vocat πρίον, quod videtur trepanum nostrum indicare. Aliqui putarunt, quod cyclisci de quibus Hipp. & Gal. meminerunt, essent trepanum nostrum, eo adducti quod ipsi doceant aliquando caput cycliscis aperiri sidium caput cycliscis aperiretur, ergo ajunt cycliscus esset trepanum, sed errant, nam non omne instrumentum quo caput aperitur est trepanum, dixi enim suprà etiam cauterio & scalpris & terebro communi cranium aperiri, sed tantum instrumentum cannulatum, rotundum serratum, &c. Quod autem cycliscus non sit trepanum ex eo patet, quod cycliscus malleo adigatur, trepanum verò non. Ideò Gal. ait, quod cycliscorum usus non sit adeò securus, eò quod caput quatiant, scilicet propter mallei percussionem, & id comprobat Paulus, qui ait, quod

quod cum os est imbecillum, ex fracturâ oporteat scalpris incisoriis cavis, quos Græci cycliscos vocant sensim malleo adactis, ne caput concutiatur uti, ex quo patet, quid cyclisci sint, scalpro & malleo adigantur. Sic Avicenna loquens de iis inquit, & administra facilitatem in percussione parvâ & magnâ: non lædatur caput & inquit & ipsum. Itaque cycliscus est quoddam instrumentum oblongum, rectum suo extremo scindens, quod extremum in formam semicanalis, aut semilunæ est excavatum, quali fabrilignarii utuntur ad ligna circulariter excavanda, nos nostro hoc idiomate nominamus, eenrent, beitellidus, & cycliscus est sine dubio illud instrumentum, quod Celso vocatur scalper lunatus, & Paulo scalper excisorius cavus; cyclisci, ut cujusvis scalpri usus, imò & per se est os radere, & eo utebantur antiqui ad rimas fracturarum scalpendo & radendo extirpandas, cum parvæ erant, at cum majores & penetrantes erant, tum utebantur, iisdem etiam ad cranium perforandum. At quomodo dicetur cranium posse cyclisco perforari, si cycliscus est scalprum. Respondeo, quod antiqui primum locum in orbem terebro multis foraminibus perforabant, posteà adhibebant cycliscum, eumque malleo adigendo squammatim quicquid calvariæ intrà foramina inclusum erat auferebant, quousque tota ad meningem usque ablata esset. Itaque & cycliscis & terebris olim cranium perforabant, neutrum tamen instrumentum trepanum vocatur, sed sicut modus perforandi eorum à perforatione trepani est diversus, ita etiam instrumenta sunt diversissima. Aliqui putant, quod cyclisci sint scalpra recurvata, quibus hodie Chirurgi utuntur, quæ habent acumen à latere, & scalpunt lateraliter, sed errant, cyclisci enim sunt recti, non recurvi, & scalpunt acutie sui extremi, non autem lateris.

Per trepani nomen etiam significatur ipsum remedium, seu ipsamet cranii apertio, in illâ significatione illud foramen quod in osse est factum, essentialiter est trepanum, non autem ipsa operatio, quâ trepanum fit, non enim illa operatio Chirurgica effectus, propter quos trepanum expetitur, sed ipsum foramen per illam operationem inductum, effectus enim trepani est sub cranio aliquid educere, illud autem non educitur per ipsam operationem Chirurgicam, sed per ipsum foramen: sic in cauterio quod fonticulus vocatur, non ipsa ustio est remedium, sed ulcus & foramen ustione inductum, itaque ipsum foramen est verè trepanum: ex eo cognosci potest, quale remedium sit trepanum, nempè evacuatorium. Verùm cùm remedia vacuantia, alia sint generalia evacuantia ex toto, vel pluribus partibus, alia particularia evacuantia, tantùm ab unâ parte, & alia sint evacuantia hunc humorem, alia alium, quæritur quale evacuans sit trepanum, unde & quid evacuet. Dico ergo quod trepanum evacuans particulare sit, faciens evacuationem simplicem & à parte affectâ, scilicet à loco cui supponitur, nempè à capite, sed ex quo loco capitis evacuat, an ex toto an ex parte tantùm. Respondeo, quod aliquando possit trepanum adhiberi pro evacuandis fumis & vaporibus in caput ascendentibus, ut in melancholiæ morbo, vertigine, epilepsiâ, &c. Sicut post audiemus in tali statu, trepanum ex ipso evacuat cerebro, quatenus illi vapores tenuitate suâ possunt ex cerebro meninges pertransire, & per foramen cranii exire; sed cum trepanum adhibetur pro fracturis, pro sanguine extravenato ad meninges hærente, vel pure ibi contento aut squammulis, quæ ab osse cesserunt, & membranas pungunt, aliisque evacuandis, tum dico quod trepanum, non possit per se evacuare meningibus contentum, sed tantum quod suprà eas est. Dico per se, quia per accidens, si meninges sint vulneratæ, potest pus sub meningibus contentum per trepanum exire, propterea quod dura mater sit tàm crassa & solida, posset equidem benè in tali casu meninx phlebotomo aperiri, & aperta posset tunc per eam, & consequenter per trepanum evacuari, quid sub eâ continetur, sed id facere est lethale & nimis temerarium ac periculosum, præcipuè cum nimis difficile & nimis conjecturale sit, scire an aliquid quod evacuatione egeat sub meningibus continetur: ergò concludendum est trepanum, imò & per se est remedium evacuatorium materiæ suprâ duram matrem tantùm sub cranio contentæ: sed quid est, quod trepanum evacuet? Dico id esse vel sanguinem extravenatum, vel in pus conversum, vel vermes ibi contentos, ut aliquando fit, vel squammas & frustulas ossis, quæ ita à cranio secessere, & meninges pungunt, vel frustula teli aut pugionis sub cranio relicta, vel omata & tubercula, quæ subtus cranio aliquando adnascuntur, pro iis omnibus evacuandis potest terebrum adhiberi.

An Trepanum sit remedium periculosum? Aliqui affirmant, aliqui negant, ego distinguo, pro quo notandum, quod aliqui videntes periculum esse in hoc remedio, ne sic meninx vulneretur, dicunt quod ad illud evitandum oporteat trepanare, usque ad ultimum cranii, sic ut totum cranium non perforetur, sed aliqua tenuissima portio ejus adhuc supersit, & quod illa debeat relinqui naturæ superanda. Alii dicunt quod oporteat trepanare, non trepano propriè dicto, sed aliis terebris desquammantibus, si foramen fiat in cranio, illis modis tunc dico, quod non subsit notabile periculum, propterea quod iis modis caveri possit, ne meninx tangatur, à cujus læsione est præcipuum periculum, sed illi modi sunt incommodi, & habent suas difficultates, propter quas etiã rarò usurpantur, at si foramen fiat trepano propriè dicto, seu rotundo illo & cannulato terebro serrante, & simul & semel usque ad ipsam meningen penetrativè perforatio fiat, sicut hodie Chirurgi omnes faciunt, tunc dico trepanum esse remedium valde periculosum. Illud periculum consistit in multis, Primò in eo, quod meninges & aliquando etiam cerebrum denudentur, & sic exponantur aëri frigido à quo læduntur, etiam cerebrum, cum sit pars princeps, à frigidâ, & membranæ sint corpora nervosa, & acuti sensus à frigore plurimùm offenduntur, verumtamen illud periculum non est valdè magnum, nec ejus ratione puto hoc remedium adeò esse periculosum; imprimis enim aër potest à longè admoto igni sic temperari, ut frigore suo non obsit. Secundò experientia docet, quod multi

post

post trepanum convalescant, quorum tamen meninx fuit aëri exposita, si aër tantum obesset, omnes proculdubio pariter offenderet. Tertiò quod aër frigore eas non offendat, ex eo colligi potest, quod membranæ deberent livescere, & trepanati deberent reumate & catarrho corripi, quod ab aëris frigiditate fieri solere est manifestum, quod tamen in trepanatis non fit. Secundò periculum est in eo, quod ossiculum trepano excisum, sæpè fibris, venulis, arteriolis fortiter cranio adhæreat, & sic non possit extrahi sine disruptione earum, quæ disruptio dolorem, inflammationem, febrem, convulsionem potest inducere. Aliqui dicunt ex ea parte non esse periculum, propterea quod trepanum plerumque in fracturis adhibeatur, in iis autem à contusione jam fibræ illæ divulsæ sunt, & membrana ab osse separata, & super cerebrum lapsa, & hoc probant experientia, quia in cadaveribus sæpè apparet meninx ab osse separata. Sed hoc verum non est, vel valdè rarum & experientiâ vidimus, semper frustulum jam excisum non justi violentiâ quadam fibris illis fractis à meninge separari, ita enim fortiter cranio meninx adhæret, ut non facilè ab eo possit separari, aut suprà cerebrum decidere. Aliqui dicunt meninges non hærere cranio per tales fibras, nisi ad suturam, sed hoc est falsum, nam ideo in cranio insculpta foraminula & sulci ac tramites quidam, ut in illa foramina fibræ membranarum ingrediantur, quæ eas cranio alligent, & ut per illos tramites arteriæ & venæ perreptare possent, quas necesse est ad calvariam pervenire, nam nisi in illis tramitibus vasa illa sic occultarentur, & fibris annecterentur, non possent suum situm servare. Iterum tamen neque illud periculum ego permagni facio, nam mox rosaceo & vitello ovi supposito ille dolor & inflammatio facilè possunt sedari, ut experientia docet, convulsionem autem inde sequi per se nec credo, nec animadverti. Tertio nonnulli periculum ponunt in eo, quod non possit os perterebrari, quin asperitates quædam & fragmenta ossium relinquantur sub cranio, & quædam pariscidia seu squammulæ subtus ab osse secedant, quæ cum intus relinquuntur meningem lædere & inflammationem inducere possunt, eodem modo quo videmus, quando asserem perterebramus vel serramus & perventum est ad imam superficiem ipsius infrà frustula plana ab eo secedere, quod fit, quia asser suas fibras habet propter quas finditur, quales quia etiam cranium habet, verisimile est, quod etiam sic findi persæpè posset, verùm etsi id fieri benè sit possibile, benè præcaveri, & raro fit propterea quod os terebretur levi circumactione, leviterque sine pressione comminuatur, illa autem pariscidia secedunt tantùm propter fortem compressionem, quâ squammulæ decedunt, quando serramus, aut perforamus acuto instrumento, aut levi serratione sine forti trusione, cui accedit, qui tales squammulæ per trusionem sic secedant, cum asser est siccus, & non cum humidus, cranium verò in vivente homine est humidum, & ideò cum volueris trepanare calvariam siccam alicujus cadaveris tales squammulæ facilè tunc secedunt, sed non cum calvariam hominis viventis, deinde ut hoc aliquando fiat inspecto ossiculo illo quod excinditur potest animadverti, & si fortè aliqua secesserit, potest subtus, à meningi abstergi vel educi, itaque neque ex hac parte trepanum adeò est periculosum.

Quartò periculum est ex eo, quod cum trepanando pervenitur ad ultimum cranei, & trepanum jam penetrat vix fieri posse, quin dura mater, & venæ, & arteriæ, ejus dentibus acutissimi ferrei instrumenti divellantur & vulnerentur, & hoc periculum est summum, & difficulter evitabile, & hujus ratione trepanum est maximè periculosum, quia vulnera meningis sunt lethalia, nam si fibræ venarum & arteriarum lædantur, inprimis effluit sanguis ex iis, qui se insinuat & dilabitur sub cranio, & corrumpitur & inflammatur, interdum etiam potest sequi hæmorrhagiâ, si majores venulæ ac arteriolæ vulnerentur: quia ipsa est nervosa, & acutissimi sensus, sequitur inflammatio ejus febris, delirium, & aliquando convulsio, & cum ipsa inflammatur tunc incrassescit, & elevatur in foramen cranii, & claudit ipsum, & facit ut apertio fiat inutilis quatenus quæ sub cranio est non possit exire, hæc læsio propter tres causas sæpè fieri potest; ima est propinquitas & adhæsio arcta cranii ad meningem, propter quam fit ut tàm citò atque os est penetratum meninx tangatur. Secunda propter inæqualem ossis crassitudinem, habet enim os interius quasdam cavitates, & processus propter quas fit, ut trepanum cum una parte transivit, alterâ adhuc debeat perforari, ex quo fit, ut antequam crassior pars cranii sit perforata, altera jam trepani dentes transmittat, qui ibi meningem vulnerant. Tertia quia Chirurgus trepanum sæpe non rectè tenet, nec ortoganaliter ponit super cranium, ex quo fit ut uno latere tangat meningem, antequam perforaverit, alterum, hoc autem ex eo sæpè contingere potest, quod oculus Chirurgi ex alto aspiciens, non benè possit videre, an trepanum rectè stet, nec ne, nisi ab astante medico admoneatur. Quartò hoc fieri potest, cum trepanum est æquale sine aresto, & cum Chirurgus nimis fortiter premit ipsum, ex quo fit, ut si os tenuius sit, quàm ipse putet, & sic citius perforatum sit, quàm ipse cogitet trepanum, jam impetu quodam pertranseat, & demergatur in meningem, antequàm ipse advertat, est benè verum, quòd circumspectissimus Chirurgus has omnes causas benè sæpè advertere, & cavere possit, sed tamen non semper, & ideò manet hoc remedium valdè periculosum, avertere potest, si sæpè eximat trepanum, & animadvertat quàm verè os sit perforatum, & trepanum versus crassiorem ossis partem inclinet, & trepano utatur abaptisto, id est, quod non posset demergi, & habeat arestum.

Diximus suprà trepanum esse remedium evacuatorium, itaque tantum in illis effectibus convenit, qui fiunt ab aliquâ materiâ sub cranio contentâ per trepanum evacuabili materiâ, quæ si est evacuabilis vel immediatè sub cranio continetur, vel profundius in cerebro, & sub membranâ; materiâ quæ profundius sub cranio est, quæque per cranium est evacuabilis tantum est vapor & fumus, non autem materia aliqua humorosa & crassa, talis enim gravis est & spissa, & sic nec ascendere potest nec menin-

gem penetrare, vapor verò cum tenuis sit, & sursum ferri & meninges pervadere potest, itaque in morbis, qui fiunt ab humoribus in cerebro contentis non potest trepanum convenire, verùm in effectibus difficillimis, qui à vapore & fumo maligno ac venenato fiunt potest trepanum locum habere, evacuando causam eorum, quæ alioquin per solidam ossis substantiam exire non satis possit, tales morbi sunt, Epilepsia, Vertigo, Melancholia, dolores intolerabiles capitis, addo in morbis gravissimis & maximè diuturnis, quia cum remedium per se sit magnum & periculosum, non debet temerè, & non nisi in maximis, diuturnis, & intolerabilibus morbis postquam, alia omnia remedia non profuerint adhiberi; cum verò prædicti morbi aliquando fiant ab humoribus, à vaporibus aliquando non convenit trepanum in iis, nisi quando à vaporibus sunt generati, etsi autem propter remedii difficultatem rarò in illis effectibus trepanum adhibeatur, tamen rationi & experientiæ consonum est ipsum aliquando adhiberi: Rationi, quia si in talibus effectibus cauteria sæpissimè suprà suturam coronalem adhibeantur, ut per ea facilius eidem vapores exire possunt, multò enim facilius exibant, cum etiam ipsum cranium est pervium foramine, quàm cum tantum ipsum pericranium & capitis cutis. Verum quidem est, quod aliquis objicere posset, quod vapores capitis per suturas cranii sæpè exeant, sed non satis commodè, & in sanis: cum vapores sunt pauci, non autem cum nimii sunt & crassiores. Experientia verò patet etiam hoc remedium, etiam in illis effectibus convenire. Nam Saxonia scribit in Cephalalgiis capitis post alia omnia remedia, etiam trepanum convenire, & se cuidam intolerabili & diuturno morbo laboranti caput trepanasse, & invenisse os subtus cariosum, & multam pituitam supra meningem, & quandiu foramen cranii erat apertum, ipsum melius habuisse, sed cum obturabatur, à carne meningi supercrescente dolorem iterum sæviisse: Hollerius quoque propriis observationibus, quas citat Schnellius lib. Observat. E. Dc. d. c. dicit in intolerabili capitis dolore in Epilepsiâ, maniâ, melancholiâ, themicraniâ constat permultos melius habuisse, terebellis, vel cycliscis aperto capite. In melancholiæ morbo etiam scribit Guamerius, se ducati magnitudine mulierem trepanasse, & trepanum mense uno apertum reliquisse. Memini quoque mulierem quandam, dividimus Leodii capitis incredibili, & nimis diuturno dolore laborantem, cui ego quoque remedia scripseram, importunè semper flagitantem à Domino Rietio Doct. Medico trepanatam esse, & à dolore liberatam. Certè in hujusmodi nimis diuturnis; intolerabilibus & aliter incurabilibus capitis doloribus, qui sub cranio in eodem semper fixi loco sentiuntur, credo trepanum sæpissimè necessarium esse, sæpissimè enim tales dolores fiunt ab ossis carie destillante, & suprà meningem aggregato, ac ossis particulis propter cariem secedentibus, à vermibus etiam ibi generatis meningem pungentibus & erodentibus, sæpè à lumbricis ibi cranio subtus adnascentibus, ut in morbo Gallico aliquando fit, in quibus casibus, malum sine trepano curari impossibile est, quia enim alia ratione, quod ibi contentum est, posset evacuari. Præcipuus autem morbus, propter quem ordinariè hodie trepanum appetitur, est cranii fractura, ideo de eâ paulo latius disseremus.

Cum cranium ex ictu, vel casu fractum est, contingit aliquando ipsum valdè contra meningem deprimi, ac ipsum cerebrum lædere, aliquando frusta ejus inversa esse, & cuspide suâ meningem pungere, vel in eam esse adacta, vel squammulas quasdam subtus secedere, quæ meningem infestent, plerumque verò sanguinem contra cranium, propter ictum est verius elapsum, per ipsam fracturæ rimam meningem in ipsam delabi, interdum concussione venas & arterias sub cranio contentas rumpi & offendere sanguinem, interdum ab ipsis ossis frustulis vulneratas sanguinem emittere, illo casu sanguis extravenatus concrescit, & ut semper solet, inflammatur, & in pus vertitur, & calore suo meninges & cerebrum inflammat, & acrimoniâ idipsum stimulat, dolores, febres, deliria facit, frusta verò, quæ secesserunt, & membranam pungunt ac vulnerant, etiam eadem accidentia inferunt, simulque convulsiones, Epilepsiam, &c. Illa verò omnia sunt educenda, ut æger curetur, educi non possunt cranio non aperto, necessarium ergo est, ut si ipso ictu non sit apertum, trepano aperiatur; hinc in fracturis trepanum convenit.

Adhiberi trepanum non potest, nisi cute capitis primum longe lateque divisâ, & cranio detecto: hic ergo quæritur: An quando cranium per se non est detectum, sit necessum à Chirurgo detegi; & cutem capitis detegi; Videtur Hipp. lib. de vulneribus capitis indicare quod non: dicit enim, si os est denudatum, ergo vis ictus non penetravit usque ad os, ergo non potest esse læsum; si non sit læsum, ergo non est opus trepano, nec consequenter cutis divisione. Sed respondeo, cranium posse ab ictu lædi, & quæ sub cranio continentur, etiamsi cutis externa cranii, non sit usque ad cranium fissa, hoc inprimis sæpissimè fieri potest, cum læsio facta est per contusionem à casu & baculo crasso, tam sæpè cutis est integra & cranium fractum: sæpè etiam in pueris, quibus ossa adhuc sunt mollia: à contusione cranium potest esse depressum, cute externâ integrâ, sed cum læsio est facta, à re acutâ scindente vel perforante, tunc si vulnus non transierit usque ad os, & os non sit denudatum, sequitur quod nec sit læsum, nec consequenter cutis sit dividenda, nec cranium denudandum, vel trepanandum, nihilominus tamen adhuc fieri potest, quod gladius non fuerit acutus, & sic etiamsi non vulneraverit usque ad os, tamen ictu suo causarit aliquam sub cerebro concussionem, ex qua venulæ fractæ sint, & sanguis exierit, & in illo casu est cutis dividenda, & trepanum ponendum. At hoc factum cognosci in principio non potest, & ideò in principio in vulneribus sic factis, si non penetrent usque ad cranium, nonnunquam est trepanandum, esset enim temerarium & sine causâ, sed si decursu dierum videatur, quod pessima succedant symptomata, & majora quàm ab externo illo vulnusculo produci possint, est indicium, concussionem & fractionem venarum subtus factam esse, & tunc est tre-

trepanum figendum, si autem per contusionem rei gravis & obtusæ læsio facta sit, ac cutis divisa, atque cranium denudatum manu vel specillo tangi potest; an os sit fractum, si cutis non sit divisa, & ictus sit levis nullâ vi impressus, non est opus cutem dividere; sin est contra, & gravia symptomata adsint, casus vomitus æruginosus, sanguinis per os & nares exitus, &c. cutis est dividenda, nam in eâ dividendâ nullum est periculum, & facilè resanescit, nisi ubi magnæ arteriæ aut musculi temporales sint dividendi, si tunc os fractum apparet; qualis fractura sit est videndum, ad sciendum, necessarium trepanum sit nec ne, non enim in omni statu fracturæ necessarium est, sunt nonnulli qui dicunt, quod in nullis fracturis sit trepanandum, hoc dicit Vidus Vidius super Hipp. de dolore capitum, nisus authoritate Jac. Perlismi famosissimi Chirurgi, qui dicebat, se longo usu observasse, magis servari eos, qui sine cutis divisione partim lenientibus, partim siccantibus curantur, quam quibus cutis inciditur, & os aperitur, hoc etiam prob. ratione quam inquit, si cutis non scindatur, tunc calor innatus manet conclusus & integer, & melius saniem & sanguinem collectum discutit, & ossa conglutinat, si scindatur, tunc ait, calor evolat & externum frigus accedit, & sic à duplici causa calor fit debilior, & debilior factus non potest illa opera exercere. Secundò sæpè sanies & sanguis tali loco sunt, ut non possint per trepanum evacuari, sæpè enim fit trepanum ab unâ parte, & pus est ab alterâ, aut sæpè pus collectum est loco imò, nec ad foramen à meninge inflammatâ occluditur. In illis casibus inprimis frustrà ægri exponantur periculo ipsius remedii. Secundò est, nec posse esse eos mori, quia sanies inprimis non exit, & propter calorem à foramine debilitatum, tunc non potest à naturâ discuti, in quibus si trepanum factum non fuisset, calore manente unito & valido sanies discuti potuisset. Tertiò quandò sanguis subtus & abit: propter ruptionem venarum, factam à concussione, tunc ille plerunque exit è venis piæ matris, non autem duræ matris, si ex venis piæ matris, ergo colligitur sub dura matre, ergo si tunc trepanum fiat, frustrà fit, & non posset sanguis per ipsum evacuari, ergo tales trepanati propter caloris dissipationem debeant mori, quod sine trepano, calore permanēte vegeto possent sanari calore, &c. Sanguinem & saniem discutiente. Quod exeat è venis duræ matris potius, quàm dura, colligi potest ex eo, quod pia mater magis abundet venis, & sit tenuior ac venæ ejus tenuiores, dura verò mater sit densa & solida, nec sit verisimile, quod à contusione venæ ejus frangi possent. Quartò quia saltem, cum sic sub cranio sanguis est extravenatus, dubium est an ex hujus an verò illius membranæ venis exierit, & sic semper tunc erit dubium, an trepanum juvabit, temerarium aut videtur uti remedio tam periculoso, cum semper dubitatio est de ejus utilitate. Quintò quia videmus, quæ aliæ ossium fracturæ benè curentur sine cutis divisione, & quod natura sanguinem tunc ad fracturam collectum benè discutiat sine eo, quod necessum sit illum sensibiliter per aliquod vulnus vel foramen exire, ergo eadem ratione fractura cranii poterit benè consolidari, & sanguis extravenatus subtus contentus ac sanies à naturâ discuti sine eo, quod necessum sit cutem dividere & cranium perforare, imò videmus, quod fracturæ ossium aliorum membrorum longè facilius curentur, quando nullum est conjunctum carnis vulnus, seu nulla apertio facta, quam quando est. Sed respondeo, ad primum & secundum certum est, quod aliquando capitis fracturæ benè possint absq; trepano curari, quod quando sc. os solum fractum est, & nullus sanguis sub cranio collectus, quia fractura, ut talis, trepanum non requirit, aut apertionem, sed tantum unionem. Dico secundò quod etiam benè possibile sit aliquando illas fracturas curari, cum quibus sanguinis aliquid subcranio est collectum absque trepano, quatenus sc. natura cum sicuti in aliis fracturis & inflammationibus facit, aliquando discutere potest, sed est nimis temerarium isti dubio eventui exponi & expectare, an natura eum discutere poterit nec ne, quod si enim non discutiat, sed in pus convertat, an non tunc recta mors sequitur, adde quod calor non potest talem sanguinem discutere, nisi sit paucus, cum enim multus est, tunc nunquam discutiet, sed suppurabit, quomodò ergo tunc illud pus sine trepano exibit, nec valet dicere, quod etiam aliquando trepanum frustrà ponatur, & sanguis tali loco collectus sit, quo non possit per trepanum exire, quam certum est ipsum sæpè non juvare, nec educere, sed tunc talis læsio est incurabilis, & saltem factum à nobis fuit, quicquid humanitus fieri possibile est. Neque etiam valet dicere, quod in illo casu, si non fuisset trepanatus, potuisset æger adhuc curari calore valido saniem discutiente, quia invicem quod hoc semel fit, aliquando continere potest trepano non facto, decies è contra possibilius erit, enim curari trepano facto, quam si factum non fuisset & curari qui non facto fuisset moriturus. Quod dicunt calorem propter trepanum evanescere, & sic debilem factum, non posse sanguinem discutere, quem cranio integro validior existens discussurus fuisset, falsum est, non enim adeò propter illam apertionem calor debilitatur, quin ita benè sicut ante sanguinem discutere posset. Ad tertium respondeo, quod videtur, sæpè ex piâ matre sanguis effluit propter multitudinem venarum ejus & tenuitatem, sic è contra ex durâ matre etiam sæpissimè exit, quia ipsa à concussione plus patitur, propterea quod cranio sit vicinior, & quia à cranio quasi pendet, cum altera suprà cerebrum firmiter jacens nequeat, sic ab ictu conquassari, ut sit, quia dubium semper est, an sanguis ille sub durâ matre, an suprà eam sit, ideò in omnem eventum est trepanandum, ut saltem à nobis non steterit, quin æger sit curatus, quia casu quo sub durâ matre contineatur, propterea non magis enim tunc calor nativus discutere impedietur; calor enim sub meninge includitur, nec ita notabiliter exspirat. Ad quartum respōdeo, quod multò magis temerarium esset relinquere ægrum sine trepano soli naturę, quæ sanguinem qui plerunque multus exit discutere nequit, aut vix unquam discussura est, nam etsi trepanum aliquid periculi habeat, si illhic relinquatur. Ad quintum respondeo, aliud esse de fracturis membrorum externorum, aliud de fracturis cranii: in fracturis illorum inflammatio forti fasciatione impeditur, quâ partes constringuntur & coarctantur. In cranio

nio illæ fasciæ locum non habent, cranium enim non potest fasciendo constringi sicuti brachia & pedes, qua propter sit hoc certum quod in fracturis sæpissimè trepanum sit necessarium. Dico sæpissimè, quia non est necessarium in omnibus, ut itaque sciatur, in quibus hoc necessarium sit, & in quibus non; Notandum quod os vel est fractum, vel contusum: fractum os, vel est fractum usque ad diploem tantum, vel usque ad meningem: fractum os usque ad diploem, non est trepanandum, sed radendum: si usque ad meningem, tum fractura vel est valdè parva, sicut sit tantum quædam rima, vel valdè magna, aut cum frusti notabilis effractione, sicut ipsa meninx, imò & per se vel illius frustuli effracti extractione videri possit, vel mediocris si tantum sit rima atque tenuis, aliquando trepanandum est, sæpè tamen minimè, tum tamen in dubio si suspicio & quid propter rimam simul ab ipsa concussione subtus vena aliqua disrupta esset, & sanguis effluxisset, quia ille absque dubio extrahi non potest sine trepano, eo quod per tenuem rimam non possit exire, esset trepanandum, non propter rimam per se, sed quatenus cum rimâ per accidens subtus extravenati sanguinis collectio juncta esset, verum si ejus suspicio non esset, tunc si rima sit tam tenuis, ut non sit verisimile per eam aliquid sanguinis suprà meningem destillasse, non est absolutè necessarium trepanare, quia cui usui trepanum fieret, rima enim per se non indicat apertionem, sed potius conglutinationem, sed tantum quatenus suspicio est, quod per eam aliquid sanguinis suprà meningem effluxit, quod si propter rimæ tenuitatem factum non esse sit verisimile, & nulla mala symptomata indicatione appareant ubique neque est trepanandum; Dico quod non sit trepanandum absolutè, quia aliquando etiam si rima tenuis sit, nihilominus tamen est trepanandum, propterea quod ab ipso osse in rimâ aliquando colligitur sanguis aliquis, qui ibi putrescit, & os corrumpit, & simul afficit meningem, quod apertione trepano factâ debet impediri, hoc autem posteà cognoscitur, cum mala symptomata incipiunt apparere, & propterea quamdiu talia nulla apparent, non est necesse, propter rimam in principio trepanare: sed tantùm oportet uti medicamentis cephalicis egregiè exsiccantibus & discutientibus, ad talem in rimâ putredinem impediendum, & quod collectum est discutiendum, & rimam callo claudendam. Si fractura sit valdè magna, ita ut jam frustulum unum notabile, aut plura sunt effracta quæ extrahi possint, ex quibus extractis jam meninx denudetur, & cranium sit apertum, non est necesse trepanare, quia ideò trepanatur, ut exterebrato per trepanum uno frustulo cranium sufficienter sit apertum, si ergò jam à fracturâ satis apertum sit; quid est opus amplius trepanò aperire: si fractura sit mediocris, & fortè cum aliqua fracti ossis depressione est trepanandum, nam in tali casu semper probabilis suspicio est; quod per fracturam sanguis à pericranio sit delapsus, vel in fracturâ sanguinis ex ipso osse & diplone exiliens colligetur, qui ibi putrescens os corrumpat & saniem versus meningem dimittat, unde pessima accidentia, & mors sequeretur; ideò talis sanguis & sanies facto foramine est educendus. Porrò si vulnus & fractura cranio sit illata ab ictu vel puncturâ plerumque squammæ subtus à cranio secedunt, illæ verò trepano sunt educendæ, si os fractum sit & simul depressum, sic ut portio depressa cerebrum & meninges comprimat ideò, quoque magis trepanandum est, ut simul auferatur illa, illis enim ex depressione coarctatis apoplexia, convulsio & mors sequuntur. Hæc cum os est fractum, aliquando etiam est contusum: contusum est duobus modis, ut cum est contusum in substantiâ, vel cum in situ, si in substantia est contusum, sic ut substantia ejus sit condensata, sine eo quod deorsum secundum situm sit depressum, tunc tantum conveniunt medicamenta cephalica, quæ impediant ossis contusi putredinem & sanguinem ex compressione in dyplonem solùm penetrans, si os est contusum sic ut figuram rotundam perdiderit, & sit cum foveâ quadam depressum, & tamen non sit fractum, quod in teneris ossibus puerorum potest fieri, tunc trepanum non requiritur, sed tantùm elevatorum, aut medicamenta attrahentia, sed si cum contusione suspicio esset, ex concussione sanguinem sub cranio extravenatum esse, omninò trepanum necessarium foret, proinde generalis regula esse debet, seu cranium denudatum sit, seu non, seu os fractum sit, seu non, seu fractura magna sit, seu parva, si ex magnitudine accidentium suspicio sit, sanguinem aliquem subtus ex venis exiisse, & sub cranio collectam esse, trepanum esse adhibendum: talis concussio & venarum subtus factio plerumque evenit, cum à re gravi, obtusâ, & contundente cerebrum læditur, attus etiam cum cæsim & punctim læsum est, præcipuè cum instrumenta non sunt admodum acuta aliquando contingit, sicuti memini me quoque observasse. Quæritur autem, an etiam in resonitu trepanum sit ponendum: Resonitus est, cum caput unâ parte percussum, non frangitur illâ, sed in oppositâ; talem resonitum animadvertere licet aliquando in vitris & ollis fieri, quæ videmus unâ parte percuti, & frangi oppositâ, proinde eadem ratione etiam in cranio aliquando fieri Medici animadverterunt, nonnulli tamen negant illum resonitum cranio evenire posse, propterea quod cranium non sit unum os continuum, sed ex plurimis coagmentatum; resonitus autem, inquiunt, non habet locum, nisi in iis, quæ sunt unum quid continuum: verum etsi cranium ex multis partibus sic est compositum, quia tamen illæ valdè arctè per suturas sibi mutuò cohærent, fit ut ipsum quodammodo sit, sicut unum continuum corpus, & ideò in eo resonitus fieri potest. Hippocr. lib. de vuln. capitis testatur, etiam talem resonitum aliquando fieri, quod infortunium cum accedit non potest, inquit, juvari, propterea quod nulla via possit, ut inquit prehendi an os fractum sit nec ne, & quo loco? ubi videtur judicare, quod si aliqua adessent indicia loci ubi os fractum sit, quod etiam tunc isthic deberet cutis dividi, & trepanum poni, sed quia cum consideramus partem capitis ictam, & cum videmus ibi non esse fracturam, valdè dubium est & obscurum scire, an opposita pars sit fracta, nec ne, & quàm valdè temerarium videretur ibi secare, ubi non rectè con-

constat, an os sit fractum, & quia posito casu, quod in opposità parte certè fractum esse constaret, tamen adhuc incertum est quo loco sit fractum, an sursum an deorsum, antè aut retrò ideò præcipuè quæritur, an in tali casu medicus auderet tentare cutis capitis in oppositam partem divisionem? Et respondet bene Cora Celsus, si inquit percussio fuerit gravis, si mala indicia adsint, & ea parte qua cutis scissa est rima non appareat, non incommodum est, inquit, altera parte quoque considerare num quis locus mollior sit, & tumeat, etenim aperiri rationem insinuat, nam si adest fractura jam certum est, quod trepanum requiratur, si non adest, quod cutis facta divisione certissimum constabit, jam nihil est peccatum, & solummodò frustrà semel cutis divisa est, ex qua divisione, nullum venit damnum, cùm possit facile resanari.

Circà trepanum hæc præcipuè consideranda, modus, quo trepanum industriè adhibeatur, ut nihil vel minimum tempus noceat, quo adhiberi debet, quantitas & locus; hic de modo; cranium non potest perforari, nisi imum sit denudatum, non potest denudari, nisi cutis & pericranii divisione, videndum ergò, imò an in capite sit vulnus nec ne, si est magnum vulnus sic ut cranium latè sit detectum, aut tantum ut in vulnere commodè trepanum circumduci possit, non est amplius actis dividenda, si est parvum ulteriore sectione est dilatandum donec sit satis magnum, si non est debet vulnus fieri, secatur plerunque cutis in crucem usque ad ipsum cranium, sic ut totum pericranium persecetur. Dico plerunque quia aliquando secatur in figuram trianguli, cum nimirum vel suturæ, vel arteriæ aliquæ, aut venæ sunt cavendæ, tunc pericranium quod suis fibris fortiter cranio adhæret, obtusiore instrumento, vel novaculæ dorso est separandum, ut quatuor anguli carnis seu cutis capitis sunt attollendi, & diducendi, & subtus tentis plurimis ex stupa idoneo medicamento imbutis infarciendi & sutfulciendi, ut diducatur & à se invicem latè separentur, quo postridiè spatium latum pateat figendo trepano, imbuuntur illæ medicamento habente virtutem repellendi, sanguinem sistendi, & dolorem sedandi, ex scissione enim illa, & pericranii violenta divisione potest dolor fieri, & febris, & locus inflammari: ex divisione venarum & sæpè etiam arteriarum copiosus sanguis effluere, qui restringi debet, & venulæ claudi, & ideò curandum, ut postridie totus sanguis sit restrictus, alioqui trepano impediretur, medicamenta illa sunt, bolus, sanguis Draconis, spodium, ovum totum, aqua rosata, acetum, oleum rosatum, &c, si nullæ arteriæ, vel saltem exiguæ sint præcissæ, facile sanguis sistitur, si majores metuendum quod illæ non tàm citò aut facilè à medicamento claudantur, debet uri vel ferro, vel caustico, vel debent transmissâ per carnem acu ligari: Interim æger debet victu tenui, & refrigerante vivere, ut sic minus ad febrem à remedii magnitudine contrahendam disponat. Est enim alius modus cranii denudandi, quo cutis non scinditur, sed exuritur, hic cauterio & potentiali, & actuali, præstari potest, Cauterium actuale illud est rotundum per modum cannulæ & acutum, illud cum incanduit ponitur super cutem & carnem capitis, & exurit eam usque ad ipsum cranium, ustione facta pars cutis intra cauterium inclusa, una cum pericranio detrahitur & avellitur ab ipso osse, & tunc ibi os pulcrè est detectum, talis modus cranii denudandi habet multas commoditates imprimis quod non habeat tales angulos in carne, qui sæpè obsistunt trepanationi, sed tantum rotundum foramen. Secũda quod avertit omne periculũ hæmorrhogiæ ab arteria aliqua secta, cauterium enim urendo claudit arterias, & ideò cum ab arteria est periculum valdè convenit. Tertia ac præcipua commoditas ejus, cum est necessitas citò trepanandi, ut cum trepanum nimis diu fuit delatum, aut periculum est in mora, tum enim facta hac sic cutis exustione statim post licet trepanare, quod non licet, quando cutis novacula est divisa, tunc enim ad minimum una nocte expectare debet, imò sæpè duabus & amplius, si vulnus recens iterum sanguinem emittat. Quarta commoditas est, quod ab ipsa ustione cranio excalefacto fibræ meningum subtus cranio adhærescentibus contabescant, & sic sine violentia frustulum cranii exterebratum abduci & secedere possit: Verum si novacula cutis fuerit divisa, postridie stupa & dente fortiter pilis & cuti ratione aluminis adhærentes sensim & blandè sunt auferendæ, ne si rudius auferantur, iterum venis divulsis sanguis effluat, qui trepanationem impediat. Si ergo sanguis restiterit trepanum est affigendum, si adhuc fluat, multus iterum trepanum est differendum quousque sit destrictus, in trepanando tota difficultas & artificium in eo consistit, ut foramen sic in osse fiat, ne meninges lædantur, nam si lædantur est lethale, quia verò hoc est difficile, & tamen tanti momenti, ideò medici varios modos excogitaverunt, ut varia genera instrumentorum quibus hoc fieret inprimis, video cranium posse aperiri tribus modis, serratura, scalptura & limatura, serratura fit per modiolum seu trepanum propriè dictum, & illius usus hodie est maximè vulgaris, cum eo uti volumus sic est agendum. Claudantur aures ægri cotone, ne à strepitu trepani offendantur, tunc caput ab uno vel duobus hominibus teneatur, anguli carnis divisæ tegantur emplastro aliquo, ne à trepano circumducto lædantur & doleant, tunc trepanum imponendum valdè ortogonaliter, & sic continuò tenendum, & non magis in unam, qùam in alteram partem inclinet, & inæqualiter perforet, circumducendum verò mediocriter, nam cum nihil premitur, nihil serrat, cum nimis fortiter non circumagitur facto jam circulo parùm profundo, seu facta jam semita trepani, trepanum est eximendum, & stilus pungens, qui est in centro trepani etiam eximendus, & solum trepanum suo inducendum, nam si per oblivionem stilus ille non eximeretur, cum is extet ultrà margines trepani; diu pertransiisset cuspide sua cranium antequam ipsum trepanum, & sic perforaret meningem, trepanum aliquando est eximendum, ut dentes ejus extergantur ab ossis serratura, & nimis continuata serratione, unà cum ipso osse nimis incalescat, & in oleum rosatum est imponendum, ut facilius ex lubricitate, circumducatur, antiqui in aquam imponebant, sed oleum præstat, quia quando ferè os est perforatum, tum

exempto trepano sæpè videndum est, quàm prope finem pervenerimus, ne nimis profundè perforemus & meningem lædamus, & ut videamus an os non sit unâ parte citius quàm altera perforatum, ut secundum hoc possimus trepanum inclinare versus partem crassiorem, & si trepanum tale est, ut possit perfundari, tunc summa cautela curandum, ne ex improviso immergatur, itaque valdè suspensâ & timidâ manu tunc est perforandum, & mox ut ossiculum incipit mutari, tunc est tentandum, an extrahi possit suaviter potius quàm usque ad ultimum extremum undique perforaretur metu semper tangendæ meningis. Hippocrat. voluit ut os non perforaretur usque ad extremum absolutè, sed ferè tantùm, & tunc relinqueretur naturæ separandum, os enim sic divisum & læsum corrumpitur, & simul fibræ quibus meningi adhæret contabescunt, & tunc ab osse bono à naturâ separatur & excutitur, & hoc ideò fieri volebat, ut eâ ratione, omne tangendæ meningis, & fibras violenter divellendi periculum evitaretur. Ille modus, ex illâ quidem parte est securissimus, sed ex alterâ iterum est periculosus, propterea quod illa separatio non fiat à naturâ, nisi valdè serò & lentè, & interea in mora periculum sit, itaque ubi effectus inducias concedit, ille modus est securissimus, aliàs non hodie simul & semel omnes Chirurgi perforant: Os terebratum suaviter est extrahendum, cum forcipe cannulatâ ad id comparata, perforare trepanis, quæ possunt immergi est valdè periculosum, ideò nulli diligentes Chirurgi unquam deberent istis uti. Trepana quæ mergi non possunt abbaptista illis ferè absque periculo uti possumus, quia non possunt contra nostram voluntatem ex improviso in meningem demergi, pleraque etiam eorum non possunt ad latus inclinari, & inæqualiter perforari quin animadvertatur, ideò talia trepano non possunt immergi, quia habent quandam exstantiam seu arrestum, quo hærent suprà circumferentiam cranii, & impeditur descensus, & ideò illa vocantur trepana securitatis. Illa trepana in duplici præcipuè sunt differentia; aliqua sunt quæ habent arrestum, seu supercilium, seu circulum extantem serratim, qui cum ipsum trepanum cranium profundius est ingressum, superius super convexa cranii superficie hæret & arrestatur, & circumductione etiam ibi serrat, quo impeditur, quod circulus inferior non possit profundius serrare, quàm circulus superior descendendo serratim permittit. Aliqua sunt, quæ habent utrinque processus acutos scalptim scindentes, qui superius cranio hærent, & ut trepanum profundatur superius circumductione cranium scalpunt, quo fit, quod non magis profundetur trepanum, quàm scalpturæ superioris profunditas ostendat & permittat. Aliqua sunt, quæ habent unum simplicem circulum extra trepanum sursum deorsumque per spiras & helices mobilem, qui circulus facit, quod trepanum non possit profundius penetrare, quàm ipsi volumus, & cum trepanum jam usque ad circulum est ingressum, si os adhuc non est perforatum illum circulum per suam helicem, quantum volumus circumdendo adhuc parùm abtollimus, quousque totum os est perforatum. Aliqua trepana habent multa foramina, quorum unum altero est elevatius, per quæ stilus ferreus crassitudine foramini respondens transmittitur, qui utrinque extra coronam trepani paululum extans impedit trepanum profundari, qui stilus moveri potest, & vel in altius vel in demissius dimitti foramen, prout plus minus volumus trepanum vel profundari, & major minorvè crassities cranii exigit. Aliqua habent appensas à latere alas acutas scalpentes, deorsum angusto in conum desinentes, sursum versus latas utrinque unam vel duas quæ serræ succedentes, & os paulatim magis, & magis exscalpentes perforant quidem, sed ita ut dum major semper fit perforatio, trepanum alarum latitudine suspendatur, ne repentè incidere in meningem possit. Hæc sunt genera veri trepani, seu trepani serrando perforantis. Verùm quia ejusmodi trepana habent dentes acutos, & qui omnes æqualiter simul cranium transeunt, & propter ossis cranii inæqualem crassitudinem possunt una parte, transiisse, & meningem ibi vulnerare, antequam transierint altera parte, in quo non est parvum periculum, ideò nonnulli ad majorem cautelam & securitatem invenerunt adhuc alium perforandi modum, & alia trepanorum terebrarum genera, quæ non sunt quidem verè trepana, sed cum habeant eundem perforandi cranii usum, & sicut trepanum vertibulo dicantur, sæpè communi nomine trepani appellantur, inventus ergo etiam modus cranii usque ad meningem scalpendo squammatim extenuandi, scalpturæ varii sunt modi, aliqui eam faciunt cum nostris scalpris communibus in circulum semper scalpendo donec factum sit foramen ad meningem usque. Antiqui ut suprà multis foraminibus perforantes, cum cycliscis malleo adactis, quicquid cranii foraminibus comprehensum erat squammatim decutientes: verùm ille modus propter percussionem cum malleo erat molestius, & à multis eo nomine fuit damnatus, quod percussione illa cerebrum & spiritus valdè quaterentur, & turbarentur secundo etiam ille modus periculum habebat ratione terebræ quæ perforando toties cuspide sua meningem subtus pungeret, vel ex improviso penetrare potuisset. Aliqui invenerant scalpra, quæ non adducuntur manibus, sed instar terebri manubrio circumducuntur, talia sunt certa trepana quædam alata, subcava, disquammatoria, quæ perforant non unum frustum exterebrando, sed unum rotundum locum manubrii circumductione in ordine scalpendo. Illa trepana, non sunt vere trepana sed sunt vera scalpra manubrio circumducta, vel terebra quædam scalpentia, tale unum trepanum ponit Fernel. pag. 271. suæ Chirurgiæ quod vocat trepanum desquammatorium. Sunt etiam trepana alata, quæ constant alis à latere secantibus plurimis, quibus paulatim cranium scalpendo exscinditur. Sunt etiam trepana habentia sulcos acutos & scindentes, quæ verticulo ducta cranium atterunt. Apertè etiam cranium limaturâ. In eum usum sunt inventa terebra limata habentia caput crassum, quod est limatum, quod caput suprà cranium vertibulo in orbem ducto ipsum raspando & limando usque ad

ad meningem diminuit: facto jam foramine usque ad meningem eaque denudata, omnis ossium serratura est extergenda, & videndum ne illum ossis pariscidium intrà remanserit, simulque ossis asperitates à serrâ relictæ scalpro lenniculari orbem sunt adæquandæ. Deinde arcendum à meninge aëris frigus, itaque si aura est hiemalis & frigidior, semper cum vulnus curatur, candens sartago, aut vas aliquod ignem continens, aut quid simile à longo est exhibendum, quo meninx tempore quodam foveatur, aut aëris frigus corrigatur, mox perforatione facta, quid olei rosati solùm, vel cum molli rosato, vel etiam vitello ovi est exhibendum, quo meninx dolore à trepano & laceratione fibrarum affecta demulceatur, & ab inflammatione defendatur, dolore sedato, vel rosa tum cum tenui sindone suprà meningem ponatur, suprà os ipsum denudatum, non sunt unguenta seu olea applicanda, quia os corrumperent, sed vel succus sindon, vel lintei particula, quod sic ab aëris etiam attactu aliquo modo defendatur, nam si os aëri multum sit oppositum nigrescit & corrumpitur, & quantum nigrescit, tantum à natura posteà separatur & excutitur. Cavendum ne ipsa meninx tantis suprapositis gravetur, nam cum ipsa ab osse sit suspensa pondus ei incumbens dolorem & fibrarum ejus faceret divulsionem. Itaque suprà ipsam meningem & in foramine nihil nisi tenuis sindo est ponendus, superius tamen vulnus multis tentis, emplastro, & linteis tegumentis est cooperiendum, quo aëris externi frigus difficilius possit intrare, & calor internus cerebri iis mediantibus includatur, & non exhalet interim labra vulneris in carnem per divisionem primam facta, semper impositis tentis deducta sunt servanda, suberoscendo foramen cranii ne obturent, sæpè meninx meninge phylace instrumento deorsum ab osse parùm præmenda est, ut puri quod sub eo continetur, facilior exitus detur, quando nihil amplius purulenti è cerebro per foramen effertur, & quicquid præter naturam sub eo contineri creditum fuit, id vacuatum putetur, tempus est foraminis claudendi, claudatur autem foramen caone succrescente, in locum enim ossis ablati nunquam aliud os succrescit, sed partim suprà meningem, partim suprà calvariam, nova caro accrescit, partim labra vulneris excrescunt, & omnibus in unum conglutinatis, carne foramen impletur, quæ raró propter ossis viciniam durior, cum tempore callosa evadit, & sæpè non minus bene, quàm si novum os aggeneratum fuisset cerebrum defendet.

Locus trepani figendi desumitur vel ab ejus, quod per trepanum evacuari debet situ, vel à natura partis trepanandæ: Ab eo, quod evacuari debet sumitur indicatio loci; sic quod scilicet trepanum eo loco poni debeat, per quem judicamus commodissimè posse evacuari quod subtus est, is autem locus est ille, qui rei subtus contentæ est vicinissimus. Itaque si vel cuspis pugionis vel teli in capite sit relicta, si os est in fractura comminutum & depressim & cerebrum premit, aut ibi metus sit ne pariscidia quæ secesserunt membranas pungant, aut ei sint infixa in ipsissimo loco trepanum est ponendum. Si in aliquo loco fixo intolerabilis dolor fuerit, semper præsentibus metu ne os subtus sit cariosum, aut putredo aut sanies subtus lateant, aut gummata sint adnata, illo ipso doloris loco est perforandum. Si trepanum ponatur pro educendis fumis in melancholia, epilepsia, vertigine, locus superior ad suturam coronalem est eligendus, nam cum vapores cavitate sua recta sursum ferantur isthic omnium commodissimè exhalabunt, & propterea etiam ille locus pro cauteriis in ejusmodi affectibus ponendus eligitur. Si trepanum pro fractura adhibeatur, ubi fractura est ibi ponendum, si tamen pro sanie, quam subtus contineri suspicio est, eductione adhibemus, præstat paululum demissiorem fracturæ locum eligere, pus enim semper deorsum labitur, versus fundum meningis, & difficilius sursum fertur, & ideò per dimissiorem locum melius evacuabitur, non oportet tamen à fractura decedere, eo modo suprà fracturam trepanum est ponendum, ut fractura non sit extrà ipsum, sed ejus circulo comprehendatur, interdum ferè medio ipsius, interdum à latere prout judicabitur expedire. Cavendum tamen semper, ut cuspis trepani, seu acutus ille stilus, qui est in centro eis non cadat in ipsam fracturam, si os in multa frusta sit comminutum, super ea trepanum non est ponendum, quia inprimis stilus super is poni non potest. Secundo quia nec trepanum ea potest exscindere quia cedunt pressioni. Tertio pressione trepani si qua pariscidia subtus sint, aut penetrant meningem magis aut profundarentur. Quarto illorum frustulorum agitatione meningum fibræ cum maximo dolore avellerentur. Itaque in fracturis si cutis non sit divisa, ubi ictus est receptus, ibi est dividenda, ibi enim verisimilius est fracturam subesse, quod si fractura non inveniatur, & tamen pessima symptomata aliquam subesse indicent, & sic periculum sit resonitus, opposita parte qua tumor, aut dolor, aut mollities est, est etiam cutis dividenda, & si ibi fractura inveniatur trepanum figendum. A natura partis etiam sumitur indicatio loci, quia aliqua loca capitis non patiuntur trepanum, propter periculum, quod ex earum perforatione sequitur, aut saltem non nisi extrema necessitate. Imò dicit Hippocrat. suturas esse cavendas, quem omnes medici sequuntur, suturarum enim vulnera sunt lethalia, & hoc propter fibras nervorum, venarum & arteriarum, quæ per suturas decurrunt, quæ omnes trepano ibi posito miserè dilacerarentur, unde periculum doloris, inflammationis, febris, spasmi, convulsionis, &c. Secundo manet, ut pericranium non tangamus, quanto minus fibras meningum, nam illa trepanatio est quædam dilaniatio, & ideò plus offendit meninges & fibras, quàm simplex vulnus. Etsi autores omnes fateantur periculum esse in suturarum trepanatione, aliqui tamen putant, id non esse adeò magnum, proinde cum fractura in suturas incidit, licere etiam suturas trepanare, & probant experientia, quia videmus & legimus plurimos fuisse saratos, qui in suturis fuerunt vulnerati, imò etiam qui in sutura fuerunt trepanati: & Carpus scribit se sæpè in suturis trepanasse, nec invenisse

difficultatem. 2. Non est iis fidendum, certoque tenendum, non debere suturas vulnerari, si ergo in suturis est fractura, trepanum est ponendum, utrinque ad latera suturæ quam propine eam. Dico utrinque quia illo casu sanies potest esse collecta, & parisci dia excussa, tam bene ab uno latere, quàm ab altero, si tum tantum ab uno latere apertio fiat, quod ab altera parte est collectum, non posset per illud unum foramen evacuari, nam meninx quæ suturæ adhæret tanquam quoddam septum est intermedia & impedit ne quid ab uno latere capitis posset ad alterum pervenire. Secundò paulùm super supercilia in osse frontis non est trepanandum, ibi enim sunt quædam cavitates aëre plenæ, & humida quædam substantia per quam aër per nares in cerebrum rransiens attemperatur. Ideòque si ibi os fractum esse aliquando contingat debemus meminisse illius cavitatis naturalis, ne putemus sic illud nos intrò addactum esse. Tertio debemus etiam vitare occipitis demissiorem partem propterea, quod ibi sit exortus nervorum & spinæ, quæ si læderentur, aut apertione frigus aut noxam contraherent, essent paralisis aut mortis causa. Quartò non licet etiam os temporum trepanare, & propterea cum illud fractum est paululum suprà musculos temporales in osse sincipitis trepanum est ponendum. Causæ quinque sunt, quas Gal. Meth. sexto cap. ult. adfert. Ima est durities illius ossis, propter quam petrosum dicitur, quæ est, quod illud non possit sine magna cerebri concussione perforari. Secunda suturæ squammosæ quæ ibi sunt Tertia situs dimissus, qui est causa quod cerebrum ibi in foramen exeat & perrumpat, & magnâ mole decumbat. Quarta quia ibi est apertus nervorum qui à latere cerebri sunt, quia antequam ad os perveniatur, debet musculus temporalis præscindi, quod periculosissimum, & certum ferè convulsionis adducit metum, tum etiam per eum arteria magna percurrit, quam præscindere maximi periculi est.

Maxima est difficultas in definiendo tempore quo trepanum sit ponendum, propterea quod authores antiqui circa illius determinationem ita differentes varii & sibi ipsis contrarii fuêre. Hippoc. in lib. de vuln. cap. videtur velle quod ultrà triduum non oporteat exspectare, dicit enim hæc verba: Postquam autem os scalpro raseris siquidem ad perforationem tundere ossis sauciatur videatur perforare oportet, & citrà perforationem triduum non excede, sed in hoc perforare tum aliàs tum tempore calido si ab initio curationem susceperis, circà finem porrò ejusd. lib. videtur dicere contrarium his verbis: Si ab initio assumptam curationem administras non oportet statim os ad membranam perforare, non enim conducit membranam osse nudatam multo tempore manere afflictam, sed posteà cum madore corrumpi & putrescere ipsam periculum est, ibi enim dicit, non quidem ante tertium diem perforandum, sed tàm diu exspectandum, donec putredinis initium & periculum jam incipiat, & hoc confirmat Hippoc. adhuc alio in loco ejusd. libri, cum dicit: Quapropter cum intellexeris febrem hominem invadere, ex aliisque signis aliquid ipsi accidere non oportet cunctari, sed os usque ad membranam perforare ubi indicat, non esse statim perforandum, sed tùm imò cum mala signa incipiunt aperiri. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 9. ponit hoc tempus, ut nimirum in æstate trepanatio fiat ante septimum diem, hieme verò ante decimum tertium. Corn. Celsus in temporis definitione non etiam satis sibi constat, etenim cap. 2. lib. 6. ait quid oporteat eos imitari, qui osse nudato diem tertium exspectant, & tunc exscindunt propterea, quod omnia sint duriora, priusquam inflammatio sit oborta; ubi dicit statim intrà tertium diem esse trepanandum, priusquam mala symptomata sese manifestent, at verò cap. 4. ejusdem lib. contrarium dicit: dicit enim sic: In omni verè fisso fractovè osse protinus antiquiores, medici ad serramenta veniebant, quibus id exscindere, sed multò melius est inquit, prius emplastra experiri, quæ calvariæ causa componuntur, quibus verbis indicat, in fracturis non statim trepanandum, sed prius tentandum medicamentis tantùm, & si tum videatur mala symptomata oboriri, & medicamenta non sufficere, trepanum tunc primum ponendum est, & addit posteà sic usque ad diem 17. esse faciendum, & nec tunc trepanandum nisi febris invaserit, vigiliæ aut somnus turbulentus sequatur dolor ingravescat, cibique fastidiantur. Halialbas etiam in illo tempore designando fuit diversus, nam novo practicæ cap. 84. imò dicit accelerandam curaturam in capitis vulneribus antequam, inquit, bilis accidat rejectio & convulsio & delirium, & syncope, & febris acuta, & posteà dicit sic: Ast si membrana à cranio separata fuerit hyemsque sit, Omninò ante 14. diem, si verò æstas ante 7. est trepanandum, priusquam dicta illa accidentia oboriantur, imò si fractura piam matrem pungat etiam primo die putat esse trepanandum. Avicenna lib. 4. sic, quinta, t. 3. imò sic definit tempus, & non oportet, vt tardetur, inquit illud in æstate ultrà 7. dies, & in hyeme ultrà 10. & quantò velociùs erit melius, & longinquius abest ut accidant nocumenta magna. Albucasius in parte tertia suæ Chirurgiæ cap. 3. & Ravus lib. 1. 10. de nocumentis ante 14. diem in hyeme, ante 7. in æstate debere cranium exscindi existimabat, & Raves in eodem loco dicit sic, quod debet serrari de cranio capitis cum celeritate serretur, & non exspectetur, ut accidat de eo quod descendat ad matrem cerebri ærugo, sic ut faciebant, quidam exspectantes, &c. Ego hac autorum contrarietate & dubia temporis definitione dico primò, trepanum poni propter fracturas, vel propter alios morbos cepaleram, melancholiam, vertiginem, &c. si propter hos morbos ponitur tunc non ita definitur tempus trepani ullis diebus, nec est necessum accelerare in trepano ponendo, quia tales morbi sunt longi, & inducias dant, in iis autem non oportet trepanum adhiberi, nisi cum jam amplius tolerari nequeant, vel desperatissimi sint, & alia omnia diu antè tentata in hilpro fuerint. Sed si trepanum ponatur pro fracturis de quibus omnes suprà positæ autoritates sunt intelligendæ, tunc saltem hoc ex omnium superiorum consensu, imò rectum est, quod semper in æstate citius, in hyeme serius sit trepanandum: ratio est, quia æstate calor nativus est debilior, & ideò vires tum citius labascunt, unde fieret quod illæ trepano non sufficerent, quando serius pone-

poneretur, secundò, tunc multò citius sanguis extravenatus ob contusum & meninx concussa inflammatur, & putrescunt quam hyeme. Tertio propter eandem causam, & etiam propter temperamenti temporis similitudinem citius tunc & febris & omnia mala symptomata oboriuntur, pro tempore verò exactius definiendo. Neoterici aliqui dixerunt, quod nunquam oporteat perforare priusquam mala accidentia oboriantur, horum opinio fundatur in eo quod trepanum sit periculosum, & sæpè fracturæ à natura possint curari sine trepano, unde si in tali casu trepanum poneretur, medicus exponeret ægrum periculo à remedio sine necessitate; & quia si tamdiu exspectet donec mala symptomata oboriantur; adhuc tunc satis tempestivè ponitur. Verùm hæc opinio est falsa, & ab omnibus hodie reprobata, nam imprimis trepanum non est tam periculosum, exspectare donec mala symptomata oboriantur. Aliqui dixerunt sic quod cùm fractura est magna & evidens suspicio internæ læsionis quam citissimè sit trepanandum; non exspectatis malis accidentibus, sed cum fractura est parva, & dubium est, an subtus aliqua læsio sit, quod in tali dubio casu non sit temerè trepanum ponendum; sed tam diu exspectandum, donec mala symptomata appareant; ne nimis temerè statim trepanando antequam ejus necessitas appareat æger frustrà afficiatur periculo mortis à trepano. Verum hæc etiam sententia falsa est, contrà quam sunt Avicenna, Polus Hali, & Neoterici multi, nam in dubio casu illud faciendum, à quo est minus periculum, sed est minus periculum à trepano si ponatur frustrà, quam à nimis longa exspectatione, si trepanum sit requisitum; etenim ex nimis longa exspectatione cerebrum & meninges corrumpantur, unde certa mors: ergo in dubio casu præstat adhuc trepanum mox ponere non exspectando mala symptomata; quam ea exspectare. Ego sic distinguo, ubi certa suspicio fracturam esse magnam cum depressione, aut sanguine extravenato, aut pariscidiis membranam pungentibus statim perforandum est, sine malorum accidentium exspectatione; & hoc est in confesso, verùm in casu dubio dico sic: Si fractura putetur esse in tali loco, in quo prima divisio cutis est periculosa, vel ipsa etiam perforatio periculosissima, uti in temporibus; tunc non esse tentandum cutis incruriationem, aut trepanum ponendum priusquam mala symptomata incipiant apparere, nam tempora incidere est nimis periculosum; & ideò in casu dubio non est tantum periculum aggrediendum sed exspectandum donec manifesta necessitas appareat; tunc enim satis tempestivè perforari potest. Quod si contingat propter diuturniorem exspectationem ægros sic aliquando mori posse, nihil refert; præstat enim ægros mori ab ægritudine; quæ non potuit certò per artem cognosci, quam per nostram temeritatem; ejusmodi periculoso remedio sine certa utentem necessitate: Ast in casu dubio perforatio commodo loco fieri potest; præstat semper citò trepanare, quàm tam diu exspectare; donec prava accidentia appareant, tum cerebrum & meninges graviter affici & corrumpi inceperunt; nam etsi trepanum periculum habeat, illud tamen longè minimum est, quàm illud quod provenit à nimis diu, seu donec mala symptomata appareant exspectando, & ideò minus potius, quàm majus periculum est subeundum. Sed quæritur quando sic diutissimè esse trepanandum, quodnam illud tempus est, & quot diebus præfinitur, an semper tunc intrà triduum, uti Hippoc. determinavit est perforandum. Dico quod illud tempus non possit certis diebus prædefiniri, quia mala accidentia non eodem tempore in omnibus incipiunt apparere; sed prout complexionis sunt, in aliis serius apparentur, quia itaque illa sunt prævenienda citius trepanandum est, in quibus putantur, citius oboritura, in quibus verò serius, etiam serius paulò licet exspectare. Verum tamen ubi trepanum necessarium putatur, & nihil obest ibi, semper præstat illud citius, quàm serius poni, potest ergò poni intra diem tertium, sed etiam in die quarto & quinto, & sexto, verùm in æstate non oportet exspectare, ultrà diem 7. aut ad summum 14. Ratio est, quia trepanum ponitur, ut aliquid subtus putrescens auferatur, at illa putredò, illo tempore inducitur, ergo intra illud tempus est aperiendum, etenim post illos dies cerebrum & meninges incipiunt corrumpi, unde etiamsi tunc posteà trepanum poneretur, tunc aut vix, aut non juvaret. Accedit quod intra illud tempus vires ægri adhuc sint fortes, & trepanum valeant tolerare, post verò debiles, virtutis autem debilitas remedia prohibet, itaque intra illos dies poni potest, ultra non. Quod autem non sit necessarium semper illud poni intra triduum ex eo probo, quia vix intra triduum poni potest, primo enim die tantum sanguini sistendo plerunque incumbitur. Secundo fractura ferè primum exploratur, ergo non nisi illo latius cutis dividi potest; ergò tertiò potest tantum trepanum fieri, sæpè & hæmorrhogia adhuc impedit, ne illo fieri possit. Imò aliqui dicunt; non licet interea triduum trepanare, sed esse semper diutius exspectandum scil. usque ad quintum & sextum; & non posse commodum ullum provenire, ex eo quod tam citò trepanetur, sed tantum nocumentum. Rationem dant, quia plerunque trepanum ponitur, ut sanguis suprà meningem lapsus evacuetur, at ille sanguis non potest evacuari tertio die; quia tunc est coagulatus in grumum; & non est educibilis, sanguis enim per trepanum, non educitur, sub forma sanguinis sed saniei; ergo non est educibilis priusquam in saniem est conversus, in saniem autem adhuc non est conversus tertio die, ergo, &c. Interim verò si citius trepanum ponatur quam prodesse possit; jam tum oberit, quia variet meningem, tanto diutius aëris frigiditati sine necessitate expositum esse, imò facit ut calor internus exhalando difficilius sanguinem in saniem convertere queat, nihilominus tamen tenendum est, quò citius, eò semper esse melius trepanum ponere, præcipuè si suspicio sit, frustula aliqua meningi infixa esse, tunc enim vel primo die si fieri posset esset trepanandum. Sed quæret aliquis, si ergò medicus est, præscriptos suprà dies primùm vocaretur, & adessent omnia pessima accidentia; & æger videretur desperatus, an non liceret tunc adhuc trepanum ponere: Respondeo cum tempestiva vocetur, nunquam debet ultrà illos dies exspectare, at si verius sit vocatus in re

desperatissimâ adhuc præstat in remedio ancipite quàm nullo, sed cum prævia periculi prædictione, ne remedia infamentur, quæ plurimis saluti fuêre.

Foramen quod in cranium fit interdum majus, interdum minus: ad hoc debet Chirurgus diversa trepana habere facere foramen magnum periculosius est, quàm parvum, ideò non debet magnum fieri sine necessitate, nam inprimis magnum ponitur, cum majori periculo, & in multa spatii comprehensione est major convexitas, quo autem est major convexitas, eò difficilius potest cranium perforari æqualiter, & facilius meninx ab aliquo latere trepani tangitur & laceratur Secundo in magna spacii comprehensione comprehenditur major inæqualitas ossis cranii, ex eâ autem fit perforatio periculosa, nam cum ab unâ parte trepani cranium est valdè tenue, ab aliâ valdè crassum, difficulter potest crassior perforari, quin periculum sit, ut oppositâ tenuiore jam perforata meninx tangatur. Tertio quo majus est foramen plus cerebrum & meninx aëris injuriæ exposita est, & plus ex eo calor cerebri potest exhalare. Quarto quo plus cranii exscinditur, plus adhuc posteà à naturâ separatur, & si foramen in fine fit maximum, & si cerebrum majore sic operculi naturalis parte privatur ex quo posteà fit debilius, & ad singulas aëris mutationes facilius alteratur. Quinto quo foramen est majus, eò facilius meninx tumida & inflammata in illud attollitur, ac ipsum claudit, minus verò cum foramen est parvum, è contrà verò si foramen valdè parvum sit, poterit aliquando evenire, quod squammæ quæ subtus secesserunt, per ipsum exire non possint, præstat ergo plerumque mediocre esse, cum trepanum poni debet loco quo est exortus nervorum, aut quo cerebrum gravius offendisset, foramen minus est faciendum, ut in temporibus & occipite: cum autem trepanum ponitur loco imo & demisso, non est etiam magnum foramen faciendum, nam ibi cerebri mollis substantia gravitate sua in illud incumberet & clauderetur, cum autem trepanum poni debet, ubi cranium est valdè crassum foramen debet fieri majus, cum fractura est magna, & pars ossis aliqua secessit, quæ per foramen extrahi debet, tum magnum debet fieri foramen, ut illa per illud transire possit. Sciendum tamen quod non omnia ossa fracta sint extrahenda sed aliqua, & si depressa sint, elevatorio sunt attollenda & consolidanda, nec tam longè, quàm fractura currit ossa extrahenda sunt, sed tantum callo unienda, illa autem extrahenda sunt, quæ meninges aut cerebrum pungunt. Verùm cum tantum sanies sub cranio collecta est evacuanda tunc parvum foramen sufficit. Quod attinet ad numerum foraminum, si fracturæ plures numero diversæ sint, in cranio plura etiam foramina facere utrinque scilicet unum. Si periculum est cum resonitus, si à latere quo ictus fuit receptus, cutis divisio facta fuerit, & ibi non inveniatur cranium fractum in opposito itidem dividenda est, ut etiam an ibi fractum sit cognoscatur, quandocunque pus aut sanies, aut quodcunque noxium quid trepano evacuari intenditur, ab utraque parte collectum esse putatur, utrinque est perforandum, quia quòd ab uno latere continetur, non potest evacuari per foramen in opposito latere factum, propterea quod meninx intermedia tanquam septum ad suturam coronalem pendens impedit commeatum, seu transitum ab uno latere ad alterum. *Thom. Fienus de præcip. Art. Chirurg. Controversiis.*

Pro Cranio depresso.

In pueris sæpissimè hujusmodi depressiones cranii abrasis crinibus, & apposita cucurbita, naribusque & ore clausis quemadmodum Ambr. Paræus Chirurgus æterna laude dignissimus, lib. 10. cap. 5. rectè docuit, in naturalem situm reposui: vel emplastrum aliquod tenaciter adhærescens, veluti ex pice, resina, colophonia, & gummi elemi in medio ossis depressi applicetur, vel hoc quod tenacius adhæret.

♃. Farin. tritici, ℥ j. ichthyocoll. in aq. beton. & salv. dissolut. ʒ ß. pulv. mastich. thur. farin. volatilis, sang. dracon. gypsi. an. ʒ ij ß. M. coque in aq. beton. & salviæ, ad justam consistentiam applicetur calidè, quamprimum undique agglutinatum & exsiccatum fuerit emplastrum vi auferatur; sic enim attracta cute & pericranio, cranium depressum simul elevabitur: id si prima vice minus successerit, ab opere tamen minimè desistendum, sed denuò novum emplastrum applicandum, & ut antea vi auferendum. Sit emplastrum ejus magnitudinis, ut tantum tertiam circiter partem impressionis cranii cooperiat, sic enim in ablatione minor erit dolor, & facilius impressum cranium elevabitur. Si hinc dolor aliquis oritur, locus inungendus est oleo rosac. aut myrtino, & de vitell. ovor. habeat præterea emplastrum in medio funiculum, quo à Chirurgo apprehendi possit. Dum vero Chirurgus emplastrum aufert, os & nares infantis claudendæ sunt, sic inflato cerebro propter retentionem in ipso spirituum, cranium impressum facilius in situm naturalem relevabitur. *Guil. Fabric. Hildanus obs. 5. cent. 2.*

Puellula quædam 18. menses nata per scalas decidit, & capite illiso in lapidem, facta fuit cranii depressio inter suturam sagittalem & coronalem magnitudinis dimidiæ nucis: ad quam vocatus, raso capillitio, parti cucurbitulam admovi sine scarificatione, & consequenter iterum admovi cum scarificatione. Postea applicui cataplasma ex furfure, pane, cum rosis & vino compositum, idque iteravi bis in die, per quinq; vel sex dies, iterando cucurbitulæ applicationem sine scarificatione, ante singulas admonitiones Cataplasmatis; deinde per quatuor aut quinque dies solum Cataplasma admovendo, tumor à cucurbita excitatus discussus est, & depressio sublata apparuit, atque os ad suum naturalem locum restitutum. *Samuel Fornerius obs. 14.*

In multis Cranii depressio curata est, admota post unam vel alteram phlebotomiam, supra depressionem cucurbitula cum multa flamma; addita interdum incisione, & multis aliquando scarificationibus, & interdum sine illis. *D. Des Grands prez. Obs. 3.*

Pro Cranii fractura.

Undecimo die morbi cum æger pro deplorato habebatur, cranium cum successu perforatum fuisse observavi. Historiam hic recensere non gravabor.

Anno 1586. Sexagenarius quidam in bregma sinistrum

sinistrum percussus fuit, cum cranii fractione & depressione cecidit mox in terram, cibum indigestum evomuit, & loquelam amisit. Curatio ab initio Barbitonsori commissa fuit: quum verò omnia in pejus ruere vidissent adstantes, *Janum Antonium Saracenum* Medicum longè celeberrimum, & *Johannem Griffonium* Chirurgum peritissimum præceptorem meum fidelissimum in consilium vocarunt. Pervenimus itaque ad ægrum decimo die morbi sub vesperam, ipsumque ardentissima febre laborantem, delirantem, & absque loquela invenimus: vulnus angustum & fractura cranii aderat: verum etsi rem in angustiis positam satis superque nobis palam esset; adstantium tamen petitionibus commoti, facta prius prognosticatione, curationem sic aggressi sumus: injecto enemate & exonerata alvo crines abrasimus, totumque caput ol. rosac. & myrtill. inunximus: deinde cutem & pericranium in formam crucis incidimus, craniumque denudavimus, necnon pulvillis ex stupis suavibus præparatis & albumini ovi intinctis vulnus implevimus. Sequenti die ossiculis nonnullis quæ à prima tabula separata erant, extractis, cranium perforavimus, & quod asperum in osse instrumento lenticulari, lævigavimus. Postea pannum Sericeum melle rosaceo parumque ol. rosac. (propter dolorem immensum) tinctum cerebro imposuimus, totum verò vulnus sequenti digestivo implevimus.

♃. Terebinth. lotæ in aq. beton. & salv. ℥j. ol. rosac. ℥ i ß. ol. de vitell. ovor. ʒ ij. Gummi elemi lentissimo igne cum supradictis oleis dissoluti & percolati ℥j. croci pulveris. ℈j. vitell. ovor. num. 2. M. F. Unguentum quo imposito vulneri, Emplastrum Basiliconis applicuimus; totumque caput & collum ol. rosac. & myrtill. inunximus. Eo die iterum Clysterem injecimus, optimamque victus rationem præscripsimus; atque ista methodo per dies aliquot processimus. Interim pus per factum foramen effluxit, & febris reliquaque symptomata paulatim remiserunt: sedato dolore & inflammatione, melli rosato quod membranæ imponendum erat, guttulam unam aut alteram aquæ vitæ admiscuimus, & vulneri sequens mundificativum imposuimus.

♃. Pulv. rad. caryophyllat. angelic. aristol. rot. irid. fl. an. ʒj. Extract. salv. beton. an. ℈ ij. Gummi elemi in oleo rosac. dissolut. ʒ ij. M. & F. cum melle ros. q. s. parumque aq. vitæ unguentum in mortario. Tandem sequens Emplastrum applicuimus.

♃. Emplastr. de beton. ℥ iv. Gummi elemi in oleo rosat. dissolut. ℥ j. Pulv. ros. odorifer. myrtill. an. ʒ j. Mastich. cal. aromat. angelic. caryophyllat. an. ʒ i ß. cum q. s. ol. rosac. parumque ceræ fiat emplastrum.

Interim dum vulnus hac methodo curavimus, singulis aut alternis diebus, alvo spontè non respondente, clysteres injecimus: per intervalla quoque syrupo rosat. solut. comp. cum rheo. agar. & sena, manna item, & cassia corpus leniter expurgavimus. Sic divino favore, magna cum admiratione adstantium sanitati restitutus fuit. *Guill. Fabrit. Hildanus obs. 4. cent. 4.*

Emplastrum de betonica cujus hic fit mentio, describitur in hunc modum à *Foresto.* lib. 6. observ. *Chirurg.* observ. 43.

♃. Therebinth. resin. pini ceræ novæ. an. ℥ iv. Pulv. betonic. ℥ i ß. Mastich. thuris, an. ʒ i ß. Mummiæ, ʒ iij. F. massa S. A.

Ante annos 10. vocatus fui à quodam rustico ut ipsius inviserem sororem, quæ vulnus contusum in dextro osse bregmatis, cum fractura & impressione Cranii acceperat. Evomuit mox ab initio biliosum humorem, & cibum indigestum; sinistrum latus resolutum est: in dextro autem convulsiones patiebatur, abrasis crinibus, fragmenta aliqua cranii & portiunculam ad instar fabæ ex cerebri substantia digitis extraxi, altero die advenit *Slotanus*, qui dilatato vulnere denuò extrahit fragmenta quædam ossis, & portiunculam ipsius cerebri, ad nucis avellanæ magnitudinem. Postea aliquoties ipsemet *Slotanus* me præsente de cerebri substantia detraxit, & tamen convaluit plenissimè. *Guil. Fabrit. Hildanus observ. 13. cent. 1.*

De magna cranii fractura & meningum ruptura sine trepano curata.

Filiolo *Theodori Baertiens*, puello septem annorum graviusculus Baculus obtuso acumine ex alto cecidit in caput pileo tectum; attonitus ac pro mortuo domum delatus est, sanguine ex naribus, & oculis prosiliente. Ad eum vocatus, sentii magnam in bregmatis regione cranii depressionem & fracturam. Aperta atque detracta cute vidimus ossa ad latitudinem magni nummi ducatonis diffracta, & ad crassitiem pollicis introrsùm versus depulsa; imò & ipsam cerebri substantiam inter fissuras nonnullis in locis transeuntem. A bregmate sub cute extendebatur eadem fissura usque ad summitatem nasi, eaque in fronte & prope nasum adeò lata erat, ut calami scriptorii crassitiem admittere potuisset. Chirurgis trepano cranium aperiendum, & diffractæ ossis particulæ eximendæ videbantur: Nobis illud consilium displicuit, quandoquidem exemptis istis particulis nihil erat, quod cerebri substantiam loco suo continere posset, quæ membranis disruptis, modo per fissuras exituriens conspiciebatur. Vulnere igitur in dicto statu relicto, convenientia fomenta imposita, totique capiti circumjecta fuere, alvus laxata, & conveniens victus ratio à nobis præscripta est. Tertia die intumuit frons, hinc cutem paulo supra nasum è regione fissuræ pertundi curavi: è quo vulnusculo per aliquot dies copiosus sanguis cum pure effluxit, sicque æger multùm levatus est. Tali modo processimus in curatione per quinque sexve hebdomadas, & sic puer ille, præter nostram & omnium expectationem sanatus est, profunda ista depressione in capite remanente, nullumque in actionibus animalibus incommodum subsequente: duodecimus jam agitur annus, quo bene sanus post dictam curationem vivit. *Joh. Baptist. Lamzvveerde in Appendice ad Armament. Chirurg. Sculteti.*

De cranii fissura & duræ meningis gangræna trepano curata.

Ægidius Spruyt, Nauta, mense Aprili anni 1661. in dextro bregmatis osse lapidis ictû graviter vulneratus fuit, cum magna fracturâ cranii &

& depressione. Perforatione trepano facta, eximimus diffracta ossa ad latitudinem Daleri imperialis. Duram matrem à contusione ista graviter læsam invenimus, quæ & ipsa post paucos dies nigricans sponte separata, & eadem latitudine exempta fuit. Postmodum carne, præter expectationem, ex tenui meninge largiter succrescente, vicesque duræ meningis subeunte, ac sese cum carne ex diploide orta conjungente, desperatus æger, qui jam cum Charonte de naulo pacisci videbatur, sanatus fuit, etiam nono post curationem anno pancraticè vivit. *Idem ibidem.*

De occulta cranii fissura, morâ trepani minitante Lethum, inopinato restituta.

Lambertus Loosecoot, Nobilis Bataviensis, circiter 25. annorum, 7. Martii anni 1637. à generoso, cui insidebat, equo excussus, caput in vicinam trabem illisit. Mox vomuit, & assurgens, vertigineque correptus bis terve rursùs concidit. Tandem rursus equum conscendens domum venit, inscius quod ab equo cecidisset, & quasi deperditâ omni memoriâ, penitus inscius quid sibi contigisset, aut ubi fuisset. Dum pileo contectus fuerat, atque hinc nullum vulnus, nullaque manifesta contusio in capite apparuit, etsi gravia symptomata maximam cerebri & cranii læsionem indicarent. Suasi cranii apertionem, sed eam non admiserunt consanguinei, qui curationem soli Chirurgo committendam censuerunt. 15. Martii doloribus capitis acerbissimis ægrum excruciantibus, & simul febre, delirio, validissimisque convulsionibus accedentibus, rursùs meum consilium imploratum est, & unicè petitum, ut cranium trepano perforarem: quod renui, propter signa læthalia, quæ modò aderant. Post biduum ægro in eodem miserabili statû permanente, & consanguineis obnixè cranii perforationem rogantibus, die 18. Martii facta sectione, carnem in postica bregmatis parte dissoluimus, ac postridiè cranium ibidem perforavimus, idque magna cum molestia, propter deliria & convulsiones intercurrentes: cum autem per cranii foramen nihil effatû dignum effflueret, ferramento nonnihil plano & obtuso per foramen immisso duram meningem depressimus, & sic è capitis latere cum impetû exsiliit multum sanguinis & puris, ægerque sequente nocte à delirio, febre, & convulsionibus omninò liberatus, atque postmodum, præter omnium opinionem, integræ sanitati restitutus est. Cujus exemplo docemur, in curationibus ægrorum interdum (ut inquit *Averrhoës*) monstra fieri, & maximè desperatos ægros insperato remedio nonnunquam servari: ac proinde non semper derelinquendos esse eos, in quibus deplorata signa omnem salutis spem amputare videntur. *Idem ibidem.*

Cranii suturæ pavore quodam desiunctæ.

Animi motus insolitos etiam corpus tangere, atque agitare, propter arctam, quæ illum, & hoc jungit, unionem, palam est: quâ non tantum, quæ ipsis obveniunt, bona, sed & queis turbantur, mala continuo secum communicant. Quantas autem turbas hi motus dare, quantasque ipsis corporibus ærumnas excitare queant, quamquam vel quotidianæ experientiæ invicto constet testimonio, evidentiùs tamen, opinor, atque lucidius hac observatione, patescet.

Uxor *Friderici* cujusdam, qui Hortulanus, ac custos fuit magnificentissimi prædii suburbani Illustriss. Viduæ *Friderici Henrici* Celsiss. quondam *Arausionum* Principis, quod in Hagiensi visitur nemore, usque adeò expavit, furibus nocturnis non procul ipsa infractionem ausis, ut præ nimio, quo corripiebatur terrore, cerebrique ipsius agitatione, & concussione, quam & febris Cephalalgiaque sequebantur, *ossa parietalia* à se invicem dissilierint. Quam quidem suturarum disjunctionem non, nisi post unum, & alterum demum animadvertit mensem, quamquam illa vel adulti hominis minimum admitteret digitum. Hæc tamen mulier à Chirurgo *du Foix* (vulgò *Lucq.*) priori sanitati, adhibitis fasciis, & ligaturis, restituta fuit.

Sicuti suturarum separatio, cujus modo facta mentio, ab externa causa subito provenerat, & quam minimo temporis intervallo; ita sæpius in *Hibernia* (prout *Arnoldus Bootius de affectibus omissis cap.* 4. *pag. mihi* 17. memorat.) capitis ossa evidenti distantia disjunguntur, præsertim quâ *coronalis*, quamvis & quandoque, quâ *sagittalis* excurrit sutura.

Quod tamen lente, atque interna causa, quam exterior vis non præcessit, tam masculis, quàm fœminis, nec minus robustis, quàm tenellis accidit. Hanc suturarum ab invicem separationem gravis; sequitur *Cephalalgia*, quæ ex duræ matris cranio multis membranosis fibris ut plurimum adhærentis, ac dictâ ossium divulsione tensæ, atque dilatatæ stimulis oritur. Qui dolor tolli vix potest, nisi conjunctione dictorum ossium, ac in priorem sedem reductione.

Quod quidem imprimis Chirurgi manibus efficitur, quem laborantis caput, si *Coronalis* disjungatur sutura, oportet comprimere, & una manû frontem, alterâ occiput adducere; si verò *sagittalis* aperiatur sutura, ab utraque parte tempora comprimantur necesse est. Quo facto, requisitis fasciis, queis dicta ossa suo loco contineantur, obvolvendum caput est. De modis, quibus juncturarum distantiæ in ossibus capitis firmentur, legatur *Hippocrates de officio Medici.*

D. Sennertus prax. lib. 1. *part.* 1. *cap.* 21. *pag. mihi* 52. Etiam nonnihil de hoc mali genere refert, cùm dicit internis aliquando causis suturas capitis, quæ alias contiguæ sunt, ita disjungi, ut evidens inter eas sit distantia, quod ab humorum copia fieri judicat, quæ distendendo facit, ut suturæ magno spatio distent, ut docet *P. Agineta lib.* 3. *c.* 7. nec non *Jacob. Fontanus*, qui Prax. *lib. D. cap.* 3. exemplum profert juvenis cujusdam, cujus capitis suturæ tanto disjunctæ erant spatio, quantum quatuor adimplerent digiti.

F. Fabrit. Hildanus centur. 1. *observ.* 1. *pag.* 1. duo etiam adduxit exempla divulsarum suturarum, quarum prima disjunctio è diuturna *Hemicrania* orta erat, quâ durante, ac inflammatione, necnon humorum copia in cerebro urgentibus, suturæ adeò hiabant, ut se systolen & diastolen cerebri satis distinctè sensisse memoret: Altera autem disjunctio è morbo graviori, ardentique febri, cum dolore capitis acutissimo provenerat.

Quin

Quin & Thom. Mermannus Consult. 4. lib. 1. fol. 15. Cephalæa, quâ præcipua quædam puella laborabat, mentionem facit, eaque suturam quâdam capitis parte disjunctam testatur.

Suturæ capitis, inquit Joubertus de Cephalalgia cap. 9. pag. mihi 437. interdum à se invicem separantur, quod ego semel observavi in fronte cujusdam puellæ, cui unius lateris os alterius superabat altitudinem post pertinacem in infantia capitis dolorem.

Ex inflammatione hoc malum oriri posse asserit. *Ætius lib. 6. cap. 25.* ut & *Hippocrates 7. de morbo popul.* Idem affirmat *Avicenna fen. 1. tract. 3. cap. 40.*

De sutura *cap. Lambdoide* hiscente in Infante vide sis *Miscell. curiosa German. decur. 1. anni 9. observ. 139. fol. 458.*

Thom. Bartholinus cent. 5. hist. 92. pag. mihi 173. hujus etiam rei mentionem facit, ut & *Fabrit. Hildanus centur. 2. observat. 7. pag. mihi 84.* necnon *Anthon. de Pozzis Miscell. curios. Med. Phys. Decur. 1. an. 2. observ. 34.* de Tribuno quodam narrans non militiæ minus, quàm potandi egregiè gnaro: qui cum se aliquando vino annoso plus æquo ingurgitasset, ob sanguinis inflammationem, & inde ortam vasorum cerebri dilatationem, divulsa magno cum cruciatu durâ meninge, nunquam quieverit, nisi cum cranii contiguæ extremitates circa *coronalem suturam* ad pollicis latitudinem essent disjunctæ. Ex hoc tamen malo id percepit commodi (si fas ita dicere) quod nempe postea absque cerebri perturbatione abunde se Liberi patris flore aspergere, ebriæque compotorum turbæ solus mentis compos superesse posset.

Petr. Marchettis observ. Med. Chirurg. c. 15. pag. mihi 31. mentionem injicit vulneris frontis usque ad *Diploen* penetrantis, ac gladio inflicti, citra ullam cerebri & membranæ labem, omnibus licet symptomatibus vulneris capitis præsentibus, quare ipse postridie trepano usus est, subjectam membranam nonnihil inflammatam inveniens, cui apta procuravit remedia. Cum verò vulnerati, ac 14. die mortui caput aperiretur, constitit à vulnere nec membranam, nec cerebrum quidquam incommodi sensisse, imò ipsam vitream tabulam mansisse illæsam: licet sutura *Lambdoides* tam latè esset aperta, ut minimum intromitteret digitum, dum saniei non multum inter ipsas suturas, ac supra duram matrem lateret. Haud absimile exemplum describit *Job. Baptist. à Lamzvveerde observ. 8. pag. mihi 232.*

Denique cranii suturæ etiam disjunguntur in infantibus, qui *Hydrocephalo* laborant. *Cornelius Stalpart. observat. rarior. cent. 1.*

Cranii dedolatio.

Inter multifaria capitis vulnera meritò numerandam existimo ipsius cranii *dedolationem*, sive *amputationem*, cujus rei exemplum ipsemet cum fratre meo P.M. *Joh. Stalpartio van der Wiel* (qui tempore belli inter *Fœderati Belgii proceres, Regemque Galliæ* gesti, vulneratis militibus cum Chirurgo *Cornelio van der Hoog* medebatur) hîc Hagiensi in *Nosocomio* in milite vidi, cui ægro ossis *parietalis* pars, nummi, quem *Imperialem* vocant, instar, cum utraque tabula, inferiore tamen superiori magnitudine cedente, prope verticem amputata erat, quam partem pollis aliquid, ac membrana carnosa etiamnum affixam tenebat. Quamprimum autem dictum os detractum fuit, pelle sua adhærente caput iterum contectum est, non expectatis, pluribus vulnerati cranii extremitatum separationibus: Atque ita dictum vulnus quam brevissimo tempore omnino percuratum est.

Jobus Mekeranus cap. 1. observ. Medic. Chirurg. pag. 4. Meminit incisuræ ossis *parietalis* sinistri ad *sagittalis* suturæ latus acinace factæ, quâ à prima separatum fuerit tabula ossis segmentum ejus figuræ, quam ille ibidem exhibet delineatam. *Scultetus in Armament. Chirurgico observat. 17. fol. mihi 214.* primæ tabulæ *Dedolationem* narrat, ejus nummi, quem modo nominavi, magnitudinis, inque ipsum penetrantem *meditullium*. Haud absimile quid *P. Marchettis pag. mihi 10.* memorat. Illius autem casus quo utraque cranii tabula uno, eodemque ictu sublatâ, vulneratus vivus permansit, unum ego vel alterum tantum proferre exemplum habeo. Refert *Philip. Jac. Sachs. Miscell. Med. Phys. curios. Germ. decur. 1. an. 2. observ. 119. fol. 195.* de *Polono* quodam benè poto, quidum digladiaretur, in sinistro capitis summo latere per suturam *coronalem* usque ad frontem, tale reportavit vulnus, ut non solum cutis cum carne duos transversos digitos lata, unô ulnæ quadrante longæ, sed & magna cranii pars penitùs dissecaretur, quo facto læsus semianimis in terra aliquantisper prostratus jacuit, mox dein resiliens, manû caput tangens, partem cranii fere abscissam, & parumper cute adhuc hærentem detrahere voluit, sed in hoc furore frustum saltem cranii arripuit, & in terram projecit. Chirurgus postea accedens reliquam carnosam portionem vulneri denuò adaptavit, & licet varia prava *symptomata* dein supervenerint, integræ sanitati nihilominùs restitutus fuit.

Legitur etiam apud *Cabrolium observ. 29. & 34. pag. 18. & 25.* Simile quid, quam historiam ob mirum rei eventum ipsis adscribam *Cabrolii* verbis: *ut alii, inquit, exemplo meo sapere discant, quod mihi olim Juveni contigit, dum Gaillac degerem, paucis enarrabo. Ad divitem quendam rusticum curandum vocatus sum, qui maximo gladii impetû ictus fuerat, ita ut magna pars bregmatis ablata esset, cumque eo portio quadam tam duræ, quàm piæ matris, necnon substantiæ ipsius cerebri. Adspectû primo obstupui, deinde ita egi, ut ejus curatio alii committeretur: hic quoque vulnere inspecto, nullo modo curari posse cogitans, patientem absque auxilio deseruit, donec ruricola quidam advenit qui ardenti veru laridum transfixit, quod in vas aquâ plenum destillabat, ex eoque sæpius abluto, ita ut nivem candore superaret, medicamentum confecit, quo linamenta omnia, turundas & lanas carptas insuccabat, cujus præsidio patiens integram valetudinem intra duos menses adeptus est, posteaque diutissimè vixit, hujus rei gnarus, miseris semper succurrendum, nec unquam desperandum esse didici.*

Nescius equidem non sum, *Jobum Mekeranum dicto cap. 1. suarum observ. fol. 7. & 8.* referre Nobilis cujusdam caput *Tartari* gladio ita fuisse vulneratum, ut frustum ossis ab ejus cranio cum pelle, ac capillitio avulsum esset, ipsumque quàm latissimè hiaret cranium, necnon Chirurgus, ut factum foramen clauderet, haud dissimilem ossis partem è cæsi canis capite sumptam

hianti cranio super imponeret. Quod os postquàm cum aliis ossibus conjunctum, & capitis cute contectum esset, dictum Nobilem priorem valetudinem recuperasse ait, hæc autem ipse scriptor, quamvis sibi à *Theologo* narrata, videtur ridere, nec immerito, meo quidem judicio. *Idem ibidem.*

Depressio Cranii.

Cum filiolus G. P. civis Hagiensis quatuor natus annos hic Hagæ in vicis luderet, casû satis infelici vexillum quoddam, quod è sublimi fenestra spectandum propendebat, obverso in illius latus sinistrum ossis frontis Manubrii acumine incidit, unde non tantum vulnus, sed & ossis *depressio* facta est. Vulnus tamen hoc satis feliciter Chirurgus sanavit, quanquam quondam vulnerato, nunc senescenti, etiamnum cavitas in illo osse supersit tanta, ut adulti hominis pollicis extremam intromittat partem.

Cranii depressio haud aliter se habet, quam stannea, aut plumbea vasa, quæ casû, vel concussione intus cedunt, deprimunturque. Hîc autem animadvertendum est, licet ossis calvariæ tabula hoc fracturæ genere non perspicuæ à se invicem recedat, fieri tamen in ipsa diploe totius separationem, quæ primæ tabulæ impressione contunditur, friaturque. Dicitur autem hæc fracturæ species Græcis θλάσμα, sive θλάσις, infantulis sæpiùs ac tenellis contingens, test. *Galeno lib. 2. de morb. causis cap. ult. classe 3. p. mihi 9.* Quoniam in his multo facilius fieri potest, ut pote quorum ossa tenuia etiamnum, atque infirma sunt valde. Neque enim fieri potest, quin id, quod contunditur, cedat retro, intusque; quod verò ita cedit, tenue sit, nec omnino durum, requiritur.

Tales cranii depressiones in pueris, facilè absque instrumentis Chirurgicis curantur.

De considerabili ac magna ossis frontis infantis depressione supra os Temporis ex lapidis jactû orta, pessimisque symptomatibus subsequentibus, absque ullis tamen mali reliquis ope fomentorum sanata, agit *Lyserus pag. 279. Item P. Marchettis pag. 18. Riverius observ. p. 355. Sculteti Armament. Chirurg. pag. 109. Rossius p. 121. necnon Smetius pag. 563.*

Ossa capitis depressa, inquit, *Paræus lib. 9. cap. 5.* aliquando per se resiliunt resurguntque pristinæ æqualitati restituta, quod aliquando puerorum, fœminarum molliorum, humidiorum, ac pituitosarum, ossibus contingit, quod si ipsa per se non resiliant, admovenda est cucurbitula cum magna flamma, & imperandum ægro, ut ore, naribusque compressis, spiritum magnâ contentione sursùm exprimat, &c.

In adultioribus hujusmodi Depressiones (cute præsertim integrâ) rarissimè cernuntur. Quibus autem contingunt iis, aliorum intuitû, tenue admodum est cranium, quod si tale non sit, haud dubiè, si in tabula superiore non animadvertitur fissura, infima tabula magis erit divisa, quam suprema, quoniam docente *Hippocrate*, illa in medio sui subsidere nequit. Id verò quibus contigit vitii, absque cranii terebratione vix sanantur nisi forte in exteriore ossis frontis prominentia depressio foret, cujus exemplum cent. nostræ secundæ observatione quartâ daturi sumus. De plurimis jam adultis, quibus nec cutis, nec exterior cranii tabula, sed interior fracta fuit, narrat *Tulpius fol. mihi 4. Sculteti Armament. fol. 212. Smetius pag. 570. Marcellus Donatus pag. 560.*

De cranii depressionibus in adultis absque manifesta fractura, cutisve solutione, quæ fomentationibus, ac emplastris sanatæ fuere, scribunt *corpus de fractura cranii, Marcellus Donatus pag. 531. lib. 5. cap. 1. Laz. Riverius observ. pag. 327. Scultetus Armament. Chirurg. fol. 3. & 240.* Quærere equidem hîc liceat, utrum cranium depressum loco suo restituatur necesse sit?

G. Fabrit. Hildanus observ. cent. 2. observ. 3. & cent. 3. observ. 21. ut & epist. 90. fol. 1023. id ipsum asserit, adducens exemplum pueri honestæ familiæ decem jam annos nati, subtiliorisque ingenii, qui caput cadendo læserat, unde cranii depressio prope suturam *Lamboiden* orta erat: Quod verò gravia non adessent accidentia, parvi fecere parentes hunc casum, ita ut ille puer postea memoriæ dono non tantum privatus, sed & pedetentim tantâ ingenii obrutus fuerit stupiditate, ut denique ineptus fuerit, qui quidquam addisceret.

Verùm *Wurtzius part. 2. cap. 6.* ait, non tanti faciendam Chirurgo cranii depressionem, præstare judicans rem ipsam Naturæ perficiendam relinquere, parumque referre, utrum cranium nonnihil maneat depressum, necne, quoniam non semper, nec necessario inde impeditur cerebri motus lato satis spatio duram matrem inter, ac cranium superstite. Meo quidem judicio Chirurgi operâ supersederi potest, si in infantibus collisiones cranii reperiuntur, non multum introcedentes, quas nec fissura nec fractura, aliave comitantur accidentia graviora, ita tamen ut, detonsis pilis, læsum locum fomentis adjuvemus, modum invenient Chirurgiæ Tyrones apud *Julium Cæsarem Arantium* ad calcem *comment. in lib. Hipp. de vulneribus capitis.*

Quando autem sive in infantibus, sive in adultis, depresio, sine exteriore fissurâ deprehenditur, ac gravia sese manifestant accidentia, omninò perforationem requirerem. Quo pacto infantum depressionibus eundum sit obviam, vide *Lyserum pag. 278. Paræum, Fabrit. Hildanum cent. 2. observ. 5. fol. 83. Sculteti Armament. fol. 110.* Cranium in pueris sub illæsis tegumentis, & citrà divisionem depressum, cucurbita communi in suum situm naturalem reducunt quidam.

Quomodo verò adultorum sanandæ sint depressiones, vide *Job Mekeranum pag. 18. Sculteti Armament. Chirurg. fol. 8. 112. & 193. 197. 200. 208.* Item Riverium p. 326. 354. necnon Fabrit. Hildanum cent. 2. observ. 3. & 4. fol. 78. &c.

Perficitur hæc cura ut plurimum terebra quadam *Triploide* dicta, quâ pars depressa elevatur, cavendo tamen ne hæc ambas cranii laminas perforet, & duram matrem pungat. *Idem ibidem.*

Fissura Cranii.

Petrus ab Evvück, eques Capitanei Coigners, vir 34. annorum cùm 2. Februarii in ædibus vice Capitanei Joännis Couper detecto capite cum vice-Capitaneo super aream colloqueretur, famulus quidam magnum lignum, pon-

ponderis decem vel duodecim librarum, per fenestram altiorem in detectum caput dicti equitis imprudenter dejecit. Ipse ab ictû momento in terram prolapsus obmutuit, ac pro mortuo in vicinum stabulum delatus fuit, ubi per horæ spatium taliter apolecticus jacuit, ita ut illum mortuum esse omnes judicarent. Tandem aliquantum ad se rediit, sed tota ista die & nocte sequenti deliravit. Chirurgus ad ipsum vocatus, cùm leve tantùm & superficiarium vulnus adesse animadverteret, nullum periculum adesse credidit, ac se ægrum tribus quatuorve diebus facilè sanaturum promisit. Dominus Couper tamen huic Chirurgo non satis fidens, cùm nuper infelicem minoris vulneris eventum in Thoma Grevener vidisset, tertia die me rogavit ut ægrum inviserem. Juveni ipsum sine magnis doloribus, sanæ mentis, cum levi ac contemnendo vulnere in syncipite, vix autem penetrante: oculi in circuitû livescebant. Propter pauca symptomata Chirurgus & astantes totum negotium flocci fecerunt. Ego autem totâ historiâ à principio diligentiùs examinatâ, certissimè affirmavi cranium non posse non esse fractum, seù fissum, & summoperè necessarium fore dixi, ut illud quàm primùm trepano perforaretur, ut hoc pacto sanguis extravasatus subtùs latens extrahi posset, neque expectandum esse donec alia gravia symptomata subsequerentur, utpote quibus apparentibus operatio hæc nimis serò institueretur. Ægrè, sed tandem tamen in meam sententiam itum fuit. Itaque alvo statim clystere subductâ, eâdem illâ vesperâ in sinistro bregmatis osse, ubi vulnus erat, incisio satis magna facta est ad formam litteræ T & cranium triangulariter denudatum est. Tunc ob hæmorrhagiam nihil videre potuimus, at postridie invenimus duas in cranio fissuras satis magnas, & ab unico latere particulam longitudinis semidigiti, parùm depressam, quæ particula à reliquo osse quasi in circulo undequaque soluta & disrupta erat. In vicina parte firma cranium trepano perforavimus, hincque sanguinis circiter unc. ſ. (qui inter cranium & duram meningem ex disruptis à casu venulis effluxerat, ibique delituerat) effluxit; quo deterso, parvum linteolum melle rosaceo imbutum meningi impositum, ac vulnus forinsecus carpiâ siccâ oppletum, & emplastro de betonica contectum fuit. 6. Februarii adhuc aliquid sanguinis effluxit, sequentibus autem diebus nihil amplius. Interea alvus medicamento leniente exhibito leviter commota fuit. Porrò vulnus usque ad 12. Februarii eodem modo tractavimus, & capitium ex herbis aliisque cephalicis consutum toti capiti imposuimus: postea hunc pulverem cum melle rosaceo mixtum meningi imponere cœpimus.

℞. Sanguinis draconis, thuris, aloës, myrrhæ, ana scrup. j. pollinis farinæ hordei scrup. j. ſ. fiat pulvis subtilis.

18. Februarii ab interiore cranii parte caro succrescere cœpit. 1. Martii, meninx carne contecta fuit. 16. Martii, Squamula à superiore denudati cranii osse separata est. Deinde caro exterior undique succrescens cranium brevi contexit, atque in principio Aprilis æger perfectè sanatus foras prodiit. *Isbrand. de Diemerbr. in Observ. & Curat. Medicis.*

Cranii ex contusione fissura ipsas suturas pervadens.

Quam malè usum Partium comprehendant ij, qui Suturas eum solummodò in finem homini esse datas asserunt, nè, uno cranii osse fisso, alterum quoque findatur, nôrunt ij, qui contrarium istius nobiscum observarunt. Anno 1670. moles illa lignea, quâ palos humo infigunt (Belgicè *een Heyblok*) in cujusdam viri bregma devolvebatur, unde in terram prolapsus, omnique sensû interno privatus, sanguineque auribus effluente, brevi post animam Deo reddidit. Oblatum mihi fuit, mali causam investigandi ergò, cadaver. Cranio denudato, os bregmatis (si benè memini) sinistrum à parte superiore ad inferiorem ex toto fissum reperi: Quæ fissura progressum fecit per suturam squammosam, totum os petrosum, & os occipitis, ad magnum ejusdem ossis foramen, suturis ad fissuræ cursum sufflaminandum nil valentibus. *Freder. Ruysch. Observ. Anatom. Chirurg. centuria.*

CRINONES ET COMEDONES.

De iis cùm sub nomine vermiculorum capillarium, Dissertationem admodum accuratam scripserit Doctiss. Georg. Hieron. Velschius, placet huc illam integram adducere. Sic autem ille.

§. I. Cùm secundo prioris exercitationis capite dracunculum seu Venam Medinensem ab aliis morbis discerneremus, ut eò magis elucesceret, quantum ab illo infantium adfectu differat, quem vulgò pilarem vocant, & invicem confundunt, polliciti sumus, singulari exercitatione, priori subjungenda, de illo nos dicturos esse. Hoc igitur nunc agamus. A nomine incipimus, nam, teste Aristotele, δεῖ πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν πρῶτον ἐξετάζειν ὀνόματα. Ex Medicis antiquioribus nemo, & è recentioribus paucissimi adfectus hujus meminêre. Vulgus Germaniæ appellat: *Mitesser, oder Mitfrass*: Norici, scribente sic Viero in tr. German. de Varis vocant: *Die durre Maden*: Unde fortasse corrupta vox illa Mich. Papæ Rochliciensis tract. German. de pellend. verm. & an. venenatis. pag. 191. *Darm Maden*: Gall. *Tarmes*: mallemus enim: *Darre Maden*: Nam *Darre*: Idem quod macies aut tabes corporis. Aliis: *Die Zehrenee Wurme*: dicuntur. Latinus Vieri paraphrastes apud Henric. Smetium III. Miscell. Med. Germanicum nomen versioni ineptè intrudens: *Mitesserenos*: reposuit, non levi sanè crimine, & quod Orbilius aliquis vel in puero objurgaret. Comedones aut vermes comedentes quorundam sententia rectius dicerentur. Nec desunt etiam qui vermiculos consumptores appellent. Cujus nomenclaturæ rationem optimè edidit Johan. Schenkius V. observ. 188. quod alimentum infantium, quos infestant, abripiant sive absumant, adeoque maciem inducant. Quæ cùm ad extremum jam deducta est, etiam aliud nomen adfectui parere solet, de quo Theod. Corbeius aut verius Jo. Magirus II. Pathol. sect. VII. c. V. his verbis: Iis adfecti tandem citra anorexiam

xiani vermiculis humorem alimentarium depopulantibus in eam atrophiam & maciem incidunt, ut cuncta deperdita carne vix ossibus hæreant, cum tanta artuum titubatione, ut ne quidem pedibus inniti possint, & tunc: *Den alten Vatter* nominant. Henricus Varenius disp.21. Nosolog. Herm. & Gal. §. XIV. Crinones vocat, eosque duplices facit: priores locis maximè articulis viciniorib us gener ri, ac tumorem cum dolore mordicante & lituras subnigras, scorbuticis non dissimiles, excitare ait, quæ interdum in ulcera Chironia terminentur, atque tùm demum à suis vocari, *der Haarwurm*: posteriores verò absque ullo tumore cum dolore tamen, lassitudine, imbecillitate virium, & insigni atrophia infestos esse, quò mox §. XV. etiam refert, infantilem illam (sic enim vocat) cum psora conjunctam atrophiam, doloribus lancinantibus, vespertinis & nocturnis potissimum horis tenellis corpusculis mirum in modum molestam, atque à suis *die Bernegrund* nominatam. Ambrosius Paræus VII. Chir. XXI. *abscessus*, inquit, *rarum genus in memoriam revoco, id Cridones*, (credo à crinibus) *nostrates Galli nominant: pueros præsertim divexat ac quasi spi nularum aculeis compungeretur dorsum, huc illac se jactant, quietis impatientes: ab exiguis quidem, qui vix aciculæ longitudinem equent, sed crassis & spissis pilis oritur id malum.* Nos tamen Paræum putamus Crinones scripsisse, non *Cridones*, quam voculam forte typographus depravavit. Crinones etiam & dracunculos à qualicunque similitudine vocabat Balthas. Timæus V. observ. cas.23. Galli enim *Crinons* appellant, à crinibus haut dubiè, qui iisdem *les Cri s* dicuntur, & cum vermiculis illis magnam habent similitudinem. Imò si verum fateri oporteat, & ipsi vermes capillares sunt ulceribus pedum fœtentibus innati, אבוקו Hebræorum, *vitium pedum quod à vermibus fit*: & אבוקה vermis pedum, in Lex. Rabbin. Talmud. Buxtorfii. Quales à Joachimo Jauraviensi Lixivio fraxineo, immaceratis spicis secalinis, & decocto Corticum quercus novellæ, ac denique inspersione pulveris extormentilla aristoloch. rot. bolo Armen. & myrrha curatas recensuimus inter observationes Hieron. Reusneri CXLV. ad quos & diapasmate non valdè absimili feliciter utebatur Wolfg. Theodericus Cueringius vir nobilis reique Medicæ peritissimus in Mss. nostris. Cum Crinonibus etiam Persicis apud Jo. Eusebium Nierembergium dracunculis, & varis confundit Val. Andr. Mollenbroeccius tr. de Varis sive arthrit. Vaga scorbut. c.1. Jo. Schenkius l.c. *pilos infantes infestantes*: Item: *Vermiculos intercutaneos* vocat, additq; quibusdam morbum sive *adfectum pilarem* dici. Græci τελχίασιν ἢ τελχίαν nominassent dubio procul, si morbum cognovissent. Non unum enim adfectum ita appellârunt, ubi Latini interpretes semper morbum pilarem, seu malum pilare reddiderunt: Sic enim primò ciliorum & palpebrarum triplicem adfectum nuncupant, φαλάγγωσιν videl. πτίλωσιν ὑπόφυσιν. Tùm mictum pilorum, cujus nos supra mentionem fecimus. Fracturæ item cranii speciem quandam, quæ, cùm tenuissima sit, sensum omnem effugit, ideoque sæpè letalis deprehenditur. Denique & mammarum dolorem, à pilo, ut quidam suspicantur, ex Aristot. VII. histor. an. XI. in potu forte hausto, excitatum, seu potius à Vermiculo pilum referente, quæ Guil. Rondeletii sententia erat. Rarus quoque adfectus, trichiasis aurium A. M. Venuito part. II. Consil. XXVI. memorata, in opere à Josepho Lautenbachio collecto, filamentis ex pituita, à longa surditate, sternutatione ejectis: Et Linguæ, pilis sat longis in eadem excrescentibus apud Amatum Lus. Cent.6. cur.65. σκώληκες τελχωδεις ἢ ὑποδερμίδες Francisco Joëli Pr. Med. X. sect.2. §. XI. quos vett. omnibus Gr. Arab. & Latin. incognitos putabat, non secus ac dracunculi vett. olim nostris omnibus ignoti & indicti erant, antequam navigationes in utramque orbis partem excolerentur. Vermes in dorso Gallice *Masclous*, dicti Petro Borello Cent.1. observ.8. quos capillaribus in facie, totoque corpore pruriginosis haut ineptè comparabat, iisdem nempe cum setis Narbonensibus Meylomerii, de quibus priori exercitatione. Dalechampio tamen in hist. plant. Rovilliana, Hamus verus, Gallicè, *Herbe du Masclou*, dicitur, cujus usus Tolosatibus frequentissimus ex vino albo ad tormina colique dolores adlententibus Jo. Bauhino in hist. plant. & Dominico Chabreo ejusdem compendio class. 5. Quamvis & Coli cruciatus haut raro à vermibus oriri notissimum exsistat. At verò J. C. Claudinus V. empir. rational. sect.1. cap. 4. & 5. utrumque adfectum distinguebat, non planè quidem ab re, sed ipsa experientia edoctus, sæpius complicitum, & maximam adfinitatem vicissim habere fatebatur, nimirum ut priori exercitatione haut rarò dracunculos obscurissimi motus ostendimus, unde quibusdam omninò nullo præditi videbantur, ita etiam vermiculi capillares interdum pilos tantum immobiles, non animalcula referre solent. Herculis Saxoniæ utique observatione & Gregorii Horstii part. 1. Epist. sect. 5. quam Guil. Fabricius Hildanus Cent. 5. observ. 2. repetit, puelli capite totoque corpore pilosi nati, sponte cadentibus pilis, nunquam deinde vermiculis laborant, quibus lanugine illa destituti plerumque sunt obnoxii. Georgius Cuffnerus in append. libri de morb. infant. à Leonello Victorio Faventino ed. cap.12. *Exsistunt*, ait, *in puerulis subcutanea quædam animantia viva, lumbricorum formam præ se ferentia. Dracontia vulgari appellatione nominata.* Magirus l. c. *dracunculos vocat.* Et Georgius Cunelius disputationem suam inauguralem Basileæ habitam, cujus ex Jo. Nic. Stupani Medicina Theorica supra meminimus, de dracunculis inscripsit: Verùm quantopere erraverit, dum venam Medinensem cum adfectu hoc infantium confudit, statim seq. §. II. demonstrabimus. Nam quod Gasp. Hofmannus III. Instit. 124. §. XIV. alterum genus dracontii apud Paulum Æginetam existimârit: & doctissimus Jo. Ant. van der Linden Meletem. Med. lib.2. Patholog pag.21. minorem dracunculum subcutaneum, majori in venis similem, & acarum antiquorum subdubitarit, nullo sat gravi argumento probari potest. Clarissimi tamen Sennerti sententiâ II. Pr. part.2. cap.24. hæc quoque appellatio tolerari queat. Sic enim censet: *Nonnulli Crinones nominant, alii dracunculos ob similitudinem cum dracunculis, qui Ægyptiis, & Indis sunt familiares.* Ipse tamen, ut prioribus monuimus, dubio pro-

procul ὁμωνυμίας obscuritatem & confusionem fugiens, vermes dorsi appellare maluit, quod præcipuè in dorso infantium nascantur. Nec aliter Claudinus V. Empir. rational. sect.1. c.4. similitudinem aliquam admittebat, ipse tamen *intercutaneos puerorum lumbricos* vocabat: & Claudius Deodatus X. Panthei Hygiastici c.41. *vermes sub cute*. Quod si omninò dicere liceat, quod res est, similitudo horum vermium cum dracunculis vett. aut planè nulla est, aut certè adeo exigua, ut meritò contemni queat. Cùm igitur morbus sit antiquioribus ignotus, nemo nos, speramus, reprehendet, quia vermiculos capillares infantium vocavimus. Hoc enim nomine nisi fallimur, naturam adfectus hujus sat benè exprimi existimamus, de qua mox plura disserenda erunt.

§. II. Quamquam verò cuivis ex antecedentibus intelligere pronum sit, vermiculos capillares infantium à vena Medinensi Ebnsinæ, sive dracontiis Græcorum plurimum discrepare, ut tamen nemo hac de re ultra dubitare possit, paucissimis ostendere non pigebit. Primò igitur dracunculos Orientalibus plagis peculiares esse diximus, hos autem vermiculos plerique septentrionalibus magis familiares adscribunt. Deinde adfectiones vena Medinensis supra cap. 3. propositæ vermiculis istis nullo modo conveniunt. Illam enim corpus crassiusculum rubicundum aut album, figuræ teretis, insignis longitudinis, & varios in circulos sive anfractus circumflexum docuimus: hos autem pili spissioris & crassioris forma nigricantibus capitulis, parvos omninò, breves & vix aciculæ longitudinem æquantes, nec in ullos gyros circumvolutos omnes confitentur. Præterea symptomata dracunculorum à vermiculis his valdè aliena sunt: Non enim pustula, non dolor, non tumor, non exulceratio hic locum habet, sed in balneo vermiculi medicamentis prolecti per poros cutis capita tantum exserunt, toti verò vix unquam prodiisse visi sunt: E contrario inquietudo, vigiliæ, compunctio, & tabes adsunt, quæ mala in vena Medinensi nemo observavit. Porrò dracunculi ritè curati nunquam sunt periculosi, vermiculi autem isti ob tabem, quam inducunt, sæpius exitiales observati sunt. Tandem & curatio utriusque morbi diversissima est, de qua partim supra jam vidimus, partim postea dispiciemus. At Petrus Monavius Epist.215. ad Hieron. Mercurialem apud Laur. Scholzium ægritudini bovinæ potius, quam Venæ Medinensi similem conjiciebat, quod tamen magis, ac illud admitti posse, inspecta priori Exerc. nostra cap.2. facilè colligitur. V. C. Hieron. Reusnerus in disput. quadam Medica 1582. Basileæ habita, quam Schenkius adduxit, vermiculos hos capillares infantium cum Varis Vestphalicis & Batavicis videtur confudisse: *Cùm infantes*, ajens, *citra anorexiam in tantam incidunt ἀτροφίαν ut omni deperdita carne vix ossibus hæreant, obstructionem vasorum adesse certum. Vestphalis & Dithmarsis Daniæ proximis videtur hic ἐνδήμιος, qui ipsum Varum nominant, nostri den Mitesser, Ribkuchen, den lauffenden und Zehrenden Wurm, ab actione naturali læsa ducta symptomatis appellatione.* Henricus Varenius disp.21. thes.27. huic non obscurè consentit, quando inter alia Crinonum suorum signa, etiam hoc empiricis probatum adfert: *Turæ lumbricum dolenti loco impositum plantisve pedum suppositum mox emori, contabescere, vel corrugari animadvertunt.* Hoc enim inter certissima varorum signa plerique numerârunt, quamvis haut parum dubium nobis videatur. Ab illis autem jam olim Vierus vermiculos capillares infantium sive Comedones suos distinctos pronunciavit, quod neque proprietate morbi, neque curandi ratione, uspiam conveniant. Nos quoque de varis plura supra diximus cùm cap. 2. eosdem à dracunculis jure sejungeremus. Præterea & aliud quoddam vermium genus est, quod vulgus Germaniæ, *den Geitzvvurm*, vocat, (ac si avarum Latinè dixeris) infantes æquè ac capillares illi in perniciosam tabem conjiciens, à quibus tamen omninò discerni debet. Ajunt autem cognosci, si umbilico gobius fluviatilis imponatur, horisque 24. elapsis pisciculus adrosus aut ad spinas usque consumptus inveniatur. Quo viso deinde quidam pulverem Savinæ & vitri Veneti melle mixtum juglandis putamini inditum umbilico adponunt, ut eo degustato vermis emoriatur. Hæc omnia tamen plerique olim ceu fabulas ridebant. At Jo. Georgius Brenggerus Medicus valdè industriùs epist. ad Philippum Hechstetterum perscripta, quam hic in fine observ. suarum edidit, testatur vermem istum in nobili puella sibi conspectum, eumque in vena umbilicali latitare putat, semipedalem appellans, figuræ teretis latiusculæ, pallidi coloris, & pellicula non tenui ac lævi, sed duriuscula seu subcrustacea contectum. Viderunt etiam Platerus lib. 3. Pr. cap.13. Frid. Olevianus ap. Hieron. Reusnerum observ. 97. & Rupertus Sulzbergerus apud Sennertum 3. Pr. part.10. c.4. Matthæus Millerus Senior Profess. in Academ. Tubing. disp. singulari 1627. habita, cujus etiam meminit Rudolphus Camerarius Cent. memorab. Med.12. §.XCIV. A quò fortasse nonnisi magnitudine differt alius quidam & ipse infantes periculosè tabefaciens, quem Zacutus I. Prax. admir. observ. 124. à Lusitanis suis, *O mao* nominari, atque à se Castorei scriptulo in lacte dissoluto ter exhibito aliquoties per alvum proturbatum refert: vermis scil. ut ipsi nominare placuit, obesus, illique similis, qui in corrupto caseo occultantur.

§. III. Quid igitur, qualesve sint vermiculi isti capillares infantium pauci accuratè describunt. Felix Platerus, Medicus cæteroquin experientissimus: *In brachiis*, inquit, *cruribus, suris, interdum & lateribus, vermes se in adfectu quodam exserere, quos dracunculos vocant, German. Mitfrass, scribunt: quorum utique nobis incognitorum descriptionem aliis concedimus.* Paræus l. supra c. ad Gallorum suorum mentem eos pro pilis spissioribus habuisse videtur: Nam quando etiam abscessus rarum genus nominat, nequaquam audiendus est, aut potius de alio quodam adfectu intelligendus, cum quo fortasse vermiculos confudit, eumque sequutus Samuel Hafenrefferus lib. 1. de cut. adfect. cap.11. quamvis laxissimam abscessuum nomenclaturam, etiam apud Hippocratem non ignoremus. Utrique verò quod judicium de pilis attinet, adsentiuntur Saxonia lib. de plic. Polon. cap.41. & Greg. Horstius part.1. epist. sect. 5. & apud Fabricium Hildan. Cent.5. observ.51. At

Henricus Varenius ut §. I. dicebamus, infantilem atrophiam cum psora conjunctam appellavit. Reliqui omnes veros vivosque vermes esse statuunt, quorum sententiæ accedimus. Non tamen inefficaci hoc argumento, ut quidam illorum, permoti, quod alimentum infantium absumant, eosque in maciem deducant: Possent enim eodem & cæteri opinionem suam de pilis firmare, ac alimentum corpusculo infantis debitum in horum generationem & nutritionem impendi nobis objicere: cùm præsertim non pauci hodiè reperiantur, qui pilos non è fuliginibus & excrementis generari, sed vel ipso sanguine, aut aliis humoribus alimentariis nutriri contendant, quam etiam sententiam ab aliis suppresso suo nomine evulgatam olim querebatur Greg. Nymmanus tr. de apoplex. c. 10. nostris tamen temporibus detectis lymphæ ductibus & circulatione laticis cum sanguine adsertâ, multò facilius intelligitur. Amplissimus Rolfincius lib. 13. Meth. Consult. cons. 3. excrementa tantum cutis viscosa, in poris condensata existimat. Nos, ut vermiculos veros vivosque credamus, motu illorum præcipuè adducimur, qui omnium consensu tunc inprimis manifestus est, & quasi subitaneus cernitur, cùm in balneo infantes melle aliisque dulcibus, & vermibus gratissimis, oblinuntur: Ut & recursu eorundem in corpus, & sub cutem, nisi illico abradantur sive eximantur, qui sanè neque pilis, neque etiam excrementis densatis, porosque obstruentibus, convenire potest. Ideoque talem descriptionem edimus: *Vermiculi capillares infantium sunt vermes tenues & exigui, pilis crassioribus quodammodo similes, sub cute in artubus & præcipuè dorso ex humoribus vitiosis, proprioque seminio, caloris sive naturalis, sive etiam putredinem comitantis opere generati, infantes inprimis pruritu, vigiliis, inquietudine, & corporis extenuatione infestantes.*

§. IV. Causa, ut Philosophi vocant, efficiens primaria, horum Vermiculorum est ipsa forma sive anima in seminio suo latens, non calor, aut putredo, ut plerique opinantur. Hæc enim rectius in generatione illorum instrumenti tantum vicem gerere statuimus. De seminiis autem animalculorum, quæ sponte solent nasci, rem omnem accuratè confecit, & exposuit Clar. Sennertus Hypomnem. Physic. 5. cap. 8. quem consulant, qui dubitare non verentur. Quidquid enim de vi illorum & formis latentibus, antequam exserantur, in contrarium alii excogitarint, egregio illo Theodoreti dicto epit. de divin. decret. lib. 5. facillimè everti potest, si modò, quod ille de temperatura corporis, anima quibusdam Medica constituta, de istis spontaneorum formis accipiantur, naturali suâ cognitione, non minus, quam sensu & ratione animæ nobiliores, instructis: *Oportebat*, enim ajebat, *ipsos considerare, quod etiam qui lyram scit, si non rectè aptata & instructa lyra fuerit, suam non ostendit scientiam.* Sic formæ scil. animæque omnes nonnisi loco, tempore & instrumentis commodis præsentibus operantur. Parum sanè ab isthac sententia abludunt, quæ plerique de sanguine menstruo ad mentem Arabum, sive meconio Aristotelis memorârunt, inter quos non postremus Jo. Colle III. Cosmit. Med. pag. 247. infanti recens nato, dum Umbilicus secatur, sanguinem copiosum effluere permittebat, quod isthac præservatione paucissimis rarissimisque deinde variolis, aut etiam nullis corripi observarit. Neque id abnuens, Jo. Zechius de puer. tuend. valetud. §. IX. ad Aentii mentem tetrab. 1. serm. 4. cap. 3. per alvum potius expellendum docebat, melle cocto, vinoq; modico diluto exhibito: (Id enim butyro præferendum arbitrabatur) quod etiam de Colostro suo ut minus proprie vocabat, Ezechielis nomine Petrus à Castro puncto 5 pag. 21. testabatur. Sic autem vocabat μηκώνιον Aristot. (*papaverculum* non adeò bene Theodorus Gaza reddiderat, quia id Diosc. IV. 65. trochiscos ex succo capitum foliorumque expresso, non ipsum papaver, significat.) 7. histor. anim. 10. περίττωμα δ' χρῶμα αἱματῶδες ϗ σφόδρα μέλαν, ϗ πιττῶδες, μετὰ δὲ τοῦτο ϗ γαλακτῶδες. Excrementum colore sanguineum, & valde nigricans aut piceum, interdum & lacteum, quod Plinius 28. 4. *Sordes infantium alvo editas.* Jac. Dalechampius propemodum ridiculè, Gallorum suorum consuetudine, Syrupum infantium appellavit. κόπρον τὴν πρώτην Auctor 4. de morb. inter Hippocratis scripta, vocabat, primum puerorum stercus, cum quo permulti etiam rotundos latosque lumbricos excreverint, ϗ στρογγύλας ϗ πλατείας ἕλμινθας ἀπεπάτησαν ἅμα τῇ κόπρῳ τῇ πρώτῃ. At Petrus à Castro subtilius distinguens aliud lacteum, ut Aristot. à Chyli reliquiis, aliud feculentum à sanguinis fecibus nominabat, quod Roderico à Castro part. 2. lib. 5. de morb. mul. cap. 29. Hispanis à colore ferrugineo iccirco: *ferrado*: dictum monebat, sæpius vermiculis & ascaridibus refertum, quales in caseo nascuntur, in dissectione abortuum visum, quemadmodum & variolas à miasmate vermiculante subortas microscopicæ observationes docuerunt, quarum præsidio pathologiam suam animatam sive vivam mortis imaginem & putredinem animatam instruere quondam cogitabant Augustus Hauptmannus & Christianus Langius Medici Lipsienses celeberrimi, si per fata licuisset, quamquam ex postumis alterutrius scriptis egregii quidpiam proditurum nec dum spes omnis decollarit. At *Colustra*, lac novum in mammis Lucilio & Laberio Mimographo apud Nonium Marcellum de propr. sermon. cap. 2. §. CXVII. quod cùm serosius exsistat, utrum infantibus præbendum sit? pluribus disquirebant Illustris Veslingius epist. ad Georg. de Medicis Brixiensem. observ. 28. lacte utique, quod chylum ipsum, non sanguinem ex chylo genitum & denuo dealbatum, curiosis nostræ ætatis experimentis constat, non secus ac in sanguine seminia vermiculorum & vermiculi ipsi sæpissimè conspecti sunt. Reliquiæ sanguinis menstrualis, qui erat in hora imprægnationis Ebnsinæ IV. sect. 1. tract. 4. cap. 6. עקין in homine Jauhario, quod in brutorum generibus ורינו primum recens natorum excrementum, antequam quidquam ederint, emissum: plurimum sanè à Colostro differens, quod לבאו lac primum à fœtu edito mulgeri solitum.

§. V. Cum ergo forma quævis propriam habeat materiam, in qua & subsistit, & commoda occasione oblata corpus operationibus suis aptum ex eadem sibi ipsa exstruit: iccircò, è proprio seminio etiam capillares infantium vermiculos

culos produci in nostra descriptione diximus. Cùm verò illa valdè sæpè sit exigua, ipsius Aristotelis ingenua confessione, cujus 5. histor. animal. 19. hæc verba sunt: ἡ δ' ἀρχὴ τῶν σκωληκίων μικρά, (minus sanè admiratione digna quam illud Plinii 17. 10. *Cupresso semina tam parva, ut vix conspici possint, non omittendo naturæ miraculo, è tam parvo gigni arbores,*) imò judicio Sennerti Hypomnem. l. c. & Liceti 3. de spont. viv. ort. 46. animula illorum etiam in atomis latere possit, quas uterque ideò atomos seminales appellat, proprerea & vitiosos humores tanquam materiam satis copiosam, generationi eorum idoneam, meritò addidimus. Pituitam imprimis sub cute & inter poros contentam, ac transpiratione prohibita, putrescentem nominabat J. C. Claudinus Empir. rat. l. c. Neque dissentiebat vir subtilissimi ingenii Joan. Chrysostomus Magnenus in Democrito suo redivivo, sive disp. 2. de atomis c. 4. propos. 35. vermium scilicet & lumbricorum minima tertii ordinis (id est nec atomos simplices, nec secundarias) cum alimentis adsumpta vim concoctricem effugisse, atque quod debilior esset, non ita potuisse edomari, quin servarent seminales spiritus, formamque partialem. Quod supra nos etiam de seminiis dracunculorum c. 7. adseruimus. Nec aliter explicari debet Sennerti opinio 4. Pr. tr. de morb. infant. part. 2. c. 32. de materia viscosa venis capillaribus conclusa, & propter transpirationem prohibitam in vermium genus mutata, quando quid de spontaneo animantium ortu in humano corpore severius censuerit, satis ex aliis ejusdem scriptis planum est. Nec enim aptitudo materiæ ad vermium generationem, quam requirebat, commodius, ac de seminiis propriis exponi potest: quod de ichoribus aliisque serosis humoribus è quibus cridones sive dracunculi, tineæ, Vari, vermiculi morbillorum, pustularum, & scabiei cyrones, acari, aliique oriantur, pariter adfirmabat Augustus Hauptmannus epist. præliminari ad Petr. Joan. Fabr. de viva mortis imag. c. 19. quamvis seminia illa in elementis contenta, sola putrefactione, corruptione, & influxu cœlesti generari minus doctè minusque verè opinatus sit, primariam scil. efficiendi facultatem instrumentis præpostere committens. Multò sanè candidius veriusque vir Nobilissimus Franciscus Redus neque ex animalium demortuorum carnibus vermes nasci curiosissimis experimentis circa generationem insectorum exploravit, nisi ab aliis animalibus vivis seminia fuerint apportata. p. 52. obs. de viper. Sed hæc quidem materia proxima dicetur. Remota enim dubio procul eadem est, quæ aliorum lumbricorum, quorum frequentissimus in pueris ac infantibus proventus observatur: de qua cùm aliis in locis, & ab aliis abunde actum fuerit, nil opus est multa heic adferre. Hoc verò in transitu monemus: ridiculum & valdè scabiosum nobis videri, quod Henric. Varenium §. 21. de crinonibus suis scribere non puduit: *In hisce numerantur, si scabiosis pedibus tibialia lanea superinducantur, hujus fila ulcusculis hærentia postmodum animentur.* Quamvis non ignoremus Franc. Bonamicum etiam ex iisdem filis pediculos nasci aliquando credidisse. Ita haut rarò quidam nubem pro Junone lubenter amplexantur. Similitudo enim, quam vermiculi cum pilis laneis obtinent, memorata Joeli 10. Pr. Med. sect. 3. §. 11. causam tamen non arguit, nec generationis modum evincit. Quin etiam scabiei mentio, satis arguit, non alios hos vermiculos esse posse, quam quales in ulceribus sordidis generantur, & in scabie microscopiis observantur, etsi vel linea vel coriacea femoralia induantur. Nec filum illud sericum in supercilio mulieris Toninensis, à vulneris sutura relictum, atque deinceps continua vegetatione, quamvis abscissum, sæpius excrescens, de quo libellum singularem à Petro Duncano Medico Montalbanensi pererudito conscriptum, nec tamen editum, memorat Petrus Borellus 1. obs. 10. ad animalia sponte nascentia, nec etiam ad plantas ejusmodi pertinet, quas hominum corporibus insertas augeri & crescere posse, exemplo Rocci Martini in Hispania, cujus pectori spina pruni silvestris infixa radices egisse & germinasse ostendit Petrus Servius diss. de ung. arm. p. 52. & contra Liceti dubitationes tr. de Litheosphoro c. 51. satis tuetur Peirescii testimonium in 5. de vit. ejusd. apud Gassendum, & qui cum ipso surculos communicavit, nobisque etiam Romæ sincere adfirmavit αὐτόπτης Illustriss. Eques Cassianus à Puteo, cujus virtutem & eruditionem omni majoris fortunæ apparatu adfluentem, avito stemmate splendidissimam, nemo satis pro dignitate laudare unquam valuit. Sed neque ipsa serici ulla vegetatio fingi debuit, ut quod artifici manu netum atque contortum filum forma naturali propria vegetante omni omninò destitutum, à natura aliter produci & continuari non potuit, ac membranosi aut nervosi alicujus corporis accretione quale interdum fidibus non absimile etiam sine ulla serici præsentia densatione atque coagulatione laticis nervosi nutricii quandoque progenerat, ut prioris Exerc. c. 2. de setis Narbonensibus dicebamus.

§. 6. Causas Georgius Cunelius in disp. sua de dracunculis, id est, vermiculis infantium capillaribus, rectè quidem internas & externas constituit, sed quas rimari atque examinare operæ pretium existimamus. Externas §. 10. quatuor proponit: *Conceptionem fœtus fluentibus menstruis; Obstetricum & nutricum in sordibus abluendis extergendisque negligentiam: Linteorum, quibus infans involvitur impuritatem aut etiam humiditatem, si scilicet non satis siccata, aut etiam nocturno aëri & radiis Lunaribus exposita fuerint: & denique victum impurum.* Internas verò §. 12. quinque enumerat: *Vitiosam corporis statim ab ipso ortu constitutionem: Humores vitiosos & corruptos ad partes alendas derivatos: imò & probos sed in tertia coctione depravatos: Ipsarum musculosarum partium substantiam corruptam: Et excrementa tertiæ coctionis benigniora, quæ aut expultricis imbecillitate è corpore non pellantur, aut ob pororum cutis constrictionem difflari & transpirare nequeant.* Nos quasdam ex his omninò reprobamus, reliquas autem quas admittimus, ad causas jam commemoratas reducemus. Quod ergò primùm conceptionem fluentium menstruorum tempore concernit, cùm id à nemine, quod quisquam sciat, observatum sit, nullaque ratione vel in speciem probabili nitatur, non injuria rejicimus.

Nec enim credimus ab hominibus legitimè in matrimonio viventibus quidquam tale patrari. Certè adfectum infantibus satis frequentem tradunt. Et notatu digna est Arabum phrasis, de muliere, quæ menstruorum tempore concepit, apud auctorem Oceani Arabici סחואן אלטואח עמלח tanquam *per incuriam & hallucinationem* id factum sit, aut *errore insigni ac vecordia, quam* סחון significat. Olim sanè Hebræi Dei mandato capitis pœnas dabant, quicunque scientes volentes cum menstruata concubuissent Levit. 20. 18. cæteri, qui inscii, aut per incuriam fecissent, septendio immundi, lotionibus & expiationibus opus habebant, Levit. 15. 23. Unde 7. *immunditiei patres*, (ut Talmudici vocant,) deducebat Majemonides præfat. in Seder, Tahoroth. טבעה אבוה אלטומאחן quos gonorrhoicis, & leprosis ex Magistrorum suorum mente æquiparabat. Hæc talia verò quamvis ad legis Cerimonias pertinuerint, ex intimis tamen naturæ arcanis depromta, ad sanitatem simul corporum, & posterorum curam, quam maximè spectasse, nemo dubitare debet. De negligentia verò nutricum & obstetricum nemo dubitabit. Harum enim incuria sæpissimè, imò & malitia, malè est infantibus, Sordes igitur sive in utero sive postea in cunis contractæ minus diligenter abstersæ gemina ratione nocere possunt: aut enim per poros ipsum corpus subeunt, aut meatus cutis obstruunt & excrementorum transpirationem impediunt. Quò referenda erat etiam cunabulorum impuritas. Humiditas enim eorundem, si absque sordibus sola fuerit, potius alios adfectus producit. Radios autem lunares, quemadmodum mala plurima in corpore humano, vitiosis maximè succis referto excitare certum est, commotis videlicet & liquatis humoribus, ita cur eosdem in linteo metuere debeamus, nondum intelligimus, & debuisset Cunelius nobis explicare. Exoleta quippe illa opinio, neque naturæ consona, quam Manichæis de Luna fuisse Augustinus epist. 119. ad Januarium commemorat, beatus à castris illorum impiis transfuga, *repleri eam, sicut navis, sordibus principum tenebrarum. & fugitiva Dei parte. In herbas quoque salivam venenatam despumare, illas præcipuè, quæ Magiæ destinatæ, gentilibus quibusdam creditum.* Hadrianus Turnebus 8. advers. 26. ostendit. Nam cæteroquin verè Ptolemæus 1. Tetrabibl. s. quadrip. Lunæ vim in corporeis rebus efficacissimam propter terram vicinam pronunciabat, & humorum evaporationem, διὰ τὴν προσγειότητα καὶ τὴν τῶν ὑγρῶν ἀναθυμίασιν, quam terræ atmospheram hodie appellant lunari contiguam, cujus virtute mirificè commovetur. Et huic sanè multò aptius conveniet, quam quod Alcmanem Poëtam Plutarchus Sympos. 3. probl. ult. δρόσον ἀέρος θυγατέρα καὶ σελήνης constituit, *rorem aëris & Lunæ sobolem*: verius enim ex aqua, aut terraqueo globo vapores sunt à Lunæ radiis elevati, quo sensu & illa accipienda quæ l. c. problem. 10. adserebat τὴν ὑγρότητα ὑπὸ τῆς σελήνης διαχεομένην βαρύνειν τὰ σώματα; *Humorem à Luna diffusum aggravare corpora*: Ideoque nutrices cavere jubebat ne infantes sibi commissos Lunæ ostendant, ne corpuscula eorum humoris plena, viridium ad instar lignorum convellantur, & pervertantur. Præterea victus, quem impurum vocat, pravus potius dicendus, talis nempe, qui vitiosos humores vermium notissimam materiem progignat. Inter internas causas non valdè placet nativa illa ab utero constitutio. Nullo enim fundamento huc trahitur: Et qui hæc talia nobis obtrudunt, quid quæso agunt aliud, quam quod ignorantiam fateantur? dumque se aliquid dixisse putant, nihil tamen dixerint? Certè Fernelius 6. pathol. 12. cùm inter calculi causas insitam renum arenosam calculosamque constitutionem nominasset, dici nequit, quam diversis studiis voces illæ à Medicis exceptæ sint! Theodorus Baronius 1. de oper. mejendi tripl. læs. 18. & Gasp. Hofmannus 3. Instit. Med. 129. mirè eas exagitarunt. Et tamen Fernelius de hereditario adfectu loquebatur, qualem vermicularem istum esse nemo adfirmabit. Humores vitiosos non malè quidem duplices Cunelius noster fecit, aut enim sua natura tales sunt, aut ex corruptis alimentariis geniti. At partes musculosas adeo corrumpi, ut vermiculi illi inde nascantur, vehementer est absurdum, quemadmodum quæ de excrementis sequuntur, ad humores vitiosos, atque etiam sordes reduci debuerunt. Cæterum Varenius §. 20. cùm causam dracontiorum materiam viscidiorem & malignam nominasset, de qua nos supra egimus, subjungit Crinones suos ex ichoribus humorum pro vario temperamento variis omnibus tamen malignitate imbutis generari. Quod sanè non videtur esse verosimile. Nam pituita & humores viscidi omnium generi aptiores censentur. Malignitas verò absqve ulla necessitate fingitur: Nisi, ut supra monuimus, de varis potius, quam vermiculis capillaribus loquutus sit: attamen & hos cum varis & crinonibus confudit, uti ex §. 15. clarissimè apparet.

§. 7. Subjectum ut vocant, in quo vermiculi capillares frequentissimè conspiciuntur, ætatis ratione præcipuè consideratur, atque ex ipsa appellatione nostra satis percipitur; Sunt enim pueri & infantes, sicut in iisdem lumbrici quoque reliqui sæpissimè nasci solent. At pars adfecta & generalius & specialius considerari potest. Generalius quidem, crura, brachia, & inprimis dorsum sive totum, sive interscapilium tantum, ut Cuffnero placuit, ab omnibus nominatur. Specialius verò sunt partes illorum membrorum, subcutaneæ & maximè musculosæ, de quibus omnes omninò consentiunt. Nec tamen cute semper exclusa, per cujus poros exeunt: nam & in istis microscopii subsidio vermiculos observavit Petrus Borellus: ut mirum profectò sit viros quosdam doctissimos negare voluisse, quos tamen etiam in solidissimis corporibus, ut auro, hydrargyri penetratione, Alphonsus Borellus de renum struct. ed. Joan. Henrico Paullino, & singulari dissertatione V. C. Erasmius Bartholinus luculenter adseruerunt.

§. 8. At formam externam alii aliam describunt. Nos pilis crassioribus quodammodo similes, tenues & exiguos plerorumque sententia vocavimus. Cl. Senertus etiam cinericios & nigricantes. Phil. Hechstetterus Brenggero in epist. respondens, eosdem in liberis suismet ferè omnibus observatos illos pilorum radicibus comparavit, quas vulgus in achoribus: *Kolblen*

Kolblen: vocat. Cunel. & Reusner. ascaridum figuram ipsis tribuunt: Magirus autem & Schenckius illius vermiculis similes aiunt, qui putrescentibus caseis innascuntur: quod tamen idem fuerit, si Gualtheri Bruelii sententia admittatur, ut qui inter utrosque parum discriminis agnoscit, eumque, ut videtur, sequutus J. C. Claudinus 5. Empir. rat. sect. 1. cap. 4. De capitibus autem quæ in balneo exserere dicuntur; dubitanti propior Joan. Nic. Stupanus Med. theor. semiot. cap. 4. disp. 8. §. 173. de seipso sic loquebatur: *Ego incidi aliquando in hujusmodi abrasionem pueri; sed capita vermium prominula nulla potui videre.* Verùm cur ea non vident; plurimæ caussæ fingi poterant, unde tamen nemo concludet, capita nunquam exseri; nec una hirundo, ut proverbium est, ver facit. Andr. Dudithius, Orator Cæsareus, vir ipse doctissimus, & doctorum omnium amantissimus, in liberis suis non solum conspexit vermiculorum capita, sed etiam in epistola ad Venceslaum Raphanum Med. Oppaviensem, egregie descripsit ap. L. Scholzium ep. 27. *Humeros, inquiens, & brachiola inunximus farina aceto permixta. Vix peracta unctione & abluta statim emi ebant ex cute diversis locis tubercula quædam pusilla, ut papavera, coloris cinericii (quæ ab illis vermium capita esse dicuntur) ea statim cultello abradebantur; nisi id ocyus fieret, recondebantur iterum & intra cutem se recipiebant, hi quoque vermiculi, sive quovis alio nomine vocentur; primo multi se proferebant; postea pauciores, postrema unctione prorsus nulli. Feminæ summis horum vermiculorum capitellis nigricantia aliqua quasi puncta inesse adseverabant: quæ tamen ego etsi pene cum ipso lynce certare possim, nunquam videre potui. Visa mihi est tota illa res prope eadem specie aut certè non dissimilis sordibus illis, quæ poris impacta in angulis præsertim narium exterioribus digitis exprimi solent: duritie sunt paullo solidiore.* Hinc igitur clarissimum apparet Dudithium capita vidisse, licet puncta nigricantia non conspexerit. Possunt enim hæc, more aliorum accidentium, abesse aut adesse, ut tamen ipsi rei nihil hinc accedat aut decedat.

§. 9. Signa Diagnostica præcipuè suppeditant symptomata illa, quorum descriptione nostra mentionem fecimus. Inprimis atrophia & tabes, citra ἀνορεξίαν aut alium adfectum manifestum adfligens, imò interdum, in grandioribus maxime, cum insigni voracitate conjuncta. Inquietudo item pulsum celeriorem reddens, non sine febriculæ suspicione, quam ἀλγηγηδυνία plerumque producere consuevit ephemeram non tantum brevem, sed plurium etiam dierum, & in putridam, ut vocant, transeuntem. Ubi enim vermiculi, Schenkio dicente, *coacervantur & accrescunt, viva carne pediculorum instar abstinentes; alimentarium humorem, qui tenellis corpusculis alendo esse debebat, absumunt, ex quo in præsentaneam maciem & tabem transeunt.* Tumorem quidem & suppurationem addit Franc. Joel 1. sæpius c. sed id dracunculis vert. potius quam his vermiculis convenire satis manifestum apparet. Quamvis Illustris quoque Rolfincius l. supra cap. puero illi, cui consulebatur, curatione jam peracta, tumorem in scapula enatum commemorarit. Hoc enim ut complicatione facile fieri potuit, ita ad morbi naturam propriam non pertinebat. Appetitum tamen dejectum, & urinas imminuentem adducit Hasenrefferus l. suprà c. quod in quibusdam fortassis experientiæ responderit: non semper; nec in omnibus animadversum. Corbeius seu potius Magirus, etiam alvi constipationem, & vermiculorum excretionem tam per alvum, quam per urinam adjungit. Verùm si modo id aliquando observaverit, quod fieri potuisse non inficiamur; non tamen iccircò semper animadverti concluditur; adeoque nec inter signa pathognomonica locum habere potest. Imprimis cum excretio per membra ab adfectis partibus tam remota, intestinorum, aut renum, aut vesicæ potius læsionem aliquam merito significare crederetur.

§. 10. Prognostica paucissima trademus. Primò enim *adfectus non admodum periculosus est*, si debito modo & tempore curatio instituatur. Deinde: propter vigilias tamen & corporis extenuationem *interdum letalis* deprehensus est. Cunelius §. 14. addit, infantem, cui hic morbus congenitus sit, ultra septimum mensem vitam non producere: qua de re experientia consulenda, sicut & de altera illa, quando Cuffneri sententiam sequutus curatione non adhibita noxiam suppurationem induci scribit: Neutra sane est vero similis. Nam de tabe exitiali non ambigendum, qua ipse Cunelius filiolam suam se amisisse refert. Hieronymus Montuus de morb. infant. tandem & epilepsiam magna ex parte letiferam accedere adfirmat quam ille ab excremento fuliginoso per corpora nervosa à dorso, (aut verius per lymphæ ductus cum succo nutricio) ad cerebrum delato præcipuè excitari putat. Quod valde probabile videtur cùm etiam à pedibus remotissimis, imò vel eorundem unico digito epilepsia oborta legatur, & alias quoque infantes huic adfectui valdè sint obnoxii. Quo nomine in corde etiam tremorem & palpitationem interdum excitare posse Hasenrefferus l. de cut. adfect. cap. 11. rectè advertit: non secus ac alios vermes sæpissime fecisse observatum. Neque spernendum quod obstructione meatuum, in hepate maximè, leucophlegmatiam quoque inducere idem advertat: percolatione nimirum, & depuratione sanguinis impedita, cui sanè non multum minus quam generationi in corde tribuendum videtur. Adsentiente Rolfincio l. c. & maciem inprimis à cordis hepatisque consensu deducente: Nec sane ab re inter Chronicos hunc adfectum refert, magnosque morbos, cùm ratione actionis læsæ, tam naturalis scilicet facultatis, quam animalis, tùm ratione recessus à naturali statu, à quo plurimum deflectat, & ratione eventus, quia haut raro letalis observetur. Quibus addamus nos, etiam ratione κοινων-θείας qua omne vermium genus cordi infestum est, & illud ex accidente respectu spatii, quod ferè universum corpus habet.

§. 11. Indicationes huic adfectui percurando hæ fuerint præcipuè. Primò vigiliæ, si urgeant, mitigandæ: Nam diuturnæ corpus vehementer infirmare atque extenuare solent. Deinde vermiculi ipsi cùm inter illos morbos referantur, quos vulgò in numero excedente appellant, omninò sui ablationem postulant. Hac autem absoluta denique tabes sive macies relicta removenda. Quæ omnia cùm triplex ille medendi fons

ons, vulgò notissimus, suppeditet: Chirurgiæ scil. pharmaciæ & Diætæ. Nos ordine videbimus.

§. 12. Quod ergo Chirurgiam attinet, hanc primo loco recensemus ideò, quod apud vulgus ferè sola in hoc morbo admittatur. Solent enim mulierculæ Cunelio narrante §. 4. posthabitis Medicis plerumque tonsores tantum ad curationem accersere aut etiam ipsæmet, quæ conferre putant, suo arbitratu, suisque manibus moliri. Omne verò artificium in cutis abrasione collocant, quam in Laconico inuncto prius infantis corpusculo, novacula admota instituunt & Schenkius optimè sic describit: *Mulieres ad hypocausta & sudatoria infantes deducunt, musculosas adfectas partes blandè primum inducta manu perfricant, post etiam melle perungunt. Hac arte ubi prolecti fuerint plurimum, tunc Chirurgo imperant, ut novacula exsertorum capitula abradat & demetat, atque hæc vulgi non tam recepta quam compendiosa vermiculos hujusmodi necandi ratio:* Probata etiam Felici Wirzio append. de morb. infant. quæ postremæ ejusdem Chirurg. editioni, curante Joan. Rudolfo Wirzio, accessit: quæ tamen ferè tota empirica est, & rationi adversatur: Cùm enim capita tantum non totos fermes auferat, adeoque maiorem partem in corpore relinquat, non videtur indicationi suæ satisfacere, utut cæteroquin poros cutis aperiat ac dilatet monente Joan. Dan. Horstio Manuduct. ad Medic. part. 1. cap. 1. §. 2. Cui accedit & hoc, quod portiones in corpore residuæ, dum vita privatæ, quod fieri necesse est, sub cute emarcescunt, non possint non alia mala & symptomata, aut etiam recidivam inducere: cùm tamen hæc omnia in curatione perfecta, legitima, & methodica sedulò cavenda & fugienda sint, advertente etiam Claudino Empir. rat. l. sæpius c. Ita ut rectius fecerint, qui Paræi sententiam sequuti exiguis volsellis integros extrahunt prominentes. Hoc enim modo & Hieron. Montuus à nobili matrona infantes plures servatos accepisse se testatur, part. 3. Pr. lib. 1. de morb. infant. p. 110. quamvis illa ex Didymo de porcis epilepticis valde incerta sint, aut saltem non satis heic tempestiva. Reusnerus quoque abrasionem plerosque frustrari adserit. Borellus quoque Centur. 1. Observ. 8. evulsiones Chirurgicas, & suffumigationes narcoticas cum Sem. hyoscyami, nec non asperiores linteo rudiori frictiones, experimento in fratre suo germano inductus præferebat. Suffitum utique Hyoscyami & decoctum sive lixivium ex Cineribus paleæ avenaceæ laudabat etiam Gynæceorum scriptor hypobolimæus, qui Erotis nomine imperitis imposuit cap. 54. Inunctiones autem, quibus evocantur, diversæ à diversis proponuntur. Claudinus empiricas quidem has omnes, sed tamen à ratione non alienas concedebat, ideoque nec omninò repudiandas. Schenkius, ut modò dicebamus, solius mellis meminit: cui Vierus, & plerique alii pollinem triticeum addiderunt. Dudithius farinam triticeam aceto permiscuit, egregio successu, ut supra narrantem audivimus. Joan. Michaël Savonarola tract. de vermibus, quem Praxi de febribus Venetiis à Vincentio Valgrisio editæ subjunxit, cap. 4. hæc protulit: *Stercus pecudis cum oleo & melle inunctum, dicunt quidam, quod si ex hoc spina dorsi inungatur, multa capita lumbricorum per spinam dorsi egredi videntur, quibus abscissis ægrotantes curantur, quod vix à me creditur, si quamvis se vidisse testentur:* & tract. 6. practici operis cap. 16. rubric. 23. Inter medicamenta vermes intestinorum necantia recenset *stercus pecudum cum melle inunctum.* Ex quo tamen Vierus, dum allegat, stercus facit, bubulum, contra auctoris mentem, qui haut dubie ovillum intellexit. Itali enim oves, *pecore*, appellant, & Medici semibarbari talibus idiotismis lectori plurimam nauseam movere consueverunt, ut in Marcello Cumano jam ostendimus, Unde Cunelius quoque sensum verborum §. 28. satis non capiens ait Savonarolam stercus animalis non admodum fœtens cum ol. & melle permisisse. Caseum tamen potius ovillum proponit Michael Papa de pell. verm. & an. venen. pag. 191. Georgius Cufnerus l. c. curationem talem proponit: *Si non promi [illegible] ultro fuerint hoc est, adhibito calido fotu, edulc[illegible] que (quale meleraton est) condimento, foris secus illito, capitella sua non exsertarint, violentioribus medelis ad progrediendum foras quatiendi sunt. Accipienda nimirum radix Viticellæ seu vitis albæ, quantum manu pressa capi potest. Bulliat in lixivio è quernis cineribus concinnato, quo circumfusum hisce lineolis infantile corpusculum perfundatur & lavetur. Quo facto dracontiorum ora progressa novacula præsecentur, quibus sic obtruncatis infans denuò prædicto diaclysmate puta Conja balneandus & abluendus erit, denudataque vel dissecta pellicula Commageno perlinenda.* Hæc ille pluribus, quæ paucioribus dici poterant, remedio ex Loniceri Herbario desumpto, part. 2. cap. 276. ex illo autem nec Joan. Hartmannum transcribere piguit in Pract. Med. Chem. tit. de atrophia pag. 142. hoc tantum discrimine, quod rad. bryoniæ unciam unam aut etiam duas accipere jusserit, lixivio in pulticulam percoquendas, qua infans postea in balneo inungi debeat, non autem decocto illius, ut Cufnero placuit, perfundi aut lavari. Quam Hartmanni opinionem Sennertus quoque l. c. probabat, aliorum præterea experimenta addens è stercore gallinaceo sacculo incluso & per noctem in lixivio macerato, cui postero die infans ad collum usque immergendus, & postquam sudaverit, melle inungendus, ut novacula radatur, quod ter in septimana faciendum consulebat Gothofredus Welschius additam. ad Scip. Mercurii obstetric. cap. 60. At quod de crusta panis auferendis capitulis adjiciebat; nonnihil asperius, & tenellis infantulis minus conveniens videtur. Quamvis puellæ trimulæ meticulosæ, novaculam non admittenti eandem adhibuerit Balthas. Timæus lib. 5. cas. 23. Dudithius mulierculis in Polonia usitatum, sibique miraculi loco refert, quod sequitur, quoque liberos suos, ipse percuravit: *Injiciebatur in librum aquæ calidæ, in quo pueri lavabant, panis in micas friati Manipulus, cineris item parum, elotis pueris aqua percolata panis ille in massam compingebatur. Hæc massa in diversas partes manibus dist[r]acta magnam subtilissimorum pilorum vim oculis offerebat.* Quos tamen non veros pilos fuisse exsti-

existimamus sed vermiculos pilis similes, non enim est credibile, pani tantam trahendi vim inesse ut pilos, si qui sint, sub cute latentes evellere queat: sed longè vero similius videtur, ad eundem tanquam gratissimam escam vermiculos prorepsisse, caliditate aquæ etiam poros dilatante, quanquam Dudithius se nullam ejus rei causam investigando reperire posse fateatur Claudinus l. c. farinam aceto permixtam inter valentiora enumerat, lotionem item ex lixivio querno aut colurno admixto lacte caprillo in quo rad. vitis albæ decoctæ. Franciscus Joël 10. Pr. sect. 4. §. 4. Cataplasma ex fimo anserino & scobe æris c. succo Cardui lactei ad vermes capillares digitorum commendat, quod etiam his dorsi infantium convenire potest. Petrus à Castro tract. de Colostro, qui Scipionis Mercurii Obstetricio additus est, puncto 3. mulierum Lusitanarum experimento fuliginem caminariam c. melle & lacte mixtam dorso illitam laudat. Locum quoque habere potest, quod varis expertum à Dithmarsis remedium ex Viero adducit Mollenbroeccius tract. de var. sive arthrit. vaga scorbut. cap. 15. §. 28. Cataplasma ex rad. Cicutæ aquaticæ stuppa obvoluta & sub cineribus assata deinde tusa c. melle & applicita, quemadmodum & remedia Joan. Agricolæ ad trichiasin pedum sive ulcera verminosa experta satis sunt idonea, decoctum nempe ranarum & lacertarum, aut pulv. earundem adjecto Caphuræ momento tract. 5. Chirurg. parv. pag. 630. Decoctum etiam bacc. lauri & lil. alb. in vino quod contra vermes cardiacos ex Mss. Experimentis Philip. Edoardi Com. Fuggeri excerptum J. Udalric. Rumlerus valde proficuum expertus est. Decoctum item secalis c. absinth. & radic. graminis laudatum Petrus Franciscus Phrygio part. 1. Comm. in histor. Epidem. Hippocrat. ægrot. 12. Decoctum item spicarum siliginis, sive rectius secalis laudatum Joëli l. c. & tela emplastica Cera nova inducta, cui vis eximia ejusmodi animalcula extrahendi, sive sola sive etiam pice crassiori, melle & axungia ut rusticatim vocat, campanarum additis. Nam quod de incisione tumoris suppurati & consolidatione adjungit, nihil ad rem facere videtur, quia ad hunc adfectum, confusione minimè probanda, imperitius trahi jam supra diximus §. 9. Adolphus Occo in Pr. Ms. experimentum de Secali suo quoque calculo probans, vicissim etiam vermes secali innatos segmentis abiegnis insertis extrahi posse comperit, quod sponte prodeuntes iisdem adhærerent: Unde decoctum quoque illorum huic morbo utile conjicere possumus. Vermibus quoque tam hominum quam equorum expellendis nihil valentius expertus est lapatho silvestri latifolio, quod alii Unctuosum, Vulgus bonum Henricum appellat, in balneo præcipuè solum aut aliis adjectis, decoquendum. Succum veronicæ & eupatorii experimento suo commendat Anonymus in Pr. Med. apud nos Ms. Portulacam c. aceto tusam & sedum minus vi detergendi insigni præditum proponit Aretæus 2. Chron. cur 13. seu potius Paulus Ægineta, ex cujus 4. cap. 11. hanc illi laciniam adfuit Georgius Henischius: σμήχει δὲ ἀνδράχνη μετ᾽ ὄξυς λεανθεῖσα, ἢ ἀείζωον τὸ λεπτόν. Minus enim maluimus reddere quam tenue, quia & huic folia nihilo secius crassiuscula obtigerunt. λεπταὶ ἐλπίδες apud Aristid. in Orat. *exiguæ spes*: & λεπτὰ δύο, Luc. 21. 2. *nummi parvi*. Decoctum Chærephylli c. aceto paratum lotioni commendat Samuel Hafenrefferus l. c. unà cum Cataplasm. ex sanguine Draconis vini latice probè contrito: quod minimè contemnendum, nisi quod cutem colore pertinaciori inficiat, haut facilè eluendo. Nam alterum, quod ex fermento & auripigmento compositum emplastri nomine describit, intutum nobis, nec in tenellis maximè corpusculis usu admittendum videtur. Plurimum quoque prodesse poterit vi detergendi strigmenta cutisque sordes eximia pollens herbula, quam alteram Sideritidis speciem Joach. Camerarius vocat, & huic intentioni Austriacorum experimentis tantoperè extollit Volfg. Hœferus 7. Hercul. Med. cap. 6. præcipuam causam in pororum cutis obstructione reponens, propter difficilem primæ lanuginis egressum calorisque nativi negatam eventilationem, ut quæ deinde maciem corpusculis inducat. Nec obstat, quod doctissimus Anonymus in Ephem. eruditorum Gallicis vermes vervecum jecinoribus frequenter innasci scripserit, si lanionum observatione Sideriti glabra arvensi pascantur, cujus etiam folia latiuscula apertè repræsentent: verosimilius enim videtur animalia, ceu ipse innuit, morbida & vermibus istis fœta, herbam illam occulto quodam instinctu naturæ remedium appetere, non quod ex illa vermes generentur. Nec sanè improbanda Clusii sententia, qui marrubium Pannonicum nec Theodori & Gerardi, qui alyssum vocabant cùm Dioscorid. 4. 35. disertè φύλλα ὅμοια τῷ πρασίῳ eidem tribuat & σπονδύλους περιφερεῖς ὥσπερ πρασίου: *Folia marrubio similia, & orbiculata verticilla, qualia marrubii sunt.* Hoc verò non minus quam alyssum vermibus inimicum nemo peritiorum ignorat. Picris item Veronensium flor. Cyaneo campanulato, quam monte Baldo copiosam omni vermium generi adversissimam commendabat Alex. Benedictus. 21. Pr. cap. 3. gentiana scilicet fruticescens, aut pneumonanthe: Nam picris Dalechampii in opere Rovillii Lugdunensi ad hieracia pertinet, floremque habet chondrillaceum & papposum. Omnibus autem externis aliis meritò præferenda sunt aloëtica qualis Tinct. Timæi in Consil. p. 432. in aq. aliqua vel decocto convenienti, abluendo corpori planè eximium remedium ex aloës ℥ j. myrrhæ el. ʒiij. croci ʒj. cum sp. vi. s. q. Cui tamen ne nimium tenellam infantum cutem exsiccet, aut exasperet, aqua aliqua destillata addenda est. Succus item hederæ terr. cum Aceto aloëtico mixtus & prioris exercitationis capite duodecimo laudatus. Aqua etiam aloëtica totum corpusculum Timæus 5. observ. cas. 23. inungi jussit, postquam & balnea & linimenta, & rasiones frustra adhibuisset. Infuso quoque aloës in aqua folior. Persici nonnihil myrrhæ & salis ammoniaci addebat quondam Jerem. Martius in experimentis suis Mss. successu non contemnendo. Infusum aloës in vin. & aq. rof. æqualibus partibus Platearius proponit tr. de simpl. med. c. l. Aquam item rosaceam fœniculatam cum aloë soluta Joan. Baptista Montanus in

in Consiliis ap. nos Mss. & nondum editis. Butyrum etiam Aloëticum Ant. Saportæ ad morpiones expertissimum in Euporistis Mss. Petri Asselinæi, Med. Veneti. Unctio denique Aloëtica Alzaravii de qua prioris exerc. cap. 11. Conveniunt præterea & plura alia vermibus inimica in balneis adhibita: Ut amarantus luteus, stratiotes seu myriophyllum, polygonum, buphthalmus, gentiana, petasites, thymus, asarina, abrotonum, Selenium, Calamintha, Carduus benedictus, gratiola, tanacetum, verbena, Centaurium minus, nigella, leucojum, fol. & baccæ lauri, aliaque cuivis obvia. Inprimis absinthium, quod quidam non secus ac cæteri gentianam, Aloën Germanicam à viribus (non forma) nominant, ut è contrario Apocal. 8. 11. pro absinthio, stella caduca (origenem plerorumque opinione significante) Paraphrastes Æthiops (:עגוסתר) reposuit, id est, *herba amara aculeata*, quæ Ludolfi sententiâ *Aloë* Folia *Solareæ* seu *matrissalviæ* aut hormini hort. maximi cum aceto & melle applicita ad vermiculos, ut vocat, consumptores, cute illitâ, antequam capitula exserant, proponit experimento suo Petrus Uffenbachius in Castoris Durantis hort. Sanit. à se vernaculè converso: (Cui consentit anonymus noster in Pr. sua Ms. partic. morb. fol. hormini sativi quod Ital. *Orvala*, trita & imposita etiam aculeos spinasque extrahere expertus: Cui tamen *Callitrichon silvestre*, ut efficacius in Unguento Gleucino præfert Jo. Jac. Vuekerus Antid. spec. lib. 1. §. 8.) Magisterium vitri, cum melle & savina, ut contra vermem cardiacum & Umbilicalem, laudavit Thom. Keslerus Cent. 1. process. Chem. 83. cujus descriptio 81. habetur. Ut enim unctiones & balnea isthæc omnia tandem dimittamus, satis hinc patere censemus, eorum, quæ commemoravimus, alia vermibus grata & jucunda esse, ad quorum præsentiam sive capita exserant, sive etiam toti, licet rarius, egrediantur, alia autem inimica & adversa, quæ acrimonia, amarore, salsedine, & subtilitate sua corpus penetrantia vel invitos expellant, aut ab illis ipsis exeundo fugiantur. Nec enim Claudini opinio perpetuo sibi constare potest, qui amara exterius applicita non probabat, quod vermes illa prorsus refugiant. Si enim satis sint penetrantia remedia, quæ ultra poros, subcutaneas quoque partes pervadere, & per extrema vasorum ora in venas, lymphæ quam ductus transsumi queant, feliciter omninò adhiberi non dubitamus: quemadmodum & dulcibus invitari ac prolici nemo negare poterit, inter quæ Comagenum Plinii præcipuæ virtutis, eidem laudatum (non tamen dissecta prius pellicula, qua nihil opus, quippe ex confusione cum Vena Medinensi aliisque vermibus subcutaneis adducta) cujus verba adscribere operæ pretium fuerit, X. 22. *Aliud reperit Syriæ pars, quæ Comagene vocatur, adipes eorum in vase æneo cum Cinnamo nive multa obrutum ac rigore gelido maceratum ad usum præclari medicaminis quod à gente dicitur Comagenum.* Hac sanè intentione, & mixtura eorum quæ partim amica vivæ mortis partim inimica exsistunt, topica sua remedia, (quamvis occulta & nondum prodita) conficiebat Augustus Hauptmannus epist. prælimin. ad Petr. Jo. Fabrum pag. 172. quibus ad instar minutissimarum macularum rubrarum prolectos q. Cridones adfirmabat, ut in balneo abradi potuerint.

§. XIII. Pharmaciam vix unus aut alter Medicorum in hoc adfectu attingit. Cunelius §. 16. humoris peccantis evacuationem proponit, sed remedia, vel tironibus notissima, silentio transmittit. Nam quod de Venæ sectione addit (ut id obiter perstringamus, cùm ad Chirurgiam pertineat) in tenella hac ætate, & insigni macie viriumque imbecillitate locum habere non potest: Neque sanguinis missio vel in adultis & robustis contra vermes rectè instituitur, nisi is ipse simul peccet, optimè sic limitante Hier. Capivaccio. 3. Pr. 14. Purgationem verò cum Reusnero, lenem admittimus, quæ nisi imbecillitas & tabes obstiterint, omni ratione necessaria est, antequam infantes ad balnea deducantur: Saltem ut alvus emolliatur absque ulla contradictione opus erit, maximè si constipata sit, ut voluit Corbeius aut potius Magirus. Ideoque minoribus ac nuper natis infantibus anisum exhibere utilissimum videtur, de quo Jo. Heurnius II. method. ad Pr. c. 20. *Usu comperi à sem. anisi scriptulo crassè comminuto jam recens natos puerulos commodissimè à viridi bile & fœda pituita purgari, cùm pultem saccharatam sumunt, primo cochleari, inditur ac illis exhibetur.* Nam & contra lumbricos anisum cùm alii commendârunt, tùm ipse Ebnsina 9. sect. 16. tr. 5. c. 4. 3. sect. 16. tr. 5. c. 4. Majoribus autem alia magis conveniunt: Poterunt turundi, ut Marcellus Empiricus vocat, sive, ut vulgus, suppositoria, ex idonea materia confici & adhiberi, aut etiam clysmata infundi, quæ cuivis in rem præsentem varia parare integrum erit. Ore Mannam accipiant ad Unciam dimidiam vel etiam integram pro ætatis ratione, eaque vel oleo amygdal. dulc. misceatur, vel in jusculo, aut aqua aliqua stillatica idonea solvatur, cui & Medici arbitrio Serapia quædam immisceri possunt, aut etiam sola exhiberi, uti sunt, Serapium ex manna, ros. sol. simpl. viol. sol. simpl. è flor. acaciæ, mel. ros. sol. viol. sol. & similia: inprimis serapium de Cichorio c. rhab. Nic. Florent. quod Scipio Mercurius 6. de error. popul. Ital. 4. tantopere celebrabat, quod alio loco examinabimus. Diascordium quoque purgantibus utiliter permisceri docet Nobilissimus Sebizius specul. Med. Pr. part. 4. sect. 2. 7. Aq. ex flor. Persici destillatam addito scammon. & turpeto, tanquam ingens arcanum Jo. Heurnius I. meth. ad Pr. p. 70. proferebat: sed quod res est, modicè purgare fatebatur. Nimirum perparum aut nihil de purgandi vi cum aquis transire solet, ut quæ in plerisque aut sale fixiori, aut resina sulphurea residet. Aquæ solventis nomine à ℥ ij. ad ℥ß. exhibendæ, laudabat etiam Joh. Bapt. Cortesius Antid. Messan. cap. 6. experientiâ Hier. Rubei, sed parum isthæc, ut ille, animadvertens. Neque majori veri specie Jo. B. Montanus Emplastrum Mediolanense succus ex electo de Sebest. & Cont. Hamech. extrahere solitum per destillationem adfirmabat in discursu de aq. destil. Ms. Ess. sive Extr. flor. Persicorum spir. vini paratum & aq. eorun. solut. in filiolo suo expertus est Phil. Gruelingius Cent. 3. observ. 39. Serapio etiam ex iisdem flor. parato Extr. Zeduariæ, & CC. vapore calcinatum, & sal tartari,

atque

atque absinthii c. spir. salis guttulis immiscebat. observ. 44. Majorem sane laudem meretur Serapium è flor. Persici paratum, rectius tamen per infusionem quam succum expressum qualem Petrus à Castro proponebat, opportunè nimirum recordatus, quam parum succi præbere queat vel maxima florum copia, & quam non valdè magna illa ubivis haberi queat. Extrahebat autem tincturam aqua rutæ Caprariæ, fl. tiliæ, pæoniæ, aut lil. convall. cum Merc. vitr. acidulata, quam melli deinde ros. Saccharino, sive quod idem est, Serapio rosato simpl. jungebat. Sunt qui è Manna etiam aq. laxantem destillare conentur, atque inter arcana referant, tanquam infantibus morosioribus & pharmaca abhorrentibus gratiorem: quam tamen nonnulli felicius cum spir. vini, quam aq. stillaticia peragunt, nisi quod tùm medicamentum intemperatius prodire soleat: Unde & liquidam vulgo dictam aq. conven. solutam & alb. ovi depuratam, quam Jo. Kuefero Medico experientissimo acceptam refert Joh. Schrœderus 4. Pharm. §. 446. hodieque communi usu omnium frequentissima nec pueris ignota est, destillatæ multum præferendam putamus, qualis etiam illa Bikeri in Herm. rediviv. cum rore Majali concinnanda, quamvis Spiritus nomine descripta à Schrœdero 4. Class. 4. §. 446. Nos sane vesica bubula destillata purgationi inutilem, neque cum nitro ad mentem Jo. Osvvaldi elicitam satis respondisse ad vota nostra comperimus, quæ causa videtur, cur l. c. edit. 1644. proposita, postremâ 1662. omissa fuerit. Prævalet sanè illi vis sudorifica, notante Febureo part. 2. Chem. cap. 7. & spir. quoque ejusdem potius diaphoreticus est, sive additamento vini laticis, sive nullo, solus sit destillatus. Neque adsentiendum Jobo Kornthauero, qui Comm. in Paracels. de peste ad Stiriacenses. pag. 79. cruorem Leonis sive flores Antimonii rubros, cum Tart. & sal. præparatos, ad vermes capillares commendabat, cùm etiam adultis sæpius nocuisse historiæ & observationes Medicorum contestentur. Sic verò vacuato leniter corpore ut Reusnerus ap. Schenkium habet, detur pulv. lumbric. ten. c. oxysaccharo, aut theriaca cum lacte & jusculo pulli, vel succus raporum cum Saccharo Cautio vel species Electuarii Diarrhod. c. Rhabarb. hinc collocetur in balneum aquæ dulcis ex cineribus Coluinis & lacte capillo paratum. Alii plerique, ut supra diximus, in balneo sicco sudare jubent, ideoque Hidrotica exhibent. Quò sanè referri debent decoctum raporum cum succo fœnic. in taleolas sectorum filoque suspensorum, ut arescant, quod Phil. Scherbii Erasti consilium sequuti, experimento tantoperè celebrabat Gasp. Hofmannus 5. Instit. Med. cap. 11. §. 2. Cui propterea ipsum rapor. aut etiam naporum sem. quemadmodum in variolis (plerumque etiam à miasmate vermiculante productis) quotidiè cum successu fieri videmus. Omnia certè his ipsis contraria vermibus quoque capillaribus expellendis maximè idonea sunt, & rapis ipsis longè efficaciora sive tostis quæ Bart. Brunnerus Cons. 9. præscripserat, sive passis i. e. siccatis Cons. 43 & Christoph. Henric. Ayrerus apud Franc. Hildeshemium Spicileg. de c. adfect. 2. p. 280. sive denique expressis, ut succum præbeant, quem J. C. Claudinus l. c. eligebat. Nonnulli etiam quæ aliàs vermes necant, propinant. Sennertus sem. nasturtii mentionem facit, quod olim Diosc. II. 185. contra vermes commendârat. Lumbricos autem terrestres quidam immeritò suspectos habent. Putant enim sumpto illorum pulvere vermes potius copiosos generari quam expelli: quod tamen non est verosimile. Quis enim credat v. g. horulæ spatio tot lumbricos, & tam grandes, quales sæpè statim ab illius usu dejiciuntur, in corpore nasci potuisse? Neque nos movet, quod Heur. ab Heer. observ. 9. vermes vino lotos & in tegula siccatos exhiberi non probet, quia pituitæ permixtus pulv. iterum animetur, sicut & muscæ submersæ multis diebus mortuæ, si non premantur, sed simpliciter exstinguantur, Soli denuò expositæ, vitam volatumque recuperent. Ut enim dicamus, quod res est, nihil ad rhombum facit. Si verè muscas emori & reviviscere unquam credidit εὐήθεια fuit Philosopho indigna: Nam à privatione omnimoda ad habitum, ut loquuntur, Naturæ vi aut ordine nullus regressus datur. At lumbricos terrestres in tegula siccatos & in pulv. contritos vitam omnem amisisse quis neget? Non igitur reviviscent. Dicat fortasse quispiam, nos ipsos supra adfirmâsse, talium animalculorum animas etiam in atomo latere. Non diffitemur, posse diximus: In atomo tamen non quavis, sed seminali. Nec etiam semper est, quod esse potest. De lumbricis igni siccatis, & in pulv. redactis, qui id nobis persuadere voluerit, experimento ostendat necesse est, nam aliàs in specialibus istis progressus in infinitum fieret: & neque oniscorum neque scorpionum pulveres, quos plurimi contra calculum summoperè extollunt, aut similia alia tutò exhiberentur, quin potius metuendum esset, ne in corpore novi onisci & scorpii repullularent. Utut enim id quidam fieri posse putent, non magis tamen admitti debet, quam quod de musco Corallino marino Valentinis mulieribus in Hispania persuasum à vero longius abesse ostendit J. Mich. Paschalius I. P. 51. Non quidem ignoramus resuscitationem lumbricorum & muscarum ex pulvere siccatorum etiam à viro summo Athan. Kirchero propositam 12. mundi subterran. sect. 2. cap. 1. & 4. veremur tamen, ne aliquid fortasse subesse possit, quod experimenti deinde fidem dubiam reddat. Nunquam certè ex solo pulvere resuscitabuntur. Adfusa autem aqua jam mox suspicio oritur, non tam ex pulvere, quam seminiis in aqua latentibus produci, de quibus supra plura ad Nobilissimi Boglæi mentem disserebamus. Si tamen quod Kircherus sect. 1. cap. 4. de panspermia & animis post mortem quoque cum seminali virtute remanentibus, non tamen ut formis, sed tanquam in vase, admitti à severioribus queat, fortasse nec isti resuscitationi multum refragari licuerit. Vix tamen à nobis, ut id credamus, impetrare possumus. Viliorum iccircò ejusmodi animalium natura non debuit præstantiorum animas tali prærogativa exsuperare, cùm non minus materiales sint, ideoque morte aboleantur, & nova propterea animalcula, non anima residua numeroque eadem, sed corpuscula spermatica animata producant. In calculosis sanè plerisque non minus

quam verminosis & calorem & pituitam plurimam adesse constat, ne quis reliquarum etiam causarum absentiam calumniari queat. Nos de lumbricis contrarium ostendemus. Ebnsina II. tract.2. ed. Alpagi cap.198. pulv. illorum ad icterum, urinam provocandam & calculum commendat. Diosc. II. 72. περὶ τῶν τῆς γῆς ἐντέρων· ὀυρητικὰ δ' ἐστι λεῖα πινόμενα σὺν γλυκεῖ. *Vermes terreni triti & cum passo epoti urinas cient.* Contra dicitur suriam etiam ex aqua dulci & myrtina dabat Aabdorrachmanus Asuithensis I. de propr. & virt. an. med. 20. §. 309. quem ex Arab. Latin. factum Abrahamus Ecchellensis edidit, majorem gratiam promeriturus, si Latinis Arabica voluisset conjungere. Ad icterum laudabat Massarias 3. Pr. 15. & Læl. à Fonte Consil. 115. contra hydropem verò Raym. Mindererus in med. milit. inprimis si rhabarb. quidpiam adjiciatur. In pulv. quoque Monspeliensium ad pallidos virginum colores usitatissimum quem Henr. ab. Heer observ. 6. Jo. Schyronio adscribit, lumbrici siccati recipiuntur. Altimarus de med. hum. corp. mal. cap.81. tam adultis, quam infantibus, etiam febri præsente, contra vermes omnis omninò generis, etiam latos, confidenter dari jubet, Aëtium haut dubiè sequutus tetrab.1. serm.2. cap.168. Ad lactis etiam generationem omnibus tam Græcis quam Arab. usitatum docet Mercurialis 3. de morb. mul. c. l. Unde apparet, quam vanus ille metus sit, quandoquidem nemo horum omnium lumbricos ex eo genitos observavit, cùm tamen in plerisque adfectibus enumeratis & calor & humoris vitiosi copia adsit. Sed & Theophr. Paracelsus cujus experientiæ in iis, quæ absurda non sunt aut impia, plus tribuendum est, quam quorundam rationibus l. de verm. cap.10. *Vermes*, ait, *terrestres habent vim curandi non solum panaritium, verùm etiam alios vermes omnes in hominibus ortum & sustentationem habentes, siccati scil. in pulverem redacti, necnon intrinsecus administrati cum quovis liquore (in caprillo lacte melius) vermes omnes ad hunc modum expellunt ab intestinis & stomacho per secessum. Per eundem etiam Syrones expulsi fuerunt, aridura sanata (tabem intelligit aut atrophiam, atque hanc ipsam de qua loquimur) nec non membrorum dolores maximi.* Itaque ab re non fuerit ea quæ lumbricis inimica sunt, sudoriferis permixta exhibere, sic enim vis illorum cum sanguine & humoribus nutriciis facilè ad cutem usque & partes musculosas penetrabit. Hæc Sim. Sethi ἑλμίνθων ἀναιρετικὰ c. de mentha vocat, quibus Cardiaca semper miscenda prudenter monuit Cahagnesius seu quisquis auctor est Enchir. Pr. Med. c. propr. è quorum tamen numero, ut infantibus gratiora eligenda Sem. Coriandri præparat. rad. Contrayervæ seu Tragopogonis Hispan. & Indici, dictamni alb. personatæ, labri veneris, H. & flor. stœch. citrin. Adriano Spigelio adeò celebrata tr. de lumbr. lat. ut tineariam Marcelli Burdegalensis ac Scribonii Largi plerique putârint. p. 73. Flores secalis lacte incocti experimento Arn. Vueiccardi l. thes. pharm. cap. 14. aliaque plurima, quæ lumbricis pariter pediculis, dracunculis necandis recensuit Johan. Georgius Macasius prompt. Med. lib.2. sect.9. cap.19. & Melch. Sebizius Man. Pr. Med. part.4. sect.2. cap.7. Vierus theriacæ lumbricos quinque tritos admiscet c. Cinnamomi & Sacchari pauxillo, quamvis & theriaca sola id præstare queat, in qua utramque facultatem, sudores scil. commovendi, & lumbricos etiam latos expellendi jam olim Galenus agnovit. Quam licet Leonellus Victorius Faventinus tr. de ægrit. infant. cap. 3. & Claudinus l. c. parum tutam pueris putarint, atque propterea calidiori multum prætulerit pulv. Card. benedicti ad ℈ß. vel ℈j. substituendum, qui tamen cùm amaritudine valdè ingratus sit, omitti, ejusque loco aq. stillaticia aliis sudoriferis mixta exhiberi felicius posset, ut sem. hyperici, quod adeo experimentis suis efferebat Jo. Georg. Brenggerus epist. ad Rumler. ap. nos Mſ. aliaque quæ minus injucunda & infantibus commoda subjungere heic placet. Theriacam tamen, ne id quoque dissimulemus, bimulis magno emolumento Hippolyti Salviani Med. Rom. imitatione dabat Thom. Jordanus tract.3. de pest. phænom. cap.7. cùm vermibus laborarent: Huic autem aptissimè alia admisceri possunt lumbricis inimica, ut Terra foliata tartari Paracelso tract.3. paragraph. lib.2. tantoperè celebrata & Crusio theatr. Herm. Hippocr. lib.3. cap.4. plerisque deinde pro summo arcano venditata, aut Mag. cœruleum vitrioli laudatum à Timæo 6. epist. & Consil. 2. pulvis item Callimi, malignis quibusvis adfectibus præstantissimus Cornelii Gemmæ experimento 2. Cosmocrit. pag.256. aut Magist. Aëtitæ, quem olim jam Solinus polyhist. 40. contra serpentes & vermes collaudabat. Mag. item & flores Chemini CC. Eboris, & Unicornu fossilis, quæcunque cum spir. Nitri conficiuntur, omni vermium generi adversantur. Cui nil efficacius subrogari poterit, quam ipsa medicamenta Viperina, ut pulv. serpentum Jo. Prevotii ex angue Æsculapii paratus: pulv. item viperinus Petri à Castro cum anodyno minerali seu nitro præparato & spir. vitrioli digestus, tandemque infuso guttatim ol. tartari præcipitatus, aquisque cardiacis denique elotus, cui tamen aut solum Merc. vitr. aut solum Merc. nitr. adfundi mallemus, quia conjuncti ipsam Chrysulcam constituunt: Aut pulv. viperinus Card. Richelii, ex illa præcipuè viperæ parte, per quam hepar distenditur: cui nonnulli solas vertebras destinare solent. Aquam etiam ex capp. caudisque vulgò abjici solitis, facto cum sale, ut vocant, strato super strato, & febribus, & aliis adfectibus plurimis proficuam, experimentis cognitum nobis quondam adfirmabat Illustriss. Eq. Cassianus à Puteo, cujus insusitata eruditio, prudentia, & humanitas toto terrarum orbe celebrata, antiquam Romanorum virtutem non æquabat, sed infinitis modis exsuperabat. Spir. viperarum cum spir. sanguinis hum. Illustris Veslingius ceu singulare & specificum arcanum prædicabat. Jo. Georg. Agricola Med. Ambergensis l. de us. Med. Cervi dissect. cap.3. §.37. Cornu Cervi ust. c. aq. Card. ben. commendat ad Comedones per sudorem expellendos, non malè, nisi quod remedium hoc Vieri esse dicat, in cujus tract. de Varis, quem adlegat, nihil ap. Smetium comparet. Quod etiam in pil. Regiis Serenissimi Ferdinandi Ducis Mantuæ & Montisferrati ad morbos malignos omnes, & vermes celeberrimis, positum. Nos nondum in vulgus cognitas, heic propalamus,

mus, quia ſpei ſuæ non impares compertæ ſunt. Extract. galegæ, angelicæ, bacc. lauri, geniſtæ, theriacæ ana ℥ ij. Sal. comm. C. Cervi, Corall. rubr. ana ʒ ij. Rhinocerot ℥ I ß. contrayervæ ℥ ij ß. terræ ſignatæ. ℥ ij. c. Serapio Citrior. acid. F. M. Pil. Cujus doſ. ℈ß. c. Serapio flor. aurantior. vel Card. benedict. Neque abſurda Keſsleri cogitatio Cent. I. proceſſ. Chem. 99. qui decoctum C.C. cum aq. hyperici præferebat in quo ſtannum Britannicum aliquoties exſtinctum eſſet. Quin iſthac indicatione Gelu potius rec. paratum c. Magiſt. Jovis aut Badzahardico Joviali, tanquam egregio diaphoretico commodiſſimè exhiberi poſſet: Tale autem cum ol. ſulphuris paratum, præcipitatione cum liq. Tartari procurata, Tartari Saturnini nomine internis etiam uſibus aptum Raym. Minderero Poliatro noſtrati quondam frequentatiſſimum erat. Badzahardicum tamen Martiale præferebat Illuſtris Rolfincius method. conſult. lib. 13. conſ. 3. Quin etiam Solare & Lunare, & quod ſimplicius Minerale dicitur, omnia his uſibus apta, quippe egregiè ſudorifica & alexicaca. Tinctur. Antimonii cum ſucceſſu exhibuit Timæus V. caſ. 23. ritè nimirum præparatam. Utilia præterea Magiſt. Eboris, & Rhinocerotis Eq. Fr. Ponæ experientiâ tr. de venen. cap. 15. talorum item Vaccin. & Ebur ipſum foſſile, Unicornu marinum Grœnlandicum & Badzahardica omnia ap. River. Cent. I. obſerv. 91. decocta & infuſa L. Colubrini ſeu Moluccani (cujus primum inventum ap. Cluſium Henrico de Luna Luſitano & Lud. de Tayde Proregi debetur, beſtiolæ autem Quil. cum ſerpentibus dimicaturæ potius adſcribit Jo. Hugo Linſcotanus, in cujus adnot. ad cap. 75. alterum eidem genus cortice verſicolore maculoſum à Sim. à Tovar dono datum deſcribit Bernardus Paludanus) & Colurni noſtratis, Geraſi item aviariæ ſive Mahaleb Arab. valdè commendatum ab Ebn-Jezla direct. ſanit. 26. Aq. item acida ex præparatione Antimonii Diaphoretici, aceta ſive ſpiritus acidi ſuccini & Lignorum, inprimis Heraclini, quo nomine aut Colurnum Rulandus olim aut buxeum intellexerat, c. Tinct. Corall. ſerapiis jucundioribus edulcata, ex acid. Cit. Card. ben. intubo, fl. hyperici, ſcordio & granatis. Magiſt. item Caſtorei vertebr. Viperin. & CCj. c. Spir. terr. ſignatæ & Tinct. Lunæ, aut Lap. Badzahardico & pulv. Ægagropilorum, in aq. filicis, hyperici, Card. ben. marrubii cum ſerapiis jam dictis egregia remedia præbent, qualia nobis ſubinde uſitata. Conveniet etiam, ipſâque Tinctura Lunæ efficacius comperietur, ſi quis in uſum ducere voluerit, Leucocephalicum Corvi nigri metallici ſive Chemici, Carolo Vuidmanno Poliatro quondam noſtrati arcanum laudatum, cujus deſcriptionem protulimus Hecatorteæ noſtræ 2. obſerv. 74. ad Illuſtrem ſocietatem curioſorum in Germania, propediem proditurae. Quibus & hoc addamus, Pulv. fol. Nuc. jugland. & perſici arbor. magna cum laude utebatur quondam Phil. Clauſerus, Empiricus Germanus III. Pr. Med. cap. 6. ſimulque infantem decocto marrubii & rad. bryon. aut lixiv. pineo c. aq. pluvia parato lavari jubebat: aut ſem. Naſturtii ex vino dato decocto L. querni fimique Gallinacei imponebat. In Saxoniæ autem locis quibuſdam montanis, ubi fodinæ Metallicæ, valde familiare & ſæpius expertum novimus: Infanti myrrhæ rubr. opt. el. q. cultri cuſpide prehendi poteſt, è Cerviſia exhibent, atque deinceps aliquot diebus ſudorem excitant vapore aquæ calentis helcyſmatis ſeu ſcoriis argenti à fornace calentibus adfuſæ. Amarum quidem & ingratum hoc medicamentum, quod tamen noſtratibus etiam uſitatiſſimum, pulticulæ myrrhatæ, nomine Adamo Hebichio Poliatro feliciori ſucceſſu celebratum ex myrrh. puriſſimæ in pollinem tritæ ℈j. Mellis virginei. ʒvß. Ol. amygd. dulc. rec. ℥ iij. & Confect. margarit. ℈iv. permixtis. Parum tamen ab iſthoc pharmaco differt pulvis Alexii Pedemontani inter ſecreta memoratus lib. I. p. 33. edit. Vuecceri curâ procuratæ. Sed iſtis miſſis, poſtremò medicamenta, quæ vigilias infantibus moleſtas mitigare poſſunt, enumeranda ſupereſſent, cùm tamen etiam mulierculis notiſſima ſciamus, volentes præteribimus. Qui verò ſic volet Sennertum IV. Pr. part. 2. cap. 9. conſulat, cujus copiis abundè inſtruetur.

§. XIV. Diæta denique ſive victus ratio curationi & præſervationi conveniens, talis omninò inſtituenda, quæ crudos vitioſoſque humores non progeneret augeatvè. Inprimis pultes non ſatis idoneæ videntur, quod ciborum genus in victu infantium cùm alii damnarunt, tum Jul. Alexandrinus Comm. in Gal. 2. olim fac. 5. & Guil. Fabricius Hildanus Centur. 6. obſerv. 34. Germaniæ hanc peſſimam conſuetudinem jure reprehenderunt, quæ illo tenella corpuſcula uſque ad nauſeam infercire ſolet: quod olim quoque Ariſtoteli VII. hiſtor. anim. 12. non minus improbatum, viſcidum, & lumbricis gignendis aptiſſimum notavit etiam Vinc. Alſarius Crucius Centur. 3. quæſit. per Epiſt. pag. 220. Neque ab re nonnulli iccircò panis pulticulam prætulerunt. Sic enim vocabat τορυνητὸν Græcorum Soranus Epheſius interprete Aureliano I. Tard. I. quod radulâ, τορύνῃ in micas contereretur, de qua haut ita pridem not. noſtris in Marcelli Cumani obſerv. 31. mentionem fecimus. : חביץ : חביצה Hebr. in Menach. fol. 75. 2. Hiſpani *edulium ſive pulmentum* ex pane friato, *Migas* appellant ap. Paſchalium I. method. med. cap. 36. & Jo. Paletum in Dict. Hiſp. Gall. & medullam panis, *Migajon*, ex qua præcipuè paratur. Ebn-Jezla in direct. ſanit. ord. 32. §. 2. eleganter דקאק אלכבוז vocat, tanquam *farinam panis* dixeris, inprimis ſimilaginei, Germanis noſtris: *Semmelmeel*. In declinatione autem emaciati infantes alimentis commodis reficiantur, quæ omnia dudum ab aliis copioſius explicata ſunt.

§. XV. Coronidis tandem loco & animi cauſa diſquiramus, verumne ſit, quod de Henrico IV. Imperatore Cunelius §. 4. commemoravit? hoc ipſo nempe vermiculorum capillarium morbo 1125. exſtinctum eſſe? Vierum ſcil. ſequutus ap. Henric. Smetium II. Miſcellan. pag. 226. qui ex Alberti Crantzii hiſtoria Saxoniæ idem retulerat, dracunculos appellans, adfectum congenitum, & Henricum V. non IV. ſed Quarti filium, qui patrem in carcerem conjectum, ſeu vi ſeu dolo circumventum, conſpirantibus regni Proceribus imperium deponere, tandemque Leodici mœrore & pœnitudine

confectum mori coëgerat, narrante Jo. Nauclero, Præposito Tubingensi Chronograph. vol. 2. gener. 37. Tanta illorum temporum turbulentia erat, ea animorum in Pontifices & Cæsares divisio, ut quisque partium commodis addictior, gloriæ quoque immoderatius faveret, verique cura propemodum nulla esset, & scriptis utrimque libellis vituperarent alii, alii impensius laudarent, ac Imperatorem bellicosissimum, qui sexagies bis acie dimicaverat, invicto semper animo, Filio tandem supplicem factum, neque hoc satis, in vincula conjectum, maleque habitum, exemplum præclari apophthegmatis præbuisse dolerent, quod olim in symbolum adlegerat: *Multi multa sciunt, seipsum nemo.* Hinc enim Valtrami Nienburgensis Episcopi defensio, & acrior responsio Bernardi Corbiensis monachi: pleraque item non sine adfectu ab Anonymo vitæ Henrici IV. auctore, & Davide Scoto, Mariani Virzpurgensis socio scripta, qui vitam Henrici V. tribus libris complexus est. Antonini item Florentini historiam, & Æneæ Silvii descriptionem Concilii Basileensis non omnem extra culpam, causasque amoris ac odii non valdè procul habitas cuivis animadvertere licebit. Multi idcirco singularem aliquam vindictam Numinis in filii obitu suspiciebant, morbumque non tam infantibus proprium, quam viris etiam abominandum sive παιδοκτονικῶν fingebant, quam diu obluctatus, celare tamen frustra conatus fuerit, ut Nauclerus gen. 38. & Conr. à Liechtenau Abbas Urspergensis in Chron. prodiderunt. Hunc utique familiarem Imperatori non tamen congenitum, dracunculi nomine insigniebat etiam Carolus Sigonius in 10. de regn. Ital. pro quo deinde Theod. Zvvingerus volum. 2. Theatr. vit. hum. lib. 7. p. 526. Carbunculum substituebat. Quod sanè ut à præclaro Medico profectum nostris conjecturis & expositionibus de venæ Medinensis tumore atrabilario & anthracode prioris Exerc. c. 3. adlatis non valdè dissentaneum apparet, ita putamus, istum non alium quam anginosum quempiam adfectum sæpius ob bilis exuberantiam aliasque tam corporis, quàm animi commotiones vehementiores ex intervallis invadentem, postremò letiferum extitisse. Aut verius tumorem cancrosum carbunculi nomine falsò habitum, & quandoque retrocedentem ac delitescentem, tandem tamen occultari non potuisse, quin cordis regiam malignitate mortali expugnaret. Jam supra autem plura tumorum genera ab Italis dracunculorum nomine censeri c. 1. monuimus. Hoc quia non satis plerisque intellectum, causa fuit, ut hunc in errorem puerilem delapsi videantur, ut ipsum quoque Imperatoris adfectum puerilem existimarent. Cùm enim tùm temporis Cæsares sæpius in Italiam proficiscerentur, ejusque sat magnam partem, nondum amissam, imperio tenerent, Itali autem vicissim alieno plerumque in supremam Majestatem animo, jugum excutere conarentur, ut sanctius scilicet sed gravius induerent, nec à conviciis plebeiis quandoque sibi temperabant. Ita Fridericum I. Imperatorem Ænobarbum, Italica sua, *Barbarossa*, vocabant, & Carolum Crassum, Ludov. filium, levicula paralysi ex apoplexi noxi nonnihil debilitatum, tanquam stolidum, non maleferiatum, sed vernacula, *malferito* appellabant, quod perquam opportunè ex Annalibus Fuldensibus ad A. C. Iↄ. 487. Thom. Reinesius advertit 1. Var. 4. Maximilianum quoque I. Imp. magnanimum & optimum, *pocodinarium*, tanquam ὀλιγοχρήματον & Consulem Augustanum (quod sæpius Augustam concessisset, ibique conviviis, choreis, pugnis equestribus, aliisque exercitiis familiaribus non minus, quam publicis negotiis operam dedisse visus esset) contemptim vocabant. Hinc igitur Henrico etiam 5. morbi letiferi Nomenclatura Italica: *Dragoncelli*: de carbunculo quodam haut dubiè cancroso, aut cancro etiam anthracode, cui propterea cum vermiculis capillaribus infantium nihil commune erat. *Hæc Clar. Velschius. jam sequuntur Observationes quædam.*

Macies à Crinonibus sive Dracunculis.

Puella trium annorum, Filia Domini Olai Helleparts excubiarum inter stationarios Colbergenses Præfecti, mediocri corporis habitû prædita, ante mensem & quod excurrit, sensim contabescere cœpit, & licet quoad cætera benè valere, satisque comedere videretur, attamen parum aut nihil nutriebatur, quin & pruritum in dorso, brachiis & cruribus percipiebat.

Resolutio.

Cum in causam hujus maciei accuratiùs inquirerem & puellam jam pridem ablactatam, nulloque morbo affectam rectè valere, satisque cibi assumere intelligerem, nec ulla lumbricorum in intestinis latentium adessent indicia, de vermibus cutaneis, sive dracunculis cogitare cœpi, ac proinde emaciatum corpusculum in balneum aquæ calentis collotenus demergendum, musculosasque dorsi, brachiorum & crurum partes linimento ex farina triticea & melle illinendas, mollterque fricandas, suasi, quod dum fieret animadverti subtilissima quædam vermiculorum capita cineritii coloris e cute erumpere; Hæc ut subitò, crusta panis, novaculam enim non admittebat meticulosa, abraderentur jussi, idque aliquoties per triduum quatuorve dierum intervalla, repetivi, verùm cùm subinde plures ejusmodi vermiculi proreperent, quotidie deinceps balneo inunctioribus & abrasioni insistendum duxi; At cum ne sic quidem satis proficerem, ad sanguinem vitiosum depurandum mitiora quædam purgantia exhibui, interjecto subinde usû tincturæ antimonii, cujus mira in vitiis cutaneis est efficacia, tandem universum corpus aquâ meâ aloëticâ quotidie inunxi, & sic puellam lepidissimam à molestissimo pruritû, vermiculis & macie. Dei gratiâ, liberavi. *Baldassav. Tymæus casuum & Observat. practic. lib. 5.*

Vermis umbilicalis.

Vermis umbilicalis & animalculum vermiforme, toto genere præter naturam, in vena umbilicali pueri nuper nati, aut non longè post ex nimia sanguinis pituitosi præsertim, copiâ, obstetricis imprimis incuriâ & negligentiâ eò protrusi & corrupti, virtute tincturæ & principii cujusdam seminalis, & adjuvante calore earum duplici, putredinali, & τῷ τῶν ἄστρων ἀναλόγῳ pro-

productum, & post ejus incrementum, mirè infantulum, ad longam interdum ætatem, variis symptomatibus, imprimis verò sanguificationem, & totius nutritionem impediens. Ejus autem sequentem habeto historiam.

Puella quædam semestris valdè inquieta erat, cum febricula quadam inordinata, cùm autem pharmaca parum proficerent, Mater ejus Nobilis fæmina suspicata quod erat, Umbilico filiolæ imposuit unum è pisciculis quos fundulos vocant, vivum, fasciisque alligavit quotidie semel & per horas 24. ita relinquebat, vermis autem depascebatur pisciculum, semper relictis ossiculis ac mox subducebat se iterum in venam umbilicalem, ceu habitationem propriam. Accidit autem post 8. vel 10. dies ut fasciæ prædictæ laxatæ, nonnihil deorsum delatæ, ab umbilico recedentes pisciculum secum traherent, hinc vermis prædam insecutus ex umbilico totus excidit, unde regressum in vas Umbilicale invenire non potuit, & sic extra corpus per ventrem infantis extensus mortuusque repertus fuit, semipedali magnitudine, figura terete latiuscula, pellicula non tenui ac levi, qualis lumbricorum esse solet, sed duriuscula, seu subcrustacea, colore pallido ex luteo albicante. Hinc αὐτόπτης didici famam illam quam superstitiosam & anile figmentum antea credideram, non vanam sed veram esse; licet Medicis Practicis vermium hoc genus sit ignotum.

Iudicium super hoc Verme Vmbilicali.

Historia de Verme communicata grata est, fido videnti, fabulam hactenus putavi. Fundulum ex una parte vidi consumptum, adscripsi calori abdominis, non vermi, ignarus unde illuc pervenire possit, & cur rodat pisces, non carnes hominis, ibi generari vix mihi possum imaginari. Risi sæpe mulierculárum medicamentum, quod ex pulvere sabinæ & vitro pulverisato ac melle excepto, in formam Electuarii conficiunt, & in putamine juglandis umbilico superponunt, ac si glires interficere cogitarent.

Doctiss. Collega D. Lucas Byler, referebat se in consilium vocatum fuisse ad puellam quandam 7. annorum, quæ & consumta, & dolores patiebatur circa umbilicum. Quam mulierculæ à Lumbrico Umbilicali rodi existimabant, ea propter fundulos tribus vicibus applicuerunt, quos à Lumbrico consumtos putabant. Cùm vero rem penitiùs consideraret, putrefactos potiùs (ob fœtorem ingratum) vidit, quàm à Lumbrico voratos. Tertio die puellæ defunctæ cadaver ipso præsente fuisse apertum, secta cute, peritonæum eô in locô, quô dolores patiebatur vivens, à serô acri & biliosô, erosum fuisse conspectum, qui à lumbrico excitari putabantur.

Vermis umbilicalis cura.

In Umbilico vermem lactentem, applicatione farinæ lupinorum in aceto coctæ, produximus, & extraximus, sine læsione aliam curam requirente. *Joan. Rudolph. Camerarius in Memorabilib. Medicinæ Cent. 12. ex variis.*

CRUSTA LACTEA.
SEU ACHORES.

SUnt Capitis ulcera manantia, tenuissimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus glutinosa sanies effluere solet. Causa proxima est humor acris, serosus, nitrosus & mordax, crasso admistus: Remota, malum regimen in sex rebus non naturalibus, præsertim in cibo & potu. Puerilis ætas est huic morbo maximè obnoxia; sed mulieres & viros acriùs & molestiùs infestat. Achoribus affinis est alius affectus qui favus latinis, græcis κηρίον dicitur. Hæc statuitur inter ipsos differentia, quòd in Achoribus foramina sint minora, in Favis verò majora, & quòd humor, qui è Favis emanat, sit melli consistentia similis, unde modò Meliceris, modò Cerium dicitur. *Thom. Burnet. in Thesaur. Medic. Pract.*

Curationes.

Prodest in Achoribus syrupus de fumaria simplex, non vero compositus, hic enim purgat. It. Essentia fumariæ.

Antimonium diaphoreticum tuto potest dari infantibus: Potest misceri cum CC. usto. Aqua betulæ valdè expellit. Item syrupus & conserva rad. helenii.

℞. Aqu. fumar. scabios. ana ℥ß. syr. de fum. ℥j. essent. fum. ʒß.

℞. Aqu. fumar. ℥iß. CC. sine igne præp. ℈j. antim. diaph. ℈ß. spirit. flor. sambuc. ʒß. edulc. rot. man. christ. perl. q. s.

Vel infundi potest in cerevisia CC. rasura cum flor. aquileg. fumariæ, scabiosæ &c.

Si oriatur vitio Matris, dentur illi, vel nutrici pilulæ de fumaria, syr. de fumaria compositus, extractum catholicum, serum lactis cum succo vel essentia fumariæ.

Lotiones non statim adhibeantur, neque inunctiones; sed præmissis expellentibus talia externa usurpare demum licet.

Continuato igitur usû expellentium internè, inunctiones fieri possunt ex unguento diapompholygos, lacte sulphur. ol. nuc. bals peruviano &c. aliàs addi quoque possunt folia scordii, nicotianæ, rad. lap. acuti.

℞. Fol. beton. scordii, helen. an. m ß. nicot. exsic. p. ij. Rad. beton. lapathi maj. an. ʒ iij. incis. & contus. grosso modo. D. S. species *in kochen.*

℞. Unguent. de helen. diapomphol. an ʒiß. flor. sulphur. ℈ ij. lact. sulphur. ℈j. c. s. q. ol. nuc. F. l. a. Linimentum *S. Galbe.*

Ad promovendam consolidationem autem in fine curationis potest exhiberi essentia vulneraria cum ess. lignorum. It. putr. cranii hum. præpar. cum ocul. cancr. præp. *Joan. Michael. Prax. Clyn. General. part. 1. lib. 6.*

In crusta lactea imprimis præcipitandum est internum acidum nimium, & blanda diaphoresi ad partes ambientes beneficio sudoris est promovendum.

Conveniunt E. internè imprimis aqu. spiritus & ess. ex floribus & rob. sambuci parata: it. remedia ex fumaria & card. benedict. in specie

Viperina a sal. vol. viperarum earundem ess. sunt optima.

In adultioribus infantibus una alterave gutt. olei destillati viperarum fœtidi, miram vim sudorem pellendi & hujus medio hos affectus curandi obtinet: juxta hæc ex ceruo parata diaphoretica imprimis utilia sunt. Hinc myrrha cum oculis cancrorum propinata & sæpius repetita, curationem horum uscusculorum mirè facilitat.

Purgantia præmittenda studio reticeo.

Externè conveniunt imprimis lotiones factæ ex decocto radicis oxylapathi, chelidon. major. betonicæ, saponariæ & similibus, quibus commodè furfures addi solent.

Achores equidem per se fere curantur, sed tinea capitis his lotionibus imprimis indiget. Convenit etiam decoctum rad. altheæ, c. urina infantis pro lotione capitis usurpatum.

Vulgò etiam decocto Nicotianæ utuntur ad capitis tineam abluendam, quidam etiam pulvere Nicotianæ utuntur, sed pravo sæpissimè cum successu. Observavit enim Dn. Boyle in sua philosophia experimentali, quòd lotio capitis facta c. Nicotiana in infante tinea correpto, eundem reddiderit ægrum & ebrium: sicuti similem ebrietatem observavit Fehr. tr. de absinth. pag. 90. ex pulvere nicotianæ ulceribus capitis manantibus insperso.

Duo præter propter sunt menses, quod hic etiam infanti cuidam aliquot annorum propter ubertatem pediculorum inunctum fuit caput unguento ex nicotiana parato, quo facto brevi post infans fuit admodum anxius, vomitus copiosi, diarrhœa ingens & tantum non lipothymiæ superveniunt, causa omnibus latet: tandem deveniunt in suspicionem unguenti: Hoc E. abluunt, & eo abluto sponte postmodum cessant supradicta symptomata.

Propterea cauti: simus in usurpandis remediis ex nicotiana.

Potius decoctum malvæ c. pisis pro lotione capitis optime conducit ad tineam, sicuti etiam unguentum c. butyro non salito paratum, addita tamen pauca camphora, quin & ulterius conducunt Balsamus sulphuris temperatus c. axungia porcina & illitus, quæ axungia porcina c. sola camphora subacta in mortario plumb. dat unguentum admodum conveniens ad capitis tineam, sicuti etiam unguentum diapompholygos aut unguentum enulatum, mistum c. floribus sulphuris & malaxatum c. oleo nicotianæ, sunt remedia satis efficacia in tinea capitis. Unguentum ex amiantho paratum experimentum est Bootii in tract. suo de gemm. quo etiam non sine successu usus fuit Scultetus in Observ. Chirurg. 96. quo ipso capitis tineam contumacem curavit.

Vulgò his ipsis remediis etiam addunt mercurialia, nunc ex mercurio crudo, nunc vario modo præparato constantia, id quod tamen non citra cautelam fieri debet, periculum enim est imprimis in tenerioribus, ne capitis periculosiorem affectum, v. g. epilepsiam inducant. Sic namque Timæus in suis responsis p. 106. refert infantem acoribus laborantem ex inunctione capitis mercuriali epilepsiam lethalem contraxisse. In robustioribus etiam infantibus mercurialia cautè sunt usurpanda propter metum salivationis quæ superveniens tam sponte & facilè sisti nequit.

Ob id Mercurius vivus necessitate cogente in pauca quantitate est permiscendus remediis. Tutius adhuc quàm Mercurius vivus usurpatur mercurius præparatus, imprimis c. spiritu nitri præcipitatus: communiter appellatur arcanum corallinum.

Item conducit etiam mercurius dulcis qui non inconvenienter unguentis & linimentis permisceri potest. Notum alias est, quod cingula mercurialia s. ut vocant, cingula sapientiæ lumbis circumdata optima & experta sunt remedia præmissis universalibus contra tineam capitis, uti etiam contra phthiriasin: paratur ex cingulo ex panno parato, benè insuccato, ut sic dicam, c. mercurio vivo, vel subigatur mercurius vivus c. axungia porcina & benè illinatur in cingulum ex panno paratum: Tuto usurpatur in adulto tale cingulum; si præmissa fuerint universalia, si continuo simul usurpentur corpus in blanda diaphoresi conservantia, & tertio si ipsum corpus non nimis exponatur frigori, quin calidum & probe munitum continuo conservetur. Aliàs ad tineam capitis contumacem præmissa convenienti c. decocto malvæ lotione commendatur hoc unguentum:

℞. Lithargyrii. cerussæ an. ℥ij. flor. sulphuris mercurii vivi saliva jejuni extincti an. ℥j. c. l. q. olei rosacei subigantur probè in mortario plumbeo, & fiat unguentum contra tineam non inelegans. Panarollus in pent. 5. observ. 31. ceu expertissimum & à se crebrius usurpatum, laudat unguentum paratum ex sulphure, axungia porcina, & succo limonum, quo ipso unguento abrasis capillis tineam inungendam suadet vesperi, tribus vicinis alternis diebus, quo facto per 5. dies nihil agendum est, quibus transactis fiat ablutio capitis c. decoctione malvæ, & sic brevi curabitur tinea, Oleum non contemnendum contra capitis tineam est & hoc.

℞. Vitellorum ovi ad duritiem elixatorum nu. xvi. Myrrhæ ℥ß. Rad. ari. Serpentariæ an. ℥ß. Helleb. nigr. ʒv.

M. probè & coquantur super carbonibus ignitis absque flamma, donec spumescere incipiant, tuncque exprimatur oleum usui reservandnm. In specie decrescente luna commodè instituitur cura tineæ: nam acores & favi spontè naturæ cessant ubi pertinaciora, aut periculosiora fuerint ulcera, lapis medicamentosus Crollii (descriptio prostrat in Beguino & aliis) dissolvatur in aqua nicotianæ & ita levi manu inungatur, valde enim juvat.

Quòd si verò ex malo increscente cranium fuerit læsum, præmissâ ablutione ulcerum cranio læso inungendum est mel rosaceum c. spiritu vini, hinc applicetur pulvis aristoloch. subactus c. balsamo Peruviano, sic enim successivè deletur caries, & os denuò sanescit. *Michael Ettmullerus in Collegio Practico speciali de morbis mulierum, infantum &c.*

Consultatio.

Adolescens annorum quindecim, mala diæta diu usus, postquam questus esset aliquamdiu de dolore capitis gravativo & somnolentia, accepit

cepit multos honores, in capitis cute apparentes. Qui postquàm deinde essent dissipati, postea redierunt, foraminibus plurimis perforati. Ex iisque glutinosa & flava effluit sanies: quæ in crustas fœdas & tuberosas, ferè totum ejus caput tegentes, concrescit.

Afficitur in hoc ægro *cutis capitis*; quod indicant tubercula illa saniosa, in ejus capite apparentia. Afficitur etiam *cerebrum*, quod ex somnolentia & dolore capitis gravativo patet.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies quædam acris, salsa, & nidorosa cutis capitis, quæ ulcuscula plurima manantia, & fœdis ac tuberosis crustis tecta, in ea producens, nomine *Achoris*, vel *Tineæ capitis* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est mala diæta, quâ hic adolescens fuit usus. Magna verò copia materiæ acris salsæ & nidorosæ, in corpore ejus inde genita, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus à corde cum sanguine per arterias in caput delata, & cerebrum gravans, *inducit* primum *somnolentiam & capitis dolorem gravativum*. Cutim autem capitis sua acrimonia multis locis perforans, & erodens, *& copiosè ex erosa cute emanans, & in crustas fœdas & tuberosas, totum ferè caput tegentes, concrescens, continens* hujus *Achoris*, sive *Tineæ capitis*, est causa.

Morbus, hic valdè contumax solet esse. Atque ideò difficulter curabitur.

Curatio itaque diligens adhibenda, ne æger in apolexiam, epilepsiam, lipothymiam incidat, vel alia graviora symptomata incurrat.

Eaque in cacochymiæ corporis ablatione, & inteperiei correctione, & ulcerum capitis sanatione, per contraria instituenda, consistet.

Primò itaque sumatur tale purgans.

♃. Mercurii dulcis benè præp. gr. XIV. scammonii optimi gr. VIII. vel ℈ß. Electuarii diapruni ℥ ij. Misce F. Bolus, subindè reiterandus.

Posteà ad humores cacochymicos alterandos, & ulteriùs evacuandos exhibeatur tale Apozema.

♃. Rad. cichorii ℥ ij. enulæ campanæ, althææ, Chelidonii major, an. ℥ß. herb. betonicæ, fumariæ, borrag. scabios. an. M. j. Flor. borrag. violar. an. p. j. sem. genistæ, agni casti an. ʒj. decoq. in aq. hordei q. s. ad lib. I. ß. Addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥ ij. sem. anisi ʒ I ß. Colaturæ adde, syr. de cichorio cum rhabarb. ℥ ij. Misce F. Apozema, pro sex dosibus, manè sumendis.

Corpore ita per universalia purgato, si tubercula non cedant, ad medicamenta topica sive localia est deveniendum. Tumque crustæ, quibus tubercula teguntur, sunt emolliendæ tali fomento, ut deinde facilius à Chirurgo tolli queant.

♃. Herb. malvæ, althææ, fumariæ, an. M j. Scabiosæ, agrimoniæ, betonicæ, M ß. flor. genistæ, sambuci an. p. j. sem. genistæ ʒ j. decoq. in aq. comm. pro fotu, quo foveatur caput calidè & frequenter, spongia liquore illo imbuta, & moderatè expressa.

Postquàm crustæ fuerunt remotæ, evellantur volsella pili ex tuberculis, donec subsidant. Quo peracto, sumatur cochleare unum aceti acerrimi, cui addantur guttæ VI. vel VII. olei vulgaris, ac linteo iis mixtis imbuto & madefacto omnes sordes abluantur, fortiter fricando, ut per poros apertos humores pravi expelli possint.

Si malum adhuc perseveret adhibeatur quotidie hoc unguentum.

♃. Piperis, sulphuris an. ʒj. fuliginis furni ℈j. Pulverisata misceantur cum butyri veteris liquefacti ℥ ij. & F. unguentum.

Vel adhiberi poterit illud à Foresto summopere commendatur unguentum.

♃. Litharg. aur. & argent. cum aceto acerrimo & ol. ros. nutriti ℥ ij. aluminis rochæ combusti ʒ ß. fuliginis furni, rad. enulæ camp. exsicc. & in pulv. tritæ vel combustæ, chartæ, quæ perfluit, exustæ an. ℈ij. olei ex vitellis ovor. axung. gallin. porcin. an. ℥ß. ol. laurini, rosacei, & aceti q. s. incorporentur in mortario secund. art. ut coëant in formam mollioris unguenti.

Cui etiam, malo nondum cedente, addi porit Mercurii saliva extincti ʒj. & vitrioli rom. rectè calcinati parum.

In victus ratione, Aër sit purus, temperatus. Cibi sint boni succi, qui temperiem acrem nidorosam & salsam temperant. Et contra, qui mali sunt succi & acrimoniam augere possunt, vitentur.

In Potu sit cerevisia benè defæcata. Vitetur vinum. Panis sit bene fermentatus. *Alvus* sit lubrica. *Exercitium* sit moderatum. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib. 4.*

Observationes.

Pro Achore seu tineâ crustosâ in puero 13. annorum.

Puerum hunc sequentibus remediis ita curavimus.

♃. Fumariæ M iij. scabios. beton. borrag. acetos. viol. agrimon. an. M j. sem. endiv. acetos. anis. an. ℥ j. rad. enul. ℥ß. fol. sen. ʒ VI. Epithim. ʒj. uvarum passarum exacinat. ℥ß. liquirit. ʒ iij. f. omnium decoctio in aq. communis & fumariæ an. pt. æqu. & q. s. pro ℔j. in colat. dissolv. Syr. de fumar. ℥ iij. Syr. de Epithymo, borag. & stœchad. an. ℥ß. m. f. apozema, capiebat bis in die, erat facilis solutionis; quotidie enim ter ad minus hoc decocto alvus solvebatur, aliquandò & quinquies alvum deponebat. Deinde ut hoc capitis lavacro uteretur mandavi.

♃. Fumar. betæ, lapath. acut. cum toto, chelidon. cum toto, malv. fol. Heder. arbor. rad. althææ, an. M j. flor. Chomœm. melilot. & furfur. an. M ß. coq. in aq. q. s. pro ℔ iij.

Deinde ut crustæ meliùs emollescerent, jussi ut post lotionem inungeret caput infrascripto linimento.

♃. Mucilag. fœnugræc. sem. lini cum aqu. malv. extract. axung. gallinæ, ol. ex vitell. ovorum an ℥ß. Croci ʒß. M. f. pro linimento ut artis est. Iisque sæpius reiteratis, caput deinde radi jussimus novaculâ, continuando lotionem & inunctionem manè & horâ quartâ pomeridianâ.

Post sex deinde dies paravimus iterum apozema purgans sicut antè, addendo polipod. q. ℥ß. ras. ligni sanct. quart. j. ex quo sumebat aliquando semel, aliquando bis in die, si alvus mi-

minùs responderet. Novaculâ rursus abraso capite, ut materia magis foras evocaretur, ad lotionem hanc plus detergentem devenimus.

♃. Fumiterr. scabios. Caul. rub. betæ, fol. Heder. arbor. malv. ras. ligni Guajac. an. M ß. rad. enul. Chelidon. alth. an. ℥j. fl. Chamœm. furfur. an pij. farin. fabarum, lupinorum an. ℥ißs. Coq. in aqu. pro ℔ iv. Post lotionem hoc linimento inungi mandavimus ad detergendum & magis exsiccandum.

♃. Pulv. rad. enul. camp. litharg. auri & argent. Ceruss. alumin. roch. combust. an. ℈ iß. terantur subtilissimè & incorporentur cum linimento priùs descripto; addendo ol. vitell. ovorum, q. s. & ceræ albæ modicum ut in unguenti formam coëat.

Post quinque rursus dies propinavimus infusum fol. orient. Epithym. & rhei in aq. fumar. scabios. & beton. addendo cassiæ & confect. Hamec. an. ℥ ij. Syr. de fumar. ℥ß. quo sexies multa & varia excrementa deposuit, die sequenti rursus exhibuimus, & adhuc sexies dejecit. Postea lotionibus dictis urinam antiquam adjecimus, & inter bulliendum vitrioli exiguum quo ter tantum caput ablui imperavimus, eò quòd robustius medicamentum esset, cæterùm post istam lotionem caput infrascripto unguento inungebatur.

♃. Litharg. auri & argent. cum aceto acerrimo & ol. ros. nutriti ℥ ij. ceruss. ablutæ cum aq. Solan. ʒj. alum. roch. combust. ʒß. fulign. furni, rad. enul. exsicc. & in pulverem tritæ vel combustæ, chartæ exustæ an. ℈ ij. ol. ex vitell. ovorum, axung. gallinæ, porcinæ, an. ℥ß. ol. laurin. ros. & aceti exigui q. s. Incorporentur in mortario S. A. ut in forma unguenti mollioris coëant.

Istud unguentum est apud me magni pretii, & mirabile magnæque efficaciæ, ut patet ex illis quæ ingrediuntur. Galenus solâ chartâ combustâ, & aceto dilutâ locum affectum illinebat, & uno aut altero die, hoc medicamento utens exsiccante, plurimos curavit.

Tandem unguento ultimo præscripto adjunximus argenti vivi cum saliva extincti ʒj. vitriol. rom. optimè calcinati ℈ j. & bis inungebatur, his dictis remediis ab achore seu tineâ humidâ liberatus est puer spatio duorum ferè mensium. *Petrus Forestus, observ. 17. lib. 8. de extern. capitis vitiis.*

Pro Achore in puero octo annorum.

Post lotiones & universalia remedia præcedenti observatione dicta, topico remedio sequenti fuit curatus.

♃. Succ. fumar. ℥ ij. Succ. scabios. borrag. Chelidon. succ. rad. enul. lapath. acut. an. ℥ j. cum pauxillo fæcis ol. antiq. & ol. ros. addendo axungiæ porcinæ q. s. & aceti exiguum, bulliant lento igne ad succorum consumptionem, in fine addendo pulv. litharg. auri & argenti, pulv. ireos, lupinorum, an. ℈ j. pulv. ros. lign. guajac. ℈ ß. benè incorporentur & f. linimentum. S. A. Expertus sum etiam valere decoctum guajaci, ut in morbo gallico uti solemus, cum optima victus ratione; interea adhibendo lotiones, linimenta, & unguenta, in observatione præcedenti præscriptâ. *Petrus Forestus, observ. 8. lib. 8. de externis capitis vitiis.*

Pro Achoribus in puero 15. annorum.

Contra hoc malum sequens lixivium inveniebam.

♃. Absinth. fl. Chamœm. serpill. matricar. an. M ß. bacc. Lauri, rad. Ireos an. ℥ j. Rad. asar. ℥ iß. incidantur & sacculo condita, coq. in lixivio ex ligni juniperini cinere facto. Hoc lunâ decrescente caput lavabatur quotidie, ac brevi sanitatem recuperavit. *Martinus Rulandus, curat. 54. cent. 1.*

Quendam achoribus tineisque per multos annos turpiter affectum, (cui varia fuerant incassum applicata remedia) præmisso cathartico, linimento ex oleo in quo ad exactam coctionem bufo, sive rana terrestris ebullierat, optimè curavi, quippe simplici hoc remedio per paucos dies in capite utens, sanus, & capillatus factus est, durante autem linimento pili emortui, vulsellis à Chirurgo extirpabantur. *Julius Cæsar Baricellus, in hortulo genial.*

CUTIS MORBI.

Sic traduntur à Clar. Willisio.

De Cutis morbis, & diversimodis remediorum generibus illos spectantibus pertrectaturi, de partis affectæ fabrica paucis præfabimur.

Quoad Cuticulæ ac Cutis fabricas, ac usus, non est ut omnia in libris Anatomicis jam jam accuratè descripta, & passim nota hic repetam. De Cuticula annotasse sufficiat, hanc pelliculam esse tenuem ac densam exanguem & exanimem, ut pote vasis & fibris destitutam quæ cuti cohærens, eam integit & ab externis injuriis tuetur. Hæc ubique perforata est, in cujus foramina, sudoris vasa excretoria hiant, quæ Malpighius per microscopium accuratius inspiciens, paulo ante hiatus suos, quibusdam quasi valvulis, pro sudore detinendo, aut liberius emittendo, donari asserit: verùm hæc me latuisse fateor.

Cuticulâ per phænigmum, aut ignem detractâ, cutis nuda, & ob vasa sanguifera rubens apparet. Est autem hæc, membrana crassior, quoad maximam partem ex filamentis vasorum sanguiferorum, nervorum, fibrarumque nervearum, varie inter se complicatis contexta quibus glandulæ numerosæ, & lymphæductus, sive sudoris, & vaporum vasa excretoria densissimè interponuntur. Hujus substantia duplex à plerisque anatomicis perhibetur, exterior nervea, & interior carnea, seu potius glandulosa pro hujus exemplari, mali aurantii cortex adducitur. Si cutis nuda per microscopium inspicitur, ex observatione Clarissimi Malpighii, primo sese offert corpus reticulare, cujus crebris foraminibus continentur non solum ductus sudoriferi sed & plurimæ papillæ pyramidales, per ordines parallelos è cute erumpentes, & in cuticulam, ubi in plures velut fibrulas dividuntur protensæ; quas idem author tactus sensorium statuit. Insuper his, substantia cutis habet glandulas plurimas, quibus medicantibus lympha, sive materies hydrotica, ex arteriis per lymphæ ductus sive vasa excretoria ad poros de-

deducitur. Enimverò observavit accuratissimus Stenon *singulis poris suas glandulas subjacere*, quæ juxta ἐφιδρώσεως usum majores, aut minores existunt: sudor, aut vapores ex his per vasa excretoria foras constanter emanantes, papillas nerveas, ne forte arescant, in transitu suo madefaciunt.

Quoad poros sive foramina sudatoria, per microscopium detegitur eos bini generis existere, scil. majores, in quibus plerisque radices pilorum consitæ sunt, & per intervalla, ex utroque latere cujusque rugæ cutaneæ, ordine parallelo disponuntur: vel secundo sunt meatus isti minores, quorum innumeri spatia omnia prioribus interjecta quasi punctis creberrimis adimplent. Enimverò tota cutis, cum rugis suis, instar agri ab aratro sulcati, & dein cum ordinibus versis, seu potius obliquis occati, apparet; ita ut plano suæ areæ supra sulcos utriusque generis eminentes, figuræ ut plurimum rhomboidis existunt; & juxta quod sulci isti; cum rugis, sive areis, breviores ac minores, aut etiam profundiores ac majores fuerint, textura cutis delicata sive tenuis, vel crassa sive levidensis videtur. Hujus constitutio licet plurimum nativitati, ac primogeneæ staminum ac humorum concretioni debeatur, ea tamen propter diversimoda vitæ insequentis accidentia, multifariam alterari solet. Victus crassior, labores duri, aëris inclementia, ac imprimis caloris, ac frigoris excessus, cutim asperiorem: etiam è contra educatio mollis & delicata tenorem ejus magis subtilem, ac leviorem reddunt.

Ut cutis magis tersa, polita, & æquabilis, evadat, multum interest, poros ejus omnes humore benigno, miti, ac velut oleoso adimpleri; ita namque dum meatus omnes pleni, ac tensi fiunt, totius cutis planities lævissima apparet: attamen si humor vitiosus poris istis suppeditatur, aut qui infuit benignus, nimis exhauritur, cutis proinde aspera & rugosa fiet. Quare si cujuspiam cute mollissima ac planissima præditi manus aqua saponata, lixiviali, calcaria, aut etiam sanguine calenti aliquandiu madefient, propterea mox humore salino, per sales alios è poris extracto, sulci & rugæ illico majores & profundiores evadent: quare fœminæ delicatiores lavacra saponata, & quævis alia cutim sulcantia, religiosè evitant.

Nec tantùm humor è poris nimium exhaustus, sed etiam in iis supra modum ac indebitè retentus, cutim asperam ac inæqualem reddit. Foramina pilosa (quæ & sudatoria & si non unica, aut plurima ita fuerint) ob transpirationis beneficium, effluvia copiosiora constanter emittunt, quare majora semper illa, ac patentiora videntur; sin verò à frigore externo hæc subito occludi contigerit, vapores intus coërciti, cutim circa eruptionum loca undique inflant, ac in moleculas attollunt: hinc si quando corpora nostra boreæ nuda exponantur, aut fluvio immergantur, superficies exterior prius glabra, ac mollis, mox cuti anseris deplumati similis scabra & confragosa evadet. Proculdubio majora isthæc foramina, juxta cutis sulcos parallelòs & velut quincuncis ritu seriatim consita, quasi totidem foveæ, pro pilis velut arboribus conserendis instituuntur; ita namque in quadrupedibus, imò & in quibusdam hominis partibus hirsutis, aliquatenus habent.

His ita breviter de cuticula, & cute, quoad eorum fabricas & usus designatis, via satis præstruitur, ad indagandos & explicandos partium earundem morbos, & medendi rationes. Itaque imprimis ad cuticulam, cum sit vitæ ac sensus expers, morbi vix ulli propriè spectant. Hæc interdum densa nimis diapnoen impedit; quandoque item propter accidentia quædam in nonnullis locis nimis crassa & ἀπαθὴς minimè ægrotat, attamen hæc in causa est quod affectus quidam, forsan per evaporationem difflabiles, circa cutis superficiem hæreant; in quantum scil. sanguinis, & humorum recrementa, & fœculentiæ exteriùs propulsa, & totam cutim transgressa, cum ob cuticulæ densitatem prorsus evaporare nequeant, super cutim extimam defixa, varias ejus discolorationes, & defœdationes producunt; cujusmodi imprimis sunt maculæ *Ephelides* dictæ, necnon scorbuticæ, & malignæ item Lentigines, & quæcunque aliæ suggillationes, sine tumore, aut asperitate cutim, vel cuticulam notis, sive nubeculis quibusdam aspergere videntur.

At verò quoad ipsius cutis affectus in genere spectat, siquidem hi varii ac multiplices fuerint, sub vario respectu distingui solent, atque imprimis quod sint vel cum, vel sine tumore: posteriores hosce modò notavimus.

Affectus cutanei cum tumore, vel sunt universales, per totum corpus dispersi, vel particulares in his, aut istis membris sporadicè, & quasi fortuitò excitati.

Priores vel febri superveniunt, uti imprimis *variolæ, morbilli* aliaque exanthemata maligna, quibus etiam accedunt infantium efflorescentiæ volaticæ; vel sine febre contingunt, ut imprimis pruritus, impetigines, & affectus leprosi. Tumores externi particulares, sive sporadici, plerumque non meram cutim, sed & partes subjectas, scil. modò carneas, modò tendinosas, aut membranosas, aut glandulosas occupant, proindeque variæ indolis ac formæ diversimodæ existunt. Super his omnibus particulatim disserere, & singulorum Ætiologias & Therapeias designare, non modo integri tractatus, sed magni voluminis res esset: itaque impræsentiarum de affectibus mere, aut maxima ex parte cutaneis (cujusmodi imprimis sunt *maculæ omnes*, ac *lentigines*, necnon *scabies* sive *pruritus*, impetigines sive affectiones *leprosæ*) breviter dicemus: de tumoribus cujusque generis speciatim edisserendi, olim fortassis aliquando opportunitas dabitur.

Primo igitur (ut à maculis uti pathematis minoris momenti ordiamur) occurrunt ephelides dictæ, quoniam ab insolatione potissimum exitari solent; atque id propter in vere, ac æstate plurimum increbescunt, circa hyemem rursus evanidæ, porrò cum in formosioribus, ac cutim rarissimam habentibus maximè contingant, in iis præcipuè locis, ubi cuticula soli, ac aëri exposita, densissima est, scil. in facie, ac manibus maximè erumpunt. Coloris subflavi, aut fusci, circa magnitudinem morsus pulicaris, inæquales tamen, & quoad figuram irregulares existunt, parum aut nihil hæ differunt à puncturis istis subfuscis, aut flavis, quas nonnulli

nulli lentigines, vocant quæ lentis magnitudine, faciei partes crebris quasi guttis insigniunt.

Harum materies videtur esse, humoris biliosi portio tenuior, vi solis illam attenuantis, & poros cutis aperientis, exteriùs prolecta, quæ evaporari incipiens, in cute extima, aut cuticulæ, quam pertransire nequit, concavo, defigitur, profecto has maculas à bile, aliisve sanguinis recrementis flavis procedere indicio est, quod maxime familiares sunt iis quorum pili etiam flavescunt. Porrò quod in complexione sæpius pulchriori, ac præsertim in partibus soli, ac aëri expositis oriuntur, ratio satis liquet, utpote quorum cutis rarior, humorem ab æstu solari rarefactum eousque transmittit, donec à cuticula densiori prope exitus loca sistitur. Hic affectus quoad valetudinis statum, nihil mali indicat, aut ominatur; & quamvis in apparentia nonnihil turpitudinis refert, id tamen compensatur, quatenus ita maculosos puriori constitutione præditos, significat.

Præter has maculas exiguas lenticulares, occurrunt aliæ multo ampliores, supra palmæ magnitudinem, quæ cutim variis in locis, præcipuè vero circa pectus, & dorsum lituris modo fuscis modo luridis, aut subnigris conspurcant. Hæ certis temporibus, ac uti in multis observavi, certis in partibus exoriri, ac evanescere solitæ, vulgo maculæ hæpaticæ dicuntur, iisque plurimùm insigniti, jecur minus sanum, aut saltem bene sanguificum habere creduntur; quod tamen sub hac ratione verum non est, at solummodo quatenus humores biliosi cùm non satis intra hepar à massa sanguinea secernuntur, ad cutim protrusi, eam ita discolorant: quod vitium quodammodo etiam lieni imputatur, enim verò defœdatio hæc oritur, eò quòd sanguinis fœculentiæ, ac recrementa, cum non satis à secretionum officinis excipiuntur, unà cum sero quo diluuntur, ad cutim feruntur, ibidemque sanguine exuta, ac à seroso latice inter evaporandum derelicta, circa poros extimos & foraminula (tanquam lanugo muscosa fluvii angustiis hærens) defiguntur.

Lituræ istæ potissimum in æstate apparent, & maxime supra pectus & corium, vid. quo tempore & quibus in locis homines ad sudandum sunt plurimum apti: ipse nimirum latex serosus, qui fæculentias istas è massa sanguinea in cutis angustias provehit, eas penitus evaporare inhabiles, illic relinquit. Affectio hæc nihil mali conjunctum habet, neque enim morbi præsentis symptoma est, nec ullum brevi futurum portendit; porrò cum locis plerumque tectis obveniens, nullam deformitatem, aut molestiam adfert, curatione ejus parum aut nihil opus esse videtur: sed quoniam apud vulgus opinio increpuit, hepar ob maculas istas insigniter periclitari, & medicinam necessariò requirere, idcirco ut quibusdam pharmaca importunè efflagitantibus satisfiat, præter cosmetica externa, etiam remedia hepatica interna præscribere solemus: quorum usus etsi non admodum necessarius, quia tamen exinde sanguinis depuratio, & viscerum ἐμφράξις sataguntur, haud prorsus inania existunt medicamenta interna ad hunc finem utilia, supra inter remedia hepatica describuntur: externa sive topica prorsus eadem in his, ac in aliis quibusque macularum generibus conveniunt; quorum formulas quasdam selectas subdemus.

De maculis pestilentialibus, uti & scorbuticis, cùm alibi ex professo egimus, non opus erit hic eadem repetere; præsertim quoniam ad has methodus prorsus alia, quàm ad modò descriptas requiritur; quatenus nimirum, in uno macularum genere, medicamenta fere tantum externa, absque splanchnicis aut cardiacis, inque altero tantùm interna, sine ullis cutaneis adhiberi solent. Itaque ad maculas ephelidas, lentigines, & hepaticas vulgò dictas, ars decorationis propriè spectat; & propter hæc cutis deturpamina tollenda, sine quavis medendi methodo, pharmaca tantùm cosmetica præscribuntur. Horum apud Dominas curiosas, aliosque de cute curanda solicitos, cùm ingens ubique & uberrima sit seges; ea tamen omnia quatenus duas solum medendi intentiones respiciunt, ad bina hæc capita reduci possunt: illa nimirum aut cutis accuticulæ poros aperiendo, atque hanc interdum excoriando, humorem exteriùs attrahendum & prorsus evaporandum moliuntur, vel è contra, & sæpe non minori cum successu adhibentur illa, ut materiem maculosam è cute repercutiant, ac intus adigant. Topicorum utriusque generis formulas quasdam ordinarias rationaliter inventas, & non rarò sat feliciter usurpatas, hic ordine subdemus, quandoquidem non licet sine magnatum offensa, secretiora artis cosmeticæ mysteria detegere, & apud vulgus profanare.

Primò igitur ad cutim detergendam, & materiem macularum foras extrahendam.

℞. Lixivii è sale tartari minus saturati ℥ iv. olei amygdalarum amararum per expressionem facti q. s. in tali proportione misceatur, ut totus liquor illico lactescat, ac ita perstet; cum hac mixtura partes affectæ mane, & vesperi illinantur, & blandè confricentur.

℞. Radic. Ari, bryoniæ. sigil. Salomonis recentium an. ℥ j. pulv. sem. fœnugræci ʒ j. camphoræ ʒ ß. simul contusis affunde olei tartari per deliquium ℥ iij. f. expressio, applicetur cum petia intincta bis in die.

℞. Sulphuris vivi pulv. ʒ j. saponis nigri ℥ ij. ligat. in petia, suspend. in aceti ℔ j. per ix. dies, dein in usum adhibeatur, loca affecta bis in die abluendo, & confricando.

Secundò propter alteram intentionem, scil. maculas è cute discutiendas, earumque materiem repellendam ac intus adigendam, lac virginis celebre apud antiquos remedium fuit, & etiamnum à pluribus commendatur, ac in usum adhibetur. Hujus præparationes satis innotescunt: nempe solutio lithargyri in aceto destillato facta, ab oleo tartari per deliquium affuso, in liquorem instar lactis albicantem præcipitatur, quo facies, & manus bis in die laventur, & blandè confricentur: Medicamentum huic simile aut idem, saltem ejusdem virtutis, paratio ex solutione minii, vel cerussæ, in eodem menstruo facta, & cum aqu. Aluminis aut salis gemmæ præcipitata.

Vel ℞. Camphoræ incis. ʒ ij. teratur in mortario vitreo, sensim affunde succum unias limonis, dein adde vini alb. ℔ j. F. Colatura & camphora residua, petia ligata, in vitro suspendatur.

℞. Vi-

℞. Viridis æris ℥ iv. affunde aceti vini albi ℔ ij. cucurbitæ vitreæ indita destillentur in calore avenæ: phlegma primo extillans ad usum servetur, quo facies illinatur bis in die. In hunc finem etiam ros aut phlegma vitrioli per se destillati egregiè convenit sufficit nonnullis aqua florum fabarum, aut fumariæ simplici stillatitia, aut etiam vitis succo limpido, è ramis ejus verno tempore sectis extillante uti. Attamen feminæ curiosiores & artem cosmeticam maximè callere præ se ferentes, vix ullis remediis cutaneis, nisi mercurialibus contentæ sunt; quapropter aqua sequens ad omnes faciei turpitudines commendatur, & ab empiricis magno pretio venditur.

℞. Merc. sublimati ℥ j. pulverisat. ponatur in vase stanneo cum aq. fontan. ℔ iij. stent. per xxiv. horas cum spatula lignea subinde agitando, donec totus liquor nigrescat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit; cum petia aut pluma huic intincta, facies semel intra diem unum aut alterum blandè obducatur.

Medicamentum hoc contra turpitudinem quamcumque cutaneam insigniter juvat; quatenus nempe humores intra porulos, & foraminula utut minutissima impactos expedit, salium aut sulphurum combinationes inveteratas & pertinaces dissoluit, totamque ubi applicatur cutim quoad meatus ejus malè conformatam restituit, & εὔχροον facit; Quapropter non tantum ad faciei maculas abstergendas, sed etiam ad pustulas, & ruborem ejus nec non ad affectus erysipelatώδεις tollendos utile est. Porrò interdum accidit, plerasque faciei partes, præsertim vero nasum, & frontem, punctis nigricantibus creberrimis quasi à pulvere pyrio exploso inustis insigniri: quod tamen inde procedit, quia foramina sudatoria, modo humore atro crassiori, modò vermiculis capita nigra habentibus implentur quæ quidem animalcula è poris expressa, & soli exposita vivere, & se movere facilè cernuntur; atque in tali cutis affectione, lotione aut litus nulli præter mercuriales prodesse solent; attamen huic melli aculeus plus nimium malignus sæpe præsto est; neveque hydrargyri particulæ, unà cum salibus (à quibus in minutias dividuntur; acuunturque) faciei applicatæ, materiam inde noxiam & defœdatoriam poris excutiunt; ac depellunt, eam vero intus repercussam insequuntur, & propediem sanguini & liquori nerveo (quorum crases lædunt; se facilè insinuant, quinimo horum commeatu sæpissime, cerebro, & nonnunquam præcordiis, & partibus aliis virulentiam suam non rarò postea indelebilem imprimunt, hinc frequens observatio est, feminas aut viros cosmetico mercuriali dies ac multum utentes, vertigini, & affectibus spasmodicis, aut paralyticis obnoxios fieri, eorumque dentes nigricare, & nonnunquam vacillare.

De Psora sive Scabie cum pruritu.

Post cutis affectus simpliciores, qui nempe sine tumore, aut ulceratione contingentes, eam solummodo apparentiis maculosis defœdant, jam ordine dicendum erit de pathematis gravioribus, & continuitatem solventibus, atque imprimis de psora sive scabie, quæ in variis, & crebris totius corporis locis, cutim pustulis sive eruptionibus exiguis, modò siccis & sæpe squamosis, modò humidis ac ad ulcerationem dispositis, cum pruritu valdè molesto infestat; atque hujusmodi affectio propriissime istius partis morbus est, utpote quæ in ipsa cute propter contagium externum sæpe incipit, & frequenter per remedia quædam tantum cutanea sanatur; saltem utriusque ratio eatenus tenet, ut rarò aliter perfecte aut suscipiatur, aut curetur.

Psora sive scabies vulgò describitur esse pustularum in toto corpore sparsim eruptio, ab humore acri, & salso, intra poros cutis aggesto procedens, & inde ut discutiatur, ob pruritum insignem, scalpendi necessitatem inducens.

Ut morbi hujus causas, & symptomatum rationem ritè investigemus, paulò altiùs de materie ψωρώδει & causa ejus conjuncta inquiremus, nimirum ut innotescat, cujusmodi sit humor iste intra cutim aggestus, quo pacto illic aut generatur, aut aliunde adveniat, dein quibus poris aut loculis contineatur, & quomodo foras erumpere nitens pruritum adeo molestum creat.

Itaque circa hujus morbi ortum ut non cum veteribus jecori, vel lieni, culpam nimium imputemus, materies ejus non esse quilibet humor singularis, è quatuor vulgo suppositis, viz. non pituita, nec bilis flava, vel atra, nec etiam ipse sanguis per se extravasari aptus, porro nec illa è duobus vel pluribus horum simul mixtis constare videtur enim vero ut dentur tales humores, ex iis tamen si morbus hic semper constet, non ita facile per merum & leve contagium suscipi, litu vitri solo curari possit. Quamobrem potius opinari fas sit, materiem morbificam esse humorem lymphicum, in glandulis cutaneis constanter, residem attamen ab indole sua genuina, scilicet salino volatili in acidam aut aliàs vitiosam degenerem. Enimvero cùm huic ita depravato, & perpetim evaporanti, supplementa continua à sanguine adveniant, latices isti, vetus & recens, non facile congruunt, aut uniuntur, at salium dissimilium ritu mutuò effervescentes, in materiem recrementitiam coagulantur, quæ poros cutis implens ac distendens, ubique passim in tumores attollit, insuper sanguinem in transitu nonnihil impedit, & extravasari cogit. Hinc pustulæ crebræ excitantur, & quatenus materies ista in ichorem facessens, à sero & sanguine subsequentibus usque prorsum, & foras urgetur in moleculas assurgunt, dein spiritus animales fibras nerveas, ut ichoris istius excretionem promoveant, inordinate subeuntes, molesti pruritus sensum efficiunt.

Profectò humorem quendam lymphicum in glandulis cutaneis, quæ singulis foraminibus sudatoriis subjacent, propter usus quosdam recondi, quin & juxta copiam, & moram ejus diversimodam, glandulas has plus aut minus turgidas existere, inspectio microscopica planissimè detegit. Latex iste à sanguine per arterias in glandulis hisce deponitur, nempe ut sarcinula hac exuta, facilius iste per venas redeat, interim illic repositus, suos usus habet, scilicet imprimis papillas miliares, quæ cum fibrillis suis nerveis substratæ proprium tactus sensorium

rium sunt continuè madefaciens, ab ariditate qua sensatio impeditur præservat; insuper idem effluvia adusta à sanguine accenso perpetim decedentia, juxta cutis transitum humiditate quadam imbuit, & halituosa reddit; dumque adeò laticis hujus pars cum sanguinis effluviis continuè evaporat, impendia ista per lympham usque recentem à sanguine arterioso (uti dictum est) jugi exutam, reparantur.

Attamen suæ cutaneæ regionis œconomia non ita regulariter usque servatur, quin humor iste glandulosus, ab indole & functione sua desciscens, non modò in cute sed interdum in toto corpore affectiones præternaturales diversimodas excitabit. Hic lentescens, inque loculis pertinaciùs hærens, diapnoen obstruit; ab eo nimis ubertim foras exudante sudatio immodica, ab eodem intus restagnante diuresis debito copiosior procedunt. Porrò ad scabiem, & eruptiones pustulosas quod spectat, humor iste cum pluribus, ita potissimum tribus hisce modis depravari, proindeque diathesin cum sero à sanguine recens affuso coagulativam inire solet, viz. Primò ipse sanguis valdè impurus, simulque dissolutus, corruptelas & recrementa sua ubertim in glandulis cutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti magis corruptivi naturam induentia, cum succis aliis adventitiis, aut pertranseuntibus effervescunt; & varie coagulantur, adeòque non solum affectus ψωρώδεις verùm & leprosos diversimodos pariunt. Hinc piscium crustatorum, quin etiam aliorum, & quadrupedium salitorum, & sole aut fumo induratorum comestio crebra & assidua, item potus incongrui, & pharmaca venenata assumpta, eruptiones cutaneas passim, & non rarò horrendas cient.

Secundò humor glandulis cutaneis aggestus, interdum mera stagnatione non tantùm ψωρώδης sed etiam frequenter φθειρώδης evadit; quare non tantum diu incarcerati, sed etiam qui vitam sedentariam agentes squalori insuper, & pædori assuefiunt prædictis affectibus obnoxii degunt; quatenus nempe latex cutaneus minimè eventilatus, liquorum putrescentium ritu, mera stagnatione corrumpitur, adeoque fermenti φθαρτικοῦ indolem adipiscitur, cui insuper à sanguine perinde etiam depravato putredinis complementa accedunt.

Tertiò si forsan hæ causæ defuerint, ut cutis humor glandulosus nec à sanguinis vitio, nec propria stagnatione labem ullam contrahat, attamen miasma virulentum ab extra communicatum, eum quoad morbos istos nihilominus prolificum reddit. Ex observatione maxime vulgari hoc liquido constat, in quantùm maximè sani, & constitutione optima prædití, vix unquam in eodem lecto ubi scabiosus simul decumbit, aut nuper decubuit, impunè dormiunt: nec ita tantùm, quin & scabiosorum sudaria aliis in eodem lavacro lotis, ejusdem affectus sæpe contagium impertiunt. Nullius certe morbi labes (peste tantum excepta) faciliùs, aut certius quam psoræ propagatur.

Quod si hujus ratio inquiratur, statim occurrit, liquorum miasmatis ψωρώδους susceptivum, ad illud maxime exponi, & facillime disponi; ad utrumque certe multo promptius quam aut sanguinem, aut succum nerveum. Enimverò cutis latex glandulosus, in extima corporis superficie scatens; atomos quascunq; per foramina & meatus ubique patentes intromissas, primò imbibit, & à sanguine anticipat. Porro quod iste à contagio scabioso tam citò inficiatur, faciunt tum fermenti communicati activitas, tum liquoris glandulosi ad degenerandum eò modo proclivitas. Enimvero effluvia à cutis scabiosæ efflorescentiis decidua, satis apte comparantur cerevisiæ floribus, summitatem ejus quasi pellicula extrema occupantibus; quorum si portio perquam minima inde demta alteri cervisiæ novellæ infermentatæ committatur, totam illico massam quantumvis magnam fermentat; ac in liquoris unde admitur indolem commutat. Magna certe energeia est, quam particulæ, utcunque minimæ ac paucæ, ad summam activitatem evectæ præstare valent, præsertim verò si in liquorem (cujusmodi est cutaneus) è particulis subtilibus cujusque generis, tum à sanguine tum à succo nerveo delibatis, conflatum, proindeque citissimè fermentari aptum inciderint. Ubicunque igitur miasmatis prædicti effluvia, corporis sani parti cuivis externæ impingentur, imprimis humorem cutaneum tantum illic loci consitum inficient, deinde vero hujus ita infecti particulæ, à sanguine venoso susceptæ, & mox arterioso traditæ, per totum corporis habitum diffunditur, adeoque brevi humoris istius totam massam coinquinant, & ψωρώδη efficiunt.

Ex his de Psoræ causis tum conjunctis, tum procatarcticis explicatis, Symptomatis primarii, sc. eruptionis pustulosæ, ratio satis liquet. Quoad alterum vero, sc. pruritum cum sit sensio molesta, ut ratio ejus formalis innotescat, considerare oportet, ad quod sensorium proprie spectat, & cujusmodi ejus affectio sive passio fuerit.

Circa hæc, primo certum est pruritum ad sensum *Tactus* pertinere, atque hujus instrumenta primaria esse papellas miliares earumque fibrillas per totam cutim dispersas supra ostendimus. Insuper hoc sensu fibræ omnes nerveæ ubique per totum corpus diffusæ donantur. Attamen cum *Tactus* duæ sint passiones supremæ, & quasi genericæ, sc. *Dolor*, & *Voluptas*, merito ambigitur, cuinam ex his *Pruritus* referri debeat. Pro cujus solutione ostendere oportet, quo ritu spiritus animales Tactus sensorium incolentes afficiuntur in *dolore*, quomodo item in *voluptate*: deinde eorundem gestu etiam circa *pruritum* designato, facile constabit, cujus ditionis hæc passio fuerit, & in quibus ejus natura, & fiendi modus consistunt. Hæc quamvis in digressu si plenius & forsan ad tædium usque exponam, ignoscat lector, quoniam Ætiologia hæc ad affectus plerosque externos tum dignoscendos, tum curandos perquam necessaria videtur. Dolor à Tristitia distinctus, & ad Tactum pertinens, definiri solet, *sensio molesta à continui solutione procedens*. Et quidem exoritur iste, quoties, & quatenus sensibile incongruum, aut improportionatum, sensorio isti applicatum, fibras ab invicem dividit & divellit; proindeque spiritus animales in iis hospitantes à solita & placida emanatione sua repellens, ab invicem distrahit & quasi in fugam vertit; dein propterea statim, quatenus iste spirituum exterior repulsus, continuata aliorum serie ad

πρῶτον αἰσθητήριον communicatur; spiritus illic degentes in parem confusionem ciet, doloris, sive molestiæ exterius inflictæ, perceptio efficitur. Revera tota spirituum animalium quæ dolore afficiuntur series, quasi animæ sensitivæ membrum quoddam singulare, ab objecti impressione velut anxietatem concipiens, cum molestia corrugari, inque dimensionem minorem sese contrahere cogitur.

Cum solutio continui doloris causa statuitur, non ita intelligendum est, ac si affectio hæc tantum à vulnere, aut plaga corpori inflicta cieretur, namque eadem à frigore, calore, flatibus, à sanguinis aliorumque humorum extravasatione, aut alicubi aggestione, sæpe membri conformatione adhuc integra manente, passim induci solet; in quibus casibus licet continui partes, ac imprimis fibræ & filamenta nervea, minime præscindantur, ista tamen in omni doloris affectu, aut ab objecti pressione, aut à particulis alienis cuneorum instar adactis, à solita positione divelluntur, inque tensionem nimiam, aut distorsionem, aut divulsionem adiguntur; proindeque spiritus incolæ, à mutuis amplexibus divulsi, & dissipati, gravate hebent, & molestiæ sive doloris passionem eunt.

Dolori opponitur voluptas, estque sensionis modus isti plane contrarius: qui nempe oritur, quatenus blando mulcimine supra sensorium facto; spiritus illic confluunt, & mox densius conglobati, & delectatione quadam perfusi, in organo quasi exultant & conjubilant: dein quatenus spiritus intra corpora striata insimul parem ovationem ineunt, voluptatis perceptio accietur.

Maxima voluptas quæ Tactui affertur, in eo consistit, ut doloris causa amota partes ab ea prius affectæ temperiem & conformationem pristinam recuperent; ita namque spiritus animales prius fugati, & ab invicem dispersi, se recolligunt, & ad loca quibus exularunt, copiis duplicatis irruentes, quasi ad ovandum se accingunt. Hinc Peripatetici voluptatis rationem formalem solummodo in molesti cujusdam remotione posuerunt; uti cum frigoris, aut caloris excessus, à statu opposito, & magis congruo excipitur. Profecto objectum tangibile (siquidem hoc crassum usque ac hebes fuerit) vix aliud (ἀφροδίσια si exceperis) spiritus animales ad sensorium conglobatim allectat, nisi quod eorum confusioni præcedenti succurrit.

Ex his circa passiones istas designatis, facile constat, *pruritum* quoad rationem ejus formalem plene & perfecte, nec dolorem esse, nec voluptatem, verum imperfecte, & inchoative, de utroque statu participare. Enimverò materies ψωρώδης intra cutis poros aggesta, & pluribus in locis continui solutiones faciens versus dolorem inclinat: attamen cum illa sit volatica, mobilis, & versus exitum properat, idcirco spiritus animales è fibris etiamsi divulsis non fugantur, nec cum molestiæ sensu retrovertuntur, verum è contra, quasi humore infesto se potiores, eique ejiciendo pares sentirent, intra fibras cutaneas densius, se inordinatim agglomerati, eas varie convellunt, & deducunt, quo citius materiem morbificam excutiant, & foras depellant. Quapropter quatenus spiritus animales minime fugati, aut repulsi, sed extrorsum conglobatim in tactus organa confluentes, ibidem ἀτάκτως & tumultuarie se gerunt, atque fibras sensiles velut titillando, in leves spasmos cient, non voluptas, verum sensio molesta, quæ item nec dolor est, sed passio ab eo plane diversa exoritur. Quamprimum autem fricando aut scalpendo, spirituum copiæ ubique circa sensorium aggregatæ melius disponi, ac quasi in ordinem redigi incipiunt, maxime exinde voluptatis persensio inducitur. Quare pruritus medius quidam inter doloris & voluptatis initia status, sive spirituum ab illius rudimentis versus hujus complementum transitus videtur. Verum à Physiologia hac parerga, ad pathologiam nostram revertamus. Ex supra dictis facile erit morbi hujus differentias colligere.

Primo igitur Psora quoad originem suam, aut per contagium accipitur, aut propter malam victus rationem, incendiculum & fomes ejus à chylo, & sanguine vitiosi communicatur, vel ob pædorem & transpirationis defectum in ipsa cute generantur: quibus addere licet, infantes quandoque hanc labem à parentibus hæreditario contractam nancisci.

Secundo eruptiones cutaneæ quoad formam suam, juxta diversimodas affectorum constitutiones variant: nam in quibusdam temperamenti ficcioris biliosi aut melancholici, scabies tantum sicca, & quatenus ob seri defectum minus evaporat, cum pruritu non adeo molesto excitatur: in aliis vero temperamento humidiori, & sanguine impuriori præditis, exanthemata plurima ichore imbuta, & summe prurientia, ad scalpendum valde irritant, & propter ulcera inde concitata, pruritus subinde in dolorem commutatur.

Quoad *prognosin*, licet hic morbus ex se nunquam exitialis, aut valde periculosus, & curatu semper facilis existit: attamen sæpe malum eventum habet; in quantum scil. diu continuatus, & sanguinem & liquorem nerveum summe depravat, atque ab eo confestim sanato, propter materiem, dum poris excutitur, intus susceptam, præcordiis & cerebro, aliisve partibus nobilibus labes perniciosa infertur.

Maximum à scabie periculum pueris & cachecticis imminet; utpote in quibus utrisque, labes ab humore cutaneo partibus nobilibus facilius imprimitur, quæ deinceps cum lues exterior ψωρώδης deletur, intus manens, non nisi larga pharmacia, (cujus neuter capax aut patiens est) penitus expugnari potest; quapropter tales omni cura & diligentia adhibita, à scabiei tanquam à pestis contagio præservari debent.

Circa scabiei sive Psoræ *curationem* duæ occurrunt primariæ indicationes, ac utraque duplex, viz. prima *curatoria* hæc duo respicit, ut humor glandulosus (fermento ejus corruptivo penitus extincto) ad debitam crasin reducatur. Secundo dein, ut ipsius cutis pori & meatus, concretionibus ichorosis liberati, conformationem pristinam seu εὔροον recuperent.

Indicatio secunda *præservatoria* hæc duo præcavet, sc. primo, ne Psoræ impuritates & miasmata corruptiva è cute (dum fermentum expugnatur) excussa, in sanguinem ac liquorem nerveum regurgitent, iisque non tantum dyscrasias, sed insuper (ut sæpe assolet) cerebro

aut præcordiis noxam graviorem inferant. Secundo item navetur opera; ut humorum & partium nobilium labes à materie ψωρώδη prius contracta, dum cutis vitia emendantur, eradicari possint.

Omnes hæ medendi intentiones, per remedia tum interna, tum externa simul usurpata, una complicari, aut saltem intercalari debent; nempe ut materies morbifica loculis suis excussa, in nullas uspiam latebras secedere, & delitescere queat, quin ex omni parte: intus & foras per medicamenta, impetita in totum amoveatur; itaque purgantia hanc medendi methodum inchoare semper & finire debent. Quamquam Helmontius pharmaciam catharticam cum magna pompa exagitat & quasi triumphatam ducit, quia per se scabiem non curat, affirmare tamen licet, morbum hunc sine medicina ista, vix unquam facile, nunquam vero tuto sanari. Porrò *Phlebotomia*, nisi aliquod contradicat, mox ab initio celebretur; insuper his *alterantia* quæ sanguinem purificant, & viscera corroborant, ac contra materiæ ψωρώδες incursus muniunt, vices suas habeant; atque interea linimenta, aut Balnea, aut alius generis remedia Topica, & proprie cutanea adhibeantur: utpote sine quibus non tantum Cathartica, & Phlebotomia, sed & Diaphoretica, imò remedia quæcunque sanguinem ac humores evacuantia aut alterantia, incassum cedunt. Medicamentorum cujusque generis modo recensitorum, formulas quasdam selectiores subdemus. Et primo ad Catharsin rite moliendam, detur ab initio pharmacum purgans, aut emeticum; item post Phlebotomiam (si opus fuerit) celebratam, Apozema, vel cerevisia, cathartica, sumatur per 7. vel 8. dies.

♃. Electuarij diacarthami ʒ iij. spec. diaturbith cum Rhabarbaro ʒj. cremoris Tartari, salis absinthii, ana, ℈ß. Syrupi de pomis purgant. q. s. f. bolus sumend. cum regimine. Vel,

♃. Sulphuris Antimonij gr. VII. Scammonij sulphurati gr. VIII. cremoris Tartari ℈ß. f. pulvis.

♃. Radic. polypodij qu. lapathi acuti præpar. ana ℥j. foliorum sennæ ʒx. Turbith, Agarici, Epithymi, ana ℥j. sem. Carthami ℥ß. santali citrini ʒ ij. sem. anisi, carvi, ana ʒ ij. incisa & contusa digerantur clause & calide in vini albi ℔ IV. per XXIV. horas, liquor clarus effundatur, sine expressione, dosis ℥ VI. per se, vel cum cochl. j. Syrupi ex Epithymo.

Vel. ♃. Ingredientia prædicta, & coquantur in aqu. font. ℔ VI. ad medietatem, dein adde vini albi ℔ j. & statim coletur. f. Apozema, detur eodem modo.

Vel, ♃. Radic. Polypodij qu. lapathi acuti, ana ℥ iij. sennæ opt. ℥ IV. Epithymi, Turbith, Mechoac. ana ℥ ij. santali citrini ℥ j. sem. coriandri ʒ VI. s. a. præparentur, f. sacculus pro IV. congiis cerevisiæ, post V. vel VI. dies hauriatur, & sumatur ad ℥ XII. plus, aut minus, omni mane per VIII. vel X. dies.

Pro potu ordinario doliolum IV. congiorum impleatur cervisia tenui, cui imponatur sacculus sequens.

♃. Summitatum Tamarisci, fumariæ siccat. ana M. IV. Radic. lapathi acut. siccat. ℥ VI. corticis solani lignosi ℥ ij. incisa & contusa, misce. Vel, sumatur Bochetum ex decoct. sarsaparil. santalo, cum rasur. eboris C. cervi, liquiritiæ, &c.

II. Ad remedia alterantia quod spectat, præter cerevisiam medicatam pro potu ordinario, non multis aliis opus videtur, sed tantum ut recta victus ratio observetur, vitando cibos salitos & piperatos, pisces crustatos, aliosque muria conditos; etiam à vino, aquis ardentibus, cerevisia fortiori, & à liquoribus quibusq; sanguinem incitare nimis ac fermentare aptis temperetur. In psora contumaci & corpus cacochymicum occupante, expediet electuarium sequens cum aqua destillata bis in die exhibere.

♃. Conserv. fumariæ, radic. lapathi acuti, ana ℥ iij. Trochisc. de Rhabarbaro, specierum diatrion santal. ana ʒ I ß. salis absinthij, ʒj. Vitrioli Martis ℈ IV. cum s. q. Syrupi è cichoreo cum Rhabarbaro, f. Electuarium, dosis ʒj. ad ʒ ij. bis in die superbibendo aqu. destillat. sequentis ℥ IV.

♃. Summitatum Abietis M. VI. fol. fumariæ, Agrimoniæ, Elatines, Epaticæ, Becabung. ana M. IV. Radic. lapathi acuti ℔ ij. corticis sambuci M. ij. cortices exteriores VI. Aurantiorum. Incisis, & contusis affunde seri lactis cum cerevisia media facti ℔ VIII. destill. organis communibus, liquor totus misceatur.

II. Unguenta cuti illinenda communissime, & efficacissime, pro scabie curanda præscribi solent; attamen quæ aliis plerisque tumoribus, aut ulceribus adhibentur, minime hic juvant; verum *Sulphur*, ejusque præparata, in hoc morbo virtutem quandam specificam habere videntur, adeo ut linimenta fere omnia ψωρώδη ingrediuntur, & totius compositionis basis sunt. Receptum apud vulgus maxime tritum est hoc.

♃. Pulveris, aut flor. sulphuris ℥ß. Butyri non saliti ℥ IV. Zinzib. pulv. ʒß. f. linimentum.

Paulo elegantius, etsi non multum efficacius ad hunc modum præscribitur.

♃. Unguenti rosacei ℥ IV. Sulph. vivi pulv. ℥ß. olei Tartari per deliquium q. s. f. linimentum, cui odoris gratia adde olei Rhodii.

Si quando sulphuris energeia aliorum adjectorum virtute corroborari, aut intendi debet,

♃. Unguenti enulati sine Mercurio ℥ IV. Pulv. sulphuris ʒß. olei Tartari per deliquium q. s. In eundem finem unguent. ex radic. Oxylapati in butyro, vel oleo, cum vino albo ad vini consumptionem coctis, cum sulphure & oleo Tartari componitur. Porrò unguenta ista interdum per se, curiosioribus tetrum sulphuris odorem abhorrentibus sæpe cum fructu usurpantur.

3. Tertium linimenti ἀντιψωρώδες genus fit ex Mercurio, nullo præterea sulphuris, aut vegetabilium satellitio indigens. Quin ex se hoc nimis efficax, non toti corpori, sed brachiorum, & crurum solummodo juncturis applicari, aut cingulo inclusum circa lumbos gestari solet: ita namque de scabie curanda spes fere nunquam deficit. Attamen periculum est ne praxis hæc (uti sæpe assolet) symptomata mala, & perniciosa inducat; nam è litu Mercuriali salivatio frequenter, quandoque item scotomia, vel affectus soporosi, aut convulsivi succedunt. Porrò nonnunquam Pharmaci virus intra præcordia, aut viscera, horrendos *Asthmatis*, *leipothymias*, *aut dysenteriæ* affectus producit.

Un-

Unguenti Mercurialis ad pruritum formula vulgaris, & maxime usitata hæc est.

℞. Hydrargyri cum acido in minutias reducti ac (ut dici solet) extincti ℥iß. pinguedinis porcini recentis ℥vi. incorporentur optime, diu terendo in Mortario lapideo, aut vitreo.

Nec tantum sub forma linimenti, sed & pluribus aliis modis prædicta medicamenta usurpari solent. Nam Cinnaberis (quod ex Mercurio cum sulphure paratur) carbonibus injecti fumus ore exceptus, aut corporis superficiem feriens, Psoram curat. Aq. Mercurialis cosmetica superius descripta subduplo imbecillior, sicuti in locis maxime ulceratis cum petia applicatur, scabiem omnem tollit. Attamen horum usus non usque adeo tutus est, ut passim omnibus adhibeantur.

Ex sulphure, ac vegetabilibus, vel serosim utriusque sc. per se vel conjunctim, aqua incoctis Balnea parantur, quæ non lavacri communis ritu, cutis tantum sordes eluendo, sed & fermentum ejus destruendo, morbum hunc sanant. Insuper his, restat adhuc alius facilior, & multo elegantior pruritus sanandi modus, nempe ut camisia aquæ fontanæ cum sulphure pulverisato incocta, & per solem, vel ignem exiccata, super nudum corpus per quatuor vel quinque dies gestetur; ita namque morbus iste sine balneatione, aut litus squalore, aut male odore, curari solet.

Quod si horum Ætiologia inquiritur, & imprimis quare sulphur adeo specificum Psoræ Antidotum sit, ut pauperes & plebeii (quibus alia pharmacia utendi deest copia) contra affectum istum tantummodo sulphuris pulverem cum lacte intus sumunt, & cum butyro exterius adhibent: dico hujus rationem superius, ubi sulphuris virtutem erga pulmones Balsamicam explicavimus, ex parte ostendi. Illud nimirum in utroque casu prodest, quatenus sanguinis, & humorum aciditates, ac asperitates quasvis exoticas, & corruptivas destruit, ac unicuique latici indolem benignam, scil. mollem & quasi oleosam restituit: atque ita sulphuris particulæ quoquo modo exterius applicatæ, cutis poros facile subeunt, atque intus admissæ protenus in ichorem ulcerosum illic scatentem aguut, sales inibi præpollentes mortificant, & latici cutaneo naturam Balsamicam, deinceps ut bene congruat cum sanguine & sero continue affluis, conciliant.

Quoad *Mercurium*, nihil mirum est si medicamina ex eo parata, cutis loca, ubicunque applicentur, ψωρώδη persanant, siquidem hac applicatione exanthemata, & ulcera quævis cacoethea, sc. venerea, & scorbutica duæque perdomari solent. Porrò nec res stupenda est, quod Pharmaca hæc privatis quibusdam locis adhibita, dummodo salivationem cient, pruritum universalem curant; at verò quod sine sputo talem effectum producant, uti cum zona hydrargyrum includens circa lumbos gestata totius corporis scabiem tollit, idque interdum sine ulla evacuatione sensibili, aut noxa exinde concitata, hujus inquam ratio non ita facile patet.

Attamen pro hujus solutione dicendum videtur Mercurii particulas, fermenti cujusvis ψωρώδες extinctivas, cum privatæ cuipiam parti applicantur, illico istius loci scabiem tollere, easque insuper à sanguine venoso susceptas, per totam hujus massam diffundi, & paulo postea per sanguinem arteriosum, non solum in eundem ubi suscipiantur locum regeri, sed quaquaversus extrorsum latas, ubique in totius corporis cute deponi, ibidemque scabiei miasma quodvis destruere: dein si forsan contigerit particulas hasce Mercuriales, post medelam peractam rursus omnes cute evaporari, nulla deinceps salivatio, aliudque incommodum sequentur.

De Impetigine, sive Lepra Græcorum.

Post *Scabiem* cum *Pruritu*, agendum sequitur de affectu alio, huic ob pustularum eruptiones nonnihil affini, qui communiter *Impetigo*, à quibusdam *lichen* & *vitiligo*, atque ab aliis *Lepra Græcorum* appellatur. Hic uti diversa sortitur nomina, ita eadem ab Authoribus varie applicantur, & ab iis morbi speciem unam, ab illis aliam designare perhibentur. Quare cum affectus hujus appellationes varie confundantur, & forsan quoad naturam, & rationem ejus formalem in diversis regionibus diversimode habuerit, neque prorsus idem sit in nostro hoc seculo ac fuit olim; idcirco non ex libris, sed ex propria Ægrotantium observatione morbum hunc describere satagam.

Impetigo ad hunc modum exoriri, & afficere solet; vix. imprimis papillæ, sive pustulæ rubræ modo singulares, modo plures congestæ, in variis corporibus partibus, præsertim vero in brachiis aut cruribus excitantur; quibus singulis (morbo incrementum sumente) undique novæ adjunguntur, & brevi ejusmodi molecularum plures velut aggeries, sive corymbi fiunt. Etenim papillæ juxta unamque stirpem, primo in dies erumpentes, & latius usque serpentes, sese in orbem diffundunt, adeoque exanthematum aggeries quasque ampliari faciunt. Cujusque harum superficies aspera, & nonnihil albida, & squamosa apparet, unde, si scalpatur, squamæ decidunt, & ichor sæpe tenuis exudat, qui tamen mox excitatus, in squamam rursus crustaceam indurescit.

Hi papillarum corymbi primo exigui, & pauciores existunt, in brachio, aut crure, aliove membro singulari, tres forsan, aut quatuor ad magnitudinem denarij, aut semidrachmæ apparent: postea vero, si morbus crescere sinatur, crebriores ubique erumpunt, quæ quidem, quoad areas sensim auctæ, postea coronam argenteam æquant aut superant, verum non semper rotundæ, aut figuræ regularis, sed variiformes existunt. Porrò in hoc statu non sistitur, sed affectus nisi per medicinam cohibeatur, in pluribus usque locis ebulliens, & latius ubique serpens, tandem haud solum membra integra, sed & totum corpus vitiligine leprosa obducet: atque hanc impetiginis speciem, sive gradum potius summum veteres propter efferationem ejus ἀγελαν appellarunt, & plerumque incurabilem censuerunt.

Hinc morbi hujus differentiæ præcipuæ innotescunt; & imprimis, quoad morem ejus plus aut minus malignum, distinguitur, juxta quod propius ad scabiei, aut Lepræ naturam accedit, vel statu medio se habeat.

 beat.

beat. Insuper notare est, affectum hunc quandoque membra quædam singularia, uti brachia forsan aut crura, corporis reliqui partibus intactis, infestare, interdum verò in iis omnibus simul incipere & ubique sparsim papillas, aut earum corymbos excitare. Porrò hujusmodi eruptiones in quibusdam temporariæ, adeoque diversimodæ existunt; namque in his ferè tantum in hyeme infestant, circa æstatem evanescentes, item è contra in aliis quasi Brumam horreant, hirundinis adventum & exitum observare solent: in aliis verò plerisque hic morbus continuus, nullas inducias concedit, imò nullam remissionem, vel mediocritatem habet.

Porrò impetiginem, à morbis aliis affinibus, atque imprimis à scabie, & lepra distinguere oportet. A priori differt, quoad pustularum formas: namque in Psora ubique ferè singulares, & spatiis licet exiguis, ab invicem remotæ existunt, hic plures conglobatim, & quasi per racemos magis intervallis sejunctos erumpunt. Verum inter hos affectus, discrimen maximum inde nascitur, quod scabies per contagium facillime & vix aliter exoriri aut propagari solet, impetiginis verò infectio tam rara aut nulla est, ut miasma à viro uxorem, aut ab hoc illum assidue concumbentibus, minime transeat.

Hic morbus etiam à lepra discriminatur, tum quoad eruptionis formam, tum respectu contagii, quod in hac pariter activum est, ac in Psora, ipsaque ἐξάνθησις multo immanior, & horrenda est, viz. crustacea, & squamosa, ubique continua, & per totum corpus diffusa.

Hinc constat impetiginis causam materialem, non esse humorem mere cutaneum propter miasma ab extus susceptum, aut ob alias occasiones depravatum & à crasi sua degenerem; quia nimirum, non uti in Psora per contagium facile aliis communicatur, neque statim per totum corpus dispergitur. At verò pustulæ circa morbi initia primo erumpentes, inde procedere videntur, quod in massa sanguinea concretiones quædam acidosalinæ (instar Tartari in vino) contingunt, quæ cum subigi, aut rursus dissolvi nequeant, hic in cutim, quemadmodum illi in dolii parietes, depelluntur. Hujusmodi concretiones donec parvæ ac pauciores fuerint, in membro forsan uno, aut altero, perque unicum aut alterum forsan arteriæ ramum in cutim convehuntur; dein quatenus natura, eundem quem cœpit, excretionis modum continuare solet, materies per eadem vasa ad eosdem ubique nidos advecta, juxta pustulas primas, aliarum circumcirca consitarum aggeries facit; postea verò cum sanguinis dyscrasia, indies aucta, materies ista Tartarea intra massam ejus uberius progignitur, plures ejus portiones per arterias alias, & subinde alias exterius convehuntur; & propterea pustulæ etiam plures, tum in aliis membris erumpunt quas nova materies per easdem arterias continue accedens, & juxta posita, pustularum aliarum adjectione indies ampliat ac undique dilatat; & demum si hujusmodi sanguinis Tartarus in immensum accrescat, per plurimas, aut simul omnes arterias extra delatus, in cute defigetur, & processu temporis superficiem ejus omnem incrustatione squamosa, aut plane leprosa obducet: atque tunc humor ipse cutaneus per totum corruptus, in morbi partes cedet; namque hic sanguinem & humores, dum inter circulandum pertranseunt, magis inquinando, seu potius venenando, materiæ morbificæ penum augeri faciet; quin etiam effluvia ζυμώδη sive corruptiva à se dimittens, ejusdem morbi contagium aliis tradet.

Itaque affectus hujusce *causæ* tum *procatarctica*, tum *conjuncta*, in eo consistunt, quod imprimis absque ullo cutis vitio, sanguinem particulis salinis diversimodi status ac indolis saturari contingit; (in cujus diatheseos causas προηγουμένας mox inquiretur) atqui salia ista præsertim ubi fixa ac acida præpollent, (uti eorum mos est) se mutuo prehendunt, adeoque in coagula quasi Tartarea concrescunt; quæ portiones in sanguinem protrusæ, papillarum eruptiones, quasi totidem morbi hujus nidos inchoant; dein illæ sensim juxta materiæ supplementa tum numero, tum magnitudine indies auctæ, morbi hujus incrementum, & ἀκμὴν producunt.

Ad causas προηγουμένας, & *evidentes* quod spectat, duo sunt præcipua occasionum genera, à quibus hic affectus plerumque originem sumit; scil. mala victus ratio, & morborum aliorum, uti imprimis *scorbuti* ac *luis venereæ* male, aut minime curatorum miasmata in corpore relicta. Singulorum ex his rationes paulo expendamus.

Quoad prius, præter communes circa diætam inordinationes, quibus nonnulli carnium salitarum, & dein sole, aut fumo induratarum esui, simulque vinorum acidorum potui nimis dediti, hunc morbum facilè contrahunt; insuper vulgaris observatio est, plures in eum à carnis porcinæ, & piscium præcipuè crustatorum comestione nimis crebra, aut assidua disponi. Prioris instantia satis notabilis est, quod potissimum in morbi hujus prophylaxin, cibus iste Judæis interdicebatur: dein alterius exemplum est, quod olim in Anglia Cornubienses, oram ferè undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantum piscibus vescerentur, affectibus leprosis plurimum obnoxii fiebant; in tantum ut propter horum sublevamen, multa in ea regione Nosocomia conderentur. Horum rationes ut paucis innuam, opinari subest utrumque cibum sive quà rancidus, sive alias improportionatus, sanguini nostro particulas non rite miscibiles, aut facilè domabiles convehere, quibus ita heterogeneis, & dein longo talis diætæ usu in magna copia aggestis, particulæ cujusque generis salinæ se facilè associant, adeoque coagula Tartarea in cutem exterminanda, & affectus impetiginosi, aut leprosi seminia constituunt.

Attamen uberrima ejus seges, à scorbuti ac luis venereæ miasmatis in corpore relictis, & demum quoad salium, ac sulphuris efferatorum combinationes ad ἀκρότητας evectis progignitur. Morbi prioris, & speciatim symptomatis prædictis eidem ἐπιγινομένοις, rationes alibi explicavimus, quæ ad hypothesin modo propositam accommodatæ magis elucescunt. Atque

que luis venereæ inveteratæ, imò interdum curari visæ, ita passim accidit ejusmodi eruptiones pustulosas supervenire, ut nullus ferè his affectus, morbi istius pudendi suspicione careat; saltem medici, quoties in tali casu consulitur, prima statim quæstio est, annon patiens iste labem veneream aliquando prius contraxerit; Enimverò sanguinis corruptelæ, postquam diutina mora heterogeneæ prorsus, ac indomabiles fiunt, tandem particulas salinas sibi consciscunt, quibuscum in coagula ejusmodi Tartarea concrescentes, ac in cutim protrusæ, exanthemata impetiginosa producunt.

Quoad Prognosin hic morbus, etsi mortem, aut imminens periculum raro minatur, tamen postquam radices altius egit, curatio ejus perdifficilis aut nulla est: Impetigo primo incipiens, atque pustulas earumque aggeries, in membro forsan uno aut altero pauciores excitans, quandoque Therapeiam, sed vix sine Pharmaca efficaciori procurandam admittit. Sin morbus eo processerit, ut papillarum corymbi crebi, ac lati in toto corpore sparsim appareant, tunc parva remedia nihil efficiunt, atque magna utcunque sedulo observata curationem non facile perficiunt. Quod si morbus, invitis quibusque remediis, indies in pejus evectus, tandem in affectionem quasi leprosam accrescet, pronunciat Celsus *hanc curari non posse, ideoque ab ea abstinendum esse.*

Circa Impetiginis *Therapeiam* duæ sunt primariæ Indicationes, scil. *præservatoria*, quæ morbi causam, & *curatoria*, quæ symptoma, viz. eruptionem pustulosam respicit. *Vitalis* in hoc casu nisi plane deplorato, ubi somnus ac vires deficiunt, raro locum habet. Medendi methodus semper incipere debet ab Indicatione præservatoria, quæ morbi causas per remedia interna amovendas procurat, secus enim exteriora ferè nunquam (uti in Psora) cum fructu adhibentur; attamen præscissis intra sanguinem morbi radicibus, efflorescentiæ cutaneæ cito emarcescunt: propter istas vero tollendas, alias procedendum erit ratione, quando Impetigo per se incipit, & nonnihil diversa quando scorbuto inveterato, aut lui venereæ malæ, aut minimè curatæ supervenit; singulos hosce casus seorsim & distinctè perpendemus.

Quando igitur hic affectus simplex, & primarius, item adhuc recens fuerit, causæ evidentes & externæ amoveantur; mala victus ratio, & aëris insalubritas emendentur; itaque cibis salsioribus, & porcorum aut piscium carnibus dudum ac nimis assueti, ad diætam εὔχυμον, & εὔπεπτον transeant; porrò oram maritimam, aut loca paludosa incolentes, auram deinceps sicciorem, & apricam hauriant; interea non minor potus ratio habeatur, vitando cerevisiam crassiorem, & fœculentiorem, atque vina tenuiora, & acida, Tartaro nimis referta: demum caveatur ne potus, vel edulia, parentur ex aquis mineralibus lapidescere aptis.

2. Respectu causæ conjunctæ, & procatarcticæ, duæ sunt præcipuæ medendi intentiones; nempe ut viscerum, & humorum impuritates cito expurgentur; item ut sanguinis, & liquoris nervei dyscrasiæ acidosalinæ; (quo minus in iis materies Tartarea progignatur) in melius reducantur; propter quos fines, medicamenta tum evacuantia diversi generis, tum alterantia præscribi solent. Attamen quia non omnia, sed remedia ferè tantum magna hic conveniunt, ideò quæ potissimum in & maximè proficua deprehenduntur, sunt *Cathartica, Phlebotomia, serum lactis, acidulæ chalybeatæ, herbarum expressiones succulentæ, decoctum ex lignis, medicamenta chalybeata, & salivatio*, cujusque horum formulas quasdam, ac utendi modos subdemus.

Imprimis itaque purgatione universali, & Phlebotomia, (quemadmodum in Psoræ Therapeia) celebratis, *infusio* sive *Tinctura Cathartica*, sequens instituatur, cujus dosis ℥vi. ad viii. intra 6. vel 7. dies repetenda.

℞. Radic. Oxylapathi siccat. polypodii quan. ℥ß. sennæ ʒx. epithymi ʒvi. Rhabarb. Mechoac. ana ℥ß. santali citrini ʒij. spicæ celticæ ʒß. salis Tartari ʒiß. ponantur in vitro cum vini albi lib. 3. Aqu. florum sambuci lib. 1. stent. clausæ in frigido per dies 3. dein in usum depromantur effundendo quotidie q. s. liquoris clari.

Secundo ad sanguinem edulcorandum, ejusque sales eluendos, serum lactis simplex, vel cum fumaria, Cichoraceis, & Oxylapatho infusis bibatur omni mane ad lib. 2. vel 3. per dies 20. vel 30. si stomacho congruet; simulque vesperi, & mane primo sumatur dosis Electuarii sequentis.

℞. Conserv. rad. lapathi acuti ℥vi. oculor. Cancri, Corallii præpar. ana ʒij. Eboris ʒj. Pulv. ligni Aloës, santal Citrini, ana ʒiß. salis prunel. ʒij. Vitrioli Martis ʒiß. Syrup. è succo Jujulæ q. s. f. Electuarium, dosis ʒij.

Tertio propter eandem rationem, qua serum lactis, etiam Acidulæ ferratæ, contra hunc morbum præscribuntur, & non raro insigniter juvant, quippe cum cætera quævis medicamenta incassum cessere, cum his solis impetiginem gravem, & pene leprosam aliquoties curavi. Porrò his etiam majoris efficaciæ gratia, salis prunel. aut vitriolis Martis, aut Electuarii modo descripti usus commode adjungatur.

Quarto in quibusdam sero nimio, & constitutione aquosiori præditis, ubi seri lactis, aut acidularum potus minus convenit, nonnunquam expedit, decoctum ex lignis horis medicis, ac insuper pro potu ordinario constanter sumi.

℞. Ras. ligni salicis, lib. ß. radic. sarsaparil. ℥viii. Santal. albi, ligni lentiscin. ana ℥ij. rasur. Eboris, C. Cervi, ana ʒvi. Stanni, Antimonij crudi, ana ℥iv. in petia ligat. liqueritæ ℥j. f. a. infund. & coquantur in aq. fontan. lib. 16. ad medietatem, colatura servetur ad usum.

Quinto *Medicamenta Chalibeata*, quoniam inter remedia præstantiora passim habentur, raro in hoc morbo omitti, quamvis non sæpius cum fructu exhiberi solent: pleraque enim ferri præparata, in quibus particulæ sulphureæ præpollent, quatenus sanguinem fermentant, inque effervescentias ἐκκεκλικὰς cient, eruptiones impetiginosas augeri potius quam diminui faciunt; attamen sal syrupus, Tinctura & infusiones vitriolicæ, quatenus sanguinem figunt, & salium efferationes nonnihil cohibent, medendi

dendi intentioni modo propositæ satis apte quadrant; sed potentia minores contra morbum adeo Herculeum minime valent.

Quamobrem, sexto, his & plerisque aliis remediis nihil juvantibus; multi *Salivationem* quasi Athletam fortissimum, ac tanto hosti unice parem commendant. Attamen prægrandi huic expectationi eventus non semper respondet; fateor enim me hoc remedium in quatuor personis impetigine graviori, & medicamentis aliis obstinatâ laborantibus, sine commodo expertum fuisse. Quidam ex his per inunctionem ex hydrargyro, aliique per catapotia ex præcipitato solari, in sputationem copiosissimam, quam per 20. circiter dies pertulerunt, ciebantur; quo temporis spatio elapso, eruptiones omnes squamosæ, & papillarum Corymbi evanuerunt; nihilominus ad Therapejam confirmandam potus diæteticus ex decocto sarsæ, cum crebra sudatione subtus cratem & debita purgatione interjecta, institutus per mensem continuabatur: attamen hoc cursu finito, cum nulla tunc impetiginis vestigia relinqui viderentur, intra mensem alterum, nova ejusdem morbi seges pullulare incipiens, brevi tempore ad solitam maturitatem accrevit. Porro cum unus ex iis hanc medicinam repetere, atque alter post duas morbi reciduas, eam vice tertia experiri voluit, uterque demum post immanes tot ærumnarum perpessiones, de curationis spe decidit: unde constat luem veneream, quamvis summe malignam, atque ulcera fœdissima & Cacoetheæ carnes ac ossa depascentia excitantem, multo facilius, certius quam Impetiginem sanari posse.

Cujus ratio si inquiratur, obvium erit concipere; posterioris hujusce Affectus causam, in miasmate maligno, & prorsus heterogeneo, sanguinem & liquorem nervosum ad tempus quoddam inficiente, & quasi venenante, eorundem verò crases non prorsus evertente, aut quoad futurum penitus depravante, consistere; quapropter à salivatione, aut diæta sudorifica, virus illud totum extirpantibus, atque superstite dein genuina sanguinis & humorum indole, cura peragitur: verum in Impetigine graviori, sanguinis particulæ elementares, & primitus constitutivæ corrumpuntur, adeo ut nisi harum crasis, & legitima diathesis restituantur, evacuationes quæcunque, atque materiæ malignæ venenosæ, aut heterogeneæ cujuspiam expurgationes, ut ut copiosæ, & eradicativæ, parum aut nihil efficient. Quare non immerito plerique olim celebres medici, morbum hunc confirmatum, ac ad lepræ confinia evectum, vix ac ne vix curabilem censuerunt.

2. Hunc morbum scorbuto inveterato supervenientem eventus nequicquam melior attendit; forsan hinc medendi intentiones paulo certiores eliciantur, quando hic affectus, istius basis sive radix supponitur; nempe ut Indicatione Therapeutica primaria inde sumpta, remediis antiscorbuticis potissimum insistatur; verum hujus generis acria, & calidiora, uti *cochlearia*, *Nasturtia*, *Rhaphanus Silvestris*, *piperitis* aliaque sanguinem nimis incitantia, quatenus crasin ejus plus dissolvunt, & coagula Tartarea ad cutim uberius propellunt, semper noxæ potius quam emolumento esse deprehenduntur; atque ob hanc rationem, *Thermarum usus* sive *balneatio* in aquis calidis, quæ siquidem per diaphoresin copiosissimam totius corporis humores evacuat, atque cutis poros absterget, ac summe mundificat, in hoc morbo valde proficua videatur, sæpissime in tantum à juvando abest, ut eruptiones exinde plurimum augeri, & exasperari soleant: novi enim plures haud graviter impetiginosos, Bathoniam, nostram ad Balneandum in aquis calidis profecto, inde prorsus leprosos rediisse. Quapropter, si quando hic affectus symptoma scorbuto ἐπιγινόμενον existit, acrioribus, & elasticis quibusque vitatis, temperatiora solum, atque *sale nitroso*, aut *vitriolico*, aut *volatili* prædita exhibeantur. Cujusque horum generis species & formulas quasdam proponemus; *sale nitroso* imprimis præpollent *Chrystallum minerale*, *herbarum quarundam succi*, vel *decocta* & *acidulæ quædam* purgantes.

℞. Chrystalli mineralis, sive nitri summe purificat. ℥ j. florum salis Armoniaci ʒj. simul terantur in mortario vitreo, detur ad ʒj. ter aut quater spatio 24. horarum.

℞. Folior. sedi majoris M ij. contusa coq. in lactis recentis lib. ijss. donec in serum, & coagulum vertatur, colatura facta, liquor clarus sumatur ad lib. 1. bis in die.

℞. Foliorum Taraxici M vi. in massam contusa ponantur in olla fictili vitreata cum operculo, quæ clibano post panes extractos indita, stet per horas 6. vel 8. dein massa in colum effusa, liquor clarus effluat, cujus dosis ℥ iv. ad vi. ter aut sæpius in die.

Fructus Cucumeris virtute nitrosa præditus, & per experientiam contra hunc morbum utilis probatur; quare loco Acetarii, ubertim & sæpe comedatur; porro tres aut quatuor eorum in taleolas incisi, aquæ fontanæ lib. 3. per noctem clausæ infundantur, liquori claro effuso, adde salis prunel. ʒ ij. vel iij. dosis lib. ss. ter aut sæpius in die. In eundem usum etiam decocta ex foliis, una cum fructibus in aq. fontan. facta conveniunt.

Acidulæ sive aquæ quædam minerales Catharticæ, cujusmodi imprimis sunt istæ de *Morth Hall*, Analysi per evaporationem facta, salem nitrosum quo imbuuntur manifesto referunt, earumque potum per plures dies ad iv. circiter libras assiduum, contra impetiginem leviorem juvare, aliquoties comprobavi.

2. At vero *Acidulas sale vitriolico* præditas, cujusmodi sunt *Spadenses*, atque nostrates *Tumbrigenses*, tum *Astropenses*, istis *nitrosis*, imo & quibusque aliis medicamentis longè præstare, & pro curanda impetigine, plus valere, superius innui. Quibus, his utendi non datur opportunitas: aquas communes chalybe nostro impraegnatas, adeoque acidulas istas exactissime referentes, bono cum successu, contra hunc morbum propinare soleo, Propter sales minerales, aut saltem ob particulas in iis mercuriales, usu venit, quod *stannum* & *Antimonium* pro curanda impetigine à multis prædicantur, & cum aliis remediis præscribi solent. *Rasura stanni*, & *pulvis Antimonii* crudi in cerevisia pro potu ordinario infundantur: item decocta ex *sarsa* cum lignis contra hunc affectum instituta ingrediuntur.

3. Sa-

3. *Salis volatilis*, pro impetigine graviori, imo plane leprosa curanda, virtutem insignem satis commendat *vipera*, ejusque præparatorum usus. Hoc morbi istius Antidotum, experimento casuali primo inventum fertur, quatenus nempe (uti Galenus refert) potus è lagena cui vipera imponebatur, ad quendam Elephantiasi laborantem, venenandum, ipsumque adeo è miseria sua liberandum datus; protinus in remedium cessit, & affectum neci destinatum, à morbo insanabili viso expedivit. Huc etiam refertur Analogia, ab animalis hujus natura desumpta, unde colligitur ipsum in hoc morbo juvare: quandoquidem enim *vipera* exuviam suam squamosam quotannis deponit, ideò putaret quispiam, particulas ejus ad excutiendam leprosi pelliculam crustaceam valere; verum his, ut non multum tribuamus, quandoquidem ex crebra observatione constat remedia viperina in impetigine, ac lepra prodesse, certe juvaminis ratio sali volatili, quo plurimo hoc animal præditum est, adscribi debet. Hujus enim particulæ, salia fixa, & acida in affectorum sanguine præpollentia destruunt, eorumque combinationes dissolvunt; attamen *Sal*, *Spiritus* ac *oleum* è viperis chymice extracta, ob particulas quas ab igne extrahunt empyreumaticas, & summe elasticas, in hoc morbo minime conveniunt, uti etiam nec *spiritus*, aut *sal volatilis*, *C. Cervi*, *fuliginis*, *sanguinis*, aliique consimilis *Armoniaci*; quia nempe sanguinem & humores supra modum exagitandos, eorum crases dissolvi, & corruptelas uberius in cutim propelli faciunt. Quare simpliciora *viperarum præparata* uti *juscula* ex earum carnibus Aquæ incoctis; *potus* earundem infusionibus, aut incoctionibus imprægnati, atque pulveres ex iis siccatis & tritis confecti, contra hunc morbum utilius præscribuntur. Porrò non tantum *viperarum*, sed alius generis *Anguium* ovipararum carnes elixæ, & loco cibi ordinarii comestæ, opem sæpe egregiam præstant.

3. *Impetigo*, sive papillarum eruptiones squamosæ, & in figuras velut corymbeas efformatæ, *luis venereæ* inveteratæ, adeo frequens, & familiare symptoma est, ut quosvis affectione ista laborantes, annon aliquod istius malignitatis cujus conscii sunt lateat, imprimis interrogemus; atque ita rem habere si deprehenditur, statim *specificis* contra hunc morbum quibusque ac *Antiscorbuticis* omissis, protinus ad *decocta ex lignis*, iisque parum, aut minime juvantibus, ad medicamenta ex *hydrargyro* deveniendum erit. Et quidem hac methodo, plures pro impetiginosis, & leprosis habitos, cumque aliis remediis ad hos morbos appropriatis diu incassum tractatos, & misere divexatos, facile ac cito curavi: atque hanc impetiginis speciem, ad luis venereæ, cujus appendix est, *Pathologiam* referimus.

Indicatio secunda Curatoria, *morbum* ipsum & *symptoma* primarium, sc. Eruptiones squamosas, & pustularum corymbos respiciens, *remedia Topica* cuti exteriori, propter affectus hosce tollendos adhibenda præscribit: in quem finem *balnea*, & *linimenta* imprimis conveniunt: quæ tamen nisi causa procatarctica, viz. *sanguinis diathesis Tartarea* prius expurgetur, raro aut nunquam per se juvant.

Hujusmodi *Topicorum* farrago ingens, tum apud Authores medicos, tum apud empiricos, & agyrtas vulgo prostat: è quibus tamen universis, *Balnea* aut *linimenta è pice liquida* confecta, cæteris quibusque utriusque generis remediis longe præstant, revera ut illis unicis, ni quod odorem valdè tetrum emittunt, utendum fuerit; quapropter compositionum, & cum & sine *pice liquida formulas* quasdam subdemus.

Itaque pro *Balneis* usitatum est, *aquas* doliis, in quibus pix liquida includebatur, aliquandiu contentas, & infusione imprægnatas adhibere: vel,

℞. Picis liquidæ ℔ 2. incorporetur cum cineribus albis, & cribratis in massam crassiusculam, quæ coq. in aq. fontan. s. q. addendo folior. hederæ terrestris, fumariæ, Marrubii albi, radic. lapathi acuti, Enulæ Campan. an. M. iv. f. Balneum cum regimine usurpandum: vel paretur hujusmodi decoctum, sine pice liquida, pro impetiginosis odorem ejus horrentibus.

Balnea sulphurea, tum *Naturalia* tum *artificialia* minus convenire, imò priora sæpius officere, crebra experientia deprehenditur: quin etiam *Balneatio* quæcunque caute admodum adhiberi debet: nam quatenus administratio hæc sangvinem exagitat, & effervefacit, crasin ejus (uti modo dictum est) plus dissolvere, & corruptelas in cutim uberius suffundere periclitatur.

2. *Linimenta* quorum usus & tutior, & commodior est, triplicis sunt generis sive gradus, sc. *lenia*, *Mediocria fortissima*, cujusque horum exemplar unum aut alterum proponemus.

1. Primo igitur in *Impetigine leviori*, ubi eruptiones & papillarum corymbi pauciores, & perexigui sunt, commendatur *saliva jejuna*; item liquor ex lignis viridibus, dum utuntur exudans; item mera fricatio cum radicibus lapathi acuti contus. & aceto macerat. Vel,

℞. Olei Tartari per deliquium, olei nucum, vel Amygdal. amararum per expressionem, ana p. a. f. linimentum locis affectis bis in die adhibendum.

2. Secundi Generis linimenta, pix liquida ingredi, ac instar omnium haberi solet.

℞. Unguenti rosacei ℥ vj. picis liquidæ ℥ ij. simul liquefacta misceantur. Vel,

℞. Portionem carnis vervecinæ pinguiorem, quæ frustis radic. lapathi acuti, consita, & veru infixa, assetur: atque interea, dum pice liquida sensim instillata continue imbuitur, utriusque deliquium, in vase supposita exceptum, pro unguento ad impetiginem præstantissimo servetur.

3. Linimenta contra hunc affectum fortissima, sunt Mercurialia, quæ nimirum aut hydrargyro, aut præcipitato constant. Prioris formulæ, & compositio eadem sit, ac quæ supra contra scabiem præscribitur. Quoad alterum.

℞. Præcipitati albi ʒ iij. unguen. rosac. ℥ iij. misce, pro litu partium maxime affectarum: horum usus in hoc morbo maxime suspectus esse debet; nam si forte sputatio ciebitur, materiæ poris cutaneis impactæ saburra perquam immensa movebitur, quæ si tota confertim nimis versus ductus salivales irruens, circa gutturis partes aggeretur, suffocationis periculum incurretur.

Ante aliquot annos *Virgo Illustris* familiæ, temperamenti calidioris, utpote sanguine acriori, & salso originaliter prædita, postquam *Impetigini* perdiu, fere usque ab Ephebis obnoxia degisset, circa pubertatem, graviori modo, eadem laborare cœpit; nam pustularum squamosarum Corymbi, non tantum brachia, & crura, aliasque corporis partes obtectas, ubique obsiderunt, sed etiam manus, & faciem, in tantum defœdarant, illam ut in publicum incedere, cumque aliis ordinis sui conversari puderet. Remedia minora fere innumera, sine ullo successu adhibebantur; Thermarum usu primo melius habere visa, exinde tandem deterior facta est. Acidulæ Astropenses, quæ nonnullos impetiginosos integre sanarunt, huic parum, aut nihil opis contulerunt. Quapropter cum methodus quæpiam ordinaria minus affecisset, proposui demum ut salivationem, quasi remedium cæteris quibusque potentius (ac uti dicitur) ultimum, experiretur. Huic consilio cum & patiens, & parentes ejus facile consentirent, statim corpore per Catharsin, & Phlebotomiam rite præparato, juxta morem nostrum, exhibui *pilulas ex præcipitato solari* per duos dies, & post unius intervallum, & Pharmaco tertia vice repetito sputatio copiosa & laudabilis incepit, & sine malo quovis symptomate per mensem processit; cui tamen in debito tenore sustinendæ, artuum juncturis, & locis maxime affectis, modo his, modo illis, *litum subinde mercurialem* applicandum curavi. Ante cursum hunc finitum eruptiones omnes evanuerunt: nihilominus in medelæ confirmationes, simulque ob Hydrargyri extirpationem, mensem alterum purgationi, sudationi subtus cratim, & diætæ ex decocto sarsæ, chinæ, &c. impendebat; quo tempore perfecte sanari visa, ita per quadraginta circiter dies perstitit. Dein vero quamvis exactam victus rationem observaret, morbus idem repullulare cæpit, atque sensim accrescens, demum in statum uti prius ἀ'γελ assurrexit. Hoc verum eventu confusus, suasi ut à fluxu menstruo qui nondum eruptus, brevi expectabatur, alterationem in melius speraret. Attamen post longam inde moram, ἔκκλεσις ista tandem eveniens, & deinceps regulariter habens, nullam morbi istius curam aut levamen, sed potius exacerbationem intulit. Quare iterum ad Pharmaciam recursus habetur, atque remedia diversimoda, cujusque fere generis tentantur: quæ cum omnia incassum fuerint, efflagitabant amici, ut salivationis cursum denuo subiret; viz. in hanc spem adducti, methodum istam, quæ imprimis pro tempore brevi curarat, secunda vice adhibitam, pro longiori saltem, aut forsan integre sanaturam. Itaque ex illorum votis, eodem sputationis, & sudationis cursu per bimestre spatium repetito, indeque pustulis, & eruptionibus squamosis, ubique evanidis, puella insignis tunc denuo ad valetudinem recuperari videbatur. Verum intra sesquimensem, à medicina finita papillæ, earumque aggeries, sive Corymbi rursus apparent, atque sensim indies numero ac mole auctæ, tandem majorem quam antea totius corporis defœdationem accivere; adeo morbus iste, Hydræ similis post unum caput amputatum, cum septemplici reviviscit.

Novi alium virum robustum, & habitu corporis Athletico præditum, qui postquam Impetigine per multos annos laborasset, morbo tandem ingravescente, ac ad statum ἀ'γελ evecto, per totum corpus vitiligine alba, & quasi leprosa obducebatur; ut unaquaq; nocte, squamæ instar furfurum magna copia intra lectum deciduæ, in acervos colligi potuerint. Hic curationis ergo, imprimis remedia cujusque fere generis ordinaria, sine ullo tamen fructu tentabat; deinde vero salivationem ex Mercurio leviorem expertus, nihilo melius habuit; postmodum ea methodo repetita, à sputatione longa & graviori ad sanitatem restitui videbatur; verum intra tres menses, idem morbus repullulans brevi ad pristinam feritatem pervenit; quinimo cum tertia vice molestissimum illud medelæ genus subiret, affectus iste pro tempore quodam abigi visus, redibat; & deinceps invitis tum hac, tum alia quacunque methodo durante patientis vita, Tyrannidem suam exercuit. Non opus erit de *Lepra* hic quidquam disserere, quæ morbi prioris tantum gradus intensior, medelam fere nullam admittit. Quod spectat ad alios Tumores eorumque sc. species multiplices, & cujusque illorum Ætiologias diversimodas, fateor me vix continere posse, quo minus in amœnissimum hunc speculationis campum descenderem. Verum hoc perinde ἀλογον ac insolens videatur, ac si quis longo cursu defatigatus, ac ad finem anhelans, ultra metam excurrens, illico stadium inchoaret novum. *Hactenus Clar. Willisius. Sequuntur jam alii.*

De Maculis quibusdam levioris momenti, quæ Ephelides, Lentigines, & Hepaticæ vulgo nuncupantur.

1. Inter Affectus merè, aut saltem maxima ex parte Cutaneos primò occurrunt maculæ, *Ephelides* vulgò, Nostratibus *Sproetelen* nuncupatæ, quæ Verè & Æstate, quoniam ab Insolatione potissimum excitari solent, plurimum increbescunt, atqui circa Hyemen rursus evanescunt.

2. Sed cum in Formosioribus, ac cutem rarissimam habentibus maximè contingant, in iis præcipuè locis, ubi cuticula, soli & aëri exposita, densissima est, scil. in facie ac manibus maximè erumpunt. Porrò coloris subflavi aut fusci, ad magnitudinem morsus pulicaris, inæquales tamen, & quoad figuram irregulares existunt. Atque hæ Maculæ parum aut nihil differunt à Puncturis illis subfuscis, aut flavis, quas nonnulli *Lentigines* vocant, quæ lentis magnitudine faciei partes crebris quasi guttis insigniunt.

3. Harum Macularum Materies seu Continens Causa videtur esse, *Biliosi Humoris tenuior portio, vi Solis illam attenuantis, & poros cutis aperientis, exterius projecta*; quæ evaporare incipiens, in cute exteriore, aut cuticulæ, quam pertransire nequit, concavo deligitur. Et certè maculas hasce à Bile, similibusve Flavis Sanguinis Recrementis procedere indicio est quod maximè familiares sint iis, quorum pili flavescunt.

4. Equidem præter exiguas hasce Maculas Lenticulares & Ephelides, aliæ insuper occurrunt multò ampliores, palmæ longitudinem ac latitudinem nonnunquam excedentes, quæ

cutem variis in locis, præcipuè circa Pectus & Dorsum, lituris modò fuscis, modò luridis, aut subnigris conspurcant, ac *Hepaticæ Maculæ* nominari solent, iisque, plurimum insigniti; jecur minus sanum, aut saltem haud benè sanguificum habere creduntur: quod tamen sub hac ratione verum non est; at solummodò quatenus humores biliosi, cùm non satis intra hepar à massa sanguinea secernuntur, ad cutem protrusi eam ità discolorant.

5. Lituræ istæ potissimùm tempore æstivo apparent, & maximè supra pectus & dorsum, viz. quo tempore, & quibus in locis ad sudandum homines sunt plurimum apti: ipsum nimirum sanguinis serum, quod fœculentias istas è cruoris massa in cutis angustias provehit, eas penitus evaporare inidoneas, illic relinquit.

6. Affectus hi quoad valetudinis statum, nihil mali indicant, aut ominantur; & quamvis Ephelides, Lentiginesque nonnihil turpitudinis referunt, id tamen compensatur; quatenus ita maculosi puriori constitutione præditi observantur.

7. Ad Curationem verò horum Affectuum quod attinet; cùm Maculæ hæ plerumque sint criticæ eruptiones, Pharmaca intus sumenda, quibus Illarum Materies, seu Continens Causa tolli possit, vix ulla occurrunt; nisi quod Sudorifera Blanda aliquandò Usurpata biliosi humoris recrementa, in cute, aut cuticulæ concavo defixa; magis evaporare faciant. Sed ad Ephelides, Lentigines, & Maculas Hepaticas tollendas, Ars Cosmetica propriè spectat: & propter hæc cutis deturpamina delenda, sine quavis medendi methodo; Medicamenta quibus cuticula decorari solet tantum præscribuntur; quorum apud Domicellas, Aliosque de cute curanda Sollicitos, ingens ubique & ubertima est seges. Ea tamen omnia, quatenus duas solum medendi intentiones respiciunt, ad bina hæc capita reduci possunt: illa nimirum aut cutis ac cuticulæ poros aperiendo, atque hanc interdum excoriando, humorem foras attrahendum & prorsus evaporandum moliuntur, vel è contrario, & sæpè non minore cum successu adhibentur illa, quæ materiam maculosam è cute repercutiunt, ac intus adigunt,

8. Primò igitur ad cutem detergendam, & macularum materiem foras extrahendam, sequens conducit Linimentum.

℞. Unguenti Rosacei ℥ ij. Florum Scinci, hoc est, Magisterii Marcasitæ ʒ ij. Misceantur exactè pro Litu, quo vesperi Faciei inungatur, hinc manè cum panno laneo mundo denuò detergeatur.

Etiam Facies subindè lavetur Aquâ Florum Fabarum, cui admixtus Liquor Tartari; sique Aquam hanc efficacem magis desideremus, aliquot guttulæ addantur Aquæ Aluminosæ seu Mercurialis.

Cl. Willisius *Pharmaceut. Ration. part. 2. sect. 3. cap. 5.* illud præscribit,

℞. Lixivii è Sale Tartari minus saturati ℥ iv. Olei Amygdalarum Amararum q. s. idque in tali proportione misceatur, ut totus liquor lactescat. Cum hac mixtura Partes hujusmodi Maculis Affectæ manè & vesperi illinantur, ac blandè fricentur.

9. Sed ad Maculas è cute discutiendas, earumque materiam repellendam intusque adigendam; Lac Virginis à pluribus commendatur; quod ad hunc modum sæpè conficitur; viz. Solutio Lithargyri in Aceto Destillato facta ab affuso oleo Tartari per deliquium parato; in liquorem lactis instar albicantem præcipitatur; quo facies bis in die lavetur & blandè fricetur.

Vel ℞. Camphor. ʒ ij. Teratur in mortario vitreo, sensim affundendo Succum unius Limonis, dein adde Vini Albi ℔ j. M. exactè, & detur usui.

Vel ℞. Benzoini optimi ʒ ß. Spermatis Cœti ʒ j. Spiritus Vini summè rectificati ℥ iv. Stent in Digestione per aliquot dies, dein fiat per Chartam Emporeticam Colatura. Hujus liquoris (rubicundi) tantillum misceatur cum Vino albo Gallico, (quod illico lactescit) quo facies lavetur, & blandè fricetur.

Forestus lib. 31. obs. 1. pro Faciei Maculis hanc commendat Aquam;

℞. Albumina ovorum ad duritiem coctorum, eaque more Chymico destillato, & liquorem destillatum usui servato.

Idem lib. 5. Obs. Chirurg. 4. ad delendas Lentigines mirum in modum extollit Aquam è Cochleis destillatam.

Ad easdem maculas tollendas vult Sennertus prax. lib. 5. part. 3. Sect. 1. cap. 3. facies ut sæpius abluatur Aqua Florum, Sambuci & Fabarum, cui aliquid Camphoræ in Spiritu Vini Solutæ addatur.

Platerus prax. med. tom. 3. libro primo capite secundo ad faciem decorandam proponit Aquam, qua Maria Medicea Regina Mater uti solebat;

℞. Tres Capones albos statim post jugulationem, axungia detracta, concisos, Caseos duos recentes ex lacte caprino confectos, Pulpam sex Limonum corticibus detractis, Albumina octo Ovorum Boracis, Sulphuris an. ʒ ß. Camphoræ ℔ j. Aqu. Florum Fabarum, Nymphææ an. ℔ j. Collocentur in B. M. atque in alembici rostro aliquot grana Moschi, Destillentur S. A. & liquor extillans servetur usui, eaque sub noctem facies lavetur.

10. Attamen fœminæ curiosiores vix ullis hunc remediis cutaneis, nisi Mercurialibus contentæ sunt; quapropter sequens Aqua ad plerasque Faciei turpitudines summopere commendatur;

℞. Mercurii Sublimati ʒ j. Pulverisetur & ponatur in vase stanneo cum Aquæ Fontanæ ℔ iij. stent per xxiv. horas, cum spatula lignea subinde agitando, donec totus liquor nigrescat, qui tamen per chartam emporeticam colatus limpidus evadit: cum petia aut pluma hinc intincta facies semel intra diem unum aut alterum blandè obducatur.

Hujusmodi medicamentum contra turpitudinem quamcunque cutaneam insigniter juvat; quatenus nempe humores intra porulos, & foraminula utut minutissima impactos expedit, totamque ubi applicatur cutem, quoad meatus ejus malè conformatum, restituit. Sed quandoquidem hydrargyri particulæ, unà cum salibus (à quibus in minutias dividuntur, acuunturque) faciei applicatæ, materiam de-

fœda-

IV. Continens hujus morbi Causa nec videtur esse Pituita, nec Bilis, nec Melancholia, nec etiam ipse Sanguis per se extravasari aptus; porrò nec materia hic peccans è duobus vel pluribus horum simul mixtis constat: si namque ex hujusmodi humoribus hic morbus unquam oriretur, non ità facilè per merum & leve contagium suscipi, aut solo litu curari possit. Quamobrem potius censemus, *esse humorem lymphaticum in glandulis subcutaneis constanter residem, qui ab indole sua genuina desciscens, à salino-volatili in acidum & acri-salinum, nec non aliter vitiosum non rarò degenerat.* Enimverò cum humori huic lymphatico ità depravato, & perpetim evaporanti, supplementa continua è sanguine adveniant, humores isti, vetus & recens, non facilè congruunt aut uniuntur, at salium dissimilium ritu mutuo effervescentes in materiam recrementitiam coagulantur, quæ poros cutaneos implens ac distendens ubique passim in tumores attollit; insuper sanguinem in transitu nonnihil impedit, & extravasari quasi cogit. Hinc pustulæ crebræ excitantur, & quatenus materia ista in ichorem facescens, à sero & sanguine subsequentibus usque prorsum & foras urgetur, in moleculas assurgunt: dein spiritus animales fibras nerveas, ut ichoris istius excretionem promoveant, inordinatè subeuntes, molesti pruritus sensum efficiunt.

V. Insuper ad Scabiem & Eruptiones Pustulosas quod spectat; humor hic lymphaticus tribus potissimum de Causis depravari solet. 1. Ipse sanguis valdè impurus, simulque dissolutus, corruptelas & recrementa sua ubertim in glandulis subcutaneis relinquit, quæ ibidem fermenti corrupti naturam induentia cum aliis succis adventitiis, aut pertranseuntibus effervescunt, & variè coagulantur, adeoque non solum *Affectus Scabiosos*, verum & *Leprosos* diversimodos pariunt. Hinc carnium & piscium salitorum, & sole ac fumo siccatorum usurpatio crebra & assidua, aliaque incongrua comesta aut epota Eruptiones Cutaneas passim cient. 2. Humor glandulis subcutaneis aggestus interdum merâ stagnatione Scabiem producit; quare non tantum diu incarcerati, sed & qui vitam sedentariam agentes, squalori insuper, & poëdori assuefiunt, huic affectui obnoxii degunt. 3. Humor hic cutis glandulosus à miasmate virulento ab extra communicato, non rarò vitiatur; idque observatione vulgari liquidò constat, in quantum maximè sani, & optimâ constitutione prædititi, vix unquam in eodem lecto ubi Scabiosus simul decumbit, aut nuper decubuit, impunè dormiunt: nec ità tantum, quin & Scabiosorum sudaria aliis in eodem lavacro lotis, ejusdem affectus sæpè contagium impertiunt.

VI. Itaque Scabies quoad originem suam, aut *per Contagium* accipitur, aut *propter Malam Victus Rationem* incendiculum & fomes ejus à Chylo & à Sanguine Vitiosis communicatur, vel *ob Pœdorem & Transpirationis Defectum* in ipsa cute generatur; quibus addi potest, Infantes quandoque hanc labem à Parentibus hæreditariò contractam nancisci.

VII. Cæterum Cutaneæ Eruptiones, quoad formam, juxta affectorum constitutiones diversimodas variant. Nam in quibusdam siccioris temperaturæ, biliosæ viz. aut melancholicæ, Scabies tantum Sicca, & quatenus ob seri defectum minus evaporat, cum pruritu non adeo molesto excitatur: in aliis verò temperamento humidiore, & sanguine impuriore præditis, Exanthemata plurima, Ichore plena, & summoperè Prurientia ad scalpendum vehementer irritant, atque, propter excitata inde ulcuscula, pruritus subinde in dolorem mutatur.

VIII. Scabies porrò, ob turpitudinem & deformitatem, molestus est affectus; non autem ita periculosus, & in ætate juvenili sæpe ab aliis morbis præservat, imò & alios morbos sanat. Equidem tuta semper Scabies non est, sique diu continuata sit, in Lepram mutari potest. In senibus pertinax est, ac curatu difficilis.

IX. Circa Scabiei sive Psoræ Curationem duæ occurrunt primariæ indicationes, ac utraque duplex; viz. prima *Curatoria* hæc duo respicit, ut humor glandulis subcutaneis inhærens, atque vitiosus, ad debitam crasin reducatur: deinde, ut cutis pori & meatus, ichorosis concretionibus liberati, pristinam conformationem recuperent.

Indicatio secunda *Præservatoria* hæc duo præcavet. 1. Ne Scabiei impuritates & miasmata corruptiva è cute excussa, in sanguinem & lympham regurgitent, iisque non tantum dyscrasias, sed insuper Oeconomiæ Animali noxam graviorem inferant. 2. Item navetur opera, ut humorum & partium nobilium labes, à materia scabiosa prius contractæ, dum cutis vitia emendantur, eradicari queant.

X. Omnes hæ Medendi Intentiones, per Remedia tum Interna, tum Externa simul usurpata, una complicari debent: nempe ut materies morbifica loculis suis excussa, in nullas uspiam latebras secedere, ac nullibi delitescere queat; quin omni ex parte per medicamenta convenientia in totum amoveatur. Itaque *Recta Victus Ratio* in primis observetur, vitando *Cibos Salitos & Piperatos*, nec non *Muriâ Conditos*; etiam à *Vino*, *Aquis Ardentibus*, *Cerevisia Fortiori*, & à liquoribus quibusque sanguinem incitare nimis ac fermentare aptis, temperetur. Insuper in scabie pertinaci & corpus cacochymicum occupante, expediet *Pharmaca* exhibere *Cathartica*, quibus acri-salini, glutinosique toto in corpore redundantes humores expurgentur, v. gr.

♃. Cremoris Tartari ℈j. Cholagogi simplicis, Mercurii Dulcis an. gr. viii. M. F. Pulvis.

♃. Extracti Catholici ℈j. Mercurii Dulcis gr. viii. F. Pill. num. 5.

♃. Rad. Bardanæ, Lapathi Acuti rec. an. ℥ i ß. Turbith Gummosi, Santali Citrini an. ℥ß. Herb. Fumariæ, Agrimoniæ an. M i ß. Fol. Sennæ mund. ℥ j. Glycyrrhysæ rasæ ʒ iij. Coq. in s. q. Aquæ Puræ ad ℥ xxx. Fiat Colatura, de qua semel vel bis quotidiè Patiens haustum sumat.

♃. Rad. Polypodii querc. ℥ß. Helenii ʒij. Fol. Eupatorii cannab. ʒiij. Turbith Gummosi, Baccar. Juniperi an. ℥ß. Aloës, Sem. Carui an. ℈v. Incisa & Contusa dentur in Sacculo, suspendendo in Vini Albi Gallici ℔ iv. de quo quotidiè haustum bibat Ægrotans.

Insuper *Venæsectio*, nisi aliquid contraindicet, ab initio celebretur. Adhæc *Alterantia*, quæ sanguinem, cæterosque corporis humores secundarios

darios purificant, vices suas habeant: quem in finem conducit *Serum Lactis Dulcis* frequenter potum, vel *Decoctum Salsæparillæ*, *Chinæ*, *Santali Citrini*, *Rasuræ Cornu Cervini*, & *Liquiritiæ*. Etiam *Sudorifera* aliquando usurpata multum prosunt.

XI. Interim commodus usus hic est *Balneorum*, tum dulcium, tum mineralium ac calidorum, inter quæ præcipuè laudari solent *Sulphurea*. Sed cum Balnea ista Mineralia non ubique reperiantur, alia pro iis substituere licet, quæ facultatem digerendi, detergendi, & poros cutaneos extergendi, atque purgandi vim habent. Ea ex Sulphure & Vegetabilibus parari vulgò solent; atque non lavacri communis ritu, cutis tantum sordes eluendo, sed & incongruum ejus fermentum destruendo, morbum hunc sanant.

♃. Aluminis crudi ℥ i ß. Sulphuris vivi ℥ij. Salis communis ℥ iij. Nitri ℥j. Fiat omnium Pulvis, qui in Aquæ Calentis labrum conjiciatur.

Barbette sequens proponit,

♃. Rad. Bryoniæ, Lapathi Acuti an. ℥ vi. Fol. Fumariæ M vi. Florum Camomillæ M iij. Furfurum M j. Sulphuris crudi ℥ ij. Nitri ℥j. Aluminis crudi ℥ i ß. Salis comm. ℥ ij. Contusa coquantur in Aqua pura pro Balneo.

Equidem restat alius Pruritum sanandi facilior modus; nempe, ut camisia Aquæ puræ cum Sulphure pulverisato incocta, & per solem vel ignem exsiccata, super nudum corpus per quatuor vel quinque dies gestetur: ita namque morbus hic sine Balneatione, aut Litus squalore, nonnunquam curari solet.

XII. Sed & *Unguenta* cuti illinenda pro Scabie curanda præscribi solent: atqui aliis plerisque tumoribus aut ulceribus quæ adhibentur, minimè hic juvant; verum *Sulphur* ejusque præparata in hoc morbo virtutem quandam specificam habere videntur, adeo ut linimenta ferè omnia contra Scabiem ea recipiant, & totius compositi basis haud immeritò habeantur. Exempli loco hæc sint:

♃. Sulphuris comm. pulver. ℥ ß. Zinziberis pulver. ʒ ß. Butyri insulsi ℥ iv. M. F. S. A. Linimentum.

♃. Sinapi confecti, Nostratibus *Mostaart*, ℥ iv. Sulphuris comm. pulv. ʒ vi. Olei Raparum Veteris. q. s. M F. S. A. Litus.

♃. Unguenti Rosacei ℥ iv. Sulphuris comm. pulver. ℥ ß. Olei Tartari per deliquium parati. q. s. F. S. A. Litus.

♃. Butyri insulsi assati ℥ iv. Pulv. Zinziberis, Sulphuris, Vitrioli Albi an. ʒj. M. F. Linimentum.

♃. Unguenti Rosacei ℥ i ß. Vitrioli Albi ʒ ij. Misceantur exactè.

♃. Unguenti Enulati sine Mercurio ℥ iv. Pulver. Sulphuris comm. ℥ ß. Olei Tartari per deliquium parati. q. s. F. S. A. Linimentum.

Sin verò talia Affectum non curent, aut grave vel inveteratum sit Malum, ad *Mercurialia* veniendum.

♃. Argenti vivi ℥ ß. Aquæ fortis ℥j. Solvatur Mercurius in Aqua forti, dein simul exactè Misceantur cum Axungiæ Porcinæ ℥ viii. & Fiat S. A. Unguentum; quo partes affectæ leviter illinantur, & blandè fricentur.

♃. Axungiæ Porcinæ ℔ ij ß. Olei Veteris, Therebinthinæ commun. ℥ iv. Pulveris Cerussæ ℥ viii. Aluminis ℥ ß. Mercurii sublimati ℥ ij. Misceantur exactè in mortario pro Litu. Maximoperè verò hic conducit Unguentum Enulatum cum Mercurio.

Sed de Linimentis Mercurialibus notandum, quod pueris, aliisvè tenerioris constitutionis non facilè sint adhibenda; verum adultis tantum, iisque fortioribus, quia in nonnullis Salivationem facilè movent, quæ in infantibus facillimè, & non nisi summo cum periculo contingit.

Insuper Mercurialia Linimenta non semper omnibus locis scabiosis sunt inungenda, præsertim Ea, quæ copiosum recipiunt Mercurium, quia facillimè tunc sequitur Salivatio; sed tantum manuum carpis, ac artuum majorum juncturis. Quem in finem à multis laudatur hoc Unguentum,

♃. Axungiæ Porci, Butyri insulsi an. ℔ j. Succi Citri, Radicis Enulæ, Lapathi Acuti an. ℥ i ß. Salis communis calcinati, Sulphuris, Reagalis, Rad. Zinziberis, Hellebori Albi pulver. an. ʒ iij. Therebinthinæ, Mercurij vivi an. ℥ iij. Misceantur S. A. & Fiat Unguentum.

XIII. Nec tantum sub formâ Linimenti, sed & pluribus aliis modis prædicta medicamenta usurpari possunt. *Aqua Mercurialis* seu *Aluminosa*, vel sola vel temperata magis, si cuti in locis maximè ulceratis cum linteo discerpto applicetur, Scabiem non raro tollit. Vel præparetur Lavamentum.

♃. Rad. Ari, Lapathi, Enulæ Campanæ an. ℥j. Hellebori Albi ʒ iij. Salis Gemmei ʒ ij. Coq. in Aqua pura ad ℥ xvi. colaturæ add. Spiritus Salis Armoniaci gutt. xxvi. Misceantur pro Lavamento.

Barbette laudat id, quod sequitur.

♃. Gypsi Usti ℥ i ß. Calcis vivæ ℥ ij. Lithargyri ℥ ß. Boli Armeni ℥ j. Fol. Nicotianæ sicc. ʒ iij. Vini Albi Gallici ℔ j. Aquæ puræ ℔ ij. Coq. simul S. A. & Colatura detur usui. Alij volunt, ut circa nudum corpus gestetur Cingulum, cui Mercurius crudus insutus est.

XIV. Si verò omnibus hisce remediis Scabies non cedat, sed inveterata & valdè pertinax sit, omni studio annitendum, ut per crebras Purgationes, Sudationes, & Venæsectiones sanguis hac labe impurus imminuatur, ac humor cutaneus variis modis corrigatur, hinc & Affectio hæc curetur. Scribit Riverius *Cent.* 1. *observat.* 62. quendam adolescentem cis paucos dies à Fœda Scabie fuisse liberatum exhibito pulvere ex Mercurii dulcis ℈j. cum Diagridii ℈ ß. refert Platerus *prax. tom.* 2. *cap.* 17. Empiricum quendam Decocto Stibii Calcinati cum Salsaparilla, additis & aliis, perniciosas Scabies aliquoties sanasse. Tandem Bartholinus *Observ. Cent.* 6. *Histor.* 73. inquit: "Nihil utilius detritis calceis. Novi tamen Puerum Melitensem toto corpore fœdis crustis obsitum, qui asperso cinere corij combusti calceorum, cum oleo rosaceo, convaluit."

XV. Inter Scabiei genera numerantur & *Tinea*, & *Scabies Fera*, Affectus nimirum infantibus in primis molesti. *Fera* hæc *Scabies* omnes corporis partes occupare potest, quamvis frequentius Faciem & Pectus, quandoque & Brachia afficiat. *Tinea* verò Caput, præsertim secundum partem ipsius capillatam, vexare solet,

let, unde vocatur *Hair-Worm*, sicut prior Affectus *Dau-Worm* dicitur; ac si à vermibus exiguis perforatæ forent cutis partes variæ, ex quibus humor tenax erumpit ac effunditur instar roris, crustas varii coloris producens, unde nomen accepit *Dau Worm*: sicut *Hair-Worm*, quando in specie nocet capillis, adeo ut sæpius excidant, & segnius, vel nunquam iterum excrescant, relictis plagis in capite undosis pilis carentibus.

XVI. Continens horum Affectuum Causa est humor tenuis, acri-salinus, & quid ni acidus quoque, qui glutinoso humori junctus, sicque sanguini inhærens ab eodem secernitur, ac cum eo ad corporis superficiem propellitur; ubi in glandulis subcutaneis existens, & ab indole sua genuina indies magis desciscens atque degenerans, nec non vitiosè ibidem effervescens, poros cutaneos implet ac distendit, hinc pustulas crebras summo cum pruritu & ardore producit. Cæterum vitiosus hic humor in glandulis porisque cutaneis hærens amplius vitiatur, quin sanguinis ac lymphæ allabentis partem simul corrumpit, & pruritum ac dolorem, nec non erasionem, exulcerationemque vicinis in partibus excitat.

XVII. In Scabie illa Fera erumpere solent primum parvæ pustulæ, hanc aut illam cutis partem obsidentes, ac præsertim faciei, aurium, brachiorumve, quandoque totius penè corporis, summo cum pruritu; ob quem infantes, quoties possunt, unguibus partem affectam scalpunt & lacerant, & si scalpere nequeant, cuivis rei occurrenti faciem affricant, nec desinunt, licet post frictionem succedente rubedine, mox & cutis externæ apertione, tum liquor acer mordaxque, tum sanguis effundatur: quibus omnibus non minuitur, sed augetur potius malum, latius nimirum serpendo, & novam molestiam itidem alibi producendo. Humor porrò fricatione illa promanans observatur varius, aliàs aqueus, aliàs flavescens, vel magis etiam obscurus. Equidem tenax plerumque est, ac glutinosus, partibus adhærens, tandemque iterum concrescens, atque Crustam excitans, quæ, nisi nuda sit pars, ut est facies, accrescit quoque indusiis aliisve linteis aut vestimentis parti affectæ proximis; quocirca sine crustæ abruptione, ac plerumque sanguinis quoque, vitiosique humoris nova eruptione nequeunt ab ipsis removeri.

XVIII. Tinea verò, seu Scabies Fera in infantibus ad valetudinem facere haud absque ratione à plerisque creditur, cum vitiosi in toto redundantes humores robusto naturæ conatu in corporis superficiem expelluntur, unde &, si sponte ac subito affectio hæc evanescat, in Febres non tantum, sed & morbos alios longè graviores infantes non rarò incidunt. Huc spectat, quod Hippocrates, *libr. de Morbo Sacro*, scriptum reliquit; viz. infantes, si ipsis ulcera in capite, vel circa aures, vel in facie, vel reliquo in corpore excitentur, liberari ab Epilepsia.

XIX. Quoniam igitur infantes vel Tineâ, vel Scabie Ferâ laborantes, à variis, iisque gravioribus morbis sæpius immunes sunt, atque hoc malo affecti hilares plerumque, & jucundi observantur, hinc Doctissimorum Medicorum auctoritate, nisi parentibus urgentibus, à Curatione multi abstinent. Quod si verò instent parentes, medicamenta duntaxat levia adhibent, ac præcipuam curationem in nutricem rejiciunt, quam per intervalla blandè expurgant.

XX. Ipsa interim Affectuum horum Curatio solis externis medicamentis aliquando absolvitur. Sed quum observentur insuper alia in humoribus vitia, ob quæ internâ opus sit Medicinâ, eadem hic esto Indicatio, ac in Scabie. Equidem ipsa illa medicamenta assumta Tineam aut Scabiem Feram non curant, nisi forsan producta sit à sudore quovis modò impedito: quo in casu utile erit, *Sudoriferis Blandis* sæpius usurpatis denuò viam parare humoribus in corporis superficie hærentibus, ibidemque ità corruptis, ut Feram hanc Scabiem producant.

XXI. Atqui quum criseos modo ad cutem expulsus sit humor acer, qui ob admixtam glutinositatem ibidem hærens Tineam aut Scabiem Feram produxit, cæteris functionibus illæsis, solis Topicis hoc malum sæpius curatur; imò Pharmaca intus sumenda, quatenus corporis humores exagitant, tunc obesse aliquoties observavimus. Hoc igitur in casu varia à practicis laudantur, & præscribuntur remedia. Sedulò tamen cavendum, ne in horum Affectuum Curatione cutis poros occludant imposita medicamenta, adeoque peccantem humorem ad interiora repellant, unde gravissima excitari solent symptomata: quapropter talia sunt usurpanda Topica, quæ cutis poros servent apertos, quin eosdem aperiant, quæque humorem acidum ac acri-salinum temperent, glutinosum incidant, abstergant, sicque Partem Ægram restituant, consolidationemque promoveant: quæ omnia præstant, absolvuntque *Salia Volatilia Blandiora*. Igitur Affectæ Partes identidem laventur *Vino Gallico, quod ex vase per epistomium æneum guttatim stillavit*, Nostratibus *Leck-Wiin*. Vel præscribatur Lavamentum,

♃. Aquæ Plantaginis, Solatri an. ℥ iß. Florum Sambuci ℥ iij. Camphoræ in ℥ iß. Spiritus Vini solutæ ʒ j. Spiritus Salis Armoniaci gutt. xxv. Misceantur. Forestus *lib.* 8. *observ.* 13. hanc præscribit Lotionem,

♃. Malvæ, Betæ, Lapathi Acuti cum Radicibus, Hæderæ Arboreæ, Centaurii Min. an. M j. Caulium Rubrorum M ß. Colocynthidis ʒ iij. Agarici ʒ j. Hellebori Nigri ʒ iß. Fol. Sennæ Mund. ℥ ß. Coq. in s. q. Aquæ puræ ad ℔ ij ß. colaturæ add. Salis comm. p. 1. M. pro Lavacro. Idem *observ.* 17. hoc laudat Unguentum,

♃. Lithargyri cum Aceto acerrimo, & Oleo Rosaceo Nutriti ℥ ij. Cerusæ cum Aqua Solatri lotæ ʒ j. Aluminis Usti ʒ ß. Fuliginis Camini, Pulv. Rad. Helenii, vel Chartæ Combust. an. ℈ ij. Axungiæ Gallinæ, Porcinæ, Olei Ovorum an. ℥ ß. Rosarum, Laurini, & Aceti an. q. s. M. S. A. pro Linimento. Et observ. 20. pro Tinea Inveterata istud habet,

♃. Butyri saliti, Axungiæ Porcinæ an. ℥ j. Sulphuris pulv. ℥ ß. Vitrioli crudi ℈ j. Argenti vivi cum Saliva extincti ʒ j. Misceantur exactè in mortario pro Litu. Alii laudant id, quod sequitur,

♃. Butyri Majalis insulsi ℔ ß. Pulv. Sulphuris, Olibani an. ℥ ß. Sabinæ ʒ j. Mellis comm.

comm. ℥ij. M. F. S. A. Unguentum. Laudatur quoque Linimentum Plumbi compositum, seu de Amiantho Boëtii de Boodt, quod describit Scroderus *Pharmac. Med. Chym. lib. 2. cap. 87.*

℞. Amianthi ℥ß. Plumbi Usti ℥xij. Tutiæ præpar. ℥ij. Calcinentur, dein pulverisata macerentur cum Aceto Stillatitio, ac per mensem quotidiè agitetur materia: quæ dein ebulliat per horæ quadrantem, iterùm quiescat, donec clarescat. tum,

℞. Aceti hujus clari, Olei Rosacei an. p. æq. Misceantur exactè in formam Linimenti. Interim dum hoc modo hi affectus curentur, danda opera, ne crustæ à partibus subjectis facilè separentur, cum sub ipsis felicius tota contingat cura.

De Impetigine seu Lepra Græcorum, &c.

I. Post Scabiem cum pruritu, similesque Affectus Cutaneos, agendum sequitur de Affectu alio, hisce ob pustularum eruptionem nonnihil Affini, qui communiter *Impetigo*, quibusdam *Lichen* & *Vitiligo*, aliis *Lepra Græcorum* appellatur. Morbus hic uti diversa sortitur nomina, ita eadem ab Auctoribus variè applicantur, & ab his morbi speciem unam, & ab illis aliam designare perhibentur.

II. *Lepra* igitur, ἀπὸ τῶν λεπίδων à squammis denominata, *summus quidam Psoræ seu Scabiei gradus est.* Hanc *Græcorum Lepram* Arabes dicunt *Albaram Nigram*; cujus species est *Albaras Alba*, quæ Græcis *Vitiligo*, *Leuce*, aut *Alphus* nuncupatur, uti colligere est ex Avicenna, qui *sept. quart. tract. 1. cap. 9.* sic ait: „ Albaras Nigra est „ illud, quod etiam Impetigo Excoriativa di- „ citur, estque Scabiositas accedens cuti, aspe- „ ra, vehemens, & facit squammas, sicut squam- „ mas piscium; cum pruritu, atque est cum „ humore melancholico, & est de anteceden- „ tibus Lepram.

III. Lepram verò, seu potius *Impetigo* (quæ mitior tantum Lepræ gradus, adeoque curatu facilior est) ad hunc modum oriri & afficere solet: viz. in primis Pustulæ Rubræ modò singulares, modo plures simul congestæ, in variis corporis partibus, præsertim verò in brachiis & cruribus excitantur; quibus singulis (morbo increscente) undique novæ adjunguntur; & brevi ejusmodi molecularum plures velut aggeres seu corymbi fiunt. Etenim Papillæ juxta unamquamque stirpem, primò indies erumpentes, & latius usque serpentes, sese in orbem diffundunt, adeoque Exanthematum aggeries quasi ampliari faciunt. Cujusque harum superficies aspera, & nonnihil albida, ac squammosa apparet; unde si scalpatur squammæ decidunt, & ichor sæpè tenuis exudat, qui tamen mox exsiccatus in squammam crustaceam rursus indurescit.

Hi Papillarum Corymbi primò exigui, & pauciores existunt; in brachio, aut crure, aliove membro singulari, tres forsan, aut quatuor ad magnitudinem denarij circiter apparent: postea verò, si morbus crescere sinatur, crebriores ubique erumpunt, quæ sensim augentur. Porrò in hoc statu non sistitur; sed Affectus, nisi per Medicinam cohibeatur, in puribus usque locis ebulliens, & latius ubique serpens, tandem non solum integra membra, sed & totum corpus *Vitiligine Leprosâ* obducit: atque hanc Impetiginis speciem Arabes quidem *Lepram*, sed Græci *Elephantiasin*, Nostrates *Lazarus*, *Melaatsheyd*, *Quaad-seer* appellant; estque summus hic Impetiginis gradus ex sententia Veterum plerumque incurabilis.

Totam hujus mali idæam C. Celsus *de Re Medica lib. 3. cap. 25.* ità describit: Totum " corpus afficitur, ità ut ossa quoque vitiari " dicantur. Summa pars corporis crebras ma- " culas, crebrosque tumores habet. Rubor ha- " rum paulatim in atrum colorem convertitur. " Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, " mollisque; quasi squammis quibusdam exa- " speratur, corpus emarcescit, os, suræ, pedes " intumescunt. Ubi vetus morbus est, digiti in " manibus, pedibusque sub tumore conduntur, " febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum " hominem consumit. "

IV. Ex dictis itaque Impetiginis Differentiæ præcipuæ innotescunt; ac in primis juxta morem ejus plus aut minus malignum, distinguitur, juxta quod propius ad Lepræ aut Scabiei naturam accedit, vel statu medio se habet. Insuper notare est, Affectum hunc quandoque membra quædam singularia, uti brachia forsan, aut crura, corporis reliqui partibus intactis, infestare; interdum verò in iis omnibus simul incipere, & ubique sparsim papillas excitare.

V. Causa Impetiginis Materialis non est humor merè cutaneus, propter miasma ab extus susceptum, aut alias ob occasiones depravatus, & à naturali ejus constitutione degener factus; quia nimirum non tam facilè, uti in Scabie, per contagium aliis communicatur, neque statim per totum corpus dispergitur. Sed pustulæ circa morbi initia primò erumpentes, inde procedere videntur, *quod in massa sanguinea concretiones quædam acido-salinæ contingant; quæ cum subigi, aut rursus dissolvi nequeant, in cutem pellantur.*

VI. Igitur Affectus Hujus Causa Continens seu Conjuncta in eo consistit, quod inprimis absque ullo cutis vitio, sanguis particulis salinis diversimodi status & indolis saturetur; atqui salia ista, præsertim ubi fixa & acida præpollent, se mutuo præhendant, adeoque in coagula quasi tartarea concrescant; quæ portiones in sanguinem protrusæ, papillarum eruptiones, quasi totidem morbi hujus nidos inchoënt; dein illæ sensim juxta materiæ supplementa tum numero, tum magnitudine indies auctæ, morbi hujus initium, incrementum, & vigorem, qui Græcis ἐλεφαντίασις dicitur, producant.

VII. Sed multa occurrunt, quæ ad *humoris* istius *acido-salini* generationem faciunt. Enimverò nonnullis hic Affectus Hæreditarius est, ab impuro Parentum vel Avorum Semine communicatus; interdum Contagio contrahitur; quandoque etiam spontè, proprioque vitio producitur: atque huc etiam facit frequentior usus ciborum salitorum, acrium, & crassorum, simulque immoderatior vinorum acidorum potatio: insuper vulgaris observatio est, plures in hunc affectum à carnis porcinæ, & piscium in primis crustaceorum comestione nimis crebra, aut assidua disponi. Atque hujus rei in-

stantia satis notabilis est, quod potissimum in morbi hujus Prophylaxin seu Præservationem, cibus iste sub lege Mosaica interdicebatur: & scribit Willisius Pharmaceutices Rational. part. 2. sect. 3. cap. 7. olim in Anglia Cornubienses, oram fere undique maritimam incolentes, quatenus ex iis pauperiores ferè tantum piscibus vescerentur, Affectibus Leprosis plurimum obnoxios evasisse; in tantum, ut propter horum sublevamen, multa in ea Regione nosocomia conderentur. Insuper ex esu carnium humanarum, præsertim leprosarum, hunc affectum quandoque excitatum fuisse, refert Scultetus *post Armament. Cheirurg. Observ.* 100.

VIII. Hinc Affectus Leprosi, etsi mortem aut imminens periculum rarò minantur, postquam tamen altius radices egerunt, Curatio eorum perdifficilis aut nulla est. *Incipiens Impetigo*, atque pustulas earumque aggeries, in membro forsan uno aut altero pauciores excitans, Curationem quandoque admittit. Sin verò morbus eo processerit, ut papillarum corymbi crebri ac lati toto in corpore sparsim appareant, adeoque *vera* sit *Græcorum Lepra*, raro admodum Curatur. Quod si morbus, invitis omnibus remediis, indies in pejus evectus, tandem in *Lepram confirmatam & inveteratam*, qua & ἐλεφαντίασις dicitur, accrescit, Curationem plane respuit, & pronunciat C. Celsus, hanc curari non posse, ideoque ab ea abstinendum esse.

IX. Quoniam igitur Lepra confirmata aut inveterata, *hoc est*, Lepra Arabum, seu Elephantiasis Græcorum, nunquam curatur, & Lepra Græcorum similiter vix ullam medelam admittit; quædam de levioris ejus speciei, *Impetiginis* viz. *Therapeia* breviter adjungemus. Circa hanc duæ occurrunt primariæ indicationes; scilicet *Præservatoria*, quæ morbi causam, & *Curatoria*, quæ symptoma, puta Eruptionem Pustulosam respicit. Ab indicatione Præservatoria semper incipere debet Medendi Methodus, quæ morbi causas per remedia interna amovendas procurat, secus namque exteriora fere nunquam (uti in Scabie) cum fructu adhibentur; sed præscissis intra sanguinem morbi radicibus, efflorescentiæ Cutaneæ citò emarcescunt.

X. Quapropter cum Affectus hic recens fuerit, Causæ Evidentes & Externæ amoveantur; mala Victus Ratio, & Aëris insalubritas omni modo emendentur. Dein respectu Causæ Conjunctæ, duæ sunt præcipuæ Medendi Intentiones; nimirum ut viscerum & humorum impurities citò expurgentur, item ut sanguinis dyscrasiæ acidosalinæ in melius reducantur: propter quos fines, tum *Cathartica* validiora, tum *Medicamenta Alterantia* (quæ in Herpetis, ac præsertim Scabiei Curatione præscripsimus) præscribenda; nec non *Phlebotomia* celebranda: & quoniam pertinacissimus sit hic Affectus apprimè convenit, usurpato validiore Decocto Sudorifero ex Guajaco, Salsaparilla, &c. in hypocausto quotidie Sudores movere; ut hoc modo, ceu in Luis Venereæ curatione fieri solet, mali fomes penitus eradicetur. Eandem ob causam, remediis aliis nihil juvantibus, multi Salivationem, quasi ultimum remedium, & tanto hosti unicè par, commendant.

XI. Interim ut sanguinis dyscrasiæ usque magis corrigantur, pro potu ordinario sequens aut simile decoctum bibat Patiens,

℞. Rasuræ Ligni Guajaci ℥ iv. Rad. Salsæparillæ ℥ i ß. Chinæ ℥ ij. Contusis affunde Aquæ Puræ ℔ x. stent in infusione calida, dein S. A. Coq. addendo in fine coctionis, Liquiritiæ rasæ ʒ vi. Fiat Colatura ℔ vi.

Similiter ad sanguinem alterandum præscribantur pulveres,

℞. Salis Prunellæ ʒ vj. Floris Salis Armoniaci ʒ i ß. Simul terantur in mortario, atque hujus pulveris circiter ʒ ß. detur bis, terve in die, cum jusculo, vel suprascripto decocto.

vel quotidie bis exhibeatur pulvis ex gran. viii.

aut circiter, Salis Volatilis Cornu Cervini.

valdè quoque hîc laudatur Sal Viperarum similiter usurpatum.

Scribit Solenander in Consiliis Medicinalibus, se in Lepræ Curatione felici cum successu hoc usum esse: „ Accipit duas aut tres „ Viperas, aut si haberi nequeant Viperæ, alios „ Serpentes, quos vivos dissecat, atque multò „ adjectô Hordeo in Aqua coquit, donec hordeum crepitet. Hordeo isto, & ipsa etiam „ carne Serpentum pullos alit gallinaceos, ac „ aliud nullum iis alimentum præbet; quo ubi „ aliquot dies nutriti fuerint, implumes evadunt, tandemque plumis rursus vestiuntur. „ Hac postmodum Carne, & Jusculo paulatim „ Ægrum alit. Et usitatum fuit Antiquis remedium ex Viperis: viz. receperunt Viperas, & „ cauda ac capite abscissis, cuteque abjecta, coctas earum carnes Ægris comedendas dederunt.

XII. Quoad *Topica Remedia* cuti exteriori, ut Squammosæ Eruptiones & Pustularum Corymbi tollantur, adhibenda; eadem ferme hic conducunt *Balnea Artificialia*, *Linimenta*, & alia medicamenta, quæ in Herpetis ac Scabiei Curatione proposuimus: quæ tamen nisi *sanguinis diathesis acido salina* ac *tartarea prius* tollatur, rarò aut nunquam per se juvant.

In *scabie humida* prodest Tinctura lignorum, Tinctura coralliorum cum spir. ligni sassafras vel spir. lignorum.

Prosunt item medicamenta pituitam educentia & sanguinem purificantia, serum lactis mistum cum succo & essentia fumariæ, Tinct. tart. antimoniata.

Sudorifera prosunt & in specie antim. diaphoret. sulph. auratum antimonii, essentia & spir. Lignorum. Essentia, sal. & spiritus fumariæ.

In *scabie sicca* magis humectantia prosunt, & quidem magis in forma liquida, quàm sicca, quod in scabie volatili præcipuè observandum. Hic ergo prodest fumaria, serum lactis &c.

Purgantia optimè dantur in infuso v. g. in sero lactis. Si verò bolus vel pilulæ placeant, post eorum assumptionem hora una vel altera superbibatur haustus jusculi pisorum vel seri lactis.

In illa scabie, quæ *malum mortuum* dicitur, prosunt optimè medicamenta ex mineralibus & antim. purgantia & purificantia sanguinem: Omnia medicamenta ex viperis, trochisci de viperis, qui tamen non sunt adeò commendandi: magis

magis enim prosunt essentia, magisterium vel spinæ viperarum pulverisatæ. *D. Osvvaldus* medicamenta habet ex sanguine humano, cervino, viperis.

Prosunt quoque hepatica, essentia lignorum, essentia sudorifera, bezoardicum martiale, Item bezoardicum joviale uti & alia supra citata.

In genere in utraque scabie prosunt extractum catholicum Andernaci, panchymagogum crollii, extractum hellebori nigri, resina catholica, jalap. gummi de Peru, extract. esulæ.

In scabie humida pilulæ de fumaria, Mercurius dulcis dulcis simpl. & compositus, merc. vitæ, arcanum corallinum, mercur. cum sol. mercur. præcipitatus.

In *scabie humida & contumacissima* prodest decoctum contra scabiem mynsichti, syrupus de fumaria compositus, &c.

Externè circa gulam merc. non semper prodest, & sæpè gravia secuta sunt symptomata aq. & decoctum merc. Si in aqu. calc. viv. solvatur aliquid de merc, dulci, bonum est remedium externum Balneum fieri potest ex herbis saponariæ, scabiosæ, fumariæ, nicotianæ, malvæ, radicibus lapathi majoris, helenii bryoniæ. It. ex sulph. sal. nitr. furfure tritici, silig. farina fabarum. *Prodest quoque* externè aq. viridiuscula aurifabrorum quæ post præcipitationem argent. remanet, aq. nicotianæ, oleum nic. oleum tart. per deliquium, unguentum medicamentosum mynsichti, unguentum de lythargyrio & cerussa, rosatum cum arcano corallino seu alio mercur. ritè præparato, vel præcipitato.

Nota tamen, quòd si unguenta adhibeantur, tamen adhuc benè dentur interna, præcipuè antim. diaph. essentia fumariæ helenii &c. aliàs retropellitur materia.

℞. Crem. tart. ʒ ij. sal. fumar. gr. viii. M. D. in duplo.

℞. Croc. mart. aperit. ʒj. sal. fumar. ℈ß. M. D. in duplo.

℞. Aq. fumar. ℥ iv. essent. fumar. mart. liq. an. ℈j. syr. de fumar. ℥ i ß. S. Digestiv. pro duabus vicibus.

℞. Herb. fumar. M ij. flor. cichor. epat. an. p. iij. sem. carthami ℥j. vel (si à pituita nitrosa) agar. alb. ʒ vi. mechoacannæ albiss. rad. jalappæ an. ℥ j. santali rubri citrini an. ʒ ij. crem. tartar. albiss. ℥iij. F. l. a. nodulus. Prodest si malum est à pituita. Si ab humore melancholico.

℞. Herb. fumar. epithymi an. M ii. flor. borrag. buglossæ genistæ an. p. ij. fol. sennæ sine stip. ℥ j. rad. helleb. nigri præp. polypodii esulæ præp. rhab. mon. an. ℥ j. gialappæ ʒ vj. cinnamomi ʒiij. caryoph. macis an. ʒ i ß. crem. tartar. albiss. ʒ ij. sal. fumar. ℈j. F. l. a. nodulus.

Si oriatur à pituita hæc prosunt.

℞. Mechoacannæ albiss. agar. albiss. an. ʒi ß. rad. jalappæ ʒ j. tartar. albissimi ʒ ß. vel ʒ j.

Infunde in s. q. aq. fumar. in vitro clauso per noctem, mane coq. ad dissolutionem tartar. in colatura dissolve syr. de fum. ʒ vj. Scammon. sulph. gr. v. aq. cinamomi borrag. ʒ i ß. M.

Si ab humore melancholico.

℞. Fol. sennæ S. S. ʒ iij. Rad. helleb. nigr. præp. ʒ j. flor. borrag. buglossæ an. p. iij. crem. tartar. albiss. ʒ j.

Infunde in s. q. aq. fumariæ vel seri lactis, stent in infusione per noctem. manè coq. ad dissolut. tartar. Col.

℞. ℥ iij. adde essent. fum. ʒj. tinct. tartari antimoniatæ g. xx. syr. fum. comp. ℥ß. m.

℞. Conserv. fumar. ʒj. pulv. cathol. purg. ℈j. antim. per infer. purg. gr. x. c. s. q. syrupi de fumar. F. l. a. Bolus.

℞. Extr. cathol. Andernaci Panchym. Crollii an. ℈j. merc. dulc. ritè par. gr. xv. extract. troch. alhand. gr. ij. cum essentia fumariæ F. pilulæ.

℞. Extr. melanagog. helleb. nigri an. ℈ ß. scammon. sulph. gr. vi. antim. per infer. purg. gr. x. cum essent. fumar. F. Pilul. pro una vice.

℞. Essent. fumar. mart. liquid. an. ʒ iij. m. Dos. gutt. 50. vel 60.

℞. Ess. fumar. tinct. tart. antimoniatæ an. ʒiij.

℞. Essent. lignor. fumar. an. ʒ iij. m.

℞. Tinct. corall. c. spir. lign. ℥ß.

Sudorifera.

℞. Antim. diaphor. ℈ j. sal. fumar. gr. vj. m.

℞. Essent. fumar. ʒ j. lignor. ʒ ß. m.

℞. Aq. fumar. S. ℥ j. syr. de fum. S. ℥ ß. essent. fumar. ʒ j. antim. diaphor. ℈ j. spir. flor. samb. ℈ß. m. In scabie sicca.

℞. Aq. fumar. ℥ j. flor. samb. ℥ß. essent. fumar. lignor. ana ℥ß. tinct. antim. gr. vj. m.

Balnea.

℞. Herb. fumar. sapon. scabiosæ flor. helen. lapathi maj. ana ℥ iv. sulph. crudi ℔ ¼. nitr. ℔ i ß. baccarum lauri ℥ j. incis. D. S. species, pro Balneo.

Potest quoque addi radix bryoniæ, lap. medicamentosus sal vitriol. & alia.

In scabie contumacissima eadem possunt, si addantur folia nicotianæ.

℞. Unguent. diapomphol. enulat. ana ℥ ß. flor. sulph. ʒ ij. ol. nicot. q. s. F. l. a. unguent.

℞. Unguenti enulati ℥ j. flor. sulph. ʒ j. sal. tartar. ʒ j. ol. nicot. q. s. m.

℞. Decoct. calc. viv. ℔ j. merc. dulc. ad extra ʒß. aq. rosarum ʒ j. m. pro lotione.

N B. Potest quoque addi aliquid de saccharo Saturni, si adsit inflammatio.

In omnibus speciebus, etiam desperatissima, nil melius, quàm medicamenta ex viperis.

Si oriatur ex scorbuto, antiscorbutica misceantur, v. g. Tinct. corall. antiscorbutica, tinctur. corall. cum spir. lignorum, essent. fumariæ, lign. Item medicamenta ex viperis.

Phlyctenæ, Sudamina, Sirones ac vari.

De Phlyctenis vid. Hafenrefferus de affectibus cutis p. 93. Primario instituatur purgatio, ut affluxus cohibeatur, Prosunt quoq; sudorifera.

Externè lixivium è cineribus pini confert, it. Succus plantaginis expressus & simul, si adsit inflammatio, succus solani. Exsiccantia pariter, ut empl. de lapide calaminari, unguentum diapompholygos.

In sudaminibus convenit decoctum calcis vivæ, unguentum de lythargyrio.

In sironibus confert unguentum ex sapone Veneto seu Batavico cum sal. comm. Item muria halecis, unguentum ex aloe, sulph. & lacte sulph. cum oleo nicotianæ.

In Varis (vide Hafenrefferum de affect. cutis

lib. 2. pag. 295.) prodest sanguinis purificatio. It. aq. sigilli Salomonis, lil. alborum, rosarum, cosmeticum Cluvii ex marcasita, lac sulphur. saccharum saturni. camphora, oleum tartar. per deliquium, merc. dulcis, lac virginis, decoctum sulph. unguentum è flor. & lacte sulphur.

Internè verò confert hepaticum rubrum, Tinctura florum, bellidis cum sp. vitriol. mart. mane & vesperi.

Facies quoque abluitur & inungitur aq. florum fabarum & sero lactis.

♃. Aq. flor. fabar. lil. alb. sigilli Salomonis rosarum an. ℥j. cosmet. Cluvii ℈j. merc. dulc. gr. xv. camphoræ gr. vii. M.

♃. Unguent. rosati ℥ij. flor. sulph. ℈ij. lactis sulphur. ℈j. sacch. saturni ℈ß. olei rosac. q. s. F. linimentum.

♃. Aq. omnium florum, spermat. ranarum, lil. alb. flor. fabarum, pulpæ citri, sigilli Salomon. an. ℥ß. ol. tartar. per del. ʒij. sacch. saturni ℈j. cerussæ, borracis Venetæ, an. ʒß. camphoræ ℈ß. merc. dulcis gr. viii. M. est expertissimum.

Epinyctides, Leuca & Alphus.

In Epinyctidibus sanguis purificetur: Deinde purgandum: Denique ad Topica deveniendum est. Riverius specifice oleum juniperi commendat.

In *Alpho* seu *Morphea* (*vid. Haffenrefferus de affect. cutis p. 24.*) si à sanguine melancholico, post digestiva purgantia etiam omnia quæ supra de scabie notata sunt, interna & externa, balnea serum educentia prosunt v. g. fumaria. It. medicamenta hepatica: Prodest quoque oleum tartar. cum oleo amygd. dulcium & lil. alborum &c.

NB. Radix lapathi, si parti affectæ affricetur, omnes tollit maculas. It. lac virginis. Unguentum ex calc. viv. & sulph. vivo, aq. spermatis ranarum, aq. salsa.

In *Leuce* (*vid. Hafenrefferus lib. cit. c. 3. p. 32.*) conveniunt noduli purgantes, sanguinem purificantes, & pituitam educentes &c.

Sudorifera hic quoque prosunt & hepar roborantia, v. g. hepaticum rubrum, ebur sine igne, species diarrhodon Abbatis, diatrion santalon.

Deinde *Topica* v. g.

♃. Flor. sulphur. camphoræ an. ʒj. Sublimentur artificiosè, dein solvantur in aq. scrophul. & sigilli Salomonis. Hoc pro arcanissimo potest adhiberi quoque in vatis.

Balnea item fiant ex rad. lapathi, sulph. vivo, nitro cum aliis appropriatis.

Impetigo & gutta Rosacea.

Impetigo seu lichen species est seu primus gradus herpetis.

Prosunt hic medicamenta serum educentia & sanguinem purificantia: It. quæ in scabie commendantur, e. g. fumaria, merc. &c. Item serum lactis, si in eo reliqua medicamenta assumantur ex purificantibus sanguinem & serum educentibus.

Topica post universalia applicentur. Prosunt hic omnia in præcedentibus annotata, aq. spermatis ranarum, aq. omnium florum, lac sulph. oleum ovorum, Prodest quoque decoctum calc. vivæ, liquor mercurii saccharatus mynsichti, it. ejusdem liquor mercurii acetosus, unguentum medicamentosum & nobile ejusdem, unguentum è saturno ex oleo camph. & cerussæ. empl. ex saccharo saturni, & bals. sulph. ol. lil. alborum, ol. tart. per deliquium. Unguentum secretum Riverii, quo illæ sæpius utitur, hoc est:

♃. Unguenti rosat. ℥iij. mercur. sublimati ʒiij. M. mercurialia enim quàm maximè prosunt.

Ubi dolores in impetigine adsunt, sequens adhibeatur.

♃. Pomor. putridorum n. vi. adde ol. rosati ℥ij. lactis muliebris parùm, F. cataplasma, & applicetur parti dolenti: Riverius in suis observationibus hoc valdè commendat.

Non minus tamen prodest aq. spermatis ranarum, decoct. & infusum sulphur. *vid. Poterius.*

In gutta Rosacea prosunt purgantia ex rhabarbaro & aliis hepaticis purgantibus: Semper enim purgantibus admisceantur hepatica, v. gr. sal. & conserva cichorei. Fiat nodulus ex purgantibus & hepaticis: Prodest tinctura rosarum, violarum, bellidis, epat. rubr. conserv. flor. & rad. cichor. syrup. fragorum cum essent. hepaticæ.

Sunt qui commendant menstruum virginis in aq. appropriata solutum & externè applicatum.

Scarificationem auriculæ singulis mensibus commendat Hartmannus & alii.

Optima interim hic sunt *medicamenta* ex calc. viva, merc. flor. sulph. & camphora eaque, quæ aliàs de variis commendata sunt. *Joan. Michael. Praxeos chymicæ generalis part. 2.*

In scabie *remedia præparantia.*

♃. Crem. tartari ℈j. sal. fumariæ gr. viii. flor. sal. ammon. martial. gr. 3. Misc. F. pulvis in aq. fumariæ exhibendus.

♃. Vitrioli martis cum spir. sal. amm. acido præp. ʒß. crem. tartari ℈j. sal. comm. fumariæ gr. viii. misc. f. pulvis.

♃. Essent. fumariæ ʒß. syr. de fumaria ℥j. Tinct. martis gut. v. aq. centaur. ℥iij. misc. Detur cochleatim bis in die. *Purgantia.*

♃. Resin. Jalapp. scammon. an. gr. v. Mercurii dulcis gr. 15. conserv. Fumar. ʒij. M. F. Bolus.

♃. Extr. Rhei, sennæ tartaris. an. ʒß. Resin. scammon. gran. vii. conserv. fumar. ʒij. misc. f. bolus.

Pilulæ. ♃. Extr. diacatholici nostr. ʒß. mercurii dulcis gr. 12. misc. f. pilul. n. vii. vel.

♃. Extr. Panchymag. crollii ʒß. Mercurii dulcis gr. xv. misc. f. Pilul. n. vii. *Sudorifera.*

♃. Antim. diaphoretic. ℈j. Sal. C. C. gr. v. ocul. cancr. ℈ß. Rob. sambuci ʒij. aq. fumariæ ℥ij. misc. f. sudoriferum, Vel.

♃. Flor. antim. diaphor. gr. xv. tinct. tart. antim. gut. 22. spir. lign. guajac. gut. 24. Rob. sambuci ʒij. aq. sambuci ℥ij. misc. f. sudoriferum.

♃. Bezoartic. C. C. ʒj. Rob. sambuci ʒij. aq. fumar. ℥ij. misc. f. sudoriferum. Vel.

♃. Bezoartic. viperini ʒj. Rob. sambuci ʒij. ess. fumariæ gut. 24. lignor. gut. 15. aq. centaur. minor. ℥ij. misc. f. sudoriferum. *Elixiria.*

♃. Essent. fumariæ, lignor. an. ʒj. tinct. tartari antimon. ʒß. misc. Dosis mane & vesperi gut. 20. ad gut. 24. vel.

♃. Spir. tartari sassafrat. ʒj. essent. fumariæ, tinctur. tartari antimon. an. ʒß. Misc. Dosis gut. 15. ad 20. manè & vesperi. *Medicamenta externa.*

♃. Ungu. alb. camphorat. ℥iv. ol. coct. ranar.

nar. ℥ ij. Sacchar. Saturni ʒ ij. Mercurii dulcis ʒj. Sulph. citrin. ℥ß. Misc. f. linimentum. Vel

♃. Unguent. alb. camphor. ℥ iv. ol. coct. Ranar. ℥ ij. Sacchar. Saturni ʒ ij. Cinnabar. antim. ʒ j. solut. sulph. in lixivio sal. tart. ℥ß. Misc. f. linimentum. Vel

♃. Unguent. rosar. ℥ iij. ol. Ranar. ℥j. Mercurii dulcis ʒj. Sulph. citr. ℥ß. Calcis vivæ ʒiij. Misc. f. linimentum.

Balneum.

Hoc potest parari ex decocto Herbæ absinthii, Fumariæ, Centaurij, fol. Quercus, & solutione sulphuris cum lixivio Calcis vivæ.

Lepra Græcorum.

In hoc morbo purgationibus repetitis opus est: possuntque fieri sequentibus.

♃. Extract. Hellebor. nigr. ℈j. Sennæ ʒß. Resin. turbith. Jalapp. an. gr. v. conserv. rosarum ʒ ij. Misc. f. Bolus.

♃. Extract. Sennæ ʒj. Esulæ ℈j. Resin. scammon. gr. vii. Mercur. dulcis solaris gr. xii. Conserv. fumariæ ʒ ij. Misc. f. Bolus.

♃. Extract. Agarici, Ellebor. nigr. an. ℈j. Resin. turbith. gr. x. Mercur. dulcis solar. gr. xv. Conserv. absinth. ʒ ij. Misc. f. Bolus.

♃. Extract. diacatholici ʒj. panaceæ antim. gr. viii. Conserv. fumariæ ʒ ij. Misc. f. Bolus.

♃. Panchymagog. Croll. ʒj. Turbith. Merc. solar. gr. iij. Misc. f. Pilul. num. vii.

♃. Penaceæ antimon. resin. scammon. an. gr. viii. Conserv. fumariæ ʒ ij. Misc. f. Bolus.

Sudorifera.

♃. Aur. diaphoretic. gr. xii. Bezoartic. viperin. ʒj. Essent. fumariæ, lignor. an. ℈j. Aq. Centaurij ℥ij. Misc.

♃. Bezoartic. duplicati ℈j. Pulv. sipin. viperin. præp. ʒß. Sal. viperini ℈ß. Spir. tartari sassafrati, tinct. tart. antim. an. ℈j. decoct. salsæpar. & chinæ ℥ ij. Misc.

♃. Flor. antim. diaphoretic. ℈j. Pulv. viper. præp. ʒß. Sal. C. C. gr. viii. tinct. sulph. antim. ℈j. rob. sambuci ʒ ij. decoct. cortic. & lign. Guajac. ℥ ij. Misc.

♃. Cinnabar. montan. gr. x. Pulv. viperin. præp. ʒß. sal. C. C. gr. viii. Ess. lignor. ℈j. decoct. fumariæ & centaur. ℥ ij. Misc.

♃. Cinnabar. montan. de Tonchino ℈j. Pulv. viperin. præp. ʒ ij. Pulv. viperin. præp. ʒij. Sal. viperin. ℈j. Sulph. aurat. diaphoretic. gr. xvi. Misc. f. Pulvis pro 3. dosibus.

In decocto salsæ & chinæ exhibendis.

Medicamenta externa.

♃. Aq. calv. vivæ ℔ ij. Mercurii sublimat. ℥ß. Succi solan. Plantag. an. ℥ ij. Misc. f. lavamentum.

♃. Fol. Quercus M iv. herb. chelidon. solani an. M ij. Absinth. centaur. an. M j. Rad. Aristoloch. rotund. ℥ j. coquantur in sufficienti quantitate aq. communis, & in colaturæ ℔ iv. solvantur. Mercurij sublimati ℥ß. solutionis sulph. in lixivio salv. tart. ℥ ij. Misc.

♃. Decoct. Calc. vivæ ℔ ij. Mercurij sublimati ʒ ij. Sacchar. Saturni ʒ iij. Aq. rosar. ℥ iij. Succ. solan. chelidon. an. ℥ ij. Misc.

Unguenta seu Linimenta.

♃. Unguent. Apostolor. albi camphorat. an. ℥ ij. Sacchar. Saturni ʒj. Zinabar. factitij ʒ ij. ol. Ranar. q. s. Misc. f. Unguentum. Vel

♃. Unguent. alb. Camphorat. Rosarum an. ℥ ij. Mercurij saliva extincti ℥ß. Sulph. in sal. tart. solut. & inspissati ʒ iij. Pulv. Ranar. viper. an. ʒ ij. ol. Ranar. q. s. Misc. f. Linimentum.

Hisce remediis in omnibus horrendi hujus morbi generibus tantum effeci, ut mihi visum fuerit superfluum, plura hac de re scribere, & sic concludemus.

Consultationes.

Pro Egregio Viro Laurentio Fachineo Cive Foroliviensi scabie ferina, tumor extremarum narium, necnon ulcere internarum, & uveæ detento.

Duo ni fallor sunt vitia, quæ virum egregium malè habent, unum est scabies per totum corpus repens, ut ex cutis asperitate, & evidentibus tumoribus parvis, pruriginosis, cum, & sine scalpellatione, vel affricatione pus, ac saniem humidam valdè, corpusculaque furfuracea emittentibus.

Alterum vitium est ulcus tum narium internarum cum tumore externarum rubente, ac crustis referto; & cum deperditione pro majori parte interstitij; tum columellæ, cum ejusdem ad anteriora non parva abrasione, cujus utriusque ulceris non tantum pus prodiens, verum etiam & visus ipse fidem facit.

Verum tamen scabies, ut ex dictis liquet, non sicca, sed humida valdè; quia nempè insignem copiam ichoris tenuioris emittit, est constituenda, sicuti est in habitu, & veluti hectica, quoniam à pluribus annis patientem afflixit, itemque contumax, & ferina existit, quoniam tametsi generosis admodùm, & efficacibus valdè præsidiis fuerit tractata, non modò non cessit, sed magna potius incrementa suscepit, & quod pejus est suscipit in dies, ut parum absit, ut in lepram permutetur; sicuti enim pruritus est via ad scabiem, ita scabies, potissimum ubi pervicax nimis erit, est via ad lepram.

Ulcus verò quoniam saniem fetentem profundit copiosam, sordidum ideò, & aliqua ex parte malæ naturæ; cachoeteque erit constituendum, non tamen cancerosum adhuc, cum dolor illi non associetur, & pus nigricans haud emittat.

Horum autem malorum principia generationis immediata ex parte agentis, & ex parte passi non sunt meo judicio difficilia cognitu; si quidem ex parte agentis constituerem ego succum serosum, salsum, quia sanies tenuis, & alba, prius jugi, ac perenni pruritu infestante prodit, mixtum tamen aliquando cum ichore melancholico, ut color subnigricans cum rubore suadet, hæc enim succorum miscela copiosa, humore crasso, & viscido referta in cuti recepta, & non mota, ob idque putredinem aliquam nacta non tantum asperitatem, sed intemperiem calidam, & siccam, tumoresque parvos, & pruriginosos parit, quod à Galeno secundo de Symptom. causis sexto, & à principio 11. simplicium decantatum fuit. Pariter eadem excrementorum colluvies ad nares, & columellam decumbens, ut abradens ulcera corrosiva infert, ut verò copiosa tumores illos externos circa nares efficit.

Ubi autem localem, & propriam habeant generationem excrementa jam dicta sic decerno. Profectò cùm sint meri partus caloris vehementis, ut nemo potest in dubium revocare (nam pituita salsa ab exusto tempore, sive per putredinem, sive per ipsam exustionem concitato, cum humiditate aquea permixto producitur, sicuti & succus melancholicus exustus, ichorque biliosus ab insigni fervore fiunt) & cum in visceribus illis, in quibus non solum alimenta, verum etiam & excrementa generantur, generari quoque debeant atque inter alia viscera jecur primas partes habeat, in eodem ideo fieri pro majori parte certum habeo, quoniam in capite succum salsum procreari non dubito.

Principia ex parte passi penes temperamentum totius corporis calidioris, habitusque similis proprietatem, ratione psoræ, penes autem conditionem locorum affectorum, ratione ulceris, ac tumoris, quando partes narium, & oris internæ valdè humidæ, ac putredini noxiæ sint, attendantur oportet.

Cæterum his principiis proximioribus remotiora quoque sunt addenda, quæ omnia refero in errata externa, potissimum verò in potum immodicum, & intempestivum ipsius vini meracioris.

Sed jam de Methodo curandi est agendum, quæ in scabie primum, quantum ego existimo indicationibus præservatoriis est perficienda; quocirca antè omnia danda est opera, ut materia fluens per evacuantia à cuti retrahatur, secundo materia fluxa ut putrida, & copiosa est evacuanda, ea tamen ratione, ut quæ hæret in superficie, ripticis abstergatur, quæ est impacta ecatarticis discutiatur, sicceturque, ut qualitate nocet eadem materia est in contrarium alteranda; Deinde & curatoriæ indicationes occurrant, ut propterea pruritus, qui est species doloris anodinis sit amovendus, ac intemperies viscerum malos humores generantium alterantibus sint dimovenda. Verum & vitales indicationes haud sunt negligendæ, saltem ratione partis affectæ, hinc cutis tonus est confirmandus subadstringentibus, modestè tamen usurpandis, à quibus ne medicamenta impediantur, ut altius penetrent, tenuia tanquam vehiculum addere oportebit, quo nomine Avicenna acetum, & acida, Galenus verò nono Simpl. capite de sulphure, sulphur tanquam tergens, & poros absque adstrictione purgans omnibus aliis admiscebat. In ulceribus pariter ablata omni occasione fluxionis, ipsisque detersis, & exiccatis ad consolidantia est deveniendum.

Quas indicationes explere posse Medicum vix credo, quando mala omnia cum suis causis sint in habitu, & inveterata ut lepra, ulcera cancerosa, deglutio, ac respiratio vitiata immineant, nullaque sit pars corporis, quæ ab aliqua labe sit intacta, ut propter has rationes indies magis ingravescant, & proinde difficilius tolerentur, quando etiam ex Platone in Philebo scabies præter turpitudinem dolorem inferat, qui vigiliis adjunctus vires ipsas plurimum dejicere consuevit. Danda igitur est opera, ut egregius patiens à majori saltem ruina præservetur, quod forsan haud erit difficilè consequi, si illius ætati vegetæ prudentia, & obsequentia ejusdem adjungatur.

Quocirca si animum ad materias medicas converto, ita de Chirurgicis autumo, ut scilicet quamprimum sanguis copiosè per sectam venam in cubito, non quidem unica vice, sed repetitis vicibus educatur, propterea ex utroque cubito meo judicio sanguinem mittere præstabit, deinde habita totius providentia; Cuti tum hyrudines, tum cucurbitulæ parvæ, seu corniculi dicti (quos magis probo) numerosi tamen applicati mihi quam maximè arrident, sicuti & fonticuli in brachiis, & femoribus inusti non improbantur, quinimò & si alter in sincipite, vel occipite de more excitetur, ratione ulceris narium ac uveæ plurimum proderit.

Pharmaca respiciunt materiam, & morbos, si materiam, vel fluentem, vel fluxam, si fluentem sunt lenientia, ut syrupus de polypodio magistralis, & rosatus solutivus, sunt & præparantia, sicuti est decoctum scabiosæ, sonchi, hepaticæ fumariæ, lupulorum, & betonicæ, adjectis syrupis de succo cicorii, de fumaria simplici, de succoque betonicæ, sunt demum & purgantia, in quorum serie, quod fit ex infuso hellebori nigri, agarici trociscati, & senæ cum syrupo de polypod. magistrali est opportunum.

Verum tamen repetenda erunt & præparantia, & purgantia, fortiora tamen, quare syrupi de fumaria compositus, sabor regis, de cicoreo compositus diluti cum decocto simplicium antedictorum in sero caprino parato, & purgatorium ex confectione hamech, ac hiera aliqua magna Aloë (quæ tantoperè in scabie inveterata ab Avicenna celebratur) donata, necnon electuarium rosf. Mes. cum lenitivo vocato paratum, esse poterunt ex usu.

Cæterum & sudores moventia huc referenda, quapropter maximè conducturum esse crederem, si salsæ, chinæ, & sandalorum cum tantillo guaiaci decoctum, adjectis cicoraceis pararetur, & bis in die sumeretur, maneque instrumento ligneo sudor (ut in lue Venerea fieri solet) moveretur, novi etenim quamplurimos similibus morbis laborantes hoc remedii genere sanatos fuisse; Atque ut magis, ac magis medicamentum roboraretur, curarem, ut bolus ante syrupum matutinum & extracto guaiaci trociscis viperinis cum speciebus confectionis ex tribus sandalis paratus deglutiretur, ac eo tempore, quo simili medicatione patiens uteretur, eundem ut singulo quinto, vel sexto die syrupum de polypodio sol. assumeret, etiam atque etiam hortarer.

Medicamenta interea ad materiam fluxam sunt tum interna, tum externa, in genere internorum decoctum viperarum in aquis hepaticæ, scabiosæ, fumariæ, & betonicæ excoctorum, omnibus esse præferendum confirmo; quinimò & ipsamet viperarum Caro in conserva cicoracea esset assumenda, huc referatur & medicamentum, quod & auctoritate gravissimorum virorum, & experientia ipsa est præstantissimum, & me nunquam in similibus casibus fefellit, est autem Pilosellæ decoctum ad quadraginta dies ebibitum, sal quoque theriacale sub aëre frigidiori in conserva boraginis assumptum mihi non displicet, quod scio etiam cum fructu aliàs ab egregio patiente sumptum fuisse.

In coordinatione externorum primum irrigatio totius corporis cum aqua stillatitia the-

rebintinæ, primum sola, deinde cum modico oleo sulphuris permixta, usu, & experientia mihi valdè est comprobata, quo refero thermas Pisanas sub forma lavacri adhibitas, ea tamen ratione, ut quater balneum ex illis aquis, bis verò illud ex aqua dulci tepida, ac ita alternatim successivè adhibeatur. Et unguentum, quod mihi in scabie ferina, atque contumaci est in usu proficuo, non subticebo.

℞. Aluminis Rochæ usti }
calcanti usti } *an. unc. 5.*
Aristolochiæ rotundæ }
Viridis Aeris } *an. dragm. ij.*
picis navalis unc. 1.
pinguedinis Anatis unc. 5.
succi enulæ unc. 1.
olei rosati completi }
butyri antiqui } *an. unc. 3.*

M. & f. unguentum s. a.

Probo item medicamentum, quod conficitur ex sulphure, succo tabacci, unguento rosato, oleo tartari, & camphora, & cum Avicenna ad inunctionem ex hydrargirio, at cum Galeno ex radice Camaleontis, vel sublimato adscendere non abhorrerem; nam sub hisce casibus melius est remediis paulò ancipitibus uti, quam patientem deserere.

Medicamenta ad ulcera varia sunt, & primum occurrunt, quæ erosionem emendant, inter quæ, quod fit ex succo plantaginis, & alumine usto tum naribus, tum uveæ adhibitum maximè probo, secundo tum virgæ aureæ succus, una cum urina Asini destillata, tum liquor stillatitius mellis in quo myrrha, thus, Aloës, ac pulvis ireos sint macerata, si per nares attrahantur, vel cum catetere injiciantur, opportuna videntur, quorum calor etiam succo plantaginis castigari poterit, & si majori attemperatione opus sit, ab illorum usu lac Asininum, vel serum lactis Vaccini injecta, vel unguentum ex succis per se, & una cum unguento albo usurpatum conducent, sicuti & pro agglutinatione unguentum ex pompholige præcipuè conveniet, tandem ad uveam sanandam oris collutio ex aqua Villensi decoctionis boracis mineralis, tutiæ præparatæ, & corticum granatorum, fieri poterit; Exteriùs autem pro naribus medicamentum ex plumbo usto, succo solani, & oleo rosato cum cera erit opiferum.

Post hæc verò studendum, ut morbi auferantur, aut mitigentur saltem, idcircò ratione pruritus nihil præstantius excogitari potest ipso Philonio Romano aliquot intervallis ad scrup. 1. hora præcipue somni devorato. Et præter Balneum aquæ dulcis probarem, ut patiens egregius hora pruritus manibus inunctis oleo amygdalino dulci in aqua endiviæ loto se scalperet.

Intemperies verò jecoris thermis à Valle Sancti Marini, Porrectaneis veteribus, & Ficoncellensibus, seroque caprino, cui scabiosa, fumaria, betonica, sonchus, & pilosella sint immacerata, satis emendabitur. At intemperies capitis usu conservæ violaceæ, & cicoraceæ hora somni devoratæ, item & lotione ejusdem, ex aqua thermali Lucensi, decoctionis sandalorum adjecto aceto commodè corrigi poterit.

Et ne alia remedia sint irrita, una cum Galeno addenda est proba vivendi ratio; erit autem hæc si patiens tempore localium detineatur in aëre calido, alias verò in temperato, ut vescatur ovis, carnibus optimis, & piscibus petrosis elixatis, caveat à cibariis crassis, calidis, acribus, ut propterea illi plantæ, fructus, & semina ejus conditionis, quæ refrigerare, & humectare valent, possint esse ex usu perutili. Et si ad certum aliquod tempus abstineret à vino, & loco ipsius, vel Ficoncellensem vel Lucensem aquam biberet, vel aqua solum in qua, passulæ fuissent incoctæ, sibi summoperè proficuum esset, quemadmodum & si in aquis illis propria cibaria coqueret non parùm prodesset.

Victus tempore salsæ, & chinæ, sit ille, qui in usu communiter esse solet, poteritque commodè ab Excellentissimo curante præscribi, semper tamen alvus respondeat necesse est, quod si sponte non succedat, arte erit agendum, idcircò prunæ, passulæ præparatæ, atque clysteres ad usum deducentur. Animi accidentia omnia molesta vitentur, sicuti immodicum, & intempestivum exercitium, somnus sit moderatus, omniaque secundum proportionem jam dictis respondeant, quibus illud non possum non adjicere, ut nempè ab omni cibo vel saccharum rosatum antiquum, vel cydoniatum sine mosco, ad juvandum coctionem, & reprimendos vapores vir egregius assumat. Deus autem optimus maximus ille sit, qui prædictis malis potissimum medeatur. *Jul. Cæs. Claudinus in Consultationibus.*

De Impetigine. Pro Nobili Puella.

Sæva illa impetigo (Herpes miliaris,) qua ab ipso penè ortu in parte capitis dextra, dextraque coxendice, ventre etiam inferiore, nonnunquam & aliis partibus, non sine molestissimo pruritu, humorisque cujusdam viridis, flavi, albique transudatione, puella nobilis divexatur, causam habet insignem copiam serositatis biliosæ, cum humore pituitoso, nec non atrabilaris materiæ portione permistam, in jecore ardentissimo à materno sanguine, nutricisque lacte calidiore genitam, vinis generosioribus, malvatico, ac succi vitiosi cibis uti solitæ, concurrente etiam ab initio perangusto, ac admodum calido loco, dum fasciis esset involuta. Cùm verò malum hoc cùm à plurimis cruditatibus, ob ciborum copiam, capitisque catarrho haud levi, tum ab impensè calida partium affectarum intemperie, à continuo materiæ similis affluxu contracta, foveatur, mirum videri minime debet, esse puellam hanc & febri, & inflammationi nonnunquam oculorum obnoxiam, stabulante videlicet in visceribus hoc humore, quod hyemali plerumque tempore solet accidere, per concentrationem, poris cutis ab ambiente frigore coarctatis.

Judicamus igitur necessarium fore remedium, quod non tam partes affectas, quàm mali causam respiciens, eam molestiam, qua nobilis puella cruciatur, quoad ejus fieri poterit, impediat, præservetque à majoribus malis, morbo huic supervenire solitis, lepra, scilicet, quam facillimè incurreret, nisi præsenti malo quam primum iretur obviam. Siquidem ætatis mutatio nocumento potiùs futura est, quàm auxi-

auxilio: calor enim in ætate hac ab excedente quadam humiditate temperatus, ea tempore juventutis imminuta, multò fiet quàm ante mordacior. Sed & menstrua, perseverante ea, quæ adest, sanguinis acrimonia, aut nihil, aut parum admodum sunt profutura. Si verò jecoris, sanguinisque calorem temperantes, prohibuerimus, quo minùs tanta sanguinis acris, & mordacis generetur copia, tunc dubio procul menstrua per uterum purgatio esse ei poterit adjumento.

Laudamus igitur mox instituendam totius corporis expurgationem. Leniatur alvus *flore cassiæ* cum *pulpa tamarindorum*, *sale tartari in jure*, *electuario de prunis*, *infusione rosarum solutiva*, nonnunquam & modico *mannæ cum jure*. Præparetur humor *jusculis soncho*, *cichorio*, *fumaria*, *borragine*, *liquiritia*, *& seminibus citri alteratis*, addito nonnunquam *succo sonchi*, *aut hepaticæ depurato*. Purgetur deinde corpus repetito aliquo ex lenientibus propositis, cum infusione modici *rhabarbari*, *aut mechoacannæ*, quæ & in pulverem redacta, aut forma confectionis poterit exhiberi: est enim gustui gratissima. Purgationis tempore laudamus e jecoraria utriusque brachii modicam sanguinis evacuationem, hirudinibus duabus brachiis singulis applicitis, aut etiam iisdem (si id fieri poterit) venis hæmorrhoïdalibus admotis.

Corpore ritè expurgato, è re futurus est usus *lactis* aut *asinini*, *aut caprini* duorum, aut trium mensium spatio, quatuor unciarum pondere, quotidie matutinis horis continuatus, permixta subinde *aquæ rosarum*, *aut aquæ acetosæ modica portione*, cui & infundi aliquando poterit modicum *rhabarbari*, *aut mechoacannæ*, tumque quantitate majore porrigetur. Suborta nausea, quindecim diebus intermitti poterit ejus exhibitio, postea repetenda, modico interim *aquæ rosarum* recentis, alembico vitreo destillatæ, mane quotidie exhibito. Si vermes adesse suspicio esset, destilletur (florent nunc persici) *aqua è floribus persicorum*, atque ab una ad duas uncias propinetur. Movebit corpus, vermibus resistet. Extrinsecus quam maximè laudamus *balneum aquæ fluvialis tepidæ* umbilicotenus, alteriusve aquæ dulcis *malva*, *lactuca*, *salice*, *vite*, *papavere* alteratæ, non omisso epithemate, atque unctione refrigerante regioni jecoris adhibita. Si verò & de lue Venerea non omnis abfuerit suspicio, proximè venturo Autumno, exiguo *chinæ*, *ac salsæ decocto* illi poterit obviari.

Memoratis remediis accedat recta victus ratio est necesse. Cibi refrigerantes sint, & humectantes, cujusmodi *hordeum*, *cichorium*, *semen melonum*; conferet & usus frequens *prunorum*, *cucurbitarum*, *melonum Venetorum*, *anguriarum*, aliorumque hujusmodi. Cœna sit modica. Alvus servetur lubrica *prunis*, *uvis passis*, *aut cassia recenti*. Temperetur vinum aqua multa refrigerante; aut certè vinum conficiatur ex succo pomorum, quod & gratissimum futurum est, & utilissimum. Cæterum remedia hæc & facilia & utilia, quæ occurrerunt in hujusmodi casu præscribenda, ut puellam nobilem integræ sanitati restituant Deum Opt. Max. obnixè precamur.

De Lepra. Pro Illustrissimo Comite Vicentino.

Illustrissimus Comes ætatis annorum 30. temperamenti calidi & humidi, habitus carnosi, duobus ab hinc annis conqueritur de pruritu totius corporis, cum pustulis, cutis asperitate squamosa, ex qua scalpendo decidunt squamæ velut piscium: multis curatus præsidiis, sine ullo tamen juvamento, de agendis consulit, usus est cibis salitis, vinis generosis, ac exercitio valido.

Affectus hic ex accidentibus relatis est ille, quem Avicenna albaram nigram vocavit 3. 4. tract. 3. cap. 9. Græcis lepra dicitur; differt tamen ab Arabum lepra, in qua secundum Avicennæ doctrinam 3. 4. tract. 3. c. 1. non adest tantum cutis asperitas squamosa, sed corruptio complexionis membrorum, formæ item, & figuræ, cum insigni adeo membrorum corruptione, ut sit veluti cancer communis toti corpori, à Græcis Elephantiasis dicta.

Fit autem hæc affectio à sanguine atrabilari permixto cum pituita salsa, intemperiem calidam & siccam inducente, non in superficie tantum, sed in profundis cutis partibus, unde & tumores & ulcera cutanea, quorum ratione dici potest morbus in intemperie, mala compositione, & in soluta continuitate, spectans magis ad exornatoriam, quàm ad salubrem medicinæ partem: generationisque ipsius causa est, cùm intemperies calida jecoris, tum & magis error in sex rebus non naturalibus, & præsertim in exercitio, & in assumptis humores calidos & acres generantibus, cibis scilicet salitis, & vinis generosis.

Affectus curatu difficilis, quia confirmatus, & dependens à prædicta intemperie cutis, apta nata corrumpere etiam succos alimentales; ideoque non difficulter degenerare potest in lepram Arabum, sive Elephantiasin. Sicuti enim scabies est affectus medius inter pruritum & lepram; ita lepra est affectus medius inter scabiem psoram dictam, & Elephantiasin: ideoque summa cum diligentia curari debet.

Pro ipsius curatione attenuanda, emollienda, & ad circumferentiam protrudenda est materia impacta partibus cutaneis; detergentibusque, & epicerasticis absumenda; refrigerantibus & humectantibus intemperies corrigenda: prohibendaque est talis materiæ regeneratio refrigerantibus & humectantibus jecur, sanguinem, & totum venosum genus: atque refrigerandum est & humectandum caput, & si quæ materia generabitur, divertenda per ea quæ evacuant totum corpus, præmissa humorum præparatione. Hæc præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & diæteticis.

Chirurgica erunt universalia, & particularia. Quare sanguis educendus erit primo ex jecoraria dextri brachii, ad unc. 10. deinde, ex venis sedalibus, ad unc. VI. & tertio per parvas cucurbitulas, vel per hirudines variis partibus affixas.

Pharmaceutica universalia erunt lenientia, præparantia, & purgantia. Pro alvi lenitione *flor. Cassiæ cum pulpa Tamarindorum*, *vel Syrup. rosar. solut. & de polypodio compositus*, erit accommodatus. Præparantia erunt *cichorium*, *fumaria*,

ria, borrag. & sonchus, cum unc. I. *Syrup. de pomis, & unc. sem. Syrup. de acido citri.* Pro purgatione *rhabarbarum, agaricus, & senna, cum Syrup. rosar. sol. & de polypodio composito,* ex usu erunt. Repetantur præparantia, & purgantia, nempe *Syrup. de pomis compos. de fumaria compositus, de betonica compositus, cum aqua fumariæ, cichorii, & borraginis,* alternisque diebus, loco prædictarum aquarum, præscribantur *unc.* iij. *decocti Epithymi Mesues;* ac tandem purgatio fiat infusione *radicum hellebori nigri, cum agarico in sero caprino, & addito Syrup. de polypodio composito, fiat potio.* Hisque peractis, duo genera remediorum interna, & duo externa debellabunt affectum. Primum internum erit *serum lactis caprini optimè depuratum, cum succo citri,* sumptum singulis diebus quindecim dies ad lib. 2. modò cum infusione sennæ; ut fiat dejectorium, modò cum *emulsione seminum melonum,* ut fiat diureticum. Aliud remedium quod erit alimentum, & medicamentum, est *caro viperarum* cocta *cum oleo, aqua, petroselino, & passulis.* In prandio, & cœna, mane & vesperi comedat duas viperas amputatis capite, & cauda, neque alio cibo utatur, præter panem & viperas spatio quindecim dierum, sic enim purior fiet sanguis, transmisso excremento ad cutem, & interna viscera roborabuntur, ita ut perfecta sanitas subsequatur: quod bis vel ter felicissime experientia comperi. Externa erunt linimentum, & balneum. Linimentum fiat *ex farina lupinorum, sulphure vivo pulverizato sale nitro, unguento rosato, & oleo amygd. dulcium cum hydrargyro saliva extincto.* Quod hunc in modum parari poterit.

℞. *Farinæ lupinorum libram unam*
Sulphuris vivi pulverizati } *an. unc.* ij.
Salis nitri, }
Unguenti ros. unc. VIII.
Hydrargyri saliva extincti. unc. iij.
Olei amygd. dulcium q. sufficit.
Misce pro linimento.

liniatur totum corpus alternis diebus hora somni. Aliud remedium erit balneum universale, & hoc alternis diebus fiet ex aquis sulphureis, in quibus per semihoram moretur moderatè calidis, & tertia quaque die ex aqua fluviatili tepida, in qua maneat horam circiter, primum administrabitur ter aut quater, alterum plures dies, ad tollendam intemperiem calidam.

Addatur congrua victus ratio, quæ sit ciborum boni succi, refrigerantium, & humectantium, abstinendo ab aromatibus, acetariis, salitis, & cibis crassi succi, bibendo vinum oligophorum; moderatè corpus exercendo. Ita namque superabitur affectus: qui & curatus fuit in nobilissimo hoc patiente.

De Herpete in mento. Pro Nobili Adolescente.

Affectus quo nunc detinetur Patiens Nobilis, ratione partis affectæ, mentagra dicitur: non est tamen ista mentagra antiquorum, quæ depascebatur totam carnem menti, sed sunt tubercula quædam in ulcuscula degenerantia, statimque exarescentia, & ad circumpositas partes sese diffundentia. Ideoque non immeritò herpes miliaris nominanda, eaque genita à fluxione bilis & pituitæ permixtæ jecore præcalido, & humido cerebro genitorum, atque in mentum tanquam ad partem imbecilliorem confluentium post sanationem abscessus in podice suborti, & cicatrice obducti.

Affectus non ita sanatu facilis, cùm ratione fluxionis, tum ratione malæ qualitatis, & intemperiei calidæ in parte affecta contractæ.

Ideoque pro ipsius sanatione divertenda est materia fluens, fluxa sensibiliter & insensibiliter evacuanda; impediendaque similis materiæ regeneratio per ea quæ jecur refrigerant, & caput exsiccant; ac tandem per subastringentia pars affecta est corroboranda.

Pro curatione præsentis affectus, plura quidem hactenus, rite & recte præscripta fuere: non tamen omittenda & alia posthac administranda. Quare si de Chirurgicis sermo fiat, cum jam sanguis per venam sectam fuerit eductus, poterunt iterum applicari cucurbitulæ dorso pro revulsione: ac deinde in progressu non displicent hirudines undique mento applicandæ, quippe quæ evacuabunt humorem illum vitiosum, qui parti affectæ est impactus. Placet quinetiam pro revulsione fonticulus interno dextro femori inustus, summa cum ratione à Viro præclarissimo præscriptus: nec displicent frequentes pedum lotiones cum aqua dulci, vel lixivio alterato *malva, lapatho, flor. chamæmel, & violis.*

Pharmaceutica quod attinet, licet alvus sponte fluat, non ob id improbantur aliqua blandè evacuantia, nempe *flos cassiæ recens extractæ ad unc. sem.* sæpe parum ante cibum sumptus: *diaprunum cum senna, aut passulæ cum senna;* aut quid tale; nec de aliis præparantibus, aut purgantibus generosis quidquam dicam, cum diligentissima totius purgatio fuerit jam peracta, decoctum exhibitum, seu potius vinum alexipharmacum, & solutivum per plures dies: ac tandem *serum lactis caprini.* Quare supposita accurata totius purgatione jam facta, & non sine ratione repetenda dejectorium per aliquod saltem, *ex rhabarbaro, senna, & agarico;* laudo *aquam Villensem* per quindecim dies circiter eamque diureticam reddit, *cum syr. quinque rad. & emulsione sine melonum;* post cujus usum proderit etiam *saccharum ros. recens ad unc.* I. manè sumptum itidem quindecim dies, facta inunctione partis affectæ cum *lythargyro aureo, cerusa, & granis quatuor sublimati dulcis.*

De Scabie, & Hæmorrhoidibus dolentibus: &, an pro ipsarum curatione pulvis viperinus cum sale prunellæ assumi tutò possit. Ad Excell. Hieronymum Durantem.

Ex scheda mihi tradita ab admodum Reverendo Patre Franciscano, nomine perillustris & Excellent. D. Hieronymi Durantes, duas difficultates video objici opinioni meæ de Scabie, & Hæmorrhoidibus conflictantibus Nobilem patientem: quarum prima est, in scabie nullam pulveris viperini indicationem, nullamque utilitatem futuram, dum suspecta est acrimonia illa, quam in sanguine pulvis viperinus excitare potis est; non enim, inquit Vir Doctissimus, & optimè, in scabie curanda medicamenta

menta admittuntur, quæ sanguinis acrimoniam augent: altera est, sanguinem per hæmorrhoidas fluxurum acriorem à pulvere viperino reddi; hoc enim addit, repugnat experientiæ; nam eo sumpto viginti dies, & quod excedit, nunquam ab illis venis sanguinem fluxisse observatum est, quin potius fluxus frequentiam remisisse. Quibus propositis, obfirmat se in ea opinione, quam longa observatione ante pulveris viperini usum conceperat, sanguinem scilicet in Nob. patiente exitum sibi parare non acrimonia, sed copia: sanguinem enim fundunt venæ illæ sine ullo irritationis sensu, vel repletæ, vel laxatæ, ut inquit: ac proinde si copia desit, tunc neque in maximo egerendi fæces conatu sanguinis guttula exprimitur, soluta autem alvo à fructibus horariis, vel à medulla cassiæ deglutita, promptè sanguis rejicitur non irritando, non comprimendo, sed laxando. Hæc Vir Doctiss. perquam doctissimè in medium protulit.

Quibus ego pro viribus satisfacere conabor, non tanquam alter Hippoc. qui omnium minimè in arte me versatum fateor, sed tanquam doctrinæ Hippocraticæ admirator, & pro viribus imitator. Atque ideo cum Hippocr. & Galeno jam scripta confirmare non gravabor, quo supponens ut verissima; quorum primum est, me semper locutum fuisse de pulvere viperino, & sale prunellæ simul junctis, quum scriptum ad me fuerit, Nobilem patientem nunc uti sale prunellæ, & pulvere viperino, quod à præclarissimo Viro in hac schedâ confirmatum video, dum scribit, quod hæret animus in iis in usu scil. pulveris viperini, & salis prunellæ non esse ulteriùs progrediendum. Quare difficultates non emergunt solùm ex usu pulveris viperini, sed ex usu utriusque simul sumpti. Sicuti enim in viperæ carne intemperiem calidam, & siccam constituit Gal. 2. simpl. cap. de vipera, ita in sale prunellæ, ex sale nitri & flore sulphuris confecto, acrimoniam aliquam adesse mihi persuadeo, ideoque à me scriptum fuit, quod medicamentum hoc vi exsiccatoria cum mordacitate aliqua præditum est. Suppono secundo tanquam indubitatum, sanguinem in Nob. patiente non sola copia peccare, sed & acrimonia aliqua, & mala qualitate, idque non solum ex ætate consistente, in qua viget sanguis melancholicus, sed longè magis ex loco per quem effluit, & ex annexa scabie, hoc argumento. Humor ille, quo præsente fiunt affectus, & participes cujus absentia præservantur, & curantur patientes à morbis dependentibus à materia mala qualitate peccante, est humor non sola copia, sed mala qualitate peccans; Atqui in Nob. patiente scabies aliam non agnoscit causam, quam sanguinem in venoso genere contentum, & per hæmorrhoidas expurgari consuetum; scabiesque fit à materia acri; ergo sanguis hic acrimoniam habet. *Sic atra bile vexatis, & renum passionibus hæmorrhoides supervenientes bonum*, inquit Hippoc. in Aph. atque idemmet divinus senex subjunxit 6. Epid. sect. 3. *Hæmorrhoidas habentes neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedana, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus, fortasse neque lepris detineri.* At morbi prædicti non à sola sanguinis copia, sed & à mala qualitate proveniunt. Ergo sanguis per hæmorrhoidas excerni consuetus non sola copia, sed & mala qualitate peccat: non negando tamen sola copia peccantem aliquando per has venas evacuari, quod à Galeno cum in Aphorismis, tum in Epidemiis, & alibi confirmatum legi: sed in casu nostro, cùm scabiem foveat, & conservet, non potest non habere aliquam acrimoniam, quam si Nob. Patiens non observat in ipsius excretione, hoc aliunde non provenit quam quod dum effluat, non permeat loca sensibilia, sed facta venarum anastomosi, effunditur. Quod si in magno conatu ne guttula quidem effluit, hoc fit, quia tunc est in pauca copia; quod si excernitur, liberalius ab usu fructuum horariorum, & flor. cass. hoc fit cum ob serositatem, ratione fructuum; tum ob impulsionem à loco altiori, ratione cassiæ, non tamen à sola venarum laxitate: hunc etenim non tam facilè sisteretur, & ex valido conatu denuo funderetur. His itaque suppositis, primæ difficultati respondendum censeo: in scabie nullam indicationem, neque ullam utilitatem futuram ex usu pulveris viperini, quotiescunque sumetur cum sale prunellæ, ratione acrimoniæ ipsius: sed si solus pulvis viperinus vel etiam caro viperina exhibeatur, usui erit, protrudendo humores ab internis visceribus, & à venoso genere ad cutem, non secus ac factitatum fuisse in lepræ curatione nos docuit Gal. 2. Simpl. cap. de vipera, ubi retulit tres, aut 4. casus lepræ curatæ potu vini, in quo extincta fuit vipera. Ubi enim vitiosus humor ad cutem detrusus fuerit, levata massa sanguinea, tunc facilius sanatur scabies: quæ non aliam ob causam verno tempore alioquin saluberrimo efflorescere solet ex Gal. & Hippoc. 3. Aph. 20. tex. & com. Ex his facilè etiam tollitur alia difficultas, nempe, quod si acrimoniam haberet pulvis viperinus, sanguinem hæmorrhoidalem concitatiorem reddidisset. Respondetur enim primò, quod solus pulvis viperinus sine sale prunellæ sumptus nullam habet acrimoniam; addo secundo, quod si sumptus fuit cum sale, & nihilominus juvit, duplicem ob causam prodesse potuit. Primò quia propellendo humores ad cutem, divertit ab hæmorrhoidibus & sic imminuit, non tamen fluxionem: secundò quia facta jam copiosa sanguinis effusione, requiritur aliquod tempus ad novæ materiæ collectionem, quæ denuo à natura expurgetur: non secus ac evenit in menstruis muliebribus purgationibus. Si enim copia desit, ut optimè scripsit Vir Excellent. non succedit evidens sanguinis evacuatio. Atque hæc dicta sint, ut pro virili quæsitis satisfaciam, committens non hæc solum, sed & cætera Nobiliss. Viro necessaria prudentissimo & acutissimo ingenio viri præclarissimi, & in arte versatissimi. *Benedict. Silvat. Consil. & Respons. Medic. Cent. 1.*

Affectus totius Corporis pruriginosus.

Serenissimus Dux Dominus meus, cujus temperamentum est Illustrissimæ Dominationi vestræ notum, natus ex Patre, qui infectus fuit impetigine, cum pustulis quibusdam per corpus dispersis, quæ dum delitescebant, atrum in cute relinquebant colorem indelebilem, quando desiit impetigo, incidit in dolores arthriticos & podagricos immanes, semper qualibet septima die

die repetentes in toto vitæ suæ cursu, cum hac lege ac ordine, quod quando dolores & arthritici cruciatus remittebantur, statim Diarrhœa humoralis succedebat, invitaque medela à variis Medicinæ Proceribus instituta, humores adeo venefici facti fuere, ut in ætate annorum viginti septem diem suum obierit, postquam ex vigesimo primo cœperit præfatis vexari doloribus, ex pingui carnosoque, velut macie consumptus factus, & per annos septem ab illorum insultu nullius fere diei ab illis intermissionem expertus, cum maxima admiratione Anglorum, Gallorum, Patavinorum, Romanorum & Bononiensium Medicorum, præter plures Spagyricos, qui illum invisere. Dux meus præsens ex eo natus, nulli in proceritate, forma, partium concinnitate, structura corporis & animi dotibus admirandis secundus, in annorum ætate quatuordecim constitutus, dum Natura cum sanguine & spiritu gliscere incipit, per annos multos inculpatam valetudinem sortitus post medelam ei adhibitam, pro qua simul convenimus, in gratiam cujusdam destillationis ad aures, & pro prurigine corporis, omnino sanus factus est usque ad ætatem annorum quatuordecim, in qua post varias animi & corporis fluctuationes propter matrimonium Sororis Serenissimæ, præter hæreditarium à Patre in eo relictum inquinamentum, plus justo in antedicta ætate incalescente sanguine, adjecti corporis exercitiis laudabilibus quidem, sed inassueto incongruis, incidit in impetiginem totius corporis, cum maximo pruritu, cutis asperitate, & parvis rubris, miliaribusque efflorescentiis per ambitum totius dispersis, ut in collo, pectore, dorso, brachiis, ventre & cruribus, quæ nunc incipiunt redolere naturam humidæ scabiei, dirumpuntur enim nonnullæ efflorescentiæ, aliquamque tenuem emittunt saniem, maxime in collo & manibus, & non in alia parte de præsenti. Jam notum est, quod Bacchanalia dissipant Leges victus rationis, erroresque inferunt in motu, hinc factum est, non ex hoc capite simpliciter, sed jure hæreditario, quod inciderit in dictam impetiginem, hoc tempore, semper tamen ab ejus ortu plus & minus vitæ pruritum persensit, non obstante optima congruaque victus ratione, vina parva, non dulcia & aqua symphata in quantitate minima bibens, sicut semper parce comedens cum modis ejus temperamento idoneis. Hæc sunt, quæ currenti calamo scribo circa præsentem affectum, pro quo, quid, quale, quantum, tempus & modum omnino subjicio prudentiæ Dominationis vestræ Illustrissimæ, cui me totum voveo.

Dum ego quolibet alio, quàm Medici titulo, Serenissimo nostro Domino inservire cupio, ægro animo pro eodem operam medicam exerceo. Verum cum humanæ vitæ alterationibus sublunaribus obnoxiæ prospexit Altissimus, Artem medicam, ut necessariam, ipse creavit, præcipue in Regum atque Principum gratiam, quorum & ipse potissimum curam semper atque custodiam habuit, ut subditis omnibus præesse, eosque recte custodire ac gubernare possent. Et nos igitur ingenium totis viribus intendere debemus pro conservatione hujus meritissimi Principis, quemadmodum te, Vir Excellentissime, præstitisse video, dum ex tua exactissima relatione facile conjicere mihi licet, tum ideam, tum causas affectionis in præsens Serenissimum divexantis; etenim sicut scabies sicca, ad impetiginem redigi potest, ita impetigo quodammodo humida ad scabiem certo redigitur; quare dispositio totius corporis pruriginosa, qua Serenissimus detinetur, mediam quandam affectionem esse inter impetiginem & scabiem, dubio procul decernere debemus, cujus causa non solum in errores in vivendo commissos, nimirum in nimios, tum corporis, tum animi motus, sed multo magis in naturalem & hæreditariam pravam diathesin à Paterno semine contractam referenda est, cum etiam in tenella ætate sex annorum ante errores commissos affectum non absimilem passus fuerit, quo Pater Serenissimus magnopere iterum atque iterum affligebatur; quod non aliunde provenit, quam à jecoris & cordis intemperie calida, alimentalem sanguinem calidum producente, necnon à sanguine congenito, qui cum justo calidior existat, alimentalem quoque calidiorem reddit, cujus ebullientem tenuiorem partem ejusdem spumosam ad universi corporis cutem Natura pro minori malo transmittit, cutem eandem pustulis magna ex parte siccis, nonnihil etiam humidis inficit, & pruriginosam affectionem efficit.

Pro cujus extirpatione, major difficultas in anni tempore consistit; etenim si vernum esset, ut est hybernum, certa foret, & cum minori Serenissimi molestia sanatio; attamen quoniam à Vere multum distamus, & interim affectus impetiginosus certo augeri, & cutaneæ partes universæ progressu facile & infici, & pravam diathesin atque corruptivam dispositionem adipisci possent; idcirco transactis hisce diebus Bacchalinorum, incongruo quoque anni tempore, opem medicam Serenissimo præstandam esse consulo, ut à præsenti molestia vindicetur, & ab alio aliquo imminente affectu, augescente causa, præservetur.

In quem finem primæ viæ erunt expediendæ. Venosum genus à biliosis impuritatibus purgandum. Jecoris, cordis & sanguinis calor contemperandus; atque tandem cutaneæ infectioni incumbendum.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, ex fonte Chirurgico duplex erit depromenda sanguinis missio ex utroque brachio, sed parca; tertia quoque facile erit suo tempore addenda à partibus cutaneis, cucurbitulis hinc inde una vice appositis, ut subcutaneus tantum & infectus sanguis extrahatur, non autem à profundioribus partibus attrahatur, Cauterium quod jam gestat, custodiatur, & alterum in coxa, quod muri posset, omittatur, tum quia non adeo ad præservationem necessarium videtur, tum quia equitationi valde incommodum evaderet.

Ex Pharmaceutico fonte, Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperiem corrigentia, & cutem universam respicientia, sunt desumenda.

Lenientia esse poterunt cassia, aq. cass. syr. ros. vel viol. sol. Prima Præparantia erunt jura pullæ, Cichoraceis, violis, malva alterata, addito julap. viol. vel rosato. Prima peracta

viarum expiatione, ad ulteriora Præparantia erit deveniendum; in quem finem potius aquæ stillatitiæ, quàm herbarum succi, erunt eligendæ, cum hoc anni tempore herbarum folia suis viribus careant, ad radices contractis; quare aqua stillatitia ex succo cichorii efficacissima erit ad integrum cyathum, cui immisceri poterit Conserva de acido citri, vel syrup. de acido citri & de succo limonum. Prærogativam etiam habet sal prunellæ ad ℨ j. eidem aquæ commissus; pariter spiritus vitrioli ad gutt. vi. Tua autem erit, Vir Sapientissime, electio. In horum usu perseverabit viginti saltem diebus; & singula hebdomada biliosus humor erit purgandus elect. de succo rosar. cum cass. vel infus. rhabarb. addito syr. ros. solutivo, quibus superbibat serum capr. depur. ad ℔ ij.

Hâc Purgatione peracta, residuum peccantis humoris ad cutem expellendum, ad massam sanguineam prorsus defœcandam; quod egregiè præstare poterit caro viperina, sive ejusdem decoctiones in jure, sive in substantia pulvis cum aqua stillatitia borraginis & cardui sancti exhibendus. Nec quicquam de calore timendum, cum Vipera inter Animantia frigida apertis verbis à Galen. enumeretur; est tamen tenuium partium & diaphoretica, adeo ut Galen. idem de Vipera dixerit, quod Caro Viperæ valde digerat, & ad cutem properet; ut propterea Philosophum quendam, & alios quam plures observaverit Galen. à morbis cutaneis potu vini viperati sanatos. Dum autem viperata remedia præbentur, frictionibus universalibus totum est exercendum, imo & cucurbitulis siccis cito detractis & repetitis; totumque corpus indumentis munitum est custodiendum.

Post hæc, ut viscerum & sanguinis fervor contemperetur, & simul ejusdem acrimonia edulcoretur, Alterans anni tempori proportionatum erit præscribendum, & hujusmodi esse poterit.

℞. Sem. melon. mundat. ℥ j. sem. cucurb. angur. mundat. ana ℥ ß. contundantur, & cum jure pullæ junioris ad ℥ vii. extrahatur Emulsio, cui addatur sacch. albi cochlear, vel julap. ros. ℥ j. & m. summo mane assumenda; in cujus usu perseveret xx. aut xxx. diebus: non enim prorsus deleri poterit cutanea affectio, nisi ejusdem radices evellantur & extirpentur.

Interim topica quoque medicamenta sunt administranda, sed toti corpori, cæteris omnibus peractis; pro manibus autem & partibus apparentibus atque detectis, quolibet alio tempore Serenissimus iisdem utatur; jucundiora autem & minus molesta sunt eligenda; inter quæ apud me paratur aqua hunc in modum.

℞. Vitrioli Rom. calcinati ℥ ij. Aquæ rosarum ℔ j. Aquæ scabiosæ ℔ ß. m. fiat inf. per horas 24. deinde fiat colat. & servetur ad usum; qua aqua madefiat spongiola, & tangantur partes affectæ.

Quibus omnibus erit addenda, & à summa prudentia tua præscribenda congrua vivendi ratio, ita ut victus sit refrigerans. Potus sit vinum album, tenue & aquosum. Somnus nocturnus sit diuturnus. Exercitia sint moderata, motus enim est causa caloris. Alvus obediens servanda, vel jure malva alterato, vel flore cass. ad ℥ ij. in prima mensa. Et tandem animi motus, ita nimirum, cæteræque perturbationes sunt arcendæ. Hæcque sunt ab anni tempore permissa administranda, ne affectus hujusmodi in præsens habitudinalis, in progressu habitualis evadat. Ita D. O. M. meritis Serenissimi Ducis assistat, & vota nostra secundet. *Joan. Raym. Fortis Consultat. & Resp. Medic. tom. 2. Cent. 3.*

Pruriginosus Affectus.

Illustrissimus Comes & Gubernator, annum agens quinquagesimum quartum, temperamenti secundum totum & jecur, ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitus, in Castris superioribus annis vitam ducens, & ideo, etiam inuitus, eduliis pravi succi, præsertim salitis & vinis generosis, sulphure conditis enutritus fuit. Tandem mense Septembri proxime præterito prurigine quadam brachio sinistro molestari cœpit, quæ ad alterum brachium, & inde ad pectus ac dorsum paulatim sese propagavit. Et quamvis à Medico suo domestico varia fuerint adhibita remedia, nihilo tamen mitior unquam facta est: quinimo adeo increvit, ut somnum interrumpat, & noctes inquietas reddat: ut propterea etiam hoc tempore hyemali ad Purgationes incongruo, medicam opem quærere cogatur, ut, si non ex toto auferri, saltem minui atque mitescere possit molestissimus iste affectus.

Pruriginosum affectum pro quibusdam abhinc mensibus molestari cœpit Illustrissimus Comes, ab impuritate sanguinis provenire non est quod dubitemus: cujus impuritas consistit in redundantibus serositatibus, iisque potius acidis & melancholicis, quàm acribus & biliosis, quæ in declinante ætate & autumnali tempore vigere & abundare solent, & ideo Senibus ut plurimum familiaris est ista affectio: sicut Scabies aliis ætatibus accidere consuevit, quia crassis non solum, sed crudis quoque succis abundant ob vivendi libertatem. Multo facilius vero huic Illustrissimo Viro contigit molestus affectus iste pruriginosus, cum alimentis pravi succi, & frequenter salitis, necnon vinis meracioribus ac sulphureatis (vel inuitus) multo tempore nutritus fuerit: quibus non solum cacochymum sanguinem, sero salsuginoso & acido refertum, verum & calidam in jecore intemperiem sibi comparavit, juges serositates reproducentem: quas, utpote nutritioni inutiles, provida Natura ad ambitum corporis, tanquam ad universale Emunctorium pro minori malo deposuit. Et cum ab ambiente, autumnali tempore, frigidiori reddito, cohibita fuerit insensibilis earumdem transpiratio atque resolutio, hinc factum fuit quod sub integumentis detentæ atque densatæ, indeque ad cutem & cuticulam detrusæ, pruriginosam affectionem constituerint, quæ molestior (adaucta ambientis frigiditate) facta est, prout semper magis insensibilis transpiratio atque discussio inhibita fuit.

Est iste affectus molestus. Et quamvis in præsens periculo vacet, vigilias tamen inducens, coctio-

coctionibus obesse poterit, & Cacochymiam adaugere; & idcirco spernendus non est, sed quamprimum ejusdem radices extirpandæ, antequam prava diathesis putrilaginosa sub integumentis compareretur, quæ postea non modo difficilem, sed frequenter impossibilem Curationem reddit.

Quare spe pristinæ salutis concepta, Purgatio regularis ineunda erit, primas vias expiando. Secundò Venosum genus ab impuritate vindicando. Tertiò Massam sanguineam edulcorando; atque tandem jecoris & venarum calorem contemperando; pruriginosamque molestiam demulcendo. Quibus intentionibus sub fine Veris tantummodo satisfieri poterit: tunc enim ex Jecoraria sanguis erit mittendus: cucurbitulæ plures; vulgo dictæ *Cornetti*; in fine Purgationis universo corpori affigendæ. Expeditis primis viis; succis cichorii, borag. pom. dulc. fumariæ depuratis in decoctione Cichoraceorum; additis foliis malvarum, violarum; sonchi, hepaticæ, erit multo tempore utendum: & quinto quoque die minorativum aliquod Purgans exhibendum, ex flore cassiæ; electuario de succo rosarum, Extracto senæ & Magist. mechoac. paratum, serum depuratum superbibendum propinando. Et ut ex toto serositates à massa sanguinea segregentur, & ad cutem impellantur, viperata quoque medicamenta erunt ad usum ducenda, ut viperinus pulvis, aut jus pullæ carne viperina nutritæ. Inde ad duo præcipua & necessaria remedia erit deveniendum, internum unum, & erit lactis caprini usus quadraginta aut quinquaginta diebus: externum alterum, eritque Balneum universale aquæ dulcis; foliis malv. viol. scabiosæ, salicis, & in fine etiam satureiæ alteratæ, viginti diebus administrandum. Tandem Conservæ rosarum usus aptissimus erit, præsertim si superbibatur aqua stillat. de succo cichorii.

Sed quoniam affectus urget, & in præsens quoque medicum auxilium expostulat; idcirco summariam & coactam, non adeo regularem Curationem, quam anni tempus permittit, proponam: & primò ventriculum & intestina ab excrementis mundare est prorsus necesse, quod præstabitur electuario lenit. cum crem. tartari bis repetito; & intermediis quinque diebus, cremore tart. ad semiunc. in jure frustulo cinnam. alterato, dissoluto. Hinc statim ad usum lactis arte facti deveniendum, hunc in modum parati.

℞. Seminum melon. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ ß. amygdalarum dulc. num. xv. m. contund. in mortario, & cum jure pullæ tenui extrahatur Emulsio ad ℥ vii. cui addatur syrupi de pom. ℥ j. m. pro potu matutino, quatuor horis ante prandium; & in hujus usu perseverandum ad quadragesimum usque diem: sed quarto quoque die assumat Minorativum hujusmodi.

℞. Aquæ stillat. de succo cichor. ℥ vii. succi limon. ℥ j. rhabarb. maturi inc. in petia alligati ʒ j. m. f. infusio per horas duodecim & mane facta colatura, præbeatur tribus aut quatuor horis ante prandium. Interim pro pruritu sedando illiniendæ partes oleo amygdalino recenti. Hæcque in præsens sat sint.

Quibus congrua erit addenda vivendi ratio, præsertim in cibo & potu: cavendo ab acribus, acidis, salitis; à vinis generosis; à condimentis aromatum, allii, cæparum: & potius vescatur eduliis ex lacte paratis; Emulsione seminum melonum & amygdalarum dulc. conditis, & in reliquis Excellentiss. suo Medico Adstanti prorsus obtemperet. *Idem ibidem.*

Consultatio. I.

Scabies universalis crustacea.

Admodum Reverendus Pater quadragesimum quintum annum agens, temperamenti secundum totum calidi & humidi, hepatis tamen calidioris, habitus satis carnosi, liberam quidem, at non licentiosam vitam ducens; anno elapso molestari cœpit à pruritu quodam qui paulatim serpendo, ab extremis partibus ad universum corpus sese propagavit, & progressu intensior factus, adeo Admodum Rev. Pat. ad scalpendum coegit, ut ichores non solum simplices, verum & cruenti erumpere cœperint, crustas subinde relinquentes & postea succrescentes. ita ut scabiosum cum pruritu & crustis undequaque refertum factum fuerit universum corpus: crustis interim & flavi, & albi coloris copiosis in lecto noctu decidentibus; & novam reproductionem iterum habentibus; quam affectionem nec contactu, nec minus Venereo congressu contraxit. Multa hoc tempore præstita fuerunt modica auxilia, refrigerantia, purgantia, sanguinem fundentia, & Topica, sed omnia incassum administrata fuere, forsan quia sat non fuit massa sanguinea depurata, nec jecoris intemperies calida satis remissa: & quod ego magni facio, necessaria aliqua omissa sunt, ablatio nimirum diathesis putrilaginosæ sub integumentis latentis. Quæ omnia mihi consideranda & perficienda, dum Vere præsenti me de agendis pro salute consulit.

Affectus itaque cutaneus à planta pedis usque ad verticem capitis Admodum Reverend. Patris, totum corpus occupans, sicut ab initio pruriginosus tantum fuit, ita progressu ad Scabiem & Psoram pervenit, nondum tamen Lepræ naturam attingens: Etenim quamvis crustaceus factus fuerit, crustæ tamen decidentes flavi & albi, non nigri & atri coloris apparent & quod magis est, colorem in cute rubrum, non atrum, cutemque ipsam humidam potius, quam aridam relinquunt. Hujus autem affectus causæ externæ forsan esse potuerunt potus vini generosi, aut dulcis, & incolatus in aëre lacustri & crasso, quæ & jecoris naturalem fervorem adaugere, & sanguinem cum spiritibus incrassare & inquinare potuerint, cum nec lues Celtica, nec aliud contagium hic locum habuerit. Verum causa interna & immediata in impuritatem totius sanguinis est referenda, hæcque à calida jecoris intemperie producta, quæ impuritas consistit in nimis fervido, & quodammodo exusto sanguine, cum serositatibus, tum acribus, tum acidis, imò & cruditatibus additis, atque ex commistione salsuginosis redditis; ut propterea

ab iisdem oppressa & irritata Natura cum diutius pravorum hujusmodi succorum præsentiam tolerare nequierit, eosdem à partibus internis nobilioribus ad externas ignobiliores propellere conata fuerit, sicque ab initio tenuiori ichoris portione ad cutem detrusa, prurigo tantum in summa cute excitata fuit, at excreta deinde crassioris & heterogenei excrementi portione ad cutem ipsam, Scabies & Psora crustacea secuta est.

A qua omnino liberari posse Adm. Rev. P. non est quod dubitemus, quamvis non adeo facile: operosam enim ac diuturnam exigit affectus iste Curationem, ne migret in Lepram; pro qua Curatione explenda, primæ viæ sunt expiandæ. Secundò Massa sanguinea ab impuritatibus vindicanda. Tertiò Fervida jecoris atque sanguinis intemperies calida corrigenda; Quartò Totum corpus extrinsecus à Scabie & crustis mundandum. Quintò Diathesis putrilaginosa latens sub integumentis removenda; atque tandem tota massa sanguinea edulcoranda.

Quibus intentionibus ut satisfaciamus, remedia à Chirurgico Pharmaceutico & Diætetico fonte sunt depromenda. Et à Chirurgico duplex saltem sanguinis missio ex utroque brachio, seu manu: etenim & tertia ex hæmorrhoidibus non parum prodesse posset. Reliqua ex hoc fonte desumenda, ordine executivo erunt proponenda.

Pro prima intentione adimplenda, primum Leniens ita parabitur.

℞. Pot. ex man. clarif. ℥ vi. aq. florum citri parum, m. pro potu. Præparans quinque diebus assumendum, erit.

℞. Julap. acet. ℥ ij. syr. de pom. aq. florum citri an. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis. Secundum Leniens erit.

℞. Syr. rof. solut. de polypod. compos. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui, tribus transactis horis, superbibat seri capr. ℔ ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat.

Pro secunda intentione, Præparantia ex succis herbarum depur. ita paranda erunt.

℞. Succi depur. cich. borag. fumariæ an. ℥ j. decoct. endiv. sonchi, melissæ, lupulorum ℥ v. m. pro syr. & sic pro quinque aliis. Interim his diebus prima vice educatur sanguis. Septima die Purgans hujusmodi exhibeatur.

℞. Pot. ex man. clarif. ℥ v. addendo infusioni consuetæ rhabarb. opt. ℨ j. agarici trochisc. ℨ ij. cinnam. integri parum, sicque facta colatura, fiat potio; cui pariter superbibat serum depur. ad ℔ ij. ut supra. Deinde repetantur succi cum decoct. ita.

℞. Succi depur. cich. borag. fumariæ an. ℥ j. decoct. melissæ, lupulorum, violarum, malvarum, sonchi ℥ v. salis tart. fixi gr. x. m. pro syrupo, & pro sex aliis; Et interim his diebus fiat secunda sanguinis detractio. Inde aliud Purgans est exhibendum, ita.

℞. Decoct. Epith. Mes. syr. rosati solut. rec. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui superbibat serum capr. ad ℔ ij. ut supra. Et inde repetantur succi hunc in modum.

℞. Succi depur. cich. fumariæ, agrim. an. ℥ j. decoct. borag. endiv. melissæ, lupulorum, scabiosæ, cardui sancti ℥ v. salis tart. fixi gr. x. m. pro syr. & sic pro quinque aliis; quibus Purgans succedat.

℞. Decoct. Epith. Mes. syr. de polypod. compositi an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. pro potu; cui superbibat serum capr. ad ℔ ij. ut supra. Inde repetantur succi ita.

℞. Succi depur. cichor. fumariæ, beton. an. ℥ j. decoct. borag. violarum, endiv. hepaticæ, melissæ & scabiosæ ℥ v. salis tart. fixi gran. 10. m. pro syrup. & sic pro quinque aliis. Hisque diebus, si sanguis secunda vice extractus valde impurus fuerit, aperiantur venæ sedales pro tertia extractione. His autem postremis succis assumptis, sequatur hujusmodi expurgatio.

℞. Decoct. Epith. Mes. helleboratæ ℥ vi. irroretur guttulis aquæ cinnam. f. potio; cui, tribus transactis horis, superbibat seri capr. aut asin. depur. ℔ iij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Hæc eadem potio bis adhuc tertio quoque die repetenda erit, cum eadem seri quantitate. Diebus autem intermediis bibat aquam ita parandam.

℞. Aq. stillat. de succo cich. ℥ x. salis prunellæ ℨ ß. m. pro potu tertio quoque die assumendo.

Pro tertia intentione explenda, potus aquarum sponte nascentium necessarius erit; inter quas, Nocerianas eligendas esse censeo, quæ cum minerales non sint, jecur refrigerare, & sanguinem edulcorare quoque poterunt; præbeantur autem tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio syrupi rof. solut. aut potionis ex man. clarificata, reliquis vero xii. diebus cum vehiculo diuretico, ex syrup. de succo limon. & guttulis spirit. tartari ter rectif. parato; in fine exhibendo potionem ex man. clarif. ut educatur portio aliqua aquæ relicta forsan, & non educta.

His peractis, ut residuum impuritatis totum ad cutem propellatur, ad usum pulveris viperini deveniendum, cujus dosis erunt gr. 10. in aqua cardui sancti ad ℥ iv. additis ℥ ij. vini albi aquosi tenuissimi; in cujus usu x. diebus perseverandum. Nec obstabit anni tempus calidum: siquidem Vipera est animal frigidum, licet valde siccum & diaphoreticum.

Interim quartæ intentioni satisfaciendum erit remediis externis. Sic quatuor aut quinque diebus, mane, & vesperi manibus madefactis aqua, nunc describenda, illiniatur totum corpus; mox paretur Balneum, in quo maneat per horæ dimidium quotidie matutinis horis per alios quinque dies; & à Balneo statim fiat illinitio, ut supra, eadem aqua ita paranda.

℞. Arantiorum acidorum in frustula incisorum num. 20. ponantur in B. M. & destillentur; deinde.

℞. Aquæ ab iisdem destill. ℔ j. Mercurii dulcif. ℨ ß. m. dissolvatur. Balneum vero paretur ita.

℞. Aquæ com. situlas iv. salis com. ℔ j. m. bulliant, & spuma detrahatur: mox adde foliorum origani, pulegii, calaminthi montani, malvarum, mercurialis, borag. salviæ, satureiæ an. manip. j. bulliant ad consumpt. quartæ partis aquæ, quæ in labello ligneo oblongo, aqua communi semi repleto affundatur, &

& simul misceatur, pro Balneo universali tepido.

Decem jam dictis transactis diebus, Cucurbitulæ parvæ, *Cornetti* dictæ, undequaque dorso, naribus & coxis apponantur, & paucis incisionibus factis, extrahatur primus tantum sanguis, mox removeantur, ut quintæ intentioni satisfiat: pro qua perficienda, sequentibus diebus parva spongiosa, aqua describenda imbuta, partes magis affectæ tangendæ sine detersione: ita namque residuum latens prorsus extirpabitur; aquæ vero descriptio est hujusmodi.

℞. Vitrioli Rom. calcinati ℥ iv. aq. rosar. aq. scabiosæ an. ℔ j. m. infund. per 24. horas, deinde fiat colatura ad usum.

Tandem postremæ intentioni commode satisfacere poterit lac asininum, summo mane de more cum saccharo sumptum ad xxx. vel xl. dies; quo tempore Balneum aquæ dulcis horis vespertinis, malvis, violis, soncho, nymphæa & salice alteratæ, conveniens erit. Vel saltem pro Balneo substituatur natatio in frigida.

Et his omnibus concurrat congrua vivendi ratio, præsertim in cibis & potibus, adeo ut vitentur alimenta & condimenta calidiora, & vinum generosum, ut recuperatam sanitatem conservare possit Admodum Rev. P. quam ego à Summo Deo eidem ex corde precor.

Consultatio. II.

Pro eadem.

Jam tertius percurrit annus, quo non minus fœdo, quàm molesto affectu cutaneo; pruriginoso primò, mox scabioso atque crustaceo summopere vexatus fui, & in præsens, licet remisse, divexor: ob quem summam Virtutem tuam, Vir Præclarissime, consului, & præscriptam Purgationem executioni mandavi, cum maximo levamine; sed subsequenti anno ineunte Vere recruduit affectus ipse. Et quoniam Tu ad Sac. Cæsaream Majestatem accersitus fuisti, ad Eximios Medicos Vicentinos confugere coactus fui, qui Purgationem ineundam, à tuis Præscriptis non valde dissimilem, descripserunt: qua absoluta, evidentissimam quidem utilitatem, & affectus diminutionem percepi non tamen prorsus affectus unquam evanuit: imo sub initio hujus mensis Martii increvit affectus ipse inguina & scrotum occupans, necnon sub axillis erumpens, cum pruritu, qui me frequenter manus admovere cogit, & unguibus scalpere, à quibus affectis partibus veluti furfures decidunt. Quare pejora timens, dum & à præsenti molestia vindicari cupio, ad Te, tanquàm ad unicam spem meam rursus confugio sanandus.

Quoniam veritas una est, & morbum, ut dicebat Hippocr. ostendit sanatio, idcirco in eadem sententia maneo, in superiori Consultatione à meipso exarata, nempe affectum hujusmodi cutaneum pro causa immediata sanguinis impuritatem cognoscere, quæ in acris & acidi humoris redundantia consistit: sicut à fervida jecoris & cordis intemperie, tanquàm à mediata causa procedere. Quam veritatem confirmavit levamen bis jam sequutum ab elective purgantibus medicamentis, necnon ab intemperiem calidam corrigentibus. Verum quoniam intemperies ad summum gradum redactæ, non adeo facile, nec brevi remitti possunt, ideo ab eodem exuberante calore eorumdem humorum reproductio quamvis minor secuta est: ut propterea repullulaverit affectus ipse, non tamen per universum corpus, ut antea, neque sub forma Scabiei, sive Psoræ quoniam humor ipse nec adeo copiosus, nec adeo activus est, sed ut exiguus, è jecore ad inguina & scrotum: è corde ad axilas, tanquam ad propria emunctoria facile deponitur, & pruritus furfuraceus constituitur.

Et quamvis Axioma Medicum sit, quod quæ semel administranda juvant, repetita sanant, non tamen omnino locum habere debet in casu nostro: etenim intentiones quidem medicæ eædem, non tamen eadem medicamenta usurpanda erunt: siquidem, expiatis primis viis, massa sanguinea erit depuranda. Intemperies calida viscerum corrigenda. Sanguis ipse edulcorandus; & Topica affectis partibus admovenda; at tot repetita valida Purgantia, nec impense refrigerantia, convenient, ne Charybdim evitare cupientes, incidamus in Scyllam: Epicraticam enim evacuationem excrementorum exigua & perseverans reproductio desiderat: sicut paulatinam, sed diuturnam correctionem expostulat intemperies, cum dicat Hippocrates, quod impense & confertim calefacere, aut refrigerare, non sine periculo sit, quod vero paulatim fit, tutum est; Quare his jactis fundamentis, sequens erit instituenda Curatio, Paschate peracto incipienda.

Et primum Leniens sit hujusmodi.

℞, Syr. ros. solut. pot. ex man. clarif. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. pro potu; cui post tres horas superbibat aquæ hordeac. libram, & duabus horis ab epota aqua prandeat. Primum Præparans quinque sequentibus diebus assumendum, erit.

℞. Julapii acet. ℥ ij. syr. de pom. aq. florum citri an. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis; quibus succedat idem Leniens præscriptum.

Hac prima exacta intentione, ad secundam explendam erit deveniendum præparantibus & purgantibus medicamentis. Præparans autem erit hujusmodi.

℞. Succi depur: cich. borag. pom. dulc. an. ℥ j. decoct. in jure pullæ paratæ endiviæ, sonchi, violarum, malvæ, melissæ, ℥ iv. m. pro syrup. & sic pro aliis decem. In quorum intermedio & fine assumat Minorativum hujusmodi.

℞. Floris cass. rec. extr. ℥ ß. Elect. de succo rosarum, confect. Hamech. an. ʒ j. Extracti senæ, rhabarb. an. ʒ ß. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. aut asin. depur. ℔ ij. tribus vero horis ab epoto sero prandeat. Interim primis diebus aperiatur Jecoraria dextera, & educatur sanguis ad ℥ vii. His peractis in eadem intentione insistendum: sequenti namque die succi depur. erunt ita repetendi.

℞. Succi depur. cich. borag. fumariæ an. ℥ j. decoct. jam præscriptæ, additis hepaticæ

foliis, ℥ iv. m. pro syrupo. Aut si magis ad aquæ potum inclinet Adm. Rev. Pat. ita præscribatur Alterans.

℞. Aq. stillat. cich. anguriæ an. ℥ iv. salis prunellæ ʒ ß. syr. de pom. ℥ j. m. pro syr. & sic pro aliis. Die vero sequenti assumat syrupum Ferneliano more usui nostro appropriatum, ita describendum.

℞. Fol. cich. borag. endiviæ, hepaticæ an. manip. j. sem. melon. mundat. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ j. aq. stillat. de succo cichor. fumariæ, agrim. an. ℔ j. m. bull. ad consumpt. tertiæ, deinde f. fortis expressio, expressioni vero adde foliorum epithymi, senæ Orient. rec. mundat. radic. polypodii querc. an. ℥ ij. radic. veratri nigri præpar. ℥ ß. cinnamomi integri ʒ iij. m. f. inf. per hor. xii. deinde f. expressio, colaturæ vero adde sacchari albi q. s. & bull. ad syrupi consistentiam, cui in vase reposito adde rhabarb. opt. maturi in tenui petia alligati ℥ j. & servetur ad usum, ejusque dosis erit ad ℥ ij. vel iij. in vino albo tenuissimo; & in hujus alternato usu integro mense perseverandum, ita ut alternis diebus assumatur, & intermediis Alterans præscriptum ex aquis debeatur.

Inde ad tertiam & quartam intentionem explendam deveniri poterit usu lactis asinini, de more cum saccharo quotidie, quadraginta aut quinquaginta diebus assumendi; & decimo quoque Leniente aliquo erit utendum, ut Electuario lenit. ad sex drachmas unica hora ante prandium. Hoc tempore Balneum aquæ dulcis opportunissimum erit, foliis malvarum, violarum, salicis, lapathi & satureiæ alteratæ.

Tandem affectis partibus pruriginosis levissimum aliquod refrigerans & exiccans medicamentum erit admovendum, quod parabitur ita.

℞. Aquæ rosarum ℔ j. vini albi tenuis austeri ℔ ß. Vitrioli Cyprii, quod est cærulei coloris, ℥ ß. m. f. inf. per hor. 24. vas pluries agitando, ita ut liquor cæruleum acquirat colorem, & spongiola hoc liquore madefacta tangantur partes affectæ. Eadem Vitrioli quantitas potest infundi etiam in infusione rosarum solutiva, & erit efficacius remedium.

His autem omnibus addenda congrua vivendi ratio alias præscripta, & Adm. Rev. Pat. notissima: cui addere mihi libet, quod per integrum annum in prima mensa hauriat jus endivia, vel acetosa, aut hepatica alteratum. *Idem ibidem.*

Scabies, Muliebre Profluvium, & Infœcunditas.

Ad me pervenerunt Jugales Illustrissimi, pruriginoso, scabioso, & crustaceo pertinaci, ac turpi affectu per universum corpus laborantes: præterea Uxor Nobiliss. muliebri profluvio diversi coloris, nempe modo albo, modo flavo, quandoque obscuro, & nonnunquam rubro continuo molestabatur, sicut Vir Illustriss. lacrymalem sinum potius recentem, quam fistulam, paucis abhinc mensibus purulentam potius, quam ichorosam materiam edentem, gestabat, & ambo Juvenes de sterilitate conquerentes, prolem summopere desiderabant atque desiderant.

His igitur habitis, consideravi vitium sanguinis in utroque & cutanei affectus, & profluvii muliebris, & ipsius sterilitatis causam facile certo fuisse: licet enim contactu contagioso contracta fuerit affectio cutanea, non adeo invaluisset, nisi sanguinis vitiosus apparatus occurrisset, quem facta & repetita phlebotomia, autopsia ipsa confirmavit, siquidem niger valde cum sero, non valde depurato, & fere sanioso apparente fuit observatus, jecoris fervidioris in utroque indicium; & ideo nil mirum, si continuo ab irritata Natura ejusdem portio deterior non solum ad ambitum corporis verum & ad Uterum transmissa & extrusa, cutaneum affectum & muliebre profluvium constituerit. Et quoniam ad conceptionem non solum Viri & Mulieris semen, sed & sanguis menstruus, utpote tertium generationis principium concurrere necessarium puto, ideo ex utriusque sanguinis impuritate, impuritatem quoque & seminis, & menstrui necessario secutam fuisse credo, conceptioni parum, aut nihil idoneam; prærerquam quod Uterus continuo profluvio muliebri irrigatus, & lubricus redditus, ideoque semen virile itinere nequiens, sterilitatis causa ipse solus esse potuisset. Ab ejusdem sanguinis prava conditione in Illustriss. Juvene exiguus ille abscessus, & inde sinus in angulo oculi sinistri sobolescere potuit, nisi quoque dicamus, caput ab injuriis externis alteratum, ejusdem sanguinis portiunculam ad locum jam dictum emisisse, & abscessulum illum efformasse.

His jam dictis omnibus consideratis, Curationem intrepide aggressus sum, spe certa concepta, fore ut non solum ambo ab affectu crustaceo immunes omnino reddi, verum & Prolem exoptatam consequi possent.

Sicque congrua præmissa primarum viarum expiatione, sanguinis impuritatem, & repetita phlebotomia, & succis herbarum depurantibus, & sæpius iteratis elective purgantibus medicamentis expurgavi; partes cutaneas & integumenta ab infarctu pravorum humorum & cucurbitulis, & Balneis, & aliis exiccantibus liberavi; Uterum antea humidiorem & laxiorem redditum, insessionibus ex aquis sulphureis atque nitrosis exiccavi & roboravi; atque tandem jecoris calidam intemperiem, ut mali fontem, aquis stillatitiis & thermalibus satis remissi, sicque Jugales Illustrissimos ad pristinam sanitatem restitui. Supererat tantum Chirurgo, sinum cuspide cultri, aut lanceola aperire, detergere, Sarcoticis carnes implere, & Epuloticis consolidare: quod licet facile à me existimatum fuerit, facillimum quoque reddere placuit Decocto refrigerante & exiccante, nullo modo calefaciente, eoque suavi per destillationem reddito.

Restat in præsens, ut alia nonnulla subdam in usum ducenda, ut conceptionis finis obtineatur, quorum aliqua interna, aliqua externa, & alia à modo recto vivendi erunt depromenda.

Domum itaque reversi, quoniam adhuc aliquam mordacitatem, tum in acrimonia, tum in aciditate consistentem, forsan relictam fuisse

fuisse suspicandum, & præterea quia ambos humectatione substantifica egere non est dubitandum; ideo lactis usus iisdem erit quadraginta diebus instituendus, Mulieri Illustriss. asinini primis diebus, reliquis Caprini, Illustrissimo vero arte facti, ne lac naturale caput petens, oculi sinus humectando, Curationem impediat & differat. Ambo igitur omnium primo assumant Cassiam cum Tartaro ita

℞. Floris cass. rec. extract. ℥ vii. crem. tart. ʒ iij M. f. boli, quibus post horam superbibant aquæ Nocer. aut hordeac. ℔ ij. & tribus horis ab assumpta aqua prandeant. Mox incipiat Illustrissima usum lactis ad ℥ iv. cum semicochleari sacchari albi, & paulatim dosim augendo, perveniat ad octo, & ad decem uncias, cum integro sacchari albi cochleari, quinque horis ante cibum, neque ab assumpto lacte dormiat, ne caput nimium repleatur. Decimo vero quoque die sumat Cassiæ ℥ ß. cum ʒ ij. crem. tart. ne lactis aliqua crassior residentia in Ventriculo, aut primis viis retineatur; quo toto tempore cœna sit aliquantulum parcior, ut lactis usum ventriculus facile admittat. Illustrissimus vero utatur hujusmodi lacte

℞. Sem. quatuor frigid. major. mundat. ℥ ij. juris pullæ ℥ vii. M. f. Emulsio, cui adde sacchari cochlear & semicochlear aqua florum citri, aut rosarum, m. pro potu quotidiano, matutino tempore, quatuor aut quinque horis ante prandium assumendo. Et si aqua potius stillat. quam jus pullæ Illustrissimo Viro arrideat, extrahatur Emulsio aqua ex succo cichorii ad ℥ x. & frigida atque suavis ita paretur quotidiana potio; quo tempore si alvus inofficiosa fuerit, flore cassiæ ad semiunciam in prima mensa aliquando solicitari poterit.

Inter interna à proprietate conceptioni conducentia, erunt, quod Mulier Illustriss. in prima mensa utatur sale Satyrionis ad gr. x. vel xii. in haustu vini albi, instantibus & præsentibus quoque Menstruis: reliquo vero tempore paratum habeat pulverem ex matrice leporis, prius optimo vino abluta, mox in furno exiccata, cujus sit frequens usus mane jejuno ventriculo, aut in jure, aut haustu vini albi ad pondus gr. xxx. Extrinsecus vero statim à menstrua purgatione secuta, alliniatur regio Uteri butyro recenti cum coagulo leporino, ut

℞. Butyri rec. unc. 1. coaguli leporini unc. ß. m. reformetur. Vir quoque Illustr. iisdem diebus assumere poterit Extractum Diasatyrii ad ℈ j. vel prima mensa bibat jus salvia & herba stellaria alteratum: & in coitu præcedat inunctio glandis ex balsamo factitio Peruviano. Abstineat autem omnino à coitu octo aut decem diebus ante menstruas Uxoris purgationes, ut statim iisdem præteritis, quinimò adhuc parumper fluentibus, concumbat: tunc enim facilius retinetur semen, & fit conceptus.

Quibus omnibus nonnulla in vivendi ratione observare inutile non erit. Primò Custodiendus est Uterus ab ambiente frigido. Secundò & calidorum, & frigidorum ciborum excessus est evitandus. Alimenta sint boni succi; Volucrum sylvestrium optima, Condimenta ex aromatibus opportuna, ex cinnamomo nimirum, & nuce myristica. Evitetur autem mentha, menthastrum, ruta in condimentis, ut conceptioni adversantia: Semen erucæ saccharo incrustatum, & ab utroque comansum, semper utile erit. Vinum vero sit mediocre, nec valde tenue, nec valde generosum, sed moderate sumptum: Bibaces enim steriles credidit & Aristoteles ipse. Tertiò somnus valde conducit, præsertim nocturnus, quo deficiente, suppleat diurnus. Quartò exercitium, potissimum ante prandium, vel sub cœnam, conceptioni utile: ideo apud Scythas famulæ, quia corpus exercebant, facile concipiebant: sicut Dominæ steriles, quia otiosam vitam ducebant; motiones tamen corporis sunt Illustrissimæ vitandæ statim à coitu. Quintò coitus sit rarus, & ad tempus jam præscriptum potius servetur. Sextò animi passiones, molestæ potissimum, sunt arcendæ, & alacris vita degenda cum genialibus consocietatibus, quam diuturnam atque felicem Conjugibus Illustrissimis à Deo Opt. Max. ex corde precor.

Appendix ad Scabiem, Muliebre Profluvium, Sterilitatem.

Quoniam post præscriptam Consultationem accepi Mulierem Illustrissimam nondum omnino à Profluvio mulibri immunem esse, sed quandoque guttulas flavæ materiæ stillare, magisq; pituitosæ & viscidæ, ideo restant aliqua addenda, ad hujusmodi fluxum omnino sistendum.

Transactis igitur consuetæ menstruæ purgationis diebus, quotidie bibat summo mane ad decem aut duodecim dies unc. 8. tincturæ rosarum, factæ in aqua plantag. & extractæ cum spiritu vitrioli, à qua potione, ut innui, abstinere debebit diebus aliquot ante menstruas purgationes, ne à potione imminuantur, aut supprimantur. Ita agendum duobus sequentibus mensibus, in usum familiarem quoque ducendo duo aut tria grana mastiches, hora una ante cœnam integra deglutienda.

Interim parabitur pulvis, ineunte hyeme, triginta aut quadraginta diebus, quotidie summo mane assumendus, accipiendo Turturem exenteratum & vino nigro ablutum, qui granis mastiches electi impleatur, deinde filo consuatur, & in furno reponatur, & ita exiccetur, ut in pulverem omnia simul redigantur, cujus pulveris ʒ j. assumat quotidie Illustr. Mulier in cyatho aquæ ex tenerrimis quercus foliis destillatæ, à cujus pulveris usu abstinere debet quatuor aut quinque diebus ante futuras menstruas purgationes, quibus terminatis, rursus eundem pulverem, ut dixi, sumat. De reliquis præscripta omnia in præterita Consultatione confirmo. *Idem ibidem.*

Scabies post febrem num supprimi debeat.

Ab accuratissima Viri Excellentissimi relatione de statu Nobilissimi Viri accipio, affectioni hypochondriacæ inveteratæ, olim Virum Nob. divexanti accessisse biliosam febrem, febri vero sanguinis per tussim excretionem; quibus omnibus congruis adhibitis medicis præsidiis sedatis & in totum ablatis, cutis universi corporis molestissima scabie, aut impetigine saltem fœdata fuit, non obstante iterata & copiosa sanguinis missione, aliisque medicamentis alterantibus atque purgantibus adhibitis; quam cum ægerrime ferat Vir Nob. quærit, num Scabies

bies ipsa supprimi prorsus ac deleri possit, an vero permitti, & quid agendum?

Ego quidem sicut in præterita Consultatione de affectu hypochondriaco, eoque etiam melancholico hæsitare non potui, ita de statu universali venosi generis anceps per venam sectam explorandum illum esse necessarium existimavi, veritus ne vitiosus, acris nimirum & biliosus, necnon acidus ac melancholicus in toto venoso genere abundaret, ut exitus comprobavit; primo enim redundans in ipso bilis, tertianam febrem excitavit, eamque facilius à regione calida in frigidam Nob. Patiente proficiscente, reddito nimirum ab antiperistasi interno calore intensiori, & imminuta à cutis densitate excrementorum resolutione, ac propterea capite quoque magis intemperato reddito & excrementis referto, catarrhalis inde fluxio in pulmones delapsa tussim vehementissimam excitavit; ad cujus impetum alicujus venæ osculum fuit adapertum, & inde per anastomosin tussi sanguis excretus, non autem per diæresin, hoc est, erosionem, neque per diaurosin, sive per venæ eruptionem: non enim adeo facile suppressa fuisset sanguinis excretio, imò alia symptomata, de quibus abunde Galenus, subsequuta fuissent. Verum facilior reddita fuit venæ apertio à prava sanguinis acri & acida qualitate intus agente, quam à calore febrili adauctam corrigere satis non potuerunt ejusdem sanguinis artificiosæ eductiones, nec spontaneæ per tussim excretiones, & idcirco residuum pravi sanguis Natura expulit ad universi corporis peripheriam per modum decubitus, sive per imperfectam crisim, tanquam ad totius venosi generis emunctorium, unde Scabies emersit.

Hanc autem num supprimere nobis liceat, intelligenti Medico patere potest. Quoniam vero quandoque implorantibus Ægris Medicus indulgere cogitur (ut facile etiam in casu nostro) hoc tamen nonnisi magna cautione permittendum esse censeo, ne bene operanti Naturæ adversemur, & excrementa ab ignobilioribus ad nobiliores partes cum Patientis vitæ discrimine repellamus: certissimum enim est quod exteriora indicant interiora.

Quare necessarium fore existimo, ut primo Naturæ motum à centro ad circumferentiam adjuvemus. Secundò ut internis & externis humorum acrimoniam remittamus. Tertiò ut Scabiem detergamus; atque tandem ut cutis universæ siccitatem laxemus & humectemus. Et quamvis non pauci forsan alii Medici massam sanguineam purgantibus depurandam esse existimarent: his tamen ego subscribere nequeo, in corpore hujusmodi nuper sanguinis missione & medicamentis evacuatio; ita ut reliquis tantum ad cutem una cum Natura expellendis incumbere debeamus, ne ipsi Naturæ contra operemur.

Expeditis itaque primis viis congruente Leniente, devenirem ad usum pulveris viperini; de hoc enim dicebat Galenus, quod valde digerit, & ad cutem properat, ac præterea non ab impetigine solum, & scabie, sed à lepra & elephantiasi vidit liberatos ipse Galenus potu vini, in quo vipera demersa fuerat. Quare pro prima explenda intentione nil præstantius esse poterit, & ideo quotidie assumat pulveris viperini ℈ j. in aqua Cardui benedicti, cui bene coopertus superdormiat, si possibile fuerit; in hujus usu perseveret 15. aut 20. diebus; mox multis parvis cucurbitulis, dictis *Cornetis*, universo corpori applicitis, primus tantummodo sanguis exiens educatur: deinde spongiola aqua madefacta tangantur partes impetigine affectæ, non semel, aut bis, sed pluries in die, & mane, ac vesperi corpus universum: aqua autem talis erit

℞. Aquæ stillat. arrantiorum incisorum ℔ j. Mercurii dulcificati ℨ j. m. dissolvantur ad ignem, & servetur ad usum quotidianum. Vel

℞. Aquæ ros. ℔ j. vitrioli Romani calcinati ℨ j. M. f. inf. per horas 24. deinde f. colatura, qua spongiola madefacta tangantur frequenter partes affectæ. Interim jecoris & ipsius sanguinis calor, & prava qualitas erit corrigenda potu quotidiano, matutinis horis semel hauriendo, ita parato

℞. Aq. stillat. de succo cich. ℨ viii. tincturæ coralliorum chymicæ gutt. vi. m. pro una, & sic pro aliis duodecim aut quindecim vicibus. Tandem ad demulcendam sanguinis acrimoniam uti poterit aliquot diebus Emulsione seminum frigidorum, aqua stillat. de succo cich. extracta; & totum corpus illiniri quotidie oleo amygdalino recenti. Quibus addendum restat, totum corpus vestibus abundantibus ab externo frigore muniendum esse. His etenim observatis, tuto liberari poterit Vir Nobilissimus à præsenti molestia, ut Vere venturo altera efficaciori purgatione, si opus fuerit, totum opus perficiatur, & bona atque prospera valetudine gaudere queat, quam ego ex corde à Deo Optimo Max. summopere precor. *Idem ibidem.*

Medicatio juvenis, Scabie laborantis.

Juvenis 25. annorum, ex Gallia in Bataviam redux, postquam aliquot septimanas patrio aëre & victu rursus esset usus, incidit in cutis totius corporis pruritum; quem postea secutæ sunt multæ pruriginosæ & purulentæ pustulæ, manus, brachia & crura ipsius potissimum obsidentes. Nonnullos etiam ex familiaribus contagio ita infecit, ut ipsorum corpus multis locis simili ulcerosâ & pruriente asperitate sit affectum.

Afficitur in hoc ægro potissimum *brachiorum, crurum, femorumque cutis*; quod ex pruritu & pruriginosis ulcusculis, partes illas obsidentibus, est manifestum.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies cutis manuum, brachiorum, femorum, & crurum, acris, salsa, nitrosa, & contagiosa; quæ pruritum & ulcuscula saniosa & purulenta in illis partibus producens, *Scabies* vulgò appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* in hoc juvene est aëris victusque, per reditum in Bataviam, mutatio; quâ novi frigidioresque in corpore ejus geniti fuerunt humores; qui cum fervidioribus acribus & adustis humoribus, in Galliâ natis, mixti, & propter aëris nostratis frigus, poros cutis claudens, & acrium fuliginum exhalationem in ipsius corpore impediens, intra corpus ejus retenti, instar calcis vivæ, aquâ frigidâ perfusæ, in corpore ejus effervescere cœperunt; atque *antecedentem* huic morbo præbuerunt

runt causam. Pars verò eorum ad cutem totius corporis, ac præsertim crurum, brachiorumque delata, easque partes suâ acrimoniâ vellicans, & erodens, *continens hujus intemperiei acris, pruriginosa, ac cutem in pustulas saniosas & purulentas exulcerantis, hoc est*, ut verbo dicam, *scabiei*, in hoc juvene est *causa*.

Ipse vero in suos familiares, contactu manuum, mantilium, aliorumque communium linteorum, saniosum illum & contagiosum liquorem, è corpore suo emanantem, insensibiliter transferens, similem qualitatem acrem & contagiosam in illis produxit, atque ita *ipsos simili brachiorum crurumque scabie infecit*.

Malum hoc ubi temporis diuturnitate radices profundas in corpore egit, *difficulter* solet eradicari.

Ideoque celeri *Curatione* erit impugnandum. *Eaque* in ablatione causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per evacuantia, attemperantia, detergentia, acrimoniam retundentia, & exsiccantia, consistet.

Primum itaque purgetur hic juvenis tali medicamento, ad humores acres educendos & temperandos aptissimo;

℞. Mercurii dulcis ℈j. Scammonii optimi ℈ß. Electuarii diapruni ʒ ij. Misce F. Bolus.

Postridie educatur, per venæ sectionem, sanguis, ad uncias octo.

Et porrò quotidie bibat haustum ℥ iij. vel iv. de sequenti Apozemate:

℞. Rad. cichorii ℥j. Polypod. lapathi acuti an. ℥ß. Herb. fumariæ, acetosæ, agrimoniæ, Scabiosæ an. m. j. Sem. 4. frigid. major. an ʒj. Flor. borrag. m. ß. Passular. ℥ß. Decoq. in aq. hord. q. s. ad lib. 1. ß. addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ʒij. sem. anisi ʒij. Colaturæ adde syr. de cichorio cum rhabarb & fol. sennæ ℥ij. Misce F. Apozema.

Loca scabiosa inungantur omnia hoc Unguento:

℞. Terebinthinæ lotæ in aq. scabiosæ ℥j. Ol. rosacei ℥ß. Butyri recentis, axungiæ porci an. ʒij. Salis comm. ʒß. lithargyrii ʒj. Vitell. ovor. num. 2. Succi limonum ʒvi. Ceræ q. s. fiat Unguentum.

Vel adhiberi poterit huic malo sequens unguentum, quo scabies felicissimè curatur.

℞. Butyri veteris, in fictili novo ad rubedinem Frixi lib. ß. Huic intepescenti infunde muriæ, in qua Poma limonia macerantur & condiuntur ℥ ij. Vitellos ovorum conquassatos n. 2. Pulv. sulphuris ʒj. Zinziberis ℥ß. Piperis ʒj. Fuliginis è fumario collectæ ℈j. Hæc misceantur calidè in formam Unguenti; quo articuli manuum, pedum, & reliqui corporis, & loca scabiosa, vesperi, ingressu lecti, inungantur.

Innumeri etiam à scabie liberati fuerunt sequenti unguento:

℞. Rad. lapathi acuti, in mortario pisti m. j. Pulv. Zinzib. ʒj. Baccar. lauri, Aristoch. rotund. an. ℥ß. Cum pintâ dimidiâ floris sive cremæ lactis, coquantur per horam dimidiam in ollâ novâ, & redigantur in formam Unguenti, qua loca scabiosa vesperi inungantur ad ignem.

In *victus ratione*, utendum *Cibis* optimi succi, qui sanguinis acrimoniam emendent & temperent. Carnes gallinarum, vitulinæ, ova sorbilia, pisces saxatiles id præstant. Sal, acetum, aromata, alliæ, cæpæ, & herbæ calidæ omnes vitandæ. Cerevisia tenuis, serum lactis, aqua hordei, in potu sunt utilia. Inter herbas culinarias, borrago, buglossa, violaria, malva, ex fructibus, poma; ex cerealibus, hordeum & triticum commendanda. Panis esto triticeus. *Ira*, vigiliæ multæ, *Venus*, vitanda. *Henr. Regius apud Theodor. Craanen Medication. lib. 4.*

Herpes exedens in facie.

Admodum Rev. Rector, annos natus quadraginta sex, temperamenti calidi & sicci cum subdominio sanguineo, hepatis præcalidi, ventriculi frigidi, cerebri humidi, corporis habitus modicè carnosi, coloris totius albi flavescentis, aliquo tamen in facie suffuso rubore roseum referente colorem, in actionibus, ingenii præstantiâ promptus & expeditus, moribusque maximè urbanis, facilis tamen excandescentiæ, & ad iracundiam pronus; Juventutis tempore sub diversarum Regionum Cœlo, à nativa quinetiam maximè longinquarum commoratus, variaque proinde vivendi norma est usus. Quare duodecim, vel quindecim abhinc annis in Patriam reversus, una cùm sodalibus persæpe comessationes celebrando, cibos aromatibus conditos comedendo, generosa vina bibendo, ante decem annos fluxionibus factus obnoxius, articularibus doloribus, Podagrâ sc. Gonagrâ, aliisque arthriticis affectibus frequenter laborare cœpit; hinc ab hypochondriaca quoque passione, juxta cùm variis symptomatibus, ab eadem ortum ducentibus, fuit correptus: cui tandem hæmorrhoidali sanguinis fluxu accedente, ab eodem hepate, aliisque visceribus naturali diathesi, ac nativo calore depauperatis, Cachecticus evasit; quinimò ad Hydropem maximè pronus. Licet Medicus ejus curationi adhibitus malorum horum syndromen, opportunis quidem remediis effugaverit, ideoque per annos ferè quatuor Patiens benè valens, munera ac negotia, ut priùs, subiens promptè peregerit; duobus tamen abhinc annis, cùm Comam qua solitus erat caput cooperire, sub inclementi cœlo deposuisset, ejusdem caput gravari, ac catarrho repleri cœpit: hinc coryza suborta, quam in dies magis magisque exasperari Patiens expertus est, adeò ut nares catarrho crassescente per multos menses, obstructas habuerit, per quas nonnisi rarò, materiam mucositate, ac sanguine torrefacto permistam, magno quidem conatu expurgare poterat. Tandem cùm nasus inflammari incepisset, ulcera crustacea in ejusdem pinnis apparuerunt, quæ post multum tempus, cùm in dies magis ac magis serpere & augmentum suscipere viderentur, ad Medica præsidia confugere, tum interna, tum externa, Patiens fuit coactus. Nihilominus ulcera per genas hinc inde, ac per totam faciem ad oculos usque, & pustulæ, adinstar milii, denuò efflorescentes, ac in ulcuscula tandem desinentes, ferè continuò augentur. Idcircò non magis pro contumacia affectus, quàm pro cruciatu, quem ferè semper se pati asserit Patiens, anxiè Virorum Excellent. Consilium efflagitat, ut à tam sævo ac Molesto Morbo quàm citissimè, si fieri possit, liberetur.

Sicuti de affectûs natura, Admodum Rever. Patientem divexantis, nihil præter adducta à Viro

Viro Excellentiss. mihi restat scribendum, ita agendorum pauca valde supersunt addenda: Etenim & ego cum Viro Doctissimo judico, universam massam sanguineam jam conspurcatam fuisse, dum à prava victus ratione, & viscerum naturalium intemperiebus adauctis, excrementorum copia succrevit: prout caput denudatum, ab ambiente intemperiem contraxisse censendum, sicque duplici ratione affectum fuisse, essentialiter scil. & per consensum ab hypochondriis & à toto: ut propterea excrementa multa idiopathicè cumulaverit, & sympathicè susceperit: quæ longo temporis spatio per nares obstructas non expurgata, ad faciei superficiem tandem eruperunt, & herpetem exedentem excitarunt, dum catarrhalis materia, serositatibus acribus biliosis, & acidis melancholicis immista, salsa & acida facta fuit: quinimò ob contumaciam, & affectus adversus medicamenta generosiora ritè & rectè administrata resistentiam, labem aliquam putrilaginosam, intemperiem scil. & imbecillitatem in ipsa parte quoque reperiri sub cute, & forsan etiam sub integumentis, juremeritò suspicandum, quæ præter excrementorum affluxum, proprii quoque alimenti portionem corrumpat, & morbum foveat.

Quare cùm jam primæ viæ exinanitæ fuerint: tota massa sanguinea ab excrementis abundè depurata: jecoris fervor congruis remediis non parum remissus, de Topicis quoque tum internis, tum externis, erit cogitandum, quæ humores in capite existentes, & purgare & à facie divertere valeant, & præterea diathesim illam putridam in parte removere, necnon dolores demulcere possint: non tamen omittendo quæ jecoris & hypochondriorum fervorem contemperandi, necnon sanguinem ipsum demulcendi facultatem habeant.

Primùm igitur in usum ducantur quotidie matutinæ dorsi ad inferiora frictiones, & vespertinæ ante cœnam pedum lotiones. Et quoniam Cauterium, nuchæ inustum, parum in his casibus prodesse solet; idcircò setaceum cum filo serico tanquam eximium remedium, transfigendum consulo. Interim, semel saltem per hebdomadam, pilulæ capitales Paracelsi, quæ constant extractis diagrydii, hellebori, & colocynth. exhibendæ erunt ad semidrach. circa noctis dimidium: quibus summo manè superbibat aquam hordeac. aut Nocerianam; & iisdem addi quoque poterunt aliquot grana Mercurii dulcis ad faciliorem materiæ contumacis expurgationem: subscribere tamen nequeo Mercurialibus mendicamentis caput petentibus, & per sputum humores ducentibus. Intermediis autem diebus assumat summo manè lac arte factum, ita parandum

℞. Semin. melon. mundat. ℥ j. sem. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ ß. Aq. stillat. de succo cich. ℥ vii. contund semina, & cum aqua extrahatur emulsio, cui adde syrupi de pom. ℥j. m. pro potu quotidiano matutino. Extrinsecus autem affectæ parti modò anodyna quæ dolores demulceant, modò exiccantia quæ ad ulcuscula quinetiam spectent, sunt applicanda atque inter demulcentia summopere mihi placet fœnugræci decoctum, à Galeno etiam in doloribus oculorum commendatum: cui, urgentibus doloribus, addi poterit etiam caput papaveris albi. Quandoque etiam parabitur tenuis emulsio seminum papav. albi, extracta cum aqua nenupharis. Lac etiam asininum tepidum, eidem scopo satisfaciet. Verùm interponi debet usus exiccantium, & ulcera respectantium, quæ varia, & plura esse poterunt; selectiora autem, & delicatiora erunt, aqua fabrorum; infusio rosarum solut. chalybeata; & omnium maximè infusio vitrioli Cyprii in aqua rosarum, ita ut aqua ipsa cæruleum colorem acquirat: mirabilis enim est exiccandis herpeticis hisce ulceribus; quibus omnibus, spongiolâ imbutâ utendum est.

Tandem jam dictis congrua vivendi ratio erit addenda, à Viro Doctissimo præscribenda, cujus prudenti judicio cæterorum etiam omnium rectum usum committo. *Joh. Raym. Fortis Consult. & Respons. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

Herpes exedens.

Pater Provincialis Reverendissimus, quinquagesimum quartum annum agens, temperamenti secundum totum ad calidum & siccum vergentis, hepatis autem fervidioris, sicut calidi & humidi capitis, mediocris habitus, ad actiones promptissimus, negotiis suæ Religionis multis adhinc annis magnopere implicitus; tertius jam currit annus, ex quo exigua excoriatio, levissima occasione prægressa, in crure sinistro excitari cœpit, quæ paulatim quotidie magis increvit, & diuturno postmodum secuto itinere in Hispaniam, major semper reddita fuit, adeo ut non solam cutis superficiem & integumenta, verum & carnem ipsam erodere cæperit, & ulcus excitatum fuerit, quod topicis medicamentis curatum & cicatrizatum, proximas partes infestare non desiit; quinimò non unam tantum, sed plures, & vicinas, & distantiores partes progressu temporis, in eodem tamen crure tantummodo occupavit, & hinc inde ulcera exedentia atque serpentia, eaque satis profunda & putrilaginosa, ichorosam materiam frequenter, quandoque etiam saniosam & purulentam emittentia, excitata fuerunt; quæ ad ambulandum in præsens Pat. Reverendissimum ferè impotentem reddiderunt. Additur postremo aurium tinnitus non continuus, sed tamen nonnunquam infestans. Medicos non semel pro salute adipiscenda consuluit, qui cùm hanc polliceri non solum non potuerint, sed prorsus denegaverint, medicamenta omittere decrevit, satius esse existimans à solo morbo divexari, quam ab assumptis quoque medicamentis exagitari. Verum cum malum ruat semper in pejus, causas internas à quibus procedit, dubio procul vires majores acquirere non est dubitandum, quæ pejora quoque minantur superventura; & ideo Prudentissimus Pater ad me confugit, ut imminentia mala evitentur; & præsens si non ex toto tolli, saltem non parum imminui possit; quod licet non sine diuturna & operosa Curatione consequi posse sciam, id tamen possibile fore spero.

Damnavit quidem Gal. nomina quædam ulceribus imposita; ut Chironia, Telephia, eo quod à Telepho & Chirone Medicis curata fuerint, at multorum aliorum ulcerum appellationibus subscripsit; ut quæ eorundem conditionem atque naturam, quinimò & quodammodo causas

causas nobis insinuare valeant, & idcirco si ulcus aliquod stabile, cavum, diuturnum & contumax fuerit, eo quia ab aliqua excrementorum fluxione, vel à toto, vel a peculiari parte transmissa, foveatur & conservetur, Dysepuloticum ulcus appellari solet, sicut Cacoëthicum nominatur illud, quod easdem continet conditiones, sed præterea ab intemperie & prava diathesi partis ulceratæ contumax redditur, ita ut probi quoque humores ad partem fluentes corrumpantur in parte, & ulcus conservent. Alia demum ulcera quæ non semper eandem occupant sedem, sed priori loco relicto, ad proximum serpendo procedunt, eorumque progressus diuturno tempore durat, Herpitaca, sive Herpetes quasi repetentes, ab Hippocrate edentes dicuntur, cujusmodi sunt ulcera, ferè crus totum Rev. Patientis hinc inde exedentia; hoc addito magni momenti discrimine, quod sicut ulcera superficiem tantum exedentia simpliciter Herpetes vocantur, ita si non solum integumenta, verum & partes carnosas profundas erodant, ut in casu nostro, Herpetes Esthromenos cum Veteribus appellamus, cum quibus non sunt Phagedænica confundenda, nisi improprie, ut fecit Galenus: sunt enim hæc potius firma & stabilia, quam exedentia atque serpentia. Serpens quoque est Herpes miliaris, sed sine ulcere, & milii tantum figuram in superficie repræsentans. Herpetes autem omnes à bilioso humore procedunt, adeo ut sub genere Erysipelatis à Gal constituantur; sed ab acriori, licet crassiori bile Herpes fit, quam Erysipelas, ut pluribus in locis notat ipse Galenus; ut propterea nonnisi in corporibus cacochymis, bilioso & pravo succo abundantibus Herpetes exedentes contingant; quo succo abundare Reverend. Pat. non est dubitandum, si ejusdem hepatis, cordis & vasorum intemperiem calidam consideremus, calidioremque redditam à diuturnis applicationibus atque animi perturbationibus, quas necessario incurrunt, qui Regimina exercent, & Claustralibus præsunt; animi namque motus multo magis, quam motus corporis calorem inducunt; his adduntur longa & laboriosa itinera peracta, & horum occasione ciborum & potuum improprietas, quibus omnibus non solum calor viscerum magnopere fuit adauctus, & pravorum succorum apparatus genitus, verum & pars ipsa, crus nimirum, recipiens, equitando quotidie magis semper imbecillius fuit redditum ut mirum postea non fuerit, si totum excrementosis humoribus scatens, ad crus, ut partem imbecilliorem eosdem detruserit, quos tamen humores in R. P. non sincere biliosos, sed & heterogeneos, nimirum & biliosos & exustos, necnon pituitosos, sive catarrhales simul commistos esse credendum, si non solum viscerum naturalium, ut dixi, calida intemperies spectetur, sed si capitis quoque calida & humida consideretur, cujus ratione humido abundat excremento, & ipsius portio ad aures delata, atq; in halitus conversa, tinnitum inducit, dum vaporosa ipsa materia aëri implantato atque immobili, qui à tympano in auditorio meatu clauditur, movetur & agitatur, sicque sonitus sequitur p. n. qui, resoluto vapore, cessat.

Quam difficilis sit futura hujusce morbi Curatio, ac difficillima sanatio, non est in Arte peritus qui non prævideat; etenim si ulcera simplicia, dum annua sunt, difficile sanantur, quid erit censendum de herpeticis profundis & mali moris trium annorum? Verum quia ex Herpete, ut ab ungue Leonem, viscerum internorum pravam conditionem in R. P. conjicere fas est, idcirco præsens malum semper in pejus abiturum, & multiplicatis excrementis, pejora quoque imminere, prospicere debet Medicus observans, quod Gal Herpetem enumeravit atque reposuit inter Carbunculos, Cancros, Ulcera phagedænica, Chironia atque Telephia. Quare providendum ne pejora mala succedant, & præsens certo non parum imminuatur, & forsan ex toto aboleatur.

In quem finem quod est primum in intentione, nimirum ulcera cicatrizare atque sanare, debet esse ultimum in executione; ut propterea jure merito arguat Gal. Illustrem Matronam Romanam Herpete in crure laborantem, eo quod de ulceribus cicatrizandis, non autem de toto purgando, neque de intemperiebus corrigendis solicita, nunquam sanari potuerit; quare primo totum à redundantibus excrementis, & potissimum à biliosis est oxonerandum ac vindicandum. Secundò eorundem reproductio est inhibenda, intemperies partium mandantium & sanguinis pravam qualitatem acrem & acidam corrigendo. Tertiò partes easdem roborando. Quartò, & ultimo ulceribus incumbendo, primo Cathereticis, si opus fuerit, secundò Sarcoticis, atque tandem Epuloticis.

His autem satisfaciendum erit remediis à Fonte Chirurgico, Pharmaceutico atque Diæterico desumendis.

Et à Chirurgico universalia primo, mox tandem Topica depromenda. Inter universalia autem est sanguinis missio, quæ necessaria erit, cum vitium in toto, nimirum in sanguine reperiatur, eaque bipartita potius & parca, nempè ex brachio dextero, & secunda vice ex altero lateris affecti. Cauterium, nisi non gestet, erit inurendum in coxa sanæ partis, ad diversionem; licet enim coxæ affectæ partis inustum ad interceptionem inservire posse videatur, interceptio tamen in distentiori parte fieri debet, alioquin excrementitius humor, duceretur & evacuaretur per partem affectam. De Topicis vero suo loco dicendum.

Pharmaceutica remedia debent esse Lenientia, Præparantia, Purgantia, intemperies corrigentia, viscera roborantia, hac servata animadversione, quod in R.P. alvus levioribus quoque medicamentis obediens est (biliosis humoris redundantis indicium.)

Primum igitur Leniens ad primarum viarum expiationem esse poterit syr. ros. solutivus; vel flos cass. cum crem. tartari; sicut primum Præparans Julap. acet. aqua ex flor. citri dissolutum; & quinque transactis diebus, idem Leniens erit repetendum, cui superbibat serum depur. capr. aut asininum.

Inde ad præparandos humores in venis existentes aptissimi erunt succi herbarum depur. nempè cichor. borrag. endiu. pomorum dulc. ad unc. iij. in decoct. sonchi, buglossi, malv. violarum; in quorum usu saltem diebus xv. perseverandum

randum erit: & quinto quoque die Purgans electivum à venis, cholagogum erit exhibendum, quod esse poterit elect. de succo rosarum & confectio Hamech. cum flore cass. cui superbibat serum depuratum.

Purgato toto, & caput erit peculiariter purgandum, quo egregie præstabunt pilulæ Paracelsi, cum earum compositio contineat Extracta diagrydij, hellebori nigri & colocynthidis; poterunt enim, duabus vel tribus vicibus sumptæ, caput purgare, & totum venosum genus omnino depurare; diebus autem intermediis aliquo quoque levi Errhino utatur ex pulv. rad. ireos, majoranæ & nigellæ parato; necnon succis depur. præscriptis.

Toto & capite ab excrementis purgatis, eorundem reproductio est inhibenda, intemperies partium mandantium corrigendo, quarum præcipua est naturalium viscerum fervor, mox capitis excedens humiditas; pro qua intentione explenda, magna industria opus est, non solum in quantitate & qualitate, sed & in tempore, ac ordine remediorum adhibendorum; itaque ordinem hujusmodi servandum esse censeo, ut primum Exiccantibus quæ non calefaciant, calida & humida capitis intemperies corrigenda, deinde Refrigerantibus & Humectantibus viscerum atque sanguinis fervor sit contemperandus. Verum quia priori intentioni satisfaciendum erit decocto sudorifico, idcirco viscera naturalia præhumectare utilissimum erit, præmittendo quinque saltem diebus usum seri capr. depur. aut aq. Nocer. ad ℔ v. cum vehiculo dejectorio syr. ros. solutivi, ut inde ad decoctum cum sudore tutius deveniri possit, ita parandum

♃. Salsæ alectæ, chinæ opt. santal. alb. ligni visci pomac. an. ℥ß. Aq. stillat. cichor. beton. an. ℔ j. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad consumpt. dimidij, & facta colat. servetur ad usum pro tribus vicibus, summo mane, una hora ante ingressum hypocausti assumenda; & ut facilius sudor evocetur, præmittat bolum ex pulv. viperino paratum. In cujus usu 30. diebus ut persistat, erit satis, cum victu non tenui, nec valde attenuante. Decimo vero quoque die præbendæ erunt pilulæ aggregat. & aureæ, vel elect. de succo rosarum cum cassia, quibus superbibat serum depuratum, ut quod visceribus naturalibus R. P. valde amicum sit, nec præmisso vehic. deject. caput petere possit.

Terminato sudore, totis viribus visceribus refrigerandis & sanguini edulcorando incumbendum erit, primo aquarum acidularum refrigerantium potu, aut B. V. aut Noceræ, tribus primis diebus cum vehiculo dejectorio syr. ros. solutivi, reliquis vero quindecim cum vehiculo diuretico spir. tart. rectif. & succo limonum; in fine autem præbeatur potio ex man. clarif. ad educendum aliquod aquæ residuum. Hoc tempore quo propinantur aquæ, vesperi sub ingressum lecti aliqua Conserva capitalis & stomachica præscribi poterit ex flor. beton. rosarum & rorismarini.

His peractis, pro remittenda sanguinis acrimonia atque aciditate, aptissimus erit usus lactis asin. quadraginta diebus, summo mane cum sacchi de more assumendi; hoc enim utpote tenuis substantiæ cum Galeno celerrime per corpus digeritur; & ideo caput non tentat. Universale quoque Balneum aquæ dulcis, foliis malv. viol. lactucæ, nenuph. salicis alteratæ, efficacissimum esset remedium pro fervore viscerum & sanguinis contemperando; verum quoniam crus affectum ab humectantibus atque laxantibus maximopere læderetur, idcirco omittendum, & ipsius loco Epithemata jecori apponenda, ex succo cich. & infusione rosarum cum succo limon. paranda.

Tandem topica medicamenta proponuntur, quæ in tota quoque præscripta Curatione sunt apponenda; hæc autem esse debent omnino refrigerantia & exiccantia, quorum sylva à Scriptoribus proponi solet, ut unguentum de litharg. de calce, de cerussa, de tutia; at nos in casu nostro, si Cathereticis, paucis diebus, fuerit opus, ob aliquam alicujus ulceris sordiciem, applicari poterit Unguent. de minio, vel componatur ex litharg. vitriolo & camphora cum oleo rosato, addita cera quantum sufficit. Inde ad Sarcotica deveniendum; inter quæ Unguent. de succi Bononiensium præstantissimum erit, ut quod contineat quatuor succos refrigerantes & exiccantes, & propterea lithargyrum, aurum, plumbum ustum, tutiam, bolum Armenam, camphoram cum cera. Tandem ut cicatrizentur ulcera, Epulotica conveniunt; & ideo ex tutia, cerussa, lithargyro & antimonio cum cera, & oleo myrtino, ceratum S. A. erit conficiendum & componendum. Nec omittenda Balnea quotidiana, crus totum immergendo in aquam montis Grotti, sive Ægrotorum, quæ magnopere exiccat atque corroborat.

Quibus omnibus erit addenda victus ratio, quæ refrigerans, in passivis vero qualitatibus mediocris esse debet. Caveat igitur R. P. à cibis calidioribus, à condimentis aromatum, alij, cæparum, ab usu aceti, à carnibus & piscibus salitis, & à potu vini meracioris. A vigiliis, à nimiis exercitiis. Bis in mense, proximis à Curatione temporibus, in usum ducat aliquod familiare medicamentum, tum biliosas, tum atrabilares serositates educens, quale esse poterit pilula de tribus cum rhabarb. ad ℈ß. additis gr. VIII. aut X. pulv. grisei, aut Magist. mechoac. atque tandem animi perturbationes arceat, & in applicationibus moderate se exerceat. Hæcque pro salute Reverend. Patris, quam eidem à Summo Deo enixe precor. *Idem eodem Tom. Cent.* 4.

Herpes miliaris in Crure, & Verruca in Mamma.

Princeps Illustrissima atque Excellent. cujus res naturales, nonnaturales, & p. n. Dominatio Tua Excellent. plene novit non minus ab exhibita Scheda (quam reassumere non dedignaberis) quàm ex aspectu ipso, cum Venetias & Patavium profecta, prudent. consilio tuo curatura se subjecerit annis abhinc quinque. Post reditum Romam, præscripta mandata tua exequi non opus habuit, cum à languoribus illis immunis, pancratice affatim valuerit. Et quamvis affectionibus hypochondriacis uterinis, quibus obnoxia vivit, non omnino vacaverit: mites attamen & leves adeo fuerunt, ut nullam suscipere Curationem magnam unquam coëgerint.

gerit. Tractu temporis Verruca, quam in papilla dexteræ mammæ gerit, absque ulla manifesta causa cœpit sanguinolentum emittere ichorem, cum pruritu & furfure, nullo externo apparente rubore; nullo tumore, aut tactus renitentia; lancinatione nulla. At quia creber exitus & facilis recursus timorem inferebant, apud Medicos & Chirurgos fuit decretum, cruri dextero sub genu fonticulum inurere, habito respectu non minus ad corporis obesitatem ac mollitiem, sero multo scatentis, quàm ad expletum Menstruorum tempus, & præcipuè ad Uterum, una cum naturalibus visceribus, dyscrasia cum materia donatum, & idiopathice patientem. Res secundis votis successit; nam illico sanie multa, & sanguinolenta, ac mordaci manante, mamma bene habuit, & integrè sanata est. Sic stantibus, Junio proximè præterito dexteri cruris Herpete miliari afficitur, sine febre, cum ardore & inflammatione, crustisque crassis adustis, pituitam salsam cum assata bile præ se ferentibus. Quare iterum consultis Medicis & Chirurgis, de fonticulo sinistro cruri inurendo; primo sancitum fuit: deinde transacto Sirio, instituta Purgatio fuit, Lenitivis celebrata, scil. Tripheræ Persicæ ℥ß. & drachma una rad. mechoac. ponderosi pulv. cui superbibebat juris longi insulsi, acetosa alterati, libram, & quater sedem habebat cum conferentia ac tolerantia, eductis tantummodo biliosis lixiviis & serositatibus adustis. Nullus fuit mittendi sanguinis locus, tum ratione morbi, tum præpollentis Cacochymiæ in visceribus, tum quia noxia alias evasit phlebotomia, & sanguinis motus nunquam observatus fuerit proficuus. Purgatione perfecta, imò quater iterata eodemmet Lenitivo, serum caprinum destillatum ad refrigerandum ebibit, sine tolerantia: nam stomacho repugnante dimissum. Succos accepit endiviæ, sonchi, cichorii depuratos, eadem cum renitentia: ita ut solo jure cichorio hortensi sativo alterato sit contenta. Cæterùm status Excell. hujus Matronæ quoad antiquos & habituales morbos hypochondrii & Uteri, bonus est & laud. bilis; quoad vero recentes, accipe. Si quando humores hypochondriaci uterinique fermentantur, & vel cordis palpitatione, vel aliquo alio hysterico symptomate afficitur, Verruca in mamma ichorem sanguineum guttatim emittit non continuum, solo tantum pruritu & furfure. Crus vero dexterum & tumet, & dolet, & ardet, recurrente per affluxum mordaci serositate; Herpentem exedentem minante, ni purgatissimi judicii tui auxilio succurratur.

Hypochondriaca affectione jam diu detentam Principem Excellentissimam excrementitiis humoribus abundasse necesse fuit, cum affectio ipsa naturalium viscerum intemperies supponat, & primò atque principaliter fervidam jecoris, indeque sanguinis, secundario vero privative ventriculi frigidam: ut propterea etiam in habitu carnoso atque obeso, exuberantis caloris indicia semper apparuerint; Etenim Verrucam in mamma potius ut signum, quàm ut morbum, vel causam ego jam consideravi, & ideo Purgationem præservativam tunc temporis scriptis mandavi, superventura prævidens, quæ à statu satis salubri neglecta, postea successerunt; Sat enim non fuerit excrementorum calidorum copiam extraducere, minusque alio abducere, sed pro præservatione absolvenda, intemperies jecoris atque sanguinis erat corrigenda, & sanguis ipse acris atque mordax edulcorandus, ut multo minor evaderet biliosæ serositatis proventus, & sanguis ipse ad probiorem conditionem redactus, ab ipsa Natura commode in vasis pro totius nutritione detineretur, nec modo ad mammam, modò ad crus ab ipsa irritata Natura detruderetur; sicque modo in mamma verruca, modo herpes miliaris in crure excitarentur. Et quamvis Cauterium summa cum ratione coxæ inustum mammæ profuerit, avocatis nimirum biliosis serositatibus à superioribus ad inferiora, non tamen exiguum foramen tot tantisque humoribus educendis, quibus scatet Excellent. Princeps, sufficere potuit; & idcirco quid facto opus sit, unicuique vel mediocriter in Arte perito, nedum Tibi Viro Doctissimo patere potest: expiatis enim primis viis, obstructiones sunt quodammodo reserandæ. Deinde massa sanguinea à serositatibus tum acribus, tum acidis electivè Purgantibus vindicanda. Mox jecoris calida intemperies corrigenda; atque tandem sanguis totus edulcorandus. Topica vero aliqua externa affectis partibus apponi poterunt, quamvis, dempta atque recisa radice, plantæ, frondes & fructus de se necessario decidant. Jam dictis vero intentionibus in præsens satisfacere anni tempus non permittit, sed in Ver venturum regularis jam dicta præservatio erit differenda. Interim tamen ne uterque affectus majus augmentum suscipiat, imò potius nonnihil imminuatur, aliqua pauca agenda proponam, quæ excrementitios humores per alvum & urinam educere, & eorundem acimoniam atque aciditatem commoderare valeant. Singula igitur hebdomada assumat.

℞. Elect. lenit. ℥ß. Elect. de succo rosarum ʒij. Magist. mechoac. gr. x. M. f. boli, quibus, duabus transactis horis, superbibat aquæ hordeac. vel Nocerianæ, vel stillat. malvarum ℔iß. aut ℔ij. & tribus horis ab epota aqua prandeat. Diebus autem intermediis aliqua potio offerenda erit, quæ quàm celerrimè ad hepar feratur; & per universum corpus distribuatur, ut ideo conditionem aliquam diureticam in se continere debeat; erit autem hujusmodi.

℞. Sem. melon. mundat. sem. cucurbitæ mundat. aq. ℥ß. aq. stillat. malv. ℥ viii. m. contusis seminibus, cum aqua extrahatur Emulsio, quæ erit valde diluta, cui adde sacchari albiss. cochlear, vel syrupi de pomis, aut de succo limonum, aut violacei ℥j. pro potu matutino quadraginta diebus hauriendo. Quod si fortasse Emulsio hujusmodi non adeo facile toleretur, substituatur potus aquæ stillat. malvæ cum syrupo de pomis, aut violaceo. Mirabiles autem effectus non semel observavi ab usu aquæ stillat. ex anguriis decorticatis, & B. M. destillatis, quas Romæ adservatas invenire difficile non erit: diu namque in ventriculo non immoratur, hypochondriorum fervorem contemperat, anodynam facultatem obtinet, & sanguinis acrimoniam atque aciditatem egregiè edulcorare solet: non omisso tamen consueto jure cichorio alterato, sed prius a mensa cum cæteris eduliis hausto. Interim quo tempore verruca in-

mamma evanuerit, Saturni balsamo illiniri posset, quod tamen tutius administrabitur, absoluta universi corporis præservativa purgatione, quam Vere venturo, Deo dante, describam, cum de statu Excell. Principis tunc temporis certior factus ero: nec deerit purgantium, aperientium & alterantium medicamentorum sylva, qua tuto & jucunde Excellentiæ suæ inservire valebimus. *Idem ibidem.*

Observationes.

Juvencula quædam sexdecim annorum cum novem annis scabie infecta fuisset, nec ullis remediis curari posset, ad me tandem consilii causa venit; huic sæpius decocta sanguinem purificantia præscripsimus, quæ conficiebantur ex borrag. bugl. acetos. & similibus in sero lactis decoctis. Deinde corpore rite expurgato, eam nudam per horam in balneo sequenti posuimus, idque quinque diebus continuando.

♃. Lapath. acut. cum rad. fumar. malv. scabios. viol. hederæ arbor. furfur. opt. sal. communis, an. M. ij. coq. in aq. communi pro lavacro, facta abstersione totius corporis, lectum calidum intrabat & sudabat: sic materia sufficienter ad cutem propulsa, tunc tandem eam inunximus unguento ad scabiem in præcedenti observ. descripto; eo cum aliquandiu inuncta fuisset à fœda scabie curata est. *Petrus Forestus. Observ. 11. lib. 5. Observ. Chirurg.*

Quendam scabie & pruritu totum corpus fœdante laborantem ita sanitati restitui.

♃. Decocti sennæ ℥ iv. confect. hamec. ℥ vi. M. F. potio; quæ rectè & copiosè expurgatus est. Postea venam brachii aperuit, multumque sanguinis emisit.

A sanguinis missione septimo die tale ipsi ordinabam balneum.

♃. Alumin. ℥ v. salpetræ, ℥ iij. sulph. vivi ℥ ij. redigantur in pulverem; qui coquebatur in aqua fluviali quanta sufficit; tertio quoque die renovatur, balneabat mane & vesperi, & intra viginti dies ab ista fœda lue & symptomatibus liber sanusque evasit. Potus erat decoctum melissæ saccharatum. *Mart. Rulandus. cur. 80. cent. 3.*

Post purgationem.

♃. Rad. lapath. cum fol. num. 3. hord. cum cortice suo, p. 3. radic. alth. ℥ ij. fol. malv. M. ij. rad. helleb. nigr. ℥ j. bulliant omnia simul in aq. s. q. ad dimidiæ partis consumptionem. Deinde fiat fortis expressio, colaturæ adde ol. rosæ. ℥ iij. Terebinth. ℥ ij. sal. nitr. ℥ ß. bulliant omnia ad aq. consumpt. deinde addantur succi limon. ℥ vi. removeanturque ab igne, dumque incipit refrigerari, adde vitell. ovor. num. 3. conservetur postea in vase mundo & bene cooperto, & illinet loca scabiosa omnia, scalpendo prius apud ignem, & sic fiat alternis diebus vesperi ante introitum lecti, septem vicibus; ultimo ingrediatur balneum, & mundificetur totum corpus, postea mutet vestes & Chirothecas. *Joh. Baptista Montanus. consil. 372.*

♃. Resinæ terebinth. lotæ ℥ ij. butyr. rec. ℥ j. sal. ʒ ij. ol. rosac. costin. sulph. vivi, an. ʒ v. ovor. lutea ij. M. F. Linimentum. Hoc linimentum multum profuit. Postea sequens pro abstersione institutum.

♃. Sulph. vivi ℥ ij. bacc. lauri ℥ j. baccar. juniper. ʒ v. sal. ʒ iij. contund. omnia & ligentur in petia & imponantur in olla recondito, & sic aliquantulum bulliant. Postea accipiatur illa petia, & cum ea fricetur corpus, quando vadit dormitum, seu singulis noctibus, seu alternis. *Joh. Baptista Montanus. cons. 376.*

Inter topica remedia scabiei convenientia, hoc primatum obtinere tanquam expertus confirmo, quod habet.

♃. Rad. enul. campan. virid. ℔ ß. pingued. porcin. ℥ v. in mortar. marmoreo pistentur, & ad lentum ignem parum bulliant, & F. unguentum, quo æger pustulas inungat, est enim admirandæ virtutis unguentum hoc, ut incantamento ejus opus simile videatur; cujus vires si expertus fueris, nobis consenties. *Amatus Lusitanus. cent. 2. curat. 98.*

Quidam scabie vulgari in manibus & pedibus infestatus, sic curatus fuit. Sumpsit primùm purgans sequens.

♃. Catholic. ℥ ß. confect. hamec. ʒ ij. syr. de fumar. ℥ j. cum aq. fumar & endiv. an. ℥ iij. M. F. Potio. Sequenti die secta fuit vena brachii. Deinde apozemate hoc usus est.

♃. Radic. liquir. ʒ ij. Radic. lapath. (quod Rhab. monach. vocant) ℥ 1 ß. Rad. polipod. ℥ ij. cort. tamarisc. ℥ ß. fol. endiv. mercurial. fumar. summitat. lupul. an. M j. fl. bugl. borrag. scabios. an. p. j. passul. paria x. prunor. num. 10. epithymi ℥ ß. sen. ℥ iij. sem. cartham. contus. ℥ j. sem. anis. fœnic. an. ʒ ij. F. omnium decoctio, in colat. q. s. pro 4. vel 5. vicibus adde sacch. q. s. aromatiz. ʒ ij. cinnam. absoluto apozemate adhuc semel purgetur sequenti potione.

♃. Rad. liqur. polipod. an. ʒ vi. sen. ℥ ß. sem. anis. ʒ j. fl. cordial. p. j. F. decoctio in colat. ℥ v. infund. rhei ℈ iv. agar. ʒ j. spic. Zinzib. an. ℈ j. F. expressio. dissolv. syr. ros. solut. ℥ 1 ß. F. Potio. Absoluta purgatione, capiat cubitum iturus mithrid. ʒ j. Vel,

♃. Conserv. cichor. bugl. ros. an. ℥ j. spec. trionsantal. ʒ j. cum syr. de endiv. F. elect. superbibat semper aquam fumar. & acetos. sumat electuar. alternis diebus quod intemperiem sanguinis contemperabit. Balneo dein hoc utatur.

♃. Rad. bryon. lapath. acut. fol. scabios. malv. mercurial. parietar. viol. hederæ, salicum, an. M. ij. decoq. in aq. pluviali: add. aquæ extinctionis ferri & lixivii, an. mensur. aliquot tartar. ℥ ij. sulph. ℥ j. sal. M. j. ut F. balneum, in quo sedeat per horas duas in die; dein in lecto se siccet: à balneo ungatur ita.

Ol. rosar. viol. an. ℥ ij. succ. lapath. acut. & plantag. an. ℥ j. aceti ℥ ß. butyr. rec. ℥ ß. coq. ad succ. consumptionem; adde litharg. ʒ iij. Rad. serpent. ʒ j. sulph. ʒ ij. ceræ, q. s. F. Unguentum; restitutus mox fuit. *Felix Platerus. observ. lib. 2. pag. 534.*

Adolescens quidam fœda scabie torquebatur à qua liberari nequiverat venæ sectionibus & purgationibus multis intra sex menses per intervalla usurpatis: tandem ei exhibetur merc. d. ℈ j. cum diagrid. ℈ ß. quibus optimè purgatus est, & à fœda illa scabie intra paucos dies liberatus. *Lazarus Riverius. Observ. 62. cent. 1.*

Quidam Empiricus decocto stibii calcinat. cum sarsaparilla additis etiam aliis, perniciosas sanabat scabies. *Platerus. practic. Tom. 2. cap. 17. pag. 767.*

Cer-

Certissima experientia comprobatum est ad omnia genera scabiei in capitibus infantium, plurimùm opitulari camphoram, si super ferrum candens aduratur, & in pulverem redigatur, & scabiei inspergatur, aut cum pinguedine veteri suilla commisceatur, & capiti inungatur. *Franciscus Joël. practic. lib. 9. sect. 2.*

Nihil vilius detritis calceis. Novi tamen puerum *Melitensem* toto corpore crustis fœdis obsitum, qui adsperso cinere combusti corii calceorum cum oleo rosac. convaluit. *Thomas Bartolinus. histor. 73. cent. 6.*

Ad magnam illam scabiem quæ in tibias excutitur, post morbos longos, & præcipuè febrem quartanam, doloribus sævissimis munctam, nihil inveni in tota medicina efficacius quam sequens unguentum.

♃. Unguenti basilici ℥ iv. Terebinth. ℥ ij. olei ros. ℥ iv. vitell. ovorum num. 3. ceræ tantillum. F. unguentum, quo inungantur partes scabie laborantes. *Petrus Pachequus. Observ. 35.*

Quidam Scabie perpetua sicca illa quæ perpetuo pruritu vexat, mirum in modum vexabatur dies ac noctes; somnum capere non poterat, cibum respuebat, vertigine tentabatur identidem. *Cracovienses* quidam Medici aliquot annis hominem variis medicamentis (alioqui macrum, siccum & melancholicum) excarnificaverunt. Fuit qui sarsamparillam, deinde chinæ radicem, alias guajacum præberet: denique hydrargyro unctus fuit: sed hæc frustra omnia, non potuit morbus his armis propulsari; tandem consilio *Itali* cujusdam *Joh. Pedemontani*, qui tum in *Dacia* ei, qui nunc *Polonorum* Rex est, ministrabat, ad Antimonii grana iv. deventum est. Quid multa? Morbus tam diuturnus, tam pertinax paucis mensibus depulsus est; jam sex anni abierunt, etiam nunc benè valet. Addam hoc quoque quod mihi magis mirum videtur; is, quem dixi *Pedemontanus*, jam à quindecim annis singulis ferè mensibus decem, duodecim, quatuordecim, cum lubet & necesse esse putat, grana ebibit; morbosum se fuisse antea ait, post usum stibii rectè semper valuisse; itaque magis ut imminentibus morbis obviam eat, quam ut præsentem aliquem curet, stibio se tam frequenter uti affirmat. *Andræas Dudithius. Ep. 17. lib. 6. consil. & Epist. Cratonis & aliorum à Scholtzio editorum.*

♃. Olei glandis unguentar. ℥ iij. spiritus salis ʒß. Mosch. vel Zibeth. gr. ij. ceræ q. s. F. unguentum; quo facilè & jucundè (cum bonum spiret odorem) scabies curabitur. Pauperes & Milites illam mirè fugabunt sola saponis nigri lotione; at non diu cuti inhærere debet, sed citò abluendus ne cutem excoriet. Decoctio malvarum cum alumine ad libitum est etiam optima ad scabies curandas, si ter ea corpus abluatur tepidè. *Petrus Borellus. Observ. 7. cent. 2.*

De Nævis maternis.

Vivit adhuc nobiscum hic Thorunii Vir quidam Consultissimus, cui uteri materni claustris adhuc incluso imaginatio materna ad dextra tempora impresserat pellis murini signum pilosum, quia mater gravida, cùm ei forte fortuna obvius factus esset musculus, ex terrore manum dextram dextris imposuerat temporibus. Tetigi hunc nævum, cùm pueri essemus, sæpissimè. Is verò adultior factus, & turpitudine istius notæ commotus, aqua regia locum affectum subtilissimè inunxit. Unde primum pili, mox & cuticula secessit, tandem verò Chirurgus tempora erosa mundavit atque obduxit, apparentibus jam hinc inde quibusdam cicatricibus.

Sub finem Februarii Anni hujus 1672. nupta est hic Thuronii Scoto cuidam in vicinia habitanti, virgo, è Scoticis quoque parentibus orta, cujus sinistræ manus dorsum ferè totum rutilus occupavit color, à matre gravida, incendium subito ortum advertente, atque ex terrore sinistram suam contrectante, ei impressus. Hæc ante paucos annos ex consilio cujusdam vetulæ sanguine Secundinæ affectum locum obleverat, sed tantum abest ut nævum absterserit, ut potius ingentem inflammationem cum insigni tumore ac dolore excitarit, quam tandem Chirurgus, non sine multo labore & industria compescuit, remanente nihilominus nævo. *Georgii Segeri in Misc. Cur.*

Maculæ quotannis stato tempore efflorescentes.

Curavi anno superiori adolescentem quendam, qui per sex vel plures annos maculis rubicundis, oblongis, elatis & prurientibus, singula æstate redeuntibus, & juxta motum Lunæ nunc apparentibus, nunc evanescentibus, deturparetur; Data sunt feliciter sanguinem purificantia, cum laxantibus per aliquot continuata dies, succedente pulvere meo Renovativo, ut voco, aliquot usurpando vicibus: componitur ex Antimonii diaphoretici alkool. spinarum viperarum & Antim. sublimat. Ita non amplius visæ sunt efflorescere. *Ehrenf. Hagendorn in Misc. Curiosis.*

Maculæ corporis ex sanguinis ebullitione.

Sæpè ignaros causarum terrent phænomena in corpore apparentia, quæ nullum secum periculum trahunt. Primæ notæ & formæ fœmina, sibi metuens, consilii causa me revisit de maculis in corpore universo enatis sollicita, sanguineis, latis parvisque in crure & brachio efflorescentibus. Nullo quidem incommodo actionibus officiunt, nescio tamen quas animo sollicitudines ingerunt. A scorbuto enim derivandas opinatur. Aliter persuasus ego, & temperamento mulieris & cæteris comitantibus signis, credidi querulæque persuadere cœpi; ebullitionem esse sanguinis nullo vitio depravati, sed copia peccantis. Menses enim inordinato cursu fluunt. Nunquam concepit. Disparent maculæ quando ægritudine aliqua corpus conficitur, redeuntque ad sanitatem redeunti. Post venæ sectionem non comparent. Unde de alio remedio frustra cogitandum censui. Non ita pridem similes prorsus maculæ sanguineæ crus speciosum ancillæ pulchræ deformaverant, ut territa illa revelare cum verecundia quadam partes illas mihi ausa sit. Lætam bono animo esse jussi, solo sanguine evacuato, nullum corpori nævum super-futurum promittens. Abundare enim sanguinem in corpore, qui extremam cutem petit cum angustioribus vasis excluditur. *Thomas Bartolini.*

De livore totius corporis periodice Recurrente.

Unius anni infans bene valens, circa medium Februarii hujus anni derepente, sine ulla præcedente causa toto corpore factus lividus, non aliter ac si strangularetur, integra tamen mente, sine ullo sensu doloris, nisi, quod caput parum inclinarit, ac si somnolentus esset. Perterrita rei novitate mater me vocat, sed ad adventum meum jam remisit ille livor universalis, qui ultra horam duravit. Et licet infans, jam in facie tantum & manibus sublividus, benè se habuerit, tamen suspicatus aliquid epileptici subesse, cum antea huic affectui fuerit obnoxius, quotiescunque enim nutrix menstrua experiebatur, insultibus epilepticis tentabatur & iste, dedi *Pulv. March. ep.* cum *Spec. de hyac. & ant. diaph. in Aq. Ceras. nigr.* sic disparente omni livore ad pristinum colorem naturalem rediit, diemque ac noctem insequentem commodè transegit. Tertia die hora octava matutina, prout ante triduum, iterum rediit livor, magis tamen in facie & extremitatibus pedum, manuumque, quam in reliquo corpore conspicuus, nec ita intense, sed tantum, ac si membra ex frigore liverent, quæ calore tamen naturali sufficienter erant prædita. Curavi reiterari pulverem, & post meridiem applicatur Clyster, sic iterum per diem & noctem benè valuit, sed rediit tertia, quarta, quinta vice, semper de tertio in tertium, subinde tamen minus. Tandem purgato corpore penitus emansit, parvulusque ad hunc usque diem optime valet. Utrum autem hic aliquid epileptici aut febrilis subfuerit, difficile est judicare. *Caroli Raygeri.*

Menstrualis partium in Puella quadam externarum, utpote aurium, narium, digitorum, &c. mortificatione.

Cum anno 1660. tertia vice Bataviam permigrarem, in civitate Delphensi Chirurgum, in operationibus suis expertissimum & solertissimum, in tota Hollandia & Zelandia celeberrimum, & ante aliquot annos mihi familiarissimum, inveni mortuum, quare à vidua petii, ut MSS. relicta aliquantulum perlustrandi mihi copiam faceret, quod quidem illa lubens concessit. Ille autem, inter alia memoratu digna, observationem raram annotaverat sequentibus verbis, quam ex Belgica Lingua, in gratiam benevoli Lectoris, transferendam putavi. Hæc autem ita se habet:

Anno 1629. die 21. Martii st. n. Ego *Bernardus Schrader*, una cum fratre meo Joanne Schrader, & Alexandro Lax, Chirurgiæ studioso, veni ad ostium aquæ in pagum, cui nomen est Geest, & quidem in diversorium, cujus hospiti nomen erat Joh. Brandes, hujus filia, quæ annum ætatis agebat 23. tali affectu miserè affligebatur. Singulis mensibus patiebatur dolorem insignem in digitis manuum & pedum, ut & extremitatibus aurium ac narium, cum tumore œdematoso, in facie, pedibus ac manibus: quem sequebatur paulo ante & post plenilunium partium istarum corruptio & mortificatio, sicut earum extremitates albæ & siccæ factæ, absque sensu, dolore, humore & fœtore deciderent frustulatim, eo quod istarum partium supererat naturalem formam & figuram retinente. Ego autem, cum diligentius apud parentes de his accidentibus inquirerem, pater mihi monstrabat scatulam, in qua centum & plura frustula demortuarum partium, quæ spatio trium annorum abscesserunt.

De singularibus morientium maculis.

Occubuit nuper inter nostrates Johannes *Deutschmann*, civis optimus & vis probus, affinis & compater meus, annos tres supra sexaginta natus, marasmo consumptus, cui nono ante mortem die maculæ purpureo lividæ per totum corpus plurimæ erumpebant, & manus dextræ carpus cum metacarpio ad cubitum usque livido & ad nigredinem vergente colore totus tinctus apparebat: quæ omnia ad finem vitæ perdurabant, neque post mortem disparebant; qualia signa mihi, quantum memini, nunquam aut rarissimè in morbis chronicis ante mortem, nisi in scorbuto, aut febribus malignis pestilentialibusque: post mortem autem sæpissimè observare licuit. Sed Dn. D. Johannes *Blümig*, gener meus, quinto die ante mortem in carpo sinistræ manus maculam livido purpuream rotundam cum radiis quibusdam in matre sua charissima se animadvertisse mihi narravit, quæ autem altera à morte die planè evanuit. Tales *Joh. Tilemannus in Explanat. Aphoris. Hippocr. p. m.* 237. maculas agonizantium appellat, indicesque mortis instantis vocat. Verùm ejusmodi macularum doctrina in libris Medicis parùm adhuc exculta est. *Simonis Schultzii.*

De intolerabili totius corporis Pruritu.

Solus aliquando pruritus, inquit *Sennertus lib. 5. Pract. part. 3. Sect. 1. cap. 8.* homines vexat, & adeo molestus est, ut etiam Medici auxilium implorare cogat, raro autem curatur in senibus, præsertim decrepitis. Expertus hoc ante annum Senator Ratisbonensis, de Republ. quoad vixit, optimè meritus. Usu quoque id venit cognatæ meæ, aliquandiu non mediocriter excruciatæ. At quorsum attinet colligere exempla ferè quotidiana? Id potius curandum, ut ex adverso nobis constent observationes aliquando restitutorum. Unicum exemplum ex *Mercuriali* adducit prælaudatus autor. Huic jungemus nos obstetricem, octuaginta sex annorum, abstemiam vini pariter & cerevisiæ, quadratam tamen, viribusque isthac ætate satis adhuc constantem. Sensit primo horrorem cum stridore dentium conjunctum, quem hora post tantus excepit totius corporis pruritus, ut aliquot dies ac noctes nec somnum capere, nec cuiquam rei vacare potuerit. Creberrima vehementissimaque frictione pustulæ confertim excitatæ malum haut leviter exasperabant, cutemque paulo post usque adeo fœdabant, ut cum leprosa mihi rem esse prorsus suspicarer. Præscripsi morsulum purgantem (ab aliis enim formis dici non potest, quantopere abhorruit) quo sumpto quinquies deposuit alvum. Partes prurientes adspersæ aliquoties pulvere *glycyrrhizæ, ceruss. alb.* ac *myrrhæ*, ex quo notabile levamen

vamen cœpit. Propinata præterea sanguinem purificantia; quorum vehiculum erant, quibus ab ineunte ætate assueverat, lac & aqua. Utroque nullo non die se nimium quantum ingurgitabat, unde horrorem non raro excipiebat horror. Tandem præter spem universum corpus positis exuviis fœdissimis, novam prorsus induit faciem; nullo post se relicto pruritu, vel dolore, vel denique deformitatis vestigio. Secunda adhuc usque utitur valetudine, nihil hoc morbo, ad obeunda consueta munia, segnior reddita. Numquid largior lactis potatio partem curationis sibi vendicare possit? haud inconsiderata est quæstio; notum enim ex historicis, apud Scythas lactis potatores nunquam ferè apparere lepram. *Joh. Petri Pruckelii.*

De scabie ex retentione mensium.

Non procul à Patria mea Fridlandia in Ditione Reverendissimi Abbatis Brunoviensis, in pago *Wernersdorff* dicto, Ancillæ anno 1657. fluxus menstruus subsistebat. Ex qua retentione primò tumor, deinde inflammatio utriusque Mammæ, in ulcera tandem desinens exoriebatur. Mater ex incantamento evenire judicavit, sed falsò. Postea quolibet consueto mensium tempore scabiosa fuit reddita: Elapsis autem diebus fluxus consuetis, scabies orta, sine Medicamentorum ope, sua sponte decidebat. Molesta hæc cutis fœditas, quolibet mense redux, usque ad annum 1658. quo Curæ meæ committebatur, illam divexavit. Evacuato prius benè corpore, nec intermissis totam massam sanguineam repurgantibus & emendantibus, venam Salvatellam bis secundam ordinavi, postea & utramque Saphænam, porrectis simul Medicamentis menstrua expellentibus. Virgo à fœda scabie, & ignominia luis venereæ, qua vicini illam infectam judicarant, restitutis mensibus, ordinarieque fluentibus, Deo benedicente, fuit liberata. *Melchior Fribe.*

Scabiei intempestiva & empirica curatio periculosa.

Juris quidam Studiosus, Berenburgo-Anhaltinus, Lugduni Batavorum vivens, Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, sub finem æstatis, & principium Autumni *sicca scabie* corripitur, cui fortasse ex parte occasionem dedit mutatio aëris; eo ipso enim anno præterito vere Witteberga se Hollandiam contulerat: hæc cum ipsi nimis molesta esset, tum à me, tum ab aliis Medicinæ Studiosis convictoribus suis (qui erant *M. Hayrio Rigius* Hamburgensis, *Nicolaus Witte*, Riga Livonus, *Tobias Scholtz* Thoruniensis Prussus, *Sebastianus Meier* Lubecensis) pro ea abigenda consilium petiit. Ego (utpote ipsi admodum familiaris) corpus ejus Cacochymicum, salsis & serosis humoribus scatens, considerans, suasi ei, ut primò Diætæ rationem haberet; & tam cibo, quàm potu moderato bonique succi uteretur: secundò, medicamentis idoneis Cacochymiam expurgaret: tertiò, salsos & adustos humores per habitum corporis expelleret, & quarto, si tribus hisce præmissis *scabies* haut evanesceret, externa quædam adhiberet. Ille verò licet quoad primum, Diætam parum curaret, me tamen ut juxta secundum scopum purgans aliquod præscriberem, sollicitavit. Itaque diversis vicibus purgantibus Medicamentis usus est, operatione semper benè succedente. Elapsis iterum aliquot septimanis, juxta tertium scopum sudorificum Medicamentum à me exigebat: quod ipsi etiam bis præscripsi, non sine successu. Interea dum his utebatur, me inscio; suasu cujusdam *Empyrici*, abluerat externè corpus *Aqua* quadam cujus compositionem, ut ex eo intellexi, *Mercurius* ingrediebatur, tum etiam *cingulo*, cui idem *Mercurius crudus insutus* erat, medium corpus nudum cinxerat, atque ita brevi tempore, *scabies* evanuit, humoribus scilicet ad extra se moventibus, intro pulsis, sed, ut ego prædixeram, facili occasione gravius aliquod malum corpori illaturis. Cum itaque Studiosus hic, elapsis paucis septimanis, jam nihil mali metueret, & decima nona atque vigesima Januarii anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi vino Gallico se nimium ingurgitaret, insimulque inter tumultus nocturnos inter Studiosos & vigiles civitatis exortos, corpus nimio motu exerceret, die vigesima prima Januarii manè è lecto surgere volens, gravissimum dolorem circa os pubis percepit, ita nec rectè incedere, nec stare posset: Circa noctem febre correptus, & sopore quodam obrutus est; quibus vigesima secunda Jan. perseverantibus, Dn. *Elemannum* tum temporis Practicum Leidensem ad se venire rogat: cui advenienti rem omnem retulit: *cingulum* etiam illud *Mercuriale* (quo ille tanquam Præservativo contra scabiem utebatur) corpori alligatum monstravit; Eo abjecto varia ipsi prædictus Medicus præscripsit Medicamenta purgantia & sudorifera, donec febre post aliquot dies cessante, tumor durus cum magno dolore circa os pubis inguina occuparet, qui vesicæ urinariæ collum comprimendo, urinæ liberum exitum impediret. Tumoris hujus causa Chirurgus vocatus est, qui Emplastra, primum Diachylon, dein Oxycroceon & alia applicavit, quorum ope ad decimam quartam Februarii dolore paulatim cessante, viribus quoque restitutis, melius incedere cœpit, tumor quoque sensim resolutus evanuit. Huic ferè similem casum recenset *Greg. Horstius Part. priore observ. singul. lib 2. observ.* 10. *p. m.* 103. qui ibidem videatur. Tandem sanitati planè restitutus, sub finem Anni mecum Angliam visitavit, & facetum viæ comitem se præbuit.

Scholion.] *Mercuriale cingulum* importunè adhibitum multoties maxima damna attulisse exemplis confirmant *Oberndorf. in Apolog. Medic. Chym. Pract. p.* 30. *Ruland. in Alexica. Chymiatr. p.* 44. Idem *unguentum Mercuriale* colli distorsionem. *Thoma Bart. cent.* 4. *hist.* 48. in Arthritico summos dolores & initium gangrænæ *Hildan. c.* 4. *obs.* 82. *aphoniam Ferd. Ponzetta l.* 2. *de venen. c.* 21. Epilepsiam. *Heurn. de aff. capit. c.* 23. mandibulæ casum *Angel. Sala in Planet spagyr. p.* 204. §. 3. & mortem repentinam intulit *Zacut. l.* 3. *Prax. Adm. observ.* 50. & 85. De aliis nocumentis ex Mercuriali illitione *Unzer. tract. de Mercur. l.* 1. *c.* 16. *p.* 108. Cum ipsemet Argentorati Anno 1649. viverem in convictu Excell. Dn. D. *Joh. Alberti Sebizii* Avo & Patri in Professione & Physicatu Successoris dignissimi, retulit fœminam quandam scabie laborantem

Mercuriali cingulo adhibito *tam enormem Linguæ tumorem* expertam fuisse, ut ea extra fauces plurimum protensa, cum metu gangrænæ, post aliquot dies vix magna ipsius cura & studio imminui & justæ quantitati reddi potuerit:

Ex scabie suppressa febrem continuam, cœcitatem & Epilepsiam productam *Sennertus* Paralipom. pag. 157. Quartanam p. 176. & Icterum *Camerarius* mem. 10. §. 65. memorant. *Simonis Schultzii.*

De Contagiosa cutis fœditate ex accubitu.

Anno 1661. Landishuttæ in Silesia virgo quatuordecim annorum cum dimidio, Curæ meæ se submittebat, quæ alias, quoad formam & nitorem, fuerat elegantissima. Hæc cum ancilla impura per noctem in uno lecto dormierat, inscia illam esse impuram, ea nocte magnam sibi, solo accubitu, attraxerat fœditatem. Eruperant ab initio in cute pustulæ rubræ, quæ successu temporis in squammas fuerunt commutatæ, & postea in eam accreverunt densitatem, ut fermè dimidium transversum digitum æquaret, quod facilè creditur, quia Chirurgus, cum meo jussu, præviis evacuationibus, venæsectionem tentasset, cum phlebotomo non cutem, multo minus venam attingere potuit. Curam internam quod attinet, dedi ab initio Mercurii dulcis grana XVI. Diagrydii ℈ß. in vehiculo conveniente. Purgante hoc sumpto ἄνω & κάτω multa mucosa & biliosa excernebat. Reiterabatur hoc purgationis genus, semper cum euphoria. Purgato probè corpore, quia paupercula erat, ad externa progrediebamur. Internè manè ad sudoris elicium præsto erat Decoctum Lignorum. Externè cubitum itura illinebat cutem Linimento sequente:

℞. Unguent. rosat. ℥vi. Vitriol. albi (*Gallitzenstein*) ℥vi. M. pro Litu. Quibus adhibitis, & ad necessitatem reiteratis ad quatuordecim dies & ultra, quolibet diluculo Mater Patientis duos manipulos integros squammarum è lecto facili negotio colligebat. Apparuit tandem, profligatis squammis, cutis rubra & quasi renata, dolens tamen, quapropter à Litu superiori abstineret duxi consultum, & illius loco balneum dulce simulque cutem mundificans adhibui, sicque Deo benedicente, parcioribus sumptibus miseram gratis in integrum restitutam reliqui. De hac cutis fœditate non multum disputabo, utrum Lepra, aut Elephantiasis sit dicenda Lepra fuit, sed ut species sub genere, quia squammosa fuit: Elephantiasis verò, quia *Jonstonus Id. Univers. Medic. lib. 6. cap. 9. pag. m. 289.* sub hac tanquam genere, varias comprehendit species, nimirum Leontiasin, Satyriasin & Lepram, asseritque has species esse tumorem totius Corporis cancrosum ex atra bile, venenata qualitate infecta, & in totum Corporis habitum effusa, exortum, multaque Symptomata inferentem. Sed quoniam Autor nominatus quatuor species capite eodem pag. 290. constituit, & eam, in qua albedo, squammæ & furfures apparent, Elephantiasin Tyriam, à serpente squammoso Tyro, Vere spolium exuente, vocat, jure meritoque & hanc à me curatam cutis fœditatem Lepram sive Elephanti sin Tyriam fuisse autumo.

Vermes in Scabie animadversi.

In scabie videntur vermes, *Borellus obs. 32.*

In Scabie Venerea vermes limacum instar tantæ fœcunditatis vidit *Kircher*, ut intra dimidiam horam ad 50. alios similes sibi partus effuderit. *lib. 12. mundi subterr. s. 1. c. 10.* Ex *Messi* observ. Microscopic. *Melchior. Fribe.*

De scabie epidemica felium.

Eleganter *Homerus lib. 1. Iliad.* pestilentiam refert à pecudibus esse inchoatam: quando morbus, antequam in homines posset irrepere, facilius captis pecudibus incubuit, ceu loquitur *Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 5. pag. 520.* Prout enim aër impurior hujus vel illius animalis speciei temperamento est contrarius, ita unum sæpè epidemicis tentatur & perit morbis, alterum sine ulla contagionis lue servatur incolume, unde non rarò observata est pestis ovium, boum, anserum, canum, &c. Neque verò ob Temperamenti solùm dispositionem seu ἰδιοσυγκρασίαν, talis-modi animalia bruta corripit lues; sed etiam, veluti elegantissime *Eustachius Comment. in lib. 1. Iliad. pag. m. 31.* scribit, διὰ τὸ ἐγγυτέρω εἶναι τῶν πρωτοπαθοῦς ἀέρος, ἢ εὐθὺς μεταλαμβάνειν αὐτῇ τῇ κάτω πρὸς τὴν γῆν νεύσει, *quod propiores quasi sint primum affecto aëri, illumque citius prono ad terram nutu hauriant.*

Pertinet huc Scabies Epidemica felium, quæ à duobus annis in Westphalia, aliquot milliarium spatio adeo grassata est, ut nulla propemodum felis manserit superstes. Scabie caput oppletur, inprimis verò aures penitus crustis quibusdam obducuntur, oculi quasi cute videntur obduci, quamvis adhuc videant, donec tabo quodam diffluant, & hinc moriuntur. Perpetuus urget ipsas sopor, & non aliter dormituriunt, quàm si illam de somni encomiis audivissent Orationem, unde vix ad epulas veniunt. Ultra caput & collum non progressa fuit scabies. Nulla ferè domus, in qua non fuerint hoc malo correptæ, & nisi fallit conjectura, videri poterat generatione quoque communicatum, præter communem aëris usum, quippe eas quoque occupavit, quæ sine ullo cum aliis commercio accuratè fuerunt custoditæ, ne vi contagii corriperentur. Putantur quædam curatæ pinguedine balænæ, in plurimis verò Medicina non valuit, paucæque evasere. Testem hujus rei oculatum nomino Dn. M. Joh. Prætorium, Gymnasii Susarensis Directorem, amicum longè carissimum, qui illud ad me perscripsit 1671. Mense Novembri. *Georg. Wolfg. Wedelii in Misc. Curios.*

De Morphæa Nigra.

Si quis cutim humanam Nosodochium seu receptaculum omnium morborum dixerit, ne ille brevi multa eaque verissima exprimet. Qualis enim in corpore intus delitescit morbus talis efflorescit in cute. Hinc squalet in *Hectica*, æstuat in *Febribus*, flavescit in *Ictero*, pallet in *Cachexia*, tumet in *Hydrope*, deformatur variis maculis in *Scorbuto*. Nec satis est aliarum partium in se suscepisse atque notasse vitia, suos proprios insuper patitur manes & innumeris detur-

turpatur modis. Quis enim omnes ejus defœdationes, impetigines, vitiligines, lichenes, variolas, papulas, maculas & sexcenta alia enumeret exanthemata? Inter quæ non extremum locum occupat species illa vitiliginis, quæ *Morphæa nigra* dicitur, affectus primo aspectu magis terribilis quam periculosus, apud nos satis rarus, à me nunquam adhuc observatus, nisi hoc præterlapso anno binis vicibus. Nam circa initium Januarii cum *Dn. D. Schilpachero* collega meo honoratissimo, accessi puellam quandam trium annorum ex morbillis convalescentem. Huic tota cutis una nocte maculis nigris conspersa, sine calore aut dolore. Dubitavi ad quodnam exanthematum genus referrem, extra periculum tamen constitutam puellam videns, suasi si forte quid scorbutici subesset, ut *Mixt. simpl. cum spir. cochl. & syr. de fumar.* ad aliquot dies propinetur, quo facto brevi omnes evanuerunt. Circa medium Augustum eædem iterum observandæ venerunt maculæ in filiola trienni Chirurgi nostri *Alexandri Schele*. Laboraverat illa prius dysenteria, epidemialiter tum temporis apud nos grassante, sat pertinaci, inde autem convaluit: post aliquot septimanas, cum bene de nocte quievisset, mane expergefacta toto corpore maculis nigris defœdata reperitur. Vocatus à terrefactis Parentibus, agnovi statim morbum, priori penitus similem, nec dubitavi amplius *Morphææ nigræ* nomine hæcce insignire jam melius à me considerata exanthemata, quia exacte conveniebant omnia cum descriptione, quam habet *Joan. Tagault. lib. 1. Inst. Chirurg. cap. 2. & Cels. lib. 5. cap. ult.* Nulla quippe aderat cutis vel exasperatio, vel exulceratio, sed superficies tantum ejusdem maculis nigerrimis guttatim quasi aut squamulatim sine inæqualitate defœdata, aberat calor, dolor, pruritus omnis, unguibus asperius aut acu etiam punctim tractatæ sanguinem fundebant, quod pro signo habet *Cels. d. l.* Puella cum ad interna medicamenta sumenda valde fuisset refractaria, neglectis etiam externis, quæ varia describit & commendat *Aëtius Tetr. 3. Serm. 1. c. 132.* brevi iis liberata, non multo post tamen in variolas incidit, unde jam jam convalescens importuna balneatione, ad nitorem corpori conciliandum, recidivam passa obiit. Recordor sæpius me vidisse maculas cum variolis erumpentes hisce simillimas, semperque funestas, quas ex communi sententia pro Petechiis nigris habui, illas tamen extra variolas in multis aliis Petechiis laborantibus nunquam inveni, forte idem est affectus, nisi quod quandoque cum malignitate conjunctus perniciosior. *Caroli Raygeri in Miscell. Curios.*

De dorsi ineffabili pruritu.

Nuper percurrenti aureas nostræ naturæ Curiosorum Ephemerides, mihi oblata est *Dn. Andreæ Cnæffelii* observatio oppido rara, de Pruritu Dorsi ineffabili; quæ in memoriam revocavit similem dorsi pruritum in Generosissimo & Strenuissimo quodam Domino in Ducatu Meklenburgensi; Ille Generosissimus Dominus mihi non semel confessus est, quomodo olim & adhuc dorsi pruritus tam vehemens illum divexet, ut sæpius equo descendere, & dorsum famuli unguibus subjicere, strenue illud fricaret, coactus fuerit, & si pruritus ille ingruit, nihil ipsum placare vel demulcere valet, quam si expertus sit aliquandiu unguium rasuram: erat hic nobilis (parco nomini) ex nobilissima & antiquissima *de Bulovv.* prosapia, cujus filiorum informationi eram præfectus, inque hujus pruritus ætiologiam alii me doctiores inquirant, malo quippe hic alios audire, quam proprium judicium subnectere.

Scholium.) Causa hujus pruritus molestissimi non alia videtur fuisse, quam serum particulis multis acribus terrestrioribus vel fixioribus acuatum in glandulis cutaneis à massa sanguinea separatum, quod transpiratione alias in statu naturali sensim & insensibiliter exhalare solitum, hic tenuiorem tantum partem dissipari permittens, crassiorum in ipsis tubulis excretoriis stagnationem, & consequenter earundem, majore blandiorum & attemperantium divaporatione subinde facta, concentrationem sensim procuravit, quæ ita ferociores redditæ acredine sua nervosas cutis partes pungendo & vellicando molestum illum pruritus sensum induxerunt; usque dum forti fricatione spiritus majori numero allecti non poros tantum magis dilataverint, sicque crassioribus istis excrementis exitum faciliorem concesserint, sed etiam una hæc attenuaverint, atque promtiorem ad divaporationem deduxerint. Hinc quoque maximum illum dorsi pruritum à Celeb. D. Cnoffelio descriptum sustulit tum Antimonii diaphoretici & Bezoardici mineralis internus usus, quæ vitiosi seri particulas acres absorbendo, atque ita quasi volatilisando liberiorem transpirationem effecerunt, tum & Mercurii sublimati in aqua soluti externa adplicatio, qui activis suis particulis in poros penetrans serum in cute restagnans & coagulatum liquando ac dulcificando vim suam exseruit. Unde non minus curam à Petr. Borello (cent. 4. hist. 36.) tentatam prospere successisse credi potest, qui pruritum ibi descriptum ab humoribus biliosis & acribus procedere autumans, vini usu interdicto, quæ ad bilis, & ita acriorum una humorum evacuationem facerent, juxta cum ptisana aperiente & victu incrassante, rebus utpote ad seri contemperationem facientibus, ordinaverat, Nec immerito in exemplo à se prolato Nob. D. Pruckelius Ann. 9. Eph. Nat. Cur. obs. 11. lactis potui non ultimam curæ feliciter peractæ causam adsignaverat. *Joann. Ludov. Hannemanni.*

De Dorsi ineffabili Pruritu ex Obstructione menstrui.

Fœmina quædam annorum triginta sex patiebatur mensium obstructionem, compressionem thoracis, gravitatem anhelitus & inappetentiam cibi, cum eruptione macularum, quas vulgo vocant *Leberflechen.* Post sex fere septimanas, ut referebat, insignis & horrendus sequebatur dorsi circa scapulas, & ad costas usque spurias se extendens pruritus. Omnia vestimenta debebant dilacerari & crudelitas unguium magna atrocitate in propriam carnem sæviebat, nec poterat satiari sanguine, donec largiter fluebat, quod unicum erat dimidiæ horæ levamen. Obduratus sanguis novæ pruri-

ginis prodromus existebat. Non enim tam cito sanguis erat incrustatus, cum jam manus ad pristinam sævitiam se armarent, misero neque satis lacrymis deplorando spectaculo.

Applicatis medicamentis primo internis resolventibus, evacuatione facta generali, sequente phlebotomia in pedibus, nihil levaminis sensit patiens. Deinde externis, Unguentum enim nutritum absque fructu tribus diebus applicabatur; Nitrum fixum in aëre solutum pro salis volatilis corrosivi præcipitatione paucula quantitate aquæ spermatis ranarum commixtum, noluit obsecundare voto medentis.

Tandem cum Antimonii diaphoretic. gr. xv. & bezoard. mineral. gr. viii. cum vino interne, sæpius assumptis ad diaphoresin redacta, & aqua Mercuriali exterius sæpius illita esset, cessit pruritus, cutisque, quæ deinde Emplastro de Minio consolidabatur, renascebatur & ægra D. A. evasit sana.

Aqua Mercurialis taliter præparatur.

℞. Mercur. Sublim. ℥j. affunde aquæ ℔j. Coque per horæ quadrantem, ut ebulliat, Servetur pro usu. Præsentissimum alias remedium ad guttam Rosaceam Paracelsi.

Quod autem hoc loco admiratione dignum, erat urina tremula vel saltans. Nam urina recens è corpore excreta statim ebullire, & per sex fere horas semper moveri conspiciebatur cum gravi fœtore, successu temporis etiam per integrum diem talis motus continuabat, inexistentis contrarii salis sufficiens index. Quæ tamen omnia ulterius pensitanda, doctissimorum & experientissimorum Virorum judicio, relinquenda duco. *Andr. Cnoeffelii.*

Herpes miliaris in capite.

Puellus septennis, temperamenti calidi & humidi, corpore gracilis, gestu agilis, facie ac ingenio liberalis, bimestris quondam infans variolis laboraverat, exactis illis, achores subsecuti per septimanas aliquot puelli caput afflixerant, posthinc ille usque modò nullo fere morbo infestatus fuit. Ast Anno Christ. 1672. Ratisbonæ sub fine Octobris incipiebat queritari de pruritu sub capillitio, ac brevi momento post fricationem & lavationem capillorum sensit levem & obtusum dolorem capitis, quem mox insequebantur in vertice ad spatium circiter semithaleri pustulæ albidæ parvæ, milii seminis magnitudine, sine omni ferè humiditate, siccæ, cum paucula, & vix sensibili intumescentia, sed quum malo interea nullum remedium adhibebatur, quòd pro levi ac puerili affectu haberetur, temporis progressu, in tantum adauctum fuit, ut à dicto verticis spatio, ubi mali radix certè latuit, se dilatans majorem partem capillitii, veluti Ophiasis serpentum more perserperet. Post iteratam capillorum lotionem pustulæ illæ siccatæ granulorum instar decidebant, locus rubescebat cum pauco subtus calore; sine omni tamen dolore, & triduo post granulosa illa exanthemata semper redierunt, citra omnem aliam corporis internam vel externam affectionem, & isthuc ubi malum serpsit, pili, qui aliàs coloris spadicei, parùm albescentes, tanquam ad radicem usque desiliebant, atque locus quidem affectus conspiciebatur planè sanatus, malo tamen alia semper loca novo variatim cursu petente; puellus interim in suis actionibus vividus, juveniliter exultans, ac animo liberali degebat, præter nunc, cùm nescio ex quorum intempestivo augurio, malum periculosum & lethale fore percepisset, hoc nonnunquam animo revolvens, mœstus incederet. Multi etenim putarunt sub malo hoc gravius quid latere, metuentes ne subtus cutem erosiones simul cranii subsequantur, atque cerebri meninges ipsæmet, cum vitæ periculo exederentur. Præsertim cùm nobilissimi Parentes Anno 1671. mense Julio circa festum D. Jacobi filiam ætatis undecimo ac dimidio, in orbillis tunc graviter decumbentem & den ortu m h buissent, quæ per biennium ante hujusmodi capitis affectu, herpete scilicet, infestata fuerit, cùm prius affectus hic post multas catarrhosas fluxiones, & ingentem odontalgiam initium sumpserit, tamen absque ulla superioris capitis sensibilitate dolorifica, cæterique corporis ægritudine notabili, ut & Medicus loci ordinarius, cùm eam morbillis laborantem visitabat, de hac capitis affectione, ejusque prognosi, ac curatione simul requisitus, responderet, affectum hunc nihil periculi habere levem & infantilem saltem morbum esse, itemque facilè profligari, aut temporis progressu sponte evanescere. Chirurgus verò quidam arte sua & scientia non incelebris quoque accersitus, inspecto ac contrectato loco morbido, statim præsagierat puellam brevi morituram, referens, se talem ægrum aliquando vidisse, nec eum diu supervixisse. Quod & hic factum; namque ægra sub medio morbillorum affligentium statu, semper alioquin hilaris pro more consueto, & morbillos facilè ferens, subitò de insigni cephalalgia queritans, intra paucas horas mortem obierat, & post obitum spatium illud in vertice morbosum cum mollitie quadam denigratum & sphacelatum erat inventum, itemque per nares purulenta & fœtida materia profluxerat, non absque suspicione ulceris sub cranio latentis. Proinde Parentes eundem eventum in filio metuentes, consilium ac prognosticum à me, diversisque aliis Medicis anxie petierunt. *Joan. Helvvigii.*

Scholium Helvvigianum] Herpes est affectio p. n. quæ & Serpigo dicitur à Serpendo, quod anguium more serpere videtur, & quod una parte sanescente, morbus in proxima parte serpit, ortum habens à bile flava excrementitia, sincera, subtiliori, acri vel exurente, quæ sensim, nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate sua omnes corporis partes, præcipuè carnosas transgreditur, usque densiorem cutem attingat, in qua tandem decumbit, & detinetur, illamque densitatem cutis exurit, (unde etiam inter inflammationis species refertur) & aliquando pustulas milii semini similes excitat, quæ aridæ è ruptis pauca, vel nulla materia effluit. Galenus lib. de tumor. p. n. non inconcinnè censet, bilem hanc pituitæ quid admixtum habere. Herpetis autem species Peccetius lib. 1. oper. Chirurg. cap. 15. cum Barth. Castello in Lexico med. dinumerat tres: primam, quæ solùm serpendo cutem superficie tenus saltem exurit, ac simplex dicitur; alteram miliarem à similitudine, quia in cutis seu cuticulæ superficie pustulæ semini milii similes excitantur: has duas

duas, puto, secundùm magis & minùs tantùm inter se differre. Tertia herpetis species Græcis ἐσθιόμενος, sive fera dicitur, ex crassiore bile orta, totam cutem exulcerare solet, ad suppositam carnem usque. Secunda specie, miliari scilicet, affectum fuisse puellum nostrum, ocularis inspectio testabatur: tertiam verò observavi infestasse Emin. Arch. S.G.C. de T. qui anno 1672. Ratisbonæ affectu hoc afflictus, & Medici convocati ob mali vehementiam & contumaciam valdè defatigabantur; fuerat iste à natura temperamenti biliosi, calidi, & sicci. Videatur etiam de curatione hujus mali, cum aliis authoribus *Anth. Saporta tract. de tumor. p. n. l. 2. cap. 7. & 8.*

Additamentum Schrockii.

Quod Latinis Serpigo, & serpendo, id Græcis ἕρπης dicitur ab ἕρπειν, quod serpere itidem vel repere ipsis denotat. Licet diversos ex duplici hoc nomine morbos quidam sibi fingant, cujus specimen videre est apud *Guil. Ballonium lib. 2. consʃ. Medicin.* 28. de diro herpete cum serpigine brachii sinistri consultantem. Hujus, ut Auctor etiam noster monet, diversæ sunt species, quarum una miliaris, Græcis κεγχρώδης, i. e. milio similis adpellatur, & communiter à bilioso humore, cum aliqua pituitæ parte commixto, ortum habere statuitur; quam permixtionem in hoc præcipuè puelli herpete contigisse, dicendum erit, cùm doloris absentia pituitam copiosam insipidam bili conjunctam, ejusque acrimoniam, dolores excitaturam, temperantem abunde testetur. Serum autem sanguinis hîc accusandum sæpius esse, arbitratur *Paulus Barbette* part. 2. Chirurg. lib. 1. cap. 8. *ductus enim lymphæ*, inquiens, *mali constituti mutationes in corpore humano producunt, antea ignotas.* Et certè, paulò strictiùs si naturam sequi velimus, potiores hic serum ludere partes, fateri necessum est, cujus acredinem à sale in eo vitiato, & acore hostili imprægnato, dolorificum inducere sensum, nec non lentorem pustularum generationi perquam adcommodum, nemo est qui negare queat; quod si sal illud bilem, & serum crassius pituitam, ad Veterum mentem quis nominet, idem dicturus est. Qua vero ratione lymphæ ductus mutationem hanc in corpore producere queant, paucis disquirendum. Conspectiora quidem vasa illa seriflua, liquorem suum à circumferentia ad centrum vehentia, si quid hîc conferant, vix alio modo, quàm ubi obstructionem patiuntur, quod vel ab ipso sero crassiore fieri posset, id præstabunt, ita ut lympha per meatus istos versus cor reditura, in eos non recipiatur, & sic restagnans ad cutis potiùs circumferentiam feratur. Istos tamen lymphæ ductus, sive sudoris vasa excretoria, quæ juxta cum glandulis densissimè in cute esse consita, superiùs Schol. ad Observat. 22. ex *Willisio* monui, excretioni huic morbosæ potissimùm inservire credibile est, non alia tamen ratione, quàm ut canales tantùm sint, per quos ichor iste præternaturalis, in glandulis separatus, ad exteriorem cutis ambitum evacuari queat. Quæ quidem excretio modò universalis est, qualem adfectum, quem ad herpetem referunt, ex *Hieron. Reusnero, Georg. Hier. Welschius in Syllog. observ. num.* 22. nec non *Exc. D. D. Simon Schulzius* Ephem. Germ. cur. Ann. 3. obs. 5. describunt; modò particularis, caput, ceu in præsenti Auctoris Casu, artus superiores, inferiores, aliasve partes occupans; *Sacer ignis fit maximè in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, præcipuèque in plantis*, ut habet Celsus lib. 5. de re med. cap. 28. Curationem non multum ab Erysipelatis recedere, communiter judicant; in quo autem differant, à Galeno lib. 2. de arte cur. ad Glauc. c. 2. docetur; Specialem si quis desiderat, præter alios, ordine expositam inveniet apud Bald. Timæum cas. medic. lib. 6. cap. 10. Consilium etiam in herpete capitis apud Rein. Solenandrum occurrit lib. 2. consʃ. 2. Externa inter præsidia, saliva quoque hominis jejuni & sani illita, à plurimis commendatur, qua multum sæpe effici Barbette testatur, & utilissimam vocat Cl. D. Frider. Hoffmannus Clav. pharm. Schröder. lib. 5. sect. 1. §. 23. Scilicet, quod agnoscit Exc. D. D. Otto Tachenius cap. 16. Hippocr. chim. Latens in eo alcali, acido isti morboso contrarium, vim ipsius pungentem infringit atque absorbet, vel si acidi quid, ut aliis placet, natura ejus unà continet, abstergendo etiam utilitatem præstare potest; velut ipsum rorem fenestrarum, ex halitu humano concentrato collectum, serpiginibus, ratione salis in eo delitescentis, abstergendo, mederi, Venerandus D. Simon Pauli πυρεκβ. de febrib. malign. §. 43. auctor est. Unde etiam salivam tumores, ob subtilem suam & attenuantem naturam discutere Corn. ab Hogelande, notis ad histor. Oecon. animal. p. 73. judicaverat.

Herpes in pectore exedens.

Eminentissimus C. S. G. C. de T. temperamenti calidi & sicci, assuetus diætæ liberaliori & vino generoso, ac iracundia facilè percitus, cùm Anno 1662. sub initio veris sentiret molestiam circa pectus cum calore quodam præternaturali, infestatus pruritu exurente, ac pustulis parvis cum cutis inflammatione & exulceratione dolorifica valdè, à sero bilioso acri, impatiens & ægerrimè ferens malum hoc, convocatis duobus Medicis, sed non ad gustum atque placitum ei servientibus, postulari jubet Monachio Archiatrum Electoris Bavarici supremum, qui severè injuncta diæta decente, alternatis per epicrasin cholagogicis ac bilis fervorem infringentibus, simulque externè adhibitis emplasticis & epuloticis, feliciter pristinæ sanitati restituit. *Joann. Helvvigii.*

De Puella Herpete miliari laborante curata.

Elisabetha, Joannis Goldneri Consulis Thorunensis cognati mei jam piè defuncti, minor natu relicta filiola, annos tredecim nata, Herpete Miliari correpta, per aliquot septimanas malè habuit. Ego ad ipsam Anno 1670. 24. Novembris vocatus, offendi pustulis exiguis per summam totius corporis cutem, excepta facie, veluti ex deustione miserè defœdatam: quæ tamen è collatione signorum omnium à tenui & minùs acri humore oriebantur: nam in sola superficie cutis: milii seminibus similes apparebant pustulæ levi cum pruritu, ob quam similitudinem

tudinem affectus hic Latinis *Miliaris Herpes* nominatur: Græcis verò quibusdam post Hippocratis ætatem κεγχρίας ob eandem rationem dictus est: κέγχρος enim Græcis, Milium nobis dicitur: Atque hæc species Galeno Autore lib. 2. ad Glauconem Hippocrati generis sortitur appellationem, cùm simpliciter & sine additione illi Herpes vocatur. Alibi tamen Herpetis nomine Galenus Herpetem Esthiomenum, id est, exedentem intelligit: Hic autem non protinus ulcus facit, ut alter, qui excedens dicitur, sed admodùm exiguas pustulas ad speciem Milii, quæ & ipsæ, interposito spatio, ac procedente tempore, cùm disrumpuntur, in ulcus abeunt: quod tamen in Herpete Miliari raro accidere solet. Quia verò Puella hæc teneræ constitutionis erat, & Medicamenta non adeò grati saporis valde aversabatur, præscripsi ei sequentia alterantia, quibus sine nausea utebatur.

℞. Syr. de endiv. sem. Cichor. nymphææ an. ℥ ij. m. de quibus quotidiè manè & meridie H. 4. unum cochlear cum haustu cerevisiæ albæ calidæ: cubitum autem itura de sequenti Condito ad quantitatem nucis juglandis assumebat.

℞. Conser. rad. cich. ℥ ijß. flor. Nymphææ, Viol. an. ʒ vj. Lap. cryst. mont. præp. ℈ ij. c. s. q. Syr. rubi idæi f. l. art. conditum. Die 29. Novemb. istum Syrupum laxativum ordinavi.

℞. Syr. Diaser. Andern. ʒ vj. Pulv. rad. Jalapp. ℈ j. Crem. Tart. ℈ß. Aqu. Cinnamomi cord. ʒ ij. M. post cujus usum purgatio aliquoties subsecuta. Die 1. Decemb. alterans.

℞. Syr. de endiv. s. de duab. radic. an. ℥ iß. quem pro tribus vicibus cum haustu cerevisiæ calidæ ebibebat. Die 3. Decemb. bolum laxativum deglutiebat.

℞. Elect. laxat. Extr. fol. Senn. nostr. ʒ v. cum Saccharo, Canar. f. l. art. bolus pro una dosi. Hiscè ita præmissis sequentia ordinata sunt die 5. Decembr.

℞. Rad. Chinæ pond. non lign. in taleol. sect. Salsæ paril. an. ʒ vj. Sassaf. ʒ iij. Santal. Citr. ʒ ij. Infunde per horas 18. in aqu. font. ℔ i ß. cal. tum l. art. decoque in M. B. sub finem decoctionis adde Cinnamomi el. ʒ iij. liquirit. rasæ ʒ j. Colaturam per residentiam optimè depuratam serva pro usu. Hujus decocti sexies parati quotidè manè & à meridie h. 4. Uncias duas cum Syr. acet. Citri ℥ ß. consumebat, subsequente sudore. Die 17. Decembr. Balneum artificiale hoc paratum est.

℞. Rad. Scrophul. Lapatii, Herb. lapp. maj. & min. lent. palustr. plantag. Fl. Chamæm. meliloti an. m ij. Herb. fumar. m j. Sulph. vivi, Alum. rochæ an. ʒ ß. Incisa crassiusculè d. ad Chartam pro Balneo. Die 19. Decembr. Isthæc inunctio instituta est.

℞. Rad. Lapath. maj. Emul. an. ℥ j. contusa coq; in s. q. aceti ad formam cataplasmatis, trajectis per setaceum adde Sulph. pulv. ʒ i ß. Alumin. ʒ ß. Cretæ pulv. ʒ ij. Butyri non saliti Ung. rosat. Mes. an. ʒ x. Ceræ albæ parum, f. l. art. Linimentum: quo post balneum corpus calidè inungebatur. Inunctionem, quam Valescus de Taranta cap. proprio de curatione formicæ miliaris ex lana ovis succida correfacta & pulverisata, atque cum aqu. rosar. in pollinem redacta, hoc in affectu instar arcani commendat, puella ferre non poterat: Siquidem post hujus inunctionem de summo dolore conquerebatur. Ab istorum usu puella per Dei gratiam melius habere cœpit: Nihilominùs tamen partim ad reliquias humoris vitiosi exturbandas Electuarii Laxativi nostri ℥ ß. partim Epatis corroborandi & refrigerandi gratia tale conditum præscripsimus.

℞. Conserv. rad. cichor. rosar. an. ℥ i ß. fl. Cichor. cort. Citri. cond. an. ℥ ß. Spec. Diamarg. fr. ʒ ß. c. s. q. Syr. de endiv. S. F. l. art. conditum. Atque sic pustulis in totum evanescentibus, puella pristinæ sanitati restituta jam optime valet. *Simon. Schultzii.*

De Herpete brachii lethali.

Nobilis quidam senex conquestus est aliquoties de pruritu in summo capitis vertice molestissimo. Incidit in febrim malignam cum horrore maximo. Propinantur bezoardica, intumescit collum, erysipelatode tumore descendente ad brachium cum vehementissimo calore & dolore, apparentibus vesicis ichore mordacissimo plenissimis, Pergimus in usu roborantium & bezoardicorum; Brachio repellentia nulla, sed extrahentia apponimus. At vires sensim decrescunt, ægerque post aliquot dies & ætate & morbo fractus & devictus ad alteram beatam vitam avocatur.

Scholium) Crisis fuit imperfecta, etsi enim pars aliqua malignæ & corruptæ materiæ per herpetis excitationem excreta, tamen reliquæ adhuc sufficientes fuere ad suffocandos & extinguendos ætate exhaustos spiritus vitales. Calido enim nativo exhausto, naturæ quoque vires languent, ita ut in expellendo, etsi excitata & stimulata, tamen segnis evadat. De crisibus & earum causis hîc agendum esset, sed cum ipse *Galenus l. 3. cap.* 10. Deos immortales invocet, se invitum de iis scripsisse, & in hisce propositis angustiis quoque impossibile sit, aliquid lectione dignum proferre, de iis hoc loco scribere supersedeo. *Daniel Wincleri.*

Pro Impetigine & Serpigine.

Duo filioli mei patiebantur diu in brachiis ventre, ac cruribus feras, tristes atque flebiles impetigines, quas manè & vesperi juxta ignem illinebam oleo sulphuris: quo intra paucos dies dolor, pruritus, omnisque infectio submota est, nec unquam postea recruduit. *Martinus Rulandus. curat.* 83. *cent.* 1.

Vir quidam in facie & cruribus impetigine laborans, post universalia remedia, curatus fuit hoc lavamento.

℞. Malv. cum toto, fol. salicis heder. arbor. & lappæ: an. M. j. coq. in vino. Laventur eo crura, & apponatur fol. lappæ; ad idem valet & fol. hederæ appositum: sed & hoc commodè usus est, & ego in aliis quam plurimis expertus sum.

℞. Fol. salic. heder. arbor. lapp. ungul. caball. an. M. j. coq. in vino Pictaviensi. Deinde apponatur fol. ung. caball. valet egregiè ut experti sumus, etiam si in facie sit, sinapi recenter molitum, & supra linitum, quod quidam pro maximo arcano tenuerunt; etsi apud antiquos quosdam authores ejus quoque mentio fiat. *Petrus*

trus Forestus, observ. 10. lib. 2. observ. Chirurg.

Pro hoc malo depellendo quod faciem & maximè mentum deturpabat, quidam infallibili remedio utebatur, sinapi rec. mollito quo loca impetiginosa oblinebat, atque eo remedio tum ipse curatus est, tum plurimi alii post eum, quibus hoc communicavit consilium. *Petrus Forestus, obs. 12. lib. 2. obs. Chir.*

Mulier quædam impetigine in crure graviter affecta, cum per Chirurgos plurimos curari non poterat, ex consilio cujusdam mulierculæ accepit butyrum ferri squammam quæ intercudendum excutitur, quam pulverisabat, & cum pice navali (vulgo *Tart.*) componebat linimentum, inunguens crus leniter, & curata fuit. Sed posteà ut ipsamet mihi retulit loco squammæ ferri, accepit carbones fabriles eosque pulverisatos cribro excipiebat, illumque pulverem unà cum butyro & pice navali bulliebat in olla leniter donec in linimentum coiret: quamvis autem fœtorem satis molestum ex se remitteretur hoc unguentum, egregiè tamen ad rem faciebat, adeo ut hoc solo remedio à fœda illa impetigine tandem sanata sit.

Dum *Romæ* agerem, post febrem, qua corripiebar, malignam, die septimo in fronte apparuerunt impetigines quasi per modum crisis: inter *Gisbertum Horstium.* & me conclusum est, ut incuratas sinerem, juxta aphor. 20. sect. 1.

Tandem tamen cum post aliquot dies viderem eas per se non evanescere, sed turpiores evadere, magisque intumescere, omni manè propria saliva, idque jejunè, simul etiam in die sæpius perfricavi; nam hoc contra serpiginem & impetiginem præsertim hominis jejuni valde commendatur: & ita tandem cœperunt sanari ac evanescere absque ullo alio remedio, neque ullum vestigium pustularum in fronte remansit, aut impetigo ista reversa est. *Petrus Forestus. observ. 13. lib. 2. obs. Chir.*

Pro impetigine.

Post universalia remedia unguento infrascripto egregiè curatus est.

℞. Plumb. usti minii an. ℥ij. pulv. præcipit. ʒ xii. litharg. auri antim. camphor. an. ʒ iv. unguent. alb. camphorat. ʒ xvi. omnia commiscendo probè ducantur cum pistillo calido quam diutissimè in mortario ad unguenti consistentiam: hoc utor fœlicissimè in scabie illa dicta *Haervvorm* quæ species proculdubiò est impetiginis ac serpiginis valde feræ: Leviter autem inungitur, sed purgationibus & universalibus remediis semper præcedentibus; appellamus autem unguentum album camphoratum cum antimonio: sed & *Alcmaria* in officina tale unguentum paratum habebamus ad hanc serpiginem *Haervvorm* dictam.

℞. Picis naval. vulgò Tart. ℥j. butyr. majal. axung. porcin. an. ℥ß. mell. terebinth. an. ʒiiß. aceti vini ʒiß. sal. vitriol. rom. tartari, carthami: an. ʒj. æris ust. sulph. an. ʒ ij. fulig. camini vel cacabi ʒ iij. M. F. unguentum s. a. *Petrus Forestus. obs. 14. lib. 2. obs. Chir.*

Sulphur. cum aceto fœliciter adhibetur: maximè probatur unguentum hoc nostrum, quod ad omnem impetiginem & scabiem tollendam mirifice valet.

℞. Terebinth. lotæ ℥ij. ceruss. ℥ß. butyr. rec. ℥j. sulph. ℈ ij. ol. ros. ʒ v. album ovor. num. 2. F. unguentum: cui adde camphor. & mosch. an. gr. v. item paretur linimentum in hunc modum.

℞. Pulv. lithargyr. pulv. tartar. an. ʒij. sulph. pulv. ℈ ij. ol. nucum. ℥ iij. aceti rosac. ʒ vj. ceræ q. s. F. linimentum. Ubi verò partes jam antea illitas lavare voluerit, aqua utatur chalybeata in qua fraxini folia præbulli erint: primùm deturbare vitiosos succos oportet, & salubri victus ratione uti, mox localia remedia exhibere exsiccantia, incidentia & detergentia. *Joan. Zecchiis consult. 79.*

Domina quædam laborabat fœda feraque impetigine utriusque manus, propter quam tædio maximo afficiebatur; venæsectionem, cathartica & omnia alia remedia respuebat, hanc paucis diebus sic curavi.

℞. Unguenti rosat. ℥iij. præcipitati alb. ʒiij. M. pro litu partium, hoc remedio prædicta Domina Matronam quandam magni nominis, ut mihi retulit, eodem morbo afflictam curavit. *Petrus Pachequus obs. 48.*

Mulier quædam fera impetigine laborans, cum summo dolore irritis omnibus remediis, sequenti cataplasmate mirum in modum fuit levata.

℞. Putria poma num. vi. per setaceum transmittantur, quibus adde ol. ros. ℥ ij. lactis muliebris parum F. Cataplasma, parti dolenti admovendum. Longa experientia didici putria poma dolorem magis lenire quam cocta. *Petrus Pachequus.*

Pro Herpete Esthiomeno.

Rustica mulier quinquagenaria hinc inde in coxis, brachiis, utroque genu, & cubito, pectore & facie, maculas habebat elevatas, rubras, scabras, asperas, latè serpentes, & de novo hinc inde erumpentes; ad me veniens hoc pacto sanata est.

Præscripsi vinum purgans pro quatuor vel quinque matutinis, quo bene purgata fuit. Deinde jussi scabras maculas semel in die madefacere sequenti aqua penna ea intincta.

℞. Sublimati ʒ i ß. lithargyr. ʒij. borac. ʒß. camphor. ℈j. F. pulvis, adde aq. ros. & plantag. an. ℥ iv. coquantur; ab illius usu dolorem aliquem percipiebat, qui tamen mox remisit: statimque crustis subluteis maculæ hæ obduci cœperunt crassis & duris, quæ cremore lactis aliquoties emollitæ deciderunt; remanente subtus cute sana. *Felix Platerus, obs. lib. 2. pag. 544.*

Post corpus decenter purgatum, & venam apertam, jussi hac aqua herpetem madefacere.

℞. Lithargyr. ʒvj. ceruss. ʒiij. vitriol. alb. ʒij. aq. ros. ℥ ij. aq. sublimat. ℥ß. aq virid. (cujus descriptionem vide supra lib. 6. sect. 4.) ʒij. M. diligenter. Postea hoc unguento inunge.

℞. Unguent. popul. & pomphol. an. ℥j. succ. lapath. & acet. scillit. an. ℥ ij. litharg. ℥ ß. tartar. ʒ ij. rad. serpentar. ʒj. Lap. calamin. ʒiij. ceruss. ℥ß. laticeæ parum. ol. de tartaro ʒij. F. instar. nutriti. Hoc facto aliquandiu, sanatus fuit. *Idem obs. lib. 2. pag. 546.*

Alteri ad herpetes hoc unguentum præscripsi.

℞. Succ.

℞. Succ. rad. lapath. cyclam. serpentar. an. ℥ j ß. limon. ℥ j. litharg. auri ℥ ij. sulph. thur. an. ℥ j. crystall. borac. vitriol. an. ℥ß. fugitiv. extinct. in succo limon. ℥ß. terebinth. dissolut. in ol. rosac. q. s. adde ol. tartar. ℨ j. F. instar nutriti. *Felix Platerus observ. lib. 2. pag.* 548.

Pro Herpete miliari.

Ilicò pharmacum hoc illi propinavi.

℞. Syrup. rosat. solut. ℥ iv. diaphæn. ℥ iij. infusion. tamarind. ℥ iij. M. F. potio qua multa liquida biliosa egessit. Postea syrupos alterantes calidam intemperiem exhibuimus per aliquot dies.

Tum hæc topica medicamenta sunt applicata.

℞. Succ. plantag. solan. an. ℔ß. aceti rosac. ℥ ij. M. in quibus pannus lineus intinctus superponatur malo, & sæpe innovetur. Sed cum malum perseveraret, cataplasma hoc applicatum fuit.

℞. Plantag. ros. solan. caud. equin. an. M j. F. decoctio in aq. q. s. facta colatura prædicta herbas in mortario tere, quibus adde farin. hord. lentium, an. ℥ iij. vini granator. acidor. ℥ iij. prædicti decocti q. ad mediocrem spissitudinem sufficit M. F. cataplasma, applicetur: at quum exulceratæ pustulæ fuerunt, ad unguentum de plumbo devenimus, quo sanus exactè factus est. *Amatus Lusitanus, cent. 2. curat.* 37.

Ego in pueris pustulas miliares seu herpetes in facie habentibus accipio cretam oleum oliv. acetum vini, ex omnibus æquas portiones, & linimenti instar commisceo & fœlicissimè inungo, quo linimento si utaris, videbis subitaneam admodum curationem, & perbrevem ac salutarem. Ad Phlyctænas etiam hoc conducit. Mulierem quandam herpete laborantem curavimus applicatione foliorum farfaræ. *Petrus Forestus. obs. 7. lib. 2. obs. Chirurg.*

Nos (inquit *Valescus, cap. de Cura formicæ militaris*) vidimus & scimus unam mirabilem experientiam qua, sine alia medicina quacunque præter diætam & purgationes, multi tempore meo curati fuerunt gratia Dei.

℞. Lanam succidam ovis vel mutonis, torrefac. in cacabo super ignem, donec sit nigra & arsa: tunc pulverisetur & distemperetur cum aq. rosar. vel cum aq. peculi, donec sit quasi incaustum cum quo scribimus, & de hoc incausto bene spisso cum pluma circumliniatur formica, id est, herpes, & fiat hæc linitio bis in die aut ter, nempe in diluculo, vesperi, & in principio noctis & panno lineo contineatur non stringendo. Nobili me hercule medicinam in isto casu magis expertam; constatque ratione, quia desiccat & stringit: in quot locis incipit in tot fiat linitio, quia ægram partem curat desiccando, & sanam defendit stipticando & roborando. *Idem schol. obs. 7. lib. 2. obs. Chirurgic.*

Miror cur in herpetibus, inflammationibus, in quibus humectandi & refrigerandi consilium est, non potius ad aquam solam recurrimus, quam ad aquam & succum plantag. & similia. *Guil. Ballonius lib. Epid. & Ephem. pag.* 106.

Joan. Heurnius pro herpete miliari hoc secretum habuit.

℞. Fæcem vini inter duo lintea, & applica. *Notis ad cap. 4. lib. 7. pathol. Jo. Fernelii.*

Herpetem miliarem aqua calcis vivæ calidè in petiis applicata mitigat: fortius operatur si alumen dulce, vel saccharum Saturni in eadem ante applicationem dissolvitur. Sudores præterea sunt necessarii. Decoctum Persicariæ, ut & folia rubi idæi in aq. & vino decocta herpetes præsertim tibiarum, non tantum mundificant sed insuper sanant. Balsamum sulphuris complementum absolvit. *Jo. Hartmannus. pract. Chimiatr. pag.* 387.

Ego fœliciter utor aquis thermarum, quæ brevi tempore sanant herpetem miliarem, ubi non adsunt hæ aquæ, sumatis marinam, aut aquæ salitæ adjiciatis sulphur & alumen, & in hac detineatur membrum. Herpetes verò exedentes sic curo: quod totum corpus exhibeo serum caprinum, interdum sarsæ decoctum: quoad totum corpus exhibeo serum caprinum, interdum sarsæ decoctum: quoad partem affectam, utor aquis thermalibus Patavinis, aut D. Petri, & fœlici successu hoc applico ceratum.

℞. Succ. tabaci ℥ iij. ceræ, citrin. noviss. ℥ ij. resin. pini ℥ i ß. terebinth. ℥ j. ol. myrtin q. s. ad formandum ceratum molle *Hier. Fabrit. ab Aquapend. lib. 1. de Tumor. cap.* 28.

Sæpius expertus sum unguentum enulatum cum Mercurio in hoc affectu curando plus cæteris omnibus præstitisse. *Ambrosius Paræus, cap. 14. lib.* 7.

Finis Libri Tertii.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER QUARTUS

De Affectibus à Litera D incipientibus.

DÆMONIACI.
Vid.
TITUL.
De
MANIA.

DEGLUTITIONIS VITIA.



LÆDITUR deglutitio quando 1. impeditur sive imminuitur & aboletur, vel quando depravatur. 1. œsophagi ex parte: 2. stomachi seu orificii ventriculi superioris culpâ.

Oesophagi vitium est; (1.) quando musculorum 3. paria, fauces sui ampliatione efformantium, unà cum sphynctere paralysi resolvuntur, (2.) quando ipsa musculosa ejus tunica simili malo corripitur. De posteriori vid. Willis. Pharm. rat. vol. 1. pag. 11. de priori Tulpius lib. 1. observat. 42. (2 quando angustatur nimis, sive hoc fiat (a) vel à tumoribus tam propriis, quàm partium vicinarum. Illud quando inflammatur Synanchi, ut quando scirrhoso tumore obsidetur, aut quando à caruncula excrescente vitiatur. Exempla quorum vid. Rhod. observ. 46. 47. cent. 2. Hoc quando tonsillæ, aspera arteria, aut uvula intumescunt, inflammantur, &c. Sive hoc fiat (b) 2. ab arcta nimis clausura, & strictura fibrarum ejus, idque nunc ex spasmo sive convulsione, quo pertinent hypochondriaci subinde, non secus ac mulieres hystericæ, gulæ adstrictionem & contracturam per nervorum spasmos ob consensum patientes, quod alii ex vaporibus stypticis ex hypochondriis elatis fauces stringentibus male derivant, nempe pertinent huc gulæ stricturæ ab utero; cujus mentionem facit Helmont. Tr. Asth. & Tussis §. 31. Hinc etiam in Epileptico paroxysmo difficillima aut nulla solet esse deglutitio. Nunc ex illarum nimia exsiccatione in febribus ardentibus continuis. Quo suo modo etiam pertinet defectus salivæ, deglutitionem plus minus impediens, nunc ex illarum ab assumptis constrictione & corrugatione, quo Hochstetteri facit observat. decad. 3. cap. 5. adstrictio gulæ ex potû vini malvatici, in quo radix consolid. major. infusa fuit. Sive hoc fiat (g) 3. ab obstructione, propter deglutita varia aut majora in faucium isthmo sive principio œsophagi hærentia, ubi boli majores, nux Persica, ovum gallinaceum, &c. aut acuta gulæ infixa, ibique tam sui insolita præsentia, quam propter dolorem, & hujus occasione inflammationem aut abscessum, deglutitionem impedientia, v. gr. ossicula, spinæ piscium, aciculæ gulæ in fixæ.

Orificium superius ventriculi sive stomachus in culpa est, quando rite licet, per œsophagi iter demissa, nihilominus admittere debita recusat, id quod fit imprimis, quando quacunque occasione irritatus sive lacessitus, contumacius se stringit & claudit, adeoque assumpta ulterius progredi impedit, id quod fit, (a) quando vel inflammatum, vel velut excoriatum; aut plus minus exulceratum, vel tumore quocunque, à priori nullo modo cognoscibili, obsessum fuerit, quo facit curiosa & notabilis observatio Willisii Pharm. rat. vol 1. p. 45. (b) quando copiosiores, plus minus acriores, flatus in ejusdem angustiis inclusi fuerint, quorum inimica præsentia utrumque, speciatim superius, orificium ad pertinacem sui stricturam irritatur. Unde assumpta nonnisi difficulter admittit, aut admissa eadem copiosi flatus eructantes, insequuntur, eaque plus minus simul unà rejiciuntur, quo facit non inelegans observat. Riverii 11. de morbis infrequent. Item Plateri observat. l. 1. pag. 223. (g) Quando quacunque de causa nauseat, aut assumenda horret ventriculus, nam & sic orificium claudit, non assumpturus sibi hostilia. Hac ratione familiare est febricitantibus, quælibet liquida aut esculenta fluida deglutire, sed carnes, ova frixa, vel similia pertinaciter respuere, & oblata nullo modo, aut non nisi difficulter admittere.

Pertinet huc Amat. Lusitan. cent. 6. cur. 49. ubi post screatum sanguinis, & assumptorum vomitionem, deglutiendi omnimoda difficultas etiam aquæ, sola vini assumptione salva. conf. *Hildan. cent. 5. obser. 34.*

Depravata tandem deglutitio est, 1. quando liquida difficulter, solida facilè, & contra deglutiuntur, de quorum affectuum theoria in Philosophicis, ubi de deglutitione pluries actum 2. quando in eodem assumptorum vel solidorum vel liquidorum genere, quædam facilè, quædam difficulter, quædam omnino non deglutiri possunt. De ejus ratione ex superioribus, speciatim ex nausea ventriculi jam constat.

Quoad Prognosin.

Igitur deglutitio quò magis vel minus tollitur, eò magis vel minus periculum vitæ imminet. A paralysi musculorum faucium nata difficilis deglutitio periculosum & difficulter curabile malum est. Quòd si ob spirituum moventium defectum, & adeo insignem virium resolutionem, prout in acutis interdum accidit, malum evenit pessimum signum, & mortis futuræ judicium, si cum sonitu, quasi in lagenam vacuam decidat potus. In vulneribus si accidat ex convulsione deglutitio læsa, periculosum, sicut aliàs convulsiones faucium in acutis periculosius, in chronicis minus. Si à tumoribus per se quidem, & ex interna causa naturali oriatur malum pro tumorum vel facilè vel difficulter, vel omnino non curabilium naturâ, prognosis facilis est. Sic v.gr. ex ulcere œsophagi cancroso omnimoda, adeoque lethalis deglutiendi impotentia. Sic ob œsophagum cartilaginosum factum deglutitio penitùs abolita: *Ann.* 3. *M.C. pag.* 26. adeoque lethalis.

Deglutitæ res alienæ in faucium isthmo vel hærent, vel extra hunc, vel ad ventrem tandem descendunt. Dum in faucibus hærent, præter inimicam sui præsentiam interdum simul dolorem excitant, unde tumor, inflammatio, abscessus, iique vel lethales, de quo vid. *Hild. cent.*1. *observ.*35. Item *cent.*5. *observ.*35. ex ossiculo œsophago infixo, tumor, dolor, febris, inflammatio, mors: Vel hoc rupto abscessû, rei peregrinæ cum pure excretionem, aut descensum faciunt. Confer item *Hild.cent.*1. *observ.*35. ubi mulier ossiculum devoratum, quo penè suffocabatur, septimo tandem die, excitata suppuratione, ejecerit: Vel per alia plus minus vicina loca, exitum sibi quærunt. Quo facit exemplum notabile *Paræi lib.*24. *cap.*29. *Chirurgiæ*, de graminis ramulo deglutito, qui postea integer per intercostale spatium erupit. Item *Hild.cent.*1. *observ.*33. ubi spina piscis gutturi biennium infixa, post, excitato abscessû, in extrema colli parte extracta. Dum verò ad ventriculum quocunque modo descendunt, vel inferiùs per anum successivè denuo excluduntur: dum v. gr. quidam metu, ne in itinere spoliaretur, 6. ducatos deglutivit, eosque post aliquot dies, injecto clystere abstergente, sine noxa rursùs reddidit, teste *D. Michael.* Vel dum fistula deglutita tertio die sine noxa per alvum fuit reddita, authore *Bartolino cent.*1. *hist. anat.*59. Vel in stomacho pertinaciùs hærentes, varia mala inferunt, dum v. gr. pylorum obstruunt, quæ obstructio, si contumacior fuerit, mortem comitem trahit, authore *Kircking. in specileg. Anatom. observ.* 1. Confer etiam *Hildanum cent.* 6. *observ.*35. Quò etiam pertinent aciculæ, quarum quædam sine periculo, quædam cum summo periculo deglutitæ observantur, conf. M. C. *Ann.*4. *pag.*77. Vitri frustula aut annulus, cujus asperitate excitatam dysenteriam notat *Zacutus Lusitan. lib.*2. *Med. Princ. hist.*84. Cæterorum huc facientium affectuum prognosis ex dictis facilis est.

Cura.

Pro causarum varietate, & mali inde nati diversitate, etiam variat. Paralysis partium deglutitioni inservientium curatur per decoctum salviæ in vino, & continendo in ore v. s. infusionis thymi vel decoctum salviæ & erucæ gargarizatum, aut in ore contentum egregium est. Nux moschata masticata & deglutita est egregia ol. succini destill. aut ol. destill. anisi salv. guttatim intra fauces assumpta, sunt efficacissima. Essentia castorei, spir. cerasorum nigrorum, liliorum convallium, spir. theriacal. cum essentia castorei juncti; *Item* aqua anhaltina est egregia, illinatur collum ac nucha ol. lumbric. terrestr. costin. ol. destill succin. anis. lavendul. & S. Tumores harum partium, siquidem cogniti fuerint, quales sint, more talium tumorum curari debent. Clausura faucium & Oesophagi à spasmo, aromaticis & nervinis, blandis opiatis additis, tam internis quàm externis curanda. Si à vitio hypochondriorum per acidum absorbentia & opiata, item castoreata. Sin ab exsiccatione in febribus, internè mucilag. sem. cydon. cum aq. sperm. ran. extracta est egregia. Externè unguent. Zacuti ad hunc affectum, compositum ex unguento filii Zach. unguento rosato, resumptiv. ol. amygdal. dulc. violar. & mucilaginibus cum lacte muliebri. Salivæ defectus potû præsertim vini, vel cerevisiæ secundariæ resarcitur: Item *crystalli* frustula in ore circumacta salivæ copiam nonnihil provocant. Assumpta externa pro sui varietate oppositis curanda, ut in illo *Hochstetteri* exemplo, propinato aceto strangulatio & faucium angustia sublata fuit.

Quoad res alienas deglutitas, sed intra œsophagi superiorem tractum adhuc hærentes, eæ quanto ocyus iterum artificiosè eximendæ veniunt, vel ad ventriculum, si innocuæ sunt; detrudendæ, cui fini inservit, vel instrumentum *Willis. Pharm. rat. vol.* 1. *pag.*45. *aut Hildani cap.*1. *observ.*31. Quòd si his modis non succedat negotium, instrumentis res tentanda, in quem finem vel forcipes rostris longis, vel instrumentum *Hildani cent.* 1. *observ.* 36. aut hujus succedanea *cent.* 6. *observ.* 34. Vel candela cerea, vel spongiola cum filo, it. pro aciculis *Hamulus Hildan.cent.*6.*observ.*36. Adhibetur ol. amygd. d. & saccharum in forma electuar. ante pastum, ut dolor per oleum leniri, per saccharum verò ulcus forte præsens abstergi possit.

Quòd si aciculæ, vitri frustula, spinæ piscium, aliave acutiora per deglutitionem in ventriculum penetraverint, opera danda, ut hæc sine noxa per inferiora tandem excludantur. In quem finem propinetur puls aliquanto spissior ex oryza, vel milio, vel panico, ita quidem, ut aliquandiu æger à potû abstineat, ut ita per hujusmodi spissiora involuta res deglutitæ acutiores sensim ex ventriculo per intestina ulteriùs promoveri queant.

In stomacho si fuerit vitium, priori ex causa, vel mala ejus methodicè curanda, vel instrumento *Willis. Pharm. rat. vol.*1. *pag.*45. utendum. Si ex secunda causa carminantia interna & externa propinanda, infrà de inflammatione stomachi præscribenda. Quoad tertiam causam stomacho gratis & acceptis insistendum, ventriculus nondum cogendus.

Depravata deglutitio, cum quædam curabilis, quædam non curabilis sit, illa verò *nervorum ex vitio* speciatim oriatur, partim ex dictis vel suo loco dicendis curatio manifesta erit. *Michael Ettmull. Colleg. Pract. lib.*1.

Con-

Consultationes.

De Læsa Deglutione. Pro Adm. Reverend. Patiente.

Patiens Adm. Reverend. annorum 66. temperamenti à naturæ ortu calidi & humidi, habitusque mediocriter carnosi, duodecim abhinc annis hernia hydrocele laboravit, ex qua quot annis arte educebantur sex circiter libræ aquæ. Anno præsenti ab hac liberatus conqueri cœpit sex ab hinc mensibus de læsa deglutitione cùm solidorum, tùm liquidorum; siquidem ubi primum duos vel tres bolos deglutiverit, replentur ei fauces, & œsophagus pituita viscida albicante, in quibus tantam angustiam parit, ut nil prorsus deglutire valeat. Quod si vim sibi tunc inferat, dolor intensissimus suboritur, cujus ratione assumpta evomuit, cum copia pituitosæ materiæ; nec quicquam appetit; imò nec panem, nec cibos ex pasta deglutire potest, carnem verò paucissima copia, & minutissimè incisam. Propterea extenuatus de agendis consulit.

Ex hac historia constat, Adm. Reveren. Patientem læsam habere deglutitionem, ac proinde œsophagum esse partem principaliter læsam, à Latinis gulam, & ab Hippocr. fistulam vocatam à linguæ radice ad os ventriculi pertingentem, cùm ex omnium consensu deglutitionis munus œsophago à natura demandatum sit. Tripliciter autem læsa est deglutitio: deperdita, scilicet imminuta, & depravata est. Deperdita, ratione panis, & aliorum solidorum ciborum, quos nullo modo deglutire potest; imminuta, ratione carnis, & aliorum in minutissimas partes incisorum; & depravata, ratione doloris intensissimi provenientis ex violenta deglutitione. Cum autem deglutitio dupliciter lædi possit, per essentialem scilicet affectionem, & per consensum cum aliis partibus. In casu præsenti œsophagus utroque modo afficitur; atque essentialis ipsius affectus compertissimus est ex dolore, *Ubi enim dolor, ibi morbus.* Affici etiam per consensum patet ex inappetentia. Appetitus namque est actio oris ventriculi. Et cum œsophagi morbus triplex esse possit, intemperies scilicet, mala compositio, & soluta continuitas, ex enarratis ab ægro Adm. Rever. constat esse morbum in mala compositione, obstructionem scilicet factam à materia pituitosa, crassa, viscida, albicante, quæ ad instar globi, ubi deglutitionis canalem ita occludit, ut propterea usum ciborum intermittere cogatur. Non tamen perfecta est ea obstructio, alioquin neque liquida deglutirentur; cui tamen junctam esse censeo intemperiem humidam fibrarum transversarum œsophagi, ob quam non possunt ita constringi, ut cibos solidiores detrudere possint ad ventriculum, concurrente laxitate oris ipsius ab eadem materia producta, cujus causâ non fit ipsius corrugatio, appetitum ciborum præcedens. Dolor autem fit à violenta solutione continui tunicarum ab eodem cibo facta.

Ac propterea causa præcipua hujus affectus est copia pituitosæ materiæ, cùm à capite fluentis, intemperie frigida, & humida laborante, hac ætate in primis ultimi senii, tum à ventriculo frigidiori quàm par sit, non sine consensu imbecillioris jecoris, quod loco sanguinis serosam materiam generat, quæ antehac ad scrotum confluxit, & hydrocelen produxit; nunc verò ad partem affectam recurrens eam magis humectat, & relaxat. His ergo sic constitutis, cùm neque in ventriculo chylus, neque in jecore sanguis sufficienti copia generari possit, nemini mirum videri debet, quod subsecuta sit macies, & totius corporis imbecillitas.

Ex his cuilibet in arte versato compertissimum esse potest, quàm difficile sit præsentem affectum, hac ætate, & hoc virium languore, superare: ut propterea metuendum sit, ne in marasmum senilem labatur æger, & fato cedat. Non tamen supersedendum est medicis præsidiis, ut vita saltem longius protrahatur.

Quare materia fluens à capite derivanda; à ventriculo, & jecore revellenda ad infernas partes, fluxa sensibiliter, & insensibiliter evacuanda; viscerum intemperies corrigendæ contrariis; & viribus consulendum. Quibus intentionibus satisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Ex Chirurgicis tres præsidiorum materiæ locum habent, cauteria, cucurbitulæ, & picationes. Sanguinis missioni nullus locus, cùm potius infundendus, quam effundendus esset. Duos fonticulos inurendos censerem, alterum quidem sinistro brachio, pro derivatione scil. alium verò interno femori, pro revulsione à ventriculo, & jecore, & revocatione serositatis ad scrotum. Quam ob causam setaceum per illud transmissum profuturum censeo. Neque ex his emissariis majoris maciei imminet metus; evacuant enim materiam excrementitiam, non alimentalem. Rubificans applicatum suturæ coronali fluxionem revellet, & exsiccabit. Cucurbitulæ cum flamma infrà ventriculum, attractionem cibi sollicitabunt. Picationes eidem ventriculo bis in die administratæ sanguinem alliciendo, juvabunt coctionem: imò non præter rem censerem applicare vesicans infra scapulas, ad evocandam, & digerendam materiam in œsophago contentam.

Pharmaceutica sint alvum subducentia, per clysteres, qui admittant hieram picram Galeni, cum melle rosʼ. simpl. oleo rutaceo, & decoctione betæ, mercurialis, malvæ, & flor. chamæmeli; mox & validiores, paratos ex hiera Pachii, vel Logadii, cum decoctione symphyti, utriusque centaurii, colocyntidis, nodulo inclusæ, addito electuar. de benedicta laxativa: alternis clysteribus nutrientibus, ex vitellis ovorum, carne contusa, & jure caponis. Licet enim clysteres medicamentosi non pertingant ad intestina tenuia, cùm ab ipsorum facultate non attrahantur; renutrientes tamen alimenti inopia attrahi possunt, atque ita nutrire. Interim per os ex usu erunt attenuantia, & incidentia; oxymel nempè simplex, scilliticum, vel mel scilliticum, ad attenuandam materiam, vomituque expurgandam, quibus addi potest modicum farinæ lupinorum, vel fabarum, quò diutius hæreant, & magis detergant, vomitu provocato oxymelite simplici, & succo raphani cum mulsa. Mox exhibeatur mulsa, vel aqua Tetutiana, pro majori detersione; præscriptis in-

interim rotulis ex tribus piperibus, vel ex radice iridis in ore detinendi. Applicetur extrinsecus supra vertebras unguentum Agrippæ, vel Marciatum: vel fiat inunctio cum oleis de castoreo, rutaceo, & theriaca antiqua. Caput evacuandum per errhina, non per masticatoria, ne majori cum impetu fluat materia ad œsophagum: ideò succus betæ, radix cyclaminis, agaricus in lacte dissolutus, vel etiam pulvis nicotianæ præscribatur in curationis progressu. Quum verò œsophagus minori pituitæ copia redundabit, exhiberi poterit mel. ros. solut. cum aqua Tetutiana, tres vel quatuor dies; moxque reliqua materia insensibiliter digerenda, & partes affectæ erunt exsiccandæ decocto ex ligno Indico, salsa parilla, & modico sassafras, cum jure columbæ, additis symphyto, betonica, stœchade, salvia, & origano, cum spiritu terebinthinæ, vel spiritu vitrioli. Quod si deglutire poterit, paretur bolus ex castoreo, & trochiscis cypheos: pergatque in usu ipsius plures dies.

Victus sit attenuans, incidens, ac valde nutriens. Propterea fiat contusum ex pulpa caponis cum pistaciis, succo citri, & cinnamomo: fiat consummatum ex capone asso, adsperso succo citri, & caryophyllis: intinctus item ex petroselino, pane assato, pistaciis, & pulpa perdicis: concedantur carnes, & pisces saliti minutim incisi, ferculaque nutrientia. Vinum sit generosum, sed pauca copia. Atque parum & sæpè nutriendus est patiens, & in cibis familiariter utatur melle Hispano, vel Cretico, quod in senibus non difficulter in sanguinem vertitur. Sic enim sperandum est fore, ut vita protrahatur & vires conserventur. *Bened. Silvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 2.*

De Solidorum Deglutitione læsa, & Motu colli impedito. Pro Illustrissimo Comite.

Duo sunt Affectus Comitis Illustrissimi, tumor scilicet scirrhosus glandularum faucium, solidorum deglutitionem prohibens; & motus impeditus colli, & scapularum, cum aliquo dolore accedente, & recedente, magisque, vel minus intenso.

Quorum uterque dependet à catarrho, qui à capite fluxit ad partes affectas, crassiori quidem ad glandulas, ubi in scirrhum conversus: tenuiori vero, & fluxiliori ad tendinosas, & musculosas partes colli, & scapularum. Quo sanè catarrho abundat Comes Illustrissimus, qui copiosus congeritur in ipsomet capite, cùm per modum generationis, ratione humiditatis excedentis, tum per modum receptionis, ab imbecillo ventriculo, & à venoso genere; tertiò, quia suppressus, ob antiquam narium angustiam, propria excrementa non expurgantium. Collectus autem in capite, liquefactus est à calore ex motu, & insolatu contracto, fluxitque ad partes subcutaneas colli primò, deinde & scapularum, ubi ab ambientis frigiditate detentus, stipatis porositatibus cutis est, causa læsionis motus, & doloris prædictarum partium.

Affectus equidem non adeò facilis curationis in hac senili ætate, & hoc inæquali anni tempore: non tamen incurabilis, quoad motus impedimentum. Glandularum verò intumescentiam quod spectat, aliis utique remediis curari non poterit, quam amputatione alterutrius ipsarum, quæ non difficulter fieri poterit, quoniam tumor est externus, & non amplus, ad radices linguæ hærens: tunc enim ligata radice glandulæ filo sericeo, amputari potest forfice: prout mihi non semel feliciter successit. Atque tunc hæc operatio, fieri debebit, quando deglutitio & respirario erit graviter læsa.

Cæterum hoc affectu nunc prætermisso, si agitur de difficultate motus, hæc curabitur digerendo materiam fluxam, divertendo fluentem, atque prohibendo regenerationem similis, per correctionem intemperiei, jam peracta universali totius corporis evacuatione, de qua propterea non est quod pluribus agamus.

De peculiari capitis evacuatione difficultas aliqua occurrit: credimus tamen caput expurgandum esse etiam per os; siquidem tumor ille scirrhosus indicat nullam amplius fluxionem adesse. Tentanda quin etiam est expurgatio per nares, eas laxando oleo amygd dulcium, & alliciendo materiam *tabaco pulverizato* attracto, & insufflato. Per suturas quoque insensibiliter expurgabitur frictionibus, pectinationibus, & similibus. Hi que peractis, decoctum præscribetur ex medulla ligni sancti, & salsa, cum visco quercino. Opus est enim valido medicamento, attenuante, & ventriculum roborante: quod omnium maximè præstabit lignum Indicum; parato decocto cum carne, renutritionis cujusdam causa. China enim debilium est virium, *santala* subadstringunt, & refrigerant, quibus non admodum opus in hac ætate: si permitteretur Terebinthina Cypria, esset accommodata. Sudor interim allicietur doliolis, vel cucurbitis repletis aqua fervida, alterata salvia, rore marino, stœchade, majorana, calamento, carduo sancto, & similibus. A quo inungatur occiput, & scapulæ oleo laurino, rutaceo, de castoreo, & chamæmelo, superposita lana succida, vel pelle agnina, quam continuò gestabit, excepto tempore sudoris.

His remediis speramus fore, ut Illustrissimus Patiens xx. dierum spatio circiter pristinam sanitatem recuperet, si præsertim jungatur congrua victus ratio. Circa quam notandum est, quod abstinentia à vino conferet: cujus loco in usu erit secunda illa aqua decocti, parata ex coriandris. Quoad purgantia, laudamus generosiora, putà pulverem hermodactylatum sæpè repetitum, vel jalappam, vel mechoacam, cùm pilulas non possit deglutire. Et hæc est nostra opinio de affectu præsenti. *Idem ibidem.*

De Sublata Panis Deglutitione. Ad Perillustrem Hieronymum Odasium Medicum Brixiensem.

Ex doctissima dissertatione constat, Nobilem Patientem quinquagenarium, mediocris constitutionis, habitus sanguinei, cum bilis subdominio, dum cum sodalibus cibum sumeret, atque panem attritum deglutiret, motum quendam circa os ventriculi persensisse, panemque ad fauces regestum fuisse, atque ejus frustulum, quod hæserat in faucibus rejectum, quod toties contigit, quoties ipsum ingerere tentavit; ac proinde nunquam panem deglutire potuisse, sive solum, sive cum potulentis; huncque affectum

ctum sex menses perdurare; quamquam panem summopere appetat, cæteris alimentis cum liquidis tum solidis deglutitis; ita tamen, ut solida gravitatem aliquam circa os ventriculi inferant, qua levatur, dùm liquidorum beneficio præcipitantur; solo pane etiam cum liquidis superbibitis vomitu rejecto, cibo aliquo suavi cùm liquido, tum solidiori aliquando deglutito. In ciborum assumptione observantur, à primo, vel secundo bolo deglutito eructationes nidorulentæ, quibus resolutis progreditur in assumptione cibi, quæ etiam extra illud tempus aliquando superveniunt. Quod si in deglutitione impedimentum aliquod observat, subsistit aliquantulum, atque tunc erumpunt flatus, materiamque catarrhalem aliquando expuit insipidam, ac deinde pergit in cibi usu: nunquam tamen panem deglutire potest. Persentit aliquando ardorem in ore ventriculi, nullo observato tumore in visceribus naturalibus. Multa frustrà hactenus fuerunt administrata, lenientia, præparantia, purgantia, & alterantia, cùm interna, tum externa, sanguine misso ex jecoria, & hæmorrhoidibus, stilicidium ventriculo ex oleis, frequentes clysteres: & tandem dejectorii usu multa bilis copia fuit evacuata, vehemensque syncope supervenit; æstus causa aquam endiviæ quandoque cum juvamento sumpsit; quod nullum fuit in panis deglutitione. Propterea quæritur præsentis affectus causa, & quibusnam medicis præsidiis superari possit.

Quod ut fiat, supponam tanquam verissimum cum Viro Præclarissimo, flatulentam materiam à ventriculo erumpentem, & pituitosam, quæ à capite confluxit, ciborum descensum remorari posse. A flatibus namque repelluntur, & à pituitæ crassitie retardatur solidorum descensus, quousque potulentorum usu fluxiliores fuerint redditi. Quam ob causam gravitatem inferunt in ore ventriculi. Suspicari quin etiam possumus, adesse humiditatem excedentem in œsophago, impedientem validam constrictionem fibrarum ejus transversarum, cibos ad ventriculum detrudentium. Verum cur panis neque solus, neque cum liquidis deglutiri possit, perobscurum censeo. Respondere, quidem possemus cum Galeno, & Hippocrate, panem esse viscidioris, & magis glutinosæ substantiæ, quàm alia assumpta; hæc tamen visciditas, & lentor est qualitas, quæ in pane semper inest, & nihilominus antehac deglutiebatur absque impedimento. Verum quidem est, quòd tunc non aderat ille renixus in passo, qui nunc apparet, quoniam neque tanta flatuum copia, neque adeò copiosa pituita observabatur: attamen flatus erumpunt, & pituita cùm sponte, tum medicamentorum beneficio sæpius fuit detersa, & expurgata, & nihilominus nunquam successit panis deglutitio, ac fortè alia assumpsit viscida & lenta, ut oryzam, far, cibos ex pasta, limaces, & similia à quibus impedimentum nullum accidit. Ac proinde in eam concedo sententiam, quòd hoc proveniat ab antipathia ventriculi, & aversione specifica ab ipso pane, non verò aliorum assumptorum. Plures etenim sunt, quibus à specificis quibusdam assumptis afficitur ita ventriculus, ut non solùm ea revomant, sed etiam graviora superveniant ipsis accidentia. Aliqui enim abominantur Allium, teste Julio Alexandrino, Secundo de Tuenda sanitate, Cap. 13. qui scribit, novisse se, qui ita allium aversabatur, ut nunquam, illud comederit; quod & ego fide mea possum testari de Nob. nostro Patavino Anaxarte Pigna, cui propterea cum ab amicis invitato ad comedendum acipenserem piscem variis modis præparatum, & conditum, cum patinis allium affrictum esset, interdictum illi fuit ejus usu. Refert Amatus Lusitanus, Stephanum Surdastrum Hispanum à piscibus adeò abhorruisse, ut si cum aliis cibariis eo inscio ipsi exhibiti fuissent, in animi angustias, compressiones cordis cum vomitu, alvique dejectione incideret. Petrus Aponensis, referente Matthæo de Gradi, lac ita abominatus, ut nec illud comedentes sine nausea videre posset. Brasavola in Lib. secundum Hipp. de Ratione Victus in Acutis, comm. 34. hæc scripsit: *Vidimus Illustrissimam Juliam Tarraconensem, Federici Regis Neapolitani filiam natu minorem, quæ carnes edere non poterat, imò nec gustare. Si enim bolum in os immittebat, in gravissimam incidebat syncopen, ac vehementem clamorem edebat, in terram procidens volutabatur, idque horæ semis spatio contingebat, deinde ad se redibat.* Alii abhorrent à caseo, & eo quidem quocunque modo sumpto, alii seorsum ab aliis alimentis; atque alii eo veteri non recenti delectantur. Aliis acetum vomitum excitat; ut mulieri Burgundæ; aliis sedat. Nec solum in assumptis alterationes observantur, sed etiam absque iis. Scribit enim Autor v. Epidem. Hippoc. adscripti, historiam 79. affectionis Nicanoris, qui cùm ad potum progrederetur, tibicinem sonantem cùm audiret horis nocturnis, præ timore vix se sustinere poterat; interdiu autem eundem audiens nihil commovebatur. Aliam jocosam sympathiam retulit Scaliger de Subtilitate ad Cardanum, Exerc. 344. Reguli Vasconis Equitis, qui, dum viveret, audito phormyngis sono, urinam illico emittere cogebatur, qua quendam ex turma aspersit; qui ridiculam illi molitus est ultionem: pone accumbentem adduxit cæcum quendam cum phormynge, cujus, ut solebat, sono permotus, ibi sub mensa in clarissimorum convivantium sodalitio quin pedes permeieret, continere sese non potuit. Quinimò nec defuerunt alii vinum aversantes, alii panem ipsum raro comedentes: inter quos liceat mihi referre Patrem Coetus Augustinianorum Excalceatorum, nunc Præfectum Cænobii Viennæ ex Nob. Familia de Ramersthal, olim S. Cæs. M. puerum nobilem, nunc verò ætatis annum 40. excedens, qui nunquam panem quocunque modo coctum degustare potuit, nec in præsentia potest, & in primis à pane calido abhorret. A pane autem calido ventriculum quam maximè affici asseruit Hippoc. Secundo de Ratione Victus in Acutis text. 34. Cur autem facta sit hæc panis abominatio in casu præsenti, si quis quærat, respondere possum cum Scaligero Exerc. 274. de subtilitate ad Cardanum; *Harum rerum causas neque ego scio, neque scire labores tu: sapientia vera est nolle nimis sapere.* Addam nihilominus duas causas ab Hippoc. assignatas Secundo Acutorum citato; quarum prima est, repentina præter consuetudinem panis deglutitio; Secunda æstus ventriculi. Prima habetur ex morbi historia, dum referunt juxta Italici sermonis vim,

quod in convivantium consuetudine, dum vellet comedere, assumpto pane, eum manducasse, & deglutiisse, sed cum sensisset quandam commotionem circa os stomachi, rejectum esse panem. Ex quibus colligitur, à pane confertim deglutito læsionem aliquam in ore ventriculi subsecutam esse, cujus sensus semper exquisitus primam renovat molestiam, ideoque panis rejicitur. Secunda habetur illis verbis historiæ, quod eructationes sunt nidorulentæ, dejectiones biliosæ, & quod insignis æstus percipitur in ore ventriculi; atque ita panis attritus, conversus in naturam recipientis rejicitur tanquam ventriculo infensus; cùm habeamus ex eodem Hippocr. Secundo Acutorum citato, quod panis calidus assumptus maximam turbationem facit in ventriculo, sitim infert, & repentinam plenitudinem inducit. Has ergo ob causas, præter occultas, panem deglutire non potest, quanquam ipsum appetat, ex memoria delectationis ab ipso perceptæ, quando ventriculus erat naturaliter constitutus. Plus enim potest præsentia objecti molestiam inferentis, quàm memoria præteritæ oblectationis. Ita usu venit in aliis omnibus naturaliter abominabilibus, quod tunc tantum aversionem inducunt, quando sunt præsentia, & actualiter operantur.

Ex his apparet, difficillimam fore præsentis affectus curationem, non tamen impossibilem. Quoties enim cunque expurgatus fuerit ventriculus ab excrementis biliosis, discussique flatus, ac tandem æstuans ventriculi intemperies refrigerantibus contemperata, convalescet æger.

Purgatio propterea ex Viri Præclarissimi consilio instituenda. Atque inter ea quæ proposita sunt, valde commendo fonticulum dextro femori inustum. Aquas Carafanianas tanquam detersorias quam maximè laudo, cum dejectoriis triduum potui datas ad libras tres circiter. A quarum usu aquas Villenses in agro Lucensi, vel nostras Beatæ Virginis, vel aquas Ficuncellæ in agro Senensi, vel etiam Nocerianas summopere profuturas existimo. Copiosè bibantur quindecim dies circiter, cùm diureticis non dulcibus: puta emulsione sem. melonum, cremore tartari, & spiritu vitrioli, vel salis, incipiendo à libris sex, & singulis diebus addendo libram, ad tredecim usque: mox singulis diebus libram subtrahendo, ad libras sex, præmissa parca cœna, quod facilius permeent. Quod si liberè fiat, ut spero, cùm hypochondria benè habeant, supersedebit quindecim dies ipsarum usu plus minus ad libitum: atque iterum ipsas assumet. Nil enim magis extinguet æstum ventriculi: sintque aliquando dejectoriæ, cum majori dosi cremoris tartari; ita namque excitabitur appetitus, juxta Hippocr. in Epidemiis: Aqua vorax, & vigiliæ voraces. Caput interim Errhinis purgetur: hepati refrigerantia applicentur: alvus continuò lubrica servetur. Ventriculo nil extrinsecus apponendum: quoniam à jecoris refrigerio ventriculus roboratur. Panis interim siligineus variâ formâ aniso, fœniculo, & coriandro condiatur. Et hæc in medium quæ afferrem habui, committendo omnia prudentiori alicujus judicio. Obiit autem sex mensibus à morbo, impedita deglutitione omnium solidorum, vel liquidis ipsis dissolutorum. *Idem ibidem.*

Anatomica inspectio.

Vir honestus 56. circiter annos natus in tantam incidit deglutiendi difficultatem ut cum aliquid in ventriculum exinanitum ingerendum pro vita conservanda veniret, non tantum solida viam sibi in medio œsophago præclusam invenirent, sed etiam liquidorum illàc transitus adeò impeditus foret, ut plures conatus qualibet vice per horæ ad minimum quadrantem essent impendendi, subsequentibus etiam ingestorum quæ à parte læsa ad fauces usque restagnabant vomitionibus, antequam guttula una aut altera sibi viam aperiret in ventriculi concavum, quô demùm peracto aliquid liquidi ulteriùs absumere imò pultem tenuiorem ex lacte & farina aut pane confectam vorare valebat. Nec aliquid in subsidium poterant vel instrumenta Chirurgica ordinaria, vel alia quæcunque à nobis excogitata, quin vitam sic miserrimam per annum & dimidium transegerit, tandemque marasmo, nulla tamen adveniente febre, præterquam ultimis diebus, confectus obierit. Cadavere in casus tam rari causam retegendam aperto, vidimus tuberculum in parte œsophagi media eo latere quo tracheæ arteriæ adjacet situm, non equidem admodum magnum sed quod in cancrosum quid jam abierat, lividum enim atque etiam saniosum, varicosisque vasis refertum apparebat. Unde satis constitit non tantum tumoris corpore viam impeditam fuisse, sed etiam succo stiptico inde continuò quasi transudante œsophagum eâ parte constrictum non parum alimento transgressuro, obstitisse. Similem propè historiam proponit Clariss. Willis Pharmaceutices rationalis parte prima sect.3. cap.3. his verbis. Vir robustus, & aliter satis sanus, à longo tempore vomitu crebro laborans, comesta quæque sæpius, etsi non semper, mox rejicere solebat: Tandem victis omnibus remediis morbus in eum statum devenit, ut valde esuriens comederet ille, donec œsophagus ad gulam usque impleretur, dein nihilo in ventriculum illabente, ingesta quæque cruda regereret; Cùm pharmacis nihil juvantibus præ fame summè elanguesceret, & propediem interire periclitaretur, instrumentum ei instar virgulæ, è pinna cetacea, cum spongiæ fibula apici ejus affixa parabam; hoc ægrotans statim à cibo & potu assumptis gutturi, unaque œsophago immittens, alimenta secus restagnatura in ventriculum, orificio ejus reserato, detrudebat: atque hujus ope per sedecim annos pabulum quotidie sumsit: eademque adhuc machina utitur, & etiamnum vivit valetque, secus inedia periturus. Procul dubio in hoc casu os stomachi, sive à tumore, sive à paralysi semper occlusum, nihil, nisi violenter reseretur, in ventriculum admittit.

DELIQUIUM ANIMI.

Vid.

CORDIS MORBI.

DE-

DELIRIUM & PHRENITIS.

De Hisce morbis uno & eodem capite agimus ob maximam affinitatem; propter quam etiam de iis simul; atque uno capite scribit Clar. Willisius, quod integrum mox jam adducimus, sic itaque ille.

De Delirio & Phrenitide.

Hactenus de *morbis cephalicis*, à quibus functiones animales per se; & quatenus *corporeæ* sunt, sine respectu ad *animam rationalem* inhiberi, aut perverti solent: In quibusdam ex illis; scilicet *vertigine*, & *Paralysi intellectus* plerumque clarus, & vegetus perstat, atque in cæteris, tanquam oculus in obscuro loco positus, species aut planè nullas, aut paucas tantum φάσει rudiori objectas intuetur; in *errorem* vero magnum, aut *furorem* non facilè rapitur; cujusmodi symptomata, propter alias τ̃ ἐγκεφάλε ejusque spirituum incolarum affectiones, de quibus modò agendum erit, passim inducuntur. Nam si quando *imaginatio* ita perturbatur, aut pervertitur, ut species, & notiones à *sensu* vel *memoria* oblatas, aut perperam concipiat, aut malè componat, vel dividat; propterea statim *intellectus* conceptus, & noemata tantum deformia, ab invicem distracta, & valde confusa speculatur, aut effingit: quæ quidem illi à *cerebro* male affecto velut μορμολυκεῖα à speculo variegato, & distorto repræsentantur. Cum plures sint modi, quibus *imaginatio*, & per consequens *mens* & *voluntas*, aliæque superioris animæ potentiæ, perverti, aut depravari solent, illæ omnes communi *desipientiæ* vocabulo insigniuntur. Hæc autem *affectio* distinguitur in *breviorem*, quæ *delirium* appellatur; ac *longiorem* seu continuam, quæ aut febri conjuncta est, & dicitur *Phrenitis*, vel sine febre contingit, eique aut *rabies*, aut *tristitia*, aut *stupiditas* adjungitur, proindeque in *maniam*, *melancholiam*, & μώρωσιν dividitur: de singulis hisce ordine dicemus? ac in præsenti de *Delirio*, & *Phrenitide*.

Etsi *delirium* non per se *morbus*, sed tantum *symptoma* est, ab aliis affectibus procedens; quoniam verò in horum, quibus supervenit, medelâ, illi per remedia appropriata plerumque occurri solet, idcirco ex re fore videtur in *naturam* & *causas* ejus paulo strictius inquirere. Vocabulum illud speciali modo sumptum idem est quod παραφροσύνη, & denotat ejusmodi functionis animalis *læsionem*, qualis in *paroxysmis febrium*, ebrietate, & quandoque in *passionibus* dictis *hystericis* exorta, homines ut ad breve tempus absurda cogitent, loquantur, aut agant (scilicet horum aliena, aut simul omnia) inducit.

Delirium excitatur in quantum spiritus animales aut nimis irritati, aut in confusionem acti, huc, illuc intra globosam cerebri compagem (ubi *phantasia* & *memoria* sedes habent) ἀτάκτως & tumultuosè feruntur; ita namque dum variæ *imaginationis* & *memoriæ* species simul excitatæ, invicem confunduntur; *phantasmata* tantum absurda, & incongrua *animæ rationali* objiciuntur, & proinde tum *intellectus*, tum *voluntatis* actus solummodo inordinatè eliciuntur. Ob spiritus animales intra *cerebri medullium*, sive *corpus callosum* irregulariter commotos, ut animæ rationali conceptus incongrui, & noemata confusa objiciantur, pariter contingit, ac cùm à diuturnâ corporis circumgyratione visibilium species inferuntur *sensui communi*, unde omnia circumagi, modò in alterum elevari, modo in imum deprimi videntur; ut nihil stabile, & consistens, in debito situ, ac positione conspiciatur. In *cerebro* rectè disposito, spirituum animalium motus, certis quasi numeris, & modis, velut in tripudio peragitur; dum spiritus quidam in his tractibus suscitantur, alii in istis quiescunt, deinde hi illis in motu succenturiantur; & singuli cujusque facultatis actus, quasi totidem in fluvio aquarum undulationes distinctæ fiunt; verum in *delirio* spiritus simul omnes exiliunt, & sibi invicem tumultuosè occursantes, aut se variè proripientes, velut choreas bacchantium agunt: Porrò quemadmodum hic intra *cerebri* compagem, tali œstro perciti, cogitationes multiplices, & valde perturbatas cient; ita dum extra hujus confinia in *originem nervosam* feruntur, loquelam incongruam, corporis, & membrorum gestus absurdos, & non raro motus convulsivos producunt. Siquidem verò talis spirituum orgasmus (secus ac in *Phrenesi*, aut *Mania*) statim defervescit, & è tumultu istorum peracto nulli tractus devii in cerebro cuduntur, delirium cito, pertransit, & affecti mox iterum animo constant, sine relictis *desipientiæ* vestigiis.

Quod si inquiritur, unde hic *furor brevis* spiritibus cerebri incolis imprimitur, ut excussis *animi* habenis, ita in œconomia suâ omnia susque deque habeant; dicimus eos *duplici ratione* hujusmodi inordinationem concipere; nempe œstrum hoc aut è *sanguine* cerebri compagem perluente iis immediatè confertur; aut *spiritus* quidam *animales* exterius, intra *nervosum genus* degentes ἀταξίαν quandam primò ineunt; dein eadem *cerebro* per ductus nerveos communicata, spiritus ibidem hospicantes pariter afficiens, in *delirium* ciet. Utriusque horum variæ sunt *species*, & *causa*; quorum præcipuas hic breviter attingemus: & primò ostendetur, quomodo, & ob quas προφάσεις *sanguis*, aut nimiâ effervescentiâ tumidus, aut materiâ venenatâ prægnans, quatenus vel particulas efferas & indomitas, vel magnas, & regimini animali infestas *cerebri* poris, & meatibus insinuat, *Delirii* parens existit.

1. Quoad prius in *febrium* intermittentium paroxysmis & continuarum ἀκμῇ sanguis incendio immodico effervescens interdum mero ebullitionis suæ impetu *delirium* concitat; in quantum scilicet iste plurimùm turgescens, dum exiles arteriarum propagines, per cerebri exteriorem ambitum ubique diffusas pertransit, eas valde inflat, & distendit; proindeque cerebri substantiam comprimens, spiritus variè impellit, & quasi in turbas valde confusas cogit: Porrò è *sanguine* cum spumosâ rarefactione ita turgescente, caloris effluvia, cumque iis particulæ heterogeneæ *cerebri* poros & meatus subeuntia, spiritus exagitant & huc, illuc tumultuariè corripiunt.

2. Propter similem ferè huic rationem, *ebrietas*

aut altum *soporem*, aut *delirium* infert; in quantum scilicet, massa sanguinea, spirituosas vini particulas (à quibus effervescit) in cerebri poros, & meatus insinuat, à quibus spiritus in iis hospitantes, aut planè obruuntur, aut in motus inordinatos, & confusos aguntur. Quippe indomita vini aut cervisiæ uberiùs epotæ corpuscula, cerebri cujusvis utut firmi, & sani claustra reserant, atque altiùs in ductus medullares penetrantia, & rationis & imaginationis actus perturbant, & planè evertunt.

3. Nec tantum *sanguis* particulas *febriles* & turgidas, aut *vinosas*, & indomitas, sed interdum *malignas*, & quasi *venenosas* regimini animali suggereus, cum, vel sine febre *delirium* ciet. Quoad prius in *peste*, *variolis*, *febribus malignis* (etiamsi color moderatè habeat) materies maligna ad *cerebrum* translata, quatenus spirituum copias dissipat (potiùs quàm quòd eos in tumultus adigit] notiones abruptas; incohærentes, & tandem distractas parit.

Ob parem huic rationem *toxica* quædam & *venena* intus sumpta, ac (uti nonnulli asserunt) exterius applicata *delirium* citò accersunt. Hoc de *solano furioso*, *mandragora*, & plantis quibusdam aliis, vulgò fertur; *de radicibus pastinacæ silvestris* res notissima habetur. Narrabat mihi quondam *amicus intimus*, & *vir fide dignus*, perinde ac doctissimus, se generosi cujusdam ædes intrasse, ubi mater familias, filiæ & ancillæ omnes (unica excepta) simul deliræ factæ, incongrua & absurda loquentes, & saltantes per domum discurrebant; cum illas planè *lymphatas* suspicaretur, didicit ex puellâ feriâ, cui mens & ratio constabant, totum illud à comestione radicum pastinacæ, quas ipsa tantum non gustaverat, contigisse. Id quod etiam eventus comprobavit; nam postquam delassatæ somno indulserant, omnes demum sobriæ evigilabant. Utrùm hæc, & alia ejusmodi *toxica regimini animali* potiùs, quàm *vitali* infesta labem suam aut tantùm sanguinis commeatu, aut etiam aliquatenus spirituum in ventriculo residentium contactu, cerebro communicant, non otium erit hic disquirere.

Verum insuper advertimus, *delirium à spirituum animalium inopia*, & dissipatione magnâ nonnunquam excitari; quippe illorum series abruptæ, & ab invicem distractæ, non secus ac tumultuariè conglobatæ, notiones confusas, & incongruas suggerunt. Hinc observare est, quosdam à magnis *hæmorrhagiis*, aut *longis vigiliis*, & diuturna *inedia* delirasse; propter hanc rationem plures *moribundi delirè* & incongruè loqui solent.

Restat altera *delirii* species, in qua *sanguine insonte spiritus* animales, alicubi in nervoso genere scatentes, primò ἀταξίαν subeunt; dein eadem affectio per ductus nerveos ad *cerebrum* perreptans, spiritus meditullii ejus incolas in *delirium* ciet. Hoc satis obvium est in *passionibus*, quæ dicuntur *hystericæ*; nempe post ventris intumescentiam, & cordis oppressionem, demum modò ἀναισθησίαν, modò fabulationem absurdam, cum fletu & risu succedere. Pariter in *Colica* atroci observavi interdum immanes circa viscera aut lumbos cruciatus, mox *delirium* cessisse, dein paulo postea hoc cessante, tormina rediisse. Novi puellam quæ (prout alibi memoravimus) ab assumpto *pharmaco emetico*, donec operaretur, constanter delirare solebat. Huc etiam facit quod sæpius adverto à *Gangræna* in membro quodam externo incipiente delirium accieri: Atque hoc pro signo lethali, in vulnere, aut ulcere passim habetur; quia denotat spiritus animales in parte affectâ internecioni dato.

Nec meliorem *prognosin* symptoma istud diu invaletudinariis, ac penè attritis superveniens exhibet, in *febrium intermittentium* paroxysmis, ferè semper tutum est, in continuis vero dubii & nonnihil suspecti eventus, in malignis sæpius malum ominatur; in *morbis convulsivis* primi Delirii insultus ut plurimùm periculo vacant, attamen ejus frequens accessio, diathesin in *Carum Apoplexiam*, aut *paralysin* non rarò parit.

Hæc affectio, quoties satis tuta videtur, curationem non exigit: nam paroxysmus citò ac facile pertransit: Attamen quia nonnulli, quibus cerebrum imbecillius & laxum est, atque spiritus animales nimis dissipabiles, in fugam, & confusionem apti sunt, de levi quavis occasione perturbati, statim delirè agere, aut loqui solent; idcirco his medicina opus est, non Helleboro tamen, sed remediis cephalicis, quæ cerebrum corroborent, & contra materiæ morbificæ incursus muniant; item quæ spiritus animales fortificent, eosque fixiores & ad resistendum fortiores reddant. Hujusmodi medicaminum [cum ad morbi cujusque alterius cephalici procatarxin tollendam utilia sunt) *formulas & administrationum modos* superiùs descripsimus.

Delirium febribus continuis & malignis superveniens, peculiarem medendi rationem postulat: Namque imprimis indicat materiem morbificam versùs caput periculosè translatam, exinde quoquo modo revelli debere; in quem finem vesicatoria cervici, emplastra, aut cataplasmata, aut animalium carnes aut viscera calentia pedibus admoventur; intus cephalica temperata, uti pulveres è coralliis & margaritis, aqua Cerasor. nigr. flor. Paralyseos, papaveris, aliaque spiritus refocillantia, ac demulcentia, propinantur.

His ita præmissis circa primum, & levissimum desipientiæ modum, ad gradum ejus altiorem, sc. phrenitidem, quæ priori affectu longè major, & durabilior est, ascendamus. In *Delirio*, spirituum cerebri incolarum perturbatio, velut aquarum in fluvio à lapide injecto undulatio excitata, verùm in phrenesi illorum commotio, quasi fluctuum à turbine insanientium œstus videtur.

Phrenitis definitur, quòd sit *desipientia continua*, seu *principum cerebri facultatum depravatio*, ab *inflammatione meningum orta*, *cum febre synocha*. Huic morbo alter affinis, sc. paraphrenitis vulgò accensetur ejusque causa non membranarum quæ ἐγκέφαλον tegunt, sed dyaphragmatis inflammatio statuitur. Porrò in utroque affectu (uti etiam in pleuritide, sed perperam) febris quasi tantum esset symptomatica, ab eadem causa conjuncta, sc. partis cujus phlegmone exoriri perhibetur. Verum enim vero phrenesin potiùs febri succedere, &, quia sanguis effervescens recrementa sua adusta capiti transfert, produci, Hippoc. olim, nunc quisquam vel è plebe observat, in quantum sc. febricitantis urina, à turbida, & crassa, in tenuem, & aquosam mutata, *Prenesin* imminen-

imminentem indicat: cujus idcirco affectus causa exinde colligitur esse, materiæ febrilis in cerebrum metastasis.

Quod autem spectat, ad Phrenitidis, & paraphrenitidis causas conjunctas, facile erit ostendere, illam non semper à meningum, & hanc non omnino à septi inflammatione procedere In dissectionibus Anatomicis sæpius vidi meningas, immò nonnunquam, & cerebri exteriorum ambitum tumore phlegmonodei obsessas, atqui laborantes minimè phrenesi: verum è contra torpore affecti, à Caro, aliisve morbis soporosis interibant. Et quidem rem ita habere ratio planè dictitat; nam meninges inflammatæ, eoque magis tumidæ, cerebrum valde comprimen, & circa ambitum ejus spirituum ductus & vias occludent; proinde ut vigiliæ, & memoriæ functionibus impeditis Lethargus (uti de facto liquet) necessario sequatur: Attamen longò secus in phrenesi, cerebri meatus, & pori omnes pro spirituum excursibus amplo nimis patere videntur, in quantum sc. ex ultimis, simulq; omnibus memoriæ Thecis species reconditæ unà suscitantur quæ, sibimet invicem aliisque à phantasia & sensorio communi tumultuariè suggestis occursantes rationes adeò multiplices, & maximè confusas pariunt. Tantum animæ abest sensitivæ intra ἐγκεφάλου expansionem (quam certe *meningum inflammatio* efficeret) angustari, ut potius supra modum dilatari, & cerebri poris omnibus reseratis, ultra solitum ambitum efferri videatur. Eveniat forsan à diuturna istius morbi mora sanguinem intra *meningum* vasa copiosiùs aggestum, ibidemque stagnantem, demum in iis *phlegmonem* parere, sed tunc propterea suspicamur (quoniam ita crebrò assolet) *phrenitida* in *Carum* aut *Lethargum* transire, à quibus nimirum Phrenitici crebrò emoriuntur.

Nec minus rejicimus *Diaphragmatis inflammationem*, quam *Paraphrenitidis* causam *Galen.* olim, ejusque authoritate moti plerique in omni deinceps ævo Medici assignarunt: *Observationes Anatomicæ* hujus oppositum planè evincunt. Olim puellæ leipothymia subita interemptæ cadaver dissecantes, in carnosa *Diaphragmatis* parte abscessum magnum cum cysti sanie & vesiculis aquosis impleta, reperimus; nec tamen unquam illa delirio aut phrenitide tentari solebat. Quondam item *viri Illustri Academici* (cujus in nupero tractatu mentio facta est) à *Pleuritide spuria*, & diuturna defuncti cum *Anatomen* faceremus, manifesto liquebat abscessum magnum in *Pleura & musculis* intercostalibus suppuratum, ac interius disruptum, puris copiam ingentem in Thoracis cavitatem profudisse, quod *Diaphragma* substratum corrodens ingens in eo foramen excuderat; nec tamen hic in tota ægritudine sua phreneticus, aut animo delirans fuit. Quapropter hunc affectum vix unquam à tali causa produci arbitror: verum opinio isthæc inde nata videtur, quod sæpenumero in vera *Phrenitide* una cum desipientia continua *Diaphragmatis* motus impediri aut perverti solet; uti colligere est ex respiratione inæquali & difficili, sc. modò anhela, & quasi suspensa modò crebra & celeriter repetita cum inspiratione interdum duplicata; cujusmodi symptomata, simulque mentis alienatio, dicuntur à septo inflammato, & propterea convulso procedere; quamobrem Antiquiores *Diaphragma* φρένας appellabant: verum istis non opus fuerat, si considerassent, *Diaphragmatis* actionem omnem à spirituum animalium è cerebello effluxu pendere, & propterea necesse, esse si materia phrenetica cerebrum invadente, quædam pars ejus unà in cerebellum irruet, ut præter desipientiam, insuper sepit, ex se licet insontis motus alteretur, prout alibi fusius ostendimus.

Itaque *Phrenitidis ratio formalis* in eo consistere videtur, quod spiritus animales, imprimis in toto cerebro. plurimū irritati, in motus inordinatos, & valde confusos, simulque impetuosos adiguntur; proinde ut functionis cujusque animales actus depraventur, & varie pervertantur; rerum Ideæ simul plurimæ, è memoriâ suscitatæ, veteres cum novis, aliæque aliis malè conjunctæ, aut divisæ mire confundantur; phantasmata multiplicia, & penè innumera, eaque tantum incongrua, imaginatio suggerat; sensibilium species distortas, duplicatas, aut incohærentes sensorium commune repræsentet; hinc ut mens & voluntas conceptus, & passiones non nisi ridiculas, & impertinentes eliciant, atque corporis actiones fere tantum irregulares edi faciant. Porrò non tantum in cerebro, sed etiam in cerebello, & ubique in nervoso genere spiritus, velut œstro perciti; tumultuantur; quare phrenitici non solum delirè loquuntur, sed inæqualiter respirant, vociferantur, pugnos cædunt, manus, & pedes jactant, quin & membra quæque viribus intensis cumque impetu validissimo exerunt; revera ut tota videatur anima in toto corpore furiosa excandescere, & debacchari, seu potius velut incendio correpta inflammari. Et quidem *Phrenitis* nullo modo aptiùs definiri potest, quam quod sit *totius animæ sensitivæ sive spirituum animalium quoad totam eorum hypostasin phlogosis sive inflammatio.* Incendium hoc à spiritibus cerebri incolis semper incipiens, & exinde in reliquas animæ sensitivæ partes emigrans à sanguine, igne febrili prius æstuante, tum materiem primo incentivam, tum constans incendii pabulum accipere videtur. Enimvero probabile est sanguinem febriliter ardescentem, particulas interdum sulphureas unà cum spirituosis cerebro offundere, quæ semiaccensæ, & quodammodo efflagrantes, si unà cum alteris penetrarint, exinde mox omnes ductus medullares, & nerveos subeuntes, spiritibus ubique adhærent, eosque adeò inflammatos summe efferos, & implacabiles reddunt. Certè verisimilius est, *Phrenitiden* hoc ritu à *spirituum phlogosi* potiùs quàm à *meningum* aut *cerebri inflammatione*, quæ *Cephalæam*, aut *Lethargum*, certiùs quàm furorem (prout ex crebris *Anatomiis* compertum habui) inferrent, excitari.

Et quidem ita fieri haud nostra tantùm aut nova prorsus opinio est, verum Hippocratis præcipuus ille sectator & interpres optimus, Prosper Martianus, idem expressis ferè verbis statuit; videlicet comment. in lib. de morbis 3. vers. 99. pag. 151. dicit *Hippocratem vocare phrenitin, delirium cum febre, quod continuum est, & à firma & stabili affectione dependet, viz. ab inflammatione earum partium quæ naturæ instituto, & rationi, & menti inserviunt; Ita enim spiritus animales, quorum vitio deliria fiunt, non simplici qualitate, quatenus incalescunt, sed etiam secundum substantiam alterantur.* Hic manifesto distinguit

inter

inter calorem & flammam, atque istum respectu qualitatis, & hanc respectu substantiæ alterationem esse statuens, Phrenitidis causam spirituum inflammationi planè ascribit. In eodem loco plura habet ad rem nostram maximè apposita, nempe quod Phreneseos causa continens fuerit, non meningum, sed spirituum inflammatio, quorum substantia siquidem alteratur, hoc est, quandoquidem ignea facta est, delirium adeò continuum excitatur.

Spirituum à sanguine in cerebro productionem, destillationi chymicæ sæpius comparavi: De qua observare est, si liquor spirituo-sulphureus igne nimis intenso urgeatur, cum inter extillandum quandoque ignem concipere, ac efflagrantem cum flamma aperta in Alembicum ascendere. Hoc de oleo Terebinthinæ per se, aut cum floribus sulphureis ebulliente quibusdam m gno suo, damno satis innotuit. Pariter opinari licet; sanguinem intensius ardescentem etiam spiritus de se extillatis non rarò incendium communicare, sc. particulas quasdam semiadustas cerebri poris insinuare, quæ in spirituum ductus omnes, tum ibidem, tum in appendice ejus irruente, spiritus ubique accendunt, atque in motus pernicissimos, ac velut fulguratos cogunt.

Quod autem febribus non omnibus, nec tantum maximè ardentibus, Phrenitis superveniat, rationes ex sequentibus patebunt: Nempe, cerebri claustra in tantum obserata esse debent, ut non modò iis nihil extraneum suffundatur, sed nec sanguinis, ut ut summè flagrantis, & circumcirca consiti, flamma intensior ea perrumpere valeat; quare nonnullis febre causo affectis, etsi cruor totus ardescit, torrentur viscera, æstuant medullæ, lingua & fauces velut à carbone vivo assantur, usque tamen cerebro firmiter occluso functiones animales sartæ tectæ perstant. Verum è contra alii, quibus cerebrum debilius, & nimis laxum est, atque sanguis plus debito sulphureus, non tantum à febre ardente, sed interdum à mitiori visa phrenetici evadunt. Propter qualem procatarxin, & ob quas προφάσει sive causas evidentes, hoc fieri solet, jam proxime inquiramus.

Ostenso igitur phreneseos subjectum immediatum esse animam sensitivam, sive spirituum animalium hypostasin, & morbi rationem formalem in illorum inflammatione consistere, atq; causam conjunctam esse particulas sulphureas à sanguine, in cerebri claustra suffusas, ibidemque spiritus continenter accendentes; quod modo incumbit non difficile erit causas ejus procatarcticas assignare quas partim in sanguine, partimque in cerebro ac incolis ejus inveniemus.

Sanguinis prævia diathesis ad Phrenesin disponens modo simplex, modò duplicata existit; prior est constitutio ejus calida & acris, sive biliosa, nempe quod plurimas in se particulas sulphureas contineat, quæ plus debito in febre accensæ sanguinem magis efflagrare, atque incendium suum cerebro insinuare aptæ sunt. Dispositio hæc, quando potens & summè actuata fuerit, morbum istum per se non raro producit; plerumque verò subest altera sanguinis diathesis quæ priorem adjuvat, & magis efficacem reddit, nempe quod præter particulas sulphureas, & inflammabiles, adsint aliæ asperæ, & penetrativæ, quæ videlicet subeunt, & aperiunt, adeoq; priores facilius introducunt: Hoc corpuscula salina sulphureis conjuncta quodammodo efficiunt; hinc biliosi & melancholici febricitantes in furores sunt magis proclives; Attamen longè potius particulæ heterogeneæ cum sanguini insunt, à febre commotæ, cerebri ostia aperiunt, & inflammabiles quasq; intromittunt: Quapropter variolis & febribus malignis, ac pestilentibus Phrenesis crebrò supervenit.

Aliter, qui cerebri est apparatus ad Phrenesin partim in istius temperie, & conformatione, partimque in spirituum incolarum indole consistit: Quoad prius; cerebro calido & sicco præditi in Phrenesin maximè proclives reperiuntur; non quod ea constitutio inflammationi sive phlegmoni magis obnoxia sit, (nam ad hanc minus apta est) sed quoniam in tali cerebro, secus ac in calido ac humido, vel frigido & sicco, pori, & meatus apertiores sunt, & nimis dehiscentes materiæ incentivæ à febre suggestæ aditum præbent: Quæ insuper multo faciliùs admittentur, si spiritus admodum fugaces, & pathetici, levi quavis occasione in tristitiæ, timoris, iræ, aut odii passiones apti fuerint; proinde ut materiæ extraneæ incursibus minùs obsistant, ipsique incendium promptius concipiant.

Phreneseos causæ evidentes, aut remotiores sunt, sc. quæcunque res intemperiem febrilem excitale solent; uti crapula, ebrietas, corporis, aut animi perturbatio vehementior, evacuationes solennes suppressæ, cum multis aliis; aut proximæ, uti febris, ejusque appendiculæ & adjunctæ; nempe si ea pestilens, maligna, aut mali moris erit, si propter crapulam à cibis aut potu maximè incongruis orietur, vel passionibus violentis, amoris, odii, invidiæ, indignationis, aut tristitiæ, aut studiis immodicis succendet: Hujusmodi etenim προφάσεις & sanguinem, & spiritus animales febriliter æstuantes ad affectionem phreneticam valde propensos reddunt.

Quandoquidem hic morbus ab anima potiùs & immediatius quam ab humoribus aut partibus solidis, affectis dependet, species & differentiæ ejus nec variæ, nec multiplices erunt: Respectu magnitudinis Phrenesis intensa aut mediocris, it. continua vel intermittens est, nempe juxta quod spiritus animales plus aut minus inflammantur, atque incendii sui pabulum à sanguine continenter, vel per vices accipiunt. Secundo prout incendium vel à cerebro tantum, vel ab hoc simul & cerebello incipit, vulgo in Phrenitidem & Paraphrenitidem distinguitur; quod tantundem est, ac functiones animales spontaneas ferè tantùm, & potissimum, aut unà cum his etiam vitales lædi. Cæterum hic morbus quoad febris, cui appenditur, naturam & morem, malignus, aut malignitatis expers; etiã pro ratione temperamenti ægrotantis Phrenitis in *sanguineam, biliosam, pituitosam*, aut *melancholicam* distinguitur; atque hoc non impropriè, namque spirit. animales juxta v ariasipsorum indoles, diversimodè ab hoc morbo excandescere solent.

Prognosis in hoc morbo semper dubia est, & cum mali eventus, suspicione instituenda est: Nam Phrenitis ex se (uti inquit Trallianus) πάθος ὀξὺ καὶ πκυνδυνῶδες, dein si febri pestilenti malignæ, aut quæ mali moris est superveniet, exitum

exitum non nisi funestum expectare licebit.

Si *Phrenitis* corpori sano, εὐσάρκῳ, temperamento sanguineo, ac in ætate juvenili, contigerit salutis spes major erit, quàm si ægrotans annosior, macilentus, biliosus; & passionibus violentis obnoxius fuerit.

Si *Phrenesis* crebrâ vice remittens, lucida intervalla habet, melius est, quàm si furor sit indiscontinuus: Sin ægroti interdum meliùs habere visi, post somnos moderatos furiosi semper evigilant, indicium est morbum pertinacem, & proinde periculosum fore; inquantum scil. novus materiæ incentivæ penus subinde cerebro suggeritur, quod quidem in somno longè uberius quàm in vigilia fieri, alibi ostendimus.

Phrenitis, aut brevi tempore in salutem, aut mortem, cum *febre* terminatur; aut diu protracta, & post *febrem* superstes, demum vel sanatur, vel in alios morbos, nempe aut *Lethargum*, aut *Maniam*, aut *Melancholiam* transit.

Si *febris* crisin laudabilem per sudorem, aut urinam copiosam habens, integre solvetur, plerumque etiam *Phrenitis* prorsus cessabit: sin *febris* minime judicata materiam usque morbificam τῷ ἐγκεφάλῳ ingeret, adeò ut præter functiones animales depravatas, vitales fatiscere incipiant,, (quod ex pulsu, & respiratione in pejus alteratis liquebit) si urina sit pallida, si crebra sanguinis è nare stillicidii, si vomitus, & convulsiones evenient, mortem in propinquo esse medicus concludat.

Interdum febris etsi non semel; & integre judicatur, postea tamen sensim, ac lentè transiens, *Phrenesin*, sive despientiam superstitem relinquit; quæ si nondum morâ suâ spirituum in cerebro tractus priores obliteravit, deinceps aut sponte paulatim desinit, aut remediorum ope sanatur.

Quod si ob *Phrenesin* diutius protractam, meninges, aut cerebri cortex à sanguine, aut sero ibidem aggesto, & stagnante, demum tumore phlegmonodei aut illuvie serosâ occupatur, lethargus aut morbi soporosi succedunt, quorum curatio sæpè difficilis, aut nulla est à longâ *Phrenesi* aut spiritus animales (eorum incendio licet cessante) indolem vitiosam contrahunt, aut cerebri meatus & pori pervertantur, desipientia non raro perpetua (morbo priori in maniam, aut melancholiam, aut μωρῶσιν transeunte) non raro succedit. Quare vulgo dicitur *Phreniticis* non citò curatis, cerebrum fractum esse, proinde ut semper insaniant, aut delirent.

In *Phrenitidis curatione* respicere oportet unà febrem & furorem sanguinis incendium febrile, sive effervescentia immodica, quæ plerumque alterius effectus causa antecedens est, imprimis compesci, & sedari, simulque spiritus animales mulceri, & excandescentiâ quavis immani liberari debent. Si *Phrenitis* circa febris initium, aut medium contingit, eadem ferè remedia, & medendi methodus in utrumque finem conducunt: sin vero ille affectus huic, dum in statu, aut παρακμῇ est, superveniat, sanandi rationes sæpe mutuò repugnant; & summâ cautione opus est ne, dum uni morbo occurrimus, alterum augeamus; in hoc indicatio vitalis circa vires conservandas primum locum obtinet, atque sanguinis missio, aut purgatio non temere, & copiosè celebrentur.

In priori casu, cum febris, & *Phrenesis* ferè σύγχρονα sunt phlebotomia, raro aut nunquam omittenda, statim adhibeatur, & si vires ferent, postea aliquoties iteretur: Nihil enim æquè ac remedium sanguinis flammam immodicam deprimit, ac diminuit, nihilque incendium ejus è regimine animali magis avertit, aut revocat: Quaptopter si res exigat, vena modò in brachio, aut manu, modò in crure aut pede, modò in cervice, vel fronte aperiatur: quandoque forsan expediat arteriam temporalem pertundi; qui etiam ex aliis locis per hirudines nonnunquam aut cucurbitulas sanguinem detrahi: Hoc enim potissimum auxilium, juxta Galenum; ὡς πρῶτον ὑπὲρ ἁπάντων, καὶ μέγιστον ἰσόρμον βοήθημα, plurimas in *Phrenesi indicationes* explere solet.

Cæterum ad præcavendos materiæ febrilis è visceribus in caput raptus enemata præcipui erunt usus; quibus, si opus fuerit, alvus continuè lubrica servetur vomitoria, & cathartica nisi tantum lenitiva rarius hic locum habent. Cataplasma ex Ruta, chamomelo, Verbena, rad. Bryoniæ florum Papaveris erratici, cum sapone totis pedibus admoveantur; vel eorum loco columbæ, & pulli dum calent discissi applicentur; interim Julapia, Apozemata, pulveres confectioni, à quibus tum sanguinis æstus, tum spirituum excandescentia sedetur, pro re natâ præscribi debent.

♃. Aqu. Pomorum, Cerasorum nigrorum, Paralyseos an. ℥iv. Citri totius ℥ij. Margarit. pulv. ʒj. Syrupi è succo citri ℥j. Misce f. Julapium, sumantur ℥iij. ter vel quater in die.

♃. Rad. Graminis, foliorum Luiulæ, Pimpinel. an. M.j. hordei ℥ß. Pomum incis. uvarum Corinthiacarum, vel fragorum, aut fructuum rubi Idei M.j. coquantur in aq. font. lib.iv. ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ clarificatæ adde syrupi violacei ℥j. salis punellæ ʒiß.

♃. Foliorum Borag. recentium, & teneriorum M.iv. luiulæ M.ij. duo poma curtipendula, salis prunellæ ʒij. pulpam unius Aurantii, sacchari albiss. ℥j. simul contusis affund. aq. font. lib.2. vel 3. f. expressio fortis, servetur in vitro per subsidentiam depuranda; capiat ℥vi. vel vii. ad libitum sæpius in die. Pro siti restinguenda bibat Palmerii potum divinum, scil. aq. fontanam cum saccharo, & succo limonii, vel aquam, aut serum lactis cum foliis ulmariæ, aut pimpinellæ infusis, aut decoctis, emulsiones ex decocto rad. & florum nymphεæ, cum sem. Melonum, vel aq. fontanam aut destill. cum pulpa pomorum coctorum dissoluta.

Hypnotica in hoc mobo sæpè necessaria sunt, fortiora tamen haud statim ab initio conveniunt, nec crebro in usu sint; quia somnus opiatis inductus, plus materiam morbificam cerebro ingerit, eamque illic penitius infigit.

♃. Aq. flor. Paralyseos ℥iv. Syrupi de Mœconio ℥ß. Margarit. ℈j. f. haustus sumendus sera nocte.

♃. Sem. papaveris albi ʒij. Sacchari candi ʒiß. simul contusis affund. aq. papaveris albi ℥vi. f. expressio sumenda eodem modo.

Narcotica, quæ ex merè frigidis constant, caute exhibeantur; quia nonnullis, quorum stomachi fibras valde teneras & sensiles habent, minus conveniunt. Sæpius observavi hujusmodi hypnotica magnam in ventriculo oppressionem exci-

excitasse, dein statim inflationem ejus, & paulo postea spirituum in cerebro, imò in toto corpore distractiones, & inordinationes insequutas fuisse; proinde ut non tantum somni frustratio, sed maxima inquietudo cieretur.

♃. Laudani liquido, cum sale Tartari, aut succo Cydoniorum parati. Dosis in convenienti liquore propinetur.

Quæ somnum, invitant etiam epithemata temporibus, fronti, & syncipiti sæpè cum fructu adhibentur; cujusmodi sunt oxyrrhodinum, embrocatio ex aqua vel lacte linimenta ex oleo nucis moschat. per express. & unguento populneo; cui interdum opii gr. v. vel vi. adjiciantur: aut placenta rosacea, vel florum papaveris cum aceto, & nuce moschat. &c. Porrò in hunc finem, potiùs quàm ad tollendam meningis inflammationem, agni, aut vervecis pulmones calentes, item columbæ vel pulli discissi opem non raró egregiam præstant. In hunc usum sedum majus contusum, & cum lacte muliebri mixtum, & syncipiti raso applicatum mire laudetur; item Penoti epithem. ex moschi. gr. 12. Camphoræ ℈ß. & aq. rosaceæ tinctura sant. rubri impregnat. ℥xx. à nonnullis commendatur.

Porrò non tantum capiti, sed etiam cordi, hepati, aliisque partibus epithemata adhiberi solent: Sacculus ex syndone cum speciebus cardiacis interpassatim cum bombyce insultus atque aq. destill. vel aceto rosaceo irrigatus, præcordiis applicetur; Item lintea aceto rosaceo madida imponantur testibus: Pedes decocto foliorum salicis, lactucæ, capitum papaveris albi balneentur. Hujusmodi autem topica infrigidantia tantum & demulcentia, circa morbi principium usurpentur; in statu verò iis resolventia, & emollientia, uti sunt flores chamomeli, meliloti, sambuci, &c. Item folia malvæ, atriplicis, majoranæ, hyssopi, & similia adjiciantur; in morbi declinatione resolventia tantum, atque ea parciùs adhibeantur.

Interea virium maxima ratio haberi debet, namque his nimium labefactis, curationis spes omnis deperditur. Vires autem cito atteri solent, propter magnas vigilias, animi, & corporis agitationes perpetuas, victum tenuem, & phlebotomiam quandoque sæpius requisitam. Quapropter sedulo cavendum est, ne dum catharsi, aut crebriori sanguinis missione morbum eradicare facessimus, functionem vitalem subito debilitemus: si hæc vacillare incipiet, neglectâ *phrenesi*, & victu magis εὐχύμῳ concesso, cardiacis præcipuè utendum erit.

♃. Tincturæ coralliorum ℥ß. sumantur gt. 20. bis vel ter in die cum dosi Julapii cephalici, aut cardiaci, vel detur solutio coralliorum lactescens cum succo Aurantii facta ad cocl. j. sæpius in die.

♃. Rob. vel conservæ rubi Idei, oxyacanthæ ℥j. Margarit. præ. Magisterii è coralliis an. ʒj. Confect. de hyacintho ʒij. Syrupi de succo chermes q. f. f. confectio; sumat quantitatem nuchis moschatæ, ter vel quater in die superbibendo Julapii sequentis ℥iij.

♃. Aq. florum Nymphęæ, rosar. rubr solior. ulmariæ, an. ℥ij. Syrupi è coralliis ℥ij. Aq. cordialis Saxoniæ ʒj. Misce.

♃. Conservæ florum Nymphęæ, violarum an. ℥j. caulium lactucæ condit. ʒß. pul. coralli rubri in marmore cum succo Aurant. triti & exsiccat. ʒij. specier. diamargarit. frigid. ʒj. sem. papaveris albi ʒiß. cum q. f. Syrupi de succo luiulæ, f. electuarium, sumat. quant. nucis moschat. sæpius in die.

In *Phrenesi* non tantum alvus, sed & vesica officii sui immemor, cerebro sollicitaria, ut etiam irritari debet.

Quapropter Ægrotantes monendi, & matulâ oblatâ rogandi sunt, ut urinam reddant; cui si non obtemperant, regio pubis decocto parietariæ, flor. sambuci & seminum apii, & Dauci cum spongia foveatur, & post fotum oleo scorpionum, & unguent. Dialthęæ illinatur: in longa urinæ suppressione candelam ceream urethræ immittere oportet.

Phreneticorum historiæ, & casus tam multi, ac diversimodi ab *Hippocrate in libri Epidem.* accurate describuntur, ut parum opus videatur hic alias adjicere; præsertim quia immensi operis, ac tædii esset varios insanientium mores, & gestus referre: interim quoad morbi eventum haud magna diversitas occurrit; quippe ut plurimum aut febre indicata phrenitis paulatim cessat, aut illâ crasin nullam, aut malam habente, mors, aut longa desipientia succedit. Attamen, quo hypothesis nostra de spirituum inflammatione illustretur, libet hic instantiam unam rariorem proponere.

Olim ad Ancillam robustam, quæ febricitans, & summè insaniens, continue in lecto vincta tenebatur, curandam accersebar. Huic sanguinem copiose, & dein iterato mitti, alvum ab enemate crebro subduci, quin & alias quasque administationes, in hoc casu usitatas ordine celebrandas præcepi; interim Julapia, emulsiones, & hypnotica propinari: Verum his parum aut nihil juvantibus, per septem, vel octo dies illa insomnis usque, & furiosa admodum perstitit, potum frigidum ejulando, & clamando perpetuo exposcens; quapropter hydropotia, ad libitum imò ad satietatem concessâ, nequaquam sedatior, aut sitibunda minus facta est; itaque (si quidem tempus æstivum fuit) ut mediâ nocte à mulieriebus sublata, & foras perducta Cymbæ imponeretur, dein vestibus exuta, & vinculis soluta fluvio profundo immergeretur, fune tantum circa corporis truncum, ne forte submersa interiret alligato; verum istiusmodi, retinaculo nihil opus fuit; namque puella ut vix melius vir quispiam artem hanc probè edoctus, sponte natabat: post tertiam, aut qurtam horæ partem, sana, & sobria aquis eximitur, dein lecto commissa dormivit, & copiose sudavit, posteaque sine alio quovis remedio convaluit. *Curatio* hæc tam subito, feliciter successit, quantum flamma tum vitalis, tum animalis simul immensum auctæ excessus, à proprio ignis intensioris remedio, scil. humectatione, & infrigidatione ab aquis tollerentur.

Iis quæ hactenus habet Clar. Willis subjungimus quæ de Phrenitide sua de morbis Capitis tractatu scripsit Clar. Bellini in absolutiorem hujus affectus theoriam; sic autem ille.

Antecedentia Phrenitidis sunt.

Calidorum usus nimius, insolatio, meri potio, ira, & hujusmodi: vulnus, percussio, contusio capitis,

capitis, mox febris, eaque ardens eodem ferè tempore cum expositis, tùm somnus interruptus, insomnia terrefacientia, & in eodem somno vociferatio. Sunt qui è lecto exiliant, delirium interruptum potissimum ad accessiones, & exacerbationes febris: oculorum præcipuè, & faciei rubor, aurium sibilus, sonitus, strepitus, tinnitus, objectorum apparens geminatio, oculorum lacrymatio, & perturbati motus, jactatio, & motus varii corporis, excreationis nisus sine necessitate, urinæ ex coctis crudæ, albæ, tenues: oblivio eorum, quæ dicuntur, responsiones iracundæ, & jam jam invadente phrenitide torvus, ac fixus intuitus, & in accedentes irruptio.

Conjuncta cum phrenitide mitiori, seu, ut appellant, in dispositione.

Febris acuta continua, delirium perpetuum, vigiliæ, dolor capitis, & cervicis, qui mox evanescere videtur: floccos, & festucas legere videntur alterna summorum digitorum explicatione, & complicatione: in iram facilitas, dentium stridor, oculorum rigor, tremores, & concussiones corporis: petunt matulam, inde abstinent ab urinæ excretione: exerunt linguam, neque inde retrahunt: Pulsus parvus, durus, celer, frequens, respiratio magna, rara, lingua arida, aspera, nigra, citrina, tremiscens, nullus tamen sitis sensus. Torvus aspectus, oculorum rubor cum squallore, nec ipsi vividi, & micantes, iidem lucem aversantes, sed & facies tota rubet. Acres lacrymæ, paucæ, densæ, oculorum angulis adhærentes, vel lacryma una, aut altera ex altero tantum oculo acris similiter, & densa: stilla sanguinis è naribus, eaque nigra, urinæ suppressio, & cum excernitur, alba, & pellucida: alvus adstrictior, dejectiones albæ, convulsio, extremorum rigor, capillorum evulsio, faciei laniatio per ungues, & quilibet alius in proprium corpus sæviendi modus.

Conjuncta cum phrenitide in habitu Hippocrati, & deinde Medicis Hectica dicta.

Sensuum omnium amissio, sive externi sint, sive interni, unde nulla molestia, nullus dolor, non delirium, non responsio, vix, aut nulla locutio: faciei, & oculorum rubor, mox corporis languor, & impotentia motus ita, ut rarò decubitum mutent ægri dormientibus similes: manus tremulæ, & sæpè motæ quasi apprehendendum aliquid quæritantes.

Consequentia.

Gangræna, vel sphacelus cerebri, convulsio, lethargus, Coma: vox clangosa, tremula, singultus: fœcum, & urinæ involuntaria, nec percepta dejectio: sudor universi corporis calidus, & copiosus præcipuè à capite: copiosior sanguinis fluxus è naribus, pus per os, & aures. Delirium cum risu (quod inter signa melioris exitus, & phrenitidis in sanitatem abituræ ponunt.)

Quoniam calidorum usus nimius effectum non nisi à caliditate provenientem potest producere, nempe calefactionem: ab ejusmodi autem usu phrenitis oritur; igitur erit illa calefactum: aliquid. Hinc fit, ut febris ardens, atque acuta corripiat ex humoribus solutis, & in calorem abeuntibus excitata. Somnus autem exigit humidum, & frigidum; ubi igitur hæc desint, adsit autem calidum, quod non solum frigido contrarium est, sed insuper exsiccat, somnus continuus, qualis naturalis dari non poterit: erit itaque plus minus interruptus, prout calidum illud exsiccans qualitate, quantitate, aut utroque erit validius. Quia verò vis calidi exsiccantis est acrior, & momenti majoris; igitur calidum illud exspirans per corpus, cerebrum, & nervos, & materiam suppeditans generationi spirituum, movere poterunt hi, vel illud species momenti majoris, quales sunt terrificæ, utpote ad indignationem, vel violentiam cujuscunque generis comparatæ, & siquidem species, quæ excitatur, conjuncta sit cum metu somniantis, vociferabitur ille per assuetudinem propter metum. Si verò species, quæ excitatur, ipsum somniantem ad minas, & indignationem moveat, erit vociferatio similiter effectus assuetudinis conjuncta cum motu indignationis, & minarum. Poterit etiam casu id contingere tum ratione somnii, tum ratione delirii etiam in vigilia. Iisdem de causis, vel ut fugiat, si timenda somniet, vel ut manus inferat, ulciscatur, &c. si iracunda: prosilire è lecto poterit dormiens, quod etiam iisdem de causis præstare poterit vigilans, si per delirium, quod est somnium vigilantium, timoris, vel iræ species excitentur. Quia insuper motus delirii est motus specierum incertus, vagus, & per varias brevissimi temporis species; excitabitur igitur illud à corpore maximè mobili, & nullius certi motus (ut in somno naturali à perspiratione) qualis calor, quod tamen continuum non erit, nisi continuè calor urgeat, & tunc majus, cum idem magis urgebit, quod in accessionibus, & exacerbationibus febrium continget, vel tum sanguine magis fermentescente, vel cum stagnet in partibus corporis, tùm magis premente cerebrum propter obstructionem, vel eò pervenientibus solum particulis calidioribus utpote tenuioribus. Quoniam verò per calorem sanguis rarescit, adeoque majus spatium exigit; igitur nitetur extrorsum intra vasa, eaque majoris reddet amplitudinis, unde subcutanea magis conspicua fient, seu faciem, & oculos colore sanguineo, seu rubicundo inficient. Sed quoniam non corpus universum contrahit ruborem; calor igitur auctus non erit sufficiens causa producendi ruborem in facie etiam ab extrinseca superficie conspicuum, nec ullum indicium est ullius obicis ad cor, aut pulmones, quo sistatur sanguis è trunco ascendente venæ cavæ refluus; adsit igitur in capite obex aliquis oportet, quo impediatur, vel retardetur motus sanguinis per arterias, & rubor ille ab infartu arteriarum pendeat: obex autem in arteriis facit, ut per continuum affluxum sanguinis earundem canaliculi minimi in molem attollantur, & veluti totidem parva aneurismata producant, vel sanguis extra easdem exsudet in spatia interarterialia, adeoque eadem infarciat, & in molem majusculam extendat; minima autem quæque pars plurimis arteriolis instruitur, quæ simul sumptæ tumorem insignem producent, si singulæ etiam parum intumescant, &

tumor ille fiet à sanguine, seu inflammationem constituet; ille igitur rubor faciei, & oculorum ab inflammatione, & quidem systrophica poterit provenire, nempe cum tumore conjuncta: quòd si infartus fuerit minor, poterit pars affecta vix in tumorem attolli, sed solummodò vividè rubescere, eritque inflammatio sine rubore, quæ dicitur Phlogosis. A quacunque autem ex his causis proveniat, aderit calor acer, & pressio intra cranium major, quæ si tanta ob tumorem, vel locum tumoris sit, ut cerebrum plus minus comprimat, ea omnia producentur in animali, quæ ab insigni calore ad cerebrum, & ejus pressione producantur oportet. Per caloris impetum quaquaversùm nitentem excitabuntur species, quæ poterunt. Quia verò arteriæ truncis majusculis distribuuntur per aurem internam sub membrana tympani, & earum pulsus augetur per obicem inflammationis, poterunt illæ tùm eo ipso pulsu, tùm calore copiosè evaporante in membranam incurrere, eamque movere excitando hanc, vel illam soni speciem, quæ excitari potest ab incurrentis caloris impetu. Rursùs quoniam oculorum nervis allabuntur Carotidum majores trunci; iis igitur occurrat oportet sanguis toto impetu, & qui per obicem inflammationis sit naturali major, instructus, sed non utrinque æqualis, cum id non sit necessarium; quando igitur non erit utrinque æqualis ille impetus sanguinis naturali major, dimovebitur uterque opticus inæqualiter ab axe optico, seu objecta videbuntur gemina. Insuper quoniam propter obicem inflammationis major copia sanguinis in arteriis colligitur, subsistit, ac premitur; igitur secretiones excrementorum, quæ ab illo sanguine fieri possunt, copiosiores erunt, hoc est, è glandulis lacrymalibus major sui liquidi excernetur quantitas, quæ quantitas naturali major cum lacrymas constituat, oculi lacrymabuntur. Quoniam verò calor nulla certa lege movetur, nulla etiam certa lege movebit spiritus, & nervos, per quos exspirat; musculi igitur omnes nulla certa lege, vi, ordine, ac tempore movebuntur, sed modò quiescent, modò contrahentur, & quidem modò rariùs, modò frequentiùs, modò plures, modò pauciores, prout incertus caloris impetus trudit spiritus in hos, aut illos, unde non solum oculis accident perturbati motus, sed jactationes, & varii motus in corpore toto, è quorum numero est excreationis nisus sine necessitate, cum ejusmodi nisus sit musculorum motus, (ut ex doctrina nostra excreationis patet in secunda parte respirationis exposita) quem tentat tum homo non adactus necessitate screandi, sed per influxum spirituum vi caloris præter voluntatem intrusorum. Hæc autem inconstantia, & varietas motuum eo magis fieri debebit, si adsit cerebri mediocris pressio, quæ spirituum motus retardet, quibus proinde non detur liber fluxus in musculos, nisi post certum tempus, quo cumuletur spirituum certa quantitas vim pressionis excedens. Quoniam verò sanguis ad tumores derivatus ab eorum obice sistitur; igitur præterfluere non poterit, nisi quod est tenuissimum, ac liquidissimum subsistentibus ad eundem tumorem partibus minus ad motum aptis, cujusmodi sunt partes terræ, & salis. Ab his autem urina constituitur crassior, & coctior; igitur hæ ad inflammationem subsistent refluentibus per corpus solùm fluxilioribus, nempe aqueis, similibusque, à quibus fit urina crudior, & tenuis, unde urinæ ex coctis in crudas, albas, ac tenues abibunt. Quia igitur per caloris vim fit perpetua quædam, & varia spirituum agitatio; species igitur eorum, quæ dicuntur, non trement solæ, neque toto suo momento libero, sed cũ aliis illis incerta, & semper varia agitatione spirituum permotæ, unde iis animum advertere non poterimus: cùm autem contentione animi maxima opus sit ad memoria retinendum, (quod maximè assequimur quiete omnium aliarum specierum excepta illa, quam memoriæ mandare volumus;) igitur aliis, ac semper variis eodem tempore trementibus memoriæ mandari illa non poterit, & ejusdem obliti videbimur, unde eorum, quæ dicuntur, oblivio. Similiter quoniam iræ species majori sunt impetu excitandæ, & hoc instructus est calor; & hæ igitur excitabuntur, & æger iis excitatis motus illos in responsionibus exeret, qui sunt cum ejusmodi speciebus conjuncti, nempe motus iracundos. Quod si jam invadat Phrenitis, erit tum maximus calor, unde motus omnes ad violentiam comparati, & propterea, ut in Comate vigili dictum est, torvus, ac fixus intuitus, & in accedentes irruptio, & hæc non solum à calore provenient, sed à pressione inflammationis augebuntur, quæ licet statim invadens major esse debet, quàm antecedenti tempore, unde tum primò totum cerebrum magis premet vel mole sua, vel arterias magis infarciendo, quare spiritus copiosiores exprimet, qui speciebus iracundiæ obtemperantes ducentur in musculos torvo obtutui, & illationi manuum servientes. Quoniam verò extendi membranæ non possunt, quin fiat aliqua inter ipsarum partes divulsio, ex hac autem pendet dolor; in phrenitide igitur aderit dolor capitis: dolor autem est sensus quidam, nec sensus sine influxu spirituum; nisi igitur influant spiritus, dolor percipi non poterit, licet divulsio perseveret, imò etiam augeatur: sed per continuam, ac semper majorem canalium distractionem nervuli intercurrentes tandem ita comprimuntur, ut nihil spiritus ulteriùs possit influere; igitur post dolorem primò excitatum licet non cesset, imò augeatur inflammatio, cessabit ejusdem doloris sensus. Quoniam verò viget tum insignis calor; igitur humidum quodlibet absumitur, unde somni impotentia, seu vigiliæ, sed insignis hic calor semper viget; igitur semper varii, ac perturbati spirituum motus, seu delirium perpetuum. Absumptis autem liquidis superest in arteriis, & venis sanguis acrior cum certa obstructione in capite; hinc igitur febris acuta, ardens, continua, in qua & obstructio, & fermentatio sanguinis, & acuti motus musculorum, licet non omnium, neque semper, quæ singula ex se sola, ne dum omnia simul sumpta ad febris productionem sufficiunt. Cum igitur, ut superiùs, per calorem, & pressionem ab inflammatione spiritus nullo apto, & certo motu moventur, trement, & concutientur corpora, prout spiritus in musculos influent: stridebunt dentibus, prout in maxillæ inferioris musculos alternè influent spiritus contrahentes cum impetu

petu; inde enim fiet mutua dentium validior allisio, ex qua eorundem stridor: oculi rigebunt, nempe motu aliquo tonico detinebuntur, cùm æqualium momentorum spiritus in musculos eorum oppositos deducentur. Simili de causa festucas detergere, floccos vellere, & colligere videbuntur, cum ejusmodi motus nihil aliud sint, quam certi quidam motus certorum musculorum, qui contrahuntur, prout influunt spiritus. Quoniam verò in Phrenitide perpetuum est delirium; igitur petitio matulæ potest etiam esse petitio delira, non autem per meiendi necessitatem facta, quare hoc supposito phreniticum non meiere post petitionem matulæ non erit indicium oblivionis. Insuper quoniam urinæ emissio, cùm illa instat, & urget, est opus tam proprium necessitatis propter stimulum, ut etiam nostri compotes illam supprimere nequeamus; eandem igitur supprimere multo minùs poterimus, cùm delirio detenti arbitrio minimè uti possumus; quare tùm maximè urina sponte fluet: non fluit autem, ut supponitur; non igitur quia obliviscatur phreniticus, sed quia per obstructionem, & vim morbi, vel pressionem cerebri minor est vim musculorum expellentium, quam constrictoris colli vesicæ deficientibus spiritibus, vel quia ob morbi calorem, & siccitatem convulsus est tam musculus constrictor, quam musculus vesicæ advolutus, ita ut vesica occlusa detineatur, nec in ipsam influere ab ureteribus urina possit, vel denique quia nihil urinæ secernatur humido per morbi calorem absumpto, duro autem ad inflammationem detento. Par est ratio, cur linguam exerant, neque retrahant, quod de ore diducto perseverante post oscitationem in Lethargicis exposuimus non absimili necessitate. A caloris autem vi jam superiùs ostensum pendere facilitatem in iram, & torvum aspectum, quin etiam ruborem faciei, & oculorum à mora, vel quiete sanguinis intra arterias caput petentes, unde illæ extenduntur, truduntur magis extrorsum, & colorem sanguinis subcutaneum exhibent: non erunt tamen oculi vividi, micantesque, sed squalidi, cum desit alimentum aptum, apta humiditas, & apta spirituum qu ntitas movens, & quasi per pellucidum ipsorum corpus exspirans, sed squalore, & quasi languore pressi, adeoque multo infirmiores, & substinendo luminis incursui sine fastidio, ac dolore impares. Insuper vel à delirio, vel adhuc sensu doloris non solum in capite, sed in toto corpore per tantam morbi vim excitati phrenitici rapientur in quamlibet sævitiem, & offensionem proprii corporis, & capillos evellent, & faciem laniabunt unguibus, & sibi manus inferre quoquo pacto machinabuntur, imò & inferent. Per calorem insuper morbi partes exsiccabuntur absumpto humido, unde arescet lingua, & pili, qui per ipsam distribuuntur, dirigebunt, nec tactui cedent molliter, sed ipsum ferient, quasi parva totidem, & disjuncta spicula, unde aspera videbitur: nigra etiam, vel quia subsistat solus sanguis sub ejus superficie destitutus humido aqueo, à quo color ejus fit dilutioris rubedinis: vel citrina, si sit permistus humori bilioso, nisi hic color à cibis subsistentibus, vel halitu ventriculi pendeat: tremiscens verò ratione influxuum incertorum per spiritus, ut de cæteris motibus dictum est. Ulteriùs per vim morbi absumentis plurimum liquidi cum sanguine fluentis, & ratione obstructionis plurimum ejusdem detinentis ad inflammationem continebitur in arteriis copia sanguinis naturali multo minor, unde pulsus parvus: propter siccitatem partium omnium, adeoque etiam arteriarum durus: propter parvam quantitatem sanguinis, ejusque mobilitatem celer: propter stimulum in corde ab ejus affluxu nimis calido, mobilitatem spirituum, & pressionem ab inflammatione (nisi hæc pressio sit æquo major) frequens. Quia verò ad movendam universam multitudinem musculorum pectoris multo majori quantitate spirituum opus est, quàm ad movendum unicum musculum cordis, iidemque musculi non vellicantur extrorsum, ut cor à sanguine ventriculorum, neque interiùs tam vellicantur, quàm villi cordis, cùm intra villos pectoris sanguis sit minoris impetus, quàm intra villos cordis, in quos derivatur ab ipso statim trunco arteriæ; igitur in musculos pectoris vix quicquam spirituum influit per motum derivationis ratione stimuli: per influxum autem naturalem influunt multo pauciores, quam in naturali statu, cum multo pauciores spiritus à tam imminuto sanguine generentur; igitur rariùs moveatur pectus, seu respiret Animal oportet; interim verò cumulabitur in nervis copia liquidi major, quæ intra musculos tandem deducta respirationem magnam producet. Quoniam verò partibus arescentibus nervi concidunt, ita ut spiritus vix possint fluere; igitur ab objectis hebetibus produci non poterunt suæ species, hujusmodi autem est sensus sitis, & in arida lingua comprimuntur nervi, tolletur igitur sensus sitis non secus, ac de dolore capitis dictum est. Ulteriùs absumpto liquido cum quicquid inest sanguini sit acerrimum, & possit per glandulas lacrymales secerni, erit illud acre, sed non nisi minimæ quantitatis, cum in iis glandulis aqueum quiddam secernatur, & aqueum supponatur absumptum; erunt igitur lacrymæ ex utrisque, vel ex altero oculo tantum, una, aut altera, vel plures, & paucæ, prout plus minus liquidi adhùc superest in sanguine: acris autem illa materies erit maximè tenuis, seu mobilis, sive perspirans, atque evaporans, adeoque ad oculorum angulos relinquet suum vehiculum crassius, quod utpote satis siccum brevi densabitur, citò exarescet, & oculorum angulis adhærebit. Erunt autem hæ lacrymæ pessimi ominis, tùm quia minimum liquidi arguent, tùm quia argumento esse poterunt, ipsas non per secretionem naturalem effluere, sed potius villis erosis, aut lassatis, adeoque corpore jam ad dissolutionem tendente. Quoniam insuper color sanguinis eo fit ad nigrum magis vergens, quo major copia liquidi pellucidi ipsi detrahitur; gutta igitur sanguinis nigra dabitur jam absumpto humido, & gutta singularis arguet acrimoniam ejus, paucitatem, & validam obstructionem prohibentem ipsius fluxum, vel debilitatem naturæ, seu villorum disrumpi patientium, unde & hoc pessimi ominis erit. Insuper absumpto humido urina ex sanguine generari non poterit, unde supprimi videbitur vel per convulsiones musculorum, ut superiùs: quod si

reddatur subsistentibus duris partibus ad obstructionem inflammationis, erit alba, & pellucida. Similiter absumpto humido etiam alvi fœces erunt siccæ, & villi intestinorum vel à sicco morbo convulsi, vel à siccitate rigidi, vel ab utroque moveri non poterunt, unde fœces premere, quæ etiam ex se ipsis propter siccitatem suam expressioni magis resistunt, non poterunt, nec ipsæ ex se fluere, cum duræ sint, unde alvus adstrictior: Cum verò dejicientur, erunt coloris albi, cum quicquid terreum easdem inficit, vel intendit ad flavedinem, vel colorem quemlibet alium saturum, detineatur in capite, nisi forte etiam prohibetur chylo influxus in lacteas per siccitatem partium occlusas, unde color albus in fœcibus. Convulsio quibus de necessitatibus fieri possit, facilè patet ex superioribus: quia tamen in phrenitide adest delirium perpetuum, & est morbus caloris, ac siccitatis, maximæ convulsionem in phrenitide contingere potissimum debere dixerim per siccitatem ea ratione, quam in Comate vigili exposuimus. Denique extremorum rigor effectus est febris, obstruentis ramulos capillares, à quibus exprimitur omne calidum, præcipuè autem cum reliquum sanguinis adhuc fluens tenuissimum sit, & facilè evaporans: quæ sunt cum phrenitide in dispositione conjuncta. Quod si phrenitis vel sit per plures dies confirmata, vel paulo ante quidem apprehenderit, sed fuerit vehementior, ita ut obstructio, & inflammatio totum cerebrum validissimè presserit, ita ut omnis refluxus, & subitus spirituum motus impediatur, tùm nullus sensus, sive internus, sive externus operari poterit, unde nulla molestia, nullus dolor, non delirium, non responsio, vix, aut nulla locutio, nempe sonus per linguæ motum editus; superesse enim poterit per aliquod breve tempus debilis aliquis motus, quousque pressio non occluserit ex toto nervos, & spirituum generationem pariter premendo impediverit. Hinc sensim illis occlusis, & impedita horum generatione languescet magis corpus, & motus reddetur impos, nec mutabunt ægri decubitum, & similes dormientibus videbuntur, & imperitis medicis sub ea falsa imagine imponent, trementq; partibus magis pendulis, & à fulcimento remotissimis, ut sunt manus, per alternũ influxum spirituum, qui adhuc supersunt, & influunt, per quem influxũ cum complicentur & explicentur digiti ab alterna contractione musculorum iis motibus inservientium, videbuntur manus quasi apprehendendum aliquid quæritare. Aderit tamen & in hac phrenitide vel maximè oculorum, & faciei rubor, cum inflammatio intensior fluxum, & derivationem sanguinis ad caput magis impediat, unde ruborem hunc provenire superiùs ostensum. Ex his autem omnibus facilè innotescit, qua ratione per vulnus, ictum, aut contusionem capitis excitari possit vera phrenitis, nempe delirium continuum cum febre acuta continua, quæ ab inflammatione pendeat; si etenim vulneri, &c. succedat inflammatio intra cranium, quæcunque de Phrenitide hactenùs exposuimus succedere debere manifestum est: per simplicem autem pressionem absque inflammatione, & febre aliqua quidem ex iis, quæ phrenitidi competunt, produci poterunt, ut ex superioribus morbis facilè patet, sed non omnia, ut per singulas phrenitidis affectiones excurrenti statim innotescet. Sed neque illud est omittendum, spirituum penuriam in phrenitide non provenire solum ab expositis causis, verum etiam ab ipso inflammationis loco, quo fieri potest, ut cerebrum plus minus, prout explicatum est, prematur; ea enim pressione prohibetur, ne sanguis, ex quo generantur spiritus, in glandulas influat, atque insuper etiamsi inflammatio non premat, cum tamen ejus obice impediatur fluxus sanguinis, & derivatio ad arteriolas quasque capillares, illæ omnes, quæ sanguinem non trajiciunt, facient, ut in glandulas cerebri derivetur quantitas sanguinis naturali minor, unde spirituum copia minor generabitur. Itaque perdurante inflammatione si vi ejus erodatur quicquid continet, laceretur, mortificetur, ac demum veluti diffluat plane corruptum, & pertingat ejusmodi erosio, & corruptio ad usque, & intra cerebrum, succedet phrenitidi Gangræna, vel sphacelus cerebri, quod erit proximæ mortis argumentum. Convulsio etiam succedere poterit, quæ facillimè orietur ex siccitate, & calore, ut superiùs expositum: hæc autem quanquam maximè periculosa, cum arguat summam humorum, & solidarum partium siccitatem, & quasi rigidam tensionem per humectantia difficilè superabilem, tamen quia nondum datur partium solidarum corruptio, aliquid spei relinquet. Ad convulsionem pertinet singultus, & vox tremula, quorum ille à materia acri, calida, & sicca, vel in cavitatem, & os ventriculi, vel identidem pro spirituum, & humorum paucitate per nervos in musculum ejus derivata, sicut etiam ab iisdem, ut superiùs, vox tremula; tremor enim vocis à tremore musculorum linguæ, faucium, & maxillæ inferioris; asperitas autem illa vocis, quam clangorem dicimus, ab asperitate instrumentorum vocem efformantium, quæ asperitas à siccitate, & calore, unde hæc plus minus arguunt periculi, prout cætera in eo statu morbi plus minus sunt gravia. Excrementa verò præter voluntatem, & sensum excernuntur vel jam ad extremam dissolutionem tendente animali, ita ut etiam humidum ab iis secernatur, & tantum fluxilitatis ipsis conciliet, ut ex se ipsis effluere ex intestinis, & vesica possint, vel iisdem sponte fermentescentibus, atque ita partim stimulo, partim vi fluxus per fermentum acquisiti sibi viam aperiant, vel extrema contractione musculorum per ultimum, & copiosiorem spirituum influxum, qui ultimus ideò copiosior, quòd circa cerebrum stagnat sanguis totum ipsum magis comprimens, & quicquid continetur spirituum exprimens: sine sensu autem, vel quia nervi jam arverunt, vel quia propter extremam rigiditatem tremere non possunt, vel quia spirituum mobilitas, & tenuitas impressioni non paret. Hæ igitur excretiones sunt supremæ deplorationis. Quod si sudor calidus, & copiosus præcipuè à capite proveniat, minuet ille inflammationem, & indicabit reliquum corporis minùs obstructum esse propter calorem, cum quo effluit: sicut sanguis è naribus copiosus, aut pus per os, & aures; hoc enim inflammationem ad suppurationem venisse, & pus excerni, & fluere cum sanguine, ille verò exitum materiæ

teriæ morbificæ ostendit, unde hæc omnia salutaria. Delirium cum risu minus mali ominis esse, asserunt, quod non crediderim admittendum, tum quia in paraphrenitide vel hic idem risus est maximè exitialis, tum etiam præcipuè quia cum delirantium motus sint omninò vagi, incerti ordinis, & nullius connexionis, potest excitari risus casu, sicuti cæteri motus delirii, & nihil indicabitur, & id quidem fiet facilè, cum eum motum oris, quem risum dicimus, non exeramus, nisi per contractiones musculorum labia ad latera, & ab invicem distrahentium, quæ sanè contractiones per incertos delirii motus fieri poterunt absque eo, quod delirus ille speciem risus in nervis moveat, & propterea non verè rideat, sed ridere propter motus labiorum, quales in ridentibus, videatur, quemadmodum spasmo cynico affecti, quanquam labia movent sicut ridentes, etiam à vulgaribus Medicis non dicuntur ridere. Si verò tutus, ac certus esse possit Medicus, motus illos labiorum excitari per veram speciem risus (quod in delirantibus vix fieri posse à quolibet licet peritissimo crediderim, nisi delirium sit circa eandem rem constans, & de ea ipsa re loquatur æger, eamque ridiculam esse, & ea super se in risum moveri æger testetur,) cum res in risum moventes non sint tanti impetus in excitatione specierum, quanti truculentæ, & iratum plenæ: si in phrenitide hæ species præcesserint, inde verò succedat delirium cum risu, argui poterit humorum calor, & siccitas minor inflammationis pressio, unde spei aliquid affulgebit. Hinc igitur deduces, quid sit Phrenitis, eamque esse morbum à calore, & siccitate maxima provenientem, ex qua pendent febris acuta continua, delirium perpetuum, & quæ hucusque exposuimus singula: cum autem hæc ab inflammatione intra cranium facile oriri possint, hanc ipsam inflammationem intra cranium esse ut plurimum, & præcipuam causam cæterorum omnium, & cum vasa sanguinis non solum per membranas cerebri, sed & corpus ipsum ejus distribuantur innumera, & membranæ, & cerebrum inflammari poterunt, & phrenitis provenire ab inflammatione cerebri, vel membranarum ejus, vel utrarumque. Non tamen inde fit, ut nullus detur modus producendi phrenitidem, hoc est, omnia, quæ phrenitidi competunt præter inflammationem, absque hac ipsa inflammatione. Fac enim qualibet alia de causa sanguinem calidum, ac siccum, qui tamen obstructionem non producat in capite, nihil erit, quod phrenitidem non mentiatur. Denique prout alii humores admiscentur sanguini, fit phrenitis sævior, aut mitior: si humores pituitosi, mitior: si biliosi: sævior: si atrabilares, adhuc sævior; sed hæc patent. Phrenitidem in lethargum, vel Coma facessere maxime ominosum, & deploratum; cum etenim ejusmodi affectiones ab humoribus frigidis, & humidis oriantur, manifestum est, phrenitidem excitantes humores calidos, & siccos ingravescente ipsa phrenitide non posse in frigidos, & humidos commutari, adeoque lethargus ille, vel Coma superveniens phrenitidi nec verus lethargus est, nec verum Coma, sed privatio sensus, & motus, quæ phrenitide perdurante à nulla alia causa provenire potest, quàm à prohibita prorsus spirituum vel generatione, vel motu, vel utrisque, & hæc non nisi ab inflammatione immensùm aucta, & cerebrum ex toto comprimente, vel à gangræna, aut sphacelo ejus. Phrenitis per consensum dicitur paraphrenitidis, de qua seorsim breviter propter ea, quibus à vera phrenitide, quam hactenùs exposuimus, distinguitur.

PARAPHRENITIS.

Conjuncta.

Cum Paraphrenitide omnia conjuncta sunt, quæ cum phrenitide præter inflammationem intra cranium, intensiorem calorem capitis, ruborem oculorum, & faciei, respirationem magnam, & raram. Itaque in paraphrenitide adest inflammatio diaphragmatis, calor capitis remissior, rubor oculorum, & faciei dilutior, vox acutior, delirium cum tussi, risu, dolore lateris, calore ad imum pectus, & hypochondria, hæc ipsa palpitantia, & sursùm, & introrsùm revulsa, ut Hippocrates primò Epid. Ægro secundo. Aiunt insuper tantum non omnes, in paraphrenitide respirationem non esse magnam, & raram, ut in phrenitide, sed parvam, & frequentem, & id semper, cum tamen Hippocrates ibidem in Sileno paraphrenitide laborante per totum morbi tempus respirationem fuisse magnam, & raram asserat. Meliùs itaque cum aliis modò parva est, & frequens, modo rara, & magna, modo inæqualis, & incerti ordinis. Sunt etiam qui ab inflammationibus aliarum partium internarum oriri paraphrenitidem asserant, sed nullius partis inflammatio præter septi transversi producit delirium perpetuum, & hanc solam appellavere Veteres paraphrenitidem.

Quoniam in inflammationibus à cerebro distantibus calor cerebro non communicatur, nisi à sanguine per ejus arterias fluente, qui in cerebro subsistere ad locum inflammatum non potest, cum hic locus in cerebro nullus sit supposita alibi inflammatione; igitur in inflammationibus à cerebro distantibus multo minorem à calore vim patietur cerebrum, quàm in phrenitide: ab hoc autem præcipuè pendet delirium perpetuum in phrenitide, agitatis nempe continuè spiritibus incertis motibus ob copiam caloris in cerebro semper incertis motibus expirantis; ad hoc igitur, ut excitetur delirium per inflammationes à cerebro distantes, oportebit, ut cumuletur insignis copia caloris in capite, qui totus simul nitens intra cerebrum moveat demùm se ad spiritus, nervosque, quibus occurrit, atque delirium excitet. Quia tamen interim evaporat, nec calor affluentis per unicam vicem sanguinis sufficit ad ciendos incertos spirituum motus, cessabit delirium, quousque tantum sanguinis per plures pulsationes influxerit, ut per ipsum concepérit cerebrum illum calorem, qui delirio excitando sufficit, quod proindè excitabitur rursùs, rursùs cessabit. Si verò etiam in inflammationibus à cerebro distantibus detur alia causa, quæ caloris insignis in capite vices gerat, poterit etiam in ipsis delirium continuum dari. Quoniam igitur septum transversum est musculus magnam, & continuam vim exerens, & va-

validè, & copiosè tendinosus; inflammari igitur non poterit, hoc est, alicubi in tumorem attolli aliqua ipsius pars, quin cum movetur, distrahatur ad partem tumefactam validè, & periculum divulsionis subeat, seu, quod idem est, vehementer doleat, præcipuè si tumor sit ad tendines acerrimi sensus, adeoque refluet liquidum per nervos diaphragmatis vi maxima, cum dolor sit ingens. Neque refluet solum per nervos ejus, sed cum per eundem musculum transeant nervi ad ventriculum tendentes, etiam per ipsos fiat refluxus oportet. Quia insuper inflammatio est tumor maximè calidus; igitur excitabitur ad diaphragma sensus caloris intensi, & dolor præcipuè ejus lateris, ad quod inflammatione affligitur septum. Refluet igitur liquidum per nervos septi, & ventriculi duplici vi in refluxum actum, calore nempe, & dolore, adeoque liquidum refluens statim ac pertingit ad confluxum nervorum, huc illuc nulla lege per vim à refluxu conceptam nitetur, ac fluet, & contentos spiritus nullo ordine dimovebit, seu delirium excitabit; & cum calor, & dolor ad septum continua sint, continua erit etiam refluxus vis, seu continuè producetur, seu, quod idem est, continuum erit delirium. Eò autem erit major vis illa spirituum refluorum ad nervorum confluxum, quòd tam nervi diaphragmatis, quàm ventriculi quasi recto ductu ab iis partibus in cranium feruntur, & sunt insignes trunci, seu fasciculi ex plurimis nervis collecti; ex altero enim fit, ut impetus refluxus minùs minuatur, per alterum verò, ut maxima sit quantitas spirituum refluentium, & major proinde quaquaversùm diffusio, & motus varius ad confluxum. Cum autem hæc in reliquis partibus non reperiantur, nullum etenim est viscus, quod tam sentiat, ut septum, quod tam crassis nervis instructum sit, quod tam validè moveatur, & continuè excepto Corde, quod sentiat per nervos ad cerebrum tam recta tendentes, quin imò ne ullus quidem alius musculus, aut pars qualibet artuum; his igitur inflammatis excitabitur, & ponetur delirium alternè, prout alternè colligitur calor agitatus in capite, & evaporat; septo verò inflammato per impetus continuos, validos, & incertos spirituum è nervis refluentium, & incidentium in spiritus contentos ad confluxum nervorum fiet delirium continuum. Quia verò ab his ipsis nervis, per quos fit refluxus, deducuntur aliqui ad musculos faciei, & labiorum; in hos igitur derivabitur copia liquidi naturali major, & cum, dum fit respiratio, os semper aliquantùm diductum teneamus, vis musculi constringentis labia minor erit viribus trahentium ad latera, & deorsùm, adeoque nervi horum musculorum paratiores erunt (ut desint alia) ad recipiendam majorem quantitatem spirituum refluentium, quàm nervi constrictoris, unde ille contrahentur validiùs, & os diducetur magis labiis ad latera, & deorsum actis, seu risus imago excitabitur, qui sane non erit verus risus, sed contractio musculorum, & motus labiorum, qualis in risu factus non per veram speciem risus, sed per refluxum liquidi, cujusmodi motus contingere solet etiam in vulneribus septi, quod vidit Hippocrates in Tychone, qui risit septo vulnerato, & relicta intra vulnus hastilis parte, qui die tertia mortuus est, quemadmodum pariter Silenus ille supra laudatus occubuit undecima, qui risit tertia. Ex quibus intelliges, nec delirium cum risu in vera phrenitide esse certò posse melioris ominis, cum dubitanti occasionem præbeat, an inflammatio sit etiam in septo, & hæc sit maximè periculosa, cum affecti diaphragmate, licet ridentes, facilè moriantur. Quoniam verò septum propter tumorem non potest ex toto contrahi, & vim suam exerere; igitur in cavitatem abdominis nitetur minùs, & in eandem movebitur per multo minus spatium, unde musculi abdominis introrsum contrahi liberè poterunt, & contenta viscera sursùm agi, unde videbuntur hypochondria, seu præcordia introrsùm, & sursùm revulsa, Quia verò septo non se penitus contrahente motus pectoris fit minor, atque ex hoc respiratio etiam minor, & inflammatum septum se minus contrahit; igitur in hac ejus affectione respiratio parva. Neque verò minus se contrahit septum ob solum impedimentum tumoris, verùm etiam per voluntatem animalis, quà prohibet, quantum potest, motum validum, ut majorem dolorem à divulsione ad tumorem evitet: quia tamen dolor adest, ergo refluxus per derivationem naturali major, seu influxus frequentior, seu contractio septi frequentior, hoc est, respiratio etiam frequentior, unde his ita se habentibus erit respiratio parva, & frequens, & frequentia etiam sollicitari poterit ab assuetudine, ut arceatur fastidium restitantis intra pulmones sanguinis in respiratione parva. Si verò ultra hæc laboret æger magna spirituum penuria, ita ut pectus moveri non possit, nisi ipsorum expectata copia, quæ sensim cumuletur in nervis, tùm respiratio continget rara, & ad extrudendum sanguinem è pulmonibus aucta copia per assuetudinem Animalis, fiet motus validior, seu respiratio etiam magna, quæ etiam fieri poterit, si tanta identidem, vel alternè spirituum copia refluat à nervis septi, ut nec vis assuetudinis ipsorum derivationem in idem septum, & cæteros respirationis musculos impedire possit; tunc etenim etsi cum acriori sensu doloris respiratio magna succedet, quem tamen ne rursùs sentiat æger, poterit per assuetudinem supprimere similem secundam, cum jam tantum spirituum non fluat, ac refluat. Insuper hæc eadem magnitudo cum raritate dari poterit, si septum validè contractum ita detineatur, ut se restituere nisi lentissimo motu possit, quod per impedimentum tumoris, vel loco motis, vel quasi divulsis villis fieri facilè poterit; absoluta enim restitutione jam per nervos plurimum spirituum cumulatum erit, & magnam respirationem parient, sed lenta restitutio raritatem faciet. Ex his autem, & incertis fluxibus in nervos ratione delirii facilè patet, respirationem in paraphrenitide esse posse magnam, parvam, raram, frequentem, & quomodolibet inæqualem. Quia verò musculi abdominis, præcipuè autem transversi contermini sunt, ac tantum non cohærentes septo, & communi peritonæi tunica succincti, & contrahatur oportet ad locum inflammatum, & caloris sensum concipiat; per hæc igitur etiam iidem musculi præcipuè qua parte per hypochondria septo proxima ducuntur, trahentur à contra-

ctione

ctione peritonæi, & pressionis sensum cum calore conjunctum patientur, unde motus derivationis alternus, & contractio minima illi derivationi respondens (cum pressio illa, & calor non sit maximus) seu, quod idem est, præcordiorum palpitatio, quæ sanè affectio potest etiam aliis superextensis musculis abdominis convenire, sed transversis planè necessariò competere videtur. Quoniam verò motus tussis est violenta quædam musculorum pectus moventium contractio, quæ propterea fit ab influxu liquidi per nervos naturali quantitate copiosioris, per calorem autem, & dolorem septi refluunt spiritus copiosi, & cum impetu per nervos ejus, & ab his iisdem nervis derivantur rami in nervos, & musculos moventes pectus; igitur per hunc solum refluxum (quod idem accideret etiam sine horum nervorum communione perducto refluxu ad usque cerebrum, & inde facta derivatione in nervos musculorum pectus moventium) tussi excitari potest. Quia vero septum est pars pectoris, cui inhæret molestum quiddam in loco inflammationis, abripiendis autem è pectore molestiis tussim excitare assuevimus; igitur si per delirium contingat, ut species illa assuetudinis excitetur, tussis in eum finem excitabitur etiam absque refluxu, quanquam ejusmodi finem nec paraphreniticus tum intelligit, neque molestiæ aversionem fortè procurat. Quia verò in paraphrenitide sanguis impensè calet non secus, ac in phrenitide, sed in hac detinetur in arteriis ad caput tendentibus, ita ut ipso infarciri, & maximè extendi cogantur propter obicem inflammationis intra cranium, in paraphrenitide verò liberè per ipsas fluit, & in venas refluit; igitur in paraphrenitide minor quantitas sanguinis in dato tempore intra arterias capitis detinebitur, eruntque illæ minus distractæ, seu extrorsùm trusæ; quare primo quidem de nomine minorem calorem in capite excitabunt, quam in phrenitide: secunda autem de causa ruborem in facie, & oculis dilutiorem, qui tamen uterque erit vividior, quam qui à solo fluxu sanguinis proveniret; respiratio enim non libera in paraphrenitide, & inæqualis subsistere cogit sanguinem ad cor, & pulmones, & truncum venæ ascendentem, unde tumere possunt venæ in capite, & colorem, & calorem vividiorem producere, quod in phrenitide non continget propter respirationem raram quidem, sed magnam, nempe totum sanguinem è pulmone protrudentem. Postremò quoniam septum est ad contactum pulmonum; ipso igitur inflammato calor communicabitur pulmonibus contingentibus, & aëri contento, qui per expirationem reddendus est. Membranæ igitur pulmonum minus flaccidæ, seu aridiores fient, & magis tremulæ tremore vivido per densas undas: aër verò contentus similiter fiet aridior tenuatis particulis aqueis, cum quibus permistus redditur, & ex quibus fit tardi motus, ac minoris impetus, & tremoribus per densas undas ineptior, unde per has ipsas tremet facilè. Si igitur per ipsum formetur vox, erit illa sonus vividè, & per undas densas tremulus tum ratione instrumenti rigidi nempe tensi, tum aëris similiter tensi, ut ita dicam, quare, ut in doctrina de sonis, erit vox acutior. Patet igitur, Paraphrenitidem esse collectionem omnium expositarum affectionum cum delirio continuo ab inflammatione diaphragmatis præcipuè provenientem.

Hactenus Willisius & Bellini, hic pro explicatione Phrenitidis & Paraphrenitidis in specie, ille tum pro Phrenitidis, tum pro Delirii explicatione, ac etiam pro eorundem curatione; sequuntur jam *Curationes*, *Consultationes*, *Observationes*, & *Anatomicæ inspectiones* ex aliis variis.

Curationes.

Quando depravatur ratiocinatio, ita ut à consueta lege & ordine aberret, dicitur *Delirium*.

Aberratio hæc fit, secundum omnes tres mentis operationes. Nam 1. in simplicium objectorum, indeque formatorum conceptum apprehensione v. gr. dum delirans quid pro quo, vel aliud pro alio concipit, ut dum quendam vulgarem hominem Regem Hispaniæ appellat. 2. & 3. in conceptuum apprehensorum compositione & divisione indeque facta conclusione & ratiocinatione, v. gr. dum aliquis existimans sese conflatum esse ex butyro, ob id nolebat accedere ignem, quia metuebat, ne exinde incalescens colliquesceret. Omnes hæ aberrationes à recta ratione uno nomine *Delirium* appellantur, Græcis παραφροσύνη depravatio nempe rationis & aberratio ejusdem ab ordinaria cogitationis lege, qua deliria varia, subindè ridicula, subindè etiam seria, sed absque nexu & ordine & sine fundamento confusè ut plurimum proferuntur.

Causa horum in genere consistit in *spiritû animali*; Mens enim immutabilis eadem semper est nec potest mutari, aut ab ulla alia causa externa lædi & inquinari.

In spiritû ergo hæret vitium, idque varium & diversum. Unde etiam varia deliria, variæque eorundem species. Rem exemplo declarabo: Quemadmodum enim in *ebriis* idem vinum diversa tamen subebrietatis exorbitantia parit deliria, eaque diversa in diversis subjectis, dum unus fit furiosus, alius fit amorosus, tertius fit canorus, & cantans. 4. fit somnolentus. 5. se æstimat maximè divitem. 6. omnium evadit sapientissimus, &c. In his utut unum sit vinum, quod omnes inebriat, indeque omnes etiam delirantes reddit, nihilominus tamen pro diversa constitutione subjectorum, eorumque alia habitudine diversâ, ex massæ sang. crasi naturali & seminali distincta & inde pro varietate spirituum animalium varia & distincta fiunt deliria.

In genere deliria omnia vel ex interna oriuntur causa, sive habent fomitem quendam internum in corpore stabulantem, vel ab externa oriuntur causa sive ab assumpta, sive ad extrinsecus admota pertineant, sive ex animali sive vegetabili regno oriantur.

Ex *regno vegetabili* 1. *omnia narcotica* simul cum virtute fixativa seu quasi ligativa spirituum animalium certam vim obtinent determinandi certo modo spiritus animales, ut pro dicta eorundem determinatione, diversi conceptus in mente formentur indeque deliria oriantur: v. gr. refert *Hircherus de Peste* quod 2. Monachi ex

esû cicutæ fuerint redditi amentes, & quidem ita ut cicuta iisdem impresserit talem imaginationem quasi transmutati essent in anates, & anseres, unde isti monachi piscinas petiere & in iisdem se submergere & natare cœperunt.

Pertinet huc Pharmacum phantasticum Bartholeti (de quo suo loco plura) ex scammonio paratum, quo vult determinare imaginationem ad certum conceptum & determinatam imaginationis speciem.

Sic opium copiosius & frequentius assumptum uti mos est in Provinciis Orientalibus, in India, Persia, & similibus, inducit somnia jucunda quasi versentur in viridariis, in paradiso, ibique hilariter & jucundissimè vivant.

Contrarium fit iu nobis Occidentalibus & Septentrionalibus, in his enim opiata frequentius usurpata, similiare narcotica inducunt somnia horrenda, quasi vexarentur à dæmone, quasi vulnerentur & versentur in jurgiis.

Hinc etiam Hyoscyamus ridiculum infert delirium.

Sic Borellus cent. 3. obser. 45. refert quendam rusticum cum sua familia ex esû radicis Hyoscyami totum fuisse lamentatum, ita ut quasi simia varias gesticulas & ridiculas actiones perageret.

Pertinet huc vis narcotica nucis Metellæ de qua Bartholetus tract. elegant. de respirat. lib. 4. cap. 3. pag. 405. Quod nempe nucis metellæ semen ad certum pondus datum lætam afferat stultitiam, cum risu, cum jucunda animi hilaritate, & cum insigni liberalitate, ita ut qui sumpserit istud semen liberali manû omnia sua dare & offerat, omnia occulta promulgeat, & omnia delicta profiteatur, & omnibus jussis obsecundet: E contra semen & cortex hyoscyami peruviani eodem auctore referente delirium facit ecstaticum, quo delirantes putant se versare in viridariis in conversatione angelorum: E contra semen hyoscyami nigri infert delirium cum jurgiis & contumeliis: & semen solatri majoris dat delirium, quo se à dæmonibus vexari & à serpentibus ac satellitibus malè tractari existimant.

Similia verò non inelegantia leguntur in Doringii tract. de opio ejusque virtute, ubi inter alia pag. 72. observat artificialem dementiam quandam, qua ægri putant se naufragium pati.

Sicuti idem Doring. cit. loc. pag. 79. observat. dementiam similiter ex medicamento, quo ægri primò hilares, hinc iracundi, tandem admodum mœsti finnt: adeo determinata deliria vegetabilia inferre solent, determinando certo modo spiritus.

Præter vegetabilia etiam animalia certa & determinata inferunt deliria, imprimis animalia nobis dicta venenata, & hinc etiam animalia rabida: Notum enim est, quod in cane rabido demorsi ex delirio in mores caninos transformentur: sicuti iidem semper hydrophobia sive insigni omnium liquidorum & aquarum metû corripiuntur.

Præterea notus est Tarantismus quando à Tarantulis demorsi ad Tarantularum gestus & ad musicam determinantur, & telarum texturam & similia exactè imitantur, utut in delirio. Nota etiam est rabies felina, dum quidam esitantes de felibus, rabiosi exinde & delirantes fiant, ut instar felium unguibus se lacerent & morsicando invicem congrediantur. Huc similiter lupina & suilla rabies pertinet; quorum esu homines similiter in talia deliria feruntur.

Pertinent huc Philtra tam vera quàm falsa. Falsa, hæc enim ipsa sæpiùs maniam inferunt & furorem. Vera habent simul vim determinandi spiritus animales, ut ferantur in determinatam personam sua inclinatione. De quo veri filtri parandi modo per mumiæ naturalis confermentationem cum certo subjecto & hinc transplantationem suo loco plura. Ab his ergo externis certo modo determinantur spiritus animales, ut exinde anima rationalis tam deliros format conceptus, ut antea dixi.

Quod quomodo fiat certò nondum constat: Cum nulla adhuc constet opinio, quæ animum scrupulosum simulque veritatis avidum possit exsatiare.

Præ cæteris equidem ideæ ab Helmontio aut Marco marci tract. de Ideis operatricibus, item tract. de Philosoph. restituta, Hæ inquam, ideæ rem equidem illustrant, & prima fronte maxima probabilitate nobis imponere solent: sed tamen si exactè paulò ad rectæ rationis trutinam examinentur, & ad primarios usus fundamentales vera fiat inquisitio; si etiam paulatim in nosmetipsos faciamus reflexionem, ut possimus concipere quid & quale sit, & quomodo operari possit talis entitas idealis seu intentionalis & immaterialis sub compage materiæ, & quomodo hæc ipsa aut involui aut evolui possit: Certus sum, quod tunc omnis ista Idealis imaginatio instar fumi seu variæ cujusdam ideæ subitò sit transparitura & evanitura.

Hinc est quod multi curiosi & exercitati naturæ scrutatores, quos inter meritò refero nonnullos Anglos, & hos inter Dn. Boyle, non sine nominis honore nominandum, maximi æstimat & admiratur Helmontium, ubi in praxeos & philosophiæ materialis terminis se continet: Ubi verò in extravagantias ideales prorumpit, ejusdem somniis, quidem indulgendum, non verò inhærendum arbitrantur. Et quidem fundamentum istius opinionis & quô subinde probat existentiam suam idealem Helmont. desumptum est à formatione fœtus in utero ejusque per imaginationem maternam transformatione: hôc ipsô tamen obscurum per æque obscurum declarare nititur, obscurum enim magis formationis & transformationis fœtus per maternam imaginationem est negotium, quam tota superstructura idearum doctrina adeo ut obscuri per æque obscurum declaratio non satisfacere possit nobis. Hæc de delirio à causa externa in genere.

Ea deliria quæ fiunt à causa interna, & ipsa pro fomitis interni varietate sunt varia & diversa, prout diversimodè spiritus afficiuntur. Quomodo autem talia vitia interna possint determinare spiritus ad certum quoddam delirium, declarabo itidem per exemplum.

Nam consideretis semen turgescens in vasculis & vesiculis seminalibus ibique titillationem suavem excitans, determinat istud semen spiritus ut exinde fiant somnia venerea, quibus somniando imaginamur nos venerem cum formosis puellis exercere, indeque etiam seminis excre-

cretio seu pollutio nocturna ordinario succedit.

Optime huc facit hoc exemplum: ut enim semen turgescens titillando infert somnium venereum, ita etiam simili fere modo series vitiosæ, vel alia quæcunque causa interna determinando spiritus infert deliria certa.

Nam rectè in somniantibus insomnia dicuntur dormientium deliria: Sicuti contra vigilantium deliria rectè dicuntur vigilantium insomnia, cum tale quid patiantur delirantes, quod patiuntur somniantes.

Unde etiam delirantes interdum recordantur eorum, interdum non recordantur, quæ sub delirio fecerunt, non secus atque fit interdum cum somniis paulò profundioribus. Qui rectè novit declarare naturam, & fiendi modum somniorum, hic ipse etiam manifestatam habebit Theoriam deliriorum; illud exemplum de pollutione nocturna curioso potest administrare ansam altius meditandi in somniorum & deliriorum naturam.

Quo etiam pertinet Delirium dictum Furor uterinus, cùm aliàs notum sit quod somnia naturali ordine soleant insequi temperaturam ut vocant, sive naturalem corporis crasin.

Hæc quoad generalia Deliria; Quæ ab interna oriuntur causa sunt varia. Et 1. quidem sunt vel cum febre vel sine febre. Delirium cum febre aut est levius aut est gravius. Illud delirium simplex aliàs etiam Paraphrenitis appellatur; hoc vero nempe gravius ordinaria appellatione, nomine phrenititidis audit, eamque phrenitidem ex inflammatione membranarum cerebri oriri vulgò æstimant. De hac phrenitide ita explicata jam superius monui, quod nempe proprie secundum primos auctores medicinæ diaphragmatis inflammationem innuat: 2. Quod iisdem inflammatio cerebri ejusque membranarum vocata fuerit sphacelus, malum utarum, ita ut plurimum funestum & lethale. Verùm cum loquendum sit cum vulgo, sentiendum autem cum paucis, ob id & nos non neglectâ veritate phrenitidis vulgari modo acceptum nomen usurpabimus, idque imprimis quia ratione medendi methodi, & in diaphragmatis inflammatione, & in sphacelo cerebri eadem sit curandi ratio, quæ in vulgo sic dicta phrenitide.

Causa ergò tam levioris quam gravioris universalis delirii sive phrenitidis est spirituum varius & confusus in cerebro motus, cujus occasione (dico occasione) varia & in variis cohærentia & diversa phantasmata ab anima efformantur, quorum index & nuncius sunt inconditi sermones, risus aut fletus, flosculorum qui nuspiam sunt, collectiones, vigiliæ, jectigationes, muscarum insolitæ venationes & variæ artuum motiones, donec aucto & nimis impetuoso spirituum reddito motu, tandem convulsiones sæpè lethales superveniant, aut donec spiritibus tantum non absumptis, vel incendio narcoticorum usu fixatis phrenitis in lethargum mutetur, vel in affectum caroticum potius.

Causa remota inconditæ istius spirituum agitationis in cerebro est nimia cerebri incalescentia ob effervescentiam insignem mass. sang. unde subtiliores & fervidiores redditi spiritus, agiliùs quidem, sed simul confusius & perturbatiùs in cerebro moventur, unde primò vigiliæ pertinaces hinc phrenitides, tandem convulsiones oriuntur.

Unde etiam in incremento febrium continuarum, aut in principio statim ipsius status, febriū ardentium & continuarum imprimis delirium affligere solet, ubi nempe maxima est sanguinis effervescentia.

Ubi enim in principio morbi absque insigniori febrili sanguinis effervescentia vigiliæ pertinaces cum leviori delirio se manifestare volunt, malignitatis anguis latet sub herba, & causa maligna perturbationis spirituum motus solet esse origo: uti fit in peste & aliis morbis malignis, quod probè observetur pro praxi. Interdum verò illud inflammationi cerebri, vel membranarum inflammationi, vel saltem cum inflammatione corticis cerebri est conjunctum.

Exempla talia subinde prostant & reperta sunt post apertionem cadaverum phrenitide mortuorum: Sic enim Rhodius cent. 1. obs. 39. phreniticum biduò extinctum, in cujus capite aperto cerebrum & membranæ ejus cum intenso rubore adeò tumebant, ut facile venæ ab ipsius substantia potuerint separari. Sic etiam Nicolaus Fontanus in Analectis cap. 2. Ubi nempe phrenitide mortuum refert, in cujus resecto cranio cerebrum ubique maculis sanguineis conspersum & meninges, in specie pia mater tumida admodum & sanguine nigriusculo turgida visa fuit, & insigniores ejusdem rami per cranium dispersi sanguine congrumato tumidi reperti fuerunt.

Et tales inflammationes membranarum cerebri imprimis corticis ejus tunc adsunt, quando per metastasin materiæ fit phrenitis, id est, quando post erysipelas externum aut post pleuritidem sive peripneumoniam aut post anginam subitò curatam sequitur phrenitis: Signum enim tunc est sanguinem coagulatum in istis partium inflammationibus solutum denuò hærere in membranis cerebri, aut ipso cerebro, & ibidem novam inducere inflammationem. Unde interdum in phrenitide adest inflammatio cerebri & membranarum, non tamen semper.

Causas quod attinet remotiores, certum est quod *ætas Juvenilis, aër æstivus & usus potuum generosorum* in specie vini admodum promptos nos reddat ad phrenitides, uti videmus in ebriosis.

Exempla sanè prostant ubivis ex abusu vini Juvenum correptorum phrenitide: quin & excretiones sanguinis suppressæ, uti febres ita etiam stagnationem sanguinis postmodum in cerebro inducunt: Qua ratione ex insufficienti puerperii seu lochiorum purgatione phrenitidem obortam in puerpera refert *Horstius lib. 2. observ. 25. & cit. loc. observ. 26. ex retentione hæmorrhoidum* obortam phrenitidem recenset. Affectus animi graviores, quos inter primatum obtinet ira quæ admodum nos disponit ad febres, & hinc ad phrenitidem. Nam ipsa ira quasi est parva febris naturalis, dum in ira sanguis effervescit circa præcordia, unde corpus calet, facies rubore tincta perspicuò, pulsus est frequentior & major ex aucta sanguinis fermentatione. Unde non mirum si superveniat febris & phrenitis.

Febres malignæ etiam uti monui, sæpiùs conjunctas habent phrenitides; & quidem hæ phrenitides in febribus malignis superveniunt citra insignem sanguinis effervescentiam & corporis incalescentiam: Unde & sæpius in principio Medicus talia deliria observat, ne perditos reddat ægros.

Differentias quod attinet omne delirium in febribus, quò etiam fuerit phrenitis, vel est ridiculum, vel serium. Ridiculum est, quando ægri varia, absurda, incondita & minùs cohærentia cum quadam hilaritate interdum cum risû &c. proferunt. Serium verò delirium est, quando ægri quasi aliquantisper irati cum impetû & quodam furore proferunt varia & incondita, & interdum tam inscii quam excogitando in varios sermones proruunt.

Quæ differentia observatur propter Hippocratem, qui dicit, quod deliria ridicula sint tutiora & minùs mala, quàm deliria seria aut cum jurgiis.

Quoad Signa.

1. Quidem in febribus necesse est ut delirium imminens præcognoscatur, ut possimus præcavere. Et quidem imminens delirium ferè solet facile cognosci ex quadam garrulitate & nimia loquendi promptitudine, item ex mutatione morum, si nempe is qui aliàs mitis est fit nonnihil ferox & temerarius: item fiunt nonnihil proclives ad iram: Item si is, qui aliàs est taciturnus, fiat loquax, si corpus indecore moveat, aut etiam corpus denudet, si eorum quæ legit vel locutus fuit, subitò obliviscatur: si eundem sermonem sæpiùs citra rationem repetat. Item si vigiliæ pertinaces adsint aut saltem somnus admodum turbulentus præcesserit. In talibus casibus delirium imminere patet, id quod imprimis confirmant oculi: sic enim si fiant aliquantisper mobiliores solitô, si fiant splendidiores & quasi fulgidi, si fiant instabiles, tunc metus est non leve imminere Delirium. Ipsum delirium præsens facilè cognoscitur ex inconditis sermonibus, variis actionibus ex quibus facilè præsens vel adstans deliramentum vel delirium agnoscitur.

Porrò an in vera phrenitide revera adsit inflammatio Diaphragmatis aut inflammatio cerebri & membranarum, an verò tantummodo incalescentia indeque natus fervor spirituum ex sequentibus agnoscitur: quod nempe immanis dolor adsit in phrenitide in qua est inflammatio cerebri: nam ex natura partis facile patet, quod dolor sit vehementissimus, cum dura mater cerebri simul sit affecta, quæ est sensibilissima. Unde est quod tales phrenetici soleant avellere capillos, inscii tamen propter immanem & acutissimum dolorem, quem percipiunt. Item perpetuo manus capiti admovent, & vario aut quasi furioso motû caput agitant.

Dolores ergo adsunt acerbissimi in inflammatione cerebri & membranarum: Unde est adeò brevis affectus cum non possit durare propter insignem dissipationem spirituum. Accedunt præterea interdum convulsiones, idque quando inflammatio cerebri incipit in gangrænam abire, nam omnis inflammationis finis est gangræna. Deinde in tali casu pulsatio adest vehementissima, de qua ante delirium conqueruntur ægri, quæ quanta sit percipitur, si attentè conspiciatur collum, ibi enim arteriæ carotides quàm impetuosissimè pulsant propter sanguinem influentem & ob inflammationem in cerebro stagnantem: Unde etiam Hippocrates arteriam pulsantem in temporibus prænuncium æstimat phrenitidis imminentis.

Quod attinet Prognosin.

Phrenitis omnis malum est periculosum & auctum. Majus tamen periculosum: in qua inflammatæ sunt membranæ & ipsum cerebrum, minùs periculosum quando est spirituum tantum fervor & sanguinis incalescentia. Si vires sint languidæ in phrenitide ut plurimum moriuntur ægri.

Quòd si accedant phrenitidi convulsiones, linguæ aphonia, aut singultus, aut dentium stridor, aut vox tremula, item fecum & urinæ inscia dejectio, hæc phrenitidem lethalem indicant. Phrenitis si vertatur in lethargum aut affectum comatosum utplurimum est lethalis.

Observetur autem quod quædam deliria in febribus phreniticis vel paraphreniticis sint interdum critica. Probè ergò sunt distinguenda deliria febrium critica à symptomaticis, propterea quoniam symptomatica necesse est curet Medicus: Criticum vero delirium omninò intactum est sinendum.

Signa ergo Delirii critici, quod ut plurimum sequitur Hæmorrhagia narium sunt sequentia. Si coctionis signa appareant in urina & pulsus sit inæqualis, sit nonnihil magnus, & nonnihil validus: item si tranquillitas quædam in symptomatibus sit in ægro: si ex oculis splendores videantur elici, si delirium superveniat à subitò nata cephalalgia, si nares pruriant, si facies rubeat & adsit tensio mollis hypochondriorum, ætas sit Juvenilis & forsan aliàs æger consuetus sit excernere per nares sanguinem; In tali delirio caveat Medicus, ne istud solvere conetur, quia est criticum, salutare, adeoque naturæ motus: Quod delirium Criticum uti dixi hæmorrhagia narium ut plurimum sequitur: & tale delirium est salutare & saluberrimum, reliqua symptomatica semper sunt suspecta.

Quod attinet curam.

In Cura sanguinis & hinc spirituum fervor temperandus, imprimis sanguinem evacuando; 2. Effervescentia sanguinis febrilis est compescenda, & 3. spirituum turbatus motus figentibus nonnihil tam internis quàm externis & sistendus. Hoc ut fiat observetur, quod sibi debeat cavere Medicus imprimis Junior; ne ad ebrium vocatus, ceu morbi delirosi curationem instituat, uti aliquando observatum fuit factum fuisse ab incautis Medicis, ne hac occasione se risui exponant ignaro popello.

Deinde cùm iis adjunctus sit sæpius somnus deficiens sive Agrypnia, quæ delirio admodum favet, subinde Hypnoticis blande & etiam narcoticis agemus, idque tam in medicamentis internis quàm externis. Cautè autem usurpentur internè omnia talia in specie opiata.

Nam

Nam si opiata non sistant spiritus & eorum motum compescant potiùs delirium gravius reddunt, cùm ipsum opium somnia inducat turbulenta & truculenta.

Sin verò Narcoticis spiritus nimium figas, metus est, ne ægrum sopiendo, tandem non possis amplius exsuscitare, aut metus est ne per opiata phrenitidem in lethargum mutes. Cum enim spiritus in phrenitide sint admodum volatiles & subtiles, & simul propter motum continuum auctum pauci, ob id facilè ex Narcoticorum dosi auctâ permutari in lethargum sive carum potest, quæ mutatio est periculosissima.

Certum est, quod Narcotica & opiata legitimè adhibita sint magna remedia & optime in phrenitide febrili commendentur. Verum si tempore non opportuno aut non legitimè parata adhibentur plus nocent quàm prosunt.

In eorum ergo usû observetur 1. Quod sint legitime præparanda in febribus quidem imprimis per acida ut acetum. 2. Ratione temporis adhibeantur opiata non nimis tardè, sed imprimis in incremento morbi ubi incipit æger vigilare: Melius enim est tempore vigiliarum quam delirii adhibere Narcotica. 3. Ut his opiatis semper adjungantur Bezoardica & Diaphoretica.

Non tantum quod in phrenitide sæpius subsit malignitas, sed etiam quia blanda diaphoresi concitata effervescentia sanguinis febrilis insiguiter placetur & mitigetur. Unde etiam per consequens talibus ipsa phrenitis non rarò tollitur. Ante omnia mox Ven. Sect. instituenda, quo citius eò meliùs. Nam si erit febris ardens phrenetica absque malignitate, optimè convenit hæc ipsa, aut licet adsit malignitas, tamen in principio primo sine tanto periculo potest secari vena.

Larga autem sit ven. sect. Auctore Lindano, quid refert suum parentem cum D. Tulpio Viro cuidam phrenetico uno die ℥xxxvi. sanguinis emisisse, tertio die totidem, & quarto die ℥xxv.

Sic enim inquit: Medicus, ubi adest furor morbi, Medicum se præstare debet. Verum in ipsa ven. sect. quoad locum est notandum, quod si forsan præcesserit suppressa quædam sanguinis evacuatio, ut in puerperis, in partibus inferioribus in talo, & postmodum in brachio secanda vena.

2. Quòd tempore ven. sect. Medicus mittat manum super caput ægri, ut ex pulsû agnoscatur, quando forsan sufficiens sit sanguinis evacuatio: item ut ex pulsû cognoscat an æger sit animo defecturus.

3. Ubi æger minus fert sanguinis evacuationem, in ipsa evacuatione subinde digito obturandum est Foramen denuò aperiendum, & denuo obturandum, donec sufficiens sanguinis quantitas sit extravasata, sic enim cum meliori euphoria, & minori ægri debilitate sanguis evacuatur.

In topicis sive externis utut aliquantisper aceti addere sit conveniens, tamen multum ejus non addendum quoniam Vigilias & Agrypnias auget. Unde etiam nimis gravia odorata in externis sunt vitanda, nè talibus volatilibus augeatur phrenitis propter continuam spiritus incitationem.

Medicamenta ergò quæ conveniunt in cura deliriorum, sive etiam ipsa phrenitide, præterea quæ in febribus ardentibus externè & internè conveniũt, speciale specificum est Anagallis flore Phœniceo de qua vide Gabelchov. cent. 6. cur. 13. qui in febribus phreneticis & paraphreneticis experientia frequenti compertum habet decoctum Anagallidis flore rubeo: Præcipit. ut M ij. Anagallidis hujus decoquantur in vino & aq. an. mensura ß ad consumptionem tertiæ partis: de quo decocto manè & vesperi detur bonus haustus, simulque fiat ex ista planta sacculus similiter in prædicto decocto humectandus, & ita suturæ coronali extrinsecus applicandus.

Confirmat hoc Hildesheim in suo spicilegio, qui ad deliria febrilia & phrenetica commendat hoc decoctum.

♃ Herbæ anagallidis (fol. & flor.) M ij. coronarum capit. papav. alb. nu. 20. Hæc invicem coquenda dicit in ℥xvj. vini malvatici & Rhenani ad casum ℥vj. colaturam forti expressione trajicit, & pro duabus vicibus hauriendam propinat in spicileg. 2. p. 190. Post anagallidem est lactuca, Nymphæa, sedum majus, item semina 4. frigid. major. & exinde paratæ emulsiones: Succi subacidi granatorum, ribium & berberum. Porrò Serum lactis, & cum eodem parati julepi. It. aq. Anagallidis, aq. verbenæ, aq. Nympheæ, papaver erraticum, & omnia ex eodem remedia. Item spiritus acidi minerales in specie spiritus nitr. dulcis & spiritus sal. dulcis, Camphora internè cum aliis commodè propinatur.

Hæc enim licet sit subtilissimum, & penetrantissimum remedium, tamen virtute quâdam occulta spirituum fixativa & narcotica pollet, & tamen hæc camphora, mirum est, quantum ad curandam phrenitidem cum aliis externè & internè conveniat. Externè in epithematis: Interne in potibus somniferis (NB. observetur, quod non præscribenda sit integra opii dosis, quando simul præscribitur camphora, quod ego ita semper observo) Saccharum Saturni & Medicamenta similia saturnina similiter commendantur ad phrenitidem.

Item mistura simplex: Tinctura Bezoardica: uti etiam nitrum antimoniatum potui ordinario injectum. Verùm primatum obtinent legitimè applicata opiata, v. gr. Syrupus de papavere albo, qui est magis usitatus quam de papavere nigro; Emulsio sem. papav. albi, cum aliis opium, & laudanum opiatum.

Bartholetus non immeritò commendat essent. opii cum spir. vitriol. vol. paratam. Veteres in usu habuerunt Philonium Romanum, Diacordia, requiem Nicolai, & similes: Horstius aliquando curavit phreneticum post vini generosioris abusum per potionem narcoticam die 6. uti refert lib. 2. obs. 12.

Item Fontanus in cur. & resp. l. 2. p. 20. refert juvenem 22. ann. qui post universalia remedia per ℈j. Philonii Romani fuit curatus. Inter externa commendatur admodum cataplasma ex portulaca, sempervivo, & rosis capiti circumligatum, cui etiam nonnulli addunt Nympheam, chamomillam & melilotum.

Bartholetus commendat in phrenitide, carnem cucurbitæ tusam & raso capiti impositam. Quâ præter omnem spem desperatus phreneticus fuit curatus: quo etiam fuit observatio Borelli cent. 4. obs. 94. de rustico, qui alterum phreneticum per taleolas cucurbitæ capiti impositas curavit:

Con-

Confirmant etiam hæc quæ habet Gabelchoverus supra cit. loco cent. 3. cur. 23. in Scholio, quod scil. si excaveturcucurbita per medium dissecta, & in eandem immittantur pedes ægri ad tempus, idque subinde repetatur, tollat insigniter & fervorem febrilem, & etiã ipsum delirium phreneticum. Sedum majus contusum & instar cataplasmatis cum aceto plantis pedum applicatum etiam conducit, quin etiam solum syncipiti admotum blande demulcet delirium, sed detrahendum est cataplasma, quando incipit dormire æger. Epithema fronti admovendum conducit ex mastiche & myrrha cum Tinctur. Santali. Vide descriptionem in praxi Riveriana, pag. 117. decoctum radicis Mandragoræ & Hyoscyami cum similibus externè applicatum tepidè fronti, commendatur ceu expertum à Zacuto Lusitano.

Egregius est succus cancr. fluv. Virorum expressus qui ad imitationem Rulandi fronti applicatus mirificè confert: Sicuti idem Rulandus sequens epithema cum linteis duplicatis utiliter admovet.

℞. Aqu. rosarum ℥ x. opii ʒ j. croci ℈ß.

Hoc ipsum cum linteis duplicatis admovet tepidè fronti. Nam sic blando conciliato somno mens redit.

Bartholetus commendat usum aq. spermatis ranarum extrinsecus applicatum (& credo quod sit potens remedium) Potentius est si misceatur, cum succo cancror. fluv. & fiat tale epithema ad imitationem Rulandi quod credo non futurum inelegans.

℞. Aq. Sperm. ranar. ℥viii. succi cancr. fluv. contusor. expressi ℥ij. opii, acet. correcti ʒß. ad ℈ ij. camphoræ ℈ß. croci ℈ ß. M. pro epithemate.

Veteribus in usu fuerunt animalcula viva, anates & palumbes per medium dissecta & calentia sincipiti aut toti capiti raso applicata. Nihilominus tamen apud nos in desuetudinem abierunt. Lindanus interim dicit hoc remedium esse inæstimabile ad curandos phreneticos: qui curat phreneticos sanguinem primùm mittendo, hinc propinando sub noctem ℥ij. syr. papav. & hinc adhibet columbam viventem, vel gallum viventem, vel catellum viventem, quæ animalcula secat per pectus, & statim cum omnibus interraneis ita applicat capiti si fieri potest raso.

Et ita applicato animalculo imponuntur lintea vel culcitræ, nè subito cesset omnis calor, mirum dicit quantum juvent hæc animalcula: remoto uno, post hoc subito applicetur aliud, idque aliquoties.

Nam sic statim & dolor remittit, & ipsum delirium nonnihil imminuitur. Dicit si per horam relinquatur, & postmodum removeatur, fit horrendus fœtor in animali applicato, ut necesse fit subitò immergere in aquas propter fœtorem intensissimum.

Præter hæc & similia observanda sunt ea, quæ conveniunt in febribus ardentibus. Fit interdum ut phrenetici non percipientes urinæ stimulum continuò eandem retineant, non absque nocumento.

In tali casû impositæ perinæo cepæ coctæ cum pinguedine anserina urin. provocant. Aut.

℞. Fol. parietariæ Mij. herb. petroselini cum rad. Mj. Fiat decoctio: decocto addatur ole. scorpion. ℥ ij. & ita fiat. Fotus pro pube.

Dabo exemplum pulveris propinandi in phrenitide maligna.

℞. Cinnab. antimonii gran. xii. bezoard. lunaris gran. vj. laudani opiati camphoræ gr. j. M. dentur in dupl.

Quod propinari potest in decocto Anagallidis vel in aqu. Anagallidis aut in emulsione tenui seminis papaveris albi, paratæ cum aqu. Anagallidis, Nympheæ, Hyperici & similibus. Præterea nunc conveniunt julepi aciduli, dum effervescentiam sanguinis compescunt, quibus adduntur pro alvo reseranda, si adsit ejus obstructio, pulpa Tamarindorum, quæ laxat blandè, & simul sanguinis effervescentiam compescit. *Mich. Etthmul. in Colleg. Practic.*

Cum imaginatio, & Æstimatio depravatur, Delirium accidit, quod dicitur Declinatio à recta Rationis semita, undè ægri absurda, & incongrua loquuntur, aut imaginantur.

Deliriorum Medici constituunt idiopathicum unum, sympathicum alterum, & quidem ab hypochondriis, diaphragmate, utero, aliisque partibus. Aliud sine febre; aliud cum febre. Atque ex his Phrenitidem, Maniam, Melancholiam, à diversis etiam humoribus deducunt: de quibus sigillatim.

De Phrenitide.

Phrenitidem intelligunt Galenici Delirium perpetuum, & continens cum febre acuta, & continua; quod ab inflammatione cerebri, & membranarum ejus à sanguine bilioso ibidem putrescente oriri arbitrantur.

Quoniam autem in quocumque delirio potissimùm in phrenitide animales operationes, nempè imaginatio, & ratiocinatio depravantur, ab illarum læsione tres deducunt phrenitidis species ex Galeno tùm *lib. de diff. sympt. c. 3.* tùm 4. *de loc. aff. c. 2.* Aliquando depravari dicitur Imaginatio sana Ratiocinatione, ut in Theophilo Medico qui putabat Tubicines esse in angulo domûs, eosque tamquàm sibi molestos esse ejiciendos. Simile quid fatetur Galenus sibi accidisse 4. *de loc. aff. cap. 2.* evellendo floccos, & colligendo festucas. Interdum verò dicitur offendi Ratiocinatio illæsâ imaginatione, ut in eo, qui singula vasa rectissimè nominans, illa tamen projecit, ut & puerum, quem adstantes confractum sustulerunt. Nonnunquam etiam utraque lædi solet; quin & memoratrix quoque, ut ex Thucydide refert idem Galenus *cit. lib. de sympt. diff.* quod à Peste Athenis grassata evasi omnium immemores remanserunt, etiam suorum nominum. Contingit quoque frequenter Phreneticos memoriâ deficere, cùm non rarò obliviscantur egisse quæ gesta sunt, & quàm anxiè cupidissimeque petierunt aquam bibere.

At impossibile existimat Eustachius Rudius, illæsâ ratiocinatione imaginationem lædi posse: quod & Nos aliàs innuimus; cùm hanc illa per suscespta phantasmata, quo modo apprehensa sunt, necessariò prosequatur. Unde Theophilus ille Medicus asserebat esse abjiciendos Tubicines, quia imaginabatur illos adesse in angulo domus

domûs. Tunc enim Ratiocinatrix facultas sana dici deberet, cùm corrigeret, non sequeretur errorem imaginatricis.

Ab inflammatione præterea cerebri, & membranarum ejus Phrenitidem minimè oriri Anatomicis observationibus ostendit Thomas Willisius, qui se pluries vidisse fatetur Meninges, imò & cerebri exteriorem ambitum tumore phlegmonode obsessas, laborantes verò minimè phrenesi, at potiùs torpore, & Caro periisse. Adnotârunt etiam Sennertus, Heurnius, Vallesius, Volcherus Coiter, aliique cerebrum inflammatum cum membranis absque delirio: & phrenitidem absque illius inflammatione.

Neque insuper perpetuò septi transversi phlegmonen comitatur delirium illud sympathicum, quod Paraphrenitis appellatur: Nam aliquando compertum est Diaphragma citra delirium fuisse affectum, ut ex dissectis cadaveribus idem Willisius deducit. Quod autem diaphragmatis viscus nervis plurimis refertum sit, adeoque maximum consensum ineat cum cerebro, haud congruenter evincit Phrenitidem subsequi cùm ipsum inflammatur: etenim stomacho, pleurâ, mesenterio, phlegmone obsitis, phrenitis plerumque non succedit, quæ tamen sæpissimè corripit peripneumoniâ, & hepatide laborantes, quare cujuscumque visceris inflammationem sequi potest.

Causam Phrenitidis quæsivit Helmontius in duumviratu, præsertim verò in stomacho ex Hippocrate dicente: *Cui vena in hypochondrio fortiter pulsat, is mox mente alienatur.* Et Neoterici in spiritibus animalibus collocarunt, vel nimium irritatis, vel in confusionem actis. Undè verisimiliùs est, inquit Willisius, Phrenitidem à spirituum phlogosi potiùs, quàm à Meningum, aut cerebri inflammatione, quæ cephalæam aut lethargum certiùs quàm furorem inferrent excitari.

Verùm in Phreniticorum cerebro credere licet tantam vaporum, qui in liquorem nerveum commutantur, copiam acritate præditam adunari, ut nedum motione plurima, & irregulari per ejusdem cerebri poros, & nervorum substantiam concitetur, undè phantasmata varia, & confusa cum impetu, & vigilia; verùm etiam confluxu vehementi, sensus externi, licet depravatè, acuantur, & motus animales musculorum roborentur, ut vix detineri queant. Universus namque sanguis, qui ad cerebrum fortè laxiùs defertur, plus justo in auras abit, totusque in liquorem nervorum & quidem tenuiorem, maximeque volatilem, permeabilemque, commigrat; undè Phrenitici, quamvis deficiant viribus vitalibus, animalibus tamen plurimùm valent. Porrò fibræ nervorum, & musculorum motui dicatæ, ejuscemodi liquore tumidæ, nimiùm vigent, & firmiter tenduntur; multoque magis in Maniacis, quibus febris deest. Quoniam verò vapor iste nerveus acritudine præditus est, & immoderanter, violenterque in nervos, musculosque adigitur, trepidi, & temulentorum ad instar Phrenetici in tanto robore esse solent.

Proximam itaque causam hujus affectus in liquore iste nervorum constituendam opinor, qui tenuior, & acrior evadat à sanguine in cerebrum confluente pari conditione, vel vitio sui, vel vitio viscerum, affecto: quemadmodum in febribus acutissimis, & ardentibus, atque in internis inflammationibus, & affectionibus hystericis. Atque hinc contingit, aliquando delirium fieri interruptum, cùm scilicet ad tempus solummodò liquor nervorum inficitur.

Congruunt his, quas Practici ex observationibus Anatomicis plurimas memorant paraphrosynes, & phrenitide, ortas à retrocedente erysipelate, à sero, à felle cystis acriori, ab inflammatione ventriculi, & pulmonum, à varicibus meningum, à diruptis abscessibus, à venenis, præsertim solano furioso, mandragorâ, & radice pastinacæ sylvestris, ex cujus esu lepidam historiam narrat Willisius *hoc loco*.

Notissima sunt signa Phrenitidis, & cujusvis delirii præsentis, cùm gestibus, tùm verbis parùm consonis. Imminentis verò recensentur nimia garrulitas, immodica vigilia, somnia perturbata, oculorum rubor, & fulgor, motusque inordinatus, præteritarum rerum oblivio, responsio ferox, lotiorum, quæ priùs crassa erant, tenuitas & perspicuitas, decubitus incompositus, oblocutio inter dormiendum, aurium sibilus, linguæ ariditas absque siti, torvus, & immobilis obtutus. De reliquo sympathicum & interruptum delirium facilè ex superiùs dictis internoscetur.

Undecumque autem illa semper periculosissima est; longè verò gravior censenda, si dejectiones decolores, & urinæ aqueæ appareant: nares modicum sanguinem stillent: pus erumpat: dentium stridor accidat cum maxillarum, & temporum convulsione: itemque singultus, tremor, aphonia, vomitus: si in veternum commutetur, vel in desipientiam Hippocrati obscuram dictam. *A Peripneumonia quoque inflammatio cerebri, malum, 7. Aph.* 12. Copioso autem sudore, urinæ profluvio, è naribus hæmorrhagia, & quandoque etiam alvi fluxu, dummodo vires constent, salubriter terminari consuevit.

Cùm ferè communiter hæc ægritudo putetur sequi viscerum inflammationem, proindè ad hanc tollendam illius curatio dirigitur: Et quidem venæsectione iteratâ, mox à principio repellentibus oxyrhodinis, cum decocto foliorum lactucæ, rosarum punicarum, violarum, capitum papaverum alborum, florum nympheæ, pariterque cucurbitulis, frictionibus, clysteriis, & lenientibus pharmacis: postmodùm somnum conciliantibus, tùm internis ex opio, tùm externis ex lotionibus, & linimentis capiti, & pedibus adhibendis ex medicamentis hypnoticis; itemque applicitis ranis, gallo, aut catello per medium sectis supra suturam; institutâ interim diætâ refrigerante, humectanteque; detentoque patiente aut in tenebris, aut in luce, pro varia ejusdem conditione, & virium robore, ut admonet Celsus. *lib.* 3. *cap.* 18. strepitus verò, & animi, ac corporis motus omninò prohibendo.

At Phrenitidem à septo transverso curandam proponit Hippocrates per ea quæ tussim, & sputum promovent ut in Peripneumonia. Alterius etiam delirii meminit in virginibus, de quo tamen alibi.

Hermeticis præter venæ sectionem, & cucurbitulas scarificasas, sunt quoq; in usu irrigationes supra suturam coronalem, & pedum lotiones cum herbis soporiferis, necnon linimenta

hypnotica, & purgantia leviora, ac opiata, moderatè tamen exhibita. His non suffragantibus, consulit Paracelsus cranium esse terebrandum, ac foramen per mensem patulum esse detinendum. Hac enim ratione, inquit, quamcunque amentiam certissimè curari. Vult etiam Cardilucius præter suum præcipitatum aureum, cunctis impensè commendatum succum nasturtii hortensis, vel aquatici, mistum cum tertia, quarta, vel quinta parte aceti acerrimi, ac pugillo salis communis decrepitati, additoque oleo olivarum in affectibus pectoris: cujus misturæ cochlearia duo in singulas horas assumenda præcipit, atque ita etiam interna apostemata dirumpi, febresque omnis generis, præsertim verò intermittentes, cùm ingruunt paroxysmi, omninò fugari fatetur, ut rarò quartum repetere opus sit. Aliam hujus morbi curandi rationem memorat ex Carrichtero, quam apud eundem legere est.

Helmontio sicuti ceteræ ægritudines cerebri, ita & deliria, remediis eutomachis, non cephalicis, curantur, præmissis tamen vomitum promoventibus, præsertim ex helleboro. At verò P. Jo. Faber potiùs diureticis, & humores deducentibus insistit, inter quæ potissimùm magnifacit suum tartarum vitriolatum, & liquorem Mercurii acidum, quem summum arcanum adversus Phrenitidem fatetur.

Antiphrenitica demùm recensentur saccharum, & spiritus saturni, Bezoardicum lunare, liquor Margaritarum, qui mirificus celebratur ad compescendum sanguinis fervorem,ferturque aliquot illius guttis vini spiritum figi & coagulari. Magnæ etiam existimatur virtutis essentia florum hyperici, eorumque extractum in decocto glomorum cynosbati. Ac postremò opium, & quodcunque ex opio conficitur, ad somnum conciliandum, quoniam in deliriis nil somno conducibilius. Quare Zacutus *in prax. hist.* pilulas componit ex opii gr. v. croci gr. iv. & castor. gr. ij. atque in jure, aliove liquore per intervalla exhibet. Verùm enim verò opiatorum usum vituperat Helmontius in amentiis, cùm omne opiatum ipsi dicatur esse in se amens, & amentia nil aliud; quàm somnium vigilans: inesse præterea opio monet, præter soporiferum, aliud virus, quo amentes acriùs læduntur; quinimò vix decuplam opii dosim somnum insano conciliare, & cum labore. Ejus autem loco commendat sulphur vitrioli spir. quod somniferum & suave illi est.

Externè verò sedum majus contusum, & cum lacte muliebri mistum, syncipiti admotum, phrenitidem sedare, & somnum allicere plerique testantur: at cùm primùm dormire cœperit æger, removendum, ne coma subsequatur. Tutiora existimant alii ramenta cucurbitæ cum albumine ovi. Riverius in praxi ex Penoto hoc epithemate ægrotum sopiri, & convalescere testatur; quod conficitur ex Aqua rof. punic. cum tinctura santal. rubr. imbuta ad ℥ xx. Camphor. gr. xx. Mosch. gr. xii. Vult autem per diem integrum calidè suturis apponendum. Est aliis in usu decoctum musci terrestris pari modo applicitum; aliis Rana viva, aut Tinca dissecta, & plantis pedum imposita.

At quamvis hæc prodesse possint, non tamen omittenda diaphoretica superiùs memorata, & quæcunque acrimoniam, fervoremque sanguinis temperare possunt: hæc quidem potiùs in principio, illa verò circa statum Phrenitidis, præsertim cùm de interna inflammatione dubitatur. Quamobrem pro varietate causarum, modò his, modò illis utendum.

Iisdem fere Pervigilio occurrere expediet, ac præterea unguento Alabastrino, populeo, somnifero Augustano oleo papaverum, & hyoscyami, extracto croci, pinguedine lucii piscis, temporibus, & plantis pedum illitis. Langius parat oleum mirabile ex capitibus duobus allii, & uncia una opii simul contusis, atque in B. M. distillatis. Conficit etiam aquam quandam Hypnoticam dictam: & Mynsicht. vinum hypnoticum, & pulverem anodynum Michal. Alii, alia. Sed omnibus præstat laudanum opiatum aliquo liquore dissolutum, & parùm, ac sæpè propinatum. Invaluit nunc tandem apud nostrates usus cujusdam potionis ex expressis seminibus melopeponum, & papaverum alborum cum amygdalis dulcibus, & conditura florum nymphϾ in aqua lactucæ dissolutis. Illam autem post cœnam potissimùm potandam offerunt, ut opportuniùs somnum alliciat.

Consultationes.

Phrenitis essentialis.

Egregius Juvenis 35. annum agens, temperamenti secundum totum & jecur calidi & sicci, negotiis impensè deditus, & ideo vigiliis valde obnoxius, liberè vivens, potissimum in meri potu, cum Venetiis æstivo tempore Patavium migrasset in Navi tecta & cum sodalibus, ac commensalibus mero plurimum indulsisset, nocte sequenti sævissimo capitis dolore, atque acuta febre correptus fuit, cum siti molestissima, vigiliis, vel somnis saltem turbatis, cum clamoribus, à quibus insueta temeritate loqui cœpit. Tertia autem die respiratio magna & rara, pulsusque minores atque duriores, squalentes oculi, necnon venosi, sive sanguine pleni apparuerunt, & tandem quarta, floccos vellere, festucas carpere, & demum non solum verba plurima facere, & nugari, sed etiam continuò plane delirare incœpit, prout & nunc delirat, cum familiares non distinguat, servum fidelem œconomum furti accuset, eodemque tempore adblandiatur & benè excipiat. Urina autem tenuis & decolor, cum tenui nubecula apparuit. Quæ omnia ita succreverunt, quamvis à medico domestico rectè hactenus fuerit curatus, qui secunda die leniens, & tertia ex brachio sanguinem educi jussit. Modò in quarta accersiti, hæc habuimus.

Cùm tria sint genera delirii, sub nomine desipientiæ, tanquam sub genere contenta, cum febre unum, Phreneticum scilicet; duo verò sine febre, Maniacum, & Melancholicum, Phrenitide modò laborare egregium hunc Juvenem palam constat, ita dicta à Phrene, mente scilicet. Hinc cum Antiquiores observarint septo inflammato mentem aberrare, hanc in ipso residere suspicati sunt. Est itaque phrenitis mentis alienatio continua, cum febre acuta. Cum autem mens alienari, ac depravari possit, quoad imaginationem, ut in Theophilo Medico, qui

ex principiis falsis veram conclusionem deducebat, vel secundò quoad rationem, ut in illo, qui Romæ Lanifici puerum post vasa per fenestras projecit, & ex principiis veris falsam deducebat conclusionem, vel tertio quoad memoriam, ut contigit Athenis Peste à Thucidide descripta apud Gal. quam memoriæ depravationem, vel circa tempus, vel circa locum, vel circa personam credidit Valesius, confirmarunt Fernel. & Capiv. in casu nostro, omnes actiones principes depravari censemus, cum falsa imaginetur, neque ex imaginatis veram inferat conclusionem, ad quarum operationum depravationem, depravari quoque memoriam, non contra, necessarium existimamus. Hanc verò mentis alienationem ulterius progressam credimus, atque adeò plane delirare ægrum statuimus in historia: plures enim delirii phrenitici gradus ab Hipp. diversis verbis descriptos observamus. Siquidem primum, ac leviorem significavit, dicens. *Parum delirabat*, vel *Nugatus est*. Vel. *Sermones ac verba fecit*. Vel, *Parum mente constabat:* aut *Aliquantulum delirabat*, ut de Melidia. Secundum gradum gravioris delirii explicuit hoc verbo, *Deliravit*, ut de Herophonte, Epicratis Uxore, & Clazomenio. Tertium gradum sic expressit, *Plane deliravit*, ut de muliere, quæ decumbebat in Littore. Quartum gradum deterioris delirii ita, *Multum deliravit*, ut de Uxore Dromeadai, & de Philini uxore in Thaso. Quintum delirii gradum, sic *Omninò deliravit*, *Magnopere deliravit*; ut de Philisco. Postremum autem, omnium intensissimum, prorsúsque lethalem descripsit dicens, *Tremulæ, obscuræ, blandæque & contrectabiles despientiæ, valdè phreniticæ, ut Didymarco in Coo obvenita*, hecticas enim & consummatas phrenitides significare voluit Hippoc. ut Gal. in Com.

Est itaq; mentis alienatio in nostro Pat. multum progressa, continua enim est, sicut & febris, quia essentialis, unde Gal. dicebat, *Nisi febricitet æger, & continuo deliret phreniticus non est, in vigoribus enim febrium despientiæ phreniticæ non sunt*.

Ad hanc autem phrenitidem excitandam, conspir. runt primò causæ omnes antecedentes, tum internæ, tum externæ, ætas juvenilis, temperamentum totius & jecoris calidum & siccum, anni tempus æstivum, intensæ applicationes, & ab iis vigiliæ, unde *In vigilia convulsio, vel despientia malum*. Præterea tectum navis à Sole excalefactum, caput accendens, & meraci potus copiosior. Sic *Adolescens Melibœa, ex nimio potu, & Venere diu excalefactus, decubuit, & phreniticus factus est*. Sic *Ex multa potatione, rigor, & despientia, malum*. Ac tandem febris acuta, de genere ardentium, cum molestissima siti invasit, & phrenitidem, ut causa, præcessit, cujus & causa & comes esse solet. A quibus omnibus causa conjuncta, & immediata, nec non continuo fovens introducta fuit, caliditas scil. præter naturam in cerebro: eo namque intelligimus & deliramus. Quæ caliditas intensa sit oportet, quia alioquin fieret sola mobilitas in spiritibus & opinionibus, ut docebat Gal. Hæc autem induct. à calore solis, & meri potu, potuit quidem continuum membranarum solvendo (cum cerebrum parum, aut nihil sentiat) capitis dolorem, vigilias, somnosq; turbatos inferre, verùm ad delirium continuum excitandum, necessaria est inflammatio membranarum cerebri, imò præter hanc requiritur humor biliosus in cerebro redundans, & in eodem commotus, atque discurrens, unde Gal. dicebat, quod *Bilis in cerebro, & ejus membranis phrenitidem facit*, & alibi. *Phrenitis fit à bilioso humore*. Quod desumpsit ab Hippoc. dicente, *Morbus hic fit à bile, cum mota fuerit*. Subministratur autem cerebro biliosus humor, à membranarum inflammatione, facta à sanguine bilioso, & biliosum ichorem in idem per transudationem ac diapedesin eructante, non secus ac in pleuritide evenit, in qua sputa cruenta & biliosa excernuntur. Quam veritatem omnino aperit & confirmat Gal. cum Hipp. dum enim Hipp. ipse phrenitides confirmatas, & hecticas nobis ob oculos posuit, dicens, *Tremulæ, obscuræ, blandæque & contrectabiles despientiæ, valdè phreniticæ*. Gal. in Com. ait id fieri, *Quoniam biliosus succus non amplius confusè & tumultuosè in cerebrum decumbit, sed ineluibiliter permistus est, ut tinctura in lanis, & ideo ut hectica insolubilis est*. Quod vero bilis decumbat in cerebrum, ab inflammatione membranarum, ita expressit Gal. idem: *Phrenitis à bilioso humore, lethargus à pituitoso, hic, ex ipso potius cerebro, illa, ex tenui meninge, & septo*. Et clarius adhuc; *Phrenitis fit ex inflammatione meningum cerebri, & si magna fuerit, etiam musculorum temporalium*. In cerebro vero, licet aliqua plogosis & calida dispositio in phrenitide dari possit, vera tamen in membranis requiritur inflammatio, si enim daretur & in cerebro, longe deterior phrenitide ipsa contingeret affectus, sub titulo de corruptione cerebri ab Hipp. descriptus, de quo dicebat. *Quibus cerebrum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt, si verò hos effugiant, sani fiunt*. recedente scilicet inflammatione. Sic Aët. & Paul. inflammationi cerebri proprium caput assignant, à phrenitide distinctum.

Phrenitis igitur essentialis affligit Pat. nostrum, tum quia nulla præcessit querela de alia inferna parte malè affecta, tum quia delirium continuum habet. Et licet continuum videatur in facta per consensum à septo, unde Gal. *Ab aliarum partium consensu, nulla delirium perpetuum habet, dempto solo septo*. subdit tamen. *Cujus vitio excitatum delirium, parum à continuo distat*. Sed præterea, delirium à septo risum tumultuosum secum ducere solet, ut Tyconi, septo in bello vulnerato. In nostro autem Pat. signa præcesserunt phrenitidem præmonstrantia, à Gal. proposita, vigiliæ nimirum, ob siccitatem in cerebro inductam, ob quam & somni turbati cum clamoribus fiunt, ob somnia conspicua, temeritas non consueta, à membranarum & cerebri incalescentia, respiratio magna, & rara, dum à copia phantasmatum occupatus respirare obliviscitur, quod supplet respiratione magna; squalentes oculi, propter vigilis, à sanguine turgidi, ob incipientem membranarum inflammationem. Pulsus autem minores & duriores fiunt, ex membranarum inflammatione; ob duritiem enim arteria non adeò dilatari potest, sicut urina decolor atque tenuis biliosum humorem per venas in caput efferri significat, atque tandem floccos avulsit, & festucas carpsit, dum ab imaginatione oculi decipiebantur, unde & Gal. Ardente febre detentus, dum mente quidem sanus erat, sed imaginatio depravari in-

incipiebat, exclamabat. *Amici mei, auxilio mihi estote, nè phreniticus evadam.*

Affectus quidem, Phrenitis, acutissimus atq; periculosissimus, ut proinde nihil certi pronunciare possimus; prætertim cum adhuc in principio reperiatur, & usque ad 11. progredi soleat, unde dicibat Gal. quod si quinta die inceperit, decima septima judicabitur; si 7. inceperit 20. tantum, quod forsan ab Hipp. desumpsit, dicente. *Judicatur his morbus, brevissimus*, 7. *die, longissimus*, 11. Solus ægrotus 4. 3. Epid. descriptus 3. die phreniticus defunctus est, acutissimæ phrenitidis exemplo, qui tamen obiit ex qualitate succorum virulentorum, tanquam ab epoto veneno, non à phrenitide, ut notat Gal. Progressus itaque attente observandus, namque si pulsibus accedat crebritas modica, mortis periculum: si verò immodica, mortem proximam prænunciat. Urinæ si fiant albæ & perspicuæ, malæ. Unde dicebat Gal. in Com. *Se nullum Phreniticorum vidisse salvatum, in quo urina alba & perspicua, id est aquosa apparuisset.* Quod idem confirmavit quoque Lib. de Urinis. Alvi quoque albæ dejectiones malæ essent, ut Archecrati, sursum enim flava bilis ferebatur, scribit Gal. propterea Hippoc. *Egestiones albæ in Phreniticis, malæ.* Respiratio quoque attendenda, spiritus namque magnus & rarus in toto morbo, & hypochondria palpitantia utrinque demissa, phrenitidis sunt notæ, morbo ad exitium spectante, in quo statu somnus potius delirium excitat, accedit stridor dentium, & labiorum, atque totius tremores.

Quod si ad salutem vergat, vel per resolutionem, ut Pythioni contigit: vel per crisim, & frequenter per hæmorrhagiam narium, & sudorem, ut contingit ei, qui dum Romæ erat, Athenis se esse credebat. Sed nonnunquam & per abscessum, & per transmutationem in alium affectum desinit. Si per abscessum, cerebrum sphacelatur, & pereunt, nisi pus ad anteriora vergat, & per nares, aut os expurgetur. Si per transmutationem, vel in lethargum, de quo Hipp. *Non utiliter phrenitis in Lethargum se convertit.* Gal. in Com. *Phrenitis contra tollit veternum.* Vel transmutatur in peripneumoniam, de qua Hipp. *Si phrenitis in peripneumoniam transit, pauci effugiunt.* Vel mutatur in convulsionem, exsiccatis nimirum membranis, quod succedit exitiali maximè Phrenitidi, ex Gal.

Medicæ itaque intentiones pro hac phrenitide curanda, erunt reliquis inflammationibus communes, ab initio scil. repellere, in augmento repellere & digerere, in statu digerere magis quam repellere, in declinatione tandem digerere, quibus addamus, quod sit revellendum, & ratione febris refrigerandum, humectandum, & evacuandum, ac tandem symptomatibus occurrendum.

Atque omnium primò convenit sanguinis missio per venam sectam; omnium Medicinæ Principium, cum Gal. & Avic. consensu. Et licet Gentilis, Arculanus, Mesue, Rudius aliter sentiant, falso tamen supposuerunt phrenitidem à sola bile fieri. Quem errorem corrigit. Avenzoar dicens, *Et scias quod non generatur apostema in hoc panniculo ex uno simplici humore, cui etiam alius humor non sit adjunctus, sed denominatio fit à majori.* Recte igitur ex brachio missus fuit, tum ratione refrigerationis, ne sanguis adeo facile in bilem vertatur, tum ratione revulsionis, ne adeo præceps ad partem fluat, nulla namque datur revulsio major, quam per sectam venam. Ex venis sedalibus repeti poterit, ante septimam, sicuti tandem in jam facta, ratione derivationis, ex vena frontis, cum sit remedium locale. Cucurbitulæ quoque scarificatæ, dorso prius, ac tandem occipiti, & revellere à syncipite, & derivare possunt. Reliqua omnia revulsionum genera conveniunt, frictiones, lotiones, sinapismi, imò & vesicantia.

Interim adhuc in repellentium usu persistendum, oxyrrhodino ex rosac. & succo citri parato, aceto omisso, pace Gal. non adeo bene ab Herodoto edocti, ut ipse fatetur, dum acetum rosaceo, ad penetrationem addebat in phrenitide. Applicetur autem frigidum, prout hyeme tepidum. Et quoniam urgent vigiliæ, succus lactucæ, vel nympheæ adjici poterit, qui alioquin penetrationem impedit. In augmento aliqua digerentia ex usu erunt, ita

℞. Ol. ros. omph. ℥ ij. chamæmel. ℥ j. succi lim. ℥ j. m.

In statu æquali dosi repellentia ac digerentia immiscenda, atque ita in ol. ros. serpyllum, aut pulegium, decoquatur, vel.

℞. Ol. ros. compl. chamæmel. an. ℥ ij. succi lim. ℥ j. m.

In declinatione, solis digerentibus erit utendum, sic applicetur solum chamæmel. in quo serpyllum ebullierit, vel animalia per medium dissecta apponantur, ut Columba, Gallina nigra, pulmones adhuc calentes, minus tamen operosum fuerit fomentum ex decoct. chamæmel. meliloti, origani, pulegii, serpylli, satureiæ, spongia capiti admotum.

A Pharmaceutico desumenda Evacuantia, Alterantia, & biliosum humorem Contemperantia. Inter evacuantia, lenientia sunt usurpanda, nullo modo purgantia. *Concocta enim medicanda, atque movenda, non cruda.* Et præterea. *In acutis morbis rarò, & in principio medicamentis purgantibus uti, & id cum præmeditatione faciendum.* Sed aureum documentum ab Hipp. traditum, & à Gal. receptum, in omnibus inflammationibus, ad memoriam revocandum. *Quicunque ea quæ inflammantur, morborum inter initia, medicamento solvere conantur, ii non solum ab intensa, inflammataque parte nihil admunt, cum non cedat nec obsequatur ea quæ cruda adhuc est affectio, verum quoque & quæ morbo resistentia, ac sana sunt, absumunt atque colliquant, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus superior evadit, qui ubi corpus vicerit, remedium non habet.*

Leniens itaq; sit medicamentum, differendum tamen post sanguinis missionem, præmisso leni clyst. sit autem syr. ros. violac. solut. cum decoct. pulpæ tamarind. vel flos cass. cum eadem pulp. vel crem. tart. à quibus si fieri possit, propinetur ser. depur. aut aq. hord. ad lib. 2. ut factum fuit.

Alterantia & bilem incrassantia quotidie repetita convenient quam maximè, ut decoct. cich. end. acet. sonch, hepaticæ, viol. portul. lactucæ, additis succ. depur. acetos. end. Vel syr. de ribes, & viol. Et quoniam sitis urgere solet, licet eam non sentiant ægri, ideo serum copiosum propinandum, vel aquæ stillat. end. acet. cucurbitæ, hord. cum syr. de ribes, de gra-

granatis, de acido citri, quæ nive quoque refrigerentur, siquidem & Aret. frigidam permittit. Denique jam dicta omnia, tum lenientia, tum alterantia, suis loco & tempore repetenda, si possibile fuerit.

Et Symptomatibus interim occurrendum, quæ esse solent vigiliæ, motus violenti, suppressio urinæ, & alvi stypticitas.

Somnus igitur conciliandus, cum sit delirantium remedium, & ideo Hipp. *Ubi somnus delirium sedat, bonum*; Unde Gal. dicebat quod *Sopire, ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum supra modum excalefactum refrigerando*; Cavendum tamen ne narcoticorum incauto usu ad Lethargum deducatur æger, ut propterea ab Asclepiade somnifera supervacanea censeantur. A levioribus itaque, & extrinsecis inchoandum; sic fiant à cœna pedum lotiones ex decoct. mal. violar. lactucæ; anethi, salicis, cap. pap. albi. Nares & tempora illinantur lad. Nep. aqua ros. dissol. Irrigetur sutura coronalis ol. nenuph. copioso ex Rhase. Fiant capitis perfusiones decoct. lactucæ, viol. nenuph. & in pertinaci affectu, radic. mandrag. sem. jusquiami, cap. papav. addito lacte vaccino.

Intrinsecus emuls. amygd. dulc. in cibis, & sem. papav. albi extracta cum aq. lactucæ. Papav. decoct. proponit Celsus. Diacodium Tral. ac tandem Nep. Quercet. Theriac. quippe rec. nec phil. Rom. in hoc biliosiss. affectu fidendum.

Ad urinam verò ciendam solicitetur Pat. vesica comprimatur, titillatio in meatu urinario excitetur. Pubi fomenta ex decoct. pariet. fœnic. petrosel, radic. asari in vino albo parata applicanda; vel cataplasma ex radic. raphani & pariet. contusis, additis ol. de scorp. aneth. chamæmol. Inunctiones perinæo iisdem oleis quinetiam adhibendæ.

Fæces provocentur suppositorio parvo, & acri repetito, ex troch. alhand. hiera, sale gemmæ, & melle parato.

A propietate juvantia non sunt omittenda. Intrinsecus quidem corallium nigrum ad ʒ j. in aq. rosar. Aqua item stillat. ex hirund. junioribus. Extrinsecus verò spuma lactis, Aprogala dicta, capiti apposita; Succus Anagallidis, vel Rutæ sylv.

In vivendi ratione primò de aëre dubitatur, num locus obscurus, an luminosus phreniticis conveniat; cùm Asclepiades, ita referente Celso, quem sequutus fuit Paul. in lumine esse detinendos crediderit, Hippocr. verò in Conclavi obscuro. Quæstionem tamen Celsus, & post ipsum Æt. & Aret. sic dirimunt, neutrum perpetuum esse dicentes; siquidem in tenebris detinendi, qui lucem: in lumine, qui tenebras formidant. Ex neutris autem, debiles in tenebris: fortes in loco luminoso sunt collocandi. Picturæ amoveantur. Et sæpius iis assentiendum quàm repugnandum, ut paulatim mens in melius revocetur. Cibus sit refrigerans, humectans & incrassans, non valdè nutriens; quia scil. inediam ægrè tolerant; biliosum enim humorem & animum demulcet ipse cibus, ex Aret. Vinum omnino denegatum à Gal. concedi videtur ab Hippoc. aquosum, prorsus inodorum, & exiguum in declinatione, ut decidit Tral. Somnus & quies procuranda. Clyst. mollioribus ex lacte, butyro, & saccharo paratis alvus solicitanda, ita permittente ægro. Et amici familiares, non domestici, aut cognati assistant; & de rebus gratis ac delectabilibus cum eo agant. Quæ omnia, imò pauciora quoque, Deus salutaria reddat. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medic. Tom. 1. Cent. 1.*

De Phrenitide.

Juvenis robustus, temperamento biliosus, sanguine abundans, & intemperanter vivens, cùm in symposio vinum copiosiùs bibisset, atque hinc multùm incaluisset, tandem ab alio contumeliis affectus, magnâ irâ incanduit; cumque à præsenti vindicta detineretur, ac domum deduceretur, tota nocte non dormivit, sed furentis instar per cubiculum discurrit, nil nisi de vulneribus, pugnis, litibus & vindicta loquutus, idque cum ferocia & multis admixtis ineptiis. Postridie omnino deliravit, & ipsis quoque domesticis violentas manus inferre cœpit, ita ut à robustis viris detineri debuerit. Secundam quoque noctem vigil cum summo delirio ac furore transigit, modò floccos & festucas colligens, modò in astantes irruens. Oculi rubent, torvum videt, vociferatur, valde sitit, febricitat, urina pallet. Die tertia Medici consilium imploratur.

1. Continuum & ferox delirium cum vigiliis cerebrum in hoc ægro graviter laborare demonstrat, sicut febris reliquum quoque corpus malè affici.

2. Morbus quô affligitur est inflammatio membranarum cerebri, hincque procedens intemperies calida cerebri & spirituum, unde producuntur febris continua, & illa mentis emotio, quam *phrenitidem* appellant Medici, quæ est *delirium ferox & continuum cum febre continua, cum inflammatione membranarum cerebri ortum.*

3. Remota morbi causa est intemperans victus, quô biliosi sanguinis magna copia in corpore genita, antecedentem causam præbuit. Sanguis ille biliosus à nimio vini potu & ira excalefactus ac vehementer commotus, & ad caput copiosior delatus, ibique in substantiam membranarum cerebri nimiâ copiâ effusus, morbi hujus continentem causam constituit, quem morbum hoc symptoma sequitur.

4. In illas enim membranas nimia copia per calidus irruens, ibique putrescens, illas inflammavit; ac parte illius putredinis per venas cordi communicatâ, indeque fervidiore per arterias ad totum corpus expulsâ, febrem accendit, cujus magnum calorem œsophagi & oris siccitas cum siti immensa sequitur.

5. Ab hac membranarum inflammatione etiam calida intemperies ipsi cerebro & spiritibus ejus inducitur, à quorum nimia caliditate ac mobilitate & inordinato motu, principes cerebri functiones depravantur, sicque delirium generatur: quod ferox ac continuum evadit, & cum vigiliis conjunctum est, propter nimium continuumque calorem, spirituumque ferventium rapidum motum.

6. Morbus hic variis de causis periculosus est. 1. Quia pars princeps laborat. 2. Quia continuæ vigiliæ ægrum valde fatigant. 3. Quia febris adest continua. 4. Quia hoc delirium non est cum risu, sed cum ferocia. 5. Quia dicta

dicta inflammatio inde etiam multùm fovetur & augetur, quòd biliosa materia, quæ urinam tingere solebat, tota ad caput abripiatur, sicque urinam pallidam relinquat. Sanationis tamen spem faciunt virium robur & absentia pessimorum symptomatum, qualia sunt, convulsiones, aphonia, singultus, dentium stridor, aliaque similia. Ac proinde curatio quamprimùm erit instituenda, antequàm malum in pejus vergat.

7. Hæc curatio consistit in causæ antecedentis ac continentis ablatione, & intemperiei correctione.

8. Biliosus sanguis qui ad caput copiosior affluit, necessariò quamprimùm est evacuandus, revellendus, derivandus, & repellendus. Quapropter clystere emolliente præmisso, vena in brachio aperiatur, & sanguinis unc. x. vel xii. extrahantur: quæ venæsectio postridie in altero brachio reiteretur, atque etiam tertia die, si necesse videatur: primarium enim in hoc malo remedium est sanguinis detractio; quæ, si æger id permitteret, non incommodè secunda vel tertia die institueretur, in vena frontis.

9. Ad humorum biliosorum expurgationem detur hic haustus.

Rec. Rhabarbari optimi, fol. senæ mundat. ana drach. ij. Tartari rhenani drach. iij. Sem. anisi scrup. i. aquæ cichorei q. s. fiat infusio s. art. colaturæ addantur. Elect. diapruni solut. drach. iij. diagridii gr. iij. Misce, fiat haustus. Si sequentibus diebus alvus quotidie non respondeat, clysteribus proritetur, & tertia vel quarta die præscriptus haustus iterum exhibeatur.

10. Bis terve de die inungantur tempora & frons hoc linimento:

Rec. Unguenti populei drach. vi. Olei papaverini drach. iij. Misce, fiat linimentum. Post hujus inunctionem sequens oxyrrhodinum cum linteis capiti tepidè applicetur:

Rec. Olei rosacei unc. ij. Succi lactucæ unc. iij. Succi sempervivi majoris, aquæ rosarum, aceti rosacei, ana unc. j. s. Misceantur bene, & fiat oxyrrhodinum.

11. Ad materiæ morbificæ diversionem columbæ vivæ dissectæ, vel hoc suppedaneum plantis pedum applicetur.

Rec. Fol. brassicæ rubræ, betæ albæ, ana m. j. s. Contundantur in mortario, & cum fermenti acidi unc. iv. Salis drach. ij. Aceti rosacei q. s. fiat pasta suppedanea.

12. Sub noctem exhibeatur pilula ex laudani opiati gr. iv. Vel si pilulam respuat, aut abjiciat æger, dissolvantur istius laudani gr. iij. in decocti hordei unc. i. & additâ syrupi papaveris rheados unc. i. fiat haustus ad somnum provocandum.

13. Interea dum hæc fiunt, bibat æger pro potu ordinario cerevisiam tenuem vel tenuissimam, vel serum lactis acidi, vel aquam fontanam, in qua pomum citri in frusta conscissum immaceratum est, addito pauxillo sacchari & aquæ rosaceæ, vel hujusmodi julepum:

Rec. Fol. lactucæ m. iv. Endiviæ m. ij. Fruct. ribesiorum rubr. m. j. Aquæ hordei q. s. coquantur ad lib. i. Colaturæ refrigeratæ addantur syrupi violacei, de limonibus, ana unc. j. De papavere unc. s. Succi citri recentis q. s. ad gratum acorem, Misce, fiat julep.

14. Utatur etiam sæpè de die particulâ hujus conditi:

Rec. Pulveris diamargariti frig. scrup. iv. pulpæ Tamarindorum, conservæ violarum, rosarum pallidarum, rob. ribesiorum rubr. ana drach. iij. Syrupi violacei q. s. fiat conditum. Circa vesperam (nempe cùm laudanum opiatum non sumit) bibat haustum unum aut alterum hujus emulsionis:

Rec. Sem. 4. frigid. maj. ana drach. ij. Sem. papaveris albi unc. s. Decocti hordei q. s. fiat emulsio ad unc. viii. Cui adde, syrupi papaveris rheados, violacei, ana drach. v. Misceantur.

16. Cùm malum nonnihil incipit mitescere, ad materiam peccantem citiùs resolvendam, capiti admoveatur gallina viva per medium dissecta, vel pulmo vituli aut ovis recenter e mactato animali evulsus, tepidus imponatur.

17. In diæta sit aër aliquantum ad frigidum & humidum inclinans, & sublucidus. Cibus sit parcus, & refrigerans, cum lactuca, endivia, borragine, acetosa, aliisque refrigerantibus præparatus. Qualis potus conveniat, antè dictum. Absint ab ægro multa colloquia, multique collocutores, & quies ac somnus omnibus modis concilietur. Furibundus animi affectus paucis ac blandis sermonibus demulceatur, imprimis à talibus; quorum præsentiam tempore sanitatis amavit æger. Alvus quotidie vel sponte, vel arte respondeat. *Isbrand. de Diembroeck. Medicat. lib. 1.*

Observationes.

Delirium Anginam & Calculum in renibus sequutum.

Non alienum est in Febribus malignis, diebus præsertim Criticis, aliena loqui; sed notavi idem in simplicibus anginis, nulla febris suspicione, quandoque contingere, quoties malum est paulo vehementius, & materia peccans jam in pus resoluta sanguini se miscet, unde nervosæ cerebri partes ultra solitum vellicatæ notiones confundunt. Sed cùm malum hic usque adeo vicinum sit sensuum metropoli, caussam symptomatis assequimur faciliùs, in calculo autem renum officina mali à cerebro longè remota tumultuatur. Vidi nihilominus, qui calculo graviùs infestante non constarent sibi, nec nisi delira loquerentur, sed momento post, translato in vesicam hoste, dictorum ejusmodi essent obliti, & tum corpore, tum mente validi. Tandem excluso calculo animadverti caussam mentis emotæ in acutissimos lapidis angulos rejiciendam esse; quippe nulla unquam deliria, in iis deprehensa mihi calculosis, quibus calculi rotundi, aut obtusioribus angulis molesti fuere; sed tantùm (nec tamen semper, propter mentis majorem in quibusdam constantiam) in istis. Scilicet pelvis renum vestitur tunica νευρώδης, quæ & ipsa interiorem ureterum membranam constituit, hæc punctiunculis acrioribus sollicitata contrahit se violentiùs, & tandem nervosa cerebri in consensum rapit, unde noemata quandoque turbari credibile. Quin & visus mihi Parisiis, à la Greve, qui rotis fractus, pectore nondum contuso aliena loquebatur. Jussus enim ab astante monacho, ut pendentis in cruce Salvatoris,

toris, quem oculis ejus identidem objiciebat, memor esset, quod in propinquo mors exspectaret; An ergo, inquit, saucius sum, si tam subito moriendum; annuente sacrifico graviter saucium esse. Cur ergo, excepit, in nosocomium non deportor, ut manu Chirurgi sanari queam. Verisimile, ossium in cruribus, femoribus, brachiis fragmenta acutiora, totidem cuspides fuisse, quot in calculosis illis exquisitiores anguli, adeoque in utrisque eadem secuta quandoque symptomata. Nec fortasse in somnis aliena loquuntur nonnulli ob aliam causam, quam quod vel in partibus solidis, vel fluidis cuspidatæ quædam particulæ nervosa pungendo quietem spirituum interturbent. Sed nec illud fortassis ubivis obvium, quod verminosi pueri quandoque aliena loquantur. Id mihi præ cæteris compertum in *H. Brechlinii* filio sex annorum, qui postquam miserabile triduum inter convulsiones & deliria exegisset nullo febris argumento, propinatis liberaliter quæ vermes exigunt; novendecim tandem excrevit lumbricos vivos longos, crassos, & propemodum spithamæos, quibus exclusis præter spem Parentum convaluit. *Olai Borrichii.*

Ex ira Phrenitis.

Ira furor brevis est, & ex Ira nuper Phrenitis. Uxor enim cujusdam Scriniarii temperamento cholerico sanguineo, cum menstrua Ipsi, consueto equidem tempore erumpere cœpissent, cum Vicina sua altercari coacta est, hinc ex illa animi commotione substitêre menstrua, quid fit? circa noctem phrenetica ex lecto prosilit & varias movet turbas, hinc optimus maritus me summo mane vocat & auxilium implorat, suadeo Venæ sectionem in pedibus, sed nolebat admittere etiam coacta: ut ergo sedatior esset, propinavi ipsi potiunculam anodynam, cui immixta erant extracti Anodyni *Hildani* gr. x. (quod extractum nihil aliud est quam succus capitum papaveris immaturorum expressus & l. a. inspissatus) hinc post levem somnum paulo sedatior admisit V.S. in utroque pede supra talum (qua largius celebrata, rubebat enim facies valde ex sanguine sursum delato) sensim ad se rediit, Divino aspirante numine. *Caspar. Colichen.*

Phrenitis Aphrodisia.

Juvenis quidam amore puellæ cujusdam ardens, cum spe exciderat, in gravissimum morbum incidebat, febrem nimirum cum vehementi delirio, quo nunc se Cæsarem, nunc Dei Filium esse somniabatur, aciem instruebat, nunc remeabat, nunc vincebatur, nunc resistebat, nunc ad judicium perveniebat. Tandem ad se rediens adhuc vibices monstrabat, quas accepisse à latronibus se dicebat. Balneum exposcens, quo concesso indies ad saniorem mentem rediit.

Scholion.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Amor etsi à principio nec delirium nec melancholia sit, tamen, si id quod amat nancisci non potest, multis sollicitudinibus & mentis perturbationibus, in delirium & melancholiam degenerare potest. Mœrore enim & curis melancholicos humores gigni & coacervari, neminem latet. Accedunt vigiliæ & imaginationes variæ ineptæ, ita ut vel mediantibus hisce solis homo ad mentis vacillationem pervenire possit. Balneum verò haud sine ratione concessum, exsiccatum enim corpus humectare, humores fervidos attemperare in hoc malo multum ad rem facit. Quapropter etiam balnea à Paulo *lib. 3. cap. 17.* commendantur in hoc affectu. *D. Danielis Wincleri.*

Anatomicæ inspectiones.

Phrenitis à cerebri inflammatione & membranarum.

Phrenitici biduo extincti caput apertum, in quo cerebrum & membranæ cum rubore adeo tumebant, ut venæ ab ipsius substantia separari possent. *I. Rhodius Cent. 1. Observ. 39.*

Phrenitis à Piæ matris inflammatione illæso cerebro.

Fabritius Bartholetus mihi fassus est se in plurimis phreniticorum cadaveribus invenisse piam matrem sine omni cerebri noxa inflammatam. *I. Rhodius Observ. 40. Cent. 1.*

Phrenitis à duræ matris exulceratione, Vasorum ejus plenitudine & Piæ, cum Abscessu in cerebello flaccido.

Quidam per biennium conquestus fuerat de dolore in Occipite, tandem hic Phrenitide ac convulsivis motibus correptus subito interiit. Huic crassa cerebri membrana aliquot locis exesa erat variis foraminibus, idque potissimum in bregmate sub sagittali sutura, ubi ea cum coronali jungitur. Ex iis foraminibus effluebat, & per membranam dictam effusus erat sanguis fermè concretus, ater ac adustus, admodum fœtens. Tali quoque sanguine distenta erant vasa per exteriorem crassæ meningis superficiem discurrentia, quin & ea quæ numerosa per tenuem disseminata sunt. Huic intra cerebellum abscessus humore non naturali scatens repertus fuit: erat is humor colore ex citrino ad pallidum vergens, pallida nimirum bilis. Ipsa cerebelli substantia flaccida omnino molliorque multo quam cerebri substantia. *Petrus Pauvius Observat. Anatom. 8.*

In quodam ab oscura Phrenitide extincto repertæ sunt venæ cerebri varicosæ, medulla cerebri siccissima, membranæ siccissimæ.

Adolescens medio Octobri capite doluit; febris sed ea fallax, cum se febrire non putaret; nulla dum intermissio officii, lex vitæ neglecta, dolor tamen capitis aggravescebat: Externa accusabantur, ut ætas ad omnia prona: Tandem febris aucta, dolor capitis auctior; febris verè κεφαλικὴ τυφώδης: nihilominus tamen sui negligens ruri, modò in urbe fuit, securus omnium, tandem lecto affigitur & affligitur: fallax pulsus, ut in morbis capitis, urina fallacior, ille febri non respondebat, & in capite secus erat; segnities alvi, nec nisi arte provocata quicquam ex alvo profluebat: æstus viscerum, sed major capitis, oculus ardens, facies rubra, maximè genæ:

genæ aliquid pulmonicum suspicabamur; dolor capitis major ad sinciput: omnia noctu graviora, clamores, jactationes, deliria fugacia, indecora corporis compositio, mox ad se reditus: rursus deliria intra verba, somnus profundior ut vix excitaretur: deinde coma vigil, & inæqualis symptomatum mixtura: mox catochus; nisi quod deliratio jugis non foret, mox lethargicum quid, mox typhomanias species: tandem oculi fixi & rigentes, ut in catoche: obscura phrenitis, blanda, contrectabilis, dextrarum partium rigor revera σπασμώδης & deinde paraplegiacum quid; Siriasin quandam & φλόγωσιν suspicati sumus, difficilis respiratio, qualis peripneumonico: omnia visa sunt mitiora: Convalescendi spes aliqua; morbus variè lusit oppugnatus, sed non expugnatus invaluit, dolores repetunt, omnia in pejus ruere, per dies 40. traxit mors.

Aperto capite venæ quasi varicosæ, tabo & sanguine nigro turgentes videntur: Idem observatum in ventriculo medio serum multum: medulla cerebri, quæ mollior & friabilis esse debet, siccior: membranæ siccissimæ, quasi per siriasin & deflagrationem arefactæ & rigentes, vix lacerabantur, vix novacula præcidebantur, acutiei secantis resistentes: imò sectæ crepabant more membranarum arietinarum atque occalescentium: Pulmonis partes dextræ lateri adhæsu contumaciore, lacerabiles nectebantur plenæ vomicis tabo & pure scatentibus: hæc reliqua ex gravi peripneumonia, quæ anno præterito illum oppressit ac pene consumpsit: Hepar labem conceperat, sed non maximam qualem pulmo: *Ballonius lib. 3. consil. 71.*

Phrenitis à tumore inflammatorio in substantia cerebri.

Ad invisendum puerum duodecennem accersitus, arteriam in carpo contemplor duram cum pulsu frequenti & exiguo: ægrum imaginatione laborare deprehendo, continuo delirantem, floccos carpentem, insomnem, immorigerum: cui lingua exusta, fuliginosa, nigra: excrementa sicca, dura, pilularum instar: Hunc phrenitide confirmata laborare, eaque exitiali mihi persuasi: nam triduo post, nullis auxiliis aptis proficientibus, migravit è vivis:

Secto capite, contemplatoque cerebro, in ejus medullari substantia repertus est tumor nucis juglandis magnitudine, rubidus, & venis turgentibus sanguine repletus, qui hujus noxæ causa fuit certissima: rupto abscessu, emanavit fœtidus ichor, cochlearis quantitate, & venæ jam ante tumidæ, subsederunt: *Nicol. Fontanus Analector. cap. 1.*

Phrenitis à verme utramque meningem perforante.

In Anatomia cerebri vermis inventus est, qui piam & duram matrem transfoderat, unde phrenesis generata fuit: *Paracelsus lib. 2. Paramyr. §. 2.*

Phrenitis à meningum, præsertim piæ, inflammatione.

Laboraverat juvenis gracilis & siccus Tertiana quadam continua, pravis comitibus symptomatis: imò quotidie sæviens cephalalgiam concitavit, ex retorridis fuliginibus ad caput ascendentibus: Ob dolorem, accedente etiam vigilia, vaporibus tetris oppletum est caput: quorum copiam multam cum cerebrum reciperet, factum est ut nono die paraphrenitis invaserit ægrum, ex qua paulatim Phrenitis suborta, & sævis stipata symptomatibus superveniret, quæ nullis auxiliis levata est; sed cum pulsu duro, cute arida, rubentibus squallidisque oculis, furiosus, amens, inquietus & insomnis, 63. die occubuit.

Dissecto cranio, cerebrum sine læsione inventum, sed maculis sanguineis undiquaque respersum: Meninges, præsertim pia, tumens visa est, sanguine nigriusculo turgens, & eo excessu, ut omnes ejus ramuli, qui per totam cerebri molem disperguntur, aliquatenus apparerent tumidi & accensi: quoniam igneus inflammationis calor, alteratione per continuum facta, imò communicatis fuliginibus, universam tenuis meningis molem inflammat ubertim: *Nic. Fontanus Analect. cap. 2.*

In Phrenitici cerebro nullæ phlegmones notæ repertæ.

Ego Phreniticum jam phanaticum redditum, qui septem diebus μανικὸν καὶ τραχικὸν intuens quosvis invadebat, à fatis secui, Nec ullum unquam phlegmones vestigium deprehendere potui. *Heurnius de morbis pector. cap. 1.*

Phrenitis ab aqua cærulea cerebri ventriculos replente, à qua sinister exesus erat.

Juvenis anno 1583. Phrenitide XVII. die perierat; Hunc secuit Matthias Grabisgadius Medicus Germanus: Inventi cerebri ventriculi aqua pleni cærulea, Ab hac sinister ventriculus exesus erat, acerrima enim inventa est: *Observatio Nereti Neretii Medici Florentini.*

Phrenitici cadaver exhibuit Diaphragma gravi inflammatione correptum, Hepatisque partem inferiorem, Cum Polypo in sinu longitudinali duræ meningis.

Dec. 11. 1674. aperui cadaver defuncti Phrenitici: Diaphragma gravi inflammatione correptum notabatur, similiter ac hepatis pars inferior: In sinu meningis duræ longitudinali, materia continebatur alba, tenacissima, quæ non tantùm sinum ipsum videbatur replere, sed & ad omnes sinus hujus rivulos, meningem tenuem pererrantes se extendebat, sic ut quoties stylo digitovè traheretur materia hæc sinu dicto hærens, eadem ad aliquot digitorum longitudinem se extendens moveretur: fibrosa maxime erat, & in filamenta plurima separabilis, non tantum quæ sinu detinebatur, sed & quæ sinus hujus ad anfractus cerebri excurrentibus propaginibus: Exacte satis hæc cognoscere licebat, quoties elevata substantia ea quæ in sinu hærebat, funiculorum ab ea ad sinus dictos rivulos extensorum unum alterumvè lenta manu extraheremus: Phreniticus hic quod motu convulsivo obierit, valde probabile mihi faciebat digito-

digitorum utriusque manus, brachiorumve contracturæ graves, quales in demortuis aliis haud notari solent. *D. Blasius Obs. Med. 2. p. 6.*

Phrenitis absque inflammatione cerebri & membranarum ejus, ab aqueo & vitioso humore in pluribus partibus cerebri;

Anno 1567. mense Augusto, Mulier ex ingenti animi mœrore, febri ardenti cum capitis dolore, cui postea Phrenesis supervenit, correpta, vulgus dixit Hungaricum illum morbum fuisse: Signa omnia attestabantur hanc Phr. ex sanguine fuisse, ridebat, jocabatur, cantabat, omnibusque gestibusque hilaritatem exhibebat: interim ad interrogata responsum dedit, aliquando non; frequenter manum capiti, tanquam illic dolorem persentisceret, admovebat: Tempestivè fuit levibus medicamentis purgata & vena secta; sanguis erat majori ex parte pituitosus, crudus & serosus: tandem resipuit & paulò post obiit.

Aperui caput: dum serra cranium removebam, effluxit aqua loturæ carnium similis: Tenuis membranæ & plexus choroidis vasa aquoso & pituitoso sanguine turgebant: uterque ventriculus, tam dexter quàm sinister, plenus aqua fuit inventus: Nullam nec in membranis, nec in cerebri substantia deprehendere quivi inflammationem: Ex sinibus duæ membranæ cerebri ut alias ex suspendio enecatorum cerebris, extraxi fibras, seu filamenta crassa, lumbricis non dissimilia, ex alba pituita conflata; Similes sumpsi ex cordsiventriculis. *Volch. Coiter. lib. Obs. Anatom.*

Phrenitis absque febre, cum inflammatione cerebri & meningum.

Avicennas & Rhazes nobis describunt quandam Phrenitidem veræ similem, tamen absque febre atque adeo sine apostemate, cœteris autem similem inflammationi meningis: In hac, inquiunt, stringitur ipsius anhelitus, & sitis ejus, & cum bibit aquam, strangulatur ea, & expellit ipsam, & plures mortes ipsorum sunt cum strangulatione &c. Dices, non est hæc phrenitis idiopathica, quia sine febre & apostemate, sed tantum similis in multis accidentibus? fateor, verùm eadem ratione, imò majori, potest contingere in ea vera Phrenitide quæ fit cum febre & apostemate, si sit maligna & ferina; ut ex bile acertima & quasi venenosa, ut aliquando accidit, imò in plerisque: Et possum ego sanctè hoc affirmare, vidisse in Medicinæ praxi aliquos Phreniticos, qui statim 2. aut 3. die hæc symptomata passi sunt usque ad mortem, quorum unum memini me præsente dissectum, qui ex phrenitide notha & remissa incidit in paralysim & apoplexiam, ex quibus periit: Ei inventa est meninx purulenta, & medullæ cerebri exterior pars vicina inflammata, partim ex rubro nigricans, partim purulenta: Alios aliquos omnia idiopathica Phrenitidis signa habuisse, qui idem passi sunt quod diximus: nulla tamen inflammati diaphragmatis aut anginæ primariæ experti sunt: Ejusmodi affectus, aut phrenitis idiopathica, cui similis est, necessario habet spirituum parvum & frequentem, ob necessitatem ventilationis, atque adeo vocem acutam quæ prius non fuerit: Quare spiritus, parvus, frequens, ac vox acuta non sunt tecmerium inflammationis diaphragmatis (quod vult Laurentius) sed communia Phrenitidi idiopathicæ. *Theodorus Collado Adversar. lib 1. cap. 20. §. 56.*

DENTALIS LAPIS.

Vid.

DENTIUM MORBI.

De quibus jam per

Curationes, Consultationes & Observationes ex variis.

Dentium vitia sunt si deficiant, si vacillent, si stupore aut dolore afficiantur.

Deficiunt dentes, vel proprio vel alieno, gingivarum vitio, infra, ubi de dentium vacillatione, prolixius explicando. Proprio vitio, dum evelluntur, aut excutiuntur à quavis causa externa, vel ita alterantur, ut tanquam minus viventes non amplius cum gingiva viva cohærere queant, sed sponte sua decidant. Ut enim mortificatum, v. gr. cariosum os, cum vicinis partibus, vita communi & propria pro ratione spiritus influi & insiti gaudentibus, uniri nequit, sed necesse est, ut excidatur & separetur; quo cum viro esse partes subjacentes molles, viventes, consolidatione debita, nutrimento mediante uniri denuò queant: ita & dens minùs vitalis non jungitur ampliùs gingivæ, sed ab hac separatus excidit, idque:

1. Si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeoque senii sui ratione, de quo videatur *Helm. alimenta Tartari insontia §. 25.*

2. Si ab externis nimis lædatur & vitietur ut sunt nimis frigida, aut copiosiùs assumpta dentibus inimicissima, & quæ senium eorum accelerant, item nimis calida, dentes & gingivas quasi amburendo alterantia, eaque vel crebrius assumpta, vel dentibus admota, à quibus successive ita penetrantur & arroduntur dentes, ut frustulatim tandem excidant: Quò facit perversa plurium consuetudo, dolores dentium vel aceto simplici, vel per coctionem medicato curantium, à quibus stupefiunt non solum omninò dentes, & insensibiles sic fiunt subtiliores illorum intimæ fibrillæ, sed & ipsi dentes simul mortificantur & corroduntur.

3. Nimis viscida & glutinosa dentibus inimica sunt, ut sunt omnia dulcia, saccharum, ficus, uti & caseus &c. hæc ipsa enim, ut promptè & tenaciter dentibus adhærendo, transpirationem eorundem propter necessariam nutritionem impediunt, ita & successivè acorem attrahunt qui continuata sui adhæsione, successivè eosdem alterat hinc & lac, & quælibet lacticinia, ob hanc rationem inimica dentibus observantur eò usque ad sui corruptionem sive cariem & successivam deficientiam disponere. Hæc ipsa gingivas simul plus minus alterando, & laxiores flaccidiores reddendo, indeque

deque nutrimentum pro dente, per gingivas transmittendum, corrumpendo, ipsos dentes insigniter lædere valent.

4. *Carie* denique plus minus exesi dentes à lapide dentali sive lithodonto obsessi seu sordibus variis inquinati, nigrique ac fœtidi redditi, minùs firmiter gingivæ cohærent sed successive decidunt. Quæ posteriora vitia non nisi ex vitiata dentiùm nutritione privata, undecunque primitius orta, originem ducunt. Inquem finem noto, nutriri dentem, non solùm per propria sua vascula, arteriolas & venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam, ex adhærentibus ipsis gingivis, unde & tam firmiter earum quousque sani sunt est nexus, ut dens sive osseum concretum, ex se indolens, quousque gingivis investitur, acutissimi tamen sit sensus? adeo mutuæ vitæ & nutritionis dentes sunt participes.

Ac sanè particularis, ac præ aliis partibus, propria dentibus est nutriendi ac augmentandi ratio, adeo ut, cum continua attritione necessario imminuantur, nisi nova eaque continua augmentatione reparentur, brevi penitus absumerentur. Quod ulterius ex eo patet, quod uno evulso vel elapso, vicini utrinque se dilatare magis soleant, & ex opposito ipsi respondens oblongari nonnihil, & prioris spatium aliquantulum subintrare observetur.

Cariem igitur dentis quod attinet, hæc est *arrosio dentis, nunc major, nunc minor, qua insensibiliter substantia ejus absumitur, & nunc successivè excavatur, nunc altero latere pedetentim consumitur, donec successivè magis corrosus frustulatim excidat.* Inchoat malum ut plurimum in parvo puncto extrinsecus quod nigrescit primitus, hinc foraminulum aperitur, sicque ad interiora ejus penetrat, quæ quò teneriora ac molliora, indeque facilius dissolubilia, eò promptius absumuntur, & dentem cavum reddunt. Conjungitur tunc, ad interiora, ubi penetraverit corrosio, dolor, nunc major nunc minor, prout radicem dentis nerveam diversimodè simul arroserit. Ex corroso ita dente nata sanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fistulam, liberum spatium effluendi haud nacta fuerit, sed interiora magis ac radicem dentis unum alterumve, speciatim in maxillaribus, vitiaverit, acrimonia sua nunc gingivam, nunc ipsam maxillam rodit & præsertim per illa hujus foramina, per quæ vasa in dentes subeunt, sensim extra effluit, & & tubercula, nunc in gingivis, nunc sub maxillis, excitat, quæ tandem exesa saniosum acre liquamen fundunt. Et licet curetur tale tuberculum & excitatum ulcusculum, subinde tamen, quoties ex carioso dente sub nutritione vitiata nova sanies generatur, recidivat, & interdum in fistulam vel gingivæ, sive maxillæ, degenerat, adeo ut talia curari nequeant, nisi dens læsus evulsus fuerit. Fœtorem etiam subinde dentes cariosi inferunt, halitum oris inficientem præsertim si major fuerit eorum excavatio, ut alimenta carnosa retenta in eadem putredinem attrahere queant: Imò ex nutrimenti dentis cariosi proprii corruptione, aut alimentorum masticatorum in iisdem retentorum putredine, vermes in eorum cavitatibus generantur, gravissimorum dolorum aliorumque malorum autores.

Causa cariei est læsa dentis quacunque occasione nutritio sive gingivarum vitiatarum, & a contiguo dente abscedentium, indeque ejus lateralem nutritionem impedientium, (unde scorbutici, gingivæ vitio, omnium frequentissimi cariem patiuntur) eveniat causa, sive ipse dens sub nutrimenti assimilatione, aut hujus successiva transpiratione frustratus ex illius corruptela, & in acidum corrosivum degeneratione, cariem pedetentim contrahat. Acidum itaque ex nutrimento dentis degenerato, tandem corrodens cariem inducit. Causæ remotæ rationem habent tum omnia dentes alterantia supra allegata. quàm infra circa gingivas, alleganda.

Quoad lapidem dentalem sive lithodonton (ut vulgo ex varia persuasione vocant Tartarum dentium;) hujus ortum & genesin optime delineavit *Helmont. Tract. alimenta Tartari insontia §. 22.* nempe nutrimentum dentium laterale ex gingivis depravatum, sub superfecta cum dente assimilatione frustratum & vitiatum, sicque in excrementitiam plus minus naturam degenerans, adhærescit saltem, superficie tenus denti, ibique quia jam ad duritiem dentalem ex aliquali sui pro nutriendo dente alteratione, determinatum fuit, ad induresceentiam quasi lapideam dentalem, coagulatur saltem, & talem, plus minus tamen friabilem duritiem acquirit, simulque quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberis, simul secum fortiter indurat. Nunquam igitur sanæ gingivæ & quæ cuspiduli figura ad dentis medium assurgunt, hancque firmo complexû retinent, dentalem hunc lapidem generare solent, bene autem laxæ; flaccidæ, cruentæ, minusque aptè dentibus adhærentes, adeoque externis injuriis ad sensilem dentis partem aditum permittentes, nec commodum nutrimentum suppeditantes, sed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt. Par omnino est ratio sordidorum, nigrorum aliove modo male coloratorum dentium: quicquid enim hic subest vitii, nonnisi productum morbosum ex frustrata ac depravata privata dentium nutritione enatum, sive externa illa supra circa dentium casum, memorata speciatim viscida & dulcia primam occasionem suggesserint, sive gingivarum morbosus statûs, alterando nutrimentum dentium, & vitiando lateralem ejus nutritionem, in causa fuerit. Sanè ut scorbuticis nil æque familiare est, ac gingivarum varias subire passiones, speciatim cruentam flacciditatem, ita & in talibus dentium nigrities & sordities frequentissima est. Nigrities sane dentibus adhærens, quid nisi extravenati ex gingivis, plus minus corrupti, & acore infecti cruoris dentibus adhærentis vestigium est; à cujus hostili præsentia, ut irritantur gingivæ, & inviscantur dentis pori, ita ex facili hinc acescentia erosio & cariei successivus progressus. Juxta læsionem gingivarum & dentium læsio. indeque sordium excrementitiarum pluralitas ac veritas æstimanda: Hinc & ab inunctione Mercuriali pro cura luis venereæ similive concitata salivatione, uti notabiliter vitiantur gingivæ, ita nigrescere subito, & pluribus sordibus inquinari observantur dentes.

Quoad Curas.

Dentes excidentes aut deficientes reparare, solius naturæ est, quæ in junioribus, per recentium dentium subnascentiam priores alveolis suis extrudit, & defectum ita restituit. Quamdiu itaque dentium novorum primordia & quasi semina inter gingivas restitant recondita, novi dentes, post priorum defectum renasci facile possunt; id quod non tantum genuini sive sapientiæ dicti dentes comprobant, sed quod etiam interdum in senectute dentes renati observati fuerint. Arti quod relictum est, saltim defectus illos naturæ nonnihil supplere, artificiales dentes, ex ebore, vel dente hyppopotami, fabricatos in istorum locum substituendo, pro loquelæ saltem gratia, non autem pro melioris masticationis beneficio. Equidem exempla quædam prostant dentium sanorum ex homine recenter revulsorum, in proprios vel alienos alveolos denuo insertorum firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam si nunquam dens defuisset, ita ut etiam masticatio fortis hoc modo perfici potuerit. Sed quoniam adeo incerta res nondum confirmata est, eam in medio relinquo. Vid. observat. Schenchii pag. 202. ex Paræo l.1. c. de dentib. Item Riverium in observ. comm. pag. 357. vel 615. Borell. lib. 2. observ. 10. p. 18.

Quoad cariosos dentes, equidem præsentissimum remedium est cariosi evulsio, interdum etiam necessarium, si longius processerit caries cum facile aliàs contiguus dens contagio carioso infici, & hinc idem malum contrahere possit. Ut taceam, confirmatam cariem, alia ratione quàm evulsione, curari non posse. Quamdiu vero vel nondum eousque processerit malum, vel propter pericula, sub dentium evulsione interdum observata, hæc nimis metuatur, remediis res tentanda est, cariei scilicet progressum ulteriorem inhibendo.

Evulsio appropriato peragitur instrumento ac succedit eo melius, quo minus firmiter dens hæserit, & quo magis idem vacillaverit. Quo autem disponatur ad facilem, magis & minus dolentem, evulsionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi solent verbi gratia, Tithymali succus denti inditus: aut si ex eo sale & ammoniaco formentur globuli, aut cum farina triticea fiat pasta, & cavitati dentis indatur.

Præter tithymali lac alia ex simili lactearum genere, pari virtute pollent: ut lac ficulneum farinæ admistum, vel ex lacte tithymali cum farina triticea subacta fiat pasta, quæ frixa in pinguedine ranæ facit dentes sine dolore cadere: vel farinæ siliginis misceatur cum lacte cataputiæ, instar pultis, indatur denti, cavo, sicque aliquandiu permittatur, brevi sic cadere affirmant. Succus pariter chelidonii majoris, cavis dentibus inditus, eos frangit & ejicit. Pinguedo item ranarum viridium, dentibus affricata, aut iisdem indita, dentium casum promovet, nempe coquuntur ranæ in olla vitreata affusa aqua communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis evulsionem promovet.

Vel ℞. Gumm. ammon. sem. hyoscyam. succi ejusdem an. ʒ i ß. Mistis addatur pinguedinis ranæ viridis ac ceræ parùm F. unguent. denti extrahendo applicandum vel indendum.

Cariei vero ulterior progressus per artem, & medicamenta inhibetur, efficacissimè imprimis per inustionem dentis cariosi in loco carioso cum cauterio actuali, sive ex ferro, sive ob subtilitatem commodiorem, ex argento vel auro facto, quo facto auro foliato dens cavus repleatur: præservatur enim sic à majori putredine & corruptione: vel ex cera cum mirrha probe subacta, vel potius ex cera viridi, propter admistam æruginem, impleatur dentis cariosi excavatio. Ipsa myrrha denti indita, egregia est in hoc casu. Confer hic River. in observat. communic. pag. 309. ubi refertur, quod dentes terebinthina impleantur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi necessum visum fuerit, potentiale adhibeatur: Sic aqua fortis denti carioso admota vel spiritus vitrioli ad gutt. 1. vel 2. bombaci inditæ, ac denti adhibitæ, mirè corrosionem juvare & præservare dicitur. Item Zingiber in oxymelite coctum, & in cavernam dentis immissum, præservat corruptionem corralliorum pulvis denti cavo inditus, vel ossa sepiæ, item camphora cariei ulteriorem progressum inhibent: vel ex pulvere corralliorum alborum cum melle rosato ad consistentiam linimenti crassioris redacto dentibus illitum cariem inhibet.

Fœtorem dentium ablata caries sponte curat: sin minus gallia moschata cum cypero & mastiche mista, denti cavo indatur. Tollitur & fœtor dentium, si abluuntur aqua in qua sal armoniacum solutum, post prandium & cœnam.

Vermes ex dentibus elicere subinde necesse est. Præstat hoc optimè Sabina in vino decocta & in ore retenta, quæ copiosius vermes elicit. Fumus item seminis hyoscyami specificus est, per infundibulum susceptus ore, mirabiliter vermes expellit. Confer. Act. Med. haff. volum. 1. pag. 209. Suffitus item sive fumus ex fructu halicacabi contuso, cum cera mixto, facta exinde pasta, & in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quo ore excepto, catervatim vermes cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti, observati fuerunt. Spiritus sulphuris quoque dentibus cum bombace inditus vermes optimè necat, & dolorem inde oriundum placat, vel ex pulvere gallarum, cum succo rad. pyrethri imprægnato paratur remedium, quod denti inditum vermes expurgat sevum cervinum quantum contra vermes dentium valeat. Vid. Bartholinus centur. 3. histor. 96.

Quoad Tophos (sive Lithodonton) dentium eorumque sorditiem & nigritiem, ne ab his dentium caries, crebrior dolor, aut præmaturus casus superveniat, cura instituenda venit, per ea, quæ sordes dictas abstergere, vitiosum earum acidum, gingivis & dentibus hostile, absorbere & hinc blanda adstrictoria, vi gingivarum tonum roborare valent: quod si longius

longius processerit malum, & tenacior mucus dentes vitiaverit, potenter incidentia & dissolventia, & quidquid heterogenei fuerit absumentia & quasi exedentia adhibenda erunt habendo semper respectum ad scorbutum plus minus. Convenient igitur in leviori malo ossa sepiæ, C C. ust. mandibul. luc. pisc. testæ ovorum calcin. cinis majoran. rorismarin. urina calida, cum qua fricentur subinde dentes & gingivæ: Tartarus calcinatus aut parum salis tartar. ust. &c.

Duriora subjecta lapidea ex silicibus, pumice, & vitanda sunt, quia crebriori usu gingivas atterere & absumere valent, ut rectè monet Zvvelferus in Pharm. reg. pag. 101. nisi ubi fortius agendum: tunc enim paulo tamen rariùs adhibita, talia minus nocent. Exempli loco sit farina virginea Mynsich. egregie dentes dealbans, & à tartaro corrosivo purgans.

Hisce modo dictis convenienter radix Irid. Flor. additur, præsertim quod & ipsa conveniat propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non inepta. Paratis dentifriciis aliquot guttæ olei destill. caryoph. aut lign. Rhodii possunt addi. Quod si dictis pulveribus color purpurascens conciliandus, Coccionigliam in aqua aluminis solvamus, & soluto aspergamus pulverem, qui exinde rubescit, sed leni admotus igni idem purpurascit. Quod si pertinacius fuerit malum, sordes tenaciores, obstinata nigrities firmius dentibus impacta, ac firmius conglutinata lithodontes, optimum remedium est spiritus salis cum melle ad gratiam saporis, vel quantum placet mistus, & ita gingivis illitus. Spiritus vitrioli suspectus est, cujus loco oleum sulphuris in aqua communi dilutum, vel cum melle rosato subactum adhiberi potest. Pertinet huc opiata Borelli cent. 2. obser. 65. ad gravius malum præsertim conveniens. Non incommodum est, si recipiatur vinum, cui permisceatur spiritus sulphuris, ut acescat, huic immitte radiculam polypodii per 24. horas, hunc sicca & utere pro dentircio, firmat, mundat, & candorem iisdem inducit. Et ea quæ de spiritu vitrioli refert Riverius in libro sexto prax. capite secundo, potius spiritui salis, quam spiritui vitrioli applicanda veniunt. Quo etiam facit ejusdem liquor ex auro usto, hic egregiè conveniens citato loco.

Pulvis dentifric. Principissæ Altenburgensis.

♃. Oss. sepiæ, C C. ust. pumic. præp. an. ℥iij. moschi ℈ j. M. F. pulv. cui adspergatur spir. rosar. ℥ß. & sicca. Interim.

♃. Gran. cherm. Santal. rubr. an. spir. vini q. s. pro extrahendo Tinctura, qua irrora aliquoties prædictum pulverem, & sicca. Non incommodum est hujusmodi pulveribus dentifricis sal armoniacum subinde addere, dentibus, gingivæ, ac omnibus oris partibus imprimis conveniens.

Quod attinet dentes vacillantes sive minus firmiter gingivis connexos hoc vitii contrahunt propriâ vel alienâ, gingivarum culpâ. Propria eadem est, sed in minori saltem gradû, quæ & dentes decidere penitus & cadere facit, de quo superius sufficienter actum. Aliena gingivarum culpa consistit in eo, quod fibrosa illarum caro vel mollis, sive flaccida, vel simul tumida, vel etiam nonnihil exulcerata, adeoque omnibus his casibus plus minus cruenta simul evadat. Rarum est, quod in Schenckii collectis observat. libro primo capite de dentibus pag. 200. refertur, ex defluxione in dentium alveolos, hos gypsea pituita interdum impleri, ut dentes extrudantur. Suspicor tamen non tam ex defluxione, quam lapidis sive tophi dentalis uberiori incremento, potiùs vitium hoc ortum traxisse. Ita verò mala gingivarum oriuntur frequentissimæ salivæ, vel in genere acrioris, vel in specie scorbutico sapore, sive vitioso acri sale inquinatæ culpa, à qua tenus fibrarum gingivarum resolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus successivè, non raro sensili admodum cum prurituu erodi assolent, vasculis sanguinis una per diæresin vitiatis, sanguinem paulatim fundentibus.

Postea & mercurii usus, tam in salivatione excitanda, & hinc acrioris & præternaturalis cujusque copiosioris salivæ profluvium, quàm faciei pro usu cosmetico applicatus, ordinario gingivam valdopere laxare, & omnes dentes hinc mobiles quasi reddere solet.

Quòd si ulterius procedat negotium vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, absumi eædem, vel corrumpi etiam, & ad gangrænam disponi assolent. Malum, quod in genere Scorbutus appellatur.

Quòd si firmior paululum gingivarum fuerit textura relaxata, eadem nihilominus sanguinem uberius in se recipit, & spuria intumescit & excrescit carne laxa, flaccida, & sordida, & facilè ad tactum cruorem stillante in gingivarum hinc dicta excrescentia sive dentium superincarnatione.

Ut igitur moveantur hæc mala, præmissâ debitâ radicis morbosæ internæ curatione, gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ adstringendæ, exulceratæ absorbentibus, & mundificantibus ac adstringentibus consolidandæ, corruptæ & plus minus gangrænatæ, ab ulteriori mali progressû præservandæ. Conveniunt igitur Flor. rosf. rubr. flor. aquileg. & ex his paratum unguentum de aquil. ad scorbut. oris præsertim proficuum Descriptio prostat in Tilemanni materia Medicin. CC. & ebur. ust. Lacca & Myrrha alumin. tam crudum quàm ustum lap. cancror. fol. quercus, ligustri, radix ireos, flor. bistort. tormentill. flor. malvæ arborescent. nasturt. aqua ruta, salvia, Rosmarin. Ex his vel fiunt Pulver. dentrificii, cujus exemplum vide in Barthol. Centur. 6. histor. 54. vel ex iisdem fit decoctum verbi gratia, Ruta in vino decocta, quo calidissimo os eluatur, egregia est contra hos affectus scorbuticos. Salvia. item Rosmarin. decocta in aqua cum pauco addito alumine, egregius est Gargarismus ad dicta dentium vitia vel

♃. Herb. salv. Man. ij ß. flor. malv. hortens. rubr. Man. j. rad. polypod. unciam sem. Fiat decoctio in lib. j. aqua fontana colatur. adde

adde mellis rosat. ℥ I ß. alum. ust. ʒ j. lapid. prunell. ℥ iij. terr. sigillat. ʒ j. M. F. Dentiluvium.

Pertinet huc *Gargarismus de Tormentilla Mynsicht. pag. 403. Decoctum ad gingivas roborandas Poterii in pharmac. pag. 313.* Si quoque aliud quid, certè Myrrha & lacca in istis gingivarum vitiis sunt præstantissima. Huic Tinctura laccæ associari solet. Nam sola Myrrha crebrius Masticata præservat egregiè contra scorbutum oris. Tinctura laccæ prostat, *pag.* 46. Armament. Mynſ. & Conf. M. C. *Ann. 6. App. 26. B. D. Michaëlis* tincturam laccæ ita parabat.

R. Phlegm. vitrioli q. v. in quo dissolve alumen. q. s. soluta & mista infunde laccæ pulverisatæ donec tingantur M. Porrò ulterius mel rosaceum cum spiritû salis tantillo usque ad gratum acorem impprægnatum, omnia ulcera & putredinem partium in ore sanat, si præsertim ex scorbuto originem ducant. In specie si simul cum decocto salviæ subinde abluantur gingivæ. Egregium quoque est *linimentum Hartmanni* ad hos gingivarum affectus, quod describit in *prax. chymiatr. pag.* 123. Sed cui non incommode Myrrha addenda venit, ad imitationem *Senn. in prax. lib. 3. p. 5. s. 2. cap. 7. pag. 635.* Cui simile est elegans linimentum contra oris & gingivarum scorbutum, quod habet *Deckerus in comm. in prax. Barbett. pag.* 156. Cujus loco possit etiam recipi.

♃. Alum. crud. ʒ I ß. flor. aquileg fol. salv. an. ʒ ij. Rad. ireos fl. ʒ iij Myrrh. elect. ℈ j. c. s. q. mell. rof. F. linimentum egregium ad vacillationem dentium scorbuticam. Vel.

♃. Rad. bistort. ʒ I ß. flor. rof. rubr. ʒ I ß. Balaust. ʒ j. Aluminis usti ℈ ij.

Impprægnetur largiter spirit. cochlear. qui ad oris scorbutum est egregius. Hinc in excrescentia gingivarum scorbutica, succus cochlear. cum alumine usto mistus per quam egregius est. Sicuti ad hæc ipsa gingivarum vitia ex scorbuto nullo cedit vermicularis; cujus decoctum cum alumine & melle nobile experimentum est, gargarisando usurpatum. Vid. M. C. *Ann. 6. pag. 50.* In *Dighé Medic. Experiment. part. 2. pag. 78.* Itidem egregia est mistura pro his gingivarum malis ex aq. calc. viv. cum alumine crud. & ust. ac rad. ireos flor. quod in mentem revocat aliam non inconvenientem misturam, efficacissimam in scorbuto oris, nempe cremorem aquæ calcis vivæ supernatantem saliformem.

♃. Hujus cremor. ℥ iij. Gumm. lac. ʒ ij. Vitriol. Cypr. gr. vi. aq. rosar. salv. an. ℥ I ß.

Solve calore leni, ut probè impprægnetur à lacca, eo laventur gingivæ, probatum est. Ac merito extollitur usus, laccæ: Nam *B. D. Michaël* aliquando putredinem gingivarum scorbuticam, tantam ut gangrænam minaretur, & propter infensissimum fætorem nemo juxta ægrum commorari posset, per solam tincturam laccæ præmissis internis universalibus, feliciter restituit. Juxta laccam hanc nobilissima est Myrrha, verbi gratia.

♃. Fol. salv. alumin. ust. maxill. lucii piscis calcinat. Myrrh. rubr. an. ʒ I ß. Mell. q. s. pro linim. ad fricandos dentes.

Quòd si efficacius postuletur, aliquot gutt. spir. salis impprægnetur.

In graviori malo ulterius procedendum est, atque sic, præter *linimentum Hartmanni*, supra laudatum, ad unguentum Ægyptiacum melle rosato probè permistum, deveniendum, pro graviori exulceratione, aut inde metuendis malis gingivarum curandis.

♃. Alum. usti, salis armoniaci, an. ℈ j. Mastic. thur. an. ʒ ß. M. F. Pulvis.

Affricandus gingivis, postea quàm ante & post decocto salviæ, tormentill. ac rof. rubr. os elotum fuerit. Imò interdum aquâ forti gravior gingivarum luxuries sedanda. Confert item *Linim. Sennert. l. 2. prax. part. 1. cap. 16. pag. 52.* Aut denique aqua viridis ex viridi æris, pauco auripigm. alumine & quibusdam vulnerariis, addito melle in aquam infusis & decoctis, hic commodè adhiberi possunt, quo affrictæ gingivæ à luxurie, flacciditate & putredine defendantur, e. g. sit vel aqu. virid. *Hartm. Pr. pag.* 110. Vel aq. virid. *Plateri* cujus descriptio prostat in fine observationum ejus.

Stupore, tandem sive *Hæmodia* affici dicuntur dentes, sicque masticationem impedire, quando speciali doloris genere afficiuntur, post acida vel assumpta, vel vomitû rejecta.

Cui affine malum est *Algor Dentium*, dum frigoris attactû notabiliter alterantur dentes, nempe acidum & frigus inimicissima existunt dentibus, unde illorum nimia impressione afficiuntur fibræ, illorum interiores, & quasi irritantur, ut à cujusvis objecti actione specialis quidam dolor in dentibus percipiatur, masticationis negotium insigniter impediens.

Curat stuporem dentium portulaca recens masticata, caseus tam recens quàm Vetustus, adeoque alcali manifestiori dives. Siliqua caracea masticata, item calidum ovi vitellum, ad duritiem coctum applicatum. Omnium optimum calida urina applicata; Algorem quod attinet spir. vini dentibus affrictus, vel panis calens masticatus, vel vitellum ovi assatum, calidè masticatum; item theriaca dentibus affricta huic malo medetur. *Michaël Ettmullerus collegii. Pract. Part* 1.

In stupore dentium fricentur dentes stupidi sale, vel masticetur pannus laneus vel pilosus pileus.

In nigredine dentium evitanda, præsertim evitetur acetum & cibi admodùm calidi.

Removeatur item sæpiùs adnatus Tartarus & impuritates dentium, colluendo os à sumpto cibo, vel cum vino.

Deinde nigredo & colores dentium fœdi hoc modo commodè auferuntur.

♃. Aq. fontanam, dilue in eadem spiritum Vitriol. vel aquam seu spiritum aluminis q. s. ne scilicet nimium acescat. Cum hoc lavamento quotidie manè & vesperi cum Lacinia lanea frica dentes diligenter, deinde eosdem frica cum magisterio Corallorum vel cû hoc pulvere.

♃. Mandibularum Lucii piscis, Corall. albi. CC. ubi, aluminis ust. radicis ireos ℥ ß. sal. gemmæ ʒ j. M. F. pulvis.

Nigredo dentium & linguæ, ex esu cerasorum vel myrtillorum extemplo tollitur suffitu candelarum sulphurearum, *Schvvefelstecken*, faucibus tamen propter fumos nocivos occlusis.

(Nota, sordes & nigredinem dentium statim ac facilè quidem spiritibus acidis detergi, sed, si sæpiùs iis utamur, facilè dentes ut alcali osseum

ſeum erodi fragileſque factos poſtea tanto majori nigredine & ſqualore inſici propterea in his affectionibus dentium commendatum habeas ſaccharum aluminis, de quo paulò infrà, aut per ſe aut cum pumice corralliiſve rubris præp. commixtum ut dentifricium adhibitum.)

Mobilitatem dentium aufert peculiare & ſpecificum remedium ſeq.

℞. Gland. ℥j, gallar. ℥ß, aluminis uſti, ſucci acaciæ an. ℥ß, fol. roſarum rubrarum M ß. Coque cum vini rubri ℔ij, ad caſum unius pollicis, poſtea cola. Cum hoc decocto ſæpiùs quotidiè eluantur dentes, rurſum figuntur & immobiles redduntur.

Odontalgiam ex quacunque cauſa ortam ex quadam ſpecifica proprietate tollit radix lapathi acuti (ante germinationem vere collecta præſtat, mihi familiaris) exſiccata & denti dolenti applicata.

Idem præſtat, ſed remiſſiùs rad. lappæ quæ dolores ſubitò aufert, humoremque ſuperfluum extrahit magis.

Si fiunt dolores ex deſtillationibus, decocto rad. urticæ majoris, alii decoctô cum pauxillo nucis moſchatæ raſæ & croci in vino aduſto & acet. ana parato & calidè in ore, locove dolente retento humores illapſos mirabiliter extrahunt: ab initio quidem videtur dolor augeri, ſed paulò poſt mitigatur & deſinit.

Idem præſtat decoctum Guajaci cum vino & aqua paratum. In eodem caſu præſtat decoctum ſerpilli (in primis ſi ex deſtillatione) vel ejuſdem aqua gargariſando nempe cum iiſdem.

(Dolores dentium propediem ſedat aſperſum ſequens. *Saccharum Aluminis*.

Rec. Aluminis crudi ℔ ij. vel iij. & per retortam in arena lēto igne phlegma abſtrahe, quo facto ceſſa, & refrigeratâ retortâ phlegma redde exſiccato alumini, cumque per 24. horas in digeſtione B. V. ſteterint, phlegma iterum abſtrahe, qui labor cohobandi, digerendi & phlegma abſtrahendi ſepties repetatur. Tum poſt ultimum phlegmatis egreſſum, illud quod in fundo retortæ remanſit, in cella humidove & frigido aëri expoſitum in liquorem abeat, qui filtratus & per 12. dies in cineribus igne lento digeſtus demum per cucurbitam in cineribus ad ſiccitatem uſque omni humiditate exuatur. Remanet in fundo ſaccharum Aluminis.)

Si dentes ſunt cavi & dolent, vel etiam citra cavitatem in dentibus dolentibus præſtans eſt ol. Caryophyllorum, in cujus ſcil. ʒj. Camphoræ ℈ß. ſolutus fuerit. Hujus compoſiti gut. j. vel altera in goſſypio (præſertim quod cum moſco fuit) cavo denti immiſſa vel etiam dolenti alioquin applicata, omnem dolorem aufert.

Externum eſt laudanum opiatum in forma pilularum dentibus illitum vel inditum, vel externè (in genis) cum unguento alabaſtrino (gr. j. laudani ad ʒj. unguenti) diſſolutum. It. cum Emplaſtro de maſtice & cera.

(Subitaneum eſt remedium perſicaria contrita & denti dolenti applicata vel ut pilula efformata cavo dentis impoſita.)

Dentes corroſos juvat ſuffumigium ex ſemine Hyoſcyami per tubulum vel tritorium ad dentem dolentem factum.

Dentes carioſi evelluntur promptiùs, ſi duobus digitis madefactis, ac inſperſis pulvere ex lacertis aquaticis exenteratis & in clibano calcinatis aliquandiu prehendantur. Lacertæ colliguntur Aprili & Majo.

Sic etiam dens ex maxilla mortui evulſus, & cum radice ſua dentem carioſum ſæpiùs tangens, tandem poſt aliquot dies fruſtulatim dentem cadere facit.

Laxitati, putredini & exeſioni gingivarum à proprietate quadam Aquilegia mederi videtur. Poteſt autem indè tale compoſitum fieri:)

℞. Pulveris fol. aquilegiæ, ſalviæ, menthæ criſpæ, Nucis Moſchatæ ana ℥ß, Aluminis uſti ʒj, mellis puriſſimi ℥iv. Mel incaleſcat ad ignem & leniter decoquendo deſpumetur, deinde pulveres prædicti cum melle adhuc calente ſenſim aſpergendo miſceantur & ſerventur ad uſum. Hòc unguentô illinantur gingivæ bis quotidiè (NB. Decoctum ſummitatum rubi idæi etiam valet hìc) quòd ſi cibus capiendus eſt, eluatur os aquâ prunellæ vel infusô naſturtii aquatici in vino (in primis in ſcorbuto.)

Ad mundificationem autem gingivarum putreſcentium maximè valet aqua illa viridis mea compoſita ſecunda, de qua ſuprà in Narium affectibus, ozæna nimirum.

Dolor dentium, quia plerumque fit à capitis defluxionibus, ideoque in curatione ipſius ſtatim ad ea accedendum, quæ fluxionem inhibent. Unde ſtatim temporibus applicandum Emplaſtrum de Gummi Elemi, vel etiam Maſtiche factum, quod antequam applicetur, calefiat optimè.

Inter ſcapulas applicetur cucurbita magna ſine ſcarificatione.

Hinc ſtatim ad repellentia materiam fluxumque evacuantia confugiendum, qualia ſunt galla matura in acet. cocta, ità ut acet. in ore ſupra dentem dolentem detineatur calidè per horam ß vel j.

Hinc ad topica, anodyna ex proprietate occulta dolorem tollentia progrediendum.

Quod ſi continuus ſit dolor hiſce non cedens, ſed ab aliqua intemperie vel capitis vel totius corporis, aut copia materiæ ad caput fluentis, & indè ad dentes, capiti ſimul providendum tum evacuantibus, tum alterantibus & confortantibus medicamentis, tum etiam toti corpori.

Topicorum quibus vel ſolis ſæpiùs dolor omnis aufertur ſequentia ſunt præſtantia.

Laudanum opiatum cujus gr. iij. cum gut. ij. ſpir. Vitrioli denti dolenti applicentur, ſimulque pil. j. in corpus aſſumatur: Dolor ſopitur, applicato etiam Emplaſtro ad tempora, &, ſi opus, cucurbitulis.

Similis planè effectus eſt oleum ex buxo deſtillatum.

℞. Serrati buxi q. ſ. & repleantur 3. partes retortæ vitreæ, retortam in cineres loca & deſtilla oleum & liquorem aqueum igne primùm lentô, poſtremùm fortiori, & tandem ſummo, & deſtillabit oleum. Idem oleum rectiùs per deſcenſum aut per veſicam deſtillatur. Hujus olei (è buxo)

℞. Gr. iij. & cum vino, ſi affectus à frigida defluxio ne veniat, aut cum acet. ſi à calida. M. Contineat æger mixturam dictam in ore, poſt aliquid tempus exſpuat. Si dolor nondum ceſſabit, repetatur, donec ad ſextam vicem, tan-

tandem abluat os vino aut aceto, & sedabitur dolor.

Idem pulvis gallarum in succo radicis pyrethri decies vel 12. imbibitus & exsiccatus cum fermento, M. F. globulus parvus qui denti dolenti impositus dolori medetur, dentes firmiores reddit, vermiculos in ipsorum cavernis genitos necat, fluxiones omnes ad gingivas delapsas extrahit.

Tandem ultimum in omni & acerrimo dolore perfugium, applicare vesicatorium post aures & cervici.

Exteriùs inungi possunt maxillæ oleo amygdalarum dulcium, & tumori applicetur emplastrum de meliloto. Si intus in ore ad apostema tendat dolor; fiat cataplasma ex ficu assata cum farina tritici. Si aperiatur, dissolvatur mel rosatum in aqua plantaginis, atque eo abluatur os. *Joh. Harthm. in Prax. Chymiatr.*

Dolent sæpissimè Dentes in radicibus, ubi membranulæ, & nervuli diffunduntur, à sanguine, vel lympha eas partes pertingente, acri, acida, salsa, aut aliter præter naturam affecta; unde interdum etiam tument mandibulæ, & gingivæ; quin & dentes carie, ipsæ verò erosione, ulceratione que inficiuntur, & cùm scalpuntur, vel cibus manditur, nonnihil sanguinis stillant. Tantus autem, ac talis dolor quibusdam accidit, ut impatientes mortem sibi adsciverint; quamobrem maximis tormentis annumerari potest ex Celso.

Inter dolorem sedantia, illiusque causam corrigentia omnium præstantissimum perhibetur à Roderico à Fonseca oleum buxi, si in foramen dentis una vel altera gutta injiciatur: quod etiam à Samuele Formio confirmatur, & modus illud extrahendi describitur, apud Riverium *in observationibus eidem ab illo communicatis.* Idem quoque præstari dicitur ab oleo caphuræ pari modo in dentis foveam instillato. At Julius Cæsar Claudinus extollit oleum Terebinthinæ chimicè paratum cum pulvere camphoræ. Camphoram ipsam in aceto modicùm elixam adhibet Montagnana; itemque opium: Thonerus solam camphoram: & Rulandus oleum camphoræ gossipio exceptum; vel etiam oleum ligni heraclei, quo præterea humores ibidem stagnantes educi, vermes dentibus innatos necari, & causam quamcunque doloris adimi, ait. Alibi quoque laudat aquam solani, cum oleo vitrioli romani ad acidum saporem usque permistam. Radices sambuci in aceto, & vino decoctas singulare experimentum inquit esse Raymundus Mindererus apud Grullingium. Decoctum Nicotianæ, & florum chamæmeli tepidum ore detentum commendatur Jo. Heurnio, & Riverio; & Cardilucio illud Sabinæ. Atque Foresto radix lapathi acuti concisa, & supra dentem dolentem apposita: quam etiam magnifacit Hartmannus, qui præsentaneum quoque fatetur esse remedium oleum caryophyllorum cum quinta parte camphoræ. Essentiam similiter saturejæ mirificè dolores dentium sedare tradit P. Jo. Faber si aliquot guttis dens dolens & gingiva perfricetur infusâ, etiam in auribus guttulâ. Mirum est quod refert Helmontius se vidisse os brachii bufonis statim primo contactu odontalgiam tollere: & contactu dentis hominis senio extincti, dolentem dentem excidere. At admirabilius, quod memoratur à Borello: allium contusum cum momento salis pollici admotum vesicas excitando, aquam educere, & dolorem dentium fugare. Bursa pastoris pinsitâ, & inditâ auribus, sicut & naso betonicâ ejusmodi dolorem aliquando desiisse fertur ab eodem; itemque lapide imperiali dicto denti dolenti imposito: conficitur autem is ex sale petræ, & alumine fusis cum aliqua portione sulphuris: atque cerebro purgando, visui acuendo, & nervis opticis detergendis plurimum conferre dicitur. Sale fraxini arteriæ temporum applicito curatum dolorem dentium vidit D. leseq. apud Riverium: & pice Burgundica cum pulvere nucis odoratæ, Borellus. Magnetem cœlo sereno in pulverem redigit Tacchenius, deindeque in calcem, donec viridescat; postmodùm miscet cum farina, vino, & trigacantho in formam rotularum, & denti laboranti utiliter imponit ex Grulingio.

Ad extrahendos verò dentes dolentes absque ulla Chirurgi opera, scribit Riverius efficassimum esse helleborastrum, si eo dens affectus confricetur. Et Franciscus Joël dissolvendum ait gummi ammoniacum, aut galbanum cum lacte esulæ, vel hyoscyami, ac decoquendum lento igne donec lac absumatur; residuum verò in globulos redactum dentium foraminibus indendum per noctem: mox sine dolore dentes eximi posse subdit. Idem & ego aliquando usu gummi hederæ arboreæ factum vidi: cujus decoctum cum rore marino in posca, tepidum ore detentum dolentibus dentibus mederi notat Heurnius.

Si verò stupeant dentes, ut ab acidis, creduntur prodesse portulaca mansa, cera, succus glycyrrhizæ, amygdalæ, avellanæ. At quicquid calet, certò hæmodiam tollere experimur; unde panis calens, vinum calidum, præcipuè si in eo ebullierit salvia, rosmarinus, piper, pyrethrum, aliudve simile; aqua etiam ardens optima observatur. Fehr. Academicus curiosus fumum absinthii supra prunas injecti ore exceptum, dolorem, & stuporem dentium prohibere docet. Et Hartmannus eos sale fricari jubet.

Ad dentes insuper erosos valde prodesse suum odontalgicum scribit Crollius ad granum unum denti admotum cum gossipio. Et Fridericus Hofmannus spiritum salis adhibet. Olea etiam & essentiæ omnium aromatum aliis sunt in usu, sed præsertim caryophyllorum; itemque spiritus vini cum modico camphoræ. Quod si præterea gingivæ ulcerentur, & sanguinem stillent, commendantur antiscorbutica medicamenta, infusiones, pulveres, & spiritus Nasturtii, cochleariæ, beccabungæ, salviæ, menthæ, & aquilegiæ, quam cæteris præfert Hartmannus. In usu practico sunt pulveres, & conditura baccarum myrti, rosarum rubrarum; Coralliorum, myrobalanorum. Sed alcalia acutiora præstantiora existimantur; Et si fortassè tumeant gingivæ, ficus assus intrinsecùs admotus præsentaneum remedium dicitur ab Hartmanno, & Borello.

Si dentium mobilitas accesserit sequens decoctum expertum ait Hartmannus, quod habet: glan. ℥j. gallar. alum. usti, & succ. acac. singul. ℥ß. fol. rof. punic. m. ß. decoq. in lib. ij. vini rubr. & servetur ad usum. Eo autem sepiùs dentes

eluendos præcipit. Aliud commendat Zecchius, quod paratur ex mell. ℥ß. sandarachæ, seu vernic. ammon. alum. scissilis, & thur. singul. ʒß. bull. j. in aquæ vitæ ℥iij. acet. alb. ℥j. deindè col. & add. croc. g. ij. & cum gossipio eo dentes, & gingivæ fricentur. Non solùm, inquit hic Auctor, mobiles dentes confirmat, & roborat, verum etiam congelatos in pristinum statum restituit, dolorem sedat, & rheuma desiccat. Tincturam enuloticam Curandi Frommanni describit Grulingius, cujus vires summas esse fatetur in dentium mobilitate, & gingivarum putredine. Hanc etiam opiatam efficacissimam testatur Borellus ad dentium radices carne obducendas, dentesque firmandos, & dealbandos. Conficit autem illam ex modico aluminis cum uncia una olei sulphuris, & conditura florum buglossi, vel rosarum unciis sex. Mox deterso dentium tartaro ope scalpelli lignei opiatam prædictam admovet. Præstat itidem Aqua descriptione Portæ ad dentes confirmandos, quâ mobiles stabiliri, & exesos carne repleri ait. Firmandis quoque, & dealbandis dentibus optimum dicitur oleum vitrioli à Montano, & Foresto, si nimirùm eo dentes refricentur; sed aliquoties in usum relato, exitus acta non probavit.

Vermes denique dentium radicibus hærentes perimuntur decoctura corticum fraxini, & radicum urticæ Auctore Jo. Cratone. Et Thomas Bartholinus sibi à Rustico quodam Empirico communicatum refert mirabile remedium ad vermes extrahendos, & dolores mitigandos: nempè sevum cervinum linteo exceptum, ad ignem liquatum, & gingivis impositum. *Lucas Tozzi. Medicin. Pract. lib. 1.*

In dentium dolore primò videndum est quænam sit istius causa, & secundùm varia causarum genera varia & apposita remedia sunt adhibenda. Dentes dolere solent. 1. ab humorum in eos & partes adjunctas influxu, licet dentes ipsi non sint vitiosi. Hoc casu ante omnia purgetur patiens hydragogis fortioribus; hinc enim humores vel pituitosi, vel serosi, per sedem educti à dentibus derivantur, unde eorum dolor protinus cessat. Revulsio etiam per cucurb. vel vesic. prodest. Vel 2. à Catarrho in dentes cariosos; vel concavos delabente. Hic etiam purgatio imprimis utilis est; at topica sæpè etiam sunt necessaria, eaque sæpiss. opiata. Ut

♃. Olei Caryoph. still. ℥ß. dissolve camph. ʒj. adde tinct. opii cum optim. spir. vitr. priùs digesti, deinde cum vin. sp. extract. & ad mell. lag. reduct. ʒij. tinctur. croci ℥ß. Ambr. gris. ℈j. Mosch. gr. v. m. f. serv. in pyxide argentea bene clausa, vel vitro latiusculi orificii vesicâ occluso. Urgente dolore intingatur gossypium & indatur concavo denti.

Aqua hæc Crollii magnæ est efficaciæ.

♃. Origan. serpyl. salv. mentastr. hydropiperis, seu persicar. rasur. guajac. ras. tamarisc. & buxi ana m. j. affunde spiritum vini opiatum, id est à præparatione Laudani residuum, ad eminentiam quatuor digitorum. Extrahatur infusione tinctura. De hoc spiritu tincto tantillum in ore teneatur parte illâ ubi sunt dolentes dentes, postea iterum expuatur. Reiteretur si opus sit. Si dens sit concavus, gossypium intinctum imponatur.

Vel fistulæ tabaci circa tubi medium indatur filo ferreo aliquid gossygii aut linamenti carpti; caput tubi repleatur pulvere tabaci pro more, accendatur, & totus fumus exsugatur donec pulvis redigatur in cineres: frangatur tubus, & eximatur gossypium oleo tabaci madens, quod indatur denti cavo: illico cessat dolor.

Sic oleum stillatitium buxi denti cavo instillatum dolorem compescit certo experimento.

Remedium sequens non fallit.

♃. Lithanthracum pinguium partes tres, sulphuris vivi partem unam, pulverizentur simul in mortar. stann. & distillentur in retorta lento igne: primò exibit fuliginosa substantia nigra & pinguis, tunc auge ignem, & exibit aliquid unctuosum, quod seorsim clausum reservetur; postea separa oleum à liquore: oleum rectifica; serva; applica cum bombace.

Trochisci seq. cavis dentibus inditi mirè dolorem sedant.

♃. Sem. opii ʒj. Sem. hyoscyam. ʒij. styrac. calamit. mastich. ana ℈ij. pyrethr. piperis longi ana ʒß. Castor. croci ana ℈. camphor. gr. v. opii præparati ʒiß. ms. & cum balsamo Peruv. q. s. f. massa, ex qua trochisci.

Denique hæc aqua nulli secunda est.

♃. Succi allii ℔ij. opii ℥ij. caryophyll. ℥iij. vini Malvatici vel Canarini ℔j. macerentur per quatriduum, deinde f. distillatio ad siccitatem in B. vaporoso vel sicco. Aquæ stillatit. adde camphor. per vini spiritum solutæ ℥ß. Mercur. anodyni in opt. vin. sp. soluti ʒvi. ms. serva vase optimo clauso, applic. denti eroso è gossyp. Mercurius anodynus hic est.

♃. Merc. sublimat. q. v. huic affunde aqu. fact. ex nitr. i. & vitriol. ij. q. s. & f. cohobatio decies aut duodecies donec instar olei fluat, & in frigido crystallizetur: crystallos spir. vini solve, exhala ad siccitatem; solve iterum, exhala ad pelliculam, & in cella ut a. e. crystalliza.

N. B. Ut fœtor ab opinio removeatur (docente Saladino) pistetur ℥j. opii cum duobus capitibus allij: deinde distilletur hæc mixtura per alembicum: De istâ aquâ detur in potu secundum discretionem, qui mirabiliter provocat somnum & erit sine fœtore. Quod pulchrum secretum non est omnibus revelandum.

♃. Opii ʒij. castor. ʒj. croci ʒß. addito pauco balsamo Peruviano nigro f. massa, ex qua turundæ, quæ involutæ syndone rariss. indantur auri lateris dolentis.

♃. Mass. istius ʒij. mastich. cum vin. spir. emollit. ʒj. gum. elemi & tacamahac. ana ʒß. ms. f. Emplastrum, cujus portio extendatur in holoserico, & applicetur arteriis temporalibus ad fluxionem inhibendam.

3. Dentes aliquando dolent à vermibus qui in iis geniti eos exedunt. Hi enecantur vel ab aquâ Mercuriali suprà præscriptâ, vel ab Aloë suprà laudatis medicamentis admixtâ.

Si dolor (undecunque oriatur) nullis remediis cedat, dens dolens ferro extrahendus est: quam operationem si præ metu refugiat æger, tentetur medicamentum empiricum sequens ad dentes sine dolore evellendos.

♃. Ranas virides arboreas quot voles, has in sufficienti roris Majalis quantitate probè obturato vase vitreo in cinere vel arenâ locato;

tamdiu fac coquere donec liquentur & aqua fiant: hanc in fimo equino vel balneo inter serraturam abiegnam putrefac; & supernatantem oleosam pinguedinem, quoties apparuerit, corneo cochleari, aut ligneo aufer; nulla ampliùs adveniente, reliquam ut inutile abjice. Hæc allecta pinguedo dentes à suis radicibus vellit, adeò ut si fænum hac illinatur bos aut equus hoc fænum vorans in ipso præsepi dentes amittat. Linitur lignellum hoc unguento, & circum dentem ducitur, qui statim à tali illitu postea facilè separatur. *Theod. de Mayerne in Praxi.*

Consultationes.

Dolor ille dentium, qui te tam immaniter exercet, à frigida destillatione originem habet, quæ à sinistra capitis parte in maxillam ejusdem lateris, & dentis nervos, interdum usque ad omoplatas decumbit.

Ad hujus præcautionem primò cohibendus est catarrhus, causaque ejus penitùs circumcidenda. Id autem fiet his catapotiis semel in mense devoratis, vel hac potione si æstas sit aut calida aeris constitutio. Sequenti die à prima purgatione tonsum caput his seminibus in duplicato linteo conclusis fricabitur, idque fiet spacio duodecim aut quindecim dierum quibus elapsis purgabitur corpus ut priùs. Dein postridie caput maximeque pars ejus sinistra, pauxillo aquæ vitæ singulis matutinis temporibus fovebitur, asperso pilis, post fotum, sequenti pulvere. Interea dentium ratio habenda: quibus detersis ter aut quater in die longè à cibo sumpto, retineatur in ore & manducetur hoc masticatorium, ad pituitam è toto cerebri corpore, maximè ex ejus ventriculis, per infundibulum in os & palatum attrahendam. Deinde hoc decocto sæpissimè in die gingivæ abluantur.

Interim cibis boni succi vescendum, sobriè vivendum: abstinendum ab humidis; vitandum frigus capitis, dentium & pedum.

Remedia infra scripta diu ac diligenter continuanda, quia morbus est inveteratus.

♃. Mass. pilularum cochiarum & de agarico, Pilularum assaiereth. an. ℈j.

♃. Aquarum salviæ & betonicæ, vini albi an. ℥j. In quibus infunde rheubarbari electi, Agarici trochiscati an. ʒj. In expressione dissolve diaphænici ʒ ij. Syrupi capillaris ℥ s. Fiat potio purgans.

♃. Milii ℔j. Salis communis ℔ s. Seminis anisi & fæniculi an. ʒ ij. baccarum Lauri contusarum ℥ j. fiat pulvis tenuissimus. Inspergatur raso capiti.

♃. Pyrethri, Staphisagriæ, Gingiberis, Cardamomi, Caryophyllor. Styracis calamitæ ana ℥ s. Fiat pulvis subtilissimus ad usum dictum.

♃. Mastiches ℥j. Radicis Pyrethri ℥ s. Cubebarum ʒij Incorporentur in forma solida cum melle anthosato: fiat masticatorium.

♃. Salviæ minoris man. j. foliorum myrti man. s. Mastiches conquassatæ ℥ s. Bulliant simul in vini albi & aquæ fontanæ an. ℔ s. Coletur & reservetur in phiala pro collutione oris. *Joh. Fernelius consilior. Medic. 5.*

Dn. Egidius Heidemann, Senator Colbergensis optimè meritus, compater & amicus meus honorandus dolore dentium punctorio ac profundo afficiebatur, adeò vehementi, ut aliquot noctes insomnes duceret, sapor in ore salsus, acris & subamarus deprehendebatur cum aliquali totius corporis æstu & siti.

Resolutio.

Causam hujus odontalgiæ, humorem ex bile & sero mixtum esse, sapor indicat salsus, aëris & subamarus, non minus ac ipse dolor punctorius, qui vehementior quidem est & profundus, quatenus materia circa nervulum in radicibus dentium & membranam eorundem internam nerveam hæret.

Humores itaque serosi & biliosi addentes confluentes revellendi & repellendi, qui verò jam influxere discutiendi & evacuandi; imprimis autem dolor, tanquam symptoma urgens, mitigandus.

Præscripsi hoc nomine anodyna quædam & narcotica, sotirellam scilicet parvam Minderei, & laudatum opiatum cum spiritû vitrioli.

Revulsionis gratiâ cucurbitulas scarificatas scapulis & brachiis apposui: à phlebotomiâ enim prorsùs abhorrebat.

Hinc vesicatorium Riverii post aures applicui; fronti & temporibus ad intercipiendam fluxionem emplastrum adstringens ex bolo, mastiche, & ovi albumine, induxi.

Interea & collutiones oris ex repellentibus & adstringentibus usurpatæ:

♃. Fol. myrth. plantag. acetos. ana m ß. Rad. oxylapath. tormentil. ana ℥ ij. flor. rosar. rubr. balaust. ana p. j. Cort. granator. ʒ iij. Incis. & conquassat. coq. exaqu. plantag. & aceto q. s. & colent pro collutione oris.

Ad evacuationem humoris serosi & biliosi præbui potiunculam:

♃. Rhabarb. opt. ʒ iij. Cinam. acut. ʒ ß. infund. per noct. in aqu. cichor. ℥ iß. Endiv. ℥ j. Manè colentur. add. syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒ vi. pulv. Gialapp. gr. ix. M F. potiuncula.

Sub noctem magna ex parte remisit dolor, manè ad reliquias materiæ discutiendas & absumendas commendavi aquam rorismarini & salviæ cum tantillo aceti florum lavendulæ. Calorem totius & sitim restinxi Julabio quod sic componitur.

♃. Aq. cichorii acetos. Endiv. ana ℔ s. Syr. berber. ℥ iij. flor. pap. Rhead. ℥ ij. spir. vitrioli q. s. ad grat. aciditat.

His methodicè adhibitis ab immani cruciatû liberatus est vir optimus, quem ut porrò salvum & superstitem divina præstet clementia devotè precor. *Baldass. Timæus casuum Medicin. lib. 1.*

Adolescens 15. annorum, temperamento pituitoso præditus, cùm à validiore exercitio excalefactus, nudo capite se aëri frigido & ventoso diutiùs exposuisset, in atrocissimum maxillæ sinistri lateris plurium dentium incidit dolorem, usque ad capitis interiora & superiora se extendentem, quo diu noctuque continuò infestatur. Nullus in gingivis aut maxilla exteriore tumor, nulla rubedo aut inflammatio apparent. Sentit è dente quodam molari excavato serosum, salsum, acrem, ac instar glaciei frigidum humorem in os exstillare.

1. Hujus ægri affectio Medicis *Odontalgia* & *Dentium dolor* appellatur.

2. Causa antecedens sunt humores pituitosi ac frigidi in toto corpore collecti, qui à majore calore exercitio conquisito in vapores attenuati, sicque copiosiores ad caput delati, à causa procatarctica, scilicet frigore externo, non tantùm ob pororum occlusionem intus detenti, verùm etiam in liquorem serosum, & ob cruditatem salsum atque acrem rursus condensati sunt, qui cùm ad vias excrementorum cerebri evacuationi dicatas non decurreret, sed ad sinistri lateris maxillares dentes deflueret, acerrimum ibi dolorem excitavit.

3. Frigidum, serosum, ac salsum esse hunc humorem ipse æger lingua satis percipit ex guttulis per excavatum dentem in os delabentibus.

4. Dolor autem inde fit, quòd nervulus cavitati cujusque dentis molaris insertus unà cum periostio, quo cavitas & radix investitur, ab acri humore eroditur, ab ejusq; summo frigore (quod nervis maximè inimicum) malè afficitur.

5. Dolor autem sursum usque ad capitis interiora extenditur, quia nervuli dentium cavitatibus inserti, sunt propagines tertii & sexti paris; iis igitur malè affectis, non est mirum totos illos nervos usque ad capitis interiora dolere: imò credibile est hunc frigidum & acrem humorem per cranii foramina, ex quibus nervi illi egrediuntur, secundùm nervorum istorum longitudinem usque ad dentes defluere; sicque non tantùm eas particulas, quæ radicibus dentium inseruntur, sed integros nervos secundùm longitudinem à cranio usque ad dentes à dicto humore affligi.

6. Nullus autem tumor est in exteriore maxilla, quia humor ille, unde fluxio procedit, non est copiosus, sed paucus & acer. Neque etiam tumor fit in gingivis, quia humor in iis non diu subsistit aut colligitur, sed paulatim per excavati dentis foramen in os effluit.

7. Nulla etiam rubedo præter naturam aut inflammatio in gingivis aut maxilla apparet, quia licet humor defluens sit acer, est tamen actu & potentiâ frigidus, ita ut inflammmatio aliave calida intempies ab eo produci nequeat.

8. Atrox hic dolor, licet in parte sit ignobili, atque hinc minoris momenti esse videatur, tamen contemnendus non est, cùm propter summam crudelitatem, & continuas quas inducit vigilias, humorumque & spirituum commotionem, facilè delirium, convulsionem periculosissimam, aut febrem validam inducere posset. Ac proinde illius curatio differenda non est.

9. In curatione primò imminuenda est causa attendens, mox continens, ac procatarctica statim removenda, dolor sedandus, & caput corroborandum.

10. Corpus igitur purgetur cum pulveris diaturbith aut diacarthami drach. j. aut cum his pilulis:

Rec. Massæ pilul. cochiarum, aurearum, ana scrup. j. diagridii gr. iv. Cum pauxillo syrupi de stœchade, fiant pil. vii.

11. Ad humoris in cerebri ventriculis contenti evacuationem hoc errhinum in nares attrahatur:

Rec. Succi mercurialis, majoranæ, ana unc. ſ. betæ unc. j. ſ. Misce pro errhino. Hujus loco æger hoc pulvere sternutatorio subinde uti poterit:

Rec. Rad. pyrethri, hellebori albi, fol. majoranæ, ana scrup. j. piperis nigri gr. v. fiat pulvis.

12. Ad capitis corroborationem, pororum apertionem, & frigidi humoris dissipationem, præparetur hoc capitium:

Rec. Fol. rosmarini, majoranæ, salviæ, ana m. ſ. flor. lavendulæ, meliloti, rosarum rubr. ana p. j. nucis moschatæ, gariophyllorum, ana scrup. ij. thuris, mastichis, ana drach. j. fiat pulvis grossus, è quo in tenui serico consuatur s. art. capitium.

13. Temporibus utrinque imponatur hoc emplastrum:

Rec. Thuris, mastichis, ana scrup. j. sagapeni, tacamaccæ, ana scrup. j. ſ. Misceantur, & extendantur in serico nigro: fiantque duo emplastra rotunda.

Interea etiam exhibeantur condita & apozemata cephalica, ex majorana, rosmarino, salvia, betonica, conserva anthos, salviæ, aliisve similibus confecta. Tabaci etiam fumus per fistulam communi modo sumptus non erit inconveniens.

14. Æger os sæpe colluat hoc decocto calido:

Rec. Radic. oxylapathi unc. j. pæoniæ maris unc. ſ. Herb. majoranæ, salviæ, hyssopi, thymi, betonicæ, rosmarini, ana m. j. Sem. fœnic. anisi, ana drach. ij. vini q. s. coquantur s. art. ad lib. j. pro collutione.

15. Post collutionem denti excavato cum petia ex gossypio immittatur guttula una olei origani, aut gariophyllorum. In summo dolore interdum etiam pauxillum spiritus vini in ore ad dentes affectos detineatur, quod tamen non est sæpe faciendum, ne gingivæ inde lædantur.

16. Interea etiam ad humorum diversionem summa cum utilitate vesicatorium post aurem, atque in cervice applicabitur, & locus diu apertus servabitur.

17. His omnibus non juvantibus, in summa doloris atrocitate exhibeatur sub vesperam pilula ex laudani opiati gr. iij. aut tres pilulæ ex massæ pilularum de cynoglossa gr. xiij. aut dentur philonii romani scrup. ij. vel iij.

18. In victu sit aër calidus & siccus, viteturque turbulentus, pluviosus, imprimis aquilonius. Cibi condiantur cum cephalicis calefacientibus; fugiantur autem omnia salsa, acria, acida, & ea quæ caput vaporibus replent, ut allium, porrum, raphanus, &c. Potus sit cerevisia mediocris notæ, & vinum tenue. Somnus longior. Exercitium mediocre, & alvus facilis sit.

Observationes.

Vir quidam literatus gingivarum laxitate & dentium carie affectus, scripta quædam medica evolvens, fortè incidit in Consilium Cratonis 72. ubi hæc habentur: Ad dentium putredinem & cariem vix ulla res melior est, quàm spiritus vitrioli: *paulò post & Horstii tractatum de Scorbuto relegit, ubi sectione. 2. Thesi 15. hæc existunt.* Dentibus vacillantibus optimum est remedium spiritus vitrioli cum melle rosato mixtus, quantum ad intensam aciditatem sufficit: Inungantur gingivæ & aliæ oris partes affectæ, singulis diebus ter. Remedio itaque huic à Medicis celeberrimis tantoperè laudato confisus, singulis diebus spiritum vitrioli cum melle rosato gingivis

givis & dentibus illinivit. Sed pænitendo admodùm eventu: Brevi enim consumptis gingivarum carnibus & laxatis alveolis, dentes, quos primores appellamus, tam superiores quàm inferiores exciderunt, reliqui molares subsistere quidem, sed à medicamenti acrimonia adeò corrosi, ut ciborum masticationi parùm sufficerent.

Rectiùs olim hâc dere judicasse videtur Joël, cujus tomo sexto sect. 2. p. 137. hæc sunt verba: Parùm benè consulunt, qui spiritum vitrioli crebrius dentibus illinire docent. Etsi enim eos candidissimos efficiat, tamen crebrior ejusdem usus eos calcinat & friabiles reddit: *Baldass. Timæus casuum Medicin. lib. 1.*

Dentium dolor ploratû solutus.

Nobilissimus Dn. Richardus Froreich, Hæreditarius in Czarny Damerovv, amicus meus specialis, ultra semestre dentium dolore interpolato & per intervalla recurrente miris modis vexabatur, tentata varia remediorum genera tam interna quàm externa, sed frustrà, subinde enim recruduit dolor, tandem inter acerbissimos cruciatus plorare cœpit, adeò effusè ut ultrà horam à fletu sibi temperare non posset. Exinde dolor penitùs remisit, absque ullâ in hunc usque diem recidiva.

Resolutio.

Dentium hunc dolorem ab humore tenui & seroso excitatum, nullum est dubium, is fletû solutus & per lachrymas tam copiosè promanantes, effusus, doloris immunitatem, sublatâ scilicet causâ, dentibus attulit, secundum illud Poëtæ (ut inter lacrymas etiam jocari liceat.)

Expletur lachrymis, egeriturque dolor. *Idem ibidem.*

Filia N. de intolerabili dentium dolore conquerebatur, qui per aliquot menses continuos duraverat, nec ullis topicis aliisque assumptis medicamentis dispelli potuerat. Consului ut per aliquot dies cubitum itura deglutiret duas pilulas, pisi magnitudinis, ex sola Aloë lucida confectas, nec quicquam superbiberet. Hoc cùm ter quaterve fecisset, dolor cessavit, neque deinceps rediit. *Isbrand. de Diemerbr. in Observ. & Curation. Medic.*

Cornelia Jacobi mulier robusta dentium dolore vehementissimo cum dimidii capitis dolore laborabat: Huic tale vomitorium exhibui.

♃. Vitr. antimon. pulver. gr. XII. vin. alb. ℥v. Fiat maceratio per noctem. Manè coletur vinum per chartam emporeticam & detur pro haustu. Hinc plurima biliosa, pituitosa, ac tenacia evomuit, aliquot etiam secessus habuit. Nocte sequenti bene dormivit, & cessavit dentium dolor, neque rediit. *Idem ibidem.*

Dens cancro affectus.

In Sacris Ægyptiorum literis si quid auditum, aut arcanum luci proditum ac revelatum ostendere quis vellet, inquit *Pier.* Hieroglyph. l. 28. de Cancro, Pagurum & ejus generis pisces, vel testacea; quæ latebris gaudent, face apposita figurabat. Ego hodie ubi obscurum infantis Hebræi casum, cancro non absimilem, ad illius causæ indaginem Naturæ curiosis propono, ab eorundem ingeniorum splendore, & toto orbi cognita eruditione illi facem adponi exopto. Erat hic puerulus unius anni, corporis emaciati, coloris ad lividum inclinantis, in quo anteriores aliquot dentes naturaliter albicantes erupere, mox prodeunte alio retuso in mandibula sinistra, qui totus quantus niger conspectui sese offerebat: hoc etiamsi intuentes parentes, ut inauditum, & nunquam visum, admirati essent, cum tamen nullam molestiam puero inferret, per integrum fere annum nullo adhibito consilio tolerarunt. Sed ubi alios proximos mandibulæ sinistræ dentes pari atro colore inficere, tumor dolorosus parti accedere cœpisset, ad malum debellandum Chirurgum sollicitarunt: Is non cognito affectu varia adhibuit, etiam tumorem scarificavit, infelici sane successu, non tantum gingivam sed & totam genam sinistram exulcerando. Anxio Chirurgo, parentes me in consilium vocare coacti sunt, Examinatis examinandis Cancrum primo occultum, nunc per intempestive, & immoderate adhibita exulceratum, ulcus certe malignum, sordidum, livens, & cacoëthicum aspectu horrendum esse deprehendi: Facto prognostico de gravi & periculoso morbo, in quo est repugnantia in via Naturæ, & quod Cancri confirmati & exulcerati nulla fere curatio (maxime ubi commode exscindi vel exuri non valet) meliusque fuisse eum occultum non curasse, curati enim citius intereunt, non curati vero longiori tempore vivunt, teste Hippocr. 6. Aphor. 30. nam cancri non exulcerati medicamentis resolventibus facile exulcerari possunt, quæ ulcera, ut ab atrabilario humore provenientia incurabilia esse dixit idem Hippocr. Nihilominus ne misellus infans omni auxilio destitueretur, præter Diætam modice humectantem & refrigerantem, (aderat enim socia lenta febricula) palliativa ordinavi, quæ ipsi cancro blandiri, eumque lenire possent, ut ita minori cum molestia vitam transigeret, ceu est Aqua ad Cancrum *Chalmetæi.* Henrici III. Gall. Regis Chirurgi peritiss. quò ulcus foveretur & ablueretur, apposito deinde Emplastro Saturnino *Minsichti*; Sed ulcus pertinax & rebelle, imò de sua natura insuperabile, superari non potuit, quod sensim serpendo musculum temporalem affecit, & convulsionem inducendo mortem acceleravit; Mirabilis certe hæc fuit observatio, & forte inaudita, Cancrum radices suas tanto temporis spatio in hoc solo dente sparsisse, nec alios statim dentes affecisse: quod factum puto ob nutrimentum dentis depravatum, quod provida natura, quamdiu potuit, retractum servavit, abhorrens sui interitum.

Cancer hic à Dente oriundus, non fuit caries, nulla enim caries solido denti aderat, nec ista tumorem excitat, ut musculosas partes occupat: Neque fuit Gangræna, ea enim est imperfecta mortificatio ad necrosin, seu principium & via ad corruptionem, quæ ad plures menses absque vicinarum partium sphacelo & corruptione perdurare non potuisset. *Galenus* l. 2. de Arte curat. ad *Glauconem* cap. 5. *Celsus* l. 5. suæ Medic. c. 38. & alii. *Matth. Franc. Hertoli.*

Odontalgia à Verme excitata.

Quidam Odontalgia inmani ac periodica vexatus sensit in dente quid saliens per tempo-

rum intervalla, cui remedia plura incassum adhibita: Abrasa demum carie dentis in vasculum subjectum vermem exspuit, qui capite ad caudam reflexo saltus varios iteravit, foramine insigni, per quod exierat vermis in dente conspicuo: Qui vermes suffitu hyoscyami, sevo cervino gingivis imposito, aliisque è dente elicitos pro fibrillis habent, ab experimento hoc sæpius laudati *Tyson* aliter erudientur. *Oligeri Jacobæi.*

De Mirabili quadam Odontalgia, & Innoxia Opiatorum continuatione.

Nobilis & honesta fœmina, à longo tempore valetudinaria, ob suppressos menses & regurgitationem sanguinis ad superiora, hæmorrhagia narium, quandoque satis enormi, sæpius afflicta, cum duritie laterum, inflatione ventriculi, pedumque tumore, ante duos annos convenientibus tractata remediis, & imprimis ex *Acidularum Egranarum* usu, penitus convaluit, & per integrum annum optime se habuit. Præterita autem æstate ex mœstitia & fletu largiori, dentium acquisivit dolorem, quem uno vel altero medicamento adhibito suppressit. Non multo post tamen recruduit malum, miris stipatum symptomatibus. Nam quotidie circa vesperam rediere dolores, quorum prodromus fuit materia quædam crassa, viscida, sanguinolenta inter dentem caninum primumque molarem in maxilla sinistra superiori effluens: hanc excipit limpidissima pituita, continuo stillans, adeò copiosa ut vasculum satis magnum impleverit, cum cruciatibus tota nocte durantibus. Observavi, quo sputum limpidius eò acriores fuisse dolores; illo cessante, remisisse etiam istos. Adhibui quæ concipere poteram, revellentia, repercutientia, appropriata, sed omnia frustra. Nihil magis conduxit quam *Laudanum Opiatum*, quo dolores & fluxus istius pituitæ suppressi, somnusque procuratus optimus. Dum hæc ita fiunt, in oculo sinistro extrinsecus naturaliter constituto, omnia apparuere duplicata, sine quidem dolore, sed cum magna molestia: applicatis vesicatoriis restitutus visus in integrum, quem tamen elapsis aliquot septimanis penitus in eodem oculo amisit, itidemque exiguo temporis spatio elapso recuperavit, perseverantibus in eodem statu doloribus. Dentes quos inter hæc materia effluxit sine labe erant, alterum tamen eorum, quia vacillare videbatur, evelli curavi, absque ullo emolumento. Tandem omnium pertæsa, solis, me licet quàm maximè dissuadente, inhæsit opiatis, sumendo illa quotidie. Sic allevata Mense Decembri *Viennam* concessit, unde mihi ante sex vel septem septimanas scripsit, quod in illum usque diem quotidie, antequam cubitùm eat, bolo ex granis tribus *Laudani cum Confect. Alkerm.* parato utatur, quo vel una vice omisso, statim percipiat dolores majores. *Caroli Raygeri.*

De Vermibus Dentium.

Quemadmodum nulla ferè corporis humani pars, quàm nobilis etiam illa sit, existit, quam non aliquando à vermibus infestatam observarint Scriptores Medici; ita neque dentes ab iis immunes sunt, quippe qui, carie exesi excavatique, huic ex putredine enatæ soboli nidum sat commodum præbent.

Quales eos observaverit *Excell. Dn. D. Joh. Nicolaus Pechlinus, P.P. Kiloniensis, & Collega curiosus* honoratissimus. *Observatio* 24. superius exhibita ostendit. Nobis, ut paulò post dicemus, alia prorsus species sese obtulit, nosque dubios fecit, utra eorum *Sinonum* nomine, quo vermes dentium, *Battæo Syriæ monacho* olim ob nimiam inediam enatos, vocari docet *Jonstonus*; *Hist. Nat. de Insectis l.3.c.2.art.3.p.184.* appellanda sit.

Acutissimorum verò dolorum vermes hi omnes caussa existunt, adeò ut de necandis & tollendis iis meritò solliciti sint Practici: & præ reliquis varia commendat *Sennertus Med. Pract. lib.1. cap. 10. pag. 26.* Quibus jure meritò annumerandum censeo mucum, seu chyli reliquias interiori tunicæ ventriculi suilli adhærentes, qui licet sordidum quadantenus, & delicatioribus fortassis abominabile sit remedium, vulgo tamen nostratibus crebris experimentis est commendatissimum.

His ipsis diebus Fœmina, intra lares meos habitans, doloribus acutis lancinantibus dentis maxillatis excavati vexabatur, qui, licet medicamentis sopirentur, subinde recrudescebant. Tandem suasu alterius fœminæ, ut est istud hominum genus in talibus consilii promptissimi, rorellæ foliola conglobata denti cavo, remissè tunc dolenti, indit. Malum! subito dolores in immensum exacerbantur adeò, ut ob eorum vehementiam saltim non ad insaniam redigeretur. Commodum autem accidit, ut in vicinia porcum culinæ destinatum eviscerari audiret: Auxilii ergo, quod alia vice in simili dolore senserat, adhuc memor, lanionem adit, & mucum, pyloro ventriculi adhærentem, calentem adhuc petit, eumque linteolo exceptum, formula noduli, dolenti denti imponit. Post breve tempus titillationem gingivæ percipiens, nodulum ex ore eximit, atque vermes plurimos linteolo adhærentes invenit, plurésque alios cùm phlegmate viscido exspuit: dolore paullò post sopito.

Vermes hos aqua ablutos mihi ostendebat, qui, lumbricorum more variè se contorquentes, aliquandiu adhuc vivebant. Latum pollicem longitudine ferè omnes æquabant, tenuissimum netricum filum crassitie vix superantes; coloris, dum vivebant, incarnati, mortui verò & arescentes magis rufescebant. Per microscopium inspecti egregiè intestinorum lumbricos referebant, utrinque in acutum rostrum desinentes, corpore ex annulis innumeris coagmentato pellucido, rubello intestinulo per cutim transparente.

Cæterùm ut muco isto vermes dentium inescatos & ex cavernis suis elicitos vidimus; ita olim *D. Ræslerus*, vermem crus perforantem interna ventriculi suilli pellicula evocatum observavit *Observ.*312. anni 3. Eph. Germ. dubio procul ob congenerem quendam putredinis odorem, quem tunica ista, multoque magis mucor ex dapibus, quibus præprimis gaudet amica lutosus imbibit. *Gottofredi Schultzii.*

Vermis Odontalgicus.

Horrida olim morborum exempla nunc tandem suffragante experientiâ credibilia fieri com-

compertum est. Vermes in solido durissimoque corpore generari res visa supra fidem: at postquam Lapidum quoque corruptelas & detrimenta à vermibus excitari innotuit, etiam de verminosâ Dentium carie observata narrantibus fides negari non poterit. Mirari autem usque subit, qui molliculum & penè invisibile vermiculi rostrum tam solidi durique corporis perforare substantiam possit: perforat tamen, & à basi ad radicem usque cylindrico foramine pertusum dentem solo doloris indicio commonstrat: neque enim ante demolitione animalculi constabit, quàm tranemisso corpore sensiles nervorum fibras attigerit. Enimverò tum immanissimos cruciatus parere mobilis rostri petulantia solet, & in abdito latenti impunè grassandi libertas est, non facilè alio quàm Dentis jacturâ coërcenda. Sed quod & quale illud rostrum? Sanè plusquam Corneum & annulati corporis impulsu vibratum vel ferro par; neque enim aliter tanta ossis duricies superari posse videtur. Major autem de origine & natalibus hujus animalculi difficultas. In Dentium cavernis, ubi ciborum reliquiæ hospitari solent, putredinem esse, quæ spiritu animata in vesiculas sese induat, idea aliqua operante, articulatas vermemque referat, mobile animal, tralaticium est. Sed unde prima vermiculi exordia, quando nulla adhuc caries in Dentibus conspicienda, aut quis ille in integro solidoque Dente foraminis cylindrici auctor? Nimirum obsitæ sunt plerunque Dentium bases, qua alveariibus infiguntur, muco quodam albo, quem qui oris amant nitorem, aliquoties de die, imprimis autem manè, detergere solent, aptatis in hunc usum Radicis Altheæ fibris. Hic ipse mucus nuperis Leevvenhoekii, mirifici in explorandis minimis Mystagogi, Observationibus totus quantus verminosus deprehensus, & fortè ex hac classe aut tribu est, qui deinde oberrans rostri aliqua prærogativâ impulsus Dentem corripit, erodit, tandemque miserum os notis doloribus crudelissimè exercet. Cùm autem mihi quoque exemplum vermium ejusmodi objectum sit, operæ pretium me facturum esse existimo, si, quid mihi obtigerit, recenseam. Vetula erat tabifico & propemodum corrosivo Scorbuto affecta. quæ tandem inter alia Symptomata præter meam exspectationem in deploratam incidit Odontalgiam nullis planè remediis, neque optimis, cedentem. Solet nempe ludibrium Artis esse Dentium dolor, & magis sæpe anilibus, superstitiosis vulgaribusque subigi remediis, quàm exquisitis, delectis, &, ut alibi vocant, Canonicis. Adeò nihil hic conceptæ formulæ aut excogitatissima remedia juvare videbantur. Anicula autem, sive asperitate doloris seu casu adacta, Mel, quod fortè in propinquo erat, cujusque aliàs usum suspectum habebat, delibare audacius cœpit, & ne consilium temeritati deesse videretur, ruinosis dentium cavitatibus petulanti linguâ inserere. Hic ubi medicaminis inconsultò assumpti pœnam exspectabat, augmentum doloris, præter opinionem alia accidunt; nam vix horæ momentum, cum dolore se remittente notat intolerandam in summâ linguâ pruriginem, quam ut à fluore acri salso oriri credidit, tentata manu medela, reperit tandem volubiles passim vermiculos numero quinque. Accersi me protinus jubet tam exilium monstrorum fortuita domitrix; vixque intratveram ænes, cum illa gaudio perfusa atque à doloribus libera tum lusum fortunæ mirabilem, tum vilis remediis successum operosè explicat. Postquam autem nudam oculorum aciem, tandem & armatam admovere cœpi, inveni eos pediculis planioribus, si seriem pedum annulatamque corporis formam exceperis, sanè quàm similes multò saltem concinniores, quàm quos in Ovium Hepate comperit experientia vulgusque Lanionum in Italia *Biscioli* vocat, à Francisco Redi, Nobili Aretino, illo de Insectis libro, depictos. Illi autem Vermiculi unde nati, quo ovo, semine aut putredine educti? Figuratum ibi rotundulumque & oviforme corpus hæsisse, quod sese deinde accessu Archæi alicujus in Vermiculum refinxerit, nequidquam credas, jam verò etiam superstitis escæ ramenta seminio ante aliquo aut ovulo animata in planum tandem figuratumque animal excrevisse est cur dubitemus. An potius ex Scorbutico dentium Tartaro Spiritus, vel Ideæ seminalis unde raptæ commercio vivaces & ampullatæ vermium vesiculæ, tandem etiam rostratæ pedatæque emerserint, penes alios judicium esto. Quomodo deinde tantum creaverint dolorem? Utrum sugendo trahendoque Hirudinum instar, nam dolorificæ suctionis speciem persensisse se ægra significabat? An verò mordendo & vellicando fibrillarum nervearum extrema, quâ exesæ cavitatis fornici impendent, si modò ulla denticulorum vis in tantâ exilitate fingi possit? Id verò constat, Vermes, qui in vultu sæpe nidum ponunt pustularum specie, ipsis sese cutis & glandulosi contextus poris intulisse, subinde etiam fusco aut nigro capitulo emicare doloremque si quem excitant, aut pruriginem, ad seri salsioris affluxum inquieto articulorum motu efficere. Sed quod de Verme Odontalgico monui, utrùm ad alios quoque dolores & Auris illos quos immanes sæpe notavimus, & Dentium istis vel pares aut majores, transferri possit, non antè dixerim, quàm in Ceruminibus quoque, non aliter ac in Dentium illo muco, Vermes enasci experientiâ compertum sit. Memini tamen in corrupto utriusque auris Cerumine analogi quid vidisse; corpuscula certè erant ampullata & figurata alia aliis incumbentia; sed quod vitali motu, attrita forte & refrigerata, destituerentur, non statim temerario sensui accedere opinio debuit. At cum in Pipere, in Calce, & acerrimis quibusque rebus, nasci vermiculi possint, ceruminum illa materia, mitis sæpe & purulenta, verminationem non abnuet, & sic etiam novis dirissimisque doloribus scenam parare poterit. *Nicol. Pechlin. in Observat. Physico-Medicis.*

A Dentium dolore Maxillæ Caries.

Neque ideo omnis dentium dolor à Verme repetendus, aut particulare contingens universali enunciato æquiparandum; quando tot iterum aliæ causæ tragœdiæ huic ineundæ materiam præbere possint. Est Sanguis, Serum, Pus, sunt alia, plerunque tamen corrosiva, quæ eundem illum dolorem creare queunt, quid quod nec flatuum ex hâc parte sit immunitas. Atque hinc

hinc adeo est, quod in nullo admodum morbo tanta sit medicamentorum varietas, tanta farrago, atque in ipso hoc, si partem æstimes, exili sanè morbo. In Fœminis sæpe Sanguis sive ab Utero seu aliunde in caput inque dentem redundat sola sanguinis missione revocandus. Aliis Serum copiosè destillat, nerveisque dentium filamentis acrimonia, eaque salsa aut acida, insultat; aliquando & frigore Ammoniacali, nunc & æstuoso calore aut vicina aut destua lympha infestat. Aliquando etiam à sordibus & dentium mucilagine, cui ipsi vermes innasci non improbabile est & jam vidimus, orta aciditas atrocissimis doloribus ansam præbet. Hac ego mucilagine universos insterni atque incrustari dentes vidi, nec ante dolorum requiem fuisse, quàm acri adstringenteque Decocto comminuta visci lamellati aut membranæ instar recederet. Hic certe acor est ex putredine natus, & ut Ossium texturæ nihil est acido hostilius, ita Caries quoque ab uno illo nasci plerunque solet; atque ita feralis ille dolor ab impuritate oris, ab ascendentibus ciborum reliquiis originem sæpe trahit. Sit Vermis, qui denti allapsus foramen figat penetretque, sed in hoc deinde foramen abditæ ciborum reliquiæ putredinem & ex illa acrimoniam concipient adeò Nervorum filamentis Dentiumque radicibus infestam. Posse verò etiam lympham, illam glandulosæ Gingivarum carnis sobolem, tam internecina subinde acrimonia imbui, ut omnem à Medicamentis temperiem recuset, & tandem cum tempore carnium texturam ipsorumque imprimis ossium terebret permolatque, nec ante desinat, quàm rodendo suam ipsius infregerit acrimoniam, Observationibus puto constare. Ostendit mihi Pharmacopœus & doctus & Artis suæ peritissimus spongiosas tubulatasque maxillæ inferioris laminas complures, quas acrimonia lymphæ sæpius per aliquot hebdomadas sævientis sedibus suis extruserat exulcerata carne, mox iterum sedata ferocia coëunte. Notus mihi aliàs, qui Fistulam aluerit in Gingiva inferiore prope dentem primum molarem; fundebat illa semper aliquid putidæ saniei, quâ sufflaminata dici non potest, quantis doloribus excruciaretur; adeò nunquam de consolidando hoc vulnere fuit sollicitus. Sed quæ illa lymphæ ferocia, aut, si mavis, ἰδιοσυγκρισία, non carnes tantum sed & ossa, spongiosa illa & tubulata maxillarum, narium viciniæque depasci illæsis dentibus, quod in atrocissima illa Scorbuti, Stomacacæ; specie & in Lue Venerea non sine horrore vidimus. *Idem ibidem.*

Alveoli dentium ob varias causas penitus consumti, unde dentium vacillatio & casus.

Affectui in Observatione 76. descripto, puta ossium diminutioni, jure merito annumeranda est talis alveorum dentium in nihilum redactio, in qua ne vestigium quidem eorum relinquitur, unusquisque tanquam ex tripode dictum, pro certo habet alveolos seu præsepiola dentium evulsionem aut casum spontaneum neutiquam manere aperta. Cui opinioni calculum quoque oppono: Ast verò quid propriè in illa commutatione eveniat, non satis unanimiter eloquuntur Anatomicorum Coryphæi. Curiosus partium & structuræ corporis indagator Thomas Bartholinus hæc nobis reliquit in sua anatomia cap. 9. fol. 720. Aliquando *obliterantur & constringuntur* (de dentium disserit alveolis) *dentibus cadentibus vel evulsis. In senio non raro amissis dentibus alvei obliterantur, & circuitus acutiores facti, durique, ut in senibus ad manducandum dentium vices subeant.* Adrianus Spigelius super hac re ita inquit: *Tot sunt cava, quot dentes, cum quilibet primum erumpens sibi proprium ac peculiare condat præsepiolum, concidens etiam secum una alveolum suum perdat, ita ut ne vestigium quidem maneat.* Joannes Riolanus in sua Anthropographia hæc habet: *Dente evulso, nisi novus succedat, ita constringitur & occæcatur alveolus, ut ipsius nullum remaneat vestigium.*

Horum neminem refutare animus est, sed potius eorum observationibus illustrandis hæc addere; nempe non solùm alveolos in senio obliterari, & circuitus acutiores & duriores fieri ad manducandum, aut alveolos occœcari, aut concidere; sed præterea in multis ita in nihilum redigi, ut, mirum visu! maxilla tam superior quàm inferior tantum spatii in profunditate amittat, quantum occupavere alveoli: itaut ne quidem minimum digitum lata maneat inferior, superiorque ad nasum ferè usque deficiat. Hinc foramina pertranseunti ramo nervi quarti paris, (ut cum antiquis loquar destinata, non in antica & laterali maxillæ inferioris parte, sicuti in maxillis quæ dentibus alveolisque omnibus instructæ sunt, inveniuntur; verùm in summo maxillæ inferioris. Hinc etiam maxilla superior tantum amittit de sua altitudine, ut inter os & nasum latitudo calami scriptorii vix intercedat. Causam istius destructionis aut potius totalis annihilationis alveolorum, soli attritioni in masticandis cibis non possumus adscribere, sæpè enim videmus dente uno evulso alveolum ipsius ita aboleri, dentibus proximè adsitis alveoli attritionem cohibentibus. Imò non raro in nihilum rediguntur alveoli ante dentium casum aut evulsionem, unde vacillantes dedtes maxillis solummodo cohærent gingivarum & membranarum beneficio; & gingivis quoque deficientibus eos soli membranæ adhærentes deprehendi. Frustra itaque in tali constitutione dentium remedia ad firmiorem cohæsionem quæritant homines totum malum scorbuto attribuentes, & nil minus quàm defectum alveolorum suspicantes: Noli interim credere, Lector benevole, hoc malum nemini contingere, nisi ætate provectioribus; memini me hoc in triginta solùm annos nato vidisse, qui aliquot ex anterioribus dentibus ita vacillantes aliquamdiu gestarat, donec nullis proficientibus remediis antiscorbuticis facillimè eos solis digitis evelleret. In aliquibus (ut dixi) etiam observavi, simul cum alveolis gingivas perire, & per solas tunc membranas dentes maxillis adhærere, idque tum laxe, ut ne quidem liberè comedere possint afflicti, imò à linguæ motu in locutione tanquam fluctuantes sese moveant dentes. Dixi superius, eorum alveolos in masticando cibo ab attritione sola non aboleri, neque etiam puto eos semper pellicula ossea claudi, aut concidere, vel occæcari, verum in nonnullis senibus in totum aboleri & in

nihilum

nihilum redigi, quemadmodum arteriæ umbilicales, fœtu in lucem edito, sæpè in tenuem degenerant membranam, ac si nunquam arteriæ exstitissent; sic & mammæ in senectute sæpenumero in totum exarescunt. Itaque si perquàm tenues sint à natura facti alveoli, evulsis aut elapsis dentibus non habent unde repleant cavitatem, & propterea maxillæ ita diminuuntur. Si vero aboleantur alveoli antequàm dentes exciderunt, nullam aliam agnosco causam, quàm scorbuticam affectionem, & tartaream materiam dentes obsidentem; unde non solùm gingivæ, verùm etiam alveoli sensim sensimque consumuntur. *Frideric. Ruysch. Observat. Anatomic. Chirurgic. Centur.*

DEPILATIO.
Vid.
PILORUM DEFLUVIUM.

DERBIA
Vid.
IMPETIGO.

DESIPIENTIA
Vid.
DELIRIUM.

DIABETES.

Diabetes apud antiquos morbus adeo rarus fuit, ut multi celebres medici nullam ejus mentionem fecerint, & Galenus tantum binos ab eo laborantes noverit; in nostro autem seculo compotationibus, & imprimis vini meracioris ingurgitationibus dedito, affectus hujus exempla, & instantiæ satis crebræ, ne dicam quotidianæ occurrunt: verùm utut familiaris, & quoad Typum satis sit notus; quæ tamen sint ejus causæ, & ratio formalis fere in totum nescitur. Super his philosophari seu potius conjectare ausim, imprimis morbi hujus descriptionem quoad omnia, aut præcipua ejus phænomena trademus; dein, cujus partis aut humoris vitio ea singula oriuntur, perquirere nitemur.

Diabetes à διαβαίνω transeo dicitur materiæ potulentæ nimis celer transitus, item urinæ profluvium. Hoc affectu laborantes multo plus mingunt quam bibunt, aut alimenti liquidi assumunt; insuper sitim continuam, atque febrem lentam, & quasi hecticam semper adjunctas habent. Quod autem plerique Authores potum aut parum aut nihil immutatum reddi asserunt, à vero longissime distat: quoniam urina in omnibus (quos unquam me novisse contigit, & credo ita in universis habere) tum à potu ingesto, tum à quovis humore in corpore nostro gigni solito, plurimum differens, quasi melle aut saccharo imbuta, mire dulcescebat. Prædicti erroris occasio, (ut opinor) fuit urinæ color, qui semper crudus, aquosus, velut Pica, aut hydrope laborantium, apparet. Ut symptomatum horum rationes indagemus, primo inquiratur unde urinæ excretio tam copiosa, & celer est, dein ad reliquam affectus hujus Ætiologiam procedamus.

Quod nonnulli pro Diabetis causa, renum vim attractricem assignant, nobis minime arridet: quippe sanguis ad renes non attrahitur, sed motu cordis pellitur. Porro nec serum è sanguine eos perluente hauriri, aut emulgeri, sed partim percolatione, & partim fusione quadam sive præcipitatione (prout superius clare ostendimus) secerni videtur: quapropter Diabeten sanguinis potius & immediatius, quam renum affectionem esse, & originem suam inde sumere credimus, quatenus cruoris massa velut deliquescit, & in serositatem copiose nimis funditur: quod equidem ex urinæ quantitate ita in immensum aucta, quæ non nisi à sanguinis deliquio, & consumtione procedat, facile constat: Propterea item cruor residuus, sero ejus ita ubertim abscedente multo crassior, & ad coagulandum aptior evadit; uti ex pulsu celeri, & laborioso arguere licebit: nam idcirco cor rapidius movetur, ut sanguinem, plus solito dum exagitat, à coagulatione præservet. Porro ut hujus fluiditas, ob nimia serosi laticis impendia periclitari apta, continuari possit, materies potulenta siti immani urgente copiosissime ingeritur, ac insuper humores solidis partibus impacti à sanguine resorbentur, quinimo ipsarum farcimenta in hujus reparationem deliquescunt, hinc ut morbo isto laborantes, plurimum sitiant, & brevi emarcescant.

Itaque, ut Diabetis causam conjunctam, & rationem formalem designare ausim, opinari ducor sanguinis crasin sive mistionem ita laxari, & quadantenus dissolvi, ut particulæ aquosæ à crassioribus contineri nequeant, quin illæ harum amplexibus cito elapsæ, & salinis imbutæ, per vias renum maxime patentes excurrant. Interim vero ad sanguinem diluendum, & à coagulatione vindicandum, humores alii, tum ab extra, tum intus in eum corripiuntur; atque præcordia magno usque molimine in motum rapidiorem urgentur.

Præterea tamen in causæ conjunctæ partem aliquam renes quandoque accedere putamus, utpote quorum fermentum ita nonnunquam vitiari solet, ut sanguinem non salis lixivialis influxu in debita mixtione atque fluiditate continet, proinde ut serum mera percolatione ab eo separetur; sed interdum accidit à sale acido in renibus deposito cruorem, dum eos pertransit, velut à coagulo quodam in serositatem copiosam, quæ mox per ureteres amandatur, præcipitari. Hinc observare est, in plerisque Nephritidi obnoxiis paroxysmos ingruente urinam limpidam, & copiosam reddi. Cujus causa est, quod humor acidus per ductus nerveos illuc delatus, & dolorem (prout alibi ostendimus) excitant, imprimis sanguinem renibus illabentem fundit serique uberioris ab eo decessum producit.

Cæterum non improbabile est διούρησιν copiosam, aliquatenus à renum mala conformatione procedere, in quantum scil. horum tubuli lymphatici nimis ampli, & patentes, seorsum laticem nimis prompte excipiunt, & sine remora quavis celeriter transmittunt, propterea ut major ejus quantitas in urinam excurrat. Verum enimvero ut tubulos hos quandoque, & præsertim

sertim in calculosis, nimis patere concedam; attamen proinde lotium cruentum potius, quàm copiosum excerneretur. Et revera mictionem sanguineam à tali potissimum causa exoriri putamus. Porro cum urina copiosa, & cruenta simul existit, sanguinis dyscrasiam cum mala Renum conformatione concurrere censemus, prout in causa cujusdam ægrotantis notabili mox declarabitur.

Interea non est ut dubitemus, præcipuam & maxime crebram Diabetis causam, in sanguinis mistione dissoluta nimis, & laxa consistere, quinetiam pari ratione ὀῤῥὸν minutam, & debito pauciorem, sæpenumero à sanguinis compage nimis stricta, & velut obserata pendere. Porro hic opportunum erit inquirere an non totalis urinæ suppressio interdum à tali causa procedat? Quanquam enim satis vulgo notum est, Iscuriæ fortioris & pertinacis causam, sæpissime infra renes consitam, omnino à ductibus urinariis penitus obstrictis pendere, cumque egomet plures ab urina totaliter suppressa defunctos aperui, in omnibus reperi mortis causam invincibilem, ureteris unici paulo antea patentis (altero dudum occluso) à calculo recens impacto, obstructionem fuisse. Attamen Doctiss. Dr. Riverius duos refert Ægrotantium casus, in quibus Ischuria totalis & plurium dierum sola phlebotomia curabatur, & propterea morbi causam ascribit Venis Emulgentibus supra modum distentis, adeo, ut propter seri expulsionem se contrahere nequirent, quemadmodum observatur passim in vesica urinaria, quæ valde impleta non facile ad mictionem componitur. Verumenimvero, ut Historiis istis (uti par est) fidem præstemus, isti tamen Ætiologiæ assensus minime debetur. Quippe vasorum emulgentium non illud munus est, quod vir Clarissimus assignavit; non venæ enim, sed Arteriæ serum una cum sanguine, absque ullo urinæ plenitudinis aut rigiditatis periculo, constanter deferunt; cum autem serum in vias patentes non cito excurrat, ratio videtur esse, quod cruoris massa stricta nimis, & compacta, laticem aquosum; intime permixtam è sinu suo ægre dimittit.

Huc facit observatio Anatomica super cadavere Reverendissimi Episcopi Cestrensis nuper facta. Cum Illustrissimus ille Dominus, diu calculosus, demum à suppressione urinæ diuturna fatum obierat; mox præsumebant omnes lethi causam fuisse, ureteres à lapide aut materia sabulosa penitus obturatos; attamen disquisitione per Anatomiam accuratissimam adhibita, nulla omninò in ductibus istis obstructio, aut lotii impedimenta deprehendi poterant. Similem huic observationem anatomicam haud pridem à se factam retulit mihi vir Doctiss. D. D. Lover, ubi nimirum Ischuria lethalis, nulla prorsus circa vias urinarias sui vestigia reliquerat: Hinc ut conjicere obvium sit, siquidem renes insuper sarti tecti erant, morbi causam omnino in sanguinis concretione, & compactione nimia constitisse.

At vero à diverticulo hoc regressi, post Diabetis causam conjunctam, & rationem formalem explicatas, ad causas ejus procatarcticas eruendas procedamus. Itaque si inquiritur, unde sanguinis compages ita laxa, & dissoluta, inque serositates deliquescere apta evadat; dicimus, hujus sicuti & lactis, fusionem ex eo procedere quod cum in massa ejus sales diversæ indolis conveniunt, & associantur, reliquæ particulæ salinis [quæ eas ab invicem sejungunt, & in mixtione continent) liberatæ statim in partes secedunt. Quod si amplius inquiratur, undenam sales isti, quorum privata combinatione, sanguinis mistionem solvi, ejusque fusionem introduci supponimus, adveniunt; non est pro illis designandis ut longe disquiramus; etenim plane constat, massæ sanguineæ particulas salinonxas, & volatiles, naturaliter semper inesse, quibus si quando sal acidus, seu fluore potius, satis ubertim accedat, prædictam affectionem facile excitabit. Hinc est, quod vinum Rhenanum, Pomaceum, & liquores acidi epoti διούρησιν copiosiorem provocant, propterea item in quibusdam valetudinariis, quorum sanguis sale acido abundat, medicamenta sale fixo aut volatili prædita urinam movere solent. Nec tantum ab assumtis, sed ab humorib. intus productis, affectus iste passim evenit. Observare est plurimos pathematis spasmodicis obnoxios, ante, vel post paroxysmos, urinæ limpidæ copiam ingentem reddere; cujus certe causa est, quod sanguinis, & succi nervei recrementa, in partibus solidis aggesta, siquando in acorem degenera turgescant, & in sanguinem refluant, fusionem ejus, & proinde urinæ profluvium inducunt. Quapropter cum talis urinæ profusio constans, & habitualis existit, nihil verisimilius dici potest, quam, quod humores excrementitii, in partes solidas ablegati, indeque, postquam acorem illic contraxerint, in sanguinem reversi. hujus liquorem in serositatem nimiam fundunt, proindeque perennem adeo, & immensam excretionem cient.

In præcipuam vero hujus noxæ partem, succum nerveum merito referimus, quippe hunc, si quando à recta crasi decidat, admodum malignum, aliisque tum humoribus, tum partibus solidis infestum evadere, alibi ostendimus; Quapropter ab eo depravato, etiam sanguinis mistio perverti maxime periclitatur. Ipsum vero succum nerveum depravari arguere licebit, quoniam in Diabete spiritus animales plurimum oblanguescunt, & nutritio statim omnis frustratur.

Porro quod sententiam hanc egregie confirmat, observavi in pluribus huic morbo per intervalla obnoxiis, quod paulo antequam in urinæ profluvium inciderint, in toto corpore partium nervearum dolores vagos, & corrugationes, modo cum stupore, aut formicationis sensu, modo cum crebris spasmis, ac tendinum subsultibus, aliisque spirituum perturbationibus, & inquietudinibus paterentur: indicio sane manifesto liquorem fibras nerveas irrigantem, à crasi degenerem, & fæculentiis refertum, spiritus irritare, inque ἀταξίας cogere. Dein postea cum succi nervei recrementa, & superfluitates, fluore oborto in massam sanguineam exundantia, Diabeten inferrent, prædicta symptomata cessabant, succedente vero spirituum languore, & virium concidentia.

Diabetes dicitur vulgo hydrops ad matulam, & nonnulli contendunt utrumque morbum revera eundem esse, easdemque causas & rationem formalem habere, & symptomata tantum quoad serosæ excretionis modum variari; nempe quod sanguis in utroque pariter affectu seri

seri incontinens, & arteriis exspuere coactus; in uno, ipsum in corporis habitum, & viscerum cavitates profundat: inque altero, idem in renibus affatim per ureteres amandandum deponat. Verum enim-vero, si res accuratius perpendatur, inter hos morbos notabilis differentia occurret. Nam Anasarca plerumque originem suam inde primo desumit, quia sanguis imbecillis, & nimis frigidus, non satis accenditur, & effervescit, ut chylum continenter advectum coquat, & assimilet; adeoque volatiliset, quo inter circulandum eum in sinu suo contineat; quin necesse habeat hunc una cum latice seroso ubique locorum exspuere, & juxta vasorum interstitia relinquere: dein postea morbo ingravescente sanguis non modo debilis cruditatibus, verum in crasi degener fluxionibus, & coagulationibus obnoxius fiat, proindeque humores serosos, & copiosius progignat, ac in partes indebitas impetuosius suffundat. Verum è contra in Diabete cruor satis, immo ut plurimum nimis effervescit & accenditur, ac chylum advectum celeriter & supra modum coquit: quinimo partes solidas colliquat, earumque liquamina absorbet, secum per vasa circumfert, & super quam satis est coquit; attamen cum ob salium concursus, sanguinis compages penitus dissolvitur, ac in serositates funditur, portiones, quæcunque abscedere possint, intra renes secretæ, per ureteres excurrunt. Si morbus Diabeti similis sed inversus (sc. in quo sanguis in serositates, exsolutus liquamina sua in totum corpus profuderit) uspiam ullus occurrit, proculdubio erat febris olim epidemica (Sudor Anglicus) dicta; ubi sanguis in aquosiores deliquescens humores omnes, tum utiles, tum inutiles, usque ad pabuli vitalis impendium, in poros corporis per sudorem amandandos profundebat.

Hæc de morbi Diabetis ratione formali, & causis, sc. Conjunctis, & Procatarcticis; quod ad Evidentes spectat, propter quas nimirum occasiones, succi acidi, sanguinis fusionem sive coagulationem excitaturi, in corpore nostro gignuntur; hæ varii generis, ac originis existunt. Mala victus ratio, ac imprimis assiduus, & immoderatus pomacei, cervisiæ, aut vinorum acidorum potus; interdum mœror, & tristitia diuturna, item affectus convulsivi, aliæque spirituum animalium depressiones, ac inordinationes, diathesin hanc morbidam parere aut fovere solent. Novi quendam, vino Rhenano pro potu ordinario per 20. dies usum, Diabetem incurabilem contraxisse; ex qua, non obstantibus medicorum plurium insignium consiliis, & remediis quibuscunque intra mensem interibat. Memini duas mulieres, pathematis spasmodicis & hypochondriacis obnoxias, quibus subinde magna urinæ profluvia cum languore, & carnium intabescentia accidebant.

Explicata jam nunc morbi hujus Theoria, adhuc restat symptomatum notabilium rationes exponere. Harum nonnullas ex præmissis satis constare arbitror, sc. quamobrem in Diabete urinæ excretio ita celer, & copiosa existit: quod autem laborantes febricitant, & valde sitiunt, ratio partim est, quoniam humores, & succi quibus tum sanguis, tum solidæ partes & humectantur & refrigerantur, continuo per diuresin impendio plus nimis exhauriuntur; quare fauces arent, & præcordia insigniter æstuant: & partim, quoniam urgente naturæ instinctu cor, & pulmones in motus rapidiores urgentur, ut sanguis, sero diluente privatus, à coagulatione sive concretione vindicari, ac in circulatione debita continuari possit.

Attamen explicatu magis arduum videtur, quare Ægrotantium urinæ adeo mire dulcescunt, sive saporem mellitum referunt; cum potius è contra si juxta hypotesin nostram sanguinis fusio, & (quæ propterea succedit) urinæ profusio ob salium combinationes accidat, certe liquor his impregnatus potius salsus esset quam dulcis. Verum huic referre obvium est, dicendo imprimis urinam sapore salso privari, in quantum plures sales, qui diversæ sunt indolis, in ea combinantur. Nam hoc multiplici in chymicis experimento constat, quod cum sales, qui diversæ sunt indolis, uti fixus, aut volatilis, cum acido miscentur, utriusque acrimonia obtunditur, aut amittitur; quare quod urina Diabete laborantium minime salsa sit, non est quod miremur. Cur autem instar sacchari, aut mellis ea mire dulcescat, nodus vindice dignus est.

Hunc effectum ex eo quispiam oriri putaret, quod una cum sanguinis sero, per renes excurrente, tum liquor recens nutritius, tum solidarum partium liquamina amandarentur; quare non improbabile videtur dulcedinem istam ex succis hisce opimis lotio permixtis conciliari. Verumenimvero ex mistione ista sapor tantum lenis ac instar lactis aut jusculi carnium blande demulcens, sed non mellitus, excitabitur: quinimo ad hunc, qui non solum gratus, sed quodammodo pungens est, spicula salina, una ac mulcimina sulphurea (prout alibi ostendimus) concurrere debent. Quare prout saccharum, & mel merito ad concretiones salino-sulphureas referimus; ita suspicari fas sit, urinam in Diabete adeo dulcescere, eo quod Salibus in sero combinatis particulæ quædam Sulphureæ ex colliquatione solidarum partium delibatæ accrescunt.

Quoad prognosin hic morbus incipiens sæpe ac facile curatur, confirmatus autem raro admodum & difficillime; quatenus nempe sanpe sanguinis crasis paululum laxata, sine magno negotio reducitur; illa vero multum soluta ita, ut plurimæ partes aliæ ab aliis secedant, vix aut ne vix restitui potest.

Quod vero ad Therapiam spectat, difficillimum videtur in hoc morbo veras medendi intentiones designare; in quantum causa ejus ita profunde latet, altasque adeo & valde remotas origines ducit. Nam quod vulgo putatur Renes, aliasque partes solidas, serum, & sanguinem continentes aut transmittentes peccare, quatenus contenta sua propere nimis dimittunt; proindeque Astringentibus potissimum, ac fere tantum insistendum esse: dico huic tum hypothesi tum Praxi, & rationem, experientiam refragari: in quantum pauci, aut nulli hac methodo curantur: & summe improbabile (ut non dicam impossibile) est, διάρροιαν istam à tali causa procedere.

Itaque in hoc affectu, sicut in plerisque aliis tres erunt Primariæ Indicationes Therapeuticæ,

viz. Curatoria, Præservatoria, & Vitalis. Harum Prima morbum respiciens & διάῤῥοιαν nimiam cohibere nitens, absque Secunda quæ in morbi causam collimans, sanguinis mixtionem, sive crasin debitam præservare, ac restituere conatur, peragi nequit. Quapropter circa morbi hujus Therapiam præcipuæ medendi intentiones erunt, Sanguinis fusionem ne fiat præcavere, atque ullatenus factam tollere. Primo sanguinis fusio inhibetur, dummodo partes ejus crassiores, & Aquosiores se invicem contineant & contineantur, neque aliæ ab aliis ita continuo & præpropere abscedant: quod quidem efficitur per Remedia Incrassantia vulgo dicta, quorum scilicet corpuscula viscosa admodum & glutinosa, in massam sanguineam admissa, particulis ejus activis pertinaciter cohærent, adeoque eas ab invicem separant, & ne fluoribus obortis mutuo inter se; aut cum salinis aliunde suffusis combinentur, impediunt. Propter hunc finem Oryza, Amylum, vegetabilia mucilaginosa, necnon Gummi, & resinosa quædam in hoc morbo juvare solent. Secundo ut Sanguinis fusio aliquatenus facta tollatur, ejusmodi remedia indicantur, quæ salium concretiones dissolvunt, ita, ut particulæ quæque elementates insitæ, denuo sui juris factæ, situs priores recuperent, adeoque sanguinis crasin primævam redintegrent. Hujusmodi effectum in Lacte Coagulato, salis fixi, volatilis, aut nitrosi additione, necnon spiritus C. C. salis Armoniaci & similium infusione produci supra ostendimus. Cujus ratio (prout ibidem innuimus) procul dubio hæc est, ut dum particulæ salino-fixæ, volatiles, aut nitrosæ, in uberi satis copia lacti inditæ, particulis acidis sive præcipitatoriis occurrunt, cumque iis combinatur, reliquæ salinæ quæ prius ligabantur, jam liberatæ, perque liquoris massam diffusæ, sulphureas & terrestres inter se combinatas dissocient, & quaquaversus dispergant, proinde ut particulæ rursus omnes æquabiliter permixtæ, se mutuo contineant, & contineantur. Quantum hisce ἀνάλογος Sanguis propter stagmata saliva ipsi calenti affusa alteratur, per experimenta ibidem citata declaravimus. At vero pro curanda Diabete, medicamenta salina quoniam à plerisque fere semper Diuretica æstimantur, non facile, aut temere exhibemus; quamquam interea huic methodo, uti non ratio, ita nec dum experientia refragatur. Nam sæpius in hoc morbo tincturam Antimonii cum bono successu præscripsi, atque Aqua solutionis calci vivæ, cum rasura Sassaphras seminibus Anisi, passulis, & liquiritia, juxta receptum vulgare â nonnullis eximie commendatur.

5. Indicatio Vitalis, per diætam incrassantem, & modice refrigerantem, perque cardiaca temperata ac imprimis per Hypnotica idonea, & tempestiva perficitur, quorum species præcipuæ ac formulæ quædam selectæ, in capite sequente subjiciuntur, inque hujus calce coronidis loco cujusdam Nobilis ab hoc morbo, interea dum hæc primo meditarer, ac postea scriberem, Ægrotantis Historiam proponere visum est.

Comes quidam Insignissimus, tum natalium splendore, tum propter insignes Animi dotes prænobilis, temperamenti sanguinei, vultus floridi, atque an ipso ætatis suæ vigore, incertum ob quas προφάσεις, ad diuresin nimiam proclivis evasit; cumque adeo per plures menses, urinæ profluvium subinde pati solitus esset, tandem in Diabeten (uti videbatur) confirmatam, ac pæne deploratam incidit. Præterquam enim quod nycthemeri spatio, urinæ limpidæ, mire dulcescentis, & quasi mellitæ fere sesquicongium excerneret, insuper siti immani, ac febre velut hectica, cum insigni spirituum languore, virium concidentia, totius corporis intabescentia afficiebatur. Cum hoc tempore ad consulendum cum Medicis celeberrimis D. D. Michlethvvait & D. D. Witherly accerserer, remedia sequentia (quorum usu brevi convalescere visus erat) præscripta fuerant.

♃. Summitatum Arboris Cupressi M. VIII. Albuminum ovotum conquassat. ℔ ij. Cinnamomi ℥ß. minutim incisis affunde lactis recentis ℔ VIII. destill. organis communibus, cavendo empyreuma. Capiat unciam vj. ter in die.

♃. Gum. Arabici, Tragacant. ana ʒ vj. sacchari pened. ℥ j. f. pulvis. Sumat. circa ʒ j. vel ʒ i ß. bis in die cum aqua destil. ℥ iij. vel ℥ iv.

♃. Rhabarb. pul. gran. ij. Cinnamomi gran. vj. f. pul. sumat mane, repetendo intra 6. vel 7. dies.

♃. Aq. Paralyseos ℥ iij. Cinnamomi hord. ℥ ij. syrupi de Mœconio ℥ß. f. haustus sumend. omni vespere.

Diæta fere tantum ex lacte, quod modo crudum, & vel aqua destillata vel aqua hordei dilutum, modo coctum cum pane albo, vel hordeo aliquoties in die sumebat. Horum usu cum in dies melius habuerit, intra mensem pæne sanatus videbatur: quando modice convalescere cœpit, urina insipida liquidi assumti quantitatem haud multum superabat, & deinceps nonnihil salsa, potulentis ingestis copia minor fuit; dein paulatim solito spirituum tenore & viribus pollens, ad pristinam Diætam redibat.

At vero Diathesis in hunc morbum haud ita penitus cessabat, quin postea crebra vice, propter inordinationes in victu, & forsan ob mutationes circa Anni tempora, in recidivam aptus, urinam primo copiosiorem, & dein limpidam, & dulcescentem, cum siti & febricitatione, & spirituum languore reddebat. Eorundem vero medicamentorum usu, brevi rursus evadere solebat. Non ita pridem, post longius rectæ valetudinis intervallum, paulo antequam urinæ profluvium pati cœperat, magnas in nervoso genere enormitates. & deliquia passus est: viz. in cerebro torporem, & vertiginem, in membris subitos spasmos, tendinum subsultus, & quasi venti huc illuc repentis varios transcursus persensit. Deinde cum remediorum idoneorum usu, prædicta symptomata sanari videbantur, Diabete more solito (scilicet materia è fibris, & partibus solidis in sanguinem, & inde ad renes, & vias urinarias exundante) recrudescebat.

Sub hoc tempore, prædicti Medici in consilium vocati methodo, ac remediis pæne iisdem ac

ac prius utendum præcipiunt; quorum usu cum intra paucos dies melius habere cœperat, Aquam calcis vivæ ter in die ad ℥ v. vel vi. sumendam præscribere visum erat; quo remedio per quatriduum usus urinam in quantitate modica, bene tinctam; & nonnihil salsam reddebat, & quoad reliqua fere sanus; uti olim fuerat videbatur. *Thom. Willis. Pharmaceut. ration. part.*

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones ex variis.

Curationes.

Diabetis specificum positum est in Marte; Essentia Croci Martis à Crollio descripta multùm hic prodest: Felicius operatur Tinctura Smaragdi, de qua in Dysenteria.

Cœterum Mars non tantùm intrinsecus, sed etiam foris prodest (purgantia hîc non commoda, neque diaphoretica) Itaque Balneum ex aqua ferrariorum præparatum & fomentatio ex aqua plantaginis cum aqua chalybeata decocta & regionibus renum ac vesicæ à singulis balneis quotidie bis vel ter adhibita profluvium urinæ Diabeticum multùm juvat.

Diæta porrò ex cibis siccantibus & semper cum aqua chalybeata coctis, unicè laudatur.

Potus nè nimium ingeratur, providendum est: ad sitim tantum explendam sufficit aqua Chalybeata vel decoctum CC. usti (vehementius, sic mirum calidè adstringit, nec sudores nisi fortè paucissimi erumpunt) aqua plantaginis, tamen nec sola, nec semper, sed cum aliis miscenda fuerit.

Tinctura Corallorum. It. Sal Corallorum mirabiles in Diabete habent potestates. *Joan. Harthm. in Pract. Chymiatr.*

Diabetis curatio consistit in calida renum, aliorumque viscerum intemperie corrigenda, eorumdem imbecillitate ac laxitate reparanda, humorum ad eos confluentium tenuitate incrassanda, & maligna qualitate oppugnanda. Quæ omnia sequentibus auxiliis præstari poterunt.

Venæ-sectio in principio morbi, viribus adhuc satis validis existentibus, revulsionis, & refrigerationis causa convenire potest, parva quantitate, & partis vicibus celebrata. Si tamen vires jam dejectæ fuerint, aut hic affectus alteri succedat, non erit locus huic remedio.

Evacuatio excrementorum per mollientes, & lenientes clysteres molienda est, in hunc modum compositos.

♃. Fol. lactucæ, portulacæ, malvæ & plantag. an. M. j. hordei mundati & rof. rubr. ana P. j. Fiat decoctio ad ℔ j. sem. In colat. dissolve diaprun. simpl. drachm. vi. mellis rosac. & ol. omphacini, an. ℥ij. Fiat clyster, frequenter injciendus.

Tum etiam purgatio blanda instituenda est cum medulla Cassiæ, & pulpa tamari Indorum; vel decocto plantag. portul. lactuc. tamarynd. & myrobal. cum syrupo rosaceo.

Vomitus etiam à nonnullis commendatur ex decocto seminis raphani & ebuli, cum oxymelite, qui vacuat, & revellit à partibus urinariis.

Ad intemperiem autem dictarum partium corrigendam & humores incrassandos, conveniunt julepi ex aquis, vel decoctis lactucæ, portulacæ, plantag. cum syrupo myrthino, cydon. & similibus, atque etiam de papavere in modica quantitate; addendo pulverem diatragacanthi frig. trochiscos terræ sigillatæ, & similia.

Vel ad magis astringendum in hunc modum componi poterunt.

♃. Rad. consolid. major. & plantag. an. ℥ j. fol. plantag. M. j. balaustior. & myrobal. citrin. an. drach. j. sem. plantaginis & portulacæ, an. ʒ. sem. rosar. rubr. P. j. coquantur ad ℔ j. In colatura dissolve syrupi cydonior. ℥ iij. Fiat julep. pro 3. dosibus.

In eumdem finem pulvis, vel opiata confici poterit in hunc modum.

♃. Sem. plantag. portulac. coryandri præp. & rosarum rubr. ana ℥ j. corallì præp. boli armen. margaritarum præp. & radicis tormentillæ, an. ℈ j. nucis moschatæ drach. sem. Misce, fiat pulvis.

♃. Conservæ rof. antiquæ ℥ iv. boli armeni, coralli præpar. & cornu cervi usti, an. ℈j. cum miva cydonior. fiat opiata.

Erastus valdè commendat syrupum, ex radice symphyti majoris, & prunis sylvestribus confectum, quem se summa cum felicitate in affectibus huic malo similibus usurpasse testatur.

Narcotica etiam, ut theriaca recens, syrupus de papavere, & laudanum opiatum, prudenter usurpata, in hoc affectû plurimum prodesse poterunt.

Perseverante affectû lac ovillum, aut bubulum, aut asininum erit convenientissimum: modò priùs serum absumatur, injectis frequenter silicibus candentibus. Eoque æger uti poterit manè, prout in aliis affectibus dictum est.

Sudorifica etiam ab authoribus commendantur, quibus serosus humor ad corporis superficiem evocatur. Ea tamen suspecta meritò esse debent, quandoquidem summam cum diureticis cognationem habent, viscerumque intemperiem augent. Si tamen iis locus aliquis unquam esse videatur, ex temperatioribus, utpote rad. chinæ, aut salsæparillæ, cum foliis endiviæ, borrag, acetosæ, decoctum parari poterit, imò in consumptis fieri poterit ex decocto pulli, aut gallinæ junioris, ut simul re nutritioni corporis consulatur. At verò tutius esse censemus externis remedis sudores elicere, putà vapore decocti convenientis in ligneo instrumento (ut vulgo fieri solet) nudo corpore suscepto.

Prædictorum sudorificorum loco maximè conveniunt diaphoretica, quæ simul malignam qualitatem oppugnare possunt: qualia in febribus malignis proposita sunt, ex quibus ol. vitrioli præcipuum est, quia ad sitim extinguendam, fluxum cohibendum, & malignitatem infringendam præstantissimum est.

Pro potû utatur æger aquâ ferratâ, cum syrupis acidis & astringentibus; vel decocto prunorum sylvestrium & corticis interioris

quercus. Quo remedio fere solo se hunc morbum in puero curasse testatur Erastus.

Exterius vero admoveatur fotus regioni lumborum, ex decocto rad. acetosæ, fol. plantag. cortic. granat. sem. sumach. & similibus, quibus aceti parum addatur. Vel quod utilius erit, paretur insessus ex eodem decocto.

Eademque pars inungatur unguento rosaceo, santalino & comitissæ simul mixtis vel sequenti linimento.

♃. Olei rosac. & myrtin. an. ℥ j. santali rubri, rosar. rubr. & corall. rubr. an. ℈ j. succi plantag. ℥ j. ceræ, q. s. Fiat unguentum.

Denique symptomata hunc affectum comitantia, ut sitis, vigiliæ, consumptio, aliaque remediis in propriis capitibus descriptis mitigantur. *Lazarus River. Prax. Medic. lib. 14.*

In Diabete, ♃. Conserv. flor. consolidæ, Rosarum an. ℥ j. Tinctur. sulph. vitrioli, solutionis corallor. an. ʒ ß. sangu. Draconis, Pulveris mastichis ana ℈ j. Syrup. cydonior. q. s. Misce fiat Bolus. Dosis ʒ j. manè & vesperi. Vel.

♃. Conserv. Rosar. ℥ j. Hord. mundat. ℥ ß. coq. in aq. fol. quercus q. s. colatur. ℥ viii. adde lixivii calcis vivæ ℥ j. Misc. Dosis cochleare bis in die, Seu.

♃. Tinctur. tartari, Corallior. ana ʒ ß. Martis ℈ j. Misc. Dosis gut. xii. in Decocto hordei & rosar.

♃. Tinctur. tartari antimoniati ß j. Dosis gut. xii. manè & vesperi. *Hermann. Nicol. Grimm. compend. Medic. Chymic. lib. 3.*

In Diabete conveniunt tinctur. corall. tinct. sulphur. vitrioli, crocus mart. adstring. species diaplantag. Myns.

♃. Spec. diaplantag. Myns. ʒ iij. croci mart. adstring. ʒ i ß. M. dos. ʒ ß. vel ʒ j.

♃. Tinct. mart. adstring. Croll. ℥ ß. dos. gut. 40.

♃. Tinct. corall. ʒ iij. Dos. gut. 20. vel 25. Prosunt quoque balnea & unguenta ubi de incontinentia urinæ describenda. *Joan. Michael. Prax. Clyn. gener. part. 1. lib. 4.*

Diabetis cura præcipuè consistit in tollendo ac resolvendo tartaro in renibus producto, qui siccitate & caliditate sua humidum potenter attrahit, quod potissimùm obtinebis à spiritu sal. tart. rectificato & acido vitrioli, cum primis verò aquâ mercuriali, quæ sola omnes materias tartareas resolvere potens est. *Joan. Petrus Faber in Pathologia Animata* super quo hæc est *Christiani Langii animadversio.*

Media curandi quæ ab Autore hic proponuntur, potiùs renum impuritates, unde illi intemperiem contrahunt, abstergendi vim habent, & saponaria existunt, quibus remotis renes ad pristinum vigorem redire possunt, & retentrix robur suum vel sponte recipit. Spiritum sal. tart. & aq. mercur. à virtutibus suis abundè jam cognovimus, quæ tamen non immediatè, sed mediatè hoc beneficium præstant, non secus ac vomitoria frequentes vomitus sistunt. Quid verò per acidum vitrioli intelligat, ariolandum nobis erit, putamus igitur vel spir. vitrioli rectificat. vel tart. vitriol. vel spir. vitriol. etiam coagulatum hoc termino Autorem innuere, quæ omnia contractas in renibus cruditates & vitia effectissimè corrigere, atque horum substantiam corroborare, adeoque per accidens adstringere valent. Adstringentium usus utut Autor, cùm hic neglexerit, tunc quàm maximè subjiciendus, inter quæ præter jam nominata, tanquam nobiliora laudamus insuper terram vitriol. dulcem, essentiam mart. tinctur. corall. veram, & tinctur. sulph. vitriol. Illa enim quæ ex vitriolo & tart. facta sunt, potius aperiendi & abstergendi vim habent, adeoque in Ischuria rectiùs commodiùsque assumentur.

Consultationes.

De Diabete in Puero Septenni, Lucensi, Ad Præclarissimum Virum Franciscum Mariam Florentinum.

Quanquam nihil in Arte medica sit adeò reconditum, quod Viro Præclarissimo non pateat, cujus propterea doctrina, & experientia alieno non eget consilio; meam tamen sententiam in medium quoque proferam in casu hoc perdifficili Nobilissimi pueri septennis, urinæ profluvio novem abhinc mensibus laborantis, cùm ut me consulentibus morem geram, tum ut optimè discussis à Viro doctissimo subscribam. Duo autem nobis incumbunt potissimùm. Primum expendendum numquid hoc urinæ profluvium sit verus diabetes, necne; secundò, generosiora remedia illis, quæ hucusque ritè, & ex arte fuerunt in usum revocata, & administranda proponuntur, addemus.

Primum itaque quod spectat, licet multa pro vero diabete faciant, mictio scilicet copiosa, cujus ratione hydrops ad matulam nuncupatur, sitis immodica, cujus causa diabetes διψακὸς dicitur Græcis; non tamen propterea præsentem affectum verumdiabeten pronunciandum censeo, quinimò ab ipso differre non solùm in essentia, verum etiam in causa morbifica. In essentia quidem, quoniam verus diabetes est copiosa potulentorum non mutatorum mictio, ex electione facta; quam propterea Galenus lienteriæ similem facit L. de Loc. Affect. cùm hæc excretio in principio fuerit involuntaria, noctu saltem, atque potius urinæ incontinentia tunc nuncupanda. Accedit, quod hæc excretio non statim à potu succedit, sed sex, octo, decem, & duodecim horis ab illo, neque assumptorum non mutatorum, cùm excreta urina enæorema aliquod habeat, sitque coloris subflavi, ut habemus ex historia. Adde, quod hic caret siti illa adeò immani, quæ in legitimo diabete se prodit; ut propterea differat in essentia, & annexis symptomatibus à vero diabete, ut & longo quoque intervallo in causa morbifica, & parte primò affecta. Verus namque diabetes est essentialis renum affectus, ipsis primario, & per se affectis intemperie calida modò cùm materia, modo sine ipsa, succedens aliquando febribus ardentibus, vel malignis, vel immodico diureticorum usui, vel ipsorum phlogosi, & æstui; estque affectio adeo

adeò rara, ut profiteatur Galenus se duos tantum vidisse legitimo diabete laborantes. Hoc autem urinæ profluvium non provenit ex vitio renum impensè calefactorum: alioquin subortus esset potius æstate, & post morbos calidos, cùm tamen cœperit cum urinæ incontinentia, & diarrhœa serosa in puero septenni, temperamenti calidi & humidi, Autumno, cum sopore, Bulimo, & frequenti vermium teretum albicantium excretione. Ex quibus luce clarius patet, profluvium hoc non esse verum diabeten, sed potius affectum illum, quem Avicenna cum Arabibus vocat urinæ multitudinem, ab inæquali viscerum intemperie, humida scilicet cerebri, unde sopor, frigida, & humida ventriculi, à qua Bulimos; & calida jecoris, sanguinem utcunque incrassante, unde major serositatis proventus. Quas ob causas adfuit etiam diarrhœa serosa, quæ certe à renum vitio fieri non potuit. Accessit quinetiam cutis constipatio, insensibilem prohibens difflationem, imò eam juvans, densando aëream substantiam per arterias attractam. Quæ omnes humiditates partim à renibus attractæ, ob aliquam ipsorum caliditatem, partim ab aliis partibus, & toto corpore ad illos transmissæ, tanquam partes imbecilliores, producunt hoc urinæ profluvium, cum suppressione, & adstrictione ventris; juxta dictum Hippocratis, *Mictio noctu plurima paucam significat dejectionem.* Atque hic casus memoriam refricat similis à Cardano propositi 8. de Varietate, & ante ipsum à Marco Gatinaria, suis ad 9. Rhasis ad Almansorem, Comment. Capite de cura involuntarii exitus urinæ. Referunt enim, puellam quandam annorum 18. Mediolani urinam tanta copia duos menses continuos minxisse, ut singulis diebus ad libras circiter triginta sex effunderetur, cùm cibus, & potus non excederent septem libras: unde subducta ratione spatio duorum mensium excrevit præter cibi, & potus mensuram, libras 1740. quod excedebat longè ipsius puellæ pondus, licet tota in urinam fuisset soluta. Propterea addit Cardanus, quæsivisse Joannem Marlianum, tunc temporis primatem Virum hujus rei causam: cui responsum, aërem, in omnibus arteriis contentum, in substantiam aqueam facessere: qua excreta, alium jugiter similiter in aquam cogi, atque ita ejus fieri uberrimum proventum. Itaque me judice, sunt præsentis affectus causæ, quem necessario sequitur macies, deficiente in venoso genere serositate, sanguinis vehiculo ad singulas partes nutriendas, hincque aliqua sitis, absumpta humiditate in ore ventriculi. Nec aliam ob causam credo invaluisse hanc affectionem sub hyemis adventum, quàm ob majorem cujus constipationem, & humidorum halituum copiam.

Quæ si ita se habent sperandum quoque erit fore, ut Nobiliss. puer convalescat, non secus ac levibus remediis adolescentulam illam sanitati restitutam retulit Cardanus.

Quod ut fiat, divertenda est fluxio, & prohibendus tantæ serositatis proventus, iis quæ caput exsiccent, ventriculum calefaciant & exsiccent, absque insigni jecoris incalescentia, renesque subastringant, & moderatè refrigerent.

Prædictis intensionibus satisfaciendum censerem alvum subducentibus; puta usu prunorum Damascenorum, præparatorum cum manna; conservæ ex fl. persicorum, & potissimùm frequenti usu clysterum emollientium, & laxantium. Revocandæ quinetiam sunt serositates ad corporis habitum, blandis frictionibus primò pannis asperis; mox & manibus inunctis oleo chamæm. & amygdalino: quinimò & per sudorem excitatum, non ope balnei, ne internarum partium augeatur humiditas, sed apposito pane ex minutis turfuribus parato, recenti à furno: vel laconico sicco. Vomitus quoque aliquando statim à cibo cieatur unctuosis, & pinguibus præmisso copiosiore cibo. Exsiccetur caput frictionibus, & pulveribus exsiccantibus, capillis inspersis: roboretur ventriculus, absque calefactione jecoris, primò modico usu vini absint. jejuno ventriculo, mox & decocto ex lentisco, cortice ligni guajaci. & santalis, cum carne vitulina, alterato absinthio, mentha, & betonica; in quo dissolvantur nuclei pinei & pistacia contusa. Roborentur & subastringantur venæ emulgentes succo granatorum & absinthii; abstinendo à cydoniis urinam cientibus, observatione Paschalii Meth. curandorum morborum cap. 50. qui refert historiam Sereniss. Regis Neapolitanorum Alfonsi, diabete laborantis ex frequenti ipsorum usu. Quare horum loco laudat Rhasis loco supra citato drachm. olibani, cum aqua absinthii. Ex usu sunt etiam trochisci de terra sigillata, cum semine acetosæ, & aqua menthæ. Aqua item ranarum & Astacorum, cum oxalide, & absinthio à Viro sapientissimo proposita, erunt accommodatissima; Lactis usum quàm maxime commendamus, dummodo non sit serosum. Quæ fuit causa, quod eo Asinini usus diarrhœam induxerit, cum urina excreto ejusdem saporis odoris, & coloris, quo fuerat haustum. Propterea ovillum, ultimo loco præscriptum optimum erit, si præsertim leviter decoquatur, vel etiam vaccinum. Nec minus profuturum speramus decoctum ex radice symphyti majoris, antehac præscriptum; omissis omnibus diureticis, cùm calorificis, tum refrigerantibus; & applicitis extrinsecus subastringentibus regioni lumborum. In quem usum ad rem erit unguentum santalinum, infrigidans Galeni, cum mastich. vel paretur ceratum ex acacia, hypocistide, mastiche, thure, bolo armena, & resina.

Accurata verò victus ratio est instituenda alimentis incrassantibus, coctis carnibus cum limacibus, caudis astacorum, & carne testudinum, cum absinthio, vel mentha. Vinum sit mediocris substantiæ, & substastringens; parca tamen manu: exercitium non sit validum: fugiatque omnes animi perturbationes, aërem frigidum, & ventosum, borealem. Sic enim spero fore, ut hoc tempore calido pristinæ sanitati restituatur. Quod à Deo Optim. Max. enixè contendo. *Bened. Sylvat. Consil. & Respons. Medic. Cent. 3.*

De Mictione Potulentorum non mutatorum. Pro Nobili Virgine Lucensi.

Rarus sanè est affectus propositus, nec à me antehac unquam observatus, quod scilicet Nobilis Virgo vigintiquinque annorum circiter,

non semel, sed sæpius urinam minxerit, potui non absimilem colore, odore, & forsitan sapore, si liceret eam delibare, absque ulla alia morbosa affectione. In diabete namque legitimo mictio est quidem potus prorsus non mutari, ex Galeno Sexto de Locis Affectis Tertio. In hac vero affectione sitis urget inexhausta, mictio adest copiosa, & corporis colliquatio, Verum quod in corpore salubri id contingat, hoc admirationem aliquam parit. Ut propterea dum de hoc affectu olim intellexisse, suspicari subierit hanc esse urinam Illam vineam ab Actuario descriptam, & Christophoro à Vega in duobus senibus observatam, rubicundam scilicet, à sanguineis ichoribus sero permixtis. Verum certior factus postremis hisce literis urinam in Patiente nostra non semper rubram esse, qualis est vinea, sed tunc tantùm, quando vinum rubrum biberit; albam verò, quando album, & omnino aqueam, quando vini loco aqua usa fuerit: in eam concessi sententiam, affectionem hanc diabeticam quidem nuncupandam esse, non quidem legitimam, & morbosam superius propositam, de qua Galenus, sed ampla significatione, qua pro potulentorum non permutatorum mictione usurpatur. Quanquam de nomine non admodum solliciti esse debeamus, cùm gravior occurrat difficultas in assignanda hujus causa.

De qua brevibus meam sententiam aperiens, statuo primo hanc omninò referendam non esse in venam illam splenicam ad ventriculum perreptantem à Cabrolio Anatomico propositam, atque ab aliis forte non neglectam; siquidem sive fuerit vena illa, quam alii Anatomici vas breve vocant, sive alius venarum ramus à Cabrolio inventus: non enim rarò occurrunt varii rami cum in liene, tum in aliis partibus, quarum alii meminere, mihi satis non constat quomodo assumpta permeent ad lienem, & ab ipso ad vias urinæ, cùm ex Anatome palam fiat venas lienis venæ portæ esse propagines, per quas hic expurgatur, aut per alvum ex Galeno decimotertio Methodi decimosexto, quæ ut facilius longè transmitti possit materia à ventriculo per venas meseraicas ad jecur veram sanguinis officinam, & ab ipso ad ramos venæ cavæ emulgentes, ad renes, & vesicam. Quod si aliquando per urinas expurgatur lien, facta metastasi à venis ad arterias lienis, & ab ipsis ad emulgentes arterias, & vesicam, hic tamen confluxus fieri non potuisset sine aliqua assumptorum mutatione. His accedit, quod si vas istud ab ortu efformatum fuit in liene, cur quæso non antehac se prodiderit hæc potulentorum mictio; cum aliàs vitia à mala membrorum conformatione, non per vices, sed continuò exerant, illorum testimonio, in quibus potus felleus perreptat ad fundum ventriculi; qui propterea continuò bilem evomunt, nec cibos perfectè concoquunt. Non ergo hæc fuerit causa hujus depravati mictionis. Tria autem in casu nostro concurrere posse mihi videntur; primò quidem aliquam ventriculi imbecillitatem, cujus indicia sunt dolores ante hanc evacuationem ipsam patientem divexantes: hinc enim fit quod assumpta justo tempore ventriculo non immorentur, sed citius præterlabantur. Accedit secunda causa, & quidem potior, inanitio venarum superiorum, nec non & valida ipsarum attractio, atque amplitudo. Hæc enim omnia conspirant maximè ad attrahenda assumpta non mutata. Quod autem à laxioribus venis & facili cursu id contingat, patet experientia Julii Alexandrini suis in Galenum de Substantia Facultatum naturalium Commentariis, ubi refert se observasse in urinis frustula radicum apii; A salsedine autem & potu vini meracioris, ac frequenti usu fœniculi, petroselini marini, vidit Lusitanus diabetem, in quo quicquid bibebat patiens, & ejusdem quantitatis, meiebat, Secunda Centuria observat. Curatione nonagesimaquarta. Tertia causa est imbecillitas retentricis, cum robore attractricis earundem, venarum, Quas ob causas diabete legitimo laboravit Nob. ille Venetus, frater Cardinalis quondam Pisani, qui febre correptus, cùm assumptis quibuscunque gelidissimis uteretur, vinum non solùm, & aquam, sed & syrupos non alteratos minxit, teste Victore Trincanello Libro decimotertio de Ratione curandi humani corporis Affectus, curatione undecima. Quam solam causam tanquam potissimam & adæquatam diabeticæ affectionis censuit Galenus Sexto de Locis Affectis tertio, conferens diabeten cum lienteria cùm sola tùm caninæ appetentiæ annexa. Quibus sic statutis, non difficili negotio nobilis Virgo sub tempus mensium, & fluentibus hæmorrhoidibus urinas istas reddere potuit: cùm ventriculum habuerit imbecillum, quod patet ex dolore & profluvio muliebri præteritis, venis amplis, attractice valida, ratione vaporum acrium, & æstuosorum à massa sanguinea expurganda elevatorum, ac expultrice cum impetu ad inferiora præcipitante tandem renum debilitate, ratione fluxionis pituitosæ, & melancholicæ materiæ cùm ad uterum, tum ad hæmorrhoidas, ad quas est proclivis.

Verum quia hæc omnia in patiente hac remissiora sunt, nec multum naturæ limites excedentia, ideò neque diabetica passio est perfecta. A qua tamen metus est, nisi Viri Excellentissimi accommodatis remediis illi occurrerint. Hæret vero scrupulus, quòd plures mulieres prædictis affectionibus laboraverint: quæ tamen neque tempore menstruæ purgationis, neque extra illud hujusmodi urinas reddiderint. An quod quilibet proprietatibus quibusdam individualibus donatus sit, quarum ratione affectioni alicui magis quàm alii opportunus fiat? Atque hæc proponenda habui, Virorum Excellentissimorum mandatis potius, ut morem geram, quàm quod per vires id mihi liceat, cùm nondum ex luxatione humeri convaluerim, spe meliorum à Viris Excellentissimis. *Idem ibidem.*

Nobilissimus Juvenis studiosus 25. annorum agens, temperamenti secundum totum, ad calidum & humidum vergentis, hepatis tamen calidioris, cum renum incendio & laxitate, pluribus abhinc annis frequenter ac copiosè mingens, post liberam victus rationem, in omnibus, sed potissimum in usu salitorum, & potu vini generosi, viginti abhinc diebus incepit urinam reddere consueto adhuc copiosiorem, diu noctuque, cum molestissima siti, in dies semper adeo adaucta, ut illi in somno lingua aspera & arida fiat, & noctu quoque bibere cogatur, potis-

potissimum vero interdiu frequentissimè bibit & mingit, ut plurimùm tamen aquam, quam celeriter fere immutatam per urinam excernit, quibus, postremis diebus, accesserunt imminuta appetentia, æstus in præcordiis, & virium aliqua insueta imbecillitas. De agendis itaque pro salute consulit.

Effluxus celer potus ferè immutati, cum siti inextinguibili, nullo alio nomine quàm Diabetis appellari potest, qui affectus & Hydrops ad matulam, à copia urinæ, & Dipsacus, & siti immani nonnunquam nuncupari solet. Hinc malè Aretæus illius causam in colliquationem retulit, cum tamen in veloci effluxu potus immutati sita sit, quem rarum affectum esse testatur Galenus ipse, qui toto vitæ curriculo bis tantum eundem legitimum vidit. Quoniam verò potus, vini potissimum, non omnino immutatus egeritur, dubitatur, num spurius ac illegitimus diabetes, an potius incipiens, & nondum perfectus dicendus sit. Nos autem potius non omnino legitimum hunc nuncupabimus, cum legitimi tum principium, tum augmentum, ne dicam & status nos lateat; etenim, tum renum, tum vasorum desiderium naturale tantummodo est, non animale, hoc est, nobis perceptibile, nisi tandem cum ad os ventriculi pervenerit, atque adeò in cæteris convenit hic affectus cum lienteria, & fame canina in hoc solum diversus, quod in canina fame principium ex eo patet, quod statim ac initio movetur facultas animalis, in diabete verò tantummodo in fine, eoque jam perfecto.

De causa verò non conveniunt Auctores, forsan quia Gal. eam absolutè non expressit. Sic à frigiditate fieri credidit Aræteus, à caliditate Paulus & Tral. à calidis & acribus humoribus Aetius. Ex recentioribus, Fernelius aliud quid certè accedere existimavit. Trincavella intemperiem frigidam, Platerus colliquativam, Rudius jecoris calorem, & ventriculi imbecillitatem, Joh. Baptista Sylvaticus insignem calidam intemperiem, tum jecoris, tum Renum, & totius massæ sanguineæ, quæ postrema, licet verisimilior nobis videatur, potissimum in hoc Patiente, ex salitorum & vini generosi usu, necnon impensioribus studiis, vel contracta, vel saltem adaucta, non tamen immediatam, sicut minus cæterarum nullam admittimus, de qua quoniam Gal. anceps, vel saltem non adeò ad rem locutus fuit, cum renum imbecillitatem primo accusaverit, quam tamen necessariò præcedit attractricis robur, & vires immodicæ, ideò nos, cum Avicenna potius censemus primario lædi renum, postmodum vasorum & jecoris attractricem facultatem, ab intenso renum, jecoris & vasorum calore, tum attrahente, tum colliquante (unde præcordiorum æstus & virium defectus) quæ vehemens continua attractio, ut renum propria actio, semper exhauriens per partem post partem, ad os ventriculi pertingens, inextinguibilem sitim excitat, atque fovet, famemque extinguit. Sitim autem Patiens copiosissimo & continuo potu explere cogitur, qui statim & affatim ad renes attractus necessario copia, & pondere, renum retentricis facultatis naturalem imbecillitatem adauget, & secundario lædit. Quibus omnibus si quis addat læsionem concoctricis, dicamus, potum non concoqui, neque permutari, potius ob illius celerem effluxum, quam ob facultatis concoquentis imbecillitatem. Ex quibus patet, Renes esse partem primariò affectam, ne quis falsò credat esse ventriculum, quia ibi sitis accendatur immodica, tunc enim potus in eodem diutius hæreret.

Affectus hic, sicut in ardente febre & colliquatione, insanabilis est, ita in cæteris difficilis, nisi statim ab initio curetur, namque processu temporis ad tabem, & ad colliquationem Patientes ducit, ex Avic. indeque ad interitum, ut eleganter notat Aretæus. Ideò statim illi succurrendum, torquetur enim Patiens ab indesinenti & perenni siti, quæ Aretæi testimonio, omnium dolorum maximus est.

Quare primo totum, quod succis redundat, evacuandum. Secundò renes acribus humoribus emundandi. Tertiò potus ad vomitum alvum, & sudorem convertendus. Quartò calor renum, jecoris & totius contemperandus. Et tandem eorundem renum laxitas roboranda.

Atque in Chirurgico fonte convenit, casu præsenti, sanguinis missio, quia morbus recens, quæ, eo inveterato, inspecta, ob virium defectū, quod si primus sanguis adustus appareat, repetenda parca ejusdem missio ex utraque basilica.

In Pharmaceutico fonte primo cieri potest vomitus, si Patiens ad eum proclivis fuerit, aqua hodei tepida, cum julap. acet. & ol. amygd. prima vice, morbi verò progressu, post copiosum frigidæ potum. Citato vomitu, evacuentur humores per alvum, ita

♃. Flor. Cass. rec. extr. ʒvii. pulpæ tamarind. ʒiij. m. f. b. & exacta hora bibat serum capr. aut asin. depur. ad ℔ij. atque tribus horis ab eo, prandeat. Vel potu.

♃. Syr. ros. solut. ʒvi. decoct. pulpæ tamarind. q. s. m. f. p. cui tribus post horis, superbibat serum. Instituatur deinde præparatio, jure pullæ alterato sonco, violis, plantag. portulaca, rosis, myrto, & symphyto, cum succo depur. plantag. & intybi. Et quia hoc tempore virides herbæ desunt, substituamus hujusmodi præparans.

♃. Aq. plantag. portulacæ an. ℔ſ. rof. ℥iij. succi mororum immatur, aut cydon. ℥ij. m. pro syr. & sic pro aliis. Biliosi vero humores sunt deinde expurgandi.

♃. Flor. Cass. rec. extr. ʒvi. Rhab. immaturi ℈j. cortic. myrob. citrin. ℈j. pulp. tamarind. ʒij. m. f. b. à quibus bibat serum, ut supra.

Vel potu. ♃. Rhab. immaturi, cortic. myrob. citrin. an. ʒj. spicæ gr. iij. pulpæ tamarind. ʒij. seri q. s. m. f. inf. per horas 12. & facta forti express. colat. adde syr. ros. sol. ℥v. m. f. p. b. epoto ab ea sero, ut supra.

His peractis repetantur alterantia hujusmodi.

♃. Aquæ cucurbitæ, plantag. lactuc. an ℥[illegible] syr. de nenuph. de portul. de papav. an. ℥ſ. m. pro syrup. & sic pro aliis, decem aut duodecim diebus. Atque interim, nisi alvus bene respondeat, clysteres blandiores & humectantes convenient, quinimò si urina cum aliquo sensu caloris & ardoris procedat, ad abstergendos acres à renibus humores, assumat bolos hac formula.

♃. Flor. Cass. rec. extr. ℥ſ. crem. tart. ʒij. Rhab. immat. ℈j. m. f. bol. assumendi, in medio yruporum usu. Tandem repetatur præscriptum me-

medicamentum, aut bolo, aut potu, cum sero.

Hoc verò tempore, sudores prolectari solent à quibusdam in balneo tepentis aquæ, licet hoc tempore melius in lecto, cucurbitis aqua plenis id succedat. Aliqui verò præbent decoctum pentaphylli, & chinæ. Verùm consultius duco, ut assumpta ʒ j. cornu C. Philosoph. præparati, bibat copiosam gelidam aquam, & statim in lecto calido cooperiatur, cucurbitis ad latera aqua calidissima repletis.

Quod si sudor facile non procedat, & Patiens ab æstu, tum strati, tum cucurbitularum divexetur, ad incrassantia, contemperantia & adstringentia deveniendum, atque adeò in usum revocetur lac coctum, de quo Zacutus affirmat, se deploratos, ab aliis medicis derelictos sanitati restituisse spatio unius mensis, potu lactis asinini chalybeati, & Philonio Romano, vel Persico, per intervalla assumptis.

Tandem ad refrigerantia & adstringentia, tum interna, tum externa progrediendum. Intrinsecùs parari poterit hoc elect. à Gal. præscriptum.

℞. Pulv. pellicular. ventris gallinæ ʒ j. thuris, glandis, siccæ, balaust. gallar. an. ʒ iij. conservæ rof. antiquæ ℥ vi. m. & ad ignem ref. elect. cujus dosis ad ℥ ſ. à quo mox præbet aquam frigidam, nos vero aquam foliorum quercus. Ego vero hoc usus sum.

℞. Conservæ rof. antiquæ ℥ vi. pulv. vesicæ vitulinæ exsiccatæ ℥ ſ. Pulv. sanguinariæ ʒ ij. Croci Mart. constrict. ʒ j. succi cydon. q. s. m. ad ignem ref. elect. cujus dosis ad ʒ iij. mane & vesperi, hora una ante cibum. Vel.

℞. Diatragacanthi frigidi cum bolo ʒ ij. comedat, bibat vero quod sequitur.

℞. Aquar. plantag. fol. quercus an. ℔ ſ. tincturæ corall. gutt. v. m. & assumatur quotidie matutinis horis.

Cæteris autem non juvantibus, ad narcotica quoque devenire licet, tum interna, tum externa. Interna erunt. Philon. Persic. & Rom. recens, Theriaca recens, Emulſ. sem. pap. extracta cum aqua lactucæ. Externa, mandragoræ succus & folia, & succus papav. Sic à Chymicis habemus essentiam croci Martis, à Crollio descriptam. Tinctura quoque smaragdina optima est, sic & tinctura corallorum, & sal eorundem.

A proprietate verò juvare dicitur, aqua ranar. & astacorum cum oxalide & plantagine destillata. Extrinsecùs illinantur renes hoc linim.

℞. Ung. rof. Mef. infrig. Gal. santalini, popul. an. ℥ j. ol. de papav. ℥ ſ. m. ref. Vel.

℞. Ol. sem. jusquiami, rof. omphac. nenuph. an. ℥ ſ. pulv. balaust. acaciæ, bol. arm. an. ʒ j. opii gr. v. ceræ par. m. ref. limin. pro renibus.

Victus rationem quod spectat, cibi sint boni succi, non mordaces, acrimoniam potius obtundentes, refrigerantes & adstringentes, nec qui adeò facilè conficiantur. Sic conveniunt ova sorbilia, lactaria, potissimum caseus recens, carnes porcinæ benè coctæ, & extrema animalium. Offæ condiantur amylo, diacodio, emulſ. sem. pap. & amygd. dulc. Convenit ptisana, lactuca, intybus, portulaca, oxalis. Inter pisces, saxatiles. Inter fructus, poma, pyra, mespila, cydonia tamen suspecta. Potus sit aqua Chalybeata, cum pomis decocta, vel cum succo aurantiorum, aut granatorum. Atque deficientibus viribus, vinum adstringens Chalybeatum. Declinante autem affectione, parcè bibat, & omnia semper Chalybeata. Exercitium interdicit Rhasis, & somnum commendat. Venus diabeticis inimica. Alvum lubricam servet Clysteribus refrigerantibus & humectantibus, atque constanti animo vivat, pusillanimes enim, ex Aretæo, Diabetici. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medic. Tom. 1. Cent. 3.*

Diabetica affectio cum Mesenterii obstructionibus & Gallici suspicione.

A variis in omnibus sex rebus nonnaturalibus commissis erroribus, in usu Veneris, à qua etiam Gallicas Gonorrhœas contraxerat Juvenis Illustriss. calidi & sicci temperamenti, elapsi jam Decembris initio molestari cœpit ardenti siti quovis potu inextinguibili, nimia appetentia, vigiliis, urinarum profluvio, colore, substantiaque aquæ similium. Morbo neglecto, consuetum servavit regimen usque ad Januarii finem, quo ingravescentibus malis auxilium medicum petiit. Præter sitim, nimiam appetentiam, vigilias, urinas albas & copiosas, semper ab initio continuatas & adauctas, adnotavi in Nob. Pat. febrem lentam continuam, ipsi ignotam, durities in hypochondriis, ad medium abdomen extensas, cum aliquali totius macie. Pro remediis Medici Excellent. advocati sunt, stabilitumque per ipsos, affectionem Nob. Pat. esse passionem Diabeticam, seu incipientem Diabetem, sed dissidium erat in causa & Curatione. Quidam exiccantibus & astringentibus, ad absumendum saltem circa viscera stabulantem, sitis causam, & supprimendas urinas, utendum decreverunt. Alii incumbendum esse aperientibus, incidentibus, evacuantibus, pro minorandis & tollendis materiebus ex hypochondriis, atque extinguentibus viscerum calorem, sitis vehementis causam ex Gal. 1. de Sympt. cau. & 1. de simpl. Medic. facult. ex Aëtio Tetrab. 4. cap. 119. ex Paulo Ægineta lib. 2. cap. 51. crediderunt. Hinc ad luis Gallicæ reliquias, tanquam minus urgentis, transeundum; Gonorrhæas enim quoties contractas, toties curatas, cessasse refert Illustrissimus. Huic postremæ sententiæ ego quoque adscribens, manum medicamentis imposui. Per octiduum remediorum vi febris quievit, sitis multum diminuta est, urinæ tamen similes fluebant: nec enim Nob. Pat. à largo potu poterat se continere. Verumenimvero cum Pharmaca lenientia (uno primo excepto, quod bene movit alvum) tam in bolo, quam in potione prorsus non evacuarent, sed anxietatem, inquietudinem, ad lipothymiam usque perducerent, Nob. Patiens à Cura se revocavit, iterumque consuetæ vivendi licentiæ se tradidit, quam adhuc prosequitur. Duobus abhinc mensibus Tarvisii quædam remedia & Balneum aquæ dulcis cum juvamento adhibuit. Sed cujusdam Spagirici promissis allectus, Extracta quædam sumpsit, & bis pulverem Algaroti, ex quibus deterius habuit. Ecce nunc Pat. Illustr. morbo & symptomatis vexatus, Patavium ad Sapientiæ fontes, sanitatem sitiens, accurrit. Vestra, Patres Doctissimi, Sacrosancta consulit Collegia, è quibus, ut salutem expectat, ita mandatis polli-

pollicetur obedientiam. Meam hanc brevem præteritorum Epitomen, partim autopsia, partim relatione compositam expostulavit, ut una secum vestris repræsentet judiciis. Lubenter exaravi, & tanquam ad sacrum Apollinis Tripodem responsa fida laturum, Virum Nob. stimulavi, quo cum servitutis meæ obsequia magnæ vestræ transmitto Virtuti, meque devote consecro.

Ex morbis & symptomatibus multis abhinc mensibus Nob. Adolescentem divexantibus, alia manifesta atque certa inveni, alia non adeò. Manifesta sunt, Diabetica affectio, & mesenterii atque lactearum obstructiones; non adeò manifesta & certa, sunt Gallica lues & febricula: certiora, ut urgentoria, Curationem exigunt: non adeò certa, considerationem & observationem expostulant. Et primo certam Diabeticam affectionem nobis repræsentat urinæ crudæ & aquosæ profluvium, cum inextinguibili siti & totius corporis macie. Obstructiones verò tactus ipse discernit, quæ in mesenterio percipiuntur, & in pancreate, ut profundæ sub ventriculo conjiciuntur. Diabeticæ affectionis causa immediata est vehemens vasorum attractio, in jecore ut venarum radice incipiens, ab intensissimo calore, tum naturali, tum acquisito contracta, & eo mediante, renibus, & usque ad ventriculum, cæterisque corporis partibus communicata: dum uno, eodemque tempore, ab eodem calore liquatis non solum alimentis, sed humoribus quoque, imò tandem solidis corporis partibus, totius macies secuta fuit, & ad horum colliquationem serosæ humiditates multiplicatæ fuerunt & multiplicantur, quæ partim attractæ, partim ab irritata expultrice ab earum copia ad renes transmissæ, cedente tandem tanto ponderi retentrice facultate, urinæ profluvium, Diabetem, sive Hydropem matulæ excitarunt: eoque facilius, cùm juges quotidianæ cruditates à debilitato ventriculo producantur, quæ à calore liquatæ, facile in serositates convertuntur. Huic autem suctioni, sive attractioni à jecore & renibus incipienti, & ad ventriculum pervenienti, humiditatis exinanitio, imò & siccitas necessario succedit, unde sitis: cui quoniam sine modo & mensura copioso nimirum aquæ gelidæ potu, satisfactum fuit: ideo ventriculi nativus calor labefactatus, obrutus, & etiam positive valde imminutus fuit: ut propterea cruditatum, & subinde obstructionum auctor fuerit: & eo magis, cum uberius & liberalius comedat Nob. Patiens: proprium enim ventriculi frigidi est, plurimum appetere, & parum concoquere.

De lue Gallica dubitatur: quamvis enim bis Gonorrhœam à muliere contraxerit, Gallica lues frequenter ad hepar non pervenit, sed in vasis spermaticis firmatur, & sine humorum infectione solvitur; dubium, sive potius spem ipsam auget, quia nullum symptoma Gallicum suppressæ Gonorrhœæ comparuit; verum si quoque adesset, neque urget, neque status corporis in præsens ejus Curationem admitteret, sine perditione Patientis; & ita, ut dicebat Gal. adversus quosdam incautos Medicos, Morbus quidem curatus esset, sed Æger mortuus. Febriculam verò, si adsit, ab hypochondriorum obstructionibus & cruditatibus pendere posse arbitror: quia evacuationibus, Lenientibus & Præparantibus procuratis, jam cessaverat, & multis diebus sine febre Nob. Pat. fuit observatus.

Jam dictis ita se habentibus, mirandum non est, si in hoc ancipiti & pleno periculi statu ad Tabem tendente, ambigant Viri Excellent. in ejus Curatione proponenda: siquidem qui à Gallica virulentia calorem in visceribus intensiorem fuisse redditum putant, Gallicam luem tanquam causam primam, extirpandam esse necessarium judicant: præsertim cum & febriculam: Gallicam esse existiment: cui intentioni nonnisi exiccantibus medicamentis satisfieri potest. Qui vero febriculam hypochondriacam esse, & progressu habitualem, & hecticam evadere posse arbitrati fuerunt, obstructiones primò reserandas esse volunt, utpote nutritioni incommodas; Qui tandem omnium maxime affectionem Diabeticam, tanquam urgentiorem magni faciunt, colliquanti calori & universæ maciei incumbendum esse intendunt: cùm Aretæus dicat, quod *Diuturna est hujus morbi creatio, brevis autem hominis vita, in quo affectus perfectus fuerit, velox namque colliquatio, & festina mors advenit.*

Ego idcircò, præmissa primarum viarum expiatione, levioribus aperientibus mesentericas obstructiones esse aperiendas, mox totam Curationem adversus Diabeticam affectionem dirigendam esse refrigerantibus, substantifice humectantibus, & nonnihil, sed parum roborantibus, sentio; perperam enim faciunt Medici illi, qui ad roborantia, imò ad astringentia properant: cum tamen quousque humiditates in corpore à colliquatione multiplicantur, evacuari, non detineri debeant, quamvis à renibus ad alvum non inutiliter diverti possint: sed caute & sine purgantibus medicamentis, quæ calefaciendi & maxime exiccandi facultatem obtinent; neque in calidis & siccis temperamentis, à corporibus emaciatis quicquam educunt, ægreque tolerantur, ut docuit ipsa experientia, cum gravissimo Nob. Pat. detrimento.

Itaque omnium primò præbeatur flos cassiæ cum crem. tartari, cui post horam superbibat seri asin. depur. ℔ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Sequenti die assumat Julapium acet. ad ℥iij. aqua stillat. agrim. & aceto paratum, cum macerat. radic. cich. petrosel. & graminis: jam dicto vero Julapio superbibat jus pullæ aut vituli, cichorio & endiu. alteratum. Tertio die assumat rhabarb. ad semi-drachm. drachmis duabus floris cassiæ immistum: cui post horam superbibat jus, ut supra, cich. & endiu. alteratum. Quarta die repetat Julapium, quinta rhabarbarum, ita alternatim perseverando ad duodecimum usque diem: tuncque repetendum erit primum medicamentum, ex flore cassiæ & crem. tart. paratum cum sero, ut suprà.

Pro secunda & tertia intentione explenda, nil lacte præstantius excogitari potest, quod primis xv. aut xx. diebus asininum de more cum saccharo statim multum summo mane præbeatur; viginti vero sequentibus aliis diebus caprinum; atque tandem vaccinum, cujus serum Medicinæ Principes silice excandefacta absumere solent. Quo tempore pro Balneo incongruo existente substituantur toti & renibus inunctio-

unctiones, necnon Epithemata jecori. Pro toto sufficiens erit oleum amygdal. rec. sine igne extractum copiose affusum. Pro renibus paretur linimentum ex ung. rof. Mes. infrig. Gal. & populeo; quibus, progressu, addatur quoque ol. hyoscyami atque Saturni. Pro hepate paretur Epithema ex succo cich. aceto ros. & speciebus triumsantalorum.

Dum lac asininum atque caprinum summo mane assumet Nob. Pat. præbeatur vesperi, duabus horis ante cœnam, & octo ab assumpto prandio cyathus aquarum stillat. sempervivi, endiviæ & anguriæ, quibus immisceatur syrupi papav. alb. ℥j. Tempore vero vaccini lactis, eadem hora vespertina offeratur cyathus aqu. stillat. plantag. sempervivi & polygoni, addita tinctura coral. chym. & quandoque essentia Martis. Toto autem tempore usus cujuscunque lactis, bis in hebdomada cassia cum pulpa tamarind. ad an. ℥ iij. sub prandio erit præbenda, & quandoque ventriculo robur aliquod addendum parum ante prandium, præscribendo duo aut tria grana mastiches integra devoranda: aut pilula ex ℈j. succo absinth. condensati.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, ita ut alimenta sint boni, sed crassioris succi, refrigerantia potius, quam calefacientia: astringentia potius, quam aperientia, nec ullo modo diuretica. Sic inter carnes Gallinæ, Capi, caro Vituli, imò & extremitates ejusdem: quandoque etiam caro suilla elixa, optimè decocta: hæ namque non ita facile à calore colliquantur, nec in serositates convertuntur; elixentur autem semper in aqua chalybeata, & sine sale. Inter pisces, conceduntur saxatiles non solum, verum etiam quandoque glutinosi, ut Tinca & Anguilla. Conceduntur lactaria, & quandoque etiam caseus recens sine sale. Inter legumina, hordeum, alica, oriza. Conceduntur quoque edulia ex pasta delicatiori parata, & præsertim vermiculi Apulienses. Ex oleribus, cichorium, endivia, lactuca. Ex fructibus, pyra, poma, mala cotonea, mespila & castaneæ. Prohibentur condimenta aromatum, exiguo cinnamomo & pipere ruditer contuso exceptis. Prohibentur pariter condimenta allii, cæparum, limonum, citri: probantur autem arantiorum, granatorum & agrestæ. Potus sit vinum, potius crassæ substantiæ, multa aqua chalybeata, aut aurata dilutum: quod santalo rubro & exiguo lentisco in doliolo medicatum non inutiliter reddi poterit. Sed quoniam copiosior potus iis qui multum mingunt, non est denegandus: idcircò non semper vino, sed quandoque aqua præsertim extra mensam, erit utendum, quæ una cum pomis decoquatur, ut placuit Aëtio, aut eorundem succus immisceatur: sicut quandoque succus granatorum: & semper chalybeata, aut aurata; Quantitas autem ab Excell. Adstanti præscribatur, habita copiosæ urinæ ratione. Somnus sit diuturnus. A Venere prorsus abstineat; parum corpus exerceat, & alacri animo vivat. Quæ omnia Nob. Adolescenti à Deo salutaria precor. *Idem Tom. 2. Cent. 3.*

Vir Illustriss. hic Romæ degens, annum supra quadragesimum agens, temperamenti sanguinei subbiliosi, proceræ staturæ, mediocris habitus, cum rubra facie flavisque capillis, post validos corporis motus & vehementes animi perturbationes, in varias corporis affectiones incidit. Decem abhinc annis sitim immodicam pati cœpit, cui potibus satisfacere coactus fuit. Interim sanguinis in toto accensionem frequenter percepit, cum maculis per universum corpus rubris: necnon cum ejusdem sanguinis ex gingivis eruptione, quæ omnia phlebotomia & refrigerantibus medicamentis evanescebant: perseverante tamen semper bibendi desiderio, & magis hyeme, flante Borea, quod nunquam cessit, nec potibus Nocerianis, nec Balneo aquæ dulcis: imò duobus abhinc annis post Erysipelatis eruptionem in facie, sitis intensior facta fuit. Et quamvis cibum appetat, satis comedat, commode dormiat, nihilominus cum lassitudine totius & renum gracilior semper redditus est, dum & potulenta, & solida assumpta à ventriculo statim attrahi se percipere asserit; semper autem urinæ crudæ & aquosæ quantitas quantitatem potus superavit. Tandem anno elapso Patiens Illustr. Medico rursus seipsum commisit, & congrua instituta vivendi ratione alimentis refrigerantibus & incrassantibus purgatus fuit, serositates biliosas evacuando, non sine parca sanguinis missione. Jura carnium herbis refrigerantibus & incrassantibus alterata, mox lac vaccinum exhibitum, necnon fercula eodem lacte parata in usum ducta fuerunt. Quibus symptomata remissa visa sunt: namque & sitis minus infestabat, & urinæ crassiores, atque cum nubecula apparebant, nec adeò copiosæ. Verum quoniam hujusmodi declinationi fidendum non esse censuimus, idcircò ad usum lactis cocti & chalybeati, & ad medicamenta astringentia, roborantia & divertentia devenimus, additis insessionibus, necnon illitionibus refrigerantibus & roborantibus. Sed quia à lactis usu ventriculum sibi gravatum observavit Pat. Illustr. ideo illud omisimus, ferculis ex lacte paratis contenti: mane verò jura herbis refrigerantibus alterata, additis succis, instituta fuerunt. Hæc à nobis administrata, Archiatrorum censuræ subjicimus, quorum Oracula expectamus.

Falso nonnulli Diabetis causam in renum imbecillitatem retulerunt, cum omnium primò in eorundem attractricis facultatis robur, secundò in colliquationem, atque tandem in retentricis imbecillitatem sit referenda; ut propterea Viro Illustr. ac Reverend. calida intemperie jecoris, cordis, vasorum omnium & renum à natura prædito, diabetica facile decem abhinc annis inceperit affectio, cum & ætatis ratione, & ob errores, præsertim in animi motibus & ad gravissima negotia applicationibus commissos, calor in toto fuerit magnopere adauctus, ut significarunt Erysipelas in facie, pustulæ, seu maculæ rubræ in toto erumpentes, sanguinis è gingivis effusiones; quæ omnia symptomata augmentum suscipiebant hyberno tempore, flante Borea, dum per Antiperistasin internus calor intensior reddebatur, qui calor quotidie semper incrementum suscepit, & adeò increvit, ut in renibus robustiorem attractricem reddiderit, & in visceribus atque vasis omnibus humorum colliquationem adauxerit, sicque serosiates redundantes, in universo genitas, ad sese renes per partem post partem violenter attraxerint; quantitati verò retentrice

trice facultate cedere coacta, copiosa mictio præter naturam, Diabetes dicta, tandem necessario succedit; quæ legitima non est, quoniam superiorum partium retentrix facultas in suo vigore servata est. Ad hoc enim ut potus prorsus impermutatus mingatur, tres causas supradictas simul uniri necessarium existimo, renum attractricis facultatis robur, retentricis omnium partium imbecillitatem, & jecoris, cordis atque vasorum exuberantem calorem colliquantem; quibus præsentibus, facultati concoctrici tempus non datur, ut proprio muneri fungi possit; & idcircò concoctricis imbecillitas non per se, ut aliqui asseruerunt, sed tantum per accidens, ad hunc affectum producendum concurrit.

Hujus affectus sævitiam compescere, ac prorsus evincere non potuerunt medicamenta & alimenta, rite & recte postremo administrata, quoniam ægre Curationem admittit, nisi statim ab initio præstita fuerint, cum tamen principium non adeò facile innotescat, quia facultates læsæ, naturales sunt, non autem animales, ut in fame canina contingit. Et præterea cum decem annorum spatio opportuna Curatio neglecta fuerit, certam salutis spem nobis adimit.

Idcircò ad aliud transeundum non est, sed intentionibus à Doctissimo Viro propositis, satisfieri curandum, refrigerando & incrassando: ita enim robur attractricis facultatis remitti poterit; nec de retentricis imbecillitate magna cura est habenda. In hunc finem plura medicamenta & alimenta administrata fuisse audio; inter quæ principem locum tenet lactis usus, ut quod humores incrassare, immodicum calorem remittere, robur attractricis facultatis laxare, & totum corpus nutrire valeat, ita ut nullum medicamentum, aut alimentum præstantius pro casu nostro administrari possit. Et quamvis plerique Medicorum, etiam antiquorum, ut Aëtius & Hippoc. lac coctum, sive silice excandefactum, præbendum proponant ad majorem humorum incrassationem, attamen ego cocturam non admitto, nisi asinini & caprini: at quando vaccinum adest præbendum, coctura opus non habet, ut per corpus distribui, & ejus facultas ad renes pervenire possit: coctum enim facile in ventre coagulatur, & difficilius per corpus digeritur. Quoties igitur à Viro Illustr. tolerari possit, adeò ut à calore non corrumpatur, lac vaccinum nuper mulctum cum modico saccharo erit offerendum. Et quia audio ob hanc causam in præsens omissum fuisse, ideo prudentissime se gessit Excellent. Adstans, præbendo jura refrigerantibus alterata: quibus per aliquot dies exhibitis, rursus lactis usus erit tentandus. Interim vesperi in prima mensa nonnunquam syrupus de papav. alb. ad ℥ j. in jure lactuca alterato poterit exhiberi: sicuti summo mane in jusculo refrigerante infundi poterit syrupus coral. Quercet. à Viro Excellent. propositus. Mirabilis quoque solet esse tinctura Martis, & frequenter tinctura Smaragdina, in jure portulaca & plantagine alterato. Extrinsecus verò aliquod obstupefaciens linimentis addendum, ut vis attrahendi torpescat; quare unguento Comitissæ populeum substitui poterit.

Alimenta pariter incrassantia & refrigerantia conveniunt, ex lacte & pasta parata: oriza cum lacte: ptisana cum emulsione amygdalarum dulcium: capita & pedes Vituli: gelatina ex pedibus cum succo agrestæ parata: Vinum verò rubrum, & potius subdulce, ut facultatis attractricis robur laxetur. Alvus medicamento à Præstantiss. Viro proposito ex Cassia & Tamarindis solicitetur; Clysteribus quoque ex lacte & butyro paratis. Motus autem tum animi, tum corporis, quam fieri potest, arceantur, & alacri ac confidenti animo vivat. Quæ scripsisse volui, ut Illustr. Viro imperanti morem geram, non autem ut Sapientissimo Adstanti quid novi suggerem. *Idem ibidem.*

Foemina, sexaginta annos nata, temperamento biliosa, calidis alimentis frequenter uti solita, jam ab aliquot diebus urinam magna copia ita excernit, ut omnem potum ingestum protinùs per urinas emittat, eumque crudum, ac à natura vix concoctum. Adest magna sitis, item calor, dolor & punctio circa lumbos, corporisque totius macilentia.

Afficiuntur in hac ægra renes; quod ex copiosa illa urinæ excretione, item ex calore, dolore, & punctione circa lumbos percepta, est manifestum. Afficitur item cor, quod ex magno illo calore; nec non totum corpus, quod ex totius corporis macilentia patet.

Morbus, quo ægra affligitur, est intemperies renum calida & nimis rara & laxa, quæ serum sanguinis, nimis copiosè separatum, per poros eorum nimis apertos perpetuo magna copiâ transmittens, urinæque evacuationem nimis copiosam efficiens, *Diabetes* appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus ille calidorum alimentorum usus: unde multi humores calidi & acres ac serosi, in corpore geniti, antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Illi verò in corde existentes & deinde ad renes delati, ibique intemperiem eorum calidam & nimis raram inducentes, continens hujus morbi & symptomatum sunt causa.

Hinc enim cor nimis incaluit, & pori renum nimis sunt aperti, sanguinisque partes crassiores arctius vi caloris unitæ, ac serosæ à reliquo sanguine nimium separatæ, & acriores factæ, jam à fervido corde vehementius in omnes corporis partes, ac proinde in renum poros nimis hic raros & laxatos, perpetuò propelluntur: eaque ipsos dolore circa lumbos afficiunt, immoderatamque hanc producunt urinæ crudæ, utpote, ob celerem suum transitum, satis concoqui nequeuntis, evacuationem; ex eaque ingens corporis exsiccatio, & inde sitis, calor, & totius corporis macilentia, originem ducunt.

Morbus hic periculosissimus est, primo propter ægræ nostræ senectutem, & deinde propter macilentiam jam inductam: & præterea quod hæc sit tam vehemens non tantum excrementitiarum, sed etiam utilium partium, perpetua evacuatio; unde metus est, ne vires brevi penitùs prosternantur, ægraque citò exstinguatur.

Curatio itaque seriò est auspicanda: eaque in causæ antecedentis & continentis, ac intemperiei per contraria ablatione, & symptomatum mitigatione & sufflaminatione, consistet.

Primò itaque præscribatur medicamentum tale purgans.

℞. Pul-

℞. Pulpæ cassiæ recent. extractæ ℥v. Tamarindor. ʒiij. Rhabarbari pulveris ʒß. cum syr. rosar. q. s. f. bolus, manè deglutiendus, vel cum jusculo exhibendus.

Et porro frequenter utatur de sequenti apozemate:

℞. Rad. borrag. buglossæ an. ℥iß. plantag. ℥j. fol. portulacæ, plantaginis, violariæ an. m. j. sem. plantag. portulacæ an. ʒiij. flor. borrag. violarum, nymphææ, buglossæ an. p. j. myrobalanor. citrin. ʒvi. Coq. in aq. comm. qu. suff. ad lib. jß. colaturæ adde syr. ros. ex infus. multipl. ℥ij. M. F. Apozema.

Atque etiam subinde sumat de sequenti electuario quantitatem castaneæ majoris.

℞. Conservæ flor. buglossæ, mivæ cydonior. an. ℥j. Gummi tragacanthi, in aq. ros. dissol. ʒiij. Sanguinis draconis, boli armeni an. ℈ij ß. cum syr. de papavere q. S. F. Electuarium.

Lumbi & spinæ, ab ultimis costis, manè & vesperi inungantur sequenti unguento.

℞. Unguenti rosacei, populei an. ʒvi. camphoræ ʒj. ol. rosar. cydoniorum an. ʒvi. Ceræ & aceti parum, F. unguentum.

In victus ratione, Aër ad frigidum & humidum declinet. Cibus sit euchymus, & qui crassum succum gignat, ac acrimoniam humorum temperet, ex lacte amygdalato, oris sorbilibus, piscibus saxatilibus, carne bubula, pomis, pyris, oryza, caseo recenti, intybo, lactuca, portulaca. Abstineat à diureticis & acribus. Potus sit vinum adstringens. Abstineat ab exercitiis: contineat se inquiete. Somnus sit consueto longior. Alui excrementa arte vel naturâ respondeant. Fugat vehementiores affectus. *Henric. Regius apud Theod. Craanen. medicat. lib. 3.*

Observationes.

Honestus quidam civis urinæ detinebatur profluvio: Subindè uno die amplius quàm urnam 40. librarum reddebat, bibebat non minus, ut qui propter assiduam urinæ profusionem, assidua quoque siti premeretur. Cum autem huic nulla prodessent remedia, & vix ulla sibi adhiberi pateretur, paucis diebus deficiens, è vita commigravit. Morbum hunc diabetem fuisse apparet, quem *Galenus* comparat lævivati intestinorum seu lienteriæ: quemadmodum enim per hanc cibus assumptus citò dejicitur; ita & in diabete potus velocissimè per vias urinarias descendit. *Rembertus Dodonæus lib. observ. cap. 12.*

Puer quidam 7. annorum usû acidularum *Griesbachensium* in tantum urinæ profluvium incidit, ut an unquam simile visum sit, valdè dubitem. Hinc sitis talis supervenit, ut singulis noctibus plus quàm libras x. aquæ (quantitatem vini, quod admiscebatur, non observarunt adstantes) ebiberet, & eodem modo protinus, nihil alteratam, iterum emingeret. Ego cum alio Clarissimo Medico in consilium adhibitus, victus rationem refrigerantem & insigniter nutrientem præscripsimus. Loco vini & aquæ, quibus antea, copiosè usus fuerat lac amygdal. & juscula castratorum, caponum & pullorum, in quibus vitella ovorum dissolvebantur, propinavimus, carnem assatam castratorum, perdicum, caponum, turdorum, alaudarum, & similium avicularum dedimus. Hâc cum per dies aliquot usus fuisset victus ratione, & vires nonnihil recollegisset, Syrupo rosato solutivo composito cum rhab. & myrobal. citrin. corpus leniter expurgavimus, & per intervalla potiunculam sequentem exhibuimus.

℞. Rad. tormentill. bistort. symphyt. mai. plantag. an. ʒij. fol. agrimon. veronic. ros. rub. an. Mß. coq. in aq. ad tertiæ partis consumptionem in colat. ℥ij. dissolv. Syr. de ros. siccis ʒij. C. C. usti & præpar. corall. præpar. trochisc. de spodio an. ℈j. M. F. potio. De præscriptis pulveribus quoque non rarò cum lacte amygdalino dedimus, renes unguentis & oleis refrigerantibus & adstringentibus, veluti oleo rosac. myrtillorum, mastiches, unguento rosac. & comitissæ inunximus. His cum per aliquot dies usus fuisset remediis, & victus ratione, plenissimeque restitutus esse nobis videretur puer, domum me contuli. Post meum abitum, cum victus rationem non observasset, & loco lactis amygdal. vinum aqua dilutum iterum bibisset, denuò in eundem morbum incidit, & quidem tam graviter, ut naturæ debitum persolverit. *Guil. Fabritius Hildanus observ. 53. cent. 5.*

Duo diabete laborantes qui ita squalidos habebant renes, ut folia nymphææ illis imposita, momento temporis chartæ pergamenæ instar durissima redderentur, post quamplurima frustrà usurpata præsidia tandem lactis asinini chalybeati potû unius mensis spatio nutriti & philonio persico ex intervallis assumpto à tanto malo, me jubente, fuere immunes. *Zacutus Lusitanus observ. 80. lib. 2. Prax. admirand.*

Mulierem quandam diabete laborantem istis paucis & facilibus remediis liberavi.

Manè & vesperi ægra residebat in Balneo aq. dulcis, in qua ferrum vel ignitus chalybs aliquoties extinctus erat. Post egressum Balnei, regionibus renum ac vesicæ applicabat plantaginem aqua chalybeata decoctam. Cibum præscribebam siccantem & ex Chalybeata aqua vel lacte coctum. *Martinus Rulandus curat. 98. cent. 2.*

Diabetem curatum vidi hoc medicamento.

℞. Cancror. fluviat. in clibano siccat. & pulv. ʒj. Thuris masculi ʒß. sacch. modicum, detur in potû. *Achilles Gasserus observ. 36.*

Juvenis Patritius, ob calculum, in pueritia sibi excisum, perhorruit usque adeo, crudelem, hujus tormenti recidivam: ut nulla non admitteret remedia, dummodo cierent lotium. Quo tamen impensiùs fluente, ob continuum usum, vini malvatici, cum semine urticæ, præparati: contraxere inde incalescentes renes, tantam imbecillitatem: ut dissoluto ipsorum tono, inciderint in diabetem: sive tam vehementem, currentis urinæ transitum: ut quotidie emingerentur circiter sex liquoris libræ.

Quo perenni profluvio, ultra tertium mensem continuante, emarcuit summopere corpus, cum lenta febricula, siti inexhausta, vigilia indefatigabili, & tandem totius compagis, ac omnium viscerum dissolutione tam evidenti: ut verè fuerit in ipso videre: quid argutus Aretæus intelligat, per colliquationem illam, in quam dicit resolvi, carnes, & membra eorum, qui diabete laborant. lib. 2. diut. aff. cap. 2.

Est autem διαβήτης (ut cum Paulo Æginetâ loquar) velox transitus eorum quæ bibuntur. Adfectus certè ad primè rarus. Quem Galenus dun-

duntaxat bis: & Victor Trincavellius, spatio quadraginta annorum, ter solummodo vidit. Et nos annis viginti quinque, in frequentibus ægris, bis improsperè, & semel feliciter, in anu sexagenaria, ante diem quartum decimum, sanata.

Causa ipsius est, imbecillitas renum. Sive eam induxerit frigus, post potum refrigeratum: uti in Abbatissa Veneta, & Cardinalis Pisani fratre, animadvertit Victor Trincavellius. Sive calor, excitans non modò sitim, sed irritans præterea, vim attractricem renum, velut decrevere. Paulus Ægineta, Alexander Trallianus, Avicenna, & Aretæus lib. 1. de sig. diut. morb. cap. 2.

Ubi expresè statuitur, morbum hunc excitari, à dipsace, viperâ venenatâ. Quam Dioscorides, & Aëtius Causum appellant. Sive, quod commorsi ab illa, infestentur febre ardente, sicuti loquitur Galenus, libro de Theriaca, ad Pisonem. Sivè, quod producat (ut vult Dioscorides) sitim adeò inexhaustam, ut nulla compescatur aquâ. Quæ omnia maximum, cùm arguant incendium, mirum certè non est, æstuantem calorem, poni à Medicis, inter causas, diabetis, uti hîc à nobis quoque factitatum. *Nicol. Tulp. observat. medicar. lib. 3.*

Mense Septembre anni præteriti rarissimum casum practicum, haud ita sæpè occurrentem in rustico quodam quinquagenario observavi, quem ipse *Gal. 6. de loc. aff. cap. 3.* se totius vitæ suæ tractu bis tantum vidisse scribit, Diabeten nimirum l. mictionem frequentem ac copiosissimam cum oris siccitate, siti continua atque inextinguibili, (linguam enim, statim etiam à potu, semper habebat aridissimam,) ac intensa totius colliquatione sequente, ab hepatis ac imprimis renum intemperie calida, sicca; non solùm omnia potulenta & liquida, sed etiam omnes alias humiditates corporis ad se attrahente corpusque exsiccante. Singulis ferè diebus ægrotus duodecim mensuras urinæ tenuis ac limpidissimæ reddebat, cùm tamen toto die vix quatuor mensuras tam cerevisiæ quàm Julebi, ordinati sumebat, atque ita potus quantitatem urinæ quantitas multo superavit. Hinc Hectica febris subsecuta, cui equidem variis humectantibus & cum modica adstrictione refrigerantibus tam internis quàm externis, à me occurrebatur, ast sine penitiori effectû. Prognostico itaque facto æger, labascentibus de die in diem viribus, è vivis tandem sublatus est. *Joh. Matthia Nosteri.*

Triennium est, ex quo urbs nostra cum febribus malignis conflictatur, exactis propemodum in exilium intermittentibus. Certè totis mensibus vix tertianam observamus. Iis cùm se varia misceant symptomata, ante biennium miscuit se quoque spurius diabetes, quem pluribus lethalem fuisse notavi, salutarem paucissimis; sero enim illo copiosè fluente, interpellati sudores, impeditus somnus, vires collapsæ. Sed quod mirum, in religioso quodam viro junxere mutuas operas, durante febre, dysenteria, spurius diabetes, & oblivio, licet ex præceptis artis sperare fas esset, profluente ultra debitum urina, cessaturum alvi fluxum, hic perseveravit utrumque. Mirius quòd Elisabetha Bornholmica eadem febre, & profusione urinæ tentata pluribus ante mortem diebus non tantum diem obitus sui, sed & horam præcisè definiret, cumque à me amicè moneretur, ut ab ejusmodi præsagiis temperaret, & in imaginationum vitia conjiceret, si quid tristius animo obversaretur, illa læta fronte ad eventum provocavit, non falsa augurii; quippe incidit mors in eandem horam quam præfixerat, sive imaginationis pertinaciæ id velis adscribere, sive Monitori angelo, quod illa constanter asseveravit. Quod & in aliis mihi observatum. *D. Olai Borrichii.*

Vir magni nominis ann. 1669. à Scabie antea medicamentis ordinariis liberatus, verè ineunte 1670. pro præservatione, inscio Medico bibit per vices ultra 15. mensuras succi Betulæ, etiam tandem ferè corrupti. Inde in corpore cacochymico (quod in non levi gradu habebat) & scorbutico turbati humores à natura irritata omnes ad renes & vesicam affectabant viam. Sitis urgebat maxima, calor aucto morbo accedebat fortis, & quotidie triplo sextuploque ferè demum majorem potû excernere cogebatur urinam; Omnibus specificis internis & externis mart. ipsisque opiatis incassum adhibitis, convulsivis accedentibus motibus moriebatur. Ut *Diabetes* vulgò Siphonem notat, per quem aqua citò διαβαίνουσα transcendit: ita affectus hic nominis sui originem reipsa satis superque comprobat, nec minus siti immensa, nullaque potatione sedanda, molestus est, unde Dipsacus audit, ut aliorum nominum, quod v.g. hydrops ad matulam, lienteria urinalis, &c. audit, taceamus. Viscerum æstus maximus illi conjungitur, & incendium tale Pathognomonicum signum Diabetis idcircò rectè dicitur à Riolano l. contr. Chim. Rarior quidem habetur affectus, sin tamen observata authorum colligamus exempla plura videre licet, præter *Galenum*, apud *Erast. consil. med. 5. pag. 187. Lomm. Observ. Med. lib. 2. pag. 190. Cardan. Curat. ad mir. 27. Ruland. Cur. Empir. 98. cent. 2. Dodon. observ. cap. 42.* Item apud *Tulpium, Bartholinum, Rolfinkium, Hollerium, &c.* Sed causa ipsa indagatû est longe difficilior, neque enim vel solus calor viscerum, vel aër ambiens attractus, ut quibusdam visum fuit, & in corpore in aquam resolutus, aliæque vulgares sufficiunt; Verùm dubio procul adest colliquatio humorum & partium in corpore, sive ab acescente sanguine (vid. *Williss. Tr. de urin. pag. 346.*) sive ab aliis causis inducta. Viam videntur propinquiorem concedere ipsæ lumbares lacteæ, per quas ad renes, p. n. ipsorum attractione aucta, statim fluit materia, & quidem ob alterationem ibi nullam factam, sine substantiæ mutatione.

Succum itaque Betulæ addidisse humoribus stimulum, extra controversiam est, ipseque æger confessione sua id dolebat. Est enim Diureticum impropriè dictum, quod *Helmontii* suffragio ad calculum curandum facit, quo nomine Serenissimi quidam Principes nuperis annis ex eo loco aquæ simplicis, cerevisiam parari mandarunt, utile Nephriticis alimentum medicamentosum. *D. Georg. Wolfgang. Wedelii.*

Rarissimum affectum esse *Diabetem Galenus* noster ait *de loc. affect.* At in hac ipsa raritate ejus singulare hoc est, absque incommodo notatû digno per totam vitam eum perferre; Sicut apud nos uxor molitoris in proximo pago, quæ

ab incunabulis ferè enormiter & quantitate vix credibili bibendo, tantundemque statim per urinam emittendo adhuc vivit per viginti & quod excedit annos, optimè colorata, satisque valida, quamvis parumper macilenta. In puellari ætate aliquot mensuras aquæ, multumque vini singulis diebus hausit, & adhuc cum minimùm sex mensuris majoribus quotidianis sitim sopire vix potest, cùm tamen nunc pro proportione tam non bibat, quàm antea. Causam dicunt, quod pater illius ex stulto amore infanti adhuc vinum non permisit tantum, sed etiam ultro imperando obtulit: inde incendium renum natum esse putant, quæ tamen sufficiens causa esse non videtur, nisi accedat viarum laxitas, & aliæ causæ forsan adhuc incognitæ. Ad remittendum calorem & placandam sitim ante paucos annos me connivente (non consulente, cum noverim diuretica magis nocere, quàm prodesse) usa est acidulis Taynacensibus, sed earum, quæ aliis præscribitur, quantitate dupla vel tripla fauces aridas proluere vix potuit, omnium cum admiratione. Par exemplum vix legi, nisi quod *Dodonæus cap.32. observ.* recenset; & *Fernelius* se novisse quendam, qui quotidie horæ spatio tepentis aquæ medicatæ libras sexdecim exsorbebat, ac qualem sumserat, talem protinùs emeiebat, scribit *D. Johannis Wolfgangi Mogling.*

Diabeten hîc voco non ex ἀκελεβείᾳ Medentum, sed insuetam & copiosissimam urinæ per aliquot dies profusionem, sine ulla manifesta causa ægro supervenientem: Hanc raro exemplo passus est jam ante biennium facundissimus quidam Ecclesiastes simul cum infelici dysenteria, & levibus deliriis, nullo alioquin vel caloris insoliti, vel pulsûs febrilis indicio. Mira Συνδρομὴ, cùm ratio sponderet, fore, ut translata ad vias urinæ, quæ intestina divexabat, materia, cessaret alui profluvium, vel è contrario, nihil horum contigit. Duravit cœpta violentia utrumque malum in decimum quartum usque diem, advenientibus identidem deliriis, sed mitibus & tandem longiori vita dignum fatali metæ adstituit. Nec omissa, quæ omnibus scopis servirent pharmaca, sed plusquam gemina hîc adfuit hydra, cui conficiendæ vix ullus Hercules par fuisset. Scilicet acrimonia humorum in hoc corpore tanta erat, & tam pertinax, ut simul & pungendis cerebri membranis, & renum pelvi, & denique intestinorum ductibus plus quàm sufficeret. *Olai Borrichii.*

Vir triginta annorum post largiorem vini potum corripitur diabete cum calore totius corporis intensissimo, siti vehementi, profluvioque urinæ tanto, ut potum ultra triplum per urinam redderet, nec hoc solum de die, sed & noctu insensibiliter. Cæterum post, venæ sectionem & ex frequenti usû Tincturæ Corallorum, decocto plantaginis, imprimisque mistura illa quam Excellentissimus Dominus *Sylvius Praxeos suæ lib.1. cap. 30. §. 183.* pro temperanda, succi pancreatici volatilitate habet, intra quindecim dies malum remittebat. *Alardi Hermanni Cummeni.*

Vir amplissimus Civitatis nostræ hoc anno id est, ætatis suæ 66. sensim in *Diabeticum* prolapsus est affectum, non quidem illum exquisitum (neque enim haustum potum vel subito reddit, vel nihil plane immutatum) sed, si ita appellare fas est, spurium. Enimvero, cum vivat sobriè & temperanter, quovis tamen mense, plerumque bis, rarò semel tantum hoc malo affligitur: Oritur autem malum frequentius Luna plena, & tribus quidem primis diebus cum doloribus intolerandis stillicidium urinæ perdurat, sed exigua admodum copia profluente: reliquo triduo resolvitur vesicæ sphincter, continuatque involuntarium & copiosissimum aquosi plane & decoloris liquoris profluvium, multis hinc inde ramentis albis urinæ immixtis: & hoc quidem triduo utcunque gravissimi adsint in urethra, vesica, renibus dolores, tolerabilius tamen malum est primo triduo, quod urina interea continuo destillando secedat, & multum secum acrimoniæ salinæ avehat. His tribus diebus septuaginta duæ circiter libræ urinæ evacuantur, cum interea vix unam libram ebiberit; & ne toto quidem antecedente mense 40. libras liquoris hauserit. Septimo morbi die, urina sensim ad colorem suum redit, clauditur Sphincter, & decimo die Nobilissimus æger ad negotia publica, paulatim revertitur. Has jam diu leges sibi finxit difficillimum malum, nunc paulò mitius agit, & paulò inconstantius, adhuc tamen crudeliter. In hac historia duo mihi admiranda occurrunt, acerrimo judicio tuo expediunda: unum, unde immensa illa urinæ copia, in exactissima ægri diæta, & potû parcissimo? alterum, cur ægri corpus interea nullo modo flaccescat; durat vividus faciei color, musculi omnes pleni, lacerti robusti, venæ tensæ. Scio tentare nodos hos solvere tum opt. *Sennertum*, tum *Servium* in Moniali Romana, sed, nè quid dissimulem, evidentiorem adhuc rationem ardenter desidero. *Olai Borrichii.*

Dom. Petrus Bullichius, olim Serenissimi Regis nostri, Divi Friderici Tertii Archiater, nunc Regiæ Urbis Præses & Consiliarius Regis, *Diabeten* patitur cum dolore post Nephriticos cruciatus singulis mensibus recurrentem, quodque mireris, instante Plenilunio XII. mensuras aquæ mingit, quanquam vix tertiam partem unius mensuræ bibat, neque tamen ulla sequitur colliquatio aut corporis emaciatio, quod vegetum & plenum permanet. In urinæ destillatione expertus est dolorem sibi augeri, quando calor fornacis est intensior. Suasi lac chalybeatum, vel decoctum hordei chalybeatum, consilio Augenii. Ille aurum extinctum maluit. Per alvum quoque fæcibus permixtæ arenulæ exeunt, & ex lotio copioso arenulæ in pannis resudant, ut massam sanguineam Tartaro abundare credere cogar. Tentavit curam transplantatoriam exiguo cum emolumento. Exhibuit cani sal urinæ propriæ, unde canis mortuus pilis cadentibus. Quid de casu hoc & symptomate rarò judices, non gravaberis perscribere. Dignus æger est senio & mentis æstimandus, meliore sanitate & Doctiorum cura. *Thomæ Bartholini.*

Anatomicæ inspectiones.

Diabete extincti Renes flaccidi & decolores inventi.

Anno 1590. Filia Præsidis Hollandiæ 18. annorum

rum aliquot ante obitum annis Diabete laborarat, adeoque sitibunda extiterat, ut unico die non rarò urnas duas tresvè potus assumeret, nec minore quantitate urinam in dies reddebat.

Renes huic non absumpti, rerum flaccidiores solito, figura cineritia non impensè rubra. *Petrus Pavvius observat. Anatom.2.*

Diabetes à vitio Renis sinistri magnæ molis, lapide obsessi exiguo : Dextri minimi & ferè consumpti.

Vidua Barnabæ Panthou sæpè nephritica erat : aliquando è vesica detractus lapis : Tandem post multos dolores nephriticos doluit inguen sinistrum, febricitavit, mox in imò ventre dolor erat intolerabilis, jactatio, vomitiones assiduæ, imò dolor ad pectus, variæ admodum erant species doloris : In sinistro hypochondrio tumor apparebat magnus & durus, Quidam verè splenem intumuisse dicebant : Alii Renem, Febris marasmodes, convulsiunculæ, frequentes leipothymiæ, involuntariè profluebat urina: Species quædam erat Diabetæ, urinæ tenuissimæ, aliquando cruentæ, post multos dolores mors.

Aperto cadavere Ren sinister inventus est lapide obsessus exiguo : Ren in magnam molem undique increverat, Adæquabat Renem bubulum magnitudine Paulum saniei in eo erat: Dexter adeò parvus erat ut ferè reperiri non potuerit ; Macruerat multùm : Nunquid verum illud à Renibus febres Marasmodes contingere? *Ballonius Ephem. & Epid. lib.2. pag.152.*

Diabetes à vitio vesicæ tumore σφακελώδη affectæ excitatus.

Multis ementitus Diabetes : causam ad Renum affectionem referebant : Mortui contracta planè vesica reperta est, cum gangræna & tumore σφακελώδη in capacitate ipsius vesicæ: Quod notandum nè quis decipiatur. *Ballonius Epid. lib.2. pag.152.*

Diabetes à rene uno lapide obsesso, & in ureteris initium implantato : altero minore reddito & collapso.

Joh. Chalumeau annos natus circter 50. corpores qualido & visceribus pari modo affectis, nephriticis symptomatis conflictatus est : dolor fixus, excretio nonnullorum lapidum ex intervallis : Ren sinister lapide angulos obtusos habente obsessus est, In ureteris principium implantatus deprehensus est post anatomen: febris conclusa, plus in recessû quam in fronte habens, adustio & squalor ; Extimus habitus alsiosus : lingua squallida & horridula, æstus & sitis, meiebat plusi usto, urina aquea planè, sensim extabuit, Diabete interiit.

Ren alter lapide non obsessus, justo minor erat & penè collapsus : In altero lapis prædictus deprehensus est, Nullum aliud commemorabile vitium quod sub oblutum caderet. *Ballonius Epid. & Eph. lib.2. pag.183.*

Diabetes à renibus malè affectis.

Vir quidam in ætatis flore, diu atrocibus nephriticis doloribus vexatus, renisque abscessum passus, in diabeten incidit. Singulis septimanis dolium dimidium cerevisiæ ingurgitare difficile illi non fuit. Post mortem cadaver aperiendi copiam mihi fecere consanguinei. Viscera satis benè constituta, exceptis renibus & ureteribus, conspexi, uterque enim ren ex parte consumptus erat, præsertim dexter ; cujus substantia planè consumpta, ejus membranas summoperè incrassatas & contractas, pelvisque capacitatem adæquantes vidi. *Frederic. Ruischius in observat. Anatomico Chirurgicis.*

DIARRHOEA.

De hoc morbo non est sanè quid specialiùs hic agamus, siquidem tum suprà capite de Cholera, tum infrà capite de Dysenteria abundè satis explicatur. Hic itaque tantùm de illius speciebus quæ vel Diarrhœæ simplicis, vel Cæliaci fluxus, vel Lienteriæ, &c. nomine audiunt, per *Curationes*, *Consultationes*, *Observationes & Anatomicas inspectiones ex variis.*

Curationes.

Omnes fluxus Intestinorum primariò à ventriculo pendent. Hujus ergo, ut partis mandantis, primò habenda ratio fuerit, nisi fluxus nimius urgeat. Ideoque ventriculo corroborato ipsi quoque fluxus cessant, sed tamen præmissis influxibus incipientibus vomitibus, adhibitisque Epithematibus (de quibus suprà in affectibus ventriculi) tandem Enematibus abstergendum & consolidandum.

Triplex autem non sine causa statuitur alui profluvium ; Diarrhœa, Lienteria, & Dysenteria. Ad fluxus ventris omnes detur ter in die de croco Martis, singulis vicibus grana x. cum succo prunorum sylvestrium, Item sequens.

℞. Hepatis lupi Mithridatii ana ℈j. Magisterii corallorum, boli armeni C. C. usti, Mastichis ana ℈ß. aquæ tormentillæ ℥iv. Cichorii ℥ij. Mivæ cydoniorum ʒj. Misce.

In Diarrhœa & Dysenteria Epidemica præmisso vomitû ad Antidota fugiendum.

Diarrhœa, quia à variis causis pendet, & semper alterius morbi effectus, diligenter videndum à quanam causa hæc ipsa dependeat, & an critica hæc sit, naturæ consueta, vel symptomatica. Si ob errorem aliquem externum accidat, an à partis aliqua intemperie, aut humorum copia fiat: quæ omnia si quis ritè observet, non difficile erit huic morbo resistere.

In genere notandum, nullam talem subitò reprimendam & retinendam esse nisi fortè in phtisicis & peripneumonicis. Etsi quid moliendum, à medicamentis lenioribus & imbecillioribus semper incipiendum est, dato solo diacydonio, aut miva cydoniorum composita. Ventre exterius inuncto oleo cydoniorum, mastichino, nardino, de mentha ; prodest etiam lac ebullitione unica coctum & chalybeatum manè & vesperi hor. 4. ante cibum, ad poculum unum addito terræ sigill. ℈j.

Si verò vires dejiciantur, ad fortiora accedendum, deinde ad clysteres & medicamenta primùm abstergentia, hinc ad adstringentia

tam externa quàm interna, de quibus in Dysenteria: ita tamen semper habeatur respectus ad membrum primò affectum: in exteriis tamen notandum, ne exteriùs musculi constringantur, sic nimirum augebitur malum. Constrictio autem à musculis auget excretionem: quare optimum, ut tenuium sint partium, ut penetrent ad intestina. Quod optimè consequeris, si addideris acet. fomentis & cataplasmatis.

Maximè in omni alvi fluxû prodest, si regioni ventris calidè imponatur Emplastrum de Theriaca antiqua & terra sigillata ana. Multùm quoque in omni alui profluxione prodest syrupus de rosis siccis, myrtillorum & in primis de ribibus, de berberis, de Corallis Quercetani, C. C. ustum & intestina gallinæ in clibano exsiccata & in pulverem redacta, lota prius aquâ aliquâ adstringente. Iisdem ferè remediis occurritur Lienteriæ, seu intestinorum lævitati, in qua tamen magis calefaciendus & roborandus ventriculus & intestina. Et nonnunquam si à pituita aquea eas partes lubricante fiat, causa expurgantibus tollenda. Conveniet hic super ventriculum cucurbitam parvam ponere, ut diutiùs cibum retineat.

Si ob affluxum bilis ad intestina, aut ob errorem aliquem externum, iis ablatis & mutatis, morbus facilè tollitur.

Si fluxus fiat propter obstructiones venarum mesaraïcarum aut imbecillitatem hepatis attractricis, causa suis medicamentis tollenda: inprimis in fluxu hepatico prodest sal Corallorum in aqua plantaginis dissolutum à ℈j. ad ʒß. sæpiùs per vices exhibitum, cæteris necessariis non omissis.

Diarrhœâ correpti creberrimè utantur oryzâ cum jure carnium seu lacte cocta.

Potus sit aqua Chalibeata, in qua Corallia, C. C. ustum, spodium tormentilla, bistorta, nux moschata, citri, granat. punica mala cocta sint. *Joh. Harthm. in prax. Chimiatr.*

Cùm Diarrhœa symptomatica plerumque oriatur ex pravis corruptisque humoribus biliosis, pituitosis, melancholicis, aut serosis, & præcipuè biliosis, acrimonia sua facultatem intestinorum expultricem irritantibus; illius curatio ab humoris peccantis evacuatione auspicanda est, quod fiet medicamento, quod purgando astringit, ne humoribus commotis alui fluxus nimiùm irritetur, quod in similem modum concinnari poterit.

♃. Rhab. elect. ʒj. Myrobal. citrin. ʒß. Santal. citrin. ℈ß. Infundantur in aqua plantag. In expressione dissolve rhab. pulverati ʒß. Syrupi rosac. ℥j. Fiat potio. Poterit addi catholicum, vel aliud medicamentum purgans, pro conditione humoris expurgandi.

Vomitus etiam interdum convenire poterit, quia revellit & evacuat materiam morbificam.

Si sanguinis redundantis indicia fuerint, & robur virium, phlebotomia initio celebranda est. At si febris adfuerit, sanguis detrahendus est, etiamsi nulla plethora appareat.

Ante & post purgationem clysteres detergentes injiciendi sunt, quorum descriptio talis esse poterit.

♃. Hordei integri P. ij. furfuris macri & rosar. rubr. ana P. j. liquirit rasæ & passul. integr. ana ℥j. Coquantur ad ℔j. In colatura dissolve sacchari albi ℥j. vitellos ovor. n. 2. Fiat clyster.

Corpore sufficienter evacuato, tum medicamentis purgantibus, tum ipso alui fluxû, astringentia & roborantia usurpanda erunt, tum per os assumenda, tum per clysterem injicienda, tum ventri admovenda quorùm formulæ à curatione dysenteriæ erunt repetendæ.

Præterea verò sequentia utiliter usurpari poterunt.

♃. Aceti chalybeati partem unam, aquæ chalybeatæ partes duas, fol. & fructuum Myrti, cydonior. mespilor. sorborum. ana M. ij. nucum cupressi par. vi. Coquantur ad medias. Colatura foveatur totus venter, tepidè frequenter.

♃. Ol. mastiches, cydonior. & myrtin. ana unc. j. Sang. drac. thuris & gummi tragacanth. ana ʒj. Ceræ quantum satis. Fiat unguentum, illinendum post fotum. Vel

♃. Micæ panis assatæ, & in aceto chalybeato infusæ, & carnis cydonior. sub cineribus coctorum, vel cydoniati, ana unc. iij. thuris, Mastiches, Sang. drac. ana Drach. ij. cum syrupo de absinthio & cydoniorum. Fiat cataplasma.

♃. Mastiches ʒij. bulliant in ℔iij. Aquæ fontis pro potû ordinario. Præstat aqua ferrata, quia alvum turbat, sed in affectû calido non valet: in cujus curatione convenienter poteris uti tinctura rosarum; vel conserva rosar. cum aqua fontis permixta, cum aqua extinctionis auri, cum syrupo cydoniorum agitata.

Amatus Lusitanus refert quendam curatum diarrhœâ biliosâ largo frigidæ potû in æstate. Nos verò cuidam viro sanguineo, diarrhœâ biliosâ æstate mediâ laboranti, cum siti intensâ, præscripsimus salem prunellæ in potû ordinario, tum etiam julepis, cum aqua lactucæ & portulacæ, ter in die sumendis & intra viginti quatuor horas curatus est.

Si humor fuerit valdè acer & adustus, parciùs & mitioribus medicamentis purgandus est æger, alioqui affectus ingravescit, sed refrigerantibus & humectantibus temperandus est; tum etiam sanguine parcâ manû detracto.

In eodem casû plurimùm confert semicupium tepidum, cujus exemplum habetur in observationibus nostris.

Folia plantaginis in jusculis decocta, ad hunc affectum utilissima sunt.

Ne verò diarrhœa in dysenteriam transeat, ad demulcendam humoris acrimoniam, clysteres ex lacte chalybeato usurpandi sunt, tum etiam emulsiones ex seminibus frig. mai. & sem. papav. albi.

Ad eandem diarrhœam biliosam syrupus sequens erit convenientissimus.

♃. Succi cydonior. unc. vi. Succi endiviæ, & acetosæ ana unc. iij. sem. acetosæ, & plantag. ana ʒij. coral. rubr. ʒj. Aquæ plantag. ℥iv. coquantur ad mediæ partis consumptionem. Colentur & fortiter exprimantur. Adde sacchari parem colaturæ quantitatem, & fiat syrupus, de quo capiat drach. ij. manè & serò.

In omni autem diarrhœa, præmissis universalibus bolus sequens usurpari poterit.

♃. Conservæ rosar. antiquæ ℥ß. Cydonior. condit. ʒj. pulveris tormentillæ ℈j. boli armeni ℈ß. cum saccharo. Fiat bolus frequenter iterandus, vel si affectus sit diuturnior, ex iisdem

aut

aut similibus majori quantitate præscriptis, opiata concinnari poterit, ad plures doses sumenda.

Vel ad potentiùs astringendum utatur æger pulvere sequenti.

℞. Sang. drac. thuris, mastich. mumiæ, terræ sigill. lapidis hæmatit. troschisc. de carabe, ana drach. j. boli arm. veri drach. iij. Fiat pulvis, de quo capiat ℈ ij. cum liquore idoneo.

Rhab. bis infusum, & postea aquâ rosar. lotum bis aut ter, & exsiccatum, utile.

Tabellæ triasantali quadruplicato rheo, bis in die exhibitæ, pondere drach. ij. alui fluxûs materiam auferunt, viscera corroborant.

Conyzæ folia super prunas injecta, ut fumus in cathedra perforata recipiatur specifica vi alvi fluxui medentur. Tum si eadem herba cum aceto trita, regioni stomachi admoveatur.

Suffitus etiam tapsi barbati in cathedra perforata receptus, insignis est efficaciæ, cujus exemplum habetur in obseravtionibus nostris.

Syrupus corallorum ad idem est efficax, & multò magis illius tinctura, vel magisterium.

Conserva cynorrhodi per se ad diarrhœam biliosam utilissima est, tum etiam, si opiatis astringentibus permisceatur.

Ubi verò ex fluxû frequentiori, & acriori, periculum est nè vires deficiant, laudanum opiatum cum mastiche, & terra sigillata utiliter exhibetur.

In contumaci alui fluxu, clyster ex jusculo & theriaca recenti utilis.

Pilulæ de Bdellio bis aut ter in septimana, vel alternis diebus usurpatæ: ad diuturnos & contumaces alui fluxus sistendos utilissimæ sunt.

Ad idem valet mespilorum usus frequens, ut se experientia comprobasse testatur Forestus *observ.* 1. *lib.* 2. his verbis. (qui diuturno alui fluxû laborabat, & omnem suam substantiam frustrà in Medicorum ope consumpserat, consilii causâ, ut ab hoc malo liberari posset, ad me accessit. Cui consilium dedi, ut mespila etiam immatura in maxima copia devoraret. Quibus comestis alui profluvium paucis diebus cessavit. Uti & cuidam evenit mercatori Zelando, ad Johannem Spirinchium quondam Medicum Lovaniensem celebriorem profectò, ut ab eo curaretur. Qui cùm multis mensibus laborasset profluvio, & tandem etiam dysenteria, neque ab ullis Medicis curari posset tandem mespilis comestis, ex ejusdem Medici consilio, sanitatem consequutus est, & Medico trecentes aureos, pro sola mespilorum præscriptione numeravit, quibus solis in pristinam sanitatem fuerat restitutus. Hæc Forestus.

Verùm advertendum est, ut ante mespilorum usum corpus abexcrementis, & omni cacochymia liberum præstetur.

In diarrhœa inveterata sequentia utilissima sunt.

℞. Ras. eboris ʒ iij. Confect. alkerm. ʒj. sacchari in aqua ros. dissoluti unc. iv. Fiant tabellæ.

℞. Croci martis reverberati gr. vi. bezoard. miner. ℈ß. Conservæ ros. ʒ ij. spir. vitr. gut. iij. Misce, fiat bolus qui detur bis in die, longè à pastû.

℞. Succi persicariæ maculatæ, & sempervivi mai. an. ℥ iij. bulliant. ad tertiæ partis consumpt. & dentur manè. Certò curant quemlibet fluxum quantumvis inveteratum.

Mercurius diaphoreticus per aliquot dies ad gr. xii. exhibitus, omnes corporis impuritates aufert, quæ contumaces interdum alui fluxus parere consueverunt.

Decoctum granorum juniperi in vino paratum, per triduum exhibitum multùm confert. Tum pulvis cicadarum cum vino albo exhibitus ad drach. j. Hæc duo conferunt, materiam alui fluxum committentem derivando ad urinæ vias. Paratur autem decoctum juniperi in sequentem modum.

℞. Granor. juniperi M. j. vini rubri ℔ i ß. Bulliant ad duarum tertiarum consumptionem; colaturam capiat manè per triduum.

Potus aquarum sulphurearum, totum corpus expurgando & ventriculum roborando, inveteratam diarrhœam curat. Cujus rei exemplum habetur in observationibus nostris.

Si diarrhœa fiat à catarrho, cerebro prospiciendum est velut parti mandanti, iis remediis, quæ in catarrhi curatione proposita sunt. Si vero pendeat ab hepatis, aut lienis obstructione, vel imbecillitate, illis affectibus mederi oportebit, prout in peculiaribus eorum curationibus docebitur: tumque astringentium medicamentorum usus nullus, aut parcissimus esse debet. Platerus in cura hæmorrhoidum, dicit sanguinem calentem injectum mirabiliter alvum fluentem cohibere. *Lazar. River. Prax. Med. lib.* 10.

In Diarrhœa medenda cautiones ferè ex differentiis Diarrhœarum patent.

In genere enim, quando est sistenda Diarrhœa, sanguinis effervescentia compescenda, per præcipitantia blandè adstringentia seu incrassantia & anodyna.

2. His si adjungatur Sudor; curatio erit magis fida seu tuta.

3. Evacuanda sunt excrementa occasionem subministrantia.

4. Roborandus est stomachus: cùm in omni Diarrhœa stomachus sit labefactatus, unde semper attendendum est ad stomachum.

5. In Diarrhœa maligna aut Epidemicè grassante, Sudorifera alexipharmaca blandè adstringentia utramq; paginam facere debent.

Ea ergò quæ conveniunt in diarrhœis sunt imprimis tormentilla, cujus extractum, præmissa, si opus est, levi purgatione abstersoria, à ʒß. ad ʒj. propinatum in conveniente vehiculo, à quibusdam aliis omnibus præfertur remediis in Diarrhœa etiam Epidemica. Post Tormentillam convenit radix Plantaginis, it. herba Plantaginis & Portulacæ, uti etiam folia Myrti, flor. Balaustiorum, Lysimachiæ flor. luteo & purpureo: fructus Myrtillorum, Mespilorum, Sorborum, Cydoniorum. Est species Mespili, quam vacant Sorbum, cujus succus è fructibus nondum perfectè maturis expressus & inspissatus, superiori anno egregiè profuit. Forestus *lib.* 22. *observ.* 21. aliquoties expertus est usum Mespilorum in quibusdam diarrhœa continua laborantibus, qui aliis irritis his mespilis fuerunt curati. Lignum Lentiscinum, s. lignum ex quo transudat Mastiche, ubi potest haberi minori pretio, est admodum elegans; postmodum semen Portulacæ, & in specie sophiæ Chirurgorum valdè commendatur. Spongia salicis exsic-

ſiccata ad ℥ß. data à quibusdam ſingulariter commendatur, hæc ipſa ſpongia aliàs commendatur ab Harthm. ad Choleram, paucorum granorum doſi, ſi in aq. ſtyptica propinatur. Nux Moſchata & Macis communia ſunt & omnibus nota contra Diarrhœam remedia. Inter aq. appropriatas ſunt imprimis, aq. Tormentill. Pimpinellæ, Plantaginis & Portulacæ: Ex ſuccis, ſunt ſuccus Cydoniorum & granatorum. Rob. & muſcus prunorum ſylveſtrium, quod Rob. commodiſſimè loco hypocyſtidis poteſt ſubſtitui. Gelatina C. C. in potû ordinario diſſoluta eſt admodum ſpecifica in Diarrhœa in ſpecie Epidemica graſſante, Decoctum Maſtichis, ſeu gummatis ex Lentiſco ſecretum fuit D. Oſvvaldi contra Diarrhœam in aqu. appropriata vel potû ordinario. Loco hujus decocti quidam imprægnant aq. fumo Maſtichis, ſcil. accendunt Maſtichen ſuprà prunas calentes, fumum excipiunt olla nova, & mox ollam fumo benè repletam implent aquâ appropriatâ) hoc ſubinde repetunt, donec ſubtilem Maſtichis ſaporem acidulum aqu. contraxerit, quæ eſt potus conveniens in Diarrhœa & Dyſenteria. Ovi vitella dura aceto roſaceo irrorata & acidulata ſunt experimentum Helmontii *p. m.* 184. §. 22. Aliàs aqu. Chalybeata. Item ſerum lactis chalybeatum uti & acetum chalybeatum convenit. Decoctum granorum Juniperi laudatur à Riverio, urinam enim promovendo neceſſario alvum exſiccat. Malum Cydonium cera impletum & aſſatum comeſtumque egregiè convenit. Bolus Armena, terra ſigillata, terra ſolar. vitriolata ſeu ſpir. vitr. irrorata inſigniter convenit, cum efferveſcentiam Maſſ. ſang. potenter compeſcat & præcipitet: Reſiduum ab extracto Rhabarbari, aut etiam rhabarbarum toſtum, ſcopis multis ſatisfacit, adſtringit, acrimoniam humorum temperat, & tum temporis potenter ſudorem movet. Sacchar. Saturn à multis non incommodè commendatur, ubi imprimis excrementa ſunt nimis acria. Hoc mixtum cum croco Martis adſtringente valde convenit in Diarrhœa & Dyſenteria. Vel ex vitriol. Martis & Saccharo Saturn. fit Hæmatites artificialis, cujus gr. x. vel xv. in aqu. appropriata inſigniter conducunt: Nam & ipſe Hæmatites naturalis ex Mart. & Saturn. vim ſuam habet in ſiſtendo ſanguinis fluxû & compeſcendis etiam diarrhœis. Sal prunellæ non eſt inconveniens ubi imprimis in febribus cum ſiti & ardore affligit diarrhœa. Exemplum habet Riverius de diarrhœa per uſum ſalis prunellæ curata. *Cent.* 1. *obſerv.* 33. Denique præter liquorem ſtypticum, de quo ſuo loco dictum, confert opium, & utramq; faciunt paginam opiata: Nam opium quoſcunque motus & evacuationes corporis præter ſudorem compeſcit, hæmorrhagias ſiſtit, paroxyſmos febriles inhibet, vomitus ſedat &c. in genere omnes humorum motus, ſive ſint efferveſcentiæ, ſive alii potenter compeſcit, unde ſemper cum præcipitantibus & diaphoreticis miſcetur opium: propter hoc opium: Theriaca tales meretur laudes contra quoſcunque alvi fluxus, imprimis cholericos ita ut veteres non ſatis illam potuerint laudare, & ab opio vim ſuam habet ſudoriferam. Theriaca in hoc caſû ſive externè applicetur umbilico, illita & regioni ſtomachi, ſivè internè à ℈j. ad ℈ij. aſſumatur, egregiè confert: Et quidem quo magis eſt recens, eò potiùs operabitur, quoniam minus infractæ ſunt opii vires.

Myva Cydoniorum aromatica cum Theriaca miſta: vel myva Cydonior. arom. ad ℈j. vel ℈ij. cum aliquot guttulis olei deſtillati Cinnamomi & Macis, experimentum eſt ſæpius probatum Lotichii in obſervat. quibus ſi addantur aliquot grana Laudani opiati erit bolus eò magis efficax.

Quidam ♃. Boli armen. nuc. moſch. ana miſcent cum vitello ovi ad mollitiem cocto & ita abſque ſale ſumunt quod experimentum eſt Stockeri in ſua praxi. Quibuſdam etiam cui probatiſſimum commendatur ſevum hircinum (multa ſanè latent in hirco) quod liquefactum cum tantillo farinæ triticeæ miſcetur, ut fiat inſtar pulmenti, quod pulmentum ſubinde aſſumptum; laudatur inſigniter contra diarrhœam. Pro potû ordinario ſit decoctum Maſtiches ſuprà dictum.

Stockerus decoquit Maſtich. in aqu. pluviali, quod decoctum tepide ſumptum, ceû certum experimentum commendat. Elienbergius quondam Medicus Hallenſis Saxo pro potu ordinario menſ. j. Cereviſiæ in qua decoxit Sacchar. alb. ℥ij. & gumm. Arabici ℥ß. propinat.

Quando graſſatur Diarrhœa Epidemica maligna, Alexipharmaca ſudorifera, præ primis conveniunt quæ etiam conducunt in quacunque diarrhœa.

Sudorifera uſitata ſatis cognita, miſcenda tamen ſemper appropriata, cum ſpiritû Theriacali conjungatur ſpiritus Maſtichis, cum terra ſigillata, ſal volat. viperarum & ſimilia.

Superiori anno cum graſſaretur hic Diarrhœa Epidemica non abſque applauſu medentium aliquoties uſum vidi egregium hujus pulver. etiam ubi jam adeſſet Delirium.

♃. Antim. diaphor. terr. ſigill. an. gr. xv. ſal. volat. viper. gr. vi. pulver. nuc. moſchat. gr. iv. miſc.

Fiat pulvis pro doſ. j. blandum ſudorem expectando, cui interdum etiam unum alterumvè gran. Laud. opiati additum egregiè convenit. Item mixtura hæc aliquoties feliciter ſucceſſit.

A. Aqu. tormentill. ℥ iij. Diaſcord. Fracaſt. ℈ ij. extr. torment. ℈j. antim. diaphor. ℈ß. ſyrup. cydonior. ℥j. miſc.

Pro duabus doſibus expectetur ſudor, poſt unamquamque doſin.

In eadem Diarrhœa maligna Gelatina C. C. ſemper egregium habuit effectum.

Externe contra diarrhœam inſigniter commendatur Theriaca umbilico impoſita & illita, aut etiam regioni ſtomachi ſimul, ſive ſola, ſive cum ana Balſami Peruviani miſceatur, & irroretur aliquot guttis ol. deſtillat. Macis, emplaſtrum de cruſta panis malaxatum cum ol. Maſtichis, ſimiliter convenit cruſta panis toſta vino auſtero adſperſa ſimiliter convenit quando inſpergitur pulv. nucis moſchatæ & applicatur ſtomacho. Balſamus ſeu linimentum factum ex ol. Macis deſtillato & ol. Menthæ & carui deſtillatis & ſ. q. Ol. nucis moſchatæ expreſſi, quantum ſufficit ſcil. pro corpore. Fiat balſ. ſtomacho & umbilico illinendus.

Quando opus eſt abſterſione inteſtinali tunc notum eſt, quod uſitatum ſit Rhabarbarum, idque

que nunc in substantia ad ℈ j. cum conserva rosarum, nunc verò tostum ad ℈ ij. cum pulver. nucis mosch. gr. v. vel vi i. vel Sirupus rosarum solutivus propinatur in decocto hordei, cui additur ℈ j. præter propter terr. sigillatæ.

Fit nonnunquam ut diarrhϾ sint admodum diuturnæ, itaut etiam ad aliquot annos sese extendant: in tali casu conveniant Thermæ. Sic Riverius cent. 2. obs. 47. facit mentionem alvi fluxus per octo annos durantis, qui tandem usu Thermarum fuit curatus. Quibus ipsis Thermis etiam curatus fuit alius alvi fluxus diuturnus cum ulcere conjunctus. *Michael Ethmull. Colleg. pract. lib. 1.*

Consultationes.

De Diarrhœa, Tenesmo, & Febre absque manifestis annotationibus. Pro Illustrissimos Octavio Tridento, Nobil. Vicentino. Ad Præclariss. Viros Alexandrum Massariam, & Iacobum Toresanum.

Agitur nunc trigesimus quartus dies, cùm patiens Illustriss. post varios commissos errores in Victu, Venetiis in carnisprivio cibis usus variis, piscibus, & ostreis magna copia, & liberalius bibens vina generosa, atque Veneri indulgens, redux Vicentiam, conqueri cœpit de frequenti dejectione per alvum materiæ à prædominio biliosæ, cum subdominio atræ bilis, & pituitæ salsæ, torminibus ventris, frequenti dejiciendi cupiditate, excretione aliquando sanguinis nigricantis, & lenta febricula, cum siti, & vigiliis. Cum autem duos ferè menses continuos affectum neglexisset, tandem Medicorum Præclarissimorum auxilio implorato, plures clysteres epiceratici fuerunt illi præscripti, ex lacte caprino, saccharo rubro, ovi vitello, & seno hircino; addita refrigerantia, & humectantia, atque lenientia semel saltem fuerunt assumpta, nempe syr. rosl. sol. cum decoct. pulpæ tamarindorum, superbibito sero lactis caprilli destillato. Ratione vigiliarum exhibitum laudanum Nepenthes Quercetani, & ad extinguendam sitim, serum caprillum majori copia, non omissis epithematibus refrigerantibus jecoris fervorem. Quibus tamen frustrà administratis, quæritur utrum sanguis per venam sectam sit educendus, ut censent, cùm diarrhœa non excedat, adsitque dysenteriæ principium; & quid porrò præscribendum sit pro debellando affectu præsenti.

Quibus satisfacturi, statuendum censemus adesse congeriem humorum vitiosorum in mesenterio, & intestinis, ex præterita incompositissima victus ratione, omnesque prædictos humores acrimoniam, & mordacitatem majorem ex putredine contraxisse, à qua provenit lenta illa febricula, vix ab Illustriss. patiente observata; ac proinde non tam copia, quam mala qualitate irritari intestinorum expultricem ad eorum expulsionem: unde facta aliqua ipsorum abrasione, subsecuta est dejectio sanguinis nigricantis, cum continuo egerendi conatu, ob læsionem intestini coli, & recti, vel etiam musculi sphincteris podicis.

Quibus sic statutis, respondemus, à quacumque sanguinis missione desistendum esse varias ob causas. Quarum prima, quia habemus corpus cacochymum, ob succos vitiosos genitos: secundò, quoniam materiæ peccantes sunt in primis viis, intestinis nempe, & mesenterio, quæ propterea per venæ sectionem trahi possunt in venas: tertio, quia vires non possunt non languere ob diuturnas dejectiones: quartò, quoniam præterita Venus immodica ipsas magis labefactare potuit, accedente innata Illustriss. patientis imbecillitate.

Omissa itaque sanguinis evacuatione, consului pergendum esse in refrigerantibus, divertentibus, evacuantibus, & epiceratsticis, ac somnum conciliantibus. In quem usum commendo serum lactis caprini, modò dejectorium, modò diureticum. Quod propterea exhibendum quarta quaque die depuratum ad ℔ ij. cum ℥ iij. syr. rof. solut. addita decoct. pulpæ tamarindorum: atque intermediis diebus præscribatur destillatum, diureticum redditum, cum emulsione ℥ iij. seminum quatuor majorum frigidorum, ad ℔ j. macerata in eo coma absinthii. Sic progrediendum aliquot dies, non omissis interim clysteribus, non solum epiceratsticis supra propositis, & hactenus administratis, sed etiam aliquando detersoriis, cum mell. rof. simplici, & aqua hordei, succo plantaginis. Hisque peractis, & sublata febre, præscribi poterit aqua B. Virginis aliquot dies, ad tres vel quatuor libras quolibet die, cùm emulsione seminum diureticorum propositorum. Clysteres verò fiant ex lactis cocto cum terra sigillata, & bolo armena. Theriaca recens exhibeatur ad conciliandum somnum, & fluxionem sistendam.

Præscripta congrua victus ratione Viris Præclarissimis perquam notissima. *Bened. Silvat. Consil. & Respons. Medic. Cent. 2.*

De Alvi Fluxu. Pro Generoso Patiente.

Alvi fluxus, quo multis abhinc mensibus, & annis conflictatur generosus patiens, est fluxus materiæ biliosæ, viridis, nigricantis, & humoris melancholici, ab hepate proveniens calida intemperie donato, cum obstructionibus valdè confirmatis; quarum ratione calor ascititius intensior redditus adurit humores, & fluxum rebellem efficit. Huic conjungitur excretio materiæ cruentæ quam ab hæmorrhoidibus potius provenire censeo, quàm a superioribus partibus, cùm quia sanguis est ab aliis excretis separatus, tum quia excernitur cum aliquo tenesmo; & aliquando sincerus neque est similis loturæ carnium, prout ex hepate effundi solet.

Est quidem affectus pertinax, qui nullis hactenus remediis cedere potuit; non tamen incurabilis, si tollantur obstructiones, jecur refrigeretur, & partes affectæ corroborentur; cum præsertim facile toleretur à generoso juvene. Et quanquam annexam habeat febriculam quandam, spero tamen fore, ut sublatis obstructionibus cesset & febris.

Materiæ præsidiorum erunt potius Pharmaceuticæ, & Diæteticæ, quam Chirurgicæ, cùm jam missus fuerit ipsi sanguis semel, atq; iterum.

Inter Pharmaceutica autem tria remedio-

rum genera ex usu futura censeo. Primò quidem aliqua blanda dejectoria subastringentia. In quem usum commendo syr. rof. sol. cum tamarindis, & myrobalanis chebulis. Secundò refrigerantia diuretica, & moderatè aperientia. In quibus erunt serum lactis caprini destillatum, cum agrimonia, gramine, capillo veneris seminibus frigidis diureticis, & portiuncula absinthii; quo utetur plures dies, præmisso bolo ex succo agrimoniæ concreto, ammoniaco, & succo cichorii; cui tertio, aut quarto quoque die infundetur drach. j. rhabarb. Tertium erit usus chalybis; primò quidem potabilis, cum prædicto sero caprino: deinde etiam electuarii forma, cum conserva ex capillo veneris, & filipendula, addita portione sacchari rof. antiqui, & trochiscorum cypheos. His accedant fomenta, inunctionesque aperientes, sed temperatæ: ac tandem applicetur ceratum oxycroceum Galeni.

Quibus jungetur congrua victus ratio, quæ diureticis sit permixta. Vino utatur oligophoro, & tenuis substantiæ. Et hæc agenda censeo in casu præsenti, pro salute hujus patientis. *Idem ibidem.*

De Purulenta materia excreta per alvum, & vomitum, & ad crus decumbente. Pro Nobili Matrona Angla.

Ex enarratis constat, Mulierem viduam, semper infœcundam, ætatis consistentis, à decennio passam esse tumorem in dextro hypochondrio, progressu temporis suppuratum, cum excretione materiæ saniosæ, fœtidæ, copiosa ferè semper per alvum quandoque etiam vomitum, & aliquando per decubitum in tibiam. Qui tumor sæpius recruduit usque ad annum præteritum: quo tempore, loco tumoris, inanem prædictam partem percipiebat, ac deinde mensibus non liberè fluentibus, materia nigra, fœtida, cùm per os, tum per alvum cum frequenti lipothymia excreta fuit cum convulsione tandem internarum partium, seu potius motibus convulsivis, quos nunc quoque aliquando patitur, licet leviores; ut propterea de agendis consulat, potius præservationis causâ, quam curationis. Quare ut constet quid sit agendum, statuendum est, qualesnam fuerint affectus præteriti, & quæ fuerit eorum causa.

Tumorem itaque præteritum quod spectat, sicuti compertissimum est, fuisse apostema productum à materia heterogenea, pituitosa scil. & melancholico sanguine; alioquin longè citius ad suppurationem devenisset: ita censeo, non potuisse esse apostema hepatis. Non enim mihi persuadere possum viscus illud princeps, sanguificationi dicatum tamdiu tumorem illum absque insigni labefactatione calidi innati tolerare potuisse. Addo, quod febrem habuisset comitem, cum macie totius, & menstruorum suppressione. Neque obstat, quod hydropen ascitem passa sit. Fieri enim potest etiam affecto jecore per consensum partium: prout non rarò ex scirrho lienis accidit, qui non adeò facili negotio dicussus esset, denuoque recurrisset, cum tumore partis affectæ. Propterea censeo tumorem hunc in mesenterio genitum fuisse, quod sæpius fit sentina multorum excrementorum, atque obtusi sensus cùm sit, diuturnas tolerat affectiones, & in quo non rarò suboriuntur apostemata suppurantia: qualia frequentissimè fuerunt à me observata, quæ tandem subsidebant per dejectiones purulentas, iterumque statutis temporibus recurrebant, & oblitescebant denuò per similes dejectiones, non rarò cruentas, ita ut imposuerint quibusdam, illas pro dysentericis habentibus. Nec præter rem est hujusmodi materiam partim fuisse per vomitum excretam, facta ipsius transmissione ad ventriculum per venas lacteas, sive mesaraicas: neque quod ad crus ipsum decubuerit, cùm partes omnes sibi invicem consentiant; ita, ut ego observaverim aliquando puerum Nobil. ulcere brachii laborantem, pus per alvum excrevisse, suppressa expurgatione per ulcus; nec semel, sed sæpius hanc metastasin factam fuisse. Quod autem novissimè supervenerint convulsiones, non bene fluentibus mensibus, cum dejectione materiæ nigræ, fœtidæ, feculentæ, nemini mirum esse debet, cùm materia illa vitiosa transmissa fuerit à natura ad intestina. Quæ propterea sicuti exhalans in cor lipothymiam induxit, ita vellicando nervosam substantiam spinalis medullæ, motus convulsivos inferre potuit, non rarò invadentes in hystericis passionibus; quemadmodum nec rarò doloribus colicis succedit paralysis, facta metastasi materiæ peccantis, Et hæc de affectibus propositis, & ipsorum causis.

A quibus ut præservetur, insistendum est frequenti alvi subductioni, mensium revocationi, etiam per connubium, diversioni per venarum sedalium familiarem reserationem, & emissarium aliquod infernis partibus inustum. Materias remediorum Viris doctissimis perquam notissimas data opera prætermittendas duxi, ne Minervam, quod aiunt, Athenas ducere videar. *Idem ibidem.*

De Fluxo Hepatico. Pro Illustrissimo Barone Germano. Ad Perillustrem, & Excellentissimum Ioan. Iacobum Hartigium, Medicum.

Illustrissimus Baro, ætatis annorum 35. temperamenti calidi, & humidi, densi habitus, à juventute in locis montosis, & asperis Germaniæ degens, quindecim abhinc annis peregrinationibus susceptis per Galliam, Hispaniam, & Italiam, promiscua victus ratione usus, sub cœlo modò æstuoso, modò frigidiori, & ventis opportuno, quatuordecim abhinc annis in alui profluvium incidit, cujus causa ex Chymici cujusdam consilio stibiatam potionem sumpsit, à qua turbatus valdè in gravia incidit symptomata, à dogmatico quidem Medico sedata, non tamen sublata omninò: quinimò sensim, & sensim adaucto fluxu, à potu gelidæ in Hispania, fructibusque nive refrigeratis, & in Germania, in Aula Cæsarea, præsertim à somno meridiano sæpius hausta aqua gelidissima ad libras duodecim Medicas, cum cinnamomo, acido citri, & saccharo, nulla succedente cœna, spatio annorum aliquot, trib. abhinc annis ita invaluit alvi fluxus, ut die, noctuque modò 7. 9. 10. modò frequentius alvum dejicere cogatur. Frequentiores tamen sunt nocturnæ, quam diurnæ dejectiones

ctiones, plurimùm inconcoctæ, frequenter bili flavæ, & pituitæ viscosæ immixtæ, cum sanguine nonnunquam cùm crasso, & splendido, tum aquoso, loturæ carnium nuper mactatarum non dissimili; quas præcedit semper flatuum copia, intima ventris regione, umbilico, ac pubis osse circumscripta, dolore acutissimo subsequente, qui non rarò irrito dejiciendi conatu tenesmum æmulatur. Propterea de agendis consulit.

Nos itaque illi opem allaturi determinandum censemus, affectum præsentem esse cùm diarrhœam, tum dysenteriam, cum aliquo tenesmi principio. Diarrhœam quidem, ratione materiæ heterogeneæ excretæ, pituitosæ, & biliosæ, cujus causa est symptoma in excretis, consequens irritatam expultricem intestinorum, à materia cùm acrimonia, tum copia peccante: dysenteriam quinetiam, ratione sanguinis excreti, nomine tamen dysenteriæ latius usurpato, pro quacunque cruenta excretione; non secus ac ea voce usus est Hippoc. 4. de Articulis dicens: *In ossium præcisione progressu temporis expectandas esse dysenterias.* Ubi Latinus interpres cruentas dejectiones reddit: & 1. de Nat. Hum. 33. 2. in Pr. Epid. 7. & 36. 3. in 3. Epid. 7. & alibi, cum Gal. in com. Præsens namque affectus vera dysenteria dici non potest, quoniam non provenit ab intestinorum ulcere, sed potius à vitio cùm ventriculi, tum & magis ipsius hepatis. Ventriculi quidem, ubi labefactato calido innato, inducta est intemperies frigida & humida ab immodico refrigerantium usu; ut hoc nomine congerantur cruditates, & coacervetur copia pituitosæ materiæ, à qua debilitata etiam est retentrix intestinorum, frequentis dejectionis causa. In Hepate verò adest vitium duplex, utrumque magni momenti, intemperies scil. in excessu calida, ob quam congeritur bilis copia; & morbus in mala compositione, obstructio nempe cùm in ipso, tum & in mesenterio, cujus causa excernitur sanguis crassus, splendidus, & exustus, intercepta caloris ventilatione: atque dejectiones nocturnæ sunt frequentiores, ob ejusdem caloris refluxum ad interiora. His tamen de causis fluxus hîc propriè hepaticus non est dicendus, licet à morbosa jecoris affectione proveniat, nisi propter aquosum illum sanguinem non absimilem loturæ carnium nuper mactatarum, hoc nomine censeri debeat, cùm ab Alex. Tralliano lib. 8. c. 3. dysenteria hepatica vocetur, à Gal. item, & aliis Medicinæ scriptoribus fluxus hepaticus. De quo tamen duo quæri possunt. Primum est, quænam pars jecoris potissimum afficiatur; alterum, quænam sit causa princeps hujus dejectionis. Nec immeritò quæritur de parte affecta. Hepar enim constat ex parenchymate, & magna venarum propagine cùm ex cava, tum ex porta emanantium, cum præsertim Gal. ipse 6. de Placitis Hipp. & Pl. tex. com. 14. prodiderit, dubitatum olim fuisse à Medicinæ scriptoribus, utrum facultatis sanguificatricis sedes sit in parenchymate, vel in venoso genere. Quod dubium adhucum viget, siquidem Vesalius, & cum eo Laurentius Joubertus in Paradoxis, existimant sanguificationem fieri à venis, non à parenchymate; quod pluribus rationibus confirmant: duabus potissimùm. Quarum prima est, quoniam actio fit per contactum; chylus autem tangit venas, non parenchyma. Secunda, quia omnis actio fit à calido innato validiori: sed validius est calidum innatum in venis, quæ sunt spermaticæ, quàm in parenchymate, quod est substantiæ sanguineæ. Cui venoso generi sanguificatricem facultatem adscripsit etiam Gal. 1. de Nat. Facult. 5. dum eandem facultatem tribuit venis in sanguificatione, quam cordi in generatione spiritus vitalis, & cerebro in spiritu animali. Argenterius è contrario tuetur parenchyma esse partem principem sanguificatricis facultatis. Cujus opinioni ego quoque subscribendum censeo, his argumentis adductus. Quælibet partis actio fieri debet à proprietate substantiæ ejus, cujus est actio. Sed nulla est pars in toto corpore, quæ habeat substantiam similem magis sanguini, parenchymate. Ergo sanguificatio fit à parenchymate. Addamus, quod sanguificatio est chyli concoctio. Sed concoctio est mutatio ejus quod concoquitur in naturam coquentis: sed sic est, quod chylus, dum in jecore concoquitur, convertitur in substantiam similem parenchymati, temperie, colore, & modo substantiæ. Ergo sanguificatio fit à parenchymate. Accedit, quod eadem ratio arteriarum ac nervorum, quæ est venarum. Sed arteriæ non generant spiritus vitales, neque nervi animales, sed devehunt tantummodo. Ergo & venæ non generabunt sanguinem ex Gal. de Plac. Hip. & Platon. lib. 6. c. 14. Præterea sanguificatio fit à calore temperato. Sed venæ sunt frigidi temperamenti; languet enim in ipsis calidum innatum. Ergo non possunt sanguinem producere. Non tamen neganda est aliqua præparatio in venis, non secus ac in ore fit ciborum. Quod innuit Gal. cùm asserit in venis fieri sanguificationem. Quod autem fiat actio per contactum, id fit immediatè, vel mediatè. Propterea concludendum est, parenchyma jecoris esse partem principem, cui demandata est sanguificatio: ac propterea cùm in casu præsenti hæc læsa sit, pars potissimum affecta est jecur, & parenchyma ipsius.

Causa effectrix ratione flatuum, & pituitosæ materiæ, est intemperies frigida & humida ventriculi, contracta ex potulentis, fructibus frigidis, & nive refrigeratis; ratione verò materiæ biliosæ, est intemperies calida jecoris, cum materia obstructionum causa, unde sanguis ille crassus, & splendidus: ratione autem sanguinis aquosi, est imbecillitas calidi innati ipsius, cujus ratione Ætius Tetrab. 3. Serm. 2. c. 1. egit de fluxu hepatico in Capite de Imbecillitate hepatis. Alex. Trallianus ubi de imbecillitate hepatis l. 8. c. 3. inscripsit Caput illud de Dysenteria Hepatica; & Gal. passim patientes istos hepaticos vocavit 5. de Loc. Aff. 7. 8. de Comp. per Loca. 3. de Causis sympt. & alibi. Imbecillitas autem hæc potest esse cum qualibet excedente intemperie. Propterea mirum non est, quod intemperiei calidæ bilem generanti accedat imbecillitas calidi innati non perfectè concoquentis, aquosumque sanguinem generantis: cui tandem jungitur dolor in imo ventre, & conatus irritus dejiciendi, sive tenesmus. Humores namque acres cùm biliosi, tum pituitosi salsi dum dejiciuntur, in effluxu expultricem irritant. Et hæc de essentia, & causis præsentis affectus.

Qui

Qui quidem est maximi momenti: quoniam facessere potest in lienteriam, ratione continuæ dejectionis; & in hydropem, ratione imbecillitatis calidi innati.

Attamen cùm vires constent in Illustriss. patiente, insistendum est Medicis præsidiis divertentibus, præparantibus, purgantibus, & corroborantibus.

Pro diversione probantur frictiones totius corporis, cucurbitulæ non scarificatæ pluribus partibus appositæ, & cauteria in utroque brachio; non omissa parca sanguinis detractione ex salvatella dextra pro revulsione, & ratione caloris excedentis.

Præparentur humores cum cichoraceis, capillo veneris, pentaphyllo, absinthio, & mentha. Purgentur deinde rhap. immaturo, & saccharo ros. solutivo, parato scil. ex rosis Persicis, & decoct. corticum myrobalanorum chebulorum. Mox repetantur præparantia magis aperientia, & diuretica, cujusmodi erant radices fœniculi, petroselini, agrimoniæ, cortices radicum capparum, cum seminibus anisi, fœniculis, & coriandri præparati, mentha, & absinthio, bolo præmisso ex succo absinthii concreto, trochisci de rhabarbaro, & hepate lupi præparato. Repetita purgatione cum eodem rhabarbaro torrefacto, mixto cum saccharo ros. antiquo ex rosis Damascenis. Hisque peractis, præscribendum erit decoctum ex sassafras, ligno rhodio, & lentisco, cum seminibus anisi, dauci, & radicibus diureticis fœniculi, asparagi: addito semper absinthio, & succo cichorii depurato, parato in jure galli junioris, præmisso bolo ex terebinthina cypria, mastiche, & trochiscis cypheos: atque blando sudore excitato cum pane nuper è furno extracto, & linteo involuto, diversis corporis partibus admoto, vel cum doliolis aqua sudorifica repletis. Horis vespertinis exhiberi potest tinctura rosarum extracta cum spiritu vitrioli in aqua cichorii, & menthæ. Aquæ quinetiam Thermales moderatè calidæ potui datæ conferent: non omissis aliquando clysteribus ex lacte chalybeato, cum sacch. rubro sevo hircino, ratione tenesmi, Extrinsecus usui erit stillicidium ventriculo, ex oleo mastichino, absinthite, de mentha, & communi, cum schœnantho, calamentho, & vino Cretico. Inunctio totius corporis oleo chamæmelino, amygdalino, Jecori ceratum oxycroceum; non omisso usu sacchari ros. antiqui, cum terra sigillata; & si patiens ad vomitum proclivis fuerit, blanda vomitoria: non tamen laxantia conferent.

Victus præscribatur facilis coctionis, & boni nutrimenti, sumpto in prima mensa diacydonio, parum & sæpè nutriendo, & vinum rubrum subastringens potui exhibendo, cum mediocri exercitio, & somno. *Idem ibidem.*

De Puris excretione per Alvum ex ulcere brachii, cum perforatione intestini cicatrice obducta. Pro Illustr. Puero septenni Superantio.

Rarus affectus, nec minus cognitu, quàm curatu difficilis nobis occurrit expendendus, & profligandus, cujus hæc est historia. Illustriss. & Nobiliss. puero Superantio, annos nato septem circiter, temperamenti calidi, ad siccum vergentis, ex confluxu materiæ, ob contusionem forsitan, accrevit abscessus in sinistro brachio propè cubitum, cui suppurato, & disrupto, successit in dicta parte ulcus altum, sinuosum, cacoethe, cum affluxu materiæ, ex quo mensis spatio circiter magna saniei copia emanavit: mox cessante ferè omninò fluxione, observatum fuit quod per alvum excernebatur cum fæcibus aliqua puris copia; ac deinde palam factum, quod quamdiu pure, & sanie manabat ulcus, illis non inquinabantur alvi feces, & vicissim, dum per alvum excernebantur, brachii ulcus illis vacabat: & quod mirum, patuit nobis parvum apostema in umbilico, ex quo disrupto non solum pus effluxit, sed & cum eo granum passularum, & medius nucleus pineus, quæ assumpserat, indicio manifestissimo intestini perforati, cum alioquin assumpta per umbilicum erumpere non potuerint Atque adeò duos observavimus affectus maximi momenti, metastasin scil. puris à brachio ad intestina, & ab intestinis ad brachium; inter quas tamen partes consensus non ita patet. Quinimò sæpius à Gal. proditum, quæ sunt in thorace, & partibus supra septum transversum, expurgari per urinam; quæ verò infra septum transversum, per alvum: ut propterea longè minus per alvum expurgari possint humores, qui sunt in brachiis. Alter affectus est intestinorum perforatio, quem statuit Hipp. esse non solum incurabilem, sed lethalem 6. Aphor. 18. his verbis: *Pertusa, persectave vesica, cerebro, corde, septo transverso, tenui quopiam intestino, ventriculo, jecore, lethale est.* Effluxus autem assumptorum per umbilicum prodit intestini tenuis perforationem, ac proinde affectum lethalem. Convaluit nihilominus Illustrissimus patiens, & sanus degit, excepta brachii contractione, seu convulsione ad interiora etiamnum perdurante: cùm inculpatissima alioquin corporis valetudine utatur triginta quatuor, & quod excedit annis ab affectu proposito.

Cum itaque de transmissione prædicta à brachio ad alvum, & ab alvo ad brachium nulla sit difficultas. Oculata enim fide id testari possum, quam confirmare possem testimonio Præclarissimi, & celeberrimi Anatomici, Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, Equitis, si esset in vivis; cùm præsertim in promptu sint historiæ hujusmodi transmissionis apud Ambrosium Pareum 10. lib. suæ magnæ Chirurgiæ c. 12. & lib. 16. ejusdem operis c. 49. ubi refert se vidisse expurgatam saniem cùm ex dextro, tum ex sinistro brachio, non solum per alvum, sed etiam per urinam. Difficultatis caput situm est in assignando ductu, per quem à brachio ad intestina transmitti, & confluere possit materia purulenta. Qua tamen in re, missa ex aliorum sententia generica illa via, quòd sc. totum corpus sit transpirabile, & sit consensus unus, conspiratio una, & convenientia omnia, ex Hippoc. censeo ego, quod per venam axillarem à brachiis transmitti possit materia ad venas thoracicas ejusdem litteris, & ab iis per ramos venæ ἀζυγος cum quibus conjunguntur, ad hepat, à quo per anastomosin venæ portæ cum cavæ ramis, facili via postmodum ad intestina confluat. Et sanè, si à surditate diarrhœa superveniens eam tollit, ex Hip. dummodò sit recens, addit Gal. in com. Aph. 29. 4. particulæ per evacuationem scilicet biliosæ

biliosæ materiæ surditatem inducentis, quid prohibet, quominus transmittatur ab expultrice brachii ad venas prædictas, & expurgetur per alvum. Quinimo Paræus l. c. refert historiam cujusdam, qui per evacuationem purulentæ materiæ à brachio per alvum, & urinam, sanatus fuit absque localibus parti affectæ applicitis. Alterius enim loci loca recipientia, aut pondere, aut alio aliquo liberant, ex divini Hipp. oraculo 3. in 6. Epid. text. 37. Quod confirmavit 4. in 6. Epid. 3. his verbis: Cui intestinum in dextra parte, arthriticus fiebat, & quietior, postquam antem curabatur, dolentior. Vena autem azygos duplicem consensum habet cum venis thoracis, ut observat Fallopius, & confirmat Andreas Laurentius celebres Anatomici; prior est cum thoracis venis, quæ ab axillari propagantur, unde inquiunt, in pleuritide venæ ejusdem lateris sectio maximè confert: altera est cum emulgente, per ramulum, à quo puris in thorace collecti fit expurgatio per urinam. His sic suppositis, statuimus, à venis brachii, quæ sunt propagines venæ axillaris, ad thoracicas, indeque ad ἄζυγον, ab illa ad hepar, ab hoc postmodum ad venam portæ, & intestina confluxisse materiam, quæ per alvum postmodum expurgabatur. Quod autem cicatrice obductum, & sanatum ulcus intestini, mirum non est, cùm quia puerilis ætas, in qua plurimum est calidi innati, superat gravissimos affectus, tum etiam, quia morbus erat in principio, nec adeò gravis. Hippocratis enim sententia tunc tantum obtinet, cùm insignis est perforatio, ut notat Gal. in comm.

Quare præmissa blanda corporis purgatione, solo decocto ex radice chinæ, verbena, serpentaria, consolida, & cichorio, cum carne pulli; & extrinsecus cum aquis thermalibus Montis Ægrotorum, injectis per siphonem in sinum ulceris, modò cum melle ros. modò cum pulveribus sarcoticis, & immersione cùm brachii, tum inferioris ventris in iisdem aquis, præscripta congrua victus ratione, patientem Illustr. pristinæ sanitati restituimus: quam eidem nunc Senatori Excellent. à præpotente Deo longævam enixè precamur. *Idem ibidem.*

De Diarrhœa, & mensium suppressione, cum corporis Macie. Pro Nobili & lectissima Juvene.

De duobus potissimùm affectibus conqueri video lectissimam juvenem, de alvi fluxu videlicet, & mensium suppressione, ut optimè observatum est à Viro Excellent. Alvi autem fluxum provenire ab intemperie frigida, & humida ventriculi compertissimum esse censeo, cùm ex affectu simili præterito ante aliquot annos, tum ex diuturnitate ipsius, tempore excretionis, hora scil. concoctionis, qualitate excretorum, necnon & ex flatuum copia. De mensium autem suppressione non ita constat utrum dependeat ab obstructionibus venarum uteri, vel ex defectu sanguinis ad eum non confluentis. Quoties enim cumque non fit bona concoctio, nec fieri potest copiosa sanguinis generatio, prout forsan accidit in casu præsenti, in quo affligit diarrhœa decem abhinc mensibus, ac propterea sanguis copiosus adeò congeri non potest, ut & nutriat, & statutis mensibus expurgetur, hincque fit quod patiens ipsa in dies macrescat. Neque obstat quod intumescant venæ sedales. Frequens etenim dejectio causa est tenesmi, venarumque illarum turgentiæ, cum aliqua sanguinis excretione. Propterea existimarem ego mensium suppressionem provenire potius à defectu sanguinis & à derivatione humorum ad alvum, quam ab obstructionibus. Raro namque accidit, ut natura consueta obeat munia alio distracta.

Utcunque sit, spero menses liberè fluxuros curata diarrhœa. Quod fiet contemperata ventriculi intemperie calorificis, & exsiccantibus, necnon & humores alio divertentibus, & præsertim ad vias urinæ.

Quod ut obtineatur, summa cum ratione præmissa fuit diligens corporis purgatio, exhibita, item aqua Tetutiana necnon & præscriptum decoctum ex radice chinæ, & sassafras, addito lentisco, ratione ventriculi, & diureticis præscriptis paratum, cum columba turricola; cui præmitti poterit drachm. 1. Terebinthinæ Cypriæ: in cujus usu persistet viginti dies, semel in die matutinis horis: vespertinis verò, hora ante cœnam assumet unc. 1. Conservæ ex absinthio umbellifero: cum drachm. 1. Boracis mineralis: non omissis externis topicis. Ratione ventriculi duo remedia erunt valdè accommodata, stillicidium scil. ex oleis mastichino, absinthite, cydoniorum, rutæ, & nardino, decoctis cum vino Cretico ad consumptionem vini, addita infusione schœnanthi, spicæ, & ligni Aloës, cujus usum continuabit 15. dies quotidie, horam circiter, superposito deinde cerato ex mastiche, caragna, & tacamahaca. Aliud erit picationes ventriculo singulis diebus administratæ manè & vesperi hora semis ante cibum, applicando picem navalem obductam corio, quæ vi removebitur, totiesque applicabitur, dum rubor excitetur in cute: tunc enim statim supersedendum erit illius usu, quò calor ad ventriculum attractus cum sanguine, retentricem, & concoctricem facultatem corroboret. Cumprimum autem remiserit diarrhœa, revocandæ erunt menstruæ purgationes insessu in aquis thermalibus sulphureis, quibus deficientibus, lixivium ex usu erit, paratum ex cinere ficus, & sabinæ, alteratum scordio, dictamno, matricaria, artemisia, pulegio, & sabina, immissa cannula pertusa in sinum muliebrem: factaque deinde inunctione oleo liliorum, laurino, & rutaceo, cum modico moscho, & ambra.

Cibus sit facilis coctionis, parum & sæpè exhibitus, præmisso semper diacydonio cum pipere, non liquidus; & potus sit vini modicè generosi, rubri, subastringentis. Atque hæc in præsentia præscribenda erunt, abstinendo ab omnibus fructibus, præter mala cydonia. Quod si his non cesserit affectus, autumno parandum erit vinum medicatum, ex ligno Indico, lentisco, absinthio, & roremarino, quo tota hyeme utetur in prandio, & cœna. *Idem ibidem.*

Lienteria cum Atrophia, & Cachexiæ principio.

Puella morigera, æque supra ætatem modesta, ac prudens, animique fortitudine in ærumnosa sua valetudine prædita, annorum octo cum dimidio, ab exortu delicatula, mollis habitus, gra-

gracillimi, atque raræ texturæ, coloris albicantis, rubentis in genis, Jecoris præcalidi, frigidi verò ventriculi, anno elapso, à quo exordium sumpsere ejus morbi, post piscium usum à prægressa quadragesimali observantia, à domesticis male se habere observata fuit, sæpiusque quàm par foret, alvum deponere. Cum tandem circa medietatem Veris, variolis, quas alias imminue passa fuerat, leviter iterum tentata est, ac insuper post ipsas Ophthalmia laboravit; quibus cum ab adstanti Medico prospiceretur, assumpto Magisterio mechoac. successit contumax alvi fluor, etiam nunc perdurans, tribus quandoque horis, & plus distans à cibo, quandoque ab eo statim juxta esculentorum crasim, dejectionesq; sæpius noctu, quam diu affligunt, absque tamen intestinorum dolore, licet quandoque tormina adfuerint. Rugitus in intestinis & murmura tunc maxime adsunt, cum alvi fluor excitatur. Depositiones modo rariores, modo frequentiores fiunt, ad quatuor vel quinque ut plurimum vices, quandoque verò ad octo vel decem. Excreta ab eo tempore, à quo Curationem suscepi, albicantia, maxime fœtida, quoquo facto spumosa, semper liquida atque serosa conspexi, licet quatuor tantum vel quinque vicibus compactioris consistentiæ extiterint per totum morbi decursum. Quibus tandem commisceri inceperunt alimenta nihil prorsus mutata; macie interim ac totius corporis pallore insuper additis, una cum pedum intumescentia. Venter inferior tumidus, tensus est, ad instar tympani resonans. Dolores vagi puellam quandoque torsere, modo in hypochondriis, modo in artubus inferioribus, modo in mandibulis. Quibus ærumnis inseparabilis febricula juncta est, cum pulsu celeri, duriusculo, caloreque arteriæ post cibum tribus circiter horis magis se exerente: Usque adhuc attamen aliquam duplicis tertianæ ideam servasse conjeci, cum magis una die, quam altera febrire videatur, incipiente quinetiam febre, vel cum rigore, vel cum levi refrigeratione, quod à principio usque adhuc rimatus sum. Quæ cuncta comitatur omnimoda ciborum abominatio, cum appetitus penitus exoleverit, succedente ab assumpto cibo frequenter vomitu. Non sitit Ægrota, satis dormit. Pro quibus varia præsidia tentata sunt, sed incassum omnia. Quare abs Tripode petimus meliora ac selectiora pro singulari vestra humanitate in Puellæ salutem, dum interim ego Virtutis vestræ immortalis æternum memor, obsequentissimus mandata expectabo.

Quamvis deploratos attingendos non esse, sed finem morbi tantummodo prænunciandum, consuluerit Gal. nihilominus humanitas & Christiana pietas monet & præcipit, miseros Ægros à nobis nunquam deserendos esse, nec implorantibus deneganda remedia; quod idem innuere voluit Divinus Senex, dum dicebat, se observasse quod multi præter spem sanati fuerunt. Nobilis igitur Puella quæ in infantia pravo lacte nutrita fuit, & ideo non adeo bonum habitum comparavit, mox ex alimentis pravi succi anno elapso, quadragesimali tempore obstructiones contraxit, in præsens multis torquetur malis, unumquodque quorum difficilem Curationem admitteret, quæ difficultatem quoque adaugent, quia ultro nimis progressa sunt: fluxus enim alvi, qui Diarrhœæ intestinalis nomine ab initio appellari poterat propter obstructiones à cruditatibus in vasis tum mesaraicis, tum lacteis acervatis contractas, aucta intemperie frigida & humida, & ut dicebat Avic. refrigerato calido, tractoque in consensum ventriculo, Cœliaci affectus nomen acquisivit, qui progressu ad lientericum fluxum pervenit, dum ab innati caloris paupertate, laxatis etiam antea ab humiditatibus ventriculi & intestinorum fibris, ut contigit Thasiis, retentrix facultas in eo imbecillis reddita fuit, ut cibum sustinere tanto tempore nequierit, quo concoctrix (& ipsa debilis) eosdem conficere, imò vel permutare posset: & ideo sicut olim alimenta corrupta, in cruditates aliosque humores conversa, excreta conspiciebantur, tum propter improportionata objecta, ita subinde adauctis obstructionibus, validiori reddita intemperie frigida & humida intestinorum, ventriculi depauperato nativo calore, non solum ab ipsa intemperie, sed etiam ab humidi defectu, facultates inservientes imbeciliores semper factæ fuerunt, & ideo subversa naturali œconomia, nec retineri, nec concoqui, nec permeare potuerunt alimenta ad jecur ipsum pro hæmatosi, ad totum corpus nutriendum: unde necessario accessit Atrophia, Tabi proxima, non sine Cachexiæ principio, ob alimenti defectum atque depravationem. Quos affectus acceleravit & fovit quoque febris, non solum à fermentatis cruditatibus, verum & à quotidiana alimentorum corruptione proveniens. Nec mirum ex cruditatibus flatuositates elevari, & ex imperfecta hæmatosi serositates generari, quæ huc & illuc divagantes, dolores in variis corporis partibus excitaverint & excitent.

His ita habentibus, spes in angusto posita est, evidens autem interitus periculum: Tabida namque febris & Hydrops præ foribus sunt. Minuunt insuper salutis spem auxilia medica selectiora, congruo ordine & propriis intentionibus hucusq; administrata ut propterea ad aliud transeundum non esse videretur; nihilominus quid, meo judicio, in hujusmodi status angustia faciendum sit, paucis exponam, rectum usum Præclariss. Viro Abstanti committens.

Ordo medendi legitimus expostulat, ut expeditis primis viis, referentur obstructiones, mox ventriculi & intestinorum humida intemperies corrigatur. Tertiò Calor nativus ventriculi & aliarum infernarum partium refocilletur, & febrilis remittatur. Quartò ut fibrarum laxitas exiccetur & roboretur; atque tandem totum corpus emaciatum renutriatur.

Quibus intentionibus satisfaciendis, Chirurgica remedia locum non habent; & prima paucis valde Pharmaceuticis eget, siquidem lubricæ nimis sunt redditæ viæ, & ad evacuationem paratæ; nihilominus decoctio pulpæ Tamarindorum cum tribus unciis syrup. rof. solut. sufficiens esse poterit ad primas vias expediendas.

Secunda intentio esse deberet obstructionum reseratio; verum quia jam confirmatæ sunt, & urget nativi caloris defectus: ideo ne dum Romæ consulitur, Saguntum expugnetur, ordine regulari relicto, urgentiori incumbendum venit,

venit, nimirum ventriculi & intestinorum nativo calori, fovendo, & laxatas fibras exiccando atque roborando, ut postea, si dabit Deus, reliquis intentionibus satisfieri possit. Itaque pro fovendo ventriculi & intestinorum nativo calore, necnon ut laxatæ fibræ roborentur, multa, & varia à Medicinæ scriptoribus proponuntur; sed mihi magnopere arridet hujusmodi compositio.

℞. Conservæ rosarum antiq. pulpæ Cydoniorum elixæ, an. ℥ij. Conservæ absinth. Pon. ℥j. Mithridati opt. ʒj. pulv. membranæ internæ ventriculorum gallinarum ʒ ij. specierum Diarrhod. Abb. aromatici rof. an. ʒß. tincturæ coral. chym. gutt. xii. m. reformetur electuarium, ad ℥ß. quotidie summo mane assumendum; Vesperi vero hora una ante cœnam præbeatur bolus ex pulveribus ita paratus

℞. Pulv. Margaritarum præparat. mastiches electi, specierum Diarrhod. Abb. an. ʒj. m. & cum vino malvatico reform. boli n. v. quorum unus singula vice offeratur. Extrinsecus verò emplastrum ex fermento, ab Amato Lusitano descriptum, ventriculo apponatur; & interim reliquis intentionibus quoque satisfaciendum decoctione exigui Rhapontici in jure carnium, quo edulia parantur: non enim ad majora Aperientia deveniri posse censeo, cui chinæ opt. incisæ taleolæ tres aut quatuor addi poterunt. In his per aliquot dies pergendum erit, & observandum num lactis usus locum habere possit, quod sit, aut muliebre è mammis mulctum, aut caprinum chalybeatum, sine saccharo & guttulis aquæ cinnam. aspersum. Sicut interim chalybeatum quoque serum destill. pro febrili calore remittendo idoneum Alterans esse poterit.

His omnibus congrua erit addenda victus ratio, ab Excellent. Viro præscribenda, ita ut parum & sæpè nutriatur, ut in imbecillo calore cum Hippoc. notat Galenus, & alimenta sint optimi succi, facilis coctionis atque distributionis; sic nonnunquam parentur panatellæ cum emulsione pistaciorum & nucleorum; nec vinum, paucum, tenue & oligophorum denegetur, china opt. medicatum, sed nullo modo aqua dilutum; interdum etiam offa panis vino aliquo aromatico, non dulci, imbuta permittatur. Quæ in hoc præcipiti casu contraindicationibus referto, à me proposita, faxit Deus, ut proficiant & salutaria evadant. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medicin. Tom. 2. Cent. 3.*

Cœliaca Passio.

Reverendiss. Pater sexagesimum secundum annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, calidioris jecoris, habitus naturaliter carnosi, ingenio ac doctrina clarus, ac inter rariores suæ Societatis mentes ad efformandum Sereniss. Ducis animum maximo jure delectus; mense Julio præteriti anni, post vini nive refrigerati, & fortasse etiam fructuum usum, incidit in alvi fluxum, copiosum adeò, ut decies aut duodecies quotidie dejiceret materiam subalbidam utplurimum, & veluti cinerei coloris, aliquando vero subrubeam, sed ad pallidam magis vergentem, & loturis carnium non absimilem, viscidisque mucositatibus permistam, cæterum nulla acrimonia, nullo calore, nullo unquam dolore molestam, quamvis etiam flatus non exigua copia producerentur. Quare Pat. Reverendissimus malum hujusmodi nihili faciens, reliquum Æstatis, integrum Autumnum, & ferè totam hyemem faciei colore ac viribus immutatis, solicitaque vigente appetentia, ac propterea nullis tentatis remediis, hoc statu transegit. At tandem Februario mense appetentia ac vires dejici cœperunt, nocturnus somnus imminui, adeoque Patiens qui parcissimo interim utebatur cibo, gracilescere, ut Aprilis initio ingens macies totum corpus, & ventrem potissimum occupaverit. Quamobrem cum fluxus adhuc perdurans, sexies aut septies quotidie repeteret, coactus denique ad medica præsidia confugit, atque adeò evacuatione per alvum, iteratis medicamentis, & sanguinis missione, salvatella soluta, totius corporis expiatio procurata fuit. Aqua etiam Tettuciana, nisi semel exhibita ingentes cruciatus attulisset, iterum ac tertia repetita esset. Decoctum ex china & carne viperina, cum stomachi fomentis & illitionibus, vinum absinthio medicatum, pulvisque viperinus, qui in præsentiarum etiam in usu est parum profuere: namque alvus materiam ejusdem naturæ quinquies quotidie adhuc deponit: nec unquam naturales egerit fæces, nisi ope pilularum ex Aloë, quæ octavo quoque die assumptæ, consistentium excrementorum non mediocrem copiam extrudunt. In hypochondriis non semel exploratis, nulla tensio, nullæ unquam obstructiones deprehensæ. Modo Pat. Reverendissimus ruri degit, ubi si apparentia ac somnus considerentur, melius nonnihil habere videtur; cæterum fluxui supra omnium medicamentorum hactenus exhibitorum vim contumaci auxilium quærit.

Quoniam quandoque contingit ut homines à quàm plurimis malis præserventur, supervenientibus Diarrhœis, quarum ope natura ab excrementis exoneratur, hinc fit ut sæpè sæpius easdem permittant, non incipientes solum, verum & diutius perseverantes, licet decipiantur, cum quandoque Dysenteriæ succedere soleant à Diarrhœis biliosis & excrementiis, quandoque virium defectus & totius corporis macies ab iisdem chylosis & alimentalibus existentibus; in quo postremo casu est quoque deceptus Reverendissimus Patiens, qui ab annua Diarrhœa detentus, nec ab initio, nec in progressu ullam noxam, sive dolorem percepit, utpote à chylosa & benigna materia excitata, non quidem per Dyspepsiam, sed potius per Bradypepsiam producta, & ideò nullus morsus, sed tantum chylosæ materiæ crudæ, subalbidæ & cinericij coloris, non autem flavæ, licet tandem quandoque etiam rubescentis coloris, mucosæ quandoque, nonnunquam aquosæ, & aliquando masticatæ carnis formam repræsentantis fluxus, ex quibus Cœliacam passionem adfuisse & adesse credo, hepate quoque tandem nonnihil ad imbecillitatem deducto.

Quoniam verò hæc fieri potest, vel frustrata coctione, vel distributione impedita, ideò de causa dubitari poterat; ego tamen utramque conspirasse existimo, & primo cruditates ex concoctione imminuta, cum in hac senili

ætate potibus nive refrigeratis fuerit usus; & facile fructibus aliisque hujuscemodi alimentis impropriis: à cruditatibus autem non lacteas tantum venas, verum & magna ex parte mesentericas obstructas fuisse censeo, unde paucis post diebus chylosæ materiæ in ventriculo satis elaboratæ, aditus & transitus fuerit interceptus, quæ in intestinis inutiliter commorans, ad alvum deponeretur, dum naturaliter venas jam dictas pervadere debuerat, & perfectiorem acquirere, quousque ad hepar, ut in sanguinem verteretur, pervenisset pro totius corporis nutritione, exigua excepta tenuiori & puriori earundem portione, quæ per lacteas ad ductum thoracicum ferri, & inde per venas jugulares ad cor deferri solet; cujus veritatis testimonium præbent fæces consistentes, quæ à medicamento exhibito, ab Aloë scil. figuratæ excretæ videntur, primæ concoctionis sat bene celebratæ signum: etenim si fluxus iste à soluta imminuta concoctione procederet, fæces consistentes à chylosa materia non adeò bene segregarentur, sed confusæ cum eadem, liquidæ per alvum educerentur, & ideo Chylo licet sat bene concocto, ab obstructionibus transitum interceptum fuisse certo credendum. Verùm cum causa hujusmodi medicamentis nunquam ablata, sed imminutæ coctioni tantum provisum fuerit, hinc factum est ut non solum fluxus iste ob impeditam distributionem perseveraverit, verum & imbecillitatem, tum ventriculi, tum intestinorum pro altera causa acquisiverit, quæ licet ab initio Diarrhœæ prima causa fuerit, cessisset tamen, & cito, si aperientibus auxiliis viæ reseratæ fuissent; licet non sit negandum quod tanto tempore affectus iste perdurans, non intra solius cœliacæ passionis limites sese continuisset, sed ad Lienteriam quoque pervenisset, sicque non solum cruditas, sed celeritas quoque excretionis addita esset, nisi medicamenta corroborantia, & calorem nativum foventia administrata fuissent; sicut imposterum de hepatis imbecillitate & fluxu hepatico superventuro juremeritò dubitari posset.

Quare ut & imminens intestinorum lævitas & hepaticus fluxus præcaveantur, & Atrophia potius, quam Hydrops arceatur, omni industria hujus affectus confirmati Curatio, licet difficilis, est aggredienda. Primò, primas vias caute mundando. Secundò Aperientibus venas expediendo. Tertiò Ventriculo & intestinis robur aliquod addendo; atque tandem, si fuerit opus, jecur quoque corroborando.

Pro quibus explendis intentionibus, non est quod de remediis Chirurgicis loquamur.

Ad Pharmaceutica itaque deveniendum, & exiguo flore cassiæ & lenitivo cum Aloë primæ viæ sunt expiandæ. Inde per quinque dies earundem detersio procuranda, exhibita mulsa, exiguo aceto, ad incisionem; acetosa reddita, & corticibus citri rec. atque frustulo cinnam. aromatizata, & ad cyathum summo mane propinata. Inde idem suprascriptum medicamentum repetendum, ut ad Deobstruentia deveniatur, quæ potius liquida, ut facilius confirmatas obstructiones pervadere possint, quam solida sunt præbenda. Sic præstantissima erit rhabarbari infusio ad ʒj. per noctem, in cyatho, ex aqu. stillat. de succo cichor. & agrim. parato, summo mane exhibendo. Die vero sequenti eandem aquam assumat Reverend. Pat. in qua gr. xii. salis tart. volatiliz. sint dissoluta. Tertio vero die repetatur rhab. infusio, & ita alternatim perseveret, infusionem & tartari salem assumendo ad xx. dies, & amplius, si res pro voto succedat, ita ut egerendi vices diminuantur, & materiæ quoque exeuntis qualitas in meliorem mutetur; sin minus, aperiendi provincia deserenda non est, sed deobstruente erit utendum, ita concinnato

℞. Fol. cichor. intybi, borag. agrim. pentaph. sonchi, cuscutæ an. manip. ij. radic. petroselini, asparag. gram. fœniculi, sem. melon. an. ℥ij. rad. liquiritiæ ℥j. sem. apij, dauci an. ℥ij. Aq. Nocer. lib. xx. incid. contund. & m. macerentur B. M. ad duos dies, deinde fiat torcularis expressio. Expressioni vero adde secunda vice jam dicta nova ingredientia, & iterum macerentur ad duos alios dies, deinde fiat rursus torcularis expressio: mox calcinentur fæces omnes, & cineres reponantur in lato colatorio, quibus ter vel quater superaffundatur tota jam dicta expressio fervens, ut à cineribus extrahatur sal, & fiat lixivium. Tandem reponatur idem lixivium in vase vitreo, & B. M. destilletur, ut aqua ad usum servetur. In fundo vero colligatur butyrum sive Extractum, quod pariter ad usum servandum.

℞. Igitur jam dictæ aquæ ℥vii. spirit. tart. ter rectif. gutt. xii. m. pro una vice, & sic quotidie pro aliis; cui potioni præmittatur bolus ex semidrachma jam dicti Extracti paratus, & auretur. In horum autem usu insistendum vel usque ad mensem, si opus fuerit, singula hebdomada fæces educendo pilula, ex ℈j. vel ʒß. de tribus cum rhabarb. parata.

Expeditis viis, difficile non erit ventriculo & intestinis aliquam roborationem addere, si prima mensa tria grana mastiches integra devorentur, si in cœna sal absinthij ad ℈j. pariter prima mensa in exiguo generoso vino assumatur, si vinum pro mensa consuetum lentisco & exiguo ligno sassafras alteretur, adeò ut unamquamque situlam vini lentisci è Chio incisi unc. ij. & sassafras unc. ß. ingrediantur, quæ omnino ad hepatis roborationem conducere quoque poterunt; sed ut aliquid quoque peculiare eidem tribuamus, poterit parari bolus ita

℞. Confectionis Alchermes ʒj. pulv. hepatis lupi ʒß. salis absinth. ℈j. m. reform. boli iij. & aur. tribus vicibus assumendi, quibus superbibat haustum vini absinthij; addi quoque poterit bolis jam dictis semidrachma theriacæ, ambientis fervore remisso.

Quibus omnibus congrua atque diligens victus ratio est omnino addenda, sine qua nihil reliqua profuerint, adeò ut alimenta sint omnia probi succi, facilis coctionis & facilimæ distributionis. Somnus, quia concoquit, si opus fuerit, conciliandus unico grano Nepenth. Quercetani. Animi passiones, meditationes & applicationes prorsus ablegandæ, & in reliquis omnibus erit accurate à Viro Excellentiss. instituenda: cui & reliqua omnia opportune administranda relinquo. *Idem ibidem.*

Diarrhœa duorum annorum.

Illustrissima Virgo annorum viginti quinque, temperamenti totius calidi & humidi, calidioris jecoris & humidi capitis; jam dudum salsis catarrhalibus fluxionibus ad nares & labia obnoxia, duobus abhinc annis excruciatur fluxu ventris, materiæ heterogeneæ, biliosæ scil. pituitosæ ac crudæ. Dejectiones frequentes sunt, quæ ideo vires valde prostrarunt, & maciem universalem induxerunt, cum febricula ferè continua. His additur catarrhalis fluxio ad pectus cum tussi. Menstrua quæ antehac imminuta fuerunt, modo nulla apparent, dexterumque hypochondrium obstructionibus est impeditum.

Dum dixit Hipp. quod quibus nares natura humidiores, ij integra sanitate frui non possunt, respexit pravos effectus à capitis destillationibus provenientes: prout enim ad varias corporis partes catarrhalis materia à capite decumbit, varios quoque atque multiplices affectus producit: unde idem Hipp. considerabat, alvi profluvia ex pituita à capite defluente, quandoque contingere, quinimò & lienterias inde quandoque exoriri affirmavit, à salsa nempe facilius Diarrhœas, ab insipida Lienterias. In Illustriss. vero Virgine ista, sicut catarrhalis destillatio in capite olim detenta, utpote salsa, & nares, & labia excoriavit atque corrosit, ita per laryngem ad pulmones defluens, tussim excitavit & excitat, & copiosior reddita, majori ex parte in ventriculum delabens, non quidem immediate, ut superius considerabat Hipp. Diarrhœam, modo duobus abhinc annis affligentem excitavit, verum eidem occasionem præbuit, chylificationem impediendo, sicque cruditates multiplicando, quæ ad mesenterium & hepar delatæ, & in venis tum lacteis, tum mesentericis, imò & ejusdem hepatis firmatæ, obstructiones produxerunt, à jecoris & partium circumstantium calore crassefactæ, & quodammodo induratæ, quæ præterquam quod ventilationem naturali calori inhibentes, eundem p. n. & concoctionibus obeundis ineptum reddunt, chylo quoque imperfecte concocto, & forsan frequenter corrupto, transitum intercipiunt: unde duo necessario symptomata consequuntur, alterum est corruptio ejusdem chyli, à calore p. n. corruptionibus potius, quam concoctionibus apto, ad cujus corruptionem varij sequuntur excrementorum colores, à quibus primò excitatur febricula, quæ symptomatica dici potest, & ab iisdem tanquam à re inutili irritata facultas expultrix, eorundem excretione Diarrhœam excitat. Alterum symptoma est, in toto nutritionis defectus, deficiente nimirum chylo pro sanguine generando, dum ab obstructionibus jam dictis intercipitur ejusdem progressus ad hepar, quæ si non adessent, nec sequeretur ejusdem chyli corruptio, nec ad alvum transmissio, sed ejusdem pars purior & magis spirituosa; per aliquas lacteas, & ductum thoracicum ad venas jugulares, indeque ad cor pro celeriori spirituum nutritione: crassior vero per alios lactearum ductus, magisque per mesentericas ad hepar duceretur, sanguis generaretur, & caro in toto augeretur, aut saltem conservaretur: & sanguine tunc redundante, facile quoque menstruales expurgationes prodirent. Quare destillationem præsenti Diarrhœæ ab initio occasionem præbuisse puto, sicuti causam præcipuam, ne dicam unicam, obstructiones esse existimo.

Ex quibus facile patere possunt Medicæ intentiones pro hac inveterata Diarrhœa curanda, primò primas vias ab excrementis mundando. Secundò Obstructiones, primò mesenterij, mox ipsius hepatis aperiendo. Tertiò Hypochondriorum & jecoris fervorem contemperando. Quartò Ventriculum & intestina quodammodo corroborando; & quoniam occasio quoque morborum respicienda, dicebat Hippocrates, destillatio quoque à ventriculo quoquo pacto divertenda; atq; tandem humectantibus substantificis totius renutritio procuranda, non omnino febrili calore neglecto.

Et licet jam dictis indicationibus satisfacere non adeo facile fuerit, cum obstructiones confirmatæ, totumque corpus valde emaciatum, viresque ideo non adeò validæ sint, attamen quoniam generosiora & maxime propria remedia non adhuc experta fuere, ideo desperanda salus non est: est enim juvenis, & gratiosa Juventus, dicebat Hipp. & quod magis spem adaugere valet, est quod Viro Doctissimo directio pro curatione vera & propria sit committenda.

Sic ex fonte Chirurgico quamcunque sanguinis evacuationem omitto, tum quia missio sanguinis obstructiones non curat, tum quia si adesset indicans, non adest permittens. Cauterium autem in lævo brachio laudo, ad divertendam à ventriculo fluxionem.

Primarum viarum expiatio utique necessaria censetur, exigua cassia cum crem. tartari bis repetita, Præparante quinque diebus interposito, ex Julapij acet. syr. de pom. & aquæ tot. citri an. ℥j. parato. Ablutionem autem primarum viarum, quæ aqua Tettucij fieri non potest, supplebit aqua hordeac. vel serum asinin. depur. ad libras, cum vehiculo syr. ros. solut. ad ℥ iij. semel vel bis procurandam, ut inde ad Aperientia deveniri possit; in quem finem succi depurati & per arenam trajecti, cichor. & agrim. ad ℥iij. opportunissimi erunt, in quibus dissolvantur gr. x. tart. vitriol. & exhibeantur in decoc. cich. endiv. sonchi, cuscutæ; & septem transactis diebus, repetatur flos cass. cum pil. de tribus, cui superbibat seri destill. libram. Inde ad efficaciora Aperientia ascendendum, hoc ordine administranda.

℞. Aqu. stillat. de succo cichor. agrim. an. ℥ iij. salis tart. volatiliz. gr. x. m. pro potu summo mane assumendo.

Sequenti vero die ℞. Aquæ de succo cich. de succo agrim. an. unc. iij. Rhapontici optimi drach. j ß. m. f. infus. per noctem, & factæ colaturæ addatur parum succi limonum, & præbeatur summo mane. Tertio die repetatur sal tart. volatiliz. in dictis aquis, & quarto infusio rhapontici; quod si præsto non fuerit, eidem substituatur rhabarbarum maturum ad ʒ j. sicque in horum alternato usu diutius erit persistendum, viginti nimirum, imò & triginta diebus; in quorum progressu si sitis & calor urgeant, sal tartari quoque dissolvi posset in sero asinino destillat. ad libram: hoc enim ordine

ne fluxus hujusmodi diuturnos non semel curatos vidi.

Obstructionibus autem reseratis, aquas thermales S. Martini, sive Masini summopere commendo, ut quæ reliquias obstructionum auferre, & fervorem hypochondriorum, jecoris & renum commoderare valeant, & à gracilioribus quoque corporibus facile tolerentur. Quibus assumptis, omnino succedat lactis asinini usus per quadraginta saltem dies, quod nullo modo obstructiones adauget, & totum corpus substantifice humectare, ac renutrire valet. Et si tunc temporis omnino cessaverit Diarrhœa, Balneum quoque aquæ dulcis conveniet.

Interim si ventriculus aliqua roboratione indigeat, parum ante cibum deglutiat pilulam ex ℈j. succi absinth. condens. vel duo integra grana mastiches devoret: in hoc enim licet morbi occasio inceperit, causa tamen ejusdem in illo non reperitur.

Quibus omnibus conveniens victus ratio est addenda, ab Excellentissimo Viro Adstanti diligenter præscribenda, habita caloris febrilis & gracilitatis corporis ratione: cujus summæ prudentiæ reliqua quoque, & dijudicanda, & melius dirigenda libenter relinquo. *Idem ibidem.*

Alvi fluxus antiquus.

Vir Illustrissimus ætatis quadraginta quinque annorum, temperamenti totius calidi & humidi, evexia præditus, statim à nativitate in adeò enormem & vastam carnis totius corporis molem excreverat, ut Parentibus & adstantibus admirationem excitaverit, veluti rei insuetæ; quam cum suspectam haberent, & potissimum tenella ætate gravioribus morbis opportunam, Medicum consuluere Lugdunensem, magna nominis celebritate illo ævo florentem, Jo. scilicet Antonium Sacracenum, qui & ipse metu Epilepsiæ terrefactus, Matri connaturalis, vel alterius gravioris affectus ingentem illam molem carnium extenuandi consilium cœpit; in quem finem variis usus remediis, tandem syrupum ex floribus persicorum infanti exhibuit, cujus usu soluta adeò est alvus, ut paucis post diebus detumuerit corpus, & extenuari cœperit immodica illa carnis moles. Ab illo verò tempore passus est fluxum alvi immodicum, quo plures dejectiones per diem fuerunt observatæ, quæ ani tandem procidentiam induxerunt, à qua tamen non difficili negotio opportuno remediorum usu convaluit, superstite tamen eodem alvi fluxu frequentiori quandoque, quandoque verò remissiori, adeò ut qualibet die vigesies, trigesies, necnon & quadragesies dejecerit alvus; prout nuper in Creta, ob æstuosum fortasse aërem & aquæ marinæ usum. Excrementa sunt quandoque biliosa, quandoque pituitosa, quæ nullo dolore dejiciuntur, perseverante aliqua ani laxatione; citra tamen extramissionem & procidentiam. Egerit autem alvus quinquies minimum per diem, tum si lautius, tum si moderacius cibo utatur, quanquam & aliquando parcius eo assumpto, copiosius feratur alvus; pluries egerit, si statim ab assumpto cibo se somno tradiderit, parcius, si longa itinera peregerit. Copiosior evadit & frequentior alvi fluxus dum alimenta facilis concoctionis assumpsit, ut ova sorbilia, jus carnium; parcior ubi eadem concoctu difficilia comederit; & quandoque post copiosiorem secutam diarrhœam, molesta remanet, adinstar Tenesmi, dejiciendi cupiditas. Cæterùm nulla de alio quopiam affectu extat querela; omnibus etenim vitæ exercitiis integre fungitur, nisi quod quandoque ventriculum sibi gravari percipit, & intumescere cum acidis eructationibus, cui malo quandoque usu roris solis & usu spiritus vini aromatibus conditi præsentaneam attulit medelam. Jam dictis accessit novem abhinc mensibus dolor in extremitate brachij sinistri prope humerum, ex motu ejusdem brachij molestior evadens, qui tamen à Viro Illustr. parvi fit. Sed ut prior molesta affectio remittatur, neve adventante senectute in deterius labatur, medicam opem implorat.

Eximia illa corporis moles, in quam excreverat à primo ortu ad tertium usque mensem ætatis suæ Illustr. P. Obesitatem, non autem Plethoriam fuisse ex eo conjicio, quod à quodam syrup. sol. floribus persicorum parato, adeò copiosa viscidæ, crudæ & pituitosæ materiæ excretio visa fuit, ut inde enata frequenti non solum dejectione, verum & dejiciendi conatu, suspensor musculus intestini recti laxatus fuerit, & inde ani procidentia sequuta. Hæc quidem congruis remediis mox sanata fuit, sed ab illo tempore usque in præsentem quadragesimum quintum suæ ætatis annum perpetuo alvi profluvio laboravit Vir iste Illustr. quod sicut in genere Diarrhœa est appellandum, ita in specie excrementorum proluvies, & communiter Diarrhœa intestinalis dici posset, ad differentiam Lienteriæ & Cœliacæ passionis, in quibus vel omnimoda, vel saltem aliqua ciborum permutatio perpetuo observatur; sicut ab hepatica & universali Diarrhœa differt, quia neque cruenta, neque prorsus biliosa cernitur. Quod autem nobis non leve facessit negotium, est indagare adeò diuturni & copiosi profluvij causam, quod eo difficilius evadit, cum totum corpus carnosum, optime nutritum & perfecta evexia præditum, servatum semper fuerit; hanc verò in intemperiem quidem referri posse video, eamque inæqualem, calidam nempe, licet non excellentem, hypochondriorum & jecoris, frigidiorem verò ventriculi, à quibus non infrequens sequitur ciborum in ventriculo acida corruptio, quandoque à ventriculi frigiditate in casu nostro procedit, tuncque rore solis & spiritu vini emendatur, quandoque vero à calore quoque excitatur aciditas, ut à calido ambiente acidum reddi vinum observamus, tuncque ab actu calidis assumptis, ut jure carnium, vel ovo sorbili adaugetur corruptio, & alvi fluxus movetur; hinc acidi ructus, hinc ventriculi frequens afflictio, quæ partim ab assumpto spiritu vini, partim ab excretione corrupti cibi sedatur.

Verùm si res ita se habet, quomodo Diarrhœa hujusmodi intestinabilis, ut dixi, & non potius stomachalis erit dicenda? cui quæsito necessario respondendum, ut causa tam diuturni affectus, quæ ineffabilis ferè videtur, assignari, explicari, & ut ita dicam, ostendi possit. Dixi igitur, & recte, inæqualem intemperiem ad effectum hujusmodi quandoque concurrere, at nec

nec solam, nec præcipuam esse affirmo; siquidem cum non quotidie, nec ex cibis quibuslibet contingat jam dicta corruptio, ideo neque ex illa quotidianus procedere posset alvi fluxus. Quare in intestinis quoque latere tanti mali causam, non in intemperie, sed in mala conformatione positam opinor; dum enim olim infantulo existenti syrupus ex floribus persicorum frequenter exhibitus fuit in adeò tenella ætate, tenerrimis existentibus partibus naturalibus, fibras intestinorum non solum obliquas expulsioni paratiores fuisse redditas, verum (quod est) transversas quoque lubricas & laxatas fuisse arbitror, adeò ut chylum à ventriculo non perfecte elaboratum, & ad ipsa intestina transmissum, ut iisdem morando majorem perfectionem semper acquirat, intestina ipsa ob prædictam laxationem retinere non possunt, sicque elabitur, & fluxus adeò contumax & diuturnus constituitur.

Provida autem Natura nostræ conservationis solicita, attractrice, retentrice, concoctrice, secretrice & expultrice facultatibus, tanquam ancillis utens, à chylosa materia continuo, quod melius est, ad lacteas atque mesentericas venas attrahit, imò rapit, sicque totum corpus satis nutrit, dum non multo in vasis sanguine relicto, partes carnosas atque adiposas auget atque conservat; sicut è contra venosi graciles esse solent. Et ita conclusum restat, potissimam causam adeò diuturni fluoris alvi pendere à morbo in mala conformatione in tenerrima ætate contracta à syrupo è floribus persicorum, solvente, atque fibras laxante, sæpesæpius exhibito. Nec mirum, cum infantibus non solum in carnosis & membranosis partibus, verum & in osseis ipsis mala conformatio inducatur, progressu prorsus immutabilis atque incurabilis: hanc verò comitatur, ut dixi, causa alia, quandoque, non semper agens, ciborum nimirum quorundam ad acidum corruptio, qui cum in alienam & peregrinam qualitatem per corruptionem abierint, ulteriorem coctionem non admittentes, ut nutritioni inepti, tanquam pondus inutile, ab expultrice facultate deorsum pelluntur, & tunc ambabus concurrentibus causis augetur Diarrhœa, & pluribus vicibus egerere cogitur Vir Illustrissimus, sicut paucioribus, concurrente tantum unica causa, videlicet mala fibrarum conformatione. Quoniam verò suspensor musculus ani jam dudum laxatus in integrum nunquam fuit restitutus, ideo & ipse acquisita mala conformatione affectus, ipsius ani semiprocidentiam adhucnum conservat, eamque majorem, vel minorem prout major, vel minor extiterit crudæ & mucosæ materiæ quantitas, majorem, vel minorem dejiciendi conatum excitans.

Ex quibus jam dictis & consideratis; solutio elici potest quæsitis speculatione non indignis, cum nimirum augeatur fluxus, si statim à cibo somno se tradat Illustrissimus Vir, & minuatur idem in itineribus peragendis? Hæc enim contingunt, non quia alteretur causa principalis, nimirum mala fibrarum conformatio, quæ immutabilis est, sed quoniam alteratur causa secunda & coadjuvans, quæ pendet à ciborum corruptione, cum enim in somno calor ad interiora uniatur & concentretur, ideo si statim à cibo Vir Illustrissimus somnum capiat, adaucto calore facilior sequitur ciborum corruptio & alvi fluxus adauctio; sicut in itineribus, quoniam calor idem ad externas corporis partes expanditur, ciborum corruptio evitatur, alvique fluxus minuitur.

Dolorem autem novem aut decem abhinc mensibus in summitate brachii sinistri quodammodo molestantem, in motu præsertim, à diarrhœa prorsus distare, neque causam cum eadem communem habere omnino censeo, sed à fluxione exiguæ portionis catarrhalis materiæ à capite ad illam partem, facile ob externas injurias transmissæ, provenire credo, qui non adeo facile cessit, cum materia illa inclusa reperiatur in spatiis musculorum Deltoides, infra scapularis, & utriusque rotundi, nec tamen ullum fuerit attenuans atque resolvens remedium appositum.

Ab hac Diarrhœa omnino vindicari se posse Vir Illustrissimus prudenter minime speraт, cum connaturalis hæc reddita sibi videatur; Ego verò idem sentio ob causam in mala conformatione positam (malæ verò conformationes inveteratæ incurabiles sunt.) Quoniam autem causam coadjuvans, à ventriculo pendens, corrigi potest, ideo Diarrhœam posse remitti puto, nec aliquod fibris quoque ipsis robur addi posse prorsus despero.

Quare ventriculus nonnihil calefaciendus & roborandus; hypochondriorum & jecoris calor contemperandus, atque tandem fibris robur aliquod addendum. Quibus intentionibus summario & militari modo erit satisfaciendum, tum quia Vir Illustrissimus non solum medicamenta, sed eorum nomina abhorret, tum quia à morbi natura non desiderantur. Omissa igitur qualibet sanguinis missione, dimissisque tum præparantibus, tum verò maxime medicamentis purgantibus, Curationem ita instituendam esse arbitror; ut primò statim assumat aquas Tettucianas cum vehiculo dejectorio mellis ros. sol. aut mannæ clarif. cum tartaro, tribus vicibus, prima ad libras quinque: etenim cum necessario crudæ atque viscidæ materiæ portio in ventriculo & intestinis reperiatur, ut Tenesmus quandoque Viro Illustrissimo contingens facile nobis significat, ideo pro harum abstersione jam dicta aqua mirabilis est; sicut non minus pro ventriculi exiccatione & corroboratione. His autem assumptis, ad aquas vitriolatas diureticas assumendas in Valle Solis agri Tridentini ut se conferat consulo, quæ hypochondriorum & jecoris calorem contemperandi, aliquas obstructiones, si laterent, reserandi, & fibras quoque ipsorum intestinorum roborandi facultatem obtinent, & ideo præstantius in arte nullum remedium excogitari posse pro casu præsenti existimo; & licet ab ipsis assumptis ventriculum nihil lædi observatum fuerit, nihilominus ex abundanti aliquot diebus prandium claudat sal absinth. ad scrupulum unum: quinimò toto quoque anno (per intervalla) ipsius usus familiaris esse poterit; siquidem statim à cibo sumptus, exiguo vino dilutus, circa hypochondriorum præjudicialem calorem, ventriculum roborare valebit.

Aliqua tertio loco fibras roborantia, &

amica ventriculo in usum duci poterunt; & primò Conserva rosarum cum speciebus Diarrhod. Abb. reformata, additis guttulis tincturæ Coral. chymicæ, parum ante prandium assumenda. Quandoque unica hora ante prandium deglutiat duo aut tria integra grana mastich. electi. Quandoque si ventriculo frigiditas percipiatur, prandio præmittatur succus densatus absinthij ad scrupulum unum, pilulam efformando.

Valde conferre poterit vinum pro mensa, quod neque dulce, neque valde austerum sit, nec aquosum, nec valde generosum, ligno cydoniorum, aut lentiscino è Chio medicatum, ita ut singulam situlam ingrediantur ℥ ij. jam dictorum lignorum incisorum. Ab eximio quodam Viro propositus fuit pulvis viperinus, ut qui exiccandi & roborandi facultate polleat, quem tamen ego suspectum habeo; etenim Galenus de eo profert hujusmodi verba: *Caro viperina extenuantis est facultatis, valde enim exiccat & digerit, & ad cutem properat.* Quare cum ad cutem properando, & per diaphoresin digerendo totum corpus exiccare & emaciare valeat, in hac alimenti penuria & perenni diarrhœa majus inde nocumentum, quam juvamen secuturum dubito.

Externa quoque nonnulla Topica præsto sint, statim ab alvi dejectione podici apponenda, ut aliqua musculo roboratio afferatur spongiola itaque aqua rosacea madefacta, infra descripto pulvere intingatur, & podici bis aut ter post debitam abstersionem apponatur, idque pluries in die, ut paulatim musculus ipse robur acquirat; pulvis autem erit hujusmodi.

♃. Boli Armen. Orient. Sang. Drach. an. ℥ ß. Gypsi ℈ ij. Croci Martis constrict. ʒ j. m. fiat pul. subtilissimus: cujus effectus efficacior reddi poterit, si in aqua rosacea ovi albumen dissolvatur, eoque spongiola intingatur, qua pulvis assumetur.

Neque brachii dolor sine modico auxilio relinquendus, molestus enim in motu evadit. Quare valida inunctio attenuans atq; digerens à conditione loci admitti potest, ut partes illas musculosas pervadere, & ad spatia in quibus materia continetur, pervenire possit. Illiniatur itaque pars dolens summo digito oleo succini intincto; & quoniam graviter olet, eidem addantur guttulæ olei de spica, hoc enim & ossa ipsa penetrare valet.

Nonnulla quoque circa vivendi rationem adnotari possent, quamvis à juvantibus lædentibus Vir Prudent. jam fuerit edoctus. Et primò circa aërem, sicut quemlibet excessum noxium esse puto, ita frigidus ambiens facile fluxum augere posse credo, necnon aërem paludosum atque impurum.

Secundò alimenta facilioris concoctionis, corruptioni quoque magis idonea existimo, sed neque duriora adeo facile à ventriculo confici poterunt, unde sicut à prioribus Dyspepsia, ita à posterioribus Bradypepsia sequeretur. Sic inter carnes, ab annosis & pinguibus abstinendum, à suillis, ab agninis. Inter pisces, à lutosis & cœnosis, ab ostreaceis, conchyliis, & ab omnibus vulgo armatis dictis. Inter legumina ab omnibus, oriza & lenticula exceptis. A fructibus omnibus, admitti tamen possunt pruna longa, verdacia apud nos dicta, persica quoque, & melopepones, cum observatione tamen, ut potius urinam, quam ventrem moveant. Edulia ex pasta parata conceduntur, sicut ex lacte confecta. Inter Bellaria, conceduntur amygdalæ, præsertim recentes, nuclei pinei, pistacia. Salitorum omnium usus suspectus est, sicut omnia acida condimenta. Moderatus quoque debet esse usus aromatum, & nonnisi cinnamomi & piperis ruditer contusi.

Tertiò somnus diuturnus nonnisi conferre potest, nocturnus tamen, & una saltem vel altera hora ab assumpto cibo: deficiente nocturno, suppleat diurnus.

Quartò exercitium conferre jam Vir Illustrissimus expertus fuit; Verùm tamen est quod jejuno ventriculo salubrius fuerit, juxta legem Hippocratis: Labores ante cibum, quod dictat quoque ratio.

Quintò de evacuatione inutilium excrementorum non est, quod aliud dicatur, cum de eadem cohibenda, non solicitanda sit cogitandum. Si verò utilis excrementi evacuationem consideremus, coitum in hoc casu potius cum Epicuro nullum, quam cum Galeno moderatum convenire decerno.

Ultimò animi applicationes intensæ ventriculo proprium calorem adimunt, sicque coctionibus obsunt. Studiis itaque magnisque negotiis nonnisi jejuno ventriculo incumbendum, & alacri animo vivendum. *Idem ibidem.*

Dysenteria cum Diarrhœa.

Cum inter partes Medici curantis præcipua sit, præsidia medica tuto administrare, jure nobis visum est, cum de missione sanguinis deliberandum sit in casu Illustrissimi Comitis, quem tu nuper vidisti, Vir Illustr. & Præstantissime, ad te iterum confugere, præsentem tum morbi conditionem, tum accidentium, & Excellentiss. Ægri vires describendo, ut tuo consilio rem perarduam facilius & securius peragamus.

Vidimus nos evacuationem à medicamento quod jam præscripseras, quæ satis copiosa fuit, parum immutatis materiis, quas pridie spontaneus alvi fluxus ejecerat, hoc solum discrimine, quod dysenteria ipsa (si sanguinis copiam consideremus) satis imminuta sit, remanente tamen Diarrhœa, quæ usque adhuc perseverat, non tamen bilis sic adustæ (ut prius conspeximus) sed potius pituitæ copiosioris.

Accidentia quæ Excellentiss. Ægrum anxie vexabant, majora forsan pericula minantia post tuum discessum nulla amplius apparent. Remanet solum totius corporis languor, de quo etiam valde conqueritur, licet pulsus parum à naturali statu distent, sicut etiam urinæ.

Tali rerum statu, in quo ipsius dysenteriæ finem & Diarrhœæ progressum possumus suspicari, cum etiam facultas ipsa vitalis satis afflicta sit, quæritur, cum jam præscripta medicamenta repetita sint, an modo conveniat sanguinis missio, circa quam, Vir Præstantissime, ut felicius succedat, tuum consilium iterum peroptamus.

RES-

RESPONSUM.

Mirari desino, quod Vos, Præstantissimi Viri, in Curatione Excellent. istius Senatoris me iterum consulatis: quandoquidem & Agamemnon Vir Prudentissimus atque Sapientissimus in rebus non arduis solum, sed charis sibique dilectis, proferre solebat: *Utinam semper mihi decem Consultores adessent.*

Non igitur abutor honore, quo meipsum condecorare voluistis, & respondendo dico: à præterita copiosa, biliosa cum prædominio, sed etiam heterogenea longaque Diarrhœa jam totam massam sanguineam sat depuratam fuisse, censendum esse, quæ utpote biliosa, acris, valde mordax jam ab initio dysenteriam excitaverat: Hæc adhuc si perseveret, aliquam partem reproducentem atque foventem habere necessario credendum, nec alia in Excellent. Viro esse potest, quam jecur ipsum incensum, cujus causa sicut prius dysenteria fuit excitata, ita imposterum aut eadem foveri, aut multiplicatis cruditatibus à ventriculo, ob hypochondriorum æstum, acida, imò salsa pituita generari poterit, & Tenesmus tandem fieri. Quare præcipua medica intentio versari debet in auferenda causa fovente, nimirum in contemperando jecoris, lienis & hypochondriorum fervore; in quem finem nil præstantius esse posse novimus omnes ipsa sanguinis eductione: & hæc quoad indicans; quoad prohibens, verò, quid afferam non habeo, siquidem Diarrhœa præsens nec critica est, qua præsente sanguis non sit detrahendus, neque ad totius depurationem amplius inseruit: sed juges sequuntur evacuationes, prout jugiter ab intemperato jecore & hypochondriorum æstu excrementa reproducuntur; sicque tantum abest, ut evacuationes perseverantes prohibendi vim habeant, quinimò potius & ipsæ sanguinis missionem indicent; & hæc de prohibente quoque satis: Si verò tandem permittens considero, supponere posse mihi videor, tribus abhinc diebus vires non defecisse adeò, ut operationem hujusmodi prohibere valeant, sicut considerandum propono Præclarissimis dominationibus vestris, quod sicut antehac Diarrhœa Excellentiss. Patienti levamen attulit, ita eadem in futurum vires labefactare atque prosternere possit, ita ut intentio nostra dirigi debeat ad ejusdem suppressionem procurandam, causam auferendo, divertendo, refrigerando, nonnihil corroborando, non autem absolute astringendo: Et idcircò serum destillatum & chalybeatum ex usu esse poterit, cum guttulis quoque tincturæ coralliorum; præmittendo quoque bolum ex succo cichorij densato, addito coralliorum magisterio: Interim dysenteriam non negligendo. Hæcque raptim, ut Vobis, Viris Præclarissimis morem geram, & Excellent. Viri Patientis animo satisfaciam. *Idem ibidem.*

Fluxus Hepaticus legitimus.

Illustrissimus & Excellentissimus Marchio annum agens trigesimum quartum, temperamenti totius, & potissimum jecoris calidi & sicci, gracilis habitus, & submelancholicus, post multos errores in vivendi ratione commissos, & præsertim in animi applicationibus, sed præterea & in Venationibus nocturnis hyemali tempore, necnon in vinorum dulcium consueto usu, atque tandem etiam aquæ nive refrigeratæ, jam multis annis colicis doloribus obnoxius, necnon duplici tertiana febre per menses perdurante, & repetita Gallica Gonorrhœa correptus, anno elapso incidit in Diarrhœam, quam stomachalem existimavit Excell. Adstans, cum alimenta ruditer permutata observata fuerint; nec unquam hujusmodi fluxus omnino cessit, sed potius in deterius lapsus, siquidem præter varietatem excrementorum à domesticis observatam, viginti circiter abhinc diebus invaluit fluxus, adeò ut & ratione quantitatis, & ratione qualitatis adhuc deterior sit redditus: observantur enim serosæ & saniosæ materiæ, imò & aquosæ cruentæ; veluti loturæ carnium, citra tormina Dysenteriæ propria. Et quoniam doloribus hæmorrhoidalibus jam fuit obnoxius, & modo ab iisdem aliqua observata fuit exigui sanguinis fluxio cum aliqua excoriatione, ideo & egerendi conatus, & dolores ad os sacrum pervenientes, nonnunquam accedunt. Hisce jam dictis accessere quoque capitis dolores cum fluxione ad manus articulos dolores inferente, qui horis vespertinis exacerbantur cum aliqua effervescentia totius corporis. Modo de agendis consulit.

Excrementis abundare Marchionis Illustr. & Excellent. corpus, quinimò & olim abundasse, satis nobis significare possunt febriles præteritæ affectiones; ad venas sedales depositiones, frequentes & diuturnæ Diarrhœæ, integro præterito anno infestantes, & adhuc perseverantes; sicuti ad articulos arthriticæ fluxiones, quorum excrementorum proventus, tum in viscerum intemperies atque imbecillitates, tum in pravum vivendi genus est referendus: capitis enim ejus calidi & humidi, & ideo destillationibus obnoxii, & applicationes, & aëris nocturni inclementia, intemperiem, indeque catarrhalis materiæ productionem adauxerunt, quæ ad manus articulos per spatia decumbens, arthriticos dolores excitat; sicut errores alii in vivendi ratione, & præserrim in vini dulcis consueto potu viscerum naturalium imbecillitatem inducere potuerunt, præsertim addita Celticæ luis suspicione. Hinc à jecore biliosæ febres frequentes, à ventriculo colici dolores atque immodica alvi proluvies, quæ stomachalis ab initio esse potuit, cum ciborum ruditer permutatorum substantia in excretionibus observata fuerit; quare Cœliacam passionem fuisse existimandum, quæ temporis progressu in aliam affectionem migravit, nimirum in hepaticam Dysenteriam, eamque legitimam: non enim sola hepatis facultas attractrix debilitata conspicitur ut antea, dum excrementa diversis variegata coloribus alimentorum corruptiones quotidianas ostendebant, dum in via remorantia, tum forsan propter aliquod impedimentum, tum propter ipsius hepatis, attracticem imbecillam, ad hepar ipsum non perveniebant, unde corrupta per alvum dejiciebantur; sed tandem & portio quæ ad hepar perveniebat & pervenit, ob imbecillitatem alteratricis facultatis in probum sanguinem

non convertitur, sed labefactato calore nativo ejusdem, sanguinis rudimentum per alvum excretum apparet, loturæ carnium similis, ut nobis innuebat ipse Gal. & Trall. atque Paul. cum ipso. Quare sicut antehac Cœliacus erat fluxus, ob nativi caloris imbecillitatem ventriculi & intestinorum, ita modo ob eandem causam in hepate fluxus hepaticus legitimus factus est, qui quoniam latitudinis gradus continet, ita in primis gradibus & in principio hunc esse decerno, quem mirum non est si nutritio totius & imminuta & depravata sequatur.

Verùm & de vespertina quotidiana febricula, si adest, aliquid decernendum, quandoquidem credendum non est illam esse quæ tractu temporis in fluxu hepatico contingere solet, dum sanguis in viscere ipso corrumpitur, quæ ab imperitis negligi solet, ut notabat Galenus, verum credendum potius à corruptela ciborum extra viscus existentium, & in itinere moram facientium, febrem ipsam suboriri posse, quæ primis evacuationibus facile cedere observabitur, nisi à catarrhali destillatione & articularibus doloribus fortasse foveatur.

Viri Illustr. status celeri, diligenti atque exacta ope medica eget, ne gradibus imbecillitatis in visceribus ejus adauctis, ad Tabem, sive potius ad Cachexiam tandem ducatur.

Quare primò mundatis primis viis, secundò, si quæ adsint in mesenterio obstructiones, reserandæ, ut facilior reddatur transitus Chyli ad hepar. Tertiò ventriculus roborandus. Quartò jecori robur addendum, tum ejusdem intemperiem corrigendo, tum à proprietate juvantia exhibendo; quibus omnibus executivo ordine satisfaciemus.

Et primò ventriculi & primarum viarum evacuatio erit caute procuranda, flore cass. cum crem. tart. omissa pulpa tamarind. cui superbibat jus hordeo alteratum. Mox ut à crudis viscositatibus vindicentur, quinque aut sex diebus Præparans erit exhibendum, quod parabitur julapio acet. cortic. citri, & cinnamomo aromatiz. ad ℥ ij. vel iij. & si cruditates observatæ fuerint in evacuatione, poterit ita parari Præparans.

℞. Julap. acet. mell. rof. aq. florum citri an. ℥ j. Aquæ cinnam. ℥ ß. m. pro syr. & sic pro aliis. Deinde repetatur leve medicamentum leniens ex Cassia, aut lenit. cum tartaro paratum.

Inde ad Deobstruentia erit deveniendum; & inter hæc principem locum tenet rhabarbarum, quod ideo Pater viscerum fuit appellatum, cum non solum tenuiori sui parte aperiendi, verum & crassiori roborandi facultatem habeat; hoc autem in substantia, & potius masticatum erit assumendum ad ʒ ß. cui superbibat, hora transacta, cyathum aquæ de succo cichor. & agrimoniæ: hoc enim modo mesentericæ obstructiones reserari poterunt, & jecur quoque quodammodo roborari, dum interim & humores corrupti ejicientur per alvum.

Inde de visceribus roborandis cogitandum erit, eorundem intemperies corrigendo, quæ in ventriculo frigida & humida, sicut in jecore calida & sicca juremerito supponenda est. Sic pro ventriculo aqua Tettuciana consideratur, at danda absolute non proponitur, nisi copiosæ & valde tenaces ab Excellent. Adstante fuerint observatæ cruditates, alioquin omittenda: & si danda, exhibeatur ante propositi rhabarb. usum, ne cruditates à rhabarb. per venas mesaraicas deducantur, quod si omittatur, alia substituenda proponam. Ad hepar itaque transitus est faciendus, pro cujus intemperie remittenda, succus cichor. depur. prærogativam obtinet, ut qui jecori quam maxime prosit, nec ventriculo officiat, ad cujus penetrationem tres aut quatuor spir. vitriol. guttulæ addi possunt; præbeatur autem ad ℥ iij. per arenam trajectus, in jure cichoraceis alterato, addita quoque absinthij Pont. coma; in hujus usu pluribus diebus insistendum, nec ad validiora refrigerantia devenienduum, ne jecoris nativus calor imbecillis obruatur. Hoc tempore tamen observandus erit calidæ intemperiei excessus, quo præsente, vena jecoraria dextera aperienda erit, & sanguis modice ad ℥ iv. vel v. educendus. Decem verò aut duodecim transactis diebus, offerri poterit cassia cum pilulis de tribus cum rhabarb. & pulvere myrobal. citrin. cui medicamento superbibat serum capr. destill. ad lib. j. vel ij.

Inde ad aliqua roborantia deveniri poterit, nempe ad usum tincturæ corall. chymicæ ad gutt. vi. vel salis coral. ad ʒ j. in aqua de succo cichorii. Quam maxime prodest quoque infusio, & postea decoctio ligni cydoniorum, præmissa Conserva rosarum antiqua. Spiritus vitrioli in cyatho aquæ fol. quercus destill. Tinctura rosarum extracta cum spir. vitrioli, & in aqua plantag. facta, efficax erit remedium: sed efficacissimum reddetur, si superaffundatur tinctura Martis constrictiva, cujus dosis est ab uno scrupulo ad ʒ ß. quæ jam dicta per plures dies sunt in usum ducenda.

Nec à proprietate juvantia sunt omittenda, quæ ante cœnam exhiberi poterunt; & inter hæc principem locum obtinet hepar lupi, cui addatur flos squinanthi, & cum vino albo reformetur bolus ante cibum exhibendus, vel eidem addatur sal absinthij.

Interim ventriculus sine roboratione non erit relinquendus; quare hora ante prandium in usum ducat pilulam ex uno scrupulo succi absinth. condensati: sicuti ante cœnam sal. absinth. ad ℈ j. in exiguo vino dissolutum hauriat. Quandoque à cibo rotulam ex legitimo oleo cinnam. paratam, saccharo dissoluto cum aq. cinnam. comedat: Ventriculus enim aromatizatione gaudet. Duo aut tria grana mastich. hora una ante cibum integra devorata, optima. Extrinsecus quoque aliqua proficere possunt; sic hepatis regioni unguentum rosac. cum ol. de absinth. reformatum; sicut ventriculo oleum Magni Ducis Hetruriæ, mastichino immistum.

His omnibus congrua victus ratio erit addenda, tenuior quidem præsentibus doloribus arthriticis, at non tenuis in hoc affectu diuturno, in quo deficit toti corpori nutrimentum. Debet esse optimi succi, facilis coctionis & distributionis, non negligendo quod hepata animalium à proprietate substantiæ conferre solent, sicuti passulæ pro condimento ciborum hepati valde sunt conferentes. Vinum quoque album, sed modicum, ratione arthritidis est permittendum. Nec in eligendis peculiariter ali-

alimentis diutius immoror, sed Præstantissimi Viri Adstantis judicio hæc & reliqua omnia dirigenda committo. *Idem ibidem.*

Fluxus hepaticus spurius.

Illustrissimus Comes quadragesimum annum agens, temperamenti secundum totum & jecur calidi & sicci, mediocris habitus ad gracilitatem tendentis, rebus domesticis valde addictus, & præterea negotiis alienis, maxime vero publicis deditus, ad actiones obeundas promptissimus, mense Octobri proxime præterito febre correptus fuit cum insigni calore in hypochondrio dextero, à qua Medicis præsidiis, & præsertim sanguinis missione valde adjutus, ac tandem liberatus fuit; attamen sub finem mensis Decembris rursus recidivam passus fuit, aliisque medicis auxiliis demum immmunis evasit. Interim ante mensis Februarii dimidium tertia vice ab eadem febre cum dolore in hypochondrio dextero captus fuit, qui dolor ad scapulam modo, modo ad jugulum usque porrigebatur, cum aliqua respirandi difficultate. Quibus omnibus post nonnulla administrata remedia alvi fluxus successit, ut plurimum materiæ biliosæ & quandoque crudæ, sed nonnunquam processu temporis cum aliqua stilla sanguinis quæ modo fæcibus aspersa, modo immista, modo diluta & tenuis fuit, modo crassa atque grumosa, semper tamen perseverante febre, licet quandoque matutinis horis exigua valdè & fere imperceptibilis observata fuerit. Multa ab Excellentiss. Assistentibus præscripta & administrata fuere remedia, tum refrigerantia, tum modice astringentia & corroborantia, sed incassum omnia: febris enim quandoque magis intendebatur, perseverante fluxu, divexantibusque doloribus in latere dextero, modo vigente, modo dejecta ciborum appetentia. Tandem ego accersitus circa quadragesimum recidivæ postremæ diem, inveni Comitem Illustrissimum magna febre correptum, cum dolore in eodem hypochondrio dextero, imo cum insigni tensione in hepatis regione, gibbam ejusdem partem occupante, alvo quoque fluente quatuor, quinque & sex vicibus in die, & magis tempore digestionis, quam concoctionis. Materia autem quæ excernitur, est nullius consistentiæ, sed diluta, ut plurimum biliosa, non sine aliqua colliquationis nota, quandoque guttulis probi sanguinis & aspersa, & immista. Quibus observatis, alterantia & aperientia à Viris Excellentiss. præscripta, & à me approbata Comes Illustrissimus assumere perseveravit, nimirum ex sero asinino destillato, addito succo cichorii, quibus antea addebatur spiritus vitrioli, cujus vice spiritus tartari ad gutt. vj. vel vii. additus fuit; & pro altero præparante jus cichoraceis alteratum, addito sale prunellæ assumere incepit, ad obstructiones in ramis venæ portæ existentes aperiendas. Et quoniam rami venæ cavæ tactu ipso turgentes & sanguine repleti observati fuere, febrisque quotidie intensior evadebat, Jecorariam aperire, & sanguinem ad ℥ vj. educere consultum fuit, qui non quidem valde exustus, sed crassus cum sero satis flavo fuit observatus; eodem & sequenti die ab educto sanguine melius habere visus est Illustrissimus Patiens: nonnihil enim sedati fuerunt dolores, & jecoris tensio & febris parumper remissa videbatur, & alui fluxus non parum imminutus, dum interim sævissimi dolores in dorso toto, necnon in pectore suborti sunt cum febris augmento, cumque pulsus præcipiti prostratione, adeo ut unius diei naturalis spatio ad asphyxiam cum doloribus intolerabilibus jam dictarum partium fuerit redactus, ut propterea ad Narcotica, leviora tamen, devenire coacti fuerimus, nempe ad Nepenthes Quercetani, quo parumper sedati fuerunt dolores ipsi; & interim subsequenti mane, parum restituto pulsu, cassiam cum exiguo rhab. præbere non dubitavimus, quo levi medicamento revocata fluxione ad alvum, remissi quoque, licet non omnino ablati fuere dolores; qui quoniam horis vespertinis recrudescere incipiebant, ideo injectus fuit clyster ex philonio Romano lacte vaccino dissoluto: præscriptæ quoque inunctiones, oleo amygdalino & liliaceo immistis, quibus dolor sedatus, & somnus jucundus conciliatus fuit, adeo ut die subsequenti fere à doloribus immunis inventus sit Illustrissimus Vir; & dum de clystere alvum movente cogitabamus, sponte alvus quoque excrementa reddere incepit, ac postea perseveravit, nonnihil à superius enarratis dissimilia, dum plurima mucosa, aliqua parumper compacta & fæcalia, aliqua quoque diluta, non tamen adeo colliquata observantur. Interim ab aperientibus omnibus destitimus, & solum malvarum jus obtulimus. Urinæ copiosæ cum copioso sedimento, eoque exusto & farinaceo, modo albo, modo rubedinem præ se ferente observantur, sed fere ejusdem tenoris in toto morbi decursu observatæ fuerunt. Interim pulsus ad pristinum statum redierunt, dolores dorsi atque pectoris evanuerunt, hepatis tensio valde remissa, & citra dolorem tactu percipitur; febris vero ut antea, non exigua conservatur, & vires Pat. Illustriss. constantes observantur: è lecto namque absque ullo auxilio surgit & ambulat, quamvis valde emaciatus. De agendis pro salute consulitur.

Hepar in Illustriss. Viro esse partem præcipue affectam & omnium affectionum causam, non est quod dubitemus, siquidem & situs doloris ad scapulam & jugulum sese extendentis, & qualitas ejusdem cum tensione manifesta, præterea excreta per alvum frequenter biliosa, nonnunquam guttulis sanguinis comitata, quinimo & febris tamdiu symptomatica perdurans, hepatis affectionem confirmant. Etenim si diarrhœa consideretur, stomachica non est, quia Lientericus non est fluxus: neque intestinalis, quia Cœliacus non est; & quoniam ut plurimum biliosus appareret, guttulis sanguinis aspersus, sive immistus, Hepatica dubio procul censenda est, non tamen legitima, quoniam loturæ carnium sanguis similis non dejicitur, neque copiosus, sed exiguus atque probus. Spuria igitur omnino est statuenda, quatenus chylus à ramis venæ portæ in hepate quidem recipitur, at propter obstructiones in iisdem stabulantes, ulterius, ut necesse esset, ad ramos venæ cavæ sese insinuare nequit, & idcirco ab intemperie calida ejusdem jecoris tum naturali, tum à clausuris, adaucta, corrumpitur chylus ipse, dum aliquod sanguinis rudimentum

cum acquirere incipit, & flavo colore infectus, ut inutilis, imo naturæ molestus, ab expultrice facultate, tenuissima sui portione ad gibbam, indeque per emulgentes ad renes per urinam transmittitur, crassior vero ejusdem portio per alvum dejicitur. Quod vero nonnunquam guttula aliqua probi sanguinis vel à parenchymate jecoris, vel ab aliquo ramo venæ cavæ excidat, & eidem commisceatur, mirum non est, nec id propterea hepaticum legitimum ullo modo constituere valet. Dolorem autem qui modo major, modo minor hunc affectum perpetuo comitatus fuit, ab obstructionibus in cava jecoris existentibus, necnon à sanguine ramos venæ cavæ distendente & phlogosin constituente, provenisse non sine ratione creditum fuit. De febre autem hæsitantes fuimus, dum à bile quotidie in jecore genita provenire potuisse à probabilitate alienum non esset, si semper eadem & ejusdem tenoris fuisset; verum quoniam adeo acuta & magna antea à Viris Excellentiss. observata non fuit, imo valde mitis, talis autem solum x. aut xII. abhinc dieb apparet, sine ulla urinarum mutatione & alicujus alieni symptomatis accessione; idcirco causam aliquam à præterita diversam habere & habuisse suspicandum videtur, hæcque forsan esse posset materia aliqua chylosa corrupta, extra vasa ad hepatis parenchyma introducta, quæ non sub forma abscessus febrem ipsam adauxerit, nisi dixerimus bilis tandem reproductionem à calida jecoris intemperie adauctam fuisse, quod utique desiderabile magis esset.

Verum negotium non leve facessit mihi postrema extemporanea doloris exacerbatio, & non in hepate, sed in dorso & pectore, cum præcipiti pulsuum lapsu magnoque febris incremento, post aperientia medicamenta administrata, quod speculandi ansam præbuit, nec aliunde provenire potuisse mihi compertum fuit, nisi ab eadem materia corrupta & per alvum antea excerni solita; dum enim ramos venæ portæ ingressa occlusas antea inveniebat vias, ut propterea corrupta, & quodammodo in bilem conversa retrocedere ad intestina, & ad alvum cogeretur, dum à medicamentis aperientibus adhibitis obstructiones reserari, & viæ ipsæ aperiri inceperant, sanguinisque missione rami venæ cavæ superiores non parum à sanguine reclusi & exinaniti fuerant, materia ipsa corrupta ad superiora per ramos venæ cavæ & ad truncum impetum fecit, quæ cum ipso sanguine circulante ad cor delata, & à dextro ventriculo in sinistrum, si non per septum, per pulmones, mediante vena arteriosa deducta, indeque per arteriam magnam per corpus distributa, & præsertim per arteriolas laterales ad pleuram undequaque transfusa, dolores illos intolerabiles, arcte totam thoracis regionem constringentes & fere lacerantes excitavit; ut propterea mirum non fuerit, si cor ipsum adeo infestaverit, ut propria ejusdem pulsifica facultas & depravata fuerit, unde febris acutior & intensior; & imminuta, imo fere abolita, unde pulsus asphyxia, quæ paulatim recessit, quia materia jam dicta, qua sanguis, & inde cor inficiebatur, jam ad spatia detrusa & deposita fuerat: hæcque eadem paulatim à natura insensibiliter, coadjuvantibus inunctionibus, resoluta fuit, unde afflictivi doloris remissio. Hujusmodi metastasin nobis commonstrare valent primò venarum turgentia, atque dolorosa tensio in hepate manifeste remissa; nullam enim querelam ab Illustrissimo Comite de hepate audivi, dum vehementissimis thoracis doloribus conflictaretur; nec dici potest cum Hipp. quod major dolor minorem obfuscet, quoniam remissis quoque & ex toto ablatis thoracis doloribus, hepar nihilominus sine dolore conservatur etiam si manu comprimatur; præterea vidi, post enarratos dolores copiosas visciditates crassas excretas, à quibus obstructiones in ramis venæ portæ sobolescere solent, quarum depositione hepar ipsum levius & expeditum magis redditum est, & præsertim post exhibitum medicamentum purgans.

Cum igitur pars princeps magnopere læsa conjiciatur, nempe jecur ipsum sanguinis officina, necnon cor ipsum perfectio, læsiones vero consistant in fervida intemperie, quæ primò naturalis in Illustrissimo Comite fuit, sed multo magis adaucta ab animi continuis & intensis applicationibus, & forsan etiam quandoque ab aliqua vini dulcis potione, quæ in plerisque aliis error non esset; intemperies autem confirmatæ nonnisi diuturno tempore tolli possint, idcirco difficilem præbent Curationem, cujus difficultas adhuc magis augetur ab obstructionibus, necnon à febre haud exigua vires prosternente, & totum corpus extenuante: difficillimam præterea minatur Diarrhœa hepatica à Viris Excellentissimis non sine colliquatione observata, magnam visceris læsionem demonstrans, & vires quotidie imminuens atque prosternens. Non tamen impossibilis à me censetur salutis restitutio, dummodo jecoris substantia ab abscessu præterito tempore immunis servata fuerit, de quo dubitari quidem, at nihil certi pronunciari potest. Restat autem ut spes in præsens obscura (remissione febris) magis elucescat.

Dirigenda interim Curatio contra affectus quos certos habemus, quorumque si succedat remissio, absessus & impossibilis Curationis sequetur exclusio. Verum caute valde in Curatione procedendum, refrigerantibus, ventriculi naturalem calorem non infringentibus; aperientibus, obstructiones quidem in ramis venæ portæ auferentibus, ac materias corruptas ad superiora non deferentibus; & roborantibus, tonumque hepatis conservantibus, obstructiones tamen non augentibus, & si opus fuerit, dolores sedantibus.

Quæ paucis, & ordine executivo mihi proponere liceat, ut in externa consultatione unanimiter conclusum fuit.

Pro jecoris fervore contemperando, & præsertim in hujusmodi casibus, passim uti solet Gal. succo cichorii, ut qui hepati prodesse, neque ventriculo obesse possit: parce tamen in nostro casu eodem utendum, ad unicam unciam in jure pulli junioris cæteris cichoraceis alterato, additis quoque foliis eupatorii, & ut succus facilius jecur pervadere possit, per arenam trajicietur.

Aperientia nullo modo sunt deserenda, sed moderata, ne materia corrupta rursus ad penitiores partes deferatur; in quem finem præstan-

stantius nec inveniri; neque excogitari potest rhabarbaro remedium, sed in substantia, ut quod cavam partem jecoris, ramos scil. venæ portæ deobstruere, nec ad partem gibbam & ramos venæ cavæ pervenire soleat; præterquam quod quodammodo roboret, & jecori valde amicum sit, ut propterea Pater hepatis nuncupari soleat. Præbeatur igitur ad ℈ j. tertio quoque die masticandum cum passulis, cui post horam superbibat jus tenue pullæ cichorio aut intybo alteratum. Aperiendi quoque ramos venæ portæ facultatem obtinebit sal tartari fixum; sed tantummodo ad gr. v. exhibendum. Ad validiora aperientia in præsens progredi tutum non erit.

Roborantia tandem locum habebunt; quæ esse poterunt sal coralliorum in aqua plantaginis. Tinctura coralliorum; pariter syrupus coralliorum Quercetani, à Viris Excellentissimis propositus, in aqua destillata è tenerrimis quercus foliis. Nec spernendum hepar lupi pulverizatum, tanquam à proprietate juvans.

Tandem doloribus quoque occurrendum, si opus fuerit, clysterem injciendo ex lacte vaccino, addita drachma Philonii Romani rec. quod remedii genus alias utiliter fuit expertum, aut per os præbeatur syrupus de seminibus papaveris albi ad ℥ j. qui causæ morbificæ quoque adversabitur.

Hæc pauca, utpote tutiora descripsi: plura namque & majora non requirit, nec tolerat status P. Illustrissimi, quibus congrua victus ratio jam à Viris Excellentissimis adstantibus instituta addenda est. Faxit Deus, ut omnia ex voto succedant. *Idem Ibidem.*

Fœmina triginta annorum, biliosa, multo allio, porro, aliisque biliosis alimentis, aliquamdiu usa, incidit in copiosum & frequentem alvi secessum; quo multa liquida, biliosa, crocea & rufa, jam per multos dies, cum dolore satis magno, excernit; unde jam non tantum corporis lassitudo, sed magna etiam extenuatio ægræ nostræ est orta.

Afficiuntur in hac fœmina intestina; ut frequens ille alvi secessus cum dolore conjunctus, evidenter docet: nec non totius corporis habitus; benè defœcata. Corpus quiescat, somnus sit longior, fugiat vehementiores animi affectus. *Henricus Regius apud Theod. Craanen. Medicat. lib. 3.*

Observationes.

Qui diuturno alvi fluxû laborabat, & omnem suam substantiam frustra in Medicorum ope consumserat, consilii causa, ut ab hoc malo liberari posset, me accessit: cui consilium dedi, ut mespila etiam immatura in maxima copia devoraret, quibus commestis alvi profluvium paucis diebus cessavit. Idem evenit mercatori Zelando, qui cum multis mensibus laborasset profluvio, & tandem etiam dysenteria, neque ab ullis Medicis curari posset, tandem mespilis commestis ex Joannis Spirinchii Medici Lovaniensis consilio, sanitatem consecutus est: & Medico trecentos aureos pro sola mespilorum præscriptione numeravit, quibus solis in pristinam sanitatem fuerat restitutus. *Petrus Forestus Obs. 1. lib. 22. De diversis generibus profluviorum alvi.*

Medicus quidam Hibernus celeberrimus in Diarrhœa præ omnibus aliis quibuscunque sequens commendat remedium.

℞. Butyri insulsi, q. v. bulliat lento igne ad tertiæ vel mediæ partis consumptionem subinde despumando, exhibeatur de eo ægrotanti satis magna quantitas. Mitigat plurimum acrimoniam humorum, & ab eorundem corrosione intestina defendit. *D. Robertus Boyle, lib. de Utilitate Philosophiæ experimentalis. Part. 2. Sect. 5. cap. 18.*

Vir quidam robustus, æstate media correptus est diarrhea biliosa valde urgente, cum siti intensissima. Vocatus ad eum, præscripsi sal prunellæ in potu ordinario, tum etiam in julepis ex aq. lactuc. & portulac. paratis, ter in die sumendis; & intra 24. horas convaluit. *Lazarus Riverius, Obs. 33. cent. 1.*

Correptus sum diarrhœa biliosa tanta acrimonia prædita, ut anum eroderet, ardoremque urinæ concitaret, translata materiæ portione ad urinas. Dysenteria erat in procinctu. Ingressus semicupium tepidum illicò liberatus sum. *Laz. Riverius. Obs. 59. cent. 2.*

Vidi nobilem pleuriticam: huic ad statum fere immanis fluxus alvi supervenit. Præscripsi illi usum syrupi myrtillor. ac summi Dei beneficio servata fuit. *Joan. Heurnius ad Aphor. Hippocr. 16. Sect. 6.*

Evocatus è Galliis ab Illustrissimo meo Principe, Lugduno media æstate discessi, idque in magno æstu: hinc factum est, quod in itinere labore fatigatus, æstûque confectus inciderim in diarrhœam biliosam, quæ statim in dysenteriam commutata est, non subveniente consilio, cum Clysterum pertæsus essem; captans ex tempore consilium, sumebam ferè singulis noctibus statim à dejectione, cum dolor acerbius lancinaret, ℈ ij. & amplius theriaces non admodum veteris (quam tum forte Lugduno mecum in viam attuleram) dissolvendæ in vino rubello, quo assumpto, qualibet vice, statim sedato sopitoque dolore, occupabat me somnus, corporeque in sudorem resoluto, videbar planè persanatus, eoque paucis vicibus rei iterato, penitus restitutus, persanato ulcere, nihil amplius incommodi sensi. Satis jam constat quid theriaca possit, quam illa fluxus inhibeat, quantum dolores sedet.

Utile est hoc emplastrum ad hepar, quod sæpe in omni fluxu tum hepatico quàm dysenterico excoriativo, in antiqua diarrhœa, & similibus mirum in modum comperi juvisse.

℞. Eupator Schœnanth. an. M j. spic. ind. ℈ ß. mastich. macis, an. ʒ ß. lign. aloës odori, ʒ iij. myrobal. cheb. emblic. torrefact. an. ℥ j. bol. armen. terr. sigill. hæmatitid. an. ʒ vj. coriandr. præpar. ℥ j ß. spod. ʒ ij. rosʒ j. spec. trionsantal. sine camphora. ʒ ß. scoriæ ferri præp. ℥ j. farin. hord. ℥ ij. ol. mastich. myrtill. an. q. s. ad impinguandum F. emplastrum cum modico aceti in bona forma, & superpone ab osse Xyphoeide supra totum ventrem, usque ad os pectinis, removeatur quandoque ne pondere nimis gravet.

In hoc quidem stringentia atque ligantia sunt; quia tamen multis hepaticis & roborantibus temperata non formidanda in actu ipso comperi.

Addam

Addam hoc paratu facilè & verè εὐπόριστον, quod in fluxû pernici vidi profuisse. Incoquuntur flores rosmarin. leviter acri aceto, expressi ventri calentes imponuntur. Addam & alia comperta.

Omnem fluxum observavi à Matronis Neapolitanis, tam diarrhœam & lienteriam, quàm dysenteriam, fluxumque hepaticum curari.

Destillabant poma granata acida, necdum satis matura, aquæ extillatæ propinabant ℥ ij. vel ℥ iij. quibus ad manus non fuit extillata aqua, decoquebant poma, decoctumque exhibebant, haud dissimili effectû. Memini fuisse mulierem, quæ cum sex menses fluxû hepatico colluctata esset, nec posset curari, quodam consulente, ut mane ʒ j. pulveris medii corticis fraxini cum tantillo malvatici sumeret; quod cum tertium fecisset fluxum restitisse. Addam & hoc quod sæpenumero plebeis præscribo, qui fere ut hic homines sunt, ab iis medicamentis quæ à pharmacopola porriguntur abhorrere solent; quod compertum est contra fluxum ventris diuturnum.

Accipio turturem pinguem deplumatam, abluo leviter, exenteratam infarcio ceræ novæ ℥ j. percoquo in aquæ q. s. eam edendam porrigo, jusque bibendum: atque ex ossis edendum, comperi istud verum & salutare in quodam Lucense Peraccino qui diu gravissimâ diarrhœa laborabat, atque ab eo tempore subinde utor. Ego delector id genus Euporistis atque diligenter ea observata adnotare soleo. *Reinerus Solenander Consil. 9. sect. 4.*

Generosus juvenis Joan. Franciscus Zelski, Nobilis Polonus, in S. R. M. castris hucusque militans, in novissimo contra Turcam bello ex victû pravo incidit in imbecillitatem quandam ventriculi & βραδυπεψίαν: hinc quotidianam ventris & hypochondriorum inflationem percepit. Sed cum post assumptum unum atque alterum medicamentum purgans per aliquot septimanas se jam melius valere existimaret; ex insperato alio malo correptus est, scilicet Diarrhœa, sive fluxû chyloso ex mala chyli distributione orto: qui (quod notandum) post cujuslibet generis carnium tam quadrupedum quàm volatilium, etiam teneriorum & facilis concoctionis, esum, semper magis exacerbabatur; ab usû autem piscium etiam duriorum, tam recentiorum quàm salitorum & fumo induratorum ac omnium ciborum tempore jejunii vesci solitorum, compescebatur, quod generosus patiens jam per aliquot septimanas verissimè observavit. Verum adhibito ipsi à me Consilio Medico, nempe ventriculo binis vicibus leviter expurgato, dein medicamentis idoneis & moderatis, visceribus concoctionis corroboratis, ab insolito isto symptomate (quale me nunquam in Medicis libris legisse fateor) Deo benedicente, in totum liberatus est. *Simonis Schultzii.*

Cum Thorunii anno 1667. 8. Julii à Meridie Commissarii Regii, ita jubente Serenissimo Rege Joan. Casimiro. Templum S. Jacobo consecratum, atque in novo oppido constitutum Monialibus truderent uxor m. W. Fabri aurarii, observatura quid circa illud Templum facturi sint illi, supremam œdium suarum contignationem conscendit, unicumque filiolum suum, tum trimulum, secum eò deduxit. Ubi dum intentis oculis negotium illud intuentur, ecce pueruli servula suspenso accedit gradû, illumque ex improviso ita perterrefacit, ut vix placari potuerit. Subsecuta est sequenti nocte Diarrhœa gravis. Hanc licet variis mediis remediisque domesticis tollere conaretur Mater, nil tamen profecit. Imo crevit potius in dies malum, ac tandem sexta post septimana in dysenteriam degeneravit. Hic mater anxia me demum in auxilium vocavit. Ego prima vice visitans ægrum, præter frequentes dejectiones cruentas, vires quoque prostratas, habitusque musculosi totalem deprehendi consumptionem. Debito igitur prognostico famæ meæ tùm consulens, variis remediis tum externis quàm internis (licet istis ob ægri nauseabundi pertinaciam nimis parcè) aggressus sum affectum, atque imprimis & enemata in subsidium mox vocavi. Ubi cum post detergentium sufficientem usum aliud ex lacte chalyb. flor. ros. verbasci atque similibus paratum injicere jussissem, mitigando mali ferociam optatos præstitit effectus. Suasi igitur ut sequenti die simile enema ex lacte applicaretur, & quia præcedens adeò benè successerat facile persuasi. Injicitur igitur denuo clyster, non tamen eo quo præcedens successû. Nam horæ quadrante vix elapso, eundem clysterem per os rejecit æger. Eam verò excretionem tanta subsecuta est debilitas, per aliquot horas durans, ut in carpo arteriæ motum vix percipere potuerim, atque extremam adesse horam ipse crediderim. Ne tamen planè pro derelicto haberetur æger, corroborantibus refecimus illum: Deo curam ita postmodum benedicente, ut tandem adhibitis variis remediis, iteratis quoque sic urgente necessitate enematibus, pristinam recuperavit sanitatem æger, quâ adhuc per Dei gratiam fruitur.

Superiori æstate plurimæ nobis DiarrhϾ occurrerunt, sed adeò pertinaces ut pleraque remedia eluserint: Plerisque tamen profuit tandem Helmontii remedium, ex ovis ad duritiem coctis cum aceto rosaceo exhibitum, præsentaneum & facile, & nemini injucundum, laude dignissimum, nemini non opem certissimam attulit. V. F. m. tamen Philonio est curata cum bolo Armena & conserva papav. errat. cui ova illa oxyrrhodina non contulerunt *G. Hieronimi Velschii.*

Petrus Nicolai Zythopeptes, nuptias illicita Venere anteverterat, atque ex uxore ante quintum ab inito matrimonio mensem, sustulerat filium; cujus ut nihilominus amore teneretur, tanquam legitimi, vanissima obstetrix persuasit anxiæ matri, ut excisa fœtus vasa, quæ ad umbilicum protenduntur, assaret, & chartæ involuta naribus admoveret mariti; fore enim, ut pater nidore illo inescatus in desiderium infantis effusè raperetur. Interea dum puer sacro baptismatis lavacro in templo à primitiva labe abluitur, obstetrix assum hoc officiosè præparat, & circa vesperam convivanti cum amicis marito ludibunda obtrudit, naribusque ejus propemodum ingerit. Ille aversari fœdum odorem, & vinum in usum lætitiæ poscere. Obstetrix contra, inculcare, non recedendum à consuetudine, ita solenniter novos maritos suffiri, ut fœcundiores evadant. Quid plura? vorat hamum

mum Zythopeptes, & nidore illo ad vertiginem usque se satiat. Dictum, factum; notat aggravari sibi præcordia, & in flatus ac tormina ventrem distendi. Ex eo perpetua jam sextum mensem colica & simul Diarrhœa laborat, omnibus viribus exhaustus, & fato, ut apparet, vicinus. Ego nuper rogatus opem, cum ex ore tum mariti, tum uxoris rem gestam audissem, exsecratus superstitionem fœminæ, dignum hoc vanissimo inuento præmium esse respondi. Quæ cùm illa fletu exciperet, signavi quidem pharmaca, quæ usui fore ratio suadet, nisi jam tum, quod oppido credibile, hepar putridum extrema minetur. *Olai Borrichii.*

Egregius ac virtuosus Dominus Georgius Heidt Civis & Aurifaber Viennensis, rerum artificiosarum deaurationi sedulo intentus, Realgaris sulphureo ac Mercuriali per inspirationem attracto fumo, reiteratis vicibus, lassitudine ulcerosa totius corporis, tremore, & palpitatione cordis prehensus est, à me curatùs, Plurib. tandem dum septimanis apparamentis equestribus deaurandis incubuisset, ac quatuor hebdomadis omninò deaurationi supersedisset, præter lassitudinem totius nil sentiendo, ordinaria lenitiva ex securissimis parata, sumpta purgatione, venenatis qualitatibus à tempore deaurationis in corpore latentibus agitatis, præfatis symptomatibus, sudoribus frigidis, Lipothymiis ac convulsionibus totius corripitur, nullisve proficientibus remediis, Regia cordis occupata, robustissimo corporis habitu exspirare cogitur.

Scholion) Ut Metallarii qui in fodinis operantur, peculiaribus obnoxii sunt morbis, de quibus singularem tractatum edidit. Theophrastus Paracelſ. illosque erudita disputatione Lipsiæ 1652. enucleavit Collega Curiosus præpropere demortuus Zephyrus, Leonhard. Ursinus Prof. Botanices: sic non minùs Auri fabri, aliique qui nimis crebro Mercur. tractant, aut ejus fumum quovis modo, sive per os, sive per aliam viam ad se trahunt, maximo suo damdo experiuntur morbos nervos infestantes. Ut etenim si in loco clauso exponatur aureum vas, & dein Mercurius supposito igne avolare permittatur, totus Mercur. qui sublimis in auras evanuisse putabatur, simulata fuga in aurei vasis amplexibus hærere invenietur, experientia Kircher. de Arte Magn. l. 3. p. 3. c. 2. sic non minus in ipsis evaporationibus, quæ ab istis Artificibus peraguntur, attrahitur in nares Mercur. indeque in cerebrum genusque nervosum. Unde concludit Kircher. de Arte Magn. l. 3. p. 5. c. 3. p. 635. cum Mercur. non rarò in craniis in sepulchris inveniatur, esse crania talium Artificum, dum etenim in extrahendo aut præcipitando Mercur. multum sint occupati, non exiguam vaporis partem per nares excipiant, qui in frigidas cerebri cellulas receptus, ibi denuò congelascat, ut etiam post mortem tanquam in vasculis perennet, non ut Philosophrastri nugentur, quod intra hominem & ubivis Mercurius, ut materiam Lapidis sui hoc prodigio jacent inveniatur. Docet hoc Aurificis Anatomia Romæ facta; quicum summos capitis dolores pastus obiisset, in aperti capitis cerebro plusquam lib. 1. Mercurii reperta fuerit ex vapore ejus hausto ibique congelato. In fœminæ calvaria quæ fucis ex Mercur. quotidie usa, & per biennium enormi capitis dolore fatigata, in osse calvariæ ℥ij. Mercurii inventi fuerunt. Zuvinger. in Thes. vit. Hum. T. I. f. 520. ex cardano de subtil. Quin & exterius admotus Mercur. per poros corpori se insinuat, & divisæ istius particulæ rursus se uniunt, unde ex mamma cancrosa Mercur. extillavit, quod laminæ ungu. mercuriale adhibita fuisset. Bartholin. c. 1. hist. 7. & Mercur. in sanciati emplastro adhærere visus est, qui antea inunctionem passus fuerat. Rhodius Cent. 3. Obs. 87. Sanè post imperfectam inunctionem in Lue Gallica Mercur. in caput interdum se insinuat, ibique relictus intensissimas cephalalgias excitat, qui tandem Mercurius aureo globulo naribus, & aureo nummo ori Indito (quia Mercur. auro ob sympathiam se associat, & illud dealbat) per vices extrahendus Jacoz. Obs. 13. commun. River. & ipse Laz. River. Cent. 2. Obs. 91. ex articulis verò extractionem Mercurii per applicatum aurum foliatum tentat *Zacut. l. 2. Prax. adm. Obs. 128. Nic. Guil. Beckers.*

Similis casus mihi contigit illi ab Excellentissimo Dn. D. Beckers præcedenti anno (vid. Ann. 1. Misc. cur. Obs. 81.) observato, in viro quodam temperamenti sanguineo-phlegmatici, 34. annorum, bonæ aliàs constitutionis & corporis habitûs, qui cùm suorum negotiorum perficiendorum causa per tempus aliquod ruri vitam degeret varios committens excessus in cruditatem humorum, indigestionem, inappetentiam, pruritum ad frequentem vomitum, tumorem & inflationem stomachi incidit, sputum erat continuum maximè matutino tempore, idque album, tenax & valdè viscosum, me ad se vocatum pro remedio rogavit, cujus petitioni lubens satisfaciens ordinavi illi pro digestivo vesperi sumendo ʒß. Tartari vitriolati jusculo sumendam, absoluta post unam aut alteram horam pauca & liquida cœna, ut altero die sumendum vomitorium in ejusmodi viscosis humoribus jam parumper præparatis tanto felicius succederet, nam totam materiam in stomacho hærere adverti, assumpsit ille suum Tart. Vitr. quem aliàs assumere solebat, nam semper eum domi pro ordinaria & domestica Medicina habebat; hora ab assumpto isto digestivo in talem purgationem incidit, ut intra 24. horas ultra centies secesserit, ita per noctem corruit homo aliàs corpulentus, ac si substantiam suam carnosam simul expurgasset, adeoque ob urgentia continua animi deliquia, & virium prostrationem, adhibita omni diligentia fluxum coercere debui, qui utique stetit, ita tamen ut per tres dies sequentes bis tantum singulis diebus excreverit, vires interea se modicum valdè recolligebant, 4. die circa vesperam accessit calor ingens, & virium dejectio adeò increvit, ut venæ sectionem prohibuerim, sed videbam etiam penes aliqualem efflorescentiam, eam autem definire nondum poteram, adfuit difficultas respirandi circa præcordia, eorumque ardor & œstus manum usserunt & tensio tactui potenter renituit, absque tamen dolore: in his circumstantiis ita constitutus ad alexipharmaca confugi, & ordinatum tale Diaphoreticum, intermixtis aliis variis Cardialibus vesperi assumpsit, & expulso sudore fœtidissimo melius respirare,

maculæque se potentiùs monstrare inceperunt, & urina turbidissima non adeò accensa mingebatur, cùm autem idem altero manè ante ortum solis reassumendum ordinassem, assumpsit quoque, & circa Meridiem tam copiosæ maculæ illæ petechiales conspiciebantur, ut totum corpus virgis cæsum quis putasset, symptomata etiam omnia de hora in horam minuebantur, non neglectis interea tamen diaphoreticis continuis, sed non tam potentibus, ita ut 7. die adhuc insuper per copiosam diarrhœam fætidissimam, & variis coloribus intermixtam perfectè & saluberrimè judicatus fuerit. Mulier quædam phthisica raræ texturæ 26. annorum, temperamenti cholerici ad me venit, & consilium rogavit, satis adhuc robusta & vegeta, quia scalas ascendere potuit, sua etiam domi & extra absque adeò magna difficultate ritè perfecit, ordinavi illi duas uncias mannæ in jusculo dissolvendas cum uncia una olei amygdalorum dulcium, & assumpto hoc laxativo pectorali venæ sectionem, & post venæ sectionem juscula ex herbis pectoralibus, & ut ulterius quæreret illi dixi, atque ita eam dimisi: vadit domum & parat sibi hoc medicamentum, & illo assumpto ita purgavit, ut altera die etiam expurgata anima in lecto mortua inventa fuerit, ego hac de re nec minimum somnians inveni 3. die post in scheda mortuorum talem, & talem esse mortuam, vado ad illum locum, & quæro causam mortis, sic nihil aliud adstantes dicere potuerunt, quàm hoc, quod assumpserit mannam cum oleo amygdalorum dulcium in jusculo carnium dissolutam, & inde per diem potentissimè excreverit, sine tamen magna virium amissione, & quod altera die cum summa copia excrementorum in lecto mortua inventa fuerit, cum omnium stupore. *Joh. Gorgii Greiselii.*

Nuper ad Ægrotum quendam vocatus, invenio ipsum admodum debilem & morti vicinum. Hic ab agyrta aliquo pulverem acceperat à quo sexagies secessit, & decies vomuit, tandem etiam cruenta excrevit, molestissimusque tenesmus secutus est, ex quibus & febre superveniente, insigni virium dejectione, anxietate cordis, salivatione nimia, torminibus ventris, & dosi parva, pulverem istum Mercurialem fuisse conjeci. Hunc Ægrotum, Deo (cui sit laus) auxiliante, exhibitis remediis convenientibus, præprimis verò Tinctura Theriacali, intra quinque dies ex orci faucibus eripui. Similem hypercatharsin non sine vitæ periculo perpessæ sunt, hic mulieres duæ honestæ ex usu azot notissimi Empirici Heslingii, & ante paucos menses Secretarius quidam alias θεραπικὸν hoc medicamentum plurimis admodum commendans, qui eo assumpto maximos cruciatus & brevi mortem sibi conscivit, nihil proficientibus à Medico ordinario efficacibus etiam remediis exhibitis. De hoc azot brevibus quidem in tract. meo de varis sive Arthritide vaga scorbutica aliquid monui, sed in altera ejus Editione (quam quia prior multis mendis & crassis vitiis Typographicis scatet, atque exceptis paucis exemplaribus distracta plurimum variis rarissimis medicamentis & observationibus auxi) fusiùs de eo σὺν Θεῷ acturus sum. *Valentini Andreæ Moellenbrocci.*

Dominus Theodorus à Barut his usus est Pilulis ex Extracto solutivo, quibus aliàs sæpè feliciter usus erat, die Lunæ dejecit ante prandium septies, à prandio nihil amplius, sed optimè se habuit; Vesperi cœnavit largiter, dormivit usque ad mediam noctem. Tunc subitò tormina in ventre maxima cum vomitu & sedibus multis oborta, quæ die Martis duraverunt, & quoque sequenti nocte. Die Mercurii domum rediens ipsum invisi, & dedi Theriac. ℈iv. Croc. Mart. gr.j. in jusculo; Imposui Theriac. ℥j. remisit dolor, vomitus & sedes. Vesperi omnia rediere, & quicquid assumpsit, evomuit. Præscripsi sequens.

℞. Rad. tormentill. symph. mai. ana ʒij. Herb. agrimon. plantag. ana m ß. Fl. chamom. m ß. verbasc. P. iij. hord. m ß. coq. in s. q. aquæ ad ℥x. col. adde Mell. rof. col. ℥ij. M. F. Enema. Quamprimum assumpsit, omnia remiserunt, repetitum sequenti nocte bis feliciter. Postea corroborantia ventriculum dedi. Excrementa fuere prasina.

Hypercatharsis provenit vel culpa assumpti, vel assumentis. Assumpti, cum medicamentum sit violentum, vel non ritè præparatum. Assumentis, cum vel ille errorem committit externum, cum sc. aëri frigidiori se exponit, frigida nimis bibit, &c. vel propter naturæ ipsius errorem internum, cum scil. commota camerina viam monstratam sequitur, & ab acrimonia & copia humorum nimis stimulata insurgens, plus educit, quàm requiritur, vel vires permittunt. Et hæc ultima causa hìc locum habet. Astringentia cum narcoticis à principio mox adhibuit, ideò quod vires propter largam evacuationem abstergentia non admitterent, & morbus in centro conservaretur. Malo verò recidivante, recollectis viribus, abstergentia anodynis & astringentibus miscuit, & ita feliciter malum sublatum est. Sequenti aliquando hypercatharsi laborantem à medicamento violento à Tonsore exhibito, cum jam prodromi convulsionum adessent, liberavi:

℞. Aq. tormentill. ℥i ß. fol. querc. plantag. ana ℥j. pulv. pumic. ʒj. Syr. Cydon. ℥j. rib. corall. ana ℥ß. M. Quantum enim lapis pumex valeat in hoc malo sæpiùs feliciter expertus sum. *Dan. I. Wincleri.*

Nobilis Bataviensis, cùm vespertino tempore mustum liberaliùs bibisset, nocte intensissimis ventris doloribus torquebatur. Postridie diarrhœa accessit, quæ primò aliquod levamen inducere videbatur, sed postea accrescens, intra biduum in dysenteriam mutata fuit. Tunc Æger sibi metuens, meum consilium petiit. Exhibui statim hoc purgans.

℞. Rhabarbari opt. drachm. ij. fol. Sennæ mundat. drach. iij. myrobolan. cheb. drach. ij. sem. anisi, scrup. ij. decocti hordei, q. s. fiat infusio s. art. adde colaturæ syrupi de cichoreo cum rheo unc. j. Misce, fiat haustus.

Hinc multa biliosa dejecit, & ventris tormina valdè imminuta sunt. Vesperi dedi sequens sudoriferum, à quo illa nocte multùm sudavit, quietè dormivit, & postridiè ab omni dolore ac fluxu immunis fuit, atque exindè optimè valuit.

℞. Theriacæ androm. drach. j. philonij romani, scrup. j. aquæ nostræ theriacalis, petroselini, ana unc. j. Misce, fiat potio. *Isbrand. de Diemerbroëck. observ. & curat. Medic.* 64.

Quem peregrinationes Orientales, doctrina & aeris Medicæ experientia maxime nobilitarant, Doctorem Leonhardum Rauvvolff Augustanum, eadem nobis Ungaria eodem anno subtraxit: Agebat tunc copiarum superioris Austriæ Physicum, spartam sibi commissam dubio procul satis exornaturus; nisi grandior ætas sub oneribus Medicis jam consenescentem Tyrocinium castrense subire noluisset. De hoc Idibus Julii postquam sermones miscuissemus, & ego canos venerandos pulvere castrensi deturpandos non esse confirmassem, maxime cum durius vitæ genus præsertim in castris & apud Ungaros præsens periculum minari demonstrarem, confirmabat quidem, se non modo diuturnis peregrinationibus ad quasvis externas injurias occalluisse, & idcircò in stadio feliciter hactenus decurrenti juxta metam subsistendum non esse, sed tamen paulo post Hadvvanensis aquæ, quæ summe insalubris, unico haustu intoxicatus evadere nequivit. Adscripseram hoc excrementiciorum humorum sentinæ: quæ in corpore senili ut plurimum coacervata, stomacho & hepate refrigeratis, superinducta diarrhœa, cum semel enormiter profluere cœpisset, sisti deinde non potuit: cum semper ferè in castris apud paulo provectioris ætatis lethales fuisse, sim expertus. Accedebat quod jam decumbens fido famulitio destitutus, partim secundum castrense proverbium: *Wer ligt, der ligt*, neglectim haberetur (quod tamen paulo serius subolfeceram) partim ab iniquis rerum censoribus parum digne tractaretur: partim etiam curis domesticis, quæ vel ipsa morte graviores, sensim conficeretur: quarum trium catapultarum vel unicum hominem jam satis ætate gravem in castris prosternere potuisset. Vicit igitur conspirantium calamitatum violentia, sic, ut mense Septembri doloribus & continuo fluxu ad extremam maciem deductus, vix sesquipalma telluris Pannonicæ contumularetur vir ille, qui totum ferè orbem pedibus conculcaverat, ægre de tanta mole ad contegendas corporis prædelassati exsuvias unum & alterum cespitem nactus. Erat alias corporis habitu ad labores quosvis perferendos satis commodo, rerum plurimarum cognitione deflagrans, inprimis simplicium, præsertim exoticarum, indagatione, cujus caussa non sine gravi & vitæ & fortunarum periculo magnam orbis terræ partem audacter obierat. Fretus igitur, ut jam dictum, peregrinationum exantlatarum molestiis, quibus ad extrema quæque perferenda obduruerat, Pannoniam quoque, quam prius non calcaverat, tentandam esse, & in castris æstivandum, satis honesto salario evocatus, statuerat; quod quomodo viro optimo ut & multis aliis, qui parum se viresque suas, antequam tantis procellis vela committerent, suo pede fuerant metiti, cesserit, jam liquet. Nec tamen de salute decumbentis mox desperassem, ægro præsertim sanitati, quantum fieri poterat manus porrigenti: nisi mediis, si uspiam, certe in castris, summe requisitis, prorsus destituti fuissemus. Est enim hoc peculiare quasi Physicorum castrensium fatum, ut vel ad momentum decumbentes, sannis, imò sarcasmis, à crassi cerebri milite excipiantur, tanquam res risu digna sit, si quis inter tot decumbentium myriadas, ægris inserviendo, sanitatem propriam insumserit. Nam & de hoc patiens noster p. m. conquerebatur: quod dum juxta Hattvvanum obsessis strenue tormentis detonantibus castra longius metanda & mutanda essent: ob ægros hinc inde dispersos conquirendo defatigatus, viribus vix non deficiens, aquam degustasset, ex qua lethales tandem profluviorum cataclysmi dimanarant. Ægre tamen, nec nisi nimiis adductis rationibus persuaderi poterat, ex aque unico haustu Hydram tam portentosam repullulare potuisse. Ecce enim, dicebat ille, ego qui per biennium ferè inter barbaros, nil nisi sola aqua, eaque indies ferè alia atque alia sitim restinxi nunc haustulo lymphæ Pannonicæ, si Diis placet mactabor? Hos gryphos a. postquam diuturnioris desuetudinis ac ætatis jam gravioris objectu discussissem, & tamen ob pervicaciam coqui (quod genus hominum, præsertim in castris egregie protervum) indigne, ne dicam impie tractaretur, juxta Danubium tandem occubuit ille, quem Tigris & Euphrates salvum & incolumem Europæ reddiderant.

Scholia.] Nemo, quicunque tandem sit, & quoscunque tandem labores & molestias pertulerit, tantum sibi suadeat, ut ex Oceano sordium Pannonicarum se salvum enataturum speret. Tot n. ut sæpius jam inculcatum est, tamque variis incommoditatum castrensium catapultis quivis oppugnatur, ut etiam magnates, nedum Physici castrenses, servorum nempe ministri, tantis procellis sæpius manus dare cogantur. Si quis tamen rectius saluti suæ consulere voluerit, Medicus præsertim maturè sibi de mensa, vel apud pharmacopæos castrenses, vel quod consultius esse, apud primores prospectet: quod alias nunquam morbos mortemque sit evasurus. Ego quidem serio mihi gratulor, nunquam vero intermorituras gratias ago & acturus sum Illustri & verè generoso Domino; Domino Sigfrido à Kolonitsch, &c. quod heroica prorsus munificentia toto quinquennio ne latum quidem unguem à suæ Magnificentiæ mensa me discedere sit passus: cui quidem rei & beneficiis magnopere desideratis acceptum fero, quod inter tot molestias, diurnas nocturnasque ob ægros innumeros sanus sospesque perdurare potuerim. Erant autem & reliqui S. Magn. Aulici tam illi, qui ab officiis Aulicis, quam qui à servitiis, ad mores suæ Magnif. conformati, ut quinquaginta ferè domestici jucunda semper pace, miraque concordia convixerimus, aliis ferè diversarum Nationum commilitonibus & Oeconomis castrensibus sæpius interim rixis & odiis intestinis sensim se conficientibus. Confirmat ergo poëta recte, quod veluti lituos, sic mores tota sequantur castra Ducum. Hoc enim ipsemet, tunc temporis non minore jucunditate, quam hic noster Rauvvolfsius p. m. acerbitate, & mentis ægritudine sum expertus. Quibus autem ejusmodi, & apud Pannonas corvo candido rariores vivendi occasiones defuerint, his auctor essem, ut symbolis collatis fraterna, vereque Germana familiaritate conviverent: quod etiam decurias Turcicas, quarum singulæ sub suo Duce vivunt, factitare jam supra dictum. Dum enim hic tentorio figendo refigendoque, ille penu instruendo, tertius focum excitando, quartus aquas ap-

apportando, quintus coquum agendo, sextus mensam instruendo, septimus strata (quæ gausape tantum vilique apparatu constant) parando, intentus est, reliqui vigiliis, armis & imperiis præsunt: non mirandum est, si disciplinæ suæ rigore fraternaque conversatione reliquis gentibus hactenus palmam præripuerint. Talis enim Symposii vel contubernij commoditate si noster hic frui potuisset, etiam ex his forsitan Syrtibus enavigasset: in quibus post tot exantlatos labores, quoad exuvias corporis quidem misere, quoad ætatem, famam & partam palmam satis mature & feliciter naufragium passus est. Arbitror tamen, si rationes secum subduxisset, utrum etiam oneri ferendo par esset, semet ad tantas molestias præcipitem daturum non fuisse. Exhaustus enim jam viribus erat: peregrinationes Orientales vegetum corporis & animi calorem depastæ erant: mœrores diuturni intimas ossium medullas eliquaverant: nihil denique ad injurias castrenses perferendas reliqui erat: & tamen satis confidenter, se facilius, utpote qui jam ad labores prorsus occalluisset, quam quemvis alium, saxum hoc Sisyphium provoluturum, sibi persuaserat. Idem parvulus quidam paucarumque virium Medicus, solertis alias doctrinæ & ingenij, sibi persuaserat: sed cum fracto ponte vix undis extractus esset, & Borea flante præter vires inhorruisset: cum frigus illud suspectum terroremque funestum aliquot meracioris vini maximis haustibus dispellere conatus esset, è vestigio febre maligna correptus est, phrenesi, licet non nimium effera, superveniente paulo post exstinguendus: licet eundem Viennæ, ne quid durius in se statueret, sedulo præmonuissem. Inter plures autem, quibus hoc officij genus plerumque inofficiosum præstiteram, erat quoque Gabriel Pharmacopæus, ex Chersoneso Cimbrica oriundus: cui cum statura satis procera esset, & facies pervenusta, natura ad calidum & humidum tendente, probis, licet, auræ Pannonicæ parum commodis, succis turgeret, ut sibi à castris caveret, multis rationibus adductis persuadere conabar. Sed cum totam ferè plagam Septentrionalem ab extrema Livonia Caletum usque terra marique perlustrasset: cum peregrinationes Arctoas media sæpè hyeme durumque vitæ genus utplurimum duxisset: cum laborum patientissimum se esse & fore confideret, descendit quidem, me serio dehortante, ad castra, nunquam reversurus; vix una & altera hebdomade elapsa è regione Strigonij contumulatus. Nec enim secum, quantum in aëris mutatione, distarent æra lupinis, rectè perpenderat: aëre Septentrionali frigido & sicco naturæ scilicet calidæ & humidæ convenientissimo, exsistente, Austrino autem tempore, & humiditate, summè scilicet ob putredinem suspectis, præpollente. Eodem, sed nonnunquam acerbiore fato, citius quam putarant, confecti sunt plurimi: qui vel naturæ robore confisi, vel variarum peregrinationum molestiis superatis nitentes, Ungariam facile se toleraturos somniarant, Etsi enim sextum vel septimum insultum natura robustior interdum devicerit: tamen decimo tandem cedere, decimo quinto sæpius occumbere cogetur, cùm telis diversissimis sanitas etiam adamantina passim sit exposita. Et sanè documento summè evidenti possent esse reduces ex castris, qui in descensu floridis plerumque, succique plenis frontibus descendentes, cadaveroso, lurido, subgilosoque pallore utplurimùm revertuntur, turmis, aut cohortibus, non tam per hostes, quàm morbos ad miram raritatem redactis. *Tobias Coberus Observat. Castrens. Decad. 3.*

Verò languore Pannico correptus per plusculos dies lecto affixus decubuerat Nobilissimus vir, Egenolph Stebenhaber literis & armis egregiè cultus, quem per plures annos, sex ferè sub peditatu Suevico, vexillo semper summa cum laude præfuisse, memini. Ad hunc Gomorrhis commorantem cum Anno 97. eodem die, quo Theodosia vix magno totius exercitus Turcici conatu, summisque viribus, post octiduanam obsidionem expugnanda cingebatur, evocatus fuissem: viribus extreme prostratis lethaliter decumbentem inveni. Tuguriolum autem in quo detentus vel incarceratus potius decumbebat terræ affixum usque adeò in angustiis positum erat, ut propter liberam eventilationem prorsus inclusam, & teporem viro castrensi penitus insuetum, sudorem, quem lethalem putabant, hactenus erupisse confirmarem. Mutandum igitur confestim stationem edico, casula non quidem nimis ampla, sed tamen in editiore loco posita, conducta: quo, dictu mirum, cum vix deductus fuisset, eo ipso statim momento spiritibus refociliatis multo melius habere, ab eoque tempore dextris remediis adhibitis paulatim reconvalescere cœpit, integram tandem sanitatem fœliciter recuperando. Cum autem tam repentinæ mutationis in melius caussas altius perscrutaretur (nam præter pomum ambræ ex camphora paratum, & intinctus ex malvatico primo nihil ordinaram) ex aëris intercepti privatione malum incanduisse, viresque prostratas fuisse, ratiocinabar. Aëre enim salubri per aliquot hebdomadas, dum Jaurinum non humanis viribus, sed nutu Jehovæ recipiendum, obsidione cinxissemus, fruebamur: cum quod alveo suo Danubius se semper contineret, tum quod jam mensibus Autumnalibus & primo frigore tellure constricta per liberam planiciem, auras, pro ratione loci, salubres imbiberemus. Qui igitur sub dio, puroque Jove & papilione perflabili quatuor ad minimum menses vitam duxerat, ad cordis animosi vegetique vigorem reficiendum, liberrimo aëris attractu opus habuerat, postquam parum caute arctiori ergastulo inclusus fuisset, ob vicissitudinem tam molestam non poterat non pejus habere, & tandem vix non de salute desperare. Accesserat & alius error, quod ob morum elegantiam plurimis gratus acceptusque raró absque turba astantium fuisset: quorum alii moras diu nectendo naturæ, alij multum colloquendo viribus sæpè vim facientes, malum exacerbarant: cum præsertim ob angustiam loci aër per se corruptus, facile coinquinari posset. Fatebatur autem, postquam jam languore devicto, pharmacis exhibitis, vires malo superiores essent, se primo mense Augusti ob esum cancri ex ripis uliginosis Arrhabonis cænosi, extracti, & in olla cocti, nauseam contraxisse: cui opinioni eo promptius astipulabar, quod idem flumen in reditu ab expugnata Papa tran-

transiens, stupendæ magnitudinis cancri male coctas carnes degustans ob fœdam mephitim, quam eructabant, eundem fere languorem incurrissem, nisi mox generosioris vini cyathum superbibissem, & reliquos, ut de tam suspectis cupediis abstinerent, deterruissem. Et est quidem Arrhabonis alveus eo loci incredibilis lenitatis ut illud, quod Cæsar de Arari, quod utram in partem fluat, oculis distingui non possit, fere de hoc nostro dici possit: profunditatis vero tantæ, ut equum cum sessore, prima ripa penitus absorpserit, pisces vero licet multos, putre tamen cœnum spirantes, & ulvam semper olentes producat. His miles quidam retia positurus cum hamum altius depressisset, fortuna favente σκύλων Turcæ, in aquis suffocati, extraxerat, quod in loculis ex crate dependentibus ad centum coronatos piscatori obtulit. Hunc aureum tripoda casu fortuito oblatum cum simioli quidam æque quæsituri essent, unus & alter submersi, plures morbis maxime spasmicis correpti sunt. Erat inter hos noster Georgius Martius Augustanus, qui natatu flumen, cujus naturam & latitudinem nondum cognorat, transiens, vix salvus nobis redditus, cum recalefieri nullo modo posset, in gravem spasmum incidit: quemadmodum & hujus Sympatriota Domini nostri Signiferi Locum tenens, vir egregie macilentus, qui vix crebra olei vulpini inunctione, ab intempestivo natatu resarciri potuit. Ut autem ad hunc nostrum Dn. Signiferum Egenolphum revertamur: cum fœliciter, Christo medicante, ex hac Charybdi enatasset, Anno 99. mense Augusto in Scyllam magis periculosam incidit: partim ob mœrorem ex obitu cognati Nobilis de Freiburgk: ut in seq. observat: partim ob contagium, postquam in eodem tentorio prædictus juvenis p. m. diutius decubuisset tandem vero fatis quoque concessisset. Corripiebatur, n. diarrhæa ex succis Melancholicis, quibus à natura scatebat: quos cum omnium primo evacuandos esse dixissem, nostro vero Dn. Signifero res parum tuta videretur, non prius acquievit, quam rationibus convictus, pedibus in nostram sententiam ivisset. Exhibebam. a. sæpius de die brodium pisorum sacchiaro edulcoratum, in quo epithymus, cujus magnam vim Augusta ex consilio elegantium Medicorum laudatiss. illius Reipublicæ secum sumpserat, decoctus erat, quod tam ad abstersionem feculentæ materiæ, quam ad dolores mitigandos non parum faciebat. Conservæ autem rosar. antiq. quæ lib. 2. decumbenti ad manus erat, ut sæpius quantitatem nucis juglandis assumeret, suadebam: cumque diutius fluxus instaret, ut cibis amygdalatis & oryzæ in aq. chalybeata coctæ, terræ sigillatæ nostratis parum inspergeret, concedebam, splene tamen, ad extremum, ob crebram puto refrigerationem in secessibus, cum prius nihil mali sensisset, Ol. capparum calide sæpius inuncto. His enim ab omni molestia liberatus pancreatice deinde vixit, singulari me benevolentia non sine honesta laboris nostri remuneratione semper amplectens.

Scholia.) Repentinam omnem mutationem summopere suspectam, naturæque invisam esse, per se liquet. Constat & illud, primas in his aëris vicissitudines, præsertim in qualitatibus activis obtinere. Actum igitur fuisset, cum hoc nostro vexillifero, qualibuscunque remediis morbum aggressi fuissemus: nisi repentina mutatione remota, aëris liberioris & consueti attractu eundem, quasi in integrum restituissemus. Ad causas igitur protacarcticas Medicus castrensis plus fere semper, quam ad προηγουμένας respiciat: quod apud imperitos rerum plurimum ex illis, perparum ex his existimationis sit conquisiturus. Quin vel ipsemet postquam senis fere mensibus annuatim in aëre, liberrimo licet, circa Calend. Novemb. acerrimo, sub tentoriis & dio, durissimisque stratis, vitam, ut uno verbo dicam, castrensem duxissem, Viennam, vel Strigonium priscam Romanorum legionum Coloniam & stativa rediens, ægerrime capistratum, conclavibusque incarceratum aërem primo perferebam; somnum vero ne quidem ad breve momentum, nisi fenestris undiquaque patentibus capere poteram: plumis & delicatioribus stragulis non sine sudore & angustia reassuescendo. Quid vero in arcibus & oppidis limitaneis eventurum putes? ubi plerumque profundioribus fossis & restagnantibus lacunis, vallisque contra barbarorum insultus munitis casulæ mansionibus præsidiariorum destinatæ in summas angustias sunt redactæ, sic ut plures Gomorrhis, Nova domo, Jaurini, Strigonii, Facia, & alibi in ejusmodi cancellis pejus se habuisse, imo plurimos occubuisse viderim: qui forsan aëris consueti, licet inclementioris afflatu servari potuissent. Videbis quoque plerosque talibus ergastulis circumseptos, etiamsi prospera valetudine, militari tamen fruantur, lurido pallore deturpatos: quod mapalia plerumque summe angusta liberioris aëris usum penitus excludant: etsi per se quod millies inculcatum, aër Pannonicus sit suspectissimus. Sanctius igitur veterani, qui diutius in excubiis stando limites superiorum annorum parum tutis induciis defenderunt, tractari deberent: quod homini vere Germano plurimi constet, tam contrariis è diametro rebus, exsuta fere tota natura assuescere. Rectius quoque Ungari facerent, si non tam sarcasmice debilitatem exterarum Nationum sannis exciperent (ut sæpius non sine stomacho audivi) quod omnibus exteris plus semper cum Morte undiquaque imminente, quam cum Marte negotii esse soleat. Nec enim dubitaverim, sancta fide & experientia oculari suffulta, confirmare unicam Legionem Suevicam, quatuor semper millibus, ut supra dictum, constantem, secure quadraginta Turcarum millibus, Jehova non repugnante, in acie opponi posse: si eodem corporum vigore, quo sæpius Viennam transiisse vidi, recta ad manus cum hoste conserendas duceretur. Magnum est, quod asserui: cuivis tamen cordato rationibus evidentissimis facile demonstrandum: si præsertim res in pugna stataria ad triarios rediret. Sed de his alibi fusiore colo: ad funestam lethalis Diarrhœæ Tragœdiam perveniamus.

Cognatus hujus Domini vexilliferi Nobilis Juvenis à Freiburgk, &c. ætate, forma & opibus florens vix 18. annorum, experientiæ conquirendæ caussa sese ad servitia Generosi Domini Marakisch Junioris, tunc Signiferi eque-

ſtris ſponte ſua volenſque contulerat, parum tamen ſecundis auſpiciis. Cum enim eti in contra mentem & edicta Domini, ſatis alias munifici in ſuos & perbenigni à conſervis parum humaniter tractaretur: primo in languorem Pannonicum, verum nimis funeſtum incidit: ex quo poſtquam jam ad extremam maciem deductus fuiſſet, vix & ægre ad primum declinationis limen pervenerat, multum olei & operæ fruſtra perditis. Nam ſtomacho adhuc ob reliquias morbi vacillanti cum male coctas carnes hædinas infarſiſſet, gravi mox diarrhæa correptus eſt, quæ paucis diebus viribus jam ſatis proſtratis, juvenem egregium conſumſit: poſtquam ex tentorio, ſplendido quidem, ſed decumbenti parum commodo, ad cognati Domini vexilliferi noſtri manſionem certas ob cauſſas delatus fuiſſet. Commigrabat autem ad ſuperos mente & ſumme integra, & ſenſibus apprime conſtantibus: quod in omnibus ejuſmodi profluviis ſuccumbentibus ſemper fere eveniſſe reminiſcor. Hoc unico diuturnorum dolorum ſævitiam rabies Pannonica mitigare velle videtur: ſanam ſcilicet rationem in corporibus lethaliter ægris vel in ipſo agone conſervant. Potuiſſet tamen nobilis hic juvenis ex his Syrtibus enatare languore jam ad declinationem magno molimine deducto: niſi externo errore denuo proſtratus, recidivam, ſemper fere apud Ungaros, ut in Scholio dicetur, lethalem incurriſſet: talem præſertim recidivam quæ corporibus convaleſcentibus præſentiſſimum periculum intendere ſolet. Quid enim citius titubantem valetudinem proſternere poſſet, quam alvi profluvium, fundamentum ſcilicet ſummopere requiſitæ nutritionis primo ictu evertens? Diu tamen hic noſter de Freiburg. p. m. cum morbo de ſumma rerum depugnabat: partim quod ætas florens naturæ colluctanti gnaviter ſuppetias ferret: partim quod in tentorio Domini cognati Signiferi diæta, & omnibus requiſitis pro ratione loci egregie tractaretur. Panatellis enim ex oryza contuſa, amygdalatis, jecuſculis toſtis triti ſque pro cibo, lacte amygdalato, chalybeato & ſimilibus pro potu, Conſerv. roſar. antiq. pro refectione cum alternatim, & quidem ſine intermiſſione uſi eſſemus, fatum præſens magis protraximus, quam devitavimus. Et ſane niſi aſtantium crebris interpellationibus ad omnia extreme molienda compulſus fuiſſem; à jam deſperato facile abſtinuiſſem: cum præſertim caſtrenſis cujuſdam pietatis ſit, lethaliter decumbentem non diutius ſub infeſtis doloribus demorari. Hoc tamen boni apud hunc noſtrum ægrum ex admotis & aſſumtis conſequebamur, ut ſæpius à doloribus reſpirare poſſet, & viribus una ſimul collabentibus agon ſatis atrox futurus, multum mitigaretur. Decedebat enim quaſi dormiturus, ſalutatis omnibus, & quidem, quæ alba cornice in caſtris rariores, inter ſacras meditationes Dominicæ paſſionis: ad quas bonus hic juvenis non minus pie ſancteque confugiebat, quam eaſdem blaſphemi plerique veterani ſcelerati ſani valenteſque nequiter conſpurcant.

Scholia.) Recidivas, ſi non omnes pleraſq; tamen in Ungaria lethales eſſe, nemo dubitaverit. Si enim prima ſtatim acie morbi Pannonici mortem intentam videmus, quis hæſitabit, ſi jam natura vix non proſtrata receptui cantatum fuerit, recenti hoſte ſuperveniente de victoria plane deſperandum. Quoties igitur nondum prorſus recollectis viribus ad convaleſcentes, revocabar, toties periculum ſemper exaggerando, vel præſens exitium minitabar, vel ſi in re lautiore eſſent ad aëris mutationem palmarium ſemper in recidivis obtinentem ſedulo exhortabar. Sex enim rerum non naturalium dexter uſus, ſi uſpiam, certe in recidivis Pannonicis, ſumme requiritur. Nam quod ægerrime imbibitum ſemel viru ſumme noxium aëris inconſueti, niſi manifeſta alteratione facta revellatur, cum per ſe verum, tum ex ſuperioribus ſatis conſtat. Aër igitur apud omnes, quos in memoriam revocare poſſum, qui recidivis ſuccubuerint ante omnia mutandus fuit: cujus tamen mutatio non ſemper illud, quod volebamus conſequebatur: etſi plurimis maximas morborum & ſymptomatum viciſſitudines induxerit: neutra quidem ſanitatis diſpoſitione conſtitutos plures non infimæ dignitatis vires caſtrenſes athletice convaluiſſe memini, nullis prorſus pharmacis aſſumtis: ſi modo ex impuriſſimo caſtrenſi, & Pannonico aëre ad longe defecatiorem Auſtriacum reducti fuiſſent. Ad idem feliciter Dominum Dn. Adolphum Schvvartzbergium, cujus memoria in benedictione ſit, impellebamus: eundem ex inſaluberrimi aëris Hartvvanenſis contagiis jam cum morbis conflictantem Anno 56, ad montana ſuperioris Ungariæ caſtris educentes. Hic enim ut plures alii nullis fere niſi diætæ tantum legibus obſervatis pauco tempore reſpiravit: quem in eodem aëre ſubſiſtentem vix magno molimine fatis eripuiſſemus. Sanitas autem neutralis cum recidiva quod ἀνάλογῳ, quid & affine ſit, eſt in confeſſo: quod hæc in iiſdem terminis in declinatione, quibus illa in acceſſu morborum ſit conſtituta. Hanc autem plerumque apud Pannonas fruſtra de vita veris, illam conſequeris: præſertim in externarum nationum curationibus: niſi vel ad aëris alleviationem, vel mutationem omnium primo reſpexeris. Cibos quoque ad recidivas caſtrenſes plurimum, ſi non omnia, poſſe vel ex hoc noſtro Freiburgio liquet: qui carnibus hædinis (hæ tamen in delitiis caſtrenſibus, quam recte, quis non videt, eſſe ſolent) titubantis adhuc valetudinis ſyſtema prorſus evertit. De cibis enim munde, laute & ſalubriter præparandis, altum ſit ſilentium, in caſtris: præſertim apud ægros, aut jam reconvaleſcentes, quod hi plerumque torvo aſpectu enecti, à conſervis parum pie, ut hic noſter tractentur: illi vero paſſim ſupine negligantur, imo pro catharmatis habeantur.

Locuples hujus rei teſtis erat Noſocomium caſtrenſe conſilio, majore pietate, maximis ſumtibus Anno 97. ſapienter, pie, munifice conſtitutum: ſi eventus, aut illorum, quibus res tanti momenti concredita fuerat, fides & diligentia, votis Reipubl. Chriſtianæ correſpondiſſent. Opinor tamen ingenti decumbentium multitudine, illos quibus res concredita fuerat, implicatos, munia ſua dextre obire nequiviſſe, ſic, ut Noſocomium illud, vitæ, ſaluti, ſanitatique militari conſecratum in Cœmiterium cunctis

cunctis vix illatis aut inspectantibus cederet, Bos enim integer prandii cœnæque tempore vix non cum pelle & carnibus aheno frustatim injectus, decoquebatur: hujus jurulenta frusta promiscue cunctis in terra prostratis ægris obtrudebantur; tanto successu, ut neminem, plane neminem, testor fidem, in illo Nosocomio sanitatem recuperasse, sed omnes una cum astantibus, Medicis, Pharmacopolis, Chirurgis, curatoribus, ceteris denique omnibus interneciva clade deletos certo sciam.

Idem de Potu judicium esto: cujus vel unicus haustus intempestive, vel parum caute sumtus ad recidivas lethales reducere potest.

Sic cum Capitaneus Holtzapffel vir meliore sorte dignus, ex morbo gravissimo convalescens regione Plinteburgii mustum vix pitissasset, in enorme ventris profluvium incidens, ex recidiva vix restitui potuit: frustra tamen: cum paulo post à sicariis in rate propria cum tota familia de nocte fuerit confossus. Vina quidem, cerevisiæ, Julep, mulsa, aquæ coctæ & crudæ, quod tam ægris, quam reconvalescentibus in Ungaria, suspectissimæ sint, sæpius jam diximus: & tamen his sanitas conservanda & resarcienda, ægre vero fluctuans in æquilibrio quasi conservanda est. Motus quoque & quies non penes ægros aut morbis ereptos, sed penes rigorem castrensem, aut impotenter dominantium Ducum, vel procaciter insultantium sodalium & commilitonum importunitatem, locum merentur: quemadmodum & somnus vigiliæque modo ab hujus, modo ab illius censura & arbitrio dependentes, facilime ex Charybdi in Scyllam quosvis ne dum ex Erebi faucibus vix ereptos præcipites dare possunt. Excretiones quoque quas interdum sanitatis dæmon verecundia, interdum occasiones impediunt, plures ad recidivas impellere posse vero verius est: sic magnæ existimationis Baro quidam cum post morbum satis gravem mensæ assedisset, & paulo plus adbibisset, non tamen ob verecundiam naturæ, urinæ excretionem urgenti, manus dare vellet, paucis horis extinctus est, non sine gravi tumultu. Quod vero Pathemata animi in castris tanquam Oceano cunctis totius orbis procellis liberrime velitentur, vel lixis & calonibus notum. Ubi enim major perturbationum animi sentina confluxerit, quam in castris: quæ vix non ab horum nutibus & imperiis prorsus dependent: imo ex earundem Tyrannide sortis utriusque progressus semper plus, quam ex ratione æstimare solent. Quam multos igitur, vel ex horum tantum Pathematum σωδρομῦ recidivas incurrisse putabis? cum sæpe ex eorundem furiis etiam sanos viribusque valentes lethalibus morbis corripi & exstingui viderim. Forsan & huic nostro liberaliter educato, candidique pectoris juveni, minus cognitis calumniis & technis mœrores insueti accreverant: ex quibus primi languoris fomentum conceperat: quod luculenta flamma depastum, tandem tamen sub favillis delitescens, iisdem follibus denuo sufflatum usque ad Charontis cymbam desævit. Sed manibus sat datum; ad vivos redeamus. *Idem ibidem.*

Anatomicæ inspectiones.

Homo tres septimanas afflictus complicatis morbis, Hepatici fluxus, Lienteriæ & Diarrhææ biliosæ comitatis acutissima febre, curæ commissus fuit quatuor Medicorum, quorum consilio phlebotomiam, catharsim, & clysterem sustinuit, quantum ei conducere judicabant, sed tandem ita in pejus morbus ejus degenerabat, ut motu, sermone & sensu æger privaretur, & evomeret quæcunque ore hauserat, quare desperantes, idque declarantes coram pluribus viris celebribus, consentiebant in experimentum transfusionis, à necessariis ægroti propositum, tanquam ultimum refugium omninò nolentibus refugere rem probabilem quæ à morte redimeret Virum morti proximum: Dom. Dionysius & Emmeray rogabantur ut hujus operationis curam gererent: illi vero considerantes ægri statum deploratum, omnino renuebant tentamen illud aggredi, allegantes Transfusionem non posse restaurare partes solidas, vel mederi gangrænæ, qua verisimile erat intestina ejus esse affecta, debuisse eam adhiberi citius, eoque ipso tempore quando Æger passus fuerat ingentes sanguinis evacuationes: sed iis omnibus nihil obstantibus, obnixè rogabantur ut desiderio ipsorum satisfacerent & non sinerent amicum eorum mori antequam adhibita remedia quævis possibilia: Illi itaque hac instantia solliciti, honore & salute sua asserta per declarationem supra memoratam Medicorum, & consensum eorum in tentamen ejus experimenti transfundebant in venas ejus exiguam quantitatem sanguinis Vitulini, idq; tempore matutino, quo facto, licet æger jam pateretur lethargiam & convulsiones, & debili depressoque admodum pulsu gauderet, ecce tamen inexpectatum eventum; Pulsus ejus in momento elevabatur, & vegetior fiebat, convulsiones ejus desinebant, vivide ipse contemplabatur adstantes, colloquebatur apposite in diversis linguis cum his qui ipsum alloquebantur, & profundo placidoq; somno obruebatur. Experrectus post tres quadrantes horæ hauriebat aliquot juscula in diei istius partem reliquam, nihil evomens, nec ventrem exonerans, cum tamen per tres priores dies nihil potuerit ore assumere, neque refectus fuerit vel minima intermissione profluvii ventris sui ab initio morbi ipso: Cum hæc conditio ægri perseverasset 24. horas, robur ejus denuò diminuebatur, pulsus remittebatur, & profluvium ventris redibat; Tum amici illius Transfusionis reiterationem urgebant, qua tandem proximo mane peracta, æger revera recuperabat nonnihil vigoris, sed haud diuturni, nam etiamsi tunc optimè jusculum suum assumpserat, sine vomitu, profluvium tamen ventris persistebat, & circa meridiem magis in pejus declinabat, donec circa quintam horam vespertinam moreretur sine ulla convulsionum observatione.

Cadavere ejus dissecto, Ileon ejus comperiebatur conversum à capite ad calcem, & infra nodum illum ad Anum intestina omnia erant livida, gangræna corrupta & extremè fœtida: Pancreas ejus summe durum erat, & ita obstructum, ut succo Pancreatico non fuerit

liber transitus qua se diffunderet in intestina: splen ejus admodum crassus erat, & Hepar grande, & alicubi lividum. Cor valdè siccum & quasi tostum: Reperta vena, qua Transfusio fuerat facta, à sectione in brachio usque ad cor, nihil penitùs sanguinis offendebatur, uti nec in aliis venis, nec in ventriculis cordis, quandoquidem exiguum illud sanguinis infusi fuerat imbibitum à carne ejus inflammata & arida.

Illustr. Baro Ferdinandus ab Henausen, cum inflammatorio Hepatis affectu, febreque continua, tertium & intra annum recrudescente teneretur, toto morbi decursu aquea biliosa profusè reddidit.

In cadavere ejus inter alia cacopragiæ viscerum indicia, Jecur immani tumore extuberans repertum: Cujus superficies quidem tota duos circiter transversos digitos victa prorsus flaccidaque, & mollis prementi manui apparuit: Interius autem corpus ligni instar durum & retorridum prorsus. *Carolus Piso de morbis à sero sect. 4. cap. 1.*

Quidam fluxu alvi laboravit, sexto post anno interiit: Multis vomicis obsessum erat Hepar, & pars mesenterij syderata erat. *Hollerius cap. de alvi fluxibus.*

Thomas Wilson, annos 30. natus, diarrhœa laboraverat. Hujus cadaver dum secamus, hepatisque separationem à diaphragmate (cui latè adnascebatur) molimur nondum aperto eo Tumor amplus, Atheroma dictus, comparuit: Situs erat in gibba hepatis parte, proximè posticam diaphragmatis regionem, juxta cavam venam, figuræ erat rotundæ, & pugno propemodum æqualis, à reliquo hepatis parenchymate liberatus: Pependit uncias quinque, drachmas sex, & grana tredecim: tunica ejus cuti veræ crassitie erat comparabilis, materiæ duo genera in se complectebatur, utrumque crassum valdè & minimè fluidum: alterum gelatinæ instar translucidum: alterum verò cremori spisso aut albæ pulticulæ persimile. Dicebatur homo Diarrhœa laborasse.

Quum ingens est inflammatio jecoris, manifestæ & vehementes omnes notæ apparent, quum verò exigua, obscuræ & exiles: Sæpè enim Jecur animadvertimus Tuberculis & Abscessibus instar furunculorum obsideri, nullo hypochondrij dolore, nullo tumore, nullo decubitu difficili: Febris solùm inerat non admodum ardens, cum siti, cibi fastidio, cumque alvi bilioso profluvio, in menses interdum multos perseverante, ut idcircò difficile id mali, quemadmodum & substantiæ corruptela ab intemperie calida, aut ab obstructione internosceretur. *Fernelius Patholog. lib. 6. cap. 14.*

Aperto cadavere filiolæ Dom. Scaronij Consulis, quæ duos menses integros diarrhœa laboraverat & febricitaverat, Inventum Hepar incanduisse præ calore, ut esset friabile: Et cum nata parente utroque sit valdè bilioso, cystis fellis amplior omni opinione erat, pro rata singularum partium portione: Pulmones aliquantulum adhærebant, cæterum erant integri, quod mirum, cùm humidissimo esset cerebro & multum tussivisset: at credo tussiendi inane hoc desiderium à fervore hepatis fuisse: quod notandum, alioqui vix incolumes esse potuissent: Uterque ren lapidosus erat, trianguli erant lapides & inserti in substantiam renis: Alvus variis excrementis toto tempore fluxerat & δυσεντερικῶς. Incuria mulierum, quæ accersere Medicos nolentes, in trivialibus suis remediis spem posuere, tacitè & clam totum intestinum rectum sideratum erat: In cerebro, pote humidiore, inventa est aqua multa. In hoc peccasse videntur Medici, quod ætatula impediti venam non secuerint: Nunc scire oportet in pueris, etiamsi assiduitas febris adsit, si de interno fervore constat, & caloris corrumpentis dominatu, tuto venam aperiri. *Guiliel. Ballonius Epid. lib. 2. pag. 140.*

Uxor D. Poussepin Consiliarij Regij, hora 10. matutina conqueritur de importuno alvi fluore: suadeo ut decumbat, quia motus auget fluorem, & dejectiones reservat. Erant autem similes aquæ albæ, chylosæ quidem, sed liquidæ: implebat magnam pelvim quoties dejiciebat: Territus hoc symptomate, postulavi ut seniores in consilium vocarentur: præscripti sunt iitus adstringentes, sacculi, julepi, expressum rhei pro die sequenti: dejectione frequenti & copiosa vires paulatim collabuntur. Ante mediam noctem interit, cùm illa nihil minus quàm de morte cogitaret.

Ut explorarem causam mortis tam subitæ & inopinatæ, impetravi ut corpus dissecaretur: Inveni ventriculum in suo fundo ulceratum. *J. Riolanus part. meth. med. sect. 3. tract. 1.*

Diarrhœa à Callo inter venas mesaraicas nato.

Petrus Aldimarius filium habuit, qui cum octavum jam ageret annum, in corruptum incidit appetitum, quo calculos ruderaque comedens, in lentam tandem febriculam incidit, indeque procedente tempore, & ventriculus non continere, & venter fluere cœpit: Adeoque duobus his malis vexatus est puer, ut paucis etiam diebus è vita excesserit:

Hujus nos cum emortuum corpus incidissemus, repertus callus inter venas mesaraicas, à quo cum venæ ipsæ obstruerentur omnes, ut ferri inde sanguis ultra non posset, necesse fuit puerum è vita migrare. *Benivenius de abditis cap. 37.*

Diarrhœa ob Mesenterii glandulas tumidas, Hepar tabidum, &c.

Catharina Matheligs fœmina Leodiensis 15. annos nata, post hecticam Diarrhœæ vehementia sublata, ad interiorum examen ansam dedit. Viscera omnia flaccida, præcipuè cor & pulmo: In dextro pulmonis lobo vomica: Intra pericardium verò, ubi membranæ mediastini cordis basi annectuntur, glandula Thymi nucis juglandis magnitudine solida densaque latebat: Reliquæ in mesenterio glandulæ majores solito, aliæ Atheromatum materia plenæ, aliæ pure concreto, tam candicante quàm ad nigrorem vergente. Plurima aqua pericardio inerat, cordi paucus sanguis: Renes flaccidi, ureteris utriusque extra renem exortus amplior, nihil tamen sabulosi in renibus aut vesica deprehendebatur: Omentum omni pinguedine expoliabatur, Hepar tabidum: Uterus minimus & durus: uterq; testiculus gracilis: vasa colli & fundi tenuia, quia necdum mensium fluxum passa fuerat. *Bartholinus cent. 3. observ. 99.*

Diarrhœa à Pancreate scirrhoso, Mesenterii vitio.

Marcellus Sacchetti (*de quo lib.1. tit. de Phthisi. observ.88.*) inter alia symptomata, Diarrhœa laboravit: quæ omnia partim invexere gracile mesenterium atque omentum, partim scirrhodes, pancreas, &c. *Severinus de abscess. pag.273.*

In viri Diarrhœa, fluxu sanguineo, &c. affecti, ductu Pancreatico calculi reperti.

Nobilis 30. circiter annorum, melancholicus, catarrhis admodum obnoxius, vini ac fructuum horariorum intemperanti usû, incidit in vomitum & Diarrhœam, quibus per intervalla subsequebatur fluxus sanguineus, unde viribus ejus magis magisque deficientibus 10. die valetudinariam vitam cum morte commutavit.

Dissecto cadavere in Pancreate, circa exitum ductus pancreatici in intestina, septem vel octo calculos, majoris ciceris magnitudinem habentes reperi, Anno 1667. *Regnerus de Graf, Tract. de succo Pancreatico cap.7. Ex communicat. D. Gaien. Chirurgi Parisiensis.*

Diarrhœa abscessum in ventre sequuta.

Per frequentes Anatomes in Xenodochio sum assecutus, nasci interdum abscessus nobis reconditos, quorum materies diutissimè velut inclusa membranulis teneretur, quos ipsa humorum copia vel edax malignitas sibi efformat, inter diploides pleuræ, peritonæi, cujuscunque meningis alterius, ut evidenti exemplo patuit in cadavere D. N. cui ex percussione, dum juvenis esset, equinæ calcis in ventrem, locus factus est imbecillior: senectutis tempore fluxio nata, in diuturni abscessus speciem transiit, ac suppurata demum erosis membranulis, è peritonæo in cavitatem abdominis decidit, unde paulatim putrefactis intestinis ac diarrhœa superveniente decessit. *Gemma in casû mirabili de puella Lovaniensi.*

In quodam post Diarrhœam extincto obstructa à calculis cystis fellea inventa.

Vidi in Episcopo Malleacensi, qui Diarrhœa biliosissima per tres septimanas perseverante sublatus est, intra vesiculam felleam arefactam tres lapillos durissimos: quum tamen ad ultimum vitæ spiritum frequenti dejectione biliosissima vexatus fuerit: Nec aliunde fluebat biliosum excrementum quam per canalem bilavium ab hepate in intestinum directè protensum. *Riolanus Antrop. lib.2. cap.20. pag.215.*

Post Diarrhœam malignam ventriculi fundus maculis obsitus repertus, & Fistulæ tres in intestino recto.

Quidam cùm longo tempore Diarrhœa vexatus esset, nec quicquam aliud quàm aquam bibere auderet istum melius valere visus est: Si verò vel vinum vel cerevisiam biberet, statim alvus largiter solvebatur: Interim & vitro antimonij à Chirurgis exhibito sæpè usus fuerat: Variis tentatis remediis, præsertim syrupis, statim pejus se habuit, imò postea à levi causa, vel cibo aliquo minùs salubri, vehementer afflictus fuit: Is cùm me convenisset, & consilium petiisset, spiritum ex Vitr. Mart. destillatum aliquoties exhibui, qui illi non parvam opem attulisse videbatur: Interim Pharmacopola illum accessit, & persuasit ut duas uncias mannæ ebiberet, fore ut statim sublevaretur, quod & me inscio fecit; Epota ea plusquam quinquagesies alvus soluta hominem eadem die sustulit.

Cadavere aperto, viscera omnia salva reperta sunt: Pulmonum tamen lobus dexter lividior: ventriculus autem in fundo plusquam ducentas & amplius maculas rubicundas discretas, instar petechiarum macularum habuit: In intestino recto fistulæ tres, de quibus ille jam per annum ferè conquestus fuit, vanam operam Chirurgorum & Medicorum implorans. Suspicio annon maculæ illæ malignæ fuerint? nam intestina ita elota fuere, ut nec excrementi quicquam apparuerit, nec in ventriculo quicquam nisi duo vel tria cochlearia cerevisiæ cum pane, quam ante dimidiam horam quam moreretur, acceperat, repertum & planè omnino naturaliter se habebant: An maculæ illæ in causa fuerint ut tam subitò vel potus vel cibus contrarius ingestus in fermentationem ageretur & natura stimularetur ad exclusionem? Nam quantum memini, nec cibum, nec cocta, nec chylum reddidit, sed acriores humores & liquida multa ejicere solitus erat. *I. Paterson Hain in Miscellan. curiosis anni 1671. observ.115.*

A Diarrhœa mortui anatome, cujus ventriculi fundus sideratus repertus, Colon variè affectum, &c.

Ultra annum Nobil. Vir de Rens, aulæ Archipincerna, malè habuit, per sex tamen ultimos menses lecto affixus fuit: Initium morbus sumpsit ex prolapsû in lumbos, namque ab eo tempore dolores in regione lumbari sentire cœpit, ut tandem claudicaret: Exterius nullum contusionis vestigium notari poterat, dolor tamen quotidie increscebat: Accedebant tandem horrores febriles: Verùm cùm à medicamentorum usû abhorreret, molestias hasce vel deambulationibus, vel compotationibus, inprimis bono haustû vini Rhenani pellebat. Olim aliquoties ischatico morbo laborarat, hinc consueta & experta sibi remedia adhibebat, à quibus aliquantulum, sed parum levabatur: Tandem accedebat Diarrhœa vehementissima, absque ullis tamen torminibus: excernebat multum sanguinis grumosi: Cum morbus invalesceret *D. Hermannum Conerdingium*, Archiatrum Guelficum, consulebat, qui remediis ex arte administratis id præstitit ut sanguinis effusio minor fieret: Sed mortuo Conerdingio dolores in intestino recto accedebant, quos cum explicaret, hæmorrhoidas internas affici nemo non judicabat: Huic fini hirudines ano applicatæ, unde etiam aliquod levamen: manebat interim Diarrhœa, nec sisti se patiebatur: Recrudescentibus verò postmodum doloribus, cum Chirurgus speculo dilatatum anum accuratius inspiceret, cognitum est totum intestinum rectum hinc

hinc inde carunculis instar glandularum obsideri, quæ attactæ sanguinem cum intensissimo dolore fundebant. Et licet aliquando remediis ex arte adhibitis tollerentur, nihilominus intrà 24. horarum spatium regenerabantur: continua Diarrhœa non parum etiam curationem morabatur, nec tamen sisti poterat: Si sistebatur, insignes cordis angustiæ accedebant, ut necesse esset enemate immisso anum iterum stimulare, quo adhibito horror per bihorium durans sequebatur, redeunte postmodum Diarrhœa consueta: Tandem veniebat febris lenta & continua, cum dejectione virium & appetitus: Per tussim purulenta ejiciebantur, fæces præter voluntatem prodibant; Urina cum difficultate excernebatur, ejusdemque sedimentum album erat instar cretæ: Ultimo, in dextra lumborum regione apostema generabatur, quo aperto materia prodibat inconcocta & fætidissima, ut nemo adstantium illam ferendo esset: Tumor etiam crurum, & inflatio abdominis insignis, mortem præcedebant.

Sub finem anni 1669. dissectum est Nobil. viri cadaver: Cùm aperiretur, ingens copia flatuum prorumpebat, cæterùm quæ sequuntur observata fuerunt. 1. Omentum, sanum licet & optimum, non tegebat omnia intestina, sed inter ventriculum, & colon convolutum erat. 2. Intestina, præsertim crassa, summopere à flatibus distenta, pellucida erant instar vitri: 3. In colo paucissimæ cellulæ observabantur. 4. Ventriculus in dextro latere situs erat: In fundo ejus gangræna observabatur; Substantia ejus tenacissima, tria quoque in ipso foramina observabantur exigua, ac si acu facta fuissent: 5. In fine Coli itidem aderat gangræna, & ibi loci latuerat ulcus, quod paulò ante obitum ruptum, uti ex rejecta materia observari poterat. 6. Hepatis color à naturali multùm differebat: vesicula tamen fellis optimè colorati copia referta erat. 7. In Liene initium scirrhi. 8. Pulmones muco tenaci & albi coloris planè erant obducti, in sinistro latere planè purulenti: In dextro latere inflammati erant, sicut esse solent in iis qui pleuripneumonia correpti moriuntur. 9. Cor magnum erat & adiposum, fibræ tamen carneæ aderant, ut nondum desineret esse musculosum. *Alardus Hermannus Cummenus in Miscellan. curiosis anni 1673. observ. 118.*

Diarrhœa ob corruptionem Coli & Tenuium intestinorum, inflammationem sequutam eadem omento non cooperta, Tumorem huic adnatum, &c.

Anno 1663. die 9. Julij Clar. *Sylvius* secuit Apolloniam Simons vetulam, quæ continuo alvi fluxû per septem hebdomadas laboraverat, in sectione sequentia notabantur: Vena umbilicalis coaluerat cum peritonæo: Linea alba cartilaginea erat: In sinistro latere sub ventriculo Tumor magnus & rotundus, ovi anserini magnitudine reperiebatur, omento adnatus, qui dissectus continebat materiam variam, maxima quidem parte viscidam instar concretæ pinguedinis, aliqua gypseam, minima autem mellis instar fluidam & luteam: Omentum sursùm erat retractum, ut intestina nuda conspicerentur: In intestino Colo nigredo apparebat, forte corruptionis signum. Intestina tenuia valdè flaccida erant & coloris obscurioris, aliquibus in partibus magis rubebant, ubi forte fuit inflammatio: Intestinum tenue, per quod sub mesenterio sinistrorsum ferebatur, profunde admodum situm erat, & usque ad sinistrum renem penetraverat: Folliculus fellis bile satis plenus erat, sed pallidiore: Quicquid in intestinis tenuibus continebatur, à bile erat tinctum: Ductus Pancreatici in intestinum duplex erat insertio, altera communis cum insertione ductus bilavii, altera tribus circiter digitis à priore distans: Uterus versùs partem sinistram magis propendebat & dextra tuba longior erat: Minor erat uterus, nec major quàm in puellis esse solet & satis mollis: Membranulis quasi quibusdam intertexta erat uteri substantia satis flaccida, per quam ductus quidam ferebantur hiantes, & stylum admittentes in ipsas tubas: Inflato vase in parte interna uteri, tota substantia tubarum attollebatur: Internum uteri orificium valdè rubicundum erat & pituita viscida refertum: Lien pallidior erat, præsertim in parte postica, & satis grandis, cætera sanus, Pulmo quoque bene se habebat, sed per fibras variis in locis dextro lateri adhærebat, in sinistro liber erat: Hepar etiam laudabile erat: Tantillum aquæ subflavæ continebatur in sinistra thoracis cavitate: Pericardium flatu distentum & turgidum erat, quod sibi nunquam observatum aiebat: In ejus cavitate liquor spumosus continebatur satis copiosus, sapore subsalso & subacido: Inter æsophagum & arteriam magnam in sinistra parte, quærebat & inveniebat Ductum thoracicum ad latus venæ ἀζύγου propè ipsas vertebras, qui satis grandis & elegans erat, color contentorum subrutilus erat: Immisso tubulo in ductum thoracicum & inflato, dexter ventriculus cordis vehementer intumescebat, & sanguis ex vasis erumpebat, & tota auricula dextra mirè inde tumescebat: Valvula in ipso Ductû reperiebatur, quæ impediebat quominùs versus inferiora inflari posset ductus. Ubi ad regionem lumborum deveniebat, ductus quasi contorquebatur in semicirculum. Ductus quidam minores, ex musculis venientes, inserebantur in ductum majorem, Dum persequeretur ductum, videbat plurima vasa è ductû deferri usque in hepar, & minores aliquot ramos ad intestina. *Observatio Joh. Henr. Brechfeld. Medici Dani, in actis Medic. Bartholini anni 1673. Observat. 17.*

Diarrhœa chylosa cum atrophia propter lactearum mesentericarum obstructionem.

Licet in specie & propriè Diarrhœa illum ventris fluxum designet, quo humores sinceriores defluunt sine sanguine & chylo, hic tamen illam vocem cum *Melchiore Sebizio in speculo suo medicinali practic. part. 4. sect. 2. cap. 15.* generaliter sumimus, ita, ut in genere denotet quodvis alvi profluvium, qualecunque id tandem sit, à quacunque materia proveniat, à quocunque loco, & quocunque etiam modo illud fiat. Diversi humores in Diarrhœa evacuari solent, unde etiam diversis nominibus salutatur. Dicitur enim Diarrhœa biliosa, melancholica, pituitosa, serosa sive aquosa, sanguinea, colliquativa, pue-

puerorum dentientium, verminantium, ut & chylosa quæ, licet ad cœliacam affectionem soleat referri, quia tamen plerumque & præprimis hoc in casû, non merus & purus chylus, sed excrementis mixtus, evacuabatur, non immerito Diarrhœæ Chylosæ titulus ipsi imponi potest. Erat enim filiolus Domini Caroli à Pflug annum natus cum dimidio, febri inordinata, nimia appetentia, secretione per alvum superflua cum materiæ albæ permixtione, & subsequenti macie insigni, diu & per aliquot menses vexatus, ita ut omni diligentiâ licet adhibitâ, æger vix ossibus hæreret, vix præter animam residui quicquam haberet, vivæ mortis imago esset, & delicatam adhuc animam ob morbi vehementiam tandem efflaret. Huic cæliacæ affectionis, sive potius *Diarrhœa Chylosæ*, causam *Fernelius* aliique, venarum Meseraicarum, Lienis aut Epatis obstructioni adscribunt. *Pecquetus* rectius Lactearum Meseraicarum (quas insignis superioribus annis Anatomicus Asellius à se detectas Posteritati commendavit) quin & Thoracici illius ductus, à se primò inventi, statuit obturationem, verba ejus ita sonant in nova de *Thoracicis lacteis dissertat. Anatom. Exper. pag.* 109. *Chylosa Diarrhœa, qua scilicet mixtim cum recrementis excernitur Chylus, oriri potest (sicut Riolanus Pater in peculiari sanandi methodo cap.48. sapienter indicat) ex Obstructo Mesenterio: nam licet sanissimum hepar congruentissimum accendat ad optimam Chylosin, aut Chymosin potius calorem ventriculo, si tamen vel obstructum fuerit Mesenterium, vel humoris viscositas intimam intestinorum tunicam lubricans, obturaverit Lactearum infundibula, certum est prohibitum ingredi Chylum pariter secretum iri cum ciborum fæcibus, id ipsum necesse est, obstructis thoracicis Lacteis, contingere.* Et paulò post. *Quòd si multiplex fuerit Lactearum obstructio: & adversus aperientium remediorum vim pertinax, Atrophiam sequi necesse est, interdicti alimenti penuria, unde nec reparantur sanguinis impensæ, nec corporis tabescentis substantia resarcitur.* Prædictas obstructiones ob lactis potissimum impuritates & viscositatem ortas fuisse arbitror, quæ in exilibus illis canalibus lacteis ad Cascosam duritiem & quasi coagulationem tetendit, hincque ex obturatione horum vasorum Chylus ad receptaculum, & sic deinceps consequenter ad massam sanguineam interceptus fuit tam maciem quàm Chyli necessariò per alvum una cum recrementis fluxum excitans. Symptomata, fames nimirum, sine dubio ob defectum nutritionis in partibus, quæ sui restaurationem desiderarunt, nec propter obstructionem illam receperunt, oriebatur. Putamus enim, salvo tamen aliorum judicio, naturalem appetitum excitari à ventriculi bono temperamento & anima; Omnium actionum nostri corporis gubernatrice, quæ defectum materiæ nutritivæ percipit, & ita per appetitum illam postulat. Ab Experientia omnium rerum Magistra informati sumus, post morbos majorem plerumque percipi appetitum ob virium debilitatem, quas Natura recreare iterum tentat. Illi, qui exercitiis gaudent, & laboribus mechanicis delectantur, majori fame & appetitû vexantur, quàm qui otio & quieti dediti sunt, eandem ob causam. Vermes in intestinis stabulantes absumunt Chylum, hinc nulla vel pauca partium nutritio, & per consequens major appetitus. Igitur cum *Ferdinand. Roderic. pag.* 64. exclamamus: *Fames certissima indigentiæ & absolutæ coctionis prius ingesti cibi certissimum signum.* Spiritus acidi & acres appetitum quidem excitant, si autem quantitate peccent, destruunt appetitum, cum ventriculi temperamentum evertant. In justa autem dosi assumpti, vel ante, vel cum cibis, appetitum adaugent, ratio, quia ante cibos accepti reliquias in ventriculo contentas dissolvunt, ut defectus eò meliùs percipiatur, cum cibis autem ingesti, pars concoctionis existunt, cibos citiùs dissolvunt, concoctionem, augendo fermentum, accelerant, & ita per accidens appetitus & sensus assumptionis causa evadunt. Distinguendum igitur inter causam coctionis & causam appetitus, quam naturam salutamus. Alterum symptoma, febris inordinata à viscerum & vasorum obstructione, ut & Tartari copia istas obstructiones generantis, inæqualiter effumantis quasi & ebullientis, calidosque vapores in totum corpus mittentis, originem trahebat. Intermittere tandem circa hunc affectus, cum Chyli receptaculi in præcedentibus mentio facta, nequeo, quin animi sensum aperiam, & causam explicem, quæ per tot secula tot Authores decepit, nimirum ob Anatomes imperfectam adhuc cognitionem, & præcipuè magnæ illius in centro Mesenterii contentæ Glandulæ, cujus usus & finis antequam à Clariss. Pecqueto consignaretur, multos Authores latuit, dum hi receptaculum istud Chyli post mortem adhuc repletum & dissectum plerumque abscessum Mesenterii fecere: Vix enim observationes reperies, in quibus non aliquoties tales Mesenterii abscessus recensentur. Non quidem mihi mens est, Mesenterii abscessus totaliter in dubium revocare, sed solummodò mihi persuasi, multoties receptaculum Chyli pro abscesû Mesenterii ab Authoribus habitum fuisse. Nobilissimi antè dicti filioli parentes, cum nutricem certas ob causas mutassent, semper suspicati sunt, (licet Medici fundamentalibus rationibus illis aliud persuadere conarentur) morbum infantis per fascinum introductum esse. Novitate quidem caret, Ariduram ex incantatione provenisse, quale exemplum *Hieronymus Jordanus de eo, quod divinum est, pag.*109. recenset. Frequentius verò Atrophiam ex fascino incurrit corpus infantile, quod oculum vocant malum, linguamve malam. Hinc usus etiam muliercularum obtinuit, ut vitio vertant illis, qui elegantioris notæ puerulos attentius vel intuentes, vel commendantes nimium, non addant: Deus te servet? persuasæ, nisi illam illis benè precandi formulam addiderint, facilè sic futurum, ut fascino possint lædi. Quæ consuetudo apud illas adeò invaluit, ut simul ac audierint, viderintve, infantulum non ita pridem floridum, ac per omnia sanum, nunc ægrotare & contabescere, de fascino protinùs cogitare ausint. Ut igitur ampliùs ancipiti cura non distraherentur, extinctus filius anno 1665. die 15. Mensis Augusti Halis Saxonum aciei cultri anatomici subjiciebatur. Dissecto cadaveris abdomine, ecce monstrosa illicò hepatis, pro ætatis ratione, apparuit magnitudo, quæ vix in adulto offenditur: Totam enim abdominis cavitatem occupabat, substantia ejus præterea scir-

ſcirrhoſa reperiebatur. Veſicula fellea erat inſignis, indicis longitudinem æquans. Lienis ſimilis ut epatis erat conſtitutio; puncticulis enim tartareis perduris undique erat refertus. Glandulæ per totum Meſenterium diſperſæ ſcirrhoſæ inveniebantur, cauſæque mortis manifeſtè conſpiciebantur. *Caſparis Theophili Bierlingi.*

Bimulus Princeps Sereniſſimæ cujuſdam in Germania familiæ, diarrhœa, atrophia aliſque ſymptomatibus defunctus 26. Julii 1676. in præſentia Conſiliariorum, Aulicorum, Medicorum, à Chirurgis ad balſamationem exenteratus, ſequentia monſtravit.

1. Magnum, elegans, candidumque cerebrum, ſub quo inter cranium octo & plura cochlearia aquæ cruentæ inventa; cerebrum ſolum pendebat libras duas & duas uncias. Externa capitis ulcuſcula proſsùs evanuerant. Dextrum verò latus à capite ad coxas propè regionem hepatis nigricante lividoque colore infectum.

2. Cor naturale, pulmones ſani, ſine ulla accretione.

3. Ventriculus & inteſtina ſplendida, omnibus excrementis vacua, ſed flatibus nonnihil diſtenta, pancreas naturali facie, ut & lien, ſed brevior,

4. Renes naturalem magnitudinem ſuperabant. Veſica more conſueto conſtituta, ſed contracta.

5. Hepar valdè durum, albicans, inuſitatæ magnitudinis, pondere 17. Unciarum. Inter hoc & inteſtinum duodenum prope meſenterium, ſanguis nigricans infarctus. Veſicula bilis quoque major juſto hepatis ſubſtantiæ ubique ita firmiter accreta, ut ſine ſubſtantiæ hepatis læſione eximi non poſſet. In ipſa veſicula bilaria, non flavus humor, ſed materia quædam ex nigro viridis obſervata, qualis ſubinde copioſius per alvum ſecernebatur. Præterea hepar undique anguſtum & arctè coſtis ſpuriis & diaphragmati accretum; hinc facilè colligi poterat, unde difficilis reſpiratio orta, & quâ ratione hepar in functione ſanguinis vel depurandi & diſtribuendi impediri potuerit.

Cum frater Sereniſſimi defuncti Principis eodem affectû iiſdemque ſymptomatibus detineretur, ut præcaveretur fatum imminens, juſsû ſuperiorum Medici quidam Hafnienſes hoc conſilium ſcripto conſignarunt Hafniæ XIV. Septemb. 1676.

Mandato clementiſſimo ſubjectiſſimè obſecuti, relationem nobis miſſam de Sereniſſimi Principis morbo & aperti corporis conſtitutione, quâ docuit, diligentia expendimus, & exinde intelleximus, beati Principis bimuli morbum primariò dependere ex humida frigidaque temperie cerebri, hepatis; & circumjacentium viſcerum nativa indiſpoſitione, unde reliqua adducta ſymptomata fluxerunt. Et quandoquidem Junior Princeps alter, ſicut percepimus, ſimili modo tentatur, & vero ſimili ſuſpicione ſimilem interiorum viſcerum conſtitutionem habeat, in hanc ſententiam conſpiramus, donec à Medicis ægro Sereniſſimo præſentibus uberius de morbi ſtatû certiores reddamur, ut ante omnia curandi ſcopus dirigatur ad hepatis indiſpoſitionem, quæ impedit ne bilis & lympha ſeparetur, & quidem leniter aperientibus, hincque partem roborantibus tam quæ externo corpori applicantur, quàm quæ per os aſſumuntur, pertinaciter inſiſtendum, quibus ritè peractis ſpe non dubiâ animamur, ſymptomata ſenſim evanitura, quæ ſumma eſt votorum noſtrorum. *Thomæ Bartholini.*

Puellula quædam bono corporis habitu prædita, enormi corripitur Diarrhœa, poſtea nonnihil remittens, & tandem cum vomitibus recrudeſcens. Fuit in dextro hypochondrio durities, aderant ſitis, pervigiliæ, dolor capitis, ſtercora alba, & virium proſtratio. Denique Epileptica obiit.

A cervice ad dorſi finem ſpina erat nigra, Ventriculus aliquo modo nigricans & putrida, humorem continens viridem: Jecur ſcirrhoſum Folliculus fellis nigricante bile turgidus. Cerebrum ingens aquæ innatans.

Videtur fuiſſe ſpecies alicujus febris malignæ, cui cætera ſymptomata concomitavere. *Stephanus Blancard. Anat. Pract. Cent. 2.*

Hectica poſt Diarrhœam, obiit.

Poſt mortem, Viſcera flaccida: Vomica in pulmonibus: in Meſenterii glandulis atheromata, & puruleṅta, Hepar exuccum. *Idem ibidem.*

DICOPHYIA
Vid.
PILORUM VITIA.

DIFFICULTAS RESPIRANDI.
Vid.
RESPIRATIO.

DIGESTIONIS VITIA.

Curationes & Conſultationes.

Curationes.

CHyloſis ſeu chylificatio, notum eſt quomodo fiat, nempe beneficio ſucci fermentativi ſalini ſeu fermenti ſtomachici ſalini, à quo inciduntur, diſſolvuntur & volatiſantur ſimul alimenta, ita ut abeant tandem in liquorem dilutum lacteum, quem non immeritò liquidiori cremori vel Ptiſanæ aſſimilant. Qui liquor chylus dictus natura ſua eſt ſalſus, volatilis & temperatus. Hæc chyli productio, ſeu alimentorum in chylum tranſmutatio variis læditur modis.

Aut enim imminuitur ſive aboletur quando non ſufficienter digeruntur alimenta: vel inſigniter depravatur, unde innumeræ fiunt alimentorum corruptiones.

Ad depravationes alimentorum merito etiam referuntur cruditates dictæ, quæ imprimis ſunt duplices acidæ & nidoroſæ. Acida eſt, quando alimenta abeunt in ſuccum acidum, nec ſufficienter volatiliſatum: Nidoroſæ ſunt quando eadem corrumpuntur ut abeant in liquamen horridi ſaporis, putrilaginoſum & omnino nutritioni

tritioni ineptum: nam corruptionem nidorosam solent comparare communiter cum ovis frixis butyro & non benè postmodum concoctis.

Causam quod attinet, notum est ex lectione Veterum quod hi ipsi omnes operationes naturales soli manciparunt calori, & exinde in chylosos læsionibus ut plurimum accusarint calorem debilem stomachi, seu intemperiem stomachi frigidam, nunc simplicem, nunc verò compositam, complicatam cum intemperie Hepatis calida, Lectio frequens Practicorum etiam Modernorum & imprimis Italorum & Gallorum vos docebit quod hi omnes accusent inæqualem intemperiem stomachi frigidam & Hepatis calidam.

Verùm hac in parte merito laudes tribuendæ Helmontio; qui primus caliginem discussit, & calorem non effective sed dispositive tantum digerere statuit, & sufficienter confirmavit, quô potius fermenta & fermentationum læsiones, causas, proximas introducit læsarum digestionum.

Quod ergò attinet chylosin læsam, causa ejus proxima erit vel in fermenti stomachi vitio, vel erit in vitio assumptorum alimentorum, in fermento quidem quando non potest sufficienter digerere, aut quando non legitime digerit, sed potius depravatum alimentum corrumpit. In alimentis verò erit causa, quando eadem digestioni sunt inepta, aut quoniam peccant cum quantitate etiam qualitates dum sunt vitiosa & digestioni aliàs inepta.

Hæc ut pateant imprimis fermentum stomachi non satis volatile, sed acidum nimis fixum aut cum peregrino acore in stomacho corruptum, uti fit in Hypochondriacis, dissolvit quidem promptè alimenta, sed eadem non ritè fermentando nec debitè volatilisat, sed nimia acore eadem in massam vitiose acidam transmutat unde imprimis cruditas acida provenit.

Quòd si ex perverso bilis per vascula fellea in intestina trajectæ motû fiat, ut regurgitet in stomachum fit ut ab hoc sale volat. oleoso bilis debilitetur aut vitietur fermentum stomachicum; adeo ut assumpta alimenta non possint convenienter digeri, quin propter talem præsentiam bilis vitiantis fermentum, abeunt in cruditatem nidorosam, quod etiam fit quando alimenta pinguia nimis ingeruntur aut butyro nimis frixa & condita nam & alia pinguia dant cruditatem nidorosam. Verùm in unoquoque subjecto peculiaris & à priori non perscrutabilis est fermenti varietas tam in specie animalium quàm in unoquoque in dividuo humano: ratione cujus fit ut non tantum appetitus variet, sed etiam ut ipsa variet alimentorum digestio, ita ut ea quæ unus avidè appetit & hinc facillimè digerit, alius respuat, aut non sine molestia concoquat. Appetitus sanè est index quid loquitur quasi & monstrat quæ sunt assumenda. Nam quæ facilè assumuntur facilè digeruntur, quoniam tum appetuntur ea quæ sunt amica fermento stomachico, & quæ ipsi sunt amica, facilè dissoluit, & facilè fermentatur.

Hinc est quod nobis inculcet Hippocrat. in Aphorismis quod appetita facilius longe digerantur quam non appetita. Ex hoc fundamento etiam consuetudinis magna adeo est habenda ratio: nam idem Hippocr. in omnibus morbis consueta licet deteriora insuetis tamen esse præferenda, dicit, licet melioribus. Ratio est hæc, quod post omnia assumpta semper remaneat nonnihil in stomacho, seu omnium assumptorum nonnullæ reliquiæ hæreant in plicis & rugis stomachis, quæ reliquiæ si non ingrediuntur materialem compositionem fermenti, uti multi volunt. Certum tamen est quod nonnihil aut certo modo fermentum modificent seu ad sui similia alimenta magis appropriatum reddant. Hinc est quod ab assumptis minùs lædamur, quando fermentum iisdem quodammodo est homogeneum & nulla est discrasia inter assumpta & fermentum, sed hoc se habet ad illa ut proportionatum agens. E contra insueta sunt molesta quoniam non habent convenientiam cum illo partes alimenti.

Propterea etiam est ut ii qui certa quædam nonnunquam abhorrent, incipiendo à minima dosi ea sibi reddant familiaria nonnunquam: quoniam fermentum stomachi successive alteratum, talia olim hostilia, tanquam amica, facile arripit.

Hæc de fermento, cujus salina volatilis activitas si debilitetur, fit illud ratione modo dicta.

Quod attinet Vitium chyloseos alterum ex alimentis assumptis. Hæc est causa, quando copiosè nimis ingeruntur unde non possunt digeri: ratio, quoniam unumquodque menstruum fermentativum (quod soluit & fermentat, quale est fermentum stomachi) requirit proportionem objecti debitam in quod agere debet.

Si ergo nimia ingeratur alimentorum quantitas, obruitur in tantum fermentum ut eadem nec dissolvat sufficienter, quoniam non est sufficiens, nec convenienter fermentando volatiliset. Non dissoluit convenienter, quoniam, uti dixi, nimia quantitas superat fermenti activitatem: hinc tarda fit concoctio & non rectè volatilisantur digesta. Imo sæpius nimia quantitas alimentorum ingestabit in cruditatem acidam, unde assumpta quidem acorem recipiunt fermentativum sed propter nimiam copiam admodum debilem; unde non possunt fieri volatilia, sed in forma pastæ crudæ acidæ remanent.

Præter quantitatem imprimis varietas ciborum etiam turbat digestionem, utut enim magna sit fermenti stomachici potestas; quatenus semel varios admodum cibos potest dissolvere & fermentare, tamen certum est quod non sit universalis quin magis determinatur ad hunc vel ad illum cibum: si ergò tam varia ingeruntur pinguia cum macris, acida cum dulcibus, etiam certum est quod fermentum, potentius dum agit in unum, quàm in alterum, non leviter vitietur digestio, & pessimæ oriantur corruptiones & cruditates quarum comes est mucus copiosus in ventriculo residuus: nam quod non rectè digeritur vix per Pylorum transmittitur, unde copiosus mucus obruit ventriculum & ulterius vitiatur chylosis.

Quoad qualitatem ciborum certum est quod delectus sit habendus. De Pane tantum loquor qui ex omnibus alimentis nobis est familiarissimus. Ratio, quoniam fermento stomachi est amicissimus idque propter spiritum acidum

volatilem, qui in pane est satis copiosus & quodammodo homogeneus & symbolizans est cum natura fermenti stomachici. Unde etiam Panis ratione fermenti in panificio concepti, vel ratione spiritus istius acidi volatilis, adjuvat ut reliqua assumpta promptius colliquescant, & cum isto stomachi fermentum volatile simul adjuvat, ut promptiùs volatilisentur & chylificentur. Unde panis quo magis est fermentatus & magis in eodem exaltatus spiritus acidus volatilis, eò est nobis salubrior, quò minus verò fermentatur & quò spissior & glutinosior, eò magis est nocivus, & eò promptius abit in pastam viscidam & crudam in stomacho. Præter Ciborum varietatem etiam Potus nimius est qui insigniter turbat digestionem: ratio, quoniam 1. Potus nimius diluit nimis fermentum stomachi & istud diluendo nonnihil hebes reddit: 2. quoniam facit fluctuationem alimentorum in stomacho quæ nonnihil impedit legitimam fermentationem: 3. quoniam Tonum stomachi lædit, eundem distendit & fibras ejus laxat ac flaccidas reddit ut digesta licet, non possint adeò commodè per pylorum expelli. Hinc eadem præter tempus in stomacho detenta, corrumpuntur & in vitia varia abeunt. Ex his facilè patet quid habendum sit de veterum intemperie inæquali: Nam eandem non habere fundamentum in re, patet ex eo, quod sanguis qui calorem & sic dictam Temperiem Vitiat, omnibus partibus distribuitur æqualiter & proportionaliter movetur ad hepar & ventriculum. Quamdiu ergo sanguis debito calore vegetus, & quamdiu æquali proportione circulatur tam ad hepar quàm ad ventriculum, tamdiu sanè his ipsis etiam debitam conciliabit temperiem & eodem modo debitè calebit Epar atque Calet ventriculus.

In ista ergo quam dixi veterum inæquali intemperie experientia nos docebit, quòd semper subsit vitium stomachici fermenti, quod sit nimis & vitiosè acidum. Nec satis volatilisatum quin simul obrutum copioso muco crasso & viscido: propterea instituitur in talibus Cura non cum iis quæ calefaciunt stomachum & refrigerant hepar, sed quæ vim habent attenuandi & dissolvendi, imò etiam volatilisandi & temperandi nimium fermenti acorem.

Præter has causas primarias chyloseos læsæ, Secundariæ nonnullæ adsunt, quæ, quatenus retentionem aut expulsionem turbant, etiam Chylosin vitiant, quam sæpius causam fuisse chyloseos læsæ & similium stomachi symptomatum, Testis est expertus *Zacut. Lusitanus in lib. Medic. Princip. hist. 56. quæst. 36.* It. Verrucæ ventriculo adnatæ Chylosin turbare valent. Quale exemplum habet Forest. *in lib. 18. obs. 18. & observ. 30.* Notum etiam est quod renes afflicti calculo propter consensum nervorum qui intercedit ventriculum & renes, similiter solent turbare digestionem.

Quod attinet Signa Diagnostica. Ea sunt facillima. Nam in Chylosi imminuta conqueruntur ægri de dolore stomachi post pastum. Item conqueruntur ægri de ructibus etiam post 5. vel 6. horas ab alimentorum assumptione molestis, iisque genuinum assumptorum saporem repræsentantibus. Porrò conqueruntur tales ægri de appetitû dejecto, de inflatione stomachi & quæ sunt similia signa hinc indè obvia.

Præterea sæpiùs adest post pastum in talibus subjectis Phlogosis seu rubor faciei, in qua phlogosi semper observetur quod fiat à stomacho, hocque muco copioso nimis acido ab alimentis non ritè digestis residuo, onerato.

Item conqueruntur ægri tales de difficili respiratione, quando incumbunt dorso, Item matutino tempore sæpiùs conqueruntur, quod habeant os muco plenum, qui revera ascendit ex stomacho, dum per incubationem regurgitat & ad fauces tendit & sic matutino tempore excernitur. Cæterum quando vitiata est digestio illam testantur ructus. In cruditate acida habent ructus acidos, habent copiosiores præ cæteris flatus, & quæ rejiciuntur, aut naturâ, aut arte per vomitum deprehenduntur crassa viscida & pituitosa, simulque saporis acidi.

Cruditas nidorosa cognoscitur ex eo, quod ructus sunt fætidi aut saltem horridi quales solent elevari post ova frixa assumpta: It. quòd subinde nauseant. Matutino tempore saporem percipiunt, quem non possunt sufficienter explicare: quæ rejiciunt aut arte aut natura per vomitum sunt liquida subflava, & aut omnino insipida, aut quodammodo amaricantia. Præterea habent alvum sæpiùs plus solito apertam. Tales cruditate nidorosa laborant.

Quod attinet signa prognostica. Certum est in chyloseos læsione consistere fundamentum quàm plurimorum morborum Chronicorum, in in specie certi sitis quod ex cruditate acida & ejus variis differentiis oriantur quàm plurimæ si non omnes febres intermittentes: quòd hæc cruditas acida certo modo corrupta sit origo mali hypochondriaci, sit origo Scorbuti, nisi hic oriatur per contagium massæ sanguineæ communicatum: sit origo Passionis Colicæ & similium. Item quod similis acor in stomacho vitians alimenta sit origo morborum Cutaneorum, Scabiei, Serpiginum, Herpetum, forsan & Erisypelatum.

In genere omne acidum seu acor vitiosus subinde in corpore errans, quod ab Helmontio dicitur inimicum toti corpori, fundamentum habet in vitiosa digestione ex corruptione acidi. Arthritis ipsa dum vinum acescit in ventriculo, aut potulenta vitioso acore tincta proruunt in corpus ex hac acida stomachi aciditate habet suum ortum. Imò (de quo imposterum plura) omnes morbi Chronici qui veniunt aut oriri putantur à viscerum obstructione Mesenterii, Hepatis & Lienis: Tamen sitis certi quod oriantur ex vitio chyloseos & in specie quando fermentum stomachi est nimis acidum nec ritè volatilisatum.

METHODUS MEDENDI.

Corrigendum. Itaque fermentum ventriculi quando fieri potest & collocandum in naturalem statum.

Conferunt hic 1. Ea quæ mucum & succos in stomacho hærentes ut plurimum crassos & viscidos acidos removent. 2. Ea quæ sale volat. oleoso subtili acido temperato constant: hæc namque nonnihil alterant fermentum stomachi, volatilem subtilemque acorem ei attribuunt.

Quod ergò attinet: Purgantia: Vomitoria primum obtinent locum, inter hos superius dictum

ctum Antimonialia esse præferenda, non ea quæ non infusa, sed quæ infusa: & in Infuso non tam esse ponderandum pulverem quàm liquorem in quem fit infusio. Post hæc sunt Asarina & in specie Extract. Asari Emetic. Hartm. Aqu. Nicot. destill. similiter elegans præbet vomitorium. Mass. Pilul. de Hier. cum Agarico superius commendavi & dedi formulam. Præter hæc Pilulæ Mastichinæ sunt elegantes: Nam Mastiche est singulare stomachicum ratione spiritus acidi volatilis. Pilulæ Aloephanginæ ex aromatibus factæ, & uno alterove grano Scammonii aculeatæ conveniunt ad detergendas sordes mucilaginosas stomacho sæpè adhærentes. Dabo exemplum hoc modo egregium.

♃. Pilul. Aleophang. gr. xv. l. ℈j. (sunt enim ex aromaticis) Scammon. sulphur. gr. ij. Extr. troch. alhand. gr. jß. (est egregium ad pituitam viscidam detergendam.) c. s. q. Tinct. tart. (quæ stimulat. & est salina abstergens) F. l. a. Pilulæ purg. Stomach.

Potest etiam beneficio remediorum salinorum imprimis ex tartaro fieri pulvis laxativus & stomachum egregiè evacuans.

♃. Tartari vitriol. crem. tart. an. ℈ß. Scamm. sulphur. gr. iij. l. iv. Trochisc. alhand. gr. j. l. ij. (Hi enim præscribuntur in pulveribus) Olei destill. Anis. gr. ij. F. pulvis purg. stomach. Nam ultra ij. l. iij. sedes vix operabitur pro constitutione tamen subjecti.

Post hæc dixi convenire in Chylosi læsa ea quæ constant sal. volat. aromatico blando, quæ si maritentur cum subtilibus acidis fiunt egregia remedia. Ex his imprimis commendantur semina quæ vocantur minora calida: Anisi, Carui, Petrosel. Cumini, & post hæc aromata, præ cæteris Galanga & Zingiber simul.

Platerus in observat. egregia aliquot habet exempla Chyloseos & cruditatis vitiorum stomachi curatorum per usum Zingiberis, Nux Moschata etiam est egregia, sed quia est nimis oleosa, & ob id obtundere solet fermentum Stomachi, aliis subinde est temperanda, imprimis simplicibus stomachicis dictis quæ sunt satis nota.

Præ cæteris palmam obtinebit Absinthium & Mentha; Item Acorus verus: Rosmarinum & lignum Sassafras uti etiam reliqua aromata. Item Elixir quod vulgò vocatur Proprietatis in specie si misceatur cum spir. cochleariæ aut cum spir. sal. Ammoniaci volat. Conveniunt etiam egregie Elixir stomachale. *D. Michaël.* cujus superius facta fuit mentio, Essent. Melissæ, Menthæ, Pulegii, Rosmarini, Ligni Sassafr. Omnes conveniunt, si acidulentur cum parva quantitate spir. salis vel spir. vitr. sic enim concipiunt subtilem volatilem acorem.

Aut fiat Vinum Medicatum, nam sic acidum vini imbuitur cum salibus volatilibus vegetabilium. h. m.

♃. Radic. Enul. camp. ℥vi. (quam superius commendavi c. Rad. armoraciæ) Rad. Galang. ℥iij. Herb. Menth. crisp. calaminth. mont. Absinth. an. m. ß. Sem. Anisi. Cinam. acut. an. ℥iij. Macis ℥j. (quia nimis oleosa) Concisa & contusa includantur cum nodulo in vini Rhenani mens. j. stent per hor. 12. in loco calido. Hinc subinde assumatur haustus ante cœnam & prandium, singulis haustibus addendo spir. salis dulcis (acid. volatile) gutt. x. l. loco hujus Elix. Propriet. imprimis cum spir. cochlear. facti & parati gutt. v.

Salia ea quæ mucum subtili aciditate potenter abstergunt & detergunt stomachum, similiter egregia sunt: inter quæ excellit sal. Ammon. imprimis si assumatur in vino absinthite s. vino infusionis ligni Sassafras. Post hoc non minus etiam terra foliat. tartari seu sal. tart. essentiale & reliqua ex Tart. parata: Item spir. Carminativus secretus vid. cap. 6. de quo faciam mentionem paulo post, egregrie conveniunt: Tart. vitriolat. aut etiam Hepaticum rubeum imprimis si cum aromaticis speciebus Diatrion Pipereon, aut cum speciebus Dialangæ, aut stomachicis Mynsichti misceatur. Sal. vitr. seu Arcanum duplicatum Mynsichti similiter est egregium in affectibus stomachicis, similibus pulveribus stomachicis mistum: Nec mistura simplex est inelegans cum ex acido volatili temperato constet.

Ambra est conveniens senibus, & in cruditate senum imprimis est convenientissima sive cruda cum saccharo in forma pulver. assumatur sive cum Essentia Menthæ l. Melissæ in essentiam stomachicam redigatur. Noti aliàs sunt Pulveres stomachici Birckmanni & Quercet. in quibus basis est radix Ari præparata: Propterea quia radix Ari impraegnata est sal. volat. acri & penetrante: Cæterùm utut hæc radix præparetur cum aceto vel vino, in arida tamen maxima pars salis volatilis avocat, & ob id inanis nonnihil evadit: Melius ergò est si infusio fiat cum radic. Helenii in vino, vel si succus expressus ex radice & foliis asservetur ut tempore usus cum aliis assumatur.

Sed est quæstio quomodo asservari possint citra corruptionem Succi. R. Observetur quomodo vinum conservetur beneficio sulphuris, & ij qui legunt Helmont. callebunt artificium asservandi succos ad aliquot annos incorruptos.

Præterea pertinet huc pulvis stomachicus *D. Michaël.* composit. est.

♃. Rad. Ari præpar. ℔ij. Panac. Holsteinens. ℔j. Sal. absinth. ℔ß. Rad. calam. arom. ℥ij. (loco hujus acor. ver.) Cinamom. Caryophyll. an. ℥iß. Macis. Piper. long. Zingiber. Cubebar. Cardam. Granor. Paradis. sem. Zedoar. Coriand. an. ℥j. F. l. a. Pulvis.

Illi qui legunt. Poterium sæpiùs memoratum in scriptis inveniunt specificum stomachicum, sed quid hoc sit: Nemo scit præter filium Poterij Bononiæ degentem: Interim in aurem vobis dico quod basis sit Regulus Antim. Martialis, sapienti sat dictum.

Ad specifica stomachica etiam pertinet succolata: succus inspissatus factus ab Indis ex fructibus Cacaum conditus cum Cinnamomo & pipere, quæ succolata in vino cocta & pota est egregium stomachicum & simul antiscorbuticum. Non minoris est pretii herba Theæ, planta apud Chinenses & Japonenses singularis virtutis: ad nos tantùm sicca adfertur: quæ herba Chinensibus & Japonensibus elegantissima est medicina non tantùm stomachum roborans, sed præterea liberat tam à Calculo, quàm Arthritide (morbis Chinensibus & Japonensibus propter hujus plantæ usum incognitis) item in Cephalalgia potenter., Præservans ebrie-

ebrietatem & somnum arcens, stomachum confortans, & vigilias citra debilitatem etiam ad tres dies protrahens. Usus est si folia pulverisata quantum 2. vel 3. capiunt cochlearia ebulliunt in aqu. simplic. adjecto pauxillo sacchari, & istud decoctum postmodum subinde hauritur.

Hæc in genere de Chyloseos læsione. In specie quod attinet cruditatem nidorosam. Conveniunt Rhabarbarum quod evacuat & Tamarindi: Præterea succus Citri, succus & syrupus Portulacæ, item spir. salis dulcis, Epaticum rubeum. Omnia enim temperant pinguedinem & bilem præcipitant. Item Conservæ Rosarum, aut Menthæ vitriolatæ, aut spir. vitr. aliquot guttulis irroratæ. Cruditas verò acida corrigitur per vinum absinthites, per radicem Helenii & Armoraciæ: per spir. vegetabiles volat. Menthæ, salviæ & similes. per spir. Piperitidis quæ est planta paucis cognita, acerrimi saporis & potentissima in corrigendo stomacho. Spir. salis Ammon. volat. imprimis spiritû vegetabili commistus ut fiat sal. volat. oleosum. Denique sal. absinth. ocul. cancr. corallia & similia quæ acidum absorbent.

Inter externa coctionem juvant olea nonnulla destillata suaveolentia quoniam hæc sunt stomacho grata. Hæc inter excellens est ol. Angelic. destillatum. Menthæ, Caryophyll. Macis, Juniperi, Item ol. stomachale compositum Cratonis, Balsamus Peruvianus itidem est egregius.

Præterea Tacamahaca, Galbanum, Mastiche, in forma Emplastri s. scuti stomachici: si regioni stomachi applicentur. Item spongia vino generoso cui simplicia stomachica fuerunt infusa, impraegnata, stomachi regioni applicata. *Mich. Ettmuller. Colleg. Medic. Pract. lib. 1.*

Chylωsis, seu ciborum in chylum dissolutio, multipliciter lædi solet. Cùm aboletur dicitur Ἀπεψία; cùm diminuitur, βραδυπεψία; cùm depravatur, ut in alios humores cibus quàm in chylum, commutetur, appellatur δυσπεψία. His tribus vitiis addit Franciscus Leboë Sylvius quartum, cùm scilicèt citiùs, quàm deceat, chylωsis perficitur, licèt id tunc nocuum homini existimet, cùm diutiùs perseverat, indeque Plethora, & habitus athleticus consequitur ex Hippocrate valdè periculosus: quod sanè rarissimũ.

In abolita autem chylωsi, cibi, quo prorsùs modo ingesti fuêre, crudi, vel sursùm, vel deorsùm, egeruntur. In diminuta parumper immutantur, & solùm in indigestam phlegmaticamque materiam convertuntur, quæ ventriculo gravamen, cæteris verò visceribus, obstructionem affert: quin & aliquando ita sensim cruda hæc, & tenax materia interiori ventriculi tunicæ inhæret, ut crustam limosam imitetur, impediatque illius coarctationem, amplificationemque; unde appetitus infringitur, & alia plura symptomata insequuntur, præsertim inflatio, tumor, & hebetudo ventriculi. In depravata commutantur in acidos, nidore graves, corruptosque succos; undè cruditates illæ emergunt, à quibus acidum eructatur, & nidoris species refertur, qualis ovorum corruptorum, vel similium.

Veteres ciborum coctionem arbitrati ope caloris fieri, cruditates & chylosis vitia, in ventriculi imbecillitatem, & caloris languorem retulêre; quamvis cruditatem cum nidore, calori exuperanti, præsertim jecoris attribuant. Ob externos etiam errores coctionem lædi citra ullum ventriculi vitium docet Galenus *3. de sympt. Causis c. 1.* videlicèt ob excrementa ventriculi cavum occupantia, cibos substantiâ vitiosos, quantitate immodicos, qualitate excedentes, potissimũ calore, aut frigore, tempore importunos, & sine debito ordine assumptos; ac denique ob somnũ, cujus defectu coctio graviter interturbatur.

Recentiores verò à Fermento Ventriculi dissolvente vitiato ejusmodi Chylωsis læsiones deducunt. Unde Sylvius Leboë abolitam, & diminutam fermentationem seu chylωsim fieri ait nunc ipsorum alimentorum quantitate, vel qualitate excedentium culpâ; nunc fermenti defectu, aut inertiâ; nunc etiam à confluxu vitiosorum humorum in ventriculum. Auctam contra fermentationem promoveri à Fermento acidiori, à cibis facilè fermentescentibus, & ab humoribus acido volatili præditis aliundè in ventriculum pervenientibus. Depravari verò Fermentationem, & in nidorem abire à bile acriori, nimisque volatili ad ventriculum delata; atque in acorem, ab acidis humoribus, ac potissimùm pancreatico acidiori, & abundantiori.

Non aliter alii causas læsæ chylωsis à succis dissolventibus, excedentibus, aut deficientibus, infractis, inertibus, commistis, similiterve affectis deducunt; sive illi è glandulis, tunicisque Ventriculi, sive ex arteriis, aliisque ductibus, ac visceribus deferantur.

Anatome autem compertum est ventriculos ejusmodi languentium repertos fuisse plurimùm distentos, atque in suis tunicis, plicisque relaxatos, aut villosâ crustâ, crassiori, densiorique obsitos; vel etiam omento malè affectos: ut est exemplum apud Galenum cujusdam gladiatoris, qui ob resectum omentum de ventriculo, & chylωsi conquerebatur, coactus illam juvare laneis integumentis.

Non rarò læsam chylωsim comitatur vomitus, vel alvi dejectio, aliquando mox à pastu, aliquando post aliquot horas. Adjungitur quoque ventriculi gravamen, ructus, inflatio, languor, inappetentia, fluctuatio, præter alia, quæ intestinis aliisque visceribus contingere solent incommoda: quamobrem origo plurimorum morborum cruditas esse consuevit, cùm ex Hippocrate Ventris torpor, omnium confusio, vasorum immunditia, cerebri consumptio.

Auctam citamque ciborum coctionem, & contra diminutam, ac depravatam chylωsim à causis externis, atque ex errore in victûs genere commisso, nemo unquam medicamentis prudenter subjiciet: siquidem illa firmam salutem, roburque ventriculi designat; hæ verò, præscripta solùm convenienti diætâ, vitatisq; iis, è quibus venter læditur, facillimè corriguntur; imò etiam sponte sua in consentaneum Naturæ usum reducuntur. Igitur tribus reliquis duntaxat vitiis occurrendum, ne alias graviores ægritudines arcessant. Perutile autem fuerit causam primùm malæ chylωseos internoscere, & tollere; mox verò languentem ventriculum fovere ac roborare, dissolventesque ipsius succos, si deficiant, recreare, si inertes sint, acuere, & si ab aliis pravis humoribus inficiantur, commodis remediis repurgare.

In usum medicamentorum fermentationem promoventium proponit Sylvius Acida, & sale lixivii prædita ac per spiritum volatilem alterata: spiritum salis cohobatum, & cum spiritu vini dulcem redditum; itemque sal tartari, succini, urinæ, & C. C. sal Ammoniacum crudum, ejusque spiritum, seu sal volatile, vitatis interea cibis, potibusque fermentum ventriculi figentibus, vel obtundentibus. Speciatim verò cruditas nidorem præferens curari dicitur per bilem corrigentia, & præsertim spiritum salis dulcem: etsi opus sit etiam per eandem evacuantia sive per os, sive per alvum, modica tamen dosi, ne indè cholera Morbus, vel diarrhœa insequatur. At cruditas acida acorem temperantia, tùm quoque educentia expostulabit: in quem finem describit suum electuarium Hydragogum, & vinum quoddam medicatum, quo fermentum iners acuitur, & humores pituitosi simul emendantur.

Roborant præterea ventriculum, & coctioni opitulantur zinziber, & nux myristica, piper, & caryophylli ante cibum, vel etiam cum ipso cibo assumpti ex Platero. Hinc diatrion pipereon insigne remedium à Galena celebratur 8. *meth.* licet reprobetur à Tralliano. Mastiche etiam summoperè prodest ad ℥j. in ovo sorbili, vel vino tribus horis ante cibum. Vinum absintytes, elixir proprietatis, aromaticum rosatum, diambra, diarhodon, & similia salutaria observata sunt; quamobrem licet acida fermentum ventriculi mirificè acuant, cùm tamen is crudis succis gravatur, atque acore inficitur, proderunt potiùs aromata, & amarorem præ se ferentia. Extractum Aloes, & Myrrhæ simul corriget; & sensim abradet è tunicis ventriculi impactos ejuscemodi succos. Commendatur quoque ab Hartmanno sal Ammoniacum purificatum, aqua, seu balsamum ventriculi, aqua cinnamomi, essentia melissæ, pulegii, menthæ, absinthii, & spiritus mastiches: sal absinthii & cinnamomi. Theriaca quoque & Mithridatium suum hic locum habent, præter alia plura passim a Medicis indigitata.

Acidis succis dissolventibus acuendis usui esse possunt spiritus vitrioli Philosophicus, acetum esurinum, spiritus sulphuris per campanam elicitus, elixir vitrioli Minsicht. Verùm hæc moderatè exhibenda, vel cum aliis stomacho utilibus, commista. Parantur etiam ad hoc diversi generis condimenta ex rebus salitis, & acidis una cum aromatibus, ut nimirùm ab his adjutus ventriculus arctiùs cibos complectatur, & suaviùs illos conficiat: quæ sanè in cæteris hujus visceris affectibus opportuna erunt, & maximè conducibilia; undè Hippocrates 2. *Aphor.* 8. docet, parùm deteriorem cibum, aut potum, at suaviorem, melioribus, sed minùs suavibus esse præferendum. Cæterùm quamvis somnus maximo juvamento languenti ventriculo esse soleat, non tamen exercitium omninò interdicendum erit, imò summoperè commendandum matutinis, præsertim horis, & ante prandium.

Denique si cruditati solis corrigentibus videatur satisfieri minimè posse, evacuantibus quoque incumbendum per superiora, vel inferiora, prout æger uni vel alteri evacuationi fuerit proclivior. In his autem modus servandus est, ne nimia dosi, incongruenti medicamine, & immodica ventris turbatione is graviùs afficiatur, & magis elangueat. Quod si de ejus laxitate dubitetur, roborandus ille omninò erit, iis præserrim medicamentorum generibus, quæ corrugandi, adstringendique vim habere dicuntur; cydoniis scilicet, myrtorum baccis, sorbis, mespilis, conditurâ ribium, pulvere Coralliorum rubrorum, terrâ armeniâ, cholcotare vitrioli, aliisque. Narcotica verò vitanda, vel parcè admodum, & cum aliis permiscenda, ob ventriculi languorem; vel solùm usurpentur opiata leviora, theriaca recens, diascordium, philonium.

Inflatio, & ructus non dissimiliter curantur, præterea quæ dicuntur ubi de Hypochondriaca affectione. *Lucas Tozzi Medic. Pract. Part. 2.*

Consultationes.

Dyspepsia.

Nobiliss. Vir annum agens quinquagesimum octavum, temperamenti totius ad calidum & humidum vergentis, jecoris calidioris, viginti duobus abhinc annis immanibus stomachi & lateris doloribus corripi cœpit, pro quibus sedandis, statim consilio Medici Purgationem inivit, necnon aquam Tettucianam potavit; cui non sufficienti, substitutum fuit Decoctum galli junioris, quo assumpto, nihil juvaminis percepit. Transactis autem quinque circiter annis denuo Medicum consuluit, qui novam Purgationem cum tenui victus ratione percepit. Purgatione peracta, at vivendi norma minime servata, post aliquod tempus, cum dolores nec remissi, quinimò Autumno præcipuè & Vere magis exacerbati fuerint, duobus integris mensibus perdurantes, coactus fuit rursus ad Medicos recurrere, qui præter Purgationem, usum stillicidii per 24. dies instituerunt; quorum ultimo die, urgente à prandio siti magna, hausit cyathum aquæ cichorii, cui immediate supervenit vomitus materiæ valde copiosæ, pravo colore infectæ, & duabus post horis animi deliquium cum principum actionum abolitione, & lapsu in terram. Paulo post verò in se reversus Patiens, iterum ter brevi temporis spatio ejecit materiam ejusdem qualitatis una cum frustulis sanguinis, cui præterea successit per horam integram memoriæ privatio cum novo casu in terram, subsequuto quoque copioso sanguinis vomitu, pro quo cohibendo adhibitus fuit pulvis constrictivus. Perdurantibus itaque nihilominus tunc doloribus ipsis, Medicus anno proxime elapso novam Purgationem præscripsit, qua peracta, dolores iidem adhuc magis adaucti fuere, undecim continuis mensibus affligentes, in hunc usque diem perseverantes, quibus quotidie succedit ejectio vini in prandio epoti, additis etiam ventris intumescentia & alvi stypticitate. Quare ad eximiam Virtutem tuam, Vir Præclarissime, Patiens confugit, opem Medicam pro integra sanitate recuperanda implorans.

Ventris dolores quibus multis abhinc annis Nobil. Vir divexatus fuit, & modo torquetur, hypochondriaci fuerunt, à causa calida orti, qui tamen ut colici, provenientes à causa frigida, à Medicis ab initio, & forsan etiam progressu calidis medicamentis adhibitis non curati,

rati, sed adaucti fuere, & propterea non solum hypochondriacus affectus fuit confirmatus, verum & jecoris calore fervidissimo reddito, sanguis quoque fervidior necessario fuit genitus, à natura tanquam nutritioni inutilis, & per superiora & per inferiora ejectus. Nec mirum si à calidis, & tetris vaporibus ab hypochondriis ad caput elevatis spiritus animales densi & opaci redditi fuerint, sicque principes functiones brevi temporis spatio perierint. Insistentibus autem Medicis in curanda frigida ventriculi intemperie, tanquam positiva, licet privativa fuerit, calidis præsidiis tum internis, tum stillicidiis externis, hypochondriorum calor in suo vigore p. n. persistens, & cruditates cæterosque humores, imo & alimenta colliquans, aqueas humiditates adeò copiosas coacervavit, ut ad multas libras affatim vomitu, saturato colore rejectæ fuerint; nec tamen dolores intermissi aut remissi fuerunt: imò à postrema Purgatione anno superiori peracta adeò increverunt, ut undecim mensium spatio nunquam intermiserint. Quibus additur quoque vomitus post aliquot horas ab assumpto cibo, præsertim vini in prandio epoti, cum ventriculi anxietate ventrisque doloribus, corrupto nempe à nimio calore vino ipso in aciditatem converso, dum ab eodem exiccante sequuta est alvi stypticitas, doloribus ipsis perseverantibus: & à vini ac ciborum corruptione, ventriculi anxietates: à vaporibus autem ab eodem calore elevatis, mesenterii vasa & glandulæ distenduntur, secuta continui solutione, dolores excitantur: eoque facilius, cum obstructiones in cava jecoris præsertim, & mesenterio reperiri non sit dubitandum.

Hæc autem mala ut remittantur, exactissima Curatione & diligentissima Medici assistentia indigent, cum mineram jam à tot annis firmam & stabilem habeant; & ideò Vere venturo Purgatio regularis ineunda erit, primas vias mundando. Secundò Obstructiones aperiendo. Tertiò Jecoris & hypochondriorum fervorem contemperando. Quartò Humores & sanguinem ipsum edulcorando; atque tandem ventriculum, quamvis privative læsum, quodammodo roborando. Quibus intentionibus satisfaciendum erit remediis tunc temporis à me statuendis atque præscribendis, dum de statu Nob. Pat. certior factus fuero.

Interim aliqua leviora ad usum ducenda erunt, quæ si propter affectus magnitudinem non satis juvare, certe nec nocere poterunt. Assumat igitur Nobil. Patiens omnium primò Leniens, ex cassia & lenitivo paratum, cui post horam superbibat jus hordeaceum ad lib. I. & duabus horis ab assumpto jure prandeat. Sequenti summo mane bibat Emulsionem amygdarum dulcium cum jure malva alterato extractam, ad unc. VII. Tertia verò die assumat floris cassiæ ℥ ij. & hora transacta superbibat jus tenue malva alteratum, tribus autem horis ab assumpto jure prandeat, & ita perseveret quindecim aut viginti diebus, alternatim assumendo Emulsionem & Cassiam. Sed hoc tempore non parum prodesse poterit eductio sanguinis ad unc. VI & hæmorrhoidibus, hirudinibus applicitis, nisi impedimentum aliquod in illis partibus adsit.

Si ab his peractis aliquod levamen sequutum fuerit, præscribenda erit alia Emulsio summo mane assumenda, ut

♃. Sem. melon. mundat. unc. ß. amygdalarum dulc. mundat. n. 20. aq. stillat. borag. aut malvæ unc. VII. m. f. Emulsio, cui addatur syrupi de pomis unc. j. m. pro una vice, & sic pro aliis: in cujus usu pergat ad viginti dies, imò & ad integrum mensem; sed quinto quoque die parum ante prandium assumat floris cassiæ aut electuarii lenit. unc. ß. & frequenter injiciantur Clysteres, ex oleo seminis lini parati, addito saccharo, tum pro fæcibus excernendis, tum pro doloribus sedandis.

His autem præscriptis addendæ erunt cautiones in vivendi ratione observandæ, & præsertim in cibo & potu; & primò quam maxime conducere poterit à vino abstinentia, saltem primis diebus, cujus vicem supplebit jus tenue aut stillatum ex jure pullæ paratum, in quo ebullierint folia boraginis, & poma dulcia in frustula incisa, cujus cyathum haurire poterit etiam prima mensa, si sitis infestet. Abstineat autem ab acidis, à dulcibus, à salsamentis, à carne suilla, à bubula, ab extremitatibus Animalium & à carnibus annosis ac pinguibus. A piscibus lutosis, à caseo, à leguminibus, hordeo & oriza exceptis, à fungis, terræ tuberibus; & inter fructus, à nucibus & castaneis. A condimentis allii, cæparum & plurium aromatum. Vinum autem in progressu bibendum, nec dulce, nec austerum esse debet, sed tenue, maturum & album. Semper autem cœna sit parca. Somnus nocturnus sit diuturnus; & corpus jejuno ventriculo exerceatur. Atque tandem alacri & confidenti animo vivat, spe pristinæ sanitatis recuperandæ. *Raym. Joh. Fortis Consultat. & Respons. Medicin. Tom. 2. Cent. 2.*

Dyspepsia in Hypochondriaco.

Eminentissimus Princeps 34. ætatis annum percurrens, temperamenti biliosi, cum melancholiæ subdominio, Jecoris calidioris, Ventriculi frigidi, Capitis verò humidioris, in dies neglecta salute, & fatigata natura, cœpit septem abhinc annis aliquando Ventriculi gravitates sentire, & inde flatibus acidis & nidorosis secutis (quibus nunc etiam abundat) in hypochondriis dolores experiri, qui vagantes undequaque, septum transversum, Mesenterium & vicinas simul partes invadunt, necnon dorsum, renes & lumbos adoriuntur, ubi utplurimum aliquam debilitatem observamus, & nonnunquam cum mictione cruenta; interdum capitis gravitatem atque languorem inducunt, aliquando vigilias & somnos turbatos efficiunt. Alvus nonnunquam arida est, quæque dejicit excrementa, sicca, rotunda, atro quodam & bilioso circumfusa colore; cum flatibus erumpentibus apparent. Urinæ in impetu morbi variæ sunt, nunc tenues, nunc crassæ, modo albæ, modo tartareæ, ac in matulæ fundo sedimenta instar plumarum gossipiique colliguntur, quandoque veluti arenulæ rubræ parietibus matulæ adhærent, quæ facile dissolvuntur; ac alias exeunt, stimulante natura, paucæ, frequentes, & nonnunquam cum eis in majori languore renum aliquid sanguinosæ tincturæ distillat. Verum enim verò in hujusmodi

affectibus non semper simul Accidentium illa præscripta series dominatur; alias sanè mitiores illi sunt, periodice redeuntes; ac alias ferè per longa intervalla eveniunt. Remanet quidem in statu salubri (quod præ cæteris observatione dignum est) quædam debilitas & languor circa regionem renum & os sacrum, quibus cogitur Patiens non stare diu; flatus etiam nidorosos sæpè, ut diximus, præsentit, circa fauces sæpissime aliquid à capite cadens screatum promovet, sed tamen pauca exeunt, non salsa, sed aquosa. Proinde audito etiam hic in Urbe doctissimi Viri consilio, jam elapso anno, Veris tempore fuerunt blande primò viæ primæ expiatæ, saburra ex Ventriculo & vicinioribus partibus eliminata, Jecoris fervor & hypochondriorum calor attemperatus, correctus; obstructiones reseratæ; quoniam enim aliqualiter siccam & terream naturam inducebant, Humectantibus præparare & Lenientibus evacuare curavimus, non omissis roborantibus, necnon etiam dictarum partium Balsamum instaurantibus & reficientibus. Quæ certe omnia fuerunt valde conferentia, nec dolores ulterius, nisi Autumno sequenti: licet pauci, redierunt: Hoc tamen hyberno tempore denuo leviter renovati, haud difficulter blandis remediis recesserunt. Hæc sunt incommoda quæ Patienti contingunt, currenti calamo tacta.

Malorum & Symptomatum Iliadem Eminentissimum Principem septem abhinc annis semper magis magisque divexantem, naturalium viscerum œconomiam undique labefactatam pro causa habere non est quod dubitemus: Dyspepsia namque ventriculum laborare, hypochondria flatibus abundare, jecur & renes magno incendio flagrare, attestabantur stomachi dolores, eructationes quandoque acidæ, quandoque nidorosæ, hypochondriorum dolores huc & illuc divagantes, fæcalium excrementorum siccitas, urinarum subsidentiæ albæ & crassæ bombycinæ, à calore nimirum viscidítate resoluta, sicut nonnunquàm arenosæ; potius tamen circumstantes, quam subsidentes. Verum hæc omnia ab intenso & exuberante jecoris, renum & hypochondriorum fervore sobolescunt, cui tanquam principaliori causæ, ut accessoriæ, adduntur obstructiones, quas præsertim in mesenterio, lacteis & cava viscerum parte non solum latere, sed facile quoque tactu percipi posse puto, adeò ut hypochondriacum affectum constituant, & forsan legitimum, phlogosi nimirum in pyloro, & parum infra existente, cujus ratione cibi in ventriculo corrumpantur, quandoque ad nidorem, quandoque ad acidum, pro esculentorum varietate. Siquidem ab eodem calore & nidorulentiam & aciditatem provenire posse non est qui nesciat in Arte versatus; hinc flatus ejusdem naturæ hypochondria distendentes, & dolores hinc inde excitantes, quicaput petentes gravitatem, ut crassi & tetri pavores in somnos turbatos, & facile quoque cor & cerebrum attingentes, mœrores inducere solent. Quoniam verò cruditas est terminus non solum Bradypepsiæ & imminutæ concoctionis, sed & Dyspepsiæ, nimirum concoctionis depravatæ; idcircò genitæ cruditates in ventriculo, in venis mesaraicis & lacteis firmatæ, & à calore viscerum circumstantium exiccatæ atque confirmatæ, obstructiones terreas atque melancholicas efformarunt: hinc continuo exhalationes emergunt per varias corporis partes divagantes, easdemque divexantes; à quibus obstructionibus, impedita calori hypochondriorum eventatione, calor idem intensior semper redditus est, à quo non solum portio sanguinis fæculentior consueto, crassior facta, stagnans circularem motum amisit, & ita hypochondriacus affectus, melancholicus quoque redditus est; sed præterea ventriculum etiam adeò molestat, ut cibos cito corrumpens, concoctionem inhibeat: sicque non essentialiter & positive, at per consensum & privative ventriculus ipse ab immodico & importuno calore afficiatur. Verum quoniam cruditatum portio ad jecur etiam, indeque ad renes defertur, hinc sedimenta crassa & veluti bombycina in urinis observantur, sicut arenulæ, non subsidentes, sed parietibus adhærentes, humorum potius in venis, quam in renibus exustionem demonstrant: quamvis omnino sit asserendum ardorem in renibus reperiri, à quo non solum laxatur tota renum substantia, unde insignis sequitur imbecillitas, sed prætereà aliquod etiam exigui vasis orificium aperitur, & per anastomosin portiuncula sanguinis effluit, quia nonnunquam cruenta urina observata fuit.

Quamvis affectus hujusmodi principalis de se lethalis non sit, attamen tot alia incommoda secum ducit, ut non solum molestam vitam inducat, verum & alia mala cum vitæ discrimine afferre possit; arenosa namque dispositio in casu nostro calculosa effici, & vasorum in renibus laxitas, sanguinis effusionem & mictionem parere posset; præterea progressu macies quoque & totius corporis atrophia subsequeretur, atque tandem neglecta hypochondriaca affectio in morbum exiccatorium, & nigrum facile migrare posset. Quare ut jam dicta omnia imminentia mala arceantur, & præsentia valde imminuantur, atque tandem ex toto tollantur, sicque præsens vivendi modus molestus, jucundus evadat, modo Purgatio est ineunda. Nec formidare oportet anni tempus calidum, siquidem Purgatio refrigerantibus peragenda est & absolvenda, primò primas vias mundando. Secundò Obstructiones aperiendo. Tertiò Massam sanguineam ab humoribus biliosis, & forsan etiam melancholicis vindicando; atque tandem jecur, hypochondria, renes totumque venosum genus refrigerando, nec de ventriculo valde soliciti esse debemus: ad viscerum enim contemperationem & obstructionem ablationem ipse robur acquiret.

Itaque pro prima explenda intentione, primum & secundum Leniens erit syr. ros. solut. vel Cassia cum elect. lenit. quibus superbibat Eminentiss. Patiens serum depuratum. Quinque vero intermediis diebus Præparans erit.

♃. Julap. acet. ℥ ij. aq. flor. citri ℥ j. aq. cinnam. ʒ ß. m. pro syrupo, & sic pro aliis.

Pro secunda intentione Aperientia debent esse humectantia, ob materiæ obstructiones facientis siccitatem, imò primis diebus solis humectantibus utendum, addendo postea in progressu ipsa Aperientia: paretur itaque hujusmodi Præparans.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti cich. borag. pomorum dulc. an. ℥ j. decoct. in jure pullæ malvarum, violarum, endiv. sonchi ℥ iv. m. pro syr. & sic pro aliis x. in quorum intermedio præscribatur.

℞. Flor. cass. rec. extr. ʒ vi. extracti rhab. senæ an. ʒß. m. f. boli, quibus post horam superbibat seri capr. depur. ℔ ij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat; quod idem medicamentum repetat decem jam dictis transactis diebus. At secunda die dictorum succorum aperiatur Jecoraria dextera, sed parce sanguis educatur, portio nimirum magis atra atque crassa, ut facilius massa sanguinea purificetur & ventiletur, jecorisque fervor contemperetur.

His peractis, succorum usus repetendus erit ita.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti cich. borag. agrim. an. ℥ ij. decoct. in jure pullæ, malvarum, viol. sonchi, hepaticæ ℥ iv. m. pro syr. & sic pro aliis: succi autem sacchari portione edulcorari possunt, si ita Eminentissimo placeat. Sequenti die summo mane præbeantur boli ita parandi.

℞. Flor. cass. rec. extr. ʒ iij. salis prunellæ ʒß. m. f. b. quibus post horam superbibat seri caprin. depur. ℔ ij. & tribus horis ab assumpto sero prandeat. Tertia die repetantur succi, ut supra; quarta boli, & ita alternatim perseverare non tædeat Eminentiss. Patientem ad decimum quintum aut vigesimum usque diem.

Dum postremæ intentioni satisfacere curabimus, tertia non erit omnino deserenda: in quem finem parabitur vinum pro mensa consuetum rhabarbarum, adeo ut in uno vini cyatho tota nocte infusum fuerit rhabarbarum ad ʒ j. & mane colatum bibat Eminentiss. Pat. in prima mensa, prægressa debita consueta comestione: reliquum vero vini bibendum in tota mensa sit consuetum & sine rhabarb. In cujus vini medicati usu duodecim aut quindecim diebus perseveret. Interim quartæ intentioni satisfaciendum aquis, & præsertim *Acetossella* Romæ dicta, quæ ut vitriolata, aptissima erit: etenim primò obstructiones aperiendi, jecur & renes refrigerandi, renes ipsos mundandi, & viscera omnia roborandi facultatem obtinet, dummodo rectus sit ejus usus, ita ut primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio syr. ros. solut. præbeatur: reliquis vero diebus xv. cum vehiculo diuretico, quale esse poterit spiritus tart. ter rectificatus ad ʒß. in primis cyathis, addendo quoque syrupi de succo limon. portionem: quantitas autem diebus esse copiosa, incipiendo à septem, & ascendendo supra xii. libras paulatim, postea declinando. Terminato aquæ usu, usus lactis Asinini ad quadraginta dies de more instituendus erit, ut quod reliquias obstructionum exiccatas emollire, jecur refrigerare, massam sangnineam edulcorare, & totum corpus renutrire valeat. Quo eodem tempore xx. saltem diebus balneum aquæ dulcis ingredi poterit, alteratæ fol. malv. viol. nenuph. lactucæ & salicis, sitque tepidum, ad frigidum inclinans, nullo modo calidum. Et si fortasse ventriculo robur aliquod addere capiat Eminentiss. Pat. caute agendum, ne rursus hypochondria cum jecore calefiant: sat igitur erit, quod statim ab assumpto cibo duo aut tria grana Masticlies integra devoret.

Jam dictis vero omnibus congrua vivendi ratio addenda erit, præsertim in cibo & potu, animique pathematibus; abstineat igitur inter carnes à suilla, bubula, leporina, à volatilibus aqueis. Inter pisces, à paludosis, lutosis, & glutinosis, ostreaceis omnibus. Inter lacticinia à caseo, maxime veteri. Inter edulia ex pasta parata, eligantur tenuiora, ut vermiculi Apulienses, & alia hujusmodi. Vitentur condimenta aromatum, excepto exiguo cinnamomo & pipere ruditer contuso: pariter condimenta allii, cæparum, succorum ac dorum Citri, Limonum, Arantiorum. Inter olera damnantur fœniculum, apium, carduus, fungi & tubera terræ. Inter fructus eligantur fraga, pepones, persica matura: damnantur autem acerba, nimis dulcia & flatuosa. Vinum non sit dulce, non austerum non generosum, nec minus aquosum, sed sit subdulce & substypticum, quod nos vocamus *racente, overo pirante*, cum aqua ab initio ebullitum, non autem quotidie, ut moris est, nuper symphatum. Animi passiones & perturbationes, imo & vehementes applicationes ablegandæ, & alacri atque confidenti animo vivat Eminentiss. Princeps, de sanitate recuperanda securus, dummodo jam dicta omnia executioni mandari permittat: etenim qui vult salvus esse, servet mandata. *dem ibidem.*

DIGITORUM COALITUS
Contractio & Digitus sextus.
Curationes.

NOstro consilio digitorum coalitûs cura à ferro tantùm, eoque à prudenti Artifice administrato, sequenti modo exspectari potest. Cùm unionis hujus inconvenientis vinculum sit tenue, nec multis vasis sanguineis majoribus aut tendinibus intermixtum, sed solà cute contextum sit, facilè cura succedit. Hoc enim in casu uno ictu, acuta forfice incidi potest cutis carnosæ paries integerrimus, exscissis utrobique superfluis digitorum novorum quasi fundamentis. Non opus hic est ligno, triangulari, ad imitationem Plateri *Mantiss. Observation.* 43. Nec scalpello quô uti solet. *Hyeronimus ab Aquapendente Parte secunda Chirurg. cap.* 101. Hic tamen asterisco notandum venit monitum *Celeberrim. Ronhuys. Observ.* 10. p. 41. quòd deligentur digiti in novam cohæsionem proni, quod optimè, institutis ligaturis, ac medicamentis idoneis, præcaveri potest. Sic quoque cura coalitus digitorum fæliciter cessit, testantibus *Ephem. nostr. Ann. 6. Obser. 58. Joan. Dolæus Encyclop. Chirurg. ration. lib. 7.*

Sexti digiti cura, me arbitro, in ejus ablatione consistit, & optimè perficitur abscissione cum ferro, novacula scilicet, ligaturâ priùs institutâ, & hoc potest fieri in infantibus. Legimus enim in *Ephem. German. Ann. 6. & 7. Observ.* 118. Cùm infans tertiam septimanam tantùm complevisset, ligaturâ priùs institutâ; digitum firmiùs adhærentem novacula absciderunt Chirurgi

rurgi, mox alterâ die absque ligatura alium adhuc digitum amputarunt, quod sine magno dolore & sanguinis profusione factum, & vulnera facilè sanata sunt, ita ut vix vestigium relictum fuerit. Confer *Clar. Riedlini Observ. p. m.* 187. Sunt qui exemplo *Plateri* test. *Obs.* 42. *Mantiss.* à resectione abstinent, usque infantes adultiores facti sunt, sed non videmus ob quam rationem id omitti debeat, cùm digitus tantùm quasi petiolo pendeat, & exiguus sit, is institutô anabrochismo facilè curari potest, hoc est ligaturâ cum filo sericeo instituta; hinc enim digitus superfluus marcescit & decidit, postmodum facili negotio medicamentis congruis penitùs sanari potest. In adultioribus verò digitus sextus commodè cum ferro quod Germani *ein Meissel* dicunt, extirpari potest. *Idem ibidem.*

Observationes.

De Digitorum Contractione.

Anno 1596. Isaacus Gotteran de Perroy, adduxit ad me Lausannam filium suum Michaëlem, 14. menses natum. Is autem sextò mense ætatis manû dextrâ in prunas ceciderat: Hinc index, medius, annularis, & auricularis unà cum externa metacarpi parte, adeò combusti fuerunt, ut apices horum digitorum usque ad primam articulationem deciderint. At quia pater curationem imperitis commiserat, digiti omnes, (excepto pollice) cum cute metacarpi quasi in globum conglutinati fuerant. Septimò mense post absolutam curationem, adducunt ad me puerum parentes Lausannam, auxiliumque meum implorant. Purgatô itaque corpore, mannâ ex jusculo exhibitâ, topica & Chirurgica sic institui. Primò sequenti decoctô emollienti, & unguento, per dies aliquot usus sum.

♃. Rad: alth. cum toto, rad. bryoniæ, lilior. alb. an. ℥ j. flor. chamom. meliloti, hyperici, chamæpit. chamædr. an. m. j. sem. fœnigr. lini an. ℥ j. coquant. in jusculo pedum & capitis vervecis, aut vituli pro fotu. Postea inunxi totam manum & brachium sequenti unguento.

♃. Unguenti dialth. ℥ j. axung. human. gallinar. anser. ursi an. ʒ ij. succi lumbricor. ʒ ß. M. F. unguentum. Tandem manum involvi emplastro de mucilaginibus. His nervi & callositas ex corrugata cute metacarpi & digitorum, in externâ manus parte concreta, satis emollita. Hinc callum inter digitos & metacarpum novacula excidi, digitos item separavi. Deinde inspersi pulverem nostrum ad sanguinem sistendum, & albumina ovorum mista cum aqua rosacea, & plantaginea oleoque rosaceo, applicui. Defensivum quoque ad carpum adhibui, & totum brachium oleo rosaceo, myrtillorum, & lumbricorum inunxi. Postero die sequens digestivum filamentis suavibus supra incisiones posui, & brachium, ut antea, suprà dictis oleis inunxi.

♃. Terebinth. lotæ in aq. rosac. & plantag. ℥ j. olei rosac. & de vitell. ovor. an. ℥ ij. croci ℈ ß. vitellum unius ovi. M. Quinto die apposui sequens instrumentum, ex ligno fabricatum, & incæpi paulatim attrahere digitos ad naturalem situm. Hoc instrumentum componitur ex ferulâ, latâ tribus digitis in latitudine positis, ejus longitudinis ut a carpo ad cubitum ferè usque pertingat. Secundò ex baculo rotundo pollicis crassitie, qui ferulæ firmiter affixus est: mediô autem hujus bacul. exsurgunt 4. clavi rotundi ex ligno fabricati. Habet item ferula fibulas duas, & lora duo, quorum beneficio instrumentum brachio alligatur. Alligatô itaque instrumentô, & undique linteis, stupis, aut gossypio bene munito, habui in promptu digitalia ex pelle fabricata, quæ extremitatibus digitorum apposui; deinde filô ipsis appensô, digitos deorsum attraxi, & clavis baculo descripto affixis alligavi, atque singulis diebus magis magisque incurvavi. Id autem ut eò melius fieret, brachium & manum superiori unguento, quotiescunque vulnera tractabam inunxi. Ne autem digiti denuò conglutinarentur, laminas plumbeas digitis interponebam. His paulatim digiti ad naturalem situm reducti fuerunt. Interim vulnere quoque consolidavi & cicatrizavi, non quidem iis quæ valdè exsiccant, sed iis quæ simul emolliendi vim habent medicamentis. Atque sic Divinô favore manus in integrum restituta fuit. *Guilelm. Fabric. Hildanus Observat. Chirurg. Cent.* 1.

Post diuturnum colicum morbum, & resolutiones contractionesque secutas in manibus & pedibus in Nobili quodam Sene remanserunt in utraque manu contracti digiti, internodiis duobus exterioribus adeo astrictis, ut incurvati in volam manus digiti nulla vi extendi amplius possent. Multis usus remediis, & thermis, nihil profecit; durante & jam per biennium perseverante malo, meo tandem utens consilio; hoc pacto curationem inchoavi, purgato prius decenter corpore per triduum vino cathartico nervis simul accommodato; dextræ manui sequens Emplastrum applicui.

♃. Gummi ammoniac. ℥ ij. galban. opoponac. bdell. an. ℥ j. dissolv. in aq. vitæ adde Styrac. calamit. ʒ ß. axung. anser. medull. cruris vituli an. ℥ j. thuris ʒ ij. rad. Ireos. ʒ j. hermodact. ʒ j. laric. & resinæ communis an. q. s. f. Emplastrum super alutam extendi & manus interiori sedi universæ applicetur, & in plicaturam astrictorum digitorum imprimatur. Fuit Emplastrum scissum in partes tot, quot digiti erant, chirothecæ instar, singulis digitis petiis obvolutis, ut exactè illis jungeretur. Postea pittacium ex panno duplicato formatum, firmiter impressum, & asserculum panno involutum transversim collocatum, & omnia fascia probè coercita sic ut Emplastrum undique se digitis incurvatis accommodaret, eosque nonnihil extrorsum premeret, totam noctem sic collocatam retinuit, aliquotque noctibus continuavit. manè verò hisce impedimentis, singulis digitis plumbeam massulam chorda plana appensam, quæ illos sensim extenderet, gestavit, suffitu insuper manè usus est ex trochiscis sequentibus carbonibus ignitis impositis, parato,

♃. Marcas. ℥ i ß. myrrh. mastich. an. ʒ ij. Storac. benjoin. an. ʒ j. rad. Ireos ʒ ß. cum laricea F. trochisc. hisce vix dum octiduo usus est, cum digitos, premendo tamen eos, extendere posset. Emplastrum rursus sinistræ quoque manui, tribus noctibus tantum apponens, eos etiam digitos jam cedere nonnihil sensit, quibus

ad me scriptis, jussi ut articulorum roboris causa, bis aut ter manum decocto Salviæ in lixivio, in quo chalybs extinctus esset, foveret, usque horum pergeret: & ut utramque manum digitosque ante Emplastri appositionem hoc unguento illiniret.

℞. Ol. Lumbric. Lilior. an. ℥ ij ß. ol. chirin. irin. an. ℥ß. Lithargyr. ℥j. coq. parum adde gummi ammoniac. in aq. vitæ solut. ℥j. Styrac. ℥ ij. laric. ℥ß. ceræ q. s. F. unguentum, Interea licet omnia in melius tenderent spesque esset integræ restitutionis, nolens amplius apud nos subsistere, thermas adiit Piperinas, Sed irrito conatu, nam earum usu, digiti amplius astringi potius quam relaxari cœperunt. *Felix Platerus, Observ. lib. 1. pag. 147.*

DOLOR IN GENERE.

Ubi in specie de

DOLORE CAPITIS

Sub quo scilicet

CEPHALALGIA, CEPHALEA

Et

HEMICRANIA.

Sensus quilibet necessariò conjunctus est cum tremore aliquo nervorum, nempe alterna contractione & distractione eorundem: hi autem motus cùm fieri non possint absque mutuo excursu ad contactum partium ex quibus nervus componitur, neque hic excursus sine successiva contactuum mutatione, hoc est sine solutione quadam, manifestum est sensum quemlibet esse cum solutione continui aliqua. Quia verò dolor est tremor momenti majoris, hinc fit, ut quæ solutio fit in dolore, sit multò major, ac vehementior, quàm quæ in cæteris sensationibus,& cùm hæc sit tristis, reliquæ non item, hæc etiam sola appellari poterit solutio continui,quatenùs solutio cõtinui in genere inferre necessariò creditur molestum aliquid, cùm revera id necessariò non inferat, nisi quando est certi gradus, ac dici poterit dolor, ut communiter dicitur, sensio molesta, vel tristis à solutione continui proveniens. His igitur ulteriùs non immoramur, cum ab Animalium operationibus alibi expositis pendeant, & gradum facimus ad divisiones, & species doloris, quæ à Medicis communiter recensentur. Illæ sunt tendens, seu tensivus: gravans, vel gravativus: pungens, aut punctorius, vel pungitivus, ad quem referuntur acer, mordax, pruriens, lancinans, & hujusmodi: pulsans, seu pulsativus, frangens, vel frangitivus, qui proprius est ossium, & etiam ossium dolor appellatur. Patet autem ex ipsius nominibus, quid sit ejusmodi dolorum unusquisque; premens enim est, in quo sentit Animal se ipsum totum, vel ad aliquam partem premi, ac si pondus esset impositum: tendens, in quo se distrahi sentit cum rigiditate quadam, & duritie partis, aut totius, ut cum chordæ musicæ, aut arcus tenduntur: pungens, cum se affici sentit non secus, ac cum acu, acicula, stylo ferreo, vel similibus cuspide feritur: pulsans, cum ad aliquam partem dolor percipitur cum pulsu non naturali: frangens denique, cum ossa ita urgeri sentiuntur, ut veluti in fracturam veniant. Facilia hæc quidem dictu, nec etiam satis obscura præsertim, cum per exempla proponuntur, sed si modus, quo ejusmodi dolores excitantur, exponendus est, nec ita obvia, nec à Medicis explicata. Id igitur nostræ curæ erit, quod ut fiat planius primò ostendamus oportet, in unoquoque ex enarratis doloribus tensionem, seu causam doloris tensivi debere contingere excepta una specie doloris gravativi, quæ est per summam partium resolutionem. Quoniam enim ossa seorsim à membranis non sentiunt; omnis igitur fractionis aut verus sensus, aut imaginatio fiet per affectionem membranarum, fractio autem est divulsio; igitur frangitivus dolor est sensus divulsionis in membranis interiùs, atque exteriùs ossium cavitates, & superficies quaslibet succingentibus, divulsio autem non fit sine tensione, ut patet; in frangitivo igitur dolore datur tensio. Quoniam verò in nostris corporibus nullus canalis præter arterias, imò nulla pars præter ipsas naturaliter pulsat; igitur in dolore pulsativo aliquid non naturale continget arteriis, cujus vi debeat pulsus earum, qui in naturali statu ab animali non sentitur, ab eodem animali sentiri, & sentiri cum dolore. Fiet igitur primò major;neq; etenim pulsus priùs insensilis fieri sensilis, & sentiri quatenus pulsus potest,nisi ex parvo,vel minori major fiat:major autem pulsus motum arteriæ per majus spatium majorem extensionem,& major extensio tensionem secum necessariò ferunt; igitur pulsativus dolor etiam cum tensione. Quia verò major major pulsus fieri non potest reliquis omnibus benè se habentibus, nisi ad partem, ad quam fit ille pulsus, obstet aliquid sanguinis fluxum impediens, cujus occursu fiat, ut sanguis ulteriùs procedere prohibitus nitatur quaquaversum, & validiùs urgeat arterias, atque ita majorem pulsum pariat, ut in fluminibus profluens ad transversos obices intumescit, neque illud impedimentum esse potest, nisi quid aut obstruens interius, adeoque membranas extrorsum urgens, & propterea extendens, ac tendens, vel exterius comprimens, unde eadem extensio, & tensio; igitur etiam hac de necessitate tensio in pulsativo, & propterea in hoc dolore, quoties per impedimentum fit, dabitur tensio duplici de nomine, & ratione pulsus, quatenus pulsus est, & ratione impedimenti. Quoniam insuper punctio dicitur vulnusculum ab acuto quolibet minimo inflictum; minimum igitur illud ad hoc, ut pungat, cum vulnerare debeat, debebit inter duas minimas particulas componentes sese agere, easque totas simul à contactu removere absque eo, quod transversè supra eundem contactum excurrant; incidet igitur pungens, antequam eas sejungat, in earundem corpus easque simul cum annexa reliqua longitudine per lineam sui motus ducet, unde fiet tensio vel aucta longitudine, si corpus illud supponatur rectum, aut curvum, sed pungens, incidat in con-

concavum, vel imminuta, si sit curvum, & pungens, incidat in devexum, sed partibus per impulsum coeuntibus, hoc est, in minorem longitudinem abeuntibus: quare etiam punctorius dolor erit cum partium, quæ punguntur, tensione. Similiter quoniam dolor gravativus est affectio, qualis cum à superimposito pondere premimur; igitur in ejusmodi dolore eodem modo afficientur partes, at cùm pondus in corpus nititur: per pondus autem membranæ, nervi, musculi ita comprimuntur, & ossa ad articulos urgentur, ut neque hæc ad eosdem sisti absque majore musculorum nisu possint, neque compressi musculi contrahi nisi per copiosiorem spirituum compressionem superantium influxum, neque hi per nervos compressos fluere, nisi violentiùs agantur, atque ex hoc majori nisu dignoscitur id, quod dicimus premi, & hæ motiones à pressionibus provenientes non fiunt sine tensione; igitur nec dolor gravativus, qui fiet, quoties per vitium aliquod nervi musculi, membranæ, articuli similiter urgebuntur, erit sine tensione. Esto jam vel nimio humido concepto, vel qualibet alia de causa ita flaccida pars aliqua, vel totum corpus, ut suis vix ulterius cohæreat partibus, ut paginæ benè madidæ, vel partes etiam corporis aquis diù maceratæ, uno verbo, ad putrefactionem, vel siccitatem nimiam, qualis eorum, quæ ex se in pulverem abeunt, nec poterunt illæ ad mutuum contactum excurrere, cum ne cohæreant quidem: quare in iis fieri neque per contractionem, neque per distractionem tensio poterit: collabi autem supponuntur; igitur nervos, musculos &c. proxima prement, & majori nisu, & copia spirituum opus erit ad motus, ex quo cum dijudicetur pressio, dicetur tum animal dolore gravativo affligi. Cum igitur solum in summa dissolutione partium detur quædam species, eaque unica doloris gravativi, qui sit unicus à tensione sejunctus, hoc est, à causa doloris tensivi, manifestum est, distinctius esse procedendum in enumeratione dolorum, cum tensivus, qui ab ipsis Medicis tanquam quidam separatus, & suam speciem constituens ponitur, sit quid conjunctum necessariò cum doloribus omnibus excepto unico gravativo in summa partium resolutione. Quoniam igitur ex dictis patet, in unoquoque dolore contineri pressionem, & aliquam aliam affectionem saltem animo à tensione distinguendam, & ipsi saltem ordine, si non tempore præcedentem, dolorum singulorum species denominandæ à conjuncto illo cum tensione, quæ communis est omnibus, & constituenda etiam alia species, quæ sit, cum afficimur sola tensione partium, quod accidet, cum partes à naturali rigiditate recedent in majorem duritiem, vel per contractionem, vel per distractionem. Reliquorum autem dolorum affectio primaria saltem ordine præcedens tensionem est manifestissima: in pungitivo enim præcedit nisus in utramque particulam divellendam, & earum divulsio, unde hujus solius respectu suam sibi vindicat speciem in gravativo pressio, in fractivo extensio vel divulsio, in pulsativo, impulsus: in sola autem tensione nihil particulare; contractio enim, vel distractio, quæ ordine præcedit tensionem, est commune illud, quod præcedit etiam in reliquis. Secundò jam exponantur oportet causæ, quibus dolores hujusmodi generantur. Et primò patet ex superioribus, pulsativum fieri debere, quoties aliquid prohibet, ne sanguis naturali tenore, ac fluxu fluat per arterias, sed aliquantum, vel ex toto ad partem aliquam cohibeatur, inibi enim interceptus cumulatur, & majus spatium exigit, atq; pertingens ad impedimentum, & retrorsùm refluere coactus occurrit sanguini continuè affluenti, unde velut inter duas oppositas facultates pressus utroq; cum impetu quaquaversum dissilit, & arteriam ad majus spatium extendit, seu dolorem pulsativum procreat. Id autem contingere debere patet vel per nimis auctam molem sanguinis, vel per naturalem molem ejus, sed rarefactam, & veluti effervescentem, vel aucto impetu à corde, vel occlusione per quodlibet impedimentum arteriæ; per hæc enim singula vitiabitur naturalis fluxus sanguinis, ac fiet, ut in dato tempore per datam arteriæ amplitudinem fluere debeat quantitas sanguinis major, quam quæ ab eadem trajici in eo dato temporis spatio possit, unde pars, vel sanguis universus eò deductus refluere cogetur, & occurrens affluenti dissilire quaquaversum majori cum impetu, & pulsum majorem producere. Sic in vasis angustioris colli liquida subsistunt ad eas angustias deducta, eoque faciliùs subsistunt, si majori cum velocitate exhaurire vasa illa tentemus. Ex his autem patet, quid portendant ejusmodi pulsativi dolores, & quid causarum debeat præcessisse, quid conjunctum esse, quid succedere, quæ singula diversa esse poterunt pro diversitate partium, in quibus dolor pulsativus contingit, & cujuscunque rationis sint nullo negotio percipiuntur. Quia verò punctorius est affectio, qualis cum pungimur minimis, & acutis instrumentis, quicquid igitur humorum est tam tenue, ac tanti impetus, ut inter utramque illorum particulam se subitò possit trudere, easque ferè totas simul absque eo quòd supra se invicem ad mutuum contactum excurrant, sejungere, atque divellere, dolorem pungentem non secus, ac illa instrumenta, pariet: hujusmodi autem sunt quicunque humores tenues, calidi, biliosi, cujusmodi ichores &c; igitur ab horum allapsu ad partes sensiles fiet punctorius dolor. Et siquidem in unicam particulam incurrat, & nihil adjunctum habeat, unde punctio illa ad certum aliquem pungendi modum redigatur, dicetur simpliciter punctorius: si verò ita pungat, ut quiddam acre sentiamus, dicetur acer: si tanta vi, ac diversis in partibus proximis, quas insuper quasi lanıet, dicetur mordax, vel lancinans: si in diversas partes frequentissimè, easque similiter proximas, vel etiam distantes recurrat, ita ut continuam quandam quasi scalpturam repetat, dicetur pruriens, & si quæ his similia nomina excogitare velis mille. Ex his autem patet, dolorem hunc punctorium facilè conjungi cum inflammationibus; hæ etenim cum sint tumores maximè calidi, expirant maximè calidum, adustum, ac purum, nempe ab humiditate liberum ratione ejusdem tumoris maximè calidi humidum vel retinentis, vel absumentis, unde in membranas incidens inter utramque ipsarum particulam se se adiget tam ratione tenuitatis quam ratione motus, easque divellet &c., seu punctorium dolorem excitabit. Tertiò quoniam tenduntur villi per con-

contractionem, & distractionem; tendi igitur poterunt per quidlibet contentum in corpore contrahendis, vel distrahendis villis accommodatum; contrahunt autem humida, & quæcunque liquida humidum aqueum participant trudendo suas particulas inter utramque partem villorum, ut patet in chordis Musicis: distrahunt autem tendendo frigida per densationem (suppositis villorum terminis immotis,) sicca, & calida abripiendo humidum; frigida igitur, humida, calida, sicca tendere villos poterunt. Vides hic similiter, quæ antecedere &c. debeant, eaque pariter esse facillima. Similiter subitò patet etiam, dolorem tensivum facilè, ac necessariò conjungi posse cum inflammationibus, & præcipuè ad partes nervosas; calor enim ille abripiet humidum, unde exsiccabit, & per longitudinem distractis villis eosdem tendet, hinc dolor punctorius in pleuritide &c. cum tensione, quæ insuper erit communis omnibus arteriis, si calor inflammationis tam adusserit universum sanguinem, ut hic omne humidum arteriarum absumpserit, hinc pulsus duri in inflammationibus internis, &c. Quoniam verò solam pressionem arguit gravativus; igitur decubitus cujuscunque humoris tenacioris, tardi motus, crassi, frigidi, pituitosi ad aliquam partem, ita ut illam premat modò superiùs exposito, gravativum dolorem producet. Quin & hunc producet summa resolutio partium flaccescentium, & concidentium supra se ipsas, musculos, aut nervos, ut ex superioribus. Sed etiam à tensione per intrusionem humidi poterit hic dolor procreari, si intrusio sit tanta, ut villus eo usque crassescat, quousque perducatur ad contactum alicujus musculi, vel nervi, vel utriusque cum nisu in eundem; tunc etenim statim pressio, ut patet. Postremò frangitivus cum nihil aliud sit, quam divulsio, vel distractio membranarum ossa succingentium, manifestum est, oriri ipsum debere à quacunque causa, vel ab extrinseca superficie periostii intra ipsum se se adigat, vel nitatur inter externam superficiem ossis, & internam periostii, vel urgeat intra minimas cavernulas per os dispersas, vel demum nitatur in ipsum os ad mediam, & intimam cavitatem, eamque causam esse posse cujuscunque generis, calidam nempe, frigidam, siccam, humidam, tenuem, crassam, magni, parui momenti, &c.; cum etenim periostium validè undecunque adhæreat ossi, manifestum est, quæcunque causa supponatur, distractionem ejus moliens non nisi per minima ipsam moliri posse, cum nempe ad minimas quasque partes periostium hæreat ossi, quod cum à quacunque causa fieri possit, patet quod proposuimus. Unde deduces insuper, acerrimum esse debere ejusmodi sensum, cum nulla detur libera longitudo membranæ, quæ cedat, ac proinde retundat impetum facultatis distrahentis, ex quo deduces insuper, ad eas membranas esse debere dolorem maximi sensus, quæ per densiores sui partes affiguntur ossibus, ut pleura, ut pericranium, dura mater &c., unde in his dolores acerbissimi, & cum inflammatione pungitivi. Deduces tertiò, dolorem pariter magis acerbum sentiendum in membranis natura magis tensis, cujusmodi sunt expositæ, eadem de causa, tensio enim facit, ut membranæ minus cedant, unde impetus facultatis dolorem excitantis vividior, & magis per minima nitens, & magis divellens, hinc dolor intensus punctorius in pleuritide &c. Postremò ex his omnibus intelligis, dolores omnes, vel eorum aliquot eandem partem eodem tempore posse vexare, prout omnes, vel aliquot eos producentes causæ ad eandem partem simul colliguntur, & operantur, & in frangitivis ab hac, aut illa causa eos produci facilè dignoscendum, prout cum sensu fractionis conjungitur tensivus, pulsativus &c. Sed & illud animadvertendum est, dolores in vulneribus, & hujusmodi divulsionibus cum insigni præcisione nervorum post factum vulnus non perdurare ejus intensionis, qua corripiunt in ipso actu, quo vulnus excipitur; præciso enim nervo tremor tantum non cessat: quia tamen nervus semper immittit spiritus ad usque locum præcisionis, iidem ad ipsum perducti nitantur in nervi superficiem abscissam oportet, & dolorem continuum excitent, sicut etiam humores à partibus proximis exsudantes, & hic affluxus eo erit copiosior, & quasi continuus, si pars vulnerata sit musculosa, vel musculo proxima ratione contractionis: hinc ulcera, vulnera &c. vix dolent, nisi cum aut ad ipsa affluit materies, aut in pus abeunt, aut munda non conservantur, aut lintea, & alia ejusmodi, quibus absterguntur, & fricantur, iis admoventur, aut cum inflammantur ob affluxum sanguinis, & caloris, quorum vehementia dolor intensus, ac demùm spasmus per refluxus continuos à vehementia doloris. Sed & illud ulteriùs notabis, verum esse posse, quod aiunt communiter, dolorem tensivum à flatu fieri; quicquid enim quaquaversum nititur in membranas circumpositas, eas tendat oportet distrahendo, unde dolor tensivus, cujusmodi verè sunt flatus, & cum hi plerunque proveniant à materiebus fermentescentibus, facilè dolor ille orietur, cum materiæ intra aliquam partem fermentescunt, præcipuè si illa pars sit maximè membranea: hinc tensio intestinorum in affectione colica, quin etiam in cholera morbo &c., cum humores fermentescunt intra viscera abdominis, eaque quaquaversùm nitendo inflant. Hinc patet, simili modo etiam in aliis partibus oriri posse dolorem tensivum à flatu; materia enim potest in parte qualibet fermentescere, & in flatum abire, atque ita quaquaversùm niti. Demùm notabis, quemlibet dolorem etiam excitari per imaginationem posse, excitata nempe ipsius specie, ut passim exempla occurrunt in in incubo, in insomniis, in deliriis, & ex harum affectionum doctrina manifestum est.

Dolor Capitis.

Quoniam, ut patet ex præmissis, unaquæque doloris species potest singulis partibus corporis accidere, manifestum est, qua ratione, ac necessitate caput etiam possit dolere dolore pungitivo, tensivo, gravativo, pulsativo, immò etiam cum compingatur ex ossibus non secus, ac ossa cætera, membranis undecunque per intima succinctis, poterit, ac debebit, cum res tulerit, dolore ossium proprio, seu fractivo affici. Ex his itaque, ac præmissis manifestum etiam est, quid sit dolor capitis, nempe solutionem

tionem continui in aliqua ex partibus intra ipsum contentis factam ab hac, vel illa causa, & ejusmodi solutio hunc, vel illum dolorem pariet, prout ea erit, ut hoc, vel illo modo solvere possit. Insuper cum dolor sit quid maximè obvium, & quid singulos dolores præcedere possit, ac debeat, quid conjungi, quid succedere, ex præmissis de dolore in genere facilè pateat, ab eorundem enumeratione, atque expositione abstinebimus tantummodò ad finem recensentes majoris momenti quædam ex Hippocrate ad succedentia, & præsagia in hac affectione pertinentia. Cum igitur unaquæque affectio sit idiopathica, & sympathica, erit etiam hujusmodi quicunque dolor capitis, & idiopathicus quidem erit, cùm causa vigebit in capite non aliunde ex aliqua parte corporis derivata, sympathicus autem, cum ab aliqua parte corporis provenit. Idiopathicus aliquando à saxis præter naturam in capite genitis, vermib⁹, ossibus, tumoribus, carie cranii, ulcere cerebri, & hujusmodi generatur, quin à crassiori sanguine, vel tenuiori, quorum ille tendat, fluxum prohibeat &c., hic pulset, ac pungat, ut patet per ea, quæ de dolore in genere exposita sunt. Sympathicus verò, cum pars aliqua trajicit in sanguinem humores non naturales, qui perducti ad cerebrum, seu cranium, partem nempe minimæ pressionis præterfluere ex vasis nequeant, unde subsistentes pariant dolorem illum, qui ab iis humoribns necessariò pendere debet, vel mollitiem cerebri afficiant suo liberiori motu divellendo, pungendo. Vel cum in parte aliqua fit talis sensus, ut nervi concutiantur æquo plus, quam naturalis cerebri status fert, unde dolor: vel cum absque concussione solum trahuntur, & secum rapiunt appensum cerebrum, quod vix fieri posse crediderim, cum nervi, antequam cerebrum subeant, mille appensionibus hic illic sistantur, ita ut cerebrum ab ipsorum tractione vix quicquam pati posse videatur. Major autem videbitur cum iis partibus consensus, ad quas vel majores nervi abeunt, & magis rectà tendentes ad cerebrum, ut septum, & Ventriculus, vel ex quibus derivantur humores maxime fermentantes, cujusmodi sunt qui ab utero, unde uteri cum capite consensus non tam ratione nervorum plurium, quam ratione humorum ab eo provenientium, qui ad cerebrum partem minimæ pressionis, & maximè delicatam perducti ad ejus membranulas vim suam magis exerent, quàm ad membranas reliquarum partium, unde videbitur consensus major, & peculiaris, quanquam re ipsa id continget non ratione veri consensus cum utero, sed ratione peculiaris naturæ cerebri, quæ injurias minus, quam reliquæ partes, ferre potest: dolor autem proveniet ratione partis dolentis, & humoris dolorem excitantis, qui humor ab utero derivatur. Qua de re illud est singulare, quod asserit Langius, mulieres uteri passionibus afflictas solo vertice capitis prope suturam coronalem dolere, ubi glaciei frigus, & pondus se sentire asserunt (quod, inquit Langius, si observaveris, ad discernendum, quando caput per matricis consensum doleat, tibi plurimum proderit.) Quod sane an verum sit in omnibus, equidem dubito, & fides sit penes Authorem. Nec quicquam aliud peculiare occurrit in idiopathicis, & sympathicis doloribus capitis accuratius examinandū. Dolor quilibet capitis externus est, aut internus: externi nomine intelligitur qui est extra cranium: internus qui intra. Quanta hìc controversiarum series apud Medicos, ut locus doloris intra craniū inveniatur, atq; ut distinguatur externus ab interno. Ait enim Gal. externum ab interno dignosci, quòd internus ad usq; radices oculorum pertingit, eo quod oculorum tunicæ à Meningibus proveniunt, in quib. dolor inrernus producitur: externus verò in pericranio situs non ad usq; radices oculorum excurrit, cum pericranium eò usque non pertingat. Alii verò dubitant, num internus occupet Meninges solas, an etiam medullam cerebri, sed hanc alii asserunt affici dolore non posse, cum non sentiat. Ex Anatomicis autem, & experientia Chirurgorum patet, cerebri medullam, & corticem, seu totum corpus ejus, etiam si concedatur non sentiens, quatenus nullis vasis intextum concipi potest, quemadmodum & ossa, si concipiantur destituta membranis omnibus, non sentiunt; tamen quia re ipsa cum intra cranium naturaliter se habet, vasis innumeris implicatur etiam per intima, quæ sunt ex membranis, seu villis sentientibus, manifestum est, corpus cerebri totum posse, ac debere in dolorem cogi non secus, ac ossa possunt, ac debent, atque ita dolent, ut suum sibi dolorem proprium vindicaverint, & doloris speciem sejunctam ab aliis constituerint. Itaque dolor internus esse poterit & in Meningibus, & in corpore cerebri, nec necessarium erit, ut pertingat ad radices oculorum, immò de facto non omnis dolor internus capitis ad radices oculorum pertingit, ut qui fit ad occiput, & partes circa ipsum, cujusmodi datos plurimos novimus in iis, qui per longum tempus dolore capitis vexati mortui sunt, in quorum craniis ad partes posteriores inventi sunt tumores scyrrhosi, caries ossis, lapilli &c. quæ monstra eo loci inventa certò arguunt dolorem illum, quem ægri in ea parte sentiebant, dum viverent fuisse internum, licet oculorum radices non affligeret sed & externus & radices oculorum potest pertingere; etiam si enim concedatur, pericranium ad eam usque partem non extendi, an non eò perducitur periostium, membrana nempe pericranio cohærens, immò ipsius pars, quæ proinde ipso dolente doleat oportet? Externum igitur ab interno faciliùs, & tutius distinguet Medicus à conjunctis cum dolore præcipuè, si vitientur, aut non vitientur operationes cerebri, nempe motus, & sensus quilibet, sicut etiam perpendendo, num dolor ille possit esse sympathicus, quod ut intelligat, excurret per partes omnes, ut videat, num ipsarum aliqua vitio laboret, quod cerebro communicari possit: per consensum enim vix fieri potest externus solus dolor capitis tùm ratione exiguæ quantitatis, & molis nervorum, cùm etiam quia externum caput majoris est motus, quam internum: ac demū tactus, premendo scilicet cutem, agitando &c. indicabit, an dolor externus sit, an internus; tactu enim si internus fuerit, nihil mutabitur dolor, si verò externus, augeri per pressionem, vel minui poterit. Quicunque dolores capitis specialibus singulorum dolorum nominibus nuncupantur,

nempe pungitivi, tensivi &c. præter gravativum, qui in capite specialem Græcam appellationem adhuc retinet, & dicitur καρηβαρία. Distinguitur rursùs dolor capitis in veterem, & recentem, totius capitis, aut dimidii: qui totum caput occupat nullum sortitus est peculiare nomen, & est vetus, vel recens, & in genere quicunque vetus est, & confirmatus per diuturnum temporis spatium dicitur κεφαλαία, qui vehemens est, & levi qualibet de causa exacerbatur, nec æger quicquam strepitus ferre potest, non loqui, non lucem videre. Recens autem est multo mitior, & dicitur κεφαλαλγία, cujusmodi nomen, ut ex vi ipsius patet, dolorem capitis simpliciter, & nullum determinatum significat. Qui autem dolor dimidiam cranii partem occupat, ἡμικρανία nuncupatur, dolor quandoque eximiè intensus, & ægrum maximè affligens, & quassans; neque enim in ipso patiens solùm ferre non potest aut minimum rumusculum, aut dubiam luculam, aut loqui tantillum, quin neque tangi absque dolore in qualibet parte corporis, concutitur aliquando, sudat frigidum, pulsus fit inæqualis, vomit aquam lympidam, viridem, insipidam, amaram, salsam, & cum his affectionibus perdurat solidis 24. horas, & ulteriùs identidem, & frequentissimè, & copiosissimè vomendo, sæpè cum conatibus irritis in vomitum, quibus horis transactis, & vomitu suppresso dolor evanescit: æger impensè sitit, artubus vix constat omnino viribus fractus. Hujusmodi emicrania laborantem per plures annos vidimus quendam, qui tali affectione laborare incæperat septennis ex casu in caput ad solum ex altiori arbore, & paroxismus recurrebat per vices incertas semel, bis, quater singulis mensibus, aliquandò per solidos menses nunquam, æstate rariùs, hyeme acriori sæpiùs, & in mutationibus temporum præcipuè, cùm vergebant ad Austrinas, pluvias, & uno verbo humidas. Fortè autem hæc omnia primò à ventriculo, & intestinis proveniebant minus apte coquentibus, & humores crudos partim transmittentibus in sanguinem, partim intra se retinentibus, unde humores cum sanguine crassiores difficilè per vasa cerebri compressa præter naturam ex casu ab arbore fluebant, unde dolor, hinc eorum copia subsistens infarciebat, & extendebat vasa, & premebat cerebrum, ex quo convulsiones musculorum contranitente carentium, cujusmodi ventriculus, unde vomitus, & nisus in eundem, & inæqualitas pulsus, & cum interim ventriculus ratione humorum contentorum pariter ab ipsis stimularetur ad vomitum, multo faciliùs ille succedebat. Interim per vim vomendi, & fluxus, ac refluxus vividos, & frequentes, qui in dolore contingunt, maximus partium omnium nisus, & expressio cujuscunque humidi, & derivatio ejus in partes cavas, nempe ventriculum, & intestina, unde materies largior vomitibus suppeditatur, & corpus exsuccum redditur, ex quo oritur sitis absoluto paroxismo, & debilitas totius corporis absumptis per ejusmodi motus violentos spiritibus. Quod si vomendi stimulus sit tam validus intra ventriculum, ut ex se sufficiat ad ipsum producendum, eadem contingent absque eo, quòd cerebrum prematur, ut patet. Quia vero repetito frequentissimè, & per 24. horas protracto vomitu materia in vasis capitis contenta, & dolorem pariens sensim è vasis exprimitur, sensim minuetur copia illa materiæ dolorem parientis, & conservantis in cranio per sui intrusionem intra vasa, unde demùm fluet tota, & cessabit dolor. Rursùs quia tremor ille doloris intensi est veluti delirium quoddam, facile species omnis in eundem tremorem incidet, eumque propterea vividiorem faciet, seu dolor augebitur, & æger non luculam, non rumusculum &c. ferre poterit, eo quod quæcunque species in speciem doloris incidens, ejusque tremore tremens dolorem intensiorem producit: quin asserebat ille, se, cum dolore ille detineretur, ne cogitare quidem quicquam potuisse eadem de causa, ut patet. Quia verò constitutiones humidæ tempestatum &c. magis prohibent perspirationem, & crassiores reddere possunt humores, hinc tunc temporis frequentior paroxismus, sicut acriori hyeme propter frigus constringens cutim; secus autem æstate, cum calor tenuet, moveat, & expirare faciat humores: hinc etiam est, quòd idem meliùs habebat, ac diutiùs à paroxismo præservabatur, si alvum subduceret, & facilis esset egestionis, seu alui humidæ, secus verò, cum alvus siccabatur. Quæ de hac emicrania notare voluimus, cum sit à nobis diligenter observata, & sit raræ constitutionis. Hæc autem sunt quæ de dolore capitis novisse oportet. Age jam selecta illa ex Hippoc. de dolore capitis explicemus. *Quibus per febres urinæ turbatæ quales jumentorum, iis dolor Capitis vel adest, vel aderit.* Quoniam enim urinæ turbatæ provenire possunt à solutione partiũ solidarum, quæ cum sanguine feruntur per corpus, h.e. partium difficilis motus; hæ igitur perductæ ad cerebrum, in quo minima viget vis pressionis facilè subsistent, & dolorem excitabunt. *Qui valentes doloribus capitis repentè corripiuntur, & protinus muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris eos præhenderit.* Subitus enim ille insultus doloris cum vocis suppressione, & stertore indicat copiam ingentẽ materiæ comprimentis cerebrum, quæ nisi trajiciatur in vasa sanguinis, ita ipsum premet, ut spirituum influxus impediat, unde Mors: traducta autem in vasa sanguinis febrem excitat, & per eam absumitur, vel tenuatur, & per excrementa redditur, quare patet pronunciati ratio. Vide autem universum lib. 2. Coacarum Dureti, cujus hic primus locus. *Capitis dolor prægrandis cum acuta febre, alio ve quopiam difficili signo conjunctus mortiferus: sin autem omni alii malo signo procul dies 20. excesserit, sanguinis profluvium, aut suppuratum è naribus, aut partium imarum abscessus denunciat: maxime vero 35. annis minoribus profluvia sanguinis, provectiorib. autem abscessus expectare oportet. Ac certè profluvia omninò sperabilia sunt in frontis, & temporum dolore prægrandi.* Quoniam enim dolor capitis supponitur prægrandis, & acuta febris; vel igitur dolor ille est à decubitu materiæ crassioris, quæ à febre licet acuta solui, ac moveri, seu concoqui nequeat, vel provenit à calore totius sanguinis febrem acutam producentis, & utrumque lethale, ut patet, sicut etiam cum alio quolibet signo difficili; dolor enim ex se absumit spiritus,

& in capite naturalem eorum productionem, & distributionem aut impedit, aut vitiat, atque insuper datur aliud illud difficile. Quòd si mala signa desint omnia, & per tantum temporis spatium productus sit dolor, ut materies eum producens fluere incipiat (quod fieri per experientiam didicit Hippocrates transactis viginti diebus) expurgabitur, quà poterit, & per partes quidem capiti proximas, & vasa sanguinis per eas distributa, cum hæc magis urgeantur, si tamen nondum tantum duruerint, ut divelli à fluxu illius materiæ per vasa sanguinis fluentis non possint in junioribus autem cujusmodi sunt trigesimo quinto anno minores, vasa illa minus duruerunt; in his igitur profluvia sanguinis maximè contingent. Si verò materies sit tenacior, colligetur ad partes excrementa ejusmodi naturaliter separantes, ut ad glandulas narium, vel suppurabitur, & in aliquam ex inferioribus partibus derivabitur, & casu hìc illic in abscessum abibit. Si verò vehemens, seu prægrandis ille dolor sit ad frontem, vel tempora, facilè succedere poterunt profluvia sanguinis propter proxima vasa capillaria, quæ à proximi, & ingentis doloris vi plurimùm per distractionem tensa nullo negotio demùm divellentur, & sanguinem mittent. *Quibus cephalalgia, & echus varietas sine febre, & simul vertigo tenebricosa incidit, & tarditas vocis, & manuum stupor, hos vel apoplecticos, vel epilepticos, vel etiam lethargicos fore expecta.* Admirabilis pronunciati necessitas patet ex superioribus luculentissimè: hæ enim omnes affectiones indicant, copiam materiæ ad cerebrum colligi, à qua ipsum prematur: deest autem febris, quæ eam abripiat, aut absumat; igitur in ejusmodi dolore sine febre, & cum reliquis conjunctis facilè apoplexia cum cæteris. Vide autem textus singulos admirabiles, & facilè ex nostris meditationibus patentes. *Laurentius Bellini de Morbis Capitis.*

Inter affectus capitis, Dolor imprimis recenseri, aliorumque istius partis pathematum, quasi agmen ducere solet; utpote qui symptoma communissimum, & maximè frequens existit, cui quidem ferè nullus non aliquando obnoxius reperitur, usque adeò ut in proverbii consuetudinem venerit, ἰωσξίας rarioris, & admirandæ signum esse, si alicui caput nunquam doluerit.

Cephalalgia, etsi creberrimus affectus, originem tam variam, incertam, & non raro contrariam habet, ut difficillimum videatur exactam ejus Theoriam phænomenωn tam multiplicium, & sæpe oppositorum solutiones continentem tradere. Morbus hic nulli temperamento, constitutioni, victus rationi, nulli causarum evidentium, aut continentium generi constans, frigidos, & calidos, sobrios, & intemperatos, jejunos, & ventre plenos, pingues, & macilentos, juvenes, & senes, immò quoslibet cujusque ætatis, sortis, & conditionis homines passim incessit. Hinc siquidem ægroto cuipiam affectus hujus rationes sciscitanti alias satisfieri nequeat, sæpissimè dici solet, omnia ex vaporibus procedere. Porro hujus morbi Therapeia non tam per certas indicationes, quam varia tentando, & demum methodum medendi extemporaneam ex juvantibus, & lædentibus colligendo, felicius instituitur. Quapropter si nodum hunc difficillimum aggressus, rem altius, & paulo accuratius deducendo, per varias causarum series, & complicationes, longis ambagibus feror, veniam promerebor: si demum ullo modo post morbi hujus Ætiologiam plenius detectam, certior ad curationem ejus aperietur via.

Itaque ut pathologiam hanc plenius instituere pergamus, imprimis explicare oportebit, morbi subjectum, rationem formalem, unà cum causis, & differentiis; dein methodum Therapeuticam subjungere, eamque per casus, & observationes quasdam rariores illustrare.

Quoad prius, cum dolor omnis sit actio læsa, sive sensio molesta, à fibrarum nervearum spasmo, sive corrugatione dependens, cephalalgiæ subjectum erunt capitis partes maximè nervosæ, hoc est, ipsi nervi, nec non fibræ, & membranæ, quales illud plures, & maxime sensiles, tum suprà, tum infrà cranium dispositas obtinet. Sunt autem ejusmodi partes quæ dolore afficiuntur, imprimis duæ meninges, earumque varii processus, nervorum tunicæ, pericranium, aliaque periostia, musculi panniculus carnosus, ac ipsa demum cutis. Quoad cerebrum vero, & cerebellum, eorumque appendices medullares, statuimus hæc corpora: siquidem fibris sensibilibus corrugari, & distendi aptis carent, dolorum immunia perstare: idemque pariter etiam dicendum erit de cranio.

2. Quandocunque autem dolor ubivis circa partes capitis nerveas excitatur, ejus ratio formalis, in eo consistit, quod spiritus animales ab invicem distracti, & fugati corpora continentia, unà convelli, & corrugari faciunt, adeoque sensionem molestam cient: Quod vero spiritus ita distrahit, ut unde sensio molesta oriatur, est aliquid improportionatum, in ipsos spiritus, aut in corpora eos continentia irruens, quod fibrarum poros, & interstitia subiens, eas ab invicem divellit, simulque spiritus ibidem hospitantes in ἀταξίαν adigit.

3. Quod spectat ad cephalalgiæ differentias, vulgaris distinctio est, quod dolor capitis sit vel extra cranium, vel intra cavitatem ejus: prior iste & rarior, & mitior affectus est, quia scilicet partes supra cranium, nec tam sensiles, quam meninges interiores existunt; nec tam uberi sanguinis affluxu irrigantur, ut à subito ac vehementi incursu ejus; supra modum distendi, aut inflammari facile possint. Secundo altera cephalalgiæ species nempe intra cranium, & crebrior, & multo immanior existit, qui scilicet membranæ cerebrum investientes sunt admodum sensiles, iisque sanguis aditu multiplici, & per plures & longe majores arterias suffunditur. Porro in quantum sanguis, aut serum ejus, & modo per omnes simul arterias, scilicet tum carotidas, tum vertebrales, modo seorsim per has, aut illas, aut symbolas, aut oppositas noxam in meningas transferunt, hinc fit quòd dolor iste interior, aut universalis sit, caput totum, aut maximam ejus partem infestans, aut particularis, qui regioni cuidam privatæ limitatus, hemicraniam modo in latere, modo syncipite, aut in occipite producit.

Plures sunt aliæ hujus morbi differentiæ, nempe

quod dolor sit levis; aut vehemens, acutus, vel hebes, brevis, aut diuturnus, continuus, vel intermittens; ejusque accessiones modo periodicæ & exactæ, modo vagæ & incertæ. Etiam pro ratione causæ conjunctæ quæ (uti mox declarabitur) modo est sanguis, modo exuviæ quædam ejus, nempe aut serum, aut succus nutritius, aut vapores sive flatus, modo est liquor nervosus, modo hujus cum humore sanguineo congressus, & lucta, cephalalgia dicatur aut sanguinea, & ea vel simplex, vel insuper serosa, vaporosa, aliasve excrementitia; aut spasmodes, ab humore fibras nerveas irrigante, easque in corrugationes dolorificas irritante.

Super his ut methodice procedentes, varias hujus morbi species cum illarum causis, ordine quodam recenseamus, distinguere visum est, Dolorem capitis in Accidentalem, sive occasionalem, & habitualem: prior iste sine procatarxi, aut dispositione prævia à causa evidenti solitaria excitari solet, uti cum à vini potu, crapula, insolatione, aut exercitio vehementi, item in febrium paroxysmis, cephalalgia, quibusvis fere hominibus contingit; quatenus nempe sanguis plus solito incitatus, ac immodicè ebulliens membranas quas pertransit, valde inflat, ac distendit, quinimo serum & vapores ab eo tunc effervente copiosius emissa, & in membranas irruentia, fibras nerveas vellicant ac irritant.

2. Dolor capitis habitualis procatarxin aliquam alicubi affixam habet, propter quam, vel constanter, vel crebro molestus est; ita ut quandoque licet intermittat, sæpe tamen sponte redeat, ac insuper è levi quavis occasione excitetur; huic autem sive continuus sive intermittens fuerit, neque semper, neque tantùm, pro causa conjuncta, sanguinis aut seri suffusiones, aut evaporationes nimias habet, [quamvis hæ sæpe adsunt, ubi tamen causæ evidentis potius quam conjunctæ loco sunt) verum insuper parti affectæ, aut affici solitæ, semper mala procatarxis, seu prædispositio quædam affigitur, propter, quam, & causæ prædictæ, item præterea liquoris nervosi inordinationes, ejusque cum sero sanguineo vel succo nutritio congressus, & effervescentiæ, dolorum paroxysmos cient.

Procatarxis cephalalgica licet multiplex & diversimoda fuerit, ita ut singulæ ejus species vix enumerari possint attamen ad eam constituendam, hæc duo nempe aut alterum, aut simul utrumque, præcipue, ac fere semper conducunt; nempe 1. partis affectæ mala aut debilis constitutio, 2. dein propterea facilior, & promptior materiæ morbificæ in illâ congestio.

Quoad prius, capitis partes doloribus obnoxiæ, sunt fibræ nerveæ ad membranas, tendines carnes musculosas, aliaque corpora sensilia pertinentes, quarum apparatus morbidus in earum mala conformatione, aut debilitate consistit.

Ex his priorem quandoque innatam, & hæreditariam esse inde constat, quia morbus à parentibus sæpe ad liberos traducitur: idque ea potissimum ratione fieri videtur, quod integumenta capitis debito crassiora, aut constrictiora facile trajiciunt, quare ab his cohibitis, illisque in motu præpeditis, & aggestis, meninges, pericranium, aliæque partes sensiles, aut infractæ nimis, aut inflatæ, aut vellicatæ, dolores accipiunt: cui accedit, quod interdum propter cerebri intemperiem originalem humores, aut vapores circa partes ipsum concamerantes variæ congeruntur.

2. At vero longe sæpius accidit, malæ conformationis vitia. quibus hæ, vel istæ partes capitis ad cephalalgiam, disponuntur, de novo contrahi, idque vario productionis genere: quippe nonnunquam à frigore, propter flatum borealem, nives, aut pluvias suscepto, in aliqua capitis regione cutis pori, quin & ipsæ fibræ nerveæ ita constipantur, aut alias pervertuntur, debilitanturve, ut nec aëris externi occursum, nec sanguinis vel humorum agitationes quasvis patiantur, quin cephalalgia statim oriatur.

Nec minus raro propter inordinationes in sex non naturalibus prædispositio cephalalgica induci solet. Enimvero sanguis ob quamlibet causam, supra modum citatus, aut ebullitione sua nimia, aut seri, vel vaporum insinuatione, partibus quibusdam nerveis, continui solutionem aut aliusmodi noxam imprimit; propterea ut cephalalgia mox præsens, ac in posterum diathesis eam à levi quavis occasione susceptura, excitantur. Cæterum à passione vehementi, à crapula, ebrietate, insuper à capitis ictu, vulnere aut contusione, dispositio cephalalgica non facile delebilis, crebro inducitur; proinde ut humores aut proprii, aut excrementitii in iis congesti, & stagnantes, postea aut per se commoti, aut cum aliis succis influi effervescentes, inflationes, aut vellicationes dolorificas cieant. Quinimo phlegmonas, abscessus tuberculas schirrosas, meningis cum cranio adnascentias, aliosque malæ conformationis morbos in cerebri membranis excitatos novi, à quibus imprimis per longum tempus *cephalalgiæ* frequentes, ac immanes, ac demum affectus soporosi, ac lethales inducebantur; morbi causâ, non nisi post mortem, per Anatomiam detecta, & quidem suspicari fas sit, capitis dolores inveteratos, & pertinaces, cum invitis omnibus remediis frequentibus redeunt, & indies sæviores evadunt, à tali causa invincibili pendere.

2. Nec tantum mala conformatio, & unitas soluta, sed etiam mera interdum debilitas, sive enervatio, quasdam capitis partes cephalalgiæ obnoxias reddit; cum enim fibræ alicubi ita infirmantur, ut nec proprium humorem ipsæ regere, nec alienis incursibus resistere valeant, pars sic disposita, propter levem quamvis occasionem, in corrugationes dolorificas agitur: hujusmodi fibrarum debilitates nonnunquam externa accidentia, uti frigoris, & caloris excessus, quandoque item errata in victu, prout crapula ebrietas, & imprimis somni meridiani, insuper ingentes catarrhi, & seri aëris decubitus longiores inferre solent.

Hæc de cephalalgiæ procatarxi primaria, quæ & fixa, & radicata est; altera ejus ratio secundaria, & mobilis consistit, in materiæ morbificæ circa partem prædispositam prompta ac facili congestione, à qua dolorum paroxysmi, ac insultus dependent: materies autem cum multiplex fuerit, multifariam congeri, & dolores diversis afficiendi modis excitare solet: Illa prout supra innuimus, vel est sanguis, vel serum ejus, vel succus nutritius, vel liquor nervosus. Unusquisque horum variè dispositus, aut fæculentiis

lentiis imbutus, circa loca capitis prædisposita, modo ante paroxysmum, sensim aggeritur, modo hoc ingruente affatim deponitur. Cæterùm modo humor unicus plenitudine, ac acrimonia sua, fibras sensiles distendit, aut irritat, modo plures simul congressi mutua effervescentia fibras divellunt, adeoque spasmos dolorificos cient. Singulas harum species cum signis, & fiendi modis, breviter notabimus. Cum itaque pars capitis, uti imprimis meningis, aut pericranii regio quædam propter malam conformationem, aut debilitatem, ad cephalalgiam prædisponitur, morbi insultus, sive paroxysmi propter varios humorum sequentium scil. modo hujus, modo istius, modo plurium simul incursus, & congressus excitari solent.

1. Interdum ipse sanguis, in motum rapidiorem incitatus, ac in caput ebulliens, circa loca prædisposita, inter transeundum angustatur, aut sistitur; proindeque uberius mox ibidem aggestus, vasa distendit, membranas valde inflat, fibrasque nerveas ab invicem divellit, illisque adeo corrugationes dolorificas inducit. Propter hunc rationem cephalalgiæ obnoxii occasiones omnes, à quibus sanguis supra modum effervescit, uti vini potum, exercitium balneum evitare coguntur.

2. Serum, in massa sanguinea copiosius aggestum, sæpe aut sponte sua ob meram plenitudinem, aut à causa evidenti commotum, subito fluorem concipit, & proinde statim è cruore exundans, non semper aut tantum in pulmones, at sæpenumero in caput irruit, inque membranas aut musculos ejus suffusum, circa partes ad cephalalgiam prædispositas copiosius aggeritur, ibidemque inflationes & corrugationes dolorificas inducit. Porrò serum, prout recrementa sulphurea, aut salina, acria, acida, biliosa, aut melancholica, aut alius generis infesta secum vehit, eaque fibris nerveis affigit, dolorem acutum, aut hebetem, brevem, aut longiorem infert: Cephalalgiæ propter hujusmodi procatarxin oriundæ, tempore hyberno, cœlo humido, & vento austrino, gravius infestant: insuper hunc affectum aliarum faciei, oris, aut laryngis, partium catarrhi sæpe comitantur.

3. Succus nutritius, sive recens chymus, è sanguine ad partes solidas delatus, iisque adponendus, siquidem ille quibusdam capitis partibus malè dispositis improportionatus fuerit, cephalalgiæ paroxysmos periodicos excitare solet. Namque hujus penus, juxta fibras quasdam nerveas depositus, siquidem assimilari nequit, post aliquantam moram, eas aggravare incipit, & demum in corrugationes, propter molesti expulsionem irritat. Cephalalgia à tali causa procedens, potest totidem à pastu horas quotidie repetere, & pari temporis spatio perdurare, quinimò prout victus ratio quoad quantitatem, qualitatem, & assumendi tempora alteratur, etiam dolorum paroxysmi variari solent, sicut in multis observavi.

4. Liquor nervosus, inordinatione sua, cum sæpe in aliis partibus, ita non raro in capite, dolorum causa, existit; nam ista, aut à crasi degener, aut fæculentiis imbutus, fibras nerveas non ita libere trajicit, quin stagnare, in iisque ad plenitudinem irritativam congeri aptus est: idque præsertim intra fibras prius debiles, aut male conformatas, (quales interdum sunt capitis membranæ:) quippe in his prædispositis, liquor irriguus in motu præpeditus, ad plenitudinem aggravativam, aut irritativam facilè assurgit, proinde ut fibræ adeò impletæ, instar stomachi nimis saginati, propter contenta sua excernenda, spasmos, & corrugationes dolorificas ineant, nec ab iis cessent, donec sarcina liberantur; quæ tamen postea rursus, modò citius, modò tardius coacervata, alios subinde, ac alios dolorum paroxysmos infert. Cephalalgia talem ob causam oriunda, sine notabili sanguinis turgescentia, & sæpenumero absque erroribus in victu, lente, ac sua velut sponte oritur; quandoque tamen propter inordinationes in non naturalibus, aliaque accidentia citius accersitur; sæpius horis matutinis, & post largiores somnos, cum fibræ nerveæ humorem istum copiosius imbiberunt, obtingere solet.

5. In prædictis cephalalgiis, materies morbifica humore ut plurimum unico sive singulari constat, proindeque dolorum paroxysmi paulo mitiores sunt, & non raro citius pertranseunt. Subest vero altera hujus morbi causa, cum duo humores (instar salinorum diversi generis) simul congressi, mutuo effervescunt, adeoque à particularum dissimilium lucta, fibræ plurimum vellicantur, inque dolores valde acutos & lancinantes aguntur, iisque non raro diutius infestantur: in hoc casu pugil unus semper erit liquor nervosus, alter vero, aut latex serosus, aut succus nutritius. Sanguinem, quia fibrarum ductus tantum alluit, ac non intima subit, eximimus; liquor autem nerveus, ob vitia modo citata, interdum per se fibras continentes vellicat, inque spasmos dolorificos ciet. Quod si huic ita prædisposito, ac intra fibras plenius aggesto, humor alter, sive nutritius, sive serosus (nam uterque reus esse solet) minus congener existens, copiosè suffunditur; particulæ statim omnes exuscitatæ inter se colluctantur, adeoque mutua effervescentia fibras insigniter distendunt, & vellicant, hinc ut ab iisdem diu & valde corrugatis, dolores acerrimi, & diu permanentes inducantur. Utrum hic, aut iste humor liquori nerveo occurrens, in cephalalgia accersenda potior fuerit, ex propriis utriusque per se peccantis anomaliis supra descriptis facile innotescat.

Quo ritu & quas ob causas remotiores, humores, nempe aut serosus aut nutritius delinquunt, quoties nerveo intra fibras contento occurrentes, dolorum paroxysmos cient, infra declarabitur: interim præcipua liquoris nervei culpa, cephalalgias crebriores, & habituales produci, satis constare arbitror, quoniam hic & fibris ipsis quæ corrugantur, & spiritibus qui in distractiones dolorificas aguntur, maxime intimus est, tum etiam quia dolores capitis, nonnunquam sine ulla sanguinis, seri, aut succi nutritii inordinatione, aut tumultu oriuntur, atque his quantumvis depletis, aut sedatis, cephalalgiæ pertinaciter sæpe durant.

De liquore autem nerveo, cũ cephalalgiæ causa est, observamus culpam ejus, modo universalẽ, & modo privatam esse: nam interdum iste labẽ suam, à parte affecta acquirere potest; quatenus

nempe intra fibras conformatione læsas subsistere aut stagnare coactus, adeo pervertitur, ut demum infestus istas; vel per se, vel cum alio humore fermentescens, in corrugationes dolorificas irritet: quandoque tamen, ac præsertim in cephalalgiis gravioribus existimare fas est, totam liquoris nervei massam in vitio esse nervosas autem capitis partes, præ aliis quibusvis in toto corpore noxam ejus luere; quia nimirum hæ primæ liquoris nervei scaturigini propiores existunt, atque etiam sunt maxime sensiles: quaprôpter liquor nerveus si quando vitiosus fuerit, intra meningas, aliasque capitis membranas, plusquam alibi in cæteris partibus corporis, vel sponte turgescens, vel ab altero humore ei suffuso effervescens, dolorificus evadit. Rem ita habere constat, quoniam cephalæa diuturna, ac gravis non tam remediis capiti adhibitis, aut appropriatis, quam iis quæ succi nervei, atque massæ sanguineæ crases restituunt, qualia sunt chalybeata, antiscorbutica, curari solet. Quod certe arguit, quicquid liquor nerveus in toto corpore peccat, id capiti partes potissimum plecti.

Hæc de cephalalgiæ causis & procatarcticis & conjunctis: restant aliæ remotiores, evidentes dictæ, quæ priores exuscitant, inque actus, seu afficiendi rationes dolorificas cient. Sunt autem varii generis, & diversimodæ operationis. Quæcunque nimirum res, 1. aut materiam morbificam, aliunde in partem affectam transferre, au 2. illam in ea prius hospitantem commovere apta sunt, 3. aut denique fibris ipsis, in spasmos dolorificos prædispositis affectionem istam è longinquo, & aliarum partium consensu imprimunt, ad hunc sensum pertinent.

Quoad prius sanguis ejusque inquilini humores, nempe serosus nutritius, nec non recrementa biliosa, acida, ac alias vitiosa, variis de causis commoveri, inque capitis membranas transferri apta sunt, multa quæ exterius accidunt viz. aëris ac anni mutationes magnæ aut subitæ, æstus, frigoris, aut madoris excessus, lautus victus, vini potus, balneum, venus immodica, passiones violentæ, quin & plures aliæ προφάσεις satis notæ, & quibusque cephalalgicis evitandæ, illud passim efficiunt. Porrò humores isti interdum, sponte turgescunt, & si causa externa, aut evidenti, commoti, se in caput proripiunt: quo ubi advenerint, fibrisque prius indispositis jam insederint, licet causæ conjunctæ partem constituunt, ipsi tamen cum primum in motu sive fluore sunt, causæ evidentis rationem subeunt. Quare cum prius explicavimus quo ritu sanguis, quæque in eo hospitantur, ad membranas affectas delata, cephalalgias concitant; modo ostendemus quibus modis, & ob quas occasiones, iidem humores commoveri, inque membranas corripi solent.

Et primo sanguis sua sponte, & propter intestinos particularum ejus motus, & colluctationes subinde effervescens, capiti molestias impertit; nec tantum in febrium paroxysmis, ast insuper sine causa evidenti, aut morbi suspicione, turgescentiæ ejus crebræ ac vagæ obtingunt, quas in aliis vix perceptibiles cephalalgiæ obnoxii satis advertunt, ac luunt; nec solum à proprio penu sanguis capiti noxam immittit, sed eam aliunde suscipiens illuc defert. Sæpenumerò cruor è stomacho, liene, mesenterio, hepate, utero, aliisve partibus, aut visceribus materiam incongruam, aut sibi, aut nervoso generi infestam suscipit, quam brevi postea ut extrudat effervescens, membranis capitis suffundit, adeoque cephalalgiam vulgò sympathicam dictam, sc. per consensum ab aliis partibus excitatam producit; cujusmodi affectus ab aliis partibus ad caput transmissio, etiam alio interdum modo contingit, uti mox declarabitur.

Cum massa sanguinea sero abundat, nonnunquam mera plenitudine ad illud excernendum excitatur, quare fluorem seu velut deliquium quoddam, quo nempe tenue, & aquosum, à spissiori & cruento secernatur, concipit. Dein si quidem cruor dilutior factus, inter turgescendum celerius, & copiosius trajicitur per arterias, quam reduci possit per venas, ferè quicquid seorsum est, juxta vasorum intercapedines amandatur, inque partes, modo has, modos illas suffusum, prout in quibusdam locis tumores, aut catarrhum ita in capitis membranis decumbens, dolorum paroxysmos ciet.

Cæterùm ob plures alias causas, à sanguine fluorem passo serosa colluvies exundans in meningas, & pericranium irruit, inque ipsis cephalalgias valde molestas parit. Subita pororum à frigore aut madore constipatio, talem affectum in plerisque huic morbo obnoxiis ferè constantes producit. Vini acidi ac tenuis, pomacei, quin & cerevisiæ propter acorem fermentescere aptæ potus, quatenus sanguinem fundunt, & serositates ejus præcipitant, cephalalgicis tanquam venena prohibentur: denique quicquid ferè podagricis idem etiam & his ob similem in utrisque seri turgentis ad partem affectam, ubi cum humore nerveo sæpè effervescit, fluxionem, obesse solet.

Porrò non tantum merum, simplexque sanguinis serum in capitis membranas exundans, dolorum paroxysmos ciet, ast interdum humores alii se adjungunt, hujusque ductu ad partem affectam admissi, morbi tragœdiam adaugent; sæpe accidit humorem tenuem & aquosum à vasis lymphicis, glandulis, forsan & partium solidarum meatibus & poris (in quibus aggerebatur) subito effluere, inque sanguinem venosum suffundi; unde statim cordis sinus trajiciens, & sanguini arterioso confusus, ab eo denuo statim secernitur, & qua data via rejicitur; idcircò partim per renes amandatus, urinæ limpidæ & copiosissimæ profluvium facit, quandoque etiam partim in cerebrum, aut nervorum origines redundans, affectus soporosos aut convulsivos (prout alibi docuimus) producit. Quinimò interdum pars quædam ejusdem humoris limpidi in capitis membranas cum sero correpta cephalalgiæ atrocioris paroxysmum ciet: enimvero in pluribus observavi, urinam limpidam & valde copiosam, morbi hujus paroxysmum aut præcedere, aut comitari.

Cæterùm opinari fas sit, aliusmodi aliarum partium recrementa, scilicet bilem ab hepate, fæculentias atrabilarias à liene, & forsan humores incongruos à stomacho, pancreate, renibus, &c. à sanguinis sero obsorberi, eique penitius incoqui, quibus dum inficitur, effervescentias multo promptius concipit, proindeque in vasa cephalica impetuosius irruens, cumque liquore

liquore nerveo, ibidem fermentescens, spasmos, & vellicationes dolorificas valde molestas parit.

Serosa colluvies, sive hæc simplex, seu ut ostensum est, complicata fuerit, adhuc amplius capiti infesta est, si quando solennis ejus evacuatio, per debitas, & assuetas rias præpeditur, : (vix) si vel poris constrictis transpiratio inhibetur, vel propter renes male affectos διέρησις haud satis copiosè peragitur, utrumque defectum cephalalgici graviter luunt. Porrò ob sanguinis transitum in aliis locis præclusum capitis membranæ plectuntur: quibus enim viscera imi, aut medii ventris, præsertim, si hepar, & pulmones obstructione laborant, ita vt sanguis ibidem vix trajici possit, plenior ejus torrens, in alias partes, ac præcipuè versus ἐγκέφαλον dirigitur; ita ut propter hanc causam non tantum cephalalgias: sed affectiones soporosas, & interdum lethales successisse noverim.

3. In cruoris sinu prout serum, ita & succus nutritius, hoc est recens chymus, ex alimentis confectus hospitatur, ac una circulatus, ejusdem quasi fluminis decursu, illorum exorbitantiis obsequi cogitur. Quare cum sanguis mox à pastu impetuose aut inordinate ad caput proripitur, succus etiam nutritius semicoctus, aut depravatus, fibris illic membranaceis affigitur, vellicationes dolorificæ succedunt; hinc enim est quod à pleno ventre exercitium, balneum, passiones violentæ, lectio, aut seria animi intentio cephalalgicis officiunt.

Interdum succus nutritius, sanguini non statim, aut facile miscetur, quin huic recens illatus mox turgescentiam concitat, adeo ut multi constanter à pastu intenso vultus rubore; non raro item cephalalgia afficiantur. Hoc vulgò, sed perperam obstructioni hepatis imputatur, cum revera à dyscrasia sanguinis, chymi recentis mixturam ægrè ferentis procedat. Quare talis affectio plerumque febribus periculosis, ac imprimis variolis succedit, nonnunquam crapulæ immani supervenit.

4. Restat adhuc aliud causarum evidentium (à quibus nempe cephalalgiæ procatarxes seu prædispositiones actuantur) genus, à prioribus nempe sanguinis, seri, & succi nutritii anomaliis, plane diversam; nempe cum propter spasmos in partibus aliis inceptos, ab iisque ad ἐγκέφαλον continuatos, cephalagiæ non raro atroces succedunt. Usitatum est ab hypochondriis nec non è regione stomachi, mesenterii, uteri, imò interdum à membris aut partibus externis, quendam quasi formicationis sensum in caput prorepere (ibidemque mos dolorem aliquamdiu postea duraturum excitare. Hujusmodi affectio, quæ non raro vertiginis, etiam Epilepsiæ, aut Apoplexiæ procemium esse solet, vapporum ascensus vulgo creditur; cum revera sit tantum spasmus in nervi cujusdam extremitate inceptus, qui versus originem ejus sursum proreptans, & dein cranio superato, quatenus aut ipsi. ἐγκέφαλῳ aut etiam meningibus, scil aut alteri, utrique communicatur, convulsiones, aut dolores ciet. Quæ tamen pathemata formicationem istam aliunde traditam, modò velut signum, & quandoque velut causam sequuntur. Prioris rationem alibi satis fusè explicavimus, ostenso nimirum, quod cum materies morbifica nervorum origines, aut partes iis proximas, in capite occuparit, spasmus sæpenumero ab eorundem nervorum extremitatibus incipiens, illinc sursum traditus versus loca primario affecta, quasi perreptando ascenderet: quare non tantum vertigigini, sed & cephalœæ vomitio crebrò supervenit.

Attamen præterea irritatio in viscere quodam aut membro dissito cephalalgia interdum occasio, & quadantenus causa est, nempe cum materies morbifica, usque ad turgescentiæ plenitudinem jam jam in capitis parte affecta aggeritur, fibrarum continentium vellicatione levi tantum opus est, ut materies ista concita morbi paroxysmum inferat; ad quam acciendam non raro sufficit, quod visceris cujusdam dissiti, puta, ventriculi, lienis, aut uteri, cui scilicet, cum capite intimus intercedit consensus, fibræ nerveæ vellicentur; nam proinde statim molestiâ per nervos communicatâ, fibræ capitis quædam membranaceæ malè dispositæ, & materia morbifica onustæ, stringi & corrugari incipiunt, cumque adeo morbi minera commovetur, à particulis ejus commotis, fibræ in corrugationes graves ac diuturnas urgentur.

Cephalalgiæ ad hunc modum à visceribus exoriri visæ, & vulgo sympathicæ dictæ, vaporibus ascribi solent: vix. supponendo humoris noxii mineram in viscere quodam delitescere, è quâ commotâ, dum effluvia in caput ascendunt, ibidemque fibras nerveas acriter percellunt, vellicantque, dolores excitantur. Doctrinam hanc olim ita plane redarguimus, ut non opus fuerit rationes hic alias opponere. Interim vero disquiramus, annon aliis etiam modis præter communicationem per nervos spasmodicam, capitis dolores, propter causam morbificam in stomacho, liene, aliisque locis hospitantem oriantur.

Super his opinari fas sit, materiem sæpe degenerem in partibus remotis congeri, quæ sanguinis commeatu, sive trajectu, capiti noxam inferat. Vsitatum est humores corruptos, scilicet modo acres, modo acidos, aut austeros in ventriculo, bilem in hepate, fæculentias atrabilarias circa lienem, quin & aliusmodi degenerem materiam circa mesenterium, uterum, aut alias partes congeri, à quibus demum ad turgescentiæ plenitudinem aggestis, miasma fermentativum sanguini infigitur, à quo iste velut œstro imbutus impetuose effervescit, & partim turgescentia sua, partimque in membranas capitis quod incongruum est transferendo, dolorum paroysmos atroces ciet.

Quoad ventriculum rem ita nonnunquam habere, quidam morbo isti obnoxii plane experiuntur. Quippe horum nonnulli post bilem in stomacho fluctuantem, aliique post insignem illic acorem, & famem caninam, cephalalgiæ paroxysmum certissime expectant. Cuius ratio ex parte videtur esse, quod ista ventriculi contenta, à sanguine absorpta ipsum effervefaciunt, & turgescentiam cephalalgicam in eodem concitant; insuper ab ejusmodi materia acri, vitriolica, aut alias infesta, intra stomachum aggesta & commota, spasmus, sive corruga-

tio molesta fibris, nervorumque extremitatibus illic insertis imprimitur, qui mox eorundem nervorum paris octavi, & intercostalis ductu in caput continuatus, membranis, fibrisque nerveis in corrugationes dolorificas prædispositis communicatur.

Propter eandem inter stomachum & caput communicationem reciprocam nauseæ & vomitus, prout modo innuimus cephalalgiæ non raro superveniunt, membranis à materia morbifica,, (non secus ac à plaga aut vulnere illato assolet) in corrugationes dolorificas incitatis, noxamque nervorum ductu, ad ventriculum, ex se insontem transferentibus, vomendi nixus interdum inanis oritur, nihilo quod rejiciatur intra ventriculum superstite: quandoque tamen ab immani viscerum inter vomendum successione, humor felleus aut pancreaticus, nempe alter tantum, aut utrique simul in duodenum explosi, & vomitu rejecti, pro materia cephalalgica perperam sumuntur.

2. Dolores capitis lieni, haud minus quam ventriculo imputari solent;& quidem passimobservare est in hypochondriacis, isti etiam morbo obnoxiis, cùm in sinistro latere dolor, inflatio, borborygmus, aut alia quævis, velut lienis affecti perturbatio, contingit, cephalalgiam quasi exinde suscitatam mox crebro succedere; hinc statim vox populi est vapores à liene perturbato emissos,capitis dolorem ciere: verum enimvero ut concedamus cephalalgiam lienis culpa interdum oriri, rejecta tamen ista per vapores αἰπολογία hujus causa imputari debet, aut malo fermento à liene in sanguinem transmisso, aut spasmo illinc capiti per nervos communicato: quippe in liene malè affecto, humor atrabilarius, inque naturam modo vitriolicam, modo acrem, aut acidam, vel alias infestam degener sæpenumero aggeritur, qui sponte ob plenitudinem, aut occasionaliter ob perturbationem quandam excussus, & sanguinis confusus, ei fermentationem imprimit, quà liquor ejus capitis membranis irruens per se, aut cum liquore nervoso effervescens, vellicationes dolorificas ciet. Porro haud minus probabile est, quod interdum spasmus in fibris nerveis, quæ circa lienem quam plurimæ disponuntur, excitatus, illinc per nervorum paris vagi ac intercostalis ductus, ad ἐγκέφαλον continuatus parem membranis ad in prædispositis affectionem imprimat.

3. Iuxta eandem pathologiam nempe aut mali fermenti transmissione, aut spasmi continuatione, reddi potest ratio de cephalalgiis, quæ per concensum ab hepate, mesenterio, utero, aliisve partibus suscitari perhibentur.

Cephalalgia Habitualis, cuius Ætiologia hactenus satis fuse tractavimus, adhuc in species quasdam dirimitur ea nimirum aut continua est, aut intermittens; cæterum huius periodi modo ad certum tempus determinantur, modò vagæ ac incertæ existunt: super his singulis breviter dicemus.

1. Igitur interdum accidit quempiam dolore capitis continuo, per plures sc. dies, aut menses prorogato atque parum aut nihil, nisi cum somnus urget, intermittente affligi; quo in casu supponimus non modo causam procatarcticam, sed & coniunctam, alicubi fixam, & constantem adesse. Præterquam enim quod partes affectæ, aut quæ subinde affici solent, sint debiles, & liquor earum irriguus, utpote depravatus, stagnare, aut cum aliis humoribus effervescere aptus fuerit; insuper in illis quædam solutio continui, nempe inflammatio, erysipelas, abscessus, tumor scirrhosus, aut alias cujusdam generis non raro excitatur; circa quem dum humores diversimodi concurrunt, & aggeruntur, propter fibras nerveas continuo vellicatas, dolores fere perpetui oriuntur. Hujusmodi cephalalgiæ non raro in affectus soporosos & tandem lethales terminantur; nam cum plurium ab hisce affectibus defunctorum capita aperverim, signa sive vestigia, prædictas eiusmodi causas morbificas declarantia, apparebant; horum exempla quædam infra subdentur.

2. Cephalalgia habitualis plerunque intermittens est, cujus accessiones, cum certæ, ac periodicæ fuerint, sæpissime intra nycthemeri spatium redire solent. Casus quorundam rariores audivi, & novi, & qui diebus alternis, immo qui semel in hebdomada, aut mense, affectus istius paroxysmos exacte repentes pertulerunt. Vsitatum est cephalalgiæ profligari visæ, circa æquinoctia, aut solstitia, accessiones recrudescere; quia sc. his temporibus sanguis ac humores turgescentias solito majores concipiunt, & proinde cum liquore partium capitis nervearum irriguo effervescere magis apti, solitos dolorum insultus redintegrant. Veruntamen cum circa has anni τροπὰς cephalalgiæ repetunt, haud unica longiore accessione diu prorogantur, sed plerumque periodos subordinatas nactæ, nycthemeri cujusque spatio statis quibusdam horis infestare solent.

Cum itaque cephalalgia periodica accessiones quotidianas plerumque habet, harum uti febrium intermittentium, rationes à materiæ morbificæ, stato tempore ad plenitudinem assurgescentis, & tunc effervescentis vitio peti debet. Enimverò supponere, licet, alicubi circa capitis membranas fibras nerveas male dispositas, liquorem proprium pervertere, aut non bene traiicere, quare cum succus nutritius, iisdem etiam partibus è sanguine appositus, non statim assimilatur, nec cum altero humore bene convenit, demum ac utriusque simul aggestis, & discrepantibus, mutua effervescentia, promdeque fibrarum vellificatio dolorifica exoritur: quod autem dolorum paroxysmi non eadem semper à pastu distantia, sed in aliquibus citius, inque aliis tardius, atque modo ante somnum, modo post eum oriuntur; in causa est partim quod alimentorum coctionis & distributionis munera, modo citius, modo tardius obeuntur, & partim quoniam in his liquor nerveus, inque aliis succus nutritius plus peccat, quare prout hujus plenitudo citius, ac illius tardius contingit, ita paroxysmi tempora variantur: hæc inferius observationibus circa casus ægrotantium factis illustrabimus.

3. Cum Cephalalgiæ intermittentis paroxysmi sint vagi ac incerti, nec morbi procatarxis magna est aut constans, nec causa evidens assidua existit, quare cum utraque causa sæpè deest,

deest, & non raro altera desideratur, morbi insultus, non ad certa alligantur tempora, quin isti in quibusdam sunt velut fortuiti, & accidentales, in aliis, quibus prædispositio ad hunc affectum paulo firmius radicatur, dolores capitis frequentius molestant, & propter varias occasiones passim excitantur, immo & ob quasdam certissime expectari solent. Paroxysmorum ita variè obtingentium rationes ex morbi hujus Ætiologica superius tradita liquidò patent, insuper exemplis infra traditis res tota illustrabitur.

Hæc de cephalalgiæ causis, quæ siquidem ita variæ ac diversæ, earumque series tam perplexæ ac intricatæ fuerint; non facile videtur circa omnes ægrotantium casus, methodi filum arripere, quod statim ad morbi hujus labyrinthei veram diagnosin, aut therapiam ducamus; nec minor circa prognosin ejus difficultas habetur: veruntamen experientia vulgaris observationes quasdam suggerit, è quibus colligi solet, ægritudinis istius, curationem modo facilem, modo difficilem, aut vix possibilem esse; ita ut inde morbi eventum aut tutum, aut valde periculosum, aut prorsus incertum declarare liceat.

Enimvero si quispiam integra prius valetudine fretus, ob causam evidentem fortiorem, uti vini potum, crapulam, venerem, exercitia immoderata, aut similia, in cephalalgiam nonnihil atrocem, & aliquamdiu protractam inciderit; in quantum procatarxis morbida nondum firma jacitur, pronunciamus talem affectum satis tutum, ac minimè pertinacem fore.

Sin vero dispositio νοσερὴ inveterata fuerit, ita ut à multis annis, paroxysmi sæpe sponte sua, ac insuper à levi quavis occasione repetant, hunc etsi non periculosè admodum ægrotare, attamen non facile curatum iri prædicimus. Porro θεραπείαν adhuc difficiliorem fore, si affectiones hypocondriacæ aut hystericæ sæpius molestæ cephalalgiam crebra vice excitare solent, vel si luis venereæ inveteratæ miasma, in parte affecta radicatum fuerit.

Quod si dolor capitis non solum inveteratus sed fere continuus fuerit, ut jure suspicemur, eum à tumore phlegmonodei ascirrhoso, erysipelate, abscessu, aut vermibus oriri curationis spes exigua, aut nulla superest; præsertim; quia laborantes magna remedia, ut salivationem aut cranii apertionem recusant; quæ si forsan omninò uspiam aliquo cum fructu usurpata sint, prius tamen hæc ut plurimum ægris tædio esse solent, quam molestiâ aut expectatione aliquid dignum efficiunt.

Dolor capitis sive continuus, sive periodicus, si immanis fuerit, atque vertiginem, vomitionem, aliosque affectus aut convulsivos, aut soporosos adjunctos habuerit, periculi magni suspicionem præbet: utpote qui sæpe in Apoplexiam lethalem & non raro in Epilepsiam, Paralysim, cæcitatem, surditatem, aliosque morbos aut funestos aut incurabiles transit.

Cephalalgiæ methodus Therapeutica, plures indicationes easque varii generis, juxta multiplices morbi hujus species, causas, & differentias comprehendit, quas non facilè erit omnes exacto ordine hîc digerere & recensere.

Dolor capitis accidentalis, remota causa evidenti, & consequentiis ejus ut plurimum sponte cessat, vel saltem phlebotomia, quiete & sudore tollitur.

Dolor habitualis pro diversitate causarum, sc. tum procatarcticæ, tum coniunctæ, etiam diversimodas medendi intentiones suggerit, præcipuas harum, ac ad quas cæteræ omnes revocari possint, hic breviter perstringam.

In omni cephalalgia habituali, sive continua, sive intermittens ea fuerit, duo præcipui curationis scopi occurrunt, ad quos cæteræ quæque intentiones therapeuticæ collimare debent, & quibus contra utramque procatarxeos morbidæ providetur.

1. Imprimis nempe, ut morbi fomes omnis præscindatur, operam dare oportet, tum ut materies ad capitis loca affecta, aut male disposita affluens, vel subinde affluere apta, vel supprimatur, vel illinc alio avocetur; tum insuper ut spasmi aliis in locis excitati, indeque in caput propagari soliti præcaveantur.

2. Dein 2. quo morbus ipse, sive causa ejus conjuncta (si fieri possit) eradicetur, enitendum erit, ut capitis loca in cephalalgias prædisposita (sive debilia tantum, sive in conformatione læsa) dum à crebris materiæ infestæ incursibus muniuntur, statum suum pristinum, & vigorem recuperent. Cujusmodi indicatio licet raro unquam subito, aut integrè perficitur, quandoque tamen cura diligenti, & longa, labes morbida, ut ut fixa, & radicata, sensim atteritur.

Quod spectat ad priorem medendi scopum, cujus & prior, & potior ratio haberi debet, diximus materiem, sive humores, qui circa partes capitis, ad cephalalgiam prædispositas congeri, morbique insultus excitare solent, esse aut sanguinem, aut serum ejus, aut succum nutritium, vel nervosum. Insuper cum his singulis vapores, & effluvia, nec non recrementa, modo biliosa, modo atrabilaria, modo acida, salsa, sulphurea, aliaque varii generis, è visceribus modo his, modo illis, in sanguinem suscepta, commeatu ejus in caput transferri ostendimus: contra horum omnium impetus, & incursus munimenta ἰατρικὰ instituantur.

1. Et primò, si jactâ circa membranas capitis ad dolores procatarxi, sive diathesi, sanguis utpote calidior, & turgescere aptus, in capitis membranas subinde confertim irruet, cumque non facile pertranseat, vasa supra modum distenderis, fibrasque nerveas divellens, morbi hujus paroxysmos excitabit, (cujus indicium sunt, temperamentum sanguineum, æstus, & ruboris in capite circa faciem suffusio, item pulsus altus, & vibrans, cum venis à cruore distentis) protinus danda erit opera, tum ut sanguis sedatior factus, non adeo prompte in turgescentias agatur; tum etiam ne incitatus, ac ebulliens, majori ῥοπῇ in caput quam in alias partes feratur, nec itidem propter meningum sinus nimis impletos stagnare cogatur. Quapropter si paroxysmus diutius infestabit, phlebotomia in brachio, aut venâ jugulari, celebretur: extra paroxysmos interdum expedit sanguinem è venis sedalibus per hirudines detrahi; nempe hac ratione ut sanguis

sanguis forte ebulliens; deorsum versus locum istum, quo sæpe sponte tendit, sollicitetur: Oxyrrhodina, aut alia, Epithemata capiti adhibeantur: insuper Iulapia, Emulsiones, aut Decocta, quæ sanguinis fervorem, aut œstrum compescant, propinentur, Alvus enematum usu refrigeretur, & lubrica servetur. Porro in prophylaxin, serum lactis, aut acidularum usus est tempestivus; hydroposia etiam, victus tenuis, & refrigerans juvant; vini, aromatum, balnei, motus animi aut corporis violenti quinimo calidorum omnium fuga instituatur. Dein ad sanguinem figendum, ejusque effervescentias præcavendas, aquæ destillatæ, herbarum expressiones, aut Decocta, Electuaria, Pulveres, ac præcipuè Chrystallum minerale, crebro sint in usu. Non opus erit hic methodum aut medicamentorum formulas particulares jungere, cum in hoc casu unusquisque fere laborans, crebra à juvantibus & lædentibus experientia edoctus, sibimetipsi medicus esse solet.

2. Ratio est, quod sanguis solus, aut per se tantum peccat; sæpius alii humores, commeatu ejus ad caput delati, ibidemque dispositi, noxam inferunt: si quando igitur colluvies serosa è cruore exundans, cephalalgias (prout modo ostensum erat) crebras inducit (cujus indicia sunt catharri circa alias partes, sc. nares, os, aut tracheam, simul infesti) tunc abstinentiâ, & quiete imperatis, alvoque per clysterem inanita, serifluxio sedari, & materies capitis membranis suffusa evaporare sinantur, quæ si non sponte, & brevi succedant, in constitutione calidiori, phlebotomia sæpe convenit; quatenus nempe vasa sanguine depleta, serum extravasatum resorbent: in frigidis vero, vesiccatoria cervici, aut juxta aures applicata, egregii sunt usus. Dein post ventrem ab enemate subductum, fluxio Anodyni aut opiatæ mitioris usus sedetur: illaque sedata, lene catharticum, dein medicamenta, quæ per urinas, vel sudores, vel simul per utrosque movent, adeoque serositates superfluas blande evacuant, exhiberi convenit.

Medicamenta in hos fines idonea passim in libris describuntur, quæ tamen haud temere, & indiscriminatim ab Empericis usurpentur; sed juxta medici prudentis judicium, & ἀγχίνοιαν, respectu semper habito ad patientis constitutionem, temperamentum, idiocrasian, aliaque accidentia, & circumstantias designari, & pro re nata componi, aut alterari, immo nonnunquam extempore præscribi debent. Quare cum prorsus supervacuum fuerit plurima hic recepta, & ingentem pharmaciæ sylvam congerere, satius duxi medicamentorum cujusque generis, intentiones nempe præcipuas respicientium, unam aut alteram solummodo hic formulam proponere.

♃. Pilul. de succino ℈ß. resin. Jalapiæ gr. iv. Balsami Peruviani q. s. f. pilul. iv. sumat. iij. hora somni, & mane sequenti, si priores non satis operabuntur.

Vel ♃. Scammonii sulphurati ℈ß. cerusæ Antimonii gr. xv. cremoris tartari gr. viii. f. pulvis, sumat in cochleari panatellæ mane primo.

♃. Sulphuris Antimonii gr. iv. resinæ Jalapiæ gr. v. cremoris tartari gr. vi. simul terantur & cum q. s. conservæ violarum f. bolus sumendus primo mane cum regimine.

♃. Radic. Rusci, Bardanæ, Cherefolii, Caryophyllatæ, an. ℥i. Eryngii conditi ℥iß. Jridis Florentinæ ʒiij. Galangæ minoris ʒiß. sem. Bardanæ ʒiij. foliorum siccat. Betonicæ, Salviæ, Verbenæ, Veronicæ, an. m. ß. passularum exacinat. ℥ij. coq. in aq. font. lib. iv. ad tertiæ partis consumpt. dein adde vini albi lib. ß. f. colatura, edulcoretur (si opus fuerit) cum syrupi è 5. radicibus ℥ii. capiat. ℥vi. calide bis vel ter in die procul à pastu.

Pro constitutione frigidiori, & phlegmatica præditis, paretur decoctum ex ligni Gaiaci, Sasaphras, Sarsap. cum additione ingredientium prædictorum, f. Apozema cujus sumat ℥vj. vel viii. bis, vel ter in die calide.

Egenis, & sæpe bono cum fructu ditioribus præscribere soleo, Decoctum foliorum siccat. modò Salviæ, modò Betonicæ, Verbenæ aut Rorismarini in aq. font factum, & dein tinctura pulveris baccarum Coffee impraegnatum, bis in die ad ℥vi. vel viii. calide sumendum.

3. Quod si cum sero exundante, particulæ insuper salinæ, acidæ, biliosæ, aut alias infestæ, aut omninò è massa sanguinea, aut hac mediante è visceribus susceptæ, in capitis membranas corripiantur, ibidemque defixæ dolores magis acutos, & diuturnos pariant: tunc sanguinis missionem parcam, quin & blandam catharsin aliquoties iterari, epithemata onodyna, & demulcentia locis affectis applicari, non raro item hypnotica mitiora crebra vice exhiberi cenveniet; item Apozemata, nec non herbarum succi & expressiones, quæ bilis fervorem compescant, ipsamque per sedem, urinas blande educant, egregii sunt usus: interim vero medicamenta acriora, aut fortiora, sive catharsin, sive diuresin, aut diaphoresin ea moliuntur, quatenus sanguinem, & humores fundunt nimis, & exagitant, sedulo vitentur. Frequenter observavi in capitis dolore acuto, & pertinaci laborantibus, serum sanguine emisso innatans, flavedine seu recrementis biliosis eidem incoctis tinctum fuisse; etiam in hoc casu phlebotomiam parcam, & crebram, deinde serum lactis, aut acidulas copiose epotas, insigniter, & præ aliis remediis juvasse.

4. Porro si visceris alicujus, prout stomachi, Hepatis, Lienis, Vteri, aut cujuspiam alterius vitio (propter mali fermenti transmissionem) capitis partes luunt, tunc in curatione morbi, una cum remediis cephalalgicis splanchnica adhibeantur; hinc cephalalgicis quibusdam stomacho etiam peccante, Elixir proprietatis, Elixir vitrioli Mynsichti, tinctura sacra, vitriolum Martis, pul. Ari compositus, aliaque pro stomachicis vulgo habita, non raro prosunt; aliis, quorum capita Lienis mala participant, chalybeata sæpe juvamen præstant. Mulieres quædam cephalalgiæ interdum à remediis hystericis levamen sentiunt. Pariter cum aliarum partium vitia cephalalgiæ contribuunt, indicatis primariis coindicata ab illis partibus desumpta adjungantur.

Quintò, Interdum succus nutritius (prout supra ostendimus) cephalalgiæ periodicæ causa existit;

existit; in quantum scilicet iste sanguini suffusus, & non rite assimilatus, ob particulas discordes, ei turgescentiam infert proinde ut cruor in caput ebulliens, exuvias suas in meningas, aut illarum partes quasdam prædispositas ingerat, fibrasque adeo in spasmos dolorificos irritet. Propter hanc causam novi plures, post variolas, morbillos, aliasque febres aut ægritudines, quibus sanguinis massa vitiari solet, cephalalgiæ quotidianæ obnoxios fuisse: viz. totidem à pastu horis, modo citius, modo tardius, primò ruboris in facie suffusio, dein capitis plenitudo, & dolor eos infestabant, insuper à vini potu aut alimentis turgidis comestis, gravius plectebantur. Morbi accessio ab assumptis magis aut minus distare solet, prout chymus, aut paulo post primum in cruorem ingressum, aut post aliquantulam in eo moram, turgescere incipit.

Hic affectus periculo vacat, & plerumque facile satis curatur. Post totius provisionem, leni catharsi, & interdum phlebotomia institutis, remedia, quæ sanguinis crasin restituunt, cujusmodi imprimis sunt Antiscorbutica, & chalybeata, maximè proficiunt.

℞. Conservæ Fumariæ, Tanaceti, lujulæ an. ℥ii. pul. Ari compos. ʒiii. Eboris, oculorum Cancri, corallii præparati an. ʒi. pul. sant. Citrini, ligni Aloes, an. ʒß. vitrioli Martis ʒi. sali Absynthii ʒiß. syrupi de 5. radicibus q. s. f. Elect. capiat mane & hora 5. pomer. q. nucis castaneæ suprabibendo liquoris sequentis ℥iii.

℞ Aq. foliorum Ari, Verbenæ, florum Sambuci, an. ℥vi. aq. Limacum, Lumbricorum magist. an. ℥ii. sacchari ℥i. misc.

Huc medicamenta varia, contra sanguinis dyscrasiam scorbuticam usurpari solita accenseri, & bono cum successu exhiberi possunt: nam cephalalgiæ quæ in scorbuto ita familiares existunt, sæpenumero à sanguinis humorem nutritium pervertentis, & recrementa sua capitis membranis ingerentis vitio, procedunt: quapropter remedia contra affectum illum alibi à me citata, etiam hic locum vindicant.

6. Restat adhuc humor alius, nempe liquor nerveus, qui intra meningum aliarumque capitis partium fibras aggestus, modo incongruitate propria, quatenus acris, aut alias degener fibris improportionatus evadit, modo quatenus, cum alio humore, scilicet nutritio aut seroso illuc affluente effervescit, partes continentes vellicat, inque spasmos aut distentiones dolorificas irritat.

Humor nerveus, quando ita est morbificus, vel in tota massa peccans capiti prædisposito maximam affligit noxam, vel ipse ex se insons, intra fibras affectas pervertitur, ac ita secundario morbificus evadit; cujus tunc curatio, à partium continentium restitutione dependet; nempe si fibrarum debilitates, aut conformationes læsæ emendentur, humor eas irrigans, statim culpa vacabit. Quibus remediis partium ad cephalalgias prædispositarum vitia tolluntur, mox dicemus.

Interea si humor nerveus, in tota massa degener, majorem capiti ad dolorem præparato noxam impertit, ejusmodi medicamenta, & methodus adhibeantur, quibus iste ad debitam crasin redactus, fibras istas blandè trajiciens, parum aut minimè irritet. In quem finem, nec purgantia fortiora, nec phlebotomia larga aut crebra conveniunt, utpote quæ sanguinem & humores exagitant, viresque atterunt, proindeque nerveo peccanti majorem acrimoniam, œstrumque imprimunt. Attamen blanda solutiva, & parca sanguinis detractio, interdum ex usu erunt, quo viscera detergantur, & massa sanguinea nonnihil expurgetur, & medicamentis aliis melius successuris via struatur.

Pharmaca autem, quæ liquorem nerveum capitis membranis ab eo molestari solitis, magis amicum, & benignum reddunt, ejusmodi sunt, quæ cephalica vulgo perhibentur: quorum scilicet particulæ satis activæ simulque tenues, & subtiles, sanguinem absque turgescentia, aut tumultu trajiciunt; dein liquori nerveo se insinuantes, eum blande actuant, ductusque nerveos adeo explicari faciunt, proinde ut spiritus animales corpora quæque tum sensilia tum motiva liberius irradient, eaque sine deliquiis, spasmis, aut distentionibus anomalis inspirent.

Hujusmodi remedia etsi non semper efficacia existant, attamen cephalalgias quasdam haud multum inveteratas sæpe tollunt, inque aliis, ut ut pertinacibus, non raro juvant. Porro eadem quæ ad capitis dolores, etiam ad cerebri & nervosi generis pathemata, & vice versa, quæ in his etiam contra illos bono cum fructu præscribuntur; eorundem scil. virtus intra ἐγκέφαλον explicata contra Apoplexiam, Paralysin, Lethargum, aliosque morbos affines, etiam intra fibras motrices contra spasmos, & motus convulsivos juvant; insuper intra fibras sensiles vires suas exerentia sæpe doloribus succurrunt.

Horum medicamentorum campi amplissimi, vulgo in libris medicis panduntur, ita tamen ut illorum copia, aut inopiam, aut medendi methodo confusionem pepererit; cum inter varia & tot diversimoda remedia simul congesta, sæpe latent aut occultantur quæ maximè ex usu forent; non secus ac triticum, à multa palea difficilius secernitur, quam illud ab aristis primos sincere excutitur.

Itaque in hoc casu facta totius provisione, & subinde adhibitis, tum per diætam, tum medicinam, quæ sanguinis turgescentias inhibeant, aut mox sedent, medicamenta dicta cephalica, sive quæ succi nervei inordinationes tollunt, sedulò assumenda præscribantur; horum formulas quasdam paucas subjiciam.

℞. Conservæ florum Betonicæ, Caryophyllorum an. ℥iij. pul. rad. Pœoniæ maris ℥ß. Dictamni cretici ʒi. ligni Aloës, santali citrini an. ʒi. corallii rub. præp. Margaritarum Eboris an. ʒß. salis Verbenæ ʒiß. syrupi è floribus Pœoniæ q. s. f. opiata, capiat q. nucis castaneæ superbibendo Julapii sequentis ℥iii.

℞. Aq. Cerasor. nigror. Jugland. simplicis, Verbenæ an. ℥iv. florum paralyseos. ℥iii. Pœoniæ compos. ℥ii. sacch. ʒvi.

Vel ℞ foliorum Verbenæ Visci pomor. an. M. x. rad Pœoniæ maris lib. ij. Maceris, nucis Moschatæ an. ℥ß. sem Coriandri ℥i. incisis & contusis affunde lactis recentis lib. viii. (vel lactis

lactis lib. VII. & vini Malagani lib. I.) destil. organis communibus, liquor totus misc. Capiat ℥III. pro vice.

℞. Pul. rad. Pœoniæ maris ℥ß. corallii rubri præp. ʒII. Eboris Margarit. præp. an. ʒI. f. omnium pul. subtilis, adde sacchari solut. & ad tabulat. coct. in s. q. Aq. Cerasor. nigr. ℥VI. Tinct. è corallii ʒI. s. a. f. Tabul. ponderis ʒß. ʒß. comedat III. vel IV. mane, & hora quinta pomerid. superbibendo haustulum Tea.

Vel ℞. Tincturæ coralliorum ℥I. sumantur gut. 15. ad 20. bis in die in haustulo Julapii, vel aq. destillatæ.

Qui temperamenti sunt frigidioris, aut phlegmatici, sumant bis in die dosin, aut Tincturæ Antimonii, aut spiritus Armoniaci cum succino vel coralliis impraegnati, vel sp. C. C. aut fuliginis in vehiculo appropriato.

Millepedum usus hic omitti, aut postponi non debet; utpote quorum succus, expressus, aqua destillata, etiam pulvis ex iis paratus, pro curandis antiquis & pertinacibus cephalalgiis opem sæpe egregiam præstant. Possim hic multa alia varij generis medicamenta proponere; quinimo illorum fere omnium, quæ contra affectiones spasmodicas olim congessi, formulas huc transferre. At vero curationis cephalalgicæ nodus adhuc extricatu difficillimus restat; quomodo nimirum causa morbi hujus conjuncta, & fixa in fibrarum debilitate aut conformatione læsa consistens, sanari aut tolli poterit.

Hæc autem licet interdum incurabilis fuerit, uti cum tumor schirrosus aut callosus, aliusve antiquus & fixus, meningas occupavit; attamen cum hujus diagnosis sit incerta, & morbi procatarxis, ut ut immanis visa non nunquam therapia diuturna superatur, idcirco in omni cephalalgia, donec patiens remedia admittet, ne tædeat Medicum, quæ maxime idonea videntur, præscribere.

Itaque imprimis, quod modo innuimus, sedulò enitendum erit, ut morbi fomite præscisso, & intercepto, paroxysmorum accessiones crebræ inhibeantur, ita namque fibræ dispositæ, quamdiu non male afficiuntur interdum sola natura medente sanitatem recuperant.

Artis medicæ auxilia, in hoc casu indicata, chirurgia potius quam pharmacia petuntur, Nam quicquid ore assumitur, per longas ambages circumiens, virtutem omnem impendit, priusquam ad capitis membranas pervenitur.

Inter Chirurgica primo remedia topica occurrunt, & ex iis emplastra commodissimi sunt usus, & maximum sæpe commodum exhibent: hæc non impense calida sint, quæ humores ad locum affectum plus attrahant; sed modice discutientia & corroborantia. Præscribere soleo emplastrum de minio, vel diasaponis cum subdupla proportione Emplastri Paracelsi, parti dolenti rasæ applicandum, & aliquandiu gestandum. Quod autem Antiqui plœnigmos & sinapismos frequenter adhibuerint, & hodierna in praxi est, contra atrociores cephalalgias vesicatoria, toti modo occipiti, modo sincipiti applicare: si quando à calidioribus hisce Topicis levamen successit, propterea fuit, quoniam per administrationes istas, seri acrioris copia ingens à parte affecta excerneretur.

Linimenta ex oleis, & unguentis, crebrò licet usurpata, minus efficiunt; in quantum (ut opinor) ea fibrarum tonos, si altius penetrarint, magis laxant, proinde ut materiæ morbificæ incursibus facilius pateant: insuper cutis poros inferciunt, quo minus effluvia evaporent. Propter eandem fere rationem est, quod fotus calidi è decoctis Aromaticis, aliisve cephalicis parati, officiant sæpius quam prosint; in quantum humores versus partes affectas attrahunt, simulque poros, & meatus aperiunt, quo promptius admittantur. Propterea item est, quod capitis balneatio, sive embrocatio per antliam intra Thermas calidas, cephalalgicis non meliori cum successu adhibentur: cum è contrà multis utile fuit, tempora, frontem, & sinciput, quovis mane & vesperi frigida perfundere: immo totum caput omni aurora per antliam aqua frigida embrocare, aut saltem intra vas profundum, aut puteum immergere.

Auxilium aliud chirurgicum, pro cephalalgia præsertim immani ac inveterata, decantatum solet esse fontanellarum in variis corporis partibus inustio aut incisio. Extra dubium est has in brachiis aut cruribus excitatas, & minus incommodas esse, & nonnihil emolumenti afferre: in quantum sc. morbi fomitem ex parte subtrahunt, longè à loco affecto avocant. Porro fontanellæ in nucha, atque setaceum in cervice, etiam in auricula, vel prope eam, item clavus ex radicibus Helleborastri auriculæ perforatæ infixus, in quatum serositates multas evacuant, aliasque versus emunctoria, sc. glandulas invitant, sæpe cum emolumento adhibentur. At vero plurimus sermo & major expectio est de cauteriis loco dolenti aut prope eum affixis, ita ut fontanellæ amplæ supra capitis verticem, aut juxta suturarum commissuras excitentur. Si praxeos hujus fructum à successu metimur, parùm, & raro commodus, sæpius vero infaustus apparebit. Quippe nullum ego per ejusmodi cauteria sanatum, atque multos cephalalgicos inde deterius habuisse novi. Et quidem ratio hoc plane dictitat; nam ubicumque fontanella inuritur, illuc humor serosus, è tota massa sanguinea, & per consequens è toto corpore affluit, ac uberius sæpius aggeritur; quam per emissarium illud constanter exeat: quapropter circa fontanellas phlegmones, pustulæ, variique humores passim oriuntur. Quid igitur minus suspicari possumus, quam quod cauteria juxta capitis locum dolentem applicata, ibi materiam morbificam plus congeri faciant?

Altera adhuc restat operatio Chirurgica, à multis pro cephalalgia pertinaci prædicata, sed à nemine (quod sciam) adhuc tentata, nempe calvariæ juxta locum dolentem cum modiono sive trypano apertio. Hoc insignissimus Harveus noster feminæ prænobili cephalalgia gravissima & inveterata laboranti suadere satagebat, inde curationem promittens; sed nec illa, nec alius quispiam administrationem istam admittere voluit. Profecto mihi non constat quid certi ex calvaria ubi dolet aperta expectare licebit; si abscessus ibi latet, hæc unica esset curationis via; verum iste affectus soporosos, aut convulsivos lethales, potiusquam cephalalgiam inferre selet. Si phlegmon, aut pustulæ, vel

vel Erysipelas diploen occuparit, nescio an tumores isti nudo aëri expositi, facilius evaporent. vel utrum remedia iisdem nudis applicata, aliquid efficiant necne; quod si dolores propter meningas tuberculis, aut tumore scirrhoso, vel calloso obsessas oriuntur, apertionem cranij parum aut nihil profuturam sentio.

Verum hoc donec in praxin assumetur misso, ad alia transeamus, & jam proxime utrum salivatio ad curandas veteres, & obfirmatas cephalalgias adhibenda sit, perpendemus. Revera si dolores capitis à lue venerea oriantur, nullus dubitat, quin malo huic nodo malus iste cuneus adhiberi debeat. Verum illud remedij genus in cephalalgiis propter alias causas oriundis experti, messem semento laborioso parem minime retulerunt: me fateor à methodo ista in ejusmodi casibus tentanda quorundam exempla terruisse. Illustrissima quædam Domina (cujus ægritudo infra describetur) pro sananda atroci ac diuturna cephalalgia ter salivationem copiosam, sc. primo per unctionem mercurialem ex consiliis Domini Doctoris Theodori Mayern, & postea his ab assumpto pulvere nuper famoso Caroli Huis, sine quovis juvamine (utinam & non cum aliquo detrimento) subivit: nam deinceps per plures annos usque in hunc diem morbi sensim adaucti gravissimæ tyrannidi succubuit. Paulò hoc deterius cessit eximio viro D. G. D. cui cum ad curandam antiquam cephalæam inunctio mercurialis capiti dolenti adhiberetur, salivatio inde concitata, morbo non sanato cæcitatem intulit. Profecto hujusmodi effectus, ab hydrargyro temere exhibito, unusquisque operationem ejus in corpus humanum rite perpendens vereri debet. Nam ut Mercurium non dicamus malignum, aut prorsus venenosum, in quantum scil. à particulis ejus unitis noxæ parum, aut nihil inferatur, adeo ut argenti vivi sæpe magna copia satis tutò assumatur; attamen corpuscula mercurialia divisa, & ab invicem separata) sive à salibus chymicis, prout in mercuriis sublimatis, & præcipitatis, sive percolatione per cutis poros, quando inunguntur, id fiat) mox effera, & indomita evadunt, atque præ pharmacis quibusvis aliis, maximas in corpore humano perturbationes cient: illa interdum partibus primò nerveis molestiam afferunt, quamobrem ob ventriculi, intestinorum, aliorumque viscerum fibras mox vellicatas, tormina, vomitiones horrendæ, dejectiones acerrimæ, & sæpe cruentæ, cardialgiæ, deliquia, aliique terribiles affectus brevi post medicamentum exhibitum sæpe contingunt. Quandoque tamen mercurij particulæ, cum non statim dissolvuntur, sine magna viscerum noxa, vires suas vix prius quàm in massam sanguineam deducuntur, exerunt. Itaque hanc summè agiles, & se quaquaversus explicantes, facile subeunt, & mox totam inficientes, exagitant, & non raro (cum plenius dissolvuntur) in magnam effervescentiam concitant. Dein sanguis, ut corpuscula incongrua à se amoliatur, fermentescens, eadem, qua licet, humoribus intra sinum suum, nempe sero & succo nutritio, contentis tradit, ac penitus incoquit; simulque ipsos mixtura ita præternaturali imbutos exuere satagit. Hoc autem per urinam vel sudores non facile, nec satis ubertim succedit; in quantum scil. sanguinis liquamina à particulis mercurii incoctis, instar Smegmatis, magis viscida & crassiora existunt, quam ut exilia renum aut cutis colatoria pertranseant, illa nonnunquam arteriis Cœliacis (ni inhibentur) erumpentia, diarrhœa, aut dysenteria excitatis, foras exeunt, salivationis voto perinde impedito aut frustrato: sæpius vero latex mercurio imbutus intra sanguinem etiam quadantenus infectum manens, cum eo huc, illuc, per arterias, & venas impetuose correptus, in varias partes arietat, & qua data via, aut foras erumpit, aut visceribus, membranis, aliisque partibus magna sæpe cum noxa impingitur. Præterea item particulæ quædam mercuriales cerebrum penetrare, seque in succum nerveum insinuantes, non modo per totum ἐγκέφαλον, sed sed partes omnes nerveas diffundi; adeoque liquorem nerveum aliquatenus fermentare videntur.

Interim vero serositates mercuriales in sanguine resides, maxima ex parte in glandulas, quæ sunt proxima arteriarum emunctoria, deponuntur: Quapropter cum circa partes oris, glandulæ, (quibus pro saliva seri copia ingens destinatur) tum plurimæ, tum maximæ collocantur, ab iisque per vasa excretoria ductus aperti in oris cavitatem dehiscunt, certe hac potissimum via, cruoris latex venenatus, cum alibi non facile possit, exitum inveniet. Quamobrem sputo oris concitato, sanguis diu fermentescens, quicquid extranei, & non congeneris, aut in sinu suo foret, aut aliunde visceribus, aut partibus solidis, vel ab aliis humoribus absorbere, & excipere potest, instar vini aut cervisiæ despumantis, per ductus salivales, & meatus innumeros ubique in os dehiscentes ejicit. Porro verisimile est uti sanguinis, ita & liquoris ἐγκέφαλον & appendicem nervosum irrigantis, purgamenta à Mercurio subingresso excitata, hac etiam via nempe per ductus salivales foras excerni.

Itaque salivatio per mercurium inducta, si forsan recte succedat, morbos nonnunquam difficiles, & plane Herculeos, aliisque remediis omnino surdos tollit, quatenus nempe operatio hæc sanguinem & succum nerveum, aliosque humores, longa ἐκκαθάρσει penitius expurgat, fermenta quævis exotica destruit, salium, ac sulphurum enormitates subigit, quin & materiam morbificam ubivis impactam, aut stagnantem exagitat, ac sæpe foras educit.

Attamen hæc medicina periculo non vacat, in quantum scil. mercurius enormis factus, & secum seri acerrimi, & quasi venenati copiam ingentem ducens, in partes nobiles, ac imprimis ἐγκέφαλον cum appendicibus medullari ac nerveo, aut pulmones, & præcordia impetuose irruens, iis noxam indelebilem, & quandoque lethalem infert. Quapropter in cephalalgia veteri ac graviori discrimen subest, ne fibræ indispositæ à mercurio, cum sero multo & corrosivo eas pervadente, plus irritentur, inque majores spasmos, & corrugationes dolorificas agantur; porro ne ab ingenti humorum in caput raptu, cerebrum invadatur, & proinde, quod nimis crebro accidit, affectus soporosi aut convulsivi accerseantur. Super his plura, quoniam magni interest, edisseruisse vellem, nisi quod exactam salivationis methodum, ejusque plenam quoad

modos, & effectus, commoda, aut incommoda rationem à Medico Doct. D. D. Needham propediem in lucem exactam expectamus.

E Chirurgicis restat adhuc aliud quoddam celebre pro curandis cephalæis remedium, scilicet Arteriotomia. Hanc à veteribus in magno pretio habitam, è modernis nonnulli adhibent, ejusque usum valde prædicant. Attamen quoad nostræ observationi constitit, ἐγχειρήσεως isti successus ita decantatus sæpissime defuit. Nec mirum hoc, quoniam ratio ista, cui veteres innixi sanguinem arteriosum à venoso diversum, & magis efferum culpabant, proindeque emittendum consulebant, non omnino tenet. Nec quidem alia subest ratio, quamobrem sanguis ab arteria potius quam è vena juxta locum dolentem detractus, levamen conferat, sed potius è contra majus auxilium à venæ sectione expectare liceat; quoniam arteria inanita nihil à parte affecta excipit, detrahitque, vena autem secta, loco sanguinis effusi, è tota vicinia haurit, & sæpe cruorem, aliosque humores prope morbi nidum congestos & stagnantes resorbet, & circulationi reddit. Utcunque ne ab Antiquorum praxi nimis recedamus, *Arteriotomiæ* nihil tribuentes eam aliquando forsan, licet non immediate & causaliter, sed tantum consequentia, & per accidens juvare concedimus: in quantum scil. arteriæ discissæ fines coalescunt, ita ut sanguini transitus hác viá in posterum præcludatur, hinc cum paulo minor sanguinis penus versus locum per arterias provehatur, & par usque per venas auferatur, proinde interdum accidat, materiæ morbificæ fomitem minui, ejusque mineram paulatim absumi. Propter hanc rationem, administratio ista in opthalmicis non raro feliciter succedit. Porro pari non huic absimili veterinarii ad curandos in equorum κακοήθεις utuntur; nempe arteriam quâ materies ad partem affectam confluit excipiunt, & ligant, interim quæ impacta fuit, partim evaporat, partimque à vena resorbetur. Eandem fere methodum ab Harveo nostro pro curandis etiam in corpore humano tumoribus strumosis ac scirrhosis non sine successu tentatam audivi. Poteram hic multa alia remediorum genera, quin etiam præscripta, & medicamentorum (quæ ad cephalalgias sanandas, tum à Medicis, tum ab empiricis adhiberi solent) formulas subjungere: verum his libri Medici plus nimis abundant. Quod superest post morbi hujus Ætiologiam, itaa fusè traditam, ejusque Therapeuticen satis adumbratam, ex re fore videtur, quo hæc clarius illustrentur, Ægrotantium casus rariores, & imprimis cephalalgiæ continuæ gravissimæ, quæ item ob causam invincibilem non raro funesta erat, exempla quædam subjungere.

Mulier quinquagenaria postquam per sex circiter menses gravissimo capitis dolore, sub sutura sagittali eam perpetuò fere molestante, nullisque medicamentis, aut methodo cedente, laborasset, tandem, in lethargum cum membrorum resolutione partiali incidit, à quibus tamen, per remedia tempestive adhibita brevi recuperata in cephalalgiam uti prius atrocem expergiscebatur; porro deinde intra duas, vel tres septimanas in affectioné soporosam relapsa è vita discessit. Cranio aperto è latere sinus tertii, tumor scirrhosus tres digitos latus membranis accreverat, cujus interventu & dura meninx aliquanto spatio piæ accreverat, & vasa sanguifera, quæ illic in sinus cavitate dehiscere debuerunt constipabuntur. Porro cerebri anfractus tū exteriores, tum cavitas interna fuit aqua limpida repleta. Ex his observatis morbis itius invincibilis & demum lethalis causa liquido patebat. Scilicet meningum fibræ maxime sensiles, partim ob solutionem continui, partimque ab humore nervoso ibidem aggesto, & stagnante, simulque ab aliis affluis, cumque eo effervescentibus, continuo vellicatæ, & lacessitæ, in spasmos, aut distentiones dolorificas perpetuo ciebantur: postea cum sanguis, propter tumorem istum circuitu suo diu præpeditus, ut quoquo saltem modo pertransitet, laticem serosum (uti mos ejus est ubicunque obicem offendit) à se copiose amandaret, tandem hydrops cerebri qui lethargi funesti causa erat, excitabatur. Casum in alio quodam huic similem me quondam per Anatomiam observasse memini. Porro cum in multis cephalalgicis morbum à tali causa invincibili dependere ratus sim; libet hic unum ejusmodi affectionis exemplar adhuc vivens spiransque describere.

Ante aliquot annos; ad invisendam nobilissimam Dominam, supra Vicennium cephalalgia primo intermittente ac nuper fere continuo laborantem accersebar. Illa corporis forma eleganti, & eximiá mentis indole, ita ut artes liberales, & litteraturam quamvis, supra sexus sui conditionem egregie calleat, instructa, (quasi tantis donis sine aliquo detrimento impune frui nimium à natura crederetur) gravissimas ab hoc morbo plagas tulit. Ante secundum ætatis lustrum, à febre periculosa convalescens capitis doloribus interdum sponte ac sæpius à levi quavis occasione oriri solitis, obnoxia evasit Ægritudo non uni loco aut parti capitis limitata, modò dextrum latus, modò sinistrum, & non raro totum ejus ambitum infestabat. Durante accessione (quæ raro intra nychthemeri spatium terminata, sæpe per duos, tres, aut quatuor dies urgebat) illa lucis, loquelæ aut soni, aut motus cujusvis impatiens, intra cameram attratam, in lecto erecta sedens cum nullo colloqui, nil somni, aut victus capessere potuit. Tandem circa paroxysmi declinationem, somno gravi, & perturbato succumbere, è quo evigilans melius habere, & dein sensim convalescere, ac intermissionis tempore mediocriter valere solebat. Olim paroxysmi non nisi occasionaliter accersiti, raro intra viginti dies, aut mensem, postea dein multo crebrius repetebant; nuper autem raro iis immunis degit. Insuper ob plures occasiones, seu causas evidentes (cujusmodi sunt anni, ac aëris mutationes Solis, ac Lunæ aspectus magni, passiones violentæ, ac errata in victu iisdem immanius plectitur. Quanquam autem hic affectus Dom. Illustriss. (quando eam invisebam) supra viginti annos gravissime affligens, castris prope cerebri confinia positis regalem ejus arcem tamdiu obsederat, nondum tamen expugnarat: quin Ægrotans vertigine, scotomia affectionibus convulsivis, & symptomate quovis soporoso immunis, principes animæ facultates usque sartas tectas habebat.

Propter

Propter curationem assequendam, seu potius conandam, per totum morbi progressum remedia quam plurima, à Medicis potissimis, tum nostratibus, tum exteris præscripta sine quovis successu, aut levamine adhibita fuere: remedia etiam magna cujusque generis, & formæ, at semper incassum tentavit. Ante plures annos ab inunctione hydrargyri salivationem diuturnam, & molestissimam, proinde ut ipsa magnum vitæ periculum subierit, tolerabat. Postea bis à pulvere Mercuriali (quem insignis Empiricus Carolus Hues passim exhibuit) curatio per oris sputum (frustra licet) instituebatur: Thermas & acidulas cujusque fere regionis, & naturæ, pari, ac cætera, cum successu probavit: phlebotomias crebras, semel etiam Arteriotomiam admisit, fontanellas plures, modo in sincipite, modo in occipite, aliisque partibus inustas gestavit. Regionum diversarum, sc. præter nativi soli, Hybernici, & Gallici aërem hausit: medicata nullius non generis, nempe cephalica, antiscorbutica, hysterica, specifica quævis famosa, immò & empirica, tum à doctis, tum ab indoctis, ab Agyrtis, & mulierculis exhibita sumebat: se tamen à nullo uspiam aut remedio, aut medendi methodo quidpiam aut medelæ, aut levaminis recepisse profitebatur, quin rebellis, & contumax iste morbas, ad quævis medicinæ incantamenta surdus, domari recusavit. Porro iste τῶν ἐγκεφάλων pomœria tam diu occupans, etsi cerebri claustra invadere nequiret, attamen quando eam invisi, in quasdam alias nervosi generis partes fines suos explicans, in membris etiam in lumbis & abdomine dolores atroces, prout in Rheumatismo, ac in Colica scorbutica assolet, concitare cœperat.

In morbi hujus inveterati Ætiologiam si inquiritur, nihil minus suspicari possumus, quam cerebri meningas ab initio levius tactas, postea vitium habituale & indelebile contraxisse. Ab affectus historia liquet primam ejus diathesin à materia morbifica, post febrem male indicatam in caput translata, ortam fuisse. Tunc forsan ob noxam membranæ illatam, fibrarum tonus in tantum læderetur, postea, ut in iis humores, scilicet tum nerveus irriguus, tum alii subinde afflui, ad plenitudinem aggesti, aut mera aggravatione, aut mutua effervescentia, cephalalgiæ paroxysmos excitarent. Tandem vero causa morbifica ob crebros paroxysmos invalescentes videtur quod fibrarum istarum unitas in tantum solveretur, proinde ut tubercula & nodi scirrhosi in tota meninge exteriori, aut in magna ejus parte accrescentes, dolores fere continuos, eosque à levi quavis occasione exacerbari aptos, producerent: talsi certe causa invincibilis, & permanens, scilicet duræ meningis scirrosa affectio, pia interim incolumi, cephalalgiæ, tam diuturnæ, & nondum lethali par esse videatur. Quacunque enim aliâ de causâ, si naturæ, & medicinæ cum morbo conflictus fuisset, longe citius aut cita mors venisset, aut victoria læta.

Vir egregius 4. circiter annos natus, robustus, & sanus cum per diem integrum pluvia perpetim stillante iter faciens, propter continuum occipitis madorem, frigus contraxerat, propediem in ista parte dolorem pati cœpit; qui brevi tempore plurimum exacerbatus, ægrotantem dies & noctes miserrime afflixit, & ferè semper insomnem detinuit. Ad curandum hunc affectum phlebotomia, purgatio, enemata, vesicatoria, hypontica, quin & plurima nullius non generis remedia, junctis item plurimorum medicorum consiliis, diligentissimè licet adhibita, parum aut nihil præstitere. Cum morbus, his non obstantibus, indies ingravesceret, post sesquimensem glandulæ præternaturales tumidæ, ac dolentes in tota cervice excitabantur, hemicrania interim nihil remittente: insuper colli tendines plurimum distenti, ac rigidi, ei plurimum molestiæ fecerunt; quibus brevi motus convulsivi, & tendinum subsultus variis in partibus, cum delirio succedebant, tandemque Ægrotans doloribus, & vigiliis attritus, morti succubuit.

Etsi cadaveris dissecandi copia non daretur, suspicari tamen suberat, & pericranium & meningas in occipite, cerebellum investientes, ubi crassiores illæ, ac plurimum villosæ existunt, primariò affectas fuisse; indeque noxam postea τῷ ἐγκεφάλῳ communicatam, in totum genus nervosum migrasse: in membranis istis, cum à frigore & madore transpiratio inhiberetur, simulque fibrarum tonus plurimum læderetur, probabile est, quòd liquor nerveus eas irrigans, tum motu præpeditus, & stagnans, corpora continentia aggravaret, tum iste in crasi depravatus, cum aliis humoribus affluis effervesceret, cumque iis demum coagulatus, in tumores quasi scirrhosos & strumosos concresceret adeoque cephalalgiæ gravissimæ seminium copiosum jaceretur: dein postea, cum à vigiliis & doloribus perpetuis, magna spirituum mordinatio, & succi τοῦ ἐγκεφάλου irrigantis dyscrasia ingens producerentur, propterea in cervice, concretiones nodosæ, tendinum rigiditas, ac demum in cerebro totoq; genere nervoso spasmi & motus convulsivi succedebant: cumque adeo œconomia animali plurimum labefactata, præcordiorum motus perennari nequiret, flamma vitalis expirabat.

Nec minus à phlegmone, & abscessu, quam ab hujusmodi meningum nodis, & tuberculis nonnunquam cephalalgiæ lethales, aut incurabiles oriuntur. Olim juvenis Academicus cum per duas septimanas de gravissimo capitis dolore ipsum incessanter affligente conquestus, erat tandem febre aucta, mox vigiliæ, motus convulsivi, ac confabulatio delira succedebant; quo tempore medicus accersitus, phlebotomia, enematis, emplastris, revulsivis, vesicatoriis, item remediis internis, quæ fluxionem sanguinis, ac humorem à capite devocent, sedulo adhibitis, nihil proficere potuit, quin mors brevi successerit. Calvaria aperta, vasa meningas obducentia erant sanguine repleta, & plurimum destenta, quasi cruoris massa illuc tota confluxerat, ita ut sinibus dissectis, & apertis, cruor affatim erumpens, ad plures uncias, supra ℔ ß. pondus effluxerit: porro ipsæ membranæ tumore phlegmonoide per totum affectæ; discolores apparebant: integumentis hisce sublatis, cerebri anfractus omnes, ejusque ventriculi, aqua limpida erant pleni, ejusque substantia, utpote nimis irrigata, madida erat, & minus firma. Proculdubio in hoc casu sanguinis effervescentis in meningas incursus, ejusque ibidem aggestio.

phlegmonem excitans, cephalalgiæ, & subsequentis delirii causa fuit: dein sanguis ibidem accumulatus, cum circulare nequiret, seri copiam à se rejecit, à quo totus ἐγκέφαλος cito inundabatur; proinde ut morbus forsan ab initio per phlebotomiam curabilis, postea lethalis evaserit.

Memini alium Academicum, qui post diuturnam hemicraniam, sub sutura temporali, per tres septimanas eum perpetuo, & gravissime affligentem, in Apoplexiam brevi funestam incidit. Capite aperto phlegmon juxta locum dolentem in meningibus accreverat, à qua denium suppurata, & disrupta, sanies in cerebrum decidens, substantiam ejus livore & putredine affecerat. Præter hujusmodi causas invincibiles, per Anatomiam detectas, plures observavi casus, aliorum simili ritu decumbentium, in quibus, cum morbi signa, & symptomata, pari ritu, ac modo describuntur habuerunt, proinde Ætiologiam ejus aut eandem, aut valde affinem concludere licebit.

Quanquam autem, cephalalgia continua, (præsertim si in plures septimanas sine intermissione producatur) periculo non vacat: attamen de curatione ejus non illico desperandum erit, quoniam hujus causa, ut ut fixa, & immobilis visa, sæpe longo remediorum usu, immò interdum sine illis natura & tempore sanatur: utcumque in casu fere deplorato, Medicina quadam opus erit, ne præsens affectus in deteriorem, nempe soporosum, aut convulsivum transeat. Hæc de cephalalgia continua: modo restat intermittentis exempla, & instantias rariores quasdam proponere.

Itaque ut mittam hic cephalalgiæ, cujus paroxysmi vagi ac incerti à sanguine aut sero loca affecta irruentibus procedunt, casus utpote valde crebros, & vulgo notos describere: libet hic observationes quasdam selectas hujus morbi aut periodici, aut per consensum à viscere quodam excitari visi, in medium proferre; quoad prius, dolorum capitis insultus periodicos, vel ab humore nutritio vel à succo nerveo produci ostendimus; utriusque exempla modo subdemus.

Venerabilis matrona anno ætatis 45. gracili corporis habitu, ac temperamento bilioso prædita, cum à longo tempore cephalalgiis occasionaliter excitari solitis obnoxia degisset, circa initium Autumni dolore capitis periodico molestari cœpit: hic affectus circa quartam à meridie horam invadens, ad mediam fere noctem, donec ægrotans præ cruciatu & vigiliis defatigata in somnum cogeretur, protendi solebat; dein post somnum satis profundum illa mane evigilans recte habebat. Ad hunc modum Ægrotans per tres septimanas morbi hujus insultus quotidianos passa, Medicinæ quam maximè horrebat, usum distulit; tandem vero appetitu dejecto, & viribus attritis, ad therapiam expetendam coacta, post lenem catharsin & & phlebotomiam, cepit bis in die, per unam, aut alteram septimanam, Electuarii sequentis quantitatem castaneæ, & integrè convaluit.

℞. Conservæ florum Cichorii, fumariæ, an. ℥ iij. pul. rad. Ari compos. ʒijß. Eboris ʒjß. sant. citr. ligni Aloës an. ʒß. salis Absynthii ʒiß. vitriol. Martis ʒj. syrupi è quinque radicibus q. s. fiat Elect.

In hoc casu, quod post diathesin cephalalgicam morbi accessiones, febrium intermittentium ritu, demum periodicæ extiterunt: proculdubio in causa fuit, chymi sive humoris nutritii in sanguinem assimilatio impedita: quippe cum penus ejus in massam sanguineam receptus vinci nequiret, post aliquantulam moram discrepare, cumque particulis ejus effervescere solebat: propterea statim sanguis ut mixturam incongruam excuteret turgescens, recrementa sua, prout in alias partes, ita præcipue, & cum majoris molestiæ sensu, in meningum fibras prius debiles, aut in conformatione læsas, deponebat: materies ea capiti suffusa, aut per se fibras sensiles irritans, aut cum succo earum irriguo effervescens, doloris paroxysmum modo descriptum ciebat; qui nempe perdurabat donec particulæ heterogeneæ vel mutuo congressu effervescentes, aut subigerentur, aut exhalarent.

Mulier venusta, procera, & gracilis, affectibus cephalicis, diu, & graviter obnoxia, interdum per plures dies, immo septimanas, quotidie primo mane somno experrecta, cephalalgia atroci, eam exinde per tres, aut quatuor horas affligente infestari solebat: interim & totius capitis gravitate, sensuum torpore, & mentis hebetudine afficiebatur: cujusmodi affectus, una cum dolore, velut nubes discussæ ante meridiem evanescentes, sudum, & serenum relinquebant; donec postero mane iterum velut nebulæ & caligo ἐγκέφαλον occuparent: pro his sanandis pilulas purgantes, phlebotomiam parcam, vesicatoria insuper; sp. C.C. aut fuliginis, cum julapiis aut aquis cephalalgicis usum præscripsi.

Quod in hac D. secus ac in altera Ægrotante, dolores capitis somno succederent potius, quam ab eo sanaretur, ratio esse, videtur, quoniam in cephalalgia hac matutina materies morbifica in succo nerveo resideret, cujus insignior cruditas, & plenior circa caput aggestio, mox è somnis contingunt, prout alibi satis fuse ostendimus: alter autem hujus morbi paroxysmus vespertinus, cum à liquoris nutritii intra massam sanguineam plenitudine, & turgescentia penderet, idcirco totidem à prandio horis contingens, non nisi à somno, qui sanguinis inordinationes sedat, compescebatur.

Cephalalgiæ paroxysmos quandoque per consensum ab aliis partibus, sc. utero, liene, stomacho, &c. oriri, ilicet Ægrotantium experientia, & querela manifesto prædicant; attamen hoc alia ratione quam per vapores à viscere affecto, ad caput elevatos fieri, ex illorum historiis & phœnomenis rite perpensis non minus luculenter patescit. Et primo quod spectat ad dolores capitis ab utero excitari visos, nihil frequentius occurrit, quam à mensibus aut lochiis suppressis, cephalalgias immanes succedere. Porro catamenia licet rite fluunt, tamen aliæ fluxu instante, aliæque eodem desinente, atroci capitis dolore affligi solent. Verum enimvero quamvis eodem tempore, ac caput etiam uterus afficiatur, non tamen sequitur noxam hinc inde immediate transferri; sed ipse sanguis est, qui materiem morbificam capiti affigit, eam sc. modo in proprio sinu genitam, & utero destinatam, perperam in cerebri meningas defert; & modo eam ab uteri partibus surripens, cum majori

majori malitia capiti tradit. Hujusmodi Ætiologia etiam cephalalgiæ stomacho, lieni, aliisque partibus vulgo attributæ convenit.

Mulier formosa, & juvenis, gracili corporis habitu, & sanguine calido prædita; cum cephalalgiæ hæreditariæ obnoxia fuisset, paroxysmos ejus crebros, & vagos, alios nempe de levi occasione, aliosq; sponte, hoc est absq; causa evidenti oriundos, pati solebat. Pridie morbi accessionem spontaneam, vesperi valde esuriens, cœnam uberiorem cum apetitu famelico, ne dicam canino devorabat; hoc signo dolorem capitis mane sequenti invasurum certissime præsagiens cui augurio eventus nunquam defuit. Quam primum enim evigilabat, cruciatu per totum sinciput acerrimo afflicta insuper vomitu humoris modo acidi, & quasi vitriolici, modo biliosi, & summè amaricantis afficiebatur; hinc in indicium daretur cephalalgiam istam stomachi vitio exortam fuisse.

Hujus rationem ut reddere suscipiam, imprimis constat vomitionem capiti læsæ, nempe post plagam, vulnus, aut casum ab alto succedere; attamen vomitui, cardialgiæ, aut stomacho alias laboranti, dolor capitis, nisi intercedat sanguinis effervescentia, rarò aut minime supervenit. Quamobrem in prædicto laborantis casu, cum plane liqueret, cerebri meningas ad cephalalgias prædispositas fuisse, ejusque paroxysmos sanguinis agitationem quamvis excitasse; hinc obvium erit concipere, quando particulæ heterogeneæ propter chyloseos vitium, in massa sanguinea ad plenitudinẽ congererentur, statim ob molesti expulsionem fluore ejus oborto, eas utpote male congeneres à cruore secretas, partim ex arteriis in ventriculum suffusas, fermentum ejus exsuscitasse; adeoq; famem produxisse, partimque in capitis meningas prædispositas irruisse, ibidemque cephalalgiæ mox sequuturæ fomitem, seu potiùs incentivum deposuisse. Hæc Ægrotans pharmaciam quamvis aversata, cum nullam Medicinæ methodum subire vellet, tandem affectibus etiam paralyticis & convulsivis obnoxia evasit. Ex his facile erit cephalalgiæ cujusvis alterius sc. hypochondriacæ, hepaticæ, aut alias sympathicæ Ætiologiam designare, ut non opus fuerit hic plures historias aut observationes addere. *Thom. Willis in Pathologia Cerebri.*

1. In Cephalæa seu doloribus capitis quibuscunque in primis usus Aq. Benedictæ Ventriculo jejuno statâ dosi exhibitæ multùm prodest. Vide notas in Crollium.

2. Ejusdem effectus quoque est Syr. ex aq. Benedict.

3. Purgatio fit:
   1. *Per diasenam Laxativam,*
   2. *Per Panchymagogum vegetabile.*
   3. *Radices Ellebori præparat.*
   4. *Scamm. præparatum,*
   5. *Mercur. dulcem,*
   6. *Mercur. vitæ.*
   7. *Flores antim. Correct.*
   8. *Specificum purgans Paracelsi, quod maximè commandatur. Vide notas ad Crollium.*

Inter Interna referuntur pilulæ Capitales non purgantes, sed confortantes ex Ladano, sunt tales:

♃. Ol. Camphor. gr. vi. (ol. Camph. sic fit: Camphora solvitur in oleo spicæ ana.)
Extr. Gumm. Ladan. cum sp. V. facti ℈ j.
Mosch. opt. gr. iij.
M. F. cum aq. Major. & mucilag. Tragac. pilulæ ponderantes singulæ gr. iv. Dos. pil. 2. vel 3. ad summum reiteratis vicibus, si opus est. Dentur longè à pastu circa vesperam. His rectè accensetur spiritus vitrioli Philosophicus in vino exhibitus.

Cùm dolor omnis tripliciter auferatur. 1. Iis quæ causam doloris tollunt, eique hoc modo contraria. 2. Anodynis, quæ paregorica causam doloris mitigant, consopiunt & æquabilem reddunt, leniterque rarefaciunt. 3. Narcoticis, quæ dolorem non percipi faciunt: Hæc propriè doloris causam non tollunt, nisi per somnum fortè, quem interiùs assumpta causant, mitigetur & concoquatur. Dolor vehementissimus Narcoticum, mitior Anodynum indicat.

Si igitur dolor ab intemperie aliquâ calidâ Cerebri vel vaporibus calidis exhalantibus fiat, ut in febri, cui occurri poterit præmissa evacuatione per clysterem, statim vena secetur, si adsit præsertim Plethora aut totius corporis intemperies, aut quod magis tantùm affectum spectat, applicentur Homoplatis cucurbitulæ cum scarificatione: imo eæ sæpiùs reiteratæ in magnis doloribus eôdem die sine scarificatione applicentur. Hinc Frontale aliquod anodynum applicetur, quod tale:

♃. Laud. opiat. ℈ß. aq. solani. rosar. an. ℥ iij. acet. rosar. ℥ i ß.
M. & panni linei iis madefacti applicentur fronti. Olfaciat quoque æger sæpe aq. rof. in qua Camphora soluta sit, & faciem eâdem lavet. Interius dentur, quæ intemperiem alterant, humores noxios educunt, quæque vim habent anodynam, qualia sunt Laudana supra dicta.

Quòd si hoc modo non cedat dolor, ad Vesicatoria accedendum, quæ applicentur sincipiti, vel collo prope nucham.

Quòd si verò à frigida intemperie Cerebri vel cum vel sine materia oriatur dolor, à dictis medicamentis abstinendum, & ad ea, quæ à Practicis vulgò præscribuntur, accurrendum. Inter maximè sibi accommodata habeat Medicus acet. & oxymel scillit. aq. flor. sambuc. ol. & aq. puleg. rorismar. aneth. & petrosel. quæ extra applicata duo posteriora vel sola sæpius præmissis tamen præmittendis, dolorem ejusmodi sedant, materiam digerunt & dissipant, vel ita disponunt, ut postea ab Errhinis & Apophlegmatismis facilè educi & dissipari queat.

Ad tempora & frontem nec non ad Coronalem suturam summopere prodest eorum inunctio. Prosunt etiam ol. nuc. mosch expr. & Balsamus apoplecticus naribus illitus, it. Cinamomi, succini balsamus. Prosunt etiam vel maximè sacculi in modum pileoli ex serico confecti, in quibus insuuntur aromata cum herbis capitalibus, & illi, qui ex Milii part. iv. & sal. tosti part. i. fiunt, capiti quotidie ter aut quater applicandi, prius tamen calefaciendi.

Et si hic affectus non cedit remediis ordinariis, post aures in parte inferiore excitare vesicas licet, quæ ubi excitatæ rumpuntur, illisque superimponuntur folia brassicæ, vesicæ apertæ detinentur, &, si eas consolidare animus, inunguntur unguento albo Rhasis. Possunt etiam, si morbus sit diuturnus & rebellis, applicari seta-

ceum aut cauterium potentiale aut actuale.

Quod si ob ventriculi vitium & consensum oriatur capitis dolor, isque continuus aut per intervalla affligat, sæpiùs detur infusio Croci Metall. vel flor. Antim. in aq. beton. aut menthæ facta. Prodest ut & in dolore à frigidis humoribus causato, Mercur. vitæ & panacæa. Prosunt in talibus etiam vel maximè pulveres grossi ex aromatibus Coriandri præparati, anisi confect. rotularum diarrhodon. Abbatis, diamosch. & similib. facti, post pastum assumpti, habita semper cura ventriculi ut & capitis, quod confortandum odoratis Balsamis & aliis, tam intra quàm extrà assumptis & applicatis.

In omni dolore Capitis tanquam arcanum appropriatum aq. Verbenæ destillata commendatur, quâ sæpè assumptâ pondere ℥iv. cum spir. vitrioli gut. iv. juvat, & Verbena tota contusa & capiti imposita, vel particula ejus vel tota cum radice collo è filo suspensa, ut radix sursùm vergat amuletum est.

NB. Verbena primum cum terra, cui adhæret radix, eruenda, postea radix præhensa ipsa per terram ordine inverso ducatur.

(In doloribus capitis ex Tartaro, qui sunt atrocissimi & acutissimi, revelabo tibi, Lector B. remedium arcanum, cujus vires experientiâ sæpè comprobavi & præstantius hactenus non vidi.

Rec. Nitrl optimè purificati & Chrystallisati q. v. conjice in crucibulum paulatim subjecto igne candefactum, & benè coopertum, ubi nunc nitrum instar limpidæ aquæ fluxerit, prunam injice parvam & continuò exorietur flamma cum sibilo & strepitu, quod iteratò & successivè fac, quoad nitrum flagrare & strepere desierit, ad hæc ignem vehementissimum ad quadrantem horæ continua, post nitrum fixum fracto crucibulo exime & loco frigido humidoque in cellâ expone; transibit primò ad aëris saltem contactum in butyraceam substantiam, postmodum in deliquium, fietque humor ex albo flavescens spissus instar olei Tartari per deliquium. Hôc factô, Recipe Herbam Betonicæ & ex eâ aquam destilla, quam recenti herbæ betonicæ incisæ & in mortario lapideo contusæ superaffunde, addendo ad singulas aquæ libras nitri istius liquati præter propter ʒ ij. vel ʒ iij. stet in loco temperatè calido, in vitro, & intra 24. horas Aqua intensè erit tincta, quam filta & bis de die ad ℥ iij. ægroto exhibe, quo stupendam operationem comperies.

Nota. Sic ex omnibus vegetabilibus specificis tincturam extrahere potetis, quòd si autem vires medicamenri exaltare volueris, eò labora, ut menstruum separes, quod affuso, sed NB. copioso spiritu vini perficies, qui tincturam menstruo ad fundum propulso, excipiet.

NB. Hôc modô & optimam antimonii tincturam perficies.)

Externa in dolore Capitis.

1. Epithema ex Gammaris.
2. Spir. V. opt. qui valet (quàm maximè) in dolore capitis ex Crapula, præsertim si testiculi cum spongia in aceto vini vel aq. communi macerata & expressa fomententur.
3. Epithema ex Zedoariâ: Pulvis Zedoariæ irrigetur com. aq. flor. sambuci, (vel aq. communi) rosarum, betonicæ & applicetur ad nucham debite.
4. In hemicrania, præsertim in clavo à proprietate juvat radix cucumeris assumpta cum verbena & absinthio pontico ana p. j. in Vino cum aq. ros. coca F. Epithema.
5. Aqua composita talis.

♃. Aq. ros. sambuci an. ℥ iv. Camph. ʒ ij. Mosch. opt. gr. iij. vel vi. Extr. Carlinæ ʒß. ol. spicæ ʒ ij.

Dissolve Camphor. in ol. spicæ, posteà omnia M. & applicentur in petiis dolenti capiti in magnis & ingentibus caloribus: in febribus vero ab æstu solis applicentur, it. ad tempora & Carpum.

6. Est specificum in doloribus capitis frigidis, quales sæpè vexare solent mulierculas, præsertim si credant sibi in occipitio frigida cum fluctuatione quadam hærere.

♃. Piper. long. ℥iij. contunde in mortario in pulverem crassum, posteà extrahe cum sp. V. & serva. Usus talis est: Fiat sacculus ex succino albo, pulverisato crassiusculè, interpassetur sacculus, & in hac essentia piper. l. madefactus applicetur calidè suturæ coronali (maximè prodest) si opus est, præmittatur Evacuatio universalis per alvum.

7. In gravissimis doloribus capitis (cum vigiliis, urgentibus in primis destillationibus) recurrendum est ad Laudanum opiatum cæteris nimirum nihil proficientibus.
8. Cancri aliquot fluviatiles acet. rosaceo irrigentur & contundanrur, ac Emplastri locô circumplicentur.
9. Radix Plantaginis collo suspensa dolori capitis à proprietate medetur.
10. Hederæ folia mollia cum Oxyrhodino torreantur & fronti temporibusq; apponantur. Optimum est in Cephalalgia biliosa.
11. Verbena, ut suprà dictum, est insigne specificum intus, & extrâ usurpata.
12. Nuclei persicorum cum aq. beton. vel Verbenæ contusi & applicati juvant mirabiliter in capitis dolore à causa frigida.
13. Unguentum de Alabastro.

♃. Cimarum Rubi M ij. Fol. Rutæ P j. Flor. chamom. recent. ℥ iv. lapid. alabastr. subtilissimè pulverisati ℔ß. olei rosarum ℔ j. ceræ ℥ß. Vini albi ℔ ij.

Pone in olla vitreata nova per triduum, posteà ebulliant ad consumptionem vini, refrigescant, addantur albumina ovorum num. iv. M. *Joan. Hartmann. in Practica Chymiatrica.*

Cum cerebri meninges, & pericranium affliguntur, Nos caput dolere dicimus, ipsumque morbum Cephalalgiam, mutuato à Græcis nomine, appellamus. Non semper tamen patientes eodem modo hic dolor afficit: quandoque enim internas partes capitis molestat, interdum externas tantùm, quæ etiam modò pungi, modò gravari, & cum distensione pulsari sentiuntur; nec rarò dimidia solùm capitis pars dolet, quæ affectio Græcis dicitur Hemicrania.

Huic morbo causas attribuunt Galenici quæcumque vehementer alterare caput valent; ut frigus, & æstus aëris, venti aquilonares, & austrini, cibi acres & flatus moventes, nimius vini

ni potus, quæ acutè nimis olent, ictus, casus, affluxus humorum, atque intemperies sive calidæ, sive frigidæ, cæteraque hujusmodi: putantque pungentem dolorem esse ab acribus, & biliosis humoribus, gravantem à phlegmaticis, à flatibus verò instantem cum distensione.

His addidere Recentiores alias plures: veluti sanguinem detentum in plexibus, vel in vasis meningium, qui gravando, aut distendendo dolorem infert: liquorem nervis contentum, qui illorum fibras non repurgatus trajiciat; unde fortasse periodicæ Cephalalgiæ: ut advertit Willisius: Serum, seu Lympham in ventriculis, vel inter utramque meningem occlusam, ut pluribus cadaverum dissectionibus innotuit, & testatur Riverius observat. 37. cent. 1. Pus ex abscessu, aut vomica easdem partes obsidens: Tumores, & tubercula dolorem capitis, præsertim diuturnum afferre adnotat idem Willisius de anima Brutorum. A vermibus ibidem genitis, ex Foresto, & Schenchio: Itemque à calculis, inflammatione, aliisque, ut ex pluribus deducit Bonetus. Similiter à mala capitis conformatione, meningum crassitie, & suturarum constrictione, ac relaxatione non rarò etiam diutinos dolores induci, docemur ab Hippocrate, & Celso; quod pariter in his, qui caput acutum habent, notavit Gal. 6. epid. comm. 1. t. 3.

Per sympathiam, seu consensum aliorum viscerum Cephalalgia non rarò etiam exoritur. Præsertim verò compatitur caput, & dolet, ex malè affectis, ventriculo, utero, liene, mesenterio, varicibus, cæcisque hæmorrhoidibus. Observat autem Joubertus dolores capitis ab affecto ventriculo dependentes magis anteriorem partem vexare; posteriorem verò, & verticem, qui ab utero: quod etiam confirmat Langius lib. 1. epistolarum.

At Helmontius pluribus contendit hos dolores procedere solùm à Duumviratu per nudam actionem regiminis constituti in splene, & stomacho, citra vapores caput, & meninges pertingentes; si nimirùm prædictæ partes malè affectæ suis muneribus non fungantur.

Verùm quæcumque sentientes partes corporis, malè afficiunt, ut aliàs de sensu tactûs ostensum est, hujus doloris causæ esse possunt. Eò autem dolor erit vehementior, quò pars affecta magis nervis referta fuerit, & afficientia violentiora. Quæ verò sensim poros partium subeunt, licet dissentanea sint, tractu temporis consentanea evadunt, & vel nihil, vel levissimè molestant; secus autem, quæ sensim applicita voluptatem afferunt, si repentè adhibeantur, plurimùm excruciant; ut experimur cùm gelidas manus ad ignem subitò calefaciendas admovemus.

Scribit Galenus 3. de loc. aff. c. 9. solùm interiores capitis dolores ad radices usque oculorum pertingere. At verum non est: succingit enim pericranium oculorum orbitas, efformatque primam eorundem tunicam adnatam, seu conjunctivam dictam. Cæterum Hemicrania, & aliæ doloris species ex conquestu patientis notæ fient.

Causæ pariter Cephalalgiæ conjici poterunt ab his, quæ ab adstantibus & ægro referuntur, ex assumptis cibis, ac potibus, vigiliis, & exercitiis immoderatis, egestionibus, aut retentionibus excrementorum, animi pathematis, aliisque. Conjectamus autem dolorem à sanguine procedere, si præcessêre ejusdem suppressiones, qui aut ex hæmorrhoidibus, aut ex utero, aut ex naribus periodicè fluere consueverat. Erit à liquoris nervorum vitio, si cephalalgia statutis quibusdam horis invadat, & repetat, præsertim manè, & à somno, vel tempore distributionis alimenti; vel quando chylus cum remeante sanguine permiscetur, & in arterias carotidas traducitur. A sero, seu lympha: si cum catarrho, urinis copiosis, & turbatis, humore narium, & sudoris consueti suppressione fiat: præsertim si vigeat in constitutione pluviosa, aut immoderatos potus, & aquosos cibos sequatur.

A tuberculis, tumoribus, abscessibus, aliisque Cephalalgiam suspicabimur, cùm præter graves & diuturnos dolores, cerebrum sopore gravatur: neque tam facilè, etiam efficacissimis remediis morbus cedit. Pari modo conjectandum de calculis ibidem genitis, aut de vermibus; nisi quod in his dolores erunt erodentes cum frequenti vertigine, præsertim in motu capitis, fœtor per os, & nares exhalabit, quæ pruritum etiam patientur cum sternutatione, ut observat Sennertus. Quod si puris egestio compareat, vel per aures, vel per nares, aut palatum, certum indicium erit maturati, & jam dirupti apostematis.

A mala suturarum, aut meningum conformatione dolor erit diuturnus, nullis remediis cedens, & à crapula gravior evadet: fortè etiam apparebunt notæ malè conformati capitis.

At verò idiopathicus à sympathico distinguetur, quandoquidem ille continuus est, & in capite vitium arguit, cum aliqua animalium operationum læsione; hic verò erit interruptus, atque aderunt reliquorum viscerum, præcipuè naturalium, affectiones. Porrò solet potissimum consentiens iste dolor à ventriculo, liene, mesenterio pancreate, & utero pendere; unde nauseæ, infirmæ, vel tardæ digestiones, inflationes, ructus, alvi durities, & alia in hypochondriis symptomata percipientur.

Quamvis autem ex his prudens Medicus plerumque probabiliter conjiciat de variis, diversisque causis cephalalgiæ, non rarò tamen eumdem falli contingit; siquidem dolor creditus ab una causa esse, detectus est habuisse ortum ab alia omninò diversa, factâ nimirum sectione cadaverum ejuscemodi morbi genere interemptorum. Quamquam & in hoc etiam non levis error accidere possit.

A causis externis illatus, solutu facilior esse solet difficilior verò ab internis. A phlegmone, abscessu. pure, tuberculis, calculis, & vermibus inferre solet deliria, coma vigil, vel somnolentum, motus epilepticos, apoplexiam, paralysim, surditatem. Novi quendam diuturno capitis dolore vexatum, tandem surdum evasisse, facta scilicet post longum tempus purulenti humoris depositione ad aures, unde diù, & abundanter ille effluxerat. Qui à mala capitis, & meningum conformatione ortum ducit, insanabilis censendus est. Si præterea cum acuto capitis dolore exteriora frigescant

urinæ pellucidæ excernantur, atque accedat vomitus varius, & multorum colorum: sonitus aurium, vertigo, aut manuum torpor, malum ex Hippocrate. Quandoque etiam dolor capitis, qui citra causam, vel evacuationem repente desiit, lethum prænunciavit, resoluto nimirum sensu, & mente abalienatâ; At si gravem cephalalgiam consequatur narium hæmorrhagia, salutare: sicut pariter eruptio puris, aquæ, vel sanguinis per os, aut nares 6. *Aphor.* 10. Verumtamen semper timendum à gravi & vehementi capitis dolore.

Curarunt quoque illum diversis modis, prout diversas ejus causas suspicati sunt. Galenici post institutam refrigeratorii victûs rationem phlebotomiam præcipiunt, ex pede primùm, si dolor sympathicus putetur, deinde ex brachio; mox etiam ex mariscis usu hirudinum, ducti documento Galeni 1. *Aph.comm.* 23. dicentis: *In maximis doloribus nullum majus inveni remedium, quàm usque ad animi defectionem evacuare.* Postmodum dolore adhuc perseverante cathartica exhibent, ac interjectis quibusdam diebus, decocta capitalia dicta cum radice chinæ, & jura alterata; adjiciunt suturæ coronali emplastra, etiam quæ vesicas excitant, ac tibias, & brachia cauteriis inurunt. Quæ sanè nedum in hoc, verùm etiam in aliis diuturnis capitis affectionibus in frequenti usu habent.

Alii distinctiùs procedere se putantes, atque singulis causis, congruentibus medicamentis occurrere; si à restagnante sanguine in meningibus, vel plexibus, dolor oriatur, quia aliquando evenit, ut spontè sua dilatatis narium venis, hæmorrhagia morbum judicet, cùm naturam deficientem vident, arte conantur ejusmodi evacuationem promovere, fortiter emunctis, vel perfricatis naribus, ut indè sanguinem eliciant. Si verò hac industriâ uti minimè liceat, venam secant, præsertim, in adolescentibus, atque assuetis, fulti etiam authoritate Hippocratis, qui dolente parte posteriore capitis, rectam venam in fronte sectam prodesse scribit 5. *Aph.* 68. At prudentiores victum tenuem commendant, & olera; carnes, & vina meraca prohibent. Si his non desinat, utuntur alchalicis; & si sanguis acritudinem sapiat, etiam acidis temperatioribus, & narcoticis.

Si phlegmones, aut abscessus timeantur, prodesse aiunt dissolventia, & sudorifica; ut sanguis hircinus, sperma ceti, mumia, cornu cervi philosophicè præparatum, decoctum ejusdem, oculi Cancri, pulvis castorei veri, extractum hyperici, bezoardicum quodcumque, Antimonium diaphoreticum, Mercur. diaphoreticus, Cinnabaris, Antim. suffitus ex Mercur. & alia hujus generis plura: quæ etiam locum habere dicunt, si vitium sit in principio nervorum, & in liquore eorundem; Interim verò spinam universam convenientibus oleis aut cerotis fovent, putâ essentiâ anthos, lavendulæ, nucis myristicæ, unguento nervino, spiritu vini, aliisque.

Cum lympha vel serum doloris causa sunt, unde oculi etiam, palatum, & guttur infestantur, ut in catarrhis; optimum remedium arbitrantur urinam, & sudorem promovere, cùm & Natura sponte sua soleat per ejusmodi vias superabundantem lympham salubriter deponere, febre præsertim comite. In iis verò, qui frequenter huic incommodo subjiciuntur, & distillationibus veluti per periodos affecti, sæpiùs de cephalæa conqueruntur, hydroticis medicamentis occurrere satagunt, & antequam serosi humores in prædictas partes irruant, aliò avertere, & foras extubare: Quare provocantur expuitiones, nares ad sternutamenta irritantur, fortitèrque emunguntur; vomitus, si præcipuè ventriculus consentiat, concitatur, & alia peraguntur, quæ si humorem non omnino tollunt, magna saltem ex parte minuant. Ad hanc rem exhiberi solent cum fructu sequentes pilulæ pluries iteratæ; quæ ex his constant: Resinæ, vel extracti jalapæ gr. 15. Ceruss. antim. & crystall. tart. singulorum gr. 12. pilul. de succino ʒ j. cum oleo macis, vel simili redig. in formam pilul. & manè assum. superdorm.

Pro corporibus humidiori constitutione præditis magnopere commendant pilulas Rufi, & aloëticas, aromaticum rosatum: diarhodon, elixir proprietatis simplici infusione paratum. Invaluit nunc etiam usus decocti Coffeë, & quidem cum juvamento eorum, qui languore stomachi, & cerebri tenentur. Cæterùm ratio victûs attenuans semper confert, vitatis iis quæ tum intrinsecùs, tum extrinsecus humefacere valent.

Quod si dolor capitis symptoma sit scorbuticæ, vel hypochondriacæ affectionis, tunc conducibilia erunt antiscorbutica medicamenta, & ex chalybe parata, de quibus alibi. Ab infarctu verò vitiosorum succorum in Pancreate, Mesenterio, Ventriculo, aliisque adjacentibus partibus, conferent leviter purgantia, & simul corrigentia, ex Aloë, & Rhabarbaro composita, pilulæ tartareæ, Tartarum vitriolatum; quinimò Hartmannus commendat infusum croci metallorum sæpiùs exhibendum in aqua betonicæ, aut menthæ. Insuper sal absinthii, & centaurii: electuarium, extractum, & spiritus baccarum Juniperi: pulvis stomachicus & cachecticus Quercetani, elixir proprietatis Helmontii, spiritus cochleariæ. Quæ pariter proderunt in cephalæa ab utero dependente, ac præterea tinctura succini, essentia croci, extractum castorei, & granorum actes, fæcula bryoniæ, & alia plura suo loco latiùs dicenda. Si denique à venerea contagione ducat originem, antivenereis curanda erit, de quibus alibi.

Cæterùm à Vermibus, Calculis, aliisque in cerebro genitis, sicut raro accidit, ita rarenter medicabilis. Testatur tamen Forestus plerosque cephalalgia à vermibus sanatos decocto raphani in frusta concisi in vino Cretico. Et Sennertus in hanc rem laudat suffitum ex centaurio minore, marrubio, absinthio, betonica, antimonio, succino: atque cerotum loco dolenti applicatum ex aloë, pulvere lumbricorum, felle taurino, & oleo absinthii cum cera, ut apud eundem legere est. At verò à mala suturarum, & meningum conformatione, nullam curationem admittet.

Quæ hactenùs proposita sunt causas cephalalgiæ potissimùm respiciunt. Jam nonnulla specialiora recenseamus, quæ experimentis probata

bata sunt dolorem quemcumque sedare, vel saltem capite dolentibus succurrere. Et quidem dolorem leniunt omnia narcotica, præsertim, verò laudanum opiatum, seu Nepenthes; Quercetani dictum, pilulæ de cynoglossa, & de styrace, requies magna Nicolai; Philonium utrumque, theriaca recens, & similia intrinsecùs assumpta. Extrinsecùs verò adhibita unguenta, & decocta ex mandragora, hyoscyamo, solano, papavere, lactuca, nymphæa, quibus caput, & tempora, vel etiam plantæ pedum abluuntur, liniunturque, ut præsertim fieri solet unguento populeo, & somnifero Schroderi in sua *Pharmacopœa*.

Speciatim quoque referuntur cephalalgiam tollere verbena viridis collo suspensa, quousque exaruerit, ex Foresto; vel etiam contusa & capiti imposita ex Hartmanno, qui eamdem opem præstare, ait, radicem plantaginis similiter collo suspensam, & aquam verbenæ destillatam, ac sæpiùs epotam ad uncias IV. cum gutt. IV. spiritus vitrioli. Fatetur Bartholinus liquorem ex radicibus nucis juglandis primo vere per incisionem elicitum, & epotum esse singulare experimentum nuper in Anglia detectum; sicut etiam in doloribus articulariis mirabiliter prodesse alii testantur. Describit Forestus unguentum Alabastrinum (quod solùm in dosi differt ab illo Hartmanni in *Practica chym. hoc eod. cap.*) illudque mirabile prædicat in omnibus doloribus capitis, præcipuè à contusione. Nonnullis sunt in usu folia hederæ teneriora fronti, & temporibus apposita. Nicolaus Chesnau extollit Ranunculi folia virentia, quæ ad miraculum capitis dolorem fugare ait, si in modum emplastri dolenti parti applicentur. Fernelius componit pilulas quasdam ex aloë, speciebus electuarii de gemmis, tribus santalis, & rosis punicis cum syr. absinthii, & violarum. Paracelsus succum cancrorum fluvialium expressum temporibus applicat, præsertim in febribus malignis. Et Rulandus cancros vivos cum aceto rosaceo in mortario pinsit, & pro epithemate adhibet. Hartmannus verò aceto ros. primùm irrigat, deindè contundit, atque malagmatis loco dolenti parti admovet. Referuntur ab eodem Hartmanno plura alia medicamenta, tàm interna, quàm externa, & sive dolor à causis calefacientibus, sive refrigerantibus credatur inductus, quæ apud ipsum legi poterunt. *Lucas Tozzi Medic. Practica lib. I.*

Dolor capitis dicitur vel *Cephalalgia* & *Cephalæa*, cùm totum caput; vel *Hemicrania*, cùm dimidiam tantùm capitis partem occupat.

Uterque dolor est vel *sympathicus*, ab aliarum partium affectibus dependens; vel *idiopathicus*, cùm caput ipsum primariò afficitur.

Medico diligentissimè perpendendum est an caput ab affectu proprio doleat an per consensum, in his enim curationis cardo maximè vertitur. Frustrà enim caput medicinâ vel Chirurgiâ curabis, si morbi fomes in ventriculo (v. g.) lateat.

Variæ sunt *doloris* capitis idiopathici causæ, quæ singulæ diversam opem postulant.

Aliquando dolor capitis gravissimus siphylide laborantes cruciat, qui remediis nullis nisi antisiphylicis cedit. (N. B.) Cùm cephalæa irritis omnibus vulgaribus medicamentis ægrum lancinare usque perstiterit, aliquid venerei eidem inesse suspicetur Medicus.) Si quis dolorem hunc ideo sympathicum nuncupandum esse censeat quin a generali affectu dependeat; sciat me partes tantùm particulares respicere cum quibus consentiat caput in ejusdem doloribus distinguendis.

Interdum *Mercurius* inter cranii laminas colligitur, vel à succis mercurialibus vel ab unguentis ad ptyalismum movendum adhibitis, vel ab hydrargyri præparatis intrà sumptis: Undecunque Mercurius sanguini immisceatur, si sufficienti & tempestivâ purgatione è corpore non eliminetur, quandoque ut dixi, inter tabulas deponitur, unde dolores crudelissimi, qui rarò sine trypano perfectè curantur. Immò vix sine hoc evacuantur vitiosi isti & corrosivi humores, qui in diploë aliquando sedem capessunt, & diuturnæ cephalææ authores sunt.

Hisce causis omissis, ad alias transeamus, quæ in genere, vel *calidæ* vel *frigidæ* sunt.

In *causa calida* vel *secetur vena* frontis vel hirudines applicentur arteriis temporalibus, vel hic fiat etiam *arteriotomia*. Sin æger sit plethoricus, primò extrahatur sanguis e brachio; postea autem ex locis prædictis.

Ante omnia *alvi astrictio* cavenda est, eandem (si torpidior sit) vel clysteribus emollientibus & refrigerantibus, vel lenitivis per os exhibitis movendo.

Victus sit refrigerans & humectans. Jusculum sequens optimè convenit. Farciatur pullus gallinaceus hordeo mundato, uvis corinthiacis, capparibus à sale liberatis, mox consutus elixetur cum frustulo carnis vitulinæ & add. cum tempus fuerit, agrimon. pimpinell. borrag. bugloss. acetosell. sylvestr. cichor. an. m. j. post sufficientem coctionem f. colatura, in qua dissolve cremoris tartar. ℥ j. infusionis ℥ iij. sem. in aq. endiv. fact. per horas 24. cum ʒ ß. caryophyllor. sum. ℔ ß. vel ℔ j. manè. Vitet salsa, acria, piperata, vaporosa, legumina, vinum generosum, omnesque spirituosas liquores.

Vigiliæ & somnus ne modum excedant sintque horis convenientibus: nè dormiat paulò post cibum, quia somnus iste gravat caput. *Animi pathemata* violentiora fugiat, iram, mœrorem, amorem &c.

Capitis perspiratiò libera procuranda, capillos detondendo.

Arteriis temporalibus inducatur *unguentum* de bolo, vel *anacollema* ex bolo, spodio, succino, mastiche, sanguine draconis exceptis oleo rosar. nenuphari, & aceto rosar. vel unguento popul. cùm pauco aceto.

In cephalæa *toto capiti*, in hemicrania *parti dolenti* applicetur *cataplasma* seq.

℞. Betonic. virid. m. ij. flor. herb. paralys. m. j. flor. papav. errat. p. ij. flor. Keyri m. ß. rosar. rubr. p. iij. sem. coriandr. ʒ iij. nuc. moschat. ʒ ij. simul contundantur humectando cum oxycrati tantillo; f. cataplasma applicand. vesperi.

Vesicatorium nuchæ applicatum sæpè insigniter prodest.

Si cephalalgia à *causa frigida* pendeat, remediis

mediis calidioribus externis & internis, fortioribusque purgantibus ei occurrendum est.

Purgetur æger pil. seq.

℞. Mass. pilular. coch. minor. ʒß. calomel. ℈ j. ol. rorismar. gutt. ij. m. f. dosis. Exhibe manè horis tribus ante jusculum cum debita custodia. Repetantur bis aut ter, interposito uno vel altero die. Vel si per epicrasin purgare malueris, *cerevisiæ medicatæ* sequentis ope voti composeris.

℞. Rasur. lign. sanct. interioris ingerrimi ℥ xii. sarsaparill. ℔ i ß. lign. sassaf. ℥ iv. rad. pœon. Ireos florent. ana ℥ ij. fol. veronicæ utriusque, sanicul. brunell. suc. an. m. ij. chamæpit. m. iv. flor. primul. veris siccator. m. v. baccarum juniperi ℥ iv. fol. senn. mundat. ℥ vj. turbith. hermodact. an. ℥ iij. mechoacann. rad. helleb. nigr. cum aceto præp. an. ℥ ij. nuc. moschat. per frusta sect. num. vi. Cerevisiæ non lupulatæ galon. vj. Post fermentationem bibat quotidie bis cyathum, *viz.* manè jejunus, & horâ quintâ p. m.

Vel ℞. Aloës in succ. depurat. caulium & betonic. liquat & coagulat. ℥ j. pulver. majoran. ʒ ij. mastich. ℈ iv. cum succo caulium f. massa, de qua cap. ℈j. alternis diebus hor. 2. à cœna levi. Vel sum. eandem dosim pil. macri quæ eædem ferè cum his sunt.

Ex cerevisiæ medicatæ ingredientibus, exceptis purgantibus, præparari etiam potest *potus ordinarius*. *Victus* autem sit moderatè calefaciens & siccans.

Diebus à purgatione vacuis sumat instar majoris avellanæ. Opiatæ seq. manè & vesperi.

℞. Conserv. flor. calendul. ℥j. conserv. fl. anthos, betonic. ana ℥ i ß. confect. alkerm. & de hyacinth. an. ʒvj. rasur. cranii humani non sepulti, vini quercini an. ʒ ij. succin. alb. præparat. ʒ ij ß. cinam. interioris ʒiij. ligni aloës, macis ana ℈ iv. m. s. & cum syrup. de stœcade sive pœon. compos. f. electuar. instar opiatæ.

Vel ℞. Confect. alkerm. & de hyacinth. an. ℥ß. rasur. cranii human. ʒ ij. rasur. corn. C. primarii ʒ i ß. lapid. bezahar, ʒß. succin. alb. præp. ℈ iv. rosar. rubr. subtilissimè trit. ʒ i ß. cinam. interioris ʒ iij. sacchar. albissim ℥x. m. s. Excipiantur mucagine gummi tragacanth. extract. extract. in aq. cinam. f. tabellæ ponderis ʒ ij. ad eundem usum.

Quo ad remedia *externa*, fricetur caput rasum diu multumq; singulis matutinis, *sacculis* in cap. de frigid. cerebri Intemperie descriptis, vel capillis inspergatur *pulvis* ibidem laudatus, ac *fumus* ibi præscriptus hauriatur.

Masticatoriis ad educendam pituitam è cerebro utatur, *viz.*

℞. Rad. malv. siccat. quantum volueris: habeatur aqua vitæ optimè rectificat. in qua macerat. fuerint v, g. pro ℔ß. pyrethri ʒ iij. zinziber. ʒ ij. caryophyll. ʒiß. sumatur aliquantulum de hac aqua, & in ea macer. per horam unam ante usum frustulum radicis malvæ prædict. volutetur in ore, & subinde madefiat iterum in dicto liquore, sitque usus singulis matutinis sedulò expuendo quod dissolvetur.

Vel ℞. Pulv. pyrethr. & staphisagr. an. ʒij. piper. long. ʒj. zinzib. cubeb. an. ʒß. mastich. ℥ß. f. omnium pulvis subtil. excipiend. s. q. ceræ virgin. liquat. & formentur globuli ad eundem usum: aut syndone exceptus pulvis crassiusculus redigatur in globulos.

Post evacuationes generales utatur *Errhinis* ex succ. majoran. betæ, anagalled. vin. alb. in quibus infunde pulvis tabaci, Iris Florent. æs ustum &c. Vel.

℞. Rad. helleb. alb. ʒij. tabaci ʒj. euphorbii ʒß. flor. benzoin. ʒiij. m. f. pulvis naribus insufflandus ex calamo. Post motam sternutationem abluantur nares vino albo.

Foveatur caput manè *fotu* sequenti spongiis mollibus in eadem calefacta tinctis & expressis.

℞. Rasur. lign. sanct. ℥ iv. rad. cyper. pæon. enul. Ireos Florent. aristoloch. rotund. an. ℥ij. fol. salv. laur. majoran. betonic. Veronic. mar. an. m. ij. flor. chamæmel. melilot. summit. absynth. an p. iv. rosar. rubr. p. vi. baccar. laur. & juniper. an. ℥iß. sem. anis. fœnicul. coriandr. an. ʒj. nigell. Rom. ʒx. f. omnium decoct. in aq. fontan. addendo sub finem dimid. partem vini Hispan. Vel æger ingrediatur thermas & f. capitis embrocatio.

Cephalalgiæ causam dissipabunt sacculi cinere sarmentorum & pulvere salv. majoran. betonic. &c. farcti, vini spiritu irrorati & dolenti parti appositi. Inunctio item ex balsamis majoranæ, caryophylla, succini circa suturas.

℞. Cortic. pomor. curlipendul. & cydonior. an. ℥j. cortic. citr. & aurant. an. ℥iß. lign. Rhodii santal. citr. rasur. rad. juniper. an. ʒvj. flor. rosar. rubr. lavendul. an. ℥ß. styrac. calamit. benzoin. an. ʒx. caryophyll. cinam. an. ʒiij. aq. rosar. & naphæ an. ℔ j. aq. ocymi ℔ ß. aceti rос. ℥ij. (ambræ ℈ ij. mosch. ℈j.) m. s. pro *fumo* excitando ex instrument. idoneo Cassoletta dicto.

Adhiberi etiam possunt *vesicatoria, cucurbitula, seta, fontanella* in locis aptis.

Hæc de dolore capitis idiopathico: Quod ad sympathicum attinet, diligenter inquirendum est cujus partis consensu pœnas luat caput, & parti primariò affectæ curatio maximè dirigenda est v. g.

Si ex *ventriculi* affectu frigido doleat caput; post clysterem injectum & rejectum, die sequenti detur vomitorium seq.

℞. Vitriol. alb. ʒj. dissolve in ℥ iv. vel vi. ptisan. vulgaris: capiat manè & post singulos conatus bibat haustum posset; parati cum flor. chamæmeli. N.B. Vitriolum inter omnia vomitoria stomachum optimè evacuat, & post evacuationem corroborat. Vel si æger ad vomendum minùs pronus sit, fortioribus emeticis utatur. Post vomitum (vel aliàs à flatibus) si adsit stomachi dolor, f. fotus ex corroborantibus, *viz.* decocto absynth. menth. rosar. rubr. flor. chamæmel. summit. aneth. semin. anis. fœnicul. cortic. aurant. & citri, ligni. Rhodii, macis & caryophyll. in æqua parte vini albi generos. & aq. parato; vel si singultus aut motus convulsivus oriantur, detur theriaca, diascordium, &c.

Propinetur aliquando manè vel initio pastùs vinum absynthites. Horâ dimidiâ post singulos pastus sum. cochl. j. pulveris hujus digestivi.

℞. Sem. anis. & fœnicul, dulc. an. ʒ vi. sem. coriandr. præp. ʒiij. corall. rubr. margar. præp. ana ʒiß. cinam. interior. ʒij. ossis de corde Cervi ʒj. ambr. gris. ʒß. sacchar. albiss. quadruplum pondus omnium m. s. f. pulvis ut alkool ad usum.

Summatim, sumantur quæ ventriculum siccent & calefaciant, pituitosos & viscidos humores

mores attenuent, & exterminent: contrariaque vel remedia vel diæta vitentur.

N. B. Hemicrania per consensum ventriculi omnis, usu spiritu vitrioli vel in jusculis vel cum syr. curatur.

Si ab Uteri affectu Cephalæa oriatur, v. g. à mensibus suppressis, curationem menagogis aggrediatur Medicus; si à passione hysterica &c. Ut in pauca conferam: Quæcunque pars sit mali hujus fons, eandem medicamenta potissimùm respiciant.

Episcopus Cestriensis longo & rebelli capitis dolore vexatus, à quodam qui diutissimè eodem affectu conflictatus fuerat irritis omnibus aliis præsidiis, sequens accepit remedium, à quo ipse convaluit, & deinceps plurimos alios curavit *Linteum imbutum aquâ frigidissimâ* toti calvariæ, applicetur aliquoties renovando applicationem; postea caput optimè siccetur. Credo oportere cautè eo uti, metu nimiæ refrigerationis cerebri, à qua Coma, Lethargus, Paralysis, Apoplexia impendere possunt. Capiti (inquit Celsus lib. 1. cap. 4.) nihil æquè prodest atque aqua frigida: itaque is cui hoc infirmum est, per æstatem id benè largo canali quotidie debet aliquandiu subjacere.

Hederæ Serpentis supra terram virentis suffitu importuno D. Ashovvort bis in die administrato remedio, curavit intra 9. vel 10. dies Equitem Ser. Frahsvveinman ex dolore capitis posteriorem partem obsidente jam ab annis quinque. Idem successit Doctori Bate in nonnullis aliis. Fumus autem iste, debet excipi hiante ore, per nares saltem attrahendo spiritum, herbâ in prunas conjectâ, quæ videtur habere aliquid resinosi. Tegumentis undique injectis ad fumum continendum totum caput velandum est.

Filia D. Relinger Genevæ magnis capitis doloribus obnoxia utebatur fœlicissimè aq. seq. ad lotionem frontis & temporum tepidè, cum spongia vel linteo.

℞: Flor. lilior. convall. m. j. flor. violæ tricoloris s. herb. trinitatis (jaceæ) m. j. vini albi generosi ℔ ij. stent in infusione per horas 24. in vase vitreo, mox f. distillatio in balneo. Quotannis mense Maio vigentibus istis plantis bonam aquæ quantitatem pro ipsa præparabat Pharmacopæus. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medic. lib. 1.*

Consultationes.

De Dolore capitis, palpitatione, & dolore ventris. Pro Nobili Matrona.

Dum attentiùs expendo morbosas affectiones Illustrissimæ Matronæ, ab Illustrissimo D. Christoforo ejus marito mihi relatas, in eam sententiam necessario concedendum censeo dolorem illum capitis sæpe recurrentem in sincipite, palpitationem cordis, animi deliquium & dolores vagos in lateribus, lumbis, & ventre non rarò supervenientes: esse symptomata prædictarum partium consentientium cum utero male affecto. Mensibus enim non fluentibus, morbi fiunt ex utero, ut inquit Hippocrat. Menses autem in nobilissima patiente si non sunt prorsus suppressi inordinate saltem, imperfecte & præter periodum fluunt: ideoque mirum non est, partes omnes circumpositas dolore affici propter uteri ligamenta, cordis palpitationem & lipothymiam fieri propter vapores tetros ex impuro illo sanguine elevatos per arterias cor petentes; prout iidem exhalantes in caput, & præsertim sinciput multis venis repletum, ejus doloris non raro sunt causa.

Causa autem propter quam menses non liberè fluunt, ut suspicor, est obstructio venarum uteri facta ab humoribus crudis, & pituitosis, in ventriculo frigido genitis, & ex erroribus in victu commissis magna copia congestis: cùm præsertim acceperim, Illustrissimam Matronam habere in familiari usu lac caseum, & alia ex lacte confecta; quantum autem possit frequens lactis usus ad flatulentas & vaporosas collectiones, prodidit Hippocrat. 5. Aphor. 64. *Lac dare caput dolentibus malum & hypochondria elata, & murmurantia habentibus*; non sanè aliam ob causam, nisi quia lac est vaporosum & flatulentum, & facile corruptibile. Audio dubitatum fuisse de contorsione uteri cujus tamen nulla signa video proposita; si enim ad latus esset conversus nobilis matrona dolorem perciperet in imo tantum latere, eumque acutissimum, & continuum, non autem in variis partibus, nec rectè incedere posset; de quibus tamen affectibus non sunt querelæ.

Quid sit prædicendum difficulter assequi possum, cùm mihi non innotuerit naturale hujus matronæ temperamentum, corporisque habitus, & affectuum diuturnitas; hoc saltem asserendum, affectus hosce ægrè superatum iri, cùm à viris doctissimis nondum fuerint debellati, variis remediis adhibitis.

Utcumque tamen sit, necessaria proculdubio est diligentissima corporis expiatio; *Mulieri enim menses decolores, nec non eodem semper modo, & tempore prodeuntes, purgationem indicant esse necessariam*, divini Hippocrat. testimonio 5. aphor. 36. quæ eo dirigenda est, ut reserentur obstructiones uteri, calefiat ventriculus, divertantur vapores cor, & caput petentes, & cardiacis roboretur cor ipsum gravissimè affectum, præmissa universali totius providentia. His intentionibus satisfiet per remedia Chirurgica, pharmaceutica, & diætetica.

Inter Chirurgica principem locum obtinebit venæ sectio, quæ fieri debebit ex saphena, dummodo tunc non intumescant pedes; quod si tumidi essent, prout aliquando accidit, ut audio, ex quo conjicere possemus habitum hunc esse cachecticum, in hoc casu vena sub poplite secari posset, aut apponendæ cucurbitulæ internæ pari coxarum cum scarificatione profunda; scarificationes namque substituit Gal. venæ sectioni in illis mulieribus, quæ carnes habent molles Lib. curativo per sanguinis missionem. Quod si nobilissima patiens renuat prædictas operationes, applicentur saltem hirudines venis sedalibus, & moderata sanguinis copia inde extrahatur; nec obstat, quod

hac

hac ratione ab utero fiat derivatio, quo nomine, videtur suspecta operatio, ne scilicet avocentur menses; dum enim evacuatur inde sanguis crassus & fæculentus, facile fiet ut qui superest fluxilior redditus confluat ad loca consueta, si præsertim ab hoc remedio fovebitur uterus, & cucurbitulæ non scarificatæ coxis applicabuntur, observandum tamen est ne fiat operatio hæc præsentibus, vel imminentibus mensibus. Quòd si remediis præscribendis non cederet affectus, sed perseveraret dolor sincipitis, & cordis palpitatio, & hoc casu etiam vesicantia apponenda essent internis femoribus, eaque aliquandiu aperta servanda; quibus conferentibus, posset postea inuri fonticulus interno sinistro femori, in hunc finem, ut fieret continua revulsio à partibus principalibus, corde scilicet, & capite. Et hæc de chirurgicis, omissis frictionibus, & ligaturis tanquam notissimis.

Quoad Pharmaceutica, lenienda est alvus electuario lenitivo, & speciebus hieræ simplicis, lubricaq; conservand a frequenti usu pilularum ex aloë lota cum succo rosatum, quarum scrupulum sumere poterit semel in hebdomada statim ante cœnam. Præparabuntur humores syr. de corticibus citri, oxymel. simpl. syrup. de hyssopo, cum emulsione sem. citr. per triduum exhibitis sine diluto, mox repetito leniente præscripto, vel pil. mastichinis & alephanginis. Præscribentur syrupi cum diluto, qui parabuntur ex syr. bizantino cum aceto oxymel. compos. & syr. capil. vener. Fernelij, cum syr. de artemisia, & decoctione capil. veneris, borrag. melissæ, betonicæ, origani. agrim. & pulegij: qui exhibebuntur per quinque dies præmisso bolo ex trochiscis de eupatorio, de myrrha, & capparibus; deinde repetenda purgatio cum pilulis de hiera cum agarico, & aggregativis. Hisque peractis, duo genera remediorum erunt opportuna, decoctum scil. sassafras, visci quercini, & chinæ, cum herbis aperientibus, & scrupulo semis chalybis potabilis, præmisso bolo ex trochiscis cypheos, hedichrois, triphera sine opio, & mithridatica confectione: paretur decoctum cum columba turricola. Aliud remedium erit jus galli antiqui saliti, itidem cocti cum aperientibus validioribus, ut puta rusco, asaro, apio, agrimonia, artemisia, capillo veneris, & radice capparum, in quo alternis diebus infundatur agaricus trochiscatus, & sennæ: nec prætermittatur aliquando usus boracis mineralis cum trochiscis de myrrha. Extrinsecus non usurpentur suffitus aromatum, ob dolorem capitis: sed fiant fomenta, inunctiones utero ex vino albo modice generoso, in quo ebullierint pulegium, origanum, matricaria, artemisia, malva, & flores chamæmeli; inungaturq; venter inferior oleo liliorum alborum, cheirino, chamæmel. cum myrrha, & croco.

Victus sit ciborum boni succi, facilisque digestionis: vinum sit tenue, subdulce: à cibo semper aliquid assumat adstrictoria facultate præditum, quale erit diacydonium, saccharum rosatum, & conserva de mentha, de absinthio, exercendo corpus curru, si pedibus fieri non poterit. Quæ omnia proposita sint in salutem hujus nobilissimæ matronæ quæ ad vota Illustr. Comitis cedant. *Bened. Silvat. Consil. & Respons. Medic. Cent. 1.*

De Dolore capitis viginti annorum. Pro Adm. Rev. F. Angelino Capucino.

Duo sunt affectus patientis Adm. Rev. dolor scilicet capitis antiquissimus, & melancholia hypochondriaca. Dolor capitis est cùm essentialis, factus à materia pituitosa in cerebro humido, & ad frigidum vergente genita, ex qua elevantur etiam flatus, tum per consensum à ventriculo crudos vapores suggerente, & à calido jecore, & mesenterio, aliisque naturalibus visceribus vapores melancholicos, & biliosos capiti suppeditantibus; qua de causa plures dolorum differentias in capite sentit. Alter affectus Melancholia scilicet hypochondriaca, dependet à copia humoris crassi partim melancholici, partim pituitosi: hujus quidem in ventriculo, alterius verò in jecore geniti, & in mesenterio ac liene contenti ibique propter prohibitam ventilationem fervidi redditi; & in flatus crassos conversi; unde ventris rugitus, cordis angustia, & insueta mœstitia, ac diuturnior quàm conveniat.

Ex quo fit ut affectus propositi sint ferè insuperabiles, cùm ob ipsorum diuturnitatem, ob quam partium intemperies fere contraxerunt habitum, tum ob inæqualem viscerum intemperiem, calidam scilicet jecoris, & frigidam ventriculi: qua de causa læditur hæc pars, ubi alteri opem ferre studemus. Non tamen ob id à quocunque remedii genere desistendum est; cùm enim hactenus remediorum beneficio melius habuerit patiens Adm. Rev. si perseverabit in medicamentorum usu, sperandum est fore ut in meliorem statum evadat; quemadmodum è contrario, si cessaverit à quocunque remedii genere, in dies labetur in deterius.

Agendum igitur: & materia illa crassa cùm viscida, tum terrestris naturalibus visceribus impacta, ab ipsis est deturbanda, præmissa ipsius evacuatione, incisione, & emollitione: materia quinetiam in capite contenta sensibiliter, & insensibiliter est evacuanda, partiumque intemperies corrigendæ, ac prohibenda novæ materiæ regeneratio, vel saltem denuò genita divertenda est ad partes ignobiliores: & viscera jam dicta roboranda, habita tamen prius totius corporis universali providentia. Quod fiet medicis præsidiis ex Chirurgia, & pharmacia desumptis, una cum recta victus ratione.

Et quia Chirurgica præsidia plura fuerunt hactenus usurpata, sufficiet in posterum habere in familiari usu hirudines venis sedalibus appositas, semel saltem in mense: quinetiam applicandæ hirudines venis post aures, aut vena frontis incidi poterit; cogitandumque erit de scarificationibus factis diversis capitis partibus, nisi aliis præsidiis cessaverit affectus, nam quantum ad fonticulos, aliaque hujuscemodi præsidia, nihil amplius innovandum est.

Quoad Pharmaciam, probatur frequens alvi lenitio, potius quàm valida purgatio, eaque syrupo de polypodio compos. electuario lenitivo, diacatholico; aliquando verò permiscebitur portiuncula electuarii de succo rosarum, fietque levis humorum præparatio cùm corpus satis purgatum sit. Non omittantur errhina, & masticatoria: utatur lavacro capitis lixivio parato cum agarico, beton. salia, stœchade, melissa, lupulis, baccara,

baccara, roremarino, salvia, & portione pulpæ colocynthidis: inferiori verò ventri fieri possunt frictiones & inunctiones remediis attenuantibus, emollientibus, & incidentibus. Quod si pedum lotionem familiarem habuerit, summopere prodesse poterit. Non negligantur conservæ anthos, borraginis, betonicæ, rosarum, imò tempore frigidiori deveniendum erit ad magno antidotos semel in hebdomada.

Quibus omnibus proportione respondeat victus ratio, gestetque aliquod cardiacum epithema, nec omittantur clysteres carminativi. *Idem ibidem.*

De gravitate capitis; dolore Dentium, ac genu dextri: & hypochondriaca affectione. Pro Illustriss. & Excellentiss. Principe Cognoskoschi Polono.

De quatuor affectibus conqueritur Illustriss. & Excellentiss. Princeps, videlicet de gravitate capitis, dolore dentium, incipiente hypochondriaca, & de dolore genu dextri ex levi quocumque motu, à quinquennio molesto.

Capitis quidem gravitas non aliunde provenit, quàm à congerie materiæ pituitosæ in capite collectæ; cùm per modum generationis, ob excedentem humiditatem cerebri, eamque naturalem, & forsan hæreditariam, tum per modum attractionis à subjectis partibus, propter intemperiem calidam cùm cerebri trahentis, tum jecoris suppeditantis, adjuvante ventriculo frigidiori quàm conveniat, quam ob causam non rarò diarrhœa ex cruditatibus divexari solet. Pituitosa autem materia non solum gravitatem capitis inducit, verum etiam aliquando dolores scapularum, & lumborum, dum occasione validi exercitii, & equitationum fluit ad prædictas partes; imò & salsedinem aliquam contrahens, & ad sinistram mandibulam superiorem confluens corrosionem, & dolorem dentis in eadem parte infert, cui forsan & abscessus aliquis jungitur, cum non rarò sanguis inde profluat, nec levis quidam fœtor observetur.

Hypochondriacæ principium adesse, vel ex eo facile colligi potest, quod rugitus aliquos quandoque percipit in ventre, & mœrore aliquo, solitudinisque desiderio tenetur, hujusque affectus causa est obstructio quædam lienis, non tamen insignis, eaque genita à copia sanguinis crassi, cùm melancholici à jecore; tum pituitosi à ventriculo transmissi, & multo magis ab inordinata victus ratione, cùm Princeps Excellentiss. habeat in familiari usu carnes salitas, olera, aliosque cibos crassi succi, & quibus facili negotio sanguis fæculentus in jecore præcalido generatur, & à liene recipitur & retinetur.

Quartus & ultimus affectus est dolor à quocunque levi motu in dextro genu subortus. Affectus hic ante quinquennium ortum duxit à luxatione ipsius genu, nescio an imperfecta, vel perfecta, eaque contracta ex violento motu; hinc pars illa imbecillior est reddita, ligamentaque laxata, ac propterea patella mobilior reddita quàm conveniat: unde fit quod ex levi quocunque motu contorquetur genu, jugiterque fluit materia à capite ad prædictam partem; ac propterea intumescere conspicitur, exacerbatur dolor statim infra patellam.

Hæ igitur sunt affectiones Illustriss. & Excellentiss. Principem divexantes, hæque ipsarum causæ, quæ licet in præsentia leviores videantur, quàm ut curatione indigeant, nihilominus tamen facile suboriri possunt dolores articulares ex hæreditaria dispositione, hypochondriacæ incrementum, ex sui natura valdè molestæ, necnon & incessus impedimentum: prout etiam in mandibula ab ulcere fistuloso metus est, si præsentes affectus insuper habeantur.

Pro quorum curatione evacuandum est totum corpus, & caput, divertendaque fluxio à dentibus, & à genu: resolvenda est materia in ipsum confluxa, dentis caries sistenda, tollendæ sunt obstructiones lienis, caput exsiccandum, & omnes partes affectæ corroborandæ: hæcque præstanda sunt verno tempore, tanquam magis opportuno, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & congrua victus ratione.

Inter Chirurgica pro universali totius evacuatione, sanguis educendus erit ex jecoraria dextri brachii ad unc. 7. circiter; & pro diversione catarrhi, fonticulus sinistro brachio inurendus erit, cujus tædium si renuerit Illustr. & Excellent. Dominus, ipsius loco familiariter uti debebit pilulis mastichinis bis in hebdomada: non omissis capitis pectinationibus, & ejusdem frictionibus cum pannis asperis, sæpius repetitis; abstinendo à frictionibus partium cùm superiorum, tum inferiorum, ob imminens periculum dolorum articularium; & hæc usque ad ætatem consistentem sunt administranda, quo saltem tempore fonticulus non erit omittendus.

Universalis interim præparatio, & purgatio iis perficienda erit, quæ quoslibeet humores excrementitios spectant, & præsertim pituitam, & melancholiam prædominantes; idq; præstandum simplici, & composita eorundem præparatione & purgatione, deveniendo ad extractum hellebori nigri, & usum pilularum de hermodactylis. Caput deinde purgandum per nares, ob dentium affectum, non omisso quinetiam modico tabaco pulverizato per nares attracto. Hisq; peractis, accommodatissimum erit decoctum paratum ex radice Chinæ, ligno visci quercini, & ligno indico raspato, cum gallo juniore optime flagellato, additis herbis aperientibus betonica, & iva arthetica, exhibitum trigintadies circiter, singulis diebus ad unc. 8. matutinis horis, instillatis sex vel septem guttulis spiritus vitrioli singulis vicibus prædicto decocto, præmissoq; bolo ex terebinthina laricina, lota aqua betonicæ, & redacta in boliformam cum pulvere ossium crematorum, & iva arthetica. Dumque hæc fiunt internis remediis, localia quinetiam partibus affectis sunt præscribenda, lotiones scilicet capitis lixivio parato ex residuo prædicti decocti, cùm sale, & cinere ficus; pulveresque capitales non calefacientes noctu inspergendi capillis, qui parari poterunt ex ossibus crematis, ostreis ustis, cornu cervi, rosis, & betonica. Pars dentis corrosa ferro candenti sæpius tangenda, insufflandique pulveres matrisylvæ, olivarum, & tuthiæ præparatæ, & replendum foramen pilula ex auro confecta. Lieni fiant inunctiones ex oleo

amygdalarum amararum, de capparibus, modico aceto, & cera: Ceratumque apponendum ex ammoniaco dissoluto cum aceto, addito succo herbæ reginæ. Pro genu corroboratione in vino rubro generoso decoquenda sunt rosmarinus, salvia, stœchas, iva arthetica, & calendula, addito modico aceto, & sale, & in eo calido spongiæ magnæ madefiant, atque fortius expressæ circumligentur genu, saltem nocturnis horis, quo minus sint molestæ. Nec solum hæc peragenda, sed tempore decocti sudor provocandus semel in die in hypocausto, habita ratione naturalis gracilitatis corporis.

Victus sit boni succi, & ad siccum vergens; omittat carnes bubulas, suillas salitas, & non salitas, avium palustrium, legumina, lacticinia, acetaria, nimis aromatica, & fructus omnes, bibendo cerevisiam, atque etiam vinum tenue, album in mediocri quantitate. Cibus, potus, somnus, venus omnia moderata. *Idem ibidem.*

De dolore Capitis in supercilio dextro, Pro Nobili patiente.

Dolor ille capitis acutissimus, quem per intervalla patitur Nobilis patiens in supercilio dextro, aliquot jam dies divexans, quique aliis remediis non cedit, sola excepta sanguinis missione ex jecoraria dextri brachii, provenit, ut censeo, & ex sanatione colligi facile potest, à sanguine bilioso per jugularem externam ad prædictam partem confluxo. Talem enim sanguinem abundare conjicitur ex ætate, & temperamento: jugularis enim externa ab axillari originem trahens, per cervicis latera inter cutem, & membranam carnosam excurrens, ubi fauces attingit, in duas dirimitur partes, quarum altera subcutanea in labium utrumque, pinnas narium, frontem, & majorem oculi angulum ramos diffundit, per quos sanguinem illum vitiosum ad oculum, tanquam partem imbecilliorem transfundere potest; ex quo fit, quod sanguine per venam sectam educto, cessat affectus, quem nullis aliis remediis Chirurgicis, aut Pharmaceuticis debellari potuerunt viri præclarissimi; imò neque cauterio dextro brachio inusto. Huic affectui accedit & hernia in dextro testiculo suborta, cujusnam autem speciei sit ambigo, cùm ipsam non viderim, propterea quoad ipsius curationem virorum præclarissimorum judicio meum subjicio, & de prædicto dolore supercilii acturus, existimo ipsum à jecoris fervore provenire.

Ac propterea pro ipsius extirpatione tria præstanda esse censeo. Primò enim divertenda erit materia fluens; deinde jecur refrigerandum, & demum curandum erit ut adstringatur surculus illius venæ ad oculum perreptantis.

Pro diversione placet sanguinis eductio ex saphena pedis dextri, ter aut quater in anno, frequensque crurum lotio cum lixivio dulci. Ad compescendum jecoris fervorem probatur aqua Noceriana, vel succus cichorii depuratus in jusculo parvæ pullæ per plures dies assumptus; & pro constrictione, linimentum paratum ex succo mori, omphacii, bolo armena, & gypso, sæpius repetitum.

Horum enim beneficio spero fore, ut juncta congrua victus ratione, abstinendo ab aromatibus, & vinis generosis, sique alvus lubrica servetur, à prædicto dolore liberetur. Faxit D. O. M. ut ex voto contingat. *Idem ibidem.*

De dolore octo annorum in dextro supercilio. Pro Adm. Rev. Patre Capucino.

Antiquus ille dolor, quem octo abhinc annis patitur Adm. Rev. Patiens in dextro supercilio, propagatus ad suturam coronalem, mox & ad musculum temporalem, ex compressione partis affectæ valdè molestus, vocari potest cephalæa, ratione durationis; ratione verò situs partis dextræ dolentis, hemicrania, seu potius clavus dicendus est, terebrationem referens dum ex compressione invalescit.

Originem autem habuit à causis externis, aëre scilicet frigido, & humido, cui se exposuit P. Adm. Rev. dum moram duxit Manerbii, incrementumque suscepit ab iisdem causis externis, dum ante triennium Roma rediens, à radiis solaribus insigne nocumentum passus fuit. Atqui solæ hæ causæ externæ non sunt aptæ tam diuturnum, & refractarium affectum fovere; propterea me judice conservatur ab heterogenea materia in parte affecta contenta, à prędominio crassa cùm pituitosa, sed salsa, & aëris, & loci inclementia congesta, tum melancholica exusta, à vociferationibus dum concionaretur, & ex insolatu in itinere, ad partem affectam imbecilliorem redditam confluxa: quam in hoc corpore redundare testantur hæmorroides valdè molestæ: imò fovere etiam potest ab inæquali intemperie partis affectæ: humoresque prædicti sunt quidem in partibus subcutaneis, ac propterea ad compressionem dolor incrementum suscipit, non tamen in spatiis inanibus, sed potiùs in arteriis ibi disseminatis; hincque fit quod dolor sit in supercilio, ubi pulsant arteriæ, diffundaturque ad suturam coronalem, & ad musculum temporalem, in quibus itidem partibus eædem evidentissimè micant. Quod si masticatio impeditur, hoc fit tracto in consensum musculo massetere dicto: hancque forte ob causam exacerbatur dolor ad compressionem, impedita scilicet libera pulsatione: sicuti etiam ex sanguinis missione juvamentum suscepit, facta revulsione, ventilatione, & evacuatione sanguinis melancholici; non tamen liber evasit, quoniam adhuc hæret in parte affecta materia morbifica, persistitque inæqualis intemperies ab heterogenea materia inducta.

Ex his compertissimum redditur præsentem affectum summa cum difficultate, nec nisi generosioribus remediis extirpatum iri.

Quod ut fiat, divertenda est fluxio, evacuanda materia fluxa, & intemperies à prædominio frigida moderatè calidis corrigenda. Materiæ remediorum variæ fuerunt hactenus ritè & rectè præscriptæ, non tamen desunt præscribendæ.

Inter Chirurgicas placet repetita sanguinis detractio primò ex saphena pedis dextri, ut faciebat Galen. secundò ad Glauc. ubi in inflammatione oculorum secabat venas pedum, pro majori revulsione. Quod libentiùs faciendum est, si in venis sedalibus perseverat aliquis dolor. Facta hac evacuatione, præscriptisque frictionibus, & lotionibus infernarum partium, secanda est vena frontis: non tamen sanguis in multa copia detrahendus, ne cerebrum refrigeretur magis quàm conveniat: mox applicentur hiru-

hirudines musculo temporali partis affectæ; imò deveniendum censeo, ad arteriotomiam, quando prædictis remediis non cederet affectus, quæ tamen operatio ab experto Chirurgo tentanda est; quo solo remedio sanavit Ambrosius Paræus nobilem Gallum hemicrania quasi deplorata detentum, ut retulit in lib. 16. suæ magnæ Chirurgiæ cap. 4.

Non omittantur deinde localia digerentia materiam morbificam. In quem usum prodesse poterit succus cardui sancti, cum oleo rosato, in quo ebullierint millepedes sub hydriis delitescentes, addito modico aceto: non omissis interim tum universalibus purgationibus, etiam validioribus, videlicet extracto hellebori nigri, & colocynthidis, præmissa humorum præparatione, necnon & peculiaribus caput purgiis per os, & per nares; ac tandem parato emissario in sinistro brachio, & in dextro femore. His enim, & similibus remediis à Viris Doctissimis præscribendis, spero fore ut Pater Adm. Rev. ab adeò gravi affectu liberetur. Quod ipsi à præpotente Deo enixè precor. *Idem ibidem.*

De Hemicrania. Pro Eminentiss. Cardinali Fachinetto.

Eminentiss. Cardinalis ab aliquot annis conqueritur de dolore capitis in dextro latere, Hemicrania dicto, modo frequenter, modo per longiora intervalla recurrente, graviusque infestante circa tempus dextrum, & retrò aurem dextram diem, & plus eo, tanta molestia, ut quascunque consuetas operationes impediat; quod si levior sit, ruborem, & calorem excitat in naribus, & in aure dextra.

Ex his facilè est colligere, partem affectam in hoc morbo esse caput ipsum, non quidem essentialiter, quia non permanet, neque est continuus, sed per consensum; consensumque hunc fieri à jecore fervido vapores calidos ad caput transmittente, quos facilè recipit propter imbecillitatem contractam ex continuis, iisque gravissimis negotiis, quibus diu incubuit, & in variis regionibus, ac proinde fieri facilè potuit, ut cùm in jecore fervido generetur copia sanguinis biliosi, unà cum portione melancholici, cumque alvus naturaliter sit adstricta, quod inquam, non levis, vaporum acrium copia per venas, & arterias externas exhalet in dextram partem capitis, servata rectitudine cum parte affecta, atque ita excitetur dolor hemicranicus.

Affectus curatu difficillimus, cùm ob durationem ipsius, tum ob innatum jecoris fervorem ex habitu corporis, venarumque latitudine manifestum, summa qui cum difficultate contemperari potest; cum præsertim refrigerantia perquam necessaria ventriculo frigido, & humido noxam aliquam sint allatura. Non ob id tamen est prorsus incurabilis; est enim de genere illorum affectuum, de quibus locutus Hippocrates quinto in 6. epid. 5. dixit: morbos connutritos in senecta desinere per concoctionem, solutionem, & rarefactionem; ideoque temporis progressu remittente jecoris fervore, cessare facilè poterit, quod quidem Eminentiss. Princeps experitur referens, se nunc minus conflictari quàm annis elapsis.

Ideoque pro curatione validioribus omnibus medicamentis missis, leviora tantum in præsentia sunt præscribenda, quæ facultatem habeant revellendi, repellendi, intercipiendique vapores caput petentes, necnon & divertendi, ac evacuandi humores, à quibus elevantur, jecorisque fervorem contemperandi, desumpta ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Inter Chirurgica, tria valde accommoda cum levi molestia esse poterunt. Primum erit balneum, aquæ dulcis calidæ pedibus, & cruribus administratum, cum frictione infernarum partium, appositis tunc temporis adstringentibus externis venis temporum, retro aures, & venis jugularibus, linteolis scilicet madefactis in succo granatorum, mori immaturi, agrestæ, vel hypocistide una cum albumine ovi, eidem parti dextræ tunc temporis appositis, quando observatur præludium doloris imminentis. Idque fiat mane & vesperi, detentis pedibus in aqua calida jam proposita. Secundum remedium erit apertio venarum sedalium semel in mense repetita propè plenilunium, vel eo tempore quo magis afficitur, quale forsan est tempus prædictum: quo assuefiat natura huic evacuationi, cujus beneficio non solum præservabitur Eminentissimus ab hemicrania, sed etiam ab aliis gravioribus malis. Tertium remedium erit Arteriotomia, sectio scilicet arteriæ temporalis, tunc præsertim tentanda, quando dolor est pulsatilis, ex quo suspicio subesse possit vapores caput petere per arterias ipsas: cujus remedii rectum usum proponit Ambrosius Pareus lib. 16. suæ magnæ Chirurgiæ cap. 4. Prodesse quinetiam poterit inustio fonticuli dextro interno femori, pro continua & majori revulsione.

Pharmaceutica sint evacuantia sine molesta humorum agitatione, & jecoris fervorem contemperantia. In hunc usum familiare medicamentum sit unc. sem. fl. cass. recens extractæ, cum drach. sem. pil. ex Aloë lota cum succo rosarum, semel in hebdomada sumptum. Blandè namque purgabit, & hæmorrhoides forsan reserabit. Ad jecoris fervorem contemperandum proderit aqua Villensis in agro Lucensi, aqua Ficoncellæ in agro Senensi, vel nostra Patavina B. Virginis Montis Ortonis: nec minus proderit aqua Noceriana; quarum aquarum loco ex usu esset serum lactis caprini, nisi evaporaret in caput, sumiq; debebunt cum seminibus melonum, & syr. capil. veneris, quoad urinæ vias permeent: præmissa tamen blanda corporis expiatione, ne crudi humores comportentur in venas, sumanturque prima vice ad libras quinque, & singulis diebus addatur libra, usq; ad duodecim: postea singulis diebus subtrahatur libra usq; ad primam quantitatem; & si liberè non permearint, permisceatur aliquando manna el. Quod si vel Eminentiss. Cardinalis respueret ipsarum potum, vel tempus non erit congruum, vel liberè permeare non poterunt, in hoc casu denuò uti poterit jusculo alterato cichorio, præmissâ in eo maceratione comæ absinthii Romani, vel umbeliferi, ratione ventriculi, & cum ipso sumat unciam semis sacchari rosati ex rosis Persicis, pergatq; in usu ipsius viginti & plures dies, applicato jecori epithemate ex succ. cich. depurato cũ pauco aceto.

Victus ratione rectè instituta cum cibis facilis digestionis, abstinendo ab aromatibus, à cibis vaporosis, selino scil. hipposelino, vinis generosis, & continuis negotiis, præsertim post ci-

cibum, semperque ultima mensa sumendo quidpiam adstringens, nempe diacydonite sine aromatibus, gelu cydoniorum, pyra, sorba, granata, vel quid simile. *Idem ibidem.*

De Dolore Capitis, imbecillitate Ventriculi, & Pustulis. Pro Nobilissima Virgine.

Ex illis quæ à Viro Præclarissimo relata legimus, compertissimum redditur, Illustrissimam Virginem non rarò conqueri de dolore capitis, ventriculi imbecillitate, & de pustulis Autumno præterito circa tibias subortis, pruriginosis, ex levi confricatione in dolorosa ulcuscula desinentibus, cum ichorosæ materiæ transudatione. Quæ omnia cùm supervenerint mensium suppressioni, mense Julio elapso subortæ, summa cum ratione referri possunt in uteri vitium: cùm præsertim scriptum reliquerit Hippocrates quod mensibus deficientibus, morbi fiunt ab utero; quibus non intelligit in utero ipso generari morbos, ut videtur innuere Galenus, sed morbos in aliis partibus genitos ab utero provenire; ideoque non dixit in utero, sed ab utero.

Vitium autem præcipuum in casu præsenti, me quoque judice, est obstructio venarum uteri, facta ab ipsiusmet sanguinis crassitie, & visciditate, propter imbecillem ventriculi calorem, crudum chylum jecori suppeditantem, in quo fortè calidiori crassior redditus, difficulter fluere potest. Negari sanè non potest ex descripta corporis constitutione, & gracilitate, defectus aliquis ipsius sanguinis, qui tamen non tantus est, ut suppressionem efficiat, cùm præteritis mensibus fluxerit, licet imminutè: minus referendam censeo causam in virginale claustrum, quod cæteris omnibus virginibus nullam mensium suppressionem infert.

Quare consultissimum censeo cum Viro doctissimo, curare ut menstruæ purgationes revocentur. Ita enim spero fore, ut omnia supra enarrata symptomata recedant. Hoc autem fiet per attenuantia, incidentia, & vias reserantia, præmissa universali corporis expiatione, nec omissa ventriculi corroboratione, per moderatè calefacientia. Quæ præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Inter Chirurgica, placet aliqua levis sanguinis missio; quoniam me quoque judice, non adest insignis sanguinis copia: aliqua tamen; alioquin ex mensium suppressione nullus affectus subortus esset: & cùm sanguis sit crassus, & patiens gracilis, ex vena poplitis, si apparuerit, tanquam è loco utero viciniori; ipsa verò non apparente, ex vena tali educendum censerem, veritus ne per hirudines, seu cucurbitulas non effluat sanguis crassus peccans. Parca tamen & repetita sit evacuatio, non omissa tamen cucurbitularum non scarificatarum applicatione, inferarum partium frictione, pedumque lotione cum lixivio alterato matricaria, artemisia, pulegio, malva, floribus chamæmeli, & modico sabinæ. Neq; præter rem fore censeo uterum ipsum fovere vino albo calido, in quo efferbuerint herbæ prædictæ. De cauteriis cogitandum non censeo in hac ætate, & hac corporis gracilitate, quod video improbatum à Viro Præclarissimo.

Lenientia præparantia, & purgantia optimo consilio præscripta à Viro Doctissimo summopere laudo: omissis tamen uterinis medicamentis, & menses moventibus in prima humorum præparatione, qui sunt in primis viis, ne devehantur ad uterum. Post primam autem præparationem, & purgationem ea peropportuna erunt cum syr. capill. ven. byzantino, & de quinque radicibus. Sensim enim, & sensim præparandi, & purgandi sunt humores, & levioribus purgantibus, utputa Ag. Rhabarb. & similibus, additis semper speciebus hieræ. Nec omittendos censeo mensibus imminentibus, trochiscos de myrrha una cum borace minerali; valde proficuo ad ciendos menses. Hisque omnibus peractis, decoctum præscriptum ex radice chinæ, cum modico sassafras, & lentisco, summoperè laudo, una cum herbis stomachicis, & uterinis temperatis, paratum in jure vel galli junioris, vel columbæ, præmisso bolo ex trochiscis de myrrha, de capparibus & succo agrimoniæ concreto, subacto cum syr. capill. veneris.

Quibus omnibus jungatur congrua victus ratio, quæ sit ciborum boni succi, facilisque coctionis; abstinendo à cibis glutinosis cujuscumque generis; bibendo vinum tenuis substantiæ, album, subdulce; alvum semper lubricam servando familiari usu pil. ex Aloë lota cum succo ros. parum ante cœnam sumptarum, præcipuè mensibus imminentibus: quo tempore proderit motus corporis, & cessatio à curis quibuslibet, omniumque maxime connubium, si fieri possit. *Idem ibidem.*

De Capitis dolore, ulcerosa lassitudine, lapsu memoriæ, aurium tinnitu, aliisque symptomatibus. Pro Nobili Germano.

Ulcerosa totius corporis lassitudo, capitisque dolor gravativus, nunc potissimum sinciput infestans Nobilissimi Adolescentis, cum lapsu memoriæ, aurium tinnitu, insigni totius sinistræ partis corporis imbecillitate, & impedita penis erectione; imò aliquando etiam cum impedito motu capitis, vel totius corporis, præsertim à somno circa matutinas horas in aëre frigidiore, cùm sint affectiones diuturnæ, confirmatæ, & quibuscumque medicis præsidiis hactenus præscriptis refractariæ, certo certiùs indicant habitualem intemperiem frigidam capitis, cum præsentia materiæ pituitosæ & fluxione humoris cùm biliosi, tùm melancholici à calido jecore geniti, & per venosum genus ad caput transmissi, quorum ratione fit ulcerosa lassitudo, dolorque aliquando magis acutus: Antiquos enim dolores frigidos esse dixit Hippocr. in Epidemiis, novos calidos. Præsentes autem sunt valde inveterati, cùm sint duorum annorum, nec hactenus debellari potuerint: & licet æstivo tempore, & usu remediorum calidorum cedere videantur, recurrunt nihilominus, & adventante frigido ambiente magis sæviunt. Utrum vero sint Gallici, non immeritò dubitari potest. Tales enim statuendos esse, vel inde colligi potest, quod gonorrhœam passus fuerit cum ardore ingenti mense Januario 1616. post equitationem quidem longam, & compotationem vini generosissimi, non sine venereo congressu mense Octobri proximè præterito; accedit quod pro prædictæ gonorrhœę curatione refrigerantibus, non

non alexipharmacis usus fuerit: quod eadem redierit autumno subsequenti, ac deinde ipsa sine alexipharmaco sanata, supervenerint prædicta symptomata; quod tinniant aures, ac tandem quod nullis calorificis remediis cessẽrint affectus prædicti. His tamen non obstantibus, existimo dolores istos non esse Gallicos: Primò, quia post multos menses à gonorrhœa supervenerunt: Secundò, quia non invadunt, vel exacerbantur circa vespertinas horas dolorum Gallicorum more: Tertiò, quia remittunt æstate, hyeme invalescunt: Quartò, quia supervenisse videntur post cohibitam copiosam capitis expurgationem per os, & nares Nobiliss. huic patienti familiarissimam: Quintò, quia determinatum locum non occupant, quod observari solet in Gallicis antiquis & confirmatis. Quod si nondum cessent tot & tantis remediis hucusque cum ratione usurpatis, hoc provenit à crassitie materiæ jam genitæ, ab intemperie partium principalium continuò eam generante, & ab imbecillitate nervosæ substantiæ contracta ex inunctione aliàs facta cum hydrargyro.

Non ob id tamen desperet æger, quia tandẽ divina ope, & beneficio validissimorũ remediorũ extirpabuntur, & perfectã sanitatẽ recuperabit.

Quod ut fiat, incumbendum quidem est indicationibus, & scopis à nobis aliàs propositis: quamquam enim remedia ex methodo præscripta juvare non videantur, ad alia nihilominus deveniendum non est, stante eo quòd à principio visum est, divini Hippocratis sententia. Materiæ tamen remediorum longè validiores esse debent; quoniam extremis morbis extrema remedia sunt opportuna præsertim in hac ætate juvenili; in qua vires sunt robustissimæ, & morbus longè recedit à statu naturali.

Quare post levem humorum præparationem, validis purgantib' manum admovere debemus, cujusmodi sunt pil. de nitro Alexandri, diacolocynthidos, extractum hellebori nigri, pil. lazuli, & aliæ ex alto trahentes, aliquoties præscriptæ. Caput quinetiam validioribus errhinis, & masticatoriis, ac gargarismatibus est expurgandum ex radice hellebori nigri, antimonio præparato, sabina, euphorbio, & similibus: non omisso oxymelite scyllitico, cum dec. serpylli, majoranæ, sabinæ, centaurii, & minima portione colocynthidis. Hæc pro diligentiori, & sensibili capitis expurgatione. Quibus peractis, ad insensibilem deveniendum, & ad generosiora topica capiti canda, & toti corpori. Quare si de internis serapplimo sit, repetendum censeo decoctum ligni Indici, salsæparillæ, & ligni visci quercini; quod paretur cum vino albo, addito absinthio, hyssopo, semin. urticæ, apii vel menthastro montano, quæ facultate specifica pollere dicuntur adversus veneficam hydargyri qualitatem, præmisso bolo ex terebinthina cypria cum myrrha, costo, vel radice cyperi, & sale theriacali. Utatur hoc decocto quadraginta dies, cum sudore semel, aut bis in die pro virium tolerantia: sitque ita generosum, ut pro singulis syrupis sumatur uncia una ligni Indici, & salsæ parillæ, cum uncia semis ligni visci quercini, & drach. ij. sassafras, & quarta quaque die utatur drachma semis Mithridaticæ confectionis, singulis octo diebus, ad purgans validum progrediendo, imò quandoq; ad antimonium præparatum. Interim dum hæc fient intrinsecus, etiam externis remediis curandæ sunt partes affectæ. Quare pro capite placent frictiones factæ cum sale, nitro, euphorbio, nigella, & agarico. Laudo emplastra parata ex caricis siccis, pyrethro, abrotano, sabina, cum aceto scillitico, aqua ardenti, & farina fœnugræci. Placent inunctiones cùm capitis, tum universi corporis, oleo rutaceo, laurino, cum castoreo, sale, nitro, & aqua ardenti. Devenirem quinetiam ad inustiones capitis cum caustico non dolorifico, quæ fiant tribus aut quatuor locis. Quicumque enim morbi non sanantur vi medicamentorum, vel ferri, igne sanantur, ex Hipp. Applicarem vesicantia post aures, & nisi abhorreat à fonticulo in occipite, mihi summopere etiam arridet. Hæc sunt quidem validissima remedia, quæ rite administrata, & prudenter erunt apprime utilia.

Victus sit boni succi, mediocris, attenuans, calefaciens, non interdicto vino, non omissa alvi lenitione cum familiaribus pilulis: quales esse possunt pilul. de tribus cum rhabarbaro, vel de hiera cum agarico. Quod si earum usu jecur magis incalesceret, quod non metuo, exhiberi posset aqua stillatitia paulò ante prandium, vel jusculum cum cichoraceis. Et hæc sunt potiora remedia, quæ ex usu futura censeo. *Idem ibidem.*

Dolor Capitis hemicranicus cum palpebræ superioris læsione.

Nob. Virgo Vestalis in primo senio constituta, temperamenti totius & jecoris calidi & sicci, calidi quoque capitis, à quo tamen exigua catarrhi calidi portio emanat; gracilis habitus, proceræ staturæ. Superioribus annis gravibus occupationibus implicita, nec non animi perturbationes passa, ventriculi primo molestiis, non tamen dolorificis, obnoxia fuit, quas prænunciare solebat urina multa, cruda & aquosa; quæ deinde ventriculi affectiones recedebãt, secuto vomitu materiæ, modò pituitosæ, frequenter tamen biliosæ atque porraceæ, imo etiam in præsens de copiosis flatibus in hypochondriis conqueritur, ventriculum ipsum calefacientibus ac infestantibus. Quinque autem ab hinc annis conqueri cœpit de quodam dolore, non quidem acuto, sed obtuso, in parte sinistra capitis supra aures; qui tamen potiùs vagus, quàm fixus ab ipsa Patiente observabatur, cùm etiam usque ad suturam coronalem, imò & ad dexteram partem ejusdem capitis extenderetur; Progressu autem gravem, atq; difficilem reddere cœpit palpebræ dexteræ elevationem, cùm tremore, sive potius palpitatione ejusdem: Quandoque enim contingebant motus isti tremuli sive palpitationes, vel nullã quin etiam tentatã palpebræ elevatione, semper tamen sine dolore, & sine visus læsione; manu autem accurrente, & ad locum affectum admotã cum aliqua frictione, tædium hoc levabatur. Difficultas hujusmodi in dies semper gravior reddita est, adeò ut oculum clausum tenere ferè semper cogatur Nob. Patiens, & potissimùm quando elevationem palpebræ tentare conatur; faciliùs verò, imò & sæpe sine difficultate, palpebram attollit, non advertens juxta, & dum ad aliquam operationem intensiùs mentem convertit, difficultatis oblita: prout & in reminiscentia difficultas eadem recurrit. Olim verò Patiens curata fuit hujus affectionis causã; sed

frustrà, cùm morbus respuerit omnem medelam, & præsidia varia adhibita, Purgationes nimirum, & ab ipsis Setaceum occipiti inustum, quod plures menses nullâ ope, imò potiùs cum affectionis augmento, gestavit. Ex pede venæsectionem, cucurbitulas, & hujusmodi alia experta est. Modò iterum ad Medicos confugit, ut si fieri possit, ab hoc affectu molesto vindicetur.

Rara equidem & speculatione digna est affectio, quâ quinque ab hinc annis divexatur Nob. admodum & Rever. Vestalis, eoque majori indiget acumine Medici, cùm varia, multiplicia, & magna remedia, non solùm in cassum huc usque administrata fuerint, quinimò potiùs cum ejusdem affectûs incremento, adeò ut à juvantibus, & lædentibus si desumatur judicium, non adeò idonea, & oportuna hæc fuisse, censendum sit. At quoniam morborum diuturnitatis, ac pervicaciæ causam refert Galenus ad partis affectæ conditionem, humoris peccantis renixum, & errores in vivendi ratione; idcircò, cùm causa hujus affectionis mediata, sit humor pertinax, atque rebellis, nec pars affecta, mineram continens, adeò curatu facilis, ab his, propterea duabus causis, ejusdem affectionis perseverantia desumenda fuerit. Pars igitur, si non primariò, & essentialiter, secundario saltem, & per consensum in præsens affecta, est caput ipsum, quod tamen aliquam labem essentialem progressu temporis contraxisse, non est negandum. Læditur autem potiùs secundùm partem externam, quàm internam: Quamvis enim primus læsionis impetus, in sinistrâ internâ parte inceperit, expansus tamen & ad dexteram partem statim diffusus, extra Calvariam, nempe circa musculos, & præsertim sub palpebræ elevatore, in progressu vera causa innotuit, molesta potiùs, quàm dolens, quæ vaporis potiùs, quàm humoris specie se prodit; tũ quia non semper eadem perdurat difficultas attollendi palpebram; tum quia, manibus contrectatâ parte, ferè omnino evanescit, itaut palpebra ipsa mox attollatur; & tandem quia palpitationes, quas frequenter patitur ipsa pars, non ab aliâ causâ, quàm à materia flatuosa provenire, pro certo habendum. In dubium verò revocatur, num minera humida, à qua elevatur hujusmodi flatulenta materia, in capite, an potius, in aliqua alia parte reperiatur, vapores inde ad caput transmittens. Et quamvis non negaverim caput, tot ab hinc annis sympathicè læsum, idiopathicam quoque imbecillitatem, atque læsionem aliquam necessariò acquisivisse, mineram tamen ab initio in hypochondriis extitisse, minimè dubito, hancque melancholicam; cùm hypochondriacam olim fuisse, & esse Nob. Patientem, facilè conjici possit ex ventriculi anxietatibus ante capitis læsionem perpessis, cedentibus à vomitu materiæ, modò pituitosę, & crudę, modò flavæ, modò porraceæ, à ciborum corruptione provenientis; sicut & corruptio ab hypochondriorum intenso calore, Hypochondriacorum proprio. Præterea eandem confirmant flatus copiosi, in hanc usq; diem, in hypochondriis perseverantes, & molestum calorem ventriculo communicantes. Hypochondriaca autem melancholica hujusmodi affectio, sic ut antea à gravioribus occupationibus, & animi perturbationibus inducta fuit; ita & crassas, ac fuliginosas exhalationes ad caput, suapte naturâ calidum, & ab externis injuriis imbecille redditum, transmittendo, plura, & varia prava symptomata produxit; imaginationem enim quodammodo corrupit, ut propterea dum imaginatio, & mens ipsa ad aliquod aliud negotium convertitur, non animadvertens, palpebram attollat; non autem dum imaginationem ad elevationem applicat. Non tamen ideò censendum, à sola depravata imaginatione difficilem provenire palpebræ elevationem; cùm dubio procul adsit etiam materia ipsa flatulenta, crassa & fuliginosa, ut potè melancholica, non quidem in nervis secundæ conjugationis, palpebras moventibus; sed quæ musculum pervadens, spatia replendo, in eodem liberum motum elevationis intercipit, qui motus facilior redditur post frictionem, & contrectationem, manibus factam, quâ flatulenta, & fuliginosa materia resolvitur. Hinc factum fuit, quod topica medicamenta, & calida præsertim, nullum levamen, imò potiùs nocumentum attulerint, sicut neque proxima derivantia, setaceum nempe, sed potiùs ab infernis partibus humores, & vapores magis attrahere, quàm præsentes evacuare contigerit. Nec ideo mira videri debet affectionis hujus pervicacia, cùm quotidie ab humoribus, & vaporibus melancholicis mirabiles, & ineffabiles effectus à nobis observentur, sæpe Medicos in admirationem trahentes; imò & nonnunquam decipientes, alios nimirum, atque diversos affectus repræsentantes, ac simulantes, ut ab Hippoc. docemur, exempli gratiâ, dum ait, quod Si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elangueat, tale est melancholicum signum; effectus nimirum flatulentæ melancholicæ materiæ, quæ huc, & illuc per corpus delata, stupores, imò & torpores in hac, vel illa parte inducere potest.

Itaque pro hoc affectu curando, fontem mali, ut dicebat Celsus, tollere oportet, & diversa à præteritis curativa indicatio est desumenda, conceptâ spe, fore, ut affectus ipse, quamvis confirmatus, propriis remediis adhibitis, auferri possit.

In quem finem primæ viæ sunt expiandæ. Secundò Obstructiones reserandæ. Tertiò Massa sanguinea ab impuritatibus vindicanda. Quartò Topica parti adhibenda. Quintò Jecoris, & capitis calor contemperandus; atque Tandem caput idem roborandum.

Pro primo scopo explendo, primum leniens erit potio ex manna clarif. aut Electuarium lenit. cum tartaro. Præparans autem, quinque diebus præbendum,

♃. Julap. acet. corticibus citri alterati ℥ij. Aqu. flor. citri ℥j. m. pro syrup. & sic pro aliis. Deinde repetatur alterum ex suprascriptis lenientibus.

Pro secunda intentione, sequenti die, succi depurati hunc in modum exhibendi

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, cichor. borag. pom. dulc. an. ℥j. decoct. endiv. melissæ, malvarum, violarum, lupulorum ℥iv. salis tart. fixi gr. x. m. pro syr. summo manè assumendo. Sequenti verò die præbeatur rhabarbarum ita

♃. Rhabarb. maturi ℈j. floris cass. rec. extr. ʒij. M. f. boli, summo manè exhibendi, quibus horâ post, superbibat aquæ stillat. malvarum,

varum, borag. an. ℥iv. m. & tribus horis ab assumpta aqua prandeat. Tertiâ verò die iterùm assumat succos, ut suprà; deinde die sequenti bolos; atque ita perseveret viginti dies, alternatim assumendo succos, & bolos; in quorum intermedio usu assumat bolos, ita parandos

℞. Flor. cass. rec. extr. ʒvii. Extracti sennæ, pilul. de tribus cum rhabarb. an. ʒ ſ. M. f. boli, quibus, post horam, superbibat ser. capr. aut asin. depur. lib. j. ſ. tribus verò horis ab assumpto sero prandeat. Interim venæ sedales hirudinibus aperiendæ, & sanguis ad ℥v. aut ad summum vi. extrahendus.

Terminatis viginti diebus, secundo, & tertio scopo satisfactum fuerit, si addatur Purgans, quod totum, & caput spectet: dicebat enim Gal. quòd Licet caput per alterius partis consensum laboret, affectio nihilominùs ipsi capiti tribuenda sit. Ideo parentur pilulæ, totum, & caput purgantes, hunc in modum

℞. Pilul. aurearum, aggregat. cochiarum an. ʒ ſ. m. reform. pilulæ, & inaurentur, circa mediam noctem, post primum somnum, assumendæ; summo verò manè superbibat seri capr. aut asin. depur. lib. ij. cui superdormiat, si potuerit. Et quoniam partem affectam, affectionis diuturnitate aliquam labem necessariò contraxisse dixi, ideo aliquam quoque, licèt exiguam, excrementi portionem, per congestionem producere posse suspicandum, quæ sensibilem, & insensibilem evacuationem exigat. Quare topica remedia, tum interna, tum externa sunt paranda. Intrinsecus prodesse poterit Errhinum, quotidie mane ante cibum in usum ducendum, hoc modo

℞. Pulv. majoranæ, Ireos an. ʒij. M. f. pulvis, more tabaci per nares attrahendus. Extrinsecùs verò paretur fomentum, spongiâ eodem madefactâ, & expressâ parti affectæ, mane, & vesperi, tepidum admovendum

℞. Fol. malvarum, chamæmeli, meliloti an. manip. j. radic. altheæ ℥j. liquiritiæ ℥ſ. sem. fœnugr. hordei an. ℥ij. aqu. comm. lib. vi. m. bulliant ad consumpt. tertiæ, pro fomento; quo amoto, detergatur pars, & illiniatur oleo lil. alborum.

Quintæ intentioni satisfacere poterit lac asininum, quadraginta, aut quinquaginta diebus, summo mane, cum saccharo pro more assumendum: Etenim non solùm jecoris, & capitis, totiusque sanguinis calorem contemperare, sed contumaciores quoque obstructiones exiccatas emollire, & auferre, necnon totum corpus, jam emaciatum instaurare poterit, præsertim si addatur, oleo amygdalino recenti, universo corpori quotidiana inunctio. Neque obstabit Hippocratis documentum, quòd Lac dare caput dolentibus sit malum; cùm per caput dolentes, frigiditatem, catarrhique copiam intelligat; in nostro verò casu catarrhus exiguus, isque calidus valdè, à Nob. Patiente observetur. Quòd si Excellentissimo Medico Assistenti fortassè suspectum habeatur, substituatur lac arte factum, in hunc modum parandum.

℞. Sem. melon. mundat. ℥j. Sem. anguriæ, cucurbitæ mundat. an. ℥ſ. m. contundantur, & cum jure pullæ extrahatur emulsio; cui adde sacchari albissimi cochlear unum, m. pro potu matutino.

Tandem pro aliqua capitis corroboratione opportunissimus erit usus, statim à prandio, & à cœna, Conservæ rosarum, ita paratæ.

℞. Conservæ rosarum, ℥v. Tincturæ corall. chymicæ ℈j. m. reform. cujus dosis erit ad cochlear unum.

His autem omnibus congrua erit addenda vivendi ratio, à Viro Excellentiss. præscribenda, ita ut caveat à fumosis omnibus, præsertim calidis, sed & à flatulentis; à diuturna mora tum prope ignem; tum sub radiis solaribus: sed omnium maximè à nimiis quibuscunque studiis & animi perturbationibus, ut medicamenta jam proposita scopum salutis attingere possint. *Raym. Joh. Fortis Consult. & Respons. Medic. Tom. 2. Cent. 1.*

Hemicranicus dolor, in lateris dolorem degenerans.

Pater Admodum Reverend. Concionator celeberrimus, annum agens quadragesimum nonum, temperamenti secundum totum, magisque secundum jecur & cor, calidi & sicci, capitis calidioris, non valdè humidi, destillationibus tamen obnoxii, mediocris habitûs, ingenii perspicacis, & ad operationes promptissimus, anno elapso, dum Quadragesimali tempore Veronæ pro Prædicatione morabatur, correptus fuit dolore vehementissimo in sinistra capitis parte, qui musculum temporalem, aurem & maxillam occupabat, & progressu in latus sinistrum circa renis regionem descendit tanto impetu, ut lecto non sine aliqua febricula Adm. Reverend. Patrem affixerit. Dum verò hoc anno Patavii, eodem tempore Quadragesimali, summo cum universali applausu atque Christicolarum fructu verbum Dei prædicaret, dolor non in capite, sed in latere sinistro circa eandem renis regionem ipsum invadere cœperat, noctu præsertim invalescens, verùm non adeò sævus & vehemens, ut ideò nullâ die ipsi Concionem impedierit. Modò pro præservatione prudens Admod. Rev. Pater nos de agendis consulit.

Quòd Admodum Reverend. Pater caput habeat destillationibus obnoxium, cùm tamen ejus temperies valdè humida non sit, nec excrementis pituitosis scateat, primâ fronte mirum videbitur: at si medullitus totius & partium principalium temperies, necnon intensa & diuturna studia considerentur, admiratio cessabit: Jecur enim fervidum, nonnisi ejusdem conditionis sanguinem producere potest, qui per venam cavam ad cor calidissimum perveniens ut purificetur & perficiatur, propriæ caliditatis quicquam amittere nequit, imò potiùs caloris plures gradus acquirit. Illius autem portio, dum per Carotidas ad caput ascendit ob cerebri frigiditatem, ut sui moris est, propriæ caliditatis multos gradus deponere deberet, nisi cerebrum ipsum continuò à studiis & applicationibus agitatum consueto calidius inveniret: quò fit ut etiam spiritus animales calidiores ex ipso fervido sanguine generentur: qui principes operationes exercendo cerebrum ipsum semper calidius reddunt. Hinc portio sanguinis pro nutritione eidem destinata ob exuberantem calorem, non in alimentum, sed in

in humidum excrementum cedit: cui dum associatur biliosi atque serosi sanguinis portio major inutilis, à venis jugularibus non exhauritur, sicque mistura hujusmodi in spatiis remanens & fluxibilior reddita, partim ab imbecillitate facultatis retentricis, partim ab irritamento expultricis, in subjectas partes delabitur atque detruditur: quæ ut acris & mordax continuum solvendo, immanes dolores concitat: quos cùm in maxilla, aure & temporali musculo, ob earundem partium exquisitum sensum natura diu tolerare nequierit, materiam ipsam molestantem, ad ignobiliores partes, ad musculos nimirum dorsales atque lumbales tandem Veronæ detrusit, & sensibiliter medicamentis, atque præsertim sanguinis missione, necnon per insensibilem transpirationem spatio dierum materia resoluta fuit, & dolore vanuit: qui hoc anno rursus rediit, dum Pater admodum Reu. caput eodem modo exercendo & excalefaciendo, eodemque tempore viscera omnia, genita fuit catarrhalis materiæ portio, & multò copiosior à venoso genere, serosa atque biliosa transmissa, ne dicam, violenter attracta, ut propterea ab eadem excrementosa mistione natura irritata, eandem ad partes infernas deposuerit; neque enim in capite firmata est, sed statim ad renis regionem transmissa fuit, forsan ob materiæ majorem tenuitatem & fluxibilitatem, aut quia caput non adeò ab aëre Patavino, ut à Veronensi læsum atque debilitatum fuerit, & idcirco in minori copia excrementum produxerit, quod faciliùs natura statim ad inferiores & ignobiliores partes deponere potuerit.

Ut igitur Pater admodum Reu. præservari possit non est qui non videat partium mandantium primò curam habendam esse, secundo lotium primò curam habendam esse, secundo loco, suscipientium. Quoniam verò partes mandantes, sunt venæ totius, vitioso sanguine fervido, seroso atque bilioso refertæ, ideo sanguis ipse à serositatibus calidis vindicandus, & ejusdem qualitas, tum prima, nimirum calida, tum secunda, nimirum acris & mordax contemperanda & demulcenda. Quoniam verò sanguis hujus pravæ conditionis à fervore jecoris & cordis continuò reproducitur; idcirco horum calida intemperies refrigerantibus corrigenda; & tandem pars recipiens, caput sci. corroborationem potiùs, quàm correctionem expostulat, cùm aliquem tantùm excessum in calore retineat.

Quæ jam dicta omnia obtineri posse, omninò considerem, nisi de continentia Admod. Reu. Patris à nimiis studiis & applicationibus dubitarem. Cura itaque præservativa, sed levis atque suavis, hoc anni tempore congruo, est ineunda; & primò primæ viæ ab excrementis sunt expediendæ. Secundò Biliosæ serositates à sanguine segregandæ & educendæ. Tertiò Jecoris & cordis fervor est contemperandus. Quartò Sanguinis acrimonia & mordacitas mitiganda, simulque caput refrigerandum, ac postea idem corroborandum.

Pro prima explenda intentione, convenientissima erit potio ex syr. rof. solut. rec. cui post duas aut tres horas, superbibat seri capr. depur. aut aquæ Nocerianæ lib. ij. & duabus horis ab assumpto sero prandeat. Deinde quinque sequentibus diebus summo mane assumat Julap. acet. & violati, aquæ florum citri an. ℥j. pro syrup. matutino. Transactis autem hisce quinque diebus succedat potio suprascripta.

Secunda intentio modo facili ita fuerit implenda, ut nimirum sequenti die assumat.

℞. Seri capr. destillat. ℥vii. syrup. de succo limon. aut de acido citri ℥j. m. pro potu matutino, quatuor horis ante cibum. Subsequenti verò die

℞. Rhabarb. opt. ʒj. aq. stillat. de succo cich. ℥vj. m. f. inf. per noctem, deinde fiat colatura, cui pro gustu Patientis addi potest succi limon. cochlear, & summo mane assumatur frigida. Tertia die repetatur serum destill. ut supra: quarta, infusio rhabarb. jam dicta; & ita alternatim perseveret ad xv. dies. Sed tertio ex præscriptis diebus, valdè proficua erit venarum sedalium, hirudinibus, apertio quam si fortè renuat Adm. Rever. Pater, suppleat secta vena sinistri pedis, sanguinem educendo ad ℥vi. vel vii. ad summum.

Tertiæ & quartæ intentioni satisfacere posset lac asininum; sed omni suspicione carebit emulsio, ita parata.

℞. Semin. melon. mundat. ℥i. semin. cucurb. & angur. mundat. an ʒß. aq. stillat. acetosæ ℥iv. violarum ℥iii. m. & seminibus contusis, extrahatur emulsio, cui adde julapii violati ℥ i. m. pro potu summo manè quatuor horis ante cibum assumendo; in cujus usu xv. aliis diebus perseverandum.

Ut tandem capiti aliquod robur addatur, per xv. alios dies, tribus aut quatuor horis ante cibum, bibendus cyathus aquæ stillat. de succo cich. in qua dissolutæ sint gutt. v. tincturæ corallorum chym. & totidem quintæ essentiæ rosarum; sicut sub ingressum lecti rosarum Conserva comedenda. Extrinsecus quoque nares & sutura coronalis inungi poterunt summo digito, intincto eadem rosarum quinta essentia; aut exiguum vasculum vitreum eadem repletum, de more ad olfaciendum, secum portet.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda; quam in omnibus facilem Admod. Reu. Patri futuram existimo, præterquam in studiis & applicationibus quibus debilitatur caput, calefit, & cum impetu, non modo vapores sed calidi quoque humores sursum trahuntur. Interim caput ipsum ab aëris inclementiis, tum calidis, tum frigidis custodiat. Abstineat ab alimentis vaporiferis, calidis & sanguinem fundentibus, ut ab aromatibus; à condimentis allii, & cæparum; ab esu fœniculi, apii, cardui & aspatagorum longo usu. Ab usu quoque aceti in ferculis, & à salitis carnibus, ac piscibus. A vinis valdè generosis & aromatibus, præsertim dulcibus. Somnus nocturnus sit diuturnus, brevis verò diurnus, & capite elato. Corpus exerceatur, sed jejuno ventriculo; & alvus officiosa servetur prunis & passulis decoctis (si opus fuerit) prima mensa assumendis.

Et præter jam dicta omnia, duo documenta à me accipere sit contentus Admod. Rev. Pater; primum, quòd singulo anno diebus Canicularibus duabus aut tribus horis ante prandium

dium de more bibat cyathum aquæ stillat. de succo cich. ad ℥. vi. vel vii. in qua dissoluat, sacchari albi aut Conservæ de acido citri, cochlear vnum. Alterum documentum observatione dignum est quòd toto anno assuescat in prima mensa, saltem prandii bibere ius carnis quatuor foliis herbarum alteratum, scil. Vere cichorii: Æstate, acetosæ: Autumno boraginis: Hieme endiviæ; & hoc remedium magnum ab Antiquioribus appellabatur, quod æquat omnes humores. Quæ si servaverit, Purgationes imposterum evitare, & seipsum non solum ab Hemicranico dolore iam dicto, verum & ab hypochondriaca affectione, quæ studiosis familiaris esse solet, præservare poterit, Ita Deus mea vota secundet. *Idem ibidem.*

Cephalæa cum hipochondriaca affectione.

Serenissima Dux annum agens 27. temperamenti totius, & jecoris ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitûs, & capitis humidioris, quæ tenella ætate subtilissimo aeri e proximis montibus spiranti caput incaute diu exponere solita erat, decimo suæ ætatis anno capitis dolore corripi cœpit, qui vsque in hunc diem eandem per intervalla divexare nunquam cessavit; & licèt tempora primò inuadere ac lancinare soleat, per totum tamen caput sese diffundit, & clavi adinstar tunc temporis affligit cum frigiditatis sensu. Dolor autem nulla certa periodo inuadit, adeò ut quandoque parum ante purgationes menstruas, quandoque post, imò & iisdem fluentibus, aliquando quinetiam inceperit cum expuitione aquosæ & insipidæ materiæ, aliquando cum eadem cessaverit. Dolore autem vigente tenduntur oculorum partes nervosæ atque tendinosæ, quæ tensio ad occiput usque pervenit, tuncque veluti attonita permanet, intelligens quidem quæ adstantes loquuntur, ad responsum tamen impotens per horæ dimidium; totaque accessio, ad summum, integrum diem naturalem durat; licèt postmodum tribus quatuorue secutis diebus caput imbecille remaneat, & præteriæ accessionis vestigia servet, præsertim si frigido ambienti exponatur.

Vere proximè præteriti anni adversus hunc immanem affectum medica præsidia administrata fuere, & post universalem purgationem; sanguinis nigri & adusti repetitam evacuationem, Villenses aquas, balneum aquæ dulcis extrinsecùs non sine fructu experta est; siquidem invasiones non adeò frequentes, imò bis tantùm usque in hodiernum diem repetierunt,; verum tamen est quòd cùm paulò post conceperit, toto gestationis tempore nunquam prorsus ab aliquo dolore immunis vixerit.

Præter affectionem jam dictam, quinque abhinc annis post Sereniss. atque Dilectiss. Sororis obitum, affectum quoque hipochondriacum melancholicum fovere cœpit. Siquidem flatus copiosos in hypochondriis semper percepit, à quibus & rugitus, & quandoque spirandi difficultas motum quoque progressivum impediens; quinimò & in uteri gestatione cordis palpitationes se prodiderunt; quæ omnia flatibus erumpentibus minuuntur. Primis autem annis dum vna cum vaporibus humores quoque caput petebant, narium frequentes & leves hæmorragias excitabant, ab quas sanguis ex pede, revulsionis gratia, missus fuit: licet postea sanguis ipse ad venas sedales conversus cæcas hæmorroidas, & ideo dolores hæmorrhoidales induxerit.

Invaluit hoc tempore alui stypticitas, adeò ut nonnisi aliqua confectione solutiva in anum immissa, tertio aut quarto quoque die fæces reddat, easque adustas, quo eodem tempore quatuor aut quinque continuas horas urina quoque supprimitur, & postea absque ulla materiæ permistione libere erumpit. Interim totum corpus quodammodo parumper emaciari visum est.

Nulla vero vnquam febris jam dictos affectus comitata est; bene appetit, & bene coquere videtur assumpta; commode quoque dormit: & sicut menstruæ purgationes nunc bene procedunt; ita optime à partu puerperia cum lactis abundantia, & semper sine febre. Restat igitur, ut Sereniss. Matrona à jam dictis malis, ope medica, pro virili omnino vindicetur; aut saltem, quoad fieri potest, levetur.

Ex iis quæ jam nos præsentes voce percepimus, circa Sereniss. Ducis statum, & quæ præterea in præsens ab accuratissima historia transmissa accepimus, Sereniss. Matronam sævissima Cephalæa jam diu torqueri, & molesta hypochondriaca affectione tandem divexari, clarissimè videmus, Priorem, sodam, sive ovum, Avicennas cum cæteris Arabibus nuncupavit, & Tralianus, gravem affectum, & vehementer dolentem; imo morbum pestiferum Celsus appellavit. Est autem periodica inordinata, sed antiqua, cùm decimo suæ ætatis anno affligere cœperit: & sicut pars affecta dubio procul est caput, & quidem essentialiter affectum, & secundum partes internas, membranas scil. cerebrum investientes, quod ex dolore ad oculorum radices pertingente, facile conjici potest; ita non idiopathice tantum, sed symphatice quoque læsum esse arbitramur, non solum à toto venoso genere, sed multo magis ab hypochondriis, non modo calida intemperie, verùm & obstructionibus affectis; vnde tandem quinque abhinc annis, mœroris maxima occasione suborta, Sereniss. hypochondriacam affectionem contraxit. Ad Cephalæam caput ipsum disposuit olim ambientis aëris acuta frigiditas; cui pro more incautè illud exponente Sereniss. ipsa, potuit ille frigidam & humidam intemperiem inducere aut augere; quæ tamen sola affectum hunc neque continuò neque frequenter excitasset sine infernarum partium consentientium auxillio: siquidem à toto venoso genere admodum fervido, primis ætatis annis; postremis vero, & ab æstuantibus hypochondriis obstructionibus infarctis, tum calidi vapores, tum serosi atque acres humores in caput per intervalla delati, paratis, atque jam congestis in eodem capite humiditatibus permisti, prava qualitate potius, quam quantitate peccantes, soluto partium exquisitè sentientium continuo, immanes dolores excitarunt, & excitant, qui licet in vna capitis parte incipiant, ad totum tamen paulo post se-

se diffundunt, diffusa nempe materia per ipsa vasa, eaque quodammodo, non tamen prorsus stagnante, nec libere institutum à natura circulum obeunte. Hinc tensionis fiunt, & stupida, sive attonita, licet non omnino intelligendi facultate destituta, per horæ dimidium Sereniss. observatur: superstite tamen eodem dolore ad integrum usque diem; quo tempore, si non ab initio, sub finem saltem accessionis materia pituitosa sensibiliter per sputum ab ipsa natura expellitur prout calidior atque serosa insensibiliter resolvitur, necessario superstitibus postmodum, tres aut quatuor sequentes dies, afflicti capitis & præteritæ insignis noxæ vestigiis moxque sana atque immunis huiusmodi sævo dolore degit, usque ad novum vaporum & excrementorum apparatum. Interim tamen hypochondriacus affectus molestus esse non desinit, qui flatulentus à Galeno dictus fuit; quoniam in eo quam maxime flatus abundant, à quibus ex sicca minera elevatis & in hypochondriis hærentibus, rugitus; ab iisdem vero septum comprimentibus, spirandi difficultas; & ob insignem tensionem, motus quoque progressivi segnities excitari solent; & in uteri gestatione, ad cor pervenientes; atque ob eorum crassitiem resolutioni minus idonei, cordis quoque palpitationem excitabant. Ad caput vero una cum sanguine fervidiori pertingentes, ad facultatem expultricem irritantes, frequenter narium vasa aperiebant.

Ambo verò hi affectus curationis certè difficilis sunt; prior quidem, quoniam antiquus, contumax, ac præterea quoniam affectiones, quæ pueris in pubertate, & fœminis erumpentibus menstruis non terminantur, consenescere consueverunt, dicebat Hipp. posterior vero, quoniam in melancholia materia fixa est, quæ rebellis semper & medicis præsidiis contumax fuit atque reluctans. Nihilominus quoniam Matrona Sereniss. salutem expetit, necdum generosiora & validiora remedia experta fuit, ac proinde & eandem præceptis medicis obtemperaturam sperare licet, nec adhuc morbum omnino auxiliis Medicis reluctantem accusare possumus; ideo juremerito spem concipere debemus, fore nimirum, ut hoc autumnali tempore hypochondriaca affectione se remittente, ac proinde consensu imminuto, capitis quoque dolor mitescat; Vere autem proxime futuro, ejusdem capitis idiopathicæ affectioni si incumbatur, eiusdem dolor prorsus etiam expugnetur; neque enim uno eodemque tempore vtrique affectioni incumbere possumus, cum diversas, imo contrarias Medicas intentiones postulent.

Hypochondriaca itaques affectio venit hoc tempore curanda; Primò, quoniam materiam capiti, doloris causam suppeditat; quod optimè cognoverunt quoque Archiatri illi Præclarissimi, qui refrigerantibus & humectantibus remediis adhibitis, eidem capiti non leve iuvamentum attulerunt; sicque morbum ostendit sanatio. Secundò quoniam est quid impediens, & veram atque perfectam doloris sanationem prohibens; cui perficiendæ Vernum potius, quam autumnale tempus, oportunum est Quare in hunc finem primæ viæ sunt expiandæ. Secundo obstructiones humectantibus & aperientibus reserandæ. Tertiò flatus caute discutiendi. Quartò hypochondriorum & viscerum fervor contemperandus; nec interim contra dolorem capitis aliqua à proprietate iuvantia negligenda. Quibus explendis scopis, à fonte Chirurgico saltem unica est petenda sanguinis missio ex vena brachii, tempore, pari intervallo medio inter præteritam & futuram menstruam purgationem; sed interim toto anni curriculo familiares esse debent mane ante quam Sereniss. è lecto surgat frictiones à dorso usque ad pedes; vesperi vero ante cœnam pedum lotiones aqua calente.

Reliqua à Pharmaceutico fonte desumenda. Itaque primum leniens esse poterit potio clarif. tum ex manna, tum ex syr. ros. sol. Sicut prima præparatio commode perfici poterit julap. acet. ex aqua verbenæ parato, & frustulo cinnam. aut citri aromat. & exigua aqua totius citri diluto; vel cremore tartari in eadem aqua dissoluto, hac lege ut quinque transactis diebus, eadem potio repetatur; inde ad succor. depur. & per arenam transmiss. usum deveniri poterit cich. scil. & borag. in jure pullæ cichorac. alterato. Quod si Serenissima succos respuat. aquæ stillat. succorum eorum vicem præstabunt, in quibus tart. vitriol. gr. dissoluta fuerint: sequenti vero die flos cass. ejusque usus ingentis profectus esse poterit ad ℥.ii. trib. aut quatuor horis ante cibum usurpandus; cui post horam superibbat jus pullæ endivia alteratum; tertia vero die rursus succos aut aquam repetat, & quarta cass. ut supra, ita alternatim perseverando ad xx. usque diem: sic enim exiccati humores emolliri, obstructiones reserari, & alvus sicca leniri poterit, omisso interim usu confect. solut. alvo ciendæ: irritando enim, molestas hæmorrhoidas excitant, sicque cohibetur urina.

Hoc eodem tempore, ita admittente ambientis calore, & non inhibente frigiditate, balneum quoque aquæ dulcis, refrigerantibus & humectantibus herbis alteratum, sive insessiones ad renes usque, saluberrimæ forent, ad emolliendas & removendas exiccatas obstructiones; tunc enim faciliius rhab. usu auferri & exstirpari poterunt: præbeatur autem infusum in aqua de succo cichor. addito succo lim. vel sale prunellæ ad xii. vel xv. dies.

Quibus peractis, ut jecoris calida intemperies quodammodo corrigatur, quoniam aquæ acidulæ assumendæ tempus opportunum non fuerit, ideo stillatitia de succo cichor. sat erit, ad cyathum integrum, cum syr. de succo lim. summo mane xv. aut xx. diebus potanda. Flatibus infestantibus præstantissimum & suavissimum discutiens est oleum cinnam. si aut rotulæ ex eo, cum saccharo & aqua cinnam. parentur, aut guttulæ aq. totius, aut florum citri instillentur. Hæcque sufficiant hoc autumnali tempore, congrua addita victus ratione remediis propositis proportionata à Viris Præclariss. præscribenda.

Vere autem proxime futuro nova erit ineunda purgatio: quos enim purgare oportet, Vere purgandos, dicebat Hipp. Oportebit enim primas vias mundare; reliquias obstructionum aperire; massam sanguineam purificare; caput purgare; atque tandem ejusdem frigidam

frigidam & humidam intemperiem corrigere; quæ omnia præstabuntur repetita sanguinis missione, & forsan venæ frontis apertione, atque congrua medicamentorum administratione, quæ à nobis tunc temporis, jubentibus Sereniss. præscribenda erunt, ut absoluta totius & capitis expurgatione, ad decoctum sudorif. adeo necessarium accedamus, ex salsa scil. visco quercino, santalo albo & radice verbenæ in aq. stillat. cich. & beton. parandum. Post cuius administrationem rursus aquæ Villenses erunt exhibendæ, & balneum aquæ dulcis administrandum, ut post capitis exiccationem, jecoris, hypochondriorum & venarum fervori prospiciatur, de quibus pariter peculiaris tunc erit deliberatio.

Sed interim aliqua à proprietate juvantia in usum frequentem continuo duci poterunt. Intrinsecus scil. aq. stillat. Verbenæ ad ℥ii. vel iij. cum guttulis spiritus vitrioli tanquam mirabilis à Foresto extollitur; sicuti extrinsecus ab Aëtio gagates nactu capiti alligatus commendatur, atque ipso doloris paroxysmo vigente, à Sexto Platonico matrix Vulpis exiccata, & capiti circumposita, dolorem auferre scribitur.

Hæc sunt quæ Præclariss. Viris expendenda proponere mihi permittit anni temporis conditio, ab iisdem perficienda ac dirigenda, & si opus fuerit, etiam corrigenda, dum ad Sereniss. Ducis salutem vnanimes conspiramus. Ita D. O. M. vota nostra secundet. *Idem ibidem.*

Medicatio Fœminæ, Cephalalgia, Ex causâ calidâ, Laborantis.

Fœmina quadraginta annos nata sanguinea, calidiore diætâ diu usa, incidit in ingentem dolorem punctorium verticis & occipitis, ad cervicem usque desinentem, qui non externo contactu sed capitis motu exacerbatur, atque ideo immota in lecto jacet. Punctiones, quas in capite sentit, subinde remittuntur, subinde ita ingravescunt, ut ægra animo linquatur. Adest citra sitim, magnus totius corporis calor, pulsus celer, urinâ rubicunda. Interdum post somnum quædam præter rationem loquitur.

Jacto hoc historiæ morbi, ex diligente ægrotæ hujus examine collectæ, fundamento, medicatio jam porro instituenda per cognitionem, tum diagnosticam, tum prognosticam, quâ peractâ, progrediendum erit ad Curationem.

Et quantum ad diagnosin, quæ in partis affectæ, ipsius morbi, & causæ morbificæ investigatione consistit: afficitur in hac ægra caput, secundum verticem, occiput, & cervicem, quod ex dolore illas partes occupante est manifestum; afficitur etiam cerebrum secundum substantiam & spiritus, item secundum meninges, quod ex sermonibus præter rationem interdum prolatis, & ex dolore, non externo contactu, sed motu capitis exacerbato, innotescit: item cor & totum corpus, quod ex pulsu celeri, urina rubicunda, & totius corporis calore patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies capitis, secundum verticem, occiput, & cervicem, calida & acris, sive biliosa; quæ in illis partibus ingentem dolorem punctorium excitans, dolor capitis ex causis calidis ortus, vulgo appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est diæta calida, qua hæc ægra fuit usa. Inde enim, adjuvante temperamento ipsius sanguineo, humores calidi & acres, in ipsius corpore geniti, antecedentem huic morbo præbuerunt causam: pars vero ejus in caput, circa meninges in vertice & occipite, ac ad cerebrum, item foris ad cervicem usque delata, ac ad cor & in totius corporis habitum distributa, ibique calorem præter naturam concipiens, partesque illas vehementius alterans & vellicans, continens hujus morbi, & symptomatum jam commemoratorum, est causa.

Humores enim calidi & acres, ad meninges circa verticem & occiput, ac ad interiora cervicis subinde delati, vehementiorem iis partibus, quæ acutissimi sunt sensus, intulerunt motum & punctiones, & hinc punctorium dolorem, subinde remittentem & deinde rursus ingravescentem, ac motus corporis, quo etiam interiora agitantur, non vero externo contactu, qui tantum exteriora premit, exacerbationes inferentem; & interdum etiam in animi deliquium ægram nostram, per spiritus animales, in fibras cordis & vasorum ejus constrictorias ex dolore nimis copiose determinatos, præcipitantem.

Adest autem calor totius corporis, citra sitim, ac urina rubicunda; quia humores isti in corde vehementius, citra febrim incalescunt, & inde in totum corpus atque in renes impulsi totum corpus valde calefaciunt, urinamque biliosis suis partibus adustis rubore tingunt.

Et quia sanguis & spiritus ille calidus, per somnum non satis discussus ex cerebro, ipsum cerebrum, in eoque sensorium commune vehementius & inordinatius agitat, hinc fit, ut ægra nostra interdum, post somnum deliros habeat sermones.

Morbus hic satis est periculosus ob cerebrum affectum, doloris gravitatem, & delirium hic subinde conjunctum post somnum; nam in maniam, vel phrenitidem, vel apoplexiam posset degenerare. Quia tamen nostra ægra est valida, bene sperandum, & ad curationem accedendum censeo.

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei per contraria, ablatione & doloris sedatione consistet.

Mox itaque vena in brachio pertundatur, sanguisque educatur ad ℥viii.

Sequenti die purgetur tali haustu:

℞. Mannæ calabricæ ℥j. syr. rosl. cum rheo ℥ß. Aq. hordei q. s. M. F. haustus, mane exhibendus.

Postridie, adhibeantur, si dolor etiamnum urgeat, cucurbitulæ quatuor vel sex scapulis, cum scarificatione.

Et sub vesperam utatur lotione pedum, in decocto camomillæ & fol. salviæ factâ, per horas duas; quæ lotio sequentibus diebus bis quotidie, mane ac vesperi sc. reiterabitur.

Atque ad somnum conciliandum & doloris seda-

sedationem, sub tempus somni, talem sumat potiunculam somniferam & anodynam:

℞. Aq. lactucæ ℥j. betonicæ ℥ß. Syr. de papav. ʒiij. de acetositate citri ℥ß. Misce. F. potio. Et collo talis sacculus applicetur.

℞. Furfur. triticei p. ij. sem papav. albi ʒi. ß. Rosar. rub. ʒj. mastiches ʒiij. rad. galangæ ʒj. conquassata & inclusa sacculo vino irrorentur, & calide applicentur collo. circa nucham.

Ad corroborationem debilium virium utatur tali conservâ:

℞. Conservæ rosar. majoranæ an. ℥j. Spec. diarrhod. abbatis ℈iiij. Cum syr. de limonibus q. s. Misce ad formam electuarii, De quo sumat ægra subinde magnitudinem castaneæ majoris.

Tandem si gravitas capitis, uti hic sæpe fit, post punctiones ablatas ægræ sit molesta, talis capiti imponatur cucupha:

℞. Furfuris triticei p. ij. sem. papav. alb. ʒiß. Rosar. rubr. ʒj. mastiches ʒiij. Rad. galangæ ʒj. ireos ʒij. Sem. coriandr. ℈iiij. Contundantur & cum linteo & cotone F. Cucupha.

Corpusque iterum purgetur blande, tali purgante medicamento:

℞. Mannæ calabricæ, Syr. ros. sol. cum rheo an. ℥j. Aq. hordei q. s. m. F. Haustus.

In diæta aër, in quo ægra degit, sit frigidus, humidus Victu utatur parco, refrigerante & humectante, ex lactuca, acetosa, portulaca, endivia, cichorio, citriis, aurantiis, cerasis, hordeatis. Abstineat a vino; potus sit cerevisia tenuis. Somnus sit longior. Perturbationes animi vehementiores, ut & inedia, vitentur. *Henric. Regius apud Theod. Craanen Medicat. lib. I.*

Medicatio Fœminæ. Dolore Capitis, ex causa frigidâ, laborantis.

Matrona triginta annorum, pituitosa, otiosa, alimentis frigidioribus uti solita, postquam ineunte hyeme, sese aëri nubeloso; frigido, & humido, ac vento, exposuisset, magno dolore correpta est, qui totum caput occupat, illudque gravat. Facies multo pallore est perfusa; in ore pituita abundat; pulsus est parvus, rarus, languidus; urina pallida, crassa.

Afficitur in hac ægra caput; idque potissimum secundum meninges & ipsam cerebri substantiam, ut patet ex dolore totum caput occupante & gravante.

Morbus, qui ægram affligit, est intemperies meningum & substantiæ cerebri pituitosa & acris, quæ in illis partibus dolorem gravativum excitans, dolor capitis ex causa frigida appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est usus diutinus alimentorum frigidorum, quo, adjuvante vitâ otiosa & temperamento ægræ pituitoso, multi frigidi & acres humores in ipsius corpore geniti antecedentem huic morbo præbuerunt causam. Illi verò ad cerebrum & meninges delati ibique vi aëris frigidi humidi & ventosi retenti, à reliquo sanguine separati, & in substantiam istarum partium effusi, illasque partes suâ copiâ gravantes & distendentes, & acrimoniâ vellicantes, continens hujus morbi, symptomatumque ejus, sunt causa.

Dum enim illas partes vellicando, & distendendo, ac pungendo, vehementius movent, dolorem in iis excitant Dum ad cor feruntur, sua frigiditate faciunt pulsum tardum, rarum, languidum. Dum crassa & cruda excrementa ad renes pelluntur, urina evadit pallida & crassa. Dum multi pituitosi humores ad faciem deferuntur, oritur in ea pallor. Dum illi ad palatum propelluntur, os pituitâ abundat.

Morbus hic in corpore, ex pituita debili, est periculosus, minaturque paralysin, apoplexiam, catarrhum, epilepsiam, vel alium gravem affectum.

Ideoque diligenti curatione est aggrediendus; quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, ac doloris, per contraria correctione, consistet.

Primo itaque purgetur talibus pilulis:

℞. Pil. cochiarum gr. xv. Scammonii gr. x. Cum syr. ros. q. s. F. pil. No. iv. Mane exhibendæ. Et utatur tali apozemate:

℞. Rad. fœniculi, petroselini an. ℥j. liquirit. ras. ʒiij. Herb. betonicæ, hyssopi, calamint. capill. ven. melissæ, majoranæ an. m. j. Flor. stæchados p. j. Sem. anisi, fœniculi an. ʒj. ß. Decoq. ex aq. comm. ad lib. j. Colaturæ: Adde syr. de hyssopo, oxymell. simpl. an. ℥j. Misce F. Apozema, de quo sumat bis in die ℥iij. pro dosi.

Biduo post primam purgationem iterum purgetur talibus pilulis:

℞. Pilular. de hiera simpl, alephangin. an. xv. Scammonii gr. viii. Misce F. pilulæ No. vi. mane exhibendæ.

Postridie in scapulis adhibeantur cucurbitæ sex cum scarificatione, & mediocris sanguinis quantitas educatur.

Et deinde reiteretur apozema prius præscriptum, addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j. & decoquendo ad lib. j. de quo sumat ℥iii. semel in die.

Postquam ita aliquoties purgata fuerit universaliter, ad particulares evacuationes erit veniendum; itaque tali utatur apoplegmatismo, longé à pastu:

℞. Uvar. pass. ʒiii. Hyssopi. sampsuchi an ʒß. Mastiches ʒij. Cum pauco melle & cera F globuli masticatorii.

Succo etiam rutæ, majoranæ, betæ, loco errhini, utatur: uti etiam hoc gargarismo.

℞. Herb. melissæ, betonicæ, salviæ an. m. ß. Sem. sinapi ʒij. ficus n. v. f. decoctio pro lib. j. Colaturæ adde mellis ros. oxymell. squill. an. ℥ij. M. F. Gargarismus, quo tepide utatur longe à pastu. Frons & tempora tali inungantur linimento:

℞. Unguenti alabastrini. ℥j. Ol. irini, rutacei an. ʒj. misce.

Si dolor perseveret, pilulis ante præscriptis subinde iterum purganda erit.

Interea, ubi ita corpus erit evacuatum, cerebrum etiam erit roborandum tali electuario:

℞. Conserv. flor. anthos ℥i. ß. Theriacæ ʒii. Rad. acori conditæ ʒiii. Spec. diamusci dulc. ℈iv. Cum syr. de betonica q. s. F. electuarium. De quo sumat castaneæ magnitudinem, Post singulos pastus.

Ad roborandum caput F. cucupha ex flor. stæchad. salviæ, majoranæ, lavendulæ, origani, absinthii an. M ß. nucis muscatæ, macis an. ʒi. cum panno serico & cotone q. s.

In victus ratione aër sit calid^s siccus, Cibus ex carnibus vervecinis, gallinaceis ovis sorbilibus. Assa

Assa hic elixis præferenda. Alimenta condiantur serpillo, majorana, hyssopo. Potus sit parcus, ex vino tenui. Motus sit mediocris: uti & somnus. Alvus debet esse lubrica; vomitus vitandus, Tristitia quoque vitanda. *Idem ibidem.*

Observationes.

Pro Capitis dolore.

Famulus quidam capite supra modum dolebat, cum nulla remedia juvarent, tandem ad collum, verbenam viridem aliquo modo tritam, ut ab adstantibus non cognosceretur, appendebam, idque nocte, dormiente & inscio, antequam malum invaderet, & astantibus mandabam, ne æger à somno solutus herbam collo suspensam dimoveret: qua hujus herbæ solius suspensione, miraculi instar, hic æger curatus est. Verbena à collo suspensa amoveri non debet, nisi exsiccata tandem per se cadat. *Petrus Forrestus, observ. 52. & Schol. lib. 9.*

Illustrissimus princeps *Janethinus Doria* Classis *Hispanicæ* præfectus afflictus est, in arce *Monspeliensi*, ubi bello captus detinebatur, febre hæmitritæo, quæ inter cætera Symptomata, capitis dolorem gravissimum inferebat, eumque continuum, & extra accessionem æque molestum, qui tamen post 4. phlebotomias in brachiis celebratas, eodem vigore perseverans, intra horam sublatus est sanguinis missione ex malleolo dextro, tam promptus effectus observatione dignus fuit; ut tyrones videant, quam bona fiat revulsio à capite per Saphenæ apertionem. *Lazar. Riverius, observ. 40. cent. 3.*

Mulier quædam Fontinianensis atrabilario temperamento donata, annorum 40. post abortum non ampliùs passa est purgationes menstruas, indè gravissimus capitis dolor per 4. menses eam afflixit, nihil conferentibus venæ sectionibus, hirudinibus fronti & temporibus admotis, aliisque remediis, vocatus ego præscribo apertionem arteriæ temporalis, quæ optimè celebrata fuit, neque sanguis saltu egrediebatur ob exilitatem arteriæ, & sanguinis crassitiem, sed guttatim: extractus fuit ad ℥v. ruber & floridus: tum vulnus occlusum fuit emplastro ex sola mastiche, cum Ligatura simplici; postquam alia ligatura, quæ in vulneribus capitis solet fieri, per 5. horas adhæsisset; liberata est à dolore capitis sine recidiva. *Laz. Riverius, observ. 56. cent. 2.*

Patronus quidam celeberrimus cum circa merid. sese soli nimium exposuisset, correptus est paroxismis febris tertianæ duplicis satis levibus, & circa vesperam recurrentibus; hoc tamen Symptoma in paroxismo urgebat, nempè capitis dolor intensus, qui tribus primis diebus cum febre cessabat, matutinis horis. Interim secta fuit vena bis, & purgans medicamentum semel exhibitum, quibus non obstantibus dolor capitis & æstus plurimum increvit, & continuus factus est post quartam accessionem, ut autem grave hoc Symptoma tolleretur, venam frontis aperiendam consului: ex eaque sanguinis ℥ vii. eductæ sunt, à qua venæ sectione dolor capitis statim valde remissus est, & sequens paroxismus multò levior rediit, cum exiguo capitis dolore, at postero die manè doloris omninò expers fuit. *Lazarus Riverius, observ. 21. cent. 2.*

Conferunt hic plurimùm pilulæ *Eustachii Rudii*, quæ in *Italia* olim magno in pretio habitæ sunt, dos. ℈j. *Lazarus Riverius, cap. 16. lib. 1. Prax. Medic.*

Cum essem *Lodovæ* invisi filiam Mercatoris 7. annos natam, quæ à duobus mensibus affligebatur gravissimo capitis dolore circa frontem & supercilia, qui singulis propemodum horis recurrebat, ita acutus, ut illa sibi cultro caput aperiri frequenter postularet. Jam verò à duobus diebus inciderat ter aut quater in paroxismos Epilepticos cum spuma in ore, à Medico ordinario, præscripta fuere multa remedia, præsertim purgationes per apozemata, cucurbitulæ, & vesicatorium cervici, sed omnia frustra.

Cum essemus de hoc casu consilium inituri, relatum nobis fuit, eam novo paroxismo fuisse è vivis ereptam, & post mortem puris aliquid per nares effluxisse. Indè conjiciendum fuit in cerebro abscessum latitare, sed eo aperto nihil inventum fuit, præter serosum humorem in cerebri substantiam & ventriculos effusum.

Hic casus mihi in memoriam revocavit historiam cujusdam virginis, quæ cum simili dolore per multos menses cruciata fuisset, & multa remedia frustra tentasset, à quodam Chirurgo totum caput deraso capillitio, vesicatorio contectum est, instar Cucuphæ, & vesiculis excitatis, magna serosi humoris copia effluxit, & ita liberata est, quod remedium huic etiam prodesse potuisset. *Lazarus Riverius, observ. 37. cent. 1.*

Vir quidam *Coloniensis* dolore capitis tam acerbo tamque immani laboraverat, ut domesticorum suorum per cubiculum gressus & passus (quantumvis exutis calceis, & substrata arena per pavimentum cubiculi incessissent) sufferre non potuerit, videbantur enim sibi, quotiescunque ingredientium in cubiculum gressus perciperet, cultelli cerebro infigi. Post multa frustra adhibita remedia, tandem ego in consilium adhibitus, ei setaceum suasi quod & applicui: hoc adeò fœliciter successit, ut indies manifestam doloris mitigationem persenserit. *Guil. Fabrit. Hildanus, observ. 7. cent. 4.*

Chirurgus quidam Ultrajectinus implacabili dolore particulæ capitis laborabat, à nullis remediis juvabatur: tandem jussi cauterium potentiale admoveri, curatus fuit citra aspectabilis mali aliquam effusionem, indicibili quadam qualitate vel aura sine dubio fatigatus is fuerat, in ea parte. *Johannes Heurnius, ad Aphor. Hipp. 39. Sect. 4.*

Ego per terebrationem in plerisque cephaleam curavi.

Cum vir quidam nobilis annum egisset in summa doloris capitis acerbitate, me tandem ad se vocavit, ut sibi opem ferrem, ibi cum diffuso per totum caput dolore, certò dignoscere non possem, in quonam loco stabularetur humor morbificus, ut conjectura id investigarem, deraso capillitio, toti capiti cataplasma curavi admovendum: hinc post aliquod tempus amotum Cataplasma, in una parte magis desiccatum apparuit, unde facilè deprehendi, in ea capitis parte latitare causam dolorificam, quam pars Cataplasmatis magis exsiccata contegerat, tum terebra caput perforari præcepi.

Sed postquam ad diploem usque, excisa scilicet superiore cranii lamina, perventum est, magna statim humoris, colore atque consistentia, mellei copia foras erupit, indeque dolor quievit, & per Dei Misericordiam sanatus homo, ad hunc usque diem aura & luce vitali fruitur. Erat autem abscessus ille intra utrumque os calvariæ consistens, vera μελικηρὶς, quæ à melle nomen habet. *Ludovicus Duretus in Annotat. ad cap.2.lib.1. Jac. Hollerii* de Morbis internis.

Nobilis juvencula Patavii ultra annum dolore capitis veluti perforante ac fixo mirè cruciabatur. Medicus, quod erat suspicatus aliquid membranis incumbere, bono eventu cranium terebra tentandum censuit, ipso enim aperto, puris fœtidi guttula vix æquans milii granum excidit, neque ex eo dolor unquam molestus fuit *Jo. Rhodus. observ.69.cent.1.*

Illustris quædam domina implacabilibus capitis doloribus tenebatur: suspicabantur humorem esse frigidum, rebellem, efferatum tamen, & jam in flatulentam naturam versum. Sectæ sunt venæ brachiorum, purgatum corpus, vesicæ suillæ admotæ lacte plenæ, nil proficitur; tandem interbastantur Sacculi semine lini pleni, vino & aqua incoquuntur, applicantur, dolores cessant, non longè post repetunt, eadem usurpantur: tandem cum nil proficeretur, sæpè adhibentur galli exenterati miraculo convalescit. *Guil. Ballonius. lib.1. Epidem. & Ephemer.*

Dolor Capitis à Naturâ devictus.

Cornelius Tector, vir pleni habitus, excarnificatus aliquandiu ab intolerabili capitis dolore; contorquebatur tandem tam vehementer à contractione nervorum, ut nihil proficiente arte medicâ, necesse fuerit implorare naturæ opem; quæ etiam tam sedulas tulit suppetias; ut pulso, per nares, plurimò pure, brevì liberaverit hominem, non tantùm à dolore, verùm etiam à pertinaci, horribilis convulsionis illius, causâ. Juxta illud Hippocratis: *Capite dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis, per nares, aut aures effluens, morbum solvit.* lib.6. Aphor.10.

Quod ipsum, benignæ naturæ auxilium, etiam aliis vidimus allatum: cùm per porriginem, tum per vermes, à naribus, excretos: Quos hic licet silentio præterierim, non possum tamen non meminisse salutaris illius porriginis, quæ affinem Casparis Barlæi, summi, nostri sæculi, cùm Oratoris, tum Poëtæ, liberavit officiosè, ab inveteratâ Cephalæâ expulsâ, per insensibilia cutis foramina, viscidâ pituitâ adhærescente, instar glutinis, capillorum radicibus & producente paulatim, veram porriginem, defædantem quidem caput; sed vindicantem interim ipsum à dolore alias invincibili.

Discant hinc Medici naturam imitari, & observare cum judicio; quantopere in capitis dolore ex usu sint, cùm sternutamenta in tempore mota; tum ulcera capiti maturè inusta: Natura quippe dux optima: nec facilè errat, ipsius qui insistit vestigiis. Illâ flante, prosperè navigat æger; & interdum, ipsa duce, incredibilia peragit medicus. Uti scitè Seneca. *Naturam sequentibus omnia facilia, & expedita sunt: contra illam viventibus, non alia vita est, quàm contra aquam navigantibus. Nicol. Tulp. observat. Medic. lib.1.*

Dolor Capitis sævissimus ex lue venerea sine gummate in septuagenario, repetita terebratione ejusdem, sæpius sedatus, & recurrens per longa intervalla, cum gravibus quandoque symptomatibus; tandem eodem præsidio omnino sanatus.

Læditur caput à multis affectionibus, potissimum verò à gummatibus gallicis, vel dolore intensissimo ipsius; ut propterea meminerim me vidisse sutorem septuagenarium laborasse dolore atrocissimò capitis ex lue venerea sine gummate, cujus causâ, habitâ consultatione multorum Medicorum, unanimes statuerunt, periculum faciendum fonticuli supra suturam coronalem; cujus ope, aliquò temporis spatio, liberatus à dolore, tribus aut quatuor post annis, in eundem incidit, cum stupore & mentis alienatione; quæ tamen symptomata solebant recurrere per intervalla, dolore in parte anteriore ipsius bregmatis, prope frontem potissimum, eum divexante. Quamobrem, secui primò cruciatim cutim, & inveni os totum corruptum; quò propterea terebratò, effluxit maxima copia puris, unde aliquot post dies fuit liberatus æger à prædictis symptomatibus, habuit tamen foramen patefactum multos menses, cùm os esset corruptum, nec proinde caro ex meditulliò posset succrescere, atque ipsum obstruere. Tandem anno post circiter; dolor sævissimus cæpit denuò ipsum divexare, cujus causa non longè à primâ perforatione aliam molitus sum, quâ os nonnihil moveri sensi, atque multâ denuò materiâ purulentâ expurgatâ, ab eo fuit liberatus. Post duos verò, aut tres menses, idem prolapsus est in somnum profundum, Lethargi instar, ad quem proinde vocatus, dum specillo ipsum os explorarem, atque vacillare perciperem, illud eduxi ad magnitudinem scutati argentei, omnino cariosum, & ita corruptum, velut si decem annos sub terra sepultum fuisset; sub ipso autem cranio membrana non apparuit, sed caro aliqua duriuscula, rubra, & lævis, ut de ipsius vita metuerem, nudatis multâ durâ matre, & cerebro; expergefactô tamen à somno illo profundo, sequenti nempe die, cum effluxu multæ materiæ purulentæ, apposui supra membranam illam tectam carnosa quadam substantia à natura producta, ad ipsius cerebri tutelam, pannum sericum rubrum, absque ullo medicamento, quòd omnino neque pus, neque alia materia supra illam carnem appareret, superiniecto postmodum cerato barbaro; quorum usu æger decem, & plures annos superstes fuit, hoc ordine servatô, fine ullo capitis dolore. *Petrus de Marchettis Observat. Medico Chirurgicat. Sylloge.*

Villico cuidam ex familia Martinorum, dolore immani capitis correpto ex lue venerea, exhibui decoctum quadraginta dies cum sudore, nullô tamen ab his remediis opportunis, & validis iuvamento; ut propterea consultatione habita cum præclariss. Joh. Dominico

Sala, unanimes decreverimus eundem terebrare, ubi gravior dolor, alterâ scilicet parte. Facta itaque terebratione, tribus, aut quatuor post diebus cœpit dolor mitescere, qui progressu viginti dierum fuit omnino sanatus, superstite adhuc nunc & incolumi ægro. *Idem ibidem.*

Hebræam etiam quandam laborantem Hemicrania sævissimâ terebravi, quæ convaluit, dum foramen patefactum fuit, quô, paucos post dies, omnino obstructô, in eundem delapsa est affectum; cujus causâ, multis licèt antea, & post quin etiam, à Præclariss. Joh. Domin. Sala remediis ex methodi lege adhibitis, nunquam tamen patiens convalescere potuit. *Idem ibidem.*

Cephalalgia à verme lato.

Fœmina quædam diu de capitis dolore conquesta, exhibitis aliquando granis decem pulveris gummi guttæ, vermem latum evomuit & meliùs habuit. *Paulus Spindlerus apud Carol. Kaigerum.*

Dolor Capitis.

Petronella de Kuiick, rustica sexagenaria, mense Februario conquerebatur se magnis capitis doloribus, nec non catarrhis ad oculos, dentes, humeros, aliasque partes defluentibus, totâ fere hyeme infestatam fuisse, atque in capitis summitate magnum frigus sentire, haud secus acsi synciput aquâ frigidâ perfusum foret. Præscriptâ priùs diætâ calidiore & cephalicâ, corpus pilulis cochiis & aureis expurgavi. Deinde lintea quadruplicata spiritu vini calefacto imbuta ac rursus leviter expressa, toti superiori capiti imponere, idque sequentibus diebus aliquoties reiterare jussi: hôc factô, diuturnus ille dolor, unà cum catarrhis intra paucos dies prorsus evanuit. Tunc ad præservationem jussi sequentem cucupham capiti impositam gestare.

℞. Herb. majoranæ p.ij. rosmarini, salviæ, florum meliloti, lavendulæ, ana p. j. Nucis moschatæ, gariophyllorum, ana scrup.ij. fiat pulvis pro cucupha.

In hujusmodi frigidis cerebri affectibus, præter generalia & interna medicamenta, sæpe topica convenientia multùm quoque prosunt, ita ut his solis, si in ipso capite primaria doloris causa consistat, curatio multoties peragatur. Quo in casu nos spiritu vini feliciter usi sumus, cujus fotum etiam summopere commendat Arculanus. Alij aliis utuntur. Platerus anethum, Forestus chamomillam, quocunque modo adhibeantur, dolores à causa frigida potenter sedare scribunt. Aëtius stercus caprinum tritum, & vesperi ac manè impositum; Item nasturtium torrefactum cum aceto rosaceo tritum & impositum, plurimùm ac citissimè prodesse tradit. Sunt qui frigidos ac superfluos humores hoc modo exsiccant.

℞. Sem. milii lib.j. salis communis lib.ß. fol. majoranæ, rosmarini, salviæ, flor. lavendulæ, meliloti, ana p.j. sem. anisi, fœniculi, anethi, cumini, ana drachm. ij. bacc. lauri drachm. iij. His in sartagine torrefactis, & post in sacculos conjectis, siccetur & confricetur calidissimè caput per sesqui-horam. Aëtius verbenam cum radicibus & serpillo oleo incoctam, omni capitis dolori ex frigidis & crassis humoribus mederi scribit, atque etiam prodesse tradit asellos seu millepedes sub aquariis vasis nascentes, si oleo incoquantur. P. Ægineta *lib. 3. cap. 5.* scribit mulierem quandam valde inclaruisse, quod sequenti remedio capitis dolores, vel cum, vel sine febre, mirabiliter sanaret: radicem cucumeris asinini viridem minutim concisam, & absinthium, in aqua & oleo, donec flaccescerent, coquebat, & hydroleo illo caput rigabat, ac radicem cum absinthio contusam imponebat. Quod medicamentum efficacissimum esse etiam testatur Avicenna, qui illud sequenti forma describit.

℞. Olei communis, aquæ communis, ana lib.j. fol. absinthii m.j.ß. Radic. cucumeris asinini unc.ij. bulliant simul. *Isbrand. de Diemerbr. in observat. & Curation. Medic.*

Dolor immanis sub osse sterno.

Vice-Capitaneus Mour, vir florentis ætatis, mense Januario subitò incidit in acerrimum quendam dolorem, qui rectâ lineâ ab asperæ arteriæ summitate usque ad superius ventriculi orificium, secundùm ossis sterni longitudinem, se extendebat, hominemque tam atrociter excruciabat, ut se hinc illinc commovere nullo modo posset, atque hinc immanissimi doloris impatiens ab astantibus obnixè peteret ut pugione vel gladio ipsi vitam finirent. Non tussiebat neque difficulter spirabat æger, pulmones cum aspera arteria planè liberi erant, etiam œsophagus in deglutiendo non dolebat: ad hæc foris nec visu malum percipiebatur. Sub ipso osse sterno, ea parte qua mediastinum ipsi annectitur, vel in membranula ipsi interiùs annexa, doloris causa latebat, quæ hoc modo inducta fuerat. Vespera præcedente æger in convivio quodam vinum Gallicum generosum ac fortè liberaliùs ingurgitaverat, eoque ante luculentissimum ignem se valde calefecerat. Cùm verò tandem media nocte sudans foras exiret ac domum properaret, subitò in via maximo frigore (nam asperrimum tunc temporis erat gelu) correptus est, hinc protinus occlusis poris vapores calidi & acres condens.ti & congelati interiori ossis sterni membranæ adhæserunt, atque hinc pars illa cum acri dolore quasi obriguit, qui dolor motu thoracis exacerbabatur. Ut huic intolerabili malo citissimè occurrerem, statim alvô enemate subductâ, hoc sudoriferum calidè exhibui.

℞. Theriacæ scrup.iv. extracti cardui bened. Angelicæ, ana scrup.j. croci Britannici gr. vi. Aquæ theriacalis nostræ unc.ij. olei anisi gut.iv. Misce, fiat haustus.

Hinc optimè quidem sudavit, sed dolor in eodem statu permansit. Post sudorem ceratum sequens loco dolenti applicavi.

℞. Pulv. castorei, gariophyllorum, benzoini, croci, ana scrup. j. gummi galbani vino dissoluti unc.ß. emplastri de meliloto, oxycrocei, ana drach.iij. Misceantur & fiat s. art. ceratum, quod extendatur in corio longitudinis partis affectæ, & latitudinis quatuor digitorum, & inungatur oleo nucis moschatæ distillato.

Cùm hoc ceratum per sex septemve horas parti adhæsisset, plurimùm cessare cœpit dolor, multoque tolerabilior evasit, ita ut æger se me-

liùs movere posset. Sequenti die medicamento purgante assumpto quinquies alvum deposuit. Prædicto autem cerato adhuc per triduum inhærente, dolor totus evanuit, & æger rursus bene sanus foras prodiit. Postea verò, mense Februario, cùm vinô hispanicô largiùs haustô rursus nimiùm incaluisset, idem malum eodem planè modo rediit, atque tunc eodem illo & solo cerato rursus intra triduum curatum fuit. *Idem ibidem.*

Dolor Capitis.

Petrus Joannis, famulus cerevisiarius, homo robustus, mense Januario, cùm accerrimè gelaret, crudelissimo capitis dolore correptus fuit (reliquo corpore se bene habente) ob cujus immensitatem aliquot dies noctesque continuas insomnis traduxerat, unde non tantùm appetitus languescebat: verùm etiam delirium jam aliudve gravius malum immimebat. Attamen æger adeò pertinax erat (ut plerumque solent hujusmodi rudes homines) ut ad mali sanationem nihil medicamentorum assumere vellet: tandem verò meis & amicorum bonis verbis eò inductus fuit, ut topica admitteret. Proinde, cùm præsenti egeret levamine, sequens fomentum præscripsi, quo caput calide foveri, & lintea quadruplicata ei intincta toti capiti calidè circumponi, ac refrigerata rursus eidem fomento calefacto intingi, idque tota nocte (nam circa vesperam vocabar) continuare jussi.

♃. Rosmarini, verbenæ, betonicæ, thymi, ana m. j. majoranæ, m. j. ſ. salviæ, m. ſ. florum chamomillæ, meliloti, an m. j. anethi, stœchados, an m. ſ. sem. cumini, anethi baccarum lauri, ana unc. ſ. vini albi q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. iij. adde colaturæ spiritus vini unc. iv. misce, pro fomento.

Sequenti die dolor longè mitior fuit, cùmque adhuc omnia alia medicamenta repudiaret æger, in ejusdem fomenti usu continuatum fuit biduum, quo intervallo somnus rediit, & dolor ferè totus evanuit, exceptô quòd in fronte supra nasum adhuc aliquantùm remaneret, cum narium etiam obstructione. Hoc cùm fieret à tenaci quadam pituita, sicut totus morbus à frigido ac crudo humore in cerebro propter externum frigus coacervato, atque ibidem obstructo inductus fuerat ossi ethmoïdes firmiter impacta, errhinum ex succo radicis betæ præscripsi, de quo cùm bis terve aliquantùm cum penna utrinque pertusa in nares attraxisset, magnam tenacis pituitæ copiam per palatum & nares excrevit. atque ita ab intolerabili hoc malo prorsus liberatus fuit *Idem ibidem.*

Vir annos natus quadraginta & duos dolore capitis vexabatur acerbissimo, & quidem tantum circa tempus unius lateris, ubi fixus permanebat, quem si quis hac de causa clavi nomine insignire vellet, per me liceret.

Causam hujus doloris esse judicavi humorem acido corrosivum ibidem satis profunde delitescentem & stagnantem propter obstructionem valde pertinacem.

Aderat medicinæ studiosus, qui sibi persuadebat hujus affectus curam optimè perfici posse sudoriferis, quod ego tamen propter pertinaciam obstructionis in hoc morbo æque impossibile censebam, quam in panaritio, quod tamen nunquam audivi per sudorifera fuisse sanatum, quamvis itidem ortum suum debeat humori acido corrosivo, nam valde parva sudoriferi pars est, quæ ad partem dolentem pervenit.

Ego igitur parti affectæ potius imposui pulverem Cantharidum cum propria saliva efformatum in vesicatorium circa vesperam, & per noctem reliqui.

Clarissimus Sylvius Cantharidibus addit acetum, putans exinde oriri fermentationem quandam, & sic vesicatorium melius operari, imo doctissimus Willisius plerisque vesicatoriorum formulis etiam adjungit acida, quod & ego sæpius secutus sum, sed toties, etiam post integrum totius diei intervallum, nullam vesiculam à Cantharidibus excitatam fuisse observavi, quoties illas miscueram cum aceto, hac scilicet de causa, quod ab aceto sal volatile Cantharidum enervetur, in quo tamen præcipua earundem virtus consistit.

Sequenti die adveniens vesicam ingentem à Cantharidibus productam conspexi, &, ex ægro dolorem prorsus abiisse, intellexi.

Dolorem autem illum ob vesicam, & propter aquam ex eadem aperta promanantem, sublatum fuisse, minime mihi persuadeo, nam aqua profluens nec acris gustabatur, nec talis esse poterat, quandoquidem alias ante vesicæ apertionem subjectæ cuti aliquem intulisset dolorem, quod tamen non fecit, licet cutis epidermide hoc modo sublatâ, satis sensilis sit ut patet ex eo, quod ab aëre ambiente non raro lædatur & dolorem sentiat.

Sed quidnam ergo fuit, quod dolorem illum sustulit? sal volatile Cantharidum, quod à vaporibus ex cute egredientibus in motum satis celerem concitatum, pervenit usque ad humorem acidocorrosivum, eumque temperavit & incidit, ac obstructionem sustulit.

Verum unde tunc vesica suam traxit originem dicam; interea temporis, dum particulæ Cantharidum volatiliores satis alte penetrabant ad humorem peccantem corrigendum, aliæ crassiores & acriores circa cutim subsistebant, in qua fibrillas quasdam diffringebant, quæ in cincinnos resilientes tubulos ita obstruebant, ut humores, in circulatione aliqua ex parte impediti, colligerentur in superficie cutis ac cuticulam elevarent in formam vesicæ, quod facile contingere potuit, quia fibrillæ quæ cutim cum cuticula jungebant, jam disruptæ erant à particulis crassioribus & acrioribus Cantharidum citatis.

Atqui aliquis dicet hic fortasse, quod aqua illa ibidem congregari non debuisset, sed potius foras egredi per poros cuticulæ, per quos sudorem tam sæpe promanare videmus, cui respondeo, particulas crassissimas Cantharidum mansisse & hæsisse circa cuticulam, ejusque poros valde constrinxisse, quod nemini mirum videbitur, qui vel semel in vita vidit, quam facile ignis calore membranæ possint corrugari, & quod ignis communis, qui membranas ita corrugat, etiam aliquando excitet vesiculas, prorsus similes illis, qui à Cantharibus producuntur; quia autem pori cuticulæ ita con-

constricti sunt, ideo vapores alias libere exhalantes accumulantur, augentque copiam humoris in vesica contenti.

Siquis tandem, ratiocinio nostro nondum plane convictus, credat tam diu Cantharides ob vesiculas excitatas juvare, donec probati alicujus scriptoris auctoritate flectatur, illum adire jubeo Lazarum Riverium, qui centuria 3. Observ. 14. refert, quod vesicatorium dolorem à punctura apis relictum intra quadrantem horæ abegerit omnino, vesicis non excitatis ob moram exiguam.

Franciscus Redi in tractatu de insectis affirmat, se vidisse humorem albicantem & absque dubio acido-corrosivum, ex aculeis scorpionum profluentem, & talem humorem in puncturis apum ex earum aculeis itidem promanare valde verosimile videtur, qui doloris causa existat, unde jam manifestum redditur, quod dolor, de quo Riverius loquitur, evanuit, quia humor acidus, qui ex apis aculeo profluxerat & dolorem excitabat, temperabatur à sale volatili Cantharidum.

Apum autem aculeos cavos esse nemo mirabitur, qui unquam vidit tubulos vitreos arte confectos, quibus utuntur ad sanguinem, aliosque liquores per microscopium examinandos & conspiciendos, quandoquidem illi, licet pilo tenuiores sint, cavitate tamen aliqua donantur. *Joh. Muys in Prax. Chirurg. ration.*

Cephalalgia rara.

In naturalibus oppidò raram, qualem nec ulla Autorum lectio, nec ægrotorum antea mihi obtulit querela, observavi cephalalgiam, quam non inconvenienter salutavero *Hemicraniam* ἀνεμότροπον. Civis quidam Othiniensis honestioris sortis, ante paucos dies consilium meum petiit & auxilium, querulus de capitis dolore atrocissimo, per vices recrudescente sæpius, hyemali tempore, quoties bruma venit, canisque albent juga summa capillis; imò & quovis anni tempore, verùm nonnisi spirantibus gelidis Trionibus, quoties.

Riphæis implet Boreas Aquilonibus orbem.

Quoties & quamdiu ventus flat à Septentrionali mundi plagâ, toties & tamdiu torquet ipsum immanis Hermicrania. Fronti potissimùm & superciliorum infesta regioni, quæ mox una corripit superiorem utriusque Auriculæ Helicen. Trago auricularum & Lobo triumphantibus, tectis lateribus. Ego puto lympham acido-salsam (quam prodit dolor lancinans & rodens) à Bilis miscela non planè liberam, musculum frontis expugnare; expugnatum per sibi vicinum musculum utrumque temporalem, utriusque auris musculo superiori, sive secundo & proprio, temporalibus incumbenti, suum commodare virus, quâ datâ portâ ruit. Hunc autem hostem solitò atrociùs sævire existimo, laudatô spirante ventô, quatenus ab hoc ipso concitatus aër, & aliis atque aliis impraegnatus effluviis, poros cutis, dictos tegentis musculos, ita obstruit, ut μιάσματα hæc, per insensibilem cætera se subducentia transpirationem, ne vel minimam elabendi invenire possint rimam. *M. Georgii Hannæi in Miscell. Curios.*

Dolor capitis periodicus & varius.

Novi virum quendam è præcipuis civitatis nostræ, annorum 53. qui ante plures annos patiebatur dolorem capitis periodicum gravissimum, singulis diebus recurrentem, & per tres horas durantem, instar febris reciprocantis semper postponentem: qui tandem post quintum paroxysmum brevissimum desiit; nihil, neque purgante medicamentô, neque venæsectione proficientibus. Symptoma hoc post aliquot annos revertebatur, sed tantùm tertiâ die, verùm longiore paroxysmô, eâdemque horâ, scilicet septimâ matutinâ, sævitiam suam exerebat, sexque mensium ferè spatio, frustrà tam internis, quàm externis medicamentis adhibitis, durabat. Tertiâ denique vice, idem malum postliminio, quatuor annorum circulô exactô, quolibet octiduo, sed anticipando, recurrebat; atque tum per Dei gratiam, præmissâ purgatione vernali, ac venæsectione institutâ, fonticulôque in sinistro cubito adhibitô, planè cessavit, & hucusque, post aliquot annorum decursum, nondum rediit. De capitis dolore in Autumno sæpe recurrente, vid. *Forestum lib. 6. Observ. & Curat. Medic. cent. 3. cap. 3. & 4. Tulpium lib. 1. cap. 13. D. Simon. Schultzii in Miscell. Curios.*

Hemicrania periodica quotidiana statis horis invadens & desinens.

Hemicraniam periodicam nuperrimis diebus in Viro Illustrissimo observavi plane singularem: Recurrit ea quotidie certâ horâ: septimâ nempe matutinâ, paulatim increscendo & decrescendo ad horam duodecimam, tum nullô prorsus sensu ejus relictô: occupat verò tantùm externam frontis partem supra oculi dextri orbitam. Venæsectio juvit, & compressio illius partis. Causa hujus periculi esset divinanda; forsan vel sanguis, vel lympha, per circulationem eâ horâ recurrens ad locum hunc, quocunque vitio debilem, vellicat acrimoniâ suâ pericranium. *Thom. Bartholini in Act. Hafniens.*

Dolor Superciliaris acerbissimus periodicus.

Sæpius oblatus est mihi ejusmodi dolor, supra alterutrius supercilij convexitatem (ubi communiter nervi tertij paris ramulus præter propter dispergi ostenditur) intensissimus, ut plurimùm a septimâ matutinâ ad duodecimam, vel à nona ad secundam pomeridianam, interdum cum aliquali phlegmonodi & molliculo tumore, (seu circa Arthriticorum articulos observamus) extensus. Et sanè omnes ita afflicti, aut fuere, aut brevi post, facti sunt Arthritici. Verumtamen nec spiritus volatiles urinosi, (ex Ammoniaco, Calce viva, Fuligine, Tartaro &c.) Essentia camphoræ (similibus, aut spiritibus nervinis) diluta, &c. nec ab altera parte Emplastrum de ranis cum Mercurio, lamellæ plumbeæ, amalgama plumbi cum Mercurio, albumen cum alumine, &c. nec frontalis venæsectio huc quicquam contulêre. Senex quidam medicus doloris acerbitate victus, tandem non solùm arteriotomiam in vicino ramulo bis, & (quod forsan notabile) primâ quidem vice, sanguine pacatissimè, secunda verò, (ob quandam quasi

mucilaginositatem) ægerrimè exeunte; verùm etiam sectionem supra ipsum locum affectum, (secundùm requisitum fibrarum ductum) haut superficialiter instituit: at in cassum, rediereque sæpius dolores, donec senio confectus vitæ pausam faceret. His proin dimissis, præsens semper circa eos, qui prædictis illiciis naturam (æquè ac Arthritici nostri primitùs solent) non seduxerant, juvamentum percepi, è vesicatorio retrò aurem; ita tamen ut materia per dies aliquot in fluore servaretur, applicato (ni fallimur) Fioravantæ emplastrô resolutivô ad tophos (& cantharidum particula, &c.) vel quod facilius ejus locô conficit, ex emplastro de spermate ranarum, cum parte quarta vel quinta emplastri vesicatorij simplicissimi permixto. *Danielis Ludovici in Miscell. Curios.*

Cephalalgia à vermibus capitis.

Puella quædam in districtu Olomacensi, cùm longo tempore diris capitis doloribus vexaretur, qui ad aurem dextram, maxillam totam, & dentes ejusdem lateris sese extenderent, ac insomnis per plures dies & noctes ad insaniam usque maneret, faciem totam inunxit oleo chamomillæ, & aliquot guttas ejusdem olei in aurem immisit, quâ inunctione dolor aliquô modôfuit consopitus, ut somnum utcunque caperet. Manè dum os aquâ frigidâ elueret, superveniente sternutatione, per nares vermem in pelvim rejecit, bombyci non absimilem, multipedem, dimidii digiti longum, moxque ab omni dolore liberata est. Vixit vermis aliquot horis, à pluribus visus & consideratus. *Joh. Ferdinandi Hertodt.*

Hemicrania Arteriotomia spontanea curata.

Temperaturæ calidioris, ac rarioris corporis habitus, annorum septemdecim mulierculæ, Hemicrania circa menstruorum tempus biliosa affectæ, & per eorundem effluvium curatæ, secundo gestationis uteri mense recurrente Hemicrania, in crotaphita lateris dextri, crustula super arteria exorta, Arteria sponte adaperta est, & sanguinis primo tenuioris subflavi uncias quinque, dein totidem circiter atri evomuit: coaluit arteria & patiens convaluit. Ex quibus non tantum Hippocratis variis in locis Naturam morborum medicatricem esse docentis, sententia, quam 2. de morb. de superevomitu venarum tulit; sed & *Galeni Lib. de cur. per sangu. miss. Andreæ Laurentii, Paræi, Vesalii* & aliorum, qui in hemicraniis contumacioribus arteriotomiam, ratione non minus quàm experientia edocti consulunt, doctrina confirmatur. *Nic. Gul. Beckers.*

Cephalalgia spontanea venæ sublingualis apertione sanata.

Matronam novi affinitate mihi junctam, quæ Cephalalgia urgente aliquoties venarum sublingualium sectione quæsivit lenimen: Hæc aliquando sub furente Sirio faciens iter, dolore capitis ob æstum correpta est recidivo, Domum reversa sub cibi masticatione sublingualem sensit apertam, quæ more fluens, feliciter mitigavit dolorem. *Sigismundus Grassius.*

Magnus Hirudinum usus in Cephalalgia.

Hirudinum usum, hisce in oris minimè frequentem, adeò salutarem reperi, ut sævissimas quasque cephalalgias non alio remedio promptius curaverim. Ex multis, quas novi, historiis unam deligam, eamque accuratius observatam. Anicula integro ferè mense dies noctesque gravissima conflictabatur cephalalgia: dumq; omnia adhiberentur remedia, adeò & spe & successu sum frustratus, ut tandem ad infrequentem, sed perspectum mihi hirudinum usum, confugere necesse habuerim: quibus ipsis tantum ægræ solatii, mihique voluptatis accessit, ut semel iterumque indomitam cæteroquin cephalalgiam sanguisugarum applicatione sanaverim: & in remedii quidem usu hoc se expertam jactabat anicula, quod quamdiu sanguis traheretur ab hirudinibus floridus, nullam senserit morbi remissionem, sed cum continuato tractu sanguinem emungerent nigricantem viscosum, à doloribus, ceu fascino quodam, liberata fuerit. Quid ergo hic decernendum? Anne hærebat in sinubus cerebri sanguis crassus & lentus, qui intus concepto fervore orgasmum, & tandem distensione membranarum contumacissimum dolorem intulit? sed nolo me immiscere causis exaggerandis, quas vestræ crisi reservasse satius est.

Eundem illum hirudinum usum mihi quoque confirmavit Illustris Heros: Dn. Johan. *von der Wick*, Serenissimi Principis nostri generalis militiæ Præfectus, qui cùm aliquando Holmiæ Suecorum dies noctesque sævissima excruciaretur cephalalgia, adeò ut, quæ vis esse dolorum solet, mentis quoque alienationem pateretur, frustrà adnitentibus archiatris, ut Regi suo fidissimum ministrum præsenti periculo eriperent. Tandem verò inter dolorum concertationes ipsi, de salute sua sollicito, incidit remedium, nimirum compertus ille hirudinum usus: itaque ultro applicationem illarum ad arterias temporales vehementius efflagitat, nec mora, applicatis illis, sanguinemque trahentibus melancholicum, dolor omnis est consopitus & suavissimi somni successu tot dierum vigiliæ pensatæ. Sed novo quodam exemplo idem ille heros hirudinum singularem effectum in contumacissimo linguæ tumore est expertus: induruerat lingua ad partem sui dimidiam, idque ex bilis atræ defluxione, ita ut aridi instar ligni immobilis in ore hæreret, vixque ulli usui sufficeret. Huic malo profligando tribus insudatum septimanis, venæsectio cùm in brachio tùm sub lingua incassum instituta; itaque præstantissima remedia infeliciter usurpata; verum solis hirudinibus, quas Medici dissuaserant, linguæ admotis humor ille crassus viscosusque fuit eductus, & æger opportunè liberatus. *Joëlis Langelotii.*

Usus Fonticulorum in Capite, ubi sutura coronalis cum sagittali committur, in Cephalæa inveterata.

Autores quando loca, in quibus Fonticuli parari solent, determinan, primo loco capitis faciunt mentionem, in quo in ea regione, ubi suturæ

suturæ coronalis & sagittalis concurrunt fonticulos inuri jubent, eosque in multis magnis & chronicis morbis plurimum commodi præstitisse sæpissimé observarunt. In Holsatia verò nostra, licet alias in brachiis, femoribus & tibiis frequenter fonticuli excaventur, isti tamen, qui in capite sunt, in usu non sunt, imò ægri ab iis adeò abhorrent, ut difficillimè ad ulcuscula talia paranda se adduci patiantur: cùm tamen in plurimis morbis & Symptomatibus auxilium nobis ab iis polliceri possemus. Præsertim in Cephalæa inveterata Scorbutica certum levamen eos afferre, in illustri virgine observavi. Quæ cum per multos annos cum vehementissimis capitis doloribus conflictata esset, qui de die quidem tolerari quodammodò poterant, de nocte verò ita ingravescebant, ut omnia tàm interna quàm externa remedia eluderent, & ægra iis non ampliùs esset perferendis; multis tandem rationibus ei, acerrimè aliàs reluctanti persuasi, ut in fonticulum in capite excitandum consentiret. Loco itaque, ubi Suturarum Coronalis & Sagittalis est concursus, abrasis capillis, prævia masticatione & digiti longissimi, carpo ad nasi radicem posito, extensione, investigato, cauterium potentiale admotum est; cujus virtus adeò altè penetrarat, ut cum eschara excideret, ablato pericranio nudum os appareret: ad eam enim profunditatem, ad quam Antiquos quoque ussisse legimus, fonticulos descendere necesse est, siquidem affluentes humores evacuare ritè debent, & doloris (quem alias pericranium remanens, dum globulus vel pisum semper ad id alliditur, excitat) expertes esse. Vix 4. septimanas fonticulus fluxerat cum dolores jam inciperent mitigari, qui progressu temporis ita evanescebant ut Nobiliss. ægra bene haberet, & per quatuor annos superviveret; quibus exactis cachexia scorbutica correpta obiit, de capite vel ad ultimum usque vitæ articulum nunquam conquesta. *Cæson. Grammii.*

Acerrimi dolores Capitis euporisto sanati.

Vixit non ita pridem apud nos Vir Illustris, sed vixit is Cephalalgiæ doloribus obnoxius, ut jam diu mortem sibi vita optabiliorem æstimaret. Incipiebant dolores ab utrisque temporibus, & paulatim altius in cerebrum evecti utrinque tanquam malleo fabrili latera tundebant; Et quidem visum tolerabile malum quamdiu in imaginarii mallei seorsum tragœdias suas exercebant, sed quando miscebantur ictus, ita ut in unam simul in medio cerebro incudem ferociter incumberent, præ cruciatu non amplius apud se erat, sed deliro similis cubicula oberrabat, imò aliquando animi tentabatur deliquiis. Suaserant Medici ut, tentatis incassum variis, arteriam temporalem pateretur sibi incidi, solenne aliàs in hoc casu remedium, ad quod nescio quo metu inductus descendere recusabat. Tandem cùm constaret dolores illos proficisci à nimio sanguinis arteriarum temporalium fervore & impetu, ex consilio cujusdam in medio dolorum cursu strophiolo aqua frigida madido collum circumdedit, & cum à nativo calore incalesceret linteum, novo permutavit. Unde dolor quasi excantatus furere eo tempore desiit, & quoties redibat (id quod singulis ferè mensibus solenne) eodem stratagemate elusus est, admirante ægro tam efficax remedium è puteo suo levi opera hauriri. Medicis autem ea medicandi ratio suspectior, non quod nesciant contraria curari contrariis, aut, ut prudenter Hippocrates, subcontraria subcontrariis, sed quia tum vident symptoma tantùm hoc modo tolli, non primam mali caussam, tum quia ab illo remedio sæpius usurpato vel paralysin timent, vel apoplexiam, clausis subito frigore nervosis partibus. Aliquando tamen, non inficior, usus vincit rationem, & nihil eo periculo, in quo æger versatur, periculosius est. Parisiis nihil in hoc malo frequentius sectione arteriæ temporalis; atque notavi in Nosocomio (*l'Hôtel Dieu*) quoties Chirurgus ob profunditatem arteriæ nonnihil tricari necesse habebat, ut scalpellum justè adigeret, nonnunquam cum Alexandro violentiùs usum fuisse oraculo, hoc est, arteriam ipsam transverso ictu resecuisse, unde resedit quidem dolor, & divisæ arteriæ partes faciliùs coierunt quàm post incisionem punctim inflictam; metus tamen est ne partes capitis ab illo arteriæ funiculo, qui avulsus, nutriendæ, fovendæque, eclipsin aliquam inposterum patiantur. Quod *Forestus* refert à suspensa è collo verbena sedari dolores capitis, id licet sæpe experiri placuerit, tum in planta viridi, tum sicca, nunquam tamen evidenter successisse animadverti. *Olaus Borrichius.*

Singularis Hemicraniæ solutio.

Fœmina querebatur de Hemicrania dextri lateris frontem potissimùm infestante, adeo ut oculos aperire vix valeret. Administrata V. S^ne adhibentur itidem Pilulæ cephalicæ à Domino Licentiato *Julio Georgio Behrens*, Archiatro Guelferbytensi, qui mihi hunc casum communicavit, ordinatæ, sed nullo cum levamine. Aiebat enim ægra vertigine se corripi ad quemvis motum capitis, & quocunque inclinaret caput, eò impendere vesicam aqua plenam, idque constanter asseverabat. Jubentur itaque ad aures applicari vesicatoria, item formari turundæ, eæque immergi in Spiritum salis armoniaci volatilem, Spiritusque per nares in cerebrum attrahi. Non diu his remediis usa, cum noctu stillicidium ipsi narium accideret, non sanguinis, sed aquæ ad tactum frigidissimæ, in tanta copia ut ferè mensuram Guelferbytensem, (*ein Quartier*) repleverit, & ex eo tempore omnes dolores capitis cessavere, sanaque fui. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

Succini efficacia in dolore Capitis.

Præterire hoc loco non possum insignem vim succini in catarrhis & doloribus capitis. Internum usum in similibus affectibus nemo ignorat, quia calida attrahendi vi humores exsiccat. Externè verò eundem eventum præstare, non ita est frequens. *Mizaldus* tamen scribit, cervici alligatum frustum, oculorum lacrymas, fluxus, & ophthalmias miraculi instar sanare. Alia experimenta hujus afferam. Mulier quædam Christiano Hafniensis perpetuo molestoque dolore capitis querula, postquam globulos ex succino collo gestasset, sine dolore vixit. Quocirca semper ferè corollam hanc collo suspensam gestat, quam tamen nonnunquam deponere co-

cogitur, quia nimium trahere observat humores in corpore. Id quod etiam suo exemplo confirmat Consul urbis laudatæ Vir Amplissimus Casparus Schöllerus, succini æstimator insignis, quo succino magnam experientiam habet. *Th. Bartholinus in Actis Danicis.*

Mulieri post diuturnum Capitis dolorem, tandem excitato in Gena dextra tumore & perrupto prodit ossiculum.

Mirabilis est relatio D. *Frider. Lachmund*, *Physici Hildesiensis*, de fœmina quinquagenaria, anno 1666. Sarltedæ in Saxonia Infer. quæ de dolore capitis conquesta tandem tumorem in gena dextra passa est, qui tumor 1667. apertus primum sanguinem & pus fudit, post materiam duram, lapideam, cineream, tuberculosam, quæ aperta exhibuit cerasi ossiculum cortice lapideo & tuberculo obductum. Mirumque quomodo eo à Natura protrusum fuerit cerasi ossiculum.

Cephalalgia Sole Oriente se prodens, Inclinante declinans, In virgine, Cucurbitulis admotis sedata, in Viro, hirudinibus.

Ex astris solem præcipuè & lunam conspirare cum corpore nostro cumque humorum fluxu, vetus est vera sententia. Sed eundem illum consensum propter irregulares athmosphæræ motus & tempestatum mutationes sæpissimè variari, unumque præ alio magis affici, id sanè oppidò manifestum, referreque nunc libet, quid circa hunc solis sive effectum sive consensum in duobus præcipuè ægris observare licuerit, Nobili nempe virgine Galla, & archimagiro Sereniss. Principis nostri, Utrique sole oriente intra ipsum ferè temporis momentum dolor capitis succedebat, & cum solis ad meridianum adscensu augebatur, donec in summo cœli vertice consistens doloris quoque ea esset acerbitas, illa exaltatio, ut archimagirus ferè ad desperationem adigeretur. Sed sole à meridiano sensim declinante doloris remissio fiebat, nec tamen antè cessabat quàm Sol horizonte elapsus in noctem vergeret. Duravit hic affectus per dies aliquot, donec ventosæ cum profunda scarificatione universalibus præmissis virgini applicatæ levamentum doloris præstarent. In archimagiro obstinatior fuit affectus, solæque sanguisugæ ab immani isto dolore hominem liberarunt. *Joëlis Langelotti.*

Cephalalgia stata affligens hora, Pediluvio sanata.

Annus est, & quod excurrit, cum vidua quædam conquereretur de Cephalalgia, singulis auroris circa quartam matutinam tanta cum atrocitate incedente ut suturæ capitis, facto etiam à me attactu, quasi hiarent; universalibus, anodynis, & illusis omnibus; Hinc maturo consilio suasi pediluvium, unde factum est ut aura frigidissima cum totius horrore à capite ad pedes descenderet, ægraque bis vel ter eidem administrando plane convalesceret. *D. Ehrenf. Hagendorn.*

Ad Hemicraniam Topicum remedium.

In Franconia Hemicraniam, congeneresque topicos capitis dolores, vulgus passim, sed in causa frigida, sine haud infrequenti successu, tollere satagit imposita parti dolenti patina stannea, aquæ quid continente, istique plumbi liquefacti particulam, ut patiens calorem eminenter fere sentiat infundendo. *Daniel. Ludovici.*

Foliorum Palmæ Christi vis in uredine capitis.

Folia Palmæ Christi applicata capiti multum allevant uredinem capitis, prout in me ipso expertus sum, Estque unicum remedium Indis & Nigris. *Doctor Stubles in Actis Philosoph. Anglic. mens. Junii 1668.*

Os Frontis Virginis adultæ mobile, cum insigni Capitis dolore.

Virgo prænobilis & generosa, annorum xxvj. conquerebatur quod maximis & continuis capitis doloribus à teneris unguiculis infestaretur, causam esse dicens quod Cranium nondum esset concretum. Ego inquirebam an forte ossea facta fontanella nondum esset? illa respondebat quod non, sed in risu vel tristitia & fletu, aut forti loquela, fere pollicis latitudine Cranium dehisceret. Ego rei certitudinem percipiendi cupidus, caput tangens inveni os frontis esse mobile, & à sincipite se divelli pateretur, ita ut digitis quasi cerebrum posset attingi. *Friderici Lachmund.*

Cephalæa à setaceo applicito cessans, eodemque remoto recurrens, idque aliquoties.

Filia cujusdam mercatoris Amstelodamensis octodecim circiter annos nata temperamenti sanguinei; diu laboraverat capitis dolore, assiduo & intolerabili. Varia à me & magistro Petro Adriani filio ad arcendum malum illud incassum adhibita sunt remedia, ut sunt purgantia cephalica, alterantia, venæsectiones, tam in pede, quàm aliis partibus, vesicatoria, sternutatoria, cucurbitulæ, &c. Tandem quoque à nobis propositam admisit crucialem incisionem in bregmate, quam notabilis sequebatur hæmorrhagia, sine ulla tamen euphoria. Consultationes diversas instituimus cum celeberrimo Practico Matthæo Slado. Tandem nullis remediis proficientibus animus nobis erat cranium terebra perforare, antequam vero hæc extrema institueretur operatio, Setaceum in nucha proposui, cui remedio dicti Viri Celeberrimi calculum apposuere, Remedio hoc celebrato, statim evanuere dolores, & quod notatu dignum est, post aliquod tempus ægra hujus remedii pertæsa, extraxit setaceum; quo facto illico recruduit malum, ita ut coacta fuerit ad novi setacei usum confugere; quo instituto exemplo rursus cessarunt dolores ægram vexantes: tum igitur prudentior facta gestavit hoc setaceum renovatum, donec sua sponte natura illud expelleret. Quid fit? tertia vice setaceo abdicato, recidivam patiebatur, & coacti denuò eandem encheiresin iterari jussimus, quâ sic repetitâ iterum libera-

ta fuit ab hoc malo, & posthac pancraticè vivere cœpit, quemadmodum in hunc usque diem incolumis degit. *Frideric. Ruisch. observ. Anatomic, Chirurgic. Centur.*

Dolor, inter caput, ac pedem, reciprocus.

Vapores à pede, ad cerebrum adscendere, ibidemque morbum comitialem producere, novum non est. Sed eundem dolorem, à pede, in caput, & à capite, identidem in pedem reciproco cursû, revolvi: id certè, nonnisi paucissimis observatum.

Uxorem fabri lignarij, excruciavit aliquandiù acerbissimus dolor: proserpens, cùm manifesto caloris sensû, modò à pede, in caput; modò verò, à capite, in pedis pollicem: in quem ubi descendisset, jussimus illicò, cucurbitulam illic imponi: ad eliciendum volaticum illum spiritum: qui tam pernici cursû, permeaverat quotidiè corpus universum: eoque extracto, vidimus ilicò cessare reciproquos illos circuitus: & ægram multò convenientiùs liberatam, quàm rusticos illos quos Gal. *lib. 3. de loc. aff. cap. 7.* testatur evasisse mortem: amputato illo, quem vipera momorderat, digito. *Nicol. Tulp. observat. Medic. lib. 1.*

Dolor ventriculi, cum sanguinis vomitû recurrens, in abscessum fundi ejusdem mutatus, frustrà curatus, tandem omnino sanatus.

Sanavi mulierem duos menses ventriculi dolore laborantem primò, postmodum verò sanguinis vomitû, ad libram unam, qui sponte sedatus aliquot dies, nec ullo dolore molestus; quo tandem denuò recurrente, à peritissimis Venetis Medicis eadem curata medicamentis per os exhibitis, in cassum tamen, Patavium se contulit, cujus ego in Nosocomio Divi Francisci curationem ita sum aggressus. Primò sanguis eductus ex brachio, tum ex pede; atque exhibitum mel rosaceum solutivum; tribus verò aut quatuor post diebus à medicamento assumpto, cum vomuisset libras duas circiter puris, cum sanguine mixti, indicium præbuit abscessus in fundo ventriculi, præter continuam quærelam de dolore ipsius partis, nulla licet materia excreta per alvum illi proximam; eidem exhibui postmodum aquam hordei quindecim dies, mixtam cum melle rosato colato, cujus usû vomuit tria frustula tunicæ internæ ipsius ventriculi, longa, & lata quatuor digitos transversos, non sine multorum admiratione; necnon aliquot dies posteà portiunculam aliquam puris sanguine mixti; quibus abstergendis, exhibui aquam Tettutianam quatuor dies, cum melle rosato solutivo; postmodum bolos ex saccharo rosato antiquo, pulvere boli armenæ orientalis & hæmatite, ac dimidia post hora, uncias quinque decoctionis Plantaginis, Polygoni, Balaustiorum, & Hypocistidis; quibus, spatio duorum mensium ægra omnino convaluit, in hunc usque diem incolumis. *Petrus de Marchett. observat. Chirurgic. sylloge.*

Dolor ventriculi cum vomitu.

Petronella Beekman, juvencula circiter 27. aut 28. annorum, 19. Junij intolerabili cruciabatur dolore in alvo superiore, nempe in tota ventriculi regione, qui se modò aliquantùm ad dextrum, modò ad sinistrum latus, ut plurimùm autem ad lumbos ferè extendebat, atque adeò crudelis erat, ut quilibet adstantes commiseratione ægræ commoverentur. Vomitus aderat, interdum mitior, interdum vehemens, quô omnem cibum & potum evomebat. Subinde etiam vehementiori vomitu aquam quandam nigricantem ad lib. j. vel lib. j. ſ. ejiciebat, cui aliquantùm tenacis pituitæ admixtum erat: huic aquæ, (quæ magna cum violentia evomebatur) ordinariè corpuscula quædam (quatuor vel quinque, interdum plura) innatabant, magnitudinis parvæ avellanæ, colore & consistentia butyrum recens adeò exactè referentia, ut etiam ipsos butyri mercatores fefellisset. His vomitu ejectis, dabatur aliquod doloris levamen ad duas tresve horas, post quas dolor iterum recrudescebat. Nulla aderat febris, nullus in liene tumor, neque etiam dolor eò usque se extendebat; antea quoque nulla lienis affecti signa animadversa fuerant. Nulla quoque in renibus erat obstructio, nec dolor in ureteribus, urina absque molestia, & satis crassa fluebat; nec calculos, nec sabulum unquam antea, nec postea, nec durante morbo excrevit. Menstrua ordinario modo bene fluxerant, nec ullum in utero vitium percipi poterat. Neque etiam diætæ vitio inductus fuerat morbus, neque bilem huc quicquam fecisse docebat vomitus, quo rarò & tantùm pauxillùm flavæ bilis evomebatur. Hæc omnia mihi de loco affecto & causâ mali non parvam dubitationem injecerunt: judicavi tamen causam morbificam vel in ventriculo residere, vel potiùs è parte aliqua vicina ipsi suggeri, & propter vomitûs violentiam ligamentorum communione etiam lumbis & vicinis partibus dolores communicari. Sed unde igitur iste vomitus aquæ nigricantis, & illud butyrum? non à ventriculo, cùm ibi tanta aquæ nigræ copia occultari, & talis butyracea substantia in ejus parenchymate inveniri non possit: non à liene nec hepate, cùm hæc viscera nullo modo afficerentur: non à renibus, cùm dolor in lumbis parvus ac levis esset, nec ullum in urina vitium. Fortassis igitur illa aqua nigricans in mesenterio vel pancreate collecta, atque inde ad ventriculum expulsa fuit; & butyracea illa materia fortè fuit bilis aliquomodo corrupta, ac in talem substantiam præter naturam mutata. Atqui tunc talia etiam per alvum excreta fuissent; verùm in hac ægra raræ erant alvi dejectiones, eæque naturalis coloris & consistentiæ. Ita ut verè fatear, hunc morbum mihi admodum obscurum visum fuisse, de quo nihil certi judicare potui, de quo etiam alij Medici, quibus casum hunc notum feci, non minùs quàm ego dubitârunt. Curationem aggressurus, cùm nihil retineret, primò topicis vomitum sistere, ac ventriculum corroborare visum fuit: in quem finem ventriculum oleo nucis moschatæ inunximus, eique calidè imposuimus cataplasma, ex mentha, rosis rubris, nuce moschata, gariophyllis, mastiche, olibano, fermento acido & aceto rosaceo concinnatum, quod tota nocte inhæsit, sed nihil profuit. Postridie à violento vomitu & continuis ac truculentissimis dolo-

doloribus valde debilis erat ægra, ita ut ad spirituum refectionem corroborans medicamentum præscripserim, ex aqua vitæ Matthioli, aqua theriacali, aqua cinnamomi, & syrupo de limonibus, æqualibus partibus mixtis; de quo subinde cochleare sumpsit, & retinuit, cùm tamen omnem alium potum evomeret. 21. Junij emplastrum corroborans ex tacamacca, galbano, gariophyllis, benzoino, & similibus concinnatum ventriculi regioni imposui. 22. Junij haustum leviter purgantem exhibui, quem statim evomuit. Tunc clysma injici curavi, à quo bis terve alvum dejecit. Horribilis dolor in eodem statu permansit, cui per intervalla vomitus adjungebatur. Præter corroborans antè præscriptum, nihil retinebat ventriculus. 24. Junij, cùm alvus iterum non responderet, exhibui pilularum Ruffi scrup.j. quas retinuit, atque ab iis circa vesperam tres sedes habuit. Quia emplastrum ægræ molestum erat, neque levamen adferebat, illud detraxit, cujus loco sacculum lineum imposuimus his intersutum, nempe menthâ, absinthiô, salviâ, floribus chamomillæ, meliloti, anethi, nuce moschata, semine cumini, fœniculi, anethi, qui sacculus in vino forti semel ebulliebat, atque tunc expressus calidissimè applicabatur. 28. Junij reïteratum fuit enema. 29. Junij circa noctem exhibui philonij Romani cum euphorbio parati scrup. ij. cum pauxillo vini, à quo ista nocte quatuor horis dormivit, cùm hactenus à principio morbi omnes dies noctesque insomnes duxisset. Postridie dolor ad antiquum statum rediit: videbatur tamen calidissimum illud philonium aliquam coctionem molliisse, nam ventriculus subinde ructus aliquos difficiles cum levamine edebat, qui ut faciliùs promoverentur apozema gratum ex flatus discutientibus aliisque similibus, præscripsi, sed non potuit retinere. Quapropter circa vesperam iterum exhibui philonij scrup.ij. 1. Julij, ructus faciliores prodibant, illa vespera rursus philonium dedi ut antè. Sequenti die dolores erant mitiores, & vomitus nullus: tunc meridie sorbsit jusculum pulli, idque fuit primum nutrimentum quod toto morbi decursu retinuit. 3. Julij alvus constipata pilulis Ruffi rursus emota fuit. 4. Julij dolores rursus exacerbati sunt: præscripsi amygdalatum, sed nullam dosim retinere potuit, etiam omnia alia assumpta evomuit, præter corroborans antè præscriptum. Varia topica ventriculi regioni dolenti applicui, sed nihil profuerunt. 6. Julij, rursus ad philonium confugere coactus fui, cujus scrup. ij. ſ. exhibui, à quo mediocriter dormivit. Postridie dolores erant mitiores, tunc circa noctem eadem dosis philonij rursus data fuit, ut & sequenti die circa vesperam. 9. Julij matutino tempore pilulis Ruffi purgata est, & vesperi rursus philonium sumpsit, quod etiam sequenti triduo singulis vespertinis temporibus datum est: atque sic hujus usu dolores & vomitus prorsus cessârunt, rediit appetitus, & ægra pristinæ sanitati restituta fuit.

23. Novembris iisdem truculentissimis doloribus cum vomitu violento, ut antè, infestata fuit. Exhibitis pilulis corpus expurgavi, & vesperi rursus dedi philonium, cum levamine, in cujus sólius usu libenter per aliquot dies continuâssem, sed fuit illud medicamentum nimis suspectum D. Breulio, Medico docto, qui tunc temporis etiam advocatus, maluit topicis, amygdalatis, apozematibus, conditis, aliisve convenientibus medicamentis curationem peragere, quæ omnia ad illius beneplacitum, frustrà tentata fuerunt. Denique illo non redeunte, ego rursus philonium duodecim diebus continuis circa noctem exhibui, singulis quatuor diebus alvum pilulis citando, atque ita tandem pertinacissimum morbum philonij narcosi & calidissima qualitate evici, à quo sic liberata fuit ægra ut postea toto sexennio ab eodem immunis fuerit, &, ut spero, semper futura est. *Isbrand. de Diemerbr. in observ. & Cur. Medic.*

Dolor ani, quartâ horâ, à solutâ alvo.

Quantum homini prodest moderata; tantum nocet invicem immodica sanguinis profusio; præcipuè ex ani venis. Quæ distentæ acri ac fervido sanguine, nisi maturè sese exonerent, excitant sæpenumerò, vel perniciosa ulcera: vel dolorem sive continuum sive periodicum; Sed rarò ita ordinatum, ut invadat definitâ aliquâ horâ. Quas tamen interpolatas vices, uti contigit nobis videre, in morbis aliis: sic etiam observavimus easdem, in reciproco harum venarum dolore.

Jacobus Scipio, Vir procerus, sed ventriculi imbecillioris, & lienis summè obstructi, doluit insigniter circa anum, quâlibet quartâ horâ, post exsolutam alvum. Quum alios idem dolor soleat invadere protinùs, à dejectione. Cujus moræ causa, proculdubio, rejicienda est, in lentam illam pituitam, quam frigidus ventriculus continenter immiscuit atræbili, venis hæmorrhoidalibus inhærenti.

Sed cur accessit hic dolor præcisè horâ quartâ, à dejectione? annon ex natura bilis atræ? quæ uti movetur die quarto: ita fortassis & horâ quartâ? nisi lubeat fortè recurrere; & reciprocum hunc ordinem referre ad abstrusam aliquam causam. Quam equidem in tantis tenebris lubens discutiendam relinquam sagacioribus ingeniis.

Erat autem hic dolor, adeò acerbus, ut vix fuerit ferendo æger: quocirca nihil non tentatum, quo opitularemur homini. Sed præcipuum auxilium tulere sanguisugæ ano adpositæ. Quæ exsugendo sanguinem, venas distendentem, absorpsere simul malignum virus, anum summè excrucians. *Nicol. Tulp. observat. Medicar. lib. 3.*

Dolor ventris quinque annorum atrocissimus curatur per ejectionem substantiæ glandulosæ pendentis uncias septem infernè factam.

Medici hæc potiora putant, quàm certâ morte perire: agens de iis ægrotis, qui ad desperationem laborant, & inter propemodum certos mortis timores, dubiam aliquam spei lucem ostentant, inquit Latinus Hippocrates: & verè ita esse expertus sum in fœmina quadam habitante *Heemstadii*; pagus is est, juxta arte suâ texendi nobilitatum Harlemense oppidum, non ignobilis. Laborabat jam quinque annis cum hectica febre dolore ventris intolerabili, quibus, quod alterum accederet malum, paupertas, deserta est à Medicis, crescentibus autem

tem quotidie, & augescentibus doloribus, ipsa ita evanescebat & minuebatur, ut tandem umbram sepulchralem potius referret, quàm hominem.

Degebam id temporis circa ea loca, fugitans urbis frequentiam propter contagionis periculum; accedentem ergo ad me hanc mulierem, iis aggressus medicari potionibus, quæ bilem, unde suspicabar inter cetera mali originem, corrigerent & depellerent: at illa inter purgandum intolerabilibus cruciabatur doloribus, ægrescebatque medendo indies magis, & macie consumenda, doloribusque enecanda videbatur: suspicans igitur altius latere morbi causam, omnia tentanda ratus priusquam eam desererem recordatusque superiùs allatorum verborum Celsi, vegetiore quodam emetico, quo sæpe in desperatis felici cum successu usus sum, morbum aggredior, cum apozematibus cholagogis, aliisque medicamentis me jam vel satis præparasse materiam, viasque, quâ pertinax malum educerem, disposuisse, vel plus, quàm satis operam, si nihil effectum esset, lusisse existimarem. Sumit illa potionem, nihil evomit, sed post copiosas dolorisque plenas dejectiones, tandem prodit infernè corpus quoddam glandulosum tres palmas longitudine, latitudine binos adæquans digitos, quod septem pendebat uncias; sequitur id ingens copia sanguinis, & mirum dictu, fæmina se recreatam sensit, & postmodum convenientibus secundum rei exigentiam medicamentis curata, prorsus convaluit. Tanti est ægros altero jam pede cymbam Charontis prementes, aliquando generosâ manu revocare, & vitæ asserere. *Theod. Kerckringius in Specilegio Anatomico.*

Anatomicæ inspectiones.

Gravis Cap. dolor à Sero in ventriculis cerebri, Vasis meningum sanguine fœculento turgidis, & ab ulcerato ventriculi orificio.

Juvenis robustus cùm lauto convivio interfuisset, eadem nocte dolore stomachi correptus fuit, qui ab initio mitis, sed post auctus & vagus factus est: nunc de dolore acutissimo Capitis, mox, & in ipso momento, de maximo cruciatu oris ventriculi, ventris & artuum conquerebatur, cum vomitu omnium ingestorum, quandoque febris adfuit continua, anorexia, vigilia, à prædictis doloribus vagis ejulare cogentibus: multa à *D. Roscio.* frustra præscripta, nam post tormenta 18. mensium, tandem anno 1599. obiit.

Inspecto Cerebro, in ejus ventriculis ad duas libras aqua limpida inventa; arteriæ item & venæ membranarum cerebri sanguine crasso & fœculento turgebant: In ventriculi orificio superiori, parte anteriore, ubi ramus sextæ conjugationis inseritur, ulcus erat magnum ac fœtidum, in vacuum usque ventriculi penetrans: cætera in ventre inferiore rectè se habebant: Ventriculus præterea humoribus corruptis, fœtidis & atrabilariis refertus erat: *Fabricius Hildanus Centur. 3. Observat. 20.*

Capitis dolor à sero ventriculos replente & spatia intra meninges &c.

Isperlinus Vietor 70. annor. anno 1657. phthisi obiit, fere ad ultimum usque halitum loqui poterat, ac ingentem dolorem in utraque femoris interna parte pertulit, quin etiam assidue Caput doluit.

Remoto cranio, plurimum seri subpallidi in omnibus ventriculis & spatio intra meninges reperi, ita tamen ut cerebrum nondum comprimeret: Quin etiam universa anfractuum superficies humore superfluo lentoque, ceu gelatina, oblita erat: Si superficiem illam sauciavi, exstillavit ichor serosus. *Joan. Jacob. Wepferus Exercitat. de Apopl. pag. 300.*

Capitis dolor à colluvie serosa in cerebro, & corruptione omnium principum viscerum.

Inter alia ex cadaveribus notata, hanc in Jurisprudentiæ studioso observationem ante aliquot anno notavi Cassellis Cattorum, Excel. D. Wepfero Med. D. & Practico Schaphusiano Celeberr. Medico sane in Anatomicis curiosissimo, communicavi; quam & Tibi Excell. Vir, tanquam amico integerrimo negare nolui: Hic juvenis XXX. circiter annorum, ab amico amice exceptus, & domum redux, post exacerbatum Capitis Dolorem multa evomuit, Palpitationes cordis, Tremores artuum, Convulsiones subsequuntur, & sequenti die desubito moritur.

Judicis jussu apertum cadaver: omnia penitus viscera principaliora corrupta fuerunt inventa: Ventriculus intus coloris viridis, in quo materia quædam cineritia erat contenta: Intestina gangrænosa, flatibus turgida & vermibus dimidii cubiti scatentia: Epar corruptum: Pulmones flaccidi, coloris albi, hinc & inde exulcerati: Cor lividum, contractum & cruore quodam nigro repletum: Cerebrum serosa colluvie usque ad principium nervorum repletum; Cutis exterior maculis rubris inferius punctata, superius instar apoplecticorum coloris nigri & subviridis, fœtidissimo odore, licet statim post mortem cultro anatomico subjiceretur corpus, adstantium nares implebantur.

Ita ut non exigua veneni exhibiti σημεῖα innotuerint, cujus tamen nemo reus inventus, utut etiam curiose inquisitum fuerit: Ægrotans ipse mente adhuc constans aliquid extra prandium assumpsisse negabat, Ita ut Judicis & Medici judicium suspensum, & insignis cujusdam malignitatis venenatæ, in ipsis corporis penetralibus progenitæ, suspicio saltem relicta fuerit, quæ quomodo tam brevi temporis spatio omnia viscera corruperit, & ad vitæ continuationem inepta reddiderit mirum est, cùm antea semper ægrotans firmissimæ & robustissimæ fuerit constitutionis. Ex communicatione. *Excellentiss. & Clarissimi Dom. D. Ludov. Hermanni Combach. aulæ Hassiacæ Medici.*

Capitis dolor à pure inter piam matrem & cerebrum contento, illuc ab inflammatis pleura & pulmonibus delato.

Domina de Chalange, Brito-Galla, Lutetiam

tiam venit Medicorum consilium contra Fluorem muliebrem expetitura, Paucis ab adventu diebus magnus eam lateris dolor prehendit, comite febre: Dom. D. *Magnus*, *Duretus*, *&* *Rebourſius* convocati fuere, qui pleuritide & peripneumonia ſimul eam affectam judicarunt: Quamvis eodem tempore fluerent menſes, præſcriptus tamen clyſter, necnon ſanguinis miſſio, quam ægra omnino renuit: Poſtridie, morbi ſeptima, quod ingraveſcerent ſymptomata, phlebotomiam admiſit: Dom. *Duretus* bis ſingulis diebus illam viſitabat, prædixitque ſi superveniret capitis dolor cum pruritu, mortem ſequuturam, translata ſcilicet materia peripneumoniam efficiente ad cerebrum: Poſtridie dolor capitis cum prurigine ſucceſſit, paucisque poſt horis interiit:

Quarta aut quinta ab ejus obitu die, Ego, Domini Rebourſius & Viardus, Sacrificuli cadaver aperuimus, pleuritide & peripneumonia complicatis interempti, cui quoque acceſſit Capitis dolor, exploraturi num præmiſſum prognoſticum veritati eſſet conſonum, ac num humoris facta eſſet à pleura ad caput metaſtaſis? Dempto cranio, omnia pure referta comperta ſunt, intra piam matrem & cerebrum, ut in prædicta matrona, concluſo: *Ambr. Paræus Oper. lib.*24. *cap.*68.

Capitis dolor ab abſceſſu ſeroſo, natibus cerebri & infundibulo adhærente.

Puella 12. annos nata, temperamento pituitoſo & pingui habitu prædita, maximo dolore fixo verticis laboravit per quatuor menſes: Vocatus ad ejus curam, eam ferè inveni ſine febre ſed omnia alimenta rejicientem, aqua autem ſola cum ſaccharo per multos dies vitam traduxit: ſolum de dolore ſuturæ coronalis conquerebatur: Fruſtra fuere omnia remedia: nullus aderat tumor vel rubor: Tandem mors finem miſeriis & doloribus impoſuit:

Aperto capite, omnia optimè conformata & ſine corruptione (præter ſpem tamen) reperta ſunt: exiſtimaveram enim pus copioſum latere, præcipuè quoniam paulo ante obitum per oculum dextrum aliquid purulentum amiſiſſet: Sed cùm de cauſa agnoſcenda deſperaremus, dum curioſitatis gratia Rete mirabile & alias partes Chirurgus diſcipulis ſuis demonſtrare voluit, digitis abſceſſum rupit, natibus & infundibulo cerebri inhærentem, ex quo ſtatim aqua clariſſima cum impetu & ad libras duas exivit, quaſi è fonte ſcaturiens & in altum proſiliens. *Petr. Borell. Cent.*1. *Obſerv.*37.

Capitis dolor ab inflammatis cerebri membranis, Abſceſſu in parte cerebri ſiniſtra, cum ſuturarum in cranio defectu.

Ornatiſſima Matrona Elizabetha Erot, Uxor Johannis Norry Horologiopæi Lugdunenſis, annos nata 23. Euſarca, bonæ formæ, ſtaturæ commodæ, crine ſubflavo denſiſſimo, leni animo, &c. Nonum tertiæ ſuæ graviditatis menſem paucis abhinc diebus ingreſſa, immani capitis dolore, eoque ejulabundo premi cœpit, circa ultimos menſis Novembris dies, hujuſce anni 1673. Quo nomine ad ipſam accerſitus fui poſtrid. Kl. Decembr. St. N. Accedens mirè inquietam ac plangentem mulierculam offendo quanquam ἀπύρεξον. Dumque in cauſam & ſedem tantorum dolorum inquiro, tum ex ipſa, tum ex adſtantibus accipio, à multo tempore cephalalgia vexari ſolitam, nunquam tamen tam gravi quàm impreſentiarum, imò pathos hujuſmodi σύντροφον καὶ συναυξὲς ipſi fuiſſe, à ſeptimo vel octavo ætatis anno, quo Variolis fuerat conflictata: à quo etiam tempore auris ſiniſtra ipſi purulentam materiam perpetuo hactenus eructarat, quæ nunc longè parciùs quàm ſoleret, effluebat. Percontatus qua parte præcipuè doleret caput, medium ſincipitij verticem manu deſignabat, quam partem aſtantium palmis vehementer comprimi avebat in doloris ſolatium. Infuſo enemate, cùm alvus eſſet aſtricta, miſſoque ex brachio ſiniſtro ſanguine longè corruptiſſimo, necnon fotu lactis tepentis ſupra caput inſtituto, detonſo priùs capillitio, injectione item in aurem ſiniſtram detergente præſcripta, tentavi dolorem placare. Die ſeptima menſis iterum vocor, video dolores non modo non remiſiſſe, ſed increviſſe, & mulierem tremulo brachiorum motu σπασμῶδές aliquid pati: denuò itaque & enema repeto, & è brachio miſſionem cruoris, qui corruptiſſimus apparuit, æquè ac præcedens. Poſtridie partus dolores invadunt, & circa ſextam matutinam puellum ſanum ac vegetum feliciter enititur. Tunc verò ſpes affulgebat pleriſque omnibus, dolores capitis per lochiorum effluxum conquieturos, ideoque totum negotium Naturæ magiſterio relinquendum. Verumtamen die Decembr. 16. & 18. accedens, peſſimè ſolitis doloribus capitis confectam video, cum motibus illis utriuſque brachij convulſivorum æmulis. Infuſo enemate, Catapl. de mica panis impero capiti ſuper imponi, deinde Catapl. Vigonis ad commotionem cerebri. Sed artem atque naturam vincente dolorum acerbitate, occubuit tandem repentè optima fœmina, die 19. ejuſdem menſis circa ſeptimam matutinam.

Funeſta hujuſmodi cataſtrophe ad inveſtigandam mali cauſam nos excitavit, quam Cerebri abſceſſum conjectabamur. Quapropter ſub veſperam cadaver apertum fuit, & primo quidem Caput. Cranij ergo fornice remoto, quem ἄῤῥαφον totum deprehendimus, ambo Cerebri omenta inflammata conſpicati ſumus, quibus inciſis, abſceſſum ſtatim deteximus, in parte ſiniſtra Cerebri ſtabulantem, peculiari quidem folliculo involutum, ſed quem paulo ante ſponte ruptum ſubitæ necis cauſam fuiſſe judicavimus. Proceſſum auricularem oſſis petroſi, intra cranij cavitatem conſpicuum, dura meninge adhuc tectum, ea remota obſervavimus ſublividum ac carioſum, ita ut ſpecilli cuſpide tactum in pulverem nullo negotio comminueretur: Quod ad truncum corporis, nihil in ipſo deſideratum: Hepar ampliſſimum erat, Lien parvus, Pulmones ac Renes inculpati, Cor maximum, quale nunquam hactenus nobis viſum: Uterus craſſus tres pollices tranſverſos circa fundum, & ſanguine adhuc turgidulus, dum incideretur apparuit: qua vero parte verſus orificium internum tendebat diſſectus, candidiorem & αἱμόσακρον ſubſtantiam exhibuit. *Ex communicatione benevola Clariſſimi & Excellentiſſ.*

D.D.

D. D. Car. Sponii, Regis consiliarii, Vice Decani Facultatis Medicæ Lugdunensis &c.

Capitis dolor à sero flavo represso Tineam prius excitante, unde cerebri & membranarum corruptio.

Capitis doloris causæ sunt (quamvis hi casus sint rariores) abscessus & tophi Gallici, & caries ossium: Habui proximo anno Monachum ex S. Justina, qui laborabat per decem annos capitis dolore, & singulis annis ultra tres libras usus est Philonio ad dolorem leniendum: Erat autem dolor ex tali causa, nam per terebrationem inveniebatur caput plurima pituita refertum, & os corruptum, tandem obiit: Quod ipsum etiam, dum essem junior, vidi in quadam muliere, cui substantia cerebri plane erat corrupta ex multis lotionibus, cum laboraret tinea.

Aperui illam cum D. Tiberio, & invenimus in parte sinistra materiam cum aqua flava, & membrana erat corrupta. *Herc. Saxonia Panthei lib. 1. cap. 2.*

Observarunt primarii Medici post diuturnos capitis dolores Syderationem meningum ipsius cerebri evenisse *Ballonius Hist. 4. lib. 2. consil.*

Continuis & gravibus capitis doloribus affligebatur vir triginta annorum per annum dimidium: Post obitum meninx tenuis nigricans, tum in superficie, tum inter anfractus corticis apparebat. *Rolfinkius Tractat. de Dol. cap.*

Capitis dolor ad occiput & spinam protensus, à meningum inflammatione, quam sequuta sideratio.

Quidam natus annos 30. sæpius in dies ebrius, cùm à forensi tabula alapa vapulasset, pacem cum illo initurus in multam noctem vino Hispano saburratus, sævissima cephalalgia, cujus dolor etiam occiput spinamque occupabat, cum omnium sensuum dejectione corripitur: ab amico, in cujus domum pro semi mortuo delatus erat, sub medinoctium vocatus, cum viderem assidue exilientem, corpus corybantis instar, & pedes maxime manusque jactantem, nec verbulum, etsi aciculis à me premeretur titillareturque, proferre valentem, dico videri mihi cerebri sphacelo correptum: nam aliquot ante diebus nunquam sobrius, convitiis verberibusque combibones plerosque male mulctarat: Acutissime febriebat, & tamen potum omnem respuebat, validisque manibus, dum vires tulerunt, à labiis admota cymbia amoliebatur: rubebat facies cum tumore: rubebant & oculi, quorum fixo obtutu conspectos phanatici instar terrebat; Præscripto quando aliud non licebat, clystere validissimo, ad lectum redii, mane quietissimum inveni, movendi scil. vi per languorem abolita: Silentium tantum ut vulsa barba, punctaque acu aure, vocem nullam ederet, abolito nimirum omni sensu: Cùm venæ sectionem vires non permitterent, cucurbitulæ applicitæ, admota quæ ratio dictabat, sed invita Hygieja omnia, die enim tertio ebriam efflavit animam.

Amicis eum qui alapam dederat in jus vocantibus, à Magistratu caput (cùm cerebrum sphacelo correptum assererem) aperire jussi: Invenimus meningas valde lividas omninoque syderatas; quas cum Judices mortis causam dedisse, huncque sphacelum non alapæ, sed jugi ebrietati, quæ inflammationem cerebri conciverit, tribuendum Medici crederent, ulterius itum non est: fœtore maximo nasos omnium in alia omnia trahente. *H. ab Heers Observat. Med. 17.*

Capitis dolor à phlegmone cerebri partem posticam obsidente, subsequente sphacelo.

Nobiliss. juvenis annos natus 37. sub cane in gravissimum & acutissimum dolorem capitis incidit, qui ad posteriora & latus sinistrum magis porrigebatur; aderat obscura & levissima febris, sensuum vigor, gustus præcipuè: cùm his nihilominus sitis ingens & vigiliæ perpetuæ: frons nihil incaluit, caput parùm, ex tactu licet duro, non dolebat: appositis ad frontem manuum una, ad sinciput altera, cerebrum intus concuti ac convelli sentiebatur: ac caput universum involuntariè subsiliebat: urinæ in principio crassæ & albæ: Quibus animadversis, phlegmonem in cerebro metuentes, vel erysipelas, sanguinem mitti &c. jussimus. Quarto morbi die in linguæ latere dextro erupit tuberculum, quod durum & cavum & sine sensu ulcerosum deprehensum est, carcinoma scilicet. Septimo sub vesperam paululum deliravit, mox sudor in facie primum, deinde per totum corpus copiosus obortus est, ita ut veram & perfectam crisim adfore speraremus: Dum amoventur stragula & sudor abstergitur, illum fermè resolutum invenimus & continuò delirantem: Vires quæ ante sudorem fuerant prævalidæ, omnino fractæ percipiuntur, atque in eo statu nocte tota usque ad horam 8. diei 9. matutinam perstitit, garrulus supra modum & insipiens, & immemor omnium quæ sibi in morbo contigerant vel facta fuerant: Circa 10. resipiscere visus est, quorundam reminisci, & sic spes animis addita fuisset, ni pulsus convulsivus, artuumque tremor cerebrum pessimè affici indicassent: In procinctu urinæ excretio copiosissima, quæ rubra & igneo splendore coruscabat: Simili hora, qua pridie sub vesperam, rursus ægrotantem invasit delirium, in eo pejus, quod cùm rursus vires constarent factus phreniticus, adstantes summo terrore profligabat; Nona matutina iterum resipuit usque ad vesperam, sub quam tumor exortus est in cervice, pomi mediocris magnitudine, non dolorosus neque à cute diversi coloris, nec minus delirium juvenem occupavit cum manuum motu convulsivo; die 10. omnia similiter se habuerunt: Sub finem 11. convulsus moritur.

Cadavere dissecto, cæteræ corporis partes inculpatæ repertæ sunt præter cerebrum: aperta quippe calvaria magna copia sanguinis nigerrimi, etsi diluti, illico affluxit, intactis adhuc meningibus, imo ossibus vix diductis ad serræ capedinem; qui quidem sanguis inter calvam & membranas effusus ponderis lib. ij. vel pluris æstimabatur: Ubi detectæ

sunt cerebri tunicæ, mox universum venulis nigro torridoque sanguine turgentibus conspersæ apparuerunt: Pars autem posterior duorum digitorum latitudine; longitudine quatuor, ubi torcularis sedes definitur; non solum nigricans, sed præterea membranæ puniceo colore & gangræna correptæ visæ sunt: In qua parte dum scalpellum adigi jussimus, protinus inde materia purulenta ad unc. vi. cum fœtore emanavit: Novacula altius adacta; tota fere basis cerebri, imprimis cerebellum, & ea pars spinalis medullæ quæ primis vertebris excipitur, & super qua tumor apparuerat, sphacelo similiter correptæ sunt inventæ: meninges verò partis sinistræ ulcusculis exesæ, per quæ sanguinem sub calvam effluxisse verisimile est: *Henric. Rufus ad Lazar. River. Observ. 21.*

Capitis dolor à totius cerebri Phlegmone quum sequuta ejus necrosis.

Multos vidimus qui cerebrum sphacelatum (hoc est principium ad sphacelum, ut Galen. statuit) habebant: tamen nonnulli [contra Hippocrat. sententiam qui intra triduum perire asserit) pervenere ad 14. diem; Alii ad 7. alii ad 10. & non sunt sanitati restituti, & horum calvarias aperientes, totum cerebrum penitus sphacelatum; id est, corruptum invenimus: Hoc mihi videre contigit in Illustriss. Comite N. qui 6. die à sphacelismo obiit: Cum Galen. igitur in genere dicimus, cerebrum corruptum habentes nullo modo posse supervivere; imo brevi moriuntur, non tamen in 3. diebus: Nam virum quendam robustum vidimus qui usque ad 14. diem pervenit: Etsi petas; quonam modo cognosci potuit jam cœpisse corruptionem, Respondemus ex vehementissimo dolore quem patiebatur æger; tum putamus sphacelum & corruptionem cœpisse, 4. die effectus est attonitus, 8. die omnes sensus amisit, 14. die obiit: Huic ablata calvaria totum cerebrum corruptum invenimus: *Brassavolus comm. ad aphor. 51. lib. 7.*

Intolerabili capitis dolore in quodam affecto à diuturna lue, cerebrum pene consumptum repertum est: Cerebri ἀνάλωσις.

In Xenodochio S. Petri & Pauli, Andreas Lippeneus, scortorum amantissimus & perditissimus, post diuturnum morbum Gallicum, variaque symptomata, tandem in crudelissimum capitis affectum incidit, cui nullæ auxiliatrices manus profuere, diæta quater repetita, bis suffumigiis factis, & quinquies inunctionibus administratis: Nihilominus noctu diuque, sed tamen magis noctu cruciabatur, ut frequenter manus sibi violenter inferre tentaret: Demum empiricus quidam doloribus quasi enecato ægro & veluti desperato, nobis nescientibus, pisces, tenchas vulgò dictas, plantis pedum alligavit, & fere per totum diem ac sequentem noctem detinuit: At paulatim viribus animalibus & vitalibus in tanto cruciatu deficientibus, hanc miserrimam in meliorem commutavit vitam.

Quo defuncto, facta est dissecandi potestas: factis ergo necessariis sectionibus, cranio serra orbiculatim aperto, & à suis membranis, dura & pia matre liberato, Nihil cerebri in toto cranio reperi, præter quandam mucositatem & phlegma valde indigestum, quod vix quartam cranii cavitatis opplebat partem: Interim tantus fœtor ex pedum plantis, quibus admoti fuerant pisces, emanabat, ut nulli assistentium ibi adesse licuerit: Unde raptim aperto abdomine, festinanter visis intestinis & naturalibus visceribus, cadaver sepulturæ tradendum reliqui. *Ex Observation. Dom. Dom. Garneri.*

Atrox capitis dolor ab arteriis carotidibus induratis: Aquæ collectione sub pia matre, & Arenulis in Glandula Pineali.

Elizabetha Joppen per 25. annos intolerabili capitis dolore cruciabatur, qui dum primo alimenta masticare inciperet, vel aura tempestuosa adveniret, ita exacerbabatur, præsertim in latere dextro, ut lacrymæ fontium ad instar ex oculis erumperent, ac ejulatu domesticos & vicinos defatigaret: Ad inauditi hujus capitis doloris ablationem plurium Medicorum auxilia frustra imploravit, & tandem 9. Martii anni 1669. ex hac lacrymarum valle ad superos migravit.

Aperto ejus cranio invenimus 1. sub pia meninge magnam quantitatem aquæ limpidæ. 2. Ventriculos cerebri simili liquore repletos. 3. In glandula Pineali plurimas arenulas asperas, quarum aliquæ calculi nomen propter magnitudinem merebantur. 4. Arterias carotidas, curiosissimo spectaculo, ita induratas offendimus, ut externa facie calculosas, sive in lapideam substantiam mutatas eas judicaremus: sed illis apertis, observavimus earum lateribus materiam callo-lapideam accrevisse: Per harum arteriarum medium sanguini adhuc quodammodo concedebatur via. *Ex Observation. Regneri de Graaf. Med. Delphensis, in Miscell. curios. anni 1670.*

Capitis dolor à nimis arcta Suturarum compage.

Provida natura perforatam esse voluit Calvariam, variisque suturis distinctam, ut purgando à recrementis cerebro nusquam occasio deesset: Quod autem Suturæ hunc usum inter cætera præstent, præter Galeni & aliorum testimonium, nos etiam ipsa experientia docuit: Patavii juvenem quendam secui, qui diutino capitis dolore vexatus nullis remediis sanari potuerat, In cujus calvaria vix suturarum vestigia apparebant, adeo erant compacta, ut in unum coacta capitis ossa viderentur: Quamobrem pro comperto omnes habuerunt, non aliunde ingentem, ac fere continuum capitis dolorem, profectum esse quam ex arctissima illa ossium compositione, ex qua nullus exitus patebat fumidis illis crassisque vaporibus, qui & perpetui doloris causa fuerant, & tandem mortem intulerant.

§. 2. Sed neque semel id mihi contigit experiri: complures enim secui qui dum viverent in frequentem capitis dolorem incidere solebant, in quorum calvariis exiguas suturas

ras, & eas coagmentatas invenimus, neque in viris modo, sed etiam in muliere, quod mirum fuit, ut vix credibile: nudatum enim ac decoctum illius caput fere sine suturis offendimus, & hæc pariter multo magnoque capitis dolore quam diutissime affecta atque afflicta, postremo Phrenesi laboravit & mortua est. *Columbus Anat. lib.* 1. *cap.* 5.

Dolor capitis à Suturarum Discessione.

Solutio continui contingit aliquando in cerebro à causis internis, ab humoribus nempe biliosis aut salsis & rodentibus: aut ab humorum & vaporum copia, qui distendendo dissolvunt continuum. Vera autem tanta est aliquando ut juncturæ solvantur magno spatio, authore Ægineta. Quod vidimus anno 1593. in filio Domini Merindoli Aquensis, E cujus capite dissecto effluxit ingens copia serosi humoris, qui in ventriculis & tota cerebri substantia inclusus manebat: Distabant autem suturæ quatuor fere digitis à se invicem. *Jacobus Fontanus practicæ lib.* 1. *cap.* 3.

§. 2. Anno 1622. quo ingens pestis in Polonia grassabatur, tanta fuit ejus sævitia, ut in demortuis rumperentur & suturæ divisæ apparerent.

Ingens capitis dolor ab ossis sincipitis dextri carie & Suturis obliteratis.

Hafniæ ulcus caput hominis invaserat in parte ejus dextra, quod malignitate sua ad cranium usque, sine tamen luis suspicione, serpsit, ut incredibilibus doloribus capitis mors lenta successerit.

Cranium defuncti accuratius consideravi, os sincipitis dextrum, à sagittali sutura ad temporalem, profunde caries corrupit, excavata prima lamina, & secunda transparente: Ex serpente carie reliquæ partes externæ utriusque bregmatis, asperæ & inæquales sensibus occurrunt, foraminula multa sunt pervia, præsertim ubi venæ transire solent: Prope lambdoideam caries bregmata separavit & manifestiora foramina hiant, Secundum cranii longitudinem diffunditur caries, salvis, ossibus temporum, quod in cranii cavitate clarius apparet: nam os infinitis porulis ab osse sincipitis ad cristam, quasi acu diligenter pictum cernitur; Obliteratæ fere sunt suturæ sagittalis & coronalis, quanquam in homine, necdum senium prospiciente, ut mirum non sit quod internis injuriis expositus fuerit, ob impeditum vaporum exitum. *Thom. Bartholinus histor.* 8. *Centur.* 6.

Capitis dolor à carie cranii parte interna juxta cerebellum.

Juvenis diu capitis dolore vexatus, tandem ab Epilepsia vehementissima extinguitur. Diligenter calvariæ osse, in posteriori parte externa, perspecto, nullum ibi morbi signum fuit; quo perpetuo dolebat, at capite adaperto, ossis posterioris interiorem partem, juxta cerebellum cariem satis notabilem contraxerat. *Zecchius consult.* 9.

Capitis dolor à Carie cranii & adhæsione cum membrana.

Quidam diuturna cephalalgia mirè torquebatur. Omnibus incassum tentatis, quatuor vesicantia cervici & scapulis affixa plurimum profuere: pilulis deinde Cocciis irritata alvo, quum tæniam dejecisset, dolor aliquantulum remisit, qui tandem hypocausto cessisse visus: Graviorem autem fuisse mali causam paucis post annis docuit eventus.

Inopinato enim bidui dolore quum succubuisset ille, aperto cranio, cerebri membrana glutinoso humore obsita, quibusdam locis vix avelli potuit, osse passim carie corrupto, qualem in aliis cadaveribus deprehendi: unde lue infestati Venerea, sævis admodum capitis doloribus ab acri & venenoso humore nonnunquam excarnificantur. *Rhodius Centur.* 1. *Observ.* 74.

Capitis dolor ab adhæsu crassæ meningis cum cranio.

Philosophus quidam intolerabili capitis dolore tenebatur: pars dolens in sincipite magnitudine digitum non superabat.

Aperto capite, crassior membrana ea parte in qua dolor excitabatur calvariæ adhærebat, pauculo humore putri interjecto. *Fernelius lib. de Abditis* 2. *cap.* 15.

Capitis dolor ab humore maligno cranium, Subditas membranas ipsumque cerebrum exedente.

Rem in hydrargyro admiratione dignam, à nullo quod sciam animadversam contemplemur: hic enim si quis rerum eventus bene observet, non modo pituitosis morbis obnoxia nostra reddit corpora, partesque omnes, inprimis carnosas suo frigore & humore lædit, verum ita labefactat, & sua qualitate imbuit, vix ut corpus febre corripi possit, etiamsi multa scateat cacochymia. Anno à Christo 1556. Coriarium quendam Tonsor ut inviserem rogavit, rarum affectum & observatione dignum me visurum dictitans. Is tametsi annos amplius decem post curationem, per hydrargyrum, ita salubriter exegerat ut videretur percuratus: repente tamen exorto in sincipite dolore diutius perseverante, non modo ejus partis os totum paulatim computruit exesumque est, ut frustulatim excideret, sed & cerebri utraque meninx eadem putredine absumpta, subjectaque cerebri substantia in abscessum conversa est, unde magna puris copia (miserabile visu) per multos menses, non ex ea tantum parte, sed ex utriusque oculi angulis etiam stillavit, dentes exciderunt omnes: Hic tamen neque febre corripi visus est, neque cibi fastidio multum premi, neque extenuari, dum ad ventriculos cerebri ventum est, quo tempore mors repente hominem diu misere afflictum è medio sustulit. *Fernelius lib. de Lue Ven. cap.* 7.

Capitis dolor à Cranio sphacelato, Ichore putrido supra meninges corruptas, & Corrupto cerebrô nervisque opticis.

Taurini Quæstor quidam jam menses aliquot insomnes peregerat ex gravi capitis dolore *circa sinciput ac tempora*, ob Venereum morbum: Ab omnibus oppidi Medicis opem acciverat, verum morosus præsidiis non insistebat, Hic quoque ut illum inviserem rogat: consului ut capiti caustica aliquot apponerentur juxta proximas commissuras & super partes dolore infestatas, quod statim consilium difficilis æger recusavit: Ego vero Taurino secedens hunc non vidi unius mensis intervallo: Tandem iterum rogatus illum adivi, quem penitus lumine orbatum offendi, oculi tamen nil extranei pati videbantur, &c. Ego illi tunc persuadere nitebar ut pateretur cranium perfodi, renuit: Tandem ut causticum sincipiti adhiberetur ubi magis premebat dolor, fuit contentus, noluit tamen ferre ut apertum servaretur: sic statim decisa crusta sponte cicatricem obduxit, quare illum invisere destiti: Hic demum 60. dies post ad superos migravit.

Eum secuit L. Montanus, ubi cranium ad coronalis & sagittalis commissuræ regionem sphacelatum putidumque invenimus, coronati regii latitudine: statimque cranio serra aperto, abundans ichor putrilaginosus, instar aquæ, fuligine fumarii & croco aspersæ profluxit, tum per ossis aperturam, tum per aures & nares, membranæque putidæ recta ad os affectum, verùm adhuc integræ erant. quæ solo tactu facile rumpebantur: corruptum & cerebrum & nervi optici, cætera verò viscera omnia integrè habebant: Censendum est huic potuisse conferre à doloris principio caustica, vel postea ossis effossionem, rationi si obtemperasset dum præbebat occasio. *Leonardus Botallus de Lue venerea cap. 16. §. 17.*

Capitis dolor ab interiore cranii tabula carie affecta.

Vir 30. annorum, non sine Venereæ luis suspicione, continuo capitis dolore laborans, post obitum aperiebatur, interior tabula cranii semicariosa apparebat. *Rolfinkius Tract. de dolore capitis p.106.*

Juvenis quidam, cum per aliquot annos gravi ac perpetuo capitis dolore laborasset, tandem moritur, quem Medici tam diuturnæ cephaleæ investigandæ causa dissecantes, interiorem cranii tabulam semicariosam, tanti doloris causam extitisse invenerunt. *Ex Petri Spherenii Medici Florentini Observationibus.*

Capitis dolor à styli frustulo in cerebro relicto, ingruente tantum pluvia molestus.

Joannes Vestingius ante suum iter in Ægyptum, ubi quinquennium Cayri Consuli Venetorum valetudini adfuit, corporis humani dissectionem Venetiis publice instituens, in cerebro mulierculæ styli, seu pugiunculi subtilioris frustulum reperit, quod ipsa quinquennium gestaverat sine omni molestia, nisi quod ingruente pluvia caput doleret. *Joannes Rhodius Cent. 1. Observ. 32.*

Dolor capitis acutissimus, ex materia quadam lapidea duræ meningi adnata, aculeis tenuem perfodiente.

Nobilissima N. dolore capitis acutissimo diu conflictata fuit, eoque pungente admodum, instar acuum vel telorum parti infixorum, interdum vehementius interdum minus ipsam divexante: doloris vehementia pressa ejulabat, & ambabus manibus caput prehendebat: ad quem dolorem sedandum sæpe detractus sanguis: parti dolenti, cui instar verrucæ cujusdam callus inerat, admotum fuit pyroticum, & ad cranii perforationem deveniendum instabat Don. Pimpernelle: Hæc deinde in hydropem incidit, tandemque interiit.

Aperto cranio, inventus sub crassa meninge, juxta canalem anteriorem, seu torcular utrinque, indurata quædam materia & lapidea, instar cujusdam rupis inæqualis & aspera, aculeis multis, & veluti cati unguibus, conchyliis, variisque figuris distincta & variegata, ipsique crassæ meningi firmiter adhærescens, inter cujus inæqualitates venulæ ferebantur ad ligularum ferramentorum magnitudinem accedentes, quæ hanc materiam rigabant: supra tenuem meningem humor quidam mucosus repertus est. *Cattierus Observ. Medic. 15.*

A lapide in posteriore parte capitis, inter duram & piam matrem.

Intra Calvariam. hoc est in cerebro, si generetur lapis non solum cephalalgia simplex, verum etiam longè severiora symptomata sequuntur; Vidi id in puero decenni, qui quum per gradus decidisset, & posteriorem partem capitis gradibus allisisset, cerebrumque inde concussum fuisset, non solum sequutus est dolor capitis continuus, sed & plurima & graviora accidentia, quorum omnium causam in dissectione reperi.

Aperto enim capite, lapidem ex gypsea materia concretum & membrana inclusum, in posteriore parte capitis, sub sutura lambdoidea, inter duram & piam matrem, inveni, adèo adhærentem duræ matri ut nonnisi violenter avelli posset. *Fabricius Hildanus Cent. 1. Observ. 11. & Cent. 5. Observ. 1. ex Kentmanno.*

Cephalalgia à calculo in cerebro nato.

Quidam diuturno atque intolerabili capitis dolore adeo fuit excruciatus ut dies noctesque nullam quietem caperet: Eum autem sibi mori usu contractum asserebat: Medicus curæ adhibitus nihil intentatum reliquit, sed tandem æger perpetuis doloribus, iisque acerbissimis superatus, esse desiit.

Prædictus Medicus, (*Pfeil*) dissecto ægri capite, in cerebro lapidem reperit magnitudine &

& forma mori, colore quasi pullo aut cinereo: *Kentmannus libello de Calculis.*

Globulus plumbeus menses sex, nullo symptomate superveniente, in cerebro delitescit.

Globulum plumbeum Vir Reverendissime, &c. In vacuo ventris, aut inter musculos, ad multos annos interdum delitescere posse experientia testatur: In cerebro vero id fieri nusquam visum esse arbitror: Attamen retulit mihi Joannes Griffonius, apud vos olim Chirurgus, casum tam admiratione quam annotatione dignissimum: nimirum tempore belli inter Ducem Sabaudiæ & Genevenses, in expugnatione Castri, *la Cluse* dicti, quendam ex Genevensibus, Clerget nomine; ictum sclopeti in fronte cum insigni fractura cranii accepisse: Ægro semimortuo Genevam adducto, se methodicam instituisse curandi rationem, imo ossa non pauca extraxisse, globulum tamen nullum se offendisse affirmavit: Nihilominus miserum hunc pristinæ sanitati restitutum fuisse, & semestre post curationem incolumem vixisse: Cum vero morbo acuto tandem obiisset, cranium ejus aperuit, & globulum è regione verticis, inter cranium & duram matrem, ad latus Suturæ rectæ invenit, membrana tamen plane à globulo illæsa: Natura enim ea in parte materiam quandam callosam procreaverat, quæ duræ matri ad instar culcitræ subjacebat: *Fabritius Hild. Cent. 1. Observat. 2.*

Capitis dolor lethalis ab ossiculis circa falcem adnatis.

Dissecui corpus sexagenariæ, in cujus capite, parte interna duræ matris, Falce dicta, reperi sex ossicula lata, quorum quædam quatuor, alia quinque aut sex eminentiis, cuspidum acicularum instar acutissimis, donata erant, piam meningem quoque pungentia, hinc continuo capitis dolore vexata fuit; *Neander in Tabaccologia.*

Capitis gravitas ab hydrargyro post inunctionem in capite relicto.

In Xenodochio incurabilium Romæ, in illis qui post mercuriales inunctiones obierunt, capitis tibiarumque ossium cavitates argento vivo scatere deprehendi: Atque in uxore J. C. cujusdam (quæ frequenter inunctione ex hydrargyro usa erat, & in eam capitis gravitatem devenerat, ut eo parum in latus aliquod inclinato, statim illuc magnum pondus deferri perciperet, nec caput, nisi adhibita manu, attollere poterat) binas ejus uncias inveni: *Petrus Castellus Dissert. 1. Dodechap. chalcant. p. 7.*

Docet hoc Aurificis Anatomia Romæ facta, qui cum summos capitis dolores passus obiisset, in aperti capitis cerebro plusquam libra una Mercurii reperta fuit, ex vapore ejus hausto ibique congelato. Ex observ. *Ph. Jac. Sachs Medic. Uratislaviensis.*

In fœminæ calvaria quæ fucis ex Mercurio quotidie usa, & per biennium enormi capitis dolore fatigata, in osse calvariæ unciæ duæ Mercurii inventæ fuerunt. *Zwingerus Theatri f. 520. Ex Cardano de subtil.*

Capitis dolor pruriginosus à pediculorum caterva sub pericranio & intra cranii diploas latitante.

Matronam in Auvernier (oppidulum est Principatus Neocomensis in Helvetia, quod lacus alluit) pluribus mensibus κνησμώδης Capitis dolor adeo immanis divexavit, ut nullas inducias concedens ab omni consortio, imo etiam sacris cœtibus eam segregaret, perpetuoque scalptu caput dilacerare impelleret, non secus ac eos qui id pedibus obsitum habent, ut cum Titinnio loquar, quamvis nulli decuterentur pediculi: Interim nubentis sororis cæremoniis interesse coacta, doloris insaniam toto bihorio in Sacris ædibus sustinet, semihora in convivio nuptiali, unde se subtrahit lecto ultimo se traditura, in quo paulo post, ferociente dolore spiritusque exhauriente extinguitur, à denegato solito solatio & anodyno quod concedebant ungues.

Mortuæ divisis capitis integumentis, sub pericranio Pediculorum myriades deprehensæ: dissecto vero cranio, ejus meditullium iisdem scatens animadversum, qui viam vi, procul dubio per suturas sibi fecerunt.

Cephalalgia à verme in anfractibus cerebri latitante.

Anno 1571. in Marca Anconitana, in oppido Alburgo Sancte Sepulcro, grassabatur morbus atrocissimus quidam velut Epidemicus, clandestine homines invadens, paulatim Vertigine affligens, verum in secunda, tertia, aut quarta, à decubitu die statim jugulans, & caput solum tentans, Cujus causas & essentiam omnes illius loci Philosophi & Medici plane ignorabant, nec proinde ei occurrere poterant, &c. Longo post tempore Nobilis quidam XXII. natus annos, hujus mali primo suspicione, mox & reipsa affectus, multis in patria frustra tentatis, Venetias tandem navigavit, mox ad se vocari curavit Medicos, quibus firmiter multisque rationibus comprobavit aliquid esse in cerebro vivens, fieri enim haud poterat ut atrocissimis hujusmodi doloribus periodice ita afficeretur quemadmodum afficiebatur: Nam illæsa ratiocinatione, intellectu, memoria & omnibus internis sensibus, ita pro tempore cruciabatur, ut sibi cranium totumque cerebrum terebello perforari videretur, mox per universum cerebrum extensiones, contractiones multasque commotiones, cum maximis concussionibus & tremoribus frequenter & in omni paroxysmo percipiebat: Ob id multa admota & interne exhibita fuere remedia sed frustra, nam tertio ab adventu & ejus Venetias ingressu die, hac misera functus est vita.

Secandi data venia, novacula in capite ad os usque, orbicularem per frontis medium molitus sum sectionem, & cute aliquomodo remota, calvariam orbiculatim serra divisi,

atque sectione per calvariam facta, ac superiore calvariæ parte à dura matre liberata, ad piam matrem deveni, cerebrumque membranulis denudavi suis, quibus extractis, illico concidit & quodammodo diffluxit, moxque ex dextro antractu prorupit atque apparuit caput cujusdam lumbrici, qui statim aëre percepto frigidiore, sese in cerebri anfractus recipit, unde utrinque magnam cerebri portionem, quo cautius potui, abstuli, ne id quod suspicabamur fore detrimentum pateretur: tandem apertis dextro & sinistro cerebri ventriculis, maximè confusis, dilatatis & ad capitis basim conspicuis, repertus est lumbricus totus rubeus, indice digito longior, acutum os, oblongum & nigrum atque pilosum collum habens, multis modis sese in illis anfractib. convolvens, & ad capitis basin ferè pertingens, qui obtusiori forficula exceptus, & munda papyro appositus, paulo post obiit, qui nostro patienti etiam mortem intulit. *Ex Observ. Georgii Garnerii Medici Austriaci.*

Capitis dolor à vermibus inter meninges & putredine circa cerebrum ortus.

Quandam fuisse matronam memorant, cui post capitis vehementissimos cruciatus pestilentis Hemitritæi, dissecta calvaria magnam putredinis vim ostenderit circa substantiam cerebri, Et inter meninges tum vermiculorum tum cimicum copiam incredibilem C. *Gemma in appendice. Oper. Cosmocr. de Hemitr. pestilenti.*

Capitis dolor à verme inter calvariam & piam matrem latente,

Cuidam dolor capitis implacabilis circa suturam coronariam: irrita medicamenta; qua parte dolor designabatur, eadem facta scalpello sectio, non profuit.

Aperto capite, repertus est vermis inter calvariam & piam matrem situs: Si terebrata calvaria fuisset, spes vitæ aliqua fuisset. *G. Ballonius, Parad.* 19.

Capitis dolor à verme nigra tunica involuto, qua cerebelli substantiam à dextro latere sejungebat à reliquo corpore.

Lutetianæ puellæ annorum duodecim curatis variolis tantus capitis dolor supervenit, ut trium mensium curriculo nec dormire quiverit, nec quiescere, nullas dolore inducias concedente.

Tandem cum Tabida obiisset, statim aperto cranio deprehensa fuit universa cerebelli substantia in dextro à reliquo corpore sejuncta, nigraque tunica involuta: Rupta tunica nigra, vermem nigrum pilosum, duobus punctis splendidis loco oculorum, prodidit latentem, ejusdem fere molis quæ reliqua cerebelli portio, qui duarum horarum spatio supervixit. *Thomas Bartholinus Centur.* 1. *histor.* 64.

Capitis dolor à Scorpionibus in cerebro natis.

Cuidam Italo ex frequenti odoratu Basilicæ herbæ natus Scorpio in cerebro, vehementes dolores & longos, mortem denique attulit. *Hollerius l.* 1. *de morbis int. cap.* 1.

Puellam quandam in Gallia ajunt cum sæpe & multum odorata esset Basilicam herbam (minorem puto Gesneri) incidisse tandem in capitis dolorem incurabilem.

Et cum à morte dissecaretur ejus caput inventos fuisse Scorpios in cerebro ejus: *Gesnerus lib.* 5. *de Scorpione.*

Dolor Capitis singularis, sine ulla Febri subito ortus &, spatio XIV. dierum interficiens.

Litteratissimus Vir, S. Cæs. Maj. Secretarius quadragesima sex annorum, natione Misnicus, Patria Annæbergensis, temperamento supra temperatum calidior nonnihil & gracilis aliquo modo, ultimo complexionis melancholicæ propter permutationem temperamenti (juxta Sanctorium in variis locis) multis annis antehac phthisicus & asthmaticus, quatuor diebus ante æstivum Solstitium anno 1670. incidit in dolorem gravativum, tensivum & lacerativum Sincipitis totius & frontis, quem insequuntur continuæ vigiliæ; elapso octiduo deliria interpolata, post continua, suavia tamen, non irata aut furiosa; tandem uno ante mortem die motus totius corporis convulsivi leviores, ac omnium terribilium terribilissimum, Mors. Toto tempore nec vel exiguum signum alicujus febris aut caloris sive vehementis sive lenti, sive essentialis, sive symptomatici, præter ultimum diem, ubi ad præsentiam convulsivorum motuum exigua aliqua & lenta caloris exuperantia apparebat in pulsu, qui per duodecim dierum cursum erat tardissimus, instar pulsuum melancholicorum. Urina primo die usque ad undecimum prodibat tincta instar Ictericorum. Concluseram dolorem hunc oriri ab evaporatione bilis per arteriosum genus, lege circulationis in caput, unde adhibitis cholagogis lenioribus, & emulsione laxativa Mynsichti per epicrasin, urina tandem reddebatur coloris & consistentiæ naturalis: ne hilum quidem remittente dolore & dictis symptomatibus. Revulsionis, derivationis, ventilationis, evacuationis causa quantum in corpore phthisico vires vitales permittebant; extraxi sanguinem ex pede, manu, hæmorrhoidibus; applicari curabam cucurbitulas ad homoplatas, hirudines post auriculas, vesicatoria ad venarum jugularium latera: gallinæ disruptæ capiti applicatæ, laudanum Cæsareum exhibitum, pulveres deoppilativi, & juscula alterantia propinata, sed frustra omnia: Ut igitur cognosceretur causa tam pertinacis doloris mortuo aperio caput, & ecce reperio, primo venas arteriasque duræ & piæ meningis turgentes plenasque nigro sanguine, ac ita particularem capitis repletionem, uti sæpius in convulsis & iratis observavi. Secundo sub medio ossis sincipitis dextri, à processu falcato usque ad os temporis extensum, video ulcus oblongum cum sanie crassa & multum flava, quod ego habui pro maligno, quia sciebam, huic

huic ante aliquot annos ab aliquo Pharmacopœo sciolo in curatione gonorrhœæ fuisse exhibita mercurialia fortè non bene præparata, quæ uti more empiricorum exhibentur, ita etiam eorum effectus post se relinquunt. Interiora cerebri rimando, in ventriculis anterioribus Unc. xii. seri limpidissimi occurrebant, quod in scutellam effundendo monstravi præsentibus D. D. & Chirurgis. Plexus Choroideus nonnihil etiam erat arrosus & putrefactus. Inquisivi quoque in vasa lymphatica cerebri, sed ut ea viderem, tam lynceus non fui. In pectore aperto pulmones dextri lateris duplo erant majores more solito, unde forsan causa, quod æger semper in dextrum latus etiam invitus decubuerit, sinistri verò à sterno usque ad spinam dorsi ita pleuræ & costis accreverunt, ut judicarem eos mille clavis affixos, quorum interiora plena erant sanie, pure & scirrhis; cor autem optimè constitutum. Breviter ut mentem declarem, salvo aliorum prudentiorum judicio, dico huic ægro, immortali nominis fama digno, ob ferinam tussim, qua ultimo anno vexabatur, in cerebro fuisse ruptam aliquam arteriolam, vel venulam, vel vas lymphaticum, præcipuè in plexu choroideo, unde exsudavit serum, quod paulatim augmentum sumendo, massam cerebralem distendit, in majorem molam elevavit, ipsas meninges earumque vasa compressit, & capacitatem cranii ita occupavit, ut non fuerit sufficiens ad continendum capessendumque cerebrum, quemadmodum in ipsa apertura apparuit: exinde & forinsecus & intrinsecus meningum compressio, ac pericranii per sympathiam tensio sensum illum molestum, seu dolorem ad tactum etiam externum inducens, simulque ostendens in cerebro & meningibus diminutam sanguinis circulationem. Mirabar non fuisse phrenitidem excitatam: verùm dubium præsentibus solvi, Phrenitidem fieri à sanguine in cerebro vel meningibus extravasato, stagnante, & cùm sit extra locum suum naturalem p. n. effervescente & putrescente: hîc vero sanguinem nihil ejusmodi fuisse passum, & ita usque ad undecimum diem ac ulterius absque inflammatione cerebrum potuisse persistere; donec tandem ultimò longa mora ipsis in vasis in putredinem præcipitaretur, juxta illud: & vitium capiunt ni moveantur aquæ. Uti in tua, Vir scientissime, analogia microcosmi cum Macrocosmi Oceano perbellè demonstras. Hæc an rectè judicaverim vestro Curiosiss. simul ac sapientissimo judicio submitto, & si quædam obscurius aut non rectè in hac historia enucleata, ut à felicitate vestrorum ingeniorum magis illustrentur non ægrè fero: licet & ego conquisitis variorum Authorum observationibus historiam hanc forsan analogis exemplis possem confirmare, attamen negotia tam scholastica quàm practica gravia ac permolesta me ad hæc studia alias avidissimum ab iisdem abstrahunt. Mira res! æger hic laudatus confecerat sibi Thema genethliacum multos ante annos, in quo ita erat legere: In hac genitura Mars mihi minatur turbationem capitis, Jupiter & Venus morbum in genitalibus &c. & ecce omnia deprehensa sunt veritati consentanea, omnesque astrorum revolutiones coincidebant cum tempore morborum & mortis, ipseque piè defunctus hæc sibimet coram me sæpius prædixit: Unde volens ipsum à concepta opinione divertere, respondi, Vir doctus es, scis quod sapiens possit dominari astris, quod astra inclinent, & non necessitent, quod Medicina astrorum impressiones etiam radiativas possit corrigere & emendare. His consolatus & acquiescens nihilominus prævisum sibi expertus est ætate immatura nimis durum fatum. *D. Friderici Ferdinandi Illmeri à Wartenberg.*

Cephalalgiæ Historia rara.

Sartor quidam, Vir annorum vigintiquinque temperamento calidus, complexione biliosus (nam ego cum Fieno in semiotica fol. 34. inter temperamentum & complexionem distinguo) facilis ad iram, in eaque sæpius excedens, utcunque temperanter vivens, circa finem Maii anni currentis 1670. incidit in ossis frontis dolorem gravativum, compressivum & lacerativum, ita ut sinciput vix aut parum doleret, eratque dolor sine omni febri, pulsum habebat tardum similem melancholicis: cæterum sanus toto corpore. Exinde vigiliæ, deliria per intervalla, subinde etiam somnus ad horas tertia vel quarta extensus, adeò profundus ut si ipsi totum corpus dilaniasset vix excitasset: tandem sponte evigilans nullam doloris remissionem sentiebat, dierum quatuordecim spatio elapso sine convulsione Fatis cessit. Prædixi adstantibus apostema frigidum adesse, utens vocabulo ad captum vulgi. Mortuo aperio caput assistente mihi in utroque casu olim discipulo meo, nunc Viro & Collega omnium calculo perinsigniter docto ac perito D. D. Georgio Sebastiano Jungio. Ecce vasa turgent in meningibus, cranium nimiam cerebri molem non poterat capere, interiora rimando occurrunt in ventriculis anterioribus ℥ viii. seri flavi & plexus choroideus subalbicans, præterea nihil. Judico hinc vel vas lymphaticum (quale tamen nullum, forsan ob meam inhabilitatem deprehendi) vel vasa capillaria sanguifera aliqua rupta fuisse ob excessum iræ, in qua ebullientes humores nimia quantitate propulsi vasa minima distendunt, & minorem locum affectando eadem disrumpunt: unde paulatinæ transudationes seri cerebri vasa particularia & cavitates replendo, distendendo & comprimendo hæc symptomata causantes. Curationis gratia extraxi sanguinem ex pede, brachio, manu, applicui vesicatoria, hirudines, cucurbitulas ad lateralia capitis, dedi purgantia, ordinavi epithemata anodyna, roborantia, discutientia, contemperantia: Dedi soporifera, verum omnia in cassum. Curiosius aliquis si legat quatuor libr. Hippocratis de morbis, varia ibi de dolore capitis deprehendet, sed textum qui huc ex integro accommodari posset nullum inveniet: vel enim intra quatuor aut ii dies mortui sunt, vel accessit febris, quæ in nostris casibus non observabatur. Qnod si tamen quis vellet analogia quadam uti, cum ipso non pugnabo.

Interim has meas observationes de dolore hoc admirabili judico Medicis servituras pro prognosticis faciendis: vix enim possibile videtur quod Medicus, quocunque etiam catharctico munitus ex cavitate ventriculorum cerebri hoc serum extrahere possit, aliis tamen in suis experientiis nil præjudicando. Ne tamen charitatis opus Medicus videatur omittere, curam palliativam suscipere, & prognostico se munire poterit: Hæc & similia quanquam per circularem sanguinis motum, aliaque recentiorum inventa videantur posse clarius explicari, quam veterum hypothesibus insistendo: attamen si quis veterum de motu sanguinis dogmatibus mordicus velit adhærere, æque ac sat perceptibiliter eadem symptomata & morborum complicationes ex iisdem congruè deducere poterit. *D. Friderici Ferdinandi Illmeri à Wartenberg.*

Pungitivus Capitis dolor ab Aqua perspicua in posterioribus cerebri ventriculis contenta.

Cerebrum facultatum animalium principum sedem esse jamdudum contra Aristotelem Galenus disputavit, ipsasque functiones eo præstantiores reddere quo puriùs, temperatius ac magis pervium extiterit: quanquam antopsia contrarium demonstret, nam filiola cujusdam Comitissæ annorum quatuor, habitus corporis gracilis, biliosi temperamenti, correpta febre ardente, sine notabili operationum principum læsione, crescente morbo, decima quarta die succubuit; In posterioribus cerebri ventriculis inventa fuit libra aquæ, ipsa puteali magis perspicuæ, sine operationum principum læsione, nisi quod aliquando de pungitivo capitis dolore exclamaret: Forsan id ideo quia paucæ urinæ prodibant, & ad calefactum caput fecerunt metastasin. *Anton. de Pozzis.*

Cephalalgia à Lapillo intra Duram piamque Matrem in Capite reperto.

Pastor quidam, ætatis consistentis, eximius hypochondriacus, atrocissimos Capitis dolores, & quidem continuò, inq; sinistro potissimum latere, ultra biennium patiebatur, quos plerorumque nostratium medicorum cura vel saltim quadantenus placare frustra planeque irrito conatu tentavit. Aperto post obitum ejus capite, inter duram piamque matrem, è regione sinistri cerebri ventriculi, durissimum scrupulum grani hordeaci magnitudine reperimus, ipsamque calvariam ibidem loci enormiter extenuatam deprehendimus, hincque causam hujus immanis capitis doloris non vana, uti puto, suspicione deduximus. Rarum exemplum, & cui simile non ubivis obvium. Præter enim hoc nostrum, apud unicum Panarolum, quantum ego quidem scio, simile quid legere est; triplicem scilicet spinam lapideam intra duram piamque matrem repertam annotavit *Pent. 5. Observat. 14.* utut cætera *Marcell. Donatus Hist. med. admirab. lib. 4. & Gregorius Horstius oper. med. tom. 2. lib. 4. observat. 47.* aliique recentiores in singulis partibus humani corporis lapides gigni posse, ratione & experientia probarint. *Georgii Abrahami Merklini.*

Dolor ventris lethalis.

Puella quinque annos nata, jam à longo tempore conquerebatur de torminibus ventris. Quæ dolores leniendi, flatus discutiendi, vermesque necandi vim obtinent, aliquoties adhibebantur, at incassum omnia: unde perseverantibus doloribus tandem ex hac vita migrabat. Aperto cadaverculo, præter eam intestini coli partem, quæ rectum nominari incipit, vix ullum (mirum dictû!) abdominis viscus conspicere potui, idque propter enormem extensionem in dicta intestini coli parte, sub quâ cætera latitabant viscera. *Frideric. Ruysch. Observat. Anatomico-Chirurgicar. Centur.*

Vir quadragenario major jam per decem annos conquerebatur de doloribus circa regionem ventris, qui quotidie magis magisque ingravescentes, tandem hominem emarcidum, & quasi tabe confectum anno 1668. unà cum vita deseruerunt. Ego ad inquirendum incogniti morbi originem admissus, inveni binas mesenterij glandulas (jam glandes dici poterant, in tantam enim excreverant magnitudinem, ut quindecim penderent uncias) decussatim sibi mutuo incumbentes, quæ renem sinistrum ita compresserant, ut pene totus in pus esset conversus; glandulæ autem nullum in substantia contraxerant vitium, solâ magnitudine peccantes; asservantur illæ curiosis oculis spectandæ inter Anatomiæ nostræ raritates. *Theod. Kerckring. in Spicilegio Anatomico.*

DRACUNCULI.

Dracunculi Vena Medinensis nomine ab Avicenna donati propterea quòd Medinæ urbis Arabiæ incolas familiarius afficiant, à Clariss. Georg. Hieronim. Welschio sic describuntur. Dracunculus seu Vena Medinensis lumbricus quidam est, qui proprio suo seminio generatus, sive cum sanguine, sive latice & humore, ut vocant, secundariò, ad partem quandam subcutaneam delato, ejusque calore naturali, aut si quis ita velit, etiam putredinis socio, formam sive animam in ipso latentem excitante. unde primò exiguus, sensim in longitudinem illam insignem, quamdiu licet, auctus, atque iccirco in sinus variè flexus, nihil aut parum molestiæ adfert, sed tandem seu alimenti copiosioris defectu, seu loci angustia, seu aliâ quâcunque de causa, egressum meditatus cutem lacessit, in qua adfluxu ichoris melancholici seroso sanguini permixti, pustula exoritur, quæ deinde intumescens vesicam, seu phlyctænam contrahit, atque mox perforatâ, sive exulceratâ, dracunculo viam aperit, qui tunc exerto capite paulatim prolabitur, neque cessat continuò protendi. Hæc ille; quibus sanè nihil adjicimus in morbo nobis prorsus ignoto, ac de quo magnum ipsum non puduit Galenum sic scribere: *In quodam Arabiæ loco (ut aiunt) in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur, nervosi natura, colore crassitudineque lumbricis similes.* Multos

Multos sanè audivi qui se vidisse eos dicerent, ipse verò cum nunquam viderim, neque de ortu, neque de essentia ipsorum quicquam exactè conjicere possum.

Pars affecta ab istis lumbricis, secundum Welschium mentem Avicennæ explicantem, est musculosa caro, tum crurum, tum brachiorum, tum laterum, idque non tantùm in hominibus, sed etiam in equis &c.

Differunt à *Crinonibus* de quibus suo loco, quod illi crassitudinis sint tantum capillaris, atque breviores, hi verò crassiores ac aliquando plus quàm ulnæ integræ longitudinis. A verme de quo in *Affectione Bovina* quod ille varias corporis partes pererret ac obambulet, hi vero in ea in qua enati sunt parte consistant, donec suo tempore caput exerendo è nido suo, retrahantur. Quomodo præterea ab aliis discriminentur vermibus, sive umbilicalib. quales ex Camerario suprà cap. de Crinonibus, descripsimus, sive intestinalibus &c. per se patet.

De *Causis* Dracunculorum hic quædam è præfato Welschio adducimus, scilicet è pituita viscosa & tenaci enaci, eo prope modo quo pili in viis generantur urinariis, unde morbus, enascitur *qui Trichiasis* vocatur quæ pituita ab alimentis congeneribus, qualibus Arabiæ incolæ utuntur, crassis nimirum ac viscidis, sufficitur. De modô autem quô animetur in vermes viventes, ejusmodi materia, jam mentem suam aperuit in morbi descriptione idem Clar. Welschius.

Signa morbi *Diagnostica* ex eadem satis patent descriptione, si addamus ex Avicenna ab ipso Welschio explicatô. Si materia ex quâ generantur ac aluntur Dracunculi mitior, & præcipuè pituitosa fuerit, nullum ferè, aut valdè obtusum dolorem faciunt; si verò acrior sit illa materia, calidior, ichorosa & melancholica; exquisitum illi dolorem excitant. De *Prognosi* hæc habet Avicenna. *Etiamsi uno in corpore quadraginta ferè, aut quinquaginta locis obtingat* Dracunculus, *curatione tamen evadit.* Unde, ut concludit Welschius, apparet affectum nequaquam lethalem esse: Imò nec valdè periculosum, si modò dextrè & decenter tractetur. Nimirum nisi aut violenta extensione in parte cui adhæret Dracunculus, dolor atque inflammatio excitetur, aut ipse etiam abrumpatur, nihil magni mali minari solet, tum enim relicta in corpore particula, repentè, magnoque cum dolore atque periculo lumbrici in morem, contorquebitur: mox etiam putrescens, ichoresque aut humores acres in partes nervosas exstillans, gravissima symptomata, atque imprimis convulsionem excitabit, quam ipsa tandem mors excipere consuevit.

Curatio Dracunculorum seu Venæ Medinensis ex Avicenna ejusque Commentatore Doctissimo Welschio duplex est, *Præservatoria* una *Curativa* altera. Pro præservatione vitanda est regio in qua generatur; cùm enim morbi endemii ea sit conditio, ut toto illius terræ tractu, quam occupat, causam suam omnibus communem faciat, non forè ullam certiorem præservationem quàm locum fugere clarum est. Sin autem id commodè fieri non possit, saltem à cibis abstinendum ex quibus gigni creditur. Quinam tamen illi sint non explicat Avicenna, Alzaravius omnia olera, omnesque fructus illic vitare jubet, ubi vena exiens sive proserpens generetur; hæc enim esse ait, è quibus produci soleat. Ebn Jezla autem pisces sigillatim enumerat, & lenticulas cum aceto, dactylis, aliisque similibus in direct. morb. tabul. partic. 7. §. 1. Nihil enim dactylis crudis, coctisque, recentibus pariter, passisque toto Oriente & Africæ Asiæque tractu universo frequentius in cibo. Joan. Colle Comm. in Avicennam, omnia cibaria potusque calidiores omnes commemorat, adustos, vitiosos, salsos, ut aquam salsam, carnem salitam, pisces, brassicam, betam, spinaciam, aliaque quæcnque chylum acrem, acidum, acutum & melancholicum gignunt. Vina item nimis potentia, vapida, crassa, & excrementitios humores generantia. Præterea vult Avicenna ut oppugnandæ causæ morbi antecedaneæ evacuetur vitiosus sanguis, secta vena basilica, aut saphena. Item intus ad expurgationem humoris adhibet syrupum myrobalanorum, decoctum epithymi, pilulas coccias, ac tryphæram cum sena & fumaria paratam: quibus omnibus addit humectationem corporis cibis humectantibus, balneis &c. Hæc de præservativa; Morbi præsentis expugnationem quod spectat illa sic instituetur. Cùm vestigium lumbrici, seu Dracunculi apparuerit, membri refrigeratione uti conveniet, per cataplasmata refrigerantia, qualia fieri possunt adhibitis succis frigidis expressis cum sandalis & caphora, imò post corporis purgationem, per hirudines quoque loco applicitas. Succos expressos frigidos sigillatim ceu vulgò notos non enumerat Avicenna nec quisquam alius recenset præter unum Berta paleam, qui succum sempervivi vermicularis, & herbæ apostematum, quæ faba crassa, seu crassula ac telephium est, nominat. Addi possunt, commentante Welschio, quoque alii, ut lactucæ, nymphææ, parietariæ, alsines, portulacæ, lenticulæ, polygoni, oxalidis, umbilici veneris, capreolorum vitis, & maximè tussilaginis, cujus virtutes omnibus inflammationibus planè singulares & eximiæ compertæ sunt. Cataplasma quoque Matthiæ Naldii ex farin. lupin. orob. lentium, myrrh. aloë, croco, & ol. absinth. nec non oleo ex fol. absinrh. abroton. matric. sem. acetos. santon. & ol. laurin. compositum, satis commodum contemni non debet, & si ipsum adfectum nunquam vidisse aut curasse ex scriptis illius satis appareat. Nimirum quæcunque vermibus inimica sunt etiam dracunculis adversantur. Sin autem istæc eludat, jamque prodierit, tunc convenit ei præparare aliquid, cui adligetur, & supra quod blandè & paulatim convolvatur, ita ut sic usque ad finem sui sine disruptione exeat. Ad hoc autem optimum est plumbi bacillum quod præterquam quòd dracunculo convolvendo aptum sit, ejus ponderis fiat necesse est quod ei trahendo non abrumpendo sit satis. De pondere bacilli nihil amplius Avicenna, sed illud explicat Alzaravius dum ex barbaro interprete sic habet. Si de dracunculo jam aliquid exierit, non valet ingeniatio, nisi ut attrahatur, si est parvus, quousque egrediatur totus, & si est longus ligetur in extremitate ipsius arundo plumbea cum pondere ℨj. & deducatur in ipsum quicquid exierit de eo, & caveat ne vena detruncetur. Alii pondus illius faciunt à ℨj. ad ℨij. imò etiam alii ad ℥j. veniunt. Verùm pro diversa Venæ Medinensis crassitie aut robore, pondus

illud

illud ex Medici solertiâ & ingenio variandũ est. Figura debet esse cylindrica. Summa verò cura sit in exitu Dracunculi facili reddendo, quod fit fulciendo membri cui insidet imbecillitatem & rarefaciendo illud irrigationib. ex aqua calida, & mucilaginibus, refrigerantib. oleisq; emollientibus, frigiditate aut subtili calore præditis, & quæcunque ad egressum illis simili ratione facilem reddendum idonea sunt. Ac tandem si videatur apertione opus esse, ut integra prodeat Vena Medinensis, nihilque sit quod prohibeat, aperiatur, & extrahatur. Sin verò exitus ejus commemorata extractione non reddatur facilis, & apertio non sit possibilis, butyro putrefacies, tota enim putrefiet, atque egredietur. In hoc negotio Aëtius Cornario interprete ait. Quòd si Dracunculus sponte progrediens facilè extrahi poterit, nihil ampliùs faciendum est. Sin ad suppurationem vertetur, à cataplasmatis & aquæ mulsæ ac olei irrigatione non est discedendum. Nos verò & emplastrum è baccis lauri post cataplasmatum è farinis, mulsâ & oleo ablationem imponere solemus. Facta verò suppuratione, cutis per longitudinem secetur, & dracunculus denudatus auferatur, & cutis ligamentis inditis disparetur, & reliqua curatio suppuratoria adhibeatur, ita ut animali suppurato & extracto ulcus incarnetur, & ad cicatricem perducatur. Incisio, quæ aliquando necessaria, duplex est, una dracunculo integro extrahendo, altera quæ abrupto tantùm conveniat. De illa sic Avicenna: Maximè verò si secetur locus à Vena Medinensi longinquior, ibique immissô subtus specillo depellatur, & frictio dum egreditur cum sale paulatim & blandè continuetur. Ubi enim cum ipsa ita actum fuerit, tota egredietur. Posteriorem incisionem idem Avicenna his exponit verbis: Quòd si rumpatur, seseque occultet, nullum dubium esto quin aperiri debeat, ita ut denuò capiatur, deinde leniter extrahatur, & locus ut vulnera solent, percuretur.

Atque hæc de Dracunculo seu Vena Medinensi dicta sunto, in cujus ulteriorem explicationem *Observationes* demùm aliquot à Clariss. Welschio in suo de Vena Medinensi tractatu à variis adductas, adjungemus.

Observationes.

Æthyops maris præfecti servus, juvenis 18. annorum, cùm primùm ex Memphi Ægypti celebri civitate Thessalonicen advectus esset, illico de cruris dolore conquestus est, in quo juxta talum primò ulcus excitatum est, in quo venæ modo caput conspiciebatur, quod advertentes Turcæ morbum cognoverunt, periculosum esse in Ægypto & India, ac reliquis regionibus quibus innascitur, significarunt, quæ Arabes præcipuè Avicenna, Venam Medenam, fen. 3. lib. 4. appellari tradit, veluti Avenzoar & cæteri hujus doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat: Pro cujus curatione accersitus Medicus Parahyas linguæ Arabicæ doctus, ita orsus est. Primò debita victus ratione proposita, partem extremam venæ, aut veriùs nervosæ cujusdam substantiæ subtili ligno alligavit, quam paulatim ligno trahebat rotabatve, adeo ut ad ejus ultimam partem, h.e. ad trium cubitorum longitudinem post multos dies pervenerit. Unde Æthyops à doloribus & angustiis, morbove ipso liberatus est, nullò suprapositô cataplasmate concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua, quæ ex Sorano & Leonide ultimis verbis lib. 4. suæ Medicinæ huic morbo auxiliari tradit. *Amatus Lusit. Cent. 7. Curat. 64.*

Hollandus quidam è penuria Rupellam delatus, de dolore, inflammatione, & tumore in utroque malleolo conquerebatur, rem Chirurgo defert, monetque ut de vermibus cogitaret. Id factum. Inflammationi succurrebat cerato Galen. 14. Meth. med. 3. descripto, cui parum basilici miscebatur. En duos quasi vermes aut nervos, ex utroque malleolo unum, prorumpentes. Hos Chirurgus sensim protraxit, usque dum æger de dolore conquereretur, tum in nodum, quod extractum erat, replicando concinnavit, de die in diem opus idem repetendo, usq; dum planè exciderit. Istud quicquid fuerit nervi, aut ligamenti, aut vermis, nunquam vitæ alicujus specimen exhibuit. Longum erat pedes quinque: convaluit. *Antonius Guenotius Parisiensium Medicus & Chirurgus, referente Welschio è suis adversariis à schedis Versungianis petitis.*

Montalbanum è Rupellæ penuria homo allatus jam descripto morbo laborans, sed non ita feliciter curatus: Dum enim rei istius p. n. extractioni nimiâ violentiâ operam dedit Chirurgus, eam disrupit, unde inflammatio, dolor, convulsio, & 24. horarum spatio ipsa mors sequuta. Aperto cadavere, periosteum inflammatum deprehensum est, cui planè adhærebat istud, quicquid fuerit, funiculi instar juxta malleolum in gyros quinque vel sex contorquebatur, inde rectà ad genu porrigebatur, quo in loco iterum in circulos reflexum, tandem ad os Coccygis ferè, aut saltem Ischii protendebatur. *Idem eodem referente Welschio.*

Ad littus cui nomen Capocors, sive promontorium Corsicum, quidam correptus tanquam febri, primò horrore concussus est, calore succedente, totoque corpore pustulis erumpentibus, valdè exiguis, quæ tamen omnes, probè operto mox iterum discussæ evanuere. Delatus igitur in proximum pagum, cui nomen Agrara, haut procul à Castello Sancti Georgii, seu arce Nigritis Mina dicta, circa malleolum in tibia dextra duas pustulas erupisse advertit, quæ vesiculam contrahentes mox rumperentur, & vermis sive dracunculus ibidem latitans caput suum exereret, non majus quàm aciculæ, est, quod ideò à Chirurgo Batavo captum, pennæque medio parumper fissæ insertum, deinceps quotidie circumvolvendo eò usque extrahebatur, donec dolorem aliquem percepisset. Ita unus bidui spatio integer paulatim eductus, prodiit, alter verò abruptus tumorem cruris doloresque maximos excitavit. Qui integer prodierat longitudinem ulnæ nostratis superabat, tenuis erat ad instar chordæ testudinariæ, coloris dum recens erat albi, exsiccatus autem nonnihil flavescentis, qui tensus etiam ad instar fidium sonabat. Chirurgus morbi istius nondum satis peritus erat, ideoque unguentum basilicon & emplastrum palmeum applicuit, quibus tamen solis curationem feliciter absolvit. Nigri illius regni incolæ aliàs ligno utuntur exiguo ad extrahen-

trahendum, & reliquum curant solo oleo palmarum, sive coccorum, quod habent copiosissimum. Triennium illic transegit, antequam morbum hunc contraxisset, qui toti regioni familiarissimus ex aquis præcipuè in cibos potumque adsumtis oriri creditur. *Georg. Hieron. Welschius ex communicatione Joan. Abrab. Heinzelii Patricii Augustani qui ultra decennium in Guineæ regno vitam duxit.*

Qui in Guineam navigant, & in Castello S. Georgii de Mina habitant; cujus districtus ad aliquot milliaria extenditur, toto corpore vermibus adfligi solent, magis tamen Æthiopes incolæ, quàm Germani advenæ. Notatu autem dignum est, si quis tantùmmodò præternaviget pruritum in cute sentire, maximè in brachiis & cruribus, frequentissimè verò in femore. Tunc oritur vesicula, unius, in quibusdam tamen trium pisorum magnitudine. Hæc autem nisi à verme ipso pertundatur, ubi Chirurgi satis maturam judicârint, (sunt autem ejus rei peritissimi) aperiri debet. Mox prodeunt pili gemini, albi, & capite adnati, qui ideò barba vermis dicuntur. Vesica ipsa aqua distenta est: tum vermis quotidie manè & vesperi extrahitur. In partibus corporis musculosis, si articuli ferè longitudine promineat sæpe accidit ut unico tractu educatur. Longitudine ulnam, aut etiam sesqui cubitum exæquant; nivei coloris & frigidissimi, quamvis ex carne calidâ exeant. Tenues ad instar fili, alii tamen ut funiculi. Crassiores venenosissimi & pessimi existunt, valdè que difficulter extrahuntur. Inferiori crurum parte sæpius nervis & venis circumvolvuntur, atque tum quidem educi nequeunt: sed abrumpuntur. Abruptis autem tumor ingens in pedibus, suppuratus, & copiosam materiam concludens, donec tandem fonticulus excitetur, aut scalpello foramen fiat, quo plures quandoque ἀκίνητοι redduntur, magnisque doloribus afficiuntur. Ipse ego, cùm illic degerem, tribus ejusmodi laboravi, duobus scil. in dextro & uno in sinistro crure. Primus dextri pedis in ipsa planta enatus erat; quô 14. dies decubui, neque ambulare potui, donec tandem disruptus exaresceret. Alter infra malleolum ad digitos usque protensus, ideoque magnis cruciatibus & ulcerationibus curatus est. Tertius itidem sub talo sinistro, cùm ad dimidii cubiti longitudinem prodiisset, disruptus retrocessit in tibiam, quæ ideò insigniter intumuerat, ut 4. menses integros ægrotarem. Nec enim nisi sectione curari potuit, quô tempore nec stare, nec ambulare poteram, sed necesse habebam ab Æthiope perpetuò gestari. Stolarchæ nostri coquus 30. ejusmodi vermibus diutius excruciatus est, per semestre integrum decumbens, ut plerique de vita ejus desperarent, tribus enim aut quatuor curatis, mox alii exoriebantur. Quamquam verò pauci reperiantur, qui absque hoc morbo ex illis locis redeant; vicissim tamen pauci occurrent, qui tam multis, ac coquus iste adfligantur. Sanatus autem & ipse est, ut me discedente, etiam ulterius restiterit. Æthiopes se ipsos sic curant: Ubi vermem digiti longitudine extraxerint, abscindunt & oleo palmæ illinunt, foliumque recens ejusdem arboris emplastri loco superimponunt: tumorem quoque, postquam apertione facta, materiam purulentam & ichorodem effluere permiserint; ita persanare solent: Postquam aquâ ex pipere aliisque herbis satis acri reddita eluerint, imponunt deinde oleum palmeum cum folio ad mitigationem. Atque hoc remedio ad omnia ulcera utuntur. *Michael Hemmersamius Noricus Itinerarii Guineens. vernaculâ linguâ conscripti cap. 13.*

Lara urbs magna est bene structa; murisque fortissimis cincta summo montis apice sita. In illa mercatus est, quo varia mercium genera venum comportantur, magnaque illic fructuum copia reperitur. Sed aqua prava, insalubris, putredinum & morborum graviorum ac letalium causa existit. Ex hac aqua, ad Gomeron usque se extendente, ut scribunt, vermes quidam longissimi generantur, qui cruribus humerisque exerescunt, rotundi, congyrati, & in carne occulti. Quamprimùm animadverti concipiunt, aperitur locus, ut caput vermis capi possit. Tum ligneolo diffisso captus circumplicatur sive convolvitur, sex sæpe pedes longitudine excedens: parum tamen quotidie sic extrahitur, donec totus sensim prodierit. Cautè tractandus est, si enim abrumperetur, portio in carne residua, ulcus periculosum efficeret. Medicina contra hanc aquam vitiosam est vini providentia, vel saltem abstinentia à potu aquæ illius, antequam cum cura per pannum transcolata fuerit. *D. de Bourges in descriptione Gallica itineris ab Episcopo Berytiensi in Sinas suscepti.*

Peregrini imprimis qui Guineam appellunt, corripiuntur vermibus in corpore genitis, imò & Æthiopes non tantùm albi, sed etiam nigri prope Meinam, locisque vicinis, cùm tamen ii qui 25. milliaribus orientem versus habitant, huic malo non sint obnoxii. Vermes isti, quos linguâ vernaculâ *Icrion* vocant, non omnibus, qui eò tendunt sed quibusdam tantùm manifestantur. Sunt enim qui iis laborant, dum in litore aurifero degunt, alii in reditu demum, & iterum alii post iter peractum, etiam 4. 5. 6. imò & 12. mensibus, infestantur. Sunt vicissim, qui ter litus illud adierunt, & tamen nunquam de his vermibus quidquam audiverunt. Nonnulli congressui causam adsignant, alii singularis cujusdam piscis esui, vermibus scatentis. Alii natationibus & balneationibus in aqua frigida adscribunt. Quidam à nimio vini palmei potu, vel esu panis miliacei, *Candrarum*, originem trahere dicunt. Sed omnes istæ rationes parum vero consonæ videntur: quia, qui nec cum mulieribus rem habuerunt, nec pisces panesve illorum degustârunt, nec vinum palmeum biberunt, nec frigidam marinam aquam ingressi sunt, vermium tamen hoc morbo adflicti fuerunt, cùm è contrario plures in terra illa, etiam cum meretricibus viventes, vinoque palmeo sæpius inebriati, nihil hujus mali pertulerint. Verosimilius idcirco fuerit, ex singulari quadam aëris malignitate, aut aquæ potu, nasci, quam Nigri illic ex quodam fonte repetunt, Albisque vendunt. Verum quidem est peregrinos multos in litore aurifero aquæ plus nimis bibisse, qui nunquam morbô correpti: sed hi navibus suis infra Mouream appulerunt, non Acaræ, aut aliis locis. Qui enim Moureæ appel-

appellunt, vel aquam multam bibunt, citiùs vermibus laborant, quàm qui Acaræ, aut superioribus locis. Variis modis invadit hic adfectus: Alios scil. cum febri, vel horrore febrili, alios cum imbecillitate, lipothymia aut anxietate magna, quosdam etiam cum delirio. Primò se manifestat vesicula exigua, sive pustula, morsui pulcis similis, vel tumor, in quo vermis inter cutem & carnem sæpe etiam videri potest, vel efflorescentia quædam sanguinea cum symptomatibus similibus. In carnosa maximè parte crurum, brachiorum, genuum & natium, imò præcipuè in omnibus partibus carnosis, quandoque etiam in scroto, quô maximos dolores creat, quanquam etiam interdum hic loci non doleat. Sunt qui trimestri integro iis molestentur, alii è contrario, vix tribus septimanis. Alii etiam aliis plures. Quidam unum tantùm, nonnulli una vice etiam 10. habent. Variæ sunt longitudinis & magnitudinis. Alii duas ulnas exæquant, alii unam tantùm, alii denique unâ etiam breviores sunt. Quidam crassi, ad instar fidium crassiorum, alii tenues, ut filum sericum. Multi non credunt vivere, sed pro nervis corruptis habent, nec vermes esse putant. Sed motu, quem exitu ostendunt, diversum comperitur. Curatio rarò instituitur, antequam vermis ipse exitum paret; aut caput exserat. Tunc enim capitur, & tenetur, ne retrocedat. Sensim postea extrahitur tamdiu, donec ulteriùs prodire cesset. Ita parumper quiescere sinunt, donec denuò prodire incipiat. Quidquid extractum est, ligno cuidam exiguo circumvolvitur, ne in corpus retrò meet. Sic verò trahendo ex intervallis pergitur, donec totus omnino egressus fuerit. Si justô fortiùs trahatur, haut rarò abrumpi solet, & tum plerumque vulneris inflammatio subsequitur. Exeundo etiam plerumque multum saniei secum defert. Nigri manum non admovent, sed cicurari sinunt, vulnusque aquâ salsâ eluunt. Optima curatio est, corpus à putrida sanie, mundare, & vulnus butyro recenti insulso inungere. Locus quô vermis se manifestat, ante omnia, semper caleat, necesse est, custodiendo illum diligentissimè ab omni frigoris sensu. Nisi enim id probe observetur, intumescit plaga, & inflammatur. *O. Dapperus in Africæ descriptione ex Isaaci Vossii Manuscriptis.*

DYSENTERIA.

AD Dysenteriæ absolutam explicationem nihil defuturum spero, si jam produxero; tum quæ in Thesibus Discipulorum Viri Amplissimi Domini Caroli Drelincurtii Regii olim in Galliis Consiliarii ac Medici, nunc verò in Universitate Lugduno Batavo. Professorum omnium antiquissimi (cujus ductu nihil sanè quàm accuratissimum ac solidissimum conscribi potest.) Tum etiam quæ in Clariss. Thomæ Willis Dissertationibus, super hac materia reperire est. Veniant itaque primò Theses memoratæ.

THESIS I.

Ab officii difficultate passio nomen habet Dysenteria, quæ *Aureliano Intestinorum rheumatismus est cum exulceratione.* Hìc enim cum Veteribus causam immediatam uti τὴν τῶν ἐντέρων ἑλκῶσιν agnosco, ita mediatam omnem profiteor πᾶν τὸ δριμὺ, τὸ δακνῶδες, τὸ ἁλμυρὸν, τὸ νιτρῶδες; vel ut breviùs, sed pleniùs dicam, πᾶν τό τε διαβρωτικὸν καὶ τὸ ἀναστομωτικόν.

Intestina quippe ξύεσθαι τε καὶ ἑλκοῦσθαι, illorumque vasa corrodi atque recludi liquet, 1. quidem ex torminibus, vel tormentis ut cum Celsô loquar, quæ hìc sæviunt, unde meritò Tullius torminosos vocat, quos Plinius Dysentericos vocitat, quique Aphrodiseo δυσεντερικοὶ, uti Nicandro δυσέντεροι dicuntur.

Excreta deinde, mucus, bilis, serum, sanguis fluidus, grumosusve, pus, partiumque strigmenta aliud nihil loquuntur quàm intestinorum ξύσιν τε καὶ τραχυσμόν. Jure igitur ab Hippocrat. ἡ δριμεῖα κάθαρσις illa habetur, quæ tot ὀδαξώδεα, totque ξυσματώδεα, imò, quæ tot ἐφελκίδας, totque ξύσματα, seu ramentosas dejectiones, vertente Gorræo, profundit.

3. Insuper id ipsum Anatome clamat, Dysentericorum enim interanea, vel perlucent membranacea, carnei intertrimenti causâ hoc fortiori velut smegmate detersi, subductique; vel carnosâ sui parte vasis irriguâ tumenti, atque plagulis morsibusve cruentata, uti fert carnium indoles; sauciatos enim, insimulque sanguinantes tumidosque videre est lacertos.

4. Demum serpit ulcus tam altè ut intestina perforet, fæcesque profundat vel in ventris alveum, vel in abdominis ulcus è directo ulcerosi intestini, ex oculatâ fide Avicen. Matth. de Gradib. atque Sennerti, qui Germanorum decus est grande.

II.

Sit igitur Dysenteria dejectio mucosa, saniosa, cruenta, purulenta, frequens, torminalis, intestinorum interiorum vel sauciatorum, vel erosorum ergo.

Hâc definitione secludo fluorem diarrhoicum, lientericum, cœliacum & cholericum, omnem insuper τὴν διὰ γαστρὸς ἔκκρισιν αἱματώδη χωρὶς ἑλκώσεως. Dysenteriæ siquidem fundatur ὕπαρξις ἐν τῷ διαβρωτικῷ, illud sive sit primitus inquilinum humorale, vel animale; sive recens assumptum & advena, vel Diæteticum, vel Pharmaceuticum.

1. Internorum vulgatior est Pituita vel acida, vel salsa, quæ bombycinum intestinorum subtegmen ad vasorum usque deterget ora, eò primùm loci, ubi adhæsit, sed mox latiùs atque latiùs gliscit, suisque spiculis intestina fodicat, convulneratque.

Noscitur excretis quasi mucosis, aliàs adeò largiter profusis, sed cruore modico perfusis, ut sui copiâ atque glutinamentô Practicos in admirationem traducat, talem Promotor meus Cl. Drelincurtius in altitudinem stupendam ab imô ad summum cohærentem sustulit. Pueros hæc, senes, sequioremque sexum, unô

verbo

verbô, desides & cochleæ vitam agentes, *olera, fructus & pisces si præsertim vorant*, arripit.

2. Bilis mordacior & plurimis aculeis hirta, *quæ cholericô more flexuosos intestinorum orbes non permeet*, sed quæ lentorem nacta, intestinorum flexuras lentè perreptet, illasque sensim arrodat atque desquamet, sicque post mucum atque cruorem, tot quæ excernuntur detritarum partium ἀποξύσματα undique corrodat. Hanc *Plato* celebrat propter intestinum tumultum, ex alvô, ceu seditiosâ civitate fugientem, & fugâ suâ tot & tantas obviis quibuslibet *intestinis*, ceu *hominibus*, plagulas inferentem.

Hippocrates Platone major, pituitam, bilemque mistas inculcat. Illarum enim *amalgamate*, (*si præsertim salsior bilis, salsiori pituitæ jungitur*) bilis glutinum majus, pituita verò plures ensiculos, *quibus intestina dilaniet*, nanciscitur, atq; sic juratô veluti, & ex condictô ruunt in nefas.

Sicarios istos, fuga detegit. Alter siquidem atque alter alvô secedunt cædibus cruentati. Hæc species æstate vulgatior, & in homines cadit temperie biliosâ victu utentes sibi analogo.

3. Serum, suas & tragædias movet, si diætæ vitiô austerum, acerbum, acidumve fuat. Hinc *Tullius* ex heluellis in Augurali apud Lentulum cœnâ, graviter ex intestinis laboravit. Hinc *milites* atque *lixæ* horariis austerioribus dum sese ingurgitant, tota castra *dysentericis* implent. Hinc Imperatores ipsi *Theophilus*, *Fridericus* III. & *Albert*. II. algidâ & peponibus torminosi. Hinc & ab uvis atque mustô apud *Forest*. tormenta. Hinc & intestinorum difficultates apud *Hildanum*, tum vinô cupreis vasis refrigeratô; tum acetô urceoli plumbei. Acidum enim *Cereris*, *Najadum*, *Veneris* & *Saturni* (si præsertim humore *Bacchi* in ventriculô non retunditur) usque adeò corrosivum est, *Helmontiô teste*, ut excretum lintea rodat. Sic *meus Pr*. in Dys. lethali dejectiones vidit, & teterrimum acorem exhalantes, & in tantum effervescentes, ut horulæ spatiô, *musteâ cerevisiâ citius*, scaphium pede altum, *ab unciis ternis* conscenderint. Notitia hujus ex dictis clara distinctaque.

Serum salsitudine voratorum & *Salsius* & *Stygium* fit, acutieque suâ & cuspidibus, ceu tot ligonibus intestina fodicat, cuniculos agit, murumque Vasis extructum suffodit, quô suffossô cruorem saniosum, torminalemque profundi necessum est, uti *B. Sylvatici fide*, puero lixiviâ haustâ contigit.

Sic *Pr. mei* calculô, Parisiis haud insolens advenis obtingit Dysenteria, ob *aquam* Sequanæ, *aliàs sanissimi*; haustorum pigritiâ, non è profluente limpidô, sed juxta navigia linteis sapone tergendis dicata, quò Civitatis purgamina confluunt, *muriaticam haustam*. Noscitur assumptis.

Illius porrò seri vitiosi fontes, non *unas* duntaxat τ̃ κρικρέατ@ *glandulas*, serum illud *Wirsungianô siphunculô* in *Herophilianam* eructantes ἔκφυσιν, è quâ in ventris Dædala deturbatur, sed & gracilium intestinorum acinos agnosco. Illos enim reputo unâ cum reliquis τ̃ ἐλομελίας *glandulis* serô vitiatô perpluere.

4. Pus demum *humorales* inter *causas* numerandum venit. Humoribus enim natales debet acceptos, & adhuc dum fluere natum aptum. Id profectò nostros apud Majores injuriosè non infamatur δυσεντερικῶν auctor. Fidem quippe mihi fecit *Pr. meus*, sese variolis laborantes, Phthisicos, & Empyicos *sedibus dysentericis* purgatos vidisse.

Quaternis istis, *Animalem causam*, sed brutam, quidni accensebo. *Meus* enim *Pr.* cladis illius animantum copiam, *aliàs exanguem*, cruentos reos in flagranti delictô deprehendit. Quadragenario quippe Medicinam fecit, cujus dysenteriam diarrhœæ triduanæ succedaneam, nullis Phœbi potentibus herbis sanare valuit. Ac proin, alvô toties profusâ, exhaustôque vitæ thesaurô sanguine, & doloribus identidem ingravescentibus, omnemque, somnô requiem, depellentibus, fato cessum est.

Incisis à pyloro ad anum interaneis, insolens nihil tenui e fistulâ venit in conspectum. At universi coli decursus, *tantus quantus est*, vel suis in secretioribus cryptis atque cellulis vermium latibula passim prodidit. Illorum autem alii adhucdum locorum palantes huc & illuc grassabantur. Alios verò angnineô flexu contortos, implicitos, conglomeratosque cernere fuit. Tota insuper colon atque rectum, exteriora quidem livida, interiora verò flammea, tumefacta & tumulis densis exasperata. Interior enim illorum tunica ubivis crassior erat, & frequenti, ac supra modum gibberâ papillâ sanguinariâ protuberabat. Tot loca *meus Pr.* nuncupat nuperæ cruentæque cladis: eò quippe loci vasa cernere fuit oppidò tumidiora, atque Lumbricorum morsiunculis, & fossionibus reclusa, cruoremque manantia.

Istos porrò homicidas, *eò loci foricarum putore crociores*, agnoscere est suis è nævis, quos arcessivisse à capite, nunc alienum est.

Defunctum quod attinet, totos dies quindenos perdius & pernox abdomen manibus comprimens sellæ insedit foricariæ, nullis enim argumentis adducebatur lectum ut peteret, ne confestim alvi deponendæ causâ lectô exilire cogeretur, jugibus enim egerendi stimulis agitabatur. Podice deprehensus est ita hiulcô atque patulô, ut καλαμίσκον indere φαρμακίτου l. ctei enematis ergò, studuerint frustra.

Cæterùm tremulus erat universè, adeò ut explorando pulsui locus denegaretur: appetitu vigebat, nauseæ sitisve nescius: Verùm, sub extrema fata, abdominis ambitum ad rabiem usque torminosum ululabat. Alsit universim, manibus atque scrotô lividis. Fæces totæ diarrhoicæ, consistentes nusquam, & primùm quidem griseæ, sanguinolentæ demum atque lethales. Brevibus istis fidam τέκμαρσιν, ceu cynosuram habes. Quocirca in dysenteriæ sedibus crassis, tenuibusve, distinctiùs internoscendis nullus ero. Imò brevitatis gratiâ, quæ hic discutienda venirent de *torminosis intestinis* non semper *laceris & extenuatis*, de illorum *situ*, *mucô*, *adipe*, *sanguine fluidô*, *grumosô*, *paucô*, *multô*, *fæcibus mistô*, *impermistove*, *laminis*, *fibris*, *carunculis & ulceribus cavis*, (quæ fæcum abdomine mediô sunt emissaria) atque singulatim de *tenesmô*, deque *tenesmi* atque *dysenteriæ gradibus*, & συσσαρκώσῃ & συνδρομῇ, de illorum *effluviis atque contagiô*; de *therapeuticis controversis*, deque *specificis in specie*, lubens sileo, ne diatribam margine plenâ, non autem Inaugurale lemma φιλιάτρων oculis subjiciam.

Strictim igitur *causas & Externas* attingam. *Diæteticas* Thesews secundæ refricuisse nolim, *Pharmaceuticas* insolentiores quidem de *annulô voratô, Euphorbiô, Ephemerô Colchicô, adamante, vitrô*, &c. repeti velim ex *Lusitano, Clusio*, &c. Vulgatiores *meus Pr.* in Adversaria, quorum est mihi copia, retulit de *Mercuriô tum vivô vel* unctione vel suffitu; tum *sublimatô, atque etiam præcipitatô* vel rubrô, vel albô, deque *minerali Turbith*, temerariis Barbitonsorum ausis, perperam usurpatis, de *Theophrasti Gillâ*, de *pane* dulciariô bis coctô *diagrydiatô*, de *trochiscis alhandal*, de *cataputia minore, de granis Cnidiis*, de *Strobilis Indicis*, de *purgatrice* tandem, aliàs innocuâ, *Mannâ*.

5. Dysenteria universè χαλεπή τε ϗ ἐπικίνδυνος, dum quippe torsionibus excruciat, humores frugi consumit, spiritus exhaurit, partesque depopulatur, si potissimùm ægrotantis in perniciem collatitias sibi commodant operas symptomata. Tunc quippe πολύπονος quidem, at non πολυχρόνιος existit. Ominosa siquidem est, citoque non intestinorum duntaxat, *gracilium imprimis*, stamina disnectit, sed & vitæ totius abrumpit fila, si causis internis est orta, si febris adest, si fastidium cibi, si nausea, si singultus, si convulsio, ætas si infantilis, senilisve, consistens item uterum si gerit; lumbrici si ferociunt, si tergora dant; lipothymia si arripit & repetit, sudor si frigidus, extrema si algent, si livent; torsiones si nullis aut brevibus sint induciis intercisæ; vel si derepentè altum silent, nec repungunt; malaciam enim tantam infidam me docuit *Pr. meus*, quadragenario quippe Medicinam fecit rabidè torminoso, sed cujus rabiosa tormenta continuò siluêre. Sciebat quidem *meus Pr.* τὰ ἀσήμως ῥᾳστωνήσαντα ἀβέβαιά τε εἶναι ϗ θάνατον ἐπιφέρειν, sed hanc de Dysenteriâ singularem prognωsin, nec à mutis nec à vocalibus doctus erat Preceptoribus, atq; adeò triumphi cecinit, sed ante victoriam. Effluxô enim triduô *detriumphavit*, ut cum Tertullianô dicam, æger quippe doloribus solutus beatas in sedes evolavit.

Apertô cadavere, *exta* Omasô exceptô, nusquam *extantia*, sed contracta depressaque, nec non liventia & usque adeò siderata, ut contrectatione vel leviori, tota in lamellas abierint, suâque graveolentiâ cunctos abegerint.

Haud ita pridem Comitum Germanorum alterum, post torminosas decumanasque procellas, dies ejusmodi illuserunt halcyonei. Omnem lapidem *meus Pr. extispicii* gratiâ movit, sed quia de præteritis *extispicium* non datur, noluit Pylades, Orestis cadaver apertum.

Sinistri insuper ominis est, dejectio vel glutinosissima, inque placentas ductilis, *qualis è vesicâ grandiori attritâ calculô*, vel saniosa, purulenta, fœtens, spumans acore fugienda, vel prassina, æruginosa, isatodes, atrabilariave grumis stellantibus si radiat ebullitque; meconiata item, omnisque vel sincera, vel multifariam variegata, si demum vel putridis carunculis, grumisve, vel sanguine *fluxô*; *& omni fœtore olidiori* scatet.

Felicem nihilosecius conclamant exitum, *Galenus* quidem, *Avic. M. de Gradib.* atque *Senn.* intestinis altum exesis; *Brassavolus* verò carunculis excretis; *Schenckius* ramentis spithamam longis; *Hellerius* dejectionibus piceis; *Solenander* demum, atrâ bile largius profusâ.

Dysenteriam abortione partuque solutam ternis exemplis notant *Hipp.* atque *Senn.* Lienem, variolas, & Empyemata fluore dysentericô purgari, Hippocratei codices, *meique Pr.* Adversaria testantur. At fugacem illam decet esse, altas quippe si radices agit, symptomatum myriadibus pullulat. En vulgatiora germina, stolonesque præcipui, Πονηρῆς γὰρ τῆς ῥίζης, πονηρὰ τὰ βλαστήματα; cibi fastidium, diarrhœa perennis, *alvus aliàs impensè stricta*, lienteria, tabes, hydrops, coxarum dolores, nervorum debilitas, mesenterij, coli atque recti abscessus, ulcera Telephia, Chironia, scabies fœda, lepræ contermina & pustulis saniosis & pruriginosis execranda, Epil. insania, ophtalmicæ demum, laterales & arthriticæ querelæ ex luculentâ *Hipp. Gal. Avicen. Benivenii, Hollerii, Saxoniæ, Hildani, Bartholini*, aliorumque benè multorum αὐτοψίᾳ. Sed verborum parcus, tot historiarum famam supprimo.

6. Curationem nec *miraculosam*, uti Paulina est apud Melitæos; nec *fictam*, ut Amphireti, dysenteriam (*quò Lemniis Pyratis sese subduceret,*) epotâ rubricâ simulantis, sed Medicam atque Germanam adhibemus.

Ulcus ergo tergemus atque solidamus: Causam retundimus: Symptomata demulcemus, atque etiam depellimus.

Rem totam brevibus confecturi, erectum in Pharmaceuticos, Chirurgicos, Diæteticosque fontes digitum intendimus.

Pituitam, bilem, serum atque pus retusa exterminamus. Feras ipsas, quæ viscera nostra depascuntur, vel vafrè & subdolè vinô oleosô atque lacte, inescamus, cicuramus, soporamus, ne nostra sæviant in præcordia; vel apertô Marte, ceu tot hostiles copias, amaris, catharticisque fundimus atque fugamus.

Assumtis austeris dysenteriam ortam aromaticis compescimus, Vinô v. g. aromatite, Theriac. Mithridat. Opiat. Salom. Diasc. Frac. Sal. Volat. ol. Salv. Rorism. Cort. arantior. & citr. caryoph. Item gingib. nucist. myrob. &c. conditis. Ast isthæc biliosum v. g. febrilem focum luculentiorem incendunt. Aliundè etiam quæ inter illa pulveres admittunt malè lævigatos, suis spiculis ulcus refricant, & doloribus acuunt. Dysenteriam verò, mochlicis genitam, ab ipsis, ut ita loquar, incunabulis extinguimus, oleosis quippe atque mucilaginosis, *lacte præsertim*, cùm intestina loricamus, tum inprimis, cathartici mordacitatem infrænamus.

Febris si deurit siti fera, inflammatio si vel suborta, vel in procinctu est, dolor atrox si vigiliis atterit, viresque si constant, calida, purgantiaque exulent. Refrigerantia verò atque lenientia veniant in usus, tundaturque basilica, Praxim nostram ne traducant *Aëtius, Trallianus, Altomari, Hollerius, Valetius, Botallus, Duretus, Schenckius, Hildanus, Hautinus, Claudinus, Septalius, Rhodius* atque *Riverius*, alios numerosos ne adducamus venæsectione feliciter usos. Absit ergo τοῖς αἱμοφόβοις Ἐρασιστρατείοις palpum ut obtrudamus; Absit rursum αἱματοφόνοις ut assurgamus; profusas enim execramur αἱματεκχυσίας; purpureas enim ægrotantium animas evocant. *Medio tutissimus ibis.*

Practicis emunctæ naris deridendos sese propinant Cathedrales Doctores, dum Rhab. & Ta-

Tamarindos apud. *Rondeletium, Hollerium, Duretum, Forestum, Hildanum, Septalium*, atque *Sennertũ*, culpata legunt, atque idcirco omnes omninò purgantium decurias rejiciunt: Felix enim ad *Chronicam Dysenteriam* iteratæ atq; decies repetitæ purgationis exitus, secùs sentientes arguit. Lactentes ipsos atque prægnantes, *meus Pr.* tutò purgat Syr. vel violac. vel de cichor. comp. cum rh. vel rof. solut. veter. vel Cathol. Fern. simpl. quadruplicatò rheô, vel extract. rhab. vel ejusdem aut infusô aut decoct. cum Cortic. myrob. citrin. sant, citr. & crocô ex aq. plantag. *Cane pejus & angue, hic, ut & aliàs in torminosis*, diagrydiata, mercuriata, unô verbô, omnia *mochlica* refugimus. Usus si præscriptis exposcit fortiora, sambucinam ebulinamque sapam, unà cum illarum tragemate Quercetanicô nulli secundas habemus.

Sed ne fusiores simus, Diætetica medicamentosa electè digeramus. peritiorum erit morbificæ causæ cuilibet palmaria tribuisse.

Alterentur gallinacea, vervecinaque juscula oxylapat. agrim. plant. burs. past. vincâ perv.

Decoquantur aut petioli, aut omasa vitulina, aut vervecinum caput suâ obductum alutâ, additis subsidente fervore santal. rubr. mace, cinnamomô, pareturque gelatina frequentis usus.

Palmam habent lacti incoctæ summitates hypericonis & tapsi barbat. cum incisis capit. papav. alb. & cydoniorum sem. crocique momentô, non omissis ovor. vitellis ad frequentes tepidosque hasutus.

Ptisanam paramus vel ex rad. Symphyt. maj. filipend. mor. vel ex ras. ebor. C. C. subere, haud neglectis usis tempore Syr. vel de cyd. vel de ros. rubr. sicc. vel de corall. vel de granat. acid vel de oxyacanth. vel guttulis demum è lap. hæmat. tinct. secretiori modo parat.

Bubulum coctum & calculis ignitis sæpius fervidum aut per se, aut in pultem redact. sive amylô, sive far. fabar. vel oryzæ, vel lentium, vel milii, cum tragac. g. momentô, miras virtutes exerit:

Sorbiles insuper ovor. vitelli cum olivô vel amygdalinô optimis, saccharatâ vel plantag. vel rosar. aq. superhaustâ, non infimas tenent. Imò primas tenebunt, si modicum admiserint vel laud. vel mast. vel terr. sig. vel bol. Arm. vel balf. Ægypt. aut Peruvian. vel etiam sulphuris Terebinthinat. vel ætherei demum terebinth. spir. Tota etiam terebinth. cedat in usus, vel ex ovi vitellô, vel cum pulv. Arm. boli, vel ex ovi testâ, additô, vitelli vice, syr. cydonior. momentô; vel in Enematis demum, ex vaccinô coctô cum hypericon. tapf. barbat. rof. rubr. atque cytinis additis ovor. vitell. vel ol. hyperici, cydonior. aut lentisc.

Vilibus & incultis, notæ melioris Practici nec alb. Græc, nec Arcadici pecoris, nec Bœoticæ suis recrementa dare despiciunt. *Hactenus Theses memoratæ. jam videamus quæ Thomas Willis in sua habet dissertatione.*

Quamvis Dysenteriæ vocabulum, communi acceptione Alvi fluxum cruentum, sicut Diarrhæa humoralem denotet; attamen salva Etymologia, libet nomen istud morbo huic Londinensi, etiam quando minimè sanguinolentus est, applicare. Etenim sæpe, & jam dudum observavi, fluxus istius, qui ferè quotannis hic circa Autumnum increbrescere solitus, vulgò ventris tormina (sive nostro Idiomate) *Griping of the Guts*) appellatur, duas, & longè diversas esse Species; in una sedes Aquosæ & quasi limpidæ cum subita virium prostratione, in altera cruentæ attamen tolerabiles existunt; dejectiones interim biliosæ, aut phlegmaticæ (dum alteruter morbus grassatur) rarius eveniunt, & morbum non ita mali moris esse denotant. Quo utrique isti morbi Dysenterici, quoad rationes formales, causas, & ab invicem differentias, clarè innotescant, ex re fore videtur utriusque Typos, quibusdam annis quando endemii fuerunt, à me observatos, & tunc graphice descriptos, hic subjicere.

Anno 1670. circa Æquinoctium Autumnale quamplurimi Dysenteria incruenta, verum atroci admodum & valde periculosa laborabant Affectus, & subito, & frequenter absque manifesta occasione invadens, laborantes cum vomitu immâni & sedibus crebris, & aquosis cito in maximam debilitatem inque spirituum horrenda deliquia, & virium omnium prostrationes redigebat. Novi plures pridie satis sanos, & valde robustos intra 12. horas morbi hujus Tyrannidi adeo miserrime dejectos, ut cum pulsu debili, & exili, sudore frigido, atque respiratione anhela & elata, jam jam moribundi viderentur: & quidem non pauci, quibus remedia idonea aut medendi oportunitas defuerunt, ab eo cito interibant. Ægritudo hæc per mensem integrum desæviens circa Idus Octobris decrescere cœpit, & aute calendas Novembris fere in totum evanuit. Pauci eo tempore sedes cruentas, & non multi biliosas, plurimi vero & vomitus & alvi dejectiones aquosas & ferè ilimpidas, & copiosas, habuerunt. Dumque intra hanc Urbem Dysenteria ista popularis adeo immaniter grassata est, ruri aut saltem ultra tria milliaria fere nullus decubuit. Porro hic loci quamvis plurimi ægrotabant, morbus haud per contagium propagari, sed tantum prædispositos afficere videbatur. Nam in eadem familia cum affectis conversati, haud magis quam eorum contubernia vitantes, corripiebantur.

Pro curatione hujus morbi, nulla evacuatio juvabat, quinimo phlebotomia, vomitus, & catharsis nunquam non nocebant; verum remedia fere tantum cardiaca, eaque calidissima, sc. spiritu, ac sulphure aut sale volatili abundantia, commoda fuerunt; in tantum, ut spiritus vini cum saccharo parum deflagratus remedium populare, & quasi epidemicum fuerit; atque in tali dysenteria fere semper proficuum; etsi in altera cruenta indifferenter usurpatum sæpe noxium deprehenderetur. Medendi methodus, quam in plurimis satis feliciter tunc adhibui, & simili casu etiamnum soleo, juxta modum sequentem fuit.

℞. Theriacæ Andromachi ℥j. vel ʒiss. sumat. in lecto superbibendo Julapii sequentis cochl. VII. vel VIII. & repetat tertia vel quarta vel quinta quaque hora.

℞. Aq. Menthæ, Cinnam. hord. ana ℥III. Aq. Cinnam fort. Epidem. Theriacal. ana ℥II. Margar. pul. ʒI. sacchari crystal. ℥ss. misce f. Julap.

Eodem tempore placenta, ex pane tosto Theriaca illinito, & vino generoso aut rubro calfacto intincta, ventriculo calidissime applicetur, & subinde mutetur.

Vesperi si pulsus, & respiratio satis robusta fuerint, propinetur Laudani liquidi Cydoniati gr. xx. in haustu. Ap. Epidem.

℞. Diascordii ʒi. Laudani liquid. ℈ß. pul. è chelis compos. ℈j. Aq. Cinnam. q. s. f. Bolus sumend. hora somni.

Quibus Theriaca, & Mithridatium nauseæ sunt minus congruunt, exhibeatur dosis pulveris sequentis, aut spiritus Theriacalis, tertia quaque hora cum Julapio.

℞. Pul. è chelis compos. rad. contrayer. serpentariæ, Virgin. ana ʒj. Cinnamom. rad. Tormentillæ, ana ʒß. croci, coccinellæ, ana ℈j. f. pul. Dosis ʒß. ad ℈j.

℞. Sp. Theriacalis Armoniaci ʒiii. Dosis ℈j. cum Julapio quarta quaque hora, vel intermediis temporibus inter doses pulveris. Eodem modo sp. C. C. vel fuliginis exhiberi possint. Potus sit cervisia cum crusta panis, macere, & Cinnam. coctis, edulcorata, aut vinum ustum, & aqua Menthæ dilutum. Victus sit jusculum puli, aut avenaceum, aut panatella cum rasuræ C C. eboris rad. Scorzon. &c. incoctis.

Circa morbi hujus endemii Ætiologiam, imprimis quæ causa ejus conjuncta fuerit, disquiramus: cujusmodi nempe humor peccans, & excernendus viscera adeo infestarit, inque spasmos excretorios cum torminibus, totius corporis perturbatione, & virium omnium subita prostratione iritaverit. Certè nullus hunc bilem, vel succum pancreaticum, alinmve quemvis intra ductus intestinales genitum putabit: nec quidem à mero sanguine (prout aliquando in febrium crisibus accidit) eum in viscera suffusum credimus. Quin potius (uti ex subito languore, & cita spirituum animalium concidentia, & partium omnium, enervatione conjicere licebit) suspicamur in hoc affectu succos corporis præstantiores, scilicet nervosum, & nutritium solidis partibus adpositum, à crasi sua penitus vitiari, & quasi fluorem passos deliquari, inque massam sanguineam redundare; dein statim ex ea (siquidem incongrui, & immiscibiles, atque per urinam aut diapnoen amandari inhabiles fuerint) versus stomachum, & intestina per vasa cœliaca transferri, ididemque arteriarum osculis consitissimis exundantes, horrenda isthæc symptomata dysenterica excitare. Porro videtur quod insimul ipse sanguis aliorum humorum gurgite perfusus una colliquescat, inque crasi solutus liquamina sua, cum alteris recrementis in viscerum cavitates profundant.

Certè ex nulla alia causa fibræ omnes motrices, cum totius Animæ concidentia è vestigio resolvi possint, nisi quod humor eosa ctuans, & in quo spiritus Animales hospitantur, eas prorsus destitu ens, effiueret & quidem effluere censemus, quatenus in crasi vitiatus, & quasi lac coalescens Partes continentes molestet, inque corrugationes, quibus excutitur iste irritet. Præterea morbum hunc fere semper cum rigore cæpisse advertimus, cui tamen calor & æstus febrilis minimè succedebant, quia sanguis, licet per se parum in vitio, nihilominus succi alterius invadentis diluvio pene obrutus, haud emergere aut se recolligere potuit, ut febriliter ac in crisin effervesceret. Hinc cardiaca non nisi fortiora, & calidissima, uti aquæ ac spiritus ardentes, Theriaca, Mithridatium, & similia juvabant; quorum viz. particulæ summe activæ, dum vasorum splanchnicorum oscula facile subierint, humores exundaturos repellerent; porro sensim in massam sanguineam se insinuantes ipsum vigorarent, inque fermentationem & diaphoreseos motum cierent; quo & crasin pristinam recuperare, & quicquid ei incongruum ingeritur, in habitum corporis retorquere queat.

Hæc de morbi hujus causa conjuncta, sive proxima, remotiores sunt προηγούμεναι, sive antecedentes, manifestæ, sive evidentes; illæ denotant à qua προφάσει, sive apparatu diathesis hujusmodi morbida & epidemica procedit; atque hæ propter quas occasiones, in Affectum Dysentericum citius prorumpit. Quoad priorem, morbus hic siquidem frequentius in Autumno grassatur, immoderatæ fructuum æstivorum, seu potius ὡραίων comestioni, à pluribus ascribitur; quod equidem pro dysenteria cruenta in causæ partem facile admittimus; quin etiam in aliquibus, morbum prædictum inde seminium quoddam habuisse merito suspicamur, At vero hanccausam istius morbi haud integram & adæquatam esse, vel hinc constat, quia multi hujus urbis incolæ, fructibus abstinentes, aut parciùs utentes Dysenteria incruenta, dum epidemica fuit, passim laborabant; atq; alii fructivori in pagis vicinis ab ea prorsus immunes, febribus aliis sine alvi torminibus, aut fluxu afficiebantut. Enimvero sæpius observavi (quod etiam hoc Anno contigit) post æstatem impensè calidam & siccam, in Autumno febrem Epidemicam, & Anomalam, in pluribus Angliæ locis increbuisse, atque tunc temporis Londinenses pauciores quidem ab ista febre, quamplurimos vero à morbo dysenterico decubuisse: cujus ratio videtur esse, quod cum corpora nostra propter æstatis prægressam intemperiem, in febres Autumnales disponantur, in fumoso & spississimo hoc aëre, illæ potius in hanc morbi speciem determinantur. Quippe transpiratione impedita, humorum degenerum corruptelæ, per cutis poros efferri inhabiles, intus restagnant; ibidemque, ex arteriis simul omnibus erumpentes, horrenda isthæc viscerum pathemata inducunt.

Porro tempestas æstiva, juxta quod magis aut minus calida aut frigida insimulque humida, vel sicca fuerit, magnam in corporum nostrorum humoribus, prout etiam in succis quibusque fermentativis, alterationem facit; eosque à crasi sæpe genuina, in naturam acrem, aut acetosam, aut adustam pervertit. Insuper in quibusdam Annis mutatio isthæc potissimum Sanguini, inque aliis magis Liquori Nervoso imprimitur. Ratione prioris, plerumque febres Autumnales, vel synochæ acutæ, vel intermittentes, atroces insequuntur; respectu alterius, febres anomalæ, & mali moris oriuntur; in quibus sine magna sanguinis incalescentia, aut morbi crisi, cerebri & nervosi generis affectiones periculosæ increbrescunt. Porro in hujusmodi pathematis, aut liquoris nervosi sensim dege-

degeneris recrementa, pigri motus sine turgescentia critica lente ac paulatim aggesta, ac intra partes continentes diu permanentia, febres νωθρώδεις cum torpore, & stupore (quales in spasmologia nostra olim descripsimus) pariunt: aut succi istius in crasi sua multum ac subito mutari corruptelæ, magis efferæ & activæ cum fluore quodam turgescunt, atque è fibris, partibusque nerveis, & solidis ubique in massam sanguineam redundant, & exinde statim in viscerum cavitates exudantes, dysenteriam hujusmodi incruentam, qualis modo describitur, producunt; & quidem hunc ventris fluxum aquosum à succi nervei, & nutritii potius, quam ipsius sanguinis depravatione, & colliquatione exoiriri, propter subitas & magnas spirituum dejectiones (quas tanta meri sanguinis effusio non pareret) hinc insuper constat, quoniam hoc morbo laborantes, non æstu ac faucium ardore, aut linguæ scabritie molestantur, quin medicamenta calidissima bene tolerant; & quamprimum ab iis exhibitis humoris peccantis inversio, inque habitum corporis retorsio procuratur, illi sine febre, vigilia, a liisque sanguinis corrupti consequentiis facile convalescunt.

Circa morbi hujus causas evidentes non est ut multum disseramus, quando talis Anni constitutio est, ut propter iniquam aëris aut cœli influentiam succi à sanguine procreati scilicet nerveus, & nutritius à debita crasi, in alienam naturam infestam, ac uti videtur acetosam, & proinde dysentericam degenerent. Errores in victu aliisque non naturalibus tunc temporis admissi pravam ejusmodi diathesin fovent, adaugent, citiusque in turgescentiæ eccatharticæ plenitudinem perducunt: singulas, à quibus fiunt, causas manifestas, & occasiones, non operæ pretium erit hic particulatim explicare, quin potius ad dysenteriæ alterius, nempe cruentæ, Theoriam exponendam transeamus.

De Dysenteria Cruenta.

Autumnum Anni 1670. dysenteria incruenta modo descripta insignem, Hyems impense frigida, qualem vix quisquam tunc vivens cognoverat; insequuta est: nec minus alterius extremi particeps erat Æstas succedens, calidissima nempe & siccissima; ingruente posthæc Æquinoctio autumnali Febris epidemica exorta, per totam fere Angliam grassabatur. Hæc febris intermittentis typum servans, paroxysmos modo quotidianos, modo tertianos habuit, cum nullo tamen aut perexiguo tantum frigore, sed calore valde intenso, qui per plures horas, & non raro ultra nycthemeri spatium protractus, vix in sudorem, eumque non nisi partialem, & sæpe interruptum transibat, ἀπυρεξία minimè succedente. Laborantes statim languore insolito, vigiliis, vertigine, & frequenter cephalalgia immani afficiebantur; atque morbus raro aut nunquam crisi perfecta judicatus, diutissimè protelabatur, & non raro capiti, aut pectori noxam incurabilem affigens, in affectionem Soporosam aut Phtisicam, & sæpe lethalem desinebat. Febrem huic similem in Puretologia nostra, una cum Theoria & Therapeusi, olim descripsimus; quam & similis Anni constitutio præcessit.

Dum vero hæc febris ruri per vicos, & oppida ubique fere palabatur, Londini Dysenteria vere cruenta, utpote tum sanguinolenta tum crudelis valde desæviens, compiures in sepulchrum subito præcipitabat. A prima hujus morbi invasione, plerumque cum ventris dolore, & torminibus, cruor copiosè & crebro dejiciebatur; vigiliæ pertinaces, cum febre & siti ingenti urgere solebant; usque tamen vires mediocriter constabant, ita ut affecti, postquam circiter hebdomadam ægrotantes, fere vigesies quotidie dejecerint, lecto exsurgere potuerint. Dejectiones cruentæ licet terribiles viderentur, attamen laborantes haud cito interibant, quin plures septimanas, immo interdum menses sanguinem quotidie in magna copia excernentes persistebant; & demum, siquando morbus usque in pejus vergens in exitium tenderet, ante lethum symptomata alia, ac imprimis vigiliæ, linguæ ac oris scabrities, sitis, & nonnunquam Aphthæ exitiales apparebant; quinimo fluxu intempestivè, & debito citius cohibito symptomata ista citius erumpentia, magnum vitæ periculum indicabant. Pauperes mala victus ratione, à longo tempore prius usi, etiam quorum cura ab initio prætermissa, aut perperã administrata fuit, frequenter interibant, aut ægrius convalescebant; è contra meliori corporis habitu prædıti, atque medicina tempestiva ac idonea freti sepissimè evaserunt. Porro ipse morbus, licet Epidemicus, haud tamen pariter in omnibus malignus, sed in quibusdam mitior, inque aliis atrocior videbatur; viz. Alvi fluxus ab initio modo lenis, & diarrhææ non absimilis fuit, in qua dejectiones licet crebræ; sine dolore tamen, aut multo sanguine facile, ac interdum cito curabantur. Modo affectus iste valde teter, ac horrendus apparebat, in quo nempe sanguis in copia ingenti cum torminibus, & cruciatu acerrimo profundebatur. Cæterum dejectiones in his liquidæ, & sanguine diluto tinctæ, instar loturæ carnium, in aliis crassiore cruore saturatæ, ac insuper muco albicante, & non raro membranarum frustis refertæ fuerunt. Doloris sedes modo superior, modo inferior, in his intestina tenuia, in illis crassa magis affici indicabat.

Medendi methodus, cum remediis quæ in plurimis juvamen contulisse deprehendi, juxta modum sequentem fuit. Imprimis ad fluxum paulo sistendum, aut moderandum.

♃. Theriacæ Andromachi ʒj. laudani liquidi Cydoniati gr. xx f. Bolus hora somni sumend.

♃. Conser. rosar. rub. vitriol. ℥ii. Theriacæ And. ℥j. pul. rad. Tormentillæ, Contrayer. Margarit, Corallii præpar. ana ʒj. syrup. è rosis siccis q. s. f. confect. sumat. quarta vel quinta quaque hora q. nucis castan. superbibendo Iulapii sequentis ℥iii.

♃. Aq. Menthæ, Meliss. Cinnam. hord. ana ℥iv. Theriacalis, Epidem. ana ℥ii. Marg. ʒi. sacchari ʒi. misce, f. Iulap.

Post diem unum aut alterum exhibeatur potio purgans & astrictoria.

♃. Rhabarb. incis. ʒii. myrobalan. citrin. incis. ʒiss. sant. rub. Cinnam. ana ℈i. f. infusio per noctem in aq. plantag. & Cinnam. hord.

ana ℥ıiss. f. express. fortis, cui add. Aq. Cinnamomi fort. ʒiiss. f. haustus.
Unoquoque vespere, ac insuper in quibusdam casibus interdiu Laudani Dosim satis magnam exhibere solebam; nec unquam dysenterico cuipiam medicamentum hoc obfuisse novi; sive quod medicamenti vis narcotica à ventriculi succo acidiori perdometur & quasi cicuretur, seu potius, quod particulæ ejus ad sanguinem transmissæ, exinde rursus, quo minus cerebrum afficiunt, cum sedibus cruentis citro eliminentur.

Quibus Confectio superior, aut nauseæ, aut minus commoda fuerit, loco ejus pulvis sequens exhibeatur.

♃. Pul. pannonici rub. ʒi. rad. Contrayer. ʒss. f. pul. divide in tres partes, sumatur pars j. in quolibet liquore.

Vel ♃. Boli Armen. Alexit. (hoc est succis fol. Torment. Bistort. ros. rub. &c. impraegnat. & sole exsiccat.) rad. Contrayer. ana ʒj. Margarit. Corallii rub. succini albis. ana ʒss. f. pulvis. Dosis ℈ii. ad ʒj.

♃. Rad. Caryophyll. Scorzoneræ, ana ℥j. Torment. Bistort. Contrayer. ana ʒiiss. C. C. usti ʒiii. rasuræ eboris, C. C. ana ʒii. Coccinel. ʒss. flor. ros. rub. ʒii. coquantur in s. q. aq. font. ad ℔.ii. circa finem adde conser. ros. rub. ℥iii. colaturæ clarificatæ adde Aq. Epidem. ℥iv. Dosis iii.

Ad sedanda intestinorum tormina, & erosiones sanandas enemata crebro ex usu esse solent.

♃. Decoct. summitatum hyperici, cum pedibus vervecinis, aut mesenterio ovino ℥viij. vel xii. Theriacæ Andr. ʒii. olei hyperici ℥iss. f. enema.

Omitto hic plures alias medicamentorum formulas, quæ in libris practicis passim extant, & quas unusquisque pro re nata præscribere possit, ac debeat. Quod superest in morbi hujus Epidemici, seu potius Endemii Ætiologiam paulum inquiramus.

Dysenteriam, uti non incruentam, ita nec cruentam à meris intestinorum contentis acrioribus procedere ex prædictis satis constat. Porro sicut alter iste morbus, à Liquoris Nervei, & Succi Nutritii degeneris fluore; ita hic potissimum à Sanguinis corruptela & vitio originem habuisse videtur; ac ideo quemadmodum istius hic loci Endemii alibi ægritudo νευρώδης contemporanea fuit, ita cum Dysenteria cruenta Londinensis afflixit, febris intermittens tertianæ hæmitritææ (prout à Medicis describitur) similis reliquam Angliam infestabat. Et quidem satis obvium erit concipere, cum sanguis æstivis caloribus assatus, proindeque circa Autumnum in effervescentias febriles, & tanquam vina excalefacta in fermentationes, quibus expurgentur, immodicas aptus fuerit, si particulas degeneres & excernendas propter Diapnoen, in aura spissiori impeditam, ordinaria per diaphoresin via amandare nequeat; quod iste effervescens adhuc, eas versus intestina transferat, perque arteriarum ibi consitissimarum oscula magis patentia eliminare satagat. At vero siquidem cruoris degeneris recrementa incongrua, sive μιάσμαλαν οσερ ei penitus incocta: & intime confusa non facile extricari, aut secerni possunt, propterea iste saburra hac gravidus, ac onustus, inter circulandum, vasa exiliora dum pertransit, plurimum coarctatur; proindeque circa intestinorum superficies internas, ubi arteriarum tunicæ sunt teneriores, & oscula laxiora, sanguis ibi turgescens, simulque ob particulas heterogeneas, quibus satur est, incrassatus, & ad coagulandum aptus, facile erumpit; cumque recrementa sua secernere & exuere nequeat, sui ipsius portiones iis maximè infestas effundit.

Itaque ad Dysenteriam Popularem excitandam tria hæc concurrere oportebit viz. imprimis adsit massæ sanguineæ dyscrasia, propter Anni intemperiem exorta, quæ in effervescentias febriles, aut sponte, aut occasionaliter ineundas, valde proclivis sit. Quapropter dum hic morbus Londini, febris Anomala in plerisque aliis locis grassari solet. Secundò sanguinis ita effervescentis, & crasi degeneris recrementa, & corruptelæ ipsi intime adeò confunduntur, & incoquuntur, ut neque facile secerni, nec Diaphoresi, aut Diuresi cito eliminari possint. Quare observavimus Febrem Dysenteriæ huic contemporaneam usque diuturnam, & judicatu difficillimam fuisse, ejusque paroxysmos vix unquam in ἀπυρεξίαν desiisse. Tertio his accedat (quæ diatheses prædictas in Dysenteriam cruentam determinat) pororum constipatio, propter fumosam & crassiorem aëris constitutionem inducta: Hæc etenim sanguinis effervescentiam καθάρσιον versus intestina dirigit; ubi cum purgamenta ejus secerni, ac à reliqua liquoris massa facile abscedere nequeant, ipse per portiones maximè infectas, & proindè extravasari aptas, sponte effluit.

Propter hujusmodi apparatum Dysenteria Londinensis ordinaria, & non admodum maligna exoriri solet; quæ licet præ sedibus cruentis, horrenda statim, & plerumque diuturna est, haud tamen valde contagiosa, aut sæpius lethalis existit. Verum insuper hic morbus interdum virulentus & quasi pestilentialis plures interficit, & miasma suum per contagium late explicat. Porro in tali statu sanguinis portiones malignitate quadam tactæ, velut in peste corrumpi incipiunt, & statim à reliqua massa, ne tota mox pessundetur, secerni, & eliminari debent; quæ tamen siquidem crassiores, proindeque per alvum potius, quam per habitum corporis aut urinam, expurgari aptæ, Arteriæ Cœliacæ, & mesentericæ ductu intestinorum tunicis inferuntur; ubi cum à reliquo sanguine non facile abscedunt, partim è vasis erumpentes, sedes cruentas inducunt, partimque intestinorum membranis infixæ, diathesin in iis aut phlegmonoeiden aut ulcerosam, quandoque item sphacelosam, & cito exitialem pariunt.

Hæc de Dysenteriæ cruentæ, quatenus circa Autumnum hujus loci morbus endemius esse solet, causis, tum Conjuncta tum Antecedenti: quod spectat ad causas manifestas, sive occasiones quæ diathesin νοσερὰν citius in actum deducunt, huc imprimis referri debent mala victus ratio, atque aëris inspirati pravitas; quapropter in quacumpue regione, ob fœtorem, & vitiosa alimenta militum castris, & captivorum carceribus familiaris existit; porrò

ro ad hunc censum pleraque alia in non naturalibus errata pertinent, de quibus nec otium, nec operæ pretium erit hic particularius disserere.

Indicationes Therapeuticæ, in quas medendi ratio, sive praxis superius adumbrata resolvi potest, præcipuæ, sive primariæ sunt quatuor, scilicet duæ respectu sanguinis, ac totidem respectu Viscerum. Primo quoad sanguinem, tum recrementa & corruptelas ejus intus vergentia exterius versus habitum corporis, quo per διαπνοὴν exhalent, propellere, tum coagulationes ejus dissolvere, & crasin, quantum, & quamprimum fieri potest, restituere oportebit: Prius horum Diaphoreticis, & alterum Alexipharmacis idoneis perficitur. Secundo quod spectat ad viscera, fibrarum nervearum sensio molesta, & carnearum ad spasmos excretorios irritatio sedari, atque vasorum oscula, ne sanguinem, & humores in ductus intestinales profundant, occludi debent. Prius horum Opiata, & alterum remedia Styptica, sive astringentia efficere solent: Insuper his, symptomata maximè urgentia, & malos affectus huic morbo supervenire solitos, cujusmodi imprimis sunt Febris cum Siti ac Vigiliis, intestinorum tormina, ac interdum erosio, inflammatio, ac ulcera, sanare oportet.

Indicationibus istis primariis non singulatim & successive insistendum erit, verum eas simul omnes complicare, eodem tempore prosequi incumbit. Quapropter medicamentorum formulæ, remedia diversi generis, sc. Alexiteria, Styptica, Diaphoretica, & Opiata comprehendere debent. Quoniam non facile erit hæc in methodum certam, & præcepta, quæ plurimis conveniant, redigere; ideo satius duxi curationum dysentericarum Autumno Anni 1673. quando hic morbus atrociter desævììt, factarum, exempla quædam nunc in medium proferre.

Juvenis illustris 25. circiter annos natus, temperamenti sanguinei, & constitutionis prius sanæ, circa calendas Octobris, sine causa manifesta in dysenteriam incidit; & quamvis à primo statim die, sedes copiosæ & cruentæ cum torminibus erant; attamen robustus, & viribus adhuc constans medicinam, ad tertiam usque diem distulit, quo tempore, sera nocte accersitus præscripsi bolum sequentem.

℞. Theriacæ Androm. ʒj. laud. liquid. Cydoniat. ℈j. misce, superbibat Julapij sequentis haustulum.

℞. Aq. Tormentillæ, Menthæ, Cinnam. hord. ana ℥iv. Theriacalis Epidem. ana ℥ij. Margarit. ʒj. sacchari ʒj. f. Julap. porrò tertia quaque hora cepit electuarij sequent. circiter ʒ jss. cum eodem Julapio.

℞. Conserv. Ros. Rub. ℥ij. Ther. Androm. ʒ j. pulv. rad. Torment. contrayer. margarit. corall. præ ana ʒ ss. syr. papav. Rhead. q. s.

His remediis morbi ferocia cito minuebatur, ut nicthemeri spatio vix supra 6. aut 7. sedes habuerit, quæ item non valde cruentæ ut prius, sed caruncul¡s, & quasi membranarum frustis refertæ apparebant; quod ita proculdubio fiebat propter tunicæ villosæ portiunculas quasdam erosas: unoquoque vespere opiata laudano sumebatur.

Die morbi quinta cepit haustum sequ entem

℞. Rhabarb. incis. ʒij. myrobalanor. citrin. ʒ jss. sant. citrin. ʒ ss. Cinnam. pul. ℈ j. salis absinth. ℈ ss. f. infus. per noctem in aq. plantag. & Cinnam. hordeat. ana ℥ ij ss. colaturæ adde aq. Cinnam. fort. ʒ ij.

Ter vel quater purgabatur cum levamine, & die postero, febre imminuta melius habuit, adeo ut convalescere visus carnes comederit; inde tamen mox recidivam passus est, ut dysenteria cum febre rediens statim atrocior quam ab initio fuerit, eo tempore, cum medicamenta priora nauseæ esse cœperint, juxta modum sequentem præscripsi.

℞. Pul. rad. Tormentillæ, Contrayer. boli alexiterij ana ʒj. Margarit. corall. rub. pr. succini albiss. ana ʒ ss. f. pulv. dosis ʒ ss. in aqu. destillat. ℥ iij.

℞. Summit. Cupressi, Myrti, ana M. iv. folior. Ulmariæ, Pimpinel. Hyperici, Caryophillat. ana M. iij. rad. torment. Bistort. ana ʒvi. florum ros. rub. M. iv. Baccar. Chermes ℥ iv. Cinnam. maceris, ana ʒj. concis. omnibus, & simul contusis affunde vini rub. Florentini, Aq. rosar. rub. ℔ iv. destillentur organis communibus, liquor totus misceatur & edulcoretur inter sumendum, cum syr. è coralliis. Item ter, vel quater in die cepit decocti sequentis ℥iii. vel iv.

℞. Rad. Caryophillatæ, Scorzoneræ, ana ℥i. Torment. ʒii. CC. usti, & pul. ʒvi. ras. Eboris CC. ana ʒii. summitat. Hyper. M. j. flor. ros. rub. balaust. ana p. i. coquantur in aq. font. lib. ij. ad iij. addendo circa finem vini rub. Lisbon. ℥iv. conser. ros. rub. ℥iv. effervesiant clause per horam i. dein coletur per Manicam Hippocratis.

Singulis noctibus cepit Laudani liquidi ℈j. in aq. dysentericæ modo descriptæ cum syrupo caryophyl. ℥iii.

Pro potu ordinario decoctum CC. usti, cum hordeo, crusta panis, macere, & Cinnam. cujus lib. iss. lactis. recentis lib. i. addebatur.

Infusio purgans iterum sumebatur, cujus, & priorum usu, intra 10. dies febre evanescente dysenteria longe mitior evasit, quæ licet sine torminibus aut multo sanguine, usque tamen cum caruncul¡s, membranarum frustis, & phlegmate sive gelatina cruenta quotidie excretis, perstitit.

Itaque ad intestina corroboranda, & sananda sequentia exhibebantur.

℞. Summitatum Cyperici, folior. vincæpervincæ, pilosellæ ana M j. flor. rosar. rub. pug. ii. coquantur in jure intestinorum vervecin. colaturæ lib. j. adde olei Hyperici ℥ii. mellis ros. ℥iss. misce pro duobus clysteribus, quorum unus mane, & alter hora quinta pomeridian. injiciebatur. Emplastrum de Minio & Paracelsi sup. abdomen gestabatur, porro bis in die cepit succi plantaginis cum Aq. Scordii & epidemica expressi ℥iii. item quotidie comedebat pomum Cydonium excavatum, atque pulvere olibani, Mastichis, & balsami Tolutani impletum ac sub cineribus coctum.

His remediis constanter usus, intra mensem perfecte convalescebat.

Circa idem tempus Juvenis alter robustus in Dysenteriam terribilem incidit: à primo statim

die sedes crebræ, & valde cruentæ cum dolore & torminibus erumpebant; insuper febris intensa, cum vomitu atroci, siti, & vigiliis infestabant: cum ab opiatis assumptis symptomata hæc paulo mitigarentur, mox delirio, & vertigine, cum pulsu intermittente, & rigoribus horrendis afficiebatur; in quantum sc. materies maligna intus cohibita, illico in cerebrum, & nervos redundaret; qui tamen affectus quoties alvi fluxus, & vomitus redirent, illico sedabantur. Die quinta materiam cruentam evomens, de insigni stomachi cruciatu, & dolore velut ulceroso conquestus erat; revera ut suspicio esset illic phlegmonem, aut ulcus, prout circa intestina assolet, incepisse; verum à jusculis emollientibus, & lacteatis adhibitis, vomitio, & stomachi tormina brevi cessabant, aucto interim alvi fluxu. Cepit ista nocte Diacodii ℥j. cum aq. Paralyseos, & Cinnamomi aquosa ana ℥iss. à quo remedio in tantum alleviabatur, ut nycthemeri spatio, sine vomitu, aut doloribus, & paucis tantum sedibus cumque pulsu laudabili, & crebro somno mediocriter habuerit, verum nocte insequente repetita licet eadem opiata alvi fluxus valde frequens, & cruentus redibat. Postridie cepit infusionem Rhabarb. cum myrobalan. sant. rub. & Cinnam. crebro dejecit biliosa, summe acria, & prorsus incruenta; dein vesperi isto sumsit laudani liquidi cydoniati gt. xxv. in cochl. aq. Cinnamomi hordeat. somnos modicos, & magis placidos habuit. Postea medicamentorum plurium abhorrens, cepit tantum opiatam unoquoque vespere, modo hanc modo istam, & brevi convaluit.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ Inspectiones ex variis.

In Dysenteria proprietate (cæteris omnino observatis, quæ in cruenta dejectione necessaria sunt) specificâ unice juvant.

1. Essentia seu tinctura smaragdi, quæ fit hôc modo.

♃. Particulas seu recrementa smaragdi (ʒj. venit 4. vel 5. basiis) tere, (non in mortario nisi ferreo) pulverem tenuissimum super porphyrio, superfunde urinam puerorum simplici destillatione paratam, & in loco calido tincturam extrahe, quam toties affuso menstruo recenti collige, quoties illa in idem mittitur. Tincturas omnes collectas & filtratas, ablato per destillationem menstruo, reduc in pulverem griseum, quem de novo cum sp. Vini extrahe in summam viriditatem Spiritus Vini denuò ablato ad aliqualem consistentiam, relinquitur Essentia vel tinctura Smaragdi in fundo: cujus gr. 2. 3. 4. ad 8. vel 10. in aqua plantaginis, tormentillæ, exhibita, omnes dysenterias miraculosè sistit & ventriculum roborat.

NB. Spir. vitrioli non detur, præcipuè si exulceratio adsit.

2. Essentia Croci Martis à Crollio descripta.

3. Aluminis crudi ʒj. in aqua plantaginis ad potandum data, dysenteriam solvit.

4. Tinctura corallorum ad gr, 4. 5. 6.

(Præsertim quæ cum spiritu ligni quercini est parata vel

Tinctura de Catechu.

♃. Terræ Japonicæ sive Catechu q. v. affunde spir. vin. tartarisat. & s. a. Extrahe in digestione Tincturam, quæ Datur ad gr. 10. ad 20.)

5. Laudanum opiatum cæteris paribus.

(Hoc præ omnibus ut sacram anchoram commendo, modò sit ritè præparatum)

6. Aurum potabile Anglicanum (It. pulvis spongiæ salicis, de quo suprà.)

In Dysenteria, causa, quæ est humor biliosus & fervens, infusione ex Rhabarbaro & Myrobalanis tollenda, facta infusione in aqua hordei, ipsoque Rhabarbaro fortiter expresso, semel atque iterum facta repetitione purgantis, ad leviter adstringentia, tam extrà quàm intrà applicanda, accedendum. Quale in primis est seq.

♃. Succi baccarum sambuci q. v. in eum injice micam panis ex furno extracti calidam, ut succum imbibat. Hinc iterum in furnum, ut exsiccetur, inde, quo facto iterum in dictum succum immerge, exsiccaque, idque tertiò & quintò repete. Tandem siccetur, ut in pulverem, redigi possit, dos. ʒj. singulis matutinis. Prodest etiam hic nux moscata & Myrobalani conditi in quantitate aliqua assumpta, syrupus ribium, berberorum &c. Crollius emplastrum ex Theriaca & terra sigillata tepidè applicat.

Injiciatur quoque Clyster ex decocto anodyno Chamomillæ, anethi & rosarum, in quo dissolve sevum hircinum ab ℥ß. ad ℥j. cum ovi vitello dissolvendum, ne cohærescat.

Quòd si malum ad statum & incrementum pervenerit, convenientissimum remedium est, in principio miscere clysterem sequentem, quem sæpius reiterare convenit. Nam, si materia pauca sit, solis interdum id genus Enematibus, adhibita jam dicta purgatione curatur morbus.

♃. Lactis ustulati seu chalybeati ℔iß. mellis rosati ℥iii. ovor. vitell. Num. ii. F. Clyster. Quod si cares lacte.

♃. Aquæ hordei, in qua folia Chamomillæ & rosarum an. p. ij. incocta sint, aut locô decocti hordei capiat vervecum, capitum in primis, si dolor magnus adsit: posteà ad ea quæ vim habent constringendi & simul refrigerandi, Enemata properandum, quale in primis est seq.

♃. Herb. Centinodij. burs. pastoris, plantaginis an. Mj. summit. tapsi barbati. equiseti an. Mß. & si fortiùs desideras, adde balaust. Mß. Myrtillorum ℥ii. sem. plantaginis. portulacæ an. ʒii. flor. rosar. p. ii. Coq. in s. q. hordei. ad ℔j. aut ℔jß. in decocto dissolve mellis rosat. colati ℥ii. sacch. rub. aut rosacei ℥j. F. Clyster, qui sæpiùs injiciendus & nonnunquam cum præscripto adstringente permutandus.

Interiùs per os exhibeantur syrupi adstringentes, opiata, condita & conservæ. Præstat conserva radicis symphiti cum terra sigillata & Sale corallorum. Præstat etiam post abstersionem sæpiùs exhibere dosin Laudani opiati mei. Hoc nimirum ad omnem alvi fluxum, evacuatâ priùs materiâ tutò exhibetur magnoque cum fructu. Aut exhibeatur potio Cardiaca, quæ:

♃. Theriacæ recentis aut mediæ ætatis. confect. alkermes, ana ʒß. trochisc. de Carabe. de terr. sigill. an. ʒß. ad ʒj. syr. rib. aut violar. ℥j. de rosis siccis ℥ß.

M. Ca-

M. Capiat horâ somni, aut post meridiem.

℞. Confect. Alkermes. de hyacintho an. ℈i. trochisc. de carabe ʒi. aq. plantaginis ℥i. syr. rosarum ℥iß. F. Potio Aut Bolus ex confectione de hyacintho ʒiß. terra sigillata aut bolo armeno aut trochiscis de carabe ℈iß. cum saccharo. F. Bolus.

Exteriùs inungatur oleo myrtillorum & cydon. ana aut fiat ex herbis seq. decoctio, quâ fomentetur venter & renum regio.

℞. Plantaginis. Centinodii an. Miv. fol. symphiti. equiseti an. Mii. gallarum. nuc. cupressi. gland. quercuum an. ℥ii. flor. rosarum. verbasci an. p. iii.

Decoque in aqua pluviali & vino adstringente, addito sub finem coctionis pauco acet. aut inungatur venter inferior Unguentó comitissæ aut unguentô stypticô Fernelii: applicetur Emplastrum de Mastiche, ol. cydon. an. ℥j. pulveris myrtillorum ʒiii. Prosunt etiam hîc lapidum pretiosorum solutiones & perlarum.

Crura laventur decoctô sequente.

℞. Gallarum immaturarum, nucum cupressi an. ℥iß. rad. filicis. Calcitrapæ an. ℥ii. fol. plantaginis tapsi barbati an. Mi.

Coque in Vino adstringente, cum decocto laventur crura manè & vesperi.

Cùm corpus satis purgatum clysteribus dictis, offeratur infusio Rhœados cum rheo tosto:

℞. Rhabarbari parùm tosti ʒi. Infunde cum Myrobalanorum Citrin. ʒß. santali Citrin. ℈ß. Cum sero lactis aut aq. Endiviæ, exprimantur, expresso adde. Rhabarbari torrefacti ʒiß. syr. capill. Veneris ℥i. Capiat manè.

Hinc ad ea, quæ fluxum planè sedant, accedendum, in quibus sequentia medicamenta primas tenent:

℞. Gummi Arabici & Ceræ albæ ana ʒß. includantur in pyro aut malo cydon. alicujus magnitudinis, quod in cineribus vel ad ignem assetur, ut optimè mollescat, exhibe manè & vesperi, quoties visum fuerit. Non incommodum quoque fuerit sæpiùs cum vino rubro adstringente aut cum vino granatorum exhibere suprà dictos panes cum succo baccarum sambuci.

Experimentum certum, si justô tempore præcipuè, ubi exulceratio mundata, & jam consolidanda.

℞. Pomum Cydonium vel aliud acidiusculum, excavetur superiori parte & expleatur cerâ albâ rasâ & gr. iii. mastichis, iterumque claudatur & involvatur stupâ & assetur in cineribus, pomum assatum detur hora j. ante cibum & mira operabitur,

℞. Carnis Cydoniorum q. s. cum rosis rubris & vino rubro Chalybeato, & applica ventri inferiori, summum arcanum est in hoc affectu.

Crocus Martis, Limatura Martis seu Chalybis primò urinâ pueri, seu aquâ dulci aspersa exedatur tota nonnullis infusionibus aceti tartarisati, acetum evaporet, ejus substantia residet, forti calcinatione in pulverem rubicundum impalpabilem convertatur, quem aquâ pluviâ & rosar. ablues & exsiccabis.

Hujus. ℞. ℈ß. Seu ℈i. in dysenteria & sanguinis profluviis & obstructionibus ab extra in hæmorrhagia desperata.

Ejusdem usus est Oleum Croci Martis, cujus processus sequens. Crocum Martis cum urina pueri forma in massam, quam per retortam destilla more spiritus vitrioli, & proveniet oleum rub rum & aliquantum spiritum, quod si per dies aliquot vel sub fimo digeres, vel in cineribus circulabis ad intrinsecos morbos egregiam operam præstiteris, usus idem, qui Croci, Dos. minor croco gutt. 4. vel 5.

Sulph. Solis, Hoc à proprietate sua fixâ sulphuri microcosmico dissoluto maximè confert.

℞. Sal. nitri & Sal. communis q. v. (v. gr. ℔iß.) boli communis ℔vi. destilla s. a. oleum, ueluti destillas oleum Sal. communis. Hôc oleô solve Solem priùs amalgamate & admixtione flor. Sulph. calcinatum (ut infrà dicetur) in cineribus positum in matracio pulverisatum, affusô oleo destillatô ad eminentiam digitorum aut ad ʒj. Solis additur ℥ß. sp. Sal. dicti. Tincturam separa & spiritum usque ad siccitatem sæpiùs inde evoca per destillationem ipsam, Solis solutio remanebit in fundo rubra. Huic superfunde spiritum (oleum) vini & tincturam destilla ad oleositatem. Hujus guttæ v. vel vj. in vehiculis convenientibus datæ fluxum ventris sistunt & ventriculum corroborant.

Amalgama & Calcinatio Solis. ℞. part. j. Solis part. vi. argenti vivi. F. s. a. amalgama, quod in crucibulum ponatur, & evaporetur omnis Mercurius. Pulvis relictus cum novo Mercurio, ejusdem dosis amalgamatur, idem Mercurius exhalet. Eadem amalgamatio repetatur. Hinc adde part. ii. florum Sulphuris, in crucibulo detineatur in igne, donec Sulph. omne exhalet & deflagret. Idem labor sextâ vice repetatur.

Non sine fructu quoquè in hoc malo sudor provocetur cum terra sigillata & lapide Bezoar.

Afferunt quoquè non levem opem cucurbitulæ umbilico & iliis affixæ.

Potus sit aqua hordei, in qua CC. coctum sit.

Dysenteria in superioribus intestinis si fuerit, plerumque lethalis est simul, ob consensum evomente aut singultum patiente ventriculô. Potest tamen iis remediis curatio tentari, exceptis Enematibus, quæ aut nulla aut pauca esse debent, assumptô per os lacte cum melle aut saccharo rosaceo ratione abstersionis & cæteris necessariis suprà dictis exhibitis.

Quod si ab intemperie calida acres humores generentur ab hepate, & dysenteria hoc modo foveatur, ungatur hepar Cerati santalini ℥iv. ol. Nymphææ, rosarum an. ℥i. Camphoræ ℈ß. assumanturque, quæ intemperiem alterant.

Experimentum in Dysenteria.

℞. Cupular. glandium q. v. affunde aquam fabrorum ferrariorum, vulgò das Löschwasser auss. der Schmitte Coque donec intensè saturatam rubedinem contraxerit, Aquam tinctam filtra & singulis duabus vel tribus horis Haustulum ad ℥ii. propina. *Joh. Hartmann. in Praxi. Chymiatr.*

Ut ad Curativas Dysenteriæ Indicationes tandem procedamus; cùm varia, quæ huic morbo accidunt symptomata, diligent ac maturè mecum pensitâssem, Febrem eum esse

(sui

(sui sc. generis) in intestina introversam deprehendi, cujus ope humores calidi atque acres in massa sanguinea contenti atque eandem exagitantes, per Arterias Mesaraicas in dictas partes deponuntur, unde à vehementiori sanguinis atque humorum eò contendentium impetu patefactis vasorum orificiis, sanguis per sedem effunditur. Interea temporis importuno intestinorum nisu, quæ omnem adhibent operam ut humores acres continuò infestantes expellant, mucus iste, quo naturaliter obducuntur, singulis sedibus, nunc parciùs, nunc copiosiùs unà egeritur. Proinde ultrò se Indicationes offerre videbantur, neque mihi aliud quippiam incumbere existimavi, quàm ut primùm acres istos humores sectâ venâ immediatè revellerem, quo facto insuper reliquam massam contemperarem, tum etiam dictos humores per Cathartica subducerem. Hâc itaque Methodo sum usus; Quo primùm accersebar die, venam cubiti tundendam suasi, eadem nocte & Paregoricum propinavi; & sequenti Aurorâ Potionem hanc Catharticam Lenitivam mihi familiarem.

♃. Tamarind. ℥ß. fol. Sennæ ʒii. Rhei. ʒiß. Coq. s. q. Aquæ Colaturæ ℥iii. dissolve Mann. & Syr. Ros. Solut. an. ℥i. m. f. Potio sumenda summo manè. Hanc ego Potionem Electuario cuilibet cum Rhei paucâ quantitate parato, soleo præponere; licet enim Rhabarbarum Choleræ atque acrioribus quibusque humoribus evacuandis sit dicatum; attamen nisi Mannæ aliquid, aut Syrupi Rosacei, vel aliud ejusmodi, eâ quantitate admisceatur ut ad pleniorem Catharsin assurgat, non admodum conducit. Quandoquidem verò satis est obvium, Medicamenta Cathartica etiam lenissima, & tantùm ἐκκοπρωτικὰ, ventris tormina intendere, spirituum etiam dejectionem, atque ἀλυξίαν universalem ægro inferre, adventitio nempe illo tumultu quo sanguinem ac humores commovent inter operandum; ea propter solenne mihi est Paregoricum temporiùs aliquanto subjicere quàm post Cathartica consuevimus, horâ sc. pomeridianâ quâcunque, modò Catharticum suo defunctum munere videatur; quo sc. quem concitavi motum denuò sufflaminare valeam. Deinceps adduas ad huc vices dictum Catharticum præscribo, alternis sc. diebus hauriendum; Paregoricum etiam post singulas Purgationes, quo supra monuimus tempore. Hoc insuper diebus à Purgatione vacuis tam manè quàm serò exhibendum curo, quo sc. symptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res est. Anodyno autem utebar, maximè Laudano liquido, guttis nempe 14. vel 15. in Aqua qualibet Cardiaca, pro dosi una: Post Venæ-sectionem & Catharsin semel celebratam, Aquam Cardiacam è temperatioribus subinde degustandam concessi: Aquam sc. Epidemicam, Aquam Scordii compositam, aut similem, (idque inprimis in senioribus ac Phlegmaticis,) quò nempe spiritus magnâ Dejectionum vi, quod in hoc morbo usu venit, prostratos erigerem quadantenus, & resarcirem; Potus erat Lac coctum cum Aquæ triplo, aliquando etiam Lac Cerevisiatum, vel Cerevisia cum panis cortice & Maci incoctis; Panatellâ item nonnunquam vescebatur, nonnunquam jusculo è carnibus ovinis macilentioribus. Grandæviores lectulo magis addixi; Aquam item Cardiacam illis familiarem liberaliùs indulsi, quàm infantibus aut junioribus par erat. Laudata Methodus omnibus, quæ mihi hactenùs innotuêre, in hoc morbo vincendo facilè palmam præripuit, qui perrarò ultra tertiam Purgationem duravit.

Quòd si morbus præfractior his non cederet, dictum Paregoricum ægro inhibui singulis diebus mane & horâ somni, donec omnino convalesceret, nec vel minimum quidem incommodi à tam frequenti Medicamenti Narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit, (quantamlibet noxam inde sequuturam comminiscantur inexperti,) licèt plures noverim qui in morbo contumaciori idem ad septimanas aliquot continuas quotidie usurpaverint.

Ut unicâ instantiâ (neque enim pluribus Convalescentium exemplis, nullâ cogente necessitate, Lectori tædium creabo) Methodum jam à me propositam commendatam faciam; Vir Pietate atque Eruditione insignis *Joh. Belke* S. T. P. & Comiti Sancti Albani à Sacris Domesticis, durante hâc Constitutione, Dysenteriâ Acutissimâ laborans, me in subsidium accito, ipsissimâ hac Methodo restitutus est.

Infantes hoc morbo correpti eodem planè modo erant tractandi, sanguinis tamen extrahendi quantitate, tum etiam Medicamentorum, tam cathartici quàm Anodini, viribus pro annorum ratione imminutis; ita ut v. gr. Narcotici guttæ duæ infanti unius anni suffecerint.

Laudanum Liquidum, quod in quotidiano, ut dictum, usu mihi erat, hanc ad normam simpliciorem præparavi.

♃. Vini Hispanici ℔j. Opii ℥ii. croci ℥j. pulv. Cinamomi & Garyophyllorum an. ʒj. infundantur simul in B. M. per duos vel tres dies, donec liquor debitam consistentiam acquirat, Colatura servetur pro usu. Hanc nostram præparationem Laudano Officinarum solido anteferendam virtutibus quidem non censeo, sed ad formam saltem commodiorem & majorem Dosis certitudinem, eidem antepono; cùm sc. Vino, Aquæ Distillatæ, aut liquori alii cuicunque instillari possit. Et profectò non hîc mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum Omnipotentem πάντων δωτῆρα ἑάων, non aliud remedium, quod vel pluribus ma is debellandis par sit, vel eadem efficaciùs extirpet, humano generi, in miseriarum solamen, concessisse, quàm sunt Opiata; Medicamenta sc. ab aliqua Papaverum specie desumpta. Et quamlibet sint nonulli, qui credulis persuadere velint, omnem ferè Narcoticorum, Opii præsertim ipsius, virtutem ab artificiosa ac debita, quam soli adhibent, præparatione pendere; qui tamen experientiâ judice certaverit, & tam simplicem succum à naturâ oblatum, quàm ejus præparata cum diligenti observatione in usum frequenter revocaverit, nullum ferè discrimen intercedere comperiet, & mirandos illos effectus, quos edit, nativæ ipsius plantæ bonitati atque excellentiæ, non verò artificis polydædali solertiæ deberi, certò sciet.

Quinimò ita necessarium est in hominis periti manu organum jam laudatum Medicamentum, ut sine illo manca sit ac claudicet Medicina; qui verò eodem instructus fuerit, majora præstabit quàm quis ab uno Remedio facilè speraverit; rudis enim sit oportet & parùm compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem sopori conciliando, demulcendis doloribus, & Diarrhœæ sistendæ applicare tantùm novit, cùm ad alia plurima, gladii instar Delphici, accommodari possit, & præstantissimum sit Remedium Cardiacum, unicum penè dixerim, quod in rerum naturâ hactenus est repertum.

Hâc Methodo erant tractandæ Dysenteriæ in genere. Observandum est autem, quòd cùm primo quæ ingrediebantur anno, indolis magis subtilis, uti dictum, ac spirituosæ essent, quàm quæ sequentibus annis infestabant, idcirco non ita promptè Catharticis parebant Medicamentis atque illis quæ tam sanguinem diluebant contemperabantque, quàm acres istos humores qui ex eodem in fistulam intestinalem excernebantur. Quamobrem primo autumno quo Tormina sicca & Dysenteriæ invadebant, Methodum sequentem constanter ad utrumque morbum abigendum adhibui, eventu ubique astipulante; donec appetente frigore eandem etiam anno eodem minùs efficacem esse sentirem, atque annis sequentibus cùm jam magis à subtilitate recederet morbus, prorsus inutilem.

Ita verò processi: si æger ætate florens febricitaret, cubiti venam tundendam præcepi, atque elapsâ horâ unâ aut alterâ, eundem ingesto affatim liquore diluendum, ut in Cholerâ morbo, factitâram; non verò, ut illic, jusculo è carnibus pullorum, aut Lacte Cerevisiato, at Lactis ipsius sero, quòd eâdem quâ illic copiâ, frigidè propinandum, tepidè verò inferiùs injiciendum curavi, nec Saccharo adjecto, nec aliâ re quâcunque. Tormina, & Dejectiones sanguine permistas, rejecto jam quarto Enemate semper evanescere animadvertebam: Hoc labore exantlato, & transmisso sero lactis omni, quod duarum triumve horarum spatio fiet, si diligenter operam navaverit æger, lectulo protinus eum commisi, ubi brevi sponte suâ in madorem solvebatur (à sero lactis sanguini immixto,) quem ad horas 24. continuari jubebam, nihil interim concedens præter Lac crudum paulò tepefactum, quo etiam utebatur solo ad dies tres vel quatuor postquam è lecto surrexerat. Si vel ob lectuli, vel lactis usum nimis præmaturè intermissum, recidivam pateretur æger, eadem vestigia denuò repetenda erant. Hæc Methodus, si certa atque expedita fuerit, non ideo à viro quolibet prudente repudiabitur, quòd fastoso Remediorum apparatu non se venditet.

Hujusmodi Febrem symptomatis, qualia supra descripsimus, stipatam iis in locis & temporibus reperiri quibus Dysenteria Epidemicè regnat, & Methodum hanc quam delineavimus, eidem omnino deberi, testimonio viri probi atque eruditi Doctoris *Butler* ampliùs confirmabitur, qui Nobilissimum D. D. *Henricum Houvard* à S. Maj. Regia Britannica ad Moroccensem in Africa Legatum comitabatur; quibus in regionibus, ut mihi ipse retulit, observavit Dysenteriam per ea tempora, uti semper, Epidemicè grassari, & Febrem, quæ cum illa jungebatur, omnino illi similem quam depinximus; quibus ille medebatur, tam in urbe Tingitana quàm aliis in locis, sive Nostrates essent ægri, sive *Mauri*, dictâ Methodo, felici semper exitu. Quam quidem neuter alteri debemus, sed pari fortuna in eandem dissitissimi incidimus. Profitebatur autem, optimè istic sibi cessisse in illius morbi Curatione Methodum illam, quâ liquoris diluvio submerguntur Dysenteriæ. Atque existimo ego, omnino par esse ut in calidiori isto Climate longè rariùs successu careat hæc Methodus quàm in nostrâ Britannia.

Primo illo Autumno quo vigebat hæc *Constitutio*, *Daniel. Coxe* M. D. vir ingenio & omnifariâ eruditione ornatissimus, Dysenteriâ acutissimâ laborans, me, quem consuluit, suadente, ope Methodi jam laudatæ, Citò, Tutò, & Jucundè sanatus est; post tertium sc. quartumve Enema, dum lecto assiderem & Tormina & Dejectiones sanguineæ evanuêre; nec qualibet re aliâ, præter lecti ad dictum spatium patientiam, & Lacteam Diætam, ad sanitatem redintegrandam opus habuit. Eodem planè modo & idem postea alios quàm-plurimos hoc malo affectos restituit exeunte eo Autumno. Anno autem proximo, illum etiam idem molientem spes fefellit.

Jam olim diximus, quòd sæpenumerò hic morbus, si diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versùs afficiat, donec tandem omnis ejus vis in Rectum decumbat cum assiduâ desidendi cupiditate, quâ nihil præter Mucosum quiddam & subcruentum excernitur. Hoc si fiat, frustra erit, me judice, qui medicari satagct vel quâvis Methodo prædictâ, vel Clysteribus Abstergentibus, Glutinantibus atque Astringentibus, pro variis ulceris, quod supponitur, temporibus, injectis; vel etiam Fotu, Incessu, Suffumigiis ac Suppositoriis dictos scopos respicientibus. Liquet enim, hoc ab ulcere Recti non procedere, sed ex illo potiùs quòd Intestina quibus gradibus vires resumpserint, iisdem etiam materiæ morbificæ reliquias in Rectum deturbaverint; quod quidem indesinenter proritatum singulis sedibus mucosam illam materiam, quâ ex naturæ providentia intestina duplicantur, elidit. Corroboranda est itaque pars affecta, quò possit, aliorum intestinorū exemplo, jam fatiscentes mali reliquias funditùs eliminare. Hoc autem ea sola præstabunt, quæ corpori in genere vires adjicere apta nata sunt. Topicum enim, qualecunque id demum fuerit, parti dolenti applicatum, cùm Alienum quid sit, contactu molesto debilitatem magis adferet, quàm robur subministrabit. Tolerandum itaque est ægro, donec Diætâ Analepticâ & liquore aliquo Cardiaco, qui palato arridet maximè, pro libitu ingesto, revocari possint vires; quibus redeuntibus, pari passu suâque sponte proripiet se hoc Tenesmi symptoma.

Accidit etiam nonnunquam, licet rarò admodum, ut Dysenteria, sub initio non ritè curata, particulare subjectum ad annos aliquot discruciet, integrâ sanguinis massâ Crasin quasi

Dysentericam jam indeptâ, unde acres calidique humores intestinis continuò suppeditantur, ægro interim singula vitæ munia mediocriter bene obeunte. Hujus specimen se mihi obtulit non ita pridem in muliere quadam meis ædibus vicina, quæ per tres annos hujus Constitutionis postremos hoc malo continenter exercebatur. Cùm remedia quamplurima esset experta antequam ad me accederet, Venæsectionem tantùm, missis cæteris præsidiis quibuscunque, celebrandam censui; quam ut sæpiùs repeterem, longioribus tamen intervallis, tum sanguinis color, Pleuriticorum sanguinis æmulus, tum insigne illud quod post singulas vices magis ac magis auctum, sentiebat levamen, mihi addebant animos: cujus ope tandem pristinam sanitatem consequuta est. *Thom. Sydenham de morbis acutis.*

In Diarrhœa,, Dysenteria & Tenesmo affinibus morbis & curationis magna ex parte similis Indicationes sunt, ut humorum acrimonia obtundatur, dolores tollantur, & fluxus sistatur.

Victus sit tenuis, ex hordeatis, gelatinis, panatellis, &c. abstineat à carnibus nisi sint viscidæ, ut animalium extremitates, & viscera; ut quoque à fructibus, eduliis omnibus salsis, piperatis, acidis. Utatur vino rubello, aut oligophoro diluto decocto sequente.

♃. Aq. chalybeat. ℔v. rad. chin. ℥ij. Coq. ad ℔iv. injiciendo sub finem mastich. pellucid. gr. x. Cola ad usum. Aqua chalybeata sic præparatur. In aqua fontana ebulliat magna quantitas battituræ ferri bene priùs mundat, & contrit. ad tertiæ partis aquæ consumptionem.

Purgetur cum rhabarb. myrobalan. tamarind. &c. & repetatur octavo quoque die aut sæpiùs si opus sit. Aut fiat cum rhabarb. in subst. & diascord. cum laud. Lond. gr. ß.

Aut ♃. Rhabarb. pulv. ʒß. conserv. rosʃ. rub. cydon. condit. ana ℈ij. Mʃ. sumat mane per triduum superbibendo haustum jusculi.

Si Febris sit magna (in Dysenteria) instituatur venæsectio in brachio.

Post Universalia conveniunt Pilulæ sequentes.

♃. Rad. torment. bistort. ana ℥ij. symph. ℥j. sem. plantag. sophiæ Chirurg. anther. rosar. rub. ana ℥ß. santal. citrin. rub. lign. Brasil. ana ʒiij. sumach. balaust. ana ʒ ii ß. acac. hypocist. ana ʒij. Concisa bulliant in aq. plantag. rosʃ. ana q. s. exprime fortiter & reducatur ad extractum mellag. unde sume ℥ j. osʃ. human. calcinat. C. C. calcinat. ana ʒ i ß. terr. sigillat. bol. Armen. ana ʒj. Magister. perlar. corall ana ℈ iv ß. laudan. specific. vin. rub. solut. ℈ ij. F. Massa pilularis. Dosʃ. ʒj. mane & vesperi longè à cibo. Huic massæ addo aliquando animam hepatis & crocum martis corallin. (de quo postea) ana ʒ i ß. aut ʒ ij. Cum syrupo aliquo astringenti potest fieri Electuarium.

Opii præparatio hæc est. Post sulphuris impuri exhalationem in clibano, dissolvatur in duabus partibus aceti rosacei fortissimi & una vini Canarini, limpidum exprimatur, & à fæcibus separatum coaguletur.

Crocus Martis corallinus talis est.

♃. Limatur martis q. v. dissolve in aqua cum sp. vitrioli acidissimo; cum opt. spiritu vini præcipitetur, vitriolum uratur ad summam rubedinem.

Sæpiùs Electuarium sequens præscribo.

♃. Conserv. rosʃ. rub. vet. cydoniat. vet. ana ℥vj. conserv. cornor. fruct. cynosbat. ana ℥iij. ecchylomatis prunellor. ℥iv. pulv. subtil. rad. torment. bistort. symphy. rhabarb. torrefact. myrobalan citrin. ana ℥jß. sem. plantag. sophiæ chirurg. pulv. gland. cupul. eorundem, anther. rosʃ. rub. ana ʒvj. terr. Lemn. osʃ. human. calcinat. cornu cerv. calcinat. spod. ana ʒx. gum. arab. tragacanth. mucilag. sem. cydon. inspissat. sang. drac. ana ʒvj. magister. perlar. corall. cum alum. præcipitat. ana ʒvj. coagul. lepor. ℥ß. croc. mart. corallin. ℥ij. sap. cydon. aut syr. myrtin. q. s. F. Electuarium, ad cujus singulas uncias adde opii nostr. gr. iv. Dosʃ. à ʒij. ad ℥ß. Huic addo aliquando alum. rup. ʒij.

Injiciantur Clysteres emollientes, lenientes, & anodyni ex lacte cum theriaca & opio. Aut ex ol. communi aut cremore hordei. Si adsit ulcus, lithargyr. integrum candefac, extingue in aceto, teratur in alkool, & cum ol. lin. aut lacte capril. aq. fabror. aut hord. & ol. rosʃ. f. Clyster. Addi possunt solutiones gummi tragacant. & arabic. in succo plantag. Ad detergendum adde terebinth. ovi vitello solut.

♃. Fol. plantag. tapsi barbat. ana m. j. rosʃ. rub. p. iv. flor. hyperic. p. iij. sem. coriand. sophiæ chirurg. ana ʒiß. Coq. in lacte. Colaturæ ℥x. adde vitell. ovor. num. ij. gum. Arab. in aq. plantag. solut. ℥ß. Mʃ. f. Clyster. Addi potest aliquid balsami Lucatelli. Fieri quoque possunt ex jure capitis ovini cum summitat. hyperic. rad. tormentill. &c incoct. Si Dysenteria multùm urgeat.

♃. Rad. cynogloss. ℥iv. hyoscyam. ℥iij. tapsʃ. barbat. totius m. ij. malv. totius m. iv. ol. com. rec. ℔iij. Coq. addend. aq. sperm. ranar. ℔i. rosʃ. & plantag. ana ℔ß. coq. ad aquarum consumpt. & herbarum putrilaginem. Exprime fortiter, & partis hujus olei composit. purioris ℔j. adde mucilag. liquid. sem. psyll. & cydon. aquis prædictis extract. ℥iv. vitell. ovor. num. ij. Mʃ. f. Clyster. Huic addi possunt fol. bugul. sanicul. prunell. vinc. pervinc. &c. Unguentum Comitissæ dissolvi potest in Clysteribus, vel Juscula communia vel medicata injici, facta cum herbis vulnerariis & astringentibus cum lacte perlar. & corall.

Possetum fieri potest ex vin. rub. ℔ii. bulliant, & adde lact. rec. ℔j. alum. ʒij. sacch. ℥iv. cinamom. bacillum integrum, post aliquot ebullitiones pars caseosa separetur à limpida. Mʃ. pro duabus dosibus mane & vesperi exhibend.

Horâ somni Bolum hujusmodi præscribo, præcipuè post purgans.

♃. Conserv. rosʃ. rub. antiq. ℈ij. confect. alkerm ℈i. laudan. Lond. gr. ij. Mʃ. f. Bolus. post Bolum sumatur haustus alæ maciatæ. Huic sæpiùs addo diascord. margarit. corall. &c.

Specifica sunt sequentia. Mucilag. gum. tragacant. & arabic. succo plantag. solut.

Extractùm prunellarum cum omphacio ad consistent. pilul. Dosʃ. à ℈j. ad ʒß. ante pastus.

Clysteres ex lact. ℔i. & vitrioli albi ℥ß.

Pulvis concharum furno exsiccat. cum cinamom. & nuc. moscat. ad ʒi. in vin. rub.

Malum cydonium cerâ aut cum gummi Arabico

bico repletum, clibano coctum, & exhibitum. Bolus ex sacch. Saturn. gr. x. croc. mart. ℈j. conserv. ros. parum.

Sem. plantag à ʒj. ad ʒii. in vin. rub.

Pulvis saturni crudus cum nuce mosch. & caryophyll. in vin. rub.

♃. Croc. mart. ʒj. nuc. mosch. ℈j. aut ʒß. Mſ. sume ex ovo sorbili aliquoties.

Vinum granatorum cum pulv. panis alb. clibano exsiccat.

Suffitus ex cortice lignoso pomorum pineæ.

Pulv. cran. human. calcinat. ad ʒi. in vin. rub.

Amaranthi flos pulv. vino sumpt. Ut quoque pulv. rad. palm. Christi majoris, & pulv. flor. palm. Christi minoris in aq. ferrata exhibitus.

Vitell. ovorum cum pulv. nuc. moschat.

Cydonia exsiccat. & concis. aqua communi decoct. pro potu ordinario.

Pulv. fol. vinc. pervinc. cum rhabarb. & conserv. ros.

Taleolæ carnis bubulæ, pulv. cumin. cinamon. & cret. conspersæ, intensè calefactæ & umbilico applicatæ successivè deploratum restaurârunt.

Ol. commune & vin. Claretum coquantur simul ad vini consumpt. Sumatur cochl. i. sæpiùs in die.

Malum cydonium cochinellâ repletum & torrefactum & cum saccharo comestum.

Aqua quæ lignum petrificat ad ℔ii. hausta dysenteriam pessimi moris sanavit irritis aliis remediis.

Alvi depositio in ignem luculentum.

℞. Sacch. ros. ℔i. ocul. cancr. præp. ℥ß. corall. rub. præp. margarit. præp. ana ʒii. Mſ. Dos. cochl. j in haustu lact. recentis sextâ quâque horâ.

Os sepiæ tostum & pulverizat. cum vin. sumpt.

Gelatina cornu cerv. cum succo vinc. pervinc.

Ex Creta alba lacte soluta & cum farina fabar. sacch. & cinamom. f. Pulticula.

Ovum recens vacuetur ab albumine, impleatur sp. vini, & per se coquatur: Uitellum sic coctum remedium est certissimum.

Aqua optima astringens in Diarrhœa hæc est, viz.

℞. Moror. rub. Idæi succi vinos. ℔iv. cornor. ℔ii. fol. querc. tenell. plantag. concis. ana fascicul. j. Distilla in Balneo: hujus liquoris distillati.

℞. ℔ij. phlegmat. alum. & vitrioli ana ℔j. aq. sperm. ranar. ℔ß. succi cydon. & ribes ana ℥x. Mſ. In liquoris ℥xvi. dissolve alum. ʒii. sacch. ℥iv. & infund. cinam. ℥ß. Cola ad usum. Dos. ℥iv. bis terve in die.

Aquæ medicatæ multùm hîc faciunt, viz. ferruminatæ, aluminosæ & nitrosæ, ut Tunbrigenses, &c. Aut factitiæ fieri possunt ex aq. stillat. cichor. taraxac. plantag. &c. cum granis aliquot animæ hepatis, & aromatizetur cum cinamom. aut coriand. & edulcoretur cum syr corall. viz.

℞ Aquæ ℔i. animæ hepat. gr. vi. syr. corall. ℥i. Mſ. pro duabus dosibus.

Indi fumum zinziberis carbonibus vivis inject. recipiunt per sellam perforatam, donec sudore perfundantur, & animo liquescere incipiant; dein lecto calido committuntur, ut sudores promoveantur, exhibito brodio calido ad vires refocillandas.

In Hibernia laminam ferri candentem magdaleoni sulphuris intingunt supposito marmore, vel alio lapide lævi, ferrum liquatum instar ceræ fluet in lapidem unà cum sulphure accenso, cujus flammam folle extinguunt. Ferrum unà cum sulphure terunt in pollinem, hujus exhibent ʒi. cum conserv. ros. rub. vet. vel diascord. bis in die ad sex vices, superbibendo aliquid aquæ vitæ. Exhibent quoque cran. human. furno exsiccat. non calcinat. sed pulverizat. ad ʒi. in vehiculo idoneo.

Postquam morbi violentia infringitur, convenit pulvis digestivus sequens post singulos pastus ad coch. j.

℞. Lamin. panis alb. vin. malvat. macerat. & siccat. ℥ii. sem. anis. fœnic. dulc. ana ℥ß. cortic. exter. citr. condit. sicc. ℥i. corall. rub. præparat. margarit. præparatat. ana ʒii. sgecin. alb. præparat. ʒiß. ambr. gris. ʒi. cinamom. ℥ß. sacch. alb. triplum pondus. F. Pulvis ad usum dictum.

In Tenesmo, prater ea quæ suprà præscribuntur in Diarrhœa & Dysenteria, conveniunt. Topica, ut Clysteres minimâ quantitate, Injectiones &c.

℞. Mucilag. sem. psyll. cydon. & alth. in aq. tapsi barbat. solan. & chelidon. maj. extract. ℥iv. lact. vaccin. rec. ℔ß. vitell. ovor. numero ii. croc. pulv. ℈i. diacod. ℥ii. Mſ. & injiciantur ℥iii. aut iv. pro vice, & continteatur quamdiu potest, & sæpiùs repetatur.

Aut Vitellus ovi crudi cum pulv. bol. armen. subtil. aut ceruss. injiciatur. per syphonem, & sæpiùs repetatur.

Vel ℞. unguent. popul. ℥ß. ol. cer. stillat. ʒß. ol. amygd. dulc. hyperic. ana ℥ß. vitell. ovi unius. Mſ. pro duabus injectionibus.

Convenit quoque suffitus ex gagate in sella perforata.

Item fotus ex chamæmel. melilot. taps. barbat. flor. sambuc. hyperic. sem. lin. & fœnugræc. aquâ & lacte coct. quo imbuantur spongiæ molles, & foveatur anus.

Aut ℞. aq. plantag. ros. sperm. ranar. ana ℥ii. taps. barbat. ℥iv. sacch saturn ℈i. Mſ. f. Fotus cum spongiis mollibus usurpandus.

Litus fiat ex ol. mastichin. cydon. ana ʒvi. aurant. ℥ß. ol. nuc. moschat. per express. ʒi. Mſ.

Unguentum fieri potest ex unguent. popul. ʒvi. butyr. rec. ʒii. ol. lin. rec. ʒiß. opii gr. iv. Mſ. f. Unguentum quo inungatur pars affecta.

Cataplasma hujusmodi applicetur è bombace, & renovetur antequam exaruerit.

℞. Bulb. lilior. alb. sub ciner. coct. mic. pan. alb. lacte infus. ana ℥ii. cass. rec extract. ℥i. unguent. popul. & de stramonio ana ʒiii. alb. græc. ℥ß. Mſ. f. Cataplasma.

Intus exhibeatur cochlear. i. pulv. seq. sexta quaque hora in pinta lact. rec. mulcti.

℞. Sacch. ros. ℔ i. oculor. cancri ℥ß. Corall. rubr. præparat. margarit. præpar. ana ʒ ii. M. F. pulvis subtilis ad usum dictum. *Theodor. de Mayerne in Prax. Medic.*

In India Orientali ex Diarrhœa, Dysenteria & Lienteria multa millia Europæorum velut peste exitiali pereunt. Majorem tamen expirantium numerum constituunt milites gregarii, & remiges. Hi enim inordinatam consueti transigere vitam, fragile suum corpus vino palmatico, cerevisia saccharina, spiritu ardenti, fructibus insalubribus, &c. semper ad nauseam usque implent. Et sic propriô experiuntur periculô, etiam in vino palmatico, quod Schola Salernitana olim scripsit de musto, nempe.

Impedit urinam mustum, solvit citò ventrem
Hepatis emphraxin, splenis, generat, lapidemq;.

Nec in vino hoc quiescit plebs nostra, sed uti narravimus, nunc acrem ardentissimumque Chinensium spiritum, *Arach* dictum, nunc decoctum illud saccharinum immodicè hauriunt, & propterea rarò unô morborum enumeratorũ afficiuntur, quin simul febris ardens, & magna viscerum inflammatio sit admixta. Omnem igitur Medicum, cui horum salus, propriæque famæ integritas cordi est, ad solas, acidorum, biliosorum, acrium, & in ventriculo ac visceribus fermentantium humorum correctiones, præcipitationes, & abstersiones, suam sanandi methodum dirigere oportet; quod optimè peraget medicamentis postpositis, si illorum usum tamdiu continuat, donec vellicantes humores exspirant, ac pituitosa, chylosa, biliosa, fætida, purulenta, & sanguinem admixtum habentia excrementa, ritè deficiunt. Nam gravioribus hisce malis convictis, per alia remedia, morbo finis facilè additur. Sit itaque cura hujusmodi.

♃. Rad. rhabarb. ʒij. cortic. myrobalan. citrin. ʒj. santal. citr. ʒß. cinnamomi ℈j. sal. absinth. ʒß. infunde per noctem in aq. fol. quercus ℥ij. in loco calido, exprime, & adde syr. chalyb. ℥ß. C.C. usti præparat. ʒß. matr. perlar. præpar. ℈j. M. F. potio.

Vel ♃. Rad. rhabarb. cortic. myrobalan. citrin. & Emblic. ana ʒß. sant. rubr. gr. xv. nucis moscat. ℈j. sal. tart. gr. xij. infunde per noctem in aq. persicar. ℥ij. exprime, & adde C.C. usti & præpar. corall. rubr. præpar. ana ℈j. Syrup. ros. corall. ana ʒij. M. F. potio.

Seu. ♃. Rad. rhabarb. ʒiij. nucis moscat. ʒß. solut. corall. ʒj. infunde per noctem in aq. ros. ℥ij. exprime, atque adde syr. chalyb. ℥ß. M. F. potio.

Vel ♃. Rad. rhabarb. ʒijß. cortic. myrobal. ʒß. flor. ros. rubr. p. ij. sant. citrin. ʒß. tinctur. tart. ʒj. infunde per noctem in decocti hordei & C.C. ℥iij. exprime, & adde syr. corall. ℥ß. C.C. usti & præparat. ʒß. oculor. cancr. præparat. ℈j. M. F. potio.

Vel adhibeantur sequentes pulveres.

♃. Rhabarb. tosti ʒiß. nucis mosc. ℈j. C.C. usti & præparat. ʒß. sal. perlar. ℈ß. olei macer. gutt ij. M. F. pulvis pro una dosi.

Vel ♃. Rhabarb. tosti ʒj. sant. citr. ℈ß. nucis mosc. ℈j. C.C. usti & præp. ʒß. nitri antimon. ℈j. M. F. pulvis pro una dosi.

Abundante sero. ♃. Rhabarb. tosti ʒj. Jalapp. ʒß. sal. absinth. corallior. ana ℈ß. olei nucis mosc. gutt. ij. M. F. pulvis.

In India. ♃. Rad. rhabarb. ʒij. cortic. myrobal. citr. ʒij. sant. citr. cinnam. ana ℈j. Sal. cinnam. ℈ß. infunde per noctem in aq. fol. marmell. & bolangor. ℥ij. exprime, & adde C.C. usti, matr. perlar. ana ʒß. syrup. de bolang. ℥ß. M. F. potio

Gregariis militibus hunc pulverem, qui optatum dedit effectum exhibui.

♃. Rad. rhabarb. ʒj. cortic. myrobal. ʒß. C. C. usti ℈ij. matr. perlar. ℈j. Sal. cinnam. ℈ß. Olei macer. gutt. ij. M. F. pulvis.

Vel ♃. Pulver. dysenter. ʒj. ad ʒij.

Vel ♃. Specier. diamartis ʒj. ad ʒij.

Robustis ac fermentantium humorum plenis hominibus, primò maximè prosunt vomitoria; quorum optima esse sapam vomitoriam, tartarum emeticum, & sulphur antimon. ad hunc morbum judico.

Clysterum usus est necessarius, quia humores detrahunt. His etenim immanentibus, ab acrimonia eorum Tenasmus, venarum hæmorrhoidalium & intestini recti corrosio, cum maximis doloribus generatur. Abstergit igitur sequens.

♃. Decocti hord. ℔ß. mell. ros. ℥j. olei ros. ℥ß. M. F. Enema.

Vel ♃. Lact. chalyb. decoct. hord. ana ℥iv. mell. ros. ℥j. M. F. Enema.

Seu. ♃. Lact. chalyb. ℥viij. vitell. ovor. num. I. olei ros. mell. ros. ana ℥j. F. Enema.

Intestino recto, venisque hæmorrhoidalibus, aut ulceratis, aut perforatis.

♃. Lact. chalyb. decoct. hord. ana ℥iv. vitel. ovor. n. I. terebinth. venet. ℥ß. M. F. Enema.

Consolidat & dolores sedat sequens.

♃. Lact. chalyb. decoct. hord. ana ℥iv. terebinth. venet. ℥ß. Sacch. Saturn. ʒß. mucilagin. sem. cydonior. ℥ß. M. F. Enema.

Vel ♃. Rad. consolid. ʒij. flor. balaust. p. ij. nucum cupress. ʒj. hord. mundat. ʒij. coquant. in aq. chalyb. colaturæ ℥viij. adde sacch. Saturn. ʒß. mucilag. tragacanth. bals. sulph. terebinth. ana ʒij. M. F. Enema.

In India pro Clystere. ♃. Herb. conyzæ M. j. fol. bolang. marmell. ana p. ij. coq. in aq. chalyb. colat. ℥viij. adde mell. ros. ℥j. Olei coct. baccar. cinnam. ℥ß. M. F. Enema.

Cùm humores satis sunt correcti, vel jam educti, unum ex sequentibus medicamentis exhibeatur.

♃. Conserv. ros. ℥j. carn. cydon. ℥ß. CC. usti & præp. ʒij. corall. rub. præp. croci mart. ana ʒß. sanguin. dracon. ℈ij. syr. corall. q. s. M. F. conditum. Dos. mane & vesper. à ʒj. ad ʒij.

Vel ♃. Cons. ros. ℥ij ß. syr. corall. cydon. chalyb. ana ℥ß. C.C. usti & præp. ʒij. matr. perlar. præp. terr. vitriol. dulcis ana ʒj. M. F. conditum. Dos. anteriori similis.

Seu. ♃. Conserv. flor. consolid. rob. acaciæ ana ℥j. syr. cydon. corall. ana ℥ß. C. C. usti & præp. ʒj. sang. dracon. ʒß. tinctur. mart. ℈j. succini ʒß. M. F. conditum. Dos. à ʒj. ad ʒij.

Vel ♃. Cons. ros. ℥ij. Consol. maj. ℥j. extr. torment. ʒij. sal. corall. ʒß. lap. hæmatit. philos. ℈ij. syrup. stipt. q. s. M. F. conditum. Dos. à ʒj. ad ʒij. manè & vesperi.

In Dysenteria. ♃. Conserv. ros. consol. ana ℥j. flor. hyper. ℥ß. extract. tormentill. ʒj. tinct. mart. ℈j. tinct. succin. & corall. ana ʒß. terræ vitr. dulc. ʒij. sal. Saturn. ʒß. bals. peruvian. ℈j. M. F. bolus. Dos. à ʒj. ad ʒij. manè & vesperi.

Vel ♃. Conserv. rosʃ. carn. cydon. ana ℥iß. Syrup. stipt. ℥j. tinctur. lapid. hæmat. ʒß. balʃ. ʃulph. aniʃ. gutt. xxv. Peruviani ℈j. terr. ʃolaris, vitriol. dulcis ana ʒß. C. C. uʃti præpar. corall. rubr. præp. ana ʒj. ʃang. dracon. ʒß. M. F. conditum. Doʃis anteriori ʃimilis.

In India. ♃. Conʃ. roʃ. ℥ij. flor. granat. ℥j. carn. cydon. nucis moʃcat. ana ℥ß tinct. ʃulph. vitriol. ʒß. olei nucis moʃcat. expreʃʃ. ℈iß. tinct. vitriol. dulc. ℈ij. oʃʃis elephant. calcin. ℈ij. M. F. conditum. Doʃ. ʒj. manè & veʃperi.

Vel ♃. Conʃ. flor. granat. marmell. ana ℥j. rob. bolangor. ℥ß. Olei nucis moʃcat. expr. ʒj. oʃʃ. elephant. calcin ʒij. terr. martial. Ceylonic. ʒj. terr. mart. ℈j. M. F. conditum. Doʃ. anteriori ʃimilis.

Vel ♃. pulver. dyʃenter. ʃecundi ʒj. detur mane & veʃperi.

Cum ingentes ʃimul dolores adʃunt, mixturis adde aliquid laudan. cydoniati, tartariʃati, vel laudani Bontii; & pro flatibus extracti laud. noʃtri aromat.

Potus ordinarius ʃit, ex decoctis & emulʃionibus annexis, quia præter id, quòd ʃitim extinguunt, ʃymptomata quoque imminuunt.

♃. Hord. mund. vel orizæ ℥ii. C. C. raʃi ℥j. lign. ʃaʃʃafras ʒj. ʃant. rubr. ʒß. cortic. myrobalan. ʒii. coque in aq. chalyb. & colatur. clariʃʃ. ℔j. adde amygdal. dulc. ℥ii. ʃem. melon. papaver. alb. ana ʒiij. M. F. ʃ. a. emulʃio. Huic adde aq. plantag. portul. roʃar. ana ℥ii. cinnam. ℥i. ʃyr. corall. ℥ii. C. C. uʃti & præp. ʒii. Philoʃophicè præparati ʒj. M.

Vel ♃. Hord. mund. ℥ii. C. C. raʃi ℥j. cortic. myrobalan. Emblic. ʒii. Conʃerv. roʃar. ℥j. coq. in aq. chalyb. & colaturæ ℔j. adde ʃyrup. papaver. cydonior. perlar. ana ℥ß. M. F. potio. Ad ulcera inteʃtinorum conʃolidanda, addantur rad. conʃolid. tormentill. ʃummit. hyper. fol. ʃanic. alchim. &c.

In India. ♃. Herb. conyzæ ℥ii. myrobal. ʒii. conʃerv. roʃ. ℥j. cortic. lign. ʃantal. citrin. ʒj. raʃuræ cornu Rhinocer. ℥ß. coq. in aq. chalyb. & colat. ℔j. adde aq. flor. marmellæ ℥iij. Aq. cinnam. ℥j. Syr. cydon. corall. ana ℥j. M. F. Decoctum.

In principio morbi, viriumque ægroti robore, ʃudoriferis ʃequentibus malignitas, tam per ʃudorem, quàm per urinam educi poteʃt.

♃. Bezoartici C. C. ʒj. decoct. lign. ʃaʃʃafr. ℥ii. M. F. Sudoriferum.

Vel ♃. Bezoart. viperini ʒj. decoct. C. C. ℥j. Aq. Zedoar. ℥iß. M. F. Sudoriferum.

Seu. ♃. Antimon. diaphor. ℈j. C. C. Philoʃophicè præparati ʒß. lapid. Bezoard. Orient. ℈j. ʃpir. terr. ʃigill. ℈ii. Aqu. alexipharm. ℥ii. M. F. Sudoriferum.

In India. ♃. Bezoart. C. Rhinocer. ʒj. ʃal. volat. Zerumbeth. gr. v. aq. Zedoar. ℥ii. M. F. Sudoriferum.

Vel ♃. Lap. Bezoar. Orient. ℈j. C. C. Philoʃophicè præparati, uʃti & præparati ana ʒß. Sal. C. C. volat. ℈ß. Aq. rad. cinnam. ʃylveʃtr. ℥ii. M. F. Sudoriferum. *Hermann. Nicol. Grimm. Compend. Medico-Chymici, lib. 3.*

Conʃultationes.

Pro Reverendo admodum Monacho Auguʃtiniano Dyʃenteria laborante.

In Reverend. admodum Monacho affici inteʃtina inferiora, non ʃolum ex poʃitu doloris infra umbilicum agnoʃco, verum etiam & ex ʃanguine ʃeparato ab aliis excrementis excreto. Affici verò inteʃtinum rectum, atque colon ʃecundum extremitatem, qua recto continuatur, non eʃt difficilè intelligere; ʃi namque animum ipʃe converto ad inʃpectionem factam ab Excell. Chirurgo, necnon etiam ad experientiam factam ab ipʃomet patiente, qui narrat per digitum immiʃʃum in anum cum maxima ʃui moleʃtia ulcus perʃentire, atque etiam digitum ʃanguinolentum extrahere, omninò cogor affirmare inteʃtinum rectum affici: ʃi autem reʃpicio ad conformationem inteʃtini coli in parte propoʃita, in qua ʃit veluti angulus quidam, qui facilè excrementa diʃcurrentia recipere poteʃt, atque etiam animadverto dolorem paulò ʃupra regionem inteʃtini recti pervenire, non poʃʃum non affirmare inteʃtinum Colon in parte jam dicta coaffici. Sed quamquam locus affectus ʃit cognitus, idea tamen, & ʃpecies morbi apud me adeò difficilis eʃt cognitu, ut opus interim ʃit maxima diligentia, Dicam ego quid ʃentiam paulò altius petito exordio.

Certum eʃt, quemcumque per anum fluxum ʃanguinolentum (excepto illo qui ab hæmorrhoidibus pendet, de quo interea ʃermo non eʃt) ab Hipp. & Gal. vocari Dyʃenteriam, cujus quatuor ʃpecies conʃtituuntur. Prima vocatur Hepatica, in qua materia ʃimilis loturæ carnis animalium nuper mactatorum excernitur. Secunda eʃt periodica, ʃub qua ʃanguis vividus, & floridus, copioʃuʃq; ʃecundum periodos quoʃdam redditur. Tertia eʃt, in qua ʃanguis nigricans, & ʃplendens evacuatur, occaʃione febris alicujus exurentis. Quarta, & poʃtrema eʃt, in qua ʃanguis exit impurus cum torminibus tamen imi ventris, & hæc Dyʃenteria verè, & propriè nuncupatur, quam puto in caʃu noʃtro locum habere, excernitur enim per anum ʃanguis cum maximis cruciatibus.

Verùm tamen aliqua obʃtare videntur, nam ʃub hac Dyʃenteria ʃanguis ita nigricans (quemadmodum in Reverendo admodum Monacho contingit) excerni non ʃolet, amplius in Dyʃenteria ʃeptem menʃium vix fieri unquam potuit, quin in excretis ʃi non carunculæ, ʃaltem ramenta inteʃtinorum aliqua apparuerint, quæ tamen nunquam ullus in excretis patientis noʃtri potuit obʃervare. Accedit & illud, quod in dyʃenteriis, quæ ad menʃes durant, ʃordeʃcere ulcus conʃuevit, & valdè purulentum evadere, quæ in caʃu noʃtro non contingunt, vix. n. aliquid puris unquam (ut referunt) viʃum fuit, ut propterea ex his, aut affectus propoʃitus minimè dyʃentericus conʃtituendus exiʃtat, aut ʃi dyʃentericus, profectò neceʃʃe ʃit, ut aliquid conjunctum habeat, quod faciat ipʃum à caracteriʃmo dyʃenteriæ vulgatæ quoquo pacto deviare, ʃicuti ego exiʃtimo. Puto etenim ulcus canceroʃum adjungi, & puto etiam præter ulcus adeʃʃe tumorem.

Quòd quidem adʃit ulcus ab omnibus conceditur, quoniam dyʃenteria vera, de qua agitur,

ulcere definitur, quòd verò cancerosum, præter ætatem inclinantem, temperamentum melancholicum, & parvum, atque cacochymum corporis habitum, dolor insignis, excrementum nigricans, atque portiones quædam carneæ, spongiosæ (ut audio) excretæ suadent, quibus accedit mali contumacia, propter quam multa huc usque præsidia sine fructu tentata fuere, sed quod me magis, ac magis in hanc sententiam adducit est evidentia ipsa. Cum etenim annis superioribus nobilem quendam Lucensem eadem prorsus Symptomata patientem curandum præ manibus haberem, factum est ut nunquam ex aliquo præsidio Medico juvamentum aliquod sibi comparare potuerit, tandemq; obiit, & dissecto cadavere in loco superius commemorato ulcus cancerosum cum insigni tumore fuit adinventum, ut propter hanc etiam evidentiam in patiente nostro ulcus prædictum reperiri ad credendum adducar; cui tumorẽ adjungi adhuc, pondus ibidem perceptũ non obscurè declarat.

Quibus ita constitutis, jam de generatione agendum occurrit. Dysenteria itaque ut omnes norunt est excretio sanguinolenta, quæ necessariò in retentionem læsam intestinorum tanquam in propriam causam refertur, quæ retentio læditur, non ob morbum in mala compositione, sed ob solutam unitatem, Diaurosim, seu erosionem vocatam, hæc enim est illa, quæ potissimum sibi dolorem adjungit, qui in casu nostro insignis admodum observatur, & quoniam ulcus, ut dictum fuit, redolet naturam carcinomatis, idcircò erosionem per quam illud fit ab atra bile fervidiori pendere statuendum est; Ad hæc quoniam atra bilis ex Galen. à bile flava, & succo melancholico exustis, agente jecore fervidiori generatur, puto in patiente nostro à succo melancholico ortum duxisse, nam patiens est temperamenti melancholici, & morbus in hoc Autumno est exacerbatus. Nec obstat, quod incœpit affectus æstate præcedenti, quoniam tempestas illa solum causam exurentem præstitit, calorem nimirum scilicet, non autem materiam, succum melancholicum inquam, qui modo jam dicto genitus, in partem nunc affectam olim tanquam imbeciliam transmissus fuit, nunc autem ob dolorem continuò quoque attrahitur.

Quapropter Medici erunt, habita totius providentia, cum his quæ atrum humorem respiciunt, ad detersionem devenire, cum his quæ citra morsum detergunt, ac exiccando absumunt quidquid extrementitium, & superfluum superest, partemque denique sanare, atque roborare, at præsertim ne denuo humor melancholicus generetur per alterationem jecoris ad frigidum prohibere, aliàs aliò erit avertendus.

Sed quoniam cum maximo recessu à statu naturali patiens laborat eo genere morbi, qui sui contumacia, & pervicacia Medicis præsidiis quã maximè reluctatur (ut propterea hujusmodi affectus pro irremediabilibus ab omnibus habeantur, apud me erit impossibile fines illos propositos attingere, & eo magis, quoniam Divinus Hippocrates hac data occasione dicere solebat, difficultatem intestinorum ab atra bile lethalem esse; quibus omnibus accedit pravus totius patientis hâbitus, accedit & anni tempus Autumnale, quæ solent esse morborum consimilium causæ maximè feraces. Quoniam tamen ex Areteo desperatis etiam non est deneganda medicina, tum consolationis, & productionis vitæ gratia, tum quia Deus & natura solent ab imminenti morte quandoque vindicare, idcircò de materiis Medicis in gratiam nostri Reverendi admodum Monachi aliquid proponendum.

Quantum igitur attinet ad Chirurgica, quoniã jecur incensum valdè observatur, putarem ideò aliquam venæ sectionem in cubito dextro eventativam tamen, illi posse plurimum conducere; fonticulum etiam duplicem, unum in brachio sinistro, & alium in crure dextro summoperè laudarem, sicuti & juges partium superiorum frictiones, deligationes, & lotiones non improbarem.

Medicamenta alia respiciunt fluxionem, alia verò terminum ad quem ipsius fluxionis. Quocirca primum occurrunt medicamenta, quæ copiam, & qualitatem materiæ fluentis respiciunt, vel ejusdem originem. Priora itaque sunt lenientia, præparantia, & purgantia. In genere lenientium convenit, quod paratur ex syrupo de polypodio Magistri Augustini, & syr. ros. sol.

In genere autem præparantium decoctum boraginis, buglossi, fumariæ, cichorii, plantaginis cum syrupis appropriatis; tandem in genere purgantium maximè arridet syrupus de polypodio prædictus, cum Rhab. & decocto myrobalanorum Indorum, citrinorum, & chebulorum. A qua purgatione cogitandum erit de aliis medicamentis evacuantibus tum sensibiliter, uti per vias urinę, tum insensibiliter per poros cutis.

Per vias urinæ evacuant thermæ frigidæ, quæ etiam plurimum ad acris materiæ temperationem faciunt, huc pertinet serum destillatum. In genere autem evacuantium insensibiliter, est decoctum chinæ, sed medicamentum, quod partim per vias urinæ, partim insensibiliter evacuabit, erit jus gallinæ antiquæ cum china, capillo ven. citrach. agrimonio, seminibus melonum, boragine, buglosso, radice liquiritiæ, ac verbasco paratum.

Medicamenta verò, quæ originem materiæ morbificæ respiciunt, sunt alterantia jecur, ideò præter aquas medicatas frigidas, & serum cum succo cichorii dicta, lac asinæ opportunum existimo.

Exterius laudo balneum aquæ dulcis, laudo & perfusionem jecoris factam cum succo cichorii, hepaticæ, & speciebus cerati sandalini.

Pharmaca, quæ respiciunt locum affectum, vel respiciunt ulcus, vel dolorem, quæ ulcus leviter, & citra morsum detergentia sint oportet, idcircò inter alia propono injectionem factam ex decocto hordei, parato in aliqua aqua Thermali frigida cum syrupo de rosis siccis, aut melle rosato simplici. A qua ad siccantia deveniendum, in quorum serie seligo medicamentum factum ex succo plantaginis, solani, sempervivi, tutia præparata, cerusa abluta, plumboque usto, & loto, quod medicamentum in sero chalybeato dissolutum in anum injici poterit.

Pro dolore sedando convenit Antidotus magna per se, vel cum saccharo rosaceo exhibita, laudo & injectionem factam ex lacte asinino, quibus addenda sunt, quæ à proprietate agunt, idcircò omne genus coaguli arridet, item & jecur Arietis exiccatum, pulveratumque necnon decoctum foliorum populi albæ laudantur.

Victus autem sit temperatus, ideò omnis aëris inclementia est fugienda, cibus boni succi, & facilis coctionis offerri debet, uti sunt ova, aves parvæ montanæ, carnes pulli, hædi, vituli lactantis, vervecis, & hujusmodi. Et quoniam viscíditate aliqua cibus hic debet esse donatus, hinc carnes prædictæ in aqua chalybeata coctæ cum extremis animalium dictorum ex usu erunt utiliori: Potus sit vini rubri, & subadstringentis aqua chalybeata diluti, atque tandem reliqua secundum proportionem respondeant; faxit autem Deus, ut demum Reverendus admodum Monachus his, & aliis præsidiorum materiis Medicis consimilibus bene se habeat. *Jul. Cæs. Claudin. in Consultat. Medicin.*

De Diarrhœa, & Dysenteria. Pro Nobili Patiente.

Nob. Patiens ætatis annorum 52. temperamenti calidi, & sicci, cum frigiditate ventriculi, vertigines antehac perpessus per vices valdè molestas, quibus non semel accessit virium lapsus, cum detentione omnium functionum, & sudore copioso; quibus medicis præsidiis (ut scribunt) sublatis, ad tempus saltem, dum æstivo tempore sub radiis solaribus diu commoratus esset, corpusque non mediocriter exercuisset, suppressa expurgatione per nares, fructibusque copiosis usus, de dolore gravativo capitis conquestus fuit: quo remisso, in alvi fluxum incidit, primò quidem materiæ liquidæ, & cineritiæ; cum levibus torminibus, mox & pituitosæ, viscidæ, & spumosæ, necnon flavæ, ac biliosæ, mixtæ aliquando: semper tamen cum muco sanguineo; modò aliis excretis permixto, modò sincero. Pro cujus affectus curatione multa medica præsidia ex præclarissimorum medicorum consilio adhibuit, necnon & spontè hausit frigidam ad satietatem, à cujus usu visus fuit melius habere: in deterius tamen lapsus est, quandoquidem excreta in præsentia sunt plurimùm pituitosa, cineritia, vel mixta, cum graviori ventris inferioris dolore, cui paulò post succedunt dejectiones, supervenit lenta febricula, rugitus, fluctuationes, sitis, inappetentia. Propterea de agendis consulit.

Quare ego expensis erroribus, & accidentibus præteritis, excretis enarratis, atque affectibus nunc affligentibus, licet supponam sanguinem illum excretum indicium esse alicujus intestinorum abrasionis ab acri illa materia, quæ excernitur, & propterea iuxtà cum Viro Excellentiss. dysenteriam adesse censeam: affectum tamen præcipuum diarrhœam constituendum esse reor, cùm in præsentia mucus ille cruentus à prandio tantùm appareat semel atque iterum, matutinæ autem, nocturnæquæ dejectiones sint materiæ excrementitiæ, à prædominio pituitosæ, & cinereæ, ut scribunt: quam non aliunde provenisse mihi persuadeo, quàm à venis mesaraicis obstructis ab humoribus crudis, & pituitosis mesenterio infarctis, iisque plurimùm in ventriculo genitis, licet & à capite non sit negandus eorum aliquis confluxus. Ab his etenim vertiginosam quoque passionem præteritam, dum exhalarunt in caput, atque animi deliquium quo laboravit, os ventriculi coarctando, corde in consensum adducto provenisse mihi verisimile est. Hi verò in præsentia dum congeruntur in mesenterio, non ventilati, ac proinde putredinem aliquam concipientes, febrem, atque irritata expultrice ad intestina transmissi, diarrhœam cum torminibus, vigiliis, siti & inappetentia producere facili negotio possunt; necnon & aliquam intestinorum abrasionem inducere, unde dysenteriæ principium.

Quæ cùm ita sint, non præter rem dubitaverit quispiam, præsentem affectum non adeo levem futurum, cum fieri possit facilè, ut putredo in venas majores propagata febrem inferat graviorẽ. Nec minor impendet metus gravioris intestinorum abrasionis. Si etenim dysenteria in longius protrahetur, non solùm vires prosternet, verum etiam lævitatem intestinorum, seu lienteriam, aut aquam inter cutem, & hydropem invehere poterit, teste Hipp. 6. Aph. 43. *Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis supervenientem longam dysenteriam aqua inter cutem, aut intestinorum lævitas excipit, & moriuntur.* Addit Galen. in comm. rationem assignans Hippocraticæ sententiæ: *Male affectis enim, & labefactatis intestinis à pravorum humorum effluxu, cùm vires ipsorum laborant, tum perit caloris nativi symmetria, propterea & aqua inter cutem, & lævitas intestinorum superveniunt.* Verumenimverò cùm dysenteria sit tantum incipiens, & abrasio in intestinis crassis, ut ex dejectione statim subsequente tormina colligere possumus, bene sperandum de patientis hujus rebus.

Materia itaque peccans attenuanda, incidenda, sensibiliterque, & insensibiliter est evacuanda; fluxio à capite divertenda, obstructiones meserei referandæ, ventriculus calefaciendus, & intestina sunt munienda, viribus interim conservatis, cùm alimentis congruis, tum bezoardicis, & calidum innatum foventibus.

Atque ideo lenienda est alvus melle rosſ. sol. & manna electa, cum decoctione cordiali, & sem. citri. Præparandi sunt humores mell. ros. simpl. de corticibus citri, oxymel. simplici. & emulſ. sem. citri; purgandi verò agarico trochiscato, & melle ros. solutivo, cum infusione, & decoctione myrobalanorum emblicorum, & pulpæ tamarindorum. Mox & aqua Tettutiana, bis saltem, ad lib. tres qualibet vice, cum unc. IV. mellis ros. solut. est exhibenda: vomitu interim excitato succo raphani, & oxym. scyllitico, si patiens Nobil. ad eum sit pronus. Proderit enim quam maximè ad diversionem materiæ peccantis. Perseverante autem febre si vires non erunt adeò dejectæ, sanguis educi poterit ex salvatella dextra, ratione febris, & dysenteriæ incipientis; pauca tamen copia, quò vires solvendo morbo sint pares. Fonticulusque paretur in sinistro brachio, pro diversione materiæ à capite fluentis, præmissa ejus expurgatione per nares. Quibus enim dejectiones in diarrhœa sunt spumosæ, his à capite fit fluxio. ex Hipp. Hisque peractis præscribendum erit decoctum aperiens cum columba turricola, & radicibus fœniculi, asparagi, rusci. seminibus anisi, dauci, seseleos, & cymini, cum agrimonia, cetrach, filice, & scolopendrio; quo quindecim

dies utatur, exhibita alternis diebus drachm. 1. rhabarb. immaturi, cum passulis attriti, & deglutiti, superbibito deinde jusculo proposito. Quod si febris remiserit, & perstiterint obstructiones, electuarium de chalybe Saxonianum, cum trochiscis de eupatorio, & de rhabarbaro præmitti poterit jusculo præscripto: calefacto interim ventriculo stillicidio ex oleis mastichino, nardino, rutaceo, & laurino oleo communi, spica, zingibere, & schœnanantho additis. Roboretur cor Theriaca antiqua, horam ante cœuam assumpta ad drachmam sem. quando febris jam recesserit, vel fuerit parum molesta: munitis intestinis clystere injecto, parato ex lacte chalybeato; in quo maceratæ fuerint rosæ Damascenæ, cum sevo hircino, & tuthia pulverizata.

Victu præscripto, qui sit facilis digestionis, & proportione respondeat propositis medicamentis. *Bened. Sylvatic. Consil. & Respons. Medic. cent. 2.*

De Diarrhœa, Dysenteria, & Tenesmo. Pro generoso Viro.

Vir generosus ætatis annorum 46. sanguineus, boni habitus, floridoque vultu, ventriculo satis firmo, hepate fervido, promiscua usus vivendi ratione, ac peregrinationibus fatigatus hæmorrhoidum fluorem dies aliquot passus est, à quo gravius nihil accidit. Tribus abhinc mensibus diarrhœa satis profusa dies aliquot, sine dolore corripitur, à quo tempore postea ante septem hebdomadas observavit sanguinis quidpiam sine dolore in dejectione naturali: cujus causa infusum rhabarbari, & clysteres ex lacte fuerunt præscripti, nihil tamen remittente malo: verum paulo post sanguini immixta effluxit materia alba, & glutinosa, cum nigro interdum, adusto, & coagulato sanguine, à fæcibus sejuncta sine dolore insigni, paucâ semper copiâ: quinimò quandoque à prima desidendi cupiditate, guttatim, quandoque ad medii cochlearis, vel ad summum, unius mensuram. Alvus interim suppressa dum injectionibus plurimùm sollicitatur, dolor nullus percipitur, sed fervor solùm quidam in excretis, æqualibus plerumque. Interdiu tamen materia hæc sæpius ejicitur sola, sine molestia, adeò ut consueta munia obire valeat, toleretque etiam nunc vectari curru, & equitare. Sub mediam verò noctem quandoque prius dolor dorsi, seu potius ossis sacri, & surarum ingravescit: atque ossis quidem sacri profundus, qui tactu neutiquam exacerbatur, nec rubore, aut tumore se prodit, licet patiens corpus exerceat. Vigesimo primo Martii, præmisso rhabarbaro, è mediana missus fuit sanguis: à quo in suris dolor nullus, qui nunc ante triduum noctu invaluit. Clyster quoque anodynus, & sanguinem sistens, sine dolore injectus, mediæ horæ spatio si contineatur, dolor solitus tota nocte, in auroram usque affligit, atque vicies, & sæpius etiam nullo clystere admisso, sine aliorum excrementorum, aut serosæ illuviei permixtione, materia cruenta, tenaxque alvo excreta, quæ duo, tria quatuorve cochlearia non excedit: cæteris excrementis interim omnibus suppressis. Fluxus quandoque unum, alterumve diem remittit, sed mox recurrit. Venter initio quidem visus est intumescere, nunc rectè se habet.

Hæc est affectus præsentis historia, fusè sanè & accuratè à Viro præclarissimo enarrata, cognitu tamen perquam difficilis, cùm quoad partem affectam, tum quoad causam. Si enim loquimur de parte affecta cùm ibi sit morbus, ubi dolor, dicere possumus, præteritis mensibus viscera naturalia fuisse partem affectam, cùm venter intumuerit: nunc verò esse partes ad os sacrum spectantes. Dolor namque nocturnis horis circa os sacrum, & suras molestus est. Quod si item de causa effectrice sermo sit, dicendum est, causam hujus affectus esse copiam humorum, cùm quantitate, tum qualitate peccantium. Quare brevibus statuendum censeo, Generosum hunc patientem congerere magnam copiam cùm sanguinis melancholici, tum pituitosi: melancholici quidem, ob naturale temperamentum, ætatem, & vitam execirtiis addietam, cujus evidentissimum signum est sanguis hæmorrhoidalis aliàs spontè fluens; pituitosi quinetiam, ob promiscuam vivendi rationem in ventriculo geniti, & à fervore jecoris attracti, atque utriusque in mesenterio, tanquam in sentina veluti omnium excrementorum hærentis, unde ventris intumescentia initio apparuit, cui, natura sarcinam hanc deponere tentante, diarrhœa successit: prout contingit non rarò mulieribus, menstruis deficientibus. Reclusis autem mesenterij venis ad intestina hiantibus, ad illas, & venas hæmorrhoidales, quæ à ramis venæ portæ propagantur, suborta est dysenteria, non quidem vera, cujus essentia, & forma consistit in ulcere intestinorum, atque ideò definitur à Gal. per ulcus intestinorum, sed amplo modo usurpata, prout complectitur quamlibet cruentam dejectionem: quo sensu, dysenteriæ nomine Hippocrates usus est passim quarto de Articulis. Primo de Natura Humana 33. & in Epidemiis; atque Galenus 5. de Loc. Aff. 7. eam modò sinceram, modò pituitosæ materiæ permixtam, modò sanguinis tenuioris, modò nigricantis, adusti, & coagulati, qui extra venas stagnans aut grumescit, aut putrescit, modò majori, modo minori copia, prout redundat, & ad effluxum proclivior fuerit. Tandem & tenesmus accedit, irritata expultrice musculi sphincteris à mucosa materia salsedinem aliquam sortita, cujus causa, cùm hujusmodi excretio facta sit à natura rectè operante, humorisque peccantis, semper successit absque torminibus, & molestia.

Quod si quis querat, cur fiat dolor ad os sacrum, & suras: & cur noctu tantùm, non verò interdiu infestet. Respondendum censerem, dolorem hunc provenire ab humorum fluxione à venoso genere ad partem illam imbecilliorem redditam, atque ad suras diffundi per easdem venas, ramos in primis venæ iliacæ descendentis cùm ad os sacrum, tum ad suras, & crura; ut propterea non sit continuus, sed accedat & recedat, exciteturque in utraque sura, & ex venæ medianæ sectione XXI. Mensis Martii cessaverit, denuò tamen recurrens. Affligit autem noctu magis, quàm interdiu, quoniam tunc ob corporis quietem, Et prædictarum partium calorem fit major humorum confluxus. Et hæc de essentia, & causis hujus affectus satis

tis abstrusi, cujus accuratam magis historiam habere non potuimus, ob loci distantiam. Ex quibus facilè colligi potest, quid prædicendum sit, & quid agendum.

Prognosticum quod atinet, licet duratio affectus, trium scil. mensium, difficilem reddere possit curationem, nihilominus cùm patiens sit boni habitus nullamque labem essentialem patiatur viscerum principum, viribusque valeat, sperandum ipsum pristinam sanitatem adepturum esse.

Hoc autem fiet tribus potissimùm præsidiis, quorum primum, & palmarium est congrua victus ratio in omnibus sex rebus non naturalibus. Secundum, usus medicamentorum attenuantium, incidentium, detergentium, & evacuantium, quò liberetur ab illa humorum sarcina, quibus scatent primæ viæ, & potissimùm mesenterium, & intestina: quod clysteribus detersoriis consequetur ex aqua marina, muria & hujusmodi, cum mell. rof. à quibus deinde subastringentibus erit locus. Tertium, ut sanguis divertatur, & per epicrasin imminuatur, primò per venas superiores ex utroque brachio, deinde per venas sedales, ad revocandam evacuationem illam, quam habet innatam. Materias remediorum Viro præclarissimo notissimas brevitati consulens omittendas duxi. Faxit D. O. M. ut ad vota succedant.

Idem ibidem.

Illustrissimus Comes, 30. annum agens, temperamenti totius & jecoris, calidi & sicci, gracilis habitus, ad iram pronus, deliciis deditus, & hac ætate potissimum sicca, fructibus, ficubus scilicet, melonibusque nive perfrigeratis usus, quorum frigiditatem vino meraciori nivato contemperari, ventriculumque alimentis copiosis aromatibus cõditis præmuniri sibi persuadebat, præterito mense, autumno sc. ineunte, incidit in alvi fluxum quo tribus aut quatuor primis diebus cruditates excretæ sunt, flavo tamen colore ut plurimùm tinctæ, mox & biliosæ serositates, non sine infimi ventris doloribus, copiosius quidem primis diebus; mox parcius, sed frequentius soluta alvus pinguia, flavi & crocei coloris dejecit; quindecim verò post diebus pellicula quædam, epidermis nimirum pinguedine mista fuit à nobis statim ab initio accersitis observata. Et quoniam in dysenteriam prolabi Illustrissimum Com. conjiciebamus, de agendis consultum fuit; quæ tamen respuit, quòd fluxum hunc sibi salutarem fore persuasum haberet; nec tamen nos dimisit, imò quotidie eum invisere jussit; ut propterea Dysenteriæ progressum nobis exactè observare datum fuerit, qui excrementa sincerè biliosa vidimus, cum doloribus vehementioribus, quibus accessit absque evidenti commistione non solùm ephelcidis, sed & interioris intestini tunicæ aliqua porrio, siti insuper aucta, & appetitu dejecto. Et quamvis invalescentis dysenteriæ, ob tormina, à nobis admonitus fuerit; nullum tamen medicamentum, præter clysteres epicerasticos admittere voluit; unde sanguinem quoque, & subinde pus, & saniem non exiguam excretam Pat. Illustrissimo ostendimus, vitæ quinetiam periculo prænunciato; frebricula namque quatuor aut quinque abhinc diebus eundem correptum, unanimes observavimus. Quare casus historiam tibi Sapientiss. Viro à nobis referri jussit, agenda pro curatione expetens, atque expectans.

Quoniam docet experientia, diarrhœam sæpius nos ab imminentibus morbis præservare, undè Gal. dicebat, Sæpè fieri ex virtutis robore cum salubri providentia; quoniam est commune auxilium pravos succos habentibus, ideo Comes Illustrissimus salutarem sibi futuram credidit incipientem diarrhœam; adstantibus Medicis fide non adhibita, qui ventris fluxum hujusmodi, & quartum & septimum diem excessisse observantes, morbosum fore censuerunt, cum Celso dicente; Uno die fluere alvum sæpè pro valetudine est, & etiam pluribus, si sine febre, & intra septimum diem id conquiescat; purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur, verùm spatium est periculosum; interdum enim tormina, interdum febriculam excitat, viresque consumit. Ita evenit Com. Illustrissimo, neglecta namque diarrhœa tormina & dysenteriam excitavit, à parte affecta ita dictam, quam Paracelsus morbum dissolutum appellabat. In cujus affectus cognitione non est, quod hæsitemus; siquidem dysenteriæ, & pleuritidi quoddam veluti privilegium hisce verbis concessit Gal. Ne requiras, inquit, in omni affectu hujusmodi notas, quales in pleuritide vel dysenteria apparent; scientifica enim est eorum cognitio, sicuti aliorum conjecturalis agnitio. Sat igitur est adesse alvi fluxum torminosum, ut incipiens dysenteria statui possit; cui si addantur excretiones mucosæ, pingues, membranosæ, cruentæ, absolutam atque perfectam dysenteriam factam esse produnt. Ita casu nostro, fluxus quatuor dierum diarrhœa fuit ex cruditatibus, à gelidis tum fructibus tum potionibus facilè congestis; at quoniam Pat. ætas, temperamentum totius & jecoris, anni tempus, constitutio sicca; præterea fructuum copiosus usus, & vini meracioris potus consuetus, ad biliosos humores gignendos, & in venoso genere coacervandos conspirarunt; hinc contigit, ut primò cruditatibus in primis, & circa primas vias hærentibus natura exonerata (neque enim motus ille fuit præter naturam dicendus, cùm id quod contristat, excerneretur) deinde hoc idem tentaverit, adversus biliosorum humorum apparatum, in venis latitantium, quod forsan cum Illustrissimi Viri levamine contingere potuisset, si natura medicum adminiculantem habuisset, qui intestina adversus bilis transeuntis acrimoniam præmunisset; verùm quoniam ab ipso Pat. diarrhœa omninò neglecta fuit; ideo biliosa excrementa, Colon intestinum corrodentia (ut doloris situs, pinguia potius quàm mucosa prodeuntia, nec exacta cum excrementis permistio sat nobis ostendunt) dolores primò, secundò pinguedines, tertiò ephelcidis portionem abraserunt, quæ tria tres gradus dysenteriæ fientis adhuc constituerunt: prout ramentum internæ tunicæ, & sanguis cum pure, primum & secundum gradum ulcerosæ jam factæ demonstrant. Quare modò superest, ut ulcus ad secunda & exteriorem tunicam pervadat, ut tertius & ultimus gradus statuatur, quo dysenteriæ depascentes, malignæ, fordi-

dæ atque callosæ evadunt: à quarum ulcere elevati putridi vapores ad ventriculum & cor ipsum; inappetentiam atque febriculam inducunt; quæ cum in secundo quoque gradu supervenerint, non exigui ulceris, & copiosi puris indicium præbent.

Dysenteria ex se morbus magnus, & periculi plenus est, longus, laboriosus & lethalis ab Hipp. dictus, si tertium gradum attigerit, ita ut caruncula prodeant. Et quamvis Hollerius & Brasavolus observarint dysenterias sanatas, excretis licet carunculis ipsis; fuit tamen interior tunica tantùm exesa; non autem exterior. Ita & Gal. maximam vidit intestinorum partem putrefactam, superstitibus tamen ægris; quia tunica exterior illæsa remanserat.

Status igitur Illustris. Pat. adeò gravis est ut parum à deplorato absit, qui Curationis difficilis fuerit, non modò quia ulterius progressa; verùm etiam quia à sincera dejectione facta est; unde concludebat Gal. quod, Ut ab atra bile intestino exulcerato auxilium negatur; ita à flava ægrè impetratur. Gravius insuper periculum imminet addita inappetentia, atque febricula, inflammationis, aut magni ulceris putridi indicio, ex Gal. in Com. Non est tamen desperanda salus; quia juvenis est Illustr. Pat. & nunc obtemperans, viresque satis constant, quantum ex relatis conjicimus; cùm de atrocibus doloribus mentio non fiat, & tandem cùm nondum generosiora, imò nec ullum remedium expertum & administratum fuerit; licet ad gradum insanabilem nondum devenerit.

Statim itaque aggredienda curatio; quæ duplex esse solet, Canonica altera, altera Coacta. Prima spectans morbum, & causam morbi. Secunda symptomata, vehementissimos nimirum dolores, & profluvium sanguinis, quæ cùm casu præsenti non adsint, vera & canonica statim tentanda, ut nos quoque monet Galenus, & repetit Hippocrates ipse.

Quare primò acres & vitiosi humores evacuandi. Secudò eorum acrimonia contemperanda, & si adsit malignitas alexipharmacis expugnanda. Tertiò ab intestinis pravi humores divertendi. Quartò fluxus sistendus. Quintò ulcus mundandum & consolidandum. Et tandem contra symptomata pugnandum.

Quibus ut satisfaciamus intentionibus, in fonte Chirurgico consideranda primò venit sanguinis missio; quæ à plerisque in dubium revocatur, imò prohibetur. Primò quia neque ab Arabibus, neque à Gal. in dysenteriæ curatione de ipsa fit mentio. Secundò quia fluente alvo sanguis non est detrahendus. Tertiò, ne bilis effrænis fiat. Nihilominus & Æt. & Trall. sanguinem mittunt, quos sequuti fuerunt Alumarus, Claudinus, Amatus & alii, & meritò quidem, quia dum adest indicans & permittens, sanguis omnino mittendus est: nimirum sanguis, substantia indicans, quantitate, & motu peccans; permittens virium nempè robur. Argumentum verò pro parte negativa nihil concludit. Gal. verò auctoritate, fluente alvo sanguinem mittendum non esse. plures ægros occidunt quàm servent, ut exclamabat Valesius; dum enim evacuatio est alterius evacuationis curatio, omnino permittenda est; non autem, quando critica fuerit. Acres autem & biliosi humores prohibere quidem solent quantitatem sanguinis, at non eductionem omnino. Quare casu nostro educatur sanguis ad inflammationem inhibendam, jecoris fervorem remittendum, & motum humorum ab intestinis revocandum, ut ulcus citius & facilius sanari possit: præterquam quod & febriculæ proderit: parcè tamen emittatur, ut monet Æt. & Paul. præsertim cùm non adsit principium, sed progressus morbi.

In Pharmaceutico fonte, omnium primò consideranda evacuantia & purgantia medicamenta: non autem adstringentia cum Medicorum vulgo. Ideo irridet Gal. Herodotum, & Diocl. qui quovis tempore dysenteriæ adstringentia convenire crediderunt: quinimò profitetur, dysenteriæ intempestivè suppressæ melancholiam, insaniam, pleuritidem, nephritidem, sanguinis vomitum, epilepsiam & hydropem succedere posse. Opus est igitur humorum expurgatione & diminutione, ut statim & affatim evacuentur humores vitiosi, qui longo & lento lapsu intestina exulcerare solent. Nec nos deterreat Avic. monitum, quod Solvere ventrem supra ventris solutionem, timorosum sit. Id enim solùm locum habet si ventris fluxus criticus fuerit, tunc enim, Quæ judicantur & judicata sunt integrè, neque movere, &c. at in dysenteria fluxum fluxu sanari jubet etiam Hipp. ipse. Et quoniam à toto, casu nostro, detruditur materia biliosa; ideo non solùm de lenientibus, verùm & de purgantibus exhibendis est cogitandum, à Valesio, Fuchsio, & Massaria damnatis; sed forsan in principio, quo & ab ipso Gal. prohibentur; sicut probantur ab eodem, & exhibentur sedato fluxionis impetu ad intestina; cacochymiam enim valido medicamento affatim expurgat.

Verùm in præsens, cùm valdè progressa sit dysenteria, & febricula adsit, cautissimè procedendum. Et primò quidem statim cassiæ ℥ vi. cum ʒ iij. pulp. tamarind. præbendæ erunt, quibus superbibat seri capr. præpar. ℔ij. Neque verenda cum Foresto tamarind. aciditas, tanquam ulcus irritans; quoniam tum à flore cass. tum à sero refringitur, ut consideravit Heurnius, atque interim adstringit & exsiccat ulcus. Inde à salvatella dextra sanguis ad ℥v. educatur, ut jecoris & venarum fervor contemperetur, humores ab intestinis divertantur, & inflammatio in parte inhibeatur.

Secuta evacuatione, mox alteratio, & biliosorum humorum contemperatio procuranda, quæ tantæ est efficaciæ in dysenteriæ curatione, ut in admirationem traxerit Amatum, quòd Juvenis quidam dysentericus, sine medici consilio, solo gelidæ potu sanatus sit. At nobis cessat admiratio, observantibus Celsum, aquam frigidam dysenteriæ curandæ, ut remedium optimum proposuisse. Sed hic locum habent decoct. herbarum & succi, serum, Thermales Aquæ, Lac, hoc ordine, casu nostro administranda.

Primo quidem per quinque aut sex dies hujusmodi exhibeatur syr.

℞. Decoct. end. lactuc. violar. plantagin. portulacæ ℥v. succi depur. plantagin. portulac. ana

ana ℥ i. m. pro syrup. & sic pro aliis. Vel hujus loco.

♃. Aq. stillat. lactucæ, nympheæ, plantag. an. à ℥ ii. sem. papaver. albi ʒ ii. m. f. emulſ. cui adde ſucci cydon. ℥ i. diamargariti frigidi ℈ i. m. pro syr. & sic pro aliis. A sacch. namque abſtinendum omnino, prout & à melle.

Vomitus interim prodeſſe solet, qui niſi sponteneus, arte ſolicitetur, biliosi humoris copia imminuta, & acrimonia contemperata; atque adeò, ait Hipp. quod, A diuturno alvi profluvio, spontaneus vomitus superveniens, solvit morbum. Levioribus tamen excitandus.

Præmiſſa jam dicta præparatione, aliqua humorum tentanda expurgatio, ut imminutis humoribus, citius & facilius ulcus exſiccari & olduci poſſit. Caſſiæ itaque, & pulpæ tamarind. addatur rhab. portio, ad ʒ ſ. à quibus bibat ser. depur. ℔ ii. Rhabarb. autem ſit toſtum, quicquid dicat Hollerius, Amatus, Salvus Sclanus: Hippoc. enim ad alvi profluvium cohibendum aſſata & toſta optima eſſe aſſeruit; quem ſequuti fuere & Paul. & Æt. hoſque Matthiol. Meſue, Forestus, Trincavella: ita enim minus purgat, & ulcus magis exſiccat.

Dum verò humores biliosi diminuuntur, eorundem contemperatio nunquam omittenda, & ulceris ratio ſemper habenda. Utrumque vero præſtare poſſunt caſu noſtro Aquæ Thermales acidulæ terratæ; inter quas nos ſæpius Villenſibus uſi ſumus feliciter, primis diebus, cum vehiculo dejectorio ſyr. roſ. ſol. cum decoct. pulpæ tamarind. ad ulceris deterſionem, & exſiccationem, mox cum diuretico, nimirum ſpir. vitrioli, quarum uſui inſiſtendum decem, vel duodecim diebus. Animadvertendum tamen, quod ſicut læſis inteſtinis tenuioribus medicamenta conveniunt aſſumpta; ita læſis craſſioribus magis injecta, cujus cauſa clyſteribus frequenter utendum.

Tertiò alterantis loco, ad uſum lactis perducendus eſt Illuſtriſſimus Com. quod ulceri quoque ſarcoticis curando, magnoperè proderit. Ulcus quoque detergendum & exſiccandum, injectis potiùs quàm aſſumptis, ut nos docet ipſe Gal. craſſis laborantibus inteſtinis: atque adeò clyſteres interim injiciendi, dum lac aſſumet, infra deſcribendi. Lac præbeatur itaque, non obſtantibus bilioſis dejectionibus, aut febricula: bilis enim potiori parte expurgata fuit; præterquam quod tollitur incommodum, ſi decoquatur, vel cum aqua plantaginis cum Aret. vel, ut Hipp. lapidibus, aut Cylindris candentibus in eodem extinctis: facultate enim imbuitur exſiccante & corruptioni reſiſtente. Febricula autem, quia non vehemens, lactis exhibitionem non prohibet: hoc enim conceditur ab eodem Hipp. iis, qui non valdè multùm febricitant. Sic idem Hipp. lac præbuit *Critolai filio, qui circa æquinoctium autumnale dyſentericus fiebat, & eum febris tenebat: alvi egeſtiones bilioſæ, tenues, multæ, & moderatè ſubcruentæ, dolor ventris vehemens, & ubi ſerum, & lac bibiſſet, ſilice candefacto immiſſo, dolores, & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant; ſed bilioſæ comitabantur, & ſæpè ad exonerandam alvum ſurgebat, ſed minori dolore. Tandem lacte aſinino cocto propinato, ſanatus eſt.* Exhibeatur igitur ad ℥ x. quatuor horis ante cibum.

Et licet non tenuia, ſed craſſa inteſtina caſu noſtro læſa ſint; attamen aſſumpta per eo exſiccantia non ſunt omittenda. Ita Cryſtallus optimè lævigatus, ut magnum remedium proponitur à Concilatore & Guarinonio, & ante eos à Dioſcor. Ceræ item uſus in ventre pullorum, vel in cavo cydoniorum, à Dioſcor. & Galen. A Chymicis verò crocus martis conſtrict. à Paracelſo ſal lithargyri, & alumen Saturni. Nos verò frequenter & feliciter utimur hujuſmodi pulv.

♃. Oſſis ſepiar. uſt. & pulveriz. ʒ ii. ſpongiæ pice imbutæ, & in ollula uſtæ, in cinerem redactæ, cortic. ovor. indurat pulveriz. an. ʒ ſ. margar. præpar. bol. arm. an. ʒ i. m. cujus doſis ʒ i. in aqua polygoni, aut ex foliis quercus deſtill. pluribus diebus aſſumenda. Utimur quoque ſyr. corallor. Querc. ad cochlear unum, procul à cibo. Commodius tamen curatur ulcus clyſteribus, primò detergentibus, ſecundò exſiccantibus, & tertiò, ſi opus fuerit, epiceraſticis.

Detergentium verò tres ſunt gradus. Primus eſt eorum qui parantur ex mulſa, cum aqua hordei, addito melle roſ. Secundi ordinis ſunt parati ex aqua ſalita, Tettuciana, vel Montis Falconis, quæ ſalgemmea eſt; addito pariter melle roſac. Tertii ordinis parantur ex muria, addito etiam ægyptiaco, ut noſtro caſu, quia ulcus eſt ſordidum atque depaſcens.

Et licet de Muriæ uſu dubitatum ſit, exemplo illius Medici, qui cœparum eſu, & clyſteribus ex muria, omnes dyſentericos curabat, & convulſionibus interciebat, amethodus enim fuit; attamen in hoc depaſcente & putrido ulcere, non ſolùm muria; ſed cauſtica quoque conveniunt, ita conſulente Gal. ſi calloſum quoque fuerit, & Celſo, quibus ſubſcripſerunt Avic. cum Æt. Cautè tamen & muria & cauſtica ſunt injicienda, tribus nimirum obſervatis conditionibus. Primò in viribis valentibus. Secundò nonniſi narcoticis commiſtis, more Gal. Tertiò ut clyſteres non detineantur ultra horam, ut monet Ætius.

Abſterſo ulcere, clyſteribus exſiccantibus utendum, in tres pariter gradus diſtinctis. Primi gradus ſunt ex decoct. hordei torrefacti, plantaginis, rubi, roſar. myrti, polygoni, cum ol. roſ. bolo armena & ovi vitellis. Secundi gradus ex decoctione plantag. conſolidæ, milleſolii, verbenæ, cynogloſſi, portulacæ cum bolo arm. terra ſigillata, lithargyro, & ſebo hircino. Vel ex aqua Villenſi, & aqua Montis Ægrotorum cum ſucco plantag. Tertii ordinis, ex aqua fabrorum, vel vino nigro cum troch. de Charabe ad ʒ ii. & troch. Gal. ad ʒ i. quorum deſcriptio eſt hujuſmodi.

♃. Chartæ combuſtæ, arſenici uſti, ſquamæ æris, croci, opii, calcis vivæ extinctæ an. ʒ iij. m. & cum ſucco plantag. f. troch. Quibus utebatur Gal. ad omnia prava ulcera ſananda.

Sed circa omnium jam dictorum clyſterum uſum, nos obſervare ſolemus materiæ redundantiam in detergentibus, & abluentibus, paucitatem in exſiccantibus, mediocritatem in epiceraſticis, & temporis brevitatem in cauſticis; atque tandem ſucceſſivum eorundem uſum, adeò

adeò ut detergentem sequatur statim exsiccans, indeque anodynus, si dolores urgeant.

His verò Com. Illustrissimum sanitatem consequuturum speramus; ita ut ad victum humectantem atque Balneum confugere atrophiæ causa, & tabis vitandæ minimè cogamur; ut in intemperie jecoris & totius calida & sicca, habitu gracili, & facilè resolubili, dejectis viribus, nec acria medicamenta tolerantibus consulit Tral. ab Hipp. forsan edoctus, dicente. In curatione dysenteriæ, multa calida paries sub umbilico lavato, maximè si dolor aduerit. Et licet alvo fluente Balneum ab eodem prohibeatur; id tamen ab initio fit, quando corpus excrementis abundat.

Circa victus rationem nonnulla selectiora adnotamus. Et primò quidem, quod excrementa Illustrissimi Pat. sint qualibet vice exportanda, ne ab eorum halitibus foveatur morbus.

Ciborum verò parsimoniam commendat Gal. cui subscripserunt Tral. & Serapio, dicens, quod sic membra avida humores retinent, & ab exiguo stercore minus intestina molestantur.

Qualitas verò sit subadstringens, nec acida, nec acris. Sit itaque cibus epicerasticus, emplasticus, euchymus & coctu facilis. Sic Ætius, & Paul. laudant pultes, & oryzam cum lacte. Gal. ova in sartagine cocta, aceto aspersa; ita & Orib. addit tamen Gal. omphacium, vel granatorum succum. Carnes Volucrum & sylvestrium animalium in progressu concedit Æt. Lentem Gal. Portulacam Diosc. Conceduntur Mespila, cydonia, sorba, pyra.

Potus cum Paulo & Ætio sit aqua pluvialis Chalybeata, vel aqua plantaginis, & ex tenerrimis quercus foliis; cui addatur, in virium defectu vinum austerum & subadstringens.

Somnus sistit omnes fluxiones præter sudorem. Concilietur itaque emuls. amygd. dulc. & sem. papav. albi.

Quietem imperat Celsus; omnis enim exagitatio exulcerat; & ideo non surgat, sed in lecto egerat.

Et tandem arceat omnes animi affectus atque commotiones. Quibus omnibus Deus Omnipotens aspirare dignetur. *Raym. Joh. Fortig Consult. & Respons. Medic. T. 1. Cent. 2.*

Juvenis 25. annorum biliosus, diarrhœam biliosam per tres dies tempore dysenteriæ epidemicæ, cum virium jacturâ, ex frequentioribus dejectionibus ortâ, passus, sanguinolenta spermatique ranarum simillima jam frequenter excernit excrementa. Adsunt dolorosa ventris tormina, tempore excretionis potissimum molesta. Pulsum habet justo celeriorem, caloremque totius corporis acrem ac febrilem. Siti, anxietate, & vigiliis magnopere inquietatur.

Afficiuntur in hoc ægro intestina, ut ex sanguinolenta per anum copiosa excretione, torminibus dolorosis conjunctâ, est manifestum. Afficitur etiam cor & totus corporis habitus; ut ex pulsu celeri, & acri ac febrili, totius corporis calore, ac siti, patet.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies intestinorum acris, biliosa, & putrida; quæ eorum tunicam abradens & erodens, sanguinemque & materiam spermati ranarum similem in capacitatem eorum effundens, ipsaque ad eorum excretionem frequentem & dolorosam irritans, febremque inducens, Dysenteria, febri comitata, appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est aëris intemperies acris & maligna à qua, in pulmones per inspirationem delata, sanguis in iis existens simili qualitate & intemperie fuit infectus, qui deinde cor ingressus, & inde per totum corpus dispersus, Antecedentem huic morbo præbuit causam. Pars verò istius infecti sanguinis in intestinis à reliquo sanguine separata, ibique putrescens, & acrimoniam sufficientem adipiscens, intestinaque erodens & abradens. Continens hujus morbi & symptomatum est causa.

Putredine enim, perpetuò ad cor veniente, accendit febrim, anxietatem, totius corporis ardorem acrem, pulsum celerem, sitim, & vigilias molestas inducentem. Acrimonia verò abradens & corrodens intestina, eaque ad excretionem, per spirituum animalium in fibras obliquè descendentes influxum perficiendum, vellicans, excitat excrementorum, spermati ranarum visciditate & colore similium, nec non sanguinolentorum excretionem, dolore & torminibus, excretionis tempore, ob humores tum eò maximè fluentes, potissimùm infestantibus, comitatam.

Metus est, ne hic intestina ab acrimonia materiæ peccantis ita exedantur, ut vasis mesaraicis, corrosis, sanguis tantâ copiâ effundatur, quæ ægro nostro vitam adimat.

Curatio itaque sedulò instituenda; eaque in materiæ acris detersione, evacuatione, & attemperatione, intemperieique reliquæ correctione, ac intestinorum erosorum consolidatione consistet.

Primò itaque præscribatur talis haustus purgans:

℞. Rhabarbari tosti & pulverisati ℈iiij. syr. rosᷓ. solut. ℥j. s. aquæ hordei tosti ℥ij. Misce. F. Haustus, mane exhibendus.

Evacuatione peractâ, sub vesperam, ad acres humores, febrilemque calorem temperandum, utatur sequenti potione.

℞. Aquæ acetosæ, fragariæ, folior. quercus ana ℥iij. Pulv. nucis moschatæ. cinnamomi, santal. citr. an. ℈ß. Coquantur levi ebullitione Colaturæ adde syr. de acetositate citri ℥j. myvæ cydon. ℥ij. Misce. F. Potio, qua utatur ad libitum.

Sequenti die, pro ulteriore detersione utatur decocto hordei tosti chalybeato; & simul pro corroboratione & refrigeratione præscribatur sequens conditum:

℞. Conservæ rosar. antiquæ ℥ß. Diacydonii simpl. ℥ij. Nucis moschatæ condit. ʒj. Spec. diarrhod abbat. ʒß.

Cum syr. de acetos. citri F. Conditum, de quo sumat frequenter magnitudinem castaneæ.

Circa quintum aut sextum morbi diem injiciatur Clyster talis abstergens, refrigerans, & adstringens:

℞. Rad. tormentillæ ℥ß. Herbar. plantaginis, endiviæ, lactucæ an. m. j. Flor. rosar. rubr. m. ij. Coque in s. q. aquæ hordei tosti ad ℥xv. quibus colatis adde Sacchari rubri ℥j. mel. rosat. colati ℥j.ß Vitell. ovi. No. j. Misce F. Clyster.

Hic ubi per biduum singulis diebus semel injectus

jectus fuerit, & intestinorum exulceratio satis detersa, majoris adstrictionis & consolidationis causâ, talis clyster vicissim per biduum, singulis diebus semel, erit injiciendus:

♃. Rad. tormentillæ ℥ſ. Herbar. plantag. saniculæ, bursæ pastoris an. m. 1. ſ. Portulacæ m. ij. Folior. rubi, quercus an. m. 1. Sem. plantag. sumach. oryzæ an. ʒiſ. Coq. in ſ. q. lactis chalybeati ad ℥xv. Colaturæ adde sevi Hircini ℥i. succi acaciæ, hypocystidis an. ʒi. Vitell. ovor. N. ij. Misce F. Clyster.

Ubi per biduum eo usus fuerit, assumenda erunt per os varia adstringentia, quale est hoc electuarium.

♃. Conservæ rosar. antiq. ℥ſ. Croci martis, corallor. rubr. boli armeni, terræ sigill. an. ʒi. Sem. plantag. tosti ʒj. ſ. Cum syr. de rosis siccis q. ſ. F. Electuarium, de quo aliquoties in die sumat castaneæ quantitatem.

Venter foris inungatur unguentis adstringentibus & corroborantibus.

In diæta Aër sit temperatus. Cibus sit ex jure carnium, acetosâ, endiviâ, & portulacâ alterato, cum pauco panis candidi benè fermentati; item puls ex oryza. Potus sit cerevisia tenuis, & vinum rubellum adstringendi vim habens. Quies imperetur. Somnus concilietur: & Animi affectiones tristes, aliæque vehementes, ablegentur. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen Medicationum lib. 3.*

Observationes.

Mercator quidam *Delphis* habitans temperatura biliosa triginta annos natus, per longam peregrinationem, multosque perpessos labores, ex *Gallia* reversus, & nunc paulò tranquillior, cum uxorem duxisset, & delicatè magis viveret in fluxum diuturnum ventris incidit, mox in dysenteriam lapsus; per sex integros menses, cum miserè vitam duxisset, doloribus ac torminibus sub umbilico pene extinctus est, verum cum hic experimenta multorum, ac muliercularum frustra, ac diu, multumque tentasset, tandem nostram opem expostulavit, omni spe destitutus, qui equidem cum hæc subsequentia remedia eidem per me fuissent præscripta, præter omnium opinionem sanitatem consecutus est. Omnium primò injectum est hoc Enema.

♃. Decoct. hord. parum torrefact. ℔j. ol. rosac. ℥iii. sacch. rub. ℥iß. vitellum unius ovi. M. Materia eo clystere utcunque detersa, dolor quoque nonnihil mitigatus est. mox altero die sequens Enema infusum, recipiens lactis bubuli chalybeat. ℔i. sacch. rub. ℥iß. 2. vitella ovorum. Deinde & tertium, ita.

♃. Decoct. hord. torrefact. ℔i. ol. ros. cotoneor. an. ℥iß. ovorum vitellos numero ij. sacch. rub. ℥iß. M. jis tormina cessarunt, & facta est excrementorum mutatio in meliorem statum: injectis demum clysmis his acres materias eluentibus, per superiora hæc propinavimus; & primò abstersorium hoc medicamentum.

♃. Decoct. hord. communis, ℥vi. syr. ex infus. rosar. ℥iij. M. conficiebatur ex rosis omphacinis non valde apertis, affusis septies vel pluries, atque abjectis, ut ego parare soleo; in eo enim inest vis doloris sedandi mira, & etiam oblinendi.

Purgavimus autem hoc modo.

♃. Fol. plantag. Mj. fl. ros. rub. ʒi. mirobal. citrin. ʒiii. mirobal. chebul. indor. an. ʒß. schænanth. ʒi. bulliant in aqua in colat. ℥iii. adde rhab. el. ℈iiß. syr. infus. ros. & cotoneor. an. ℥ß. M. F. potio. quinquies eduxit. Deinde & hoc præscriptum est.

♃. Hord. commun. p. j. sem. plantag. fl. ros. rub. an. ʒi. bulliant in aqua in colat. ℥iii. dissolv. syr. cotoneor. & infus. ros. an. ℥ß. M. Postea dedi ℈iiß. rhab. parum tosti cum decoct. plantag. & fl. ros. Deinde & ea quæ magis constringerent.

♃. Sem. plantag. exsiccat. & pulv. ʒi. trochisc. de carabe, de spodio. an. ℥ß. C. C. usti ℈iß. corall. rubr. ℈ß. pulverisentur subtilissimè & dividantur in tres partes, & detur una dosis, cum vino rubro, altera cum decoct. sem. plantag. fl. ros. & centinod. tertia cum decocto vini rubei in quo bullierint rosæ, sem. plantag. & centinodium. Hoc etiam condito usus est.

♃. Conserv. ros. vet. ℥vi. diacydon. sine speciebus ℥ß. troch. de spodio, ℈iv. syr. cotoneor. rob. de ribes, syr. myrtin. an. ℥ß. M. Insuper victu convenienti utens probè convaluit à Dysenteria deplorata. Unicè etiam prodest vinum decoctionis Gnaphali, tam potum quam loco fomenti adhibitum, & nihil præstantius quam ʒi. coaguli leporis pota ex sapa: & stercus canum sola ossa vorantium, cum lacte chalybeato, ut sæpius expertum est *Petrus Forestus. obſ. 35. lib. 22.*

Nobilis quædam mulier gravida in Dysenteriam incidit, consilium sequens dedi.

Lac amygdalinum cum aqua cocta chalybeata paratum, loco vini bibat. oriz am cœtam cum jure gallinæ frequenter comedat. & pultem (*Cadle*) cum vino rubro in quo aurum extinctum sit, ovis & saccharo coctam.

Electuarium hoc manè & vesperi sumat, quantitate nucis mosch.

♃. Pulv. rad. tormentill. ℥ii. sem. lapath. ʒi. corall. ʒiß. conserv. ros. & carn. cydon. an. ℥ß. cum syr cydon. F. Electuarium.

Julepi hujus coch. 2. superbibat; atque circa meridiem totidem sumat.

♃. Syr. cydon. ℥i. syr. fragor. ceraſ. acid. de papav. (ad sensum intestinorum nonnihil obtundendum) an. ℥ſ. aq. ros. & plantag. an. ℥ii. M. F. Julep.

Inungat ventris regionem oleo absynth. mastichino & cydon. pedes abluat vino rubro stiptico, sic restituta fuit. *Felix Platerus. obſ. lib. 3. pag. 861.*

Prægnans mulier quum gestationis nonum mensem ingrederetur, dysenteria lethali corripi cœpit, quæ nullis præsidiis domabatur, at cum pareret, illicò dysenteria restricta est, & illa paulatim sanitatem consecuta fuit: Dysenteria ante partum salubris ab *Hippocrate* judicatur, quod verum esse historia nostra testatur: ita enim *Hippocrates* lib. De morb. popular. quinto memoriæ commendavit. Epicharmi uxori ante partum dysenteria, dolor, alvi egestiones subcruentæ mucosæ aderant; ubi peperisset, statim sana erat, diversionis fortè ratione. *Amatus Lusitanus Centur. 2. Curat. 51.*

Mulier

Mulier medica quædam annosa (sunt enim authore *Galeno, lib.6. De locis aff. cap.5.* & mulieres medicæ quædam) mirabile consuluit remedium in Dysenteria.

Jussit pomum integrum (cotoceum magis laudarem ob vim adstrictoriam) excavari, impleríque cavitatem cera alba vel citrina selectissima, & indito operculo prunis admoveri pomum donec omnifariam liquesceret cera & pomi substantiæ intermisceretur, tumque pomum sic paratum esitare ægrum jubebat ante omnem cibum, & profectò optimè contulit, nam cum clam me dies aliquot hoc esset usus remedio, mihique postea rem omnem detexisset, & ecquidnam mihi de tali adhibito remedio videretur rogasset, ingenuè quidem respondi, non malum mihi omnino auxilium videri, cum virtutem habeat emplasticam, qua agglutinare ulcera intestinorum posset; quin & dysentericis opitulari ex *Dioscoride* affirmavi; nec me propterea remedium improbare velle, quod esset à muliercula excogitatum, cum & *Gal.* ipse veritus minimè sit, nec dedecori sibi fore putavit à plebeio homine inventam fumariæ herbæ vim, ad stomachum roborandum & ventrem lubricandum in monumenta sua referre, & tanquam exploratum probare, ut *lib.7. De simpl. facultat. cap. De Fumaria, Franciscus Valeriola. Observ.4. lib.3.*

Ilico præscribe Julapia ex aq. cichor. cum emulsione sem. cichor. & endiv. misce syrup. de ribes, & alternis diebus propina rhei & myrobalan. ana ℥ß. cum syrup. de ribes. *Joh. Heurnius, ad Aphor. Hipp.23. sect.7.*

Principem vidi quæ querula fuerat ante de splene: in febre dejecit alvo cruentam atram materiam copiosè bis aut ter; trepidabat illa ad conspectum excrementi; verum in bonam spem eam erigebam, evasit, non erat hæc dysenteria ab atra bile, nec diuturna, nec illa quæ est cum ulcere intestinorum, sed cruenta, quæ ilico placatur, nam splenem evacuat. *Joh. Heurnius, ad Aphor.48. sect.6.*

Optimum remedium est infusum rhabarbarum in decocto ros. sicc. rad. plantag. & mirobalan. ex aqua endiv. cum pauco cinnamomo, expressio fiat valida, præbeatur cum syrup. de ribes vel de rosis siccis. Sumatur bis in septimana. Intermediis diebus lac à vacca calens datur ter in die cum saccharo rosato. Dolor si urget, lac clysmo infundatur cum butyro rec. & vitello ovi. Coquatur in lacte tapsus barbatus & rosæ, tandem ut stringas lactis dimidium excoque. Bibat ter in die. *Johan. Heurnius, ad Aphor.3. sect.6.*

Quendam vidi, quem dysenteria longissima ad tabam tantam deduxerat, ut ei lac sugendum muliebre Medici præscripserint. Sed miraculo quasi curatus optimè & breviter fuit, usu aquæ pro potu ordinario, in qua suber bullierat: usus est etiam utiliter syrupo Corallorum & conserva Cynorrhod. Sed aqua suberata præcipuum ejus curæ fuit instrumentum. *Petrus Borellus. Observ.57. cent.1.*

Nobilis quidam *Lusitanus* devoratis tribus pyris ab amasia porrectis, in fluxum incidit ventris diuturnum, cum diris symptomatis. Plurima ex abstergentium primò, deinde adstringentium sylva medicamina parantur, extra admota, intus assumpta, & per sedem infusa, sed frustra: cum tandem de veneno suspicio esset, propinantur cardiaca & alexipharmaca, at malum solum smaragdo trita, & conserva cydon. obvoluta conquievit. Hanc alternis diebus jejuno ventriculo assumebat, superbibita aqua, in qua tragacanthum prius erat incoctum, smaragdi, quantitas erat pondus duodecim granorum, quam cum quinquies devorasset à fluxu immunis evasit. *Zacutus Lusitanus. Observ.91. lib.3. Prax. admirand.*

Puerulus quidam bimulus dysenteria contumaci laborabat: post multa alia remedia frustra usurpata, exhibui extract. Corallorum ℈ß. cum aq. plantag. & eodem die fluxus cohibitus est. *Lazarus Riverius. Observ.66.* cent. 1.

Adolescens quidam 20. annorum laboravit dysenteria per 12. dies, quam nullo remedio oppugnare conatus est, donec ad Xenodochium deductus, sumpsit ex præscripto medici Xenodochii Salis vitrioli ʒi. in aqua dissolutam, multa evomuit biliosa & pituitosa; sicque facta est revulsio humoris ad intestina defluentis, & hoc solo remedio curatus est. *Lazarus Riverius. Observ.9. cent.3.*

Alvum coactam vomitio solvit, & plus æquo fluidam sistit: illam quidem humectando, hanc verò siccando. *Hippocr.* Libro de diæta.

Uxor mea mense Augusti incidit in gravem dysenteriam, ab assumpto pridie pharmaco leviori. Circa horam somni exhibeo laudani gr.2. cum Conserv. ros. Postridie hora secunda pomeridiana, cum perseveraret affectus, exhibeo ejusdem laudani gr.2. continuavit alvi fluxus sine sanguinea dejectione, qui per 5. vel 6. dies perseverarit, ac tandem medicamento ex infus. Rhabarb. & myrobalan. cum rheo pulv. & Syr. rosac. omnino sublatus est. *Lazarus Riverius. Observ.84. cent.2.*

Puer quidam 8. annos natus dysenteria tenebatur, cum multo sanguine, dejectionibus viridibus & porraceis admixto, & febre continua, tertio morbi die sumpsit infusum rhei ad ʒi. in aqu. plantag. cum Santalo citrino, dissolvendo rhei pulv. ℈i. Syr. rosac. ℥i. optimè purgatus est, multa excrementa rejecit sine sanguine, & febris ferè expers fuit toto illo die. Postridie sanguinem purum rejiciebat, frequens erat dejectio, cum dolore ventris & febre, quæ perseveravit usque ad diem octavum, licet omnia remedia ordinaria, interna & externa adhiberentur, tum etiam Clysteres varii. Septimo die extractum Corall. ter exhibitum fuerat ad ℈i. cum aq. plantag. & Syr. Cydon. sed frustra. Octavo die cum & febris & fluxus ingravescerent, ac merus sanguis excerneretur, circa meridiem secta fuit vena, & sanguis ad ℥v. detractus, nocte omnia eadem, postridie manè exhibui laudan. gr.2. cum extract. Corall. aq. plantag. & ros. & Syrup. Cydon. alvus omnino suppressa est per quatuor horas; & placidè dormivit, sensim tandem convaluit. *Lazarus Riverius. Observat.37. cent.2.*

Quidam dysentericus omnia remedia respuens, solo usus est Pimpinellæ decocto cum aqua & butyro confecto, cujus Scutellam sumebat manè & serò & intra triduum curatus est.

Pluri-

Plurimùm valet Pimpinella ad depurandum sanguinem, & levem habet astringendi vim, ideo non est mirum, si dysentericis conferat. *Lazarus Riverius. Observ. 84. Cent. 3.*

Domina quædam dysenteria gravi correpta est, mense julio, æstu maxime sæviente, ad eam vocatus tertio die morbi præscribo clysterem detergentem, & venæ sectionem, quarto purgata est medicamento ex rhab. ℥ i ß. myrobal. ℥ß. infus. in aq. plantag. dissolvendo rhab. pulv. ℈j. Syr. rof. ℥ j. bis dejecit humores excrementitios; sed in reliquis dejectionibus, quæ frequentes erant, mucosum quid sanguine perfusum. Vesperi exhibui laudani gran. 2. quibus tormina parum remiserunt, & dejectiones paulò rariores fuere. Quinto tormina eadem, dejectio frequens eaque sanguinea: Clysteres ex lacte, & vitell. ovor. frequenter injiciebantur. Vesperi iterum sumpsit laudan. ad gran. 3. cum conserva rof. & ilico dolores sedati sunt, ac semel tantum in hora dejiciebat. Dormivit per intervalla. Sexto die dejectiones iterum frequentiores cum doloribus intensis, rursus secatur vena: & post 3. horas sumpsit decoctum intestinorum vervecis, cum pulveris granorum actes. ℨ j. dolores omnino sublati sunt, & dejectionum intervalla multò longiora reddita: statim etiam à venæ sectione totus venter inungebatur oxyrrhodino ex ol. rosac. aceto & aq. rof. parato, quod admovebatur singulis horis ad sedandam intestinorum inflammationem; & hoc remedio multum levabatur. Vesperi injectus fuit Clyster ex lacte cum ℥ iv. succi plantag. ad eandem intestinorum inflammationem demulcendam, noctu etiam exhibitus fuit julep. ex aq. plantag. cum ℨj. pulv. gran. actes. Postmodum per triduum sumpsit manè decoctum myrobal. quo integrè curata est, illud decoctum ita compositum fuit.

℞. Cort. myrobal. chebul. ℥ j. citrin. ℥ ß. passul. corinth. ℥ ij. coq. in aq. ℔ ij. ad tertiæ partis consumptionem in colat. dissolv. Sacchar. ℥ j. clarificentur & aromaticentur cinam. ℨ ij. capiat in iv. doses manè & sero. *Laz. Riverius. Observat. 2. Cent. 3.*

℞. Juris intestinorum aut capitis castrati ℥ viii. Sacchar. rub. ℥ij. M. F. Clyster.

℞. Ossis sepiæ ust. pulv. ℨ ij. Spongiæ pice imbutæ & in ollula ustæ & in cinerem redactæ cortic. ovor. indurat. pellicula ablata interiore an. ℥ß. margarit. præp. boli armen. an. ℨ j. M. F. pulvis dosis ℨ j. in lacte vel chalybeato vel cocto, aut in aqua polygoni, certò vobis polliceor, hunc pulverem recentes omnes dysenterias nisi fluxio admodum urgeat, licet valde cruentas, statim sanare. *Hercules Saxonia. Pract. part. 2. cap. 19.*

Civis *Haffniensis* honestus secreto suo aliquot mille dysentericos servasse se gloriabatur, ad præservationem vinum vel cerevisiam absynthites commendabat, ad curationem præsentis fluxus seu albi seu sanguinei, libram semis calidæ cerevisiæ propinavit adultis ægris; cui summitates absinthii & sal album incoxerant, & nucem moschatam tritam cochleari ultimo superbibendam dabat. Infantibus verò pro ratione ætatis cochlearia hujus potus tria 4. vel 6. miscuit. applausum à multis meruit hoc secreto. *Thomas Bartholinus. Histor. 65. Cent. 2.*

Sæpe contulit pulvisculus stercoris canini per triduum cum ossibus nutriti, cum lacte caprillo haustus. Nos sæpissime glande ex opio facto & intestinis inserto tormina abstulimus, & dysentericum proluvium cohibuimus, & somnum ægroto conciliavimus. Crebro autem glans ex opio podici inseratur, sed ultra quadrantem horæ in intestinis non est dimittendus, sed rursum appenso filo eximendus. *Francisc. Iocl. Pr. Et. sect. 3. lib. 4.*

Memini frixis equorum ungulis in butyro, iisdem dein pulveratis, sedatum fuisse frequenter pylori furorem, stetisse dysenterias, atque medelæ benignitatem sensisse, olido illo remedio adhuc intra stomachum detento. Si autem ungula sit jumenti lascivientis, dysentericis certam perniciem allatura dicitur. *Io. Helmontius. Tractat. cui titulus: Pylorus rector.*

Linteum in leporis (venando per canum morsum interempti) sanguine tinctum, siccatumque & in vino carptim exhibitum curat dysenteriam: & siccum Erysipelati appositum illud sanat. Milites Germani leporem fumo siccatum præbent in potu, & curatur dysenteria non fallaci eventu. *Io. Helmontius. Tract. cui Titul.* Potestas Medicaminum.

An in fluoribus dysentericis assiduus Clysmatum anodynorum usus tutus? nequaquam, & in hoc valde Medici decipiuntur: cum intestina abluendi lacte finem non faciunt; dum enim sic intestina proluuntur & diluuntur, effœminatio & mollitudo adfertur ipsis intestinis, unde fit διάθεσις quam Galenus ῥευματικὴν vocat. *Guil. Ballonius lib. 1. Ephemerid. & Epid.*

Quidam dysentericos certò curabat fumo gingiberis per anum in sella perforata recepto, alius verò prætulit fumum C. Cervi. Nobilis *Robertus Boyle, lib. De utilitate naturalis Philosophiæ part. 2. sect. 5. cap. 14.*

Crystallus in tenuissimum pollinem redactus, ac cum vino propinatus dysenteriam curat, ac albos uteri fluxus sistit, fluxum præterea cholericum, vel cœliacum citissimè & à proprietate tanquam Bezoar aliquod compescit. *Anselmus Boetius, lib. 2. De lapid. & gemm. c. 74.*

Dysentericum quendam ita curavi. Glandes quercinas in aceto forti concoquendas jubeo, quarum nidorem & fumum ano per sedem perforatam excepit. Hinc sedabatur dolor, fluxio sistebatur, & paucis diebus integras vires redintegrabat. *Martinu. Ruland. obs. 40. cent. 7.*

Studiosus quidam in Dysenteriam incidit cui opitulatus sum his paucis præsidiis; cibus, quo meo monitu vescebatur, aut siccans erat, aut tostus, aut assatus, aut in aqua vel lacte chalybeato decoctus. Potui dabatur à me lac amygd. dulc. ex aq. chalybeata confectum. Præter hæc sacculos calidiss. ex furfuribus in forti aceto coctis factos crebrò ano applicari jussi, & sic bidui spatio convaluit. *Martinus Rulandus, curat. 18. cent. 5.*

Dysenteriam sæpius à se curatam notavit. *Jo. Prævotius* in adversariis suis exhibito ℨj. pondere, ex vino aut ovi vitello, pulvere rad. filipendulæ, quem ante ipsum secreti loco commendaverat. *Ludovicus Mercator. lib. 1. de recto præsidiorum usu c. 14.* est sanè huic plantæ insignis vis adstringendi. *Georg. Hieron. Velschius, obs. 44.*

Pro arcano habeo à Viro Illustrissimo, argentinæ folium plantis pedum admotum, omnes dy-

senterias intra 24. horas sistere, notavi aëris mutationem mirè ad dysenteriæ curam conferre.

Vidi enim D. Solierium Mercatorem Nemausensem dysenteria fere morientem, qui curari nunquam potuit, nisi aëris Castrensis, cum suo immutatione; postquam statim curatus fuit pinguisque evasit, licet antea tabe confectus esset. *Petrus Borellus, obs. 13. cent. 1.*

Tormina sedabuntur haustæ aquæ verbasci cui parum aq. juniperi admixtum. Fiant sacculi etiam è verbasco aqua incocti, & ventri dolenti imponantur. *Philippus Michaël. consil. 94. lib. 7. consil. Cratonis &c.*

Gerardus Vossius, vicinus noster, dysenteriâ per aliquot dies laboraverat. Maximis intestinorum doloribus miserè cruciabatur, sæpe multa dejiciebat, quæ cruenta & muco tenaci permixta erant omnia: nihil dormiebat: appetitus planè dejectus erat, vehementer sitiebat, febris aderat non admodum vehemens, sed continua. Licet æger juvenis esset triginta annorum, & valde robustus, attamen his malis exagitatus adeò prostratus fuit, ut paucis diebus ad summam debilitatem pervenerit. Sextò Februarii, morbum curaturus, tale purgans exhibui, à quo multa biliosa dejecit.

♃. Rhabarbari opt. aliquantum ustulati drac. ij. myrobalanorum Indorum, citrinorum, ana drach. j. folior. senæ mundat. drach. iij. sem. anisi drach. j. papaveris albi drach. ij. aquæ plantaginis q. s. ebulliant per semihoram, adde colaturæ elect. diaphœnici drach. j. s. misce, fiat haustus.

Vesperi post purgationem hunc bolum exhibui, à quo illâ nocte per horam unam aut alteram quievit.

♃. Terræ sigillatæ, requiei Nicolai, ana scrup. j. mithridatii Damoc. scrup. ij. misce, fiat bolus.

Postridie sequens apozema coctum fuit, de quo ter de die & semel nocte mediâ haustum bibit.

♃. Hordei mundat. ℥ j. radicum bistortæ, tormentillæ, corticum granatorum, an. ℥ ß. foliorum quercûs, plantaginis, saniculæ, pimpinellæ, alchimillæ, bistortæ, an. m. j. seminis rosarum minimarum drach. vj. capitum papaveris albi num. iij. passularum cum acinis ℥ v. aquæ communis ℔ iv. coquantur s. art. ad medias: fit apozema.

Intermediis horis etiam sæpe de die particulam hujus conditi comedit.

♃. Nucis moscatæ, trochiscorum de terra sigillata, an. drach. ß. cornu cervi usti, coralli rubri præparati, lapidis hæmatitis, mastiches, an. scrup. j. pulverisatis adde, conservæ rosarum rubrarum ℥ i ß. myvæ cydoniorum, rob. acaciæ, an. drag. iij. requiei Nicolai drach. j ß. syrupi granatorum acid. q. s. misce, fiat conditum.

Sitim, quantum possibile erat, ferre jussi, cui legi eò faciliùs obtemperavit, quòd post potum, imprimis cervisiæ, semper maxima tormina sentiret atque hinc etiam locô cervisiæ, tale amygdalatum pro potu ordinario præscripsi.

♃. Hordei mundati ℥ i ß. seminis rosarum minimarum ℥ j. papav. albi, plantaginis, lactucæ, an. ʒ ß. aquæ communis ℔ iij. coquantur ad medias.

♃. Dictam colaturam, amygdalarum dulc. depilat. ℥ v. sem. papaveris albi drach. iij. 4. frigid. major. an. drach. j ß. fiat s. art. amygdalatum, cui admisce syrupi de papavere ℥ j. rosarum rubr. ℥ i ß.

9. Februarii manè exhibui rhabarbari parum ustulati & pulverisati scrup. iv. cum pauxillo cervisiæ. 10. ut & 13. Februarii apozema, 12. autem conditum reiteratum fuit. Atque his medicamentis fluxu cessante, æger paulatim convaluit, & vires deperditas convenienti diætâ recuperavit, verùm adhuc diu post sanationem à quolibet potu malè afficiebatur & magna intestinorum tormina sentiebat, quod malum etiam paulatim evanuit, nempe intestinis ab usu ciborum novô mucô (priore humorum acrimoniâ abrasô) rursus oblitis & investitis. Hôc ægrô sanatô, in iisdem ædibus paulò pòst idem morbus tres quatuorve alios invasit, qui omnes simili ferè modo curati fuerunt.

Eodem illo tempore Montforti per totum oppidum dysenteriæ inter vulgus passim grassabantur, multosque necabant, integræ quoque familiæ hôc morbô corripiebantur, quem propterea multi malignum & contagiosum esse judicaverunt; sed malè, quia non contagii, sed temporis anni & diætæ ratione communis erat: causa enim mali hinc procedebat, Autumnus anni præteriti fuerat calidus & humidus, multosque in corporibus humores accumulaverat: hunc subsequebatur hyems admodum sicca & intensissime frigida, quod frigus cum asperrimo gelu longo tempore duravit, humoresque valde condensavit. Initio Februarii asperrima illa frigida tempestas subitò in tepidam mutata est, qua humores à frigore condensati ad fluxum dissoluti fuerunt. Durante autem gelu, cùm nihil neque carnium, neque piscium, aliorumque eduliorum recentium adveheretur, vulgares (ut isto in loco consueverunt) toto illo tempore vescebantur carnibus & piscibus antiquis, salsis & fumo induratis, etiam multis cæpis, & aromatibus calidis, aliisque similibus, quæ humoribus non parvam acrimoniam induxerunt, quibus tandem repentinô calore ad fluxum dissolutis, tot passim dysenteriæ excitatæ sunt; non tamen alibi quàm apud vulgares, qui tali diætâ usi fuerant, divites enim qui liberaliùs vixerant, ab hoc malo immunes erant. Hinc etiam evenit, quod ratione unius ejusdemque diætæ, tres quatuorve in iisdem ædibus sæpe hôc morbô inficerentur, non autem ratione contagii, quod æquè alios qui ipsos adibant, quàm hos invasisset. *Isbrand. De Diemerbroeck in Observ. & Curat. Medic.*

Pancras Collert, juvenis robustus annorum circiter 22. eodem tempore dysenteria quoque correptus fuit, cumque à Medicinis esset aversus, fortè quia valde erat avarus, noluit Medicorum consilia petere, sed sibi ipsi Medicus esse voluit. Viderat aliquoties me dysentericis in principio curationis medicamentum purgans exhibuisse, quapropter hoc meum consilium in suo ipsius morbo etiam sequi, & interim sumptibus parcere volens, ipsemet sibi tale purgans præparavit: sumpsit tabaci minutim incisi semiunciam, idque per noctem maceravit in cervisia tenui, manè parum coxit & colavit cum expressione, ac totam colaturam unico haustu ebibit. Paulò pòst summa anxietate usque ad animi deli-

deliquium correptus fuit, ita ut ipsum jam jam moriturum crederent domestici. Eandem enormis vomitus & ingens per inferiora purgatio supervenit, magnaque variorum humorum, maximè bilis flavæ ac viridis, copia sursum deorsumque ejecta est, atque eo modo causa morbi violenter & simul evacuata, hoc unico haustu à dysenteria in totum liberatus fuit.

Sæpe (inquit Celsus) *quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.* Liquet illud in prædicto juvene, cujus temeritatem si qui fortè debiliores sequi vellent, facilè per effluxum ipsius animæ dysentericum alvi fluxum sanarent. Nam tabacum tali modo sumptum, est medicamentum turbatorium vehementissimum, cujus violentiæ non est cujuslibet resistere. Ac proinde ego non omnibus auctor esse velim ut hujus experimenti periculum faciant. Si nonnullis robustissimis hominibus hujus violentissimi medicamenti temeraria assumptio casu feliciter cesserit, non in omnibus ille eventus sperandus est. Quòd tamen tabacum in robustissimo juvene dysenteriam sanaverit, non est à ratione alienum; nam maximâ suâ violentia mali causam simul evacuavit. Audivi etiam tunc temporis, adhuc alios duos rusticos dysenteriâ laborantes, eodem experimento fuisse sanatos. *Idem ibidem.*

Eodem tempore quo prædicta febris tam crudeliter grassabatur, etiam dysenteriæ malignæ, multisque lethales, plurimos invadebant. Post mucum intestinorum statim ægri sanguinem excernebant, non quidem solum & purum, sed humori cuidam albo, viscoso & tenacissimo permixtum, qui instar picis aut visci rebus omnibus firmissimè adhærebat, & in longissima filamenta extendi poterat. Ægris aderant ventris tormina intolerabilia, febris continua, cordis summa anxietas, vires maximè debiles, sitis ingens, totalis appetitus dejectio, vigiliæ continuæ, & nonnullis urinæ ardores. Quibus limus iste viscosus & albus, & sanguinolentis dejectionibus permixtus, valde tenax erat, plurimi moriebantur, at quò minùs tenacitatis adesset, eò meliùs evadebant. Qui in dejiciendo flatus simul excernebant, de iis magna recuperandæ valetudinis spes erat. Illi qui ægris diu aderant iisque inserviebant, à communi contagioso fœtore sæpe ejusdem mali participes fiebant. Difficillimæ curationis erant hi fluxus, in quorum curatione venæsectio parum aut nihil proderat: sæpe quoque nec purgantibus, nec astringentibus, nec sudoriferis, aliisque remediis, in hujusmodi morbis adhiberi solitis, quicquam proficiebatur.

Eadem illa lues hoc ipso tempore in castris nostris ante Schenckianum munimentum innumeros infecit, & plurimos occidit; cùmque Medici castrenses omnes in curatione hujus mali omnia tentarent, sed pauca prodessent, tandem à Medicis quibusdam Italis (qui cum Gallorum exercitu huc venerant) auxilium inventum est, quô postea innumeri curati fuerunt. Primò purgabant ægros cum rhabarbaro: deinde sumebant ceræ drach. iß. vel drach. ij. hancque minutim incisam in lactis dulcis ℥ iv. vel v. aliquantisper coquebant usque dum perfectè liquefacta foret, atque tunc illud lac quàm calidissimè bibendum dabant, (calidissimè sumi necesse est propter ceram quæ in lacte tepido coagulatur, ita ut bibi non possit) si primâ vice non subsisteret fluxus, etiam secundâ & tertiâ repetebant. Cùm autem plurimi in castris hoc morbo laborarent, tantum ceræ albæ brevi tempore consumptum fuit, ut Pharmacopæi Emericenses in tota civitate nihil ampliùs haberent, sed illam bonâ quantitate aliunde coëmere coacti fuerint. Etsi autem cera rariùs exhibeatur per os, tamen novum remedium non est, nam Dioscorides lib. 2. cap. 105. scribit eam ulcera implendi vim habere, & dysentericis in sorbitionibus dari. Sic Valleriola lib. 3. Observ. 4. refert dysentericum desperatum tali remedio fuisse restitutum: pomum integrum excavatum cera citrina mundissima implevit, & indito operculo prunis assandum admovit, donec cera liquesceret & pomi substantiæ admisceretur, idque pomum ante omnem cibum ægro edendum aliquot diebus dedit. Idem Valleriola adhuc præstabilius fore putat si cera tali modo liquescat & assetur in malo cydonio, ut medicamentum simul astrictoriam & glutinatoriam vim habeat. Quercetanus idem remedium parat ex pomo curtipendulo excavato, & ceræ albæ ac gummi Arabici, ana drach. j. repleto: quo remedio feliciter usus fuit Greg. Horstius lib. 4. observat. 18. Solenander lib. 4. consil. 9. turturem ceræ ℥ j. infarcit, & in aqua coquit, postea carnem edendam & jusculum cum pane sumendum porrigit. Alii pullum columbinum cerâ infarctum & assum, comedere jubent. *Idem ibidem.*

Marcellus Bor, vir robustus, annorum circiter quadraginta, prædicta dysenteria etiam correptus fuit. 9. Octobris ipsum purgavi cum rhabarbaro. Deinde julebos, condita, pulveres, & apozemata refrigerantia, incrassantia & astringentia, sudorifera quoque, aliaque convenientia medicamenta convenienti modô & tempore exhibui: verùm hæc omnia nihil profuerunt, ita ut tandem viribus ægri ad extremum dejectis ipsum pro desperato haberem, neque per biduum in tali statu vivere posse crederem. Cùm autem vehementer sitiret, & aquam frigidam appeteret, jussi in desperato casu illam magna quantitate & frigidam ægro offerri, ut hoc copiosiore aquæ potu causa morbifica (si fortè fieri posset) ab intestinis ablueretur, ejusque acrimonia vi frigoris retunderetur. Æger itaque totâ illâ nocte aquam putealem frigidam magna copia (nam maximè sitiebat) ad lubitum bibit, quæ in principio raptim intestina transibat, & magna tormina inducens per inferiora defluebat; postea minora tormina faciebat; circa matutinum tempus intestinorum dolores ferè nulli erant, & dejectiones multò rariores: circa meridiem æger in somnum prolapsus per aliquot horas quietè dormivit; ante vesperam fluxus omnino substitit, atque ita hic æger, qui jam cum Charonte de naulo pacisci putabatur, convenienti postmodum diæta refectus, convaluit, insperato hoc remedio à morbo desperatissimo liberatus.

De aquæ frigidæ potu in dysenteria vix loquuntur Medici recentiores: est tamen remedium in cholerica dysenteria non alienum,

nam humiditate suâ abluit intestina, eaque ab omni humorum acrium saburra liberat, & interna ulcera emundat; præterea frigiditate suâ obtundit bilis calorem & acrimoniam, atque intestinorum ulcera astringit. Frigidæ potum etiam Veteribus in hoc morbo ignotum non fuisse liquet. Aëtius tetrab. 3. sermon. 1. cap. 45. sic inquit: *In potu à principio quidem pluvia aqua utendum est; quod si pluvia optima non adsit, fontana utentur.* Cornelius Celsus lib. 4. cap. 15. hæc scribit: *Si pluribus diebus remedia alia non juverunt, vetusque jam vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumpta ulcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit.* Similiter etiam Paulus aliique Veteres frigidæ potionis in dysenteria gravi meminerunt. Inter recentiores Amatus Lusitanus cent. 2. curat. 56. etiam dysenteriam biliosam frigidæ copioso potu curatam vidit.

Aliàs quoque sæpe evenit, ut optimis remediis nihil proficientibus, interdum simplex aliquod desperatas dysenterias curaverit. Sic ex relatu plurium Capitaneorum intellexi, cùm anno 1624. Breda ab Hispano milite obsessa esset, & dysenteriæ in urbe graviter dominarentur, nec ullum huic malo remedium excogitari posset, cùm omnia Medicis nota auxilia nihil prodessent, tandem casu novum aliquod inventum fuisse, quo plerique sanati sunt, nempe sericum duplici rubro carmosino colore tinctum in tenuissima filamenta pexum, & in vino maceratum: hoc vino cum scrup. j. vel semi drach. pulveris ejusdem serici aliquoties assumpto, innumeri restituti sunt. Novi quendam dysentericum pro desperato jam habitum, qui cùm mespila cruda majore copia devorasset, præter spem convaluit. Alius quidam pulvere ossium humanorum aliquoties cum vino rubro assumpto ab incurabili fluxu liberatus est. Solum oleum olivarum assumptum, vel cum pane albo tosto ei intincto comestum multoties egregia præstitit. Testatur Hollerius hederæ terrestris succum propinatum plurimos à morte liberasse. Forestus lib. 22. observ. 35. scribit se aliquando expertum fuisse, in hoc casu nihil præstantius contulisse quàm stercus canum sola ossa voràtium cum lacte chalybeato exhibitum. Hoc remedio refert Fuchsius se uno anno plùs quàm centum dysentericos curasse. Riverius centuria 3. observat. 84. scribit dysentericum quendam usum fuisse solo decocto pimpinellæ, cum aqua & butyro confecto, atque intra triduum curatum fuisse. Bruyerinus lib. 11. de re cibaria cap. 22. de se ipso dysenteria laborante ita scribit: *Nos gravissimè tentati penè à Medicis deplorati jacebamus; exitium enim superabat opem, nullaque auxilia videbantur morbum lenire, nedum juvare. Tandem consilio anus cujusdam, sorba cruda largissimè vorans, postridie vim propemodum omnem torminalem sensi depulsam: indeque firmata alvo, ab Orco (ut ita dixerim) revocatus, & pristinæ valetudini restitutus, verissimè expertus sum Cornelii Celsi dictum, videlicet, temeritatem plerumque efficere in morbis, quod prudentia nequiverit. Idem ibidem.*

De Dysenteria lethali ex usu brassicæ capitatæ noxio rore infecta.

Exulceratio intestinorum, Dysenteriæ nomine veniens, quam Celsus lib. 4. c. 15. intestinorum tormina appellat, est plerumque morbus Epidemius; interdum tamen etiam tantum certæ temperaturæ ac constitutionis homines invadit: inter cujus causas remotas Practici non solùm fructus, præsertim autumnales, aliosque cibos pravos & insolitos, sed etiam aquas, aërem & influxus astrorum recensent. De quibus inter reliquos videatur Forestus Obser. Medic. lib. 22. Obs. 3. Amat. Lusitan. Cent. 3. Curat. 35. in Schol. Ætius tetrab. 3. Serm. 1. c. 45. Baccius lib. 12. cap. 9 Hippocr. lib. 3 Aph. 11. Sennertus Med. Pract. lib. 3. part. 2. Sect. 2. cap. 7. Nos quicquid hac in materia ipsi observavimus, annotatione dignum fore judicamus. Anno 1654. die 7. Augusti profecti sunt nonnulli Patresfamilias cum conjugibus & liberis, recreationis gratia, villam Gremboczin milliare Germanico à Thorunio distantem, ibique pernoctantes, in prandio sequentis diei comederũt de brassica capitata adhuc novella & tenera cum butyro recenti & pipere frixa paulo largius: post cujus esum prima statim nocte omnes ferè de gravissimis torminib. conquesti sunt, quæ deinceps Dysenteria periculosa comitabatur. Qui itaque sani Thorunio egressi, postea omnes fermè ægri paucis exceptis domum reversi sunt: plerique tamen adhibitis opportunis remediis post aliquot dies per Dei gratiam evaserunt; Sed duæ Matronæ, una Catharina Puschia Joanni Hübneri, Consulis Thorunens. jam piè defuncti conjux cum duobus filiis, altera Dorothea Stenvveria, Martini Lochmanni etiam piè demortui, civis & Mercatoris hujus loci consors, vehementia morbi extinctæ sunt. Cujus quidem causam non tam ipsi brassicæ, quàm ei adhærenti viscido & fœtido cuidam rori adscribimus, quo illa planè imbuta, alias natura flatulenta, ventriculo & intestinis adeò nocivam vim impressit, quæ inquinamenta, si coqua aqua limpida benè abluisset, cibus ille proculdubio innoxius fuisset, ceu postea compertum, ipsaque coqua confessa est. Adstipulatur hisce Aristoteles, qui Sect. 1. Problem. in fine, morborum alios ab igne, alios à rore creari statuit. Plutarchus Quæst. Natur. qu. 6. ita scribit: Habet ros vim quandam rodendi: hinc roris potus graciliores reddit potantes, & pingues mulieres tenuibus vestimentis, aut lanis rorem excipientes; videntur eo nimias carnes consumere. Huc pertinet illud Theocriti in Thyrside, vetula macra Rorenè vivit more cicadæ. Similiter rorem terræ noxium proponit Plinius lib. 21. cap. 17. dicens: palustribus desertis nocturnos rores nocete. Idem lib. 18. cap. 29. ne ros satis noceat, inquit, sarmenta aut palearum acervos & evulsas herbas, fruticesque per vineas camposque, cùm timebis, incendito, fumus medebitur. Sed omnium optimè Albertus cap. 14. rorem dicit aliquando herbas siccare, Quia, inquit, quicquid est ex vapore habente multum humidi aërei & subtilis terrestris sicci, tùm frigore temperato pinguescit humidum aëreum, unde fit ros viscosus ad modum mellis. Ipso autem

tem delapso super herbas; actione Solis evaporat humidum, & terrestre siccum comburitur; & ita sua siccitate exsiccat herbas & folia, & inducit sterilitatem. Ex eodem rore aliud addit nocumentum: oves, inquit, avidè depascunt herbas dicto rore affectas ob mellis saporem, unde fluxu ventris moriuntur. Ex aliis, si post copiosum rorem Sol ferventior fuerit, plantas ad marcorem adducit, exhausto spiritu, quo fovebantur, nisi pluvia succedat. Si importunè, inquiunt, cadat, plurimum obest. Nam Messes solet corrumpere, præsertim si pluribus diebus cadat. Est enim ros calidus & humidus, quæ qualitates sunt principia putrefactionis; aqua autem frigida est, & à putrefactione præservat. Suessanus de signis Serenit. cap. 5. ita scribit, Pannus lineus lotus noctu capitur à rore, redditur lacerabilis, quia ros illum putrefacit. *Simon. Schulizii.*

Dysenteria variis symptomatibus infesta.

Ut singuli homines suos patiuntur manes, ita singulæ propemodum morborum species, quoties populariter affligunt, novi generis irritamento ægros adoriuntur. Hoc anno dysenteriis passim se adjunxere dolores acerrimi circa regionem cordis oppressiones pectoris, interceptiones anhelitus, adeò ut ægris nonnullis à suffocatione metus esset; accessit ea in faucibus lentæ pituitæ copia, per aliquot dies recurrens, ut gargarismorum opem frequentem non secus requireret, ac febres malignæ in fauces humorem noxium effundentes. Quibus non raro se aggregavit lumbricorum copia, atque pertinax ægrorum à pharmacis abstinentia, & solius cerevisiæ frigidæ amor, quod utrumque ultimum non paucis funestum fuit. Tandem trahente se in longum morbo, circa vigesimum primum diem obortæ quibusdam vomitiones sanguinis, & illæ modicæ quidem, sed plerisque ægrorum lethales, utcunque jam per plures dies non sanguis amplius, sed cum excrementis ichor tantum subinde per posticum excluderetur. In cura, post rhabarbari usum, etiam frequentiorem aliquando, profuit maximè tinctura Martis adstringens, sed curiosè elaborata. Pulveres adstringentes, decocta adstringentia, quæ solenniter huic malo destinata sunt, parum, (immò propemodum nihil hoc anno adstringere visa sunt. Sed &, malo tandem evicto, tenesmi solito pertinaciores aliquandiu cruciavere. Cuidam Equitum Magistro dysenterico, meæ curæ subjecto, hoc peculiare, quod indubitanter prædiceret, quoties excrementa sua proditura essent cruenta, quoties sanis similia: quoties enim sentiebat in urethra & testiculis dolores lancinantes, certum erat exituri sanguinis indicium, quoties in ventre & intestinis vagabantur dolores, nil tale observatum. *Ol. Borrichii.*

Dysenteria lethalis, ex esu fructuum & olerum recentium.

Serenissima Elisabetha Danica, Dux Brunsvv. & Lun. cùm jam annum 53. ætatis ageret, & 5. Jul. in cœna & ante cœnam cerasa alba, uvas crispas, faba & pisa recentia liberalius esitasset; nocte sequenti dysenteria correpta est, quæ eam vehementer statim afflixit, & vires dejecit.

Die 8. Jul. data purgatio lenis ex infuso rhabarb. deinde alternis diebus pilulæ ex rhabarb. & mastiche, quibus quoties usa fuit, & rarius excrevit, & probioris coloris saburram egessit. Alioquin non modo cruenta, mucosa, minia itidem tincta, sed & viridia, livida, & nigricantia exclusit, præsertim cum confortantibus, sive leniter adstringentibus uteretur. Crocus Martis propinatus non tantùm nihil profuit, sed & vires dejecit, & excretiones multiplicavit, ut eo nisi ista vice, & semel tantùm deinceps uti voluerit. Clysteres sæpius sunt injecti ex decocto hordei, & nonnullis illi incoctis roborantibus & lenientibus, interdum ex lacte admisto succo plantag. & melle rosato; hinc semper melius habuit, & lenimentum sensit. Tandem, ob bilis & humorum corruptorum acrimoniam, intestinum rectum cum sphinctere exulceratum est, quapropter clysteribus locus non fuit per aliquot dies; præsertim cùm interfæmineum etiam ita intumuisse perhiberet, ut urinæ retentionem quoque metueret.

Die 18. Julii tametsi magno cruciatu, iterum infusus clyster ex decocto hordei, succo plantag. & melle rosato, viscosæ pituitæ & muci plurimum eduxit, & reliqua excrementa post id magis ad naturalem statum redierunt, vires tamen magis magisque fractæ sunt, & pulsus adeò debilis, vix ut sentiri potuerit, somnus interruptus semiclausis oculis semper laborem, molestiam & animi angustiam post se reliquit, & magis visus est impotentia vigilandi, quàm verus & naturalis somnus; suborti etiam ructus & singultus quàm molestissimi, qui tum intrinsecus assumptis, tum foris adhibitis nihil aut perquam parum remiserunt. Postremis etiam diebus motus convulsivi in digitis & labiis observati sunt, jusculis delicatioribus minima quantitate alta fuit. Post cerevisiam, quæcunque tandem esset, & ructus & singultus increbuerunt, post potum vini Petri Simonis rariores prodierunt, verùm ex eo calorem se persentiscere conquesta fuit, cùm tamen nemo adstantium ullum calorem neque in pulsu, neque in contactu totius corporis, sed perpetuum frigus animadvertere potuerit.

Die 19. Jul. 1626. vesperi inter 7. & 8. horam constante mente ex hac miseriarum valle emigravit. Serenissima Domina macilenta, calidæ & siccæ fuit complexionis, quo circa humores consimilis naturæ in corpore coacervati & constitutione aëris calidiore, quæ ea æstate plurimis dysenteriam attulit, non paucos etiam sustulit, prout corpus magis minusve dispositum fuit, facile in atram bilem converti potuerunt, à quâ quæ nascitur dysenteria, omnibus seculis à doctis Medicis lethalis habita fuit. Hæc tantæ interdum est sævitiæ & malignitatis, ut non tantùm subito vires dejiciat, verùm etiam vicinas partes, ventriculum, ejusque utrumque orificium, epiploon œsophagum & vicinas thoracis partes propter continuitatem & contiguitatem facile inficit & inquinat, cujus exempla adducit Hollerius Schol.

ad caput de Dysenteria, Quibus ego moveor ut credam consimili contagio superiores quoque corporis partes fuisse contaminatas, præsertim cum perpetuis ructibus & singultibus Celsitudo ejus sit divexata, & sæpius, efficiebat per vomitum materiam mucosam rubore tinctam non multum absimilem illi quæ ab alvo injecta est: Libenter assumpsit omnia præter Rhabarbarum, quod semper abominata fuit. *Thom. Bartholini.*

Dysenteria indolens.

Lubet meminisse Dysenteriæ indolentis. quo ipso locus Hippocraticus lib. 2. Epidem. comm. vi. videtur illustrari posse, Anno 1669. in plusquam quadringentis Dysentericis multa ab aliis non annotata observavi. Et hoc peculiariter, quod multi de nullo unquam Dolore usque ad extremum halitum fuerint conquesti, Omnes vero hi mortui, nullus evasit, seu malignitatis majoris, seu intestinorum gangrænosa constitutione sensum omnem excludente abrepti. *Thom. Bartholini.*

Dysenteria ἄπονος sive indolens.

Difficilis extat locus apud Coum. 2. Epid. Com. 6. 1. 25. ubi volvulum scribit, etiam febris solvit, ἐ δυσεντερίη ἄνευ ὀδύνης. & dysenteria indolorifica. Res mira visa est interpretibus, unde alii cum Valesio vitium in codice causantes, delendum voces illas, sine dolore, esse statuunt: alii cum Lindenio in select. dysenteriæ vocem latè accipiendam jubent, ut per eam h. l. intelligatur diarrhœa, aliudve alvi profluvium, doloris expers, Nihilominus dari dysenterias indolentes in pluribus ægris spectandum exhibuit dysenteria epidemica anno 1669. viciniam nostram exercens. Ægri aliquot, pueri, viri, mulieres, ab ipso invasionis momento ne de minimo quidem dolore conquerebantur, sanguinolenta tamen confestim egerentes, mirati sumus cum adstantibus novitatem rei, ægris aliis torminibus maximis afflictis, hos ne micam doloris præ se ferre. Et licet viderentur hi mitius ægrotare, citiusque evasuri, omnes tamen moriebantur, utut generosis juvati Bezoardicis & Specificis. Hinc inquirentes causam, illam adscribendam visum fuit 1. malignitati majori, quæ in Dysenteria non sinit dolorem semper obtinere primas, ut quæ pleno passu ad corruptionem inclinat. 2. Gangrænosæ intestinorum constitutioni. Fingat enim quis, si illud dari non statuit, cauterium indolens, quod ob agendi energiam sensu omni partem, cui applicatur, exuit; pari ratione corrosivi humores in tantum quandoque pollere possunt, ut omnem sensum tristem excludant, intestinis statim quasi sphacelatis. 3. Mentem simul laborare interdum, & doloris lancinantis faces non sentiri in Phrenitide alibique conspicuum est. Jungi hæc potest causa, sed quæ non omne exhaurit punctum. *G. W. Wedels.*

Dysenteria cum vomitu cruento.

Quidam Dysentericus, anno suprà citato, adeò affligebatur, ut præter solita communia Symptomata aliquoties sanguinem non solùm κάτω sed etiam ἄνω excerneret, nihilominus tamen evasit, utroque fluxu subsistente. De vomitu aliàs sanguinis, vid. Dodon. Observ. cap. 26. ubi ex tribus locis potissimum ejici posse sanguinem scribit. 1. licet rarò, à Jecore. 2. à Liene frequentius, qui sunt pallentes & tumidum habent splenem ante vomitionem. 3. ab Utero, à suppressis mensibus. Medios Absinthii quoquo modo usurpati virtute aliquos servavit, citatque Histor. Stirp. c. de Absinth. De vomitibus Hypochondriacorum nigricantibus aliàs plura, qui non per acida, sed aromatica curandi veniunt. *Georgii Wolfgangi Wedels.*

De Quibusdam in dysenteria observatis.

Præterita æstate, cœlo maximè æstuoso, per integrum Julium, Augustum, mediumque Septembrem dysenteria apud nos epidemialiter grassata, promiscuè Senes cum Pueris corripiebat, nec paucos jugulabat. In qua sequentia observare licuit. 1. More morborum epidemiorum multo simul æqualiter sine data causa invasit. Nam licet alias flagrante Sirio apud nos dysenteriæ aut alvi fluxus non adeò infrequentes sint, sed ab uno vel altero ex esu Peponum aliorumque fructuum horæorum contrahantur: hac tamen vice omnes indiscriminatim, sive fructus comederint sive non, quin imò parvulos recens natos, aut demum ablactatos invasit; multos ex haustu aquæ frigidæ; quàm plurimos absque ulla prævia causa acquisivisse recordor. 2. Infantibus quàm adultis perniciosior fuit: Ex his quippe paucissimi interiere, illi autem statim in primordio vel circa nonum diem interempti sunt. 3. Paucissimi, dixerim prope nulli, qui nonum diem superarunt mortui sive parvuli sive adulti. 4. Nulla tamen adfuit malignitas; Alexiteria namque & sudorifera nec profuere nec nocuere. 5. Quin potius qui ab initio statim Manna in decocto cort. Myrob. cit. soluta aut Rhabarbaro tosto cum iisdem corticibus pulverisatis exhibito purgati, servati fuere omnes, quæ purgatio locum non invenisset in malignitate. 6. Quos cum vomitu bilioso invasit, ægrè evasere, juxta Hippoc. in Coac. dysentericis vomitus biliosus in principio malus. Indicium siquidem, tonum ventriculi esse læsum, illumque compati intestinis, vid. Sennert. l. 3. p. 2. f. 2. c. 7. Contra hunc tamen vomitum quandoque cum fructu dedi Balsamum Peruvianum cum Saccharo vel Magisterio Corallorum mixtum. 7. In quibusdam moribundis, inprimis adultis observavi quandoque viginti quatuor horis ante mortem, totalem tùm pulsus tùm caloris extinctionem, salvis sensibus, motuque membrorum illæso: refrigerationem autem istam non percipiebant, sed potius de calore interno & siti inexplebili conquerebantur, ut manibus glaciei instar rigidissimis subinde loca petierint frigidiora; ob inflammationem forte, & exinde contractum sphacelum intestinorum. Hanc dysenteriam Mense Octobri excepit febrium quoddam genus singulis diebus instar tertianæ duplicis cum omnibus symptomatibus, sed paribus horis invadens: Præter tamen morem

rem autumnalium nec longæ nec lethales erant, intra XIV. quippe dies evasere omnes. *Caroli Raygeri.*

In Dysenteriis quibusdam circa mortem quasi aura ex auribus exire visa est.

Nonnullis Dysentericis circa mortem quasi aura ex auribus exire visa est. *Thom Bartholini.*

In Dysenteria cum Vomitu cruento, Singultus non lethalis.

Vidi in eodem morbo singultus non lethales, vomitum cruentum conjunctum, evadente ægro, cum convulsionibus non mortuos, cum Petechiis frequentissime maritatum; Gravidas, licet mediis & ultimis mensibus nullas eo mortuas: Taceo Ructus supervenientes bonos &c. *Thom. Bartholini.*

Hepar Viperæ Antidysentericum & partum facilitans.

Summè illud & pro specifico laudat Dn. D. Michaëlis p. m. in dysenteria epidemia, in MSS. Pract. Feci periculum aliquoties, & ob vim morbi quidem frustra id in aliquibus adhibui, ubi scilicet urgentia affectus & copiosissimæ sedes aliud postularent; virgo tamen quædam dysenterica, ut postliminio Ephemerides meæ suggerunt, cum nullis aliis juvaretur, adhibito hepate hoc, cum aliis permixto, manifestum sensit levamen, Debet verò tunc esse à fellea vesicula separatum, cum fella stimulent. Sed si pro partu difficili allevando propinare idem sit animus, consultius est, ut cum felle conjunctum exsiccetur, & in usum trahatur. Cum enim fel anguillæ, Helmontiano experimento, tam secundis partum promoveat successibus, idem ab hepate hoc experiri cum manifesto juvamento licebit, *Georg. Wolfgang. Wedeli.*

Curatio Dysenteriæ per lotionem in aqua frigida.

Lavatio in aqua frigida ab Indis in omni fermè commendatur morbo, in dysenteria præsertim, & febribus extra paroxysmum, ægrisque maximè prodest. Cùm Anno 1677. Mensibus Novembris & Decembris periculosissima laborarem dysenteria, & optimis quanquam medicamentis usurpatis, quotidie morti magis appropinquarem, ad lavationem in aqua frigida me (viribus adeò eram fractus, ut à servis portatus ex superiori camera in inferiorem domus locum lavationi magis aptum venirem) contuli. A prima melius habui, ac cœteræ, benedicente Deo, prorsus sanum me effecerunt. Anno 1678. Mense Majo, miserabilis (cum vulgo loquor) effervescentia & febri angebar. Dolor capitis, vigiliæ, vomitus, fluxus alvi, ventrisque dolor me fregerant penitus. Atque per eandem lavationem, cum debito medicamentorum usu eundem valetudinis finem acquisivi? *Joan. Otthonis Helvvigii.*

Dysenteria periculosa acidulis Schvvalbacensibus curata.

Grassante æstate præterita Dysenteria Epidemica, honesta quædam matrona fluxu illo cruento corripiebatur, adeò periculoso, ut adhibitis etiam expertissimis medicamentis ne minimum quidem cohiberi posset, petebat instanter ad fallendam sitim & reficiendas vires Acidulas Schvvalbacenses, quas nolebam concedere ob rationes satis notas, tum etiam alterius cujusdam ægri exemplo edoctus, qui me refragante clam illas biberat, & fluxu irritato intra paucos dies moriebatur; ne tamen crudelis viderer in ægros, in consilium vocavi Medicinæ illud decus & Practicum celeberrimum D. Geilfusium, virum ut in omnibus, sic in præscribendis acidulis expertissimum, is Schvvalbachio rescribebat, in Dysenteria serosa cum cautela concedi posse, subsequente nimirum mictione frequenti. Itaque unum vel alterum vitrum concessi tanto cum successu, ut largiori orta mictione fluxus sisteretur. & ægra neglectis omnibus aliis medicamentis. solis his aquis per Dei gratiam restitueretur. *Joan. Jac. Waldschmid.*

Dysenteria ob ulcus pedis Curatum.

Vir quidam quadragenarius die domi detentus fuerat ulcere pedis dextri, mali pertæsus illud consolidare curavit, quo facto statim incidit in Dysenteriam lethalem, tanto cum egestorum fœtore, ut vix illum invisere potui. Paulo ante obitum excernebat sanguinem putridum, coagulatum, parenchyma disruptum repræsentantem. Vidi & in septuagenario ex ulceribus pedibus intempestivè sanatis epilepsiam, ex scabie sicca retropulsa asthma, & hydropem in Judæo, ex scabie humida pruriginosa malas deformitante, & à matre Ungu. exsiccativo curata subitaneam dyspnæam & paulo post suffocationem in infante 15. mensium. *Joan. Jac. Waldschmid.*

De Balsami Peruviani usu in Dysenteria.

Non minorem meruit laudem odoris suavissimi efficax hæc, in sanandis tam internis, quàm externis ulceribus Medicina, apud Reverendissimam quandam Illustris Cœnobii Sacerdotem maximam. Ad quam hinc peregrè evocatus, lecto affixam inveni, correptam febre tertiana notha, cum doloribus dorsum, hypochondria, tibiasque ferè continuo infestantibus; conjungebantur capitis infirmitas, linguæ siccitas, respirationis difficultas, nausea & ventriculi imbecillitas; nonnunquam palpitabat cor, somnus erat interruptus & perturbatus; urinæ apparebant nunc crudæ, nunc rubræ, mox turbidæ, sæpius subsidentia sabulosa refertæ; alvi dejectiones ut plurimum cruentæ & purulentæ, haud rarò ventriculis, Ascaridum forma, scatentes. Ex qua malorum caterva etsi corporis vires, in animo ad quævis perpetienda tranquillissimo, vigoris sui aliquid remitterent, nihilominus natura, opportunis auxiliis adjuta, tot suos hostes superavit, de iisque gloriose triumphavit. Quod autem à tam sævis ac periculosis Symptoma-

tibus immunis evaserit Nobilissima huc Matrona Religiosa, virtutum ornamentis cumulatissima, non quidem defraudabo planè debitus suis præconiis varia usurpata auxiliorum genera, primas tamen tribuere debeo partes Balsamo proximè ad verum Opobalsamum suis dotibus & notis accedenti, quod è nostris Pharmacopœis quidam possidet, hujus sumpserat. Illa per aliquos dies, pro qualibet dosi ℈ ß. c. vitello Ovi leniter cocto solut. inbrodii, sive juris gallinæ, dempta pinguedine, tepidi haustu, ex quo evidens juvamen sentiebat & percipiebat. Nec mirum, Opobalsamum enim cunctis ferè malis, quæ perpetiebatur. Illa, medendo prodesse, experimenta Celeberrimorum Practicorum dudum comprobarunt. Hinc apud Ægyptios nullum esse Medicamentum, quo magis ac frequentius Gens illa medendo utatur, quàm Opobalsamum, quod quidem illi ferè ad omnes morbos ac Symptomata adhibere Prosp. Alpinus lib. de Plant. Ægypt. cap. 14. pag. 56. recenset. In particularibus autem morbis, in febrib. à crudis frigidisque humoribus, obstructionibusque viscerum obortis Idem commendat pag. seq. & cum eo Joan. Schroderus Pharm. Med. Chym. lib. 4. class. 2. cap. 373. p. m. 181. Visceribus putredinum & corruptionis labem emaculare, adeoque Jecore, ac potissimum renibus fœdo abscessu laborantibus, inter præstantiora auxilia præcipuam operam conferre, testatur magnus Studiorum meorum olim Promotor, Jo. Veslingius in Comment. super citatum Alpini de Pl. Ægypt. cap. 14. pag. 20. & in Vindiciis Opobalsami pag. 37. illius usu interno vaporum ad caput ascensum minui, redintegrata cibi digestione, tradit. Hinc ad Stomachi dolorem, læsam concoctionem, & appetitum abolitum commendat Paulus Zacchias lib. 2. de Affect. Hypochondriaca cap. 15. Schroder. l. c. Necnon Asthmaticos ac Phthisicos juvare, mulieribusque singulare præsidium in Uteri affectibus esse, Idem ibid. ut & Alpinus, ejusque Scholiastes accuratissimus, perseveranter asserunt. Imò Juventam conservare Clusius Comment. in Monardum cap. 9. commemorat; usurpandi autem, in hunc finem, illius modum prolixè docet Alpinus l. c. pag. 58. Cùm præpotentis Dei auxilio, præsidiis his secundum methodum legitimam adhibitis, à tot atrocibus malis liberata esset Optima Antistita, virium autem aliqua adhuc imbecillitas remaneret, juxta convenientem à me præscriptam Diætam, corpus Aqua Magistrali confortante ex voto refeci, in seq. forma præscripta.

♃. Caponem evisceratum, atque minutim incisum, lava vino Neccarino, deinde coque in s. q. aq. font. ad horam unam.

♃. Posteà Brodii colati ℔ iv. Vini Malvat. ℔ ß. Spir. Fragor. ℥ j. Aq. Bugloss. Meliss. Lilior. Convall. an. ℥ vj. add. Cort. Citri rec. extimor. ℥ iij. Cinam. acuti. ʒ vj. Macis. ʒ i ß. Flor. Rosar. rubr. Tunic. Chamæm. Rom. Melissophyll. an. P. j. Sem. Fœnic. ʒ ij. Misce omnia simul, & per 24. horas digere, post in alemb. destilla. Destillatum edulcora cum Sirup. è Cort. Aurantior. ℥ j. Jul. Violar. ℥ iv. Misc. & d. ad V.

De Aqua hac Analeptica sumpsit singulis diebus mane ℥ iij. cum tanto successu, ut secunda ac tertia vice eam renovari curam, nec in posterum de recidiva quicquam conquesta fuerit. *Lucæ Schroeckii.*

De Dysenteria Castrensi ejusque causa Verminosa & curatione.

Exercitus Danici in Scania non ita pridem militantis cum Medicum agerem, inter alias contagiones Castra nostra infestantes, grassabatur præcipuè crudelissimus & sævissimus ille dysenteria dictus affectus. Cujus originem & causam paullo accuratius investigans observavi in scybalis non solum meis purulentis & cruentis, (nam & ipse hoc affectu lethaliter ægrotabam;) sed & in suis militum plurimi observavere mecum cruentæ cladis cruentos reos, scilicet, animalcula quædam, anguineo flexu gregatim perreptantia variæ magnitudinis & formæ, quorum delineationem accuratam Curiosorum oculis in præsentiarum sistere nequeo, ob defectum microscopiorum, quibus illo ipso tempore quod doleo, destituebat. Accedit, quod valetudo infirma cadaveris sectionem negaverit. Quantam autem atrocissimorum dolorum Lernam excitarint hospites isti ingratissimi, intestina fodientes, mordentes, lancinantes, imò, an ipsa præcordia sævientes, quilibet facilè cogitatione assequi potest. Ideoque ne malum ipso in limine hærens ulterius serperet, exitiumque sibi metipsis cacarent ægrotantes milites ab expeditione Christiano politana reduces, maturo consilio opportunum remedium datum fuit ab Archiatro Regio Celebratissimo Dn. D. Christiano Fossio tunc temporis præsente, scilicet absinthium non procul à Castris nostris ubique in agris luxurians, cujus summitatum in cerevisia cum Sale communi vel nitro coctarum largo ac tepido haustu bis terve in die facto, anguem, quem juxta proverbium in sinu suo fovebant, sensim necarunt ægrotantium plurimi. Quo & ipso consilio Wilhelmus Trellund ante hos 24. annos Hafniæ percuravit dysentericos aquam plurimos, qua de re extat adhuc scriptum ejus in luce publica, vid. Tho. Bartholin. histor. 65. Cent. 2. Nec minori virtute pollebat aqua antidotalis Matthioli cum essentia absinthii composita ad præservationem propinata, ut nihil dicam de aliis remediis vermes sive vivos, sive etiam ante occisos è sedibus suis eliminantibus.

Hujus commatis observationes pathologiam animatam optimè illustrantes, cum altiori mentis indagine opus habeant, altioribus merito mentibus relinquo, haud quaquam operosè disquirens, utrum hæc vermiculorum generatio aëritam aquæ sive horum elementorum bigæ quod suspicor, imputanda, cum notissimum sit aërem sive athmosphæram effluviis sæpe putridis & verminosis, sub forma rubiginis interdum segetes & fructus horarios corrumpentis, arborumque foliis arefactis auripigmenti ad instar adhærentis, scatere; variaque in sinu suo occulta vehere semina, in corpus quæ facilè trahi possunt; Aquam autem æstate præprimis, propter tunc frequentius silentes ventos stagnantem & quiescentem putrescere, juxta illud Poëtæ.

Ut capiunt vitium, ni moveantur aquæ.

Undè verminosum seminium in ea hospitans propullulat & aburente sirio excluditur: Quid mirum, ejusmodi progenie verminosa prægnantem aquam largiter haustam in ventriculo insignes excitare turbas; quinimo, sæpius lacertos & busones ex ea produci, ceu illud quam plurimæ testantur observationes ab Æsculapio nostro Boreali Thom. Bartholino annotatæ. Et Delphis Batavorum triennio abhinc mense Augusti à famæ celebritate Cl. Viro Dn. Levvenhoech admiratione pleno mihi per microscopium singularis artificii unica in aquæ guttula innumeram vermiculorum oberrantium numerum commonstratum fuisse memini. Quamvis & huc suam quoque symbolam addere soleant copiosæ in castris circumvolitantes muscæ, præcipuè majores illæ *Spy-Fluer* nostratibus dictæ, jam oletis ægrotorum, modo alimentis sive crudis sive coctis insidentes, fermentumque hocce malignum in cibos transportantes, vel ovis ubique suis, ex quibus vermes excluduntur, alimenta conspurcantes; quinimò eædem & ipsæ cibariis immersæ assumptæque catharsin excitantes. Ut nihil dicam de cerevisia novella, nec debita fermentatione à fecibus depurata, aut vetustate acescente, vel ex frumento ad putredinem vergente, & curculionibus (*Malts Wurmer*) scatente, confecta, copioseque epota, hanc malorum Lernam pariente & fovente. Et hæc est symbola illa, forsan alibi obvia, quàm hac vice hisce doctis doctorum virorum observationibus, ex voluntate eorum, quibus reluctari maxima mihi religio est, annectere volui, Hafniæ postridiè calendarum Decembris 1679. *Pauli Brandii.*

Dysenteria Acidulis curata.

Nobilis quædam Domina, Illustrissimi Domini Baronis de Chaos, pie defuncti Soror, Dysenteria nullis cedente remediis hoc anno 1672. in Autumno diutissime torquebatur, quam Dysenteriam cum viderem à bile flava ardentissima foveri: Acidulas propinavi, & illico pristinæ sanitati eam restitui. *Pauli de Sorbait.*

Illustrissima quædam Anno 1680. Mense Julio, postquam per dies aliquot ventris torminibus, capitis dolore, febricula, &c. afflicta fuisset, tandem Dejectiones alvi & frequentissimas & dolorosissimas cum totali virium deperditione, & appetentiæ absoluta prostratione, patiebatur; Ego advocatus Dysenteriam incruentam esse judico de qua sic Excellentissimus Willisius, in altera Dysenteriæ specie sedes aquosæ & quasi limpidæ cum subita virium prostratione existunt; dejectiones interim biliosæ & phlegmaticæ rariùs eveniunt, & morbum non ita mali moris esse denotant: addit in sequentibus ulteriorem hujus morbi descriptionem ut & curationem idem Author. Clariss. Sidenham etiam de eo his verbis. Quandoque ne minimum quidem sanguinis per omnem morbi dysenterici decursum dejectionibus admiscetur; quo non obstante, (modò frequentes sint dejectiones, cum ventris torminibus & colluvie mucosa,) morbus haud minùs rectè dysenteria vocabitur, quàm si unà manaret sanguis; sic Clar. Barbette in Dysent. definitione dicit fluxum in illa esse vel cruentum vel purulentum tantùm. Adde quod tunc temporis ibidem loci alios viderim Dysenteria Cruenta afflictos. Primò cùm advocarer, fluebant menstrua à diebus duabus, propterea à venæsectione pro revellenda materia acri in intestina deposita abstinebam, & julapiis quibusdam anodynis atque paululum cardiacis, ut & Enematibus appropriatis insistebam. Elapsa die una atque altera cessabant menstrua, fluxus interim alvi augebatur & quoad frequentiam, & quoad tormina, afficiebantur præterea aures difficili auditu, oculi obnubilatione, fauces inflammatione & tumore, totum cerebrum effusione humoris acris vigilias perpetuas & delirium procreantis. Unde patebat materiam morbificam & abundantissimam & pessimæ sortis in partes omnes impetum facere. Venæsectionem, quam primò non ausus fueram celebrare, propter rationem enarratam, tunc tandem celebravi, haustulumque anodynum & confortans propinavi; Die subsequenti remedium purgans ex rhabarbaro, paucissim a senna, manna, & Syup. de cichorio cum rheo exhibeo, vesperi julapium anodynum continuò repeto; sic ex parte rejecta materia peccante, remittebat quidem aliquatenus malum, sed brevi recrudescebat, & quasi vires acquireret eundo, magis ac magis Illustrissimam vexabat. Enemata injici curo è decoctione flor. Chamæmeli, Nymphææ, Papaveris, Rhæados, herbæ Paralyseos, Tapsi Barbati, Rosar. Rubr. &c. in jusculo tenui, & post alterum à prima purgatione diem, eandem repeto, ut & die subsequenti Rhabarbarum pulveratum Syrup. Absinthii admistum exhibeo, continuatis itidem singulis diebus julapiis Anodynis; varia præterea fronti, temporibus, plantis pedum sunt applicita, pro profligandis vigiliis; sed in cassum omnia, nam sic hoc symptoma, non minùs quàm alia, semper infestabat; propterea ad Laudanum Opiatum confugio illiusque grana duo exhibeo, unde somnus ex parte accersebatur, & Dejectiones fiebant minùs frequentes, & minùs molestæ, sed interim major accendebatur febris, cerebrumque magis afficiebatur, quæ rursus omnia per injectum clysterium, purgantibus admistis, minuebantur, revocato in integrum fluxu, sed minùs dolorofo. Morbi pertinaciam, malumque morem miratus, alium Medicum accersiri curo, unaque consilium inimus de tundenda salvatella, pro revulsione iteranda, sic sanè febris omniaque alia symptomata, momento quasi minuebantur; sed dum die subsequenti in colloquiis versaretur longioribus Illustriss. omnia rursus invadunt. Rhabarbarum, Julapia anodyna atque Enemata descripta, addita tantùm vel Theriaca Andr. vel Diascordio Fracastor. ut prius repeto, sed cùm parum inde accederet emolumenti, mor-

morbusque his omnibus surdus foret; Lac Asininum propono: sperans humorum acrimoniam acidam quæ prioribus remediis minimè auscultarat præsidio isti forsitan obtemperaturam, meoque in proposito confirmor dum video Illustriss. Sidenham non reformidare lac etiam vaccinum aquæ admistum pro potu ordinario Dysentericis propinare, & in Dysenteria apud ipsum sicca dicta, non alio quam lacte crudo tepefacto per quatuor dies ægros nutrire; Observoque præterea celeberrimos practicos Lacte prædicto tanquam remedio in Dysenteria uti: Interim alterius Medici consilium pro hujusmodi usu exquiro, cumque ille in meam sententiam descenderet, eo confidentius, illud hauriendum cum Saccharo perlato & succinato præbeo. Ventris tormina sic prorsus evanescebant: humorumque acrimonia temperabatur; attamen vigiliæ aliaque multa semper vexabant, itaque post quartum à primo lactis asinini usu diem, consilio cum tribus Medicis inito, Enema injici curo ex Decocto suprà memorato addita Philonii Romani largiori dosi; Linimento è Cerato Santalino, unguento Comitissæ, Oleo cydoniorum, macis stillatitio & pulveribus quibusdam aromaticis confecto totum Abdomen calidè inungo. Quibus peractis dormiebat Illustrissima per duodecim circiter horas nullo per totum id tempus urgente fluxu, expergefacta omnia bene procedebant quandoquidem præcipua ex parte evanuerant symptomata, Delirium scilicet, Alvi fluxus, Oculorum obnubilatio & difficilis Auditus; unde patebat acrimonia humorum, lacte adhibito, temperata, sicque ut & aliis mediis evacuata non impossibile jam esse, aut saltem non tam ut priùs periculosum ejus ulteriorem cursum inhibere, itaque in Enematum exhibitione pergo, ut & postea Pilulas Cathecu Anodynas à Clar. Hagendhornio descriptas singulis diebus serò devorandas trado. Superveniente etiam tussi sicca, à sola faucium irritatione per salium peccantium nondum in totum correctorum illuc depositione: adjicio Tabellas terræ Catechu anodynas & corroborantes è Terra Catechu, Confectione Alkermes, Pulvere Anodyno Daniel. Ludovici in pauca quantitate, & Saccharo in aqua fœniculi dissoluto. Sic in totum brevi convalescebat Illustrissima à morbo desperatissimo omnibusque remediis propè majori. Per totum morbi decursum potus fuit primùm aqua pullorum additis sem. frigidis major. postea tinctura rosarum rubr. & flor. papaveris rhæados, admistis syrupis idoneis. Cibus erat, vel jusculum avenaceum, vel simplex è carnibus, vel panatella tenuis, aliquando condita quæpiam, & gelatinæ. Hic non addo pulverem Pannonicum & alios, gelatinam cornu cervi compositam aliaque multa per usum medicamentorum memoratorum exhibita; sufficiat præcipua & indicationibus morbi maximè accommoda attigisse.

Anatomicæ inspectiones.

Dysenteria à bile viridi è Cysti manante, unde Ilei & Coli corruptio.

Erat fœmina 40. annorum, pinguis & optimi corporis habitus; quæ anno 20. Augusti Dysenterica obiit Amstelodami: Hæc ante tres septimanas inciderat in fluxum dysentericum, qui tum temporis epidemius erat; quæ rejiciebat in principio morbi erant nigra, subsequente tempore rubescere incipiebant, aliqua tamen intermista albedine: dolebat ventrem, diverso tamen modo, nam vel dolor ad umbilicum hærebat, tuncque deprimebatur venter: vel si hic attolleretur, cinguli instar circa umbilicum movebatur: Sitis ipsam urgebat intolerabilis, quam quocunque volebat potu sedabat, spiritus vini & aquæ vitæ usu nunquam intermisso: Medicamentorum nihil sumere volebat præter decoctum aliquod alterans, & pilulas de Landano Amstelodamensium, ex quorum assumptione dolor sedabatur, & somnus, qui alias aberat, obrepebat: Cùm dejiceret sentiebat dolorem circa anum insignem: Purgata fuit aliquoties tempore morbi, partim pulvere Rhabarbari solo, à quo nihil aut parum, sine levamine movebatur: partim cum rad. Jalappæ misto, à quo multum cum euphoria dejiciebat: Clyster etiam injectus est, à quo pessime habuit, neque etiam ferre poterat inunctiones, unde postmodum horum usus intermissus est: Tempore morbi ter sedatus fuit fluxus cum optima spe, sed cum pessimo uteretur victus regimine, recidivam passa tandem fatis concessit.

Cadaver apertum hæcce dabat observanda 1. Omentum justæ quidem erat magnitudinis, sed sphacelatum, colore atrolividum. 2. Intestinum Duodenum & Jejunum repletissima erant bile, unde Sitis intolerabilis causa derivari poterat. 3. Ileon, quo ad Cœcum tendit, cubiti unius longitudine corruptum & sphacelatum erat: 4. Colon quatuor transversos digitos à Cœco sanum erat, post ad 8. digitos corruptum. 5. Folliculus fellis maximus erat & bile repletissimus: Bilis quæ in eo reperiebatur, viridis erat sicut gramen: Cætera optime erant constituta: In Intestino Recto nihil notari poterat, nec in aliis visceribus: Hepar, Lien, Pancreas sanissima erant. *Alardus Hermannus Cummenus in Miscellaneis curiosis anni 1673. Observ. 116.*

Anatome Dysenterici, cujus intestina, ab initio coli ad finem recti, ulceribus & apostematibus obsessa erant.

Potest Dysenteria emanare à tumoribus p. n. in intestinis procreatis: Perit Filius meus Honoratus, novem annos natus, Dysenteria ab ulceribus orta, ex tumoribus intestinorum: Cum ejus locus nobis esset ambiguus, & symptomatum causæ penitus ignotæ, demortui corpus secandum curavimus.

Chirurgus invenit à principio coli ad finem usque recti, plusquam ducenta ulcera rotunda, mixta cum apostematibus: quorum ulcerum aliqua corroserant totum intestinum: Illis ulceri-

ulceribus interjacebant partes aliquæ intestinorum sanæ & integræ. *Jacobus Fontanus practicæ lib. 3. cap. 23.*

Dysenterici intestina sphacelata, erosa & perforata reperta.

Filius viduæ N. assuetus bibere spiritum vini, patiebatur Dysenteriam summo cum dolore: rejiciebat sanguinem concretum pulcherrimi coloris, i. e. arteriosum, eumque sæpe ad librarum duarum pondus.

Aperto cadavere reperi intestina tenuia hac illac sphacelata, tunicas erosas & quatuor in locis perforatas. *P. Barbette prax. lib. 4. cap. 5.*

Dysenteria per plures annos grassata, imprimis post æstates impense calidas, immensum ægrorum numerum nobis obtulit, inter alios Filiam, septem aut octo annos natam, Illustr. Marchionis de Lucinge, ex dysenteria mortuam, in oppido sex aut septem leucas Geneva distante, *Rumilli* dicto, quo cum accessissem, solusque prognostico locus esset, duobus post diebus mortuam aperiri visum fuit: Intestina nigriora apparebant, cum quibusdam ulcusculis, & interior tunica lacera villosum sericum nigrum repræsentabat, qua cruciatim velut dissecta, in pilos surgens horrebat: *D. Puerarius in Observ. ad Thomæ Burnet Thesaurum lib. 4.*

Anatome Dysenterici, cujus intestina purulentis tuberculis scatentia deprehensa sunt.

Purulentis his tuberculis scatebant Intestina mulieris Hafniensis primariæ, Dysenteria extinctæ: cui ne clyster quidem ob puris contranitentis copiam intrudi poterat. *Bartholinus Cent. 6. hist. 2.*

Dysenterici corpus intestinorum vitiatum repertum est.

Hieremias N. febre assidua laboravit; xi. die dysenteria à prava bile, xxiv. interiit. Huic intestinorum corpus erat vitiatum: *Ballonius Epidem. lib. 2. pag. 245.*

Dysenterici intestina inflata, cum interioris tunicæ abrasione reperta sunt &c.

Anno 1624. aperui aliquot cadavera ex Dysenteria mortuorum; inter quæ corpus militis cujusdam è diuturna dysenteria vita functi: Et invenimus intestina vehementer inflata, ac eorum interiorem tunicam plane abrasam: Tum folliculus fellis, quod maxime in eo erat mirum, repletus ac distentus erat humore lento ac viscido albo, instar pultis ex amylo, Bilis autem ne vestigium relictum erat. *Bontius Medic. Indorum lib. 3. Observ. 3.*

Pus in involucris intestinorum Dysenterici coercitum repertum est.

Si sursum & deorsum obseratur intestinum, in involucris eorum acervatur magna puris quantitas, quæ tandem interficit: Quod nos cujusdam corpore dissecto observavimus.

Libram unam vel alteram materiæ purulentæ in recto intestino cadaveris puellæ Lugdunensis inveni. *Joan. de Lamoniere de fluxu Dysenterico cap. 7.*

Dysenterici pueri intestina crassa tumida, inflammata animadversa sunt.

Puellus annorum 4. dysenteria correptus, quæ tunc popularis erat, excrementa excernebat per sedem cruenta, flava, tandem etiam nigra, quibus mucus pellucidus, copiosus adhærebat: ultimo die, 7. morbi, deficientibus viribus, quæcunque assumebat removebat magno conatu & clamore, idque interpolatis vicibus: circa medium noctis, cum in agone esset, similia excrementa flava & nigra, qualia per alvum dejecerat, evomens mox exspiravit.

Corpusculum aperuimus, crassa intestina tumebant, atque, ac si inflammata fuissent, livebant, uti loca inflammata in viventibus rubra post mortem livere solent: Ea intrinsecus ob summum fœtorem non licuit inspicere. *Platerus observat. lib. 3. pag. 875.*

Dysenterici intestina gangrana affecta fuere.

Nobilis quidam sexagenarius dysentericus, cum quinta die morbi obiisset, & venter ipsius à D. Claudio Chapuis Chirurgo aperiretur, intestina undique gangrænosa reperta fuere, proculdubio propter ingentem inflammationem. *Fabritius Hildanus lib. de Gangrana cap. 4.*

Dysenteria & variolis affecti intestina pustulosa erant.

Ill. quidam Comes juvenis, Variolis correptus, ob febris & Dysenteriæ vehementiam, septimo die morbi mortuus est: Dissecto Jecur, Lien, Pulmones & Intestina, haud secus atque ipsa cutis, papulis manantibus scatebant. *Joan. Daniel Horstius Observat. Anat. 9.*

Dysentericorum non intestina solum, sed aliæ partes quandoque exulcerantur.

Vidimus quendam qui cum torminibus diutius vexatus fuisset, ex iisdem denique in erodentia ipsorum intestinorum ulcera tum in tabem, post in mortem incidens, erosa intus viscera ostendebat: è quibus dum ita affectus supervixit, ut triennium non excesserit, continuo sanies effundebatur. *Benivenius cap. 96. de Abditis.*

Sæpe latius quam ad intestina pervagatur affectio: adolescens annos natus 12. bilioso profluvio cum febre correptus, dejiciebat frequenter similia dysentericis, nigrum sanguinem: sitis, manus frigidæ, vigilia, vini magna appetentia: nihil adjutus remediis, obiit die 9.

Apertus, Oesophago interiore ad os ventriculi superius & ad medium thoracem, nigro corrupto; Epiploo similiter corrupto, Pulmonibus alteratis, Recto intestino exulcerato: Dolor fuerat in sinistro latere, imo ventre & stomacho. *Hollerius ad cap. 1. de morbis.*

Dysenteria ab intestinis apostematibus obsessis, ut & mesenterio.

Accuratissimus Falcoburgius Leidæ hominem

nem evisceravit, quem Dysenteria abstulerat: In intestinis, colo præsertim & recto, apostemata hinc inde conspiciebantur, quorum quædam rupta erant, & eo loci lacera intestina patebant: In mesenterio glandulæ quamplures tumidæ maturo pomo similes, quibus apertis tale pus fœtidum exspuebatur, quale in Dysenteria adhuc superstite effluxerat. *Barth. cent. 6. histor. 2.*

Dysentericorum quorundam intestina tantum crassa sanguinem continere observata sunt.

In sectione quamplurimorum Dysentericorum, sanguis in intestinis tantum crassis observatus fuit, non in tenuibus. Ratio est quod humor corrodens in superioribus intestinis facillime fluit, unde non potest fieri excoriatio & corrosio, ut accidit in crassis, præcipueque in Colo, ubi ob anfractus & concamerationes maximopere stagnans, morbificus humor supra modum corrodit tunicas, unde mucus & sanguis effluit: Ideo clysteres abstergentes, aquasque thermales optimas existimarem, sicut optimas inveni, habita tamen causæ morbificæ ratione. *Dom. Panarolus Pentecoste 1. Observat. 9.*

Gravem dysenteriam, abstersa crusta intestinorum carnea, sequitur cicatrix chyli distributionem impediens.

Chylus à fæcibus alvinis secretus, percolatur per crustam intestinorum carneam & spongiosam in lacteas venas. Læditur hæc percolatio quando abrasa est hinc inde ea crusta, & illi subjecta intestini pars cicatrice obducta, occlusis simul ad lacteas venas tendentibus poris, quemadmodum id nonnunquam evenit post alvi fluxus dysentericos graves, sicuti non semel post mortem in cadaverum sectione observavi. *Sylvius de le Boë Praxeos lib. 1. cap. 16.*

Dysentericus ulceratum habuit ventriculum.

Alteri febris, vomitio, ventris dolor, Dejectiones pici & nigro sanguini similes: xx. die mors. Secto corpore inventum ulcus ustulatum, in ambitu exesis tunicis omnibus ventriculi, qua parte declivis est ad pylorum. Huic procidit anus toto fere morbo. *Hollerius ad cap. 43. lib. 1. de morbis int.*

In Dysenterico Hepar sphacelatum inventum & Epiploon, pylorus & tenuia intestina inflammata.

Duorum cadavera curiosius inspicere placuit, eorumque apertio subjecit oculis quod mens antea conceperat, & Doctores actuosæ Medicinæ non contemnendi nobis reliquerant; In uno repertum est Hepar sphacelatum, pariter & Epiploon cum inflammatione insigni pylori & tenuium intestinorum, propagata ad rectum usque gangræna correptum. 7. die hic æger triginta annorum, gracilis, & acrium humorum incineratione melancholicus, interiit Augusti fini: Ipsum visitavimus. 3. morbi die, reperimus cum febri continua, singulis diebus post meridiem ferociente, dejectiones sinceræ, mox nigræ cum summo dolore & calore fluebant, Sanguis paucus, modo permixtus modo impermixtus aderat, qui duobus diebus ante mortem omnino suppressus est: lingua scabra, glaciale extremorum frigus, & alia graviora symptomata biduo fere eandem præcesserunt. *Joan. de Lamoniere de Fluxu Dysenterico cap. 1.*

In Dysenterico Hepar siccum pallidumve fuit, cum abscessu prope cystin fellis, alio in mesenterio.

Rusticus Delphinas 40. annorum, post dysenteriam imprudenter ruri suppressam, doloribus ventris per septem hebdomadas continuis, & per breviora intervalla continue intensius exacerbatis, interiit mensis Decembris initio: Plurium cadavera justis rationibus moti noluimus aperire.

In illo Hepar siccum pallidumve conspicuum fuit, simul & abscessus cystidis fellis pugni magnitudinem æquantis, prope jecinoris cava pus eructans. Alius visus est etiam in mesenterio. *De Lamoniere de Fluxu Dysenterico cap. 1.*

Dysenteria à vermibus excitata.

Anno 1608. mense Augusto, nata est Dysenteria in puero Dom. Consiliarii du Perier, quæ per intervalla excitabatur, quam suspicabar à punctura vermium nasci, quorum quantitas admiranda fuit inventa in intestinis post dissectum ejus cadaver: Nec mirum cum viderim intestina reduplicata à vermibus. *Jacobus Fontanus practica lib. 3. cap. 21.*

Dysentericorum ulcera ab usu Opiatorum magis putrida & sordidiora evadunt.

Thomas Minadous, Medicus Italus & Professor, se observasse asserit omnes Dysentericos, quibus ex consilio Medicorum Laudanum Opiatum oblatum, defunctos; post eorum usum ulcera magis putrida & sordidiora reddita, ex longiori mora materiæ purulentæ & noxiorum humorum: Istud admonitum maneat alta mente repostum pro cautela. *August. Thonerus lib. 3. Observat. 10.*

Viri à Dysenteria in decem diebus extincti, Pericardium aqua expers repertum.

Cor motu continuo, & propria natura calidissimum, aquam obtinuit ut in ea assiduè, veluti balneo temperatum madesceret, quo floridum & vegetum conservaretur: Unde quibus per ardentes febres, vel inedias, vigilias, & ingentes mœrores exhausta est, Tabidi pereunt. Vidit *Jessenius à Jesson*, in febre ardenti aquam Pericardii consumptam. Vidi in cadavere Illustt. Cancellarii *Dom. de Sillery*, post obitum ad pollincturam exenterato, pericardium siccum, aqua illa per morbum dysenteria cum decem dierum exhausta, nec tamen cor torrefactum exaruerat, sed erat mollius & flaccidius quam par erat. *Riolanus Antropog. lib. 3. cap. 7.*

Anatome Fluore hepatico laborantis in quo hepatis apostema, ejusque dissolutio reperta est.

Miles Anglus cum inflammationem Hepatis primum

primum passus esset, & frustra tentassemus ea quibus opus erat, dolor se remisit quidem, sed desiit malum in Fluxum hepaticum, tumore qui ante erat in hypochondrio, planè evanescente. Cum hoc modo per sex ferme menses languisset, tandem ad extremam maciem ita perductus est, ut ipsissimam, qualis pingitur, mortem dixisses & sic miserrimam vitam cum morte permutavit.

Aperto corpore, invenimus loco Hepatis solam membranam ipsum investientem, satis crassam instar succi, cui adhuc portio saniei, loturæ carnium similis inerat, qualem tam longo tempore excreverat. *Bontius Medic. Indorum lib.3. Observ.9.*

Consul Parisiensis Hepatico profluvio bilioso sex annos vexatus est, & nullis remediis allevatus est. Eo mortuo inventus est tantum Hepatis loculus & membranæ, illius parenchymate consumpto & colliquefacto. *Ballonius lib. 1. Consil. 53.*

Cuidam ex dysenteria febris tertio die oborta, accessit Fluxus hepaticus: cum absque intermissione purum impermixtuumque sanguinem, interdum loturæ carnium non absimilem excerneret, febrisque intenderetur septimo morbi die interiit.

Sectio ostendit Jecur universum prope dissolutum. *Jordanus cap.19. de Pestis phænomenis.*

Inspectio Anatomica.

Fluxu Cœliaco extinctorum hic extra ordinem.

Diarrhœæ diuturnæ Fluxum cœliacum successisse observavit *Magnum Reipublica Medicæ Lumen Excellentissimus Dn. Drelincurtius Præceptor atque patronus meus in æternum venerandus*; ubi in his cadaveribus dissectis Intestinorum fistulam flatibus multùm distentam, attenuatam & tunicam villosam consumptam deprehendit; oscula Lactearum, Lymphâ, quâ humectari deberent, magna ex parte exhausta corrugantur, atque collabuntur ita ut sese, ad chylum advenientem excipiendum, elevare nequeant, chylo, introitu per oscula denegato ulterius meare cogitur scil. ad Colon & Rectum, ubi cum fæcibus extra eliminatur. *E Thesibus Discipulorum Clariss. Caroli Drelincurtii.*

DYSPEPSIA.

Vid.
DIGESTIONIS VITIA.


DYSURIA & ISCHURIA.

Vid.
URINÆ VITIA.

DYSPNOEA.

Vid.
RESPIRATIONIS VITIA.

Finis Libri Quarti.



BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER QUINTUS.

De Morbis à Litera E incipientibus.

EBRIETAS.



PLATO in Timæo ad decimum octavum vino abstinuisse penitus juvenes, ad quadragesimum dilutum bibisse, ab hoc verò largiùs & meraciùs, non tamen ad ebrietatem hausisse refert. Carthaginensium quoque legibus sancitum erat, ne Princeps eo anno, quo imperaret, vinum biberet. Persæ utebantur tantùm vino pro incitabulo ingenii & virtutis, & eo tantùm die, quo Soli sacra faciebant ad ebrietatem bibere Rex concedebat, *Athen. lib.* 10 Penes Romanos sub mortis pœna interdictam fuisse Temulentiam M. Menacii Uxor proprio corpore experta est, à Viro virgis ad mortem cæsa, quod è dolio vinum bibisset, *Valer. Max.* sed ceciderunt Majorum instituta, quo sobrietati patrocinabantur, & pronum in scelera humanum genus proprio astu non pauca invenit venena, quibus vino minimè contentum spontaneam inferre posset insaniam. Verum enim verò, Ebrietatem pœna comes premit & phalans morborum ipsam insequitur, caput fœdis exhalationibus disrumpitur, Cerebrum vertigine tentatur, oculi torquentur, aures undoso spiritu crepant, lingua vacillat, sermo futilis, oris halitus teter, stomachus subvertitur, cordis palpitatio, manuum inepta & insana gesticulatio,

culatio, pedum incertus lubricusque gressus, inquies nocturna, turpes ronchi, furiales somni, alvi & vesicæ spurcissima solutio, ut in hac eluvie, (quemadmodum in cœno lutulentæ sues) persæpè volutantur. Vide *Jason. Pratens. Tr. de curandis cerebri morbis c.20.* Miror interim paucos inveniri practicos, qui prolixè satis alios morbos enarrantes aliquid de Ebrietate immiscuerint, fortè quod Medici raro ad eandem curandam vocentur, uti putat, *Forestus lib.9. Observ.28. Schol.* frequentiùs verò ad morbos, qui hanc sequuntur. Cum itaque Ebrietas in specie ex vino frequens causa morborum existat, ita ut *Rondeletius M. M. cap.13.* scribat in Britannia Medicos divitias sibi colligere ex solis affectibus à Temulentia ortis, à paucissimis verò Medicorum attendatur, placuit de hac ipsa materia disputando in ejus tàm causam, quàm medelam inquirere, annuat Deus!

Temulentia, cum à prisca voce temetum, quod vinum est, derivetur, vi nominis eam tantùm Ebrietatem designat, quæ à copiosa vini ingestione ortum traxit. Inde à tractatione nostra omnes Ebrietatis species ratione Etymologiæ excluduntur, quæ ex aliis, quàm vino, spontaneam hanc insaniam inducendi vi præditis, contrahuntur.

Excluditur ita Ebrietas, (1.) ex aqua, qualem ex potu amnis Lyncestii contrahebant.

Hunc quicunque parum moderato gutture traxit,
Haut aliter titubat ac si mera vina bibisset.

Ovid. lib.15. Metamorph. Lyncestii aqua acidula vini modo Temulentos facit, *Plin. Histor. natural. lib.2. cap.103. Senec. quæst. natural. lib.3. c.20.* sic pisces ex ponto Euxino, si in aquam dulcem projiciantur, inebriari tradit *Baco de Verulam. Hist. naturæ & artis.*

Excluditur (2.) Ebrietas ex *Cerevisia*, quod ἐκ κριθῆς vinum ex hordeo vocat *Theophrastus de plantis, lib.6. cap.15.* οἶνος κρίθινος. Vid. Dioscorid. quò refero omnia ferè potuum genera ex fructibus per fermentat. parata. *Virg. Georg.*

- - - - - - - - - - - - pocula læti
fermentato atque acidis imitantur vitia sorbis.

Hinc, *Plin. Histor. natural. lib.14. cap.21.* Est Occidentis populis sui Ebrietas fruge madida. Mira vitiorum solertia inventum est, quemadmodum aqua inebriaret, conf. *Placot. Schook, Meibomium, &c. de Cerevisia.*

Ebrietas (3.) ex lacte, Tartaris & Scythis non infrequens, paratur autem ut inebriandi vim acquirat duplici modo, vel (α) per fermentationem, quod Chymum & pozam nominant, (hunc potum *Prosp. Alpinus de Medicin. Ægypt.* ex farina loliaca, seminibus cannabis & aqua componi asserit) quem modum ex *Joh. Lucæ* relatione *de Tartaria* gallicè conscripta citat *Dn. D. Ettmullerus disput. de Med. Hippocr. chym. cap.3. §.7. v.* (β) per destillationem. Et probabile hoc videtur (inquit *Sennertus pr. l.4. part.2. de inf. morb. cap.7. de siriasi*) cùm lac butyrum multum quod pingue & oleosum est, in se contineat. dixi verò alibi (sunt verba *Sennerti*) pinguia & oleosa omnia, spiritus chymicis dictos, suppeditare & olea à spiritibus vix aliter quàm substantiæ modo differre.

Ebrietas (4.) ex Opio Turcis ita familiaris, ut in proverbio dicant: Opium comedisti *Bellon. observ. lib.4. cap.15.* quod an idem sit cum Maslach Turcarum, uti *Sennertus, pr. T.1. part.2. cap.6.* contra *Tarnbeiserum* disputat, an vero compositum sit, uti credit *P. Andr. Matthiolus, lib.3. Epist. pag.180.* in medio relinquo.

(5.) *Ex rebus narcoticis.* Horum enim vis antequam eò progressa est, ut stuporem excitet, priùs Temulentiam, & Delirii quoddam genus producit, v.g. fol. cannab. ex quibus bolos parant Ægyptii, quibus utuntur sub nomine *Assis. Lolii semeni* hujus farinam cum fol. cannab. miscent & plusquam assis præstare dicunt, *Prosp. Alp. de Med. Ægypt. lib.4. cap.1.* Huc pertinent nuces insanæ, de quibus *Clusius Exot. lib.2. cap.26. Nux myristica* vid. *Lobelius observat. stirp. Cortices Mandragoræ* vid. *Schrôd. pharmacop. Rad.* Tuberis *Theophrast. lib.9. hist. plantar.* Nicotianæ fumus, & plures aliæ herbæ, semina, radices, quorum catalogum hic scribere esset extra limites vagari.

Intelligimus ergo per Temulentiam Ebrietatem ex solo mero contractam alio nomine κραιπάλην Græcis dictam, Latinis *Crapulam.* Vox hæc licet variè à variis accipiatur, uti *Foësius* docet *Not.* ad *Hippocr. lib.2. de morb. vulg.* (a) Pro quavis ingurgitatione hesterna. (b) Pro apepsia ex vino; magis tamen audiendus *Galenus*, qui ad *Aph. 5. sect. 5. Capitis offensionem* ex vinolentia κραιπάλην vocat, conf. *Consider. Med.*

Temulentia itaque hoc sensu erit productum morbosum lædens spirituum animalium actiones, à sulphure vini copiosiùs hausti ortum trahens.

Tria esse, quæ valetudini nostræ negotium facessant, Morbum scil. Morbi causam, & symptomata, *Galenus* putat *Libr. de Constit. Artic. 15.* quam opinionem per traditionem ad nostra sæcula propagatam ex plurimis libris legimus. Verùm quia ipsimet symptoma cum morbo confuderunt, ternarium hunc rerum p.n. numerum ad binarium redegerunt moderni; Causam nimirum morbificam & productum ejus vid. *Tit. Dn. D. Ammanni paræn. ad studios.* sufficit enim Medico practico causas, ad quas solas attendere debet, a productis seu effectis distinguere, quorsum etiam impræsentiarum respexi, dum Temulentiam rem homini p.n. per productum morbosum, loco generis definivi.

Differentia sumitur (1) à forma, læsa scilicet actione, quam communem habet productum hoc cum reliquis. Cum enim vita sana consistat in actuatione partium corporis secundum leges à natura præscriptas, vi contrariorum hujus labefactio Morbus erit seu productum Morbosum, ejusdem *abolitio Mors.*

Sumitur (2) differentia à parte affecta seu spiritu, ab usu animalis dicto: spiritus enim nostri corporis licet diversas actiones edat, diversisque organis gaudeat, nonnisi unus est, si substantiam aspicias; *Aristoteles lib. de animal. motu, Hoffmann. lib.2. institut. Argenter. lib. de somno, & vigil. Deusing. libr. de spiritibus: Helm. Tr. Blas. human. §.58. Tr. spir. vitæ §.29.* ratione verò usus ab arte dispescitur in vitalem & animalem, quorum ille actionum vitalium, hic animalium sensuum scilicet & hos consequentium motuum animalium autor existit. Itaque Temulentia ratione partis affectæ distinguitur non modò à morbis sanguinis & partium solidarum, verum etiam à morbis spirituum vitalium.

Spiri-

Spiritus quidem hos partem corporis & consequenter morborum subjectum esse negant Veteres. Negandi rationes collegerunt. *Conimbr. Comment. ad Aristot. l.1. de gen. & corrupt. quæst.24.* sed ipsi definitione partium viventium recepta quam ex Galeno petiit Fernelius, refutari possunt, quæ talis est: pars est corpus toti cohærens communique vita junctum ad usum comparatum.

Paradoxon videri posset spiritibus hanc partium applicare definitionem, dum per corpora definiuntur, sed homonymia est in vocabulo spiritus, quod hic non propriè sumitur, quatenus substantiæ corporeæ contradistinguitur, sed impropriè & comparatè, perinde ut Chymici liquores volatiles ob mobilitatem & substantiæ raritatem spiritus dicunt: ita quoque subtilior hæc corporis nostri pars ob subtilitatem & generationis modum, quem cum spiritibus chymicorum eundem ferè obtinet; fermentationem scil. & circulationem, spiritus dicitur, h. est, corpus subtilissimum quod (1) toti cohæret, cùm sit de essentia corporis viventis & sine interitu ejus seu abolitione actionum, quam mors sequitur, separari non potest: (2) communi vita fruitur, quia proximum animæ instrumentum, quod vitam h. e. vivendi actum largitur; per quod verò unumquodque tale est, illud magis est tale: (3) ad usum comparatum, qui est actuatio partium organicarum. Ipsis enim aut imminutis, aut abolitis, aut depravatis, aboletur, aut imminuitur, aut depravatur motus animalis, salva licet organicarum partium structura. Inde *Hippocrates* quoque corpus nostrum instar machinæ hydraulico pneumaticæ divisit in partes continentes, contentas, & impetum facientes seu moventes h. e. spiritus.

His itaque notatis, concludimus spiritibus corporis nostri non modo definitionem partis competere, sed ex usu quoque, quem præstant ipsos (non excluso sanguine) esse partem primariam activè moventem, adeoque primarium uti vitæ & sanitatis, sic quoque morborum subjectum. Uti enim vita & sanitas & actiones exercendi vis effectivè & radicaliter à spiritibus his unicè dependet, ita his ipsis læsis spiritibus laborare credimus, & quidem in Temulentis (qui nostræ jam sunt considerationis) animales, quia motus spontanei & sensus imminuuntur ac depravantur, uti testantur Ebriorum exempla non tantum non quotidiana.

Scilicet spiritus hi, qui sub seminis tegmine in uterum excernuntur, & postmodum sese ex sanguine in corde multiplicant, in cerebro perficiuntur aut separantur cùm materiales sint, uti supra dixi, materiales quoque habent conditiones, ratione quarum in statu naturali appropriati sunt systemati fibrarum organico; præcipuæ sunt salsedo & volatilitas.

Salsedo probatur à vi Balsamicâ, Balsamici sunt (inquit *Helm. Tr. sp. vitæ*) & custodes á corruptione, Unde & his enervatis aciditatum morbificarum in corpore observatur Dominium quarum acrimoniam, illi ante temperabant. *Tit. Dn. D. Bohn. Disp. phys. 15. §. 18.* hanc salsedinem perfermentationem acquirunt, quæ ex duobus salibus sibi invicem contrariantibus in liquido solutis oritur, ex quorum connubio nascitur tertium enixum seu salsum, volatile, vel fixum, prout pugnantia salia nunc sunt volatilia vel fixa, utraque autem alterum alteri prædominatur.

Generantur enim spiritus ex sanguine perfermentationem, sive ea fiat ad modum Sylvii propter bilem per Epar, (*vid. Sylv. diss. 6. it. de febr. disp. 2. §. 21.*) lixiviosam volatilem (*Tackius chrysog. animal. & mineral. p. 37.*) ascendentem & acidulam lympham per venam axillarem (*conf. Schuyl. Tr. pro Vet. Med. Barthol.* in *Ep. Diemerbroeck. anat. lib. 1. Swalvve lib. de pancreate p. 67.*) itidem volatilem descendentem, sive beneficio fermenti proprii eadem accidat, sive alio modo fiat.

Utraque suas patitur difficultates, Sylviana duplici modo impugnatur, primò ab illis qui bilem per porum bilarium versus Epar scandere, secundò ab iis, qui lympham acidam esse negant. Illis satisfacere videtur Experientia (violenta tamen) (1.) *Fracassati* quod atramentum vesiculæ injectum hepar denigrare monstrat, (2.) *Sylv. 1. Diss. 6.* qui flatum in fellis vesiculam immissum versus hepar non intumescat, inde est, quod subligatione compressa vesicula copiosè non modò versus hepar (unde etiam est, quod post factam ligaturam abscissa vesicula aliquid refluat, quod contra *Malphigium* nota) sed etiam versus intestina patente ductu communi bilem effundat, unde copiosæ agonizantium dejectiones. His præter autoritates allegatas oppono, quod saliva humor lymphaticus, non modo cùm saccharatis effervescat, sed etiam lac coagulet, & martialia præcipitet, inde si vel tantillum salivæ liquori Mart. Solar. admiscetur, statim turbatur. Altera de fermento cordis proprio ab iis negatur, qui cor musculum esse & cavitatem accidentaliter saltem formare credunt. Sed rectè Helmont. omnibus partibus & sic musculis quoque peculiare fermentum assignat, quod tamen de munere digestionis & coctionis, privativæ potius quàm publicæ, interpretandum venit.

Volatilitas inde constat, quòd porosam minùs cavam nervorum substantiam penetrare & citissimè ad partes fluere ac refluere possunt. Hanc agnoscens *Willisius lib. 1. de anima brutor.* maluit eosdem cum lucis radiis, quàm subtilissimo liquore chymico comparare, quod hic de vase in vas effundi & destillari queat, spiritus verò animales illicò evanescentes nullum sui vestigium relinquant. Hinc *Graff. l.* de succo pancreat. *cap. 2. edit. ult.* discisso nervo notabili ad crura tendente, ipsi phialam applicans angustioris colli nec guttulam decidentem vidit, nec spiritus vitri lateribus per condensationem adhærere notavit.

Obtinent hanc (1.) ab aëre ad generationem ipsorum concurrente, cujus in volatilisando sanguine efficaciam probat *Helm. Tr. Blas. hum. §. 45.* confirmant experimenta, *Louveri* & *Hookij* quæ refert Tit. D. D. Bohn. disp. physiol. de pulmon. (2.) à generationis modô, qui est per fermentationem & circulationem, quæ res in naturam spirituosam elevant, conferatur Ep. *Beckii de volatilisitat.* sal. Tart. p. 30. quod vel solus odor sub fermentatione & destillatione nares feriens testatur.

His spirituum conditionibus ritè & naturaliter sese habentibus, vegeta succedit corporis actuatio, sicut iisdem spiritibus fixioribus ac aquosioribus redditis eadem frangitur ac debilitatur. Huic debilitati uti medentur indistinctè ferè omnia medicamenta, quæ ratione virid. æris volatilis, spiritus volatilisare & in debita salsedine conservare potis sunt, ita tandem ex contrario producunt, quæ spiritus figunt, ut pinguia, resinosa, sulphurea, particulis ramosis salino volatiles maximè activas remorantia. Talis vis à vino quoque insit, cum in Temulentis similes videamus affectus, dubitari equidem non potest, quicquid dicat *Angenius Tr.* 3. *Ep. Med.* 5. *cap.* 4. quænam verò pars, cum vinum unà pluribus constet, ita vi polleat, sequentibus patebit, ubi de causa proxima. Non enim secundum totam substantiam inebriare probat *Schoock. de Cerevis. cap.* 17. *pag.* 142.

Differentia sumitur (3) à causa efficiente, quam sulphur nominavi. Qua in parte non contradico veteribus, qui passim videri possunt, nec *Helmontio Tr. spir. vitæ*, qui vinum, cum nihil aliud sit, quàm liquor uvarum expressus & fermentatus ratione partis spirituosæ ex fermentatione natæ (experientia edocti paratos per fermentationem spiritus inebriare) Temulentiam causare credunt, modò hanc virtutem non secundùm totam substantiam spiritibus tribuant proximè; duplici namque particularum genere constant hi spiritus sulphureis scilicet & salinis, *Beccherus phys. subterr. lib.* 1. *sect.* 5. *cap.* 2. *Helm. T. spir. vitæ* quæ enim hactenus de mercur. vini fabulati sunt, ea de partibus salinis intelligenda esse suadet *Beccherus l. c.*

Partem sulphuream esse in spir. vini h. e. corpus insipidum seu dulce (*Dn. D. Bohn. Ep. de insufficient. princip. acid. & alcal.*) substantiæ ratione resinosum quod *Barnerus* (*Ep. de spir. vin. sine acido*) ex Magneno Ceram pingueniam nominat, probat, (a) genesis dum fiunt hi spiritus ex succo uvarum subjecto sc. sulphureo mediante fermentatione, quæ causa est, ut unà cum partibus salinis in phlegmate solutum sulphur spiritus ardentis naturam induat, adeò ut spiritus hi nihil aliud sint quàm oleum seu sulphur per fermentationem in suo phlegmate solutum, hinc etiam perinde ut ipsum flammam concipiunt, & ardentium nomen obtinent, (2) analysis dum ex iisdem oleum seu sulphur vel nuda aquæ infusione separatur, quod ulterius beneficio liquoris prorsus salini in resinam abire docet *Barnerus l. c.* saporis & odoris expertem, ardentem tamen & æquiponderantem ferè corpori suo.

Liquor hic oleum vitrioli est, & succedit experimentum in pluribus oleis destillatis, nunc facilius, nunc difficilius, unde cum oleo destillato anisi felicissimè procedit, difficilius cum oleo Terebinth. uti prolixè hæc deducit *Dn. D. Etmüll.* in litteris nuperrimè ad me datis, ad alia verò olea destillata, quæ liquor hic non præcipitat, forsan alius salino acidus adhiberi potest, unde modo memoratus *Dn. D. Etmüll.* ex oleo destillato pinguedinis humanæ cum spir. sal. similem resinam paravit, perinde ut idem cum eodem spiritu ex oleo olivarum communi produxit concretum pinguedinem animalium exactè repræsentans, ad imitationem scil. experimentorum à *Grevv.* tr. of. Mixture: *pag.* 28. & Symson. Zymolog. *pag.* 145. relatorum.

Salinam partem quod attinet, probat (1.) genesis cum (α) ex musto copiosè sale abundante, uti monstrat Tart. (β) per fermentationem resultet, quæ absque salibus arti & naturæ impossibilis & (γ) substantiam pinguem intimè admixtam habeant, quæ non miscetur nisi per salia, quæ ob id, *Barnerus l. c. ex Helmontio* pinguia vocat. (2.) analysis dum (α) humiditate abstracta in Crystallos abeunt, vid. *Libav. l.* 2. *Chym. Tr.* 2. *cap.* 38. & (β) olea, quæ ex ipsis separantur nunquam sint absque sale, unde & in salia resolvi possunt. Sic *Helmont.* oleo Cinnamomi addito alcali proprio absque omni aqua trium mensium artificiosa occultaque circulatione in salem volatilem commutavit. *Tr. Chym.* princ. §. 83. quin (γ) ipsum phlegma putredinis expers salium innuit præsentiam.

Cum itaque spiritus in duabus partibus constent, quænam illarum proximè sensus & motum liget, investigandum est. Atque hic dicimus esse sulphur vini & quidem cum addito copiosius, quia semper certa proportio, inter agens & patiens requiritur, haustum seu ore assumptum, nam quod ex clystere injecto, Ebrietatem observaverit *Borellus cap.* 1. *observ.* 56. id rarissimum est. Nostrum erit itaque hanc opinionem de sulphuris vinosi inebriativa virtute ulterius tum rationibus, tum experientiis à juvantibus & nocentibus desumptis probare.

Ratio, qua sulphur vini spiritus ligare & ita Temulentiam causare posse confirmatur, à substantia ejus desumpta est, quam resinosam & viscidam appellavimus adeoque capacem, qui spiritus salino volatiles ratione viscositatis in actionibus remorari possit. Inde omnia sulphurea narcosim possident & omnia narcotica sunt sulphurea, quamvis sulphura mineralia & metallica fixa quæ etiam figendi spiritus potentia pollent, in quo tertio cum vegetabilium sulphureis conveniunt, alio paululum modo agere videantur, ob exiguam, qua sumuntur dosin, unde & Helmontio *Tr. in herb. verb. &c.* Irradiantia vocantur sicuti etiam materialiter ultra paucas vias vix pergere videntur.

Hanc rationem confirmat experientia à juvantibus & nocentibus seu Ebrietatem inducentibus & præcaventibus desumpta. (I.) inducunt Ebrietatem citius vina, quæ copioso sulphure gaudent, ut sunt (α) vina suppressa, *verhaltene beine*, quia egressus sulphuris crassioris, in omni fermentatione aliàs exhalantis (monstrat hoc *Langelott. Ep. ad Curios. de fermentat. Opij.* & probat exhalans sub fermentatione Gas adstantes inebrians) impeditur (β) vina sulphurata &c. (γ) Hispanica, quæ plus spiritus sulphurei quàm acidi continent. conf. *Henric.* ab *Heer. obs. p.* 225. (δ) Vina ambrata huc numerari possunt etiam ebrietatem accelerantia. *Matthiol.* ad *Dioscor. lib.* 1. *cap.* 20. (II.) præcavent omnia quæ sale volatili acri spiritus acuunt, quo minus resinosis sulphur. vinculis vinciri aut vinci possint, in specie spir. sal. armoniaci, quem *Beckius den Gauff.* spiritum nominat. (III.) *Curant.* (α) acida. Nimirum in omni Narcosi æquè ac Temulentia felici successu adhibentur, quatenus scil. hæc solutum à ventriculi fermento sulphur ex primis viis præ-

præcipitant (β) aquosa qt. dilatando poros menstrui solventis sulphur, hoc ipsum separant, perinde ut sp. vini lacrescere & oleum suum ex poris dimittere animadvertimus affusione aquæ.

Sed respondendum jam quoque erit *Taccke-nio*, *Beckio* alijsque tantum non omnes morbos & sic quoque Temulentiam à sale acido deducentibus; Hi in eo feliciores sunt cæteris Medicis, quod faciliorem viam consequendi medicamentum quoddam universale invenerint, cujus vicem penes ipsos imprimis sustinet, spir. sal. armoniaci, acidum, universalem ferè secundum ipsos morborum causam potentissimè infringens. Negari equidem non potest, acidum corpori extra ventriculum inimicum esse, ut loquitur Helm. & plurium ita morborum causam existere. An tamen idem acidum, quod & sulphur à similitudine vocat *Tacckenius clav. Hipp. chym. p. 8.* (Hinc Barnerus sulphur intra salia acida ponit chym. præcep. à Beckio editis) in vino vero exuberans, licet à sulphure distinctissimum (conf. Major. Tr. de sal. c. 4. de liq. acid. ortu) sensum & motum in ebriis liget, inquirendum est, quod ut commodius fiat, priùs ad singulorum argumenta respondebimus, tùm quæ porrò obstare videantur, subjiciemus.

Tacckenium quod attinet, ipse *Hipp. chym. c. 19. p. m. 154.* à juvantibus seu potius præcaventibus herbis scil. alcali occulto gaudentibus, ut sunt herbæ vulnerariæ & olera omnia in specie brassica, concludit in acido vini inebriativam vim consistere. Aberrare tamen in eo videtur, quod ipsas has dictas herbas non operari credat, nisi temperando & absorbendo acidum spiritus aliàs figens, cum Temulentiæ medeantur, non tam acidum infringendo, quàm vi nitrosa stimulando urinam & sic vinum totum eliminando. Hinc eædem quoque conducunt in Ebrietate, ex spiritu vini Tart. contracta, quem tamen haud acidum esse omnes norunt.

Quod *Tacckenius* obiter unico argumento, id *Beckius in exper. circa natural. rer. princip.* prolixè per aliquot paginas variis ratiociniis, tum ab actionibus Ebriorum, tum ab experimentis particularibus desumptis, probat. I. ab actionibus Ebriorum, hilaritate sc. & hunc insequente sopore, quas non commodius explicari posse scribit, quàm per effervescentiam acidi ex ventriculo ad cerebrum emissi, cum spiritibus animalium alcalicis, quos tandem ex largissimo potu copiosius accedens acidum somnum & torporem causet, Exemplo suo hoc testari non modo poëtas, sed Magnates quoque, quos consiliis dandis aptiores credit, cum plusculum bibissent.

Verum enim verò, si experientiam consulimus (1) non præcisè has actiones ab effervescentia spirituum alcalicorum cum acido derivandas esse videmus, cùm natura pariter ac arte constet, non modo acida cum alcalibus, sed & alcalia cum alcalibus, sulphurea cum alcalibus &c. effervescere, &c. Clarum hoc est in spiritu vini cum sale Tart. per deliquium soluto aut bile oleosa cum lacte, magis clarum hoc est in corpore humano, ubi sulphurea in specie Opiata, omni acido destituta (quod summus amaror, juratus acidi hostis testatur) sulphure abundantia (hinc inflammabilis) antequam somnum inducant, mentem hilariorem reddunt; conf. *Senn. pr. Tr. 1. part. 2. cap. 6.*

Licet acida volatilia ut plurimum hanc vim possideant, non tamen vice versa omnia, quæ hunc effectum præstant, sunt acida volatilia, adeoque ab illo principio dependere crederem, & quidem sulphureo, cum hoc non modo in vino copiosius contineatur, sed etiam, quia omnia sulphurea, hanc virtutem possident, & vice versa omnia, quæ vi ac potentia hac pollent, sint sulphurea.

Nec obstat hic quod *Vigenarius Tr. de aq. & sale* (*vid.* Theatr. *chym. T. 6. c. 9.*) spiritum vini, quem minus acidum esse §. 29. diximus, minus inebriare scribat, quam vinum ipsum sale acido adhuc perfusum tali quantitate assumptum, quantum illud ante Aq. vitæ extractionem constituebat, seu ℨj. sp. vini minus inebriare, quam ea vini quantitas, ex qua ℨj. est parata. Nam ex ipso Autore respondeo (1.) procedere hoc experimentum in iis locis, ubi sp. vini in usu frequens est, Germaniæ sc. oppidis, & locis frigidioribus, & proculdubio etiam in iis subjectis; qui raro meraciùs bibunt, sc. in his valet illud *Hipp.* assueta licet deteriora minus alterare corpus, quàm inassueta licet meliora. Hinc Turcæ opio, quod nos sine vitæ periculo vix ad gr. ij. &c. exhibemus, ad ℨß. utuntur, (conf. *Bellon. in observ.*) (2.) sulphur subtilius & volatilius penetrans sub forma Gas in destillatione exhalare, testante hoc odore, à quo destillatores sæpè magis inebriantur, quam à spir. destillato, nec dubitarem (3.) quin in residuo aliquid sulphuris remaneat.

Alterum argumentum Beckii desumptum est à juvantibus (1.) alcalicis (α) in genere tam volatilibus quàm fixis, quorum vim in labefactandis spiritibus acidis consistere, quatenus cum his coagulantur ex chymicis notum esse dicit, e. g. dum sp. sal. armoniac. cum sp. vini non modo ratione acidi salis in spiritu vini latentis coagulatur, sed & sal. Tart. fixum ex spiritu vini rectificatissimo acidas partes (quod ex aucto sal. Tart. pondere concludit) attrahit, (β) in specie brassica quam specificè in Temulentiis exhiberi unanimiter scribunt.

Sed Resp. alcalium vim non purè consistere in oppressione acidi, ut potius præcipuè in corporibus nostris ob cognationem, quam habent cum spiritibus, in eorundem confortatione, unde labascentes in agonizantibus vires non semel his ipsis restituuntur. Coagulationem verò sp. sal. armoniaci cum spiritu vini ab ejusdem acido dependere, aut sal Tartari ejusdem acidum imbibere, atque adeò suo pondere crescere eademque ratione acidum imbibendo ebrietatem præcavere dubium videtur. sal enim Tart. à quo spir. vini abstrahitur quantitate non augeri, sed minui docet Dn. D. *Bohn. Ep. c.* ut & *Barnerus cap. 1.* spiritum vini verò non ratione acidi coagulari, inde constat, (α) quia de aciditate adhuc dubitatur, vid. *Barnerus l. c.* (β) quia non modo alcalia cum acidis sed & alcalia cum alcalibus coagulantur, unde & sp. vini Tart. eodem modo cum spiritu salis armon. coagulatur, vid. *Dn. D. Boln. c. 1. p. 27. Barnerus p. 16.* perinde ut hic ipse cum sale Tart. per deliq. soluto in offam coit. Nec spiritus vini inebria-

briare ratione acidi nec alcalia absorbendo acidum ebrietatem præcavere ex eo constat, quod spiritus vini Tartarisatus vim inebriativam æque obtineat, ac si ficto illo acido adhuc gauderet. Tandem brassicam quod attinet sal alcali ratione (quod ipsi ex sapore & effectu, quem in vulneribus præstat inesse credo) ebriis conducere negare nolo, an autem absorbendo acidum operetur, inde dubito, quod uti §. 30. dixi, conferat etiam in ebrietate a spiritu vini Tartarisato contracta.

Juvantibus oleosis, amygdalis scil. amaris & emulsionibus ex seminibus frigidis, quas operari credit ratione olei, quatenus scil. pinguedine sua acidum obtundant, atque sic ebrietatem præcaveant. Oleosa autem acidum obtundere probat per spiritum vini, qui licet ipse acido volatili gaudeat (ex ejus supposito) olei tamen ratione aquæ fortis aciditatem temperet. Miror sanè hic spiritum vini oleositate sua externum & peregrinum acidum satisque potens infringere, & proprium (si quod est) minus potens negligere.

Verùm licet adductorum oleosorum effectum non planè nego, an tamen obtundendo acidum ebrietatem tollant, inde dubito quia (1.) solummodo amygdalis amaris hanc vim tribuit non dulcibus, cum tamen hæ æque oleosæ sint ac amaræ: (2.) Emulsiones ex seminibus frigidis pauco oleo gaudeant, cum copiosiori substantiâ aqueâ constent, & semina quoque aquosiora sint. (3.) quia non omnia oleosa, quæ acidum obtundunt, etiam ebrietatem præcaveant, ut oleum hyosciami, papaveris, ambra, &c.

Ut itaque *Tacckemius* & *Beck* ex juvantibus concludunt, Ebrietatem à vini parte acida oriri, ita refutatis ipsorum argumentis ex eodem fundamento contrarium inferri posse sequentia probant (1.) quia non omnia, quæ acidum tollunt Ebrietatem etiam præcavent, hinc amara sal acidum potentissimè infringentia, lupulus, Crocus, &c. minimè Temulentiam curant. De Absinthio quidem ex *Arculano* refert *Senn. c.* 1. Ebrietatem ex vino curare, sed experientia id refellit, quæ vinum absinthites maximè ad somnolentiam & Temulentiam disponere quotidie monstrat. sic de croco scribit Dioscorid. lib. 1. cap. 25. ex passo sumtum crapulam arcere, sed falsum esse experientia eorum monstrat, qui etiam ex croco leviter odorato capitis repletionem & somnolentiam patiuntur, unde rectè Nic. Piso lib. 1. de cognosc. & arcend. morb. in specie crocum ebriis vetat. (2.) Quia etiam ea quæ acida non sunt inebriant, v. g. spir vin. tart. amara plura, in specie amarulentissimum opium, quod similem effectum producere Turcæ sciunt. (3.) Quia vina austera, ut sunt rubella, minus inebriant, cùm tamen austeritas ex acido in subjecto terræ gignatur. (unde concretum oleosum maximè austerum ex terra sigillata cum spir. sulphur. artificialiter confici potest) (4) Quia acida ebrietatem tollunt; unde potatoribus Sennert. T. 1. prax. part. 2. cap. 6. commendat acida, acetum simplex, vel aq. font. dilutum, poma acida, pruna, cydonia, lac acidum, acidulas, &c.

Signa diagnostica per quæ præsentem ebrietatem dignoscere queamus, recenset Dominicus Leoni-lucensis; sed ignoratâ causâ occasionali certi aliquid pronunciare non possumus, alii enim ut apoplectici cadunt, adeo ut quendam 4. dies malè pro apoplectico curatum Henric. ab Heers observ. 19. annotaverit, Alij delirantium instar varia sibi imaginantur, sic refert Plater. observ. lib. 2. quendam in platea lunæ splendorem in terra intuentem existimasse se videre fluvium profundum, & quo natare posset, vestimenta deposuisse: Sic alij pro phreneticis habiti, unde observavit Borell. cap. 1. Observ. 56. mulierem abstemiam clystere ex vino injecto inebriatam, quod ignoranter proximi adstantes errorem quendam à Pharmacopola & Medico commissum opinabantur.

Quia autem fiat, quòd ex ebrietate nondum consummata, alij irascantur, alij tristentur, alij loquaces sint, alij somnolenti; An. sc. quod humores affectibus convenientes in corpore nostro commoveantur, uti putat Plater. Prax. lib. 1. cap. de Temulent. an aliô modô accidat, nondum liquet. Conjicerem animum sensus alias mediantibus spiritibus dirigentem, ipsis spiritibus per fumosas sulphuris vinosi partes obscuratis, quiescere à muniis propter ineptitudinem instrumentorum; unde hi liberiores (primò antequam à sulphure planè supprimuntur) pro diversitate conceptarum idearum potissimùm exequuntur suas actiones. Inde fortè quod Senguerdus de Tarantismo scribit, animalcula, hæc easdem imaginativæ impressiones imprimere fortiùs, quibus intentos quos mordent, inveniunt; hîc quoque applicari certô modô posset, dicendo: Temulentos secundùm ideas agere, quas archæus animæ superioris dominia jamjam liber, paulò ante ebrietatem, conceperat.

Non negandum interim, temperamenta (non primarum qualitatum elementalium) particularum sanguinis aliquid conferre; inde sanguinei, quorum sanguis ex debita particularum mistura constat, læti sunt, quia in his spiritus celeriùs & agiliùs paulò moventur. Cholerici h. e. in quibus particulæ urinoso-oleosæ dominantur, mobiles sunt & inconstantes, quia spiritus volatiliores & facilè disperguntur, unde superficiaria saltem fit idearum impressio, & propter hanc actionum facilis immutatio. Melancholici, quorum sanguis particulis salino-acidis scatet, propter spiritus ex sanguine hoc generatos paulò fixiores, impressiones tardiùs quidem, fortiùs tamen recipiunt, unde constanter vel rident, vel tristantur &c. Phlegmatici tandem, & quibus lympha obruit sanguinis salia fermentativa, paucos gignunt spiritus, unde citissimè succumbentes, somniantur.

Cùm itaque non ex sale acido vini, sed sulphure, quod ab effectu narcoticum appellamus, temulentia oriatur, eadem quoque extimescenda sunt mala, quæ narcoticorum usum insequuntur, licèt vini sulphur ipsis paulò mitius sit, sensuum nimirum stupor, & sensuum debilitatio, ut & ex fixatione & oppressione spirituum omnium digestionum labefactatio, si frequentior sit; Aliàs citò discutitur per somnum, si scilicet vis illa narcotica à natura jamjam est subacta, spiritusque à vinculis, quibus ligabantur, sese expedierunt, pro vini tamen conditione, ægri peculiari naturâ, locô & tempore sol-

solvitur ebrietas quibusdam 2. vel 3. die, vel seriùs, prout crassô vel tenui vinô incaluerunt.

Optimum igitur & sanitati maximè proficuum est ebrietatem, quantùm in nobis est vitare, quod fit vel abstinendo à vini potu; (unde abstemii dicuntur) suadet hoc prolixè Deodatus, Panth. Hygæit. lib.1. cap. de ebriet. vel corpus certis remediis disponendo, quò vel per alvum aut urinam evacuetur assumptum vinum, antequam vires suas expandat; vel confortando spiritus, quò se ipsos à vinculis quibus detinentur, liberent. Distinguatur tamen semper ebrietas ipsa h. e. sensuum & motus cessatio à sulphure vini orta, ab aliis morbis ebrietatem vel concomitantibus, vel consequentibus; cùm hi plerumque ab acido vini, hæc ab ejusdem sulphure dependeat.

Tutissima præservatio est per abstinentiam quam certis remediis procurari posse (si aliàs obtinere non possumus) nonnulli medicorum credunt. Collegit hæc ex aliis Sachsius in Ampelograph. sect. 6. membr. 2. cap. 2. de vini abusu. Sunt autem rana viridis, anguilla in vino suffocata, lachryma vitis, ova noctuæ, aqua fontis Clitorii, uva marina, rad. arbor. amavil. &c. quibus ex Franc. Schacchio de salubri potu, cap. 20. addo mullum in vino necatum. Albert. Magn. lib. 22. de animal. laudat stercus leonis in vino. Confert etiam lacerta viva, vel testudo lacustris, vel semina caulium patiente inscio in vinum immissa, si de ipso hauriat. Capivacc. lib. 3. de Affectib. ventriculi, c. 8. de Siti. Omnia frequentioribus experimentis confirmanda.

Quòd si verò medicamenta dicta horreat æger, vinòque liberaliùs uti cogatur, de quo aulici ut plurimùm conqueruntur, non inutile est corpus ita disponere, ut citissimè per alvum aut urinam reddat, quod per os involuntariè, ingestum est vinum. Per alvum imprimis evacuat oleum olivarum, quod lentore suo vias lubricat, non tamen cum Nic. Pisone lib. 1. de Curat. morb. cap. 6. statuamus integrum vini dolium hoc præmissô posse sine ebrietatis periculô hauriri. Dominicus Leoni-lucensis commendat olivas sale conditas sect. 1. lib. 1. cap. 20. Brassica cocta (alii crudam eligunt ad nutum Cratonis) principio mensæ apposita, quam vim etiam raphano tribuunt, qui brassicam Græcè κράμβην & raphanum dici, nostram verò radiculam ῥαφανίδα nominari ignorant. Lang. Epist. 301. Notetur hic interim, vitem etiam vivam brassicæ odorem fugere. Huc pertinet etiam lac, & omnia quæ primas vias lubricantes reddunt, item pil. Glassii, quas frequenti in usu biboni fuisse compertum habeo, unde etiam pilul. ad ebrietatem ipse nominabat. Similem refert Kirckemann. disput. de ebriet. Jenæ edita.

Per urinam movent, vel quæ sale salso stimulant, aut sale volatili amaro abundant, amygdal. amar. lupulus, ruta, &c. quatenus hæc cum sale vini acido in salsum diureticum abeunt, sulphurque vini narcoticum unâ secum educunt. Eadem hæc medicamenta, si paulò fortiora sint, quatenus spiritus volatiles. Salsos in corpore acuunt, quò viscositati sulphuris vincientis commodiùs resistere possint, confortando eosdem ab ebrietate præservant. Plateri consilium, qui Observ. lib. 1. se in conviviis ebrietatis præcavendæ causâ per bihorium abstinuisse vinô prodidit, usque dum ad satietatem comederit, hisce temporibus vix incitandum, ubi ab ovo pocula hauriuntur.

Sin autem sulphur vini spiritus jamjam vinctos in triumpho ducat, necesse est ut vinum, si adhuc in stomacho hæret, per vomitum rejiciatur, qui vel irritatione faucium mediante digito, vel etiam medicamentis, si opus, excitetur. Acescens enim in ventriculo vinum, ob suppressos, aut exhalatos spiritus sulphureos per alvum ducere, ob metum colicæ passionis, &c. nimis periculosum est. Medicamenta vomitoria sint v. g. Mercurius vitæ cum melle mistus, vel oleum nucum faucibus cum penna illitum, vel sapa vomitoria. Monstrat hanc viam ipsa natura sponte sæpius vomitum excitans; unde Langius Epist. 30. lib. 1. suadet, ne dormiat æger, priusquam evomuerit.

Tum adhibeantur quæ vel sulphur narcoticum mitigent, ut sunt acida, quorum vis in infringenda narcosi, uti ex præparatione opii nota est, ita vini eam proprietatem quâ inebriat, & stupidos attonitosque reddit, retundit. Unde ebriosos, hac arte sibi prospiciendo, ad multos annos perseverare posse notavit Plater. Observ. lib. 1. &c. Vel quæ illud à spiritibus dilatando, eorundem poros separant, ut sunt aquea, vel quod melius acida his juncta. Non incommode ergo adhibetur aq. fontana succo citri aut aceto diluta, quam Plater. lib. 1. antidotum ebrietatis vocat, si quantitate majori sumatur, eoque insignem potatorem, jam longô tempore in dies ebrium, se ne inde labem contrahat, præmunivisse scribit locô citatô. Vel acetum ipsum abunde potum, de quo ibidem. Vel lac acidum ebutyratum. Item decocta alterantia spiritibus mineralium acidulata, & varii generis julapia ex citro, cydon. granat. &c. parata, non sine fructu adhibentur.

Illa verò quæ confortando spiritus conducere diximus, cùm ex genere volatilium sint, adeoque cum acido vini simul ingesta nimium effervescendo febres excitare possint, commodius temulentis externè pro discutienda somnolentia naribus saltem applicantur, aut linguæ. Hippocr. lib. 2. de Morbis, aquâ copiosâ calidâ spongiâ imbutâ caput lavat, & naribus cepam purgatam admovet. Huc pertinet quoque castoreum, & castorina cum spir. sal. armoniaci juncta, quod licèt pingue & oleosum videatur, quatenus tamen externè saltem applicatur cum spir. sal. armon. præpollet sal volatile cum sale armoniaco exhalans, spiritusque nostros confortans, internè verò ratione sulphuris caput replet, unde hystericæ sæpius de hoc conqueruntur; quod ipse in Persona Illustri non semel observavi. Vel etiam excussô sopore, morbis temulentiam concomitantibus, internè adhibentur v. g. spir. sal. armon. spir. C. C. fuligin. &c.

Ad spiritus excitandos non parum quoque conferunt frictiones extremorum, & partium maximè sensibilium, quales in viris testes, & mamillæ in fœminis. Huc pertinet observatio Henric. ab Heer. qui ebrium per 4. dies pro apoplectico curatum, & jamjam trepanô tractandum, vellicando mystacis pilos ab ebrietate excitavit.

Annectenda jam ultimò venit diæta, ubi conveniunt

veniunt ex cibo & potu acida, v. g. cydonia, citrus, serum lactis acidul. acidulæ naturales & artificiales, tinctur. mart. solar. ut & aquosa, emulsiones. Somnus convenit, modò ritè ponatur, ne supinus jaceat. Si tamen nondum consummata ebrietas, spiritus moderatô motu excitentur, v.g. per saltationem, pilæ lusum. Inde etiam affectus animi læti, quatenus spiritus in motum cient, sensim temulentiam tollunt. Quoad excreta attendatur, si vomitus imminet, aut urinæ excretione impediantur; ut enim illud cardialgias excitat, ita & subitò putrescens urina renibus ac vesicæ nocet. *Michaël Ettmullerus Dissertation. Academicar. quinta.*

Observationes.

Interrogatus sæpenumero, cum tot annos ab ægris plurimis frequenter accersitus Principibus, Nobilibus, & aliis Magnatibus, apud quos splendidè vivitur, quomodo mihi cavere potuerim, quo minus ab illis ad potandum invitatus, uti moris est, inde noxam nullam contraxerim, & ad hanc grandem & vegetam ætatem salvus pervenire potuerim. Respondi id quod & verum erat, me in conviviis, quæ in multas horas protrahuntur, ab initio ad horam unam vel etiam duas à potu abstinere posse, idque eo facilius, quod sitis me non urgeat, donec ad satietatem ferè comederim; tuncque ventriculo cibis referto, etsi quandoq; liberalius bibens, nullam offensam inde me hactenus sensisse, quod cum & alii quidam me suadente, fecissent, se quoque contra ebrietatem egregiè fuisse præmunitos, mihi sunt fassi. *Felix Platerus, observ. lib. 1. pag. 41.*

Ebrietas subito discussa.

Cum Anno 1655. Ottenvillæ degerem, civis quidam ibidem habitans, ebrius noctu domum rediturus in fimetum ad genua usque incidit, postmodum in frigidam salientis fontis descendit abstersurus tibialia & caligas, ne hisce sordibus offenderet uxorem. Hujus aquæ frigore perfusus statim sensit evanuisse vini narcosin ut planè sobrius domum redierit. Hoc pariter amico meo Argentinæ contigit, qui ebrius in fluvium Breusch. descendens, periculum & frigus sentiens crapulam subito sensit discussam. Hi frigoris sensu ab ebrietate liberati, sic alius terrore, Nam ebrius quidam L. H. per jocum gladio vulneraverat amicum, hic cum ob obortam gravem hæmorrhagiam, & vitæ periculum terreretur, planè sobrius factus est. *Salomonis Reiselii.*

Suturæ discessio ab Ebrietate præservans.

Anno circiter 1648. exauthorato Græcii Cæsareo milite, quidam magnæ familiæ Colonellus, non solum militandi arte eximius, sed potandi exercitio celeberrimus, postquam Lutenbergici vini sese ingurgitasset copia, calidissimis ejusdem fumis ad caput impetum facientibus, divulsa magno cum cruciatu dura meninge, nunquam quievit, nisi cum cranii contiguæ extremitates circa suturam coronalem ad pollicis latitudinem dehiscerent, atque à se invicem separarentur. Verùm omne malum propter aliquod bonum; in posterum poterat bibere sine mentis perturbatione plures mensuras, multosque inebriare, antequam a potu sentiret minimam læsionem. A vaporibus hypochondriacis & hystericis divelli suturas non solùm constat ex historia cujusdam monialis ad me missa, verùm etiam ex relatione *Arnaldi Boot. cap.* 4. confirmatum legimus. *D. Antonii de Pozzis.*

Ebrius secta vena evadit sobrius.

Potabant in caupona militares aliquot homines, & jam iis præ vertigine tectum ambulare videbatur, ita se vino & cerevisiâ generosiori invitaverant, cùm Magister equitum, cujus imperio parere necessum erat, ingreditur cœnaculum, adjectisque minis cogit equos inscendere, ut mandatum iter persequantur. Illi ebrii, & vix sui compotes, nec inscendere se posse, nec etiam hærere in equis nutanti corpore satis declarant. Tum ille stomachabundus ad Chirurgum suum vertitur, &, seca, inquit, temulentis venam, ut subitò comitari queant, res enim moram non patitur. Dictum, factum; misso liberaliter sanguine equites ad sanam mentem redeunt, & Magistrum suum non segnes sequuntur. Hic necesse est, spumantes illos Bacchi & Cereris spiritus, qui cerebrum inquietaverant, magnam partem è secta vena exhalasse, adeoq; partes vellicatas rediisse ad officium. Non tamen interposuerim fidem meam successurum illud quoties vel mensuram omnem excessit temulentia, vel spiritibus excitatissimis fœta vina, item stillatitii vinorum, aromatumque liquores solidam invexere ebrietatem, cùm tum omnis sanguis in corpore operosius ab ingestis tumultuetur, ideoque una subitò janua exire nequeat. Sed cur ij, qui ebrii vulnerantur, non statim ad sobrium mentis statum redeunt; redeunt haud dubiè non pauci, quibus largiùs emanavit cruor, eousque, ut molestiam inde pœne nullam sentiant; qui verò ebrii simul & stomachabundi sauciantur, levamen non ita promptè experiuntur, revocatis in cerebrum stimulis spirituum acrioribus. Sic quibus ebriis caput sesqui plaga vel contunditur, vel aperitur, aliquando expergiscuntur nunquam, sæpe in lethargum incidunt, adeoq; à secta vena ebrietatem nequeunt excutere. Memini inter plures, Ostervaldum, cubicularium, cùm ebrius ex edita fenestra in saxum areæ præcipitatus caput gravissimè læsisset, adeoque in lectum deportaretur, neque ex cruore per vulnus profuso, neque ex sanguinis è vena brachii missione, quam statim imperaveram, ad sanam mentem rediisse toto biduo, turbatis nimirum ratiocinandi instrumentis, quanquam postea plenè convaluerit. Et Magister textorum in pædotrophio Christiano-Hafniensi, postquam ebrius è scalis in caput provolutus esset, & simul in somnum funestum prolapsus, nunquam evigilavit, licet ad triduum pulsu & anhelitu sic satis constantis vitæ adhuc proderet argumentum, & plusquam necesse esset ex aperto capitis vulnere excluderetur. *Ol. Borrichii.*

Lolii perniciosi effectus.

Tiguri domestici præclari cujusdam viri, pro jentaculo pultem avenaceam, (alias ipsis insolitam) comedentes, quam Plinius *H. N. l.* 18. *cap.* 17. Germanorum cibum esse ait, variis symptomatibus mox afflicti fuere; omnes enim ex iis cardialgia, vertigine & capitis dolore correpti, quidam insuper temulenti & somnolenti redditi, convulsiones etiam passi sunt, imprimis ancilla, quæ se nimium eadem ingurgitarat; aliis denique vomitus supervenit, qui hinc à prædictis symptomatibus statim liberati sunt. Postquam autem suspicio inter ipsos oborta fuisset, pultem eam intoxicatam fuisse, me ad se accersi jubent; cùm verò ex eis percepissem quid pro jentaculo assumpserint, facilè ex visis symptomatibus colligere licuit, farinam seminis lolii, sive Æræ, Germ. *Trümmel*, pulti huic admixtam fuisse, quandoquidem rustici nostri semen lolii haud pari studio ab avena separent, atque circa frumentum facere solent, cùm tamen & juxta Ovidium *Fastorum l.* 1. summa diligentia eradicandum esset.

Ut careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culta surgat avena solo:

& eodem tempore Textoris cujusdam nostratis familia, ex esu talis pultis, in similia symptomata incurrisse, notum mihi fuerit: proin vomotu apud illos moto, qui nondum vomuerant, adhibitisque mixturis alexipharmacis, brevi tempore sibi redditi, & in integrum restituti sunt. In mentem hoc mihi tunc revocarat lepidam historiam, quam prope Tigurum Ann. 1342. contigisse, apud *F. Joannem, Vitoduranum, Minorritam,* σύγχρονον legi, cujus αὐτόγραφον MSC. in Bibliotheca Tigurinorum Civica asservatur, quam hunc in modum in sua *Historia* recenset: *In villa quadam apud Thuregum, equus quidam tantum de lolio comedit, quod à Domino suo putatus mortuus, extra villam vectus fuit, & excoriatus, qui tandem post somnii consummationem evigilans, domum rediit, & domino & aliis hominibus eum cernentibus stuporem incussit.*

Scholion. In Lolio vim inebriandi, somnum movendi & mentem tentandi cùm habeant cognitam, ab avaris Zythopœis cervisiis illud aliaque similia incoqui solent, observante id etiam *Martino Schorckio cap.* 19. *de cervis.* qui à Græcis quòd αἶρα vocetur, παρὰ τὸ αἴρεσθαι, sursum extolli, cap. 9. adnotat, cùm noxia lolii aura cerebrum petat, non temulentiam modo, sed & vertigines inducens. Hinc pistores cùm in publica annonæ penuria lolium tritico commiscuissent, multos qui eo vescebantur, statim capite dolere incepisse &c. *Galenus lib.* 1. *de aliment. facult. cap.* 37. refert, & panem ex eo confectum villico suo, una cum ipsius familia, talem temulentiam ac veluti amentiam, qualem in vita nunquam sentisset, concitasse testatur Camerarius in Hor. succis. cent. 3. cap. 93. indè etiam Zizaniam hanc in Italia Imbriacam i. e. herbam inebrîantem vocari. Jenæ ex loliacei panis esu in nyctalopiam homines incidisse, qui solo hepatis bubuli esu restituti, monet in histor. humor. gener. cap. 2. *Joh. Theod. Schenckius*; quam nyctolopiæ curam etiam *Dec.* 1. *Ephem. nostr.* 3. *observ.* 133. confirmatam dedit, jamque olim *Hippocrates lib. de visu*, morbum hunc patienti jecinoris bubuli crudi, melle imbuti, frustum quam maximum poterit, unum aut duo devoranda exhibere præcipit. Qua ratione id præstare queat sagacioribus discutiendum relinquo, In Lolio vero sulphur aliquod narcoticum, spiritibus animalibus infestum; latere, tum symptomata usum ejus insequentia, tum & remedium, quod præsentaneum esse in J. C. *Baricelli* hortulo geniali legitur, ostendunt. *D. J. Jacob. Wagneri.*

Stupor mortalis ab exhalatione musti recentis in cella vinaria effervescentis.

Vinitor quidam, Anno 1613. tempore vindemiarum, cùm in cella vinaria dolia musto implevisset, illudque effervesceret, vaporeque, uti solet, acri & vehementi cavam implevisset, volens inspicere sua dolia, cùm in cellam veniret, vaporem hunc hauriens, attonitus concidit & statim expiravit.

Hoc idem anno præcedenti in eadem cava, ex simili vini effervescentia, prædicti filio accidit, ut cùm aliis eum sequentibus in cellam descenderet, omnes corruerent stupidi penitus, è quibus, cùm è cava exportarentur, duo statim expirarunt, tertius ægrè evasit. *Platerus, lib.* 1. *Observationum.* recensente *Joh. Rudolpho Camerario Memorabil. Medic. Cent.* 14.

Quomodo musti exhalationibus penè suffocati, in vitam revocari debeant.

Si musti vaporibus penè suffocati, Medico curandi offerantur, danda opera ut quamprimùm vapores illi discutiantur. Itaque ægri statim in aërem liberum deducendi vel deportandi sunt, & aqua vitæ aliqua præstans, vel apoplectica, quæ vapores illos discutere potest, instillanda, cui aliquid theriacæ addi potest. Hinc vomitorium cum oxymelite exhibendum, & sternutatorium naribus inflandum, atq; oleum destillatum, vel balsamus rutæ, salviæ, vel simile quid naribus inungendum. Palatum fricetur theriaca & mithridatio, quibus non inutiliter extractum castorei liquidum permisceri potest. Neque omittendæ revulsiones per clysteres, frictiones & similia. *Sennert. Pract. lib.* 1. *parte* 1. *recensente ibidem eodem Camerario.*

Historia de inducto vini fastidio.

Filio ebrioso & sæpius ex ebrietate variis periculis exposito, dum consulere cogito, ab honestis viris hoc remedium accepi; ranam viridem, ex iis quæ in fontibus salientibus repeRiuntur, vivam in vini mensura, (duarum librarum fortè) suffocatam, eam in vino vim relinquere, ut qui vel haustum unum inde bibisset, per omnem deinceps vitam abstemius degeret. Ego sollicitus, & metuens ne quid aliud etiam inde detrimenti sequeretur, cum filio (recèns etiam ex ebrietate periclitato) institutum meum confero, acquiescenti propino vinum (in quo tamen palustris rana, cùm circa fontium scaturigines nulla reperiretur, suffocata fuerat) duobus haustibus, uno vesperi, altero mane. Volui autem ipse prægustare vinum, & experiri saporem, os tantùm colluendo, ita ut nihil inde deglutirem: qui licèt non displiceret, postea tamen

tamen ad duos fermè menses vinum fastidivi. Uxor ejus quæ odorem tantùm vasis vinarii illius olfecerat, ab eo tempore hactenus (nescio quantùm temporis) vinum non bibit, etsi enim interim, experiundi gratiâ, non semel gustaverit, inde tamen stomachi dolore non mediocri percepto abstinet. Uterum quidem non fert, ne quis eam ob causam vinum ei fastidio esse suspicetur. At in filio non ultra 14. dies fastidium hoc duravit, citiùs tamen à vini potu, caput ei nunc tentatur. Experiemur aliàs idem remedium cum rana viridi è fonte saliente, & rei eventum ad te scribemus. *Amicus quidam ad Gesnerum de quo Aquatil. p.953.*

Ebriosi si sibi temperare nequeant, ut vinum penitùs fastidiant, suffocatâ in vinô anguillâ, vel ranâ, vel mullô pisce, vel etiam putrefacto in eo rubellione pisce, vel uva marina; eôque vinô postea propinatô, effici id posse, aliqui prodiderunt. *Platerus in Praxi Medica, recensente eodem Camerario.*

Juvenis latice Lyæô plenè perfusus, nicotianæ fistulam sub camino sedens ore gerit. Is inter stertendum caput inclinat, & fistulæ crassius extremum ad parietem allidit; gracilius verò (totius auricularis digiti longitudine) confractum sibi in fauces adigit. Mox anhelosa atque sonora arctiùs urget dyspnæa suffocans.

Chirurgus ore diducto fistulæ supremum intueri nequit, ut pote jam contectum tumefactis uvula & amygdalis. Juvenem idcircò citissimæ morti confestim adjudicat. Accitus ego fistulæ transversum apicem intrusum sensi musculos inter sinistros, styloglossum atque stylo ceratohyoeideum, & acie scalpelli ad fistulam adactâ, sicut ad calculum adigitur à κυστοτόμοις, nullo negotio fistulam eduxi, & ab imminente suffocatione miserum ebrium liberavi. Nostris enim ἰσχαίμοις, & V. S. atque diætâ, citò, *Dei nutu*, convaluit; sed periculi tanti nescius omnino, nisi ebrietate post V. S. discussâ. *E Clarissimi Viri Caroli Drelincurtii Dictatis, communicante Excellentiss. Domino Guyot M. D.*

ECCHYMOMA.
Vid.
CORNEÆ MORBI.

ECSTASIS
Vid.
CATALEPSIS.

ECTROPIUM
Vid.
PALPEBRARUM VITIA.

ELEPHANTIASIS.

Elephantia totius substantiæ morbus est, contagiosus, occultus, venenatus, ferè elephantis corio ac tergori cutem haud absimilem reddens, unde & nomen accepit. Habet igitur corporis elephantici forma fere elephantis naturæ similia multa. Ut elephas nulli animali similis est, sic neque hic morbus, alii cuiquam. Ille omnia animalia magnitudine & crassitie superat: hic morbus non solum genere maximus est, sed laborantes etiam efficit seipsis majores & crassiores, totumque corpus in tumorem attollit. Qua ratione nonnulli hunc definiunt tumorem præter naturam, qui totum corpus in specie elephantis immutat: non quod tumor unus in corpore sit, sed multiplex & inæqualis, & per universum corpus huc illuc dispersus, intus à visceribus facto initio, & progressione usque ad extimam cutem continuata. Summa corporis elephantici pars crebras maculas, crebrosque tumores, & tubercula, verrucis persimilia habet, quorum rubor in lividum aut atrum colorem paulatim convertitur. Et omnes quidem elephantes maculis multis leviter extuberantibus aspersi notatique sunt, & livido cinereoque colore toto corpore obscurantur, nocti & morti pene similes. Ad hæc summa elephantici cutis inæqualiter crassa & dura, quasi squamis quibusdam exasperatur, ac interdum finditur, rimisque dehiscit: & elephas quidem corium habet asperum, crassissimum, duris extuberationibus inæquale, & scissuris multis, semitis ac sulcis prælongis intersectum atq; inaratum. Elephanticis capilli & supercilia & barbæ pili vel excidunt, vel in lanuginem extenuantur rarissimam. Et elephas rarissimam lanuginem, non pilos, aut setas toto corpore gerit, præter animalium morem. Denique frigoris impatientissimus est elephantia conflictatus, & elephantes quidem hyeme, aut regione frigida contremiscunt, horrent, & intermoriuntur, nisi tota hyeme calido in loco contineantur, & vino generoso reficiantur. Quæ causa est, ut in frigidis regionibus, nec nascantur, nec aliunde advecti diu vivere possint. Tument digiti in pedibus, ac pedes pene similes evadunt elephantum pedibus: unde nonnulli vitium elephantiasim appellatum volunt. Archigenes tamen à magnitudine morbi, sicut ante proposui.

Sunt & qui morbum hunc leonem aut leontiasim appellent, à buccis & superciliis, in his non minus quam in leone protuberantibus, ac flexili mole præditis, seu ob tumidæ frontis dilatationem ad similitudinem rugosæ pellis superciliorum leonis. Aut denique quòd non minus horrendum & formidabilem, quam leonis aspectum præ se ferant elephantiasi laborantes.

Satyriasis etiam nonnullis appellatur, quod iisdem malæ cum rubore attollantur, & musculis maxillaribus veluti convulsionem patientibus, mentum ipsum efficta quadam ad satyrorum formam similitudine dilatetur, aut ob inexplebilem impudentemque coeundi, qua hi continenter jactantur libidinem. Hac enim fabulosi Poëtæ satyros exardescere memoriæ prodiderunt. Habent igitur faciem satyris persimilem, & concubitum vehementer appetunt atque concupiscunt. Dicitur & herculeus, quoniam eo nullus major est, neque contumacior: & magnus quidem est potestate morbus, quod ad mortem inferendam potentissimus sit atque omnium longe efficacissimus. Nempe à mortis causa ducit originem, quæ primigenij est humidi ab alieno calore depopulatio præpropera, quam terrena omnium partium siccitas consequitur.

Contagiosus vero morbus existit elephas, idque magis quam lues venerea. Non enim, ut illa solo impuro vel concubitu, vel attactu, sed

ſed etiam inquinati aëris inſpiratione contrahi vulgo fertur. Inquinatur autem aër quem inſpirando trahimus, ulcerum virulentorum fœtore, & corrupta ſpiritus exhalatione. Quod ſi aliquando neque ex parentum ſemine, neque ex alterius inquinati contagione, ſed ex proprio intimoque vitio generatur, non idcircò contagioſorum morborum numero expungenda eſt elephantiaſis, non enim contagioſus morbus, ex ſolo ortu primo, ſed ex invadendi ſerpendique modo & ratione ſpectatur.

Occultus autem morbus dicitur, quod diu intus deliteſcat, priuſquam ſe prodat, nec ullam inſignem ſui conjecturam notumve ipſius principium exhibeat, ut qui à manifeſta humorum intemperie, aut putredine oriuntur, & quod neque dolor, neque febris, ullave alia aperta atque inuſitata affectio ante hominem inceſſat: neque in corporis ſummis partibus repræſentetur per initia, ut protinus eum videre quis poſſit, & venienti occurrere ac reſiſtere. In viſceribus namque abditus fomes ſuccenditur, ibique ſævit, dum interiorum victor, in ſuperficie tandem exardeſcat. Non igitur ut rectè ſcripſit Archigenes tum gigni morbum hunc exiſtimandum eſt, quum ad cutem tumores prorumpunt, ſed potius perfici. Prima enim mali labes in jecore & liene reſidet, atque inde vitium ſerpit, pares in internis viſceribus tumores excitans, qui in externis poſtea apparent.

Venenatus quoque cenſetur elephas. Non enim terrenus & melancholicus humor, toto etiam corpore exuperans, vel bilis flava, vel ex iis genita atra, prius hunc infligit, quam venenatam quandam malignitatem ac perniciem aſciverit, quæ tum univerſi corporis humores, tum partium ſolidarum ſubſtantiam polluat & labefactet. Hujus rei argumenta ſunt, melancholia morbus & mania, in quibus atra bilis toto corpore diu redundare poteſt ſine elephantiaſi. & febris quartana, tum intermittens, tum continua, in qua melancholicum humorem putreſcere fatemur nullo elephantiæ periculo.

Elephantiæ cauſæ aliæ externæ & evidentes, aliæ antecedentes, aliæ proximæ continenteſque dicuntur. In externis numerantur, diuturni & exurentes ſolis ardores, longa & perperam ſuſcepta inedia, victus tenuis ſiccans & excalfaciens, decocti guajacini uſus diuturnus & intempeſtivus, vini generoſioris & meracioris potus: eſculenta ac potulenta, quæcunque vel bilem flavam exurunt & extorrent, aut craſſum & melancholicum ſuccum procreant, ut bubula, cervina, aſininave caro, & reliqua ejus claſſis omnia, quæ alibi particulatim enumerata ſunt. Deinde ſalſamenta omnia & pipere aut alio aromate condita. Poſtremo legumina plurima, ut lentes, fabæ. Hæc enim omnia craſſi pravique ſunt ſucci.

Secundum locum tenet alterius inquinati contagio, quæ ſive concubitu, ſive accubitu, ſive aſſidua vitæ conſuetudine comparetur, idcircò elephantiam infligit, quod ex elephantico corpore pernicioſa quædam qualitas pariter cum humore, vapore aut ſpiritu transferatur in integrum corpus, cujus non ſolum humores, ſed partes etiam omnes ſenſim pervadat atque contaminet. In evidentibus primum ac præcipuum locum ſibi vendicat vitioſa alterius aut utriuſq; parentis elephantia laborantis conſtitutio. Nam ſi forte parentum alter quum genuit elephantia tenebatur, fœtus profecto ei naſcetur elephanticus, tanta eſt divinæ procreatricis facultatis energia, ut in ſemine intemperato ac prorſus impuro conſiſtens, corporis partes vel ex impura materia fingat & efformet. Si nondum elephantia parens quum genuit, tenebatur, ſed in eam duntaxat propenſus erat atque proclivis, filius eadem ætate qua parens, elephantia præhendetur, eritque elephantia hæreditarius morbus elephantico parentum ſemine genitus. Fieri tamen poſſe arbitror, ut quemadmodum Aëtius ſcriptum reliquit, non omnino contagioſæ ſint ſucceſſiones hujus affectionis in omnibus, quum videlicet alterius parentis integra valetudine prediti ſemen in conceptione vincit.

Mulierem quæ inſtantibus aut profluentibus menſibus conceperit, fœtum edere in elephantiam proclivem Avicennas literis prodidit, non admodum veriſimili opinione. Multis namque orbis tractibus nunquam graſſari deprehenſa eſt elephantia, in quibus tamen ſæpe profluentibus menſibus mulieres concipere veriſimile eſt. Et in hac noſtra Gallia, quæ parum menſibus repurgantur, vix alio quam ipſius purgationis tempore concipiunt, citra ullam in elephantiam propenſionem. Secundo loco ſunt menſium & hæmorrhoidum diuturnarum ſuppreſſio, aut varicum, in quas natura ſeſe exonerare conſueverat, ſectio, vel uſtio. Deinde jecoris calida & ſicca intemperies bilem flavam cumulans, quæ diu cohibita in atram facile degenerat, & venenatam perniciem indipiſcitur, quam toti impartitur, ac communicat. Animi mœrores, & perturbationes, quæ melancholicum & terrenum humorem adaugere poſſunt. Frequens iracundia, quæ bilem flavam in atram uſtione commutat.

Antecedentes cauſæ putantur bilis flava, ſanguis, melancholicus humor, & pituita ſalſa. Hi enim humores quum ſupra modum torrentur, in atram bilem degenerant, quæ diu coërcita ſenſim ac tempore venenata labe inficitur. Nam venenum in nobis ſponte gigni poſſe, Pelopis auctoritate confirmat Galenus, & experientia docet in epilepſia, ſuffocatione uterina, aliiſque ejus claſſis affectibus.

Proxima continenſque elephantiæ cauſa terrenus & melancholicus eſt humor, virus perniciemque adeptus, quod puſtulæ maxime demonſtrant, duræ, ſiccæ, lividæ, purpureæ, inæqualis cutis durities ex rubro nigreſcens. Hic autem humor malignam ac venenatam qualitatem uſtione indipiſcitur, quam tum viſceribus, tum aliis partibus omnibus ſenſim impertitur, ac communicat. Illa vero ſemel inquinata, non niſi terrenum quendam & melancholicum ſuccum, vel ex puriſſimis alimentis poſtea proferunt, ejuſdem veneni participem: quo partes deinceps imbutæ ac enutritæ, tempore ſimilem nanciſcuntur naturam, fitque elephantia totius ſubſtantiæ morbus, & univerſi corporis velut cancer quidam. Totum igitur corpus in elephantia ita afficitur, ut ipſa quoque oſſa vitiari dicantur, quod ipſa etiam impuro fruantur ſucco. Verùm prima ac præcipua mali labes in jecore reſidet, è quo poſtea cum ſanguine in totum ſpargi propagarique ſolet.

Quæ

Quæ sponte proprioque vitio nulla alterius inquinati contagione invadit elephantia viros, quam fœminas sæpius & crudelius exercet, atque inter illos, rursum frequentius, qui crassum, lentum & melancholicum sanguinem, aut salsam pituitam congerunt. Ac proinde qui victu ad hujusmodi procreandos humores idoneo utuntur, sæpius, quam qui contrario.

Quamplurimos enim in Alexandria elephantia conspurcari propter victus rationem, & regionis fervorem, ex veterum monimentis accepimus. Illic enim elixata farina, & lentibus, & cochleis, & multis salsamentis, & nonnulli ex ipsis, asininis carnibus & aliis quibusdam cibis, qui crassum & melancholicum succum generant, vescuntur. At in Germania & Misia rarissima hæc affectio videtur. Et apud Scythas lactis potatores nunquam fere apparuit. Deinde qui vel otio torpescunt, vel cibo & potu nimio sese ingurgitant, vel media, vel violenta exercitatione, quæ sæpe humores adurit, vel cibos in ventriculo corrumpit, præsertim in calida & sicca regione, utuntur, non raro in elephantiasim incidunt.

Nationum igitur aliæ familiarem agnoscunt morbum hunc, ut Ægyptus & Judæa. Aliæ vix novere, ut Germania & Scythia & olim Italia. Aliæ inter utrasque mediæ. In universum æstuosis regionibus, quam temperatis, & frigidis, frequentior. Quanquam sunt qui extreme frigidis ac gelidis familiarem esse contendant, quod prohibita transpiratione, coërcitoque calore humores exurantur.

Quod ad ætates pertinet, quum nec pueri, nec adolescentes, humorum quæ dixi vitiis pateant, elephantia vix eos, sponte sine seminis labe invadit, sed ætate florentes, vel etiam provectiores. Vix etiam ullus eunuchus hoc morbo tentatur. Qua ratione nonnullos legimus sibi testes execuisse, neea ignominiæ labe aspergerentur. Sed & qui elephantico parente progeniti sunt, raro in elephantiasim ante pubertatem incurrunt, si prudenter se gerant atque contineant. Eadem de mulieribus, quæ singulis mensibus naturæ lege purgantur: deque viris, quibus statis temporibus hæmorrhoides fluunt, vel insignes varices, in tibiis sanguinem profundunt, sententia ferenda.

Antequam in externis corporis partibus certæ elephantiæ notæ se prodant, ingens corporis segnities, & ignavia motusque difficultas, exercet, spiratio tarda & difficilis evadit, alvus sicca & adstricta est, urinæ jumentorum lotiis simillimæ, albæ, crassæ & turbidæ sunt. Expiratio gravis & fœtida, ructus continui, ipsi etiam ægroto non parum molesti, assidua cruditas. Appetitus nec integer est, nec omnino prostratus, digestio facilis, tanquam in suum ipsius alimentum morbo raptim attrahente, propterea inferioris ventris siccitate laborant. Impetus in venerem intensus, in somnum propensio. Insomnia metus & mœstitiæ plena, velut & animi mores, qui subdoli quoque & vafri existunt. Vitij causa foras emigrante, maloq; ad cutem progrediente, malæ crassiores fiunt, & pro florido ac vivido colore, livido rubore tinguntur, & tumores in facie extuberant. Plerumque enim in facie hæc lues erumpens, tanquam ignis de specula procul conspicuus effulget. Hinc humore multo perfusa cutis sensim crassior, durior, asperior, decoloratiorq; redditur, & crebras maculas, crebrosque tumores habet: & aliis quidem nigricat aut livescit, quibus melancholicus succus, aliis flavescit, quibus bilis flava, aliis albicat, quibus pituita salsa, vel in atram bilem degeneravit, vel atræ bili permista est, aliis ex rubro livescit, quibus crassus sanguis ustione nigrescit, atque in atram bilem depravatur: unde quatuor elephantiæ differentiæ constitui possunt. Alia enim subrubicunda dicitur, quæ à sanguine melancholico & limoso profecta est, & mitior esse solet. Alia alba à melancholico humore pituitæ salsæ admisto, vel potius à pituita salsa nitrosa & acri, & hac minus deturpari ac dehonestari ægri solent.

Alia nigra ex vera atra bile, quæ omnium pessima & fœdissima existit: In hac enim corpus universum tandem ulceribus scatet, & extrema putredine consumpta plerumq; nullo sensu decidunt. Alia subflava, quæ à bile flava præassata, & in atram degenerante fit. Hæc per initia quidem mitis, tandem fervida & pessima evadit. Primum autem in facie, aut in manibus, aut in pedibus elephantiæ signa comparent, natura quoad licet vitia longissime à corde, & hepate propellente in corporis extrema, minime tamen expurgante, ob humoris crassitiem & cutis densitatem: deinde verò & in reliquo corpore pullulant. Eadem de causa in extremis corporis partibus sensus paulatim hebescens, tandem plane torpescit, inestq; frigus perpetuum, maxime verò in pedibus, & tibiis calore in præcordiis coercito, ubi noxiæ materiæ scaturigo & focus latitat. Motus verò semper per initia integer, in quibusdam etiam ad obitum usque servatur: in aliis tandem depravatur vel prorsus aboletur: maxime verò in pedibus & tibiis. At frigoris & stuporis sensus toto morbi decursu fatigat, sed magis eo ingravescente. Tum temporis depravatæ in omnibus partibus concoctiones & assimilationes fiunt, qua ratione tubercula plurima verrucarum instar, alia juxta alia succrescunt, & tumores alij juxta alios exurgunt, melancholici humoris exuperantiam natura foras extrudente, quæ in cute concrescit. Primum quidem, ut supra positum est, in fronte & reliqua facie, quoniam exhalatio omnis sursum facillime fertur, præsertim ad faciem, in qua venulæ multæ obliterantur. Deinde etiam in manibus, & reliquo corpore. Pedes, suræ, manus, & facies, elephanticis facile intumescunt, interdum quoque & reliquum corpus, quod intolerabilis gravitatis sensu semper premitur & torpescit. Labra sensim adeò crassescunt ac prominent, ut invertantur, eorum parte inferiore livescente. Nares resimæ evadunt, & extrinsecus atris tuberculis scabræ: intus verò alarum crassitie obstruuntur, & rimis discerptæ, atque ferè intus ulceratæ crustulas nigras atque cruentas excutiunt. Quibus ex causis olfactus ferè concidit. Venæ temporum distentæ sunt, & quæ sub lingua conspicuæ apparent, livido, nigro, & fæculento sanguine turgent. Lingua verò ipsa grandinosis varis extuberat, velut & palatū verrucosis tuberculis. Aures extenuantur rubentq; admixto nigrore, ulcera in earum basi sunt, è quibus sanies defluit, ac pruriunt, aut obstructæ sunt & elephanticæ, ut solito grandiores esse videantur. Oculi caliginosi, in orbem coguntur,

tur, alio atque alio colore notantur, plerunque tamen candidum ex rubro flavescit, miraque crassitie quasi ungue obtegitur. Supercilia pilis nudantur, prominent, crassa, prædura, ac fere callosa evadunt, deorsum versus pondere vergunt. Color lividus aut ater est. Episcenium vehementer contrahitur, dum tandem oculos contegat, ut irascentibus leonibus accidit, unde & leonina hæc affectio forte vocitata est. Pili in toto corpore præmoriuntur, dein sensim defluunt: sed primum supercilia, & palpebræ, & mentum & pubes glabrescunt. Dein rara in capite evadit cæsaries, intempestivi cani, & calvitium subito ingruunt. Horrenda denique evadit partium omnium deformitas. Nam si qui pauci pili remanent, hi magis dedecent, quam qui defluxerunt. Totus corporis habitus sic commutatur, ut multi alarum instar, prominentes scapulas habeant, & mutato faciei colore, caracteri & mole auribus retortis satyros referant. Pedum plantæ & calcanea rimis profundis & asperis intersecta sunt, manuum pedumque digiti siccitate dehiscunt, unguesque funduntur ac dilacerantur. Totius corporis cutis exarescit, atque fœda eaque sicca scabie exasperatur: sæpius cum pruritu, nonnunquam sine hoc. Malo ingravescente, alimento quidem privatur corpus, ipsaque musculorum caro absumitur, sensimque liquescit, sed crassescens tamen cutis rugis asperis magis ac magis exaratur. Ad hæc quæ primum stupida cutis erat, sensu omnino destituitur, manente motu, ut ne infixa quidem acicula dolorem moveat, neque aspersa fervens aqua exurat. Observavi tamen in quibusdam pedum motum cum sensu periisse, & in quodam alterius brachii: qui tamen restitui sunt. In omnibus spontaneæ insunt lassitudines, & singula membra quamtumvis exigua, inusitata & intolerabili gravitate premuntur. Quinetiam corpus omnia gravatim fert, non illuvie delectatur, non cibo, non jejunio, non motu, non quiete. Ab omnibus enim morbus alienus est. Somnus exiguus & brevis est: vigilia peior, mala sua cogitans, vox raucescit, crassefacta, exasperataque grandinosis variis arteria & gutture. Neque enim, ut recte scripsit Areteus, inopinabile est omne corpus talibus scatere tuberculis, quandoquidem & suillæ carnes, elephanticæ grandinis plenæ sunt. Spiratio difficilior multo quamdudum evadit, & nonnulli circa somnum sic afficiuntur, ut præfocari, strangularique videantur. Spiritus totiusque corporis exhalatio fœtore molesta est. Pulsus exiguus, imbecillus, creber, tardus. Tumores malarum, menti, digitorum, aliarumque partium, in sordida & virulenta, eaque fœda ulcera degenerant, gravisque putredo omnia contaminat, dum aliis nasus, aliis manuum aut pedum digiti: nonnullis etiam pedes ac totæ manus de corpore excitant. Neque enim elephantia prius perimit à turpi vita, sævisque cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus homo sit, sed longæva est, quemadmodum & elephas animal. Aliter atq; aliter in hisce habet appetentia, non obtusa, sed gustatus atq; qualitatis expers est, nullaque edendi aut bibendi delectatio. Angusto pusilloque animo fiunt, neque præ vitæ amore vitam relinquere & contemnere possunt, neque calamitatem generoso altoque animo perferre, verum seipsos condemnantes sese occultant, & hominum notorum consortia, conspectusque fugiunt. Non tamen omnia in omnibus, sed alia in aliis symptomata deprehenduntur, ut est peculiaris cujusque corporis natura, vitæ lex, & grassantis veneni pernicies. Et quo graviora insunt, eo sævior elephas judicandus est. De elephantiæ signis plus satis, nam quæ ex urinis ac sanguine petuntur, incerta sunt omnia atque fallacia.

Quum morbis quo dissolvantur, vel paria, vel majora esse remedia oporteat (quod enim super infirmiusque morbo est, hunc quidem minuere, eaque ratione juvare, sed nec prorsus tollere, nec profligare potest) nemini mirum videri debet, si nulla remedia à veteribus excogitari potuerunt, quæ elephantem ingens malum expugnare, ac funditus excindere queant. Neque enim in parte una, aut viscere uno inhærescit, neque aut intus duntaxat labes occulitur, aut extra tantum prorumpit, neque humores solum, mollesque corporis partes leviter afficit, sed & in penetralibus totum hominem occupat, & extrinsecus totum amplectitur, in solicas quasque partes, atque in ossa ipsa ita sese insinuans ac penetrans, ut propriam illarum substantiam prorsus immutet. Triste profecto & visu terribile spectaculum. Quod ubi ad summum malignitatis suæ fastigium conscendit, tum stabilem ac firmam in ipsis visceribus & solidis partibus sedem collocat, ut omnino dimoveri, divellique non possit. Hic igitur perniciem differre non auferre, vitam in longius tempus protrahere, & morbi fœditatem emendare, non funditus ejus causam excindere licet.

At si ad novam & adhuc orientem elephantiasim curandam, idonea victus ratio, & medicamenta quæ mox referam, conferantur, salutis spes tandem affulgebit, præsertim si ex improba victus ratione, vel ex alterius inquinati contagione, non ex parentum semine malum originem habet. Nam quum ex elephantico semine vitium contractum est, etiamsi adhuc oriatur, de ægri tamen salute spes omnis abjicienda, nostris tamen remediis morbus coerceri reprimique potest. Sunt autem ex iis, qui vitium ex prava victus ratione, vel inquinati alterius contagione, non ita pridem contraxerunt curatu faciliores, quibus à bile flava, aut à pituita salsa, aut à crasso sanguine superassatis, proxima mali causa orta est. Quæ à bile originem trahit, sævioribus quidem symptomatis urget, & neglecta citius premit, quam quæ à melancholico succo in atram bilem converso proficiscitur: ideoque majorem curandi rationem postulat, sed facilius remediis cedit & obsequitur. Quibus testes vel natura desunt, vel execti sunt, ij vix unquam elephantia tentantur, si Archigeni credamus. Sed nec jam prehensis aliunde præsentius remedium, quam ex testium excisione affulget. Quotquot enim execti sunt, tanti mali discrimen effugiunt, si modo temperatam eamque frigidam & humidam victus rationem in posterum tenuerint: hancque veterum complures, ut omnium tutissimam curandi rationem sequutos esse comperio. Legibus cautum est ne cum sanis versentur elephãtiaci: nec injuria, mea quidem sententia. Licet enim ex iis, qui elephantia laborantibus perpetuo assiderent, neminem hactenus so-

la inspiratione eodem vitio contaminatum videre potuerim: observavi tamen halitus graveolentia, ulcerum fœtore, & tetra totius corporis expiratione illorum bonam constitutionem tandem labefactari.

Quanquam igitur elephantiæ perinde atque luis venereæ virus humore quodam non spiritu, pro vehiculo utitur, sine quo vix consistere, aut in alios commigrare, & parem affectum parere queat: ideoque vel concubitu, vel accubitu, vel osculo, vel alio impuro attrectatu opus est, ut contagionis seminaria celeriter in alios commigrent: quoniam tamen inspiratione sic aërem inficiunt elephantici, ut assidentibus omnibus gravis & morbidus sit, recte eos à reliquorum societate leges sejunxerunt.

Qui elephantiam curare aggreditur, humores præter naturam in corpore collectos primum educere debet, deinde contractam intemperiem & terrenam siccitatem veneni participem emendare. Quæ dum fiunt & in corpore jam genita tubera ferro excindenda, aut caustico medicamento exedenda, & ulcera illinc relicta, vel sponte nata, tergenda, implenda, atque cicatrice obducenda, & alia symptomata corrigenda sunt.

Remedia ergo in genere sunto, initio quidem, incremento, & quandiu humor effervescit, refrigerans & humectans vitæ lex: ubi vero deferbuerit, & calor elanguescere cœperit, temperata, vel paulo calidior. Purgatio frequens, venæ sectio ex intervallis repetita. Balneum aquæ dulcis, litus ex hydrargyro, aut certe catapotia ex eo ipso & auro, alia alexipharmaca varia. Cornua seu cucurbitæ. Caustica & cutem detergentia, atque faciem illustrantia: quorum omnium usum particulatim expediam à victus ratione orsus.

Incipiente morbo victus ratio imperanda, quæ refrigerandi & humectandi facultatem habeat. Calida enim & sicca est morbi causa, quæ per contraria profligari postulat: plus tamen aut minus, pro humoris morbum committentis, & corporum differentia. Convenient igitur frequentes sorbitiones ex pullis gallinaceis, & vitulina carne, quibus sub finem coctionis, acida & refrigerantia olera adjiciantur, oxalis, atriplex, portulaca, viola, buglossum, borrago, lactuca, scariola, plantago, uva acerba, oxyacantha, aliaque ejusdem classis, quæ atræ bilis calorem & siccitatem temperant, malignitatemque infrænant. Ebur, & cornu cervinum siccitate quidem aliquantum obesse videri possunt, sed veneni perniciem oppugnant & infringunt: maxime vero cervinum cornu, ideoque & sorbitionibus incoquitur, & cibis utiliter permiscetur, qui illius siccitatem corrigant. Carnes boni succi & coctu faciles, elixæ optimæ sunt, si suprapositis herbis condiantur. Conceduntur & assæ, si cum omphacio aut alio condimento acidulo earum fervor retundatur. In id primas tenent mali punici, aut citrii, vel medici succi. Sequitur oxalidis succus, omphacium & acetum: quibus aqua rosᷤ. aliquando commode adjicitur. Item ova sorbilia & pisces euchymi. Cremor hordei amygdalino lacte exceptus, & cum saccharo rosaceo coctus, omne alimenti genus anteit profecto, seu bonitas succi, seu coctionis facilitas, seu calidæ & siccæ, ustæque bilis contemperatio quæritur. De lacte asinino eadem fere sententia est. Vacuationibus igitur necessariis præparato corpore, invicem modo hordeatum, modo lac asininum, pro jentaculo sit, præsertim per æstatis ardores, & in elephante quem atra bilis à flava genita procreavit, aut certe alternis mensibus usurpentur. Quinetiam qui ex hordeo panis conficitur, utilis est, terget, refrigerat, alvum liberam efficit, & alimentum corpori præstat non contemnendum.

Vitentur salsamenta omnia, & aromatis condita, aliaque omnia potulenta & esculenta, quæ bile ferventem sanguinem procreant, veluti cepe, allium, porrum, sinapi: deinde bubulæ, cervinæ, asininæ, suillæ, leporinæ carnes, caseus vetus, aliique cibi omnes, qui terrenum ac melancholicum succum progignunt. Item legumina omnia, & quæ difficile coquuntur, & flatus, quibus elephantici maxime premuntur, proferunt. Nisi forte per morbi initia quum fervidus calor omnia exurit. Tum enim & mala carpendula cruda & pira christiana cum saccharo esse licet, & lactucam ac portulacam in acetariis, ut tantum fervorem restinguant, maxime vero melones & reliquos fructus horarios ejusdem generis, vel cerasa acida. Capparum usum etiam veteres in acetariis concedunt.

Potus esto non merum, quod invalescentem partium siccitatem foveat, & humores exurat, non cerevisia, quæ crassi succi copiam aggerat, non aliud denique potulenti genus, quod ferocientem elephantiæ causam exasperet: sed vel pomaceum, limpidum, pellucidum, optime defæcatum, nec acidum, nec prædulce, pari etiam aquæ portione dilutum, vel hordei & passarum decoctum, vel vulgaris ptisana. Quod sequitur decoctum humorum fervorem restinguere & malignitatem occulta proprietate reprimere atque obtundere potest. Ideoque in hac curatione omnibus aliis antecellit, quandiu insiti caloris vires frigida nullo negotio vincere, ac concoquere possunt. His enim languescentibus decocto frigida detrahere præstat.

℞. Saniculæ buglæ, plantaginis, pimpinell. calendul. ulmariæ, singul. p. j. scobis eburneæ, cornu cervini, utriusque ℥ j. passarum purgat. glycyrrhizæ rasæ, utriusque ℥ ij. hordei p. j. Coquito in aquæ ℔ viij. dum duæ decesserint. Decoctum percolatum, & syrupo violato conditum usui reponito. Easdem vires habet quod sequitur.

Cichorii radicis tres quatuorve unciæ, cum passarum pari pondere, aquæ ℔ viij. coquuntur, dum sex solum supersint. Tum glycyrrhizæ purgatæ tusæ sescuncia, hordei pugillus, scobis eburneæ, cornu cervini & sem. fœniculi, singul. ʒ j. adjicitur. Ferveant omnia rursum dum libra una absumpta fuerit: dein olla ab igne semota perfrigeratum decoctum colo trajiciatur, quod per se vel cum syrupi violacei momento in vicem vini usurpetur. Plantago & lactuca recte inferitur tum sorbitionibus, tum decocto modo descripto, dum fervet humor & exuritur. At inclinante ac fatiscente natura frigida omnia marcescentem insitum calorem convellunt, & flatus gignunt, sæpe etiam febrem movent. Pimpinella quòd venenatæ perniciei obluctetur, neque frigore aut calore obsit, omni morbi tempore tuto usurpatur, velut & borrago, sanicula, calen-

lendula & bugla, quod putredini adversentur: Hordei solius decoctum (aqua hordei vulgo appellatur) & palato non ingratum, & retundendo incipienti morbo aptissimum existit. Commode in eo mali punici acidi aut subdulcis granula imponuntur, & in vicem sacchari glycyrrhiza ac uvæ passæ.

Benefaciet & potus divinus, qui pro aquæ coctæ, vel decocti hordei libris singulis succi mali citrii unciam, & sacchari unam habeat unciam cum cinnamomi pauxillo: sed tandem ventriculo officit. Si forte ingrata hæc displicebunt omnia: aqua simplex optima usurpetur, quæ tamen affecta ætate & remissiore calore noxia putanda est, cujus loco aq. sacch. & modico cinnamom. condita conceditur. Inedia quum biliosas materias imprimis commoveat & accendat, atque grassantem clanculum partium siccitatem promoveat, jure inter res huic morbo infestissimas habeatur. Invalescente putredine ac calore fatiscente potus deligendus, qui spiritus instauret, vires foveat, serpentem putredinem arceat, & vitam in quam longissimum fieri poterit, tempus proferat: cujusmodi est qui sic habet.

Capus & frustum vituli aquæ libris decem coquitur, dum sex supersint: sub finem adduntur veronicæ utriusque, bugloss. borrag. asclepiad. pimpinell. calendul. saniculæ, symphyti majoris & minoris, plantag. scariolæ singulorum Mj. rad. pentaphyll. veronicæ coronariæ, sem. cardui, scobis eburneæ, & cornu cervi, singulorum ℥ß. Colatum jus in vitream ollam inditur, ut in duplici vase aqua proliciatur, quæ saccharo & santal. citrini momento condita usui apta sit. Cibus igitur sit paulo plenior, sed euchymus & coctu facilis, isque bis die potius quam semel sumatur. Nova enim esca continenter corpori applicata spatio temporis antiquam vacuationibus jam minorem factam, obscurat atque infringit.

Vehemens omnis exercitatio, quæ sudorem elicit imprimis noxia est, ut & duræ corporis frictiones, & quæcunque vel corpus exiccant, vel humores inflammant & torrefaciunt. Adde & fomenta omnia sicca, & natationes in mari aut sulphureis & aluminosis aquis. Dein & unctiones omnes siccandi facultate præditas, & vinum absynthites (quod tamen à vomitione aliquando, & ubi cruditas urget tuto dari potest.) Hæc enim omnia aliaque ejus generis invalescentem partium solidarum siccitatem diuturno aut frequenti usu fovent, & mortem accelerant: quemadmodum & ira, & mœror, & reliqua omnia animi pathemata, quæ humores exurere, & calorem insitum labefactare, atque atterere possunt. Somnus diurnus elephanticis perniciosus est, nocturnus autem aptissimus, post justum à cœna intervallum. Deambulatio lenta commoda, velut & frictio lenis, subductis alvi fæcibus redditaque urina. Hæc quidem refrigerans & humectans victus ratio, quandiu fervet humor, vigetque calor insitus, alieno tamen æstuante tenenda: maxime vero in eo elephante, qui ab atra bile quam flava procreavit, profectus est. Nam quum ita jam exusta ac retorrida sunt omnia, ut cinis duntaxat supersit frigidior, in calore & frigore temperata alimenta necessaria sunt, alioqui labascente calore insito ac pene jam extincto, quæ ab eo fiunt concoctiones frustrantur, aggeruntur que flatus & cruditates, quæ corpus mire lacessunt. Qui eo miseriæ jam præcipites acti sunt, sumpto potulento aut esculento refrigerante, febre tentari solent, donec nata inde cruditas evicta sit: qui tamen morbi initio calidis tum alimentis, tum medicamentis valde offendi viderentur. Itaque pro morbi progressione, ætatis & temperamenti differentia, aliaque medendi opportunitate prudenter immutanda victus ratio. Hoc tamen sciri velim, calidiore & sicciore victu, quam humidiore & frigidiore graviorem noxam ab elephanticis contrahi. Inclinante ergo natura, vini sed diluti usus concedendus, alimenta temperata, euchyma ac concoctu facillima deligenda, imperandaque sunt, quæ à languidiore calore nullo negotio confici, concoquique possint. Fugienda etiam acida omnia, nisi saccharo aut cinnamomo condiantur. In iis nulla tentari debet curatio, quæ morbi causam excindat. Illic enim symptomatum impetum retundere, ac perniciem differre, non morbum radicitus evellere licet. Idonea victus ratione præscripta, in humorum qui naturæ molesti sunt & graves, præparationem & vacuationem incumbere oportebit. Sed quoniam tres omnino sunt corporis regiones, è quibus excrementa arte educuntur, priusquam crassus & fæculentus sanguis, venis majoribus coercitus agitetur, quæ in prima corporis regione coacervata sunt, eluenda, expurgandaque, primum quidem clystere, deinde cathartico blandiore: cujusmodi sunt cassiæ atramentum, rhabarbarum, & senna, & quæ ex iis fiunt compositiones catharticæ. Si quis tamen ubi plenitudo inest, ante usum catharticorum sanguinem mittat, nullam gravem noxam accersiverit. Avicennas Græcorum imitatione venæ sectionem quum ex usu est, purgationi præmittit, nec ante octavum ab ea diem purgare aggreditur. Purgat autem per hieram diacolocynthidos, vel per apozemata, aut catapotia, quæ helleborum, scammonium, lapidem cyaneum, pulpam colocynthidos, & aloen habeant, à quibus in hujusce morbi initiis, ob cruditatem, lentorem & crassitiem humoris abstinendum censemus, ne magna sequatur perturbatio. Ille satis esse putat, si semel aut bis quoque anno validis hisce pharmacis purgentur elephantici: nos mitioribus sæpius repetitis, sensim cacochymiæ sentinam melius, tutiusque exhauriri didicimus: illorum tamen usum turgente materia haudquaquam repudiamus.

Archigenes primas purgationes molitur colocynthidis pulpa in catapotia redacta, qua tamen serosos humores, qui atræ bili, veluti frænum aliquod injiciunt, & pituitam potius detrahi comperimus melancholia retorrida intus restitante. Itaque primo curationis hujus die, alvus clystere proluenda, postridie vero, purgans medicamentum, quod nulla perturbatione ventriculum, primas venas & intestina sordibus exoneret, propinandum: tertio die vena incidenda in cubito dextro conspicua: postero die secanda & interna sinistra si vires valent: sin minus, bidui interjectio iis recreandis aptior fuerit. Detrahendi autem sanguinis mo-

modum, vires & vasorum plenitudo præscribent. Oportebit & in malleolis, post aliquot dies venas tundere, deinde & in fronte. Ut semel dicam, sæpe & multum, & variis ex locis in hoc affectu sanguinem mittere operæ pretium est. Reviviscit namque elephanticorum calor detracto putri & fervente sanguine hacque quasi sarcina levatum corpus multo alacrius evadit. Exigua quippe sanguinis pars, in elephanticis optima est, quæ naturæ in alimentum cedat, reliqua vero plurima. Hanc repetita evacuatione detrahere, illam familiari ac bono alimento adaugere oportebit. Habendus tamen modus in evacuando, dandaque erunt intervalla, quæ recreandis viribus satis sint, & quo magis progrediente morbo vires imminuuntur, eo minus sanguinis detrahendum. Interea dum sanguinis detractiones fiunt, si durior alvus diutius substiterit, alternis diebus solvenda, aut etiam ducenda, vel cassiæ atramento, vel jusculo purgatorio, vel clystere, aut vicissim modo hoc, modo illo. Sanguine quantum opus erit detracto, duo scopi supersunt, ad quos medici consilium omne, curaque dirigatur, purgatio & commutatio. Purgatio quidem ejus quod sic vitium fecerit, ut pristinam integritatem recipere non possit. Commutatio vero, cum humorum, tum partium nostri corporis sic venenata labe inquinatarum, ut tamen in pristinam bonitatem revocari, reducique possint. Arte igitur sensim educenda quæcunque à naturali statu ita recesserunt, ut nullis remediis restitui queant. At verò immutandum quicquid emendari atque corrigi posse videbitur. Educetur autem secta vena, catharsi, cucurbitis, cornubus, balneis, unguentis, & emplastris digerentibus aut suppurantibus. Venæ sectio noxium quidem humorem demit & vacuat, sed una cum eo utiles spiritus & humores puros in sanis detrahit, eaque ratione vires dissolvit, & nativi caloris robur atterit: at in elephanticis, ubi fere totus sanguis venenatam putredinem concepit, si intervallis repetatur, nihil nocuerit quandiu vires valebunt. Purgans tamen medicamentum id duntaxat detrahit, quod naturæ prorsus ineptum atque inutile est, relicto utili alendo corpori idoneo, quod immutantibus emendetur, si quod substantiæ aut qualitatis exiguum vitium contraxerit. Qui circum viscera & in venis majoribus redundat crassus ac fœculentus humor, (ejusmodi esse solet, qui hujusce morbi materia censetur) nec per sudores evacuari, nec cæca transpiratione digeri, nec vomitione facile ac tuto excludi, sed sola alvi purgatione & venæ sectione detrahi potest. Porro horum remediorum usus multiplex ac varius existit, nam modo purgantibus & immutantibus confusis atque permistis, eodem die purgatio & commutatio adhibentur, modo vicissim purgatio & immutatio tentatur. Noxios igitur humores eodem die præparare ac purgare possunt syrupi & apozemata, quæ præter sennam, agaricum & elleborum, radices, herbas, semina, ac flores habeant, quibus attenuandi, incidendi, aperiendi, humectandi, refrigerandi, putredinem inhibendi, atque atræ bilis perniciem edomandi, infringendique facultas insit. Sed his alternis duntaxat diluculis, aut quarto quoque die locus erit, ne quotidiano usu ventriculo ac visceribus (quorum robur ad morbi longitudinem tueri operæ pretium est) ulla vis & nox inferatur. Diebus verò interjectis, præparantibus, & immutantibus pugnabimus. Immutant autem quod emendari potest, & præparant quod purgatione excludi postulat, cardiaca refrigerantia, humectantia, bilem utramque & crassam pituitam attenuantia, incidentia, & vias purgationis aperientia medicamenta, zulapii, apozematis, syrupi, sorbitionis, opiatæ, tabellæ, pulverisve forma: quorum materia medico exercitato notissima est. Adde & unguenta, & balnea, & alia quæcunque in id usus comprobavit. Veteres ellebori nigri obolos tres cum scrupulo scammonii in sero lactis asinini dissolvebant, ac frequenter præbebant elephanticis. Purgato dein sæpius corpore vomitiones proritabant, primum quidem à cibo deinde etiam jejunis, idque interdum per raphanos, interdum per album veratrum. Sed effrænis nimis & periculosa, ac nihilominus parum efficax isthæc medendi ratio deprehensa est. Purgatio per elleborum ante balnearum usum, & exquisitam præparationem magna molestia minimum proficere comperi. Vomitio nec materiam crassam circum viscera, & in venis inhærescentem detrahere, nec genitam intemperiem emendare, nec malignam morbi perniciem infrænare potest: mucosam duntaxat ventriculi pituitam & bilem multis cruciatibus evellit. Multo igitur sit satius, si nigra & retorrida bilis cassia, rhabarbar. & senna haud satis strenue detrahi videatur, ellebori nigri momentum, apozematis, & syrupis purgantibus, quæ sennam & rhabarb. habeant incoquere, hisque semel aut bis in hebdomade alvum ducere. Est autem purgantium, & præparantium quæ modo proposui, usus vicissim repetendus, dum alimenti penuria morbis fatigetur, ipsæ vero corporis vires alacriores evadant. Nec negligenda etiam in cibis medicamentosa purgatio, quibus diebus validiora cathartica non porriguntur. In prunorum damascenorum decocto colo transfuso, aut in jure pingui sennæ semuncia recte incoquitur, cum buglosso, borrag. oxalide, & hyssopi ac thymi pauxillo. Excolatum dein decoctum horis duabus cibis præmittitur. Hæc dum fiunt, si vel tubercula, vel latæ quædam maculæ livido rubore cutem deturpent, sive sensus in his jam perierit, sive integer adhuc & incolumis perstiterit, primum fotu & unguento emollienda, deinde discissa cute cornua suctoria identidem adhibenda, quæ parti tenacius impactum, & hærentem sanguinem exugant atque extrahant. Sic illa fronti, genis, cervici, brachiis, manibus, aliisque minutioribus partibus, commode infiguntur, oreque exugitur, quicquid in parte redundat humoris alieni. Cornua suctoria quum desunt, nec cognitus est admovendi modus, cucurbitulæ sufficiuntur, etiamsi multo imbecillius trahant. Post cornua altius rursum discindenda tubera, & catheretico medicamento, aut etiam caustico exterenda, absumendaque sunt. Latæ maculæ scalpelli cuspide discissæ, mercurio sublimato in populo unguento dissoluto radicitus exeduntur. Idem sed imbecillius ac minore molestia præstat pulvis mercurii, vel solus vel unguento rosato exceptus, neque validioribus opus esse comperio ad omnes elephanticorum verrucosas pustulas, si quis prudenter

denter ut inoverit. Maculæ emplastro è cantharidibus, fermento & sapone nigro facile abolentur. Hoc enim vesicas latas tenui sero turgidas excitat, quibus ruptis effusoque humore, mortua epidermis à vera & crassiore cute divulsa, facile nulloque negotio vel excidit, vel eximitur. Tumque si locus nimium extuberat cathereticum unguentum imponitur, quod illam reliquis adæquare possit. Quo quum ventum est, cicatrix inducitur. Si non extuberat, contractus ardor unguento rosato demulcetur, dein cicatrix contrahitur. Jam vero quum primum istorum præsidiorum usu toti corpori provisum fuerit: balneum tepidum ex remollientium decocto apparandum, in quo bis die elephanticus insideat, mane quidem ante epulas horis duabus, & vesperi ante cœnam horis totidem. Hoc in biduum asservari potest integrum, & semel in hebdomade instaurari, donec remittant, aut prorsus evanescant omnia luis hujus symptomata. Ea cautione, ut neque in lecto post balnei egressum, neque in ipso balneo sudor cieatur, aut diffluat è corpore. Hic enim calidioris balnei nota est. Sit igitur justo tepore moderatum balneum, ne calidius morbi causam (quæ sudoribus, præ nimia crassitie tolli nequit) exasperet.

Vesperi post balnei egressum corpore resiccato, illitus ex hydrargyro adhibetur: & postridie balnei, catharticum propinatur, quod fusum, liquefactumque humorem in alvum rapiat. Singulis ergo hebdomadib. balneum innovari debet ad biduum, & semel quoque die à balneo corpus unguento ex argento vivo in lecto perungi: dein sumpto cibo euchymo & eupepto, somnus si accedat excipiendus nulla sudoris profusione. Non enim partium solidarum substantiam hydrargyri litu liquefacere, & in sudores, aut mucosum sputum depravare, sed earum siccitatem humectantibus emendare ac corrigere, & refrigerando fervorem retundere consilium est. Ideoque si bis innucto corpore sputatio aut dysenteria imminere sentiatur, semel duntaxat in hebdomade postea inungatur, & impendens sputatio propinato cathartico coerceatur, ne corpus quod humefacere consilium est, nimio exiccet opere. His quæ dixi remediis, tribus mensibus continuatis, tametsi morbus in totum nondum erit abactus, fatigatæ tamen naturæ duorum triumve mensium remissionem concedere operæ prætium fuerit: ea lege ut interea octavo quoque die, & syrupo, aut alio cathartico, quicquid de quotidianis alimentis corrumpitur, detrahatur, & balneum singulis mensibus biduo saltem usurpetur citra hydrargyrum. Interim asinini, aut caprini, aut si ne hoc quidem suppetit, vaccini lactis quinq; sexve unciæ quoq; diluculo exorbendæ adjecto saccharo rosaceo, cujus usu atræ bilis pernicies coerceatur. Recreata natura, si nondum prorsus deleta erunt elephantica symptomata ad principium suprapositæ curationis reflectere oportebit, omniaque suo ordine facere, velut ante positum est, præterquam quod multo religiosius sanguis mittetur. Idque bis, ter, quaterve his, quæ dixi intervallis repetere operæ pretium fuerit, si ex descriptis præsidiis profectus evidens quæritur. Maligna hujus morbi natura, tenaciter adeo visceribus, aliisque partibus solidis inhærescit, ut in plerisque nisi sæpius repetito remediorum usu, funditus non excindatur. Aliis igitur annus unus ad curationem satis est, qui neque ex parentum semine vitium contraxerunt, neque diu tentati sunt, aliis, quibus extrinsecus acceptum vitium jam diu inhæret, vix duo anni satisfaciunt: aliis, qui vel hæreditario hoc vitio, vel ascititio, sed inveterato tenentur, in totam vitam continuanda, quæ postea tradetur curatio.

Una elephantia præ aliis longis morbis remediorum varietate ac vicissitudine gaudet. Suntque in hoc affectu, si quo in alio, ab omnibus fere remediis induciæ quædam & intermissiones sæpe ægro concedendæ, deinde & resumptio, & ad priora reditio, & novorum remediorum admotio adeo necessaria, ut eum vix unquam convaliturum credam, qui in unico remedio quamlibet generoso spem salutis collocarit.

Alia curandi ratio superiori affinis, sed facilior.

Præparato qua dixi ratione corpore, neglecto litu ex hydrargyro, catapotia usurpanda, quæ calidam & siccam viscerum ac solidarum partium intemperiem emendare, omnium humorum ferociam & perniciem reprimere, obstructiones viscerum solvere, & earum causam sensim expurgare, atque idcirco elephantiam profligare solent. Cujusmodi sunt, quæ sic habent.

℞ Argenti vivi ℥ß. cum panis adhuc calentis medulla, manibus diu subige, ut in eam plumbaginem deponat, purgatum dein hydrargyrum succi limonum momento, & olei è myrrha arte Chymica deprompti ℥ß. exacto misceto, adjecta terebinthinæ venetæ aqua ros. elotæ ʒ j. tum adde auri purissimi, eodem artificio Chymico in tenuissimum pollinem redacti, vel si desit, foliorum auri ℥ j. ambaris ℈ j. pulveris electuarii, diamargar. frigidi & electarii trium santal. in simplicis utriusque ʒij. fingito massam, cui sequentis magmatis ℥ i ß. admisce.

℞. Foliorum sennæ electorum ℔ j. rhabarbari in frustula dissecti ℥iv. rad. arefactæ ellebori nigri nostratis ℥ j. diem unum œnostagmate macera, quod dein exime ac sepone, atque aliud affunde, idque rursus exactis duodecim horis expressum cum priore misceto, & vitreo vase exceptum in diplomate exhalare curato, atque relictum magma ad usum servato. Hujus compositionis ʒß. dabitur quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum: idque alternis mensibus, interjecto balneorum, & aliorum omnium præsidiorum descriptorum usu.

Recens orta elephantia, quæ gentilitio jure comparata non sit, his remediis profligatur. At quæ vel hæreditario jure successit, vel inveterata est, nullo unquam remedio penitus exciditur. Hæreditaria quippe naturæ & seminis vitio, quod ars nulla emendare potest, committitur. Inveterata vero quoniam partium solidarum substantiam in sui naturam prorsus jam immutavit, nullo amplius remedio vincitur. Præstat tamen in rebus angustis, arctisque, vel etiam deploratis, aliquod experiri remedium, quam in

certam desperationem, ægrum præcipitem dare. Humanum enim est, & plenum benevolentiæ signum, in summis etiam malis ad experimentum usq; progredi, ut difficilem affectum, si non omnino tollamus, certe leniamus & compescamus, sic tamen ne vulgo dedecore afficiantur præsidia, quæ multis fuere saluti. Itaque in utrisque tentetur modo tradita curatio, si caloris nativi robur supererit. Elephantiæ hæreditariæ aut inveteratæ causam, si radicitus non tollit, eam saltem infringit ac debilitat, perniciem si prorsus non aufert, illam certe differt, vitamque prorogat, plerumq; in longissimum tempus, & morbi fœditatem obscurat. Sed ut erit nativi caloris robur, & corporis natura, hydrargyri modus in unguento, quod in egressu balnei aliquando adhibebitur, veniet decernendus, veluti & in catapotiis. In omnibus quidem naturis ac corporum generibus, idem remedium, sed non eodem modo usurpandum fuerit. Qui viribus valent, ac firmo corporis habitu præditi, neq; ætatis florem egressi sunt, eis non raro multa & frequens hydrargyrosis, quæ ad sputationes usque progrederetur, sed citra sudorum profusionem præsens auxilium, opemque attulit: qui vero senilem jam ætatem assequuti, viribusque fracti, rheumatismis afflicti, oppressique sunt, nihil aut parum adjumenti ab hydrargyro percipiunt: Quum enim frigidus & humidus sit hydrargyrus, frigidum senum corpus calore nativo qui superarat extincto, morti celeriter addicit. Incipiente igitur, increscente & vigente elephanticorum calore, non vanis titulis famigeratum ex viperis remedium, non theriaca, non ferrum, non ignis, non aliud denique ullum præsidium hydrargyro secundum deprehendetur. Quod ne temere dictum videatur, meæ opinionis longo jam usu & experientia confirmatæ, rationem paucis, ut mos est, expediam.

Elephantia admodum siccus & terrenus morbus est: argentum vivum summo humore præditum, quum partium tenuitate omnia permeet, indurata omnia mollit, laxat & humectat. Acris, exustus & malignus humor est, qui elephantem parit, argentum vivum tum frigore, tum alia occulta proprietate & efficientia, acrium omnium humorum fervorem retundere, & malignitatem, feritatemque infringere deprehenditur. Elephantia non externas tantum corporis partes attingit, sed solidarum etiam substantiam labefactat. Argentum vivum maxima partium tenuitate præditum, non in extima cute hæret, sed ad viscerum, & solidarum partium substantiam usque pervadit ac penetrat, omnia ex æquo fere suis viribus afficiens atque efficaciter immutans. Itaque prudenter, ut jam præmonui, corporum generibus, & nativi caloris robori, aptetur hydrargyri modus, & justis cancellis circumscribatur utendi ratio. Hic enim grassantem solidarum partium siccitatem remorari, atrabilarii humoris incendium restinguere, feritatem cohibere, & invalescentem putredinem arcere potest.

De venæ sectione idem esto judicium. Neque enim in deploratis, quorum languent jam vires, fatiscitque calor insitus, tam sæpe mittendus sanguis fuerit, tamque copiose, quam in recens contaminatis, qui & virium robore valent, & sanguinis plenitudine tenentur. Mittendus tamen justo intervallo quum putredo nimium in venis invalescens, perniciem accelerabit, ut sublata putrentis sanguinis sarcina, reliquum languescens calor facilius concoquat.

Cætera omnia quæ elephanticis convenire dixi remedia, vix unquam ulla noxa, maximo fere profectu semper à prudenti & rerum usu perito medico usurpantur. Tenendus tamen vel in his modus, quæ semper salutaria deprehenduntur, concedendaque naturæ intervalla, & veluti quædam remediorum induciæ, feriæque, quo repetita illam postea magis velut nova afficiant atque immutent. Itaque non modo semel in hebdomade melanagogo medicamento alvum ducant, sed etiam clysteribus sæpe illam solvant, atque etiam interdum sorbitione purgante quæ borraginis, buglossi, oxalidis, oxylapathique folia habeat cum sennæ semiuncia, & thymi atque hyssopi pauxillo. Sæpe laxantibus atque emollientibus balneis insideant. Sanguinem quoque mense, aut si ætas jam valde inclinat, tertio aut quarto quoque mense, aut saltem vere & autumno detrahant, plus minusve, ut feret plenitudinis, putredinis & virium ratio.

In loco habitent salubri, temperato, lucido, æstate media, solis ardoribus minime exposito, sed ad septentrionem aperto, nam hyeme meridianum solem habere præstat, frigidis hisce regionibus.

Cibis utantur boni succi & facilis concoctionis, iisque temperatis, si jam inclinat ætas ac restinctus est bilis atræ fervor: refrigerantibus vero & humectantibus, si nondum morbi calor deferbuit. Vino in omnem vitam abstineant, aut certe ad sexagesimum annum usque, tumque eo quam dilutissimo utantur. Calfacientia & siccantia alimenta, & medicamenta omnia declinent, nec se inedia conficiant, iracundiam cohibeant, mœrorem metumque pellant, cupiditates, solicitudinesque omnes detrahant, & perturbationes, concitatosque animi affectus coerceant, atque moderentur. Cardiaca quæ venenatæ labi obluctantur, frequenter usurpent, opiatæ, conditi, pulveris, electarii, aquæve stillatitiæ forma, idque mane, & ante epulas, vel sub horam somni, interdum & cum epulis: quorum omnium compositiones postea trademus.

Qui elephantico semine progeniti sunt, non subito concidunt, sed sensim invalescente putredine corrumpuntur, membratim dilacerantur, tandemque intereunt. Hic varias humorum mutationes ac multiplices morbi & naturæ conflictus observare licet. In his primum faciei cutis crassescens vividum colorem amittit, atque ex rubro livescere incipit, quod symptoma antevertere, atque arcere expedit, alienæ materiæ, (quam è venis ac visceribus natura sese exonerans eo pepulit) vacuatione, balneis aquæ dulcis tepefactæ. in qua emollientes, laxantes, ac tergentes stirpes decoctæ fuerint, victu humectante & refrigerante, fotu emolliente & rarefaciente, unguento molliente, rarefaciente & tergente, admotis cucurbitulis, aut cornu suctorio post scarificatum, unguento ex hydrargyro corpori post balnei egressum illito. Si malum nihilominus serpit, brevi tubera erumpunt, pri-

primum quidem in facie, dein in tibiis, manibus, alisque partibus. Hæc scalpello discissa cathe-retico medicamento radicitus exeduntur, deinde cicatrix inducitur. Progrediente tempore cutis quibusdam faciei locis mire crassescens, maxima deformitate in tumorem attollitur, cui color inest ex rubro nigrescens ac pellucens. Hæc scalpello vulnerata feculentem sanguinem fundit, qui etiam cucurbita, vel cornu suctorio, majore vi elicitur. Emplastro dein catheretico quicquid inæqualiter intumuit ac supercrevit, exeditur, atque adæquatur, cicatrix tandem contrahitur. Neque enim verendum, vel supercilia, vel frontem, vel genæ particulam sic vulnerare, atque reliquis quæ non ita intumuerunt, æquare, quum relicta ex ulcere cicatrix, multo quam reliqua cutis venustior esse soleat. Ulcera quæ sponte vel in tibiis, vel in aliis partibus nascuntur, sanguinis fæculenti & corrupti eo decumbentis soboles sunt Ideoq; purgato corpore à sanguinis missione, curatio ineunda. Mittitur autem primum quidem incisa vena, quæ fluxionis fontem exhauriat, dein quæ ab ipsa parte derivet ac vacuet. Hinc pars incidenda satis altis plagis, ut multus ex ea sanguis extillet, adhibendæque cucurbitulæ: postremo ulcus aliorum more curandum.

Commune est in omnibus ulceribus, quæ in hoc morbo sponte emergunt, post vacuationes universales, & derivationem, ex affecta parte, altis sectionibus, partem ipsam cædendam esse, ut adhibito cornu suctorio, aut cucurbita, sanguis ipsi impactus extrahatur, dein catheretico medicamento quicquid vel occaluit, vel supercrevit, vel nimis intumuit, vel aliud inemendabile vitium contraxit, absumatur: postremo ulcus aliorum more & carne impleatur, & cicatrice obducatur quam elegantissima.

Morbo ingravescente sæviora symptomata emergunt. Primum igitur sensus in externis partibus hebescit, inestque frigus fere perpetuum. Quæ symptomata etsi nullis auxiliis funditus tolluntur, leniri tamen solent, & periculum differri: primum quidem ea curatione quam supra retulimus: deinde topicis medicamentis, quæ frigidum & crassum humorem parti insertum digerere, crassescentem cutim emollire, laxare ac levigare. & insitum ipsius partis calorem fovere atque erigere possint. Cujusmodi est oleum quod sic habet.

Sigillum Mariæ, radix bryoniæ, & altheæ, prunis vino albo & oleo sensim incoquuntur, dum vinum absumptum sit, oleum dein exprimitur, quo pedes, tibiæ & manus, si stuporis & frigoris sensus inerit quoque vespere inungentur. Benefaciet & fotus digerens, rarefaciens, & corroborans, ex malva, violaria, sem. lini, rad. altheæ, origano, sampsucho, salvia, anagallide, rof. rub. omnibus sacculo conclusis, & aqua ac vino albo incoctis.

Quum jam eo miseriæ ventum est, ut putredo hominem membratim dilaceret, infœlix sed unicum solatium superest, quicquid sic vitiatum est, vel medicamentis exedere, vel ferro rescindere, vel urere. Exscinduntur, vel vicissim exuruntur minutulæ partes, quas putredo cadaverosa tabefacit, & ulcera illinc relicta aliorum more curantur: in corporis trunco cathereticis potius locus est.

Oculorum membranæ sensim crassescentes, visus obscuritatem inducunt: remedium est, fotus emolliens, rarefaciens & discutiens. Collyrium tergens, attenuans & siccans, aquæ pulveris syrupi unguentive specie. Fotus fiet ex malva, violaria, euphrasia, fœniculo, semine lini, sacculo conclusis, & aqua ac vino albo decoctis. Collyrium ejus qui ægrotabit naturæ & vitii magnitudini aptum comparabitur ex myrrha & ærugine, ovi albumine coctione indurato, conclusis, & loco humido reconditis, dum aqua viridis extillaverit: cui syrupus de absynthio, aquæ stillatitiæ, euphrasiæ, fœniculi & plantaginis, ea temperatione miscebuntur, ut citra vehementiorem dolorem efficaciter attenuet crassescentes membranas, & sordes omnes abstergat. Acriori remedio opus est quum membranulæ ex majore oculi angulo enatæ pupillæ obtenduntur, aciemq; perstringunt, qualia sunt quæ ad pterygium traduntur. Buffo vivus olla fictili exceptus exuritur: tenuissimus pulvis in oculum afflatus, pterygium concoquit, & in pus deducit. Sed quum adhibetur refrigerans remedium, extrinsecus oculo superponendum, ne ejus acrimonia, dolorem & inflammationem pariat.

Malo invalescente, sic elanguescit insitus calor, ut in omnibus corporis partib. frustrentur concoctiones, multaque serosa excrementa colligantur, maxime vero in capite, quæ sæpe in thoracem tanto impetu decumbunt, ut asthma suffocationis periculo horrendum, sæpe etiam febrem accersant. Interdum in oculos irruunt, & disruptis eorum membranis, repentinam cæcitatem inducunt, aut inter eas intercepta, implacabiles dolores cient, ac prorsus obcæcant, oculis protuberantibus, ac pene exertis. Præsentaneum auxilium affert sanguis celeriter missus, phlegmagogum atque hydragogum confestim datum atque repetitum, dein concoquentia & tenuis victus ratio.

Quum nares præ alarum crassitie, ac crustulis, quæ illic adnascuntur, obstruuntur, primum crustulas excutiet molliens, tergensque decoctum, dein siccitatem leniet, & crustas denuo adnasci prohibebit butyrum salis expers, aut certe oleum amygdal. dul. recens expressum rudicula & linteolo, vel calamo intromissum illitumque.

Concubitum elephantici maximopere concupiscent, nec eo interdici debent, quum & corpus refrigeret, & mœrentem illorum animum demulceat. Quoniam tamen nimis frequens vires solvit, pro ratione ætatis & naturæ ægrotantis in eo modus adhibendus.

Qui descriptorum remediorum efficacia integram valetudinem recuperaverit, ne recollectis in corpore noxiis excrementis, mali radix tandem aliquando revirescat, omni opera prohibeat. Itaque cibis euchymis uti conveniet, vel temperatis, vel paulo frigidioribus & humidioribus, vino omnino sibi interdicere, vel eo quam dilutissimo uti, calidis & siccantibus alimentis omnibus vitatis, salsis quoque & aromaticis omnibus, porris, cepis, alliis, sinapi, & reliquis omnibus, à quibus abstinendum esse in superiori curatione præcepimus. Loca incolant æstate quidem frigida & humida, hyeme vero paulo ficciora & calidiora. Ad hæc

aliis atque aliis medicamentis melanagogis, alvus intervallis ducenda. Habenda sæpe & medicamentosa in cibo ratio.

Vere ineunte & autumno vena secanda est, aut etiam sæpius, si quando ulla plenitudine corpus tenebitur. Sæpe & cardiaca, quæ venenatæ morbi malignitati resistant & obluctentur, usurpanda venient, opiatæ, conditi, pulveris, electuarii solidi, syrupi, aquæve stillatitiæ forma. Biduo etiam quoque mense, balneum comparandum æstate præsertim, & in eo bis die desidendum, qua methodo supra posuimus, adhibita in exitu, corpore tamen prius resiccato hydrargyrosi, velut ante præceptum est. Alioqui catapotiis ex Sole, & Mercurio supra descriptis, ex intervallis utendum.

Fama est elephanticum quendam vitæ pariter ac morbo finem imponere quærentem, viperam in musti dolium irrepsisse, conspicatum, extincta in eo vipera, sese musto ad satietatem, semel atque iterum ingurgitasse. Cujus vi post virulentas vomitiones, ebrietas, profundusque sopor morti haud dissimilis obrepsit. Quibus tandem discussis, imprimis pili defluxerunt omnes, & ungues exciderunt, dein omnia in ambitu membra corporis contabuerunt, denique certum exitium in propinquo videbatur, quum ex reliqua quadam virium scintilla, natura hominem redintegrans, alias carnes enutrivit, ungues novos, & nitidam formam instauravit, ac vetus corium, ceu serpentis senectam exuit. Ita habet fabula non admodum verisimilis quidem, sed cujus tamen imitatione, antiqui elephantiæ curationem ad occultam viperarum proprietatem retulerunt, de aliis remediis desperantes. Occultam proprietatem dixi, propterea, quod qualitatibus manifestis elephantiæ causam augeant potius quam infringant. Nam vel Galeni testimonio, manifestæ ac generales qualitates carnium viperarum sunt, exsiccare valenter, digerere mediocriter, & excalfacere. Atra autem bilis, quæ hujus luis causa est, calida & sicca quum sit, per contraria retundi postulat. Vere potissimum elephanticorum curationem aggrediuntur, primumque corpus in aliorum fere omnium diuturnorum morborum modum identidem purgaut: deinde venam secant, si vires ferunt: hinc ad viperas se convertunt, quas alii aliter apparare solent. Omnes in hoc conveniunt, caput & caudam ut abscindant, dein interanea omnia ac cutem etiam ipsam eximant, postremo corpus ipsarum exquisite eluant. Quidam, quod casu contigit imitatione confirmantes, in vini generosi dolium illas conjiciunt, ac sinunt dum suffocentur, dein vinum ægris nescientibus propinant. Alii medicinam ex viperis confectam, quam theriacam vocant, sæpius adhibent. Alii sale theriaco utuntur, quod vivis viperis cum quibusdam aliis medicamentis in fictili novo combustis comparatur. Alii viperas ipsas comedunt in pastillos redactas. Alii illas in anguillarum modum apparatas exhibent. Atque hoc omnibus commune est, viperis tandiu utendum esse, dum elephantia vel in lepram abeat, vel in totum desinat, in tenues auras difflante per cutem affectu. Galenus elephanticos aliquot ita se percurasse gloriatur: quin & incipientem morbum sola catharsi & phlebotomia vere & autumno præscripta profligasse atque propulsasse se venditat. Cujus auctoritatem tot seculis confirmatam, etsi non repudio, vix tamen quid de hoc remedii genere censuerit Fernelius, quidque partim dum is Lutetiæ floreret, partim post ejus obitum expertus sum, perpetuo silentio involvere possum. Elephanticos multos veterum imitatione quum viperarum usu restituere maxima methodo studuisset Fernelius, nemini in tota vita, ut erat in votis successit: quod cum mihi indicasset, & à remediis omnibus siccantibus abstinendum non esse monuisset, vererum medicorum auctoritatem ejus opinioni anteponendam ratus, & illorum pollicitis nimium forte addictus: theriacam elephanticis multis, qua methodo illi præcipiunt, præbui, sed nullo prorsus profectu: quæ res effecit, ut viperas ipsas aliter atque aliter apparatas experiri aggressus sim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi.

Paucos (fateor) post dies cutis extima squammas & furfures remittit, tanquam elephas in lepram degeneret, videturque juvare per initia hoc remedii genus, si solius cuticulæ rationem habeas, sed neque viscerum constitutio, hocce modo melior fieri, neque verrucosa tubera intermori, neque crassescentis cutis deformitas emendari solet: sed elephanticum virus, post viperarum usum, è visceribus multo majore quam unquam impetu in cutim remeans, omnia symptomata sic exasperat, ut aucta putredine membratim dilacerentur ægri teterrimo fœtore. Neque enim pastilli theriaci, neque venenatæ viperarum carnes, quovis modo præparatæ, siccam & terrenam partium constitutionem corrigere possunt, sed omnia depravare, atque venenata pernicie inficere. Si quis tamen veterum auctoritati tantum tribuit, ut Fernelii & meam hanc experientiam universis medendi legibus consentaneam suspectam habeat, ei facile sit, qua ratione illi præcipiunt, viperarum usum experiri. Tutissimam utendi rationem hanc tradunt recentiores.

Viperas præparatas in aqua cum hordeo decoquito, quo postea gallinæ alantur dum implumes evadant. His ergo gallinis elephantici alendi sunt, donec comæ ac pili defluant omnes, & crassior cutis squammas ac furfures remittat.

De proximæ elephautis causæ temperamento multi inter se non parum dissentiunt. Galenus melancholicum quidem humorem elephantiam progignere passim confirmat: sed quum ampla significatione id nominis Latini usurpent (nam & de proprie dicta atra bile, acerrimo & ardentissimo humore, qui & corpus rodit, & terram fermentat, & de melancholico succo frigidiore, qui sanguinis veluti fex & limus est, dici solet) haud facile assequi posse putant, quo in significatu, melancholici humoris nomen in procreatione elephantis accipiat. Sunt qui eum comment. in Aphor. 2. lib. 4. succum melancholicum frigidum, proximam elephantiæ causam his verbis facere existiment. In atra, inquit, bile totius corporis color ad nigritiem tendit, pustulæ nigræ fiunt ex ejus colore. Et quicunq; morbi ex ejus fiunt exuperantia, multitudinem melancholici humoris manifesto indicant, quemadmodum cancer, elephas, quartanus circuitus ex melancholico humore generantur. Si

Galeni

Galeni sententia, inquiunt, quartanus circuitus & elephas ex eodem fiunt humore, quartanus autem circuitus non raro ex propria dicta atra bile perniciosissimo humore, sæpe vero ex melancholico succo frigidiore & terreno originem habet, & elephantem ab eodem sæpius fieri, oririque necesse fuerit. At libro de atra bile aliter sentire videtur hac sententia. Verum alia quoque plerisque non febricitantibus in cute crassescente, siccescenteque exanthemata provenire videmus, cum melancholici humoris redundantiam natura ad extimas partes pellit, quo genere is quem elephantem nuncupant, continetur. Ubi autem tale quidpiam simul cum febre exoritur, humor melancholicus, qui in cutem abscessit, facit eum quem carbonem appellant. At si citra febrim decumbat, sitque cum sanguine conjunctus, gignere elephantem potest: si solus sit in principio quidem tumorem atrum producit, sed progressu temporis in cancrum desinit, cum utique corrosa cute acrior sit magisque malignus, cum mitior sine ulcere, latentem cancrum efficit. Evidens enim est hos affectus omnes, præcipue cancrum, ex humore melancholico gigni. Cancrum, inquiunt, carbunculum & elephantiam, ab uno & eodem humore fieri tradit Galenus: at carbunculus à maligna atra bile fieri, contrahique alibi dicitur, quare & elephas: Contra tamen, qui calidus est humor melancholicus carbonem, qui non est ejusmodi, cancrum & elephantiam gignit ex Galeno. Eodem etiam libro eum affirmare tradunt, subrubros elephantes, ab atro humore qualitatibus mitioribus prædito, sanguinique admisto, procreari: & si inveterarint, nigriores reddi. Quod ut componatur dissidium, atram bilem ex humore melancholico nuper genitam, humoris melancholici nomen & appellationem idcirco veteribus etiamnum retinere crediderim, quod nondum plane incaluerit, nec pristinis qualitatibus omnino spoliata sit. Procedente vero tempore quum manifeste jam incaluit, sævioraque symptomata invexit, proprie tum atram bilem nuncupari: tametsi eadem utriusque forma, eademq; fit species: sic enim videtur sentire libro de tumoribus præter naturam. Elephas, inquit, affectus melancholicus est, cujus prima origo ex melancholico sanguine est, spatio vero temporis copiosior, quam sanguis atra bilis redditur: quo tempore corpus jam male & graviter olet, turpeq; & deformatum videtur, & aspectu horrendum, atque interdum etiam exulceratur. Hunc affectum, quum incipit, satyriasmum vocant, quod satyris aspectu similes elephantici evadant.

Atra igitur bilis proxima est omnis elephantiæ causa, sed quæ quum vel ex succo melancholico ac feculento sanguine, vel ex bile vitellina, vel ex nitrosa pituita exustis ac torrefactis, non ita pridem habuit originem, illorum etiamnum appellationem interdum retinet. Neque me judice, immerito, quod suæ procreationis initio nondum late ab humore à quo nuper genita est, dissideat. Frigida quidem videtur atra bilis Galeno, quia terrestris, non tamen caloris expers, quemadmodum nec cinis, nec etiam acetum. Jam Arabum de ea judicium ac sententiam inquiramus.

Avicennas auctor est elephantiasim partium solidarum substantiam, qualitatib. vitæ nostræ è diametro repugnantibus & infensis, continenter immutare ac pervertere. Quod si verum est, frigidam & siccam statuere oportet elephantis causam (calore namque & humore vita nostra fovetur, continetur que:) Quibus perspicuum est, frigidum & siccum è diametro opponi. Elephantia, Avicennæ est bilis atræ per universum corpus profusio, qua membrorum temperamentum, forma & compositio labefactatur: unde tandem continuitatis solutio, & partium casus & fœda ulceratio sequatur. Ad hæc melancholicum humorem ustum non prius elephantem parere tradit, quam refrixerit, & inveteratas, diuturnasque obstructiones non aliam ob causam elephantiam inurere, quam quod minime ventilatus calor nativus præfocetur, unde & refrigeratur & crassescit sanguis, eiq; gignendæ idoneus fit. Postremo in elephanticis sanguinem non raro circum articulos congelari, & pulsum imbecillum iis idcirco esse dicit, quod facultas sit imbecilla, & exigua necessitas, frigido utpote morbo fatigante. Principem hunc scholæ Arabicæ sequuti recentiores fere omnes, elephantis causam frigidam & siccam esse prodiderunt, atram bilem non prius eam inferre dictitantes, quam absumpta omnino fluxili, liquidaque ejus substantia, calor tandem prorsus dissipetur atque divanescat, terrena duntaxat eaq; siccissima ejus parte cineri haud absimili superstite. Idque perinde esse atq; quum succensus ignis absumpto prorsus ligni humore, quo terrenæ ejus partes inter se junctæ cohærebant, evanescit, & extinguitur, siccissimum duntaxat cinerem pro ligno relinquens: quem accenso ligno, si conferas, frigidum existimes. His igitur auctoribus frigidus & siccus humor elephantiam progignit.

Ego vero (si de re tam controversa meam dicere sententiam licet) facile efficiam, ut hoc composito dissidio inter veteres concordia coeat, vel si dogma eligendum est, Græcorum potius sententiæ subscribendum sit. Quanquam acerrima ac calidissima atra bilis, quæ corpus rodere, & terram fermentare creditur, à frigido & sicco melancholico succo, temperie ac specie recedit atque dissidet: sæpe tamen veteres illam melancholici humoris appellatione designant & insigniunt: sive quod illa metu & mœstitia, aliisque melancholicis perturbationibus animum mentemque percellat & exagitet, perinde atque melancholicus succus frigidior, sive quod suæ procreationis initio, dum nondum vehementer incaluit, accensaque est, haud multum à feculento sanguine discrepet, ut nec quum siccescens de suo calore non parum deperdiderit. His ergo ex causis, veteres maximeque Galen. elephantiam quæ reipsa nunquam aliunde quam ab atrabilario humore undecunque genitus sit, proficiscitur, sæpe à melancholico succo aut humore nasci tradunt, & Avicennas frigidum morbum esse prodidit.

Quanquam autem elephantiæ omnis origo, ab atra bile ducitur, ea tamen pro affectorum corporum natura, & humoris è quo orta est, affectione, non parum & invadendi, serpendiq; modo, & symptomatis variat Ut enim quæ elephante prehenduntur corpora, minime ante hanc, melancholica, ut ita loquar, erant omnia, sed

sed alia sanguinea, alia biliosa, alia melancholica, alia pituita salsa perfusa, alia ex iis mista: sic certe neque atra illa bilis ex uno eodemque humore perpetuo nascitur, sed interdum à succo melancholico, frigido & sicco, interdum à bile flava in vitellinam versa, interdum à nigrosa pituita originem habet. Quæ igitur ex frigido & sicco, eoque melancholico succo exusto procreatur atra bilis, quoniam ejus humoris, à quo non ita pridem ustione genita est, naturam conditionemque etiamnum redolet, diutius occulitur, nec nisi sensim lenteque tandem in externas partes erumpit: quo quum ventum est, elephantem levioribus symptomatis conspicuum profert: quem nonnulli frigidam causam habere idcirco dixere, quod manifesta caloris symptomata nulla statim corpori intentet nec incutiat. Quæ vero ab adusta flava bile fit, causæ suæ naturam redolens, multo tenuioribus partibus quum sit, brevi contaminatis visceribus, in extremitate corporis ocius exardescit, sævissimaque incendii symptomata, nisi occurritur, inducit, quæ sui causam calidam esse manifesto demonstrent. Medio quodammodo se habet, quæ à salsa pituita proficiscitur. Quæ vero à sanguine fervidiore exusto proxime ad eam, quæ à præassata fit flava bile accedere deprehenditur: ut quæ à feculento & crassiore, ad eam quam à melancholico humore fieri diximus. Quod autem proponunt nonnulli, quum jam eousque serpendo processit elephantia, ut exhausta humida atræ bilis substantia, cui calor insidebat, soli ejus cineres frigidiores supersint, ardoris, incendiique omnia symptomata tum remittere, morbumque frigidam causam habere, plane falsum est. Licet enim usti ligni cineres minime eum retinent calorem, quem vel ejus flamma, vel carbones exhibebant: sunt tamen integris rebus, à quibus demanarunt multo calidiores. Quod vini fæces demonstrant, quæ ustæ longe calidiores, acrioresque evadunt. Tantumque abest, ut vel atra bilis, aut nonnullarum aliarum rerum cineres frigidi judicari possint, ut etiam frigidorum quorundam cineres, non parvam ustione acrimoniam, caloremque conquirant, & assequantur, sicut experientia nos docuit, qua compertum est frigidissimi ac humidissimi argenti vivi cineres, cathereticos, acres, urentesque esse. Ad hæc si frigida & sicca est elephantiæ causa, cur cedo non solum elephanticorum tubercula exedantur, & in profunda ulcera serpendo degenerent, sed etiam partium ipsarum extrema, vel humoris acrimonia absumpta pereant, vel corrupta, & putredine carieque confecta excidant? Non enim frigidus & siccus humor melancholicus, vel frigida & humida pituita, illorum possint esse operum causa: nisi immutata specie in alterius humoris naturam commigrarint. Quod igitur dictitant nonnulli, atram bilem per initia elephantiæ calidam, absumpta tandem liquida & fluente ejus parte, frigidam evadere, minime permutata specie, absurdum plane censeri potest. Habent enim singuli humores proprium & peculiare temperamentum, quod superstite forma nunquam depereat. Calida enim semper bilis flava, calida & atra, ut pituita semper frigida, frigidusque semper melancholicus humor. Hæc tamen bilis alia calidior, frigidiorque interdum hæc, quam illa pituita censetur. Nisi forte putrescens, per febres pituita, quoniam incalescit manente forma, istius axiomatis veritatem convellat, atque labefactet. Sed hanc impermistam, veterum nonnulli vix unquam putredine sic incalescere censuerunt, ut febrem accersat, febres omnes biliosas arbitrati: quorum opinioni subscripsit Fernelius. Nec si putrescens incalescat, amplius pituitæ nomine insignitur, sed ejus humoris, in quem putrescens degenerat.

Elephantia itaque omnis calidam causam habet, quæ tamen caloris, siccitatisque ratione, pro corporis affecti, & humoris, è quo profecta est, natura, proque morbi tempore, non parum varia est. Quod & veterum auctoritate doceri potest, qui non alia ratione castrandos censuerunt elephanticos, quam quod testes vim maximam caloris, fervoremque in universum corpus effundant, qui elephantiæ causam exasperet.

Pomaceum è succo malorum dulcium maturitatem assequutorum, satis defecatum, satisque maturum, tenue, subflavum, & limpidissimum, quale in Neustria copiosum ferunt agri Constantini, elephanticis & melancholicis ab atrabilario humore adeo salubre est, ut omne potionis genus bonitate vincat. Quod me longo usu, ratione duce comperiisse profiteor, & complures melancholicos hypochondriaco, quibus jecur & mesenterium morbo causam dederant, ejus ope restituisse. Nam & tetros melancholiæ vapores, multo quam syrupus è succo pomorum efficacius discutit, & cordi lætitiam adfert, & viscerum atque humorum siccitatem, ferinamque qualitatem omnem demulcet ac contemperat, & alimentum copiosum corpori præstat, & assuetis gratissimum existit. At pyraceum omne & pomaceum, è malis acidulis expressum, vel vetustate coacescens, noxium existit, perinde atque omnia cruda & acidula vina vulgo vidia appellata. Repudiandum & pomaceum, quod ex malis dulcibus expressum dulce quidem existit, sed nondum satis concoctum: multoque magis quod fecibus prorsus non depositis turbidum & crassum persistit, nec inclarescit donec acescat, qualia fere sunt in pingui Algiæ solo nata. Copiosius quidem alimentum corpori suppeditant, & agricolis ac fossoribus expetuntur, sed quia obstructiones pariunt, crassique succi copiam aggerunt, tum sanis tum ægris noxia putanda sunt. Curent igitur Medici, ut elephantici & hypochondriaci, quibus jecur & mesenterium (quod fere fit) vitio causam præbent, tenue, subflavum, pellucidum, beneque maturum pomaceum, pro generosissimo remedio veteribus quidem incognito, sed nunquam satis laudando, in vicem vini usurpent quod tamen calidæ & siccæ naturæ, præsertim vero æstate, aquæ quadrante diluent.

Aliud gratum & innoxium poculenti genus, temperatis, aut non ita calidis naturis ex usu.

℞. Aquæ purissimæ ℔ vj. scobis santali citrini ℥ j. sacchari alb. ℥v. fervefacito horam dimidiam vase argenteo, aut in olla nova. Colo postea trajicito.

Aliud

Aliud fervente magis humore commodius.

Habet aquæ purissimæ ℔ vi. sacchari alb. ℥ iv. scobis santali citrini ʒ j. hordei integri P. j. succi mali medici acidodulcis ℥ ij. Conferveant aliquantisper, dein percolato, & utitor. Vulgus ptisanam vulgarem, vel hordei decoctum semine fœniculi conditum, usurpet, vel certe (modo ventriculi & præcordiorum ratio toleret) purissimam & limpidissimam aquam.

Potus nonnullis divinus appellatus, calidis omnibus naturis, in calidis morbis omnibus utilis, si valet ventriculus.

℞. Aquæ optimæ ℔ vi. sacchar. ℥ v. succi limonum ℥ j ß. (plus minus pro ventriculi & caloris nativi robore, aut imbecillitate & ægrotantis palato) scobis santali citrini ʒ j. Bulliant horam dimidiam, tum adjicito cinnamomi ʒ ß. colato & utitor.

Alii sacchari plus minusve inserunt, sumpta indicatione ab ægrotantis natura, ætate, consuetudine, anni tempore, & partium nutritioni dicatarum constitutione.

Alius in elephante bilioso, fervente etiamnum circum viscera humore, commodior, sed insuavior.

℞. Radicum cichorii agrestis, uvarum passarum purgatarum, glycyrrhizæ singulorum ℥ ij. hordei integri P. j. scobis eburneæ & corn. cervini, sem. fœniculi, santal. citrini, singul. ʒ ß. conferveant horam dimidiam in ℔ viii. aquæ, dein decoctum transcoletur. In magno ardore plantago & lactuca recte inseruntur.

Quum partium putredo invalescit, fervente etiamnum humore, profectu majore usurpatur, quod hic habet poculentum.

℞. Radicum cichorii agrestis, uvarum passarum purgatarum, glycyrrhizæ, singulorum ℥ ij. hordei integri P. j. saniculæ, buglæ, pimpinellæ, calendul. ulmariæ, plantag. lagopi, singulorum P. j. scobis eburneæ, & cornu cervini, santal. citrini singulorum ʒ j. sacchari ℥ vj. succi mali citrii ℥ ij. Coquito in aquæ ℔ viii. ad ℔ vj. decoctum, percolatum seponito, & utitor. Quum calor nativus elanguescere incipiet, frigida detrahentur.

Destillatum instaurans magnatibus extra epulas in vini vicem ex usu affecta ætate & viribus labascentibus.

Vituli frustum & carnem capi in libris xvi. aquæ purissimæ, elixato dum viii. duntaxat libræ supersint: adde sub finem veronicæ, utriusque bugloss. borraginis pimpin. saniculæ, calend. buglæ utriusq; plantag. seriolæ singulorum M j. rad. tunicis & tormentillæ, seminis cardui, scobis eburneæ, & cornu cervini singulorum ʒ ij. in colato jure, rursum adjicito conservæ buglossi, borraginis, violarum, nympheæ, ana ℥ iij. conservæ ocellorum ceu caryophyllorum nostratium ℥ ij. omnia in ollam vitream indito, ut in duplici organo aqua proliciatur, quæ saccharo vel Syrupo è limonibus, aut violaceo & cinnamomi momento condita, usui apta sit.

Et his quidem, aliisque ejus generis potionibus, quas ex tempore & pro re nata, prudens & exercitatus medicus instituere poterit, elephanticis occurretur. Jam purgationum formulæ describendæ.

℞. Polypodii querni, seminis cartami, radicum cichorii & oxalidis, uvarum passarum purgatarum, foliorum sennæ, singulorum ℥ ß. coquito igne remisso horæ quadrantem, dein adde bugloss. borrag. lupul. scolopendriæ, ceterach. adianti, fumariæ, epithymi, singulorum P. j. conservar. bugloss. borrag. & viol. an. ʒ ij. seminis fœnicul. & melonum an. ʒ ß. conferveant rursum aliquantisper, dein in decocto percolato tepido, macera horis duabus rhabarb. optimi ʒ ij ß. cinnamomi ʒ ß. in eodem expresso dissolve syrupi è fumaria ℥ j. fiat potus mane sumendus hora quinta.

Si hoc ægre movetur cathartico Elephanticus, Catholici descriptionis Fernelii ℥ j. remiscebitur.

Bolus si magis arridebit, esto hujusmodi.

℞. Atramenti cassiæ recens extracti ℥ j. sem. fœniculi pulverisati gr. vi. Syrupi violati pauxillum.

Vel sic.

℞. Medullæ cassiæ recenter extractæ, Catholici descriptionis Fernelii, utriusque ℥ j. syrupi violati ʒ j. misce, præbeto mane tribus horis ante cibum.

Vel sic.

℞. Cassiæ recenter purgatæ ℥ j ß. rhabarb. pulverisati ʒ j ß. sem. melonum mundatorum & contusorum ʒ ß. sem. fœniculi, gr. iv. Syrupi violar. modicum, fiat bolus.

Si undique tenues etiam humores detrahere expedit, confectionis Hamech. ʒ ij ß. inserentur, rhabarbaro quidem detracto, si effrenis purgatio metuitur, sin minus eo etiam relicto.

Apozema primas corporis sedes expurgans, venarum infarctus melius expedit.

℞. Rad. petroselini, fœniculi, & apii, in aceto horis vi. maceratarum, singulorum ℥ j ß. rad. cichorii ℥ ij. rad. oxylapathi, oxalidis, asparag. & graminis, singulorum ℥ ß foliorum sennæ ℥ ij. rad. hellebori nostratis præparatæ ʒ ij. Coquito in aqua ad doses tres, adde sub finem pimpinellæ, bugloss. borrag. endiviæ, scariol. lupulorum, omnium capillarium, fumariæ, singulorum manipulum ß. florum cordi dicatorum, mentæ, epithymi, hyssopi, singulorum p. j. seminis fœniculi, coriandri præparati & melonum, singulorum ʒ j ß. In colato decocto dissolve, syrupi è cichorio simplicis ℥ iv. Clarificetur & condiatur ʒ j ß. cinnamomi, & ʒ j. santal. citrini.

Alius parandorum apozematum modus, quo nihil virium coctione deperit.

Omnia modo descripta simplicia medicamenta,

menta; in ollam argenteam aut terrenam induntur, cum eo aquæ modo quem superesse volumus, (fere tamen apozema ad tres doses aquæ ℥ xii. habet) olla dein luto philosophico obsignata, in caldarium ferventis aquæ collocetur, ut horas tres conferveant omnia: ubi olla à lebete summota refrixerit, decoctum collo trajicitur: & syrupus aut saccharum additur, ut in tres aut quatuor doses alternis diluculis sumendas dividatur apozema.

Detracto helleboro, strenue quidem melancholiam detrahet, sed nec à cerebro, nec à venis majoribus satis efficaciter.

Syrupus solemnis.

℞. Polypod. rad. oxylapathi, oxalidis, cichorii, bugloss. & borrag. uvarum passarum, glycyrrhizæ, singulorum ℥ j. quinque capillarium, bugloss. borraginis, scariolæ, endiviæ, chamædryos, singulorum M. j. Coquito in aqua ad ℔ j. Decoctum colo trajectum in ollam inditur, dein adjiciuntur foliorum sennæ purgatorum ℥ vi. rad. hellebori nostratis præparati, seminis fœniculi, anisi & melonum, singulorum ℥ ß. agarici albi, rhabarbari selecti, contus. singulorum ℥ ß. succorum endiviæ, fumiterræ, malorum redolentium, bugloss. borrag. aquæ rosarum, ℥ ij. florum cordi amicorum, foliorum mentæ, hyssopi, origani, melissæ, singulorum p. j. epithymi ℥ ß.

Olla luto philosophico obsignata, in duplici organo (balneum mariæ vocant) fervere sinitur horis quatuor. Decoctum denique colatum cum duplo sacchari perpurgatum, in syrupum coquitur, in vase duplici, olla obsignata: dosis ℥ ij. aut ℥ ij ß aut ℥ iij. cum pari portione decocti borraginis & glycyrrhizæ, bis, ter, quaterve mense.

Opiata.

℞. Uvarum passarum purgatarum, uvarum corinthiacarum, jujubarum, singulorum ℥ j ß. polypodii, querni, glycyrrhizæ, utriusque ℥ ß. foliorum sennæ ℥ iv. radicum bugloss. borraginis, & lupulorum, singulorum ℥ j. coquito in aqua bugloss. igne remisso, ad ℔ j ß. dein adde utriusque bugloss. utriusque asplenii, adianti utriusque singulorum M. ß. florum cordi amicorum & nympheæ, singulorum p. j. sem. fœniculi, coriandri præparati, utriusque ʒ ij. in decocti libra colo trajecta, dissolve sacchari optimi ℔ j. Coquito in syrupum, cui adde conservarum, bugloss. borraginis & viol. exquisite contritarum, singulorum ℥ iij. conservæ rosarum ℥ j ß. conservæ ocellorum, qui & caryophil. ℥ ij. sem. iv. frigidorum majorum mundatorum, sem. fœniculi, coriandri præparati, singulorum pulverisatorum ʒ j ß. santal. citrini, cinnamomi pul. utriusque ʒ ß. atramenti, cassiæ ℥ iv. fiat opiata mollis, ut ex cochleari vorari possit, cujus dosis erit ℥ i ß. aut ℥ ij. mane, duabus horis ante cibum. Acrem ac ferinam omnium humorum qualitatem frequenti usu domat ac demulcet, viscerum & humorum siccitatem temperat: quicquid ventriculum & intestina obsidet, strenue detrahit, simulque primas venas & viscera ipsa, obstructione liberas, earumque partium impuritatem sensim ac blande in alvum deducit & expurgat.

Huc pertinet syrupus saporis purgatorius, à Mesue descriptus, & syrupus è cichorio compositus, cum ℥ iv. rhabarb. pro libris singulis: hujus, aut illius, si tria cochlearia opiatæ superdentur, plenior, nec tamen molestior erit effectus. Dantur per se ab ℥ ij. ad ℥ iij. idque ex cochleari, vel cum aquis cardiacis. Catholicum à Fernelio descriptum invalescentibus cruditatibus, & crascentibus humoribus commodissimum.

Ius pulli purgatorium.

℞. Decocti pulli gallinacei, & vitulinæ carnis ℥ viii. in quo macera per noctem foliorum sennæ mundatæ ℥ ß. mane bulliant horam dimidiam, igne valde remisso: dein in percolato decocto, rursum fervere facito borraginis M j. bugloss. oxalidis, an. p. j. origani, hyssopi, thymi, singulorum pauxillum; decoctum percolatum, & præbeto tribus horis ante epulas. Si radicis nostratis hellebori præparatæ ℈ j. insereretur, melancholicum humorem validius detrahit, nec nocuerit, modo ex longioribus intervallis repetatur. Simplex enim modo descriptum, semel aut bis quaque hebdomada tuto usurpatur, velut & opiata.

Præparantia melancholicum humorem, quibus inter purgationum vices utendum erit.

Accipe radicum apii, petroselini, & fœniculi, in acetum maceratarum horis vi. uvarum passarum purgatar. glycyrrhizæ, radicum, bugloss. borraginis, lupulorum & cichorii, polypodii querni, visci querni, corticis radicum capparis, & tamaricis, singulorum ℥ ß. coquito horam integram in olla nova, dein inserito bugloss. borraginis, endiviæ, scariolæ, fumariæ, hepaticæ, utriusque asplenii, adianti utriusque, singulorum M. j. conservæ florum violarum borraginis, bugloss. nympheæ, epithymi, singulorum ℥ ß. quatuor sem. frigidorum majorum, sem. endiviæ, lactucæ, fœniculi dulcis, singulorum ʒ ij. in decocti libra dissolve syrupi è succis descripti ℥ iv. Syrupi Byzantini ℥ ij. parato apozema clarum & conditum ʒ j ß. santal. citrini, & ʒ j. cinnamomi. Præbeto ℥ iv. ante singulos pastus, idque in triduum ante singulas catharses. Convenit quum pars humorum fervet & exuritur, pars vero jam retorrida, contumaces obstructiones invexit, quas solvere, tetros vapores discutere, cordis arcem ab iis tueri, & incendium internum restinguere, consilium est.

Aliud in elephante bilioso superiore, nisi obstructiones multæ insint aptius, incipiente, augescente & vigente bilis retorridæ fervore: Eo enim represso, alia præparatione opus est, quæ postea tradetur.

℞. Rad. cichorii sylvestris ℥ ij. radicum oxalidis, lupul. bugloss. borraginis, uvarum passarum, polypodii, singulorum ℥ ß. glycyrrhizæ ʒ ij. coquito igne remisso horam unam: dein adde utriusque asplenii, utriusque bugloss. utriusque adianti, lupul. fumariæ, endiviæ, scariol. plantaginis, singulorum. M. j. conservæ, bugloss. borraginis, violarum, nympheæ, epithymi, singulorum ℥ ß. quatuor seminum frigidorum majorum, seminis fœniculi & endiviæ, corian-

coriandri præparati, scobis eboris, & cornu cervi singulorum ℥ ij. in libra decocti, percolati dilue syrupi de endivia, descriptione Fernelii ℥ iv. paretur apozema conditum, santali citrini ʒ j. & cinnamomi ℈ iv.

Syrupus è succis, melancholicum humorem & bilem atram demulcens.

℞. Succorum depuratorum utriusque bugloss. & pomorum redolentium, singulorum ℔ ß. succorum oxalidis, lupul. & endiviæ, singulorum ℥ ij saccari albi ℔ ß. Perpurgato ovorum albuminibus agitatis, atque in syrupum coquito, cinnamomi & santali citrini, utriusque ʒ j. conditum. In quem dein nodulum qui isthæc contineat, diu macerari sines.

℞. Croci ʒ ß. granorum tinctoriorum ʒ j. ambaris cinericii coloris gr. vj. ligni aloes ℈ j. fiat nodulus.

Usus tempore, miro profectu inseritur tenuissimus pullis auri præparati, pondo ℈j. mane præsertim duabus horis ante epulas: vorandus autem ex cochleari, ne quid auri pereat, bis, terve in hebdomade.

Syrupus alius qui dum tetros melancolici humoris vapores strenue discutit, cordi etiam jucunditatem atque hilaritatem, & incensis atque conflagrantibus humoribus refrigerium præstat.

℞. Succi cerasorum rotundorum, rubicundorum, & acidulorum, bene maturorum ℔ j ß. succorum bugloss. & borraginis, utriusque ℥ vj. in quibus macera noctem integram florum ocellorum, seu caryophillorum nostratium ℥ j ß. Mane expressis & abjectis floribus, alios rursum indito, quos exactis horis 24. exprimas & abjicias, eandemque operam tertio aut quarto repetito: in expressis, tandem succis, sacchari par pondus diluito, ligni deinde aloes & santal. citrini momento adjecto perpurgatum præsidium in Syrupum coquito.

Si succi fumariæ ℥ vij. inseratur, insuavius, sed adversus melancholicum humorem efficacius remedium fuerit.

Syrupus de endivia à Fernelio descriptus, locum habet in elephante bilioso, quamdiu incendio conflagrant viscera.

℞. Conservæ florum caryophillorum nostratium ℥ vj. conservæ florum utriusque bugloss. iij. conservæ rosarum, & nympheæ, utriusque ℥ j ß. conservæ florum viol. ℥ ij. pulv. elect. diamarg. frigid. ʒ j. scobis cornu cervi, eboris, & coral. singulorum ʒ ß. auri præparati ʒ j ß. ambar. gr. vj. syrupi è succis supra descriptis q. s. Conficito opiatam, utitor mane, & sub horam somni, quum tetros bilis atræ vapores discutere, & cordi lætitiam conciliare est animus.

Si propria ac peculiaris ægri natura, aut humorum exuperantium qualitas, aut anni tempus, præsidium, quod magis refrigeret, postulare videbitur, conserva florum cichorii recte inseretur: sin contra, quod magis concoquat, ac flatus discutiat, conservæ helenii, mentæ, & florum rorismarini, singulorum semuncia.

℞. Radicis siccæ helenii, uvarum passarum, glycyrrhizæ singulorum ℥ ij. polypo. quercini, corticis radicum capparis & tamaricis, singulorum, ℥ ß. coquito igne remisso, in aqua purissima, ad ℔ j. adde sub finem coctionis asplenii, utriusque succi p. ij. & quum ab igne summoventur, absynthii vulgaris succi p. i. conservæ viol. bugloss. borraginis, nympheæ, & epithymi, singulorum ℥ ß. In colato, decocto, dissolve syrupi de succis suprapositi ℥ iv. Hoc apozemate ante pastus utendum fuerit ex intervallis, quum flatus & cruditates invalescent. Cruda mire concoquit, crassa enim attenuans, & serosa ac tenuia coctione incrassans, flatus discutit, viscera obstructionibus liberat & corroborat, tetros melancholici humoris vapores discutit & mitificat: ut semel dicam, morbis omnibus à cruditate & frigida causa, aut viscerum imbecillitate natis, supra opinionem opitulatur, & tamen nihil calore nimio exurit: sed præparatus humor melanagogo medicamento ex intervallis repetito detrahendus.

Si forte à jecoris siccitate & fervidioris bilis acervo metus est, ne repetito hujus apozematis usu insolescant, (quod tamen in senibus calore insito jam effœto & frustrata concoctione minime pertimescendum esse comperi) sylvestris cichorii radicis ℥ ij. commode inserentur, & opportune interjicietur purgatio. Huc pertinent Syrupus de Epithymo, Syrupus de asplenio, & Syrupus Byzantinus, & multo efficacior, qui sic habet.

℞. Rad. helenii siccæ ℥ iv. macera horis vj. in succis utriusque bugloss. dein adde omnium capil. epithymi, singulorum M. j. conservæ florum cariophyl. bugloss. borraginis, rosarum, singulorum ℥ ß. fervefacito igne valde remisso horam dimidiam, adjecta aqua sufficienti: tum imponito absynthii sicci vulgaris p. j. & ab igne summoveto: in expressione dissolve sacchari albi ℔ j. Coquito in syrupum conditum ʒ j ß. cinnamomi, & ʒ j. santal. citrini.

Usus erit ante pastus ex cochleari ℥ j ß. pro dosi, ad imminentem ex utriusque visceris obstructione & imbecillitate, hydropem, cruditatem, atque ad omnem insiti caloris à frigida causa languorem. Cruda enim & crassa omnia concoquit & attenuat, frigida & serosa coctione incrassat, flatus discutit, fuliginosos atræ bilis vapores dissipat, viscerum obstructiones expedit, ventriculi, jecoris, cordis, & pulmonum robur tuetur augetque.

Remediorum cardiacorum & alexiteriorum formæ.

℞. Conservæ caryophil. seu ocellorum, bugloss. borraginis, violarum nymphæ, rosarum & cichorii, singulorum ʒ ij. auri in tenuissimum pollinem redacti, vel auri foliati, ʒ j. scobis eboris, & cornu cervini, coral. unedonum, scobis cornu unicornis, singulorum ℈ j. ambar. optimi grana vj. Syrupi è succis q. s. fiat opiata, utenda mane ante epulas ʒ j. aut ʒ j ß. pondere.

℞. Conservæ florum bugloss. borraginis, caryophil. nympheæ & cichorii ana ℥ j. mithridat. theriacis, utriusque ʒ j. scobis cornu cervini ʒ j. Syrupi de nymphea q. s. fiat opiata. Præfertur in re tenui, quod minori constet, & facile paretur, præsertim si calor jam deferbuit:

 nam

nam æstuante etiamnum humore, quæ sic habet, commodior erit.

♃. Conservæ florum cichorii ℥ ij. conservæ florum nympheæ, bugloss. borraginis, rosar. singulorum ℥ j. rasuræ cornu cervi ʒ j. conservæ ocellorum ℥ j. seminum quatuor frigidorum majorum purgatorum, singulorum ʒ ij. Syrupi è succis descripti q. s. fiat opiata.

♃. Scobis cornu cervini & eboris, unedonum, ossis è corde cervi singulorum ʒ j ß. coral. ʒ ß. auri præparati aut bracteolarum ipsius ʒ j ß. ambar. ℈ ß. conservæ caryophil. & borraginis anna ℥ ß. sacchari rosar. sextuplum, fiat conditum.

Aliud in re tenui.

♃. Scobis cornu cervini ʒ i. scobis eboris, coral. margaritarum splendidarum, singulorum ʒ j. conservæ bugloss. borraginis, nympheæ, ocellorum & cichorii, singulorum ʒ ij. sacchari ros. q. s. fiat conditum. Inclinante calore, invalescentibus autem cruditatibus, mithridatii & theriaces utriusque ʒ j. inseretur: usus erit ex cochleari ante pastus, atque etiam sub horam somni.

Detractis conservis ex utroque condito, pulvis fiet ex cochleari, ut conditum, ante pastus vorandus.

♃. Radicis tormentil. scobis cornu cervini & eboris, margarit. coral. singulorum ℈ j. scobis cornu unicornis, ℈ ß. pulv. elect. diamargarit. frigidi, & de gemmis utriusque ʒ j. sacchari alb. diss. in aqua ros. ℥ vj. fiat elect. per tabellas pond. ʒ iij. quarum usus erit ante pastus.

Aquæ stillatitiæ, quæ ad frænandam luis venereæ perniciem præscriptæ sunt, hic etiam locum habere possunt: Alterutrius autem ℥ ij. cum syrupi violacei ℥ j. opiatæ, aut condito, aut tabellæ superdabuntur, quæ tamen sequitur peculiariter, elephanticum virus domat, ac serpentem putredinem inhibet, deploratis præcipue ad protrahendam vitam frequenti usu commodissima.

♃. Utriusque veronicæ, bugloss. borraginis, betonicæ, plantaginis, saniculæ, buglæ, lagopi, ulmariæ, calendulæ, symphiti minoris, florum hyperici, & sambuci, cacuminum centaurii minoris, pimpinellæ, singulorum M ij. Contundito omnia, dein in ollam novam indito permistis, quæ sequuntur.

♃. Scobis cornu cervini ℔ ß. scobis eboris ℥ ij. radicis tormentil. tunicis, dictamni, singulorum ℥ j. Conservarum nympheæ, cichorii, rosʃ. bugloss. borraginis, singulorum ℥ iv. aquarum stillatitiarum cardui benedict. agrimonii, scabiosæ, succisæ, singulorum q. s. ut superemineant. Harum tamen loco præstantissima est aqua è sanguine humano, è plethoricis bene habentibus secta vena detracto, & à sero secreto elicita.

Omnia olla conclusa ac luto philosophico obsignata in balneo Mariæ triduum macerantur, dein in alembicum vitreum conjiciuntur, ut aqua eliciatur, dosis ℥ iij. cum ℥ j. Syrupi violacei. Aqua è fecibus humanis elicita multis profuisse creditur, cujus tamen nullum feci periculum. Sed pane hordeaceo atque hordeatis vulgo appellatis eum vesci oportere tradunt, è cujus stercore elicietur: saccharo, aut syrupo accommodato, & santal. momento condiri debet, & mane ægris nescientibus propinari.

Fotus emolliens & rarefaciens.

♃. Radicum altheæ & liliorum, sem. lini, rad. helenii recentis, singulorum ℥ ij. malvæ violaris, parietariæ, acanthi, anagallidis, meliloti, chamæmeli, singulorum M. j. fiant duo sacculi, ferveant in æquis partibus aquæ & vini albi, ad fotum partis.

Unguentum emolliens, rarefaciens ac detergens cutem.

♃. Violariæ mucaginis, sem. lini, & radicum altheæ extractæ in decocto meliloti & chamæmeli ℥ iv. butyri salis expertis, ol. è sigillo Mariæ, & bryonia, quod postea tradetur, singulorum ℥ iij. ol. è myrrha eliciti ℥ ß. concinnetur linimentum, quo mox à fotu pars illinatur.

Fotus emolliens, rarefaciens, & discutiens oculis ex usu crassescentibus membranis.

♃. Fœniculi viridis, chelidoniæ, euphrasiæ, chamæmeli, meliloti, malvæ, violariæ, singulorum M. j. sem. fœniculi & lini, rad. altheæ singulorum ℥ ß. absynthii sicci p. j. Confice sacculos, quos in aqua & vino albo fervefacies ad fotus oculorum.

A fotu aqua instilletur hujusmodi.

♃. Chelidoniæ, euphrasiæ, fœniculi, symphiti minoris, saniculæ, singulorum M. vj. sem. fœniculi cum aqua euphrasiæ macerati ℥ j. Contusa omnia cum mellis libra, fimo equino in olla nova obruantur dies vj. dein aqua arte chemica eliciatur.

♃. Tutiæ præparatæ ʒ ß. aluminis usti, vitrioli usti, utriusque grana iv. sacchari candi. ℥ ß. lapidis calaminaris sexies usti & extincti aceto, & postremo in aqua fœniculi ℥ j. conficito pulverem tenuissim. tergendis & absumendis oculorum albuginibus, & attenuandis crassescentibus membranis commodissimum.

♃. Succorum chelidoniæ, euphrasiæ, & fœniculi, singulorum ℥ ij. sacchari candefacti ℥ iv. vitriol. usti grana vj. Coquantur in syrupum oculis instillandum ex intervallis.

♃. Unguenti de tutia ℥ ß. cui adde vitrioli usti, aluminis usti, utriusque grana ij. saponis alb. ʒ j. conficito linimentum.

♃. Calcis vivæ ℔ ß. fecis vini siccæ & calcinatæ ℥ iv. diluito in lixivio claro cineris filicis & corticis fraxini, dein sæpius transcolato, ac tandem per feltrum lixivium elicito limpidum, denique vase æneo ad mellaginem coquito. Elephantica omnia tubercula exterit.

Aliud dolore molestius.

♃. Sublimati ʒ j. pul. mercurii ʒ ß. unguenti rosat. descriptionis Mesues paulum, ut fiat linimentum.

Discissa tubercula in crustam indurat, qua decidua adæquatæ parti cicatrix inducitur.

Aliud

Alius emplastri forma.

℞. Vitrioli calcinati, auripigmenti usti, utriusque ʒ ij. emplastri de cerussa ℥ ß. malaxentur simul cum unguento ros. Mesue, fiat emplastrum, cujus portiuncula, discissis elephanticorum tuberibus, præmunita, refrigerant, & emplastico præsidio vicinia, ne medicamenti acrimoniam & fervorem sentiat, imponetur.

Emplastrum quod maculas Elephanticorum cutem deturpantes extirpat.

℞. Cantharidum pul. ℥ ß. saponis nigri q. s. ut unguenti fiat consistentia cum aceto modico, imponito ac sinito dum vesica extuberet, superdato tamen emplastico remedio, quod vesicatorium contineat.

Simplicia ad balneum Elephanticorum.

℞. Malvæ violariæ, parietariæ, acanthi, singulorum M. iv. fumiterræ, morsus gal. utriusque M. iv. radicum altheæ, sem. lini, utriusque ℔ ij.

Unguenta Elephanticis à balneo illinenda.

℞. Succi fumiterræ ℔ ß. aqua ros. ℥ iv. rad. serpentariæ majoris ℥ ij. Coquito dum radix contabuerit, & succus pene absumptus sit: terito, dein adde axungiæ porci, butyri recentis, axungiæ capreoli, singulorum ℥ iv. hydrargyri præparati ℥ iij ß. Caphuræ ʒ ij. fingito linimentum.

Vel sic:

℞. Butyri recentis salis expertis, axungiæ porci purgatæ, utriusque ℥ iv. eluito sæpius in succo fumiterræ, vel si hyems est, in aqua rosarum, dein addito, ac diligenter permisceto argenti vivi perpurgati ℥ ij. ß.

Catapotia ex hydrargyro quæ retorridæ bilis, & omnium acrium ac malignorum humorum ferociam domant & compescunt, eosque sensim expurgant, nullo ventriculi incommodo.

℞. Argenti vivi cum panis adhuc calentis mica, manibus ut plumbaginem deponat ac expurgetur, diu subacti ℥ i ß. longa agitatione exacte misceto cum succi limonum momento, & olei è myrrha deprompti, semuncia adjecta terebinthinæ Venetæ, aqua ros. elotæ ʒ ß. his postea adde auri purissimi præparati in tenuissimum pollinem, vel si id desit foliorum auri ℥ ß. ambaris ℈ j. pulv. elect. Diamarg. frigidi & triasantalon simpl. utriusque ʒ ij. aloes ℥ i ß. fingito massam cum sequenti magmate.

℞. Foliorum sennæ integrorum ℔ j. rhabarb. in frustula dissecti ℥ iv. rad. arefactæ & tusæ, hellebori nigri nostratis ℥ j. diem unum macerato in œnostagmate, quod dein exprimito & vitreo vase exceptum, adjecta sacchari pari portione in diplomate exhalare sinito, dum magma melaginem referat. Remedii hujus dosis fuerit ʒ ß. aut ℈ ij. quindecim alternis diluculis, tribus horis ante cibum catapotiorum specie.

Calidis naturis commodius erit, quod sic habet.

℞. Hydrargyri à plumbagine repurgati ℥ j. exacte misceto atque extinguito in æquis partibus syrupi de limonibus & de succo salviæ, adjecta terebinthinæ in aqua ros. elotæ ʒ ß. dein adde elect. Diamargariton frigidi & triasantalon utriusque ʒ ij. pul. elect. tragacanthi frigidi ʒ i ß. myrrhæ, croci, gentianæ, ana ℈ j. rhabarb. pul. ʒ iij. Aloës lotæ in aqua endiviæ ℥ i ß. auri præparati ℥ j. fingito massam, addendo ambaris moschi optimi, utriusque grana vj. syrupi de stœchad. q. s.

In re tenui aurum detrahitur.

Omnium remediorum Elephanticorum vires superat catharticum nostrum metallicum, acrem omnem ac ferinam humorum omnium qualitatem ac malignitatem mire obtundens, ac nihilominus blande adeo alvum solvens, ut pueris & prægnantibus tuto dari possit. Constat ex hydrargyro & auro sic permistis atque immutatis longa maceratione, ut vim catharticam assequantur. Una autem & eadem opera & pituitam, ac crassos omnes humores expurgat, & calidam ac siccam viscerum constitititutionem emendat, datur granorum sex pondere. Hoc remedium Cadomi præparat Petrus Philippus, olim nobilis Typographus. *Julius Palmarius de Morbis contagiosis lib. 4.*

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Elephantiasis seu elephantica lues, etsi tantùm involucra corporis aliqua cutemque imprimis, eamque certis duntaxat in locis possideat, tamen ægerrimè, licet primùm illi incipiat, præcaveri, multò minùs si confirmata sit, curari poterit, præsertimque si hæreditaria sit. Necdum qui eam curarint, hactenus inventi fuerunt, quamvis ij qui psoram, falsò ab imperitis pro elephantiasi habitam, curarunt, se elephantiasim sanasse, glorientur. Quæ licet ita sint, tamen non negligenda hæc lues, statimque ab initio huic, omnibus artibus occurrendum, & si penitùs impediri nequeat, saltem ut protrahatur quàm diutissimè fieri poterit, cura adhibenda. Atque ubi vitia eruperint, hisce delendis incumbendum, ne ægris si invalescant, tandem exitium pariant, cùm nisi id fieret diu sæpè possent supervivere. Dein & cùm deformitatem summam hæc vitia creent, ut minùs suspecti, diutiùs in hominum consortio versari queant, cura interdum palliativa illis quoque adhibetur: Quam magnates à Medicis sæpè magnis promissis efflagitant.

Curatio elephantiasis duplici modo instituitur: Primùm generatim toti huic morbo accommodata, postea particulatim vitiis tantùm illius inde natis.

Generalis curationis scopus in eo consistit, si fieri possit, ut causam hujus luis, venenum scilicet illud evacuantibus educamus & qualitatem venenatam inde natam emendemus: Verum

cùm quæ peculiari quadam vi id efficiant, vel certis evacuationibus, ut in lue venerea, in hac non sint hactenus inventa, eoque modo in curatione illius procedere nequeamus; Curationis methodus plerumque vitiis hisce pravis, quæ nascuntur delendis, accommodatur. Et proin cura non adeò absimilis huic, quæ in psora perversa, aliisque pravis maculis, pustulis ulceribusque malignis usurpari solet, in elephantiasi quoque instituitur, sequentibus modis.

Purgationes prout corpus humoribus superfluis, vel excrementis scatere cognoscimus, instituuntur, cùm eas causæ venenatæ accommodare nequeamus, quam tamen ad melancholicum humorem educendum plerique dirigunt, præcipuéque ea quæ illius excretionem moliuntur, seligunt, permiscendo, illius humoris acrimoniam suâ humiditate & frigiditate contemperantia, quæ cùm & aliis acribus salsis & biliosis pertinacibusque humoribus expurgandis competant, uti in cæteris vitiis externis inde genitis, in scabie perversâ & in lue venereâ, sic & in hac lue, in qua & hæc plerumque congeruntur, locum habebunt. Quibus corpora hæc præcautionis loco & ne augeatur malum, veris & Autumni tempore unâ vice vel pluribus purgamus: Interdum & intermediis temporibus, si impuritas cordis illud requirat.

Perficitur autem hoc ritè: Primùm levioribus communia excrementa eluendo: Ut injectione Clysmatis stimulantis, qualia passim describuntur, eaque quæ in melancholiæ veræ cura descripta sunt, hîc quoque possunt competere.

Vel datur eo nomine Cassia, Catholicon, Tryphera persica, vel Saracenica, Diasena dissoluta cum aquis convenientibus, vel decocto cicerum, aliove, vel cum Sero Caprino.

Vel ℞. Rhabarbari infusi in aqua Endiviæ, vel sero lactis ʒ j. vel ℈ iv. Syrupi rosarum solutivi ℥ i ß. Cassiæ vel Catholici, vel Trypheræ persicæ ℥ß. aquarum Buglossi, fumariæ q. s. fiat potio.

Horum loco vomitus aliquando, cùm, ut minùs excrementa coacerventur, juvet, in consuetis provocandus, tum levioribus sumptis, tum etiam fortioribus Hellebori præsertim usu concitatus.

Præparatio antè purgationem humorum præmittitur, cum syrupis, ut violarum vel fumariæ simplic. Buglossi, Endiviæ; Vel etiam fumariæ composito, Nymphææ, de Cucurbitis, dissolutis cum aquis fumariæ, Lupulorum, Buglossi, Endiviæ, Cichorij, Acetosæ, &c. Aromatis. pulvere Trionsant. vel santalis.

Vel hoc decocto: ℞. Buglossi utriusque cum radicibus M. ij. rad. Graminis, Asparagi, Liquiritiæ ana ℥ ij. cort. Capparum, Tamaricis ana ℥ j. Herb. Endiviæ, Cichorij, Lactucæ, Capill. ana M. j. florum cordial. Cicerum rubr. ana P. j. quatuor semin. frigid. Major ʒ vi. Sem. anisi ʒ ij. Passul. mund. ℥ ij. fiat decoctio & in ℔ ij ß. dissolve de syrupis prædictis, q. s. vel adde saccharum, aromatis. Trionsantalon: Pro 5. vel 6. vicibus.

Vel utatur Julepo præparante in Melancholiæ cura exposito:

Qui ℞. Syrup. viol. borrag. &c.

Aut eo qui ℞. Succorum Buglossi utriusque, de Pomis redolentibus:

Vel decocto quod ℞. Rad. Bugloss. utriusque.

Purgamus post præparationem prægressam sequentibus:

℞. Rhabarb. infus. in aqua Endiviæ ʒ j. Agarici trochisc. infus. in syr. ros. sol. ℈ ij. Confect. Hamech vel Diasenæ sol. ʒ iij. Syrupi viol. ℥ i ß. dissolv. cum aqua fumariæ, Lupulorum, &c.

Vel detur, Bolus: ℞. Catholici ℥ß. Conf. Hamech ʒ ij. de succo Ros. ʒ j. cum saccharo, fiat bolus.

Aut hæc potio: ℞. Herbarum cum radicibus Buglossi alterutrius, vel Cichorij aut Endiviæ, foliorum fumariæ, summitat. Lupuli ana M ß. seminum Endiviæ, Portulacæ, Melonum, Citri ana ʒß. Anisi ʒ j. florum Cordial. P. j. passul. mund. ℥ j. Prunorum num. v. pulp. Tamarind. ℥ß. Radic. liquir. Polypod. ana ℥ j. Foliorum Sennæ mund. ʒ vi. Epithymi ʒ ij. adde sacchari, q. s. fiat potio. Possunt infundi Myrobalani vel Rhab. vel electuaria in ea dissolvi.

Horum loco dari possunt purgantia in Melancholiæ cura descripta;

Ut potio quæ ℞. Catholici ℥ j. &c.

Vel quæ ℞. Sennæ, Polypodij, &c.

Vel Pilulæ ibidem propositæ.

Præparamus & purgamus interdum simul hoc Apozemate:

℞. Radic. Graminis, Asparagi, Rusci, cortic. Capparum, Fraxini, Tamaricis ana ℥ ij. Temperentur in vino acidulo, vel addito pauco Aceto, radic. liquiritiæ ℥ iij. Rad. Enulæ ℥ j. Herbarum cum radicibus Buglossi utriusque Cichorij Acetosæ, Lapathij ana M. j. Herbarum fumariæ, Lupuli, Mercurialis, Scabiosæ, Capillarium ana M. ij. Herb. Endiviæ, Dentis Leonis seu rostri porcini, lactucæ, Hepaticæ Lenticulæ aquat. ana M. j. Betonicæ, Thymi, summit. Rosmar. Chamæpit. Chamædr. ana M. ß. Florum Cordialium, Genistæ, Tamaricis, Nenuphar. ana P. j. Semin. quatuor frigid. Majorum ℥ j. quatuor seminum frigid. Minorum ℥ß. Sem. Acetosæ ʒ ij. Sem. anisi ʒ iij. Sem. fœniculi ʒ ij. Cicerum rubr. p. j. Passularum enucleat. ℥ ij ß. Prunorum n. x. Jujub. Sebesten. ana par. v. Tamarind. ℥ j. Polypodij quern. ℥ iv. Sennæ ℥ iij. Seminis Carthami conquass. ℥ i ß. Epithymi ʒ vi. Coquantur omnia in aqua cum radicibus earumque infusione ut dictum, addendo sacchari q. s. aromatis. Santalo citrino, cinamom. vel pulvere Trionsantalon, vel Diamarg. frigid. Pro 5. vel 6. vicibus.

Per vices purgationes instituuntur, alias continuando per aliquot dies, alternis ternis, quaternisve semel, vel bis usurpando, prout corpus excrementis redundare videmus.

Syrupi, in hanc rem parantur, qui ad usum diutiùs conservari possunt; Componiturque ex apozemate prædicto purgante & præparante convenienter talis. Recipiendo radices, herbas, flores, fructus, semina uti illic demonstratum, atque addendo Tamarind. ℥ ij. Polypodij ℥ vi. Foliorum Sennæ quart. j. ß. Seminis Carthami conquass. ℥ iij. Epithymi ℥ j. Hellebori nigri ℥ß. factaque decoctione in s. q. colaturæ, infundendo Myrobal. citrin. indarum confricat. oleo amygdal. dulc. ana ʒ iij. Rhabarb. ri ʒß. Spicæ ʒß. Cinamomi ʒ j. Agarici trochiscati ʒ v. factaque expressione, miscendo syrupi rosarum solutivi ℥ iv. Sacchari ℔ß. & decoquendo ad con-

consistentiam syrupi: Cujus decens quantitas per se, vel cum jure Cicerum, aut sero lactis, vel decocto Mercurialis exhibeatur, vel cum aquis convenientibus.

Ex succis sic fiet: ♃. Rad. Polypod. liquiritiæ ana ℥ iij. foliorum Sennæ ℥ iv. Seminis Carthami conquass. ℥ ij ß. Epithymi ʒ vi. Tamarind. ℥ ij. passul. ℥ j. Semin. Anisi ʒ ij. fiat decoctio in sero Caprino & in colaturæ ℔ ij. adde succorum fumariæ, Lupulorum, Buglossi alterius, scabiosæ, lapathij ana ℥ iij. Iterum decoquantur & despumentur, addendo Sacchari ℔ ß. coquatur ad consistentiam, aromatisetur Santalis & cinamomo ad usum. Si succus Mercurialis addatur, erit efficacior.

Hellebori dilutum seu decoctum, ut ipsius acrimonia minuatur, aliqui sic parant. Fit decoctum in aqua ex endivia, cichorio, Buglosso, utroque, atque in ℔ vi. colaturæ infunditur Hellebori nigri radic. incisorum ℥ i ß. & post macerationem aliquam decoquitur ad consumpt. duarum partium. Et de tertia dantur ℥ iv. cum syrupi viol. ℥ ß. continuando per aliquot vices.

Epithymi pulverem ad ʒ ij. cum sero Caprino per mensis spatium & ultrà propinant. Operabitur meliùs si pulveris & Epithymi, & Sennæ ana ʒ j. Tartari ʒ ß. Sacchari Candi ʒ j. cum sero detur, aliquandiuque continuetur, quibus & alia ut Turbith addi possunt, & quæ grata sunt, pauca aromata. Quæ rectiùs quàm pulvis Diasenæ, quem alias commendant, propinantur.

Electuarium gratum laxans: ♃. Pulpæ Cassiæ fistularis ℥ i ß. Pulpæ Tamarindorum ℥ i ß. Pulpæ passul. majorum & Prunorum dulc. rob. de Pomis redolentibus ana ℥ j. Syrupi violac. & Ros. solutivi ana ℥ i ß. Diagrydij ʒ ij. Subtilissimè triticum Sacchari Candi ℥ ß. Turbith. ʒ iij. Pulv. rad. Liquirit. & Cinamomi ana ʒ i ß. Misce in formam electuarij: Capiat ʒ ij. experiundi primùm gratiâ, postea plus minusve prout operatio successerit.

Medicamentosum saporem magis habebit, si omisso Diagrydio & Turpeto, hisce pulpis Catholicon, Trypheram, syrupum rosarum solut. cum infus. Rharbarbari addas; Item pulv. Rhabarbari, Sennæ. Vel fortiora solutiva elect. ut de succo rosarum, Hamech, Diasenam, de Citro similiaque.

Conveniunt & in eosdem usus ejusmodi per vices usurpatæ purgationes, in melancholiæ cura expositæ: ut apozema vel syrupus ex succis parata: vel vinum aut electuarium: Pulvis item.

Uti & alia aliqua, quæ in cura scabiei perversæ fuerunt, declarata ut serum lactis cum permistione aliorum; syrupi item usuales decoctaque purgantia: Ex succis paratus syrupus: dein & vina purgantia: In primisque Infusum vel decoctum Hellebori potionesque aliæ electuaria & pilulæ, quorum illic meminimus.

Multa quoque in lue venerea exposita purgantia, maxime quæ in acrium humorum redundantiâ illic competere diximus hic quoque usurpari poterunt.

Finitâ purgatione visceribus robur additur, exhibitione conservarum rosarum, Buglossi utriusque Cichorij, Violarum, Capill. Nenuph. vel tabul. Diarrhodon, Trionsantalon Diamargaritonis: vel Theriacæ, cum conserva Bugloni similibusve.

Sanguinis detractio per venam sectam, Veris & Autumni temporibus, cum generales purgationes fiunt, ante horum usum institui solet, ad generalem totius corporis evacuationem faciendam, cùm alioquin per eam semina hujus luis, quibus sanguis in venis, uti ostendimus infectus non est, tolli nequeant, atque eo nomine minimè institui debeat. Fitque hæc in brachio atque in plethoricis mox quoque sequentibus diebus in manu vel pede: Vulgò si sæpiùs phlebotomiâ utantur, hac malum præcaveri posse creditur: Cùm tamen per eam corpore exhausto, lues citiùs & ampliùs invalescat. Temerè quoque ut vulgatæ opinioni satisfiat, sanguis, ut ex eo lues hæc cognoscatur, dum examini sistuntur, emittitur & censetur.

Scarificationem singulis mensibus repetitam, in scapulis, tibiis, adhibitis insuper cucurbitulis, convenire admodùm credunt; vel etiam sanguisugas illic adhibitas.

Menses movere, si tardi vel omninò suppressi sint, valdè utile, vena Malleoli sectâ, aliisve illud præstantibus.

Hæmorrhoides provocare inprimis quoque conveniens, applicitis in podice sanguisugis, aliisve admotis.

Ustio per Cauteria actualia & potentialia, si fortè extremum hoc remedium aliquid efficere posset, aliquando tentatur, non solùm in brachiis aut tibiis, uti magis consuetum, sed & in capitis superficie quandoque facta.

Castratio in virili sexu à veteribus in desperatis interdum instituebatur: idque fortè quòd per eam totius corporis temperamento immutato, in iis sic effæminatis redditis, atque aliam planè constitutionem adeptis, morbum hunc faciliùs cessurum, crederent. Quo remedii genere eo minori cum difficultate sunt usi, quod elephanticis alioquin ne alios inficiant, congressus interdictus sit, & illis sublata virilitas nullum afferat in ea functione ipsis non necessariâ, incommodum, utque etiam eo nomine à coitu arcerentur, quàm ut sic curarentur.

Alteramus ipsorum corpora, ut si fieri possit in meliorem statum ducantur: Verùm cùm intemperies non manifesta, ratione hujus luis se patefaciat, non quæ certâ qualitate contraria illi resistant, possunt illi opponi: Sed usurpantur plerumque quæ acrium humorum proventum impediunt, eosque contemperant. Dein & cùm observatur in ejusmodi corporibus siccitas, ariditasque & consumptio quædam; quæ humectando reficiendoque corpora ejusmodi, restaurent reficiantque, plerumque ipsis præscribuntur. Inter quæ multa ex illis quæ in hectica competere diximus, hîc quoque possunt convenire: uti & sequentia.

In Aëre puro, non valdè fervescente, sed temperatiore versentur, sintque procul ab illis qui hac lue infecti sunt, semoti.

Cibus euchymus ex carne juniorum animalium, jusculis, ovis, lacticiniis, oleribus, fructibusque humectantibus & temperatis: Ut in hecticis & consumptis convenit.

Ranarum uti & Astacorum fluviatilium & Testudinum aquaticarum & nemoralium carnes co-

comestæ, uti in hecticis sic, & hîc probantur.

Potus sit aqua vel vinum non nimium potens vel dilutum: Interdum & lac caprinum bibant, aliaque decocta in hectica exposita.

Medicamenta varia quæ refrigerant & humectant seu temperata sunt, atque acres humores contemperant, hinc inde in aliis vitiis externis descripta, hîc quoque possunt competere. Uti & illa quæ in febre hectica describuntur: Julepi, Syrupi, Aquæ, Confectiones, Conditurae.

Inter reliqua hoc electuarium maximè illis conveniet:

Quod ℞. Cons. florum Buglossi utriusque ℥ i ß. florum Cichorij, Violarum, Nympheæ & Rosarum ana ℥j. Capill. Vener. Rosmar. ana ℥ß. Rad. Buglossi condit. ℥j. specierum Trionsantalon vel Diarrhodon, Diamarg. frigid. ana ʒß. trochiscorum de Camphora ʒj. cum syrupo de Pomis redolentibus, misce.

Superbibat aquas Fumariæ, Lupul. Buglossi utriusque, Endiviæ, &c.

Alia multa quæ hepati conveniunt & lieni quorum vitio sanguinem immundum genitum lui huic occasionem præbere putant, propinant, & foris simul hisce visceribus applicant, passim in morbis ipsorum ab intemperie calida & obstructione progressis descripta. Quæ tamen nisi hæc viscera manifestè sic affecta cognoscamus, inutiliter plerumque usurpantur.

Antidota quædam quæ peculiari vi elephantiasi contraria esse creduntur, præcæteris commendantur, suntque sequentia.

Viperarum carnem quocunque modo assumptam, in primis elephantiasi resistere, plerique statuunt. Alij etiam aliorum Serpentum cujuscunque generis, etiam cæcorum usu, cutem cum vitiis illi adnatis abscedere posse, ex eo colligunt, quòd cum ejusmodi serpentes exuvium quotannis exuant, hoc ab innata illorum carni vi procedere, & proin etiam in homine idem operari posse, existimant.

Exhibetur autem hæc caro ipsis, præparata variis modis: Aliàs cocta in jure aliquo convenienti cum sale, uti anguillarum caro, pelle etiam, uti in illis, priùs detracta, aut alioquin per coctionem derasa, capiteque & caudâ amputatis, & exenteratis visceribus: sic enim, cum se anguillas comedere, illis persuadeatur, minùs à cibo hoc abhorrebunt. Licet & aliter sic coctam & dein incisam, aliove modo conditam, ut minùs eam agnoscant, præparatione possimus efficere. Cujus usû cutem squamarũ instar certis in locis vitiatis abscedere, aliqui prodiderunt.

Sufficit & jus interdum, in quo caro hæc coxerit, ut illud sorbeant, vel una cum carne comedant. In quo præter sal, semen Anisi, Anethum decoqui possunt; alij etiam Mentham addunt vel Porrum.

Syrupus ex Jure prædicto Serpentum, addito Saccharo, Cinamomo, aliquando coquitur, ut ad usum diutius asservari possit: Eâque formâ sæpius exhibetur.

Alij, si Gallinæ carne serpentum tamdiu donec pennæ illis decidant, saginentur, & postea coctæ comedantur, idem præstare docent.

Sunt qui & Vinum in quo vipera extincta fuerit, propinatum præbent.

Exiccata quoque caro viperarum, ut diu ad usum servari, & cùm non passim viperæ inveniantur, etiam alio transmitti queat, in trochiscos redigitur. Ad quos parandos sumitur caro ipsarum tantum, abjectis uti dictum etiam extremitatibus & visceribus, atque cum Anetho & sale in aqua coquitur, postea tunditur, & cum panis triticei micis quarta parte in pastam cum jure subigitur, indeque in Pastillos formatur atque exiccatur: Talesque Pastilli, trochisci de Therio quo nomine viperas Græci appellant, vel de viperis nominantur. Licet è serpentibus aliis eodem modo paratos, æquè efficaces esse aliqui judicent.

Hi autem trochisci rariùs per se, sed cum conservis permisti usurpantur. Quales in electuario supradicto descriptæ fuerunt. Cui & si trochiscorum horum ʒj. vel plus addatur, efficacius reddetur. Dein & cum hi trochisci Theriacam subeant, eam propter ipsos, vel quia aliàs venenis resistit, huic veneno adversatur, Elephanticis quoque exhibent.

Astacorum fluviatilium, cancrorum vulgò dictorum carnem, eâdem vi quâ & serpentum operari, ex eo quòd uti illi exuvium sic & cancri testam quotannis mutant, colligunt, nec solum vi reficiente, quâ & prodesse diximus, sed & hac potissimum operari, putant.

Herinacei terrestris carnem exiccatam seu assam in cibis quoque exhibet Dioscorides & Salamandram aliis medicamentis miscet: Quæ si quid in hac lue possunt, proprietate quâdam illud moliuntur.

Sanguinem humanum à recenter jugulato, bibitum, profuisse, historiæ aliquæ, si non potius fabulæ sint, testantur: Aquam inde destillatam similiter probant.

Cornu Cervi & Eboris rasuram elephantiasi, ut & aliis venenis resistere aliqui docent. Imprimisque magnatibus, unicornu, ut pretium augeatur, commendant, magnique faciunt.

Smaragdi pulvis exhibitus aliquibus magni fit.

Lepræ perfectam curam Chymici pollicentur, per legitimum usum Auri potabilis, Tincturæ Antimonij exaltatæ, Tincturæ veræ & genuinæ Coralliorum, adhibitis specificis purgantibus, inter quæ extollunt, Arcanum Corallinum, Mercurium dulcem, pilulas Antimoniales per secessum tantum purgantes: Clarissimus D. Hartmannus Viridelli, & Essentiæ sulphuris vitrioli dulcissimæ usum, in cura lepræ in sua praxi Chymiatrica docet & commendat.

Externa remedia, quibus in generali elephantiasi utimur, sunt Balnea, si forte illorum continuo usû, vis illa venenata & maligna cuti membranisque impressa, auferri atque extirpari posset, & si hæc lues maturè præcaveri, aut etiamsi jam invaluerit, curari: Vel saltem per hæc in delendis tuberculis, ulceribus & cutis scabritie, quousque hæc deformitas palliari. Suntque ejusmodi balnea vel naturalia vel artificialia.

Naturalia balnea sunt aquarum dulcium calefactarum, quæ certis temporibus corpore prius & postea quoque bene purgato, frequenter usurpata, Veris & Autumni temporibus, ante & post prandium, in iis sedendo, perseverando in usû horum per tot dies, donec cutis efflorescat, rursumque sanetur, de hac causa maligna in superficie cutis latente, multùm demere possunt.

Thermæ Naturâ calidæ validiùs id præstant, Sulphureæ præsertim, quales sunt in Helvetia nostra, in Argovia Badenses, in Valesia Brigenses, aliæve aliis in locis, quæ uti scabiem cujuscunque generis, vi singulari, uti in ea dictum, sanant, sic & in lue hac eadem vel malignam illius vim absumere, vel tantùm vitia inde nata, si non penitùs, saltem ex parte delere possunt; si diu illis, uti aliàs fieri solet, utantur. Eoque nomine ad has thermas non solùm, cùm de hac lue constat, sc. ut malum celare aliquandiu possint conferunt, sed & cùm de ea adhuc dubii sumus, post examen, eò, an fortè aliqua inde sequutura esset mutatio, illos ablegamus.

Artificialia balnea humida in quibus sedeant, illisque uti de naturalibus dictum, diu utantur, ex aqua fiunt, in qua varia, quæ cutem rarefaciendo & detergendo pravos succos absumant, decoquuntur. Qualia sunt ex radicibus cum foliis, Althæa, Lapathum, Ebulus, Enula: radices item Ari, Serpentariæ, Cucumer. agr. Bryoniæ, Cyclaminis, Iridis, Raphani, Hellebori utriusque, Liliorum; Item herbæ unâ cum radicibus, Malva, Buglossum utrumque, Cichorium, Endivia, Sonchus, Beta; Item Absinthium, folia item Sennæ, fumariæ, Lupuli, Scabiosæ, Saponariæ, Parietariæ, Violariæ, Hepaticæ, Lenticulæ aquaticæ, Senecionis, Acetosæ, Agrimoniæ, Artemisiæ, Plantag. Polytrichi, Hederæ utriusque, Chelidonij utriusque, Nympheæ, Tamaricis; Flores Chamomill. Meliloti, Sambuci. Dein & fabæ aliave legumina. Furfur macrum, Semina Lini, Fœnugræci, & Cucurbitacei generis.

Hisce plerumque sulphur, Alumen vel Sal addunt, maximè ubi jam aliquoties leviori decocto usi fuerint.

Adduntur & alia, forte artuum causâ, Primulaveris, chamæpitys. Item odoratæ plantæ, ut Calamintha, Rosmarinus, Lavendula; sunt qui & quinque Aperitivas radices addant.

In scabie perversa exposita balnea humida non multùm ab hisce differentia, hîc quoque locum habere possunt: Inprimisque efficax illud quod Gypsum cum aliis recipit. Uti & decocta quædam, quibus maculas vitiosas ablui debere, in illa ostendimus, pro balneo hîc usurpari poterunt.

In sanguine humano si sedeant, eoque balnei vice utantur, profuisse quibusdam, historiæ aliquæ testantur.

Sicca balnea in aëre calefacto, cum nimiùm corpus accendant, & violenter ad superficiem corporis, humores propellant, non ita probantur. Possumus tamen & illis, ex suffitû decoctionis balnei humidi, leviter calefactis & tepefactis, aliquando corpus, antequam balneum humidum intretur, ut hoc meliùs operetur, sic disponere.

Illitiones variæ quoque extrinsecùs pro generali etiam cura hujus luis fiunt, in corpore hinc inde, ubi præsertim cutis pustulosa, ulcerosa & scabra tumidaque occurrit, ad vitia hæc tollenda, & si fieri posset, malignam illam impressam qualitatem aliquo pacto auferendam. Fiuntque ex illis quæ vi exiccante detergenteque illud agant, additis insuper iis, quæ proprietate quadam id efficere posse existimantur, qualia à Serpentum genere desumpta existunt; sic axungiam illorum munctam, idem quod carnem ipsorum assumptam, præstare posse, putant, nimirum ut cutis inde cum vitiis illi adnatis abscedat. Uti & oleum in quo caro Serpentum coxerit, vel serpens vivus suffocatus fuerit: Carnem ipsam coctam aliqui inunctionibus quoque miscent.

Ex prædictis itaque tale fiat Unguentum.

♃. Radic. serpentar. utriusque, Asphodeli vel liliorum, Enulæ campanæ, Betæ, croci sativi ana ℔ j. pistentur optimè oleo rosaceo omphacino, adde unguenti Citrini ℔ ß. Axungiæ Serpentis ℥ iij. Terebinth. ℥ ß. Olei de frumento vel vitellis ovorum ℥ i ß. Olei de Tartaro ℥ ij. Sulphuris vini, Nitri ana ʒ iij. Lithargyrij vel cerussæ ℥ ß. Boracis ust. ʒ vi. Tutiæ præpar. Sarcocoll. nutrit. thuris ana ʒ ij. Mucilagin. sem. lini ℥ ij. Succi lapathii, fumariæ, limonum, ana ℥ iij. Agitentur invicem in formam nutriti: Ungantur partes scabræ, ulcerosæ & pustulosæ.

Vel fiat tale: ♃. Succorum Limonum, vel arant. vel citri, Lapathi, fumariæ, scabiosæ, enulæ camp. ad ℔ j. Aceti ℥ ij. Aquæ vitæ ℥ j. Olei rosac. omphac. Myrtillorum vel Mastichini ana quart. j. ß. coquantur ad succorum consumpt. addendo olei vitellorum ovorum ℥ ij. de Tartaro ℥ i ß. Saponis gallici ℥ ij. Axungiæ serpentis ℥ iv. Pomatæ ℥ ij. Fellis tauri vel hirci ℥ ß. Mucilagin. sem. psyllij vel lini ℥ ij. Mellis ℥ i ß. Radic. Ari vel serpent. cucumer. agrest. cyclaminis, Ireos, ana ʒ iij. Hellebori utriusque ʒ ij. seminis staph. agr. Raphani ana ʒ j. Boracis & Tartari usti ana ℥ ß. Sulphuris vini ʒ iij. Ossis sepiæ ʒ ij. Cochlearum terrestr. cineris ʒ j. Camphoræ ʒ i ß. Lithargyr. tutiæ & cerussæ ana ʒ i ß. Agitentur diligenter & fiat linimentum: Pro partibus affectis in corpore.

Hisce & alia addi possunt, veluti oleum de frumento, de semine raphani, oleum in quo coxerit serpens, succus cyclaminis: item Nitrum.

Posset & argentum vivum hisce unguentis addi, quod licet venenatam illam vim in elephantiasi, uti in lue venerea, minimè extirpet, & proin non eam uti illam sanet, tamen quia vitia hæc externa in cute, in utrisque admodum emendare solet, ob eam causam illis quandoque misceri poterit, non tamen eâ quantitate aut ea ratione, præsertim si generaliores fiant inunctiones, qua luis venereæ venenum expellit, non possit hoc in elephantiasi præstare, sed saltem ad vitiorum ablationem opitulari, & proin in particularibus, quæ tantum ut pustulis adhibentur remediis, rectiùs usurpatur. Quòd si tamen generalibus etiam inunctionibus permiscere velimus, poterimus prioribus unguentis primò præsertim, argenti vivi ℥ j. addere.

Vel tale cum eo linimentum parare:

♃. Unguenti Citrini quartarium j. Olei ovorum ℥ j. Olei de Tartaro ℥ ß. Argenti vivi dissoluti cum pauca terebinth. & unguento prædicto. ℥ ß. Succi Limonum vel arantiorum ℥ ij ß. Boracis ʒ ij. Radic. serpentariæ vel ari, lapathi & asphodeli vel liliorum, parùm tostorum & contus. & cum prædictis mistorum ana ʒ ij. Misce.

Si prædictis linimentis & unguentis theriaca Andromachi & oleum Juniperi admisceantur, valde augebitur ipsorum virtus & operatio.

Particulares applicationes, vitiis tantùm adhibentur, à lue hac prodire solitis, ut licet lues hæc sanari nequeat, saltem vitia hæc minùs deforment aut noceant. Usurpanturque tum in vitiis externis, si forte ea delere vel aliquo pacto imminuere aut obliterare, ut minùs appareant, possint, ut pustulis & ulceribus internis, in Dyspnæa, atque oculorum Pellicula.

In pustulis externis, tuberculis, aliisque tuberositatibus cutis, tum in facie ubi magis patent, tum aliis in locis, applicantur remedia: Fiuntque ex illis quæ exiccando detergendoq; potissimum illud agant, vel vi potentiore & caustica. Quâ ratione & cutis nigredinem in cosmeticis & maculas & pustulas rubras aliasve pravas, ut vitiligines similesque deleri, in ejusmodi vitiis ostendimus. Quæ remedia externa illic exposita, tam leviora, quàm fortia, uti & interdum caustica illic enarrata, cum pustulæ delendæ sunt, hîc quoque locum in ejusmodi vitiis tollendis habere possunt: Quæ variis modis & formis applicantur.

Ex illis quæ nondum erodunt, aquæ destillatæ ad faciem plerumque usurpantur. Qualis hæc est.

℞. Sulphuris ℥ vi. Tartari calcinati ℥ ij. salis nitri, vitri crystallini calcin. ana ℥j. Thuris, Myrrhæ, ana ʒiij. Camphoræ ʒj. Succi Lapathi, ℥ iv. Succi Limonum ℥ ij. Aquæ rosarum, florum fabarum vel florum Nymphæ aut Plantag. ad ℔j. destillentur.

Alia aqua: ℞. Tartari calcinati quartar. j. Boracis ℥ß. Thuris vel Mastiches ʒ ij. Sacchari candi ℥j. Camphoræ ʒj. pulveris, & subigantur cum mucilagin. Seminis psyllii vel infus. Gummi tragacanth. factis cum aqua flor. fabarum vel nenuphar. ℥ vi. albumin. ovorum agitatis num. 3. succi Limonum vel Arantiorum ℥ij. vel iij. Destillentur in Alembico.

Aliæ aquæ quoque idem præstare possunt in discoloratione, inter cosmetica expositæ efficaciores, quæ urinam, tartarum, sublimatum cum cæteris recipiunt, vel ex pluribus componuntur & in pustulosa rubra facie, descriptæ aquæ, inprimisque illæ quæ Lithargyrium & tartarum cum aliis admittunt. Dein & in maculis aliis diversorum generum ibidem declaratæ aquæ ex variis compositæ & cum tartaro effectæ.

Liquor albus, quo instar lactis virginalis uti possunt, ad illinendam faciem aliave tubercula:

℞. Lithargyr. ℥iß. Aceti albi ℥vi. Succi Limonum vel arantiorum ℥ ij. Aluminis vel salis gemmæ ʒ ij. Tartari calcinati ℥ß. Camphoræ ℈j. Macerentur & agitentur sæpè, ad usum, vel coquantur parùm, si statim eo uti velimus.

Vel sulphuris, salis nitri & Crystalli seu vitri Crystallini tenuissimè triti aquæ portiones, parùm coquantur, in aceto forti albo: Et cum colatura facies illinatur.

Alii liquores in facie pustulosa in discolorationibus descripti cum sulphure, vel lactei ex lithargyrio parati; horum loco usurpari poterunt. Uti & lac virginale in maculis aliis ibidem declaratum.

Inunctiones privatis partibus adhibentur variæ, quales in discoloratione copiosè sunt expositæ, ut in cosmeticis, unguentum citrinum, quo facies illinitur potissimùm, paratum uti illic descriptum fuit. Dein & in pustulosa rubra facie, propositæ ex variis concinnatæ: Uti & in aliis maculis illic descriptæ, ex succis plantarum, aliisque inde petitis, & ex oleo vitellorum ovorum & tartari, aliisve cum helleboro factæ; Item ex sanguine leporis & fellibus. Inter quæ Capræ sylvestr. fel in elephantiasi probat Dioscorides, oleum lacertæ etiam hîc magni fit.

Aliud ad pustulas valdè efficax unguentum.

℞. Aloës ʒ iij. Radic. Asari ʒj. Hellebori utriusque ana ʒß. Seminis Staphi. Agr. ℈j. Colocynthid. ℈ß. Felli stauri q. s. fiat linimentum.

Ex argento vivo, in discolorationem uti & in luis venereæ maculis & pustulis enarratæ illitiones, hisce quoque vitiis appositæ; admodum opitulantur, quæ inde peti possunt.

Aliqui hoc remedium extollunt: Ova duo vel tria macerentur in Aceto forti tamdiu, donec testa consumatur, postea contundantur, addendo quartam partem illius aceti; misceaturque pulvis Thuris, Pro facie inungenda. Si Saponem nigrum vel aliud addas, efficacius erit.

Caustica quibus ad pustulas delendas utimur, in discolorationibus copiosè fuerunt in macularum cura exposita, ex sublimato plerumque præparata. Uti & cauteria, quibus in elephanticorum vitiis delendis quoque uti possemus.

Vel fiat talis illitio. ℞. Vnguenti Citrini, olei de Tartaro an. ℥ ß. succi limonum ℥ j. sublimati ʒ ß. axung. Serpentis vel gallinæ ℥ ß. fiat linimentum: Pro facie.

Sunt qui vermes natos in serpente subterra defosso colligunt, eosque siccatos cum Cantharidum æquo pondere & acri aceto subihunt, atque in unguentum redigunt.

Ablutiones faciei fiunt, ut unguenta aliaque abluamus, ex decocto furfuris macri, fabis conquassatis, illarumve Corticibus ciceribus oryza, Hordeo, lupinis confractis saltem non in farinam redactis, ne passa cum decoquitur, fiat, sicuti & decoctum pro facie illustranda, in cosmeticis fieri diximus. Cui decocto & flores Fabarum, Nenupharis addi possunt, & Malum arantium in frusta dissectum priùs.

Vel lavetur facies aliis aquis, ut florum fabarum, vel decoctis, in facie tuberosâ rubrâ, vel fuscâ, in cosmeticis & maculis expositis.

In vlceribus externis, serpentibus, callosis, multa ex illis remediis, quæ pustulis convenire diximus, juvare poterunt. Vel utimur illis quibus alia prava ejusmodi ulcera curari, in doloribus exposuimus:

In pilorum casu topicis præsidiis in pilorum defluvio in deformationibus prolixè expositis, illud quoque vitium avertere studebimus.

In pustulis internis & ulceribus inde natis, narium, palati, faucium, non alia remedia, quam quæ in cæteris harum sedium ulceribus, in doloribus descripta sunt, quoque adhibentur. Uti & si columella exesa sit, raucedoque inde proveniat, sicuti in utroque hoc affectû quoque ostensum, procedendum.

In dyspnæa & raucedine, pulmonum affectorum causa, quæ in illis affectibus cura describitur, etiam hîc adhibebitur. Et si narium obstructarum causâ difficulter aërem attrahant, illic quoque, quid agendum, declaratum fuit.

In oculis enascens pellicula carnea rubra, ne pupillam obtegat, & cæcitatem pariat, maturè

turè quantum & quandiu fieri poterit, impediendum, idque non aliâ ratione, quàm ea, quæ in panniculi oculi cura, in visus læsionibus, tum si alias ob causas, tum ob hanc luem eveniat, fuit copiosè descripta. Quod si palpebrarum accedat rubedo, xerophthalmia vel scabrities, eodem quoque modo in illis, uti in aliis illorum ejusmodi affectibus, procedendum. *Felix Platerus Praxeos Medic. T. 3.*

Consultationes.

De Lepra. Pro Eleganti Muliere Cretensi.

Cum Iuvenis Hebrea Cretensis, annorum 20. temperamenti calidi, & sicci, menstruis parcius fluentibus, totius corporis pruritu diuexata fuisset; cum tuberculis, quæ Essere vulgo; ijdem prorsus subsistentibus biennio abhinc, vniuersum illi corpus fœdatum est; cum vlcusculis in dies magis, magisque serpentibus, atque ichores acres; & mordaces jugiter effundentibus; quibus non rarò accedebant rigores, & febres; ijque aliquando exsiccatis, squamosa excrementa emergunt; recrudescentibus tamen paulo post denuò majori molestia vlcusculis eodem ichore manantibus. Quæ affectio pluribus hactenus in Patria tentata remedijs; sanguinis frequenti scil. eductione ex saphena; duobus fonticulis vtrique interno femori inustis, ac seri lactis caprini vsu, cùm impermixti, & copiosioris, tum addito rhabarbaro. Extrinsecus quinetiam succis refrigerantibus. & aliquando detergentibus applicitis, nec prætermisso balneo vniuersali ex aqua dulci detergentibus alterata. Quæ cùm irrita fuerint, Medicam exposcit manum.

Primò itaque hujus affectus essentia, & causæ inquirendæ, atque cùm pruriginosarum cutis affectionum plures sint, species duplex tamen potissimum earum genus complectitur, vniuersalium, & particularium, præsens affectus particularibus non est accensendus, ut patet ex ejus historia: proinde, nec herpes nuncupandus, quo laborauit Illustris illa patiens, à Gal. memorata 14. Meth. cùm eodem teste, malleolum obsederit. Vniuersalis autem triplex cùm sit, Scabies, Lepra, & Elephantiasis, de hac postrema omnis prorsus abest suspicio; quæ cancer est vniuersalis, Galeno, inqua varia in cute prominent tubercula, in fronte potissimum, aures sunt acutæ, resimæ nares, labra crassa, & tumida, cutisque subrubra, & dura torpescit, ex Gal. Lib. de Morb. Causis. 2. ad Glauc. & Libro de Atra bile, quorum nullum in hac Patiente est conspicuum. Quamobrem statuendum censeo, affectum hunc vel esse scabiem feram, & confirmatam, vel Græcorum lepram incipientem, ab Avicenna Albatam nigram nuncupatam, cùm squamæ se prodant, lepræ indicio luculento, Actuario teste, inter Græcos non obscuri nominis 2. Method. Utcunque tamen, cùm utriusque affectus eadem sit causa, præter solum discrimen ejusdem gravioris & levioris, censendum est, præsentem ortum ducere à sanguine melancholico exusto, in jecore fervidiori genito, nec per vterum stato circuitu ex temperamento patientis, ætate, vita præterita, & potissimùm ex regione ipsa; qui sua crassitie vteri venas prorsus obstruens, atque ad partes cutaneas refluens, tenuiori sui parte solum pruritum antehac induxit; crassiori verò sub illis coercita, altius carnem depascit; inusta quinetiam intemperie calida, & sicca, qua purum sanguinem, qui in earundem partium alimentum cedit, corrumpit; atque affectum præsentem fovet, juxta Pauli, & Aristotelis sententiam, quod scil. lepra non solam cutis superficiem sed & intima absumat.

Quæ cùm ita se habeant, quam difficilis curationis futurus sit hic affectus, patet luculentissimè, cùm sit in habitu, à quo periculum insuper imminet elephantiasis, seu lepræ Arabum. Prout enim Elephantiasis Græcorum in lepram facessere potest, contemperato humore, & expurgato sanguine illo fæculento in visceribus,& venis redundante,& ab iis ad partes cutaneas transmisso; ita non difficili negotio lepra in elephantiasim desciscit, exuberante vicissim atra bile, atque viscera ipsa gravante.

Curatio itaque tentanda, atque humores corrupti cuti impacti detergendi, non sine aliqua adstrictione, & partis corroboratione; fluxio derivanda menses cientibus, & ad alias partes revocantibus; tum novus hujus humoris proventus prohibendus, jecur refrigerantibus, & humectantibus, atque pars affecta contemperanda. Tandem boni succi alimentis sanguis impurus reparandus, corroboratis visceribus, cum venoso genere, quò humores corruptos à se propulsent, & extrudant, ac partes ipsæ idoneo alimento nutriantur, præmissa vniuersali corporis purgatione, quam hucusque accuratius institutam missam facimus.

Chirurgica itaque præsidia quod spectat, prout nobis commendatur repetita sæpius sanguinis missio ex partibus inferioribus præmisso vteri fotu, ex humectantibus, & modicè attenuantibus quò sanguis fluidior fiat, adhibitis frequentibus pedum, & crurum frictionibus, ac lotionibus aqua altera malva, althæa, floribus chamæmeli, & meliloto: ita temporis progressu, sanguis corruptus in partibus sub cute conclusus, cucurbitulis scarificatis iisdem affixis, vel hirudinibus appositis educendus fuerit, reseratis quinetiam hæmorrhoidibus, derivationis causa, quanquam huic evacuationi naturam assuefaciendam non esse censeam, hoc potissimum ætatis flore, ne facta hac materiæ metastasi, in totum supprimatur menstrua purgatio, cum sterilitatis periculo: ut hanc ob causam nubere quam maxime ipsi consultum censeam, licet non sine præsenti conjugis discrimine, cùm affectus sit contagiosus.

Pharmaceutica plura quidem suppetunt interna, & externa, atque in internis duo, me judice, potissima. Primò quidem viperæ in cibi vsum per multos dies, in modum anguillæ, abscisso capite, & interioribus rejectis, ob venenosam harum partium naturam, atque amputata cauda, velut nulli usui, per diem in aqua maceratæ, ademptis exuuiis, mox cum oleo anethino in aqua, cum modico sale coctæ, summopere in hoc affectu commendatæ ab Auic. & Aëtio, atque propria experientia maximè ex vsu compertæ, longè quidem potiori ratione, quam solum vinum, in quo

cædem

eædem extinctæ fuerint elephantiasin sanat, ex Gal. Lib. de Subfigur. Empir. & Isagog. Cap. 12. ubi plures memorat hujusmodi historias; cujus propterea potum suaderem. Aliud remedium accommodatissimum erit lactis potus asinini in primis, velut magis detergentis, & tenuioris substantiæ: quotidie mane ad libras duas, cum saccharo, & cremore tartari, quo dejectorium fiat. A quibus, continuare poterit usum jusculorum ex cichorio, cum ejusdem succo, ad vnc. 1. quotidie, non prætermissis alijs aperientibus, & menses cientibus.

Externa remedia erunt primò valida detergentia; in quibus linimentum ex sulphure vivo, nitro, sale, lapatho, & lupinis exceptis oleo amigdal. in formam linimenti; quo illinendum totum corpus, immergendum primò in Aquis Thermalibus sulphureis; vel aqua marina moderatè calida, tertia qualibet nocte per horam ante cœnam, quintùm, aut sextùm; quæ excipiant refrigerantia, & humectantia; & potissimum Balneum aquæ dulcis; inuncto toto corpore oleo amygdalino, contemperandæ cutis secitati.

Quibus accedat recta victus ratio; in qua abstineat ab omnibus carnibus, & piscibus salitis; quibusuis leguminibus, carne bubula, caprina, ceruina; auibus palustribus, atque omnibus aliis melancholiæ feracibus; necnon à vinis generosis, & subastringentibus: quorum loco uti poterit piscibus petrosis, carnibus agninis, veruecinis, cucurbitis, melonibus, lactarijs, hujus generis refrigerantibus, & humectantibus, ac vino item albo, tenuis substantiæ, oligophoro, & aliis hujusmodi. Quæ in præsenti affectu potiora duxi. Quæ ut ad vota succedant, faxit Deus salutis Author. *Benedict. Silvatic. Consil. & Resp. Medic. Cent.* 4.

Elephantia incipiens.

Nobilis annos quinquaginta natus, carnosus quidem, sed tamen squalidus, & ad eum accedens habitum qualis est ictericorum, facie rubicunda, seu ex rubro livescente, sanguine crasso nigroque perfusa, qua maculæ nigræ, aut lividæ, interdum exoriebantur, ut etiam in reliquo corpore, sensû nullo aut obtuso præditæ, sed sine siti, sine cibi fastidio, & aliis symptomatis gravioribus. Infinitas hic potiones hauserat medicas, & sudoribus corpus exsiccaverat in balneis calidioribus, non sine valetudinis jactura. Verebatur ne Elephantia corriperetur, cujus jam videbatur rudimentum.

Rescripsit D. Fernelius hæc remedia.

℞. Radicis acetosæ, lapati acuti, & Enulæ campanæ, Polypodij quercini, seminis Carthami, Passularum mundatarum an. ℥ß. Endiviæ, Cichorij, Plantaginis, Buglossi, Boraginis, lupulorum, Fumariæ, Cuscutæ, Ceterach. Chamædryos, chamæpityos, an. m. j. florum violarum p. ii. Fiat decoctio ad ℥xvi. In colatura infunde per noctem Epithymi ℥ß. Foliorum Sennæ mundatorum ʒv. agarici albi ℥ij. gingiberis ʒij. Mane bulliant parum, & fiat expressio in qua dissolue succorum depuratorum Fumiterræ & Plantaginis an. ʒ iv. Sacchari albi lib. j ß. Fiat syrupus perfectè coctus, dosi ℥ij. vel ℥ ijß. cum sero lactis, quinto aut quoque sexto die.

℞. Conservæ Buglossi, Boraginis an. ʒ i. Rasuræ eboris, & cornu cervi, an ℈ j. Mithridatij veteris ʒij. Misce produabus dosibus post purgationem, horis iij. ante cibum.

Post tertiam aut quartam purgationem vena secetur interior brachij sinistri, detrahaturque sanguis ad ℥x. Deinde si quâ ratione fieri potest, referentur hæmorrhoïdes: primum quidem fotibus emollientibus & alterantibus: deinde suppositoriis ex hiera simplici, cum succo Mercurialis, vel cum: felle aut si foris conspicucæ sint, & intumescant, affixis hirudinibus: ut his rationibus sanguis ater & melancholicus emanet. Quum ita corpus diligenter præparatum evacuatumque fuerit, perutilis erit balnearum usus ex aqua dulci potabili usque ad multos dies continuatus, mane jejuno stomacho: sed eâ ratione, non admodum calidæ sint, verum duntaxat tepidæ, ut corpus tantum humectetur, non autem sudores eliciant.

Victus observandus refrigerans & humectans: Cremor hordej jejuno maximè conducit, cum præsertim non est opus medicamentis. Juscula quoque ex pullis gallinaceis, carne vitulina aut vervecina, cum buglosso, boragine, oxalide, lactuca, & plantagine. Si vinum æstate circumcidatur, ejus vice saluberrima erit aqua hordei, vel alius potus in laborantis gratiam comparatus.

Si quæ partes in cute existunt nigricantes aut lividæ, nullo vel obtuso sensû præditæ, his affigantur cornua vel cucurbitulæ exiguæ cum scarificatû, eoque satis alto, ut sanguis pronanet, sensusque revocetur.

De Elephantia.

Quum de his, quæ in facie Ioannis Bocquirese produnt, non benè inter doctos Medicos conveniat aliiq; affiment aspectû illum esse horridum, & leoninos oculos, supercilia glabra, rarescere barbam, nares humidas, multisque tuberculis tum intus, tum foris deformes cum incipiente vlcere. Hinc respirationem difficilem, tonsillas vlcerari, cum voce rauca & obscura: alij verò istorum quiddam deprehendi negent, & tubercula, siqua, sunt rubra apparere. Necesse est signa, de quibus inter celebres Medicos certatur, omninò obscura & infida latere, neque ab his judicandum quenquam elephanticum, neque si, quæ dicta sunt, omnia compareant judicandum propterea est elephantiæ initium, cum præsertim probè corpus alatur, nullusque pedum aut manuum stupor aut refrigeratio subsit, qui elephantiam statim initio concomitari solet. Neque si elephantiæ initium adsit, segregandus ideo est laborans ab hominum consortio, quum nondum corpus aut spiritus graveolens, nec putredo ea sit, cujus contagione vicinos labefactare possit. Ita igitur de re controversa & litigiosa nos subsignati doctores Medici censuimus Johannem Bocquiret etiam crasso aut melancholico sanguine suffusum, & tuberbulis subrubris deformem nondum esse inter elephanticos nume-

numerandum, nec segregandum ab hominum consortio.

At si posthac malum omnem medendi vivendique rationem aspernetur, nullisque cedens remediis ingravescat, & manifestiora de se indicia proferat, tum satis oportunè quid agendum fuerit æquiore judicio decernetur. Curatio vere suscipienda. Victus refrigeret ac humectet. Purgetur singulis hebdomadis apozemate. Vino prorsùs abstineat. Calida autem omnia, & venenata pharmaca tum purgantia, cum elexipharmaca declinet, cujusmodi sunt scammoniata, mithridatium, thriaca, & utquæ non modò non juvent affectum, sed etiam humores adurant, & morbum conduplicent. *Joh. Fernelius Consilior. Medicor.* 70.

Observationes.

Cuidam ad elephantiasin vergenti ita consultum est, justus est in totum abstinere vino, aut eo dilutissimo uti, vescatur carnibus elixis, & pullis nutritis pasta ex carne colubrorum facta, Theriaca bis aut ter septimana utatur ad ʒj. cum aqua melissæ, bis mense catholico cum ℥iij. confect. hamech. purgetur, aperiatur vena basilica sinistra, balneis aq. dulcis utatur. *Guill. Ballonius. cons.* 61. *lib.* 1.

Præmisso lenitivo aperiatur vena brachii sinistri, & extrahantur sanguinis circiter ℥ x. plus minus, tota etiam hac æstate velim singulis mensibus circa novilunium hirudines applicari venis sedalibus, ut inde duæ aut tres sanguinem exugant, quoad sponte sua cadant, etenim fere ex alio nullo remedio majus juvamentum sperare debet: quare ei Author sum, ne ullo modo hoc remedium post primam purgationem intermittatur, sed hac æstate & sequenti autumno etiam, singulis ut dictum est mensibus reiteretur. Postquam octo diebus ex ordine usa fuerit syrupo præparante & digestivo, assumat hoc pharmacum.

℞. Confect. hamec. ℥ ß. el. è succo ros. ʒiß. fol. sen. ʒj. polipod. q. ʒij. F. infusio in decocto liquir. fl. & fruct. cordial. cum pauco cinnam. q. s. syr. ros. solut. ℥i. F. potio quæ sæpius prout opus fuerit reiteretur, purgato corpore; volo utatur singulis diebus manè hoc electuario ad quantitatem nucis juglandis.

℞. Conserv. fl. borrag. ros. ana ℥iß. diarrhod. abbat. theriac. opt. ana ʒj. cum syr. de pomis q. s. F. electuar. quo assumpto ingrediatur balneum aq. dulcis egelidæ in quo incoxerint rad. acetos. vel lapath. maj. fumaria, lupini contusi furfuribus mixti, & in panno lineo ligati, quo in balneo sordes abstergi velim; in balneo moretur per horæ spatium, post decumbat, post horam unam aut alteram, absterso sudore, crura & cæteras partes infectas inungat hoc linimento.

℞. Succ. solani, succ. scabios. acet. rosac. an. ℥i. succ. rad. lapath. succ. rad. enul. an ʒvj. ol. ros. ʒiv. cortic. helleb. nigr. in petia ligat. ʒ iij. coq. omnia ad succorum ferè consumptionem, deinde helleborus abjiciatur, adde butyr. rec. ℥ iß. pingued. viper. si haberi possunt, si non loco ejus theriac. bonæ ℥ j. plumb. ust. ℥ß. lithargyr. ceruss. an. ʒij. thur. ʒiß. styrac. calam. sal. nitri an. ʒij. omnia M. & cum succo limonum agitentur tamdiu in mortario plumbeo donec formam linimenti acceperint. Post balneum absolutum, placeret hoc remedium, quod apud quosdam pro experto secreto in hoc morbo conservatur, accipiunt milvum deplumatum, postea absciso capite, pedibus, atque eo eviscerato, interiora omnia, caput & pedes in ollam rudem conjiciunt, quam tectam luto oblinunt, & in furnum calidum imponunt. Ubi omnia combusta sunt, extrahunt, quodque in ea inveniunt, pulverant, atque ex eo pulvere manè in aliquo liquore propinant, quod verò reliquum est avis, partiuntur in tres partes, & quomodocunque coctum, edendum præbent ægroto, eo ordine, ut tertia dies postremam partem avis absumat, quo remedio testantur quidam hunc morbum alias novem dierum spatio persanatum esse. A me verò alias in *Italia* hoc sequenti experimento curatus est hic affectus. Accipio duas vel tres viperas, si haberi nequeunt, totidem alios serpentes, conscindo vivos & adjecto multo hordeo decoquo in aqua quoad hordeum tumeat aut crepet, hordeo eo & ipsa serpentum carne pullos gallinaceos multos continuò alo, nec aliud alimentum suppedito; solent pulli postquam aliquot dies enutriti sunt, implumes evadere, & tandem rursus plumis vestiri: ubi igitur per multos dies ita aliti sunt, paulatim incipio ægrum horum carne, & carnium eorum jusculis alere, hoc remedium comprobatum est experientia. *Reinerus Solenander. consil.* 25. *sect.* 1.

Valescus de *Taranta* castrationem in hoc casu valde probat, nec ego eam improbandam censeo; testium enim amputatione evirantur homines in morbum proni, sicque in fœmineam naturam degenerant, & hepatis sanguinem assantis ardore restincto, humidi & frigidi evadunt: quæ temperies elephanticorum intemperiei calidæ & siccæ toto est genere contraria, adde quod sublatâ elephanticis gignendi facultate, tollitur ea hujus mali contagio quæ per prolis propagationem in humanum genus serpit & effunditur. *Paræus lib.* 20. *Chirurgiæ. cap.* 13.

Elephas, lues venerea & struma aliquid habent cognatum & συγγενὲς, tres has hydras unus alexicacos *Hercules* hydragyrosis vincit & opprimit. *Guil. Ballonius. lib.* 1. *epid.* & *ephem. pag.* 15.

Lac asininum arcet elephantiasin, caro asinina proritat & advocat, unde hoc? an quia carnes crassum succum generant; lac autem serosum & tenue? hoc autem videtur absurdum. Nam *Hippocr. lib.* 2. *De Diæta*, ita scripsit: quorum animalium lac tenue est, & sanguis similiter, eorum etiam carnes sunt consimiles. *Idem. lib.* 2. *epid. pag.* 186.

Neapoli cum subsisterem narravit mihi *Marius Schipanus* summus ibidem medicus, Principem *Neapolitanum Caraffam* pro curanda lepra vesci solitum carne asini pulli. *Thom. Bartolinus. Histor.* 33. *cent.* 6.

Multi, ut ait Ætius, castratione se ab hoc morbo vindicarunt, hac ratione juvenem hoc anno liberavimus, qui incipiebat, & ultra principium fuerat progressus. utatur carne erinacei terrestris, exsiccata in furno, hæc non elephantiacis tantum, sed & cachecticis, nephriticis, convulsionibus obnoxiis, & iis qui

aqua intercute laborant, convenit, ut testatur *Galenus* Potest in locum carnis viperarum substitui; servetur igitur caro erinacei terrestris quæ si multa haberi potest, ad formam placentæ reducatur, comedat manè ante alia omnia, vel si velit, elixet cum salvia & borrag. & de ea comedat. *Guil. Rondeletius.* consil. 53. lib. 7. consil. *Cratonis*, & aliorum medicorum à *Scholtzio* editorum.

Tanquam certum remedium ulmi usus in curanda recenti elephantiasi à *Jacobo Doyuineto. lib.* 1. *cap.* 7. prædicatur. Vidit enim adolescentem tali affectu laborantem, & decoctionis, ulmi usu (factis faciendis) convaluisse, ea quidem pro omni potu utebatur in quolibet pastu, cum pauco vino albo, & tanti sudores movebantur graveolentes, ut vix illos custodes ferre possent, ita viscera purgabantur, & magna urinæ copia excernebatur, quibus excretionibus sanus factus. est. *Jul. Cæsar. Baricellus*, in hortulo geniali pag. 306.

Anno 1637. tempore autumnali, Ulmensis lanio, in medio fermè Viennensi itinere, à venefica quadam hospite, inque diversorio demortui cujusdam leprosi carnibus coctis mensæque appositis tractatus fuit, quarum esu tota ipsius sanguinea massa infecta brevi temporis insterstitio, proradici instar, malignas pustulas cum defædatione capitis inprimis, ad superficiem corporis expulit, & percepto rumore, quod scelesta illa fœmina, ob plura alia & varia delicta, publicè flammis combusta fuerit, vultuosus patiens de sanitatis suæ restitutione desperare cæpit: Nihilominus tamen ne sibi ipsi deesse videatur, chirurgum aliàs exercitatum in consilium vocavit, qui re non satis ponderata, solis externis vnguentis eundum, sed mani spe, restituere attentavit, usque dum, aliquoties in nostris observationibus citatum, Clarissimum Dominum meum Collegam, Doctorem Johannem Georgium Croekelium (ex cujus communicatione & hanc curationem habeo) summis precibus exoravit, ut hac in parte sibi gratificari, & extrema tentare velit.

Hic pro sua humanitate, & ægro & chirurgo, solidis rationibus demonstrans, absque juge internorum remediorum usurpatione, sanguineæ massæ per præparantia, purgantia & venæ sectionem exacta depuratione; communicatæ malignitatis mediantibus sudoriferis discussione; hepatis corroboratione, &, vel tandem, externorum debita inunctione, huic, etsi nondum, radicato, malo, occurri minimè posse. Quare carnario illi omnem in curando assiduitatem, & diligentiam promisit, modo patiens se in omnibus morigerum præstare velit, quod dum sanctè sponderet, curam sequenti methodo aggressus est.

1. Ordinatâ victus ratione, præscribendo videlicet cibos optimi nutrimenti ac omni acredine destitutos, ut in morbi gallici cura fieri debet, pro potu decoctum ligni guaiaci & sassafras cum seminibus anisi & fœniculi debitè præparati curavit. *Primo, ad sudorem movendum, reservato, altero vero tanquam debiliori ad sitim compescendam concesso.*

2. Corpus per biduum digestivo hoc ad expurgationem præparavit.

℞. Syrup. de duab. radic. ℥j. mell. ros. col. ℥ß. crem. Tart. pulveris ℈j. aq. asparag. fumar. ana ℥ij. M. pro dosi vna.

3. Vitiosam ventriculi saburram, per sequens medicamentum, vino assumptum, removit.

℞. Mercur. opt. dulcis. ℈j. croc. metall. gr. vj. Gutt. Gamand. gr. vij. M. F. Pulvis.

4. Hinc medianam dextri brachij primum aperiri, detractis ℥v. sanguinis, jussit.

5. Per aliquot dies concessa quiete, rursùs ad corporis præparationem, quater in juscculo repetitam, accessit.

℞. Pulveris Tartari vitriol. ʒß. dentur doses quatuor & quælibet ad singularem chartam.

6. Fœlicissimè sanguinis mundificationem molitus est per appositas pilulas.

℞. Panchymag. Croll. ℈ij. mercur. dulcis ℈j. Gutt. Gamand. gr. vij. cum aq. ceras. nigr. Form. pilulæ communes, pro una dosi.

7. Accessit ad sudorifera, ubi æger maximè obediens quotidiè in prioris decocti sassafras haustu, dosin sequentis hydrotici accepit.

℞. Sulphur. aurat. diaphor. à gr. xij. usque ad grana xv. F. pulvis ad charulam.

Quare ad quatuor septimanas, tempore matutino solum, in lecto per binas horas commorando, largissimum sudorem movit, exceptos eptimo quovis die, in quo superius notata spilulas reiterando assumsit.

8. Sinistri hinc lateris vena tacta sanguis emanans prior longè purior inventus est. 1 x. Sordium recrementa laconico abstersa, & caput appropriatis, alterato lixiuio, mundificatum fuit.

℞. Radic. bryon. ℥j. lapat. acut. ℥ß. herb. marrub. menth. erisp. origan. bethon. ana. M ß. flor. chamomill. Rad. asar. cum toto ana p ij. agaric. crud. ℥ ß. Crassiusculè l. a. concisa coquantur lixivio communi.

9. Remanentes quædam pustulæ in quibusdam corporis partibus & capite, depulsæ, & omnia externa inquinamenta sequenti unguento in fine sublata fuerunt.

℞. Unguent. alb. camphor. ℥j. Mercur. dulc. ʒij. Terendo probè M. ad vasculum.

Sic divino favore, patiens mitis maximè notus, decem hebdomadibus felicissimè restitutus, aliquandiu decoctum sassafras pro potu ordinario usurpauit, ita ut per dies vitæ non amplius malum hoc repullulauerit. *Joh. Scultetus in observationibus armamentario chirurgico adiunctis.*

De Elephantia Iavæ nova.

Ante 20. circiter annos incolæ Javæ horrendo quodam morbo affligi cœperunt, qui digitos manuum pedumque consumit, duris atque horrendis tumoribus, qui postea exulcerati in putrida atque cacoëthica ulcera cum carie ossium degenerant, facies defædatur, neque ullis medicamentis vicinæ partes ab hac infectione reddi possunt immunes, nisi membrum infectum exstirpetur. Pus tam acre & corrosivum est, ut quando tubercula spontè non aperiuntur, postea fuerit animadversum, illud in ossa subjecta sæviisse: in initio morbi, aurium extremitates supra modum intumescunt, calcaneique omni sensu destituuntur, adeo ut sine dolo-

dolore acus integra possit adigi, illæque partes utplurimum exulcerantur: in initio lividæ apparent maculæ, omnis sensus expertes, capillitium, barba, & supercilia decidunt, quanquam aliquando id non contigisse observaverim. Inter procatarcticas causas est contagium. Malis, putridis, fœtidis & sale conditis piscibus marinis, aliisque crassi chyli cibis & fructibus incolæ vescuntur, piperis Indici, Lada Chili dicti, integros devorant manipulos, cibos calidos & aromata sine mensura adsumunt, atque ad libidinis pruritum excitandum Aro quotidie in cibis utuntur, hinc etiam integra terræ jugera herba ista sunt consita: lues venerea inquilina est, adeò ut febre quotidiana sit vulgatior. Utque eo melius morbus hic pateat, icon ex adverso posita inspicienda. Quæritur jam, ad quod morbi genus pertineat, quibusve medicamentis curari debeat? *Ex Arce Bataviæ Anno* 1681. 25. *Novembr. ad D. D. Christian. Mentzelium.*

Scholion.) Præter Observationem hanc, à curiosissimo nostro *Dioscoride*, ad Nobilissimum nostrum *Apollinem* perscriptam, ejusdem etiam dilucidatio, quam magni Parentis filius clarissimus, *Dn. Joh. Christianus Mentzelius*, in Academia Francofurtensi cis Viadrum, Anno præterito, sub Excellentissimi *D. D. Bernhardi Albini, &c.* per modum Disputationis publicæ, non infeliciter in lucem dederat, digna fuit judicata, cujus præcipuæ partes hic recenserentur. Is itaque morbo huic Elephantiasis, quæ Arabum Lepra est, nomen competere arbitratur, cùm taliter adfectis digiti in manibus & pedibus, *Celso* teste, sub tumore condantur, præterea exedantur & livida ac fœtida stillent sanie, juxta *Cæsalpinum prax. univ. art. med. lib.4. cap.*13. malo etiam increscente sordida ab humorum acrimonia & malignitate plerisque locis excaventur ulcera, notante *Ant. Valetio exerc.*64. ipsas partes, nasum, digitos, &c. sensim decidere, ex *Aretæo lib.*2. *de diut. cap.*13. ossa interdum fieri cerea, ex *Petri à Castro observ. MS.*40. plerumque in facie hanc luem erumpere, *Jul. Palmario Const. de morb. contur. lib. de elephant. cap.*3. extuberationes fieri rotundas, & duras sub lingua, palpebris, auribus, *Jac. Hollerio de morb. int. lib.*1. *c.*64. *in Schol.* aures exulcerari, Aretæo, aures extenuari rubereque admixto nigrore, atque exulcerari, *cit. Palmario*, sensum perire extremitatum, & si acu altius pungantur, non sentire, *Hollerio & Francisco du Pont. de Sign. morb. l.*4. *c.*25. §.30. neque aqua fervente exuri, *Palmario*, pilos passim decidere, ex *Platero tom.*3. *cap.*4. constet. Quæ omnia ceu maximè pathognomonica signa, dum hoc etiam in morbo, à viginti saltem annis in Java grassante: ideoque novi morbi nomen ibi promerito, deprehenduntur, nomen quoque illud mereri, concludit. His ita statutis, fermentum istius morbi in Javam aliunde fuisse illatum inde ostendit, quòd sine dubio & ante hæc tempora idem incolis fuerit victus, qui tamen elephantiaci non fuere, aut certè jam ad unum omnes sub hujus mali vexillo militare deberent, & ibidem licet loci, unde apportatum est, adeò non sæviat, fieri id sine dubio, quod massa sanguinea fermentanda hic aliis imprægnata sit particulis, unde & alius debeat esse effectus. Contagium autem hujus morbi in eo consistere, quòd è corpore elephantiaci exspiret id, quod abundat, spirituosioribus videlicet partibus ex humoris peccantis fermentatione sursum ascendentibus, & de fermento elephantiaco participantibus. Cujus exigua portione totum inquinari hominem, non sit mirum, dum quotidiè magnam massæ farinaceæ molem à pauco fermento, cerevisiæ quantitatem à paucis floribus fermentari, integra regna ab uno peste infecto infici videmus; intestina nempe à fermento excitata lucta paulatim mixturam humorum turbante, tandemque ut in sui generis abeat fermentum cogente, adeò ut sanguis elephantiaci postea totus fiat fermentum, fomesque sit inexhaustus & lerna innumerarum infectionum. Favere huic morbo ipsum Insulæ situm, qui totus in Zona torrida est, magis directos excipit solis radios, multumque ab illius fervore aduritur; Piper Indicum, quod manipulatim adsumunt, cibos calidos cum aromatibus, quos sine modo devorant, Arum, quo quotidiè in cibis vescuntur, massam sanguineam omnino multis acribus salibus imprægnare, illamque valdè acrem reddere; pisces marinos, putridos & fœtidos, crassi chyli cibos, & fructus suo lentore, viscidis terrestribusque particulis, illam incrassare & viscidam facere; luem veneream utrumque indicare, quæ acres volatiles atque fixas particulas tenaci pituitæ junctas esse doceat; nimiam illam venerem, cui supra modum dediti, quidquid in massa sanguinea balsamicum est & spirituosum, omne exhaurire; adeò ut sanguis illorum sit crassus, terrestris, viscidus, & simul valdè acris; si misceatur jam huic sanguini aliquod fermentum, quod acre è sanguine præcipitet, tunc lentorem stimulo illo orbatum causari obstructiones, acredinem verò stamen partium lædere, sicque Elephantiaseos causam adesse continentem. Lividas maculas nihil aliud docere, quàm illas à reliqua cutis superficie superficies mutatas à fermenti admixtione habere & differentes, adeoque angulos incidentiæ & reflexionis utrobique non esse eosdem, unde mens id animadvertens discrimen, de utraque diversas habeat perceptiones, & sic variegata adpareat cutis. Intumescentiam extremitatis aurium & reliquorum membrorum oriri, quòd fermentum elephantiacum partium sibi alias mixtarum cohæsionem turbet, quæque intestinis iis motibus adeò promptè non obsequuntur, eas ad peripheriam pellat, quæ ingressæ tubulos illos propter crassitiem obstruant, humores præsentes retineant, affluentium transitum impediant, partisque ita caussentur tumorem, in primis in auribus, quorum substantia fibris rigidis constans, cartilaginosa, duriuscula & ita obstructionibus magis est obnoxia. Stupere & insensiles esse calcaneos, quia humores viscidi, crassi, terrestres, in his corporibus abundantes, à tubulis nervorum recepti, illos tumere faciant, unde nervi comprimantur, regurgitantibus ita, à clausis hac ratione portis, spiritibus animalibus; hinc nervi illa portio fiat flaccida, & mota licet, motum non propaget, nec mens percipiat quid in illa parte rerum agatur, calcaneum vero & quidem in ipsis morbi principiis adfici, quod sanguis gravior crassiorque deorsum,

naturæ legibus, tendat, maximumque illius propter lineæ rectitudinem impetum sustineat calcaneus, vel ipsa cutis duritie & ligamentorum copia commendabilis. Exulcerari istas partes, quia oppessulati tubuli ab humoribus à tergo prementibus, vel claudantur arctius, vel illas rigiditate sua perrumpat acre sal, quo sanguis abundat, perrumpant etiam propter subtilitatem & alii spirituosi humores, qui viribus fracti in ipso tumore nidulantur, unde calor totius corporis, usque & usque affluens, subtiles illas particulas agitet, sal acre commoveat, atque sic impulsum elephantici fermenti juvet, concutiantur hinc fibræ tandemque disrumpantur, quarum pars in cincinnos resiliat, pars utrobique rupta humoribus innatet, & turbato sic fibrarum ordine fiat cavitas, in qua colligantur humores, sale acri & corrosivo, à pipere, aro, contagio, infecti. Quod acredo puris subjecta potius corrodat ossa, nisi tumor arte fuerit apertus, quam carnem, nihil esse insoliti, prout aqua fortis ferrum, non ceram vel picem adgreditur, stamen ossium carnoso solidius multo esse & rigidius, quiescere osseas particulas pertinaciter juxta se, & ita excipere ictus & impetus irruentium, cedere nescias; carnosas vero, molliores utpote & flaccidiores, licet percutiantur, cessione sua ictuum absorbere vim quandam, retroagere aliam, diutiusque resistere, perinde ac pilæ immissæ vim absorbeat arena, quam efficaciter retroagit murus, & globus sclopetarius trajiciat asseres solidos, quem putre lignum cedendo & resistendo viribus privat. Hoc modo fieri cacoethica illa ulcera, ruptos esse nervos, ossa cariosa, carnes corrosas, humorem adesse causticum, unde pars illa non solum moriatur, sed vicina membra paulatim patiantur eademque, serpatque id malum ulterius, denegato commeatu decidant membra, & sic miserrimum hominis fiat spectaculum. Quod si materia morbifica ad glandulas subcutaneas deferatur, radicibus pilorum, quibus hi sunt infixi, resectis, eos decidere, raramque fieri cæsariem, sin minus, hærere suo loco, utut hoc inter rariora numerari debere videatur. His prælibatis, & prognosi ex *Hollerio*, *Cæsalpino*, *Platero*, *Aretæo* & *Aëtio* addita, ad secundæ Quæstionis solutionem progreditur, iteratam primo suadens venæsectionem, cum enim sanguis terrestris & viscidus sit, abundetque multis acribus, volatilibus & fixis salibus, corrigi eundem debere, innuit, quod quam arduum sit, ægrorum diuturnas testari querimonias, ut igitur felicius immutari regique possit, imminuendum esse, ita enim medicamenta hostem viribus fractum superare facilius, & sanguinem cor subire sæpius alterarique, nullo venarum habito delectu, si tamen is observandus, electa in eum finem pedis vena, si magna satis conspiciatur, crasso utpote sanguine magis in truncis artuum inferiorum reperiundo. Hæc dum fiunt, sanguinem corrigi debere internis medicamentis, quæ incidant & attenuent, copiose adsumendis, ut omni, misceantur sanguini. Hinc Guajaci decoctum commendat, leve, nec nimis crebro, ob acredinem ejus, sumptum; cui ideo præfert Sarsaparillam in mucilaginem, qua acres particulas temperat, resolutam, aut hordei aquæ immaceratam, aliisque etiam, ut liquiritiæ radici, vel passulis permixtam, & mane ac vesperi inter stragula calide sumptam, aut interdiu urgente siti haustam. Decoctum etiam fieri posse ex cortic. tamarisci, fraxini, rad. cappar. chin. Sarsaparill. lign. sassafr. sant. omnium, antimonii crudi vel cinnabaris in petia ligatæ uncia una vel altera, cum tartaro crudo in aqua chalyb. vel sero lactis infusis, addito oxymelite scyllitico & succo limonum; quo per triduum quatriduumve usurpato, purgationem è mineralibus, quarum particulæ sunt solidiores & graviores, adeoque efficacius operantur, instituendam esse; addendo Pilulas de fumaria aut helleboro nigro, Mercurium dulcem, Arcanum corallin. &c. aut, si pituitæ in ventriculo mobilis suspicio foret, unum alterumve granum Mercurii vitæ, vel sulphuris aurati antimonii, vel Turbethi mineralis; quo facto, ad apozema per aliquot dies redeundum, deinde rursus purgandum, periodo illa toties reiterata donec sanguis videatur emendatus, corpusque satis præparatum; tunc enim exhibendum potens aliquod ex mineralibus sudoriferum, è Mercurio diaphoretico, Tinctura antimonii, Q. E. Antimonii Regulo antim. sine marte, Sulphure antim. Bezoartico minerali, additis, ut mineralia hæc eo citius in actum deducantur, sale viperarum volatili, croco, tinctura opii, &c. Ut vero sanguis mollior fiat, sal acre infringatur & educatur, præterea laborandum esse; ibi Emulsiones amygdal. dulc. &c. Seminis psyllii mucilaginem, &c. hic Acidulas naturales, clyssum antimonii, scobem eboris, C. C. oculos cancri, corallia exhibenda. Nec usum, cautum tamen, millepedum vel asellorum spernendum, imò nec vermium majalium acri suo sale caustico spoliatorum atque in pilulas redactorum, vel etiam simpliciter exhibitorum, ortam hinc stranguriam lactis dulcis haustu statim sedante; copiosum enim sal ita cum urina educi. Viperas ab *Aëtio*, *Cæsalpino*, & *Galeno* dilaudatas, ab *Aretæo* & *Palmario* reprobari notat, ipse verò utrisque, habito diverso respectu, adsentitur; cum enim maxima viperarum efficacia à sale volatili veniat, si illud in copia ad massam sanguineam derivetur nondum correctam, inanes non solum facere impetus judicat, sed sali acri novum insuper addere stimulum, unde necessario exasperentur symptomata. Cum verò massa sanguinea satis præparata, eo deventum sit ut diaphoreticis uti concessum sit, maximo cum fructu mineralibus diaphoreticis, utpote in operando tardioribus, ea addi, neque tunc ullum ab eo sale metum esse posse, cum nullibi hæreat, sed libere transeat, & qua diaphoresi, qua diversi, sal copiosum secum educat. Castrationem à quibusdam, ut infallibile & præsentissimum remedium, magnopere commendatam rejicit; morbi enim causam ab ea non tolli, adsit licet, ab acrium spirituum influxu inexpugnabile coëundi desiderium, illud tamen non causam, sed morbi effectum esse, unde neque illo remoto morbum curari. Inter externa remedia, ad humorem terrestrem fluidum reddendum, obstructiones deobstruendas, sal acre educendum, partesque corporis emolliendas, balnea

balnea aquæ dulcis tepida reponit, quorum Particulæ aqueæ in poros sese insinuando, illos aperiant, tenacem pituitam diluant, & sal educant; quæ ipsa tamen noceant, si illud sal morbosum sub densa nimis hæreat cute, ita ut educi nequeat, sed majorem concipiat ab aquæ spiritu motum; quo in casu satius sit aquæ salsæ balneum, quod aperiendo poros sali latenti viam exeundi paret, & efficacissimum fore sal, quod antimonio, sale communi & tartari igne potentissimo fusis regulo supernatat, vel scorias reguli antimonij cum nitro & tartaro facti. Thermas etiam sulphureas, mere adstringentibus, qualia sunt aluminosa, repudiatis, hic prodesse, quarum defectum suppleant artificialia Balnea, ex fol. & rad. alth. enul. bryon. cyclam. helleb. utriusque, lil. furfure macro, cort. sambuc. sem. lini & fœnugræci, sale ammoniaco, sulphure &c. parata, purgantia studio addendo, ut ab iis excitatis fermentationibus humores incipiant moveri, poris vim faciant, atque sic egrediantur. Tumores esse emolliendos Unguentis &c. notioribus, quæ inprimis Mercurius præcipitatus albus, vel Arcanum corallinum, vel Mercurius dulcis ingrediantur. Quibus non proficientibus, tumoribus vel maculis scarificatis cucurbitas vel cornua suctoria Palmarij superimponendas esse, pro crasso sanguine educendo, vel quod melius, alte discindi & medicamentis cathæreticis vel causticis, crystallis scil. argenti, Mercurio sublimato corros. Oleo mercurii, Oleo antimonij, Butyro antimonii, vel quod eo fortius, Butyro arsenici. Arsenico sublimato, aliisque exedi, ulcera verò forti guajaci decocto elui, cicatricemque superinduci; & his nihil proficientibus, ferro exstirpari membrum oportere. Tandem si ab ullo medicamento, certe à salivatione sperandum esse remedium, quæ omnibus indicationibus satisfaciat, glutinosamque pituitam, revera quandoque acerrimam, in copia educat. Denique brevi diætæ enarratione erudito discursui finem imponit. *D. Andreæ Cleyeri.*

Hisce omnibus addamus jam quædam de Cuticula ejusdemque morbis (quamvis potiùs ad Cutis affectus supra descriptos pertineant) Clarissimi nec non celeberrimi Carol. Drelincurtij Collegiis ab Excellentiss. D. Guyot. M. D. communicata.

1. Matronam, vidi quæ fluorem album astringentibus internis & suffumigio thuris sibi suppresserat, sed incidit in pruritum jugem, inque cuticulæ scabritiem tantam ut per plures menses furfures largos atque numerosos interdiu, noctuque decorticaverit.

Jusculorum usu è carne vitulina cum chærefol. agrim. eupator. cannabin. cichor. atque fumar. nec non baln. aq. tepid. cum fol. vitis feliciter curata, intermediis V. S. & purgatione.

2. Virum autem quadragenarium frustrà curavi perplurimis volatilibus, misturis & diæta tenui atque diaphor. quò cuticulam ejus emendarem universe scabram instar vel leberidos vel elephantini corii, quæque per amplas & spissas squamnas hinc & illinc passim decidebat, aliâ protinus succrescente, perinde scabra, spissa atque dura, sed pruritus omnis experte. In Italiam se contulit quò viperatum inungatur adipe, & viperinas carnes edat. Exitum ignoro.

3. Juvenem unum & alterum miratus sum quibus sub morbillorum declinationem salutarem, tota cuticula *manuum & pedum* abscessit chirothecarum veludonum instar. Id ipsum tertia vice in viro deprehendi sub finem curatæ febris malignæ.

4. Præprimis autem in admirationem me traduxit decennis puer, cujus mater ideâ piscium, sub initia graviditatis commota, ipsum nonimestrem exclusit pedibus manibusque squamosis, cyprini more, squamis scil. latis, mobilibusque & mutuò ad digitorum motiones sese affricantibus. Imo squamis illis vel sponte, vel imprudenti quovis allisu deciduis, novæ continuò succrescunt.

Quævis autem squama pedunculo nervaceo atque sensili cohæret, sicut mihi patuit earum aliquot apicibus unguium sublatis, atque commotis vel etiam leviter inversis, puer enim, præ dolore nullius evulsionem admittit.

Ab Anno autem 1681. quo ipsius squamosis artubus studui nihil de ipso mihi suboluit.

5. Largissimam porro cuticulam, suis vel unguiculis vel unguibus instructam, & è cadaveribus revulsam meis αὐτόπταις subjicio. Mirantur omnes quo artificio id præstem, nam tota illæsa & illacera unaquæque portio digiti sui refert ideam, sed secretum meum singulos fugit. Extrema priùs macero tepida sæpiùs renovata, donec putredinis initia subodorer, & tunc certè levi industria tantas portiones & taliter figuratas extraho.

6. Coronidis vice cuticulam Æthiopum producam, à me quidem invisam, *sed fide Riol. Anthropogr. lib. 2. cap. 4. atque Peclini, in tractatu de nigred. Æthiop. mihi inscripto*, nigricantem unicè, cute vero subjacente candida.

Non ita pridem ad cujusdam viri, de lepra non suspecti duntaxat, sed tertium jam à Chirurgis lepræ adjudicati, examen, Magistratus jussu vocatus, cùm viderem bonum virum nihil minus quam leprâ laborare; licèt octo jam annorum curriculis leprosis cohabitare fuerit coactus; jussi, ut prædicti illi Chirurgi suam de hoc leproso prolatam sententiam signis syllogisticis, & rationibus instructam in medium proferrent. Hi vultu quodam superciliosò, & fastu, ut ferè fit, plus quàm ampullosò, illum leprâ laborare instabant, tum quòd nativus faciei color in lividum & fuscum desineret, tum quòd visus hebetudine & vocis raucitate laboraret, tum quòd maximò anhelitus fœtore & mephiti obvios quosque deterreret, tum quòd in crure fœdum aliquod ulcus habuerit; tum demum, quòd ante aliquot annos ejusdem filiam lepræ adjudicarint, quæ tandem leprosa mortua fuerit. Hisce machinis & argutiis tantum apud Magistratum effecerant, ut bonus vir communi hominum societate exclusus, & leprosis adscriptus fuerit, quibus jam octo annis convixit, citra ullam tamen veræ lepræ signaturam.

Quæ cùm audivissem, ipsique Chirurgi nihil ulterius de lepræ naturâ, essentiâ, causis, dif-

ferentiis, signis syllogisticis seu pathognomonicis, in medium proferrent, statim intellexi, illos lepræ essentiam ignorare, nec inter lepram & non lepram distinguere, nec ullam differentiam inter lepram Græcorum, quam psoram perversam vocamus, & veram lepram Arabum, seu Elephantiasim, facere posse, unde nec mirum, si incautiores, & imperitiores isti Chirurgi in cæco hoc examine decepti, cæcam quoque tulerint sententiam.

Paucis igitur quæ sit inter lepram Græcorum, seu psoram, & lepram Arabum, seu morbum elephanticum, quem & elephantiasin, leontiasin, seu satyriasin & tyriasin vocant differentiam illis aperui, & bonum hunc virum, nullis horum affectuum caracteristicis signis laborare, demonstravi.

Cùm enim hoc subjectum nulla feræ & siccæ scabiei species turpiter defœdet, nullisque nec tenuioribus, nec crassioribus squammis obducatur, sed universum corpus incolume, sanum & nitidum, pilosæ tum capitis, tum superciliorum partes puræ, firmiterque fixæ hæreant, conclusi, bonum virum à Græcorum leprâ immunem & salvum esse.

Eundem quoque nec Arabum leprâ, seu vera elephantiasi laborare, ex absentia omnium signaturarum caracteristicarum, aut signorum pathognomonicorum convici. Cùm enim hic affectus sit contagiosus, sæpè hæreditarius malignâ & perniciosâ suâ qualitate, pluriumque vitiorum congerie corpus defœdans, atque membranea solùm aliqua involucra, & cutem præsertim inficiens, si tali affectu laboraret bonus vir, haud dubiè octo jam evolutis annis, sese aliquod vitium in apertum dedisset, cùm tamen ex sex illis signis syllogisticis nullum hactenus fuerit observatum: Nec enim unquam in cute vel faciei, vel frontis, vel genarum, cubiti, fœmorum, manuum, pedumve tubercula facilè mobilia, indolentia, & ex livore ad rubedinem tendentia, horridumque aspectum præbentia, epullularunt.

Nunquam in eo visa sunt oris tubercula, quæ ore hiante, Linguaque depressâ in palato, & faucibus circa linguæ radicem, nunc flavescentia, nunc sublivida, vel visa, vel reperta fuere. Nunquam item vel in pedum digitorum interstitiis, vel in plantis, in crassâ præsertim & durâ illius parte, vel in manibus, juxta cubiti articulum, præsertim in acutiore illius sede, aliisve artuum locis, ulcera effloruerunt. Cùm enim ejusmodi ulcera & fissuræ veram cutem penetrent, lata sint, & rarenter ulteriùs serpant, labiis callosis, ac prætumidis constent, atque læsa facilè cruentent, indolentia sint licèt, si talia vel adessent, vel adfuissent, facilè quoque videri potuissent, & ex iis firmum aliquod judicium ferri. Nunquam insuper in eo visa sunt narium ulcera, earum septum, fungos & ossa, seu cartilaginem depascentia, nasô turpiter delabente, palatum columellamque depopulantia. Nunquam præterea in eo observati tumores, non tumidæ in aurium ambitu pinnæ, non crassescentes auriculæ, non plus justo auctæ, aut dilatatæ narium alæ, non palpebræ, non labia, non pedes, manusve inflatæ, aut tumidæ. Nunquam demum in oculis juxta majorem canthum nata pellicula, sensim accrescens, quæ sane si prædictis jam signaturis accederet, magnô argumentô haberetur.

Cùm igitur pathognomonica hæc sex signa nunquam in hoc subjecto apparuerint, quis illud leprâ correptum dixerit? Cætera autem signa ab illis Chirurgis allata, quemadmodum & alia quæ addi possent, uti cutis scabrities in pilosa capitis parte, cum squammis & furfuribus, fissuræ item cutis pedum, manuumque & unguium; pilorum item defluvia, sanguinis quoque detracti livor, crassities, cum arenosis seu granulosis quibusdam arenulis; cachectica corporis constitutio, frons cornu instar splendescens, formicatio ac titillatio faciei, palati, linguæ, totiusque corporis, sensuum stupor; Hæc, inquam, & similia, non moror, eò quòd aliis etiam morbis consectaria atque communia esse possint, quamvis nec & ipsa in nostro hoc subjecto reperiantur, vel si quædam adsint, tanti tamen momenti non sunt, quin durissimos labores, noctuque dieque familiæ sustentandæ causâ, obire possit.

Filiam quod concernit, quam leprâ mortuam putabant Chirurgi, falsâ morbi specie decepti fuerunt. Dum enim rem ipsam diligenter investigarem, cognovi tandem, ipsam non leprâ, sed inveteratô morbô gallicô correptam obiisse. Et quod notatu dignum est, dum cum leprosis octo annis versaretur bonus vir, prolem ab uxore sana sanissimam accepit; Unde si infectus fuisset pater, haud dubiè jure contagij hæreditariô, vel prolem, vel matrem vel utrumque infecisset. *Claudius Deodatus apud Guilielmum Fabric. Hild. Epistol. centuria.*

Anatomica Inspectio.

Lepra infectæ Matronæ cadaver exhibuit viscera tum vitalia tum naturalia marcore confecta.

Illustris Matrona, Vasconiæ Proceribus proxima affinitate conjuncta, Burdegalam venit anno 1660. adiitque Dn. *Dezelis* seniorem, Chirurgum, apud quem tunc temporis artis tyrocinia ponebam Lepræ, qua infecta erat, curationem ab illo exposcens: Lepra fuit, eaque confirmata ex judicio Clariss. Medicorum D. D. *Mingelozeau* & *Emery*, Facultati Medicæ Burdegalensi adscriptorum: Magistrorum item *Dezelis* & *Chovet* Chirurgos peritiss. Illius quippe morbi vix ulla desiderabantur indicia: Capillitium omne deciduum tum sponte tum pectine, quod furfureas sordes fœtidas simul decussit: Torvus erat aspectus micantesque oculi, Vultum gutta rosacea fœdabat, & luridus color violaceo proximus; maxime nasum, & labia: Auribus tamen nativa servata conformatio, nec pone ullæ tumebant glandulæ: quæ in parte colli sinistra, juxta claviculas, juglandis nucis magnitudine utrinque eminebant mobiles: Lingua tumebat, extrema parte & prope venas raninas pustulis obsita: admodum fœtebat anima: Thoracem anticum adhuc candidum nullæ squammæ exasperabant sed macies illic summa ut & totius corporis habitus: Mammarum nulla vestigia;

vestigia: Vox nequaquam rauca nisi sermonem protraxisset, fusca enim illico fiebat & adeo obscura ut aures vix feriret, subsequente mox potus desiderio ad inductam siccitatem leniendam: Pollicibus sua contabat crassities, manus squammas aut furfures nullos dabant, at sensus tactus obtusus erat, ad punctionem tantum & fortem vellicationem sensiles: Respiratio qualis phthisicorum anhela; Abdomen, præsertim circa præcordium dextrum durum, & ἀντίτυπον: Lotia effundebat pauca cruda, sæpius & crebro cum foetore turbida: Alvi fœces, quanquam σκύβαλα & πρὸς ἀνάγκην tantum dejiceret, tetro odore nares feriebant: Cutis color ab imo pectore ad pedes usque fuscus erat, nigro proximus, ubique ea arida & scabra: Femora & tibias, non secus ac Gallorum Indicorum, squammæ vestiebant, omni sensu destituta, acus quippe citra sensum alte adigebatur: Genitalibus ob importunum pruritum manum perpetuo inferebat: Ea nudata pustulas pisi magnitudine exhibuerunt, è quibus nigricans sanies exsudavit: Tetricis erat moribus, in excandescentiam prona, maxime post scalptum: Narrabat Illustriss. Parentem similem morbum necasse, contagio in legatione ad Lusitanos contractum, imò in matrem, (ante natam Illustrem Aegram) transfusum, paulo post puerperium mortuam: Patrem xij. annos illi superstitem fuisse, sed à fœda illa lue tam male exceptum, ut non Aula solum sed & omni consortio se subducere necessum habuerit, quamquam celeberrimi *Garciæ à Lopes* Medici Hebræi, opera usus fuerit toto biennio: *Affectus primordia* quatuor ab obitu Illustr. conjugis annis elucescere cœpisse, Ex eo duos liberos, utriusque sexus suscepisse, non diu superstites: Luis immunem fuisse at non scabiei levis, quem phthisis anno ætatis xlij. sustulerit: Consanguineis cæteris pepercisse: Curam Illustris Matronæ susceperunt supra dicti D.D. Medici & Chirurgi, strenuamque operam toto trimestri navarunt, quorum industria, Deum testor, pene salva & incolumis, castellum suum procul dissitum repetiit: pleraque enim recensita Lepræ indicia delituerunt: Novo & nativo capillitio ornatum caput, desiit fœtor, evanuerunt faciei pustulæ, nisi tamen apice suum servante livorem & crassitiem, imminutum tamen, deposuit & lingua sua tubercula: Sitis non amplius molesta, subsedere quæ circa claviculas glandulæ: Femoribus & tibiis cutis æqualitas restituta, solus pruritus ex intervallis redivivus molestus fuit: liberior fuit Respiratio, oculi non ut ante truces: At ab axillis virosus odor manabat: Si de venereis sermo incideret, recurrebat in os saliva: detumuit quoque abdomen, cessitque hypochondriorum durities: Vegetus ubique erat sensus Tactus, punctiones vel levissimas impatienter ferens: nec excrementorum alvi tantus fœtor comes fuit, liberiusque & liberalius efferebantur: Urinæ colore & consistentia naturalibus erant proximæ, aculeato sale exutæ qui ad crebriorem mictionem excitabat: Sibi tandem omnino dissimilis facta est, cunctis mirantibus qui in ea tam insignem ad statum naturalem reditum, quo xiv. mensium intervallo frui licuit, à quo in priorem, & sex intra septimanas pejorem relapsa est, cui se febris continua adjunxit, quam sitis inextinguibilis consequuta est statim lethalis: Lethum præcessit vultus defœdatio horrorem omnibus incutiens: Crura, quæ in priore morbo excarnia, insigni tumore conspicua erant.

Cadaver à dicto D. Dezelis, me præsente prænominatis Medicis & Chirurgis dissectum fuit, cujus imæ & mediæ partes solum evolutæ: Pulmones scirrhosi omnino & aridi apparuerunt, obsessis illorum bronchiis mucoso, crasso & extreme viscido humore: Sanguis vasis thoracis conceptus crassus erat & adustus, sero omnino destitutus: Trachæa arteria adeò exsucca & arida ac si sub dio plures dies jacuisset: Cor minimum, parvumq; serum in pericardio: Pulmonum lobi ab omni connexu liberi. Iecur scirrhosum lividumque apparuit; imo adacta in visceris interiora novacula, strepitus perceptus ab occursu corporum durorum, quasi lapilli oblati essent: admodum quoque parvum erat & aridum, cujus minor lobus vix latitudine duos digitos transversos æquabat, & longitudine tres: Major eam sequebatur proportionem: Cystis fellea magna, bile turgens: Splen summe parvus & durus: Pancreas succo quodam ad nigrum vergente turgebat, & sicco: Mesenterium duris glandulis, magnis & aridis obsitum, succo sebum unguento basilico remixtum, referente tumidis: Inania quoque & arida erant intestina quoad utramque tunicam: Renes calculis infarcti, sinapi instar seminis exiguis, duris, solidis, porri semina colore referentibus: quorum plurimi ureteres occupabant: pelvis & carunculæ laceræ erant: In vesica plurimi etiam reperti calculi cum phlegmate; tres item lapilli phaseolum æquantes ad instar tophi molles vel indurati gypsi: Uteri quoque membranæ exsiccatæ erant, nec non illius substantia, coarctata etiam & vulva & rugosa, patentibus nihilominus admodum multis vasis spermaticis: Incisuris factis in habitus corporis musculis, præsertim artuum inferiorum, reperta pluribus in locis caro scirrhosa, præterquam in tibiis, in quibus paulo minus arida: Venam cruralem implebat sanguis niger & adustus, inanibus pene arteriis: absque vi è digitis pedum ungues abscessere, manuum pressius cohærebant: *Theophilus Bonetus, ex communicatione Ludovici Bailly Chirurgi, Sepulchreti Tom.2.*

EMPHYSEMA.
Vid.
ATHEROMA.

EMPROSTOTONOS.
Vid.
CONVULSIO.

EMPYEMA.

Antecedentia in Empyemate sunt.

PEripneumonia, pleuritis, pulmonis Vomica, derivatio sanguinis, vel cujuslibet alius

humoris, chyli, lymphæ, &c. in pus mutabilis facta in cavitate pectoris à quacunque causa per erosionem, dilatationem, fractionem &c. Sic Hippocrates. *Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuretur necesse est.* Et. *Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationem perveniunt intra dies viginti.* (ventris autem superioris nomine pectus intelligendum esse, Author est Galenus in Comm.)

Conjuncta.

Pleuritide, vel peripneumonia non expurgata febris intensior, rigor, pondus, & sensus gravitatis in parte. Ita Hippocrates in Prognosticis, & Galeno teste, fluctuatio, ait enim. *Ubi quis affatim à decubitu transmutatur, idque maximè, si ab uno in alterum latus se convertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri, haud dubia conjectura est.* Hactenùs ille. Auditur etiam aliquandò fluctuatio, cum scilicet pus est tam liquidum, & copiosum, ut fluctuare, & sonum excitare possit. Respiratio difficilior, sputum aliquandò purulentum. Empyema autem jam factum, & confirmatum comitantur febris mitior, & lenta, continuè infestans, quæ partim putrida, partim hectica videtur, interdiù mitior, noctu vehementior: sudores multi, sed inutiles, & noctu præsertim supervenientes: tussis frequens, & molesta. Demum maxillæ rubent, oculi fiunt concavi, curvi ungues, tumidi pedes, pustulæ circa pectus, & ut plurimùm in latere affecto cutis inflatio, & tumor œdematosus. Ait Hippocrates in prognosticis. *Si Empyema in altera tantum parte existat, hos convertere, ac discere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius sit, atque cubantem supra sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi; si enim ita est, in quodcunque latus pondus insit, in altero suppuratio est, quemadmodum si utrinque calor, & pondus sentiatur, in tota thoracis cavitate pus continetur.* Et idem primo de Morb. *Applicetur linteum thoraci madefactum secundum utramque partem, dextram, & sinistram; citius enim exsiccabitur illud, quod supra partem pus continentem appositum est.*

Succedentia.

Hippocrates in Prognosticis. *Suppuratorum ii potissimum supersunt, quos febris eadem die dimiserit post ruptionem, ac cibum citiùs appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigua, & consistentia rejicit, & pus album, læve, concolorque est, & vacans pituita, & absque labore, & valida tussi expurgatur. Itaque optimè quidem sic, ac celerrimè judicantur, sin minus quibus ad hæc proximè accedunt. Moriuntur verò ii, quos febris non deserit, aut cum videtur deserere, denuò recalescens innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt, alvus humida est, pus viride, lividumve spuunt, vel pituitosum, spumosumque. Pereunt, si hæc adsint omnia. At quibus alia veniunt, alia non, horum quidam intereunt, quidam in multo tempore incolumes evadunt.* Hæc ille. Et idem. *Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione intra dies quadraginta sursùm purgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem.* Et. *Si empyis, cum uruntur, aut secantur, purum, & album pus effluat, evadunt: si verò subcruentum, fæculentumque, & fætidum, pereunt.* Et idem in Coacis. *Empyici meliùs habentes, & qui fere expurgari videntur, si sputum fœtidum excernant, cum recidiva intereunt.* Et similiter. *Quibus specillum à pure velut ab igne coloratur, ii ferè moriuntur.* Et pariter. *Ex suppurationibus, quas pulmonum morbi excitarunt, ferè senes moriuntur, ex cæteris verò juvenes.* Et in Aphorismis. *Quicunque empyi, vel hydropici uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua universim effluxerit, omninò moriuntur.* Galenus autem 4. de Loc. Aff. 7. *Quibus in magna puris copia intra thoracem, & pulmonem collecta thorax in respiratione attollitur, celerrimè suffocantur.*

Cum empyema sit collectio puris in cavitate pectoris, & in ejus cavitatem per membranas exsudare possit etiam ex Galeno, ut ostendimus in iis, quæ ad morbos particulares planè exponendos præmittimus; suppuratis igitur pleuritide, peripneumonia &c. vel humore quolibet in pus mutabili per canales quoslibet in cavitatem pectoris derivato, ita ut demùm in pus veniant, fiet inde empyema. Cur autem in peripneumonia etiam suppurata, & quomodò fieri possit, ut pus non per os reddatur, sed in cavitatem pectoris abeat, ex qua deindè rursus per os, ac sputum reddi possit, in peripneumonia expositum. Cur autem distillationes in ventrem superiorem intra dies viginti suppurentur, nulla peculiari à causa pendet, sed per solam observationem, atque experientiam didicit Hippocrates, naturam ejusmodi distillationum talem esse, ut viginti dierum spatium exigant ad fermentescendum. Incipientis autem empyematis pathognomonicum signum non crediderim esse febrim intensiorem non repurgatis pleuritide, & peripneumonia, imò verò arguere posset pus nondum factum, cum, dum pus conficitur, dolores, & febres magis fiant, quàm jam confecto juxta Hippocratis aphorismum. Sed neque pondus, & sensus gravitatis in parte, cùm hæc omninò esse debeant conjuncta cum ipsis inflammationibus, & augeri, prout illæ augentur: augentur autem mole, dum pus conficitur. Fieri tamen potest, ut pus sibi viam aperiens ad cavitatem pectoris, neque adhùc multùm fluxile subeat vasa sanguinis, & per corpus derivetur, unde vel obstruendo propter crassitiem, vel agitando, & fermentando febrem intendat, atque interim ejus demum aliquid ad cavitatem pectoris è pulmonibus deveniat; in quam tamen cum deductum fuerit, difficillimum erit dijudicare pondus, & gravitatis sensum ab eadem derivata materia pendere, nisi fluctuatio audiatur, vel æger sentiat locum ponderis, & gravitationis non esse permanentem, sed hùc illùc dimoveri, & hoc esse poterit argumentum collecti puris certissimum. Rigor ab allapsu, & contactu puris, & membranarum erit vellicatio nervorum, seu motus eorum, qualis, dum obstupescunt dentes ab audito sono, ut in rigoris expositione. Quia verò intra cavitatem pectoris derivatur pus; prohibet igitur, ne pulmo dilatetur, quantum opus, & ne pectus constringatur similiter, quantum requiritur; dolor igitur, aut molestia, & difficultas major respirationis. Quod si pus possit per suam tenuitatem

nuitatem &c. intra pulmonem derivari, per sputum purulentum reddetur: nisi verò possit, pus non expuetur. Facto autem jam empyemate, vel suppurata prorsùs inflammatione admiscebitur sanguini solum pus concoctum, nempe satis fluxile, ac fixum, hoc est, minimè obstruens, & minimè fermentans: remittetur proinde febris, & cum pus continuè exsudet in vasa sanguinis, erit continua, lenta ex humoris placiditate vix intendens se, aut remittens, & ex hoc similis hecticæ: cum autem interdiù pateant magis pori corporis, perspirare poterit aliquid ejus humoris, & fiet febris mitior: noctu iisdem obstructis fiet intensior. Insuper cum cavitates pectoris, & humores totius corporis infarti sint, validè autem nitatur pectus in humidum infarciens, validè exprimet tàm ipsum, quam humores totius corporis, qui proindè in sudorem abire poterunt; non erit tamen ille sudor ullius levaminis propter puris abundantiam semper remanentem: quia verò noctu pori constringuntur: partes igitur ejusdem puris, quæ interdiù expirare possunt propter exiguitatem, & raritatem invisibiles, noctu ad angustias pororum subsistant oportebit, quousque cum aliis succedentibus conjunctæ, & in molem majusculam collectæ resistentiam pori superent conjunctim erumpentes in formam aquæ, seu sudoris. Propter stimulum autem à pure intra pectus provenientem fiet tussis, ut ex iis, quæ de tussi scripsimus, & ex eo quidem molestior, quòd pulmonem, & pleuram vellicat, & aliquandò quolibet etiam nisu molestia minimè minuitur. Invalescente morbo pulmo à pure magis comprimetur, sanguis influere non poterit, subsistet in ramis venæ cavæ ad faciem, unde partes ejus rubescent. Quia verò ingravescente hoc morbo fit gradus ad tabem, nempe corruptionem, & absumptionem partium; igitur vel quia per corruptionem flaccescant, vel quia per ab absumptionem extenuentur, fiet minor ipsarum moles, & hoc decrementum iis in partibus erit magis observabile, quæ duris, & immobilibus terminis circumscribuntur, cujusmodi sunt oculi dura atque immobili orbita ossea circumscripti, unde oculi fient concavi. Curvi ungues cur faciendi, ex iis, quæ de peripneumonia, intelliges. Tumidi pedes, vel quia eò devolvetur pus, humor nempe, qui utpote minus mobilis facile ad eos subsistit propter minimam vim pressionis, vel quia corpore jam ad tabem vergente eæ partes similiter citiùs corrumpuntur, in quibus minor vis pus expellendi, unde tabescunt, hinc fermentescunt, & in tumorem attolluntur. Cum autem pus membranas subeat; per empyematis igitur protractionem poterit ad cutim usque penetrare, & quidem vel in insignem molem collectum, vel hùc illùc in minores massulas cumulatum: producet hoc ad cutim pectoris hic illic pustulas: illud tumorem œdematosum propter contentum pus, nisi & hoc contingat propter corruptionem partis, ut in secundo casu tumefactionis pedum exposuimus. Quæ autem recensuimus ex Hippocrate inter conjuncta ad dijudicandum, alterutrane, an utraque pars pectoris empyemate laboret, certa esse possunt, si aliunde constare supponatur, propositum ægrum empyemate laborare: si verò non constet, pondus, & suspensionis sensus, & calor, & exsiccatio lintei esse poterunt quid necessariò conjunctum cum peripneumonia, aut pleuritide, ut patet ex superioribus, & eorum morborum expositione: & cum eorundem ratio, ac necessitas statim ex se ipsa pateat, nihil ejus explicationi immoramur. Quoniam verò febris ab admistione puris proveniens, vel ejus nimiam visciditatem, vel vim fermentandi, aut stimulandi arguit; si igitur in expositis pulmonum affectionibus, quorum suppuratione fit empyema, eadem die, qua empyema fit, seu tumor, in cavitatem pectoris rumpitur, febris cesset, argumento erit, pus esse optimæ qualitatis, non fermentans, non obstruens: ducitur autem in vasa sanguinis, & etiam per sputum excernitur, æger igitur evadet ab empyemate. Cum itaque pus non sit quid summe viscidum, non ita multum resistet abstractioni ab interioribus membranis pulmonis, quibus allabitur, eaque de causa sine labore, aut valida tussi per sputum reddetur. Eadem de causa pus erit album, leve, concolor, nempe æquabiliter liquidum, & ex eadem materia æquè liquata, unde concolor, album, cum hic sit puris perfecti color naturalis. Quia verò pituita est humor crudior, & qui ad empyematis constitutionem in pluribus casibus concurrere potuit, hinc si pus cum pituita mixtum reddatur, adhuc aliquid superesse concoquendum arguet: nihil, si absque eadem. Itaque cum hæc apparuerint omnia, evadet æger plus minus facilè, aut tutò, si eorum aliquot: ex quibus fiet, ut æger in melius evadens successive magis ad naturalem statum accedat, unde sitire desinet, cibum appetet, alvi fœces demittet, ac producet non multum absimiles naturalibus, nempe, consistentes, & propter cibi parvitatem, exiguas. Contra se habebunt omnia morituris, quæ recenset Hippocrates, ut ex his patet. Spumosum autem sputum arguet & lentorem humoris, & eundem nondum concoctum esse, & parvam quantitatem ejus, quæ difficilè subeat pulmonem, & difficilè ab ejus tunicis divellatur, unde magis per minimas partes permiscetur aëri, cujus eruptioni resistens lentore suo spumam producit. Quadragenarius dierum numerus est tempus, quod naturaliter requiri observavit Hippocrates ad hoc, ut per superpurgationem per sputum possit empyicus evadere, quo superato tabes fit corrumpente pure pulmonem, & impediente elaborationem sanguinis. Ratio, cur *si ab empyis per paracentesim effluat pus bonum, evadant: moriantur, si secus*, patet ex superiùs dictis. Quod si empyi melius habere, & ferè expurgati videantur, sputum verò fœtidum excernant, venient in recidivam, & morientur; apparens enim ille transitus in melius arguet, expurgatam quidem esse quantitatem puris, sed sputum fœtidum ostendere poterit, genitum esse ulcus intra pectus, aut pulmones, ex quo & novum pus generabitur, unde in empyema relapsus, & mors propter partis corruptionem. Similiter specillum à pure, ut ab igne coloratum arguet pus non coctum, lividum, & fortè cum ulcere par-

tem corrumpente, unde mors. Senes verò præcipuè, & juvenes ab empyemate per pulmonum morbos producto moriuntur, cum in senibus propter partium siccitatem difficilè coalescere possint villi rupti à ruptione tumoris, in juvenibus autem hunc ipsum coalitum impedit tenuitas, & vigor sanguinis: & ex iis adhuc difficilius evadent, qui temperamento sunt aliquanto humidiores; flaccescent enim partes magis, & facilius à sanguinis impetu, & motu respirationis in divulsione detineri poterunt. *Cur verò pure confertim effluente per paracentesim moriantur empyi*, vide in ejus aphorismi commento, quod seorsim morbis præmittimus. Textus autem Galeni ex se ipso patet, sicut etiam, quid sit Empyema. *Laurentii Bellini Tractatu de Morbis pectoris.*

Pleuritin, & Peripneumoniam morbos non tantum affines, sed invicem commutabiles, & alterutrinque successivos esse, ex superioribus manifesto liquet; porrò tum hæc, tum illa, & nonnunquam utræque simul non bene judicatæ, in Empyema transeunt. Si quando enim phlegmone circa pleuram excitata suppuratur, tandem Apostemate disrupto, pus in thoracis cavitatem decidens, hunc morbum producit. Pariter ex pulmone inflammato interdum succedit: nimirum ichor circa locum affectum aggestus, diutina coctione in humorem crassum & flavum abit, qui nisi per tussim ejicitur, aut pulmonis substantiam interiorem sensim labefactans, diathesin phthisicam infert, vel unitatem pulmonis totius solvendo, tandemque membranam extimam corrodendo in pectus dilabitur, adeoque empyema parit. Unusquisque pulmonis abscessu aut ulcere laborans, etsi pus copiosum & fœtidum, (uti in pulmonis vomica sæpè contingit) expuat, non ideo dicatur Empyematicus Enimverò vocabuli hujus acceptione communi denotatur, puris intra cavitatem thoracis collectio, quâ scilicet respirationis organa opprimuntur: illuc vero pus istud confluere solet vel ex Pleuritide, vel Peripneumonia (& quandoque forsan ex Angina) suppuratis, & disruptis.

Quandoquidem igitur empyema nunquam primario & ex se incipit, sed aliorum morborum haud rite judicatorum, fere semper effectus sive productum est, circa causas ejus non opus erit multum inquirere. Ratio formalis sive causa conjuncta ejus satis innotescit. Ea scil. est materia purulenta, è pleura, aut pulmone, aut larynge, in thoracis cavitatem effusa. Causæ autem reliquæ affectuum præviorum propriæ, ad cujusq; istorum Ætiologias pertinent.

Circa materiam morbificam quædam disceptatio est; quippe alii hanc merum pus, aliique non hoc, sed materiam purulentam esse contendunt, in qua opinione est Joh. Heurnius, qui materiam purulentam pro Empyematis causa conjuncta statuens, inter hanc & merum purumque pus distinguit; asserens hoc fieri, *ab humore nutritio sanguineo*, hoc est *ab ipso sanguine aliquatenus corrupto, sed pepasmi capaci, materiam vero purulentam humorem excrementitium*, viz. *serum*, aut *ichorem* esse, qui à sanguine inter circulandum alicubi præpedito & obstructo provenit. Hinc observare est de abscessu qui pus verum & laudabile exhibet, eum plerumque compactum, undique conclusum, & vel cysti, vel privatis quasi mœniis obvolutum esse; dein postquam maturatus & disruptus humorem contentum effundit, cito ac facile sanari. Verum abscessus materiam purulentam præbens, nidum suum non ita constipatum & parietibus obseptum, sed plerumque inæqualem & sinuatum obtinet, atque disruptus saniem potius quam pus effundit, dein ob perennem humoris excrementitii scaturiginem ægre sanatur.

Porrò advertere est, utrumque humorem, scil. tum pus, tum materiem purulentam interdum insigniter fœtere, quandoque item odore quovis tetro prorsus immunem esse. Quædam apostemata maturata, & disrupta pus fœtidum, alia inodorum effundunt. Pulmonum vomicas, quin & partium aliarum phlegmonas, ita diversim habuisse sæpius notavi. Materies purulenta è plerisque ulceribus effluens grave olet; phthisicorum sputa, quæ multo magis periculosa existunt, ut plurimum inodora sunt. Usitatum est è latere propter Empyema perforato, materiem primo haud insuavem exundare, dein post duos, el tres dies aëre orificium sæpius subingresso, eam horrende putuisse: quæ tamen putiditas post injectionem spiritus cujusvis vinosi aut aromatici rursus brevi evanuit. Sed multi tædii res esset, singulorum hujusmodi accidentium & alterationum rationes particulares designare, in quantum perexigua tantum puris, aut materiæ purulentę alteratio, iis fœtorem inducit adimitq; Cum particulæ sulphureæ æqualiter coctæ, & salinis subjugatæ in mixto continentur, graveolentia abest; quamprimum verò illæ solutæ avolare incipiunt, secumque salinas (è quibus aculeantur) auferunt, odorem valde tetrum quaquaversus dispergunt. Quod autem ulceri putido, aut Empyematis nido, lotio, vel injectio cum liquore vinoso aut aromatico aliquoties adhibita sæpe fœtorem tollit, in causa est, quoniam ulceris haud secus ac testæ putentis latera quodam quasi fermento liquorem contentum inquinant, adeoque fœtorem imprimunt: cumque adeo à liquore bene temperato & potente, illud vasis aut visceris fermentum eluitur aut subigitur, deinceps fœtoris propagatio ista cessat. Hinc sequitur indicium non semper malum, nec itaque valde bonum esse, siquando phthisicorum sputa, & empyematicorum abscessus cum, vel sine graveolentia excernuntur, quoniam utriusque generis casus quosdam salubres, aliosque funestos extitisse cognovi. Ad hæc non certius indicium inde sumitur, quod phthisicorum quorundam sputa aquæ injecta supernatant, aliorumque submerguntur.

Quamquam autem istam puris & materiæ purulentæ distinctionem haud multum improbamus, attamen nec solummodo hanc, nec semper istud Empyematis causam conjunctam esse statuimus. Quando hic morbus pleuritidi simplici succedens, ab apostemate in latere suppurato & disrupto oritur, sæpissime purum merumque pus est, quod in pectoris cavitatem decidens morbum istum parit. Sin vero empy-

empyema Peripneumoniæ soboles sit (nisi pulmonis vomica intercedat) materies ichorosa, circa phlegmones locum aggesta, & postea mera coctione crassescens, pulmonis unitatem solvit, & tandem membranam investientem perforans, inque thoracem exundans, Empyema producit. Ista materia purulenta potius, quam merum pus dicatur.

Empyematis signa, vel ipsum dum in fieri est prænuntiant, vel plane factum indicant. Prioris generis habentur morbi alii, quorum hoc proles esse solet, prægressi; cujusmodi sunt Pleuritis, Peripneumonia, Angina, quandoque item pectoris plaga aut vulnus, quin & alii interdum ejus affectus, non bene judicati, aut soluti: è quibus empyematis secuturi major erit suspicio, si post unam aut alteram septimanam sine sputo copioso, rigores & febris & spirituum languores superveniant. Dein post XIV. aut XX. dies empyematis plane facti signa erunt, respiratio difficilis, pectoris gravitas, materiæ fluctuatio, & molestiæ sensus è corporis situ mutato, sitis & febricula fere constans, genarum rubor, totius inquietudo & vigiliæ.

Empyema multifariam distingui solet, scil. imprimis juxta affectionem præcedaneam cujus soboles est; item quoad sedem ejus in thoracis latere modo dextro, modo sinistro, modo in tota capacitate ejus; & denique quoad materiam morbificam, quæ vel merum & laudabile pus est, vel materia purulenta, atque hæc modo mitis & benigna, modo acris & fœtida.

Morbi hujus Prognosis tum ante, tum post sectionem instituitur; prior determinat utrum latus aperiri debeat nec ne; item prædicit, cujusmodi cum, vel sine apertione morbi eventus futurus sit. Si empyema tardius post primarium affectum, scil. non ante 30. aut 40. diem, quando vires plurimum attritæ, atque pulmones vitiati sunt, eorumque conformatio læsa, succedet; ac insimul si febris velut hectica persistet, respiratio brevis ac laboriosa, pulsus debilis & celer, cum sudore frigido, cumque diarrhea velut colliquativa, & crebris spirituum deliquiis tunc empyici status plane deploratus sectionem minime admittit, medicus eum sinat incruente mori, ne videatur occidere. Sin verò è contra, post manifesta empyematis maturius facti indicia, pulmonum, aut lateris molestia, nec non febris aliaque symptomata remittent, atque pulsus & spirituum robur constabunt, licebit tuto ad sectionem procedere, indeque successum felicem sperare. Sectione facta si pus album, verum bene coctum, aut alias laudabile cum euphoria exilit, & exinde pectoris gravitas, & dyspnœa remittit, & ægrotans quoad alia pathemata melius habet, de therapeia minime dubitandum erit: sin vero pus nullum aut malum, si tenue, subcruentum, aut fœtidum ex latere aperto effluet, perexiguam exinde salutis spem concipere licebit.

Hippocrates inter signa empyematis funesti prænuncia recenset specillum à pure velut ab igne coloratum; sive quod sæpe advertimus & nonnunquam absque malo eventu, si specillum argenteum lateris aperti orificio inditum, statim colore tanquam aureo aut cupreo tingeretur: quod certe nihil aliud significat, nisi quod puris aut materiæ purulentæ particulæ sulphureæ adeo exaltantur, & à mixtionis vinculo laxantur, ut facile abscedentes, corpori cuilibet alteri, & imprimis argenteo, (cui affines sunt) affigantur. Vidi aliquando ferinam à longa & laboriosa venatione occisam statim ob epulas in clibano coctam, non modo tenerrimam ut cochlearibus eximi potuerit evasisse, sed etiam cochlear argenteum nitidum primo contactu deaurasse. Cujus ratio prorsus eadem ac prioris est; nempe carnes istas à nimio dum viveret animal exercitio adeo ad putredinem dispositas fuisse, ut sulphuris particulæ à concretione liberæ, & ad avolandum aptæ, subjecto statim alteri capaci adhærent. Verum hæc in parergo.

Quod autem spectat ad Empyematis Therapeiam, imprimis considerare oportet, utrum morbi hujus, utpote jam facti, indicia certa sint vel dubia. In priori casu pharmacia haud multum opus erit, sed tantum corpore præparato, illico ad lateris apertionem procedatur. Itaque si à pleuritide, aut Peripneumonia non ritè judicatis, aut à sanguine post plagam, casum, aut vulnus intus suffuso, puris, aut materiæ purulentæ, vel sanguineæ intra thoracis cavitatem fluctuatio, cum sputo nullo, aut diminuto percipitur; non opus erit ut medicamentis maturantibus, aut expectorantibus amplius immoremur; verum alvo soluta, & sanguine ac humoribus per Julapia, Apozemata, & Anodyna rite contemperatis, aut nuda sectio instituatur; aut in teneris & meticulosis cauterium imprimis inter sextam & septimam vertebram applicetur; dein eschara excitata, scalpellus oblique posteriora ac superiora versus sensim, ac paulatim adigatur, donec in cavitatem thoracis penetret; dein cannula argentea indita, materies intus contenta per vices emittatur; ita tamen ut quantum vires ferent totius humoris evacuatio acceleretur; nam portio ejus intus relicta intra paucos dies (propter aërem prout supra dictum est sæpius intus admissum,) fœtorem horrendum contrahet, quod malum ut præcaveatur aut cito tollatur, liquor traumaticus & abstersivus bis terve in die per syphonem injiciatur. Non opus erit reliqua ad operationem hanc, ejusque processum spectantia particulatim describere; quoniam hæc singula Chirurgis quibusque peritioribus planè innotescunt, & in praxi familiari habentur. Post sectionem ejusque administrationem appendicem rite institutam, medico haud multum præterea agendum supererit. Ratio victus idonea, crebra alvi (quoties opus erit) per enemata solutio, insuper & remedia vulgo dicta traumatica, quæ sanguinis dissolutionem, ejusque in serositates pectori injurias profusionem impediunt, præscribere oportebit.

Quod si morbi hujus indicia minus certa, ac (uti à Peripneumonia ac pulmonis vomica præviis plerumque assolet) prorsus dubia sint, ad sectionem haud cito nimis, aut

temere

temere procedatur. Novi enim in aliquibus materiam purulentam, imò pus fœtidum cum insigni dyspnœa & pectoris gravitates expuentibus, thoracis paracentesin & frustra, & non prorsus innoxie celebratam fuisse. Itaque dum per signa pathognomonica de empyemate plane facto constabit, medicamentis (qualia pro Peripneumonia curanda supra præscribuntur) expectorantibus, necnon evacuationem per urinas & sudores blande moventibus, aliquandiu insistendum erit: quibus tandem nihil proficientibus, & empyemate adhuc manente, vel aucto (quia dummodo vires constabunt, præstat remedium anceps experiri, quam nullum) ad paracentesin procedatur.

Quod spectat ad medicamentorum pro empyemate curando requisitorum formulas, ante sectionem eadem remedia quæ ad Peripneumoniam præscribuntur conveniunt; paracentesi autem facta, sequentia potissimum ex usu erunt.

Contra languores, & spirituum deliquia quæ in operatione ista, vel postea contingunt, Julapium sequens præsto sit, subinde ad 4. vel 5. cochlearia sumendum.

℞. Aq. Melissæ, Cerasorum nigrorum ana ℥vi. Aq. mirabilis ℥j. Margaritarum pulv. ʒj. Syrup. caryophyllorum ℥j. Misce, f. Julapium.

Decoctum sequens propinetur ter aut quater de die.

℞. Folior. linguæ cervinæ, veronicæ, eupatorii, tussilaginis, pilosellæ, saniculæ, ana Mj. Radic. Rubiæ tinctor. chærefolii ana ℥j. hordei ℥ß. cicerum rubr. ℥ß. passul. solis ℥ i ß. coquantur in aq. fontan. ℔ iv. ad medietatem, edulcoretur inter sumendum ad placitum cum melle depurato, vel cum syrupo de pilosella. Si absit febris pilulæ seq. sumantur vesperi, & primo mane ad ℈j. vel ʒß.

℞. Pulv. oculor. cancri ʒij. flor. sulphuris ʒj. salis prunellæ ʒß. spec. diarrhod. abbatis ℈j. Terebinth. venet. lotæ q. s. f. massa, formetur in pilulas exiguas: vel omissa Terebinthina idem medicamentum sumatur in forma pulveris ʒß. ad ℈ij. bis in die.

Empyematicorum exempla non ita passim & crebro prostant, atque ab eo morbo curatorum multo rarius. Novi duos, lateris sectionem à medicis omnimodo præscriptam admittere nolentes, fatum obiisse, eorumque cadavera dissecui. Item binis aliis operationem istam adhibitam vidi, quorum unus convaluit, alter tabidus interiit; cujus tamen ratio erat, quod pulmone insigniter vitiato, & viribus prostratis, lateris apertio serius facta nullum isti juvamen contulit; sed spiritus prius imbecilles depressit valde, eorumque copias absumpsit. Iste cujus latus aperiebatur, pulmonem satis firmum habuit; sed à lateris abscessu intus rupto, materies in thoracis cavitatem decidens septum adeò comprimebat, ut vix respirare potuerit. Chirurgus sine caustico, inter vertebram sextam & septimam scalpellum intrusit, & carne penitus perforata cannulam indidit. Ichor cruentus primo effluxit, & dein per vices in modica copia exemptus per triduum sine fœtore quovis effluxit; postea verò quoties foramen aperiretur, odor teterrimus, cloacæ cujusvis maxime putentis fœtorem superans expirabat, totamque cameram graveolentia intolerabili inficiebat: quinetiam adeò per plures dies persistebat, donec per injectiones ex myrrha, & herbis amaricantibus aqua & vino incoctis factas, & sæpius quotidie adhibitas, tandem extingueretur, quorum usu diuturno, materia morbifica, & sorditie omni demum abluta effluxus omnis cessavit; & denique foramine clauso patiens integrè convaluit. Illorum, qui, cum lateris apertionem nullo medici aut amicorum suasu admittere vellent, interibant, cadavera dissecui. Unius alibi mentionem feci; cujus summa erat, quod pus ab Apostemate in pleura, & musculis intercostalibus excitato, intusque disrupto emanans, loci affecti & pulmonis contigui partem sphacelo affecerat, indeque diaphragma corrodens, & foramine in dextro ejus latere facto, in viscera imi ventris descenderat: ibidemque toto ductu ventriculi, & intestinorum tunicæ exteriores, in quas materies purulenta deciderat, corrosæ & discolores apparebant; & demum materies purulenta intestinum rectum corrodens, & perforans, unà cum excrementis per anum foras prodibat. D. Ægrotans robustus & medicinæ cujusque impatiens, morbi hujus Tyrannidem per duos circiter menses sustinuit; sed interim febriculâ, siti, inquietudine, ventriculi molestiâ, & crebrâ subversione & ἀσχυτίᾳ ferè continuâ miserrime afflictus degebat. Cadavere post obitum aperto, odor fœtissimus cloacam omnem superans per totam cameram diffundebatur. Alterius ab Empyemate defuncti Anatome, non ita vastam materiæ purulentæ diffusionem exhibebat. Illa quidem in latere nidum habuerat, unde in thoracis cavitatem decidens, ibidemque in copia ingenti aggesta, & pulmones continue immersos polluens, febrem lentam & quasi hecticam, à qua ægrotans valde senex interiit, excitabat. *Hac Thomas Willis Pharmaceutices rationalis parte 2. supersunt jam quædam tum ex Thesibus Discipulorum, tum ex ipsis Collegiis & Dictatis Clarissimi ac Celeberrimi Viri D. Caroli Drelincurtii in ulteriorem hujusce materiæ illustrationem adjicienda.*

Empyematis, *Primarii* & *Genuini* causa est sanguinis intra capacitatem thoracis effusio, ejusdemque inibi diuturnior mora, quam vasorum vel ἀναστόμωσις, vel διαπήδησις, vel ῥῆξις, vel διάβρωσις produxerunt, uti certè dignissimi observationum scriptores luculentam nobis quadruplicis illius causæ fidem faciunt, ac proin nullus omninò superest dubitandi locus de Divini Senis Oraculo *sect. 6. Aphor. 20. Si sanguis in ventrem effusus fuerit præter naturam necesse est ut suppuretur*, cui Sententiæ subscribit & Hippocrates Latinus *lib. 2. cap. 7.*

Speciatim autem id *Empyematis Primarii* post vulnera in thoracis alveum penetrantia haud insolenter in Castris se vidisse profitetur *Clariss. necnon Celeberr. Vir D. D. Carolus Drelincurtius, Galliarum Regis olim Consiliarius ac Medicus Ordinarius, nunc verò Praxeos & Anatomes hâc in Academiâ*

demiâ Professor dignissimus, Præceptor ac Præses meus æternùm colendus.

Empyema, quod Secundarii nomine indigitamus, pro causa *Pleuritidem* agnoscere elicitur ex hoc aureo *sect*. 5. *Aph*. 8. *Quicunque pleuritici facti expectorabilem materiam non excludunt intra dies quatuordecim, iis in Empyema degenerat*; quia nempè materia illa quæ inter pleuram musculosque huic incumbentes, maturescit, vel, *si magis placet*, purulenta fit, membranam pedetentim arrodit, atque sic gliscit in pectus; imò etiam aliquoties impetu facto, locum ampliorem sibi quærit & membranam illam confertim disrumpit; Utrò autem illorum modò accidat per μετάστασιν & quandam veluti μετοικεσίαν, *deportationem & commigrationem* in *verum* & *Legitimum Empyema* degenerat, uti *Heurnius* etiam comprobat in viro annorum 30. qui ex *pleuritico Empyicus* factus est, sed qui *tabidus* mortem obiit. *Comm. in sect*. 5. *Aphor*. 8.

Quanquam autem rariores sint *Empyici* à Pleuritidis rupta vomica, (*Lutetiæ præsertim Parisiorum, ubi Medicorum Atlantes suis toties iteratis venæsect. necnon & aliis benè multis vel evidenter, vel clanculum evacuantibus, Empyematis ortui sese opponunt & illum occupant*) nihilosecius Clariss. noster Præses Honorandus, eò loci praxin numerosissimam exercens, Militum Ducem veteranum curavit, qui *Empyemate Pleuritidi succedaneo*, liberali puris expectoratione atque solius γαλακτοποσίας & aliquot bechicorum usu integrè, *trimestri spatiô*, defunctus est. Alteram itidem, in practicis suis collegiis, conscriptam à se historiam nobis exhibuit, de Matrona consistentis ætatis, quæ propter ruptam & intrò latam pleuritidis vomicam, syncopen primùm perpessa est, *uti fert Aph*. 8. *sect*. 7. & tandem per alvum atque mictuales ductus largiter profuso pure, dysenteriâ atque dysuriâ laboriosissimis divexata fuit; sed ab illis, *uti ab Empyemate*, Artis Æsculapicæ subsidio, *paucos intra menses*, immunis evasit.

Virginem insuper vidi pulmone ulceroso, quæ per os & *alvum* unicè, citra *dysuriam*, pus suum profudit ad obitum usque.

Aperto cadavere totum pectus pure stagnatum reperi à dextris & à sinistris, sed nusquam par fui detegendis viis à pectore in alvum purulentiam deducẽtibus, proximis ob festinationem rei, urgentibus defunctæ consanguineis.

Empyema dextrum periculosius esse sinistro.

Hippocr. lib. 3. de Morb. dextrum Empyema sinistro damnosius esse pronunciat, quia, de mente Præsidis mei, *vena impar* corrosioni magis obvia quàm Aorta durior atque compactior. At *Riverius* è contra Lib. Prax. 7. cap. 4. sinistrum Empyema pejus esse censet, quòd puris edacitate ventriculus cordis sinister periculosiùs arrodatur. Sed isthæc ratio apud nos ficulnea atque futilis. Cordi siquidem *pericardium* & *ejus aqua*, vice sunt *propugnaculi*, atque *fossæ*. Cor ergo nulli puris mordacitati patet. Imò etsi cor puris injuriis obvium foret undique; annon sinister ejus ventriculus tot illas faciliùs eluderet? nam plurimis ille atque validissimis *fibris musculosis* donatus est. Cor siquidem universum ex *Hippocr*. sententia, *reclamante licèt Galeno*, musculus est robustissimus non nervo sed carnis densitate atque compactione. Et profectò veritatem illam Hippocratem firmam & immotam stare adversum Galenicos impetus, Clariss. oculatissimusque Præses meus, partim libris, partim viva voce, partim αὐτοψίᾳ me docuit. Is enim nunquam satis laudandus Præceptor, in nuperis suis Collegiis frequentissimis, necnon in Amphitheatro majori, corda nobis cessit ovilla, vitulina, atque humana in fibras spirales à basi ad conum densè revoluta atque retorta. Imò fibras illas non solùm in orbem reflexas, sed & musculosas esse ad oculum probavit, & illas præterea à sinistris, quàm à dextris longè numerosiores atque crassiores replicuit atque retexuit. Rationem porrò discrepantis structuræ suis demonstrationibus attexuit, densiores scilicèt esse sinistri ventriculi fibras ut systole validiori sanguinem pellat ad extremos usque microcosmi fines; at ventriculo dextro parciores atque graciliores inesse, ut systole leviori in proximam & insertam sibi pulmonum arteriam sanguinem acceptum regerat.

Ex istis itaque liquet sinistrum cordis ventriculum dextrô validiorem validiùs etiam dextrô omnes à se puris noxas amoliturum, atque adeò non ita periculosum extare sinistrum empyema, sed cassos penitus esse Riverianos in Hippocratem insultus.

De latere Empyico internoscendo, ubi memorabile recitatur exemplum de Empyemate inaudita methodo exteriùs purgato.

Riverius, Prax. lib. 7. cap. 4. signum proponit, tanquam suum, quo latus Empyicum à latere sano distinguatur, tumorem scilicet œdematosum in latere corroso. Verùm diagnosin illam genuinis suis observatoribus Præses meus restituit, Hippocrati nimirum, *Guidoni*, *Pigrao*, atque *Thevenino*. Videbis præsertim *Duret*. Coac. lib. 2. cap. 16. Coac. 68. Sed præterea Præses meus docet latus Empyicum non modò Oedematis more tumère, verùm etiam ichores quandoque emittere & sero quodam sanioso atque glutinoso, fœtidoque stillare. Imò latus narrat *sudorum poris* tabo quodam purulento hic & illic maduisse; & cùm omnia symptomata insinuassent pus esse vel ferro vel igne potentiali educendum, ac interim æger Martem & Vulcanum perinde horreret, frustillum plumbi, instar festucæ, in pororum patentiorem unum, tabo crassiori fluxum, turundæ ritu solerter intrusum esse, atque sic in dies crassius illud atque longius plumbum inditum esse, donec tandem intimiùs adactum, pectus ipsum penetrasset, ut ex ejus penetralibus pure deinceps liberiùs manante & probè deterso pristina salus redintegraretur.

In Empyematis operatione falsò doceri vasis intercostalibus parcere Chirurgos.

Lippis & tonsoribus notum est ad Empyici pectoris apertionem præcipi ut scalpelli dorsum obvertatur costarum crenis, ne vasa cædantur. Sed cautionem illam futilem & agyrticam esse nos in Amphitheatro docuit Clariss. Præses meus, Anatomiæ magnus Antistes; Nostris

ſtris etenim oculis ſubjecit brevi duntaxat tractu crenari coſtas, & falſiſſimum eſſe intercoſtalia vaſa coſtarum crenas longè decurrere. Imò vaſa iſthæc pleurâ ſuâ ita nudavit, ut luculenter viderimus *ſuperiorem* ubique *venam*, *nervum infimum*, *arteriam* verò *intermediam* eſſe, idque tam alta à coſtarum crenis diſtantia ut nuſquam ſecandus veniat muſculus intercoſtalis interior, quin iſthæc intermedia vaſa ſaucientur transverſa. Quid igitur nobis obtrudunt, *ſuam induſtriam obtenturi Chirurgi*, ſeſe vaſa pleuritica longè declinaturos, ſi modò, inter Empyicum pectus aperiendum, ſcalpelli aciem in interioris coſtæ dorſum obverterint. Apage nænias agyrtis unicè dignas, à Medicis verò genuinis atque cordatis longè abhorrentes. *Atque hæc ex Clariſſ. D. Drelincurtio. Sequuntur jam.*

Curationes, Conſultationes, Obſervationes & Anatomicæ inſpectiones ex variis.

Curationes.

Quoad curam empyematis, ſeu quando pus factum in cavitate fluctuat, & ſtagnat, 1. Eſt evacuandum.

2. Acrimonia ejus noxia corrigenda. 3. Læſio partis inducta reſtituenda.

Quoad *puris evacuationem*, hæc per convenientes vias inſtituenda venit. *Viæ convenientes* ſunt vel *naturales* vel *artificiales*: *illæ* quibus *natura* molitur evacuationes, & quæ ſubinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuat, ut dum v.g. pleuriticorum, vel alias in thorace ſuppuratorum purulentias, nunc per *urinas*, nunc per *alvum*, nunc frequentiſſime per *ſputum* evacuat, imò per *purulentam*, in toto corpore *ſcabiem*, quo de vid. M.A.N.C. *Ann.* 2. *pag.* 250. ſolvi obſervatum fuit. Sanè *pus empyici* per *urinam* excretum c. dolore quaſi nephritico & ſtranguria refert *Horſt. l.* 3. *obſerv.* 10. Simile *vid. ap. Panarolum*, item *Borellum cent.* 2. *obſervat.* 17. Ipſemet *curavi mulierem* gravi pleuritide correptam, ſuppuratam, cui ſupervenit fœtidiſſima materiæ purulentæ urina, qua per 10. vel plures dies continuante cum ſenſibili alleviatione ipſa ſanabatur. *Præcavebam ſimul phthiſin ac tabem* per pulveres & antihectic. Poterii, myrrh. ocul. cancror. antimon. diaph. balſ. ſulphuris therebinth. &c. Elix. Prop. rarò propinabam, quia hoc ſemper alvi fluxum ſiſtebat, ut neceſſe eſſet, eam denuo provocare clyſmate. Sicut jam ſuprà hujuſmodi variæ excretiones *circa hepatis & lienis abſceſſus* inſinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert *Hildan. centur.* 3. *hiſt.* 39. Nempe ulcus diuturnum in brachio ex ictû ſclopeti, quod, quia *per urinam* pus excernebatur, ulcus ſiccabatur: Quamprimum verò ulcus recenter fluebat, tum patiens rurſus urinas laudabiles nullo pure permiſtas reddebat. *Per quas vias materia empyematis in pectore*, v. gr. *deferatur ad urinam* aut alvum, *aut etiam ad os* pro expuitione, plures autores litigant. *Conf. Senn. lib.* 2. *prax. ubi* de pleurit. quæſt. 3. Willis Pharm. rat. P. 2. *pag.* 150. 201. M.A.N.C. *Ann.* 3. *pag.* 393. & *Ann.* 6. *pag.* 75. His in caſibus ſi moliatur aliquid natura, ſemper miniſter ejus eſt Medicus, dum, quò illam vergere videt, eò ſimul motum illius promoveat. *Si verò rupto abſceſſû & collecto* jam *empyemate* pectoris, eam nil moliri obſervat, pro copia puris dum vires adhuc conſtant, evacuanda, imprimis *vomitus* convenit, cujus inſignes utilitates pluribus *Piſo de colluvie seroſa* declarat. Hinc *ſputum* imprimis promovendum, ut hujus medio ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium, puris fiat evacuatio. *Pro quo ſcopo Nicotiana* eſt egregia cujus uſum ſuprà ex *Ferdinando* declaravimus.

In ſputo hoc promovendo habenda ſimul ratio qualitatum materiæ purulentæ evacuandæ, quæ *quò acrior* fuerit, ac tenuior, eò magis *temperantia* ſimul uſurpanda ſunt: *Quòd ſi vero non acre ſed craſſius* ſit pus evacuandum, *incidentia & abſtergentia* magis in uſum vocanda. In ſpecie *mel*, & ex eo paratum *hydromel* ſeu *aqu. mulſa*, *oxymel ſquilliticum*, inter expectorantia primatum ducunt; in qua *mulſa hyſſopus*, *ſcabioſa*, *parietaria*, *helenium*, *iris*, *marrubium*, *liquiritia*, *jujub. paſſulæ* pro indicantium varietate ſimul incoqui & propinari poſſunt. Vel fiat *miſtura* expectorans.

♃. Aq. hyſop. ℥iij. aſthmat. ℥iij. oxymel. ſquillitic. ℥vi. ſyr. Nicotian. ℥ß. emet. ℈iß. M. capiatur pro lubitu.

Artificiales viæ pro evacuando pure ſunt *paracenteſi*, quæ ubi *priores* illæ *naturales* vel non ſuffecerint, vel non ſuffecturas ſuſpicio eſt, *in tempore* inſtitui poteſt. *In tempore dico*, ut quando natura *empyema* non expurgat per *urinam* ſtatim inſtituenda *Paracenteſis*, ne pus in ſaniem convertatur, ne vires frangantur, ac pulmo à ſanie corrumpatur.

2. *Acrimoniam puris & ejus noxam corrigunt*, hoc eſt, ut aliàs dicunt, ulcus *abſtergunt & mundificant* optimè remedia *ſulphurea*, quodcunque acre temperantia & *balſamica*, quaſi vi ulteriorem progreſſum *apoſtematis & puris* inhibentia, uti ſunt *ſulphur & antimonialia fixa*, &c.

3. *Ea verò, quæ læſionem partis* poſt abſceſſum ſuppuratum *reſtituunt*, ſunt *vulneraria*, præcæteris *hedera terreſtris*, *ſcabioſa*, *chærefolium*, item *lignorum & radicum decoctum*, &c. Optimè hæc duo junguntur, ſed ſemper habenda eſt ratio *Puris* ut hoc vel prius, vel ſimul evacuetur. *Febris adjuncta*, ne hæc plus majus intenſa augmentetur. Ad hoc *ut evacuetur pus* præter evacuationem per vomitum ſi eſt in thorace, vel in alio loco, convenientiſſima ſunt omnia *antimonialia fixa*, v.gr. *antimonium diaphoretic.* quod ipſum *cum decocto chærefolii*, vel cum *hedera terreſtri*, vel quod meliùs cum *decocto radicis chinæ* propinetur, propinando ſæpius cum hauſtu iſtius decocti ℈j. *Antimonii diaphoretic.* Hoc enim mirabiliter ſuppurationes quaſcunque curat ſanguinem congrumatum & empyema imprimis pectoris.

Et tunc cum *radice Chinæ* ſimul coquenda ſunt *tuſſilago*, *hyſſopus*, *conſolida major*, *capill. veneris* & ſimiles: Non opus eſt multa addere, ſimplex enim ſufficiat decoctum cum quo propinetur *Antimonium diaphoreticum*.

Poſt Antimonium diaphoreticum imprimis eſt Balſamus ſulphuris, qui quancunque ſuppurationem ac internarum partium & viſcerum corruptionem, citò, tutò & jucundè curat. Vel ſim-

simplex vulgaris, cum spiritû terebinthinæ, vel anisatus cum oleo anisi pectoralis, vel succinatus cum oleo succini; vel juniperinus cum oleo juniperino. Loco Balsami sulphuris simplicis sumatur Balsamus sulphuris auratus antimonii ex Polemanno, erit balsamus eo magis laudatus.

Denique Arcæus tract. de capitis vulneribus, Egregium modum docet curandi empyemata beneficio decocti ligni Guajaci, cujus methodus est optima, & quâ abservatâ aliquot empyematici restituti fuere.

Nec incommodè ligna santala hîc recipiuntur, verbi gratia.

♃. Rasur. ligni Guajaci ℥ j. sassafr. ℥ß. Macera per 2. horas in aquæ comm. ℔ vii. coque ad consumptionem ℔ 1 ß. adde heder. terrestr. comar. flor. hyperici. herb. veronic. an. m j. ad m ij. rad. glycyrrhiz. ℥ß. sem. fœnic. ʒ vi. passul. minor. conquassatur ℥ iij. Coqu. ad remanentiam ℔ iv. M. S. decoctum de quo æger ad minimum ter in die capiat, subjungendo & alia remedia.

Hedera denique terrestris omnibus præferenda est speciebus simplicium quæ suppuratos ex fundamento, ut sic dicam, curat: Ejus decoctum seu essentia si assumatur, aut quod meliùs cum eodem antimonium diaphoret propinatur, aut denique si ejus succus semper cum decocto Guajaci permisceatur.

Certum est quod hadera terrestris sit inæstimabilis in hoc casû.

Hinc sunt qui maximè æstimant.

♃. Succ. hederæ terrestr. ℥ iv. prassii (id est marrubii) ℥ ij. thuris myrrhæ an. ʒ j.

Sacchari parùm; redigantur ad consistentiam syrupi, & subinde usurpentur.

Denique decoctum brassicæ capitatæ rubræ, cum tantillo sacchari temperatum, est egregium, quia materiam purulentam educit per urinam. Potest etiam dari cum decocto Chinæ, antimon. diaphoret. & similia.

Lac quoque caprillum cum saccharo rosato usurpatum, pro ultimo hoc scopo est egregium. vid. M. A. N. C. an. 1. p. 78.

Confert. cum his Willis. Pharm. ration. p. 2. ubi de phthisi & empyem.

Balsami sulphuris feci mentionem: si hujus igneus calor pertimescatur, optimè permiscetur saccharum Saturni vel Antihecticum Poterii, quæ in his casibus sunt egregia.

Item Balsamus Peruvianus non incommodè potest substitui balsamo sulphuris. *Michael Ettmuller. Collegii Medics Part. 1.*

Quoniam curantur Empyici difficillimè, consueverunt veteres Thoracem incidere: ut indè purulenta materia promptiùs educeretur. Monet autem Hippocrates ne pus universim effluat: tunc enim languentes Mors certò excipit, ut experimentis pluries innotuit. Partem verò urendam, vel secandam nonnulli eligunt inter tertiam & quartam costam: alii inter quartam & quintam: & alii inter quintam, & sextam. De qua re legendi potissimùm Paulus Ægineta, Fabritius ab Aquapendente, Fienus, Scultetus, Barbette, Marchetti. Hippocrates 2. de Morbis utroque latere pure affecto, sinistrum potiùs aperiendum voluit: minùs etiam lethalem di citf actam ibi sectionem. Verùm Epiphanius Ferdinandus ex eodem Hippocrate de internis affectionibus tutius putat perforare costam ipsam. Idipsum approbat Martianus etiam in Hydrope Pulmonis ex eodem Hipp. de Natura mulieb.

At longè periculosiorem, quàm vulgò creditur, Paracentesim esse existimat Jo. Van-Horne, & Tulpius pluries infeliciter institutam ait. Quamobrem plerique ad alia remediorum genera confugiunt, quæ si non magni juvaminis, saltem minoris sunt periculi. Fumo tabaci per fistulam excepto, ejusdemque decocto calido cum saccharo bis tantùm sumpto, pus è cavo Thoracis per tussim excretum memorat Epiphanius Ferdinandus: debet autem illud convenienti digestione depurari, & castigari. Alii communiùs diureticis insistunt documento Galeni 6. de loc. affect. cap. 4. Nec denique desunt, qui etiam per alvum expurgatum empyema recenseant: nam præterquam quod visum id aliquandò fertur ab eodem Galeno c. 6. de loc. aff. cap. 4. confirmatur quoque à Velschio, qui acceptum à Matthia Baccono refert, Empyicum ex pleuritide sanatum frequenti potione, ex syr. Althææ, oxymelle, saccharo, mannâ, oleo amygdal. dulcium recenti, & aquâ scabiosæ, pure nimirùm, ut ipse inquit, alvo procliviùs, quàm ore, expurgato. At ductus isti nondum satis perspecti sunt, quamvis illos ostendere adnisus sit Bauhinns relatus ab Horstio, & à Sennerto; ac multò antea Galenus cap. 6. de loc. affect. 4. & 7. Aph. comm. 30.

Profuisse nimiùm vidimus Empyicis decocta ex scabiosa, pulmonaria, sanicula, tussilagine, hyperico, hyssopo, carduo benedicto, betonica, iridis Florentinæ, & lappæ majoris radice, glycyrrhiza, consolida, C. C. C. & majori ex parte ligno guajaco, & lentiscino composita, & exhibita ad plures dies cum balsamo sulphuris, anis. vel terebinth. ad guttas aliquot mane per quinque saltem horas ante cibum. Efficax quoque observatur elixir proprietatis elicitus cum aqua cinnamomi, cum quo commisceri potest syrupus de tussilagine, de hedera terrestri, de hyssopo, de prassio, si libuerit. Flores Antimonii fixi, & Antimonium diaphoreticum ritè præparatum, miram opem præstitere, sicut pariter illius cerussa descriptione Angeli Salæ, non neglectâ tamen in hanc rem observatione Friderici Hofmanni. Magna etiam vis inest Terebinthinæ albæ Cypriæ, si cum modico vitelli ovi dissolvatur, & cum aqua hederæ terrestris stillatitia guttatim infusa tentisper subigatur, quousque cremorem lacteum æmuletur. Capi potest ad unciam unam vel alteram jejuno stomacho. Succus ejusdem hederæ utilissimus memoratur à nonnullis, si cùm olibano diapenid. redigatur in formam Electarii, & per vices assumatur, vel in ore detineatur.

Ad Pulmonis vomicam, refert Cardilucius sibi pro secreto communicatum spiritum è pulegio in spiritu vini per octiduum infuso elicitum, vel insensibiliter vel per sudorem, aut urinam illam dissolvere. At Morbus hic sicuti rarissimus, ita difficillimæ curationis; quinimò priùs hominem enecat, quàm internoscatur aut opportunis remediis tractetur, cùm repente

è vivis ægros tollere soleat, nisi sponte sua rumpatur vomica & purulenta materia in Thoracis cavum deponatur, vel sensim expuatur. *Lucas Tozzi de Medicin. Practic. part. I.*

Signa Empyematis sunt gravitas cum fluctuatione (præcipuè cùm ab uno latere in alterum decumbant) in thoracis cavitate, si Pleuritis aut Peripneumonia præcesserunt, respiratio difficilis, sputum purulentum & fœtens, febris hectica, & aliquando sudores nocturni frigidi.

Indicationes sunt puris excretio per expectorationem, urinas, aut alio quocunque modo, ulceris detersio & consolidatio, & febris hecticæ ablatio.

Pimò injiciantur Clysteres lenientes, emollientes, & carminativi, & repetantur, si alvus non respondeat. Purgetur æger potione sequenti.

♃. Rad, enul. ℥j. glycyrrhiz. ℥ij. sem. anis. fœnicul. dulc. ana ʒ j. crem. tart. ʒß. fol. sen. mund. vin. alb. odorif. nutrit. ℥v. Coque, & Colaturæ ℥ iv. aut vi. adde diaphœnic. ℥ij. syr. ros. solut. cum agaric. ℥ j. M s. f. Potio mane sumenda cum regimine.

Si vires ferant & febris urgeat, instituatur venæsectio in brachio.

Victus sit tenuis & siccans, ex assatis potius quàm elixis. Sæpius comedat pineolas, avellan. amygd. dulc. ficus, passul. &c.

Potus ordinarius sit hujusmodi.

♃. Sarsæp. ℥ vi. sassafr. ℥ ij. lign. sanct. ℥ijß. glycyrrhiz. ℥ i ß. passul. ℥ iij. aq. hord. ℔xxiv. Infund. & coq. ad tertiæ partis consumptionem. Coletur & aromatizetur ℥j. pulv. coriand. ad usum servetur in lagenis lapideis.

Vel ♃. Rasur. lign. sanct. inter. nigerr. ℥ iv. rad. symphyt. maj. ℥vi. rad. tussilag. ℥v. scabios. veronic. caryophyllat. botry. an. m. ij. glycyrrhiz. recent. ℥ ij. Infund. in ℔ viii. aq. f. vase probè occluso, mox coq. in alembico superposito capitell. ad ℔ ij. consumpt. Colatura sumatur bis terve in die ad ℥ vi. vel viii. quâvis vice longè à pastibus.

♃. Rad. chin. ℥ ij. enul. ℥ j. tussilag. ℥ iij. caryophyllat. totius, scabios. an. m. ij. fol. beton. pulmonar. pilosell. heder. terrest. erysim. an. m. j. summit. marrub. alb. hyssop. an. m. ß. passul. purgat. par. xx. jujub. par. x. dactylor. ficuum an. par. iv. Coq. in hydrom. dilut. ℔ vj. ad ℔ ij. consumptionem. Colatur. adde syr. capill. ven. ℥ iv. ol. sacch. ℥ ij. M s f. Apozema. Dos. ℥ vi. bis in die longè à pastibus per octiduum.

♃. Rad. enul. rec. ℥j. urtic. urent. ℥ ij. glycyrrhiz. Hispan. ʒ x. fol. veron. mar. cum toto, heder. terrest. botry. an. m. j ß. erysim. m. ij. summit., hyssop. marrub. alb. an. m. j. Coq. in hydrom. vinos. defæcat. fiat Colatura, in qua clarificata macera passul. mundat. ℔ißs. ficuum ping. ℥ viii. Bulliant, extrahe pulpam, quæ cum liquore residuo lentè coquatur in Electuarium.

♃. Hujus Electuarii ℥ iv. mell. despumat. cum phlegmate ex destillatione olei anis. ℥ iij. sacc. cand. ℥v. vin. de Malaga ℥vi. Coq. lentè ad consistentiam eclegmatis, instilla ol. sulphuris per campanam, q. s. ad gratam aciditatem. M ß. & lambatur instar linctus.

Aliquando oleum sacchari hujusmodi præscribo.

♃. Rad. enul. ℥j. ireos Flor. ℥ß. glycyrrhiz. ℥vi. fol. sicc. marrub. alb. hyssop. scabios. heder. terrest. erysim. an. ℥v. rad. caryophyl. sicc. ʒ x. cort. rad. sassafr. ʒ iij. sem. anis. fœnic. dulc. an. ʒ vii. contus. affund. aquæ vit. ad iv. digit. supernatationem, infunde per quatriduum: Colaturæ ℔ ij. adde sacchar. crystal. pulv. ℔j. flor. sulph. ℥ j. accende liquorem in paropside stannea, & agita donec inflammatio cessat, cola per linteum, & adde mellis passulat. quartam partem, f. Eclegma.

Si sputa sint purulenta, & tussis urgeat.

♃. Pulp. rad. alth. & passul. in aq. scabios. & hyssop. simul. coct. pist. & traject. ℥ ij. pulv. subtiliss. fol. tussilag. glycyrrhiz. Hispan an. ℥ißs. ireos Flor. ʒij. lact. sulph. ʒiij. sacch. crystal. pulv. ℥viii. cum pauca aqua hyssopi f. Pasta pro trochiscis hypoglott.

Si opus sit majori detersione, convenit Lohoch de thure.

♃. Thur. mascul. ʒ ij. sacch. crystal. ℥ ij. pulv. includ. cavitate majoris pomi dulcis, quod proprio operculo tectum torreatur, & pulpa bene cocta à superfluitatibus separetur, addendo pulp. rad. enul. in hydromel. ad putrilag. coct. pist. & traject. ℥j. pulp. passul. ℥ij. pulv. hyssop. & fol. tussilag. an. ʒ iij. ireos Flor. ʒ ij. succ. glycyrrhiz. ℥ß. syr. de erysim. heder. terrest. roris solis an. ℥ iij. flor. vel lact. sulph. ℥ß. M s. f. Lohoch.

Potens admodum est remedium Saponea sequens magistralis.

♃. Rad. enul. rec. ℥ij. alth. ℥iv. passul. maj. ℥ iij. Coq. ad putrilaginem in hydrom. malvar. pistentur, trajiciantur per setaceum, de pulpa sume ℥ ij. suc. glycyrrhiz. ℥ß. ireos Flor. ʒij. sem. anis. fœnic. dulc. an. ʒißs. sem. angel. cardam. an. ʒß. mastich. olib. an. ʒ j. cinam. inter. ʒij. croci ℈ ij. Terantur terenda in alcohol, adde duplum saponis Venet. alb. & cum syrupo pectorali f. Electuarium, addend. ol. anis. ʒ ß. dos. quant. nusc. moscat. bis terve in die.

Mel Passulatum de quo sæpiùs suprà dictum est.

♃. Passul. ℔ iv. aq. f. ℔ xii. macera per hor. 24. dein coq. ad tertias. Colatura coquatur ad mellis consistentiam, & usui servetur.

Tabellæ de Althæa de quibus mentio supra facta est.

♃. Spec. diatrag. frig. pulv. glycyrrhiz. ana ℥ iv ß. sem. papav. alb. ℥ iij. ireos Flor. ℥ ij ß. sacch. alb. ℔ i ß. cum pulp. alth. q. s. f. Tabellæ.

Post detersionem, si opus sit validâ exsiccatione usurpetur suffitus talis.

♃. Auripigm. ex cineribus vitis vel cum flor. sulphur. sublimat. ℥ß. Tabaci Indici opt. ʒ iij. tussilag. rad. enul. calam. aromat. ana ℈ iv. lign. aloës, benzoin. gum. guajac. naturalis ana ʒ i ß. f. pulvis subtiliss. & cum tereb. Venet. q. s. vel balsam. Peruv. f. trochisci num. 12. pro suffitu, cujus fumus excipiatur cum infundibulo.

Sæpius Tabacum compositum sequens præscribo.

♃. Fol.

℞. Fol. tussilag. siccat. ℥ß. laur. salv. malabathr. an. ʒij. rad. enul. ʒij ß. cort. guajac. gum. ejusdem an. ʒiß. tabac. Indic. ʒiij ß. succin. oliban. an. ℈ vii. auripigm. flaviss. scintillant. ℥ß. Auripigmentum, succinum, oliban. cort. & gum. pulverizentur, & cum cæteris crassiusculè incisis misceantur; & capiat fumum instar Tabaci vulgaris, idque paulò ante assumptionem apozematum pectoralium bis terve in die.

Si Empyema per latus alterutrum viam moliatur, latus affectum foveatur fotu seq.

℞. Rad. alth. lil. alb. an. ℥ij. brion. ari ana ℥i ß. enul. ℥iij. fol. malv. parietar. senecion. ana m. j. scabios. heder. terrestr. marrub. alb. ana m. ij. sem. fœnugræc. ʒx. sem. anis. fœnic. ana ℥iij. Coq. in aq. f. part. xii. mell. part. ij. acet. scillit. part. j. Colaturæ adde ol. violar. ℔ j. chamæm. rut. ana ℔ß. M. f. & cum spongiis eodem madidis f. Fotus mane & vesperi per horam integram.

Post fotum, optimè detersâ parte, applicetur Emplastrum sequens lateri affecto.

℞. Empl. diachyl. ireat. ℥iv. pic. Burgund. ℥iij. ladan. ℥ij. gum. caran. tacamahac. an. ℥j. pulv. flor. chamæm. melilot. trifol. odorat. ana ℥ß. pulv. cumin. rut. flor. sulphuris ana ʒvi. croc. ʒij. bals. Peruv. terebinth. Venet. an. ʒvi. cer. flav. q. s. f. Emplastrum. Aut applicari potest Emplastrum Diasulphuris Rulandi.

Si adsit catarrhus, conveniunt fontanellæ, vel in sutura coronali, vel in homoplatis.

Aquæ Thermales sulphureæ hic maximè conveniunt.

Paracentesis antequam vires sint nimis consumptæ semper fere fœliciter succedit, aperto latere inter quintam & sextam costam (ab inferioribus numerando) eo in loco ubi sub infimo exortûs pectoralis musculi angulo musculus serratus major & epigastri obliquus externus dentatim junguntur, scalpello acuto panniculo obligato deorsum natante mucrone, servatâ rectitudine fibrarum intercostalis musculi, & cutem ipsam cum subjectis partibus audacter dividat Chirurgus, adactâ in superiorem costæ quintæ partem acie. N. B. Potiùs antrorsum aliquantulum quàm versus spinam secandi sunt omnes Empyematici, salvis diaphragmate & pulmonibus qui in ista parte vulnerari nequeunt, sumto inter secandum expirationis momento. Dein fiant injectiones vulnerariæ, detergentes, & postea exsiccantes & consolidantes. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 2.*

Hic in Curatione Empyematis jam addamus quæ de Paracentesi thoracis, habet Thomas Fienus in suo de præcipuis artis Chirurgicæ controversiis libello sic autem ille.

Paracentesis est sectio, per quam fit vulnus penetrans in corporis cavitatem. Etsi autem per paracentesin intelligatur proprie tantum sectio, quæ fit ferro frigido, tamen volo ego eam hic latius considerare, sic ut sub paracentesin non tantum sectio comprehendatur, sed etiam ustio, qua fit ulcus penetrans. Perforatio enim usque ad corporis cavitatem fit duobus modis, vel ustione, vel sectione. Quia autem utraque est ad eundem finem, ideo utramque sub generali nomine paraceneseos hic comprehendere volo. Dico, penetrans in corporis cavitatem. Corporis autem cavitates duæ sunt; una supra diaphragma, quæ est cavitas intra thoracem contenta: alia sub diaphragmate, quæ est cavitas in abdomine contenta. Ideo duplex est paracentesis; alia pectoris seu thoracis, alia abdominis.

Usus, & finis utriusque paracenteseos unus est, ut nimirum per foramen sic arte factum aliquid, quod intra illas cavitates contra naturam continetur, & alia ratione à natura excludi non potest, educatur. Quod ibi continetur, vel est pus, vel aqua. Itaque omnis paracentesis est aut ad pus, aut aquam; & vel ex pectore, vel ex abdomine educendum. Pus in pectore colligitur, vel à præcedente anginâ, vel pleuritide, vel peripneumonia suppuratis, & ruptis, & sic affectus vocatur empyema. Vel etiam à vulnere, vel casu ab alto ruptis intra venis & sanguinem multum effundentibus, qui in pus convertitur. Pus intra abdomen colligitur aliqua phlegmone alicujus partis, intra ipsum contentæ, suppuratâ aut ruptâ, ut renum, hepatis, mesenterii, peritonei, aliusve. Aqua colligitur supra Diaphragma in cavitate pectoris, sic ut pulmo ei innatet, ex pulmonis nimia refrigeratione, pericardii fissura, aut seri ex osculis venarum diapedesi. Et is affectus vocatur hydrops pulmonis. Aliquando colligitur aqua in abdomine, & ille affectus vocatur Hydrops simplex, seu Ascites. In his omnibus affectibus convenit paracentesis. Puto ego, adhuc aliam causam esse, propter quam paracentesis fieri possit; nimirum, non tantum, ut aliquid ex cavitatibus corporis evacuetur, sed ut aliquid etiam in eas immittatur. Sic potest fieri hæc sectio ut decocta aliqua abstergentia, cum syringis injiciantur; interius scilic. ulceribus aliquot difficilibus existentibus, quæ curari non possunt, & ad quæ non possunt alia ratione medicamenta commode prævenire. Sic Harcerus insignis Chirurgus Hispanus docet, ulcera pulmonis, & Phthisim facile esse curatu, & sese sæpius ea curasse, & curæ modum docet hunc; ut nempe in pectore sectio fiat, & per foramen decocta detergentia injiciantur, quibus ulcus eluatur, mundetur, & consolidetur.

Quæritur autem: an unquam paracentesis pectoris sit facienda? Videtur autem quod non, autoritate Pauli Æginetæ l. 6. c. 44. ubi dicit; *aliquos uti sectione, vel ustione thoracis penetrativa usque ad cavitatem. Sed isti, inquit, statim mortem inferunt, vel faciunt, ut fistula remaneat.* Hollerius comment. Sect. 6. Aphor. 27. dicit; *se duos vidisse empyicos, sed unum eorum obiisse, alterum fistulosum ulcus reservasse.* Hisce ratio videtur suffragari. Quia si in thorace foramen fiat, per illud externus aër ingredietur, & calor, & spiritus interni egredientur, & cor, & pulmo, principes & calidissimæ partes, spirituque plenæ refrigerabuntur, & debilitabuntur, & mors sequetur. Secundò, quia est communis opinio Medicorum, quod pulmo moveatur fuga vacui, ad motum thoracis. At si in pectore fiat fora-

men, jam cessabit ratio illa fuga vacui, quia aër, qui potest de foris ingredi per foramen, faciet, ut tunc non sit amplius tale periculum vacui, & ideo debebit motus pulmonis cessare, vel saltem valde minui; pulmonis verò motu vulnere imminuto & pure interius cavitatem opplente, & respirationem impediente, sequitur, quod fieri debet suffocatio, & mors. Saltem, cùm in cavitate utrinque thoracis pus continebitur, non poterit sectio talis ulla ratione fieri, quia illa sectio tunc fiet, vel in uno latere, vel in utroque: si fiat in uno tantum, fiet frustra, quia per illam tantum poterit evacuari pus, quod in illo latere est, quod autem est in opposito latere non poterit, & tunc illud poterit adhuc tàm bene mortem causare per se, quàm antea. Si fiat sectio in utroque latere tunc omnino sequitur, quod non poterit pulmo fuga vacui moveri, ergo necesse erit pulmonem à respiratione cessare, & ægrum mori.

Contra verò quod hæc sectio in empyecis, & hydrope thoracis aliquando fieri possit, docet, Hipp. variis in locis. Nam lib. 3. de morbis docet, quomodo empyemate laborantes sunt urendi, & secandi. lib. de intern. affect. docet costas ipsas perforare in hydrope pulmonis, quo per foramen aqua valeat exire, & Aphor. 27. s. 6. dicit: quicunque empyici aut hydropici sunt, & secantur, vel uruntur si pus vel aqua confertim exeant, moriuntur. Ubi insinuat, quod illi quidem secari, & uri possint; sed hoc tantum sit cavendum, ne aqua & pus confertim exeant. Porrò omnes ferè Practici docent in empyemate, si videamus, quod natura intrà certum tempus pus ejicere non potest, paracentesin esse faciendam. Etsi enim illa absque dubio non sit periculi expers, non est tamen certò lethalis, sed sæpissime potest curari, ut experientia docet. Præstat ægro remedium adhibere, à quo sit spes sanationis, etiamsi periculi aliquid habeat, quā certæ morti relinquere. Si enim sic relinquuntur vel mox moriuntur, multitudine puris suffocati, vel quia pulmones in eis inflammantur, & corrumpuntur: vel in phthisin abeunt, quæ omnia sunt mala lethalia. Quod autem hæc sectio non sit tàm periculosa, ex eo patet, quod omnes singulis diebus experimur, plurimos homines convalescere, qui vulnere thoracis penetrativo læsi fuere. Huic accedunt exempla eorum, qui passi talem paracentesin, tamen fuere curati. Scribit Plin lib. 7. cap. 50. quod Phalereus deploratus à medicis vomicâ laborabat. Et cum mortem in acie inquit, quæreret vulnerato pectore medicinam ab hoste invenit, & per vulnus erumpente pure fuit curatus. Idem scribit Val. Max. lib. 1. cap. 6. Hipp. in Coacis prænotionibus scribit, se compertum habere, ustione aut sectione quosdam evasisse in diuturnis thoracis ulceribus. Paschalius li. 1. c. 29. commendat hanc sectionem, & dicit, quendam, nomine Lupum sic ab empyemate fuisse curatum. Vesalius in consilio pro vulnere Ducis Terræ novæ, dicit, se hac sectione sæpius usum fuisse, & alios uti se vidisse, & se nunquam advertisse ex ea aliquid sinistri, aut contra præcepta artis evenisse, & licet contigerit aliquando, aliquos sic sectos mori, non fuisse tamen mortuos ratione istius sectionis, sed magnitudinis primi mali, propter quod sectio erat instituta: scribit Brasagonus in suis comment. in 6. Aphor. 27. se quendam suppuratum ussisse, & sanatum fuisse. Saxonia etiam se unum secuisse dicit, & adhuc vivere. Paræus, Harsæus, Guinimæus aliiq; Chirurgi celebres hanc sectionem commendant, & faciendam docent. Quapropter ad argumenta, in contrarium allata sic debet responderi. Ad autoritates; dubium non esse, quin aliquando secti moriantur, sed id sæpè accidit, ut ait Vesalius, ratione Empyematis, quod interna corrupit, & non sectionis, sæpe quod sectio mala sit facta, aliquando forte etiam propter ipsam sectionem. Sed non sequitur, quod ideo remedium omnino sit omittendum, quod aliquando obfuit: sufficit, quod possit sæpius prodesse, & ad hoc ut in desperatis casibus adhibeatur. Ad rationes, atque ad primam: non propter foramen internas illas partes valde refrigerari, propterea quod parvum sit, & semper emplastris, & aliis linteis bene sit tectum, & clausum. Ita videmus ventrem sæpe esse apertum, cerebrum esse denudatum, thoracem à vulneribus magnis pertusum, & nihilominus tamen adhuc ægros convalescere, nec exinde internas illas partes adeo refrigerari, ut inde mortem sequi sit necesse. Ad alteram dicitur, quod respiratio non fiat fuga vacui, etsi communis schola medicorum ita sentiat. Scribit enim Felix Platerus, & alii, sese sæpe ægrotos habuisse, qui ab utroque thoracis latere penetranti vulnere affecti fuere, qui tamen non desierunt, propterea commode respirare, quod tamen omnino necessum foret, si pulmo fugā vacui, ad motum thoracis moveretur, ut asserunt. Scribunt etiam Alex. Benedictus, Nicolaus Piso; & alii, quod cum ab utroque latere pus continetur, quod ab utroque latere sectio sit facienda: quod non facerent, si utrinque vulnerato thorace respirationem cessaturam, aut pulmonem fuga vacui non amplius motum iri crederent. Sed posito, quod ita foret, adhuc tamen posset sectio utrinque fieri, quando pus in utraque cavitate continetur, sed non simul, verum una post aliam, scilicet pure unius lateris per sectionem ejusdem lateris evacuato, & vulnere iterum consolidato. Posset sectio denuo in altero seu opposito latere fieri.

Ut hæc paracentesis commodè fiat, ante omnia considerandum est, quis locus ei conveniens sit; Pro quo sciendum est, quod semper sectio fieri debet, in loco, in quo pus continetur, & in illa parte, per cujus foramen potest pus exire. Nam si sectio fieret in eam usque cavitatem, in qua non est pus, frustra facta esset, & frustra periculum tentatum, & Medicus ignominia affectus. In thorace autem duæ sunt cavitates distinctæ; una à dextro latere, à sinistro altera: propterea quòd membrana, mediastinum dicta, in medio thoracis sit constituta, & unam ejus medietatem ab altera separet: ex quo fit, quodpus, quod in una cavitate est collectum, non possit ad alteram cavitatem venire. Accidit autem, ut aliquando pus in una cavitate, aliquando in altera tantum, in utraque aliquando cavitate colligatur, quapro pter multumr efert, in quo latere sectio fiat. Colligitur pus in uno vel altero latere, prout phlegmone vel in uno vel in altero latere est generata.

Quæ in dexterâ parte facta est, in dexteram cavitatem pus deponit; quæ in sinistra, in

in sinistram. Per pleuritidem semper in unum tantum latus pus deponi potest: per anginam, & peripneumoniam, aliquando in unum tantum, aliquando in utrumque. Nam in angina pus quod effluit, & delabitur in tracheam, interdum potest dilabi in unum ramum tracheæ tantum, seu dexterum seu sinistrum: interdum in utrumque. Trachea enim, cum ad pulmonem pertingit, in duos ramos bifurcatur, quorum unus in dextram, in sinistram pulmonis partem alter fertur: & exinde in sinistram aut in dextram cavitatem thoracis vel in utramque. Peripneumonia etiam est aliquando in uno latere pulmonis tantum, aliquando in utroque. Cum est in utroque, potest in utramque cavitatem pus deponere, etsi non necessario: quia etsi in utraque parte sit, non tamen necessario abscessum facit in utraque parte, aut erumpit. In quo ergo latere pus continebitur, in eo erit secandum. Si autem in utroque latere contineatur, quid erit faciendum. Dicit Alex. Bened. lib. 10. cap. 25. & Nicolaus Piso ac alii, tum in utroque latere esse secandam, sed non eodem, aiunt, die. Et certè, si in utroque latere pus contineatur, vel non erit secandum, propter periculi magnitudinem, vel si secandum erit, secandum in utroque: nam alioqui, quod in opposita cavitate pus continetur, non poterit per oppositæ sectionem evacuari, & sic maneret idem periculum mortis à pure in uno adhuc latere contento, quod antea erat à contento in utroque.

Cognoscendum ergo imprimis exactè latus est, in quo pus continetur. Illius cognoscendi varia signa sunt, tumor, calor, dolor, pondus, & strepitus puris fluctuantis. Imprimis dico, tumor: quia tumet, & sublimius quodammodo est latus, ubi collectum pus est, cum cutis exterioris livore quodam, & calore, quem corrupta evaporatio inducit. Sed & naturæ beneficio pus aliquando extrorsum extruditur, atque in musculos externos erumpit. Calor etiam est signum, quia latus illud, in quo pus est, magis calet. Hinc Hippoc. l. 3. de morbis, ad sciendum, in quo latere pus contineatur, docet, totum thoracem creta liquida, vel terra erictica obducendum esse, & quæ pars primo fuerit exsiccata, in ea pus contineri. Tertium signum est pondus quia, cum æger in oppositum, ac sanum latus incumbit, illi pondus aliquod à superna parte pendere videtur, unde interdum angustia premitur, & tussi fatigatur, & majori dolore infestatur. Denique fluctuatio & strepitus manifestus puris auditur in affecto latere, cum æger convolvitur, nisi forsan puris crassities aut copia, totum spacium implens, impediat. Hinc Hippocrat. alibi docet, ægrum manibus esse tenendum, & toto corpore concutiendum, & Medicum oportere aures pectori dolenti adhibere, ut audiat, qua parte strepitus puris audiatur. Cognito latere in quo est secandum, locus præcisè est cognoscendus, illum locum aliquando monstrat natura. Itaque si aliqua parte thoracis tumor, aut calor major appareat, ibi est secandum. Extra illum casum artificio locus est inveniendus.

Aliqui dicunt, intra secundam vel tertiam Costam sectionem fieri debere. Aliqui, inter tertiam, & quartam. Alii inter quartam, & quintam. Alii (inter quos est Vidus Vidius.) Inter quintam, & sextam dicunt esse secandum. Plærique omnes, vel inter tertiam & quartam, vel inter quartam, & quintam statuunt. Ego noto famosiores asserere, inter quartam & quintam. Illæ autem costæ debent computari ab infra sursum, à costis nothis incipiendo: unde, cum dicitur, quod debet sectio intra quartam & quintam, non debetis tunc intelligere costas spurias, sed veras & legitimas. Verum adhuc multum refert, an versus pectus an versus spinam locus eligatur. Versus spinam periculosus est: Imo quia ibi pulmo pleuræ vicinior est. Secundo, quia ibi costæ sibi mutuo sunt viciniores, ad latera autem costarum decurrunt magnæ venæ, quæ sunt venæ azygii propagines. Itaque illæ venæ ibi sibi mutuo sunt vicinissimæ, sic ut difficile sit secare inter costas, quin illæ venæ tangantur. At sursum versus pectus costæ, & venæ divaricantur, & paulatim fiunt tenuiores, & ideò illic minori periculo sectio fieri potest, debet ergo locus eligi, antrorsum, versus pectus, sex aut septem digitis transversis remotus à Spina Hippoc. 1. de internis affect. advertens periculum in sectione esse, ne illæ venæ tangantur. Docet alium modem, qui videtur esse tutior, ut nimirum supra tertiam costam secetur, & tunc ipsæ costæ terebello perforetur, & inde pleura transpugatur. Illa sectio videtur minus periculi habere. Recentiores tamen Medici nunquam eam usurparunt: quapropter necesse est, ut illa magnum aliquod incommodum habeat. Illud imprimis est, quod aliqui habeant costas tam parvas, & angustas, ut eas perforare impossibile foret. Secundò, quia etsi habeant costas satis magnas, tamen nemo eas tam magnas habet, ut per eas magnum foramen fieri possit, sed tantum parvum: per parvum autem foramen non possit satis commodè pus & sæpè tàm multum, & crassum evacuari, sed tantum aqua. Et ideo in quibus propter aquam in thorace paracentesis fit, in iis hæc costarum perforatio locum habere posset: vel etiam in iis, qui costas habent valdè latas. At verò in iis, qui angustas, vel qui Empyemate laborant, non item, ut Libantius super Aphor. & Paræus in Chirurg. etiam attestantur. Realdus Columbus insignis Anatomicus, alium locum insinuat, & dicit, commodè, & satis tuto hanc perforationem in sterno fieri posse, quam alii quoque nonnulli sequuntur. Sed cum non habeant certam aliquam de illo loco doctrinam, vobis vulgarem intra costas sectionem commendo.

Quo ad modum perforationis, is duplex est: vel enim fit sectione, vel ustione. Alii sectionem, alii ustionem præferunt. Interdum fit utroque modo. Ustio autem dupliciter fieri potest, vel cauterio actuali, vel potentiali. Antiqui solebant ferro candenti urere, ut ex Hippocrate, & Paulo manifestum est: Paræus lib. 7. cap. 10. dicit, ustionem quæ cum ferro candente fit magis esse securam. Idem ait Leonus: Ratio, propter quam id dicant est, quia ubique inter costas sunt magnæ venæ, quæ facile tangi possunt, & si sectione tangerentur, periculum adferrent magnæ, & pe-

riculosæ hæmorrhagiæ: at si ferro candente tangantur non est illud periculum, propterea quod venæ à cauterio claudantur. Vidus Vidius, dicit, debere fieri sectionem cum scalpello, postea ferro candenti locum esse inurendum absque dubio ad eandem hæmorrhagiam evitandam. Verum ego imprimis non probo, ut locus ferro candente usque ad cavitatem inuratur. Nam præterquam, quod hoc remedium sit horrendum, & crudele, non convenit etiam corporibus, jam à morbo tam debilibus; & attactu ignis febris augeri, & membrana succingens costas inflammari posset. Ideo Paulus, & Albucasis, cum de ustione usque ad cavitatem loquuntur, dicunt esse remedium; à quo statim mors sequatur. Quod si vero profectio fiat, & tum videatur sequi hæmorrhagia, equidem ut tum insuper ustio fiat, sicut Vidus dicit, esse necessarium. Restat ergo ut perforatio fieri debeat, vel sectione, vel cauterio potentiali; & vel alterutro solo, vel utroque simul. Cauterio potentiali solo inurere, nimis longæ moræ est: sunt enim decem dies, antequam eschara excidat, & interim à pure intus partes corrumpuntur. Hodie moderni Chirurgi utuntur vel sectione sola; vel cauterio potentiali, & postmodum sectione per escharam ab ipso cauterio inductam. Uterque modus est bonus. Sed qui sola sectione fit habet interim periculum hæmorrhagiæ conjunctum. Qui verò cum prævio cauterio fit, non item: per escharam enim venæ clauduntur. Quapropter puto ego, hunc ultimum modum esse securissimum, uti etiam Guilimæus attestatur: non tantum, quod per hanc non sit periculum fluxionis sanguinis, sed etiam, quia, cum eschara excidit, magnum fit foramen, quod ultro diu apertum manet, per quod pus potest evacuari. Nam, si sola sectione perforatio fiat, debent ægri continuo cruciari impositis tentis ad foramen apertum retinendum, quod & calorem, & febrem, & inflammationem parit. Si simplex sectio fiat, illa debet fieri, cum novacula angusta, & acuta, non autem scalpello; quia instrumentum debet ab una parte esse obtusum. Scissio debet fieri superne deorsum, sic, ut obtusa pars cultri sit sursum: quia sic cavetur, ne vena quæ sub costa jacet, vulneretur. Et debet duci oblique secundum ductum fibrarum musculorum nimirum versus deorsum ut sic facilius postea iterum vulnus conglutinetur. Cum autem potentiale cauterium imponitur, tum post factam escharam sectio fieri debet: non cum novacula, sed lancetta, ad cavitatem usque: & tunc non necessarium est ductum fibrarum observare, sed præstat rectè transversaliter secundum costas incidere. Sectio etiam facienda est, cum æger expirat, propterea quod pulmo tunc contrahatur, & à costis recedat, & sic minus tunc tangi possit.

Sectione facta pus, aut aqua per foramen educenda sunt, sed paulatim. Nam si confertim educerentur, subitæ mortis periculum est, sicut Hippocrat. sect. 6. Aphorism. 27. & aliis libris, toties est attestatus. Tunc suppurantia, quæ crustam excidere faciant, sunt deforis adhibenda, intus verò per foramen, cum syringa, injicienda sunt medicamenta, quæ leniendi, & ad temperiem reducendi corruptas partes simul, & pus detergendi vires habent, ut sunt aqua hordei cum melle rosato, aliaque decocta detergentia. Fuit etiam alius veteribus empyicos curandi modus: scilicet ut multis crustis superficiariis, non autem in cavitatem penetrantibus, circumquaque thoracem urerent, quem docet Paulus l. 6. c. 46. Albucas. l. 1. c. 3. & meminit Gal. l. 7. Aphor. 44. cum ex Platone Comico refert, Linesiam Evageræ Filium ab Euriphonte Medico, multis escharis inustum, fuisse curatum. Sed de illo modo nos hic non loquimur: sed tantum de tali ustione, quæ in capacitatem thoracis penetrat.

Quoad tempus paracenteseos faciendæ, illud vel est generale vel particulare. Quoad generale tempus, dicunt omnes eam in empyemate esse faciendam ante X. à puris eruptione diem: nam post illud tempus vires ægri nimis debiles sunt, & partes thoracis corrumpi inceperunt. Unde etiam si tum paracentesis fiat, partibus sic corruptis, frustranea esset, & æque bene mors sequeretur. Monent insuper Medici ex præcepto Hipp. in Coacis prænotionibus, ut neque tum statim à puris eruptione etiam sectio fiat, sed usque ad XV. dies post illam expectetur. Rationem dicunt, ut pus illud interim concoquatur, quod perpetuo post eruptionem crassescere, ac refrigerari potest. Verum puto ego & aliam rationem esse potiorem, ut interea ex propriis signis certius nobis constet, an ita pus erumpere possit, & an in thorace, & qua ejus parte sit collectum: simulque videatur, an non illud alia aliqua via à naturâ commodius sit expellendum.

Hæc generalis regula esse debet, ut nunquam paracentesis fiat, cum suspicio jam est, partes intra thoracem à pure corruptas esse. Secundo, ut nonunquam fiat, nisi adhuc cum mediocriter vires ægrotantis constant: nam cum illæ vehementer sunt prostratæ, non sunt tam magno remedio tolerando; sed æger succumbit, & moritur. Hactenus Thomas Fienus de Paracentesi Thoracis, sequuntur jam.

Consultationes.

Pro quodam Illustri, & Nobili Iuvene Empyemate, seu suppuratione laborante.

Quisnam sit locus affectus in casu Illustris & Nobilis Juvenis apud omnes non ita constat, thoracem tamen ego secundum cavitatem esse existimo; thoracem quidem, ut suadet spiratio valde difficilis, secundum cavitatem, ut gravitas illa, quæ in profundo ejusdem præsentitur, necnon fluctuatio ibidem percepta, demonstrant.

Et quoniam cavitatis morbus proprius est angustia, & hæc multiplex esse solet, puto ego angustiam hanc esse constipationem factam à materia purulenta, quæ ex abscessu anginoso suppurato, atque disrupto in thoracem cecidit, nam cum abscessus ille præcesserit, per os non fuerit expurgatus, & nunc pus cum tussi expuatur, satis apparet thoracis cavitatem dictam à pure constipari; Ex quibus, ni fallor, constat, quæ sit immediata causa constipationis, est enim pus illud, non quidem genitum in thorace, sed in partibus ipsi superioribus occasione anginæ pro-

progressæ productum: Pus namque cum tussi rejectum thoracis actiones necessario sequitur, expulsionem inquam, atque coctionem expulsionem quidem tantum, quando pus in eodem thorace non generatur (sicuti in casu proposito contigit) coctionem vero simul, dum generatur in pectore, seu cavitate thoracis occasione materiæ à capite destillantis, quod in patiente nostro minimè locum habet.

Quibus ita breviter constitutis. Dico pus ut est quid à toto genere præter naturam esse eradicandum, ut crassum, & viscidum detergendum, ut acre attemperandum, ut lædit thoracem esse educendum per tussicularia, & convenientia remedia, proportio tamen semper omnium viscerum thoracis est conservanda.

Quod autem in similibus casibus Medicus vix possit ad optatum finem pervenire, de se patet, quinimmò nisi spatio 40. dierum materia hæc expuatur, actum erit; Accedit (& hoc in casu præsenti non levem timorem incutit) quod longè pejus est Empyema, ad Anginam, quam ad destillationem subsequi; Quapropter nisi citò succurratur, imminet hectica imminetq; phthisis: Quod tamen aliquid spei pollicetur, est ægri prudentia, & ætas juventutis, nec non & illud quod tota thoracis cavitas haud est repleta, sed tantum dextra ejusdem pars afficitur.

Accedens itaque ad curationem, venæ sectionem improbo, sed aliis non conferentibus judicio ad thoracis perforationem in parte dextra inustione, vel sectione facendam erit deveniendum.

Quoad medicamenta, quæ antequam chirurgus ad perforationem accedat, tentanda sunt, dico quod vel ad pus quiescens, vel motum diriguntur, si ad quiescens, jam oportet materiam attenuare, atque discutere emplastro ex radicibus altheæ, pulvere cimini, radicis ireos, & oleo liliaceo, vel ceratis convenientibus, uti est Diachylon gummatum, Diapirites, & sacrum.

At si idem pus moveatur, prout ad partes diversas movetur, diversa quoque sibi requirit medicamenta.

Si igitur ad cutim facta perforatione utendum est mulsa, & melle rosato simplici cum aqua hordei: At si ad pulmones inclitét, conveniunt oxymel simplex, scillinum, loch de pulmone Vulpis, sanum, & expertum, adjecto modico sirupi violati, vel de liquiritia, vel de farfara, propter puris mordacitatem. At si vias urinæ adeat, decoctum convenit Asparagi, fœniculi cum lacte sem. melonum, si verò ad alvum tendat, licebit uti mel. ros. sol. agarico, & clysteribus communibus.

Quoad victum necesse est patientem cibis uti medicinalibus. Ideò pure quiescente, convenit amygdalatum, & pineatum, si moveatur ad cutim mel cum cibariis erit opportunum, si ad renes petroselinum, Asparagus, & lac sem. melonum probantur, si demum alvum petat, jus caulium, mercurialis, & passularum mirum in modum proderit. In materia quiescente convenit vinum odoratum, in materia verò, quæ ad Catim movetur vinum cum melle potandum erit, in ea, quæ ad renes à vino medicato cum radicibus aperientibus non est recedendum, ac tandem in materia, quæ ad alvum inclinationem habet, vinum alteratum cum senna, cum cartamo accommodatum existit. In reliquis autem quid sit agendum, unicuique ex medicis etiam trivialibus manifestum esse judico, atque ideò reliqua consulto prætermitto, Deumq; quam maximè oro, ut sanitatem huic Illustri Juveni miserè laboranti concedere ne dedignetur. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationib. Medicis.*

De Pleuritide in Empyema degenerante. Pro Reverendiss. Vestali Abbate.

Reverendissima & Religiosissima Vestalis Abbas, ætatis annorum 54. temperamenti calidi, ad humidum vergentis, destillationi obnoxia pituitosæ materiæ à capite ad varias corporis partes, cujus ratione antehac dolores articulares passa est, duobus abhinc mensibus febricitare cœpit, febrisque singulis diebus habebat annotationes quolibet tertio die sibi respondentes, cum levi quadam extremorum refrigeratione; ac deinde incalescentia, vigiliis, & capitis gravitate: cui quarta die supervenit dolor gravis in thorace respirationi molestus, cum difficili decubitu in utrumque latus, tussi, cum excretione materiæ pituitosæ & aliquando cruentæ, urinis crassis, & pulsus oppressione adeò gravis, ut vix percipi posset motus diastoles: quibus accesserunt animi pathemata, & palpitatio cordis. De agendis propterea consulit.

Quocirca in consultationem acciti, contrectatis visceribus naturalibus, exacerbatoq; dolore ad compressionem partium utrinq; sub costis mendosis, in eam sententiam deveni, quod laboraret inflammatione spuria septi transversi, cùm ipsius Medici clinici, aliiq; contrariam tuerentur, febre scil. mali moris eam detineri; quæ causa fuit, cur tunc, & antea plurimis cardiacis usi fuerint, atque vesicantia internis partibus applicuerint, lenita alvo, & præparatis humoribus, sanguineque misso ex salvatella. Ego vero obfirmatus in prima mea sententia, eclegmata præscribenda duxi ex syr. de farfara, acetoso simpl. syr. de hyssopo; atque in dies dolore utrinq; invalescente, præscriptum fuit ol. amygd. dulc. ad ℥ v. cum ℥ ij. syr. acet. simplicis, à cujus usu, remittente dolore, cum sensu majoris gravitatis, & difficiliori decubitu in latus dextrum, suspicatus fui inflammationem in abscessum mutari in sinistra parte pleuræ, qua pertingit ad costas mendosas: ac propterea præscripto acri clystere, quod ob virium imbecillitatem dejectoria per os sumpta ferre non posset, moxque fomento parti affectæ ex flor. chamæm. rad. alth. seminib. lini, & meliloto, in vino albo generoso manè, & vesperi, cum spongia calida applicato, dolor remisit luculentius, ita ut decumbere posset in utrumq; latus, pulsus invaluerunt, cordis palpitatio, febrisq; remisit; gravitate tamen in parte affecta persistente. Lambitivum propterea validius fuit præscriptum, ex oxymelite scillitico, ut & cardiacum, Mithridatica nem pe confectio, quam bis sumpsit; ac tandem validiori tussi excitata, abscessuque disrupto, expuere cœpit materiam purulentam, cum quibusdam sanguinis notis: atque ita præsens affectus in empyema degeneravit. Quare tunc eò collimavit consilium nostrum, ut expurgaretur materia illa, prænunciato Hipp. prognostico 5. Aph. 15. quod

quicunque ex morbo laterali Empyi fiunt, si 40. diebus purgantur, à qua die fit disruptio, liberantur; alioquin ad tabem transeunt.

Expurgari autem debet sensibiliter, vel per partem affectam, vel per urinam, vel per alvum, vel per os, & sputum. De evacuatione per partem affectam, thoracem, scil. locutus est Hippoc. 6. Aph. 27. cum dicit: *Quicunque empyi uruntur, aut secantur, si totum pus confertim effluat, omnino moriuntur.* Ex quibus patet, quod educi potest, vel per ustionem, vel per sectionem. Ad alterutrum tamen tunc tantum deveniendum esse ait Gal. in commento, quando nulla est spes materiam evacuandi per os, adestque maxima difficultas respirationis, cum periculo suffocationis, In hoc solo casu hæc operatio administranda. Verum in præsenti, quum levior sit spirandi difficultas, quam ante suppurationem, viresque sint robustiores, ideo ipsa supersedendum erit, quin potius procuranda esset prædictæ materiæ expurgatio, vel per vias urinæ, ut non rarò fit, Galeni testimonio 6. de Loc. Aff. 4. cui subscripsit Paulus Ægineta, & Ætius, cum Recentioribus, facta nempe ipsius transmissione per ramum venæ sine pari insertum sub diaphragmate in venam cavam propè emulgentes, per quam pus ad urinas permeare potest, ut inquit Fallopius; non verò per venam arteriosam ad dextrum cordis ventriculum, hincque in venam cavam, jecur, & renes, ut asseruit Mesue; valvulæ namque venæ cavæ in corde admittunt quidem in ipsum materiam, non autem ejusdem ab eo effluxum ad jecur: per alvum itidem expurgari potest prædicta materia, vel per ramos venæ portæ diaphragma perreptantes à quibus per venam portæ ad intestina, & alvum patet via, ut asseruit Gal. 6. de Loc. Aff. 4. vel tandem per os, tanquam per locum omnium accommodatissimum, ut optimè observat Gal. 5. de Loc. Aff. 3. & sæpius experientia comprobatum est, prout contigit Reverendiss. nostræ Patienti, quæ singulis diebus extussiit 8. libras, & quod excedit, purulentæ materiæ; cujus rei causa nos quoque eclegmata præscripsimus parata ex syr. de farfara, de liquiritia looch de pulmone vulpis, de caulibus, radicibus Ireos & seminibus ervi pulverizatis, syr. acetoso simplici exceptis.

Præscripsimus in primis victum detergentem, & humectantem, cremorem hordei integro cortice. Potus loco mulsa fuit diluta aqua hordeacea, cum coriandris præparatis. Atque ita Divina juvante clementia spatio 40. dierum curata fuit. *Bened. Silvatic. Consil. & resp. Medic. Cent. 2.*

De Empyemate ex vulnere thoracis. Pro Nobili Cretensi.

Nobilis Cretensis annorum 30. temperamenti calidi quoad jecur, & totum corpus, frigidi & humidi quoad caput, sub cœlo nocturno sæpius moratus, compotationibus & comessationibus deditus, atque incompositissimè se gerens in omnibus sex rebus non naturalibus, tribus abhinc annis, & quod excedit, gravi dolore correptus fuit in regione mamillæ dextræ, gravitatemque sensit in occipite, cum aliqua imbecillitate motus corporis. His successit tussis, spirandi difficultas, & expuitio cum tussi pituitosæ materiæ novem mensium spatio: quo tempore pugione confossus fuit in læva parte thoracis, inter quintam, & sextam costas, à superioribus, vulnere spithamam penetrante, inferiora versus, & dorsum, cum aëris exsufflatione per foramen, sanguinisque excretione per sputum: cui paucis post diebus obducto accessit febris, cum ingenti æstu, magnaque spirandi difficultate, & tussi, atque excretione sanguinis grumosi, cum pure, & quidem sinceri, graveolentis, 30. menses continuos. Foramine deinde patefacto anno post, ex eo valida exsufflatione, & tussi excernitur pauca puris copia, perseveratque ejusdem excretio singulis diebus per tussim; ad libram. Propterea patavium se contulit, & de agendis consulit.

Tria itaque in casu præsenti inquirenda veniunt, supposito, vulnus penetrasse ad cavitatem thoracis, prout patet ex præterita exsufflatione, & sputo cruento tunc apparente. Primum est, quænam partes thoracis sint affectæ. Secundum, an pulmones sint exulcerati, cujus rei suspicio est. Tertiò consulendum de agendis, pro præsentis affectus curatione. Et non immeritò quæritur primò, quænam partes thoracis sint potissimũ affectæ, cùm in thorace contineantur pulmones, cor, cum pericardio, & septum transversum. De singulis harum partium dubium esse potest. Existimo tamen pulmones affectos quidem fuisse antehac ex defluxu materiæ pituitosæ à capite, non solùm ad musculos thoracis circa mamillam dextram, ubi dolorem; nec ad occiput tantum, & principium nervorum, ubi gravitatem, & motus imbecillitatem induxit; sed etiam ad pulmones, ubi spirandi difficultatem, & tussim excitavit, cum excretione materiæ per tussim. *Morbum enim ostendit sanatio.* Verùm quod ex vulnere læsi sint pulmones, verisimile non est. Tunc enim major sanguinis copia, & ipsius quidem spumosi fuisset excreta: qualis non apparuit, ex medici curantis fide. Secundò, facta fuisset inflammatio in pulmonibus, indeque febris statim se prodidisset, eaque perseverans. Tertiò successisset ulcus, ac deinde phthisis: quæ non apparent 30. mensium spatio, quo robustus permanet. Præterquam quod situs loci affecti est declivis, in quo non rarò fit paracentesis in empyemate, absq; ulla pulmonum offensa. Minus suspicandum est de essentiali cordis labe. Successisset namque procul omni dubio lipothymia, palpitatio & syncope, nec tamdiu superstes fuisset. *Cor namque viscus omnium princeps diu tolerare non potest graves affectus*, ut asseruit Aristot. De septo transverso gravior incidit suspicio, cum vulnus vergat ad inferiora, atque difficilior facta sit respiratio. Verum tamen neque septum transversum vulneratum fuit. Inflammatio namque, delirium, major spirandi difficultas, & motus aliqui convulsivi necessario supervenissent; quemadmodum contigit Theoni in obsidione circa Datum sagitta in pectore percusso, ab Hippoc. descripto 5. Epid. Hist. 93. cui statim successit risus tumultuosus, sive Sardonius, & tertia convulsus obiit: quorum neutrum apparuit. Quod si febris acuta, spirandi difficultas accessit, hanc habet causam: quia obducto vulnere & expurgata materia, decumbens hæc ad septum & putrescens prædicta induxit mala.

Quare statuendum censeo, vulnus penetrasse in cavitatem thoracis, ibique sanguinis copiam fuisse collectam, ob intempestivam vulneris curationem, neque inde expurgari potuisse, patefacto licet foramine, atque immissa fistula argentea perforata: quoniam foramen illud fuit altius quàm par erat, adeoque neque valida exsufflatione, & tussi excerni potuit; Et proinde transmissa ad pulmones materia per sputum fuit excreta, jugiterque copiosa excernitur, ob confluxum humorum ad partem affectam, ubi putrescunt, ideoque & patiens ipse observat eandem materiam per tussim inde expurgari, non sine continuo aliquo murmure. Cùm autem triginta menses ferè continuos fluxerit hæc materia ad pulmones, non sine ratione dubitare licet, & de pulmonum erosione, & exulceratione. Si enim exulcerari possunt à catarrho salso, potiori ratione à pure corrupto, & fœtido id fieri potest, cùm aliquando phthisis fiat ex purulenta materia, absque sputo cruento, aut catarrho salso, ut asseruit Galenus, & experientia sæpius comprobatum fuit. Existimo nihilominus in casu præsenti non esse exulceratos pulmones. Febris namque continua esset, à qua tamen mensibus elapsis erat immunis; corpus esset extenuatum magis, viresque longè imbecilliores. Quare sum in ea sententia, quod sit potius empyematicus, ex collectione puris in thorace, quàm phthisicus ex ulcere pulmonum.

His sic habentibus, quoad essentiam, & causas præsentis affectus, non desperandum censeo de salute patientis; quamquam affectus sit antiquus nec dum sanatus. Virium enim robur indicat calidum innatum validum esse, atque posse materiam peccantem evacuari, ac deinde ulcus sanari.

Quod ut fiat, tria occurrunt agenda: primò materia in thorace stagnans est evacuanda, cùm per locum declivem magis affectæ partis, tum per vias urinæ, tum & insensibiliter per digerentia. Secundò divertenda est materia confluens ad partem affectam: & tertiò pars affecta exsiccanda, consolidanda, & roboranda.

Primæ intentioni satisfiet potissimùm per foramen patefactum in loco declivi ejusdem partis; secundò per aquas nostras Thermales Aponitanas, detergentes exsiccantes, & materiam ad vias urinæ comportantes, sumptas ad ℔ vi. singulis matutinis horis, cum spiritu vitrioli; & tertiò potione vulneraria, à Pareo descripta in sua magna Chirurgia. Secundam implebunt cauterium dextro brachio inustum, pro majori diversione à parte affecta. Frequentes item alvi subductiones; Caputpurgia per os, & nares: & tandem decoctum paratum ex ligno Indico, salsaparilla, visco quercino, & ligno rhodio, cum radicibus consolidæ, rubiæ, plantaginis, & betonicæ. Tertiò ex usu erunt mulsa injecta cum siphone, pro detersione; pulveres exsiccantes injecti, & balsamica medicamenta. Quorum beneficio patiens Nobilissimus pristinam sanitatem recuperavit, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei. *Idem ibidem.*

Empyema à Pleuritide.

Reverendissimus Canonicus annorum triginta septem circiter, temperamenti totius calidi & sicci, fervidi jecoris, humidi capitis, gracilis habitus & proceræ staturæ, dum sanus ruri vitam agebat, mense Octobris proxime præterito, sub nona die extemporaneo lateris sinistri dolore in regione costarum legitimarum correptus fuit, prægressa tantummodo eadem die in prandio inappetentia, sequutis vero horroribus inæqualibus, cum tussi & difficili respiratione acutaque febre. Et cum dolor iste perseveraverit, tertia die in cursu decumbens ad Urbem se contulit, ubi ab Excellentissimis Medicis sanguis ex brachio lateris affecti, præmisso Clystere, detractus fuit: & congrua præscripta tenui victus ratione, pectorales unctiones & lambitiva, temperata prius & concoquentia, in usum ducta fuere; Quibus tamen non sufficientibus, dolore perseverante, iterum præmisso Clystere die sexta repetita fuit ex altero brachio sanguinis missio: imo & die septima hirudinibus ex venis sedalibus fuit rursus sanguis extractus, cognita nimirum ab Excellentiss. Viris inflammatione interna; Die vero sequenti puris effusio à secuta intus in latere ruptione ab ipsomet Patiente percepta fuit, cum successerit in eodem latere fluctuatio, & materiæ graveolentis ac purulentæ per tussim excretio, non sine catarrhali copioso à capite defluxu. Quibus omnibus ita perdurantibus, tenui victu à Medicis multis diebus præscripto, Expectorantia plura & varia administrata sunt: quinimo & Exiccantia atque insensibiliter digerentia, necnon per urinam ducentia: parata namque fuerunt Julapia, decoctione prius facta radicis chinæ, salsæ, visci querc. & lentisci aliorumque pectoralium ingredientium, & Terebinthina exhibita: sic aliæ confectiones ac lambitiva. Verum hucusque, nempe ad vigesimam secundam usque Novembris jam administrata non satis profuerunt, cum perseverent sputa purulenta & fœtida, cum macie & insensibili febricula. Verum tamen est quod postquam paucis abhinc diebus paulo pleniorem victum Excell. Viri concesserunt, cum exigua quoque vini portione, Reverendissimus Patiens vires reassumpsisse visus est, ita ut & stare & per cubiculum parumper deambulare possit. Sed à fœtido sputo liberari cupiens de agendis consulit.

Affectum lateralem, eumque pleuriticum fuisse primum dolorem, propter inflammationem ejusdem Pleuræ, & forsan etiam internorum musculorum, ut à Viris Excellentiss. judicatum fuisse ex Curatione aptissime præstita conjicio, ita talem eundem & ego confirmo; Contigit tamen Reverendissimo Patienti quam citissima suppuratio, octava die scilicet, forsan quia fervidissimus fuerit sanguis: calor uterque, naturalis scil. & præter naturam validus, nec forsan sputa (de quibus in relatione nulla mentio facta est) inflammationis minorativa apparuerunt. Suppuratæ autem atque disruptæ inflammationis purulenta materia inter pulmones atque thoracem contenta, affectum empyematicum produxit, dum per sputum antea expurgata non fuit: cujus qualitas sicut abunde patet, dum purulenta apparet, & fœtida à Patiente percipitur, ita quantitas mihi non innotescit, cum de fluctuatione, de difficili decubitu in latus oppositum, nulla mentio fiat. Verum tamen

tamen est quod quantacumque fuerit, nisi in quadraginta diebus post eruptionem expurgata fuerit, in Tabem incidere Patientes pronunciavit Hippocrates, cum à pure ipso pulmones inficiantur, & aut erosione aut fraciditate afficiantur. Quare cum hodie quadragesima tertia dies à ruptione transegerit, de Tabe incipiente dubitandum est. Et quamvis Suppurati, sive Empyematici quandoque etiam a catarrhali materia à capite defluente fieri possint, hæc tamen causa in casu nostro locum non habet, tum quia præcessit dolor lateris inflammatorius, tum quia eo modo nonnisi diuturno tempore fit, & tandem quia catarrhalis à capite destillatio octava tantum die successit. Et ideo verum atque legitimum pus quod ab inflammatione emanavit, in thorace contineri credendum, cui tamen aliquam catarrhi portionem associari posse non est prorsus negandum. Et quamvis Patiens Reverend. infebricitantem seipsum existimet, hoc tamen impossibile censeo.

Medica intentio potissima in hoc statu debet esse, puris quàm celerrima evacuatio, quæ tanquam per viam regiam, per tussim & per sputa perfici solet: quamvis enim Galenus asserat se vidisse pulmonis vomicas per urinam expurgatas, rejecto nempe pure à pulmone quidem per lævam arteriam ad sinistrum cordis ventriculum: à corde autem per arteriam magnam ad renes: atque illinc tandem per ureteres ad vesicam; rari tamen censendi sunt hujusmodi casus; sicut impossibiles apud Matthiolum atque Fernelium: Ille enim contra Galenum affert, quod ex materia purulenta & fœtida cor ad Syncopen duceretur: iste vero ait, quod una cum pure sanguis quoque per urinam educeretur. Verum neutra objectio tenet: non prima, quia syncope sequeretur, si in corde materia ipsa diu hæreret: nec secunda, quoniam expultrix facultas pus expellit, & retentrix sanguinem retinet. Sed revera modicæ materiæ in thorace existentis per sputum expurgatio tentanda: sicut copiosa, sectione aut ustione educenda, ut monet Hippocrates: eoque audentius, cum affecta pars sit sinistra, in qua sectio minus periculosa evadit. Sed pro hac operatione observandum Hippocratis monitum, dicentis quod Hydropicos citius secare oportet, Tabescentes vero statim urere. Quartus quoque modus pro materia purulenta absumenda à nonnullis tentatur, Decoctis nimirum insensibiliter digerentibus & exiccantibus, sed incassum semper, si materia copiosa: & frequenter, si etiam exigua fuerit.

Quibus intentionibus propositis & consideratis, exigua existente materia, per regiam viam, nimirum per sputum erit educenda; At si fluctuatio in latere manifesta percipiatur, & decubitus super latus oppositum difficilis Patienti evadat (copiosæ materiæ indicium) tunc satius erit anceps remedium experiri, quàm Ægrum ipsum certæ Morti relinquere. Interim totis viribus materia per sputum evocanda Lambitivis jam præscriptis: quibus addi poterit oleum sacchari & grana butyri, sive guttulæ aquæ sulphuris. Oxymel quoque parabitur, facta maceratione hyssopi, prassii, enulæ camp. & ireos. Efficacissimum quoque expertum Lambitivum hujusmodi.

℞. Hyssopi, prassii, pulegii, calamenthi an. pug. j. liquiritiæ, iridis, scillæ, helenii, nucleorum pineorum an. ℥ ß. biduo macerentur in aqua tussilaginis & aceto, mox expressioni addatur mellis opt. q. s. ad oxymel. consistentiam. Extrinsecus quoque Discussorium optimum parabitur ex farina lolii, bitumine, addito pulvere iridis, & baccarum lauri, omnibus lixivio dulci reformatis.

Quod si placeat materiam ipsam ad vias urinarias ducere, usus Terebinthinæ aptissimus erit cum succo liquiritiæ condensato; cui potio superpræbeatur ex decoctione chinæ, salsæ, exiguo sassafras, radice fœniculi & apii parata: ita enim unum facere, & alterum non omittere, non inutile erit. Et si dabit Deus, ut materia purulenta tota aliquo ex jam dictis modis excernatur, & Reverendissimus à Tabe præservetur, Vere venturo pulmonum laxitas corrigi poterit potu aquæ nostræ sulphureæ Aponitanæ.

Præscriptis autem omnibus congrua erit addenda vivendi ratio: cibos acres & salitos concedendo: Vini albi tenuis & subdulcis potum in mensa permittendo: & mulsam ireatam pro frequenti oris collutione parando: cæteraque omnia præscribendo, Viris Excellentissimis perquam nota: quibus notissimam quoque hujus casus angustiam esse existimo. *Raym. Joan. Fortis Consult. & Respons. Medicin. T. 2. Cent. 1.*

Empyema & Phthisis.

Admodum Rev. Pater annorum quadraginta quinque, temperamenti totius biliosi & subsanguinei, capitis calidi & humidi, destillationibus obnoxii; duobus jam mensibus ex improviso sanguinis copiam, non sine aliqua purulentia, tussi excernere cœpit, prægressa multo tempore tenui & salsa à capite destillatione cum perenni faucium siccitate. Accersitus Medicus statim missionem sanguinis jussit, victusq; rationem refrigerantem & humectantem instituit, ptisanam scil. hordeaceam, & Malvæ succum depur. pro syrupo alterante. Et cum sanguinea & purulenta excretio perseveraverit, quamvis minori copia, una cum febrili alteratione à Patiente non percepta, & insigni macie totius corporis, decrevit Excellent. Medicus usum lactis instituere: cujus tamen usus potius molestus erat, ut ideo lacti substitutum fuerit Decoctum in jure pulli paratum radicibus graminis, foliis malvarum, cich. borag. violarum, seminibus melonum, addito cochleari tart. albi; quibus parum aut nihil cessit affectus: quotidie namque purulenta atque cruenta materia excerni non desiit. Quare in eadem victus ratione insistendo, Balneum aquæ dulcis aliquot diebus administratum fuit, sine tamen Patientis tolerantia, imo cum virium diminutione; & idcirco hoc quoque remedium genere omisso, & victus ratione refrigerante & substantifice humectante præscripta, ab eodem Excellentissimo Medico quid agendum quæritur, & à Patiente Admodum Rev. enixè expetitur.

Empyema duorum mensium ab Excellentiss. Viro in relatione descriptum, sanationem admittere non potest, si Gal. & Hippoc. credimus: etenim sicut Pleuritici non expurgati, suppurantur: suppurati verò, si quadraginta dierum spatio post eruptionem non expurgentur, ad Tabem

bem transeunt, cum post jam statutum tempus pulmonum substantia non amplius illæsa servari possit, ut propterea febricula non hectica tantum, sed phthisica quoque necessario superveniat; ita cum jam sexagesimus dies præterierit, quo sanguis una cum purulenta materia per tussim à pectore excretus fuerit, & quotidie usque in hunc diem excerni perseveraverit, idcirco Tabem sive Phthoem jam subsecutam esse credendum. Sed præterea consideranda sanguinis excretio post diuturnam tenuem, & salsam à capite in pulmones destillationem, quæ non solam flacciditatem & fraciditatem pulmonum, sed erosionem quoque, diæresim & ulcus excitare potuit, sicque non tantum Phthisim secundam ab Hipp. descriptam, sed primam quoque Phthisim ab eodem recensitam constituit, præter Empyema quod à catarrhali destillatione in thorace paulatim collectum fuit, ab Hippocrate ipso descriptum.

Quibus ita se habentibus, cum Admodum Reverendi Patris affectiones præter naturam longè superent Artem ipsam, remedia nonnisi ad vitam producendam, nullo modo ad salutem recuperandam proponi possunt. Et quoniam ex una parte purulentia, necnon catarrhalis materia medicamenta exiccantia exigunt: ex altera vero febris & totius corporis gracilitas expetunt humectantia; idcirco unum facere, & alterum non omittere oportet, ut vitam protrahamus, urgentiori semper incumbendo. Et ideo usum lactis Asellæ bene nutritæ confirmo; & præterea Emulsiones in eandem intentionem, seminum melonum mundat. amygdalarum dulc. nucleorum pineorum, in jure cum saccharo; Item carnes pullæ junioris: imo parentur Morselli ex eadem carne nucleis pineis, pistaciis, cum saccharo & exigua aqua flor. citri. Pro potu vero vinum album dulce, tenue & oligophorum: non omittendo quotidianas universi corporis inunctiones oleo amydalino recenti. Pro altera vero intentione, in usum ducenda erit radix Chinæ, ita ut quatuor aut quinque ejusdem incisæ taleolæ una cum carne semper ebulliant: imo & in vino quoq; pro potu infusæ detineantur. In cœna præbeatur ferculum Saxoniæ, cui addatur China ipsa in pollinem redacta. Interim materiæ purulentæ expectoratio semper adjuvanda Lambitivis paratis ex Oxymelite, æqua portione sacchari & mellis Hispanici, cum aqua farfaræ & globulo pulveris ireos composito. Aptissimum quoque erit Lambitivum ita paratum.

℞. Julap. acet. syr. de Ibisco, olei de saccharo an. ℥j. m. Nec omittendæ pectorales inunctiones.

Ut ℞. Unguenti malvini, adipis Anseris, an. ℥j. ol. lil. alb. amygdalarum dulc. an. ℥ß. pulv. ireos Florent. ʒ ij. m. reformetur. Et hæc sunt quæ in hujus status angustia adducere potui, cum efficaciora ut essent, Decocta exiccantia, Terebinthi usus, & sulphurata alia medicamenta nec admitti, nec tolerari possint: ut propterea nec à Viro Excellent. Adstanti administrata, minusque proposita fuerint. *Idem ibidem.*

Juvenis 26. annorum, post vulnus, in pectoris cavitatem penetrans, consolidatum, jam ab aliquot mensibus ad summam maciem redactus, pus quotidie exspuit; magnumque dolorem in illo pectoris latere, ubi vulnus fuit inflictum, sentit. Tumor etiam, quatuor digitis à vulneris cicatrice distans, ibidem inter costas observatur; liquorisque alicujus fluctuatio ibi digitis percipitur. Vigiliæ ipsum magnopere affligunt. Febris adest, quæ hecticam refert. Nisi in lecto erectus sedeat, præ respirandi difficultate suffocari metuit.

Afficitur in hoc ægro totum corpus, quod ex ejus summa macie: item pulmo, quod ex puris sputo, & respirandi difficultate: nec non pleura & musculi intercostales, quod ex dolore lateris, ejusque tumore: præterea etiam cerebrum, quod ex vigiliis: ad hæc quoque cor, quod ex febri est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est cavitatis thoracis, à pure, in ea collecto, nimia angustatio; quæ è puris illa collectione, angustiam cavitatis thoracis faciente, Empyema vulgo appellatur.

Causa prima hujus morbi fuit vulneris, in pectoris cavitatem usque penetrantis, inflictio; vulneris verò consolidatio, ante justam sanguinis è pectore evacuationem, & vasorum vel pororum, sanguinem in cavitatem thoracis emittentium, justam conglutinationem facta, pro secunda ejus causa, est habenda; sanguis autem post intempestivam vulneris consolidationem in pectore retentus, & per vasa pectoris læsa in cavitatem ejus descendens, eamque replens, ibique in pus conversus, partesque vicinas vitians, tertiam & continentem, proximamque hujus morbi, ejusque symptomatum, constituit causam.

A copiâ enim ipsius sanguinis, in pus conversi, in cavitate thoracis collectione, facta fuit magna cavitatis thoracis angustia, justam pulmonum expansionem impediens; *respirationemque tam difficilem inducens, ut jam æger, nisi erectus sedeat, suffocari*, à magnâ copiâ puris, (jacentes pulmones magis, dum illud sursum attollitur, quam eos ex aspera arteria, in erecto corporis situ, pus deorsum pellente, recta sive perpendiculariter dependentes, prementis & gravantis,) metuat.

Quia autem jam, ab aliquot mensibus, pus illud pulmonum sanguinisque, per eos perpetuò transeuntis, temperiem vitiavit, eumque ad corpus nutriendum ineptum reddidit, & pulmonum poros, imo ipsa eorum bronchia, ingressum est, ac cordis ventriculis sese insinuavit, temperiemque malignam ipsius parenchymati impressit, ac membranam pleuram & musculos intercostales suâ acrimoniâ pungit, & jam ab aliquo tempore corrosit, hinc, *summa ægri macies, cum hectica febri & magnis vigiliis conjuncta; dolorque in pectoris latere molestus; item puris sputum; tumor etiam inter costas, circa vulneris cicatricem, cum liquoris fluctuatione perceptibilis, originem duxerunt.*

Morbus hic periculosissimus est, propter febrim, hecticam referentem, puris sputum, & summam maciem, quæ summam pulmonum & cordis arguunt corruptelam. Quia tamen experientia docet, nonnullos, ita affectos, fuisse sanatos, ideoque Curationem etiam tentandam censeo.

Eaque in puris evacuatione, per apertum thoracem faciendâ; ulceris mundatione, & consolidatione, & intemperiei pulmonum, per contraria, correctione, consistet.

Quum primum itaque pectus, circa locum tumoris, scalpello aperiatur, & pus ad quantitatem libræ vel sesquilibræ, pro ratione virium, & sequentibus diebus quotidie paulo minus, educatur, donec totum pus evacuatum fuerit. Partitis autem vicibus educendum pus, ne conferta ejus evacuatio spiritus subito effundat, & ita ægrum valde debilitet, vel enecet.

Pure evacuato, & ulcere mundato, ejus consolidatio erit, more solito, procuranda: quæ ut felicius procedat, tali æger ab aperto thorace, utatur decocto vulnerario, sanguinem purgante, ulcera detergente, & putredinem inhibente.

℞. Herb. saniculæ, bugulæ, Scabiosæ, betonicæ, Hyperici, card. bened. pilosellæ, pimpinelllæ, vincæpervincæ, agrim. plantag. an. m. j. flor. cord. p. j. coq. in hydromelite ad ℔ j. ſ. & colentur pro apozemate, de quo sumat æger ℥ vi. bis in die.

Ex hoc eodem decocto poterunt fieri injectiones, in cavum thoracis injiciendæ, ad puris evacuationem, & detersionem, & ulceris consolidationem, promovendam.

Victus ratio sit siccans, attenuans, & abstergens. Ideoque cibi condiendi hyssopo, fœniculo: utiles amygdalæ dulces, pineæ, &c. Abstineat æger à leguminibus. Potus conveniens est hydromel, præcipuè hyssopo conditum, item aqua hordei, vel cerevisia saccarata. Vinum oligophorum etiam concedi potest; nisi febris sit magna. *Henric. Regius apud Theodor. Craanen. Medicationum lib.* 2.

Viro quadragenario, gravi sinistri lateris pleuritide detento, remedia non ante tertium diem fuerunt adhibita, quibus postea morbus imminutus non est, sed ultra decimum quartum diem excurrit, febre aliisque magnis symptomatibus comitatus. Ab eo tempore dolor multum imminui, febris mitior fieri, & ponderosa gravitas in latere affecto ad costas sentiri cœpit. Circa vigesimumquintum diem, febre jam valde parva existente, cum exiguo dolore, molestam gravitatem, ad sinistrum maximè latus diaphragmati incumbentem percepit æger, & si ab uno in alterum latus se repente devolveret, humorem aliquem defluere sentiit, cujus etiam fluctuatio in motu corporis antrorsum manifestè obauditur. Adjungitur tussicula sicca, qua nihil effatu dignum exspuitur. Respiratio difficilis est, imprimis si in latere dextro decubitus fiat. Æger anxius & debilis est, facilè & sæpe sudat sine levamine: ciborum fastidio tenetur, & magis potum quàm cibum desiderat.

1. Affligitur Æger *Empyemate, quod est puris in thoracis cavitate collectio.*

2. Dignoscitur hic affectus, partim ex signis præcedentibus, partim ex præsentibus. Præcedentia signa sunt, quod pleuritis præcesserit, quæ ante decimumquartum diem non est imminuta: quod postea dolor cum febre imminui cœperit sine manifesta aliqua evacuatione per sputa, atque hinc gravitas ponderosa ad costas in latere affecto percepta fuerit. Præsentia sunt, quod molesta gravitas diaphragmati incumbat, & in devolutione corporis fluctuatio humoris in pectore sentiatur & obaudiatur: quod irrita tussis adsit, cum difficili respiratione, anxietate, debilitate, & ciborum fastidio.

3. Causa collectionis hujus puris fuit, membranæ pleuræ & musculorum mesopleuriorum inflammatio mutata in abscessum, è quo rupto, pus illud in thoracis capacitatem delapsum est, cumque per diaphragma nullus ei daretur transitus, nec per pulmonem commodè evacuaretur, ibi detentum & cumulatum est.

4. Quod per sputa pus non fuerit evacuatum, factum est. 1. Quia procul dubio hujus ægri pulmo lateri affecto firmiter non adhæsit, ut in multis contingit, in quibus è rupto abscessu pus facilè in pulmonem annexum eructatur. 2. Quia pus in cavitate thoracis contentum, ob suam crassitiem, poros membranæ pulmonem investientis subire, sicque pulmonem ingredi non potuit. 3. Quia fortè pori in hujus ægri pulmone angustiores sunt, ita ut hujusmodi crassiores humores non admittant.

5. Dolor cum febre imminutus est, inflammationis acri materia jam in pus conversa, & sic mitiore reddita: cujus puris magna quantitas membranâ adhuc conclusa, ad affecti lateris costas ponderosa gravitate molestiam exhibuit. Tandem circa vigesimumquintum diem, rupto apostemate in thoracis cavitatem effluens, molesto pondere diaphragmati incubuit, ejusque in corporis commotione, manifesta fluctuatio percepta est. Ejusdem etiam pondere depressum diaphragma non satis liberè movetur, hinc difficilior fit respiratio, imprimis si lateri sano incumbat æger, tum quippe, præter diaphragma, etiam dexter pulmonis lobus à puris cum mediastino incumbentis pondere comprimitur.

6. Tussicula procedit à vellicatione pulmonis exteriori tunicæ ab acrimonia puris illata. Hacque nihil ferè exspuitur, quia materia irritans extrinsecus pulmonem attingit, nec ejus quicquam bronchia ingreditur.

7. Æger anxius est ob impeditam respirationem. Etiam debilis, quia ab acuto præcedente morbo vires admodum sunt prostratæ, unde quoque facilè & sæpe sudat sudorem symptomaticum. Ventriculo autem eandem ob causam, unà cum hepate, valde debilitato, ejus coctio imbecillis, & appetitus dejectus evasit, hincque cibi fastidium processit: adde quod etiam pus diaphragmati incumbens, stomachum ei annexum languidum faciat. Potus tamen magis desideratur quàm cibus, ob aliquam sitim à permanente febricula excitatam.

8. Affectus hìc periculosus est. 1. Quia respiratio læditur. 2. Quia subsequitur acutum morbum qui vires admodum imminuit. 3. Quia pus in thoracis cavitate conclusum sponte nusquam commodè evacuari potest, nam quæ per sputa, vel urinas nonunquam fit excretio, illa adeò rara est, ut ex sexcentis vix uni contingat. 4. Quia si pus dicto loco diutius subsistat, putrescet, sicq; pulmonem ei innatantem corrumpet, febresque augebit. 5. Si curatio per medicamenta exhibita instituatur, incertum erit de felici eventu, quia pus è thoracis cavitate per purgantia non potest educi, & per alterantia difficulter in pulmonem impellitur. 6. Si ad chirurgiam deveniendum sit, illa etiam non vacabit periculo. Interim tamen quia febris exigua est, vires adhuc mediocriter constant, atque conveniens adhibita medela multos hujusmodi ægros servavit, non est omnino desperandum, sed curatio quamprimùm instituenda, quippe quo diutius malum pro-

protrahitur, eò magis vires collabuntur, & affectus periculosior evadit, nam corrupto tandem pulmone facilis fieret in phthisin transitus, juxta 5. *Aphoris.* 15.

IX. Præmissa igitur clementi evacuatione alvi, mox ad expectorantia devenire suadet tussicula. Sic enim tentandum anne pus per illam viam possit educi, ope talium medicamentorum quæ partim pulmonis poros laxant & dilatant, partim pus ad faciliorem in istos poros ingressum præparant.

X. Hunc in finem præscribendum tale apozema.

♃. Radicum helenii unc. j. iridis florent. drach. ij. glycyrrizæ rasæ, unc. ß. herb. hyssopi, prassii albi, capilli Veneris, violariæ, ana m. j. brassicæ rubræ m. ij. sem. anisi drach. ij. ß. q. frig. maj. ana drach. j. ß. passularum mund. unc. iij. Aquæ q. ß. fiat ß. art. apozema ad lib. j. ß. cui admisce, syrupi de prassio, de hyssopo, oxymelis, ana unc. j. dentur tres quatuorve doses de die.

Per intervalla lambat æger hunc linctum.

♃. Syrupi de prassio, de hyssopo, de jujubis, ana unc. j. croci pulverisati scrup. j. misce, fiat linctus.

Terebinthina cum vitello ovi in aqua hordei ad cremorem redacta & saccharo dulcorata, plurimùm quoque proderit. Neque horum medicamentorum aliqualis calor propter febrem valde extimescendus est, quia febris exigua est, & causæ ejus major ratio habenda est, utpote qua sublata, facilè evanescet febris.

XI. Si his & similibus medicamentis æger spatio duarum septimanarum ad puris excretionem non deveniat, ab eorum usu vix quicquam sperandum est, ac proinde, antequam longiore mora vires magis concidant, & pus corruptelam contrahat, eamque etiam pulmoni imprimat, citior illius evacuatio molienda est per Chirurgiam.

XII. Igitur in latere affecto, infra axillam, inter quintam & sextam costam, thorax usque ad interiorem cavitatem cultello perforandus est (cavendo læsionem pulmonis, ut & arteriæ, venæ ac nervi intercostalis) foramini non valde lato, sed tali tamen quod tubulum argenteum cavum admittere potest, qui facta incisione statim immittendus est, & ita ligandus ut sponte excidere non possit; anteriore autem parte sit turunda linea obturatus, ut pus præter voluntatem Medici per illum effluere nequeat. Per hunc tubulum bis de die, extractâ turundâ puris lib. ß. vel lib. j. (plus minus, pro puris quantitate & facili tolerantia ægri) extrahenda est, hinc ejusdem effluxus immissâ turundâ rursus sistendus.

XIII. Ubi tandem pus totum evacuatum videtur, & nihil ampliùs effluit, pulmo & interior cavitas aliquoties abluatur hac mixtura per vulnus injecta.

♃. Decocti hordei unc. v. spiritus vini unc. iv. mellis resacei, syrupi de prassio, ana unc. j. misce pro injectione, quæ per aliquot horas intus relinquenda est, & postea per dictum tubulum rursus educenda.

XIV. Si continua & diuturna puris effluxio indicet ulcus interius nondum esse persanatum, præscribenda erunt decocta abstergentia & vulneraria, necnon injectiones modicè siccantes & abstergentes. Tubulus verò argenteus in dicto vulnere detinendus est, quousque nihil puris ampliùs effluit, tunc demum eximendus, & vulnus secundùm artem consolidandum.

XV. Victûs ratio siccior attenuans & abstergens instituatur, cibique condiantur cum cherefolio, hyssopo, brassica rubra, beta, fœniculo, passulis, amygdalis, &c. Potus sit ptisana saccharo vel melle dulcorata, aut hydromel. Somnus mediocris sit, & alvus facilis. Ira & tristia animi pathemata fugiantur. *Isbrand. de Diemerbr. Medicationum parte 2. de morbis Thoracis.*

Observationes.

Senem curavi qui ex pleuritide empyema est passus, febre assidua, tussi sicca, sputo saniei copiosæ, difficultate spirandi laborabat, & tabidus prorsus factus erat. Medicis jam deploratus videbatur, & mirum erat, ex quo loco tanta puris copia emanabat, nam quotidie libras duas excernebat. Huic præter alia quamplurima auxilia, lactis asinini potus per tres menses exhibitus miro fuit auxilio, hujus enim ope, puris copia omnino est imminuta, refectum corpus, febricula evanuit, tussis nulla. *Zacutus Lusitanus, observ. 119. lib. 1. prax. admirand.*

Apud nos Juvenis quidam à me fuit liberatus, qui per annum pus in thorace collectum post pleuresin gestavit, & quasi absumptus erat, ustus fuit, & per vulnus purgatum pus. Multos hoc modo curavi, quorum nomina supprimo. *Gull. Rondeletius, prax. med. cap. 15. lib. 2.*

Puer quidam quinque annorum febre continua laborabat, per duos ferè menses perseverante, cum tussi frequenti ac molestia, ita ut ad tabem vergere crederetur. Tandem vocatis in consilium Medicis, relatum fuit illum conqueri de dolore lateris sinistri, præcipuè cum manu contrectaretur, tum etiam relatum fuit, illum in febris principio persensisse aliquem dolorem in illo latere, qui tamen intra paucos dies delituerat, idcirco pleuriticus non fuit judicatus à Medico ordinario. Suspicio fuit Empyema aliquod ibi latêre, atque ut res clarior evaderet, decretum fuit, admovendum esse per aliquot dies Cataplasma emolliens & attrahens, quo per triduum admoto, apparuit elevatio quædam in parte, & in ea fluctuatio subobscura percipiebatur, convocato iterum consilio, de Empyemate nemo amplius dubitavit. Apertione facta pus copiosum effluxit, ejusque vacuatio per duos menses continuata est, donec tota materia evacuata, æger tandem pristinæ sanitati restitutus fuerit. *Lazarus Riverius, obs. 75. cent. 2.*

Servus quidam ex curru decidit, læsus est thorace, præsertim dextra in parte. Dolores remediis non cesserunt, cogitabant de sectione inter quintam & sextam costam. Divisæ sunt sententiæ, tandem vicit pars minor, & periclitandi occasionem captans ex desperatis penè rebus, applicatum cauterium, fluxit per dies plus minus viginti aut viginti quinque materia saniosa ferè ad pintas 15. ut retulerunt Chirurgi, convaluit. *Guil. Ballonius, lib. 2. Epidem.*

Cum summus *Hippocrates* passim hoc remedium usurpet, nunquid satius est aliquo remedio cruento & ancipiti certam mortem (si aliter

facias, & id remedii genus omittas) redimere? Humanum est, & officii plenum aliqua ratione miserorum ægrorum dolores levare, atque id magis si cum aliqua salutis spe. *Guil. Ballonius, consil. 6. lib. 2.*

Enatum ex pleuritide Empyema, cùm alia non profuissent, frequenti potione ex syrupo altheæ, oxymelite saccharino & manna cum oleo amygd. d. rec. & aq. scabios. feliciter curatum *Romæ* accepimus à *Mathia Bacono* Anglo, pure nimirum alvo proclivius quam ore, expurgato. *Georg. Hieronymus Velschius, observ. 29.*

Empyema ex pleuritide, sectione inter quintam & sextam costam, felici successû sanatum, frustrà adhibitis ex consilio Medicorum magni nominis, externis medicamentis.

Quæ verò observavi in Empyematicis, nunc in medium producenda, Nobilis Patavinus, ex pleuritide non expurgata, incidit in Empyema, tanta puris copia in cavitate Thoracis conclusa, ut iterum & tertiò per diem incideret in Lipothymiam, Syncopi proximam: quem propterea cum decrevissem perforare, neque ejus parens hoc admitteret, vocavit Medicos hujus Civitatis primarios, & potissimum Joh. Veslingium, meum olim in praxi discipulum, præter alios, quorum nomina non refero, quoniam Patavii res est notissima, cum quibus habita consultatione, proposui sectionem inter quintam & sextam costam, ab omnibus Auctoribus laudatam, atque propria experientia sæpissimè felici successû administratam, quam cum Medicus quidam in primis improbaret, hujus loco præscripsit cataplasma, apponendum Thoraci, cujus præsidio materia purulenta discuteretur; quem secutus quinetiam Veslingius, quo tamen præsente sæpissimè hanc operationem feliciter peregeram, eam & ipse damnavit, metu scilicet læsionis vasorum intercostalium; quorum opinionem miratus, qui hæc in medium afferre ausi, sequenti die mane Thoracem secui inter quintam & sextam costam, immissa turunda crassa satis, quæ foramen patens servaret, quam sub vesperam eduxi, ac simul tres, & quod excedit, puris libras; à quibus Nobiliss. Juvenis à Lipothymia convaluit, quem postmodum curavi, prout alioqui vulnera Thoracis, educta scilicet quotidie materia purulenta, atque immissa in vulnus paucis post diebus, cannulâ plumbea, per quam tota sanies penitùs exhausta; qua demum educta, ad cicatricem tandem vulnus spatio viginti octo dierum adduxi. *Petrus de Marchettis observat. Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Ex vulnere thoracis superiùs, magna puris copia in ejusdem cavo congesta, sectione inter quintam & sextam costam expurgata; necnon per os, & urinam, diei spatiô.

Cujusdam scribæ filius, ex Agiaciorum familiâ, vulneratus parte superiori thoracis, ad ejus usque cavum, ex quô cùm pus ægrè expurgaretur, multâ copiâ in eundem congestum, decrevi ipsum secare inter quintam & sextam costam ejusdem lateris, imposita postmodum turunda, ut superiùs dixi, sequenti die, quâ eductâ, duæ puris libræ effluxerunt. Observatione verò dignum, non solùm vulneris orificio pus emanasse, sed & per os quinetiam magnâ copiâ, necnon per urinam quoque ad libram unam, & quod excedit, per diem; quæ viæ licèt omnibus pateant, non tamen naturæ consuetæ, factâ potissimùm sectione, quæ materiam copiosam effudit; cùm tamen patiens esset juvenis 18. annorum, ac robustus, natura propterea has vias communes sibi paravit, ægrô spatio mensis omnino sanato, & adhucnum incolumi ob rationem superiùs propositam.

Dubium verò nonnullis quâ ratione materia purulenta, supra diaphragma hærens, non impediat respirationem, cùm tamen hoc Galeno instrumentum sit proprium respirationis; quòd scilicet experientia sit ipsis compertum, quendam Nobilem Bellunensem fistulâ laborantem Thoracis, inter sextam & septimam costam, nullâ respirandi difficultate laborasse; cujus morbi causâ consultatione habitâ cum viris hujus urbis præclarissimis, negantibus multam adesse puris copiam in cavitate Thoracis, nullâ potissimum respirationis difficultate ipsi molestâ; illorum tamen opinionem mordicùs oppugnavi, materiam scil. purulentam intus concludi affirmans, cujus ratione immisi turundam crassam satis & longam circa horas vespertinas, vocatis sequenti mane multis studiosis, qui consultationi interfuerant, quibus præsentibus, cùm turundam educerem erupit ex Thoracis cavo libra, & quod excedit, puris fœtentis adeò, ut adstantes præ odoris gravitate excedere coacti fuerint, quod pus eò confluxerat ex tumore thoracis, quô sex ante mensibus laboraverat patiens, superstite postmodum fistulâ prædictâ. Ex quibus patet, quòd quotiescunque pulmones pus non contingunt, vel motô quinetiam ipsô diaphragmate, tunc respiratio illæsa est. Quòd verò aliquis objicere posset, quâ ratione scil. innotescere possit pus in ipsâ cavitate conclusum, nullâ præsente respirandi difficultate? Respondeo observandum esse, quòd quando adest minima portio puris in Thorace, id non sit sine febre, quod est signum illius pathognomonicum, præter alia ab Autoribus proposita; ut propterea superiùs admonuerim vulnera Thoracis non esse ad cicatricem ducenda, nisi patientes immunes fuerint ab ipsa aliquot dies: quinimò advertendum quinetiam, quòd quando purulenta materia in cavitate Thoracis supra diaphragma decumbens, non superat pulmonum alas, tunc per tussim non expurgatur; quia admittere non possunt, eandem non contingentes. Nobilis verò hic patiens non solùm laboravit fistulâ simplici Thoracis, sed & præterea duabus costis corruptis, quas proindè abradere opus fuit, non sine quibusdam aliis remediis; qui tamen cùm per negotia hic morari diutius non posset, non integrâ valetudine discessit, illi tantùm præscriptis brevi eo temporis spatio, injectionibus ex vino mulso, & aquis thermalibus sulphuris; in quarum usu mirum occurrit, quòd statim infusæ tussi excernebantur, ex vinô verò injectô, medicamentis potissimum imbutô, illicò nullâ morâ, maximô impetu rejiciebantur majori copiâ; ut propterea observandum sit, non solùm pulmones, raræ utpote substantiæ, sed etiam omnes partes nostri cor-

corporis suis poris patere, per quos non solùm excrementa communia, sed etiam materiæ saniosæ extruduntur ad communia loca; sicuti contingit in vulneribus thoracis, quibus non solùm ex locis omnibus notis materia purulenta fluit, sed etiam per intestina. *Idem ibidem.*

De Empyemate à parotidibus, & Phthisi à Quartana.

Juvenis quidam 22. annorum incidit in febrem continuam, 14. die fit translatio materiæ morbificæ, & fiunt parotides ex utraque parte valdè magnæ, & cessat febris; factis faciendis parotides copiosissimè fluxerunt, ita ut ex una ultra ℔. pro una vice effluxerit, & cùm propter copiam materiæ Chirurgus illas sæpius ligare & aperire debuisset, nescio an ex negligentia id de die vix semel aut bis fecit, materia hæc satis copiosa & acris partem ipsam etiam glandulosam & mollem usque ad asperam arteriam corrosit, & facto ibi ulcere ad pulmones & thoracis cavitatem ruit, & in momento loquelam amisit, disparet tumor parotidis sinistræ, nullum amplius ibi pus apparet, tussit potenter, & propter dejectas vires à priori morbo ejicere non potest, & 40. die post moritur. Vir quidam 43. annorum incidit in quartanam, vadit ad aliquem circumforaneum, qui sexies consequenter illi dedit vinum antimoniatum, emansit quidem febris, sed ob tot vehementes vomitus fit phthisicus, partim ex translata materia, partim ex rupto aliquo vase ob potentissimos & toties repetitos vomitus, hic ad exemplum sui Domini, cui Phthisico & Hectico cum optimo successu diætam lacteam præscripsi, absque ulteriori consilio ea etiam uti incepit, adhuc continuat, & in tantum se sustentat, ut tamen adhuc sua perficere possit absque magna molestia. *Joh. Georg. Greiselii.*

Puris sputum Menstruum sine Phthisi.

Nota mihi est matrona quædam Nobilis, quæ singulis *mensibus semel puris sputo* laborat, adeò, ut sæpissime ad tres libras puris fœtidissimi rejiciat: bene interim se habet, & formosa est neque etiam tussi vexatur, nisi quando periodicum hoc imminet *sanguinis sputum*; menses tamen parte fluunt. Judicent nunc eruditi an semper puris sputum signum phthiseos pathognomonicon existat. Ego sanè in ea sum sententia, ulcus pulmonis tabem non esse, nisi longo temporis tractu degeneraverit, vel in vomicam vel in empyema. Inspectio variorum hoc morbo mortuorum & dissectorum Cadaverum aliud me docuit. *Alnardi Hermanni Cummii.*

Lactis usus in Empyemate.

Si Aquilonia tempestas, tusses vigent, faucium asperitates, alvi duræ, horrores, costarum dolores & pectoris, aperuit *Hippocrat. sect. 3. §. 5.* Expertus idipsum Parochus Kosseiezensis in Moravia, habitus crassioris, annorum 30. pleuritide exquisita ascendente sinistræ partis ex inflammatione pleuræ laborans, cum dolore punctorio, febre acuta, difficili respiratione, tussi ac pulsu duriusculo, quæ inseparabilia exquisitissimæ pleuritidis signa proposuit *Galen. lib. 3. de Loc. Affect. cap. 3. & lib. 2. de Cris. cap. 10. & l. de constit. art. med. cap. 15.* Is septimo die præmissis Universalibus, partim per sputum, partim per resolutionem judicatus est.

Patitur post 5. dies ob causam externam, recidivam, & non aderat magnifica intentio adhuc ut sputum facilè fiat, quemadmodum loquitur *Avicen.* 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. adeoque spatio dierum 14. materia plurima, quæ præ virium imbecillitate resolvi non potuit, retenta in suppurationem abiit, est enim his terminus acutorum Hipp. s. 5. §. 8. quicunque igitur morbo laterali laborantes in 14. diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur. Rupto abscessu Empyicus noster magnam puris diversicoloris copiam exspuit, quæ spuitiones ad septimanas 5. perdurabant, ea quantitate, ut die noctuque pelvim 5. & ultra libris puris impleret. Innuimus cum Hippocr. s. 5. §. 15. Empyici qui ex morbo laterali suppurantur, si in 40. diebus purgentur à die, qua fit ruptio, liberantur, si verò non, ad tabem transeunt.

Sumpta itaque prima & potissima indicatione à suppuratione, & instituto commodo victus & 6. rerum non naturalium ordine, ea adhibuimus quæ clementer & securè pus educerent, & detergerent, non neglectis quæ febriculam comitantem respicerent, & vires hic apprimè necessarias roborarent.

Sed ob plurimum pus, & spuitiones copiosas patiens multum delassatus, somnoque privatus, viribus destitui, & ad Tabem transire cœpit. De salute vix non desperantes venit in mentem quod habet *Galen.* 6. §. 27. Ustione igitur indigent qui plurimum habent pus, ut qui desperent per spuitiones posse expurgari, &c. melius; esse nos in via salutis dubia aliquid agentes periclitari, quam ægrum omni spe adempta certo perire; Sed vires enormiter fractæ ab hoc præsidio generoso avocabant.

Exacto die 40. Patienti Empyico *Lac Capillum*, cum saccharo rosaceo mistum (deerat enim asininum) proposuimus quod cum per alias sex septimanas mane calidum, & recens à capra, etiam in majore quantitate quam à nobis præscripta esset, videlicet ad ℔ ij. hausisset, expurgato ulcere, omnique putrilagine, eoque glutinato perfecte convaluit, & crassior quam ante evasit, prout in hodiernum diem incolumis vivit. *Matthæi Francisci Hertodi.*

De Metastasi humoris per vias occultas; seu, de empyemate post pleuritidem notham per foramen cutaneum, à vena mediana incisa, salutariter soluto.

Rectè sanè *Stephanus Rodericus Castrensis in eruditissimo tractatu, quæ ex quibus, inscripto lib. 3. cap. 2.* scribit: Metastasis, seu humoris in morbis transmissio, non solùm per vias manifestas, sed per occultas etiam fit. Nam præter vias unicuique cognitas, per quas quicquid fluxibile in corpore est, fertur, sunt aliæ incognitæ, quarum nos contemplatio in admirationem deducit. Et *libro eodem cap. 3.* ita pergit: Cum Metastasin per vias incognitas fieri audis, intelligito incognitas nobis, naturæ verò, quæ licet cognitione non utatur, dirigitur tamen à cognoscente, cognitas: unde *Hippocrates 6. Epidem. sect.*

sect. 5. text. 2. è versione Foesii, Natura, *inquit*, ipsa sibi per se, non ex consilio motiones ad actiones obeundas invenit, partim quidem ut nictare, partim verò etiam quibus lingua subservit, & quæcunque alia id genus. A nullo quidem edocta natura citraque disciplinam ea quæ conveniunt efficit. *Galenus* accessus exponit vias, aut impetus ad agendum, ut scilicet natura ἄνευ ἐκ διανοίας, sine consilio vel edocta in eas actiones feratur, quibus exequendis accommodata habet instrumenta. Hoc argumentum latissimè prosequitur *1. de usu part. cap. 3. & ejusdem operis lib. 15. cap. 7. & 6. de loc. affect. cap. 6.* Cæterum *Hipp.* apud quem prius νόσων φύσιες ἰητροί, *natura morborum medicatrix dicitur*, adjungit paulò post: adinvenit natura sibi accessus, nempe vias; quapropter non solum loqui videtur de admirandis actionibus, sed de viis etiam, per quas natura ista medicatrix metastasin humorum efficiens morbis medetur, constat hoc, quia utriusque rei exemplis utitur, &c. Huc usque citatus *Author*, cujus verba paulò prolixius hic recensere volui, ut eò meliùs præsens casus singularis & contemplatione dignus intelligatur.

Virgo quædam Thorunensis, Dorothea Kriegerin, honesti Johannis Georgii Zöbners, civis & negotiatoris apud nostrates non infimæ notæ privigna, annorum septendecim, constitutionis gracilioris, complexionis phlegmaticæ, incidit anno 1675. hyemali tempore in pleuritidem spuriam sinistri lateris à pituitosa causa, cum pauca bile permixta, originem ducentem, sed à causa procatarctica, scilicet saltatione longa, & sudore subsequente à frigore externo suppresso in actum deductam, post suppressionem sanguinis menstrui, huc usque inordinatè, utpote pituita copiosa permixti, indeque orta obstructione, fluentis: cui jam à longo tempore singulis noctibus gravis fuit sudor oleaginosus, fœtidus, coloris crocei, tàm in capite, quàm in dorso, etiam indusium tingens, & pinguedine quadam inficiens.

Huic ego perspectis signis, inter quæ urina crassa & tincta erat, dolor cum punctura sinistri lateris gravativus, pulsus celer & validus, respiratio difficilis cum quadam dyspnœa, tertia die morbi è vena mediana dextri lateris sanguinis ultra sex uncias extrahere jussi, qui merè pituitosus erat: dein remisso paulatim dolore laterali, sed calore adhuc superstite, altera die post è vena poplitea utriusque pedis ad sanguinem magis revellendum, & menstruum fluxum proritandum (qui etiam postridiè, quamvis in pauca quantitate apparuit) aliquot unciæ ejusdem eductæ sunt: tum statim calor remisit, puncturæ lateris desierunt, gravativo tantùm dolore residuo cum difficultate spirandi manente. Sanguis autem eductus pallidus erat, tunicasque quasdam secundinis similes repræsentabat, qualem ego quidem nec vidisse unquam, nec è minoribus vasis extractum fuisse, me legisse recordor. Interim hæmorrhagia narium, ut antea, ita & nunc continuabat, urina concocta apparebat, dyspnœa non remittente, quam mox sputum tenue sequebatur, Aphorismum illum *Hippocraticum lib. 5. Aphor. 8.* qui pleuritide laborant, nisi intra quatuordecim dies supernè per sputum repurgentur iis in empyema fit transmutatio, verificans. Quanquam *Aretæus* hic interdum vigesimum diem terminum constituat: *Galenus* verò in commentario non solùm empyema, sed quamlibet in pus mutationem intelligat. Sed dum nos materiæ evacuationem per sputa cocta è pectore expectabamus; Ecce novum emergens intervenit, scilicet puris cocti albi instar lactis, paululum tamen ad colorem croceum inclinantis, per foramen cutaneum à vena incisa nondum consolidatum, excretio, quæ quidem metastasis materiæ per vias occultas, nobisq; incognitas pectoris & lateris dolorem sensibiliter sustulit, sed cubiti illius manus, ut & homoplatarum dolorem majorem excitavit, sputo liquido, salso, per aliquot septimanas continuante: quod tamen posteà salubriter secum euphoria cessavit, fluxu menstruo reverso, virgineque ad hanc usque diem feliciter & pancraticè valente. *Simonis Schultzii.*

Ab Empyicis non abducar quin 1. juvenem proferam à pleuritide Empyicum, sed cujus purulentia, costas arrosit, quas mihi conservo; & sponte sua diu manavit extrorsum, & quidem fœtidissimè & lethaliter.

2. Phthisicam autem curavi, annum agentem 30. cujus ulcus pulmonale dextrum tam altos egit cuniculos in pleuram, & in musculos intercostales ut ejus tabum per cutem effluxerit, citra pectoris damnum. Pulmonis enim ulcus toti ambitui interno lateris ulcerosi ita accreverat, ut digito intruso, & orbiculatim ducto deprehensa sit cohæsio. Bechicis & injectionibus bis de die iteratis, vitam fœmina protraxit in septennium; nec interea statis mensibus caruit. Imò filium nonimestrem pertulit, & ita vivacem exclusit ut adhuc dum alacer vigeat, stupentibus amicis.

3. Belli ducem curo Empyicum à plumbi globulo. Is jam ab octennio fistulam gerit è Saturno intra fistulam pectoralem dextram; quotidieque manè & vesperi, pus tam feliciter per ulcus excludit, ut nusquam decumbat, sed vitæ muniis fungatur.

4. Id mihi memoriam refricat viri quadragenarii cui à dextris, circa 3. & 4. costam spuriam tumor in suppuratum abiit, & plurimum pus per tres hebdomadas fudit. Quùm stuperem ad puris molem horrendam, ulceris fundo studui. Sed profectò jecur esse detexi, cujus purulentia, cuniculis actis, ipsum orbiculatim hypochondrio tam strictè agglutinavit, ut puris nihil in abdomen influxerit, sed id omne proruperit extrorsum.

Indicem sæpè sæpiùs in ulcus intrusi, & hepar sensi profundiùs excavatum, quasi digitum inderem pomo vieto partim atque sano; quæ pars enim sana est firmitudinem conservat, dum vieta diffluit nec attrectari sustinet. Diætâ vulnerariâ & balsamis injectis & admotis cuncta symptomata eluctatus est æger & salubri nunc vescitur aurâ. Qui in renibus ulcerantur, tam levi cum labore se extricare non possunt, urinis enim stranguriosis divexantur in annos & miseri pereunt, vigiles, febricitantes, sitibundi, ἀνόρεκτοι, exsucci, sed lumbis indolentes; & id decipit Medicos falsò jactantes ibi dolorem esse ubi morbus, & è contra. Hic enim dolor in vesica & in urethra calculum mentitur, cum urinis glutinosissimis atque purulentis. Dolor autem in

rene

rene nullus, quia consumpta illius carne, corialeus evasit & corii bubuli crassitudine Tales sacculos renales coriaceos sæpè sæpiùs habui præ oculis, cum ureteribus è directo pariter præduris & callosis. Unicum vidi è multis qui lacte, trochiscis Gordon. & Balsamo Lucatelli purulentiam renis superavit. Alii omnes extincti, inter quos exemplum mihi sine exemplo, renis enim dextri ulcus arroserat & sibi agglutinaverat ex ulceris directo ileon intestinum; Inde colica immanis & dementans cum excretione alvina dysenterica, pauca, frequenti purulenta sanguinea cui tanquam dysenteriæ Medicinam feci. Sed cadaver errorem meum detexit. Non erat enim dysenteria primaria sed à renis tabo transitu suo excoriante & inflammante fistulam intestinalem; haud secus ac dejectiones visuntur dysentericæ in Empyemate pectoris; sed ab empyemate renis id nusquam à me vel visum aliàs, vel auditum, vel lectum. *E Collegiis Clariss. Carol. Drelincurtii communicante Excellentiss. D. Guyot ejusdem Discipulô Medic. Doct.*

Anatomicæ inspectiones.

Empyema Pleuritidi succedens ante decimam quartam diem.

Advertant juniores, quanquam Hippocr. observatione pleuritis non ante 14. diem ad suppurationem tendit, Nostra tamen observatione, non solùm in juvenibus, sed etiam viris constantis ætatis, 7. vel etiam 4. id evenire, & evidenter *id detegi rigore* & subsequente febre, ab illis diebus invadentibus & singulis diebus recurrentibus: Sic sane in Nobil. adolescente *rigor febrisque*, 4. 5. 6. 7. usque repetentes *prænunciarunt suppurationem*.

Dissectio autem cadaveris secundum intra septenarium morbi, in illo factam suppurationem ante perfectam fuisse demonstravit, cum universus thorax pure prægnans repertus esset: Quin memini me vidisse pus in thorace cujusdam Sacerdotis, qui 9. die extinctus obiit, quod præpostero consilio purgante medicamento usus esset, neglecta v. s. & dilata in sextum, quo sum advocatus. *Carolus Piso de morbis ab illuvie serosa sect. 3. cap. 9.*

Empyema insigne Sinistri lateris thoracis, nulla sui signa exhibens.

Suppuratum mortuum secuimus in quo nulla pulmonis sinistri pars aderat, sed tota cavitas aqua & pure repleta erat: cùm tamen per duorum mensium spatium, quo tempore ab hoc morbo vexatus fuit, *nullam respirandi difficultatem*, & paucam tussim, sine ulla materiæ morbificæ ejectione habuisset, Attamen secto corpore tota thoracis sinistri cavitas aqua purulenta referta erat. *Dom. Panarolus Pentec. 1. Observat. 46.*

Empyema pulmonum exulcerationem frequenter sequitur in Phthisicis.

Pus in Pulmonum exulceratione genitum, non solùm asperæ arteriæ ramis illapsum exspuitur, sed & tandem quando ex corruptione Pulmonum substantia dividitur, in pectoris cavitatem influens, illicque sensim coacervatum, atque interdum magna copia congestum, Empyema producit, Quod ab exulceratione hac in phthisicis eo modo prodire Sectio patefacit, per quam in corruptione pulmonum puris semper aliquam saltem portionem, si non magnam, pectori adhærere vel innatare deprehendimus. *Platerus pract. lib. 3. cap. 5.*

Suppurati pericardium totum ferè corruptum repertum est, & cordis major pars exesa.

In suppurato, qui post diuturnam affectionem obierat, observatum est ferme pericardium totum corruptum fuisse, majoremque ipsius cordis, quod adhuc quidem, ob diutius scil. putredinalem in eo asservatum calorem, palpitabat, partem exesam extitisse, ut quidem ulcus diutius tulisse facile credi possit: *Franc. Rota cap. 23. de Tormentar. vulnerum curatione.*

ENCANTHIS.

ENcanthis, Græcè ἐγκανθὶς, in oculi angulo, unde etiam nomen accepit, exiguum tuberculum est, vel ex fluxione obortum; vel ex ungue parum exciso, ac proindè contracto, conglobato, & in tuberculum converso, conveniunt Celsus & Paulus in Chirurgia, quod excipi hamulo & circumcidi debet. Paulus volsellam, ad apprehendendum usurpat, sed hic quoque diligenter temperatâ manû utendum, ne quid ex angulo abscindatur; tum exiguum linamentum, aut Cadmia, aut atramentô sutoriô inspergendum est. Paulus Chalcitidem lævigatam usurpat. Sed mitiora, quæ non irritant, tutiora sunt, ut est tuthia præparata, aut pompholyx, aut sief album sine opio. *Hieronim. Fabric. ab Aquapendente in Chirurgic. operation.*

Ἐγκανθὶς est Cornelio Celso, ac Paulo Æginetæ, tuberculum, enascens in oculi angulo: quem κανθὸν nominat, Ruffus Ephesius *lib. 2. c. 5.* dividitur autem in benignam, ac cancrosam. Illa ut occurrit frequenter, sic hæc nonnisi rarissimè.

Vidimus tamen eam, luce clarius in naupego Hornano: cui, ex fluxû lacrymali per oleum vitrioli, intempestivè suppresso, usque eò luxuriavit glandula, à narium parte, oculis adposita, ut ejus excrescentia cooperierit, non tantùm malam: sed degeneraverit quoque in perniciosissimum carcinoma. Quod tentavit quidem filo comprehendere, & convenienter ferro exscindere Cornelius Sasboutius, Lithotomus, ac Chirurgus satis felix: sed acquisiverat jam tum eam malignitatem hic tumor: ut vix potuerit attingi, quin protinùs, profunderet plurimum sanguinis: ac proindè fuit necesse solis lenientibus uti: quibus exitium ægri magis fuit dilatum, quàm ablatum. Viderint itaque illi, quibus acria medicamenta in frequenti usû quàm facilè committatur error: nullâ arte deinceps emendabilis. *Nicolaus Tulpius Observ. Medic. lib. 1.*

ENTEROMPHALOS
Vid.
HERNIA

ENTEROCELE
Vid.
HERNIA.
EPHELIDES
Vid.
CUTIS VITIA
EPHIALTES
Vid.
INCUBUS.

EPILEPSIA.

Epilepsia vox Græca idem est ac apud Latinos *Prehensio*; deducitur enim à verbo ἐπιλαμβάνειν quod prehendere significat: quia scil. morbus hic incautos ac imparatos insidiosè & de subitò adoritur. Dicitur alias *Morbus Sacer*, vel propter magnitudinem, quali sensu os omnium corporis maximum sacrum dicitur, vel quod cerebrum partem nobilissimam, Sacramque Palladis & animæ arcem pro hospitio habeat. *Morbus Herculeus*, vel quod eo Hercules laborarit, ut & alii maximi viri in laboribus continuis non tantùm desudantes, sed etiam quasi contriti, vel quod Hercule Medico in eô edomandô opus sit. *Morbus Comitialis*; Vel à solutis, diremptisque apud Romanos die eo quô quis in Senatu hoc morbo prehenderetur comitiis, habebatur enim pro pessimo omine ac portento singulari; vel potiùs quòd in comitiis seu magno hominum conventu affectus hic maximè & præcipuè invadat. *Morbus Sonticus*, quòd morbi gravitas utut vehementer sontibus justam absentiæ excusationem, testibus Plinio, Gellioque in judiciis afferret. *Morbus Caducus* à subitaneo casu ægrotantium, qui idcircò *caduci* & *cadivi* vocitantur. *Morbus Lunaticus*, eò quòd, secundùm quosdam, qui diebus illunibus vel concepti, vel nati reperiuntur hancce luem vix effugiant, vel etiam quòd hæc affectio ad Lunæ quadras sit quasi composita. *Morbus qui inspuitur*, eò quòd temerè imaginarentur Antiqui Epilepsiam jam illatam ac spumantem per antispuitionem, ut ita dicam, repercuti, sicuti recanendo incantationes retorqueri arbitrabantur. *Morbus Puerilis*, quòd pueris sit vernaculus, unde non immerito puerorum noverca dici meretur.

Est autem Epilepsia universi corporis convulsio cum repentina facultatum principum pro tempore eversione. Aliàs Petrus Joh. Faber in Pathologia Spagirica, dicit Epilepsiam esse affectum præter naturam, seu morbum à virulentô quôdam fermentô inebriativô, potiùs quàm soporiferô oriundum, spiritum animalem offendentem, & vitalem adeò oppugnantem, ut à virulentâ illâ qualitate velut inebrietur. Quæ sanè ulteriùs hic non exagitamus. Advertimus tantùm quòd etiamsi plerisque lubeat Epilepsiam esse convulsionem periodicam, quæ accessus ac recessus suos, nunc insperatò ingruentes, nunc statis temporis momentis, quasi ad edictum invadentes, hæcce tamen conditio non sit de essentia morbi caduci, cujus quippè vel unica, nec unquam reversura prehensio veræ epilepsiæ nomen mereatur. Ut patebit ex historia Anatomica è Clariss. Carol. Drelincurtio ad hujus capitis finem afferenda. Verùm quid nos ulteriùs moramur in explicando morbo cujus non modò ideam accuratam, sed etiam descriptionem absolutissimam, tum theoreticam, tum practicam, exhibuit Clariss. Thom. Willisius libro de Morbis Convulsivis, cujus propterea Dissertationem integram præstiterit huc afferre, quàm propria sensa fusiùs enarrare? Sic itaque ille, initiò à morbis convulsivis in genere, pro majori illustratione Epilepsiæ in specie, petitô.

Ut *Spasmi*, sive *motus Convulsivi*, & *irregularis* natura, & causæ rectius innotescant, præmittendum esset, quo pacto *functio motiva regularis* in corpore animato peragitur: verum hujus plenior consideratio, quoniam ad Cerebri, & nervosi generis *Physiologiam* spectat, in alium differetur sermonem: In præsenti, quantum ad rei propositæ elucidationem facit, verbo annotetur, *spiritus animales* esse proximum *motus regularis* instrumentum, ipsorumque actionem, seu vim motricem in eo tantum consistere, quod densius agglomerati in parte motiva, ibidemque in spatium amplius expansi, eandem inflent, & intumefaciant, quæ proinde, quoad longitudinem contracta illico ad se partem sibi appensam attrahit. In nervorum descriptione nostra pridem edita, innuimus hujusmodi motum esse duplicem, scilicet *spontaneum*, & *mere naturalem*, hujus instinctum à *cerebello*, ac istius à *cerebro*, utrumque autem per *nervorum* ductus veluti *canales* deferri, cum ad *musculos*, tum ad *fibras*, *membranis*, *parenchymatis*, aliisque *partibus motivis* intertextas; denique in hisce omnibus, tam expedite varias peragi actiones, quascunque aut *necessitas naturalis*, aut *voluntatis imperium* exigit, ea solum ratione, quod inter spiritus animales, qui animæ sensitivæ hypostasin constituunt, intra prædictas partes, continuata serie dispositas, ubique eadem est *communicatio officii*, *intima conjunctio*, & *celerrimum commercium*. At verò inter *motum à musculo*, eumque ab *aliis partibus* editum, discrimen hoc notabile occurrit; quod in *his*, actio sæpissimè intra corporis motivi terminos circumscribitur, ita ut ejusdem tantum *membranæ*, aut *visceris* pars una aliam moveat, & deinceps hæc à vicina moveatur: in *genere* autem *musculoso*, plerumque *pars movens* in uno membro, & *movenda* in alio proxime consita est (quanquam & inter partes musculosas quædam, uti *cor* & *diaphragma*, proprie seipsas ferè tantum movent:) Hinc *membranæ* & *viscera motum* quasi *intestinum*, & *vermicularem* habere dicuntur; qualis ubicunque incipitur, spiritus ibidem densius agglomerati, & expansi, primo partem istam, dein ultra pergentes, aliam, & mox ulteriorem intumefaciunt, proindeque partem illam quæ à tergo est trahunt, adeoque intumefactionem, & propterea motum à loco in locum transferunt; simili ferè ritu ac lumbrici, aliaque reptilia progressus suos faciunt. Huic autem *membranarum*, ac *viscerum functioni motivæ*, si frequens, aut indiscontinua fuerit, spiritus copiosi requiruntur, qui tamen sine tumultu, aut magno impetu, pensa sua satis tranquille exequuntur: Et quidem observare est, *spiritus animales* in *viscera membranacea* haud multo parcius, quam in *musculis* influere;

fluere; prout arguere licet ab istarum partium sensu exquisitiori, & in iisdem multiplici nervorũ insertione, & diversimoda per plexus & fibras divaricatione; licet interea *musculi* uberiori sanguinis influxu irrigantur: Quoad *motum* verò in genere *musculoso* peractum, *spirituum agglomeratio & rarefactio* per totam partis motivæ compagem subito ac simul explicatæ, tanto cum impetu, ac robore peraguntur, ut *attractio musculi* in nixu motivo, vim *trochleæ*, aut *vectis* excedat; cumque vis ista tantum à spirituum partis motivæ insitorum expansione, sive rarefactione dependeat, nihil minus concipere possumus, quam spiritus ita expansos, *pulveris pyrii ritu*, veluti *ignitos explodi*. Enimverò supponere licet, spirituum, fibras musculo intertextas incolentium, *particulis spirituo salinis*, alias diversi generis *particulas*, à *sanguine arterioso* inter easdem fibras ubique interfluo, *nitro sulphureas* accedere, illisque intime accrescere: dein quoties particulæ utriusque generis, velut *nitrum & sulphur* combinata, propter motus instinctum per nervos advectum, tanquam à fomite ignario, commoventur, protinus ab invicem *elisæ*, & velut *explosæ*, musculum subito inflant, proindeque tractionem validissimam efficiunt: enimverò in hunc finem ita constitui videtur, ut *musculi* multo uberius quam *viscera membranacea* sanguine arterioso perfundantur: nimirum spirituum *copulæ elasticæ*, per motus valde crebros, ac interdum continuos absumptæ, ac perpetim deciduæ, subinde statim nova à *latice sanguineo* substituatur: interim ut ipsi *spiritus* in minori copia per nervos exiles suppeditati, usque in eadem statione, tanquam *milites veterani*, diutius persistant, & sæpè *copulam* multiplicem impendant. Secus enim, unde jumentis, dum per plures horas, imò per integrum aliquando diem, cursu citatiori musculos ferè omnes exercent, spirituum penus pro tanto labore sufficiens derivatur? aut quis credat paucos spirituum manipulos, per exiles nervorum *paris vagi & intercostalis* propagines *cordi* adductos, proprio marte adeò robustum, & indiscontinuum ejus motum efficere posse? *Illis*, equidem necesse videtur, *copias subsidiarias* perpetim à sanguine accedere, easdemque semper protinus *explodi*. Certe ob hanc rationem & *cordis*, & cæterorum *musculorum* virtus motiva robustior, & supra *organum* quodvis *mechanicum elastica* evadit: nempe in quantum spiritus animales, ubique in musculoso genere agentes, sibimet *copulam explosivam* adsciscant.

Quod si *Explosionis* vocabulum, in *Philosophia* ac *Medicina* adhuc insolitum, cuipiam minus arrideat; proinde ut *Pathologia* σπασμώδης huic basi innitens, tantum *ignoti per ignotius explicatio* videatur: facile erit istiusmodi effectus, circa res tum naturales. tum artificiales, instantias, & exempla quamplurima proferre; ex quorum analogia motuum in corpore animato, tum regulariter, tum ἀνωμάλως peractorum, rationes aptissimæ desumuntur. Nam præter *Nitri* cum *Sulphure*, cum *Tartaro*, & cum *Antimonio* mixturas, quæ omnes cum detonatione igniuntur; atque *Aurum fulminans*, & compositionem ex *sale Tartari*, *Nitro*, & *Sulphure*, quæ absque ignitione actuali, tantum penitius excalefacta, cum fragore vehementi exploduntur; etiam huc referri possint multi liquores, qui simul commissi, aut quibusdam corporibus affusi, motus violentos, & plane explosivos ineunt, concitantve: *Spiritus Nitri*, & *liquor Antimonii glacialis* invicem confusi; quin & alteruter *limaturæ ferri* immissus, ebullitionem maximam, cum calore & fumo atrato concipiunt. Vulgo notum est quanta effervescentia, & impetus plane explosivi à *salibus fixis deliquatis*, ac *acetosis* cujusque generis simul permistis oriuntur: Nec minus explosionis effectus cernitur, quando *liquor sale volatili imbutus*, uti *Spiritus Cornu Cervi* aut *sanguinis*, *stagmati salino* vel *fixo*, vel *acetoso*, vel *nitro sulphureo* admovetur; scilicet particulæ aliæ ab aliis vehementer elisæ, cum impetu dissiliunt, & quaquaversus longe proferuntur; quæ proculdubio, si intra corporis cujusdam spatia, uti musculi fibras coërcerentur, ipsum subito intumefacerent, adeoque motus localis instrumentum constituerent. Super his paulo apertius in νευρολογίᾳ nostra olim disseruimus, atque rem adhuc fusius, & accuratius explicatam forsan aliquando publici juris faciemus.

Interea tamen ne videar sententiam hanc, revera novam, tanquam mei unius Cerebri fœtum, omni patrono inopem exposuisse; Libet hic *Clarissimi Gassendi* assertionem proferre; quæ ut hypothesi huic nostræ apertissime favet, & quodammodo ejus ansam præbuit, ita fortasse poterit & autoritatem aliquam conciliare. Itaque αἰτιολογώτατος ille vir animo perpendens *quanta sit vis illa sive robur, quo non modo brachium aut crus, sed tota etiam animalis machina movetur, regitur, attollitur, transfertur*: Subjungit. *Ecquis facile capiat tenue illud, quodcumque est, intra Elephantis corpus, quod seu animam, seu spiritum, seu aliud quodvis principium motus concipimus, posse illam tantam molem agitare, ac ad tripudium etiam velox, concinnumque componere? Ac tanto magis, quanto ubi tenue illud intra id corpus non amplius viget, tanta externa vi opus sit, ut vel minimum loco emoveatur: sed nempe ad hoc quoque primum facit, eadem natura animæ ignea, quæ tametsi sit flammula pertenuis, sui tamen mobilitate idem proportione præstare intra corpus valebat, quod flammula ex pulvere pyrio intra tormentum bellicum: dum scilicet non modo globum tanto propellit impetu, sed tanta etiam vi depellit totam machinam.* Quod verò ad spiritus attinet, qui (instar pulveris pyrii explosi) *agitationem istam subeunt, dubium esse*, inquit, *an ii sint qui adveniunt ex cerebro, an qui in ipsis tendinibus quasi connati haberi possint: Verum tametsi utrique concurrant, videntur tamen ad hoc munus illi præsentius destinati, qui sunt connati tendinibus.* Non pluribus hic opus est, ut declaretur *functionem motivam* à spirituum animalium *copula elastica*, ejusque *decisione* pendere. Attamen ex hoc supposito (quod quidem maxima cum probabilitate supponimus) facile sequetur, *motus convulsivos* multo magis à tali causa procedere: Quisquis enim in membris, aut partibus affectis, *subitas intumescentias*, *violentas & validissimas contractiones*, quinimò interdum totius corporis *concussiones*, *jactationesque* impetuosissimas considerabit, nihil minus concipere potest, quam plures spirituum animalium *glomeres*, velut fulguris è nube erumpentis, *explodi*. Porrò hinc etiam Elencho velut reciproco arguere licebit, & quia *motus* σπασμώδεις sunt ex-

 plosivi

plosivi insuper & *regulares*, à *spirituum explosionibus* produci: quo tamen ritu, quot modis, & quibus de causis spiritus *animales explosi* affectiones σπασμώδεις pariunt, præsentis instituti erit paulo fusius, & quantum res ita difficilis & abstrusa patitur, apertius demonstrare.

In recitandis aliorum, circa *spasmi naturam* & *causas*, sententiis non multis hic moror; quæ apud antiquos diu celebris increbuit opinio, affectionem hanc tantum è *repletione*, aut *inanitione* produci (utcunque huic stabiliendæ præter autoritatem Hippocratis, proferatur exemplum de *corio*, aut *fidium nervis*, qui aut madido aere *impleti*, aut nimis *sicco inanui* contrahi solent) facile ex se concidit; quia supponere videtur (id quod nemini fragilitatem nervi experto credibile esse potest) nimirum ipsos nervos quoquomodo abbreviatos atque contractos, posse vi quadam musculos ad se attrahere. Quod si referatur *repletionem*, aut *inanitionem* respectu solidarum partium quæ convelli solent, intelligi debere; è contra observare licet, ubi musculi & nervosum genus humore aqueo maxime irrigantur, uti in *Anasarca*, aut eodem plane destituuntur, prout in *tabe*, vel *marasmo*, haud propterea motus convulsivos excitari. E *recentioribus* plerique solummodo *irritationem* nervosarum partium, convulsionis esse causam statuerunt, conjecturam inde opinor petentes, quod αὐτοψίᾳ pateat ab ipsa *vellicatione*, soloque tactu nervorum spasmos induci: Et quidem plane observavimus, in dissectione vivi catuli, cultro nudatis nervorum spinalium caudicibus imposito, statim & ipsos, & musculorum quibus inserebantur, corpora convelli: nec insuitatum est, à nervorum, ac tendinum puncturis, in quibusvis ferè hominibus, spasmos excitari. Memini ab ulcere in cujusdam brachio excitato musculi tendinem prorsus nudatum fuisse, qui cum specillo Chirurgico tangeretur, patientem rigore quodam in toto corpore, & concussione illico oborta, aliquandiu inhorruisse. Verum enimverò ut concedamus partium *nervosarum irritationes* non raro *causæ evidentis* vicem subire; insuper aliquando hac *causa solitaria spasmos* leviores, & cito transeuntes produci: nihilominus ut graviores hujus morbi paroxysmi, iique crebra vice repetentes debite explicentur, alias, atque altiores causas, scilicet tum *conjunctam*, tum *procatarcticam* investigare oportebit.

Quandoquidem igitur *spasmi* nequaquam accidunt, nisi in *corpore vivo*, ubi partes nervosæ inflantur, & turgescunt spiritu animali, in promptu conjicere ipsos *spiritus animales*, sicut in *motu regulari*, ita in *convulsivo* esse proximum actionis instrumentum: nimirum illi quandiu *copula explosiva* idonea, & moderata imbuuntur, ac ad ipsam elidendam tantum *appetitus jussu*, aut *naturæ instinctu* proritantur, *motus* solummodo *regulares* pariunt: sin verò iidem spiritus sibimet copulam *heterogeneam*, ac nimis *elasticam* asciverint, vel si justo impetuosius, & vehementius in actus suos rapiantur; utique, tanquam equi effrænes stimulis agitati, inordinate exiliunt, & copulam suam, genuinam licet ac naturalem, violente explodunt; proindeque partes continentes, velut currus appensos, motu perverso, efferoque secum una corripiunt.

Cum itaque, ut prædicitur, *motus convulsivi* ob *duas* potissimum *causas* excitentur; hinc totidem illorum *species* constituantur. Nam 1. interdum accidit *convulsionem* sine procatarxi, aut copula heterogenea prius ascitis, tantum à *causa evidenti solitaria* induci: ita namque *passio vehemens* cerebro impressa, *solutio continui* alicubi in nervoso genere contingens, pathemata spasmodica nonnullis quibus Cerebrum & nervi debilioris sunt constitutionis: subito intulere: quippè spiritus animales, objecto improportionato ipsos fugante, partes continentes exagitant, quin & copulam suam, licet idoneam, vehementer elidendo, easdem inflant; proindeq; alias hisce annexas convellunt: *Spasmi* hoc ritu excitati quoniam in iis spirituum copula naturalis vehementius eliditur, quodammodo sunt explosivi, qui tamen cito desinunt, & sæpissimè sine viscerum, aut membrorum jactationibus, cum *tremore* tantum & horrore aliquo in spirituum deliquia transeunt. Verum 1. *convulsiones* quarum paroxysmi sunt graviores, atque diutius persistunt, aut crebrius repetunt, omnino à causa procatarctica, sive dispositione prævia pendere, & ab alia, præter irritationem, causa conjuncta exoriri videntur. Ideoque in hoc casu *particulas heterogeneas, & valde explosivas spiritibus in hac aut illa corporis regione agentibus accrescere supponimus: deinde ex iniqua hac combinatione, & irrequieta hujusmodi materiæ & spirituum collisione, crebras, vehementesque explosiones editas, paroxysmos* σπασμώδεις *inducere.*

Enimverò præter *copulam elasticam*, quæ spiritibus à sanguine arterioso ubivis accedit, & à cujus explosione ordinata *impetus motivus*, juxta *appetitus nutum*, aut *naturæ instinctum* in partibus quibusvis nervosis perficitur (prout alibi declaravimus:) etiam aliusmodi interdum corpuscula naturæ efferæ, & *pulveris nitrati* magis æmula, spiritibus adveniunt, iisque intime adhærent: cujus materiæ à spirituum amplexibus, cum frequentia & subinde divortia contingant, à mutua particularum elisione corpora continentia varie inflantur, adeoque in *motus convulsivos* aguntur. Revera quoties *affectio spasmodica* habitualis evadit, ut paroxysmi convulsivi non raro sua sponte, & sine causa evidenti, passim verò levi quavis occasione oriantur, talis morbi procatarxis in hujusmodi mala spirituum animalium diathesi consistit: Neque enim tantæ ægritudini excitandæ, *colluvies serosa*, aliique minus efferi humores, licet in ipsis cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depositi, sufficiunt: Quippè in defunctorum capitibus non raro cerebri meditullia, ipsaque nervorum principia aquæ limpidæ prorsus immersa vidi; quibus tamen dum vixerunt, nec *Epilepsia*, nec *motus convulsivi* adfuerunt: Quin potius ad hos motus producendos requiruntur *corpuscula* maxime *activa*, qualia sunt *salina*, & *sulphurea*; quæ cum spiritibus combinata, & dein subito erumpentia, particularum mineralium combinationes, violentasque explosiones imitentur. Quandoquidem enim in motu regulari & ordinario (prout modo innuimus) musculi *impetum motivum*, & *vim elasticam* concipere nequimus, nisi *spirituum animalium explosio* quædam supponatur; certe multo magis pro *insultibus epilepticis*, aliisque *convulsionibus admirandis*, quæ passim eveniunt,

niunt, excitandis; eorundem spirituum; cum aliis particulis valde efferis *complicationes*, eorumque ab invicem *elisiones* vehementes requiri, asserere licebit. Circa ejusmodi verò *copulam spasmodicam*, quia differt à *naturali* & *ordinaria*, quam in motu regulari adesse, & ubivis à sanguine suppeditari alibi ostendimus, inquirere oportet *undenam illa provenit*; & *quo ritu, quibusque in locis* spiritibus accrescere solet.

Quoad prius, observare licet *explosiones spasmodicas* non solum in *musculis*, quibus solis, quæ *motum regularem* efficiunt limitantur, sed etiam in *membranis*, scilicet *ventriculo*, *intestinis*, *mesenterio*, aliisque *partibus* ferè *exanguibus* passim contingere: porrò *explosiones ipsas* in *affectione convulsiva*, licet *contra appetitus nutum*, & *naturæ morem* excitantur, longe *vehementiores* esse, & *diutius persistere*, quam in *motu regulari*: Ex quibus constare videtur, *copulam explosivam spasmodicam* aliunde quam *motus regularis effectricem* advenire: Et quidem probabile est illam, non uti hanc à *sanguine arterioso* inter fibras musculosas ubique interfluo, profluere, verum à *cerebro* cum *liquore nervos irrigante* descendere, & dein juxta *horum origines*, *medios processus*, *plexus*, *extremitates*, quasi in morbi convulsivi mineram congeri. Profecto nihil evidentius liquet, quam *affectus spasmodicos*, ob noxam imprimis cerebro affixam, & exinde in varias systemaris nervosi partes transmissam, sæpissime oriri: hinc enim accidit, quod *passio vehemens*, uti *timoris*, *iræ*, aut tristitiæ spiritus τῦ ἐγκέφαλυ hospites afficiens, ita crebro *pathemata* dicta *hysterica*, ac *hypochondriaca* ordiatur: Porrò quod in malis *febrium crisibus*, cum sanguinis recrementa adusta in *caput* transferuntur, convulsiones passim succedant: Porrò & hæc ratio est cur *Vertigo*, *capitis inflatio*, *mentis torpor*, *aliaque suprema* regionis accidentia, *spasmorum* in *visceribus*, & non raro in toto corpore subsequentium proœmium esse solent. Quapropter minime dubitandum est, quin *particulæ heterogeneæ*, & *explosivæ* è *sanguine* una cum succo nervoso *cerebro* instillantur, quæ postea in *nervosum genus* detrusæ inibi spiritibus accrescunt, iisque diathesin convulsivam inferunt. Revera *affectus* σπασμώδεις, qui aut *universales* sunt, aut saltem plures simul corporis partes occupant, hoc tantum ritu ferè oriuntur. Interim tamen haud negamus, quin *Spasmi particulares*, qui se intra quosdam locos, capite nullatenus affecto, continent, aliis interdum modis inducantur. Nam siquidem *nervi* ab utroque fine, scilicet *radice*, & *extremis ramentis*, humorem suum imbibunt (quod *Doctissimus* & *Glissonius* verisimillimum esse statuit, & à nobis non sine summa probabilitate in νευρολογίᾳ nostra ostenditur,) profecto hinc quoque inferre licebit, etiam particulas spasmodicas, non tantum à nervorum principiis, sed aliquatenus per illorum extremitates intus admitti: Id quod fortassis aperte satis & plane constat, quod ex *liene* male affecto *Spasmi* circa ipsius regionem exorti *hypochondria*, & non raro *præcordia* infestant. Novi quibus à *tumore*, vel *ulcere* in *mesenterio*, *utero*, aliisque visceribus existente *Convulsiones* cum in parte affecta, tum circumcirca eam increbrescere solebant: cujus ratio videtur non aliunde petenda, quam à particulis heterogeneis in loco affecto uberius congestis, quæque simul in fibras nerveas per totam viciniam consitas irrepentes, iis motuum convulsivorum, velut *pulveris pyrii igniendi fomitem* suppeditant: at verò *Spasmi* ob tales προφάσεις oriundi haud sese solent longe lateque diffundere, neque semper ad caput ascendere.

His ita præmissis de affectionis Spasmodicæ *causa interna*, & *proxima*, quam scilicet potissimum, ac sæpius ipsi *capiti*; quadantenus item *nervorum extremitatibus* ortum debere statuimus; modo restat ut varias in utroque genere *causas remotiores*, & multiplicem hujus morbi apparatum particularius designemus. Ægritudo igitur *Convulsiva* plerumque originem suam à capite desumit: nimirum quoties *particulæ heterogeneæ & explosivæ* à sanguine in *cerebrum* aut *appendicem* ejus medullarem suffusæ, illinc postea in *nervosum genus* derivantur, ibidemque spiritibus accrescunt: hoc autem fieri contingit variis de causis; *plures enim sunt rationes*, *modique* quibus *materies morbifica* in *caput* admittitur; *plures* enim quibus in *hanc*, aut illam *systematis nervosi regionem* deducitur; & juxta varias ejusmodi *causæ morbificæ translationes*, diversæ *motuum convulsivorum* species constituuntur.

Igitur quod *particulæ heterogeneæ* & *spasmodicæ* intra ἐγκέφαλον admittuntur, & *sanguinis mittentis*, & *cerebri suscipientis* vitio imputandum est.

1. Cum *sanguis* materiam morbificam capiti suffundit, vel *tota* ejus massa depravatur, uti frequenter accidit in *febribus malignis*; item in *affectione scorbutica*, *cacochyma*; ac imprimis *originaliter morbida*; vel *sanguis* ex se *insons*, & incorruptus corpuscula maligna aliunde accipit, eaque postea cerebro affigit; ita in magnis viscerum impuritatibus, ac præcipuè cum partes aliquæ *abscessu* aut *ulcere virulento*, vel *fermento noxio* afficiuntur; è talibus enim μιασμάτων ἰοσπερδὸ *mineris* particulæ noxiæ in sanguinem ebulliunt, ejusque commeatu postea in cerebrum deponuntur: ita ob *Lienem*, *uterum*, *aliaque viscera* male affecta *morbi convulsivi* excitantur; qui tamen immediatius à cerebro, istarum partium labes, per sanguinis commercium suscipiente, dependent.

2. Attamen 2. *sanguis*, utut vitiosus, & seminio morbido impragnatus fuerit, haud facile inquinamentum suum capiti allinit, nisi etiam *cerebri*, *ejusque appendicis* constitutio aliquatenus in vitio fuerit; quandiu hæ partes bene conformantur, & vigore pollent, se, suaque tuentur; foribus occlusis, nil præter liquorem spirituosum suis usibus dicatum, purum, putumque admittunt: sin vero aut *cerebri meatus*, & *pori* nimis *laxantur*, aut *spiritus ostiarii* ab excubiis suis cessant, vel avocantur, una cum *succo nervoso*, materies heterogenea & morbifica irrepit, ac in regimine animali malignitatem suam explicat. Quod spectat ad ipsius *cerebri malam dispositionem*, eadem aliquando *hæreditaria* existit: ita parentibus *epilepticis*, aut *convulsioni* obnoxiis oriundi, in eosdem affectus plerumque & ipsi proclives sunt: & quidem constitutio cerebri à partu multis modis fieri potest vitiosa: nam aut ipsius *intemperies* justo est *humidior*, aut *siccior*, vel alterius *qualitatis excessu*, aut *defectu* peccat. Interdum *pori* sunt *laxiores*, vel *consistentia* ejus nimis *dura* aut *mollis* est: quin & *partium Cerebri* & appendicis ejus *conformatio* indebito more habere

bere potest: Cæterum aliquando *Cerebri* & *nervorum* indoles originaliter sana & firma ex *accidente* vitiatur, & diathesin morbidam acquirit: *longa intemperantia* has partes enervat: quin & *febres malignæ*, & *morbi chronici* eas plurimum debilitant: porrò accidentia externa, uti *frigoris* & *caloris excessus*, *vulnus*, aut *plaga* earum crases sæpe pervertit, & impressionum morbidarum magis capaces reddit. Quod vero spectat ad *spirituum animalium* ἀταξίας, propter quas particulæ heterogeneæ & spasmodicæ *cerebrum* absque *repulsu* subeunt, illique facilius cohærent; observare est *spiritus animales* quibusdam ab ipsa nativitate *teneriores*, & *cito dissipabiles* existere, ita quidem ut nihil *sensui*, aut *imaginationi* fortius & vehementius oblatum tolerare possint, quin statim in confusiones adigantur; propter hanc rationem, fœminæ præ *viris* earumque aliæ præ aliis *affectibus* dictis *hystericis* obnoxiæ fiunt. Porrò interdum *passio violenta spiritibus* utut mediocriter firmis ejusmodi prosternationem ac inordinationem imprimit, ut postea nihil fortiter sufficere, nec cuivis injuriæ resistere valeant: ita passim accidit *subito timore*, aut *ingenti tristitia* regimini animali impressiones morbidas affigi, quæ postea vix unquam delentur: hinc enim *mulieres* sæpe *affectiones* dictas *uterinas*, & *viri hypochondriacas primo* contrahunt iisque postea ferè semper assuescunt.

Ex his constare videtur *quibus modis* & *ob quas causas materies spasmodica* intra ἐγκέφαλον admitti solet: jam proxime videamus *quod de illa fiat postea*; siquidem ista materia ad Cerebrum advecta affectus convulsivos aut non semper, aut non eodem prorsus modo inducit.

1. Interdum accidit *particulas heterogeneas* & *explosivas* in *Cerebrum* admitti, quæ tamen exinde sine magna noxa, & priusquam genus nervosum subeunt, rursus exterminantur: quippè *venæ* & *lymphæductus* sæpè quod superfluum & regimini animali inimicum est, resorbent, & vel foras convehunt, vel in emunctoria deponunt. Dum talis materia parumper in cerebro agitatur, particulæ ejus spiritibus nonnullis *affixæ*, ab iisque demum *elisæ*, *vertiginem* & *scotomiam* cient; at verò quia nervorum ductus haud subeunt, affectiones spasmodicæ minime succedunt.

2. Quando *materies morbifica* intra ἐγκέφαλον admissa, non exinde statim relegatur, sæpenumero noxam suam, priusquam *nervoso generi* infertur, haud prodit; nam intra *Cerebrum* spiritus animales admodum vegeti, & spatium liberius nacti, *copulæ* cujusvis *heterogeneæ* complexus evadunt; quos equidem intra angustos nervorum canales evitare nequeunt: porrò ipsa materies morbifica, siquidem è *Cerebro* per vasa excretoria amandari non potest, exinde mox in *systema nervosum*, utpote partem ignobiliorem dimittitur: sin vero invitis facultatum superiorum præsidiis, talis materia intra Cerebrum diutius commoretur, ejusque spiritus incolas valde inficiat, *Epilepsiam* inducit, prout infra speciatim ostendetur: attamen multo crebrius, labes è *Cerebro* absque magna noxa ejus, in *nervosum genus* traducitur; hoc autem non uno semper modo fieri contingit.

Enimverò *particulæ heterogeneæ liquori nervoso* immixtæ, ac versus nervorum principia delapsæ, eædem non simul omnia, neque hæc aut illa, prout sors tulerit, indifferenter subeunt, verum in *aliorum* ductus præ *aliis*, idque non sine aliqua ratione diriguntur. Namque observamus *symptomata convulsiva* sedem plerumque aliam in *pueris* ac in *adultis*, aliamque in *tenerioribus* ac in *robustis* sibi eligere.

In *pueris*, qui *affectibus cordis*, & *membrorum exteriorum exercitiis* nondum assueverunt (quibus scilicet utrisque causa morbifica longinquius à cerebro profertur) *materies spasmodica* in nervos proximos, eos scilicet *tertii quinti* & *sexti paris* sæpius incurrit; quare illis *faciei*, ac *oris* partes maxime convelluntur: rarumque est & inassuetum iis *viscera*, & *præcordia*, prout in adultis attolli, motuve inordinato affici: E contra in *provectæ ætatis hominibus*, aditu ad nervos *paris vagi*, & *intercostales*, uti ad istos *spinalis medullæ*, magis patente, partes, quas nervi illi respiciunt, frequentius convelli solent: hoc tamen cum discrimine, quod in *tenerioribus*, & iis qui sunt valde ἐμπαθεῖς, quibus, ob passiones animi, *præcordia* & *viscera* sæpius perturbantur, *materies spasmodica nervorum interiorum* ductus apertiores promptius subit; illique propterea *spasmis*, in *abdomine*, & *thorace* excitatis, magis obnoxii redduntur: Hinc enim est quod *mulieres passionibus* dictis *hystericis*, ac *viri* quidam *hypochondriacis* molestantur: sicut postea, cum de affectibus istis particulatim dissereмus, fusius declarabitur.

Cum materies spasmodica quorumvis nervorum capita adpellit, vel ibidem subsistens vertiginem tantum, partiumque ad quas nervi isti pertingunt, leviores spasmos, & subsultus creat, vel in nervorum ductus altius prolapsa paroxysmos convulsivos atrociores parit: eadem verò in processus nerveos delata, per caudicis, sive trunci unius aut plurium propagines, modo *omnes*, modo *aliquas* tantum, cæteris patentiores disponitur; atque *spiritibus* tum intra ipsos nervos, tum intra *fibras appendicis* consitis paulatim accrescit: nimirum par ratio est, & similis fit apparatus in dispositione ad paroxysmos convulsivos, ac si *pulveris pyrii* successive explodendi grana per longas series jacerentur. *Spiritus* ad hunc modum *copula heterogenea* imbuti, tum intra nervorum *truncos*, tum intra *fibras membraneas*, & *musculis* intertextas potissimum verò intra *plexus nerveos* hospitantur; cumque illi aut *gravati* ob nimiam *plenitudinem*, aut data aliqua *occasione* exagitati, copulam suam excutere coguntur, particulæ elisæ & ab invicem prosilientes partes continentes valde inflant, adeoque *impetum motivum* contra *appetitus* & *naturæ* jussa, & leges exerunt: Porrò *spiritus* ad *motus convulsivos* obeundos semel incitati, à systematis nervosi extremitate, una, aut altera, ut plurimum verò in *fine* explosiones ordiuntur. Illi autem, qui primo explosi sunt, proximos quosque prædispositos, velut *traduce ignario* corripiunt; adeoque longa, & continuata spasmorum serie, à meta una ad alteram affectionem inceptam propagant: nam *convulsio* ab imò *abdomine*, aut *à pede*, aut *manu* exorta, sensim ad superiora, & plerumque ad *ipsum* ἐγκέφαλον prorepit: idemque affectus cum à *cerebro* (prout in *Epilepsia*) orditur, illinc pariter deorsum ad viscera remota, etiam ad membra & artus exteriores derivatur.

Materies morbifica in capita nervorum influens

fluens pro varia sui copia & dispensatione, diversimoda convulsionum genera producit: nam primo observare est, abundante, & exuberante materia, interdum *systematis nervosi*, aut quarundam ejus partium *totos ductus* occupari, ita ut *spiritus animales* tum influi, tum insiti, *copula heterogenea*, ejusque supplemento perpetuo saturati, in *spasmos continuos* urgeantur. Novi quibus musculi omnes, ac tendines in toto corpore *contracturis* & *subsultibus* sine intermissione afficiebantur: Novi *alios*, quibus *brachia*, & *crura*, cæterique artus in varias flexiones, & distorsiones perpetuo cogebantur: quin & *alios* vidi, qui saltare, huc illuc discurrere, pedibus, manibusque humum contundere necesse habuerunt; quod ni facerent in immanes viscerum, & præcordiorum convulsiones incidebant 2. *particulæ heterogeneæ* & *explosivæ*, si minori copia cum spiritibus combinatæ sint, ipsis sine tumultu, aut perturbatione adhærent, donec post aliquod tempus utræque particulæ iterum dissilientes, ac ab invicem elisæ paroxysmos convulsivos cient; cujusmodi *paroxysmi* sunt vel *periodici*, & *statis horis* exacte repetunt: quod accidit ob *materiam morbificam æquali dimenso* generi nervoso quotidie suffusam; proindeque circa idem temporis spatium, ad *plenitudinem explosivam* etiam quotidie aggestam; vel *vagi* & *incerti*, in quibus scilicet particulæ heterogeneæ minori adhuc copia suffusæ, non nisi longo tempore ad *saturationem explosivam* assurgunt; quarum interim cum *plenior aggestio*, tum *explosio* ob *plures occasiones*, sive *causas evidentes* modo *crebrius*, modo *rarius* solent accidere: hinc fit ut *affectio spasmodica* nonnunquam causæ evidenti in totum ascribatur, cum revera nisi *procatarxis convulsiva* præcesserat, talis causa nullam excitasset.

Itaque ut de *convulsionum causis evidentibus* nonnihil dicamus: supra observavimus, si vehementiores fuerint, & *cerebri*, ac *nervosi generis* constitutioni teneriori, ac imbecillæ acciderint, eas interdum *solitarias*, *pathemata convulsiva* inferre: at vero quoties *affectio spasmodica* gravior, & *habitualis* facta, sæpius redire solet, licet *causa evidens* in propatulo sit, & effectus culpam sustineat, nihilominus suspicari licet *procatarcticam* intus *latere*, & in efficiendo potiorem existere: nisi enim spiritus copula heterogenea imbuerentur, in explosiones involuntarias, & præternaturales nec tam facile, nec tam crebro adigerentur.

Causarum evidentium duplex ordo, sive *classis* occurrit; aut enim ejusmodi sunt quæ *procatarxin adaugent*, eamque citius ad *plenitudinem explosivam* perducunt, uti sunt *mala victus ratio*, & *errata in sex non naturalibus*, quæ *sanguinem* & *succum nervosum* inquinando, particulas heterogeneas majori copia spiritibus ad saturationem suggerunt, proindeque accessiones spasmodicas eo citius accersunt. *Vel* 2. *causa evidens* dicitur quicquid *spiritus derepente exagitans & irritans*, ut statim *explodantur*, efficit, & *copulam suam*, qualiscunque fuerit, elidant: atque hujus generis plurima sunt, quæ spiritibus modo intra ἐγκέφαλον, modo intra *systema nervosum* consitis, accidentia, motus convulsivos instinctu diversimodo (prout in regularibus assolet) aut directos, aut reflexos cient.

1. *Prioris generis* potissimum sunt *violentæ animi perturbationes*, quibus *spiritus Cerebri incolæ* agitati, atque confusi, alios intra *nervosum genus* scatentes, & sæpe prædispositos ad *explosiones irregulares* incitant; ita vehemens *timor*, *ira*, aut *tristitia* non modo incommoda valetudine affectis *insultus epilepticos*, aut *hystericos* inducunt; sed interdum aliis quibuscunque *cordis palpitationem* & *tremorem*, quin & *membrorum* & *artuum convulsiones horrificas* accersunt. 2. Quoad *alterum causæ evidentis genus*, quo scilicet *Spasmi* actu *reflexo* incitantur; hoc quidem nec infrequenter locum habet, quoties *gravis molestia*, cum *fibrarum* & *spirituum irritatione*, *nervoso generi* alicubi exhibetur: quippè eadem *molestia* mox cum primis spirituum fontibus, nempe *cerebro* aut *cerebello* communicata, exinde *motus inordinati*, ac *violenti* præter animi arbitrium incepti, hoc est, *convulsivi*, retorquentur; ita namque *lumbrici*, *pharmaca*, aut *acres humores*, intestinorum tunicas immaniter vellicantia, istarum partium, & non raro membrorum externorum spasmos inferunt.

Hæc de *singulis causarum*, *conjunctæ*, *procatarcticæ*, & *evidentium* generibus, à quibus *morbi convulsivi habituales facti*, & cum gravioribus paroxysmis repetere soliti, exoriuntur: cum vero *alteram hujus morbi speciem* assignavimus, ubi *paroxysmi* à *causa evidenti solitaria*, seu ferè tantum ab *irritatione*, spiritibus nondum *copula explosiva* præoccupatis, dependent; jam proxime disquiratur *quibus*, & *quot modis* hoc fieri contingit. Super his in communi statuitur *insultus spasmodicos*, à *mera irritatione productos*, aut *leviores* esse, & cito pertranseuntes, aut *gravissimos*, & non raro *lethales*, prout quando venenis assumptis, aut ὑστερικῶν φαρμ. superveniunt. Porrò adnotetur cum *materies morbifica*, sive *irritativa* ipsis nervorum caudicibus, aut plexibus insederit, eam non raro etiam *explosivam* evadere, utcunque spasmos etiam à mera irritatione productos (prout supra annotavimus) explosiones quasdam esse. Itaque his prælibatis, rem Propositam expediamus.

Partium nervosarum irritatio, quæ *motus convulsivos* efficere solet, *variis in locis*, *variisque ex rebus*, quæ *spiritibus* & *fibris incongrua*, atque *inimica* sunt contingit. Quoad *res spirituum naturæ adversantes*, observare est præter *venena*, & *qualitatum tangibilium excessus*, qui ab extra infliguntur, multa quæ intus in nobis gignuntur, scilicet *varia sanguinis*, & *succi nervosi recrementa*, *miasmata febrilia*, *humores præternaturales*, *salinos*, aut *sulphureos*, quinimò *lumbricos*, *calculos*, cum pluribus aliis nervoso generi infesta esse, & *irritationes spasmodicas* passim ciere. Quoad *loca affecta*, sive *materiæ irritativæ sedem*; licet hæc in qualibet systematis nervosi parte noxam inferat, ut plurimum vero maxime infesta esse solet cum juxta *systematis nervosi principia*, vel *extremitates*, vel circa *medios nervorum processus*, ac præcipuè in eorum *plexibus* defigitur: Porrò talis materia, quæ spiritus irritans, *causæ evidentis* loco esse solet, non raro, prout modo innuimus, etiam *procatarcticæ* rationem subit, quatenus nimirum particulæ heterogeneæ ab illa emissæ, fibras nerveas subeunt, & cum spiritibus combinatæ, eos ad explodendum aptiores, & procliviores reddunt.

1. Igi-

1. Igitur interdum accidit *humores malignos*, & nervoso generi infestos è *sanguine* in *cerebri regionem* suffusos, & exinde demum in posticam capitis regionem delatos, *nervorum origini* incumbere; ubi si disrupta pellicula, quæ medullam oblongatam investit, in nervorum truncos nudos incidunt, eorumq; fibras altius subeunt; propterea quidem *motus convulsivi* non modo in *partibus capiti vicinis*, verum aliquando in valde *remotis*, & non raro in toto *systemate nervoso* oriuntur: Hoc passim observare est in *malis febrium crisibus*, materia morbifica in caput translata; item in *affectibus cephalicis*, in statum pessimum, ac lethalem evectis. Revera cum plurium hoc ritu defunctorum capita aperuerim, reperi in omnibus posticam *medullæ oblongatæ* regionem sero acri & *salsugineo* immersam.

2. Quemadmodum systematis nervosi *extremitas interior*, sive *origo*, ita non raro *exterior*, sive *finis* à vellicatione illic facta, *spasmos*, sive *motus convulsivos* suscipit, eosdemque quaquaversus transfert: hoc in *membris exterioribus* passim fieri, testantur *tendinum ac nervorum puncturæ*. Nec minus à *Vellicatione* in visceribus facta *spasmi* circumquaque excitari solent, si quando *pharmaca*, aut *humores acres*, nec non *lumbrici* in *ventriculo*, aut *intestinis* scatentes partes membranaceas vellicant, adeoque sensionem molestam primis sensoriis imprimunt; exinde statim ob spirituum excandescentias *motus convulsivi* modo in *partes affectas*, modo indifferenter in *alias quascunque* retorquentur: nam à graviori visceris cujusdam noxa sæpe *spasmi* non tantum *partes affectas*, & vicinas occupant, verum in *faciei* ac *oris* musculos, necnon in *membra exteriora* transferuntur. *Calculus ureteri* impactus haud tantum in isto ductu, verum in *tota vicinia contractiones* immanes accersit. Porrò *symptomata* quædam *hysterica*, aliaque *hypochondriaca* nonnunquam hac ratione inducuntur; quatenus nimirum *vellicatione* in visceris cujusdam membranis facta, illico *spasmus* retorquetur.

3. *Materies irritativa*, quæ spasmorum *causa evidens* esse solet, interdum *medios nervorum processus* occupat; & propterea *partes* modo *supra*, modo *infra* illius sedem ad *motus convulsivos* incitantur: Hoc de nervorum plexibus satis constare videtur; cum enim *succi nervosi recrementa acria* in iisdem congeruntur, non raro spasmi per totam viciniam procreantur: hac ratione *affectio colica*, atque *hysterica*, nulla viscerum istorum culpa tantum ab humore in *mesenterii plexibus* deposito non raro progigni, ac excitari videntur (quod equidem posthac, cum de affectibus istis particulatim agemus planius ostendetur:) Pariter ob *plexus gangliformes* humore acri & irritativo obsessos, *præfocatio in gutture*, nec non variæ *præcordiorum contractiones* inferuntur. Porrò *affectiones spasmodicæ* ab humore acri intra *totos nervorum cortices*, & corporum nervosorum meatus scatente non raro dependent. Vidimus quosdam *convulsionibus admirandis*, ac *perpetuis affectos*, ut necesse habuerint (prout supra retulimus) membra huc illuc jactare, & distorquere, saltare, discurrere, humum manibus, aut pedibus contundere, aliasque gesticulationes stupendas exerere, haud secus ac si *sagarum præstigiis* læderentur, cujusmodi *passionum causa* genuina in eo consistere videtur, quod *succus nervosum genus irrigans*, instar *aquæ stygiæ* acerrimus, ac a debita crasi degener factus, spiritus insitos influosque continuo irritaret, ac velut œstro quodam afflaret.

Ex his quæ circa varias *convulsionum causas* disseruimus, multiplices earundem *species* & *differentiæ* eliciantur: Nam primo annotavimus respectu *originis*, pathemata spasmodica sæpissime à *capite affecto*, seu materia morbifica in *nervorum principia* influente, derivari; quandoque tamen, licet rarius, ea à tali materia in *nervorum extremitates* irrepente pendere.

2. Quoad *morbi & symptomatum productionem*, observamus eandem aliquando à *causa evidenti solitaria*, uti passione subita, & vehementi produci: Sæpius vero *procatarxim*, sive dispositionem præviam requiri: porrò causas interdum ita coincidere, ut *causa procatarctica* etiam *evidentis* vicem suppleat; quin etiam è contra, ut *hæc illius* loco fuerit.

3. Quoad *morbi extensionem*, *affectio convulsiva* distingui potest in *universalem*, qua spiritus ferè totum systema nervosum, ipsumque ἐγκέφαλον actuantes, successive exploduntur; & *particularem*, in qua spiritus intra privatam quandam ditionis animalis regionem afficiuntur.

1. Prior ista cietur quando spiritus animales intra primos ipsorum fontes, nempe *Cerebri*, & *Cerebelli* medullia irritantur, unde ipsorum explosiones violentæ accidunt: quapropter tum animæ *functio quævis interna*, scilicet sensus, & imaginatio obscurantur, ejusque *facultas exterior locomotiva* pervertitur: Hujusmodi *affectio spasmodica universalis*, in qua scilicet præter artuum & viscerum spasmos, *interiores animæ potentiæ* eclipsin patiuntur, iterum *duplex est*: nempe aut *primaria*, quæ ab ἐγκεφάλῳ incipit, oriturque in quantum spiritus hujus incolæ *particulis nitrosulphureis* imbuti primo exploduntur, eorumque accensio, cæteros in *appendice tum medullari*, *tum nervosa* scatentes corripit, ibique *explosiones convulsivas* concitat, prout cernitur in epilepsia.

2. Vel *passio isthæc universalis* ἀναισθησίαν inferens *secundaria* est, quæ scilicet alicubi in *nervoso genere* inchoata, exinde spirituum copiis successive affectis, factaque velut *aquarum undulatione*, demum ipsi ἐγκεφάλῳ traditur: hoc passim accidit in paroxysmis, qui dicuntur hysterici, in quibus ob spasmum principio in imò ventre incipientem, moles, sive intumescentia in *abdomine* excitatur; dein eodem affectu per nervorum ductus superius lato *ventriculus*, ac mox *præcordia* contrahuntur, ac tandem spasmo *caput* impetente, patientes corruunt, iisque notitia omnis adimitur; denique morbo in *nervos alios* reflexo, membrorum *exteriorum* motus convulsivi succedunt.

2. Quod vero spectat ad *spasmum particularem*, in cujus paroxysmo ægrotantes animo constant, hic quidem varias differentias sortitur: Quoad *materiæ sedem*, quæ circa nervorum *principia*, *extremitates*, aut *medios processus* contingit, spasmorum (uti ostendimus) diversitas oritur: Quinimò prout ista *materies morbifica*, nervorum principia obsidens circa *medullæ oblongatæ caput*, *medietatem*, aut *caudam* defigitur; propterea accidit modo tantum *faciei*, aut *oris* partes, modo *imi*, aut *medii ventris* viscera, ac modo

modo *artus exteriores* potissimum, ac fere tantum convelli.

Porrò *convulsio*, quoad *insultus durationem*, ejusque *magnitudinem*, distingui solet in *continuam*, ac *intermittentem*: Prior sicut supra innuimus dicatur τέτανος, sive *contractio permanens*, uti cum pars una, aut simul plures *constanti tensione contractæ aut distortæ* in eodem situ præternaturali aliquandiu detinentur; sic quandoque musculus, aut membrum, puta oculus, labium, gena, à recta positione distorquentur, nec statim facile reduci possunt: cujus causa interdum est *resolutio*, sive *paralysis* in quibusdam aliis musculis; qui cum relaxantur, oppositi nimis fortiter agunt, & partem, quæ inter utrosque velut in æquilibrio consistere debuit, versus se totam corripiunt: aliquando tamen talis *contractio permanens* excitatur propter tendines humore seroso impacto obsessos, qui proinde rigidi evadunt: Hujusmodi affectus in *scorbuto* familiaris existit, ut ægri quandoque nullum membrum aut articulum extendere possint; sed velut in orbem, seu globum contrahantur. Nonnunquam tendines in dorso, ob talem humoris incursum, ossa extra debitum situm trahunt, & *gibbositatem*, vel corporis *incurvaturam* pariunt. *Tetanus* distingui solet in *universalem*, cujus tres sunt species; scilicet ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, & τέτανος ita propriè dictus, & *particularem*, quæ membrum quoddam vel articulum privatum respicit: Super his postea speciatim dicemus.

2. *Convulsio intermittens*, aut *brevis* est & *momentanea*, quæ per crebras vices, & quasi per *subsultus* peragitur, prout observare est in *horrore* & *tendinum concussionibus*, quæ semper crebra *motus*, & *quietis* alternatione interstinguuntur: vel *spasmorum insultus*, eorumque *intervalla* diutius protrahuntur; ita usitatum est *paroxysmos convulsivos*, quando repetunt, *aliquandiu perdurare*, ac *rursus desinere*; tales autem *periodi* modo *certæ* sunt, atque statis *horis eveniunt*, modo *raræ*, ac *incertæ*, atque pro variis datis occasionibus diversimode contingunt. Plures sunt aliæ hujusce affectus differentiæ, quæ postea cum de singulis convulsionum speciebus particulatim dicemus, melius elucescent.

Hactenus *Spasmorum*, sive *Convulsionum* in genere *naturam*, *causas*, & *differentias*; juxta hypothesin plane novam, & insolitam, sed rationi (ut opinor) satis congruam tractavimus: jam proxime incumbit præcipuas istius affectus species particulatim explicare; inter quas *Epilepsia* prærogativam facile meretur, ejusque consideratio methodi, sive ordinis jure quodam præcedere debet; quippè hic morbus in corpore humano quasi imperium amplissimum nactus, non modo in totum ἐγκέφαλον, sed plerumque simul in omnes systematis nervosi partes tyrannidem exercet: quapropter ab affectionis immanitate, *morbus Herculeus*, ab insultus more tanquam à numine immissi admodum stupendo, νόσος ἱερὴ, sive *morbus sacer*, ab antiquis appellabatur; cui accedit cujusdam nostratis, haud infimæ notæ, Theologi conjectura nempe plures, qui in novo Testamento pro *Dæmoniacis* habentur tantum *Epilepticos* fuisse; morbique hujus à Christo Salvatore *curationem*, *spiritus mali ejectionem* sive *exorcismum* dici: Revera in hoc affectu *materiæ morbificæ* adeò obscura aut prorsus nulla vestigia apparent, ut merito hic *spiritus malefici afflatum* suspicemur: saltem probabile est, quoties diabolus præstigiis suis miseros mortales affligere permittitur, ipsum non posse ex alia pharetra graviores sagittas torquere, aut sub meliori larva, quam monstrosi hujusce morbi insultibus miracula ostentare.

Epilepsiæ symptomata uti sunt plurimum stupenda, ita istorum *causæ*, & *ipsius morbi* ratio formalis difficillime explicantur. Enimvero inter Authores tum de *parte affecta*, tum de afficiendi modo, res varie controvertitur: plerique hujus *sedem* in *cerebro*, aut *ventriculis* ejus; alii in *meningibus*, quin & nonnulli in *medio*, aut *imo ventre* collocant; quo tamen jure mox inquiretur: Interim ut missis aliorum opinionibus, recti ratiocinii filo vera *morbi hujus Theoria* investigetur, *primo descriptionem* ejus, simul cum integro Phœnomenων censu exarare; *secundo*, istis rite perpensis, *morbi subjectum*, & *partes* præcipuè *affectas* eruere; tertio demum *rationem* & *modum* quo morbus iste generetur, cum veris *symptomatum causis* subjicere nitemur.

Primò, quoad *morbi ideam*, *insultus epilepticus*, universalis, ac *immanior* tantum *convulsio* esse videtur, in qua scilicet spiritibus *cerebri* incolis primo irregulariter commotis, & velut confusis cæteri omnes ἐγκεφάλου *appendicem* tum *medullarem* tum *nervosam* incolentes, simul *motus convulsivos*, sive *contractiones* inordinatas ineunt, easque aliquandiu cum crebris subsultibus continuant: *morbi accessio* ut plurimum ex improviso aggreditur, ægrosque nihil tale cogitantes opprimit, atque ictu oculi citius sensu & intellectu orbos, in terram præcipitat; quippè non tam *cadunt*, quam cum impetu quodam *prosternuntur*, ut sæpe pars primo in terram aut corpora adjacentia allisa livore aut vulnere afficiatur; prostratis supervenit *stridor dentium*, cum *spuma oris*, sæpe etiam *capitis concussio*, & *crebra ad humum allisio*; *brachia* & *crura*; quinimò *cervix* & *dorsum* aut *statim rigida fiunt*, aut *variis flexionibus* huc illuc distorquentur; aliique *pectus* immaniter contundunt, alii *brachia* & *crura* valide exerunt; eaque, ac totum aliquandò corpus huc illuc impetuose jactant; plerisque autem *præcordia* & *hypochondria*, necnon *totus inferior venter intumescunt*, & valde *inflantur*: post aliquod tempus modo brevius modo longius hæc symptomata, quasi Tragœdia peracta, derepente cessant, & tunc ægroti denuo ad se redeunt, ac mente constant; superstite verò post paroxysmum *capitis dolore*, cum *torpore*, & *hebetudine sensuum*, & non raro *vertigine* & *scotomia*.

Paroxysmi epileptici repetere solent, quandoque statis temporibus *diei*, *mensis*, aut *anni*, ut plurimum verò juxta majores *anni* τροπάς, aut *lunæ*, aut *solis* συζυγίας vel *aspectus oppositos* certius redire, & gravius affligere solent: quandoque accessiones sunt incertæ, & vagæ, pro occasione & varietate causarum evidentium: sunt autem *paroxysmi* modo *leviores*, qui cito pertranseunt, ita ut ægroti vix in terram præcipitentur, nec ἀναισθησίᾳ corripiantur, modo *graviores* sunt, quibus correpti plurium horarum spatio insensiles decumbunt, & velut Dæmoniaci, horrendis symptomatis torquentur: aliquando, licet rarius, signa quædam paroxysmi prænun-

nuncia lapsuros commonefaciunt, ut sunt *capitis gravedo*, *oculorum coruscatio*, *aurium tinnitus*: interdum in parte quadam exteriori, *brachio* nempe, aut *crure*, aut etiam in *dorso*, vel *hypochondriis* spasmus præcedit, qui exinde instar *auræ frigidæ ascendens* & versus caput perreptans, caducum inferre videtur: *Morbo* huic, *pueri*, & *adolescentes*, magis quam maturæ ætatis homines, aut senes obnoxii reperiuntur: quicunque insultum ejus semel perpessi sunt, nisi remediorum ope curantur, postea vix per totam vitam ejus labe prorsus immunes fiunt; paroxysmi quo sæpius repetunt eo graviores usque evadunt, qui cum frequenter iterati valde atroces existunt, *memoriæ*, *imaginationis*, & *rationis* usum, & dein totius functionis animalis robur ac vires enervant; donec hujus œconomia valde perversa, functio demum vitalis labascat, & sensim aboleatur. Explicatis ad hunc modum hujus morbi telis, & apparatu malefico; jam proxime inquiramus in qua *parte sedem* figat: sive quod sit proximum ejus subjectum.

2. *Epilepsiæ accessio* & invasionis modus plane innuere videntur *sedem ejus primariam*, sive partem præcipuè affectam alicubi intra caput contineri; quod autem *paroxysmus* nonnunquam in partibus remotis incipiat, & exinde versus caput ascendat, hoc quidem ita fieri *videtur* tantum, & *ex accidenti* contingit, cum interim *causa morbifica* circa ipsum ἐγκέφαλον subsistit (prout inferius declarabitur:) verum quod à primo morbi insultu statim ἀναισθησία cum membrorum & viscerum fere omnium contractionibus succedit, hoc manifesto indicio est, una *totam ἐγκέφαλου compagem*, & *nervorum omnium origines* à causa morbifica occupari; At verò etiamnum explicatu difficillimum videtur, ubi *causa* ista, sive *materies morbifica* præcipuè subsistit; neque enim probabile est, eandem per cunctas cerebri partes diffundi, nec tamen constat in quo loco singulari ea defixa, cæteras omnes partes ita subito in ejusdem noxæ consensum trahat.

E variis super hac re Authorum sententiis, *duæ* præ cæteris magis probabiles videntur, & pari verisimilitudine assensum vendicant. Quarum *una* asserit *Cerebri meditullium*, atque *altera meninges ipsum investientes* esse primariam *Epilepsiæ* sedem: *Prioris* ratio in hoc fundatur, quod ubi spirituum animalium fons, & ipsius animæ sensitivæ origo consistit, ibidem hujus morbi causa poni debet; nempe cum principes facultates primo læduntur, cæteræ omnes ejusdem noxæ facile participant: verumenimverò ut concedam in *Apoplexia*, & *spirituum deliquio* ita habere, attamen in *convulsione* (cujusmodi *affectus est Epilepsia*) non sequitur *fibras* & *nervos* omnes convelli, quia *cerebri meditullium* prius *convellitur*: quippè hoc cum sit mollis & fluidæ substantiæ, atque motus & sensus expers, *contractionis*, sive *affectionis spasmodicæ* minime capax videtur: quapropter alii *cerebrum* & quamvis ejus partem à morbi hujus culpa eximentes, causam ejus omnino in meningas rejiciunt; asserentes scilicet *membranas cerebrum investientes*, ac imprimis illarum *processus cerebri*, *ac cerebelli fissionibus instratos*, siquidem à materia morbifica vellicantur, *spasmos*, *sive convulsiones immanes concipere*; dein à *meningibus istis contractis & diductis* una *cerebrum* inclusum valde *comprimi*, & *constringi*, ita ut poris, & meatibus ejus constrictis ἀναισθησία inferatur, simulque nervorum caudices, quibus utraque meninx appenditur, in consensum illarum perducti, etiam motus convulsivos ineant: Et quidem ad hunc modum, Epilepsiæ *ratio formalis* forte explicabilis videtur; at verò cum rem altius perpendo, etiam ab hac sententia discedere visum est, quia nimirum haud constat *quo ritu*, & *quam ob causam*, imminente caduco, *meninges istæ spasmos* adeò horrendos concipiant. Quinimò nec liquet, quomodo ab iisdem, ut ut *convulsis*, *paroxysmus epilepticus* inducatur.

Quoad prius, impossibile videtur *meningas*, quoad *totas earum concavitates*, ita *contrahi*, ut instar marsupii arctius constricti, contenta sua undique convellant, ac in spatium angustius contrahant: quippè *dura mater* pluribus in locis *calvariæ* firmissime cohæret; quin & isti *pia mater*, juxta *sinuum processus*, mutuo membranarum nexu, & ubique præterea vasorum continuitate colligatur: hinc facile patet, *utramque membranam*, quoad magnam sui partem, *immobilem esse*, ita ut *spasmos universales* nequaquam ineant: quod vero ad spasmos minores attinet, ut cum *meningis hujus*, *aut istius*, vel simul utriusque portio quædam convellitur, revera tales evenire concedimus: nam sæpius audivi *cephalalgia* graviori affectos, de magna partium sub *calvariæ latere*, modo *dextro*, modo *sinistro* consitarum *constrictione* immaniter queri, nec tamen exinde ullus *caduci insultus* sequebatur: porrò ut membranæ istæ insigniter læsæ vellicationes maximas subeant, haud propterea tamen *paroxysmus epilepticus* induci solet: Novi enim *abscessu* in *dura matre* excitato, & postea disrupto cum à pure fœtidissimo *meninx tenuior*, & *cerebri cortex* exederentur, ægrotantem primo in *stuporem*, & demum in *Apoplexiam lethalem* incidisse; qui tamen in toto morbi decursu, *symptomate* quovis *epileptico* immunis degebat: Item memini *duram matrem*, terebella à Chirurgo imperito adhibita valde dilaceratam; in alio casu eam cum parte calvariæ per vulnus abscissam, ut portio quædam *cerebri* extuberaret; nec tamen cuilibet horum *pathemata* quævis *epileptica* supervenerunt: Quapropter nec verisimile est, *sanguinem*, aut *humores*, vel (si quispiam ita contendat) *vapores meningibus* istis impactos, majorem noxam inferre, quam aut *plagam*, aut *vulnera* iisdem inflicta, aut *saniem* ibi suffusam: præterea *Epilepsia leviori affecti*, siquidem vix concidunt, ac per totum morbi insultum adhuc animo constant, *membranas* ita *contrahi*, & *cerebri globum* arctius compingi perciperent, si ejusmodi quæpiam affectio subesset; verum illi è contra *cerebrum* quasi *inflatum*, & *spiritus* cum efferatione quadam *exilientes*, ac velut *explosos* persentiscere videntur.

Et quidem, uti verisimillimum, arbitror *paroxysmum epilepticum* à *spirituum animalium cerebri incolarum* (qui nempe sunt primum & immediatum hujus morbi subjectum) *subita quadam rarefactione*, & *explosione concitari*; qua scilicet *cerebrum ipsum inflatur*, adeoque *insensile redditur*, simulque *nervi appensi* in *convulsiones* aguntur; hinc enimverò contingit hujus *morbi* accessio-

accessionem ita derepente incipere, & perfecte terminari, sine magna *materiæ morbificæ* aut *provisione*, aut *reliquiis*; *quia* nempe *labes* non tam *partibus solidis*, quam ipsis *spiritibus* infertur.

Supra ostendimus, quo ritu *copula heterogenea & explosiva particulis*, uti videtur, *nitrosulphureis* constans *spirituum animalium particulis spirituo-salinis* accrescens, ab iisque ob *plenitudinem*, aut *irritationem* denuo *elisa & explosa*, *symptomata convulsiva producit*: quamvis autem ejusmodi *copula spasmodica*, è sanguine in cerebrum primo extillatur; plerumque tamen spiritus ibi non prehendit, aut cum iis saltem illic non diu hospitatur: quin potius versus *appendicem nervosam* illico detrusa, *spasmos particulares*, & juxta loca affecta respectivos accersit: interdum vero, siquidem *materies spasmodica uberior & potens*, atq; *cerebri constitutio imbecillis* fuerit, *copula heterogenea* spiritibus non tantum in *nervoso genere*, sed etiam intra ipsum ἐγκέφαλον consitis affixa, *diathesin epilepticam* infert; atque *spirituum & copulæ istius particulæ explosivæ* ab invicem *elisæ caduci paroxysmum cient*. Quandoquidem enim urgente *epilepsiæ insultu* ἀναισθησία plerumque *symptoma primum*, & fere *pathognomicum* existit, inferre licet *spiritus animales* intra ipsum *cerebri meditullium* scatentes, ante alios affici; proindeque partem eam esse *principalem morbi sedem*: dein quatenus *ægrotantis casus*, sive in humum projectio, atque *membrorum & viscerum spasmi* sæpissime ἀναισθησίᾳ isti succedunt, sequitur *spiritus animales* etiam *systematis nervosi incolas*, eadem *copula explosiva* imbui, cumque ipsis *cerebri incolis* in consensum trahi: ab iisque ad explosiones pariter inordinatas excitari; licet aliquando (tota *spirituum* tum in *cerebro*, tum in *nervoso genere* consitorum *serie*, instar *longioris pulveris pyrii tractus*, ad *explosiones* prædisposita) *spasmus* exterius & è longinquo, forsan in membro quodam, aut viscere incipiens, posterius in *cerebrum* traducatur, prout infra plenius ostendetur. Interim ipsius *cerebri regio semper hujus morbi sedes primaria statuatur*; atque pro affectus *causa conjuncta* supponere debemus, non *aquam in cerebri ventriculis* congestā, nec *humorem crassum*, aut *viscidum* ejus poris & meatibus impactum, tales enim *causæ* sensim gignerentur, & proinde signa quædam paroxysmi imminentis prænuntia ederent: porro accessione morbi finita, talis materia non ita brevi tempore penitus discuteretur; quin à reliquiis ejus functionis animalis impedimenta quædam manerent, quod equidem in *Epilepsia*, nisi inveterata rarius contingit: attamen pro *caduci insultu excitando*, nihil minus suspicari licet, quam *spiritus animales*, qui intra medullarem cerebri substantiam scatentes, *sensus interioris, imaginationis, & appetitus* actus perficiunt, *copulam heterogeneam nactos inordinate explodi*, proindeque, istis extra ordines & stationes suas perturbatis, superiores regiminis animalis facultates *eclipsin* pati; dein ab hac majori spirituum *explosione*, velut à *fomite ignario*, spiritus alios, *appendicis medullaris*, & *nervosæ* hospites, etiam in *explosiones* prædispositos, similes ἀτάξιας concipere, pariterque *explosos*, corporum continentium *motus convulsivos* ciere.

Quamvis enim *cerebri meditullium* semper esse *primariam Epilepsiæ sedem* & ab initio, fere tantum in illa regione, materiam morbificam congeri statuimus, tamen affectu ingravescente, hæc uberius in caput delata fines suos latius explicat, adeò ut *particulæ spasmodicæ*, & in *reliquo cerebro*, & insuper in *appendice* nervosa, tanquam *pulveris pyrii*, sive seminii explosivi strata, huc illuc, longe lateque protensa jaciuntur; quo fit ut primo ἀναισθησίας insultui, *convulsiones* modo in his, modo in illis partibus, & non raro in toto corpore excitatæ, superveniant.

Hæc de *Epilepsiæ essentia*, & *causis* in *genere*: jam proxime incumbit hujus morbi *differentias* necnon *accidentium* quorundam, & *symptomatum* ad eum pertinentium *rationes* explicare: quibus demum *observationes*, & ægrotantium historiæ cum *medendi methodo* subjungentur.

Epilepsiæ maxime notabilis *differentia* peti solet à *subjecto*, nempe quod *cerebrum*, aut *pars ejus* in hoc morbo laborans, vel *primario*, ac *idiopathetice*, vel *secundario* ac nonnisi per *consensum* cum aliis partibus afficitur: de *priori specie* hactenus disseruimus: quoad *alteram*, in qua scilicet *caduci insultus* alicubi extra caput oriri visus, dein ipsum *secundario* & velut afflatu aliunde immisso corripit: observare est, ejusmodi *affectum* (prout *Galenus* annotavit) vel à *partibus externis*, aut *internis* procedere: plura equidem *epilepticorum* exempla occurrunt, in quibus paroxysmo ingruente, primo *Spasmus* cum stupore in *manus*, aut pedis digito, aliove membro particulari sentitur, qui statim exinde, velut cum formicationis sensu versus caput prorepit; quod cum attigerit: illico ægrotans in terram prostratus ἀναισθησίᾳ, aliisque pathognomonicis *caduci symptomatis* corripitur: nec minus usitatum est istius morbi proœmium, & primam quasi velitationem, à *stomacho*, *liene*, *utero*, *intestinis*, *genitalibus*, aut aliis *visceribus* incipere: imprimis nempe in istorum aliquo, perturbatio quædam cietur; dein ab eo loco, *auræ velut frigidæ* in caput ascensus percipitur; cui statim affectioni, *caduci accessios*, cum horrendo symptomatum apparatu succedit: hinc vulgo creditur *Epilepsiæ causam* in parte ita primario affici visa, delitescere, atque noxam suam in cerebrum, ex se insons, propagare.

Verumenimverò super his dicendum esse videtur, in *quavis Epilepsia* causam non modo *procatarcticam*, sed & *conjunctam* omnino in *cerebro* consistere; nempe *spiritus* hujus *incolas* ad *explodendum dispositos*, *ibidemque explosos*, *caducum* omnem inferre. Quoad præliminaria isthæc in quibusdam *epilepticis* symptomata, ea interdum *causæ evidentis*, nonnunquam verò tantum *signi* rationem habent: si quando enim diathesi epilepticæ mala cujusdam visceris, puta *stomachi*, *lienis*, aut *uteri* dispositio accidat; quoties in viscere isto affecto, perturbatio quæpiam cietur, facile contingit, ob *fermenti illic transmissionem*, aut *spasmi in caput continuationem*, in cerebro prædisposito accessionem *epilepticam* excitari.

Attamen ejusmodi *caduci symptomata*, quæ exterius suscitata affectum cerebro propagare videntur, non raro ipsius *cerebri consensu* oriuntur, & *paroxysmi epileptici* ingruentis, sive spirituum in cerebro explodi incipientium tantum *signa* existunt: cum enim spiritus animales in *cerebri & cerebelli meditulliis*, simulque in *medulla oblongata* juxta nervorum origines consiti, copula heterogenea ita saturantur, ut ad ipsam eliden-

dam, proindeque morbi insultum acciendum parati sint, priusquam illi una omnes conglobatim exploduntur, spiritus aliqui exterius in privatis quibusdam nervis scatentes, siquidem assueto superiorum influxu destituuntur, inordinationes quasdam concipiunt, proindeque spasmos ineunt; qui spasmi (prout in ejusmodi affectibus sæpe mos est) à nervorum extremitatibus huic, vel isti membro, aut visceri insertis incipiunt, unde sensim ad eorum principia prorepunt; quo cum pervenitur, illico spiritus per totum ἐγκέφαλον, prius in explosiones dispositi, ab eo spasmo commoti, proindeque tanquam fomite ignario correpti, subito eliduntur; adeoque Epilepsiæ paroxysmum per se prius incipientem, velut secundario, & instinctu aliunde tradito excitare videntur: ad hunc modum aliquando passiones hystericæ, cum ab imo ventre incipientes, & cerebro communicantur, à visceribus istis oriri, & eorum culpa suscitare creduntur; cum interim causa morbifica circa nervorum origines potissimum subsistit, sicut alibi innuimus, & infra, cum de affectibus spasmodicis particulatim agemus, fusius ostendetur.

Restant plures aliæ morbi comitialis differentiæ; nempe quod sit vel hæreditarius vel acquisitus; rursus utraque species varie distinguitur, ratione ætatis seu temporis quo primo ingruit, nempe cum prima accessio ante vel circa pubertatem vel post eam contingit; porrò quoad morbi efficaciam, in fortem, & debilem, quatenus paroxysmi cum vel sine ἀναισθησίᾳ, & casu fiunt, quoad morem ejus inordinatum, cujus insultus sunt vagi ac incerti; quinetiam juxta symptomata his, aut illis ægrotantibus, propter quandam temperamenti indolem, aut idiosyncrasiam peculiaria, multifariam discriminari solet.

Cæterùm ex præmissis, symptomatum plurimorum quæ in hoc morbo occurrunt, causæ facile elucescunt, ut non opus sit ista omnia particulatim hic considerare: de nonnullis verò quæ magis intricata videntur, non abs re fuerit in hoc loco disserere.

Imprimis igitur hic lubet inquirere, cur hoc morbo laborantes non tam cadunt, prout Apoplectici, aut syncopen passi, sed potius cum impetu prosternuntur, inque terram, aliave corpora fortuito objecta, tanquam à spiritu quodam malefico dejecti alliduntur; ita ut sæpissime aliqua capitis aut faciei pars præ casu violento lædatur: affectique haud secus ac Dæmoniacus in Evangelio non raro in ignem, aut aquam præcipitentur: Huc referre oportet, Epilepticos ejusmodi malis obnoxios fieri, eo quod, urgente paroxysmo, iis notitia omnis, sive providentia adimitur: ac insuper nervis capiti vicinis valide contractis, tota corporis moles in præceps corripitur: Nimirum in syncope, & Apoplexia corporis affecti casus videtur tanquam ædificii ruina, quæ ob fulcimenta ejus substracta contingit: at verò in caduco, non aliter res habet quam si domus à pulvere pyrio explosa subverteretur, quæ ut plurimum extra locum in quo steterat dimovetur.

2. Epilepsiæ symptoma maxime pathognomicum vulgo habetur, si affectis in terram prostratis, & convulsiones horrendas passis, saliva spumosa ex ore effluat; quæ quidem à cerebro constricto in palatum exprimi putatur: Verumenimverò ut concedatur hoc spumæ effluvium sæpenumero caduci signum esse; tamen illud non ita huic morbo appropriatur, quin idem in Apoplexia, in Caro, in affectibus hystericis, alisq; convulsivis interdum accidit: Porrò ejusmodi spuma haudquaquam à cerebro descendit, nullus enim per quem transeat meatus patescit; verum à pulmonibus inflatis, ac usque ad laryngem elevatis, unde velut cum effervescentia quadam, & ebullitione saliva spumescit: urgente enim caduci paroxysmo, cum pleriq; nervi in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonum & diaphragmatis motibus inserviunt spasmos immanes passi, præcordia omnia sursum elevant, eaque in systole diuturna fere immobilia continent; ita nimirum ut pulsus & respiratio vix, ac ne vix perficiantur: interea quia sanguis intra cordis sinus coërcitus ipsum distendit admodum, ac fere opprimit, pulmones utcunque impediti ne more solito & naturali moveantur, quod possunt tamen festinata & spissa agitatione, quoquo modo sanguinem è corde exantlare satagunt; à quo ipsorum nisu, aër humiditatem viscosam crebra respiratione succutiens, ut agitatum ovi albumen in spumam attollit, mox sursum in oris cavitatem elevat, & illinc ulterius foras propellit: quare saliva spumosa etiam in aliis affectibus ubi nervi pneumonici, aut contrahuntur, aut à functione sua obeunda inhibentur non raro succedit.

3. Porrò ob eandem hanc rationem evenit, quod epileptici quidam in terram prostrati, pectora sua manibus gravissime tundunt, & cohiberi se ægre tolerant: nam cum præcordia spasmo affecta & præpedita movere se solito more non possint, sanguisque in iis stagnans, non sine insigni cordis gravamine, vitæ suffocationem minatur; tunc fit ut laborantes, cerebro licet inscio, mero naturæ instinctu, thoracem percutiant; nimirum ut præcordia ita concussa, & velut exagitata, motus suos redintegrent, adeoque sanguis à stagnatione, & cor à gravi oppressione vindicentur; Non absimili ritu hic fieri videtur, ac cum dormientes aut titillati aut pulicum morsu vellicati, illico locum affectum inscii confricant, aut scalpunt.

Quod spectat ad morbi hujus prognosin, eam difficillimæ curationis esse supra innuimus, quæ quidem difficultas in eo consistit, quod cerebri meditullium (in quo spirituum animalium prima scaturigo & fons est) non tantum à causa morbifica, sed insuper ab effectis ejus, nempe singulis paroxysmis plurimum debilitatur, ejusque pori laxantur, ut deinceps materiæ cujusque heterogeneæ incursibus facillime pateant; adeoque ipsa diathesis morbida repetitis paroxysmis confirmata, atque radices altius agens ægrius tollatur. Verumtamen observare est, Epilepsiam interdum sua sponte terminari, item aliquando medicamentorum ope profligari: quorum illud circa pubertatem, & tunc fere tantum contingit; adeò ut qui ista periodo elapsa, h.e. ante 25. ætatis annum minime curantur, vix unquam postea sanitatem recuperent. Nimirum circa pubertatē corpori humano duplex exteratio, atque propterea morbi comitialis, aut alterius cujusvis altius radicati non raro solutio contingit: Nam primo, hoc tempore humor genitalis in vasis sper-

spermaticis congeri incipit; unde sequitur particulas spirituosas, quæque ipsis accrescere solent nitrosulphureas, & morbificas non tantum in cerebrum, sed etiam in testes deponi: quare si heterogenea ista spirituum copula in novum hoc promptuarium uberius inferatur, exinde cerebrum immunius degens diathesin epilepticam aut alias morbidam non raro exerit. 2. Circa pubertatem, prout sanguis aliquid cerebro prius destinatum per arterias spermaticas genitalibus suffundit; sic etiam fermentum quoddam ab iisdem partibus per venas retributum accipit; scilicet particulæ quædam seminali tinctura imbutæ in massam sanguineam regeruntur, quæ ipsam vigorant, ac virtutem novam & vegetiorem inspirant; quare tunc temporis & corporis, & animi dotes se potissimum exerunt, pili erumpunt, vox magis sonora evadit, fœminis catamenia fluunt, aliaque accidentia superveniunt, quibus liquido constat & sanguinem & succum nervosum ζυμωσει quadam recenti impraegnari: quare fermenta, sive seminia morbifica nisi ab hoc novo fermento naturali superantur, deinceps sæpè usque in mortem indomita persistunt.

At verò Epilepsiam aliquando medicamentorum ope sanari experientia testatur: de medendi methodo, & remediorum maxime celebrium rationibus mox disquiremus; interim quod ad morbi hujus prognosin ulterius spectat, si nec circa pubertatem desinit, neque medicamentorum usu profligari potest, diversimodum adhuc eventum in variis ægrotantibus sortitur: nam vel immediate in mortem terminatur, vel in alium morbum, scilicet paralysin, stupiditatem, aut melancholiam plerumque incurabilem commutatur.

Quoad prius, cum paroxysmi crebro repetunt, & qualibet vice atrociores fiunt, functio animalis brevi debilitatur: atque hinc labe in spiritus, & nervos præcordiis inservientes sensim traducta, functio vitalis paulatim enervatur, donec tandem languente toto corpore, pulsuque imminuto, ac demum cessante, postremo flamma vitalis extinguatur.

Quod autem hic morbus non raro in paralysin, melancholiam, aut maniam desinit, ratio est, quia crebris spirituum animalium explosionibus cerebri tonus, & conformatio depravatur, ejusque naturalis status tandem ita pervertitur, ut particulis morbificis etiam alius generis intus admissis spiritus figantur, nec amplius in explosiones justo procliviores sint; quin potius vitio interdum contrario superinducto ipsorum virtus elastica nimium deficit, ita ut supra modum hebetes & torpidi evadant; non secus ac intensiora febris incendia sanguinis intemperies justo frigidior sæpè excipit: atque hæ quidem spirituum depressiones partim propria ipsorum culpa contingunt; quippè particulis agilioribus nimium explosis, segniores tantum supersunt, & deinceps suppeditantur; partim verò uti dicimus, cerebri vitio accidunt: eo quod pori & meatus ejus à crebris caduci paroxysmis usque adeò dilatantur & aperiuntur, ut postea una cum succo nervoso, particulis quibusvis heterogeneis, & diversimode morbificis aditus patescat.

Hæc de Epilepsiæ diagnosi, & prognosi; quibus explicandis necesse erat rationes nonnihil abstrusas, & à communi pathologia diversas inducere: nec minus in morbi hujus Therapeia, à vulgari, inque aliis affectibus trita medendi methodo recedere cogimur: Enimverò dogmaticorum præscriptiones, quibus ferè tantum per cathartica materiam morbificam educere, ac penitus eradicare conantur, in caduco parum, aut nihil prosunt, imò frequenter obesse solent. Novi quosdam insignes Practicos, omissa penitus intentionum Therapeuticarum serie, ad remedia quædam empirica, absque ulla totius provisione se recepisse: hujusmodi praxis, licet interdum feliciter succedat, ea tamen multo certius propositam curationem assequeretur, si per alia itidem pharmaca corpore rite præparato, impedimenta quævis summoverentur.

Quare circa morbi comitialis medelam, indicationes (prout vulgo recensentur) erunt vel curatoriæ, quæ paroxysmum respiciunt, eumque vel ingruentem arcent, vel præsentem citius abigunt: vel prophylacticæ, quæ morbi causam spectant, quam si tollant in posterum accessiones ejus inhibentur.

Quantum ad priorem intentionem, evacuantia generalia vix locum habent; nec enim in paroxysmo vomitus, aut purgatio, atque raro admodum venæsectio adhiberi debent; si ἀναισθησία diutius persistat, enemata interdum usui esse solent; id verò quod potissimum incumbit est spiritus animales nimis efferos & volatiles figere, necnon eorum explosiones inceptas supprimere: in quos fines duo remediorum genera præcipuè conducunt: scil. primo quæ spiritus animales efferari & exilire aptos reprimunt, & velut suffitu quodam iis ingrato repellunt, inque ordines suos cogunt: quod equidem medicamenta sale volatili, & armoniaco, aut etiam sulphure vitriolico prædita efficiunt; cujusmodi sunt sal, & oleum succini, spir. sanguinis, Cornu Cervi, fuliginis, tinctura Castorei, & similia; hæc enim intus sumpta, aut naribus admota, sæpè levamen conferunt, quin & malos hujus morbi spiritus non secus ac apud Tobitum fumus è felle piscis combusto dæmonem abigere creduntur. Secundo spiritus animales ab explosionibus ineundis avocantur, aut inhibentur, cum illi in opera quædam ipsis assueta alliciuntur, & occupati tenentur: quapropter urgente paroxysmo frictiones per totum corpus adhibitæ, & aliquandiu continuatæ sæpè juvant: quod autem nonnulli affectos erigunt, eorum brachia & crura à motu convulsivo penitus cohibent, vel in hoc, vel illo situ constringunt, porrò quod sternutatoria naribus inflant, & cardiaca fortiora ori ingerunt, aut cucurbitulas, & scarificationes adhibent, aliisque administrationum modis caducos asperius tractant, & paroxysmi morem interturbant: hujusmodi inquam praxis sæpissimè perperam instituitur; quoniam hoc modo duplex naturæ molestia, alia nimirum à morbo, aliaque non levior ab astantibus & ministris intentatur; cum longe præstiterat paroxysmo juxta morem suum transire permisso, laborantes unica tantum plaga absolvi.

Profecto maxima Medici cura & remediorum efficacia circa morbi hujus prophylaxin versatur, ut causa ejus sublata, seu radice præcisa, fructus omnes emarcescant: Medicamenta

huic indicationi requisita plures intentiones respiciunt; quæ tamen ad duo hæc præcipua capita reduci possint: scilicet primo ut morbi fomes immediate à sanguine vitioso, aut succo nervoso, atque mediatius à visceribus, primisque viis suppeditatus præcidatur; dein secundo ut mala cerebri & spirituum ejus incolarum diathesis, quæ nempe Epilepsiæ peculiaris est, tollatur.

Quoad prius indicatum, hic vomitoria, & purgantia, aliaque tum evacuantia, tum alterantia, quinimò phlebotomia, & cauteria locum habent; quatenus nimirum hisce modis ac viis & viscerum, & humorum impuritates subducuntur, ac discrasiæ emendantur, quanquam enim hujusmodi pharmaca, & administrationes medicæ per se raro aut nunquam Epilepsiam sanent, attamen hæc impedimenta tollunt, naturam erigunt, atque ad hostem suum aggrediendum incitant, etiam vias præparant ut propterea remedia specifica certius & efficacius virtutes suas exerant; quare solenne est dum morbi hujus cura, per secreta & arcana peragitur, Vere, & Autumno, aliisque idoneis temporibus ejusmodi medicamentorum usus intercalare.

2. Quod spectat ad remedia specifica; quæ quidem sola, licet non semper, Epilepsiæ causam attingere, eamque expugnare perhibentur, cujusmodi sunt Pæonia mas, viscus quercinus, Ruta, Castoreum, ungula Alcis, præparata è cranio humano, succino, corallio cum multis aliis: quandoquidem hæc sine quavis sensibili evacuatione, aut etiam perturbatione in visceribus aut humoribus subsequente assumuntur, mirum est qua ratione formali, aut agendi virtute in hoc morbo uspiam juvare solent.

Super hac re intricata satis & obscura, si quis conjecturæ locus sit, cum Epilepsiæ procatarxin in copula heterogenea spiritibus cerebri incolis accrescente, eosque ad explosiones præternaturales incitante consistere superius asseruimus; sequetur ea quæ talem causam expugnant, aut tollunt, ejus naturæ esse ut cerebrum corroborando, ejusque poros constringendo copulam istam excludant, spiritusque intra cerebri meditullium scatentes eorum copulam exuendo ita figant & quasi constipent, ut non amplius in explosiones irregulares apti & proclives fuerint; simili forsan ritu ac cum pulvis χρυσοκεραύνιος cum sulphure tritus, aut spiritu vitrioli irroratus, virtutem suam fulminantem amittit. Et revera hujusmodi proprietates, nempe alteram, aut simul utramque in plerisque remediis ant-epilepticis suspicari, imò aliquatenus detegere licebit: enimverò pæonia, viscus quercinus, ruta, lilium convallium, cum multis aliis manifesta quadam astrictione pollent; ut verisimile sit eorum particulas intus sumptas, adeoque sanguinis, aut succi nervosi vehiculo ad cerebrum delatas, poros ejus nimis laxos & apertos ita constringere & occludere, ut in posterum materiæ morbificæ aditui minime patescant: porrò quoniam hæc concreta ἀναθυμίασιν, quasi armoniacam, sive dissipativam spirant, idcircò eadem spiritus animales depurare, & copula heterogenea exutos figere, & corroborare dicuntur: hæc virtus spirituum depurativa à sale armoniaco procedens in remediis quæ ex mineralium, & animalium familiis petuntur; qualia sunt cranii humani, sanguinis, succini, & corallii præparata, magis elucescit; sicut alia adstrictiora in vegetabilium partibus & præparatis potior existit.

Non erit hic opus Epilepsia curanda completam medendi methodum, cum exactis præscriptionum formulis proponere, quia apud Authores & generalia præcepta, & elegantissima remedia passim extant, prudensque Medicus tum indicationes, tum uberem istum rei pharmaceuticæ apparatum ad particulares ægrotantium casus facile accommodabit. Verum quia morbi hujus theoriam hoc in loco plane novam exhibemus, etiam methodus Therapeutica eidem adaptata, hic tradi debet: quam equidem mox plenius adumbrabimus: postquam casus aliquot, sive historias Epilepsia laborantium descripsimus.

Puella venusta parentibus mediocriter sanis orta, ipsaque ad pubertatem usque bene valens, sub id tempus de capite male affecto queri cœpit: Et primo per vices quasdam vertiginem juxta synciput, quâ omnia circumagi videbantur perpessa est; simulque dum illud symptoma urgeret, mox delire loqui, & quicquid modo egerat oblivisci solebat: hujusmodi paroxysmi primo intra horæ quadrantem transire, & semel tantum aut bis in mense repetere, quorum intervallis satis rectè habuit: postea insultus sensim graviores facti, etiam sæpius redibant, atque intra sesquiannum, cerebro indies magis labefactato vertiginosus iste affectus plane in Epilepsiam mutabatur, ut ægrotans quovis paroxysmo in terram allisa, ἀναισθησία & convulsionibus horrendis, ore etiam spuma diffluente, afficeretur. Observabant domestici eam semper in idem latus præcipitari, ita ut juxta focum sedens, si angulum dextrum occuparet in medios ignes, sin vero sinistrum, in murum à tergo positum allideretur: semel cum sola in ædibus relicta supra carbones accensos corrueret, facies ei & synciput ita misere concremata sunt, ut cranio, cute & carne denudato, eschara lata & profunda inureretur: & postea exterior tabula ejus ad palmæ magnitudinem decideret. Ægrota interim quamdiu ulcera ab ustione contracta sanie manabant paroxysmis caruit; postquam ea sanabantur caducus rediit: Morbus hic comitialis circa pubertatem primo emicuit, nam puellæ statim ab initio ægritudinis catamenia fluere cœperunt, & postea statas periodos ordinate satis observabant, affectu licet indies in pejus evecto: Varia medicamentorum genera huic ægrotanti adhibita nihil profuere, quoniam ipsius & amicorum ejus mos & studium fuit cum medicum, tum medicinæ methodum, siquidem iis felix eventus non statim successit, subinde mutare, seque ad empiricos quosvis, & agyrtas circumforaneos ut plurimum recipere.

Quod in hoc casu affectus vertiginosus cum brevi delirio Epilepsiæ prænuncius fuerat, plane arguit hujus morbi originem in cerebri meditullio consitam, à spirituum inordinatione quadam pendere: nimirum illi ibidem scatentes, ab initio copulam heterogeneam admittere cœperant; quæ plenius aggesta aut sponte sua, aut occasionibus commota dum excuteretur, ob spiritus perturbatos, necdum verò valde

ex-

explosos, priores istos affectus inducebat: postea cum ab eadem causa sensim in deterius evecta, spirituum perturbationes in ipsorum manifestas explosiones assurgerent, vertigo, & delirium in Epilepsiam migrabant.

Quod vero hæc puella circa pubertatem ægrotare cœperit, hinc plane sequitur uti fermenta naturalia, sic interdum præternaturalia eo tempore sese primo explicare; quare sicut purgationes menstruæ tunc primo erupere, ita morbi comitialis seminia, sive innata, sive acquisititia tunc paululum germinare, & sensim in fructus maturari contigit: cum fermentum præternaturale prius emicuit, non raro naturale succedens ipsum delet, hinc Epilepsia impuberis non raro circa pubertatem terminatur; sin fermentum illud, sive μίασμα νοσερὸν fluxu menstruo posterius, aut cum eo simul in actum emergens non statim succumbit, postea ut plurimum ex se indomitum, & remediis quibusvis insuperabile durante vita perstat.

Ex observatione ista, quod huic ægrotanti cauteria accidentaliter, & casu excitata à morbi insultibus immunitatem præstitere; inferre liceat fontanellas in Epilepsiæ curatione utiliter adhiberi: ubicunque enim pro latice seroso, tum è sanguine, tum succo nervoso constanter educendo, emissarium aperitur, illac plures particulæ heterogeneæ, ac morbificæ una effluunt, propterea ut cerebrum immunius perstet.

Filia Cerevisiarii Oxoniensis à prima infantia catarrho in oculos decumbenti graviter obnoxia fuerat, alias satis sana & robusta, item duris laboribus quotidie assueta degebat; circa 14. ætatis annum paroxysmis epilepticis tentari cœpit, quorum plures juxta majores lunæ τροπὰς præcipuè redeuntes perpessa est: ut curationem ejus moliar rogatus, vomitorium ex præcipitato solari exhibui, & idem triduo ante quævis novi & plenilunia iterandum consului; insuper ut qualibet vice per quatriduum à vomitorio assumpto bis in die caperet pulv. rad. Pæoniæ maris ʒj. cum haustu aq. cerasor. nigr. His remediis paroxysmi tamdiu intermittebant ut morbus sanari videretur. Posthæc cum iterum redibant eorundem medicamentorum usu denuo recuperabatur; & dein fluxu menstruo erumpente, & periodos suas rite observante, in posterum à morbo isto immunis perstitit.

Methodus Therapeutica.

In curatione Epilepsiæ à Catharsi incipiendum esse duco; & si æger vomitionem facile toleraverit, Emeticum imprimis exhibeatur; & per plures menses quatriduo ante plenilunium repetatur. Infantibus, & pueris vinum scilliticum, oleo amygdalarum dul. recenti admixtum, aut etiam sal vitrioli à ℈ß. ad ℈j. exhibeatur: Adultioribus & constitutione robusta præditis sequentes medicamentorum formulæ præscribantur.

♃. Croci metallor. aut Mercurii vitæ gr. iv. ad vi. Mercurii dulcis gr. 16. ad ℈j. simul terantur in marmore, misce cum pulpa pomi cocti, aut conservæ Boraginis ʒj. f. Bolus. Vel exhibeatur infusio croci metallorum, aut Mercurii vitæ in vino Hispanico facta ad ℥ß. ad ℥iß.

Vel ♃. Tartari emetici Mynsicht. gr. iv. ad vi. Qui tenerioris sunt constitutionis sumant salis vitrioli ℈j. ad ʒß. & post horæ s. superbibant plures libras lactis cerevisiati: dein, penna, aut digito gutturi indito, vomitus provocetur, & aliquoties iteretur.

Die sequente vomitorium, nisi aliquid contra indicet, mittatur sanguis è brachio, vel è venis hæmorrhoidalibus hirudinum suctu: dein postridie sumatur medicamentum purgans; quod postea quatriduo ante novilunium constanti vice repetatur.

♃. Resin. Jalap. ℈ß. Mercurii dulc. ℈j. Castorei gr. iij. Conservæ flor. Pæoniæ ʒj. f. Bolus.

♃. Pilul. fœtid. Majorum ℈ij. Resin. Jalap. gr. v. Ammoniaci solut. in aqu. hystericæ q. s. f. Pilul. v.

♃. Fibrar. Hellebor. nigr. in acet. macerat. exiccat. & pulv. ʒß. Zinziberis ℈ß. salis Absinth. gr. xii. Olei succini gutt. ij. f. pulvis. Detur in pulpa pomi cocti.

♃. Pulveris hermodactylor. composit. ʒj. Cranii humani præparat. gr. vi. f. pulvis, detur in haustu decoct. hyssop. aut salviæ.

In diebus quibus à purgatione vacat, præsertim circa lunationum tempora, mane, & vesperi exhibeantur remedia specifica, quæ virtute quadam secreta & innata hunc morbum curare dicuntur: horum immensa extat sylva, eaque variis compositionum formulis præscribuntur.

Medicamenta simplicissima, quæq; experientia valde efficacia fuisse comprobavit, sunt radix Pæoniæ maris, & semina ejusdem.

♃. Rad. Pæoniæ maris siccat. & pulv. ʒj. ad ij. vel iij. detur bis in die in tinctura sequenti.

♃. Folior. visci qu. ʒij. Rad. Pæoniæ incis. ℥ß. Castorei ʒj. Ponantur in vase clauso cum aq. Betonicæ, vel Pæoniæ simpl. & vini albi ana ℔ j. salis visci quercini vel communis ʒ ij. digerantur in vase clauso calore arenæ per duos dies, capiat ℥ iij. cum dosi pulv. præscript.

Pauperes sumant pulverem prædict. in decoct. hyssopi, aut castorei in aq. fontan. & vino albo facto.

Eodem tempore radix Pæoniæ in taleolas discissa, & filo transfixa collo suspendatur. Etiam radices sartagine frixæ, aut ad teneritudinem coctæ, inter esculenta quotidie assumantur.

♃. Rad. & sem. Pæoniæ maris ana ℥ij. Visci qu. ungulæ Alcis ana ʒj. incis. & contus. in sindonem raram insuantur, f. sacculus, qui super ventriculi scrobem gestetur.

Inter specifica hic pulvis à multis Authoribus valde commendatur.

♃. Castorei, Opoponacis, sanguinis Draconis, Antimonii, sem. Pæoniæ ana f. Pulvis, sumatur ʒß. ad ʒj. omni mane cum vino, aut decocto appropriato, aut cum aqua cerasor. nigror.

♃. Cranii humani præparat. ℥j. visci qu. Cinnabaris factitiæ, ungulæ alcis an. ℥ß. misce. Dosis ℈ß. ad ℈j.

Si formula pulveris cuipiam ingrata sit, vel si diuturnior ejus usus tædio fuerit, Electuaria, pilulæ, trochisci, spiritus, & Elixires, quæ singula medicamentis specificis constant, præscribi solent.

♃. Conserv. flor. Pæoniæ maris, Lilior. convallis

vallis ana ℥ iij. sem. & rad. Pæoniæ maris pulv. ana ʒij. Corallii præp. ʒj. Margarit. pulv. Cranii humani præpar. ana ℈ij. salis visci quercini ʒiß. cum s. q. syr. è Coralliis, f. Electuarium; capiat mane & vesperi qu. Nucis Moschat.

♃. Rad. Pæoniæ maris pulv. ℥ j. seminum ejusdem ℥ß. visci qu. ungulæ Alcis, Cranii humani præp. ana ʒij. rad. Angelicæ, contrayervæ, serpentariæ virginianæ ana ʒj. succini albissimi, Corallii calcinat. ana ʒj. salis visci communis ʒ ij. sacchari candi in s. q. aquæ anti-epilepticæ Langii solut. ℥viij. f. confectio, capiat bis in die q. Nucis Moschat.

Pulveres isti addito sale succini, & Cornu Cervi cum s. q. Balsami Capiv. formentur in massam pilularem, cujus sumantur 3. vel 4. pilulæ mane, & vesperi, superbibendo haustum liquoris appropriati.

Vel paretur hujusmodi Elixiris, cujus gutt. 8. ad 10. sumantur bis in die in cochleari Julapii appropriat. superbibendo parum ejusdem.

♃. Vitrioli Hungarici ℔ vj. destillentur in retorta vitrea calore arenæ per horas 24. dein retorta eadem loricata cum recipiente amplo ponatur in furno reverberii, ut spiritus acidi igni fortissimo, quousque exibunt, urgeantur. Liquor totus extillatus in retorta minori vitrea calore arenæ avocetur, & in matracio superaffundatur rad. Pæoniæ maris in taleolas sciss. & exiccat. ℥ iv. sem. ejusdem ℥ j. Cranii humani præpar. Ungul. Alcis, coral. rubr. ana ℥ß. visci qu. ʒij. digeratur leni calore per plures dies ad tincturæ extractionem: liquor decantatus avocetur in retorta vitrea ad tertiæ partis remanentiam; extillatus seorsim asservetur: remanentiæ isti affunde spir. vini rectificatiss. & eorundem ingredientium infusione impregnati parem qu. & digeratur per 6. dies in fimo equino f. Elixir cujus dosis ℈ß. ad ℈j. Liquor extillatus detur à cochleari ß. ad integrum propter easdem intentiones.

Vel paretur oleum ex sale Veneris juxta præscriptum apud Henricum ab Heers, & exhibeatur modo descripto.

Inter remedia specifica quæ (cum superiora non fuerint proficua) etiam tentari debent, habentur ranarum hepata, vesica apri, cum urina exiccata. Rad. Bryoniæ pul. pul. cuculi, corvorum, coagulum, & pulmo leporis, hepar lupi, lapilli hirundinibus exempti, milvi jecur, ova corvorum inter alimenta, & medicamenta quotidie assumenda, cum multis aliis, quorum catalogus insignis apud Henricum à Bra Medicum Zutphaniensem extat, & è quibus præscripta pro pauperibus, utpote facile, & sine magno pretio parabilia desumi poterunt.

Dum hujusmodi remedia juxta methodum prædictam intus sumuntur, administrationes quædam exterius adhibitæ opem contribuunt, & in curationis partem merito asciscuntur; quare semper in hoc morbo fontanella, scilicet una aut altera in locis idoneis excitentur, etiam vesicatoria sæpius adhibeantur.

Periapta collo suspensa, aut super ventriculi scrobem gestata, usui esse putantur: radices Pæoniæ recentes in taleolas scissæ, & filo transfixæ in bracteolas formentur quæ toti collo circumdentur; quamprimum exaruerint substituantur novæ, illæque in pulverem intus sumendum redigantur.

♃. Rad. & sem. Pæoniæ ana ʒij. ungulæ Alcis, cranii humani præpar. ana ʒj. visci qu. ʒß. grosse pulv. in sericum rubrum insuantur & f. sacculus collo suspendendus.

Amuletum ex frutice sambuci in salice inventi valde commendatur.

Convenit nonnullis capillitio deraso Emplastrum sincipiti applicari.

♃. Rad. & sem. Pæoniæ, Castorei, visci quercini, cranii humani tenuissime pulv. ana ʒj. Emplastri de betonica ℥ ij. carannæ, Tacamahaccæ ana ʒ ij. Balsami Capiv. q. s. f. massa, extendatur super alutam. f. Emplastrum pro suturis capitis.

Tempora & nares sæpius inungantur oleo succini per se, vel cum oleo *Capiv.* admixto.

Sternutatoria, & Apophlegmatismi horis matutinis quotidiano sint in usu.

♃. Ellebori albi ʒj. Castorei, Euphorbii ana ʒß. Majoranæ odorat. fol. Rut. ana ʒij. f. pulv. Decoct. salviæ vel hyssopi cum confectione sinapeos in eo solut. ore, & gutture obvolvatur.

Enemata juxta usus exigentiam quandoque injiciantur.

Quandoquidem medicamenta solidiora liquidis interdum dilui, aut hæc illis superbibi debent, in hanc rem præsto sint Aquæ destillatæ, Julapia, decocta, aut tincturæ, quæ virtute quadam contra hunc morbum specifica prædita sunt.

♃. Vitrioli Hungarici ℔ iv. cranii humani recentis pulv. ℥ iv. Rad. Pæoniæ incis. ℥vj. simul contusis in mortario affunde vini Hispanici, vel albi tenuioris, vel vini è succo Cerasorum nigrorum in dolio fermentato ℔ij. destillentur in retorta vitrea calore arenæ.

♃. Rasuræ ligni Buxi, Vitrioli Hungarici ana ℔ ij. Folior. visci qu. vel communis M. iij. Folior. Rutæ M. ij. simul contusis affunde vini Hispani ℔ iv. Destillentur in cucurbita vitrea calore arenæ.

♃. Vitrioli com. ℔ vj. rad. Pæoniæ maris ℥vj. visci qu. ℥j. Juglandum viridium ℥viij. incis. & contus. destillentur in olla vitreata, alembico vitreo superimposito in calore arenæ.

♃. Hujus liquoris ℔j. Aqu. Cerasor. nigr. flor. Tiliæ ana ℔ß. sacchari albissimi ℥iv. misce, f. Julapium: dosis ℥ ij. ad iij. bis vel ter in die.

Oxymel scilliticum, item hydromel cum hyssopo incocto ab antiquis plurimum laudantur. Vel hujusmodi Apozema paretur cujus sumantur ℥ iv. ad vi. vel viii. bis in die.

♃. Rad. Pæoniæ maris, Angelicæ, Imperatoriæ, Valerianæ ana ʒ vj. folior. Betonicæ, Salviæ, Lilii convallis, pulegii ana M. j. Sem. Rut. Nigellæ ana ʒ iij. Pæoniæ ℥ß. Passular. ℥ iij. Liquiritiæ ℥ß. incis. & contus. coquantur in aqua fontan. ℔ vj. ad tertiæ partis consumptionem. Circa finem adde vini Cerasor. nigror. ℔ß. vel ℥x. f. colatura, quæ servetur in vasis occlusis. Dosis ℥ vi. ad viii. bis in die post remedia superius præscripta.

Vel prædicta ingredientia exceptis liquiritia, & passulis coquantur in hydromelitis ℔ vi. ad consumptionem tertiæ partis: dosis ℥ iv. ad vj.

Quod si prædicta methodus, catharticor. & specificor. usu constans, aliquandiu tentata prorsus incassum cedit, ad alius generis remedia,

dia, & præsertim ad ista quæ magna dicuntur, devenire oportebit: In hoc censu diaphoretica, salivantia, Thermæ, & Acidulæ ponuntur.

Alphonsus Ferrius plurimos epilepticos, simplici Guajaci decocto bis in die ad ℥vi. vel viii. præscripto, ejusque decocto secundario, vice potus ordinarii (prout in lue venerea assolet) assumpto, se curasse affirmat si tali decocto rad. Pæoniæ aliaque specifica addantur forsan efficacior fuerit. Probabile videtur salivationem à Mercurio potenter excitatam, succedente postea diæta sudorifera, hunc morbum certissime esse curaturam. Quid Thermæ aut acidulæ possint, aut propria aut aliorum experientia, mihi nondum innotuit. Experiar forsan aliquando quid acidulæ nostræ artificiales, scilicet tum ferro, tum Antimonio imprægnatæ per plures dies in magna quantitate assumptæ, circa Epilepsiæ curationem valebunt.

Post Epilepsiam, velut principem Spasmum in principe loco, scilicet intra cerebri meditullia excitatum, cæteræ Convulsionum species ordine pertractandæ occurrunt. Harum differentiæ à duplici causarum genere & variis utriusque modis, & accidentibus optime desumuntur. Supra ostendimus affectiones quascunque spasmodicas vel à mera spirituum irritatione, vel ab eorum, propter copulæ elasticæ adhæsum, explosione, vel simul ab utroque conjunctim profluere: Quapropter multiplices spasmorum ideæ distingui, ac in classes quasdam distribui possint, prout hanc illamve, aut simul utramque causam in variis τ͂ ἐγκεφάλου vel appendicis nervosæ locis consistere contingit. Enimvero materies spasmodica, sive spirituum copula explosiva potissimum, ac sæpius per cerebrum, interdum verò & aliquatenus per nervorum extremitates aditum inveniens, aut circa nervorum origines, aut medios processus, aut fines extimos subsistit, vel in totis eorum ductibus scaturit, prout inferius speciatim declarabitur: porrò irritatio per se, vel cum procatarxi prævia convulsiones ciens, licet ubivis in nervoso genere fiat: præcipuè tamen, ac frequentius talem effectum circa nervorum principia, medios processus, & plexus, aut fines producit. Cæterùm ejusdem generis causa, & effectus alio ritu in infantibus, ac pueris, alioque in adolescentibus & adultioribus habent. Cum itaque singulas convulsionum species particulatim considerare statutum fuerit, imprimis de motibus Convulsivis infantum ac puerorum disseremus.

Infantes, & pueros affectibus spasmodicis tentari passim, & tam frequenter accidit, ut hæc præcipua, & ferè unica convulsionum species statuatur; nam ejusmodi symptomata in adultis aliis insigniuntur nominibus, atque ad Epilepsiam, passiones hystericam, hypochondriacam, colicam aut etiam ad scorbutum referri solent; in pueris verò quasi κατ' ἐξοχὴν motus convulsivi appellantur.

Super his observare est, circa duo potissimum tempora pueros convulsionibus maxime obnoxios reperiri, scilicet intra primum à partu mensem, & circa dentium eruptiones: Quanquam hujus morbi insultus etiam aliis temporibus, & quibusdam aliis de causis non raro eveniant.

Primo igitur sæpenumero accidit infantulos recens natos, aut saltem nondum bimestres, crebra vice spasmis in diversis partibus excitatis affici. Quippè oculorum inversiones, genarum, & labiorum distortiones, aut tremores, quinimò tendinum contractiones, membrorum, & non raro totius corporis subsultus, & concussiones subitæ eos infestant; eundemque affectum etiam præcordia nonnunquam afficere hinc sat plane liquet, quod dum spasmi artus & membra exteriora occupant, etiam à sanguine in corde, & pulmonibus una contractis stagnante, facies modo pallorem, modo livorem contrahit. Cum itaque in pueris spasmi tres corporis regiones infestare soleant; nempe capitis & faciei partes, membra, & artus exteriores, atque præcordia & viscera; observamus modo has, modo illas, modo binas, aut simul omnes regiones à causa morbifica occupari, nempe prout eadem aut circa nervorum origines aut extremitates defigitur; & cum prius horum accidit, prout medullæ oblongatæ pars superior, media, aut infima spinalis, scilicet unica aut plures simul à causa morbifica impetuntur.

Quod verò spectat ad cæteras hujus affectus causas, nempe procatarcticas, & evidentes; quæ prioris generis sunt, in his duobus præcipuè consistunt primò quod infantibus πάντα τ͂ ἐγκεφάλου valde sint imbecillia, & viscosa humiditate scateant; nempe cerebrum minus firmum, atque nervorum tonus valde laxus, ne leviores quidem cujusvis materiæ impetus sustinere possint, quin spiritus eorum incolæ, etiam à proprio, quo istæ partes irrigantur, liquore, paululum modò immoderatior affluxerit, aut saltem copiosior quam pro tantilli roboris modulo, facilè in motus irregulares, sive spasmos incitantur. Attamen secundo quoniam observatione constat, puerulos nec solos, nec omnes qui tenuioris sunt constitutionis in hunc morbum proclives reperiri; idcircò pro potiore procatarxeos morbidæ ratione haberi debet, quod infantibus quibusdam, propter mala ab utero contracta, & sanguis, & succus nervosus originaliter vitiosi existunt: quippè recens natis massa sanguinea per plures retro menses eventilatione carens impurior evadit; quapropter plerisque infantibus brevi à partu efflorescentiæ latæ, & rubicundæ morbillorum instar per totam cutem erumpunt; cujusmodi ἐξάνθησις si impeditur, aut reprimitur, sæpenumero aphthæ periculosæ circa oris partes succedunt. Hinc merito suspicamur tales sanguinis impuritates quandoque in cerebrum & nervosum genus, utpote debiliora suffundi, & propterea spasmodicas affectiones oriri; nempe dum sanguis ab utero vitiosus existens depurare se satagit, fæculentias suas, efflorescentia in cutem facta exterminari solitas, in caput transfert: quare latex modo tenuis & serosus, modo crassior & viscidus, ac uterque salium & sulphurum præternaturalium particeps intra hos, aut illos cerebri, cerebelli, atque medullæ oblongatæ recessus, & cavitates deponuntur; cujusmodi recrementa cum nervi hujus aut illius, ac interdum una plurium origines, aut caudices obsident, spiritibus eorum incolis particulas heterogeneas, atque in explosiones spasmodicas aptas

aptas affigunt. Quamprimum enim nervi tales particulas altius imbiberunt, spiritus eorum copula onusti, aut sponte sua, aut à causis evidentibus incitati, eam elidere, & excutere satagunt: proindeque explosiones spasmodicas ineunt.

Causæ evidentes, quæ in puerulis prædispositis motus convulsivos inferunt, sunt bini generis, scil. primo quæcumque sanguinis effervescentias solito majores cient, uti sunt frigoris & caloris excessus, nutritio uberior, aut justo calidior; aëris, ac auræ mutationes, ac imprimis lunationum periodi: etenim propter has, aliasque similes occasiones sanguis plus debito effervescens copulam heterogeneam spiritibus usque ad plenitudinem citius affigit; utque ab ipsis perturbatis è vestigio elidatur & explodatur, efficit. Secundò, irritatio ferè in qualibet systematis nervosi parte dispositionem spasmodicam non raro in actum deducit: quare non modo qualitatum tangibilium excessus exterius inflicti, verum & lac in ventriculo coagulatum, bilis, aliique humores acres, aut etiam vermes intestina vellicantes spasmos excitare solent: porrò hujusmodi causæ evidentes, siquidem fortiores sint, aliquando per se, absque diathesi prævia, affectus spasmodicos inducunt; quippe lumbrici, forte & acres humores puerulis quibusvis, saltem tenerioribus motus convulsivos inferunt.

Quo certius atque ad sensum pateret cujusmodi in motibus convulsivis sit materies morbifica, plurium quos hic morbus oppressit, defunctorum cadavera aperui: causam intra coctionis viscera & primas vias semper frustra quæsivi. Multorum capitibus latex serosus intra cavitatem cerebello subjectam congestus, & membranam, qua medulla oblongata investitur distendens, nervorum origines inundabat: in quibusdam nulla hujus morbi vestigia apparebant; adeò quod spiritibus accrescens, eos ad explosiones irritat: interdum imperceptibili prorsus constat mole, & originem tam occultam habet, ut vel perspicacissimum visus scrutinium omnino lateat. Olim in hac urbe cujusdam mulieris nati plures ex hoc morbo interierunt; tandem fœtus quarti intra mensem, uti priores, interempti caput dissecuimus; nulla hic serosa colluvies ventriculos inundabat, sed cerebri tantum, ejusque appendicis substantia erat justo humidior, & laxior: quod potissimum observatu dignum erat, in cavitate quæ cerebello subjicitur, supra medullæ oblongatæ caudicem, sanguinis grumosi, & velut concreti copiam insignem reperiebamus: at verò incertum est utrum materies isthæc ibidem ab initio deposita spasmos primario intulerat; an potius sanguis iste à partium circumcirca consitarum contractione expressus, & extravasatus, convulsionum effectus, & productum, ac minimè istarum causa fuerit. Nam & in Apoplecticis ejusmodi Phænomenon passim occurrit: quod tamen morbi effectum potius quam causam esse posthæc ostendemus.

Profectò quod particulæ heterogeneæ, quæ sanguini ab utero innatæ, in plerisque pueris per ἐξάνθησιν in toto corpore cutaneam amandari solent, in aliis capiti suffusæ, affectionis spasmodicæ causa materialis existunt, præter rationes superius citatas, etiam à remediis maximè juvantibus inferre licet: quippe in puerulis hæreditario huic morbo obnoxiis, insultus convulsivi optimè præcaventur, si mox à partu fontanella in nucha excitetur, & sanguis hirudinum suctu è venis jugularibus detrahatur; illâ namque succi nervosi corruptelæ subducuntur, atque hoc cruoris efflorescentiæ impuræ à capite avocantur: hisce administrationum modis, cum prius duo aut tres ejusdem parentis nati brevi post partum convulsivi interiissent fœtus, omnes alii ab eodem malo liberabantur.

2. Hæc de puerorum motibus convulsivis, qui mox à partu, propter labem ab utero contractam eos infestare solent. Quod si hac vice aut ipsum morbum, aut saltem mortiferas ejus plagas evaserint; nihilominus circa dentitionis tempora eidem periculo denuo obnoxii reperiuntur: quando enim dentes, præsertim majores, è gingivis erupturi sunt, sæpe febris excitatur, cui non raro motus convulsivi adjunguntur. Et licet hoc tempore infantes viribus plus valeant, eoque morbi insultus melius quam recens nati tolerent; attamen affectiones spasmodicæ etiam nunc, nec graviore aliqua occasione excitatæ valde periculosæ, ac interdum lethales existunt.

Quandoquidem autem pueri qui circa dentitionem febricitant, non omnes motibus convulsivis tentantur; ideò sequitur hujus morbi dispositionem quandam, sive innatam, sive acquisitam præcedere, atque dolorem à dentitione illatum tantum causæ evidentis fortioris rationem habere; scil. pueri, quibus aut cacochymicis, aut cerebri & nervosi generis constitutione debiliori præditis, spiritus animales, vel adulterati, vel dissipabiles nimis existunt, in affectiones spasmodicas quandoque ineundas disponuntur: quare cum dolor admodum acutus una cum febre urget, dispositio ista latens in actum ducitur.

Si hic inquiratur, qua ratione febris, & dein qua motus convulsivi in prædispositis dentitioni superveniunt; dicendum erit quod uterque affectus ad dolorem velut causam immediatam referri debet: In nobis ipsis experimur quis sit cruciatus qui irritationem circa dentium radices sequitur; revera tantus & tam atrox, ut excitari vix possit atrocior; quippè nervorum quinti paris unâ aut altera insignis propago ad cujusque dentis radicem pertingit, quæ cum à sanguinis, aliorumve humorum particulis acribus illic congestis vellicatur, corrugatione sua acerrimum molestiæ sensum, sive dolorem infert. Istiusmodi autem hujus nervi vellicatio in pueris dentientibus ideò contingit, quia dentibus jam in majorem molem crescentibus, & adhuc intra gingivas vixdum cavatas inclusis, membranæ & fibræ quaquaversus distenduntur: hinc sanguis in circuitu præpeditus tumorem infert, adeoque nervos comprimit, quin & acriores seri particulas iis suffundit, quibus illi insigniter vellicati corrugationibus, & spasmis dolorificis torquentur.

Cum itaque pueris dolores ita atroces à dentitione contingunt, nihil mirum est si febres, ac etiam motus convulsivi interdum succedant: prior horum accidit & quatenus sanguis circa partem dolentem, ne solito atque æquabili cursu

su circuletur impeditus, propterea in toto corpore inordinatius movetur; & insuper quia spasmis alicubi in nervoso genere excitatis, nervi corrugati & contracti arterias comprimunt & convellunt, proindeque in sanguine fluctuationes irregulares & febriles concitant. Cæterùm motus convulsivi dentitioni aliquando superveniunt, tum quia sanguis effervescens, particulas heterogeneas regimini animali suffundit, adeoque spiritus in explosiones ciet; tum præterea cum dolor iste acutus, & velut lancinatio dentes erupturos sequuta sensum valde molestum ac irritativum à partibus affectis τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ communicet, exinde statim per eosdem nervos, vel alios affines excandescentiæ motus (qui ob dispositionem præviam non raro convulsivus evadit) retorquetur.

Præter has binas (quæ in pueris præcipuæ, & crebriores esse solent) motuum convulsivorum occasiones, scilicet prima infantiæ, & dentitionis tempora; affectus iste etiam aliis temporibus, & propter alias causas sæpenumero excitatur: In quibus enim dispositionis spasmodicæ seminia jaciuntur, illa interdum aut statim à partu se explicant, ac in morbidos fructus maturantur, sed aliquandiu latitantia dentitionem modo præveniunt, modo eam è longinquo sequuntur; & propter causas evidentes alias, scil. vel internas, vel externas, cujusmodi sunt nutrix invaletudinaria, aut prægnans, lac in ventriculo coagulatum, aut in putrilaginem acidam, aut amaram degenerans, intemperies febrilis, capitis, aliarumque partium ulcera, aut exanthemata subito evanescentia, aëris mutationes, solis, ac lunæ συζυγία aut aspectus oppositi, & similia, tandem incerto eventu in actum erumpunt. Super his non opus est ut particulatim disseramus.

Cum viri cujusdam in hac vicinia degentis, nati omnes intra trimestre spatium convulsi interierint; tandem ad præcavendum in puerulo recens edito ejusmodi fatalem eventum, remedia expetuntur: Post aliquot à partu dies accersitus, consulo ut imprimis fontanella in nucha excitetur; dein postridie ut hirudine utriusque lateris venæ jugulari applicata, sanguis ad ℥ ij. extrahatur; insuper ut juxta singulas solis & lunæ συζυγίας & aspectus oppositos, per tres dies mane, & vesperi pulveris sequentis circiter gr. v. exhiberentur è cochleari Julepii.

♃. Cranii humani præparat. rad. Pæoniæ maris, ana ʒj. Margar. pulv. ʒß. sacchari albissimi ʒj. misce, f. pulvis subtilissimus.

♃. Aq. Ceras. nigror. ℥ iij. anti-epilepticæ Langii ℥j. syrup. de floribus Pæoniæ maris ʒ vj. misce; item præcepi ut nutrix iisdem temporibus medicis sumeret haustum seri lactis, cui sem. & rad. Pæoniæ maris & fol. Lilii convallis incocta sunt. Infans per quatuor circiter menses bene valebat, tunc vero affectibus convulsivis tentari cœpit: quo tempore iisdem remediis in dosi majori tum infanti, tum nutrici adhibitis, vesicatoria etiam pone aures applicabantur, & hirudinum suctu sanguis ex utraque vena jugulari fuit detractus: Intra duos, vel tres dies puer convaluit: postea cum intra 4. vel 5. menses spasmi aliquoties redirent, eorundem usque remediorum usu sanabatur. Post sesquiannum affectiones convulsivæ penitus cessabant: attamen circa infimam spinæ dorsi partem tumor indolens succrevit, a quo vertebrarum distortio quædam, atque crurum imbecillitas, & demum paralysis inducebantur. Videtur in hoc casu, quod materies spasmodica primo cerebrum, & nervorum principia impetere solita, ultimo spinalem medullam subiens, inque extremitatem ejus detrusa nervorum appendicum capita omnino obstrueret, atque spiritibus transitum præcluserat: nimirum quia particulis explosivis aliæ narcoticæ & crassiores sese adjunxerant.

Methodus Therapeutica contra affectiones Convulsivas in pueris.

In pueris ac infantibus passiones spasmodicas, aut imminentes præcavere, aut jamjam exorsas curare incumbit.

Nam si ejusdem parentis nati priores Convulsionibus obnoxii fuerunt, malum illud cæteris post natis tempestivo remediorum usu præveniri debet: in hunc finem solenne est fœtui recens edito, quamprimum spirare incipit, medicamentum aliquod ἀντισπασμῶδες ori ingerere: hinc nonnulli guttas quasdam mellis purissimi, alii cochleare vini canarini sacchara imbuti, quin & alii oleum amygdalar. dul. recens extractum exhibere solent; a quibusdam olei succini gutta 1. aut aquæ epilepticæ semicochleare infunditur.

Præter hæc prima infantum libamina, quæ certè nullius non momenti esse videntur, alia quædam remedia, & administrationum modi in usum asscisci debent: scil. bis in die propinetur cochlear 1. liquoris huic affectui appropriati. e. g.

♃. Aqu. Cerasor. nigror. Rutæ, ana ℥ i ß. Anti epilepticæ Langii ℥j. syr. è Coralliis ʒ vj. Magar. præpar. gr. xv. misce in phiala. Die tertio aut quarto post partum excitetur fontanella in nucha, dein si vultus sit floridi, parum sanguinis ad ℥ i ß. vel ij. è venis jugularibus hirudinum suctu extrahatur, cavendo ne inter dormiendum sanguis copiose nimis effluat; tempora, & cervix blande fricentur tali linimento.

♃. Olei Nucis Moschat. per expressionem ʒij. Capivii ʒiij. succini ℈j. Periaptum ex radicibus, & seminibus Pæoniæ maris, addito parum ungulæ alcis collo suspendatur.

Porro medicamenta antispasmodica nutrici quotidie exhibeantur: sumat mane, & vesperi haustum seri lactis, cui rad. & sem. Pæoniæ maris & sem. fœnicul. dul. incocta sunt.

♃. Conserv. flor. Betonicæ, Pæoniæ maris, Anthos, ana ℥ij. pulv. rad. & flor. Pæoniæ maris ana ʒ ij. Corallii rubri præparat. succini albissimi, ana ʒj. rad. Angelicæ, Zedoariæ præparat. ana ʒß. cum s. q. syrupi de Pæonia f. Electuarium: capiat q. Nucis Moschatæ mane & vesperi.

♃. Pulveris rad. Pæoniæ maris ʒij. sem. ejusdem ʒj. f. Pulvis, sacchari albissimi solut. in aq. florum Tiliæ & ad tabulat. cocti ℥ iij. Olei succini ℈j. f. s. artem Tabulæ, singulæ pendant ʒ ß. Comedat 1. hora qualibet sexta. Illa etiam exacta victus ratione utatur.

Quod si infans quispiam Convulsionibus actu afficitur, quia fontanella minus, & tardius operatur,

ratur, vesicatorium in nucha, aut pone utramque aurem applicari expedit, & nisi temperamentum frigidius obstat, sanguis hirudinum suctu venis jugularibus extrahatur: Linimenta circa tempora, nares, & cervicem, item plantis pedum emplastra admoveantur; enemata quæ alvum copiose subducunt quotidie injiciantur: Porrò sæpius in die, nempe sexta aut octava qualibet hora, remedia specifica intus sumantur.

♃. Olei Capivii, Castorei, una ℥ ij. succini ℨß. f. linimentum.

♃. Emplastri Oxycrocci p. ij. Galbani solut. p. j. Olei succini ℈j. f. Emplastrum pro plantis pedum. Pulvis de gutteta juxta descriptionem Riverii exhibeatur bis vel quater in die.

♃. Cranii humani præparat. sem. Pæoniæ, ungulæ Alcis, Margarit. præpar. ana ℨß. Ambræ griseæ gr. vj. f. Pulvis. Dosis gr. vj. in cochleari liquoris infrascripti, ter aut quater in die.

Vel ♃. Cranii humani præparat. Margarit. ana ℨß. salis succini ℈j. sacchari perlati ℨj. Dosis ℈ß.

Vel ♃. Spir. Cornu Cervi gutt. iij. detur sexta vel octava qualibet hora in cochleari julepii infra præscript.

Pauperum natis exhibeatur pulv. radicis Valerianæ sylvestris ℈ß. ad ℈j. detur bis in die in cochleari lactis, vel liquoris appropriati.

Untzeaus valde commendat fel catelli lactantis, nempe ut totus succus cysti fellea exemptus puerulo cum pauxillo aquæ florum Tiliæ propinetur.

Nuper mihi retulit Medicus Eruditus se novisse plures hoc remedio curatos: Porrò solent empirici pueris majoribus, post fel epotum, etiam catelli hepar assatum comedendum tradere.

Julepia, aquæ destillatæ, aliique liquores appropri.ti juxta præscripta sequentia parari possunt.

♃. Aq. Cerasor. nigror. ℥ iij. Anti-epilepticæ Langii ℥j. sacchari perlati ℨ ij. misce.

♃. Rad. Pæoniæ maris recent. in taleolas scissarum ℥ vj. Vitrioli Hungarici ℥ viii. Cranii humani ℥ij. Aqu. Anti-epilepticæ Langii ℔ß. Misce, & destillentur in retorta vitrea calore arenæ. Dosis cochlear j. ad ij.

♃. Rad. Pæoniæ maris recent. incis. ℥ iv. contusis in mortario marmoreo affunde vini Hispanici ℔ j. f. expressio fortis, adde manus Christi perlatæ ℥ß. servetur in vitro occluso. Dosis cochlear. j. vel ij. bis in die.

Cum ob dentitionem difficilem motus convulsivi eveniunt, symptomata hoc quemadmodum secundarium & minus periculosum existit, ita in Therapeia non semper primam aut præcipuam exigit medendi operam, sed nonnunquam de dolore sedando, & intemperie febrili summovenda potius solliciti sumus; quare & patiens, & nutrix victu tenui & refrigerante uti debent: dentibus erupturis gingivarum aut frictione, aut sectione exitus patefiat, quin & partibus istis intumefactis & dolentibus anodyna applicentur: Enemata, & sanguinis detractio non raro hic locum habent: somnum conciliare, & sanguinis ferociam attemperare decet: interim remedia Antispasmodica usurpentur, verum temperatiora, & quæ sanguinem, & humores minus exagitant: vesicatoria, quia serum in caput nimis suffundi aptum evacuant, sæpe juvamen conferunt.

Quando pueri nec statim à partu, neque ob dentes erupturos, sed propter alias occasiones, & accidentia motibus Convulsivis tentantur; talis affectionis causa ut plurimum vel in capite, vel alicubi circa coctionis viscera subsistit. Quando prioris suspicio habetur, uti liquere solet à signis quæ colluviem serosam intra ἐγκέφαλον nimis congestam arguunt, remedia superius citata in paulo majori dosi exhiberi debent; insuper in istis qui catharsin bene ferunt, interdum vomitus, & levis purgatio instituantur: vinum & oxymel scilliticum, item Mercurius dulcis, Rhabarbarum, & resina Jalap. egregii sunt usus.

Quoties affectionis spasmodicæ causa in visceribus subesse videtur, aut lumbrici, aut acres humores ventris tormina cientes in vitio deprehenduntur.

Contra Lumbricos purgatio ex Rhabarbaro, aut Mercurio dulci, addita resina Jalappæ instituitur. Olim puero convulsionibus miserrime affecto, ut jamjam moribundus videretur, dosin Mercurii dulcis cum resina Jalappæ exhibui; cum alvi dejectionibus, quas 4. habuit, lumbricos 12. excrevit, & derepente convaluit.

♃. Rad. Serpentariæ virginianæ pulv. ℨ j. Corallii ad albedinem calcinati ℨß. f. Pulvis, dosis ℈ß. ad ℈j. bis in die per tres dies continuos, superbibendo decoctum rad. graminis.

♃. Specier. Hieræ ℨiß. Theriacæ Venet. ℨij. f. Emplastrum pro abdomine, vel Emplastrum ex Galbano applicetur umbilico.

Si motus convulsivos à ventriculi, & intestinorum irritatione per acres humores facta, procedere suspicamur, lenis catharsis, aut vomitu, aut secessu, aut successive utroque institui debet. In hunc finem blanda emetica ex vino scillitico, aut sale vitrioli propinentur; si quando scilicet laborantes vomendi nixu sponte tentantur: sin evacuatio potius κάτω tentanda videbitur, Rhabarbari infusio, aut pulvis, syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro, aut rosarum cum agarico propinari debent: & non raro hisce remediis tempestive adhibitis, affectionem convulsivam in pueris sanatam vidi: Porrò in hoc casu enemata sint crebri usus: Cæterùm non omittantur medicamenta externa, scilicet fotus, linimenta, aut emplastra abdomini applicanda.

♃. Folior. Camomillæ minutim incis. M. ij. includantur duobus sacculis è lino tenui aut serico confectis, qui lacti calido intincti & expressi abdomini successive applicentur.

♃. Summitates, aut flor. malvæ pariter incis. incoquantur butyro recenti, vel sevo porcino, & sub forma linimenti aut cataplasmatis ventri applicentur.

Hæc, fusè, ingeniosè ac doctè *Clarissimus Willisius*: Quibus subnectimus vim illam explosivam in spiritus animales cerebri incolas, à particulis efferis undecunque demum advenientibus inductam, quam pro causâ Epilepsiæ proximâ habet, non ita omnibus arridere, quin contra eum hac in parte vehementer insurgat Doctissimus ac Politissimus Meniotius, dum Dissertatione sua Pathologicâ de Epilepsia sic habet. Scripsit nuperrimè Medicus κɛινολογίας studio-

studiosissimus, cornicumque oculos, ut in proverbio est, nitens configere, epilepsiam oriri spiritibus animalibus ad instar ignescentis pulveris pyrii intra cerebrum à materia nitrosulphurea subitò rarefactis, indeque in systema nervosum effrænatè ac inordinatè explosis, à quibus tensi musculi involuntariè contrahuntur. Sed novum istud opinionis commentum refellere perfacilè est; nam musculos usque adeò tensos, etiam potiori jure, quàm in palpitationibus sensibiliter dilatari necesse esset, qui tamen nullatenus videntur intumescere. Deinde in febribus ardentissimis, ac potissimum in mania & phrenitide, spiritus animales flammescunt & quantum ferre potest eorum natura, rarescunt citra epilepsiam; sicque patet nullam spiritibus animalibus cum tormentario pulvere accenso similitudinem intercedere, nec præcipitem comitialium casum ritè ædificio comparari, quod substrati pyrii pulveris ignitione non diruitur modò, verùm etiam extra locum in quo steterat, dimovetur; corruentes enim epileptici partes quidem variè ac violenter jactant, sed in alium locum toto corpore non prosiliunt, nec instar crepitantis tubuli catapultarii huc illucq; saltitant. Hæc Meniotius, cujus rationes quàm solidæ sint, penes lectorem judicium relinquimus.

Remedia quod attinet antepileptica sequentia suadet Clar. Dan. Ludovici. Qui pulveris nostri bezoardici albi, succini albi præparati, cinnabarisque nativæ selectioris ana miscuerit & adultis quidem ad ℈ß. infantibus autem anniculis, ad gr. iij. iv. vj. natu minoribus dimidium horum, curativè repetendoque dederit, ac pro indicantium ratione (præmissis aut interpositis emeticis aut laxativis) modò volatilia urinosa (spiritum C.C. Armoniaci simpl. &c.) modò essentiam succini; camphoræ, castorei, tincturam corallior. antimon. &c. modo præcipitantia alia, imprimis ligantia illa ex Opio circumspectè superaddiderit, multum utique proficiet. Lactantibus autem non solùm hic, verùm etiam in reliquis inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhæis &c. admodum confert pulvis antepilepticus anodynus, è pulveris bezoardici albi nostri ʒ vi. succin. alb. præp. ʒiij. cinnabar. nativ. ℈iv. & laudan. opiat. nostri ℈ j. exactâ misturâ compositus, trimestrique ad gr. j. &c. exhibitus. Bezoardicum autem suum parat, dum à mercurio vitæ communi sextuplum boni spiritus nitri per arenam ad siccitatem perfectam abstrahit; pulvere residuô (citra consueta hic cohobia, ulterioresve ignitiones, ac citra nimias grati ac innocentis acoris elutriationes) sat validô atque securô. Si nitri spirit. levior sit, oportet addere nitri crudi an. ad mercurii vitæ pondus. De cætero compendiosiùs adhuc cum croco metallorum similiter proceditur, si pariter boni spiritus nitri sextuplum ad siccitatem inde abstrahatur. Pulvis hinc elegans priori ponderosior, securissimus & eximiè diaphoreticus est. Elegantiorem adhuc habebit qui sulphur antimonii auratum simili sextupli abstractione in albissimum pulverem fixârit. Laudanum verò ita paratur.

℞. Extract. opii part. 2. extract. croci & cinnabar. nativ. aut saltem corallior. an. part. 1. *Hactenus Ludovici.* Medicus quidam apud nostros olim celebris præmissis universalibus cochinellæ pulveratæ grana iv. ex aquis appropriatis, per tres ultimos lunæ dies manè jejunô ventriculô epilepticis exhibebat, hocque simplici medicamento plures à sævissimô morbô liberabat. Sequens vinum ab eodem etiam commendabatur.

℞. Sem. pœon. mar. ℥ iij. rad. enulæ ℥ i ß. fol. sabin. rutæ, hyssopi, salviæ min. flor. calth. in medio nigræ, major. abrotan. aneth. nepethæ, rorismar. pedis leonis, baccar. juniper. an. m ß. Theriacæ, Mithridatii an. ℥ ij. pyrethr. ℥ j. Bulliant omnia, exceptis electuariis, in vini albi generosi ℔ xii. in vase fictili novô, probè lutatô, ad consumtionem duarum tertiarum. Tum colentur, & in colaturâ dissolve electuaria. Dos. ad ℥ iij. vel iv. pro ratione virium. Ambulet æger post assumptum hoc vinum, spiritum subinde contineat, & aures obturet cotone hoc decoctô imbutô, nec comedat aut bibat, nisi post duas aut tres horas. Decoctum hoc per novem dies continuos manè sumi debet, ubi morbus non est inveteratus. At si ante decem annos incepit, continuare oportet per dies quadraginta, interpositis purgantibus, ex hellebori nigri, & pœoniæ extractis, paratis.

Continuò jam pergeremus ad Curationes epilepsiæ è variis Autoribus tradendas, sed in illius absolutiorem cognitionem & explicationem adducenda priùs veniunt, quæ super hoc argumento ordine Geometrico accuratissimè profert. *Laurentius Bellini in suo de morbis capitis tractatu. Sic itaque ille.*

Epilepsiæ Antecedentia sunt.

Animi, & corporis insueta conturbatio, capitis gravitas, cephalalgia, vertigo, vigiliæ, aut plurimus somnus, à quo nullum levamen emergit, insomnia turbulenta, mentis torpor, vel anxietas, oblivio, mœstitia, pavor, formido, segnities, artuum gravitas; saltus, & tremores membrorum, sensuum hebetudines, obtutus defixus, scintillæ oculis obversantes, & interdum nubeculæ, aut marmaryges, hoc est, splendores coruscationibus similes: aurium tinnitus, fœdi odoris perceptio, lingua inflexilis, aut ejus inordinata motio, oscitatio, sternutatio: cordis palpitatio, iracundia, pectoris constrictio, mutata respiratio: cibi fastidium, aut appetitus immodicus, nausea molesta, cardiagmos, seu oris ventriculi morsus: salivæ per os effluvium, urinæ tenues & crudæ, pollutio nocturna frequentior, faciei pallor, præcordiorum inflatio.

Conjuncta.

Cum perfecta Epilepsia sensuum omnium internorum, & externorum interceptio, subitus collapsus, totius corporis, aut partium aliquot varia concussio, oculorum prominentia, stridor dentium, respiratio suffocatoria, qualis laqueo suspensis: seminis, stercoris, urinæ involuntaria profusio: ad finem insultus spuma per os, & nares: ad finem paroxismi ægro sui compote ante arctarum rerum nulla memoria, aut cognitio. Cum imperfecta autem capitis solum, vel brachii, vel tibiæ, aut femoris, vel dimidii corporis concussio interceptis sensibus omnibus, vel sal-

va etiam mente, & quibusdam voluntariis motibus, nempe aliquarum partium aliis præter voluntatem concussis. Cum idiopathica mentis torpor, tarditas, memoriæ imminutio, insomnia turbulenta, sensuum hebetudo, gravitas, & segnities, capitis dolor, optima reliquarum partium corporis habitudo, paroxismi subitus sine ulla ægri præsensione insultus. Cum sympathica nulla cerebri affecti signa, instantis paroxismi perceptio, ut cujusdam rei velut aliunde è corpore ascendentis ad instar auræ; vitium alicujus partis, vel symptoma aliquod gravius tempore invasionis: sic à ventriculo cibi fastidium, inediæ difficilis tolerantia, nausea, dolor, aut erosio, punctio, aut distensio ventriculi, cordis etiam aliquando palpitatio per consensum. A jecore, & liene flatuum frequens, & copiosa excretio, ventris inflatio, rugitus, borborigmi, ructus acidus, præcordiorum molesta coarctatio, eorundem dolor interdum ad usque dorsum, vitia in partibus abdominis. Ab utero hysterica passio cum convulsionibus epilepticis conjuncta, mensium, aut seminis retentio. Ab aliqua partium externarum aura quædam frigida ab eadem illa parte veniens, & excurrens ad cerebrum vellicans, titillans, quæ imminentis paroxismi nuncia est, qui prohibetur, si illa pars vinculo constringatur. Facit huius auræ fidem Galenus hunc in modum de Epileptico loquens puero tredecenni. *Andivi igitur tum narrante puero dispositionem ipsam ex tibia initium capere, mox illinc recta ascendere per femur, & superposita ipsi ilia, ac per latera ad cervicem, donec ad caput perveniret, quod cum primum tangeret, ipsum haud quaquam sibi constare, interrogantibus autem Medicis, quale esset id, quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer, quod responderet. Alius deinde adolescens compos mentis, quippe qui satis poterat & sentire quod fiebat, & alteri narrare, dicebat, veluti frigidam quandam auram esse id, quod ascendebat.* Hactenus ille. A lumbricis anhelitus, fœtor acidus, fœces cineritiæ, stridor dentium, membrorum tremor, terror, & clamor subitus in somno, narium pruritus, & frictio, salivæ nocturno præsertim tempore ex ore effluxus, facies pallida, subitò incalescens, ac rubens, morsus, ac dolor stomachi, & intestinorum, unde frequens abdominis contrectatio, ejusdem insolita durities, rugitus, ac tormina ventris, membrorum atrophia, tussis sicca, singultus, vermium cum alvi excrementis egestio, quod est præcipuum, & maxime tutum. Est autem epilepsis aliquando cum abscessu conjuncta, ossis carie, urinæ suppressione, & similibus, quæ ex se ipsis innotescunt.

Succedentia.

Epilepsia quibus ante pubertatem contingit, curationem recipit: quibus post vigesimum quintum annum, eos fere comitatur ad mortem usque, ait Hippocrates quinto Aphor. 7. Ubi notabis, à plurimis Medicis aliquatenus damnari Hippocratem quod Epilepticos post 25. annum laborare incipientes non curari asseruerit, quasi Hippocrates dixerit nunquam curari; aliis verò damnari penitus, cum tamen ipse asserat apertissimè, fere nunquam, aut plerunque non curari, ut ex Græcis verbis manifestum est. Apoplexia, vel Mors in ipso paroxysmo, divulsio partium cerebri per concussionem, ita ut processuum mamillarium particulæ aliquando per nares sint redditæ, inquit Riverius, (quomodò autem reddentur, si nullus patet exitus?) Melancholia, Paralysis, Quartana, quæ superveniens, ac diu perseverans morbum solvit. *Juvenes epilepsia laborantes mutatione præcipuè ætatis, regionis, & victus liberantur*, inquit Hipp. 2. Aph. 45.

Quod est ad convulsionem apoplexia, idipsum est epilepsia ad motus convulsivos, quin in hac affectione plurima reperiuntur, quæ Apoplexiæ etiam conveniunt, Caro, Comati, Lethargo, aliisque affectionibus capitis jam explanatis, ita ut nihil sit opus diutiùs immorari in explicatione sive præcedentium, sive conjunctorum, sive succedentium, cum eorum singula vel in aliis morbis superioribus jam explicata sint, vel tam facilè pateant, ut ulteriori explicatione non indigeant. Aura autem illa in Epileptico Galeni patet ex iis, quæ ostendimus de rigore, & horrore, nisi quod ibi solum de frigore sermonem habuimus: hic fieri fortasse potuit, ut non solum frigus fuerit id, quod ascendebat, sed quid aliud irritans, atque fermentans, & hoc ipsum etiam sine frigore conjuncto: sed hoc ipsum frigus succederet ex necessitate ejus vel fermentationis, vel irritationis ut ex eodem horrore, & rigore patet: Ex ejus autem vehementia, ac subita agendi vi evadebat puer ille sui impos, ubi primùm aura illa cerebrum attingebat, quæ si in aliis fuerit mitior, atque segnior, mente alienare non poterit, ut in rigoribus, & horroribus febrium &c. sive autem à sola materia irritante, ac solo frigore sive ab aliquo fermento res proveniat, sive scilicet à causa solùm vehementer concutiente, & in tremorem agente nervos, seu mutante contentum liquidum, prohiberi poterit, ac debebit insultus epilepticus injecto vinculo parti auram mittenti, per vinculi enim constrictionem impedietur tam ascensus materiæ corporeæ, quam protensio tremoris, ut patet. Itaque oriri poterit, ac debebit Epilepsia non à sola materia acri, irritante &c. sed ab omnibus causis, à quibus excitari possunt motus convulsivi, quos ostendimus superius produci posse, ac debere pluribus modis, adeoque erit Epilepsia concussio totius, vel aliquarum partium corporis cum sensuum omnium, & voluntarii motus ablatione producta à quacunque causarum, à quibus convulsivi motus produci possunt: & idiopathica erit, cùm causa illa primariò viget in cerebro, sympathica, cum eo perducitur ab aliis partibus. Hinc deduces, epilepsiam illam, quæ pueris tam familiaris est, eosque invadit ferè subito ab exclusione, cum adhuc humidissimi sunt, & ferè mucilaginei toti, provenire posse, immò re ipsa fortè provenire frequentius à nimia humiditatis copia, qua scatent, quàm ab acribus humoribus, qui vellicent, & irritent; certè enim in illa humorum crassitie, quâ nostrum singuli scatemus primis vitæ nostræ mensibus, vix quicquam acris, ac stimulantis contineri posse videtur, & si quid stimulans, atque acre generatur, an non plurimùm retundi, ac temperari debet ab eadem crassiorum humorum copia, & proinde levem stimulum imprimere partibus illius corporis,

quæ sunt adhuc tam teneræ, ut vix sibi ipsis hæreant, nedum sint rigidæ, ac maxime tensæ, cujusmodi esse debent, ut acrem sensum concipiant? Lac corruptum potest quidem acescere, atque ideò stimulans fieri, sed non temperabitur ab abundantia humidi in puero? Esto autem, nec temperari possit in pueris aliquibus, id sanè fieri debebit in paucioribus, aut saltem non in plerisque, quemadmodum tamen pueros tantum non omnes epilepsia vexari continuè videmus. Ex epilepsia autem difficilè evadunt pueri, si sint admodum parvi, hoc est, recens nati, cum per violentas illas concussiones partes corporis adhuc teneri divelli possint, præcipuè autem cerebri vix dum consistentis, quod proinde vel divelletur à suis partibus, vel dissolvetur quasi in sphacelum, & facile morietur puer. Verosimilius igitur erit, Epilepsiam in pueris à copia pituitosarum materierum, & pressione potius oriri, quàm à stimulo, vel saltem illam esse frequentiorem.

Illud autem animadvertendum est, num Epilepsia à Vermibus proveniat à solâ irritatione in partibus ventriculi, & intestinorum, unde validi refluxus, &c. an à materia humoribus permixta; cum etenim vermes supponantur, igitur datur materies eorum generationi apta, & chyli materies cum ipsorum excrementis miscetur, & ejus aliquid ab iis in cibum assumitur, unde vitiari aliquatenus poterit, atque ita vitiata, si in vasa trajiciatur, dabit suspicioni locum, num Epilepsia ab ipsa potius, quàm ab irritatione, an ab utraque simul proveniat. Hactenus *Clariss. Laurentius Bellini.* jam videamus.

Curationes, Consultationes, Observationes & Anatomicæ inspectiones ex variis.

Curationes.

Epilepsia & similes morbi, qui à paroxysmorum vehementia & pernicie infames sunt, duplicem habent indicationem. 1. quæ paroxysmum respicit, 2. quæ ipsas morborum radices.

I. Aqua vitæ Mulierum (*Weiber* aqua vitæ, aliàs balsamus Embryonatus. Vide Pharmac. August.) propinata prægnanti mensura cochl. j. cum spiritus Antepileptici nostri gut. iij. vel iv. singulis mensibus semel in Novilunio à mense quarto ad partum usque fœtum ab Epilepsia præservat: præmissa illa majoris securitatis ergo datur hic pulvis.

♃. Spinam dorsi vivæ mustelæ non coctæ, sed crudæ à capite ad caudam probè mundatam & exsiccatam, eamque pulverisa, hujus pulveris.

♃. Et magist. Corall. & perlar. an. ℥ ij. M. Dosis quantum cultelli mucro capit, in pulpa pomi assati.

II. præservantur pueri ab Epilepsia, vel prorsus liberantur, ne unquam succedente ætate tali passione capiantur, si recens jam natis antequam lac sugant vel cibum comedant, ingeratur ol. amygd. dulcium recens cum saccharo fino permixtum utriusque sit à ʒ ß. ad ʒ ij. vel ʒ iij. Sic enim ubi paulisper à sumpto hoc abstersivo quieverint.

♃. Stercus de Vacca nigra adhuc calidum, indatur ollæ novæ, & calcinetur, de quo exhibeatur ℈ j. vel ʒ ß. modò nato infanti, (Electoris Saxoniæ Secretum) tandem evomunt pituitosam admodum copiam impuritatum in utero materno ante exitum collectarum, quæ impuritates sunt causæ multorum morborum in pueris, non inatim verò Epilepsiæ. Quod si non evomunt, per alvum saltem purgantur; deinceps ubi b. lineantur aliquandiu & in primis per tempus puerperii coq. in B. cortices salicis recentes. Sic nimirum non ab Epilepsia tantum, sed etiam à tabe præservantur (specificum in aridura puerorum.)

Spir. Antepilepticus puerorum [vide not. ad Croll.) Cujus gutt. 6. 8. 9. cum aquis Epilepticis flor. tiliæ, radic. pæoniæ, aq. hirundinum, cerasorum, Lavendulæ. It. cerasorum nigrorum cum aq. Langii Epileptica exhibita tum in paroxysmo, tum etiam post eundem mirificè puerorum morbum tollunt, præsertim, si in primo paroxysmo exhibeatur.

Expertus sum in puerulo duorum, ni fallor, annorum, qui continuos ferè convulsivos paroxysmos patiebatur, excellentiam spiritus salis armoniaci, de quo, frustrà tentatis aliis remediis gr. 4. tantum in aq. flor. tiliæ exhibebam, statimque convulsiones cessarunt, post horam eandem dosim repetii, quâ puer optimè convaluit & jamdum valet. Sal autem volatile urinæ longè præstantius est, præsertim, si cum calce lunæ sublimatur, quæ tum demum præstat id, quod ipsi alias adscribitur. vid. praxin meam Chymiatr. cap. 5. pag. 44. & 45.

In Epilepsia adultorum 1. Præmittantur Universalia Vomitiva, Cathartica, in primis specificum purgans Paracelsi. Posteà exhibeantur specifica, qualia sunt.

(Purgantia in epilepsia meliora non invenies, quàm Mercurialia E. gr. Mercurium dulcem, præcipitatum album &c. formula potest esse talis.

♃. Mercurii præcipitati albi ℈ ß. Trochisc. alhandal vel resinæ Jalapp. gr. 3. Mass. pil. de succin. craton. ℈ ß. c. q. s. Essent. Castor. F. Pilulæ. quarum usus continuandus ad aliquod tempus.)

2. Epilepticum Crollii.

3. Pulvis Antepilepticus ex Cinnab. Antim. qui talis est.

♃. Cinnab. Antim. magist. Coral. perl. ana: Alius.

♃. Cinnab. nativi pellucidi & splendentis ʒ ß. pulverisa in marmore subtilissimè: adde magist. Corall. perl. ana ℈ ij. Croci ℈ j. fol. auri diligenter triti, super lapidem, reduc. in pulverem, cujus gr. 7. ad 18. in aq. salv. propinentur & sæpius repetatur. Vide suprà de sudoriferis.

Alius pulvis Epilepticus magnarum virium.

♃. Cinnabaris Ungarici probè loti & depurat. ℔ ß. imbibe cum spir. vitr. ℥ iv. scobis cranii humani nunquam sepulti ℥ ß. imbibe cum spiritu vini, relinque in loco calido per 15. dies & posteà per retortam destilla liquorem, & illud, quod restat, seorsim serva hinc.

♃. Scobis Ungulæ alcis ʒ j ß. Myrrhæ rubræ ℥ ß. solve in sp. salis, solutum à fœcibus separa & serva posteà.

℞. Croci ℥ß. cum sp. vini tincturam extrahe, liquores omnes simul misce & in iis imbibe cinnabarim ante præparatam, lotam & pulverisatam, calore lento semper exsiccando, donec omnem liquorem imbiberis & in pulverem siccum abierit. dosis à gr. 2. ad 4. cum vino generoso aut sp. vini vel aq. antepileptica, in ante, & post paroxysmum.

4. Spiritus cerebri humani, qui sic fit.

℞. Cerebrum hominis juvenis integri, benè sani (adolescentis infra annum 24. & bonæ constitutionis violentâ morte perempti, collige frustulatim cum omnibus membranis, arteriis, venulis & nervis cum medulla spinæ tota, conquassa in mortario lapideo, & adde in cucurbita vel phiala potius capaci aquarum capitalium scil. flor. tiliæ, pæoniæ, betonicæ, cerasorum, lavendulæ in primis, adde diaphoretici in acutis ad supereminentiam 4. vel 5. digit. (plus quàm de reliquis simplicibus aquis; addunt etiam spir. v.) claudatur hermeticè vas, & relinquatur aliquandiu, per annum 1. 2. 3. &c. postea per cohobia destillatur ex B. roris, ut tota (aliquota) cerebri substantia simul transeat. Hanc aq. abjectis fæcibus curiosè serva. Et fæcibus post sextuplex cohobium calcinatis elice sal, quem deinceps cum sp. facto junge, & totum curiosè serva. Dos. à ℈j. ad iij. in vehiculis convenientibus.

NB. Si initio non addita est mistura simplex propter defectum; posteà phlegmate per B. leniter abstracto, adde misturæ simpl. partem dimidiam, & procede, ut monitum est. Dos. à ℈j. ad iij..

5. Hepata Ranarum, quæ sic parantur: Collige hepata de ranis viridibus aquaticis non terrestribus 40. quibus vivis jecinora exime & sigillatim pone supra folia brassicæ capitatæ ad eam partem, quâ terram respiciunt, ita ut se invicem contingant, posteà in ollis devitreatis & recentibus (*Irdene Bratpfanne*) superiùs tectis, exsiccentur ad lentum ignem, ita ut in pulverem tenuissimum teri possint, à foliis cautiùs separata. Posteà divide pulverem integrum in 5. partes æquales & serva.

Partem unam exhibe patienti præmissis universalibus jejuno ventriculo in haustulo aquæ vel spiritus appropriati, cum Luna ingressa est in cancro; Vesperi duobus horis à cœna alteram partem, atque sic consequenter postero die mane tertiam, vesperi quartam; tertio die ultimam partem manè.

Ubi tamen observandum, semper ante & post sumptionem pulveris 2. horis ab omni cibo & potu esse abstinendum. Si patiens præsertim adultus, post sumptam hanc medicinam in fronte & temporibus sudat, est testimonium operationis exquisitæ. Itaque si post 3. 4. & quintam exhibitionem sudor provocetur, vel in lecto, vel in laconico totius corporis, effectus sperandi sunt uberiores.

Caveant sibi ab omni terrore, ab ira, ab aqua & igne, à vino, & ne videat Epilepticos cadentes: horum nimirum conspectu morbus, qui vel diu latuit, vel jam sopitus erat redire potest. Præterea etiam ab ejaculatione tormentorum. Præcipuè verò studiosè evitet omnes animi motus vehementes, ebrietatem tanquam pestem fugiat.

Diæta & cæteræ 6. res non naturales convenienti admodum ratione & modo observentur, ne aliquid accidat, quod isti curæ impedimentum aliquod afferre possit.

NB. 1. Ranæ virides tantùm & non aliæ accipiendæ sunt, & quidem vivæ. 2. hic pulvis Mense Majò, Junio, & Julio usque ad medietatem Augusti tantùm confici potest, extra hæc tempora ranæ inutiles sunt. 3. Cùm exsiccata sunt hepata, ut possint pulverisari, folia brassicæ capitatæ diligenter sunt segreganda & posteà hepata in mortario contundenda. 4. Hic pulvis ultra annum non durat, ideoque singulis annis, si opus est, de novo præparandus.

Vix potest dici quantum emolumenti ab hac medicina simplici accidat. Instituenda est cura in Junio circa solstitium, & si primo anno non correspondeat effectus, altero anno hæc cura reiteranda. Hoc remedio restitutus est Fridericus IV. Palatinus, qui ab anno 15. ætatis ad 26. Epilepticus fuit.

6. Amuletum ex frutice sambuci in salice inventi, 1. diligenter observetur, ubinam in salicib. præsertim antiquis subnascatur sambucus, id quod sæpè fit, præsertim, in salicetis, ubi non procul ab iisdem ad hortorum sepes sambucus plantata fuerit. Hic nimirum grana matura ab avibus leguntur præsertim à pico. Picus nimirum excrementa sua post conjecta grana sambuci deponens super salicem antiquam (cui interdum innasci solent aliæ plantulæ vel frutices, nominatim vero Amaradulcis, urtica, Chelidonia) exinde quasi primordia figit & ponit sambuci exinde nascentis. Picus autem quia Epilepsia laborat, hoc nobile periapton ad similem morbum curandum facit. Colligitur frutex quolibet mense, melius tamen in Septembri & Octobri, quando maturuerint grana sambuci ante plenilunium diebus, duobus & reservetur usui (servari potest annos 12.) teneriores saltem surculi sufficiunt.

Usus talis est: seca surculum unum tenuiorem in taleolas tenues, quantum fieri potest, integras. Earum 9. redigantur in nodulum vel ex linteo, vel ex serico confectum, & cum simplici filo lineo *Das in demselben Hause gesponnen und von dem Patienten*. licet parum referat. Amuletum adpende collo usque ad orificium ventriculi, ut rectè nodulus eò pertingat. Applica verò hunc nodulum post universalia exhibita ad mundificandum corpus quolibet tempore seu ante, seu post paroxysmum. Nodulus relinquatur tamdiu donec sponte sua citra omnem vehementiam rumpatur filum, & nodulus videatur cadere, quem deinceps neque in se patiens, neque ullum animal nudis manibus vel pedibus tangat, sed mediante aliquo instrumento vel forcipe, vel alio sepeliatur subtus terram, eo in loco, ubi neque homines neque animalia pertransire possint. Secus si tetigerit, morbus Epilepticus denuo invadet eum: vel alios antea morbum non passos corripit, id quod studiosè est evitandum. Hoc amuleto curari possunt & ii, qui longissimo tempore hoc morbo laborarunt.

A curatione deinceps diligentissimè præservandi sunt ab omnibus causis externis, alioquin huic morbo infestis, de quibus diximus in præcedentibus.

Nota: in adultis soleo ex majoribus surculis excavatis facere cannas, per quas tempore gestationis amuleti omnem suum potum hauriunt.

7. Spir. Vitriol. volatilis duplex, de quo in notis ad Crollium (præsertim in adultis.)

8. Laudanum Epilepticorum, de quo in opiologia & infra de Apoplexia.

9. Radix Pœoniæ, maris nimirum, seu nigræ, Nam fœmina nullius efficaciæ, si suspendatur de collo pueri Epileptici, morbus cedit, sed radix effodienda est in Julio Lunâ decrescente, Sole existente in leone, in meridie & die solari.

10. Viscus quercinus Lunâ decrescente inter duo Mariæ festa, hoc est, 15. die August. & 8. Septemb. collectus: nobilior autem habetur illa pars, quæ quercui propior resecta est.

11. Mixtura Antepileptica, quæ sequ. m. fit:

♃. Spir. Vitrioli viridis ex Vitriolo & urina puerorum ʒ j. ℈ j. cum aqua rad. pœon. & fl. til. an. ℥ j.

M. de hac mixtura exhibe in paroxysmo membris convulsis & contortis cochl. ß. guttatim, & paulo post redibunt ad sese recollectis sensibus, quò animadversò denuo aliquid exhibeto, atque ita tertiò; quod si quidem rediturus sit paroxysmus, ut fieri potest, eundem processum repete. Postea confortantia cerebrum adhibeantur, ceu sunt Magist. Corall. perlar. Cranii humani. Multum possunt hæ Tabellæ.

℞. Mag. Cranii humani ʒj. (quod calcinatum primò, posteà per aq. evaporatur pulvis instar magisterii) gran. pœoniæ excortic. nu. 16. sacch. in aq. theriacali solut. F. s. a. tabulæ, quarum una atque altera tam manè jejuno ventriculo, quàm vesperi longè à pastu & cœna exhibeantur.

Paroxysmus Epilepticus instans, ut evertatur, æger signa quædam præsentiens statim capiat pil. j. laudani antepilept. vel rotulam unam antepilept. aut in horum defectu ol. succini gut. j. & alteram.

Nares autem inungat Balsamo antapoplectico, aut balsamo succini.

Præsens sedatur modo sequenti. Cadentis ori cuneus immittendus est, ut apertum maneat, nec linguam commoveat, altâ voce inclamandus, nares constringendæ & sternutatorio seq. irritandus.

♃. Rad. ellebori alb. ʒ j. Castorei, euphorb. ana ʒ ß. F. pulvis suffitus etiam fieri potest ex succino albo.

Membra incurvata molliter ad rectitudinem reducenda, fricanda & continenda.

Fauces Extracto castorei, oleo succini aut Mithridatio, Theriaca in aqua Epileptica solutis: nares autem & tempora balsamo apoplectico illinienda.

Et si suspicio sit, eam ob vitiosos humores in ventriculo collectos, & ad caput exhalantes fieri, utile est excitare vomitum cum aq. Benedicta aut Vitriolo albo in aqua pœoniæ, in qua scobs visci quercini bullierit, dissoluta paroxysmo sedato, si metus sit, ut mox revertatur, clysteres acres injiciendi ad avertendos humores acres, aliosque in cerebrum irruentes.

Cucurbitæ item cum scarificatione humeris applicandæ & si plethora adsit, vena secand.

Quô factô ad radicis Epilepticæ excisionem progrediendum, ubi præscripta bona vivendi regula ad universalem totius corporis evacuationem perveniendum, observatis hac in parte practicantium regulis. Nonnunquam utile est admiscere purgantibus Extr. scammonii, aquam benedictam, Extr. Ellebori nigri, & sæpius præparatum corpus purgare Mercurio dulci, Mercurio vitæ, floribus Antimonii.

Hinc ad caputpurgia, & ad ea, quæ à proprietate conferunt, accedendum, non neglectis iis, quæ caput exsiccant, & maxime roborant.

Tabulæ Antepilepticæ.

♃. Rad. pæoniæ ʒ j. magist. perlarum, corallorum an. ʒ i ß. magist. cranii humani. ʒ ß. sacch. in aq. florum tiliæ soluti q. s.

F. Tabulæ. Detur una atque altera manè jejuno ventriculo & vesperi longè à cœna.

Aqua Epileptica. ♃. Fl. lil. convallium M ij. infunde in s. q. Vini generosi, digere per 10. dies, vel donec habere poteris.

Fl. tiliæ recent. ℔ß. pœoniæ ℥ iv. distilletur in M. B. ad siccitatem, in destillato iterum infunde.

Rad. pœoniæ ℥ j. dictammi albi, visci quercini an. ℥ ß. Cranii humani præparati ℥ ß.

Rad. pyrethri ʒ ß. castorei ℈ ij. fol. rutæ Mj. flor. stœcados Arabicæ, lavendulæ ana P iv. flor. betonicæ P vj. cubebarum, maceris an ʒ ij. cinnamomi ʒ j. scillæ præparatæ ʒ iij.

Digere iterum per 15, dies, hinc per alembicum in M. B. destillatur & aqua usui reservatur. Dosis ℥ ß. ad ℥ j.

Clysterem in epilepsia vide in capite seq.

Balsamum vide etiam in capite seq.

Duo secreta hic bene nota.

In capite porcino retro aures invenies in utroque latere ossa duo petrosa in quibus cochlea est, Hæc ossa pulverisata & in vehiculo convenienti administrata excellentissimum sunt specificum in epilepsia, & in interna facie exactam capitis mortui signaturam habent: quæ verò ossicula exdextro capitis latere maribus, quæ ex sinistro fœmellis conducunt.

Radix pæoniæ epileptico medetur, cujus effectus in quibusdam qui per 20. annos à prima nativitate laboraverant, probavi. Hoc autem requiritur, quod ignoratur, ut tempore exactiori colligatur. Quando sol leonis signum ingreditur, justum tempus esse putant, sed falsò; verùm quando sol signum libræ, quod circa 12. Septembris erit, ingreditur, effodiatur. Datur ad ʒ j. continuando ad tempus.

Hæc specifica feliciùs operabuntur, si per aliquod tempus radiis lunaribus fuerint exposita. *Joan. Harthmann. in Praxi Chimiatr.*

Curatio Epilepsiæ duplex instituitur, alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum.

Ad paroxysmi curationem raro vocantur Medici, nisi ipse interdum longius protrahatur, quo in casû conveniunt eadem remedia, quæ pro soporosis affectibus fuere proposita. Præsertim verò aqua apoplectica, cinamomi, aqua vitæ, & aliæ multum spirituosæ, ad paroxysmi materiam discutiendam efficacissimæ.

Extra paroxysmum curatio varianda est pro varietate causarum. Ac primum Epilepsiæ idiopathicæ curatio proponenda est, quæ in totius corporis evacuatione, materiæ morbificæ discussione, pravæque illius qualitatis emendatio-

ne, & cerebri roboratione consistit. Cùm autem materia peccans in idiopathica Epilepsia, ut plurimùm pituitosa sit, nos ad illius oppugnationem curationem universam dirigemus, tyrones alioqui admonentes, ut si humores biliosi, aut melancholici in vitio esse videantur, medicamenta illos præparantia & expurgantia substituantur. Specifica verò remedia à quacumque causa morbus oriatur, eadem perpetuo usurpanda sunt.

Ad integram ergo curationem sequenti via procedendum est. Primo potio Phlegmagoga erit propinanda, aut aliud medicamentum, ægrotantis naturæ accommodum, ex iis quæ in frigida cerebri intemperie fuerunt proposita, injecto prius clystere, si alvus non sit libera.

Posteà si plenitudinis notæ appareant, aut æger sit sanguineo temperamento præditus, phlebotomia erit celebranda, sin minùs omittenda.

Mox cura universalis frigidæ intemperiei cerebri suprà proposita sigillatim celebranda erit, hoc observando, ut decoctis apozematis, diætæ sudorificæ & syrupo magistrali, tum etiam masticatoriis, & pulveribus cephalicis, addantur radix & semen pœoniæ, & viscus quercinus quæ proprietate specifica epilepsiam curare tota credidit antiquitas.

In diæta vero ex sudorificis guajacum præferatur; cujus usû se multos epilepticos curasse refert Jachinus. Continuetur autem per triginta vel quadraginta dies.

Singulis dosibus decocti sudorifici aliquot guttæ spiritus vitrioli addantur, qui etiam specificus creditur ad epilepsiam.

Notandum est purgantia usualia, nimirum pilulas, aut syrupum magistralem, in frequenti usû habenda, nempe semel aut bis in septimana, prout vires ægrotantis ferre poterunt, & per plures menses purgationes esse continuandas: imo ad fortiora interdum purgantia esse transeundum, juxta præceptum Massariæ, quæ hinc fieri dicit, quod epilepsia raro curetur, quod Medici semper in levioribus hæreant.

Hac ratione Chymici purgantia mineralia usurpare solent, quæ à remotissimis partibus humores attrahunt, at non sine periculo, præsertim si à peritissimo artifice præparata non fuerint. Si tamen in hoc casû fœlix eventus ex hujusmodi remediis aliquando contingat, ille in primis sperandus est ex mercurio, per se, vel cum auro calcinato in furno arenæ, longo ignis regimine, probè cavendo, ne qua illius portio cruda adhuc & volatilis maneat, quæ summam vehementiam medicamento conciliaret, alioquisatis blandè purganti, si cum Pilulis cochiis, aut quod melius erit cum extracto aliquo phlegmagogo, vel, panchymago, pondere gut. iv. vel v. usurpetur.

Recens autem Epilepsia sale vitrioli aliquando curatur; quemadmodum refert Angelus Sala, ex hoc remedio, quarto quoque die exhibito, se epilepsiam tertia exhibitione curasse. Posterius vero curat. 77. cent. 1. gloriatur se stibio calcinato ter exhibito, puellam undecim annorum ab epilepsia hæreditaria liberasse.

Syrupus de peto Quercet. maximam vim habet ad curandam Epilepsiam, sed non nisi à prudenti Medico usurpandus, quia vehementissimum est medicamentum.

Loco opiatæ dicto loco propositæ, sequens, magis huic affectui specifica, erit subroganda.

℞. Conserv. flor. anthos, pœoniæ, buglossi ana ℥ ß. corticis citri saccharo conditi ʒ ij. pulv. visci querni, sem. pœoniæ decrescente Luna collecti, & ungulæ alces, ana ʒ ß. cranii humani non humati, ad albedinem calcinati ʒ i ß. coral. præp. margarit præp. & cornu cervi præp. ana ℈ iv. lapid. bezoard. veri ℈ j. diamoschi dulcis, diatriasant. ana ℈ ij. theriac. vet. & confect. de hyacinth. ana ʒ j. spiritus vitrioli gutt. 15. Cum syrupo conditurae corticis citri, fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem avellanæ superbibendo aquæ cinam. parùm.

Sequens vero efficacissima est ad morbum radicitus tollendum, post diligentem corporis purgationem.

℞. Conservæ flor. betonicæ, & rorism. ana ℥ ij ß. rad. eryngii conditæ, & mithridatii, ana ℥ j. pulv. ligni sassafras ʒ vi. castorei, ʒ iij. cranii humani non humati, ungulæ alces, ana ʒ ij. rad. & sem. pœoniæ, sem. nigellæ, rutæ sylvestris, & rad. pyrethri, ana ʒ j. oxymel. q. s. Fiat opiata de qua capiat ʒ ij. vel iij. Reliquas omnes efficacia superat opiata Montagnanæ, cujus beneficio multi epileptici liberantur illius descriptio talis est.

℞. Rad. pœoniæ maris, stœchados, costi, an. ʒ x. agarici ʒ v. pyrethri, carvi, sem. anethi, assæ fœtidæ, & aristol. rot. ana ʒ ij ß. succi scillæ, & mellis electi an. ℔ j. & ℥ ij. Scilla & mel simul coquantur lento igne usque ad bonam consistentiam; deinde superadditis speciebus fiat electuarium, de quo capiat æger ʒ ij. vel iij. iv. pro ætatis ratione, continuando per 20. aut 30. dies.

Post usum emplastri epipastici, vesicatorium etiam sincipiti erit admovendum, & cauterium posteriori parti cervicis.

At setaceum multò efficaciùs humores extrahit à cerebro. Refertque Fabritius Hildanus, se juvenem quotidie Epilepsiâ laborantem, & cui frustra alia remedia adhibita fuerant, & puellam 18. annorum, ab ipsa infantia epilepticam, solo setaceo restituisse.

Si conjectura sit, vapores ad cerebrum exhalantes à partibus inferioribus, affectum producere, vel fovere; utilissimum erit causticum sincipiti admovere, vitatis suturis: refert enim Carolus Piso, duos Epilepticos hoc cauterio fuisse curatos. Tum etiam si à partibus inferioribus affectus producatur, aquæ acidulæ mirabiles sæpè effectus producunt, & morbum interdum radicitus tollunt, si prius evacuationes universales, & venarum inferiorum sectiones celebrantur.

Peculiariter vero ab utero procedens Epilepsia curationem sortitur pulvere granorum actes à Quercet. descripto in Pharmacop. restit. per triduum exhibito ad ʒ j. cum aqua quadam hysterica.

Si cætera non profuerint, extremum remedium erit sinciput terebello perfodere, vitatis suturis, ut hoc veluti spiraculo aura maligna exhalare possit. Hoc remedio aliquando desperatæ epilepsiæ curatæ sunt; & sine periculo celebrari potest, si periti Chirurgi manus adhibeatur.

Utatur æger pro potû ordinario hydromelite, vel bocheto ex guajaco, & rad. pœoniæ.

Sacculus de collo suspensus continuo gestabitur, in sequentem modum paratus,

℞. Rad. pœoniæ, visci querc. ana ℥ j. ungulæ alces ʒ ij. nucis mosch. caryophyll. macis, ana ʒ ij. fol. rutæ & hyssopi, ana ʒ i ß. pulverentur, & rubra sindone excipiantur. Fiat sacculus, deferat appensum collo, sæpe illum odorando.

Post universales evacuationes, inter aliorum remediorum usum, specificis præsertim morbus oppugnandus est, quorum infinitus sæpè numerus reperitur apud Autores. Nos ex selectioribus nonnulla proponemus, præter opiatas supra descriptas, quæ ad hunc morbum expugnandum non infimum locum obtinent.

Rondeletius maxime commendat aquam hirundinum, quam etiam ab eo mutuatus est, Quercetanus in Pharmacopœa. Non minoris est pretii aqua theriacalis cephalica, & syrupus antepilepticus, ab eodem Quercetano dicto loco descriptus.

Radix valerianæ sylvestris à Fabro Columna tantoperè celebratur, ut semel, aut bis exhibitam ab epilepsia liberare affirmet, Refertque se hanc multis amicis dono dedisse, qui deinde divino prius numine & fautore glorificato, pulvere hujus radicis sibi restitutam sanitatem affirmarunt. Dosis autem est cochleare semis cum vino, aqua, lacte, aut quovis liquore appropriato. Pueris vero in minori dosi cum lacte datur.

Chymici valdè commendant mixturam spiritalem, quâ in Epilepsia nullum medicamentum præstantius exoptari posse afferunt. Illius autem compositio talis est.

℞. Spiritus vitrioli partem unam, spir. tartari partes tres, aquæ theriacalis camphoratæ partes quatuor. Misceantur, & vitro bene clauso, per tres aut quatuor septimanas digerantur. Dosis est ʒj. in convenienti vehiculo.

Rulandus oleum ligni heraclei (quod corylinum esse affirmant chymiatri) in frequenti usû habebat; & nonnullas historias refert in centuriis, eorum qui hujus medicamenti usu ab eo morbo liberati sunt. Dosis autem est trium vel quatuor guttarum cum liquore idoneo, per quinque dies.

Huic nullo modo cedit, aut forte multo præstantius est oleum succini albi, à perito artifice extractum, quod nullum empyreuma redolet, imo vero fragrantissimum expirat odorem. Dosis à ℈ß. ad ℈ j.

Oleum buxi ad gutt. 4. cum pari quantitate spirit. sulphuris, & aquæ flor. tiliæ arboris ℥ iv. per aliquot dies exhibitum, insignis est efficaciæ, & à multis creditur verum ligni heraclei oleum; & per descensum elicitur.

Crato cinnabarim nativam epilepsiæ magnetem vocat, ex eaque talem pulverem parat.

℞. Cinnabaris nativæ pellucidæ limatæ, & in tenuissimum pulverem tritæ ℥ß. coralli rubri & margarit. præpar. an. ℈ ij. croci Orientalis ℈j. fol. auri nu. 15. Terantur omnia subtilissime super lapidem Dosis in ipsa accessione à granis vi. ad ℈ j. in aquis appropriatis.

At non minoris virtutis censetur à non paucis Chymiatris, cinnabaris antimonii, quæ post mercurii vitæ extractionem elicitur. Si enim æquali pondere jungatur cum magisteriis perlarum, corallorum & cranii humani, specificum esse aiunt in epilepsia etiam inveterata. Dosis à granis 10. ad 15. in liquore idoneo.

Sympathicæ Epilepsiæ curatio ad partem primario affectam dirigenda est. Eaque remediis convenientibus, e propriis capitibus desumendis, evacuanda & roboranda est, non omissis specificis & antepilepticis, quæ in omni epilepsia perpetuo usurpanda sunt. Attamen si à parte aliqua externa concitetur Epilepsia, præter curationem universalem, ad eam peculiariter respiciendum est, & materia maligna in ea contenta educenda cucurbitulis scarificatis, vesicatoriis, & cauteriis admotis. Et si malum perseveret, supra cauterium post escharæ casum cucurbitula frequenter admoveatur : ac tandem urgente necessitate, ad cauterium actuale confugiendum est. Si à cranii carie malum oriatur, trepano & ustione illa auferenda est. *Lazarus Riverius Praxeos Medic. lib. 1.*

In Epilepsia, si adsit plethora, primò instituatur venæ sectio in brachio.

Si ventriculus aliquo modò afficiatur, adsitque nausea, vel ad vomitum inclinatio, exhibeatur emeticum ex infuso croci metallor. cum oxymel. scillit. & aq. aliqua antiepilept. aut ex vitriol. alb. depurat. Vitriolum album sæpiùs solvi, filtrari & coagulari debet ad rectam ejusdem præparationem. Dosis est ad ʒ j. in posseto aliove liquore soluta : nullam turbam excitat per alvum, & ventriculum postea multum corroborat. N. B. Ante Emetici (fortioris) propinationem pridie injiciatur clyster; regio ventriculi & hypochondriorum foveatur fotu relaxante & emolliente : post vomitum finitum autem fotu corroborante & astringente. Repetatur Emeticum semel in mense biduo ante plenilunium.

Prodest quoque citra ullum medicamentum semel aut bis in mense post largiores epulas post duas horas immisso in fauces digito quicquid ingestum fuerit regurgitare. Si facilè vomat æger, instituatur vacuo ventriculo; si difficulter, post ciborum assumptionem.

Purgetur æger cum pil. Macr. & speciebus de hier. Aliquando usus sum hell. alb. ad gr. 3. quod violenter sursum deorsumque evacuat, in robustis tamen optimo cum successu. Convenit etiam sp. vitæ aureus Rulandi, hoc est infusio colocynthid. in sp. vin. Dos. coch. j. ad iv. Aquæ quoque Ebeshamenses bene purgant, exhibitâ sub noctem pil. Macr. drachma ß. cum spec. hier. gr. x. & troch. Alhand. gr. 3. Quibus aquis soleo aliquando admiscere crystal. syderei gr. x. ascendendo ad ℈j. Convenit hic quoque syrupus noster pantagogus amarus in aq. ceras. nigr. flor. til. lil. convall. solutus ad ℥j. aut ʒ x. Addi potest aliquando syrup. elleborat. ad ʒ ij. aut amplius aquis prædictis, persistend. in earum usu ad dies x. N. B. quod purgatio semel saltem, melius bis, imo quater in mense instituì debet, donec materia morbifica evacuetur. Soleo quoque aliquando exhibere ℈j. pil. seq. mane duabus horis ante haustum aquarum, quæ continuari item possunt postea per plures dies superbibendo haustum hydromelitis.

℞. Sagapen. ʒ ij. galban. castor. assæ fœtid.

myrrh. ana ʒj. balsam. succin. ʒjß. balsam. sulph. inspissat. ℈iv. camph. ʒß. cum balsam. Peruv. nigr. q. s. f. massa pil.

Post usum aquarum deveniat æger ad usum pulveris specif. seq. per x. dies mane hor. 4. ante prandium, superbibendo haustum alæ maciatæ.

℞. Miner. argent. transparentis instar. rubin. quæ *Rottgold* in fodinis appellatur gr. 4. cinnab. mineral. ex Ungar. gr. 8. bezoar. C.C. corn. alcis, cran. human. ad albed. calcinat. & sp. vitriol. subactorum an. gr. 5. sal. vol. succin. gr. 3. camph. gr. 2. auriferientis, vel, si desit, flor. Jovis gr. 4. croc. gr. 1. secundin. primipar. maris gr. 10. ol. succin. rectif. gutt. 2. f. pulvis cum mucilag. baccar. junip. vel succ. rut. saccharat. q. s. f. bolus. Quidam laudant *Rottgold* per se cum conserv. flor. pœon. sed exhibui sine ullo manifesto effectu.

N. B. Pulvis dictus, aut bolus, per triduum, viz. pridie, postridie, ipsoque die Novilunii mane est sumendus; itidem in plenilunio repetendus, superbibend. haustum aq. ceras. nigr. flor. til. vel lil. convall. & differatur prandium ad 4. hor. superambulando per aliquod tempus. Aliquando ℈j. hujus pulv. add. verm. terrestr. præp. ʒj. rad. valerian. sylv. ℈j. fol. sen. pulverizat. ʒß. syr. pœon. q. s. ut f. bolus pro una dosi.

Pulvis sequens rarò me fefellit post humorum præparationem & evacuationem per Emeticos & purgantes, ad dies 14. continuatus.

℞. Corn. Rhinocerot. cran. human. præp. an. ʒij. nepenth. Quercetan. pulv. cordial. Banisteri an. ʒj. m ß. f. pulvis in vitro exactissimè clauso asservandus. Dos. ʒß. ad ʒj. in idoneo vehiculo.

Nepenthe Quercetani est talis.

℞. Limatur. chalyb. puriss. part. 1. vitriol. Ungar. part. 2. pulveriz. & phialæ indantur; affund. acet. distillat. ad supereminentiam digiti & ß. diger. moderatè per dies 12. distilla per gradus in arena donec vitriolum sit calcinat. ad rubed. Huic pulveri adde acet. stillat. q. s. ut supernatet 4. digit. digere in B. per 5. aut 6. hor. ad tincturæ extractionem: acetum decanta & novum affunde, & digere iterum, sicque porro quamdiu tincturam præbebit. Liquor tinctus filtretur & evocetur per alembicum dissolvens (ad eundem usum asservandum) ad mellaginem usque, cui instill. guttatim ol. tart. unde præcipitetur pulvis: liquorem decanta, residentiam ablue aq. commun. distillat. ad dulcedinem; sicca, & usui serva sub nomine sulphuris vitrioli fixi anodyni.

Pulv. cordial. Banist. hic est.

℞. Succin. alb. præp. ℥ß. bol. Arm. aut terr. sigillat. aut antim. diaphor. Croll. ʒiij. C.C. ʒj. rasur. ebor. ʒj. & gr. 15. coral. rubr. præp. marg. præp. lap. bez. oriental. santal. citrin. sem. citr. an. ʒj. corn. unicorn. ℈j. & gr. 12. cort. citr. exter. ℥ß. & gr. 13. ambr. gris. gr. 10. mosch. gr. 2. fol. aur. argent. an. gr. ij ß. m ß. f. pulvis subtilis.

Materia Medica in hoc affectu.

Rottgold. Cinnab. mineral. Bezoar. Cran. human. Cornu Cervi, Alcis. Ocul. canc. vitriol. Corall. Succ. lim. Ceruss. antim. vel Jovis. Fl. Jovis volat. Succin. alb. Sal volat. Succin. Rad. Valerian. sylv. Contrayerv. Serpent. Virg. Angelic. Pœon. mar. Calam. aromat. fol. sicc. Rut. Rorismar. Majoran. Flor. Rorismar. Lavend. Stœch. Arab. Junip. baccæ. Camphor. Ambr. gris. Moschus. Stercus pavon. alb. Secundin. mulier. primipar. quæ marem peperit.

Ex his fiant Pulveres, Pilulæ, Electuaria, & extracta specifica ad hunc affectum.

His addi possunt smaragdus, crystallus rupis, lapis contrayerv. galega, pastinac. sylvest. rad. vincetoxic. scorzon. Hispan. petasit. aristol. rotund. enul. camp. filipend. fraxinel. tormentill. chelidon. maj. fol. verben. tanacet. thym. hyssop. nepeth. majoran. salv. meliss. trifol. odorat. visc. querc. flor. chamæmel. nobil. tiliæ, beton. sem. pœon. rut. galeg. coriand. cardamom. lign. Rhod. sassafr. aloes, buxi, cortex Winteran. nux moscat. macis, corallina, mater perl. chel. nigr. cancror. hepar ranarum virid. castor. carbo odoratus sub artemisiæ radicibus solstitio æstivo inventus, sanguis mustelæ calens, coagulum leporis vino solut.

N. B. Rad. pœon. mar. effodienda est crescente Luna & in Ariete existente ante ortum solis. Et cornua cervi, alcis, cranium human. non sepultum, calcinata redigantur in trochiscos cum ol. vitrioli Philosophico, aut Philosophicè calcinentur in vapore cephalicorum suspensa.

Opt. f. remedium è visceribus Talpæ, si talpam viventem in medio findas, sanguinem effundas in cyathum vini clareti calidi, viscera omnia palpitantia & calida citissimè comminuas in disco ligneo calido cultro acutissimo, cum vino commisceas, & totum ebibas sine mora.

Specifica quoque desumuntur ex corvo, hirundine, pica, gracculis & lumbricis. Vid. apud Authores.

In pera gerat baccas juniperi, de quibus, sæpius comedat. Baccæ autem hæ sic præparari possunt.

℞. Bacc. junip. recentium, pulposarum, maturarum ℔j. irrorentur successivè vino de Malaga generosissimo veteri, & post exemptum è furno panem sine ustione siccentur: ultimâ vice baccis utcunque adhuc madentibus inspergatur ℥j. sacchar. crystall. pulv. ambr. gris. ʒß. omniaque versentur diu ut pulvis per omnia diffundatur: serventur baccæ sic præp. in vase vitreo. Singulis auroris sumantur hæ baccæ à 10. ad 20. per totum mensem, superhauriendo alam maciatam, ac superambulando.

N. B. Ex harum baccarum usu ad annum integrum incipiendo à 12. & ascendendo ad 40. deploratos curavi, irritis omnibus aliis remediis.

Remedium nobilissimum fit ex sem. hyoscyam. ultra 40. dies usurpat. incipiend. à gr. 6. vel 8. & gradatim ascendend. ad ℈j. aut gran. 24. ex cochl. j. succi semperviv. recenter express.

Expletis 40. diebus in usu hujus deveniat ad medicamentum sequens.

℞. Vin. alb. ℔iij. quibus add. succi fol. rut. succi inter. cortic. sambuc. an. ℔ß. coq. ad medium. Sum. cochl. ij. vel iij. quotidie mane vacuo ventriculo, donec totum sumatur.

Pulvis Hartmanni talis est.

℞. Cinnab. Antim. vel mineral. ʒß. magister. corall. perlar. an. ℈ij. croc. ℈j. fol. aur. nu. vi. m. f. pulv. Dos. à gr. 7. ad gr. 18. in aq. Salviæ.

℞. Rad. valerian. sylv. debitè collect. & siccat. summit. rut. an. ʒij. viscerum talpæ præp. ʒiij. cran. human. præp. succin. alb. præp. an. ʒj ß.

secun-

secundin. mulier. præp. (h.e. per ablutionem cum vino alb. siccat. & pulverizat.) ℥ j. castor. ʒj. Omnia seorsim debite præparata misceantur, & cum mellag. liquida baccar. junip. recenter extract. per decoctionem in aq. pœon. flor. til. lil. conval. & cerasor. acid. (ita viz. fact. cum aspersione spir. vitrioli Philosoph.) f. massa pilularis, de qua recipe ʒ j. cinnab. mineral. ℈ j. ol. succin. limpid. gutt. ij. vel q. s. f. pil. pro una dosi matutina, superbibend. haustum aq. flor. til. & lil. convall. cum syr. pœon. edulcorat. Continuetur usus ad dies sex aut plures cum exercitio. His pil. addi quoque possunt grana aliquot sem. hyoscyam. post primos sex dies finitos. Addere quoque soleo stercus pavonis, sem. galeg. & rut. & tertio quoque die dosi pilular. admisceo trochisc. alhand. gr. 3. ad alvum solvendam.

Pil. de Castoreo quibus sæpius uti soleo, tales sunt, sumique possunt ad aliquot septimanas.

℞. Castor. opt.ceruss. antimon. vel [quod melius) florum ejusdem ad summam albed. fixatorum an. ʒ x. opopanac. ℥ ß. fol. & sem. rut. rad. valerian. sylv. succin. alb. præp. an. ʒ ij. rad. vincetoxic. contrayerv. viperin. Virgin. cort. rad. sassafr. cort. Winteran. cardamom. nuc. moschat. an. ʒ j. camph. sal. volat. succin. an. ʒ ß. Optimè præparata misceantur cum q. s. mellag. liquid. bacc. junip. f. massa pilularis, cui add. ol. stillatit. rorism. & succin. rectificat. an. ʒ ß. malaxentur diu & f. fermentatio per dies aliquot ante usum, quotidie sedulo pinsendo & volutando in vola. Servetur in vase vitreo probè clauso ad usum. Dosis ʒ j. mane superbibendo haustum aquæ antiepilepticæ, vel Julap. seq.

℞. Aq. stillat. ceras. nigr. pœon. lil. convall. an. ℥ iv. sp. castor. ℥ j. aq. cinam. ℥ ß. confect. alkerm. ʒ ij. syr. flor. pœon. mar. veron. rubr. an. ℥ i ß. aq. salv. majoran. lavend. an. ℥ j. sp. vitriol. antiepilept. (postea describend.) q. s. ad gratiam, m. f. Julapium.

Brunier multum laudat decoctum seq.

℞. Sem. ricin. ℥ ß. pœon. visc. querc. an. ʒ iij. Coq. in aq. font. ℔ iij. ad med. & potet mane per dies xv.

Aut ℞. Sem. ricin. pœon. visc. querc. an. ʒ j. sacchar. q. s. misce. mane sumatur cum exercitio.

Convenit quoque Electuarium seq. ad sex septimanas continuatum pro illis qui pilulas sumere recusant.

℞. Rad. valerian. min. Pœon. mar. præp. an. ℥ j. enul. ℥ ß. calam. aromat. ʒ x. fœcul. brion. & raphan. rustican. an. ʒ iij. cran. human. C.C. calvar. cervin. calcinat. & spiritu Philosoph. inebriat. ut suprà an. ʒ iij ß. secundin. mulier. sterc. Pavon. an. ʒ v. pulv. stomach. magistral. diaphoret. antimon. fixat. sem. galeg. rut. fol. bux. an. ʒ iij ß. succin. alb. præp. sem. myrrhid. levistic. dictamn. alb. Cret. an. ʒ ij. viper. Virgin. rad. contrayerv. ana ℈ v. f. pulvis, & cum q. s. mellag. baccar. junip. additâ quartâ parte mell. scillit. f. Electuarium. Dosis ʒ iij. superbibend. haustum potus medicati postea in hoc capite describendi.

Usus Mithridatii cum pulv. rad. Pœon. mar. ad longum tempus multos sanavit epilepticos.

Tinctura sequens sumatur ad ℥ iv. mane quotidie hor. 4. ante prandium.

℞. Aq. flor. til. lil. convall. ceras. nigr. an. ℔ j. reddantur acidulæ ad gratiam saporis cum q. s. sp. vitr. (jamjam describendi) adde rad. Pœon. mar. incis. ℥ ij. visc. querc. ℥ j. sem. Pœon. mar. per medium sect. par. 12. spong. bedeguar sicc. ℥ ß. flor. lavend. primul. ver. ana p. 3. hyperic. p. 4. Pœon. mar. p. vi. Extrahe tincturam, quæ coletur; in qua dissolve syr. è flor. galeg. ℥ ij. sp. junip. ℥ j. m. ad usum.

Specifica est Marcasita illa quæ lapidicinis cretaceis reperitur quæ ad aërem rubiginem contrahit, & tandem dissoluta in pulverem reducitur, si ad ignem uratur, & detur cum succ. imperatoriæ à ℈ j. ad ʒ j.

Succus quoque rutæ multum hìc facit, qui in quibusdam alvum subducit, in aliis vomitum ciet, utplurimum verò insensibiliter agit.

Ruta sicca pulv. ad ʒ ij. in veteri cerevisia multum præstat ad longum tempus continuata.

Item Gracculi exenterati & optimè deplumati, cum sem. cumin. & aneth. an. repleti, clibano siccati & tenuissime pulverizati multum in hoc affectu laudantur. Dos. cochl. j. aut ij. mane jejun. tribus diebus ante & post plenilunium & novilunium.

Pilulæ sequentes multum valent.

℞. Rad. Pœon. mar. siccat. ℥ ij. rad. valerian. utriusq; an. ℥ j. rad. oxylapath. rhabarb. Monach. oxalid. scorzoner. Hispan. an. ʒ vi. fol. betonic. visc. querc. an. m j ß. flor. anth. stœchad utriusque calendul. galeg. an. p. iv. flor. til. lil. convall. primul. veris an. p. 3. sem. Pœon. nigell. Rom. an. ℥ ß. cortic. exter. citr. & aurant. an. ʒ iij. caryophyl. mac. an. ʒ j. f. decoctio in aq. ceras. nigr. card. bened. ulmar. meliss. mox expressio fortis & per manicam colatura: In qua dissolv. aloës succotrin. ℥ iv. f. lent. igne coagulatio ad mellaginem.

℞. Fol. senn. mundat. minutissimè incisorum ℥ iv. rhab. Elect. ℥ ij. Infund. per biduum in aq. Pœon & cichor. q. s. idque in balneo: mox. f. expressio lento calore coagulanda & miscenda cum prædict. mellagine: reduc ad consistentiam pilular. Dosis ℈ j. vel ʒ ß.

Elect. de sassafras carminativum sequens multum conducit, si ventriculus & intestina flatibus turbentur.

℞. Lign. sassafr. fragrantiss. ℥ ij. lign. Rhod. ℥ j. rad. valerian. utriusque gentian. aristoloch. rot. enul. camp. an. ʒ vi. fol. sicc. absinth. Rom. menth. hyssop. puleg. dictamn. Cret. an. ℥ ß. flor. centaur min. hyperic. sambuc. an. p. 3. bacc. junip. matur. ʒ i ß. Omnia sicca concis. & contus. coq. in q. s. hydromel. malvat. vel ejus defectu in vin. Canarin. tenui, f. expressio fortis & colatura per spongiam vel arenam, & tandem coagulatio ad mellaginem: de qua recipe ℥ viii. pulv. subtiliss. cort. sassafr. ex radice ℥ ß. fol. rut. cortic. laur. an. ʒ iij. spec. diacymin. nostri ʒ vi. flaved. citri, aurant. sicc. an. ʒ ij. sal. absinth. tartar. an. ʒ ij. syr. menth. maj. Mesue q. s. f. Electuar. ad usum dictum.

Victus sit tenuis & siccans. Vitentur vaporosa, vinum præsertim generosum. Repletio omnis mala. Cœna sit parca, aut nulla: & habitu athletico sæpius imperandum jejunium. Vescatur caricis assatis, passulis & prunis coctis; amygd. pistachiis, & pane bis cocto anisato. Conveniunt quoque pulveres digestivi post pastus

pastus & ad lecti ingressum. N. B. diætam distinguendam esse prout casus est pituitosus & viscosus, aut salinus; in illo enim casu attenuantia conveniunt, in hoc temperantia & acrimoniam demulcentia. Abstineat à lacte, fructibus multis & piscibus.

Exercitium sit constans, & alvus fluida servetur.

Si ventriculus flatibus repleatur & concoctio non rite procedat, præscribatur talis pulvis pepticus.

♃. Laminar. panis albiss. vin. malvat. sæpius infus. & siccat. ℥ij. cort. citr. sicc. ℥ j. sem. anis. fœnicul. d. an. ℥ß. Cran. human. præp. coral. rubr. præp. marg. præp. an. ℥ i ß. succin. alb. præp. ʒ j. cinamom. inter. ʒ ij. ambr. gris. ʒß. sacchar. albiss. quadruplum, m. f. pulvis. Dosis cochl. ß. aut j. post singulos pastus.

Aliquando soleo juscula medicata præscribere, pullum viz. infarciendo C. C. ebor. lign. Rhod. rasur. junip. visc. querc. cartham. coquendo & addend. calend. hyssop. meliss. chærephyl. cichor. endiv. &c. In jusculo post colaturam dissolv. crem. tart. cum aliquot guttis sp. vitrioli sequentis.

♃. Vitriol. Ungar. proprio phlegmate imbut. ad siccitatem redact. (ut artis est) septuplici cohobatione ℔ iij. corall. rubr. ℔ j. Irrorentur optimè in retorta cum sp. junip. lil. convall. an. ℔ ß. distilla per gradus ad summum usque & rectificetur, & per vitrum pulverizatum filtretur.

♃. Succin. subtiliss. trit. ℔ j. cran. hom. suspens. limat. cornu junioris cervi an. ℔ß. Pulverizatis affunde aceti acerrimi distillat. q. s. f. infusio per quatriduum, mox decanta, & cum sp. vini f. tinctura. quæ servetur per se, & magma pellatur per retortam, & colligatur sal volatile collo retortæ adhærens, cui affundatur sp. vitr. extractus ut suprà, digerantur per quatriduum in cineribus in vase collo oblongo, mox in reverberio clauso distilla ad summum usque per gradus. Hic spiritus misceatur cum jusculis guttatim.

Vel ♃. Sp. tart. rectificat. super cineribus rorism. juniper. guajac. ℔ß. sp. buxi & lign. Rhod. rectificat. an. ℥ ij. sp. vitr. suprà præscript. ℥ iv. m. & rectifica. Guttæ aliquot instillentur jusculis.

Vel ♃. Crem. tart. alb. ℥ iv. instilla sp. vitriol. ℥ß. sensim & guttatim: de hoc cremore dissolv. ʒß. in jusculo.

Vel denique huic usui Oxoronia Zving. optimè convenit.

♃. Urin. hominis sani & vinum bibentis ℔ ij. vitriol. Ungar. ℔ iij. m. putrescant simul per 12. dies, dein distilla per gradus ad ultimum usque spir. rectificetur ad usum.

N. B. Juscula usurpentur quotidie mane per annum.

Potus medicatus f. è decoct. rad & sem. Pœon. mar. additâ mellis despumati parte octavâ, & magnâ quantitate bacc. junip. & fermentetur ad perfectam puritatem, & lagenis indatur ad usum. Sum. haustum extra pastus, & post singulas specificorum dos.

Vel ♃. Rad. Pœon. mar. ℥ iv. lign. Rhod. bux. an. ℥j. sassafr. cum cortic. ℥j. fol. beton. chamæp. an. m. ij. flor. paralys. beton. Pœon. an. p. 4. lavend. bux. an. p. 2. summit. rorismar. majoran. an. p. j ß. sem. Pœon. ℥j. rut. ℥ß. bacc. junip. ℥iij. spong. bedeguar. ℥j ß. nuc. mosch. mac. an ʒij. aq. font. galon. 4. Coq. ad unius consumption. Colaturæ add. mell. despumat. ℔ viii. ferment. allæ recent. ℔ iv. fermentetur per dies 7. tunc add. allæ recent. cong. 2. fermentetur adhuc per dies 7. Depromatur in lagenas ad usum. Usurpatur ut suprà.

Potui diætet. addo aliquando rasur. C. C. ebor. Cran. human. sarsæparil. rad. filic. scorzoner. (& in casu melanchol. fol. agrim. ceterach. adiant. &c.) sem. cochlear. Batavic. nasturt. hortens. (in casu viz. scorbutico) bacc. heder. murar. cortic. pomor. redolent. Aliquando linteo includo ceruss. antim. fixiss. ℔ j. & potui infundo, ut quoque squamas Martis inter cudendum deciduas præcipuè si sit melancholica.

Ad paroxysmum fugandum convenit aqua stillatit. seq.

♃. Rad. aristol. utriusque, gentian. enul. chelidon maj. cyper. caryophyllat. an. ℥ij. zedoar. galang. calam. aromat. an. ℥ j. valerian sylv. & hortens. vincetox. Pœon. mar. an. ℥iij. visc. querc. & coryl. an. ℥i ß. fol. sicc. menth. meliss. chamæpit. absinth. centaur. min. hyperic. puleg. hyssop. thym. satureiæ, major. rorism. an. m. j. fol. laur. m. ij. malabathr. ℥ß. flor. calend. primul. veris, galeg. stœchad. an. p. iv. bacc. juniper. ℥iv. cort. aurant. citr. an. ℥ v. pullos picar. nu. 4. pullos hirund. nu. 8. Hisce rite præparatis affunde sp. juniper. ℔ ij. aq. flor. til. lil. convall. ceras. nigr. sang. cervin. vel human. ex vitr. ad siccitatem magmatis distillat. an. ℔ j. hydromel. malvat. ℔ iij. digere per octiduum in B. vaporoso: dein. distilla in B. M. ad medias: Residuus liquor coletur, magma exprimatur, & post residentiam f. distillatio ad mellaginem.

♃. Aquæ stillatit. hujusmodi ℔ j. theriac. vet. ℥ij. mellaginis extract. ℥ j. sp. vitriol. supradict. q. s. ad gratiam (viz. ʒj.) m. & digere per triduum in B. vaporis in vase oblongi colli: cola per chartam, & usui servetur in phiala vesicâ optimè clausa. Sumat cochl. unum aut alterum cum paroxysmus instare percipiatur, imo in paroxysmo.

Huic addo aliquando verm. terrestr. ℔ j. rad. cyclam. flor. lavend. vitriolum Ungaricum aut Roman. ad ℔ ij. rad. brion. &c. Ad ℔ iij. hujus liquoris addo camph. ℥j. sal. succin. volat. ℥ß. myrob. ℥ij. cohobo in B. M. quater, ultimâ vice pro ℔ j. hujus liquoris add. sp. castor. ℥ij. sp. vitrioli antiepilept. ʒij. aq. ardent. ceras. nigr. per fermentat. ℥ iv. sp. Saturn. ardent. ℥j. syr. Pœon. stœch. an. ℥j ß. m. Indatur nodulus ex lign. aloës ʒij. cinam. ʒ iij. ambr. gris. ʒ ß. mosch. (nisi sit pro fœminis) gr. vi. camph. ʒ j m. sumatur cochleatim in paroxysmo.

Vel ♃. Succ. rut. & scord. an. ℔ j succ. calend. salv. betonic. an. ℔ ij. rad. brion. recent. ℥ viii. rad. Pœon. mar. recent. ℥ vi. baccar. junip. matur. recent. ℔ j. flor. anth. stœchad. Arabic. an. ℥ iij. flor. lavend. ℥j. castor. opt. ℥ß. cinam. ℥ iij. caryophyl. ʒ vi. mac. ℥ß. succ. ceras. nigr. ℔ iv. vin. Hispan. ℔ vi. Diger. per octiduum in fimo, deinde per B. aqua eliciatur. Aromatis. ambra & moscho: v. g.

♃. Hujus aq. ℔ j. ambr. gris. ℈j. mosc. orient. gr. 4. m. & f. iterum distill. Cap. cochl. j. in paroxysmo.

Electua-

Electuarium hoc etiam in paroxysmo præscribo.

♃. Pulv. de guttet. ℥iij. secundin. mulier. præp. ℥ij. castor. ʒß. camph. ʒij. sal. volatil. succin. & cran. human. rectif. an. ʒjß. m. & cum q. s. syr. alicujus appropriat. f. Opiata. Dosis à ℈j. ad ʒj. in aq. Langii exhibend.

Aliquando addo theriac. confect. alkerm. spec. diambr. visc. querc. lap. contrayerv. &c.

Pulvis de gutteta multum quoque valet in paroxysmo, qui talis est.

♃. Rad. Pœon. mar. sem. ejusdem, succin. alb. præp. crystall. rupis præp. C. C. vitriolat. an. ʒiij. Cran. human. vitriolat. & crud. an. ℥ß. calam. aromat. visc. querc. rasur. lign. bux. an. ʒijß. coral. rub. corallin. rad. valerian. sylv. spong. bedeguar. an. ℥ij. nuc. mosc. flor. lavend. an. ʒj. secundin. mulier. ʒj. ʒvi. & ℈j. ambr. gris. pro quaque uncia ℈j. fol. aur. & argent. minutim. concis. nu. 24. m. f. pulv. Dos. à ℈j. ad ʒj. in adultis. Detur in liquore seq.

♃. Aq. flor. til. lil. convall. ceras. nigr. an. ℥iij. aq. capit. cervin. rubr. ℥ij. sp. castor. per infus. ℥j. syr. flor. Pœon. papav. Rhœad. caryophyl. an. ʒx. confect. alkerm. (in adultis) ʒij. sp. vitrioli Philosoph. (qui est residuum ex mercurii vitæ ablutione) q. s. ad gratiam. Detur cochl. 1. vel 2. in paroxysmo.

In paroxysmo naribus admoveantur medicamenta ex succino, gagate, carbone lapideo, plumis combustis, ruta, assa fœtida, galban. castor. camph. &c.

♃. Sp. vitr. ℥ij. affund. coral. rubr. subtiliss. pulverizat. ℥ß. rad. Pœon. mar. ʒj. digere ad lenem calorem per dies 3. aut 4. corallium redigetur in pulticulam albam, f. residentia per dies aliquot, & supernatabit liquor, de quo sume cochl. 1. aq. Pœon. aut rutæ cochl. VII. sal. verben. ʒß. m. pro una dosi post paroxysmum statim exhibenda: item ad præcautionem ter aut quater.

Si oriatur Epilepsia ab aliquo affectu uterino, educantur fœces ex alvo per clisterem. Instituatur Vomitorium ex vitr. albi ℈ij. cum conserv. ros. rubr. ʒij. Præscribatur apozema aperiens, hepaticum, spleneticum, hystericum & purgans. Instituatur item purgatio solennis cum pil. cephal. Galeni min. Præparentur humores viscidi in mesenterio, & attenuentur, idque oxymelite sequenti, bis in die sumendo cochl. 1. per se.

♃. Rad. eryng apii, fœn. rusci, taraxac. mund. an. ℥j. cortic. median. fraxin. heder. arbor. an. ℥iß. rad. ireos Florent. nostrat. asar. (in vin. alb. priùs lot.) scill. ebul. an. ʒvi. filic. fœmin. Pœon. mar. visc. querc. an. ℥ij. fol. marrub. alb. hyssop. puleg. calament. thym. dictamn. Cretic. an. m. 1. flor. genist. p. 3. sem. Pœon. ℥j. ocym. alkekeng. an. ℥ß. spic. nard. calam. aromat. an. ℥iij. cortic. exter. citr. sicc. ʒv. Præparata omnia s. a. infund. per triduum in ciner. calid. vase vitreo probè obturat. in acet alb. sambucin. vel simpl. acerrimi. q. s. ad 4. digit. supernat. mox f. expressio; & colaturæ add. mell. Narbonens. despum. sacch. cand. pulver. an. ℔j. Coq. (non in vase cupreo) ad aceti consumpt. aromatizetur cinam. mac. costi, caryophyl. an. ʒjß. suspendendo in nodul. inter coquendum M f. oxymel ad usum prædict.

De Uterinis in specie vide in cap. de Mensium obstructione.

Si oriatur à melancholia, aut à lienis obstructione aut affectu alio, purgetur æger pil. nostris cathol. à gr. 20. ad 24. aut pil. Tralliani de lap. Armeno, & repetantur ter quaterve ante usum Martis, & in usu ejusdem undecimo quoque die.

Pro chalybeato sumat bolum seq. ad 30. dies.

♃. Sacch. alb. duri ℥VIII. animæ hepatis ℈XII. aut ℥ß. m. f. pulvis subtilissimus in 30. partes dividendus, & cum syr. violar. q. s. m. f. bolus ex quaque dosi pulveris mane sumendus, superbibend. liquorem posseticum, moderatè corpus exercendo.

Cerevisiæ pro potu ordinar. indatur squama ferri optimè purgata & ignita.

Vinum chalybeatum medicatum tale optimè convenit.

♃. Limatur. chalyb. ℔ß. polypod. querc. rad. valerian. sylv. vincetoxic. cyper. recent. an. ʒVI. lign. Rhod. cort. lign sanct. an. ℥ß. fol. sicc. meliss. rut. ceterach. an. ʒiijß. bacc. junip. rec. ʒv. visc. querc. sem. Pœon. mar. an. ʒijß. caryoph. mac. cinam. an. ʒij. Limatura irroretur bis vel ter aceto sambucin. & siccata teratur; dein in ampulla vitrea ampla affund. omnibus mixtis vin. alb. generos. ℔VIII. obturetur exactè; locetur super furnum pistoris per dies 15. sæpiùs commovendo. De colatura sumat ℥IV. alternatim cum sero lactis oxymelite depurato ad ℔j. sacchar. rosato edulcorato.

Quibusdam multum profuerunt aquæ Tunbrigenses.

Hirudines quoque hæmorrhoidibus applicentur.

Instituatur quoque balneatio in aqua ferruminosa, aut aqua dulci.

De Antimelancholicis in specie vide in capite de Melancholia hypochondr. quæ cum antiepilepticis specificis sunt admiscenda.

Si flatus adsint (uti sæpissimè in Melancholicis evenit) bis in die ventric. foveo fotu seq.

♃. Rad. aristoloch. utriusque, gentian. enul. camp. angelic. an. ℥ij. lign. Rhod. cort. citr. aurant. an. ℥ijß. fol. absinth. utriusque, menth. nasturt. hortens. costi hortens. an. m. 2. summit. rut. origan. puleg. serpyll. an. m. 1. bacc. laur. junip. an. ℥iß. caryoph. nuc. moscat. an. ℥ß. zinzib. ʒVI. Include sacculis duobus & decoque in aq. fabror. part. 8. & una acet. sambucin. acerr. addendo quartam partem vini muscatellin. F. fotus mediocriter calidè applicand.

Post fotum utor linimento seq.

♃. Ol. lil. alb. rutac. an. ℥j. ol. express. nuc. moschat. ʒij. ol. anis. rorismar. baccar. junip. an. ʒß. m. f. linimentum pro regione ventriculi.

In pueris epilepticis, vel ob dentitionem convulsis, pulvere seq. optimo cum successu usus sum.

♃. Pulv. nostr. antiepilept. (suprà descript.) aut secundin. mulier. ʒij. rad. valerian. sylv. viper. Virgin. contrayerv. an. ʒj. C. C. vitriolat. magister. vel sal. coral. an. ℈IV. lap. bezoar. Orient. & Occident. ambr. gris. an. ℈ij. camph. ʒß. fol. aur. argent. ana num. 12. (vel quod melius aur. fulminant. crystall. Dianæ ana gr. 15.) m. f. pulvis subtilis, cui add. cinnab. mineral. in alcohol. redact. ʒv. & gran. 15. Phialæ fidelissimè obturatæ indatur ad usum.

Dos.

Dos. à gr. 12. ad 30. ad singulas Lunæ quadras ad præcautionem, aliàs statim post paroxysmum. Convenit hîc quoque Mercurius præcipitatus solaris per se præcipitatus: & pulvis de gutteta suprà descript.

In infantibus usus sum inunctione cum linimento seq. per totum caput, abrasis capillis.

♃. Lumbric. terrest. ℔j. catell. ping. lactant. exenterat, & per frusta sect. num. 2. ol. com. ℔j. ol. amygd. dulc. recent. ℥ß. vin. alb. generosiss. ℔ ij. bulliant ad animalium putrilaginem, sub finem addend. flor. primul. ver. m. iv. viol. m. iij. flor. keyr. m. ij. Exprime, & adde medull. crurum vituli ℥ iij. sperm. cet. rec. ℥ ij. m. Huic addi potest pro re nata ol. de castor. & keyr.

Soleo quoque mane & vesperi exhibere ℈ j. pulv. Cran. human. è cochl. cum syr. viol. Si suspicio sit vermium, exhibeo conserv. ros. rub. cum sp. vitrioli nostro acidulatam.

Ad roborandum caput sine insigni calefactione applicetur Empl. seq.

♃. Empl. diachalcit. ℥ij. diachyl. ireat. ℥iß. de betonic. ℥ j. cum tantill. ol. catell. f. empl. Si calidius velis, adde pulv. succin. salv. lavend. &c.

D. de la Mer. dicit, se multos curasse Medicament. seq.

♃. Acet. acerrimi (vin. viz.) q. s. distilla in alembico lato & amplo plumbeo novo aut saltem abraso (rosario dicto) evocetur phlegma relictis sp. acrioribus. Dos. ℥ iij. Vomitum movet non nimis violentum, & potenter expurgat ventriculum sine ullo pravo symptomate. Pro fuco coloretur cum santal. citrin. odorque concilietur cum grano moschi. Quidam distillant in alembico cujus fundum sit cupreum & capitellum plumbeum, & post distillationem ad mellaginem, totum simul commiscent. Pueris exhibeatur à ʒ ij. ad ℥ß. Convenit quoque in omnibus capitis affectibus difficilibus, Apoplexiâ, Lethargo, Phrenitide, oculorum & aurium inflammatione, Cephalalgiâ, &c. imò in tophis Venereis, tinea, scabie, lepra, herpete, arthriditide, &c. in obstructionibus item hepatis & lienis.

Mulier quædam sæpiùs in die ex caduco decidens, stupida, pallida, cachectica, hinc perfectè convaluit.

Empiricus quidam post universalia remedia nucham candelâ cereâ incensâ, cauterii instar, inurebat, & radices Pœoniæ in patella cum butyro frixas continuò comedendas dabat, & ita juniores & adultos magna cum admiratione curabat.

Medicus quidam Gallicus (nomine Potier) solebat dare solam cerussam antimon. per cochlearia bis terve in die per plures dies consequentes ad debellandos graves morbos chronicos (& hunc inter cæteros.) Est præparatio Angeli Salæ, & color juxta ignis gradum mutatur.

Thermæ naturales vel artificiales multum hîc prosunt, præcipuè si sit conjunctus hic affectus cum affectu soporoso. Balnea laconica usurpari possunt è vapore decocti laur. lavend. majoran. salv. calamenth. origan. puleg. stœchad. aliisque nervinis præparata.

Fontanella convenit, si sentiatur aura ab aliqua parte externa ascendens in caput, quæ aperiatur in illa ipsa parte affecta.

Sæpius Pyroticum applico inter primam & secundam vertebram colli, cujus eschara debet esse lata, & ulcus trium quatuorve pisorum capax; & diu apertum teneri: & post annum si ulcus occludi debet, fontanellas duas in scapulis latas facio. Hoc tantùm in casu desperato.

Emplastrum quoque sequens capiti raso adhibeo continuè gestandum & octavo quoque die renovandum, post ejus fotum cum vino malvatico calente & spongiis.

♃. Empl. de betonic. ℥ vi. gum. elem. carann. guajac. ladan. puriss. styrac. calamit benzoin. succin. (vel, si habeatur, balsam. ejusdem) ana ℥j. sterc. columbin. ʒx. turbith hermodact. agaric. ana ʒvii. rad. helleb. utriusque, pyrethr. ana ʒ i ß. caryoph. nuc. moschat. ana ʒ iij ß. terebinth. Venet. balsam. Peruv. nigr. (aut liquidambr.) an. ʒvii. ceræ novæ q. s. (℥ viii.) teranrur terenda ut alkool, & f. s. a. emplastrum.

Operimenta capitis suffumigare soleo mane & vesperi in ingressu lecti vitato nimio calore, idque pulvere seq.

♃. Thur. mastich. vernic. oliban. lign. Rhod. an. ʒvi. ros. rub. flor. lavend. rasur. lign. juniper. an. ʒv. sem. nigell. Roman. cortic. vivid. pistach. an. ʒiij. m. f. pulvis crassiusculus pro suffitu.

Huic suffitui addo sæpe sandarach. benzoin. styrac. calamit. succin. lign. guajac.

Periapta fiant ex lapide Ætite pulv. & cerato calefaciente excepto. Aut ex ungula Alcis f. annulus digito gerendus, aut collo suspendatur. Item Ambar. Coral. caput Cuculi collo suspensum, lapis Chelidon. qui in hirundinum pullis dissectis primo partu exclusis invenitur, quod accidit plerumq; Lunâ crescente. Item ossa Lacertæ viridis sale corrosa dum adhuc vivæ induntur ollæ & sale consperguntur. Item cingulum de corio lupi. Item rad. & sem. Pœon. mar. Rutæ sylvest. radix aceto humectata & naribus oblata; ut quoque semen ejusdem. Smaragdus integer collo suspensus. Umbilici Infantis portiuncula in annulo gestata. Batrachii rad. recens effossa.

Amuletum compositum sit tale.

♃. Lap. Ætit. rad. & sem. Pœon. mar. flor. album gerentis, batrachii an. ℥j. fol. & sem. rut. sylvest. abrotan. hyssop. an. ℥ß. ungul. dextri pedis posterioris Alcis, ossium lacertarum viridium, cineris cuculi, succin. alb. Corall. rubr. an. ʒvi. flor. lavend. stœch. Arab. an. ℥iij. lapid. chelidon. rufi mense Augusti collect. in augmento Lunæ nu. 3. 5. 7. caryophyl. ʒij. amb. gris. ʒj. mosch. ℈ j. Terantur omnia, exceptis lapidibus hirundinum, in pul. subtiliss. & cum muccag. gum. tragacanth. aq. rutæ extract. q. s. f. pasta, ex qua fiant placentulæ, quibus imprimantur sigillo quæcunque volueris, sive literæ, sive notæ aliæ: Placentula à summo ad imum transfigatur pennæ milvi calamo, cui indantur lapides chelidonii, & repleatur amalgamate ex parte una Lunæ, & tribus vel quatuor Mercurii vivi puriss. Penna obturetur subere, & cerâ Hispanicâ sive laccâ. Totum siccatum exactissimè includatur sacculo ex Corio lupi, tegatur syndone coccineâ, & suspendatur è collo loro serico coccineo, ita ut os stomachi attingat. Gestetur continuò. Potest placenta sine involucro, aureo vel argenteo circulo lævissimo circumsepta, suspendi ex collo, ita ut immediatè nudam cutem tangat.

Mihi contingit Casus cujusdam qui post varia medicamenta incassum exhibita tandem in febrem incidens intermittentem, transactis aliquot paroxysmis perfectè convaluit. *Theod. de Majern. Prax. Medic. lib.* 1.

Licet insanabilis putetur epilepsia, plerique tamen ab illa evaserunt. Verùm recens, in pueris, breves habens, & leves paroxysmos, atque à causis evidentibus excitata, facilioris solet esse curationis; Diuturna verò, hæreditaria, in senibus, crebriùs repetens, & diutiùs perdurans, cujus etiam occulta causa est, vel nunquam, vel difficillimè curatur. De ea autem scribit Hippocrates 2. *Aph.* 45. Quicumque Juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur. Et 5. *Aph.* 7. Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt; Quibuscunque autem vigesimoquinto anno, ferè commoriuntur, & *eodem libro* 1. 70. A quartanis capti non admodum convulsionibus capiuntur; si verò priùs capiantur, & quartana supervenerit; liberantur. Idem etiam repetit 6. *epid. sect.* 6. quartanâ correpti à magno morbo liberantur.

Remedia Medici distinguunt, nedùm pro causarum, sed etiam pro temporum diversitate. In ipso paroxysmo omnem industriam adhibent ut quàm citiùs fieri potest æger in sensus redeat; In posterùm verò præcavere conantur, ne denuò illo corripiatur, pervestigatis scilicet causis, undè fomitem is habeat, & repetitionem, iisque pro re nata, domitis, vel expulsis.

Ad primum, plura solent in hanc rem adhibere: extremas partes arctè obligant: nares, tempora, & palatum oleo succini, rutæ, Castorei, aliove inungunt: podici supponunt balanos acres ex felle, aut sapone Genuensi: scapulis, & cruribus cucurbitulas cum frictionibus, & cutis incisione, admovent: Capillos evellunt, aut cum spiritu vini cremant: ungulam Alcis, quæ à proprietate dicitur epilepticis succurrere, collo suspendunt: fortiora enemata injiciunt: acerrima violenter in os immittunt, maxillas diducunt & lignum aliquod interjiciunt, ne à dentibus vehementiori motu compressis lingua scindatur: neque desunt, qui in aures cantilenas quasdam insusurrent, aut inclament.

Alii solis anti-epilepticis patientes blandiùs curant, ductus cum cerebro consentientes roborando, fovendoque spinam, essentiis capitalibus, ut lavendulæ, Castorei, rutæ sylvestris, salviæ, rorismarini, succini, opobalsami. Quare ad excitandos epilepticos immittit in nares succum rutæ ad unciam semis cum Castorei drachma una Rodericus à Fonseca. Intrudunt etiam in os anti-epilepticum aliquod medicamentum, ex his quæ infrà referemus. Quod autem nonnulli affectos erigunt, illorumque brachia, & crura à motibus cohibent, vel in hoc, vel in illo situ constringunt, sternutamenta moventia naribus indunt, cucurbitulas, & incisiones adhibent, diversisque modis patientes asperiùs tractant, & paroxysmi morem interturbant, & Naturæ conatus impediunt: hujusmodi enim Praxis sæpissimè perperam instituitur; quoniam hoc pacto duplex Naturæ molestia: altera nimirùm à morbo, & altera non levior à Medentibus intentatur; cùm longè præstitisset sinere paroxysmum juxta morem suum transire, & laborantes unicâ tantùm plagâ affligi; sapienter quidem concludit Willisius *de morb. Convuls. cap.* 3. solùm vomitoria conferrent plurimùm, si à ventriculi gravamine æger convelleretur, & natura per eam partem seipsam exonerare tentaret.

Ad secundum, Prophylaxim variè instituunt, pro varietate causarum, & partium quas putant affectas. Qui in Idiopathica epilepsia obstrui arbitrantur cerebri ventriculos crassis, viscosisque succis, toti sunt in evacuando; neque solùm per ea, quæ alvum laxant, aut vomitum movent, sed etiam per errhina, caputpurgia, cauteria, tùm sincipiti, tùm collo, tùm brachiis, & tibiis adhibita. Quinimò Petrus Salius Lusitanus Diversus, & Zacutus, etiam sanguinem mittendum aliquando suadent, arbitrati dari posse epilepsiam à sanguine. Exhibent similiter decocta capitalia dicta, ad extenuandos humores, eosque per cutim educendos; ac præterea nonnulla alia medicamenta, quæ ipsis dicuntur à proprietate occulta epilepticis opitulari, & imminentes paroxysmos præcavere. In sympathica verò, præter ante dicta, quæ cerebro succurrunt, offerunt quoque quæcunque malè affecta viscera, unde labes tanti mali provenire creditur, repurgent, & moderentur.

At Hippocrates præter usum Hellebori utriusque, sed præsertim albi quo vomitus provocaretur commendavit Pyrethrum. Et Galenus usus est oxymelle, tùm simplici, tùm scillitico.

Qui vaporibus acribus, maligna conditione cerebrum stimulantibus, causam hujus affectus attribuerunt, ipsis retundendis, & castigandis incumbunt, atque insuper humores ex quibus illi elevantur, appositis medicamentis educere conantur; non neglectis interea, quæ visceribus consentientibus occurrant.

Sylvio Leboë commendantur quæ salem possident per lixivium parandum, tùm fixum, tùm volatilem; ut Ruta, Polium Montanum, Pæoniæ semina, & radices, etiam valerianæ, & Dentariæ; Liliorum convallium, & Tiliæ flores, viscum quernum, & Corylinum. similiter spiritus, & sal volatile C. C. Castoreum, Corallium, succinum, Hirundines, Picæ.

At verò Gerardo Blasio visum est curationem absolvi per emendationem causarum irregularem motum in musculis efficientium. Quamobrem spiritus tenuiores, & mobiliores alterandos præcipit refrigerantibus, & opiatis: Nervos obstructos aut compressos, reserandos, & amplificandos: vitiosos humores purgandos, & corrigendos; roboratis tamen partibus ad illorum generationem dispositis, & Cephalicis anti-epilepticis remediis congruenter adhibitis.

Paulus Barbette purgantibus insistit, & lympham temperantibus; neque verò omittit, caput roborantia, simul cum visceribus compatientibus, sed præcipuè anti-epileptica tum simplicia, tum composita.

Willisio Therapeia instituitur, primò per emeticum, si æger vomitionem toleret, & quidem usu salis vitrioli in tenerioribus; croco metallorum, vel mercurio vitæ in adultioribus. Secundò per phlebotomiam, vel affixas hirudines. Tertiò per medicamentum Catharticum. Quartò per specifica anti-epileptica. Quintò per cauteria, & vesicantia, itemque emplastra Capitalia, sternutamenta, enemata, decocta: atque his non proficientibus per diaphoretica, & salivam educentia.

Non dissimiliter procedit Chesnau. Nam instituto in primis victu tenui, & exiccante, parumque calefaciente, prohibitoque vini, & veneris usu, ab enemate incipit, cujus peculiarem descriptionem habet: mox venam cephalicam utramque aperiendam præcipit; postmodum purgat bis saltem in mense. Ad hæc utitur specificis, sed præsertim potione, qua se expertum dicit, composita ex aquæ Pæoniæ ℥ iij. Theriacæ veteris ʒ j. Spiritus vitrioli gutt. iv. sumenda tribus horis ante prandium. Neque negligit externa, ut emplastra, pulveres capiti deraso inspergendos, cauteria, & reliqua respicientia partes, undè malignus vapor ad cerebrum exhalat, ut fusiùs apud ipsum est legere.

Hermetici, quia morbum hunc cum Paracelso vitriolatum appellant, in spiritu vitrioli viridi illius curationem collocant, illumque præ omnibus aliis remediis proprium, & præsentaneum fatentur: Cujus descriptionem, præparationem, & usum refert Quercetanus *in Tetrade gravissim. cap. affect. cap.* 30. Transcribit etiam Idem Author ibidem ex Paracelso anti-epilepticum aliud medicamentum ex vitriolo pariter, aliisque simplicibus compositum. Commendant præterea Paracelsistæ plura alia ad hunc affectum penitùs extirpandum, tùm purgantia, tùm specifica medicamenta ex Mercur. Antimon. Cinnabar. Antimonii, Cinnabari fossili, &nativa, helleboro, cranio humano, & Coralliis elicita, quæ præ cæteris referunt, & describunt idem Quercetanus, Crollius, Hartmannus, Grullingius, & Rolfinchius.

Helmontius multa adversus epilepsiam sparsim retulit, præsertim verò ungulam Alcis affrictam, appensamque instar Amuleti: Sympathicè enim ait epilepticos impetus paulatim arcere, sed assiduo usu effœtam, & inefficacem reddi. Hirundinibus etiam magnam vim attribuit. Alibi commendat salem volatilem sanguinis humani, & salia volatilia vegetabilium cephalicorum. Itemque tam Adultorum, quàm Infantium epilepsiam curari dicit Spiritu salis Cruoris.

Quoniam verò ab experimentis innotuit epilepsiam à constitutis quibusdam causis, superiùs memoratis, oriri posse, quæ nisi auferantur, impossibile sit illam curari, propterea peculiaribus remediis, eisdem occurrendum. Quare Abscessus, vel præcaveatur, si immineat, vel ad resolutionem, modis suprà relatis, perducatur, si jam factus sit, vel alio artificio digeratur, & expurgetur. Idemque opus in ossis calvariæ carie omnino adhibendum.

Si per consensum ventriculi fiat, præter vomitoria, vel subducentia medicamenta congruenter adhibita, specialiter de eo roborando, deque corrigendis succis in eum confluentibus, ratio habenda erit: in quem usum summè conferent electarium baccarum Juniperi, spiritus earumdem, elixir proprietatis, spiritus mastiches, pulvis stomachicus Quercetani, pilulæ Rufi, Oleum Cinnamomi, essentia menthæ, aut salviæ, electuarium absinthii, decoctum cooffe: eoque magis, si cum his commisceantur anti-epileptica.

Si ab Hypochondriorum vitio, atque scorbutica affectione, dependeat, ad Anti-scorbutica deveniendum, spiritum cochleariæ, beccabungæ, nasturtii aquatici, raphani; non omissis acidum retundentibus alkalicis, & ex chalybe compositis medicaminibus.

A retentis secundinis, & Placenta, nedum sternutamenta evocantia proderunt, commendata ab Hippocrate 5. *Aphor.* 49. Verùm etiam hysterica dissolventia, ut radix dictamni, valerianæ, aristolochiæ: extractum granorum actes, fæcula bryoniæ, trochisci de myrrha, extractum Castorei, & hyperici, Tinctura succini, essentia Croci.

Si à vermibus, illi necandi, & deturbandi medicamentis ad id comparatis, quæ suo loco referemus. Pari modo in reliquis causis agendum.

Inter purgantia (cùm corpora sunt succi plena) præstant extractum catholicum, Hiera picra, Pilulæ cochiæ, trochisci alhandal, extractum agarici, resina jalapæ, oxymel scilliticum, anthosatum dictum, pulvis Comitis de Warvich, extractum hellebori nigri, Pilulæ ex tribus Galeni, Barbettianæ, & similes.

Præ cæteris prodesse speciatim experti sunt Medici hæc ab effectu anti-epileptica vocata: suntque Radix, & semen Pæoniæ ex Galeno, & Zacuto; ejusque elixir ex Mynsicht: Radix valerianæ sylvestris ex Riverio: Radix Dentariæ, ejusque aqua: semen saponariæ ex Borello: Ruta crucigera, ejusque succus ex Langio: viscum Quercicum ex Boyle, aut etiam Corylinum, illiusque oleum Rulando celeberrimum: Carduus, & millefolium ex Cratone: essentia lavendulæ, spiritus cerasorum nigrorum; saxifras, liliorum convallium, & florum tiliæ, ac verbenæ pulvis ex Mizaldo: Frutex sambuci in salice inventi ex Hartmanno; unde Amuletum ipse componit, quo curari posse, ait, etiam qui longissimo tempore hoc morbo laborarunt; comprobatque Thomas Bartholinus *in Cent. hist.* 4. 69. Pulvis radicis Phu, seù valerianæ sylvestris ex Fabio Columna, & Panarolo: Acori radix contusa, & in potum exhibita ex Heurnio: succus Aquilegiæ ex A. Gassero: Radices Arthemisiæ annosæ emortuæ ex F. Deckers: Fumus nicotianæ, seu Tabaci ex Riverio.

Similiter hepata Ranarum, quorum præparationem, & usum memorat Hartmannus: Cerebrum humanum, ejusque spiritus ab eodem descriptus: Castoreum ex Galeno, illiusque extractum: Jecur lupinum ex Borello: spina dorsi mustelæ fluvialis, ipsiusque sanguis, quo se vidisse sanatum epilepticum viginti quinque annorum refert Hor. Augenius:

nius : Caro lupi in pulverem redacta, & fel catelli nigri ex Riverio, quod usitatissimum in Anglia testatur Schlegius : Pulvis corvinus, quem ex Gesnero summum secretum esse scribit Reusnerus : Aqua Picarum, & Hirundinum ex Rondeletio : Ipsæque Hirundines in pulverem redactæ ex Forestio : Pulvis secundinæ primiparæ ex Finckio, & Deckers: Cranium humanum, ejusque extractum, spiritus, sal volatile, magisterium, oleum ex Paracelso, Quercetano, Hartmanno, Schrodero, Sennerto. Sanguis humanus ex Thoma Bartholino, qui pro Amuleto haberi quoque ait lapidem nephriticum collo suspensum : spiritus ejusdem sanguinis humani ex Helmontio: stercus Pavonis in pulverem contritum ex Cratone, Borello, & Riverio: Cornu Cervi crudum, vel ustum, ejusque spiritus, & sal volatile ex Hartmanno, Sennerto, & Grullingio : Lotium vaccinum ex Libavio : vesica Apri cum lotio in clibano exiccata; vel testes ejusdem, & Galli ex H. Augenio : Pulvis lumbricorum terrestrium ex Heurnio.

Præterea Cinnabaris nativa Craton. & River. vel ejus loco cinabrium Antimonij, F. Hofmann. Succinum, atque illius magisterium, oleum, sal volatile, Tinctura, Quercet. River. Chasnau : Pulvis chrysoliti Cardan. Smaragdus digitis gestatus A. Boet. vel cum Corallio ut carnem contingat, Zecch. Corallium rubrum, cujus grana x. cum materno lacte exhibita ante omnem alium cibum, vel potum puellos ab epilepsia tueri tradit Villanovanus, & Camillus Leonardus, atque ab his testantur idem, Boëtius, & Hoëferus: Crystallum præparatum, & simul cum smaragdo, & Corallio rubro exhibitum, Sennert. Bezoarticum lunare, & dialuna Mynsicht.

Inter composita demùm, & usu magis comprobata recensentur Aquæ, Pulveres, electuaria, Potiones, emplastra, & olea.

Ex aquis, ut est quæ P. Barbette mirabilis dicitur : hic sapon. hisp. albiss. ʒß. Coq. in lacte vaccino, & Col. ℥iij. exhib.

Item quæ ex Hirundin. xc. rutæ m. ij. Castor. ℥j. vini albi lib. iij. destillat. in B. M. & servatur usui. Dosis cochlearia duo in paroxysmo, vel manè, extra paroxysmum, etiam in inveterata epilepsia, apud Guil. Rondelet.

Vel facilius : Hirundines juvenes q. v. Contund. & cum Castor. m. add. mod. acet. acerr. destill. more solito.

Aliam aquam stillatitiam describit, & extollit H. Augen. *tom. 2. epist. & Consil. lib. 8. epist. 2.* Describitur & alia à B. Sylvatic. *cent. 1. observ. 47.* ex hirundinibus, & Picis, additis variis simplicibus anti-epilepticis, quæ ab eodem mirabiliter commendatur.

Ex potionibus, & julapiis : Aq. beton. & flor. tiliæ singul. ℥ij. Aq. fœnic. vitæ Matth. & anti-epilept. Langii, singul. ℥j. spirit. sal. Ammon. ʒß. Tincturæ Castor. gutt. x. flor. hyperic. ʒj. laud. opiat. gr. iv. ol. succ. gutt. v. Syr. stæchad. ℥j. m. & singulis diebus ad minimum cochlear unum, aut alterum quater exhibet Deckers ad Prax. Barbett.

Aliud : Ther. vet. ʒj. aqu. Pæon. ℥vi. spirit. vitriol. gutt. iv. expertum dicit Chesneau.

Pro infantibus verò : Aq. flor. tiliæ, & fœnic. singul. ℥j. Syrup. stæchad. & diacod. singul. ℥ß. spirit. sal. Ammon. ℈ß. Ex eodem.

Ex opiatis, & electuariis : Pyrethr. stæchad. & Cost. singul. ʒx. agar. ʒv. sem. Carui, anethi, assæ fœtidæ, & aristolochiæ rotundæ singul. ʒij ß. succ. squill. & mell. elect. singul. lib. 1. & ℥ij. Coq. simul scill. & mel lento igne usque ad consistentiam, deinde superadd. specieb. f. elect. Dosis omni mane ʒiij. quatuor horas ante cibum. Ex Montagnana.

Aliud : Cons. flor. beton. & anth. singul. ℥ij. Rad. eryng. condit & mithrid. singul. ʒj. pulv. lign. sassafras ʒvi. Castor. ʒiij. Cran. hum. non humati, & ungulæ Alcis singul. ʒij. Rad. & semin. Nigell. rutæ sylvestr. & radic. pyreth. singul. ʒj. oxymell. q. s. f. opiata. Dosis ʒij. vel iij. singulo mane. Ex Riverio. Utraque morbum radicitus tollere dicuntur.

Ex pulveribus : Castor. Cran. hum. ungulæ Alcis, C. C. calcinati, stybij præparat. opopon. sanguin. drac. & lapid. ætit. singul. ʒß. Salv. sylvestr. & tormentill. singul. ʒj. semin. & radic. Pæon. sem. rutæ, & beton. singul. ʒß. Margar. & smaragd. præparat. singul. ℈j. succin. albiss. ʒj. stercor. anser. sylvestr. visci querc. & Corall. rubr. præparat. singul. ʒß. spinæ dors. serp. ʒij. & calcit. præparat. ʒß. f. Pulvis. Apud Grulling. mirabilis dicitur in suo Florilegio; cujus dosis ʒß.

Alium pulverem admirabilem prædicat H. ab Heers, quem componit ex cranio hominis, stercore pavonis, vesica Apri cum lotio in furno siccata, visco colurno, oleo succini inodoro.

Sed longè efficacior observatus est, qui conficitur ex Cinnabar. Antimon. magist. corall. margar. & cranij human. singul. ʒj. lign. visc. querc. & Castor. veri singul. ʒ1ß. sem. rutæ, & Pæon. singul. ʒß. sal. volat. succin. & Ammon. singul. ℈j. Cinnam. q. s. Dosis à ℈ß. ad ℈j. in aqua hirundinum, lavendulæ, flor. tiliæ, vel alterius similis mane jejuno stomacho.

Celebratur etiam pulvis corvinus à Reusnero ex corvis juvenculis combustis, & in pulverem redactis cum aliquo liquore convenienti. Alius efficacissimus conficitur ab Hartmanno ex Jecinoribus Ranarum, quo restitutum fuisse scribit Fridericum IV. Palatinum qui ab anno 15. ad 26. fuerat epilepticus. Simplicior verò est qui ex verò visco querno fit, & ad ʒj. exhibetur in aqua cerasorum nigrorum singulo mane per dies aliquot (circa Plenilunium nonnulli volunt,) eoque nobilissimam quamdam fœminam epilepsiâ penè hæreditariâ diù afflictam, cùm cætera irrita fuissent, sanitatem obtinuisse testatur Boyle : Et nos aliquando Nobilem quendam puerulum novem annorum deformi capite progenitum, & pluribus epilepticis invasionibus conflictatum, unà cum tertiana febre, perfectè curatum vidimus, cum quo tamen miscebatur cortex Peruvianus, ante imminentem accessionem exhibitus, quem anti-epilepticum quoque esse aliàs deprehendimus.

Ex emplastris præstat, quod habet : succ. albiss. thur. & mastich. singul. ʒ1ß. galban. & opopon. singul. ℈j. visc. querc. ʒij. ambr. gris. gr. vi. mosch. gr. iij. sem. Pæon. mar. ʒß. lada-

ni ℥ i ß. ol. nuc. myrist. parum. Extend. super corium, & asperg. pulv. cubeb. & suturæ coronali imponatur. Ex Cratone, & Horstio, qui efficacissimum tùm pueris, tùm adultioribus fatentur.

Aliud: gumm. amm. gumm. junip. thur. & mastich. singul. ℥ ij. sem. pæon. mar. & nuc. myrist. singul. ʒ iij. Corall. rubr. præp. ras. ebor. & C. C. sing. ʒ j. malax. cum styr. liquid, & f. emplastrum, atque extenditur super alutam. Arcanum habitum est Salieno Medico Monspeliensi, quo etiam provectæ ætatis epilepticos integræ sanitati se restituisse testatur, præmissis tamen universalibus, atque intereà epotâ hac aquâ. Hirundines adhuc in nido existentes viij. rad. pæon. visc. querc. singul. ʒ iij. fol. rutæ m. j. flor. Lil. convall. p. ij. Castor. Caryophyll. & macis singul. ʒ ij. in suff. quant. vini alb. acet. scillit. & aq. meliss. super cineres calidos infund. per hor. xxiv. deindè distill. atque in vase vitreo opt. clauf. collig. & servet. Aqua. Dosis pro natu majoribus ab ℥ j. ad ℥ ij. pro Iunioribus ab ℥ ß. ad ℥ j.

Ex balsamis, & oleis, valet hoc: gumm. galb. bdell. in aq. ard. dissol. singul. ℥ ß. benzoin. ℥ j. styrac. liquid. ʒ j. fol. rutæ, chamædr. flor. stœchad. & lavend. singul. ʒ ij. rad. cost. ℥ ß. Castor. ℈ j. infund. incisa, & pulver. in aq. vitæ, & detin. ad macerand. in loco calid. per dies aliquot. Eo postmodum frequenter fricetur spina. Plater. lib. 1. obs.

Henricus ab Heers describit oleum quoddam à se ipso expertum, quod fit: vitrioli Merc. aut viridis æris calcin. lib. j. ß. cran. hum. & ungul. Alcis singul. ʒ ij. visci querni, vel potiùs colurni, & sem. pæon. mar. singul. ʒ j. Hæc cum spirit. vini puriss. lib. ij. diger. in retorta, & distill. secundum artem. Ingratissimum est & odore, & sapore, sed miræ efficaciæ si cum aqua convenienti sumatur.

Mirificum etiam est oleum Buxi, cujus guttæ tres in cond. pæoniæ exhibentur jejuno stomacho; & in ipsa accessione cnm aqua flor. tiliæ, vel pæoniæ ad ℥ iij. gutt. x. Roderic. à Fonseca in Consil.

Plurimùm quoque valet essentia lavendulæ, rorismarini, salviæ, & Castor. cum opobalsamo, si his universa spina cum occipitio usque ad suturam coronalem inungatur.

Intrinsecùs apud Nostrates in usu frequentiori est spiritus cerasorum nigrorum sylvestrium, sal volatile C. C. spiritus sanguinis, ex sale ammoniaco & tartaro elicitus, salis ammoniaci flores, sal volatile succini. Valde efficax expertus sum, præsertim in fœminis magisterium succini, hoc modo paratum. Dissolvitur succinum albissimum in spiritu vini, ita ut hic tingatur: per filtrum posteà trajicitur, & leni calore ad dimidium evaporet: reliquum servetur. Dosis g. x. usque ad xx. & ultra in aqua lavendulæ, aliòve simili liquore.

Pro coronide non præteribimus quod Paracelsus in diæta commendat cum oleribus coquenda folia hellebor. nigri, & pro sale viscum querceum in pulverem redactum substituendum quo si contentus patiens salem communem minimè expetierit, certò constare, ait, eum, caduco morbo laborare. Nùm insuper reverà curatus sit, eodem signo dignosci posse: si nimirùm condimentum visci quernei nauseam moveat. Conjecturam alij faciunt ex hoc suffitu. Rasuram cornu caprini ad ʒ j. cum semidrachma assæ fœtidæ injiciunt in prunas; si morbosus concidat, jam curatum dicunt. Commendat denique idem Paracelsus pro cibis: radicem pyrethri, carnem agninam, fœniculum, cuminum, & lac ovinum; damnat verò carnes caprinas, poma, pyra, rapa, raphanum, aromata, & libidinem provocantia. *Luc. Tozzi, Medic. Practic. parte* 1.

Consultationes.

Cum apud eruditos experientesque viros scholastica & minutissima quæque persequi indignum videatur, & supervacaneum; operæ pretium & vestra eruditione dignum de affectione proposita duxeram, etiam si apprime gravis & curatu sit difficilis paucis multa complecti, & summas rerum sententias appositè apud vos proferre. At quoniam ita nunc vestra exigit sedulitas, ut non contracta, sed effusiore quadam orationis serie rem totam particulatim explicem, observata quadam styli moderatione neque periphrasi neque metaphoris neque jocis sed seriis nudisque verbis orationem aliquantum dilatare contendam: non tam vobis, quàm laboranti, & iis qui ingentem admirantur scriptorum vocem, satisfacturus. Sequar autem non eum quem de exponendis naturalibus, non naturalibus, & contra naturam rebus artificiosè ordinem proponitis, sed quem tandem resolutione ad curationem tenendum existimavi. Primumque quæ propositi morbi aut symptomatis notio sit & ratio, & quævis attingam.

Morbus, item symptoma quod in consultationem & deliberationem venit, epilepsia est, quæ annos decem insedit ac inveteravit. Hæc licet à levioribus orta initiis, olim in vertiginis potiùs, quàm in epilepsiæ genus divertisse videbatur, progressû tamen dierum veram & exquisitam epilepsiæ speciem est consecuta. Tanta affinitate hi affectus connexi sunt ut rectè *Avicenna, vertiginem diminutam epilepsiam, ex eaque in hanc transitum* fieri notaverit. Cùm etiam in consummata epilepsia observemus, non semper graviores illos & immaniores, sed & interdum leviores quosdam & irritos insultus fieri, qui ut in vertigine nulla convulsione, sed sola sensuum & visûs hallucinatione cerebrum impetunt. Cùm nimirum proxima illa continensque mali causa levius excandescit, & exiguum de se vaporem effert. Hanc autem quæ illustrem & magnificum virum diris modis exercet, & exquisitam & consummatam epilepsiam esse recipio, quod in e us paroxysmo absoluta fiat totius corporis convulsio, quodque spuma stridore quodam elidatur ab ore, & sensus omnis atque cognitio cum memoria pereat. Imò verò si neque ullum ejus signum describeretur à vobis, vestra tamen authoritate innixus, hanc pro epilepsia habendam esse non dubitarem.

Sed quum tamen tria à Galeno tradantur, usûque notentur epilepsiæ genera, unum ab extremis suscitatum corporis partibus, ut à manuum pedumque digitis. Alterum ab interioribus visceribus: Tertium à cerebro, quod primarium est & ipsi proprium: Optarem sanè à vobis indicia

dicia tradita pathognomonica, tum epiphænomena, quibus certò & luculenter intelligerem in quod genus epilepsiā hanc referendam putetis. Id enim tum ad medendi rationem, tum ad remediorum inventionem imprimis necessarium videbatur quum non una omnium, sed suasit cujusque generis curatio. Aliis multò ante paroxysmum tempore, caput artusque omnes ingravescunt, aliis nausea, aut etiam vomitio molesta est, aliis stupore quodam refrigescunt artus: Alij instantem paroxysmum præsentiunt possuntque impendentis repentini casus pericula vitare: alij derepentè prehenduntur & concidunt, nulla præsensione futuri mali. Sunt qui paroxysmo soluto protinus surgunt nullo affecti Symptomate: nonnullis verò symptomata quædam ab accessione gravia manent. Horum igitur animadversione proprium epilepsiæ genus designari internoscique debuerat. Cæterum in hac reticentia conjiciendum nobis & disquirendum in quod hoc genus maximè pertineat. Comitiali morbo intercipiuntur mentis sensuumque functiones: hinc cerebri censetur affectio. At quoniam ea interceptio interdum fit consensū aliarum partium, ut duobus prioribus generibus: interdum verò per se affecto cerebro, neque ex his quæ describuntur ulla proprium generum audio pathognomonica signa, in postremum divertendum puto, & recipiendum, cerebrum ἰδιοπαθεῖν, atque etiam πρωτοπαθεῖν concuti. Nec enim venenatus vapor instar auræ frigidiusculæ aut è pedibus, aut è manibus, sensim partium continuatione in caput aut cerebrum obrepere percipitur, nec ventriculi cordisve subversio, aut præcordiorum molesta coarctio paroxysmum antevertit aut ob oculos nonnulla quasi spectra observari videntur. Sed cùm Illustrissimus derepentè quasi attonitus, aut fulgure percussus corruat, necesse est cerebrum & ipsam mentis ac sensuum arcem obsideri, in eaque proximam, & continentem hujus epilepsiæ causam contineri, ac proindè in tertium hanc genus esse conjiciendam. Hanc denique epilepsiam esse primariam & ut appellant essentialem.

Percepta jam affecta sede, & quod cerebrum non aliarum partium consensū, sed per se & primario laborat, disquirendum quæ in ea sit causa Galenus tertio de locis affectis & libro de symptomatum causis, epilepsiam, quæ præsertim fit, contendit ex obstructione quadam omnium ventriculorū cerebri proficisci, ob quā animalis spiritus liberè nequit in sensuum motusq; nervos influere, & omnis legitima tum movendi, tum sentiendi, atque ratiocinandi functio perit. Impedita vero natura arctiùs oppressa nondum tamen prostrata onus quasi excutiens, caput, corpusque vehementer concutit, dum obstructione soluta infarctum humorem expellat. Hanc causam, quam vos rectè formalem nuncupatis, magnæ licet rationum probabilitati innixam, & Galeni decreto passim comprobatam, validis tum argumentis tum experimentis in pathologia & in dialogis de abditis rerum causis infregimus: aliam statuentes, nempè malignam & occultam qualitatem cerebro cunctisque facultatibus animalibus perinde atque venenum infensam quæ ut è pede percipitur specie quadam frigidioris & malignæ auræ per continuatas partes sursum in cerebrum efferri: ita ex ipso quoque cerebro suscitari potest, idque protinùs sua malignitate ferire nulla præsensione paroxysmi futuri. Hanc verò qualitatem malignam & adversissimam cerebrum multo validius excutere contendit, quàm humorem simplicem sola mole obstruentem, neque tamen concussioni aut conversioni finis est, donec qualitas illa, vaporis specie suscitata dissipetur, aut sponte sua evanescat, causa hæc non admodum ei dissimilis est quam vel ipse Galenus lib. sextò de locis affectis de uteri strangulatū fatetur. Ut enim è sanguine menstruo, atque è semine corrupto vis quædam venenata profertur, quæ in præcordia, in fauces, atque in ipsum cerebrum prorepens paria strangulatus symptomata gignit. Ita sane & alia quædam venenatæ & malignæ qualitatis species epilepsiam facit. Propriè autem epilepsia symptoma est: qualitas verò maligna cerebro insidens ipsa morbus est isque partis similaris, & quem alibi demonstravimus totius substantiæ morbum appellandum esse. His ergo principiis firmiùs innitendum, hæc stabilienda sunt nobis fundamento, si quæ tam diri & inveterati morbi curatio speretur.

Quanquam autem hujusce qualitatis ad excitandam epilepsiam summa atque etiam præcipua vis est, non parva tamen existit & ejus materiæ, è qua tanquam è fonte qualitas illa prodit, & fine qua vix illa subsistit. Eam quidem esse crassam, lentamque pituitam cuidam melancholico humori permixtam, & in cerebro cōtineri, eique pertinacius adhærere, multis complector indiciis. Ac quidem vetus illa dextræ naris obturatio, ante annos quindecim nata, oculi quoque dextri obtusior acies, dextræ auris gravior auditio, dextram ipsam cerebri partem non parum offendi, luculenter demonstrant. In ea autem cerebri parte dextra, pituitæ lentæ magnum esse proventum, ostendit insita cerebri temperatura humidior, quam deindè suprà modum auxerunt ingluvies, crapula, cruditates, & aër impensè frigidus ac humidus. At verò melencholiam pituitæ permisceri, testantur ætas in eum humorem gignendum propensa, curæ, mœrores & graves cogitationes quibus Dominus implicatur. Quòd etiam nobilissimus vir plerumque citra occasionem metū atque mæstitiā jactetur, Hippocrati indicium est jam obsidentis melancholiæ. Hic certè affectus illos tantā affinitate conjunxit, ut ex eo eodemque melancholico humore nasci putet: qui si in cerebrum insideat, epilepsiam: si in mentem, melancholiam facit. Itaque pituitæ ac melancholiæ non exigua est redundantia in parte dextra cerebri. Sed hæc si simplex sit, minimè epilepsiam infert, nisi & ea quam dixi externa qualitas accedat. Quocirca varia hæc cerebri excrementa diutiùs cohibita & inhærentia, dierum numero, progressūque temporis, corruptione nacta sunt externam illam ac prorsùs malignam qualitatem, in qua dixi mali essentiam haberi. Ad hæc multùm mihi contulisse videtur tuberculum in dextro tempore instar ovi columbini exortum, & comitiali morbo coætaneum. Memini ijs dissectis quos viventes morbus comitialis aliquando immaniter corripuerat, me alias circa meninges, aliàs in cerebri substantia putridam quandam & glutinosam saniem quantitate fabæ

aut nucis juglandis invenisse, quæ crudelis hujus & immanis affectus fomes fuerit, ita igitur de continenti mali causa, deque primaria affecta sede statuendum.

Quoniam verò continentem illam & proximam morbi causam alia quædam antecedens appellata fovet, quæ & ipsa interior existit, & sine qua summoveri illa integrè non possit, de hac quoque dicendum. Ea est totius corporis cacochymia & impuritas ex prava viscerum constitutione profecta. Magna hæc quidem & in primis observanda, quod affectæ sedi ipsique cerebro primo mali fonti novam assidue materiam suppeditet. Illustrissimo igitur viro jecoris, cordis, cerebri, & renum insita temperatura principum partium, ut autor est Galenus, constitutionem ferè sequitur. Optima quidem illa, & ad probum sanguinem, & benè quadratum corpus comparandum apta; at vero postea in frigidiori humidiorique cœlo frequens habitatio, paludum, lacuum & stagnorum expiratio fœtida, victus omnium quos audivi intemperantissimus, omnium obsoniorum & ferculorum varietate confertus, nullo instructus ordine, supra satietatem ferina quadam voracitate gravis, ut ei qui gulæ & abdomini omninò sit natus, viscera, Venas, habitumque totum cruditatibus implens: somni, laboris, exercitationis, inanitionis, & pathematum animi ratio prorsus neglecta: bonam illam & laudabilem temperaturam atque insitam corporis constitutionem penitùs everterunt, & pro ea vitiosam substituerunt: nuncque ingluvie aliisque commemoratis causis obruto calore nativo vires & facultates præsertim naturales quæ illius beneficio foventur, impeditæ ac etiam debilitatæ, tantam alimentorum molem modificare atque domare minimè potuerunt. Hinc non cruditates modò, sed & omnis generis excrementorum proventus, toto sic corpore succrevit, ut pars nulla existat, quæ non proprio quodam supervacui humoris vitio prematur. Ventriculum multa esse pituita confertum indicio est nausea illa frequens, & tenebræ à cibo ob oculos offusæ: hujusque ingentem copiam in intestina devolvi, aliam in eis etiam gigni, minimè dubitari potest. Cerebrum multò graviùs illius redundantia offundi testantur peculiares ejus affectiones. Sed & jecur, & lienem obstrui, atque etiam turgere, illud quidem bilis flavæ, hunc verò atræ copia, indicio sunt præter cætera mores, olim quidem ob hepatis calorem & bilis fervorem in iracundiam, nunc verò ob nimiam adustionem in melancholiam propensi. Sub hac vitiosa constitutione viscerum, quis reliqui corporis bonus habitus esse possit? Corpus totum supra naturam & ætatem ingravescens, impuritatis ingentem molem & acervum confirmat. Hæc igitur corporis impuritas ob viscerum imbecillitatem & continuatam vivendi rationem illegitimam, quotidiè nova etiam atque etiam succrescens, novum quoque pabulum suggerit continenti causæ quam in cerebro constituimus. Neque hæc antè convenienter extirpari potest, quàm corpus ipsum omni sorde & illuvie sit expurgatum.

Epilepsiam quæ aut annum ætatis vigesimum quintum excessit, aut postea hominem adoritur, commori, & in supremum vitæ diem manere, autor est Hippocrates: cum præsertim, ut hæc vehemens fuerit, & originis suæ nec certum habuerit initium, nec compertam sedem. Classici verò autores toto hanc genere immedicabilem statuunt, quòd causa non satis perspecta; illam videant neque medicamentis, neque vacuationibus ullis, neque cœli mutationi, neque vivendi legibus cedere, neque temporis diuturnitate vinci. Quibus de causis plerique omnes divinam hanc appellant, & pro ejus curatione implorant divorum operam. Hujus sanè conditio & essentia supra elementorum naturam est, omnemque sensum, & humanæ mentis aciem effugit: non ratione aut demonstratione, sed observatione sola & usû comprehensa. Quanquam autem difficilis est epilepsiæ curatio præsertimque in malè habito corpore suscipienda tamen ea est, atque iis remediis tentanda quæ multis sæpè profuerunt. Ea licet quadam substantiæ proprietate id præstant, arte tamen adhibenda sunt exinanito & puriori jam facto corpori.

Curationis initium ab eo quidem ducendum est, quod resolutione atque investigatione postremo fuit inventum; id autem est totius corporis cacochymia & impuritas, quâ præsente, nec tutò quidem medicamenta, quæ substantiæ proprietate prodesse solent, adhibeantur. Sæpe enim vel malum ipsum ingeminatur, vel etiam nova quædam symptomata accersunt. Itaque corporis hæc immodica moles imprimis absumenda, & in pristinum naturalemque statum quoad licet revocanda. Deinde caput & cerebrum modis omnibus exhauriendum, ac demum ipsa morbi radix funditus evellenda, corroboratis simul hisce partibus quæ vehementiùs affectæ fuerunt. Quæ omnia si non æque distinctè, ut pronuntiatur, tutò nihilominus, & pro ejus quod curationi profuerit judicio, opportunè decernentur.

Nec supervacuam humorum exuperantiam, nec corporis tantam molem semel & universè demoliri licet. Non enim tam repentinam mutationem illa natura feret, sed sensim ac pedetentim, ut quæ longo tempore contracta sunt lentè quoque citra virium offensionem tollantur. Neque id profectò solis medicamentis præstandum, ut quorum immodico usû corpus nimirum labefactatur, sed tum his, tum victû tenui & accommodato. Hic enim cruditates & luxuriantem corporis molem sensim absumet: illa verò supervacuos ac etiam corruptos humores sensim quoque excludent.

Quoniam verò methodicam illam curandi formam satis videor demonstratione prosecutus, ut tandem frugifera sit hæc nostra contemplatio, conducibile sit omnem deinceps curationis seriem subnectere. Nec enim verebor apud eruditissimos viros ipsas medicamentorum formas depromere, quod sæpè curandi summa vis posita sit in remediorum quantitate & utendi ratione. Autumno igitur aut alio quovis clementiore cœli statu curatione susceptâ, primùm alvus si adstrictior erit: clystere proritetur, qui etiam crassam intestinorum pituitam eluat atque detrahat. Atque is in lib. 1. decocti accommodati habeat hieræ simp. diaphœnici an. ℥ s. mellis ros. & anthosati ana ℥ j. olei rutæ & anethi ana ℥ i s. Postridiè portio humorum

morum supervacuorum qui in ventriculo & in primis ductibus sine adhæsu fluctuant, expurgetur hoc medicamento:

♃. Polypodii quercini, sem. carthami, arui, fœniculi, foliorum senæ ana ℥ iij. epithymi ʒj. fiat decoctio in unam dosim. in colatura infunde Rhabarbari electi ʒ i ſ. Agarici trochiscati ʒj. Cinamomi ʒ ſ. expressioni adde Syrup. Capillorum Ven. ℥ vi. fiat potio. Detur manè horis saltem quatuor ante cibum.

Tertio die constituatur vivendi ratio tenuis, & citra manifestum calorem attenuans, eaque ex cibis euchymis, ut ex pullis gallinaceis & columbinis, ex perdicibus, aviculis montanis, phasianis, & similibus: iisque assis potius quàm elixis. A jusculis & sorbitionibus multis abstinendum, quoniam præcordia nimis implent atque distendunt. A fructibus quoque, & leguminibus, & ab omnibus flatulentis aut vaporosis. His igitur & purioribus cibis qui facilè designari poterunt, parcè nec unquam ad satietatem utatur, & solùm bis die cibum sumat, idque ex justis intervallis quæ concoctioni sint satis. Percipiet autem dominus laborans se his convenienter uti, si nec ventriculi distensionem, nec rugitum, nec ructum ullum in concoctione sentiat. Ut etiam potu cruditatum portio faciliùs absorbeatur, in easque nativus calor validius incumbat, parcus sit potus, isque in pastu solo: potu enim quàm cibo impleri faciliùs est. Immoderatus corpus gravat, omnemque concoctionem interpellat.

Hoc etiam tempore humores ad pleniorem purgationem apparandi erunt, vel apozemate ex rad. petroselini, fœniculi, & polypodii, cum hyssopo, betonica, & stœchade, in quo nonnihil oximelitis dissolutum sit. Vel si mavult, guajaci decocto in quo commemoratæ radices & herbæ sub finem aliquantum incoctæ fuerint. Alterutro aut bis die, aut certè semel utendum, horis duabus tribusve ante cibum. Sed quàm minimè ciendi sunt sudores. Si interim alvus subsistat, sollicitetur commemorato clystere. Cùm & victus ratione, & apozemate, diebus quinque aut sex, apparati jam satis ac fortassis concitati erunt humores, altero medicamento proliciendi erunt; quod aut priori simile sit, aut aliquantò efficacius, & curando affectui accommodatius.

Quale hoc est: ♃. Rad. apij, polypodij quercini, sem. carthami, passularum mundatarum, fol. sennæ mundatorum ana ℥ iij. Epithymi ʒj. fiat decoctio pro una dosi. In colatura dissolve pulveris hieræ simp. diaphœnici ana ʒ ij. fiat potio. Detur mane horis saltem quatuor ante cibum.

Ab hac purgatione ad apozema redeundum, victusque similis continuandus, ac deinde post dies circiter quinque, tertio medicamento, si res postulet, purgandum, quod horum persimile sit.

Ubi autem circiter diebus quindecim horum remediorum ope ventriculus, jecur, lien, pancreas, & partes omnes quæ in prima corporis regione consistunt, puriores existent, tum deinde secunda corporis regio quæ majorum est venarum, tempestivè vacuabitur sectione venæ. Hanc enim non modò morbi species atque magnitudo, sed & corporis habitus & ante acta vita postulant, vires verò & ætas permittunt. Secanda porrò erit vena cubiti media, quæ & è cerebro, & è jecore, ac inferis partibus perinde vacuat: & ea quidem in brachio dextro, quod oculus dexter sit hebetior, ejusque lateris auris, atque etiam naris obturetur, & tuberculum in dextro tempore promineat, partesque omnes dextræ ad motum & ad sua munera sint ob humorum copiam & gravitatem ignaviores. Detrahetur autem sanguis non minus quàm libra una, quæ unciarum est duodecim.

A venæsectione cùm jam corpus extenuari & macrescere cœperit, ne quid ad perfectam curationem desit, tertia corporis regio, quæ summas omnes partes ipsumque caput complectitur, exinanienda erit.

In idque utiliter guajaci decocto, vel simplici, vel, ut dixi, composito, sudores bis die aut semel citentur. Et quo tempore dimanabunt, tonso jam capite adhibeantur hæc calorifica.

♃. Seminis anisi, fœniculi, cumini, baccarum lauri contusarum ana ℥ ij. milij ℔ j. salis vulgaris libram semis. torrefiant omnia in sartagine, reponantur in sacculis, qui calidi applicentur capiti tempore sudoris.

Sudore deterso pituita è dextra præsertim nare proliciatur hoc errhino;

♃. Salviæ, majoranæ ana ℥ iij. tritis affundantur vini albi ℥ iv. fiat expressio, in qua maceretur radicis cyclamini minutim concisæ ℥j. rursum exprimatur, reponatur pro errhino, hauriatur in narem dextram, vel penicillus in eo intinctus immittatur in narem dextram, contineaturque dum pituita profluat.

In aurem verò dextram quotidie mane hujus liquoris duæ tresvè guttulæ instillentur:

♃. Aquæ vitæ, succi cepæ ana ℥ ij. in quibus infundatur pulpæ colocynthidos ʒ j. in expressione Castorei ℈ ij. repone & utitor, ut, dixi, obtureturque auris bombace.

Pomeridianis horis sub cænam cucurbitulæ scapulis, cervici, & occipitio affigendæ, modò leves, modò cum scarificatu, idque maximè parte dextra quæ gravius afficitur.

Hæc igitur topica remedia cum guajaco & victu tenui eò usque continuanda erunt, dum odoratus nari, & auditus auri dextræ sit restitutus. Quod si non facile sit assequi, nonnunquam mane caput jejuno lavandum, fovendumque erit lixivio calido in quo cephalicæ herbæ incoxerint, quod & ejus noxios humores vetustate concretos colliquabit, fluxosque reddet, ut deinde topicis illis promptiùs obtemperent, simul etiam occulta quæcunque cerebri vitia deterget.

Superiorum remediorum continuatione, cùm & corporis totius, & cerebri vitiosa constitutio, in pristinam ac ferè naturalem rediisse videbitur, intermisso guajaci & topicorum remediorum usu, sed tamen victu siccante, tenui & attenuante semper observato, epilepsiæ remedia propria opportunè decernuntur, hac ferè methodo. Primum quod universalis purgatio aliquandiu fuerit intermissa, hoc modo repetenda erit:

♃. Fol. salviæ, betonicæ, stæchad. anthos, ana m. ſ. epithymi ʒj. fol. senæ mundat. ℥ iij. fiat

fiat decoctio pro una dosi, addendo sub finem, agarici ℥ j ſ. in expresso adde pulv. hieræ diacolocynthidos ij. fiat potio sumenda die electa, horis quatuor ante cibum. Postridie bolus hic voretur:

℞. Conservæ betonicæ, anthos ana ℥ ſ. mithridatij veteris ʒj. misce, capiat mane horis tribus vel quatuor ante cibum. Sequenti die qui tertius erit, pulvis hic sumatur, vel solus vel hydromelite dilutus:

℞. Rad. Aristolochiæ rotundæ, epithymi ana ℈ ſ. Rad. asari ℈ ij. fiat pulvis tenuis, sumat horis duabus ab accepto jusculo aut ab alio quovis levi cibo, si forte vomitionem concitet, non antè cibus alius offeratur quàm ea desierit: ac tum pulli aut capi jusculum apprimè conveniet, ad hoc deinde consuetus cibus. Si ob amarorem hujus pulveris difficilior sit usus, poterit in pilulas redigi, quæ parem vim & facultatem obtinent. Est autem vis huic medicamento summa ad epilepsiam.

At nihilominus ne quid suspectum supersit, die quarto, cauterio aperiatur tumor in tempore dextro prominens, illæsisque venis, arteriis, & musculis, sensim omnis ejus illuvies eluatur atque detergatur, sinaturque aliquandiu manare dum in naturalem statum redeat. Occipitium verò aut sinciput ad coronalem commissuram cauterio inurere, nihil mea sententia contulerit, neque id citra gravioris periculi discrimen experiri licet. Thermarum, quacunque sint facultate præditæ, vis ad affectum hunc nulla deprehendetur. Neque fieri potest, ut corpus à pravis humoribus aptiùs vindicetur, quam exposita ratione curandi. His ita paucis videor ad quæstiones respondisse, in quibus plurimum inerat difficultatis.

Cæterùm, ut totam curationem compleam, & huic quasi colophonem addam, dum ulcus in dextro tempore inustum curabitur, usurpanda erunt remedia, quæ secreta proprietate epilepsiam inhibent, atque etiam depellunt. Cujusmodi est pulvis aut electuarium ex scobe cornu cervi, & eboris, cranio humano, radice & semine Pæoniæ maris, visco quercino, corallio, & gingibere, exceptis saccharo soluto aqua betonicæ. Semen Pæoniæ maris collo subnexum vim habere experimur, & ungulam ejus animalis quod vestrates *ellend* appellant, vel appensam, vel annulo inclusam vidimus epilepticam accessionem cohibere. Æstivo solstitio, & maximè divi Joannis Baptistæ profesto, si ártemisiæ herbæ radix evellatur, sub ea verus carbo, sed tamen bene odoratus, inveniri solet, qui sindone inclusus appensusque collo epilepsiam arcet. Et hæc quidem propriè symptomati, cætera verò quæ prædixi ejus causæ succurrunt.

Hac autem curatione prorsus & ad unguem completa, ne postea in consimilem affectum relapsus contingat, observanda erit aut exquisitè, aut quàm proximè licebit, vivendi ratio jam exposita. Circum solstitia & æquinoctia luna decrescente, clystere præmisso corpus purgetur etiam medicamento quod præscripsi ex hiera diacolocynthidos. Postridie bolus detur ex mithridatio. Tertio die vomitio proritetur, vel pulvere, vel pilulis præscriptis. Reliquo deinceps tempore ex intervallis ea usurpentur, quæ dixi proprietate valere. Si certus & status est epilepticæ accessionis recursus, iisdem mediis quinque sexve diebus utiliter anteverterentur, nec ejus præcavendi certior lex ulla statui potest. *Joh. Fernelius in Consiliis Medicis.*

Pro quadam Nobili Puella Epilepsiam ex vermibus incurrente.

Quod puella nobis proposita sit Epileptica, præterquam instante accessione cadit, convellitur secundum totum, ex eo etiam potissimum deprehendo, quod motu, sensu functioneque animæ principali interim destituitur, atque spumat ore, sed an per essentiam, vel potius per consensum sit Epileptica, meritò dubitari potest, nam ipsam essentiam laborare Paroxismus longior, & vehementior, spumaque copiosior, quam si per consensum laboraret, suadent; adhuc & pars corporis dextra ferè semper prius convellitur, accedit dispositio hæreditaria ex parte matris, quæ ad musculos faciei convellebatur. Ex adverso tamen quoniam patiens adscensum quendam, & dolorem prius circa ventriculum percipit, atque vermes excreti ab accessione puellam præcavent, Epilepsiam hanc per consensum accedere unusquisque facilè distinguet. Puto itaque ego per consensum hoc morbi genus propositam patientem affligere, nec mirum, si illa Symptomata sint adeò intensa, quoniam causæ morbificæ plures agunt, nam præter vermes quasi mordentes, vapores etiam hujus mali causas agentes existere puto, aliter ab accessione, non ita puella stuperet per aliquod temporis intervallum; Amplius hujusmodi causæ, potissimum autem vermes sunt maximæ activitatis, ut ex convulsione, quam ferè semper patiens incurrit clarius innotescit. Accedit demum, quod perspicacia illa ingenij, & propensio ad munia animalia solita, nullam materiam morbificam per essentiam cerebrum obsidere demonstrant, ut necessariò hoc Epilepsiæ germen aliundè originem ducat, & per consensum caput afficiat.

Utcumque tamen hujus Epilepsiæ causam duplicem esse, mediatam inquam, & immediatam constituo; Immediata meo judicio duplex existit, vapor scilicet, & qualitas dolorifica, vaporem interim à vermibus mortuis, & à materia cruda in intestinis putrescente elevari pro certo habeo, nam primum, quòd vermes adsint, patet, quia illos puella sæpius excernit, patitur item omnia Symptomata vermes existentes subsequentia, pluries nempè sibimet scalpit nares, est iracunda cum delirio temerario, dolore intestinorum perforativo angitur, dentibus stridet; Quòd secundo sint teretes, rotundi, atque longi, præterquam quod sensus visus persuadet, patet etiam ex noxa ad ventriculi fundum percepta, nausea, itemque siti; Ab his ergo vermibus existentibus vapor elevatur sine dubio, quemadmodum & à putredine, quoniam ab hac vermes fiunt hæcque interim insignis existat oportet, quoniam numerosi vermes existunt. Qualitas autem dolorifica ex morsu vermium viventium pendet.

Sed vis interea harum causarum est perpendenda, vapor itaque ut motu undoso movetur, hæretque parietibus ventriculorum cerebri,

bri, idem facit cerebrum contrahere ad expellendum, unde & nervi contrahantur oportet, hinc oritur convulsio, ut vero poros cerebri lædit est in causa, ut functiones animales auferantur. Ut verò musculi mandibularum immodice agitati agant in pituitam descendentem vaporoso spiritui immixtam, spumam ad os fieri contingit.

Quod si tertio loc. aff. Epilepsia ob pituitam, & melancholiam obstruentem fiat, tunc de Epilepsia per essentiam, quæ etiam ab humore, sed non fit absque vapore (ut notat Avic.) Galenus est intelligendus, quasi quòd humor sit mediata tantum causa, quæ postmodum immediatam, vaporem inquam suppeditet in Epilepsia, nunc autem de ea, quæ per consensum, sermo prout occasio requirit, est institutus.

Verùm præter causam immediatam illam duplicem, vaporem, inquam & qualitatem dolorificam, est & mediata, minera videlicet illius vaporis, nec non errata in victu, quibus habilitas passi ratione proportionis nativæ a matre (ut dictum fuit) necnon etiam ratione ætatis propter redundantes humiditatem, & cruditatem est addenda, vapor autem ille a facultate non regente mineram generatur, ideoque causa vaporis erit illa eadem, quæ mineram gignit, & hæc nulla alia est, nisi ventriculi frigiditas, calor imbecillus, & materia cruda.

Vermes pariter & sui materiam, atque causam effectricem præsupponunt, à quibus producantur, materia est putredo tertio Aphorism. vigesimo sexto, & quarto Meteor. tertio. Idcircò pituita, quæ quoniam est humida, facilè putrescit, quoniam lenta, calorem intensum, & ob id putredinalem suscipit, quod Avicenna, & Paulus tradunt, ac ista putredo ad mentem Avicennæ in rotundis est remissa, in latis verò mediocris, in ascaridibus autem summa, & hæc pituita evadit pus pituitosum, causa verò vermium effectrix est tum calor cœlestis tum proximus insignis, aliter ab alieno dissiparetur materia, neque mutaretur in vermes, calor verò hic est putredinalis, sed aliquo modo naturalis, quia rursus terminat humidum cum sicco, præter naturam respectu dissoluti mixti, utcumque tamen debet esse insignis, hinc Avicenna vermes fieri à potente factore scriptum reliquit.

Scopi itaque curativi, si in accessione, erunt sensum ablatum remediis dolorificis restituere, convulsionemq; membrorum retrahentibus deorsum emendare, & respectu causarum effectricum vapores fluxos discutere, qui vero fluunt, una cum vermibus retrahere.

Extra accessionem autem scopi Medici sunt vermes jam genitos interficere, allicere & enecare, eorum denuò generationem cohibere: Materiam putridam eradicare, copiosam minuere, viscidam detergere, ac humidam exiccare, causamque illius generantem per calefacientia, & siccantia ventriculum impedire.

Quo pervenire possibile quidem, sed difficile admodum erit, periculum enim subest ne ex symptomatibus magnis ex causa vehementi, atque multiplici, per essentiam puella fiat Epileptica, quod etiam hęreditaria veluti dispositio persuadet: pręterea vermes sunt magni, pingues, crassi, rubri, quia sanguinem exugunt, exeunt vivi, signum multam alimenti copiam assumpsisse, amplius teretes generantur in intestinis nobilioribus superioribus inquam, nec obstat, quod Celsus dicat latos esse deteriores, quoniam hoc eo tantum nomine dicit quod latorum generatio est irremediabilis. Sed quod timorem non levem incutit, est facultas haud admodum resistens, quoniam multa symptomata ferè semper finito morbo supersunt, adhuc, & domicilium facultatis animalis afficitur.

Plurimum tamen in ætatis mutatione fidendum, tum ratione morbi imminentis, tum ratione lumbricorum, & eo magis, quia patiens (etiam si puella septem annorum) quàm facilè tamen admittit medicamenta.

Quocirca ad materias præsidiorum deveniens ex chirurgicis extra accessionem probo fonticulum in crure propter pituitam, sicuti in accessione frictiones deorsum factas approbo.

Medicamenta extra accessionem aut vermes, aut pituitam, aut cerebri proportionem respiciunt, si vermes occurrunt primum quæ ipsos interficiunt, quæ cum varia sint, interim etiam calida, quia non adest febris admittuntur, sed non adstringentia, quia non adest fluxus; verum quemadmodum hæc tum interna, tum externa esse possunt, ita interna tum communia tum propria existunt; inter communia oleum, quo ego felici cum successu uti soleo est hujusmodi.

♃. Absinthii pontici santonici, Abrotani ana unc. j. Hyssopi, thymi, Rutæ, Cardui ana unc. ß. menthæ, prassii, Centaur. min. corallinæ unc. ij. florum Hypericonis unc. j. ß. succi galeg. drag. ij. radicis ireos, radicis enulæ, Gentianæ, Diptami albi, tormentillæ, myrrhæ, cornu cervi usti ana unc. ij. Agarici, Rhabarbari ana unc. ß. Aloës, Cardamomi, lupinorum ana unc. j. ß. seminum brassicæ, portulacæ ana unc. j. Coriandrorum præp. Amygdalar. amar. ℥ j. seminum citri ℥ ß. seminum secalæ ℥ ij. Sebestem pinguium ℥ ij ß.

M. & incisis, & contusis, incidendis, & contundendis, omnia in vase vitreo ponantur, addaturque olei olivarum dulcium tantum, quantum possit omnibus supernatare, & per quadraginta dies vas soli subjiciatur, vel si citius hoc parandum sit, bulliant omnia: in balneo Mariæ per duodecim horas continuò, deinde oleum coletur absque forti expressione, cujus ego soleo drag. j. pueris exhibere, adultis autem drag. ij. exhibeo, & mirificè prodest, & eo magis, si partes etiam pulsatiles inungantur.

Syrupus præterea, vel oxymel, & conserva ex floribus persicorum & ex scordio. Pulvis ex Abrotano, Corallina, costo, citri seminibus, nucleis persicorum ex aqua graminis, & Pæoniæ datus ex Aetio, oleum omphacinum, nucleorum persicorum, amygdalarum amararum, sulphuris & calcanthi ex aqua graminis propinatum, & vinum infusionis Mercurii sunt miri usus.

Propria verò Teretum Medicamenta ex absinthio. sem. sancto, centaurio minore, lupinis, Diptamo albo. & secundum Aetium ex pulvere lumbricorum terrestrium ex sapa, vel mulsa conficiuntur.

Cæterùm pro externis medicamentis variæ

primum occurrunt inunctiones, tum ex oleo ad vermes jam dictos partibus pulsantibus, cordi, ventriculo, & umbilico illito, tum ex oleo magni Ducis ad venena; Theriaca pariter cum aloe, scordio, & myrrha, eodem modo illita probatur; in hunc etiam usum medicamentum hujus census præparatur.

Accipitur Arancium acetosum, in quo per foramen imponitur pulvis centaurii minoris, Dictami, absinthii, lupinorum, aloes, & myrrhæ cum modico theriacæ, deinde infunditur oleum amygdalarum amararum, vel rutaceum, ac fel Bovis, demumque coquitur super laterem ad ignem, succus extrahitur, & usui est opportunus. Emplastrum quoque ad umbilicum ex foliis persicorum, farina lupinorum, pulvere aloe, oleo rutaceo, & aceto acerrimo exceptis conveniens erit, eo tamen ordine hæc externa sunt adhibenda, ut scilicet partibus superioribus prius admoveantur.

Atque interim quæ vermes alliciunt Medicamenta, non sunt improbanda, uti Clysteres ex lacte, præcipue asinino, cum saccharo, & melle, vel ex jure pingui, sapa, & butyro, uti glandes ex melle sine sale butyro illitæ.

Interfectos autem vermes educunt pilulæ Rufi ex hiera, aloes non lota, & Agaricus trochiscatus. Interficit verò simul, & educit aqua Tettucciana cum melle rosato solutivo pota ad libram unam in casu nostro.

Medicamenta quæ pituitam respiciunt lenientia, præparantia, & purgantia, tum sensibiliter, tum insensibiliter sint oportet; leniatur igitur alvus cum mel. rof. sol. cum syrupo de cichoreo, cum Rhabarbaro, & aqua graminis, Humores præparentur decocto betonicæ, dictami, hyssopi, cichorii, & radicum Pæoniæ, atque graminis cum oxymelle simplici; Purgentur pilulis de hiera cum Agarico, vel infuso Agarici trochiscati, mel. rof. sol. & modico Rhabarbaro in tota substantia, nam Rhabarbarum potiùs ad enecandos vermes, & absumendam humiditatem excrementitiam, quàm ad purgandum additur, alias detrahendo bilem, quæ suo amarore posset vermes interficere, noceret, & hac ratione forsan Paulus scammonium laudavit.

Pro purgatione insensibili præter trochiscos Andronis ex Aetio & oleum sulphuris vel calcanthi in minima dosi ex aqua Pæoniæ, duo præsertim propono, unum est oxymel ex decocto hyssopi cum aceto scillino destillato, Alterum, in quo maximè fido, est decoctum guajaci, ligni visci quercini, & corticis guajaci, additis Pæonia, hyssopo, & cichoraceis.

Tandem ad cerebri proprietatem individualem servandam, ac morbum profligandum prætereà, quæ aliis superius sunt immixta, secreta quadam proprietate ab usu olei Chymici ex cranio humano cum aqua Pæoniæ, & betonicæ, vel conservæ salviæ, & stœchadis cum pulvere cranii humani, aut asinini, ac Mithridato, vel florum rutæ caprariæ saccharo conditorum non abhorreo.

Medicamenta accessionis vapores in capite existentes discutiant, & eos, qui extrà caput, ac vermes repellant oportet, Pro discussione ergo nares internæ, atque palatum Mithridatica confectione inungantur, fiant naribus evaporationes cum spongia madefacta in aceto acerrimo decoctionis thymi, pulegii, calamintæ, diptami albi, & origani, castoreum quoque, & assa fœtida ignita in eundem faciunt usum sicuti & allium atque Ruta.

Pro repulsione haustus aceti, succus absinthii concreti devoratus, & oleum omphacinum bibitum summoperè valent, quò spectant & petiæ lineæ in aceto, & aqua absinthii madefactæ, collo, cordi, & ori ventriculi applicitæ.

Sed inter cætera instituatur victus accommodatus, qui sit calefaciens, siccans, attenuans, & detergens, acris, vel acidus, ideoque carnes, piscesque saliti, modestè tamen commansi, carnes item animalium exercitatorum, olivæ, fœniculum sale, ac aceto condita, cappares saliti, amygdalæ, nuces siccæ, brassica, cicerum jus, limones, arancia, citria, acetum, oleum, quod omnia animalia insecti generis ex Aristotele enecat, probantur; præ cæteris autem amygdalorum amarorum, emulsionem seminum citri mundatorum cum modico sacchari etiam, atque etiam laudo. Verum & simplicia Capitalia pro condiendis cibis haud sunt spernenda, hujusmodi verò essent salvia, anthos, sampsucus, atque similia. Pulvis quoque cibariis inspergendus ex semine caulium, absinthii santonici, & Pæoniæ cum modico sacchari factus. At victus nullo modo tenuis existat, ideò summoperè probo, ut sæpè, sed parùm cibi detur. Potus sit vini granatorum medii saporis cum aqua graminis, quod si vinum commune sit offerendum, eligatur subrubrum medicatum cum guajaco, vel absinthio, vel rore marino, Reliqua sint hujus census, ex quibus Deo annuente plurimum utilitatis sibi puella comparabit. *Julius Cæsar Claudinus in Consultationibus Medicis.*

De Epilepsia. Pro Muliere Civitatis Forojuliensis.

Meam sententiam prolaturus de gravi illo symptomate, quo per vices conflictatur egregia, & præclara Mulier, annorum 35. temperamenti calidi, & humidi, duodecim ab hinc annis orbata marito; ambigo primò numquid symptoma relatum sit Epilepticum, necne. Novi siquidem Epilepticum symptoma semper esse convulsivum teste Gal. tertio de l. Aff. 7. l. de Sympt. differ. tertio, & alibi; idem suadente ratione. Quando enim causa comitialem morbum inducens irritat, & vellicat internas ventriculorum cerebri membranas, quod facit in epilepsia, expultricem quinetiam excitat ad sui expulsionem, atque inde fit aliqua concussio cerebri, ad quam necessariò convelluntur infernæ partes, vel omnes, vel aliquæ: at in hoc affectu nullus motus observatur; quare hic affectus inter comitiales non videtur reponendus. Quod si Gal. asseruit eodem tertio de l. Aff. sensum aliquando amitti, nullo accedente motu convulsivo, non tamen dixit, accidens illud esse epilepticum; sed tantum fieri à causa frigida, innuens scil. symptomata illa omnia facultatis animalis, in quibus deperditur sensus, non accedente motu, à causa frigida provenire; cujus generis est etiam lethargus. Affectus itaque nobilis Patientis vel Caros dici debet quarto de Loc. Aff. 2. quinto Aphor. 5. & secundo de Articulis

ticulis 21. vel Suffocatio, seu præfocatio, quando insensibilitati, & immobilitati jungitur insignis pulsus cordis & arteriarum imminutio, ex Gal. sexto de Loc. Aff. 5. Verum quia relatum video, Matronam hanc accessionis tempore dentes clausos habere, & ab accessione spumam ab ore fluere, credibile est adesse aliquam mandibularum convulsionem, cujus ratione prædictus affectus inter comitiales, eosque leviores referri potest. Hic autem affectus necessariò consequitur cerebri noxam, non sanè essentialem; quia tunc accessiones essent frequentiores, graviores, & derepente supervenientes; sed potius inferiorum partium vitio consentientem. Cuinam autem membro essentialiter affecto consentiat cerebrum in hac affectione non immeritò dubitatur; num scilicet ventriculo, utero, vel utrique visceri. De horum enim viscerum mala dispositione certissima adsunt indicia, nullum verò de aliarum partium vitiis.

Et sanè quod ex ventriculo malè affecto crassos, & frigidos vapores cerebro communicante fiat Epilepsia, manifestissimis verbis expressit Gal. confirmat experientia, & ex eo facilè colligitur, quod aliàs in pueritia propter vermes huic affectui fuit obnoxia, nec in præsentia invadit affectus. Addo, quod præcedat dolor, anxietasque ventriculi, ac inde flatus elevari sentiat patiens; & præcesserint causæ cruditates in ventriculo coacervantes, quales sunt usus piscium, & incomposita victus ratio tempore quadragemali nuper elapso. Nec minus extant indicia uterinæ passionis: quandoquidem invasit affectus dum utero gestabat, tempore verò partus, & post ipsum hoc symptoma corripiebat, in præsentia sentit quinetiam quosdam vapores elevari ab imò ventre, mensesque nunc fluunt inordinatè.

Quare crediderim primariam affectionem in utero latitare, inde ex ventriculi consensu contingere jam enarrata symptomata, non sanè ratione seminis. Quia tunc accidentia essent sæviora, nec ipsi fuissent familiaria, quando erat Viro juncta; sed ratione sanguinis menstrui statutis temporibus, & debita quantitate non expurgati. Hanc enim solam ob causam superveniebat affectus purgationis tempore, in partu, & parum post partum. Quia tunc licet semen effluere potuerit, sanguis tamen menstruus ex sui natura vitiosus, & deteriorem naturam adeptus in prægnatione retinebatur, nec perfectè purgabatur: cujus certiores nos reddit exacerbatio hujus affectus tempore menstruæ purgationis. Quod si aliquis aliquid noxæ semini adscribat, non reluctabor, qui norim gravissima mala consequi seminis retentionem in illis præsertim, quæ à virili congressu, quem habebant familiarem, omnino abstinent: sic nos docente Galeno sexto de Loc. Aff. 5. ubi de affectibus uteri verba facit. Sanguis autem menstruus imperfectè fluit ob angustiam vasorum, consequentem crassitiem sanguinis cùm melancholici, tum pituitosi: quam ob causam summa cum ratione dubitatur de melancholia superveniente, tum hypochondriaca, tum & essentiali, quia præsens affectus diutiùs durans protractus cerebrum essentiali affectione corrupit.

Ideo me quoque judice, remediis congruis agendum est, quæ melancholicam, & pituitosam materiam præparent, & evacuent; ventriculum abstergant & roborent; uteri venas reserent, & ab infarctu liberent; & deinde caput corroborent.

His autem scopis satisfieri poterit per ea, quæ diligenter expurgant totum corpus, non omissa eductione sanguinis per venam saphenam, & hæmorrhoidum apertionem, per ea quæ diligenter abstergant ventriculum, & flatus discutiant, in quem usum valent aquæ Tetutianæ, & frequens usus hieræ picræ Galeni, & per ea, quæ divertant à capite; quod præstabitur per fonticulum in interna parte dextræ coxæ paratum; & tandem per corroborantia cerebrum; calefacientia, & exsiccantia ventriculum; uterique vasa referantia absque insigni calefactione jecoris. In quem usum valebit decoctum paratum ex radice chinæ, cum portiuncula sassafras, & hordei, additis Pæonia, visco quercino, capillo veneris, matricaria, mentha, & cichoraceis omnibus; una cum inunctione ventriculi, & uteri insessionibus, & infernarum partium frictionibus, imminentibus mensibus, opportunis maximè ad mensium provocationem. Et hæc est mea sententia, de affectu præsenti. Faxit Deus ut feliciter cedat patienti, & ad vota virorum in re medica præstantissimorum. *Bened. Silvatic. Consil. & Respons. Medic. Cent. 1.*

De Epilepsia. Pro Nobili Feltrensi.

Affectum generosi nostri Patientis comitialem esse consentiunt omnes Viri doctissimi, qui de hoc affectu scripserunt, confirmantque accidentia tempore paroxysmi apparentia. Numquid autem cerebrum in ipso afficiatur essentialiter, vel per consensum, & à qua causa proveniat, non adeò constat. Quod enim cerebrum essentialiter laboret, vel inde colligendum videtur, quod caput excedit in magnitudine, quodque affectus hic est ferè continuus, cùm bis & ter in die recurrat, & diuturnus, quinque scilicet annorum. Cæterum cùm vix ullus appareat excrementorum proventus in cerebro, non præcesserint morbosæ capitis affectiones, præter ipsius dolorem, & vertigines non semper essentiales in capite, cùm in tam diuturno affectu non ingravescat morbus, recordeturque patiens omnium, quæ ipsi contigerunt tempore paroxysmi, ut refert Excellent. Medicus in consultatione, in eam facile concedo sententiam, quod cerebrum sit quidem ad hanc affectionem dispositum, tum ob intemperiem calidam, & humidam ipsius tum ob insignem magnitudinem: affectum tamen ipsum fieri consentiente cerebro cum partibus infernis, eoque magis, quoniam consentiunt Viri præclarissimi præcedere affectionem aliquam circa os ventriculi, quam aliqui angorem, alij palpitationem, alij evaporationem nominant. His accedit quod ætate 23. vel 24. annorum raró supervenit essentialis Epilepsia, absque aliqua morbosa capitis affectione, contusione, vulnere, ulcere, aliove simili affectu præcedente, quæ saltem perdurare soleat tam longo temporis spatio. Verum enim verò, quæ pars sit essentialiter affecta, nec tam facile determinari potest. Multa enim sunt, quæ suadere possunt os ventriculi esse essentialiter affectum, languor scilicet palpitatio-

pitatioque in illa parte observata, exquisitus sensus ipsius, ejusdemque maximus consensus cum cerebro per nervos sextæ conjugationis, quas ob causas Grammaticus ille, de quo Gal. 5. de Loc. affectis, ex clamore, ira, inedia, & cogitatione in epilepsiam incidebat, ob exquisitum sensum oris ventriculi, ut inquit Gal.

Verumtamen cùm audiam generosum nostrum patientem æquè hunc affectum pati, cùm bene se gerit in victu, quàm cùm aliquos committit errores, cum cibis quadragesimalibus vescitur, vel cùm ab ipsis abstinet, æquè tempore purgationum, quando ventriculus est ab excrementis immunis, quàm extra illud tempus, neque juvamentum ex assumptis suscipiat, prout Grammaticus ille, suspicor & ego cum Excellentiss. Viro partem essentialiter affectam esse hypochondria, & fortè sinistrum, & lienem, posteaquam audio ipsum esse jecore præcalido, habitusque ad melancholicum vergentis; estque ea ætate, in qua magis viget cum bile melancholia, quàm pituita, dolentque, & tument aliquando hæmorrhoides. Quæ omnia suadere nobis possunt congestam esse copiam sanguinis melancholici in liene, hincque vapores elevari, & fortè palpitationem cordis inferre, non autem oris ventriculi, quidem caput petentes, malaque qualitate peccantes, vellicando internos parietes ventriculorum cerebri irritata expultrice, concussionem ipsorum inferre, sicque motum convulsivum cum aliqua detentione functionum principum, ob agitationem spirituum animalium, impeditumque ipsorum transitum ad principium spinalis medullæ, & ad sensoria: hinc levis affectus, & citò recedens. Quod si aliquando irruant majori copia, cum impetu majori, magisque molesti sint, tunc gravem pariunt affectum, cum prolapsu in terram: quod ter, & quater in anno accidit. Exercitium quin etiam patientis ipsius ad ignem, & attractio fuliginis ex carbonibus accensis juvare potest plurimum: & fortè huic affectui supervenit aliqua mœstitia, & affectus melancholicus: epileptici enim magna ex parte sunt melancholici, ex Hippocrate, quod dictum tunc potissimum verum est, quando epilepsia fit ab humore melancholico. Et hæc de affectu, & causis affectus, quantum ex consultationibus colligi potest.

Prognosticum quod attinet, scriptum quidem reliquit Hippocrates Epilepsiam ante pubertatem curationem recipere, post 25. annum ferè comitari ad mortem usque: non ob id tamen negat etiam post illam ætatem sanari posse per medica præsidia, si præsertim proveniat ab alia causa. Ibi enim agit de epilepsia facta à pituitosa materia, curationemque suscipiente per mutationem ætatis, regionis, & victus; de qua etiam 2. Aph. 45. locutus fuerat. Propterea licet affectus hic sit diuturnus, & confirmatus, non ob id desperandum est de salute per medica præsidia adipiscenda.

Quare divertenda est evaporatio, tollenda minera, corrigenda intemperies tum jecoris per refrigerantia; tum cerebri per exsiccantia; & corroborandum est cor, & cerebrum; non omissis iis quæ à proprietate juvare dicuntur. Idque præstandum remediis, Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Inter Chirurgica, me quoque consule, principem locum habet sanguinis missio, tum ex saphena pedis dextri pro revulsione, tum ex interna brachij sinistri pro interceptione, tum & ex venis sedalibus, pro revulsione & derivatione; imò hinc singulis mensibus bis educetur sanguis ad quatuor uncias singulis vicibus, cùm præsertim aliquando intumescant, & doleant: si enim natura sanguinem inde excreverit, hoc ipsi erit maximo juvamento: post aliquot menses, sufficiet hæmorrhoides aperire semel in mense propè plenilunium. Fonticulus pariter sinistro interno femori inuri poterit, abstinendo à setaceo; non tamen ab ustione occipitis, ad exsiccandos, & roborandos nervos; sicuti pro capitis exsiccatione placet præter alia frequens applicatio carbonis accensi cum cochleari, supposita papyro, & præsertim circa sinciput, & suturas capitis. Vesicantia, ustiones, & similia parti essentialiter affectæ applicari non poterunt. Et hæc de Chirurgicis.

Pharmaceutica remedia Universalia respiciant humorem melancholicum prædominantem, cum subdominio pituitæ; lenientia scil. præparantia, purgantia quæ brevitatis causa tanquam notissima mittenda sunt; hoc adnotato, quod inter purgantia conferet extractum helleb. nigri, necnon & antimonium diligenter præparatum, ne sit vomitorium. Sic conf. hamech, & pil. cocciæ cum helleboro, & de lapide lazuli ex usu erunt. Peculiaria capitis remedia sint leviora, & inter hæc mastiche proderit etiam ad roborandum ventriculum; factaque totius, & capitis purgatione, laudo aquam Tetutianam pro majori ventriculi detersione, cum mell. ros. sol. in primo cyatho ad lib. 4. singulis diebus, per triduum. Mox pro detergenda materia melancholica attenuanda, ac evacuanda, si quæ latitat in liene, aut mesenterio, placet summopere jus galli antiqui flagellati, exenterati & saliti, paratum cum ligno buxi inciso, radice liliorum convallium, Pæoniâ mare, ruta capraria, fumaria, borragine, melissa, & seminibus odoratis; cum quo jure exhiberi poterunt quinque aut sex guttulæ olei de succino, & spiritus salis, persistendo in usu hujus medicamenti 20. dies circiter præmisso bolo ex conf. alchermes, & de hyacintho, cum modico gelu cornu cervi. Victus interim sit quidem tenuis, & attenuans, boni tamen succi, & facilis digestionis. Ab hoc medicamento, adventante tempore calidiore, duorum alterum mihi probatur, vel serum lactis caprini optimè depuratum, vel aqua Beatæ Virginis: nisi adsit excedens humiditas capitis, placet magis serum lactis, modo diureticum cum syr. de acetositate citri, & capill. veneris; modo dejectorium cum infus. epithymi, & sennæ, qua infusione frequenter utendum erit cum jure galli præscripto. Si verò aderit imbecillitas ventriculi, vel excedens capitis humiditas, præferendus erit usus aquæ B. Virginis. Extrinsecus pulveres capitales appropriati, lotiones, & stillicidia ex aquis thermalibus compescere poterunt nimiam humiditatem, & roborare cerebrum. Atque stillicidium ventriculo adhibendum, si essentialiter laboraverit. Nec omittendæ erunt conservæ proprietate juvantes cum modico theriacæ, à Viris doctissimis propositæ.

Victus debet esse ciborum boni succi, & facilis digestionis, conditus modico nucis moschatæ, seminum ocymi, caryophyllorum, anisorum, dauci, & similium. A vino prorsus abstinendum censeo. Si quid enim est, quod officiat, est vinum ipsum, qualecumque sit. Propterea multi sanantur sola abstinentia à vino: cujus loco confici poterit vinum ex cerasis nigris, quod est optimum. Proponitur aqua antepileptica à Quercetano valdè utilis: fierique potest mulsa cum aqua, in qua decocti sint santali, lignum buxi, & radix Pœoniæ. Laudant aliqui sanguinem humanum destillatum. Vitandus est vapor ex carbonibus accensis, & congrua victus ratio servanda in aliis rebus non naturalibus. Sic enim spero fore, ut pristinam sanitatem recuperet, quam ipsi à præpotente Deo precor. *Idem ibidem.*

De Epilepsia, & Oris Tortura. Pro Illustrissimo Guidicionio Lucensi.

Affectus Juvenis Nobilissimi, annos nati 25. sunt duplices. Alii namque sunt antiquiores ab anno 1647. in hunc usque diem per vices recurrentes; posteriores alii anno 1649. post lapsum præcipitem supervenientes, & continuo affligentes. Primi generis symptoma duplex est, Epilepticum scilicet, & maniacum. Maniacum quidem fuit illud, quod contigit mense Junio anni 1647. in quo mota mente nudus per cubiculum oberravit virga ferrea quoslibet etiam familiares cædere tentans. Epilepticum verò fuit, & est illud, in quo noctu & repente edito quodam vocis incomposito sono, tanquam vomiturientis (ut scribitur à præclarissimo Viro) cum quadam membrorum concussione, sine sensu brevi temporis spatio in terram corruit. Qui affectus sæpius eodem modo, & fere eadem hora corripuit Patientem Illustriss. & etiamnum invadit: à quo tamen menses triginta duos continuos prorsus immunis perstitit. Secundi generis affectus est oris tortura contusionem capitis subsecuta, cum effusione sanguinis ex aure dextra, & aliquo levi dolore musculi temporalis dextri, & in præsentia perseverante.

Affectuum prædictorum essentiam, & ideam quod spectat dubitandum non censemus cum Viris præclarissimis de symptomate epileptico, cùm aquam antepilepticam pro ipsius curatione in usum revocarint. Tria tamen circa epilepsiam discutientia veniunt. Primum est, an præsens affectus sit vera epilepsia. Secundum, an sit essentialis. Tertium, à qua causa proveniat. Nec immeritò dubitari potest, an sit vera epilepsia, vel potius somnium in somnis apparens; cùm superveniat patienti somniis terrificis assueto, in primo somno semper, & eadem hora saturato ventriculo; atque aliquando successit loco epilepsiæ delirium ferinum, quod non raro fit in somno, ut patet in noctambulis. Ex quibus quis suspicari posset, hoc accidens somnianti supervenisse, dum scilicet vapores à cibo, eoque copioso elevati opprimunt ita primum sensorium, ut impedita spirituum animalium effusione ad instrumenta respirationi dicata, suffocationis periculum inferant, ac incompositus vocis sonus edatur cum suffocationis periculo, quod vitare tentans Patiens Illustriss. natura excitante, ut fit dum dormientes revolvuntur in lecto surgit, præcepsque ruit in terram instar epileptici. Cæterum hoc in casu nostro locum non habet. Primo, quia si prolapsus in terram fieret à somno, experrectus non permaneret immobilis, & sine sensu, vel potius cum motibus convulsivis. Secundo, quia excitatus præteritorum recordaretur, & aliqua referret: quod non fit. Tertio, quia invaderet in somno semper: cùm tamen aliquando invadat qua hora it cubitum, & quandoque pomeridianis horis, quo tempore non decubuerat: ac propterea statuendum censeo, incipere aliquando in somno, perfici tamen in vigiliis, ut non raro evenit cùm in epilepsia, tum in vertigine, & aliis affectibus. Affectumque hunc fieri censeo, cerebro tum primario affecto; tum aliunde vapores recipiente, & præsertim à ventriculo, & à præcordiis, ideoque prænunciari modo per aurium sibilum, modo per angustiam partium spiritalium, & aliarum infernarum partium, semper tamen affecto cerebro, quam ob causam immunis ab affectu gravitatem capitis observat, obtusosque sensus habet aliquo temporis spatio.

Majori cum difficultate determinari potest à qua causa proveniat, nunquid scilicet à pituitosa materia, quod fit ut plurimum, vel à biliosa, vel ab atrabilari. Si proclivitatem ad somnum spectamus, de pituitosæ prædominio suspicari possumus. Sed si temperamentum totius & jecoris, si accidentia supervenientia, si excreta, dicendum est, adesse quidem aliquam pituitæ copiam in cerebro humidioris temperamenti, prædominari tamen bilem, & melancholicam; imò suspicione non vacat, humorem melancholicum exustum cæteris omnibus præpollere: ita ut massa sanguinea in casu nostro sit à prædominio melancholica. Qua ratione prodidit Hip. melancholicos magna ex parte fieri epilepticos; dum enim irruit humor in mentem, fiunt melancholici: dum verò in corpus cerebri, epileptici: quod accidisse observamus in casu nostro; quando namque vapores acres atrabilares impetum fecerunt in corpus cerebri, vellicando membranulas ventriculorum cerebri, factus fuit & fit epilepticus; quando verò mense Junio anni 1647. affecerunt iidem temperamentum cerebri ascendentes spiritus, factus fuit maniacus, sive delirus: nunquam tamen bilem evomuit, ut mihi retulit: ex quo conjectare possimus affectum præsentem à bile provenire. Verum cùm Patiens Nobilissimus sit famelicus, atque affectus invadat post aliquod tempus ab assumpto cibo, statuendum potius in ventriculo atram bilem aliquando congeri, insultusque epilepticos inferre: quod confirmatur ex sanguine melancholico aliquando per hæmorrhoidales venas sponte fluente. Et hæc de delirio, & epilepsia sat erunt, maturiori judicio semper subjicienda.

Quod spectat ad oris torturam, cùm hæc successerit validæ contusioni capitis post præcipitem lapsum è loco sublimi noctu, cum aliqua mora sub dio, & subgrundiis tempore pluvio, cùmque tunc non brevi temporis spatio jacuerit sine sensu & motu; ut suspicio subsit Nobilissimum Patientem tunc apoplexia levi fuisse detentum ab Hippocrat. proposita, 7.

Aph. 58. his verbis: *Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos fieri protinus necesse est*; addente Galen. in comm. Hippoc. consuevisse sub nomine Aphoniæ significasse eos, qui cujusvis motus aut sensus jacturam faciunt, non aliter ac apoplectici, & attoniti sine ullo sensu omnino, ac motu prostrati jacent. Credibile quinetiam est paralysim subsecutam fuisse, hancque ob causam spasmum cynicum seu oris torturam supervenisse potius in paralysi, quàm ex convulsione, quandoquidem contusio facta est in parte dextra capitis, tortura autem facta est ad sinistram. Et sicuti prædictam contusionem subsecuta est sanguinis effusio ex aure dextra, indicio manifesto disruptionis venarum; ita certo certius affirmandum existimo, paralysin factam fuisse ob disruptos surculos nervorum tertiæ conjugationis, cùm præsertim nec dextrum supercilium elevari, nec dextra palpebra perfecte deprimi possit, sicuti aliàs perpendebam, quando de præsenti affectu consului.

Concludendum itaque existimo torturam oris esse prorsus incurabilem, ac propterea de ipsa nil ulterius addendum esse censeo. Si itaque de epilepsia loquimur, hanc utique curatu difficilem fore non nego, cùm sit antiqua, cumque ab ætatis mutatione juvamentum nullum suscipere possit, quale ab Hipp. prænunciatum fuit in 2. Aph. 45. his verbis: *Epilepsia laborantes pueri, tum loci victusque, tum maxime ætatis mutatione liberantur*: ibi enim loquitur de epilepsia ab ortu naturæ à pituita proveniente; cujus ratione 5. Aph. 7. dixit: *epilepsia ante pubertatem mutationem recipit post 25. vero annum ferè comitatur ad interitum*: quandoquidem jam statutum est epilepsiam præsentem aut fieri à bile flava, aut ab exusta & melancholia, ut ego existimo; qui humores tantum abest, ut ætatis mutatione imminuantur & contemperentur, quin potius intentionem, & augmentum suscipiant; removeri tamen poterit, Medicis præsidiis, & congrua victus ratione. Medica verò sunt Chirurgica, & Pharmaceutica.

Inter Chirurgica commendatur sanguinis detractio antehac experimento comprobata in Juvene Nobilissimo, quæ fieri debet ex jecoraria dextri brachii, vel ex communi ad uncias octo circiter: aperiantur deinde venæ sedales, non hoc tantum tempore, sed singulis mensibus per duos dies ante novilunium, cùm affectus hic accesserit die novilunii, vel subsequenti; propterea diligenter observandum est quo tempore frequentius invadat paroxysmus, tuncque occupandus est affectus hæmorrhoidum reseratione, quæ repetatur per plures menses, quo materia assuescat prædictæ evacuationi. Fonticulus inuratur dextro interno femori. Et hæc de Chirurgicis.

Leniatur alvus syr. viol. sol. de polypod. compos. cum fol. sennæ. Præparentur humores syr. de pomis, de succo borrag. & de cichorio, cum diluto cichorii, rutæ caprar. pentaphylli, acetosæ; purgenturque infusione rhabar. & sennæ ipsi familiari, addito syrupo de polypod. compos. & ros. sol. Quod si alvus fuerit adstricta utatur frequenti clystere ex oleo viol. amygd. amar. cum melle ros. sol. Repetatur deinde humorum præparatio cum syr. de pomis compos. de cichorio compos. & melle scyllitico, cum decoct. suprascripta; alternisq; diebus præscribantur ℥ iij. decoct. epithymi Mes. loco suprascriptæ decoctionis, insistendo huic evacuationi plures dies. Qua peracta, duo genera remediorũ usui erunt, serum scil. lactis capr. & aq. Villensis, vel Noceræ. Illud exhibeatur modo dejectorium, modo diureticum; dejectorium cum syr. ros. sol. aut cum infus. sennæ & epithymi: tuncque erit depuratum. Diureticum verò fiet destillatum cum seminibus quatuor majoribus frigidis, oxalide, portulaca, & succo cichorii depurato, cui præmittetur bol. confect. ex margar. præp. smarag. seminib. Pœoniæ pulver. ac specieb. diarrhodonis abbatis: cujus usus erit dies quindecim: exhibendo dejectorium ad ℔ iij. qualibet vice, & diureticum ad ℥ viii. Interim adventabunt tempora calidiora, tuncque aq. Villensis dari poterit duodecim dies circiter, ea quantitate, eoque modo, ac forma, quæ est notissima viris præclarissimis. Observando quod autumno repetenda erit etiam purgatio.

Major autem diligentia adhiberi debet in recto usu sex rerum nonnaturalium, ideoque cibi sint boni succi, refrigerantes, & facilis digestionis, concessis prunis Damascenis, passulis, melonibus, cucurbitis, uva crispa, ribes, cerasis acidis, & similibus; ita tamen ut arida ultima mensa usurpentur, interdictis lacticiniis, apio selino, aromatibus acribus, omnibusque vaporosis caput petentibus. Cœna sit parcior prandio, & semper à cibo sumat quidpiam subadstringens, & intra horam saltem post cibum non decumbat. A vino prorsus abstinendum censeo saltem aliquot menses, cujus loco in usu erit cerevisia ex lupulis confecta, vel aq. Noceræ, vel hordeacea dulcorata cum acido limonum saccharato, vel sorbetto dicto Constantinopolitano; ac interim paretur ipsi potio ex cerasis nigris maturis, accipiendo libras ducentas horum cerasorum contundantur cum ossibus, deinde affundantur libræ centum aquæ fontis in qua infundantur per diem naturalem libræ duæ ligni buxi incisi, & ligni arboris Tiliæ: necnon ℔ ß. radic. Pœoniæ, & tantundem radic. lilior. convallium, factaque infusione per diem naturalem in aq. calida & ebullitione ad tertiam partem, aqua prædicta calida colata affundatur cerasis contusis, & fiat ebullitio duos ad dies, postea coletur, & succus seu vinum recondarur in doliolo, impositis iisdem lignis, quæ subsidebunt, & succus clarescet, in usum continuum prandii, & cœnæ. Fugiat aërem nocturnum, radiosq; solares; somni sint mediocres, pomeridianis vel interdicatur, vel fiant corpore supino, nec nocturni sint admodum longi, exercitium mediocre, non statim à cibo; mediocrisque sit veneris usus; alvus continuo lubrica servanda, cujus ratione modicum floris cassiæ nuper extactæ, cum pulpa tamarindorum familiare erit, horisque vespertinis à cœna sumere poterit cochlear conservæ ex floribus liliorum convallium, florib. Pœoniæ, & rosis Damascenis, cum succo granatorum, & sacharo, & quando se quieti tradet, detineat in ore rotulam paratam ex ungula alces in pollinem redacta, Cranio humano usto, rasura eboris, oleo de buxo & saccharo, formatis in rotulas cum aqua Pœoniæ, & in ore nocturnis horis detineatur una vel altera. His enim observatis, animique

mique pathematibus omnibus longe missis, & præsertim ira, spero fore ut ab hoc affectu præservetur. Faxit Deus Optimus Maximus ut ad vota succedat. *Idem ibidem.*

De Epilepsia. Pro Nob. Linonetti Recanatensi. Ad Excellentiss. Pelliciam.

Quemadmodum compertissimum est Nobil. hunc patientem Epileptica affectione detineri, Involuntaria namque membrorum concussio, cum abolitione functionum principum, spuma circa os, pallore faciei, & memoriæ lapsu à paroxysmo perdurante, id manifestissime confirmant; ita ex relatis à Viro præclarissimo constat, cerebrum esse affectum essentialiter, & dependere affectum præsentem ab intemperie ejus humidiore, cum materia pituitosa partim in ipso genita, partim à subjectis partibus suppeditata; diuturna namque oculorum lacrymatio præcedens, frequens expuitio pituitæ crassæ, morbi incrementum anni tempore frigido, hyberno scilicet, pallor faciei, & similia id apertissimè confirmant; cùm præsertim nullam ferè mutationem susceperit affectus à victus ratione ordinata, vel inordinata, ex veneris usu, aliisque erroribus commissis.

Quare dubium esse potest, serosam illam materiam alias in cerebro scatentem, quæque antehac per oculorum angulos in fluxu lacrymali jugiter expurgabatur, crassiorem jam factam, diuturna mora in penitiori cerebri substantia corruptionem aliquam, & venenatam qualitatem contraxisse; vel succo melancholico permisceri, cujus in juvenili ætate, & regione calida facilis proventus, sicque affectum hunc contumacissimum & refractarium Productum fuisse, qui tot tamque validis remediis hactenus à Viro Doctissimo præscriptis non cessit; inustioni præsertim duorum cauteriorum ipsimet capiti.

Ex quibus prænuntiare quis poterit cum Hippocrate, & Galeno epilepsiam hanc post vicesimum quintum ætatis annum jamdiu perdurantem incurabilem futuram; nec difficili negotio ætate senili, in apoplexiam desituram, quod Deus avertat. Non ob id tamen à validioribus, & generosioribus remediis desistendum censeo, cùm vires habet ita robustas, ut quælibet etiam generosissima remedia tolerare facile possit.

Quare transacta Canicula, totum corpus, & caput erit diligenter expurgandum, materiaque peccans attenuanda, incidenda, sensibiliterque, & insensibiliter evacuanda; cerebrum calefaciendum, & exsiccandum; metasyntiticis, & à proprietate juvantibus venefica qualitas est eradicanda. Hæc præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & congrua victus ratione.

Quoad Chirurgica, ratione totius, vena dextri brachii primo erit secanda; deinde aperiendæ venæ sedales, si corpus fuerit plethoricum; nihil enim nobis relatum de corporis habitu, ut propterea ex suppositis sit consulendum, licet capilli sint nigri, somnique turbati, ex quibus caloris quidam excessus in jecore se prodat. Detrahatur etiam parum sanguinis ex vena frontis in progressu curationis; imò & vesicantia retro aures, & ustiones variis partibus capitis poterunt adhiberi. Nec absre esset in affectu adeo refractario, devenire ad terebrationem Cranii usque ad desquamationem primæ laminæ, quod remedium magis erit ex usu, si in parte aliqua capitis fuerit gravitas, vel molestia: non omissis aliis levioribus revellentibus ad impediendam fluxionem.

Pharmaceutica sint duplicis generis, universalia scilicet, & particularia: præparantia, & purgantia humores crassos pituitosos, & serositates melancholicas, eaque generosiora. Ac proinde inter validiora præparantia locum habere poterit, syrupus de hyssopo, de prassio & oxymel scylliticum, cum decoctione radicum Pœoniæ, rutæ caprariæ, radicum liliorum convallium, foliorum tiliæ, peucedani, fumariæ, & similium. Inter purgantia probantur pilulæ de nitro Alex. de lapide lazuli, & cocciæ, præparatæ cum helleboro, & castoreo. Factaque totius purgatione duplici, & triplici, purgandum erit caput validioribus primò masticatoriis, tum & errhinis, masticatoriaque fiant ex pyrethro, staphisagria, & zingibere, cum cera, & resina, errhina vero parentur ex elaterio in lacte dissoluto, vel ex succo majoranæ, & seminibus nigellæ, aut helleboro pulverizato, cum succo malvæ, aut ex tabaco, seu nicotiana per nares attracta. Accedant tertio quæ lacrymas excitare valeant. Si enim lacrymarum suppressio huic affectui ansam dedit, earumdem revocatio proderit necessariò. Hoc autem præstabunt vapores acres ceparum, allii, nasturtii, oculorum ablutio cum aquis acribus. Inter cætera caputpurgia censeo primas partes deberi fumo tabaci supra proposito. Factaque universali totius, & particulari capitis expiatione, duo interna topica præscribenda censeo, primo laudo aquas thermales magni Balnei Divi Petri in agro hoc Patavino scatentes, si temperamentum totius fuerit calidius; sin minus, uti poterit Aponitanis, tanquam calidioribus, & magis exsiccantibus: hæ enim per vapores caput petentes facilè digerère poterunt materiam in cerebro peccantem. Si hæ non contulerint, vel si patiens Patavium se conferre non poterit, laudo aquam stillatitiam hunc in modum paratam. Recipe sex paria hirundinum, & totidem picarum lanugine tectarum, radicum Pœoniæ maris, Luna decrescente sub signo Leonis collectarum, ligni visci quercini, buxi raspati ana ℥ iij. sassafras incisi ℥ j. florum liliorum convallium, florum hyperici, tiliæ arboris, primulæ Veris, roris marini ana pugil. duos: incidantur pulli cum visceribus, & lanugine, contundantur radices, & imponantur in vase vitreo, affundendo succi cerasorum nigrorum, de ruta capraria, acetosæ, limonum, aceti scyllitici ana uncias quatuor, vini albi generosi libras duas, macerentur triduum in balneo Mariæ, additis floribus præscriptis in maceratione, factaque forti expressione, & colatura, destillentur, & servetur aqua; cujus dosis singulis matutinis horis erit ad uncias tres cum tribus guttis olei de buxo, & spiritus salis, præmisso bolo hunc in modum parato. Recipe terebinthinæ Cypriæ lotæ in aqua lavendulæ, castorei ana

drachm. 1. sem. seminum Pœoniæ pulverizatorum, cardamomi, Cranii humani ana drach 1. sem. ungulæ alces pulver. scrup. ij. cum oxymel. scyllitic. folia boli decem quorum singulis diebus sumat duos, & superbibat aquam supraſcriptam. Ab his internis duo alia externa utiliſſima futura censeo; primum erit ſtillicidium ex aquis thermalibus, amplo tubulo suturam coronalem cum impetu perfundens, hoc enim humores etiam craſſiſſimos digerere valebit. Secundum eſt inunctio venarum jugularium, & retro aures cum oleo de buxo; ejuſdemque olei inſtillatio in aures. Hæc sunt validiſſima, quæ tutiſſimè adminiſtrari poterunt. Quibus ſi non ceſſerit affectus, cogitandum erit de inunctione cum hydrargyro. Hæc enim ſicut in lue Gallica contumaciſſima attenuat etiam gummata duriſſima capitis, tota materia morbifica per os excreta, ſic in casu præsenti exſtirpare poterit materiam hanc veneficam in penitioribus cerebri partibus concluſam.

Victus ratio ſit tenuis, attenuans, exſiccans, Viro præclariſſimo quàm notiſſima: quam propterea lubens omittendam duxi. *Idem ibidem.*

De Epilepſia cum Albugine oculi. Pro Nobili Puero.

Illuſtriſſimus Puer ætatis annorum tredecim, temperamenti calidi & humidi totius, habituſque carnoſi, cum inæquali viſcerum naturalium intemperie, calida ſcilicet hepatis & frigida ventriculi, à naturæ primordiis cerebrum impensè humidum & magnum ſortitus, nec unquam in infantia favis, achoribus, aliiſque capitis ulceribus fœdatus, ſed ſemper mundus, ſtatim ab incunabulis graviſſimis malis conflictatus fuit. Ex valido namque materiæ defluxu ad oculum albugo ſuborta fuit, cum ejuſdem cæcitate; graviſque acceſſit ſenſus, motus, & actionum principum deperditio, cum concuſſione corporis, quæ tamen per medica præſidia præſcripta, tenellæ ætati accommodata ita remiſerunt, ut fieret quidem aliqua mentis alienatio, cum rubedine faciei, ſubobſcura locutione, & aliqua brachiorum levi extenſione: quæ tamen ſtatim ita ceſſabant, ut conſueta puerorum ludicra jam miſſa repeteret, prævideretque imminens ſymptoma, quod aſtantibus ſignificabat: atque ideo ſedens, vel alicui innixus, accenſa facie ſubobſcurè loquebatur, cum levi brachiorum motu, & quadam mentis alienatione, ac brevi temporis ſpatio ceſſabat affectus. Symptoma prædictum non rarò præcedebat, & aliquando ſubſequebatur ſingultus, ſemperque à ventre inferiore morbum ortum ducere referebat, qui nunquam tempore ſomni invaſit, ſine ulla periodo, nec magis in novilunio, quàm plenilunio, ſed indifferenter quolibet tempore corripiebat. Quatuor verò ab hinc annis, dum ſymptomate gravius corriperetur, urina involuntariè fluxit, ſemel atque iterum recurrente ſymptomate: quod ab anno frequentius eſt, levius tamen, præterquam menſibus elapſis, cum tota die intereſſet ſolemni belli ludicro equitum haſtis concurrentium ſub radiis ſolaribus, ſequenti die comitiali morbo graviori fuit detentus. Apparuit enim totius corporis convulſio, ſpumaque in ore, cum detentione omnium functionum principum: à quo tempore bis aut ter vera epilepſia correptus fuit. Multa remedia variis temporibus adhibita fuerunt, plures annos geſtavit fonticulum in occipite, mox exacto octavo ætatis anno occluſum, inuſto alio ſiniſtro brachio. Decocta varia ſumpſit radicis Chinæ, ligni viſci quercini, & ſimilium: aſſumpſit ſerum lactis caprini: alvum valde adſtrictam habet, urinam craſſam, turbidam, jumentorum urinæ ſimilem, & in magna copia. De agendis conſulit.

Quare pro præſentis affectus curatione, ſupponendum eſt primo tanquam indubitatum, ex accidentibus propoſitis, affectum hunc ſtatim ab initio epilepticum fuiſſe, beneficio tamen remediorum tunc adminiſtratorum mitiorem fuiſſe redditum, ita ut referret ſpeciem vertiginis, & delirii; cum mente non conſtaret, brachia leviter extenderet, & lapſus periculum adeſſet, niſi fulcimento alicui initeretur; progreſſu tamen temporis in veram epilepſiam degeneraſſe, talemque eſſe in præſentia. Difficultas aliqua ſuboritur in aſſignanda parte eſſentialiter affecta, & cauſa morbifica. Cùm enim ratione partis affectæ triplex ſit Epilepſiæ ſpecies, teſte Galeno, tertio de Locis Affectis ſeptimo alia ſcilicet, in qua caput, & cerebrum eſſent: aliter afficitur; alia per conſenſum à toto; & alia per conſenſum à parte aliqua determinata, tria ſunt, quæ nos in eam opinionem ducere poſſunt, quod caput ſit eſſentialiter affectum; quorum primum ſpectat ad malam capitis conformationem. Magnum enim caput habere referunt, in quo propterea magnam pituitæ copiam adeſſe ſupponendum eſt; ſecundum eſt, quod achoribus & favis non laboraverit lactantibus in capite erumpere conſuetis, per quæ ulcuſcula vitioſa illa excrementa ex ſanguine menſtruo congeſta ſolent expurgari; de quibus Divinus Hippocrates in Libro de Sacro morbo prodidit; pueros epilepſia non tentari: qui ulcuſcula illa paſſi fuerint; tertium eſt, quod in infantia ex copioſo humoris defluxu albugo ſupervenerit, cum cœcitate alterius oculi, quo tempore gravi epilepſia correptus fuit. Ac proinde per ſigna deſumpta ab eſſentialiter inhærentibus, ab actionibus læſis, ab excretis præter naturam retentis, atque partibus à capite oriundis facilè colligere eſt cerebrum in caſu præſenti eſſentialiter eſſe affectum, quod & à Viris Excellentiſſimis curæ ejus præpoſitis ſuppoſitum eſſe cenſeo, cùm fonticulum occipiti inurendum præceperunt. Non deſunt tamen validiſſima argumenta, quæ nobis contrarium ſuadeant: quorum primum, & palmarium eſt, quod ab Illuſtriſſimo Patiente præſentiatur paroxyſmus imminens, ut relatum eſt: quod ſignum tanti æſtimatum fuit à Galeno, ut in libro de puero Epileptico, hoc ſolo argumento ductus ſtatuerit, puerum illum de quo agebat, laboraſſe epilepſia per conſenſum à pede; quoniam ſentiebat auram quandam inde elevari, antequam caderet. Aliud eſt, quod præſens affectus numquam habuerit certas periodos, quæ in eſſentiali recurrere

rere solent ad Lunæ motum, ut hanc ob causam morbus Lunaris vocetur. Tertium, quod levioribus remediis in principio administratis ita remiserit, ut in vertiginosam passionem degeneraverit. Quartum & ultimum, quod invadente symptomate rubescat facies, quodque recedens nullam molestiam relinquat in capite. Refertur etenim in historia, quod statim ad se redibat, & consuetos puerorum ludos inchoatos continuabat; cùm tamen essentialem affectum subsequi soleat capitis gravitas, & sensus obtusus; præterquam quod singultus modo præcedit: modo subsequitur affectum. Quæ cùm ita sint, non immeritò quis existimaverit affectum hunc essentialem non esse, sed per consensum ab hypochondriis, quorum molestia præcedit.

Quare statuendum censerem, adesse quidem maximam in capite dispositionem ab ortu naturæ contractam, non tamen à sola capitis magnitudine indicatam. Non enim semper caput magnum est vitiosum, ut habemus ex Galeno in Libro Artis medicæ, Capite secundo, sed tunc tantum quando est male conformatum, de qua mala conformatione in historia nulla mentio; sed potius ex detentis menstruis excrementis, & humidiore intemperie, ob quam multa congerit excrementa: concurrere tamen etiam evaporationem à subjectis partibus elevatam, tanquam causam prædictos humores attenuantem, impuriores reddentem, concitatè moventem: atque hinc fieri quod humores prædicti, qui antea quiescentes nullum inferebant incommodum, concitatius deinde moti, irruentesque in ventriculos cerebri, sua mala qualitate, & acrimonia vellicent internam membranulam ventriculorum ejus, atque ita excitent expultricem ipsorum ad sui expulsionem; quam necessario consequitur membrorum concussio, ob consensum nervosæ substantiæ, & functionum principum abolitio, ob perturbationem spirituum animalium; non enim censeo epilepsiam fieri ex ventriculorum obstructione, magis aut minus perfecta, ut determinasse visus est Galenus cujus doctrinæ multi in hoc assensum præbent, sed ex simplici irritamento; alioquin apoplexiam semper præcederet Epilepsia. Hæc autem causa movens interna est vapor impurus à ventriculo, & venoso genere elevatus, ex crudis & calidis humoribus in illis partibus contentis, cuilibet obviis ex urinis illis crassis, & turbidis, quas continuo excernit; unde tunc observat Patiens læsionem sensibilem circa viscera, singultusque præcedit, vel subsequitur affectum invadentem cum rubedine faciei: idque confirmatur ex eo quod in vehementem incidit Epilepsiam, postquam totam diem mansit sub radiis solaribus, occasione equestris certaminis supra propositi. Quare concludendum censeo, mineram in capite contineri, eamque ab exhalationibus agitari, atque ita affectum esse essentialem, & per consensum à visceribus naturalibus, & à venoso genere. Hincque facilè statui potest, quænam sit causa morbifica. Non enim est materia pituitosa simpliciter, à qua utplurimum fit Epilepsia in pueris, neque biliosa, à qua ex Galeno facta fuit in illo Grammatico; sed à menstruali illo excremento utplurimum expurgari consueto per achores; hæc etenim materia deleteria quadam qualitate affecta, magnum morbum, quem Epilepsiam vocant, producere valet, dum præsertim attenuatur, acriorque redditur à vaporibus, & ab aliis extrinsecis causis calefacientibus.

Quæ si vera sunt, compertum est præsentem affectum hæreditarium esse, non solum ex paterna capitis excedente humiditate, sed longè magis ex menstruali matris excremento non expurgato. Non ob id tamen de salute desperandum, non solum ob mutationem temperamenti per ætatem, de qua Hippocrates, sed & per medica præsidia à Viro præclarissimo alias administrata, nuncque etiam proposita, quibus lubens & volens subscribo.

Duo tamen præ cæteris summopere profutura censeo, videlicet plures ustiones in variis capitis partibus factæ, intactis suturis Cranii, putrefacta & remota eschara, ita ut diu ulcuscula serventur aperta. Aliud est setaceum in occipite, & fonticulus in dextro interno femore, quæ pariter aperta serventur.

In reliquis, insistendum lenientibus, præparantibus & levioribus purgantibus. Inter præparantia oxymel scylliticum tantopere à Galeno commendatum, & inter purgantia rhabarbarum, & agaricus, erunt peropportuna: à quorum usu præscribetur decoctum ex ligno buxi, santalis citrinis, & ligno visci quercini, cum ruta capraria, radice Pœoniæ, cichorio, betonica, & radice liliorum convallium, præmisso bolo ex Cranio humano, castorio, & ungula alces.

Victus proportione respondeat, vino prorsus interdicendo, ipsiusque loco, fiat vinum cerasorum nigrorum continuo bibendum: cujus inopia, paretur aqua ex ruta capraria. Et hæc annotanda duxi, in confirmationem propositorum à Viro in arte versatissimo. *Idem ibidem.*

De Epilepsia. Pro Illustrissimo Comite Bonifacio de S. Bonifacio.

Comes Illustrissimus vicesimum ætatis annum agens, temperamenti calidi ad humidum vergentis quoad totum, & caput, hepatis calidioris, & humidi, & ventriculi subfrigidi, quinque abhinc annis motum convulsivum totius corporis, cum detentione functionum principum passus fuit: morbum scilicet Comitialem à Latinis, à Græcis verò Epilepsiam vocatum, à Galeno descriptam in Libro de Symptomatum differentiis tertio per totius corporis convulsionem, cum detentione functionum principum, symptoma scilicet in actione animali læsa, & ea depravata, quæ annum cessavit, post diligentem totius expiationem, & aquæ Beatæ Virginis potum: rediit tamen, atque iterum usu medicamentorum cessit, & præsertim decocti confecti ex radice Chinæ, & ligno sassafras. Verùm anno elapso, æstivo tempore, dum incompositissima victus ratione usus fuit, dumque æstuante Sirio Iter fecit in curru aperto, post plures febres tertianas, semitertianas, & errati-

cas, cum universali pruritu, cutis efflorescentiis, & excretione bilis per vomitum, & alvum, mense Octobri vertiginem passus fuit, cum febre, quibus denuò successit Epilepsia.

Pro cujus curatione, consultatione habita determinatum fuit, adesse quidem pituitæ copiam, genitæ cùm in ventriculo, ob errores in victu, tum in capite humidissimo: longè tamen præpollere bilem, & melancholiam, indicatam à febribus præteritis, temperamento jecoris fervido, & excretis per alvum, & vomitum; horumque humorum alios in capite genitos esse, pituitosos scilicet, alios in jecore, ab eoque per venosum genus caput petere, cum sub forma humoris, tum sub forma vaporis: atque ideo epilepsiam hanc esse modo essentialem modo per consensum à toto venoso genere. Quem consensum licet non proposuerit Galenus quinto de Locis Affectis sexto, ubi ex professo de hoc affectu egit, & proposuit tantum consensum ab ore ventriculi, utero, & à partibus extremis; attamen cùm asseruerit ex Hippocrate, melancholicos magna ex parte fieri epilepticos, dixeritque tres esse melancholiæ species, essentialem scilicet, per consensum à toto, & ab hypochondriis, quodammodo admisit epilepsiam factam per consensum à toto, propositam à Victore Trincavello in quodam male curato ex scabiei inunctione, non præmissa corporis purgatione: cujus consensus habemus indicia manifestissima: primo ex præcedente pruritu cum febre, deinde ex puncturis quibusdam partium subcutanearum, & formicatione veluti quadam parum ante accessionem: quo solo signo distinxit Galen. epilepsiam essentialem ab ea quæ fit per consensum 3. de Loc. Affect. 7. Essentialis autem patet ex gravitate capitis, & ex copia pituitosæ materiæ per nares emunctæ: hinc itaque fit, ut à vaporibus acribus vellicatis membranis internis ventriculorum cerebri, excitata expultrice ad expellenda noxia, fiat concussio cùm ventriculorum cerebri, tum & totius corporis, quam sequitur eorumdem ventriculorum subsidentia, dissolutis spiritibus animalibus, atque hinc abolitio functionum principum, non propter obstructionem ipsorum, ut est communior opinio, alias semper apoplexiam præcederet epilepsia. Et hæc de essentia, & causis præsentis affectus.

Ex quibus non est difficile colligere, quid de hoc affectu sperandum sit; negandum etenim non est summa cum difficultate sanatum iri, cum sit antiquus, atque frequentior quam antehac, & dependeat ab humoribus crassis, necnon & ab inæqualibus viscerum intemperiebus. Nec sperandum est cum Hippocrat. 5. Aphorism. 7. Curationem ante pubertatem admissurum esse; loquitur enim ibi Hippocrat. de epilepsia in infantia molesta, ob nimiam cerebri humiditatem, & de ipsius remotiore mutatione temperamenti per ætatem, non ideo negans epilepsiam ultra illam invadentem ob alias causas, tolli posse per mutationem victus, & aëris, vel per medicamenta: propterea dixit idem Hippocrat. primo in 6. Epid. 5. Puerorum eclampsies una cum pubertate quibusdam mutationes habent: Galen. in comment. dixit, non omnes epilepsias pueris supervenientes mutatione ætatis tolli, sed illas tantum, quæ ab ortu naturæ fiunt, ob nimiam humiditatem cerebri. Aliæ namque ex erroribus in victu, remediis opus habent, ut in casu præsenti, cùm Patiens Illustrissimus vires habeat robustas.

Ideo Curatio tentanda, vel saltem præservationi incumbendum, si affectio morbosa removeri non poterit. Quod fiet si humores peccantes in toto, & partibus evacuabuntur, intemperiesque jecoris refrigerantibus, ventriculi exsiccantibus, & cerebri refrigerantibus, & exsiccantibus, cum corroboratione corrigentur, non omissis bezoardicis, & à proprietate juvantibus. Quæ præstabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Et primo quantum ad fontem Chirurgicum, cùm jam fuerit eductus sanguis non semel, sed sæpius ex utroque brachio, pede, hæmorrhoidibus, & ex ambitu totius, supersedendum videretur quacunque sanguinis evacuatione; attamen in hac excedente jecoris caliditate melancholiæ copiam generante, non erit inconsultum venas sedales singulis mensibus prope novilunium aperire, quo natura edocta, prædictæ assuescat evacuationi. Quoad alia Chirurgica præsidia, gestat duos fonticulos, in brachio sinistro, & dextro interno femore; qui non occludantur; neque de setaceo in occipite; neque de cauterio prope suturam coronalem cogitarem, ne major materiæ copia trahatur ad caput.

Inter Pharmaceutica, repetantur lenientia, præparantia, & purgantia, antehac cum juvamento sumpta, abstinendo à generosis purgantibus, ratione ventriculi: purgeturque caput gargarismatibus, & masticatoriis, missis errhinis sternutamentum cientibus, metu paroxysmi epileptici. Hisque peractis sumat triduum aquam Tetutianam ad ℔iij. singulis diebus, cum melle rof. solutivo. Præscribatur deinde decoctum ex salsa parilla, ligno buxi, santalis citrinis, & ligno visci quercini, cum radice Pæoniæ, ruta capraria, & cichoraceis, præmisso bolo ex ungula alces, Cranio humano, & stercore pavonis maris, cum terebinthina Veneta, continuando usum ipsius per 20. dies. Ac tandem bibat aq. B. Virginis ex agro Patavino per 15. dies circiter, cum syr. capill. Ven. & modico spir. vitr. eo modo quo in usu est, ut per urinam excernatur. Extrinsecus fiat stillicidium ventriculo cum aq. Aponitana, munito jecore unguento santalino, superposito deinde cerato mastichino, cum oleo nuc. mosch. Capiti fiant lotiones ex aqua nostra Lastrensi. Nec omittantur conf. flor. Pæoniæ, rutæ caprar. lilior. convallium, & flor. borraginis, cum ungula alces ad ℥j. in aurora.

Victus sit refrigerans & humectans: abstineat ab aromatibus, à placentis, lacticiniis, piscibus crustatis, & palustribus, carnibus leporinis, agninis, cervinis, & avium palustrium: potu item cujuslibet vini ad annum integrum, cujus loco paretur ex cerasis nigris contusis, quæ in aqua ebullierint quatuor dies, servata colatura Facta prædicta corporis expiatione, sanguine ex venis sedalibus in plenilunio educto singulis mensibus, assumpto vino cerasorum, convaluit usque ad annum 36. circiter, quo tempore interfectus fuit, non obstante sententia Hippoc. & Gal. 5. Aph. 7. quod

quod post 25. annum ferè comitatur ad interitum affectus. *Idem ibidem.*

De Epilepsia. Pro Spectabili Viro.

Affectum præsentem Epilepsiam esse, summa cum ratione determinatum video à Viro Excellentissimo. Motus namque convulsivi, cum detentione facultatum principum, & spuma circa os id clarissimè confirmant. Quibus forsan jungitur vox inarticulata, & gemitus, prout sæpè evenit in hoc affectu. In quo cerebrum esse partem affectam testantur actiones motrices, & principes læsæ; illæ quidem depravatæ, hæ vero, non dixerim, deperditæ in casu præsenti, cùm memoria recolat omnia post accessionem, sed saltem imminutæ, eoque magis, si paroxysmi tempore in terram cadat; Ita tamen afficitur, ut me quoque judice, id fiat per consensum à ventriculo, non secus ac in Grammatico illo, cujus historiam retulit Galen. lib. 5. de Loc. aff. 6. ubi asseruit, non raro epilepsiam fieri per consensum ab ore ventriculi exquisito sensu prædito. Verum quidem est quod aliquando cerebrum trahitur in consensum ab ore ventriculi, ob cruditates in ipso congestas, aliquando ob humores acres, & biliosos, ut illi Grammatico contigit, tunc epileptico facto, quando vel irascebatur, vel inediam patiebatur, quod de Patiente nostro nobis non constat, cùm vomitus vel non sit subsecutus, vel de eo nulla fuerit mentio. Utcumque tamen sit, consentit absque dubio mediantibus nervis sextæ conjugationis, ventriculus cerebro, vaporesque ad hoc transmittit acrimoniæ alicujus participes, ejus ventriculis noxam inferentes, ac vellicantes internam ipsorum membranam, qui propterea sunt in causa ut cerebrum sese concutiat ad expellendam causam noxiam, ad cujus concussionem agitantur postmodum spiritus, prohibetur ipsorum influxus ad sensoria, & convellitur nervosa substantia intra cranium contenta, atque ita tollitur sensus & motus voluntarius, cum abolitione functionum principum, & convulsione corporis, modo totius, modo quarundam tantum partium, prout major est, vel minor concussio, quod proditum ab Hippocr. & Galen. videl. ab eodem humore melancholico fieri epilepsiam, & melancholiam; epilepsiam, dum irruit in corpus cerebri, melancholiam verò, dum afficit mentem, idest dum alterat temperamentum ejus.

Materiam autem peccantem à prædominio melancholicam esse ego quoque mihi persuadeo, dum video patientem ipsum tot annos ab affectu immunem vixisse, à quo sanè majorem labem suscepisset in puerili ætate, si à pituita prædominante fieret.

Propterea Hippocraticum prognosticum locum non habet, dum dicit epilepsiam antè pubertatem curationem suscipere, post 25. annum ferè comitari ad mortem usque; ibi namque loquitur de epilepsia infantibus familiari, à pituitosa materia proveniente. Non ob id tamen negandum est affectum præsentem magni momenti esse, medicisque præsidiis tentandum, antequam ulterius progrediatur.

Quare præscripta universali corporis expiatione, revellendi sunt vapores à capite, mineram congestam evacuando, ventriculique intemperiem corrigendo, eumdemque cum capite corroborando, remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgiam quod attinet, sanguis equidem ratione totius educendus erit ex interna dextri brachii, ratione jecoris sanguinis officinæ, dummodo in sinistro hypochondrio tensio aliqua non observetur, in quo casu educendus est ex interna sinistri brachii; interpositoque congruo temporis intervallo, aperientur etiam venæ sedales, à quarum menstrua purgatione parca tamen, maximam utilitatem percipiet. Fonticulos quod spectat, unum jam admitterem in dextro interno femore. Crurum frictiones frequentes cum aqua valdè calida ad varices excitandos mihi probantur.

Pharmaceutica sint semper leviora, ne ventriculo officiant: ideoque hieram picram Galeni cæteris omnibus præferendam censerem, Galeni exemplo quinto de Loc. Affect. tantopere commendatam, ut ipsa sola congrua victus ratione asseruerit se cum Grammaticum illum incolumem præstitisse, cùm quolibet anno bis aut ter medicamento ex aloë uteretur; non omissis syrupis à Viro Excellentissimo propositis, sine diluto, & purgatione facta cum agarico, & rhabarb. infus. addito mel. rof. solutivo, & de polypod. comp. abstinendo à validioribus attenuantibus, & incidentibus; quorum loco exhibendam censerem aquam Tetutianam triduum, cum mel. rof. solut ac deinde decoctum ex ligno Sancto, visco querc. lentisc. & buxo, cum columba turricola per 20. dies; præmisso bolo ex castoreo, Cranio humano, & ungula alces; exhibita singulis 8. diebus eadem hiera picra, & intermediis temporibus, pil. ex aloë lot. cum succo rosarum. Peculiarem capitis evacuationem non adeo ex usu existimo, cùm statutum sit, caput affici per consensum: nihilominus familiarem mastiches pinguis masticationem non improbo, tamquam ventriculo familiarem; nec minus placet conserva ex ruta capr. florib. tiliæ, lilior. convall. & florib. Pœoniæ, cum conserv. rorismar. & absinth. umbelliferi. Paretur vinum medicatum ab Excellentissimo Viro propositum: quod si utatur vino ex cerasis nigris huic affectui appropriatis, abstinere posset à quocumque alio vino. A cibo sumat semper aliquid adstringens, ut puta diacydonium, diacornu, saccharum rof antiq. vel sorba matura, quæ hoc tempore habentur. Et hæc in confirmationem propositorum à Viro Excellentissimo annotanda duxi. Faxit Deus ut ad vota succedant. *Idem ibidem.*

De Epilepsia, & Phthisis suspicione. Pro Viro Nobili.

Duo sunt affectus Viri Nobil. ætatem agentis 32. annor. Alter est epilepticus, antiquus, ab anno 15. ætatis in hodiernam usq; diem ipsi molestus; alter phthisis, ut colligere possumus ex scheda ad nos transmissa, hicque recens, dependens à catarrho putrido ad pulmones cum impetu irruente autumno præterito, tussim, spirandique difficultatem excitante: cui deinde ob corrosionem pulmonum sanguinis sputum successit, febricula lenta, corporis macies, virium imbecillitas, & excretorum fœtor, prædictam

fluxionem juvante cauterio occluso aliàs inusto sincipiti.

Vterque affectus gravissimus, primus quidem, ob ejus durationem quem propterea nec ætatis spatium superare potuit: 25. enim ætatis annum jam excessit, quem sanationis terminum præscripsit Hippocr. 5. Aph. 7. & nihilominus perseverat affectus. Alter vero propter difficultatem sanationis ulcerum pulmonum, cùm ratione membri continuo motu agitati, tum ratione medicamentorum, quæ vix ad partem affectam pertingere possunt.

Quas ob causas libere affirmandum censemus, utrumque affectum insanabilem futurum. Epilepsia namque vix debellari poterit temporis progressu & medicis præsidiis: phthisis autem affectus longè gravior, & prorsus insanabilis, quippe qui longè breviori temporis spatio patientem hunc Nobilem è medio tollere potest: ubi enim primum tabidus reddetur, labefactatis viribus, non poterit extundere materiam in pulmonibus collectam, & fato cedet. Non ob id tamen solo prognostico relinquendus est, quanquam à medicis præsidiis vel nulla, vel levissima utilitas sit speranda.

Eo autem dirigi debent medica præsidia, ut impediant quo minus à capite nova materia decumbat ad pulmones, evacuent materiam fluxam, detergant ulcus, & exsiccent, cùm ratione materiæ fluxæ, tum ratione ipsius ulceris, additis substantificè humectantibus, ratione maciei, & moderatè refrigerantibus, ratione febris; non spreto affectu epileptico, qui exposcit capitis exsiccationem, & sensibilem, ac insensibilem materiæ morbificæ evacuationem; primo tamen & præcipuè insistendum est curationi ulceris.

Atque ideo præmissa blanda totius corporis expiatione, eclegmata detergentia sunt præscribenda, parata ex syr. acetoso simpl. melle rof. simpl. syr. de farfara, de pulmonaria, & looch. de caulibus, cum saccharo cand. violato. Conferet potus aquarum thermalium sulphurearum, ad ℔ vj. & plures singulis matutinis horis sumptarum, mediocriter calidarum, cum syr. de farfara sensim & sensim, ut facilius illabi possint per asperam arteriam ad pulmones, per octo, vel decem dies; mox paretur decoctum ex radice Chinæ, ligno visci quercini, pulmonaria, & hyssopo, cum gallo juniore, præmisso bolo analeptico, confecto cum carne caponis, pistaciis, nucleis pineis, & nuce Indica, usurpandum per 20. dies circiter; tandemque sumat singulis matutinis horis lac asininum nuper è mammis extractum, ad ℥ ij. cum buccella panis & modico saccharo pulverizato, quinque horis ante cibum, instillatis quinque, aut sex guttis olei de buxo, addito modico ungulæ Alces derosæ, pergatque in usu ipsius 30. dies circiter, somnoque se det: post ejus usum: ac interim vel renovetur cauterium in sincipite, quod tantum defigatur ad primam ossis laminam & apertum servetur: vel ipsius loco, fiat setaceum in occipite. Dumque hæc peragentur intrinsecus, fiant extrinsecus blandæ frictiones toti corpori, manibus inunctis oleo amygd. dulcium extracto sine igne. Accendatur ignis ex lignis juniperi, & lauri, excipiat per tubulum fumum ex sulphure, benjoin, & styrace; detineatque frequenter in ore rotulas paratas ex flore sulph. terra sigillata & saccharo cum aqua pulmonariæ.

Victus interim sit renutriens, in pauca copia sumptus, & pro potu paretur mulsa diluta. Sic enim prospiciemus etiam epilepsiæ, ratione cujus fiat conserva ex flor. Pœoniæ, & ruta caprar. cum sacch. rof. antiquo, & terra sigil. cujus sumatur singulis diebus ℥ j. duabus horis ante cœnam. Et hæc sunt quæ pro vitæ productione prodesse poterunt in casu (ut dictum est) incurabili. Faxit Deus ut usui sint. *Idem ibidem.*

Epilepsia essentialis, non sine consensu à toto.

Nobiliss. Puer novem annorum, temperamenti totius calidi & humidi, capitis humidioris, & modo habitus submelancholici, qui Avum maternum ob capitis copiosam humiditatem defunctum habuit. Statim ac natus fuit, exolutus, sine sensu & motu aliquot horis pro mortuo habitus est; inde Nutricem optimi lactis sortitus melius habuit: solum anno tertio febricitavit, sed facilè quoque à febre evasit; attamen morphæam, sive lactumen in capite, necnon scabiem in toto, usque ad quintum suæ ætatis annum passus est. Tunc vero à Mulieribus domesticis lavacro ex vino & herba regina p rato, & lactumen & scabies in toto abstersa & suppressa fuere, unde statim Puer melancholicus visus est cum carnium considerabili tumefactione, urinæque turbidæ, copiosæ & nigræ apparuerunt, & ideo expurgatus fuit Puer ipse, extractusque sanguis ex brachio. Nihilominus mense Maio rursus animi deliquio, sive exolutione correptus fuit, cum principum actionum abolitione; & eodem paroxysmo noctis tempore sed intensiori recurrente cum febre, pro mortuo rursus habitus est. Post inustionem tamen cervicis, & cucurbitulas incisas, quibus sanguis evacuatus fuit, pravæ conditionis observatus, in se reversus est, & urinas reddidit copiosas & crassas. Tunc inustum fuit Cauterium: sed post duos annos fuit quoque suppressum, nulla prægressa totius expurg tione. Anno septimo suæ ætatis Variolæ supervenere, sed deficientes & paucæ; & ideo eodem anno tumor in humero contumax apparuit, insensibiliter resolutus, & rursus adapertum fuit Cauterium. Tandem mense Junio proximè præterito, dum ruri degebat, frequenter rubedine in facie, quæ in flavitiem permutabatur, & præterea motibus in manibus & oculo semiconvulsivis corripi cœpit, progressu vero epileptici paroxysmi, licet leves, bis tamen & ter in nocte contingebant, cum urina involuntaria sine spum i per os: qui usque adhuc, octo nimirum abhinc mensibus eodem modo perseverant præsertim in Pleniluniis; antequam autem invadant, præcedere solet ventriculi molestia, (multum enim comedit, cibosque devorat non masticatos, & copioso potu delectatur) facies inflammatur, & futurum paroxysmum præsentit, adeò ut tempus eidem supersit, quo sedere possit. Nostri primi Medici intentio pro curando hoc Puero est, totum corpus una cum capite, validioribus quoque (habita tamen ætatis ratione) expurgare & cacochymiam auferre; deinde caput decocto convenienti exiccare

care; alexipharmaca in usum ducere; vini potum omnino prohibere. Quæ omnia tuo Sapientiss. consilio subjicimus, quod quamprimum moræ impatientes expectamus.

Quod à nativitate Puer iste præhumidam sortitus fuerit capitis intemperiem, testis fuit Paroxysmus ille, cum omnium functionum abolitione, qui contigit ipsi statim in lucem edito: quàm mox confirmavit Morphæa, sive lactumen in capite ad quintum usque suæ ætatis annum perseverans; præterquam quod aliqua quoque ab Avo materno hæreditaria capitis prava constitutio supponi potest. Verum non minus totum venosum genus excrementis scatere, febris anno tertio suæ ætatis oborta, universalis scabies, carnium intumescentia, pravus sanguis per cucurbitulas extractus; anno vero septimo tumor in humero post Variolas, urinæ copiosæ, turbidæ, & aliquando nigræ, satis superque nobis significare valent; sicut excrementorum copiam producere & suppediare potuisse censendum, naturalium viscerum Dyscrasias, & facilè multo magis objecta improportionata cibi & potus, & quoad quantitatem, & quoad qualitatem, ex ingurgitationibus cum imperfecta masticatione & superingestionibus, superaddita prava bibendi consuetudine: unde habitus corporis alioqui probus, ut calidus & humidus depravari, & melancholicus evadere visus est. Quoniam verò sicut provida natura morborum Medicatrix, tum capitis, tum totius venosi generis vitiosos humores expellere, & Puerum ab affectibus tum capitis, tum totius præservare potuit, eo modo quo *Quartana capti magno morbo non capiuntur*: ita ab importuno lavacro anno suæ ætatis quinto à Mulieribus administrato, cute detersa, & eodem tempore exiccata ac roborata, excrementosis humoribus exitus fuit interceptus: perseverante tamen quotidiana eorundem reproductione, quorum copiam nonnihil imminuere & educere potuerat Cauterium infixum, quo etiam beneficio destituta fuit ipsa natura, dum importune nulla prægressa totius expurgatione suppressum fuit. Quare mirum non sit quod Puer modo levibus, licet frequentibus epilepticis insultibus corripiatur; sed potius mirandum vitam hucusque traducere potuisse, post secutos tam varios adeoque multiplices capitis insultus, facile caroticos, mutos ab Hippocrat. dictos, vel apoplecticos, cum utrique febris subsecuta profuerit. Caput enim essentialiter affectum esse non est dubitandum; sed præterea sanguinem in toto, crudis & exustis inquinatum excrementis, circulando continuo eidem capiti materiam suppeditare, & ventriculum jugibus cruditatibus, ac meri potu fovere certum est. Ut propterea vehementem sicut frequentem Epilepsiam non induci, equidem admiratione dignum, & valentis atque strenue resistentis naturæ indicium. Etenim non solùm ipsa natura, & medicis auxiliis opitulantibus, levis tantum invasit Epilepsia; verum & caput, quamvis essentialiter affectum, à primaria læsione fuit præservatum: præcedit enim querela de ventriculo & infernis partibus malè affectis, cum calidis evaporationibus in caput, antequam ingruat epileptica accessio, adeo ut eandem proximam præsentiat Puer ipse, & sedere valeat. Affectio autem certis Lunæ positionibus exacerbari observatur, quoniam Luna, dicebat Gal. Comitiales custodit, & ideo plena valentiora omnia quàm in falce, reddere solet.

Affectus iste ex sui natura magnus, tum ratione essentiæ, tum ratione resistentiæ, ideo Herculeus dictus fuit: eoque major in hoc Puero, cum non à solis erroribus in victu, sed à nativitate originem ducat. Nihilominus quoniam ante pubertatem contingentem, in melius mutari promisit Hippocrat. dummodo tamen addatur congrua victus ratio, ut ait Galenus in Comment. non est desperanda salus.

Interim ego, ut verum fatear, non possum in hoc casu soli ætatis mutationi, cum Gal. fidere, ob altas, tum in capite, tum in toto, hujusmodi affectus radices existentes; & ideo ad Medica selectiora & validiora remedia confugere, tutius non solum, sed necessarium existimo; ineunte Vere primas vias expiando; Obstructiones, si quæ adsint, aperiendo. Totius Cacochymiam levioribus primò, mox etiam validioribus auferendo; Caput expurgando; ejusdem intemperiem humidam corrigendo; atque tandem illud idem roborando, & à proprietate Juvantia non negligendo. Quibus intentionibus explendis, parum aut nihil addducendum mihi superest, sed paucis ab Eximio Viro proposita confirmabo. Et primò sanguinis eductionem secta vena in brachio necessariam puto, sicut Cauterium alterum coxæ affixum. Pariter primarum viarum expiatione congruis Lenientibus & Præparantibus subscribo. Ita Præparantibus ulterioribus & Purgantibus, massæ sanguineæ depurationem commendo, ut inde ad capitis expurgationem deveniri possit. Et in hunc finem extractum ellebori cum cassia, & pilulas coch. cum ellebor. præpar. necessarias fore existimo: non paucos enim Comitiales validis Purgationibus sedavit ipse Galen. quibus tamen potiones humectantes exhibeantur superbibendæ. Tandem capitis intemperies humida corrigi debet decocto, jam in relatione descripto, nimirum ex visco querc. salsa, lig. ror. mar. buxi & rad. Pœoniæ in aqua stillat. cichor. beton. & rutæ caprar. parato; quod tamen non satis profuturum vereor, nisi sudor accedat in hypocausto, adeò ut totum corpus, & caput præsertim exudet, alioqui potius liquando, & caput implendo, obesse quàm prodesse posset: universali namque evocato sudore, & caput desiccari ac roborari, & reliquum totum corpus à vitiosis humoribus atque ichoribus vindicari poterit. Nec reclamabit, ætas, seu vires, quas conservabit victus ratio, non adeo tenuis; quotidie concedendo, modo carnes assas, modo ptisanam hordeaceam: condonandum enim est ætati, consuetudini &c. Decocto autem si præmittantur grana pul. viper. sudor facilius provocabitur: valde enim exiccat, digerit & ad cutem properat, ut dicebat Galen.

Tandem à proprietate juvantia, non est quod proponam; sed quæ mihi in usu esse solent, sunt Conserva è flor. lil. convall. quæ ineunte Vere parari, & domi servari poterit; sicut aqua stillat. è cerasis nigris: & ventura Æstate colligi po-

gi poterunt flores galegæ, sive rutæ caprar. ut paretur Conserva in usum ducenda: quibus immisceri possunt gutt. aut spirit. vitr. præsertim Philosoph. aut tincturæ Corall. Olei autem buxi, succini, & gagatis usus, erit potius externus quàm internus ob eorum insuavitatem in hoc Puero. Intrinsecus verò & extrinsecus inservire poterit quinta essentia ror. marini. Smaragdus quoque, & Pœoniæ radix collo eppensa, ex Gal. præservant atque defendunt.

Circa victus rationem, licet omnia tanto Viro silentio obvolvere debeam, subscribam tamen vini omissioni & ciborum omnium qui in caput evaporare, & Epilepsiam fovere atque movere solent: sicut approbare debeo usum alicujus medicamenti bis in mense assumendi, quale esse posset electuarium lenit. addito extracto senæ. Hæcque scripta sint in confirmationem eorum quæ ab Excellentiss. Viris in relatione mihi significata fuere. *Raim. Joan. Fortis Consult. & Respons. Medicin. Tom. 2. Cent. 1.*

Illustrissimus Vir quinquagesimum tertium annum agens, temperamenti totius, & capitis, calidi & humidi, Melancholia quoque subdominante, postquam semper liberam vitam duxit, ac tandem jam duobus annis mense Januario in loco frigido diutius immoratus caput magnopere à frigore sibi lædi percepit, extemporanea Epileptica accessione correptus fuit cum motibus convulsivis & spuma cruenta ex ore egrediente, imo cum aliqua serosi sanguinis excretione, quæ accessio tertia die repetivit adhuc fortior, cum motibus pariter convulsivis atque oris tortura, necnon spumæ & serosi sanguinis excretione. Redierunt post paucas horas plures Epileptici insultus semperque ferociores, adeo ut quinque horarum spatio, supra viginti observati fuerint, quibus Apoplexia successit, quæ in levem Paralysim totius dexteræ partis degeneravit, à qua multis administratis Medicis auxiliis, & sanguinis repetita eductione, & purgantibus medicamentis paulatim levatus, & ferè ex toto liberatus fuit, sola superstite ejusdem partis imbecillitate. Perseveravit tamen epileptica affectio, licet non adeo frequens, cum copiosa materiæ pituitosæ ab ore expulsione, cui præterea successit ejusdem materiæ ad vias respirationis destillatio, quinimò & ad alias plures corporis partes, nimirum ad musculorum spatia, ad spinalem medullam, usque ad os sacrum, unde semel respiratio adeo læsa fuit atque imminuta, ut propè ad suffocationem cum stertore, & principum omnium facultatum labefactione, non sine novæ Epilepticæ accessionis suspicione, Virum Illustriss. duxerit, superstite operationum omnium, tum animalium, tum vitalium, tum naturalium imbecillitate, adeo ut pulsus languidior sit redditus, totius macies invaluerit, neque excrementa fæcalia sine auxilio reddere valeat: Urina verò, vel ipso nesciente effluat.

De causa Epilepsiæ non omnino conveniunt Medicinæ Scriptores, dum Hippocrat. copia vaporum Epilepsiam excitari credidit, cui subscripserunt quoque & Arist. & Averroës, Galenus verò à frigido & crasso humore; Avicen. & ab humoribus, & à vaporibus; Aret. ex solo animi angore & mœrore; Paulus verò, & à pituitosis, & ab atrabilariis humoribus, & nonnunquam à sola aura fieri credidit. Sed quod magis est, quod Medicinæ Principes & Auctores inconstantes semetipsos ostendunt, dum Hippocrat. ab humore Melancholico Epilepsiam excitari asseruit, ubi dicebat, quod *Quartana laborantes magno morbo non capiuntur; & si prius capiantur, quartana vero superveniat liberantur*: unde repetit Galenus: *Novimus Comitiales quartana discussos*; & præterea cum eodem Hippocrat. observavit, Melancholicos magna ex parte & facilè fieri Epilepticos & contra. Idem insuper Galenus ab aura sola à tibia ad caput ascendente, Epilepsiam contigisse puero decimum tertium annum agenti, Diodoro Grammatico ex inedia à ventriculo memorat. Alios omittimus recentiores, qui ex solis vermibus, ex solo timore & ictu scorpionum fieri observarunt; sicut missum facimus Paracelsum, qui causam hujus affectus ignorans eundem morbum astralem appellavit. Quapropter in dubium revocari posse videtur causa Epileptici insultus pluries repetiti in Illustriss. Viro, num scilicet à materia melancholica, an potius pituitosa ortum duxerit, cum ex una parte submelancholicus describatur, sanguine abundans, & per consequens plurima ejusdem fæce. At cum ex altera humidum habeat caput pituitosis excrementis redundans, ut propterea insignis pituitæ copia excreta in accessionibus visa fuerit, ac tandem Epilepsia in Apoplexiam degeneraverit, atque hæc in levem paralysim, ideo harum accessionum materiam, pituitosam potius, quam melancholicam fuisse juremerito credendum; quam veritatem confirmare possunt causæ externæ prægressæ, nimirum diuturna mora in aëre frigido, qui caput ipsum penetrando ad frigidum alterare, & densando implere valuit. Nec pro altera parte ullus melancholicus præcesserat affectus, ut concludere possimus, à sanguine pituitoso prædominante non sine aliqua melancholicæ serositatis mistione, ventriculorum cerebri expultricem facultatem, irritatam fuisse, à quo irritamento membranis eorumdem ventriculorum contrectatis, motus convulsivi in iisdem primum, & inde in reliquo corpore excitati fuerint, qua secuta contrectatione & convulsione, quoniam impeditur transitus spiritibus animalibus, ideo hoc impedito, animales quoque functiones necessario pereunt, ut eleganter describit ipse Galenus, sicque Epilepsiam essentialem in capite fuisse credimus, tum quia nulla præcesserat querela de aliqua alia parte male affecta, tum quia derepente invasit & frequentissime rediit, nisi concedamus aliquem consensum à toto venoso genere, portionem acidi & melancholici ichoris capiti suppeditante; & propterea multiplicata pituitosa materia, facilis fuit Epilepsiæ ad Apoplexiam transitus, indeque ad Paralysim, cum dixerit Galenus, quod inter soporem, & Apoplexiam morbus Comitialis est medius convulsionem afferens universo corpori, qui tamen in Paralysim non finitur. Quoniam vero fons malorum omnium, nempe caput essentialiter affectum, nunquam satis exiccatum fuit, licet tota massa sanguinea, & repetitis sanguinis eductionibus, & elective Pur-

gantibu

gantibus depurata fuerit, idcirco neque Epileptici insultus infestare cessarunt, neque humiditates à capite in varias corporis partes, nempe ad vias anhelitus, atque tandem per spatia ad musculosas corporis partes decumbere, & ad motum difficultatem augere, totamque naturam magno tædio atque molestia frangere unquam desierunt.

Quod affectus iste & à natura, & ab arte sit insuperabilis, non est Medicus qui non videat; & quamvis quodammodo sedari atque minui antehac potuisset in Illustriss. hoc Viro, in præsens tamen veremur ne medicæ opis incapax sit, & Medicinæ superior: Cum enim magnus sit morbus, magna quoque remedia expetit, dum morbo magno convenit remedium magnum; imbecilliora namque omnino contemnet, nec validiora sustinebit ipsius Patientis status. Quare pronunciare cogimur cum Galeno, quod deploratos non oporteat attingere, sed relinquere, & finem morbi tantummodo prænunciare, alioquin infamantur remedia quæ alios sanitati restituerunt.

Nihilominus cum impium etiam judicetur, Ægros solo Prognostico relinquere, & cùm apud eundem Galenum atque Trallianum satius sit anceps remedium experiri, quam Ægrum certæ morti relinquere, ideo nec nos auxilium petentibus prorsus denegare possumus, quod unicum erit Excellentissimorum Assistentium judicio proponendum & committendum, estque sudorificum Decoctum ex China, visco querc. ligno buxi, in aqua stillat. cich. beton. & Pœoniæ parandum, in quo stillentur guttulæ olei de ligno Heraclei, vel quint. essent. roris marini, Ægrum ipsum Illustrissimum post horam ab assumpto Decocto ad hypocaustum mane tantum ducendo, adeò ut totum corpus, & caput præsertim sudare possit; sed primis diebus prorumpente sudore, ex hypocausto immoretur, ita ut mox sudor proliciatur in lecto, & inde paulatim diutius in hypocausto immoretur, sic ut progressu ad horæ dimidium perduret, si vires ferant. Pro quibus sustinendis consueta tenui diæta utendum non erit, sed quotidie & ova sorbilia, & ptisana hordeacea, & quandoque pullus junior offerri debebunt, semper tamen sine vino, pro potu namque consuetudo aqua secunda ex residuis erit paranda. Ad hoc autem remedii genus tanquam ad sacram anchoram, si confugere liceat, quamprimum accedendum, cum jam totum corpus, & caput sat expurgatum à nobis supponatur, adeò ut præmissum medicamentum primas vias expurgans à nobis supponatur, adeò ut præmissum medicamentum primas vias expurgans sufficere possit.

Interim quamvis à proprietate juvantia jam administrata & administrari supponamus; attamen aliqua subdemus. In actuali accessione Trallianus à cujusdam rustici experientia sic edoctus, nares fricabat foliis rutæ sylvestris, quam nos rutam caprariam, & galegam appellamus, in quem finem succus ejusdem paratus servari poterit, quo & nos passim uti solemus. Sub ingressum lecti assumat conservam ex floribus lil. convallium, vel ex floribus rutæ caprariæ cum sale Cranii humani reformatam. Mane & Vesperi illiniantur nares, tempora & sutura coronalis oleo de Ladano, vel de buxo, vel de succino. Nec periapta spernanda, ut magna portio radicis Pœoniæ rec. collo appensa, tum à Galeno, tum ab Oribasio commendata. Smaragdus quoque collo appensus laudatur ab eodem: Sicut ungula alcis in annulo gestata, ita ut tamen cutem tangat. Ab aliis commendatur quoque os de corde cervi pariter suspensum.

Quibus paucis jam dictis congrua & jam præscripta erit victus ratio à Viris Excellentiss. addenda: & vinum prorsus interdicendum, cujus vicem supplebit aqua stillat. ex cerasis nigris paranda, si Deo placuerit. Omnia verò prudenti judicio Excellentissimorum Adstantium remittenda. *Idem ibidem.*

Epilepsia per consensum à Ventriculo.

Pater Admodum Reverendus trigesimum annum agens, temperamenti totius ad calidum & siccum vergentis, mediocris habitus, jecoris calidioris, Lienisque obstructionibus occupati; septem abhinc annis pati cœpit tremores in brachiis & capite, cum visus obscuritate & progressu, cum principum actionum abolitione & motus privatione, ita ut in terram cadere cogeretur. Insultus autem hujusmodi aggredi solebant in Lunaribus conjunctionibus præsertim & oppositionibus. Primis annis sicut frequentius, ita vehementius invadebat affectus cum spuma circa os, semper tamen citra evidentes motus convulsivos. In præsens autem non adeò pravæ fiunt invasiones, quæ cum semper matutinis horis jejuno ventriculo contigerint & contingant Patri Adm. Rev. etiam in lecto degenti; modo tamen si decumbens maneat, nec è lecto surgat, invasiones evitare solet: semper enim prævidere & præsentire potuit imminentem futuram aggressionem, affecto nempe ventriculo ipso, à quo evaporationes elevari percipit ipse, indeque caput in consensum trahi, & spiritibus animalibus confusis atque irregulariter commotis ipsam subsequi affectionem puncturis quibusdam, ut ait ipse, pariter præcedentibus in capite ipso. Modo ab Eximio Viro quid agendum pro salute implorat.

Quamvis convulsivi motus adeò Epilepsiæ addicti esse soleant, ut ideo Galenus Epilepsiam ipsam per convulsionem definiverit, dicens, quod sit *convulsio non perpetua omnium partium corporis cum principum actionum abolitione, ob humores vias spiritibus animalibus impedientes, & facultatem expultricem irritantes*; attamen non semper eodem modo manifestantur, sed quandoque (quia leves) obscuri sunt convulsivi motus, ut ideo Celsus asseruerit, *Epilepsiam fieri aliquando cum convulsione, & aliquando sine*, & præsertim dum caput non idiopathicè, sed sympathice læditur, ut ego existimo in hoc Adm. Rev. Patre, cujus Epilepticum affectum sicut demonstrant symptomata omnia, mandibularum scilicet convulsiones, quibus lingua jam læsa fuit; leves tremores quoque in brachiis & cruribus, quibus partes illæ impotentes redduntur, principum actionum læsiones, ita eundem confirmavit spuma

spuma circa os, quæ licet non sit perpetuo Epilepsiæ necessaria, affectus tamen ideam confirmat, quotiescunque successerit. Et quamvis semper in Epilepsia afficiatur caput, non tamen semper essentialiter & primario, ut dictum fuit, sed quandoque per consensum, vel à toto, vel ab aliqua alia inferiori corporis parte, ut in nostro casu; si enim essentialiter caput afficeretur, repente invaderet, & necessario procideret; nec præcederet querela de alia parte inferiori affecta, sicut evenit Adm. Rev. P. nostro, cui tantum temporis permittit invasio, ut veluti admonitus sedere & casum prævertere possit; imò conqueritur ante de ventriculo affecto. Quare sicut de idea morbi dubitari non potest. ita de modo, sive parte affecta non est ambigendum. Restat igitur consideranda pars mandans, quæ caput ipsum in consensum trahat, quam ego quidem Ventriculum esse existimo, tum quia eodem jejuno invadit affectus, ut Diodoro Grammatico evenire solebat, tum quia de ipsius affectione præcedit querela. Verum viscerum quoque, & præsertim lienis læsionem concurrere puto, ab obstructis nimirum splenicis vasis, & sanguine crasso atque melancholico in iisdem stagnante: ab hac enim parte primam originem habuisse & habere epilepticum affectum in Adm. Rev. Patre ego credo, quamvis capitis imbecillitatem atque ad eundem dispositionem præcessisse pro certo sit habendum: ut propterea videamus, plures Melancholicos, Epilepticos fieri, & contra, quem facilem transitum nobis insinuavit Hipp. & Galenus confirmavit, facta nimirum metastasi à mente ad corpus cerebri, & contra: quam metastasin licet Galenus crassiorum humorum esse existimaverit, frequentissimè tamen, ut & in casu nostro, Epilepsia à vaporibus excitatur à minera melancholica elevatis, mediante tamen facultate expultrice irritata. Irritatur autem in cerebro per consensum ab ipso ventriculo: nec adeo difficulter, cum nulla pars nostri corporis adeò exquisitum sensum habeat, nec ita facile in consensum trahat utrumque principium, nimirum cor & cerebrum, ut os ventriculi; & ideo sicut ex biliosis humoribus ad ventriculum perreptantibus, & os ejusdem corrugantibus, Diodoro jejuno epilepticus contingebat insultus, tracto in consensum cerebro ab ore ventriculi ex nervosa substantia conflato; ita & in Adm. Rev. Patre nostro à vasis splenicis acida & melancholica serositas ad ipsum matutinis vacuum transmissa eundem effectum producit, dum ab eadem acida serositate agitata vapores feruntur ad caput, qui ventriculi parietes exquisitissimo sensu præditos, mordicantes & irritantes, contrectationem quandam excitant, ob quam spiritus animales inordinate commoti ad partes recta via non transmittuntur, & ita motus regularis partibus corporis denegatur, unde necessariò procidit, cum motibus irregularibus, si non convulsionis, saltem tremoris: quam procidentiam evitare potest in lecto quietus manens, quoniam capite & corpore quiescente, quiescunt quoque animales spiritus, nec inordinate moventur; quod idem evenire videmus Vertiginosis, quibus stantibus, aut decumbentibus, ut plurimum Vertigo cessat. Movetur autem affectus iste ad Lunæ motum, ob causas à Gal. adductas, ubi ait, quod *Luna Comitiales custodit.*

Ope medica opus habet Rever. Patiens. Et quamvis Hippoc. asseruerit quod Comitiales post vigesimum quintum annum non liberantur, intelligendus tamen est, quod ante vigesimum quintum annum sine medico auxilio, sola congrua vivendi ratione & ætatis mutatione liberari possunt: sicut post vigesimum quintum sine medicamentis perseverat Epilepsia usque ad mortem. Curatio igitur est aggredienda, & non sine salutis spe, cùm Morbus iste ex sui natura semper increscat, ut monuit Hipp. in Rever. verò Patre potiùs decrescat, & rarius invadat. Spem auget quoque Galenus dicens se non paucos Comitiales purgando sedasse.

Quare omnium primò viæ primæ ab excrementis expiandæ. Secundò Obstructiones mesenterii, magisque lienis, aperiendæ. Tertiò Totum & Caput purgandum. Quartò Evaporationes in caput revellendæ. Quintò Calida jecoris intemperies nonnihil remittenda, & acrimonia atque aciditas sanguinis corrigenda; & ultimo à proprietate juvantia in usum ducenda.

Pro prima intentione explenda, primum leniens erit.

♃. Elect. lenit. sive Diasenæ ℥ j. crem. tart. ʒ ij. m. f. boli. Præparans quinque diebus præbendum, erit.

♃. Julap. acet. syr. de cortic. citri, aq. florum citri an. ℥ j. m. pro syr. matutino, & sic pro aliis. Alterum leniens erit.

♃. Syr. rof. solut. de polyp. an. ℥ iij. aq. florum citri parum, m. f. potio.

Pro secunda intentione, Præparantia debent esse.

♃. Succi depur. cich. borag. an. ℥ j. salis tart. fixi gr. x. decoct. in jure pullæ paratæ, endiviæ, melissæ, lupulorum, asparag. ℥ iv. m. pro syr. & sic pro aliis septem. Mox præbeatur Purgans.

♃. Rhabarb. maturi, agarici trochisc. fol. senæ rec. an. ʒ j. cinnamom. integri ʒ ß. aq. stillat. cich. q. s. m. inf. per hor. xii. deinde facta expressione, colaturæ adde syrupi de polypod. ℥ iv. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui tribus transactis horis superbibat aquæ hordeac. libram, & post horam prandium sumat. Inde ad ulteriora Præparantia, & Aperientia deveniendum ita.

♃. Succi depur. cichor. pom. dulc. fumariæ an. ℥ j. decoctionis melissæ, lupulorum, beton. Pœoniæ ℥ iv. spirit. tart. ter rectificati gutt. xii. m. pro syrup. & sic pro aliis septem; Quibus succedat Purgans ex infusione, ut supra.

Vel ♃. Elect. lenit. sive Diasenæ, diacathol. an. ℥ iv. pilul. de trib. cum rhabarb. ℈ ij. misce fiant boli, quibus post horam superbibat aquæ hordeac. vel seri asin. depur. ℔ j. sem. tribus vero horis ab epoto sero prandeat. Interim secunda die horum syruporum aperiatur Jecoraria sinistra pro curatione, & educatur sanguis ad ℥ vi. & amplius, si exeat niger.

Pro tertia intentione explenda, syrupus de cicho-

cichorio cum rhabarbaro Nicolai prærogativam in hoc affectu habere solet. Præbeatur itaque octo aut decem continuatis diebus, hunc in modum.

℞. Aqu. stillat. agrim. Pæoniæ ana ℥ iij. syr. de cich. cum rhabarb. ℥j. acetosi ℥ß. salis cranii hum. gr. x. m. pro syr. & sic pro aliis. Quibus assumptis, totius & capitis expurgatio ita sequatur.

℞. Pilul. coch. cum helleb. præpar. aggregat. ana ʒß. aurearum ℈j. m. reform. pilulæ in Aurora sumendæ.

Pro quarta intentione explenda, Cauterium coxæ sinistræ erit inurendum, & sanguis ex pede detrahendus: jubet enim Galenus quod Comitialibus, & Vertiginibus obnoxiis sanguis ex pede sit educendus pro præservatione; cui substitui posset etiam hæmorrhoidalis evacuatio.

Pro quinta intentione adimplenda, efficacissimum remedium erit usus lactis Asinini, per quadraginta aut quinquaginta dies, quod de more cum saccharo summo mane statim mulctum, erit assumendum: valet enim jecoris caliditatem corrigere, massam sanguineam temperare, sicque per consequens facultatem expultricem ventriculorum cerebri irritatam sedare.

Tandem aliquod Alexipharmacum anti-epilepticum sub ingressum lecti usurpandum consulo, quod esse poterit.

℞. Conservæ è floribus beton. rutæ capr. Pæoniæ ana ℥ ij. tincturæ corall. chym. spir. vitrioli ana gutt. x. salis cranii hum. ʒj. m. reform. electuarium cum succo pom. dulc. q. s. cujus dosis erit ad semiunciam.

His autem omnibus congrua erit addenda vivendi ratio. Et primò fugiat aëris excessus, tum frigoris, tum verò maximè calidos. Quare caput erit custodiendum, & à ventis, & ab hypocaustis, sive Stuffis, & à diuturna mora propè ignem hyeme, sub radiis verò solaribus æstate. Secundò abstineat ab Alimentis huic affectui sympathicis, qualia sunt inter carnes, hœdina, Volatilia palustria, perdices & coturnices; neque suilla adeò convenit: sicut neque extremitates animalium, ut pedes, caput vituli, &c. Inter pisces, admittuntur tantum saxatiles. Inter lacticinia, caseus, præsertim vetus, damnatur. Inter legumina, admittuntur hordeum, oriza, piselli. Edulia ex crassiori pasta parata nocebunt. Ex fructibus, damnantur acidi & vaporosi, ut esset uva. Ex oleribus, à proprietate Epilepsiam movere possunt petroselinum, & magis apium atque fœniculum: Item smirnium, daucus, cœpæ, allium, tubera terræ. Inter condimenta, nimis acida & vaporosa evitanda essent; quare inter Aromata, cinnamomum tantum & piper ruditer contusum admitti poterunt. Pro potu consueto sit aqua cinnamomo & saccharo condita: à vino enim saltem per annum abstinendum, ut consulunt Medicinæ Principes, Paulus, Aëtius & Oribasius, nisi forsan reclamet ventriculi imbecillitas: tunc enim quandoque vini albi, tenuis cyathus admitti debet. Et quoniam jejuno ventriculo faciliùs invadere solet affectus, idcircò summo mane Conserva rosarum, aut boraginis assumpta facile pro præservatione sufficiens erit; sive Electuarium Anti-epilepticum suprà descriptum. Quibus non sufficientibus, aliquid comedat, ut panem jure carnium imbutum: ita Diodorus Grammaticus præservabatur offa panis vino madefacta, cui ventriculus à bile vexabatur. Tertiò Somnus pomeridianus Epilepsias excitare solet, & ideo evitandus: quod si fuerit consuetus, sit brevissimus, & non decumbendo, sed sedendo; capite nimirum elato. Quartò Violenti motus sunt evitandi, exercitium tamen necessarium non omittendo, deambulando, non prope flumina, & longè ab omni præcipiti loco. Quintò sicuti conducere poterit ad præservationem levis aliqua Purgatio excrementorum inutilium arte procurata, ita utilium perniciosa semper erit, altera Epilepsia ab Hippoc. nuncupata. Itaque pilulæ præsto sint, ut semel in hebdomada horâ una ante cœnam ex his duæ assumantur.

℞. Pilul. Mastich. ʒ ij. Magist. Mechoa. ʒß. m. reform. pilulæ num. x. & aurentur. Tandem omnes animi motus, atque perturbationes, ut ira, tristitia evitentur: sic & animi applicationes atque nimia studia, saltem per annum, si non omnino omittenda, valde tamen remittenda. Et interim alacri animo vivat, nec adeò prolixa Purgatione & stricta vivendi ratione gravetur, dum pugnandum est contra fortem & pertinacem affectum, quem ideo Antiquiores Græci Magnum, Herculeum & Sacrum appellare solebant. *Idem ibidem.*

Epilepsia per Consensum à Stomacho, & forsan ab Utero.

Adeo deficiens est & mutilata hujusmodi casus historia, ut vix quicquam certi scribere queam; attamen quia Amicis inservire debeo, verisimiliori, qua potero, conjectura utens, meam de hac re sententiam exarare conabor.

Affectus quo detinetur honesta Virgo, quibuslibet ejus accessum inspicientibus notissimus evadit: Epilepsiam enim facile demonstrant totius corporis convulsivi motus cum principum actionum læsione. Hanc tamen essentialem non esse existimamus, sed per consensum ab infernis partibus, tum quia accessio ab ipsamet antea observatur, tum etiam quia præcedit querela, & sensus tristis circa ventriculi os. Ita Grammaticus præsentiebat in ore ventriculi molestiam. Ita Puer à tibia auram quandam ad caput ascendentem prædicebat; quare à ventriculo ortum habere credendum, qui in hujusmodi affectu lædi solet ab una, vel pluribus ex tribus causis, cruditate scil. meri potu, aut nimia Venere; tertia quidem excluditur, ergo à duarum altera læsus est; & potius à cruditate persuadent mihi ætas, sexus, corporis habitus & Virginis conditio. A ventriculo itaque tanquam à minera vapores ad caput elevantur (nisi & ab utero) à quibus vaporibus etiam solis, ut placuit Hipp. de flatibus, Aristot. & Averroi, cerebri ventriculos replentibus, & expultricem irritantibus, ipso cerebro seipsum quatiente, convulsivi motus contingunt, desinentes, quando expulsione, & resolutione, victoria potitus est. Nec mirum esse debet si circa plenilunia exacerbari soleant: *Luna enim Comitiales custodit, & plena, valentiora omnia, quàm in falce, reddit.*

Est affectus quidem contumax, sperandum tamen fore ut P. t. liberari possit, quia vigesimum quintum annum nondum attigit, & quia mutationi vivendi maxime confidendum, præsertim si medica addantur auxilia.

Est itaque ventriculus evacuandus, mox roborandus; & sicuti cruditates, ita quoque nimia inedia inhibenda; nec omittenda à proprietate juvantia. Ita Grammaticus Juvenis præservabatur mica panis in vino madefacta, purgatione ter in anno ex hiera & bonis concoctionibus.

Necessarium remedium existimavit Gal. sanguinis imminutionem, hancque Comitialibus & Vertiginosis, potius ex cruribus pro præservatione; ideo instantibus menstruis purgationibus saphæna aperiri poterit, & bis & ter singulo mense, si imminute prodeant. Nisi Patiens nubilis esset, libenter fonticulum in coxa inurerem. At saltem quotidie semel ante cibum utatur lotionibus & frictionibus crurum aqua calente.

Evacuetur ventriculus electuario lenit. & hiera. Præparentur humores Julapio acet. melle rof. simplici, & syrupo de cortic. citri sine diluto. Inde expurgentur electuario lenit. hiera & agarico. Repetatur Præparans oxymelite simpl. syrup. de beton. syr. de cich. Nic. in decoctione borag. beton. stœch. d. salviæ, lil. convall. & Pæoniæ. Expurgetur postea jam dicto, aut consimili medicamento. Hoc tempore propinari poterit decoctio Epithymi Mes. tribus saltem diebus ad ℥ vj. Post hæc laudo aliquod medicamentum ex Scilla, quo solo Gal. promittit quadraginta dierum spatio Epilepticos sanari. Oxymel itaque scilliticum ad ℥ ij. singulo die propinarem in jure Pæoniæ & majoranæ. Tandem optimus erit usus Theriacæ, & efficacissima erit aqua theriac. cum gutt. ol. succini ad cochlear j. mane, & sero: proderit enim & Utero, si opus fuerit.

Victus ratio proportione respondeat. Caveat à superingestionibus: nil enim deterius quam comestio supra comestionem. Abstineat à pituitam generantibus & à proprietate nocentibus, ut sunt carnes caprinæ, hœdinæ, Perdices & Coturnices. Præterea ab oleribus, lacticiniis, leguminibus, vinis generosis; imò perseverante affectu, fiat abstemia, saltem per annum, & bibat aquam santalinam cum Pæonia. A cibo absinthium sumat. Utatur singulo mense ʒj. Pilul. de hiera cum agarico; & quamprimum Viro jungatur. *Idem ibidem.*

Epilepsia per consensum à Liene.

Illustrissima Mulier annum agens trigesimum nonum, temperamenti sanguinei, jecur sortita præcalidum; post prægressas intensas applicationes, ac vehementes animi perturbationes atque molestias, pati cœpit cordis oppressiones, cum inexplicabili animi mœrore, & faciei ex roseo in lividum colorem mutatione; tandem jam quatuor annis, ineunte Autumno noctu incidit in totius corporis convulsiones cum difficili respiratione, Aphonia & omnium principum actionum abolitione, ut merito crederetur penitus extincta, nisi deglutiens ac in ipsius ore spumosa quædam humiditas apparuisset. Ab hoc Accidente libera nunquam evadebat, nisi postquam spumosum cruorem aliquando ad libram ejecisset. Triduo & ultra, sine tussi tamen, cruenta expuebat, & adeo languida remanebat, ut vocem edere & cibum assumere vix posset. Abdominis, & præcipuè versus sinistrum hypochondrium, flatuosa passione divexabatur, & ad somnum propensione tenebatur cum tertiana periodo. In Muliebribus nullus error, minus in victus ratione; in omnibus enim temperatissima Patiens. Nihilominus usque in hunc diem perseveravit affectus ipse cum enarratis symptomatis, excepto semestri, post medicam Purgationem initam, quo immunis semper ab hoc affectu vixit. Sed rursus rediit, & interim subsultibus per membra sæpè afficitur; noctu dormiendo semper insurgit affectus, una excepta vice, dum Sacris operam dabat. De affectibus istis, Vir Illustrissime ac Præstantiss. cui Par Nemo, cum D. Carolo Fontana alias consuluisti; Accidens, Ephialtem, sive Incubum appellasti, pro cujus Curatione duplicatam expurgationem decrevisti; Succos alterantes depuratos commendasti; Aquarum Virginis usum, Lactis, Balnei, & ex pedibus singulo mense sanguinis eductionem imperasti. Quibus omnibus religiose observatis, adhuc tamen menstruale Accidens pertinax concitatur, imò dum balnearet Illustriss. Patiens, symptoma illi supervenit acutum. Solum præscripta Aqua Virginis duobus annis feliciter assumpta profuit, lactisq; etiam usus fuit perutilis, habitus quippè corporis & vires increvere: tunc enim sex menses se gessit immunem. Verum quia iterum se prodit Accidens, & adhuc magis magisque viget, ideo nos de Nobilissimæ Ægrotæ salute soliciti, ac ejusdem jussu, ad Te confugimus, ut salubriora consilia recipientes, optatum finem, qui salus est, possimus obtinere.

Affectum qui jam diu Matronam Illustriss. divexabat, Incubum, seu Ephialtem à nobis, tunc temporis consulentibus existimatum & appellatum fuisse sat bene recordor. Verum quia ob insignem analogiam quam habet affectus iste cum Epilepsia, facilè diu perdurans in ipsam Epilepsiam convertitur, idcirco in eandem migrasse attestatur adducta relatio, cum convulsivi motus cum principum actionum abolitione spumaque copiosa ad os supervenerint ipsum affectum comitantes: quæ omnia symptomata epilepticam ideam constituunt. Hanc autem ab humore melancholico provenire non dubito, ut facile conjici potest ex prægressis animi passionibus, ex melancholico & flatuoso affectu quo multo jam tempore detinetur. Et præterea quia prædicit Hipp. In morbis melancholicis periculosos fieri decubitus, nimirum stuporem corporis, vel convulsionem, vel furorem, &c. atque tandem quia quandoque & ego cum Dovyneto observavi, à sanguine melancholico lienis vasa replente, & ad ventriculum motu præter naturam confluente, affectum hujusmodi concitatum fuisse, quo per vomitum ejecto, ab insultu Patientes liberabantur; quod idem Matronæ Illustriss. evenire potuit, nisi dicamus, quoniam spumosa est, & cruenta materia ad os perveniens, in capite potius, ex spirituum & vaporum agitatione talis reddita, quod dum à toto per venam cavam, vitiosus atque copiosus sanguis ad cor, indeque per arterias caro-

carotidas ad caput pervenit, in illa epileptici tumultus agitatione, in glandulis non solum saliva secernatur, sed cum illa aliquid cruoris, qui agitatus & spumosus per ductus salivales in os delabitur, & sine ulla tussi educitur; cujus cruoris sputa sequentibus quoque diebus perseverant citra tussim, ut idcirco a pulmonibus prodire non sit credendum: caput enim cum sit pars in Patiente Nobiliss. jam imbecillis reddita, & principaliter læsa, redundantem sanguinem atque vitiosum, naturam in illo deponere juremerito existimandum. Et quamvis Incubi accessiones nocturnæ, & in somno contingere soleant, id tamen non vetat, quin & accessiones epilepticæ horis nocturnis accidere possint. Quæ jam dicta omnia jecur justo calidius, sicut caput præcalidum & humidum necessario supponunt, ut propterea viscus illud sanguinem fervidiorem, adultum & acidum generare, hoc vero eundem facile admittere atque recipere potuerit: à quo, obstructo cerebri ventriculo, præsertim posteriori, motus corporis atque linguæ magnopere offenditur, quia septima nervorum conjugatio principio spinalis medullæ proxima est, nempe prope posteriorem cerebri ventriculum, sicque fit Incubus; sicut progrediente non solum obstructione, sed multo magis in ventriculis, ab aciditate irritamento, Incubus ipse quem Epilepsiam quandam nominabat Gal. Epilepsia vera, atque legitima factus fuerit, menstruales periodos forsan recipiens à menstrui sanguinis motu, non sine aliquo uterino consensu.

Affectus quidem gravis, & qui quotidie seipso gravior evadit, ut ideo ætatis progressu in Apoplexiam converti posse sit dubitandum. Quæ ut arceatur, & præsens affectus remittatur, repetenda Purgatio hoc Verno tempore congruo, primas vias expiando; Obstructiones aperiendo; Sanguinis copiam imminuendo, & acrem atque acidam ejusdem qualitatem corrigendo; Jecur refrigerando; & à proprietate juvantibus caput roborando.

Quibus intentionibus ut satisfiat, ex Chirurgico fonte repetita sanguinis missio, ex partibus, tum superioribus, tum inferioribus est desumenda, & Cauterium sinistræ coxæ affigendum; frequentes etiam pedum lotiones ante cœnam aqua calente sunt exercendæ.

Pro prima intentione explenda, repetitum leniens erit syrupus rosf. solut. & de polypodio; vel potio ex man. Clarif. vel elect. lenit. cum tartaro; & intermediis diebus, pro Præparante julap. acet. Cortic. Citri aromatizatum.

Pro secunda intentone, succi depur. erunt in usum ducendi per x. dies, Cich. borag. & fumariæ, in decoct. Cichorac. additis fol. melissæ, sonchi, lupulorum, cui addatur salis prunellæ ℈ j. in quorum intermedio atque fine præbeatur Purgans, ex elect. lenit. Extracto senæ, & rhab. paratum, cui superbibat serum depuratum. Mox per x. alios dies præscribantur succi depur. Cich. fumar. atque beton. in suprascripta decoct. addendo folia Pæoniæ, & lil. Conval. in qua dissolvantur gr. xij. salis tart. fixi; Et in horum pariter intermedio ac fine præbeatur Purgans, ex elect. lenit. diacath. & Confect. Hamech compositum; cui pariter serum depur. superbibat ad lib. ij. Et quoniam ad hujusmodi affectum debellandum fortiora proponunt Medicinæ Principes, nimirum Veratrum nigrum cum scam. & hieram Archig. idcircò hiera Tuta Alexandri locum habere videretur, sed mihi magis arrident Pilulæ Paracelsi, quæ Extracta continent hellebori, diagryd. & Colocynth. ad ℈ ij. media nocte assumendæ; quibus summo mane superbibat seri, aut aquæ Nocerianæ lib. ij. Ter autem tertio aut quarto quoque die repetendæ. Et quoniam diebus tantum Canicularibus præparari possunt, ideo paratæ inveniuntur hic Patavii ad signum Sirenis.

Ita depurato & imminuto sanguine, jecoris fervor erit contemperandus aqua potius Noceriana, quam Beatæ Virginis. Et quamvis vitriolatæ in Valle Solis nascentes utiliores esse possent, attamen ob itineris incommodum, præsertim in hoc genere mali, sunt omittendæ, & potius Nocerianæ vitriolatæ sunt reddendæ, affundendo primis Cyathis aquæ pro vehiculo guttulas spiritus Vitrioli: habet enim Chalcanthum vim & facultatem vapores sursum petentes reprimendi, atque impetum sanguinis sistendi: magis autem prodesse poterunt aquæ Nocerianæ, quam Beatæ Virginis, quoniam prorsus omni evaporatione carent.

Post aquas epotas, ad sanguinem edulcorandum atque refrigerandum, lactis asinini usus quadraginta vel quinquaginta diebus erit præcipiendus; & interim Alexipharmaca & à proprietate juvantia in usum ducenda: inter quæ omnes Medicinæ Scriptores extollunt pœoniæ grana nigra n. 15. cum aq. stillat. ejusdem pœoniæ. Potens est sal Cranii humani, inscia Patiente in aliqua Conserva exhibendum. Efficacissimus est spiritus Vitrioli philosoph. in aqua stillat. lil. Convall. sic & tinctura Lunæ. De more autem sub ingressum lecti assumat Conservam è flor. beton. aut liliorum Convall. aut rutæ caprariæ.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, ab Excellentissimis Viris Adstantib. præscribenda; circa quam iisdem considero à vino abstinentiam per aliquot menses, & potum quæ santalinæ, cui immista sit aqua stillat. Cerasorum nigrorum, quæ saccharo & frustulis citri recentis suavior reddi posset. Hæcque omnia à prudentissimo judicio Excellentiss. Virorum, non solum dirigenda, sed alteranda atque mutanda libenter remitto. *Idem ibidem.*

Affectus Epilepticus in Hypochondriaco.

Jam affectu melancholico hypochondriaco antiquo & consummato detineri Nobilissimum Pat. clare nobis ostendit relatio clarissima, accurata & erudita expressio Præstantissimi Viri. Et quoniam Melancholici facile fiunt Epileptici, & contra, ideo epilepticis insultibus à decimo octavo usque ad vigesimum octavum annum fuit obnoxius: qui tunc desierunt & recesserunt dum in affectum melancholicum prorsus migrarunt: unde & timores, & mœrores, & nimia animi solicitudo ad res proprias, imò & alienas agendas; & præterea flatuositates copiosæ, quæ caput per vasa petentes, & spiritus visorios agitantes, trepidationem ad vertiginem veram non pervenientem excitant atque conservant, præterquam quod eosdem animales inficientes atque obtenebrantes, mœrorem atque timorem incutiunt, somnia terrifica inducunt

ducunt non sine cordis passione. Etenim cum spiritus nihil aliud sint quam tenuissima sanguinis portio, hæc à jecore per venam cavam ad cor, & inde per arterias carotidas ad cerebrum crassa & nigra perveniens, in plexu choroide pravos jam dictos affectus producit, nec interim cor sine læsione relinquit, & ideo totum quoq; capiti contribuere in adeo diuturno affectu jure merito credendum, eoque magis ætate præterita, temperamento totius & jecoris, & habitu corporis consideratis; quinimo & caput ipsum capillis nigris natura præditum labem aliquam, sive intemperiem facilè contraxisse suspicandum. Has autem affectiones hypochondriacum affectum præcessisse non est quod dubitemus, dum vitam anteactam consideramus studiis intensis deditam, gignendis cruditatibus magnopere aptam, à quibus obstructiones in vasis naturalium viscerum genitæ necessario fuere, & ab his exsiccatis crassæ flatuositates, nimirum exhalationes elevantur, & flatuosum affectum cum Galeno tandem constituunt.

Et quoniam affectus isti antiqui & confirmati sunt, nec tot tantisque remediis administratis unquam cesserunt, ideo potius remitti, quam deleri posse sperandum, auxilio quoque advenientis senectutis.

In quem finem propositis à Viro Excellentissimo intentionibus satisfacere conandum: in alteratione tamen multo magis quàm in expurgatione insistendo, atque idcirco vacuantibus, aperientibus & elective purgantibus à Viro Excellentissimo aptissime & administratis, & propositis subscribendo; Inde statim ad humectantia & refrigerantia deveniendum esse cum eodem necessarium censemus, nimirum ad usum lactis asinini quadraginta aut quinquaginta diebus assumendi; nec obstabit Lac dare caput dolentibus malum esse: locum enim habet exceptio illa in capitis affectionibus frigidis, non autem in calidis, minus adhuc in siccis. Obstare videntur quodammodo hypochondria suspensa & murmurantia; sed objectio tollitur à prægressis aperientibus, evacuantibus, calorem contemperantibus, & siccitatem remittentibus, quibus ad majorem cautelam nos quatuor aut quinque diebus ante lactis exhibitionem serum caprinum aut asininum depur. ad lib. 4. vel 5. cum vehiculo dejectorio syr. rof. sol. præmitti posse putamus; nec evaporatio in caput timenda, cum data opera procurari debeat ad intemperiem calidam capitis corrigendam; præterea extrinsecus balneum aquæ dulcis supra viginti dies administrandum, herbis refrigerantibus alteratum, nullo modo omittendum.

Reliqua omnia tum à proprietate juvantia, tum capitis roborationem respicientia, proposita omnino probamus, sicut quoque purgationem aliquam humectantem & evacuantem cum sanguinis ex venis sedalibus eductione venturo autumno iterandam, dum quodlibet decoctum exsiccans suspectum habemus, cum dictorum affectuum nullus à pituitoso humore, sed à melancholico sanguine, spiritu & flatuosa exhalatione proveniat, quibus correctis & emendatis, & timores, mœrores, & terrifica insomnia, mentis commotiones, & visus trepidationes, omnia cessura speramus, præsertim cum statum p. n. Nobiliss. Pat. ejusque causas Viro Doctissimo notissimas esse videamus. *Idem ibidem.*

Epilepsia pueri.

Puerulus quidam, qui unius fere anni spatium emensus, honestis, vegetis, tam publico, quam privato sedulo fungentibus officio parentibus oriundus, nondum ablactatus, omnis generis alios cibos, simul cum lacte matris (quæ acidorum & frigidorum seu delectabatur) capiens, in prandio satis repletus, alvum insolito more habens sicciorem, horis pomeridianis in lectum somnum capessendi gratia repositus, placide quidem requievit, mox autem in somno corpusculum cum anxietate circa præcordia hinc inde movere cœpit, donec ex improviso oculi aperti, labia, mandibulæ, reciproco motu per horæ pene quadrantis spatium convellerentur, à quo paululum quidem symptomatum cessavit vehementia, mox autem rediit, unde Parentes, spectaculo hoc commoti, sollicite Medici exposcunt consilium.

Resolutio.

Affectus, quo noster Æger tenellus laborat, est Epilepsia, quod ex symptomatum concurrentium colluvie facilè perspicere licet; I. enim Actiones læsas & quidem depravatas testantur illi motus clonici oculorum, labiorum, & mandibularum ob spirituum animalium impetuosum & inordinatum ad musculos motum, & nihilominus tamen eorum vigorem sensorium fixatum & inhibitum. II. Anxietas verò circa præcordia ob sanguinis vaporosi impeditiorem per pulmones & cor motum oriri videtur. III. Inter Excreta læsa Alvi siccitas ob acidas particulas, sive succi pancreatici, sive etiam bilis ex assumptis eò collectas excrementitias intestinorum motum peristalticum cohibentes urget.

Est vero Epilepsia varia & mixta actionum, præsertim animalium, læsio, cum aliorum symptomatum sæpe concursu, imprimis motus localis depravatus, vel totius corporis, vel certorum saltem ejus membrorum, cum sensuum hebetudine ab aura vitiosa acida spiritus animales & lympham potissimum diversimodè inquinante, dependens

Subjectum in nostro ægro potissimum patiens, sive pars recipiens, sunt Organa sensuum, qua externorum, qua internorum, quorum agendi facultates & functiones in ipso paroxysmo abolentur, aut nimium imminuuntur; nec non Musculosæ partes earumq; fibræ, præsertim oculorum, labiorum, & mandibularum, quamvis sine dubio musculi quoque thoracis & intercostales ipsumque Diaphragma, ceu primarium respirationis instrumentum, compatiantur. Pars verò mandans non tam Cerebrum, Cerebellum, & Principium nervorum, quam consensualis ventriculus corrupto acescente chyloso liquore effluvia vitiosa acida exspirante refertus, & nervoso generi communicans hic potissimum attendi debet, Intestinis non exclusis, præsertim tenuioribus.

Differentia enim datur inter Epilepsiam per essentiam, cujus causa interna & proxima in ipso cerebro & cerebello sedem suam & originem obtinet; & per consensum, quæ causam recipit aliunde è ventriculo, liene, utero & similibus,

libus, *vid. Willis. d. l. cap. 3.* aliique. Nostri instituti non concedit ratio, ea prolixius declarare. In nostro vero ægro puerulo consensualem esse affectum, extra dubitationis aleam positum est.

Causa proxima irritans est Halitus, quidem mixtus ex acido nitroso & vitriolaceo, aut Onoso styptico cum spiritibus animalibus sive ad principium nervorum commune delatus, & sensuum vigorem obtundens, sive in fibras motrices partium affectarum sese insinuans: ibidemque notatam irritationem convulsivam instituens. Antecedens hic gemina concurrere videtur, partim fermenti in ventriculo dispositio vitiosa & acida assumpta alimenta facilè corrumpens; partim etiam sanguinis crudis chylosis portionibus multum referti ad fermentationem inordinatam proni mala constitutio. Procatarcticæ in historia recensita duplices occurrunt, quarum quædam ad infantem, quædam ad matrem spectant. Illæ sunt vitiosa alimentorum variorum ætati tenellæ inconvenientium assumptio, & per copiam majorem ventriculi aggravatio, ut rite chylificare nequiverit: Hæc est lactis materni vitium, quod acidorum alimentorum & frigidorum frequenti usu contractum est: Qualis enim cibus & potus, talis etiam habetur chylus, lac & sanguis. Nonnulli cum *Willisio* causam proximam per auram explicant, & quidem nitrosam explosivam, qualis excitatur à pulvere pyrio accenso: de cujus tamen universali veritate meritò dubitant alii, ob duas præsertim rationes, (1.) quod febres supervenientes Epilepsiam plerumque solvant, causam hujus rarefaciendo & dissolvendo. (2.) propter curationem sæpe per volatilia, spirituosa, rarefacientia instituendam; Alii spiritum sylvestrem appellant. Ex *Helmontii* hypothesibus *Gas* nomine venire posset, non quidem vitalis, quod lumen est atque balsamus à corruptione præservans, solari lumini adæquatum, sed sylvestris, qui in se est spiritus concretus & corporis more coagulatus, sed accedente fermento excitatur, quemadmodum utriusque Gas naturam prolixius descripsit *tract. Complex. atque Mist. Elem. figm. num.* 14. 21. 42. Causas antecedentes internas in aliis subjectis occurrentes per essentiam & per consensum ob temporis penuriam non licet hoc loco exponere. Ad Procatarcticas aliàs quoque pertinent Dentitio, quæ fortassis etiam in nostro infante concurrere potuit, suadente hoc ipsa ætate dentitioni favente; licet in historia mentio non fiat, contagium quoque salivæ per pocula communia communicatum inter causas Epilepsiæ procatarcticas scil. retulit historia observata à *D. D. Vito Riedlino observ.* 33. Inter causas procatarcticas haud infrequentes etiam esse solent vermes sive Lumbrici quà Ascarides, quà Teretes oblongi, quibus pueri obnoxii esse solent sæpissime, quoniam generantur ex crudis portionibus ab infantis cibis copiosis atque corruptis, imprimis carnium & victuum horariorum ingurgitatione, qui postea mordentes fibrosas intestinorum partes interiores, in motus convulsivos irritari & per consensum & interventum halituum acidorum acrium ipsum principium nervorum afficere possunt, *teste Sylvio. d. l. cap.* 10. De causis fortuitis & contingentibus, quales sunt terror ex tonitru, mora longa in balneo, Epilepticus alius repente in terram prostratus videatur *Sennertus Med. Prax. L.* 1. *part.* 2. *cap.* 21. Alias & variolæ, morbilli, & febres malignæ acutæ ansam quoque ad generationem hujus affectus præbere solent, ob sanguinis crudis acidis chylosis aut maligne coagulativis portionibus ac seri effervescentiam halitus vitiosos similes nervoso quoque generi impertientem. Verum de his satis,

Quoad Prognosin: Ratione effectûs hic affectus minime lethalis in hoc subjecto, sed salutaris erit. 1. Quia non Essentialis, sed per consensum. 2. Quia non connatus vel hæreditarius, ut ex historia liquet, sed ab errore externo proveniens. 3. Quia recens nec inveteratus. 4. Quia paroxysmi breviores; Longiores enim majorem causæ peccantis copiam ac vehementiam arguunt, hinc & lethalem eventum afferre, licet à pleniori etiam victu fuerit malum, testatur *Casus VIII. lib.* 5. apud *Timæum de Guldenklee.* 5. Quia acidum peccans volatile explosivum cum acrimonia conjunctum. 6. Quia Epilepsia ante pubertatem curabilis, Comitiales morbi aut convulsiones epilepticæ, quibus ante pubertatem eveniunt, curationem recipiunt; at quibus eæ veniunt vigesimo quinto ætatis anno maximam partem commoriuntur; cujus rationem petere licet ex 2. *Aph.* 45. In aliis casibus eventus etiam lethalis præsagiendus v.g. si post febres malignas succedit ob coagulationem & putredinem sanguinis acidioris serosi. Ita etiam ob eandem rationem si variolis & morbillis supervenit, non tam morbi quam errorum in rebus non naturalibus commissorum culpa mortem infert. Rursus in aliis subjectis licet non mortem acceleret, malum tamen inveterascit, & per periodos sive certas, sive plerumque incertas suos habet insultus, atque ad vitæ finem usque comitatur, v.g. quando causa vel hereditaria fuerit, vel mox à nativitate propter labem ab utero contractam, uti loquitur *Willis,* infestare solet, aut quando tenelli adhuc terroribus gravioribus percelluntur, à quo periculo neque adultiores plane immunes esse, exemplum quoque puellæ cujusdam hoc in oppido Epilepsiâ curationem nullam admittente, sed per intervalla adhuc redeunte, afflictæ relatum nobis fuit.

Cura: Quid verò nunc consilii? anxiè quærunt exposcentes auxilium omnis moræ expers mœsti atque animo consternati Parentes, filioli vibrari membra videntes. Desiderio igitur illorum ut pro virili satisfaciamus, solutio partim methodo extraordinaria, partim ordinaria procuranda. Cum enim paroxysmi Epileptici rationem habeant symptomatum urgentium, quæ flammæ vitali interitum minantur, scil. ob causæ proximæ internæ vehementiorem motum curationem quoque & hi non ad se trahunt sed rapiunt. Quamvis verò in ægro hoc puerulo paroxysmi hactenus sint breviores, omni tamen studio cavendum, ne sæpius redeant, & infestent remedia exhibendo talia, quæ spiritus animales inimicos dissipent, vel eos exilire & efferari aptos reprimant quod fit, quando acidum illud volatile & explosivum cohibetur præcipitantibus & imbibentibus, ne principium spinalis medullæ irritare, cerebrique concussionem in-

inducere valeant. Applicentur igitur extemplo frictiones artuum paulo asperiores & ligaturæ, sique in promptu sit Emplastrum vesicatorium, vel saltem rubificans ad umbilicum & nucham, vel sacculus ex r. d. pœon. recenti cum nitr. sem. sinapi paratus, imponatur. Inungantur nares balsamo rutæ vel succini, si manuum digiti contracti fuerint, leniter in rectum ocyus extendantur. Lignum Aloës vel pennæ Perdicum & similia accendantur. In aliis casibus, ubi aciditas convulsiva magis prædominaverit, in paroxysmo etiam fortioribus opus est remediis, inprimis os apertum servandum, interposito aliquo corpore non duro, aut frangibili, sed tenaci, sive sacculus è tela linea crassiori antepilepticis refertus fuerit, sive è corio, ne linguam morsu lædere possit. Umbilicalia Topica extrahentia minime negligantur, quæ ex propria experientia laudavit nunquam satis laudandus *Excellentissimus Dn. D. Hoffmannus Senior Prud. Med. Dip. 13. Corall.*

Extra paroxysmum Curatio extraordinaria partim prosequenda, partim ordinaria secundum tres indicationes adjungenda. Cum igitur malum in nostro puerulo à nimiâ repletione provenisse cognoverimus, operæ pretium esse censemus, remittente paroxysmo, mox offerre infanti leve vomitorium v. g. syr. emet. Forest. ℨj. dilutum pauca quantitate aqu. destillatæ alicujus, aut etiam cerevisiæ tenuioris calidæ, vel gr. 1. Tartari Emet. aut unum cum dimidio, ut ita saburra cruda acescens è ventriculo maturius rejiciatur. Exhibeantur deindè alia remedia paroxysmi novi insultum inhibentia. Pulver. Marchion. ℈ß. aut similis alius v. g.

♃. C. C. s. igne ℨj. Cran. human. Philosoph. calcin. ℈ij. Sem. pœon. visc. quern. vel corylini. ana ℨß. Margarit. præp. Corall. rubr. præp. ana ℈j. Smaragd. præp. ℈ß. Croc. orient. gr. v. M. f. Pulv. tenuiss.

S. *Pulver öffters davon zu geben.* Dosis ℈ß. aut etiam paullo plus minusve pro lubitu. Potest etiam addi pulveribus Cinnab. nativa aut Antimonii rite præp. ad gr. iij. 4. vel 5. vel etiam sal. succin. aut C. C. volat. Vehiculum sit aqu. usitata. v. g.

♃. Aq. flor. pœon. tiliæ, Ceras. nigr. ana ℥ 1 ß. Epilept. Lang. ℥j. Manus Chr. perlat. ℨij. vel q. s. Pro grata edulcoratione.

S. *Krafftwasser, zu dem Pulver, auch sonst darvon zu gebrauchen.* Externa quoque applicari possunt non quidem superstitiosa, qualia sunt characteres, numismata, sed naturalia amuleta, inter quæ radix Pœoniæ maris ejusque semina palmam obtinent, uti patet ex *Foresti observ. l. 10. observat. 59.* si remiserint paroxysmi, occasione commodâ alvi quoque siccitas tempestivè corrigi debet vel Lenitivo per os assumendo v. g. syr. de Cichor. cum Rhabarb. Rosar. solut. simpl. Infus. Laxativo *D. Mannagetta* in debita dosi, & per intervalla propinandis, vel Crem. Tartar. à gr. vi. ad ℈ß. aut ultrà in jusculo offerendo. Vel Clyster aliquis facilè parabilis malvaceus ab ℥ iij. ad ℔ß. pro varietate ætatis injici potest, quales formulæ passim in Materiæ Medicæ scriptoribus prostant. Cæterum cum ab errore in victu & nimia ἀδδηφαγία infans in horrendum hunc inciderit affectum, è fonte Diætetico talis victus ratio infanti & matri, quandiu lactaverit, ordinanda, quæ nec quantitate excessiva, nec qualitate vitiosa præsertim aciditate peccante nocere possit, cum reliquarum rerum non naturalium debito regimine, quale etiam non solum præservationis, sed & curationis gratia probe inculcavit *Sylv. d. l. §. 66. seq.* pluribus. Inprimis verò terrores omnes animique commotiones præcavere necesse est. Quibus ritè & ex præscripto observatis per Divinam benedictionem reconvalescentia perfecta erit speranda, & filiolus vitam in posterum vivet gravissimi hujus mali prorsus immunem *Joh. Michael. in Praxi Clynica speciali.*

Historia & Consultatio pro Nobiliss. Matronâ Genevensi, quæ post affectum convulsivum in tremores intestinos, cum summo virium languore, &c. incidit; quamvis de naturâ morborum epilepticorum propriè non sit.

Nobilissima Matrona N. N. annos circiter 40. nata, duarum prolium mater, & à 12. annis vidua, delicatula admodum, & naturaliter meticulosa, jam à teneris annis, affectibus, qui vulgo hysterici dicuntur, vixit obnoxia; verum per longiora intervalla recurrentibus, & tantùm occasione datâ, per incussum v. g. terrorem, vel mœstitiam grandiorem susceptam. Paroxysmi etiam tum non fuere satis magni momenti, ut ex Ægræ sententiâ curam aliquam mererentur, ac eo præcipuè quòd omnis generis remedia quàm maximè oderit, nec etiam ea quæ aut alvum movent, aut odoris vel leviculi sunt, tolerare prorsus queat. Cùm autem prædicta Matrona à quatuor annis Lutetiam iter habuisset, illinc à Chymista quopiam essentiam nescio quam surditati, ut ipse aiebat, conducentem accepit, cujus guttæ duæ aut tres in aurem affectam instillari debuerint, immisso desuper gossypio. Illa Lutetiâ redux, quamvis de obauditione auris dextræ conquereretur, essentiam tamen suam per quinque menses intactam asservavit, donec infaustâ quâdam nocte, postquam in magno conventu vigiliam longiùs promovisset, de affectione, ut sibi tum videbatur, etiam alterius auris perterrita, essentiam prædictam per ancillam in aurem primò afflictam sibi infundi curavit: Unde, sive ancillæ imprudentiâ, largiorem liquoris dosim quàm quæ præscripta fuerat immittentis, sive remedii ipsâ acrimoniâ, sive potiùs maximâ Ægræ nostræ sensibilitate, propter fibrillas nerveas, quibus meatus auditorii membrana respersa est, nimium nudas, fulmine quasi percussa concidit, omni sensu & pulsu destituta; ad se tamen vi remediorum post horam circiter redit, sed ita agitata ac etiam debilis permansit, ut vix capite erecto in lecto subsistere per aliquot momenta potuerit, eoque magis quòd, ut jam significavi, medicamentorum etiam purè corroborantium, ac vel leviculô odore præditorum, vim perferre vix admodum valuerit. Post plures tandem menses resumpsit quidem aliquatenus vires, & è lectô surgere potuit, sed auris quæ priùs serosum quid effuderat, jam saniem, & demum pus copiosum ac fœtidum evomuit, nec domo egredi, aut liberiori se aëri tradere Nobiliss. Domina quivit; quinimò etiam ad minimum corporis in cubiculo proprio motum toto cor-

corpore quasi convellebatur, ac de tremoribus intestinis, perquàm gravibus, viscera imi ventris, & inde per consensum cerebrum, non minus quàm cor ipsum afficientibus; continuò conquerebatur, mortique se subinde proximam credebat. Sic elapsi sunt anni ad minimum duo, in perpetuis scilicet agitationibus, quæ cùm intenderentur sive sub adventum menstrui fluxus, sive etiam aliâ datâ occasione, urinæ immoderatiùs profundebantur, aurisque fluxus, qui per intervalla cohibitus fuerat recrudescebat. Tandem morbus prorsus quasi profligatus videbatur, vi præcipue jusculorum quibus viperæ incoctæ fuerant, ast ultimò ex mœstitia quam de Nobilissimæ Matris longô morbô ac obitu habuit, redit, illamque non minùs crudeliter quàm priùs afflixit, in cujus morbi ulteriorem explicationem addere non pigebit, pulsum, qui naturaliter est parvus, sed æqualis, in paroxysmis fieri debilissimum, inæqualem ac per subsultus tantùm digitorum apicem ferire. Paroxysmos nihil prorsus epileptici quoad omnia sua signa extus se prodentia præbere, nec adesse cordis ullam palpitationem aut tremorem sensibilem, sed tantùm totalem virium prostrationem cum doloribus in occipitio, pulsationibus in auribus, flatibus ac rugitibus in imô ventre. Tandemque appetitum qui satis aliàs viget, tempore exacerbationum omnino disjici. Quærit jam Nobil. Matr. quænam remedia ad præcavendos paroxysmos, vel eorundem insultus jam advenientes debellandos, imò ad præveniendam vel Apoplexiam, vel Syncopen lethalem (in quam se quotidie prolapsuram arbitratur) in tanta auxiliorum aversatione, seu potiùs, si ita loqui liceat, intolerabilitate, adhibere queat? An thermis aliquibus sulphuratis, quales sunt Aquenses in Sabaudia, pro nervis à particulis heterogeneis profundiùs impactis, liberandis tutò uti possit? An pro sanguinis ac seri acrimonia, succoque nervoso degeneri, corrigendis, lac assumere possit; siquidem ex ejusdem usu se aliquando in febrem intermittentem incurrisse opinatur? Scire rursus expetit, quæ purgantia præter clysteres sibi maximè profutura sint, item quales pulveres alcalici, spiritusque volatiles conducibiliores fuerint? *Genevæ die septima Februarii, Anno 1693. Manget. D. M.*

Responsum Medicum.

Ex qua classe symptomata hysterica, quæ Nobilissima Domina Ægra à teneris per paroxysmos longis intervallis distantes, passa est, desumenda, aut cui annumeranda sint, disceptare nolo, quia illa ipsamet non magni fecit: Nervinis tamen non immeritò accenseri ea videntur, quia illis corripiebatur citrà mentionem magni apparatus vitiosorum humorum, solò terrore, aut metu. Manifestiùs agitationes ab essentiâ acousticâ in aurem infusâ obortas ex horum numero esse constat, quia subitò sine sensu & motu concidit, ac sic affecta per horam jacuit, & postquam ad mentem redit, nihilominus caput etiam in lecto, propter agitationes istas, erectum firmiter tenere nequiit. Certè subita virium atque omnimoda prostratio, citrà dissipationem aut profusionem spirituum vitalium, ut cum veteribus loquar, eveniens, nonnisi spirituum animalium vitio imputari potest, propter quod multarum partium motus, vel sufflaminatur, vel vitiosus fit: Ob hanc causam crura inferiora reddita fuerunt, ut illis inniti diu non valuerit. Ei quoque adscribi proculdubio debent tremores viscerum imi ventris, thoracis & capitis, licèt foris nec conspiciantur, nec tangantur. Certè systema nervosum cujus primaria sedes intra cranium est, admodum irritabile esse, illoque vel immediatè, vel etiam in parte distantiore, provocato, universales turbas cieri ex multis apud Nobiliss. Dom. patet; illud enim commovent phantasmata terrifica, aut aliter horrida, à metu, tristitiâ, terrore oblata, odor nares fortius feriens, purgantia, menstruus fluxus, urinæ largior emictio, puris ex auribus copiosior profusio, &c. Systema nervosum irritatis partibus nervinis à cerebrô dissitis in consensum rapi, mirasque turbas excitare, nunc scilicet Epilepsiam, nunc Catalepsin tandem in Epilepsiam degenerantem, quod etiam in suffocatione ab utero vulgò dictâ atque aliàs sæpe observatur certum est, ut demonstrare multis experimentis & observationibus annisus sum in *Commentario* de *Cicuta Aquatica*. In unô tamen individuô & sexu quàm in altero hoc systema magis irritabile esse quotidiana docet experientia, fœminæque ad hujus generis symptomata procliviores sunt. In quibus hæc irritabilitas consistat, an in spirituum animalium subtilitate, anne in cerebri, cerebelli, aut membranarum nervosarum peculiari conformatione, aut harum sensu acutiore & exquisitiore, quem morbum esse Fernel. agnovit, definire nolo & fortè non possem. Nobil. Dom. quia à teneris delicatula erat, & tam graviter ab essentiâ acousticâ læsa fuit, exquisitiore sensu in ductu aurium, forsan etiam in tympano, & intra illud in concha prædita erat. Licèt enim apud omnes sensus acutus sit in his locis, teste Otalgia dolore omnium propè acerrimo, tamen & aurem acriores essentias tolerare novi: suadeo enim frequentiùs junioribus & adultioribus obaudientibus, ut sublatô cerumine crassiore, mundent aures turundâ oblongâ ex linteo contorto, in extremitate imbuta essentia fellis; nec memini ulli vel minimum dolorem peperisse. Fortè periculum citrà damnum in robustiore illa essentiâ acousticâ fieri posset, ut veritas magis innotesceret: Ventris murmura, appetitus prostratus, alvus segnior, pulsus debilissimus & subsultans, ac pulsatio intra aures forsan sunt ἐπιγινόμενα: quibus accenseri posset dolor occipitis nisi velimus causam ibi hærere tot symptomatum, quia ibi prodit par vagum ramos quoque cordi, pulmonibus, ventriculo, &c. impertiens.

Quæ cùm ita sint, imprimis cerebrum & cerebellum officinæ spirituum animalium roboranda, irritationes cavendæ & maturè compescendæ, ac partes horum symptomatum culpâ debilitatæ instaurandæ sunt. Quibus verò remediis præstandum sit judicari vix potest cùm medicamenta aversetur. Dominus *Della Torre* quem in praxi Patavii secutus sum his regerebat. *Noi medici non sapiamo guarire con gli brevi di Capuccini.* Quoniam verò ad uta fuit jusculô viperarum carne alterato, in morbo ultra biennium cum semestri, quod proculdubio factum

fuit massâ sanguineâ à particulis acribus vindicata; hanc enim vim purificandi sanguinem inesse viperis ex Galeno habemus. Hujus vices egregie præstaret lactis potus diu continuatus observatis legibus medicis: nam nunc multorum experientiâ constat dolores podagricos hoc vel sublatos vel mitigatos fuisse; atque etiam in affectu præsenti prodesse succurrit oportunè Nobil. Dom. Mibelii Syndici Friburgensis in Brisgovia Uxoris exemplum. Hæc sæpissimè horrendas convulsiones hystericas, ut vocabantur, passa est, atque aliquoties vidi contortò collò planè lividam in facie instar pruni Damasceni, & sine motu, sensu, ac respiratione etiam interceptâ jacentem: multis frustrà usa est, tandem vinum ejeravit, ac ejus loco lac promiscuè bibit in pastu & aliàs, nullis legibus medicis observatis; nam non abstinuit a fructibus crudis, acetariis, &c. nihilominus ab Epilepsiâ hac immunis fuit ad satis provectam ætatem, atque ex alio morbo obiit, Friburgo profuga post captam à Gallis urbem. An febris tertiana quam passa est Nobil. Dom. lacti tribuenda sit ignoro; multi hac corripiuntur nullum lac bibentes, paucissimi illam experiuntur, & fortè nulli, qui aliàs sibi à vetitis temperare nôrunt. Thermas quod attinet, longe plura occurrerent argumenta dissuadentia: roborant quidem artus & multum seri dissipant; at sanguinis acrimoniam emendare vix persuaderi possum. Multis vapores sulphurei adversissimi sunt. Nobilis & nubilis Virgo nostras pertingens ad Thermas nostras Badenses vaporesque hauriens ex iis elevatos, equo insidens leipothymia correpta illô decidit diuque restaurari nequit. Si omnino balneandum sit tale artificiale balneum parari posset, quô frequenter Austriaci ac Bohemi uti solent, ac quidam etiam apud nos.

♃. Sulphur. vivi ℔ß. Calc. viv. ℔j. coque in s. q. aq. Font. Quidam seorsim coquunt in aq. Tartar. vini alb. crud. E. g. ℥iv. ac balneo addunt. In hoc semel vel bis in septimana ad bonam tolerantiam balneari posset. Sic tædia itineris evitaret.

Unicum antispasmodicum præstans addo quod mihi hic & Stuttgardiæ in frequenti usu est, insipidum & inodorum.

♃. Cinnabar. antimon. p.j. Cinnabar. nativ. p.ij. sublimentur l. a. Cinnabaris hæc sublimata novæ Cinnabari nativæ additur & rursus sublimatur: hæc sublimatio ter repetitur. Hujus dantur gr. vi. ad viii. bis in septimanâ, si affectus urgeat, aut saltem præservationis causâ circa novi & plenilunium summo mane in congruô vehiculô. Stuttgardiæ ejus ʒj. addo sacchar. alb. ʒij. & olei cinnam. dest. gutt. ij. fit efficax & suavis.

Purgantia, ceu merè irritantia, vix tuta credo, imprimis magisterium jalappæ, scammonii, &c. Infus. senn. rhab. agar. mann. abhorrebit. Aliàs suadeo syrupum ros. sol. ad ℥viii. & ad ℔j. partitis sic vicibus, scilicet ℥ij. vel iij. mane hora 5. rursus horâ 7. vel 8. & nisi purgaverit horâ 10. reliquum. Sic blandissimè alvum tenerioribus sæpe movi, etiam apud Principes teneræ constitutionis.

Ad aures purulentas. ♃. Ferrugin. subtiliss. q. v. mellis parum M. f. linim. indatur hora somni cum turunda ex gossypiô, aut linteô rarô, mane aures mundentur turundâ ex linteo, imbuta lacte & aquâ calidis. Fonticulus ipsi necessarius foret. *Scaphusii die 17. Februar. 1693. Joh. Jac. Wepfer. M. D.*

Observationes.

Calcearius quidam annos 50. natus Epilepsia repentè correptus erat, vociferabatur, stertebat & spuma ad os ferebatur, & concussio totius corporis valida aderat: ad eum accitus, ne ex concussione linguam sibi amputaret, inter dentes ligneum cuneum intromittebam, ad anhelitum facilitandum & spumam & humiditates extra mittendas ad os: fortesque deinde frictiones membrorum extremorum & ligaturas dolorosas adhibeo, ut ita ægrum miserè afflictum à paroxysmo excitarem rutam quoque intra manus meas contritam naribus ægri applicabam, & succum quantum potui naribus infundebam, naresque constringebam & digitis contorquebam, quibus remediis mox à paroxysmo liberatus fuit. Verum ne postea rediret, cum hic valde pituita abundaret, & etiam ex parte succo melancholico, post exhibitam hieram picram, hoc decocto utebatur.

♃. Beton hyssop. meliss. ana Mj. Salv. majoran. fol. Lauri, ana Mß. vel loco fol. lauri ℥j. bacc. lauri, rad. bugl. borrag. pœon. polyp. q. an. ℥ß. thymi, epithymi, ana ʒj. F. decoctio in aqu. q. s. colat. adde squillæ, ʒj. Cranii human. ʒiß. nuc. mosch. ʒj. iterum bulliant & denuo colentur, hujus decocti accipiebat omni mane ℥iv. oxymel. scillit. ℥iß. M. deinde & hoc decoctum descriptum est.

♃. Beton. salv. majoran. hyssop. ana Mj. fl. stœchad. anthos. an. p.j. sem. pœon. fœnic. ana ʒiij. rad. pœon. ℥ß. fol. sen. ℥j. agar. alb. ʒij. epithymi. ʒiß. polypod. q. ℥ß. sem. cartham. contus. ʒiij. uvar. pass. exacinat. ℥j. liquirit. ras. ℥ß. Coq. in aqu. communi pro ℥ix. fortissimæ expressioni adde syrup. de stœchade oxymel. scillit. syr. de beton. an. ℥j. M. pro tribus dosibus matutinis. Postea & has pilulas deglutivit.

♃. Pil. coch. de hiera simpl. an. ℈j. agar. troch. pil. aggregat. an. ℈ß. troch. alhand. gr. v. cum melle anthosato F. pilulæ vii. corpore ita expurgato, quotidie ex infrascripto medicamento sumens, ad magnitudinem fabæ majoris, epilepticos paroxysmos quos antea crebrius habuerat, amplius non patiebatur.

♃. Hirundin. deplumatar. & lotar. in vino & in furno exsiccat. num. 5. pulverisentur subtiliter; quibus adde conserv. flor. pœon. luna decrescente paratæ, conserv. fl. herb. paralys. ana ℥j. rad. pœon. collect. luna decrescente, exsiccat. & pulv. ʒiij. conserv. anthos. ℥ß. probe misce cum oxymel. scillit. exiguo adjecto aceto scillitico, F. s. a. opiata. sapor non arridebat; tamen sumens curatus fuit Alium Epilepticum novi, qui corde hirundinis solo pulverisato utebatur, nostro ægroto magis profuit hirundo cum reliquis pulverisata; cujus usu liberatus fuit. *Petrus Forestus observ. 53. lib. 10. De Cerebri morbis.*

Puerulus duorum mensium Epilepsia continuo affligebatur, ita ut me vocari jusserint, quem cum spectarem miserè afflictum, ex *Galeni* testamento

mento sacculum hunc quadrarum collo suspendi ut furculam stomachi nudam attingeret.

℞. Rad. pæon. virid. ℥ß. sem. pœon. maris nempe nigri, ʒ iß. radice concisa, & semine contuso, hæc in sacculum concludebam, bombace interjecta & Syndone coopertum & intersutum, ad collum cum filo sericeo rubro suspendi mandavi, ut ventriculi os attingat: & ut ibidem suspensum ad aliquos dies permaneret, hoc suspensorio miraculi instar, paroxysmi cessarunt, neque amplius reversi sunt, eodem remedio eoque solo plurimi alii convaluere, ante hoc tempus & postea in aliis hujus suspensorii maximam esse vim & præclaram experti sumus. *Petrus Forestus, observ. 59. lib. 10.*

Puer trium annorum cum Epilepsia corriperetur, simul vermes mortuos cum excrementis subinde ejiciebat. Existimavi, quod ex tetris vermium fumis in cerebrum elatis hic Epilepsiam incurrerit, quare cum eidem pulverem sequentem cum aquis destillatis dedissem, optime deinde habuit.

℞. Sem. contra vermes, pulv. rad. pœon. agar. troch. ana ℈ß. diamosch. dulc. ℈j. syrup. acetos. simpl. ℥ß. Aq. absinth. melissæ, ana ℥j. M. Dedi illico in intervallis paroxysmorum, & jussi ut continuò sumeret parum sem. Zedoar. saccharo incrustati, iisque sumptis hic statim melius habere cœpit; & ejectis vermibus ab Epilepsia liberatus est. *Petrus Forestus, observ. 65. lib. 10.*

Pro Epilepsia in puero duodecim annorum. Præmissis universalibus commendare soleo sequens Electuarium solidum.

℞. Coagul. leporis, ʒ ij. sem. pœon. maris ℥ß. visci q. ʒv. sang. mustel. præp. ʒ iß. sem. anis. cinnamom. caryophyll. ana ℈ iß. corall. rub. ℈j. Cranii humani anterioris partis adusti, ʒ vi. pulverisatis omnibus cum sacch. fino in aq. pœon. dissoluto. F. tabellæ ponderis ʒ iij. capiat unam pro vice tribus horis ante prandium. Mustellæ sanguis hoc modo præparatur.

Mustellâ decollata totus sanguis asservatur in vase vitreo; mox ubi concreverit, dividitur in partes minutas, & umbræ æstivo tempore expositus, siccari sinitur. Mustellæ sanguis præstantissimus censetur pro Epilepsia sananda; imò hoc certissimè tibi dicere possum, vidisse me sanatum epilepticum 25. annorum solo hujus sanguinis usu, potati scilicet statim atque è venis exiit ad ℥ ij. cum ℥j. aceti. Curato diligenter ut copiam habeas testiculorum apri, aut saltem verris, id est suis domesticæ venere utentis, ac simul testiculorum galli; exsiccabis illos in furno: mox in pulverem tenuissimum rediges. Sint pulveris apri ℥ ij galli ℥j. Deinde addito duplum sacchari fini. De hoc pulvere continuò sumat puer tuus in omnibus ferculis; nam experieris Pharmacum absolutissimum. Referebat mihi *Ludovicus* pater solitum sese dare ʒ iij. hujus pulveris cum aq. betonic. decem continuis diebus sine saccharo, & sanasse mulierem, quæ passa fuit Epilepsiam annis octo, præcipiebatque ut omnino mense integro abstineret à potu vini. Nunc tibi communico aquam verè præstantem pro hoc morbo aut omnino propulsando, aut certè magna ex parte mitigando.

℞. Flor. lavend. M viii. fl. lil. convall. M iv. macerentur 6. diebus in ℔ xxv. vin. flavescentis ac generosi, mox destillentur in M. B. lento igne sine fumo, tum verò postea aq. destill. addito spec. diamosch. d. ℥ß. visci, q. ℥j. sang. mustel. præpar. ʒ vi. rut. sicc. Mj. cubeb. & sem. citri, ana ʒ iij. macerentur hæc quatriduo: ac quod destillaverit, postea usui reservetur. Exhibeatur hujus aquæ ℥ß. ex cochleari mane post Electuarium solidum superius descriptum, antequam invadat Epilepticus insultus, detur ℥ß. hujus aq. cum ℥ iij. juris pullæ, in quo decocta sit radix pœon. & semina. Equidem accessionem si non removet, saltem retardat. observes tempus invasionis, & antea quam invadat, diebus quatuor aut quinque, aquam exhibeas ante cibum horis tribus. Cum verò noveris jam proximè instare accessionem, eandem propinabis; nam aut non revertetur accessio, aut certè quotidie magis breviorem faciet. Hæc medicamenta apud me potiora sunt. *Horatius Augenius. Tom. 2. Epist. & Consult. lib. 8. Epist. 2.*

Juvenis quidam Epilepticus postquam bene purgatus esset, nostro jussu continuò comedebat radices pœoniæ virides per longum scissas & in sartagine frictas, quæ valde profuere: ut & etiam alteri puellæ, quæ ab illarum esu ab Epilepsia admodum gravi curata fuit.

Empiricus quidam post universalia remedia, nucham candela cerea incensa cauterii instar inurebat, & radices pœoniæ in patella cum butyro frictas continuò comedendas dabat: & ita juniores & magis adultos magna cum admiratione curabat. *Petrus Forestus Schol. obs. 61. lib. 10.*

Ego summopere laudarem cauteria in brachiis, imò hoc est familiare remedium, & vidi anno præterito Nobilem senem qui solo cauterio sanatus est. Laudatur pœnia ob singularem quandam occultam vim. Ego tamen sæpe eam exhibui, sed semper coactus sum ad alia remedia devenire, nec unquam ita efficacem expertus sum, detur tamen cum non possit obesse. *Joh. Baptista Montanus, consil. 50.*

Setone ad cervicem adhibito, *Hollerii* Medici undequaque doctissimi decreto, Adolescentem quendam 20. annos natum, morbo caduco, cujus insultibus ante crebrò prehendebatur, liberavi: derivatis, ut credere par est illa arte ichoribus mali fomitibus. *Ambrosius Paræus, l. 10. c. 25.*

Puer quidam singulis 15. diebus Epilepticus concidebat. Per affectum capitis hoc fieri Medicorum præstantissimi *Frisimelica*, *Montanus*, *Odus*, & *Francanzanus* existimarunt. Sed quo plura pharmaca exhibuerunt, eò affectus magis crevit, ita ut in 24 horis paroxysmos haberet plures centū & quinquaginta, leves tamen, quia parva commotio capitis cum bulla circa frœna labiorum aderat, unde tandem cognoverunt morbum esse, non per affectum capitis, sed per consensum à ventriculo, quare cum illum pharmacis exagitare desisterent, & roborarent, puer egregiè convaluit. *Victor Trincavellius, consil. 2. lib. 1.*

Ut præservetur puer ab Epilepsia quæ imminere videtur, abstineat omnino à vino, bibat aquam decoctam cum Cinnamomo, tormentilla, & pœonia, utatur frequentissimè Agarico, & faciat hoc sibi familiare, ut evacuetur caput, sit dosis pro vice ʒß. *Joh. Baptista Montanus, consil. 46.*

Mirabilia scripsit *Galenus* de pœonia & maximè experimentaliter cum dixit, quod volens ex-

experiri juvamentum ejus, suspendat eam collo patientis, & nunquam evenit ei paroxysmus; cum autem eam deposuit, reversus est paroxysmus. Et ego iterum depono me hanc experientiam oculo meo sæpe vidisse.

Hoc Electuarium quod sequitur in usum vocetur; cujus experientiam, apud Deum testor, millies me vidisse sanavisse homines ab Epilepsia, & inter alios socium domini Archangeli, qui paroxysmis Epilepticis decies in die vexabatur.

♃. Pyrethr. stœchad. costi. ana ʒx. agar. ʒv. Sem. carvi, anethi, assæ fœtid. aristol. rot. ana ʒ ij ß. succi squill. mell. el. ana ℔ j. & ℥ij. coq. simul Scylla & mel lento igne usque ad bonam viscositatem, deinde superadditis speciebus F. Electuarium cujus dosis sit omni mane ʒ iij. & tardetur post ipsum cibus ad minus 4. horis. *Barthol. Montagnana. consil.* 43.

Mulier quædam 20. annos nata, integrum per annum laboraverat motibus Epilepticis, non quidem vehementibus, sed à septima matutina in horam nonam vespertinam durantibus, cum spuma oris, sine loquela, sensuumque manifesto usu, præscripsi ipsi hasce pilulas unica pro vice.

♃. Castor. salis artemis. ana gr. iv. Resin. Jalap. gr. vi. Aloës succotrin. gr. ix. ol. majoran. gutt. ij. M. F. Pil. num. v. deaurentur. Pro voto illis purgata usa est bis quotidie haustulo sequenti.

♃. Sapon. *Hispanici* albiss. ʒß. coq. ex lacte vaccino, & colat. ℥ iij. dentur usui. miratu dignum erat hoc remedio assumpto paroxysmum indies gradatim, deque hora in horam ita ivisse imminutum, ut trigesimo die plenissimè curata exiverit, manseritque restituta. *Paulus Barbette. Praxeos. lib.* I. *cap.* I.

Juvenem quendam Epilepticum hoc solo condito purgante curavi, sed non ante septimum mensem.

♃. Elect. è succo ros. ℥j. pulv. jalap. ʒj spir. salis rectific. ℈j. ol. rosmar. gt. viii. M. F. conditum molle, de quo sumat. nucis mosch. magnitudinem ter in hebdomada, loco spiritus salis poterit substitui spiritus salis armoniaci, aliusve salis volatilis oleosi; vel ex hisce duobus mixtis & binis ternisve cohobationibus junctis destillati spiritus ℈j.

Pilulæ sequentes in Epilepsia conveniunt.

♃. Extract. rhei, Aloës lucid. resin. jalap. ana gr. vi. salis succini, gr. iij. olei lavend. gt. ij. M. F. Pilulæ iv. deaurentur pro una dosi. *Paulus Barbette. Prax. lib.* I. *cap.* I.

Commendantur hic spiritus C. C. salis dulcis, ut & nitri dulcis, ast omnibus ferè antecellunt, salis armoniaci flores albi, rubri, flavi, vel ejusdem salis spiritus, qui non tantum pituitam incidit, verum etiam acido austerum corrigit, estque valde volatilis ac penetrantissimus; quo ipsi melancholici redduntur hilares, quod quidem centies observavimus; atque non tantum puerorum, ast quoque adultorum Epilepsias varias hujus beneficio, justo vehiculo mixti, annuente divino numine, curavimus.

Ad Epilepticum quendam vocatus inter alia remedia, quibus tandem annuente Deo opt. max. curatus est, hunc julepum præscripsi.

♃. Aq. beton. flor. tiliæ, ana ℥ij. Aq. fœnic. vitæ Matthiol. ant-epilept. Langii ana ℥j. spirit. salis armoniac. ʒß. tinctur. Castor. gutt. x. flor. hyperici ʒj. Laudan. opiat. gr. iv. ol. succini gr. v. syr. stœchad. ℥j. M. cujus singulis diebus ad minimum cochlear unum atque alterum quater annumebat. *Fridericus Deckers, in Notis ad Prax. Barbettian. lib.* I. *cap.* I.

Infantes plures motibus convulsivis Epilepticis afflictos sequenti mixtura cochleatim usurpata sanavimus.

♃. Aq. flor. tiliæ, fœnic. ana ℥j. syr. stœchad. diacod. ana ℥ß. spir. sal. armoniac. ℈ß. M. *Idem ibidem.*

Civis cujusdam Lavingani filia decem annos nata, per tres menses quotidie incurrebat in Epileptica Symptomata, rogatus ego à puellæ matre, gravi, sævo, & longo huic morbo curationem talem adhibeo.

Purgato rectè capite propinabam per 5. dies mane jejuno stomacho & in ipsa accessione tres guttas olei ligni heraclei: cujus usu mox cum omnium admiratione, Deique laude omnino liberatur à Chronico & quotidiano malo: quod jam annis multis amplius non rediit. Laus soli Deo & gloria; qui contra morbum comitialem peculiarem & occultam huic oleo vim & facultatem indidit. *Martinus Rulandus, curat.* 6. *cent.* 2.

Puer quidam Lavinganus 7. annorum torquebatur graviter Epilepsia dies noctesque, sed ex hac ægritudine sanus factus est isto remedio.

♃. Olei ligni heraclei, gt. vii. has meo consilio ante & in paroxysmo exhibuerunt per 7. dies, atque efficacia ejus Epilepticus paroxysmus postmodum non visus est amplius, sed liber ab hoc malo & incolumis semper mansit. *Martinus Rulandus, curat.* 86. *cent.* 4.

Consul quidam quinquagenarius gravi Epilepsia correptus erat, in ipso paroxysmo dedi 13. guttas antepileptici nostri: quo adstantibus omnibus obstupescentibus, confestim quievit, ad se rediit, & convaluit, convalescunt & sanantur per idem oleum etiam innumeri alii ex hoc horribili morbo. *Martinus Rulandus, curat.* 32. *cent.* 10.

Vir quidam triginta annorum levem passus Epilepsiam, à nobis curatus fuit fœliciter & integre hac ratione.

♃. Pulv. Sen. Laxativ. ʒ I ß. vini, ℥v. commixta stabant per noctem; manè exhauriebat, multaque ac varia excernebat. Pulvis hic Senæ laxativus, non est pulvis Senæ Montagnanæ qui passim in officinis prostat, sed est pulvis senæ laxativus *Joh. Wieri*, cujus descriptio hæc est.

♃. Fol. Sen. Tartar. alb. ana ℥j. sem. anisi, Caryoph. cinamom. galang. ana ʒj. diagrid ʒij. F. omnium pulvis subtiliss. S. A. dosis est à ℈ß. ad ʒ I ß. in substantia ad summum cum convenienti liquore. Dosis in infusione est ad ℥ß. educit per inferna bilem tam flavam quam atram, & pituitam, atque inde natos morbos curat fœliciter: quare in officinis parari suadeo, cum usus ipsius sit maximus & salutaris & tutissimus in omni morbo, ut sum perdiu expertus. *Martinus Rulandus, curat.* 3. *cent.* 10.

Mulier quædam epileptica me consulto & maximè Deo implorato ad sanitatem reducta est hac via.

♃. Aq. flor. tiliæ, ℥ vi. trochisc. alhand. ʒß. M. F. infusio. S. A. pro duabus vicibus colandis ac per duos continuos dies bibendis, post bonam

nam per alvum factam purgationem, septem dies in lecto sudavit, capiendo de hyssopi decocto calente ℥ vi. his ita peractis, liberata ex toto fuit. *Martinus Rulandus, curat. 66. cent. 10.*

Mulier quædam sexagenaria sexies facta est epileptica, hæc à me per Dei gratiam adjuta ac sanata est sequenti solo, facilique remedio.

Vino sublimato imposuit, meo jussu, hyssopum, de quo manè & noctu cubitum abitura bibit tria cochlearia, vel ad ℥ ij. hoc cum singulis diebus per septimanam fecisset convulsio hæc ex toto intermisit, & nunquam reversa est. *Martinus Rulandus, curat. 95. cent. 10.*

Erat qui Epilepticos multos etiam provecta ætate, & qui diu laboraverant, post purgationes, hoc pulvere percuraret.

♃. Crystall. præparat. ʒj. Corall. rub. ℈ ij. Margarit. or. smaragd. præp. ʒß. M. F. Pulvis, cujus pars dimidia est una dosis ex aqua taraxaci.

Alius Empiricus hoc fœliciter utebatur, in acervis formicarum reperitur aliquid simile thuri, quod pulverisatum dabat Epilepticis ex aqua Pœon. vel florum tiliæ. *Hieronymus Reusnerus, observat. 15.*

♃. Corvos juvenculos ferè implumes, mense *Martio* exclusos, statimque nido extractos in ollam novam conjice, probeque lutatam clibano impone ut comburantur corvi, quos tere in pulverem, qui plures annos efficax servari potest, capiat de eo parum in liquore appropriato semel in die. Est hic pulvis corvinus summè secretus.

De corvis *Conradus Gesnerus lib. 3. De Avib. pag. 341.* hæc habet.

Medicus quidam celebris nostra ætate, corvos duos mense *Martio* è nido combustos, in levissimum pollinem redactos epilepticis propinabat bis vel ter in die, ʒj. pondere exhibito cum aq. decoct. Castor. & paulo post cerebrum corvi in stillatico liquore verbenæ haustum epilepticis prodesse nuper amicus quidam ad nos scripsit. *Hieron. Reusnerus, observ. 13. & schol.*

Fabro claustrario annorum circiter viginti, apud ejusdem artis opificem *Bernæ* operanti, tumor exiguus subortus est in vola manus dextræ, sub radice minimi digiti, cum dolore, qui tumore crescente augebatur. Post dies aliquot, nihil gravius sentiens, subito corruit, epilepsia præhensus, convulsus, sensibus sublatis, motuque inordinato aliquandiu agitatus, finito paroxysmo ad se rediens, munia consueta obivit, verum exactis diebus 14. paroxysmus redit; ab eo, diebus octo post, denuò recidivam passus, quo magister perterritus, eum à se dimisit, itaque in patriam ad nos reversus, Magistratu sumptus pro remediis solvente, sic cura fuit instituta.

Purgatus fuit primum hoc pacto.

♃. Rad. pœon. rec. ℥ij. polypod. ℥ i ß. fol. sen. ℥ij. epithymi, ʒß. sem. fœnic. ʒ ij. fumar. M j. F. decoctio in aq. & vino pro tribus vicibus sumenda.

Inde pulvere usus est sequenti.

♃. Cranii hominis triti, ʒ ij. rad. pœon. ungul. asini, ana ʒ i ß. cineris hirundinum, ℈j. visci querni, ʒß. ras. eboris, ʒj. sacch. ad pondus omnium, fiat pulvis, capiat singulis matutinis cochlear unũ superbibendo aq. st. pœon. ℥iß.

Denuo purgatus fuit sequenti modo.

♃. Tartar. vini, ʒ ij. diagrid. ℈ß. sem. anis. ℈j. rad. pœon. ʒß. sacch. alb. ʒ v. F. Pulvis tribus vicibus sumendus.

♃. Sem. ocymi, hormini, pœon. palmæ Christi, ana ʒ i ß. visci, q. rad. pœon. ana ʒj. Corall. utriusque ʒ i ß. cineris ungul. asini, & Cranii anterioris humani, ana ʒß. spec. diamargar. frigid. ℈j. sacch. dissolut. in aqu. beton. & pœon. q. s. F. tabulæ, dosis ʒj.

Postea hæc opiata præscripta.

♃. Theriac. veter. ʒ vi. rad. & sem. pœon. visci. q. ana ʒ ij. sem. hormini, & ocymi, ana ʒj. Cranii hominis, ℥ ß. cum melle scillitico. F. opiata detur ʒj. cubitum ituro, & continuet.

Cauterium postea inustum cervicis posteriori regioni, à quo tempore licet præludia quædam paroxysmi sentiret, non tamen eo usque ut caderet, invaluerunt.

Postea pilulæ sequentes ordinatæ.

♃. Castor. assæ fœtid. ana ʒj. gummi ammoniac. sagapeni dissolut. in aceto scillit. ana ℈ ij. fellis bovis. ℈j. ol. succini, gutt. viii. cum succo rad. pœon. F. pilulæ pond. ℈ß. capiat unam nocte cubitum iturus aliquoties, iterum etiam fuit purgatus sic.

♃. Pil. aggregat. ʒj. cum aq. pœon. F. pilulæ, dejecit per biduum octies.

Ut vinum sequens biberet injunctum.

♃. Rad. pœon. ℥ iv. ireos, enul. camp. ana ʒß. fol. salv. majoran. chamæpit. ana ʒ ij. sem. pœon. ʒ iij. sem. fœnic. ʒj. incidantur pro duabus mensuris vini, bibat singulis matutinis haustum. Ab eo tempore quo fontanella fluebat, sex septimanarum spatio, à paroxysmo liber fuit: & post vini præscripti usum, dicebat convulsivos illos motus seu palpitationes in pedibus cessasse, saltem in brachio remanere, quare etiam brachio cauterium fuit applicatum, ulcere inducto, dicebat se noctu ter aut quater sensisse convulsionem levem in digitis, sed non alibi, quapropter iterum pilulis aggregativis fuit purgatus, denuoque vinum prius præscriptum bibit per dies duodecim, cauteriumque tertium in sura pedis dextri fuit appositum, denuoque pilulis purgatus.

Cum adhuc sentiret reliquias aliquas, incepit hoc uti Electuario.

♃. Rad. Pœon. pyrethri, ana, hyssop. sem. Pœon. ana ℥ ij. mell. scillit. q. s. F. Electuarium, utatur singulis matutinis.

Postmodum sentiebat tantùm, ut exponebat ab ulcere manus, vaporem per brachium ferri, & per cauterium brachii, & nuchæ, & suræ pedis evaporari, alioquin graviorem paroxysmum non sentiens. *Felix Platerus, observ. lib. 1. pag. 24.*

♃. Conserv. flor. Pœon. ℥ i ß. Conserv. majoran. meliss. beton. & flor. rosmar. ana ℥j. calam. aromat. Zinzib. cortic. citri condit. ana ℥ß. pulv. sem. & rad. Pœon. visc. q. ana ʒj. ras. ebor. ʒß. Cranii hominis pulver. subtiliter, ʒiß. Cinnamom. ʒ ij. nuc. mosch ʒj. spir. plirisarch. ʒß. cum syr. cortic. citri. F. Electuarium, capiat alternis diebus, ʒj. manè jejunus superbibendo julepi sequentis ℥j.

♃. Aqu. salv. meliss. ana ℥ ij. vini alb. ℥j. sacch. rosar. perlat. ʒij. M.

Balsamolæo sequenti fricet Spinam.

♃. Gummi galban. bdellii in aq. vit. dissolut. ana

ana ℥ß. benzoin. ℥j. styrac. liquid ʒj. fol. rut. chamæpit. flor. stœchad. lavendul. ana ʒ ij. rad. costi, ʒß. castor. ℈j. infundantur incisa & pulverisata in aq. vitæ. Stent in maceratione in calore per dies aliquot ante usum. Hæc profuerunt Epileptico cuidam cordis palpitatione simul etiam laborante. *Felix Platerus, obs. l. 1. p. 236.*

Per triduum ferè paroxysmis epilepticis corripiebatur puella infans, jussi succum rut. cum aceto fortissimo permixtum in spongia naribus adhibere; cujus usu statim ad se redibat, sed mox iterum recidivam patiebatur, brevibus tamen quando hæc naribus admovebat paroxysmis. Emplastrum hoc cordis regioni applicavimus.

♃. Theriacæ veteris ʒj. rad. Pœon. pulv. ʒß. M. Item pulvere rad. Pœon. capilli conspergantur, & sic præter omnium spem evasit. *Felix Platerus, observ. lib. 1. pag. 29.*

Quidam ultra viginti epilepticos uno anno sanavit hac ratione. Cane vivo dissecto, fel poculo excipiebat, & cystin felleam aceto eluens miscebat, mixturam potiunculæ instar ægroto exhibebat; quam si fortè vomitu rejiceret, ex alio cane repetebat. Eligebat autem juvenibus bimulum, senioribus trimem, fœminam fœminis, & viris marem. *Jeremias Martius, observ. 45.*

Insuave quidem remedium, sed quod spes sanitatis jucundius effecerit, quam crudelissimum sanguinis humani potum, cæterum eodem felle canino cum duplo vini cretici seu aq. picarum aut flor. tiliæ feliciter usum *Ludovicum Hermannum* idem hic *Martius* alio loco adnotavit, cum aceto sumendum, probeque à potione sudandum monet. *Franciscus Hildesheimius. De capitis morbis*, Spicileg. 7. *Hier. Velschius* notis in *observ.* 45. *Jer. Martii.*

Epilepsia sæpius remedio arcano curata ab avo meo *Petro Gassero*, succo nimirum aquilegiæ cum succo vermium terrestrium æquis portionibus ad ℥. diebus 40. continuis dato. *Achilles Gasserus observ. 55.*

Dum anno 1659. medicinæ studiis *Monspelii* incumberem; unus ex præceptoribus meis Clarissimus Dominus *Salienus*, Practicus consummatissimus, perpetuaque memoria dignissimus, mihi tanquam secretum insigne Emplastrum sequens ad Epilepsiam benignè communicavit; quo ajebat se plurimos etiam provectæ ætatis Epilepticos sanitati integræ restituisse, præmissis scilicet universalibus.

♃. Gummi ammoniac. gummi juniperi, thuris & mastich. ana ℥ ij. sem. Pœon. maris suo tempore collect. & nuc. mosch. ana ʒ iij. Corall. rubr. præpar. ras. eboris & Cervi, ana ʒj. malaxentur cum Styrace liquida, formenturque in Emplastri massam in sequentem usum.

♃. Mass. Emplast. præscript. q. s. extend. super alutam vel pannum sericeum rubr. & formetur Emplastrum magnitudinis & figuræ debitæ, admovendum vertici & suturæ coronali calidè, detonso prius capillitio, ibidemque diu gestandum.

Hac etiam aqua hirundinaria in eodem affectu feliciter utebatur.

♃. Hirund. adhuc in nido existent. num. 8. rad. Pœon. visci, q. ana ʒ iij. fol. rutæ, Mj. flor. lil. conval. p. ij. Castor. caryophyll. macis, an. ʒ ij. cum sufficienti quantitate vini albi, aceti scillit. & aq. meliss. super cineres calidos infund. per 24. horas. Dein destillentur, atque in vase vitreo optimè clauso servetur aqua, dosis pro majoribus ab ℥j. ad ℥ij. pro junioribus ab ʒ ß. ad ℥j.

Nobilis quidam *Danus* in gravem Epilepsiam incidit, ex translatione peccantis materiæ à partibus externis ad internas; de dolore enim in aure interno prius conquestus erat, quo remittente, protinus successit hic affectus, non tantùm ruta contusa & in aceto macerata laborantem à paroxysmo excitamus, guttulis etiam olei succini aliquot naribus per pennam immissis, sed lenito quodammodo paroxysmo pro corroboratione cochlear unum atque alterum de spiritu ceras. nigror. item aliquid syr. fl. Pœon. cum spiritu vitrioli permixtum, & similia exhibuimus: capiti verò raso Emplastrum *Cratonis* applicare jussimus quod,

♃. Succin. alb. thur. mastich. ana ʒ i ß. galbani, opopon. ana ℈j visci, q. ʒ ij. ambræ gris. gr. vi. mosch. gr. iij. sem. Pœon. ʒß. ladan. ʒ i ß. ol. nuc. mosch. parum. ol. ros. q. s. extend. in corio, aspergatur pulvis cubeb. & suturæ coronali imponatur.

His remissionem gravissimorum symptomatum introduximus, ut æger mentis compos vicissim redderetur, & adstantes cognosceret, cum iisque loqueretur ad tempus, donec gravibus recidivis remorantibus, sequenti die naturæ debitum solveret. *Gregorius Horstius, observat. 21. lib. 2. De Morbis capitis.*

Puer quidam duodecim annorum perfecta ratiocinatione & articulato sermone destitutus, post paralysin dextri lateris in Epilepsiam incidit, ad eum vocatus ante omnia Phlegma, serososque humores evacuandos esse censui, quare pulverem hunc purgantem præscripsi.

♃. Rad. Pœon. ℈ß. crem. tartar. ℈ißs. spec. diaturbith. cum rhab. ℈j. diagrid. cum ol. fœniculi præpar. ℈ß. sem. anis. coriand. præp. ana ℔j. M. F. Pulvis divisus in duas partes pro duabus dosibus.

Ad cerebrum roborandum utatur interius per vices hoc pulvere corroborante.

♃. Pulv. marchionis, ʒ i ß. C. C. ust. præp. Corall. rub. præp. ana ʒß. sacch. ros. tabul. ℥ß. M. F. Pulvis.

Spinalem medullam & partes læsas hoc linimento inungat.

♃. Ol. de castor. lumbric. rutac. ana ℥ i ß. unguenti nervini, ʒ vi. ol. fœnic. distill. ℈ß. M. pro linimento. Hisce aliisque ejus generis per semestre diligenter adhibitis, Dei gratia, non tantum ratiocinationis & loquelæ defectus corrigebatur, sed etiam pristino vigori restitutus puer, nihil amplius de subitaneo lapsu vel insultu conquerebatur. *Gregorius Horstius, observ. 41. lib. 2.*

Decoctum radicis Sassaphras, aut solum, aut cum vino singulare. Frustulum Aloës perpetuò gestandum, ut cutem attingat. Lupi etiam corium ea parte desumptum, qua spinæ adhæret, latitudine duorum digitorum in cinguli formam effingendum, ventrique & lumbis circumcingendum, & semper gestandum, ut corium attingat cutem, pilis exterius positis.

Cum primum pullus equinus in lucem prodit, vomitu materiam quandam rejicit, quam

nisi quis præripiat, mater statim devorat, hæc materia siccata & pulverisata, à morbo comitiali liberat certo experimento, ut mira quædam res videatur. Chalcanthini olei ritè præparati gr. v. in jusculo manè sumpta per multos dies plurimos ab hoc morbo liberant.

Theriaca etiam tam idoneum est morbi hujus remedium, ut ea sola quotidie liberentur multi: aqua etiam theriacalis plurimum prodest. Hier. Donzellinus, consil.38. lib. 6. consil. Cratonis & aliorum Medicorum à Scholtzio editorum.

Præscripseram nuper cuidam puero Emplastrum suturæ coronali apponendum, is tentatis multis remediis, beneficio Dei convaluit. Pharmacopæi conjunx Emplastrum hoc aliis pueris epilepticis adhibuit, itaque tam multus de eo sermo, ut etiam senes bono successu uterentur. Descripto Emplastri hoc est.

℞. Succin. alb. thur. mastich. an ℥ i ß. galb. opoponac. an. ℈j. visci q. ℥ ij. ambr. gris. gr. 6. mosch. gr. 3. sem. pœon. maris, ℨß. ladani, ℨjß. ol. nuc. mosch. parum, aspergatur pulvere cubebarum & extend super alutam Jo. Crato epistola ad Jordanum, lib. 4. epist. Cratonis, &c.

Radicem Pœon. collo appendimus, ac in sorbitiunculis eam coquimus. Damus mel Scillæ vi imbutum, hyssopo ac roremarino cibos coqui jubemus.

Cuidam juveni à manu repebat quid per humores in cervicem & caput; mox cadebat. Post provisionem habitam totius corporis, phænigmos adhibui manui, tum malum incipiebat ab humeris: illis caustica admovi; ac ut theriaca uteretur quotidie mane ad ℈j. jussi. Mox à lingua invadebat & à genis, genis phænigmos admovi, perennique theriacæ usu summi Dei beneficio evasit. Sed diu mutus perseverabat, at loquela rediit tandem. *Joan. Heurnius ad aphor. Hippoc. 7. sect. 5.*

Cum advenissem hominem veluti in agone mortis reperi, pulsus adeo erat variabilis, ut nunquam similem in homine qui evaserit, me observasse ausus sim affirmare, jam enim erat magnus & celer, jam tardus, rarus, inæqualis, formicans, parvus, & languidus, sed & (quod omnibus admirabilius est) aliquoties adeo intermittebat & quiescebat, adeoque deficiebat pulsus, ut æger jam animam effudisse videretur, non enim ictum unum aut alterum, verum quatuor aut quinque, aut etiam plures intermittebat, & ita quidem ut facillimè passus quatuor aut quinque, quiescente pulsu, per cubiculum fecisses, interim dum ita quiescebat pulsus, corpus apoplecticorum more, plane sine motu & respiratione jacebat; oculi aperti & fixi erant, & vix signum ullum vitæ in ipso observari potuit, nisi quod partes corporis, imò ipsæ quoque extremitates suo calore naturali fruebantur. Ego cum advenissem protinus nares, labia & tempora succo rutæ (maximas istius succi in Epilepsia esse vires testantur viri docti) in quo nonnihil theriacæ dissolutum erat, inunxi, regioni cordis & carpis epithema calidè applicui, & pulverem epilepticum & aliquantum confect. alkerm. cum aq. lil. convall. Pœon. & beton. exhibui. Sequenti die cum iterum præscriptam potiunculam sumpsisset, præter meam & adstantium opinionem melius se habuit: deinde observata victus ratione expurgatoque corpore, brevi restitutus fuit. In hoc autem casu videmus quid natura valida etiam præter spem & opinionem Medici præstare potest, quandoquidem ego ut ingenue fatear, cum pulsum ut dixi, non solum variabilem & summe imbecillem, verum etiam omnino intermittentem in ipso observassem, mortem in propinquo esse adstantibus significavi; ille tamen quia juvenis & robustus adhibitis remediis idoneis, intra dies quatuor sanitati restitutus fuit. Respexi autem in prognostico meo non solum ad ea quæ quotidie in praxi accidere observamus: verum etiam ad locum illum Galeni lib. 2. De præcognitione ex pulsu ubi ita scriptum reliquit, si arteria duorum pulsuum tempus moretur, haud scio an quisquam superstes esse possit & eodem libro, naturalis arteriæ motus sanitatem refert; vitiosus morbum, intermissus mortem *Guil. Fabritius. Hildanus, Observ. 22. cent. 4.*

Cum piscator quidam bis, ter & sæpius quotidie Epilepsia corriperetur, nec radix Pœoniæ, Cranium humanum, alcis ungula, aliaque remedia, à multis authoribus enumerata juvarent; accidit forte ut legerem in Fabii Columnæ historia Plantarum, cap. de Phu. hæc verba. Præter has vires plantæ huic tributas, addo & hanc proprietatem jamdiu in multis, atque in memetipso expertam, quod pulveris radicis plantæ hujus sponte ortæ extirpatæ antequam caulem edat, cochlearii dimidium cum vino, aqua, lacte, aut alio quovis decenti succo semel sumptum, aut bis Epilepsia correptos liberet; hunc pulverem amicis dono dedi, qui deinde divino prius numine fautore glorificato, ejus usu illis restitutam sanitatem affirmarunt. Hæc sunt ipsius verba: & sicut ipse jubet, ita dedi, & sanatus est æger, & in posterum fœliciter hoc remedio usus sum. *Dominicus Panarolus. Observ. 35. Pentecoste 1.*

Adrianus Spigelius memoravit Nobilem Patavinum 19. annor. sæpius epilepsia conflictatum; quum à gravi de scalis lapsu, Fabritius ab Aquapendente cranio terebram admovisset, nunquam ex eo malum percepisse. *Jo. Rhodius obs. 66. cent. 1.*

Cæsarem Palavicinum aliumque Nobilem melancholia & comitiali morbo alternatim laborantes, & frustra à Medicis vexatos somniferis & lotionibus capitis; solo potu pulveris chrysolithi ex vino, octo dierum spatio sic liberavi, ut nunquam morbus redierit. *Hieron. Cardanus cur. at. 3.*

Ancilla Epileptica usu oxycrati liberata est; cujus cyathum sumebat mane singulis diebus, & ante tempus invasionis acetum purum curato morbo doloribus artuum correpta est, qui usu thermarum curati sunt. *Lazarus Riverius obs. 10. cent. 4.*

Puella duodecim annorum epilepsia frequenter corripiebatur, ad cujus curationem multa remedia frustra tentata fuerant, cum autem pleuritide correpta fuisset, pluries ei secta fuit vena, & ab eo tempore epilepsia nunquam correpta est: inde colligere licet, venæ sectionem ad epilepsiæ curationem plurimum conferre. *Lazarus Riverius, obs. 38. cent. 4.*

Puer quidam trimulus patiebatur insultum epilepticũ à quo liberatus fuit fumo tabaci, quem minister tubulo attrahebat, & insufflabat in os pueri apertum, vomitus inde illi concitatus est, & paroxysmus solutus. *Laz. River. obs. 60. cent. 2.*

Quidam ab aliquot annis Epilepticus, si quando prehendendus esset paroxysmo, auram quandam frigidam ex crure, itemque ex brachio quasi ascendere sentiebat, moxque concidebat. Suasi itaque post adhibita varia medicamenta, ut sentiens vaporis ascensum, partem, ligaret; id quod præstitit, sicque semper paroxysmum inhibuit. *Philippus Salmuthus obs. 90. cent. 1.*

Rusticus quidam longo tempore morbi comitialis paroxysmis frequenter conflictatus nullo remedio curari potuit; donec febre quartana superveniente, ab eo liberatus fuerit. Ita enim Hippoc. *Aph. 9. Sect. 6. lib. 6. Epid.*

Quartana laborantes nullo magno morbo corripiuntur, si prius autem corripiantur, & quartana superveniat, liberantur. Galenus in Comment. nomine magni morbi Epilepsiam intelligit. *Philippus Salmuthus Observ. 84. cent 2.*

Nobilissima quædam domina Epilepsia penè hæreditaria diu afflicta, irritis omnibus remediis ab excellentissimis Medicis præscriptis, tandem solo pulvere veri visci querni ad ℨj. quantitatem in aq. ceras. nigr. vel cerevisia singulis matutinis per dies aliquot circa plenilunium exhibiti, sanitatem obtinuit. Licet nullam habuerat medicamentum sensibilem operationem, tamen post primum diem, nisi unum paroxysmum passa est, *D. Robert. Boyle Tractat, de Utilitate Naturalis Philosophiæ, part. 2. sect. 5. cap. 7.*

Ungula alcis præsentanea vi pollet adversus morbum comitialem, quod multis experimentis comprobatum habeo, licet mihi ratio visa sit obscura semel atque iterum contigit, ut muliercula quædam in ædium nostrarum vestibulo, tanquam fulmine icta, concideret, quod ubi essem conspicatus accedo propius, atque annuli gestamen, cui alcis particula inserta erat, digito qui infimo proximus est infero, illa è vestigio erexit se in pedes, potuque refocillata iter inceptum alacriter peregit. *Levinus Lemnius lib. 2. De Occultis Naturæ Miraculis, cap. 3.*

Illustris Neogamus amore formosissimæ puellæ, quam jam quintum deperiebat annum, potitus, in arcem milliari à Leodio dissitam eam ducit, ibi cum amore se pulcherrimo ad satietatem explet, depleri facultatem animalem, purissimamque spirituum partem absumi non sentiens, Epilepsia corripitur, advolo ego citato equo, atque à paroxysmo excitato; album payoninis excrementis derasum in decocto millefolii (erat casu ad manum) propino, à cujus sumptione cum aliquot horas liber fuisset, iterumque corriperetur, antepilepticum Sereniss. Ernesti Principis mei, quod oleum heracleum, qui ingenti pretio ipsi vendiderat Chymista indigitabat; Leodio adferri curavi; quo bis terve sumpto, per omnem vitam ab Epilepsia immunis fuit, ejus olei, quod sæpe fidum expertus sum, descriptionem hic ponam.

℞. Vitrioli veneris, aut viridis æris calcinati, ℔ i ß. Cranii humani, ungulæ alcis, an. ℥ij. visci querni (malim colurnum) sem. Pœon. maris, an. ℥ j. cum spir. vini rectificatissimi ℔ ij. digere in retorta & distilla S. A. ingratissimum est hoc oleum, & odore & sapore, sed miræ efficaciæ, si cum aqua convenienti sumatur. Huic omissis universalibus, quia ob virium imbecillitatem mortem timebam, solis antidotis consului, monuique meminisset, dicere stagiritam naturæ ocellum, synusiam seu coitum esse parvam epilepsiam, à parva autem ad majorem proclivem esse transitum *Henricus ab Heers. obs. 18.*

Puella quædam ab ebriis duobus ad stuprum sollicitata, in epilepsiam ex subito terrore & animi consternatione incidit gravissimam. Ad illam accersitus, duas, quæ lecto adstabant famulas rogo, quoties concideret? jam videbis inquiunt, adhuc loquebantur, cùm sævissime convulsa fuit, lecto affixus, observo illam duos utriusque pedis pollices confricare, nec ullam in illis movendis, quoties paroxysmo libera erat, quietis partem interponere, extemplo curo fieri butyrum antimonii, ex æquis antimonii crudi & mercurii sublimati concinnatum partibus: quo utrique pollicum applicito, vesicisque magnis excitatis, iisque abscissis, demum carne ad ossa ablata, ab omni paroxysmo, triduo liberrima fuit: quarto die cum levissime convulsam domestici dicerent, sumpto antepileptico, ex Cranio hominis, pavonino excremento, vesica apri cum lotio in furno siccata, visco colurno, oleo succini inodoro, aquisque ei rei dicatis adprime facto, nunquam postea vel umbram convulsionis sensit, *Henricus ab Heers obs. 24.*

Hartmanni amuleto ex frutice sambuci in salice inventi, plurimi epileptici salutem suam debent. Medicus quidam nostræ urbis exercitatissimus plusculos solo isto amuleto restituit, præmissis præmittendis

Sartor Juvenis Hafniensis tumido ventre diu aquam inter cutem collegerat, nullis adjutus medicamentis, transmisso ad cerebrum sero copioso, epilepticus evasit: urgebat viginti & quatuor horis paroxysmus, & miserè torquebatur; sed appenso amuleto, imminutus primum paroxysmus, mox planè remisit, hydrops vero tractu temporis alvi fluxu superveniente detumuit. *Thom. Bartholinus, hist. 69. cent. 4.*

Morbus comitialis sponte sanatus.

Plurima non minus graviter, quàm verè dixit uberrimus auctor, Hippocrates, sed nihil majestate ipsius dignius, quam ingenuum illud. Naturæ morbis medentur. Cujus effati dignitatem, ut passim omnes, sic ostendit præcipue morbus comitialis, quem eradicatum ubi vult natura, utitur modò, variantis ætatis mutatione, modo verò ulceribus in capite excitatis; vel excogitans aliud aliquod solers inventum, dissolvit industrie nodum, arti Medicæ planè indissolubilem.

Consulis Amstelredamensis filiæ exagitatæ vehementer à morbo comitiali; & parum aut nihil auxilii ab arte impetranti, suppetias tandem tulit officiosa natura: expellens potenter, acrem periodicæ distentionis caussam à cerebro in subjectos faucium musculos. Quibus impeditis, cessit quidem, ex toto, morbus comitialis; sed interim intumuit haud parum guttur; periit elocutio; neque deglutiit, nisi admodum graviter.

Sed præcipua molestia fuit à suppressâ voce, quâ caruit ad sextum usque mensem: licet interim non negligerentur, vel convenientia cathartica; vel requisita roborantia: inter quæ facilè primas tenuit oleum, arte Chymicâ è succino elicitum. Quod sanè plurimùm profuit,

fuit, recuperandæ voci. Quam iterum adepta, fecit primum, receptæ locutionis initium (quod etiam ab aliis, alias observatum) vocalibus A & O. Quibus aliquoties ruditer prolatis, profecit brevi tantopere, ut ante diem quartum decimum, loqueretur, non minus articulatè ac si nunquam obmutuisset.

Quod ipsum, benevolæ naturæ, auxilium, etiam in aliis, subinde licuit videre: sed præcipuè in duobus infantibus, quorum epilepsiam sanavit, per manantia capitis ulcera. Quibus improvidè aliquando suppressis, retinebantur non tantum tetri, maligni morbi, vapores: sed revertebatur ilico terribilis hæc nervorum contractio. Neque desinebat iterum nisi remota cicatrice, reseraretur hiatus, exhalandis fuliginibus à natura destinatus.

En præeuntem naturam, o Chirurge; monstrat ipsa, quasi digito, salutarem, inustorum ulcerum usum: ex fama tua erit, imò ex usu ægrorum, si hanc sequaris ducem. Prosunt ulcera arthritidi, expellunt lippitudinem; sed neminem efficacius juvant quam morbo comitiali, obsessos.

A quo utique adsertum vidi aurifabrum, per squamosas quasdam crustas, fœdum in modum pedis cutem exasperantes, quibus scalpelli apice dextere ablatis, destillare protinus per exilia cutis ulcuscula, frequens, ac acer humor, qui per anfractuosas ambages ad pedes delatus, eo proculdubio descendit sive à capite, genuino hujus mali fonte; sive ab hepate, aliove aliquo inaccesso fomite, secreto alicubi latitante. *Nicol. Tulpius Observat. Medic. lib.* 1.

Morbus comitialis à splene.

Ex acri quarumlibet partium vapore, cerebrum vellicante, morbum comitialem excitari, novum non est. Sed parti alicui, tam exquisitum inesse sensum, ut attacta duntaxat levi digitorum apice, protinus contrahat nervos; id certe summe rarum est. Et præter unum Fernelium (qui ex simili occipitis attactu, vertiginem vidit obortam) vix cuiquam fortassis observatum.

Juvenis patritius annorum circiter quindecim, doluit ex pube, tam intolerabiliter; extra omnem suspicionem calculi, ut ibidem loci, neque litum olei amygdalini, neque linteolum eodem madens, foret ferendo. Sed converso post mensem, omni doloris impetu, à pube, versus latus sinistrum, unde fortassis descenderat, desiit ex toto illius partis cruciatus: & ilico male habuit lien: & ex ipsius consortio, cerebrum. Non secus ac aliis, ex pede vulva; ex liene ventriculus: & à ventriculo caput; instar cucurbitæ universo corpori impositum.

Noxiam autem materiam, à liene, per venas iliacas, ad ilia, ac pubem descendere, vidit olim vir oculatissimus Hippocrates: sed innuit id adeo tectè, ut à paucis observetur. Qui nigra (inquit) vomunt, ad pubem dolent. Lib. præd. Expulsâ videlicet illuc acri sanguinis fœce. Unde certe est, quod melancholicis fiant, maximi morbi, ab ilibus. De quorum molestâ dilaceratione, non minus quoque conqueruntur, scorbuto qui obnoxii: quibus propterea videntur ilia rumpi: cum ob continuam humoris erosionem; tum propter urgentem, dilaceratarum membranarum, distentionem.

Inquirendum itaque curiose Medicis, in naturam humoris, à natura expulsi: & cavendum obnixe, ne facile regurgitet à loco ignobili, in partem principem. Satius quippe est, pestilentem ejuscemodi frugem in semine comprimere, quàm adultam demetere messem.

Sed ad rem. Lien a turgido hoc, atræ bilis, fermento, jam tumidus, diffudit ilicò ex se vapores cerebro tam inimicos, ut juvenis protinùs concideret in vehementissimos morbi comitialis insultus: excitatos non tantum à caussâ internâ; sed subinde quoque, ab externâ.

Nam pressâ, vel solo digito, regione lienis, contrahebantur ilico, omnes nervi: & sequebatur confestim miserabilis universo corporis distentio: lædens iteratis suis circuitibus, usque eo, mentem jam aliquoties labefactatam & cumprimis, vim ipsius imaginatricem ut crederet se nescio quem regem, distribueretque non minùs largiter qualiacunque munera; imo integras regiones ac si reverâ rerum potitus fuisset.

Insidente ipsi, hac conceptæ majestatis opinione, adeo profundè, ut summè excandesceret, corripereturque gravissimâ epilepsiâ, si quis majestatis oblitus, ipsum compellasset nomine usitato; Ceu inferius dignitate sua ratus alio, quàm regio insigniri titulo. Impositis interim familiæ suæ (quæ erat amplissima) promiscuis, quorumcunque animalium, nominibus. Quæ semel data (quod melancholicis proprium) tam firmiter memoriæ mandavit, ut nunquam deinceps, inde exciderint, licet vel longissime quis peregre abfuisset.

Quod si vero quis, loco ursi, felis, canis, draconis, aut leopardi, desideraret proprium sibi restitui nomen, eum reddebat ilico, voti compotem; modo donaretur aliquo munere, quâ facilitate, ab amicis observata, redemere plerique omnes, ignominiosa illa nomina. Eaque donis ipsorum imposita, retinuit invicem tam strictè, ut etiam post plures menses, recordaretur nominatim; quod quisque, vitandæ ignominiæ ergo, obtulisset munus.

Inusitato autem huic morbo, plurima quidem nobiscum opposuit felicissimus Medicus Joannes Fontanus: sed nihil præponderavit, vel vino chalybeato; vel veratro nigro: quorum primum, posteris quo commendaret Cornelius Celsus scribit expressè animadversum esse, ea animalia, quæ apud fabros ferrarios educantur, exiguos habere lienes: constabat autem hoc vinum, ex sequentibus.

♃. Radic. althææ, asparagi singularum ℥ ij. decoquantur ex aceto vini, & infunde colaturæ limaturæ chalybis, ℔ j. cum dimidia; deinde insolentur, vel macerentur per biduum, in cineribus calidis, addendo chalybi exsiccato, & tenuiter trito, vini Rhenani ℔ iv. aquæ melissæ ℔ ij. ligni guajaci rasi unciam mediam, corticum radicum capparum, tamarisci, ceterach, serpilli, singulorum dragmam, croci Britannici scrupulum; concutiantur quotidie fortiter, in lagenâ vitreâ; &

ex colatura fiat, vinum chalybeatum.

Post cujus usum, inurebatur cruri sinistro ulcus, sed vix deciderat ipsius crusta; quin effervesceret usque eo, turgida bilis; ut nihil differret a furibundo, Cantillans noctu, taciturnus interdiu, cum vultu semper truci, mente perturbata, fame insatiabili, & obstructione gulæ, tam pertinaci, ut vix ullis remediis reseraretur iterum: nisi forte, per clysteres crebrius infusos: utique veratrum nigrum, dejectionis causâ, aliquoties, potui datum.

℞. Corticum radicum capparum, tamarisci, fœniculi, singulorum unciam. Herbarum fumariæ, melissæ, boraginis, singularum manipulum, seminum melonum, limonum, anisi, singulorum dragmas duas, radicum veratri nigri, dragmas sex, uvarum passarum corinthiacarum uncias quatuor. Decoque ex aqua hordei ad libras duas, & dissolve in colatura, syrupi rosacei cum sena, uncias quatuor, misce, fiat potio.

Cujus medicamenti beneficio, licet uberius deponeretur atra bilis; peperit tamen ingratus ipsius sapor, tantum fastidii, ut necesse fuerit, eo derelicto, præparare insequens catharticum: quod etiam summopere ipsi in rem fuit.

℞. Foliorum senæ mundatorum à stipitibus dragmas duas, radicum veratri nigri, scrupulos duos, seminum limonum, & fœniculi, singulorum scrupulum, infunde per noctem, in decocto fumariæ viridis, adde deinde colaturæ, confectionis hamech dragmas duas, syrupi rosacei solutivi, unciam cum dimidia, fiat potiuncula.

Qua aliquoties propinatâ, ejecit continenter tantum atræ bilis; ut tandem ad se redierit: debellato contumacissimo hoste, & expulsa, gravissimæ epilepsiæ, materia, attamen non sine aliqua mentis labe. Quæ tamen tanti non fuit; quin potuerit deinceps, & literis rite operam dare: & alia peragere non secus, atque sanissimus. *Idem ibidem.*

Morbus comitialis, à vulvâ.

Mulierem prægnantem conjecit malignus vulvæ vapor, in tam acerbas nervorum contractiones: ut pepererit. Ignara tamen partum illum, à se, editum: derogans ad hæc fidem, amicis, id uno ore adseverantibus. Ea quippe fuit hujus distentionis vehementia: ut extenderit se, ultra horas novem. Quibus exactis, corripuere ipsam febris, ac sopor adeo torpidus, à sanguine impetuosius sursum rapto: ut tali vena aliquoties fuerit ferienda antequam iterum descenderent ipsi menstrua, & cessaret ex toto febris vehementer ipsam exagitans.

In quem inscium partum, ab eodem vulvæ consortio, incidit utique, haud diu post, affinis nostra, Maria Corvina sed privabatur hæc præterea visu. Licet foris nec hebetudinem aciei, nec aliud aliquod vitium ostenderet externa oculi tunica. Quam cœcitatis speciem ἀμαύρωσιν veteres; & guttam serenam appellant recentiorum nonnulli.

Quod vitium ut insanabile habetur, siquidem insidet ipsi cerebro: sic curatur etiam difficillime, quantumvis fiat, ex aliarum partium consensu. Ac proinde nequiit etiam in hac ægra tolli; nisi per remedia valentissima. In quibus excelluêre emplastra vesicatoria, internis femoribus admota. Quorum ope retrahebatur, tam potenter sanguis sursum vergens, ut recuperata gratissimi luminis usura evaserit feliciter perniciosissima illa cœcitas, quam plerique Medicorum judicaverant habere certam desperationem.

Sed circumspecti Medici est, præsagire quidem pericula, sed interim non omittere, quæ ars requirit. Et cur quæso desperaret quis fieri posse quæ hic facta sunt? Incipe animose, perge prudenter, & annuet forte cœptis tuis Deus. *Id. ib.*

Epilepsia, sexies cottidie, accedens.

Quod in mari est æstus ac recessus: id in morbis vocatur reciprocus circuitus. Quem quò comprehendis minus, eo admiraris magis. Latet quippe plerumque ipsius caussa, & absconditi ordinis ratio, defatigat etiam acutissima ingenia. Præsertim quorundam morborum ea cùm sit conditio: ut quotidie, non semel, atque iterum, sed interdum quinquies, vel sexies accedant, recedantque. Idque non aliquot menses; sed integros subinde annos, servante quolibet insultu, exactum, reciprocantis periodi, momentum. Uti id nonnunquam videre est, vel in interpolato capitis dolore: vel reciproco artuum tremore, sed nullibi evidentius, quàm in periodica illa epilepsia, quam hic inseram.

Matronæ locupleti, intervenere ex ventre diutius adstricto, non modo horror, ac febris; verumetiam frequens animi deliquium: accedens primum quidem promiscue, & indistincte; sed mox ordinate, cùm in accessione tum in recessione. Quod tamen reciprocans animi deliquium destitit ex toto, post duos menses. Sed ea cum lege, ut illi, è vestigio successerit admirabilis quædam epilepsia: insurgens cottidie, modo ternis, modo quinis, modo senis circuitibus, quorum impetus fuit subinde adeo efferus: ut opus non semel fuerit, ipsam detineri à quatuor mulieribus.

Suppressa interim (qualibet accessione) voce; occœcatis oculis; obsurdescentibus auribus, & cessante tam diu, sensuum internorum, functione: donec post horam quartam (is enim terminus cuilibet periodo fuit præfixus) ad se reverteretur: mentis iterum compos: & protinus apta respondere, ad quæcunque interrogata. Quæ animi præsentia mansit illi semper immota: usque dum recurreret, iterum novus insultus: aboliturus denuo & interiores, & exteriores sensus.

Quem tamen reciprocum ordinem immutarunt subinde, vel aëris inclementia; vel animi affectus, vel inopinatum aliquod infortunium. Et prout vel leniretur, vel exacerbaretur hic morbus; pro eo etiam, vel tolerabiliùs, vel deteriùs sese habuêre utique ipsius accessiones: modò leves, modò asperæ, nunc plures, mox pauciores.

Quin imo, deficiente fomite, defecit nonnunquam integer aliquis insultus, sed commoto iterum corpore, rediit utique facillimè: verum cum novo invadendi, ac remittendi ordine. Qua recidiva frequentius ipsi interveniente, vix ausa fuit propterea, mutare unquam cubile suum.

suum, nisi fortè sub horam, venientis accessionis. Ne si secus faceret, præcipitaretur denuo, ex motu illo, in novum circuitum. Qui plerumque excurrebat ultra quartum, quintumve mensem, antequam ipsam iterum desereret.

Unde factum, ut circa summum n orbi incrementum epilepsia hæc habuerit, senos circuitus: statis horis, quotidie, & accedentes, & recedentes. Quarum periodorum frequentia, exagitavit usque eò, defatigatum hocce corpusculum; ut tandem inciderit, in accessionem longissimam continuantem quotidie, sine ulla intermissione, ullove, vel cibi, vel potus usu, ad horam circiter vigesimam.

Cui oneri impar, credebat ipsa, jam ad ultima ventum. Sed re plane desperata? apparuit nec opinanti, quasi, ex machina, Deus. Et sedata, post diem quintum intolerabili hac tempestate, sustulit, ex toto, productum illum paroxysmum, relictis duntaxat in locum ipsius duobus insultibus quorum alter durabat ab octava matutina: in horam undecimam; alter vero à secunda pomeridiana, in quintam vespertinam.

Donec decrescente paulatim fomite, usque eo decreverit utriusque longitudo: ut tandem vix mediam excesserint horam. Qua utique declinante, vidimus, post annum secundum, conflagrato jam omni igni, terribile hocce incendium, integre fuisse extinctum. Debellata, ex toto, perniciosissima illa epilepsia, quam, trigesimo octavo ætatis anno, (quem, id temporis, agebat ægra) ceu invincibilem, cum omni antiquitate, crediderat, tota nostra Civitas.

Sed summe admirabamur, nunquam ipsi intervenisse, novum insultum: quin evidenter ipsum præsagierint, vel concitatæ temporum arteriæ, vel floridus manuum, ac malarum rubor. Quibus præciis signis, tantam fidem habuit ægra: ut iis apparentibus, certo semper prædixerit, aliquid monstri ali, neque sanè præter rationem: accenso enim sanguine mirum haud fuit, motas fuisse temporum arterias: tinctam manus, ac faciei cutem: & ex acri, fervidi humoris, vapore concitatam fuisse, novam contractorum nervorum, periodum.

Quotquot autem accederent Medici, accedebant vero plurimi; omnes contulere, primo saltem accessu, morbi hujus caussam, in vulvam; sed intellecto legitimo menstruorum ordine; & audita gutturis libertate, direxere contra, consilia sua, in lienem, ac atram bilem, in pancreate stabulantem. Hæc enim loca, designabant perspicue, cùm dolor lateris sinistri; tum calor in lumbis evidentior, quà alibi. Quib. accessere excreta subinde quidem flava, ac porracea; sed plerumque atra, ac vere nigra: ex quibus, luce clarius apparuit, cùm lienis, tum pancreatis vitium.

Quarum partium calor, adstrinxit ipsi, tam pertinaciter alvum: ut totius morbi decursu, vix quicquam reddiderit sponte Ac proinde necesse fuit, eam continenter ducere, per cathartica: præsertim per catapotia (clysteres quippe aversabatur) concinnata, ex granis undecim extracti catholici, & quatuor pilularum nitri Tralliani. Aut tantundem, vel veratri nigri, vel pulveris hieræ Galeni; prout variaret morbi inclinatio.

Non omissis interim illis, quæ longo usu, judicantur morbo comitiali apta; quorum tamen tædium perpulit ipsam assiduo ad easdem pilulas, quibus etiam, usq; eò, benedixit misericors Deus, ut illis propemodùm solis, cesserit pertinacissimus hic morbus. Devictus proculdubio eo tardius quo minus dormiverit noctu, & parcius aleretur interdiu, semel tantùm capiebat cibum, in die: eumque semper, circa octavam vespertinam: & quanbet nocte exagitabatur ab indefatigabili vigilia: uti interdiu, à periodicis nervorum distentionibus: plerumq; ita efferis; ut continenter opus fuerit excarnificatos nervos, illinere leni aliquo cerato: sed præcipuè in planta pedis, à qua, uti incœpit, ita quoque desiit, gravissimus hic morbus. *Idem ibidem.*

Epilepsia ex pollice pedis.

Morbi comitialis, caussam statuunt Medici, vel in ipso stabulari cerebro, vel aliunde eo deferri, sive ex ipsis visceribus, seu à partibus externis, planè eodem modo, quo ex ictu scorpionis, ac phalangii, vel à morsu viperæ, instar alicujus auræ, venenum persentitur ascendere, ac sensim se se insinuare, in principes nostri corporis partes, uti luce clarius videre est apud Galen. lib. 3. locor. affect. cap. 7.

Curtium Rogerium, uxore orbatum, ac mœstè viventem, quamvis primus morbi comitialis insultus invaserit, sine ullo vel levissimo ipsius præsagio; sensit tamen insequentes exacerbationes manifestam originem trahere, ex pollice pedis sinistri; indeque, ab ipso articulo, vagum, ac oberrantem elevari vaporem, primùm quidem genu, ac humero, deinde verò cervici, ipsique cerebro molestum: cum conspicua mentis labe, ac terribili nervorum contractione, reflexo capite versus dorsum, per eam convulsionis speciem, quam Græci ὀπισθότονον vocant.

Quo diro symptomate, non quidem continenter, sed interpolatis vicibus modo serius, modo ocyus fuit exagitatus, prout venenata hæc materia vel citius, vel tardius vapores suos emiserit, qui etiam non semper recta, in cerebrum feruntur, quin potius nonnunquam aliquandiu subsistunt, cum evidente doloris sensu, vel in genu, vel in humero, aut in cervicis aliquò musculo, antequam eorum offensam persentiat cerebrum, quo tamen tandem irritato, contrahebantur quidem omnes nervi, sed potissimum illius partis, ex qua malignus vapor speciatim in cerebrum fuisset delatus.

Quæ venenata fruges in herba quo opprimeretur, nihil non tentatum, cùm per cathartica, tum per convenientem sanguinis detractionem, sed potissimum, per arctius vinculum, pollici supra articulum, tam arctè circumligatum; ut coërcitus halitus ne minimum quidem invenerit exitum, ad superiora deinceps evolandi, non omissis interim, quin potius pro virili, parte dolenti articulo impositis cucurbitulis angusti oris, ad eliciendum venenum illi penitiùs insidens. Quo tamen minus cedente, admotum aliquoties pollici fuit ferrum candens, & inustum ibidem loci ulcus, ad os usque penetrans. Cujus beneficio malum hoc potissimum fuit devictum, uti etiam per reliqua manantia ulcera, quæ cruribus, ac brachiis fuere imposita, quæ tandiu mansere aperta; donec post mensem tertium morbus ex toto desineret, ægerque annos jam natus duodequadraginta, pristi-

nam recuperaverit sanitatem, extra omnem recidivæ metum. Licet Hippocrati videatur hoc malum, id ætatis, homines ad mortem usque comitari, at non omnes, inquit optimus aphorismorum interpres Philotheus lib. 5. cap. 7.

In dissipandis autem vaporibus, ac sudore per cutis foramina eliciendo, præter Theriacam, lapidem bezoardicum, radicem contrayervam, ac decoctum radicum chinæ, nihil ægro magis ex usu fuit, quam aqua arte Chymica elicita ex tartaro & vitriolo, quam aurum potabile vocant. Cujus quottidianus usus, primum quidem sudorem elicuit, ex illa parte, in qua id temporis, venenum delitesceret: At deinde ex capite, ac corpore universo, donec ex toto cessaret perniciosissimus hic morbus, docens suo exemplo optime agi cum medicamentis chymicis, ubi in gravi morbo dantur à provida manu, universalibus auxiliis jam tum ritè administratis, qua circumspectione destituta, videntur quidem magna, & quantivis pretii in oculis vulgi, verum nequaquam apud illos, qui rem non tam opinione, quàm veritate metiuntur. *Idem Observat. lib. 4.*

Epilepsia cum vocis suppressione.

Isbrando Colineo, adolescenti unde viginti annor. ex pedis pollice, simillima quum elevaretur aura, contremuit intense brachium, & præter periodicas, ac vehementes convulsiones, incidit non modo in resolutionem nervorum, quam paralysin vocant, in tantum etiam vocis suppressionem, ut coactus sit, scribendo mentem suam exprimere, quamdiu obsiderentur nervi recurrentes, voci formandæ à natura destinati.

E quibus tamen intricatis scopulis, felicissimè enavigavit, eodem magnete, quem jam propositum ivimus, sed præ cæteris, præter tenacius vinculum, quo ne tantulum quidem pollex carere potuit, profuerint ipsi ferramenta candentia, primùm quidem timide, at mox audacius, usque ad ipsum os pollici, inusta, ex consilio Egberti Bodæi, Bonnii, ac Hartochveldii, qui juxta mecum ipsi Medicinam fecere. *Idem ibidem.*

Sanguis humanus Epilepticis datus.

A Morbo comitiali, ut merito perterrerentur ægri, sic non injuria detestantur sani insusitata quædam ipsius remedia, suadentibus aliis calvariam hominis viventis, aliis ejusdem jecur, aut pulmonem; aliis contra audaciore ore, calidum spirantemque sanguinem (horresco referens) hominis recens interempti, quasi vero, ut cum Plinio loquar, lib. 28. cap. 1. sanitas videri possit, feram ex homine fieri, & violare divina, humanaque jura.

Vide sis ô Medice, quid astruatur à Mose Genes. cap. 9. Luca, Actor. cap. 15. & tandem ab Imperatore Leone in Novell. constitut. 58. ubi lex flagris cædit, bonorum publicatione, ac perpetuo exilio multat, qui sanguinem intestinis infarctum in cibum convertit sive vendat, sive emat; quo certè delicto annon multò gravius est, recentem sanguinem quasi cum ipsa anima sorbere, simul ac gladius viam erupturo cruori aperiens, crudeli supplicio, locum fecerit crudeiori Medicinæ, quam abominandam feritatem ecquis non exsecraretur, etiam in sævissimis belluis?

Movit quidem prior ætas prodigiosum hoc auxilii genus, sed vixi scire ejus judicium? audi Cornelium Celsum adserentem, quosdam, jugulati gladiatoris calido sanguine epoto, à morbo comitiali se liberasse: apud quos, inquit, miserum auxilium tolerabile fecit, miserius malum, audi Aretæum Cappadocem exclamantem lib. 1. diut. morb. c. 4. ô ingentem necessitatem quenquam eo redigi, ut malum malo piaculo depellat? unde tamen ad sanitatem utrum perventum nemo potuit mihi vere affirmare. quocirca non malè Scribonius Largus lib. 1. cap. 11. compos. Medic. Licet aliquibus profuerit proscribendum tamen ejuscemodi remedium extra professionem Medicam.

Lambertus Vitellius, adolescens florentis ætatis, plurimum molestiarum perpessus, à frequentibus morbi comitialis insultibus, decrevit tandem ultima experiri, secundum illud Celsi: quos ratio non restituit, illos adjuvat interdum temeritas; confugitque quamvis invitissimus (ô durum necessitatis telum:) ad execrandum, ac detestabilem humani sanguinis usum, quo tremula manu, aversis oculis, pallida facie ac horrente universo corpore in obluctantes fauces violenter infuso, tantum abest ut terribilis morbus inde imminueretur, ut potius plurimum incrementi sumpserit, habueritque multo pejus, quam ante Thyesteam hanc mensam unde factum, ut præ augescentis mali vehementia, corruerit præceps in ignem, exusto illic vehementer crure, & excitata tam ingenti gangræna; ut necesse fuerit, (quo cæteræa femoris pars tuta foret) emortuum crus serrula præcidere, quo crudeli remedio quantumvis ritè satis administrato, occidit tamen ipsum, postridie ejus diei, major morbi comitialis vehementia, quam vires à recenti cruris amputatione attritæ fuere ferendo.

In quod ipsum præsens vitæ periculum, licet nequaquam inciderit adulta quædam virgo eundem jugulati juvenis sanguinem, id temporis itidem bibens, adeo tamen non recuperavit, horrendo hoc remedio, amissam valetudinem, ut potius in iisdem, modo non & periculosioribus permanserit morbi comitialis scopulis, nolente quasi Deo, ultiore experimento confirmari enorme, atque execrandum hocce piaculum, cujus ignominioso usu, dispudet certè commaculari Medicinam, innocentissimam cæteroquin sanitatis præsidem. *Idem ibidem.*

Epilepsia duos, aut tres menses à vulnere cranii intempestive obducto, terebratione sanata.

Consultationem me habuisse aliquando memini cum præclarissimo D. Julio Sala Professore, Patavino, de quodam vulnerato pugione in capite, cum læsione non solum Cranii, & membranarum, sed & cerebri ipsius. Vulnus quibusdam Medicis exterius curatum fuerat, introducta quinetiam cicatrice, ex qua duobus, aut tribus post mensibus, Epilepsia correptus est æger, qua bis, aut ter quolibet mense divexabatur; quem cum Exc. Sala interrogaret, an aliquando vulnus aliquod in capite passus esset, ipso vero id affirmante, specillo statim immisso, sub ipsa

crusta

crusta inveni vulnus prædictum penetrans: unde illico deveni ad sectionem, & dilatationem partis, adhibita sequenti die terebratione, eu qua effluxerunt ichores quidem flavescentes, quorum ratione, supra cerebrum & membranam, balsamum nigrum occidentale viginti dies adhibui, quorum usu caro rubra cœpit succrescere, ægro spatio triginta dierum à vulnere & Epilepsia sanato. *Petrus de Marchett. Obs. Medic. Chirurgic. Sylloge.*

Ex vulnere thoracis inter quartam & quintam costam, Epilepsia suborta, quâ nunquam alias correptus fuerat æger, turunda immissa recurrens.

Cum duo studiosi inter se digladiarentur, eorum alter ex familia Curtorum, vulneratus thorace, inter quartam & quintam costam, prolapsus est in terram Epilepticus, cum spuma in ore, motibusque convulsivis, à quibus symptomatibus, patiens mortuo similis domum deportatus, pulsibus tamen validis; quia verò Barbitonsor jam obligaverat vulnus, ipsum eodem statu dimisi, quod cum accidisset matutinis horis, sub vesperam denuo accitus, redintegratis sensu, & motu, postero die vulnus obligavi, cum facultates principes convaluissent; quod cùm curarem demisso specillo, patiens graviter conqueri cœpit de dolore, cum levi quadam convulsione, Epilepsiæ simili, cujus causa specillum removi, atque a turunda abstinui, à Barbitonsore antea immissa, appositis solis filamentis digestivo rosaceo imbutis, ac superaddito cerato ex cerusa, & quidem tertia die, quarta vero, applicato eodem cerato, quibus spatio novem dierum ex toto fuit sanatus æger, qui cum nunquam alias Epilepsia laborasset, ut mihi retulit, ex vulnero solo ea correptus est, ratione scilicet nervi intercostalis læsi, inculpata valetudine etiam nunc Venetiis degens. *Idem ibidem.*

Epilepsia laudano opiato curata.

In filio mercatoris cujusdam primarii hujus Civitatis Posoniensis, paroxysmi Epileptici ex dolore dentium & capitis 24. horas continue durantes, nullis remediis licet satis alias efficacibus sisti poterant, tandem ex mea præscriptione sumsit Laudani Opiati granum unum cum dimidio in syrupo flor. Pœoniæ, & sedati sunt subito, nec amplius rediere, sicque evidenti auxilio liberatus æger omnibus jam de eo desperantibus anno 1660. *Paul. Spindlerus apud Carolum Raygerum obs. Medicin. Centuria.*

Epilepsia periodica.

Fatigavit majores nostros, quotquot labores suos hominum sanitati procurandæ consecraverunt, omnes, & etiamnum fatigat illa febrium proprietas, quod ita certis intervallis redeant, tanquam si ad condictum citatæ tempus mulctandam suam, vel absentiam, vel tarditatem vererentur. Invenit non pauca, quæ hactenus latebant conspirans in Medicinæ studium temporum nostrorum industria, qua in parte mirum in modum excellit Anglorum illud præstantissimum collegium: hujusce tamen rei rationem nemo, quod sciam, hactenus eam reddidit, cui mens humana acquiesceret. Quid ego? nescio, an minuam, an augebo difficultatem, dum statos illos recursus non tantum in febribus, in mania, &, mirum! in dentium doloribus, sed etiam in epilepsia observatos esse à peccante natura observo. In puella id factum annos nata decem & septem, hæc subsistente menstruorum fluxu suffocationibus uteri gravissimis laborare primùm, deinde augescente quotidie malo, epilepsia corripi cœpit vehementissima, quæ tertio singulis diebus eam assiliebat, hora nimirum septima matutina, & decima, atque iterum sub noctem hora octava, quæ tempora integro anni vertentis spatio, ita servavit accuratè, ut nullæ ad horam certam conductæ operæ temporis sui rationem habere possint magis exactam. Sentiebat autem morbum per dextrum crus, uti ajebat, sursum ascendere, quod mitigato deinde malo adhibitis ligaturis, primum aliquamdiu retardari poterat, deinde etiam, ne ad caput ascenderet, prorsus impediri: jamque sanitati suæ pristinæ restituta valet & vivit, nam sic, ut antea valere, vivere non erat, sed perpetuo cum mortis satellitibus conflictari. *Theod. Kerckring. Spicileg. Anat. obs. 71.*

Virgo quatuordecim annorum ex terrore & spectri apparitione cum affectu colluctabatur convulsivo, ἔκστασιν dixisses Epilepticam: hæc postquam unam noctem velut furiata obambulasset, spectri semper specie obversante, postridie ad quietem se composuit voce planè suppressa, quam nec sollicitata prodere volebat. Duraverat hæc quies unum diem, cum major quàm pridem membrorum distorsio convolutioque mixta Cephalalgia & Pandiculatione apparere cœpit. Accedebat perpetuus digitorum velut aliquid comprehendentium lusus, jam etiam labiorum orisque major distorsio in risum deinde effusissimum abitura; Cordis palpitationes erant enormes & tantæ, ut allidi Cor, jam aquis Pericardii jam Costis, videretur, Respiratio erat sedata, nisi quod suspiriis aliquando interrumperetur; Oculi adhæc semper aperti atque irretorti; Dentes initio valide in se coibant; Saliva per oris rimam exilem profluebat plurima, limpida magis quàm spumescens. Quæ in Paroxysmo acta erant, plane non recordabatur & velut somnia accipiebat. Hæc tertio quoque die cum febricula redibant & cum quarto demum Paroxysmo finiebantur. In hoc autem duo imprimis memoranda nec quotidie obvia, risus nempe ille spasmorum complementum, & deinde mirum Palpitationis genus, quo Cor velut in aquis quassari audiebatur. Primum illud fortè se debuit spectri aut phantasmatis ingenio ista repræsentatione ideali risum provocantis, quod tamen non ante fiebat, quam à morbi invadentis dolore victus animus phantasiæ pridem corruptæ impetum sequi cogebatur. Alterum phænomenum ter mihi visum, ubique in Epilepticis, an aliunde quam ab aquis Pericardii deduci possit, nescio; admotæ enim aures, ut ne dicam procul, audiri aquarum illam collisionem, *als wenn es schulperte*, luculente percipiunt. Uti Epilepsia, ita hoc quoque symptoma, fœminam exercebat, cujus supra facta est mentio; & vero hæc ipsa adfuturum jamjam paroxysmum inde ominabatur. Sanè Calculus erat in utraque fœmina, quem prodromi Epileptici insultus jam multo ante significa-

bant, nesciis toto illo tempore Medicis, quorsum res evaderet. Atq; ita sæpe in Pueris Virginibusque totam hanc scenam Vermes instruunt, cujus etiam exemplum in juvene Viro jam viginti quatuor annos nato à me visum. Laborabat is ferè singulis quatuor aut quinque horis ex universi corporis, imprimis brachiorum & pedum, motu convulsivo tam vehementi, ut nec quatuor homines validi eum compescere possent, & si oppositis viribus molientis robur nonnihil infringi contingeret, diuturnior erat & molestior multo paroxysmus, adeoque deprecabatur beneficium æger; vehemens autem erat hic quoque Cordis anxietas, vehemens palpitatio, sed quæ cum Paroxysmo intra quatuor aut sex horæ minutas finiendo facilè se remittebat, verum non modo in intervallis hisce, sed & in ipso insultu tam gravi mens usque integra sensusque vividi commiserationem adspicienti extorquebant. Huic multis frustra tentatis nihil magis profuit, quam Decoctum aperiens ex herbis Splenicis & amaricantibus, admistis seminibus Zedoariæ, Syrupo de Helleboro nigro & illo Diasereos Andernaci. Puella Nobilis undecim annos nata, curæ meæ tradita, initio tumorem in Ventriculi regione sensit maximo comitatum dolore, sed hic protinus recedens in aliud symptomatis genus declinare visus est, nempe in dolores utriusque Hypochondrii intolerabiles alternis vicibus redeuntes, perdurante tamen, cum qua inceperat hic morbus, Cordis palpitatione. Insurgebat autem tanta per intervalla dolorum tempestas, ut in lectum abjecta continuo opem præsentium, imprimis autem manus pressionem, eamque validissimam, jam in hoc jam in illo latere immani voce & ejulatu, quam fieri poterat, maximo flagitaret. Durabat hæc tempestas decem circiter minutas horæ partes, plus minus, & vel decies in die redibat; statim autem post paroxysmum sui potens stare, ambulare & redire ad munia sua gestiebat. Magna vero Cordis palpitatio & corporis in utramque partem ventilatio stentoreis querelis comitata peregrini quid subesse facilè testabantur, cumque illa & oculi concavi circuloque notati ex Vermibus laborare Puellam tantum non persuaderent, pulverem adhibui Myrrhatum cum Jalapio & Semine contra Vermes, sed qui non ante profuit, quam Mercurio dulci animatus latitans alibi fermentum alvo deturbasset. At quod nunc referam exemplum planè singulare & supra fidem. Puer erat septendecim annorum, hunc sibi ereptum semper & usque, dies ac noctes, perpetuæ membrorum convulsiones exagitabant, eæque tam validæ, ut à duobus hominibus contineri debuerit; initio autem omnis motus in Ventrem descenderat, namque is sine intermissione ita in altum efferri visus est, ut ei coërcendo toti se impenderent, qui aderant vigiles; duraverat hæc Ventris & Diaphragmatis in planum projecti palpitatio octo septimanas, cum fatigatis, credo, musculis & absumto fluido Diaphragmatis motus labasceret, & quod reliquum erat spirituum, in Thoracem & Brachia transiret novo spectaculo serviturum. Ad hæc Venter pridem adeo elatus sic penitus concidit, ut in se coactus spinæ dorsi incumbere omniaque amisisse viscera videretur: & vero portentosum erat, Alvum nuper adeo rotundam tumentemque nunc intra concavi fines redactam aliud potius quam Ventrem referre, neque amplius ullo respirationis commercio, quo cæteroquin g. udet, tangi. In Pectus autem, ventri enim jam pridem exequiæ paratæ erant, quod reliquum erat vitalitatis, confugisse dixisses, adeo perpetuæ musculorum intercostalium aliorumque crispationes perituram forte respirationem asserere videbantur. Obscura Pulsus vestigia, cadaverosa facies & abdicati jam à longo tempore cibi quid aliud quam suprema quæque adtore nunciabant? At vero nec ab initio morbi cibos sollicitaverat, sed promiscue ablatos, modo liquidi essent, absorbebat, inde ad labores convulsionesque relapsus; ad hoc enim unice compellere eum concepta in venis labes videbatur. Unus erat & continuus somnus, qui toto morbi decursu eum detinebat, à quo initio excitatus murmure quodam detrectare responsum velut molestum, subinde & horæ unius alteriusq; spatio sibi redditus, cum eorum nihil, quæ acta essent, sciret, miseriâ suam verbis lachrymisq; deplorare consueverat. Vexaverant illum in principio morbi gravissimi Urinæ ardores & stillicidia, neque quidquam ejus, nisi imm. ni cum dolore ac ejulatu, mittere posse videbatur. Atque inde Medici Calculum conjicere volebant, postea autem semel de die mingere cœpit idque copiosissime; ab alvo pauxillum erat, quod rejiciebatur in illa corporis inedia, & non nisi globulo saccarino provocatum. Has autem musculorum Pectoris sive palpitationes seu spasmos, Ventris enim officium jam dudum cessabat, ipsas novem septimanas, cum Ventris illas octo sustinuisset, toleravit; hunc itaque etsi diu conclamatum & Prognostico relictum, ubi miseriarum finem adfuturum rebamur, mirifica Dei bonitas servavit, &, si non in plenam, certè aliquam sanitatis speciem vindicavit. Qui enim Puer nuper lecto adfixus, qui veternosus semper, qui Ventris primum, inde Thoracis spasmis affectus noctuque & interdiu iis fatigatus, in illa abstinentia tristique sui spectaculo mortis beneficium exspectabat, post septendecim hebdomadum tædii in tantum convaluit, ut jam ὀρθοστάδιος esse & sui compos stare, ambulare & cibos potumque appetere, jam & membrorum usum regere & collapsum pridem Ventrem revocare videretur; sed nondum penitus morbo defunctum hæc indicabant, quod respiratio brevis adm odum & concisa esset, Venterque, ille adeò exilis & pene nullus, in justo majorem altitudinem duritiemq; attolleretur; unde non temere novum morbi genus, Hydropem, aliqui hariolabantur; ego autem, si corporalis morbi ratio est habenda, totum hoc negotium ad Vermes, mirificum certè animantium genus, retulerim, quando constat nihil tam peregrinum absurdumque sæpius produci, quod non à Vermibus, ubi ubi latentibus originem trahat, ut nonnullis antea historiis testatum fecimus. De eventu nihil dicere certum licet, quia nuper demum hæc acta sunt. Ex hisce tamen innotescere puto, quam diversis motuum lusibus symptomatumque varietate τὰ ἐπιληπτικὰ sese exserant, & sæpe levissimum accidens esse, quod valetudinem corporis infamet, & morbi hujus tam suspecti affinitatem prodat.

dat. *Joan. Nicol. Pechlinus Observ. Physico-Medicar. lib. 2.*

Epilepsia à vulnere siccata.

Anno hujus seculi septuagesimo & nono ineunte vere ferax erat morborum tempestas, imprimis Epilepticorum insultuum, qui adultos etiam Juvenes Plethoricos gravissime exercebat. Enimvero uno eodemque tempore sex mihi objecti Juvenes epileptici, quorum tamen nemini, si unum exceperis, hic morbus in habitum transierat: tribus sane una venæ sectione subventum. Quarto pessime ab hoc morbo habito Naturæ crisis aërisque mutatio profuere. Quinto familiaris jam ante morbus nec postea remisit. Ultimo revocata per artem ulcera morbi immunitatem præstitere. Atque horum utriusque exempla necesse est deducam. Coquus erat viginti novem annos natus, qui jam a multis retro annis cum Epilepsia conflictabatur. Is pridie Pentecostes festi ex capitis dolore, prodromo plerunque morbi, laborare cœperat; nimirum; postquam Fontanellas in utroque brachio, quas valetudinis causa per annum magno suo commodo apertas servaverat, consolidari securus jam & sui fidens curasset. Vix coïverant vulnerum labra, cum altero die post gravis incessit & decretorius. Paroxysmus, qui tamen eodem ipso die inducias fecit. Ergo morbo defunctum se existimans Festi sese religioni impendit, Deumque sacramento sibi propitiare parat; cum, ecce, ingens capitis dolor non tantum à Ceremoniis sacrorum ipsum prohibere, verum etiam in tristem conicere Paroxysmum videretur. Atq; altero inde die detonuit illa tempestas, misereque exerceri à ferali Paroxysmo incepit æger. Summa erat in jacente pectoris anxietas abrupta respiratione aliisque signis nimium quantum testata. Pulsus ad hæc exilis, lentus, sed tamen numeris suis constans, membrorum vero tam violenta concussio, ut vix quidem coerceri à pluribus potuerint. Toleraverat jam Paroxysmum viginti quatuor horas, cum accederem rogatus; quod primum erat, pectus Spiritu Salis Ammoniaci, sed per Vini spiritum temperato, illini, nares autem acriori Odore ex eodem sale sollicitari jussi. Pedes atterebantur Spiritu C. Cervi, Essentia Castorii & Aquâ antapoplectica Hartm. permisto. Quando autem mali occasio ab intempestiva Fonticulorum exsiccatione orta videbatur, nihil potius duxi, quàm stagnantem in Cerebri Confiniis humorem Vesicatoriis revellere. Itaque protinus quatuor Vesiculas binis scapulis & totidem brachiis, singulis unam, imponi jussi. Vesperi Potionem dari curabam ex aqua Hirundinum comp. Fl. Tiliæ, Lilior. Conv. Pulv. March. Cinnabari Antimonii & Sale volatili Succini, & Syrupo Fl. Pœoniæ. Sed neque his neque illis quidquam profectum, donec tertio die post ultro mitesceret Paroxysmus, & æger ad se rediret. Altera nocte subrepens sitis inexhausta novum portendere malum videbatur, namque nulla eadem potio domare poterat infelici auspicio; quamvis enim convulsiones nullæ subsequerentur, morbus tamen ipse in insaniæ aut furoris quoddam religiosi genus transiisse videbatur. Totos enim dies voce violentissima sanctissimum nomen Jesu ingeminabat, neque ullis vel precibus aut delinimentis comprimi se patiebatur. Inde ad æque absurda prolapsus lecto se efferri in penitissime volebat; nec mora, quin, ut erat nudus, pavimento se committeret, & quas poterat conquirere imagines gypseas, manu prehenderet pectorique vehementius applicatis nomen Jesu imponeret; has deinde sibi assertas in lecto attentius inspiciebat & velut religione quadam prosequebatur. Sex totos dies pius hic furor ægrum occupabat, atque inde viginti quatuor horarum somnus paroxysmo delirii que finem imposuit. Tertio ab invasione die pustulæ lividæ humidæque in carpo manibusque emerserant, manifesto indicio, repressam à fonticulorum consolidatione materiam novos sibi exitus & latibula quærere. Cum hisce demum convaluit, sed ita, ut morbi immunitatem spondere sibi non posset. Nempe ex illo morborum genere hic est, qui, ubi per annos invaluere, solent ζωναποθνήσκειν. Notent autem vel Medici, aut qui cum hoc morbo conflictantur ægri, quando semel vel vulneri aut Fonticulo corpus assuevit, non temere tentandam esse consolidationem; nam sæpe etiam ex illo invadit, quæ ante non erat, Epilepsia, & quæ erat, gravius quam olim insurgit, quod jam priori exemplo vidimus; at nunc, quam in corpore etiam ab hoc morbo immuni curata vulnerum siccatione Epilepsia orta sit, memorabili historia recensebo. Adolescens septemdecim annorum, Pharmacopœi & filius & famulus, tristioris, ut videbatur, animi, laboraverat tota hyeme inveteratis pedum ulceribus, quæ consolidationem sæpe tentatam semper respuebant; cum autem in illo pedum incommodo operis non sufficeret & negligentiæ ab hero argueretur, urget, imò imperat Chirurgo, quavis arte excogitata ulcerum sanationem moliretur. Paret is inconsiderati Adolescentis precibus & vulnera data opera consolidat. Vix abierant quatuordecim dies, cum Lunâ plenâ, cujus in hoc affectu fovendo vires volunt esse quam magnas, in Epilepsiam incidit periodicam inque dies statis horis redeuntem, tribus ante & totidem post meridiem Symptomata tamen uno die remissiora, quam altero. In Paroxysmo nullius rei nec sensus nec memoria. In intermissione quies & tranquillitas, & quamvis mens illi constaret, tamen nec cibo nec voci commodare oris usum vel vexatus toto illo tempore voluit. In Paroxysmo manuum convulsiones erant gravissimæ, quæ nisi mollicula re, pulvinis pannisque in cavum earum intrusis fulcirentur, damnum patiebantur, imo & Paroxysmus, quæ fœminarum erat sollicitudo, diutius perseverabat. Pectoris autem mirificæ erant in omnem partem contorsiones, respiratio frequens correpta & intercisa. Diaphragmatis musculorumque intercostalium tam vaga erat atque incerta reciprocatio & velut undulatio, ut, qui officium facerent, non facilè dignosceres, adeo nulli in totum, omnes ex parte se contrahebant; sanè nudato pectore potius crispari aut fluctuare musculos quàm contrahi dixisses; & si ullibi in vivis, certè hic musculorum & fibrarum motricum varios quasi versus & stamina agnoscere licuit. Venæ sectio, quamvis

tur

turgeret sanguis, nihil proficiebat. Vesicatoria pone aures admissa nullum præstabant emolumentum. Purgatio omnia aversanti & velut ecstatico obtrudebatur. Constabat autem ex Sennæ Agaricique partibus, sed correctis, florumque Rorismarini, Stœchados Arabicæ & Acaciæ pugillo in aquâ Decoctis, quibus ad augendum vires aliquid spiritus Liliorum convallium & salis Ammoniaci addebatur. Atque his quidem alvus commodè purgata nihil tamen Paroxysmorum imminuit tenorem, ibant enim redibantque iisdem numeris & pari vehementiâ. Quatuordecim autem dies infesti erant hi Paroxysmi, cum sanitatis spes affulgere cœpit. Interea mirandum erat intra decem dies nihil prorsus ægrum vel edisse aut bibisse, semel duntaxat, idque rogatum, potionis aliquid admisisse. In hoc tumultu morbique vehementiâ repertus est, qui suaderet spiritus Vitrioli usum, ejus namque Drachmâ in aquâ Betonicæ per Syrupum Stœchados temperatâ Paroxysmum propulsatum se vidisse affirmabat. Itaque hujus honori, quod Medicinæ sacra degustasset, velificaturus jus si addi in misturam Cephalicam aliquid spiritus Vitrioli, sed nec feliciore, quàm ante, successu, sive quod famâ magis quàm experimento constaret Spiritus hujus usus, sive quod qui in officinis venit vulgatis, nihil sapiat Philosophici, crudus nimium & acris. Postquam ergo nec Cinnabarinis nec Salibus volatilibus expugnari potuit morbus, attrivit se tandem ipse post quindecim dies, & prodeuntibus cum singulis Paroxysmis sudoribus copiosis ægrum sibi Parentibusque omnia alia cogitantibus, imò optantibus, restituit. Deinde Fonticulo pedibus inusto immunis ab hoc morbo ex occasione nato vixit. De Pulsu hoc testari possum, fuisse eum non multum sibi dissimilem tam Paroxysmi quàm intermissionis tempore, etsi tum paulo tenuior esset contractiorque. Dentium stridor in Paroxysmo erat continuus, nulla tamen ore spuma effluebat, quod alias frequentissimum. Illud verò semper mirandum, quomodo tam validis totque dies continuatis membrorum jectigationibus concussionibusque sufficere ægri, & tamen ita se gerere in intermissione possint, ac si nullis laboribus fatigati essent, cum vel minimum istorum magnam creare sanis lassitudinem eosque infringere soleat, quod in primo exemplo factum. Deinde, cum nihil in tam obstinatâ inediâ suppetat, quod fluidi haud dubiè pereuntis vel absumti damnum resarciat, quem in modum fibris inflandis ac tendendis tam diu pares esse possint spiritus animales. At verò si eosdem illos spiritus à musculis aut musculorum vel fibrarum ordinibus unis in alios, mutato duntaxat loco, transmitti quis supponat, utique facilius decerni poterit, qui tot tamque mirificis crispationibus spasmisque sufficiant. *Idem ibidem.*

Epilepsia Apoplexiæ superveniens lethalis.

Non infrequens alias apud nos est apoplexiæ supervenire epilepsiam, eventu quandoque bono, quandoque malo, ut multis exemplis probat D. D. Spindler. in observat. suis propediem edendis. Hoc anno pellionis cujusdam filius 12. annorum, diu, antequam ipsum inviserem, ægrotans, uno vel altero à me sumpto medicamento convalescere visus, redeunte appetitu, viribus, colore faciei &c. Ita constitutus derepente aliquando in brachii dextri enormes incidit dolores, Jussi fumigari thure, agallocho, myrrha, &c. Cessavit dolor, sed manus intumuit, curiosius palpans tumorem, materiam subesse deprehendi. Commissus curæ Chirurgi, qui legitimè tractavit & facta apertura, magna copia puris effluxit, consolidatum vulnus, motusque rediit. Hæc cùm aguntur prægresso lenissimo dolore, paralysi corripitur totius lateris sinistri, instituî frictiones cum linteis calidis, aquis arthriticis, unguentis appropriatis, sed sine fructu. Altero die supervenit epilepsia gravissima, qua sinistrum tantum latus, quod alias immobile, mirum in modum convellebatur, dextro, toto durante paroxysmo, immobili ac quasi rigido manente. Finito paroxysmo, iterum motus rediit dextræ, mansit immobilitas sinistræ, ægrotus melius se habuit, comedit & tota nocte dormivit. Hoc in tertium continuavit diem, semper circa horam secundam redeunte epilepsia planè eodem, ut dictum, modo: Dedi laud. opiatum, & continuo suppressum malum, nec amplius rediit, usque ad finem vitæ, qui post aliquot dies secutus. Morbi enim longitudine confectus, viribusque exhaustus, placidè vix advertentibus adstantibus obiit. Credo paralyseos causam fuisse materiam, quæ in dextra per suppurationem fuit evacuata, hic autem nervis impacta hæsit, motumque impedivit; cur autem durante convulsione immobile manserit dextrum, convulsum autem fortissime atque hinc inde jactitatum sinistrum latus, non video, nec satis capio. *Dom. Caroli Raygeri.*

Epilepsia Periodica.

Non solum exactissimis periodis febres intermittentes intervalla sua dimetiuntur, & non minus quàm fluxus refluxusque maris in macrocosmo circa genuinam causam hominum ingenia fatigant, sed etiam in morbis quibusdam Chronicis eodem mysterio non rarò ludere solet natura. In Anno 1. Miscell. Observ. 51. exhibuimus Hemicraniam Periodicam, Delirium Periodicum Salmuth. Centur. 1. Observat. 63. nunc subjungemus Epilepsiam Periodicam, non ad menstrua Lunæ intervalla redeuntem, sed singulis diebus aliquoties recurrentem. Anno 1668. M. Nov. ex Poloniâ Nobilis quidam juvenis 12. annor. cum fratre natu majore è Volschinskiorum Nobili familia, Uratislaviam studiorum gratia venit, & in convictum in Collegio Jesuitarum recipitur. Post aliquot dies motibus convulsivis corripitur, qui singulis diebus circa horam septimam manè, circa horam primam & sextam pomeridianas, stato semper tempore redierunt, indies tamen ingravescentes. Principium affectus sensit provenire ex contorsione pollicis in dextro pede, unde postmodum miserrime contortum & intortum fuit corpus, salvis manentibus sensibus per primos dies, postmodum verò ingravescente malo

in

in paroxysmo omnes sensus deperditi. Cum in consilium vocarer causam investiganti relatum, utrumq; parentem familiarissimo Polonis morbo, plica scilicet laborasse in senio potissimum, cum hic filius natu minimus conceptus fuisset. Unde non levis subiit suspicio, corruptum à latente Plicâ sanguinem hosce motus suscitare, nec fortè desituros nisi natura plicam istam ad exteriora expulisset. In hoc casu hoc singulare animadverti, quod toties, quoties ant-Epileptica Medicamenta assumerentur, Paroxysmus anticiparet. Inprimis id observare licuit post exhibitum spiritum acidum ex Vitr. Ven. quem alias D. Zwelf. pro singulari deprædicavit Antiepileptico; vix eo ad paucas guttul. deglutito, commota materia extraordinarium Paroxysmi tempus antevertens statim contorto pedis pollice & incurvato corpore, convulsisque membris Paroxysmus se manifestavit: cui rei fidem non adhibuissem sanitatis Præfecto hæc narranti, nisi ipsemet bis vel ter eundem Spir. exhibendo vidissem in momento excitatum fuisse Paroxysmum. Constitueram ad eradicandum hoc malum tum tentare expulsionem plicæ, tum ex mente Excell. Willisii in tract. de Morb. convuls. ligaturis strictioribus Paroxysmi vehementiam frœnare, aut quod Excellent. Nic. Tulpius lib. 4. observ. 2. in Epilepsia à pollice pedis proveniente feliciter observavit, imponere cucurbitulas angusti oris articulo dolenti ad eliciendum venenum, admovere pollici ferrum candens, & inurere ibidem ulcus ad os usque penetrans: sed cum ipsius agnati morbum hunc ex fascino ortum falsò sibi persuaderent, & ægrum in Poloniam revocarent, curatio hæc methodica impedita fuit. Similem Epilepsiam periodicam narrat. Excell D. Theodorus Kerckringius observ. Anatom. 71. pag. 142. in puella 17. annor. quæ ægram ter singulis diebus aggressa est, nimirum hora 7. matutina, 10. & sub noctem hora octava, quæ tempora integro anni vertentis spatio servavit accuratissimè, sensitque morbum per dextrum crus ascendere. *Phil. Jac. Sachs à Levvenh.*

Epilepsia ex ipsius terrore inducta.

" Scribit Christophor. à Vega l. 2. de Arte " Medica cap. 12. se vidisse quendam, cum " astantem inspexisset eum qui in comitialem " morbum inciderat, subito eo malo correptum fuisse: Talem ego recordor fuisse juvenculam quandam prima vice gravidam, quæ præ foribus ædium propriarum stans, mendicumque Epilepsia laborantem, prætereuntem, & paroxysmo Epileptico obrutum videns, mox eodem affectu prehensa obiit misere, Novi etiam quendam Excell. Medicum, Serenissimi cujusdam Regis Archiatrum, adhuc viventem, qui neminem Epilepsiæ obnoxium in ipso paroxysmo inspicere, multo minus rogatus, tali ægro opem Medicam ferre potest, adeo ipsi morbus hic terribilis est. *Simon Schultzii.*

Oculorum splendores Epilepticis funesti.

Verissime Hippocr. l. 1. Prorrh. & l. 2. Coac. prænot. Quibus convulsis oculi intente relucent, neque apud se ipsos sunt, & diutius ægrotant: Solent enim istiusmodi ignitos splendores creberrime sequi funestæ Epilepsiæ, uti exemplum a D. Treublero communicatum in Capitaneo Regiæ navis adducit Exc. Bartholinus Cent. 3. histor. observ. 45. & de Laura fœmina Marc. Donatus l. 2. Histor. Medic. cap. 8. quæ per aliquot dies globulum igneum sibi videre visa est, qui postea in magnam flammam excrevit, deinceps melancholicis & Epilepticis symptomatibus per intervalla vexata fuit. Thomas Bartholinus, in de Luce Anim. cap. 6. pag. 93. causam refert ad lucidos spiritus animales condensatos & vi ex nervis expressos. Similes casus in praxi videre mihi contigit, Anno 1667. Joan. Georg. Hank, Uratislaviensis Chirurgus, experientissimus & decennali Indiæ Orientalis peregrinatione clarus, (adeo, ut teste Arnold. Montano in descript. Imper. Japonic fol. 368. Sickingodonne Cancellarius Regni Japonici in urbe Jedo, cum legationem Batavanam comitaretur, cum ipso verba fecerit) ex tot itineribus vario sub cœlo & aëre peractis valetudinarius per aliquot annos, inopinato Epilepsia corripitur, Adhibita varia fuerunt remedia, & quidem eo cum successu ut videretur malum esse debellatum. Sed dum per aliquot dies conquereretur de splendoribus igneis & globulis flammeis continuò ante oculos volitantibus, & visum depravantibus, tandem tam vehementer ab Epilepsia correptus fuit, quæ nullam pausam faceret, nisi cum ipsa vita extincta fuisset. Eodem anno fœmina quædam cachectica 46. annorum, variis variorum morborum symptomatibus conflictata, demùm splendorum igneorum molestias continuò oculos fatigantes, accusavit: Ego prioris exempli optime memor, malum exinde adstantibus pronuntiavi augurium, & instantes motus convulsivos, quos ante nunquam persenserat prædixi: qui etiam nondum elapso biduo supervenerunt, tanta cum vehementia ut ægrum in ipso Paroxysmo strangularent *Martinus Bernardus à Berniz.*

Epileptica à spectro.

Honesta quædam fœmina, morbo satis gravi vix liberata, & adhuc fistula in brachio iterum aperta molestata, post nuptias peractas vix duas vel tres septimanas meliusculè sese habere visa est. Accidit ex improviso, ut in vicinia Musica audiretur, juvenculis ejusmodi acceptissima, illa de lecto surgens, fenestram aperit, at mox miseræ ex ipso tecto nigrum quippiam ante oculos pedesque videtur decidere, cum tremore & dentium stridore illa sese ad maritum in lectum confert, statimque de horrore febrili conqueritur. Ego adveniens manè bezoardicum propino, sudorem provoco, cordialia præscribo. Sed illa crebro in lecto exhorrescit tota, clauditur os, ut ne specillum quidem admitteret, tandem accedit Epilepsia ipsa, miseramque post unum atque alterum paroxysmum è medio vivorum summo cum mariti mœrore eripit.

Scholion.) Mathias Untzerus lib. 1. de Epilepsi. cap. 16. §. 11. inter causas Epilepsiæ externas dæmonem seu spiritum malignum, qui corpus exagitat & materiam ad cerebrum defert

fert, recenset. Et certè Diabolum esse spiritum malignum notum evadit è Scholio Obser. 28. ubi è cista Medica Hornungi attuli, etiam pestem à terrore ortam. Si itaque pestem Diabolus per terrorem potuit inducere, quidni Epilepsiam? Huc accedit, quod Epilepsia vocetur morbus dæmoniacus, imò Theologus Angelus, referente Thom. Willis in Pathologia cerebri cap. 2. audeat affirmare plures dæmoniacos in Novo Testamento tantum Epilepticos fuisse. Puto itaque materiam acrem & malignam à præterito morbo adhuc in capite vel ipso cerebro superstitem latuisse, (residuum aliquid materiæ peccantis adfuisse, fistula in brachio testimonium exhibet,) illam verò Diabolum per terrorem spectri agitasse, & maligna qualitate imbuisse, (malignitatem spectris induci testantur oris & nasi exulcerationes eorum, qui ea viderunt) & sic per irritationem Epilepsiam & per illius atrocitatem mortem induxisse. *Daniel Vincleri.*

Epilepsia à Lapsu curata.

A casu Epilepsiam ortam cum rarioribus symptomatibus refert Dn. D. Schubart, Collega charissimus. Sed unde hæc orta sint symptomata, tam principium quam solutio morbi ostendunt. Nam V. S. à principio intermissa, & sanguini affluxus liber ita permissus: in fine & solutione morbi videmus materiam peccantem, è sanguine concreto collectam, rejectam esse. Et ita sæpius errores committuntur, ob non accersitum à principio medicum. Afferam simile exemplum, ubi à principio recta methodo cura instituta, pessima symptomata facile manus victas præbuere.

Ancilla quædam spiritu vini onusta cecidit in glacie alliso admodum capite, attonita jacebat cum obmutescentia, usu oculorum & aurium privata, ita ut quasi mortua domum portaretur. Cum Chirurgo adveniens, exploravimus, an aliquid fractum esset vel in capite vel aliis partibus, ast nihil animadvertere potuimus. Mox nobis præsentibus Epilepsia corripitur, præcedente anxietate & angustia pectoris. A paroxysmo liberata, V. S. instituto in brachio dextro, & rediit ad se, remittente simul pectoris angustia. Dedi duabus vicibus pulverem contra casum, & capiti dolenti fotum è cephalicis adhibui, sic paucis diebus convaluit. *Christ. Wincleri.*

Epilepsia ex decocti hyoscyami fomentatione.

Textoris cujusdam filia, quoties Mensium fluxum pateretur, toties immani capitis dolore vexabatur. Mater Empiricos adventantes omnes & singulos à consiliis incassum habuerat. Præterito anno quidam mirum quantum laudibus extulerat decoctum hyoscyami pro fomentatione circa vesperam adhibendum. Cum itaque 28. Novembr. Anno 1681. in caupona choreas duceret, & ex hac corporis agitatione nimium incalesceret, Mensiumque tempus instaret, cephalalgia irruit; 29. ejusdem circa vesperam prædicti consilii memor decocto hyoscyami fotus loco utitur, sed post semihorum am horribilis supervenit Epilepsia matrem perterritam ad me adigens, casumque filiæ cum remedii recitatione aperiens. Huic in ipso paroxysmo specificum cephalicum ex Cinnabari nativa & granis aliquot Castorei in aqua squamariæ & rutæ propinabam, cumque eo per aliquot dies continuabam, dein præmisso nodulo ex uterinis & emmenagogis, cum martialibus patientem plenariè, D. B. restituebam, & ut imposterum cautius mercari disceret, serio admonebam.

Sholium.) Hyoscyamum lethale venenum in sinu suo abscondere, ideoq; ex foro medico esse eliminandum, multi sunt qui statuunt; quamvis autem ejusdem in operando vehementiam, & ita, si intempestive aut nimia in quantitate adhibeatur, nocivam admodum qualitatem, quam tot exempla apud Autores passim notata testantur, negare nemo possit, rite tamen in usum vocatus salutaribus non omnino caret viribus; unde eundem Hippocrates lib. 2. de morb. in quartana commendare sustinuit; conferantur etiam, si lubet, Pharmacopœiæ August. à me restitutæ pag. 141. & 142. Ipse Dioscorides licet in lib. 6. cap. 15. venena inter reponere eum non dubitaverit, lib. 4. tamen cap 63. folia medicamentis omnibus dolorem sedantibus per se, & ex polenta utilissime imponi perhibuit. Quare in hoc casu Epilepsiam excitaverit decoctum hyoscyami pro fotu adhibitum, jam paucis videbimus. Sanguinea scilicet massa, multis dubio procul impuritatibus gravata, & jamjam per instantia catamenia, non sine quadam fermentatione & impuriorum partium evolutione, deplenda, à vehementiori corporis agitatione in ὀργασμὸν concitata impetuosius in cerebri membranas cùm irrumperet, adplicitum illud medicamentum, narcoticas suas atomos confertim inspirando, impuras biliosas sanguinis partes altius cerebro impegit & quasi in centro detinuit, quæ salino-sulphureis fœtidis atomis junctæ convulsivas istas irritationes commoverant. *Christoph. Seligeri.*

Epilepsia ex incauto usu Olei Iuniperini.

Epilepsiæ varias, & nonnunquam satis mirandas causas apud autores passim reperire licet. Haud absimilem, & forsan hactenus adhuc non observatam jam subjungam. An. præterito 1669. mense Febr. honesta hujus loci Matro. sexagesimum ætatis ann. supergressa, corripitur dolorib. nephriticis sibi familiaribus. Utitur igitur per aliquot dies remediis domesticis, Emulsionibus scil. Oleo amygd. d. Enematibus, aliisque, quæ mulierculæ adstantes suppeditarunt. Tandem accessit vetula audacissima, fama curandi inter mulierculas celebris, quæ, pro more horum hominum, repetito jurejurando præsentissimam pollicetur opem. Et, quo major ei adhibeatur fides, & hanc, & illam, & istam, in instanti à doloribus Nephriticis immensis, ipsaque inde imminente morte, se liberasse contendit. Ægra cum adstantibus nil aliud quam id quoque exoptantes, consentiunt facilè, & salubre illud remedium maximo cum desiderio præstolantur. Sic igitur vesperi medicatrix accedens, secum affert Oleum Juniperinum destillatum, utpote vulgi Nephritide laborantis Panacæam; Ægra, ubi medicamenti nomen rescivit, primum quidem illud assumere renuit, dein verò dolori-

doloribus & persuasionibus victa, quicquid cum cerevisia mitum ei propinaverat anilis ille Machaon absorpsit. Sed ecce, vix cochleare exhauserat infelix Matrona, dum simul quoque de medicamenti nimia dosi viribusque gravioribus conqueri cœpit. Subsecuti mox intensissimi capitis, & imprimis sincipitis dolores, ructus frequentes, vomitus, lipothymia, & tandem Epilepsia. Quibus omnibus amici consternati, sub mediam noctem me in subsidium vocant. Accedo, quæ facta sint, audio, muliercularum credulitatem reprehendo, vetulam graviter increpo, columque tractare jubeo, & facto prognostico ad curam me accingo. Quia autem ægra, finito primo Paroxysmo Epileptico, ob gravissimam sitim plurimum cerevisiæ secundariæ ingurgitaverat, eademque ante accessum secundi Paroxysmi per vomitum rejecerat, simul quoque oleum Juniperinum rejectum jam esse conjeci, clystere revulsionis gratia sollicitata alvo, alterantia atque ant-epileptica, non neglecto Cranio humano præparato, quippe cujus vires antepilepticas haud satis deprædicare possum, præscripsi, quorum usu morbus comitialis ita per Dei gratiam debellatus fuit, ut discusso tertio Paroxysmo ampliùs non redierit, & ægra post elapsas binas septimanas pristinam sanitatem recuperarit. Et licet rursum per totum ferè hunc annum 1670. Matrona hæc pietate inclyta è calculo renum decubuerit, de dicto tamen morbo hactenus ne levissimum quidem sensit insultum. *D. Georg. Segeri.*

Ex casu Epilepsia cum symptomatibus rarioribus.

Juvenis 17. annorum, Textoris cujusdam discipulus, ante biennium per scalam 20. graduum præcipitem graviter decidit super hypochondrium dextrum, subsequente dolore & tumore; vocatus barbitonsor, inunxit locum dolentem, & superposuit emplastrum, paucos post dies sequitur vomitus grumosi sanguinis copiosus & frequens: adstantes ob metum periculi vomitum sistunt, paucorum dierum intervallo, ab una vel altera bucca panis fermentati, corripitur motu convulsivo totius corporis, sat gravi, sensibus tamen illæsis; varia mox adhibita curationis, tum præservationis gratia, sed, quod notandum, à spirituosis & aliis specificis odoriferis internis & externis, calci pedum licet applicatis, motus isti convulsivi ita exacerbati sunt, ut miser homo posthac nullum odorem seu suavem seu fœtidum, etiam in longinquo, sine convulsione, perferre potuerit. Ex minima enim mica panis fermentati degustata vel saltim olfactu percepta, ab esu carnium tam assatarum quam elixarum, lotione pedum ex aqua calida, jusculis, medicamentis, &c. Paroxysmo nunc graviore, nunc leviore, prout læsio major vel minor, correptus fuit. Breviter nullo cibo vel potu ultra annum usus est, excepto pane azymo, melle, lacte crudo, passulis minoribus & majoribus; & sic nunquam vel rarissimè ab interna causa proxima in ventriculo hærente, sed semper & solummodò ab externis ingestis vel applicatis, iste motus convulsivus excitatus est. Quamprimùm enim panem fermentatum deglutiret singultus obortus, quia materia putrida in ventriculi fundo, tanquam parte nervosa latens, à fermento panis, seu vaporoso, commota, unde statim à deglutitione illa pars singultu correpta, mox hujus materiæ vapores per nervos cerebro communicati, hinc ad principium Medullæ Spinalis protrusi, universum corpus motu convulsivo prehensum. Percusso enim vel affecto cerebro ventriculus turbatur, & vomitus fiunt, maximè in Hemicrania: Quid mirum, si vicissim ventriculo affecto, cerebrum totumque nervosum genus compatiatur. Oblatus mihi iste juvenis elapso anno sub finem Mensis Augusti, ubi cum ex unica mica panis hoc triste spectaculum viderem, & quod medicamenta ob metum convulsionum nec acceptare, multò minùs tolerare posset, prognostico derelinquendum ipsum statui, urgentibus verò consanguineis ultrò, divina adjuvante gratia, desumpta indicatione à juvantibus ac lædentibus, remedium singulare in forma sal. inveni, virtutis incidentis, attenuantis & discutientis, & causa proximâ (nam sublata causa, tollitur effectus) quod ipsum absque metu & exacerbatione Paroxysmi Convulsivi, condimenti loco cibis, (at inscio Patiente) immistum, quotidiè assumsit, & sanè divino cum effectu. Sunt enim salia medicata introducta loco Decoctorum longorum, & videntur quibusdam unius esse valoris & efficaciæ. Guilielm. Fabric. salia quidem illepida vocat, quod non nisi corrugata fronte hauriantur: Sed rectè Quercetan. in Pharmacop. Rediv. ablegat dubitantem ad experientiam, quæ habetur in diversitate salium; item ad sensus externos, saporem, odorem, &c. quibus constabit salia plurima plerumque conservare virtutem simplicium suorum: hinc dantur sudorifera, diuretica, cephalica, stomachica, deobstruentia, anodyna, &c. Post usum prædicti sal. nulla ampliùs convulsio secuta, sed spatio 14. dierum, præcedente pruritu artuum, ibidem scabiosus factus, hinc continuavit hoc medicamentum ad 6. septimanas, donec, fortè satis præparata materia, natura exsuscitata, eam per vomitum & alvum ejecit, qua excreta, laxativo reliquias per vices eduxi. Ex eo ita convaluit, ut non solummodò pristinam artem textoriam denuo reassumere, sed & liberè sine metu recidivæ convulsionis pane fermentato, carnibus, &c. & iis omnibus, quæ antè cane pejus & angue fugerat, innoxiè frui & vesci potuerit. *Godofredi Schubart.*

Epilepsia & Insania à venæsectione sub lingua.

Haud incongrue loquitur *Rozack à Prachien in Fragm. Spagyr. de Phleb. cap. 2. pag. 25.* Sanguis in venis & arteriis contentus, sive illis paucus sit sive multus, thesaurus tamen est tum vitæ tum mortis, & complectitur seminaria sanitatis & morborum. Ideo non potest vel debet à quolibet impunè effundi, nec etiam ab aliis suaderi, quam qui seminaria & matrices morborum à nutritivis principiis discernere & separare sciverint, cum æque multa incommoda ac commoda derivari possint in hominem sine ratione ad phlebotomiam suadendam vel admittendam pronum. Ergo & *Galenus* & *Avicenna* quanto magis medendi artem exercuere, tanto semper timidiores erga phlebotomiam facti sunt, eò

quod plus trahat phlebotomia ex naturali & bono & ex spiritibus, quam ipsa pharmaca; ut verbis utar *Seileri l. de catarrh.* Prima igitur in morbis curandis sit cautela, an vena secanda? sed cum hæc non sufficiat, altera adjungenda, quænam vena eligenda? ubi multi perperam accipiunt sententiam Walæi, qui circulationi sanguinis insistens dicit: nihil referre quæ vena secetur, modo in superioribus superior, in inferioribus verò morbis inferior vena eligatur, adeoque putant nihil discriminis esse in eligenda vena. Sed Clariss. ille Vir hic loquitur de venis communibus & usitatis, scil. in brachiis & pedibus, & tamen secundum morbi sedem venam eligit. Revulsionis enim omninò ratio habenda, cujus proprium in contrarium avertere, & à parte nobili in ignobilem, minime verò contra. In observatione mea superiori enarravi infelicem venæsectionis sub lingua eventum, ubi scil. ægrotus mortis alumnus factus; Alteram de eadem materia proferre animus est, ubi quidam per venæsectionem sub lingua in fauces mortis quidem detrusus, sed tamen ex illis ereptus est. Civis quidam Bregensis pleuritide spuria cum febre maligna laborans Chirurgi opem implorat, qui nescio quale julapium ipsi præbet ac simul venas sub lingua aperit. Ægrotus circa vesperam saltare prius, deinde irasci, omnia frangere & præsentes verberare incipit, ira percitus in Epilepsiam satis gravem incidit, ita ut furor Epilepsiam præcederet, & illius remissionem insania sequeretur. Accersitus invenio ipsum sub manibus duorum virorum robustorum, quorum tamen robur non sufficiens erat ad eum detinendum; truculentus erat, omnibus mortem minabatur: nihil de medicamentis assumebat, omnia respuebat. Adhuc duos (ut quatuor essent) viros robore pollentes nactus, ut in lecto prostratus jaceret, curavi. Præscripsi bezoardica cum ant-Epilepticis mixta, occasioni invigilans, quando Epilepsia remitteret, tunc enim os apertum manebat, ubi quantum cochlear unicum medicamenti caperet, saltem infundere potui. Cum parum in tam pauca quantitate exhibitis hisce proficerem, sequens unica vice infundebam:

℞. Aqu. ceras. n. ℥iij. lap. bez. or. ver. ℈ß. M. Horis duabus elapsis remisit Epilepsia cum furore, sed tamen inconvenientia loquebatur, delirio adhuc durante, neque vel preces vel pastorem vel me ferre potuit. De V.S. cogitavi, sed impossibile erat propter inquietudinem, medicamenta tamen tandem admittebat, paululùm mansuetior factus, & post horam 10. vespertinam ad sanam rediit mentem. Dedi deinde antipleuritica, & paucis diebus ipsum annuente Divina gratia integræ sanitati restitui. *Gott. Christ. Winderi.*

Epilepsia, ex contusione capitis, gravissima ac diuturna, tandem tamen penitus profligata.

Juvenis 22. quasi annos natus, athletici habitus, inter compotationem solemnem, exorta magna rixa, bene potus ab aliquot symposiastis in terram prosternitur, saxeo pavimento fortiter aliquoties ita illiso capite, ut inde in occipite paulo supra nucham cutis leviter intumesceret, sugillaretur, & nonnihil attrita conspiceretur; quæ tamen intra octiduum ita iterum subsedit ut nulla amplius externa læsio appareret. Nihilo autem minus altero statim à percussione nocte inopinato exorta a sanguine, proculdubio extravasato, concreto, acido reddito, ac principium nervorum vellicante Epilepsia gravissima miserum Juvenem immaniter invasit, & per menstruum pene illud spatium, quo indies aliquoties eum excruciavit, ita viribus exhausit, ut propemodum exanimis mortis candidatus non semel videretur. Huic malo primo statim die venæsectione iterata obviam itum est, sed irrito ferme molimine. Sanguis enim mox restitit, nec fluere etiam altera vice, sicut incepit, ex vena licet rectissime tusa perrexit. Chirurgus capillos novacula abrasit, ut inunctiones atque inducta Emplastra efficacius penetrare possent; & ego cardiaca, cephalica & ant-epileptica decantatissima varii generis & diversæ formæ nullis parcens sumptibus continuè adhibui, quibus tandem tantum per Dei gratiam effectum est, ut epilepsia indies mitior deprehenderetur, tandemque planè remitteret, salvo jam atque sic satis rectè se iterum habente hæc perpesso ægro, nisi quod de capitis gravedine præcipuè circa lunæ phases & tempestatis mutationes adhuc subinde conquerebatur. *Greorgii Abrahami Merclini.*

Mors repentina ex morbo caduco.

Anno Domini 1659. Mense Octobri, dum essem *in Italia Ducatus Parmensis Oppido Calestano* dicto, contigit quod Domina loci Illustrissima *Comitissa Tarascomana*, provectæ jam ætatis, at fortis & robusta mihi conquereretur se nocte, & mane dum surgeret, semper opprimi, & quasi suffocari, aliàs totam diem bonam agebat, nisi quod observatum fuerit aliquoties non à longo tempore eandem morbo Comitiali laborasse. Ego examino omnia, unde oppressio illa oriri posset, tandem quæro, quo situ soleat decumbere? fatetur illa se pronam ordinariè solere noctem transigere, damno eidem similem decubitum, utpote periculosum: promittit illa obedientiam. At quid fit? Imus sani omnes cubitum, manè summo conclamatur ab Illustriss. ejusdem Domino Marito, Illustrissimam Comitissam fato cessisse, Accurunt Illustrissimi filii, vocor ego, lustramus corpus defunctæ; invenimus situ prono capite in pulvillum directo, obverso spumante ore, probabile morbo Comitiali superveniente, talique situ inventam suffocatam fuisse. *Joh. Jacobus Wencesiaus Dobrzensky.*

Epilepsia rara.

Anno 1678. Mense Januario Puellam vidi Memmingæ, Davidis Hummelii Sutoris filiam, 9. circiter vel 10. annos natam, quæ per vices, non sine veneficii suspicione, horrendis tentabatur convulsionibus epilepticis; quas instare nunc dolor quidam punctorius in externa aliqua, eaque varia, corporis parte, maximè in digiti indicis apice perceptus; nunc sensus quidam reptantis intra corpus animalculi, præmonuit. Paroxysmus aliquoties in die nunc sedentem, nunc decumbentem, quin & stantem non rarò corripuit. Motus convulsivi fuere varii; post mensam sedens corpus coacta retrò ad parietes allisit, ante se quicquid in mensa occur-

occurrebat, manibus disjiciens: humi prostrata pedibus mirum in modum calcitravit, nec uno in loco hærens, huc illuc corpus provolvit: manibus prehensa, nullo membro flexilis tota rigida surrexit: stans erecta aliquando lecti, quo decumbebat, tectum, ponderosum licet & ei firmiter annexum, capite contra nitens è sede sua movit. Per tres circiter horæ quartas partes paroxysmus duravit; qui hoc singulare habuit, quòd eo durante ægra sensuum tam internorum quàm externorum usum non exuerit, interrogata quippe, qua nunc in parte punctionem sentiat, vel animalculum reptare percipiat? locum digito monstravit. Alia vice, dum paroxysmum sustinenti adsto, illa per fenestram cubiculi apertam hominem notum eminus venientem vidit, & nomine suo, rauca licet voce appellavit. Biennium tunc erat, ex quo affectus hic prima vice in ea fuit notatus, qui eo quidem tempore, post multa remedia frustra adhibita, balsamo cuidam Magico, Stutgardia allato, cessit: Præterito verò anno, cum malum recrudesceret, nec balsamo modo laudato amplius obediret, V. S. profuit; quæ & hoc anno tertia vice redeunti, Mense Januario medelam attulit, non diu licet durantem; paucis enim post mensibus malum repullulavit. Tum quidem mense Junio Emeticum illi fuit exhibitum, quod aliquot per gulam exturbavit vermiculos alatos seu scarabæos parvos, eo tempore circumvolitantes & floribus, rosarum inprimis, insidentes, & à Mense Junio in vernacula nostra *Brachkæferlein* appellatos, quorum ego duos vivos ab ipsa per vomitum rejectos ipse vidi, & manibus palpavi, brevi post avolantes. Curæ postmodum cujusdam sacrificuli Chymistæ commissa, an ab hoc affectu liberata sit, civitate dicta valere jussa, ignoro.

Epilepsia mira, Melancholico hypochondriaca, merè Ecstatica.

Dn. D. Balthasar Timæus à Guldenklee L. 1. Epistolar. Epistola 9. p. m. à 20. usque ad 26. Epilepsiæ miram enumerat speciem Nobilissimi pueri à Crocavv, cujus motus præter & fermè supernaturales exinde dicuntur, quia puer iste adstantium manus clam subterfugit, parietibus se adaptavit, & mira celeritate eos ascendit. Quam historiam loco allegato fusius videre est: Miram, raram, & fide dignam chartæ concredo epilepsiam puellæ cujusdam annum duodecimum jam agentis, cognomine Rautenbergeriæ. Hæc quoad externam faciem nigricans, torveque videns; profunda, sani adhuc dum corporis esset, & integra frueretur valetudine, semper meditabatur, ideò, & meritò quidem, pro melancholica habebatur. Die 24. Maij anni hujus currentis, morbus quidam illam invasit, in quo membra extrema, manus & pedes, erant rigida, anxietasque maxima circa præcordia & cordis palpitatio eam defatigabat, ita ut præ dolore clamare, ejulare, preces ad Deum fundere cogeretur, morique cuperet. Morbum pro melancholia hypochondriaca ex uteri consensu habebamus. Motus interni ab extra explorari poterant, pulsus erat durus & celer paululum, sed sine manifesto febris indicio. Sensus interni omnes, caput, oculique naturaliter erant constituti. Adhibitis decentibus medicamentis cordialibus, epilepticis, uterinis, vicimus, Deo benedicente, die tertio morbum gravissimum; surgebat postea, & ad munia consueta, ac si nunquam rediturum sibi persuadentes. Ast die decima Junij, hora sexta pomeridiana immani corripitur epilepsia cum subsequente delirio. Noctu dormit, sed anxiè. Die sequenti aliam morbus induens larvam, epileptica antequam fieret, quod vigesies vel sæpius de die factum, semper priùs digito protenso, torvo cum vultu ad angulum, ac si inibi horrendi quid videret, monstrabat, & quidem cum furore & excandescentia reclinans se ad latus dextrum, è vestigio insultus epilepticus se manifestabat, pollices in manus fortiter comprimendo, oculos hinc & hinc, quamvis clausos, movendo, ex ore spumam emittendo, omnesque sensus amittendo. Explicatis pollicibus paululum quiescebat oculis planè clausis, posteà prius brachium dextrum extollens digito desuper, mox ita & cum sinistro nutabat. Ambobus brachiis dicto modo elevatis manus comprimebat, ac si exciperet aliquem, pectorique admovebat; paulò post oculos aperiebat, & manus complicatas sublatasque, fortiter pectori applicabat, omnia tamen sine auditu, loquela & ratione, dein oculos apertos cum manibus complicatis ad cœlum dirigendo, labia movebat, & momento temporis præterlapso, sensus redibant omnes. Secundo morbi die fando proferebat, se videre Jesum, sanctos Angelos, patrem, matrem, agnatos & cognatos in cœlo triumphare & tripudiare, quare & ipsi esset tripudiandum. Sequentibus autem diebus amissa, vel potiùs interdum omissa loquela, cum adstantes visiones superiùs recitatas ipsi in mentem revocarent, capitis nutu veras esse affirmabat, & exinde tale eam gaudium percipere præ se ferebat, ut manibus & brachiis extensis, iterùm retractis, & cordi applicatis, capitis nutu, totius corporis elevatione, incurvatione, vibratione, & pedum motu fortissimo, non aliter ac si jaciendo saltaret, hilariterque tripudiaret, ac gaudium cœleste cum blando aliquo risu adstantibus preces ad ipsius voluntatem fundentibus annunciaret. Secundo morbi die articulata voce pronunciaverat Dominum Jesum non manè, sed vesperi venturum, & in cœlum eam recepturum, & hæc impressio unica erat causa, cur ad quintum usque omnia medicamenta, cibumque & potum respueret mortis cupida, quod & nos ægram in summo vitæ periculo versantem, concessimus, crisin expectaturi. Noctem determinatam non moriendo, sed placidè dormiendo absolvit. Manè aliquoties redibant insultus epileptici cum suprà scripto tripudio, igitur mortis cupidam morte consolandam ratus, utrum vivere, an mori vellet, interrogabam? Respondebat voce vix perceptibili, lingua balbutiente, sed ore ridente, & corde gaudente: Mori cupio, ut mox cum Jesu meo in cœlo esse possim. En! morimur, ajebam, sanguinem mittendo, ut autem eò citiùs moriaris, & Jesum tuum videas, venæsectio erit adhibenda. Quanto hoc nuntium perceperit gaudio, vix dici potest. Hora post decimam media, absoluto priùs tripudio consueto venam schiaticam minorem in sinistro pede (saphæna & reliquæ erant imperscrutabiles)

biles) secuimus ad uncias duas. Deligato vulnere incidit in animi deliquium adeò forte, ut me excepto, omnes mortuam prænunciarent; brevi restituta, paulò melius mox habere cœpit, sine ulteriori epilepsiæ recidiva & tripudii gaudio. Interim vires erant prostratæ, uti & appetitus, lipothymiæ interdum cor petebant, sed nihil factorum meminerat, nec mori ampliùs desiderabat. Die morbi septimo conquerebatur de collo, venæ enim jugulares tumentes cernebamus cum aliqua doloris perceptione; circa meridiem lautè prandebat, placidè dormiebat die nocteque. Die decimo, ne malum recrudesceret, sedes utrum exstirpari funditùs posset, tentavi ab initio blandissimo laxativo:

♃. Crystall. Tartari gr. xii. Tartari Vitriolati gr. iij. Resin. galap. gr. iv. Diagryd. sulphurat. gr. ij. M.F. Pulvis laxativus. Pars humorum peccantium decem dejectionibus imminuebatur, & sic purgatio cum εὐφορίᾳ absolvebatur. De reliquis imposterum. *Melchior. Fribe.*

Epilepsia ex Utero mirabilis.

Anno Chr. 1659. puella pia, pulchra, modesta, ætatis anno tredecimo, inceperat quiritari angustias circa præcordia, evaporationes fuliginosas, anhelitus graves, post aliquot dies epilepsia correpta ad quinque ferè septimanas, singulis diebus semel vel bis insultus graves, interdum ad trihorium durantes, interdum breviores sustinuit, ab initio cum jactatione capitis & brachiorum ingente, inferioris vero corporis motu vix sensibili, sub interstitio paroxysmi unius ad alterum se bene habebat. Hæc quando sentiebat, veluti matri assistenti atque mihi ipsa indicaverat, vaporem è lumbis per dorsi spinam sursum nucham usque repentem, tunc oculi caligare inceperunt, caput postmodum & brachia jactabantur, ac subsequenter quasi cataleptica apertis oculis, sine omni corporis motu & sensu ultroneo, servata tamen naturali respiratione, succumbebat; ast sub hoc temporis spatio plena ac absona voce clamitavit, paulò post gallum cantantem sæpius imitata est, aut arguto & suavissimo sono melodias veriorum hymnorum in templo usitatorum edidit, atque demum fatigata aliquantulum adhuc immota, tanquam dormiens decubuit, evigilans dein è somno quasi profundo, mirabatur circumstantes, nec ullius quicquid sub paroxysmo egerit, vel passa sit, commemo-, nihil mali præter obtusum & exiguum dolorem capitis querebatur, ac munia sua rursus, tanquam mente & corpore sana, subivit. Hoc autem malo, auxiliante Deo, præter plurimorum spem devicto, adhibitis clysteribus vapores discutientibus & revellentibus, assumptis pilulis melanogogicis, aliisque remediis hystericis, quibus cardiaca & ant-Epileptica permista, necnon sanguinis missione, itemque frictionibus, ac ventosis sine scarificatione in femorum interiori parte deorsum sæpius tractis, menstrua prodire inceperunt, tuncque tam acerbus morbus & enumerata symptomata omnia cessarunt, & ejusmodi malo ultro, præter unam alteramve vicem in subsequente solummodo bimestri, ac brevissimo quidem insultu puella infestata, deinceps optimè semper valuit. *Helvvigius.*

In Epileptico paroxysmo Risus involuntarius.

Illustrissima Persona epileptica per multos annos solet in Paroxysmo maxime & diu ridere. De Risus natura & causis *Valleriola l.3. Enarr. 9.* multa reliquit, & eandem cum Conimbricensibus in *lib. Arist. de anim. cap. 3. Art. 6.* Tradit definitionem: Risus est concitatior quidam animi ex re jucunda motus, ad conceptum intrò Gaudium explicandum, quo thoracis & oris musculi impetu quodam moventur. Secundùm hanc definitionem hunc risum verum risum non fuisse, quis non videt? Sed potiùs ortum habuit ex motu musculorum thoracis & oris impetuoso, à vapore acri & stimulante eum concitante. Et puto hunc vaporem simul Epilepsiæ causam extitisse, & ex utero ascendisse; fuit itaque hæc Epilepsia, mea quidem sententia, non per idiopathiam, sed potius per sympathiam Uteri. *Hollerius enim lib. 1. de morb. int. cap. 59.* in Scholiis, varia recenset exempla illarum quæ uteri suffocatione laborarunt, & risui involuntario fuerunt obnoxiæ. Ipse Convulsiones ex utero in Virgine adhuc superstite vidi, cum delirio levi & risu symptomatico, quæ nullis aliis sopiebantur remediis, nisi exhibitis Cinab. nativ. gr. xvi. in Aquis ant-epilepticis & appropriatis. *Christ. Roesleri.*

Epilepsia gravidam ejusque embryonem per 25. hebdomadas infestans.

Friderici Waltheri Bibliopegi nostratis uxor, temperamenti sanguinei, annos triginta circiter nata, postquam Anno 1665. die 9 Martij uterum jam ultra quartum mensem gesserat, de dolore sinistræ scapulæ mane conqueri cœpit, quem tamen ex casu in cellam ante paucos dies facto se contraxisse suspicabatur. A meridie nihil sinistri cogitans Convulsionibus Epilepticis gravissime corripitur, quas ἀφωνία biduana, summaque debilitas & paroxysmi alii epileptici exceperunt. Præscripsi tùm varia ant-epileptica, sed quò magis istis utebatur, eò plures experta est Paroxysmos. Quod tum etiam ei ex assumptis contigit jusculis, aliisque eduliis. Unde per integrum octiduum cunctorum usum ita respuit, ut vix unum aut alterum cochleare jusculi alicujus interdum, attamen ægerrimè, admiserit, subsequente semper Paroxysmo aliquo. Qui tamen etiam, licet nihil quicquam assumeret, ei satis erant molesti. Die 16. Martii effluxit ei è pudendis albicans quidam atque lentus humor, cum horrore totius; quem excepit teterrimus animæ fœtor, anxietates ingentes, inguinum dolores gravissimi, & summa virium prostratio, ita ut ad carpum motus arteriæ vix esset perceptibilis. Suasi usum Cordialium, & matrem fœtumque roborantium, sed frustrà. Orta tùm est suspicio de Embryone extincto, quam præter continuum eumque de die in diem ingravescentem anhelitus fœtorem, (quem ubi prægnans ex inferiori ventre ascendere sensit, simul quoque Paroxysmum instare præsensit) auxit motus Embryonis ab initio morbi hucusque à matre non observatus, inferioris quoque ventris refrigeratio, & aliqualis gravitas. Et quia ab externis; quæ mulierculæ pro vi fœtus sopita exsuscitanda applicare solent, nullum per-

perceperant emolumentum, fœtum extinctum esse pro certo affirmarunt, meque ad illius expulsionem adhortati sunt, sola ægra id renuente. Ego licet ex tot demortui fœtus signis præsentibus in illarum partes haud gravatè transierim, vix tamen plurimis persuasionibus id obtinere potui ab ægra, ut aliquando cochleare aquæ Cinam. cordialis assumeret, cùm & illius usu Paroxysmos acceleraret. Contigit die 19. Martii à meridie, ut mater ægræ me absente ad usum cochlearis dictæ aquæ, cui pauxillum aquæ lil. Convall. cum vino destillatæ admiscuerat, adegerit filiam, quo assumpto, insignes primùm motus in abdomine experta est ægra, quos Paroxysmus insequebatur gravis. Et ab hoc tempore motum fœtus percepit ægra, qui licet alias satis fuerit debilis, interdum tamen, & quidem eo semper tempore, quo ægræ imminebat Paroxysmus, justo vehementior ac inordinatior erat, ut fœtum primùm, post matrem convelli, extra omne esset dubium. Suasi usum ant-epilepticorum & confortantium fœtum internum, sed quia assumptis his frequentiores numeravit Convulsiones, omnem omninò usum Medicamentorum internorum respuit ægra. Fateor, quod cùm me præsente vel tantillum pulveris marchionis aut balsami embryonis hauserit, mox quoque Paroxysmum instare è convulsivo fœtus motu præsenserit. Cibi verò & potus usus moderatior non ita jam erat noxius. Unde me quoque suadente soli naturæ ejusque Autori Deo Omnipotenti res commissa, imprimis cùm Paroxysmi non adeò crebrò ægram infestarent, & ista vegetior jam existens, domesticos labores satis commodè expediret: nisi quando convulsiva fœtus agitatione, quæ à solito ejus motu plurimùm differebat, de instante sibi Paroxysmo præmonita, lectum repetere cogebatur. Sic misera inter spem atque metum molestum trivit tempus, donec tandem die 31. Augusti exoptata affulgeret partus hora, qua adhuc bis graviter convulsa, in ipso Paroxysmo posteriori inscia peperit filiolum egregium, Sacro Baptismatis fonte me sponsore expiatum. Atque ab eo tempore nec mater, quam hactenus per 25. hebdomadas morbus Comitialis satis strenuè exercuerat, nec filius, similes sensere insultus. Vivuntque ambo adhuc per Dei gratiam salvi atque incolumes. *Georgii Segeri.*

Epilepsia in prægnante.

Domini *Melchioris* à *Senits* uxor gravida, passa est periodicum dolorem circa inguina & dorsum, ventris etiam inflationem: hæc in tertiam septimanam duraverunt cum calore quodam febrili & dysuria. Postea 8. Martii mane habuit paroxysmum Epilepticum, qui quindecies rediit. Ultimus 9. Martii accessit circa horam 9. A Paroxysmo semper dormivit, quandoque se movit & erexit in lecto anxiè. Ad quæsita non respondit, nec visu agnoscere quenquam potuit. Post ultimum paroxysmum quievit ea parte diei & nocte sequenti 10. Martii. Cœpit autem eo die ad se redire & 11. Martii benè se habuit. Sequente nocte circa horam secundam post mediam noctem cœperunt dolores partus, & hora 9. enixa est filium sanum, ipsaque sana vivit.

In Mulieribus cachecticis, commotis circa partum humoribus peccantibus circa uterum stabulantibus, à tetris vaporibus ascendentibus Epilepsiam oriri haud mirum; illas à partu evadere, non sempiternum est. *Jachinus* quidem ad c. de Epil. Rhasis scribit: Et ego prægnantes aliquas Epilepsia affectas vidi, & sanatæ sunt partu, non prius. Sed mihi videtur illas sanatas in quibus materia peccans non copiosa & tantummodò circa uterum collecta fuit, ita ut ab illius excretione alleviatio necessariò secuta sit; ut in Fabri lignarii uxore vidi, quæ paucis adhibitis remediis partu subsequente ab atroci Epilepsia evasit, infante mortuo. Contrarium accidit in Viri honoratioris uxore admodum cachectica & morbis debilitata, quæ ante partum Epilepsia affecta, enixa est puellam ipsa planè inscia, in Paroxysmo scil. degens; post partum soporata mansit, & horis 4. à partu elapsis animam Creatori reddidit, puella adhuc in secundum diem superstite. *Christophori Roesleri.*

Epileptica mulier sanata medicamento Ant-epileptico per Chirurgiam infusoriam in venas immisso.

Mulier 35. & Ancilla Virgo 20. annorum, horrendum in modum affligebantur Epilepsia, ut parum boni de cura illarum sperare daretur: Ambæ illæ subibant hanc operationem, qua in venas earum infudimus laxativum medicamentum, dissolutum in spiritu Ant-epileptico. Prima harum aliquot horis post injectionem senas habebat sedes, & postridie illius die Epilepticæ convulsiones subinde redibant, sed multo lenius, tandem evanuere. Altera autem, nempe Ancilla, eodem die quatuor habuit sedes, & aliquot postridie, sed aëri se committens, nec observans diætam, semetipsam perdidit. Notatu dignum est, omnibus commune fuisse vomere mox post infusionem, idque violenter & frequenter, cujus rei rationem assignandam relinquimus eruditis Medicis. *D. Fabri, Medici Gedanensis, in Actis Philos. Angl. Dec. 1667.*

Epilepsia Fœmina parturientis.

Anno Domini 1670. die 24. Julii vocor circa ipsam meridiem ad uxorem cujusdam lanionis, quæ alias sana & robusta, tempore debito doloribus partus affici cœpit, id est nominata die circa horam 7. matutinam accurrit obstetrix, seque ad ea accingit quæ conveniunt, interim fœmina primipara, & quidem adulta ætate maritata, ingentibus doloribus partus excruciari cœpit, quos subsecutæ sunt tantæ convulsiones totius corporis ab hora 8. usq; meridiem ipsam perdurantes, ut 4. fœminæ robustæ habuerint quod agerent ad retinendam fœminam in lecto. Præcipuum, quod observatu dignum, erat uterus fœtum continens; vidisses cum stupore in eodem tàm variis inordinatis flexibus jactatum infantem, ut sine omni dubio eundem mortuum, ossaque omnia in eodem comminuta proclamasses, ita etiam omnes adstantes credebant. Ego casui tàm horrido adstans, ne muneri meo deessem, cum ad intra nil propinare ob continuas convulsiones liceret, hoc sequens linimentum ordinavi, quo eidem umbilicus inungeretur.

♃. Axung. Cast. ℥j. Salis ♃. Satur. ß. M. femori Chirothecam odoratam alligari, naribus fœtida applicari, ad intra per occasionem si liceret præberi Aqu. Hystericam cum pulv. March. Aureo vitæ, Tinctur. Lunæ jussi. Sed unctio bis tervè spatio mediæ horæ repetita, me jam absente, ecce quies inopinatæ & pax naturæ, præsentia fœminæ reddita, vix obstetrice advertente, edidit infantem, omnibus obstupescentibus, sanum & salvum: Vivunt mater & infans hodiernam usque in diem incolumes.

Quid amabo causæ tantarum furiosarum convulsionum in fœmina sana, & nunquam simili affectui obnoxia, an nimii dolores? an difficultas divaricationis locorum genitalium viam fœtui de more sternentium? Ut pote quæ jam 30. annum accedens de natura difficilior, ad laxationem eorum, quæ constricta fuere, an alia fors interna causa? Sed ab hac aut antea, aut jam sæpiùs sese affectus idem insinuasset. Ab eadem causa dependere mihi videntur casus illi, quos duos ipse observavi in juvenibus ætatis 15. Annorum, qui derepente ingentibus convulsionibus agitati, unus quidem longiore tempore quàm alter, repetitis paroxysmis; tandem cujus causa hæc accidere? Natura parturiebat, & ob hunc futurum partum tantos conatus cum discrimine vitæ moliebatur. Quisnam autem tandem ille partus fuit, si non ridiculus mus, saltem formidine plenus dens sese prodidit. Conatuum horum naturæ causam explicare hic labor, hoc opus, meum hoc excedit adhuc intellectum, *Joh. Jac. Wenceslai Dobrzenski de Nigroponte.*

Epilepsia Puerperæ Vesicatorio curata.

Anno 1663. Steinoviæ ad Oderam in Silesia cum medicinam facerem, vocabar ad fœminam juvenculam, uxorem cujusdam pannificis, ante paucos dies puerperam factam, ac feliciter infantulum enixam, convulsionibus verò epilepticis graviter afflictam, Accedens inquirebam in lochiorum constitutionem, utrum ritè fluerent, & hactenus fluxerint; respondebatur autem, quod initio quidem parce manaverint, postea vero copiosius, exhibitis remediis mulierculis alias hoc in affectu consuetis: præscribo antEpileptica uterinis mixta, imprimis *Confect. smaragd. Excell. D. Jonstoni*, patroni t. t. ac compatris mei plurimum honorandi, quem ut simul advocari curarent, ac ipsius consilium & auxilium implorarent, marito ac parentibus injungebam. Vocatus advenit ac misellam horrendo paroxysmo correptam mecum invisit. Varia tentata remedia, sed frustra fermè omnia, donec tandem ex consilio prælaudati *D.D. Jonstoni* Vesicatorium cruribus admotum, quod, divina benedicente gratia, tantum effecit, ut paroxysmi non modo rariores ac breviores fuerint redditi sed altero ab applicatione die planè cessaverint, & puerpera optimæ valetudini restituta fuerit. *Gothofredi Samuelis Polisii.*

Epilepsia cæcitate soluta.

Civis quidam honestus, constitutione melancholicus, subitò in Epilepsiam incidit, ea recedente cœcus remanet per dies aliquot. Ego in consilium vocatus, scorbuticam dispositionem animadverto. Quapropter per clysteres materiam a capite revellere studeo, humorem melancholicum expurgo, antiscorbutica exhibeo; post aliquot dies visum integrum cum sanitate integra recipit patiens.

Crisis fuit, etsi perfecta, tamen admodum molesta. Epilepsia orta ex humoribus acribus scorbutica malignitate infectis, quibus in nervos opticos protrusis, epilepsia cedebat. Deinde materia peccans revellentibus magis magisque retracta, cum nondum fixam sedem habuerit, & tandem antiscorbuticis sale volatili gaudentibus discussa est. *Fabrit. Hildanus c.5. Obs.5.* duos ejusmodi casus refert, scil. ab Epilepsia curata cœcitatem obortam, sed ab empiricis medicamentis fortioribus causatam. Etsi non videam, quomodo crisis etiam hoc loco excludenda, cum natura onere levata insurgere & reliquias molestas è corpore propellere soleat, etsi per errorem aliquando in partem nobilem sarcinam deponat. Interim tamen cum hæc cœcitas, & prægressa Epilepsia à scorbuto originem non traxerint, & fortassis à principio neglecta ad impactionem usque materiæ incurabilem eam fuisse dubitare nolo. *Danielis Wincleri.*

Epilepsia transplantata in Canicula.

Quod de cane habet *Robertus Flud*, eum in se podagram Domini & afflictionum periodos & morbi formam accepisse, huic ego similem observavi historiam de transplantata caniculæ beneficio Epilepsia. Ancilla gynæcii Husumensis ante annos aliquot subitò in Epilepsiam inciderat, tanta cum membrorum convulsione & exagitatione, ut adstantes quosque commiseratione afficeret, nihilque ipsa certius morte expectaretur, nam & probatissima quæque remedia frustra adhibebantur: Adsueverat eodem in grabato canicula dormire, ex illarum genere quæ planè depiles sunt, atque sic plumarum valde amantes: hæc itaque paroxysmis ingravescentibus nihil magis quàm sui & caloris secura lectum quærit & se laborantis corpori applicat. Verùm illa, cum aliquandiu in lecto esset commorata, ingenti ululatu noxam invasisse corpus videbatur queri, ad quem sonum conversi adstantes productum canem eosdem illos Epilepsiæ motus, easdem contractiones repræsentare cum stupore vident, & quo magis animal hoc convulsionibus percellitur, hoc minùs affectam ancillam, jamque ad se redeuntem gratulabundi notant. Continuarunt eæ, usque dum animam canis efflaret. Ancilla verò insperato hoc beneficio liberata nunquam ab illo imposterum tentata fuit, nec quoque puerpera, quando nimirum arcani fermentorum semina erumpere solent, quidquam mali sensit, vel in liberos transfusum, id quod non ita pridem maritus mihi retulit. *Joelis Langelotti.*

Epilepsia Hypochondriaca curata.

Miles Juvenis 24. circiter annorum ex iis qui Civitati Hannoveranæ pro præsidio sunt, Anno 1666. circa autumnum sentire incipit insignes in hypochondriis dolores pungentes cum eorundem intumescentia, qui tamen mox in diarrhœam serosam terminabantur. Hanc diarrhœam cum metu tum temporis Hannoveræ Epidemicæ grassantis dysenteriæ sisteret, hypochondria iterum inflantur, hincque halitus

tetri ascendentes ad cerebrum illud adeò in consensum traxerunt, ut miles iste quotidie vel decies incideret in vehementissimos morbi comitialis insultus. Vorax erat valde, sed statim post postum concidebat, referebatque se ex hypochondriis auram quandam sentire ascendentem, à qua temulentus primum & vertiginosus evaderet, post quasi vi ad terram dejiceretur, quod à spectro fieri existimabat. Jejunus nil nisi dolorem in hypochondriis & anxietatem sentiebat, statim autem ac quippiam assumpsisset prosternebatur. Erat cæteroque boni habitus, temperamenti ut videbatur sanguinei cum phlegmate temperati.

Huic militi ego hoc modo Medicinam faciebam, Primum purgato corpore id operam dabam, ut acidum illud excedens naturalem ad statum reduceretur: cui fini singulis diebus horis matutinis utebatur pulvere digestivo ex Vitriolo Martis, Sale Essentiali Zwelfr. & Sacchаro cantho. post pastum autem semper utebatur pulvere ex seminibus coriandri, anisi, anethi, granis paradysi cum aliqua portione Cranii humani rasi. Aliquando circa novilunium vomitum movebam cum antimoniali aliquo vomitorio: aliquando etiam sudores movebam cum cinnabari antimonii, tinctura Corallorum & similibus, quæ qualitatem cephalicam habent. Tandem cum corpus satis existimarem præparatum esse, commendabam usum lactis vaccinii, in cujus unc. iij. drach. ß. saponis Hispanici albissimi soluta erat. Hoc lac manè semper jejuno bibebat ventriculo, abstinens postmodum per totum diem ab acidis, idque tanto cum fructu ut brevi à molesto hospite liber evaserit, & hunc usque in diem sanus degat. *Alhardi Hermanni Cummii.*

Epilepsia ex retentis Mensibus Venere & Puerperio sanata.

Nota mihi est nobilissima quædam fœmina, quæ cum Virgo adhuc ex mensium retentione Epileptica fieret, à Medico persuasa ut se viro substerneret, Inde gravida, feliciter peperit puellam; à puerperio autem optime purgata prorsus ab Epilepsia libera evasit. *Alhardi Hermanni Cummii.*

Sanguis humanus Epilepsiam non curat.

Varia ad Epilepsiam remedia in foro occurrunt Medico. Lac capri, (quod rarum) quem nutrivit *Petr. Andr. Matthiolus*, apprimè Epilepsiis infantum profuisse allegat *Bartholinus in cista medica Hafniensi p. m.* 251. Nobilis ut expertissimum commendabat remedium cor cornicis pulverisatum, alius cor corvi ita præparatum. Nonnemo Margaritam aut unionem gallo gallinaceo loco testiculorum exsectorum imponit, ibique per annum relinquit: elapso anno, stata, qua imposuit, hora, eandem eximit, putatque se sic habere expertissimum in Epilepsia arcanum. Esset amplissimus scribendi campus, si placeret catalogum condere medicamentorum ant-epilepticorum. Aliqui commendant sanguinem decollati calidè assumptum. quid autem circa usum hujus observaverim, subjungam. Bibebat Soræ Epilepticus sanguinem decollati calidum, sed absque ullo notabili juvamine. Alius morbo caduco laborans ibidem, eundem bibebat sanguinem, & tertio die obibat. Non ita pridem decollabatur hic *Grünbergæ* juvenis eusarcus, bonique habitus; bibebat sanguinem in decollatione scutella exceptum calidè gemina Epileptica, seseque, ut methodus hujus curæ requirit, benè cursu commovebat; una nauseam cum cardialgia incurrebat, Epileptico insultu iterùm stato tempore ingruente: altera majores & crebriores jam sustinere cogitur paroxysmos, quàm antea, sicque in utraque effectus erat frustraneus. *Sennertus lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. *Med. pract.* quæstionem movet, an usus sanguinis humani conveniat in Epilepsia? negandoque respondet. *Timæus à Gülden-Klee cas. medicin. lib.* 7. *cas.* 15. annotavit quid nocuerit sanguis taurinus, item anserinus fortè fortuna haustus, cur non noceret humanus? Sed vulgus qualia non tentat remedia! *Sam. Ledelii.*

Amuletum Epilepsiæ.

Recensentur plurima Amuleta à diversis Autoribus adversus morbum comitialem sive Epilepsiam, quæ an omnia promissis respondeant, experientia consulenda est. Mihi nuper à fide dignis commendata est in Epilepsia infantum *radix Ostrutii, Imperatoriæ seu Magistrantiæ, Germ. Meister-Wurtz* dictæ, recens dissecta & pollicibus tam manuum quàm pedum alligata. Hujus rei veritatem indagare mihi non ita pridem occasio se obtulit in puella trium septimanarum à paroxysmo epileptico miserè divexata, cui post alia ista radix prædicto modo adhibita est felici cum successu; qui an radici soli, an etiam aliis antea præmissis remediis adscribenda sit, nescio, cum ipsi primùm exhibuerim aliquot grana Cinnabaris nativ. præp. pulveri Epileptico immixtæ: quod remedium, Cinnabarim scilicet nativam mineralem veram celeberrimus ille trium Imperatorum Medicus Crato in Epilepsia magni fecit, ut testatur *Samuel Schonbornius in Manuali Medic. pract. p. m.* 6. quanquam alii Cinnabarim Antimonii exhibeant; *Sennertus* tamen nativam huic rectius præfert, utpote cujus admirandas vires in Epilepsia tam adultiorum, quàm juniorum me sæpissimè expertum esse verè testari possum. Congessit aliàs catalogum medicamentorum simplicium & facilè parabilium adversus Epilepsiam *Henricus à Bra, Medicus Zutphaniensis*, qui ibidem *pag.* 56. *radicem Imperatoriæ pulverisatam* & ex vino potam comitialibus auxilio esse ex *Mathiolo* refert.

Fellis Canis efficacia adversus Epilepsiam.

Fel canis adversus Epilepsiam infallibile esse Euporiston duabus historiis probare queo. Ad puellam septimana una quindecim paroxysmis Epilepticis correptam vocatus fui, dedi ei pulveres anti-Epilepticos cum aqua nostra picarum & Epileptica Langii, quæque cæteroquin contra comitialem morbum laudantur. Verùm omnia frustra; tandem famosum illud Euporiston experiri placuit, dedi infanti guttas quinque fellis recenter ex cane vivo extracti cum aqua Epileptica Langii, & sic præter omnium opinionem sana evasit. Alii cuidam puero Epileptico guttas aliquot fellis recenter ex cane extracti cum aqua nostra picarum dedi, & hic quoque ab Epilepsia convaluit. Hocque remedio

dio Ducis Bockingam filiolus curatus teste Rolfinckio. Quæ D.D. Untzerus & alii monent de hoc felle, magis anilem & superstitiosam traditionem, quam rationem sanam sapiunt. Adversus Epilepsiam in sexu muliebri recommendat fel ex cane fœminini sexus, sicque etiam fel ex cane masculo utile prædicant adversus Epilepsiam Virilis sexus, hæc & alia quæ de colore monent, inutilia sunt. Puellæ dedi fel ex Cane masculo & benè successit. *Thomas Bartholinus.*

Epilepsiæ remedium certum, ex osse Tali Leporis.

In quodam consessu Chirurgico fidem nobis fecit *Joh. Cocus*, mulieris cujusdam quæ opera ejus usa fuerat, experimenti; pro certo Epilepsiæ remedio haberi Leporis os tali, quod *Hasensprung* vulgus appellat; triaque ossa pulverisata in liquore idoneo, v.g. Aqua borrag. exhiberi bibenda, quod in puero Hafniensi nuper probatum sit, exitu felici. *Thomas Bartholinus.*

Musci terrestris clavati vis adversus Epilepsiam.

Anthera commune vocabulum est pulvilli, foliis quarundam herbarum insidentis, ut Junipero, Lupulo, Typhæ palustri, (in qua curiosè illam Jenæ invenimus, furto postmodum ablatam) & imprimis Musco terrestri clavato. Copiosè reperitur hic Muscus in Sylva nostra Thuringica à venatoribus nostris dictus *Debnkraut.* Minsicht in historiis Miscellaneis vocat *Plaun, ist ein geeler Staub*, inquit, *der* ex Musco terrestri *geschlagen vvird.* pag. 432. ibidemque egregiè locum natalem Russorumque processum describit. Si folia betulæ pulverisata simul misceantur, strepitum majorem edit, in flammam protrusus. Usus hujus partim est mechanicus, pro ignibus artificialibus aliisque inventis novis, quo nomine Sereniss. noster Princeps aliquot pondo colligi curavit, partim Medicus; hinc commendatur in Epilepsia, experientia *D. D. Rolfinckii tr. de aff. cap. partic. de Epil. pag.* 51. Reticere nolumus, inquit, pulverem flavescentem in spicis Musci terrestris clavati, coryli julis similibus, inflammabilem, qui reperitur, ant-epilepticam vim obtinere. Eo fine quoque familiari in usu erat *D. D. Widemarkler p.m.* Archiatro Saxonico & Physico Isnacensi ordinario. In calculo sunt qui vim ejusdem maximè laudent, nec minus in phthisi & impotentia virili, quorum singulorum experimenta propediem faciam.

In Epilepsia infantum, præcipuè, ut sæpè contingit, si ab urina retenta oriatur, summum est experimentum, si de Semine hoc Lycopodii, quantum cuspide cultelli contineri potest, propinetur. Egregiè enim urinæ facilitat exitum, quo de unicum saltem exemplum hac vice recensebo, Nuper Anno 1672. die 3. Aprilis puero 3. annorum cum laboraret Ischuria cum dolore & clamore, accedentibus Epilepsiæ, qua ante annum etiam sæpius affligebatur, notis, propinavi Lycopodii ℈j. pro duabus dosibus, præsentaneo cum successu; Antheram Pini Antiscorbuticam donavit mihi Altenburgi *D. D. Clauderus*, Simile quid etiam observatur in ipso secali. *Georgii Wolfg. Wedelii.*

Cordis Talpæ in Epilepticis usus.

Quæ ad Epilepticos insultus laudantur pharmaca, talia sunt, ut cum sæpe respondeant, præsertim in pueris, & adultis, morbo nondum diuturna mora firmato, non raro tamen, præcipuè in hæreditario, chronicove malo destituant Medentem. Quin & cauterium in bregmate sæpe fallit, in occipite rarius. Est tamen cùm etiam fructu caret. Novum fortassis medicamen affero, & practicorum libris, quantum memoria teneo, nondum insertum, civi tamen Academico salutare, an pluribus ea felicitas aspiret, experimentis docebitur. Is vehementissima aliquot annorum Epilepsia, & pharmacis vulgo ad eam tollendam commendatis fatigatus, tandem in corde talpæ invenit auxilium, jam à triennio liber ab omni comitialis impetu, nec nisi triduo usus hoc remedio convaluit. Enimverò quotidie cor unum talpæ recens, sed leniter exsiccatum hausit cum paucis Pœoniæ maris granis, & ocul. cancr. scrupulo, in aqua fl. tiliæ. Hoc totum artificium, quod utinam & aliis æque frugiferum sit. *Schröderus* ad herniss laudat cor talpæ, de quo nisi facto periculo nihil definiendum. *Olai Borrichi.*

Secretum Ant. Epilepticum.

Invisa mihi semper fuit secretorum occultatio, indignarique soleo illorum invidiæ qui sibi servant quod omnium utilitati Deus & Natura commune voluit. Tanto magis execrari hanc hominum malitiam solitus sum, quanto minus occulti habeant secreta si revelentur. Jactantur passim arcana quæ Medicis in quotidiano sunt usu. Et plerumque ex Medicorum scriniis vel schedulis omnia prodierunt, quæ magnifico titulo pro secretis jactantur. Exempla ubivis obvia, Unum signabo: Pro arcano Epileptico hactenus habuit Nobilissima Matrona remedium, quod multorum applausum meruit & admirationem. Ad quod, tanquam ex Æsculapii fano depromptum, multi in urbe confugere solent. Non paucos vim salutarem ex usu remedii sensisse certum est, certum quoque est non pauciores fuisse incurabiles. Nec aliter fieri potest. Panacæa enim necdum illa innotuit quæ vel omnium morborum spondeat medicinam, vel unius morbi apud omnes curationem. Quicquid horum sit, secretum illud remedium mihi singulari occasione communicatum fuit, cujus formulam non invidebo publico, ut videant Artis filii parum vel nihil secreti continere, quod non vel in Medicorum libris legatur, vel quotidiano usu adhibeatur.

℞. Cranii hum. gr. x. Sem. Pœon. gr. x. Succini albi gr. vij. Auri hæredit. gr. ij. Margar. gr. v. Corall. gr. v. Sambuci cortic. ex Salice nascentis gr. x. Castor. gr. iij. Pulv. Calendul. gr. ix. Pulverisata dentur in aq. Lavendulæ.

Quod auro per hæreditatem à parentibus relicto tantum pretii statuat vulgus, superstitioni vicinum est. Nec rationem video, nisi quod illud ex vetustate purius sit. Hoc Cordi roborando efficacius creditur, at Luna Cerebro in Epilepticis. De Cranio humano notandum 1. insepultum esse debere, monente *Renodæo l. 3. disp. cap. 19.* h. e. furis suspensi vel alterius hominis, nullius tamen morbi interventu mortui, expli-

explicante *Henr. Ranzovio de Tuend. Sanit. c.53.* sed præeunte *Plinio lib.28. cap.1.2.* Partem anteriorem cranii commendari potius à *Crollio* de Sign. quam posteriorem. Fœminæ Fœmineum, ac mari masculum accommodatius esse, si credimus eidem *Crollio* aliisque, quod verum sua experientia testatur *Unzerus lib.2. de Epilepsi.c.11. pag.212.* Semen Pœoniæ maris palmam Fœminino præripit, quod tamen in officinis valde rarum. Nostræ sedulo curant ut illud habeant.

De Sambuci cortice, & ramo in salice enato experientias attuli in Centuriis Hist. Anatomicarum, pro externo amuleto efficacem deprehendi. Calendulam Epilepsiæ adversari non memini alibi me legisse, nisi quatenus calida siccaque sua virtute cerebri humores absumit. Alias cordi appropriata, & in pestilentia vires potentius exserit. *Thomas Bartholinus.*

Puerulus sex circiter mensium, ubi obstetrix mucum à naribus abstergit, derepente insultibus concutitur epilepticis, tumet facies, angitur, convulsionibus agitatur, spuma est in ore; paroxysmus per horæ durat quadrantem, aliàs sanus est & bene valet. Jam novem menses & ultra per intervalla furia redit immitis, neque unquam invadit nisi à causis externis offendatur infans; sic contigit aliquando ut avunculus ejus virgis cæderet filiam suam, id quod ille videns adeò fuit consternatus, ut dictum factum semianimis concideret. Aliquando manum suam leviusculè ad carpenti rotam allidens paroxysmo multatur epileptico, minimisquè usque adeò offenditur, ut nonnunquam ter de die huic succumbat malo. Ancilla quædam comiter eum affata, digitoque leniter illius manum feriens, paroxysmum ipsi accersivit. Nunc temporis ablactatus nihil sentit levaminis, quin aliud ipsi discrimen imminere videtur, ut taceam medicamenta ant-epileptica & salia volatilia oleosa malum non modò non imminuere, sed anticipare paroxysmum; quin & medicamentorum tanto tenetur fastidio, ut periculum sit, ne iis offensus paroxysmum incurrat; illud certè silentio præterire nefas est, eum præter cerevisiam nihil assumere; panem, carnem, juscula quæcunque emulsionesq; præfractè respuit, pulverem quidem acidum absorbentem, eumque insipidum in cerevisia assumpsit, sed cùm & hic dolus ipsi suboleat, mater eum ulteriùs ipsi propinare recusat, veretur enim, ne, si & ipsius cerevisiæ contrahat fastidium, fame pereat ægrotulus. Mihi causa hujus mali, non in sanguine, sed in ipsius cerebri dispositione hærere videtur. Mater cùm uterum gereret gravi mœrore affecta, omnium rerum cœpit laborare tædiò, molestè præterea tulit quandam rem, ideoque iræ & tristitiæ se totam permisit. Tum fortè temporis spiritus animales eodem modò concusserunt tenellas fibras cerebri infantis, eademque inibi excitarunt vestigia, quæ ab objectis externis valdè ingratis in cerebro matris erant efformata. Matre itaque offensâ, irâ & mœrore affectâ, infantem offendi, irâ & mœrore affici oportuit. Ponamus jam matrem, quòd quasdam res contra animi sententiam fieri indignè tulerit, eas continuò nonnisi cum horrore & fastidio conspexisse, de iis cogitasse & nescio quid sibi timuisse; perspicuum est hanc cogitationem sequi debuisse certum motum spirituum, qui ad infantem delatus occasionem dedit illius menti de iisdem rebus cogitandi, &c. *ex Epistola Martini Harmes Medicin. Doct. Bremensis ad Clariss. Johan. Muys.*

Phænomena puerulì, de quo loqueris, epileptici, solidè, eruditè & distinctè explicuisse mihi videris, sed mirum est hoc malum non invasisse misellum ægrotulum ante sextum mensem. Tecum sentio morbum non latere in sanguine, alias infans extra paroxysmum non foret incolumis; dicis igitur morbum hærere in malâ dispositione cerebri, ejusque causam extitisse matris prægnantis irregulares passiones, optimè Philosopharis. Ante aliquot annos (*sic narrat acutissimus Malebranche*) Parisiis fœmina uterum gerens conspiciebat malefi cum, cui ossa publicè a carnifice per totum corpus confringebantur. Infans hujus mulierculæ in lucem editus stolidus existebat, omniaque ejus ossa apparebant miserè confracta. Quòd si jam spiritus animales, vel ut hodierni Medici loqui malunt, succus nerveus tantum impetum in tenellas cerebri fœtus fibrillas, imò & in ipsa ossa facere potest, multò faciliùs fibrillas cerebri in fœtu ita distringere & distorquere potis est, ut à minimâ causa externâ succus nerveus concitatus ægrotulo accersat Epilepsiam. Medicamenta assumpta nihil profuisse facile persuaderi possum ut credam, nam in Gelria, quam inhabito, tres vel quatuor pueruli sex septemvè annorum miris ac ineffabilibus Epilepsiæ motibus, continuò per longum tempus gesticulatorum instar, sed inviti agitabantur non ita pridem, quos inopinatò hunc morbum ex terrore corripuisse existimabant parentes, sed medicamenta interna nequicquam usurpata fuere, progressu tamen temporis omnes convaluerunt. Quantùm ad medelam ægrotuli, de quo narras, optimum mihi videtur ingens vesicatorium nuchæ applicandum, & si hoc non succederet, cuti capitis circa conjunctionem suturæ coronalis cum sagittali inurerem fonticulum, eumque aliquandiu apertum servarem, nam dolor & contractiones hinc excitatæ, mutando partium situm hic prodesse posse videntur, cui sententiæ experientia etiam adstipulatur; quomodo autem locus ille inveniatur, non est quod dicam, quandoquidem Scultetus id jam dudum in Armamentario suo Chirurgico aperuit. Non ita pridem fœmina quædam ter vel quater de die affligebatur miserrimè motibus convulsivis; nullus Medicorum veram causam expiscari potuit. Advenit Chirurgus inveniens in brachio ægrotæ tuberculum lividum, pisum mole non superans, quod causam mali judicans, sectione simul & semel sustulit, ac mulier ab hoc tempore nunquam amplius quicquam mali Epileptici persensit; humor autem in tuberculo contentus erat instar aquæ fortis corrosivus. Nimirum portio quædam exigua ter vel quater de die ex hoc tumore evacuabatur, ac sanguinem succumque nerveum, quibus commiscebatur, adeò tumultuariè commovit, ut mulier hæc motibus Epilepticis tam crudeliter affligeretur. Non mirum videri debet cuiquam, quòd pauculum hujus humoris tantos motus in corpore humano excitare potuerit, ubi consideraverit quàm stupendi effectus consequantur morsum Tarantulæ,

tulæ, quæ est bestia instar araneæ in Italia frequens, & tamen à se demorsos homines ridiculè, saltantium more invitos convellit, exiguâ nempe, humoris corrosivi quantitate, quæ sanguini & succo nerveo vulneratorum hujus bestiæ morsu communicatur. Anus coram Scabinis suis non ita pridem juratura, dum more solitô dextram duobus digitis erectis in cœlum elevat, corripitur spasmo ipsius manus & digitorum in rigiditate per aliquot dies cum dolore atroci perseverantium; paulò post confitetur perjurium. Tantùm potest imaginatio, quæ male conscia æternos cruciatus ob perpetratum perjurii crimen sibi vividè repræsentans spiritibus impetuosissimum hunc motum impressit, eosque præcipuè in manum & digitos extensos direxit. Brevi hic sectione tolletur sarcoma quatuordecim vel quindecim librarum dependens è nucha alicujus mulierculæ rusticæ, ex ramis carotidum nutrimentum accipiens, sanguinemque per ramos venæ jugularis remittens, quod posterius visu manifestum fit, prius acie mentis; quomodo operatio succedet tempus docebit. Vive vigeque. *Ex Responsione Clariss. Johan. Muys ad mox allatam Pueruli Epileptici historiam. Decad. septimæ Observationum hujusce Autoris insertâ.*

Puerulus duodecim circiter annorum motibus continuis epilepticis leviter in brachio dextro gesticulatoris instar agitatur, quod malum tamen in dies adaugetur; ante biennium eodem modo hic morbus incepit, ac eo usque accrevit, ut manus pedesque ægrotulo invito assiduè mirum in modum convellerentur, & ægrotulus tandem mutus evaderet; Ubi objectum aliquod arripere volebat, manus pergebat in aliam partem ab objecto longè remotam. Multa medicamenta à pluribus Medicis tum temporis frustrà præscripta fuere, tandemque puerulus sponte convaluit, & studiis non sine industria & cum progressu non contemnendo incubuit. Parentes metuebant ne malum, quô jam temporis infestabatur puerulus, tractu temporis eò pravitatis perveniret, ut ante biennium, quapropter accersitus ingens vesicatorium ex cantharidibus confectum nuchæ applicui, locumque per octiduum apertum servavi; interea temporis malum non vergebat in pejus, sed brevi post ægrotulus corripitur variolis, omnem totius corporis cutim contegentibus. Quid contingit? Variolis sanatis, patiens à motibus epilepticis prorsus immunis exsistebat & in hunc usque diem permansit, nec puto morbum unquam rediturum. Hinc non incongruè concludi posse videtur hos motus convulsivos originem suam traxisse ab acido principia nervorum infestante & vellicante, quare etiam vesicatorium nuchæ apposui, ut nempe acidum illud temperarem sale volatili cantharidum penetrante, quanquam vesicatorium alia etiam ratione juvare possit, ut videre datur in respons. mea ad Epistol. præcedentem. Acido vero peccante per variolas evacuatô, puerulus à malo tam crudeli convaluit; unde etiam inferri posset, fonticulum in brachio, vel potius in capite hic loci egregiè convenire ad humorem peccantem extra corpus proturbandum. Morbus hic non dissimilis mihi videtur illi malo quod *Vitisaltum* ab Autoribus nuncupatur, & cujus exemplum habet Felix Platerus lib. 1. Observat. pag. mihi 85. Fœmina, *ait ille*, assiduè tripudiabat, & licet aliquando ut cibum caperet, & somno correpta, sedere cogeretur, tamen gestu motuque corporis inquieto interim corpus nihilominus veluti saltans agitabat, donec omnino viribus prostratis, adeo ut nec stare amplius posset, à saltu cessare coacta, in hospitale vecta est, ubi refecta sensim denuò convaluit. *Johan. Muys observat. Praxeos Chirurg. rational. Decad. 7.*

Puella annos circiter 14. nata paroxysmis epilepticis per intervalla tantùm longiora recurrentibus à duobus tentabatur annis. Vultus erat tumidus ac rubicundior, & dolor pulsativus ac itidem gravativus caput continuò affligebat. Venæsectionem in pede pro revulsione celebram, corpus remediis aptis satis exquisite purgabam, postque sequentia præscribebam, scil. primò rotulas usuales ex absorbentibus, cephalicis, ac aperientibus paratas, quarum hæc est compositio.

℞. Diaphoretic. antimonii albiss. Magister. Mart. solub. C. C. Cnœffeliana methodo præparati ana ʒij. cuticul. citri ʒj. sacch. alb. aquâ cinnam. soluti q. s. ut fiant. e. a. rotulæ minores, Sumebat sæpius de die unam aut alteram superbibendo cochlearia aliquot julapii subsequentis.

℞. Aquar. beton. lilior. convall. flor. tiliæ ana ℥ iij. Imperial. ℥j. spir. sal. armon. aromatis. ʒ iij. Syr. Pœoniæ & de corticibus citri ana ℥j. Extract. opii cydoniati gr iv. M. Secundò pediluvia ex cephalicis ac anodynis quotidie præparabantur, & plantis pedum exsiccatis apponebantur sacculi è simplicibus cephalicis ac aromaticis, ut & sale armoniaco depurato. Tertiò præter purgantia medicamenta generosiora sub ipsius curæ initium adhibita, in toto ejusdem decursu singulis septimanis bis vorabat pilulas ex Aloë succotrinâ, Magister. Mart. solub. cinnab. antimon trochiscis alandhal, &c. Vescebatur cibis boni succi & facilioris digestionis, ac pro potu utebatur decocto ligni juniperini. visci querni, rasuræ C. C. & Cranii humani. His intra unum ac alterum mensem integrè restituta, nulla prorsus per plures, qui sunt subsequuti, annos persensit morbi istius horrendi vel levicula symptomata. Hæc methodus paucissimis immutatis pro ratione temperamenti in aliis etiam ægris quàm optimè cessit; Verùm alteram itidem in juvencula quatuordecim circiter annorum institui. Scilicet præmissis præmittendis, pulverem composui e Cranio humano, ungul. alc. corall. rubr. cinnabar. nativ. Diaphoret. Mart. camphor. & pauco opiô, eumque ad plures dies continuos mane & vesperi exhibendum dedi. Superbibebat aliquid emulsionis è semin. Pœoniæ maris, papav. albi, ac nucleis cerasor. nigr. ex aq. flor. tiliæ calendul. ac pœon. extracta. Subinde potui adjungebat guttulas aliquot spir. volat. sanguin. hum. Tandem bis expurgata est remedio è scammon. Mercur. vitæ, & Mercur. dulc. apprimè loto, confecto. Potus erat decoctum chinæ, visc. querc. ungul. alcis, & Cranii humani per longam in rore vitrioli macerationem priùs bene præparati. De frictionibus, aliisque multis in diæta exquisitè observatis, nihil jam addo. Illa autem

autem à pluribus annis remediis descriptis sanata, paroxysmis epilepticis intentata hilaris vivit. Aliam rursus annorum octodecim, non minus, imo crudelius ac frequentiùs quàm mox præmemoratas afflictam curavi, post generalia, per exhibitas pilulas ex extracto panchymagogo, tartaro emetico, cinnabar. nativa ac oleo spicæ stillat. paratas, quas quater repetendas, volui, scil. bis in mense. Per opiatam à diaphoret. Martial. cinnab. antimon. super cinnabar. nativâ rectificat. radic. viperinæ Virginian. sale volat. succin. vere urinoso, ac mistura bezoartica, &c. in baccar. juniperi rob. ac syr. stœch. ana q. s. exceptis, concinnatam, ac per mensem & dimidium horâ somni singulis diebus ad quantitatem nucistæ absumptam. Per pulverem è radic. viperin. Virginian. antihectico Peterii, marte per triturationem præparato, oleo spic. still. bals. Peruviano ac multo sacch ro, confectum; singulis itidem diebus ad ʒ ij. e jusculo carnium in quo incocta forent simplicia cephalica, per mensem unum ac dimidium, adhibitum. Ac tandem per unctiones verticis & nuchæ è juniperi baccarum spiritu ardenti in quo dissolutum esset aliquid olei rectificati.

Una eademque septimana duos habui curandos infantulos epilepticos annum circiter unum natos, post aliquot horas uterque, ex deficiente pulsu, alisque signis mortuus ab assistentibus mulierculis credebatur. Naribus primò admovebam spiritus acriores sc. C. C. viperarum, sanguin. humani; iisdem insufflabam aliquid pulveris cephalici è liliis convall. flor. tiliæ, fol. betonic. rorismar. salv. ocimi, majoran. rad. irid. florent. pauco ellebor. alb. & oleo rutæ & succin. confecti. Eodem tempore clysterem acriorem Injici curabam, sicque aliquatenus excitato cerebro, redeunteque pulsu, prius omnino suppresso, sanguinem ad ℥ ij. & circiter tres, per lanceolam è vena brachii satis commodè educebam, posteaque vomitorium pauco purganti infuso cum volatilibus spiritibus admistum propinabam; unde discussis particulis hæterogeneis cerebro & nervis impactis, munia repetebant sua cum aliqua obnubilatione, & subsultuum leviorum per intervalla redeuntium tumultu, quæ ulterius profligabantur continuato subinde per dies aliquot usu aquar. lilior. convall. flor. tiliæ & pœoniæ cum Syr. Stœchad. arabic. & pauxillo spir. sanguin. hum. ad cochleare unum; ut & clysteriorum, pro exigentia. Sicque ab orci faucibus contra omnium spem, quasi erepti, jam hilares & bene sani vivunt.

Anatomicæ inspectiones.

Idiopathica Epilepsia ex ventriculorum infarctu non semper suscitatur.

Quæ in cerebro fit Epilepsia, aperto eorum qui è vivis decesserunt capite, animadversa est sæpius aliunde suscitari quam ex ventriculorum infarctu: Causam interdum deprehendi cerebri abscessum esse: interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem, summo dolore, quibus è locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat. *Fernelius Pathol. lib. 5. cap. 3.*

Epilepsia ab abscessu in cerebro genita.

Nobilis adolescens equestribus deditus exercitiis tentabatur crebrò tussicula, sed sicca; & subinde dentium doloribus. Rejecta in collum angustius, & catarrhum à glandulis capitis descendentem culpa; augebatur suspicio, quod oculi tantillum extra orbitas suas eminerent, & nonnihil erubescerent. Sed cùm sæpius, & gravius admoneret odontalgia, dentem, cui dolor præcipue incubabat, evelli jussit, nullo fere operæ pretio, serpeb t enim malum ad vicina, & ad ipsam maxillam penetrabat. Sociis interea delicatulum clamantibus, quod à muliebri ægritudine constantiam suam turbari pateretur, ille die quodam in publico diversorio inter amicos subitò corruit exanimis quasi fulmine percussus. Deportatur in lectum, ibique odoribus & aquis apoplecticis variè excitatus tandem post horam dimidiam vivere se ostendit, domumque translatus postero die surgit sed languidior, & in narcosin cum gravitate capitis junctam propensus. Vocati Medici cephalicis & iis, quæ comitialem avertere solent, insistunt, exiguo fructu, quippe æger ex intervallo jam animi deliquiis, jam epilepticis convulsionibus, iisque horribilibus divexatus, tandem pleno rationis usu ex languore insolito succubuit. Cumque testamento ultimo jussisset se in Patriam à morte transferri, adeoque balsamo, more Gallico, condiri, ne navigantibus fœtore molestus esset, desiderio ejus adversari non placuit. Aperitur ad condituram à quatuor Chirurgis, & in reliquo corpore, nihil adeo morbosum deprehenditur, præterquam quod superior dextri pulmonis facies præter morem nigresceret, ex acidis, opinor, humoribus istuc sensim à capite depluentibus, & dexter testiculus inter abdomen conderetur, pusillus & exsuccus; Sed ubi ad cerebrum perventum est, abscessus se obtulit in dextra ejus; & quidem superiori parte, non ad latus, sed propemodum in meditullio, isque fœtidissimo pure albo stagnans, ad amplitudinem ovi gallinacei; aderat & serum, sed parcius, quòd ad spinalem medullam videbatur sibi aditum patefecisse, unde convulsionum frequentia. Æger autem, qui sæpe conquestus erat de dolore frontis, & quandoque occipitis, nunquam ostendit sibi illam partem dolere, quæ vomicam occultabat, haud dubio argumento, cerebrum ipsum non patere doloribus, sed duntaxat, quibus involvitur, membranas. Constat inter alia ex hoc exemplo quàm vanæ sint pollicitationes quorundam, spondentium certam cujusvis epilepsiæ, etiam hæreditariæ curam: cum hic ipsum Apollinem, ipsum Æsculapium frustra advocassent Amici. Nihilominus ne nunc quidē quiescit in urbe nostra Empirica, sed promiscuè omnibus hoc malo aggravatis opem promittit. Illa autem (ne mysterium publicè ignoretur) ex sutoria pice, granis Pœoniæ, & oleo Castorei emplastrum format, & occipiti, erasis, si qui obstant, capillis, calidè applicat, tamdiu hæsurum, donec sponte decidat, quod plerumque circa duodecimum diem solet accidere. Quod si perseverat adhuc malum, toti capiti, sed raso, idem emplastrum circumfundit; successu aliquando non pœnitendo, sæpius tamen nullo, ut palam

palam est. Quid enim faceret hoc emplastrum ad tollendum abscessum cerebri? quid, quoties malum urget per sympathiam? quando maligna aura attollitur vel à tumore manus dextræ, quod *Platero* observatum, vel à sinistra, quod *Hœcstettero*, vel à mamma, cruribus, testibus, pollice pedis, quod *Schenckio* & aliis; imò infinita sunt exempla Epilepsiæ per consensum, quibus ab illo emplastro parum sperari potest præsidii. Id rarum in quodam cive nostro, cui à carioso pedis pollice oboriebatur hoc malum; quoties percepto priùs in pollice motu inquietiore, & mox in crure, fascia crus ipsum paulo infra genua strictè ligabat, antequam ultra pergeret formicans inquies, paroxysmum notabat suspendi; sed si negligentior pateretur malum superare genua, postea nullum à fascia injecta observabatur auxilium. Potuisset is vel exstirpatione pollicis, vel inunctione butyri Antimonialis, de qua medicatione Henricus ab Heer, persanari, sed maluit periclitari totum, quam partem ignobilem tolli. *Olai Borrichii.*

Epilepsia suscitata à carie cranii, parte interna juxta cerebellum.

Juvenis 30. annorum diu capitis dolore vexatus, tandem in melancholiam taciturnam incidit; Sed capitis dolor, quando tunc temporis mitigari videbatur, ob affectæ partis innatum calorem quasi emortuum, Epilepsia vehementissima corripitur, cujus paroxysmo tertio extinguitur.

Dissecto cadavere, diligenterque calvariæ osse in posteriori parte interna, quæ perpetuo ante dolebat, perspecto, nullum ibi notabilis morbi signum notavimus, At capite aperto, ossis posterioris interiorem partem, juxta cerebellum satis notabilem cariem contraxisse vidimus: Tetigimus ea in parte foramen quoddam, ad denarii magnitudinem, quod quidem usque ad summam laminam, exclusive tamen perveniebat.

Conjectandum hinc Epilepsiæ & mortis causam, fuisse malam quandam auram ab osse & partibus affectis in cerebri substantiam sublevatam: Cujus mali causa exterior nobis fuit incognita, nimirum capitis illinitio ex hydrargyro frequens, non sedandi doloris gratia, sed aliam ob causam: Hydrargyrus autem usque adeò frigida est, ut vi narcotica dolores quosvis sopiat quidem, at partium tenuitate corpora omnia, vel etiam durissima ossa subeat penetretque, emolliat atque dissipet; unde frigiditate cerebrum valde offendit, nervos & artus valde infirmat, inde tremor & paralysis, necnon partium frigidarum corruptio aut caries, ut dentium aliorumque ossium. *Zecchius Consult. 9.*

Epilepsia à Vitio duræ Meningis pustulis obsitæ, & perforatæ, nigro sanguine per cerebri spiras sparso, cum inflammatione, hinc ventriculorum constrictione, &c.

Anno 1588. obiit juvenis qui diu in carcere detentus, Epilepsia correptus erat cum aliis symptomatis, diu enim languidus decubuerat, perpetuo stupore afflictus.

Secto capite, pustulæ supra duram meningem apparuerunt, erosa ipsa & cerebro per foramina eminente pluribus in locis: Omnes ejus spiræ nigro sanguine refertæ erant: In ipsa etiam substantia copiosus latebat, unde inflammatio exorta erat, & hanc ob causam anteriores ventriculi vix in conspectum veniebant: Communis humore seroso plenus. Rete autem mirabile totum flaccidum apparebat: cerebelli substantia, præterquam quod solito esset mollior, sanguine etiam pituitoso affluebat. Hinc ad pulmones deventum, qui costis & sterno adligati flaccidi omnino erant, mole tamen magni, humore spumeo referti, dextro latere inflammati: Similiter & cordis ventriculus dexter sanguine plenus repertus est, sinister vacuus: hepatis unus quasi globus apparebat, stupendæ magnitudinis, laudabile alias & sanguine bono abundans: hujus moli ut cederent renes, ipsi quasi venæ cavæ ad spinam dorsi adalligati erant: *Rumlerus observ. 53.*

Epilepsia à Sero caput replente.

Epilepticos affectus à sero caput opplente, & præcipuè posticam ejus partem, excitari ex Anatomia didici, Nam dissecto anno superiore cadavere, posticum caput universum aqua turgens repertum, ut non solum principium nervorum aquæ innataret, sed membranæ ipsæ aqua prægnantes & imbutæ, non secus atque papyrus aut tela aquæ diu immersa, conspicerentur: At quamprimum cranium sectum, aqua ex ea parte diffluxit plurima, quin etiam sanguis in venis ea parte concretus inventus, a frigore scil. aquæ stagnantis. *Carol. Piso de morbis a colluvie serosa sect. 2. part. 2. cap 7.*

Amorrhæi Consulis pusio quadrimestris torminibus vexabatur, ut colligere erat. Non longe post, aphonos, oculos intorquebat, convellebatur, mirum hoc, repente facies mutabatur, tanquam conantis aliquid excutere; deinde velut comprimebatur, tumque occurrebat in os spuma, & spiritu velut compresso diu, quasi ad se rediens, magnum spirabat, eorum more qui contentione animi aliquid intuentes spiritum cohibuere. Per totam noctem convellebatur tantum brachio sinistro, & illud convulsorio modo agitabatur, deinde cessante hoc, idem brachium dextrum passum est: & ex intervallis occurrebat spuma magna copia, & aphonos erat, & excreta spuma salivaque, magna spiratione, tunc restituebatur. Epilepticum hoc fuit: Provisum ventri: aliquid συμβολὴς. Duodecimo ætatis mense interiit.

Aperto cadavere ingens aquæ copia in cerebro reperta est: nervi optici erant valde angusti, alii nervi erant fere duplo majores. *Ballonius cons. lib. 2. annot. 1.*

Epilepticorum cerebrum, ventriculi & sacra fistula plerumque limpida aqua imbuta sunt & repleta.

Pluries invenimus in cerebri ventriculis sacraque fistula aquam limpidam, tenuem & puram, quam flavam, vel bili colore similem, vel etiam alium humorem: Majorique itaque ex parte, si non semper, paralysin excitat tenuis limpidaque aqua in cerebri ventriculis atque in spina dorsi collecta, quæ sensim à superiori parte nervos irrigat, quoad pervenerit ad eorum extremi-

tremitatem: De Epilepsiæ causa, idem quasi asserendum opinor, nam similem aquam in Epilepticis & apoplecticis multoties vidi, &c. Nihil in cerebri ventriculis pituitæ, nullam in iis obstructionem, & non plus tenuis humoris aquosi & limpidi in medio ventriculo, atque in reliquis deprehendere quivi, cæterum totam cerebri substantiam inveni aquosa humiditate infarctam, ventriculosque omnes eadem aqua plenos. *V. Coiter lib. observ. Anatom. & Chirurg.*

Epileptici insultus à seroso humore in cerebri substantia & ventriculis.

Filia D. N. septennis cum dolore capitis gravi paroxysmos quoque epilepticos passa est, cum spuma in ore: Consilium inituris nuntiatum eam novo paroxysmo Epileptico sublatam, ac post mortem puris aliquid per nares effluxisse, quod nobis abscessus latentis suspicionem fecit.

Sub cerebro aperto nihil repertum præter serosum humorem in cerebri substantiam & ventriculos effusum. *Laz. Riverius observ. 37. cent. 1.*

Epilepsia ab aqua limpida in cerebro, ventriculis & Sacra Fistula.

Hippocrates cum ovicularum Epilepsia sublatarum cerebra, aquæ liquore plena repererit, eum morbum inde tradidit diffundi: Quidam puerulus levi Epilepsia arripiebatur, cujus mox in dies intumescebat caput, ut tandem morbo, cui nomen est Hydrocephalus, diu teneretur. Hujus jam defuncti cerebrũ tenui sero perfusum erat, & hic semel tantum Epilepsia attentatus fuit. *C. V. Schneiderus l. de Catarrhis special. p. 257.*

Epilepsia in Apoplexiam desinens à sero acri in cerebro, inter meninges & in ventriculis stagnante, cum vermibus in intestinis.

Anno 1672. die 23. Maii, in Xenodochio, vir annorum circiter 30. habitu carnoso, pilis nigris, temperamento sanguineo melancholicus, dissectus est à *D. D. Glasero.* Qui occubuit tandem Epilepsia terminata in Apoplexiam, cum anno ante ægrotaret febre lenta, dein intermittente, ictero, quartana, hydrope, à quibus malis sibi videbatur convaluisse ut nulla videretur aqua adesse, sed versa pagina è vivis excessit, in cujus corpore sequens anomalia inventa.

In infimo ventre 1. Hepar ingentis magnitudinis & ponderis, licet mollitie naturale, colore vero livido, duplo fere majus erat quam natura esse deberet. 2. Lien etiam duplam magnitudinem vel triplicem ad naturalem habebat, substantiam flaccidam, friabilem, colore ad lividum accedens; Scirrhus neque in hepate neque in liene reperiebatur. 3. Epiploon putridum, à quo mesenterium infectum inflammatione tentatum. 4. Intestina copiam magnam vermium continebant, ut aliquibus locis instar nodorum complicarentur: aqua pauca, aut fere nulla reperiebatur; infimi ventris reliqua erant naturalia. 5. In thorace cor flaccidum, molle, ita ut substantia cordis tantum dimidiam crassitiem contineret, quam habere deberet; Capsula cordis aqua repleta, uti & in toto thorace seri magna copia stagnavit. 6. Pulmo in sinistra parte adnatus, cæterum semiputridus. 7. In capite inter piam & duram matrem, ubique, uti & in ventriculis, magna seri copia stagnavit, cujus sapor acris, subacidus & salsus & parum exedens repertus. Venæ circa membranas valde turgebant. In tertio ventriculo, inter anum & vulvam, ponticulus instar duorũ nervorum complicatorum reperiebatur, colligans quasi crura cui innitebatur septum lucidum: exterior cutis color lividus erat, ob sanguinem per circulationem revertentem, circa cutem stagnantem. *Ex communicatione Clar. DD. Mangolt Medici Basiliensis.*

Epilepsia orta à pauco humore putri inter calvariam & crassam meningem delitescente.

Aliquando observavimus è summo capitis vertice, in quo sub pericranio vitiatus venenatusque humor coercebatur, vaporem manifesto sensu intro subire, qui Epilepsiam concitaret, hancque postea caustico persanatam medicamento; Ita proculdubio existimari debet intus, vel circum meningas, vel circum cerebri substantiam, vitium contineri veneni æmulum, cujus ex intervallis impetu facto Epilepsia suscitetur: Aperto Epileptici Philosophi, qui decesserat, capite, qui vehementissimo dolore circa sinciput torquebatur, deprehendimus crassiorem meningem ea sede calvæ ossi adhærescere, pauculo humore putri interjecto. *Fernelius Pathol. lib. 5. cap. 3. & lib. de Abditis 2. cap. 15.*

Epilepsia à cerebro Sphacelato post cranii vulnus.

Vulneratur quidam in cranio, qui visus est Cheirurgo sanitati restitutus, Egreditur domo & funus quoddam procurat, altera vero die repente concidit & Epilepsia extinguitur.

Aperitur cranium & dimidium cerebrum Sphacelosum reperitur. *Philip. Salmut, Cent. 3. Observat. 22.*

Cerebrum Sphacelosum vidit Glandorpius Observat. 6. atque hinc ortam Epilepsiam.

In Epilepticæ mulieris Sinu meningis duræ Polypus insignis repertus.

In sinu meningis duræ longitudinali subjecti muliebris, publice in Theatro Amstelodamensi dissecti, materia continebatur alba, tenacissima, quæ sinum replebat & ad omnes sinus rivulos diffundebatur. Epilepsia laboraverat mulier jam ab aliquo tempore, qua etiam extincta. *G. Blasius Observ. Med. 2. Parte 6.*

Epilepsia à gladioli frustulo in ipsa cerebri substantia impacto.

Retulit Joan. Dom. Sala. in ipsa cerebri substantia gladioli impacti frustulum perpetuo cuidam, reliquo curato vulnere, sine detrimento hæsisse, nisi quod Comitiali morbo frequentius convelleretur. *Thom. Bartholinus hist. 67. Cent. 4.*

Epilepsia oborta à carnoso tuberculo in cerebri ventriculo contento.

Nullo ingenio huic malo admodum gravi, quandoque medelam reperiri miretur nemo, qui communis mali causas, ut plurimum inexpugnabiles consideraverit. Quidam singulari Joan. Prævotii fama excitatus, recuperandæ valetudinis spe Patavium venerat. Nullo effectu ad suos reversus, quum paulò post fato cessisset, in cerebri ventriculo Tumor carnosus fuit inventus, qui cerebro compresso inanem huic morbo Medicinam docuit. *Joan. Rhodius Centur. 1. Observ. 55.*

In Epileptici cadavere angustia nativa ventriculorum cerebri reperta est.

Anno 1649. adolescens quidam 18. annorum Epilepticus in nosodochio Leydensi, in ipso Epileptico insultu mortuus est, cujus dissectionem cum Clar. Falcoburgius aggressus esset, & inter cætera in causam mortis accurate inquireret, Nullam invenire potuit manifestam, præterquam quod ventriculi cerebri nimis erant angusti quam alias naturaliter constituti esse solent: In Pectoris vero capacitate humoris sanguinei cochlear unum inventum est. In imo ventre omnia optime constituta erant, Lien solito gravior, sed boni coloris & habitus: Præterea membra generationi inservientia p. n. erant conformata, nam vasa semen Deferentia vix conspiciebantur. Præparantia in uno latere deerant, Testiculi autem intus retracti fuere. *D. Simon Schulzius miscell. cur. anni 1671. Obs. 62.*

Epilepsia à compressione ventriculorum cerebri, & sanguine concreto in substantia ejus.

Nonnunquam cerebri ventriculi ita collapsi sunt in Epilepticis, ut spirituum non facilis sit transitus liber: Adr. Falcoburgius puerum 16. annorum in ipso Epilepsiæ paroxysmo extinctum aperuit, nullamque aliam Epilepsiæ mortisque causam invenit, nisi quod cerebri ventriculi valde fuerint compressi, sibique invicem superjacentes, sine ulla manifesta cavitate: In supremo verò cerebro, prope cranium, sanguinem concretum detexit. *Thom. Bartholinus cent. 2. histor. 92.*

Epilepsia à materia adipi simili inter cerebri ventriculos sita.

Fato functo Epileptico quodam, inter cerebri ventriculos magnam materiæ adipis æmulæ copiam reperi. Hæc autem materia sine dubio, vel ventriculos comprimebat, vel vasa, adeo ut obstruerentur, nec spiritus animales facile ea permeare valerent. *Petr. Borellus Cent. 2. Observat. 78.*

In Epileptica cerebro nihil secanti occurrit præter tenuia & exilia quadam corpuscula in ventriculis.

Mulieri intra paucas horas extinctæ cum convulsionibus, in cerebro nil ferè alienum compertum est. In ventriculis aliqua erant corpuscula, sed adeo tenuia & exilia ut parvi essent momenti. Accepimus eam huic morbo alias obnoxiam fuisse. Erant hæc Epileptica. *G. Ballonius Epid. lib. 1. p. 69.*

Epilepsia ab incurvatione diplois internæ excitata.

Viri cujusdam magni nominis filiolus septimestris, dum nutrici de nocte ad lactandum traderetur, somno, si non vino, obrutæ (nam solebat per vetulam furtim vinum emendicare, matula deportatum) postquam denuo puellum in cunas reponeret, cecidit supra earum quandam prominentiam, unde post quatuordecim dies correptus Epilepsia ad plures abiit.

Ut ignota, & à perversis mulieribus suppressa innotesceret causa, dissectum fuit caput, in quo paulo supra tempus sinistrum inferior cranii lamina, seu tabula, in notabilem tumorem elevata versus cerebrum, superiori omnino illæsa, visebatur: unde facta eo loci membranarum compressione, humorum affluxu, ac cerebri notabili corruptela, Epilepticus exspiravit *Anton. de Pozzis Obs. 35. miscell. curios. Anni 4.*

Suturarum prava dispositio in tribus Epilepticis.

In figura deviabant Suturæ capitis fatui cujusdam, quæ omnes uno quasi clivo exaltatæ eminebant, Quod in tribus Epilepticis pueris Neapoli vidimus, præsertim coronalis, ut novam Epilepticorum & causam & curationem suggesserit. *Bartholinus Anatom. Reformata libello 4. cap. 5.*

Apileptici motus per consensum à Pulmone dextro adusto, nigerrimo, thoraci adhærente, Cerebro & reliquis partibus salvis.

Adolescens Basileensis territorii, annorum forte aliquot supra viginti, ingenti Parotide laborans, a Chirurgo nuper curatus fuerat: Certa die incalescens frigidæ haustum avidissime sumit & herbæ incubat, Paucis diebus post de cephalalgia conqueritur, febricitat, delirat, itaut in Xenodochio nostro detentus pauper vinciri juberetur: Inde omnibus fere horæ diei quadrantibus buccas extraordinarie motitans, Epilepticis insultibus corripirur, sputum album bullis refertum plurimis exprimens, oculos intorquens, servato semper judicio & sensibus, ut mihi interroganti in ipso vigore observare contigit, imo expedita satis post paroxysmos breviusculi temporis ad interrogata responsione. In collo dolere se compellatus respondebat, ubi tamen & nihil p. n. exterius deprehendebatur: urina citrina, crassa erat cum hypostasi: pulsus debilis, æqualis & parum febrilis, sudoribus facillime diffluebat æger: Deliria quidem theriaca & syrupo de succo limonum cum aqua acetosæ pacari potuerunt, nunquam illis vel aliis curari morbus.

Aperto cadavere, fellis vesiculam externe & interne albam & vacuam plane reperiimus: Pulmonem dextrum adustum, instar atramenti nigrum & thoraci firmiter adhærentem, Unde per consensum cum cerebro motus epileptici & deliria accesserant: In cerebro & reliquo corpore nihil contra naturam invenimus. *J. Nic. Binningerus Obser. 38. cent. 3.*

In Epileptici cordis sinubus humor concretus repertus.

In hominis cadavere per me secto, inventus uterque Sinus cordis humore obsitus concreto, instar

instar vulgaris gelatinæ flavioris: quam ego putavi putrem pituitæ mucaginem, bilis aliqua portione tinctam. Hic primum Epilepticus & elinguis, demum occubuit cum sinistri brachii convulsione: Ejusmodi ad unguem concrementum repertum est & in magnis venis quæ cordi inferuntur, atque etiam in hujus auriculis Religiosi. *Severinus de Abscessibus pag. 277.*

Epilepsia illæso cerebro ejusque ventriculis excitata.

Decembr. x. 1613. aperui corpus cujusdam decollatæ quæ Epileptica dicebatur; In ejus tamen ventriculis cerebri nullus omnino humor apparuit: Ipsa etiam cerebri substantia erat temperamenti siccioris: Unde conjeci ipsam aut Epilepsia non laborasse aut Epilepsiam fuisse per consensum. *Saltzmannus Obs. Anatom. pag 48.*

In muliere Epilepsiæ & convulsionibus obnoxia solum Pancreas male affectum deprehensum est.

Licet sæpius contingat Epatis, Lienisve affectiones pravas malam Pancreatis, constitutionem insequi, non raro tamen contrarium evenire experientia docet, Hoc in Nob. fœmina Highmorus observasse se in disquisitionibus Anat. scribit, quæ annos retro plures convulsionibus, Epilepsia & passione hysterica laborabat, & tandem post dolores & cruciatus exquisitos obiit, Aperto corpore solum Pancreas male affectum & ulceratum inveniebatur. *Ger. Blasius ad cap. 4. Anat. Veslingii.*

Infantis Epileptici cadavere aperto, vitium in intestinis & ventriculo repertum est.

Sæpius apud Nos infantes recens nati, vel etiam a 1 semestre spatium accedentes, derepente sine ullaquandoq; cum, manifesta causa, quandoque sine magnis clamoribus Epilepsia corripiuntur, emoriuntur, ut suo merito hinc νόσημα παιδικὸν ex Hipp. sententia audiat: vix enim denos inter centenos reperire licebit infantes mortuos, qui non convulsionibus, vel illis certe supervenientibus, mortui: Novi in Ill. familia aliquot successive Epilepticos obiisse infantes, omnes sex vel septem septimanis à partu, ita ut desperabundi parentes in proxime nascituro inustionem occipiti, more in Italia, imprimis Florentiæ receptissimo, instituere decreverint, ad avertendum gravissimum hunc effectum: Alios notavi, qui à convulsionibus servati, ad primum tamen usque septennium stato tempore singulis annis semper recidivam passi, reliquo tempore bene & extra ullam molestiam constituti. Varias & diversas vulgus promit hujus mali causas: nec minus operosi sunt Practici, nunc cœli constitutionem, nunc horam nativitatis, nunc cerebri imbecillitatem, nunc aliud incusantes.

Cum mense Martio anno 1674. Viennæ essem, mercatoris cujusdam, in vicinia, ubi diverteram, habitantis filiola 24. septimanarum, per aliquot dies alvi profluvium cum torminibus clamoribusque die ac nocte passa, hoc ipso die suasu adstantium fœminarum, licet satis debilis, purgata fuit syr. rosmosch. circa vesperam: post unam vel alteram operationem extreme debilitata, in consilium vocor: Vidi statim fatalem instare terminum, & cum Epilepsia finem vitæ prædixi, id quod & factum, nam media nocte supervenere convulsiones Epilepticæ, per tres horas durantes, & altero die mane mors. Simili plane fato ante annum ejusdem ætatis obiit ipsi filiolus, Hinc avidus sciendi morbi causam parens, petiit ut interessem apertioni corpusculi.

Nihil autem in aperto cadavere invenimus, nisi intestina inflata, distenta, vacua, & pauco excremento bilioso, liquido hinc inde fluctuante repleta; ventriculus inflatus continebat materiæ pituitosæ spumantis, & quasi adhuc fermentantis, quantum binis cochlearibus excipi potuisset.

Epileptici canis anatome cujus intestina vermibus erant obsita.

Adrianus Spigelius Catellum Milesium, quem in delitiis habebat, Epilepsia confectum aperuit, Intestina vermibus scatebant: Sed imprimis latus Lumbricus iis adhæsit capite bifido, qui veram candidi coloris fasciam referebat. *Joan. Rhodius centur. 1. observ. 59.*

Anatome Pueri Epileptici, cujus Lien induratus, scirrhosus & fere lapidosus repertus est.

Sereniss. ac Celsissimi Principis D. Ferdinandi Alberti Ducis Brunsvvicensis, & Lunæburgensis, Filiolus unius anni, Convulsionibus Epilepticis admodum erat obnoxius, Cum his ita graviter affligeretur ut tandem vitam cum morte commutaret, corpus ejus die 27. Jan. 1673. aperui, & Lienem colore lividum & nigrum, substantia admodum induratum, scirrhosum & fere lapidosum juveni. *Matth. Tilinguis in miscell. curiosis an. 1674. 1675. & 1676. p. 280*

Anatome Epileptici, cujus viscera salva inventa, solus ventriculus repertus tenuissimæ membranæ instar.

Chirurgus ex majori Polonia, artis suæ bene peritus scripsit nuper Nobilem quendam anxietate cordis diu vexatum, infinitique usum remediis, tandem Epilepsia correptum per duos dies mortuo similem jacuisse, tandem fatis cessisse.

Aperto cadavere reliqua viscera salva inventa fuisse (ut ille ait) solum ventriculum repertum tenuissimæ membranæ instar. *Joan. Patersonius Hain, in miscell. cur. ann. 6. & 7. p. 239.*

Epilepsia à suppresso semine.

Nob. quidam coitui addictissimus, tandem hujus fœditatis pertæsus, castitatem sibi servandam ita rigide proposuit, ut deinceps jejuniis, abstinentiæ & orationi solum esset intentus: Ecce post sex menses nausea correptus, vertigine concutitur, & post paucos dies Epilepsia sæva opprimitur: Medici à vitio ventriculi subortam rati; ventriculo, sed frustra consulunt; nam malo ferocius infestante in plenilunio præcedentibus inordinato linguæ motu, capitis rotatione, pallore faciei, caligine oculorum, Epilepsia cum valido dentium fragore correptus, post paucas horas velut sideratus enectus est.

Dissecto corpore, nullum vitium in stomacho, cerebro reliquisque partibus inventum, præterquam in cavitate vasis semen in penem deferentis, quæ licet conspectum quodammodo Anatomicis fugiat, & coitus tempore solum aperiatur, tamen ea semine in virorem mutato oppleta visa est, & ulceribus sordidis, ab hac virulenta substantia retenta & corrupta forte contractis conspurcata, è quibus ascendebat indesinenter aura noxia, quæ cerebrum lancinans, excitata Epilepsia, ægrum ad interitum deduxit. *Zacutus Prax. Admir. lib. 2. Obs. 119.*

Epilepsia, ex intestinorum tenuium erosione & gangrænosi.

Die 5. April. vocati fuimus ad infantulum trium septimanarum, qui miris vexabatur ventris torminibus ab ipso ortu quibus ab initio mulierculæ ol. amygd. dulc. cum sacchar. occurrerunt: posteaquam verò malum magis ingravescere animadverterunt, nostram implorarunt opem: omnibus probè exploratis reperimus torminibus incipientibus, spasmodici quid secundum fibras œsophagicas accidere, à quo deglutitio impediatur & misellus singultientis instar clamitet: dejiciebat viridia odoris acris, appetitus prostratus fuit, sitis intensa. De iracundia matris cum aliquâ ex parte nobis constiterit, magis de diæta tempore graviditatis percontati fuimus, quæ satis inordinata fuit, dum carne suilla & brassica capitata salita admodum palato blandita fuit: præscripsimus antepileptica nervina, absorbentia & præcipitantia, atque externè Bals. de Peru & ol. nucist. ventric. prospeximus, matri quinetiam tragema suasimus ex spec. diatrag. frig. gum. arab. ocul. cancr. præp. rasur. ebor. coral. rub. præp. cum sacch. ros. tab. verum enim verò biduo post convulsiones evidentius comparuerunt, dum emisso prius flatu sonoro, in faucibus difficultas major incruduit, & manus pedesque variè contremuerunt, injectum clysma ex lact. vaccin. cui additur ol. rut. cum sale tartari & ordinat. mixtur. antepil. ast nequicquam his effectum, minus aliis à garrulis mulieribus hinc illinc allatis, quinimò convulsiones tanto impetu misellum prehenderunt, ut mirari subierit maximè, qui tot armatis tamdiu resistere misellus potuerit, siquidem post decimum demum diem, corpusculo verè enecto, fatis cessit.

Secuimus cadaverculum præsentibus Vir. præstantiss. D. Ritz. Affine nostro Pharmacopola, & D. Passavant Chirurgo: Abdomine aperto intestina admodum erant distenta, crassaque cum tenuibus materiam viridem, grumosam, qualem in vivis cum torminibus acerrimis sæpius excrevit, monstrarunt: intestina tenuia hic illic qualemcunque ruborem conceperant, præprimis autem sub finem ilei ad aliquot uncias manifestam gangrænosin deprehendimus. Cœcum parvulum, inane ex vacuum, à labe immune fuit, hepar subpallidum: vesicula fellis bile subviscida & viridi plena, pancreas duriusculum, ea etiam parte, qua duodeno nectitur. Mesenterium & renes, qui bubulis similes erant, laudabiliter habuerunt, nec pulmonibus quidquam vitii inerat, quin tenerrimæ vesiculæ egregiè in his conspicuæ: Cranii suturæ, anterior & posterior, insigniter ab invicem dehiscebant: sanguinem quoque extravasatum cranium hic illic monstravit: cerebri meninges huic aliquo modo erant adnatæ, quibus disruptis modicum serum promanavit, quale concretum in cortice quoque hinc inde notavimus, cum sanguine grumoso & extra vasa stagnante, haud dubie ab motu, intra ita graviter infestantibus motibus spasmodicis, impedito. *Joan. Jac. Hardeni Apiarii. Observat. 99.*

Plurium Epilepticorum infantum aperta calva Cl. Car. Drelinc. aliud nihil reperit quàm ventriculos cerebri anteriores sero flavente & acri turgidulos, & è plenitudine tanta conjicit quippiam illius seri mordacis irruere in ventriculum 3. & in 4. ac nervorum fibrillas inibi lacessere, convulsifice, atque lethaliter. Inter autem Epilepsiæ sympathicæ exempla Parisinum militem mihi recitavit, pari fatò ac apud Gal. extat, sonticam auram sensisse frigidam à summo dextri pedis pollice in crus efferri, ac consecutione quadam in cervicem & cerebrum: corruente viro totis artubus horridè succussato. *E Thesib. Discipulor. Clariss. Caroli Drelincurtii.*

Epilepsiæ atq; dispnoeæ altera & inaudita causa.

Vir ebriosus jam olim cibis pepercit, sed vino & Nicotianæ indulsit impendio: quinetiam Sp. V. millies sese dementavit, ac tandem sub æt. an. 50. frequens convulsus est, sensibus orbus, spumans & anhelans. Ubi mentis compos est, queritur de capite gravi & sensuum hebetudine; sed præprimis asserit sese serpentes atque viverras gerere pectore clausas, quæ sibi pulmones gravent atque divellant. Tandem cùm plateas Novembri perreptaret cecidit derepente convulsus, cum spuma & stertore, ac intra paucas horas extinctus est.

Revulsa calva duræ meningis ductus potiores concreta pituita flava turgebant. Illis patefactis mucaginem illam ex ipsis, haud secus ac è sambuco medullam, sed totaliter cohærentem atque tenacem C. D. eduxit. Lumbricos esse susurrebant adstantes, sed pura puta fuit gelatina è sero intra sinus concreto, ubi, ceu in proplasmate, teretem formam consecutum est. Dura matre leniter & industrie reducta nullum spatium detectum est intra meningas, uti vulgo. Universus enim cerebri ambitus gelatina obducebatur fulva ad ejus intimos usque gyros. Miro igitur spectaculo tota isthæc concretio uti sinus meningum, ita & anfractus cerebri complebat. Imo tota eminebat super cerebri corticem griseum digiti auricularis altitudine ad basin usque cerebri; atque sic suis è sedibus piam matrem expulerat. Hæc enim non nisi intermedia gelatina cerebrum contegebat.

Hac concretione pituitosa, viscida, tenaci, fulvaque sedulo derasa, novacula in cerebri substantiam griseam atque candicantem est adacta, & firmior illa atque compactior solito deprehensa est, sicut in hydrocephalo idipsum annotavit Cl. Promotor. Ventriculi quaterni lympha scatebat subfulva, salis more feriente linguam. Plexus choroideus & ejus glandulæ, ac etiam pinealis, impensè tumebant, ac firmitudinem præ se ferebant haud profecto vulgarem. Istis peractis totus arsit Præceptor meus pectoris aperiundi desiderio serpentum visendorum gratia. Sed ecce dum cordis recessus indagat, dira moles pituitæ fulvæ, tenacis & compactæ ventriculum opplet utrumque. Imò sese exinde per universos venæ & arteriæ pulmonariæ diremptus diffundit, tot scilicet pedes polypus ille cordis in pulmones infert, quot profecto pulmonis sunt sanguinei ductus. Corpus autem illud solerter è suis thecis seu vaginis eductum est, ac supra chartam bibulam extentum, quo aciculis confixum siccaretur.

Non alii certè serpentes, nec aliæ viverræ fuerunt, de quibus vir ille toties questus erat

erat, quàm polypi illius pedes per pulmonis sanguinea vasa longè lateque protensi, atque sua crassitudine sanguinis a corde in pulmones impulsi liberum iter intercipientes.

Coronidis vice notare est cerebri candorem Nicot. Mephiti nusquam opacatum fuisse, sed profecto pulmonis utriusque haud fuit sors eadem. Is etenim uterque intus & extra nigricabat; & tartareas insuper glandulas bronchiales ad basin cordis habebat, verè petricosas & opacas ac illa Nicot. fuligine tetra plenè perfusas atque denigratas. E diverso autem tartarum omne quod intra bronchia Cl. Promotor meus reperit, id omninò candidum fuit, & grandines illas cessit ipsi, de quibus scriptores nostri scienter omninò scribunt, & quas aliquoties tussi explosas, & muco convolutas contuitus est Præc. meus, & siccatas asservat.

Sic perfectò sagaciss. vir idem calculos è renibus humanis atque caninis nivei candoris æmulos nobis cessit. Valeant ergo Medici dum profitentur, calcithum renalem nullum candidum esse. Valeat & Philosophus (Probl. 42. sect. 10.) reputans nullum animal præter hominem calculo vexari.

Ita curiosiss. atque peritiss. Promotor meus C.D. dum mirificam hoc anno, cadaveris humani retexeret telam, reperit præter arter. lienalem hinc inde protuberantem atque tophaceam, arteriam quoque coronariam cordis lapidosam. Imò quidpiam offendit petreæ naturæ cordis ipsius tholamo sinistro adnatum, eo Loci ossa deteguntur in elephanto, cervo, dama, tauro Ac.

In puerulo Epilepticis motibus extincto varia in visceribus trium ventrium adnotantur.

Puellus septimestris postquàm febricula per mensem integrum laborasset cum urinis glutinosioribus & rubore saturato infectis, derepentè in motus Epilepticos ac affectionem lethargicam, incidit, quibus quinque dierum spatio exstinguebatur. Hujus cadaverculum cùm cultro nostro subjiceretur sexto April. Ann. 1686. vidimus primò totum Abdomen quàm maximè tensum, illoque reserato reperimus Omentum totum versus ventriculum replicatum; ventriculum ipsum contractum ac prorsus vacuum; Pancreas ventriculo subjectum, duriusculum ac pallidius; Intestina tenuia flatibus distenta, crassa verò & flatibus & excremento fluidiori sed lutoso, coloris grisei, repleta, utraque tamen in propria substantia intemerata; Jecur per totam propè sui gibbam partem diaphragmati agglutinatum, magnitudinis monstrosæ, coloris subgrisei, maculis sublividis interstincti, in tota substantia, durius, ac cultri aciei non parum renitens; Vesiculam bilariam succo viridiori ac cœnoso, unde vix per compressionem etiam incisis longiùs membranis effluebat, turgidam; Lienem satis bene constitutum præterquàm quod ipsius exterior membrana tota corpusculis tophosis, seminis milii magnitudine, respersa foret; Renes naturalem magnitudinem non parum excedentes, eorumdemque pelvim urinâ syrupi consistentiâ, ac colore prope sanguineô, plenum, coloris prætetea illi erant pallidioris; Ureteres qui vix specillum admitterent, quod scilicet humore mucilaginoso infercirentur, hic humor præcipuè à dextris dum urinæ è pelvi delabenti, obicem in via poneret, in causa fuerat ut in hoc uretere paulo ipsum renem, dilatatus confecta fuisset. Pollicem facile admittens, urinâ prædictâ tota referta; Vesicam urinariam aliàs sanam, sed in sui cavo urinam, quàm in aliis suis secerniculis ac canaliculis cœnosiorem, continentem. Inde in Thoracem cùm ascenderemus reperimus Cor suâ capsulâ conclusum, ac aquæ pericardii, ut in sanis moris est, innatans substantiæ compactioris, cujus ventriculus dexter parum sanguinis grumosi, sinister verò corpu quoddam polyposum album ac solidius, ramos duos in totidem venæ pulmonariæ, vulgo arteriæ venosæ dictæ, tubulos emittens, complectebatur; Pulmones per duos lobos dextros, superiorem scilicet minorem, inferiorem grandiorem, pleuræ non parum firmiter adnatos, magnitudinis ab hoc latere ordinariæ, coloris prorsus albidi, quibus variè excisis ne guttula quidem sanguinis vel spumosi, vel alius consistentiæ, effluebat: à sinistris verò majores fuere lobi, crassiores, lividi, ac sanguine ita turgentes, ut ille materiæ spumosæ admistus, copiosiùs inter resecandum effluеret. Tandem cavitatem supremam attingentes reperimus Cerebrum substantiâ quidem suâ incorruptum, sed ea seri citrini quantitate, & in basi, & in ventriculis suis suffusum, quæ ad uncias ad minimum octo assurgeret.

Hisce omnibus sic lustratis non difficile fuit statuere, imi ventris viscera debiliora dum sero inertiori, succisque glutinosioribus tota infercirentur, eorumque varii canales excretorii obstruerentur, distributioni alimenti, ac sanguinis purificationi non parum obstitisse; liquoresque ab eodem secretos in propriis vasis moram longiorem traxisse, & illius massæ post multam acquisitam in morâ acrimoniam redditos, corrosivum quid ipsi impressisse, quo membrana pulmones vestiens exesa, hocque viscus pleuræ agglutinatum fuerat. Ipsum præterea sanguinem serô quasi obrutum, bonam ejusdem quantitatem in cerebrum tandem deposuisse, quæ suis aculeis epilepticos primum insultus, ac demùm inundato & submersô quasi totô viscere, animalium spirituum verâ officinâ per eorum suffocationem, lethargicam affectionem, ac tandem ipsam mortem induxerit.

EPINYCTIS.

I. AD Furunculum haud ineptè referri possunt Epinyctis, & Terminthus. Epinyctis, ex C. Celsi, Pauli Æginetæ, & Aëtii sententia, est pustula pessima colore sublivida, vel subnigra, vel rubicunda, vel alba, circa quam vehemens suboritur inflammatio cum ingenti dolore, noctu magis affligens, cumque aperta est, intus mucosa reperitur exulceratio. Color est humori suo similis, ab eaque cruenta emanat sanies. Dicta vero Græcis ἐπινύκτις, quia fere semper noctu oritur. Arabes *Essere*, *Sere*, vel *Saire* appellarunt.

II. Fit Epinyctis, haud secus ac Furunculus,

è sanguine impuro, acri, maligno, criticè in corporis superficiem expulso.

III. Signa vero quibus cognoscitur Epinyctis, sunt quod pustulæ hæ sua sponte proveniant, colore sint rubicundæ, vel sublividæ, vel albicantes, atqui gravius noctu quam interdiu affligant. Cæterum dolor in Epinyctide vehementior est, quam pro ejus magnitudine, cum fabâ major non sit: sponte exulceratur, & cùm rumpitur mucosam parit exulcerationem, unde subcruenta emanat sanies.

IV. Equidem pustulæ hæ, ex C. Celsi sententia, maxime eveniunt in puerili ætate, raro in medio corpore, sæpè in eminentibus partibus, & verno tempore, suntque nullius periculi, nisi in curando error committatur, quamvis pravos humores in corpore redundare indicent.

V. In Curatione Epinyctidis, haud secus ac in Furunculo Curando, procedendum; viz. Pustula maturanda, & Puris generatio accelleranda, appositis Uvis passis contusis; vel imposito Cataplasmate ex Uvis passis, Caricis pinguibus, & Ruta viridi, simul comminutis; vel Emplastro Diachylo cum gummi, cum Unguento Basilicone; vel, ut malignitas si quæ adsit corrigatur, tali Digestivo,

℞. Unguenti Basiliconis ℥j. Therebinth. venet. ℥ß. Theriaces Andr. ʒ ij. Mellis virginei ʒ vi. Olei Scorpionum ʒ iij. M. F. S. A. Digestivum. Postea ulcus mundetur Digestivo communi; Unguento Aureo vel Basilicone impleatur; atque imposito Emplastro Diapalma, vel Styptico tandem cicatrice tegatur.

VI. Terminthus autem Tuberculi species est, & Epinyctidi ferè similis, cui superne & inferne nigra pustula incumbit, qua ruptâ infernè desquammatio apparet: dissecto autem tuberculo pus invenitur. Sed cum Terminthus ex eadem causa, qua Epinyctis, hoc est, ex adusto, acri, & venenato sanguine fiat, eademque pars afficiatur; hinc eadem Curatio ei convenit, idemque Prognosticum, quod Epinyctidi.

EPIPHORA.

Ἐπιφορὰ (à φέρω fero) est immoderata tenuis humoris fluxio lachrymarũ specie in oculos præter naturam facta, humor qui fluit, modò frigidus est & aqueus, nullo dolore molestus, modò acer est aut salsus, dolorem, ardorem & ruborem, imò nonnunquam palpebrarum exulcerationem inferens, Symptoma est in excretis. Hujus affectus causa proxima est humor excrementitius, à capite vel aliunde à parte aliqua corporis in angulos oculi influens. Causæ disponentes sunt partis affectæ imbecillitas, roburque mittentium. *Thom. Burnet Thesaur. Medico-Practici lib.5.*

Post evacuantia generalia & particularia, revellentia & derivantia, quibus cerebrum ab humoribus serosis depleatur; ad fluxionem sistendam utatur æger sequentibus.

℞. Nuc. cupress. gallar. virid. rad. bistort. ana ℥ß pulverizentur, & irrorentur aceto acerrimo, & siccentur; add. mastich. sang. drac. sandarach. ana ʒ vj. ochræ in aceto lotæ & siccat. ossium human. calcinat. lap. hæmatit. ana ʒ iij. bol. Armen. alum. rup. ana ʒ ij ß. Terebint. Venet. ceræ ana q. s. fit Emplastrum, cujus portio extendatur in panno serico & applic. arteriis temporalibus & supra supercil. & tota nocte gestetur.

℞. Aloes è vesica ʒj. tutiæ præp. ʒß. Mac. ℈j. Ireos flor. ʒj. Mastich. sang. drac. ana ℈ ij. Vitriol. alb. gr. xv. Sacchar. cand. ʒjß. Aq. stillatit. fœnicul. euphras. rof. plantag. ana ℥ iij. M. insolentur per octiduum, mox f. colatura, de qua cap. ℥j. phlegm. alum. q. s. ad contemperandum; instilletur gutta in ocul. sæpiùs in die. *Thedor. de Mayerne Praxeos Medic. lib.1.*

Puellæ cuidam novem annorum ex uno oculo lachrymæ ultro effluebant, quæ frigidæ erant, neque oculum corrodebant. Erat autem puella pituitosa & catarrho obnoxia, præmissis universalibus ut sequenti collyrio uteretur mandavi, quod omnibus convenit in quibus malum perseverat.

℞. Aloës, nucis cupr. thuris, mastich. myrrh. ana ʒ ij. tutiæ præp. sarcocoll. nutrit. an. ʒ j ß. sang. drac. berber. sumach. rof. rub. ana ℈j. pulverisentur tenuissimè & excipiantur aqua fœnic. & fiat collyrium, cujus ope ab hoc malo liberata est. *Petrus Forestus, observat.11. lib.11. De morbis Oculorum.*

Epiphoram calidam in muliere quadam ita curavi, corpore repurgato & vena secta, collyrio sequenti utebatur.

℞. Troch. alb. rhasis sine opio, ʒj. Aq. rof. vel peculi rof. ℥ iij. Aq. fœnic. (ne ob refrigerationem obtundatur acumen visus) ℥ ij. M. F. Collyrium.

Si illud non juvaret, consului ut sequenti uteretur.

℞. Feruss. ablutæ, sarcocoll. nutrit. licii, acaciæ, thuris, ana ʒj. ossium myrobal. adustor. corall. alb. rub. ana ʒß. Margarit. ℈ß. succi mali punici ad dimidiũ absumptionem cocti, q. s. F. Collyrium. Solus etiam malorum punicorum succus coctus, donec dimidium absumatur, lachrymas calidas curat. In hac Epiphora commendantur etiam cauteria retro aures. *Rondeletius* potius laudat cauterium supra commissuram. Vetula quædam in *Italia* cum oculos haberet lippientes, lachrymantes & saniosos, cum intenso dolore & prurigine, & nullis remediis posset curari, tandem raso capiti emplastrum vesicatorium impositum est; excitatisque vesicis ac ruptis, butyro imposito, ac demum caulis folio, quo præsidio perfectè curata fuit. Vesicatoria etiam in collo egregiè prosunt. *Petrus Forestus, observ.12. & Schol. lib.11.*

Pro singulari experimento habetur hoc unguentum.

℞. Ærugin. æris, gr. xij. camphoræ, ʒj. tutiæ præp. ℥ß. butyr. rec. quod cum aqua rof. liquefiat. & parum bulliat, ʒ vj. M. decenter ut fiat unguentum. Indatur pisi magnitudo in oculi canthum majorem: leviterque inungantur palpebræ. Est ad Epiphoras & pruritus oculorum, singulare experimentum. *Felix Platerus, tom.2. prax. med. pag.279.*

EPIPLOCELE.

Vid.

HERNIA.

EPULIS ET PARULIS.

I. Quemadmodum Laxa, Fungosaque intra Nares excrescens Caro *Polypus*, ita *Hypersarcosis* seu *Carnea Gingivarum circum Dentes Excrescentia* Epulis dicitur. Hæc vehementer aliquando increscit, atque augetur, ut adeò & loquendi, & manducandi adimat facultatem: viscidam, tenacem, ac fœtidam effundit Salivam, & non rarò in Cancrum quasi degenerat.

II. Solet verò Affectus hic ex *Scorbuto* semper oriri. Enimverò sanguis labe scorbuticâ infectus, recrementa sua acri-salina tum per arteriolas, tum per vascula salivalia, in Gingivas quoque deponit; quæ laxam, fungosamque Illarum Carnem erodunt, hinc & corrumpunt sæpè, ut Dentes stabilire nequeat; aliquando verò Erosam Gingivarum Carnem ultrà excrescere faciunt, adeoque *Epulidem* causant: quæ idcircò in Norvegia, aliisque Septentrionalibus Regionibus, ubi Scorbutus Endemius est Morbus admodum frequenter contingit.

III. Refert Paræus *Chirurg. lib. 7. cap. 4.* sæpius se observasse, carnosam hujusmodi excrescentiam in cartilagineam, & osseam vetustate induruisse: quapropter quam celerrime fieri poterit, *Curationem Hujus* aggrediendam esse suadet. Igitur exilis quum sit Epulis, tentanda Ejus per Medicamenta Curatio; atque Universalibus, ut in Scorbuti Cura fieri solet, haud neglectis, Topica adhibenda sunt Exsiccantia & Adstringentia; viz. *Aluminosa*, aliaque Antiscorbutica, v. gr.

℞. Aq. Plantaginis, Salviæ, Antiscorbuticæ, Vini Albi Gallici ana ℥ i ß. Aluminis Crudi pulver. ʒ ij. Aquæ Cinamomi ʒ iij. Misceantur pro Oris Collutione.

Sed Medicamentis si tolli nequeat hic Gingivarum Tumor quam citissimè Filô, vel Cultrô abscindatur, ne præter modum induretur, vel in Cancrum abeat. Ubi verò abscissa est Epulis, Ægrotans frequenter os colluat, atque Gingivas fricet præscriptâ nunc Oris Collutione, vel simili.

IV. Nascitur quoque in Palato Tumor ex viscosa & acri materie, quæ Os inter & Membranam hærens, illud non rarò putrefacit, atque corrumpit, hinc Ulcus grave excitat. Tumor hic Parulis dici consuevit, atque contingit ex Saliva præter modum acri & salsa, simulque glutinosa; quæ per exiles Palati ductus prodiens, & ob suam ipsius visciditatem membranæ poros transcolari nequiens, adeoque inter Os & Membranam subsistens, Tumorem hunc producit. Qui ut Curetur, discissa pinguis Carica apponatur; hinc quamprimum, non expectatâ suppuratione, sectione latâ & profunda, ad os Palati usque, incidatur, & acris, viscidus, necnon subcruentus humor exactè exprimatur; secus enim subjectum os facillimè corrumpitur, oriturque fistulosum, ægreque sanabile ulcus. Facta verò sectione, evacuatoque concluso humore, absque medicamentorum ope, sola Saliva aperturam sanat. *Joh. Munnicks Chirurgiæ lib* 1.

Parulis parva est inflammatio partis alicujus gingivarum cum tumore, quæ si non resolvitur suppurat, & in abscessum vertitur, qui malè curatus in ulcera serpentia sæpè degenerat. Si unà dolor adsit, leniatur ille gargarismatis è lacte tepido, cataplasmate ex mica panis albi in lacte cocta, misto ovi vitello, croco & oleo rosato. Si non resolvatur tumor, & ad suppurationem tendat, ficus pinguis per medium secta carboni accenso superponitur, dum aliquantulum arescat, dein tumori gingivæ apponitur, interdiu atque noctu gestatur dum matura parulide pus sponte aut arte fluat. Abscessus hinc relictus non ad cutem faciei, non ad radices dentium aperiri solet, vel sponte naturæ, vel manu Chirurgi, quo aperto pus erumpit, statimque dolor cessat, & brevi pars redit ad pristinum statum. Si gingivæ citra tumorem inflammantur, idest, si phlogosi laborent, convenit gargarismus ex aqua communi tepida, Aqu. plantag. rosar. addito aceto rosato, vel oxycrato, vel ex succis sempervivi, plantaginis, solani.

Epulis est excrescens gingivarum caro, parulidem malè curatam sæpe consequens. Nisi enim in parulide, quæ suppuraverit, ulcus fuerit probè detersu n, luxuriat ibi caro, quæ Epulis dicitur, & sensim augetur, aliquando ovi magnitudinem superans, & sermonem masticationemque impedit. Interdum in cancrum degenerat, quod inde noscitur, quod cùm prius esset indolens, nunc lancinante dolore comitata est. Cumque in cancrum degenerat, nec ferro nec manu Chirurgica attingi debet. At quæ nullum dolorem excitat, alligetur filo duplicato, donec excidat, ubi autem excidit, ne repullulet, ejus radix cauterio ignito attingatur, vel potentiali, vel oleo vitrioli, aqua forti & similibus, cavendo tamen, ne ab iis corrodentibus partes sanæ lædantur. *Autor Encheirid. Medico-Practic. apud Fernel.*

ERYSIPELAS.

Curationes.

Tumor qui Græcis *Erysipelas*, Latinis Ignis Sacer, seu Rosa nuncupatur, ab Autoribus malè describitur, quod sit tumor præter naturam ex bile ferè in solam cutem, quandoque etiam in musculos subjectos, effusa, dolorem, calorem aliaque symptomata causante. Si namque sola Bilis in cutem effunditur Herpes, non Erysipelas oritur.

II. Sed quum vera Inflammatio, atque adeò Phlegmonis species sit Erysipelas, potius dicendum videtur, quod sit Inflammatio valde ardens, maximeque circa cutem consistens, & aliquando subjectæ carnis aliquid occupans, orta ab effuso, extravasatoque bilioso, tenuiore, & subtiliore sanguine, cum tumore vel exiguo, vel sæpè, quoad sensum, nullo; cujus color pallidior aut magis flavescens est, quam Phlegmonis, & si tetigeris facilè sanguis subterfugit, rursusque illabitur exquisitè tenuis, aspectuque rubens.

III. Est autem Erysipelas duplex; verum seu legitimum, & non verum seu spurium. Verum Erysipelas simplex est, simplici fervore & rubore affectum sine ulla exulceratione, è sanguine bilioso, tenuiore, fervidiore, in quo Acidum

dum volatile prædominatur, genitum. Non verum ſeu ſpurium Eryſipelas trium vulgò habetur generum: Unum quod oritur ex ſanguine bilioſo, tenuiore, at acri, pungente, & rodente, qui idcirco latam, & aliquando profundam ſatis efficit exulcerationem: Alterum Eryſipelas ſpurium eſt ſine partis affectæ exulceratione; in eo tamen exiguæ ſuccedunt puſtulæ & veſiculæ, quæ nonnihil inciſæ, perforatæque Saniei aliquantulum fundunt: Tertium genus eſt, quod fit quidem è ſanguine tenui, fervido, at ſimul vel copiâ peccante, vel ſerô abundante, vel terreſtribus, acido-auſteris, ſimilibuſve particulis redundante, unde Eryſipelas dicitur vel Phlegmonodes, vel Oedematodes, vel Scyrrhodes.

IV. Igitur verum ſeu legitimum Eryſipelas è ſanguine bilioſo, tenui, ſubtili, fervido, in quo Aciditas volatilis abundat, generatur; qui ex minutiſſimis capillaribus vaſculis exiliens, præ ſua tenuitate & ſubtilitate in interiore carne ſubſiſtere nequit, ſed per extremam cutem, parteſque ei vicinas diffunditur, atque ardentem ibidem excitat Inflammationem.

V. Ardens autem illa cutis, partiumque proximè ei ſubjectarum Inflammatio, Eryſipelas dicta, à Phlegmone diſtinguitur, 1. Colore; eſt namque Inflammationis color ruber, Eryſipelatis ex rubro flaveſcens. 2. Pulſatione; quæ magna adeſt in Phlegmone, parva vel nulla in Eryſipelate. 3. Tumoris magnitudine; Etenim in inſignem tumorem Inflammatio partem attollit, cum & cutem & ſubjectos muſculos occupet; Eryſipelas verò partem affectam modicè elevat, adeo ut vix appareat tumor, cum cutaneas partes ſolummodo ardens hæc Inflammatio invadat. 4. Calore, qui major eſt in Eryſipelate, quam in Phlegmone. 5. Dolore, qui in Eryſipelate minor eſt, at pungitivus; in Phlegmone tenſivus, & gravativus. 6. Duritie & Mollitie; cum Inflammatio tactui non cedat, ſed renitatur; Eryſipelas verò ſi tangatur, tactui cedat. 7. Eo, quod rubedo, quæ in Eryſipelate adeſt, ſi digito prematur, ſtatim abeat, & cutis ſub digito alba evadat, deinde vero mox redeat eadem rubedo, ob tenuem ſubtilemque ſanguinem, à quo fit; in Inflammatione verò hoc non accidat. 8. Quod in Eryſipelate nulla tenſio, ut in Phlegmone appareat. 9. Loco affecto; Eryſipelas namque loco dimovetur, ſerpit, & vicinas partes ſimiliter afficit, Inflammatio autem in uno figitur loco, ab eoque nec diſcedit, nec dimovetur.

VI. Signa itaque, quibus hic affectus cognoſcitur, ſunt æſtus ingens, dolor acris non valdè vehemens, rubedo ad flavedinem tendens, ad tactum ut facilè cedens, ita & facilè rediens, partis intumeſcentia, ac tenſio levis, pulſatio minor; fitque invaſio ejus plerumque cum Febre, niſi à cauſa externa oriatur.

VII. Equidem rarò periculoſus eſt affectus Eryſipelas, niſi ab exterioribus ad interiora materies repellatur: periculoſior verò, ſi circa oculos, fauces, aliaſve nobiles partes conſiſtat; aut ſi vulneri, ulceri, fracturæ, luxationi ſuperveniat. Ut autem facilius tutiuſque ſanetur, reſolutione, aut inſenſibili tranſpiratione, ſeu per diaphoreſin terminari debet, non ſuppuratione, quæ in hoc affectu mala admodum eſt, difficiliſque curationis.

VIII. Ut verò Eryſipelas ritè Curetur, 1. Conveniens inſtituenda Diæta, atque eadem ſex rerum nonnaturalium diſpenſatio hic obſervanda, quæ in Phlegmone. Dein Antecedens Materia evacuanda Cholagogis blandioribus, Venæſectione, ac inprimis Diaphoreticis iterandis, reiterandiſque.

IX. Tertia Cura erit de Medicamentis Topicis: Quæ in Principio minimè ſint validè Repellentia, Exſiccantia, Adſtringentia, quod illorum uſu Materia acrior intrò compulſa vicinas partes corrodat, & exulceret. Sed ſi exiguum fuerit Eryſipelas, pars affecta à nobilioribus remota, humoreſque adhuc fluxerint, applicentur modicè Repellentia, at Reſolventibus mixta; ne occluſis nimium poris, hinc radiante nativo calido ferè ſuffocato, Gangræna accedat.

X. Peſſimè quoque Ægris ſuis conſulunt Chirurgi, qui partem Eryſipelate affectam inungunt Unguento Nutrito, de Ceruſſa, Populeo, Roſaceo, Oleo Roſarum, Violarum, ſimilibuſve pinguibus; utpote quæ bilioſum, tenuem, fervidum, atque in partes cutaneas effuſum, extravaſatumque ſanguinem excitant magis, incendunt, adeoque ardenti huic Inflammationi maximè adverſantur, ut rectè monet Galenus *lib. 5. de ſimpl. Med. Facult.* Et ſcribit Fabritius Hildanus, *Cent. 1. obſerv. 82.* ſe obſervaſſe, Eryſipelas ex Olei Roſacei inunctione in Gangrænam mutatum fuiſſe.

XI. Modicè ergò Repellentia, at Reſolventibus Volatilibuſque permixta, quæ ſimul Acidum volatile infringere ac mitigare poſſunt, hic ſunt apponenda, v. gr.

℞. Aquæ florum Sambuci ℥ viii. Aceti Sambuci ℥ ij. Spir. vini ℥ i ß. Sacchari Saturni gr. xv. Camphoræ ℈j. Miſceantur pro Epithemate.

Vel ℞. Aquæ florum Sambuci ℥ viii. Vini albi Gallici ℥ iv. Miſceantur.

Vel ℞. Aquæ florum Sambuci ℥ vi. Spiritus vini ℥ j. Camphoræ ℈j. Troch. alb. Rhaſis ℈ ij. Miſceantur.

Vel ℞. Fol. Malvæ, Altheæ, Parietariæ, Salviæ an. Mj. Flor. Sambuci, Camomillæ an. Mij. Roſarum Rubr. Mj. Coq. in æq. part. aq. comm. & Vini albi Gallic. ad ℥ xxx. pro Fomento. Vel decoquantur Flores Sambuci in Lacte Dulci, vel Ebutyrato, & applicentur.

Vel fiat Sacculus interſutus ex Floribus Sambuci, iſque in Aqua Florum Sambuci, tantillo Aceti Sambucini addito, madefactus, iterumque leviter expreſſus calidè parti affectæ applicetur, & ſæpius renovetur.

Vel diſſolvatur Sapo Venetus in Aqua Pluviali, vel Florum Sambuci, atque iſto lixivio imbuantur panni lanei mundi, qui dein fortiſſimè exprimantur, & parti affectæ calidi applicentur, ac identidem permutentur.

Sunt qui Stercus ovillum in vino aut aceto decoctum uſurpant.

Alii laudant Cretam pulveriſatam ope chartæ emporeticæ parti impoſitam.

Nonnulli Spiritum Vini, in quo Theriaca diſſoluta eſt, linteis duplicatis aut quadruplicatis imponunt.

XII. Sed remediis hiſce ſi Eryſipelas curari nequeat quin potius exulceretur, hoc vel ſimile illinatur Unguentum.

℞. Troch. albor. Rhaſis, Tutiæ præp. an. ʒj.

Lithar-

Lithargyri ʒiß. Ceruſſæ ʒij. Flor. Sulphuris ℈j. Camphoræ ℈ß. Olei Roſarum ℥ij. Ceræ albæ q. ſ. Terantur diu, & exactè lævigentur in Mortario plumbeo; ac F S.A. Unguentum.

XIII. Sin vero in Facie fuerit Eryſipelas, nulla apponenda ſunt Repellentia vel Adſtringentia, ne quidem Reſolventibus mixta; ne materia ad Oculos, Fauces, aliaſve partes nobiles pellatur. Sed imponatur Sacculus interſutus ex Floribus Sambuci, in calida Aqua Florum Sambuci, addito Vino albo Gallico, madefactus, leviterque expreſſus, qui identidem renovetur. Vel calidè applicetur Sacculus, ſubtiliſſimâ Tritici vel Hordei Farinâ repletus.

XIV. Atqui cum Caput occupet Eryſipelas, uti Mulieres aliquando experiuntur, nulla omninò humida ſunt apponenda; ſed lintea munda recenter lota, adeoque vapore Saponis perfuſa, calida imponantur, ſæpiuſque permutentur. Vel calidè applicetur laudatus ſacculus, ſubtiliſſimâ Tritici vel Hordei Farinâ repletus. Vel Lixivium fiat fortiſſimum ex Sapone Veneto cum Aqua Florum Sambuci; eò imbuantur lintea munda, quæ dein exſiccata, & calidè apposita, identidemque renovata, mirum in modum Ardentem illam in capitis partibus cutaneis Inflammationem diſcutiunt, reſolvuntque. *Joh. Munnicks Chirurgiæ lib.1.*

Eryſipelas recens quamcunque partem invaſerit externa diſcutientia requirit moderata. Sanguis menſtruus in aceto roſaceo diſſolutus & calidè applicatus ſubitò ſolvit, præſertim ſi ſudores quoque moveantur ex Bezoardico cùm ſimplici tum compoſito, vel ſolari vel lunari in aqua ſenecionis Item ex miſtura ſimplici in eodem vehiculo.

Sic decoctum Myrrhæ & Olibani in Vino & aceto calideque applicatum citò diſſolvit.

Folia raphani ſylveſtris conquaſſatis fibris calidiuſcule applicata fervorem ſanguinis reprimunt.

Nonnullis aqua ſpermatis Ranarum, ad extinguendum ignem ſacrum familiaris eſt, ſed ſæpe malo cum ſucceſſu. Eſt nimirum nimis frigidum, hoc eſt, habet in ſeſe Mercurium cum Saturnina quadam proprietate conjunctum. Itaque repercutiens quidem eſt, ſed ſubſequentium gravium ſymptomatum cauſa manifeſta. Mortificantur exinde tum partes nervoſæ tum venoſæ. Ejus tamen particula cum decocto Myrrhæ & Olibani miſta laudabilior eſt ad inſtitutum.

Tibialia linea imbibita aqua ſpermatis ranarum & viciſſim exſiccata, ſubindeque eodem opere præparata, pedes & crura ab Eryſipelate ſæpius recurrente muniunt & præſervant.

Eryſipelatis exulcerati curam vide apud Rulandum centuria 1. curatione 43. Hac curâ feliciter uſus ſum in mulierculis, (Naſturtium aquaticum ſingulare.) Item Eryſipelatis phlegmonoſi curat.61.cent.9. *Joh.Hartmann. in Prax. Chimiatr.*

Febris Eryſipelatoſa.

Nullam non corporis partem, idque nullo non tempore inceſſit hic morbus, at præ reliquis faciem, exeunte præſertim æſtate; quo tempore ſæpe dum ſub dio verſatur, corripitur æger. Facies ſiquidem ex improviſo in tumorem attollitur, qui ſubitò exorſus cum dolore ruboreque ſummis, denſo minimarum puſtularum ordine diſtinguitur, quæ auctâ magis inflammatione in veſiculas ſubinde faceſſunt: hinc per frontem ipſumque caput latiùs ſerpit, oculis interim tumoris magnitudine planè obrutis (ruſticis *Syderatio* audit;) neque multùm profectò abludit, niſi quòd adſunt puſtulæ, ab iis ſymptomatis quæ inflicta ab apum veſparumque aculeis comitantur vulnera. Hoc ſe habet modo *Eryſipelatis* notiſſima ſpecies ac vulgaris.

At verò quamcunque corporis partem hoc vitium obſederit, ut etiam quocunque anni tempore, rigor atque horror, niſi præceſſerint (quod nonnunquam pridie, aut nudius-tertius ſolet contingere,) huic ſe inflammationi ut plurimum adjungunt, ſitis inſuper, inquietudo, ac reliqua Febrium indicia. Procedente morbo, uti primùm Febris dolorem, tumorem, atque alia peperit ſymptomata, (quæ indies ingraveſcentia nonnunquam in *Gangræna* terminantur,) ita hæc invicem haud mediocrem ad Febris augmentum conferunt operam, donec remediis idoneis utraque reſtinguantur.

Eſt & alia hujuſce morbi ſpecies, licèt rariùs occurrens: Hæc quolibet anni tempore invadit, idque hâc ut plurimum πρόφασι, quòd ſcilicet æger vinorum ſubtilium magis magiſque attenuantium potationi paulò liberaliùs indulſerit, aut liquoris ſimilis ſpirituoſi. Febriculam, quæ agmen ducit, mox excipit puſtularum per univerſum ferè corpus eruptio, quæ urticarum puncturas referunt, & nonnunquam in veſiculas attolluntur, mox recedentes, tuberculorum more ſub cute ſe condunt cum pruritu mordaciſſimo & vix tolerando. At quoties leviſſimam ſcalpturam ſubeunt, rurſum apparent.

Curatio. Hic ego materiam peccantem ſanguini permixtam ritè evacuandam, ejuſdemque ſanguinis ebullitionem remediis illum contemperantibus ſufflaminandam cenſeo; eam denique, quæ jam partibus impacta eſt, materiam evocandam, diſcutiendamque.

Hæc ut fiant, ubi primùm accedo, ſatis largam ſanguinis quantitatem è brachio extrahi præcipio, qui quidem Pleuriticorum ſanguinem ferè ſemper æmulatur. Die ſequente blandam illam Potionem Catharticam mihi in Praxi familiarem exhibeo, & horâ ſomni (ſi paulò frequentiùs dejecerit æger) hauſtum aliquem Paregoricum e. gr. Syr. de Meconio in Aqu. flor. Paralyſ. vel aliam ejuſmodi. Peractâ Catharſi, partem affectam ſequenti decocto foveri jubeo.

℞. Rad. Alth. & Lil. an. ℥ij. fol. Malv. Sambuc. Verbaſc. an. Mij. flor. Melilot. ſummit. Hyper. & Centaur. min. an. Mj. Sem. Lini & Fœnugr. an. ℥ß. Coq in ſ. q. aq. ad ℔iij. coletur liquor & tempore uſûs adde ſingulis libris decocti, Spir. Vin. ℥ij. Stuphæ è panno laneo levis texturæ hoc decocto immerſæ ac expreſſæ, calidè admoveantur parti bis in die, quæ poſt fotum quotidie illinatur ſeq. mixturâ.

℞. Spir. Vin. ℔ß. Theriac. Androm. ℥ij. Pulv. Piperis longi, Caryophyll. an. ʒij. M. Charta Emporetica hâc mixturâ madefacta parti circumvolvatur.

Æger inſuper ut juſculis tantùm hordeaceis atque avenaceis, cum pomis aſſatis veſcatur, volo; tum etiam cereviſiâ utatur tenuiſſimâ, &

per horas aliquot ſingulis diebus à lecto ſibi temperet. Hac methodo tum Febris, tum alia ſymptomata citiſſimè ut plurimum fugantur. Sin aliter, rurſus venam ſeco; quod & tertium nonnunquam fieri debet, interpoſito ſemper die uno, ſi prava nempe adſit ſanguinis diatheſis, & Febris intenſior. Diebus à Venæſectione liberis Enema è Lacte cum Syr. Violaceo, & Julap. refrigerantia ex Aq. Nymph. &c. in Rheumatiſmi curatione Jam dictis, qualibet horâ diei uſurpanda præſcribo. Ut plurimum verò unica Venæſectio & ſubſequens Catharſis, ſi tempori adhibeantur, rem expediunt.

Quæ urticarum puncturas, cum pruritu, refert ſpecies pari modo eſt amolienda, niſi quòd hæc remediis ab extra applicandis minùs egeat.

Hic obiter dicam, quod licet non ſolùm hic affectus de quo jam loquimur, ſed & plerique eorum qui cutim impetunt, & eruptionem aliqualem comitem ſibi adjungunt (modo Chronici ii ſunt) facile huic methodo cedant, ac proinde ſanguinis miſſione & Catharſi iteratis brevi ſe proripiant; eorum tamen aliqui viâ planè diverſâ tractandi ſunt, nec evacuationes modò dictæ quantumlibet repetitæ, nec pulveres teſtacei ſanguini edulcorando deſtinati quicquam proficiunt; cùm recrementa quædam pravam diatheſin adepta intimiùs cuti impingantur, non niſi remediis quæ ſanguini robur ac vim conciliant, proindeque cutis ſpiraculis deobſtruendis apta nata ſunt, ullatenus amovenda debellandaque: Cum ſucceſſu itaque non vulgari ſequentem methodum aggreſſus ſum in Pruritu ferino, atque inveteratis id genus cutis eruptionibus. Ut

℞. Theriac. Andromach. ʒß. electuar. de ovo ℈j. rad. ſerpent. Virgin. ſubtiliſſ. pulv. gr. xv. lapid. Bezoard. Oriental. gr. v. cum ſ. q. ſyr. è Conditurâ Citri f. Bolus, ſumendus mane & horâ ſomni per dies 21. ſuperbibendo cochl. vi. ſeq. Julapii.

℞. Aq. Card. Benedict. ℥vi. Aq. epidem. & Theriacal. ſtillat. an. ℥ij. Syr. Caryoph. ℥j. Mſ. f. Julapium.

Singulis matutinis poſt aſſumptum medicamentum ſudet horæ unius vel alterius ſpatio, vel potiùs pluribus ſtragulis quàm ſoleret coopertus in lectulo levi madori indulgeat per dictum tempus. His finitis ſi puſtulæ adhuc non evanuerint, ſequenti linimento partes affectæ inungantur.

℞. Unguent. ex oxylapatho. ℥ij. Unguent. pomati ℥j. flor. ſulphuris ʒiij. ol. Rhodii ℈ß. f. Liniment. Verumtamen medicamenta præſcripta haud uſurpentur, niſi Venæſectione atque catharſi ritè præmiſſis; quæ tametſi ſolùm adhibitæ curationem non abſolvunt, ægrum tamen contra febrim præmuniant, ob uſum medicaminum calidorum alias occurſuram.

Eſt & alia Eruptionis ſpecies, etſi minùs frequens, ad cujus medelam nullæ prorſus evacuationes conferunt. Hæc tametſi in aliis quandoque partibus, ut plurimum tamen in pectore apparet, ac loco aliquo determinato ſe figit, vix cutim ſupereminens, atque latiorem maculam præ ſe ferens, niſi quod aliquantulum porriginoſa, ac quaſi furfuracea, cum ſquamulis colore ad flavum vergente tinctis, cernitur. Hâc ſive maculâ, ſive impetigine vigente, æger bene ſe habet, eâdem verò evaneſcente, ut ſæpe fit, leviculam ægritudinem patitur, atque urina ejus turbidior, & rubicundior, ſed ad flavedinem accedens, redditur. In hujus etiam affectus curatione eâdem via atque iiſdem poſt evacuationes univerſales, plane remediis inſiſtendum ac in Pruritu ferino modò dicto; ac proinde, quod non omittendum, vini, ut & carnium εὐπέπλων uſus omnino concedendus, cùm refrigerantia omnia magis officiant quàm proſint. Atque ita hæc poſtrema Eruptionis ſpecies curatur, quæ tamen aliquando non niſi Aquis Ferreis diu epotis cedet. *Thom. Sidenham de morb. acutis.*

Conſultationes.

De Tumoribus Eryſipelatoſis Crurum, & Pedum, cum Impedimento Motus. Pro Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Marchione Gonzaga.

Ex doctiſſimis ſermonibus præſtantiſſimi Viri compertiſſimum fit Illuſtriſſ. & Excellent. Marchionem laborare tumore pedum, & genuum, qui ſe profert plurimum œdematis eryſipelatodis facie quandoque, ſed rarius, eryſipelatis œdematodis, pro humore ſcil. vitioſo redundante. Hernia inſuper hydrocele teſticulum dextrum, labefactatum fuiſſe, quæ nedum in præſentia detumuit omnino; cùm teſtis affectus ſiniſtro craſſeſcat magis.

Qui tumores dubio procul ortum ducunt à materia heterogenea; cùm magis, minuſve promineant, ad exercitii modum validioris, aut remiſſi magis: & quidem ſeroſa potius, quàm aliorum aliquo humorum, hoc indicio; quòd facili admodum negotio fluat, & refluat à parte affecta, nullumque partibus tumefactis impreſſum digiti veſtigium hæreat. Utrum autem à capite, vel à ventriculo profluat, cùm aliàs à nobis in dubium revocatum fuerit, quòd ab utraque parte manare poſſit; nedum in præſenti ea de re quicquam nobis conſtat, ut non inani conjectura cenſeamus, prædictos humores potiſſimùm à cerebro promanare calido, & humido: quod proinde facilè repletur; accedente tamen aliqua ventriculi labe; prout & jecoris fervorem prodidere antehac fluentes hæmorrhoides; Patienti Excellent. adoleſcenti quod nunc luculentius palam facit eryſipelas frequenter recurrens.

Affectus certè difficillimæ curationis, cùm ob inæqualem partium intemperiem, tum ob affectarum partium imbecillitatem. Sperare tamen juvat, fore ut remittant, ope remediorum à Viro Excellentiſſ. præſcriptorum.

Inhærens propterea & ego prædictis intentionibus divertendæ fluxionis, evacuandæ materiæ, quæ fluxit, contemperandæ frigidæ ventriculi intemperiei uſu calidorum, & calidæ jecoris, ac cerebri, refrigerantibus; non ſine quibuſdam caput exſiccantibus; commendo quam maximè univerſalem totius purgationem, eamque repetitam, ſimplicibus primò, & levioribus, mox & generoſioribus, cùm præparantibus, tum purgantibus.

Mittatur tamen primò ſanguis ex jecoraria dextri brachii, mox & ex hæmorrhoidibus. Quod ſi interim fluxio aliqua à capite conſpicua fiat magis, de qua non levis viget ſuſpicio, caput quoque peculiariter expurgandum erit, errhinis,

rhinis, & maſticatoriis temperatis. Neque præter rem fuerit fonticulus ſiniſtro brachio inuſtus, derivationis cauſa à capite, & revulſionis ab inferioribus partibus.

Inter Pharmaceutica dejectoria illa præferenda cenſeo, quæ ſeroſitates ducunt, hydragoga nuncupata. In quibus potiſſima ſunt, manna electa, radix mechoacan; necnon pulvis ex hermodactylis; aliquot item grana quandoque diagrydii, cum flor. Caſſiæ & hujuſmodi. Alterantia, & digerentia omnia à Viro Excell. præſcripta mihi videntur apprimè accommodata; & decoctum potiſſimum; paratum tamen ex ſalſa p rilla, lentiſco, ligni ſancti cortice, viſco quercino, & ſantalis; miſſo ſaſſafras ligno, ob ejus in caput exhalationem; radice item chinæ, malæ notæ ut plurimum, & carioſa. Quod ſi in ventriculo evidens noxa deprehendatur, decoctum parabitur cum columba turricola; alioquin ſincerum, præmiſſa drach. I. Terebinthinæ laricinæ, cum ſcrup. ſem. oſſium combuſtorum. Si verò dum utitur decocto, ſudor manaverit in partibus interioribus, cum pane ſiligineo à furno recenti, linteo obvoluto, diſcutiet magis; miſſo vini u u tempore decocti; cujus loco parabitur mulſa dilutior, ex hordeo, & coriandro; atque pro cibo erunt nuclei pinei, potiùs quàm amygd. dulces; quæ caput tentant magis. Extrinſecus utatur pulveribus capitalibus temperatis, ex cornu cervi, roſis ſiccis, oſſibus combuſtis, & pumice. Hepar inungatur unguent. ſantalino, cum ſucco cichorii; vel epithema eidem applicetur ex ſucco cichorii, cum modico abſinthii ſucco; ventriculus vero oleo maſtichino, de mentha & abſinthite; ſuperaddito etiam cerato ex maſtiche, & tacamahaca. Ab his verò dum utetur pulvere viperino, à Viro Excell. præſcripto, & à me ſummopere commendato, crura, & pedes roborentur lutis, & aquis Thermalibus; extrinſecus quinetiam adhibitis ſpongiis exſiccatis aqua calida prius imbutis, & fortiter expreſſis; paratis calceamentis ex pelle canina, tanquam minus ſequaci. In quorum tamen localium uſu magna religione procedendum erit; cùm experientia conſtet, Excell. Patientem à diſcutientibus deterius habere, invaleſcente pedû intumeſcentia.

Victus ratio ſit à Viro Excell. præſcripta, quæ conſtet ex alimentis exſiccantibus, & facilis coctionis; ac vino tenuis ſubſtantiæ, non admodum generoſo; aſſumpto medicamento aliquo familiari, quò alvus laxior fiat, & biliosum ſerum aliorum humorum vehiculum educatur: in quem uſum conferent pilul. ex Aloë lota ſucco roſ. quarum ope ſanguis quinetiam hæmorrhoidalis nunc cohibitus revocari poterit, non omiſſis localibus tumenti teſticulo applicandis, in primis verò cerato oxelæo. Atque hæc potiora duxi, in ſalutem Illuſtriſſ. & Excell. Marchionis, quæ ut illi uſui ſint, ſalutis autorem Deum O. M. enixè precor. *Benedict. Silvatic, Conſilior. & Reſponſ. Medic. Cent. 3.*

Eryſipelas in facie.

Juvenis 35. annum agens, temperamenti totius & jecoris, ad calidum & humidum vergentis, habitus mediocriter carnoſi, comeſſationibus & compotationibus indulgens, quatuor abhinc annis bis per annum, Eryſipelate in facie corripi cœpit, quod incipere ſolet à parte dextera faciei circa nares, indeque ad totum caput ſe diffundere, cum levi intumeſcentia, calore inſigni, & potius rubore quam flavitie, quod mali genus ipſius quoque Genitor pati ſolebat. Quoniam autem veris tempore, & ineunte Autumno invadere ſolet hujuſmodi affectio, quæ repetita ſanguinis miſſione, & alterantibus hucuſque curata fuit, non tamen ſine vitæ diſcrimine, quia febris acutiſſima eandem comitatur, & quandoque ad fauces quoque propagetur, ideo hoc Menſe Martio, & inpoſterum, de agendis pro præſervatione conſulit.

Hujuſce affectus per intervalla periodica recurrentis, & hunc Juvenem Nobil. moleſtantis idea jam notiſſima eſt, Eryſipelas enim nuncupatur, quod licet vix ad auctam magnitudinem referri ſoleat, cum corporis potius ſuperficiem, quam intimas partes occupare ſoleat, attamen quoniam rariſſimè datur legitimum Eryſipelas, à ſincera flava bile productum, ideo Phlegmonoſum hoc proprie appellabimus, quod à ſanguine bilioſo, ut ferè ſemper, ortum trahit, cujus cauſa familiare eſſe ſolet trigeſimo uſque ad quadrageſimum annum, quibus ſanguis plerumque abundat, ideo color ejus, cum calore, rubeus ſive rubicundus obſervatur, qui roſeus dicitur, redundantis ſanguinis indicio, cujus effluxus atque proventus facilis in hoc Juvene ſemper fuit, temperamento calido & humido prædito, & meracioribus compotationibus dedito, unde bilioſior ſimul & copioſior genitus, venarum facultatem irritat, ad ſui in partem hæreditario jure imbecillem, expulſionem, potiſſimum Veris tempore, quo humores à centro ad corporis peripheriam moveri ſolent, & Autumno ineunte, cum ab ambiente cutis meatus denſantur, univerſa diaphoreſis imminuitur, & humores per expreſſionem, utpote calidi, ſurſum in caput feruntur, & facilius obſident nares genamque dexteram è directo jecoris, partes ſcil. quæ facile tenuiſſimo ſanguine ſuffunduntur, utpote cæteris molliores atque imbecilliores, à quo inflammantur, & in tumorem elevantur, unde phlegmonoſum Eryſipelas conſtituitur, quod neceſſario febris acuta, ut ſymptoma conſequitur.

Affectus equidem non ſpernendus, nam ex levi aliquo errore, aut externa occaſione lethalis evadere poſſet, ſi ab extra ad intra retrocedat humor, unde Phrenitides nonnunquam ſuccedunt, quandoque etiam Anginæ, quandoque pariter ſuppurant, ut propterea ſumma cum ratione egregius hic Juvenis à nobis præſervationem poſtulet, cum melius ſit prævenire quam præveniri. Quod ſi non ſtatim adeo præſervativis remediis arceri poſſit affectio, ejuſdem quoque præſentis curationem expoſcit.

Pro præſervatione autem intentiones Medicæ erunt, redundantem ſanguinem imminuere, ejuſdem vitium corrigere, regenerationem inhibere, & partem affectam roborare. Quibus omnibus ſatisfaciendum partim Menſe morbi acceſſionem præcedente, partim poſt.

Fontem Chirurgicum ſpectantia locum habent paucis diebus ante acceſſionem, ſanguis enim omnino educendus, quia vitium in eo eſt, peccat enim quantitate, ut multus, qualitate, ut acris & bilioſus, & motu, quatenus ruit in caput, & ideo aperienda ſaphena pedis, præcedente

dente tamen hac prima vice Jecorariæ dexteræ ſectione. In uſum etiam duci debent quotidianæ pedum lotiones aqua calente.

Ex Pharmaceutico reliqua ſunt depromenda medica auxilia. Et primò Lenientia erunt, Syr. Roſ. ſol. cum potione Manna clarif. vel Caſſia cum Tart. Præparans eſſe poterit decoct. Cich. Borrag. End. Acet. Viol. Sonchi, cui præmittat Julap. Acet. ad ℥j. ſ. Repetatur deinde præſcriptum leniens, addita infuſ. conſuetæ Rhabarb. drachma. Inde ad ulteriora præparantia erit progrediendum. Decoct. ſcil. Cich. End. Acet. Sonchi, Viol. Hepat. Portul. præmittendo Julap. Roſ. & Viol. ad ℥ ij. Præparati humores ſunt expurgandi. Rhab. potiſſimum, cujus ʒ ij. in Aq. End. infundantur, cum ʒj. Myrob. Citrin. Infuſ. addendo Syr. Roſ. ſol. vel præbeatur Elect. de Succo Roſ. ad ʒ iij. cum Flor. Caſ. quibus ſuperbibat Seri depur. Capr. aut Aſin. ℔ ij.

Hac ſequuta humorum bilioſorum expurgatione, calida jecoris & venarum intemperies corrigenda venit, in quem finem Aqu. Acidulæ ferreæ erunt omnino uſurpandæ. Verum quoniam nonniſi ſub Cane perficiuntur & aſſumuntur, ideo interim in uſum ducat Aq. ſtillatitias ad ℔ j. de Succo Cich. vel Acet. End. & Cucurb. Anguriæ quoque aqua utebatur Avic. & Arabes, cum Syr. de Acido Cit. & de Succo Lim. ut tandem ad Acidulas, vel Calderianas in Agro Veronenſi, vel B. Virginis in Patavino ſe conferat, 15. aut 20. diebus aſſumendas. Familiarem inde habeat Roſ. Conſ. & 15. aut 20. diebus autumnalem acceſſionem præmiſſo Leniente, ex ſaphena dextera pariter ſanguinem ſibi mitti permittat, & jam dictis alterantibus ſuavioribus utatur. Tandem pro partis roboratione, facies matutino tempore abluatur Aqu. chalybeata, interdum madefiant genæ Aqu. Roſar. Hæcque abundè.

A fonte Diætetico magna ex parte pendet hujus affectus præſervatio. Etenim primò, nec igni, nec radiis ſolaribus caput diutius exponere debet. Secundò compotationes evitandæ, merique potus, etiam in menſa, à cibis calefacientibus ac vaporoſis abſtinendum, à condimentis Aromatum, Allii, Cæparum, & hujuſmodi. Somnus diurnus vitandus, vel ſit brevis ſaltem, & capite elato. Exercitium probatur, ſed ante cibum. Et ſemel per menſem aſſumere poterit ʒ j. Pilul. de Trib. cum Rhab. ſub cœnam, & in cœna ptiſanam hordeac. Alacriter vivat, & intenſas applicationes vitet. Quod ſi jam dictis non obſtantibus recurrat affectus, eadem purgatio erit anno proximè futuro peragẽda, ut mali radices omnino evelli & extirpari poſſint.

Eryſipelas vero rurſus invadens curandum erit ut aliàs, melius enim eſt, dicebat Avic. Medicamentum expertum non experto. Nihilominus, ut Patienti morem geram, nonnulla peculiaria attingam, quæ in curando Eryſipelate Medentibus dubium afferre ſolent.

Et primo Medicæ intentiones eſſe ſolent, humorem ad partem affectam fluentem revellere. Secundo repellere. Tertio eundem expurgare. Et tandem partem roborare.

Quibus explendis, de ſanguinis miſſione dubitari ſolet, cum Gal. in curatione Eryſipelatis, neceſſariam non eſſe dixerit. Verum primò ſanguinis miſſionem non reprobavit, ſed præterea omitti poſſe cenſet in Eryſipelate exquiſito, quod rariſſimè datur. In noſtro autem caſu de hoc dubitari non poteſt, ſiquidem phlegmonoſum eſt, & præterea in capite, quo caſu, Celſus & Paulus ſanguinem educebant, & ideo ſanguis iterum atque iterum ex inferioribus & ſuperioribus venis adducendus, & reliqua omnia genera revulſionum adminiſtranda, ſcilicet pedum lotiones, frictiones, & cucurbitulæ.

Extrinſecus repellentia admoveri ſolent, quæ tamen cautè valde capiti ſunt apponenda. Sufficiant igitur lintea Aq. Roſ. tepida imbuta, vel ſucco ſempervivi, qui & repellendi & quodammodo etiam digerendi facultatem obtinet, ab oleoſis vero & pinguibus omnino abſtinendum, ut quæ partis fervore excalefacta magis inflammare poſſint. Ab his autem repellentibus tertio aut ad ſummum quarto die abſtinendum, nec quicquam aliud curioſè agendum, ſed circa ſeptimam lintea apponantur Aqua, in qua ſapo noſter Venetus diſſolutus fuerit, imbuta.

Interim ſanguine prima vice evacuato, poſt injectum clyſterem, medicamentum evacuans eſt exhibendum, quod eſſe poterit Syr. Roſ. ſol. cum decoct. Pulp. Tamarind. vel Flos Caſſ. cum eadem pulpa, à quibus bibenda præbeatur Aq. Nocer. ad ℔ ij. & inde uſque ad declinationem Clyſteribus utendum. Poſtea alterantia in uſum quotidianum revocanda, ex Aq. ſtill. Acet. End. quinimò & Plantag. parata, addito Syr. de Succo Lim. & de Acido Cit. Et licet videatur Gal. purgationem electivam approbare, ad hanc tamen valdè cautè deveniendum eſt, nonniſi in declinatione, ne agitentur humores & in affectam partem irruant. Quare poſt ſeptimam præberi poteſt Elect. de Succo Roſ. cum Caſſ. & ab ea ſerum, aut Aq. Nocer. ad libras.

Et his omnibus congrua addenda victus ratio, in caſu noſtro tenuis, non autem adeo ut in exquiſito Eryſipelate, ſit autem incraſſans, verbo, ſufficiat ptiſana hordeac. vel Lactuca, aut Cucurbita in jure cocta, cui prope ſeptimam Ovum recens addi poteſt, conceduntur poma & pyra cocta, & cibum claudat Conſ. Roſ. Pro potu autem hauriatur Aq. ſtillat. Acet. aut Hordeac. Quibus addendum, quod nil pernicioſius eſſe poſſit quam faciem aëri frigido, aut ventis exponere. Quæ pro curatione ſufficiant. *Raym. Johan. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medicin. Tom. 1. Cent. 1.*

Puella duodecim annorum, jam à tribus annis, circa menſem Majum, incidit in totius faciei tumorem ſubrubicundum, oculos pene claudentem. Adeſt calor & pruritus magnus. Pulſus etiam eſt juſto celerior; appetitus eſt proſtratus; & plus ſolito ſitit.

Afficitur in hac puella facies, ut ad oculum eſt manifeſtum: uti & cor, quod pulſus juſto celerior; item ventriculus & æſophagus, quod ſitis & appetitus proſtratus indicant.

Morbus, qui eam affligit, eſt tumor faciei, ex bilioſo ſanguine ortus; qui calorem immoderatum, & pruritum, ac colorem ſubrubicundum in faciei inducens, Eryſipelas faciei phlegmonodes appellari ſolet.

Cauſa antecedens hujus morbi eſt ſanguis bilioſus, ex temperamento ſanguineo & diæta forſan calidiore, tanquam à cauſa procatarctica, in toto hujus puellæ corpore, ſingulis annis geni-

genitus. Pars vero ejus circa menſem Majum, ob aëris caliditatem, in corde vehementius effervescens, inducit pulſum juſto celeriorem; ad ventriculum vero & œſophagum delata, ibique œſophagum nimium exſiccando, ſuccumque acrem ventriculi, famem excitare ſolitum, copia ſua & qualitate bilioſa perfundendo, ſitim & appetitus proſtrationem excitat: ad faciem vero à corde propulſa, ibique poros vaſorum aperiens, & ſeſe in cutim vicinaſque partes magna quantitate effundens, vehementiuſque, ob ulteriorem corruptelam ſive putredinem ſupervenientem, incaleſcens, ibidem tumoris, ruboris, pruritus, & caloris faciei, cauſa continens exiſtit.

Metus eſt, ne hic affectus eryſipelas exulceratum faciei; vel, ſi humor hic ad cerebrum vel cerebrum vel alias nobiliores partes feratur, ne inflammationem cerebri, vel pulmonum, vel pleuræ inducat. Diligenti itaque hic morbus erit impugnandus Curatione; quæ in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, item intemperiei, & tumoris ablatione, conſiſtet.

Atque ideo primò tale exhibeatur purgans:

℞. Syr. roſ. ſol. cum fol. ſennæ ℥ j. Cremor. tartari ℈ j. Scammonii gr. x. Aq. cichor. ℥ ij. Miſce, fiat Hauſtus brevis, mane exhibendus.

Toti faciei deinde imponantur lintea ſequenti liquore tepido imbuta; ſæpiuſque, ubi exſiccata fuerint, renovetur imbutio & applicatio:

℞. Aq. plantag. roſar. an. ℥ iv. Lapidis alchymiæ ʒ j ß. Miſce.

Vel ℞. Aq. flor. ſambuci ℥ x. Sperm. ranar. ʒ v. Spiritus vini opt. ℥ vj. Miſce.

Si palpebræ oculorum valde etiam intumeſcant, iis imponantur lintea, ſolâ aquâ roſ. & plantag. tepidâ madefacta.

Ad præcavendum, ne ſub ſequentem Majum rurſus recidivam patiatur, menſe aprili ſemel atque iterum purgetur, & utatur diæta tenuiore, & refrigerante. *Henric. Regius apud Theod. Craanen Medication. lib. 4.*

Obſervationes.

Ruſticus quidem Eryſipelate phlegmonode in ſiniſtra manu laborans, ex tonſoris conſilio per aliquot dies manum & brachium oleo roſac. inunxit: unde dolores, inflammatio, aliaque ſymptomata magis magiſque ingraveſcebant; ita ut tandem gangræna correpta ſit tota manus, is cum ad me acceſſiſſet, ſcarificatione aliiſque remediis quæ ad gangrænæ curationem ſpectant, curatus fuit. Ex quibus perſpicuum eſt, oleum maximè inflammationibus adverſari. *Guil. Fabrit. Hildan. obſ. 82. cent. 2.*

Quidam Eryſipelas in ſeipſo & aliis plurimis curavit ſecreto præſtantiſſimo, quod ſic habet, accipiebat folia & ramuſculos Sabinæ & in pulverem craſſiuſculum redactis quotidie ter ſuffiebat membrum affectum. Si verò exulceratio adjuncta eſſet, ceram virgineam in aqua calida manibus tractatam, emplaſtri modo, ſolam imponebat. *Hieron. Reuſnerus. obſ. 124.*

Eryſipelas cruris.

Domino Kelfken, urbis Noviomagi Conſuli, dextrum crus eryſipelate correptum fuit, cui malo ſæpius etiam antea obnoxius eſſe conſueverat. Sexagenarius erat, & corpore valde cacochymo. Eryſipelati, ex more vulgi, ipſemet impoſuerat lintea intincta in aceto & aqua florum ſambuci quibus eryſipelas aliquantum quidem minuebatur, ſed veſiculæ quædam hic illic excitatæ fuerunt, quales etiam antea ab hujus aceti & aquæ uſu ſæpius habuerat: his acu pertuſis impoſuerat folium tabaci viridis (quo præcedentes veſiculas ſemper curaverat) quod cùm per tres quatuorve dies applicatum fuiſſet, ab acrimonia humorum effluentium cutis magis magiſque exulcerata fuit ac in medio particula quædam nigra & gangrænoſa apparuit, qua viſa, æger ſibi metuens, Chirurgum acceſſiri juſſit. Hic particulam iſtam gangrænoſam in ſola cute hærentem facilè exſcidit, & variis emplaſtris impoſitis ſolutionem ſanare conatus fuit, toti cruri propter eryſipelas inungens unguentum refrigerans Galeni. Atque iſto modo æger per ſex ſeptimanas tractatus eſt. Tandem cùm variis & ſæpe mutatis emplaſtris ac unguentis nihil omnino proficeretur, ſed malum in dies accreſceret, menſe Junio etiam ego ad curationem advocatus fui. Animadverti ægrum multis aquoſis ac pituitoſis humoribus abundare, qui ſalſi ad crus deſcendentes hujuſmodi continuam exulcerationem inducebant: hinc etiam alvum humidam & liberam, imò quatuor vel quinque ſeceſſus quotidie habebat. Appetitus mediocris erat: ſed à medicamentis tantopere abhorrebat, ut nihil, niſi extrema urgente neceſſitate, per os aſſumere vellet. Inſpecto crure, comperi emplaſtra in cauſa fuiſſe quod vicinæ partes exulcerarentur, cùm enim ob pinguedinem & denſitatem humores acres & ſalſos effluentes in ſe retinere vel exſugere non poſſent, illos ad circumvicinas partes effluere neceſſe erat, quæ ab eorum acrimonia exedebantur. Proinde crus illud cataplaſmatibus curare præſtabilius mihi viſum fuit, quæ ob mollitiem humores effluentes imbibere ac in ſe continere, partemque exſiccare poſſent. In hunc finem ſequens cataplaſma abſque ulla pinguedine præſcripſi.

℞. Corticum granatorum, flor. balauſtiorum, an. ℥ ß. foliorum quercus, plantaginis, agrimoniæ, ſaniculæ, an. m. ij. pimpinellæ, flor. roſarum rub. an. m. j. aquæ communis ℔ iv. coquantur ad medias.

℞. Foliorum quercus m. iv. agrimoniæ, plantaginis, an. m. j ß. pulveriſentur ſimul, tunc adde farinæ fabarum ℥ ij. decocti prædicti q. ſ. coquantur aliquantum, & fiat cataplaſma.

Hôc poſtea aliquoties reiterato, ulcus omnino ſanatum fuit. Circiter tertio poſt ſanationem menſe, rurſus nova defluxio ad crus deſcendit, magnum ulcus eryſipelatodes inducens. Præter unicum hauſtum purgantem, & unum decoctum ex radicibus chinæ, ſalſæparillæ, & ſimilibus, nullum aliud medicamentum aſſumere voluit. Impoſitum fuit antedictum cataplaſma, quo res ad tempus bene ſucceſſit: tandem verò nova rurſus accedente defluxione cum magno eryſipelate, dolores valde accreverunt, ulcus multum extendebatur, ac paulo poſt etiam gangræna partem invaſit, & in cruris exteriore latere particula gangrænoſa nigricans, latitudinis daleri imperialis, conſpiciebatur. Chirurgus

gus vino tepido partem affectam aliquantum abluit, ac poſtea unguento mundificativo ex apio inunxit, & prædictum cataplaſma ſuperpoſuit; atque his aliquot diebus continuatis, gangrænoſæ particulæ tandem exciderunt. Tunc ulcere priùs mundato, ſolum cataplaſma impoſitum eſt. Interea ad humorum deſcendentium commodiorem evacuationem, libenter fonticulum in ſuræ exteriore parte feciſſem, verum illud permittere noluit æger. Menſe Martio ulceribus jam ſanatis, rurſus nova acceſſit acris defluxio cum eryſipelate, hinc ab utroque cruris latere novum ulcus latitudinis palmæ manus excitatum fuit. Cataplaſma impoſitum nihil profuit, vires cum appetitu dejectæ ſunt, & æger adeo debilis evaſit, ut ampliùs incedere non poſſet. Paulo poſt gangræna ad palmæ latitudinem ſubito acceſſit, Æger periclitari nobis viſus fuit, tam propter cacochymiam corporis, quàm propter magnam virium debilitatem. Ulceribus gangrænoſis inunctum fuit unguentum mundificativum ex apio, & cataplaſma ſuperpoſitum; ſi ſpiritus vini admoveretur, tantus excitabatur dolor, ut illum protinus abjicere neceſſe foret. Tunc fonticulum in ſura fieri permiſit æger, quem ſectione novaculæ libenter feciſſem, verum cùm inde nimis abhorreret, cauterium potentiale, holoſericum Paræi, impoſitum fuit, quod ſine ullo dolore operationem ſuam brevi peregit. Poſt tres quatuorve dies gangræna in ulcere multum adaucta eſt, atque etiam invaſit locum illum cui cauterium impoſueramus, unde eſchara nondum exciderat. Hunc proinde locum cauteriſatum ad carnem uſque vivam ſcarificavit Chirurgus, ut eſchara citiùs ſepararetur, cujus etiam fruſtula quædam exſcidit. Sequentibus tribus diebus gangræna magis magiſque accrevit, ita ut in loco fonticuli carnis emortuæ pars magnitudinis daleri imperialis, & profunditatis latitudinis pollicis, exſcindenda foret. Poſtridie gangrænoſæ partes fœtebant inſtar cadaveris putreſcentis, tanto fœtore quem vix quiſpiam adſtantium ferre poterat, & gangræna continuo increſcebat. Ut mortificationi ac putrefactioni reſiſteretur, partes infectas abluimus cum ſpiritu vini in quo ſal commune diſſolveramus, & petias eodem liquore madefactas impoſuimus, ulcuſque ter de die religavimus, quô mediô fœtor ferè totus intra ſeſquidiem receſſit. Deinde ut gangrænoſæ & emortuæ partes à vicinis per ſuppurationem citiùs ſepararentur, & ſanæ à corr uptela præſervarentur, balſamum noſtrum Magiſtrale impoſitum fuit, quod putredini potenter reſiſtebat, & ſuppurationem egregiè promovebat: atque ita partes gangrænoſæ paulatim cœperunt excidere; quibus ablatis, per aliquot dies impoſitum fuit unguentum digeſtivum, ac tandem rurſus ſolum cataplaſma, quo ulcera progreſſu temporis, ſed admodum lentè, ſanata ſunt, humoribus poſtmodum per fonticulum effluentibus. Hoc ægro, qui ab omnibus pro deſperato habebatur, præter multorum opinionem, ſanato, magnum nobis honorem conciliavimus. *Isbrand. de Diemerbroëk in Obſervat. & Curation. Medic.*

De Eryſipelate raro, Fonticuli naturalis additamento.

Exemplum ejuſmodi fonticuli, de quo hiſtoria prægreſſa, ſeu potius ſcaturiginis cujuſdam ſine alveo fonticuli, producam, ut ſimul eryſipelatis tam miri quam rari fieri poſſit mentio.

In ſummitate interſtitii, quod eſt inter digitos pedis ſiniſtri majores, à multis annis ipſemet ſenſi, ſed ſine triſti ſenſu, exſudationem quandam, modo humidam ſeri vel ſaniei, modo ſiccam ſquamularum vel cruſtularum, quæ ſæpè & facilè ſeparabiles.

Aliquando peregre vocatus, poſt cœnam finitam appuli, apponebatur ſerius venienti cyprinus, qui ſalis & elixationis defectu palato conciliabat nauſeam: vitium hoc non ſatis poterat corrigi vino, quia villo. Lecti ingreſſum comitabatur horror, hinc curioſè plumis ſepultus dormiebam more ſolito. Somnus profundior exonerabat maſſam ſanguineam ſero per ſudorem copioſiſſimum.

Evigilanti horæ matutinæ Bubonis rudimentum oſtendebant in inguine, & amaritiem ex bile in palato, & dolorem quendam totius pedis gravativum, inprimis autem in interſtitio digitorum pedis ſuperius dicto extenſivum.

A meridie domuitionem urgebam & expediebam, quo facto tandem radium ſeu ſtriam ἐρυσιπελατώδη digitos duos latam, æquali latitudine & rubore, à bubone uſque ad digitorum pedis ſcaturiginem extenſam vidi. Hæc ſerum conſueto copioſius fundebat per aliquot dies, & mox à principio cum inſigni levamine.

Ἔκκρισις ejuſmodi, tanquam ſummum prophylacticum, optanda eſſet Podagricis: ſed cum beneficium hoc naturæ ſit rariſſimum, annon excretiones artificiales hic locorum quærendæ?

Aſſentiri videtur Sennertus de arthrit. c. 7. qui & venæ ſectionem & cucurbitulas ad pollices pedum laudat rationibus & experientia. Salmuth. cent. 3. obſ. 46. commendat ſuo & aliorum exemplo ſcarificationes menſtruas pollicum pedis circa radices unguium.

Contradictor acerrimus eſt Crato Epl. 152. ad Thom. Jordanum. Diſſenſiones aliorum Medicorum in ſcenam non produco. Et affirmantibus & Negantibus non deſunt rationes ſat prægnantes. Arbitram optimam judicarem eſſe experientiam, quæ tamen fallax & non raro periculoſa. Si quid ſtatuendum, concludo, Artem utut Naturæ miniſtram & ſimiam, raro tam eſſe felicem in excretionibus materiæ morbificæ ſollicitandis, ac Naturam: & excretiones naturales utplurimum eſſe placidas & criticas, artificiales contra violentas & quodammodo ſymptomaticas. *Sigiſmundi Graſſii.*

De Zona ſive Ζωστῆρι Eryſipelatis ſpecie, ejuſque curatione.

Marcus Aurelius Severinus Philoſophus & Medicus celebratiſſimus lib. de recondita abſceſſuum natura 4. de noviſſime obſervatis abſceſſibus cap. 9. §. 11. p. m. 194. de Zona Herpetis, ſive ignis ſacri ſpecie, ita ſcribit: Zonam quidem ad hoc tempus nemo tradidit à ſe obſervatam; uſque adeò, ut veram ejuſdem formam

mam ipſe, qui vidiſſet, teſtificari cæteris poſſet. Rariſſimus ſanè affectus hic eſſe videtur: Nam ex Veteribus, præter Scribonium, Apulejum, Marcel. & Plin. nemo ejus meminit. Joan. Langius Epiſt. Med. l. 1. Epiſt. 32. ſub alterius cujuſdam Eryſipelatis & quidem pernicioſi ſpecie, quæ merito à cingulo Ζωςὴρ appellatur, eundem depingit, & binis exemplis demonſtrat. Henr. Smetius Miſcell. Medic. lib. 10. ubi rariorum aliquot morborum & Symptomatum Obſervation. recenſet p. m. 518. ſequentibus verbis eum deſcribit. Filiolus civis Francodalenſis febricitabat, & Eryſipelate corripiebatur, quod totum pectus cum dorſo toto occupabat. Inde deorſum per totum abdomen & femora ad genua uſque, ſurſum verò per collum, in faciem & brachia ad cubitos uſque ſeſe exporrigebat. Den rooden Umloop vocant Flandri, Supra citatus M. Aur. Severinus loco prædicto p. m. 196. talem Zonæ modum & formam obſervavit, verba hic tranſcripſimus: *Sæpius hæc viſa poſteriore thorace, & ſecundum ſuperiores lumbos circinata: Quam in Societatis Jeſu Sacerdote Sacrarum Collegii ædium vidi cum Mario Schipano diligentiſſimo rerum iſtarum Obſervatore: Alteram cum Franciſco Nola Medico ſatis induſtrio curavi Mario Canello Sacerdoti integerrimo. In palma ſimiliter cujuſdam Sutoris calceolarii, qui Syphile fuerat affectus, luculenta nuper fuit obſervata cum primis Zona: Qui primum dolorem antem in pectore perpeſſus fuerat. Itemque alia pleraque ſe obtulerunt in valetudinario morbis incurabilibus dicato: Quas omnes explicare longum eſſet. Hæc Severinus.* Huc etiam referri poſſunt Maculæ Volaticæ Infantium, Germanice *der Flug* dictæ, quas deſcribit Sennertus Pract. Medic. lib. 5. Part. 3. Sect. 1. c. 6. & Melchior Sebizius Manualis ſive Speculi Medic. Pract. part. 6. cap. 32. ſub titulo Volaticæ. Autoribus hiſce inter ſe collatis ſatis apparet, affectum hunc quem ſinguli deſcripſere, unum eundemque eſſe, proindeque ad Eryſipelas referendum: Eſt enim (ut verbis Sebizii citato loco p. m. 1828. utar) utriuſque eadem natura atque eſſentia, unaque cauſa & una curandi ratio. Diſcrimen in eo ſolùm conſiſtere videtur, quod Eryſipelas in uno loco plerumque perſiſtat: in Volatica autem ſeu Zona, rubor priorem locum deſerat, ulterius tamen progrediatur, locaque vicina invadat. Deinde quod ſanguis Volaticæ ſit calidior, ſubtilior, & forſan etiam malignior, quàm Eryſipelatis vulgaris; Quo fit ut hinc inde vagetur: & quia ſanguis illius acrior eſt atque mordacior, expultricem partium facultatem irritat, ut uno in loco permanere nequeat. Quæ tamen omnia ratione naturarum & ætatum, temporum & locorum ſæpiſſimè variant. Mihi, ut ingenuè fatear, in praxi Medica per Dei gratiam ſpatio viginti annorum continuè occupato, Eryſipelas vulgare ſæpiſſimè, iſtius autem generis, quod ex fide dignis Autoribus ſuperius deſcripſimus, (ſive Zona, vel ζωςὴρ, ſive Volatica vocetur) tantum bis curandum obtigit. Primum hoc affectu correptum Vidi A. 1667. Spectabilem p. m. Andream Seidler Juriſconſultum doctiſſimum & Scabinum Thorunenſem Suburbanum digniſſimum, quinquaginta ſex annos natum, unà Cancrum ulceratum in dorſo foventem, quem dicti Anni, Menſis Septembris die vigeſima quinta febris adorta, uſque ad tertiam Octobris continuè exercebat, tumor autem Eryſipelatodes, incipiendo à ſcapulis, ſuperiore pectoris parte ad collum ſerpebat, poſtea faciem totam & caput occupabat, cum ſummo dolore, fervore & cordis anguſtia, ut neque cibum capere, nec ſomno indulgere potuerit: Sed adhibitis tandem internè Medicamentis partim alterantibus, partim expulſivis & Bezoarticis: externè vero tumori applicatis linteaminibus, aquis plantaginis & roſarum, cum pauxillo croci tepide madeſcentibus, pedetentim circa nonum diem & tumor & rubedo diſparere cœperunt, donec undecima morbi die, decidentibus ſimul capillis planè evaneſcerent. An. dein 1668. die 4. Novemb. eodem morbo affectam obſervavi puellam ſeptennem, Chriſtinam, plurimum Reverendi Viri Simonis Weiſſii Eccleſiaſtæ Mariani Vigilantiſſimi & Profeſſoris Gymnaſii Clariſſimi, Compatris mei admodum colendi, Filiolam: cui malum ſimiliter totum pectus & dorſum ad collum uſque cinxerat: haſque partes paulatim deſerendo, ad faciem & caput aſcenderat, propinatis autem remediis idoneis, ut in priore caſu, denique cum totali pilorum capitis defluvio evanuerat. Refert quidem ex aliorum mente loco ſupra allegato *Sennertus*, qui affectum hunc ſe nunquam vidiſſe teſtatur; Si maculæ illæ orificium aliquod, os puta, nares, oculos, aures attigerint, & eo uſque penetrarint, malum lethale fieri, ideoque ad præcautionem orificia dicta aqua roſarum cum pauxillo croci mixto illinenda ſuadet: Verum nos tale quid animadvertere haud potuimus, ſed licet tumor ille totam faciem, labia, nares, oculos & aures, in prædicto utroque caſu plene occuparit, morbi tamen lætum eventum ſubſequutum videmus. *Simonis Schultzii.*

Eryſipelas ζώςηρ.

Inter plura Ignis ſacri genera ζώςηρα numerat Plinius N. lib. 26. cap. 11. qui medium hominem ambiens ſi cinxerit eum enecat, quo Marchionem Brandemburgenſem in Oneſlbachio interiiſſe, Principem verò Palatinum Otthenricum correptum, ſanitati à ſe reſtitutum refert Langius lib. 1. epiſt. 32. Corripiebatur eodem honeſta Matrona Hildeſici Spanmanni Jurium Practici vidua, quod cum præ pudore diſſimularet, & tibiam ſaltem eodem igne inflammatam & exulceratam Chirurgo tractandam exhiberet, accidit ut altero illo ſubitò invaleſcente, & in gangrænam deſinente, ægra præter ſpem placide exſpiraret, paulò ante mortem & ſuperioris illius inſpiciendi copiam faciens, deprehendi a. illud inferiorem ventrem tam accurate circumdediſſe ut cingulum fuſcum palmam latum examuſſim referret. *Joan. Henr. Brechtfeld.*

Ancillam vetulam quandam habui quinquagenariam, Norimbergæ adhuc commorans, quæ triduum diu noctuque inquieta de moleſtia cum cardialgia circa præcordia queritans, denique ſenſit ſub præcordiis prope ſtomachum circumcirca ad latitudinem manus, cinguli inſtar, puſtulas parvas lucidas, cum cutis inflammatione acri prorepere, ſed aſſumto cathartico leni, & ſudoriferis cum cordialibus ac alexiteriis miſtis, externe quoque ſe fomentis modicè refrigeran-

gerantibus sæpius tepide detergens, & sponte desiccari permittens, intra sextiduum revelavit ea, à tam molesto & periculoso affectu liberata. *Joan. Helwigii.*

ESSERE
Vid.
EPINYCTIS.

EXANTHEMATA.

EXanthemata Scorbutica, quorum hinc inde facta mentio, hisce imprimis tetris tam vulgaria sunt atque obvia, ut nemo facilè periculum inde ominetur, atque etiam non advocato Medico lubens ea toleret; verum alia ista, quæ inter morbos exsurgunt corporisq; superficiem defœdant, magnum statim spectantibus, imprimis fœminis, terrorem incutiunt & nescio quid sinistri alere videntur. Atque hinc nulla est mora, quin ad eorum conspectum Medicus protinus accersatur, qui de iis sententiam ferat dubitantibusque metum eximat. Est febris quædam species, Purpura dicta, quæ variis sese maculis & ipsa exserit, nunc pallidioribus, nunc rubicundioribus, tandem etiam nigris; hanc, sive quod Scorbutici salis ille fructus sit, seu quod intestino & proprio veneno exsurgat, malignam esse & periculosam omnino sum persuasus. Levior autem est species minusque habet discriminis, quam Galli febrem Scarlatinam vocant; hæc fermentationis paulò vehementioris materiamque in cutem evomentis progenies est & ex facili dissipatur. At ego alia quoque exanthemata erumpere vidi, quæ cum istis quidem comparari minimè possint, omni periculo vacua, certè ludicro spectaculo quàm symptomati affiniora. Et primò quidem in duobus ex pectore vulneratis, uni quidem post vomitum ebullitionemque sanguinis, alteri post sputa detenta ruborem toto corpore verecundum illum & planè cermesinum effloruisse vidi, finito intra quatuor horas cum colore leviori paroxysmo. An fortè de eo intelligi debeat Hippocrat. illud in Coacis? ὅσιν ἁλμυρώδεα πτύελα ἐκ βηχὸς ὑφίσταται, τυτέοισιν χρὼς ἐρυθραίνεται. Alii, & ipsi Asthmatico, Servo à pedibus, cutis tribus quidem diebus continuis elegantissimo rubore perfundebatur tota, periculum metuentibus, qui aderant, omnibus: at verò cum singulis paroxysmis, qui quotidie redibant, remittebat quoque color. Fœminam Nobilem ex febre Tertiana cum vomitu laborantem itidem cum Paroxysmo invaserant hæ universo corpore maculæ, sed cum uno alteroque paroxysmo etiam ipsæ deficiebant. Magna interim familiarium & domesticorum sollicitudo in corpore obesissimo jam Morbillorum, jam Malignitatis suspicionem moverat; at subita febris ruborisque remissio metum omnem exemere. Virgo venustissima, quæ elapsa hyeme cum Quartana conflictata erat, ad intempestivas mendici male morati preces perculsa recidivam ineunte vere sensit, sed quam tres ex ordine Paroxysmi finirent; hanc & ipsam cum primo insultu paulò post terrorem color incessebat toto corpore eleganter roseus inque maculas distinctus, consternatis ad novum spectaculum parentibus; at, quod tertio insultu apparuit, sine ulla admodum offensa corporisque periculo. Sed quid de isto Exanthematum genere tenendum, quod Morbillorum specie totos sæpe terrarum tractus infestat, & ante hos sex annos, quando superior mihi Germania cum Principe persona decurrenda erat, Palatinatum & Sueviam occupabat, cuique tributum ipse quoque cum plerisque itineris sociis pendere debebam. Leviculus erat ille morbus, *Röthel* nomine notus, qui nullo habito sexus ætatisque discrimine promiscue omnes invadebat. Paucissimis ille erat funestus, aliquos diem biduumve aut triduum lecto affigebat, aliqui stando eum vincebant nonnullos impuro corpore diutius vexabat, plerosque tamen molestia quidam & calore paulo intensiore, appetitu dejecto & membrorum segnitie, multabat, quæ vel sponte aut sumto Sudorifero cessabant. In unâ autem Stutgardia simul semelque septingenti cum hoc morbo conflictati sunt, quo etiam in levibus contagium aut sporadicum quid hærere intelligas. Exanthemata verò illa non statim universo corpore, sed variis locis, ut constitutio ferebat, sese ostendebant, plerunque tamen in Capo erant manifestiora, in aliquibus tamen etiam remissior rubedo attentè quæri debuit. Crediderim ego collectas per hyemem in sanguine sordes aliquas ad initia veris exæstuante sanguine in cutim facile exiisse, quod superficiei massæ potius quàm centro inhærescerent, & sic originem febriculæ populari & criticæ darent, ubi tamen etiam certæ & astralis influxus partes fuisse aliquas non de nihilo quis suspicetur. *Joon. Nicol. Pechlinus Obser. Physico-Medicar. lib. 3.*

EXOMPHALOS
Vid.
HERNIA.

EXOSTOSIS.
Vid.
OSSIUM MORBI.

Finis Libri Quinti.

Crocus martis dysenteriis fol. 1031
Extractum absynthij compositi fol. 700

